מלחמות יי

DANIELIS CHAMIERI

DELPHINATIS

PANSTRATIAE CATHOLICÆ,

TOMVS SECVNDVS.

DE

DEO ET DEI CVLTV.



GENEVÆ,
Typis ROVERIANIS.

M. DC. XXVI.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM QVAE SECVNDO PANSTRATIAE TOMO CONTINENTVR.

QVI

DE DEO ET DEI CVLTV.

Prioris partis quæ est

DE DEO

LIBER PRIMVS.

DE TRINITATE.

LIBER II.

DE ATTRIBVTIS DEI.

I.

DE OMNIPOTENTIA.

II.

DE PROVIDENTIA.

DE CONTINGENTIA ET necessitate.

Argumenta Catholica.

Argumenta Papistica.

LIBER III.

DE AVTHORE PECCATI.

DE

DEO INCARNATO.

LIBER IV.

De Persona.

DE NATVRA HVMANA.

I.

De Natiuitate.

De Christi Anima.

LIBER V.

DE

DESCENSV AD INFEROS.

De Christi Resvrrectione.

LIBER VI.

DE CORPORE CHRISTI.

VI. Cor-

DE OFFICIO MEDIATORIS.

DE MEDIATIONE SECUNDUM Naturas.

LIBER VII.

LIBER VIII.

DE UNO MEDIATORE.

DE OECUMENICO.

THESIS.

UTRUM SIT ALIQUIS.

LIBER IX.

LIBER X.

HYPOTHESIS.

I.

De Petro Apostolo.

LIBER XI.

LIBER XII.

HYPOTHESIS

II.

DE PAPA.

I.

De Avthoritate Papæ in Ecclesia.

LIBER XIII.

LIBER XIV.

VII. *Epis-*

II.

DE PAPÆ AVTHORITATE IN REPVBLICA.

LIBER XV.

Argumenta Papistica.

Argumenta Catholica.

III.

DE ANTICHRISTO.

LIBER XVI.

Argumenta Catholica.

LIBER XVII.

Argumenta Papistica.

ã 3

HYPOTHESIS.

I.

De Petro Apostolo.

LIBER XI.

Argumenta Papistica.

LIBER XII.

Argumenta Papistica.

HYPOTHESIS

II.

DE PAPA.

I.

De Avthoritate Papae in Ecclesia.

LIBER XIII.

Argumenta Papistica.

LIBER XIV.

Argumenta Catholica.

VII. *Epis-*

II.
DE PAPÆ AVTHORITATE IN REPVBLICA.

LIBER XV.

Argumenta Papistica.

Argumenta Catholica.

III.
DE ANTICHRISTO.

LIBER XVI.

Argumenta Catholica.

LIBER XVII.

Argumenta Papistica.

II. LOCI

PARS ALTERA.

DE CVLTV.

LIBER XVIII.

De Calvmniis Papistarum.

Qvaestio I.

VTRVM POSSIT CREATVRIS COMPETERE CVLTVS religiosus.

LIBER XIX.

Argumenta Papistica.

Argumenta Catholica.

Liber XX.

Qvaestio II.

Argumenra Papistica.

Argumenta Catholica.

Qvaestio III.

Qvaestio IV.

DE IMAGINIBVS.

LIBER XXI.

De Imaginibvs Dei.

De Veneratione Imaginvm.

Argumenta Papistica.

VI. An

Argumenta Catholica.

LIBER XXII.

DE CRVCE.

De Imaginibvs in Templis.

PANSTRATIÆ CATHOLICAE

Tomus Secundus,

LIBER PRIMVS

Qui est,

DE SANCTA TRINITATE.

Caput Primum.

CATHOLICORVM CONFESSIO DE TRINITATE.

BENE habet. Iecimus, auspice Deo, fundamentum totius Christianitatis, Scripturam Sacram, super qua ædificata fides (instar domus illius, quam in saxo solidissimo constructam frustra ventorum furor verberat, imbrium violentia percutit, torrentium pulsat insana rapiditas) stat immobilis quãtumuis furiosè tentata nouis subinde hæreticorum emergentium conatationibus. Ad hanc rupem naufragium iampridem Gnosticorum infinita classis fecit: fecit & Marcionitarum: fecit Manichæorum: fecit Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Monothelitarũ, Acephalorum: fecit aliorũ nullo numero. Quo magis spem bonã nos oportet habere, ne Papistas quidem, in quos se illi aut omnes, aut penè omnes videntur exonerasse, alium manere exitum. Etsi longe audaciores insultent Catholicis, se se in tranquillum portum prudenter constanterque continentibus. Itaque, tuo semper auxilio fretus, omnipotens Servator, pergo ad reliquas instituti mei partes, vastũ, imò infinitum pelagus controuersiarum ingrediẽs, postquam à portu solui feliciter. Tu igitur, qui non solùm certis, nec vnquam labantibus vestigiis vndas ipse calcasti: sed etiam discipulum mediis in fluctibus tam iam absorbendum potenter sustentasti, da, vt qui, te auspice, benè hanc nauigationem inchoaui, eandem feliciter absoluam: & qui Cynosuram constituisti, verbum tuum primò prædicatũ, deinde scriptum ab Apostolis & Prophetis amanuensibus tuis: suffice etiam remos, suffice vela, suffice ventum secundum Spiritus tui: vt ne me in breuia & syrtes malus error abducat.

II. Secundus locus controuersias habet de Deo, Deique cultu, In Deo: primò quæ ad Trinitatẽ pertinent: deinde, quę ad Filij incarnationẽ. Et in Trinitate; primò quæ ad personas, tum quæ ad attributa.

III. In personis traducunt Catholicos Papistæ; tanquam & Sabellianos, & Arianos. Et quidẽ tam pertinaciter, vt quemuis millies testati simus, nos ab iis hæreticis abesse quàm longissimè, quin eos etiam constantissimè exsecrari: tamen quo iure, quàve iniuria, sibi credi volunt. Argumenta, imò sophismata & calumnias colligunt, quibus nos inuitos & reluctantes hæreticos efficiant. Quasi ex propria persuasione non sint hæretici censendi, potius quàm ex animosis aduersariorum accusationibus. Certe olim exulceratis animis Cyrillus & Theodoretus nihil non sibi inuicem obiectabant: nec magis tamen alteruter hęreticus. Enimuerò nosne ij sumus, qui fidem nostrã dissimulemus? Quod quidem si potuissemus in animũ inducere, iampridẽ poteramus quietè viuere. Quis enim nescit in medio Papismo viuere fœliciter etiã Atheos? Sed restabuntur aliquando tot carnifices, tot ignes, tot proscriptiones, tot exilia, esse nostrã maiorẽ, cõstantioremq; in fide profitẽda παρρησίαν, quã ij ipsi vellent, qui nos tã violenter proscindũt impietatis falsis criminibus.

IV. Sed nos hoc de mysterio tanto, de Trinitate, inquam, sic credimus, sic profitemur in Gallicanæ confessionis articulo sexto, *Sãcta Scriptura nos docet in illa singulari & simplici essentia Diuina subsistere tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Patrem vi-*

delicet primum ordine causam & originem rerum omnium: Filium autem eius sapientiam & Verbum aeternum. Spiritum Sanctum eiusdem virtutem potentiam & efficaciam. Filium ab aeterno ex Patre genitum: Spiritum Sanctum ab aeterno ex Patre & Filio procedentem. Qua tres persona non sunt confusa, sed distincta, nec tamen separata; sed coessentiales, coaeterna, & coaequales: Denique in hoc mysterio approbamus quod vetera illa quatuor concilia determinarunt: & omnes sectas à vetustis illis sanctis doctoribus: veluti Athanasio, Hilario, Cyrillo, Ambrosio, & cæteris, ex Dei verbo *damnatas detestamur.*

V. En tibi nostram fidem quis neget catholicã? aut quid est in eo articulo impietans nomine traducendum? Imò, quid non ex Scripturis sacris plenã fidem accipiens? non ab antiquis Patribus constantissime disputatum? non in concilijs definitum & sancitum? Qui autem sic credũt, quo iure Sabellianismi accusentur? quo prætextu Arianismi dãnentur? Imò Lotichius, quamuis Iesuita, & quamuis vt Iesuita nobis catholicis infensissimus, *Omissa, inquit, haresi Trinitariorum nouorum; vt blasphema, & iam olim à toto orbe Christiano damnata & profligata cateri horum temporum heretici* (audin' Iesuitã?) *nullam heresin cõtra fidem Christianam de Vnitate & Trinitate Dei, & qua eò pertinent, aperte profitentur: nisi quod plerique, praesertim Caluinista* (audin' Iesuitam?) *Deũ faciunt auctorem & effectorem indurationis, & excacationis impiorum.* Alphonsus itẽ à Castro in suis de Hæresibus libris nihil inuenit quod in nobis roderit. Sic etiam Augustanę confessionis articulum primum de Deo vno & Trino, nõ tantùm Carolus Cæsar acceptandum dixit, sed etiam Ioannes à Dauentria mutuatum ab orthodoxa Ecclesia: & Cochlæus, nullam de eo controuersiam esse.

CAP. II.

Catholicos non esse Trinitatis hostes.

PRima calumnia, Catholicos infamat tanquam in vniuersum Trinitatis hostes. Quod quis vnquam expectasset? Trinitas quid est, si non est trium personarum vna Essentia? qui igitur trium personarum vnam credit essentiam, is profectò non potest dici hostis Trinitatis. At nos trium Personarum vnam credimus Essentiã: diserta confessionis in eam rem verba. Quomodo igitur hostes Trinitatis? Qui de Trinitate idem credit, quod sanciuerunt quatuor prima Concilia, Nicęnum, Constantinopolitanum, Ephesinũ, Chalcedonense, non est hostis Trinitatis: aut ipsa illa Concilia in Trinitatis hostibus numeranda. At hoc falsum. Quo igitur iure nos Trinitatis hostes? An quia Monachis placet? Ita sane, ratio alia nulla est. Sed quam isti dictaturam obtinent?

II. Probans tamen calumniam Feuardentius Theomachiæ libro primo, capite decimo tertio, paragrapho quinto. *Vtinam*, inquit Caluinus, *quidem sepulta essẽt* nomina videlicet Trinitatis & personarũ, *constaret modo hac inter omnes fides, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse vnum Deum: nec tamen aut Filium esse Patrem aut Spiritum Filium, sed proprietate quadam esse distinctos. Neque verò tam pracisa sum austeritate, vt ob nudas voculas digladiari sustineam.* Hinc inde concipiendum argumentum: Quicunque vult sepulta nomina Trinitatis & personarum, is est hostis Trinitatis. At Caluinus ea nomina vult sepulta: ergo est hostis Trinitatis.

III. Respondeo, primò, nomina sumi aliquãdo materialiter pro ipsis literis & syllabis: vt quum negatur Trinitas consubstantialis inueniri in Scripturis: aliàs significatiuè pro ipsis rebus: vt quum Trinitatem & consubstantiale Catholici dicunt erui è Scripturis: Priori notione negatur maior: Quia error non in vocibus est: sed in sensu: siue, vt Nazianzenus, οὐκ ἐν ἤχῳ, ἀλλ' ἐν διανοίᾳ κεῖται ἡ ἀλήθεια. Itaque Hieronymus epistola quinquagesima septima, indignatur se hæreticum appellari, quum solum nomen hypostaseos respueret, *Nunc igitur, proh dolor, post Nicaenam fidem, post Alexandrinum, iuncto pariter Occidente, decretum, trium hypostaseωn ab Arianorum prasule & Campensibus, nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui, quaeso, ista Apostoli prodidere? Quis nouus magister gentium Paulus hac docuit: Interrogamus, quid per tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes aiunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, expressum nomen efflagitant: quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, si quis tres hypostases aut tria ἐνυπόστατα, hoc est, tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non ediscimus, heretici iudicamur.* Quibus verbis hic sensus inest, Hieronymum negare se hæreticum, id est, hostem Trinitatis, etsi nollet dicere conceptis verbis, totidemque literis tres hypostases. Aut hic igitur mentitus est, aut propositi syllogismi maior est falsa.

IV. Nam cæteroquin similem esse Caluini causam Hieronymi causæ, sola loci recitati lectio abũde probat. Vtinam, inquit, sepulta essent nomina. Quo sensu? an quatenus Patrem, & Filium, & Spiritum significant vnum verum Deum? Apage blasphemiam! Apage calumniam! Imò statim, *constaret modo hac inter omnes fides, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse vnum Deum.* Ergo rem ipsam per ea nomina significatam Caluinus vult esse saluam, eique cauet disertè. Respondeat ergo cum Hieronymo, nec sine indignatione, Nõ sufficit sensus? Item quia vocabula non ediscimus, hæretici iudicamur?

V. Secundò, respondeo negari Minorem. Caluinus enim nunquam optauit ipsa vocabula Trinitatis & personæ abolita. Contrà: eo ipso capite disputat seriò aduersus eos qui vocem personæ odiosè exagitabant, quasi humanitus inuentam. Oppugnatque primũ ab authoritate epistolæ ad Hebræos, quæ ὑπόστασιν tribuit Patri, qua differat à Filio: vnde necesse est elici Filij ὑπόστασιν, qua distinguatur à Patre. Atque hanc hypostasin cum personæ vocabulo Latini expresserint, nimij fastidij, atque etiam peruicaciæ fore, de re clara rixari: Secundò, cum negari non possit tres dici, quorum quisque in solidum sit Deus, nec tamen plures esse Deos, magnam esse improbitatem, verba, quę nihil aliud explicent, quàm quod Scripturis testatum, consignatumque sit, improbare. Tertiò, ab exemplis Trinitatis, ὁμοουσίου, & aliis, docet aliquando necessariò vsurpari quædam vocabula, quæ quanquam non legantur in Scripturis, tamen sensum habẽt è Scripturis, & vtilia sunt retũdendæ hæreticorum peruicaciæ. Hæccine verò eius sunt viri, qui nomina sepulta voluerit? Imò verò audite conclusionẽ, *Si ergo* (inquit) *temere non sunt inuenta nomina, cauendum est ne ea repudiando superbae temeritatis arguamur* Et non calũniatur Feuardentius?

VI. Quod attinet ad locum citatum ex Caluino, nulla est difficultas. Vtinam (inquit) sepulta essent nomina, constaret modò hæc inter omnes fides. Ergo, inquam, non optauit absolutè: Sed cum conditione. At isti Sycophantę conditionem tacent, votũ lancinant: & nititur (inquit Feuardentius) obluto-

nij

[illegible] illa nomina sepelire. Quid contra Sa[illegible] illum, inquam, qui voca[illegible] oderat, nisi propter rem ipsam, cui signi[illegible] adhibebantur? Sed vere modum nullum [illegible] Monachi. Quid ergo? eò nō impleatur con[illegible] votum nullum. Non impletur autē: quia qui [illegible] nomina sepulta volebant, Trinitatem ipsam oppugnabant. Nullum igitur votum. Itaque serio C[alui]num incubuit his nominibus retinendis. Paulus ad Romanos nono. *Optarem ego ipse anathema esse* [illegible] *pro fratribus meis*. En tibi votū, quod simpliciter [illegible] luteque non possit non esse impium, sed ad[illegible] *pro fratribus meis*, quicquid durum est molli[illegible]: Optarem Anathema fieri, si id fratrum meorum [illegible] proficeret. Adde nunc: at non proficit. Q[illegible] nullum votum.

VII. At Veteres [illegible], quam vocē Ariani [illegible] nihil momentum quidem esse rerū [illegible], sed mordicus retinuerūt. Audio: & laudo Patrum necessitatem cōstantiam: verùm distinctio[ne]m oportere doceo. Nā Athanasius libro de Synodis manifestè duos ordines notat, quibus [illegible] non placebat: vnum eorum, qui etiam negabant Filium esse ex essentia Patris; in quibus Acacium, Eudocium, Patrophilum: qui omnino [illegible] tollebant: alterum verò, [illegible], qui reliqua quidem in Synodo constit[uta] [illegible] de sola [illegible] voce ambigebant: [in] quibus Basilium Ancyranum nominatim.

VIII. Cum illis protestatur sibi aliter agēdum quàm cum illis: non vt cum hostibus, sed vt cū fratribus, qui reuera bene sentirent. Præstat audire Athanasium ipsum, [illegible] *Sed velut fratres cum fratribus disceptamus, & cum quibus nobis sit eadem sententia controversia autem de verbo*. Etsi igitur non cōtemnerent Patres vllis improbantibus vocem Consubstantialis, tamen personarum meritis distinguebant, vt non omnes vno ordine haberēt, & qui rem negarent vnà cum vocabulo; & qui rem confiterentur, in vocabulo tantùm essent superstitiosiores. Quanto ab his spatio recedunt Papistæ, quibus [illegible] est vtrumque? Nā, quantumuis certò sciant Caluinum constantissimè rem ipsam docuisse, tamen [illegible], accusant autem? imò damnant blasphemię: accusant, quàm Anomianitam, quia negauerit, habendam vocabolorum sono, aut propterea pacem soluendam, si quis rem confiteretur, hæreat in vocabulis. Nævos, Sophistæ, qui tam rigide in damnandis quibuscunque, illud olim [illegible], *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.*

IX. In reliquum ordinem non minus fuisse Patres seueriores. Nam cùm vocabulum impugnabant, rem ipsam penitus sublatam volebant, & extreminandæ gradum substernebant vocis exauctorationem. Quam fraudem Catholici animaduertentes, putarunt generosa atque infracta constantia ob [illegible] tam sceleratis ausibus; à quibus sua fides periclitabatur. At in hoc ordine, vt dixi[mus], nullus est Caluinus, imo in eo ordine prorsus [illegible] ordo est à Catholicis partibus, à Catholicis Patribus. Postquam enim prolixè in vocabulis libertatem modestiamque laudauit, vt ne frustra de vocibus contendatur, cùm nullus subest dolus. *Inane enim est*, inquit Hilarius libro de Synodis, *calumniam verbi pertimescere, vbi res ipsa, cuius verbum est, non habeat difficultatem.* Tum ad extremum: *sed expertus pridem sum* (inquit) *& quidem sæpius, quicumque de verbis pertinaciùs litigant, fouere occultum virus: vt magis expediat eos vitio prouocare, quàm in eorum gratiam obscuriùs loqui.* Concludit ergo denique, non cedendum aduersariis vsu illo illorum nominum, quia de iis illi non contendant sine dolo: & si protestatus sit alibi ea se non obstinate pugnaturum de eodem vsu, si vocabulorum sensus satis tectus esset.

X. Quare, concludendum Caluino nunquam id votum fuisse, vt Trinitatis personæve nomina antiquarentur: subit autem mirum Papisticum ingenium; atque in illud obiicere Isidori Pelusiotæ [illegible] certè enim non possunt sese Sycophantæ excusare, nimię tum in suos indulgentiæ, tum in aduersarios malitiæ. Nam, qui Caluinum tam seuerè exagitant, ob hæc verba, ob hoc, inquam, votum, non absolutū, sed hypotheticum, ac proinde non posita hypothesi, nullum votum: inde, quid non agunt, vt suū Honorium omni culpa liberent, qui in Monothelitarū gratiam, non hypotheticè, sed categoricè, non optādo, sed præscribendo, exauctorabat, non vnius tantū, quod hæreticorum dogma erat, sed etiam duarum voluntatum in Christo nominatem tibi qui pendentissimè factum ab Honorio dicunt, faciendæ pacis gratia, eidem detestantur Caluinū. Nę istud faciūt sapere sed sibi, non veritati: sed sæculo, non Deo.

XI. Aliud calumniæ argumentū, à Iacobo Gautiero Iesuita subministratum apostatę cuidam, ex secūda Caluini epistola ad Poloniot. Negat Caluinus (inquit) idem esse credere in Deū, & in Trinitatem.

XII. Sed hoc Caluino in mentem venit nunquam. Tantùm Gautierus Sycophanta rapit impudenter in sensum prorsus alium paucula verba. Non aliter quàm impiissimi Iudæi illa Christi de Templi destructione. Oppugnabat Caluinus Stancarum; nouum hæreticum, qui negabat Christum esse mediatorem secundùm vtramque naturam, sed tantùm quatenus hominem, id est, secūdùm solam naturam assumptam: qui idem Papistarum error est, de quo suo loco. Secundùm humanitatem igitur Stancarus asserebat Christum intercedere apud totam Trinitatem. Et abutebatur quibusdam Scripturę locis, de quibus ita Caluinus, *Quid blateret Stancarus nihil moror. Nec verò equum est puram & genuinam veritatis doctrinam, cui nihil affine habet eius cōmentū obscurari. Quod ergo ab eo dicitur: vnum Deum & vnus Mediator, id est, Trinitas. Item, vt cognoscant te vnum Deum, id est, Trinitatem. Creditis in Deum, id est, in Trinitatē. Quicquid petieritis à Patre, id est, à Trinitate non modò tanquā insipidum, sed prophanum quoque repudiamus.* Non est opus tantocinatione apud cordatos, vt videat quàm indignis modis verum sensum Iesuita tractet. Nam sola lectio docet nihil minus negari, quàm idem esse credere in Trinitatem & in Deum: sed Stancarum in locis qui indicantur, in quibus Deum Patrē legimus, exponere Trinitatem. Dicam clarius *Creditis in Deum, & in me credite*. Ioānis decimo quarto, ita Stancarus interpretabatur, ac si dictum esset, Creditis in Trinitatem, etiam in me credite, quasi se Christus alienum à Trinitate diceret. Hanc expositionem Caluinus reiicit.

XIV. Displicet-ne Iesuitæ? ergo placet Stancari sensus. Stancari, inquam, non tantùm Deum exponentis Trinitatem, quod quidem à Catholicis repudiari non potuit, sed Trinitatem separantis à Christo Mediatore, vt non esset idem credere in Trinitatem, & credere in Christum Mediatorem. At contrà Veteres censuerunt: dupliciter enim vocem *Deus* exponunt: quidam essentialiter, alij personaliter. Qui essentialiter, eo ipso omnino Christum contineri dixerunt: vt sensus sit, creditis in Deũ; ergo in me credere debetis, qui sum Deus. Augustinus, *Consequens est enim, vt si in Deum creditis & in me credere debeatis: quod non esset consequens, si Christus non esset Deus.* Atqui ita, *in me credite*, nõ significabat Christũ Mediatorem tantùm secundùm humanitatem. Qui personaliter, exponũt Deum de Patre: & sensus est, æquè credendũ esse in Filiũ ac in Patrẽ. Chrysostomus, ἡ γὰρ εἰς ἐμὲ πίστις καὶ τὸν γεννήσαντα δυνατωτέρα τῶν ἐπιόντων δεινῶν, *Fides in me & Patrẽ ingruentibus potentior est.* Vtramque expositionem Aquinas amplectitur. Caluinus in posteriorem inclinat. Gautierus est purus putus Sycophanta.

XV. Tertium calumniæ argumentum, decantatissimum apud Sanctesium & Possеuinum in Atheismis, Hayum in Quæstionibus, Genebrardũ libro de Trinitate, Feuardẽtium Theomachiæ libro primo. Blasphemus est Caluinus, inquit Hayus, aduersus Trinitatem, dum Catholicos accusat, cùm initio Litaniarum, sic orant, *S. Trinitas vnus Deus miserere nobis.* Gautierus inde concludit, reiici inuocationem Trinitatis. Sanctesius negat à Caluino vnquam inuocari vllam Trinitatis personam.

XVI. Respondeo, Caluinum in secunda ad Polonos Epistola scripsisse: *Precatio vulgo trita, Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis, mihi non placet, ac omnino barbariem sapit.* En tibi tantæ calũniæ occasionẽ. At quàm indignum, non nimis eum laniari, quàm si ex professo disputationẽ integrã scripsisset contra Trinitatis inuocationem? Sed contrà, eundẽ Caluinum preces ad Deum dirigi probasse, omnia eius scripta manifestò conuincunt. Quid autem? an minus cognitum est ab eodem asseri, eundem Deũ esse Patrem & Filium & Spiritum Sanctum? Atqui hinc necessariò conficitur, illi placuisse inuocari Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Et, quia Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt ipsissima Trinitas; Ergo omnino Caluino placuisse inuocari Trinitatẽ.

XVII. Quid? quod ne ad singulas quidem personas Trinitatis distinctè preces dirigi prohibuit? prohibuit autem? Mentiar, si non disertè probauit. Certè solebat ad Patrem vt plurimum concipere: vt præsto est videre in formulis quæ supersunt tum publicæ Liturgiæ, qua Ecclesiæ Gallicanæ vtuntur, & cum iis Geneuensis: tum priuatarum precum in homiliis & lectionibus, quæ extant plurimæ: imitatus nimirum τύπον illum sanctissimum, quem nobis Seruator tradidit, cùm orabitis, dicite, Pater noster. Quid? quod olim sancitum est, *vt nullus in precibus nisi ad Patrem dirigat orationem*: in concilio Carthaginensi apud Fulgẽtium ad Ferrandum. Genebrardus Liturgię capite vicesimo, collectas notat ferme omnes, exceptis paucis, iisque recentibus, dirigi ad solum Patrem, Apostolico more. Et ex Alberto recitat, *Patrem solum inuocamus in sacrificio propter Patris auctoritatem.* Item ex Carolo magno, *vt ad solum Patrem dirigatur oratio: quamuis totius Trinitatis, vt vna est Deitas, sic illi æqualis honor & glorificatio debeatur. Apostoli, sancto per eos ordinante Spiritu, sanxerũt, ne qui vnum Deũ, ob falsorum Deorum errores extirpandos, prædicabant, in pluralem Diuinitatis numerum incidisse arguerẽtur ab iis, qui ineffabile Patris & Filij & Spiritus Sancti mysterium ignorabant. Inuocatũ autẽ Patrẽ, quia prima est Diuinitatis persona, in qua cæteræ duæ naturaliter manentes existũt.*

XVIII. Sed enim, inquit Sanctesius, Caluino Pater erat, non persona vna, sed tota Deitas. O sim pudens! Nam quo argumento? aut vbi vnquam Caluinus totam Deitatem Patris nomine appellauit? Quanquam fallor. Totam enim Deitatem in Patre quis recuset agnoscere non blasphemus? non enim partialem Deitatem vllius Catholicorum somniare potuit: sed abduxit me Sanctesij ἀνεξεταστεία qui, vt opinor, per totam Deitatem intelligit tres personas distinctè: non enim aliter potuit opponere vni personæ, quod in Caluino, qui fit verisimile; quem in argumento præcedente Stancarum improbarit exponentem Deum & Patrem Trinitatem, ac proinde disertè ostenderit sibi probari, vt illud, *creditis in Deum, & in me credite*, intelligatur, creditis in Patrem; etiam in me Filium eius credite. Et qui in Filium distinctè credendum docuit, æquè ac in Patrem, is improbet Filium inuocari?

XIX. Quanquam quid opus est pluribus? Nam in iisdem precibus, quas ad Deum Patrem concipit nominatur etiam Filius. In generali peccatorum confessione, *Tua igitur nos misericordia dignare Deus & Pater clementissime ac summe misericors in nomine Filij tui Iesu Christi Domini nostri.* Et in iis ad diem Dominicã, *Deus omnipotẽs, Pater cælestis, te exauditurũ preces, quas tibi in nomine dilecti Filij tui Iesu Christi Domini nostri funderemus, nobis pollicitus es.* Et pòst, *Tibi igitur preces fundimus Pater cælestis pro omnibus principibus & magistratibus, quorum ministerio ad nos gubernandos vteris: vt Spiritum tuum, qui solus bonus est, & vere principalis, impertiri illis atque in dies augere digneris: adeò vt Iesum Christũ Filiũ tuũ Dominum nostrũ Dominatorẽ dominatorũ, Regẽmque Regũ esse certò persuasum habentes.* Et in actione gratiarum post communionem Sacrosanctæ Eucharistiæ, *vnde etiam fiat, vt reliquam vitæ nostræ cursum propagationi gloriæ tuæ & ædificationi proximorũ deducamus, per illum ipsum Iesum Christum Filium tuũ, qui in vnitate Sancti Spiritus viuit tecum & regnat in æternum.* Audis Sycophanta, distinctè *Patrem & Filiũ & Spiritum Sanctum*? & tute contra sperasti cuiquam persuasurum? eadem operâ neges profectò solem hunc meridie lucere.

XX. Sed editi sunt inter eius epistolas articuli de Dei nomine & illius recta acceptione, propter inuocationis vsum maximè. In iis hæc lege, Sycophanta: & si quid boni sanguinis superest, erubesce. *Si Patrem nominatim imploramus, vt nos exaudiat Filij nomine, sic nobis cogitandum est, ita nempe Christum sacrificio illo mortis suæ aditum nobis ad Patrem patefecisse, ad nos illi sistendos cum fiducia, vt nunc etiam illius ipsius sacrificij virtute intercedat pro nobis, orationibus nostris gratiam conciliet, atque illarum effectũ nobis impetret.* Et pòst, *Quum ad Christum orationẽ dirigimus aut petimus, vt ad Patrem nos ipse vt Mediator deducat: aut sic illum oramus, vt propria virtute nobis adsit, vt is in quẽ omnis collata sit, in quo habitat plenitudo Deitatis, quique adeò sit Deus noster æternus manifestatus in carne. Atque vtraque inuocandi Christi ratio & legitima & sancta est.* Eant nunc οἱ ἐξ ἀνοήτων ἀναφερομένης & clamitent Caluino displicuisse Trinitatem inuocari.

XXI. Vrgebunt tamen illud de formula improbata. Sibi igitur eam Caluinus negauit placere. Vix potuit modestiùs: vix alioquin in improbandis

iis

tis, quibus impietatem subesse videbat non magis constare quàm vehemens. Itáne verò se isti gerunt homines (si Sycophantæ homines sunt & non feræ) vt non potuerit apud eos illum purgari constantissima in aliis infinitis locis doctrina à crimine hæreseos? Ex quorundam paucorum verborum modestissima vellicatione plena erit impietatis demonstratio? Iniquũ est. Enimuerò quid obstat, quominus in his rebus, quæ institutæ sunt ab hominib⁹, liberè quisque, dum modestè, iudicium suum pronunciet? aut quis nisserat Caluinum iurare in verba alicuius? Quæ Concilij definitio hanc formulam sanxerat? Nam Litaniarum vsus apud Papistas, quàm sit antiquus, aut quanti apud Catholicos ponderis, quis nescit?

XXII. Enimuerò causam habuit Caluinus, cui res erat cum nouis hæreticis, qui Trinitatem monstrosè imaginabãtur abstractè, quasi quid discretum à tribus personis, quomodo ... te saltem concipitur aliud quippiam ab omnibus hominibus. Itaque longè ille videbat cautiùs loquendum: hanc autem formulam accedere ad eorum somnia, qui nõ tres illas personas, sed eam Trinitatem, quam sibi imaginabantur, dicerent esse vnum Deum. Hoc igitur incommodum ille vitare voluit.

XXIII. Quanquam & barbariem accusabat: ea enim est, quę Trinitatem dicit esse vnum Deum: quod quidem si vocibus hæreas, ne cogitari quidẽ potest. Nam Trinitas non essentiam Dei significat, sed numerum personarum in Deo. Longè itaque dicas satius, tres personas esse vnum Deum. Quanquam fateor de solis vocabulis hanc esse contentionem: quæ, si absit fraus, vt paulo ante dicebamus, omnino sit parui momenti. Itaque cum Papistis de ea formula nunquam rixatus est Caluinus. Tantũ Polonos, quorum intererat, monitos voluit, ne de rebus superuacaneis litigarent. Cui enim bono foret, cum importunis hæreticis de ea formula seriò contendere, atque si esset totidem literis expressa in Dei verbo?

XXIV. Hæc solùm est Caluino caussa. Nam Sanctesius quid cogitat, cùm hanc ei affingit, quod Trinitatis nomen referat personas, quæ sint duntaxat proprietates, non verò Essentia Diuina: ad quam oratio referri debet? Hoc verò Caluinus vbi dixit? quando dixit? fateor dixisse. Quicunque olim de Trinitate loquuti sunt, ad personas tantùm retulisse id nomen: quod qui improbet, quid habet quo se Arrianum neget? Nam Catholicorum sane nunquam quisquam Trinitatem dixit Essentiæ. Atque adeo Genebrardus libro tertio de Trinitate, *Trinitas vtro utrò que conniueat cum tribus hypostasibus, ad quas significandas vsu recepta est.* Ecce os ridet, qui originantur Trinitatem trium vnitatem. Imò longe ante eum Nazianzenus, oratione quinta de Theologia, ... *omnis numerus significat quantitatem suppositorum, non autem naturam rerum.* Sed hoc tamen quid habet commune cum illa definitione personæ, quam Sanctesius dicebat?

XXV. Possessinum quibus ornem titulis, vix inuenio. Certè is lõgè superat omnem impudentiam, dum Caluino negat sapere Trinitatis nomen; & hãc ob causam, quod generis fœminini cùm sit, iungatur cum Deo, quæ vox est masculina. Eamque ob causam appellari Hermaphroditum. Profectò hos ego homines credo hominis habere nihil præter nudum nomen. Nam si pectoris aliquid, vnde tam portentosa mendacia? Nam de Trinitatis voce quid senserit Caluinus, lege inter eius epistolas istas, quæ inscribũtur de voce Trinitatis & personæ, *Quoniam voces istas Trinitatis & personarum, plurimum ecclesiæ Christi commodare intelligimus, vt & vera Patris & Filij & Spiritus Sancti distinctio clarius exprimatur, & contentiosis controuersiis melius occurratur, ab his vsque adeo non abhorremus, vt libenter eas amplexemur. siue ex aliis audiẽdæ siue à nobis vsurpandæ sint. Itaque quod à nobis antea factum est, in posterum quoque operam dabimus, quoad licebit, recipimus, ne earum vsus in Ecclesiis nostris aboleatur.* Probauit ergo Caluinus Trinitatis nomen. Quantam igitur Possessini esse oportuit, quàm immanem impudentiam, qui ausus sit & Sancto viro contrariam sententiam affingere: & præterea tam monstrosam rationem ab inepta grammaticatione? Apage hæc hominum monstra, Iesuitarum antesignanos.

CAP. III.

De definitione personæ.

I. SEcunda calumnia est, malè à Catholicis personam definiri in Diuinis. Atqui, en tibi Caluini definitionem ex Institutionis libri primi capite decimo tertio: *Personam voco subsistentiam in Dei essentia, quæ ad alios relata, proprietate incommunicabili distinguitur.* Et Bezæ in priore parte quæstionum: *Quid vocas essentiam? Naturam tribus illis personis communem. Quid personas? eos qui in hac ipsa natura subsistunt,* & homilia prima aduersus Sacramentarios, *In diuinis distinguuntur* ... & ... *hoc modo; Per* ... *significantur quæ subsistunt in communi essentia, adiuncta proprietate, qua vna hypostasis ab altera secernitur.* Polani in Syntagmate, *Persona Deitatis est subsistentia in Diuina essentia, totam illam Diuinam essentiam natura in se habens, sed proprietate sua incommunicabili, ab aliis personis ad quas refertur, distincta.* Zanclij de tribus Elohim, libri primi capite quarto, ... *est res, seu substãtia per se subsistens, indiuidua, incommunicabilis, intelligens, viuens, agens.* Melanchthonis in locis communibus, *Persona vt Ecclesia in hoc articulo vtitur, est substantia indiuidua, intelligens, & incommunicabilis.*

II. Mitto alias, sed has verbis variantes, re pariantes scire velim, quo titulo sint improbandæ, aut quanto sit deterior eâ, quam à Boëthio acceptam retinent omnes ferme Scholastici: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Examinemus ergo quid furoris Sycophantas agitarit, vt vix vsquam diuinius insanierint aduersus Catholicos.

III. Prima Sycophantia Haij fuit, quæstione centesima quarta, Caluinum docere personas esse aliud nihil, quàm tres residentias ordine constitutas in Dei essentia. Et contra Chambrunum illud residentiæ vocabulum valde exagitat tanquam improprium, & nunquam vsurpatum.

IV. Ridiculè, vt nihil dicam duriùs, allatrans vocem Gallicã in ea editione Institutionis Caluini. Verùm Latinè subsistentia est, vt cuiuis patet in definitione iam descripta. Respondet autem subsistentia ... , Græco nomini ... , in hoc capite iam dudum celeberrimo: etsi ab initio nonnullis ingrato. A Scholasticis autem vsurpatur absque scrupulo. Lombardus primi distinctione vicesima quinta, capite quinto. *Quadam necessitate translatum est hoc nomen PERSONÆ, vt pluraliter diceretur, tres personæ, cum quæreretur, quid tres, vel quid tria. vbi*

non significat essentiam, id est, naturam diuinam, quæ communis est tribus personis, sed subsistentias, vel hypostases, secundum Græcos: & capite proximo. Ideo dicuntur tres personæ, tres subsistentiæ, tres entes. Non enim possunt dici tres subsistentiæ vel entes, nisi singulus eorum esset persona, id est, essentia. Quia ergo eis commune est id, quod est persona, id est, essentia, ideo rectè dicuntur tres personæ, id est, subsistentiæ, vel subsistentes: vt sicut essentia quæ est eis communis, verè ac propriè est, ita illi tres vera ac propria subsistentia, vel entes intelligantur.

V. Sed enim vocem illam Latinam editio Gallica expressit per *Residence*. Credo, quia mollius, Gallisque vsitatius, quàm *subsistence*, numen acumen! Quæ sententia Latinè sit orthodoxa, sit vsitatissima, eadem numero Gallicè vt sit hæretica! O Sophistę! Nimirum incognitum vobis illud Basilij contra Eunomium secundo, οὐκ ἐν ψόφῳ ἀέρος, ἀλλ' ἐν δυνάμει τῶν σημαινομένων ἡ εὐσέβεια, *Non in sono aerū, sed in virtute significatarum rerum est pietas.* Enimverò quia Caluino, *Residence*, Gallicè scribenti, idem est quod Latinè Subsistentia, quod Græcè hypostasis: Et qui hypostasin, qui subsistentiam dicit, Catholicus est: ergo omnibus, quibus exosa Sycophantia, Caluinus erit Catholicus. Quomodo, etsi nonnihil sit discriminis in originatione ὑποστάσεως, & personæ: tamen quia, qui personam dicunt, nihil intelligunt nisi hypostasin: æquè vtrique Catholici. Nazianzenus oratione tricesima secunda, [illegible], *desināt qui de his inter se contendūt, ineptire perinde ac si fidei nostræ pietas in nominibus, non in rebus consistat.* Denique vin' dicā? Peccauit Genebrardus idem cum Caluino peccatū capite vicesimo Liturgiæ, qui illud Caroli magni, *Pater prima est diuinitatis persona, in qua cæteræ duæ naturaliter manentes existunt*, vertit, *en laquelle les deux autres deux resident naturellement.*

VI. Secundum Sycophantiæ argumentum apud Feuardentiū Theomachiæ libro primo, hæresi vndecima: quòd Caluinus velit nomen personæ in Scripturis accipi pro rebus externis, quæ aliquo in pretio & honore haberi solent: commentariis in secundum ad Romanos.

VII. Os impudens! Enimuerò quid hoc pertinet ad Trinitatem? quid ad personę in diuinis definitionem? Paulus negat [illegible] esse acceptionem personarum apud Deum. Caluinus boni functus officio interpretis, expressit quæ sit eo loco personæ notio, nimirū, vt vsurpetur pro rebus externis, quę aliquo in pretio & honore haberi solēt: verè igitur Sycophāta notauit Caluino dictum sic vsurpari in Scripturis: nam Epistola ad Romanos in Scripturis est. Sed hoc rursus quęro, quid ad Trinitatem? Nam illa persona, ne erres, non ὑπόστασις est: sed πρόσωπον: & hoc vocabulo nusquam vtitur Scriptura ad intimandum Trinitatis mysterium.

VIII. Quod si id vllum crimen erat, quid reliquos dicemus interpretes? Certe Chrysostomus eodem loco πρόσωπον interpretatur [illegible]; quin clamas hæreticum, quum in Trinitate nulla sit [illegible]? quid Benedictus Iustinianus? quo loco ponendus? *προσωποληψίαν constat deduci ab altera. Græca πρόσωπον, quæ laruam, seu externam speciem significat.* Deus in Trinitate non tantùm externam speciem, sed etiam laruam? Sed non nos Sycophantæ.

IX. Tertium argumentum. Caluinus personas nihil aliud appellauit, quàm proprietates. Idem Feuardentius obseruauit, ex commentariis in primum Ioannis. Verba Caluini sunt, *Personas vocarunt discretas in Deo proprietates, quæ se mentibus nostris conspiciendas offerunt.* Possevinus atheismo quinto, *Cum ignorasset duobus perfici vnamquamque personam Sanctissimæ Trinitatis, altero, quod est essentia existens, altero, quod proprietas est, prius ille omisit, sequentis solo retento. Et post, Caluinum commentus est, diuina essentia habente vnam tantummodo existentiam, inesse latitudinem quandam spiritualem, & incorpoream, in qua ordine tres proprietates resideant, ac si in ligneo baculo satis lato tria foramina disposita essent, vnam quandam essentiam, & vnam existentiam habentia communem: verum enimuero in latitudine tres foraminum proprietates cerneremus, quarū prioris proprietas non posset esse secundi, neque secundi ea, quæ est tertij.*

X. Compescat te Deus, Satan. Nam, quid aliud superest aduersus tantam impudentiam remedij? Speremus sanari Sycophantas ratione? Atqui si rationis essent capaces, iidem iam non possent tam solenniter infanire, vt, quæ sibi somniarunt ebrij, Caluino imputarent. Certè nudas proprietates Caluinus nunquam dixit: proprietates dixit: nudas addidit spiritus sycophanticus: scilicet inuādæ natus innocentiæ. Nudas damnet qui volet: verùm proprietates cum hypostasi cōuertiomnis tuebitur Theologorum chorus. Nazianzenus oratione trigesima nona, [illegible], *Deum cùm dico, vno eodémque triplici lumine perstringamini triplici quidem, quantum ad proprietates siue hypostases, si cui hoc verbum magis arridet, siue personas.* Oratione tricesima septima. [illegible], *Adorare Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, tres proprietates, vnam Deitatem.* Basilius contra Eunomiū secūdo, [illegible], *Patet quòd in Patre & Filio non significant substantiam nomina, sed proprietates designant.* Nyssenus contra Eunomium libro secundo, [illegible], *Essentia quidem ratione vnum est, quocirca & in vnum nomen respicere Dominus edixit: sed secundum eas proprietates, quibus personæ dignoscuntur, in Patris & Filij & Spiritus Sancti fidem distinctum est.* Infinita sunt similia, quibus facile Caluinus absoluitur.

XI. Quid ergo carpunt? Si ita sit, fore, vt persona Patris sit paternitas, Filij filiatio, Spiritus processio: sic enim infert Haius contra Chambrunum capitis quinti paragrapho secundo. Quid ergo, inquam, Nazianzeno futurum: qui pro eodem ponit ἰδιότητας & ὑποστάσεις, & dicit [illegible]? Quid Basilio, qui nomina Patris, Filij & Spiritus dixit esse ἰδιωμάτων δηλωτικά? Nam certè si Paternitas, Filiatio, Processio proprietates sunt: & proprietates rursus personæ: ergo necesse est personas esse paternitatem, filiationem, & processionem. In quo, si hæreticus Caluinus, hæreticus & Nazianzenus, hæreticus Basilius. Quanquam Caluinus dixerat personam esse subsistentiam proprietate distinctam. Vide in primum Ioannis & illud, *Sermo erat apud Deum: hæc loquutio,* inquit, *distinctam illi à Patre hypostasin attribuit. Absurdè enim diceret Euangelista semper cum Deo, vel apud Deum fuisse, nisi propria quadam illi subsistentia in Deo foret. Ergo ad refellendum Sabellij errorem, valet hic locus, quia ostendit*

Filium

Filium a Patre differre. Sed Feuardentius vrget, *Proprietates, quæ se mentibus nostris offerunt conspiciendas.* Num ergo, inquit, Deus Pater, ideò est persona, quia proprietas, quæ se mentibus conspiciendam offert: Filius persona, quia proprietas animo nostro concepta: Spiritus persona, quia proprietas in Deo, mente concepta. Denique quot erunt proprietates, quæ se mentibus nostris conspiciendas offerent, tot esse personas oportebit.

XIII. Satin' acutus Sycophanta? Atqui proprietates eas sese mentibus offerre conspiciendas, quid habet non bene? Basilius contra Eunomium libro secundo dixit, γνωρίζει τινὰς ἰδιότητας ἐνθεωρουμένας τῇ οὐσίᾳ, *Res ipsius indices quasdam proprietates in substantia consideratas,* sic reddente Trapezūtio, qui potuit propius Caluino dicere contemplatas, peu sitata Græcę vocis propria notione. Paulò pòst, Αἱ γάρ τοι ἰδιότητες χαρακτῆρές τινες καὶ μορφαὶ ἐνθεωρούμεναι τῇ οὐσίᾳ, διακρίνουσι μὲν τὸ κοινὸν τοῖς ἰδιάζουσι χαρακτῆρσι, τὸ δὲ ὁμοφυὲς τῆς οὐσίας οὐ διακόπτουσι, *Proprietates enim ac notæ quasi characteres quidā & formæ in substantia inspectæ,* (sic etiam contemplatio est) *distinguunt quidam, quod commune est propriis characteribus, communicationem verò substantiæ non amputant.* Nyssenus oratione de Abraham, ὁ δὲ τῆς ὑποστάσεως λόγος διὰ τῶν ἐνθεωρουμένων ἰδιωμάτων ἑκάστῳ τὸν διαχωρισμὸν δέχεται, *Hypostaseon ratio per eas, quæ in vnoquoque considerantur* (contemplandas se offerunt) *proprietates discretionem admittit.* Rursus Basilius epistola trecētesima quadragesima nona, ἡ ὑπόστασις ἐν τῷ ἰδιώματι τῆς πατρότητος ἢ τῆς υἱότητος ἢ τῆς ἁγιαστικῆς δυνάμεως θεωρεῖται, *hypostasis in proprietate paternitatis, filiationis & sanctificationis considerantur.* Quid dixit Caluino dictum?

XIV. Veritus forte Sycophanta, ne nihil in personis diuinis, realiter distinctum esset, sed tantū cogitatione nostra. Sed aduertere debuit, neq; vtiquā tale quid in mētem venisse Caluino, qui Sabellium improbauit, hypostasinque distinctam ab hypostasi Patris vindicauit Filio: & non ea tantùm mentibus sese contemplanda obiicere quæ cogitatione sola disparantur, sed etiam quæ realiter: denique omnia, quæ quouis modo existunt. Debuit etiam scire cōtemplationem opponi sensibus. Porrò in Dei natura nihil esse, quod sensibus comprehendi queat. Itaque necessariò, aut ignorari, aut in mentis contemplationem venire.

XV. Quid igitur metuebat? An quia absurdum, ideò patrem esse personam, quia se mentibus offerat contemplandam paternitas? Atqui ea propemodum verba sunt Nysseni paulò antè recitata. Quanquam is sensus non est, propterea distingui personas, quia proprietates in contemplationem veniūt: sed quia sunt proprietates: quę quia sunt, ideò in contemplationem veniunt, vt omnia. Nihil enim est propterea quod contemplatione concipitur: sed contra potiùs, ideò cōtemplatione concipitur, quia est. Veruntamen, inquit, tot erunt personæ, quot proprietates. Omnino, inquam, ita esse oportet, si verum τὴν ὑπόστασιν ἐν τῷ ἰδιώματι θεωρεῖσθαι, vt Basilius dixit: si verum, τὴν ἰδιότητα διαφορὰν ἐν τῷ κατὰ τὰς ὑποστάσεις, & reliqua, quæ passim apud Patres occurrunt. Quis ergo metus erit? An ne plures sint tribus? Ridiculū. Nam Caluinus non simpliciter proprietates dixit, sed discretas: nimirum non solum ratione, sed realiter. At huiusmodi proprietates in essentia diuina discretas plures tribus, nullus vnquam contemplatus est Theologus.

XVI. Quartum argumentum Feuardentius hæresi nona Caluino, Bezęque obiicit, putare tres diuinas personas in essentia diuina subsistere, cùm contra potiùs essentia subsistat in personis. Nam illud esse blasphemum his argumentis.

XVII. Cùm dicunt, vnamquamque personam subsistere in essentia, vel propriam, singularemque subsistētiam ei essentiæ tribuunt, vel nullam. Si nullam, ergo in ea personę non subsistunt: sin aliquam, ergo quaternitatem personarum inducunt. Nam singulæ personæ sunt subsistentiæ: Itaque tres subsistentiæ. Quare, si essentia habeat propriam subsistentiam, addita hac fient quatuor. Deinde, nemo est sanę mentis, constantisve iudicij, qui nesciat naturas pluribus indiuiduis ac singularibus communes, in iisdem subsistere, docente id rationis lumine: sicut natura Angelica, communis Michaeli, Gabrieli, Raphaeli, subsistit in his indiuiduis.

XVIII. Mira Sophistarum tyrannis! præscribit verba, vix etiam non syllabas, à quibus, si vel latum pilum recedas, damnas sies. Quantas nos tibi gratias debemus, Christe seruator, qui conscientiis nostris pacem dedisti, & plenam ab his tyrannis libertatem! In te ipsa scimus dici vnam essentiam in tribus personis optimè. Et sic apud Caluinum responso contra Stancarum inter Epistolas. *Certè vnica & simplex Dei essentia in tribus personis consistit.* Iunius in thesi de Trinitate personarum, *Nunc ad rem ipsam explicandam veniamus, in qua tria in primis declaranda sunt, primò, quod essentia diuina in pluribus, id est, tribus personis subsistat.*

XIX. Verùm tres personas in vna essentia negamus non bene dici. Quomodo enim non bene, si præeunte Scriptura, si præeuntibus Patribus? Certe Paulus ad Philippenses secundo, dixit de Filio, ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, *In forma Dei existens.* Neque est quisquam, qui non interpretetur essentiam Deitatis. Patres reciprocè, in Symbolo Athanasij, Πίστις δὲ καθολικὴ αὕτη ἐστὶν, ἵνα ἕνα Θεὸν ἐν τριάδι καὶ τριάδα ἐν μονάδι σεβώμεθα, *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in trinitate & trinitatem in vnitate veneremur.* Et verò, *Monadem hic non intelligimus,* inquit Genebrardus libro primo de Trinitate, *Vnitatem, quatenus habetur principiū numerorum, more Arithmetico: sed vnam essentiam acceptione magis Physica. Triadem autem siue Trinitatem appellamus, non trium vnitatem, vt somniauit Gentilis, sed ipsasmet tres personas.* Vnde Symboli sensus est, vna essentia in tribus personis, & tres personæ in vna essentia. Nazianzenus oratione tricesima septima, ἵνα τὸ ἀσύγχυτον σώζηται τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἐν τῇ μιᾷ φύσει τε καὶ ἀξίᾳ τῆς θεότητος, *vt id quod est inconfusum seruetur trium personarum in vna natura & dignitate Deitatis.* In cōfessione Augustini de Trinitate, quā edidit Leunclauius, ὄψεσθε ἐξ ἀνάγκης ἐν μιᾷ οὐσίᾳ τριάδα προσώπων καὶ πάλιν ἀναγκαίως διὰ πάντων ἐν τοῖς τρισὶ προσώποις μίαν ἀδιαίρετον οὐσίας ἑνότητα, *Videbitis necessariam in vna essentia personarum Trinitatem. Item per omnia necessariam in tribus personis indiuiduæ substantiæ vnitatem.* Damascenus libri tertij de Fide capite quinto, ἐπὶ τῆς θεότητος μίαν μὲν φύσιν ὁμολογοῦμεν, τρεῖς δὲ ὑποστάσεις κατὰ ἀλήθειαν ὑπάρχειν φαμὲν, *In Deitate vnam quidem naturam confitemur, tres verò hypostases secundum veritatem existētes asserimus.* Sophronius actione vndecima Concilij Oecumenici sexti, *Est vnus Deus, vna Deitas in tribus substantiis fulgens: & tres subsistentiæ & personæ in Deitate vna cognoscūtur.* Anastasius Synaita, ὁ υἱὸς κυρίως ἐστὶ δευτέρωσις ὑποστάσεως ἐν ταυτότητι φύσεως, Filius est propriè iteratio personæ in identitate naturæ. Et postea [illegible]

ἐν αὐτῷ, *Natura est auctrix, fons & origo hypostaseôn quæ in ipsa sunt*. Hilarius libro quarto de Trinitate, *subsistere Filium in substantia, qua genitus ex Patre est*. Idem in Psalmum secundum, *Per genitum Patris & Filij secundum se, legitimamque naturam, in gloria diuinitatis unum sunt: vnum sunt in diuinitate, ambo per gloriam*. Anastasius Theopolitanus in compendiaria fidei explicatione, *πόσας ὑποστάσεις ὁμολογεῖς ἐπὶ τῆς θεότητος; τρεῖς...* *Quot hypostases agnoscis in Deitate? Tres.* ... *Tres hypostases, siue tres personas in vna Deitate, vnam essentiam & naturam credimus*. Thomas partis primæ quæstione vndequadragesima nona, articulo primo, *persona significat relationem, prout est subsistens in natura diuina*. Carolus magnus apud Geuebrardum capite vicesimo Liturgiæ, *Pater prima est Diuinitatis persona: in qua* (diuinitate) *cæteræ duæ naturaliter manentes existunt.*

XX. Hæc illi: Cur non hæretici cum Caluino? Aut cur non Catholicus Caluinus cum illis? Nam quod illorum plerique non vsurpaut ipsum subsistendi verbum, quod in Caluino carpunt, exigui est momenti. Nam, primò, Thomas Scholasticorum, ne nihil aliud dicam, non postremus, disertè vsurpauit. Deinde etsi *τὸ ζῆν* siue *ὑπάρχειν*, notio latius patet quàm subsistendi: tamen interpretanda est pro rei, de qua agitur, natura. Sint sanè communes substantiæ non subsistendo: at certè hypostases esse nõ possunt, non subsistendo. Itaque si hypostases dicantur esse in essentia, omnino necesse est subsistere: quia videlicet non sint nisi subsistendo.

XXI. Ad primam rationem respondeo, propriam singularemque substantiam tribui essentiæ diuinæ dupliciter, vel seorsim à rebus conditis, vel à tribus personis. Prior modus nihil ad hanc controuersiam: itaque negatur consequentia, scilicet si tribuatur essentiæ diuinæ subsistentia seorsim à rebus conditis, ergo constitui quaternitatem: sed tantum si seorsim à tribus personis: quod nunquam Caluinus cogitauit, Nunquam quisquam à Caluino doctus. Nullam verò tribui subsistẽtiam Deitati seorsim à Creaturis, necessariam quidem efficit consequentiam; sed non veram tamen, quia Antecedens falsum est. Nam Anastasius Theopolitanus in expositione fidei, *...*, *Quid est substantia? res quæ per se est*.

XXII. Ad alteram rationem, dico omnia communia subsistere in indiuiduis: ac proinde probam esse loquutionem, essentiam diuinam subsistere in tribus personis, vt antè dictum: sed vicissim ea, in quibus indiuidua nõ subsistant, esse vna tantũ vnitate omnibus Catholica; Itaq; in huiusmodi multiplicari substantias cũ indiuiduis. Sic enim esse tres homines, Abrahamũ, Isaacum, Iacobum: quia in iis humanitas subsistat: non contrà ipsi in humanitate. At Dei essentia, non tantùm est communis tribus personis; sed est etiam vna vnitate numeri. Nemo enim dixit vnquam tres esse Deos, aut tres essentias Deitatis. Neque dixit quisquam Deitatem esse speciem Patris, Filij & Spiritus. Itaque nemini mirum videri debet, si reciprocentur phrases, Personæ sunt, siue subsistunt in Deitate: Deitas est, siue subsistit in tribus personis.

XXIII. Et videtur certe phrasis nostra cautior in omnes partes. Primò enim docet vnitatem essentiæ contra Arrianos: & Trinitatem personarum cõtra Sabellianos. Tum excludit eorum somniationẽ, qui sic omnino putant Patrem, Filium, & Spiritum dici, quomodo Petrum, Ioannem, Iacobum, vnitate tantùm Catholica; proinde quaternitatem excludit. Quia tamen hæ sermonum sunt cautelæ, potiùs quàm rerum discrimina, permittimus libenter suam cuique libertatem. Bono sensu dicant, qui volent, imò nos ipsi dicamus interdum subsistere vnam essentiam in tribus personis: quando ita præscribunt Dialecticorum regulæ. Sed & nos iidem bono sensu dicere patiantur, subsistere tres personas in vna essentia. Et quemadmodum illis nos credimus, ex eiam nobis in eõ modos illos sensus, ad quos maleferiati homines traducere queant illam formulam: sic ne sint illi tam iniqui, tam inhumani, vt nostras protestationes pro nullis habeant, detestantium & quaternitatem, & quæuis alia portenta contra sanam doctrinam. Quod si tamen pergant *συκοφαντεῖν*, meminerint eadem mensura sibi remensum iri.

XXIV. Quartum argumentum, quòd simplicem, vnam & impartibilem essentiam multiplicemus, & in tres partes re ipsa secugamus, dilaniemúsque: magnum crimen si verũ crimẽ, nec pro merito exagitatum aut Feuardentio aut Zachariæ Bouerio Cappuchino: ille sextam se in Atheismo primo. Occasionem sumpsit à Beza, qui in confessione, *Verbũ Dei, inquit, clarè nos docet hanc essentiam diuinam distinctam esse realiter, & secundum veritatem & ab æterno, in tres personas.* Quibus verbis Fràciscanus opponit esse quidem distinctas subsistentias, id est, personas, rationes: atq; relationes at nõ substantiã, siue essentiã. Cappuchinus durior Caluinũ addidit dicere in actis Serueti, Persuadet quòd Deũ nos scindamus, distinguendo simplicem eius essentiam in tres personas, & adnorat sentire realem distinctionem esse, quæ veram rei distinctè ny per partes separationem, atque distinctionem significet: Tam confidenter, *Si partita est, inquit, essentia, quanam diuina natura simplicitas esse potest? Qui enim essentiam in personis distinguit, illud necessario volunt, vt persona ita essentiam inter se diuidant, vt vnaquaque suam sibi essentiæ partem vindicet.* Et pòst, *Neque enim aliud est distinctam essentiam pronunciare, quã distinctionis notam in essentia ponere.* Quibus subiicitas inflatior, *Quid horribilius, quàm tripertitam, aut triplicem essentiam in Deo collocare?*

XXV. Mirum acumen Franciscanorum, quod? Iesuitas fugerit, & reliqua Caluinomastigum genera, in id vnum nata, vt viro Sancto, imò non tam viro, quàm veræ doctrinæ odium conflarent, variis confictis criminibus. At nos, verè, rectè, propriè dici defendimus Dei essentiam distingui tribus personis: & qui hoc rodant, nihil nisi insanire. Vin' scire? Neque Feuardentius, neque Bouerius, vel vnicum autorem, astipulatorémve habuere, tam diræ somniationis: quanquam iste confidentissimè & capucinè *Theologi*, inquit, *essentiam in tres personas distingui communibus votis tanquam fidei Christianæ perniciosum damnant*. Hominem vide: consummatissimum dicas Theologum, & cui nihil fuerit à primo seculo non cognitissimum tantus est Cucullis fastus.

XXVI. Atqui ego contrà dico, testor, assero, solemnem esse Theologorum sententiam illam ipsam, quam profani isti Theologiæ monones lancinant. Anastasius Theopolitan' in expositione fidei, *...*, *Vna est natura, & vna Deitas, distincta quidem in tres hypostases, sed in vnitatem concurrens, habita essentiæ ratione.* Basilius

lius contra Eunomium secundo, paulò antè recitatus, [illegible], *proprietates distinguunt quod commune est*: est autem essentia communis. Ergo essentiam distinguunt proprietates.

XXVII. Et ratio est manifesta ab vso communi. Namque quæ plura sunt inter se, & concurrunt tamen in aliquod commune secundùm suæ definitionis rationem; eadem dicuntur distinguere id quod se habent commune. Sic, quia homo, & brutum, disparantur inter se, secundùm quod sunt animalia; ideò animal dicitur distingui in hominem & brutum. Sic, quia spiritus & corpus differunt inter se secundum quod sunt substantiæ; ideò substantia diuiditur in spiritum & corpus. Iam verò Personæ Trinitatis inter se distinguuntur in eo quod sunt essentia, siue substantia: hoc probatur: quia omnis persona est substantia. Et ita disputat Suarez capite primo, primi de Trinitate, & ante eum Bonauentura in distinctionem vicesimam quintam primi, articulo primo, quæstione prima, *Suppositum rationalis naturæ constat esse substantiam, proprietatem distinguentem constat esse relationem: Ergo cùm persona vtrumque importet, scilicet suppositum, & proprietatem, necesse est dici secundùm substantiam, & secundùm relationem: & cùm dicatur secundùm substantiam & secundùm relationem, principaliùs dicitur secundùm substantiam, quantum est de generali & primo nominis intellectu. Quid igitur obstat quo minus rectè dicatur essentia diuina distingui in personas?*

XXVIII. Enimuerò impudenter falsũ est, ita significari personas, suas esse distinctas essentias, aut essentiæ partes. Asserunt quidem Monachi: sed [illegible], suo more, nulla addita ratione, nulla autoritate, ne coniectura quidem: adeò sibi sperarunt delatum iri: imò adeò sibi voluerunt omnia ingenia subiici, quasi, neque sentire, neque loqui cuiquam liceret, nisi ex eorum præscripto. Viderint alij: at Catholicis certum millies potius mori, quàm his tyrannis subiici. Rectè Nyssenus primo contra Eunomium, [illegible], *Omnis oratio, quãdiu ex mera libidine, & sine vlla probatione effutitur, est quod dici solet, anus aniles.* Et verò quodnam, id est somniationis monstrum, nullam distinctionem admittere absque separatione? sic enim oportet, vt legitima sit calumnia; essentiam, si distinguatur, scindi, separari, secari, multiplicari. Atqui illud manifestè absurdum. Nam primò, quis ignorat alia realiter distingui, alia ratione tantùm? aut quis dixit, quæ ratione tantùm distinguũtur, ea separari? Quid? quod ne ea quidem, quæ realiter? Nam mentem humanam norunt omnes distingui in memoriam, intellectum & voluntatem, & quidem, vt non pauci voluerunt, ad imaginem Trinitatis. Quid hîc vos Monachi? An separari, secari, scindi mentem? Deinde, etsi distingui genera omnes dicant in species: has ipsas etiam in indiuidua: tamen, qui genera, qui species dixerit multiplicari in seipsis, & non potius ea quæ sub ipsis, eum dico nihil retinere rationis humanæ.

XXIX. Illud autem, distinctam essentiam ponere distinctionis notam in ipsa essentia, quid sit non benè percipio. Nisi fortè tantum sit Capucini cuculli acumen, vt cogitare potuerit, ab ipsa illa essentia desumi notam illam, quasi ipsa distingueretur essentia à seipsa, quod verè Capucinum somnium est. Nam quæcunque tandem distinctio detur, ea sumitur non à re quæ distinguitur, sed ab iis rebus in quas distinguitur; vt animal in hominem brutum-que distinguitur, non ab ipsa animalis natura, sed ab eius speciebus, in quibus inuenitur quicquid est differentiæ, quam appellant specificam. Simili ratione, cùm essentia diuina distinguitur in personas, distinguendi ratio non est ab ipsa essentia, sed à personis.

XXX. Quanquam nolim negare distinctionem esse in essentia. Nam Nyssenus primo contra Eunomium, *increata natura* [illegible], *distinctionem ad seipsam habet in maiestati naturæ suæ competentem.* Et pòst, [illegible], *inhærentibus singularum hypostaseon proprietatibus inconfusam discretámque distinctionem habet.* Enimuerò si nõ sit, nihil habituræ sunt personæ commune cum essentia, cùm tamen ipsi contendant aduersarij, & rectè personam cõfici ex essentia & proprietatibus, nimirum distinctiuis. Atque adeò Dionysius Areopagita Ecclesiasticæ Hierarchiæ capite primo scripsit, [illegible], quod sonat triplicem vnitatem, cùm tamen vnitas non sit nisi essentia. Sed id tamen non obstat, quo minus verè dicatur, & sit vna essentia, quicquid tandē latrent Franciscani canes. Nam propter infinitatem non potest alia atque alia essentia, sed tantùm aliter, & aliter, nempe [illegible], *vt qualibet persona perfecta in se substantia sit.* (Verba recito Hilarij ex sermone in festo Sãctæ Trinitatis, edito à Leunclauio Græce & Latine) *non tamen tres substantiæ sint: sed vnus Deus, vna substantia, vna potestas, vna essentia, vna æternitas, vna maiestas, vna bonitas Pater, & Filius & Spiritus Sanctus.*

XXXI. Sextum argumentum apud eundem Feuardentium heresi octaua. Beza in quæstionibus, *Si in Filio, vt & in Patre & Spiritu Sancto, tota perfectáque est Deitas, vtpote impartibilis: tamen hanc Deitatem in personis non nisi relatiue consideramus.* Ergo, inquit, nullus est Deus absolutè. Nam si Abraham, Isaac, & Iacob, naturam humanam non essent assequuti nisi relatiue, vere homines non extitissent, & opponit, *Ego sum qui sum: & qui est misit me ad vos,* Exodi tertio. Item nomen Iehoua absolutam significat essentiam & Deitatem. Secundò, omnis substantia est absoluta, & non ad aliud relata. Atqui Deitas seu natura diuina est substantia in tribus personis. Igitur absolutè & non relatiue in his est credenda, consideranda, atque veneranda.

Tertiò, Relationes, siue respectus in Deo sunt inter se distincta & diuersi. At Deitas est omnino vna, siue in abstracto, & secundùm se, siue vt personis communicata. Ergo in his absolutè, non relatiue consideranda. Quartò, personæ diuinæ inter se distinguuntur per relationes suas. At non distinguuntur per substantiam. Ergo substantia non est in his relatiue consideranda. Quintò, Relationes non sunt propriè substantiæ. At Deitas est substantia. Ergo Deitas non est relatiue consideranda. Sextò, relata sunt simul natura. Deitas autem, vt in personis, neque ad aliam Deitatem refertur, neque ad eam quicquam. Ergo non est relatiue consideranda. Septimò, Relationes singulis personis sunt propriæ. At substantia non est singulis personis propria. Ergo substantia non est relatiue consideranda in personis.

XXXII. Quid iam? huoccine hominem rationibus pungam? An stimulis asinum confodiam?

Nam istoc homine nemo magis astutus, qui tam impru- nter in alios debacchetur quibuslibet probris ... conuitiis: inepte tamen de rebus sibi ne per somnium quidem compertis garriens. Atqui recte doctéque Beza dixit in personis non nisi relatiue considerari Deitatem. Nam si absolute in Patre Deitas est. & in Filio absolute: & absolute in Spiritu: omnino vitari non potest, quin tres Dij dicantur. Non enim habebit Filius essentiam diuinam à Patre; nec Spiritus à Patre & Filio, sed quisque à seipso, ac proinde non eandem numero.

XXXIII. Ad primum argumentum respondeo, absolute vnum esse Deum Patrem, Filium & Spiritum: qui sit Iehoua: qui sit ille, *Ego sum qui sum*, & *Qui est*. Sed Deum esse Patrem ἀγέννητον, sic enim Græci: Filium γεννητόν: Spiritum ἐκπορευτόν. Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ, *Pater propriè dicitur hypostasis causæ expers, generans; & ingenita*: ... *Filius iteratio hypostaseos in eadem natura*: sed hic addenda generatio, quam omissam miror: ... *Spiritus, subtilis & tenuis, materiæ & figuræ expers, subsistētia, per processionem*. Si ergo Pater est essentia diuina generans: & Filius essentia diuina generata, & Spiritus essentia diuina procedens: certè non potest in singulis personis Deitas considerari nisi relatiue. Verùm illud, ergo nullus est Deus absolute, ridiculum est. Nam Deus dicitur absolute ad extra; id est, comparate ad res reliquas. Itaque Deus est sine dubio absolutè & per se. Sed cùm Pater, Filius, & Spiritus sint vnus Deus absolute subsistens: tum Pater est Deus relatiue, Filius relatiue, & Spiritus relatiue: & Anathema qui contrà credit.

XXXIV. Ad secundum negatur maior: Nam etsi distinguantur substantia & relatio, tamen per relationem substantia fit relata; ac proinde non est verum, nullam substantiam esse relatam. Abraham alia definitione homo erat, alia filius, sed tamen idem Abraham, qui per substantiam homo erat, per relationem erat filius Thare, ac proinde homo erat relatiue.

XXXV. In reliquis argumentis omnibus idem vitium est in consequentia, est enim forma contra leges artis: debuit concludi: ergo substantia non est relatio; ac tum vera essent omnia: vt Tertium: Relationes sunt distinctæ, at substantia non est distincta. Ergo substantia non est relatio. Similiter Quartum: Relationes distinguunt personas, at Deitas non distinguit personas, Ergo Deitas non est relatio. Quintum, Relationes non sunt substantia. At Deitas est substantia; ergo Deitas non est relatio. Sextum, Relatio est ad aliud; At Deitas non est ad aliud: ergo Deitas non est relatio. Postremum, Relationes sunt singulis personis propriæ. At substantia non est singulis personis propria; Ergo substantia non est relatio. Sic, inquam, pecus istud debuisset, si non fuisset ex patria Arcadia. Sic argumentatus esset in forma, sed non argumentatus contra Bezam. At ille bipes asinus concludit, substantiam siue Deitatem non esse relatiue considerandam. Ita, cum Bezam virum sanctum impetere voluit, suam prodidit imperitiam, quomodo Poëtæ canunt Lycurgum pro vitibus sibi tibias secuisse.

Cap. IV.

De æqualitate personarum.

I. Tertia calumnia est de inæqualitate personarum, quam Caluino, cùm alij, tum Thomas Bozius impingit, libri tertij de signis Ecclesiæ capite quinto.

II. At Caluinus, τὸ ὁμοούσιον à Patribus tam seuere, constanterque assertum contra Arrianos, sincere disertéque probauit, Institutionis libro primo, capite decimo tertio, *Verborum nouitas tum potissimum vsu venit, cum aduersus calumniatores asserenda est veritas, qui tergiuersando ipsam eludunt. Exemplum. Arrius fatebatur Christum Deum, & Filium Dei quia euidentibus oraculis reluctari non poterat: & quasi probè defunctus, consensum aliquem cum aliis simulabat. At interim non desinebat iactare creatum esse, & initium habuisse, vt reliquas creaturas. Quo flexilem hominis vafritiem à latebris extraherent veteres, vltra progressi sunt, Christum pronunciantes æternum Patris Filium, Patrique consubstantialem. Hic efferbuit impietas, dum nomen* ὁμοούσιον *pessimè odisse & execrari Arriani cœperunt.* Hem! potestne inæqualitatem admittere, æqualitatem oppugnare, qui docet non posse τὸ ὁμοούσιον impugnari, nisi impie? Sed neque potuit magis inæqualitatem refutare, quàm cùm asseruit, in eadem & simplici essentia diuina tres personas residere. Audiamus tamen argumenta.

III. Primum argumentum: Filij natura tam diuina, quàm humana Patri subijcitur. Ita Caluinum asserere Institutionis libro secundo, capite decimoquarto.

IV. Et tamen illa verba, neque eo loco, neque vsquam alibi leguntur apud Caluinum. Contrà: in caput decimum quintum prioris ad Corinthios, *Non est absurdum neque insolitum. Christum, humana natura respectu, subiectum esse Deo.* Audin' non simpliciter, non absolute Christum esse subiectum Patri? Quod sane dicendum erat, si omnino secundùm vtramque naturam subiectus dici posset. Cur ergo addita exceptio hæc, humanæ naturæ respectu? Nimirum, quia cùm Christi gemina sit natura, Deitas & humanitas, vidit Caluinus subiectionem non posse referri ad Deitatem; sicut cùm dicitur crucifixus, additur carne, vt significetur cruci affixam non esse ipsam Deitatem. Itaque Caluinus expers est huius culpæ.

V. Quid ergo tibi meritus est Hilarius in de Synodis? *Et hoc Catholicum esse nemo ignorat, duas personas esse Patris & Filij, maiorem Patrem, Filium subiectum cum omnibus his quæ ipsi Pater subiecit.* Audin', Bozi, diserte dictum, & dictum Catholicum, personam Filij subiectam esse Patri? Quid tibi Caluinus durius?

VI. Sed vide imposturam. Non enim mihi tantum purgandus Caluinus, sed & ... iusta ignominia afficiendi. Dixit Caluinus, *Neque de natura diuina, neque de humana simpliciter dici, quæ ad Mediatoris officium pertinent.* Hæc ergo ca-

go calumniæ. Nam, quia statim, eodémque loco idem dicit verba illa Pauli ex prioris ad Corinthios decimo quinto, *Et ipse Filius subiicietur ei*, pertinere ad officium Mediatoris, putarunt plenè concludi subiectionem esse vtriusque naturæ. Et de subiectione quidem humanæ naturæ nulla contentio est. Tantùm ergo de subiectione diuinæ. & quidem non verum sit nécne: nam consentimus non esse Filij diuinam naturam subiectam Patri. Quid ergo? nimirum, vtrum Caluinus eam asseruerit nécne. Nos negamus, Sycophantæ asserunt. Quo argumento? Nihil quod ad officium Mediatoris pertinet, dicitur de alterutra natura simpliciter. At subiectio illa Filij ad Patrem pertinet ad officium Mediatoris. Ergo, subiectio illa dicitur de diuina natura. Monstrosa conclusio, inquam. Debuit enim dici, ergo subiectio illa non dicitur de diuina natura simpliciter. Atque ea conclusio non tantùm legitima esset: sed etiam ex mente Caluini & in se vera.

VII. Enimuerò, quid illud est, dici de diuina natura non simpliciter? Nihil admodum difficile. Sed illud ipsum, quod nomine *κοινωνίας ἰδιωμάτων*, Veteres appellarunt. Deus mortuus, Homo ex cœlis, nimirum habita incarnationis ratione. Nam Deus mortuus, quia idem homo per incarnationem, & homo iste verè mortuus: homo ex cœlis, nimirum, quia idem Deus: & Deus verè ex cœlis. similiter Filius Dei subiectus Patri. Intellige simpliciter; ipsa persona Filij, id est, Deitas in Christo erit subdita Patri: & pericrit, τὸ ἴσον; quod est blasphemum. Ergo non simpliciter. Quomodo ergo? Filius Dei incarnatus, subiectus est Patri: nimirum, quia per incarnationem idem Deus est homo: & hic homo verè subditus Patri. Explicat Caluinus contra Gentilem. *Tenendum est, quoties Christus in persona Mediatoris Patrem compellat, sub hoc nomine, (nempe Patris) diuinitatem complecti, quæ ipsius quoque est: Sic cum Apostolis diceret, Expedit me ascendere ad Patrem, quia Pater maior me est, non secundum diuinitatem tamen sibi tribuit, vt sit quoad æternam essentiam Patre inferior: sed quia cœlesti gloria potitus, fideles colligit in participationem diuinitatis; vocat Patrem maiorem, quatenus differt conspicua splendoris perfectio, quæ in cœlo apparet, ab ea gloria mensura, quæ conspecta fuit in ipso carne vestito.* Et Epistola ad Polonos, *Tenenda est quoque loquendi ratio Scriptura trita, dum Christus, quatenus Mediator est, inferior Patri statuitur (de toto complexo loquor, hoc est, Deo manifestato in carne,) quia nunc Pater caput est, donec Christus acceptum ab eo imperio restituat, vt sit Deus omnia in omnibus. Nec est cur Stancarus hic insultet, ac si Christus fieret Patre minor, quando hic non de natura Deitatis agitur, sed notatur tantùm œconomia, vel dispensatio admirabilis consilij Dei, quæ nihil derogat æternæ Christi gloriæ.*

VIII. Secundum argumentum ex libro contra Valentinum Gentilem: Filius, respectu personæ, non nisi impropriè Creator est cœli & terræ. Pater propriè. Ergo, Filius est inæqualis Patri. Et hanc tragœdiam vehementer agit Gretserus, Apologia præfationis Bellarminianæ in controuersiam secundam tomi primi; esse Arrianam propositionem tribus probat argumentis. Primò, quia sic Filius redigitur in ordinem creaturarum. Secundò, Creationem esse operationem ad extra. Huius autem generis operationes esse communes omnium personarum. Tertiò, quia persona Filij, siue consideretur formaliter, vt distincta realiter à Patre, & Spiritu, siue cum habitudine ad suam originem, tamen vtroquis modo propriè est creator: quia semper personaliter Deus est, & Omnipotens.

IX. Ast ego primò Caluini locum recito, quem illi nunquam integrum proferre ausint, sed tantùm misere truncatum, vt opportunior sit calumniæ, *Si Valentino creditur*, inquit, *epitheton Creatoris in solum Patrem competit. Nam inter alia, quæ Deus pronunciat, apud Esaiam, sibi propria esse, subinde repetitur, Ego sum, cuius manus fundauit terram & expandit cœlos. Solus ergo Pater, Filij & Spiritus Sancti essentiator censebitur opifex cœli & terræ. Interea Christum esse Deum verbo non negat. Nunc attendamus ad verba Hieremiæ. Dij, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant ex mundo. An Filio Dei maledixit Propheta? Atqui dira imprecatio interitus ad eum pertinet, nisi Creator sit. Hoc vno verbo discutiuntur omnes Valentini nebulæ de vnius Patris essentia. Cur ergo Creator dicitur Pater, & hoc titulo seorsum ornatur? Nempe ratione ordinis dum respicitur ad personas. Vnde etiam apertè conuincitur erroris Valentinus, qui non putat saluam fore Patri suam Deitatem, si Christus eiusdem sit essentiæ particeps. Nam certè vno consensu fatemur Christum impropriè vocari Creatorem cœli & terræ, quoad personæ distinctionem. Neque enim dubium est, quin Scriptura Patri nomen Creatoris vendicans personas distinguat. Si verò Creator est Christus, neque id personæ respectu, sequitur necessariò referri id ad essentiam, qua eum Valentinus spoliat.*

X. In his verbis, vides primò necessariò Filium esse Patri æqualem: nimirum eiusdem essentiæ participem, contra quam concludebant calumniatores. Quicquid ergo sit de his verbis in calumniam vocatis, tamen hoc fundamentum Caluinus inconcussum retinet, nimirum τὸ ὁμοούσιον.

Secundò, Filium esse Creatorem cœli & terræ: si quidem verè Deus: atque id probatum argumento ab absurdo: Quicunque Deus non creauit cœlum & terram, is maledicitur apud Hieremiam; at Filius Dei non maledicitur: Ergo Filius Dei non est Deus non Creator cœli & terræ: & non sunt Papistæ calumniatores?

XI. At Filius impropriè dicitur Creator respectu personæ: Ita est, inquam, Quid tum? Ergo inæqualis Patri? negatur consequentia; Nam si est eiusdem essentiæ, non potest esse inæqualis. At Caluinus etsi impropriè sic Creatorem dicat, tamen docet esse eiusdem essentiæ, ergo & æqualem, quicquid tandem rodant calumniatores, qui ex pumice aquam eliciant potiùs, quam ex Caluino Arianismum extundant. Rursus, si impropriè, respectu personæ, ergo propriè, respectu essentiæ, ideóque rursus æqualis Patri.

XII. Porrò Caluini hic sensus est, Deum esse verè Creatorem cœli & terræ, ac proinde non Patrem tantùm, sed etiam Filium, & Spiritum Sanctum. Quandoquidem hi tres sunt vnus & idem Deus omnipotens. Nihilominus tamen, cùm inter se comparantur, siue distinguuntur tres personæ, tum solere creationem Patri assignari. Atque inde hæc verba, *Non dubium est quin Scriptura Patri, nomen Creatoris vendicans,*

personas distinguat. Quod quo iure fiat, nostrum non est inquirere, sed sapere ad sobrietatem, nec altius quàm scriptum sit. Sed Caluino, & Scriptura, & Patres attestantur. Scriptura, Actorum quarto, *Domine, tu es Deus ille, qui fecisti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* Esse verò hunc Patrem statim patet, *Astiterunt Reges terræ, & Principes coacti sunt eodem loci aduersus Dominum & Christum eius: coacti sunt enim aduersus Sanctum Filium tuum.* Inde Symbolum Apostolicum, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.*

XIII. Patres, & quidem disertius, qui profectò si incidissent in Bozium, in Bellarminum, in Gretserum, nunquam tulissent impunè. Hilarius de Trinitate libro secundo, *Pater, est ex quo omne quod est, consistit, ipse in Christo, & per Christum origo omnium.* Anastasius de rectis dogmatibus libro primo, *Pater secundum essentiam dicitur Auctor rerum.* Iustinus Dialogo cum Tryphone, ἔστι καὶ λέγεται Θεὸς, καὶ Κύριος ἕτερος ὑπὸ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, *Est & dicitur Deus & Dominus alius à factore omnium.* Et rursus, ὅτι ὁ τῷ Ἀβραὰμ, καὶ τῷ Ἰακὼβ, καὶ τῷ Μωσεῖ ὀφθῆναι λεγόμενος καὶ γεγραμμένος, Θεὸς ἕτερός ἐστι τοῦ τὰ πάντα ποιήσαντος Θεοῦ, *Is Deus qui dicitur, & scribitur apparuisse Abrahamo, Iacobo, Mosi, alius est ab eo Deo qui fecit omnia.* Deus bone! quid non audisset Caluinus si quid simile scripsisset? Sed hæc tamen constat non posse esse Catholica, nisi proprio quodam modo, &, vt ita dicam, iure tribuatur creatio personæ Patris, distinctæ à persona Filij.

XIV. Quid, quòd consentiunt Papistæ? Thomas parte prima, quæstione quadragesima quinta, articulo sexto, *Creatorem esse attribuitur Patri, vt ei qui non habet virtutem creandi ab alio.* Et paucis interpositis, *Patri attribuitur & appropriatur potentia, quæ maximè manifestatur in creatione, & ideò attribuitur Patri Creatorem esse.* Aimundus Augerius, & Papista, & Iesuita, in Cathechismo paruo, πατέρα μὲν τὸν τῶν ἁπάντων δημιουργὸν, υἱὸν δὲ τὸν ἐπισκευαστὴν, τὸ δὲ πνεῦμα ἅγιον τὸν ἁγιαστὴν, *Patrem omnium opificem, Filium instauratorem, Spiritum Sanctum sanctificatorem.* Quid ista videntur? Nam certe epitheta sunt διακριτικά. Itaque, quomodo, τὸ ἐπισκευαστὴν, & τὸ ἁγιαστὴν, prædicetur proprio sensu de Filio, & de Spiritu etiam, si verè etiam de Patre: sic & τὸ δημιουργὸς proprio quodam modo de Patre, quamuis etiam verè de Filio & Spiritu. Bellarminus disertiùs de Christo libri primi capite nono, *Ministrauit, non vt famulus Domino* (& loquitur de creatione) *sed vt Filius Patri, inter quos, licet non sit inæqualitas naturæ, aut dignitatis; est tamen in Patre auctoritas principij, quæ non est in Filio, respectu Patris.* Non disertiùs Caluinus, cùm impropriè Filium dici asserit Creatorem: non absolutè, sed quoad personæ distinctionem. Nam, quia Filij persona non distinguitur nisi à Patre & Spiritu, idem est, ac si dixisset, Filium, respectu Patris, non esse Creatorem: quomodo Bellarminus, respectu Patris, non habere auctoritatem principij.

XV. Nunc ad argumenta facilis responsio. Ad primum: Si non propriè respectu personæ, Filius dicitur Creator, Ergo, Filius redigitur in ordinem creaturarum. Negatur consequentia. Nam si esset in creaturis, ergo haberet essentiam creatam: & si creatam, ergo non creatricem. At habet essentiam creatricem, ipso asserente & constanter disputante Caluino. Ergo, etsi respectu personæ non dicatur propriè Creator, non tamen in creaturis constituetur Filius.

XVI. Ad secundum: Omnia opera ad extra sunt communia omnibus personis. At creatio est opus ad extra; ergo, Creatio est communis tribus personis. Conceditur totus Syllogismus. Alioquin, quomodo Filius secundùm essentiam diceretur verè Creator? Sed nihil obstat. Nam seruare est etiam opus ad extra: ideoque commune tribus personis. Et tamen Filius Dei, personæ respectu, proprio quodam iure dicitur Seruator.

XVII. Ad tertium, concedo, Filium, quocunque tandem modo consideretur, esse Deum Omnipotentem: sed nego inde sequi, propriè, respectu personæ, dici Creatorem. Nam quod Deus est Omnipotens, id essentiæ est, non personalitatis. Itaque, si Filius dicitur Creator, quia Deus est Omnipotens; omnino necesse est fateri, eum Creatorem esse respectu essentiæ: quod Caluinus contendit.

XVII. Tertium argumentum, ex eodem libro exagitatum, non à Bosio tantùm: sed & à Bellarmino, præfatione in secundam controuersiam tomi primi: Et à Gretsero Apologia in eandem præfationem. Caluinus asserit Deum Patrem habuisse vim generandi Filium, & propagandi Spiritum Sanctum, quia voluit. Atqui, inquit Bosius, idem Ariani, vt ex Athanasio constat, & Hilario. Tum, ergo poterat nolle Pater. Atque ita Filius genitus non esset: Neque igitur hoc respectu æqualis Patri. Bellarminus, Deum volentem genuisse Filium, non absurdè dicitur: sed genuisse, quia voluit, & quod absurdius est, vim habuisse gignendi, quia voluit, quis, quæso, sanus dixerit? Ac si Filium suum Deus proptereà genuit, quia voluit: Non igitur necessariò genuit: non est igitur Filius æqualis Patri. Nam, qua ratione fieri potest, vt qui potuit non esse, æqualis sit ei, qui necessariò semper est?

XIX. Describo locum. Non enim huiusmodi sunt hi calumniatores quibuscum in tenebris mices. Valentinus dixit, *Deus habuit vim generandi, ac propagandi, quia voluit: ideòque, & λόγον ante secula genuit & Spiritum propagauit.* Caluinus notauit, *Hac sententia minimè labefactatur nostra fides, quando ingenuè tradimus τὴν αὐτουσίαν Dei non tamen propriè patri ascribi.* Hæc tota est ansa calumniæ.

XX. Nunc respondeo dupliciter. Primò, si essent ea verba impia, siue Arriana, ac nullo pacto excusari possent, tamen non esse imputanda Caluino, qui ea neque eo loco, neque vsquam gentium vsurpauit. Non enim solebat sibi indulgere, in tantis arcanis curiosè perscrutandis. Hic Gretserus instat, primò, quia non refutarit: secundò, quia dixerit hac sententia non labefactari fidem suam. Sed importunè. Nam primò non refutauit; ergo probauit: hoc verò non sequitur. Nam nec Paulus refutauit errorem baptizatorũ pro mortuis prioris ad Corint. decimo quinto. Et tamen negatur probasse: sed & paulò

ante

... tè Caluinus testatus est vix sibi visum, vt hæc V... ini sophismata attingeret, ne cū vmbra certare videretur, maluisse tamē aliquantulum temporis perdere, quàm non mouere simplices, quomodo sibi ab his insidiis cauerent, satis docuit se non accuratam instituere refutationem harum protheseon: sed tantùm breuem admonitionem, & quasi perfunctoriam. Quis ergo miretur aliquid omissum? Nam quod Gretserus comminiscitur, noluisse Caluinum Valentini discipulos offendere, impudens est calumniatoris nequitia: enimverò ille non tota vita satis ostendit, quàm minimi faceret hominum gratiam, quoties ageretur de veritate? imò si voluit ab eius discipulis gratiam inire, cur omnino refutauit? & ita refutauit, vt magistratui causam dederit seuerè animaduertendi in Valentinum? & cur non potius tacuit? quod certè impunè poterat: sed non erat id viro ingenium, vt posset errores contra veritatem dissimulare. Nimirum longè alio spiritu actus, quàm hodiernus Papa, qui his proximis annis in magna contentione Iesuitarum, & Dominicanorum noluit quicquam in alterutram partem pronunciare, videlicet ne alterutris ægre faceret: sed ego simplicior, qui tantam impudentiam refellam: quam nemo sanus à seipso, non satis videt & horret.

XXI. Alterum videri possit durius: non labefactari fidem hac sententia: & ita vrgetur à Gretsero, sed attendenda contextus series. Nam rationem reddens Caluinus, cur ea sententia non labefactetur fides, subiicit, quia Dei nomen Patri tribuitur ἐν τῷ γεννᾷν. Quo ostendit vim sophismatis, non in eo esse, quòd Pater habuerit vim generandi & propagandi, quia voluit, sed in hoc potius, quòd Deus habuerit eam vim: id est, quod qui Pater est, nominaretur Deus. Et sanè hæc erat Valentini insania, solum Patrem vocari Deum, disertè prothesi sexta. *Pater non est hypostasis, siue persona in vno Deo: sed, teste Apostolo, est vnus ille Deus à quo omnia.* Imò nusquam alibi Valentinus ostendit se vi velle hoc argumento à voluntate Patris, ad suum errorem confirmandum. Itaque potuit attentus Caluinus ad id, in quo vim argumenti Valentinus constituebat, reliqua facilè dissimulare. Quare nullum hinc argumentum certum est approbationis.

XXII. Secundò respondeo, hoc facilius, id quicquid est, potuisse à Caluino dissimulari, quia verba possint commodam interpretationem admittere. Nam illud Bellarmini, *quis quæso sanus dixerit?* Furiosius est quàm doctius: oportuit enim prius docere, absurdum esse ita loqui, quod ille non fecit. Hoc vt ostendam, dico voluntatem aliquando dupliciter intelligi, aliquando *θέλησιν προηγουμένην*, hæc tum in Deo relatè consideratur ad effecta temporaria: sic enim voluntate præcedente creatum mundum, redemptos homines credimus & multa alia. Aliquādo considerari absolutè, in Deo agente non per impetus, sed liberrima voluntate. Nam cùm ipse sit sua voluntas, ne quid compositionis in eum admittatur, alterutrum necesse est, aut à seipso nihil agere, aut agere voluntate sua. Iam voluntate præcedente si dicas quis aut Filium generatum, aut Spiritum propagatum, ille iure est anathema.

XXIII. At voluntate simpliciter, & absolute Patres dixerunt. Nouatianus de Trinitate A capite trigesimo primo, *est ergo Deus Pater omnium institutor, & creator, solus originem nesciens, inuisibilis, immensus, immortalis, æternus, vnus Deus, cuius neque magnitudini, neque Maiestati quicquam non dixerim præferri, sed nec comparari potest, ex quo quando ipse voluit, sermo Filius natus est.* Iustinus Martyr in colloquio cum Tryphone ἀπὸ τοῦ πατρὸς θελήσει γεγεννῆσθαι dixit, ex Patre genitum esse voluntate. Hilarius de Synodis, *Natiuitas autem in eo adeo perfecta natura est, vt qui ex substātia Dei natus est, etiā ex consilio eius B ac volūtate nascatur. Ex voluntate enim, atque consilio, non ex corporalis passione natura, essentia Dei de essentia Dei genita absoluta perfectio est.* Clemens constitutionum octaui capite duodecimo Deum alloquens, ὁ πάντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγαγὼν διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, αὐτὸν δὲ πρὸ πάντων αἰώνων γεννήσας βουλήσει, καὶ δυνάμει καὶ ἀγαθότητι ἀμεσιτεύτως υἱὸν μονογενῆ. *Qui omnia ex nihilo per vnigenitum Filium tuum effecisti, ipsum verò ante omnia secula generasti, voluntate, potentia, & bonitate, sine vllo medio Filium genitum.* C Idem libri septimi capite quadragesimo secundo, καὶ εἰς τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, *& in Dominum Iesum Christum vnigenitum eius Filium primogenitum omnis creaturæ* τὸν πρὸ αἰώνων εὐδοκίᾳ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα, *& ante secula volente Patre,* (imò beneplacito Patris) *genitum.*

XXIIII. Quare ad primum de Arrianis, dico hos ita dixisse, Filium natum ex voluntate Patris, vt voluntatem intelligerent præcedentem: vt in creaturis: nam & creaturam Filium dicebant. D Athanasius in eos oratione quarta, ταυτὸ γὰρ σημαίνει τοῖς ἄλλοις ὁ λέγων, βουλήσει γέγονεν ὁ υἱὸς, καὶ ὁ λέγων, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων γέγονεν ὁ υἱὸς, καὶ κτίσμα ἐστιν· ἀλλ' ἐπεὶ ταῦτα λέγοντες ᾐσχύνθησαν, ἑτέρως αὐτὰ πάλιν σημαίνειν ἐπεχείρησαν οἱ δόλιοι βουλήσει προβαλλόμενοι, ὡς τὰ μέλαν αἱ σηπίαι. *Idem significat rursus qui dicit voluntate Filium factum esse: & qui dicit, fuit quando non erat, & ex non extantibus factus est Filius: & Creatura est, verumtamen, quia cum hæc dicerent, pudore sunt effecti, eadem aliter significare aggressi sunt miseri, voluntatem E proferentes vt atramentum sepia.* Attende, Iustinus antè dixerat θελήσει γεγενῆσθαι, Arriani βουλήσει γεγονέναι, & tamen Iustinū quis dānauit? Nam Arrianos iustè reiectos consentimus. Nempe Arrianus sensus erat execrandus.

XXV. At Iustinus alio sensu, & bono sensu dixerat. Idem Athanasius ibidem, οὔτε εἰ μὲν τις τῶν ὀρθῶς φρονούντων ἁπλούστερον ἔλεγεν, οὐδὲν ἂν ὑπωπτεύσαμεν περὶ τοῦ λεγομένου, νικώσης τῆς ὀρθοδόξου διανοίας τὴν ἁπλουστέραν τῶν ῥημάτων προφοράν: *Hoc si quisquam simplicius di-* F *xit eorum, quibus recta fides est, nulla caussa erat cur id dictum in suspicionem vocaretur: cederet enim orthodoxa sententia, illa paulo simplicior verborum prolatio.* Cur non ergo Caluino condonaretur, si quid esset durius? Caluino, inquam, quem aliis tot tantisque argumentis constat, de tanto mysterio Trinitatis religiosissimè sensisse, scripsisse? Caluino, cui non hæc verba exciderunt quidem, sed tantùm attentiori ad disputationis statum, sic enim solebat, præterita sunt? Næ istos non Chri- G stiana charitas agebat, quæ in Athanasio erat plurima: sed sycophantica rabies exagitabat. male dictum oportuit Caluino, quo iure, quáve iniuria?

XXVI. Enimuerò, ne contra Arrianos quidem, absolutè dixerunt, aut negarunt: verum & dixerunt κατά τι: & rursus negarunt κατά τι. Hila-

rius libro de Synodis recitat hanc definitionem, *Si quis voluntate Dei tanquam vnum aliquem de creatura Filium factum dicat, Anathema sit.* Et probans defendit, quia *omnibus creaturis substantiam voluntas Dei contulit, sed naturam Filio dedit ex impaßibili, ac non nata substantia perfecta natiuitas.* Rursus alteram. : *Si quis nolente Patre natum dicat Filium : Anathema sit : Non enim vel volente Patre coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cùm noluit genuit Filium : sed mox vt voluit sine tempore & impaßibiliter ex se vnigenitum demonstrauit : cùm non ex voluntate, vt cætera, Filius subsistere doceretur, ne secundum voluntatem tantum, non etiam secundum naturam, haberet essentiam, data hæreticis occasio videbatur, vt necessitatem Deo Patri gignendi ex se Filij ascriberent, tanquam naturali lege cogente, inuito se ediderit. Sed hæc paßionum non est in Deo Patre conditio, cum inenarrabili, & perfecta natiuitate Filij, nec voluntas sola genuit Filium : nec demutata aut coacta imperio naturalis legis essentia est : sed nec ad gignendum quæsita substantia est : nec gignentis in genito diuersa substantia est, nec in tempore paterni nominis solitudo, sed ante tempora, omnia Pater ex natura sua essentia, impaßibiliter voluit, Filio dedit naturalis natiuitatem essentiæ.* Summa : distinguendum, voluntate sola, vt creaturæ, an voluntate simul & ex essentia : illa non genitum Filium, sed hac.

XXVII. Quid plura ? Scholastici, quibus summa laus in minutissimarum vocularum aucupio, plerumque etiam importuno, distinguunt. Thomas parte prima, quæstione quadragesima prima, articulo secundo : *Cùm dicitur esse vel fieri voluntate, dupliciter potest intelligi : vno modo, vt ablatiuus designet concomitantiam tantum, sicut possum dicere, quòd ego sum homo mea voluntate, quia scilicet volo me esse hominem, & hoc modo potest dici quòd Pater genuit Filium voluntate, sicut & est voluntate Deus, quia vult se esse Deum, & vult se generare Filium. Alio modo sic, quod ablatiuus importet habitudinem principij, sicut dicitur, quod artifex operatur voluntate, quia voluntas est principium operis, & secundum hunc modum dicendum est, quod Deus Pater non genuit Filium voluntate, sed voluntate produxit creaturam.* Hæc Thomas non malè quod ad rem ipsam, sed illud secundum membrum non videtur satis consideratè notatum. Nam certè non video, si Pater genuerit Filium voluntate ; quî possit voluntas non habere rationem principij : cùm ipse Pater negari non possit habere rationem principij in ea generatione. Etsi autem nolim temerè λογομαχεῖν, tamen videtur Hilarij prudentius consilium in distinguendo. Interea hoc euinco, non esse statim Arrianum, quicumque dicit Patrem genuisse, quia voluit, sed tantum qui sic, vt in creaturis : Itaque, qui Caluinum reprehendit, inconsideratè fecit, nihil distinguens, sed audita phrasi ambigua statim clamitans Arrianum, Arrianum.

XXVIII. At Bellarminus distinguit, concedens Deum volentem genuisse, & propagasse : negans genuisse & propagasse quia voluit. Nihil nitum : quid enim non neget, quod commodum sit calumniæ ? Sed nobis non libet esse tam Sophistis. Deo scimus suam essentiam esse suam voluntatem, & omnium Dei actionum causam esse suam essentiam : ideóque & voluntatem. Nec Sophistas toleremus dicentes, sic volentem Patrem genuisse Filium, quomodo vestitum quemque hominem comedere : cùm tamen ad edendum vestimenta nihil conferant. Quis enim ferat Christianus, nihil esse aliud in generatione Filij, & propagatione Spiritus, voluntatem Patris, quàm merum accidens ? cùm tamen ipse Deus non sit alius, quàm sua voluntas ?

XXIX. Itaque Thomas, non tantùm volente Patre genitum dixit Filium, sed disertiùs, voluntate Patris. Quis autem capiat ita diuersum esse ab eo illud, quia voluit ; vt possit dici voluntate Patrem sua genuisse. at nullo modo genuisse quia voluit ? Imò Cyrillus Hierosolymitanus illuminatorum catechesi decima τὸ αὐτοπροαίρετον, quo significatur, quicquid liberrimum esse potest in Arbitrio, vsurpare non veretur in hoc ipso argumento, Κύριός ἐστι τῶν πάντων ὁ μονογενὴς υἱός. υἱὸς δὲ τοῦ πατρὸς εὐπειθὴς, οὐχ ἁρπάσας τὸ κυριεύειν, ἀλλὰ παρ' αὐτοπροαιρέτου λαβὼν φύσει· οὔτε γὰρ πατὴρ ἐφθόνησε τῆς μεταδόσεως. Verto : quia non ad meum gustum Grodecius. *Dominus est omnium vnigenitus Filius : Filius Patri obsequens, non rapuit dominium, sed à spontaneo accepit naturaliter : neque enim Pater inuidet participationem.* Attende boni patris pium acumen coniungentis naturam & arbitrium : quæ tamen in creaturis solet opponi, φύσει accepit, & tamen παρ' αὐτοπροαιρέτου, nimirum quia in Deo idē est φύσει & αὐτοπροαίρετον.

XXX. His positis, facilis iam ad sophismata responsio : ergo, inquit Bosius, poterit nolle Pater Filium generare. Ergo, inquit Bellarminus, non genuit necessariò, & potuit non esse Filius. Imò, inquam, nulla consequentiæ necessitas, sed tantùm, si ponatur generare voluntate præcedenti, quod nunquam Caluino venit in mentem.

XXXI. Quartum argumentum. Impropriam, & duram loquutionem Caluinus appellauit illam in Symbolo Niceni Concilij, *Deus de Deo, Lumen de Lumine.* Quod ipsum Arrianorum erat : & inde Bosius concludit, non fore igitur Filium Patri æqualem respectu generationis.

XXXII. Enimuerò, quid illud est, æqualem esse Patri Filium respectu generationis ? Quis vnquam Theologus ita loquutus ? Quis possit intelligere ? Ne ipse quidem Bosius credo, qui eò tantum dixit, quòd putaret se consummatissimum videri posse Theologum, si effutiret nouas formulas, quibus dum commodus sensus inquiretur, abibit ætas. Atqui præmoneo, si qui quærent, frustra erunt. Nam certè Veteres non verentur fateri, Filium respectu generationis esse minorem Patre. Anastasius Synaita de rectis dogmatibus libro primo. Si enim Pater Filio maior astruitur : iuxta illud, *Pater maior me est : nimirum maior prædicatur, quod auctor sit & causa, non item secundum substantiam.* Athanasius in Arrianos oratione secunda, αὐτὸς ὁ υἱὸς οὐκ εἴρηκεν, ὁ πατήρ μου κρείττων ἐστίν· ἵνα μὴ ξένον τις τῆς ἐκείνου φύσεως αὐτὸν ὑπολάβοι· ἀλλὰ μείζων εἶπεν· οὐ μεγέθει τινὶ οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς γέννησιν. *Ipse Filius non dixit, Pater est melior, siue potentior me, ne quis alienum ipsum ab eius natur. suspicaretur : sed maior, inquit, non quantitate quadam, aut tempore, sed propter natiuitatem ex eo.* Nazianzenus de Theologia oratione quar-

quarta δι᾽ ὃ ἐστι τὸ μείζων ὅτι τῆς αἰτίας. *Perspicuum est Patrem dici maiorem quia caussa sit Filij.* Damascenus, Orthodoxæ fidei libro quarto, capite decimo nono: Quædam de Christo dici ὡς ἐξ αἰτίας τῷ πατρί, vt indicent Patrem esse eius caussam; ὡς τὸ ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι, ἐξ αὐτοῦ γὰρ ἔχει τό τε εἶναι καὶ πάντα ἃ ἔχει. *Vt illud, Pater maior me est: quia ex ipso habet tum ipsum esse, tum quæcumque habet.* Cæterum Caluini verba sunt. *Sed verba Concilij sonant, Deum esse de Deo. Dura loquutio, fateor. sed ad eam tollendam ambiguitatem, nemo potest esse magis idoneus interpres, quàm Athanasius, qui eam dictauit. Et certè non aliud fuit Patrū hoc consilium, nisi manere originem, quam ducit à Patre Filius personæ respectu; nec obstare quoniam eadem sit vtriusque essentia & Deitas: atque ita, quoad essentiam, sermonem esse Deum absque principio, in persona autem Filij habere principium à Patre.* Ex hac verborum serie agnosce, primùm, hanc ei formulam obiectam esse à Valentino, vt probaret suum illud delirium de Patre essentiante & Filio essentiato. Secundò, eam formulam à Caluino non reiici vt falsam, & impiam, sed tantùm vt ambiguam: nimirum, quia abonsensu vsurpata fuerat à Patribus, in aliam detorquebatur à Valentino, & cùm ex ipsa verborum vi non posset Valentinus refutari; necessariò sequebatur, esse formulam ambiguam, id est, eiusmodi, quæ bonum, sensum quidem haberet: sed posset etiam in malum trahi. In quo quid est tantopere exagitandum? Imò, quid non laudandum? Nam Patribus olim multa excidisse, quæ posteriorum nequitia ostendit non satis vndequaque tuta, quis tam sit frontis perfrictæ, vt negare audeat? Denique, eam formulam Caluinus admittit, & probat, eoipso sensu, quo à Nicænis Patribus enunciata est. Aut ergo Genolis futorem Sycophantas oportet amplecti, aut Caluini prudentiam laudare.

XXXIV. Quintum argumentum. Nomen Dei per excellentiam, κατ᾽ ἐξοχὴν Patri attribui Caluinus dicit eodem contra Valentinum libro. Ergo, inquit Bosius, ne nominis quidem æqualitatem Filio relinquit. Ergo, inquit Posseuinus, Pater a Caluino dicitur per excellentiam Deus: Filius autem minus eximiè. At si Pater est per excellentiam Deus, quomodo non maior Filio? inquit Bellarminus, præfatione ad secundam controuersiam primi tomi. Gauterius in Chronologia: Potéstne non esse inæqualitas, vbi propriè eminentia est, & prærogatiua? Hæc illi.

XXXV. Caluinus scripsit, *Quamuis Dei nomen quam Filio commune sit: absurdum tamen negamus κατ᾽ ἐξοχὴν Patri interdum adscribi, quia fons est ac principium Diuinitatis.* Et rursus ad Protheseo Valentini decimam. *Ingenuè tradimus κατ᾽ ἐξοχὴν, Dei nomen Patri propriè adscribi.* Hæc Caluini verba, hæc importunis Sophistis ansa calumniæ. In iis verbis non rodunt istud, fontem ac principium Diuinitatis. Nam Dionysius ille apud eos magnus Patri πηγαίαν θεότητα tribuit. Synesius appellat πηγὴν πηγῶν Hymno primo: & secundo ῥίζα ῥιζῶν, μόνα μονάς. Et τὸ αἴτιον principium hoc sensu frequentissimum apud veteres Græcos. Et in Florentina Synodo Latini disertè μίαν γινώσκομεν τὴν πατέρα αἰτίαν καὶ ῥίζαν καὶ πηγὴν τῆς θεότητος. *Agnoscimus Patrem vnicam caussam & radicem & fontem Deitatis.*

XXXVI. Illam ergo ἐξοχὴν potiùs existi-nis dentibus opportuniorem censuerunt: quam tamen totidem literis legere poterant apud Ignatium, Epistola ad Philippenses, vbi prosopopœia est Christi testantis se agnoscere Patrem. *Noui vnum, scio solum, cuius desertor factus es, non sum Deo aduersus*, ὁμολογῶ τὴν ὑπεροχήν, ἐπίσταμαι ἐμῆς γεννήσεως αἴτιον τὸν πατέρα: *confiteor excellentiam, cognoui generationis meæ auctorem Patrem.* In quem locum Bellarminus capite decimo libri primi de Christo, excellentiam Patris Filius confitetur ratione principij tantùm: verè & Catholicè: non enim negent, opinor, Sycophantæ: sed cur negent Caluinum verè & Catholicè? nempe, quia Sycophantæ.

XXXVII. Sed Dei nomen Patri propriè Caluinus tribui dixit. Hîc mihi monēdi Sycophantæ illud propriè, vel grammaticè dici, & opponi appellatiuo: vel Rhetoricè, & opponi figurato: esse autem figuratum, cùm quid dicitur, non expensis κατὰ τὸ ἔτυμον vocibus ad vsum primum, quo solet veritas significari: sed ex vicinitatis commercio: vt prata ridere dicas, quæ certè non rident: sed habent aliquid ridenti simile. Iam proprium grammaticum rursus dupliciter, primò oppositum communi; quum quid cui est ita proprium, vt alij non communicentur: vt Isaaci nomen ita proprium illi filio Abrahami, vt nullo modo communicatetur, aut Ismaeli, aut Iacobo. Secundò per ἀντονομασίαν, quum quid ita pluribus cōmune est, vt tamē de vno quopiā proprio quodam modo dicatur. Sic Poeta Epitheton commune Homero, Hesiodo, Euripidi, Sophocli, Virgilio, Nasoni, aliis: tamen proprio quodam modo Homerum significat. Sic τὸν βασιλέα Regem Persarum Attici appellabant: sic Paulum Christiani Apostolum. Sic primus homo, Adam, hoc est, homo. Atque hic modus in re ipsa omnino nihil mutat: sed tantùm in modo loquendi.

XXXVIII. Cùm igitur tribus modis propriū intelligitur; negamus primo aut secundo modo dictū cogitatúmve Caluino, Dei nomen Patri propriè tribui. Nam de primo res est manifesta. Ille enim nunquam docuit Filium nuncupari Deum, quomodo aliquando Reges aut Principes, hoc est, metaphoricè, sed proprio natiuóque sensu. Testis hæc ipsa contra Valentinum disputatio: quæ in hoc tota est, vt doceat Filium esse αὐτόθεον: quod ipsum certius Papistæ sciunt, quàm vellent. De secundo nihil obscurius: nam & ipsa à nobis recitata verba testantur Dei nomen esse commune Filio: & illud ipsum, quod iamiam diximus, demonstrat. Non enim posset esse Filius αὐτόθεος æquè cum Patre, si non magis illi Dei nomen conueniret, quàm Ismaeli, aut Iacobo nomen Isaaci.

XXXIX. Restat ergo tertius modus, qui omnino necessarius est ad hos Scripturæ locos intelligendos. Ad Romanos primo. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. In primis gratias ago Deo meo per Iesum Christum.* Ioannis decimo septimo. *Hæc est vita æterna, vt te esse illum solum verum Deum cognoscant; & quem misisti Iesum Christum.* Nam his similibúsque locis Dei nomen Patrem significat, non Filium, aut Spiritum. Bernardus de diligendo Deo: *Deus sic dilexit mundum vt vnigenitum daret, haud dubium quin de Patre dicat*

Hac autem loquendi ratione impurus abutebatur Valentinus: nam quia Filius Dei appellabatur, inde negabat esse Deum: quomodo quis Isaacum filium Abrahami, negaret esse Abrahamum. Caluinus, vt huius Sophistæ spiritus dissiparet, dixit quod res erat, Institutionis libro primo, capite decimo tertio, segmento vigesimo sexto: *Quod obticiunt Christum, si propriè sit Deus, Filium Dei perperam vocari. Iam responsum est, quia sit vnius personæ ad alteram comparatio, nomen Dei non sumi indefinitè: sed restringi ad Patrem, quatenus Deitatis est principium.* Atque hoc ipsum restringi ad Patrem id est, quod nunc dicit propriè adscribi.

XL. Sed illa siue κατ' ἐξοχὴν, siue ἐξοχὴ malè habet Sophistas. Caussam flagito; Quia dicitur Pater per excellentiam Deus; Filius autem minus eximiè. Et si Pater per excellentiam Deus, Ergo maior Filio. Ergo hæc ansa calumniæ: quia volunt Caluinum asserere Patrem esse per excellentiam Deum. Atqui id nunquam Caluino vel febricitanti venit in mentem. Tantùm enim dixit Patri nomen Dei adscribi, κατ' ἐξοχὴν, siue κατ' ἐξοχὴν. Non est autem vnum idémque dici & esse. Imò Patrê per excellentiam Deum ille dicere non potuit; qui Patrem non magis αὐτόθεον, quàm Filium asserat. Itaque importunè faciunt Sophistæ, qui à verbis ad res transferunt disputationem.

XLI. Instat Gretserus: Aut verè tribuitur nomen Dei Patri per excellentiam, aut falsò. Si verè, sequitur ergo Patrem esse Deum per excellentiam: ac proinde Filio maiorem. Quomodo si Homerus verè dicitur Poeta per excellentiam; ergo est excellentior Poeta. Si falsò, ergo mentitur Caluinus.

XLII. Respondeo, verè Patri nomen adscribi per excellentiam: & tamen negari consequentiam. Nam Deus per excellentiam is est, qui in ratione Deitatis potior est. Quod de Deo Patre falsum. At ei potest adscribi nomen per excellentiam, qui tamen non sit potior ratione Deitatis. Ad exemplum Homeri respondeo; esse verum adscribi interdum nomina ἀντονομαστικῶς propter excellentiam rei, quæ eo nomine significatur, vt in Homero: sed id non esse perpetuum: alias enim dari caussas posse: vt Regem Persarum videas τὸν βασιλέα absolutè & propriè apud Aristophanem appellari: non quod in ratione potestatis regiæ potior esset aliis: sed quia ille Atheniensibus vel notior, vel etiam solus cognitus. Sic apud Choniatâ τὸν ῥῆγα legas Regem Siciliæ, qui tamen non erat Regum maximus. Sic in Ecclesia Paulus κατ' ἐξοχὴν Apostolus; non quòd potior in Apostolatu; sed quia aliis præstantior in scribendo. Item, si quis poëtam quemlibet susceperit explicandum, sæpissimè poëtam vocat antonomasticè; non tantùm Homerum; sed quemlibet, Ouidium, Martialem; alium etiam inferioris notæ: hanc duntaxat ob caussam, quia habeatur præ manibus. Quid? si à Iesuitis flagitem, qua ratione nostrum Regem, Regem Christianissimum, aut Hispanum, Regem Catholicum appellitent? Ausint ne dicere aut illum Hispano esse magis Christianum? aut Hispanum illo magis Catholicum? Cùm igitur possint aliæ caussæ assignari, præter excellentiam rei quæ nomine ipso significatus, potestisne tandem percipere calumniatores, quàm sit inualida consequentia: Patri adscribitur per excellentiam nomen Dei, Ergo, Pater est Deus excellentior, est Deus maior? Intelligite ex hoc simili: Paulo adscribitur per excellentiam nomen Apostoli: ergo Paulus est aliis Apostolis excellentior Apostolus, maior Apostolus. Nam Antecedens vos certè negare non potestis. At consequens ne concedatis, obstabit, si non veritas, cuius vos sæpe exiguam rationem habetis, at saltem præiudicata de Petro opinio.

XLIII. Quid iam superest? potéstne, inquit Gauterus, ibi esse æqualitas, vbi propriè eminentia est, & prærogatiua? Quid ni, inquam? Nam & vos ipsi Sophistæ, non audetis negare id quod Veteribus tam disertè dictum, fuisse reliquos Apostolos, hoc quod Petrum, pari consortio præditos honoris, aut potestatis: & tamen vos multas prærogatiuas, multámque præeminentiam Petro defertis. Quis nobis hos mendaces tam facit immemores? Res facili distinctione explicatur. In Trinitate, præeminentia intelligi potest ratione vel Essentiæ, id est, Deitatis, vel ordinis personarum: si quis præeminentiam iudicat ratione Essentiæ, hic verè ex Trinitate æqualitatem eliminauit, & erit Anathema: sed hoc à Caluino alienissimum est, qui αὐτουσίαν & αὐτοθεότητα Filio vendicat, Spirituique Sancto, frustra ringentibus, non Valentinis tantùm, sed etiam Papistis.

XLIIII. Alio autem modo negamus inæqualitatem inferri. Nam æqualitas est in Essentia, vnde nominatum τὸ ὁμοούσιον: quod nullum adfert præiudicium ordini personarum. Hoc autem modo Caluinum intellexisse suam excellentiam, non putatam quenquam tam esse stipitem vt non aduertent. Soli calumniatores sunt, qui mihi suum stupotem obiiciunt admirandum. Quorsum enim illud, *Quia fons est ac principium Deitatis*, contra Valentinum; & in Institutione, *quatenus Deitatis est principium?* Nam id sanè nihil aliud significare potest, quàm personarum relationes, in quibus ille ordo est, vt à Patre oriatur Filius, & Spiritus. Esse autem in eo excellentiam Patres consentiunt, ex quibus locos excerpsi hoc ipso capite ad argumentum quartum. Itaque Abucarus postremo opusculo in editione Gretseri τὸ μὲν ἄλλα κοινὰ ὀνόματα τῆς θείας φύσεως λεγόμενα ἰδιάζει τῷ Θεὸς ἐπὶ τὸ πατρὸς, ἐχόντα αὐτῷ ὥσπερ ἐξαίρετα διὰ τὸ αἴτιος Θεὸς υἱοῦ καὶ πνεύματος, ἐξ οὗ αὐτοῦ ἀναφέρεται. *Ex communibus nominibus quæ de natura prædicantur, hoc quidem Deus Patri attribuitur, eique quodammodo peculiare* (Græcè ἐξαίρετον eximium, magis ad phrasin Caluini) *vt nasci: quia est principium Filij & Spiritus Sancti, & ad illum referuntur*: & paulò post Θεὸς δὲ ἐξαιρέτως λέγεται *Deus dicitur eximiè*.

XLV. Hic Gretserus: Si Pater dicitur per excellentiam Deus quatenus est principium Filij: Ergo non modò solus Pater per excellentiam Deus diceretur, sed etiã solus Deus per excellentiam esset. Ratio, quia ipse solus sit fons & origo Filij. An verò illud Arrianismum redoleat alij naso, quàm Caluiniano committit.

XLVI. Credo: sed mirum ni Papisticum, aut Iesuiticum, id genus nasorum, valde purum est à pituita scilicet, siue hæreseos, siue calumniæ, siue impudentiæ. Sed ad rem: hic cenè nasus Gretserianus, in olfaciendo nimium quàm sui similis sit; cui nihil bene oleat, nisi Sophisticen oleat. Non tantùm diceretur, sed erit etiam per excellentiam

lentiam Deus. Hoc verò si millies benè olent naso Gretserianu, tamen purgatis naribus, quoties cunque reponetur, olebit imposturam. Etsi enim propter excellentiam personæ, Patri nomen Dei peculiariter adscribatur; non erit tamen Pater per excellentiam Deus: siue excellentior Deus, siue maior Deus.

XLVII. Sed audite iam oraculum ex tripode. Quamuis interdum simile quid videatur à sanctis Patribus dictũ (inquit Gretserus nouus quidem è cœlo lapsus antiquitatis mystagogus) nominatim à D. Hilario libro nono de Trinitate cùm dicit: *Licet Pater maior est donantis auctoritate; tamen Filius minor non est, cui vnum cum Patre esse donatur*: tamen hoc simile valde est dissimile eius quod Caluinus asserit. Ratio gemina est. Prior, quia illa verba intelligenda sunt de maioritate, non quæ sit à parte rei; sed secundùm quandam nostram cogitandi consuetudinem: quum contra Caluinus maioritatem intelligat à parte rei. Altera, quia Caluinus non meretur illam æquitatem, quam merentur Sancti Patres, quia horum sinceritas & integritas vulgò nota est. At Caluinus vulpes est deuastandæ vineæ Dominicæ à Diabolo missa.

XLVIII. At ego ista similia ita defendo, vt non sit magis ouum ouo. Nam Caluinus excellentiam Patri tribuit propter personarum distinctionem, quæ fit, vt Pater sit origo Filij. Hilarius quid? maioritatem Patri tribuit. Nec intercedit Gretserus, quominus maioritas & excellentia eadem sint. Vnde igitur maioritas Hilario? ex donantis auctoritate: quid autem hoc illud est? certè donantem dicit Filio vnum esse cum ipso. Hoc autem quis neget significare fontem Deitatis? Ergo verbis alijs idem dixit Hilarius, quod Caluinus, maiorem siue magis excellentiorem esse Patrem Filio, quatenus Pater est fons & principium Deitatis. Gemelli igitur Caluinus & Hilarius.

XLIX. Sed Hilarij maioritas non intelligitur à parte rei: sed à nostra cogitandi consuetudine. Imò hæ meræ sunt præstigiæ, meræ imposturæ, siue Gretserianæ, siue Gregorianæ: nec interest à quo fonte. Nam Hilarius omnino ne verbum quidem ex illa nostra consuetudine; sed tantùm de donantis auctoritate. Audi, *maior itaque Pater Filio est: & planè maior, cui tantum donat esse, quantus ipse est: cui innascibilitatis esse imaginem Sacramento natiuitatis impertit, quem ex se in forma sua generat*. Et hæc ad modum cogitandi quisquam referat? O veteratores! Adde Hilario reliquos: Athanasium. μείζων οὐ μεγέθει τινὶ οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς γέννησιν, *maior non magnitudine quadam, aut tempore, sed propter natiuitatem ex ipso Patre.* Nazianzenum, τὸ μείζων ἐστὶ τῆς αἰτίας. Damascenum, ὁ πατὴρ μείζων μου ἐστίν, ὅτι ἐξ αὐτοῦ γὰρ ἔχει τὸ τὸ εἶναι καὶ πάντα ὅσα ἔχει. Anastasium, *maior prædicatur, quòd auctor sit & causa*. Quid manifestius? & tantæ luci sperabunt se suis tenebris præiudicare posse?

L. Sed nullam æquitatem Caluinus meretur. Laudo. Euge: sic semper ingenuè candorem vestrum prędicate Iesuitæ: etsi serò monetis, iam experientia doctos. Veruntamen securiùs vobis ipsis profitentibus: nihil æqui, nihil boni, nihil moderati, nihil sani à vobis expectabimus. At vos à nobis, saltem preces ad Deum, vt vestri misertus mentem donet meliorem.

LI. Sextum argumentum apud Bellarminum: quod per multa Scripturæ loca, ac præsertim illum, *Ego & Pater vnum sumus*: ita Caluinus hæretico more exponit, vt noui Samosateni, in publica disputatione, de sententia eius loci eum iudicem appellauerint.

LII. Multa, inquit, & vnum habuit duntaxat. Nota versutiam: interpretatur hæretico more. Hoc verò falsum. Interpretatur aliter, quàm alij Catholici, fateor, sed an æquum est eum, qui ab alijs discedit in interpretandis quibusdam locis, statum hæreticis annumerari? aut si id detur, quis inter Patres: imò, quis inter Papistas ab hac ignominia tutus? Imo Charronæum audi veritatis tertiæ capite secundo; *Disertissimus Scripturæ locus ad probandum τὸ ὁμοούσιον, verisimilitudinem quandam obtinet, at sufficiens est minimè.* Quod durius Caluini peccatum est? At noui Samosateni ad Caluinum prouocarunt. Crediderim: etsi mihi ea siue historia, siue fabula sit incognita. Quid tum autem? Nam alioquin constat Caluinum, Samosatenis istis aduersarium fuisse: & de Trinitate contra eos sensisse. Illud autem certum, solere hæreticos, etiam magnorum virorum nomine abuti: qui tamen non propterea, aut magni, aut Catholici esse desinant, rumpantur vt ilia Codris.

LIII. Septimum argumentum est in Chronographia Gautieri, sæculo decimo sexto: vbi Caluinum obseruat dicere Spiritum ministrum Sacramentorum: atque ob id peccatum comparat Ebionitis, in primo sæculo dicentibus Spiritum creatum.

LIV. Agnosce κακοφαντασίαν. Sed audi Caluinum: Si tamen is Caluinus est auctor summæ de ministerio Verbi & Sacramentorum, quæ edita est inter eius epistolas, sed vt vt sit, in ea tamen sic lego. *Quum dicimus Spiritum Sanctum externo ministerio vti, vt instrumento, sic intelligimus. Tam in prædicatione Verbi, quàm in vsu Sacramentorum duos esse ministros, qui distincta habeant officia. Minister externus administrat verbum vocale, & sacra sigilla, quæ externa sunt, terrena, & caduca. Minister verò internus qui est Spiritus Sanctus, liberè agit internè, dum in quorumcunque cordibus arcana sua virtute communicationem cum Christo per vnam fidem operatur.* En tibi Spiritum ministrum. Noua phrasi fateor: nec vsquam obuia apud Caluinum: quem pro certo habeo non esse auctorem huius summæ, adeò non est eius stylus. Sed vt nouam, vt duram etiam phrasin concedam, nihil tamen illa affine habet Ebionitis. Hi creatum dicunt Spiritum: at non ille, quisquis est. Nam contrà, articulo secundo, disertè virtutem Dei dicit esse: procedentem à Patre & Filio: tribuit que eidem omnipotentiam: quæ de creato Spiritu non dicuntur.

LV. Sed enim ministrum cur appellat? non à ministrando, inquam, id est, seruiendo, quasi esset Patris λειτουργὸς quod absit: sed à ministrando, id est, administrando, siue largiendo fidelibus efficaciam internam, quam externa Sacramenta postulant necessariò, alioquin futura inutilia. Nam, ne in ministro quidem externo, is autor relationem considerat ad Deum, cui seruit: sed ad fideles singulos, qui ab eo ministrante sibi, id est, porrigenti, siue dante, externa signa recipiunt. Verba clara, *Minister externus administrat verbum vocale*, vt aduertas, attende, non quatenus sub Deo est: sed quatenus supra fideles, hoc sensu, etsi nouum sit, etsi durum sit, Spiritum dicere ministrum: tamen non est impium, non est Ebioniticum. Nemo enim negare potest ab Spiritu fideli vim & efficaciam in-

fernam, tum Verbo, tum Sacramentis in corda fidelium. Atque adeò ille, quisquis est, suam sententiam confirmat ex tertio prioris ad Corinthios. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* Illud incrementum dare, ministerium appellat. Iterum dico, nonè appellat, durè appellat. Nouitatē si non probas, duritiem si aures tuę ferre non possunt, Sophista, non pugnamus. Sed Ebionismū nemo intulisset: nisi *ὁ διὰ τοῦ* [illegible] *φαίνων*, ille olim apud Poëtam, *μωμεῖν καὶ μωμεῖσθαι, ἀλλ' ἄπειρος*.

L V I. Enimuerò Ruffinum audi in expositione Symboli: Dabitur autem & peccatoribus, incorruptionis, & immortalitatis ex resurrectione conditio: vt, sicut Deus iustis ministrat ad perpetuitatem gloriæ; ita peccatoribus ad prolixitatem confusionis ministret & pœnæ. Et tu miraris Spiritum dici administrare, qui audias ipsum Deum ministrare? quin Ruffinum accusas, aut Caluinum absoluis?

CAP. V.

Vtrum qualibet persona sit αὐτόθεος.

I. QVarta calumnia: Blasphemat Caluinus scribens, absurdum esse, Filium sumere essentiam suam à Patre, & Spiritum à Patre & Filio. Sic Hayus quæstione centesima trigesima secunda. Sanctesius, Arianos superant eum dicunt, Filium nihil suæ essentiæ sumere à Patre, sed eam à seipso habere, esseque *αὐτόθεον*. Richeomus Idololatriæ libri tertij capite tertio, Caluinus docet essentiam diuinam distingui in tres personas: hásque singulas habere suam essentiam, suámque esse à seipsis absque vlla origine; tam Filium & Spiritum; quàm Patrem; nec magis Filium esse genitum, quàm Patrem. Possevinus Atheismo quinto. Caluinus Christum fecit *αὐτόθεον*: hoc est, per se Deum; trésque Deos, loco trium personarum nouus Tritheita confinxit. Vnde mox noua hæresis emersit Autotheanorum, de qua Salmero prolixè disputat tomi secundi tractatu decimo.

I I. Infames calumniæ. Nam primò singulas personas habere suam essentiam à seipsis, absque vlla origine, absit, vt Caluinus vel dormiens cogitauerit. Quomodo suam cuique essentiam, qui nonnisi vnam tribus constanter docuit? Quomodo absque vlla origine, qui Filium generari, Spiritum procedere; qui Patrem principium & fontem dixit? Tres Deos Possevino Sycophantæ somniare permitto: sed Caluino imputari non patior. Nihil suæ essentiæ Filium à Patre sumere, legistí-ne apud Caluinum, Sanctesi, an ex aliis quæ legisti tuo arbitrio confinxisti? hoc sanè: nam illud scio non posse. Sed quicquid confinxeris, tamen Caluinus Catholicus fuit.

I I I. Cæterùm in Trinitatis mysterio multa quæri sciunt omnes; & ea quidem obscurissima, eóque magis obnoxia calumniatorum latratibus in quamcunque partem. Quia enim longissimè recedunt ab humano captu: & tamen efferri nequeunt, nisi iis verbis, quæ iampridem seruiebant significandis iis, quæ humano ingenio concipiuntur: idcirco fieri nequit, aut certè vix fieri, vt omnibus, maximè Sophistis, quibus solenne est *λογομαχεῖν*, vndequaque sic satisfiat, vt nihil supersit quod murmurent. Quo minus mirandum Caluinum huiusmodi quippiam passum, quem pro scopo habuisse videntur tum nouorum hæreticorum, Serueti, Gentilis, aliorum, tum etiam Papistarum, quibus omnibus illum Deus opposuit, immanis nequitia. Sed bene est: neque viuum omnes insultus frangere potuerunt, nec emortuum à fruitione beatissimæ apud Deum quietis disturbabunt, quantumuis violenti Satanæ crepitus.

I V. Trinitatis vnicam essentiam esse iampridem definiuit Ecclesia secundùm Scripturas. In ea essentia tres esse, siue subsistere, (sic enim melius dixeris quàm cum Genebrardo versari) personas nō minus certum. Personas, inquam, verè distinctas, & tamen æquales: primam, Patrem *ἀγέννητον*: secundam, Filium à Patre genitum: tertiam, Spiritum à Patre & Filio procedentem, absque vlla essentiæ, temporis, gloriæ imparitate. Hanc doctrinæ veritatem noluit Deus in Papismo, cum aliis multis articulis suffocari. Hanc ipsam non tantùm confessus est Caluinus, sed etiam constantissimè tutatus contra nouos hæreticos, etiam stertentibus Papistis, apud quos Seruetus, quamdiu vixit, tutò vixit: tum demum & vim veritatis expertus in Caluino, & in pio magistratu sanctam seueritatem, cùm Geneuā venit. Solus idem Caluinus Gentilē, Blandratam, Alciatum, Stancarū confutauit: quos hodie exagitant Papistæ. facilè, iampridem confectos: quos si Caluinus missos fecisset, apparet exemplo Postelli impurissimi nebulonis, non fuisse quod sibi metuerent à Papistis: adeò intentis veritatis recenter emergentis Ecclesiæque quasi postliminio restitutæ oppugnationi: & fidelium eam veritatem profitentium carnificinæ, vt erumpentibus nouis hæreticis vacare non liceret.

V. Valentinus Gentilis Trinitatem sic imaginabatur; vt Pater solus esset tota essentia Diuina. Non verò vna persona distincta ab aliis; in eadem tamen essentia. Ab eo essentiatos blasphemabat Filium & Spiritum, quasi essentiam Diuinam secundariò, ac precariò mutuantes. Ita vt fieret ille, quem Patrem appellabat, primarius quidem Deus, ac proinde *αὐτόθεος*: Filius secundarius. Affinis Eunomio, qui apud Nyssenum libro primo aduersus eum docebat *τὴν ἀνωτάτω καὶ κυριωτάτην οὐσίαν· καὶ τὴν δι' ἐκείνην μὲν οὖσαν, μετ' ἐκείνην δὲ πάντων τῶν ἄλλων πρωτεύουσαν· καὶ τρίτην τὴν μηδεμιᾷ τούτων συντεταγμένην*, *supremam maximéque propriè dictam substantiam: & aliam ex ea, sed post eam omnium aliarum primam: tertiámq; neutri earū coordinatam.* Non enim distinguebat essentiam à personis, quod Catholici faciunt: sed essentiæ componebat personas: vt Pater esset Deus Israelis: ac vicissim Deus Israelis esset Pater: At verò Verbum nō esset Deus Israel. Sic enim loquebatur: propterea quòd Verbū filiationē & essentiam designet: Deus autem, essentiam tantùm, vt & Pater. Hæc cum eum, cùm *αὐτόθεον* diceret; intellexisse absolutè & essentialiter, non autem relatè & personaliter.

V I. At Caluinus contrà. Primò, Filium ac Spiritum æquè cum Patre Deum esse: secundò, Patrem esse personam distinctā à Filio & Spiritu. Tertiò, essentiam Deitatis vnam eandémque numero esse Patri, Filio, Spiritui in solidum communem. Itaque, quartò, Filium, etsi genitum à Patre, tamen æquè cum Patre Deum illum, qui à seipso est; hoc est, *αὐτόθεον*. Et denique Gentilis illum essentiatum Deum, quem pro Filio, & Spiritu substituebat, esse meram

blasphe-

blasphemum. Summa hæc est. *Si distinctio spectatur* (inquit epistola ad Grinæum) *quæ est inter Patrem, & Verbum; hunc ab illo esse dicimus. Si autem Verbi essentia consideratur, quatenus vnus est cum Patre Deus, quicquid dici de eo potest, in illum competit.*

VII. Hoc sensu Filium & Spiritum esse αὐτόθεον probat Caluinus, primò, ex Scripturis: deinde, ratione: tertiò, ex Patribus. In Scripturis disertissimum hoc est, Filium vocari Iehouam nemo inficiari potest, ne Gentilis quidem: Atqui hinc sequitur, Filium Dei ex seipso esse, solius Deitatis respectu. Nam si Iehoua, negare non potest, quin idem sit ille Deus, qui per Esaiam alibi clamat: *Ego, ego sum & præter me nō est Deus.* Ita Caluinus, vno loco multos comprehendens, & explicans, vt me non sit necesse per singula discurrere.

VIII. Bellarminus respondet, hoc argumentum concludere cōtra Gentilem: verè enim Filium, si sit fons essendi, non habere essentiam deriuatam ab alia essentia; sed posse nihilominus dici sicut Deum de Deo, sic fontem de fonte. Salmero autem negat Iehouam, idem esse cum eo, qui est Deus à se; vel qui essentiam a se consequitur: sed esse id quod semper, & verè, & propriè, & naturaliter, & necessariò existit, à quo cetera essentiam obtinent.

IX. Sed Bellarminum absit vt refutemus: Alioquin Caluinum ipsum refutaturi; cui nulla mens alia, quàm vt Gentilem compesceret, blasphemè docentem Filij essentiam esse ab alia essentia. Non enim ille tum disputabat nisi contra Gentilem. Abunde ergo illi satisfactum, si Gentilem solidè refutauit. Quòd si eius verba aliò trahant peruersissimi Sycophantæ; cur ille blasphemus? Deum ergo de Deo aliàs docuimus à Caluino Christum dici: tantùm, non eodem sensu cum Gentili: sed cum Nicena Synodo. Nec renueret hodie vir pius æque fontem de fonte dicere eodem sensu, si ad hæc ei tempora vitam prorogasset Deus, & non ad meliorem euocasset.

X. De Salmerone quid dicam? Certè sua sulius autoritate contentum, quid moret? Negat Iehouam idem esse cum eo qui est Deus à se. Quid si nos contrà? Enimuerò neque ille tanti est, neque nos tam nihili, vt non æquè saltem nobis affirmantibus credatur, ac illi neganti. Quanquam, quid illud est, qui essentiam à se cōsequitur? aut quis nostrûm docuit Filium consequi essentiam à se? Nam nos quidem dicimus, & dixit Caluinus, Filium consequi à Patre essentiam, quæ est à se: & idcirco appellari Iehouam: quod Gentilis nolebat.

XI. Sequitur ratio certa: Si Filij essentia non sit à se: ergo ab alia essentia, vel genita, vel facta. At hoc vtrumque absurdum: ergo & illud. Probatur assumptum, (nam propositio est per se in confesso) si enim genita, ergo essentia generaret essentiam, quod omnes Theologi agnoscunt esse absurdum. Si facta, ergo & creata, quod est blasphemum. Deinde, si Filij essentia est, vel genita, vel facta: & Patris essentia neque genita, neque facta: Ergo Filij essentia alia est à Patris essentia: quod est Arianum. Consequentia patet tam, quemadmodum Filij persona nō est eadem quæ Patris, propter generationem, quia illa est ab ipso: omnino necesse esset essentiam, quæ esset genita, aliam esse.

XII. Respondet Salmero: negari consequentiam. Nam cuiusque speciei singula indiuidua prima sunt ingenita: non verò reliqua: & tamen ineptum esse, qui diceret hæc ab illis essentiam non habere.

XIII. Sed illa, inquam, posteriora indiuidua, essentiam habent quodque suam diuisam ab alia: & re vera multiplicatam. Quod in Trinitate vel cogitatu alienum est. Itaque habent quidem genita essentiam à matribus: sed per multiplicationem. Quòd si Filium æternum Papistæ euincant habere à Patre suam essentiam per multiplicationem essentiæ, nam fatendum erit, non esse à se hanc Filij essentiam. Quod si illud blasphemum, certè ne hoc quidem tolerādum. Deinde, si non habent genitam, habent tamen factam: Itaque non soluitur argumentum.

XIV. E Patribus, cùm alios, tū Augustinum citat Caluinus ex sermone trigesimo octauo de Tēpore: vbi prolixè tractatur hæc materia: distinctis in Trinitate iis, quæ secundùm substantiam dicuntur, ab iis quæ secundùm relationem. *Sciendum est,* (ait Augustinus) *quòd quædam de Deo substantialiter dicuntur, vt Deus est magnus, omnipotens, & quicquid ad se dicitur, id est substantiam Diuinitatis significans. Quædam verò relatiue dicuntur, vt Pater ad Filium: Filius ad Patrem: & Spiritus Sanctus relatione ad Patrem & Filium ad se autem siue Pater, siue Filius, siue Spiritus Sanctus, Deus dicitur.* Quid manifestius? Filius dicitur Deus ad se, ergo nō relatiuè, id est, non ad Patrem. Pergit Augustinus *Quia quicquid est Pater, quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc Filius, hoc Spiritus Sanctus. Ita etiam quicquid est Filius in eo, quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc Pater, hoc Spiritus Sanctus. Et quicquid est Spiritus Sanctus in eo quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc Pater est, & Filius. Vna ergo in tribus diuinitas, vna essentia, vna omnipotentia, & quicquid substantialiter dici potest de Deo. Et rursus, hæc Trinitas vnus est Deus, solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens: ipse sibi vnitas, Deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quicquid ad se substantialiter dicitur.*

XV. Hæc Augustinus, & alia nonnulla in Caluini sententiam. Nam quid aliud vult Caluinus? disputabat contra Gentilem. Hic dicebat solam essentiam Deitatis esse in Patre. Caluinus negabat, negat etiam Augustinus. Propter eam essentiam solum Patrem dicebat αὐτόθεον: ergo αὐτόθεον dicebat de essentia. Quis iam non videt vim argumenti? Quicquid de essentia dicitur ad se & non relatè; æquè dicitur de Filio, & Spiritu, ac de Patre. At τὸ αὐτόθεος dicitur de essentia Dei ad se, & non relatè: ergo τὸ αὐτόθεος æquè de Filio ac Spiritu Sancto dicitur, ac de Patre. An verò assumptio controuertitur? Atqui primò supponebatur à Valentino. Deinde, si non est essentia à seipsa, vnde est? aut si non est aliunde, ergo illud αὐτόθεος siue αὐτοών, siue αὐτουσία dicitur de essentia. Denique, quicquid à Patre Filius habet, id relatiuè dicitur ad Patrem. At Deus de Filio non dicitur relatiuè ad Patrem, sed ad se, ergo Filius à Patre non habet vt sit Deus. Minor est ab Augustino. Maior ab omnibus Theologis.

XVI. Bellarminus respondet, primò, Filium esse principium de principio, ex Augustino tractatu trigesimo nono in Ioannem. Secundò, non esse idem Deum ad se, & Deum à se, & significare illud quidem, nomen Dei non esse relatiuum, & tamen conuenire Filio: hoc verò, Filium Dei, non esse Filium Dei, sed ingenitum.

XVII. Insto: & ad primū, sine dubio Filiū esse principiū de principio, quemadmodū Deus est de Deo, id est, hoc sensu, vt Filius qui est principiū, sit de Patre, qui est principiū. Id Caluinū constanter asserere: non sequi verò, si sit hoc sensu Filius principium de

principio, non rectè concludi esse αὐτόθεον, atque adeò αὐτάρχην habita essentiæ, non personæ, ratione: hoc est, vt disertiùs dicam, illam essentiam, quam nascendo Filius accepit à Patre, esse αὐτάρχην, αὐτόθεον: & sanè, qui principium de principio dicit, necessariò relationem connotat, quæ personarum est, non essentiæ: at nos de essentia loquimur.

XVIII. Ad secundum, Deum ad se, & Deum à se, ratione tantùm differre, re autem esse idem: & hoc illius consequens. Nam Deus ad se, significat Deum sine relatione ad Patrem; sed absolutè consideratum. Non est autem relatio Filij ad Patrem, nisi in originatione: Quare Deus ad se dicitur, nulla habita ratione originationis. Non potest itaque dici Deus ad se, & non Deus à se. Vnde Augustinus dicebat. *Trinitas vnus est Deus, solus bonus, magnus, æternus, omnipotens: ipse sibi vnitas, Deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quicquid ad se substantialiter dicitur.* Quin etiam Bellarminus Caluini sententiam probat, Filium esse à se, respectu essentiæ, non respectu personæ: hoc est, personam esse genitam à Patre, essentiam non esse genitam, sed à seipsa. Itaque falsum est, hanc phrasin, Filius est à se Deus, non personæ, sed essentiæ ratione; quomodo diligenter cauet Caluinus, significare Filium esse ingenitum, & non filium Dei.

XIX. Addebat Caluinus: si Filius non habet essentiam, quæ sit à seipsa: ergo est precariò Deus, & titularis, ac reipsa similis creaturis, quæ aliunde suum esse accipiunt. At Christus non est huiusmodi: ergo conclusio est certa; Filium habere essentiam, quæ sit à se: ac proinde αὐτουσίαν. Et quia Deus significat οὐσίαν, ergo non tantùm esse θεὸν, sed etiam αὐτόθεον.

XX. Bellarminus respōdet, argumentū concludere cōtra Gētilem, qui Filium putabat habere essentiā creatā à Patre, sed nō valere contra Catholicos, qui etsi dicant Filium habere essentiam à Patre, tamen addunt habere per necessariam, & naturalem communicationem, & ideò non esse precariò.

XXI. At primò, Bellarminus nescit quid Gentilis docuerit, non enim ille Filij essentiam dicebat creatam. Nam fatebatur vnicum esse Deum cum Patre. Sed fingebat Patrem quasi genus quoddam, siue totam essentiam Deitatis. A quo Filius & Spiritus habebant Deitatem: ac proinde essentiatos dicebat ab eo. Secundò, concedit Bellarminus, quicquid efficere volebat Caluinus, qui sanè contra Catholicos nullos vnquam disputauit: sed cùm aliis de rebus contra Papistas: tum hac ipsa de re contra Gentilem. Gentilem igitur si solidè refutauit; quid importuni sunt Papistæ?

XXII. Ergo Caluinus solidè probat Filium, respectu essentiæ, esse αὐτόθεον. Ego addo Patrum testimonia perspicua: En tibi igitur primò Eusebium Cæsariensem Ecclesiasticæ historiæ libri decimi capite quarto. Imperatores ὡς οὐχ κοινὸν ἐξ ἀνθρώπων βασιλέα [illegible] ὁμολογοῦσι· ἀλλ' ὡς τῷ [illegible] θεοῦ παῖδα γνήσιον καὶ αὐτόθεον προσκυνοῦσι. *Christum non quasi promiscuum ex hominibus regem confiteri; sed tanquam vniuersali Deo filium germanum, & αὐτόθεον adorare.* Cyrillum libro de sancta Trinitate, haud ita pridem edito à Ioanne VVegelino qui in eius Deitatem, quam postea dicit ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσι [illegible] *in tribus perfectis substantiis cognitā*: in eius inquam Deitatis attributis, siue perfectionibus numerat αὐτοφῶς, αὐτοαγαθότητα, αὐτοζωὴν, αὐτουσίαν. sufficerent tria. Nam quia φῶς, ἀγαθότης, ζωὴ, in Deitate idem sunt quod οὐσία, certe, qui αὐτοφῶς dicit, αὐτοαγαθότητα, αὐτοζωὴν, idem eo ipso αὐτουσίαν dicit: & tamen habemus ἐν ὀνόμασιν ipsissimam αὐτουσίαν, nostris Sophistis: imo nostris Sycophantis tantopere inuisam. Nam si ipsa θεότης, tribus personis communis, habet αὐτουσίαν, tum sanè non potest αὐτουσία esse peculiaris Patri: & si est communis personis, quid est, quominus Filius αὐτοθεὸν, Spiritus αὐτοθεὸν dicatur, æque ac Pater?

XXIII. Similes loci: Basilius secundo contra Eunomiū κατὰ [illegible] Χριστιανῶν [illegible] (τοῖς γε ὡς ἀληθῶς τῆς προσηγορίας ταύτης ἀξίοις) ὅτι τὸ φῶς ἐστι [illegible] ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς ἐκλάμψαντος, καὶ αὐτοζωὴ, καὶ αὐτοαγαθὸν ἐκ τῆς ζωοποιοῦ πηγῆς τῆς πατρικῆς ἀγαθότητος προελθόντα. *Communis omnibus pariter Christianis, qui vere hac appellatione digni sunt, opinio inest, quòd filius genita lux sit, ex ingenita luce resplendens, & per se ipsi vita, & per se ipse bonum, ex viuificante fonte paternæ bonitatis proueniens.* Gregorius Nyssenus in Catechesi maiore ἀνάγκη πᾶσα, τῆς ἁπλότητος ὁμολογουμένης, αὐτοζωὴν εἶναι τὸν λόγον οἴεσθαι, [illegible] ζωῆς μετουσίαν. *Omnino necesse est si concedatur simplicitas, verbum esse αὐτοζωὴν censeamus, non vitæ participationem*, Origenes contra Celsum libro tertio & sexto, vocat αὐτοσοφίαν, αὐτοαλήθειαν, αὐτοδικαιοσύνην, sed addit etiam αὐτολόγον, quod mihi sanè non videtur facile intelligendum. Sed Epiphanius nihil relinquit dubium; hæresi septuagesima septima ὁ θεὸς λόγος ἐν ἑαυτῷ ἔχων [illegible] τελειότητα αὐτοτελὴς [illegible] αὐτόθεος, [illegible] αὐτοδύναμις, αὐτοφῶς. En ubi αὐτόθεον Filium, quod in Caluino ferre nolunt noui Aristarchi. Damascenus de Orthod. fide libri 1. capite octauo, Deitatē vocat αὐτοφῶς, αὐτοαγαθότητα, αὐτοζωὴν, αὐτουσίαν. ὡς μὴ παρ' ἑτέρου τι εἶναι ἔχουσαν.

XXIV. Athanasius contra Gentes, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ τὰ πάντα γεγενῆσθαι, οἱ ἱεροὶ τούτου διδάσκουσι μαθηταί, καὶ ὅτι ἀγαθὸς ἐξ ἀγαθοῦ γέννημα, καὶ ἀληθινὸς Θεὸς ὑπάρχων, δύναμίς ἐστι τοῦ πατρὸς, καὶ σοφία, καὶ λόγος. *Per eum verò, & in eum omnia facta esse Sacrosancti illius discipuli docent, & esse bonum ex bono stirpem, & cum sit verus Deus, potentia patris est & sapientia, & sermo*, οὐ κατὰ μετοχὴν ταῦτα ὤν *sic tamen hæc est vt non sit per participationem.* οὐδ' ὥσπερ ἔξωθεν ἐπιγινομένων τούτων αὐτῷ. *aut ei extrinsecus hæc acciderint* κατὰ τῶν μετεχόντων, καὶ σοφιζομένοις δι' αὐτοῦ, καὶ δυνατοῖς, καὶ λογικοῖς ἐν αὐτῷ γινομένοις *instar eorū, qui participes, sapientesque facti sunt per eum, & potentes & rationales*, ἀλλ' αὐτοσοφία, αὐτολόγος, αὐτοδύναμις ἰδία τοῦ πατρὸς ἐστιν, αὐτοφῶς, αὐτοαλήθεια, αὐτοδικαιοσύνη, αὐτοαρετή. Eo similia nomina, atque æquipollentia: καὶ μὴν καὶ χαρακτὴρ, καὶ ἀπαύγασμα καὶ εἰκὼν, & nihilominus character, & iubar, & imago.

XXV. Quid? quod Gregorius de Valentia; & Papista & Iesuita, & Caluino infensissimus, hoc ipsum docet, quod Caluinus docuit? de Trinitate libri primi capite vigesimo secundo. *Respondemus filium, vt est persona, esse quidem ex alio: vt est autem illud vnum simplicissimum, quod est Pater & Filius, & Spiritus sanctus, non esse ex alio, & eatenus esse Deum & ens simpliciter primum.* Et rursus libri secundi capite decimo septimo. *Persona procedens, licet, vt persona est, sit ex alio, tamen, vt est illud vnum, quod est Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, non est ex alio, & eatenus est ens simpliciter primum ac verus Deus.* Gretserus Apologiæ tomo secundo libro quinto in Defensione capitis quinti. *Persona Christi, eiusque Diuina natura, tam est naturale rerum omnium dominum, quàm naturale est ei esse ens primum à se independens.*

* * *

CA-

CAP. VI.

De Argumentis contra Filij αὐτουσίας.

I. REprehêdunt nihilominus Papistæ in Caluino hanc formulam. Sed non omnes eodem modo. Nam Hayus, Sâctesius, Posseuinus, Richeomus, Genebrardus, Salmero, rem ipsam: at Bellarminus duntaxat phrasim, libri secundi de Christo capite decimonono. *Docet*, inquit, *Filium esse à se respectu essentiæ, non respectu personæ, & videtur dicere velle personam esse genitam à Patre, essentiam non esse genitam, nec productam, sed esse à seipsa; ita vt si à persona Filij remoueas relationem ad Patrem, sola restet essentia, quæ est à seipsa*, & post: *Quæ sententia nõ video cur Catholica dicenda non sit.* Quid igitur reliqui? Nimirum ἀμβλυώττοντες vt cæci, quos feruida bilis exercet, magnis ictibus neminem lædunt, & tamen, vt Papisticum κακόηθες noueris, idem Bellarminus, qui Caluini mentem probat vt Catholicam; tamen solum modum loquendi exagitat non minus seuerè, quàm reliqui rem ipsam. Quanquam poterat ab Nysseno didicisse libro contra Eunomium primo, *ἢ γὰρ αὐτοῦ ἔχοντος οὐσίαν τῶν ... συλλαβῶν ... τὰ ῥήματα extremæ dementiæ esse, eum, qui rem confitetur, aucupari vocula.* Examinabo eius argumenta prima: tum reliqua aliorum subiiciam.

II. Primum argumentum: Is modus loquendi pugnat cum verbo Dei. Ioannis quinto, *Pater dedit Filio vitam habere in semetipso.* & sexto, *Ego viuo propter patrem.* At si vitam dedit pater Filio, certè & essentiam: idem est enim Deo esse & viuere. Matthæi vndecimo, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: cur non & essentia? Ioan. septimo, *Ego scio eum, quia ab ipso sum.* Et octauo, *sicut docuit me pater, loquor: in mundo loquor ea quæ audiui à patre meo.* At non potest intelligi, quomodo pater tradiderit Filio intelligentiam, nisi tradendo essentiam.

III. Respondeo: non pugnare cum verbo Dei. Non enim possunt Scripturæ pugnare cum sententia Catholica: alioquin essent ipsæ non Catholicæ: quæ blasphemia tolerari nequit. Porrò accepit Filius à Patre vitam, sapientiam, essentiam, quæ tamen sit *αὐτοζωή, αὐτοσοφία, αὐτοουσία*. Accepit enim, quatenus persona Filij comparatur personæ patris, vt semper credidit Caluinus & docuit, tum à Scriptura doctus, tum à patribus confirmatus: sed quatenus absolutè hic ipse Filius consideratur tanquam Deus: tum à seipso est: quod contra Gentilem Caluinus disputauit, volens personam esse genitam à patre: essentiam non esse genitam: quam distinctionem Bellarminus probat; & rectè: cùm certum sit essentiam ad se dici, non per relationem, vt loquitur Augustinus: contra quam asserebant ij quos à Caluino refutatos oportuit. Itaque nunquam Caluinus dixit Filium esse *αὐτόθεον* sed tantùm addita hypothesi, secundùm essentiam, sine si non consideretur relatiuè. Quare nec Bellarminus hinc iustam habet caussam improbandæ formulæ: quia hoc argumentum impetit eos, qui Filium, qua Filium, id est, relatiuè consideratum, dicerent esse *αὐτόθεον*. At non eos, qui Filium, quoad essentiam, id est, abstractum ab ea relatione, quam habet ad patrem, dicũt esse *αὐτόθεον*. Neque ij etiam, qui rem improbant, habent, quo insultent Caluino; posita distinctione essentiæ, & personæ, quam negare nullus potest, Bellarminus autem probat.

IV. Secundum argumentum: Ab auctoritate Veterum. Nam Concilium Nicænum definiuit, *Deum de Deo, lumen de lumine*: & id ipsum omnia Concilia deinceps probauerunt: sed & patres. Quinetiam Iustinus, initio libri de recta fidei confessione, *Pater innascibiliter habet essentiam; Filius nascibiliter.* Hilarius initio libri quarti de Trinitate, *Nihil nisi natum habet Filius*: id est, omnia habet propter natiuitatem. Augustinus tractatu trigesimo primo in Ioannem, Quicquid est Filius, de illo est, cuius est Filius: ideò Dominum Iesum dicimus Deum de Deo, lumen de lumine.

V. Respondeo, Nihil hinc sequi contra Caluinum. Nam illud *Deus de Deo, lumen de lumine*, significat Filium, id est, secundam personam Trinitatis, quæ quoad essentiam Deus est & lumen, esse à Patre, id est, à persona prima, quæ quod ad essentiam Deus est & lumen. Nam alioquin constat & Patrem, & Filium, & Spiritum dici Deum & lumen ad se, non relatiuè. Nam si essent singuli relatiuè Deus, omnino nihil efficere posset, vt non essent tres Dij; quomodo tres personæ. Quod si non relatiuè: ergo ad se: & si ad se, ergo à se. Nam si non à se, ergo ab alio, ac proinde relatè. Nam relationes sunt filiatio, & processio.

VI. Itaque Lombardus hanc ipsam formulam molliuit, ea interpretatione: Filium habere essentiam nascibiliter: laudo dictum: sed scio, essentiam neque generare, neque generari: alioquin necessariò multiplicandam: nam generare, est multiplicare: vt apparet in personis. Nam, quia patris persona genuit personam Filij, ideò duæ sunt personæ, non vna. Filium nihil habere nisi natum, quum dixit Hilarius, torsit olim Lombardum libri primi distinctione quinta: qui respondens dixit, ipsum Hilarium velle sua verba sane intelligi. Non est ergo quod nos quisquam solo verborum sonitu petat. Sensus autem quisnam erit? Lombardus, *Nihil habet secundum quod Deus est, nisi quod nascendo accepit: & ipso nascendo Patris in se subsistentẽ naturã habuit.* obscurè. Ego clariùs, ex Athanasio, Filius, quicquid habet, nascibiliter habet; nec tamen natum; vt prius de essentia dictum. Nec Augustinus aliter intelligendus.

VII. Tertium argumentum, si Pater communicauit essentiã Filio; ergo non potest vere dici Filium habere à se essentiam. Item, si Pater produxit Filium, non potest negari essentiam, & vitam in Filio esse à Patre. At verum antecedens, ipso asserente Caluino; Institutionis libri primi capite decimo tertio, paragrapho vigesimo tertio; & vigesimo quinto.

VIII. Respondeo: Ergo constat meros esse Sycophantas, primò, Hayum, qui dicit Caluinum negare, Filium sumere essentiam suam à Patre. Secundò, Sanctesium, qui asserit nihil suæ essentiæ sumere: Tertiò, Richeomum; qui singulas personas suam essentiam habere. Isti, inquam, puri puti Sycophantæ sunt. Nam teste Bellarmino, Caluinus asserit Patrem Filio communicasse suam essentiam. Et sane non tantùm iis locis, qui è Bellarmino citantur; sed etiam in Catechismo, ad symboli verba, Filium vnicum. *Quod filij Dei sumus, inquit, non id habemus à natura; sed adoptione, & gratia duntaxat: quòd scilicet nos eo loco habeat Deus. At Dominus Iesus, qui ex substantia*

Patris est genitus, vniusque cum Patre essentiæ est, optimo iure Filius Dei vnicus vocatur.

IX. Secundò, in argumento nihil difficile. Filius enim habet à Patre communicatam essentiam: sed illam eandem numero essentiam: non enim diuersam, ac proinde quæ sit à seipsa; non ab alia: illa, inquam, quæ est αὐτοούσιος, ideóque αὐτόθεος. Nam Filium esse de essentia Patris genitum ita explicatur, cùm à Lombardo, tum à reliquis Scholasticis, vt significet generationem simul, & consubstantialitatem. Hoc est, vt declarat Petrus de Alliaco, articulo primo quæstionis septimæ in primum Sententiarum; de Patre, qui est Filio consubstantialis, siue de Patre, in quo est substantia Filij. Quinetiam illud Augustini ex decimo quinto de Trinitate. *Dicitur Filius consilium de consilio, & voluntas de voluntate, siue substantia de substantia, sapientia de sapientia.* Lombardus exponit, Filius, qui est sapientia, qui est substantia, est de Patre, qui est eadem substantia, eadem sapientia, vt Filius, qui est Diuinitas, natus est de Patre, qui est natura Diuina. Hactenus argumenta ex Bellarmino. Iam ex Sanctesio.

X. Quartum argumentum: Si est in potestate Patris generare Filium ex sua essentia: ergo Pater Filium generauit ex sua essentia. At prius verum: alioqnin negatur Omnipotentia. Tum autem Esaiæ sexagesimo sexto. *Nunquid ego, qui alios parere faciam, ipse non pariam?* Ergo consequens est verum.

XI. Respondeo: Primò, consequentiam non esse necessariam, quia ipsi papistæ, vt postea videbimus, concedunt Deum multa posse, quę tamen nec fecerit, nec faciet, nec facturus sit vnquã: sic potuit creare infinitos mundos, nec tamen creauit: potuit omnes homines damnare, nec tamẽ damnauit: potuit Sanctesio dare mentem sanam, nec tamen dedit. Quid igitur? nempe omnipotentia nunquam est in argumentum trahenda, nisi prius constet de voluntate.

XII. Secundò, distinguo illud, generare Filiũ ex sua essentia, vt sit, vel dare Filio suam essentiam, quæ est à se, non ab vlla alia essentia: vel dare Filio substantiam genitam à substantia Patris. Illo sensu concedo totum syllogismum: id est, & Patrem potuisse sic generare Filium ex sua essentia: & Patrẽ sic re ipsa generasse Filium ex sua essentia. Atque id Caluinũ dicere antè demonstratũ. At secundo sensu, negatur antecedens, ac proinde etiam cõsequens. Nã Lombardus, distinctione quinta libri primi, *Catholicis tractatoribus consentientes dicimus, quòd nec Pater genuit Diuinam essentiam, nec Diuina essentia genuit essentiam Diuinam. Hic autem nomine essentiæ intelligimus Diuinã naturam, quæ communis est tribus personis, & tota in singulis.* Quæ sententia Lombardi confirmata est in concilio Lateranensi, sub Innocentio tertio.

XIII. Ad instantiã de Omnipotentia; nego quicquam propterea detrahi omnipotentiæ Diuinæ, nõ magis, quam cùm dicitur Deus Pater non posse generare alium Deum, siue non posse generare seipsũ. Nam essentia Deitatis hoc habet proprissimũ, vt sit à se ipsa. Itaq; si Filij, quâ Deus est, essentia non esset à seipsa; omnino Filius, quâ Deus est, nõ esset Deus: quæ est absurda implicatio contradictionis. Ad Esaiam dico, Patrẽ peperisse, siue genuisse: at nõ essentiam suam, sed Filium de essentia sua, vt diximus.

XIV. Quintũ argumentum, si Filius est veri Dei verus Filius, necesse est eum habere essentiam atque naturam veri Dei, vt sit eius Filius: & præterea, vt eã à vero Deo acceperit. Quia nõ omnis, qui cũ altero eandem habet naturam, verè est eius filius.

XV. Respondeo, concedi vniuersum argumentum: non enim disputari, verum Filius habeat essentiam à Patre: sed verum genitam ab alio essentia. At hoc non sequitur ex illo. Enimuerò Iesus Christus est non tantùm Filius, sed etiam ὁμοούσιος Patri. Omnis filius habet à Patre suam essentiã; & hoc certum est axioma. Itaq; Iesus Christus, quâ Filius, est verus veri Patris, habet essentiam suam à Patre: sed quâ idem est Patri suo ὁμοούσιος, habet eandem numero essentiam cum suo Patre: ac proinde habet à Patre essentiam, quæ à seipsa habet vt sit essentia. Sanctesius solam generationem, id est, relationem ad Patrem, viget, quæ non controuertitur inter nos: imò ne à Gentili quidem negabatur. At Caluinus τὸ ὁμοούσιον vrgebat, quod Gentilis negabat: & eò negabat, quòd Filij essentiam aliam ab essentia Patris diceret, deductam tamen ab ea. Itaque Caluinus αὐτόθεον Filium dixit eodem consilio; quo olim Patres ὁμοούσιον.

XVI. Sextum argumentum. Ad id, vt quid sit imago, & splendor luminis, duo sunt necessaria: alterum, vt similitudinem habeat cum archetypo & lumine, quorum respectu vocatur Imago & splẽdor: alterum, vt hæc similitudo dependeat, atque exprimatur ab archetypo, eóque lumine.

XVII. Respõdeo: Nihil certius ea doctrina, sed meminisse debuit Sanctesius, Filium non tantùm esse imaginem, sed etiam ἀπαράλλακτον: nec tantùm ὅμοιον, sed etiam ὁμοούσιον. Itaque, quia imago est Filius Patris, sine dubio habet similitudinem cum archetypo: imò verò ab archetypo: sed quia est ἀπαράλλακτος & ὁμοούσιος, ideò non tantùm similitudinem, sed etiam substantiam eandem siue essentiam: hæc autem essentia non potest non esse à seipsa; etiamsi habeatur à Patre.

XVIII. Septimum argumentum: Ipse Dominus testatur se habere à Patre suum esse: Ergo & essentiam. Quia in Deo esse & essentia non differunt. Antecedens probatur Ioannis decimo sexto. *Prodij*, siue, *exiui à Patre.* Ex decimo septimo: *Cognouerunt verè quia à te exiui.*

XXIX. Solutio nulla est noua. Nam & nos fatemur Filium esse à patre: imò non nos tantùm: sed quicumque verè filiũ dicunt, sed hoc interest, quomodo sit à patre: an, quomodo Abel ab Adamo; multiplicata non persona tantùm, sed etiam substãtia: nos multiplicationem admittimus tantùm personæ: essentiam vnam numero defendimus.

Cap. VII.

Imaginis & Verbi vocabula in Trinitate esse tropica.

I. Qvinta calumnia recentissima est, auctore Iacobo Gantiero, quocum mihi res fuit de Imaginibus & Idolis, anno primo huius seculi. Thesis erat, Æquè imagines & idola prohiberi, secundo legis mandato. Ille obuciebat Filium imaginem Patris, cuius adoratio non sit prohibita. Itaque non æque imaginum ac idolorũ prohiberi cultum. Respondi, Agere Thesin de Imaginibus, vocabulo propriè sumpto, non metaphoricè.

Hinc

Hæc prolixè, animosèque disputatio continuata, vtrum Filius Dei imago dicatur propriè. Et alia incidens non dissimilis: vtrum idem Verbum propriè dicatur. Nec erat tanti, vt nunc meminissem, nisi vidissem publicatam ab eo homuncione Chronographum, id est, ridiculam ineptámque rerum farraginem, in qua caput est dicatum nouæ hæreti Metaphorastarum. Quorum Archihæreticus Daniel Chamerus: Nouū scilicet Arium repræsentaturus, eique oppositum nouum Athanasium, sed Athanasium ex ordine Iesuitico: magno præiudicio, vix enim quicquam sanum agit genus hoc hominum: atque non tantùm in scirpo nodum, quod Sophistæ solent: sed etiam optimos quosque rodere, quod Sycophantis solenne est. Qui mores longissimè absunt à candore Athanasij: nec minùs ego, quæ Dei gratia est, ab impietate Ariana. Veruntamen easdem quæstiones tractat etiam Suares de Trinitate libri noni capitibus secundo, & octauo.

II. Quæstio hoc modo intelligi debet. Filium Dei appellari imaginem manifestū est ex ipsa Scriptura. Nam Paulus ad Colossenses primo, *Qui est imago Dei inuisibilis*. Sed appellari Verbum ex Scripturis nō adeò certum. Græcè quidem Ioannes τὸν λόγον appellauit, tum primo capite Euāgelij, tum in prima epistola. Latini verbum reddidere: quod mirantur nonnulli: Nam certè ὁ λόγος Græcè nō respondet Latino Verbum: sed potius, vel sermoni, vel rationi. Mihi tamen perinde est: nunc quidem. Nam aliàs si quicquam intersit, tum videro. Illud certum apud Latinos Theologos celeberrimum esse Verbum, pro secunda persona Trinitatis: & quidem magis quàm Imaginem.

III. De vtróque hoc vocabulo quæritur vtrum sit propriè vsurpatum: sed hæc tamen varia distinctione indiget. Primò, illud propriè, vt Suares obseruat, & ego Gautierum admonebam, opponi potest τῷ τροπικῷ in Rhetorica: & τῷ κυρίῳ in Dialectica. Hoc modo sensus esset, Vtrum Filius dicatur Verbum & Imago Patris, nomine proprio, id est, ad distinctionem reliquarum personarū: sic vt ipse solus sit Verbum; an verò Pater etiam Verbū; Spiritus Verbum: & hoc sensu palam profitemur propriè Filium vocari Verbum, vocari etiam imaginem Patris. Non enim inuenimus Scripturam iisdem nominibus alias personas significare eiusdem Trinitatis. Etsi, teste Iansenio, Basilius æque Verbi nomen communicet Spiritui, ac Paracleti Filio. Et in confessione Gregorij Neocæsariensis legamus de Spiritu, εἰκὼν τοῦ υἱοῦ τελεία *Imago filij perfecti perfecta*. Sed hæc rara sunt. Itaque quæstio erit in priori acceptione, vtrum Imago, & Verbum, dicantur de Filio Dei propriè, an potius τροπικῶς.

IIII. Secundò, cùm quæritur vtrum imago Patris, aut Verbum Patris, dicatur propriè, an verò Metaphoricè; dupliciter hoc rursus intelligi potest. Primò, de toto complexo, Imago Patris, Verbum Patris: secundò, de solis terminis, Imago & Verbum. Primo modo, sensus erit, vtrum ea proprietas, quæ significatur per Imaginem Patris, & Verbum Patris, dicatur de Filio Dei propriè, an verò tropicè. Altero autem; vtrum ea proprietas per quam Filius dicitur Imago Patris; & Verbum Patris, significetur per Imaginem, & Verbum: sic vt hæc ipsa vocabula Imaginis, & Verbi propriè sumantur, & absque vllo tropo. Nam distinguenda sunt hæc. Quemadmodum enim Filij Dei per gratiam propriè & dicūtur & sunt fideles omnes, quibus filiorū nomen toto animo tropicè intelligatur, sumptū ab iis, quos quia genuimus, impensè amamus, sic potest fieri, vt id quod per complexum aliquod significatur, propriè intelligatur: quanquam in eo cōplexo aliquod vocabulū sit vsurpatum τροπικῶς. Exempla dari, præter illud, infinita possunt; in Baptismo, in Cœna, in Ecclesia, in aliis. Ergo, ad quæstionem, si complexum intelligatur, téstq; per id significata, omnino propriè, & absq; tropo dicitur, Filium Dei esse imaginem Patris: esse Verbum patris. Nam si non esset, Ergo oporteret quippiā aliud ab eo Filio esse, & appellari propriè, & absque tropo, Imaginem patris, Verbum Patris: vt ab eo per similitudinem quandem id complexum mutuatum transferretur ad Filium Dei. At illud nusquā est: cùm ergo non possit esse translatum: de Filio dici tropicè non potest.

V. Quæstio ergo superest, vtrum in eo complexo, Imago Patris, Verbum Patris, quod de Dei Filio dicitur propriè, nō tantùm Dialecticè, sed etiam Rhetoricè: vocabula illa Imaginis, & Verbi dicantur propriè Rhetoricè: an potius tropicè. Propriè dici Gautierus asserebat: asserit etiā Suares: ego tropicè. Et explico duplicem tropū in Verbo: primò, Metonymiā, quatenus Verbū sumitur pro cōceptu mentis: siue λόγῳ ἐνδιαθέτῳ, cuius signū est verbū, siue λόγος προφορικός. Secundò, Metaphoram, quatenus verbū, ab ea Metonymia, quæ solet in hominibus significare conceptum mentis, transfertur ad significandum Filium Dei, procedētem ex patris intellectu. In Imagine autem Metaphoram, quatenus quomodo Imagines similes sunt prototypis; Ita filius patri sit similis, sed ἀπαραλλάκτως, quod nulli Imagini propriè dictæ accedit.

VI. Probo tropum: Omne vocabulum translatū à propria significatione ad aliam, est tropicum. At imago & Verbum, cùm dicuntur de Filio Dei, transferūtur à propria significatione ad aliā. Ergo, Imago, & Verbum, cùm dicuntur de Filio Dei, sunt vocabula tropica. Probatur assumptum. Nam propositū est extra controuersiā. Si non transferuntur; Ergo manēt in propria significatione: At hoc falsū: ergo & illud. Probatur assumptū, Quęcumque vocabula propriè significāt: ea vel ἰδίως, vel συνωνύμως significant. At hęc verba, Imago, & Verbum, in Trinitate, neque ἰδίως significāt, neque συνωνύμως: Ergo, non significāt propriè. Probatur assumptum per partes. Imago & Verbum non significant Filium Dei ἰδίως: Id manifestum per se: Nam si ita, ergo significarent tantùm Filium Dei, & nihil aliud, saltem sine tropo. Quomodo Deus ἰδίως est nomen essentiæ infinitæ. Quia nihil est, quod isto nomine significetur proprie, præter eā: Nam qui vocantur dij præter eam, vel falsò vocantur, vt apud Ethnicos: vel tropice, vt in Scriptura Angeli & iudices, siue principes. At certum, non Filium Dei solum vocari Imaginem, aut Verbū: Et quæ præter eum vocantur iis nominibus, non vocari tropice, sed proprie, vt verba, singula vocabula, quib⁹ aliquid significamus certò quodā sono: & imagines quęcunque, aut fictæ, aut pictæ, aut cælatæ, similes sunt prototypo.

VII. Superesset ergo, vt συνωνύμως Imago & Verbum significarent proprie Filium Dei: at hoc non. Nam quæcumque significantur proprie ab aliquo vocabulo συνωνύμως, eorum omnium eandem oportet esse definitionem, ac proinde naturam. At Imaginis Diuinæ, & Verbi Diuini, non potest esse eadem definitio, eadémve natura cum Imaginibus aliis; aliísque verbis: Ergo

Imago Diuina; verbúmne Diuinum, & imagines A creatæ, verbáne creata, non significantur propriè συνωνύμως eodem imaginis, vel bíve vocabulo. Maior patet inductione. Quia Petrus, Paulus, Ioannes, appellantur propriè homines συνωνύμως, quia iis singulis definitio hominis competit. Item Pater, Filius, Spiritus, appellantur Deus propriè; quia quicquid est de natura Dei, singulis illis personis aptatur. Nam alioquin non possent ita appellari, vt quia homo est animal rationale. Si Petrus non sit animal rationale, ergo Petrus non erit homo. Et si B Deus est essentia infinita. Filius autem non esset essentia infinita. Ergo Filius non esset Deus. Itaque Aristot. les Συνώνυμα λέγεται ὧν τό τε ὄνομα κοινὸν καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός. *Synonyma dicitur quorum & nomen commune, & secundum id nomen definitio eadem.*

VIII. Probatur ergo assumptio: Quæcumq; eiusdē sunt definitionis, ea sunt eiusdē generis, & verbi, At imago Dei & Verbum Dei non sunt eiusdem generis cum imaginibus & verbis: Ergo non sunt eiusdem definitionis. Assumptum probatur: Quæcum- C que sunt eiusdem generis, ea sunt sub eodem prædicamento. At verbum Dei, imago Dei cum verbis & imaginibus, non sunt sub eodem prædicamento. Ergo imago Dei & verbum Dei, cum imaginibus, & verbis non sunt eiusdem generis. Propositio manifesta est. Assumptum patet, quia imago Dei, verbum Dei, sunt substantiæ. At imagines, & verba sunt accidentia.

VIIII. Rursus probo nō esse eiusdē definitionis. D Nā si cōtrà: Ergo vel definitio imaginis, & verbi cōueniet imagini Dei, & verbo Dei: vel definitio imaginis Dei, & verbi Dei conueniet imagini & verbo. At posterius vtrumque falsum. Ergo non sunt eiusdem definitionis. Propositio est necessaria: iam assumptum per partes, εἰκὼν ἐστὶν ἡ ἡ φύσις διὰ μιμήσεως. *Imago est, quæ fit per imitationem.* Ita Aristoteles secundo capite sexti topicorum definit; at Filius non fit per imitationem. Ergo definitio imaginis non conuenit Filio Dei.

X. Gautierus contradicit assumpto, nimirum E Filium non fieri per imitationem. Ego probo: quia neque γένεσις, neque μίμησις, propriè dici possunt de Filio. Ille negabat: Ego probo per partes. Et priùs de Genesi. Primò, Aristoteles eodem capite eiusdem libri topicorum, ἡ γένεσις ἀγωγὴ εἰς οὐσίαν, *Genesis est deductio ad substantiam.* At in Filio nulla est deductio ad substantiam: Ergo in Filio Dei nulla est genesis propriè dicta. Assumptum rursus Gautierus negat. Nam generationem Filij Dei esse verè viam ad esse. At primò viam, siue ἀγωγὴν ipse Aristoteles agnoscit γένεσιν dici: Malè ergo Gautierus propriè. sed secundò οὐσία plus habet momenti. Etenim non simpliciter esse τὸ ὂν, sed est essentia siue substantia: At essentiam in Deo esse ἄναρχον καὶ ἀγένητον, iam antè à nobis disputatum definitúmque est: Et consentiunt Scholastici essentiam nec generare, nec generari.

XI. Secundò, γένεσις est temporalis generatio: At in Filio nulla est generatio tēporalis: ergo nulla genesis: Gautierus negat maiorem. Probo ex capite geneseos secundo αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως οὐρανοῦ καὶ γῆς ὅτε ἐγένετο. *Hic liber generationis cæli & terræ quando facta sunt.* Vbi Hebraicè est בהבראם: Latinè, quādo creata sunt, Græcè ἐγένετο. Et in primo capite eiusdem verbi vsus est ad significandum singularum mundi partium initium γενηθήτω φῶς, καὶ ἐγένετο φῶς. Latinè *fiat lux, & facta est lux:* καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωΐ. *Et factum est vespere, & factum est mane,* & sic deinceps: & Ioannes primo, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Quinetiam γένεσιν vsurpatur Matthæi primo pro Filij Dei generatione tēporali ex Maria, βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Liber generationis Iesu Christi.*

XII. Gautierus respondet id verum esse: at non perpetuum. At ego postulo duo: Primum, darin stantiam, quæ ostendat γένεσιν sumi non temporaliter. Alterum, vt mihi ostendatur Catholicus aliquis auctor, qui scribens de æterna Filij generatione, γένεσιν vsurparit. Tum addo Aristoteli nullam fuisse cognitam ἀγωγὴν εἰς οὐσίαν ab æterno. Ad secundum Gautierus est omnino mutus, nec potuit vllum locum inuenire, in quo Græcus vllus author Catholicus γένεσιν dixerit pro generatione æterna filij. Ad primum obiecit Aristotelem ex primo secundi Physicorum γένεσιν dicentem esse ὁδὸν εἰς φύσιν. Ad tertium obiecit, Aristotelem credidisse mundum æternum; & tamen Deum primā causam omnium, ex octauo & duodecimo Metaphysicorum; vbi eum vocat primum motorem.

XIII. At prior locus ex Aristotele falsatus est. Ita enim legitur, ἡ φύσις ἡ λεγομένη ὡς γένεσις ὁδός ἐστιν εἰς φύσιν. *Natura, quæ dicitur vt Genesis, est via ad naturam.* Debuit ergo non genesin, sed naturam, quæ genesis est. At nos de genesi agimus. Deinde, quid hîc emolumenti est. Nam in Diuinis natura & substantia, idem. Nec enim quisquam dixit vnquam personas in Trinitate differre natura; nemo, inquam, dixit naturam Dei esse propagatam: Itaque tam non est in Trinitate via ad naturam; quàm via ad essentiam.

XIV. In altero loco de æternitate mundi, quid mirer? Imperitiámne an audaciam? Nam certè alterutrum. Ille viderit. Aristotelis hæc verba sunt ex decimo capite primi de cœlo, τὸ μὲν οὖν γενέσθαι μὲν φάσκειν, ἀΐδιον δ' ὅμως εἶναι φάσκειν τῶν ἀδυνάτων. Quis non videt Aristoteli pro certo constare non posse vllam genesin esse æternam? non potest quantum, quantum est sophisticæ in Iesuitis hunc locum eludere. Ad instantiam ergo de mundo ex eodem loco facilis responsio: credidisse Aristotelem mundum esse non genitum, eo ipso quod credidit æternum: Atque adeo ea est controuersia, quam ille diligenter tractat eo capite. Status quæstionis, λέγωμεν μὲ πότερον ἀγένητος ἢ γενητὸς, καὶ ἄφθαρτος ἢ φθαρτός. *Dicamus deinceps vtrum ingenitus sit an genitus, corruptibilis an incorruptibilis.* Et dein postquam toto eo libro disputatum est, concluditur initio secundi libri F ὅτι μὲν οὖν οὔτε γέγονεν ὁ πᾶς οὐρανός, οὔτε ἐνδέχεται φθαρῆναι, καθάπερ φασί τινες αὐτόν, ἀλλ' ἐστὶν εἷς καὶ ἀΐδιος, ἀρχὴν μὲν καὶ τελευτὴν οὐκ ἔχων τοῦ παντὸς αἰῶνος, ἔχων δὲ καὶ περιέχων ἐν ἑαυτῷ τὸν ἄπειρον χρόνον, ἔκ τε τῶν εἰρημένων ἔξεστι λαβεῖν τὴν πίστιν, καὶ διὰ τῆς δόξης τῆς παρὰ τῶν ἄλλως λεγόντων καὶ γεννώντων αὐτόν. *Ergo, neque totum cælum factum esse: neque posse corrumpi, vt quidam dicunt, sed esse vnum æternum, neque initium, neque finem habens totius durationis: Habens nihilominus, & continens in se infinitum tempus: probatur cùm ex præcedentibus, tum ex opinione eorum, qui aliter dicunt, cùmque genitum con-* G *fent.* Itaque, quod alicubi Deum dicit esse caussam omnium, vt primi Metaphysicorum tertio, non videtur simpliciter intelligendum, sed eorum, quorum aliquod est principium siue caussa.

XV. Hactenus περὶ τῆς γενέσεως. Nunc dicendum est περὶ τῆς μιμήσεως. Nam & hanc Gautierus Filio tribuebat. Nempe, quia per eam intelligeret similitudinem. Et addebat auctoritatem

Au-

[illegible] de Trinitate libro septimo, capite tertio. [illegible] iam Filium vocauit imaginem, addit, [illegible] neminem imitari qui præcedat Patrem æter-[illegible] quibus verbis, aiebat, constat Filium imitari Patrem.

XVI. At ego μίμησιν nego propriè dici posse de generatione Filij. Nam Plato in Sophista μίμησιν, dicit esse ποίησιν τῶν εἰδώλων, *Effectionem idolorum*. At neque Gautierus concedit idolum propriè dici de Filio, qui tam sollicite disparabat idolum ab imagine. Nec erit vnquam tam vafer Sophista, vt Catholicis persuadeat generationem Filij esse ποίησιν, quocunque tandem sese verset. Nam quod negabat hoc Platonis dictum vtile esse: quia ex eo concludendum esset omnes homines esse idola: quia fiant ad imitationem, & similitudinem patrum, non vidit Sophista se ridiculè respondere. Primò, quia falsò sumit homines fieri ad imitationem patrum suorum. Ad similitudinem fieri, dixit Augustinus: ad imitationem non dixit. Secundò, etiamsi homines fierent ad imitationem patrum, & essent idola suorum patrum; tamen id de Christo diceretur, non nisi absurdissimè: Nam homines sic fiunt ad similitudinem patrum, vt sint tamen essentiæ multiplicatæ: ac proinde non sunt ἀπεικάσματα. Itaque aliquatenus accedunt ad idola, quæ etsi similia sint, tamen nō assentit Gautierus esse ἀπεικάσματα. Tertiò, Sophista respondet tantùm de idolo: tacet de μιμήσεως effectione. At nihil est absurdum, si quis hominem dicat effici generando: quod de Filio Dei blasphemum est. Itaque μίμησις, vel quia est ποίησις, vel quia est ποίησις εἰδώλων, dici non potest de Filio Dei, ac proinde, neque imago propriè.

XVII. Quod ait à se μίμησιν, intelligi similitudinem, ludit ineptè, & sophismate, quod Aristoteles appellat [illegible], cùm nouo more vocabulis quis vtitur. Nam certè μίμησις, non significat simpliciter similitudinem. Quod si ita licet: cur non Filius dicatur idolum? Nam certe idolum æque similitudinem significat. Nimirum, quia non similitudinem simpliciter: sed aliquid præter eam significat, quod Filio Dei non possit tribui. At ego similiter dico, μίμησιν præter similitudinem aliquid connotare, quòd Filio si quis tribuat, blasphemus sit, nempe ποίησιν. Quid ergo? nempe dedit manus Sophista. Nam qui protestatur se μίμησιν, intelligere similitudinem, idem eo ipso ostendit, se non propriè id vocabuli vsurpare. Quomodo, si quis dicat atram niuem, quia atrum appellet idem, quod reliqui candidum. Sed hæc [illegible], tam indigna est viris cordatis, quàm Sophistis digna. Quanquam non aliter Thomas prima parte, quæstione trigesima quinta, articulo primo, *Imitatio in personis diuinis non significat posteritatem, sed solam assimilationem*. Ea dissimili tamen cautela, non enim vtile proprietatem vocabuli vrgebat oppositam tempo, vt meus Sophista [illegible].

XVIII. Augustini locum, respondeo sic habere, *Cum imaginis exemplo, & nos imago dicendamur à Deo, quia & nos Imago Dei fuimus. Non quidem æqualis. facta quippe à Patre per Filium, non nata de Patre sicut illa: & nos, quia illuminamur lumine illa vero, quia lumen illuminans: ideo illa sine exemplo, nobis exemplum est. Neque enim imitatur præcedentem aliquem ad Patrem, à quo nunquam est omnino separabilis, quia idipsum est, quod ille de quo est*. Primum igitur non sincerè Gautierus recitauit: non enim idem est, neminem præcedentem Patrem, & neminem præcedentem ad Patrem: illud significaret Patrem non esse inter Filium & alium quempiam: At hoc quod Augustinus dixit, significat neminem esse inter Patrem & Filium. Secundò, consequentia est absurda: neminem imitatur ad Patrem, ergo imitatur Patrem. Quis dixisset præter Sophistā τινὰ τὰ μὴ ὄντα [illegible]? Tertiò, non sequitur, imitatur Patrem: ergo imitatur propriè, & non metaphoricè: & hæc quæstio est.

XIX. Ostensum est, definitionem imaginis non conuenire Imagini Dei. Nunc de Verbo. Et verbum quidem respondet Græco ῥῆμα: neque potest, nisi abusiuè λόγον significare. Quia tamen Ioannes λόγον dixit, Latini Verbum maluerunt. Dicam de vtroque: etsi de illo non est necesse: quia Sophistæ vrgent tantùm Verbum λόγον, igitur Aristoteles definiuit, φωνὴν σημαντικὴν, ἧς τῶν μερῶν τι σημαντικόν ἐστι κεχωρισμένον, *Vocem significatiuam, cuius partes separatim significant*, quarto capite περὶ ἑρμηνείας. Plato in Cratylo definiuit, [illegible] Eget-ne quis prolixiori disputatione, vt doceatur hæc nullo modo dici de Christo? Nam quod quidem de interiori loquuntur, idem Plato in Sophista, Διάνοια μὲν καὶ λόγος ταὐτόν· πλὴν ὁ μὲν ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὑτὴν διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος τοῦτ' αὐτὸ ἡμῖν ἐπωνομάσθη διάνοια· τὸ δὲ γ' ἀπ' ἐκείνης ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου κέκληται λόγος. Idem est, διάνοια & λόγος, *Nisi quod ratiocinatio interior animæ ad seipsum sine sono à nobis appellatur διάνοια, Id autem quod ab ea fluit per os, cum sono vocatur, λόγος*, vnde conficio internam illam impropriè vocari λόγον. Deinde τοῦ λόγου propriè sumpti definitionem Platonicam non posse conuenire Filio Dei.

XX. Iam τὸ ῥῆμα nihil habet difficilius. Piget admonere distingui ὀνόματι καὶ ῥήματι, sed hoc misso, vel sumendum erit pro oratione, vt solet in Scripturis Sanctis: ac tum idem iudicium, quod de λόγῳ, vel significabit partes orationis, omnes generali nomine, ac proinde aptanda erit hæc pars definitionis quam Aristoteles nomini tribuit, φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον, *Vox significatiua ex compacto, cuius nulla pars seorsim significat*. Quid ista ad Filium Dei?

XXI. Sed fortean Latinè Verbum aliter quî potest? Non enim significaret, aut λόγον aut ῥῆμα, contra hypostasin. At non aliter auctores vtuntur Latini. Certè Varro vocabula & verba eadem notione dicit. Quanquam non opus est testibus. Augustinus capite secundo libri primi de Doctrina Christiana, *Sunt autem alia signa, quorum omnis vsus in significando est, sicut sunt verba. Nemo enim vtitur verbis, nisi aliquid significandi gratia*. Nota verborum omnem vsum esse in significando. Itaque libri secundi, capite decimo: signa absolutè pro verbis dixit, *Sunt autem*, inquit, *signa propria, vel translata*. Ergo verbi genus est signum. Vasques tomo tertio in tertiam Thomæ, disputationis ducentesimæ capite secundo, Augustinus, *Verbum in propria significatione accepit, nempe pro voce aliquid significante*. En tibi quid sit verbum propriè? At profectò Filius non est vox significans.

XXII. Ad Augustinum respondet Gautierus, nō loqui de conceptu interiori, sed de verbo exteriori. Illi autē Verbi magis cōpetere nomē: teste Augustino, decimo quinto de Trinitate capite vndecimo,

Proinde verbum quod foris sonat, signum est verbi quod intus latet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est, verbúmque & ipsum dicitur propter illud à quo, vt foris appareret, assumptum est.

XXIII. Et verum est, inquam, Augustinum agere de verbo exteriori. Sed addo nullũ esse verbũ propriè dictum, & non tropicè, præter verbum exterius. Argumenta. Primùm, quia vt idem docet capite decimo, secundi de doctrina Christiana, signa propria dicuntur, cùm his rebus significandis adhibentur propter quas sũt instituta, sicut cùm dicimus bouẽ, intelligimus pecus, quod omnes nobiscum Latinæ linguæ homines hoc nomine vocant. At verbũ institutum est, vt significet id, quod appellant verbum exterius. Ergo verbum, cũ adhibetur significando verbo exteriori, est propriũ, non translatum. Probo assumptum: quia, sicut probauit Augustinus, bouem pro eo pecore esse proprium, quia omnes Latinæ linguæ homines id intelligunt. Sic Verbum etiam probabitur esse proprium pro exteriori, quia omnes Latinæ linguæ homines ita intelligunt. At de interiori, pauci tantùm, nempe Philosophi. Probo iterum verbũ propriè significare exterius, quia ea cõplectitur, quæ ex compacto significant: At verbum interius non significat ex compacto. Probatur assumptum, quia est formata cogitatio à re quam scimus, nulla linguarum varietate, vt idem docet capite decimo eiusdem libri de Trinitate. At nihil vsitatius inter homines, quàm verba Latina, verba Hebræa, verba Græca. Probo tertiò, ex ipsa phrasi Augustini. Nã cũ verba dicit pro exterioribus, simpliciter nominat, vt videre est in libris de doctrina Christiana, & alibi. At cũ vsurpat pro interiori, necesse habet quadam nota exprimere, *Verbum quod in corde loquimur*. Itaque definitio illa Augustini est definitio verbi propriè sumpti, & non translatè.

XXIV. Quod autẽ idẽ dicit verbo interiori magis competere verbi nomẽ: hoc si κατὰ τὸ ῥητὸν sumatur, procul dubio falsum est; ex iam propositis argumẽtis. Et reuocandus in memoriam Plato, cui in rebus non Theologicis, multò magis tribuendum est quã Augustino. Nam ille dixit interiorem illum mentis conceptum vocari διάνοιαν & τὸ ἀπ' ἐκείνης ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου appellari λόγον. At certè non tantùm in hac quæstione λόγον verterunt verbum; sed etiam nemo vnquam κατὰ πόδας cùm διάνοιαν expressam voluit, verbum dixit. Deinde ipse Augustinus non daret proprium nomen verbo exteriori. Nam quod dicit esse vocem verbi interioris, vidẽt omnes id nullum esse nomen: primò, quia est περίφρασις, *vox verbi*. Secundò, quia vox est nomen generale, comprehendens etiam auiũ cantus, & τοὺς φθόγγους ἀσήμους hominis. Thomas in primum Ioannis, *Ad intellectum huius nominis, verbum: sciendum est quòd secundum Philosophum, ea quæ sunt in voce, sunt signa earum quæ sunt in anima passionum. Consuetum est autem in Scriptura, quod significata nominãtur nominibus signorum: sicut illud ad Corinthios, Petra autem erat Christus.* Vnde confit necessariò Verbum id quod interius vocant, verbi nomine donari, quia verbo significatur. Et hîc, quis tropum neget? Nã quod Gautierus obiiciebat sequentia, *Verum autem per prius conueniat nomen verbi, rei exteriori voce prolata, vel ipsi conceptioni mentis, nihil refert ad præsens*: incogitanter faciebat: nam præterquã, quod quæstionem non definit: vt longè præstet hærere iis, quæ clarè sunt à me citata: Illud etiam non aduertit Gautierus comparari à Thoma non verbum interius, verbo interiori: sed verbum interius, rei significatæ per verbum exterius: vt sit sensus, cùm cõstet verbũ exterius significare & rem ipsam, & eius speciem in animo conceptam: Item, certum nomen signi dari rei significatæ, ac proinde posse verbum appellari, tum rem ipsam; tum rei speciem, superesse disputandum, vtrum priùs verbi nomen conueniat rei quàm speciei, an contrà. Quæ quidem quæstio nihil ad rem nostram: quocunque enim modo definiatur, siue rem esse verbum, indeq; etiam speciem; siue contra speciem esse verbum, indéque rem, Tamen manet hoc verbi nomen tribui, siue rei, siue speciei τροπικῶς à verbo exteriori.

XXV. Hactenus probatum definitiones imaginis, & verbi non posse quadrare Filio Dei. An verò opus est nunc probare definitionem imaginis Dei; & Verbi Dei non conuenire imaginibus & verbis? Quanquam enim polliciti eramus, tamen res est per se manifesta. Nam si Imaginis Dei, & Verbi Dei definitio, competat imaginibus, & verbis; ita vt vtraque propriè significẽtur imaginis & verbi nomine. Ergo ab Imagine Dei, & Verbo Dei omnes imagines & verba sumpsissent imaginis & verbi nomen. Quemadmodum homo & brutum appellãtur propriè animalia; quia animalis definitio iis competit. At hoc consequens quis non horreat? Deinde, si Imaginis Dei, & Verbi Dei definitio omnibus verbis & imaginibus conueniat. Ergo omnes imagines, & omnia verba essent Imagines Dei, & Verba Dei. Quod est blasphemum. Ergo concludendum, imaginis & verbi nomina in his complexis, Imago Dei, & Verbum Dei, pro Filio sumi τροπικῶς, & non propriè.

XXVI. Addo aliud argumentum: Omne verbum propriè sumptum, id quod per ipsum significatur, exprimit, vt est. At Verbum, cùm de Filio Dei dicitur, non vt est, exprimit id quod per ipsum significatur, ergo Verbum, cùm de Filio Dei dicitur, non propriè sumitur. Maior patet: Quia, vt antè diximus, verbum propriè sumptum, vel ἴδιον est, vel κοινὸν, si priori modo; Ergo hoc ipsum per se, & primò, significat cui adhibetur: sic terra, vt est, significat crassissimum elementum: & aqua proximum illi, & ignis subtilissimum ac summum. Nam huiusmodi vocabula sic sunt, vt ipsa sui impositione significent, non autem origínatione: ac proinde rem ipsam totam, & simul, & semel repræsentent. Quanquam possint ex iis quædam aliunde etiam desumi: vt Petrus à petra, sed Petrus non significat illum Apostolum, quia deducitur à petra, sed, quia illi fuit impositum à Christo. Itaque eo iure proprium dicitur, nimirum, vt repetam ex impositione. Imò quatenus originationem habent, non sunt ἴδια, ac ne quidem non tropica, quia vel metaphorica, vt Petrus à similitudine: vel synecdochica, quatenus vni priuatum nomen commune tribuitur. Quanquam de hoc verborum genere non est quòd laboremus. Quia manifestum est verbum, quatenus de Deo dicitur, non esse hoc modo proprium. Iam si verbum κοινῶς sumitur, Ergo, quicquid est de natura Verbi, propriè de Filio Dei dicitur, ac proinde eatenus, exprimit Filium Dei, vt est. At verò Augustinus in primum caput Ioannis, *Adero misericordia Dei fortasse, vt omnibus satisfiat, & capiat quisque quod potest: quia & qui loquitur, dicit quod potest. Nam dicere, vt est, quis*

potest

poteft? audeo dicere, fratres mei, forfitan nec ipfe Ioannes dixit, vt eft; fed [illegible] fic vt potuit, quia de Deo, vt homo, dixit: & quidem infpiratus à Deo, fed tamen homo. Quia infpiratus dixit aliquid: fi non infpiratus effet, dixiffet nihil. Quia vero homo infpiratus, non totum quod eft, dixit, fed quod potuit homo, dixit. Francifcus Lucas in primum Ioannis, *Caterum non eft exiftimandum propriam Filij Dei effentiam, vt in fe vere eft, Verbi appellatione exprimi, fed velut vmbram delineari, vt nos aliquo modo capiamus.* Itaque Nazianzenus oratione vicefima prima, [illegible], *Verbum dicere, & verbo omni fuperiorem.*

XXVII. Gautierus refpondet Auguftinum hoc tantum velle, Verbi nomē non fufficere comprehendendæ infinitati, aut Dei, aut Filij. Nō poffe autem inde concludi improprietatē vocabuli. Aliàs dicendum foret, Deum, Diuinitatem, Patrem, Filiū, Spiritum, impropriè Deo tribui, cùm nullum eorum vocabulorum fua fignificatione comprehendat infinitatem Dei, fiue perfonarum diuinarum.

XXVIII. Sed Gautierus fallitur: nifi fortè de induftria fallat potiùs. Nam Auguftinus non negauit Ioannem totum dixiffe, etfi hoc veriffimum fit: fed negauit dixiffe, vt eft. Et fane Ioannes nō proponebat fibi exprimendam infinitatē Dei, aut etiā Chrifti, fed æternam eius generationē. Hanc igitur Auguftinus negat Ioannem dixiffe, vt eft; fed vt potuit. At fi Verbi nomen effet proprium [illegible], tum profectò dixiffet vt eft. Quod ad Deū, & Diuinitatem attinet, fi fumuntur ex etymologia; nimirum [illegible]: tum certè proprium negandum eft: eft enim metaphoricum. Sed fi ex impofitione, tum non tātùm proprium eft, fed etiam quicquid Dei eft, perfectè fignificat; quia vnicum rei fignificandæ impofitum eft, ex hominum confenfu. Pater autem, & Filius, & Spiritus, etfi totam Deitatem non exprimant; certe myfterium Trinitatis exprimunt, vt eft, ac proinde verba funt propria.

XXIX. Difputationem claudam hoc argumento, quo probatur Verbum effe metaphoricum: Omne vocabulum impofitum cuipiam rei ex alterius rei, & quidem [illegible] fimilitudine, eft metaphoricum. At hoc vocabulum Verbum impofitū eft fecundæ perfonæ Trinitatis ex fimilitudine rei [illegible]. Eft igitur metaphoricum. Propofitio per fe patet ex Rhetorum doctrina: nifi quòd alij neglexerunt id, quod ego addidi [illegible]. Quod tamen neceffarium videtur. Nam alioqui etiam [illegible], poffunt dici impofita ex fimilitudine. Quia enim Petrus naturam fimilem habet Paulo; ideò vterque homo dicitur. Quanquam, fi quis eft, qui aliter cenfeat; mea nihil intererit. Interea additum fcit à me cautelæ gratia: propter Sophiftas; quibus folemne eft [illegible].

XXX. Probatur affumptio teftibus etiā Papiftis. Iansenius capite primo Harmoniæ Euangelicæ, *Cum rerum diuinarum nomenclatura defumatur a nominatione rerum earum, quæ fub noftra cadunt cognitione: & ob id appellatio Verbi in diuinis defumpta fit à verbo humano, duplex autem fit humanum verbum, mentale fcilicet & vocale, inquirendum, num à fimilitudine verbi vocalis, an verbi mentalis, Filius Dei Verbum appelletur.* Salmero tractatu tertio Tomi fecundi, *Præcipuè nominatur Verbum diuinum à fimilitudine conceptus mētis interni.* Pererius difputatione quinta in Ioannis primum, *Verifsimum eft Verbum Dei fic effe appellatum fecundum fimilitudinem humani verbi mentalis, potius quam vocalis.* Ex his illud faltem conftat Verbi nomen impofitum Filio Dei ex fimilitudine alterius rei. Porrò hæc res, nimirum Verbum humanum; non tantùm alia res eft, fed etiam [illegible], non enim vt homo & brutum; fic Filius Dei, & verbum humanum, fub vno eodémque genere comprehenduntur: cùm Filius Dei fit [illegible], & verbum minimè. Nicetas Thefauri libro fecundo, capite duodecimo, cùm Verbum diftinxiffet quadrifariam, in id quod fubftantialiter Patri femper adeft: & naturalem motum, quo animus mouetur. & internum, quod in corde loquimur: & animi nuncium, *Verbum Dei*, inquit, *effentia fua, & hypoftafi propria, confiftit. Catera tria verba facultates animi funt, quæ propria in hypoftafi haudquaquam confiderantur.* Et quæ capite vicefimo primo, *Verbo noftro fimile intelligendum nō eft: quod Spiritus quidem adminiculo profertur, ac in auras euanefcit: fed conuenienter Deo, fempiternum fcilicet, atque per fe fubfiftens.*

XXXI. Plena eft ergo conclufio Filium Dei appellatum fuiffe Verbi nomine, non [illegible], fed tropicè. Cui aftipulantur Theophylactus in illud Ioannis, *Ipfe in principio erat apud Deum*, refutans Porphyrium; qui, quia Filius Dei, neque effet [illegible], neque [illegible] concludebat omnino non effe [illegible] *Et hoc dicendum, fi effet hoc nomen* [illegible] *dignum Deo dictúmque de eo propriè & fubftantialiter, haberet vtique locum huius Græci dubitatio. Atqui neque vllum aliud nomen quifquam inueniat propriè de Deo dictum; neque hoc ipfum* [illegible], *fubftantialiter, aut propriè: fed tantùm fignificat ex Patre genitum Filium abfque vlla pafsione, vt folet* [illegible] *ex mente.*

XXXII. Et ex Papiftis, Francifcus Lucas Brugenfis in primum Ioannis; cùm eos refutat, qui fermonem magis probant quàm Verbum, *Nec metaphora fumitur*, inquit, *ab exteriori hominis loquutione aut verbo, fed ab interiori, quod animo producitur, in eóque manet, nec forma ducitur, fed verbum internum, ad quod aliis manifeftandum feruit vox, id eft, verbum externum.* Et paulò poft explicans metaphoram, *Sicut enim internum hominis verbum, feu cogitatio fe habet ad mentem, animam, feu intellectum, fic Filius fe habet ad fummam illam mentem quæ Deus eft.* Salmero tomi fecundi tractatu tertio Porphyrij fophifma ex Theophylacto profert, *Filius Dei Verbum, vel eft pronunciatum, vel mentale: verum neque hoc, neque illud, ergo neque Verbum eft.* Tum ftatim, *Cui refpondetur, mentale & prolatiuum Verbum, de his quæ apud nos funt, & naturalibus dici confueuiffe. De eo autem quod fupra naturam eft, nihil tale, quia impropriè & metaphoricè Filio Dei tribuitur nomen Verbi.*

XXXIII. Cur non & Nyffenum addam? Nam ille in Catechefi magna docet Verbum in Trinitate, & in homine dici [illegible], nō procul ab initio, [illegible], *Qui confitebitur Deum non effe expertem rationis, omnino concedet habere Verbum*, [illegible], *Veruntamen etiam humanum verbum dicitur homonyme.* Quid ergo? nempe inde periculum, ne fic cōcipiatur, in Deū Verbum, vt in homine. Cui muibo incedetur, ex reliquorū, quę in homine & Deo cōfiderantur, ratione, vitæ, potentiæ, fapientiæ: quæ propter imbecillitatem naturæ noftrę, [illegible], at in Deitate [illegible]. Ergo Nyffeni fenfus eft, Verbum in Deo dici longè alia notione,

siue definitione, quàm in homine: sic enim sunt A τὰ ὀνόματα. Vnde necessariò conficitur, non eadem proprietate loquendi appellari Verbum Dei, & verbum hominis.

Cap. VIII.

Argumenta Papistarum de proprietate Verbi.

I. VEnio ad argumenta partis aduersæ. Et primò de Verbo. Suarez: Si in Filio Dei inueniūtur per se omnia necessaria ad veritatem, & proprietatem Verbi. Ergo, Filius Dei est propriè Verbū. At antecedens verum. Ergo & consequens. Sed nobis negatur assumptio. Suarez probat, Si Filius Dei est terminus per se primò productus per actum intelligendi, recipiens ex vi suæ productionis ipsummet intelligere personæ producentis, quo constituitur in ratione rei repræsentantis intellectualiter obiectum illius intellectionis: Ergo, in Filiò Dei inueniuntur per se omnia necessaria ad veritatem & proprietatem Verbi. At verum antecedens, ergo & consequens.

II. Sed negatur consequentia. Nam primò, hæc non sunt omni necessaria Verbo: sed tantùm Verbo intrinseco. At hoc ipsum intrinsecum Verbum, vt probamus, non dicitur Verbum, nisi tropicè. Itaque, etiamsi Filius esset proprie Verbum intrinse- D cum; tamen non esset proprie Verbum. Cōtrà enim certum argumentum: Omne Verbum intrinsecum est tropicè Verbum. At Filius Dei est Verbū intrinsecū ex hypothesi. Ergo, Filius Dei est tropice Verbum. Secundò, negatur Filius Dei esse proprie Verbum intrinsecum. Athanasius enim in expositione fidei, *Credimus in vnum ingenitum Deum.* Et pòst, καὶ εἰς ἕνα μονογενῆ λόγον, *Et in vnum ingenitum verbum*, λόγον δὲ οὐ προφορικὸν, οὐκ ἐνδιάθετον, *Verbum autem neque extrinsecū, neque intrinsecum.* Nam in definitionibus triplicem E λόγον cōstituit, εἴρηται μὲν ὁ λόγος τριχῶς, λόγος ἐνούσιος, ὁ Θεὸς λόγος, λόγος ἐνδιάθετος, ὁ τῶν ἀγγέλων, καὶ ὁ ἐν τῷ ἡμετέρᾳ διανοίᾳ λαλούμενος λόγος, καὶ ὁ προφορικὸς ὁ διὰ τῆς γλώττης: *Verbum tripliciter dicitur: Verbum substantiale: Deus Verbum. Verbum intrinsecum, Angelorum, & quod in mente nostra dicitur: & extrinsecum siue enunciatiuum, id quod per linguam.* Damascenus paulò aliter capite decimo octauo libri primi de fide. Quadrupliciter enim distinguit. Primum, Filium Dei: secundum, τὸ τῶν φωνῶν γένημα, ἐξ αὐτοῦ δεῖ φωνὰς προελθεῖν, F Tertium, ἐνδιάθετον. Quartum προφορικὸν, sed in eo conuenit cum Athanasio, quòd æquè negat Filium esse λόγον ἐνδιάθετον, καὶ προφορικὸν. Si ergo hæ sunt conditiones Verbi intrinseci, tum sane Filij non sunt hæ conditiones proprie, & absque figura: Si quidem Filius non est Verbum intrinsecum.

III. Gautierus sic argumētatur: Si Filius Dei eo Filius est, quo Verbū, & eo Verbū, quo Filius. Ergo vt Filius dicitur proprie, ita & Verbū: At prius verum, G ergo & posteri⁹. Antecedēs probatur ex Augustino de Trinitate libri septimi, capite secundo, *Eo Filius quo Verbum, & eo Verbum quo Filius.* Sed negatur consequētia. Gautierus probat. Vocabula relatiua, quę habent idem fundamentum relationis, siue potiùs eandem relationem, vel simul proprie tribuuntur subiecto, vel simul tropicè. At Filius & Verbum sunt duo vocabula relatiua habentia idem fundamentum relationis: vel potiùs eandem relationem. Ergo Filius & Verbum tribuuntur subiecto, vel ambo propriè, vel ambo tropicè. At non ambo tropicè. Ergo ambo propriè.

IV. Respondeo, & relationem Filij ad Patrem esse rei quæ significatur per vocabula. Et ipsam etiā relationem significari per vocabula. Itaque impropriè dicuntur vocabula habere relationem, pro significare. Ne sit autem vlla λογομαχία, constituamus ita: Quæ vocabula significant eandem relationem, B siue idem fundamentum relationis, ea simul sunt proprie accipienda, vel simul improprie. At hoc negatur: nihil enim obstat, quominus eandem relationem vnum vocabulum proprie significet & alterum tropicè. Vt in hoc ipso mysterio, Veteres cùm vocant Patrem πηγὴν θεότητος, eandem significant relationem quam ille habet ad Filium: & tamen Pater proprium est vocabulum, at πηγὴ θεότητος non potest dici nisi metaphorice. Sic & qui Filium dicebant ἀπαύγασμα, eandem significabant relationem C quam ille habet ad Patrem; quam propriè solemus per filiationem significare. Quid ergo obstat, quo minus Filius quidem proprie, Verbum autem μεταφορικῶς, vnam eandemque relationem significet? Et sane is sensus est Augustini eadem ipsa relatione, qua Filius est Patris Filius, eadem esse eius Verbum: quod dictum verissimum est: & piissimum. Sed nihil ad significandi rationem, in qua est metaphora.

V. Rursum Gautierus: Si Pater proprie & non D metaphoricè generat Filium per intellectum, ergo id fit, vel intelligendo simpliciter, vel intelligendo per modum dictionis internæ. At non intelligendo simpliciter: Nam intelligentia Dei simpliciter communis est toti Trinitati. Ergo, per modum dictionis internæ. Atqui omnis dictio interna terminatur ad Verbum internum: quemadmodum dictio vocalis ad Verbum vocale. Ergo, tam proprie Filius appellatur Verbum, quàm proprie generatur à Patre per intellectum personalem.

E VI. Respondeo, primò, si Sophistæ meo res esset cum Athanasio, aut Damasceno, negaretur ab eis consequentia, propter distributionem non plenam. Nam illi, vt iam vidimus, aliud Verbum statuunt, quod appellant ἐνούσιον substantiale, diuersum à Verbo interno, & Verbo externo, sed mea causa nunc quidem pax esto. Secundò igitur, concesso toto priori syllogismo, si cōcedam dictionem internam terminari ad verbum internum, (quæ alioquin immanis ταυτολογία est propter terminorum identitatem: etenim dictio interna, F & Verbum internum, meus verborum crepitus voce nonnihil diuersum, at significationis vi vnum idemque) nego tam sequi tam proprie Filium appellari Verbum, quàm proprie dicitur generari. Non in dictione interna, & verbo interno, dictio & verbum sumuntur tropice. Itaque non possunt eo iure vsurpari proprie in hoc mysterio: sed, vt olim dicebamus, metonymice. Deinde, quod G in nobis appellamus verbum internum metonymice, in Deo ἀνθρωποπαθῶς, id est, metaphorice, appellatur eodem nomine.

VII. Tertiò, Gautierus, sed & Suarez; Ariani olim, vt tuerentur aliam esse Filij essentiam, aliam Patris, negabant Filium esse proprie Verbum Patris, sed metaphorice. Idem Origenistæ; Origenes in primum Ioannis, dixit in rebus diuinis Verbum dici metaphorice. Hæc probantur auctore Thoma

Thoma Aquinate parte prima, quæstione trigesima quarta, articulo primo: Suarez addit Athanasium, oratione contra Gregales Sabellij: & oratione contra Arianos in id *Deum de Deo*: Et Hilarium libro de Trinitate sexto: Cyrillum Thesauri septimo libro, capite tertio: & primi in Ioannem capite quarto & septimo.

VIII. Respondeo, poni falsum. Disputabant enim Ariani verú Filius esset propriè Verbum Dei, an verò impropriè. Non autem de Verbo seorsim. Enimuerò, quanta illis insania fuisset contendere Verbũ dici *μεταφορικῶς*, cùm longè vtilius futurum fuisset asserere Verbum propriè? Nam, quis negat, in Verbo propriè sumpto, saltem hominũ, aliam esse substantiam Verbi, aliam loquentis? Itaque, si Filius diceretur propriè Verbum, necessariò sequeretur nõ esse eius substantiam eandem cum Patre: quod illi omnino volebant. At hoc non poterant obtinere per Metaphoram. Neque enim est necesse idem concludi de rebus per Metaphorã significatis, quod de ipsis rebus, à quibus mutuo sumitur nomen: etsi enim metaphoricè Deus dicatur senex dierum, tamé ridiculè Papillæ Deo Patri, quasi alteri Æsculapio barbam appingunt. Si ergo de vocabulo hoc rixari voluerunt Ariani, longè præstitisset asserere Filium appellari Verbum propriè.

IX. At Veteres, inquiunt, cõtrà testantur. Imò Veteres, inquam, non contrà testantur: & Iesuitæ potius illos mendaciter, vt aliis sæpe, sic in hac parte testes laudant suos. Et quidem in Hilario & Athanasio contra Arianos nihil occurrit, quod ad hanc rem faciat. Cyrillus in Ioannem libri primi capite quarto aduersarios obijcientes facit, *Vnigenitus Dei Filius, non est propriè ipsum Dei Verbum: sed internus, atque insitum Dei Patris Verbum: in ipso Deo est semper: qui autẽ ex eo genitum esse Filius dicitur, is internum illud Verbum suscipiens, cuncta ab eo dicit, atque ideò ad similitudinem eius Verbum est, & etiam nuncupatur.* Audin' scriptor Verbũ Dei eius Verbum? Quæstionis status disertus, *Vnigenitus Dei Filius non est propriè.* Quidnam? Interest enim notare. Nunquid dixit, non est propriè Verbũ: quæ nostra nunc quæstio est? Minimè verò. Quid igitur dixit *Non est propriè ipsum Dei Verbum.* Et conclusio. Ideò ad similitudinem eius Verbum est.

X. Paulò aliter Athanasius cõtra Gregales Sabellij, *Verbum illi tale adscribunt, quale homines in sua mente concipiunt: & sapientiam talem qualis ea, quæ nostri animi est, attribuunt: ideóque vnam personam Deum cum Verbo asseuerant ὥσπερ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ... τοῦ ἑαυτοῦ λόγου ἄνθρωπον ἕνα.* Quemadmodum hominem vnã cum suo Verbo, hominem vnum dicimus. Ergo, inquam, illud hæreticorum genus dicebat Verbum propriè quomodo in homine: si in homine Verbum illud internum propriè Verbum. Quare Gauttierus & Suarez illis hæreticis annumerãdi sunt potiùs. Nos autem quo iure? Illi argumentabantur ex natura Verbi interni, quod in homine esse dicitur: nec intererat, propriène an tropice Verbum, sed Verbi tamen interni. Nos quid simile? qui dicimus Verbum illud internum, quod in homine, siue propriè, siue impropriè Verbum dicitur in Deo nominari per metaphoram? Vnde necessariò corruit eorum hæreticorum argumentum. Atque adeò Athanasius non videtur aliter. Quid enim illud est, λόγον ὄντα ... ἀνθρώπου ... τοῦ Θεοῦ; Quid illud, inquam, significat, nisi eos hæreticos in eo falli, quòd sic cogitent Verbum Dei internum, vt Verbum hominis internum? Est ergo vtriusque Verbi, inquam, interni in homine, & Verbi interni in Deo, diuersa ratio. Hoc nos volumus. Nam si nostro nomine appellatum est illud Verbum internum Dei, cuius tamen à nostro verbo interno aliena est ratio: tum omnino necesse est Verbum internum Dei, nostri Verbi interni nomine impropriè esse nominatum, nempe per similitudinem: ac proinde per metaphoram: Nam impropriius vsus vocabuli per similitudinem est metaphora.

XI. Cyrillus in Thesauro rursus aliter, *Sed quo modo, inquit, Filius Dei Verbum & sapientia erit? quum sapientia scientia quædam sit: Verbum autem prolatio vocis: voces autem neque substantiæ, neque animalia sint. Filius verò animal est, quare nec sapientia, nec Verbum Patris.* Non sic quidem de metaphorico Verbo quisquam. Imò hi potiùs de proprio. Nullum Verbum est substantia. Quod axioma de Verbo proprio est vniuersaliter verum, non autem de figurato. Nam fallerem si Verbum sumamr metonymicõs pro re significata, aliquod Verbum est substantia, vt lapis. Itaque longe verisimilius est hos hæreticos propriè interpretatos Verbum de Filio Dei quam tropicè. Porro quid respondet Cyrillus, *Ad humana rursum defertur, oblitus verba de Deo fieri: sed forsan nescit humana quidem vocabula de Deo nos vti, vbi omnia longè aliter, quam res humanæ intelligenda sunt.* En tibi verò in Cyrillo purum putum Chamierum. Hæreticus à sensu proprio Verbi argumentatur: Cyrillus respondet in hoc mysterio, vsurpari quidem humana vocabula: at res longe aliter intelligi. Non potuit disertiùs tropum significare.

XII. Superest Thomas: nullo iure inter Veteres censendus, ne quidem inter sanos Theologos. Quid ille tamen dicet noui? *Ariani, quorum fons Origenes inuenitur, posuerunt Filium alium à Patre esse in diuersitate substantiæ. Vnde conati sunt, cùm Filius Dei Verbum dicitur, astruere non esse propriè dictum, ne sub ratione Verbi procedentis cogerentur fateri Filium Dei, non esse extra substantiam Patris. Nam Verbum interius sic à dicente procedit quod in ipso manet.* Hæc Thomas. Quid igitur? Nimirum, vt suprà Arianos accusat, quòd metaphoricè dixerint Filium dici non Verbum, sed Verbum Dei. At sane ita oportet. Nam antè vidimus eundem testantem Verbum internum appellari Verbum impropriè, hoc est, quatenus signorum nomina communicantur rebus significatis. Sed & solutio subiecta declarat, *Sed necesse est, si ponatur Verbum Dei metaphoricè dictum, quod ponatur verbum Dei propriè dictum.* Nam id sane, si de ipso Verbi vocabulo intelligatur, ineptum est. Quis enim ferat dicentem, si ponatur fons in Deo, metaphoricè dictus, ponendum etiam esse fontem in eo propriè dictum? Si ponatur in Mose cornua metaphorica: ergo & in eodem cornua propriè? At sumpto toto complexo, omnino necessaria est consequentia. Si aliquod est Verbum Dei metaphoricè dictum: est etiam aliquod Verbum Dei propriè dictum. Nihil enim est metaphoricum, cuius non sit aliqua significatio propria. At non in eodem tamen subiecto: non enim potest quicquam eodem nomine propriè significari, & metaphoricè: fuerunt in Mose cornua metaphorica, at in boue cornua propriè. Sensus ergo Thomæ, si sit aliquid, quod appelletur Verbum Dei metaphoricè: necessario dari aliquid aliud, quod appelletur Verbum Dei propriè. Sed inde non sequitur idem, quod dicitur propriè Verbum Dei, appellari etiam propriè Verbum.

XIII. Quod attinet ad Ongeoem, mea certè nihil interest, quid ille senserit: quem scio Theologum fuisse audaciorem, quàm saniorem. Sed appellatum tamen ab eo Filium Verbum Dei metaphoricè, velim aliis testibus probari quàm Thoma. Ego apud eum tomo primo in Ioannem lego reprehendi, *Existimantes enunciationem Paternam quasi in syllabis esse sitam, Dei Filium: ob eámque rem, personam ei, si illos diligenter interrogamus, non tribuunt: nec essentiam eiusdem declarantem: nondum talem, aut talem dicimus, sed quomodocunque essentiam. Verbum enim enunciatum Filium esse, intelligere etiam cuiuis non licet. Ac Verbum tale per se viuens, idémque aut non separatum à Patre, ob eámque rem quod per se cohereat, nec Filium quidem esse: aut etiam separatum, & essentialem nobis Deum Verbum nunciens.* Hæc ille: sed à Perionio ita perplexe conuersa ex Græcis, vt omnino quid sibi velint, non assequar. Doceant quibus contigit Græca videre. Legi iterum, appellari verbum, *quod & omnia quæ sũt à nobis auersa à ratione auferat, & vere nos rationis participes pareat.* Quæ explicatio verbum ostendit dici quidem κυρίως, at non μεταφορικῶς. Verùm μετωνυμικῶς, potiùs ab effectis. Dici, inquam, non Verbum Dei, sed Verbum. Quod si quis culpet, quomodo Chrysostomum absoluet? Nam, hîc homilia prima in Ioannem, hoc ipsum Verbum exponẽs, πανταχοῦ ἡμῖν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν δηλοῖ, τὸ γὰρ λέγειν τοῦτο ἴδοι τις ἂν μικρὸν ὕστερον καὶ φῶς λεγόμενον, καὶ τὸ φῶς πάλιν ὀνομαζόμενον ζωήν, καὶ τὴν ζωὴν ἀλήθειαν; *Vbique nobis eum Deum effectis demonstrat. Nam λόγον, videat quilibet paulò pòst appellatum lucem: & lucem rursus vitam: & vitam veritatem:* Nimirum, vt antè dixit, cùm dici nequeat quænam Dei sit essentia, οὐ ταύτης δὲ μόνον ἕνεκα τῆς αἰτίας οὕτως ὠνόμασεν αὐτόν, ἀλλὰ πρώτης μὲν ταύτης, δευτέρας δέ, ἐπειδὴ τὰ τοῦ πατρὸς ἡμῖν ἔμελλεν ἀναγγέλλειν, πάντα γάρ, φησίν, ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου, ἐγνώρισα ὑμῖν, *Neque tamen hanc solam ob causam sic eum appellauit*, scilicet Verbum, *sed hanc quidem primam: secundam autem, quandoquidem quæ Patris sunt, annunciaturus erat nobis: omnia enim, inquit, quæ audiui à Patre, nunciaui vobis.*

XIV. Restant auctoritates Veterum, quas mihi obiecit Gautierus. Augustinus de Trinitate libri sexti capite secundo, *Sic Verbum quomodo imago.* Thomas parte prima, quæstione trigesima quarta, articulo primo, *Primò & principaliter interior mentis conceptus Verbum dicitur: secundariò verò ipsa vox interioris conceptus significatiua: tertiò verò ipsa imaginatio vocis Verbũ dicitur: & hos tres modos Verbi ponit Damascenus in primo libro, capite decimo septimo: vnde oportet quod nomen Verbi secundùm quod propriè in diuinis accipitur, non sumatur essentialiter, sed personaliter tantum.* Et iterum, *Etsi ergo Verbum aliquãdo dicatur metaphoricè in diuinis, tamen oportet ponere Verbum propriè dictum quod personaliter dicatur.* Et articulo secundo, *Verbum significat quandam emanationem intellectus, persona autem quæ procedit in diuinis secundùm emanationem intellectus dicitur Filius: & huiusmodi processio dicitur emanatio: vnde relinquitur quod solus Filius propriè dicitur Verbum in diuinis.* Et pòst, *In nomine Verbi eadem proprietas importatur, quæ in nomine Filij: vnde dicit Augustinus: eo modo dicitur Verbum quo Filius.*

XV. Respondeo ad Augustinum, nihil esse in eius verbis momenti contra nos. Primò, quia nihil definit: *Sic Verbum quomodo Imago.* At nõ docet propriè Imaginem dici, & absq; metaphora: quod hic quærimus. Quòd si Imago dicitur metaphoricè, ergo & Verbum. Secundò, mentẽ Augustini satis declarant præcedentia, & sequentia, *Verbũ solus Filius accipitur: non simul Pater & Filius: tanquam ambo vnũ Verbum. Sic enim Verbũ quomodo Imago: Sed Filius solus Imago Patris, quemadmodũ & Filius, nõ enim ambo simul Filius.* Voluit ergo Augustinus sic Verbũ esse quomodo Imaginẽ. Id est, relatè, vt distincti sint Deus, & Verbũ; æquè ac Deus & Imago. De proprio vocabulo, aut metaphorico nulla aut mentio, aut quæstio.

XVI. Thomas, primũ Scholasticus est, & inter Scholasticos audacissimus. Itaq; non habet eius nomen multũ momẽti, vt facile à me negligi possent. Nihilominus respondeo, propriè nullam illi quæstionẽ de Verbo proprio, quatenus opponitur tropico: sed quatenus opponitur cõmuni. Itaq; sentire Verbi nomen in Trinitate, nõ esse essentiale, id est, cõmune toti Trinitati; sed personale: atque id subiectũ articuli primi: deinde non tantum esse personale, sed etiam proprium Filij in secundo articulo. In primo enim sic proponitur quæstio, *Vtrum Verbum dicatur essentialiter in diuinis vel personaliter.* Et resolutio. *Dicendũ quod nomen Verbi in diuinis, si propriè sumatur, est nomen personale, & nullo modo essentiale.* Vbi nota non Verbum absolutè: sed Verbum in diuinis. Articuli secundi quæstio, *Vtrum sit proprium nomen Filij.* Resolutio: Dicendum, quòd Verbum propriè dictum in diuinis personaliter accipitur, & est proprium nomen personæ Filij.

XVII. In primo tamen articulo incidit quæstio de verbo metaphorico, propter primam obiectionẽ Arianorum, de qua paulò ante nonnulla dicta sunt, nimirũ de toto cõplexo, *Verbũ Dei.* Sed de ipso Verbo seorsim, omnino sinistre, siue philosophari, siue grammaticari Thomã dico. Et recito locũ, *Manifestiùs & cõmuniùs in nobis dicitur Verbũ quod voce profertur, quod quidem ab interiori procedit, quantum ad duo, quæ in verbo exteriori inueniuntur scilicet vox ipsa, & significatio vocis. Vox enim significat intellectus conceptum, secundum Philosophum in libro Perihermenias: & iterum vox ex significatione, vel imaginatione procedit vt in libro de anima dicitur. Vox autem quæ nõ est significatiua, Verbũ dici non potest. Et hoc ergo dicitur Verbum vox exterior, quod significat interiorẽ mentis cõceptum. Sic igitur primò & principaliter interior mentis conceptus Verbum dicitur: Secundariò verò ipsa vox interioris conceptus significatiua. Tertiò verò ipsa imaginatio vocis, Verbũ dicitur.* Primò, id fundamentum à Thoma ponitur, quod cùm cõclusione subsistere non potest, *Manifestiùs & communiùs in nobis dicitur Verbum, quod voce profertur.* Nam illud & manifestiùs & cõmuniùs, quis non videt intelligendũ, non de obscuris paucorum Scholasticorũ cogitationibus, sed de vsu cõmuni hominum? At hic vsus Verbum appellat id, quod ista voce formata per corporis organa profertur. Imò vox nulla alia quàm hæc ipsa sic formata. Si igitur verũ est quod ex Augustino paulò antè vidimus, signa propria ea esse, cùm id significant, quod omnes eius linguæ homines eo nomine vocant, profectò significationem manifestiorem & communiorem oportet esse propriam. Quare si Verbum manifestiùs & communiùs significat id quod voce profertur, omnino Verbum propriè erit id, quod voce profertur. Iam verò ex eodem Augustino signum proprium est, cùm his rebus significãdis adhibetur, propter quas est institutum. Ergo non tantùm manifestior & communior, sed etiam prior erit vsus proprius. Non potest igitur Verbum in voce, secundariò Verbum appellari, quod Thomas censuit.

XVIII. Pergamus. Nam pergit Thomas. Verbum, quod voce profertur, ab interiori procedit quantum ad vocem ipsam, & quantum ad significationem. At hoc falsum. Imò sic Aristoteles, inquit ille: Imò non sic Aristoteles, inquam ego. Nam initio Perihermenias, ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, *Vox significat intellectus conceptum* Ita enim exprimit Thomas. Quanquam Aristoteles σύμβολα dixit: sed perinde est. Ergóne vox ipsa ab intellectu procedit? Vel potiùs, ergóne verbum, quantum ad vocem, procedit ab interiori verbo? Vix Choræbus dixerit. In de Anima negat quemlibet ψόφον esse φωνήν. Ἀλλὰ δεῖ, inquit, ἔμψυχόν τε εἶναι τὸ τύπτον καὶ μετὰ φαντασίας τινός, *Vox*, inquit Thomas *ex significatione vel imaginatione procedit*. Itane? At hoc Aristoteles nullus dixit: imò dixit: *oportet id quod percutit*, nimirum, vt efficiat sonum, *esse animatum & cum quadam imaginatione*. Vnde quis efficiet vocem ipsam procedere ab imaginatione? Vocem, inquam: nam hanc interest vrgere, quia in ea dixit communius, & manifestius Verbum intelligi. At eo loco Aristoteles vocem nihil aliud intelligit, quàm illum sonum, quem audimus ex organis animantium, etiam in tussi: locus est secundi de anima capite octauo.

XIX. Iam reliqua: Vox, quæ non est significatiua, Verbum dici non potest. Atqui paulò antè dicit vocem omni ex significatione: quorsum igitur nunc vox, quæ non est significatiua? esto tamen: nam sequitur: Ex hoc ergo dicitur verbum vox exterior, quod significat interiorem conceptum. At D hoc consequens non est ab illo antecedente. Hoc tantùm, ergo omne Verbum esse significatiuum. Nam argumentum perspicuum, Omnis vox est significatiua: at omne Verbum est vox: ergo, omne verbum est significatiuum. Sed hæc conclusio ad rem ipsam pertinet significatam per verbum: non pertinet autem ad rationem nominis, hoc est, non docet, quare id vocabulum Verbum ei rei sit assignatum; & puto nullam rationem reddi posse præter impositionem, siue κατὰ θέσιν, compactum: quò E si deuenimus, cum ea ratio nihil pertinet ad Verbum internum, quod non ex compacto, siue ex impositione. Sed Colophonem attendite. Dicitur Verbum vox exterior, quod significat interiorem mentis conceptum: Ergo, primò & principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur: O Dialecticam! O dialecticum! Primò, vt dixi, falsum antecedens: nam si sic dicitur, quia significat: Ergo ipsa significandi vis est in originatione ipsius vocabuli verbi. Quomodo, cùm dico cauterium sic dici, quia v- F ro, significo in ipsa cauterij originatione, illam esse vrendi significationem. At hoc de verbo quis dicat? Secundò, consequentia est ἀσυλλόγιστος. Nam quæ ex impositione nomen habent, ea non omnia id ex natura re quam significant. Exempli gratia, signum id nominis habet, quia significat rem aliam. Ergóne res illa alia primò & principaliter appellatur signum? Dicat fortè Thomas: dicat G Gauerius: nam quid Sophistis indignum? At nemo dicet sanus.

XX. In reliquis, quæ sunt ex articulo secundo, nihil difficile, *Solus Filius propriè dicitur Verbum in Diuinis*. Hoc est, personaliter, *Huet*, non *notionaliter*: nam ea quæstio est. *In nomine Verbi eadem proprietas importatur, quæ in nomine Filij*. Rectè: nam proprietas non ad nomen ipsum, sed ad hypostasin refertur, hoc est, eadem proprietas, qua differt Filius à A Patre, vt dox personæ, significatur vocabulis Filij & Verbi, *ipsa enim natiuitas Filij* (verba sunt Thomæ statim sequentia) *quæ est proprietas personalis eius diuersis nominibus significatur: quæ Filio attribuuntur ad exprimendam diuersimode perfectionem eius*.

Cap. IX.

B *De Argumentis Papistarum pro Imaginis proprietate.*

I. HActenus de Verbo. Nunc de Imagine, quam Suares triplicem constituit. Artificialem, Naturalem, Intellectualem. Artificialem, quæ procedat à principio actiuo. Naturalem, quæ ab exemplari cognito, vt filius est imago patris etiam in hominibus. Intellectualem, quæ procedit à principio non cognito, sed cognoscendo, quo- C modo verbum nostrum procedit ab obiecto. Filium porrò Dei tuetur esse imaginem veram & naturalem Patris. Hoc probat tripliciter. Primò, quia Scriptura ita loquatur: secundò, quia à Patribus cum proprietate intelligatur: tertiò, quis possit sine inconuenienti ita intelligi.

II. Primum probatur ex Pauli primo ad Colossenses, *Qui est imago Dei inuisibilis*. Ad Hebræos primo, *& figura seu character substantiæ, seu hypostasis eius*.

D III. Sed hęc mera est ἀκυρία, aut aliquid peius. Nam primò quæritur, quo sensu à Paulo Imago tribuatur Filio. Ergo eosdem locos, qui profert, petit principium. Secundò, Suares non simpliciter filium concludit esse imaginem: sed naturalem. At Paulus non dixit Imaginem naturalem: sed tantùm Imaginem. Ergo hic locus nō probat, quod ille proponit: nisi prius demonstretur aliunde, Imaginem intelligi pro imagine naturali duntaxat. Ac tum conficietur Imaginis nomen esse tropicum, videli- E cet synecdochicum. Est enim synecdoche, cùm speciei tribuitur nomen generis. Tertiò, incogitanter duo loci copulati sunt. Nam, proh Dei atque hominum fidem! Quis hactenus τὸν χαρακτῆρα propriè nulloque prorsus tropo, de Deo dici crediderit? Nam χαράξαι apud Phauorinum κόψαι, ἐγχαράξαι τὸ τύπον. Mirum, si horū quicquam in Deo Sophistæ inuenerint: Nisi recurrāt aut ad suum illud, Characterem appellamus similitudinem: id est, suum illud ius tyrannicum, quo sibi sumunt pro arbitrio F vti, abutive vocabulis. Eiusmodi hominibus, si sunt homines, quid aliud nisi ὑγιαίνειν?

IV. Secundum Suares probat ex omnibus Patribus, exponentibus eos locos: & illum Geneseos secundo, *faciamus hominem ad Imaginem*. Item ex Athanasij sermone quarto contra Arianos: & epistola de decretis Synodi Nicænæ. Cyrillo, libri primi capite primo Thesauri, vocante, *incommunicabilem, & increatam Patris Imaginem, in qua Pater videtur*. Ambrosio primi de Fide capite quarto, *Splendor est* G *lucis æternæ speculum sine macula, & Imago bonitatis illius*. Hilario, septimo de Trinitate: Augustino, septimi de Trinitate capite secundo: & libro de decem chordis capite octauo: & de Incarnatione Verbi capite decimo, & decimo quinto.

V. Imò hic merus est nominum sonus: præterea nihil. Illi omnes Patres. Filium dicūt esse imaginem Patris, Characterem Patris. Nimirum quod

& nos dicimus, & ante omnes dixit Apostolus. Sed hoccine Suares proposuerat? Hoccine, inquam, veteres Patres appellasse Filium, imaginem Patris? Imò longè aliud, *A Patribus cum proprietate intelligitur*, hoc est, illos Pauli locos sic exponi à Patribus, vt testantur imaginis & characteris verba propriè, & κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda. Tam propriè, quam cum ostenso nummo Christus dixit, *Cuius est hæc imago?* Matthæi vigesimo secundo. Hoc erat Suari docendum: hoc Suares non docuit: hoc Suares non potuit docere.

VI. Pergo ad rationem: Omnis similitudo ab aliquo expressa est propria imago. At Verbum Diuinum est eiusmodi, ergo est vera & propria Imago. Gautierus similiter argumentabatur: sed definiebat imaginem aliquid productum ad similitudinem alterius. Definitionem vtramque probat ab Augustino, quæstione quarta in Deuteronomium: & in octoginta tribus, quæstione septuagesima quarta: & libri in Genesin imperfecti capite postremo. Item ex Thoma, parte prima, quæstione trigesima quinta, articulo primo.

VII. Ast ego hanc esse propriæ imaginis definitionem pernego. Imago est similitudo ab aliquo expressa. Aut imago est aliquid productū ad similitudinem alterius. Ratio, quia propria definitio, iam aliàs assignata est. Imago est ὁμοίωσις διὰ μιμήσεως. Nam primò μίμησις non est tantùm similitudo. Atque adeo similitudo alia est substantialis, alia accidentaria. Imago autem propriè sumpta, habet similitudinem accidentariam, non verò substantialem: vt imago Cæsaris nihil habet quod sit substantiale Cæsari, sed duntaxat substantiæ accidentia, id est, Lineamenta, & lineamentorum proportionem.

VIII. Secundò procedere & exprimi non significant vnum idemque. Nam aliàs oporteret & quæcunque procedunt exprimi: & quæcunque exprimuntur procedere, & quidem propriè. At hoc falsum. Nam Gautierus agnoscebat expressionem esse quandam processionem. Ergo, inquam, non potest vtraque definitio esse propria. Nam si omnis imago est expressa similitudo: & non est expressum quicquid procedit: certè non omnis similitudo expressa est imago. Ac proinde latior hæc est definitio. Rursus: si non omnis similitudo procedens est expressa similitudo: & omnis similitudo procedens est imago: ergo non omnis imago est similitudo expressa: Ac proinde hæc definitio arctior est definito. Præterea ὁμοίωσις non reciprocatur, neque cum expressione, neque cum processione. Nam ὁμοίωσις generalior est. Rursus ergo si vera est imaginis definitio illa Aristotelica: Ergo hæc vtraque Suaris Gautierique contractior est.

IX. Tertiò, exprimendi vocabulum; quo vsus est Suares, aptius quidem est quàm procedendi, quo Gautierus. Nam & iam vsu factum, vt vultus expressos dicamus: & exprimere aliquid pro repræsentare. Sed eius tamen vsurpatio est metaphorica, ab iis tebis, quæ premendo ex aliis educuntur: vt solent τὰ ἐκτυπώματα exprimi propriè. Itaque in hac etiam definitione vitium est, homonymiæ, siue obscuritatis, secundum Aristotelem, Topicorum sexti secundo. Multo maius in argumentatione. Nam cùm positum est imaginem esse similitudinem expressam: tum assumitur: At filius est similitudo expressa: vt fiat conclusio: ergo Filius est imago scilicet propriè. Atqui expressa, neque in maiori sumitur propriè, sed tropicè: & in minori dicitur rursus alio sensu, quàm in maiori: Nam Filius à Patre non sic dicitur exprimi, quomodo à prototypo imago exprimitur. In imagine exprimuntur lineamenta à causa, quæ est externa ipsi imagini. Quum enim lineamenta exprimuntur, certe artifex exprimit. At in Filio exprimere est procedere. Iam autem concessum non exprimi quicquid procedit: possunt aliæ differentiæ excogitari: hæc tamen ad rem nostram accommodata erit. Aliquid est procedens, quod procedit naturaliter, vt hic ipse Filius à Patre. At imago cùm exprimitur, non naturaliter exprimitur, sed artificialiter.

X. Denique; nego eam similitudinem, quę procedit, siue exprimitur naturaliter, imaginem propriè dici. Nam illa naturalis siue expressio, siue processio, ad substantiam pertinet, vt id quod ita exprimitur, siue procedit, sit ipsa substantia eius vnde exprimitur, siue procedit. At imago propriè dicta non est substantia eius à quo siue exprimitur, siue procedit, sed tantùm accidentaria similitudo. Sic statua Pompeij processerat ex Pompeio: quæ tamen ex auro erat, siue argento, siue marmore, siue alia qualibet materia; & non ex substantia Pompeij. Et tamen erat propriè imago Pompeij: & sanè μίμησις non potest consistere cum expressione eiusdem substantiæ: sed significat alterius substantiæ conformationem ad similitudinem alterius.

XI. Augustini & Thomæ exscribo locos. Augustinus in Deuteronomium quæstione quarta, *Omnis imago etiam similitudo est: non omnis similitudo etiā imago est: vnde si gemini inter se similes sunt: similitudo dici potest alterius cuiuslibet in altero, non imago. Si autem Patri Filius similis sit: etiam imago recte dicitur, vt sit Pater prototypus, vnde illa imago expressa videatur: quarum aliæ sunt eiusdem substantiæ, sicut filius: aliæ non eiusdem, sicut pictura.* In octoginta tribus, quæstione septuagesima quarta, *Imago & æqualitas & similitudo, distinguendæ sunt, quia vbi imago, continuo similitudo, non continuo æqualitas: vbi æqualitas, continuo similitudo, non continuo imago: vbi similitudo continuo imago, non continuo æqualitas: vt in speculo est imago hominis: quia de illo expressa est: est etiam necessario similitudo: non tamen æqualitas: quia multa desunt imagini, quæ tamen insunt illi rei, de qua expressa est. Vbi æqualitas continuo similitudo, non continuo imago. Velut in duobus ouis paribus: quia inest æqualitas: inest & similitudo, quæcunque enim assunt vni, assunt & alteri: Imago tamen non est: quia neutrum de altero expressum est. Vbi similitudo, non continuo imago, non continuo æqualitas: omne quippe ouum omni ouo, in quantum ouum est, simile est: sed ouum perdicis, quamuis in quantum ouum est, simile est ouo Gallinæ, nec imago tamen eius est, quia de illo expressum non est: nec æquale, quia breuius est, & alterius generis animantium. Sed vbi dicitur, non continuo: vtique intelligitur, quia esse aliquando potest. Potest ergo esse aliqua imago, in qua sit etiam æqualitas, vt in parentibus & filiis inueniretur imago & æqualitas & similitudo, si interuallum temporis defuisset: Nam & de parente expressa est similitudo filij, vt recte dicatur imago: & potest esse tanta, vt recte etiam dicatur æqualitas, nisi quod parens tempore præcessit.* Libro in Genesim imperfecto, *Omnis imago similis est ei, cuius imago est: nec tamen omne quod simile est alicui, etiam imago est eius: sicut in speculo, vel pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt. tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest: imago enim tunc est, cùm de aliquo exprimitur.*

XII. Hæc Augustinus. Iam Thomas articulo

culo primo quæstionis trigesimæ quintæ in parte prima. *De ratione imaginis est similitudo. Non tamen quæcumque similitudo sufficit ad rationem imaginis: sed similitudo quæ est in specie rei: vel saltem in aliquo signo speciei. Signum autem speciei in rebus corporeis maximè videtur esse figura. Sed neque ipsa similitudo speciei sufficit vel figuræ: sed requiritur ad rationem imaginis origo. Ad hoc igitur quòd verè aliquid sit imago, requiritur quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei.* Et paulò pòst, *Imago propriè dicitur, quod procedit ad similitudinem alterius: illud autem ad cuius similitudinem aliquid procedit, propriè dicitur exemplar, impropriè verò imago.*

XIII. In his locis omnibus, primò, nego definiri imaginem propriè. Quid ergo? generalius id quod significari potest nomine imaginis, etiam metaphorico. Probo, Primò, quia extendunt ad eam imaginis significationem, secundùm quam filij appellantur imagines patrum: vt in Scriptura Geneseos quinto, *Adam genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth.* Atqui hæc imago impropriè dicitur: est enim essentialis: cùm imago propria sit accidentalis. Neque sanè is vsus est, & communis & manifestus, vt filius dicatur imago patris, quà filius. Probo, Primò: nam si ob eam caussam, ergo ob id quod ex patre propriè natus esset, & si hoc: ergo quicquid propriè nasceretur ex alio, id est, ita vt esset eiusdem speciei, appellaretur imago. Itaque omnis pullus imago diceretur equi sui: & omnis vitulus bouis: & omnis hædus capræ, & omnis agnus ouis. At hoc nunquam factum. Nemo, inquam, fuit hactenus tam importunus Sophista, tam [illegible] Theologus, qui pullum, vitulum, hædum, agnum diceret imagines, & propriè imagines.

XIV. Secundò, si eatenus filius esset imago sui patris, quatenus ex eo natus est; ergo omnes filij essent imagines suorum patrum. Et si hoc: ergo his cognitis cognoscerentur patres. At hoc falsum. Quia cognitis filiis, ij duntaxat patres agnoscuntur, quorum præter substantiam lineamenta sunt eadem, quæ in filiis. Basilius epistola prima, [illegible] *agnosco tuam epistolam, sicut qui amicorum filios agnoscunt, ex apparente in ipsis parentum similitudine.* Nota apparentem similitudinem.

XV. Tertiò, vim fieri ab Augustino, manifestum ex eo quòd neget in geminis similibus esse imaginem: hoc est, alterum alterius esse imaginem, quod est contra communem vsum. Eadem enim ratione, quia filius similis patri, etiam frater similis fratri: dicatur imago ille patris, iste fratris. Sed hoc in Thoma apertius. Ad imaginem necessariam dicit similitudinem speciei, vel saltem, signi eius speciei. At hoc in imagine dicta falsissimum est. Aliàs omnis imago hominis esset imago Cæsaris: quod tamen tolerari non potest. Itaque oportet imagines habere similitudinem indiuidui. Quod si est, tum non potest filius, quà filius tantùm, dici imago patris.

* *
*

CAP. X.

De principio, & operationibus ad intra & ad extra.

I. SExta calumnia est de principio. Septima, de operationibus ad extra, & ad intra, de quibus latrat aliquid suo more Feuardentius. Sacrorum vestrorum Antistites, inquit, in designanda rerum omnium caussa, & vnico principio, turpissimè lapsi sunt, quando tres diuinas personas velut inæquales sic in diuersas distribuunt classes ac sedes, vt Pater sit primum, Filius secundum, Spiritus tantùm tertium omnium rerum principium: Pater primæ caussæ, Filius secundæ, Spiritus solummodò tertiæ caussæ rationem habeat. Calumniam probat ex verbis confessionis Gallicæ, *Sancta Scriptura nos docet in illa singulari & simplici essentia Diuina subsistere tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Patrem videlicet primam ordine caussam, & originem rerum omnium: Filium autem eius Sapientiam & Verbum æternum: Spiritum Sanctum eiusdem virtutem, potentiam & efficaciam.* Item Caluinus in Catechismo eadem verba scripsit. Item in commentariis in Matthæi vigesimum secundum, & versum quadragesimum quartum: *Sessio ad dextram metaphoricè accipitur pro secundo vel proximo gradu, quem Dei Vicarius occupat:* Neque aliter in vigesimi sexti versum quadragesimum quartum: & in Marci decimi sexti decimumnonum.

II. Impugnandi caussæ: prima, æqualitas personarum, quam Beza adstruit in maiori confessione: secunda, quòd Trinitatis opera sint inseparabilia: tertia, quia in Scripturis Creatio Deo vni & vero tribuatur æqualiter: non Patri: vt primæ caussæ: Filio vt secundæ, Spiritui vt tertiæ: quarta: quia in symbolis vno eodemque modo creatio rerum, vni & soli principi Deo in personis trino accepta feratur: quinta, quia si tria essent principia inæqualia, tres haberent voluntates, bonitates, potentias subordinatas: atque ex consequenti tres naturas.

III. At primò loci illi Caluini de sessione Christi importunè, & inconsideratè huc adferuntur: non enim pertinent ad Trinitatis doctrinã, sed Incarnationem. Nam id pro certo habet Caluinus eam sessionem ad Christum pertinere, qua mediator est, verus Deus, verúsque homo. Et sane in Symbolo cohæret cum ascensione. Ascendit in cælos, sedet ad dexteram Patris. Vocari autem Christum hac ratione Vicarium Patris, quisquam-ne Christianus ægrè feret, post quàm audiit à Paulo decimo quinto prioris ad Corinthios, non tantùm, *Excepto eo, qui subiecit ei omnia:* sed etiam, *Quum tradiderit regnum Deo, ac Patri.* Nimirum Sycophantæ hoc vnum erat pensi, vt calumniaretur, non vt legeret, non vt intelligeret, non vt sanus esset.

IV. Cætera iam facilè purgantur. Nam illud, personas velut inæquales, & diuersæ illæ classes, Sycophantam olent; nec nostra sunt, aut Caluini, aut vllius omnino Catholici. Patrem appellari primum principium, & quidem ordine, non mitaretur Franciscanus, si vel per somnium aliquando fuisset

inter Catholicos. Quid enim? Nōne Patres Filium vocant principium de principio? Imò nónne Deum de Deo, lumen de lumine? Nonne & paulo antè voluerunt aduersarij dici fontem de fonte? Hæc verò velit, nolit Monachus, intelligi nequeunt, quin distinguatur Filius principium à Patre principio, saltem ordine, eademque de Spiritu ratio.

V. Ad primam rationem respondeo, non magis obstare æqualitatem personarum, ne dicatur primum ordine principium Pater, quàm ne dicatur prima ordine persona. Et sane nobis Pater primum ordine principium, nihil aliud est, quàm Patrem esse principium, Filium principium, Spiritum principium, sed ordine tantùm Patrem considerari primum. Ita enim oportet, cùm certum sit, Filium non esse à se, sed à Patre, quem propterea Dionysius appellauit πηγαίαν θεότητα.

VI. Ad secundam: Certum opera Trinitatis esse indiuisa. Sed nego principium esse opus Trinitatis. Quemadmodum autem, etsi opera sint indiuisa; tamen dicunt Catholici Deum de Deo: sic etiam non verentur agnoscere principium de principio: id est, personaliter, non autem essentialiter, Patrem primum principium.

VII. Tertia, primò absurdè loquitur. Quid enim illud est, vni & vero Deo tribui æqualiter? Nam si vni, cur æqualiter? Si æqualiter, certè non vni. Nam æqualitas est in diuersis inter se comparatis. Secundò, falsum supponit. Nam Scriptura creationem Patri tribuit vt primæ caussæ, Filio vt secundæ. Perspicuum: Ioannis primo, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *Omnia per ipsum facta sunt.* In quę Cyrillus, *Omnia per ipsum facta sunt vt per virtutem, vt per sapientiam Dei Patris, quæ non quemadmodum in hominibus, quasi quædam qualitas Deo inest: sed per se ipsam verè subsistit, quamuis ineffabili generationis modo à Patre prodeat: sic enim sapientia, & virtus Patris verè Filius esse creditur. Nec tamen quia omnia quæ sunt, per ipsum facta dicuntur, quasi alienæ voluntatis minister, aut quasi ab alio vires accipiat, quibus creare queat, credendus est. Imò verò, quoniam virtus ipse Patris, sicuti vnigenitus Filius est, vniuersa cum Patre simul & spiritu Sancto creauit. Cuncta enim ex Patre per Filium in Sancto Spiritu sunt.* Theophylactus, *Quomodo non dixit, Verbum fecit omnia, sed vsus est illa propositione* διὰ, ἵνα μὴ ἀγέννητον καὶ ἄναρχον ὑπονοήσῃς τὸν υἱὸν, καὶ ἀντίθεον, τοῦτο εἴρηκεν, ὡς ὁ πατὴρ διὰ τοῦ λόγου ἐποίησε τὰ πάντα, *vt ne non genitum, aut absque principio, Filium suspiceris esse, siue alterum Deum, eam ob causam dixit, Patrem per Filium fecisse omnia.* Et explicat similitudine Regis mandantis filio vrbem condere. οὕτω καὶ ἐνταῦθα ὁ εὐαγγελιστὴς εἶπεν διὰ τοῦ υἱοῦ γεγενῆσθαι τὰ πάντα ἵνα δηλώσῃ ὅτι ὁ πατὴρ μεσίτῃ αὐτῷ πρὸς τὴν κτίσιν, ἵν' οὕτως εἴπω, ἐχρήσατο. *Sic hoc loco Euangelista cùm dixit, omnia per Filium esse facta, significauit Patrem eo Mediatore ad creationem (vt ita dicam) vsum esse.* Aquinas. *Si, ly, per, denotat caussalitatem ex parte operati; tum hoc quod dicimus Patrem operari omnia per Filium, non est appropriatum Verbo, sed proprium eius; quòd hoc quod est caussa creaturarum habet ab alio, scilicet à Patre, à quo habet esse.* Hæc si vera sunt, tum certè non eodem modo creatio tribuitur Patri, & Filio, etsi æquè Patri & Filio.

VIII. Quarta ratio rursus supponit falsum. Nam omnia Symbola Creationem Patri tribuunt. Apostolicum, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cæli & Terræ. Et in Iesum Christum Filium eius.* Nicænum, *Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cæli & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium, & in vnum Dominum Iesum Christum.* At hîc (inquit Feuardennus) Dei nomine intelligitur Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Atqui, inquam, non Deus simpliciter, sed Deus Pater nominatur. Et quidem distinctè à Filio & Spiritu. Ergo personæ Patris distinctæ à Filio, & Spiritu, tribuitur Creatio.

IX. Quinta ratio à tribus principiis inæqualibus merum est somnium. Quis enim tria principia constituit? quis tria inæqualia? Nam certè si Pater, Filius, Spiritus sunt vnus Deus. Ergo Pater principium, Filius principium & Spiritus principium; sunt vnum principium, non tria. Et si Filius æqualis Patri: ac Spiritus vtrique: tum Filius non erit principium inæquale Patri: nec Spiritus vtrique.

X. Hactenus de principio. Nunc de operationibus. Beza sermone quinto de passione: *Sicut hæ tres personæ diuinæ sunt distinctæ in essentia sua: sic debet obseruari ista distinctio in operationibus earum.* Damnat hoc Feuardentius, quia opera Trinitatis ad extra sunt inseparabilia.

XI. Imò Sycophanta verborum Bezæ partem omisit: eam excerpsit, quæ auulsa à contextu visa est opportuna calumniæ. Quomodo, quis tutus sit à blasphemia? Ne ipse quidem Filius Dei. Beza autem scripsit, *Et si, cùm vnica sit essentia: potentia, voluntas Dei, quæcunque inde procedunt opera: ad extra sint tribus personis communia, maximè, hæc duo præstantissima, nempe creatio mundi, & redemptio hominis: nihilominus sicut hæ tres personæ diuinæ sunt distinctæ in essentia sua, sic debet obseruari ista distinctio in operationibus earum.* Hîc vtrumque vides, & opera ad extra esse communia tribus personis, hoc est, inseparabilia: quod Monachus obiicit: & esse tamen distinguendas operationes. Ergo ex Bezæ mente, hæc duo axiomata non sunt contraria: & sanè quæ iam diximus de creatione, illustrant: Creator est Pater, Creator Filius, Creator Spiritus, id est, creatio communis, opus inseparabile. At nihilominus creat Pater per Filium in Spiritu. Ergo in eodem opere creationis, alia operationis ratio Patris, alia Filij, alia Spiritus. Nec aliter in redemptione saluat Pater, saluat Filius, saluat Spiritus. Sed non eadem ratio in omnibus. Nam Filius solus est Mediator. Spiritui solet Scriptura peculiariter sanctificationem tribuere. Nyssenus ad Ablabium quòd non sint tres dij, *In diuina natura non ita didicimus, quòd Pater faciat aliquid per se solus, quod filius non vnà cum eo capessat. Aut Filius rursus peculiariter aliquid operetur absque Spiritu. Sed omnis actio ad creaturam à Deo proueniens, quæ secundum varias notiones, atque considerationes nomen accipit, à Patre proficiscitur, & per Filium progreditur, & in Spiritu Sancto perficitur.* Hoc voluit Beza. Hoc si carpit Monachus, næ ille iam plus quàm Sycophanta.

XII. Contraria tam calumnia est. Caluinus in responso Ecclesiæ Geneuensis contra Stancarum scripsit, *Trinitatis opera sunt intrinsecus indiuisa.* At opera intrinseca dicuntur (inquit Monachus) quæ ipsam Diuinitatis vnitatem, & personarum Trinitatem, ac maiestatem non excedunt. Et hæc distincta esse, pro distinctione personarum, Catholici credunt.

XIII. Ergo, inquam, & Caluinus credidit. Nam

Nam Caluinus valde Catholicus: & nominatim in articulo Trinitatis: Nónne enim personas suis certis distinctas proprietatibus agnouit? Aut nónne Patrem ingenitum, Filium genitum? & quomodo potest ab eodem generatio actiua æquo tribui Filio ac Patri? Caluinus scripsit, *Nihil tutius est quàm profanis argutiis, & speculationibus valere iussis mentes nostras defixas tenere in illa admirabili dispensatione, in qua docetur Pater Filium vnigenitum misisse, vt in eo nobis esset propitius, & eius aduocati patrocinio exorabilis: Imò cùm barbaries grassata est in toto mundo, vulgare tamen illud dictum opera Trinitatis esse indiuisa, quia per se durum erat, interposita restrictione, correctum, vel mitigatum fuit: nempe cùm addita fuit particula intrinsecus.* Hic primò aduertendum loqui Caluinum de Redemptionis mysterio: Itaque de operibus, quæ vocantur ad extra: non enim ea numeratur inter operationes ad intra. Quis igitur non videt Sycophantiam, quæ id ad operationes intrinsecus trahit? Itaque secundò Caluinus non construit opera intrinsecus, vt solent appellari oppositæ operationes ad extra: sed indiuisa intrinsecus: vt sensus sit, opera Trinitatis, quæ vocantur ad extra, esse indiuisa intrinsecus, hoc est, ratione intrinseca Deitatis, sed extrinsecè tamen, hoc est, ratione nostri distingui. In quo fateor esse Caluini [illegible]: non enim opinor sic loquuti Scholastici, aut in eum sensum. Nam hi illud intrinsecus construxerunt cum operibus. Memoriam igitur Caluini lapsam fateor, sed hæresin tamen in eo nullam agnosco. Nam in præcedente calumnia docuimus in operibus ad extra distingui personarum operationes.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE ATTRIBVTIS DEI

LIBRI SECVNDI

Caput Primum.

OMNIPOTENTIAM A CATHOLICIS non negari.

ACTVM de personis Deitatis. Nunc de Attributis. In quibus, quæ controuertuntur, reuoco ad Omnipotentiam, & Prouidentiam. Omnipotentiam intelligimus, vim illam Dei in agendo, cui nihil obsistere possit. Et hanc à nobis negari strenuè calumniantur. Et primò Feuardentius negat enumerari in Attributis Dei in confessione Gallicarum Ecclesiarum: aut à Beza in sua confessione. Atqui in primo manifestè mentitur. En tibi Articulum Gallicæ confessionis primum, *Credimus & agnoscimus vnicum Deum, qui sit vnica & simplex essentia spiritualis, æterna, inuisibilis, immutabilis, infinita, incõprehensibilis, inenarrabilis, omnipotens, summè sapiens, bona, iusta & misericors.* Et qui nescit alioquin à nobis pro Christianitatis professione, inculcari symbolum Apostolorum? admitti etiam symbolum Nicænum, & Athanasij, in quibus diserta omnipotentiæ confessio.

II. Quod attinet ad Bezam, vis argumenti hæc est: Beza in maiori sua confessione non enumerauit omnipotentiam. Ergo Beza negauit omnipotentiam. Respondeo primò negari consequentiam. Nam si credidit omnipotentiam, ergo non negauit. At credidit: hoc probatur ex aliis eius operibus. Nam in primo Catechismo inseruit αὐτολεξεὶ Symbolum Apostolorum, in quo est omnipotentia disertè. Deinde in breui explicatione totius Christianismi, capite secundo, *Dei omnipotentiæ vires sunt imperscrutabiles.* Et Apologia altera ad Claudium de Xaintes, *Quod ad Diuinam potentiam attinet, tam credimus Deum omnia posse, quæ à potentia proficiscuntur, quàm credimus Deum esse: quia si omnipotens non est, ne Deus quidem est.* Secundò, ne Antecedens quidem verum est. Nam eiusdem confessionis maioris capite primo, articulo tertio, eius potentiam & bonitatem comprehendi posse negat. Et capite secundo, articulo secundo, legas vim infinitam: & articulo decimo sexto, summam potentiam.

III. Sed hæc calumnia leuissima est. Secundum argumentum, quia Caluinus dicat, Nihil esse in potestate Dei, quod sit contra ordinem mundi rerúmque proprietatem: probat Sanctesius ex libro de Vera Ecclesiæ reformandæ ratione. Et libri quarti Institutionis capite decimo septimo, paragrapho vigesimo quarto: addit Bezam in Cyclope contra Hethusium.

IV. Respondeo non restringi à Caluino, aut Catholicorum quoquam omnipotentiam Dei ad vllum ordinem naturæ, vllámve rerum proprietatem; Nam si hoc: Ergo non crederent ab eodem fieri quicquam præter eum ordinem; prætérque eas proprietates. At hoc falsum. Credunt enim Catholici mundum esse à Deo creatum; quod fuit & præter ordinem naturæ; quæ nondum erat; & præter proprietates rerum, quæ nullæ erant. Credunt Diluuium factum temporibus Noë: Credunt Noë seruatum in arca, cúmque eo aliqua indiuidua omnium specierum brutorum. Quam historia, quid obseruari potest factum secundùm ordinem naturæ, rerúmque proprietates? Enimuerò neque is ordo naturæ, vt aquę totum orbem terrarum submergant. Nam etsi ea primò dispositio fuit elementorum ab initio creationis: tamen ordo naturę alius impositus à Deo, cùm separatę sunt terrę ab aquis: Et hic ordo hoc diluuio violatus est. Quid? illne ordo, eáque proprietas rerum, vt

omne

omne genus animantiū: feræ cicures, aëteæ, terrestres, aquaticæ, vna arcula claudantur, imò ipsæ in arculam sponte includant se? Quid Sodomæ & Gomorrhæ destructionem dicam? Quid Isaaci genituram? Aegypti plagas? Solem cohibitum? Quid infinita alia ex Testamento Veteri? Quid in Nouo Seruatoris nostri conceptionem? Quis tam impudens est Monachus, qui neget Caluinum, imò qui Catholicos neget credere hanc factam à Deo? & factam contra ordinem naturæ? contra proprietatem rerum? & tantæ luci tenebras offundent Sophistæ? Non possunt.

V. Imò Caluinus in Lucæ primi capitis versum decimum octauum. *Pro caussa diffidentiæ, in Zacharia fuit, quod in ordine naturæ subsistens, Dei potentiæ minus tribuit quam decebat.* Quid clarius? Audite Sophistæ, audite Sycophantæ! Caluinus protestatur, eum, qui subsistit in ordine naturæ, minus tribuere Dei potentiæ, quàm deceat. Et hic potentiam Dei subiicit ordini naturæ. Sequitur, *Nimium enim strictè, & malignè sentiunt de operibus Dei, qui non plus facturum credunt, quàm secundùm naturam credibile est, quasi eius manum, vel sensui nostro subiecta, vel terrenis medijs inclusa esset. Atqui fidei proprium est longè plus credere, quàm fieri posse carnis ratio dictet.* Idem in Catechismo ad articulum Symboli primum hoc modo afferit Deum dici Omnipotentem, vt intelligatur habere omnia sub potestate & manu: prouidentia gubernare mundum: arbitrio suo omnia constituere: omnibus creaturis prout visum est, imperare. Et postrema admonitione ad Westphalum. *Qui de nihilo creauit omnia, potest ad tempus in nihilum redigere, quæ videntur impedire progressum operum suis.*

VI. Sed excutio locos. Primus ita est: *Calumniatur vocari à nobis in dubium Christi omnipotentiam, ipsumque insimulari vanitatis. Quasi vero hic de Christi potentia disputetur: ac non potius ex nuo verbo quærenda sit mysterij veritas. Rerum omnium conversionem fieri posse à Christo, nos quoque fatemur. Verum inde si quis cœlum colligat conuersum esse in terram, ridiculus veritatis diuinæ æstimator, qui naturæ ordinem ab illo fixum & constitutum, monstra sibi fingendo reuellat.*

VII. Hic verò, quid est, quæso, quod quisquam bonus, hoc est, nō Monachus, accuset blasphemiæ contra Omnipotentiam? Negat in ea quæstione, quæ est de Transubstantiatione, agi de Christi Omnipotentia. Ideò infamat aliquis, vt eorum verborum vim eandem asserat esse, ac si diceret, non esse Christum Omnipotentem? Rursus concedit omnium rerum conuersionem fieri posse à Christo. Et qui hoc concedat, neget Omnipotentiam? Tertiò, ridiculos asserit qui proponentes Christum omnia posse mutare, quod verissimum, concludant ergo mutauisse cœlum in terram. Hoc, inquit, reuellere ordinem naturæ à Deo fixum, dum sibi monstra fingunt. Quid hæc contra Omnipotentiam Christi? nisi forte eorum stolidam, portentosamque dementiam, qui ex quolibet quidlibet efficiunt, Omnipotentiam Christi Sophistæ appellant. Etenimverò hoc vs restat, vt nequitiæ cumulum impleant. Sanè verò peponesesse oportet, qui non distinguant negationem consequentiæ, à negatione antecedentis. Dicam disertiùs, vt etiam stolidissimi capiant; si possunt quicquam stolidissimi capere. Argumentatio disponi debuit in hanc formam: Si Deus est Omnipotens: ergo transubstantiatur panis in corpus Christi. Ridet Caluinus mirum argumentum: & comparat cum isto: Si Deus est Omnipotēs, ergo mutatum est cælum in terram. Nimirum concessit antecedens Caluinus, quo asseritur Deus esse Omnipotens, negauit consequentiam, id est, transubstantiari panem, aut mutari cælum. Ingens videlicet crimen: & dignum, in quo exagitando, tota se occupet Papistarum vehemens loquentia; sic loquens vehemētiæ enimuerò hoc illis symptoma subinde oportet geminari, quamdiu illos hæretica febris detinebit.

VIII. Alter Caluini locus, ex paragrapho vigesimo quarto decimi septimi capitis, libri quarti Institutionis, prolixior est: describendus tamen integer; quia miseris modis laceratur à Sycophanta, ea tantùm excerpente, quæ iudicabat aptiora calumniaturo. *Nos rationi humanæ ita addictos esse iactant, vt nihilo plus tribuamus Dei potentiæ, quàm naturæ ordo patitur, & dictet communis sensus: A tam improbis calumniis prouoco ad ipsam doctrinam, quam tradidi.* Audin' primò, sibi obiici solitum hoc ipsum, quod ei oune obiicitur? hoc ipsum, quo de nunc agimus? & quomodo purgat? Calumnias appellat, improbas calumnias. Quisquam-ne ita loquatur, cui sua verè sua, doctrina obiicitur? Conficimus ergo non credidisse, non docuisse Caluinum, nihilo plus tribuendum potentiæ Dei, quàm naturæ ordo patiatur.

IX. Sed pergit Caluinus. *Prouoco ad ipsam doctrinam, quam tradidi: quæ satis dilucidè ostendit, me hoc mysterium minimè rationis humanæ modo metiri, nec naturæ legibus subiicere. Obsecro, an ex Physicis didicimus Christum perinde animas nostras ex cælo pascere carne sua, atque corpore, pane & vino aluntur? Naturaliter non fieri omnes dicent. Humanæ rationi nihilo magis placebit penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit alimentum. Denique quisquis doctrinam nostram gustauerit, rapietur in admirationem arcanæ Dei potentiæ.* En tibi ergo præter superiora aliud documentum, vnde constet Caluinum verè credidisse Omnipotentiam Dei transcendere omnem naturæ ordinem, omnes rerum proprietates: nimirum, quia fieri credat ea Omnipotentia; vt caro Christi in cœlis posita, animas nostras his in terris positas; tam verè pascat, quàm panis, quem esitamus quotidie, corpusculum hoc nostrum reficit. Id credidit Caluinus, id tradidit Caluinus, quod nunquam credidisset nedum tradidisset, si nihil Deo possibile putasset, præter ordinem naturæ.

X. Pergit, *Isti autem boni eius zelota miraculum sibi fabricant, quo sublato euanescit Deus cum sua potentia. lectores iterum admonitos cupio; vt quid ferat nostra doctrina, diligenter æstiment. pendeat-ne à sensu communi, an verò fidei alis superato mundo transcendat calos. Dicimus Christum tam externo Symbolo, quàm Spiritu suo ad nos descendere, vt verè substantia carnis suæ, & sanguinis sui animas viuificet. In his paucis verbis, qui non sentit multa subesse miracula, plusquam stupidus est: quando nihil magis præter naturam, quàm vt vitam spiritualem & cælestem an-*

ne mutuentur à carne, quæ originem suam à terra accepit, & quæ morti fuit subiecta: nihil magis incredibile, quàm res toto cæli ac terræ spatio dissitas ac remotas, in tanta locorum distantia, non solum coniungi, sed vniri, vt alimentum percipiant animæ ex carne Christi. Desinant ergo præposteri homines inuidiam putida calumnia nobis facere, acsi de immensa Dei potentia maligne aliquid restringeremus. Ipsi enim, vel nimis stultè errant, vel improbe mentiuntur. Et hactenus confutatio improbæ calumniæ: quæ restrictionem diuinæ potentiæ caussabatur.

XI. Nunc aliter. *Non enim hic quæritur, quid Deus potuerit, sed quid voluerit: affirmamus autem id factum esse, quod illi placitum erat. Placuit autem Christum fratribus, per omnia similem fieri, excepto peccato. Qualis est nostra caro? Nónne, quæ certa sua dimensione constat? quæ loco continetur? quæ tāgitur? quæ videtur? & cur, inquiūt, non faciat Deus, vt caro eadem plura diuersáque loca occupet? vt nullo loco contineatur? vt modo ac specie careat? Insane, quid à Dei potentia postulas? vt carnem faciat simul esse, & non esse carnem? Perinde ac si instes, vt lucem faciat simul esse lucem & tenebras. At lucem vult esse lucem; tenebras tenebras: carnem carnem. Conuertet quidem cùm volet tenebras in lucem; & lucem in tenebras: Sed cùm exigis, vt lux & tenebræ non differant, quid aliud, quàm ordinem sapientiæ Dei peruertis? Carnem igitur, carnem esse oportet: spiritum spiritum: vnumquodque quâ à Deo lege & conditione creatum est. Ea est verò carnis conditio, vt vno certóque loco, vt sua dimensione, vt sua forma constet. Ea conditione carnem induit Christus, cui, teste Augustino, incorruptionem quidem & gloriam dedit: naturam & veritatem non abstulit.*

XII. Hæc Caluinus. En tibi analysin: nam & hac opus est, vt Sycophantis ora obstruantur, si possunt Sycophantis ora obstrui. Obiiciebant Papistæ, in Eucharistiæ negotio Caluinum pendere à natura, detrahere Omnipotentiæ. Hoc ipse Caluinus negat, vt neget solidè, profert instantiam. Nemo pendens à natura, & detrahens Omnipotentiæ, docet ea fieri per potentiam Dei, quæ naturaliter fieri nō possunt. At Caluinus docet hęc, ergo nō pēdet à natura, nō detrahit Omnipotētiæ. Maior erat extra cōtrouersiā. Itaque minor probatur à rebus ipsis quas docebat: Viuificari nos à carne Christi, quæ ipsa fuerat sumpta è terra, fuerat morti obnoxia. Eam carnem fieri nobis cibū: carnem autem non descēdētem è cœlo: nobis inespositis. Quæ adeò procul abeunt à natura, vt miracula dici possint. Quis neget hanc & legitimam, & plenam purgationem esse. Nam, quod adnotauit Sanctesius, Caluinum se id facere negare, quod tamen postea faciat; maleuoli, imò maledici hominis conuitium est, non vllum viri sani argumentum, cui refutando nos hærere oporteat.

XIII. Sed instabant aduersarij: Quicumque negat carnē Christi esse in pluribus diuersísque locis, aut nullo loco contineri; aut carere modo & specie: is negat Omnipotentiam Dei. At Caluinus illud negat; ergo & istā. Caluinus respōdet, primò per distinctionem: negari illam posse duplici sensu; vel supposita Dei voluntate; vt sensus sit: negari carnem Christi in pluribus locis, cùm tamen ita Christus sit pollicitus; ac tū concedi maiorē, negari minorem. Vel nō supposita ea voluntate: vt sit, negari carnem Christi esse vbique, quòd non sit Christus pollicitus. Ac sic negari maiorem, concedi minorem. Ex qua distinctione patet, vim totā huius argumēti in eo esse, vt disputetur de volūtate Christi. Nam si velit Christus suū corpus esse in pluribus locis: tum non esse contrà disputandum. Exemplum; dixit Paulus prioris ad Corinthios 10. *Fidelis Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis.* Nūc, si quis obiiceret: Quisquis negat Deum permissurum Corinthios tentari supra vires, negat Omnipotentiā Dei: Respōderet Paulus, Apage importunam Sophisticen. Ego non quid possit Deus in dubium reuoco: sed assero quid velit. Similiter cùm nolunt Papistæ ab Omnipotentia Dei tantillū oculos deflectere ad eiusdem voluntatem, quid fuit Caluino faciendum; An non obstrepera importunitas, vt merebatur, notanda?

XIV. Respondet iterum Caluinus, maiorem esse falsam. Ratio: quia hæc, quæ ponuntur, eius sunt generis, vt non cadant in Dei Omnipotentiā. Argumentum: nihil implicans contradictionem cadit sub Omnipotentiam Dei: at hæc implicant contradictionem. Ergo non cadunt sub Omnipotentiā Dei. Assumptio confirmatur. Quia Christus induit carnem, verè carnem: est autē de veræ carnis essentia, vt vnico loco cōtineatur. Hoc qui negat, tollit essentiam carnis: ac proinde dicit carnem non carnem. Et, ne quis ad glorificationem recurrat, obiicitur Augustinus Epistola ad Dardanum. Maior verò illustratur exemplo lucis & tenebrarum. Nam probatione non egebat: est enim communis notio, ac proinde Bellarminus non contradicit de Eucharistia libro tertio capite secundo. Thomas parte prima, quæstione vigesima quinta, articulo tertio; ideo omnipotentem Deum asserit dici, quia possit omnia non simpliciter, sed possibilia absolutè. Impossibile autem esse, cùm prædicatum repugnat subiecto. Itaq; concludit ea quæ cōtradictionem implicant sub diuina Omnipotētia non contineri, quia non possint habere possibilitū rationem. Nec recentissimus Suarez aliter, tum capite nono libri tertij tractatus primi de Deo vno & trino: in Metaphysicis disputationis trigesimæ sectione decima septima.

XV. Hæc Caluinus: nec aliter Beza disputans aduersus Heshusiū, à quo veritati corporis Christi, à qua stabat Beza, opponebatur Omnipotētia. Hanc oppositionem infringit Beza, quia non possit Deus mori. Sed ipsum præstat locum legere. *Dic igitur*, inquit, *obsecro, potest mori Deus. Hes. Apage. Th. Habet igitur aliquam exceptionem tuum illud dictum, omnia esse Deo possibilia. Primum enim excipienda sunt, quæcumque non sunt alicuius potentiæ, sed infirmitatis potius argumēta: vt mori, mutari, & quæcumque sunt eius generis. Sed age, progrediamur. An putas Deū efficere posse, vt tria quatenus sunt tria, sint quatuor? vt effectum præeat efficienti caussa? vt quod factum est, factum non sit, & alia huiusmodi? Hes. Apage hanc prophanam curiositatem. Th. Hæc prophana nō sunt, cùm ad diluendos perniciosos errores religiosè explicantur; sicut à veteribus Theologis aduersus hæreticos necessario est factitatum. Hes. Tunc igitur potentiam Dei aliquibus finibus circumscribes. Th. minimè: sed hoc dico, multa esse Deo impossibilia, non simpliciter, sed ex hypothesi, quoniam videlicet illi visum est ab initio certas leges certis rebus præscribere, cuius ordinis est conseruator, non euersor. Itaque cùm hoc dico, de potentia Dei nihil detraho: Sed perpetuam & inuariabilem ipsius naturam commendo.* Ex his explicatis; *quia instat Heshusius, multa occurrere exempla, quibus inuertit Deus, immutauit, repressit, impediuit, ac prorsus conturbauit ordinem naturæ*: Beza distinguit triplicites. *Quasdam*

leges

leges à Deo creaturis inditas, fluxas, & mutabiles: quasdam per se quidem certissimas: sed salnis tamen rebus mutabiles: quasdam denique prorsus ἀμεταθέτους, quæ, si mutentur, necessarium rebus interitum adferant. Primas leges quotidie mutari, etiam ordine naturali: secundas mutari per omnipotentiam: tertiarum mutatarum saluis rebus, exemplú posse dari nullum, si de primis duobus legum generibus loquatur, esse veram quidem, sed inutilem: sin autem de tertio esse falsam. Hoc Beza.

XVI. Quid improbat Sanctesius? Primò quicumque negat potentiam Dei in quamlibet creaturam, siue, ea Deum vti posse ad placitum, is negat Deum esse eius creaturæ Deum: contrahit infinitum. Deum denique solo nomine agnoscit, nec potuerunt Athei melius Deum tollere, quàm ostendendo non posse omnia. Nam etiam Plinius libri secundi capite tertio, sic negat Deum posse mori: aut efficere, vt qui vixit, non vixerit: & bis dena non sint viginti. Si secundò, Quicumq; non credit Verbo, quo continetur institutio cuiusdam articuli fidei, hoc prætextu, quòd id non possit Deus, is non credit Deum id posse, quod dixit, decreuitque. At Catholici fidem adhibere nolunt his verbis, *hoc est corpus meum*. Ergo non credunt Deum posse quæ decreuit. Tertiò, Quicumque conatur vniuersalia axiomata euertere, quibus Scriptura extollit omnipotentiam Dei, is eam potentiam funditus negare conatur. Quia si particulatim quid excipiendo ea axiomata ostenderis esse falsa: nullum remanet in Scriptura fundamentum, quo constituatur omnipotentia Dei. Quartò, Quicumque Dei omnipotentiam coercet, ab ea excipiens nonnulla absque diserta Scriptura, is nihil nisi pro suo arbitrio credit de ea potentia. At illud Catholici faciunt: ergo ij pro arbitrio tantùm credunt potentiam Dei.

XVII. Atqui primùm hæc frustra disputantur, & extra oleas. Quæritur enim vtrum Caluinus, an Beza, an nostrûm quisquam docuerit nihil esse in potestate Dei contra ordinem mundi, rerúmque proprietatem: Nam hæc erant accusationis, & quidem grauissimæ verba: eam nos esse falsam diximus, imò probauimus: quia miracula sunt contra ordinem mundi, rerúmque proprietates. Et tamen ea Catholici omnes à Deo fieri credimus. Sanctesius contrà debebat calumniam suam argumentis stabilire: & eam hæc argumenta non attingunt quidem. Agnoscite ergo impudentissimi Sophistæ nomen: qui de thesi prolixè solicitéque disputat, hypothesin, in qua est τὸ κρινόμενον, tacitus præterit.

XVIII. Venio nunc ad singula argumenta. Primùm non Caluinum petit aut Bezam solùm: sed maximè tum Scholasticos Theologos: tum Veteres Patres, tum verò ipsam Scripturam. Nam Scholastici, vt iam docui, has ipsas limitationes à Caluino & Beza enumeratas & profitentur & probant. Legatur Lombardus in primi Sententiarum distinctione quadragesima secunda: & in eam Scholastici magno numero. Quin etiam Armandus de Bellouisu ipsam definiens absolutam potentiam, dixit per hanc Deum posse omnia non simpliciter, sed quæ habent rationem stabilitatis; tractatus secundi capite nono. Etiam Bellarminus libro primo de Sacramentis in genere capite nono disputat contra Ockamum asserentem Deum posse instituere Sacramentum inuisibile, siue in re spirituali, & falli dicit. Quid hoc? nónne idem est ac si diceret, non posse Deum instituere eius generis Sacramentum? Deum Bellarminus esse negauit rerum spiritalium Deum, quia negauit posse iis vti pro arbitrio, id est, ad Sacramentum.

XIX. Patres. Origenes contra Celsum libro tertio. *Δυνάμενος μὲν οὖν πάντα ὁ Θεὸς ὅσα δυνάμενος τοῦ Θεὸς εἶναι, καὶ τοῦ ἀγαθὸς εἶναι, καὶ σοφὸς εἶναι, οὐκ ἐξίσταται. Ὁ δὲ Κέλσος φησὶν (ὡς μὴ νοήσας, πῶς λέγεται ὁ Θεὸς πάντα δύνασθαι) ὅτι οὐκ ἐθελήσει οὐδὲν ἄδικον, διδοὺς ὅτι δύναται μὲν καὶ τὸ ἄδικον, οὐ θέλει δέ. Ἡμεῖς δέ φαμεν ὅτι ὥσπερ οὐ δύναται τὸ πεφυκὸς γλυκαίνειν, τῷ γλυκὺ τυγχάνειν, πικράζειν παρὰ τὴν αὐτοῦ μόνου αἰτίαν, οὐδὲ τὸ πεφυκὸς φωτίζειν τῷ εἶναι φῶς σκοτίζειν, οὕτως οὐδὲ ὁ Θεὸς δύναται ἀδικεῖν· ἐναντία γάρ ἐστιν αὐτοῦ τῇ θειότητι καὶ τῇ κατ' αὐτὴν πάσῃ δυνάμει ἡ τοῦ ἀδικεῖν δύναμις. Potest secundum nos omnia Deus; quæ cùm possit, non excedit à natura, qua Deus est & bonus & sapiens. At Celsus (quasi non intelligens quomodo dicatur omnia posse) ait eum nolle quicquam iniustum; concedens posse quidem id quod est iniustum, sed nolle. At nos dicimus; quam non potest id quod sua natura dulcedinem aliis indit; eo ipso quod dulce est, ea efficere amara: & quod sua natura illuminat, eo ipso quod lux est, obscurare: tam non posse Deum iniuste agere. Quia hæc iniquè agendi potentia contraria est eius Deitati, atque omnipotentiæ.* Audin' axioma Caluini? Potest Deus quicquid non est contrarium eius naturæ: eiusque sapientiæ. Ita Origenes. Caluinus: Cùm exigis, vt lux & tenebræ non differant, quid aliud, quàm ordinem sapientiæ peruertis?

XX. Hieronymus ad Eustochium. *Audacter dicam: cum omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam.* Sensus, non posse eam quæ corrupta est, in integrum restitui, vt sit virgo post corruptionem. Ratio facilis. Virgo est fœmina à viro non corrupta: ergo, si post corruptionem virgo; iam non virgo fit virgo: quæ contradictio est. Augustinus de Ciuitate libro quinto, capite decimo. *Neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire: sicut nec potestas eius minuitur, cum dicitur mori, fallique non posse. Sic enim hoc non potest, vt potius si posset, minoris esset vtique potestatis: Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non potest. Dicitur enim omnipotens, faciendo quod vult; & non patiendo quod non vult: quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Vnde præterea quædam non potest, quia omnipotens est.* De Natura & Gratia, capite quadragesimo nono. *Quia Dei multo magis est non peccare, num audebimus eum dicere & peccare posse & non peccare? absit à nobis, vt Deum peccare posse dicamus. Nonne, vt stulti putant, ideo non erit omnipotens, quia nec mori potest, & negare seipsum non potest.* Contra Faustum libri vigesimi sexti capite quinto. *Quisquis dicit, Si omnipotens est Deus, faciat, vt quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt hoc se dicere, Si omnipotens est, faciat vt ea quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint. Potest enim facere, vt aliquid non sit quod erat: tunc enim facit vt non sit, quando id esse inuenerit de quo fiat, velut cùm aliquem, qui cœpit esse nascendo, facit non esse moriendo: hoc enim factum inuenit de quo fieret. Qui*

autem dicat, vt id quod iam non est, faciat non esse? Quicquid enim præteritum est, iam non est: quòd si & de ipso fieri aliquid potest, adhuc est de quo fiat: & si est, quomodo præteritum est? non ergo est, quod verè dicimus fuisse: sed ideo verum est, illud fuisse, quia in nostra sententia verum est, non in ea re quæ iam non est. Sententia quippe, qua dicimus aliquid fuisse, ideò vera est, quia illud, de quo dicimus iam non est: hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati.

XXI. Ambrosius Epistola trigesima septima. *Nunquidnam mentitur Deus? Sed nõ mentitur, quia impoßibile est mentiri Deum. Impoßibile quoque istud, nunquidnam infirmitatis est? Non vtique. Nam, quomodo omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impoßibile? Non quod virtuti arduum, sed quod naturæ eius contrarium. Impoßibile, inquit, est ei mentiri: Impoßibile istud nõ infirmitatis est, sed virtutis & maiestatis, quia veritas nõ recipit mendacium: nec Dei virtus leuitatis errorem. Ideòque sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Veritas itaque semper in eo est: fidelis manet: mutare se & negare non potest. Si enim verum se negat, mentitur, mentiri autem non virtutis, sed infirmitatis est. Nec mutare se potest: quia natura eius non recipit infirmitatem. Hoc igitur impoßibile eius, plenitudinis est, quæ minuere se & augere non potest: non infirmitatis, quæ in eo quòd se auget, imbecilla est: ex quo colligitur impoßibile Dei potentißimum esse.*

XXII. Theodoretus Dialogi tertij capite quarto. Eranistes hæreticus, vt doceat Deitatem esse passam, ἡμεῖς, inquit, μεμαθήκαμεν ἅπαντα δυνατὰ τῷ Θεῷ. *Nos didicimus omnia Deo poßibilia.* Prorsus eadem ratione, qua nostri hodie hæretici, vt doceant transubstantiationẽ fieri. Theodoreti Orthodoxus respondet, ἀοριστως ἀποφαινόμενος συμπεριλαμβάνεις τῷ λόγῳ καὶ ὅσα προσήκει τῇ τοῦ διαβόλου μοίρᾳ· ὁ γὰρ ἁπλῶς πάντα εἰπὼν, καὶ τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ τούτων ἐναντία κατὰ ταυτὸν εἴρηκεν. *Quam indefinitè loqueris, comprehendis etiam ea, quæ diaboli partibus conueniunt. Qui enim simpliciter omnia dicit, simul bona & his contraria hoc ipso complectitur.* His positis: tum à potentia Dei excipit, peccare: item omnia, quæ naturæ diuinæ sunt contraria: qualia sunt: vt qui lux est, fiat tenebræ: qui inuisibilis visibilis: qui Pater idem Filius: qui ingenitus natus: vtque quod æternum, idem tempori obnoxium: infinitum finitum. Ad extremum, πολλὰ τοίνυν εὑρήκαμεν ἀδύνατα ὄντα τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ. *Multa igitur inuenimus impoßibilia omnipotenti Deo.* ἀλλὰ τὸ μὴ δυνηθῆναι τὰ τοιαῦτα ἀπείρου δυνάμεως ἐκ ἀληθείας τεκμήριον, τὸ δέ γε δυνηθῆναι ἀδυναμίας δεῖγμα, οὐ δυνάμεως. *Sed horum nihil posse, non infirmitatis; sed immensæ potentiæ certißimum signum est. Posse autem impotentiæ vtiq;, non potentiæ.*

XXIII. Sic ergo Scholastici, sic Veteres: sed & Scripturæ. Ad Hæbreos sexto, ἀδύνατον ψεύσασθαι Θεόν: *Impoßibile est mentiri Deum.* Posterioris ad Corinthios secundo. *Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Ad Galatas sexto. Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται. *Deus non irridetur.* Malachiæ tertio. *Ego Dominus, & non mutor.* Iacobi primo, ὁ Θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, *Deus tentari malis non potest.* Actorum decimo: οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός. *Non est personarum acceptor Deus.* Secundo ad Romanos, sexto ad Ephesios, tertio ad Colossenses, οὐκ ἔστι προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ. *Nulla est acceptio personarum apud Deum.*

XXIV. Prodeat Sanctesius, & accuset, si lubet (& Sycophantæ cur non lubeat?) non Caluinum, non Bezam, sed Spiritum Sanctum: sed Patres: sed Scholasticos suos tantùm non deos. Accuset hos, quasi solo nomine Deum agnoscentes: traducat tanquam ἀθέους. Imò, quam mentem, quod pectus Coccio fuisse dicemus, qui inter negantes omnipotentiam numerat nostros, qui hæc ipsa dixerunt, quæ Veteres, quæ Scholastici? In Thesauri tomo primo, articulo tertio, Bezam, qui dixerit, nunquam tria esse quatuor, aut triangulum quadrangulum: non posse quod fuerit, non fuisse: aut aliquid simul esse tale & non tale, Erasmum, qui Deum non posse facere, vt virgo, quæ corrupta est, sit non corrupta, non posse eodem temporis puncto velle aliquod & non velle; probare & non probare. Danæum: qui Deum non posse factum infectum reddere: mentem sine velle facere: Christum non posse se ingenitum reddere. Thalmannum, qui Deum non posse efficere, vt res aliqua simul actu fuerit aliquid, atque hoc idem non fuerit. Neostadianos, qui Deum non posse simul finitum, & incircumscriptum fieri. En tibi controuersiarum acutissimos traductores! En tibi hæreseon æstimatores omni exceptione maiores!

XXV. Porrò ad argumentum respondeo; non negari, Atheos iisdem argumentis abuti, quibus Catholici piè vti soleant. Sed si omnia repudiantur, quibus impij abutuntur, quid nobis remanebit integri? diabolus ipse non abutitur Scripturis? non abutitur Dei nomine? Nec tamen quisquam concludit, omnes esse diabolos, qui Scripturas, qui Dei nomen vsurpant. Et videant Sophistæ, ne dum inconsideratiùs aduersarius vulnerandis intendunt, seipsos suo gladio iugulent. Certè hoc ipso axiomate, Deo omnia esse possibilia, Eranistes hæreticus abutebatur: atque illud inculcabat serò; ὁ πολύαθλος Ἰὼβ ἀπολύτως εἴρηκεν, οἶδα ὅτι πάντα δύνασαι, ἀδυνατεῖ σοι δὲ οὐδέν. *An non generosus Iob vniuersaliter dixit, Scio te omnia posse & tibi nihil esse impoßibile?* Quum prius suum illud, didicimus omnia Deo esse possibilia, boasset: & rursos, οὐδὲν ἀδύνατον τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ, *nihil impoßibile omnipotenti Deo.* Quid ergo? cessabit-ne Sanctesios? cessabunt-ne reliqui Papistæ hoc ipsum vrgere? vt libet: dum cordati aduertant posse omnipotentiam infinitè vrgeri ab hæreticis, & posse limitationes siue exceptiones à Catholicis colligi. Itaq; nihil obstare quominos & Papistæ sint hæretici: & Caluinus, ac Beza Catholici.

XXVI. In secundo argumento Sanctesij, maior est extra controuersiam, nec veremur, ne eam Papistæ aut vehementius vrgeant, aut solidius demonstrent, aut religiosius commendent, atque obseruent: sed minor est impudenter falsa. Catholici enim contrà credunt, & seriò credunt, Christum Dominum nostrum instituentem Eucharistiæ Sacramentum, de pane, vero pane dixisse, *hoc est corpus meum:* verum, inquam, corpus illud, quod nobis natum ex Maria, pro nobis traditum est morti: nec aliter de vino: verùm, illud verum non est, τὸ γέννημα τῆς ἀμπέλου esse sanguinem Christi illum ipsum qui effusus est pro nobis. Hoc illi credũt, quia verbum est Dei, id quo Sacramentum instituitur: nec crederent nisi scirent esse verbum Dei: nec vllã aliam ob caussam, nisi quia, vt panis verus sic nobis corpus Christi, opus est Omnipotentia Sed hoc ipsum verbũ Dei, vndé seriò distinguũt à Papistarum

verbo:

verbo: quod eo ipso maximè conuincitur non esse verbum Dei; quia negat verum panem esse corpus Christi. Nam Deus non potest mentiri: mentiretur autem, si vtrumque diceret, & hic panis est corpus meum: & hic non panis est corpus meum.

XXVII. In tertio conceditur maior: sed negatur, siue Caluinum, siue Bezam, vniuersalia axiomata, quibus commendatur Dei omnipotentia, vllo modo euertere. Nec enim, si quid excipitur, ideo falsa erunt. Sed tantùm, si quid excipiatur eorum quæ pertinent ad omnipotentiam. Alioqui tum Veteres, tum Scriptura hoc crimen incurrerêt, & Bellarminus omnipotentiam euerteret, cùm negat institui posse sacramenta inuisibilia. Quum Scriptura pronunciat omnem hominem esse mendacem, Psalmo centesimo decimo sexto, & ad Romanos tertio: nemo id axioma falsum esse dixerit, si excipiatur Christus. Enimuerò generales propositiones homogenea tantùm comprehendunt: non verò etiam heterogenea. Et ille blasphemus sit, qui audiens quinto ad Romanos, omnes in Adamo peccasse, Christum ipsum in peccatoribus numeret. Mirum verò Papistas id non videre: nec se credere reos violatæ Scripturæ, quæ omnes sub peccato conclusos dicit: quum illi non Christum tantùm eximant, vt factum oportuit, sed etiam Virginem: & cùm audiant, *Non facies tibi vllum sculptile, aut vllam imaginem eorum, quæ sunt in cœlis sursum, aut in terra deorsum, quæque in aquis intra terram: non adorabis ea, neque coles.* Suas tamen excipiunt infinito numero pupas. Et quum audiunt *stipendium peccati mors*, tamen peccatum fingunt veniale.

XXVIII. In quarto, id quod de diserta Scriptura dicitur, distinguendum est. Nam si totidem verba, conceptæque voces postulantur, maior est falsa. Sufficit enim, dum certę habeantur Scripturæ auctoritates, ex quibus exceptiones deducâtur, confirmentur-ve. Quia est eadem conclusionis veritas & principiorum. Quòd si disceditur ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ, & sensus sit, eum, qui nulla auctoritate Scripturæ munitus, aliquid excipit, suo duntaxat sensu & arbitrio confisus, peccare: admittitur maior: sed minorem non tam facilè probabunt Sophistę, quàm audacter ponunt.

Cap. II.

Omnipotentiam à Catholicis non alligari verbo scripto.

I. SEcunda calumnia Caluino imputat, nihil Deum posse præter id quod in verbo suo pollicitus est. Huius quæstione centesima trigesima prima, Sanctesius itē in Atheismis: Hoc tertium est vinculum, inquit, quo Caluinus potentiam Dei retinet, ... licet eo abbreuiatam esse diminutamque, quòd multa pronunciauit nolle facere.

II. Ansa calumniæ ex paragrapho quinto capitis septimi in libro Institutionis secundo, qui locus, quanquam prolixus, tamen describendus est, vt ne sit non manifestissima calumnia. *Quod autem impossibilem legis obseruationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul & confirmandum. Solet enim vulgò absurdissima sententia videri, vt Hieronymus non dubitaret anathema illi denunciare. Quid visum sit Hieronymo, nihil moror: nos quid verum sit, inquiramus. Non texam longas ambages de variis possibilitatis generibus. Impossibile appello, quod nec fuit vnquam, & ne in posterum sit, Dei ordinatione ac decreto impeditur. Si ab vltima memoria repetamus, neminem Sanctorum extitisse dico, qui corpore mortis circundatus, ad eum dilectionis scopum pertigerit, vt ex toto corde & ex tota mente, ex tota anima, ex tota potentia Deum amaret: neminem rursum qui non concupiscentia laborarit. Quis reclamet? Video quidem quales nobis Sanctos imaginetur stulta superstitio, quorum scilicet puritati vix cælestes Angeli respondeant, sed repugnante tum Scriptura, tum experientia ratione. Dico item, neminem posthac futurum, qui ad veræ perfectionis metam peruenturus sit, nisi corporis mole solutus. In hanc rem primùm suppetunt aperta Scripturæ testimonia.* Et enumeratis aliquot, tandem, *Quicquid autem Scriptura prædictum est, id pro perpetuo, adeóque pro necessario haberi decet. Eiusmodi argutiâ vexabant Augustinum Pelagiani, iniuriam fieri Deo, si plus iubeat, quàm per eius gratiam præstare possent fideles. Ille, vt effugeret calumniam, fatebatur, posse quidem Dominum, si vellet, hominem mortalem in Angelicam puritatem euehere: sed nec fecisse vnquam, nec facturum, quod aliter in Scriptura asseruisset. Id neque ego inficior: sed addo tamen importunè de potentia Dei disputari contra eius veritatem: ideo cauillis non esse obnoxiam sententiam, si quis dicat fieri non posse, quod non futurum Scripturæ pronunciant. Verum, si de verbo disputatur, Dominus, rogantibus discipulis, quis posset saluus esse, respondit apud homines id quidem impossibile, apud Deum verò omnia possibilia. Validissima etiam ratione id contendit Augustinus.* Et paulò post. *Sit ergo extra controuersiam, impossibile esse in hac carne legis impletionem, si natura nostra impotentiam intuemur.*

III. Hæc Caluinus; in his quid reprehendant videte; & attēdite immanem Sophisticem. Eliciunt Caluinum asserere nihil Deo esse possibile, præter ea quæ in Scriptura ipse declarauit se facturum. Et contrà disputat Sanctesius, corrogatis multis Scripturæ locis, potuisse Christum à Patre eripi: ipsum etiam à se vitare mortem; quantumuis aliter decretum fuisset: & similia nonnulla. Ast ego à Caluino, siue hîc, siue vsquam alibi, id scriptum, dictum, somniatum pernego. Imò verò hoc Institutionis loco agi de potentia Dei, siue de vlla re, quæ sit Deo impossibilis, pernego. Quare otiosè Sanctesius declamauit, id probare satagens, quod Caluinus vel dormiens, longè sciebat certius, longè credebat firmius, quàm Sanctesius nunquam vigilans. Ventilet ille sane pro arbitrio id monstrum, quod ipse sibi confinxit: id certè Caluini interest nihil.

IV. Sed Haio necesse est satisfacere, quanquam pueriliter argutanti. Caluinus, inquit, vult id esse impossibile, quod nunquam fuit, ne in posterum sit, Dei ordinatione ac decreto impeditur. At si hæc impossibilis definitio bona est, necesse erit negari omnipotentiam. Quid autem? Quia scriptum sit Matthæi decimo nono, *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Quærit ergo, vtrum censeamus hac generalitate contineri ea, quæ nunquam fuerunt, nec futura sunt: an verò negemus. Si negatis, inquit, ergo ostendite Filium Dei non potuisse vocari naturæ Angelicę; aut non posse in nihilum redigere omnia.

V. Respondeo, primùm terminos Caluini mutari

in alios ab Haio nimium nequitet. Caluinus enim A ret. impossibile dixit. At non dixit à Deo fieri non posse. At illud non semper hoc infert; nedum significet. Clariùs, nego quicquid impossibile dicitur, id à Deo fieri non posse. Lucæ decimo septimo. *Impossibile est vt non veniant scandala.* Ad Hebræos sexto. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati & prolapsi, rursus illuminari.* An blasphemiæ accusabunt Paulum? accusabunt Christum, Sophistæ, quasi dixerint hæc esse Deo impossibilia? quasique Dei potentiam mutilauerint? Imò conuertuntur quidem impossibile & quod fieri non potest. At non conuertuntur impossibile, & quod fieri non potest à Deo. Nam, etsi quicquid fieri non potest à Deo (vt peccare, vt mentiri) est impossibile, tamen non quicquid est impossibile, statim à Deo fieri non potest. Quis enim neget Deum posse efficere, vt ne eueniant scandala? posse innouare eum, qui lapsus fuerit? & tamen verissimè vtrumque appellatum est impossibile à Scriptura. Simili ratione, etsi id, de quo Caluinus loquitur, fieri posset à Deo, tamen potest appellari à Caluino impossibile. Cur non? cùm Dominicus à Soto, de Natura & Gratia libro tertio, capite quarto, *Illud*, inquit, *Sancti vocarunt impossibile, non quod Deus non posset facere, sed quod nondum fecit*: longè dilutius, quàm Caluinus.

VI. Secundò, nego à Caluino definiri impossibile, siue, vt loquitur Haius, vocabulum impossibilis. Tantùm distingui, vt qua notione eo loco vsurpetur, legentibus constet. Disertissima verba. *Non texam longas ambages de variis possibilitatis generibus, impossibile appello.* Quis tam stolidè Dauus est, vt Oedipo opus habeat? Non enim ænigmata Caluinus loquitur. Testatur se varia genera possibilitatis agnoscere. Non est ergo sani cerebri putare omnia genera hac dispensatione includi. Imò sensus est, Caluinum non quolibet modo, aut quauis notione, quancumque quisque volet, impossibile nominare in hoc capite de Impletione legis: sed hoc tantummodò, quem sequentibus verbis explicat, quibus in calumniam abutuntur Sycophantæ. Quasi diceret, eatenus impossibilem appello legis adimpletionem; quatenus impossibile appellari solet, quod nec accidit vnquam, nec vnquam futurum est, propter certum Dei decretum. Et potuit etiam secundùm Aristotelem; quo auctore, ἀδύνατον est ὃ τὸ ἐναντίον ἐξ ἀνάγκης ἀληθές, quarti Metaphysicorũ duodecimo. Est autẽ necessariò verum id, quod à Deo decretum est, quatenus decretum est, futurum esse. Ergo impossibile est id, quod à Deo decretum est, non futurum. Et cur non posset, si potuit Dominicus à Soto apud Patres concipere, impossibile quod Deus nondum fecerit.

VII. Tertiò, cùm impossibilis variæ distinctiones esse possint, tum hæc inter alias; vt quædam dicantur impossibilia hominibus, quædam Deo. Matthæi decimo nono. *Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Ergo, non necessariò blasphemus est in Deum quisquis aliquid dicit impossibile. Quia hominum infirmitas nihil derogat Dei potentiæ infinitæ.

VIII. Quo modo ergo Caluinus, quòve sensu vocauit impossibile? Nisi captus oculis mentis nemo hoc non videt: nam primò, quòd Augustinus dixit, Deum posse hominem euehere in Angelicam puritatem: negauit se negare. Atqui erat necessariò negandum, si impotentiam Deo affingeret. Nam quis tam stupidus fingi possit, vt non sentiat, hæc duo se mutuò perimere, Deus potest hominem euehere in Angelicam puritatem: & Deus efficere non potest, vt homo totam legem præstet? Cùm igitur illud pro vero concesserit, nemo, nisi Sycophanta, non videt, nec istud quidem ab eo assertum esse.

IX. Et id ipsum euincunt ea verba, quibus suam sententiam explanat in conclusione. *Sit ergo extra controuersiam*, inquit, *impossibile esse in carne legis implementum, si natura nostra impotentiam intueamur.* Quæ verba qui non aduertunt, eos oportet sibi ipsis ipsos oculos eruisse: qui animaduertunt, nec ponderant, quales dicemus? Non dicit, Impossibile esse dico: non dicit, Impossibile, si Dei potentiam intueamur, ne homini quidem impossibile dicit, si supponatur ea potentia. Sed dicit esse impossibil...i naturæ nostræ potentiam intueamur: Ergo non Dei, sed nostri respectu, negauit fieri posse, vt lex impleatur: impossibile ergo nobis, id est, homini, non Deo.

X. Quid hoc? *Si de verbo disputatur, Dominus rogantibus discipulis, quis posset saluus esse, respondit, Apud homines quidẽ impossibile, apud Deũ verò omnia possibilia.* Hæccine Sophistas nõ vidisse? Malitiâ ergo cæcatos oportuit. Hoccine dissimulasse? Eant, & se Sycophãtas negẽt. *Si de verbo*, inquit, *disputatur.* Præuidit futurum, quod nos videmus impletum nonnullos ex impossibilitatis occasione sibi calumniam structuros; Ergo occupauit. Si quis igitur (inquit, nam hic sensus est) contendat non propterea impossibile dicendum hoc legis implementum, quòd ab hominibus præstari nequeat. Respondeo contrà, & posse & debere sic appellari: quia docuit Christus, ea, quæ ab hominibus fieri nequeunt, dici impossibilia, quamuis Deo possibilia.

XI. Nempe igitur non Caluinus, aut hæreticus, aut vllo modo blasphemus, sed nequissimi Sycophantæ nostri sunt Sophistæ, qui absolutè vel putant, vel putare volunt absolutè Caluinum dicere impossibile, quod ille tantùm κατά τι dixit. Nec tamen contra vsum: quomodo sibi illi permittunt abuti nominibus in suum sensum, nulli præterea cognitum, sed vt solet communis vsus esse, vt quotidie loquuntur omnes. Adeo sibi ipsi didicerunt indulgere, cùm in alios sint vsque ad crudelitatem seueri.

XII. Sed rursus argutatur Haius: Caluinus asserit importune de Potentia Dei disputari contra eius veritatem. Ergo, Caluino iudice, qui de potentia absoluta disputat, contradicit Scripturæ. Deinde, ergo Deus nihil potest, quod non promiserit verbo scripto: cur autem; inquam? Quia veritatem Caluinus appellat verbum scriptum.

XIV. Respondeo primùm, Veritatem Dei à Caluino nominari hoc quidè in loco vniuersaliter, pro eo attributo, quo Deus appellatur ipsissima veritas, vt sit sensus, nunquam disserendum de Potentia Dei ad hoc, vel illud efficiendum, cùm in contrariam partem constat de eius veritate, quocumque tandem modo constet; siue scripto, siue aliter: exempli gratia, constabat ab initio Deum velle, vt semen mulieris caput serpentis contereret: constabat autem, non scripto ante Mosem, sed viua voce, ex diserta promissione. Caluinus, si Iesuitam apposuisset habuisset sophisticulè argutantem genus humanum redimendum per cucurbitam; quia posset Deus omnipotens sibi

suppositate

suppositare cucurbitulam, sic enim in Scholis disputatum fuit: vnum hoc respondisset, Importunè quæri de potentia Dei contra eius veritatem. Sic, etsi nunquam prædixerit Deus se non restauraturum virginem post lapsum, tamen non minùs rectè dixit Hieronymus, non posse restaurari, quia hoc ipsum constat non consistere cum Dei veritate: vnde autem constat? ex naturali lumine; quo docetur facta infecta fieri non posse.

XIV. Secundò, nego Caluinum his verbis definire quid sit possibile, aut non sit, sed tantùm dicere, non disputandum contra veritatem Dei, hoc est, cùm constat Deum aliquid decreuisse in alterutram partem, vt fiat, aut non fiat; siue id aliàs sit possibile siue impossibile, tamen simpliciter credendum, quomodo Deus declarauit se decreuisse. Exempli gratiâ: promiserat Abrahamo semen ex Sara; vterque erat effœtus; ac pro ordine naturæ excesserat spem prolis. Non debuit tamen Abraham, non debuit Sara, contra eius promissionis veritatem disputare vllomodo; illàve ratione induci, vt id negaret futurum. Sic, quando audimus disertè scriptum, *Nullum per legem iustificari apud Deum*: tertio ad Galatas: non tantùm frustra, sed etiam importunè quærunt Papistæ, possit Deus nec-ne efficere, vt homo legem impleat. Nam etsi hoc possit: tamen fieri non potest, vt illud aliquando, vel in vllo homuncione sit falsum. Ratio: quia mendax constitueretur is cuius omnipotentia prætenditur. Atqui si mendax, ergo non omnipotens.

XV. Itaque Hayi consequentiæ sunt ineptæ. Prima: ergo contradicit Scripturæ, qui de absoluta potentia disputat. Rectè, inquam, si fateatur absolutam potentiam contradicere veritati: vt illam inordinatam, quam Caluinus oppugnabit proximo capite. Sin autem aliter, vident omnes τὸ ἀνακόλουθον. Altera: ergo Deus nihil potest præter ea, quæ promisit verbo scripto: non potuit magis ridicule concipi. Non enim quæcunque sunt præter verbum scriptum, ea sunt contra Dei veritatem. Itaque est falsissimum est, ea posse euenire, quæ Deus declarauit non euentura: tamen multa quotidie eueniunt (non eueniunt autem absque eius prouidentia) quæ tamen nusquam promissa sunt, ac propterea sunt præter Scripturam. Non euenirent autem hæc ipsa, si prædixisset non euentura.

CAP. III.

Dei potentiam eiusdem natura definiri.

TErtia calumnia: A Caluino negari omnipotentiam absolutam. Sanctesius. Veteres Christiani omnes agnouerunt Deum posse infinita operari, quæ nunquã aut fecerit, aut facturus sit: & quoties vult miracula operari, id facit supra naturã, ac quarum libet creaturarum captum. Propterea Theologi duplicem potentiã Dei statuunt: vnam ordinatam, qua Deus producit regitque ordinatos effectus, atque actiones tum suas, tum creaturarum; iuxta legem à se naturæ impositam, ordinémque mundo assignatum. Alteram absolutam, qua idem infinita potest supra omnem legem ordinémque mundi, tam terrestrem, quàm cælestem. Caluinus autem, vt potentiam Dei cogat in ordinem, eámque metiatur ex ordine mundi, ex lege & sapientia hominibus manifestata, imò accommodata iudicio humano, hanc distinctionem irridet, nominátque Sorbonistarum blasphemiam.

II. Hæc accusatio est. In qua illud de cogenda in ordinem potentia Dei, metiendáque ex ordine mundi, captuque hominum; non tantùm falsò, sed etiam malitiosè additum: quia vidit Sycophanta, si nudè sententiam recitaret tanti viri, non satis futuram ad concitandam inuidiam, Itaque necessariò geminandam calumniam, vt quæ non possent singulæ, multæ iuuarent. At ille profectò, tam piè, tam reuerenter de Dei rebus loquutus est semper, vt nemo magis; & de hac ipsa omnipotentia, cùm aliàs, tum libro de æterna Prædestinatione, ex quo hanc accusationem concinnauit Sanctesius: *Mira sanè*, inquit, *hominum rabies, qui Deum sibi audacius subiicere, quàm paganum aliquem iudicem æquare, non verentur. Tibi molestum est ac odiosum Deum plus posse, & facere, quàm mẽs tua capiat æquali autem tuo interdum concedes, vt suo iudicio fruatur.* En tibi hominem, qui potentiam Dei metiatur humano captu! qui coerceat intra fines rationis mortalis.

III. Sed de hac potentia absoluta locos Caluini describam: postea videro, quo artificio calumnia structa sit. Institutionis libro tertio capitis vigesimi tertij paragrapho secundo. *Neque tamen commentum ingerimus absolutæ potentiæ: quod sicuti profanum est, ita merito detestabile nobis esse debet. Non fingimus Deum exlegem, qui sibi lex est: quia, vt ait Plato, lege indigent homines, qui cupiditatibus laborant. Dei autem voluntas non modo ab omni vitio pura, sed summa perfectionis regula, etiam legum omnium lex est.* De æterna Dei prædestinatione. *Si velle se ac iubere pronunciet mortalis homo, vt pro ratione sit sua voluntas, tyrannicam esse vocem fateor: sed id ad Deum transferre sacrilegi est furoris. Neque enim quicquam Deo immoderatum affingere licet; vt in eo sicut in hominibus exultet libido, sed merito hoc honoris defertur eius voluntati, vt pro ratione valeat, quando omnis iustitiæ fons est ac regula. Nam quæ in schola trita est, de duplici eius voluntate distinctio, à nobis minimè admittitur. Voluntatem Dei aliam ordinatam, aliam absolutam garriunt Sorbonici Sophistæ. Hæc blasphemia, à qua meritò abhorrent piæ aures, Pighio & similibus esse plausibilis. Ego autem ex aduerso contendo, adeo nihil esse in Deo inordinatum, vt inde potius fluat, quicquid est in cælo & in terra ordinis.* Et eodem libro paulò ante finem: *Quis nisi persuasionem hanc animo penitus infixam habeat, iustum esse Deum & recta eius opera, in solo eius placito acquiescet? Itaque Sorbonicum illud dogma, in quo sibi plaudunt Papales Theologastri, detestor, quod potentiam Deo absolutam affingit. Solis enim lucem à calore auellere, imò suum ab igne calorem, facilius erit, quàm Dei potentiam separare à iustitia. Facessant igitur procul à piis mentibus monstrosa illæ speculationes, plus aliquid Deum posse quàm conueniat: vel eum sine modo & ratione quicquam agere. Nec verò commentum illud recipio, Deum, quia lege solutus sit, quicquid agat, reprehensione vacare. Deum enim exlegem qui facit, maxima eum gloriæ suæ parte spoliat, quia rectitudinem eius ac iustitiam sepelit. Non quòd legi subiectus sit Deus, nisi quatenus ipse sibi lex est. Talis enim est inter potentiam eius ac iustitiam symmetria, & consensus, vt nihil ab ipso nisi moderatum, legitimum, ac regulare prodeat.* In Esaiæ caput vigesimum tertium ad versum nonum. *Ex hoc loco discamus prouidentiam Dei sic nobis considerandam esse, vt omnipotentiæ eius laudem, & gloriam tribuamus. Sapien-*

tia enim & Iustitia Dei, semper cum virtute eius coniungēda est. Quemadmodum ergo Scripturæ docent Dominū hoc vel illud facere iustitia & sapientia sua; ita docēt certum finem cur hoc vel illud faciat. Nam commentum illud de absoluta potentia Dei, quod Scholastici inuexerunt, execranda est blasphemia. Idem enim est, ac si Deum tyrannum quendam esse diceres pro libidine, non æquitate, aliquid statuentem. Talibus blasphemiis referta sunt eorum schola: neque absimiles sunt Ethnicis, qui Deum in rebus humanis ludere aiebant. Nos verò in schola Christi docemur, iustitiam Dei relucere in operibus ipsius cuiusque modi: vt obstruantur omnium ora, & gloria ipsi soli tribuatur.

IV. Ex his illud satis perspicuum, valde displicuisse Caluino distinctionem potentiæ Dei in ordinatam, & absolutam. Quæ quidem si nulla alia fuit, quàm quomodo Sanctesius paulò antè explicabat, fateor immeritò Caluinum exarsisse: non potest enim quicquam magis piè dici, quàm primò Deum producere moderarique ordinarios naturæ effectus. Secundò multa item efficere præter ordinem naturæ. Anathema, quicunque horum negabit alterutrum. Et quanquam nonnihil in nominibus ordinatæ & absolutæ vitij esset: vix enim solet inordinatum sonare in bonam partem: tamen, quia cùm de re constat, frustranea est λογομαχία, id quicquid esset, facilè esset condonandum. Dico, testor, spondeo: & si quid amplius opus est, mihi tum Caluino, tum nobis omnibus Catholicis illud esse persuasissimum, quod Basilius scriptum reliquit primo Hexaemeri τὸν τοῦ παντὸς τούτου δημιουργὸν οὐχ ἑνὶ κόσμῳ σύμμετρον ἔχειν τὴν ποιητικὴν δύναμιν, ἀλλ' εἰς τὸ ἀπειροπλάσιον ὑπερβαίνουσαν, *vniuersi huius opificem suam illam effectricem potentiam non habuisse commensuratam vni mundo, sed in infinitum excedentem.*

V. Sed video Sanctesium siue præ imperitia nescisse; siue præ vafritie dissimulasse, Scholarum de hac distinctione sententiam. Nam certè Scholastici, cùm huc deuenerunt, ita plenis feruntur velis, vt sibi reipsa ostendant nihil esse non inordinatum, adeò nihil est tam absurdum, tam alienum à ratione, de quo non disputent. Alstenstaig in dictionario, à Magistro, & aliis asseri dicit, Deum quædam posse de potentia, quæ non possit de Iustitia. Horrendum dictu, quasi vllo casu, fingi possit Deus abscedere à Iustitia. Consulantur Scholastici in distinctionem quadragesimam quartam primi Sententiarum, & videbit quisque, quàm non immeritò Caluinus ab hac distinctione fuerit alienus. Communis quæstio est. Vtrum potuerit Deus mundum creare meliorem. Alij addunt, vtrum potuerit infinitos mundos. De Orbellis. *Deus ex potentia absoluta potest saluare Iudam: licet à sapientia eius lex vniuersalis emanauerit, quòd omnis finaliter malus damnabitur.* Altenstaig. *Multa Deus potest de potentia absoluta, quæ non facit de potentia ordinata. Sicut de potentia ordinata non infligit Deus pœnam, nisi præcesserit culpa: nec culpa remittitur, nisi gratia gratum faciens infundatur.* Ex his conclude; posse de potentia absoluta infligere pœnam, nulla præcedente culpa: remittere etiam culpam nulla infusa gratia gratum faciente. Atque, en tibi thesaurum absolutæ potentiæ.

VI. Quid plura? Nullæ sunt ad hanc absolutam potentiam quæstiones, quæ non aliquid monstrosum habeant: aut tale saltem, quale certum sit nunquam fuisse, nunquam futurum: vt Almain in distinctionem primam tertij, quæstione secūda, *Est communis opinio, quod Deus potest sibi vnire hypostatice, aut personaliter indifferenter quamlibet creaturā, siue rationalē siue irrationalē.* Horrendū. Itáne, vt per hanc potentiā absolutam æquè potuerit esse verus Deus & verus lapis? Parum dico; & tu mihi, ô Deus, ignosce, non nisi inuito ad has deuenienti blasphemias: æquè potuerit dici verè Deus, & verè dæmon, ac verè Deus, & verè homo. O portenta! O scelera! Cuidam quærenti quid ageret Deus, antequam mundum crearet, respondit quispiam, infernum condere, quo exciperet huiusmodi quæstionum autores. At tu, vir bone, nunquam incideras in istos nostros Sophistas: quibus, quot inferna sufficerent, si illis tuis vnum erat necessarium? Bene Cyrillus aduersus Anthropomorphitas capite decimo tertio, [illegible] Stolidas istas interrogationes, & in quibus est absurditas multa, oportet omnino non admitti.

VII. Quid mihi tu, Sanctesi, istam narras absolutam potentiam ad patranda miracula? Vin' tibi credam soli? Nam tui illi Scholastici Patres huius inordinationis, cùm ad eam deferuntur, de miraculis, magis muti sunt quàm pisces: de portentosis suis somniationibus loquacissimi. Credam ergo his potius quàm tibi? & absolutam potentiam imaginabor [illegible], quo vos cum libebit possitis fucare monstrosas imaginationes tam indignas viris piis, quàm dignas nugacibus Sophistis?

VIII. Erant hæc indigna Theologis Sed audite Armandum de Bellouisu tractatu secundo, capite nono. *Potentia Dei absoluta dicitur posse suum vel potestas sua absolutè considerata, sine respectu habito ad aliquod attributum diuinum. Potentia autem ordinata dicitur Potentia Dei ordinata ab aliquod attributum, vel iustitiam, vel sapientiam, vel clementiam, & eiusmodi.* Deus bone! quod genus hoc portenti est? Itáne, Deum aliquid posse, nec sapienter, nec iustè, nec clementer? Quid hoc est, si non est discerpere infinitam & simplicissimam essentiam? Nam illa quidem paulò antè enumerata, etsi erant illa horrenda, tamen Deum potentem comparabant cum creatura, ordineque naturæ, in qua nihil est admittendum, quod obstare possit voluntati Diuinæ. Sed hæc ipsum Deum sibi comparat: imò non comparat, sed opponit, quod non potest absque immani sacrilegio.

IX. Hoc igitur potentiæ inordinatæ somnium Caluinus exagitauit: non volens inordinatum in Deo quicquam patienter audire, quem certo certius sciebat ordinis fontem. Interea nullam legem præscribi præter ipsius voluntatem, quæ non possit esse non iusta. Ita verè omnipotens constituitur, nec aliter poterit. Potest omnia, aiebat Origenes, quæ cùm possit, non exit à natura, hoc est, à sapientia, à bonitate: cur non æque à voluntate? Imò Augustinus capite Enchiridij nonagesimo sexto. *Neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, nisi, quia quicquid vult, potest, nec voluntate cuiuspiam creatura voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et Chrysostomus expositione secunda Symboli, quanquam credo esse potius Augustini: certè autoris Latini: *Omnipotens dicitur quia posse ipsius non potest inuenire non posse, dicente Propheta, Omnia*

quæcumque

quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra. Ipsa ergo omnipotentia, vt totum quod vult possit. Isidorus Pelusiota Epistola centesima decima septima libri secundi. Εἰ ἐρωτηθείημεν, εἰ πάντα τῷ Θεῷ δυνατά, ὁμολογήσωμεν τὰ ἀκόλουθα αὐτοῦ, καὶ οὕτω λύσομεν ἀναιρετικὰς ζητήσεις· δύναται μὲν γὰρ πάντα, βούλεται δὲ τὰ ἄριστα. *Si quæratur à nobis, an sint omnia Deo possibilia, respondeamus consentanea ei: & ita soluta erit omnis inutilis quæstio.* Potest quidem omnia, vult autem optima. Damascenus Orthodoxæ fidei libri primi capite octauo, varia Dei nomina enarrans, δύναμιν, inquit, οὐδενὶ μέτρῳ γνωριζομένην, μόνῳ δὲ τῷ οἰκείῳ βουλήματι μετρουμένην, πάντα γὰρ ὅσα θέλει δύναται. *Potentiam nulla mensura cognitam, sed sola propria voluntate mensuratam: omnia enim, quæcumque vult, potest.* Alcuinus de diuinis officiis capite quadragesimoprimo, vbi est explicatio Symboli. Omnipotens dicitur, eo quòd omnia potest. Et quare dicitur omnipotens, cùm omnia non possit? mentiri non potest, quia immutabilis est. Sed sciendum, quia quicquid illum decet, potest. Optimè: neque vnquam aliter Caluinus respondisset.

X. Hoc posito fundamento, confidenter Caluinus argumentatur, à natura voluntatis Dei, contra inordinatam illam potentiam. Quicquid inordinatum est, vitiosum est. At in potentia Dei nihil est vitiosum. Ergo potentia Dei non est inordinata. Quicquid est inordinatum, est sine lege. At Dei potentia non est sine lege: ergo non est inordinata. Probatur minor: quia Deus ipse sibi lex est. Nullus autor ordinis est inordinatus. At Deus est autor ordinis: ergo non est inordinatus. Si potentia Dei est inordinata, ergo separatur ab eius sapientia. At hoc est impossibile. Ergo nulla est potentia Dei inordinata. Hæc & alia sunt argumenta Caluini: quæ perpensa oportuit ab aduersariis. Sed hi Sycophantarum partes assumere maluerunt.

XI. Argumentantur, Deum posse facere multa, quæ nunquam fecit, aut facturus est vnquam. Ex Matthæi vigesimo sexto. *An putas me non posse nunc rogare Patrem meum, qui huc sistat mihi plures quam duodecim legiones Angelorum?* Lucæ tertio. *Dico vobis posse Deum etiam ex lapidibus istis excitare liberos Abrahæ.* Ex alia nonnulla: etiam ex Patribus. Quasi sic concludentes: Quicumque multò plura potest quàm vnquam aut fecerit, aut facturus sit, ille habet potentiam inordinatam. At Deus id potest. Ergo habet potentiam inordinatam.

XII. Respondeo, negari maiorem. Nam in minore probanda, cur sese frustra fatigant homunculi? Enimverò magnum præstant, qui de Deo id probant, quod de quolibet homuncione nemo neget. Certè sese Paulus dicit potuisse ducere mulierem sororem: quod tamen fecit nunquam. Dauid potuit Saulem occidere. Absit ergo vt negemus, Deum, si vellet, posse plura facere, quàm quæ facit. Maiorem ergo debuerant Sophistæ confirmare. Vincerent si confirmarent. Sed obstant Caluini demonstrationes: Inordinatum illud est, quod ordine caret, quod sapientiæ contrarium est, quod legem nullam habet: ideóque à iustitia aberrat. Quomodo cùm negantur posse à Deo pœnas infligi, nulla præcedente culpa. Hoc monstrum Caluinus impugnauit: quod cum ea potentia, quæ est supra ordinem naturæ, nihil habet commune.

XIII. Nempe, duplex est ordo: alter creatus, qui consideratur in vniuerso mundo, ab initio ad finem, à summis ad infima. Alter increatus, in ipsa Dei voluntate, quæ à sapientia nullo modo separari, vix etiam distingui potest: quamuis nos balbutiendo de rebus infinitis, distinguamus ex nostro captu. Nam in Deo certum idem esse potentiam, voluntatem, sapientiam, maiestatem, reliqua. Ab illo ordine creato rectè potentia diuina absoluitur: & quicumque sic docent, verissime docent: neque vnquam Caluinus contradicit. Ab hoc ordine quæ discedunt, cùm ei sint obnoxia, vitiosa sunt, & inordinata appellantur. At ordinem illum increatum quisquis à Deo separabit, vt sic dicat, Deum aliquid posse inordinatè: næ ille se frustra vertat in omnes partes: non enim effugiet impietatem.

CAP. IV.

Confessio Catholicorum de Dei Prouidentia.

I. AD Dei Prouidentiam venio: de qua sic docent Catholici in Gallicæ confessionis articulo octauo. *Credimus Deum omnia non tantùm creasse, sed etiam regere & gubernare, vt qui pro sua voluntate disponat, & ordinet quicquid in mundo euenit. Negamus tamen illum esse authorem mali, aut eorum, quæ perperam fiunt, vllam culpam in ipsum transferri posse, cum ipsius voluntas sit summa & certissima omnis iustitiæ norma. Habet autem ipse admirabiles, potius quam explicabiles rationes, ex quibus sic vtitur diabolis omnibus, & peccantibus hominibus, tanquam instrumentis, vt quicquid illi malè agunt, id ipse sicut iustè ordinauit; sic etiam in bonum conuertat. Itaque dum confitemur, nihil prorsus, non interueniente ipsius prouidentia & ordinatione fieri, humiliter adoramus arcana nobis occulta, neque in ea, quæ captum nostrum superant, inquirimus. Imò verò vsui nostro applicamus, quod Scriptura, quietis, & tranquillitatis nostræ caussa, docet: Deum videlicet, cui res omnes subiecta sunt, paterna sollicitudine pro nobis excubare, adeo vt ne pilus quidem capitis nostri defluat absque eius voluntate. Satanam autem, & omnes nostros aduersarios, sic tenere constrictos, vt nisi potestate ipsis facta, ne tantillum quidem nobis incommodare possint.*

II. Hanc de Prouidentia doctrinam latiùs exequitur Caluinus Institutionis libro primo, capite decimo sexto & septimo: & libro de æterna Dei Prædestinatione. Beza in breui explicatione totius Christianismi: In abstersione calumniarum Heshusij. Musculus in locis communibus. Bulingerus Decadis quartæ sermone quarto. Zanchius de Natura Dei libri quinti capite primo. Zacharias Vrsinus in summa Religionis Christianæ. Quorum proliziores tractatus in hanc Epitomen redigere libet.

III. Nunquam bene intelligitur, quid sit Deum esse Creatorem cæli & terræ, nisi ad eius prouidentiam perueniatur: cuius natura in hunc modum colligitur è Scripturis: vt qui omnium creator, idem in perpetuum conseruator sit & moderator. Nec enim magis consistere posse mundum ab eo non conseruatum, quàm omnino existere non creatum.

IV. Conseruatur autẽ, non vt vniuersali quadam motione, tam orbis machinam, quàm singulas partes agiter Deus: sed singulari prouidentia vnum quodque eorum, quæ quomodocumque sunt, ad minimum vsq; passerem, imò & capillum, sustineat, foueat, curet.

V. Omninóque cauendum, ne omnipotentiam cogitemus, inanem, otiosam, aut sopitam, sed potius vigilem, efficacem, operosam, sempérque in actu continuo: aut esse tantùm generale principium confusi motus, tanquam fluuium, per alueum semel præfixum fluere iuberet: sed ad singulos potius & particulares motus intentam esse. Et si imaginibus quibusdam placet hanc doctrinam ob oculos ponere, ne cogitetur Deus instar fabri cuiuspiam, qui horologium pulchrè concinnatum, ponderibus semel elatis, otiosè spectat spatium suum totarum, denticulorúmque adminiculo decurrere. Sed potius periti cuiusdam in morem musici, qui fidibus sic vtitur, vt singulos tonos & concentus totidem pulsibus efficiat.

VI. Rursus verò, ne quis putet hanc operosam prouidentiam in dies & horas, atque è re præsenti humano more consilium capere. Est enim ab æterno: eique certum suum constat de singulis euentibus decretum, ante omne tempus, adeo vt sine hoc omnipotentis Dei æterno decreto nihil fiat vspiam, vnquam à quoquam, neque vniuersaliter, neque specialiter, ne iis quidem exceptis operibus, quæ vitio creaturarum, mala & dicuntur, & verè sunt. Hoc idem decretum, non tantùm ab æterno est, sed etiam certum, ratum, infallibile, immutabile, ac proinde euentus habet hac quidem ratione necessarios: nempe, quatenus id necessarium dicitur, quod aliter habere se non potest: & quidem, non secundarum causarum habita ratione, quæ sæpissime contingenter, nonnullę etiam voluntariè agunt: sed tantùm summæ caussæ, quæ cùm sit ęterna & verissima, frustra esse nunquam potest.

VII. Itaque hæc prouidentia, non tantùm finem vltimum sibi proponit rerum, de quibus statuit, imò quem statuit: sed etiam media omnia ad eum finem tendentia: Ita vt ne media quidem sint, nisi quatenus ordinata à Deo: nec minus certus sit eorum concursus, quàm ipse finis: & æque eadem̃que ratione necessarius.

VIII. Quare prouidentia nunquam est sine prædestinatione: nec differt hæc ab illa nisi ratione, & nostri gratia: qui, quia omnia quæ de Deo dicuntur, nõ possumus simplicissime, vt sunt in eo, considerare; necesse habemus quasi particularim distinguere: vnde est, vt voluntas distinguatur à sapientia: hæc ab omnipotentia: non quia aliud sit Deo velle, aliud sapere, aliud posse: sed quia nobis docendis illa necessariò distinctè proponenda. Dicitur ergo prouidentia, generaliter, quatenus rebus omnibus prouidet, infinita sapientia sua. Prædestinatio specialiter, quatenus singula destinat ad suum vsum, siue finem, ad quem etiam media disponit.

IX. Opponitur autem hæc doctrina gemino errori, quorum prior fortunam ponit, fortuitósque euentus, id est, cæcum temerariúmque rerum successum. Quasi id Deum deceret: quod est indignum quouis non insano patrefamilias, cujus partes sunt, domui suæ ita prouidere, vt nihil neglectum relinquat.

X. Alter statuit in Deo nudam præscientiam, quæ nullo modo caussa sit rerum futurarum: sed tantùm anticipata cognitio: quomodo Astrologorum peritissimi, multis non diebus tantùm, sed annis etiam antè prædicunt Lunæ Solisque labores, quàm eueniant: ita tamen, vt non tantùm eos non efficiant, sed etiam prorsus nihil ad eos conferant, quò eueniant, vel non eueniant.

CAP. V.

Status controuersiæ de contingentia & necessitate.

I. DE Prouidentia disputatur duobus capitibus: quorum primum est de contingentia & necessitate euentuum; secundum de Auctore peccati. Controuersiam de contingentia & necessitate, grauiter exagitant Sanctesius in Atheismis: Albertus Pighius de libero arbitrio, libro octauo. Ioannes Faber Episcopus Viennensis libro de absoluta necessitate. Tractant etiam Ioannes Arboreus Theosophiæ libro decimo quarto, capite sexto. Ioannes Antonius Delphinus de salutari progressu libro primo. Ioannes Auratus paradoxo quadragesimo septimo, sexagesimo quinto, septuagesimo quarto. Eorum sententiæ hæc summa est.

II. Esse in Deo præscientiam; eámque certam, vt falli nequeat: & omnino, quod semel Deus præsciuerit, futurum esse. Nullam tamen inde rebus necessitatem inferri: Deum siquidem, vt pote infinitum, res omnes ab æterno nosse, nec vt nos per temporum successiones, qui præterita scimus, vt præterita: præsentia, vt præsentia; futura, vt futura: sed simul & semel omnia æque. Sic speculatorem illum secundi Samuelis capite decimo octauo, è summa turri simul currentes vidisse Achimaas & Chusi: Dauidem verò sedentem inter duas portas, vidisse vtrumque quidem, sed successiuè, scilicet illum priorem, alterum posteriorem.

III. Porrò non magis Dei præscientiam conferre ad euẽtuum, quos præuidet, necessitatem, quàm illius speculatoris ad cursum eorum nunciorum. Itaque præscientiam Dei nullam inferre rebus futuris necessitatem: atque adeo, sæpe esse absque prædestinatione, id est, certo prę̨scientis Dei decreto. Euenire enim multa contingenter; plurima etiam ex arbitrij libertate: esse verò contingentiam & arbitrij libertatem contrariam necessitati.

IV. At Catholici constanter docent, non posse Dei præscientiam separari ab eiusdem decreto siue prædestinatione. Decretum autem nullo modo falli posse: Itaque eius certissimos, imò verò etiam necessariò certissimos euẽtus esse, & Dei quidem habita ratione omnino nihil esse, non tantùm fortuitum, sed ne contingens quidem.

V. Tamen contingentiam prorsus, aut absolutè non negari: multo minus liberum arbitrium: vtrúmque enim in proximis caussis considerari, quibus tanquam instrumẽtis Deus vtitur ad exequenda æterna decreta.

VI. Nam

VI. Nam his ipsis instrumentis Deum vti non vno modo. Sed aliàs, contra ipsorum naturam: vt coruis ad pascendum Eliam: Samsone ad necem Philisthinorum: Dauide ad Goliathum necandum: nube, ad Israelem interdiu deducendum: igne autem noctu: & similibus plurimis. Imò etiam contra vo[illegible]ntatem: sic enim Balaamum inuitum, benedixisse Israeli: Caipham inscium lucu[illegible]lentum, ἀπροαιρέτως protulisse de vtilitate mortis Domini, Iulianum Apostatam exclamasse, Vicisti Galilæe.

VII. Sæpius tamen, secundùm eam naturam, quam ea habent instrumenta, siue inditam à creatore, in ipsa creatione, siue quoquo modo post creationem acquisitam. Sic igne, cuius natura cohibita fuit, ne pueris tribus noceret in fornace, regis tamen satellites combustos fuisse. Sic qui asinę naturam ita immutauerat olim, vt voces funderet humanas; idem nō immutauit, cùm eius adhibuit ministerium, in solemni illo Seruatoris C triumphalique ingressu in ciuitatem Hierosolymitanam: & qui inuitum Balaamum coegit ad benedicendum; antea vsus erat Iacobo volente, spontaneoque, ad benedicendum duodecim Patriarchis.

VIII. Atque hoc modo negant Catholici tolli vel contingentiam, vel liberum arbitrium, vt nec ab igne calorem, aut coruo volatum. Quod enim dicitur Deum ab æterno decreuisse, quod in tempore accidit, ita intelligendum esse, D vt decreuerit creaturas hoc illudve exequi agendo pro suo, si ita dicendum, ingenio: vel naturaliter, vel contingenter, vel voluntariè: quemadmodum enim, cùm decreuit Sodomam igne consumere, Ægyptios vndis obruere, etsi neutrum effectum præter naturale fuit: tamen non est aut impedita, aut mutata natura, aut ignis, qui calore suo Sodomam redegit in cineres, vt solet: aut vndarum, quæ intercluso aere, suffocarunt Ægyptios, quod fit quotidie. Sic cùm per Iudam Iu- E dæis filium suum tradidit: etsi fuit ab eius decreto certissimo, tamen non propterea, non à Iudæ voluntate, id est, libero arbitrio. Et vt vno verbo expediam, decreuerat ab æterno Deus Sodomam perdere vstione ignis; Ægyptios suffocatione in vndis: Iesum etiam tradere libera illa Iudæ nequitia: quomodo contrà decreuerat ab æterno tres pueros in igne illæsos seruare: Ionam in vndis, contra ignis vndarumque naturam.

F

CAP. VI.

Prouidentiam esse particularem in rèbus omnibus.

I. SVam de Prouidentia fidem Catholici tam certò probant, tum ex Scripturis, tum ex Veteribus, tum à ratione, vt nihil supra: Vix enim vllum indicari queat religionis Christianæ dogma; cuius disertiora, frequentioráque extent in literis sacris documenta. Adeo videtur Deus certo consilio hanc doctrinæ particulam, in omnes vitæ partes vtilissimam, contra hominum ἀνοήτων insolentes cauillationes solidissime tutam voluisse. Vt mirum sit aliquos vnquam extitisse, qui sic potuerint credere non in- A dignos nomine Christiano, dum hunc articulum vel oppugnarunt, vel omnino in dubium vocarunt. Probationes distribuam, vt primò demonstrem in vniuersum prouidentiam particularem: secundò in rebus naturalibus: tertiò in voluntariis: quartò in contingentibus.

II. Primùm ergo Dominus capite quinto Euangelij secundùm Ioannem: *Pater meus vsque adhuc operatur: & ego operor.* Hæc verba consentiunt interpretes intelligenda de prouidentia; quæ per- B petuò operetur in ordine naturæ. Athanasius disputatione contra Arium in Niceno Concilio. Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ τὰ πάντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι ποιήσας, καὶ συναρμόσας τὰ στοιχεῖα τοῦτο ὁ προνοούμενος, καὶ οἰκονομῶν τὸν κόσμον ἕως ἄρτι, ὡς εἶπεν αὐτὸς ὁ Κύριος ἐκεῖνο, ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται κἀγὼ ἐργάζομαι. *Filius Dei est. qui omnia cùm non essent, ad essentiam perduxit, & aptauit hoc ex elementis qui prouidet, qui regit mundum nunc vsque: sicut ipse Dominus dixit. Pater meus nunc vsque ope-* C *ratur & ego operor.* Augustinus in eum locum Ioannis, *Et vsque nunc operatur cùm regit mundum.* Primùm ergo prouidentia constituitur: Deinde efficax: nam τὸ ἐργάζεσθαι, non potest intelligi de simplici inspectione; non potest etiam de dispositione, quæ ab initio fuerit: nam dixisset potius, operatus est, quam operatur.

III. Sed hanc ipsam continuam prouidentiæ operationem, isti luculentiùs explicant per partes. Chrysostomus, Τίς οὖν τρόπος τῆς ἐργασίας; προνοεῖ, συγκροτεῖ τὰ γεγενημένα πάντα. ὅταν τοίνυν ἴδῃς ἥλιον ἀνατέλ- D λοντα, καὶ σελήνην τρέχουσαν, καὶ λίμνας, καὶ πηγάς, καὶ ποταμούς, καὶ ὑετούς, καὶ φύσεως δρόμον τὸν ἐν τοῖς σπέρμασι, τὸν ἐν τοῖς σώμασι τοῖς ἡμετέροις, καὶ τοῖς τῶν ἀλόγων, καὶ ἄλλα πάντα, δι' ὧν τόδε τὸ πᾶν συνέστηκε, μάνθανε τὴν διηνεκῆ τοῦ πατρὸς ἐργασίαν. *Quæ igitur operationis ratio? Prouidet, coagmentat quæcunque fiunt. Quum vides igitur solem orientem, lunam decurrentem: & stagna, & flumina, & fontes, & pluuias: & naturæ cursum, tum in seminibus, tum in corporibus, tam nostris quàm brutorum: denique reliqua omnia, ex quibus hoc vniuersum constat,* E *intellige continuam Patris operationē.* Theophylactus, Πῶς δὲ ὁ πατὴρ ἐργάζεται ἕως ἄρτι, τοῦ Μωσέως λέγοντος ὅτι κατέπαυσεν ὁ Θεὸς ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ; θέλεις μαθεῖν πῶς ἐργάζεται ἔτι ὁ Θεός; ὅρα τὴν οἰκουμένην καὶ κατάμαθε τὰ τῆς προνοίας ἔργα· ἥλιον ἀνατέλλοντα, δύνοντα, θάλασσαν, πηγάς, ποταμούς, ζῶα πάντα ἁπλῶς δημιουργηθέντα, καὶ ὄψει ἂν τὴν κτίσιν τὰ ἑαυτῆς ἐνεργοῦσαν· μᾶλλον δὲ ἐνεργουμένην, καὶ κινουμένην τῷ ἀρρήτῳ τῆς προνοίας λόγῳ. πάντως δὲ ἡ πρόνοια καὶ ἐν σαββάτῳ τὰ οἰκεῖα ἐνεργεῖ. *Quomodo Pater operatur nunc vsque, quum Moses dicat, Deum cessasse ab omnibus operibus suis?* F *Vis tu nosse, quo modo etiamnum Deus operetur? Contemplare orbem, agnosce prouidentiæ opera: solem orientem & occidentem: mare, fontes, flumina, animalia omnia prorsus creata: & videbis creaturam quæ sua sunt efficientem, imò potius ad ea vim accipientem, & motam ineffabili prouidentiæ ratione. Omnino autem prouidentia, vel in Sabbato, quæ sua sunt, efficaciter operatur.*

IV. Cyrillus, *Si creditis, inquit, nutu & volun-* G *tate opificis Dei, Sabbati quoque die omnia gubernari, ac solem quidem oriri, fontes fluere, plantas è terris prorumpere, ignem vsui hominum etiam die Sabbati seruire: cur temere atque imperitè accusatis eum, per quem pater operatur?* Thomas, *Signanter autem dicit, vsque nunc operatur, non autem operatus est, vt designet cōtinuationem diuini operis: Nam possent imaginari Deū esse causam mūdi, sicut artifex est causa domus, quantū*

ad fieri tantum, vt sicut domus manet etiam cessante operatione artificis: ita vt mundus subsistere possit influxu diuino cessante. Sed secundum Augustinum, Deus ita est causa omnium creaturarum, quod sit etiam causa subsistendi. Quia, si eius potentia ad momentum cessaret, simul & illarum cessarent species omnes quas natura continet: sicut si diceret, quod aer tandiu illuminatur, quandiu lumen solis manet in ipso.

V. In eundem sensum Paulus primo ad Hebræos, Filium testatur, φέρων τὰ πάντα portare sustinerèque omnia verbo suo illo potente. Ambrosius. *Non enim minus est gubernare mundum, quàm creare. Nam in creando quidem ex nihilo rerum substantia producta sunt: in gubernando verò ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redigantur, continentur.* Theodoretus. *Non solum enim fecit omnia, sed ea etiam dirigit & gubernat. Insignem autem eius ostendit potentiam, cùm dixit, verbum ei sufficere ad omnium fabricationem, & eorum curam & prouidentiam.* Thomas, scitu dignum est, quòd id, quod de se nec stare, nec ambulare potest, indiget portari. Omnis autem creatura de se nec subsistere nec operari potest. Primùm patet, quia remota caussa remouetur effectus. Deus autem est causa omnis substantiæ, quia non minùs est causa substantiæ rei quàtum ad fieri, quàm domificator est causa fieri domus: inde sicut ab absentia domificatoris cessat fieri domus: & ab absentia solis cessat & fieri & esse luminis in aëre: ita ad substractionem virtutis cessat & esse & fieri, & subsistere omnis creaturæ. Portat ergo omnia, quantum ad suum esse; Portat etiam omnia, quantum ad operari: quia subtracta influentia eius, cessat omnis motio causarum secundarum, cùm ipse sit causa prima, & causa prima plus influit, quàm secunda.

VI. Primo ad Colossenses: Estque ipse ante omnia; & omnia per eum consistunt. Priùs autem dictum erat: πάντα εἰς αὐτὸν ἔκτισται. *Omnia in ipsum creata sunt.* Ergo non tantùm in Christum, originem primùm habuerunt omnia, quæ sunt, sed etiam deinceps in eodem habent, vt consistant. Oecumenius. δι' αὐτοῦ τὴν σύστασιν, καὶ τὴν διαμονὴν ἔχει. *Per ipsum initium habent & durationem.* Theodoretus. *Non solum enim est omnium opifex: sed etiam curam gerit eorum quæ fecit, & gubernat creaturam, quæ stat per eius sapientiam & potentiam.* Thomas. *Quantum ad conseruationem dicit; & omnia in ipso constant. id est, conseruantur: sic enim se habet Deus ad res, sicut sol ad lunam, quo recedente deficit lumen lunæ, & sic si Deus subtraheret suam virtutem à nobis, in momento deficerent omnia.*

VII. Nec aliam ob causam Paulo dictum, Actorum decimoseptimo. *In ipso enim viuimus, mouemur & sumus.* Theophylactus, τὴν πρόνοιαν αὐτοῦ λέγει καὶ τὴν συγκρότησιν, τὸ ἐκ παρ' αὐτοῦ τὸ ἐνεργεῖν, τὸ μὴ ἀπόλλυσθαι. *Prouidentiam illius significat, & rerum coagmentationem, nempe quod ab ipso, & efficientia, & conseruatio ab interitu.* Oecumenius, ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν, ὥσπερ ἐν σωματικῷ ὑποδείγματι, ὡς ἀδύνατον ἀγνοῆσαι τὸν ἀέρα πανταχοῦ κεχυμένον, καὶ οὐ μακρὰν ἀφ' ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα, μᾶλλον δὲ καὶ ἐν ἡμῖν ὄντα· οὕτω δὲ καὶ τὸν τῶν ὅλων δημιουργὸν Θεόν, παρ' αὐτοῦ γὰρ ἡμῖν τὸ εἶναι, τὸ ἐνεργεῖν, τὸ μὴ ἀπόλλυσθαι. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus; vt exempli gratia, sicut fieri non potest, vt ignoremus aerem quacunque diffusum, neque à nobis procul dissitum, quin potius in nobis existentem, sic neque Deum vniuersi creatorem. Ab eo siquidem nobis est tum esse, tum operari, tum non perire.*

VIII. Et ne quis homines solos, quos etiam elisus erigere dicitur Psalmo centesimo quadragesimo sexto: ne, inquam, solos homines ei curæ esse, quis excipiat. *Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborant ædificatores eius.* Psalmo centesimo vigesimo septimo: adeo certum etiam, ipsis operibus hominum eandem ipsam prouidentiam excubare. Euthymius. *Nisi Dominus cooperatione sua adstiterit, & domum ipse construendam ædificauerit, frustra omnes ædificatores laborant.* Carthusianus. *Nisi ædificauerit principaliter operando, & artificibus efficaciam operandi præstando.* Sed & idem Propheta, Psalmo centesimo quadragesimo septimo. *Dat iumentis cibum suum: & pullis coruorum qui crocitant, & in eius manibus est anima omnis viuentis.* Iobi vndecimo.

IX. Denique Psalmo centesimo decimo tertio, *Deus is est qui respicit tum in cælo, tum in terra,* siue demississime, vt Iunius vertit ex Hebraica veritate: siue humilia, vt vetus interpres nō alio sensu, verùm alia voce. Inde autor Sapientiæ Salomonis capite octauo: διατείνει ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας εὐρώστως, καὶ διοικεῖ τὰ πάντα χρηστῶς. *Pertingit à fine in finem fortiter, & moderatur omnia vtiliter.* Non pertingit tantùm, quod nudæ præscientiæ fortean conueniat: sed pertingit fortiter, hoc est, non per nudam præscientiam: sed per omnipotentiam, quæ in nuda præscientia ne cogitari quidē potest. Deinde, si quæras quomodo pertingat, respondebit διοικεῖ. At hoc, quia asserat esse nudam præscientiam? Iam verò *pertingit à fine ad finem*, ergo nihil relinquit: *disponit*, non quidem, sed *omnia*. Excipe quædam: excipe, inquam, fortuita: mentitum dixeris.

X. Succinunt veteres ab eadem docti Scriptura Athenagoras de Resurrectione. Δεῖ τοὺς ποιητὴν τὸν Θεὸν τοῦδε τοῦ παντὸς παραδεξαμένους, τῇ τούτου σοφίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ ἀνατιθέναι τὴν τῶν γενομένων ἁπάντων φυλακήν τε καὶ πρόνοιαν, εἴγε ταῖς ἰδίαις ἀρχαῖς παραμένειν ἐθέλοιεν, ταῦτα δὲ περὶ τούτων φρονοῦντας, μηδὲν ἡγεῖσθαι μήτε τῶν κατὰ γῆν μήτε τῶν κατ' οὐρανὸν ἀνεπιτρόπευτον μηδ' ἀπρονόητον, ἀλλ' ἐπὶ πᾶν ἀφανές τε ὁμοίως καὶ φαινόμενον, μικρόν τε καὶ μεῖζον διήκουσαν γινώσκειν τὴν παρὰ τοῦ ποιήσαντος ἐπιμέλειαν· δεῖται γὰρ πάντα τὰ γενόμενα τῆς παρὰ τοῦ ποιήσαντος ἐπιμελείας. *Oportet eos, qui Deum admittunt conditorem huius vniuersi, eius ipsius sapientiæ, iustitiæque concedere omnium, quæ facta sunt, conseruationem, & prouidentiam: si quidem propriis in principiis perstare velint. Qui autem ita sentiunt, eos nihil neque in terra, neque in cælo censere non procuratum ac prouisum, sed creatoris sollicitudinem agnoscere penetrantem ad omnia siue obscura, siue illustria, siue minora, siue maiora: quæcunque enim facta sunt, creatoris indigent cura.*

XI. Clemens Alexandrinus Stromateon primo, ὁ ἀκόλουθος Χριστοῦ διδασκαλίᾳ καὶ τὸν δημιουργὸν ἐκθειάζει καὶ τὴν πρόνοιαν μέχρι τῶν κατὰ μέρος ἄγει. *Christo consona doctrina, tum Creatorem statuit esse Deum, tum prouidentiam profert ad vsque singularia & indiuidua.* Athanasius contra Gentes multa habet in hanc sententiam præclara. Καὶ ἵνα μὴ τὸ καθ' ἕκαστον ἐπὶ μέρους ὀνομάζων ἐνδιατρίβω, ἐπὶ τῶν φανερῶν ὄντων, καὶ οὐδὲν ἔστιν ὃ μὴ ἐν αὐτῷ καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ γέγονε καὶ ἕστηκεν. *Ne singulis recensendis in re manifesta prolixior sim: nihil est factum quod in ipso & per ipsum non sit factum, nihil est factum quod in ipso & per ipsum non subsistat.* ὑπὸ μιᾶς γὰρ ῥοπῆς νεύματος τοῦ Θεοῦ λόγου ὁμοῦ τὰ πάντα διακοσμεῖται, καὶ τὰ οἰκεῖα παρ' ἑκάστου γίνεται, καὶ ὁμοῦ πάντων ἡ μία τάξις ἀποτελεῖται, vnico enim momento ad nutū verbi Dei, omnia simul dispensantur,

sunt, & quæ cuiusque sunt propria, fiunt, & ab omnibus simul idem ordo conficitur.

XII. Theodoretus de Prouidentia sermone [illegible] [Greek text illegible] *Videte ipsam Dei prouidentiam ad singulas mundi particulas inclinantem se, in ipsis quasi clamantem, & resonantem, adeóque ipsis operibus tantum non clamantem. Vobisque ora insolentissima obturantem, & effrenes linguas compescentem. Obseruate eam in cælo, quæque in cælo sunt, omnibus, sole, inquam, luna, & stellis: in aere & nubibus, in terra, & mari, cunctisque quæ in terra sunt: in plantis, in oleribus, in seminibus, in animalibus rationis tum participibus, tum expertibus. In iis quæ pedibus incedunt, quæque volant, quæque natant, quæque serpunt, quæque sunt ambiguæ vitæ: tum mansuetis, tum senis, tum cicuribus, tum feris.*

XIII. Theophilus ad Autolycum libro tertio. [Greek text] *Absque prouidentia nihil fit.* Æneas Gazæus, [Greek text illegible]. *Non ea solùm, quæ ante pedes sunt, prouidentia lex animaduertit: Verum etiam in eas quæ longo post tempore euentura sunt: indéque quæ quibus eueniant, prout dignum est, disponit.* Basilius apud Maximum, in locis communibus cap. quadragesimo octauo. *Nihil non prouisum, nihil est neglectũ apud Deum. Omnia videt peruigil oculus, omnibus adest salutem cuique dans.*

XIV. Dorotheus de correptione fraterna: doctrina decima septima. *Certum habe, quæcumque in nobis fiunt aut eueniunt, etiamsi minima, aut vilissima fuerint, ex diuina prouidentia euenire.* Nemesius de animæ facultatibus, capite quadragesimo quarto. *Ostendamus non rectè eos à rebus singulis prouidentiam remouere, cum vniuersis & generalibus à Deo consuli fateantur. Hæ enim tres solæ causæ afferri possunt, cur res singulæ Dei prouidentia non regantur. Aut enim Deum ignorare, rectum esse etiam illis consulere, aut nolle, aut non posse. Verũ ignoratio quædã & inscitia, ab illa beata natura alienissima est.* Paulo post. *Alij dicũt nõ ignorare quidẽ Deũ, sed prouidere nolle. Verum hoc ipsum nolle duabus de causis accidit, aut ob ignauiã, aut quod indecorum sit. Sequitur ita infamet, vt ignauia Deum accuset?* Et paucis interiectis. *Sic ignauia quidem Deum liberant; sed illo non decorum genus prouidentiæ dicunt: indignum enim esse huiusmodi beatitudine ad res viles & minutas se demittere, & corporeis, ex nostráque electione & voluntate manantibus inceptis, velut profanari: ideóque prouidere nolle: non intelligunt se duas Deo vitiosissimas affectiones tribuere, superbiam, & inquinationem.* Denique, *Cæterum an prouidere quidem vult, non tamen potest? Quomodo non perspicuè absurdum est Deum imbecillem efficere, & benè merendi facultatem non habere?*

XV. Amplissimus hic campus est: in quo vix quisquam pius fuit, qui non exercuerit se. Sed non colligam omnes. In Augustino faciã finem, in hac parte valdè multo: sed decerpam paucos locos. De Genesi ad literam libro 5. capite 21. contra eos qui dicerent sublimes mundi partes tantùm diuina prouidentia gubernari: *Contra hos, inquit, loquitur Psalmus, qui cum explicasset laudem cælestium, se etiam ad hæc inferiora conuertit dicens, Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyssi: ignis, grando, nix, glacies spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum eius. Nihil enim tam videtur casibus volui, quàm omnes istæ procellosæ ac turbulentæ qualitates, quibus cæli huius inferioris, quod non immeritò etiam terræ nomine deputatum est, facies variatur & vertitur, sed quum addit, quæ faciunt verbum eius, satis ostendit earum quoque rerum ordinem diuino subditum imperio, latere nos potius, quam vniuersalitatis deesse naturæ. Quod autem ore suo Saluator dicit, vnum passerem nõ cadere in terram sine Dei voluntate; & quod fœnum agri pòst paululum mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat, nónne confirmat, non solum totam istam mundi partem rebus mortalibus, & corruptibilibus deputatam, verum etiam vilissimas eius, abiectissimasque particulas diuina prouidentia regi?* Idem de Agone Christiano cap. 8. *Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus eorum non cadit super terram sine voluntate Patris vestri? hoc enim dicit volens ostendere, quicquid vilissimum homines putant, omnipotẽtia Dei gubernari. Sic enim & volatilia cæli ab eo pasci, & lilia agri ab eo vestiri, veritas loquitur, quæ capillos etiam nostros numeratos esse dicit.*

XVI. Soliloquiorum cap. 6. *Sicut per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, sic per ipsum omnia conseruantur quæcũque sunt siue in cælo, siue in terra, siue in mari & in omnibus abyssis: nec pars partis in lapide adhæret, nec in aliquo creatorum, nisi quia per verbum conseruantur, per quod omnia facta sunt.* In Sententiis eidẽ adscriptis tomo 9. *Creatoris omnipotentia est causa subsistendi omni creaturæ: quæ virtus si ab eis, quæ condidit, regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species & natura concideret. Proinde quod Dominus ait, Pater meus vsque nunc operatur, quãdam continuationem operis eius, qua simul omnia continet, atque administrat, ostẽdit.*

XVII. En tibi perscriptam Ecclesiæ doctrinam, quæ his axiomatis continetur. Esse pro certo diuinam prouidentiã, quæ hoc vniuersum semel creatum deinceps administret. Administret autem, tũ [Greek], tum per partes: & partes quidem, non præcipuas tãtùm, sed etiam minimas, infimas, vilissimas: necéas tantùm, quę naturali solùm motu aguntur; sed etiam, quæ voluntario. Hanc prouidentiam esse omnipotentem, ac proinde non tantùm spectantem instar prætoris cuiusdam ludos, quibus præsidet: sed verè & efficaciter mouentis, per singulos actus. Denique nihil omnino absque hac omnipotente prouidentia.

XVIII. Et sanè ratio est perspicua. Nam, si non omnia reguntur hac Dei prouidentia; ergo quæ inde excipiuntur, vel sibi permittuntur, vel fortunæ, vel fato. At fatum omnino nullum statui potest: quia, si non est Deus, ergo est aliquid creatum: si est creatũ, quomodo ei reliqua creata sunt obnoxia? Nã quũ cõtemplamur mundũ cõstantẽ ex variis partibus, tum facilè est aduertere non esse etiam excellentissimis reliquas obnoxias. Angeli enim nõ agunt pro suo arbitrio, aut homines; aut plantas: homines item lõgè præstãtiores cœlis & elementis, tamen in cœlos & elementa nihil possunt: moueri autẽ ab inferioribus præstãtiores longè magis absurdum est. Non igitur fato reguntur, si quæ excipiuntur à prouidentia Dei.

XIX. An igitur fortunæ vix dicas veri sint absurdiores, quine fatum, an qui fortunam statuunt. Nam, quomodo tot partes, tantęque, tam diuersæ fortuito motu sic concurrũt ad vnum constituendum vniuersum, aut quomodo nõ ab eo separantur fortuito partes, quas prouidentia non regit? Imò quãdo sint [Greek] oppositæ prouidẽtia &

fortuna, quomodo in eundem conſpirent finem quæ prouidentia reguntur, & quæ fortunæ permittuntur? aut ſi non conſpirant, qui fit ex vtriſque vnus mundus? hoc verò mens humana concipere non poteſt.

XX. An denique ſibi permittentur? At primò abſurdum eſt, vel cogitare Deum quicquam ſic creaſſe, vt eius dominio ſe poſtea abdicaret. Tum ſcimus certiſſimo, retinuiſſe ſibi ſubiectos Angelos, homines, cælum, terram. Non poteſt autem ſimul conſiſtere, vt in iis Deus dominetur, & ea ſibi tamen permiſſa ſint. At ſi præcipuas illas partes Deus ſibi ipſis non permiſit, multo minus reliquas Deinde, ſi permiſit ſibi eas ſingulas, rurſus interrogo, vt de fortuna, qui fit, vt conſpirent in vnum mundum. Nam mundi partes non ſingulas tantùm debemus ſeorſim conſiderare, ſed etiam omnes inter ſe comparare: alioquin diſſoluetur vniuerſitatis harmonia. Rurſus, ſi partium mundi, aliæ reguntur à prouidentia, aliæ tantùm à ſeipſis, vel nunquam concurrunt, vel ſi concurrunt, id fiet, vel conſultò vel fortuitò: ſi nunquam concurrant, ergo ſoluitur vniuerſi harmonia, quod eſt abſurdum. Si concurrunt fortuitò; ergo ſtabilitur rurſus fortuna; quæ nulla eſſe poteſt. Si conſultò, ergo vel prouidentia cedit & inflectit ſe ad nutum earum rerum, quas ipſa non regit; quod alieniſſimum eſt à ratione: vel hæ, quæ ſeipſas regunt, inflectunt ſeſe ad prouidentiæ conſilia, eſt autem impoſſibile prouidentiæ conſilia cognita eſſe rebus creatis, niſi ſuppoſita reuelatione: quam certum eſt eſſe paucorum admodum. Itaque non poteſt quicquam creatum ſibi omnino permitti, vt non regatur & dirigatur à prouidentia.

CAP. VII.

De Prouidentia in naturalibus.

I. CVncta igitur moderatur Prouidentia Diuina: & quidem non otioſa inſpectione; Nam hoc quidem non eſt prouidere: ſed præſenti potentia & efficacia. Inde eſt, quòd in Deum Scriptura refert omnes ac ſingulos euentus in natura rerum: quocumque ſiue modo ſiue ordine fiant. Quod mihi nunc demonſtrandum: & primò quidem in rebus naturalibus; vt conſtet etiam ea quæ fiunt ſecundum ordinem Naturæ, quem ab initio creationis, vnde initium eſt naturæ, ſingulis rebus Deus indidit, quotidie fieri ſigillatim à particulari Dei prouidentia præſenter efficacitérque operante.

II. Matthæi ſexto. *Ne eſtote ſolliciti de anima veſtra, quid eſuri ſitis, aut quid bibituri: neque de corpore veſtro, qua re ſitis induendi. Nonne anima plus eſt quàm alimentum, & corpus quàm veſtitus? intuemini in volucres cali: non ſerunt enim neque metunt, neque cogunt in horrea: & Pater veſter caleſtis alit eas: nónne vos multo praſtatis eis? ac de veſtitu, quid ſolliciti eſtis? diſcite quomodo lilia agrorum creſcant: non fatigantur neque nent: ſed dico vobis, ne Salomonem quidem, cum vniuerſa gloria ſua ſic amictum fuiſſe, vt vnum ex iſtis. Quod ſi herbam agri, qua hodie extat, & cras in clibanum mittitur, Deus ita circumueſtit, nónne vos multo magis, ô exigua fide praditi?*

III Disertus locus, & diligenter aduertendus. Theſis eſt, an ſingulos homines, puta Apoſtolos, diſcipulos, fideles, Deus ſit nutriturus & veſtiturus. Hæc Theſis non poteſt intelligi, niſi pro ratione ſubiecti. Agitur ergo de hominibus alendis, veſtiendiſque: vtrumque enim ſolet in dies fieri: non autem certo conſtantique ordine, qui ab initio ita dici queat conſtitutus, vt deinceps nouam nulla cura indigeat, aut opera. Nam experientia contrà docet, non in ſingulos tantùm annos, ſed penè in ſingulos dies, iis rebus conſuli oportere. Iam verò Chriſtus eam theſin concludit in partem affirmatiuam: hoc verò magnum. Sic enim conſtat Deum quotidie potenter agere, vt prouideat cibum, prouideat etiam veſtes hominibus. Hominibus autem, nempe ſingulis: nó enim omnium eadem ratio & via. Ergo hîc certo habemus prouidētiam Dei peculiarem; &, vt ita loquar, indiuiduam, ergo homines: imò hominum ſingulas neceſſitates, tum nutriendi, tum veſtiendi: imò harum neceſſitatum ſingulas.

IV. Hanc theſin affirmatiuam probat Chriſtus exemplo auium & liliorum: id eſt, rerum ipſo homine longè inferiorum: Ergo, primò ſigillatim auibus, ſigillatim liliis idem Deus prouidet, & prouidet per ſingulos actus. Nam ſi non: ergo non bene Chriſtus probaſſet theſin. Nam, quemadmodum non ſequitur Regem ſingulis prouidere indiuiduis in ſuo regno; etſi prouideat omnibus: Sic non eſſet certa conſequentia ab vniuerſali prouidentia circa aues & lilia, ad particularem circa hominem.

V. Similes loci Pſalmo centeſimo trigeſimo ſexto. *Qui dat cibum omni carni: quia in ſeculum eſt bonitas eius.* Centeſimo quadrageſimo quinto. *Oculi omnium ad te ſpectant quibus tu das eſcam ſuam tempore ſuo. Aperis manum tuam, & ſaturas quicquid viuit ex beneplacito.* Centeſimo quadrageſimo ſeptimo. *Dat iumentis cibum ſuum, pullis coruorum qui crocitant.* Iob trigeſimo nono. *Qui comparat coruo eſcam ipſorum, quum pulli eorum ad Deum fortem vociferantur, aberrantium penuria cibi?* Pſalmo centeſimo quarto. *Iuuenes leones rugientes ad prædam, & quidem quærendo à Deo fortis prædam ſuam.* Ex his omnibus illud conficitur prouidere Deum eſcam omnibus animalibus. Et quidem ſuum cuique. Nam ea vis eſt exemplorum: ac maximè leonis prædam ſuam expectantis à Deo. Non enim leones, niſi ſigillatim, ſibi quiſque eſcam quærit.

VI. Itaque Pſalmus centeſimus ſeptimus, eos qui famem paſſi ſunt, tum poſtea ſaturati, admonet hanc laudem Diuinæ prouidentiæ tribuant. *Celebrent apud Iehouam benignitatem eius, & opera mirabilia eius apud filios hominum: cum ſatiare animam appetentem, & animam famelicam expleat bono.* Nimirum collecto axiomate vniuerſali è ſingularibus exemplis. At qui ſibi peculiariter prouiſum ſenſerunt, teſtentur idem ab eodem reliquis omnibus expectandum. Vel cōtrà, applicato vniuerſali axiomate ſingularibus exemplis, quoties fit, vt eſurientes ſaturentur, id non fieri niſi prouidentia diuina. Quam ergo particularem eſſe oportet: tum, quia non omnes eſurientes ſaturentur: tum quia qui ſaturantur, variis modis ac rationibus ſaturantur; nō vno eodémque modo: vna eadémque ratione, quaſi vniuerſali vna regula, atque ordine: quomodo cælis vniformis eſt motuum continuatio.

VII. Enimuerò, quid in tota natura naturale magis ipſa animalium generatione? Atqui in pecore ſuo augendo, Iacob diſertè præſentem Dei prouidentiam & agnoſcit & confitetur; Geneſeos trigeſimo primo. *Vos noſtis omni facultate mea*

me ſer-

me seruisse patri vestro. patrem autem vestrum illusisse mihi, & mutasse mercedem meam decies: quem tamen non permiserat Deus, vt damno afficeret me. Quum ita diceret, punctulis respersorum illa merces tua, tunc peperisse pecudes omnes punctulis aspersos fœtus: quum verò sic diceret, variorum colorum esto merces tua, tum peperisse omnes pecudes varios fœtus. Itaque eripuisse Deum pecus patris vestri, & tradidisse mihi. Nihil dicernus. Non tantùm enim tribuit Deo multiplicationem animalium: sed etiam vt talia nascerentur. Et quidem licèt artificium adhibuisset vt scias in hac ipsa generatione, quæ fiebat per naturam, & quidem arte adiutam, Deum successum date: atque in eo manifestè eluxisse particularis Dei prouidentia, non tantùm vniuersalis, ex illo principio creationis, *fructificate, augescite & implete terras.*

VIII. Sed de hominis generatione longè illustriora sunt testimonia ista ad Abrahamum. *Numera ipsas stellas, si poteris numerare eas, sic futurum est semen tuum.* Geneseos decimo quinto & decimo septimo. *Patrem multitudinis gentium constituite.* Ad Agar ancillam Saræ, decimo sexto, *Valdè multiplicabo semen tuum, adeò vt non possit numerari præ multitudine.* Et vigesimo primo de Ismaele. *Filium ancillæ huius efficiam patrem gentis magnæ.* Et similia multa. Sic consilia, etsi hominibus ab initio creationis æquè ac cæteris animantibus benedicens dixerit, vt crescerent & multiplicarentur, tamen hanc ipsam benedictionem per particulas dispensat. Itaque Moses Deuteronomij decimo hanc multiplicationem commemorat tanquam eximium aliquod beneficium. *Ad septuaginta animas descenderunt patres tui in Ægyptum: nunc autem disposuit te Iehoua Deus vt sis sicut stellæ cœli multitudine.*

IX. Quid? quòd aperuit vuluam Saræ, vt nasceretur Isaac? Quid? quòd obstetricibus Ægypti ædificauerit domos, Exodi primo? Quid? quòd Samuel Annæ precibus concessus est? Non sunt ista peculiaris prouidentiæ effecta? Non solùs tamen. In vtero se factum à Deo testatur Iob, capite trigesimo primo. Et decimo. *Manus tuæ dolore afficiunt me, quæ fecerunt me. Recordare, quæso, quòd sicut argillam finxisti me, & in puluerem reduceres me? Nonne sicut lac mulsisti me, & tanquam caseum coagulasti me? cute & carne induisti me, ossibusque & neruis texisti me?* Dauid Psalmo vigesimo secundo eductum se confitetur ex vtero. Denique ne omnia colligam, cum Rachel apud maritum quereretur se non parere, *An pro Deo ego sum*, respondit Iacob, *qui prohibuit à te fructum ventris?* Geneseos trigesimo.

X. Et vt magis agnoscas eiusdem prouidentiæ, non [illegible] tantùm [illegible] Deo tribuitur generatio, sed etiam generationis quasi affectiones: Prouerbiorum vigesimo. *Aurem audientem, & oculum videntem Iehoua fecit vtrumque.* Exodi quarto. *Quis statuit os homini? aut quis statuere potest mutum, aut surdum, aut sensibus valentem, aut cæcum? Nonne ego qui sum Iehoua?* Ac tametsi physica quædam causa harum affectionum reddi queat: tamen apparet fidelibus iampridem persuasum esse, non fortuitò ista fieri. Inde enim est illa discipulorum interrogatio, Ioannis nono. *Quis peccauit hic, an parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Imò hinc Christi

ipsius responsio, *Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Nam fit in eum finem: ergo certo consilio: & si certo consilio, non potest non ex prouidentia.

XI. Moderatur ergo Prouidentia hominum generationi. Quid reliquæ vitæ? Atqui brutis vidimus alimenta suffici, putemus homini denegari? Quanquam hoc ipsum probatum ex Psalmo centesimoseptimo. Probatú ipso Christo, auicularum exemplo, & liliorum, negante sollicitos esse debere discipulos suos, quid essent esuri, aut quo vestiendi. Adde Deuteronomij octauo. *Non solo pane viuere hominem, sed omni eo quod prodit ex ore Iehouæ.* Quibus verbis Seruator aduersarij tentationem fregit, Matthæi quarto. Adde solennem precum formulam. *Da nobis hodie panem nostrum quotidianum.* Et quis dubitet voluisse Seruatorem nos perpetuò pendere à prouidentia, etiam per actus singulos? Nam & dari postulamus panem: & panem quotidianum: & dari hodie, id est, singulis diebus. Verum igitur prouideri hominibus à Deo cibum in singulos dies, hoc est, vt nunc loquimur, per prouidentiam, non vniuersalem, sed particularem; quæ sese ad minima quæque extendat. Prouidere autem aliquando quidem, præter omnem ordinem, vt Israeli in deserto, vt Eliæ in solitudine: sed sæpius ex ordine naturæ. Itaque Iacob, Geneseos 28. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum: & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.*

XII. Idem Deus tribuit sibi fertilitatem terræ: & quidem non vniuersaliter, quasi ex creationis initio hanc ei vim indiderit, sed specialiter per singulos annos, imò & singulas anni tempestates. Hinc illud de terra Chanaan, Deuteronomij vndecimo. *Quam Dominus Deus tuus semper inuisit: & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius.* Hinc Oseæ secundo. *Exaudiam, dicit Dominus, cælos, & illi exaudient terram: & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum.* In quem locum Cyrillus. [illegible] *Nam sine Deo, & superos arbitratu, nec cælum aliquando imbres in terram dimittet, nec terra aliquando fructus suos producet.* Ipse Deus Deuteronomij vigesimo octauo. *Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, super omnia opera manuum tuarum; benedicétque tibi in terram quam acceperis. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo, benedicétque cunctis operibus manuum tuarum.* Et Exodi quadragesimoprimo, Ioseph explicaturus somnium Pharaoni, quo portendebantur anni septem fertilissimi, totidémque sterilissimi, præfatur, *Quæ facturus sit Deus, ostendit Pharaoni.*

XIII. Huc addo, quæcunque fiunt in aëre: Nam hæc ad anni temperiem pertinent. *Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras.* Esaiæ quadragesimo quinto capite, Hieremiæ decimo & quinquagesimo primo capite, *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ, fulgura*

in pluuiam facit, & educit ventum de thesauris suis. Iob trigesimo septimo. *Qui præcipit niui vt descendat in terram, & hiemi pluuiæ & imbri fortitudinis suæ.* Psalmo centesimo quadragesimo septimo. *Qui obtegit cælos densis nubibus, qui comparat terræ pluuiam. Qui facit, vt proferant montes fœnum. Qui edit niuem sicut lanam: pruinam quasi cinerem dispergit, deiicit gelu tanquam frusta; coram frigore eius quis consistat? mittens verbum suum liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum, effluunt aquæ.*

XIV. Absoluo. Nam si omnia colligam, quis erit finis? vitam mortémque singulorum animantium, hominum maximè pendere à prouidentia eædem Scripturæ testatum reddunt. Matthæi decimo. *Nonne duo passerculi assario veneunt, & vnus ex eis non cadit humi sine Patre vestro? Vestri etiam capilli capitis omnes numerati sunt.* Iob decimo quarto. *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Psalmo sexagesimo octauo. *Deus nobis est Deus ad salutem: & Iehoua Dominus exitus ad mortem.* Itaque Exodi vigesimo pollicetur honorantibus parentes longæuitatem. *Honora Patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Absurde: nisi singulorum annos particulatim dispensaret.

Cap. VIII.

De Prouidentia in voluntariis.

I. Sed naturalia non patiantur fortasse obstinatam contradictionem: de voluntariis & contingentibus paulo maior videtur difficultas. Huc eo, & ostendo primùm, illa etiam, quæ maximè fiunt ex hominis voluntate, non eximi à Prouidentia. Prouidentia, inquam, non præsciente tantùm, sed etiam decernente: sed etiam efficaciter mouente: quod viri Papistas maximè.

II. Generalia hæc sunt. Prouerbiorum vigesimo, *A Domino sunt gressus viri, & homo quomodo intelligat viam suam?* Decimo sexto. *Animus hominis excogitat viam suam: sed Dominus statuit gressus eius.* Hieremiæ decimo. *Noui Iehoua non esse penes hominem viam ipsius: neque esse penes virũ ambulantem, vel dirigere gressum suum.* Prouerbiorum decimo sexto. *Penes hominem sunt ordinationes cordis, penes Iehouam sermo linguæ.* Quid verò? neget-ne aliquis tum cùm graditur homo, quum loquitur, id eum voluntate sua facere? Enimuerò, non negem posse aliquando fieri, vt cogatur siue ad incedendum, siue ad loquendum. Sed nemo tam stupidus est, qui non videat hos Scripturæ locos non esse de rarò contingentibus, sed esse potius generales.

III. Prouerbiorum vigesimo primo, *vt riui aquarũ, sic animus regis in manu Iehouæ, quocunque vult inclinat eum.* Eleganter, vt riui aquarum. Manifesta ὑποτύπωσις; Deducit agricola riuum pro arbitrio huc atque illuc: haud aliter Deus cor regis. Et neget aliquis voluntatem hominis: hominis, inquam, liberum arbitrium esse prouidentiæ obnoxium? Et Lyranus dictum asserit; quia posset aliquis credere huiusmodi motus esse totaliter ab homine effectiuè. Porrò de Rege, vix monendum: nominari non ad alios excludendos, sed κατ᾽ ἐξοχὴν, vt reliquos multo magis intelligamus, quod etiam Lyranus obseruauit.

IV. Exodi tertio. *Dabóque gratiam populo huic coram Ægyptiis.* Hoc est, vt Vatablus annotauit, & Iunius vertit. *Reddam gratiosum populum illum in oculis Ægyptiorum.* Quod repetitur capite vndecimo. Similiter de Iosepho. Geneseos trigesimo nono. *Adfuit Dominus Iosepho & misertus eius, dedit & gratiam in conspectu principis carceris.* Est autem phrasis Hebraica, inuenire gratiam in oculis alicuius, vel coram aliquo, quæ frequentissimè occurrat. Geneseos sexto, *Noë inuenit gratiam coram Domino.* Decimo octauo, *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis.* Decimo nono. *Quæso, Domine, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te.* Ruth secundo: *vt legam spicas post eum, in cuius oculis inuenero gratiam.* Et ne omnia. Ester secundo. *Placuit Ester Regi, & inuenit gratiam in conspectu illius.* Significabat igitur Moses Deum effecturum, vt Israelitis Ægyptij libenter gratificarentur. Nam & in eum modum exponitur, Exodi duodecimo. *Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis.* Hoc est, ex Iunij versione. *Et Iehoua reddiderat gratiosum populum hunc ante oculos Ægyptiorum, adeo vt dederint eis petentibus.* Et illud de Iosepho Mercerus sic interpretatur. *Gratiosum eum reddidit, & acceptum Principi carceris, vt ei gratus esset, & apud eum gratiam iniret, effecit.* Itaque oportet Deum operatum esse tum in carcerarij illius, tum in Ægyptiorum animis, ac sua præsenti prouidentia effecisse id ipsum, quod ipsi tamen sua voluntate ac libero arbitrio effecerunt.

V. Iudicum decimo quarto. Samson amat Philistæam quandam Thimnatensem: & additur caussa: ea enim recta videtur in oculis meis. Quæ verba significant factum id eadem ratione, qua vulgò fit, vt in puellas viri ardeant, non quaslibet, sed has illasve, & has potius quàm illas. Cuius diuersitatis, etsi caussæ sint quædam in ipsis puellis, siue ob formam, siue ob mores, tamen nemo nescit, non posse vllam amari, nisi voluntariè. Sponte ergo Samson Philistæam amauit, & tamen *parentes eius nesciebant, quòd ea res à Domino fieret.* Audin' factum esse à Deo, vt Samson adamaret eam puellam? & voluntatem siue liberum arbitrium aliquis deinceps opponat Prouidentiæ?

VI. Huc refer incitatum Dauidem, ad numerandum Israelem secundi Samuelis vltimo: Refert ab Absalomo prælatum consilium Chusai consilio Achitophelis, eiusdem libri decimo septimo; quia Deus præstituerat irritum facere cõsilium Achitophelis (quod melius fuisset) vt induceret in Absalomum malum suum. Refer à militibus diuisa Christi vestimenta per sortem, Matthæi vigesimo septimo, vt impleretur Scriptura.

VII. Sed, quid multa corrogamus vndique? vt reliqua essent ambigua omnia, tam illustre est fidei exemplum, vt in controuersiam reuocari nequeat: Nemo credit nisi volens. *Quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Matthæi 23. Act. *Noluerunt*

obedire Patres nostri : sed repulerunt & auersi sunt cordibus suis in Ægyptum. Quanquam in re perspicua superfluæ sunt probationes.

VIII. Et tamen neminem credere, nisi ex gratia, hoc est, particulari operatione Dei, tam certum est quam solem lucere. *Non est omnium fides*, inquit Paulus posterioris ad Thessalonicenses tertio. Cuius igitur? *Non volentis neque currentis, sed miserantis Dei.* Ad Romanos nono. *Crediderunt quotquot erant ad vitam æternam ordinati.* Actorum decimo tertio & decimo sexto: *Quædam mulier nomine Lydia, quæ purpuram vendebat in vrbe Thyatirorum Deum colens audiuit, cuius Dominus adaperuit cor, vt attenderet ea, quæ dicebantur à Paulo.*

IX. Et in Christo morti tradendo; quis negat voluntariè Caipham & Pilatum, & Iudæos occupatos fuisse? Et tamen Actorum quarto, *Coacti sunt vere aduersus Sanctum Filium tuum Iesum quem vnxisti: Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel, vt facerent quæcumque manus tua & consilium tuum* (en tibi & prouidentiam & omnipotentiam) *prius definierat facienda.* Statim ostensum, etiam in voluntariis rebus, hoc est, quarum proxima caussa est in hominis voluntate, & libero arbitrio agnoscendam particularem efficacémque Dei prouidentiam?

X. Disputauit hanc partem Thomas contra Gentes libro tertio, ac docuit capite octuagesimo nono motus voluntatis causari à Deo. Hunc enim dare rebus virtutem; ita vt nulla possit propria virtute agere nisi in virtute ipsius: vnde concludit non posse hominem voluntate sibi data vti, nisi in quantum agat in virtute Dei. Porrò eum, cuius virtute agens agat, esse causam non solùm virtutis, sed etiam actus. Postea capite nonagesimo, electiones & voluntates humanas subdi Diuinæ prouidentiæ. Quæcumque enim Deus agit, agere ex ordine suæ prouidentiæ. Denique capite nonagesimo primo, *electiones & voluntates*, inquit, *immediatè à Deo disponuntur.*

Cap. IX.

De prouidentia in contingentibus.

I. SVpersunt contingentia. Prouerbiorum decimo sexto. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Siue, vt disertius Iunius ad Hebraicam veritatem, *In gremium coniicitur sors, à Iehoua autem est tota ratio eius* כי הוה כל משפטו significat enim משפט cuiusque rei rationem perpetuam, siue consuetudinem, & legem. *Putant*, inquit Leui Ben Gerson *rationem sortis esse à fortuna: sed inuenies esse à Iehoua.* Lyranus *ex Diuina prouidentia prouenit, quod talis sors cecidit super talem.* Id verò quis non credit persuasissimum fuisse fidelibus? Non enim aliter sortibus commisissent, vel iudicium Hacan Iosue septimo: & Ionathā prioris Samuelis decimo quarto: vel electionem Mathiæ, Actorum primo. Imò hic disertè Apostoli. *Tu, Domine, qui corda omnium nosti, ostende quem elegeris ex his duobus.*

II. Geneseos vigesimo septimo, miratur Isaacus tam cito redisse Esaum filium. Nam pro Esau se gerebat Iacob) ex venatione. Respondet Iacob, nimirum ex hac doctrina, quæ prouidentiam agnoscit rebus in omnibus. *Quia fecit Iehoua Deus vt obuenerit mihi, quod volebam.* Et quidem obseruari iubeo, Mosem vsum verbo הקרה quo vix quicquam potuit aptius dici instituto nostro. Nam ab eadem est origine, vnde nomina קרי & מקרה quæ euentum, contingentiam, accidens, fortunam significant; quam prophani opponunt decreto, seu prouidentiæ: vt prioris Samuelis sexto, consulti Philisteorum Sacerdotes, & diuini, cùm iussissent currui, quo vehebatur arca Domini, aptari vaccas indomitas. *Si*, inquiunt, *per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem minime, sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit,* מקרה הוא sensus erit ergo in Iacobi venatione quidem contingentiam, siue accidens fuisse fortuitum, quòd subitò ei præda occurrerit. Sed hanc tamen contingentiam, quam prophanus aliquis fortunæ tribueret, à Deo fuisse Deique prouidentia. Atque huc pertinet illud Christi Domini nostri apophthegma Matthæi decimo. *Nonne duo passeres asario veneunt, & vnus ex eis non cadit humi sine Patre vestro?*

III. Capite primo secundi Samuelis נקרא נקריתי (voces sunt ab eadem origine, quam in Iacobo obseruauimus,) *Casu incidi in montem, Gelboa, cùm ecce Saul incumberet hastæ suæ*, inquit is, qui se Saulem occidisse narrabat iussum. Itaque casu, non certo consilio sic periit Rex Israel. At primi Paralipomenon decimo, hoc ipsum dicitur à Deo factum. *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas*: Ergo non fortuito: quia certam ob causam; quæ aliena est à fortuna: *eo quod præuaricatus sit mandatum Domini*, quod præceperat: & non custodierit illud; sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domino: propter quod interfecit eum.

IV. Primi Samuelis quarto; Duo filij Heli, nempe Ophni & Phinées, cum aliis multis cæsi sunt in prælio. Certo-ne aliquo & destinato hostium consilio? Imo promiscuè: non enim solet aliter in bello. Et tamen hoc ipsum à prouidentiæ certo decreto factum agnosce ex secundo capite; *Non audierunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Primi Regum vigesimo secundo, *Quidam iaculatus arcu simplici animo percussit Regem Israelis inter commissuras & lorica partes*, ex quo vulnere Rex periit Hebraicè לתמו *in synceritate sua*: Nempe, inquit, Iarchi, quia non destinabat vllum hominem ferire, vel certè, vt Kimchi; non Regem. Eam sententiam vetus interpres his suis verbis expressit. *Vir quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens & casu percussit Regem Israel.* Casu? quid igitur? nullàne id Dei prouidentia factum? Imò Michæas testis, *Iehoua dixit, quis pelliciet Achabum, vt ascendat & corruat in Ramoth Galaad?* Ergo certum, & occidendum Regem fuisse, & eo ipso loco occidendum. Aduerte autem Regem Syriæ ante initum prælium, suis nonnullis delectis mandasse, vt vni Achabo occidendo attenderent. *Non pugnabitis contra par-*

contra paruum, aut contra magnum, sed contra Regem Israelis solum. Et tamen ab istis ita selectis non fuit negotium confectum: sed ab alio incognito, cui nihil minus venerat in mentem. Nihilominus factum decreto Dei. Exemplum illustrissimum.

V. Secundi Regum septimo, ostio Samariæ præficitur à Rege Israelis Dux quidam siue Tribunus, apud eum præcipuo in honore. Populus famelicus magna vi ingruit, egressurus in castra hostium, qui fugerāt. Tribunus, qui, vt est verisimile, turbam inordinatè, inconsideratéque euntem auctoritate sua componere nitebatur, præ multitudine opprimitur, conculcatur, suffocatur. Non sunt omnia contingentia? Aut nihil vnquam. Et tamen aduerte prouidentiam. Pollicebatur pridie huius diei Elisæus magnam frumenti abundantiam, ex eóque vilitatem annonæ: Tribunus contradicere arrogantet. Propheta confirmat promissa: addere, Tribunum id ipsum oculis visurum, nec fruiturum tamen cum aliis: non vesciturum eo frumento. *Fuit ergo illi sic: nam proculcauerunt eum populus in porta vt moreretur.*

VI. Eiusdem libri capite nono, impiam Iezabel iubet Iehu præcipitari. Eo facto pergit ad reliqua peragenda, vt sibi victoriam, regnúmque confirmaret. Post paulò iubet abire quosdam, & cadauer humi mandare. At hi cadauer nullum inueniunt: Inueniunt particulas cadaueris: caluariam, pedésque, & volas manuum. Conuersi id, quod erat, nunciant imperatori suo. Ille, *Verbum est Iehoua*, inquit, quod loquutus fuerat per seruum suum Eliam Tisbitem, dicendo, in portione Iezrehelitica comedent canes ipsi carnem Iezabelæ

VII. Similia, *Domus & substantia possessio est Patria: ex Iehoua autem est vxor intelligens.* Prouerbiorum decimonono, & vigesimo secundo. *Diues & pauper inter se occurrunt, efficiente hos omnes Iehoua.* Nimirum, quia nemo, siue ad diuitias euehitur, siue ad paupertatem deprimitur, nisi ita disponente Domino: Vnde Iob, *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Quò sine dubio respexit Christus, *Da nobis panem nostrum quotidianum.*

VIII. In salutis nostræ mysterio, quàm multa occurrunt, quæ nemo non iuret esse fortuita? Commoratur Ioseph cum Maria sponsa & grauida in Samaria in vrbe Nazareth. Cæsar orbem recenset. Ea caussa Iosephum Mariámque ab ea vrbe euocauit in vrbem Bethlehem; vt apud suos describerentur. Inibi cùm essent, completi sunt dies Mariæ: Itaque peperit in ea vrbe Saluatorem. Homines consule: fortuitum respondebunt. Neque enim Cæsar ei rei operam dabat. Ne Maria quidem aut Iosephus. Casu igitur in Bethlehem natus Christus? Minimè: minimè. Matthæus secundo, docet ex Prophetarum auctoritate, Messiam debuisse nasci nullo alio loco. Hoc igitur ipsum, quod habita caussarum proximarum ratione contingenter euenit, moderata est tamen Diuina prouidentia; quæ sibi non Mariam tantùm & Iosephum, sed ipsum Cæsarem alia omnia cogitantem fecit, vt inseruiret.

IX. Debuit idem Nazarenus Christus dici, pronunciante Oraculo. Quid fit? Imò, quod fit? Herodes magnam lanienam patrat infantium: atque hoc ipsum non fortuitum. Fugit Ioseph cum Maria, & Christo: abit in Ægyptum: hoc ipsum, præcedente Oraculo. Moritur Herodes: Ioseph constituit rursus in patriam: audit in itinere eum patri successisse filium, à quo nihil sibi minus esset metuendum: substitit in Nazareth. Compara: nihil erit consultò factum. At Matthæus docet, ita olim fuisse præstitutum. Mitto crucem, mitto lanceam, mitto sorte distributa vestimenta: mitto alia.

X. Quid? Quod homicidiorum fortuitorum sese disertè Deus autorem profitetur? Exodi vigesimo primo. *Qui percusserit quenquam, ita vt moriatur, omnino morte plectitor. Si quis tamen non quæsierit: sed Deus ipse obiecerit manui eius, constituam tibi locum, quo ille confugiat.* Et Deuteronomij decimo nono. *Hoc autem esto ius occisoris, qui fugerit illuc, vt viuat: qui percusserit proximum suum imprudenter, cùm ipse non oderit eum antea. vt qui iuerit cum proximo suo in syluam ad cædendū ligna; si vibrante se manu eius cum securi ad cædendum lignum, deciderit ferrum è manubrio eius quod offendat proximum eius, ita vt moriatur, is ad vnam harum ciuitatum fugito, vt viuat.* Quid potuit describi magis contingens? magis fortuitum? Atqui hunc ipsum ita fortuito, ita contingenter occisum, Deus profitetur se tradidisse: quod, nisi præsenti prouidentia factum, intelligi nullo modo potest.

XI. Desino, dum illam addidero Iacobi saluberrimam admonitionem capite quarto, quæ nisi ab hac persuasissima doctrina proficisci nequit. *Age nunc qui dicitis, hodie vel cras ibimus in illam vrbem: & agemus ibi annum vnum: & mercabimur. Pro eo quod dicere debuistis: Si Dominus voluerit & vixerimus, faciemus hoc aut illud.* Tam certus fuit Apostolus omnes euentus nostrarum rerum, etiam minimarum à Dei voluntate pendere! voluntate, inquam: sic enim Iacobus: *si voluerit.* Non, si permiserit, si siuerit, si non noluerit: sed disertè, *si voluerit.*

XII. Hinc nata Fidelium consuetudo, qua testantur se omnia in Deum auctorem referre. Hi non tantùm, quum quid futurum designant, addunt, auctore Iacobo, si Deus voluerit, sed etiam contra euentus non secundos, vnde consolationem sibi petunt: sic Deo placuit, aiunt: vt Iob, *Dominus dedit; Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Dauid dominum Semei iussisse agnoscit, vt sibi malediceret. Petrus prioris suæ capite tertio. *Melius est, vt bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quàm male agentes.*

XIII. Hanc consuetudinem impiè ludificatur Sanctesius, asserens ita fieri: non quòd certum sit omnia & singula à Dei decreto pendere: sed quia, cùm constet plurima fieri volente Deo, tanquam in incertum; &, si fortè fortuna. Quasi nullus sit alius Christianorum sensus; nisi vt dicant, fortasse ita Deus voluit: fortè etiām ita volet. A qua impietate fidenter prouoco ad ipsam Christianorum consciētiam. Certè nos habemus disertissimos Scripturæ locos, de rerum contingentium prouidentia. Ille quos habet de fortuna? Omnino nullos: sed solius humanæ rationis commenta. Imo humanæ rationis ignorantiam meram, & stupidam, tum autem, si quosdam euentus constat ita dispensari: quæ caussa distinguendi? vt hos quidem dispenset Deus, illos minimè? An, quia non vult? Quo authore? An, quia non potest? Blasphemum. An, quia nescit? impium. An quia non dignatur? Epicureum.

XIV Il-

XIV. Illud [illegible], hunc morem [illegible], vt [illegible] omnibus prompta sit fidelibus consolatio, dum acquiescunt in bona Dei Patris sui voluntate, cui omnes oportet subijci. Quæ quidem [illegible] litas non minus perit, si incerta reddatur, tribuíque hæc de prouidentia Dei persuasio, quàm si omnino tollatur: tum, quia suopte ingenio procliuiores sunt homines in deterius, tum, quia circuit [illegible] diabolus tanquam leo rugiens, atque omnes vel minimas captat occasiones præcipitandi vel constantissimos. Cùm igitur verum sit, animum, dum est in dubio, paulo momento huc illuc impelli, quis dubitet facilem diabolo victoriam, si dubitet Iob, vt hunc, exempli caussa nominem, sibi-ne sua erepta sint Deo sic volente, an verò potius eodem, vel nolente, vel negligente? Aut, quis dubitet non suggesturum diabolum ea omnia, quæ [illegible] Papistæ pro verissimis occinunt, peccata non [illegible] à Deo: fuisse esse peccata: Itaque omnino hanc Chaldæorum & Sabæorum irruptionem non repetendam altius, quàm ab eorum nequitia: quàm ab eorum libero arbitrio: & similia multa? Quare, si constat hanc ei viro bono, viro sancto, in promptu fuisse consolationem: *Sicut Domino placuit ita factum est*: Vident omnes (aut nemo quicquam videt) expeditã fuisse futuram desperationem, si ei Sanctelius aliquis persuasisset non fuisse factum, sicut placuit Deo.

XV. Claudo illustri addito loco Nazianzeni, oratione priore contra Iulianum. Deum is dicit διέπειν τὸ πᾶν τοῦτο κόσμον, *moderari vniuersum mundum*: quod aliò fortè pertineat, sed addo ad contingentia, καὶ τὰ ἡμέτερα σαλευόμενα τῷ ἑαυτοῦ καὶ μὴ σαλευόμενα, *& nostras res fluctuantes, simul miniméque fluctuantes.* Et quomodo, inquam, fluctuantes? ταῖς μεταβολαῖς κινούμενα καὶ περιφερόμενα καὶ ἄλλοτε ἄλλως ἔχοντα, vt quæ per mutationes quidem mouentur, ac sursum deorsúmque agitentur, aliásque se aliter habeant. Et qui in his verbis non cognoscit contingentium naturam? sed eandem quomodo non fluctuantem? τῷ λόγῳ τῆς προνοίας πάγια καὶ ἄτρεπτα. *At quantum ad Diuinæ prouidentiæ ordinem & constitutionem, fixa & stabiles sunt.*

CAP. X.

De obiecto Prædestinationis.

I. HActenus de sententia Catholicorum. Transeo ad Papistarum negantium omnia prædestinari. Occurrit primus Suares, negans obiectum prædestinationis aliud esse, præter personam rationalem creatam: Hoc est, vel Angelum, vel hominem. At nos omnia omnino creata absque vlla distinctione; prout docuimus multis exemplis. Fundamentum ponit distinctionem: qua prædestinari aliquid docet, vel simpliciter ad esse, vel ad aliquid aliud, & hanc esse propriè prædestinationem, illam impropriè. Argumento illi est, vsus ipsius vocis prædestinare: Inde conficit non prædestinari accidentia: sed solas substantias. Secundò, ne omnes quidem substantias: sed solum rationales.

II. Fallitur Suares, nec rectè vsum vocis reputat. Nam prædestinare dicitur de omnibus rebus, quæ antequam sint, destinari possint: possunt autem, quæcunque destinantur, destinari antequam sint. Itaque & omnia prædestinari. Imò reipsa prædestinare, nihil aut magis, aut minus significat quã destinare. Hoc enim ipsum destinare non potest nisi ad futurum referri: sed ita factum tamen in Theologia, vt non tantùm destinare, sed etiam prædestinare sit in vsu, occasione, puto, Græci contextus, in quo legimus tum ὁρίζειν, tum προορίζειν, quod Græcè potuit fieri: quia ὁρίζειν non est propriè destinare, sed definire: quo verbo non necessario futurum infertur: sed tantùm generaliter rei cuiuspiam certa & particularis designatio. Optime ad designandum Dei consilium, non subsistẽs in generalibus: quomodo sæpissime homines: sed descendens ad indiuidua vsque.

III. Cæterum hominum si ratio habeatur, aliud erit ὁρίζειν, aliud προορίζειν. Sed de Deo si sit sermo, tum nihil hoc ab illo differt: quia Dei consilia nulla sunt repentina αὐτοσχεδιαστικά, siue tẽporalia, sed omnia ab æterno: Itaq; cùm ea, de quibus aliquid decernit, nõ sint ab æterno, necessario decretum Dei respicit futurum: ac proinde illud ὁρίζειν Dei, non potest non esse προορίζειν. Itaque Scriptura promiscuè vtrumque vsurpat. Actorum quarto, ποιῆσαι ὅσα ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι, *vt facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prædefinierat facienda.* At Lucæ vigesimosecundo: καὶ ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου πορεύεται κατὰ τὸ ὡρισμένον. *& Filius quidem hominis prout definitum est, vadit*: & Actorum secundo, τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες: *Hunc definito consilio, & prouidentia Dei deditum cùm cepissetis.* His locis, quum de eodem Dei decreto agatur, quo Christus ad mortem destinatus erat, semel τὸ προορίζειν vsurpatur, bis autem ὁρίζειν.

IV. Iam verò, Scriptura non tantùm substantias, nedum personas rationales, sed alias etiam prædestinationi subijcit, quæ iis nominibus venire nequeunt. Actorum decimo septimo. *Condidit ex vno sanguine omne genus hominum, vt habitarent per vniuersam superficiem terræ,* ὁρίσας προστεταγμένους καιρούς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν. *Definiens tempestatibus quas præstituit, & posita termina habitationis eorum*: Actorum quarto, ὅσα ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι *quæcunque consilium tuum prædefiniuit facienda.* prioris ad Corinthios secundo. *Loquimur sapientiam Dei in mysterio occultam illam* ἣν προώρισεν ὁ Θεός. *Quam præfinierat Deus ante secula in gloriam nostram.* Quibus locis significatur, non tantùm prædestinasse Deũ ad aliquid: sed etiam illud ipsum, ad quod prædestinati sunt: exempli gratia, non tantùm destinatũ est, non omnes homines vno eodémque tempore, vno eodémque loco habitaturos: sed varios variis: Imò amplius, ea ipsa tempora definita sunt, iique loci, quibus hi illive homines habitaturi sint. Nec deniq; tantũ, ne traderetur Christus Iudæis, qui eũ malè mulctarent, sed etiã ea ipsa singula determinata ad numerum, quæ ab iis ille passurus esset. Augustinus eadem ratione dixit dona Dei prædestinari. De bono perseuerantiæ libri secundi capite decimo septimo. *An forte nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut se daturum nesciuit. Quod si & dantur, & ea se daturum esse præsciuit, profectò prædestinauit.* Autor etiã hypognosticon reprobis pœnam dixit prædestinatam. Libro sexto de iis qui traduntur in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt. *Hi,* inquit,

pœnam prædestinatam esse rite fatemur. Et de Iuda, *pœnam ei prædestinauit ex merito*.

V. Nam quod Suarez distinguit obiectum prædestinationis à termino, vt obiectum sit, exempli gratia, Christus: terminus autem, passio, puerile est. Nam ea distinctio relatiua est duntaxat. Hinc est, vt obiectum differat à termino, non quatenus prædestinatur, sed quatenus prædestinatur ad id. Itaque si dico prædestinari Christum ad crucem: tum Christus erit obiectum, crux terminus: sed si prædestinari dico crucem hanc Christo, tum crux erit obiectũ. Christus autem terminus. Sic, si quis dicat destinatam esse diem Iudicio vniuersali, ego possum dicere destinatum vniuersale Iudicium ad certam diem. Actorum decimo septimo *ἔστησεν ἡμέραν, statuit diem quo iudicaturus est orbem terrarum*. Et ita reciprocauit autor hypognosticon libro sexto: Qui secundum propositum Dei viuunt, præscitos esse & prædestinatos electione gratuita eius: & regnũ eis cælorum prædestinatum sine dubitatione dicendum est. Itaque destinatio communis erit vtrique.

VI. Sed de accidentibus argumentatur: Prędestinatio propriè dicitur de re, quę ordinatur ad finem assequendum. Consequi autem finem est proprium substantiæ. Nam accidentia potius esse solent vel media, aut instrumenta, per quę substantia consequitur finem: vel ad summum esse solent ipsa formalis consequutio finis. Igitur prædestinari simpliciter conuenit rei substãtiali, non accidentibus. Tertiò, licèt accidentia ordinentur ad substantiam, tanquam ad finem, cuius gratia fiunt; tamen ille finis non est supra naturam accidentium.

VII. Respondeo ad primum. Primò finem intelligi, vel eius qui prædestinat, vel eius qui prædestinatur: prædestinationem autem propriè supponere finem eius qui prædestinat: etsi possit etiam alterum supponere: sed tanquam finem, quem suo proponit consilio is qui prædestinat. Itaque, cùm ad eum finem assequendum conferant, non tantum res quæ primò destinãtur, sed etiam quæ secundò & tertiò, & in infinitum: ergo de his non minus, quam de illa, prędestinationem propriè dici. Ad secundum patet ex iam dictis responsio. Ad tertium supponitur falsum, videlicet nihil prædestinari ad finem, qui non sit supra eius naturam. Sic enim homo dici non posset prædestinatus ad mortem: neque Christus ipse ad crucem: quod est falsum.

VIII. De persona rationali. Substantiæ carentes intellectu, non ordinantur ad beatitudinem, nec ad supernaturalem finem, cùm illius non sint capaces. Sed hîc falsò supponitur prædestinationem pertinere ad solam beatitudinem, siue ad solum finem supernaturalem.

Cap. XI.

De Fato.

I. Catholicorum doctrinæ Sanctesius opponit fatum iam olim ab Ecclesia profligatum: Sic docuisse in Iudęis Essęnos, Pharisęosque, omnia fatali necessitate fieri teste Iosepho Antiquitatum libri decimi octaui capite duodecimo. Tum ex Eusebij lib. 6. de Præparatione Euangelica capite quinto, docet infinita absurda sequi constituto fato: nec tantùm, quum stellarum influxioni omnia imputabuntur: sed etiam quum ad Deum referetur causa omnium.

II. Respondeo litem moueri, vel de nomine, vel de re ipsa. Si de nomine fati, non posse importunitatem (vt mollissimè dicam) excusari. Nam omnino, aut à Caluino; aut à nostrûm quoquam, nusquam vsurpari solet. Audi Caluinum libri primi Institutionis capite decimo sexto, paragrapho octauo: Nos, etsi de verbis inuiti litigamus, fati tamen vocabulum non recipimus: tum, quia est ex eorum genere, quorum prophanas nouitates refugere nos Paulus docet: tum, quia eius odio conantur grauare Dei veritatem. Et sane, cùm extremis duobus significandis adhibeantur fatum & fortuna: sicut rẽ detestantur toto animo Catholici; sic à vocabulis libenter abstinent: non quia superstitiosi sint in literis numerandis syllabisve põderãdis: sed, quia illę literæ, illæque syllabæ iampridem inseruierint Dei prouidentiæ penitus tollendæ, quæ nisi sarta tecta conseruetur in Ecclesiæ fide, actum sit de Religione.

III. Ea nobis religio est, etiam in vocabulis: nec illis tantùm, sed & omnibus, quę & longissime recedunt à simplicitate Christiana: & ethnicam idololatriam pleno ore redolent. Videant Papistæ, quam de suis rationem reddituri sint. Nam ego possum non paucos recensere, qui, tum hęc fati fortunæque nomina licenter vsurparunt, tum Genios & Deos impune se appellare potuisse censerent. Nec eos ex promiscuis grammaticis, quorum cùm tota laus esset in latinitate, haud mirum, si Ciceronianum maluerint quàm Christianum stylum imitari: sed Episcopos: ipsos, inquam, Episcopos, quorũ erat plebi præire, non pręceptis magis quàm exemplis. Iouius Episcopus Nucerinus vix vllas superstitionis ethnicę formulas suo episcopatu parum dignas credidit: cuius ista sunt ex historiarum libris. *Nil reliquum tot cladibus afflicto terrarum orbi Mars & Fortuna fecisse videantur. Cæsarum potestas fato concessit.* Impellente genio se historiam scribendam suscepisse. Quid plura? Cùm Deum, credo, exilius dici putaret, quàm pro maiestate Latini sermonis; diis iuuantibus, maluit, & deorum prouidentia, & deorum templa. Sic, neque Deos, neque fata Galeacium in fortuna nasci voluisse, qua ducatum vel adspiceret: &, occupandę Gallię Cisalpinæ occasionem Carolo dari à diis immortalibus: &, si quando Deum singulariter dicat, additum legas, magnum, maximum, summum, quasi doleret in vsu non esse amplius, minorum maiorúmque gentium Deos.

IV. In Grammaticis Lipsius, fateor, sed is olim noster, imò non olim noster: Nam si olim noster, semper noster: qui enim exiuerunt à nobis, non sunt à nobis. Lipsius tamen ille olim inter nos, tandem non inter Papistas tantùm: sed merus Papista. Solent autem earum conuersionum initia aut ostendere, si sanæ sint & à Spiritu, zelum quẽdam, id est, amorem pietatis. Ille tamen Lipsius fatum non obiter nominauit, sed constanter asseruit. *Cum lege immobili rerum humanarum ordo fertur*. Politicorum primi capite quarto. Et in monitis, quæ paulo ante mortem edidit. Imò centurię tertiæ epistola vigesima distinguit à Deo. Si voto meo dirigenda vita sit: *Sed Deus & id quod fatum vocamus superant*. Et quamquam vocabuli profanitatẽ molliuerit sensu commodo, & Christiano à stellis ad Deum: tamen numquam habuit nos assentientes: qui prouidentiam malu-

[illegible] sanctiori vocabulo dicere, ne vel nomi[illegible] co[illegible] tam sancta mysteria polluantur.

[illegible] Nihil ergo habuit caussæ Sanctesius, cur nos [illegible] Pharisæisque conningeret. Quanquam Essenos cur nominet, mihi nondum constat. Nam de fato ab iis asserto, apud Iosephum nihil legi. De Pharisæis etiam dubito, an verè ab iis fatum [illegible]. Lego sanè apud Iosephum Antiquitatum decimi octaui capite secundo. [illegible] *Fato fieri omnia pronunciant.* Sed verum propriâ lis fuerit fati aliqua appellatio, an eis potius de aliqua vicissitudine Iosephus [illegible] à Græcis mutuauerit ad exprimendum, incertum est, erat autem apud eos constellatio, cui fane deferebant non parum: vt ne inter Christianos quidem non pauci: sed iidem tamen non eodem [illegible] cum Ethnicis fatum in stellis constituebant. Nam idem Iosephus Antiquitatum decimi tertij nono, [illegible] *Pharisæi quædam non omnia esse fati dicunt.* Quomodo? nempe captiuitatis secundi duodecimo, [illegible]. Hoc est, interprete Rufino: *Fato geri omnia credunt; sed neque liberum arbitrium hominis auferunt.* Secundo, [illegible], id est eodē interprete, *Fato & Deo vniuersa deputant.* Sed nostra tamen nihil interest, quicquid siue Esseni senserint, siue Pharisæi asse[illegible]. Disputet ea de re cōtra Serariū doctissimus Drusius; mihi quidē in eo nec seritur, nec metitur. Nos enim, cùm prouidentiam Dei dicimus, & tuemur, non putamus habere quicquam cum fato commune.

VI. Sed, si rem ipsam potius, quàm nomen exagitet Sanctesius, vt Theologum decet. Respondeo, id, quod fati nomine iampridem significatum est, [illegible] explosum esse, & à Catholicis damnatum. Eusebiusque id ipsum serio confutantem à nobis libenter legi: verum fortunam, sic & fatum fecimus natum ex crassa ignoratione, non tam caussarum secundarum, quàm Dei summæ caussæ, à qua quum [illegible] aberretur, haud mirum si huc ille, illuc alter decurrerit, quomodo qui non rectâ ad scopum, ij partim ad dextram, partim ad læuam decerrant: Ita quod ille olim,

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus Fortuna Deam, cœloque locamus.

optimo iure nos sic imitari possimus, vt pro prudentia Religionem pietatémque substituentes, nō fortunam tantùm, sed & fatum, eodem comprehendamus fasciculo.

VII. Est autem fati peccatum triplex, vnde procul abit prouidentia. Primum, quod constituatur in secundarum caussarum à stellis pendentium serie indissolubiliter connexa: quasi nullo casu immutari [illegible], corrective ea vis queat. Secundum, quod non tantùm infimas creaturas: sed etiam Deum ipsum subijceret. Tertium, quod libertati arbitrij, quæ creaturis [illegible], Angelis, inquam, & hominibus essentialis est, fuerit oppositum. Nos verò, si cum prouidentiam asserimus, quicquam huiusmodi [illegible], caussam nullam dicimus, quominus [illegible] corripiamus. Singula videamus.

VIII. Caussarum naturalium connexionem [illegible] nominat, impugnátque Cicero, dum fatū impugnat. Sic apud eum leguntur, æternæ caussæ naturæ necessitate manantes, caussarum series sempiterna: ex æternitate caussa caussam serens:

omnia naturali colligatione conserte contextéque fiunt. Etue moter, Chrysippi Authoris definitionē recitat Agellius capite secundo libri sexti, [illegible] *Naturalium omnium rerum dispositionem aliarum ex aliis ab æterno consequentiam commixtione inseparabili.*

IX. Hinc [illegible], id est, singularum rerum, quasi natiuitas, cui astrorum moderatur influentia. Hanc valde Veteres exagitant, cùm de fato agūt. Epiphanius in Pharisæis, [illegible] *apud eos fatum & astronomia imperiò laudatur.* Et autor Recognitionum Clementis, vix alio nomine fatum denotat, quàm illo Geneseos. Nemesius item haud aliter disputat, quàm contra eos, *qui astrorum circumuentioni caussam assignant omnium quæ fiunt.* Nec in re facili plura sunt testimonia necessaria.

X. De diis disertè Eusebius Præparationis sexto, [illegible] *Vsque adeo fatum metuunt generosi dij, vt consecrantur, ne suis quidem templis cœlesti igne correptis posse opem ferre: tantùm verò exspectent homines ab iis auxilium, qui non sibi quicquam vtiles esse possint.* Notum vel pu[illegible]is, qui humaniores literas à limine salutarunt, illud poetarum principis Odysseæ tertio:

[illegible]

Herodotus Clione. [illegible] *Destinatum fatum effugere non potest, ne Deus quidem.* Ex qua impiissima persuasione rectè concludit Eusebius, non esse igitur Deos colendos.

XI. De libertate arbitrij idem Eusebius, [illegible] *Etiam quicquid in nostra situm est potestate, collunt: dum non ea tantùm, quæ extra nos sunt, neque in nobis astrorum motui imputāt, sed & nostras volūtates.* Et postea, [illegible] *Quod si astris fatóque non ea tantum quæ extra nos imputanda, sed etiam ipsæ rationales propensiones, quædamque inexorabilis necessitas hominum sententias cogit, perijt philosophia, perijt & religio.* Iterum, [illegible] *Sic igitur, vt dixi, perijt magna illa philosophia laus, quæ non ab eligentis voluntatis meditatione exercitationéque, sed ab astrorum necessitate pendeat.* Et in Clementis Recognitionum libro nono. *Cùm Deus iustus sit, & ipse fecerit hominum naturam, quomodo poterat fieri, vt ipse poneret Genesin contrariam nobis, quæ nos cogeret ad peccatum? & postea. Neque enim imputandum est ei quod eum Genesis facere compulit.*

XII. Hoc erat fatum à veteribus Catholicis tantopere damnatum: Habetne aliquid commune cum Dei prouidentia? Imò [illegible]. Deum certè subijcere prouidentiæ Catholicorum nemo, & quî posset? Nam prouidentia Dei est voluntas: & hæc quid aliud quàm Deus? Itaque ridiculè Alphonsus de Castro libro septimo contra hæreses, capite

de futuro contingenti, cùm Lutherum dixisset adstruere necessitatem absolutam, disputat multa Deum posse facere, quæ nec facit, nec vult facere: quæ controuersia tractata est iam à nobis. Sed, quid illi contra prouidentiam? imò contra prouidentiæ necessitatem? Non enim sequitur, si Deus multo plura possit, quàm aut fuerunt aut futura sunt, non certò apud se Deum statuisse ab æterno quid futurum esset. Imò potius, quæ ab æterno ita constituit Deus, ideo, etsi multo plura possit, tamen hæc tantùm aut fuerunt, aut futura sunt: nec plura. Denique, etsi multi calumniis nos multis grauent propter Prouidentiam: tamen nemo hactenus occurrit, qui Prouidentiæ à nobis Deum subiici dixerit.

XIII. Iam de caussarum naturalium serie, quis loquentes vnquam audierit? Imò verò, cùm ipsa contingentia, id est, quæ nullo caussarum ordine necessariò eueniunt, huic ipsi diuinæ prouidentiæ subiicimus; hoc ipso satis fit testatum, quænam sit nostra sententia, quámque aliena à fato. Enimuerò, quantumuis ab æterno decretum dicamus orbem creatum: tamen, quis hîc consideret naturalium caussarum seriem; quum omnino nulla natura præcederet? Nec in eo tantùm capite. Nam & Sodoma consumpta est nullis præcedentibus naturalibus caussis; sed Deo tum téporis ignem de cœlis eiiciente. Et Isaac conceptus, etiam dissoluta caussarum serie, quæ in hominum generationem solet concurrere. Quid plura? Quæcumque certè in Christi siue natiuitate, siue morte, siue resurrectione, siue ascensu in cœlum, facta sunt; etsi certo æternóque decreto promissa erant; tamen tam procul absunt ab ordine naturæ, vt nihil habeát commune: ideóque execramur eorum astrologorum vesanam temeritatem, qui Christi genesin struere ausi sunt, quicumque tandem illi fuerint. Et de stellis nominatim, quis ignorat Caluinum liberè, doctè, solidéque suam sententiam explicuisse libro integro contra Astrologiam iudiciariam?

XIV. Libertatem Arbitrij posteà demonstrabimus non magis à Prouidentia Dei violari, quum homines ei sunt pro instrumentis; quàm ignis ardorem, quum Sodoma destruxit: vrsorum feritatem, quum pueros interemit Elisæo conuitia dicentes: & similia plurima. Neque Catholicorum, imò ne Papistarum quidem quisquam negat, eos ipsos qui olim congregati sunt, vt Christo facerent quæcumque consilium Dei priùs definierat facienda (sic enim loquuntur Apostoli Actorum quarto) sponte fuisse congregatos: sponte etiam decreuisse: sponte denique, nō autem coactos, aut inuitos decreta sua adimpleuisse: ergo in his saltem apparet & subiici arbitrij libertatem Prouidentiæ, & non violari tamen.

XV. Sed obstrepit Sanctesius: Quid interest, inquit, vnde necessitas veniat, supernè an infernè? Siquidem semper statuitur? Imò ab astris multo esset lenior: quia esset ab iis ad Deum prouocatio: cùm à Deo nulla sit.

XVI. Itáne, inquam? nihil interesse, Deúsne imperet, an caussæ naturales? Nihil omnino interesse, si Deus Abrahamo terram Chanaan destinet: aut genesin promittat? Nihil, Deúsne, an astra morti filios Heli addixerint? Nihil, Prophetæ prædixerint, an Genethliaci præuiderint Christi natiuitatem? Hoc homo quisquam dicere? Hoc Christianus cogitare potuit? Monstra temporum! Nam cur ergo Iacobus Christianos docet dicere, *Si Deus voluerit*, & non potius, æquè damnat id erroris, atque istud: *Si sic fata ferant, sic, si sic astra velint?* Atque ne hominibus quidem perinde est, à quocunque homine regantur. Nec credo Iudæis æquè bene erat, cùm à Nabuchodonosore erát in captiuitatem abducti, & quum olim à Dauide κατ' νόμους gubernarentur: & tamen magis accedebat dominium Nabuchodonosoris ad regnum Dauidis, quàm seruitus, quæcumque erit sub astris, ad seruitutem sub Dei prouidentia. Neque æquum fuit Gallos nostros, his proximis annis meritò indignatos sibi à Papa & Iesuitis imponi iugum Hispanicum; etiam reiicere Henrici tertij, aut quarti legitimam auctoritatem. Nec sane tum quisquam vir bonus dixit, Quid interest veri seruiam? & ita insaniat aliquis, vt qui astris nolit seruire, idem ne Dei quidem prouidentiæ velit subiici?

XVII. Deinde, quod de necessitate loquitur, non est satis distinctum. Nam si eam nominat pro coactione, violentáque impulsione, vt Eusebius dicebat, non tantùm fato imputans *τὰ ἡμετέρας προαιρέσεως*, sed etiam *ἀναιτίαστον τὴν ἀνάγκην τὰς ἀνθρωπίνας ἐπιβάλλων γνώμας* Næ ille egregiè calumniatur diuinæ prouidentiæ: non enim magis à terra cœlum distat, quàm prouidentia differt hac parte à fato, cuius *ἀνάγκην* Theodoretus appellat *θεσμόν*, Therapeuticon sexto. Sin verò necessitatem dixit, *euentuum certitudinem*, tum nos liberè anathema pronunciamus detrahenti diuinæ prouidentiæ, quamlibet ob caussam, siue contingentiæ, siue arbitrij, eam necessitatem: Imò negamus tanti sceleris fore, hominem si quis priuet arbitrij libertate, quanti si quis prouidentiā certitudine. Quanquam Catholici facile vtrumque præcipitium vitant.

XVIII. Pergit Sanctesius, & Catholicorum sententiam dicit accedere ad Platonem, quem Apuleius de dogmate Platonis, testatur appellasse fatum, diuinam legem, per quam ineuitabiles cogitationes Dei, atque incepta complentur, sed esse aliquid in nobis: & in fortuna nonnihil. Gregorius etiā Nyssenus de Prouidentia capite tertio, à Platone fatum appellari, prouidentiam diuinam, nec malè sentire, nisi induceret necessitatem effectuum, operationúmque in rebus omnibus, vtcumque deliberationes earum sint liberæ.

XIX. Atqui nihil sincerè tractat Sanctesius. Apuleius docet Platonem definisse, *Prouidentiam esse diuinam sententiam conseruatricem prosperitatis eius, cuius caussa tale suscipit officium. Diuinam legem esse fatum, per quod ineuitabiles cogitationes Dei, atque incepta complentur. Vnde si quid prouidētia agitur, id agitur etiam fato: & quod fato terminatur, prouidentia debet susceptum videri.* Prouidentiam autem triplicem distingui: primam, ipsius Dei summi: secundam deorum minorum, tertiam nostram. Primam prouidere mundo vniuersali: secundam generationi indiuiduorum, quæ in generatione & corruptione sunt: tertiam deductioni, & fini agibilium, ordiníque eorum quæ sunt secundùm hanc vitam. Hæc Platonis sententia est, iuxta Apuleium, à quo nec Nissenus dissentit.

XX. Sed ea de sententia sententiam Nysseni audiamus. *Quod igitur ad Deum refert omnia Plato, & ex illius voluntate omnem prouidentiam dependere dicit, laudari meretur, non autem quòd secundo vult ordine adstruere prouidentiam eorum qui cœlum circumeunt: non enim est prouidentia quod fit, sed fatum & necessitas.* Vbi tu mihi vide Sanctesij nequitiam, qui pro eo quod Nys-

Nyssenus dixit, non esse circuitum cœli prouidentiam, sed fatum & necessitatem; posuit non probare Nyssenum induci necessitatem effectuum operationumque: Nam certè hoc Nyssenus non dixit: sed tantum eam necessitatem, quæ est ab astris. Nam hæc verè contradicit & contingentiæ, & libero arbitrio.

XXI. Sed hæc cùm ita sint; nos certè fatemur ad Platonem accedere: sed accedere tantùm, hoc est, in quibusdam consentire. Quod si vitio vertat Sanctesius, quid ad nos? Norunt autem sani non esse omnia ab Ethnicis incommodè dicta: atque inter Ethnicos commodissime Platonem docuisse. Quod si nos eo tantùm rei sumus, quòd ad Platonem accedamus; quis Nyssenum tuebitur, qui primam Platonis prouidentiam disertè laudat? An verò hoc non est ad Platonem accedere? Quin potius domui suę prouideat, & aduertat Ioannem Anthonium Delphinum, conceptis verbis asserere quatuor esse dependentes causas rerum, fatum, naturam, fortunam, voluntatem. Quæ verba non iam accedunt ad Platonem: sed omnino à Platone sunt mutuata. Nam Apuleius ex Platone docuit primam prouidentiam esse Dei summi, eandémque fatum: secundam, deorum minorum; quos cur non naturæ nomine intelligamus? tertiam nostram, id est, voluntatis & fortunæ, & quidem suam illam sententiam Delphinus iactat vbique gentium à Christianis prædicari; id est, Papistis esse Catholicam.

XXII. Nos verò quod in Platone Nyssenus laudat, laudamus libenter, tantum ad Dei voluntatem referendam esse omnem prouidentiam. Admittimus & hanc eiusdem Nysseni definitionem. *Prouidentia est voluntas Dei, præter quam* (malim *per quam*; & credo ita fuisse in Græcis) *omnia quæ sunt conuenientem deductionem suscipiunt.* Neque illud à Clemente Recognitionum octauo, Petri nomine. *Ego dico prouidentia Dei gubernari mundum his dumtaxat, quæ gubernatione eius indigent.* Hoc, inquam, probare nemo potest nostrûm, quia nihil est in vniuerso, quod non indigeat gubernatione Dei. Nec reliqua etiam Platonis probamus, ne illud quidem, quod prouidentiam contrahit ad conseruationem prosperitatis rerum. Nam hanc eandem agnoscimus etiam in morte indiuiduorum: & ne omnia exequar, in ipsa futura mundi dissolutione, etiam in damnatione impiorum.

CAP. XII.

De Iustitia Dei.

I. IOannes Faber, disputans cōtra Lutherum de absoluta necessitate; quatuor argumenta habet. Primum, à Dei iustitia: secundum, ab humano arbitrio: tertium, à precibus: quartum, à conditionibus & mediis, ea nobis omittenda non sunt: quàquam absolutam necessitatem nullam defendamus, aut etiam probemus; sed diuinam solummodo prouidentiam, quam Papistæ solent eo nomine calumniosè traducere.

II. Ergo primum argumentum totum est in Dei iustitia asserenda, quasi eam Catholicorum quisquam impugnaret. Agit hoc modo: Si necessariò fiant omnia, ergo Deus iniustus est. Ratio consequentiæ: Quicunque punit homines ob ea quæ vitari non possunt, is est iniustus. At Deus non est iniustus, Psalmo vndecimo, & centesimo quadragesimo quinto, & alibi. Et tamen punit homines ob peccata, quod probatur multis vndique collectis testimoniis. Ergo non omnia eueniunt necessariò.

III. Respondeo, negari consequentiam. Nam si iniustus est quicunque aliquem supplicio afficit ob ea quæ vitari non possunt, tum certò ne Papistæ quidem ab hac se blasphemia exsoluent, quam præ se ferunt tantopere abominari. Cur ita, quærent? In promptu ratio est: quia apud illos est in confesso infantes plurimos damnari propter originale peccatum. Quod tamen, quoquò se vertant, non efficient tamen, vt vitari possit. Atque hoc & illustrius exemplum est, quòd non tantùm necessariò sint peccatores, sed etiam origine, id est, absque vlla ἀπροαίρεσιν, sine propria electione. Adeo sunt inconsiderati Papistæ, vt dum Catholicis inuidiam concitent, non curent, quid in veritatem, quid etiã in seipsos peccent. Iam negata propositione, falsa non esse conclusio non potest.

IV. Res ita se habet: Necessarium opponitur & voluntario & fortuito. Si voluntario: verum est quæ sic necessariò fiunt, vt voluntariò non fiant, non esse punienda, sed falsum sic esse peccata necessaria: etsi enim fortuita non sint, aut incerti euentus: tamen sunt voluntaria: & adeo quidem voluntaria, vt absque eo rationem peccati habere non possint. Posse autem quędam necessaria esse voluntaria, patet non tantùm ex originali peccato, de quo dixi, sed etiam ex aliis multis. Deus necessariò præscit omnia, quia naturaliter: & tamen voluntariè, quia Dei voluntas est eiusdẽ naturæ. Et ne prolixus sim: quæcunque Deus præscit, ea sunt necessaria, hoc est, ea necesse est euenire. Nam si non euenire possint, ergo Deus non pręscit, quia quemadmodum scire, est rem cognoscere vt est: ita præscire est rem præcognoscere vt futura est. Itaque, quæ præsciuit Deus, ea non esse tandem non possunt: atque eatenus necessaria: præsciuit autem omnia Deus: & in omnibus sunt etiam voluntaria. Ergo Deus præscit voluntaria. Itaque voluntaria sunt necessaria: ac proinde quædam necessaria, voluntaria.

V. Quid si necessarium opponatur fortuito: siue euentui non certo? fatemur peccata sic esse necessaria; vtpote quæ non excipiantur à directione diuinæ prouidentiæ. Sed omnino negamus, nihil debere puniri, nisi quod sit fortuitum. Nam contrà punitur peccatum originale, punitur Iudas, qui tamen non fortuitò prodidit Magistrum: punitur Pharao, qui tamen non fortuitò indurauit cor suum: & multa similia. Imò homicidia fortuita, quæ Deus punire volebat, nisi authores confugerent ad azyla assignata, ipse negauit esse simpliciter fortuita: quum se eorum autorem constituit.

VI. Nam quòd pro necessario substituitur, id quod vitari non potest, nihil iuuat argumentum: quia eadem vtriusque ratio: non enim quodcumque vitari non potest, fit inuoluntarium: & omnino voluntarium dupliciter significat; τὸ ἑκούσιον & τὸ προαιρετικόν: quæ sic differunt, vt omne quidem προαιρετικὸν sit ἑκούσιον at non contrà omne ἑκούσιον, etiam προαιρετικόν. Nam τὰ προαιρετικὰ pendent ex delectu deliberationéque præcedente; Atque ita vt primo habeamus nos indifferenter in vtramque

partem: Imò neque ista sunt in volūtate, antequam fuerint in iudicio; neque in iudicio, antequam in imaginatione: vt regij palatij ædificatio, nulla erat in Salomone, exempli gratia, tum cùm natus est. Sed tandem occurrit ei imaginatio palatij digni sua magnificentia: vnde iudicio maturo, rebus in vtramque partem disputatis, tandem decreuit ædificare palatium. At τὰ ἑκούσια non semper ab istiusmodi deliberatione pendent: sed sunt quandoque in ipsa voluntate, & sufficit fieri à non coacto, vt sint voluntaria. Sic in Salomone erat peccatum ante illam προαίρεσιν, ante illam peccati imaginationem: sed simulac fuit in eo voluntas: quæ eo ipso quòd corrupta erat (erat autem corrupta eo ipso, quòd ab Adamo) non poterat non esse peccatrix.

VIII. His ita constitutis facile apparet cuique vel stupidissimo, neque omnia vitari posse, sed ea tantùm, quæ sunt, αὐθαίρετα: neque omnia, quę vitari nequeunt, esse inuoluntaria: sed tantùm quæ vel contra voluntatem, vel saltem absque vllo motu voluntatis. At peccata nulla à nobis fiunt absque motu voluntatis: quamuis a Deo & præuisa, & prouisa, ac proinde non immeritò puniuntur, vt Absalomi incestum, & præuidit & prouidit Deus, nec tamen non spontaneum fuit. Quid? quod etiam αὐθαίρετον? Adeò altum est diuinæ prouidentiæ mysterium, vt quæ prouidit, possint esse non solùm non coacta, sed ἑκούσια, sed etiam αὐθαίρετα. Qua de re dicendum erit proximo capite.

IX. Denique puniri homines à Deo, ob ea ipsa peccata, quæ committuntur non fortuitò, sed ex necessitate diuinæ prouidentiæ, manifestum fit è Scripturis. Certè Iudas proditor, Iudæi, & Pilatus pœnas luerunt horrendi sceleris, quod in Christū Seruatorem admiserunt: & admiserūt propria voluntate. Nā aliàs nulla Petro fuisset exprobrādi iusta caussa, quod tamen seuerissime fecit, Actorum secundo. *Hunc ipsum manibus sceleratis cruci affixum interemistis.* Quinetiam longe antè, Psalmo secundo Propheta, *Quare fremuerunt gentes, & populi meditantur inane? Sistunt se Reges terræ: & proceres consultant simul contra Iehouam, & contra Christum eius.* Quid est voluntarium, si non est voluntarium, meditari, consultare? Et tamen certo certius est nihil in eo toto negotio factum, siue à Iuda, siue à Iudæis, siue à Pilato, non ab æterno decretum apud Deum, teste tota Ecclesia, Actorum quarto. Teste postea Anastasio Sinaita, qui de hac ipsa Christi passione loquens, *Quod*, inquit, *necessarium fuit vt fieret, omnino non poterat non fieri:* Libro quarto de rectis dogmatibus. Eant, Papistæ, & negent iustè fuisse Iudam adactum ad suspendium, Pilatum missum in exilium, Iudæos à Romanis misere vexatus. Quid? non est in Esaia luculentum Regis Assyriorum exemplum, quem se Deus excitaturum prædixit ad vexandos, imò vastandos Israelitas; & tamen ob hoc ipsum grauissime puniturum, capite trigesimo tertio.

X. Pergit Faber argumentando, Si necessitate omnia eueniunt, iam non est, neque erit posten vltor Deus. At esse vltorem multiplici Scripturarum testimonio clarum est. Ergo non omnia eueniunt necessariò. Sed negatur consequentia: Nam si ex diuinæ prouidentiæ immutabili decreto eueniunt in peccatores supplicia; quis neget Deū esse vltorem? Illis solis nocet hoc argumētum, qui necessitatem illam ab astris, & caussarum creatarum serie petunt: Quod Catholici omnes valde improbant. Rursus Faber: Si ob peccata puniuntur homines, ergo non necessariò. At prius verum. Ergo & posterius. Probatur antecedens multis Scripturæ locis, vnde constat propter inobedientiam, venire iram Dei in multos. Et peccatum, quod perpetratur ab homine, pœnam & damnationem habere: & Israelitas sæpissime totam suorum malorum caussam in seipsos reiecisse.

XI. At Faber Sophistam agit, qui in antecedente probando sudat ἐν ἀσκόποις, quod à nemine impugnatur: consequentiam verò, in qua est τὸ κρινόμενον misere deserit: sed enim, quæ subalternata non repugnant; vtrumque tuentur Catholici, nimirum propter sua peccata plecti homines: & tamen plecti necessariò. Sicut de filiis Heli legimus, ideo non obtemperasse Patris monitis, quia eos Deus vellet occidere. Rectè igitur Scripturæ docent, iram Dei in homines commoueri propter inobedientiam: rectè Israelitæ confitebantur sua peccata coram Domino, quoties puniebantur. Hæc enim certitudinem prouidentiæ non conuellunt: imò verò stabiliunt. Quemadmodum enim in optimè constituta Republica; non tantùm leges sunt, quæ in genere homicidis pœnas constituunt: sed etiam legitima iudicia, quæ singulos homicidij compertos, iis multant suppliciis: nec essent hęc iudicia, si primò non essent illę leges: nec bene constituta respublica, si constitutis iis legibus, sontium pœnæ fortunę permitterentur: Ita omnino indignum foret diuina prouidentia, si tantùm in genere decerneret peccantibus pœnas: singularia verò cæco euentui permitteret; potius quàm ipsa damnaret. Quod si decernere concedatur, tum & necessaria decretorum executio omnino concedenda est. Vix enim dicas, vtrum Deo sit indignius, aut omnino nihil decernere: aut in incertum decernere.

Cap. XIII.

De Arbitrio.

I. NOn pugnat ergo diuina Iustitia cum prouidentia. Quid hominis arbitrium? Tantundem. Et tamen Faber: Si fato quodam ineuitabili veniret siue bonum, siue malum, profectò non esset in homine electio. At est in homine electio. Ergo bonum & malum non eueniunt fato ineuitabili. Probatur assumptum multis Scripturæ locis, Deuteronomij vigesimo sexto. *Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus.* Trigesimo. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum: elige ergo vitam, vt tu viuas & semen tuum.* Secūdi Samuelis vigesimo quarto ad Dauidem Gad Propheta. *Trium tibi datur optio: Elige vnum quod volueris ex his vt faciam tibi.* Adde Esaiæ sexagesimo quinto & sexto. Hieremiæ octauo, & alios plurimos.

II. Vt sui similis est Faber! magno conatu assumptum confirmans, quod nemo negat: consequentiæ nullam curam gerens. At hanc negant Catholici. Ratio negandi certa: quia subordinata non pugnent. Est autem prouidentiæ Dei subordinatum, quicquid concurrit ad executionem æterni decreti. Concurrit autem hu-

hominum aliis facultatibus præditus, cum libero arbitrio, & electione. Quare non minus ridicule concluditur, quàm si quis dicat: Si necessariò ex prouidentiæ Dei decreto mundus est conflagraturus, ergo ignis non ardebit. Si necessariò Ioannes Baptista generandus est, ergo Elisabet non est futura coniunx Zachariæ: & infinita similia. Non enim minus seruit electio illis implendis operibus, quàm ignis ardor conflagrationi: & Zachariæ coniugium natiuitati Ioannis. Hæc autem necessitas, quæ est diuina prouidentia, quamque fati nomine iniuste grauat Faber, non semper immutat naturas rerum; quin potius per eam impletur. Itaque, quemadmodum est necesse mundum perire per ignem, & tamen ignem arsurum: id est, ignis naturam, qualis est, futuram pro instrumento exequendi huius decreti: sic bona & mala eueniunt hominibus ex certo prouidentiæ decreto: & tamen verùm est hominem eligere, id est, hanc hominis naturam esse pro instrumento prouidentiæ. Nam hæc prouidentia hominibus vtitur, tanquam hominibus: & lapidibus, tanquam lapidibus: & igne tanquam igne: & aqua tanquam aqua: & brutis tanquam brutis.

III. Pergit Faber: Si omnia fiunt absoluta necessitate, nihil ergo profuerunt, aut posthac prodesse poterunt consilia: frustra fiunt, danturque præcepta. At posterius falsum, ergo & prius. Assumptio probatur: Salomon Prouerbiorum duodecimo docet sapientem audire consilia: decimo tertio, eos, qui agunt omnia cum consilio, regi sapientia: cogitationésque dissipari vbi non in consilium: Geneseos trigesimo septimo, cùm filij Iacob vellent occidere Iosephum, dissuadentur à Ruben: & Ioseph ipse Pharaoni consuluit, vt virum eligeret sapientem & industrium, quem præficeret terræ Ægypti, placuitque Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius, Geneseos quadragesimo primo. Et ne omnia colligam, infinita sunt consiliorum exempla. Nec pauciora præceptorum. Nam sua mandata seruanda, quoties monet Deus? Leuitici decimo octauo, *facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester.* Matthæi decimo nono, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

IV. Agnosco antiquum & certum argumentum ad fati coactionem impugnandam, à qua abhorrent Catholici quàm maximè. At indignum est eadem argumentis Dei prouidentiam oppugnari contra Catholicos, quibus Catholici oppugnabant fatum Ethnicorum. Itaque negatur argumenti consequentia: quam rursus nulla ne leuissima quidem coniectura Faber confirmat: enimverò, posita illa electione, de qua iam diximus, poni etiam oportet reliqua, quæ electioni subseruiunt, ac proinde subordinantur, inter quæ sunt consilia & præcepta: quorum nullius vsus est, nisi ad mouendam in alterutram partem voluntatem.

V. Illustrissimum, atque adeò manifestissimum exemplum est electorum ad vitam. Quis enim neget non tantùm salutem, id est, vitam æternam esse donum Dei, sed etiam fidem ipsam esse non omnium, sed eorum, quibus datum est vt credant? Et tamen, quia sic dat fidem Deus, vt tamen det hominibus, hoc est, non truncis aut lapidibus: imò verò, ne brutis quidem: ergo iis vtitur medijs ad eam ingenerandam, &, vt ita dicam, indendam, atque inferendam; vt apta sint electioni. Quid enim? nónne vtitur præceptis? *Credite in Deum: & in me credite.* Ioannis decimo quarto: nónne consiliis? hoc saltem Papistæ non negent. Sic igitur arguo: Si Dei prouidentia contradicit consiliis præceptisque: ergo ad fidem inutilia sunt consilia, præceptaque. Atqui consequens est falsum. Ergo & antecedens.

VI. Absalonis scelus erit etiam huius rei non ignobile documentum. Constituerat Deus Dauidem castigare ob raptam Vriæ vxorem, & punire per Absalomum filium, & quidem incestuosè polluentem patris thorum. Disetta enim Nathanis Prophetæ verba sunt, quibus sese Deus interminatur accepturum Dauidis vxores, & daturum eius proximo, vt dormiat cum eis. Ad huiusmodi decretum implendum, non desilitur abruptè, sed acceditur pedetentim. Dixit *Absalomus ad Achitophel* (Secundi Samuelis decimo sexto) *da consilium quid facturi simus. Dixit verò Achitophel Absalomo, Congredere cum concubinis patris tui, quas reliquit ad seruandum domum suam: vt, audiente toto Israële fœtidum te redditum esse patri tuo, confirmentur manus omnium qui tecum sunt.*

VII. Et cùm certo certius sit, Christum Dominum nostrum non esse crucifixum, nisi certissima Dei prouidentia, quæ eludi non potuit, vel in minimis circumstantiis: tamen non fuit idipsum factum nullo hominum prius habito consilio. Ioannis vndecimo. *Coegerunt Pontifices & Pharisæi concilium & dicebant. Quid facimus? Nam hic homo multa signa edit. Si ita sinamus eum, omnes ei credent, veniéntque Romani, & delebunt tum locum nostrum, tum gentem. Vnus autem ex ipsis, Caiphas Pontifex maximus anni illius, dixit eis, Vos nihil scitis, nec cogitatis expedire, vt vnus homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat.* Nec tum solùm: sed nec temerè supplicio Christus adducitur: quomodo Stephanus nullo ordine, nullo iudicio; sed inetu tumultu obruitur. Sed ad Pilatum deducitur in prætorium, inibi iudicatur, accedunt clamores populi, quibus persuasus Pilatus addicit eum crucis supplicio. Ita consilio Caiphæ animati sunt Iudæi: ita constituta à Romanis politia, Iudæi necessariò ad prætorium ducunt: ita Pilatus, quod recusabat primò, induxit in animum vt faceret, victus populi clamoribus. Ita non fuerunt hæ rationes, hæcve consilia inutilia implendo decreto de passione Christi. Nec prouidentia obstitit his consiliis, consultationibusque. Nec hæ consultationes, hæcve consilia [illegible].

VIII. Quin Scriptura duodocet. Primò, iniri consilia ab hominibus, vt impleantur, quæ iam olim apud Deum decreta sunt. Ioannis decimo nono, *Milites, cum crucifixissent Iesum, acceperunt eius vestimenta (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam: erat autem tunica inconsutilis à summo contexta tota: dixerunt ergo inter se. Ne scindamus eam: sortiamur de illa cuius futura sit: vt Scriptura impleretur, dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem.* Debuit ergo hoc fieri: non enim mendax

Deus, qui prædixerat: & proinde decreuerat: debuit à multis fieri non ab vno: ij multi, vt id faciant, non coguntur, sed persuadentur ratione, siue consilio: persuadentur autem, teste Euangelista, vt Scriptura impleretur: quid clarius?

IX. Secundò, frustra homines inire consilium, nisi præeat diuinæ prouidentiæ decretum. Sic Iacobus prohibet sibi quenquam quicquam polliceri de euentu suorum consiliorum, nisi quantum Deus voluerit. Atque ideò sic loquendum docet. Si Dominus voluerit, & viuamus, faciemus hoc aut illud. Psalmus centesimus vigesimus septimus totus huc pertinet. Esaias, *Inite consilium & irritum fiet: loquimini verbum, & non existet.*

Cap. XIV.

De precibus.

I. De precibus Faber: Si supponatur euenturum necessitas, frustra orari. Nec Autatus argumentum neglexit paradoxo sexagesimo quinto, probans consequentis absurditatem multis locis. Christus nobis exemplum dedit orandi. Imò præceptum. Similiter post Christum Apostoli & Sancti Dei homines. Consequentiam præter morem Faber illustrat. Si enim, quod optatur, adimpleri non potest, nónne frustra & petitur & optatur? At non potest impleri, si impedit absoluta necessitas.

II. Respondeo: distinguendas ante omnia preces impiorum à precibus piorum. Nam impiorum preces si concedamus frustra fieri, nemo opinor mirabitur, cùm toties Scriptura doceat eas à Deo non exaudiri. Psalmo decimo octauo, *Clamauerũt, nec erat qui saluos faceret: ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Ioannis nono. *Scimus Deum peccatores non audire.* Quare hac quidem parte, nullum est argumenti absurdum: quod non possit impune concedi.

III. Restant preces piorum. Hîc verò nego frustra pios ad preces confugere, siue id futurum sit quod precantur, siue non sit futurum: & primò doceo, fideles orare etiam pro iis rebus, quæ erant necessariò futuræ, ex decreto Dei etiam cognito. Illustre exemplum Danielis capite nono, *Ego Daniel considerans ex libris numerum annorum, quibus fuerat verbum Iehoua ad Ieremiam Prophetam, completas fore vastitates Ierusalem, septuagesimum annum esse, adhibui faciem meam ad Dominum Deum quærendo oratione, & deprecationibus cum ieiunio, ciliciòque, & cinere.* Et post insertam longam peccatorum confessionem, ad extremum: *Domine, secundum totam iustitiam tuam summam, auertat se iam ira tua, & excandescentia tua, à ciuitate tua Ierusalem, monte sanctitatis tuæ. Nunc, inquam, ausculta, Deus noster, orationi serui tui, & deprecationibus eius: & fac vt luceat facies tua super Sanctuarium tuum, quod desolatum est: propter Dominum, inclina, Deus mi, aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationes nostras.* Sciebat ergo Daniel restituendam esse Ecclesiam ex captiuitate in libertatem, nec tempus eius restitutionis habebat incertum: sed contra disertè annotatum in Prophetis. Censeo' tu eum de veritate eius prædictionis dubitasse? Apage impietatem. Erat ergo restituenda Ecclesia, siue precatus esset Daniel; siue non precatus. Nec enim Dei veritas in incertum pendebat. Et tamen orat Daniel, & orat ardentissimè, & orat idipsum, quod sciebat futurum. Frustra-ne? Absit: quis enim neget has preces tam sanctas esse à Spiritu Sancto? Aut frustra quicquam in fidelium animis fieri à Spiritu Sancto, quis patienter audiat?

IV. Quid? nónne certissimus est fidei articulus, Venturum secundò è cœlis iudicem viuorum & mortuorum? Quòd si articulorum fidei certissima est, atque immota veritas, tum sanè necesse est fateri Christum venturum, siue orent, siue non orent fideles: & tamen in Apocalypsi capite vigesimo secundo, Λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα, ναὶ ἔρχομαι ταχύ. Ἀμήν· ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ, *Dicit qui testatur ista, etiam venio citò. Amen, etiam veni Domine Iesu.* Orat ergo Ioannes, & optat Christum venire: hoc est, idipsum fieri, quod tamen omnino infallibiliterque futurum erat. Similis locus sexto capite, *Vsque quò Domine, qui Sanctus es & verax, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum, de iis qui habitant in terra?*

V. Rursus, constat oratum esse pro iis rebus quæ futuræ non erant. Cuius rei exempla vnde arcessam augustius, quàm ab ipso fidelium capite? *Pater mi* (Matthei vigesimo sexto) *Pater mi si possibile est, abeat à me poculum istud. Verumtamen, non vt ego volo, sed vt tu.* An nesciebat Christus sibi necessariò diuinæ prouidentiæ decreto esse patiendum? Imò Marci octauo, *Cœpit eos docere quòd oporteret filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, principibúsque sacerdotum ac scribis, & trucidari.* Audi: quòd oporteat multa pati. Ergo aliqua ea erat necessitas. Propterea idem secundò orans, *Pater, si non potest hoc poculum abire à me, quin bibam ipsum, fiat voluntas tua.* Attende: *si non potest, & vt tu vis*: nimirum, vt necessitatem significaret pendentem à Diuina voluntate, id est, prouidentiæ decreto. Christus ergo postulauit orando, id quod neque futurum erat: neque esse poterat, propterea quòd aliter decretum esset in æterno consilio.

VI. Secundi Regum duodecimo: Dauid audit à Nathane Propheta, *Filius qui natus est tibi, morte morietur*, & audit ita, vt dubitare non posset, quin hæc inter alias pœna maneret, propter admissum geminum peccatum adulterium, & homicidium. Tamen, cùm infans, quem pepererat vxor Vriæ Dauidi, plaga Dei affectus morbo conficeretur, eam ipsam ob causam, *requisiuit Dauid Deum propter puerum*: & vsus est ieiunio, pernoctauitque cubans humi. Danielis quartò, cùm audiset Propheta Nabuchodonosoris somnium, ac spiritu Prophetico, id est, certissima reuelatione, futura cognosceret, nihilominus precatur, *Domine mi, somnium hoc eueniat osoribus tuis: & eius interpretatio inimicis tuis.*

VII. Denique, quis nescit frequentissimè fieri, vt orantes, & quidem intentissimè fideles,

non exaudiantur? Nam & Paulus ter rogauit Dominum, vt à se abscederet stimulus carnis, posteriore ad Corinthios duodecimo. Moses Exodi trigesimo secundo, *Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Quid dari potest vehementius his precibus? Et tamen respondit Dominus: *qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo: tu autem vade & duc populum istum.* Samuelis primi decimo quinto, cùm audisset decretum Dei de Saule, *Contristatus est Samuel & clamauit ad Dominum tota nocte.* Et tamen non mutauit Deus. Non semper ergo fideles orantes exaudiuntur. Quanquam hoc fortasse minus verè dicitur, pro eo quod est, non assequi id ipsum, pro quo specialiter preces concipiuntur. Nam cæteroquin exaudiri à Deo Patre fideles certum est.

VIII. Quid hîc habent Papistæ, quod concipiant? Nam si prouidentiæ certitudo, & si ita malint, necessitas efficit, vt frustra concipiantur preces: tum id oportet inde fieri; quod, siue ores, siue non ores, vel id futurum est, quod decretum est, vt sit: vel non futurum, quod contrà statutum est, vt non fit. At neutro modo fiunt preces piæ ad Deum inutiles: aliàs Sancti illi viri, quos nominauimus; imò verò Sanctus Sanctorum Dominus noster Iesus Christus frustra orasset. Ergo omnino certitudo prouidentiæ non efficit, vt frustraneæ sint orationes.

IX. Error consequentiæ inde est, quòd æstimantur preces ad Deum ex precibus ad homines. Hi rogantur, duplicem plurimum ob caussam. Prima est, vt id faciant, quod ne cogitarant quidem: nedum vt vellent; sic Hiram à Salomone rogatur, prioris Regum quinto, vt sibi ligna concedat ad ædificationem templi: & ipse Salomon, vt iudicet caussam duarum meretricum, eiusdem quinto. Altera, vt ab eo deducantur, quod iam apud se statuerant. David, cùm ad certas de Nabale sumendas pœnas exercitum duceret, exoratur ab Abigail eius vxore, ne faceret, primi Samuelis vigesimo quinto. Iosephum fratres, qui neci destinarant, precibus Rubenis viuum proiiciunt in cisternam aqua vacuam, Geneseos trigesimo septimo.

X. Atqui vtramuis caussam affinge Deo, & eris non ineptus, sed blasphemus. Nam nihil illi suggerere potest humana infirmitas, quod non ab æterno præsciuerit, vel ipsis fatentibus Papistis, qui saltem præscientiam omnium relinquunt. Deinde ipsa illa precum formula, quam Ecclesiæ Christus præscripsit, continet petitiones de nomine eius sanctificando, regno promouendo, implendáque voluntate. Credimusne aliquem in orbe Christiano tam supinum, vt censeat expectare Deum, dum à nobis harum rerum admoneatur? Atqui ne nostra quidem illi non sunt cognita, ante preces nostras. Hinc illud Matthæi sexto, *Ne estote solliciti, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quo amiciemur? (nam omnia ista gentes requirunt.) Nouit enim Pater vester cælestis vos indigere his omnibus.* In quem locum Chrysostomus,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Neque enim quisquam profecturus ad lautum conuiuium de cibo sollicitum se esse patietur, aut qui ad fontem abit de potu. Nos igitur, cùm habeamus infinitis apparatissimis conuiuiis fontibúsque abundantiorem Dei prouidentiam, quæ nobis omnia subministret, ne solliciti simus, ne animum despondeamus. Quorsum hæc? nempe prouidit nobis omnia necessaria Dei prouidentia: non igitur sic ab eo postulamus, *Da nobis panem quotidianum*, quomodo ab Hiramo Solomon ligna.

XI. An igitur illum saltem cogitatio subibit flecti Deum precibus hominum, vt quod anteà decreuerat, mutet inuertatque? Hoc illi sane imaginentur, qui Traianum iampridem apud inferos damnatum, Gregorij precibus euocatum esse, & in æternam salutem deductum sibi persuaderi patiuntur. At Catholicis hæc certa sunt oracula, *Ego Deus non mutor*: Malachiæ tertio, *Deus fortis non est homo, qui mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat: an ipse dixerit & non faciet? aut loquutus fuerit & non præstabit illud?* Numerorum vigesimo tertio, *Apud Deum non est transmutatio, aut conuersionis obumbratio.*

XII. Nec obiiciendum sæpe occurrere locos, quibus tribuatur Deo pœnitentia. Geneseos sexto, *pœnituit Deum quòd hominem fecisset in terra.* Samuelis primi decimo quinto, *Pœnitet me quod constituerim Saul Regem*: Indéque incitari homines ad conuersionem, tum ad preces, Ieremiæ vigesimo sexto, *Si fortè auscultantes reuertantur quisque à via sua mala; vt pœniteat me mali quod ego cogito facere illis propter prauitatem actionum illorum.* Et rursus, *Quum deprecatus est faciem Iehouæ, pœnituit Iehouam illius mali, quod eloquutus fuerat.* Secundi Samuelis decimo, *Dum infans viueret* (inquit David) *ieiunans flebam, quia dicebam, quis scit? gratiam est facturus mihi Iehoua, vt viuat infans.* Danielis quarto, *Quapropter, ô Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua iustitia abrumpe, & iniquitates tuas, gratia erga afflictos: si fortè erit prorogatio tranquillitati tuæ.* Ionæ tertio: Rex Niniuitarum indicens ieiunium, preces & conuersionem, *Quis scit*, inquit, *an reuersurus sit, & pœniteat Deum: vt reuerso eo ab æstu iræ suæ non pereamus?* tum subditur, *Quare cùm audisset Deus opera eorum, eos reuersos esse à via sua pessima, pœnituit Deum eius mali, quo se dixerat affecturum eos, & non effecit.*

XIII. Respondent enim Catholici ex Augustino in Sententiis, *Non sicut hominem, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius de omnibus omnino rebus, tam fixa est sententia, quàm certa præscientia est.* Itaque pœnitentiam non tantùm contrariam esse prouidentiæ, quam Catholici defendunt; sed etiam præscientiæ, quam ne Papistæ quidem impugnare audent. Sic ab Augustino Simplicianus quærebat, quæstione secunda, *Quomodo pœniteat aliquid Dominum in quo sit omnis præscientia.* Respondit autem Augustinus, *Quis est hominum, cui non occurrat in Deo cuncta præsciente, pœnitentiam esse non posse?* & de essentia Diuinitatis. Qui omnia nouit antequam fiant, pro præteritis suis factis pœnitere non potest.

XIV. Itaque hoc potius verum. Pœnitere

inter ea numerandum, quæ Deo tribuuntur [illegible]. *Nam Diuina Scriptura*, (inquit Augustinus in octoginta tribus quæstionibus) *à terreno & humano sensu, ad diuinũ & cælestem nos erigentes, vsque ad ea verba descenderunt, quibus inter se stultissimorum etiam vtitur consuetudo. Itaque earum etiam affectionum nomina, quas animus noster patitur, quas longißimè esse à Deo seiunctas iam qui melius sapit, intelligit, non dubitauerunt illi viri, per quos loquutus est Spiritus Sanctus opportunissimè in libris ponere.* Ergo quemadmodum in pedibus, manibus, oculis, ira, zelo, quum Deo tribuuntur, non est vrgendum τὸ [illegible], sed explicanda metaphora: sic ne nunc quidem pœnitere, ita intelligendum, vt asserimus, Deum re vera mutare sententiam: vt, exempli gratia, verum sit, eum paulò antè decreuisse Niniuitas omnes perdere: postea tamen audita eorum pœnitentia, repentè antiquasse decretum: nec inde colligamus in orando Deo mutuari nos posse à prophano poëta formulam. In melius tua qui potes ora reflectas.

X V. Quid igitur? Nempe, *pœnitentia Dei est statuta mutare, & quod prius aliter inchoatum fuerat, in aliud mutare.* Augustinus de Essentia Diuinitatis, *Nam quoniam mutare cœptum aliquod, & in aliud transferre non facilè solemus, nisi pœnitendo, quanquam diuina prouidentia, serena mente intuentibus appareat cuncta certissimo ordine administrare: accommodatißimè tamen ad humilem humanam intelligentiam, ea quæ incipiunt esse neque perseuerant, quantum perseueratura sperata sunt, quasi per pœnitentiam Dei dicuntur ablata.* Idem quæstione quinquagesima secunda de octoginta tribus. Statuendum igitur, quoties pœnitentia Deo tribuitur, tantùm effecta diuinæ prouidentiæ mutari, ipsam tamen non mutari, scilicet, quia apud eum ab æterno vtrumque sic constitutum: nempe & id fieri ad certum tempus, & postea aliud fieri. Exempli gratia: instituit Deus Mosaicas ceremonias, quas tandem antiquauit, significans disertè per Malachiam, se nolle sacrificia: An, quia mutasset mentem? Apage: sed, quia ab æterno erat decretum, tum dari legem, quæ vigeret vsque ad Messiam, tum Messiam venturum, qui tolleret eam legem. Quod si ita est, nec quicquam in Deo mutatur, (non potest autem mutari æternum Dei decretum, quin ipse mutetur) tum certè pœnitentiam necesse est Deo impropriè tribui.

X V I. Iam, quia Dei decreta nobis sunt obscura: ideò nec cognita nobis, vt plurimum, quæ vel in perpetuum, vel ad tempus tantùm sunt decreta: quomodo Iudæorum plurimi ignorabant legi tandem impositum iri finem. Et Niniuitis, imò ipsi Ionæ, non erat perspicuum, vtrum omnino decreuisset Omnipotens vrbem perdere: an potius ciues excidij minis terrere, atque ad pœnitentiam inducere. Et Dauid similiter, de puero sibi ex Bersabea nato. Itaque sensus erat eorum Dauidis verborum, sibi non esse certum, vtrum Deus apud se decreuisset puerum illum morte afficere, an verò si tantùm minis terrere. Quare ex iis elici non potest, nullum fuisse Dei in alterutram partem decretum. Sed solùm non fuisse Dauidi pro certo cognitum.

X V I I. Quid? quod solent etiam homines orare, non tantùm vt velint, quod vel nolebant, vel non cogitabant, sed etiam, vt efficiant quod & volunt, & antè decreuerunt? Nihil enim obest, quo minus paterfamilias constituerit singulis diebus familiæ demensum dare: & singulis tamen diebus idipsum sibi demensum ea familia postulet. Iam, cùm priores ob caussas Deus non possit rogari, nihil est tamen absurdi, si hanc ob caussam oretur.

Cap. XV.

De conditionibus & medijs.

I. SVperest argumentum Fabri quartum, sumptum à conditionibus & medijs. Primò igitur de conditionibus. Conditionaliter dicta, inquit, & præcepta non modò manifestè probant liberum arbitrium; sed etiam opinionem, quæ est de absoluta necessitate, totam confundunt & damnant. Tum verò multa conditionaliter dicta fuisse probat, congestis locis. In Exodo, Leuitico, Deuteronomio creberrimæ sunt promissiones benedictionum diuinarum, si promptos se se homines præbeant ad obediendum: & maledictionum contrà, *Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram Deo feceris, & obedieris mandatis eius, custodierísque præcepta illius, cunctum laborem, quem posui in Aegypto, non inducam super te. Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras vsque in septuplum propter peccata vestra.* Ioannis decimoquinto, *si quis in me non manserit, mittetur foras palmes. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.*

I I. Respondeo, non esse verum, dicta præceptáve conditionalia, siue hypothetica inferre prouidentiæ incertitudinem. Nam de absoluta necessitate, quid opus est identidem protestari? Ratio est, quia ipsa hypothesis non est apud Deum incerta, sed in alterutram partem certissimè decreta. Et mirum hoc non esse animaduersum ab iis, qui literarum studia non habent incognita. Quis enim nescit ex hypothetico axiomate fieri necessariam conclusionem, si hypothesis concedatur? Cicero de fato, *Si enim verum est, quod ita connectitur, si quis oriente canicula natus est, in mari non morietur: illud quoque verum est: Si Fabius oriente canicula natus est, Fabius in mari non morietur. Pugnant igitur hæc inter se, Fabium oriente canicula natum esse, & Fabium in mari moriturum. Et quoniam certum in Fabio ponitur natum esse canicula oriente: hæc quoque pugnant, esse Fabium, & in mari esse moriturum. Ergo hæc quoque coniunctio est ex repugnantibus: & est Fabius, & in mari Fabius morietur; quod vt positum est non fieri quidem potest: ergo illud, morietur in mari Fabius, ex eo genere est quod fieri non potest.* Quæ verborum ambages hoc vnum significat, certissimam, imò verò necessariam esse hanc conclusionem: si Fabius natus est oriente canicula, non morietur in mari. At Fabius ita natus est, ergo in mari non morietur. Vnde apparet quod dixi, si concedatur certa hypothesis, necessariam dari conclusionem.

III. Itaque

III. Itaque si à mandatis, vel potius promissionibus hypotheticis (nam mandata quidem hypothetica quondam vlla, aut vidi, aut audiui) concludenda est incertitudo diuinæ prouidentiæ, tum illud omnino supponendum, ipsam hypothesin nullam esse in prouidentia certam. Exempli gratia, detur verum esse: *Si Paulus credat in Filium Dei crucifixum, Paulus saluabitur*: ex hoc verò axiomate, quis inferre velit incertum esse apud Deum, vtrum Paulus sit crediturus necne in Filium Dei crucifixum? Nam, qui potest apud Deum incerta consequentia esse, quæ apud homines vitari non potest? Nemo tam Bœotus est, qui tam crassè somniauerit.

IV. Porrò, nondum, quod sciam, in eo laborarunt Papistæ, vt docerent antecedens hypotheticarum enunciationum apud Deum esse incertum. Nos contrà probamus esse certissimum, vel ex Dei sola præscientia, quam Ioannes Faber, velit nolit, cogitur concedere. Nam, aut omnino Deum nescit: aut id quod scit, certo futurum est, &, vt loquuntur, necessariò ex hypothesi. At omnino nihil scire Deum falsum est: quia conceditur præscire omnia. Ergo illud potius verum, id quod Deus scit certo esse futurum. Itaque vt ad exemplum redeamus, cùm dicitur, si Paulus credat, saluabitur; aut concedendum est, Deum nescire vtrum Paulus sit crediturus: aut omnino certum fuisse iam olim, Paulum saluandum. Quod si verum. Ergo hypothesis non arguit incertitudinem. Origenes contra Celsum libro secundo, [illegible] *Deus præscit, neque fieri potest, vt eius præscientia fallatur: fieri non potest, vt, qui præscitur, tanquam proditurus, non prodat: & qui declaratur vt negaturus, non neget.*

V. Est autem Papistis hæc caussa [illegible]: quod humani ingenij modulo Diuinam metiuntur prouidentiam. Reuera enim solent homines huiusmodi hypothesibus vti, vt significent euentuum incertitudinem, primi Samuelis decimo quinto. Ionathan, *Si dicent*, inquit, *nobis, subsistite, donec perueneriumus ad vos, tum stabimus in nostro loco, & non ascendemus ad eos: sin autem ita dicent, Ascendite ad nos, vtique ascendemus*: Et vigesimo; *Si dixerit, bene: pax erit seruo tuo: si autem fuerit iratus: scito quia completa est malitia eius.* Cicero ad Atticum, libro primo, *Spero, si absolutus erit, coniunctiorem nobis fore in ratione petitionis, sin aliter acciderit, humaniter feremus.* Infinita sunt huiusmodi in vsu quotidiano. Quin ita iubet Apostolus, damnata eorum audacia, qui absolute sibi quiduis in futurum polliceri solent, ita sermonem temperare, *Si Dominus voluerit, & vixerimus; faciemus hoc aut illud.* Et caussam, addit, *Qui ignoratis*, inquit, *quod futurum sit postero die.* Vnde licet conficere, ea formula non tam significari incertitudinem euentus, quàm ignorationem antecedentium caussarum. Demus ergo sanè humanæ infirmitati, vt ignorato antecedente, consequens habeat incertum. At quis speret Christianum-austurum absque pudore, nihilo secius de Deo aut cogitare, aut loqui, quàm de humana infantia.

VI. Esaiæ quinquagesimo tertio, *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen suum longæuum.* De Messia sermo est: cuius passio, si apud Deum incerta erat; quid tandem certi fuisse dicemus? Sed certam fuisse satis declaratur, reliquo capite toto. Quid ergo? Ne contendito Faber, has hypotheticas enunciationes arguere incertitudinem in Dei consilio. Nam, si arguerent, etiam in hoc loco, id est, hac prophetia de morte Messiæ, eandem arguerint. At non arguunt. Hoc sat est ad vindicandam prouidentiæ necessitatem.

VII. De Mediis agit etiam Delphinus, libro primo de rerum euentu: & argumentum est huiusmodi: Si omnia ex necessitate prouidentiæ diuinæ eueniunt, ergo frustra homines laborant: Nam, etiamsi quiescant, tamen id ipsum futurum est. Exempli gratia: si certum hoc anno magnam futuram abundantiam frugum, non est quod seipsum quisquam fatiget arando, serendóve. Si fatum est (inquit Cicero de fato) tibi ex hoc morbo conualescere, siue tu medicum adhibueris, siue non adhibueris, conualesces. Item, si fatum est tibi non conualescere, siue medicum adhibueris, siue non adhibueris, non conualesces: Et alterutrum fatum est: medicum ergo adhibere nihil attinet. Rectè, inquit, genus hoc argumentationis ignauum, atque iners (ἀργὸς λόγος) appellatum est, quod eadem ratione omnis è vita tollatur actio.

VIII. Sed nodus facilis: etiam Stoicæ: quanto magis Catholico? Prouidentia comprehendit, tum finem, tum media ad finem. Itaque negatur ea consequentia; quia alterutrum fatum sit. Ergo non adhibendum medicum. Erat enim fatum (si fati nomine licet abuti ad prouidentiæ decreta significanda) erat, inquam, fatum, seruari ex vndis diluuij Noe cum familia, *quia inuenerat gratiam in oculis Iehouæ.* Geneseos sexto, idque ei prædictum seculo integro, antequam eueniret. Et tamen mandatum accepit construendæ arcæ, in qua seruaretur. Abrahamo promissa erat seminis multitudo, & quidem ab eo, qui poterat ei de lapidibus excitare filios, nulli tamen illi filij instar fungorum, sed ex vxoribus. Et post eum, Isaacus vxorem duxit: duxit Ismael, duxit Iacob, ducunt reliqui omnes, vt prolem haberent: eam, inquam, prolem, quam eos habere fatum erat. Fatum erat Israelitas liberari ex Ægypto: & ita promissum annis quadringentis antequam gestum. Quid ergo? Subitóne factum, aut ex improuiso? Imò nascitur Moses: seruatur à periculis mortis: nutritur ad Pharaonem: ipse Pharao, nonnisi multis plagis domitus tandem cogitur eum populum liberare. Fatum erat Chananæos pelli: & ab Israelitis Palæstinam possideri. Neutrum tamen absque multis bellis, crebrisque prælijs fatum fuit. Ezechiam Regem viuere post morbum annos quindecim, pollicente Deo per Esaiam, posterioris Regum vigesimo. Mirum, ni mihi Fabri, & Delphini contendant, nec edisse quicquam, nec bibisse. Infinita possunt eiusmodi numerari.

IX. In Nouo Testamento, Christum opor-

tuit pati. Sic promissum, iam inde ab Adamo repetitis temporibus. Si promissum, ergo decretum. Et tamen hæretici, qui cœlo delapsum, quasi per impluuiū, fixerunt eum hominem, qui affixus est cruci. Nam re vera id promissum, sensim & per media completum est. Series longa est genealogiæ inde ab Adamo: sed tandem Christus nascitur, vt esset qui pateretur. Prædicat doctrinam salutarem. Irritat animos Iudæorum. Iudæi oderunt, nempe vt essent, qui crucifigerent: nulli futuri si nulli odissent: Satanas Insilit in Iudam: Iudas tradit in Iudæorum manus: tum reliqua fiunt omnia; quæ à Sacerdotibus & Pharisæis: quæ in prætorio, & à Pilato. Quid opus erat tot gradibus; si vim vllam habet εἱμαρμένη? Sed non habet. Itaque, non illa tantùm facta: sed & crux compacta: etiam flagellum concinnatum: ne claui quidem nisi ex officina, ac fornace. Adeo, vel minima media non omittit Prouidentia. Fatum erat igitur Christum pati: sed & fatum erat Mariam concipere: Iudæos odisse: Iudam prodere: clauos fabricari, flagra confici, crucem strui. Atque ita certum illud fatum fuit.

X. Actorum vigesimo tertio, *Confide, Paule, vt enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet etiam Romæ testificari*. Oportet: ergo fatum erat. Quid tu mihi illud occinis, siue hoc, illúdve fiat, siue non fiat: tamen testificabitur Romæ? Atqui vt oportuit Romæ testificari, ita oportuit venire Ierusalem: capi: sisti Ananiæ, primò: deinde Felici, tū Festo: appellare ad Cæsarem: imponi naui: adduci Romam: imò in ea nauigatione tempestatem vitare monuit Paulus: quanquam certò crederet se peruenturum saluum Romam: sed non persuasit: deducitur ergo nauis in mare: tempestas oritur sæuissima: apparet Angelus noctu, *Ne metue, Paule, oportet* (en tertius fatum) *te Cæsari sisti: & ecce condonauit tibi Deus omnes qui tecum nauigant*. Actorum vigesimo septimo. Et tamen, cùm nautæ vellent subducere se, vectorésque deserere Paulus Centurioni, *Nisi*, inquit, *isti in naui maneant, vos seruari non potestis*. Denique, naufragio facto, pars tabulis, pars fragmentis, omnes salui in terram euadunt.

X I. Et mihi quisquam occinat illud, si fatum est? & asserat quisquam aut à prouidentia tolli media: aut à mediis confutari prouidentiam? Imò non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes. Quin potius nulla re fit illustrior infinita prouidentiæ vis, quàm comparandis, conferendisque mediis, & quidem longissime petitis. Debuit Iosephus dominari fratribus suis: vt constabat ex somniis, quæ enarrantur Geneseos trigesimo septimo. Si consensu fratrum electus, aut certè, si natalium iure, adorarem prouidentiam. At quis non extra se fiat, cùm illas longas ambages legit, per quas in suam dignitatem euectus est? Oderunt eum fratres: illi odio tam dementer indulgent, vt tantùm non occiderint. Vendunt Ismaelitis. En tibi fratrum dominium, ne sui quidem iuris. Abducitur in Ægyptum: venditur secundò Putifari: traditur in carcerem; interpretatur somnia mancipiorum nequam. Vnde tandem fit notus Regi. Rex videt somnium: Ioseph id somnium interpretatur, vnde venit in admirationem Regi, à quo augetur honoribus: ingruit fames: Iacob cum filiis ab Ægypto cibum petit: tandémque agnoscunt non frustra olim fuisse à Iosepho somniatum. Ausin' iterum dicere his anfractibus longè illustriorem esse vim Prouidentiæ, & certitudinem decretorum, quàm si semel, vnoque actu in solium Ioseph fuisset constitutus. Sic, quum Seruatorem audio debuisse nasci in oppido Bethlehem, tum admiror necessitatem implendi oracula, cùm Virginem video, ea Nazareth quasi vi deductam in id oppidum, & quidem agente Cæsare, cui nihil huiusmodi veniebat in mentem.

X I I. Vidit in hoc negotio nonnihil Chrysippus: sed non vidit bene. Quædam esse dicebat in rebus simplicia, quædam copulata, & ista confatalia. Simplex est, morietur eo die Socrates: huic, siue quid fecerit, siue non fecerit, finitus est moriendi dies. At, si ita fatum sit, nascetur Oedipus Laio; non poterit dici, siue fuerit Laius cum muliere, siue non fuerit, copulata enim res est, & confatalis. Itaque fatum esse, & concubiturum cum vxore Laium, & ex ea Oedipum procreaturum. Bene in his Chrysippus vidit non tantùm non excludi, sed etiam includi in fato media: hoc est, vt nos loquimur, in prouidentia: sed illud non bene, quòd hæc media metitur ex natura rerum: vt effugere non potuerit, quin fatum illud naturæ subuceret. At Catholici à Prouidentia non finem tantùm, sed etiam media pendere docent. Cur Iacobo eiúsque familiæ prouisum est per Iosephum? Cur Iosephus ad solium euectus per geminam seruitutem, imò & per carcerem? Non illa erant sanè ex Chrysippi mente copulata: ac proinde non confatalia. Sed ita Deo visum erat: nec ratio alia vlla potest reddi. Est enim Deo pro ratione voluntas.

CAP. XVI.

De Papisticis Paradoxis.

I. HActenus de diuinæ prouidentiæ certitudine, siue necessitate. Pergerem ad reliqua. Sed libet commemorare, in quæ quantáque Paradoxa, id est in Theologia, in quas quantásque blasphemias se præcipites dent Papistæ, dum Dei metientes infinitatem ex humani ingenij modulo, hanc æternorum decretorum certitudinem pertinaciter oppugnant. Sic apparebit verissimum, non tantùm vno incommodo posito, multa consequi absurda: sed etiam in Theologia multa ei necesse esse peruertere, qui vnum aliquid nolit rectè intelligere.

I I. Primò, à fati fortunæque nominibus non abstinent, vt antea notaui. Nam tum Iouius, quantumuis Episcopus, in historiæ suæ libris millies vtrumque nominat, vtrique prospera tribuit & aduersa. Tum Ioannes Anthonius Delphinus disertè constáterque asserit, quatuor esse caussas rerum, fatum, naturam, fortunam, voluntatem: à quibus tanquam præcipuis aliæ *particulariores* caussæ vnà cum effectibus suis pendeant: atque ita credi, & vbique gentium Christianarum prædicari. Cottonus de Missa tractatu sexto, paragrapho tertio, fortunæ vsum non abhorrere ab Ecclesia docere conatur: imò neque à Scriptura. Leuitici decimo sexto, *Cuius exierit sors à Domino*. Vigesimo septimo, *In sorte possessionis suæ*. Numerorum vigesimo sexto, *Quicquid sorte contigerit*. Deuteronomij primo.

Ipse

ipse sorte terram diuidet. Psalmo trigesimo primo, *In manibus tuis sortes meæ.* Prouerbiorum primo, *Sortem mitte nobiscum.* Actorum vigesimo sexto, *Et sortem inter Sanctos.* Ad Colossenses primo, *Et in partem sortis Sanctorum.* Denique Geneseos trigesimo ἐν τύχῃ.

III. Sed Papistæ, sed Iesuitæ paulò seriùs in hunc orbem prodeuntes, vt nouum morem in Ecclesiam inducerent: quum tot iam seculis proscriptum sit ab Augustino vtrumque vocabulum, ab Ecclesia fœde profligandum: eamque ob causam opera sua retractante, quamuis certus nullam esse Deam fortunam: quod Cottonus sibi putat sufficere. Nam Scripturâ in eam re proferri scelus est: quæ fortunæ tam meminit, quàm Iouis, aut Martis. Sortes lego, non vnò, sed sortes cum fortuna Cottonus confundet: hui Theologum! At Apostoli sorte delegerunt Matthiam: nū igitur fortunæ eas partes commiserunt? Imò censebant olim fideles sortem esse argumentum agnoscendi decreti Diuini, vt tum testantur Apostoli: à quo certum ex Solomone ipsas sortes gubernari. Et ad has sortes pertinent loci, ea Leuitici decimo sexto; Numerorum vigesimo sexto; Deuteronomij primo. Nam earum vsus maximus, cùm multis propositis vnum quid erat eligendum; vt in hæreditatibus herciscundis: indeque factum, vt sors etiam significaret eam partem hæreditatis, quæ cuique obuenerat. Leuitici vigesimo septimo. Idem Prouerbiorum primo, *Sortem mitte nobiscum:* significat idem, ac si diceret, sortem tuam nobiscum communicato, vt fiat vnica familia. Longius etiam producta metaphora, Apostoli vsi sunt pro iure fidelium in vitam æternam, quæ solet etiam appellari hæreditas. Sed hæc nihil cum fortuna habent commune. Illud autem ἐν τύχῃ Geneseos trigesimo primo, non est à Mose, sed à Septuaginta Interpretibus: secundò, quis nescit iampridem τὸ εὐτυχεῖν, simpliciter sumi, pro beatum esse? Quanquam eius vocabuli nullus vsus est in Nouo Testamento. Septuaginta autem illorum non est auctoritas tanta, vt quicquam in Ecclesia possit authenticum facere.

IV. Secundò, negat idem Delphinus, quicquam euenire necessariò, siue de necessitate ineuitabilitatis loquare: hoc est, siue absolutè dicas, siue ex hypothesi. Et disertiùs, non tantùm, quia in seipsis considerata omnia poterant non fieri, vt mundus non creari, homo non peccare, sed etiam, quia diuina voluntas non sit immutabilis. Affirmat enim & disputat seriò, Deum posse aliqua velle denuò, quæ non ab æternitate voluerit, quæque voluit nolle.

V. Quæ si vera sunt, quorsum ista? *Ego Deus & non mutor.* Malachiæ tertio. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur.* Numerorum vigesimo tertio. Quin ratio in promptu. Nam si verè, & re ipsa mutat voluntatem Deus, vt id nolit, quod volebat, aut velit quod nolebat: tum id fit, aut fortuito impetu, aut certa caussa. At neutrum. Non fortuito impetu: quia hoc indignum prorsus Deo; cuius sapientia est infinita. Semper autem iudicatum prudentiam & fortunam ex diametro opponi. Non autem certa caussa. Primò, quia Dei voluntas non esset summa: sed subalternata iis caussis à quibus moueretur; quod cum Dei Maiestate conuenire nequit. Secundò, quia ea caussa, vel Deum latuit, vel non latuit. Si latuit, ergo Deus non est omniscius: & habet scientiam non naturalem, sed acquisitam: ideoque non est infinitus. Sin autem non latuit, cùm posita caussa ponatur effectus; Si ab æterno Deus caussam volendi habuit, habuit etiam velle illud: & si ab æterno: ergo immutabiliter. Nam quæ mutantur, ne cogitari quidem possunt æterna.

VI. Nam, quod Delphinus ait, non mutari Deum: sed ei tantùm nouum respectum, nouámque relationem ad creaturas aduenire; ridiculum est. Primò, superiores Scripturæ loci de voluntate Dei loquuntur. Ergo, si Delphinus voluntatem nihil aliud censet, quàm nouum respectum ad creaturas; sine dubio Scriptura negabit, Deum acquirere hunc ipsum nouum respectum. Augustinus Confessionum libri duodecimi, capite vndecimo, *Iam dixisti mihi, Domine, voce forti in aurem interiorem, quia tu æternus es, solus habens immortalitatem, quoniam ex nulla specie motúve mutaris, nec temporibus variatur voluntas tua: quia non est immortalis voluntas, quæ alia & alia est.* Secundò, Scriptura negat sic mutari Deum, vt homo mutatur. Certum est autem mutari hominem, non essentiali mutatione, sed tantùm relatiua, cùm id non vult, quod priùs volebat. Ergo necessariò concludendum, ne hac quidem, quam Delphinus relationem appellat, Deum mutari. Tertiò, voluntas, etsi nonnihil significet relationis ad creaturas, tanquam obiectum, tamen in ipso Deo consideratur: ac proinde substantialiter: quia in Deo nihil est, nisi substantiale: constatque voluntatem Dei, nihil esse aliud, quàm Deum. Itaque, si voluntas ipsa verè, ac re ipsa mutetur; ipse Deus substantialiter mutabitur. Quòd si ipse non mutatur: nec ergo eius voluntas. Etsi nec voluntas: ergo quæcunque eueniunt ea Dei voluntate, ea eueniunt, tum immutabiliter, tum ineuitabiliter: non quidem, aut sua, aut mediorum natura; sed ea hypothesi: supposito nimirum diuino decreto.

VII. Tertiò, diuina voluntas, (inquit Delphinus) nihil de necessariis, nihil de impossibilibus determinat: verùm de possibilibus, quæ tanquam neutra offeruntur ab ipso intellectu, pro beneplacito suo, aliqua determinat fore, quæ non vocantur futura contingentia. De aliquibus porrò nihil determinat fore, quæ non vocantur futura contingentia, neque omnino vera sunt: sed neutra & possibilia manent. Si tamen voluntas ea deliberet non fore, sunt quidem possibilia, at tamen falsa. Omnia igitur contingentia sunt, de quibus, aut omnino, aut aliquo modo voluntas diuina statuit ac deliberat.

VIII. Hæc monstra quis Christianus, aut intelligat, aut non improbet? Nam eò reuoluuntur, vt statuatur Ethnicorum & fatum & fortuna. Concedit, aliqua necessariò euenire: sed de iis nihil Deum determinare. Ergo, inquam, non est à Deo hæc necessitas. Nam si est à Deo, omnino ab eius est voluntate: non enim aliud Deus, aliud Dei volũtas: Sed vnde erit igitur? Nempe à natura, id est, à causarum serie, id est, à fato: fato, inquam, quod non sit à Deo; neque ei subiiciatur. Et nemo horret blasphemiam? Rursus concedit esse quædam contingentia: sed nihil Deum de quibusdam statuere: Quid nihil? neque vt sint, neq; vt non sint? Quî ergo fiunt, si fiunt? aut quî nō fiunt, si non fiunt? Non enim fato: nam fierent necessariò, ac proinde non essent contingentia. Ergo, fortuna, id est, cæco, temerarioque euentu. Ita non vocabulum tantùm

fati & fortunæ Delphinus mutuatur ab Ethnicis, sed rem ipsissimam.

IX. Quartò, Deus intellectu suo omnia cognoscit per diuinam essentiam obiecta; tum incomplexa, tum complexa: & hæc, tum necessaria, tum possibilia. Nulla verò contingentia nouit adhuc: quandoquidem nulla sunt eiusmodi, aut vera, aut falsa: sed neutra. Item, Intellectus Diuinus cùm aliquid comprehendit, quod priùs non cognouerat, non mutatur; sed ei nouus quidem respectus, nouaque relatio aduenit: vt verbi caussa: diuinus intellectus, veritatem nondum cognoscit huius proloquij: Antichristus homo peccati, filiusque perditionis aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus: nec enim adhuc vera est eiusmodi enunciatio, quæ fit per verbum præsentis temporis. Quum autem fuerit vera, tum eam cognoscet.

X. Hæc tam impia, tam blasphema cùm legerē, non potui non totus horrore concuti: admirans tamen iustum, tremendumque iræ diuinæ iudicium in eos, qui tanta curiositatis prurigine tentantur, vt ne in Dei quidem natura sibi patiantur quicquam esse incognitum. Ita sane: Admiranda sunt iudicia tua, ô Deus! sed exploratissima: vt qui altiora se scrutantur, dent pœnas suæ tantæ temeritatis, denturque ipsi in sensum reprobum. Enimuerò, quid fingi potest insanum magis quàm Deum vllo modo subiici tempori: vt ire cogatur per singula momenta? per ætatum, inquam, momenta discurrat homunculorum instar? Aut quę illi relinqui potest æternitas, si non sunt apud eum omnia præsentia? aut si sunt præsentia, quomodo ad intellectum pertinent Grammaticæ quisquiliæ: verborum inquam coniugationes per tempora? Quin Theologi admirantur, Agnum occisum ab initio mundi, Apocalypseos decimo tertio, *ἐσφαγμένον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου*: falsum, si nostro more momenta motuum cœli computet. Sed verissimum, si θεοπρεπῶς, res æstimetur. Apud Deum ergo, iam tum cùm Adamo dictum, *Semen mulieris conteret caput serpentis*: Iam tum, inquam, apud Deum agnus non occidendus, sed occisus erat: & illud *conteret* accommodatum erat captui Adami, cui necesse erat de die viuere. Quid? capite nono Esaiæ, *Paruulus natus est nobis*: haud aliter quàm Lucæ secundo, *Natus est nobis hodie Saluator*. Quod non poterat homo dicere: & falsò dixisset, si dixisset: id Deus confidenter dixit, dubitamusne, vtrum verè? Delphinus dubitet: Catholicus nullus dubitabit.

XI. Conficiat blasphemum Augustinus ad Simplicianum libro secundo, quæstione secunda, *Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futura, sed præsentes: ac per hoc non iam præscientia, sed tantum scientia dici potest. Si autem, sicut in ordine temporalium, ita & apud Deum nondum sunt, quæ futura sunt: sed ea præuenit sciendo: bis ergo ea sentit: vno quidem modo, secundùm futurorum præscientiam: altero verò modo secundùm præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei, quod absurdissimum, atque falsissimum est: nec enim potest, quæ ventura præuoscit, nosse cùm venerint, nisi bis innotescant, & præcognoscendo antequam sint: & cognoscendo cùm iam sint. Ita fit, vt* (quod longè à veritate seclusum est) *temporaliter aliquid accedat scientiæ Dei, quum temporaliter quæ præsciuntur, etiam præsentia sentiuntur; quæ non sentiebantur antequam fierent: sed tantummodo præsciebantur: si verò etiam cùm venerint, quæ præsciebantur esse futura, nihil noui accedit scientiæ Dei; sed manebit illa præscientia, sicut erat etiam priusquam venirent, quæ præsciebantur; quomodo iam præscientia dicetur, quando non est rerum futurarum? Iam enim præsentia sunt, quæ futura cernebat.* Et paulò pòst: *Erunt præterita. Præteritarum autem rerum, sicut præsentium, nullo modo potest dici præscientia: reditur ergo ad id, vt fiat rebus iam præsentibus scientia, quæ eisdem rebus futuris erat præscientia: & quum ea quæ præscientia erat priùs, postea scientia fit in Deo, admittat mutabilitatem, & temporalis fit, quum Dei, qui verè summéque est, nec vlla ex parte sit mutabilis, nec vllo motu notio temporalis.*

XII. Quintò, Sanctesius: Dei decretum negat illam esse nostrarum actionum causam, nec simplicem, nec operantem, nec necessitantem: sed duntaxat ab æterno constituisse, vt earum causa esset libera voluntas nostra.

XIII. At hoc tam nodux enunciatum, qua tandem ratione queat consistere non video: non esse necessitantem causam, video posse quadam distinctione elucidari, nimirum, vt necessitas coactionem significet. Sed, vt omnino nihil operetur, vt vniuersaliter negetur causa esse: hoc verò proficisci non potuit, nisi ab eo ingenio, quod se in præceps dare malit, quàm veritati concedere. Quid enim? Nunquam-ne legerat apud Apostolum, *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere?* Secundo ad Philippenses. Nam certò, τὸ ἐνεργεῖν non potest non significare causam & causam operantem. Operatur autem quidnam? non voluntatem duntaxat, esset tamen aliqua causa: si verum, causam esse actionum nostrarum voluntatem: quia esset aliqua causa causæ. Atqui non voluntatem duntaxat; sed etiam τὸ ἐνεργεῖν, ἐνεργεῖ τὸ ἐνεργεῖν: & hoc Latinus interpres non satis exactè vertit perficere, quum ipsam operationem, siue efficientiam designet. Atque id nihil reliqui facit Sanctesio, quò confugiat.

XIV. Sextò, Idem ponit in Deo duplicem præscientiam alteram, quę significet eam cognitionem cuiusque rei, quam habet Deus, priusquam eam rem velit aut decernere, aut efficere. Alteram, quæ sit nuda notitia rerum, quas videt & contemplatur in intellectu suo, vel etiam existentes in particularibus suis causis, antequam producantur. Illam esse quidem in Deo rerum causam, earum scilicet, quas nouit. At hanc minimè: oriri enim potiùs à rebus, quæ, ex quo sunt in rerum natura, in essentia Dei elucent. Quomodo, quæ in nobis est scientia, ab iis rebus quæsita, quæ iam existunt, non est earundem causa: sed contrà, ipsæ sunt eius causæ: quia enim sunt, ideò cognoscuntur: non verò, quia cognoscuntur, ideò sunt. Itaque esse potiùs post scientiam, quàm pręscientiam. Hoc tantùm interesse inter nos & Deum, quòd hic quidem ab æterno omnia norit: quia in eo res omnes existunt ab æterno: nos verò tantùm per momenta. Citat ex Geneseos primo, *Fiat lux: & vidit Deus lucem, quòd esset bona.* Et tertio posterioris Petri, *Vos igitur fratres præscientes, custodite ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.* Et ex primo prioris, *Redempti estis pretioso sanguine agni immaculati Christi, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter nos.*

XV. Verùm duplex illud præscientiæ genus, figmen-

gnitum est. Nam ita Scriptura tradit. Enimuerò cum legimus, *fiat lux, & vidit Deus lucem quòd esset bonam*: nihil ad hanc rem: vtramque enim præscientiam Sanctesius vult esse ab æterno. Atque hi loci non significant quicquam æternum: quia in tempore lux est creata: ac tunc temporis, cùm crearetur, illud dictum, *Fiat lux*: ergo non præscientiam significat: sed ipsum actũ creationis. Post eum verò actũ sequitur, *Vidit lucem esse bonã*. Quod omnino sumẽdũ per [illegible]: vt postea, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Quæ fecerat, non autem quæ facturus erat: ergo, non ab æterno: non enim ab æterno factus mundus. Etsi autem verum sit à Deo lucem præuisam, & intellectu conceptam ante omnia tempora: tamen id non habetur ex vi horum verborum: multò minùs duplici modo, aut præuisam, aut conceptam ante omnia tempora: Nam debuit Sanctesius probare, non tantùm præscientiam Dei esse causam lucis: sed etiam aliam quandam præscientiam non esse causam. Quod omnino conficere non potest. Nam quis me vetat interpretari, *Vidit lucem quòd esset bona*: de illa luce, quam præuiderat, & intellectu conceperat, ac proinde cuius causa erat ea præuisio, isque intellectus?

XVI. Cæterùm, quum Deum, vt est, nosse non possumus: ideò accommodatè ad captum nostrum, cogimur in eo distinguere, quæ reapse sunt eadem. Inde varia Dei attributa nominantur: interque ea scientia, & volũtas. Nã certè si in Deo nulla est cõpositio: Si est Deus simplicissimus actus: necesse est, scientiam esse diuinam essentiam: voluntatem similiter esse diuinã essentiam, vt definiunt etiam Scholastici Theologi. Quod si est, aut in diuina essentia diuersitas erit, quod est blasphemum; aut re idem erit scientia & volũtas. Sed [illegible] distinguuntur: vt quemadmodum in nobis, sic in Deo, hanc illam præcedere intelligatur. Hoc modo tolerari possit, si quis dicat, scientiam Dei, per se, hoc est, abstractam cogitatione ab eiusdem voluntate, non esse causam rerum. Sed, cùm certum sit, nunquam re ipsa, separari alteram ab altera, omnino nisi absurdè dici nequit, quarundam rerum caussam esse præscientiam, aliarum verò minimè. Non enim iam illa erit abstractio per cogitationem: sed re vera ponetur aliquid reale: re tum non distinguas, sed separes voluntatem à scientia: id est, essentiam ab essentia. Itaque ab æterno Deus, non tantùm præsciuit, sed & voluit esse bonam: ac propterea fuit bona. Vterque igitur locus de eadem Dei scientia loquitur.

XVII. Petri locus, ex posteriore, absurdè citatur; Quæ enim analogia præscientiæ fidelium ad præscientiam Dei? Aut quæ ratio fert, vt quia fidelium præscientia oritur à rebus, quanquam id non est perpetuum, aliquando enim à reuelatione; vt hæc ipsa, de qua Petrus: sed si fidelium præscientia oritur, quæ fert ratio, vt & Dei indidem oriatur? Atqui fideles verè sunt momentis obnoxij temporum, quod de Deo non fingunt, nisi [illegible].

XVIII. Alter ex priori, non magis vrget. Nam certum est, Christum esse non simpliciter præscitum, sed etiam ipso consentiente Sanctesin, prædestinatum: nec aliam summam caussam fuisse ei nascendi, quàm Dei voluntatem. Non igitur concludit geminam illam præscientiam. Nec obstat illud, *manifestati*, ex quo comparato cùm *præcogniti*, putat posse concludi, Petrum tantùm intellexisse occultam Dei præscientiam. Enimuerò, quam mihi ille dabit Dei præscientiam non occultam? Si occultam, nobis dicat. Nam si Deo; quam mihi ille occultam dabit? Tum autem Petrus dixit manifestatum, non propter Deum, sed propter nos. Significat ergo, Christum, qui erat præscitus à Deo, atque eatenus mundo incognitus; tandem reuelatum fuisse; vt cognosceretur à mundo. Quare ea reuelatio, nullam in Deo, aut cognitionem, aut scientiam aut præsciẽtiam efficit: sed in hominibus. Ideoque etsi reuelatio sit temporalis, tamen nullo modo præscientia temporalis. Paulus ad Titum primo, *In spem vitæ æternæ: quam promisit Deus ille mentiri nescius, ante tempora secularia, patefecit autem temporibus suis*.

XIX. Denique præscientiam Dei à rebus oriri, absurdum est. Primò, quia iampridem definitum est etiam à Theologis Scholasticis, Deum scire omnia, non sicut homines ex aliqua animæ potentia, sed per essentiam suam. Est autem immane asserere essentiam Dei oriri à rebus creatis. Deinde, cùm sit probatum, vnam esse Dei præscientiam, quæ aliquando abstractè ab eius voluntate consideratur à nobis, aliquando cum ipsa voluntate, vt fiat decretum: vtrouis modo consideres, tolerari hoc absurdum nequit. Nam si vnà cùm voluntate, tum præscientia Dei caussa est rerum, quod fatetur Sanctesius in altera suæ præscientiæ specie: itaque non potest oriri ab iis rebus, quæ ipse oriuntur ab ea. Sin abstractè: tunc intelligitur præcedere voluntatem: octauo ad Romanos [illegible], *quos præsciuit, etiam prædestinauit*. Quod si voluntas, vtpote caussa rerum, à rebus pendere nequit; tum certè, ne scientia quidem, à qua pendet ipsa voluntas. Nam si scientia pendet à rebus: & voluntas pendet à scientia, omnino vitari non potest, quin voluntas pendeat à rebus.

XX. Septimò, quæritur primò, vtrum Deus futura præuideat, quæ ab eo non pendent immediatè. Secundò, vtrum exactè præsciat futura contingentia. Respondet ad primum: Quandoquidem, secundum illud præscientiæ genus pendet à rebus, non contra: ergo à Deo res non videri, nisi eo statu quo sunt: ideoque priusquam re ipsa existant. Eclipsin igitur, quæ nondum existit, cognoscit in cursu astrorum: ab æterno tamen: quia ipse astrorum cursus ab æterno est in eius intellectu. Ad secundum: nullam esse certam scientiam futurorum contingẽtium, neque in Deo, neque in hominibus, priusquã existant. Præuidet quidem ille ab æterno quatenus ei sunt præsentia: præuidet, inquam, caussarum statum contingentem: at non determinatè præuidet, quid ex iis futurum sit, nisi ab euentu.

XXI. Immane quantum sibi permittat humana balbuties, in scrutanda, imò verò metienda infinita essentia! Enimuerò, quis non indignetur eos, qui in iis quæ ante pedes sunt, tam multa se ignorare fateri coguntur, adeò confidenter pronunciare de Deo? Scilicet eiusdem generis erit ea scientia qua Deus, cum ea qua Ptolomęus, aut nostro seculo Copernicus præuidit Eclipses futuras: acquisita ex subtili exactaque orbium contemplatione; graduumque atque scrupulorum supputatione, Eo tantùm diuersa; quod quemadmodum ante Copernicum, Ptolomęus aliquot seculis: sic ante Ptolomęum, Deus omnibus seculis Ephemerides concinnarit. Apage blasphemias. At Catholici certum, exploratumque habent, Deum nihil nosse, nihil scire, nisi per suam essentiam. Itaque scire ab æterno, scire certè, determinatèque omnia, etiam contingentia. Exemplum. Liberãdus fuit populus à Babylonica ca-

ptiuitate: nec libetandus, nisi suo tempore: id prædictum tam certè, tam determinatè, vt etiam nomen liberationis expressum sit, Cyrus. Potuit quicquam minutius? aut magis contingens? Respondeat Sanctesius: respondeat, inquam, nam negabo: vtrum non sit in contingentibus, futurum aliquem eiusmodi Regem; liberaturum populum Israelis: futurum ei id nominis. Iam si est, respondeat iterum: vtrum non sit determinatè, præciseque cognitum, id quod suis etiam minutissimis circunstantiis describitur. Ipse Deus, Esaiæ quadragesimo quinto, *Vt cognoscas me Iehouam, qui voco te nominatim, Deum Israelis esse. Propter seruum meum Iacobum, & Israelem electum meum, propterea me vocasse te, de nomine tuo cognominasse te, quamuis ignores me.* Quid Ioannem Baptistam dicam; aut ipsum etiam Christum? A nihil enim vnquam præsens, tam curiosè descriptum & determinatum.

X X I. Quanquam, quid exemplis opus est? Nam ratio sufficit; concedit Sanctesius, Deum præscire omnia ab æterno, tanquam præsentia sibi. Ergo, inquam, primò, nouit determinatè: sic enim solent præsentia cognosci, etiam ab hominibus. Rursus ergo, non in causis tantùm. Nam, B quæ in causis sunt tantùm, ea sunt in potentia solùm: at quæ præsentia, ea sunt actu. Si ergo omnia sunt Deo præsentia: omnia, Dei quidem respectu, sunt actu: si actu, non tantùm in causis. Certa igitur est, & determinata apud Deum, rerum omnium contingentia.

* *
*

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE AV-

LIBER TERTIVS DE AVTHORE PECCATI.

Caput Primum.

CATHOLICI NON DICVNT DEVM AVthorem peccati.

CONTROVERSIA sequitur de Authore peccati: in qua declamāt Papistæ acerbissimè contra Catholicos, suo more, vt sunt calumniatores magis importuni, quàm disputatores mendaces. Scriptis tractarunt Bellarminus, Sanctesius, Panigarolla, Haius, Bosius, Richeomus, Gaultierus, Cottonus, alij. Quotidie in pulpitis plurimi ad plebem attonitam. Vix enim quisquam est, aut tantus Iesuita; aut tantus Iesoitaster; aut ex alio ordine quoquam, qui suggestum conscendens, satis se suas in concionando partes expleuisse putet, nisi garrulitatis, impudentiæque partem maximam in hanc partem profuderit. Et ne solos Philistæos, hostes patiatur Ecclesia, addunt se comites Idumæi ex Germania; vt patet, cùm ex Heshusij calumniis, quas absterſit Beza, tum ex colloquij Montbelgardensis actis. Item ex impudentissimi hominis Samuelis Huberi Antibellarmino, libri quarti parte quinta.

II. Clamitant ergo à Catholicis fieri Deum authorem peccati: maximè Caluino, Martyre, Beza: hos enim docuisse, illum authorem esse omnium scelerum, & flagitiorum: Bellarminus præfatione in controuersias; & quidem ita authorem, vt con hominis impellat & incitet ad malefaciendum: adeò vt incestus Absalomis verè fuerit illius opus, Hayus quæstione centesima trigesima octaua. Iam Panigarolla, disceptatione octaua, Deum esse mali omnis authorem: Deum esse omnis peccati causam, Deum culpis nostris delectari: Deum ad scelera perpetranda nos cogere: frustrà à nobis tempus conteri, conari frustrà nos aliquid boni facere. Deum enim prohibere, quibuscunque grauissimis vitiis cumulati simus, ad illa omnia nos à Deo impelli. Deum è cœlo in terram descendisse, vt peccandi necessitatem inferret: eò Euangelium dedisse, vt nos præcipites ageret. Denique Deum tam amantem esse, tam cupidum noxarum, & erratorum nostrorum, vt nobis prudens sciens legem dederit, quò peccemus. Quid plura? Bozius de signis Ecclesiæ, libri tertij capite quinto, Deus vult efficienter, & efficaciter, non modò omnia peccata diaboli, sed & hominum: non modò vult efficaciter & efficienter; sed ipse illa efficit per diabolum, & homines: imò concitat & commouet diabolum & homines ad peccata: ampliùs, impios ad peccandum destinat, & cogit. Vasquestomo primo in primam secundi disputatione centesima vigesima noua, Deum non tantùm permissiua voluntate, sed etiam actiua, esse causam propriam peccati nostri, Deum necessitate plusquam fatali nostras voluntates ad peccatum impellere.

III. Atrocissima est, vt vident omnes, accusatio: si accusatio; & non calumnia. Non potest iis blasphemiis, quas illi iam recitarunt, dari vlla maior, terrior, magisq; horrenda blasphemia. Nam infinitam esse eorum insaniam, qui apertè Deum negant, iampridem fatentur omnes, quibus, vel sola natura duce, viuere contigit. Horum crimini, crimen hoc æquale quis non dixerit? Perinde enim est, si hominibus persuadeas alterutrum, quorum eadem effecta consequantur. Iudicem certè Deum, nemo magis speret, qui credet esse mali authorem, quàm qui omnino nullum. Itaque, si Caluinus, si Martyr, si Beza, si nostrûm quisquam tam detestandæ hæreseos, siue author, siue fautor est, nihil caussæ dicimus, quò minus pro meritis tractetur: si verò innocentissimos viros constiterit fœdè lacerari conuitiis, quam pœnam eos oporteat subire, à quibus adeò malitiosè tractantur? Nos

quidem illis mali nihil imprecabimur: sed à Deo potiùs illis pœnitentiam seriis precibus postulabimus.

IV. Sed omnes Catholicos sua verba satis superque tuentur, ex articulo sexto Confessionis Gallicæ, *Negamus illum esse authorem mali, aut eorum quæ perperam fiunt, vllam culpam in ipsum transferri posse: cùm ipsius voluntas sit summa & certissima omnis iustitiæ norma.* Hæc nostrûm omnium verba sunt: hæc nostrûm omnium fides. Quid ergo calumnias colligunt? imò, quid sententiolas mendicant hinc inde, truncatas, contortas, peruersas? Non sunt illis videlicet bonorum virorum formulæ solennes.

V. Sed enim Caluinum, Martyrem, Bezam, sua plenè purgabit tum docendi ratio, tum vita. Nam Caluini & Bezæ vitam inculpatam fuisse, non aliunde magis probem, quàm ex aduersariis, qui grauissimarum calumniarum, quibus eam onerant, testem nullum habent, nisi Bolsecum: Bolsecum autem cùm nomino, non Ecebolium duntaxat intelligant cordati viri: sed si quid Ecebolio peius esse potest: qui cùm verè profanus ferre non posset, imò potiùs, quem cùm verè profanum ferre non posset veritas; infamem se hominibus, exosum Deo publica apostasia declarauit. Huius impudentissima mendacia Sophistæ colligunt, non aliter quàm grauissima amplissimi viri testimonia. Non aduertentes in ea Caluinum, & Bezam Republica vixisse, & esse mortuos, in qua diligentiùs, seueriusque iampridem puniuntur ioci leues, quàm apud Papistas parricidia & incestus. Et in hac illi Republica vixissent omnibus grati, Magistratibus chari, si turpiter vixissent? Aut poterant illi non turpiter viuere, qui tam turpiter crederent, omnis turpitudinis esse authorem Deum? Nec Martyris apud eos, cum quibus vixit, minùs illustris fuit pietas.

VI. Sed non agam præiudiciis. Ipsa illos potiùs docendi ratio tueatur; quà concionando; quà scribendo. Certè Caluini quotquot extant conciones (extant verò plurimæ) totidem exhibent imagines antiquæ illius grauitatis, quà tum Prophetæ, tum Apostoli, tum Apostolici viri, suos populos auertebant à peccatis; iam grauibus hortamentis, iam vehementibus obiurgationibus, iam tremendis diuini iudicij comminationibus. Bezæ homiliæ pauciores editæ: in Canticum canticorum: in passionem & resurrectionem Seruatoris. Sed quis legat, qui non miretur odium peccatorum? Qua fronte ausi vterque, si Deo volente, iubente, mouente, cogente, amante, probante, nequissima quæque fieri solemnis esset illorum fides?

VII. Sed scripta eorum potissimum Sycophantæ traducũt: & esto sanè, ex scriptis eorum fiat iudicium. Atque hîc eò diligentiùs nobis insistendum, quò animosiùs hanc calumniam exagitarunt, non Sanctesius tantùm in Atheismis Caluini, quos vocat; & Hayus contra Chambrunum: sed etiam Bellarminus secunda controuersia tomi tertij, libro secundo integro: & Richeomus in Idololatria Hugonotica libri tertij, capite duodecimo, ac sequentibus aliquot. Primus Sanctesius hãc litem mouerat, sed eius impudentiam Beza ita compressit, vt mirum sit postea suos habuisse sequaces, nisi nihil indignum esset aduersariis Euangelij.

VIII. Enimuerò negari non potest, hanc ipsam blasphemiam, quam illi nunc impugnant, seuerè à Caluino fuisse in Libertinis & damnatam, & confutatam; scripto aduersus eos libro. Ij verum agnoscebant Spiritum immortalem, qui sit ac viuat in omnibus ac singulis creaturis, efficiatq; omnia: adeò vt quicquid in mundo fiat, id opus ipsius directè censendum sit. *Hoc concesso* (inquit Caluinus capite decimo tertio) *imputandum esset Deo peccatum: aut concludendum, nullum in mundo peccatum fieri; cùm nihil sit, quod non fiat à Deo. Sic omne boni ac mali discrimen tolleretur: vnde sequeretur, nobis non licere aliquid, vt malum, vituperare, cum omnia sint opera Dei: licebitque hominibus, velut laxis habenis, quicquid in mentem venerit, peragere: non solùm, quia sumus extra periculum peccandi: sed etiam quòd desiderium aliquod cohibere sit impedire Deum.* Et capite decimo quarto, *Temulenti isti, à Deo fieri omnia perstrepentes, eum mali authorem constituunt. Deinde, quasi immutetur mali natura, quum sub hoc nomine Dei velo tegitur, bonum esse affirmant. In quo atrociore, & sceleratiore contumelia Deum afficiunt, quàm si potestatem ac iustitiam ipsius aliò transferrent. Quum enim Deo nihil magis proprium sit quàm sua bonitas, ipsum à se abnegari oporteret, & in diabolum transmutari, vt malum efficeret, quod ei ab istis tribuitur. Ac certè istorum Deus idolum est; quod nobis execrabilius esse debet omnibus gentium idolis.* Non possent ardentissimi isti Sycophantæ, quum omnes suas artes colligerent: non possent, inquam, acriùs, duriùs, seueriùs hanc blasphemiam ἀναθεματίζειν.

IX. Haud aliter Martyr, in primum librum Regum, capite vigesimo secundo, agens ex professo de hac quæstione; expatiatus, data occasione, vt solebat, in locum communem, *Sciendum est, si propriè, ac simpliciter loquendum sit, Deum non esse peccati causam: quia summè bonus est & ab eo non proficiscatur nisi bonum: peccatum verò odit, & prohibet, nec non grauissimè punit. Nec illius causa extra nos quærenda est: quia tantum habemus corruptionis, ac deprauationis insitum, vt non oporteat, Deum instillare malitiam ad id, vt peccemus.* Idem in Iudices capite secundo, *Quid igitur? An Deum causam peccati dicemus? Minimè, si propriè loqui velimus.* Si propriè, inquit: hoc est, propria peccati appellatione, siue peccatum, quatenus peccatum est. Nam alioquin potest impropriè, vt aliàs videbimus; nempe in sensu diuiso, vt loquuntur Scholæ: Quemadmodum Prouerbiorum decimo sexto, dicitur fecisse impium: non certè quòd hominem effecerit impium creando: sed quia eum creauit, qui est impius.

X. Haud aliter Beza de æterna Dei prædestinatione, contra Sebastianum Castellionem. *Ostende quæso, si potes, eiusmodi esse, vel Caluini, vel cuiusquam nostrûm mores, vt vel minima in nos eiusmodi blasphemiæ suspicio cadat. Neque enim leui alicui vitio, vel crimini obnoxium eum esse oportet, qui omne boni, & mali, turpis & honesti discrimen tollat: sed omnibus semel sceleribus deditum & in omni flagitiorum genere, deposito omni pudore, insigniter exercitatum: adeò quidem, vt διάθεσις, quod aiunt Logici, in ἕξιν transierit.* Eo tibi quo eos loco habeat qui sibi fingunt (si tamen quidam fingunt) Deum esse authorem peccati. Iterum eodem libro, in aphorismis, *Non tamen consequitur ex istis, vlla illarum blasphemiarum: nempe, vel Deum esse authorem peccati siue delectari iniquitate, aut etiam velle iniquitatem: vel Satanam aut impios malè agendo, obedire Deo: aut quatenus malè agunt, sincerè quod Deus vult agere, ac proinde esse extra culpam. Absint verò quàm longissimè omnes eiusmodi blasphemiæ, non tantùm à linguis, sed etiam à cogitationibus nostris.* Et paulò pòst, *Nec valet consequutio: Deus omnia efficit, ergo peccata etiam facit. Nam peccati nomen, non nisi vitiosæ qualitati conuenit, quæ tota est in agente instrumento.*

XI. Hæc ita fuisse ab illis scripta, negare non possunt Sycophantæ. Quid igitur deest ad plenam purgationem? aut quid Sycophantis superest quod prætexant? Imò verò, vt serpentes hærent dentibus: & ne laceri quidem abstinent à vulnere. Latrant, cùm sibi vident hæc opponi, Caluinum sibi ipsi contradicere. Ita Sanctesius. Ita Hauus. Ita Richeomus. Id verò quid est? extremæ desperatæque improbitatis argumentum euidentissimum, vt extremi desperatique morbi, quum medicamenta in venenum conuertuntur: hoc adeo inde est, quòd nihil sciunt, imò potiùs nihil volunt distinguere: & cùm certò apud se constituerint Caluinum, si possint, calumniis opprimere, quandoquidem veris criminationibus desperant; ideo, si quid offenderint non satis ad suum palatum: frustra interpreteris, frustra distinguas, frustra quiduis agas: illis vnum solenne: blasphemauit, blasphemauit.

XII. Illi verò, aut serò conuertantur: aut si sunt obstinati, Deus prouidebit. At modesti homines considerabunt, Caluino, aut Bezæ nullo loco scriptum asserúmne, Deum esse peccati autorem; tãtùm hoc Sycophantas idelicere certis ex locis. Considerabunt item à Caluino, à Beza negari huius illationis consequentiam. Bezam audiuimus. Caluinus libro de æterna Dei prædestinatione. *Ergo, cum iusta de caussa licet nobis ignota, à Domino procedant, quæ sceleratis ab hominibus maleficia perpetrantur; etiamsi rerum omnium prima caussa sit eius voluntas, peccati tamen eum esse autorem nego.* Et paulò pòst. *Turpi quidem & illiberali calumnia nos grauant, qui Deum peccati autorem fieri obtendunt, si omnium, quæ aguntur, caussa est eius voluntas. Nam, quæ homo iniustè perpetrat, vel ambitione, vel auaritia, vel libidine, vel alio quouis prauo affectu incitatus, quum Deus iusto, licet occulto iudicio, per manum eius faciat, non potest in eum quadrare peccati nomen.* Iam nemo audiuit, inquam, sibi quenquam contradicere, cùm consequentiam negat antecedentis à se sumpti. Quid enim? Si, Catholicis olim negantibus Deum esse autorem peccati, & tamen negantibus à se propterea duo principia constitui: ex his, inquam, aliquis obiecisset ipsos sibi contradicere? Næ ille non fuisset inter sanos numeratus.

XIII. Certè aut Vasquem oportet hac parte damnari; aut Caluinum, nósque omnes absolui. Ponit ille concurrere Deum ad actum peccati, secundùm rationem & subiectum operationis, nec esse tamen caussam peccati, secundùm formalem rationem culpæ: nimirum, quia distinguenda sit causa naturalis & moralis: concursum illum fieri per modum causæ naturalis; at non per modum causæ moralis: peccatum autem secundùm peccati rationem esse à caussa non naturali, sed morali. Hęc inquam, si vana sunt, damnetur Vasques, damnetur Soto, & Canus, à quibus habuit Vasques: sin autem sana sunt; cur non absoluitur Caluinus? cur non Martyr? Nam qui Deum asserunt peccatum odisse, prohibere, seuerissimè punire; nónne iidem negant esse eius causam moralem? Sed profectò [illegible].

CAP. II.

Sententia Catholicorum.

I. Etsi sua professione satis purgati sint Catholici, tamen altiùs est totum negotium considerandum. Docuit Caluinus, imò docent quicunque Catholici, prouidentia Dei omnia gubernari: nec tantùm, quæ bene, sed & quæ fiunt pessimè. Gubernari autem, non tanquam spectatore Deo, vt qui ludos olim edebant, apud Græcos χορηγοὶ, & apud Romanos Aediles: Sed [illegible], cum certa efficacia, quæ moueat caussas singulas, cùm subalternas, tum infimas, easque impellat ad agendum. Hæc sententia Caluini [illegible] considerata. Eam ille multis disertisque Scripturæ auctoritatibus, firmis rationibus, illustribus Veterum testimoniis, ita fulsit, vt nullus metus sit, ne à Sycophantis labefactetur. Nunc tamen illud de rebus malè gestis caput arrodunt: itáque explicandum.

II. Primò distinguendum. Dici enim peccatum aliàs abstractè: aliàs concretè. Abstractè, pro ipsa ratione, siue mauis, formalitate peccati: concretè, pro singulis actibus peccati; vt homicidio, adulterio, furto: non simpliciter, quatenus habent rationem peccati: sed concretè, quatenus fit hoc aut illud, cum ratione peccati. Itaque, necessariò rursus distinguendæ actiones à qualitatibus, & statuendum nullas actiones esse per se ipsas peccata: sed tantùm qualitates: hoc est, non quia fiunt, sed quia malè fiunt. Sic homicidium propriè quatenus actionem significat, est actio: qua homo occiditur. Ea ratione non est peccatum per se: aliàs nullus vnquam homo occideretur, vt non peccaset ille qui occideret. Quod contrà est. Nam & Deus occidit Onam. Geneseos trigesimo octauo: & Dauid Goliathum: & Magistratus quotidie in crucem sceleratos agunt, absque vlla ratione peccati. Ergo, si homicidium aliquando non est peccatum, necessariò sequitur, aliam esse homicidij rationē, aliam peccati.

III. Iam actionū duplicem, ex qualitate, & quidē non naturali, sed ethica, distinctionem esse: nēpe, vt aliæ bonæ sint, id est, virtutes, nempe quęcunque fiunt secundùm officium: aliæ malę, id est, peccata, nempe quęcunque contra officium; omnibus notū, non sanioribus tantùm Theologis, sed etiā Ethnicis Philosophis: imò, vt ita dicam, omnibus, præter pauca fortasse hominum monstra; quæ repugnante natura, repugnante etiam, credo, propria conscientia, omne vellent extinctum boni malique discrimen. Sed Catholicis saltem, & Papistis, in hoc capite nulla controuersia.

IV. His positis: iam sic Catholici docent. Actiones omnes ita esse ad Dei prouidentiam referēdas, vt nulla admittatur bonarū, malarùmve exceptio. Et quia de bonis facile negotium, vix contradicentibus Papistis, de malis sibi diligentiùs agendū Caluinus putauit, vt has ipsas [illegible] à Deo esse doceret, collatis plurimis Scripturæ locis; tum iis qui Thesin docent, tum iis qui eandem applicant singularibus actionibus malis. Sic enim Iobum, cùm sibi audiret sua perisse furto latronum, dicere *Deum abstulisse, qui dederat.* Sic Dauidem, cùm sibi audiret pręsenti, videntique Semei maledicentem, respondere, *Deum præcepisse ei, vt malediceret*, secundi Samuelis decimo sexto. Denique, ne omnia colligam, de Absalomi incesto Deum ipsum prædicere. Secundi Samuelis 12. *Ego suscitaturus sum contra te malum è domo tua: & accipiam vxores tuas ante oculos tuos, tradam proximo tuo, qui cubabit cum vxoribus tuis coram sole isto. Quia tu fecisti clam, etiam ego facturus sum rem hanc co-*

cam toto Israele, & coram sole.

V. Ita de actionibus, quatenus actiones sunt. At si deueniendum ad actionum qualitates; rursus distinguũt: agere Deum vel per se, vel per instrumenta. Per se, vt creationem, vt plurima miracula: scilicet, quoties nullas adhibet caussas secundas ad opus efficiendum. Tum ergo pronunciant Catholici, & actionum & qualitatum fontem, atque auctorem Deum esse propriè, ac simpliciter. Semper autem & auctorem bonum, & actiones bonas: vt in creatione Geneseos primo. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona.*

VI. Quum per caussas secundas operatur, id est, adhibitis instrumentis: tum rursus: dupliciter, vel enim instrumentis vtitur, iuxta eorum naturam, qualem habent in se; vt quum Sodomam Gomorrhámque incendit, igne vsus est, cuius hæc natura, vt vrat & in cineres redigat corpora quæ corripit; & quum diluuio terras purgauit; tum vndas adhibuit: quæ à natura habent, vt præfocent quæcunque absque spiritus reciprocatione viuere nequeunt. Aliàs verò eorum instrumentorum naturam modò cohibet, modò mutat. Sic tres illos pueros in fornace conseruauit, inque ignis medio, quanquam vrentis: sic populum traduxit, cohibito fluxu aquarum tum maris rubri, tum Iordanis: sic aquas Ægyptias mutauit in sanguinem: sic hominum multa millia paucis saturauit panibus: sic alia plurima.

VII. Quoties ergo instrumentorum naturam vel cohibet, vel mutat; tum non actiones tantùm; sed etiam actionum qualitates ab eo sunt. Itaque semper bonæ. Sic ex blasphemo Paulus factus vas electionis, plurima fecit bona; de quibus ipse sic pronunciat, prioris ad Corinthios decimo quinto. οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ἡ σὺν ἐμοί. *Non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mecum est.* Nec aliter in omnibus fidelibus, secundo ad Philippenses: *Deus is est: qui efficit in vobis, & vt velitis & vt efficiatis.*

VIII. At verò, cùm neque immutatur, neque cohibetur instrumentorum natura, tum actionum qualitates ab ea natura sunt, tanquam à proxima caussa. Quomodo enim suauitas rosæ, & fœtor cadaueris à sole sunt, sic tamen, vt remota caussa, sit tantùm odoris eductio: odoris tamen qualitas suauis à rosa: fœtor à cadauere: sic in operibus Dei. Quum enim incensi sunt Sodomitæ satellitésve Nabucadnetsaris; ardor ille fuit ab igne. At verò cùm Ierichuntinos pueros Elisæo insultantes vrsæ occiderunt, posterioris Regum secundo, tum, etsi id à Deo fieret, tamen ambusti non sunt pueri, sed laniati, nempe quia vrsorum natura non est vt vrant, sed vt lanient: tamen non fuit speciali illa ἐνεργείᾳ, vrsis indita rabies: habebant enim prius à sua natura. Indem camini flammam Deus impulit, vt camino excedens circumstantes satellites cremaret: at ardor illi tamen ex natura ignis.

IX. Neque aliter de iis creaturis censendum, quibus hanc naturam Deus ab initio concessit, vt agant voluntate sua: Nam, quemadmodum, quum aliter atque aliter vult Deus homines vlcisci; tum immittit in eos, modò ignem, modò vndas, modò vrsas, indéque fit, vt actionum alia vrat, alia suffocet; alia laniet, propter instrumentorum naturam variam: sic cùm idem, Angelis vtitur & diabolis, nihil mirum, si dicamus actiones illas, etsi ab eadem, prima caussa, tamen varias induere qualitates. Et quemadmodum dicimus Deum voluisse satellites illos nimio calore perire: Ægyptios autem præfocatione: sic omnino fatendum, quum per Angelos quid efficit, velle id bene fieri, quum verò per diabolos, malè fieri. Quia, sicut ignis est vrens; vnda præfocans: sic, Angeli boni, diaboli mali.

X. Iam si diabolis nequitiam ipse vel indidisset Deus à prima origine, vt Angelis bonitatem, vel inderet ad singulas actiones, vt fidelibus gratiam, sine dubio posset Deo peræquè vtrumque imputari, & benefactum Angelorum, & factum malè diabolorum. Sed contrà verum, à seipsis diabolos esse malos. Itaque eorum, quæ per diabolos Deus operatur, nulla culpa in ipsum redit, sed tota remanet in diabolis. Nec aliud iudicium de hominum peccatis. Propterea, in eodem opere, optimè agente Deo, pessimè agit instrumentum actum, quemadmodum optimæ actionis laus nulla peruenit ad instrumentum malum, ac propterea malè agens: neque enim diabolus eo laudandus, quòd ex tentatione Iobi fides eluxit: Ita neque ad Deum redundat instrumenti culpa.

XI. Itaque falsum est, Deum autorem peccati ant esse, aut ab iis constitui, qui Dei prouidentiæ omnia subiiciunt: nisi fortè peccatum varia ratione nominetur. Non enim semper, vt dixi, pro ipsa actionis qualitate, propter quam vitiosam, peccati & nomen & rationem habet: sed sæpius pro ipsa actione cum qualitate mala. Nam quemadmodum dicimus Philippum esse patrem eius qui Darium vicit: non quòd hanc ipsam Darij victoriam Philippus genuerit; aut effecerit, vt Darius vinceretur: Sed, quia Alexandrum genuerit, eundem ipsum numero, qui Darium vicit: sic potuit Caluinus dicere, à Domino procedere, quæ sceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur, hoc sensu, vt à Deo procedant eæ actiones, quæ impiorum scelere sunt maleficia. Sed hęc impropria loquutio est.

XII. Hinc sunt illæ disertissimę Caluini distinctiones. Nam primò, quæstionem ipsam his proponit verbis Institutionis libri secundi, capite quarto, paragrapho primo. *An aliquid in malis operibus Deo sit tribuendum, in quibus nonnullam eius actionem intercedere spiritus insinuat.* Cautè. Non igitur totum opus Deo tribuitur in solidum, sed aliquid operis. Paragrapho secundo. *Idem facinus Deo, Satanæ, homini assignari, videmus non esse absurdum: sed varietas in fine ac modo, facit vt illic inculpata Dei iustitia reluceat; Satanæ, hominisque nequitia cum suo opprobrio se prodat.* Paragrapho quarto. *Non malè alicubi Augustinus ita definit; quòd ipsi peccant, eorum esse: quòd peccando hoc vel illud agunt, ex virtute Dei esse, tenebras, prout visum est, diuidentis.* Paragrapho quinto. *Longo tamen discrimine semper distat in eodem opere, id quod agit Dominus, ab eo quod Sathan & impij moliuntur: Ille mala instrumenta quæ sub manu habet, & versare quolibet potest, seruire iustitiæ suæ facit. Hi prout mali sunt, nequitiam ingenij prauitate conceptam effectu pariunt.*

XIII. Sed illud, de fine modóque, prolixiùs ab eodem explicatur paragrapho secundo. *Quomodo idem opus* (Iobi tentationem intelligit) *ad Deum, ad satanam, ad hominem autorem referamus, quin vel satanam excusemus Dei consortio, vel Deum mali autorem prædicemus?*

dicemus ? facile: si finem agendi primùm inspiciamus, deinde modum. Domini consilium est seruì sui patientiam calamitate exercere. Satan molitur eum ad desperationem adigere: Chaldæi ex re aliena præter ius & fas lucrum quærere affectant: Tanta in consiliis diuersitas opus tam valde distinguit. In modo non minus est discriminis: satanæ affligendum seruum suum Dominus permittit. Chaldæos, quos ad id exequendum ministros delegit, illi permittit ac tradit impellendos. Satan alioquin prauos Chaldæorum animos venenatis suis aculeis ad perpetrandum id flagitium instigat: illi administratam furore rapiunt, omniáque membra scelere obstringunt, ac contaminant. Propriè ergo agere dicitur satan in reprobis, in quibus regnum suum, hoc est nequitia exercet. Dicitur & Deus suo modo agere, quòd satan ipse, instrumentum cum sit iræ eius, pro eius nutu, atque imperio huc atque illuc se inflectit ad exequenda eius iusta iudicia. Et in eandem sententiam contra Libertinos capite decimo quarto. *Magna est differentia inter opus Dei, & opus impij, quum eo Deus vice instrumenti vtitur: impius enim sua auaritia, aut ambitione, aut inuidia, aut crudelitate incitatur ad facinus suum, nec alium finem spectat: ideò ex radice illa, id est, ex animi affectione, & fine, quem spectat, opus qualitatem sumit, & merito malum iudicatur. Sed Deus respectum omnino contrarium habet. Nempe, vt iustitiam suam exerceat.*

XIV. Beza in abstersione calumniarum Heshusij. *Res ita se habet, non simpliciter dicimus voluntatem, siue decretum, & efficacem operationem Dei interuenire in iis quæ mala sunt: sed duo simul adiicimus; vnum, ita in his interuenire Dei voluntatem; vt tamen ea minimè velit aut agat, quatenus mala sunt, sed quatenus aut sunt aliorum malorum pœna: aut per illa Deus suos explorat, aut etiam confirmat. Alterum, sic Dominum vti, quoties libuit, malis etiam instrumentis ad sua illa opera peragenda, vt ipsa interim instrumenta Deo minime obsequantur.* Et contra Castellionem de æterna Dei prædestinatione. *Agit Deus aliter per bona instrumenta, quàm per mala. Nam præter quàm quod agit per bona instrumenta suum opus, bona etiam instrumenta suum opus agunt ea vi & efficacia, quam Dominus illis suggerit. Dominus denique cùm per illa suum opus agit, in illis etiam operatur velle & perficere. Per malos autem, veluti per satanam, aut homines, quatenus regenerati non sunt; quoties iusta sua voluntatis æterna consilia & decreta Dominus exequitur, suam quidem vim & efficaciam in opere suo per illos, vel nescientes, vel inuitos exserit: sed tamen quatenus ipsi suum opus agunt, Dominus in illis minime operatur; sed satanæ laxat habenas, quibus etiam impios mouendos, & excitandos iusto suo iudicio tradit, vt suo & illius arbitratu ferantur.*

CAP. III.

Sententia Papistarum de Prouidentia Dei circa peccata.

I. LOmbardus distinctione quadragesima sexta libri primi, meras tenebras loquitur. *Dicemus, inquit, Deum non velle mala fieri: nec tamen velle non fieri, neque nolle fieri.* Qui lusus est verborum, præterea nihil. Quis enim intelligat, quomodo quid non velis fieri, & tamen non nolis fieri? aut non nolis fieri, & tamen non velis non fieri? Nam hæc quidem, opinor, ægri somnia, vanæ finguntur species. Quin loquitur apertiùs? Habere se Deum merè indifferenter ad malum: Quomodo, qui vel prorsus nesciunt, vel omnino non curant. Sic rusticus, nec vult, nec non vult, solem in aquariũ ire, qui ne aquarium quidẽ cogitat, nec Pedaoeus iudex in Gallia, nec vult, nec nõ vult Hispaniarum Regẽ Madrit agere, aut Salamancæ: qui etsi sciat esse & Regem Hispanum, & Madritum, & Salamancam, tamen nouit nihil ad se pertinere. Sed talem Deum ad Epicureos relegant Catholici.

II. Scholastici Theologi paulo subtilius distinxerunt malum naturæ, malum pœnæ, malum culpæ, malum naturæ, vt quum quis nascitur cæcus, aut surdus: malum pœnæ, vt morbos, ob præcedentia peccata: malum culpæ, ipsum illud malum, cuius caussa irrogantur pœnæ. Nullo modo velle Deum malum culpæ: sed velle malum naturæ, aut pœnæ, at non per se, sed per accidens, & quidem voluntate signi, non beneplaciti.

III. Quæ sententia vel falsa est, vel certè multis distinctionibus coercenda. Nam primò, malum pœnæ à malo naturæ, vix bene discerpitur: quum naturæ malum non sit nisi, à peccato primo: atque ita etiam malum pœnæ. Secundò, in malo pœnæ sine dubio concipiendę etiam affectiones piorum, siue tentationes: vt quum Ioseph venditus à fratribus, Iob tentatus à Sathana: & sic Altenstaig in Dictionario Theologico, verbo *Pœna*. Tertiò, intelligendum malum pœnæ & culpæ, non sic distingui realiter, vt quod malum est culpæ, nunquam possit esse malum pœnæ. Nam sæpè peccatis posterioribus punit Deus peccata præcedentia. Ad Romanos primo. *Mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium: Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, vt fœdarent corpora sua inter se.* Posterioris ad Thessalonicenses secundo. *Pro eo quod amorem veritatis non receperunt, vt salui fierent: propterea igitur immittet illis Deus efficaciam deceptionis vt credant mendacio.* Nã certè illæ cupiditates, studque credere mendacio, sunt mala culpæ, propriissimè & verissimè: eatenus tamen mala pœnæ, quatenus sunt in præcedentium culparum pœnas: vt certum sit: Deum præcedentia peccata sequentibus peccatis punire.

IIII. Sed illud: quî consistet? Velle Deum malum naturæ, & pœnæ, non tantùm per accidens: sed voluntate signi, non autem voluntate beneplaciti? Nam voluntas signi, propriè non est voluntas Dei, sed tantùm metaphoricè, teste Lombardo libri primi distinctione quadragesima quinta. Ergo nihil ponit in Deo: hoc est, non est voluntas in Deo: quis autem credat nullam esse in Deo voluntatem positiuam, qua velit peccatores punire? Deinde voluntas signi nihil efficit: At Deus efficit pœnas peccatorum. Quid enim disertius minis, quæ continentur in Deuteronomio, & in Prophetis? Multò rectiùs alij voluntatem beneplaciti distinguunt in antecedentem & consequentem: & Deum velle peccatum

voluntate antecedente, nimirum vt pœnas ſumat à peccante; quod cócedit Ariminenſis in Lombardi diſtinctionem quadrageſimam ſextam libri primi. Itaque Ioannes Maior, *Peccata ſunt voluntate Dei beneplaciti.* In eiuſdem libri diſtinctionem quadrageſimam quintam.

V. Aquinas parte prima ſummæ, quæſtione decima nona, articulo nono. *Malum culpæ, quod priuat ordine ad bonum diuinum, Deus nullo modo vult: ſed malum naturalis defectionis, vel malum pœnæ, vult volendo aliquod bonum, cui coniungitur tale malum.* Et Durandus in primi Sententiarum diſtinctionem quadrageſimam ſextam. *Dicenda ſunt tria ad quæſtionem propoſitam: Primum eſt, quòd nullum malum vel culpæ, vel pœnæ, poteſt eſſe per ſe volitum à Deo, ſeu quocunque alio. Secundum eſt: quod mala pœnæ vel naturæ poſſunt eſſe volita à Deo per accidens. Tertium eſt, quòd mala culpæ non poſſunt eſſe volita à Deo, nec per ſe, nec per accidens.*

VI. Audaciſſima determinatio. Nam ſi nullo modo, ne per accidens quidem, Deus velit malum culpæ: & velit tamen aliquo modo, id eſt, per accidens, malum pœnæ. Ergo nunquam malum culpæ poterit eſſe malum pœnæ. Quod contrà iam probatum eſt. Itaque neceſſariò concedendum, aliquo modo, hoc eſt, per accidens, Deum velle non tantùm malum naturæ, aut malum pœnæ; ſed etiã malum culpæ: nimirum, quatenus eſſe poteſt malum pœnæ. Nam quod Thomas dicit malum culpæ, priuare ordine ad bonum diuinum, non eſt ſatis conſideratum. Quia certum, idem illud malum culpæ, quod hominem abducit à bono Diuino, inferre tamen per accidens diuinam iuſtitiam; quam ipſe Deus amat, æquè ac ſuam bonitatem: Quum ſit certum, bonitatem & iuſtitiam non diſtingui, niſi ratione noſtri: in Deo autem non eſſe diuerſas. Itaque, vt vult Deus malum pœnæ per accidens; quia ſic illuſtratur iuſtitia: eadem ratione, malum culpæ quodammodo volet per accidens, quod neceſſariò ponendum eſt, vt pœna iuſta ſit; imò, vt pœna ſit. Quare volet, vt pœnam propter iuſtitiam, id eſt, non per ſe; ſed per accidens: ſic culpam propter pœnam. Quia quemadmodum abſque pœna non eſt iuſtitia; ſic abſque culpa non eſt pœna: ac proinde nulla iuſtitia. Imò amat Deus miſericordiam ſuam. Non eſt autem miſericordia abſque gratia: nec gratia, abſque remiſſione pœnæ: nec remiſſio pœnæ, abſque remiſſione culpæ. nec remiſſio culpæ, abſque culpa. Ergo vult Deus aliquo modo culpam propter pœnam: pœnam propter remiſſionem, ſiue gratiam & miſericordiam.

VII. Longè meliùs idẽ Thomas quæſtione quadrageſima nona, articulo ſecũdo. Effectus cauſæ ſecundę deficientis reducitur in cauſſam primam nõ deficientem; quantũ ad id, quod habet entitatis & perfectionis, non autem quantum ad id, quod habet de defectu. Sicut, quicquid eſt motus in claudicatione, cauſatur à virtute motiua, ſed quod eſt obliquitatis in ea, non eſt ex virtute motiua, ſed ex curuitate cruris. Et ſimiliter, quicquid eſt entitatis & actionis in actione mala, reducitur in Deum, ſicut in cauſſam: ſed quod eſt ibi defectus, non cauſatur à Deo, ſed ex cauſa ſecunda deficiente. In eandem ſententiam Andradius Orthodoxarum explicationum libro tertio. *Neque verò ita peccatum nihil eſſe dicimus vt alteram ipſius partem, quæ in actione conſiſtit, rem quandam eſſe negemus, & quam, niſi diuina operatio concurrat, homo per ſe efficere nulla ratione poſſit. Deus enim omnibus rerum functionibus ita aſſidet, vt niſi vires ad agendum ſuppeditet, & vnà cum rebus ipſis operetur, nulla ſit tanta virtus, quæ per ſe & à ſe quippiam agere poſſit.*

VIII. Hæc ſi verè & conſtanter Thomas, ſi verè & conſtanter Andradius; quid eſt, quare latrent Sophiſtæ, quum Catholici negant Deum à ſe fieri authorem peccati; etſi tum ſatanam, tum improbos conſtituant eius inſtrumenta etiam in malis operibus? Aut quanto ſpatio ab iis diſtat Beza in abſterſione calumniarum Heshuſij? *Rectè ergo*, inquit, *& iuſtè peccantibus inſtrumentis vtitur, eaque ad deſtinatum à ſe finem perducit, & ita quidem vt nihil peccet, neque in mouendo, neque in dirigendo inſtrumento. Actio enim ab ipſo eſt: defectus verò ab inſtrumento: quod & ipſum interiore motu ſemetipſum agit: cùmque corruptum ſit, motus habet neceſſariò deprauatos. Nam cauſa peccati eſt tota in Satana & in nobis: quo autem tempore, & in quem finem debeat erumpere, in poteſtate Dei eſt, qui nouam malitiam non infundit: ſed eam quæ hominibus inuata eſt, pro infinita ſua ſapientia, quando & quomodo libuit, mouet, gubernat, flectit, regit denique, ac moderatur, ad nominis ſui gloriam, inſciis etiam impiis, atque adeo contrarium prorſus conſilium apud ſe ineuntibus.*

VIIII. Cæterùm inualuit iampridem in hac controuerſia diſtinctio Permiſſionis, & Voluntatis: vt dicerent, Deum nolle quidem peccata, ſed tamen permittere. Hanc diſtinctionem & Martyr reſpuit, & Caluinus, ac Beza ſeuerè exagitant. Quanquam non veretur etiam Caluinus eam ipſam permittendi phraſin vſurpare, Inſtitutionis libri ſecundi capite quarto, paragrapho ſecundo. *Chaldæos illi (Satanæ) permittit ac tradit impellendos.*

X. Sed quia hæc diſtinctio diſcerpit à voluntate permiſſionem: omnino viderunt, primò, non ſatisfieri tot támque diſertis Scripturæ locis, quibus ἐνέργεια aſſeritur Dei: *Ego faciam coram hoc ſole: præcepit ei vt malediceret*: & ſimilia, quæ tanto magis vrgent, quanto abſurdiùs hanc permiſſionem Scholaſtici negant eſſe voluntatem beneplaciti, ſed tantùm ſigni, id eſt, non voluntatem niſi μεταφορικῶς. Secundò, indignam eſſe Deo diſtinctionem, vt quæ eius, vel potentiam, vel prouidentiam minuat. Si enim ita permittit mala, vt nolit, ergo vel quia impedire nõ poteſt: vel quia, ſi poſſit, non curat, inſuperque habet. At illud dici non poteſt, quin negetur omnipotens: neque hoc, quin Epicuri blaſphemiæ renouentur, & conſtituatur Deus tanquam ædilis olim populo ludos exhibẽs. Hinc iſta, Inſtitutionis libro primo, capite decimo octauo: *Abſurdum videtur, volente & iubẽte Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis ſuæ pœnas daturus eſt. Tergiuerſando itaque effugiunt: Dei tantùm permiſſu non etiam voluntate, hoc fieri: ipſe verò, palam ſe facere pronuncians, effugium illud repudiat.* Et rurſus, *Vult Deus perfidum Regem Achab decipi, operam ſuam offert diabolus ad eam rem: mittitur cum certo mandato, vt ſit ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Si Dei iudicium eſt excæcatio & amentia Achab, nudæ permiſſionis figmentum euaneſcit: quia ridiculum eſſet, iudicem tantùm permittere, non etiam decernere, quod fieri velit: & mandare executionem miniſtris.* Libro de Prædeſtinatione, *Hinc certè iam colligere promptum eſt; quàm inane & fluxum ſit illud diuinæ iuſtitiæ patrocinium: Quæ ma-*

la ſunt,

la sunt, non eius voluntate, sed permissu duntaxat fieri. Equidem, *quatenus mala sunt, quæ malo animo perpetrant homines, vt statim plenius exponam, Deo minimè placere fateor: sed quod istiusmodi ea permittere fingunt, quæ Scriptura non tantum eo volente, sed autore fieri pronuntiat, nimis friuolum est effugium.* Martyr in caput tertium Iudicum. *Quidam non malo sanè studio Deum excusare nituntur, illúmque aiunt mala hæc non efficere, sed tantum permittere, putántque in locis dubiis eam interpretationem esse aptandam, quæ vitio & periculo impietatis omnino careat. Laudandum profectò esset horum istorum consilium, si eorum expositionem in Scripturis approbari videremus.* Et in caput nonum. *Annotabimus præterea vocabulum permissionis adhibendum non sic esse, quum Deus vel à Scripturis, vel à Patribus, caussa peccati videtur asseri: quasi tantùm patiatur homines peccare: & sua prouidentia & gubernatione circa peccata nihil operetur.* Hæc ipsa de re plura Beza in absterlione calumniarum Heshusij, haud procul ab initio.

XII. Bellarminus tomi quarti Controuersiæ secundæ libro secũdo, hanc controuersiam ita tractat: vt primò, quatuor absurda consequentia esse dicat sententiæ Catholicorum, vnum Deum esse autorem peccatorum, quæ à nobis fiant: alterum, Deum verè ac propriè peccare: tertium, Deum solum verè peccare, non etiam homines: quartum, nihil esse peccatum, nisi falsam opinionem. Secundò, disputat Deum, nec peccare, nec esse peccati autorem; tum è Scripturis, tum è Patribus, tum è Traditionibus. Tertiò, disputat contra argumenta Catholicorum ex Scriptura & Augustino.

XIII. At nos enim in secunda parte liberè exspatiari permittemus. Nam omnes Catholici assensum præbent, & inter Catholicos nemo grauiùs Caluino, & solidiùs eam tractauit. Imò, Libertinos Papistarũ nullus exagitabat, cùm in eos classicũ prius ille vir & magnus cecinit. Imò non classicũ cecinit duntaxat, sed iusta pugna decertauit, luculentámque victoriam reportauit. Nobis igitur astipulantibus, operas etiam, cùm opus erit, conferentibus, concludat sanè Bellarminus, Deum non esse peccati autorem, & nullo modo peccare. Anathema, si quis contradicat. Sed argumentorum refutationem non oportet abire inexploratam: ne illa quidem quatuor consectaria; id est, totidem calumniæ, intacta prætermitti: initio tamen facto ab ea refutatione, quæ postrema est apud Bellarminum.

Cap. IV.

An Deus velit peccata.

I. ARgumenta, quæ sunt à Scriptura, Bellarminus ita tractauit, vt admisceret quæ pertinent ad quæstionem de Prædestinatione reproborum: cuius locus assignatur libro sequenti: ego separabo.

II. Argumentum primum è Scripturis: Quicquid prouisum est in consilio Dei, id Deus vult voluntate beneplaciti. At peccata prouisa sunt in consilio Dei. Ergo peccata Deus vult voluntate beneplaciti. Maior per se patet.

III. Minor probatur, Geneseos quadragesimo quinto. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et quinquagesimo. *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?* Actorum secundo: *Hunc definito consilio Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis.* Et quarto. *Conuenerunt verò in ciuitate ista aduersus Sanctũ puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.*

IV. Respondet Bellarminus, primò, distinguendo minorem: deinde, explicando locos citatos in eius confirmatione. Distinguit igitur actionem à passione: illam posse esse malam, & hanc esse bonam. Nam in venditione Iosephi & occisione Christi, si ex parte vendentium & occidentium fiat consideratio, scelera erant grauissima: at si ex parte patientium, æquo animo ferentium venditionem, & occisionem; opera erant summæ patientiæ: proindéque valde bona. Itaque hæc Iosephi, Christíque opera voluisse ac prædefiniisse Deum: at fratrum Iosephi, & Iudæorum, nec voluisse, neque prædefiniuisse, sed tantùm præuidisse, ac permisisse.

V. At contrà, actio & passio non re, sed ratione differunt: quia re vera idem idipsum patitur, is qui patitur, quod agit is qui agit. Itaque etsi variæ sunt agendi partes & patiendi: tamen vnus est, & idem vtrinque quasi terminus in quem definit actio: & à quo incipit passio. Itaque hæc distinctio nihil est, præter meras præstigias. Neque enim cogitare vllus potest, quomodo quisquam velit occidi, & tamen non velit occidi à quoquam. Qui enim vult aliquid, necessariò id vult, sine quo illud aliquid esse non potest. Non potuit Ioseph vendi, nisi eum fratres venderent. Si Deus voluit, vt Christus patienter ferret se occidi, necessariò voluit, vt eum Iudæi occiderent. Nec potuit alterum sine altero fuisse voluntate Dei præfinitum, decretúmque.

VI. Deinde ipsa Scriptura non tantùm passionem Iosephi aut Christi Deo tribuit; sed etiam disertè actionem à qua fuit illa passio. Nam Iosephus quidem non dixit, Deus voluit me huc mitti: quod tamen si dixisset, non euaderet Sophista: sed totidem verbis, *Misit me Deus ante vos.* At mittere significat efficientiam, quæ terminatur in eum actum, à quo incipit ea passio. Eam quidem efficientiam proximè fuisse in Madianitis nemini dubium: Nam hi Iosephum deduxerunt, sed fuisse etiam in fratribus, nemo potest negare: quanquam paulo remotius. Imò Madianitarũ nulla habetur ratio: sed fratrum duntaxat: Itaque possumus proximè eam efficientiam dicere in fratribus: Sed si in iis tantùm: Ergo nulla erat eorum excusandorum ratio: nec poterat Iosephus aliter loqui, quàm, *Vos misistis me huc.* Quod si dictum esset. nemo dubitaret, quin iis verbis ea efficientia significaretur, nec quisquam vel somniaret sensum esse, vos voluistis me mitti passiuè; sed voluistis mittere me actiuè. Cur non igitur dicamus Bellarminum nugari, & habere omnes alios à se pro fungis?

VII. Quid? quod disertè Ioseph negat in ea proxima efficientia subsistendum? Negat, inquam, disertè. *Nõ vos misistis me huc, sed Deus.* Cõlentimus tamen, & illos. Itaq; sensum esse, non vos soli; ita vt in cõsiderãda vestra efficiẽtia nõ possim altius ascendere: Vos igitur misistis me: sed & Deus misit me. Nã ita habetur Hebraicè: pro eo quod Latinè legitur,

aliis verbis, non alio sensu: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*: Verbis tamen, ex quibus, credo, Bellarminus facetus ludio, ansam sophismatis cepit: quia nempe parietis sit, *missus sum*; sed Hebraicè non ita sonat.

VIII. De Christo similiter. Ad Romanos octauo. *Is qui proprio Filio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Actorum tertio. *Deus ille Abraham, & Isaac, & Iacob, Deus Patrum nostrorum, glorificauit Filium suum Iesum, quem vos tradidistis.* Audin? Constat Christum esse traditum, & hæc passio est. Quis tradidit? & hæc actio est. Quis, inquam, tradidit? Iudæi tradiderunt, respondet Petrus. Et verè Pater tradidit, respondet Paulus: an falsò? ergo, non tantùm præfiniuit Deus id, quod in eo actu passiuum fuit respectu Christi tradici. Sed illud etiam, quod erat actiuitatis, &, vt vno verbo dicam, Iudæi proximè tradiderunt: at Deus remotè; quia per Iudæos sua instrumenta: Augustinus epistola quadragesima octaua. *Quum ergo & Pater tradiderit Filium suum: & ipse Christus corpus suum: & Iudas Dominum suum: cur in hac traditione Deus est pius, & homo reus, nisi quia in re vna, quam fecerunt, caussa non vna est ob quam fecerunt?* In re vna, inquit. Quò effugiet Bellarminus? Nam actio & passio non sunt res vna; sed concurrunt in rem vnam. Sed eam rem vnam effecerunt, inquit Augustinus. At efficere non significat passionem: effecerunt ergo vnam illam rem: quinam? Pater Deus; Christus Deus; Iudas homo. Ergo Augustinus in ea vna re, in Deum retulit, non passionem, siue passiuitatem, sed ipsum tradere, siue actiuitatem. Eu tibi quàm sint frustra subtiliter Sophistæ!

IX. Denique, si verum est, in vno eodémque opere passionem esse & actionem: itémque verum, passionem bonam esse: actionem malã: hanc à Deo præscitam, illam decretam: ergo rectè Caluinus in eodem facinore obseruari iubet varietatem finis. Verum & illud, in eodem opere, propter finem varium, tum Deum esse laudandum, id est, non peccare; imò optimè agere: tum diabolum, atque hominem dãnandum, hoc est, peccare, & pessimè agere. Atque adeo vnum idémque opus, & à Deo fiet benè, & à diabolo atque homine fiet malè. Quod Catholicis satis est: apparet autem id Papistas verbo damnare, ad Catholicos calumniis iniustè onerandos; quò tamen ipsos necesse est confugere.

X. Venio ad locorum explicationem. Ergo, Geneseos quadragesimo quinto; & quinquagesimo negat Bellarminus Iosephum dicere, fuisse impulsos à Deo fratres suos ad scelus; sed Deum conuertisse malum eorum in bonum. Quia dicat: *Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, & saluos faceret multos populos.* Consolari enim Iosephum fratres suos, ostendentes bonum rei euentum ex Dei prouidentia, quę malum id permiserit, vt multa & magna bona eliceret. Et eò facere ista ex quadragesimo quinto. *Nolite timere, neque vobis durum videatur, quòd me vendidistis in his regionibus. Pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos.*

XI. Fateor verò, hęc totidem verba non legi, impulsos fuisse fratres ad scelus. Sed respondeo: Primò, id non esse huius argumenti: sed proximi. Nunc enim disputatur de æterno decreto: de impulsione verò agetur capite proximo. Itaque nimis importunus Bellarminus, qui vbique omnia quærat. At enim in Dei operibus didicimus considerare distinctè consilium ab executione. Iam impulsio non potest non exequutionis esse. At nos etiam à consilio obtinemus quod volumus. Certè enim, si nullo modo vult Deus malum: Ergo non decreuit etiam: nam decretum est voluntas: & quidem certa voluntas: & quidem efficax volontas. Atqui ex his locis constat decerni malum. Recta igitur & necessaria conclusio est, Deum velle aliquo saltem modo malum, & velle efficaciter. Nam decretum longè aliud est, quàm nuda permissio.

XII. Secundò, locum in veritate Hebraica paulo aliter esse, & disertiorem in sententiam Catholicorum. *Vos cogitastis in me malum. Deus autem cogitauit in bonum.* Vbi audis vnum idémque, tum homines cogitasse, tum Deum. Non enim potest disertius: *Vos cogitastis: Deus cogitauit illud.* Illud, inquam, non verò aliud. Ergo vnum & idem *ἐνθύμημα*, tum à Deo est cogitatum; tum ab hominibus: ac proinde tum Dei est; tum hominum. Fratres cogitarunt: Deus cogitauit. Quid est, fratres cogitarunt, an tantùm permiserunt? an tantùm non noluerunt? Ridiculum. Ergo etiam, Deus cogitauit, non est, Deus permisit, Deus non noluit. Imò fratres sic cogitarunt, vt apud se constituerent, hoc idem malum ad exitum perducere. Ergo & Deus: sic cogitauit, vt apud se constitueret, hoc idem malum ad exitum perduci à suis authoribus. Ac sanè id significat verbum חשב in similibus phrasibus. Priore libro Samuelis capite decimo octauo. *Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philistinorum.* Quis non videt apud se Saulum deliberasse, & iniisse rationes, quibus efficeret, vt Dauid incideret in manus Philistinorum? At id non permissio erat nuda: sed etiam consilium. Hieremias decimo octauo, *Agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaueram, vt facerem illi.* Et agitur de malo pœnæ: quod aduersarij concedunt Deum non tantùm permittere, sed etiam velle.

XIII. Tertiò, esto eorum verborum, cogitauit illud in bonum, sensus, quem expressit Latinus interpres: *Deus vertit illud in bonum.* dum modò non intelligamus de sola exequutione: sed de consilio: hoc est, iam ante quàm hoc malum compleretur, Deus statuit in consilio suo id ipsum conuertere in bonum. Ne subitaneæ fiant voluntates Dei: quomodo homines sæpe solent è re ipsa, &, vt loquuntur, in arena consilium capere. Nunquam enim id Deus voluisset vllo modo, nisi vt conuerteret in bonum: nam illud est quod Catholici docent: Deum sibi semper bonum finem proponere in eodem opere; in quo sibi homines malum, conceditur ergo finis diuersitas, concedatur itidem actionis identitas.

XIIII. Quartò, non bene Bellarminus vni illi insistit loco: *Deus vertit illud in bonum.* Quasi id tantùm Iosephus dixisset. At dixit etiam: non vos estis, qui me huc misistis, sed Deus. Itaque ambo loci sunt comparandi: & ex illo quidem eliciẽdus finis ille optimus, quem sibi Deus proposuit. Ex hoc autem concludendũ certum & efficax consilium, quod decreuit id fieri, vnde tam bonus finis erat eliciẽdus. Non enim contradicunt inter se, sed subalternantur, aliquid decernere, & in eo decernendo bonum sibi finem proponere. Qu[illegible]

tidicul. Bellarminus, posito fine, conatur tollere præcedentia cum hiscem.

XV. Sed enim, quid respondet ad illum locum, quem, vt diximus, Latinus vertit, *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum?* Nempe (inquit) in eundem sensum recidere: pertinere enim, exponente Chrysostomo, ad consolationem fratrum: & sensum esse: nisi Deus permittere voluisset id quod de me facere conabamini, non potuissetis vestro consilio quicquam agere: propterea non vestro consilio, sed Dei prouidentiæ adscribo caussam ingressus mei in Ægyptum. Ideóque Ambrosium dicere libro de Ioseph captiuitate, capite duodecimo, sanctum Ioseph non tam attendisse, quòd à fratribus missus fuisset ad mortem; quàm quod à Deo missus fuisset ad vitam: & ideò fraterna charitate conatum esse peccatum illorum excusare: & caussam ingressus sui in Ægyptum, nó illorum impietati, sed Dei prouidentiæ tribuisse.

XVI. Sed hæc Ioseph verba pertinere ad fratrum consolationem, probare nó debuit Bellarminus autoritate Chrysostomi. Nam id per seipsum nemo non satis videt. Illud potius laborare debuit, vt demonstraret, quibus legibus fieri possit legitima consequentia: consolatur fratres: Ergo illud, *Voluntate Dei huc missus sum*, intelligendum de nuda permissione. Nam ita simpliciter dicere, nihil aliud est, quàm impudenter abuti nostra patientia. Quasi verò non æquè solida, imò verò, non magis solida fit consolatio, seruata ipsâ vi singulorum verborum; vt voluntas significet certum decretum: Maximè, cùm veritas Hebraica habeat, vt sæpe dixi, *ipsa verò: non vos misistis me huc, sed Deus ipse.* Addo, nunquam deduci posse veram consolationem, imò nullam consolationem ex eo sensu, qui Deo nudam permissionem affingit. Nam si nude permittit: ergo aut nesciens, aut non curans, aut nolens. Si nesciens aut non curans: Ergo non prouidens: at quæ à Deo non prouidente ad homines redire potest consolatio; magis quàm à fortuna? Imò magis dicam, quàm à stipite? si nolens; ergo ex potentiæ defectu. Et impotens Deus quemquam consoletur?

XVII. Itaque, neque Chrysostomus, neque Ambrosius hîc vllam permissionem nominant; vt videri voluit Bellarminus: sed prouidentiam iste; ille dispensationem. *Dei* (inquit Chrysostomus) *dispensatione contigerunt hæc.* Græcè est opinor, *οἰκονομία*, quæ significat sic Deum vniuerso orbi prouidere; quomodo œconomum familiæ: non otiosè spectando, sed certo consilio dispensando. Ambrosius. *Quàm pia fraternitas! quàm dulcis germanitas! vt etiam parricidale excusetur admissum: dicens, diuina illud prouidentia fuisse, non impietate humana: quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, sed à Domino missus ad vitam.* Audi prouidentiam, & expende. Non enim prouidentia est voluntas signi; quæ nó est voluntas, nisi metaphoricè: sed est voluntas beneplaciti. At permissio est voluntas signi. Non est ergo permissio prouidentia. At prouidentia missus Iosephus: ergo non permissione. Non potest ergo hoc Iosephi exemplum vlla arte eludi.

XVIII. Sequitur de eodem alter locus. *Num Deo possumus resistere voluntati?* Bellarminus respondet, sensum esse non potuisse Iosephum resistere Dei voluntati, quæ erat vt fratribus suis ignosceret: non verò hunc, non potuisse fratres Iosephi resistere Dei voluntati, quæ erat vt Ioseph Ægyptiis venderetur.

XIX. Sed hic locus secundum Hebraicam veritatem sic habet כי התחת אלהים אני: quæ non sonant ad verbum, vt Latinus interpres retulit, imò ne quidem vt Bellarminus. *Num sub Deo sum ego?* sed sic potiùs, *An pro Deo ego sum?* vt Munsterus: siue; *An loco Dei ego sum?* vt Pagninus, & Leo Iudæ: & Tremellius. Et occurrit eadem phrasis, eisdémque verbis, Geneseos trigesimo: atque ibi Vulgata editio, Latina rectè, *Num pro Deo ego sum?*

XX. De sensu autem variæ sunt sententiæ, vt obseruant Caluinus, & Mercerus. Quidam putant à Iosepho repudiatum honorem, quem deferebant fratres prosternentes se coram eo: quasi diceret, soli Deo eum deferendum; se autem non esse Deum. Sed id non est verisimile. Nam prostrationis honor, & vulgò, & sine peccato, hominibus deferri solebat in dignitate positis: Et ipse viderat in somnius se adorandum à fratribus. Quinenam, non erat periculum, vt fratres fratrem adorarent tanquam Deum; quasi obliti sui generis. Deinde, & præcedentia ostendunt eos postulasse, vt parceret sceleri suo; quæ preces non solent nisi demississimè fieri. Alij senserunt Iosephum polliceri se pœnas non sumpturum, quia non esset Deus: quasi fratres puniendos Deo relinqueret. At id non videtur; sed potiùs ex animo, & in solidum condonauisse fratribus; atque adeo seriò optasse ne Deus ab iis pœnas reposceret. Alij aliter.

XXI. Quosdam Bellarminus notat, nec nominat, qui dicerent Iosephum excusare scelus fratrum suorum, quia sic Deus voluerit, cuius voluntati resistere nemo possit. De quibus nihil est quod peculiariter dicam, qui nullos vidi. Sanè excusatio illa probari non potest, nec habere quicquam sani: quia nunquam prætexenda est voluntas Dei ad eleuanda scelera humana. Verumtamen Carthusiani erudita annotatio est, quam si præ oculis Bellarminus habuit, vt videtur, vix potest se purgare à calumnia. Ipse viderit. Verba Carthusiani sunt. *Quasi dicat, non possumus resistere voluntati Dei, quæ est ipsa volitio omnipotentis in seipso, seu ipsemet Deus: quæ cùm sit omnipotens ac beatissima, semper infallibiliter que impletur, sicut per Esaiam testatur. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Atque per Hieremiam. Quis est iste pastor qui resistat vultui meo? Signis autem Diuinæ voluntatis, scilicet præcepto, prohibitioni, consilio, iniqui resistunt, & ea contraria faciunt. Quamuis autem venditio Ioseph non fuit à voluntate diuina, nec placita Deo, in quantum fuit iniqua, & à voluntate fratrum peruersa: tamen in quantum fuit actus realis, & via ac dispositio ad plurima bona, quæ Deus decreuit ex ea elicere, sic fuit à Deo vt placuit voluntati ipsius, nec potuit quis hoc Dei propositum impedire: nihilominus fratres potuerunt, imò & debuerunt illam venditionem iniustam, vt talem vitare.* Recta hæc & erudita omnia ex vi verborum interpretis. Sed in iis nulla excusatio fratrum.

XXII. Caluinus tamen longè aliter. Non esse consentaneum vt se mortalis homo ad turbandum Dei consilium ingerat. Hoc est, pro certo statuere Iosephum, se in Ægyptum nó esse delatum absque certo Dei consilio & decreto. Non debere igitur ab eo decreto dissentire: id enim fore, ac si sese pro Deo gereret, & ad se raperet autoritatem disponendi de prouidentiæ decretis. Atque ita apparet ex sequentibus: statim enim subiicitur. vos cogitastis de me malum: sed Deus cogitauit illud in bonum.

XXIII. At Bellarminus illos magis probat, qui putant Iosephum polliceri se condonare culpam fratribus: quod facilè condonari possit Chrysostomo; qui, delusus editione Græca, legit, *ego sum*

Dei: quod non solùm ab Hebraica veritate est dissonum (inquit Steuchus) verùm etiam & perobscurum. Itaque Chrysostomus, vt potuit, commodum sensum elicuit: *Dei sum ego, & Dominum meum imitor & beneficia rependere studeo, his qui mala irreparabilia contra me fecerunt.* Sed Bellarminus, qui fontem consuluit; potuit aduertere nonnihil esse coacti in ea interpretatione. Quanquam non bene consuluit; qui reddidit, *Nam ego sub Deo sum*, affirmandi formula: quum debuerit potius, Nam, num ego sub Deo sum? negando: & tamen viderit Bellarminus, vnde hanc sibi obiectionem delegerit. Nam ea certè pro argumento Caluinus non erat vsus. Credo propter ambiguitatem: vix enim solet argumentis delectari non certis.

XXIV. Restant loci ex Actorum secundo, & quarto. Ex his Bellarminus vult nihil aliud colligi posse, nisi Deum voluisse, ac definiuisse, vt Christus passione mortéque sua mundum redimeret: non autem voluisse, ac definiuisse, vt Iudas Christum proderet: Iudæi ad Pilatum adducerent. Et Leonem dixisse sermone decimo sexto de passione Domini. *Multùm diuersum, multúmque contrarium est, id quod in malignitate Iudaeorum præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, vnde moriendi: nec de vno exstitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit: nec præsciendo, quod faciendum esset, coegit, vt fieret: quum tamen ad hoc carnem suscepisset, vt fieret.*

XXV. Ad hæc nimia est audacia, in eludendis, peruertendisque disertissimis Scripturæ locis. In priori nominatur ὡρισμένη βουλὴ, præfinitum consilium. Hoc est, certum, ratum, firmum. Deinde; hoc ita definito consilio traditum interfecisse dicuntur Iudæi. Δεικνὺς (inquit Theophylactus) ὅτι οὐ τῇ αὐτῶν ἰσχύϊ ἴσχυσαν ὅσα ἐτόλμησαν· ἀλλ' ὅτι ἐκείνου ἐκόντος, καὶ ὅτι ἄνωθεν ὡρισμένον ἦν. *Ostendit illos non suis ipsorum viribus egisse, quod ausi sunt: sed illo volente, & quod ex alto definitum erat.* Non igitur decretum erat duntaxat illo definito consilio, vt Christus pateretur, sed etiá, vt Iudæi interficerent. Quanquam vix opus erat testibus. Naturali tantùm lumine sufficiente, vt quisque intelligat non potuisse decerni, vt à Iudæis traderetur Christus, qui non eadem opera decerneretur, vt Iudæi traderent Christum.

XXVI. In altero loco, *vt facerent, quæ manus tua, & consiliũ tuũ definierat facienda.* Nihil distinctius. Theophylactus. τουτέστιν, ἐν αὐτοῖς ἤγουν, ὁ μηδὲν τὸ νῦν ἐκθέψας καὶ εἰς πέρας ἀγαγὼν, ὁ ἀμήχανος καὶ σοφὸς, ὁ τοῖς ἐχθροῖς εἰς τὸ βούλημα σου χρησάμενος. συνήχθησαν μὲν γὰρ ἐκεῖνοι ὡς ἐχθροί, ἐποίουν δὲ ἃ σὺ ἤθελες. τί δέ ἐστιν ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή σου τοῦτο (an potius ταυτόν) μοι δοκεῖ λέγειν, δύναμιν καὶ βουλήν· ὅτι ἀρκεῖ τὸ βουληθῆναι σε μόνον· οὐδεὶς γὰρ δυνάμει προορίζει. τουτέστιν, ἃ σὺ διέταξας. *Non poterãt ipsi, sed tu is es, qui, quicquid id fuit, permisisti, & ad finem perduxisti: tu, inquam, qui facilè rem quamque & peritè scis explicare, & expedire: tu, qui inimicis ad voluntatem tuam vsus es: illi enim congregati sunt, vt inimici: fecerunt tamen quæ tu volebas. Quid est autem manus tua? hic mihi videtur idem dicere, potentiam & consilium: quia sufficiebat tantùm velle: nemo enim potentia quicquam præfinit: significat quæcunque disposuisti.* Num disertiùs quicquam Caluinus potuit? Permisisti, inquit, sed statim εἰς πέρας ἀγαγὼν. Non igitur nuda permissio, imò efficax, imò operans, ἐποίουν δὲ ἃ σὺ ἤθελον, *faciebant quæ tu volebas.* Volebat ergo id quod illi faciebant. Faceret ad Bellarmini sententiam, si diceret Theophylactus: imò si diceret & Lucas, Passus est quæ tu volebas. Sed facit ad Catholicorum sententiam, quum dixit, faciebant Iudæi illi. Omnino enim conficitur illa ipsa fuisse in consilio Dei διατεταγμένα disposita, & constituta.

XXVII. Ergo falsò Bellarminus negat voluisse Deum, vt Iudas proderet Christum: Iudæi Christum deducerent: sed tantùm, vt Christus passione sua mundum redimeret. Nam certè, neque Iudas, neque Iudæi illa Christi morte redemerunt orbem, sed dũtaxat mortẽ illam operati sunt, & hoc ipsum, quod illi operati sunt, tribuitur manui, tribuitur cõsilio Dei: contra quàm Bellarminus censet.

XXVIII. Leo nihil habet difficultatis. Hoc enim vult, non varia opera, quorum hæc ad Deum referantur, illa ad Iudæos; sed vnum idémque opus fuisse, quod variè Deus effecerit, & Iudæi: ideóque in vno illo sceleratissimos fuisse Iudæos, Deum autem omnis criminis expertem. Sed non definita à Deo fuisse illa ipsa, quæ à Iudæis sceleratis facta fuere, hoc verò ille non dixit. Imò contrà potiùs dixit, *Cum ergo omnia quæ in Christo Iudaica admisit impietas, tanto ante prædicata sint; vt non tam de futuris quàm de præsentibus sit sermo contextus: Quid nobis aliud, quàm sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo recensetur?* Credidit ergo Leo ea ipsa, quæ Iudaica admisit impietas, dispositionem fuisse diuinam: & quidem sempiternam: & quidem incommutabilem.

CAP. V.

An homines sint Dei instrumenta in iis quæ agunt malè.

I. SEcundum argumentum Catholicorum: Si homines sint in iis, quæ malè efficiunt, Dei instrumenta. Ergo Deus vult ea quæ per eos malè efficiuntur. At prius verum. Ergo & posterius. Propositionis consequentia est manifesta; ex natura instrumentorum, quæ non assumuntur ab eo cuius instrumenta sunt, nisi ad efficiendum id ipsum, quod sibi proposuit is à quo vsurpantur.

II. Assumptum probatur: secundi Samuelis vigesimo quarto. *Addidit irasci furor Domini contra Israel: commouitque Dauid in eos dicentem, Vade, numera Israel.* Et decimo sexto. *Dominus præcepit Semei, vt malediceret Dauid.* Prioris Regum vigesimo secundo, dicit Deus spiritui malo, qui promiserat se decepturum Achab: *decipies & præualebis. Vade & fac ita.* Item vndecimo ac duodecimo, & posterioris nono, dicitur, à Deo fuisse rebellio Hieroboam contra Roboam, & constat tamen eum peccasse; qui à legitimo Rege defecit. Iobi primo. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Esaiæ decimo. *Sennacherib serra in manu Domini, & virga furoris, & baculus iræ eius.* decimo tertio. *Ecce ego suscitabo contra vos Medos, qui de argento non cogitabunt, nec aurum desiderabunt: arcubus suis pueros confrigent: & fructus ventris non miserebuntur: nec parcet filiis oculus eorum.* Et paulò antè. *Præcepi sanctificatis meis*, id est, Medis & Persis, sic appellaris, quia essent instrumenta iræ eius. Hieremiæ quinquagesimo primo: *excitauit Dominus spiritum Regum Medorum: quoniam cogitatio eius est contra Babel.* Quinquagesimo, Rex Babylonis vocatur *malleus vniuersæ terræ.* Ezechielis duodecimo, *rete Dei ad capiendos Israelitas expansum.*

III. Bellarminus distinguit quatuor modos, quibus dici Deus possit impellere, siuo inclinare aliquem

liquem ad malum, eóque vti tanquam instrumento. Primo: quasi Deus per se & propriè impelleret, vel Physicè, id est, mouendo immediatè voluntatem: vel moraliter, id est, verè & propriè imperando. Secundò, quia permittit eos malè agere. Tertiò, quia non solum permittit impios malè agere: sed etiam deserit eos, qui affliguntur, & sic donat impiis in eos victoriam: Quartò, vt non solùm permittat impios agere: aut deserat pios: sed etiam præsideat ipsis voluntatibus malis: eas regat & gubernet; torqueat & flectat, in iis inuisibiliter operando, vt licet vitio proprio malæ sint, tamen à Diuina prouidentia ad vnum potius malum, quàm ad aliud, non positiuè, sed permissiuè ordinentur.

IV. Ex his quatuor modis, primum esse manifestè falsum, & in Deum impium, ac blasphemum: quia Augustinus neget peccatores compelli à Deo ad peccatum, quia esset iniquitas apud Deum: neget etiam propriè imperari à Deo peccatoribus vt peccēt: quia, qui tum obtemperarent Deo, laudandi essent. Augustinus in Ioannem tractatu quinquagesimo tertio. Et de gratia, & libero arbitrio capite vigesimo.

V. At ego in hoc modo alterum illud facilè concedo, non moueri voluntatem impiorum moraliter à Deo, propriè imperando. Nam si hoc ponitur, non video quomodo damnari possent, qui eos actus perpetrarent. Nam sanè Abrahami iam iam occisuri Isaacum filium; & Israelitarum spoliantium Ægyptios, iustitia aliunde non petitur, quàm à diuino mandato: quod si tam certum fuisset Iudæ de prodendo magistro, æquè liberaretur à crimine: quomodo nihil Petrus peccauit, quum sibi lauari pedes cōsensit à Christo Domino: quod nisi fecisset iussus, detestandæ audaciæ reus fuisset.

VI. Verùm illud alterum de motu Physico, non videtur vsquequaque absurdum, nisi fortè in vocabulo illo *physicè* latet aliquis dolus. Sic enim statuo, aut numquam voluntatem dici posse moueri à Deo physicè, aut voluntatem etiam impiorum ita moueri. Et sanè, si actiuitatem voluntatis separes saltem cogitatione, à praua eiusdem qualitate, tam naturaliter Deus mouet voluntatem impiorum quorumlibet, quàm piorum: nimirum, vt prima summáque caussa, à cuius efficacia inferiores omnes moueri necesse est, aut omnino nihil agere. Hoc tantùm est discriminis, quòd præter illam generalem motionem, accedit peculiaris per gratiam, qua fit vt voluntates piorum bonæ sint: quæ, cùm infidelibus desit; non possunt horum voluntates non esse malæ. Ac sanè huic sententiæ non repugnat Augustinus. *Fecerunt peccatum Iudæi*, inquit, *quod eos non compulit facere, qui peccatum odit; sed facturos esse prædixit, quem nihil latet.* Non enim ea significant non moueri physicè voluntatem à Deo. Non enim solus motus violentus est motus physicus dictus; sed etiam alius, qui non est violentus: quomodo summa caussa agit per subalternas. Itaque potest aliquo bono sensu dici Deus physicè mouere voluntatem, etiam impiorum.

VII. Secundus motus à Bellarmino censetur non alienus. Is est in permittendo. Quemadmodum rectè dicimus à venatore immissum fuisse canem in leporem: quamuis solum funem laxauerit, quo canis retinebatur, ne leporem persequi posset. Sic in historia Iobi, non excitauit diabolum Deus in virum sanctum, sed petenti facultatem concessit tentandi. Quia tamen nocere non poterat nisi permissus; ideò Scriptura totam illam effectionem Deo potiùs, quàm diabolo tribuit.

VIII. Sed Catholici, quicquid dici potest, vt constet Deum non esse peccati authorem, facilè admittunt, dum ne iniuria fiat eius potentiæ, sapientiæque. Ergo, concedunt diabolum à seipso habere malitiam illam qua incitabatur contra Iobum: Non enim illam ei Deus aut indidit, aut obiecit. Permissionem tamen nudam concedere non possunt. Neque vnquam meminerunt dictum, quenquam facere id quod nullo voluit modo: sed tantùm alios volentes permisit facere. Ne in venatione quidem. Non enim dicitur venator canem immittere in leporē, qui quoquo modo funē laxat, quo canis detinetur: sed qui hoc animo laxat, vt canis persequatur eum leporem, qui sese obtulit. Itaque venatori oportet id in animo esse hoc, inquam, eum velle, vt canis & persequatur & capiat leporem. Et sic facilè concedunt Deum permittere malum fieri, nimirum vt ipse velit ex decreto suæ prouidentiæ id fieri: illud, inquam, ipsum quod à malis fit malè. Aliâs, nunquam satis exprimi vim illam, quæ elucet in Scripturæ sermone. Nam, & si fortasse hoc Iobi exemplum ita possit emolliri, quid aliis facies? Num enim præcipere Semei idem est, ac laxare lora: nihilque præterea. Aut illud, suscitare Medos, nihilo fortius est, quàm nudè permittere, vt Medi quum volent, veniant? Aut illud, conuertit cor, nobis ita Deum ponet ante oculos, vt expectet dum Ægyptiis in mentem veniat affligere Israelem? Quid denique fiet argumento præcedentis capitis? Nam qui præfinit certo consilio ea ipsa quæ fiunt mala: is multo plus, quàm nudè frigidèque permittit.

IX. Ad tertium modum refert Iesuita exemplum de decepto Achab. Imperauit enim Deus spiritui impostori: quia non solùm permissum, vt loqueretur mendacia per ora Prophetarum: sed etiam non dedit Achabo lumen, quo discerneret mendacium à veritate. Sic Assyrio Rege vsum Deum tanquam virga, baculo, malleo & securi: quia non solùm eum permiserit armari, sed etiam deseruerit populum suum.

X. At huiusmodi desertio significat, non id quod affligentium respectu Deus agit: sed tantùm, quod afflictorum habita ratione. Hę verò Scripturæ phrases longè aliter. Nam quum loquitur Deus, *Vade & numera Israel*: tum sermonem dirigit ad Dauid agentem: nō ad populum patientem. Deinde illud, *Suscitabo contra vos Medos*; qua arte eludi potest? Itáne, hoc tandem sibi sumet Iesuita, vt pro arbitrio interpretetur; suscitabo Medum; hoc est, nihil aliud quàm deseram Israelitas? Sanctus Eucherius in eum locum ex secundo Samuelis de Dauide numerante populum. Quid in hoc facto aliud demonstratur, nisi quia sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium? En tibi non destitutum populum; sed disposita acta regentium.

XI. Sed hos priores modos præuidit Bellarminus leuioris fore momenti, quàm vt cordatos viros mouerent. Itaque ad quartum pergit, sed confidentissimè, tanquam omnino satisfacturum. Attendamus: & quidem eo diligentiùs, quo profertur securiùs. Deus ergo non tantùm permittit impios, qui secundus erat modus: nec tantùm deserit pios, qui tertius, sed etiam, quid? Audiamus, & vocabula numeremus & ponderemus. Sed etiam præsidet malis voluntatibus: eas regit, gubernat, torquet. Quid plura? In eis inuisibiliter operando: vt licet

proprio vitio malæ sint; tamen à Diuina Prouidentia, ad vnum potius malum, quàm ad aliud, non positiuè, sed permissiuè ordinentur. Et laudat autores Hugonem ac Thomam; Illum libro primo de Sacramentis parte quinta, capite vndetrigesimo. *De illo autem modo diuina moderationis, qua malas etiam voluntates, præsidens occulta & inuisibili operatione, ad suum arbitrium temperat, & inclinat, hoc sentiendum, vt credatur Deus malis voluntatibus non dare corruptionem, sed ordinem:* Et post. *Voluntati ergo mala vitium est ex ipsa, quia mala est: ordo autem à Deo est, quo per velle, sint ad hoc, siue ad illud est. In voluntate ergo vitium est, & ipsum malum est; & ex ipso voluntas mala est. In velle autem, & vitium est, in quantum velle ex voluntate mala est: & ordo est, in quantum ad hoc, vel illud ex dispenente est. Potest ergo voluntas mala in se corrumpi, & resolui per proprium vitium, quod ei aliunde non datur: sed non potest per se velle extra se præcipitari, nisi quia ei via aperitur. Et qui præcipiti qua vult ad ruinam viā aperit, quodammodo ipsam inclinat, non impellendo, sed permittendo, & non tenendo, nec autor illi est ruendi, sed incedendi ordinator.* Thomam autem in nonum ad Romanos; non tantùm sic permissiuè Deū inclinare voluntatem malam in vnum potiùs, quàm in aliud: sed etiam positiuè i non quidem per se & physicè mouendo, sed occasionaliter, & moraliter immittendo cogitationem aliquam bonam, ex qua malus ob suum vitium occasionem sumat iudicandi melius esse, huic nocere, quàm illi siue huic potius iniquitati seruire, quàm illi. Ex his autem explicari locum illum Psalmi, *Conuertit corporum vt odissent populum tuus:* secundùm Augustinum & Theodoretum; vt id Deus fecerit, non peruertendo corda Ægyptiorum, sed bene faciendo populo suo: vnde Ægyptij maioris odij occasionem acciperent.

XII. In his verò multa sunt notatu digna. Primò, si sunt ista vera omnia, ergo falsa Scholasticorum sententia est, definientium; malum quidem aut naturæ, aut pœnæ velle Deum per accidens. At malum culpæ nullo modo. Etenim, si præsidet ipsis voluntatibus malis, si eas regit, gubernat, torquet, flectitque, quò vult; ergo vult aliquomodo, saltem per accidens. Nam malæ voluntates, quò flectuntur, si non ad hunc illùmve actum? At hic illéve actus est peccatum. Ergo, vel non flectit Deus malas voluntates quò vult: vel vult id peccatum. Exemplum: fuit in Iscariota voluntas mala: eam Deus flexit quò voluit: at flexit ad tradendum Christum: Ergo Deus voluit Christum tradi. At Christum tradi peccatum fuit. Ergo Deus voluit hoc peccatum. Et quia non potuit fieri, nisi volente Iuda; & quidem malè volente: Ergo Deus voluit Iudam velle malè, per accidens tamen: non enim per se; sed vt id fieret, quod primum erat in intentione. Voluit enim mundum redimi: hoc per se: & reliqua omnia propter hoc: vt crucifigeretur; vt traderetur Pilato à Iudæis, vt traderetur Iudæis ab Iscariota: vnde tandem & Iscariota daret pœnas & Iudæi.

XIII. Secundò: Rectè igitur Caluinus exagitauit nudam illam permissionem. Nulllo modo vult malū culpæ, inquiunt Sophistæ: sed malū naturæ & pœnæ per accideos. Et rursus: nullo modo vult malū culpæ: sed tantū permittit. Ergo, concludebat Caluinus, Permissio illa nullo modo est voluntas, ne per accidens quidem. Et sperent inueniri quenquam tam stupidum, vt credat Deum id, cui præsideat, quod regat, gubernet, torqueat, flectat, nullo modo velle, ne per accidens quidem? Aut quod nullo modo velit, ne per accidens quidem ei tamen præsidere: id, tegere, gubernare, torquere, flectere?

XIV. Tertiò. Quin ergo comprimunt vocem sceleratam Sycophantiæ? quin abstinent calumniis in Caluinum, Martyrem, Bezam? Aut cur in illis improbent, quod in Hugone probant? Dixit Caluinus Institutionum secundo, capite quarto, paragrapho secundo. *Propriè agere dicitur Satan in reprobis, in quibus regnum suum, hoc est, nequitia exercet. Dicitur & Deus suo modo agere, quòd Satan ipse (instrumentum quum sit iræ eius) pro eius nutu ac imperio huc atque illuc se inflectit ad exequenda eius iusta iudicia.* Displicet hic Hayo, quod dicitur diabolus homines seducere ex nutu atque imperio Dei. Atqui dixit Hugo, ordinem, quo voluntas illa mala, siue ad hoc, siue ad illud est: eum, inquam, ordinem esse à Deo. Potéstne verò esse à Deo, vt non sit ab eius imperio? non sit ab eius nutu? Rursus paragrapho tertio, dixit Caluinus, Deum consilia impiorum destinare, quò visum est, & voluntates excitare, & conatus confirmare. Id seuerè exagitat Hayus. Quasi verò is non destinet, qui ad vnum potius malum, quàm ad aliud ordinat. Quasi verò is non exciter, qui non tantum impios permittit agere: sed enam præsidet, gubernat, tegit, torquet, flectit quò vult, in eis inuisibiliter operando: imò donat impus in pios victoriam, vt Bellarminus loquitur. Breuiter: facilè quicumque volet, agnoscet in Sycophantis, veté caninam rabiem; quæ sibi hoc tantùm proponit, vt viris bonis inuidiam conflet, quo iure, quáve iniuria.

XV. Quartò: Quod regi, gubernari, torqueri, flecti improbos à Deo Bellarminus explicat, non positiuè, sed permissiuè: hoc si intelligatur, vt postea Hugo explicat, non omnino improbarim: nempe malis voluntatibus non dare corruptionem, quibus vitium sit ex seipsis, non à Deo. Certè hæc oppositio longè sæuior est, quàm illa voluntatis & permissionis, quam merito Caluinus detestatur. Reuocent igitur Papistæ tritam illam scholarum suarum oppositionem, quæ permissionem non distinguit tantùm, sed etiam separat, imò opponit voluntati: & hanc potiùs eligant, ac confecta pax erit. Nam certè, si nihil illis permissiuè significat, quàm positiuè; Et hoc nihil aliud, quàm id quod iam diximus, non erit quod repugnemus.

XVI. Sed solent Sophistæ in longè alium sensum, illud suum *positiuè* vsurpare: vt referatur ad *velle*, & *non positiuè velle*, idem sit ac si dicerent, non poni vllam in Deo voluntatem; sed tantùm permissionem. Qua notione quid potuit monstrosius dici? Præsidet (inquiunt) regit, gubernat, torquet, flectit; Esto. Sed quomodo? Non positiuè, sed permissiuè. Itane? Et poterunt hæc à quoquam sic intelligi, vt nulla sua voluntate Deus præsideat: nulla voluntate regat? absque vlla voluntate gubernet, torqueat, flectat? Est tamē præsidere, regere, gubernare, torquere, flectere: est, inquam, omnino aliquid agere: & agere quidem verè, realiter, & physicè. Iam verò efficiendi dantur hi modi, naturaliter, voluntariè, coactè. Naturaliter, in iis quę volūtate carent: vt sol agit nulla voluntate in stirpes. Voluntariè, vt quibus à voluntate initium suorum operum; vt Ciceroni orandi, scribendi. Coactè, quibus vis maior abutitur contra eorum voluntatem ac naturam. Quid ergo de Deo dicemus? Nam aut dandi sunt plures modi agendi: aut si ij tantùm, & à Deo auferatur voluntarius; necessariò Deus aget per natu-

non [illegible], aut coactè. Agit-ne ergo per naturam so-lum, cum gubernat, regit, torquet, flectit impias voluntates: Ergo irrationaliter agit. Quod quis ferat? An ergo coactè? periit Omnipotentia. Superest ergo, vt voluntariè agat, id est, gubernet, regat, flectat, & cætera: & si voluntariè, ergo nonnulla voluntate: Itaque illud, *regit non positiuè* [illegible].

XVII. Enimuerò, quid fiet Iosepho, dicenti, *Vos cogitastis in me malum: Deus autem cogitauit illud in bonum*. Quid Paulo, qui præfinito consilio Christũ traditum? An nobis rursus excudent cogitationem non positiuam: præfinitionem non positiuam: consilium non positiuum? hoc est, non cogitationem, non præfinitionem, non consilium? Certè, neq; cogitatio, naturalis est impetus: neque consilium cæcus motus: sed neutrum ne cogitari quidem potest, absque voluntate: voluntate, inquam, positiua, quandoquidem balbutiendum cum Sophistis est. Nec potest negari illum voluntate agere, qui cogitatione agit, qui consilio agit.

XVIII. Sed vide mihi Sophistarum vanitatẽ. Videri volunt magnum aliquid ex promere, atque ex adytis mysteria maxima enunciare, quum distinxit tres gradus. Non modò permittit malos agere: sed etiam deserit bonos: nec modò & permittit & malos & deserit bonos, sed etiã præsidet, regit, gubernat, torquet, flectit. Quis non crederet, vt secũdum à primo, sic tertium ab vtroque distare? & tamen nunc illa sunt omnia nõ positiuè, sed permissiuè. Eo tibi quod dicitur, [illegible]. id est enim dicere, non modò permittit, sed etiam deserit: non modò permittit, & deserit; sed etiam permittit. Aut quia permissio est voluntas non positiuè, rursus idem ac si diceret: non tantùm vult nõ positiuè: sed etiam deserit: nec tantùm vult non positiuè, & deserit; sed etiam vult non positiuè. O magnam Sophistarum liberalitatem; quæ id det quod neget: id neget quod det! Nimirum ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα.

XIX. Præterea, quomodo consentit hoc quicquid est monstri, cum Hugonis contextu? Nam hic disertè dicit, malis voluntatibus à Deo dari ordinẽ. Quid hic Bellarminus aget? Nam primò, ordo bonus est. Id non non tantùm à se: sed etiam ab Hugone opponente ordinem corruptioni ac vitio. *Creditur Deus, malis voluntatibus non dare corruptionem, sed ordinem. Voluntas ergo mala vitium est ex ipsa, quo mala est, ordo autem à Deo est.* Dat ergo Deus, voluntati malæ ordinem: & hic ordo bonus est. Asserétne Bellarminus etiam in bonis agere Deum non positiuè? Quod si absurdum est: ergo in malis voluntatibus Deus aget positiuè; quia illis dat ordinem.

XX. Quin dixit Hugo, dari quidem ordinem, at non corruptionem: ergo, eo modo intelliget dari ordinem, quo non dari corruptionem. At si verum quod scholæ garriunt, malum culpæ velle Deum permissiuè: & permissiuè ac non positiuè idem: Ergo & non positiuè volet Deus malum culpæ, id est, corruptionem, & non positiuè ordinem illum, id est, eodem modo vtrumque: quod est contra Hugonis mentem.

XXI. Deinde: *voluntas mala* (inquit Hugo) *vitium est ex ipsa: ordo autem à Deo est*. An dubitet quisquam, Hugonis, esse verè à Deo ordinem illum, quẽadmodum à voluntate vitium? Quomodo igitur non est à voluntate vitium non positiuè: sic non etiam ordo à Deo non positiuè: sed vtrumque potius positiuè. Est autem ordo à Deo, non aliter, quàm quomodo datur: si detur positiuè, erit positiuè: si detur non positiuè: erit etiam non positiuè: ex relatorum natura. Itaque Hugonis sententia est, dari hunc ordinem à Deo malis voluntatibus positiuè, id est, verè dari. Et poterit nunc Bellarminus animo concipere, eum, qui malis voluntatibus dat ordinem positiuè, iisdem præsidere non positiuè: eas regere, gubernare, torquere, flectere non positiuè? Nam præsidere, regere, gubernare, sunt-ne aliud quàm dare ordinem?

XXII. Et tamen, quasi nondum satis esset absurditatum, huc deuenitur, vt non tantùm permissiuè, ac non positiuè Deus incliner voluntatem malam, sed etiam positiue: at non per se & physice. Agnoscite hinc, quanti constet mendacij patrociniũ: quanta veritatis impugnatio: quandoquidem tam leuiter huc illuc aduersarij desiliant: vix vsquam fixi firmique. Mouet igitur, non per se, inquit, & physice, sed occasionaliter & moraliter. Hoc verò, quid esse potest? Nam primò, cùm ageret de primo mouendi modo, Bellarminus illud mouere moraliter, abiecit, vt impium, nunc autem concedit: sic Iesuitæ didicerunt ex eodem ore calidum & frigidum spirare. Deinde mouere physice Deum malas voluntates aliquomodo, iam diximus, & omnino ita est necesse, si Hugoni sua constet veritas.

XXIII. Sed rursus, mouet non per se. Hoc iterum quæro quid sit: Nam si per se, idem est, ac absque vllo medio, & sua sola vi, voluntatéque, ac potentia; quomodo quispiam per se moueat lapidem, cui nulla vis est ad mouendum: quorsum hoc? aut quis sic asseruit moueri à Deo voluntates malas? Catholici certè, vt expositum est capite secundo, credunt Deum vti voluntatibus malis, vt igne calido; vt aqua frigida: hoc est, instrumentis, quibus iam aliqua vis inest ad mouendum sese, &, sic mouendum. Credunt etiam aliter agere in voluntatibus bonis, quàm in malis. In illis propriè, & si ita vult Bellarminus, per se, non quia non habent hæ vim mouendi se, quatenus voluntates, sed quia non habent vim mouendi benè; nisi instillata eis, à mouente Deo, bonitate. In his verò quodammodo (atque hoc vocabulum est Caluini) nimirum, quia tales relinquens, quales inuenit; hoc est, corruptas & à seipsis malas; eas tamen mouet, vt agens principalis solet instrumenta. Itaque remotè tantùm agit, vt prima, summáque caussa: sed tamen physicè, etsi non per se illo sensu.

XXIV. At si, *non per se*, non tantùm malum excludat: sed etiam omnem veram, ac positiuam actionem, in vniuersum: ac præterea significet Deum sic non mouere impios, vt non tantum, non infundat malum, quod iam ipsi habent à seipsis: sed ne quidem agat quicquam in iis mouendis: neque dici queat summa caussa earum actionum: id verò Catholici absurdum esse dicunt. Enimuerò, qui potest voluntatibus præsidere non per se? & quidem præsidere, non spectando, sed gubernando, regendo, torquendo, flectendo? Nam si inclinare tantùm diceretur; posset forte concedi, vt quum equus ferociter ruptis vinculis, petulcéque exultans, proposito hordeo in stabulum reducitur: aut volucres obiecta esca in laqueos inducuntur: tam siue equos, siue aues inclinari quis non inepte dixerit ab hominibus, nihil tamen agentibus in ipsis equis, auibus: quanquam id quod in iis agitur propriè positiuéque velit is qui inclinat, quod Sophistæ Deo non concedunt. Sed præsidere, gubernare, regere, hoc tam exili sensu non-

quam dictum: Imò refert exemplum aurigæ, qui arte sua sic equos moderatur, vt non tantùm positiuè velit eos in dextram sinistrámve ire: sed etiam aliquid propriè, positiuè & per se operatur, vt eos in eam partem inflectat.

XXV. Denique; vt omnia cætera dissimulemus, quid fiet æterno illi consilio, quod superiori capite tractatum assertúmque est. Constat igitur, æterno Dei decreto, præuisum, præfinitúmque esse id, quod mala voluntas impiè agit. Placétne Bellarmino Deum, non per se ab æterno decernere? aut non positiuè, non physicè, decernere? aut occasionaliter? aut moraliter?

XXVI. Nihil igitur promouit distinguendo. Sed, neque aptiùs locos singulos interpretatur. Commouisse Deus dicitur Dauidem ad numerandum populum: secundo Samuelis. At, inquit, Paralipomenon primi capite vigesimo primo: *Consurrexit Satan contra Israel, & incitauit Dauid, vt numeraret Israel.* Ergo, qui propriè Dauidem incitauit ad peccatum, non Deus fuit, sed diabolus. Omnino ita est, inquam, nec aliter Caluinus. Verùm ad idem peccatum, quodammodo eundem Dauidem Deus incitauit: nempe, ad peccatum sub ratione peccati diabolus: sed ad peccatum, sub ratione actionis, Deus: hoc est, ad actionem propriè: ad peccatum verò per accidens, Deus: At contrà ad peccatum propriè & per se diabolus.

XXVII. Semei Deus præcepit maledicere Dauidi. Nempe, inquit Bellarminus, corruptam eius voluntatem inclinauit, non compellendo, sed aperiendo viam ad hoc malum; & claudendo ad alia; id est, permittendo, vt hoc solum malum vellet, & perageret, ex multis ad quæ paratus erat. Intelligo, quomodo hortulanus irrigaturus oleas, aquam iam à se pronam deducit, obstructis aliis viis omnibus; aut quomodo Romani aquam Albanam prohibuerunt suo flumine in mare manare. Adeo magnificè de Dei prouidentia Iesuitæ sentiunt.

XXVIII. At longè aliter Lyranus. *David videns Semei solum & inermem, ita constanter & intrepide sibi iniuriantem, & manifestè coram bellatoribus multis fortißimis & audacißimis, & ad vindicandam Regis iniuriam promptißimis, perpendit, quòd hoc non proueniebat ab ipso Semei tantùm; sed à Deo specialiter hoc agente; & hoc vocauit praceptum Dei. Et licet Semei in hoc peccauerit voluntate iniqua maledicens Dauid, non tamen propter hoc Deus fuit caußa peccati, in quantum peccatum est. Ad cuius intellectum, sciendum, quòd ad peccatum plura concurrunt, scilicet potentia, qua peccatur, qua est ad liberum arbitrium, & motus liberi arbitrij in consensum, & ad impulsum potentiarum executiuarum: & totum istud est à Deo, qui est autor natura, & executionum eius. Est etiam ibi deformitas in actu: qua est quidam defectus, ex quo actus habet rationem peccati: & huius Deus non est caußa, sed defectibilitas liberi arbitrij.* Et paulò post. *Sic igitur potest dici, quòd constantia & audacia, qua fuit in Semei Dauid impetendo; & entitas illius actionis, totum fuit à Deo, vt per hoc Dauid puniretur: sed deformitas, seu defectus, scilicet, quòd iniqua voluntate hoc fecerit; hoc non reducitur in Deum, sicut in caussam, sed in liberi arbitrij defectibilitatem.* Notet Bellarminus Deum specialiter hoc egisse. Nam spiritualiter; quod nescio quam ob caussam irrepsit in editionem Lugdonensem procuratam à Feuardentio; omnino nihili est: itaque corrigendum ex vetustioribus exemplaribus, quæ legunt *specialiter*. Notet præterea eius actionis entitatem totam esse à Deo: & videat vtrum id explicari possit per aperire, & claudere. Addat Eucherium. *Quid in hoc facto aliud demonstratur, nisi quia sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium?* Et post. *Quia videlicet secundum meritum plebis disponuntur corda rectorum.* Agnosce dispositionem actorum: nec tantùm actorum, sed etiam cordium.

XXIX. De spiritu, à quo deceptus est Achab; respondet obtulisse ipsum se Deo: nec tam imperio, quàm permissione diuina egisse: quum & promptissimus ad omne malum, & cupidissimus esset nocendi.

XXX. At hoc non est respondere: Conceditur enim, non diabolum solùm, sed & omnes malos tum promptissimos esse ad omne malum, tum cupidissimos peccandi: sed hoc quæritur, vtrum illi sic promptissimi, sic cupidissimi, agant nullo modo volente, nullo modo operante Deo. Itaque instat Caluinus, *Si Dei iudicium est*, inquit, *excacatio & amentia Achab, nuda permißionis figmentum euanescit, quia ridiculum esset, iudicem tantùm permittere, non etiam decernere quid fieri velit, & mandare executionem ministris.* At fuit iudicium: probatur ex ipso textu. *Vidi Dominum sedentem super solium suum.* Ergo, nudæ permissionis figmentum euanescit.

XXXI. Bellarminus huic instantiæ respondet, Augustino visum non esse ridiculum, iudicem tantùm permittere: capite vigesimo tertio libri de Gratia & Libero arbitrio. *Quum audita*, inquit, *Ego Dominus decepi Prophetam illum: & quem vult indurat: eius merita cogitate, quem sic obdurari & seduci permisit.* Nempe, quia potest iudex decernere non impedire, vt alter alteri noceat.

XXXII. At hæc tergiuersationis plena sunt. Primò: Nam cui quid permittitur, ab eo primi motus veniunt, non autē ab eo qui permittit. At hîc primi motus repræsentantur esse à Deo, quærente, quis Achabum decepturus esset: ac tum offert se Spiritus ille. *Vidi*, inquit Michæas, *Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cali, assistentem ei à dextris, & à sinistris: & ait Dominus, Quis decipiet Achab Regem, vt ascendat, & cadat in Ramoth Galaad:* Quę verba repræsentant Dominum, qui decreuisset iam vt deciperetur Achab, quærentem instrumentum, à quo id efficeretur. Ergo, non simpliciter sese Sathan offert, sed quærenti, ac fermè sollicitanti, & post decretum Dei sedentis in solio, id est, iudicis, ac proinde decernentis. Est autem aliud decernere, aliud permittere. Ad Augustinū quod attinet, scio vsum permissionis voce. Non tamen nudæ: sed coniunctæ cum decreto, siue voluntate, qua de re postea suo loco.

XXXIII. De Hieroboam & Iehu, nonnihil de permissione submurmurat. Verùm probabiliùs dici posse, vtrumque fuisse legitimum Regem, qua de re prolixiuscule disputat, sed inutiliter. Caluinus enim non inde sumit argumentum, quòd fuerint iniusti Reges: sed quòd, etsi fuerint à Domino electi, tamen populus, quòd iis obtemperauit, improbè fecerit. *Iam*, inquit, *quomodo ex Deo sit, & occulta prouidentia regatur, quod peruerse faciunt homines, illustre documentum est electio Regis*

Ieroboam, in qua seuerè damnatur populi temeritas, & amentia, quòd ordinem à Deo sancitum peruerterit, ac perfide defecerit a familia Dauidis: & tamen suum voluisse regi. Et postea, *Quòd Ieroboam nihil tale cogitantem, Propheta, & voce, & vnctionis tessera ad spem regni sollicitat, non fit hoc, vel nescio, vel inuito Deo, qui ista fieri mandauit: & tamen vere damnatur populi rebellio, quòd velut inuito Deo, à Dauidis posteris defecerit.* Rursus, *Accedat simile quoque aliud exemplum, vbi consentiente populo, imò, manum suam prabente, iugulantur filij Regis Achab, & exterminatur tota progenies: vere quidem refert Iehu, nihil in terram cecidisse ex Dei sermonibus, sed ipsum fecisse quicquid loquutus fuerat per manum serui sui Eliæ. Et tamen non abire, cines Samaria perstringit, quòd operam suam commodassent.* Vident omnes à Caluino in culpam trahi non Ieroboam, aut Iehu: sed duntaxat populum, non legitimè à Dauidis familia desciscentem, aut Regis sui progeniem exscindentem: etsi alioquin, Deus vtrumque & voluisset, & decreuisset.

XXXIV. Proponamus argumentum *πεχουργ...*; quandoquidem vim illius dissimulauit Bellarminus: Iehu Regem esse, & Achabi progeniem exscindi, Deus voluit: voluit & populus. Ergo, Deus idipsum voluit, quod populus. At populus idipsum voluit sceleratè: ergo, Deus voluit idipsum, quod populus sceleratè voluit. Probatur populum sceleratè voluisse; quia ob id ipsum punitus est à Deo. Hic Bellarminus, ait Iehu fuisse legitimum. Distinguo, aliud est legitimum Deo, aliud legitimum populo. Illud concedo: hoc nego: Nam si legitimus populo; ergo non peccauit populus obediendo. At peccauit: probatur: quia punitus est. Ergo, non legitimus populo. Si legitimus Deo, nam hoc vtrique concedimus: & non legitimus populo: ergo, vnum idemque opus, à Deo rectè, iusteque fiebat, à populo autem, iniquè & peruersè: & quia Deus volebat Iehu regnare: nec regnauit, nisi vsus populi viribus: ergo, Deus per populum peccantem, exequutus est suum iustum decretum, de Iehu constituendo rege. Ac proinde verum, Deo peccatores esse pro instrumentis.

Cap. VI.

Quomodo Deus induret & excæcet impios.

I. TErtium argumentum Catholicorum; ab Induratione, atque excæcatione cordium: quam esse à Deo, patet ex Scripturis. Induratio, siue excæcatio cordis, est à Deo efficaciter volente. At induratio & excæcatio cordis est peccatum: ergo, quoddam peccatum est à Deo efficaciter volente. Assumptio conceditur vtrinque.

II. Probationes maioris istas Bellarminus colligit. Exodi septimo, octauo, nono, *Indurauit Dominus cor Pharaonis.* Deuteronomij secundo, *Indurauit Dominus spiritum Sehon.* Iosue vndecimo, *Domini sententia fuerat, vt indurarentur.* Primi Samuelis, capite secundo *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Prioris Regum duodecimo, *Non acquieuit Rex populo, quoniam auersatus fuerat eum Dominus.* Iob duodecimo, *Qui commutat labium veracium: doctrinam senum aufert: qui immutat cor principum, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium: palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet, quasi ebrios.* Esaiæ decimo nono, *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis.* Sexagesimo tertio, *Quare errare nos fecisti de viis tuis: indurasti cor nostrum, ne timeremus te?* Ieremiæ capite vigesimo, *Seduxisti me, Domine, & seductus sum.* Ioannis duodecimo, *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* Ad Romanos primo, *Tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant, quæ non conueniunt.* Nono, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

III. Respondet, Deum esse caussam excæcationis, & indurationis, non positiuè, sed negatiuè: videlicet permittendo, deserendo, non miserendo. Idque docere Augustinum, epistola centesima quinta, *Non obdurat Deus impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam.* Ad Simplicianum quæstione secunda, *Obdurare Deum, est nolle misereri: nec ab illo irrogatur aliquid, quò fit homo deterior: sed tantùm, quò fit melior, non erogatur.* In Ioannem tractatu quinquagesimo tertio, *Sic excæcat Deus, sic obdurat, deserendo, non adiuuando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.* Chrysostomum etiam hoc illustrare exemplo ducis, suos milites in acie deserentis.

IV. At hæc responsio, nulla est. Primò, probat ille quidem ex Augustino, Deum indurare deserendo, & non miserendo. Sed permittendo, hoc verò ille non probat. Quanquam si dicatur hoc ipsum bono sensu, posset admitti; vt postea disputabitur, quum ad Augustini sententiam deuentum erit. Itaque interim hoc, quicquid est verbi, seponamus. Secundò igitur, malè distinguit Bellarminus: Nam verum est, Deum indurare, deserendo, & non miserendo: & tamen bonum est argumentum: Quia hæc induratio, & excæcatio, quæ fit deserendo, & non miserendo, est à Deo efficaciter volente.

V. Argumenta mihi. Primum, quia excæcatio est, non tantùm peccatum, sed etiam pœna peccati, & causa peccati. Probatur ex Augustino libri contra Iulianum quinti capite tertio, *Cæcitas mentis, quam solus illuminator Deus remouere potest, & est peccatum, quo in Deum non creditur: & est pœna peccati, qua cor superbum, digna animaduersione punitur: & est causa peccati, quum aliquid mali cæci cordis errore committitur.* Atque hanc distinctionem ipse Bellarminus admittit. At iam obseruatum, Deum velle, & quidem efficaciter, pœnam peccati. Ergo, nihil obstabit, quominùs efficaciter velit excæcationem. Rursus, probatum est Deum velle peccatum per accidens; nimirum, quia est pœna peccati. Ergo, eandem obdurationem volet propriè, quatenus pœna est peccati: & per accidens, quatenus est peccatum, ac proinde etiam, quatenus est causa peccati.

VI. Alterum argumentum: Quicquid decernit iudex iustus, id vult efficaciter. At Deus iustus iudex decernit excæcationem. Ergo, Deus vult excæcationem efficaciter. Maior per se nota. Minor probatur: primò, quia, vt iam visum est, excæcatio est pœna peccati. At omnis pœna peccati decernitur à iudice. Secundò, quia idipsum docet Sacra Scriptura. Prioris libri

Samuelis secundo, *Non acquieuerunt voci patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Ad Romanos primo, *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam effigiem mortalis hominis, & volucrium, & quadrupedum & reptilium. Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum, ad impuritatem.* Posterioris ad Thessalonicenses secundo, *Pro eo, quòd amorem veritatis non receperunt, vt salui fierent; propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio.* Imò, Iosue vndecimo, cùm Hebraicè sit, *A Iehoua fuit, quòd obfirmabant cor suum*: Latinus interpres dixit, *Domini sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum: & pugnarent contra Israel, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent.*

VII. Sed Bellarminus respondet, solam permissionem ac desertionem, qua fit, vt homo destituatur auxilio diuino, esse grauissimam punitionem. At hoc nihil est aliud, quàm manus dare: cùm enim concedatur syllogismi assumptio, tum non negatur propositio. Esto sanè illa desertio, iusta punitio. Sed hoc supererat Bellarmino, vt hanc iustam punitionem separaret ab efficaci voluntate, quod nunquam potuit, nunquam poterit.

VIII. Tertium argumentum ab ipsis Scripturæ phrasibus. Martyr in primum ad Romanos, *Quòd si meum iudicium requiratur, dicerem præter illam desertionem, aut gratiæ subtractionem, quæ contingit propter peccatum, & in confesso est; has loquutiones, tradendi, obcæcandi, obdurandi, & seducendi, aliquid amplius notare. Quia negare non possumus, à Deo multas occasiones proponi quæ videntur, in hominibus gratia & spiritu destitutis, malas cupiditates irritare, vsque in ruinam esse.* Sensus est, verba excæcandi, indurandi, tradendi, actionem, & efficaciam significare. Itaque Scripturam, quæ iis vtitur, voluisse tribuere Deo actionem, efficaciamque indurationis, excæcationisque, non tantùm nudam permissionem, aut desertionem.

IX. Et sanè, si nihil esset præter desertionem, ac permissionem, & aliquid simile; quid ampliùs significaretur præter peccatum? Nam fatentur omnes indurationem & excæcationem, præsupponere iam præcedens peccatum: & manifestissimi sunt in eam rem Scripturæ loci in præcedenti argumento: Idololatræ Ethnici; ergo, traditi suis cupiditatibus. Increduli homines; ergo, immissa in eos efficacia deceptionis. Quid ergo? non iam decreuerat, non permiserat, quum in hæc præcedentia scelera sese præcipites darent? Vt iam tandem deserere oportuerit, quum progrediendum fuit? Absurdum. Nam, si non deseruisset, quomodo admissa fuissent? Haud aliter permisisse Pharaoni, dicendum, vt affligeret Israelitas: indurasse verò insuper, vt ne eos, etiam vehementer monitus, imò seuerè castigatus, dimitteret.

X. Itaque, vt constent omnia, intelligendum, quum in peccando duo sint gradus, vnus incipiendi, alter perseuerandi; vtrumque similiter à Deo esse, efficaciter volente. Hoc est, quemadmodum, in incipiendo peccato, quidquid est entitatis, vt loquebantur Scholastici, huius inceptionis, nisi à Deo esse non potest, cùm defectus sit ab ipsis peccantibus: sic in perseuerando, quicquid propriè actionis est, & entitatis, ab eodem fonte procedere, nimirũ à iusto iudice Deo: reliquũ quicquid est, quod quidem peccatum non esse non potest; ad homines diabolumque referri. Ac proinde, quemadmodum peccatum in inceptione Deus vult per accidens; sic & in perseuerantia.

XI. Ad hoc argumentum, Bellarminus respondet hanc desertionem, secundùm morem loquendi Scripturæ, rectè significari per vocabula actionem exprimentia, quamuis reuera non sit actio, sed actionis omissio. Argumenta. Primum: quia secundi Samuelis duodecimo, dicitur Dauid occidisse Vriam Hetæum, quum tamen non per se occiderit, nec iusserit propriè occidi, sed tantùm imperauerit deseri. Secundum. Caluinus Institutionis libri secundi, capite quarto, paragrapho tertio, admittit Deum sæpè obdurare solùm deserendo; quamquã addat, alia esse testimonia, quæ vltra procedãt. Tertium: quia actio excæcandi, & indurandi, interdum tribuatur etiam iis rebus, quæ sunt occasiones potiùs, quàm caussæ actionum. Exodi vigesimo tertio, Ecclesiastici vigesimo, munera dicuntur excæcare oculos sapientum. Sic creaturæ factæ in muscipulam pedibus insipientium; Sapientiæ decimo quarto. Sic vinum & mulieres facere sapientes apostatare Ecclesiastici decimo nono. Sic patientia Dei aliquomodo indurare, secundo ad Romanos.

XII. Sed verborum significatio à nobis est satis confirmata. Ad primum argumentum, respondeo, Dauidem non simpliciter deseruisse Vriam: nam si hoc, nunquã diceretur eum occidisse; alioquin, quicumque fugiunt à prælio, quia deserunt commilitones, dicerentur eosdem occidere: quod est falsum. Quid ergo? Nempe Dauid hoc ipsum intendit, & voluit, & positiuè voluit, & efficaciter voluit, nimirum, vt occideretur Vrias: ac proinde media quæsiuit ad id exequendum cómodissima: delegitq; hoc ipsum. Itaq; eius imperio factũ, vt deseretur. Quare rectè ab hoc exemplo concludimus, quemadmodum Dauid, verè & realiter voluit mortẽ Vriæ: quia verè auctor fuit desertionis, propter quam occisus est Vrias, etiamsi ab ipso non occisus. Sic verè & propriè velle Deum hominum peccata, quia desertionis verè ac propriè auctor est, per quam fiunt peccata: etsi non ab ipso fiant eadem peccata. Hoc interest duntaxat, quòd cùm Dauid, mala sua voluntate, mortem Vriæ voluit, verè peccauit volendo. At Deus bona sua volũtate, volens ea peccata, nó peccat: ideoque ea peccata non sunt respectu Dei, sed tãtùm respectu hominum. Secundò, concedendũ, non per omnia quadrare exemplum. Nam, etsi Dauid fuerit causa desertionis; tamen moraliter tantũ fuit causa, iubendo. At Deus non est moraliter causa indurationis. Præterea: Dauid non fuit, imò ne esse quidem potuit, causa realiter mouens entitatem illius desertionis: at Deus est verè causa mouens entitatem omnium actionum. Hæc igitur probatio nulla est.

XIII. Ad secundum, quod de Caluino dicitur, est falsum, nimirum, admitti ab eo sæpe Deum obdurare solùm deserendo. Adscribo locum totum, ex quo particulam Bellarminus decerpsit, an discerpsit potiùs? *Nos ergo duplici ratione respondemus id fieri. Si quidẽ, cùm sublato eius lumine, nihil quàm caligo & cæcitas superſit: cùm ablato eius spiritu, corda nostra in lapides obdurescant: cùm cessante eius directione, in obliquitatem contorqueantur: ritè excæcare, indurare, inclinare dicitur, quibus facultatem, videndi, parendi, rectè exequendi adimit. Secundaratio, quæ multò propiùs accedit ad verborum proprietatem: quòd ad exequenda sua iudicia per ministrum iræ suæ sathanam & consilia eorum destinat, quo visum est, & voluntates excitat & conatus firmat. Sic, vbi recitat Moses, Sehon Regem trãsitum non dedisse populo, quia indurauerat Deus*

Deus spiritum eius, & cor obfirmauerat, finem consilij mox subiungit, vt daret eum in manus nostras, inquit: ergo, quia perditum Deus volebat, obstinatio cordis, diuina fuit ad ruinam praeparatio. Secundum priorem rationem, istud videtur dictum aufert labium a veracibus, & rationem tollit a senioribus. Aufert cor ab iis, qui praesunt populo terrae: errare eos facit per inuium. Item, quare dementasti nos, o Domine: indurasti cor nostrum, ne timeamus te? Quandoquidem indicant potius quales Deus homines faciat deserendo, quam qualiter opus in ipsis suum peragat. At sunt alia testimonia, quae vltra procedunt, qualia sunt de Pharaonis induratione: Indurabo cor Pharaonis, ne vos audiat, ac dimittat populum. Postea dicit se aggrauasse cor illius, & roborasse. An indurauit non emolliendo? id quidem verum est: sed plus aliquid fecit, quòd obstinatione pectus eius obfirmandum sathanae mandauit.

XIV. Haec ille. Non ita sentiens, aliàs quidem in indurandis, aut excaecandis hominibus Deum nihil agere, nisi quòd eos deserat: aliàs verò, vlteriùs progredi. Hoc enim illi nunquam venit in mentem, vt non omnia subiiceret certissimae Dei prouidentiae, infinitaeque potentiae. Sed sensus est, in hominum induratione, atque excaecatione, duo esse distinctè consideráda: primò, eos, qui sic indurátur, excaecanturque, à Deo deseri subducto lumine, spiritu, & directione: adeò, vt suis illi solis viribus, hoc est, suae corruptioni permissi, malè agant; nec aliud quàm male agant. Deinde vlteriùs progrediendo, ab eodem Deo, eorundem & consilia dirigi, & voluntaté excitari, & conatus firmari. Porrò Scripturam sic loqui, vt aliquando desertionem illam solùm suis verbis indicet: aliquando etiam, hanc operationem, atque adeò totam actionem ab vna earum partium denominare: sic nimirum, vt & posteriores phrases desertionem supponant: & priores operationem non excludant. Quemadmodum in salutis mysterio; quia vtrumque oportet concurrere, tum fidem nostram, tum Christi mortem: ita tamen Scriptura loquitur, vt aliquando fidem solam nominet, *Iustus ex sua fide viuet*: aliquando tantùm Christi merita, *Iustificati nunc sanguine, seruabimur nunc multò magis per eum ab ira*. Quae phrases non significant variè seruari homines; alios per fidem solam, alios per Christi merita: sed tantùm significant Scripturam, quum loquitur de ea salute, aliquando fidem nominare, suppositis Christi meritis: aliquando verò Christi merita, fide non seclusa. Itaque Bellarminus Caluini mentem non percipit.

XV. Ad tertium. Nihil mirum easdem phrases vsurpari, tum de Deo, tum de Creaturis, diuersa ratione. Certè seruare Deus homines dicitur: & tamen Paulus prioris ad Timotheum quarto: *Et teipsum seruabis, & eos qui te audierint.* Imò, ipse Christus Matthaei nono, *ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, Fides tua seruauit te.* Quum tamen Deus seruet, vt vera caussa: Timotheus, vt instrumentum: fides, vt medium. Sic misereri hominibus tribuitur, qui afficiuntur aliquo sensu alienae miseriae: & Deo, qui eripit à miseria. Similia sunt alia plurima. Itaque rationis diuersitas ex locorum collatione colligenda. Quia enim de Dei consilio & decreto, atque adeò efficacia, etiam in iis operibus, quae mala sunt, disertiùs Scriptura loquitur, quàm vt vllus de occasione, aut simplici desertione suspicari possit, prout constat ex praecedentibus argumentis: Ergo, qui ex similitudine quarundam phrasium, colliget Deum occasionem esse caecitatis, neque quicquam praeterea: quomodo munera sese necessariò ostendet rem totam nunquam cognouisse. Id manifestum si inuertas. Nam si quis ex eadem similitudine, concluderet eodem prorsus modo munera excaecare homines, quo Deum, ineptus sit; quum, vt antea probatum, nec quisquam negat, certo consilio hos Deus excaecet; quod in muneribus nullum esse potest.

XVI. Quartum mihi argumentum à necessitate. Nam huiusmodi excaecatio & induratio non solùm significant peccantem, sed etiam eum qui non possit non peccare. Diserti loci, Ioannis duodecimo, *Ideò non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excaeca cor populi huius; & aures eius aggraua.* Et Ecclesiastici septimo, *Respice opus ipsum Dei. Nam quis poterit corrigere id quod peruerterit?* Vulgata editio sic habet, *Quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Longè dilutiùs: nam despicere leuiùs vocabulum, quàm peruertere. Nihil tamen interest. Nam saltem hoc computatur inter opera Dei: & ea opera, quae necessariò sic sunt.

XVII. Bellarminus hanc impotentiam, qua homo excaecatus non possit videre, negat esse absolutam, sed ex hypothesi: posse enim absolutè eiusmodi hominem videre, etsi non possit, dum caecus est.

XVIII. Nos concedimus, & explicamus, esse in eo homine potentiam ad videndum, ad credédum, sed remotam: id est, habitudinem quandam, vt possit admittere facultatem contrariam: vt mons Athos potentiam habebat vt fieret statua Alexandri: sed valdè remotam: talem tamen, quam nullum flumen haberet: & quaelibet arbor potentiam habet, vt fiat equus Troianus; quam thymus nunquam habuit. Sic omnino, quibus cor induratum est, & mens occaecata, potentiam habent, sed remotam, vt fiant non peccatores; quae nulla est Soli, aut Lunae. Hactenus igitur illa impotentia dici potest nó absoluta, sed ex hypothesi: quomodo Athos nó poterat fieri statua Alexandri: nempe, nisi accederet ars Stasicratis. Sic non potest ex indurato homine fieri non peccator, nisi accedat gratia Dei. Sed est tamen necessitas: & quidem non simpliciter ex natura rei: sed, quia ad naturam rei accedit decretum Dei certum & efficax, quo remouetur omnis impotentia propinqua, quae potentiam remotam illam in actum educere non patitur. Itaque non obstat Bellarmini responsio, quominùs ab ea necessitate concludatur quod volumus.

XIX. Restant singuli loci, in quorum duobus iniuriam Bellarminus Caluino facit. Eorum alter ex Iobo, *Qui commutat labium veracium, & doctrinam senum aufert: & qui immutat cor principum, & decipit.* Negat enim Bellarminus Deum immutare labium veracium, mentiendo: sed, vel permittendo, vt decipiantur, vel reddendo mutos, & elingues prudentissimos consiliarios: negat immutare cor principú, faciédo ex bono malum, vel falsam notitiam inspirando: sed immittendo bonam aliquam cogitationem: aut certè indifferentem; ex qua tamen impediantur à proposito suo, atque ita decipiantur: cùm Dei prouidentia fiat, vt non assequantur quod cupiebant. Exemplum Achitophelis. item eorum, qui Athanasium praesentem, sibique respondentem, pergebant quaerere.

XX. Atqui hunc locum Caluinus pertinere contendit ad desertionem: nimirum, vt significet, Deum auferre lumen suum ab hominibus, vt remaneant in tenebris. Locus est paragrapho quarto, capitis quarti libri

secundi Institutionis. Itaque non erat, quòd hic sudaret. Quanquam frustra etiam facit, cùm tam sæpe cauet, ne in Deum referamus peccatum ipsum: quasi id quisquam Catholicorum faceret. Imò sæpe dictum, tæder toties repetere: & tamen cogit immanis aduersariorum siue incogitantia, siue obstinatio. Omnes ergo consentimus Deum non inuertere labia veracium, mentiendo: non immittere malam aliquam cogitationem in eorum corda. Sed negamus tamen sequi nihil agere, sed tantùm permittere.

XXI. Alter locus ex Hieremia, *Seduxisti me, Domine, & seductus sum.* Ambiguitate, inquit, Bellarminus, non fallitate, ex Hieronymo: quia Propheta audierat: *Ecce, Prophetam in gentibus dedi te.* Item, *constitui te super gentes & regna*: ideoque libenter prophetandi munus acceperat contra gentes, à quibus populus Domini vexabatur. Aduertit tamen posteà se perpetuò contra gentem suam, tegesque suos prophetare. Et rursus, quòd captiuitatem verbis prædixerat, quasi iamiam futuram: vnde tanquam impostor à populo ludebatur. Queritur ergo se ambiguitate verborum Domini deceptum.

XXII. Sed nunquam Caluinus hoc loco abusus est ad hoc negotium: neque putauit satis esse congruam aliorum expositionem, qui putant serio Prophetam conqueri de Deo, quasi ab eo deceptus esset, in qua sententia est Dauid Kimchi. Item Hieronymus, atque alij. Satius duxit hæc legi εἰρωνικῶς, ad increpandam Iudæorum petulantiam, apud quos pro impostore habebatur; vt sensus sit: Si ego deceptus essem, tu, ô Deus, decepisses me: itaque in tuum dedecus redundat, quicquid hic populus audet de meo munere malè loqui, *Suscipit hostium suorum personam*, inquit, qui iactabant illum temere vaticinari, de vrbis clade, & interitu; quoniam nihil tale futurum esset. Propheta hîc pronunciat Deum esse autorem suæ doctrinæ: nec sibi posse quicquam exprobrari, quod non recidat in ipsum Deum. Viderint qui aliter sentiunt. Nam illos suo quemque iudicio permittens, huc ut potius, vbi se multò grauioris, solidiorisque fontes offerebant doctrinæ, de dignitate ministrorum Verbi Dei. Imò & interpretatio minùs longè petita, dignior etiam prophetico culmine. Vix enim potest à culpa defendi, si seriò conqueritur sibi à Deo impositum: quocunque tandem prætextu. Sed hæc ironia est vehementissima Iudæorum censura, sic inconsideratè Deum impetentium in serui eius persona: Verè, inquam, censura, digna tanto Propheta.

XXIII. His purgatis, pergo ad reliquos locos. In Pharaone, Bellarminus notauit, indurationis causá aliquando ipsi Pharaoni tribui, qui ex patientia Dei sumebat occasionem contemnendi ipsum Deum, & obfirmandi cor suum in proposito non obediendi, *Videns Pharao quòd data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus.* Exodi octauo. Aliàs verò ipsi Deo, qui non ita illustrabat, aut mouebat per gratiam cor illius, vt attenderet, & flecteretur. Ideò sæpè reperi, *Indurauit Dominus cor Pharaonis.* Nam quòd non cogitaret flagellorum cessationem prouenire ex precibus Mosis, nascebatur ex iusto Dei iudicio, quo decreuerat non misereri Pharaonis.

XXIV. Imò, responsio nihil habet momenti. Nā idem αὐτονόμως, tum Deo tribui, tum Pharaoni, nihil mirum. Sed mirum non considerasse Bellarminum, tam iniquum esse ab operatione Pharaonis tollere Dei prouidentiam, quàm ipsius Pharaonis malitiam. Imò vtranque sartam tectam conseruari oportuit. Verè seipsum Pharao obdurauit, propria illa nequitia, quam insitam habebat; quaque ferebatur ad detinendos & affligendos Israelitas. Et verè, quamuis alio modo, Deus suo iusto iudicio, quāuis occulto, eundem Pharaonem obcæcauit. Quia nimirum subalterna non repugnant. Itaque non soluitur argumentum Caluini, qui in omnibus operibus malis, vtrumque disertè, sed discretè agnoscit; tum operationem malam hominum; tum operationem bonam Dei. Et hanc eius sententiam valdè illustrat hæc locorum collatio instituta à Bellarmino, quibus Deus eundem dicitur indurasse, qui seipsum indurauit.

XXV. Locos, ex Deuteronomij secundo, Iosue vndecimo, Primi Samuelis secundo, Primi Regum duodecimo, Esaiæ decimo nono, & sexagesimo tertio, Ad Romanos primo & nono, omnes eadem dealbat fidelia: nec aliter, inquit, respondendum.

XXVI. Esto sanè; sed erit nobis etiam similiter instandum. Quanquam possunt etiam vrgeri ex iis nonnulli. Nam ille ex Deuteronomio, nimis quàm disertus: quòd non tantùm dicitur obduratus fuisse spiritus Sehon, ea voce, qua vsus est Moses in Pharaone; sed etiam obfirmatum cor, ואמץ את לבבו, κατίσχυσε τὴν καρδίαν αὐτοῦ, quod propriè significat confirmare, & robur addere ad aliquid efficiẽdum. Hæc verò quàm esset immanis κατίσχυσις, si nihil aliud Deus, quàm occasionem dabat.

XXVII. Iosue 11. כי מאת יהוה היתה לחזק את לבם. Iunius reddidit, *A Iehoua enim fuit, quòd obfirmabant cor suum.* Etsi non multum diuerso sensu, tamen non nihil recedens à vi verborum: imitatus, puto, Septuaginta, διὰ Κυρίου ἐγένετο κατισχῦσαι τὴν καρδίαν αὐτῶν, *Per Dominum factum, vt indurarentur corda eorum.* Sed Grammatica constructio postulat, vt illud לחזק ad Dominum referatur. Propterea Munsterus, *Siquidem à Domino hoc fuit, qui obdurauit cor illorum.* Pagninus; *A Domino fuit, vt induraret cor eorum.* Et tamen nō est id verbum, quod in Pharaone indurationem significabat capite septimo Exodi. Sed illud, quo ad eandem rem vtitur capite quarto. Leo Iudæ, *confortabat cor eorum.* Vatablus in maioribus annotationibus, obseruabat illud, *A Iehoua fuit*, significare, *Iehoua hoc fecit.* Latinus interpres, ab hac verborum proprietate sic recessit, vt tamen rem ipsam non malè expresserit, *Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & nō mererentur clementiam, ac perirent.* Quæ verba, tum finem, tum media referunt ad vnam eandemque sententiam Dei, ex cuius decreto perituri erant: & is finis. Sed vt perirent, pugnarent: vt pugnarent, indurarentur corda eorum. Itaque, quemadmodum perditio eorum non erat à Deo tantùm deserente, sed etiam decernente; sic & bellum & obduratio.

XXVIII. Eodem pertinent illi ex priore Samuelis: & ex duodecimo prioris Regū. Quis enim, audiens filios Heli non obtemperasse patri bene monenti, quia eos Deus vellet occidere, non statim cogitet, & finem fuisse eorum interitum: & ad eum finem certum medium inobedientiam? Eum autem, qui finem illum sibi proposuisset, ipsum medium elegisse, decreuisseque? Quis rursus, cùm audit Roboamum non acquieuisse bene monentibus, quia eum Dominus erat auersatus, non statim concipiat, vim quandam odij diuini, sese in eo exerentem?

XXIX. Quan-

XXIX. Quanquam hîc etiam textus Hebræus longè est ἐμφατικώτερος, vulgato interprete Latino: & omnino dignus, qui hic obseruetur, *Non auscultauit Rex populo,* כִּי הָיְתָה סִבָּה מֵעִם ▭, Iunius reddit, *Erat enim causa à Iehoua, vt præstaret verbum suum, quo allocutus fuerat per Abiam Silonitem, Ieroboamum filium Nebath.* Pagninus, *Erat enim causa à Iehoua.* Munsterus, *Quoniã fuit ordinatio Dei.* Nam סִבָּה siue נְסִבָּה, vt habetur secundi Paralipomenon decimo capite, est Hebræis ▭ גרם, causa siue occasio. Leo Iudæ, *Quoniam fuit reuolutio à Domino.* Sensu non absimili: sed Chaldæus interpres seuerior, ארי הות פלגתא מן קדם יי *Quoniam erat contradictio à Domino.* Hoc est, ea contradictio Roboami procedebat à Domino. Itaque, Vatablus in maioribus annotationibus, *Proueniebat causa à Iehoua, authore Iehoua, atque ita volente fiebat.*

XXX. Esaiæ locus etiam ἐμφατικώτερος, Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis. Verbum מסך, respondet Græco κεραννύναι: quomodo etiam Septuaginta verterunt, κύριος ἐκέρασεν αὐτοῖς πνεῦμα πλάνης. Itaque reddi potest per *propinare*: etsi enim propriè significet miscere: tamen, quia in conuiuiis eò miscetur vinum, vt propinetur; inde factũ, vt quomodo solet ab antecedente consequens intelligi, sumatur pro alicui porrigere id quod mistum fuit. Itaque Iunius annotauit, *Fundente in illos efficaciatem erroris, quem velut medicatum poculum exhauriant.* Similis locus ex posteriore ad Thessalonicenses, *Mittet illis Deus efficaciam deceptionis.*

XXXI. Illud Ioannis duodecimo, dupliciter ait intelligi posse. Causam cur Iudæi nõ crederent fuisse, vel quia prædixit Esaias ita futurum: vel quia excæcati erant iuxta vaticinium Esaiæ. Priori modo rem esse perspicuam; quia præscientia prædictioque nullam importent rebus necessitatem. Sensum verò esse, non potuisse fieri, quin eueniret quod Propheta euenturum prædixerat. Posteriori autem (atque hoc probabilior) effici quidem, cæcitatem causam esse, cur non possent Iudæi credere: sed ex hypothesi, non autem absolutè: quia, licet dum excæcati erant, credere non possent, poterant tamen mutari cum Dei gratia, & ex cæcis fieri videntes, & credere.

XXXII. Atqui duo hi sensus non sunt contrarij, quin potius coniungi debent. Imò prior ille, est primus, proximus & immediatus: alter, inde consequẽs. Nam, primò, significatur aptari euẽtui, qui erat præ oculis, Esaiæ prophetiã; quomodo aliàs sæpissimè: Deinde autẽ illa prophetia concipitur verbis Esaiæ: & ex eis intelligitur. Omnino ergo non poterant credere, quia ita prędixerat Esaias, *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* Ea ergo necessitas est hypothetica ex prædictione. Sed alia necessitas colligitur ex verbis Prophetæ; hypothetica quidem illa etiam: sed & ipsa ex energia Dei decernentis. Vnde Caluini annotatio est, *Nihil esse absurdi, si accidere secus non potuit, quam Deus prædixerat. Sed notandum simplicem nudámque Dei præscientiam rerum causam non esse. Quanquam hic non tam præscientiæ, quàm iudicij & vindictæ nobis habenda ratio. Neque enim Deus, quid è cœlo speculetur facturos esse homines: sed quid ipse facturus sit, pronunciat: nempe, quòd stupore & vertigine percutiet impios, vt de ipsorum malitia vltionem sumat.* Hanc argumenti vim dissimulans Bellarminus, ea dixit, quę ad rem nihil pertinent. Enimuerò, quid illud *mutari poterant*? Verum, si de remota potentia agat, si de propinqua, negat Ioannes. Nam, quia omnino contradictoria sunt, credere, & esse excæcatum, siue induratum: Ergo, vt excæcati credant necessaria est mutatio. Qui ergo dicit non posse credere, negat posse mutari. Atque hoc est, quod Ioannes demonstrandum censuit, à caussa: nimirum, quia ea excæcatio non erat fortuita, sed à Dei iudicio: non potest autem iudicium Dei irritum fieri. Itaque necesse est Ioannis verba sumi in sensu non composito, vt loquuntur, quandiu erant cæci non poterant credere: quid enim noui? nam generale est: nec quisquam non fidelis, etiamsi non excæcatus, non induratus, potest credere, quandiu infidelis. Paulus, inquam, quandiu blasphemus, non poterat credere, qui tamen postea credidit. Ergo, in sensu disiuncto potiùs. Erant cæci, nec poterant conuerti, & fieri non cæci, vt crederent.

CAP. VII.

De Dei energia in malis operibus.

I. QVartum argumentum ab iis testimoniis, quæ dicunt Deum re ipsa operari, & efficere ea quæ mala sunt. Quicunque operatur & efficit, is non nudè permittit. At Deus operatur & efficit ea, quæ peccata sunt. Ergo, Deus non nudè permittit ea quæ peccata sunt. Maior extra controuersiam.

II. Minor probatur, Samuelis capite duodecimo libri secundi. Hæc dicit Dominus, *Ego suscitabo super te malum de domo tua: & tollam vxores tuas in oculis tuis: & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis, in oculis Solis huius. Tu enim fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis huius.*

III. Addit Bellarminus, Lucæ secũdo, *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, in Israel.* Ad Romanos nono, *Ecce, pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali.* Item, ad Ephesios primo, *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Quem locum Beza sine vlla exceptione de omnibus omnino rebus, quæ in mundo fiunt, intelligendum contendit: vt sensus sit, omnia quæ fiunt, siue bona, siue mala, Deo non solùm præsciente, & permittente: sed etiam volente, decernente, & operante fieri.

IV. At idem omisit istos. Prioris Regum duodecimo, *A me factum est verbum istud*; id est, apostasia Israelitarum a regno Dauidis. Hieremiæ quinquagesimo, *Aperuit Iehoua repositorium suum, & deprompsit instrumenta indignationis suæ: quia opus hoc est Domini Iehoua exercituum in terra Chaldæorum.* Amos tertio, *An erit malum in ciuitate, quod Iehoua non efficiet?* Esaiæ capite quadragesimo quinto, *faciens pacem, & creans malum.*

V. Respondet autem sigillatim. Ad primum, in quo agitur de Absalomi incestu: dici Deum id malum effecisse, non quà erat Absalomi culpa, sed quà Dauidis pœna. Fecisse autem, non incitando Absalomum ad malum, neque id ei suadendo, vel imperando, sed permittendo, quum facilè impedire posset: vel etiam voluntatem ad multa scelera inclinatam auertendo & cohibendo ab aliis; atque ad hoc vnum viam aperiendo, id est, sinendo ruere in hoc, non in alia.

VI. Nihil igitur adfert noui, sed eadem repetit, quæ iam sunt satis superque examinata. Verum est, hoc opus Dei esse, non qua culpa est Absalomi: omnem enim impietatem superet, qui dicat Deum ipsum in incesto violasse vxores Dauidis: Absit, absit hæc portentosa blasphemia à piorum animis. Itaque distinctè, *Ego tollam vxores tuas, & dabo proximo tuo:* tum autem, *& ille dormiet cum eis.* Incestum ergo Absalomi fuit. Sed quis nō videt, illam pœnam Dauidis, illumque Absalomi incestum, fuisse vnum, idemque opus numero? Ergo, Deus puniuit Dauidē; sed eo ipso incesto, quod fuit Absalomi. Imò, in vnum idemque opus concurrisse Deum & Absalomum? Hunc quidem, vt instrumentum: illum, vt summam causam: illum, vt nequam ac sceleratum: hunc, vt optimum & iustissimum.

VII. Itaque hæc verba, suscitabo, tollam, dabo, faciam, ridiculè exponuntur per nudam permissionem, & talem quidem permissionem quæ sit sit voluntas, non positiuè, hoc est, nullo modo voluntas: & metaphorica voluntas. Sic enim definiunt. At Caluinus meritò vrget locum, *Absalom, inquit, incesto coitu patris thorum polluens, detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat. Verba enim sunt, Tu fecisti occulte: ego verò palam faciam & coram Sole hoc.* Ad hæc verba si compares omnes omnium Sophistarum subtilitates, erunt nihili.

VIII. Audito Martyrem in eum locum, *Hic dubium oritur. An dicemus Deum, quemadmodum affirmare videtur, fecisse ista peccata? Sana quadam ratione distinguendum est. Licet eadem actio Deo & Absalomi videatur tribui, fit tamen id diuersis rationibus. Si consideretur quâ peccatum est, Absalonis fuit. Si verò, vt Deus castigabat Dauidem, ad Deum ipsum pertinere potest. Nam illius est iudicium: vt iis rationibus Dauid castigabatur, peccatum non erat, sed pars iustitiæ: ad iustitiam enim pertinet sontes castigare. Peccatum non modò peccatum est; sed etiam pœna; interdum eius tantummodo qui peccat: nam corrumpitur eius natura, & imago Dei in ipso obscuratur. Aliquando non tantùm peccantis, sed quorundam aliorum, quos Deus vult castigare, vt nunc videmus in Absalone.* Hæc Martyr: & multò ante Bellarminum. Nihil igitur nobis noui Bellarminus: dum distinguit, quâ peccatum, quâ pœnam, nos sciebamus, nos asserebamus. Desinat ergo calumniari, si potest, quos non potest imitari.

IX. Illud de Christo posito in ruinam, & in petram scandali, negat significare à Deo Christum ideò fuisse missum in mundum, vt esset causa, vel occasio ruinæ, siue scandali, sed missum quidem, vt esset causa salutis: tamen futurum etiam fuisse, vt esset occasio ruinæ, & scandali: non ipso præbente occasionem, sed hominum malitia eam accipiente.

X. At Beza in nonum ad Romanos, *Ecce pono, Iusta igitur Dei prouidentia hoc decreuit & exequitur, etiam si homines propria malitia impingant.* Et pleniùs in secundum Lucæ, κεῖται, Hebraicè נצב *id est, pro scopo est constitutus, & destinatur à Deo, cui sic placet gloria sua consulere. Si quidem particula εἰς, non tantùm euentum rerum, sed etiam in primis consilium & decretum Dei designat. Sed quam ad huius consilij exequutionem deuenitur, tunc, vt inter seruandi decretum, & salutem electorum, gratuita vocatio, & per eam fides interuenit: sic inter reproborum casum & Dei consilium, interuenit ipsorum corruptio, & spontanea infidelitas.* Nititur ergo Beza ipsa vi verborum, fideliter expensa, non malitiosè contorta; & ex ea concludit, certo Dei consilio fieri, vt Christus sit in ruinam, & in salutem. Itaque non id inde probat Beza, quod hoc capite propositum est, nimirùm efficaciter operari Deum in malis operibus: sed id potiùs, quod capite quarto, nempe ab æterno decreuisse Deum, vt fiant mala opera.

XI. Porrò, agnoscimus, verum, propriumque finem, ob quem Christus in mundum venit; esse hominum salutem; esse verò non per se, sed per accidens, multis in ruinam, nimirum ex ipsorum nequitia, sceleratè abutentium hoc insigni, omnemque admirationem superante opere Dei. Neque opus erat, vt id nos Iesuita doceret, ex Fulgentio & Theodoreto, aut alio vllo, Nam si Beza annotauit in primum Lucæ: ad illa, *vt conuertat corda Patrum in filios. Cæterum, quia, quod hic dicitur de Ioannis munere, cum eo videtur prorsus pugnare, quòd Christus de se dicit infra capite duodecimo: sciendum est, diuersum prorsus esse scopum Malachiæ ex quo hæc sunt desumpta, & Christi, de prædicationis Euangelij non fine proprio, sed euentu contingenti, idque hominum culpa, disserentis.* Caluinus in secundum Lucæ, *Sensus est diuinitus esse ordinatum, vt multos deiciat, ac præcipitet. Sed notandum est, ruinam inde procedere, quòd increduli in eum impingunt quod paulo pòst exprimitur; vbi Simeon vocat signum contradictorium. Ergo, quia rebelles sunt Christo increduli, se ad eum allidunt, vnde sequitur eorum ruina.*

XII. Supponat ergo pro certo Bellarminus Christum esse propriè, & per se positum in salutem multorum: & esse per accidens in ruinam. Nonenim ita profitemur: sed vel nobis cedat docentibus, vtrumque esse ex diuinæ prouidentiæ decreto æterno: vel ipsè doceat, si potest, illud quidem de salute, esse ex decreto, alterum autem fortuitum: id est, contradicat Scripturæ. Nam hic quidem nodus est argumenti: quæ autem his neglectis, ille prolixè disputat, inutilia.

XIII. Ad locum, ex primo capite ad Ephesios, respondet: Primò, non dicere Apostolum, Deum operari omnia absolutè, quæ fiunt in mundo, tam bona, quàm mala: sed Deum operari omnia quæ operatur, non temerè, neque inuitum: sed liberè & prudenter: quemadmodum viri prudentes dicuntur, omnia maturè agere: itàque intellexisse Hieronymum. Secundò, etsi consideretur, omnia omnino, quæ in mundo fiunt, à Deò fieri: non tamen inde sequi, peccata, quæ ab hominibus fiunt, etiam à Deo fieri: quia peccatum facere, non sit facere, sed deficere.

XIV. At in posteriori sui similis est Iesuita, scilicet, hærent semper illi calumniæ, quæ Catholicis imponit Deum authorem ipsius peccati, quâ peccatum est: quod neque Bezæ, neque cuiquam sano venit in mentem. Itaque, concedimus peccare; esse non facere, sed deficere: Deum autem nunquam deficere: ac proinde nunquam peccare. Tum hoc nobis certum, quàm certum Deum esse. In omnibus igitur illis rebus, quæ fiunt in mundo, si quæ, præter quàm quod sunt aliquid, etiam peccata sunt, omnino à Deo id habere non possunt, vt peccata sint: etsi ab eo habeant, vt sint aliquid: nam hoc est, efficere, non deficere.

XV. Iam ad priorem responsionem tria consideranda sunt, & expendenda: primum, τὰ πάντα: secundum, τὸ ἐνεργεῖν: tertium, κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, quæ Beza etiam distinctè ponderat,

derat in iis ipsis articulis, quos Bellarminus exagitat acerbiùs, quàm refutat solidiùs: nimirum ad vitandam Castellionis calumniam. Et sanè, qui ea leui brachio tractabit, fieri non potest, vt non eneruet locum tam disertum, tam ἐμφαντικώτατον.

XVI. De tertio igitur membro vbi consilium est, & voluntas, sic Beza, esse æternum, & omnia antegrediens, non tantùm tempore, quum sit ante omne tempus, sed etiam ordine. Probatur, quia alioquin voluntas Dei non esset primaria regula consilij illius; sed potiùs qualitates rerum præuisæ, aut præscitæ, & impellentes Deum ad hoc vel illud consilium capiendum, ipsi voluntati Dei regulam præscriberent: quod de Deo dici quis ferat? Thomas in caput nonum ad Romanos, *Vt propositum Dei, scilicet volentis, vnum alteri præ alio magnificare, maneret, id est firmum esset, & hoc non secundùm merita, sed secundum electionem, id est, in quantum ipse Deus spontanea voluntate, vnum alteri prælegit, non quia Sanctus erat, sed vt Sanctus esset: secundum illud ad Ephesios primo. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti.*

XVII. Rursus: Consilium nullo modo separari posse à voluntate, quin Deum sua diuinitate spoliemus. Nec sanè credendum ab Apostolo sic τὴν βουλὴν esse coniunctam τῷ θελήματι, quasi non semper ita sit, sed in eo tantùm subiecto. Imò, quis potest consilium vel imaginari, vt non statim voluntatem? Quin etiam eadem βουλὴ, quæ hîc coniungitur τῷ θελήματι, aliàs connectitur τῷ ὁρίζειν, definire, certò statuere. Sic Actorum secundo dicitur Christus traditus τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ, *definito consilio:* & quarto, facta esse quæ Dei βουλὴ προώρισε γενέσθαι, *consilium præfinierat facienda.* Adde βουλὴν appellari, mysterium Salutis humanæ, Actorum vigesimo. *Non subterfugi quominus annũciarem vobis omne Dei consilium.* Quanquam in re perspicua argumenta sunt superflua. Hinc conficitur quod maximè ad hanc quæstionem pertinet, vel non fieri, quæ malè fiunt, vt Dei consilio: vel fieri etiam ex eiusdem voluntate. Quorum quum illud sit absurdissimum, & contra Dei prouidentiam blasphemum, hoc certe pro vero agnoscendum est.

XVIII. Tertiò, hoc consilium non esse positum tantùm in moderatione & directione euentus: sed actuosam, & effectuosam vim habere in omnibus, idque Paulum significasse verbo ἐνεργεῖν. Nimirum nota vis est vocabuli. Phauorinus, ἐνεργεῖν, *ἐνέργειαν ἔχειν.* Quò pertinent ista Matthæi decimo quarto, αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ, *Virtutes operantur in eo:* hoc est, vim suam præsentem exserunt. Ad Romanos septimo, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, *Affectiones peccatorum per legem existentes, vigebant in membris nostris.* Prioris ad Corinthios duodecimo, ὁ δὲ αὐτός ἐστι Θεὸς ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν, *Idem Deus est efficiens omnia in omnibus.* πάντα δὲ ταῦτα, ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, *Omnia hæc efficit vnus ille & idem Spiritus.* Non colligam omnia: sed ex his vident omnes hoc verbo significari non motum quendam vniuersalem, sed præsentem, certamque vim sese tum exserentē, quum indiuiduum aliquod opus producitur. Itaque à Latino interprete vulgato exprimitur, *operari:* quod propriè respondet τῷ ἐργάζεσθαι, vt in glossariis: atque adeò apud ipsum Latinum interpretem Matthæi septimo: *Qui operamini iniquitatem*, vigesimo primo, *Operare in vinea mea.* Ioānis quinto, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, & aliis sæpissimè.

XIX. Syrus interpres modo per עבד; quod est facere, prioris ad Corinthios duodecimi, versu sexto. Alias per אתחפפ operari, agere sedulò: esse efficacem; sic enim redditur à Bodeniano posterioris ad Corinthios quarto, & septimo ad Romanos. Aliàs per סער, agere, facere, patrare, vt prioris ad Corinthios duodecimi versu vndecimo, vbi redditur, *efficit*, à Bodeniano. Matthæi decimo quarto, מסתערין *operantur*, hoc ipso loco ad Ephesios primo רכל סער *qui omnia fecit.*

XX. Propterea Beza obseruabat hanc vim, atque efficaciam, tribui Deo agenti: non verò tantùm dici esse à Deo: nempe, vt ne quis putet declarari naturalem facultatem rebus inditam à Deo creatore, vt hoc vel illud efficiant: sed ipsam potiùs Dei virtutem, quam habet in se ad omnes res efficiendas. Quibus verbis lancinatur illud vanissimum nudæ permissionis figmentum: siue voluntatis non positiuæ: quo Sophistæ mera crepantes ῥητὰ, imò & κενὰ ῥήματα, puluerem iniiciunt oculis infirmioribus, intempestiuè, ineptèque distinguentes.

XXI. Iam de omnibus ita censet. Vniuersalem particulam nulla prorsus quantulacunque exceptione restringi posse, quin Deus ea in parte constituatur otiosus, ex Epicuri dogmate: nisi fortè quis dicat inuito eo, quicquam geri: hoc est, eundem spoliet infinita potestate. Concludens ex eo, Deum prout libuit, ab æterno omnia futura decernere, atque eadem suo tempore sua ipsius efficacitate peragere, sicut vult.

XXII. Hæc Beza, non magis perspicuè, quàm solidè, & Catholicè. Ea debuerat Sophista sigillatim examinare, &, si potuisset, confutare, non indiscretè vellicare, confuséque sugillare. At primò, nihil habet quo cogat fateri ea Apostoli verba sic coercenda, vt non sint vniuersalia. Nam neque vllo loci vocabulo nititur, neque vlla sermonis Apostolici circunstantia. Sed ne analogia quidem fidei. Non est verò vnius Hieronymi autoritas summa, vt ab ea dissentire non liceat: Meliùs Oecumenius κατὰ τὴν γνώμην τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος Θεοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, *Secundùm consilium omnia efficientis Dei, cùm in cœlo, tum in terra.* Meliùs & Primasius, *Qui omnia operatur, omnium caussa est voluntas Dei, quam rationabilem esse fidelium nullus ignorat, sine dubio bona. Si ipse omnia, vbi est superbia Pelagiana? ipse ergo & vt credere incipiamus operatur, qui omnia operatur.* Quin etiam Ambrosius ita vertit, *Prædestinati secundùm propositum Dei, qui vniuersa creauit, secundùm consilium voluntatis suæ.*

XXIII. Præterea non effugit vim argumentationis. Nam cùm ex hoc loco confectum fuerit, omnia quæcunque facit, Deum facere ex consilio suæ voluntatis: tum ex aliis plurimis confirmabitur eum facere non tantùm nonnulla: sed etiam omnia quæ fiunt: imò etiam ipsa, de quibus disputamus, peccata: facere, inquam, vel per se solum, vel per ea instrumenta, quæ pro arbitrio delegit & mouet. Itaque, cùm constiterit, Deum operari, exempli gratia, per Absalomum, seueram illam pœnam, quam Dauid expēdit, tum fateri oportebit in hoc ipso opere considerandam esse Dei, tum τὴν θελήματος βουλὴν, tum etiam ἐνέργειαν: quæ duo erant necessaria Bezæ contra Castellionem: necessaria etiam Catholicis contra Papistas, suam illam nudam, & exilem, & quauis gluma leuiorem permissionem, siue non positiuam voluntatem, non Catholicè obtrudentes, vtinam etiam non positiuè.

XXIV. Denique, quid ineptius? facit quæcunque facit? Ita sanè. Nam & creauit quæcunque creauit: & præsciuit quæcunque præsciuit. Denique omnia potest, quæcunque potest. An propterea non creauit omnia? non præsciuit omnia? non potest omnia? Imò, quis Angelorum est, aut etiam hominum, imò quis minutissimorum vermium, qui non faciat omnia quæcunque facit?

Cap. VIII.

De sententia Augustini.

I. HActenus è Scripturis. Nunc ex Augustino, qui solus inter Patres hanc doctrinæ partem totam explicauit & solidissimè & manifestissimè. In eius auctoritatibus examinandis Bellarminus peccat dupliciter, tum quòd non omnes recenset, quas à Caluino sumere potuit: tum quòd aliquas admisceat, quæ pertinent ad generalem quæstionem de prouidentia. Ego sic agam, vt quæstiones distinguens, suppositas negligam, dissimulatas non omittam.

II. Primò ergo testatur Augustinus, ne mala quidem opera accidere præter certam Dei voluntatem, Enchiridij capite centesimo, *Hæc sunt magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius: & tam sapienter exquisita, vt quum angelica, & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit: bene vtens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam: & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei nullo modo id efficere valuerunt. Hoc enim ipso quod contra voluntatem fecerunt eius* (sic lego in meis membranis, valde ad stylum Augustini) *de ipsis facta est voluntas eius. Propterea namque magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam fiat contra eius voluntatem, quia non fieret si non sineret: nec vtique nolens sinit, sed volens: nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.* Et capite nonagesimo sexto, *Neque dubitandum est Deum facere benè, etiam sinendo fieri quæcunque fiunt malè. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit: & profectò bonum est, omne quod iustum est. Quamuis ergo ea quæ mala sunt, inquantum mala sunt, non sint bona: tamen vt non solum bona, sed etiã sint & mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, vt essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono, cui procul dubio, quam facile est quod vult facere, tam facile est quod vult non esse, non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur.*

III. Hactenus Augustinus. Obserua. Primò. In malis operibus esse rationem mali, secundùm quam ea nolit Deus: esse etiam rationem boni, quatenus sunt. Hanc Scholastici appellabant entitatem actionis. Sic nos distinguebamus id quod agitur ab eius qualitate. Secundò. Mala non esse absque Dei voluntate, contra Scholasticos audacter definientes, Deum nullo modo velle malum culpæ: sed malum naturæ & pœnæ per accidens. Tertiò, hanc ipsam voluntatem, præter quam non fiunt mala, coniungi cùm omnipotentia; vt ne tum quidem, quum malè volunt homines, imò quum malè faciunt, possint quicquam efficere quod Deus nolit. Quartò, ex iis interpretare permissionem, si quæ permissio in hoc negotio vsurpanda est. Non sinit, inquit, nisi volens: Fortiùs, non nisi iusto iudicio sinit. Quid igitur dixisset, si eos audisset, qui Deum nugantur permittere mala, sed nullo modo velle? qui voluntatem negant hîc esse quicquam positiuum? Qui eandem dicunt esse signi tantùm, non beneplaciti: & voluntatem signi negant esse voluntatem, sed tantum voluntatis metaphoram?

IV. Bellarmini respondentis longa est incuria, longæ ambages. Has contraham. Voluntatem esse beneplaciti, aut signi. Priori modo Deum erga peccata non habere velle positiuum. Ratio: nullus bonus & iustus vult peccata, id est, mala, & iniquitates. At Deus bonus & iustus. Ergo non vult peccata. Rursus non habere erga eadem positiuè nolle. Ratio: nullus omnipotens non vult ea quæ fiunt. At Deus est omnipotés: non ergo Deus nõ vult ea quæ fiũt. Ratio maioris, quia si nollet & fierent: ergo inuito fierent. At nullus est omnipotens, quo inuito fit aliquid. Quid igitur? nempe, inquit, non habet velle, non habet etiam nolle: sed negatiuè habet non velle. Probatur ex Psalmo quinto. Non Deus volens iniquitatem tu es. Habet etiam nolle non positiuè. Altero modo ex voluntate signi, habere Deum nolle fieri peccata: esse autem hanc voluntatem non absolutam, sed conditionatam; nempe, quia, cum præcipit, vt aliquid non fiat, addit pœnam si fiat: ita vt non absolutè illud velit non fieri, sed tantùm non fieri; aut si fiat, puniri eum, qui faciat.

V. His positis, tandem Augustinum explicat. Quòd neget ea fieri præter Dei voluntatem, quæ fiunt contra eius voluntatem; intelligendum, non quia velit illa fieri. Ratio, quia pugnaret secum. Sed tum, quia velit aut non fieri, aut puniri facientem: tum, quia licet nolit peccata, tamen volt ea permittere vt fiant, ordinaturus illa pro sua omnipotentia, & sapientia in bonũ. Hanc vtramque causam attigisse Augustinum. Illã: *Bene vtens & malis, tanquã summè bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam, & eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gratiã. Quantũ enim ad ipsos pertinet, quod Deus voluit* (sic Bellarminus legit; & exponit voluntatẽ signi, repugnãtibus editionibus Basiliẽsi & Venetæ: tum meis membranis, sensu etiam postulante *noluit*: atque ita citante: Lorino in Psalmum centesimum decimum) *fecerunt: quantum, verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt.* Alteram: *Propterea namque, omnia opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius: vt miro & ineffabili modo non fiat, præter eius voluntatem, quod contra eius fit voluntatem, quod non fieret, si non sineret.*

VI. Excutiam prius generales illas distinctiones: tum veniam ad Augustinum. Et primò. Voluntatis distinctionem in signi & beneplaciti, video probari Bezæ. Imò non probari. Longè enim alio sensu; quàm à Scholasticis proponatur. Signi appellat, quam hominibus ipse Deus patefecerit. Beneplaciti, quam apud se retineat, nobis occultam: vt quum pollicetur Abrahamo, se fore Deum, tum eius, tum seminis ab eo oriundi, ea sit voluntas signi. At quũ Ismael & Esau reiecit, beneplaciti. Hoc sensu, vult Deus mala semper voluntate beneplaciti, interdum etiam voluntate signi. Multa

quum euentura iam antè prædixit, hoc est, significauit se velle vt euenirent. Exempli gratia, traditionem Christi, quam tanto antè significauerat per Prophetas. At Scholastici disertè pronunciant, Deum nunquam velle malum, voluntate beneplaciti: vt hic etiam Bellarminus explicat, suum illud non habere Deum positiuè nolle. Quid ergo sibi hi scholastici velint, inquiramus.

VII. Primò obseruant in Deo propriè vnicam esse voluntatem. Et rectè: non possunt enim plures, vt neque plures essentiæ. Hanc vnicam appellant beneplaciti. Et definiunt, voluntatem aliquid efficaciter volentem, vt verbis vtar Maioris. Secundò, voluntatem signi esse tantùm tropicam, vt loquitur Lombardus distinctione quadragesima quinta libri primi: & metaphoricam, vt Thomas partis primæ quæstione decimæ nonæ articulo vndecimo: nimirum, quatenus signum nominatur metaphoricè nomine rei, cuius est signum: vt imago Herculis, vocatur Hercules; quæ verba sunt Durandi in eum Lombardi locum. Tertiò, hanc voluntatem signi multiplicem esse, probant ex Psalmo centesimo vndecimo: *Magna opera Domini & exquisita in omnes voluntates eius.* Itaque distribuunt, in præceptum, prohibitionem, permissionem, consilium, operationem. Quartò, differre notat is qui Lombardum contraxit in epitomen, quòd voluntas beneplaciti sit æterna, reliquæ temporales: quanquam Altenstaig, voluntatem beneplaciti appellet creaturam: rursus, quòd illa semper impleatur; hæ verò non semper. Itaque, quum negant Deum velle mala, voluntate beneplaciti; sed tantùm voluntate signi, siue permissionis: hoc intelligunt, Deum neque efficaciter velle, neque ab æterno: Velle autem metaphoricè, & per similitudinem quandam, siue proportionem, vt Durandus loquitur, hoc est, tandem nolle: quemadmodum, cùm dicimus iram Deo tribui *παρεκτικῶς*, omnino negamus in Deo vllam esse iram.

VIII. Hæc Scholasticorum doctrina. At primò, quod de voluntatibus dicunt è Scriptura, quam miserè Scripturam ludibrio habent, inani vocabulorum sono abutentes, rebus ipsis neglectis! Nam voluntates Dei numero plurali, quatuor duntaxat locis in tota Scriptura nominatas comperi. Psalmo decimo sexto, *Sanctis, qui sunt in terra eos mirificauit omnes voluntates meas in eis.* Psalmo centesimo tertio, *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.* Tum isto, quem citant centesimo vndecimo. Denique Actorum decimo tertio, *Qui exequetur omnes voluntates meas.*

IX. At ex his locis tres primi infideliter expressi sunt ex Hebraica veritate. Nam primùm Hieronymus transtulit, *Sanctis qui in terra sunt omnis voluntas mea in eis.* Alij aliter: sed tamen constat, חפצי voluntatem esse singulari numero: & quidem voluntatem non Dei, sed eius qui Psalmum condidit, vt viderunt Pagninus, Vatablus, & Rabbini. Quin Bellarminus, etsi suo more omnia vertat, vt ne quid peccatum agnoscat in Latina editione, tamen sensum expressit, *Quia Deus bonorum meorum non eget, ideo benefacere studeo electis eius.* Consentit Iansenius. In secundo Hieronymus cogitationes dixit, alij opera: & in his Chaldæus Paraphrastes. Hebraicum nomen significat, tum cogitationes, tum opera. Tertium Chaldæus reddit: Magna opera Domini, exquisita omnibus qui volunt illa. Paulò liberiùs suo more: sed sensu tamen seruato: nam [illegible]חפציה nullo modo significare potest voluntates eius. Agnoscunt Genebrardus & Bellarminus: & exponunt, vel voluntates eorum operum Dei: vel eorum, id est, Patris, Filij, Spiritus. Hoc tamen periculosè; quasi trium personarum totidem essent voluntates. Kimchi exponit: *Cuilibet, qui volet in iis doctus esse.* Pagninus etiam, *Omnibus volentibus ea.* Tremellius, *Omnibus qui delectantur illis.* Vt appareat tum Augustinum, tum alios deceptos hoc errore: deinde etiam ambiguitate vocis *exquisita.* Nam quia Latinè aliquando significat, quæ exacta sunt, & omnino rectè se habent, existimarunt Prophetam laudare opera Dei à perfectione. At verò דרושים longè aliud sonat, nempe inquisita, atque inde inuenta: hoc sensu; non ita esse obscura aut difficilia, vt inquirendo inueniri, cognoscive nequirent. Postremus denique locus significare nō potest, aut operationem, aut permissionem, aut prohibitionem, sed tantùm præcepta: itaque debuit intelligi non de variis speciebus voluntatis: sed de variis rebus, siue capitibus, quæ Deus vult à piis viris fieri. Itaque omnino nullus locus est Scripturæ, quo nitatur hoc somnium.

X. Deinde voluntates istas, quo sensu dicant metaphoricas, id est, non voluntates, inquiramus. Nam si hoc sensu tantùm, vt significent alias esse à decreto: hoc est, non semper fieri, vt quæ referuntur ad signum, ea Deus decreuerit reapse implendas vt quum eius iussu Ionas prædixit, Niniuem destruendam: potest admitti: sed in præcepto, & prohibitione & consilio. Sed tum, quo iure ad voluntatem signi pertinere volent operationem? Aut quis vnquam admittet, Deum aliquid operari, quod tamen non decreuit? aut quomodo id consentiet cum Pauli verbis: *operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ?* Num sensum Bellarminus hunc talem esse concedit, quæcumque Deus operatur, ea operari ex consilio certo? Itaque operatio præsupponet veram Dei voluntatem. Mitto de permissione dicere, quæ nostra est controuersia.

XI. Sin verò ita distinguunt, vt memini videre apud quosdam, vt beneplacitum sit actus voluntatis elicitus, signum autem imperatus: Non pugnem. Sed videant quomodo negent Deum vllo modo velle malum pœnæ, quum tamen id ipsum concedant permittere. Nam si permissio est voluntas signi: & voluntas signi est actus imperatus: Actus autem omnis imperatus supponit actum elicitum: profectò non potest permissio absque voluntate beneplaciti, quæ est actus elicitus.

XII. Quid? quòd in voluntate signi negligentiores fuere: Nam si ita significatur modus omnis, quo hominibus apparet aliquid Deum velle: certè plures eiusmodi voluntates numerari debuerunt, quàm quinque. Nam minæ, & promissiones, neque præcepta sunt, neque prohibitiones, neque permissiones, neque consilia, neque operationes. Et tamen ita proponuntur, quasi sint voluntas Dei. Ita Niniuitis minatus est à Domino excidium Ionas. Ita Ezechiæ Regi mortem liatas.

XIII. Veruntamen videant ipsi, quo modo, quáve distinguant ratione. Nos libentiùs *τὸν ὡρισμένην βουλὴν, & τὸ θέλημα ἀδίαιρετον*, quod est apud Paulum ad Romanos duodecimo. Vt illa sit decretum æterni consilij efficax ad operationem: hoc est, vniuersale, sine quo præeunte, nihil omnino

aut fiat, aut etiam fieri queat, firmum & certum: ita vt eo præeunte omnia fiant, nec fieri non possint. Hæc verò approbatio, qua Deus gratum habet aliquid, propter bonum quod est in eo. Hoc θέλημα εὐάρεστον contractius illo decreto: quia non extēdat sese ad omnia, quæ ab isto pēdent. Sed omnia quidem decreta sint, quæ facta: hęc verò approbatio acceptet, quæ decreta sunt, nonnisi quadamtenus: id est, qua tanquam bona considerari possunt, nimirum qua entia. Rursus esse etiam nonnulla εὐάρεστα θεῷ, quæ tamen decretum sit nunquam futura: vt quod apud Paulum prioris ad Timotheum secundo, *omnes homines vult seruari*: Item omnes Israelitas abstinere ab idololatria: Absalomum honorare patrem: Dauidem castitatem colere, & infinita eiusmodi.

X I V. Denique negari non patimur, Deum erga peccata habere positiuum velle. Nam voluntas decreti omnino est voluntas. Non patimur etiam dici, habere erga peccata nolle negatiuè: habet enim nolle positiuè habita τῆς ἁμαρτίας ratione. Non enim sunt opposita, velle vt sint peccata, & non approbare peccata. Quia ratio diuersa. Non enim eadem vult esse quâ reprobat: vult esse quoad entitatem: non probat quoad qualitatem: & quidem multo distinctiùs; quàm homo gaudet sibi natum filium, sed eundem dolet natum cæcum, aut claudum. Distinctiùs etiam, quàm quisquam sibi membrum abscindi & vult, & tamen dolet.

X V. Si τὴν προαιρετικὴν βούλησιν appellari placet voluntatem beneplaciti: & τὸ θέλημα τὸ εὐάρεστον, signi, non moror: quia turpe syllabas aucupari & in Theologia λογομαχεῖν, etsi malim aliter, si sit integrum. Nam nec beneplacitum propter ambiguitatem placet, respondet enim vtrique, tum τῇ ἀδικίᾳ, tum τῇ εὐαρεστίᾳ, quas tamen necesse est distingui. Nec signum arridet, quia εὐαρεστία non est signum voluntatis, sed voluntas.

X V I. Sed altera longè mirabilior subtilitas Sophistarum, distinguentium velle, & non nolle: Item nolle & non velle. Proh strophas verborum! Syllabarum vt oscillorum lusus! Nam si non sunt lusus, quid sunt quæso? Primò enim quis nescit Latinis illud nolle, esse nihil aliud quàm non velle, contractis in vnum duobus vocabulis? docet Cicero in Oratore ad Brutum. *Ain' pro ais-ne? nequire, pro non quire: malle, pro magis velle: nolle, pro non velle.* Ergo tam ridiculi sunt, qui distrahentes connexa, aliud dicunt nolle, aliud non velle: quàm si quis neget nequire, esse non quire. Enimuerò si secundùm eos rectum non est Deum nolle peccata: sed rectum, Deum non velle peccata, sic enim numerato loquendum volunt, quasi quum pronunciantur carmina: quæso, hoc ipsum quod rectum est dicere, exprimant mihi eodem tempore, quo dico, Deus vult bona. An dicent, Deus non vult mala? At hoc omnes sciunt deduci, non ab illo Sophistico non velle; sed à Latino nolle. Rursus, quia negant nolle; sic tamen vt negent etiam velle: quæso, negent mihi Deum nolle, eodem ipso tempore. Quid fiet? nempe hoc, Deus non non vult: & sermonis monstra nō sit qui rideat? Quid autem cæteris linguis fiet? Hebraicæ, inquam, & Chaldaicæ, & Syriacæ, Græcæ, nostræ Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ, aliisque fortasse multis, quas non noui? Nam illæ certè nullam habent vocem vnam, quæ respondeat verbo nolle, sed tantùm negationem τοῦ velle, Geneseos vigesimo quarto אולי לא תאבה Chaldaicè לא תיבי Græcè, ἐὰν δὲ μὴ βούληται, Latinè, *si nolueris*. Matthæi decimo octauo: *ille autem noluit*, Græcè, ὁ δὲ οὐκ ἤθελεν. Syriacè הו דין לא צבא. Mirum Theologiæ genus, quod aut nulla, aut vix vlla possit hominum lingua concipere.

X V I I. Et tamen citant ex Psalmo, *Non Deus volens iniquitatem tu es.* En tibi ipsissimam illam phrasin: en tibi puram putam scholam, quæ non audet dicere Deum nolle malum, sed tantùm non velle.

X V I I I. Vt nihil pudet! Nam hic locus ita Latinè redditus duplici vitio laborat. Primò quidem ridicula affectione græcismi, cui nimium sæpè, quisquis ille fuit interpres, indulsit. Dixerunt Septuaginta ὁ θέλων coacti linguæ proprietate, quæ vt dixi, non potest aliter exprimere nolle: bonus ille interpres putauit inesse mysterium, & dixit, non volens. Hinc scholæ triumphi. At ego libens quæram à Bellarmino, quo iure hoc loco ὁ θέλων sit non velle, potius quàm Psalmo trigesimo sexto οὐκ ἠθέλησε συνιέναι? Nā hîc Latina editio, *noluit intelligere*. Item quadragesimo, θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας: *Sacrificium & oblationem noluisti*. Interpretandum-ne erit de voluntate beneplaciti? Minimè verò: alioquin non oblata essent, quæ nolebat offerri. An signi? Ergo erubescant scholæ αὐτοκατάκριτοι.

X I X. Alterum vitium: quia verbo ἐθέλειν siue velle non satis exprimitur Hebræum חפץ quo Propheta vtitur. Nam hoc quicunque Musas Hebraicas salutarunt vel à limine, sciunt esse non simpliciter velle, sed cum affectu: vt propriè redicetur εὐαρεστεῖν, siue beneplacitum. Vide ex his locis Iob vigesimo primo ודעת דרכיך לא חפצנו *Scientiam viarum tuarum nolumus*, Deuteronomij vigesimo quinto ואם לא יחפץ האיש, *sin autem noluerit vir*. Quibus locis eandem ipsam phrasin reddit per nolle, quam antè per non velle, Latinus interpres. Ezechielis decimo octauo החפץ אחפץ מות רשע, *Nunquid voluntatis meæ est mors impij?* Mitto alios. Sed hanc ob caussam Munsterus hunc nostrum vertit. *Tu es Deus cui non placet iniquitas.* Theodoretus exposuit, *omnem iniquitatem respuit.* Lombardus, *Deum esse, & placere iniquitatem, nunquam conueniunt.* Imò Bellarminus extra disputationis feruorem sedatior, *Materia præcipua contemplationis meæ erit considerare, nihil te magis odisse quàm peccatum*, Et Sa: *quasi dicat non tibi placere peccatū.* Ergo Propheta non negatiuè intelligendus: quasi diceret nec velle Deum, nec nolle Deum iniquitatem: sed omnino positiuè nolle, id est, odio habere. Quare illud non positiuæ voluntatis somnium est mere phanaticum: hoc est, æquè falsum in Theologia, ac barbarum in Grammatica.

X X. Et sanè, quis vel imaginari potest, quomodo possit fieri, vt Deus & sciens, & curam habens omnium, tamen aliquid neque velit, neque nolit? Sic enim argumentor: Deus mala euentura vel curat, vel non curat, si curat: ergo non habet se indifferenter, vt æquè nolit & velit: nam id contrarium est curæ. Si non curat, ergo vel scit, vel nescit. At nescire Deum mala, aut non nosse, & quando, & quomodo eueniant; indignum Deo, alienum à fide Christiana: quæ certum habet præ-

scire,

ſcire omnia Deum. Scire autem nec curare, ac ſurſque deque habere, Epicuro olim aſſerenti, maxima pars Ethnicorum reclamauit: quid Chriſtianorum? Hi ſanè tum prouidentiam, tum potentiam, multo norunt melius: multóque confitentur magnificentius. At neutra ſalua eſſe poteſt, niſi & ſcire & curare omnia Deum conſtiterit.

XXI. Nam quod Bellarminus putat, huiuſce conſequentiæ vim euadere, fruſtra eſt. Etiamſi, inquit, Deus non velit peccata fieri: tamen nouit ea futura, & poſſet impedire, ſi vellet, proinde non fiunt eo imprudente.

XXII. Negat ergo, inquam, Deum neſcire: ac proinde ſatisfacit ei parti dilemmatis, quæ peccabat contra ſcientiam Dei. Atqui hoc eſt, quod pro abſurdiſſimo habent Catholici: vt ſciant Dei ſcientiam, ac prouidentiam ad omnia ſeſe extendere: & tamen audiant, ita ſcire mala Deum, vt tamen ſit, quod aiunt, alba linea, neque volens, neque curans. Itaque non ſatisfit alteri parti dilemmatis.

XXIII. Imò, inquit, ea vult non impedire, vult permittere, vult ordinare, vult punire. Ergo, inquam, non habet ſe merè ἀδιάφορον, vt nec velit, nec nolit, ſaltem per accidens. Qui enim fieri poteſt, vt velit punire mala, quæ verba ſignificant poſitiuè voluntatem: & tamen non velit ea fieri? Pluſquam pepones oportet eſſe, qui hæc ſimul animo concipiunt. Nam ſi vult punire poſitiuè: Ergo ea voluntas determinat aliquid: non autem incertum; vt, quum Eſau proficiſcebatur ad venationem, habebat quidem in animo aliquid venari; ſed indeterminatè, non autem determinatè illum cervum. Non, inquam, ſic Deus fertur in incertum: nam id alienum à prouidentia: imò à præſcientia. Atqui neceſſe eſt, vel in incertum, vel determinatè. Et ſi determinatè vult punire, ergo determinatè vult hoc peccatum eſſe, quod puniatur. Exempli gratia; vult Abſalomi inceſtum eſſe, ſiue, ab Abſalomo inceſtum committi; quia vult de hoc ipſo Abſalomi inceſto pœnas ſumere.

XXIV. Satisfaciendum tamen argumento Bellarmini. Id erat: Nullus bonus vult peccata. At Deus eſt bonus: ergo Deus non vult peccata. Reſpondeo, diſtinguendum hunc terminū, Bonus, Nā bonū eſſe vel ſummè, vel participatiuè. Summè bonus is eſt, cuius voluntas eſt ipſa bonitatis regula. Participatiuè bonus, eſt, cuius voluntas pendet à voluntate ſummi boni. De eo, qui tantùm eſt participatiuè bonus; conceditur maior, quia vetita ſunt illi abſolutè omnia peccata à ſummo bono. Sed negatur de abſolutè bono: quia Deus nulli legi ſubiicitur, præter ſuam ipſius voluntatem. Præterea ſi argumentum ſit de eo, qui eſt ſummè bonus; diſtinguitur peccatum, qua ens, aut qua peccatum. Et de ente negatur maior.

XXV. Venio ad Auguſtinum. Is negat peccata fieri præter Dei voluntatem. Bellarminus hoc negat intelligendum, quaſi Deus id velit fieri. At hoc falſum, niſi, pro ſuo iure nouo, nouam nobis latinitatem cudat, Præter voluntatem noſtram id fieri dicitur, quod nos nolumus fieri: ergo, quum negatur præter voluntatem noſtram fieri, id ſignificat ſecundùm eam fieri. At ſecum ipſe pugnaret Auguſtinus. Quamobrem verò? Atque hîc deficit Bellarminus: non probat, inquam, ſibi Auguſtinum contradicere: quod nos tamen ſciuit negaturos.

XXVI. Sed quo ſenſu tamen? Bellarminus: Quia Deus velit, aut non fieri, aut puniri. Rurſus, quia velit permittere ordinaturus.

XXVII. At primò Auguſtinus duplicem cauſſam ita nunquam diſtinguit: neque illi permittere aliud eſt, quàm velle fieri, vt poſtea docebimus. Vna illi cauſſa connexa ex duabus Bellarmini. Eſſe igitur mala, quia Deus permittat, bene vſurus ſiue ordinaturus. Vel potiùs Auguſtino ſeries eſt cauſſarum: eſſe mala, quia Deus permittit: Deum permittere, quia bonum ſit mala eſſe: & bonum ſit, quia is bene vſurus ſit.

XXVIII. Secundò, illud velit non fieri, aut puniri, dupliciter peccat. Primò, non ita Auguſtinus, diſcretè, ſed potius coniunctè, Vult fieri, & puniri. Vult fieri: quia non fiunt præter eius voluntatem: nempe τῆς εὐδοκίας: puniri: quia fiunt cōtra eius voluntatē, τῆς ἐναντίας. Deinde illud aut puniri, minus eſt quàm Auguſtinus dixerit: qui non punitionem tantùm peccantium attigit; ſed addidit etiam alteram partem de ſalute, *Benè vtens & malis, tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos iuſte prædeſtinauit ad pœnam, & eorum ſalutem, quos benigne prædeſtinauit ad gratiam.* Nempe, vt ex malis doceat geminum bonum elici à Deo: vtrumque Bellarminus complecti debuit: quo enim magis apparet, quàm prudenter, potenterque Deus bene vertit mala, eo magis conficitur, illum velle mala, aliquomodo quidem, non abſolutè, ſed non tamen non poſitiuè.

XXIX. Tertiò, quid hoc eſt? Non fieri præter Dei voluntatem, non eò dictum eſſe ab Auguſtinu, quia Deus velit: ſed tantùm, vel quia non ſimpliciter velit non fieri, vel quia velit permittere? Aut quis has verborum ambages intelligat? & ſi intelligat, non rideat? vt quis non velit non fieri, & tamen verum non ſit illum velle id ipſum fieri. Velit permittere, & tamen non velit. At tu mihi maſculam Auguſtini phraſen obſeruato, *Per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt quod creator noluit, impleret ipſe quod voluit.* Nam & voluit, dixit, non quomodo noſtri effeminati Sophiſtæ, non noluit: & rurſus voluit, non quomodo garriunt hodie, non negatiuè noluit, ſiue voluit non poſitiue, hoc eſt, non noluit, hoc eſt tandem, neque voluit, neque noluit. Videlicet hoc illi acciderat infortunij, vt non viueret ſub horum ferula, nouamque latinitatem diſceret, qua Sophiſticam Theologiam velaret. Interea perſpicuum eſt, Auguſtinum dicere, non fieri mala præter Dei voluntatem: quia per ea fit quod ipſe voluit. Itaque, quia non tantùm, quia non noluit.

XXX. Quartò, permitti mala fateor Auguſtinum dicere, ſed eam permiſſionem, quo iure Bellarminus opponat voluntati, quæro. Non enim agitur de Bellarmini, ſiue Thomæ, ſiue alterius cuiuſpiam, ſed de Auguſtini mente. Itaque attendendum, non, verum alterius cuiuſquam ſenſu, permiſſio, & voluntas opponantur; ſed verum ea ſit Auguſtini ſententia. Atque adeò ea perpetuò eſt Papiſtarum Sophiſtice. Quum vrgentur vel è Scripturis, vel è Patribus, ad diſtinctiunculam confugiunt; ſibi ſuoque æuo cognitam

vtrum autem etiam Scripturæ, aut Patribus, susque deque habent.

XXXI. Sentit ergo Bellarminus, Augustinum dicere, mala non fieri præter Dei voluntatem: non quòd ea Deus velit fieri, sed quòd velit permittere. Vnde sequitur, Deum non velle fieri peccata, sed velle permittere. Itaque velle fieri, & velle permittere, discreta sunt, vt vnum non sit alterum. Hoc ipsum, inquam, quæro, quo sensu, quo iure dixerit. Nam hæc effata ambo habent commune velle: vnum autem fieri: alterum permittere. Quid ergo? illud-ne permittere excludit alterum fieri? Ridiculum, nisi forte hic etiam nouam nobis grammaticam excudat; vt quum negat non velle, idem esse, ac nolle. Nam ex vsu communi permittere necessariò infert fieri. Sic Matthæi decimo nono: *permisit vobis dimittere vxores.* Lucæ octauo, *Rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi.* Actorum vigesimo primo, *Permitte mihi loqui ad populum.* Nec quisquam vnquam alio sensu vsurpauit id vocabuli. Imò Bellarminus, velle permittere vt fiant: diuinet ergo qui poterit, quæ sit oppositio inter velle fieri, & velle permittere vt fiant.

XXXII. Verùm audiamus Augustinum ipsum interpretem. Capite nonagesimo quinto Enchiridij, *Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo.* Audin' quàm rotundè fieri velit? At negabat Bellarminus. Audin' rursum eum, qui sinit, id est, permittit vt fiat, velle fieri? At disparabat Bellarminus, capite centesimo, *Nec vtique nolens sinit, sed volens.* Rursus capite nonagesimo sexto, *Quamuis qua mala sunt, in quantum mala sunt, non sunt bona: tamen vt non solum bona sed etiam sint & mala, bonum est.* Hinc verò firmissimum est argumentum: quia bona fieri nolente Deo conceduntur aduersarij: & mala fieri bonum esse dicit Augustinus. Ergo mala fieri non tantùm non nolente, vt isti loquuntur delicatuli, sed etiam volente, confiteri oportet: aut certè asserere aliquid boni fieri ipso non volente, quod est absurdum.

XXXIII. Atque ab iis laqueis frustra euasurum se putat Bellarminus. Velle fieri mala, inquit, est malæ voluntatis: quæ vel delectatur malis, vel vti vult eis ad bona: contra regulam, *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* At velle permittere mala, potest esse bonæ voluntatis: præsertim in summo rerum omnium moderatore. Itaque, cùm Augustinus dicit, Deum permittere mala non nolentem, sed volentem, intelligimus Deum permittere non inuitum, sed volentem permittere: non autem propriè volentem illa fieri. Itaque se ipse explicat quum dicit nihil fieri, nisi Deus velit fieri, aut sinendo vt fiat, aut ipse faciendo: quod non diceret, si propriè vellet tam bona quàm mala.

XXXIV. Retexamus: Velle fieri mala est malæ voluntatis. At hoc iam falsum. Contrà Augustinus, Bonum esse, vt sint etiam mala. At fieri mala, & esse mala, idem sunt: Ergo fieri mala bonum est. At velle bonum, non est voluntatis malæ: Ergo velle fieri mala, non est voluntatis malæ necessariò. Nam qui vult fieri mala, potest ita velle, vt hoc tantùm velit, nempe esse mala: quod si bonum est, tum profectò non est necesse eam esse malam voluntatem, quæ vult fieri, id est, esse mala.

XXXV. Instat: Quicunque vult mala, aut delectatur malis, aut iis vti vult ad bona. Concedatur partitio. At vtrumque hoc malum est: id verò negandum. Malum est delectari malis, proptereà concedimus Deum non delectari malis: ob eamque caussam distinctum est prius inter *εὐδοκίαν*, & *ἀρέσκειαν*. At vti malis ad bona, non est perpetuò malum: aliquando enim bonum. Nam eam ob caussam non veretur Augustinus dicere, bonum esse vt sint, id est, vt fiant mala. Quod ne cogitari quidem potest, nisi quia verti possunt in bonum.

XXXVI. At Apostolus negat esse facienda mala, vt eueniant bona. Respondeo, primò, Apostoli verba hæc sunt, *An non potius dicimus, sicut de nobis mali loquuntur, & sicut quidam aiunt, nos dicere, faciamus mala, vt eueniant bona, quorum damnatio iusta est.* Disertè, faciamus: vt de nobis, id est, hominibus sese loqui intelligas, quibus lex aliqua posita est, à qua si discedunt, peccent. At Deo nulla lex est posita. Indignum est autem, iisdem legibus eum subiicere, cum homuncionibus.

XXXVII. Secundò, argumentum vagatur extra oleas. Nemo bonus facit malum, vt eueniat bonum. At Deus est bonus. Ergo Deus non facit malum, vt eueniat bonum. Concedo. Imò Deus non tantùm non facit malum, vt eueniat bonum: sed omnino non facit malum. Neque de eo vlla nostra disputatio est. At non similiter; Nemo bonus vult mala, vt eueniant bona: sed tantùm bonus ille, qui est participatiuè bonus.

XXXVIII. Neque in eo quicquam difficilius, quàm in altero, quod pro eo Bellarminus obtendit: Velle, inquit, permittere mala, potest esse bonæ voluntatis: præsertim in summo rerum omnium moderatore. Nam quid illud *præsertim*? Vel enim applicat generale axioma: vt sit, etiam in aliis quàm summo moderatore, id verum esse: Vel arctat, vt sit in illo tantùm id verum. At prius illud falsum. Augustinus contra Iulianum libri quinti capite tertio, *Nos certè si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittimus, rei cum ipsis erimus.* Posterius autem verum. Sed quæ ratio diuersitatis? Nimirum hæc vna, quia Deus summus, alij non summi. Ille lege omni solutus præter voluntatem suam: Isti autem obnoxij summæ voluntati, quæ hanc eis legem posuit, vt nolint mala: hoc est, neque ipsi faciant; neque ab aliis permittant fieri. Itaque, vel eadem lex æquè prohibet permitti mala, ac velle. Vel eadem ratio æquè probabit, Deum velle & permittere: contra quàm putauit.

XXXIX. Sed vide mihi Bellarmini artificiū. Dixit Augustinus: *Neque vtique nolens sinit, sed volens.* Id dictum ita arripit, ac si suum illud non nolle, totidem syllabis legisset expressum. Itaque dixit, Augustinum dicere, Deum permittere non nolentem. Atqui non ita est: dixit enim, non sinere nolentem, non verò sinere non nolentem. Euinco tribus argumentis. Primo, quia inepta esset discretio, sinere non nolentem, & sinere volentem. Nam Bellarmino non nolle, non significat velle: ergo falsò Augustinus diceret, sinit non nolens, sed volens: Nam etsi concedat Bellarminus, sinere non nolentem; tamen non concedit sinere volentem. Secundo, ex contextu. *Non fieret si non sineret. neque vtique nolens sinit*: Vident enim omnes ita constare

syntaxin:

syntaxin: si non fineret, & nec finit: vt negatio referatur ad verbũ. Tertio, quia cap. nonagesimo sexto: *Non enim hæc nisi iusta iudicia fiunt.* At iustum iudiciũ non est tantùm non nolle, sed etiam velle.

XL. Iam quod negat Augustinum finisse dictorum, nihil fieri nisi Deus velit, aut finendo vt fiat, aut ipse faciendo; si Deus propriè vellet tam bona quàm mala: non rectè conceptum est: debuit enim dicere, si Deus eodẽ modo vellet, tam bona, quàm mala. Nam velle propriè mala, satis indicat, quum assent iusto iudicio finere. Est enim iustum iudicium propriè voluntas; & quidem τῆς εὐδοκίας beneplaciti. Sed tamen alio modo vult bona, alio mala: nempe illa quidem per se, & voluntate decreti, à quo est [illegible] nitas actionis, non verò defectus agentis, vnde vis distinctionis; vel finendo fieri, quia à Deo non fiunt propriè mala, sed ab hominibus; vel faciendo, quia ab eo propriè bona fiunt.

X[illegible]I. Quid autem? Negétne ab Augustino dici bonum esse mala fieri? Minimè: non enim potuit. Audite ergo acumẽ. Bonum est inquit, vt sint Deo permittente, non Deo agente & volente. Itane? Atqui repetamus. *Quamuis ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen vt non solum bona, sed etiam sint & mala, bonum est.* Nam nisi esset hoc bonum vt essent & mala, nullo modo esse finerentur ab Omnipotente bono: cui procul dubio, quàm facile est quod vult facere: tam facilè est, quod non vult esse non finere. Quæstio, vtrum bonum sit esse mala; & erat quæstio instar paradoxi: Sed sensus, autore Bellarmino, verum bonum sit esse mala Deo permittente. Affirmantuã partẽ Augustinus probat: Argumentum sumit; quia esse finũtur à Deo, id est, permittuntur. Ergo iuxta Bellarminum idem erit, ac si diceret, Bonum est, vt mala sint, permittente Deo, quia esse permittuntur à Deo: & quia mala esse, permittente Deo, significat mala permitti à Deo: tandem eo deuenitur, vt bonum sit mala permittĩ à Deo, quia permittuntur à Deo. Egregiam laudem, & spolia ampla. Et quis ita arguentem audiẽs dicent vnquam, *A dialectica Augustini libera nos Domine?* Sed hoc si est supra modum ridiculum: ergo manet certum argumentum: Quæcumque bonum est fieri, ea fiunt à Deo, non tantùm non nolente, sed etiam volente. At mala fieri bonum est: ergo mala fiunt non tantùm non nolente, sed etiam volente Deo.

XLII. Porrò non tantùm docet Augustinus certa Dei voluntate euenire mala: sed etiam eam voluntatem non esse operatione energiaque destitutam. Atque in eo multus est toto capite tertio libri quinti contra Iulianum Pelagianum; vt doceat peccata non tantùm esse peccata, sed etiam peccatorum præcedentium pœnas, atque eatenus fieri iusto Dei iudicio, quod Iulianus prolixè impugnabat; imò ridebat potiùs & exagitabat. De cæcitate Iudæorum, *Fuit Iudæis grande incredulitatis malum: & grandis causa peccati vt occiderent Christum. Iam istam cæcitatem, si pœnam fuisse negaueris, similem te perpeti etiam non confitens indicabis. Sin autem pœnam quidem fuisse, sed peccati pœnam fuisse contendis, iterum fateris, quod vnum aliquid & peccatum esse possit & pœna. Si autem non est hæc pœna peccati, profectò iniqua pœna est: & iniustum facis Deum, quo iubente, vel sinente, aut infirmum, quo non auertente, infligitur innocenti.* Et rursus commemoratis exemplis ex Esaiæ decimo nono, ac sexagesimo tertio, & sexagesimo quarto: Iosue vndecimo: secundi Chronicorum vigesimo quinto: *multa alia,* inquit, *commemorare possemus, in quibus liquidò appareat, occulto iudicio Dei fieri peruersitatem cordis, vt non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur: & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendacio & non credere veritati, vtique peccatum est. Venit tamen ab ea cæcitate cordis, quæ occulto iudicio Dei, sed tamen iusto, etiam pœna peccati monstratur.* Et iterum de Achabo seducto Prophetarum mendaciis, *Quid ad ista dicturus es? Nempe rex ipse peccauit falsis credendo Prophetis. At hoc ipsum erat & pœna peccati Deo iudicante, Deo mittente Angelum malum, vt apertiùs intelligeremus quomodo in Psalmo dictum est, misisse iram indignationis suæ per Angelos malos.* Et postea: *Quis enim dicat non peccasse spiritum credendo mendaci? Quis dicat hoc peccatum pœnam non fuisse peccati venientem de iudicio Dei, ad quem legit mendacem spiritum siue missum, siue permissum?* Item paulo pòst. *Tradit ergo Deus in passiones ignominiæ, vt fiant quæ non conueniunt: sed ipse conuenienter tradit, & fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum, sicut tradidit Achab in pseudoprophetarum mendacium: sicut tradidit Roboam in falsum consilium: facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua non solum in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari.*

XLIII. Ista Bellarminus dissimulauit, ideo alia descripsit. Prius ex verbis Pauli ad Romanos primo. *Tradidit eos in passiones ignominiæ* Augustinus ergo, *Sequitur*, inquit, *propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Audis propter hoc & quæris quomodo, quomodo intelligendus sit tradere Deus: multum laborans, vt ostendas eum tradere deserendo.* His verbis, inquit, videtur Augustinus non admittere Iuliani explicationem. Respondet autem non eam ob caussam Iulianum reprehendi: sed quia diceret, vnum peccatum non esse pœnam alterius peccati; atque id hinc ostendere conaretur. Sed Bellarminus, nihil nisi vmbram oppugnat suam, non vllum refutat argumentũ n[illegible]strũ. Nunquam, ex his verbis Caluinus, nunquam Beza, quicquam probarunt. Itaque quærat fame in hoc mustaceo lauream. Per me licet.

XLIV. Alter est disertior. *Quid est autem quod dicis, quum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per diuinam potentiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi:* Sententia erat Iuliani, verba Pauli pro arbitriu torquentis: & patientiam, id est, permissionem separantis à potentia. Sed vir Sanctus respondet: *Quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus, & patientiam & potentiam, vbi ait, sic autem Deus volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, tulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem.* Quasi diceret, ineptam esse elusionem, absurdéque separari patientiam à potentia: quum tamen eas Apostolus nono ad Romanos, coniunxerit. Vnde quis nõ colligat Augustino displicuisse eam sophisticen, quæ in hoc argumento permissionem nudam ponit seorsim ab energia, hoc est, potentia.

XLV. Bellarminus explicat, Iuliani sententiam fuisse, ideo dici Deum aliquos tradere suis desideriis, quia patienter illos toleret; & impunitos ad tẽpus relinquat, eóq; sensu solam patientiã nominasse. Hanc sententiam meritò improbari. Porrò potẽtiam Dei cerni in obduratione peccantium: vel quia sic obduratos punit: vel quia malas voluntates mirabiliter torqueat, regat, ordinet, vt ex eis bonum eliciat & faciat. Tamen non admitti impios à Deo per potentiam in peccata compelli.

XLVI. Sed hoc poſtremum de non compellendis in peccatum impiis per Dei potentiam, fruſtra in ſcenam venit. Manichæis obiiciatur ſane: Catholicis, quo iure? Nam hi peccati autorem nunquam conſtituant. Quod piget toties repetere. Non cōpellit Deus impios potenter ad peccata, quamuis non fiat per ſolam patientiam Dei id in quo homines peccant, ſed etiam per potentiam. Quod intelligendum, non tantum de fine, quum tamen ſit veriſſimum, Deum in impiis puniendis magnificè demonſtrare ſuam potentiam: ſed etiam de voluntatis inflexione, ordinatione. Atque hanc ipſam non eſſe duntaxat, quum malæ voluntates, quæ peccatum apud ſe conceperunt, torquentur in bonum euentū: ſicut ſæpe ventus ſuo impetu ſagittam emiſſam deflectit à ſcopo: ſed etiam eſſe in ipſa actionis entitate energiam. Hanc eſſe Auguſtini ſententiam probatur tribus argumentis.

XLVII. Primum argumentum à toto contextu. Agit enim non de puniendis peccatoribus ſimpliciter: ſed de puniendis per alia peccata: vt ſit ſenſus, elucere potentiam Dei in puniendis peccatoribus per poſteriora peccata. Itaque potentiam elucere vult, nō ſimpliciter in pœnis, vt in gehenna ignis, & in temporalibus etiam pœnis: ſed in peccatis, exempli gratia: in Achabi occæcatione: quæ fuit eius magnum peccatum; ſed tamen eiuſdem præcedentium ſceleratorum magna præſénſque pœna. Potentia Dei fuit in efficiēdo, vt Achab fidem haberet pſeudoprophetis; mira illa quidem, ſed iuſta; id eſt, expers peccati.

XLVIII. Secundum argumentum: ab exemplis quæ ſtatim ſubiunguntur ad id ipſum illuſtrandum; quæ omnia ſunt nō pœnarum ſimpliciter, ſed peccatorū vt Prophetæ decepti, & Achabi ſeducti.

XLIX. Tertium; ex eo quod diſertè ſcripſit, Deum non ſolùm in corporibus hominum, ſed etiā in cordibus operari ſua iudicia. Nam & quum iudicia nominat, id ipſum ſignificat: quis enim iudicem appellet, qui nihil niſi nudè permittat? & verbum operari diſertius eſt, quàm vt illud Sophiſtica obſcurari queat.

L. Rurſus ſentit Auguſtinus, Deum in cordibus impiorum efficaciter operari, etiam tum quum ad male agendum feruntur. De Prædeſtinatione Sanctorum capite vigeſimo. *Regnorum & Paralipomenon Scriptura teſte probauimus quum Deus vult fieri, quod non niſi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorū corda, vt hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui in eis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle.* De Gratia & Libero arbitrio cap. vigeſimo. *Scriptura diuina ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolum bonas hominum volūtates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam: verum etiam illas quæ conſeruant ſeculi creaturā, ita in Dei eſſe poteſtate, vt eas, quò voluerit, quādo voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas, ſicut ipſe iudicat, occultiſſimo quidem iudicio, ſed ſine dubitatione certiſſimo.* Et ſubiicit exempla tum Iudæorum fugientiū iuxta Hai, tum hoſtium quorū cor cōfortatum fuit à Deo contra Iſraelem. Semei etiam maledicentis Dauid: cuius voluntatem proprio ſuo vitio malam, in hoc peccatum iuſto ſuo, & occulto iudicio Deus inclinauit. Item Abſalomi. Tum verò initio vigeſimi primi capitis. *Quis non iſta iudicia diuina contremiſcat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum, quicquid vult, reddens tamen eis ſecundum merita eorum?* Sic adhibentur exempla Roboami reſpuentis ſalubre conſilium ſeniorum, indéque ſecutæ Tribuum diſtractiones: Philiſtæorum etiam & Arabum aſcendentium in terram Iuda. *Agit Omnipotens*, inquit, *in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere voluerit qui omnino iniuſtè aliquid velle non nouit.* Adde ex tertio capite quinti contra Iulianum, id quod paulo antè fuit recitatum, Deum operari in cordibus, non tantum in corporibus hominum.

LI. Horum locorum vim tantam, leuiſſima declinatione, quaſi corporis, eluſurum ſeſe Bellarminus ſperauit, vt vbi vires deſunt, ſæpe audacia ceptum latrones id ſperant conficere: Deum operari in cordibus, nimirum, ad vnum malum inclinando potius quàm ad aliud: non quidem malitiam inſerendo, aut inclinata corda ad bonum peruertendo: ſed inclinata proprio ad malum vitio, impediendo ne ferantur in aliud.

LII. En laureas! En trophæa! & facilia quidem! quando cum larnis duntaxat pugna fuit. Sed non effugiunt, vt non diſertiſſime dixerit Auguſtinus, non tantùm inclinare corda, & voluntates, ſed etiam agere in cordibus quicquid vult: neque hoc tantùm, ſed etiā agere motum voluntatis. At qui canalē ducit, inflectit quidē aquā, ſed in aquā nihil operatur, minùs minùs agit aquæ motū.

LIII. Pergo, docet inſuper Auguſtinus, tum malos homines, tum etiam diabolos ipſos, eſſe Dei inſtrumenta: quod in Caluino Sophiſtæ tam virulēter exagitant. Vt libro de Gratia & Libero arbitrio, capite vigeſimo. *Ecce quomodo probatur, Deum vti cordibus etiam malorum, ad laudem atque adiumentum bonorum. Sic vſus eſt Iuda tradente Chriſtum, ſic vſus vel Iudæis crucifigentibus Chriſtum. Et quanta inde bona præſtitit populis credituris? Qui & ipſe diabolo vtitur peſſimo, ſed optimè ad exercendam & probandam fidem & pietatem bonorum.* Confeſſionum noni libri capite octauo, quum confiteretur matrem curatam à vinolentia, per conuitium ancillæ conſciæ: agnoſcit fuiſſe id ferrum medicinale, quo Deus ad eam ſanandam vſus eſt. *Quid egiſti Deus meus? Vnde curaſti? Vnde ſanaſti? nónne protuliſti durum, & acutum ex altera anima conuicium, tanquam medicinale ferrum, ex occultis prouiſionibus tuis, & vno ictu putredinem illam præcidiſti? Tu Domine rector cœli, tum & terrenorum, ad vſus tuos contorquens profunda torrentis: fluxum ſeculorum ordinans turbulentum: etiam de alterius animæ inſania, ſanaſti alteram, ne quiſquam cum hoc aduertit, potentiæ ſuæ tribuat, ſi verbo eius alter corrigatur, quem vult corrigi.*

LIV. Hunc de Monica locum ſolum Bellarminus conſiderat. Negat incitatam à Deo ancillam, vel compulſam ad conuicium: ſed conuicium iam animo conceptum, & foras erumpens à Dei prouidentia ordinatum fuiſſe ad vinum Monicæ ſanandum. Probat ex verbis: quum dicit, ad vſus ſuos Deum contorquere profunda torrentis, fluxúmque ſeculorum turbulentum.

LV. Sed euaſio eſt ſimilis aliarum. Quum nihil aliud poteſt, conuertit ſe ad calumniam exagitandam, qua tum Caluinum, tum omnes Catholicos immeritò grauat. At Auguſtinus diſertè agnoſcit Deum vſum illo conuicio, vt medicum ferro. Si ergo ferrum medico inſtrumentum eſt ad ſananda vulnera: ergo & Deo conuicium illud ad Monicam curandam. Hanc tam potentem comparationem fruſtra eludant omnes Sophiſtæ: ab ea potius elidendi. Deinde conuicium illud agnoſcit prolatum

prolatum ex occultis prouisionibus Dei. Ergo inquam, non fortuito oblatum: imò verò, ne à se quidem ipso temere erumpens aut etiam offerens sese, subitaneo, tumultuarióque consilio vsurpatum: quomodo Turnus apud Virgilium:

---Saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum ingens, campo qui forte iacebat,
Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem.

Sed certo ratóque consilio delectum, in eúsque vsus tum temporis adhibitum: conuicium, inquam, illud: Ancillæ peccatum, Dei ferrum: peccatum ex ancillæ nequitia, ferrum ex Dei sapientia. Adde ex præcedentibus. Deum operari in cordibus improbrum & confecta res erit. Nam si tantùm ex conuicio iam concepto, iámque erumpente, vsus est ad sanãdam Monicam: ergo nihil operatus est in corde ancillæ, sed duntaxat Monicæ.

L VI. Quid iã superest? Ostenditur Augustinus credere euã mala fieri à Deo volente nec volente tantùm: sed enã efficaciter operante: operante autẽ non in corporibus duntaxat, sed & in cordibus: cordibus reproborum, &, si ita licet loqui, diabolorum. Deique non volente duntaxat, sed etiam vtente peccato tanquam instrumento. Quid ergo est, quod improbent in Catholicis Papistæ?

L VII. Absoluamus, & quomodo Deum Augustinus à peccato faciat alienum, consideremus. Enchiridij capite centesimo primo: *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipse bona multo amplius, multóque certiore voluntate. Nam illius mala voluntas nunquam esse potest. Tanquam si bonus filius patrem vult viuere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, vt hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus, iste verò id vult, quod & vult Deus: & tamen bona voluntati Dei pietas illius potius consonat, quamuis aliud volentis, quàm huius idem volentis impietas. Tantum interest, quid velle homini, quid Deo congruat: & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur.*

L VIII. Quid hîc Bellarminus? Distinguit res eas, quæ sunt per se malæ: ab iis, quæ sunt malæ, ratione præcepti positiui, eas prohibentis. Illas nullo casu posse fieri bene: Itaque in eis nunquam Deum velle id quod homines mali. In his verò facile fieri posse, vt idem bene velit Deus, quod malè vult homo: & bene velit, quod bene nõ vult homo. Ad has pertinere tum exempla, tum verba Augustini.

L IX. Mirum, si seriò Bellarminus agit: & non potius ludos miscet. Nam primò quod dicit, quædam esse ita mala per se, vt nullo casu fieri possint bene: id quidem est directè contra Augustinum, negantem Deum permissurum fieri mala, nisi bonum esset fieri etiam mala. Ac respondeat, si lubet, quo loco incestum Absalomi constituat. Nos certè in rebus per se malis: & tamen ea fuit iusta Dauidis pœna. Ergo hoc saltem casu bene factum est: non quidem ab Absalomo: sed à Deo per Absalomum. Quod si sic tamen intelligat, quædam esse, quæ ab hominibus nullo casu bene fieri possint: non contradicimus: & in eo ordine ponimus omnia, quæ sunt à Deo prohibita: in quibus tamen non raro Papistæ bonam intentionem excusant. Sed ab hominibus ad Deum nulla consequentia est: vt si illi illa non possunt; ideò ne Deus quidem bene possit procurare. Etenim vnum idémque opus, & Deus voluit & Absalomus. Tamen hic quidem nihil nisi incestum perpetrauit; quod nullo casu potuit bene. Sed Deus pœnam Dauidi propinauit; quam etiam per incestum iustè potuit velle, nec tantùm velle, sed etiam potenter infligere.

L X. Secundò, falsum agi ab Augustino de rebus illis per se indifferentibus, quæque mali rationem non habebant, nisi ex positiua prohibitione. Nam tum antecedentia, tum consequentia ostendunt agi de rebus per se malis: per quas Deus voluntatem suam perficit. Nam capitis centesimi manifestissima Thesis in eam rem. Tum sequentium series istæc est. *Tantùm interest* (& postrema clausula loci iam descripti) *quid velle homini quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt approbetur, aut improbetur.* sequitur: *Nam Deus quasdam voluntates suas, vtiq; bonas, implet per malorum hominum voluntates malas. Sicut per Iudæos maleuolos, bona voluntate Patris, Christus pro nobis occisus est.*

L XI. Manifestè igitur in exemplis nugatur. Nam etsi mors hominis per se nec bona sit, nec mala: & eam in exemplum Augustinus protulerit: Non tamen sequitur, disputari de eo rerũ genere. Nam quis nescit exemplis etiam aliena illustrandis, & propositionibus, & argumentis vtilia esse? Aut quis vnquam sanciuit, nulla adducenda, nisi ex eadem, de qua agitur, materia? Dixerat Augustinus per peccatum & Angelorum & hominum, impleri voluntatem Dei. Inde quæstio non exigua; quomodo ergo iustus sit Deus. Hanc ille soluit hoc axiomate: Deum non rarò velle quod vult creatura voluntate contraria. Hoc axioma demonstratur exemplo filij boni, qui non vult mortem patris; quam tamen Deus vult. Quod exemplum non pertinere ad propositam quæstionem, inde manifestum est; quòd per eam voluntatem boni filij, non impletur voluntas Dei, volentis mortem patris. Rursus, exemplo mali filij, qui vult mortem patris, quam Deus vult. Quod quidem neque ad Thesin pertinet, nisi per accidens: non enim quicunque vult patrem mori, idem patrem occidit, vt per eum impleatur voluntas Dei. Denique sensus est: Sic Deum velle bene peccatum, quod homo vult malè: quomodo Deus bene vult mortem patris alicuius, quam eandem malè vult filius.

CAPVT IX.

A Catholicis non constitui Deum autorem peccati.

I. HActenus Catholicorum argumenta fuerunt. Supersunt Bellarmini contra Catholicos. Primum est: quia ex eorum doctrina consequitur hoc absurdum, Deum esse autorem peccati. Id probat tribus argumentis.

II. Primo; Quicunque impellit & cogit alium ad opus quodcunque faciendum, eiusdem operis autor primarius est, & dicitur apud omnes gentes. At Deus, ex sententia Catholicorum, impellit & cogit homines ad peccata, quæ ab iis perpetrantur. Ergo Deus, autor est eorum peccatorum, quæ ab hominibus perpetrantur. Probat assumptum: Institutionis libri primi, capitis decimi, paragrapho octauo: *Homo iusto Dei impulsu agit quod sibi non licet.* Et capitis decimi septimi, paragrapho vndecimo;

impios à Deo cogi quasi freno, vt maleficia concipiant, & moliantur.

III. Secundò, Quicunque iubet peccatum, is autor est peccati. At Deus ex Catholicorum sententia, iubet peccatum. Ergo Deus est autor peccati. Probatur maior: quia opus quodcunque, ex communi consensu omnium gentium, magis pertinet ad imperantem, quàm ad exequentem. Probatur minor, quia Caluinus asserat loco proximè citato.

IV. Tertiò, Quicunque vtitur instrumento, autor est primarius eius operis, quod ipse per instrumentum facit. At Deus vtitur impiis dum peccant, tanquam instrumentis, ex sententia Catholicorum. Ergo Deus auctor est primarius omnium peccatorum. Minor patet ex assertione Caluini & Bezæ.

V. Respondeo, Bellarminum ludere pueriliter in nomine peccati, quod ante omnia distinguendũ fuit. Id etsi iam ab initio nobis factum: tamen repetere non piget. Peccatum ergo nominatur, vel quatenus actionem significat, vel quatenus eius actionis qualitatem: id est, defectum; vnde fit, vt ea actio, non actio simpliciter dicatur, sed peccatum, id est, actio mala. Vt qui cantum dicit; non simpliciter vocem intelligit, sed vocem sic modulatam: & qui cursum, non motum, sed motum concitatissimum. Et qui blasphemiam, nõ sermonem, sed sermonem impium aduersus Deum. Quemadmodum igitur in cantu, cursu, blasphemia, concurrunt in vnum vox & modulatio; motus & concitatio: sermo & impietas: sic in peccato, actio & defectus. Ac quemadmodum illa distincta sunt, habéntque singula suã diuersam & rationem, & definitionẽ: alioquin nulla vox esset nisi cantus: nullus motus, nisi cursus: null⁹ sermo, nisi blasphemia: sic & hęc. Nõ est enim omnis actio peccatum. Notemus hæc distinctionis mẽbra, suis titulis: &, si placet, appellemus peccatũ sub ratione actionis, peccatum materialiter: & peccatum, sub ratione defectus, peccatum formaliter.

VI. His positis, dico non sequi ex Catholicorũ doctrina, Deum esse autorẽ peccati formaliter: sed tantũ esse authorẽ peccati materialiter. Vt cũ scriba mouet calamum non bene aptatũ; is autor est scripturæ prauæ materialiter; quia calamũ mouet aptè ad formandos characteres; quos à se ipso calamus nunquam formaret: sed non esse causam scripturæ prauæ formaliter; quia hæc prauitas est à calamo malè aptato. Sic imperator militibus caussa est pugnæ ignauæ materialiter, quia iussit pugnare: at non formaliter, quia ipsi milites à se pugnarunt ignauè. Esse autẽ Deũ autorẽ peccati materialiter, ipse De⁹ nos antea docuit in Absalomo, in Achabo & alibi.

VII. Autor autem peccati formaliter est ipse homo, qui actionem suam malè vult, & malè facit: vt calamus habens in se aptitudinem malam, causa est deprauatæ scriptionis: & milites ad mandatum imperatoris, conferunt suam ignauiam: vnde quod imperator bene iussit, ipsi malè exequuntur.

VIII. Tria igitur notanda. Primùm, hominis diabolíque naturam totam esse à se corruptam. Secundum, hominem malum & diabolum proponere sibi semper malum finem: Deum contrà bonũ. Tertiò, Deo nullam esse legem positam. Nam hæc tria illustrant hoc argumentũ. Si caussa prima, caussæ proximæ infunderet corruptionem; tum esset etiam caussa peccati formaliter: At illud quum non sit, neque hoc. Quia autem ratio peccati tota est in voluntate: voluntas autem nunquam agit nisi proposito scopo; potest actio per se, nec bona, nec mala, fieri bona, proposito bono fine: & mala, proposito malo: vt dare panem esurienti, bonũ est, si tantũ ad esurientem pascendum: malum autem, si ad vanam gloriam. Omnis autem actio, materialiter indifferens est; quia bonitas & nequitia formalitatem significant. Itaque nihil mirum à Deo ad bonum aliquod bene fieri, quod ab homine malè fit ad malum. Denique multa creaturis prohibentur, quæ Deo licita sunt: vt Roboamum regno spoliare, Deo fas erat: at non erat populo. Itaque Roboamum eũ Deus priuauit imperio in decẽ tribus, iustè priuauit: at idem hoc ipsum decẽ illæ tribus nequiter fecere.

IX. Et tamen hæc tria Bellarmino non satisfaciunt. Contra primum obiicit, peccatum primi hominis & Sathanæ: quod ortum nõ habuit ex aliqua præexistente naturæ corruptione. Quæri tamen etiam in eo, cur mala fuerit voluntas ante naturæ deprauationem; Dei verò minimè.

X. Sed Bellarmini peccatum hac parte, inde est, quòd Catholicos putauit nihil aliud nisi sequentia peccata considerare, quæ sunt à præcedenti corruptione. At hoc falsum: omnia enim peccata cõsiderant, etiam primũ. Itaq; dicunt hanc ipsam corruptionem, quæ facta est in primo peccato, esse à creatura, quæ tum primum sese ipsa corrupit, non autem, à creatore corrupta est. Itaq; etiam hic tam distinctè consideranda voluntas Dei à voluntate hominis, quàm in alio vllo peccato: nec minus iustè Deus voluit hominem edere de ligno scientiæ: homo autẽ malè: quàm Deus voluit iustè Roboamũ excedere regno, Israelitæ autem nequiter. Quid tũ autem, si corruptio nulla fuit præexistens? Dum fuit coëxistens, id est, eo ipso momento nata, cùm primùm homo peccauit? Neque enim Adami voluntas non æquè verè peccauit, & à se ipsa peccauit, id est, defecit à lege, eodem momento, quo seipsam corrupit; quàm Cain, quum iam corruptus à natiuitate fratrem occidit.

XI. Contra secundum obiicit illud Pauli, non esse facienda mala, vt eueniant bona, tertio ad Romanos: vnde conficit, bonam intentionem, & finẽ bonum animo conceptum, id efficere non posse, vt ea liceat facere, quæ per se & intrinsecè ex obiecto mala sunt. Secundò, quærit, vtrum mala illa intentio sit à Deo, néc ne.

XII. At hæc obiectio iam antè soluta est breuiter: Nulla actio materialiter sumpta per se mala est; est enim à natura: ideò & à Deo, Sed & intentione mutatur plerũque: vt aliàs bona sit, aliàs mala. Cæterùm intentio omnis est à Deo: sed est mala non à Deo, sed à creatura deficiẽte à creatore. Contrà ille: Si Deus impellit ad peccata: & peccatũ nullum sine mala intentione: ergo Deus impellit ad malam intentionem. At huius consequentiæ nulla vis est: nã oportuit concludi; ergo Deus impellit ad id quod non est sine mala intentione: quod verũ est. Deinde Augustinus docet Deũ agere in cordibus malorum, quod fieri non potest nisi impellat malam intentionem: id est, eam intentionẽ, quæ suo vitio mala est.

XIII. Contra tertium. Primò, etiam voluntatẽ Dei vtentis malo instrumento, esse legem eius instrumenti, quam implere teneatur. Itaq; sequi, tunc hominem præuaricari, & non præuaricari. Secundò, Deo suam sapientiam esse legem, cui nõ minus teneatur non repugnare, quã eius legi homines. Ergo si impellat homines ad ea quæ sapientiæ repugnãt, erit eius mala voluntas. Tertiò: Legem Deo nullam positam, sic intelligendum, quia sponte sua, imo natura,

tura, semper conformis est voluntas sapientiæ: non quòd liceat Deo seipsum negare homines impellendo ad ea quæ repugnant æternæ legi.

XIV. Respondeo: Ad primum; nego hanc Dei voluntatem esse legẽ, quam teneatur instrumentũ malum implere: sed potentiam, qua deducatur, & ordinetur ad implendum id quod decretum est à Deo. Quare hominem tantùm esse præuaricatorem: quia nihil aliud velit, quàm legem sibi à Deo impositam, transgredi.

XV. Ad secundum: Nego Deum vnquam contradicere suæ sapientiæ; ne tum quidem cũ malis instrumentis vtitur. Nõ enim aliud est voluntas, aliud sapientia in Deo. Itaque simul sapienter vult. Non ergo impellit quenquam ad id quod suæ sapientiæ repugnet: sed eum, qui eius sapientiæ repugnat, ducit, & ordinat ad implend. sapientiæ decreta.

XVI. Ad tertium: Dico Deo nullam legem esse positam; sic intelligendum, nullam ei legem extrinsecam esse impositã, cui sit obnoxius. Nam, si volũtatem dicas; assentiar: sed ea non est lex extrinseca. Imò propriè loquẽdo, nulla lex est, quum quicquid libet, licet. Itaque nunquam Deus repugnat suę sapientiæ: nunquã seipsũ negare potest. Nunquã etiã quẽquã impellere ad ea, quæ repugnãt æternæ legi; sed homines impulsos ad ea quæ non repugnant æternæ legi, vt Israelitas ad deiiciendum Roboamũ; ipsos repugnare legi sibi positæ, suo proprio vitio.

XVII. Iam contra distinctionẽ peccati in peccatum formaliter & peccatum materialiter Bellarminus obiicit. Non posse vllo modo fieri, vt homo Deo impellente faciat, quod lege Dei prohibitum est: & tamen Deus impellens autor sit operis, non criminis. Rationem addit: Quia crimen non sit, nisi patrato operis lege Dei prohibiti.

XVIII. Sed Bellarminus contradicit Augustino; qui docuit Deum operari in cordibus prauorũ: contradicit Scholasticis, qui impelli malos docent ad entitatem operis, nõ ad corruptionem. Contradicit Scripturæ docenti hostes Israelis incitatos à Deo fuisse contra Israelem. Ratio autem est elumbis; quia, vt diximus, etiam in hominis effectis, potest esse opus ab homine, operis qualitas ab instrumento. Cur non in prouidentiæ effectis?

XIX. His positis discussisque, facilis responsio ad tres primos syllogismos. In primo cõceditur maior. Minor autẽ, si peccata nominat materialiter, vt oportet, quia in maiori peccata nulla sunt, sed opera; conceditur totus syllogismus. Nam Deus sese autorem profitetur discessionis decem tribuũ à regno Dauidis; quod tamen fuit peccatum: imò incestus Absalomi, quod tamen fuit grauissimum crimen. Et eo modo intelligendi sunt loci Caluini.

XX. Sin autẽ intelligantur peccata formaliter, syllogismus fit ex quatuor terminis: & paralogism' *[illegible]*: vt quũ olim sophistę concludebãt carnes coctas emptas; quia essent coctæ comestæ: & eadẽ tamen quæ emptę. Corrũpuntur autem, qui è Caluino recitantur loci laceri, luxatique.

XXI. Prior sic habet. *Si quos autẽ magis impediat, quod nunc dicimus, nullum esse Dei cum homine consensum, vbi hic ipso illum impulsu agit, quod sibi non licet: succurrat quod alibi admonet idem Augustinus: Quis non ad ista iudicia contremiscet? vbi etiam agit Deus in cordibus malorum quicquid vult, reddens eis tamen secundùm eorum merita?* Hic disertè testatur Caluinus nullum esse Dei cum homine consensum; etsi homo agat eius impulsu: Itaque impulsum sine dubio aliter intelligit, quàm Bellarminus calumnietur: Nam peccatum formaliter est in voluntate. Itaque assẽsus pertinet ad peccatum formaliter: impulsus autem ad peccatũ materialiter. Quod si nullus est consensus Dei cum homine in peccato formaliter: ergo neque hominem Deus impellit ad hoc.

XXII. Alter locus disertior: *Verum vbi in memoriam reuocant, diabolum totámque impiorum cohortem, sic omnibus partibus, manu Dei, tanquã fræno cohiberi, vt nec concipere vllum aduersus nos maleficium, neque conceptum moliri, nec ad perpetrandum, si maximè moliãtur, digitum mouere queant, nisi quantum ille permiserit, imò nisi quantum mandarit: nec compedibus tantùm eius teneri ligatos, sed etiam ad obsequia præstanda, fræno cogi, habent vnde se prolixè consolentur.* Hic mihi tu primùm agnosce tuã calumniam, Bellarmine, qui scripseris à Caluino dictũ impios à Deo cogi, quasi fręno, vt maleficia cõcipiant & moliantur. Quid simile? Nam fręni vocabulo bis vtitur Caluinus: primò vt dicat cohiberi, vt ne concipere quidem valeant maleficium. Hoccine verò est cogi, vt maleficia concipiant? Imò hoc ipsum est, quod tu affirmabas Bellarmine, capite decimo tertio, Deũ præsidere ipsis volũtatibus malis, easque regere, & gubernare, torquere, flectere: in eis inuisibiliter operando, vt licet vitio proprio malæ sint: tamen diuina prouidentia ad vnum potiùs malum quàm ad aliud ordinentur. Hoc tu qui dicis potes Caluini fręnũ improbare? Rursus dixit Caluinus impios ad obsequia præstanda fræno cogi. Quænam hæc calumniandi rabies, quæ pro obsequio maleficium substituit? Nam etsi re vera maleficiũ sit, quod impij concipiũt, moliũtur conficiũt: tamen sensus est Caluini, eos cogi non ad maleficium, nam id sponte agunt: sed ad obsequium: hoc est, inuitis illis accidere omnipotente Dei volũtate, vt quę maleficia concipiunt illi, vertantur in obsequium Dei. Quomodo nihil minus volebat Absalomus, quàm castigare Dauidẽ ob scelus admissum in Vriam: & tamen Deus, quum vellet Dauidem castigare, effecit, vt Absalomus id efficeret, quod tamẽ moliebatur ad tyrannidem suam stabiliendam.

XXIII. In secundo syllogismo admittitur maior: quia iubere non est caussæ summæ simpliciter: sed caussæ moralis. At negatur minor. Non enim dicunt Catholici, Deum iubere peccata. Imò dicũt inuisibiliter operari in cordibus malorũ. At iubere non est inuisibiliter operari. Si quis ita dixit: aut *[illegible]* dixit, aut à blasphemia excusari nequit.

XXIV. In tertio, idem vitiũ est quod in primo: nam quũ maior de operibus loquatur: tum minor assumit peccata. Itaque similiter respondeo: Si peccata intelligas formaliter: syllogismus fit ex quatuor terminis. Sin autem materialiter conceditur totus syllogismus. Nam certè Deus est autor primarius omniũ operũ, quæ impij faciunt quantũuis impiè.

CAP. X.

A Catholicis non doceri Deum peccare.

I. SEcundum Bellarmini contra Catholicos argumentũ: quia ex eorũ doctrina consequitur, Deum non solũ esse peccati autorem, sed etiã verè, & propriè peccare. Horrendã, Deus bone, blasphemiam! quam non Libertini tantùm liberè proferre non ausint: sed vix etiam animo cõcipere Diaboli. Ab ea si immunis est Catholicorum doctrina, quã esse oportet desperatam illorum impudentiam, qui illos tanta calumnia onerant.

II. Calumniam fulcit duobus argumentis. Primo, Quæcunque caussa particularis libera, aliquid agit repugnans legi, siue naturali, siue positiuæ, siue temporali, siue æternę: ea verè ac propriè peccat. At Deus est caussa particularis libera, agens aliquid repugnans legi. Ergo Deus verè & propriè peccat.

III. Maior probatur: Nam tria requirūtur, vt aliquis verè, ac propriè dici possit peccare. Primùm, vt actio repugnet alicui legi: inde enim Patres definiunt peccatum, prævaricationē legis. Secūdum; vt actionis caussa sit libera: inde enim bruta, pueri, stulti, dormiētes, nō peccant. Tertiū; vt ea caussa sit particularis: ita vt actio talis sit in specie, quia à tali caussa procedit. Quia enim caussa vniuersalis indifferens est ad hanc, illāmve actionē; nō potest rectè dici hāc actionē esse talem in specie, quia sit à causa vniuersali: sed tātū quia à causa particulari, quę vniuersalē limitat, ac determinat. Itaq; quoniā deformitas peccati consequitur actionē, vt est talis in specie, id est, peccatū: ergo nō potest ea deformitas in causā vniuersalē, sed in particularē propriè referri.

IV. Minor autem probatur, quia Caluinus non neget Deum cōcurrere ad actiones, quæ cū æterna lege pugnent: nō neget etiā liberè ac secundū consilium voluntatis suæ omnia operari: vtrumq; verè: sed insuper affirmet non vt caussam vniuersalē concurrere, sed vt tales sint in specie velle ac imperare, & per instrumenta sua propriè efficere: esse igitur caussam particularē, tum moralē, tum physicam. Institutionis secundi capite quarto, paragrapho secūdo. *Omitto hic vniuersalē Dei motionē, vnde creaturæ omnes vt sustinentur, ita efficaciam quidlibet agendi ducunt. De illa speciali actione tantùm loquor, quæ in vno quoque facinore apparet. Idē ergo facinus Deo, Sathanæ, homini assignari videmus non esse absurdū.* Et libri primi capite decimo octauo, paragrapho secundo. *Certè nisi operaretur in cordibus hominum, non rectè dictum esset auferre labium à veracibus.* Et rursus: *Dicitur etiam Sathan excæcare infidelium mentes: sed vnde hoc, nisi quod à Deo ipso manat efficacia erroris?* Sic Beza contra Castellionē aphorismo vigesimo secundo: Deum nō solùm excitare instrumenta ad actiones illas, quæ malæ sunt & peccata, respectu instrumentorum: sed etiam creare ipsa instrumenta, id est, homines ad eum finem, vt actiones illas ab eo intentas & decretas iam inde ab æternitate perficiant.

V. Respondeo, argumentum laborare duplici homonymia. Prima est in lege: altera in caussa particulari. Lex enim dicitur, vel generaliter, quæ cuicumque imposita est: vel specialiter, quæ illi de quo agitur. Si argumētum sit de lege specialiter: negatur minor: Quia Deus nihil agit cōtra vllam legem sibi impositā. Quum enim legē nullā habeat, præter voluntatē propriā siue sapientiā, nihil autē agat, prętet eam voluntatem, eámque sapientiā: ergo nihil agit contra suam legem: ac proinde peccare non potest.

VI. Sin autem de lege vniuersaliter, negatur maior: nam ne inter homines quidem quisquam peccat, qui agit contra legem alij impositam. Sic non tantùm in Romana Republica nemo peccabat felē occidens, quod apud Ægyptios erat capitale: sed etiam in eadem Republica, populo multę constitutę sunt leges, cōtra quas si Reges agant, nullo tenētur crimine. Sic enim prohibent quenquam pecunias exigere, quod ipsi tamen quotidie faciunt; imò non regnant, nisi faciāt; & bellum mouere læsæ maiestatis crimē est subdito: Regis verò etiam officiū. Quid in religione? Suillas carnes liberè Christiani comedunt, à quibus abstinendum Iudæis erat. Ipsi Papistæ, quæ hîc variè obseruant, si exequar, iusto sim prolixior. Negant licere à Sacerdote abstinere à calicē: à quo laicos arcent. Negant licere Sacerdoti coniugem esse, quod nemini laicorum prohibent. Infinita sunt eiusmodi.

VII. Quid mirum, si Deus sit solutus iis legibus, quibus creatura implicatur? Hinc præceptū Abrahamo datum de occidendo proprio filio: contra legem, *Non occides.* Et rursus, mandatum Israelitis de spoliandis Ægyptiis: contra legem, *Non furaberis.* In quibus negari nō potest Deus fuisse specialis caussa, si nō physica, certè moralis. Quid ergo? Peragēt reum Papistæ parricidij, & furti? vt libet. At Catholici negabunt vllius peccati reum esse posse. Nam etsi prohibuerit nobis homicidiū ac furtum: tamen sibi ipsi liberum esse vult dispensare tum vitam, tum bona hominum à se conditorum: adeò vt quicquid agat, non possit esse reus homicidij, reus furti.

VIII. Altera homonymia est in caussa particulari: quā dum ita describit Bellarminus, vt sit à qua peccatum non tantū sit, id est, habet entitatem suā: sed etiā est peccatum: hoc est, habet illum ipsum defectum, à quo ratio est peccati: nę ille longissimè abit à Caluino: qui tantùm distinguit vniuersalē motionem à speciali, vt significet Deū ita rebus suis prouidere: vt nō tantùm vim quandā indiderit creaturis suis agendi: sed etiam vt eas agētes regat, & moueat per singulos actus. Quomodo sol ita est vniuersalis caussa omnium seminū: vt tamen specialiter agat in singula semina: vt ne minimū quidē granum creetur nisi eo prę̄sēter agēte: & musicus ita organū mouet, vt singulos cōcētus totidē pulsibus efficiat.

IX. Itaque rursus ad syllogismū: Si caussa illa particularis intelligatur secundùm Caluinum, negatur maior. Nam quemadmodū Musicus specialiter agit pulsando instrumentum: nec tamen dissonantiæ auctor erit, si organum sit vitiosum. Et sol ita agit in producendis seminibus, vt tamen venena ipse non faciat. Sic Deus optimè nouit sua infinita sapientia agere efficaciter in singulis actibus etiam malis: vt tamen à culpa sit alienissimus.

X. Sin autem caussa particularis intelligatur secūdùm Bellarminum, tum negatur assumptio. Etsi enim à Deo habet omne opus malum suam entitatem: tamen non habet defectum. Et sanè nulla peccata Deus per se facit, sed per instrumenta. Hæc autem instrumenta necesse est aliquid agere. Nam si nihil, quorsum adhiberentur? Si agunt: ergo secundùm qualitatem suam. Si ignita sunt, ignitè: si frigida, frigidè: si humida, humidè: si dura, durè: si libera, liberè: cur non etiā, si bona, benè: si mala, malè? hoc dico quod aliàs dixi: quemadmodū mors vniuersæ carnis in diluuio fuit à Deo specialiter agente: sed suffocatio ab vndis, quibus ille pro instrumento vtebatur: & finis mundi ab eodem erit: sed conflagratio ab igne, qui adhibebitur: sic punitio Dauidis fuit à Deo efficaciter agente: sed incestum ab Absalomo instrumento: punitio Roboami à Deo, sed rebellio à decē tribubus: itaque qualitas actionis non est à Deo: ac propterea neque Deus caussa particularis, secundùm Bellarmini definitionem.

XI. Superest, vt videamus, vtro sensu Caluinus & Beza sint loquuti. Fiat ex ipsis locis iudicium. Primus distinguit vniuersalem motionem, à speciali actione. Ita est sanè: & quidē docens non agere Deū in peccatis per vniuersalem illam motionem, sed per specialem actionem: hæc ex ipso contextu pa-

tet.

ret. At quid tum? Adde enim sequentia. *Idem ergo factum Deo, Sathanæ, homini assignari videmus non esse absurdū: sed varietas in fine & modo, facit, vt illic inculpata Dei iustitia reluceat; Sathanæ hominisq; nequitia, cū suo opprobrio se prodat.* Audin' non iustitiam Dei tātum, sed inculpatam? At peccatum nullum inculpatum. Ergo Caluinus non credidit Deum sic esse particularem caussam, vt ab eo peccatū fit male. Audin' rursum, Sathanæ & hominis nequitiam? At hæc peccatum: ergo credidit Caluinus Sathanam & hominem esse particularē caussam peccati, sensu Bellarminiano. **B** Præterea docet nō tantùm finē, sed etiā modū agēdi distingui: hoc est, nō tantùm Deo alium finē esse, quā Sathanæ & homini: sed etiā alium modū agēdi. At certè modus agendi pertinet ad qualitatē actionis. Perspicuū est autē Caluinū concedere Sathanā & hominē peccare: Ergo necesse est Sathanę & homini assignari modū actionis, quo fit peccatū: qui si alienus est à modo Dei: ergo Deo nō tribuitur caussa illa Bellarmini particularis. Da simile: Quū serra vnus faber, vnum idemq; opus fit à fabro & serra: **C** sed in agendo alius est fabri modus, alius serræ. Ille reciprocādo, hæc rodēdo. Et est tamen fabri motus non vniuersalis, quasi cū primū impulerit serrā, tum eā sibi permittat: sed specialis, adeò vt tamdiu illum oporteat motū reciprocare, quādiu opus nō est perfectum. Sed serratura tamen propriè serræ est & nō fabri; nā si idem eadē reciprocatione limam aget, serratura nulla erit, sed limatura. Omnino similiter: speciali motione Absalomū Deus impulit: & tamē Absalomi incestus fuit: At cùm iisdem speciali mo- **D** tione Iosephū impulit, nō incestus fuit, sed castitas.

XII. In reliquis Caluini locis, quid est quod reprehēdat? An quod operatur Deus in cordibus? Magnū Theologum! qui nescit ea ipsa verba Augustini: Sed agit in cordibus, ergo est caussa particularis. Falsū: nā agit faber in serra, & non est particularis caussa serraturę. An quod à Deo manet efficacia erroris? Mirū in Paulo dici scribat: nā is eius est error, si error est: atq; adeò nō aliūde Caluinus sumpsit. Sed etsi efficacia erroris manet à Deo, nō tamē error ipse, ac proinde nō est erroris caussa particularis Bellarminiana. **E**

XIII. Sed argumentum ergo, sicut in conuersione peccatoris Deus est, qui propriè illuminat, & conuertit: sic in peruersione item, Deus is erit, qui propriè seducat, ac peruertat. Apage tantā insaniā. Quasi verò æquè ratione immittat Deus, vt efficaciā erroris. Nā in conuersione peccatoris vtrūq; facit: hoc est, nō efficaciā motū luminis, sed etiā ipsum lumē subministrat à seipso. Itaque inter hæc comparata non est ratio: ideoque nulla vis consequentiæ.

XIV. Nec absurdū à suo Caluino Beza: cuius hæc verba: *Sic autē agit per illa instrumenta; vt nō tantū sinat illa agere, nec tantum moderetur euentū: sed etiā excitet, impellat, moueat, regat, atque adeò, quod omniū est maximū, creet, vt per illa agat, quod constituit: quæ omnia recte fa-* **F** *ciat Deus, & sine vlla confusione.* Quid hæc habent quod accedat ad illā particularē caussam Bellarmini? Manifestū est, inquit calumniator, actiones malas, vt tales sunt in specie, à Deo asseri sententias; & ipsi, vt veræ & propriæ ac principali caussæ, esse tribuendas. Imò manifestū est, hūc sycophantā esse, scilicet ille nobis Bezę doctrinam, ipso Beza melius insinuabit: qui **G** quidem disertè ait, omnia Deum facere rectè, & sine vlla confusione.

XV. Hoc erat primū argumentum. Alterū, si Deus est verè ac propriè autor peccatorum, quæ à nobis fiunt: ergo Deus verè ac propriè peccat. At ex Ca- **A** tholicorum sententia, Deus est verè ac propriè autor peccatorum, quæ à nobis fiunt. Ergo, ex eorundem sententia, Deus verè ac propriè peccat.

XVI. Respōdeo; Peccatorū materialiter, aut peccatorum formaliter: formaliter negatur assumptio, vt semper: quia in eo nō potest non esse impudentissima calūnia. Materialiter negatur cōsequentia. Nam quæ caussa est, vt sol nō polluatur à cadauere ex quo fœtorem elicit: & polluatur Deus ex hominum peccato, ex quo suauissimum suę iustitię odorem extorquet? **B**

XVII. Sed hāc similitudinem à sole Bellarminus ferre nō potest. Quā Caluinus his verbis cōcipit paragrapho quinto capitis decimi septimi in libro primo Institutionis. *Vnde quæso fœtor in cadauere, quod calore solis tū putrefactū, tum reseratū fuerit? Radijs solis excitari omnes vident: nemo tamē illos fœtere ideò dicet. Ita quū in homine mali subsidat mali materia & culpa, quid est quod inquinamentum aliquod contrahere putetur Deus, si ad suum arbitrium vtatur eius ministerio?*

XVIII. Non valet similitudo, inquit Bellarminus, **C** vt ostēdat Deū non peccare, licet sit caussa cur alij pec. ēt. Os impurū! Atqui id nūquā Caluinus cogitauit. Tātū enim hac cōparatione docet, ita per impios operari Deū, vt non polluatur eorum peccato.

XIX. At pergit: & hāc similitudinē obseruat tribus rebus peccare. Primū, quia cadauer ante actionem solis est cadauer. At Deus affirmatur excitasse peccatum in voluntate primi hominis, quum adhuc esset integra. Secundò, sol est caussa vniuersalis: Ita- **D** que fœtor est ex cadauere, non ex sole. At Caluino Deus est caussa particularis. Tertiò: Sol non agit libera voluntate neque per actionem immanētem, sed transeuntē in aliud: itaque nō posset corrumpi excitans fœtorē: at qui libera voluntate facit alium peccare; is etiam continuò peccat: nam ipsa voluntas, qua alium vult peccare, in ipso est.

XX. At sunt hęc nihili. Nā disertè Caluinus in homine subsidere mali materiam docet, quomodo in cadauere fœtoris. Itaque hactenus similitudo est. In **E** primo autē excitasse peccatum, Caluinus nō dixit: etsi dixerit, hoc ipsū nō sine prouidētia euenisse, vt neque reliqua deinceps: sed de peccato formaliter, nō sic loqui didicit. Ad secūdū: sol quidē est prima, & vniuersalis: sed tamē efficaciter agēs, & proximè mouens cadauer ad fœtorem: & sic Deus hominē ad peccatū: & quomodo fœtor à cadauere est, nō à sole mouēte: sic peccatū ab homine, non à Deo. Nā illud de caussa particulari, iā explicatū est. Ad tertiū: sol nō agit libera voluntate: sed neq; fœtor peccatū est: At nihilominus similiter Deus liber agit in homines peccantes, quomodo sol in cadauer fœtens: **F** falsum autē eū qui libera voluntate facit aliū peccare, materialiter ipsum peccare, vt iā exposuimus.

CAPVT XI.

An Catholici statuant Deum solum verè peccare.

I. TErtiū Bellarmini cōtra Catholicos argumētū: quia consequatur ex eorū doctrina: Deū **G** ita peccare, vt homines à peccato iudicari debeāt immunes. Probat, qua de Adamo, qua de reliquis.

II. De Adamo: Nemo peccat in eo, quod vitare non potest. At primi parentes in statu innocentiæ, malas actiones vitare non potuerunt. Igitur primi parentes nostri non peccauerunt.

III. Probatur maior: Omne peccatum est voluntarium. At quicquid vitari non potest, est inuoluntarium. Ergo, quod vitari non potest, non est peccatum. Probatur maior ex Augustino de vera Religione capite decimo quarto, negante peccatum esse, quod non sit voluntarium.

IV. Probatur minor: Caluinus libro tertio Institutionis capite vigesimo tertio, paragrapho septimo. *Inficiari nemo potest quin præsciuerit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet: & ideo præsciuerit, quia decreto suo sic ordinauerat.* Docet igitur Deum ex sua sola voluntate, antequam determinationem liberi arbitrij primi hominis prævideret, decreuisse hominis lapsum. Ergo non potuit primus homo non peccare, quia voluntati Dei resistere nemo potest. Idem paragrapho nono non negat hominem necessariò peccare: tantùm inexcusabilem dicit, quia Deo sua constat ratio, cur homini peccandi necessitatem iniecerit. Et libro de æterna Dei Prædestinatione. *Ad iustam hominis condemnationem satis erat in via salutis quũ esset collocatus, inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit? Quid tum an ideo culpa liberatur, quæ tota in eius voluntate residet* Beza contra Castellionem. *Quærenda est vitij origo in instrumentorũ spõtaneo motu, quo fit vt Deus iustè decreuerit, quod illi iniustè fecerunt At enim dices, non potuerant resistere Dei voluntati. Fateor: sed sicut non potuerant, ita etiam noluerunt. Verum non poterant aliter velle. Fateor, quo ad euentum & ἐνέργειαν: sed voluntas tamen Adami coacta non fuit.*

V. Respondeo primi syllogismi negari maiorẽ. Nam originale vitari non potest: At originale est peccatum. Ergo aliquod peccatum vitari non potest: ac proinde aliquid quod vitari non potest, est peccatum. Præterea, quicquid necessariò euenit, est ineuitabile. At scandala necessariò eueniunt, Matthæi decimo octauo. Ergo scandala vitari non possunt. Sunt autem scandala peccata: ergo quædam peccata vitari non possunt. Tertiò: Quicquid necessarium est, est ineuitabile. At diabolis peccatum est necessarium: nam aliàs possent esse boni: ergo diabolis peccatum est ineuitabile. Et tamen peccatum. Itaque non est de ratione peccati, vt non sit ineuitabile.

VI. In probatione maioris negatur minor. Nam omne peccatum est voluntarium: at peccatũ originis vitari nõ potest. Ergo aliquid quod vitari nõ potest, est voluntariũ Sic scandala vitari non possunt. Sic diabuli sua peccata vitare non possunt. Itaque hanc partem Bellarminus confirmare debuit. Nam peccatum esse voluntarium, quid erat necesse disputare? nemo enim negat.

VII. Instat Bellarminus: ab Augustino, sic dici peccatum voluntariũ, vt opponatur necessario. Negãt hominẽ teneri crimine, si necessitate peccasset, in de vera religione, ca. 14. Et in de correptione & gratia, ca. 11. docet homini à Deo datum adiutoriũ, vt posset permanere, si voluisset; quod adiutorium: *Si, inquit, vel homini, quam primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidissent.*

VIII. Respondeo, necessitatẽ duplici notione vsurpari, vel vt significet certitudinem euẽtus, ita vt successus falli nõ possit. Et hãc necessitatẽ omnino esse agnoscẽdã in omnibus, quæ præuidet Deus ac decernit. *Sic necesse est euenire offendicula.* Matthæi 18. *Sic mutato Sacerdotio, necesse est, vt fiat mutatio legis,* ad Hebræos 7. *Fieri non potest, quin eueniant scandala:* Lucæ 17. *Impossibile erat Christum à morte teneri,* Actorum 2. *Impossibile est, vt qui semel fuerint illustrati, si prolabantur, denuo renouẽtur;* ad Hebræos 6. Hæc eadẽ necessitas, nõ semper voluntatẽ perimit. Nã Deus ita voluntate bonus est, vt necessariò bonus sit, id est, nõ possit esse malus. Et diaboli post lapsum ita mali, vt nõ possint fieri boni. Quin potius sæpè hæc necessitas voluntatẽ mouet. *Omnẽ Pontificẽ* (ad Hebræos 8.) *necesse erat habere quod offerret.* Et Lucæ 22. *Venit dies azymorũ in quo necesse erat occidi Pascha.* Quia hac necessitate fiebat, vt tum Pontifices voluntariè munera acciperent, quæ offerrent: & Iudæi ea die immolarẽt agnũ Paschalẽ. Sic Paulũ oportuit Romæ testificari, Actorũ 23. quod tamẽ sua voluntate fecit.

IX. Alterũ est necessitatis genus; quã coactionẽ hodie vocare solent, quæ volũtati ex diametro opponitur: ac significat, quũ quis absq; vllo volũtatis suæ motu, ab externa aliqua caussa violẽter impellitur; id est, cogitur ad agendũ; vt omnino faciat id quod nõ vult: siue ne cogitãs quidem, vt quũ ex improuiso in periculũ incidit: siue cogitans quidẽ, sed inuitus, & reluctante saltẽ volũtate: vt quum olim Christiani cogebãtur thus incẽdere ad altare: nostro etiam seculo, nõ pauci Catholici delati sunt ad missam: alij metu præsentis carnificinæ eodẽ præcipitati, quam tamen spiritus ardore detestabantur.

X. Horũ duorũ necessitatis generũ, prius nego aduersari peccato. Nã si non obstet voluntati, certè peccatũ, cuius ratio est in voluntate, non potest ei opponi. Etsi enim ille relapsus in epistola ad Hebræos non possit renouari, hoc est, ad pœnitentiam redire, tamen non tantum in relabendo peccat, sed etiam in iis quæ post lapsum facit malè

XI. At alterũ aduersatur peccato. Quãquã, ne hoc quidẽ sẽper. Nã quandiu superest optionis aliquid, tãdiu locus potest esse peccato. Sic olim thurificati illi nõ excusabãtur; propter vim præsẽtẽ, quę violenter illos inflexerat, ad cõmunicãdũ Idololatriæ. Quãobrẽ? quia supererat electio, monẽdũ potiùs, quã thus incendendũ: sola igitur coactio cõtradicit peccato, quæ nullũ omnino locum relinquit voluntati: neque præcedenti: neque concomitanti.

XII. Iam Augustinum dico intelligẽdũ de coactione. Probo. Primò, quia idipsũ caput ex libro de Vera Religione, vnde sua Bellarminus excerpsit, ita inchoatur: *Defectus iste, quis peccatum vocatur: si tanquam febris inuitum occuparet, rectè iniusta pœna videretur.* Certè febris est in posteriore necessitatis genere: hanc ergo Augustinus intellexit peccato esse contrariam.

XIII. Deinde idipsum docetur ex eo, quod & peccatum dicitur voluntariũ; & volũtas opponitur necessitati. Eodem loco. *Vsq; adeo peccatũ voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntariũ. Et hoc quidẽ sic manifestũ est, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Et paulò pòst. *Si non voluntate malefacimus, nemo obiurgandus est omnino, aut monendus.* Ista sic opponunt voluntatem & necessitatẽ, vt pro eodẽ vsurpẽtur, nõ volũtate peccare, & necessitate peccare Sic in libro de incarnatione verbi (etsi is non videtur Augustini) cap. 2. *Cõsequẽs est intelligere, nõ nos necessitati esse subiectos, vt omnino etiam si nolimus, vel bona, vel mala agere cogamur.*

XIV. Vrget Bellarminus: ab Augustino opponi voluntatem necessitati, non coactioni. At hic lusus est vocabulorum ineptus. Augustini tempore nondum erat natum coactionis vocabulum: neque eo vtitur vnquam Augustinus: sed ij tantùm

qui aliquot seculis postea in scholis docentes, necessitatis ambiguitatem viderunt esse vitandam: itaque pro coactione tum temporis necessitas vsurpabatur. Quid attinet autem [illegible]? Quum constet & necessitatem aliàs opponi voluntati, aliàs non opponi: & Augustinum necessitatem opponere voluntati?

X V. Iam verò Caluinus & Beza vtrum necessitatis genus intelligant, facile est videre. Nam qui illam non concipit in eorum verbis, quæ voluntati non opponitur, quid ingenij? imò quid oculorum dicam habere? Non enim ratiocinatione opus est ad [illegible] consequentias: Sed oculis ad nuncupatam [illegible]bas. An non sunt hæc perspicua? Caluini. [illegible] *aliter no potuit. Quid tum? an ideo culpa liberatur, quæ [illegible] in eius voluntate residet*: ergo & necessitate? & [illegible] statuit Caluinus. Quid Beza? *Quærenda [illegible] vitij origo in instrumentorum spontanea motu*. [illegible] spontaneum, id est, voluntarium? Quid? ad eos qui [illegible]ebant, Adamum non potuisse aliter vel e quomodo respõdet? *fateor*, inquit, *quoad euentum*, [illegible] *sed voluntas tamen Adami coacta non fuit.*

X V I. Instat Bellarminus. Non potest responderi, inquis, eosdem, qui vitare peccatum non possunt, vere peccare, quia volunt peccare. Ratio: quia non possunt non velle: nam, si possent non velle: possent etiam non peccare; quum in voluntate peccatum sit, formo syllogismum: Nemo qui non potest non velle peccare, peccat. Atqui peccat volens, quum non possit vitare peccatum, is non potest non velle. Ergo qui peccat volens, quum non possit vitare peccatum, non peccat.

X V I I. Sed negatur maior: quia, illud non posse vitare, iam expositum est de necessitate euentus; non autem de coactione: atque adeo ita necesse est. alioquin esset implicatio contradictionis in terminis syllogismi. Nam, si non posset vitare propter coactioné: ergo non peccaret volens. Qui igitur peccat volens, hac necessitate euentus is vere peccat: quia peccat volens: & nullo modo coactus.

X V I I I. Atque hactenus de Adamo. De reliquis. Si Adamus non peccauit, quia vitare peccatum non potuit; ergo neque post Adamum reliqui. Probatur consequentia. Nam si Adamus vitare non potuit, multominus reliqui. Probatur consequentia: quia Adamus habebat gratiam & liberum arbitrium. At reliqui post peccatum ex Catholicorum sententia carent gratia Dei & libero arbitrio.

X I X. Respondeo; nodum hunc esse facilem ex precedentibus. Nam antecedés supponitur falsum, nempe Adamum non peccasse: illud etiam calumniosum, priuari homines libero arbitrio post peccatum. Sed hac de re disputatio erit propria proximo tomo, si Deus dederit.

CAP. XII.

An ex Catholicorum doctrina sequatur nihil esse peccatum.

I. Postremum argumentum Bellarmini: quia ex Catholicorum doctrina sequatur peccatum nihil esse, nisi falsam opinionem. Quod est absurdum. Nam si semel tollatur discrimen boni & mali, continuo fides ac religio tolletur è medio; & omnis politica gubernatio penitus interibit.

I I. Probatur id consequi. Nam si blasphemũ & Christianis auribus intolerandum videtur, Deũ peccati esse autorem, & solum ipsum vere peccare: nihil aliud restat, nisi nullum esse, neque vnquam fuisse peccatũ. Probatur consequentia. Quia si est peccatum: ergo, vel Deus peccat, vel homo. At non Deus. Nam summum bonum nihil potest mali facere. Non etiam homo. Nã, quicquid agat, Deo iubente, impellente, atque adeo necessitatem inferente, facit. Ergo nemo peccat. Si peccat nemo, nullum est peccatum. Quæ doctrina est Libertinorum; in quam serió Bellarminus inuehitur.

I I I. En [illegible] Papistarum! En [illegible] Iesuitarum! Adeo illis nihil est pensi, dum maledicant Catholicis. At Caluinus Libertinos compescuit: & compescuit hoc ipso obiecto absurdo, quo nunc videri vult Bellarminus triumphare, capite decimo tertio: sic legas, si legas *Hoc concesso* (nempe, Deum ipsum facere quæcunque facimus, quod Quintinus asserebat) *imputandum esset Deo peccatum, aut concludendum nullum in mundo peccatum fieri: cùm nihil fit, quod non fiat à Deo. Sic omne boni & mali discrimen tollitur: Vnde sequetur, nobis non licere aliquid vt malum vituperare, cùm omnia sint opera Dei.* Et postea. *Notandum ex hoc articulo tria admodum execranda consequi. Quorum primum est, hoc concesso, nullum inter Deum & diabolum discrimen fore. Alterũ, quod homines nulla amplius ad vitandum malum conscientia mouebuntur. Tertium, quod nemo iam audebit de re aliqua iudicare. Sed omnia probanda erunt.*

I V. Sic ille vir verè magnus & sanctus Libertinos compescuit. Atque ei tantam gloriam inuidere possunt quidem diaboli: inuidere Papistæ: inuidere Iesuitæ: sed certè detrahere non possunt; quantumvis inuidiâ illis ilia rumpantur: quibus stertentibus: quanquam, eheu, nõ stertentibus, sed attentissimè vigilantibus, laniandis Catholicis: sed illis tamẽ, siue stertentibus, siue laniantibus Catholicos, Caluinus sol Libertinorum immanissimam pestem cõpescuit. Et tu quidem, Caluine, post eos domitos; post Seruetianos extinctos, post Gentiles, Blandratas, Memnones, Socinos cõculcatos post Papistas, & Vbiquitarios tã potenter profligatos, vt colligere vires nequeãt; agis tuos in cœlo triũphos: imò actus es in cœlum tuis pro Christo, & veritate triumphis: lucens vt stella, quia multos docuisti, qui tibi per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Belgium, Angliam, Scotiam, referunt acceptam veritatis agnitionem.

V. Beza Caluini Elizæus, post erectum in Possiaceno Colloquio, in ipsis sui Ministerij primis rudimẽtis, immortale trophæum, de victis veritatis hostibus: post innumeros ab iis initiis exantlatos pro fide Catholica labores: post magnã & eruditionis & pietatis laudẽ multis annis integrè conseruatam, ipse etiã fœliciter migrauit ad Dominum, his ipsis diebus, quũ hæc scribebamus, tũ veritatis aduersũ latratus Papisticos asserẽdę gratia: tũ ad magnorum virorũ nomen, ab impudẽtissimis rabiosorum canũ calumniis vindicandum. Nec tã profectò personarum amore, quã ipsius veritatis. Est enim vtriq., tũ Caluino, tũ Bezæ cũ veritate caussa cõmunis: imò nulla caussa nisi veritatis. Hãc à Papatus immanissima tyrãnide fortiter, intrepidè, cõstãter tutatã, illi dolent, in quos valuit [illegible]. Viuunt verè felices animæ: viuunt apud Deũ teste. Et testẽ dico: imò vindicẽ pietatis [illegible]. Ad quem Beza, suo certè tempore, migrauit plenus laude apud viros bonos: annis etiam satiatus. Sed, qui bonorum est in bonos affectus, non absque lachrymis charitatis,

quibus abeuntem ad sua prosequuti sunt omnes, A quibus religio cordi est: quibus hæreses odio.

VI. Mirū verò, si qui genius uobis Lutheros, Caluinos, & Buceros, morientes finxit pro arbitrio, nō etiā de Beza finxit somnia noua. Et qui poterūt non mentiri de eius placidissima, verèq; Christiana morte, quibus tam fuit exosa vita? Illi, inquā, qui ante hanc diem, ipsi quidem optatam: Vidi enim, vidi ipse paucis ante obitum annis, iam nihil fermè præter cælos meditantem, & tertio quoque verbo ad cœlos suspirantem: sed ante hanc diem, B ipsi exoptatam, uobis, pro humanitatis modulo, tristem, sępè finxerunt, & in pulpitis publicè per totam Galliam prædicarunt, eiurata Christi veritate, ad Papismum, tanquam ad vomitum, esse reuolutum. Sed quærant, inueniant, fingant, quidlibet pro arbitrio, vt illis nūquam desint Staphyli, nunquam Bolleci; eiúsque farinæ homines. Quid tum? Certè neque turbabitur secura in Domino quies: neque obscurabitur sole purior laus in Ecclesia.

VII. Obiit die Dominica Prid. id. Octob. anno Christianæ salutis quinto supra mille & sexcentos: qua eadem die sol defectum passus. Vnde hæc nostra ἐπικήδεια carmina, grati in præceptorem animi monumenta.

Defecere duo Beza & Sol lumina terris.
Lumina sed constant, Sol sibi, Beza sibi.

Ἄλλα.

Μὴ τί γε ἐκλείπεσθαι κατὰ Θεόδωρε, βροτός γ' ὤν.
Καὶ γὰρ δ' αἰθέριος σύμπαθεν ἥλιος.
Ὦ τῆς ξυντυχίης, Βέζας τίς δε καὶ τῷδε φάος
Ἀμφοῖ μαρμαίροι ὅμως ἐν οὐρανῷ καὶ.
Σύμπαθεν ἥλιος σοι δὲ Θεόδωρε, θνητὸς
Ἀλλὰ πάλαι Χριστῷ ξύμπαθεν ἥλιος.

Τὸ ξυμμεμφρίας χειρὸς τίδε, καὶ τίδε κάλον;
Κάλλος καὶ κεφαλῆ ξύμπαθεν ἥλιος.
Κ' ἄτ' ἐπεὶ εἰς αἴγλην Θεόδωρε Ναὶ μάλα εἰ γὰ
Ἥλιος τ' αἴγλη Χριστὸς αἴγλη τάπεζα.
Οὐα ἴδων ἥλιος πάχει πάχε τὸ δ' ἀλλὰ Χριστῷ
Οὐκ ἔξεστιν πάχειν Χριστὸς ἀμ' ἡλίῳ.
Καίρετε δὴ πάντες Βέζα ξυμμεμφόμενοι. καὶ
Χριστῷ χ' ἡλίῳ ξύμπαθεν ἐκ ἔθανε.

VIII. Redeo ad Bellarminum, meo sic functus vtcumque in præceptorem optimum, à Sycophantis impiè laceratum, officio. Argumenti Bellarmiani hæc vis est: Aut Deus non est autor peccati, aut nullum est peccatum. At non est Deus autor peccati. Ergo nullum est peccatum. Negatur propositio. Nam tum ex veritatis, tum ex Catholicorum doctrina vtrumque verum: & Deum non esse autorem peccati; & esse peccatum. Itaq; detonet audacter contra Libertinos: dummodo meminerit se aut nondum nato, aut certè non ita pridem C nato, Libertinos à Caluino conuictos: & Catholicis acriores nullos esse Libertinorum hostes. Ac sanè, quinam ad eos accedunt propiùs? Catholicíne, qui omne peccatum sua natura mortale pronunciant: an Papistæ, qui magnam partem volunt esse venialia, an venalia? Nam, quod Caluini prolem Libertinos dicit, canis est latratus impudentissimi, non hominis sani testimonium.

IX. Pergit: Aut Deus peccat, aut homo. Rectè. At non peccat Deus. Optimè. Non peccat D etiam homo. Pessimè. Vnde enim conficitur? Quia Deo iubente, impellente, necessitatem inferente. Quo sensu? Quanquam non est necesse eandem telam texere. Iam curatum, Iam confectum negotium fuit.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER

LIBER QVARTVS DE CHRISTO.

Caput Primum.

DE DVARVM CHRISTI NATVRARVM Vnione Hypostatica.

DE Deo Incarnato Seruatore, Redemptoréque nostro, deinceps acturi, fidem nostram sic profitemur, conceptis verbis in Confessionis Gallicæ articul. 14. & 15 *Credimus Iesum Christum, Sapientiam & Filium æternum Patris naturam nostram assumpsisse, ita vt vna sit persona Deus & homo Homo, inquam, & corpore & anima passibilis, nobisque per omnia, excepto peccato, similis: vtpote cuius caro sit vere semen Abrahæ, & Dauidis, quamuis arcana & incomprehensibili Spiritus Sancti virtute fuerit suo tempore in vtero beatæ illius virginis concepta. Ac proinde omnes illas hæreses, quibus olim turbata fuit Ecclesia, vt illi veritati contrarias, detestamur: ac nominatim quidem diabolicas Serueti imaginationes, Domino nostro Iesu Christo imaginariam Deitatem tribuentis, vt quem videlicet dicat ideã & exemplar fuisse rerum omnium, & Filium Dei personatum, siue figuratum appellat. Denique corpus ei fabricatũ ex tribus increatis elementis compactum, ac proinde vtramque naturam miscentis ac destruentis.*

II. *Credimus in vna eadémque persona, quæ est Iesus Christus, vere & inseparabiliter, duas illas naturas sic esse coniunctas, vt etiam sint vnitæ, manente tamen vnaquaque illarum naturarum in sua distincta proprietate, ita vt quemadmodum in ista coniunctione, Diuina Verbi natura proprietates suas retinens, mansit increata, & infinita, & omnia replens: sic etiam natura humana manserit, mansuráque sit in æternum finita, suam illam naturalem formam, dimensionem, atque adeo proprietatem habens, cui nimirum veritatem humanæ naturæ non ademerit resurrectio, & glorificatio, siue assumptio ad dexteram Patris.*

A *Itaque sic Christum consideramus in sua Deitate, vt ipsum sua humanitate non spoliemus.*

III. Reuocantur autem omnia, quæ de Deo incarnato, id est, Christo, quæri possunt, ad duo capita: agi enim necesse est, vel de eius persona, vel de eius officio. In persona cõsiderãtur, primũ duæ naturæ: scilicet diuina & humana, per quas vnus idẽq; Christus dicitur verè Deus æqualis Patri, & verè homo, similis nobis in omnibus, excepto peccato. Deinde earũ naturarũ vnio; quę, quia cõstituit vni- B cam personã, ideo personalis, siue hypostatica fuit appellata: cuius significatio hæc est, Filiũ Dei ab æterno verum Deum, subsistentemq; in propria persona distincta à Patris persona, in Virginis Mariæ vtero sic assumpsisse hominem (nam sic loqui non reformidabant vetustissimi) id est, vt postea cautiùs contra Nestorium loqui cœpit Ecclesia, humanam naturam, ante id momentum assumptionis, nusquam existentem, ideóque nunquam per se subsistentem, id est, propriam personam constituen- C tem: ita, inquam, hanc humanam naturam assumpsisse, vt in consortium vnius, indiuiduæque personæ vniuerit: non eodem, sed certè simili vnionis genere, cum ea, qua, in homine quouis, anima rationalis corpori vnitur, vt fiat vnus homo.

IV. Et de his quidem propriè nulla est controuersia disputanda; tantùm calumnia discutienda gemina: altera, de ipsa vnione: altera, de ea, quæ hanc vnionem consequitur, communione proprietatum. Priorem seuerè exagitant tum alij, tum D Posseuinus Iesuita in refutatione responsionis Dauidis Chytræi, Atheismo septimo. Caluinus dicit susceptam esse extra tempora ab æterno Dei Verbo personam Mediatoris: & hanc quidem personam, inquit, non ab officio, sed à reipsa definis. Itaque apertè indicauit credere cũ Nestorio, duas esse personas, temporalem alteram, alteram æternam. Gautierus Chronographicæ tabulæ seculo quinto in

Nestorianis. *Erit fortè*, inquit, *qui eum excusatum putet; intelligendo personam, non subsistentiã, sed ex in qualitatem. Verum ea præciditur excusatio;* nam iam editione Latina dicat, *Personam voco subsistentiam.* Addunt Calumniatores Bezam aduersus Brentium, scribentem duas esse in Christo hypostaticas vniones, vnam, in corpore, & anima simul personaliter vnitis: alteram, in λόγῳ & homine ad vnum Christum personaliter constituendum coeuntibus. Et Gautierus citat librum eius de vnione hypostatica duarum in Christo naturarum, capitibus sexagesimo quarto, & sexagesimo quinto: item librum de omnipræsentia carnis Christi contra Brentium.

V. Imò, tum Caluinus, tum Beza constanter propugnarunt veram de vnitate hypostatica doctrinam contra Vbiquitarios; quorum heresis mixta ex Nestorio & Eutyche, tantum illud mysterium fœde perfundat. Cuius locos? Institutionis libri secundi capite decimo quarto, paragrapho primo. *Qui Filius erat Dei, Filius hominis factus est: non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.* Paragrapho quarto. *Procul abigendus est a nobis Nestorius, qui dum naturã distrahere potius, quàm distinguere volebat, duplicẽ Christũ ita comminiscebatur: quãdo Scripturã videbat clara voce reclamare, vbi & Filij Dei nomen tribuit ei, qui de virgine nascitur; & virgo ipsa mater Domini nostri appellatur. Cauendum & ab Eutychiana insania, ne, dum volumus personæ vnitatem demonstrare, vtramque Naturam destruamus.* In formula confessionis fidei studiosorum: *Confiteor eum, qui est sapientia æterna Dei Patris & vnius cum eo essentiæ, induisse nostram carnem, ita vt sit Deus & homo in vna persona.* Audin' à Caluino & vnitatem personæ assertam, & Nestorium æquè cum Eutyche abominatum?

VI. De Beza quid dicam? Nam singulæ (vt ita dicam) eius paginæ nihil aliud sonant. Quæstionum & responsionum parte prima. *Quæstio, Atqui simus est Deus immutabilis: quomodo ergo factus est homo? Responsio Non permixtione naturarum vel proprietatum aut transmutatione vlla Dei in hominem; vel hominis in Deum, quorum neutrum fieri potest: sed tam arcta & domestica Deitatis filij cum assumpta hominis natura connexione, vt Filius Dei iam sit vnica persona, verus Deus, & verus homo, Iesus Christus.* Et paulò post *Vniri* [illegible] *siue personaliter dicuntur. quæ sic iunguntur, vt inde exsurgat vna & eadem* [illegible]*, seu persona, sicut anima & corpus sic vniuntur ad constituẽdam vnam naturam humanam, vt in vnam personam, siue in vnum indiuiduum cocant. Huius generis quoque est vnio duarum naturarum in Christo non ad vnum quoddam tertium, sicut perperam censuit Eutyches, sed ad vnam hypostasin, siue personam constituendam coeuntium, absque vlla vel ipsarum naturarum vel essentialium proprietatum confusione: Vnionem autem dixi naturarum non hypostaseon, ne ex duabus hypostasibus vna coaluisse existimetur, quum vna sit in Christo subsistentia, ipsius videlicet verbi propria, in qua etiam subsistit altera assumpta natura, videlicet humana. Nec enim persona personam, sed natura diuina, eaq; in vnius filij hypostasi (id est, quatenus filius, non autem quatenus Pater aut Spiritus Sanctus in ea subsistit) naturam humanam, propria, vt ita loquar, personalitate destitutam, assumpsit.*

VII. Ergo Caluinus, ergo Beza: ergo Catholici vnicam Christi personam agnoscunt. Quid Sycophantæ? potéstne vt erubescant? Imò sine dubio suum illud [illegible] iterabunt: Hoc nempe, contradicunt sibi ipsis. Nam huc deueniunt tandem, quum nihil habeant sani, quod opponant: nimirum, non olim tantùm Hercules furens duplices vidit Thebas. En tibi Christianam sinceritatem! verumtamen, vt latrent canes, homines mentis non emotę locum dabunt innocentiæ, quam isti nebulones, quoquomodo obruitam volunt.

VIII. Caluinus capite decimo tertio libri primi Institutionis, disputabat de tribus vere distinctis Trinitatis personis: ideóq; probabat varijs Scripturæ locis filium esse verè Deũ. Quo in sermone, quia fieri non poterat vt nullos citaret locos ex ijs, qui de filio agunt incarnato; coactus est protestari in hæc verba: *Etsi autem Mediatoris personam nondum attingo, sed differo vsque in eum locum, vbi de redemptione agitur: quia tamen sine controuersia inter omnes constare debet Christum esse illum sermonem carne indutum, huc optimè conueniunt quæcumque Deitatem Christi asserunt testimonia.* En tibi calumniæ ansam Posseuino & Bouerio. *Rursus ex quo manifestatus est in carne Christus, Filius Dei vocatur, non tantum quatenus ante secula genitus ex Patre fuit æternus Sermo, sed quia mediatoris suscepit personam & munus, vt Deo nos coniungeret.* En tibi calumniæ ansam Gautiero.

IX. Sed respondeo, personam mediatoris dupliciter dici, nam persona Latinis aliquando significat qualitatem, qua quis ab alijs distinguitur, vt Cicero tertio de officijs, exuere dixit amici personam, induere iudicis. Aliàs autem vsurpatur pro subsistentia, siue indiuiduo per se subsistente. His positis, quid iam quęso Sycophantę rodunt in Caluino? assumptam ab æterno personam Mediatoris. Sed vbi, quæso, hoc Caluinus? Nam in locis citatis nihil tale. Personam mediatoris à Caluino nondũ attingi lego; at non lego assumptam ab æterno. Finxitne Posseuinus, vt alia multa. At Caluinus in responso Ecclesiæ Geneuensis cõtra Stancarum. *Certe ὁ λόγος æternus iam ab initio ante lapsum Adæ, & alienationem ac dissidium humani generis à Deo, fuit Mediator.* Et cur non ita Caluinus, inquam? quum legeret agnum occisum ab initio mundi? Attendite quæso vim Sophismatis: ab initio mediator: Mediatoris persona: Ergo ab æterno assumpsit personam mediatoris. Ergo duas personas cum Nestorio. O Sycophantæ! Cuius tandem rei pudebit vos? Atqui primò, Caluinus nunquam dixit Filium Dei assumpsisse Mediatorem: sed egisse mediatorem: [illegible] διὰ μέσου? Atqui si assumpsit mediatorem: mediator ergo alius fuit à filio: quomodo? quia assumpsit natura Diuina humanam naturam; alia sua & alia natura: At Caluinus; tantum abest, vt alium mediatorem docuerit esse à Filio Dei, vt potiùs à vobis, Sycophantæ, impugnetur, quia mediatorem dixit non tantùm qua hominem; sed etiam qua Deum. Non tantùm igitur nunquam dixit assumptum mediatorem; sed ne potuit quidem dicere: sic tu mendacissimus, Posseuine.

X. Deinde, quid calumniamini personam mediatoris? aut quid hæc cum Nestorio habet commune? Nam Nestorius personas cogitabat hypostases totidem, quot naturas: vnam, inquam, hypostasin Deitatis; alteram humanitatis. Siccine Caluinus, Sycophantæ? Atqui mediator non est hypostasis: ipsum illud, inquam, quod mediatoris nomine primò & per se significatur, non est hypostasis. Abeóne lungè vt probem? An vobis ipsis potius testibus vtar, Sycophãtæ, qui fatemini personam Christi esse Deitatis: & negatis tamen esse mediatorem secundum Deitatem? Quid ergo? Sine dubio mediator, non [illegible] est, imò neque natura, sed est officium

ficum. Itaque tu, Gauttere, vbi animum habuisti: cum ex Gallica editione Institutionis, illud tantum citas *Suscepit personam Mediatoris*, quum Latinè sit *Mediatoris suscepit personam & munus.* Nam quum Gallicè personam solam nominet: Latinè autem personam & munus; cur tu nebulo, non vidisti, Latinè personam & munus esse [illegible]? Tu, inquam, qui in hac eadem sycophantia, vteris Latina editione quæ personam vocat subsistentiam: quam Gallica residentiam dixit; vnde tui gregales alterius calumniæ ansam sumunt? Adeo vos estis vitilitigatores, syllabarum aucupes, Sycophantæ, nebulones: vno verbo Iesuitæ.

XI. Sed ille personam definiuit subsistentiam. Ergo, cùm negauit se attingere personam Mediatoris, intellexit subsistentiam. O acumen Iesuiticum! O subtilitatem Gauterianam! Non enim Gautierus de Sophistarum vulgo. Peccat manifestò [illegible]. Personam subsistentiam vocat in mysterio Trinitatis: at non vbique. Quum Patris personam dicit; dicit ὑπόστασιν: & cũ Filij, & cũ Spiritus Sancti. Ita est: haud aliter Caluinus docet; quanquam latrabant contra hoc ipsum Sycophantæ canes postea. An & vbique? minimè verò. Potuit ergo dici Caluinus alia, atque alia notione personæ vocabulum vsurpasse, quum de Christo loqueretur. At non potuit, nisi Sycophanticè accusari Nestorianismi: sed Sycophantis nulla distinctio placet: nulla explicatio admittitur: Denique nulla est legitima ἀπολογία; Cur istuc? Cæci sunt; cæcorum duces. O vobis Sycophantæ, vel [illegible], vel [illegible].

XII. A Caluino ad Bezam venio. Is Brentij Omnipræsentiam confutans, scripsit, *Quum Christum nomino, vnum dico ὑφιστάμενον: & duas simul vnitas naturas, quamuis diuersissimas: τὸν λόγον ἄσαρκον videlicet: & totam humanam naturam, id est, vera humana anima, & vero corpore humano constantem intelligo. Est igitur in vno & eodem Christo duplex vnionis hypostatica exemplum: vnum, in corpore & anima simul vnitis: alterum, in τῷ λόγῳ & homine ad vnũ Christũ personaliter constituendum coeuntibus.* Hæc verba vix tam citò exciderunt viro sanctissimo, quàm exceperunt boni isti viri, magnę tragœdiæ occasionẽ. Nònne sic habẽtur (inquit Feuardentius) duæ hypostases siue personę?

XIII. Bona verba, Franciscane: Si tamen à te bona verba possunt expectari. Sed non audis vnum ὑφιστάμενον? Quomodo ergo duas personas? Quomodo duas hypostases? Nimirum tam tu Græcès, Latinèque doctus, vt ne ὑφιστάμενον intelligas, neque personas, neque ὑφιστάμενα. Et cùm huiusmodi monstris nobis est subinde confligendum: quibus, vtpote imperitissimis, nihil potest dari iniustius. Cęterum Bezam satis ipse Beza purgauit, qui in libro de Hypostatica Vnione duarum in Christo naturarum Iacobo Andreæ hoc dictum exagitanti, primò respondit; non sequi necessariò à se constitui duas personas: Deinde nõ erubuit hoc ipsum durius dictum retractare: exemplum modestiæ singularis, tũ suo antagonistæ, tum maximè Iesuitis nunquam imitandum præbens. *Non recuso* inquit vir non certè [illegible] magis quàm pius) *Non recuso, quod ambiguè [illegible] emendare.* Sed tu mihi Gautierum hic vi[illegible] cophantam; qui rem sibi non comper[illegible] ex nescio quo blaterone oblatã carpit. [illegible] duas has hypostases à Beza assertas in hy[p]ostatica libro, repetiras in alio de [illegible] gemino mendacio: nã & hic liber illo prior fuit, & in hoc non repetitum, sed retractatum fuit id, quicquid est incommodi. O Iesuitæ, quando sani?

XIV. Quòd si non satisfaciebat prior purgatio; quę ipsa à Posseuino tractatur iniquissimè; etsi nullo cõtra prolato argumẽto; sed propria dũtaxat auctoritate; quod toti ordini solẽne est; quasi totidem nobis dictatores, singulæ tunicæ illæ, quas [illegible] Sultanicas ab imperio appellitãt, nobis crearẽt: At debuit saltem posterior retractatio importunos clamores cõpescere. Quid enim? An vos omnẽ pœnitẽtiæ ansã semel præciditis? An crẽditis nõ ferendũ, vt si quid cui imprudẽter elapsũ est, id nũquã liceat retractare? At nũquã efficiẽt quorũlibet Sycophãtarũ immodesti strepitus, ne vllius quidẽ Sultanicæ imperia, vt Catholicos pœniteat proficere in melius: & imitari boni illius Patris Augustini exemplũ. Confecit ille Retractationum libros, nec postea quisquã obiecit illi, quos tũ recãtãdo purgauit errores. Imò, cũ Hieronymus nõnihil in eius epistolis obseruasset nõ satis cautę dictũ de vsu Iudaicorũ rituũ, nec tãtùm obseruasset: sed certè multo [illegible] excepisset: nõ tã indignatus quòd ab homine modestę charitatis fines excedente vellicaretur: quàm gauisus, quòd opportunè moneretur. *Fateor sanè*, inquit, *in eo quod epistola cõtinet mea, quod ideo sacramenta Iudæorũ Paulus celebrãda susceperat, quũ iã Christi esset Apostolus, vt doceret nõ esse perniciosa, his qui ea vellẽt, sicut à parẽtibus per legẽ acceperãt, custodire: minus me posuisse illo duntaxat tẽpore, quo primũ fidei gratia reuelata est.* Pacauit hęc ingenua cõfessio hominẽ alioqui iratum, & ferocioris ingenij. Quid igitur de nostris cẽsemus Papistis? Certè non tãtũ nihil habere cõmune cũ Hieronymi virtutibus; sed etiã eius vitia, si qua fuerunt, longè superare. Bezam verò non ideo esse hæreticum, quòd illi sint Sycophantæ, iam puto vident omnes.

CAP. II.

De Communicatione idiomatum.

I. DE Cõmunicatione idiomatũ Bellarminus aliter Bezã & Martyrẽ perstringebat lib. 3. de Christo c. 9. Cõmunicatio idiomatũ, aiebat, non est realis respectu ipsarũ naturarũ; vt volũt Lutherani, neq; est planè verbalis, vt vult Beza in libro contra Brentium: & Petrus Martyr in dialogo de Duabus Naturis. Sed Gretserus lõgè violentius; ita instat, vt nullam excusationem admittat.

II. Respõdebat Bellarmino Danæus: eã prædicationẽ, quæ vocatur [illegible], merè esse verbalem ratione naturæ, de qua alterius propriũ attributũ sic enuncietur; non autẽ ratione totius personæ, & suppositi Christi, cui reipsa competat, quoniã vni eius parti reipsa congruat, sed alteri naturæ tantùm verbaliter, & propter vnionis cum altera vinculum arctissimum. Respondebat & Iunius in eundem sensum: Martyrẽ & Bezã loqui de duabus naturis Christi oppositè, non autẽ cõpositè: quũ autẽ sit oppositio, aut naturæ habetur ratio in se se, planè verbalem esse cõmunicationem. De quorũ verborũ sensu varie Gretserus [illegible]: & tandẽ scopũ attingit: nã omnino hic sẽsus est: quũ attributa vnius naturæ prædicãtur de altera in cõcreto, vt, Deus est natus de Maria, homo est immẽsus: prędicatũ in prima propositione afficere naturã diuinam: in secũda humanã: sed tantùm verbaliter: realiter tamen ipsam personã, quæ ita denominatur ab alterutra natura.

III. Ego verò obiectio Bellarminum, non

potuisse pauca hæc verba de Beza & Martyre absque calumnia concipere. Nam cur negat communionem idiomatum esse planè verbalem? vt vult Beza & Martyr? aut vbi tandem legit apud Bezam, apud Martyrem communionem idiomatum esse planè verbalem? esse verbalem scio dixisse, sed planè verbalem Bellarminum dico dixisse, illos nego. Nam qui communionem idiomatum planè verbalem dicit: is negat vllo sensu eam esse realem. At Beza & Martyr non absolutè verbalem esse dicunt; sed naturarum respectu: planè eodem sensu cum Bellarmino: cuius hæc diserta verba: *est realis quidem, sed respectu hypostasis vtriusque naturæ: non autem respectu ipsarum naturarum.* Ex quibus facilè quiuis conficiet, eam communionem respectu naturarum esse planè verbalem: quod si dixisset de Beza & Martyre, veritati consentienter locutus equidem fuisset: sed cùm inde elicit ab istis viris piis eam communicationem duntaxat verbalem constitui, respectu tã personæ, quàm naturarũ, falsitatis atque flagitiosæ calũniæ affinẽ se cõstituit.

IV. Non erat autem Gretsero docendum, falsò de naturis in abstracto prædicari alterius proprietates, siue in concreto, siue in abstracto. Nos enim pridem sciebamus, falsò dici, Deitas Christi est mortalitas, siue mortalis: & humanitas Christi, est omnipotentia, siue Omnipotens. Imò id ipsum Beza in Brentio reprehendebat, quòd putaret de Diuina natura dici eadem quæ de Deo, & de humana natura eadem quæ de homine: id est, de abstractis, siue per se consideratis naturis, eadem atque de ipsa persona, quamuis ex alterius tantùm nomine, puta Dei, vel hominis, appellata, prædicari posse existimauerit, quod tamen neq; in Scripturis vsquã, neq; in Orthodoxis scriptis inueniri queat.

V. Sed ad rem tandem accedens propiùs, probare nititur, Bezam in Christo penitus nullam realem vtriusque naturæ idiomatum communicationem, & consequenter nullam realem idiomatum de naturis prædicationem, aut agnouisse, aut admisisse. Quibus tamen in verbis suo more agit Sophistam, dissimulata necessaria distinctione: adeò vt & verum dicat, & mentiatur tamen. Nam illud, nullam realem esse vtriusque naturæ idiomatum communicationem; certo certius est, si intelligas naturarum inter se: at falsum, si naturarum cum persona. Nam quemadmodum certum manere in vnione hypostatica naturas suis proprietatibus distinctas: ita & certum, quia per eam vnionem ambæ naturæ coeunt in vnam personam, singularium naturarum proprietates fieri totius personæ: ac proinde eatenus realem esse communicationem. Realiter enim Deus ille mortuus est, & homo ille est ab æterno: nimirum, quatenus & Deus & homo vnum idémque suppositum designant, verè Deum & hominem.

VI. At illud, *nullam realem idiomatum de naturis prædicationem*, quàm absurdè dictum? Vel enim intelligit idiomatum prædicationem de naturis suis: & tum quis vel mente concipere possit Bezam aut Martyrem, tam fuisse sensu communi vacuos, vt negarent de natura Diuina prædicari posse sua idiomata, aut de natura humana sua? Hoc est, negarent dici posse Deitatem Christi æternam; humanitatem temporalem? Quòd si intelligat idiomatum prædicationem de naturis non suis, hoc est, humanorum de Deitate, diuinorum de humanitate: quis sciat hominem id in Beza, in Martyre non fuisse, quod is ipse, in cuius gratiam tantum laboris suscepit, ipse, inquam, Bellarminus *διαρρήδην* asserit, hoc casu communicationem non esse realem.

VII. Itaque hoc habeat breuiter, quo tota inducatur eius disputatio; non fuisse probandum à Beza nullam agnosci realem communicationem, aut etiam prædicationem proprietatum diuinarum de humana natura: vel contra, humanarum de Diuina: nam hoc non tam fatentur, quam profitentur Martyr & Beza: sed probandum potiùs, eosdem vel nullam agnoscere communicationem proprietatum realem respectu personæ, vel malè sentire cùm asserunt non communicari realiter proprietates diuinas humanæ; aut humanas diuinæ naturæ. Et quum horum neutrum præstet, scito se esse calumniatorem merum: Martyrem verò & Bezam viros sanctos.

Cap. III.

De Christi Natiuitate.

I. His elucidatis, proximum est, vt de Christi natura humana specialiter agamus. Et primò quidem, de natiuitate: secundò, de anima: tertiò, de persona: quartò, de resurrectione: quintò, de dotibus corporis. Et de natiuitate quidem credunt Catholici, natum esse Christum ex Maria virgine: secundùm Prophetas: quod ipsum rursus Papistæ profitentur.

II. Quid ergo? Nempe de sensu, quo Maria dicatur virgo, litem mouẽt. Nam Catholici Virginem dicunt ea vsu communi à viro intactam. Itaque Christum natum ex Virgine; quia, cùm reliqui omnes homines, nullo excepto, nascantur ex concubitu viri & mulieris: iste tamen, quantumuis verè homo, natus sit ex Matre nullius viri concubitum passa: nempe, vt verè sit *ἀπάτωρ* quoad humanitatem; sicut est *ἀμήτωρ* quoad diuinitatem. At Papistæ præterea curiosè rimantes pudoris arcana, meatus nullos solutos volũt: negántque Christi corpus ex vtero prodiisse communi hominum lege: sed prorsus clauso vtero. Atque hac occasione magnas aduersum nos Tragœdias excitant. Scripserũt Feuardentius Theomachiæ libri quarti capite secundo. Cotonus Institutionis libri primi capite tertio. Bellarminus de Eucharistia libri tertij capite sexto. Gregorius de Valentia Commentariorum tomo tertio disputatione secũda, quæstione secunda puncto I. Vasques in tertiam Thomę disputatione cẽtesima vicesima prima. Sapetus Aphorismo 11.

III. Nec nos sanè ignoramus in ea sententia fuisse non paucos Patres Catholicos: ideóque non libenter inquirimus in hęc arcana, quæ nusquã Deus in suo Verbo reuelauit. Verumtamẽ, quia sic obdurant aduersarij, vt nullam omnino nostri calumniandi ansam, quamlibet tenuem, missam faciant: atque adeo hanc ipsam ob caussam nos vociferantur negare Mariæ perpetuam virginitatem: libet ostendere nos nec ratione destitui, nec auctoritate: quum etiam hac in parte, censemus nobis non dissimilem fuisse primogenitum illum nostrum: qui naturæ nostræ miserias assumere non est dedignatus: imò insuper, ne eos quidem qui [illegible]ter sentiunt vlla necessaria caussa moueri. Et hoc priùs.

IV. Ergo, primum P[illegible]pistis argumen[illegible] à Symbolo, in quo art[illegible]us d[illegible]tus. *Natus ex Maria virgine.* Et Esai 7. *Ecce virgo concipiet & pariet [illegible]lium.* [illegible] concipiet, sed & pariet.

V. Respondeo, nihil esse istis verius oraculis: adeò ut qui fidem deroget, anathema esse mereatur. Sed si virgo semper fuit Maria, non sequitur tamen clauso protius vtero Christum exisse, quod aduersarij volunt. Ratio est, quia aliud est virginitas, aliud vterus clausus; & potest virgo esse, cuius tamen apertus sit vterus. Virginitatem Veteres definiebant ab abstinentia à viro. Chrysostomus Homilia in Cœmeterij appellationem, apud Gretserum tomo secundo de Cruce: Παρθένος ἦν ἡ Εὔα· οὔπω γὰρ ἄνδρα ἐγνώκει. *Virgo erat Eua: necdum enim virum cognouerat.* Eligius Homilia secunda, *Cùm mulier non tunc virginitatem amittat, quando parit: sed quando cum viro dormit.* Thomas secunda secundæ quæstione centesima quinquagesima secunda, articulo primo definit, *Integritatem corporalis membri per accidens se habere ad virginitatem, in quantum scilicet per hoc, quòd ex proposito voluntatis abstinet quis à delectatione venerea, remanet integritas in membro corporeo. Vnde si contingat, quod per alium modum aliquo casu membri integritas corrumpatur, non magis præiudicat virginitati, quàm si corrumpatur manus aut pes.* Neque aliter Hieronymus intelligere potuit, cùm negauit Virginem vel à Deo instaurari post lapsum posse: Epistola ad Eustochium. Enimuerò, si in partium integritate virginitas sit constituenda, quis neget posse amissam restitui? Aut quid est in iis partibus difficilius, quàm in auricula famuli Pontificis? quàm in paralysi Aeneæ? quàm in pedibus illius χωλοῦ, Actorum tertio?

VI. Itaque Veteribus hic articulus inde expositus. Tertullianus de carne Christi capite vigesimo tertio, *Virgo, quantùm à viro: non virgo quantùm à partu.* Origenes secundo contra Celsum, [illegible] *Omnium generationum purissima fuit eius generatio: eo quòd non ex concubitu, sed ex virgine natus sit.* Nyssenus in diem natiuitatis Christi, [illegible] *Decuit enim eum, qui incorruptionis causa in humanam vitam introibat, inchoare ab incorruptione subseruiente sua natiuitati. Nam quæ nuptias non sit experta, hanc incorruptam solent homines dicere.* Leo ad Flauianum capite quarto, *Noua natiuitate generatur, quia inuiolata virginitas concupiscentiam nesciuit.* Chrysostomus, siue quicumque autor est sermonis prioris in Symbolum, qui extat tomo postremo Chrysosto. *Ille natus est de Spiritu Sancto ex virgine Maria. Ille Spiritus venit ad Mariam, ingressus in eam. Verbum caro factum est. Creuit aluus virginis: Virgo erat, & praegnans: creuit, & virginitatem non amisit.* Augustinus de Tempore Sermone centesimo decimo, *Qui conceptus est de Spiritu Sancto natus ex virgine Maria, ecce quà venit, quis, ad quos, per virginem Mariam, in qua operatus est Spiritus Sanctus non homo maritus, qui fœcundauit castam, & seruauit intactam.* Idem de Symbolo ad Catechumenos capite quarto. *Portabat Filium mater intacta: mirabatur & ipsa in aspectu suæ prolis, quam amplexus non strinxerat maritalis.* Paulò pòst, *Quia fuit in ea formauit, vt procedens ex eius vtero, & Filium ei redderet, & integritatem non corrumperet. Quæ est gratia matris huius & virginis? Quæ est gratia huius fœminæ, quæ virum nesciens filium portat?* Pelusiota, Epistola centesima tertia libri primi, asserens vnum Christum verè aperuisse vterum, [illegible] *Omnem quidem vuluam concubitus & venereus complexus aperit: at eam quæ Dominum nostrum Iesum Christum peperit, ipse sine semine conceptus prodiens aperuit.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi duodecima, hunc articulum explicans, totus est in refutandis Iudæis & Ethnicis, quibus, opinor, illa claustra non erant in animo; sed duntaxat viri defectus. Similiter Ruffinus explicans Symbolum: & inter alia hæc habet verba, *Omnis partus, opinor, ex tribus constat: si adulta ætatis sit fœmina, si virum adeat, si non sit illius vulua vitio sterilitatis occlusa. Ex his tribus in hoc partu quem prædicamus, vnum defuit, vir, & hanc partem (quia qui nascebatur, non erat terrenus homo, sed cælestis) per cælestem Spiritum dicimus, salua Virginis incorruptione, completam.* In Matthæum homilia quinta, exponens illud Esaiæ, εἰ μὴ παρθένος ἦν ἡ μέλλουσα τίκτειν, ἀλλὰ νόμῳ γάμου τοῦτο ἐγίνετο, πῶς ἂν σημεῖον τὸ γινόμενον; *Si non esset Virgo ea, quæ conceptura erat, sed more nuptiarum fieret, quod tandem id signum esset?* Opponens nimirum virginem nuptæ. Ideóque Procopius. Θεὸς γὰρ ἐκ παρθένου τίκτεται δίχα γαμικῆς συνόδου χώρας. *Deus ex virgine nascetur, absque vllo nuptiali congressu.* Imò Cyrillus. *Sic est paradoxum verè, atque incredibile, & signum maximum, in profundum simul & excelsum iuxta diuinam permissionem. E superis enim & ex Deo Patre secundum naturam genitus filius vnigenitus exinaniuit seipsum, & ex vtero virginali editus est secundùm carnem, non humano conceptu & generatione, sed vi & efficientia Diuini & Sancti Spiritus: Ita námque dictum est Diuæ Virgini voce beati Gabrielis, Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

VII. Alterum argumentum: Ezechielis quadragesimo quarto describitur porta quædam clausa, per quam solus Dominus intrat: quam portam vterum semper clausum virginis Deiparæ esse docent, Ambrosius libro de Institutione Virginis capite septimo: Hieronymus in eum locum.

VIII. Respondeo: locum esse planè allegoricum: idcóque nullarum virium. Itaque, qui Patres de virgine interpretantur, sumunt: non probant. Et sanè difficultatem afferunt circunstantiæ. Nam primò, non hæc sola porta ab Ezechiele describitur, sed hæc inter alias. Si hæc virgo est, quæ sunt aliæ? aut cur hæc porta templi æquè cum aliis? Secundò, quis ille Princeps qui dicitur assidere ei portæ, vt comedat panem coram Domino? Præterea, Hieronymus, etsi ad extremum hanc de Mariæ Virginitate interpretationem sub nomine aliorum seciter: tamen plurimus est in alio sensu, quem ab eo glossa ordinaria mutuatur: nempe, vt hæc porta Scripturas significet. Quanquam Lyranus aliò etiam deducit. Denique, etsi de Maria intelligamus, tamen sufficit propria Virginitatis significatio; quæ opponitur nuptiis. Quia disertè: *non aperietur, & vir non transibit per eam.* Nimirum, quia nemo hanc virginitatem violaturus esset vllo concubitu. Itaque Hieronymus. *Pulchrè quidem portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, & dux cui porta clausa est, Mariam virginem intelligunt quæ & ante partum, & post partum virgo permansit.* Tum exponens per partes. *Etenim tempore, quo Angelus loquebatur,* id est, ante partum, *Spiritus Sanctus veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit te: quod autem nascetur ex te, sanctum*

vocabitur Filius Dei. Et quando natus est, id est, post partum, *Virgo permansit æterna*: Rectè: Sed id quo sensu? *Ad confundendos eos qui arbitrantur eam post natiuitatem Saluatoris habuisse de Ioseph filios: ex occasione fratrum eius, qui vocantur in Euangelio super qua quæstiuncula Romæ aduersum Heluidium illius temporis hæreticum in adolescentia non grandem librum scripsisse me nouit.* En tibi Virginem æternam: nempe quia deinceps à Iosepho non concepit. Hoc si Papistis sufficit, pax esto.

IX. Argumentum tertium, à Zenone Episcopo Veronensi sermone sexto de Natiuitate, non posse aliquid circa se habere immundum, qui humani generis peccata, sordes, & maculas venerat mundaturus: nec posse Mariam indigere viscerum purgationibus aut fomentis, quæ accipere in vterum meruerat animarum omnium Saluatorem.

X. Ista verò quorsum dicuntur? An, quòd aliquid immundum sit in communi partus lege? Enimuerò, si immundum vocat peccato pollutum; habet confitentes omnes Catholicos; nihil esse potuisse huiusmodi in Saluatoris natiuitate. Sed nihil ad Rhombum. Sin autem ipsius partus infirmitates naturales ita vocat, quomodo solent à nobis immundæ appellari, hoc est, oculis inuisæ; non video, vnde sit hic tam delicatus fastus. Non enim quicquam habet fœdius ipso intestinorum viscerum ambitu, quem tamen necesse est fateri toleratum ab ipso Christo. Tum autem Origenes in Lucam homilia decima quarta, *Videbat in matris vtero immunditias corporum; visceribus eius hinc inde vallatus terrenæ fecis patiebatur angustias.* Eutychianus Romanus Epistola prima: si tamen eius sit, *Dei imago inuisibilis pudorem humani exordij non recusauit, & per conceptionem, partum, vagitum & cunas, omnésque naturæ nostræ contumelias transcucurrit.* Prolixiùs Rufinus in Symbolum, *Sed dicent fortassis, quia possibile quidem fuerit Deo, vt virgo conciperet; possibile etiam fuerit Deo vt pareret: sed indignum videri, vt tanta illa maiestas per genitales fœminæ transiret egressus: vbi quamuis nulla fuerit ex virili admixtione commixtio, fuit tamen ipsius puerperij obscœnæ attrectationis iniuria.* Non poterat Zeno fortius telum torquere. Audi nunc Ruffinum: *Si quis videat paruulum in profundo cœni necari, & ipse cùm sit vir magnus & potens extremus, vt ita dixerim, plantis, ingrediatur cœnum, vt paruulum morientem liberet: pollutus-ne à te accusabitur hic vir, quòd paululum luti calcauerit? an vt misericors laudabitur, quòd vitam contulerit morituro? sed hæc etiam de communi homine dicta sint. Redeamus nunc ad naturam eius qui natus est. Quantum putas natura Solis eo inferior est? quantum creatura sine dubio creatore. Intuere nunc Solis radios, si in cœni alicuius voraginem demittantur, numquid inde iam aliquid pollutionis acquirunt? aut obscœnorum illustratio, Solis ducitur in iniuriam? Ignis quoque natura, quanto est inferior his de quibus sermo est? & nulla materia vel obscœna, vel turpis adhibita et ignem polluisse creditur. Cùm ergo hæc ita esse in rebus materialibus constet: tu in illa supereminenti & incorporea natura, quæ super omnem ignem, & supra omne lumen est, pollutionis aliquid putas aut obscœnitatis incidere? Tum deinde etiam illud aduerte. Nos hominem à Deo creatum de terra limo didicimus: quòd si obscœnitas Deo reputatur opus suum requirenti, multo magis et reputabitur opus illud ab initio fabricauit; & superfluum est dicere cur per obscœna transierit, cùm non possis dicere cur obscœna condiderit: & ideò obscœna hæc esse non natura, sed obseruatio docuit. Cæterùm omnia quæ sunt in corpore, ex vno eodémque luto formata, vsibus tantùm & officiis naturalibus distinguuntur.* Sed & nuper Croquetius Catechesi centesima quinquagesima secunda. *Erat quidem illa Sanctissima virgo, sed tamen mulier, ex cuius humore licet purissimo dignatus est Seruator tuus meúsque nasci: in illo cœno sanguinum volutatus est, nutritus est, gestatus, nunc Nazareth, nunc aliò deportatus, ac tandem per virgineos quidem, veri tamen corporis meatum, est in lucem eiectus.*

XI. Post hæc, locos adferunt nonnullos ex Patribus: quibus vna eadémque opera responsum esto. Priuatas esse sententias: quibus nos facilè possumus alias opponere: quod & paulo post fiet. Itaque nihil esse roboris in illis: nec obstare, quominus contrarium possit à Catholicis salua fide affirmari. Addo nec multorum Patrum esse sensum: nec constantem. Certè, apud Bellarminum lego duntaxat Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Nazianzenum, Theodoretum, Maximum, Gregorium, Fulgentium, Bernardum: & apud Cotonum additos, Origenem, & Lactantium, Athanasium, Gregorium Nyssenum, Chrysostomum. Ex iisdem ipsis Athanasius, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomos à nobis sunt: vt postea docebo. Secundò Cotonus locos nonnullos vertendo peruertit. In Lactantio, Virginalem vterum, *Le ventre non froißé.* In Hieronymo: ab hominum fortuitò separata conspectu: *Tres entiere & immaculée vierge.* Item, *Solus Christus clausas portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ iugiter permanserunt. Le seul fils de Marie à ouuert sans ouurir la matrice à sa mere, estant né d'elle sans ouuerture de conception, & sans fracture de naissance.* Hæc verò monstra sunt impostura.

XII. Iam nos illis Sophismatis, atque his Patrum auctoritatibus, Scripturam opponimus & Patres. Scripturæ disertissimum testimonium habes Lucæ secundo; *Quum impleti fuissent dies purgationis Mariæ secundùm legem Mosis, adduxerunt eum Hierosolymam, vt sisterent eum Domino, prout scriptum est in lege Domini: Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* En tibi Spiritum Sanctum, non dedignantem eandem phrasin, ad significandam Saluatoris natiuitatem: qua Moses generaliter quemlibet primogenitum designauerat. Atque ita disertè habes filium Mariæ nominatum in iis qui aperuerunt vuluam. Quomodo, si omnino non aperuisset.

XIII. Itaque in eum locum Ambrosius: *Non enim virilis coitus vuluæ virginalis secreta reserauit: sed immaculatum semen inuiolabili vtero Spiritus Sanctus infudit.* Et post: *Hic ergo solus aperuit sibi vuluam. Nec mirum: hic enim dixerat ad Prophetam, Priusquam te formarem in vtero, noui te: & in vulua matris sanctificaui te. Qui ergo vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur Propheta, hic est qui aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret.* Nec aliter Origenes homilia decima quinta in Lucam. *Omne masculinum quod aperit vuluam, sacratum quippiam sonat. Quemcunque enim de vtero effusum marem dixeris, non sic aperuit vuluam matris suæ, vt Dominus Iesus: quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vuluam reserat. Matris verò Domini eo tempore vulua reserata est, quo & partus editus.* Hunc imitatur Theophylactus: τὸ γὰρ λέγοντος, πᾶν διανοῖγον μήτραν ἅγιον τῷ Κυρίῳ, εἰς Χριστὸν μόνον κυρίως [illegible] *Cùm lex dicat, omne adaperiens vuluam Sanctum Domino, in Christum solum propriè hoc cadit: is enim Virginis vuluam*

non aperuit quemadmodum reliquis matribus vir vuluam aperuit. Pelusi[illegible] ea epistola vicesima tertia libri primi, negat de quoquam hunc locum nuncupatum. [illegible Greek] *Sed de vno soloque illo, qui in partu vuluam aperuit.* Adde Tertullianum extremo libro de Carne Christi: *Hæc denique vulua est, propter quã & de alia scriptum est: Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum vocabitur Domino. Quis verè sanctus quàm Dei Filius? Quis propriè vuluam adaperuit, quàm qui clausam patefecit? Ceterùm omnibus nuptiæ patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa.* Irenæus libri quarti capite sexagesimo quinto. *Filius hominis purus purè puram aperiens vuluam.*

XIV. At Saperus: Si ad literam sumitur hæc apertura, tum significabit vel peculiarem aliquam primogenito: vel communem omnibus. At neutrum: ergo non ad literam. Assumptum probat per partes, non peculiarem primogenito: quia sæpe accidebat, vt post natas aliquot filias, nasceretur filius primus. Et hunc oportebat Deo consecrari, quamuis non primogenitum absolutè, ideóque non aperientem vuluam. Non communem omnibus: quia tunc omnes fuissent offerendi.

XV. Respondeo, negari assumptum. Concedi tamen non designari aperturam communem omnibus: sed illam peculiarem primogenitis. Nam, quod addit de masculis natis post fœminas, commentum est: nihil habens verisimile; carens etiam testibus. Abben-ezra in Exodi decimum tertium. והם ע[illegible] תבן שפתח תחלה הרחם. *& sensus est, filius qui aperit initio vuluam.* Sicut prior exposuerat Iarchi. Carthusianus itidem: *Quod primo de matre sua egreditur.* Toletus in hunc Lucæ locum. *Omne, inquit, primogenitum aperiens vuluam, id est, ante quem nemo natus erat.*

XVI. Epiphanius hæresi 78. [illegible Greek] *hic ille est qui verè aperuit vuluam matris.* [illegible Greek] *Quicunque enim geniti sunt primogeniti, eorum nullus potuit hoc implere, præter vnum istũ vnigenitum, qui aperuit vuluam Virginis. Nam in hoc solo impletum est, nec in vllo alio.* Methodius Homilia de Simeone & Anna. [illegible Greek] *Ascendit mater ad sacrum templum, ostensura legi nouum miraculum, & partũ qui quærebatur, qui aperuisset vterum Virginitatis, nec claustra virginitatis disrupisset.* Tũ explicás: [illegible Greek] *Quia omnis vulua ex coitu primùm aperta, & semine cõspersa, principiũ pariendi accipit:* [illegible Greek] *Huius autem vterus, neque prius apertus, neque semine conspersus, fructum edidit, & supra naturam, & tamen eiusdem naturæ, secundum vnionem indiuulsum: idque absque detrimento, vt mansit miraculum.* Nempe, vt illud de non effractis claustris intelligatur de non præcedente coitu: non verò de ipsa natiuitate, ad quam non pertinet.

XVII. At Bellarminus has autoritates eludit; vt putat, facilè. Id enim Patres solùm docere, Christum sua virtute, non auxilio obstetricum, vel aliâ humana opera, de vtero egressum, sed ipsum sibi aperuisse aditum.

XVIII. Ridiculè: primò aditum dixit, quasi sermo esset de immittendo in vuluam infante: non de educendo potiùs. Secundò, quid illud, non fuisse ope humana egressum? Aut quis de vllo vnquam partu fœlici ita loquutus est? Quasi nesciant omnes ab obstetricibus non educi; sed tantùm excipi infantes; qui ipsi ij quadam arcana naturæ sibi exitum patefaciunt. Et hoc illud est, quod hi omnes Patres volunt in Christo obseruatum. Patet ex ipsis verbis. Non enim hanc partionis aperturam opponunt vlli obstetricum artificio; sed congressui viri. In aliis, inquiunt, non infans aperit vuluam primo in partu: sed ante partum vir in congressu. At hic, cùm nullus præcesserit congressus, non potest etiam aperta dici vulua ante partum: sed in ipso duntaxat partu. Res est nimium aperta. Thomas videbatur acutior, parte tertia, quæstione vigesima octaua, articulo secundo, hanc apertionem non significare, res[illegible]rationem communem claustri pudoris virginei: sed solùm exitum prolis de vtero matris. Quanquam hoc ipsum apertè est illudere lectori. Primò enim hæc noua est tyrannis, quæ vocabulis abutitur impotenter, vt id non significent, quod significant. Secundò, nulla tum vis esset eius, quam dixi, oppositionis: vt non vir aperuerit; sed infans. Nam sine dubio in priori membro aperire non significat solùm exitum.

XIX. Sed alij supersunt disertiores loci, quibus hæ strophæ nunquam fucum faciant. Qui loci pronunciant, Christum natum ex vtero materno, lege communi. Ambrosius de Incarnationis Dominicæ Sacramento, ca[illegible]ite sexto. *Secundùm conditionem corporis in vtero fuit, natus est, lactatus est, in præsepi est collocatus.* Ignatius ad Trallianos, [illegible Greek] *In vtero gestatus est sicut & nos certo mensium circulo: & verè editus est, sicut & nos. Et verè lacte pastus est, & cibo potúque communi, sicut & nos.* Epiphanius hæresi septuagesima septima, omnia asserens in veritate Christum perfecisse quæ de eo scripta sunt: addit & hoc: [illegible Greek] *Per genitales meatus in veritate compertus.* Hilarius libro secundo, & citatur à Leone Romano Epistola illa famosa ad Leonem Augustum. *Dei imago inuisibilis pudorem humani exordij non recusauit: & per conceptionem, partum, vagitum, & cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcurrit.* Et, paucis interpositis: *Qui omnia continet, & per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur.*

XX. Disertiùs isti. Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis. *Dei Filius pro nostra salute hominis factus est Filius. Nouem mensibus in vtero, vt nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur, pannis inuoluitur, blanditiis delinitur.* Et de filio prodigo ad Damasum, quæ Epistola est centesima quadragesima septima. *Quæ maior potest esse clementia, quàm vt Filius Dei hominis filius nasceretur, decem mensium fastidia sustineret, partus expectaret aduentum?* Satin' vehemens Hieronymus? At Tertullianus longè vehementior. Nihil enim omittit eorũ quæ accidere solent in quotidianis puerperiis: capite quarto libri de carne Christi, disputans contra Marcioné. *Igitur si neque vt impossibilẽ, neque vt periculosã Dei repudias corporationem, superest vt quasi indignã reiicias, & accuses. Ab ipsa quidem exorsus odio habita natiuitate, perora, age: Iam spurcitias genitalium in vtero elementorum*

humoris & sanguinis fœda coagula; carnis ex eodem cœno alenda per nouem menses: describe vterum de die in diem insolescentem, grauem, anxium, totum incertum (& hîc quidem totum quid est? ego non video: itaque libês legam tortum. *libidinibus fastidij & gula. Inuehere iam & in ipsum mulieris enitentis pudorem, vel pro periculo honorandum, vel pro natura religiosum. Horres vtique & infantē cum suis impedimentis profusum: vtiq, & oblitū. Et dedignaberis, quòd pānis dirigitur, quod vnctionibus formatur, quòd blanditiis deridetur.* Et paulò pòst: *Amauit ergo cum homine etiā natiuitatē: etiam carnem eius: nihil amari potest sine eo per quod est id quod est. Aut aufer natiuitatē,* (Sic enim lego:) *& exhibe hominē: adime carnē & præsta quē Deus redemit. Si hæc sunt, homo quem Deus redemit; tu hæc erubescēda illi facies, quæ redemit & indigna: quæ nisi dilexisset, non redemisset.* Rursus: *Non erit iam stultum credere in Deum natum, & quidem ex virgine: & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus sit.* Capite vigesimo tertio: *Peperit quæ peperit. Et si virgo concepit, in partu suo nupsit, non nupsit, ipsa patefacti corporis lege.*

XXI. Bellarminus, dissimulatis penè reliquis, de Tertulliano respondet: primò, ambiguum esse quid sibi voluerit: secundò, non magni faciendam eius autoritatem, dum contradicit aliis Patribus: & cùm constet eum hominem Ecclesiæ non fuisse, vt loquitur Hieronymus.

XXII. Atqui, inquam, tam perspicuè loquutus est Tertullianus, vt quid senserit à nemine ignorari possit. Certè, neque Rhenanus, neque Pamelius potuerunt dissimulare. De autoritate leuiculum est contendere: maximè cùm sit falsum contradicere aliis Patribus. Quibusdam concedo: sed omnibus, falsum. Imò, nos ei comites addidimus nonnullius nominis. Quibus, si aliquid deferunt Papistæ, saltem patiantur quæstionem inter illas reponi, in quibus curiositas maior est, quàm necessitas. Nec eos statim superbè, imò tyrannicè damnent, tanquam hæreticos, qui virginem & ante partum & in partu fuisse Mariam confitentes; tantùm virginitatem aliter definiant, & definiant ex communi vsu omnium, linguarum consensu etiam Patrum.

CAP. IV.

De beatitudine animæ Christi argumenta Papistica è Scripturis.

I. DE anima Christi quadruplex quæstio est: Vna de Beatitudine: altera, de Fide: tertia, de Scientia: quarta, de Peccato. Sed duas has postremas Bellarminus libri quarti de Christo, capite primo confudit, calumniæ caussa: at nos more nostro separatum sumus in gratiam innocentiæ.

II. Primam inuenio disputatam à Melchiore Cano locorum Theologicorum, libri duodecimi, capite decimo tertio, testato in vtramque partem argumenta esse adeò probabilia, vt neutra firmè stabilita videantur. Sed constantiùs à Feuardentio Theomachiæ libri quarti capite quarto: & Zacharia Bouerio tomi secūdi libro secundo. Examinísque primi, capite decimo quarto: Iacobo Gautiero in anatomia Caluinismi dilēmate octuagesimo tertio partis prioris. Et his quidem accusantibus nos seuerissimè, docere, Christi animam parem omnino nobiscum miseriæ conditionem, à beatitatis fœlicitate ac dono longè distantem, esse sortitam.

III. Apud nos verò nusquam hactenus disputatam vidi: neque verò quicquam aut Canus aut Feuardentius potuit, aut alius recitare huc propriè pertinens: sed tantùm nonnulla, quæ ad sequentia capita, vt, nescisse omnia; fidem habuisse, & similia quædam, quibus suus locus futurus est. Res tamen ipsa loquitur: & nos non erubescimus credere, Filiū Dei naturam assumpsisse nostram; non qualis omnino fuit ante peccatum, aut qualis est futura post resurrectionem: sed qualis nunc post peccatum, excepto vnico ipso peccato, quicum nihil habuerit vnquam commune: verùm infirmitates ortas à peccato non recusasse: hæc nostra professio est. Itaque probare non possumus eos, qui sua freo temeritate, audent statuere, Iam tum ab initio sui eam animam personaliter vnitam Deitati, perfectè fuisse in seipsa beatam, id est, actu fruentem illo statu, qui longissimè distet à præsenti miseria.

IV. Fuisse perfectè beatam illi probant hoc primo argumento, ex Ioannis primo. *Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre: plenum gratia & veritate.* Hinc Bouerius; affirmat, inquit, Ioannes Christum mortali corpore adhuc indutum, cœlesti gloria donatum: quod beatitudinis animæ radium in carne Christi effulgentem contemplatus fuerit in transfiguratione. Et vidisse probat ex primo primæ. *Quod fuit ab initio, quod vidimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.* Et hanc gloriam fuisse non corporis, sed animæ, elicit ex posterioris Epistolæ Petri, capite primo. *Neque enim doctas fabulas sequuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cùm essemus in ipso monte sancto.* Tum non est, inquit Bouerius, existimanda ea gloriæ magnitudo, cuius Petrus speculator fuit, aliunde orta, quàm ab animæ beatitudine: teste Damasceno sermone de Transfiguratione. *Moyses quidem gloria externa adueniente glorificatur. At Dominus Iesus haud quaquam ascititium gloriæ ornamentum habebat, verùm insita diuinæ gloriæ claritate manans.*

V. Hæc ille: à quo vtinam potuisset obtineri, ne tàm ineptè abuteretur nostra patientia. Intuebor, vt potero, si non eum, at certè lectores; quibus illę ambages sunt molestæ. Quisquis gloriam haber non ascititiam, sed intrinsecam; eius anima est beata, ab ipso sui initio. At Christus habuit gloriam intrinsecam. Ergo eius anima beata fuit ab ipso sui initio. Probatur assumptum ex primo Ioannis, & à transfiguratione.

VI. Respondeo, multam esse in terminis ambiguitatem. Primùm, gloriam intrinsecam dici, vel secundùm personam, vel secundùm naturam. Item, habere gloriam secundùm actum, vel perpetuum, vel transeuntem, &, vt ita dicam, momentaneum. Gloria secundùm personam, est gloria Deitatis personaliter vnitæ naturæ humanæ. At gloria secundùm naturam, ea est, cuius capax est humana natura per se. Habere secundùm actum perpetuum, est, cùm quod habetur, non

t cedit

recedit. At secundùm actum transeuntem, cùm id ipsum quod habetur, non est, nisi ad tēpus aliquod.

VII. Dico igitur de gloria secundùm personam concedi minorem. Nam quicquid Dei est secundùm naturam, id ipsum est eius naturæ, quæ nostra est per vnionem. Sed negatur maior, quam nullis argumentis Monachus dignatus adstruere; maluit tanquam per se notam ponere. Sed etiam, non animam duntaxat, sed etiam corpus ipsum Christi, gloriam habuit hanc ipsam personalem. Nec tamen quisquam fuit Papistarum, qui contenderit corpus Christi fuisse ab sui initio beatum perfectissimè. Cur, si non sit falsissimum axioma? Nam cæteroquin tam fuit corpus vnitum Deitati, quàm anima. Nam profectò, si quicquid habet gloriam personaliter intrinsecam, est perfectè beatum ab initio suo. Et corpus Christi habet hanc gloriam sic personaliter intrinsecam. Ergo, corpus Christi fuit perfectè beatum ab initio suo. Aut si hoc non fuit, ne illud quidem.

VIII. Iam verò, si ad alterum genus gloriæ intrinsecæ fiat transitus, nimirum, cuius ipsa capax sit humana natura in se, conceditur minor de actu transeunte: Et concedimus probari per illam transfigurationem. Sed negatur maior. Nam alioquin, vt priùs, consequens esset corpus ipsum fuisse ab initio sui beatum. Non enim sola anima visa tunc est ea gloria: sed etiam corpus. Et quidem tam certo, vt non describatur ea gloria, nisi per corpus, Matthæi decimo septimo. *Transformatúsque est coram eis, & splenduit facies eius vt sol, vestimenta autem eius facta sunt alba vt lux.* Itaque Maldonatus, *Non igitur Christus diuinitatem suam, quæ corporeis oculis non videtur, sed diuinitatis speciem & corporis gloriam ostendit.* Tum autem manifestum est perfectam beatitatem non posse consistere in actu momentaneo.

IX. Quòd si argumentum intelligatur de gloriæ actu perpetuo, conceditur equidem maior: sed falsa est minor. Non enim fuisse Christum glorificatum hoc actu gloriæ, manifestum est, ex oppositis huic gloriæ doloribus, ac denique morte ipsa, vt sumus paulo pòst dicturi.

X. Neque probatur oppositum. Nam quod attinet ad locum illum ex primo Ioannis, nego hunc pertinere ad vllam gloriam Christi, secundùm eam naturam, qua homo fuit. Et priùs, minimè omnium ad illam transfigurationem factam in monte, quod ineptè somniauit Bouetius. Theophylactum audi. Τὴν ἐθεάσαντο τὴν δόξαν ὑπονοοῦσι μέν τινες ταύτην εἶναι ὅτε ἐν τῷ ὄρει τοῦ Θαβώρ· τάχα δὲ καὶ οὕτω μὲν ἀληθές· πλὴν οὐκ ἐν τῷ ὄρει μόνῳ, ἀλλ' ἐν πᾶσιν οἷς ἐποίησε καὶ ἔλεγεν, εἶδον τὴν δόξαν αὐτοῦ. *Vbi contemplati sunt gloriam: fortè quidam existimabunt in monte Thabor: Et fortè ita est: verùm non in monte solo, sed in omnibus quæ dixit & fecit, viderunt eius gloriā.* Tota igitur vita Christi expressit hanc gloriam, quam testatur Ioannes visam Apostolis: non igitur illa fuit peculiariter, quæ in monte. Imò, multò minùs beatitas animæ perfecta; aut, quæ ab anima in corpus defluxerit.

XI. Quid fuit igitur? Maldonatus, *Gloriam eius vocat signa diuinitatis, quæ multis in eo rebus apparebāt.* Toletus, *Verior expositio est, vt gloria sit totum illud, quo Christus in hoc seculo suam comprobauit diuinitatem, & se Dei Filium ostendit: quod non solam transfigurationem, sed omnia miracula, & gesta mirabilia, & prædicationē ipsam Christi complectitur.* Pererius, *Vidit Ioannes Verbi Dei gloriam in Christo, ex tot tantisque patratis miraculis: præsertim verò in transfiguratione eius in monte, in resurrectione & ascensione.* Hæc illi; & quidem secuti Veteres. Nam Euthymius, *Gloriam verbi, virtutem diuinitatis, quæ per carnem tanquam per velum, illuxit. Quæ autem erat illa? Certè nunquam antea visa, variáque miracula: pellucida, & supernaturalis trāsformatio: & tempore passionis solis præter naturam obscuratio, formidabilis veli scissio, horribilis terræ motus, petrarum scissiones, monumentorum apertiones, quódque omnium caput est, mirabilior quàm dici, aut cogitari potest, Domini resurrectio: & post hanc, quæcumque gloriosa Apostoli deinceps confecerunt.*

XII. Quid nunc expectat amplius Sophista, vt euincam non fuisse beatitatem animæ? Nam alioquin Apostoli, quos Christus promiserat facturos paria, aut etiam maiora, iam actu fuissent beati: quos tamen Paulus testatur fuisse spe saluos factos. Certè illud perspicuè falsum, ab anima profluxisse ad corpus. Nam hæc vis miraculorum nulla fuit ab anima, sed potius tota à Deitate, quæ ipsa dicitur apud Theologos miracula patrasse, tanquam proprium suæ potentiæ effectum. Vnde, non tantùm Boëtius de duabus naturis Christi, capite tertio dixit, *per personam hominis mira quadam operatam esse diuinitatem:* vt & Theodoretus dialogi primi c. 6. διὰ τῆς ὁρατῆς ἡ ἀόρατος ὤφθη, δι' αὐτῆς ἐνεργήσασα τὰ θαύματα, *per visibilem* naturam Christi *illa inuisibilis cernebatur, per eam operata miracula:* Sed etiam Leo I. ad Flauianum: *Agit vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est: Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est: Vnum horū coruscat miraculis, aliud succūbit iniuriis.* Athanasius de Assūptione hominis, *Omnis potestas signorum & prodigiorum Deo est adscribenda; & omnis infirmitas passionis homini est imputanda.* Damascen' libri tertij capite decimo quinto, ἐπὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μὲν τῶν θαυμάτων δύναμις, τῆς θεότητος αὐτοῦ ὑπῆρχεν ἐνέργεια. *In Domino nostro Iesu Christo miraculorum virtus diuinitatis eius fuit actio.*

XIII. Cæterùm hæc ipsa omnia propterea dici gloriam Dei, quòd sint argumenta & indicia gloriæ Dei, id est, Deitatis: Atque adeò Deitatem ipsam propriè dici gloriam hoc loco, ex istis discas licet. Cyrillus primi in Ioannem decimo septimo, *Vidimus*, inquit, *gloriam Dei adeò sublimiorem creaturarum gloria, vt mentis quisque compos, nulli alij quàm vnigenito Dei Filio conuenire illam fateretur.* Theodoretus dialogi primi capite tertio & decimo. καὶ σάρκα γὰρ περιβαλλόμενος ἔδειξε τὴν πατρῴαν εὐγένειαν, καὶ τὰς θεότητος ἐξέπεμψεν ἀκτῖνας, καὶ τῆς δεσποτικῆς ἐξουσίας ἀφῆκε τὴν αἴγλην, ταῖς θαυματουργίαις ἐκκαλύπτων τὴν λανθάνουσαν φύσιν. *Etenim carne circundatus ostendit paternam nobilitatem, & diuinitatis radios sparsit, & dominantis potestatis emisit fulgorem miraculis patefaciens latentem naturam.* Alcuinus in hunc Ioannis locum. *Gloriam Christi, quam ante incarnationem videre non poterant homines, post incarnationem viderunt, aspicientes humanitatem, miraculis refulgentem, & intelligentes diuinitatem intus latitantem.*

XIV. Athanasius contra Arianos, oratione quinta. Δόξαν γὰρ οὐκ αὐτῆς εἶπε τῆς σαρκὸς, ἀλλὰ τοῦ λόγου. *Non enim de gloria ipsius carnis loquutus est, sed de gloria Verbi.* Basilius homilia de Fide, τουτέστιν, οὐκ ἐκ δωρεᾶς καὶ χάριτος δεδόσθαι αὐτῷ τὰ θαυμάσια, ἀλλ' ἐκ τῆς κατὰ φύσιν κοινωνίας ἔχοντος τοῦ υἱοῦ τὸ πατρικὸν θεότητος ἀξίωμα. *Hoc est, non ex munere, aut ex gratia hæc ei miranda data sunt: sed ex naturali communitate Filio patriæ diuinitatis dignitatem obtinente.*

XIV. Hæc cùm ita sint, falsò Bouetius posuit, Ioannem dicere, Christum corpore velatum cœlesti fuisse gloria indutum: séque contemplatum esse

beatitudinis animæ radium in carne Christi effulgentem. Nimis ille quidem audacter mendax est, qui contra omnium consensum tam confidenter sumat id, quo demonstrato opus fuit: Carnem nullam Ioannes dixit gloria indutam: nullum animæ radium: sed gloriam dixit vnigeniti: quę non potest aliter quàm hypostatica fuisse. Atque inde interpretes intellexerunt concludi, Deum esse.

XVI. Quæ sine dubio Damasceni mens fuit; etsi eius sermonem de Transfiguratione ego quidem nullum viderim. Vndecunque autem Bouerius hauserit, nihil est, quod nos quidem inuiti audiamus. Nam Christum non habuisse ornamentum ascititium gloriæ, sed insitam claritatem, nec quisquam Christianorum dubitat, & intelligitur de essentiali gloria Deitatis, quæ huic humanitati non adsistebat, vt aliis miracula patrantibus: verùm inhabitabat σωματικῶς: Itaque ab ea patrabantur miracula, non quomodo ab Apostolis, vt aliena, imò verè sua. Theophylactus, ἐθεάσαντο δὲ τὴν δόξαν οὐ τοιαύτην οἵαν ἔσχε ὁ Μωϋσῆς ἢ μεθ' οἵας δόξης ὤφθησαν οἱ Χερουβὶμ καὶ τὰ σεραφὶμ τῷ προφήτῃ, ἀλλὰ τοιαύτην δόξαν οἵαν ἔπρεπεν ἔχειν τῷ μονογενεῖ υἱῷ ἐκ τοῦ πατρὸς φυσικῶς αὐτῷ προσοῦσαν: *Contemplati autem sumus gloriam, non qualem habuit Moses, aut cum qua apparuerunt Cherubim & Ceraphim illi Prophetæ: sed talem, quam decebat esse Filio vnigenito, quæ naturaliter inesset ex Patre.*

XVII. Canus paulò aliter. Illam, inquit, animam talem existimemus necesse est, qualem decebat eam esse, quæ Deo esset vel maximè coniuncta nimirum, vndecunque perfectam, omnibúsque omnino numeris absolutam. Quod qui non sentiat, hic de vnione personali Dei & hominis stultissimè sentiat. Iam, si anima Christi vnita Verbo non fuisset glorificata, fuisset profectò imperfecta: magna quippe humanæ menti perfectio deest, si felicitas desit: ac videre Deum per speculum in ænigmate imperfecti hominis est. Contraho: Omnis anima Deo maximè vnita, est vndecumque perfecta. At Christi anima est maximè vnita Deo: ergo est vndecumque perfecta.

XVIII. Respondeo, negari maiorem: si enim esset necessaria, & hanc esse oporteret. Quicquid est maximè vnitum Deo, est vndecomque perfectum. At hæc falsa est enunciatio; exemplo corporis, quod fuit Deo vnitum eadem vnione cum anima. Quid ergo? dicâtne Sophista corpus Christi fuisse vndecumque perfectum? fuisse perfectè beatum? Quod si non dicat, quid imperitis imponere conatur? Enimuerò illud, quo confirmatur maior, qui aliter sentiat de vnitate personali, stultissimè sentire, simile est illis impostoribus, qui cæcos dicunt, qui non videant, quæcunque ipsi se videre dixerint: non vt probent, sed vt terreant. At Catholici dicunt electam fuisse hanc animam à Verbo, nō tanquam se dignam: quid enim dignum, quod Deus fieret? Alioquin non exinanisset seipsum. Itaque etiam corpus assumpsit, non quòd se dignū esset, sed suę gloriæ faceret particeps personaliter. Potuit autem hoc fieri, etiam si non esset omnibus numeris perfectum. Nec alia ratio animæ.

XIX. Secundum argumentum ex eodem capite. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Hic Bouerius notat differentiam poni inter vnigenitum & adoptiuos: horum nemini inter homines viuenti, Deum esse visum, ita vt inde perfecta beatitudo consequeretur: sed solum illum in sinu Patris esse commoratum, hoc est, Dei amplexu ac fruitione gauisum. Porrò eundē enarrare, qui viderit: enarrare autē hominē quare eundē secundùm humanitatem, fuisse in sinu Patris. Non fuisse autem, si non fuerit secūdùm animam perfectè beatus. Breuiùs; Quicunque est in sinu Patris, est perfectè beatus. Ast anima Christi fuit in sinu Patris. Ergo anima Christi fuit perfectè beata; nempe à suo initio; ex statu quæstionis.

XX. Similis stupor præcedenti. Enimuerò, quid est in sinu Patris esse? frui Deo, inquit Bouerius: Atqui frui Deo est amari à Deo. Nónne? Erit igitur illud, esse in sinu Patris, idem quod in amore Dei esse. Toletum audi: *Ariani, ne à Catholicis de consubstantialitate conuincerentur, per sinum dilectionem exponebāt: vt idem sit in dilectione Patris, quod in sinu Patris esse. Et, quod magis mirandum est, non desunt nostra ætate Catholici, qui inconsideratè ita exponunt.* Viden' te, qui homo sis, Boueri? Mirum, si Monachum non abduxisset à veritate calumniandi rabies.

XXI. Sed, quid illud igitur est, esse in sinu Patris? dicant Papistæ primi. Toletus, *Mihi ideo in sinu esse videtur, quia talem coniunctionem & propinquitatem habet, vt Dei occulta ei sint manifesta: Quæ enim occultamus, in sinu reponimus. Hæc propinquitas & vicinitas, non est alia quàm identitas eiusdem naturæ, & substantiæ. Quis enim nouit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei, qui est intra eum? Sinus ergo Dei est diuinitatis arcanum, in quo est Filius: vnde Sancti Patres bene contra Arianos hinc intulerunt Filij consubstantialitatem.* Maldonatus, *Hoc est esse in sinu Patris, esse illi coniunctissimum, esse intimum, esse in eius secreto consilio, &, vt vno dicam verbo, esse ὁμοούσιον consubstantialem Patri.* Lucas Brugensis, *Sententia Euangelistæ est: sed vnigenitus Dei Filius, vt est eiusdem cum Patre essentiæ & naturæ, ac proinde diuinam essentiam siue naturam videt, non tantùm, verùm etiam cōprehendit, & quæ Dei sunt omnia arcana, siue ad naturam, siue ad consilium, voluntatémque eius pertineant, intimè perfectissiméque nouit, ipse enarrauit.* Villagudus, *Euangelista, volens nobis insinuare Filium esse Patri consubstantialem, coæternum, ac verum & inseparabilem & ex Patre propriam substantiam habere, & in Patre esse, huius nominis sinus mentionem fecit.* Thomas, *In illo ego sum, idest, in occultissimo paternæ naturæ & essentiæ, quæ excedit omnem virtutem creaturæ, est vnigenitus Filius. & ideo consubstantialis est Patri. Et, quod Euangelista hic significauit per sinum, hoc Dauid expressit per vterum dicens, Ex vtero ante luciferum genui te.*

XXII. Dicant nunc Veteres. Cyrillus, *Vnigenitum Filium appellauit, & in sinu Patris esse affirmauit, vt ab omni creatura eum separaret, & ex Patre propriam substantiam habere, & in Patre esse ostenderet.* Theophylactus; τὴν γνησιότητα, καὶ τὸ ἀχώριστον καὶ συναΐδιον δηλῶν τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα ὁ εὐαγγελιστὴς τοῦτο τὸ ὄνομα τέθεικε ἐμνήσθη. *Meminit huius nominis Euangelista, volens ostendere germanitatem & inseparabilitatem & coæternitatem Filij cum Patre.* Euthymius, *Proprium & consubstātiale Filij significauit.* Zacharias Chrysopolitanus libri primi capite tertio. *Sinum dicit secretum Patris. Inde Filius venit per assumptionē carnis.* His σύμφωνος. Beza, *Qui Patri est intimus, ac non modo amoris, sed ipsius etiam essentiæ identitate vnitissimus, & filiationis proprietate sic reipsa distinctus, vt sit tamen ὁμοούσιος.* Nec aliter Bullingerus & Musculus.

XXIII. Iam res est in aperto. Nam differentiam notari inter naturalem filium, & adoptiuos, negari nequit. Neque enim adoptiuorum vllus est in sinu Patris: alioquin esset coessentialis. Sed hanc differentiam, sic esse, vt nemo adoptiuorum sic vi-

derit, vt inde assequeretur perfectam beatitudinem, commentum est Capucini: non ab Euangelista, qui loquitur potiùs de certitudine prædicationis inde procedente. Itaque dicendum erat, neminem sic vidisse Deum, vt posset authenticè enarrare. Theophylactus. οὐδὲ γὰρ Μωϋσῆς εἶδε Θεὸν ἀκριβῶς, οὔτε ἄλλος τις ὥστε δύνασθαι ἡμῖν ἐξηγεῖσθαι τρανῶς καὶ σαφῶς περὶ αὐτοῦ εἰπεῖν. *Etenim Moses neque Deum vidit, sicut neque alius quisquam, nec potuit nobis enarrare dilucidè & clarè.* ὁ δὲ Χριστὸς υἱὸς ὢν καὶ μονογενὴς, ὢν τοῖς κόλποις ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς, οὐ μόνον οἶδεν αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐξηγήσατο περὶ αὐτοῦ. *Christus verò Filius, & quidem vnigenitus, existens in sinu Patris, non tantùm videt eum, sed etiam omnibus hominibus enarrat.*

XXIV. Respondeo igitur esse in sinu Patris dici, vt priùs, vel secundùm naturam, vel secundùm personam. Secundùm personam, conceditur minor, sed negatur maior. Etenim corpus ipsum sine hoc modo in sinu Patris: nec tamen perfectè beatum.

XXV. Sin autem secundùm naturam, conceditur profectò maior: sic tamē, vt beatitas intelligatur essentialis: nam vt hæc habeatur aduentitia, nihil opus esse in sinu Patris. Sed negatur minor. Neque enim anima Christi sic est in sinu Patris: alioquin esset eidem coessentialis: quod absurdum.

XXVI. Huic tamen minori confirmandæ mirabile est argumentum: Eundem dici esse in sinu Patris, qui annunciarit. Ast hominem annunciasse. Ergo secundum humanitatem fuisse in sinu Patris. Quasi diceret, qui est in sinu Patris, est consubstantialis Patri. Ast homo est in sinu Patris: Ergo, secundum humanitatem est Patri consubstantialis. Indignationem tenebit Theologus? Nimirum aliud concluditur, quàm fuit præmissum. Conclusio esse debuit. Ergo homo est in sinu Patris: vel, Ergo qui in sinu Patris, idem homo: quod verissimum secundum personam. Sedet si humo, non tamen secundum humanitatem.

XXVII. Tertium argumentum ex capite tertio: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo.* Sed hunc locum Bouerius agnoscit esse difficilem; Itaque in eo prolixiùs nugatur. Verùm ego contraham: Quisquis ascendit in cœlum, & in cœlo est, ille fruitur animæ beatitate perfecta. At Christus ab initio suo secundùm humanitatem suam, ascenderat in cœlum, & ibi erat. Ergo, Christus ab initio suo fruebatur animæ beatitate perfecta. Minori probandæ ille locus est.

XXVIII. Respondeo, negari minorem. Certum est enim Christum secundùm humanitatem, nec ascendisse in cœlum, nec fuisse in cœlo; nisi tum in morte secundùm animam, iuxta illud, *hodie eris mecum in paradiso*: tum post resurrectionem quadragesimo die secundùm etiam corpus: Ioannis vicesimo. *Nondum ascendi ad Patrem meum.*

XXIX. Nec probatur minor ex illo loco: in quo ascensus dicitur secūdū Deitatem: testibus cunctis interpretibus. Augustino in Ioannē tractatu 12. *Ecce hic erat, & in cælo erat. Hic erat carne, in cælo erat Diuinitate. Imò vbique Diuinitate. Natus de matre, non recedens à Patre.* Euthymio: *Qui iuxta diuinitatem in cælo est, siue cælestis.* Thoma: *Non intelligendū est, quòd Filius hominis secundùm humanam naturam de cælo descenderit, sed secundùm suam diuinam.* Et pòst, *Descendere ergo de cælo dicitur de Filio hominis, non secundùm humanam naturam, sed secundùm diuinam: secundùm quam conuenit ei ante incarnationem de cælo fuisse.* Iterum, *descendit de cælo, non quidem desinens esse sursum, sed assumens naturam, quæ est deorsum.* Fulgentio ad Thrasimundum libri secundi capite quinto. *Ne ista Dei in terra visio, & cum hominibus conuersatio Deum immensum putaret (an putaretur) alienasse de cælo propter hoc ipse Filius, vt immensitatem diuinitatis suæ in terra positus demonstraret; & secundùm hominem, quem susceperat, in terra positus; secundùm Deum, quod semper erat, præsentem se etiam de cælo doceret, ait, Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit Filius hominis qui est in cælo. Non quia humana Christi substantia fuisset vbique diffusa, sed quoniam vnus idémque Dei Filius, atque hominis Filius, verus Deus ex Patre, sicut homo verus ex homine, licet secundùm veram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundùm diuinitatem tamen, quæ loco nullatenus continetur, cælum totus impleret & terram.* Vide etiam Vigilium contra Eutychen libri secundi capite tertio.

XXX. Addo recētes Papistas. Maldonatū, *Ascēdisse iā tunc dicebatur, nō quòd Diuina ascendisset natura, neque quòd ascendisset humana: sed per communicationem idiomatum: quia Filius hominis cum in terra esset, in cælo quoque esse dicebatur: quia idem Deus erat, & Deus erat in cælo. Magis, opinor, Theologicum hoc est, quàm quod quidam dicunt, in cælum ascendisse, quia eius anima beata erat.* Toletum, *Dicitur esse in cælo quando hæc loquebatur, ratione diuinæ naturæ: dicitur descendisse de cælo, ratione diuinæ vt principij, ratione humanæ vt termini. Nam Deum descendisse de cælo non est aliud, quàm Deum, qui in cælo est, hominem factum esse.* Pererium, vndecima disputatione in id caput: *Dicitur Christus descendisse de cælo, non ratione humanitatis assumptæ: sed quia cùm antea, vt Deus, fuisset in cælo, postea humana carne & natura indutus, apparuit in terra.* Salmeronem, tomi octaui tractatu sexto *Nihil est aliud descendisse de cælo, quàm illud ipsum quod dixit initio huius Euangelij, Verbum caro factum est.* Et pòst, *Quod quia in terra, vbi mater erat, factum est, meritò vtitur verbo descendit, ad inferiorem locum designādum.* Iterum: *subditur qui est in cælo, quia diuinitas eius humanitate assumpta includi nequiuit.* Is consensus est plurimorum interpretum, paucis admodum discrepantibus.

XXXI. Contra tantum consensum disputat tamen Capucinus; primùm à voce ascendendi: deinde, à nomine Filij hominis. Nam ascendere, vel de Deitate dictum, vel de humanitate. At non de Deitate, quæ nunquam cœlum deseruerit: & Paulus Christi ascensionem ad solam humanitatem referat quarto ad Ephesios. Ergo de humanitate. At nō de ascensu post resurrectionem: quia verbum, *ascendit*, sit præteriti temporis: ideóque non futuram designet ascensionem, sed factam insinuet.

XXXII. Respondeo: primùm posse, neque de Deitate, neque de humanitate Christi verbum ascendendi, intelligi: nisi fortè obtusius sit Iesuitæ ingenium Capucini cucullo. Nam Toletus, *Dico hoc dictum esse propter homines, quorum nemo in cælum ascenderat, vt cælestia ibi videre & intueri posset, quia hominum, cum in terra sint, nemo in cælo esse poterat, nisi ascenderet. Christus autem non dicit se ascendisse, sed esse in cælo.* Nimirum vt illud εἰ μὴ *nisi*, non exceptiuè sumatur, sed aduersatiuè; vt interdum aliàs: & sensus sit, nemo ascendit in cœlum: sed qui descendit è cœlo, filius hominis, est in cœlo. Satis subtiliter.

XXXIII. Veruntamen, si displicet; & de Christo potiùs intelligendum videatur; negatur assumptum. Iansenius. *Rectiùs intelligitur Christus secundum diuinam naturam ascendisse tum in cælum.* Nam quod obiicit Deitatem non deseruisse cœlum, soluit idem Iansenius. *Non enim, ait, hic ascendere motum aliquem deputat: sed ascendisse in cælum nihil aliud hic est, quam contemplatum esse omnia cælestia, & quæcunque Dei sunt per-*

secte collustrasse, & perdidicisse. Nec illud etiam ad Ephesios obstat; quia videlicet dissimiles loci sint: Etenim Paulus manifestè loquitur de eo ascensu, qui fuit post resurrectionem & per motum localem: quem solius esse humanitatis est manifestum. Sed Christus apud Ioannem de alio genere ascensus agit.

XXXIV. Nunc à Filio hominis sic arguit. Hoc loco filium hominis seipsum nominat, quo se à Filio Dei distinguat. Quare magis consentaneum est hæc de Christo homine exponere.

XXXV. Sed interpretes dissentiunt, qua veteres, qua recentes, diligenter admodum obseruantes, esse idiomatum communionem. Theophylactus, *Cum audis Filium hominis descendisse è cœlo, ne existimato carnem è cœlo descendisse,* ἀλλ' ἐπεὶ μία ἡ ὑπόστασις ἦν ἐν πρόσωπον ἦν ὁ Χριστὸς ἐκ δύο φύσεων συνθέτος, τὰ τοῦ ἀνθρώπου ὀνόματα λέγονται ἐπὶ τοῦ λόγου, καὶ πάλιν τὰ τοῦ λόγου, τῷ ἀνθρώπῳ περιτίθενται. *Verùm, quia vna est hypostasis, siue persona, Christus, ex duabus naturis compositus, hominis nomina dicuntur de Verbo, & contrà, quæ Verbi sunt homini apponuntur.* Hic igitur ea ratione Filius hominis dicitur descendisse è cœlo, vtpote cùm sit vnica persona, vnica hypostasis. Vigilius contra Eutychem libri 2. capite 3. *Si quis dicit hominem, id est, carnem de cœlo descendisse, profectò anathema est.* Et cùm obiecisset sibi hunc locum: *Ecce Filium hominis dicitur descendisse de cælo, cùm constet solum Verbum, id est, nudum sine carne, sine hominis appellatione descendisse de cœlo. Ecce caro, id est, filius hominis legitur tunc fuisse in cœlo, quæ nunquam inde descendit, & quæ illuc necdum ascenderat. Sed hoc est vnius personæ mysterium, hoc vnius Christi ex vtroque subsistentis sacramentum, hoc vtrarumque naturarum proprietatis arcanum.* Et post, *Ergo, secundùm proprietatem naturæ solum Verbum descendit de cælo; secundùm vnionem personæ simul & caro descendit, quoniam persona carnis, est in persona Verbi, quod descendit.*

XXXVI. Thomas in Cathena ex Augustino. *Quamuis in terra factus sit filius hominis, diuinitatem tamen suam, qua in cœlo manens descendit ad terram, non indignam censuit nomine Filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine Filij Dei. Per vnitatem enim personæ, qua vtraque substantia nunc est Christus, & Filius Dei ambulabat in terra, & idem ipse Filius hominis manebat in cœlo.* Toletus, *Sciendum, Christum Deum & hominem dictum esse, ascendisse, & descendisse, & esse in cœlo; non tamen ratione vtriusque naturæ, sed, cum sit vna persona in duplici natura, per communicationem idiomatum, quam vocant, recipit prædicationes vtriusque naturæ. Idem enim est Christus, qui est Deus & qui est homo: idem qui natura ex matre in tempore, & ab æterno ex Patre genitus, sed non ratione vnius naturæ.*

XXXVII. Quid igitur illud est, Boueri: *Filium se hominis appellat, vt à Filio Dei se distinguat?* Monstrum Theologiæ: quo duo filij designari videntur secundùm Nestorium, nisi molliatur accurata interpretatione: vt, quod Veteres creberrimè dicunt, homo & Deus, pro humanitate & Deitate. Quanquam non meminerim ita legisse, Filium Dei, & Filium hominis. Verùm, vt tam propitios nanciscatur apud nos lectores, quàm nobis non sit facilè inuenire apud Papistas, omnia trahentes in calumniam: tamen omnino falsum est, quod fingit, nempe voluisse Christum significare se fuisse tunc in cœlo secundùm humanitatem.

XXXVIII. Quartum argumentum ex Ioannis duodecimo. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit:* decimo quarto, *Vado parare vobis locum, vt vbi sum ego, & vos sitis.* Decimo septimo, *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum.* Hæc, inquit, de beatorum gloria, quam iustis omnibus pollicetur: *Et vbi ego sum,* non, vbi ero. Ergo, adhuc mortalis potiebatur cœlesti gloria, quam cæteris post mortem expectandam relinquebat.

XXXIX. Et sanè paulò meliore loco res videatur esse Bouerij: nam, cùm in præcedentibus & veteres, & suos haberet aduersarios; tum hîc suis saltem vtitur propitiis, Maldonato, Toleto, & aliis nonnullis. Sed habet tamen quicum luctetur. Nam cùm Veterum nemo in iis verbis præsentem illum gloriæ fruitionem obseruarit; tum verò Papistæ nonnulli ab ea recesserunt. Clichthoueus octaui in Ioannem capite decimo quarto: *Vbi Christus est, scilicet in cælis, à quibus per susceptionem carnis nunquam discesserat.* Carthusianus: *Et vbi sum ego immolabiliter secundum diuinam naturam, semper quoque post ascensionem, id est, in regno cælorum, in patria beatorum.* Cum istis Theophylactus: Ποῦ δὲ ὁ Χριστὸς; ἐν οὐρανοῖς; *Vbi autem Christus? In cælis.* Quæ verba desumpta ex Chrysostomo.

XL. Nota illud *vbi* de cœlis exponi, id est, loco beatitatis æternæ, vt non hæc directè exprimatur, sed cœlum indicetur: vnde tamen facilis eius intellectus, vt alibi. Veruntamen, Christum esse in cœlis dupliciter, vel secundùm Deitatem, vel secundùm humanitatem. Priori modo, tempus præsens potest sane vrgeri, in quo etiam vim facit Sophista, nempe, quia per incarnationem Deus ita descendisse dicatur, vt tamen cœlos non deseruerit: sed non, si Deitas fuit in cœlis, ideo etiam humanitas.

XLI. Altero autem modo, notant illi interpretes non præsens tempus, id est, ante passionem; sed futurum: nempe post resurrectionem: cùm tamen aduersarius iste opus minime habeat. Est igitur in verbo *sum* μετάληψις temporum, satis frequens, præcipue cùm res sunt in procinctu, &, vt vulgus loquitur, in fieri, Matthæi vicesimo sexto. *Sanguis meus, qui pro multis effunditur:* vbi Vetus interpres dixit, *effundetur:* vt prioris ad Corinthios vndecimo *tradetur* pro *traditur:* Ioânis decimo tertio, *Quod facis, fac citò,* manifeste pro, quod facturus es.

XLII. Et tamen, quid si illud, *Vbi ego sum,* non beatitatem signet, sed statum pœnarum, in quo tùc Christus erat? Caluinus est in eum modum interpretatus: vt hortatio sit ad mortem, quamuis acerbam & molestam libenter subeundam exemplo Christi: vtpote cùm sit ea conditio illorum, qui ei ministrant. Vnde etiam, *erit,* imperatiue accipit pro, *esto,* more Hebraico, quod retinuit Beza in vertendo. Assensus est Aretius. Et videntur fauere sequentia. *Et si quis mihi ministrauerit, honorabit eum Pater.* Omnino enim ἀκολουθία verborum distinguit istum honorem, ab eo quod dixerat, *ibi erit,* tanquam aliquid consequens. Quod est absurdum, si illud, *esse vbi ego sum,* significet hanc gloriam.

XLIII. Quintum argumentum ex Ioannis sexto. *Non quia Patrem vidit quisquam: nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Nemo negabit, ait Feuardentius, Christum longe excellentiore ac puriore modo vidisse Deum, quàm vel Iacobum, vel Moysem, vel Paulum. Sanè, inquam, sed quid tum? longe enim excellentiore modo viderunt Iacobus, Moses, Paulus, quàm quisquam alius. Et tamen non statim Iacobus, Moses, Paulus, fuerunt perfectè beati. Ergo, satis esto Sophistæ id sumere, quod impune potuit, longe excellentius visum Christo. Sed prætetea ostendito visum eo genere visionis, quæ sit perfecta beatitudo. Nos enim negamus & aliam indicamus

dicamus: nempe illam personalem, quam diximus [illegible]gumento primo. Hæc enim verè visio est, nulli [illegible] creaturæ competens. Et sic Thomas. *Nisi is, scilicet Filius, qui est à Deo, hic videt Patrem suum per essentiam.* Et post: *Omnis creatura participat quidem aliquam similitudinem Dei: [illegible] in infinitum distantem à similitudine suæ naturæ. Et ideo nulla creatura potest ipsum cognoscere [illegible] totaliter, prout est in sua natura. Filius autem, [illegible] totam naturam Patris accepit per æternam generationem, ideo totaliter videt & comprehendit.* Maldonatus [illegible] ex Ammonio [illegible]. *Videt Filius Patrem, utpote qui supra res omnes eminet, & solus ex substantia est Patris.*

CAP. V.

De beatitudine animæ Christi, rationes Papisticæ.

I. Hactenus videsi ex iis quidam voluerunt disputasse ex Scripturis. Nunc alij rationibus [illegible].

II. Prima ratio: Cui communicatur esse, ei etiam communicatur propria eius operatio, quæ consequitur esse: vt, cui datur esse ignitum, eidem quoque datur vt calefaciat: & cui daretur esse solis, is sine dubio illuminaret. At propria Dei actio est, Videre [illegible]. Hac enim visione beatus est. Ergo, cum anima Christi haberet esse diuinum, habebat [illegible] suo modo diuinæ naturæ propriam actionem, atque adeo videbat Deum.

III. Rectè, inquam, natura humana Christi habet suo modo diuinæ naturæ propriam actionem. Nemo id Catholicorum inficiabitur. Ille enim modus est in vnione personali, de quo sic Thomas in tertium Ioannis. *Cùm in Christo sit vnum suppositum, vel hypostasis, vel persona duarum naturarum, diuinæ scilicet & humanæ: ex quacumque earum hoc suppositum nominetur, possunt ei attribui, & diuina & humana. Possumus enim dicere, Filius hominis creauit stellas, & quòd Filius Dei crucifixus est. Sed Filius Dei crucifixus est, non secundùm diuinam naturam, sed secundùm humanam: Filius autem hominis creauit stellas secundum diuinam naturam.* At hic modus non concludit hanc beatitatem, quam quærimus: alioquin concluderet in corporis gratiam; quod tamen negant omnes fuisse beatum. Quare, & [illegible] dicimus filium hominis eam habuisse diuinam [illegible], vt videret Patrem, sed secundùm Deitatem sibi vnitam.

IV. Ratio secunda. Maior erat vnio animæ Christi cum Verbo, quàm vnio beatorum: sed ex hac [illegible] claritas in intellectu beati, vt Deum videant. Ergo, multò magis ex illa talis claritas orietur. Consequentia probatur ex Thoma: quia quantò receptiuum propinquius est causæ influenti, tantò abundantiùs & plenius recipit influentiam.

V. Respondeo, negando consequentiam. Nam [illegible] corpus Christi maiori vnione vnitum est Deo, quàm vnquam erunt vnquam corpora beatorum. Atqui [illegible] vnio liberat ea corpora à morte. [illegible] illa vnio liberauit corpus Christi à morte. Appendicem Scholæ Papisticæ Nempe, hoc perpetuum peccatur peccatum, cùm ita disseritur de vnione hypostatica: quasi nihil pertineret ad corpus, & tota exhauriretur ab anima, quod est impium.

VI. Ad rationem Thomæ dico, propinquitatem illam, non quancumque intelligendam, sed secundùm rationem influentiæ: alioquin nihil obstat quominus influentia sit maior in remotiora. Exempli gratia: calorem suum magis infert sol in infimam regionem aëris, quàm in mediam, cùm tamen hæc sit secundùm situm longè propinquior. Scilicet hæc videlicet propinquitas non est secundùm rationem influentiæ. Sic secundum stirpem fuerunt Christo propinquiores fratres, quàm Petrus: in quos tamen ille non instillarat fidem, vt Petro. Sic secundùm hypostasin propinquius Filio Dei corpus suum, quàm corpus Enoch: Et tamen Enoch corpus liberauit necessitate moriendi, non suum. Nimirum influentia Dei non est, vt in astris, brutis quidem motus; sed voluntarius, qui interdum suspenditur, interdum exseritur, & variè. Quod nunc factum, quia videlicet Christo suscipienda fuit caro nostra, non beata, sed qualis est in statu isto miseriæ, excepto peccato.

VII. Ratio tertia: Filius Dei in hoc natus est, & ad hoc venit in mundum, vt testimonium perhiberet veritati. Vt autem testis perfectus sit, illa res in eo prima quæritur, vt hoc probè cognoscat & teneat, de quo testimonium est laturus. At Christus testis veritatis erat à Patre constitutus. Quocirca necesse erat, vt à Dei Verbo mens potissimum & ratio hominis in ipsa vnione perficeretur.

VIII. Negatur consequentia: quoniam aliud concluditur quàm erat propositum: Debuit enim concludi. Ergo Christus debuit probè cognoscere & tenere id, de quo testimonium erat laturus; quod qui neget, sit impius. Sed qui traducat ad hunc beatitudinis statum, sit ineptus: nisi corpus itidem æquè perficiat. Ioannis tertio. *Et quod vidit & audiuit, hoc testatur.* Hic annotat Maldonatus vidisse Christum, quæ loquebatur, non sensu, sed natura, sicut Deus dicitur videre omnia: audiuisse autem à Patre, quia & scientiam & omnia prorsus, quæ habet, vnà cum natura, accepit à Patre.

IX. Quarta ratio Feuardentij est: Quemcumque Deus amat diuino atque infinito amore, eius anima, ab ipso creationis momento, beatissima ac gloriosissima fuit. At Christum sic dilexit: Assumptum multis probat.

X. Negatur maximus. Nam, quid hac probatione opus fuit apud Christianos? sed maiorem omuit demonstrare. Desperabundè. Enimuerò Mariam-ue Franciscanus neget amatam à Deo, & quidem amore diuino, eòque infinito? Non enim potuit aliter. Atqui huius animam sic fuisse ab initus suis beatam, quis dixit? sanè quoscumque Deus amat, eorum animas vult beatas: sed esse à prima conceptione, neque Scriptura docuit, neque Patres audiuerunt: sed Monachi finxerunt.

XI. Quinta ratio: Vnio naturarum non debuit esse absque communicatione gloriæ. Nam communicata natura, communicari quoque necesse est omnia quæ illi naturæ inseparabiliter adhærent; quæ tamen communicabilia sunt. At gloria diuinæ naturæ propria est, ac illi inseparabi-

iter adhæret, atque communicabilis est. Ergo, vnio hypostatica in Christo non debuit esse absque communicatione huius gloriæ.

XII. Respondeo, gloriam aliam esse essentialem Deitati, aliam eius effectum extrinsecum. De priori conceditur totum argumentum: sed ita vt communicatio intelligatur personaliter. Nam alioquin absurdissimum esset: quoniam manent in vnione hypostatica naturæ proprietatibus distinctę ac inconfusæ: Atque adeò, apud Theologos, huiusmodi naturas ac proprietates communicabiles dicere monstrum est: quandoquidem tota definitione opponantur proprium & commune. Itaque, plenissimè cōfitemur, totam Deitati inseparabiliter hærentem gloriam communicatam esse naturæ humanę Christi, puta omnipotentiam, infinitatem, æternitatem, reliqua: nempe hoc sensu, vt huius humanitatis propria sit omnipotentia personaliter, quomodo eidem propria est Deitas, vt sit eadem persona. Sed hāc gloriam non pertinere ad præsentem disputationem, tædet monere tam frequenter, etsi cogat tam monstrosa aduersarij pertinacia, tertio quoque verbo idem peccatum peccantis. Vno verbo, gloria illa essentialis, tam est corpori communicata, quàm animæ: & tamen corpus hoc non fuit ab initio sui fruens perfecta beatitate.

XIII. Quòd si gloriam intelligant illam alteram, nempe effectum Deitatis in natura assumpta, & vno verbo, beatitatem participatam, negatur antecedens. Nam quod ait, communicatâ naturâ, communicari omnia quæ huic adhærent, verum est: sed adhærere naturæ Dei hanc beatitatem falsum. Est enim ei extrinseca, vtpote hærens creaturæ, & quidem tanquam accidens, quod aliquando abfuerit, post adfuerit. Nun potest autem Deo adhærere vllum accidens. Denique repeto exemplum corporis.

XIV. Postrema ratio est ab authoritatibus Patrum. Quarum aliquas exhibuit Canus. Et primū, quæ perfectum hominem Christum fuisse dicunt: Ambrosij capite septimo de Incarnationis sacramento, *Deus in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ, suscepit sensum hominis.* Epistola quadragesima septima, *Accepit plenitudinem naturæ, & perfectionis humanæ, sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, vt esset perfectus in vtraque forma.* Ex Cyrillo apud Leonem, epistola ad Leonem Augustum, quæ nonagesima quinta. *Sic in terris apparuit, non amittens id quod erat, sed assumens humanitatis naturam in sua ratione perfectam.*

XV. Deum immortalem! quid esse potest tutum ab Sophistis? Atqui Ambrosius perfectionem humanæ naturæ intellexit essentialem; nempe, vt nihil deesset, quo minus haberet integram, contra eos qui animam ei denegabant. Itaque in priori loco hæc legas: *Consequens est, vt per assertionem Dominici sacramenti, & plenitudinem naturæ humanæ fuisse adstruamus in Christo, & ab infirmitatis præiudicio Spiritum Sanctum separemus. Non est enim obnoxius infirmitati, qui non est obnoxius passioni. Quæro igitur, qua ratione animam putent quidam à Domino Iesu non esse susceptam.* Paulò post. *Et ideo cùm susceperit carnem hominis, consequens est, vt perfectionem incarnationis, plenitudinémque susceperit: nihil enim in Christo imperfectum: suscepit itaque carnem, vt resuscitaret: assumpsit animam: sed animam perfectam, rationalem, humanam assumpsit, atque suscepit.* Iterum. *Sicut carnem nostram, ita & animam nostram perfectam naturæ humanæ assumptione suscepit.* In altero loco. *Ergo, cùm esset in plenitudine Diuinitatis, exinaniuit se, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ: sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, vt esset perfectus in vtraque forma.* Iterum. *Quæro quid sit formam serui accipiens? sine dubio perfectionem naturæ, & conditionis, vt dixi, humanæ, vt esset in hominum similitudine.* Viden' quod dixi? Perfectionem intelligi eam, cui nihil desit eorum, quæ naturæ sunt humanæ? Atqui hæc beatitas non est naturæ humanæ: consentimus enim esse supernaturalem. Tum autem illud quid est, sicut carnem, ita & animam perfectam suscepit? Nihil disertius. Certè enim carnem suscepit perfectam, & tamen, consentientibus aduersarijs, non beatam.

XVI. Secundo loco Augustinum habent in libris de Trinitate. *Mox vt Verbum venit in vterum, factus est perfectus homo.* Super Exodum. *Non habuit omnino Christus iuxta animæ meritum quo posset proficere.* Et versum illum Psalmi sexagesimi quarti. *Beatus quem elegisti & assumpsisti*, de vnita humanitate interpretantem.

XVII. Horum locorum duos primos, tam vasta designatos incuria, fateor mihi quærenti in tam vasto mari, non occurrisse. Primum tamen esse facilem iam videt quisque, opinor, qui de Ambrosio, quæ diximus, audiuit. Quis enim neget in vtero fuisse hominem suis naturæ perfectum partibus? Alterum non, opinor, difficiliorem. Nam merita ad iustitiam pertinent. Nos autem credimus perfectissimè iustum fuisse semper Christum, ita vt ei iustitiæ nihil addi potuerit. Fortasse est aliquid aliud, tantùm enim coniicio. In Psalmo concedo virum illum exponi de Christo incarnato, sed quid tum? Nonenim vno modo semper beatum dici norunt, nisi qui in Scripturis sunt hospites. In Apocalypsi *beati qui moriuntur in Domino*: vbi beatitudo est ipsa præsens fruitio. Ast alias. *Beati qui persequutionem patiuntur: Et beatus venter qui te portauit*: vbi tantùm pro destinatione ad beatitatem. Cur non ergo meritò beatus Christus secundùm humanitatem, cui destinata esset tanta gloria? nec verò Augustinus habet quicquam, quo præsentem perfectam beatitudinem Christi describat.

XVIII. Ex Remigio in illud, Lucæ tertio, *Ecce aperti sunt ei cœli. Quid huic primo aperti sunt ei cœli, etiam secundùm humanam naturam? fides enim Ecclesia tenet, quòd non minùs aperti sunt ei cœli ante, quàm post.*

XIX. Concedo verum. Sed & nobis, quis nescit apertos cœlos, post Christi ascensionem? & tamen nondum beatis. Quare apertio cœlorum non significat actualem fruitionem beatitudinis: sed duntaxat plenum ius in eam; quod Christo, secundùm humanitatem, fuit plenissimum, etiam cùm nulla ei consolatio flueret in partem animæ inferiorem, quod fatentur Papistæ. Denique, apertum ei cœlum fuit, statim ac fuit vnitus Verbo: Et tamen nunquam dicitur ingressus cœlos, nisi post resurrectionem, ac tum glorificatus.

XX. Subiiciuntur varij loci ex Cathena Thomæ, Damasceno, Theophylacto, Hieronymo, [illegible]

illo, qui omnes pertinent ad Christi sapientiam, de qua supersedeo dicere: quia quæstio sit seorsim disputanda haud multo pòst: Interea dico, aliud esse perfectam sapientiam creatam, aliud actualem fruitionem perfectæ beatitudinis. Nam, hæc non consistit cum vllo genere miseriæ, sed illa potest: vtrumque patet: nam perfecta beatitas est liberatio perfecta ab omni malo: Itaque spes est omnium fidelium, cùm fuerint in eam inducti nihil habituros, vnde possint dolere. At Christi sapientia quantacunque fuit, constitit cum doloribus, etiam immensis, *Fuit enim vere vir dolorum.*

XXI. Ex Leonis Epistola ad Leonem Augustum, quæ aliàs nonagesima quinta, alias nonagesima septima, *Deitas assumptam naturam beatificans, vt glorificata in glorificante permaneat.*

XXII. Sed hæc neque in Leone sunt, neque, si sint, habent quicquam incommodi. Nam, quis neget ipsam incarnationem fuisse beatitatem naturæ humanæ? Sed hæc verò nihil ad rem nostram. Vin' scire? Facilè. Nam hæc beatitudo fuit non animæ tantùm, sed etiam corporis. Etenim natura vtroque constat humana. Et Leo beatam dixit non eximiè animam, sed communiter naturam.

CAP. VI.

De Christi beatitate argumenta Catholica.

I. Sic Papistæ disputarunt. Nobis non est opus longa oratione, asserentibus Christum conceptum nobis similem positis in hoc statu peccati, etsi sine peccato: ac proinde obnoxium verè nostris infirmitatibus, quæ non possunt esse in eo, qui perfecta sua beatitate fruatur: idque propter dispensationem nostræ salutis.

II. Primum argumentum: Quæcunque natura humana est perfectè & actu beata, ea secundùm omnes suas partes non distractas, est beata. At in Christo natura humana non fuit ab initio suæ conceptionis beata secundùm omnes suas partes non distractas. Ergo, non fuit ab initio suo perfectè & actu beata. Minor per se patet: quoniam, cùm duæ sint partes, Anima & corpus; tum verò non potuerunt aduersarij corpori actualem beatitudinem asserere: quando contrarium constat manifestissimâ experientiâ.

III. Maior autem manifesta fit, tum quia perfectio ipsa naturæ ne concipi quidem potest absque omnibus partibus: tum etiam, quia exempla manifesta sunt. Nam, quæ promittitur fidelibus beatitas, æquè pertinet ad corpus, & ad animam, cùm redierint in vnum. Etsi quandiu non fit resurrectio, anima sic sit beata, vt corpus tamen non sit. Nam separationis alia ratio est, alia vnionis: quod fit manifestum saltem per compassionem, per quam & anima agit in corpus: & corpus in animam. Porrò Christi corpus non consideratur separatum à sua anima, sed vnitum.

IV. Itaque, quod Papistæ beatitudinem animæ dicunt seorsim à corpore, importunum est, commodè fictum, ne pateret Sophistice. Sed nos debemus, non quid dicant, attendere, verùm quid ratio ferat. Tum autem cur ergo abusi sunt testimoniis Patrum, qui dicebant perfectionem naturæ?

V. Secundum argumentum: Summa beatitudo opponitur cuicunque miseriæ: vt non possint vnà consistere, imò tollant sese mutuo: si ergo in Christi anima fuisset summa beatitudo: ergo nulla miseria. At hoc falsum, ergo & illud. Assumptum probatur; quia ipse Christus testatus est, animam suam tristem fuisse vsque ad mortem, Matthæi vicesimo sexto. Adde quæcunque suo loco disputauimus de animæ Christi passionibus.

VI. Est autem hoc argumentum tanto potentius, quanto illi coguntur ipsi, non tantùm vt priùs, animam disparare à corpore. Sed etiam rursus in anima partem superiorem ab inferiore. Pererius in Exodi duodecimum, Disputatione septima, *Christus sanè exhibitus se nobis non crudum, sed coctum: nec aqua coctum, qua ardorem ignis minuit, ac refrigerat. In passione enim Christi nulla fuit aquæ gutta, nihilque solatij, quod acerbitatem eius mitigaret. Martyres Christi cocti sunt aqua: passiones enim eorum multis modis refrigeratæ, ac mitigatæ sunt. Christus nullam tunc habuit in parte inferiori consolationem, nec à parte superiori animæ nec à Deo.* Thomas parte tertia, quæstione quadragesima sexta, articulo sexto, *Anima secundùm vires interiores efficacissimè apprehendit omnes causas tristitiæ. Tertiò: magnitudo doloris Christi patientis potest considerari ex doloris & tristitiæ puritate. Nam in aliis patientibus mitigatur tristitia interior, vt etiam dolor exterior ex aliqua consideratione rationis, per quandam deriuationem, seu redundantiam à superioribus viribus ad inferiores, quod in Christo patiente non fuit.*

VII. Enimuerò, quid hoc est? in corpore, vbi sunt partes extra partes, non difficilè concipitur dolor per diuersas partes: neque enim sanitas quantacunque capitis obstat doloribus podagræ, quominus acriter vrant: Et tamen ita vt per compassionem caput ipsum non sit omnino quietum. Ast anima, quæ prorsus est ἀμερὴς, quia Spiritualis natura, qui possit esse perfectè beata, vt tamen aliqua eius pars sit in tanto miseriæ excessu, ego quidem videre nequeo.

VIII. Quid me dico? Ne ipsi quidem. Itaque Maldonatus in vicesimum sextum Matthæi hanc disparationem improbat, *Subtilius in scholis à Theologis disputatur, qui fieri potuerit, vt Christus, cùm beatus fuerit, tristitiam habuerit. Sunt qui respondeant, beatum fuisse tantum superiore animæ parte: corpus enim illius nondum fuisse beatum: quia, vt pati posset, nondum se in illud beatitudo effuderat: tristitiam autem fuisse in inferiori parte, quæ in corpore est. At Christus animam suam vsque ad mortem tristem esse affirmat, quo verbo ostendit, omnes animæ suæ partes occupasse: & paulò pòst dicit, Non sicut ego volo, sed sicut tu: &, vt alius Euangelista clariùs dixit, Non mea voluntas, sed*

tua fiat: vbi haud obscurè significat se etiam voluntate, quæ superior animæ pars est, fuisse tristatum, mortémque refugisse. Et verò ex eo loco sexta Synodus generalis, aliique autores veteres probauerant, duas fuisse in Christo voluntates, diuinam & humanam. Itaque, eorum subtilitas, qui voluntatem hic interpretantur partis sentientis appetitum, probanda non est. Meliùs igitur alij dispensatione quadam factum fuisse, vt cùm Christus beatus esset, tristitiam etiam in superiorem animæ partem admiserit. En tibi igitur animæ Christi dolorem non in parte tantùm inferiori, sed etiam in superiori.

IX. Tota ergo, inquam, anima doluit. Quod etiam Thomas explicauit, & dixit, eam animam passam secundùm totam suam essentiam: sed & secundùm omnes suas facultates, quanquam aliter atque aliter: inferiores videlicet, suis propriis doloribus, superiores per dolores essentiæ. Sed præstiterit describere locum, etsi prolixiusculum. Articulo septimo quæstionis quadragesimæ sextæ partis tertiæ, *Si intelligamus totam animam ratione suæ essentiæ, sic manifestum est totam animam Christi passam esse. Nam tota essentia animæ coniungitur corpori, ita quòd tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte eius: & ideo in corpore patiente, disposito ad separationem ab anima, tota anima patiebatur. Si verò intelligamus totam animam secundùm omnes potentias eius, sic loquendo de passionibus propriis potentiarum, patiebatur quidem secundùm omnes vires inferiores: quia in singulis viribus inferioribus animæ, quæ circa temporalia operantur, inueniebatur aliquid quod erat causa doloris Christi. Sed, secundùm hoc superior ratio non patiebatur in Christo ex parte sui obiecti, scilicet Dei, qui non erat animæ Christi causa doloris, sed delectationis & gaudij: secundùm autem illum modum passionis, quo potentia aliqua dicitur pati ex parte sui subiecti, sic omnes potentiæ animæ Christi patiebantur, omnes enim potentiæ animæ Christi radicantur in essentia eius, ad quam perueniт passio, passo corpore cuius est actus.*

X. Hæc ille. Passa est ergo Christi anima secundùm totam suam essentiam, & fuit actu beata? Fuit perfectissimè beata? Non potuit, ea saltem beatitate, quam habemus descriptam in Scripturis. Quis enim se credat, vel vlla sui parte esse actu beatum, qui totam suam essentiam videat relictam in miseria? Et quidem tanta, quantæ non sunt vel omnes miseriæ in hac vita?

XI. Quanquam illud etiam falsò assertum, superiores facultates nihil esse passas per se. Nam in causis, à quibus eduxit grauitatem passionum, numerauit ipse in præcedenti articulo, omnia peccata generis humani, pro quibus ei satisfaciendum erat: Item casum Iudæorum, scandalumque discipulorum. At hæ causæ non pertinent ad inferiores partes animæ, sed ad superiores, intellectum & voluntatem. Nam, quod vt satisfaceret Scoto, respondit Caietanus, variis modis nolle nos aliquid, neque ex omnibus causari tristitiam, vt patet in sanctis, qui nollent suos damnari, nec tristantur tamen, cùm vident damnatos: hoc, inquam, responsum ridiculum est: quia inutile: quandoquidem concessit Thomas ex iis causis intentiorem factam tristitiam Christi. Cùm autem de re ipsa constat, quid iuuat cauillari? Enimuerò, qui negat semper oriri inde tristitiam; certè concedit aliquando: hîc autem, id est, in Christo ortam fuisse non concessit, sed professus est Thomas. Hoc sufficit. Et quidem vide exemplum Sanctorum quale sit. Vellent ij sane suorum nullos damnari: sed quum damnantur, quid fit? Non tristantur. Sanè inquam: Ergo ab eo genere voluntatis nulla tristitia est, neque secundùm partes inferiores, neque secundùm superiores. At in Christo fuit aliqua tristitia, ergo Christus non ea voluntate voluit, quæ nullos adferat dolores.

XII. Sed vide iterum: negat passum Christum propriis doloribus facultatum superiorum: quia Deus, earum obiectum, nulla fuit ei causa doloris. Quod absque commoda expositione concedi non debet, sed esto tamen, donec pleniùs disputare possimus. Non tamen est inutile. Nam idem Deus est obiectum animæ, non Christi tantùm, sed etiam omnium Sanctorum. Et idem Deus causa est delectationis & gaudij omnibus Sanctis. Quid ergo? sunt-ne omnes Sancti actu beati, antequam eripiantur in cœlos. Imò Paulus, *Me miserum*, aiebat, *quis liberabit me?* Potest ergo aliquis esse non perfectè beatus, qui tamen ab obiecto animæ nullam causam habeat doloris.

XIII. Sed factum per dispensationem, inquit Maldonatus. Fateor, inquam, dum ne dispensationem dicas histrionicam, quæ fingat quod non fit: sed coniunctam cum rei veritate: quomodo per dispensationem Christus mortuus. Sed hanc dispensationem nos inchoamus ab ipso conceptionis initio, ad resurrectionem vsque: vt tota vita nihil fuerit præter dispensationem, quum qui erat Rex regum in forma Dei, assumpsit formam serui pro nobis. Sic dispensatio fuit, miseria corporis: quæ tamen vera fuit miseria.

XIV. Colligo breuiter: Nemo est perfectissimè beatus, cuius anima secundùm totam essentiam, & omnes suas facultates, est in doloribus, quanti possunt esse maximi. Atqui anima Christi fuit, secũdùm totam suam essentiam, suásque omnes facultates, in doloribus huiusmodi. Ergo, eadem anima non fuit perfectissimè beata. Minor est concessa ab aduersariis. Maior patet ex oppositione doloris & beatitudinis: nam omnis dolor pertinet ad miseriam.

CAP. VII.

De Fide Christi.

I. DE Fide quæstionem inuenio Ioannem Hayum Iesuitam mouisse cõtra Chambrunum, capite decimo quarto, sub finem primi segmenti; non sine atra in nos bile, quos criminatur, tanquam detrahentes de maiestate Filij Dei, tum aliàs, tum quia dicamus credidisse more aliorum hominum. Et Bouerium Demonstrationum tomi secundi libro secundo: Examinis primi capite decimo quinto. Magnum sanè crimen illud prius. Nam qui maiestatem Christi minuatis, nostro ipsorum iudicio, indignus sit Christianorum, non communione tantùm, sed etiam nomine. Atque, vtinam quàm seuerè in nobis Papistæ crimen

fictitium

fictitium exagitant, tam castè ipsi se ab eo continuissent. Sed reliqua ipsi videant. Nos quod nunc instituimus, agamus.

II. Obiicit Hayus. Primò, fidem non consistere cum gloria. Ratio, quia, *Cùm aduenerit, quod perfectum est, tunc, quod ex parte est, abolebitur*, ait Paulus priore ad Corinthios decimo tertio. At Christi anima ab ipso conceptionis momento hac gloria fuit prædita. Concluditur itaque non fuisse in Christo fidem. Secundò, qui fidem habet, non perfectè videt essentiam diuinam: Atqui Christus perfectè videbat essentiam diuinam: ergo, non habebat fidem. Tertiò, ad Hebræos vndecimo fides definitur, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. At Christi anima ab initio conceptionis fuit beata: ergo perspicuè cognouit mysteria nostræ fidei: Ergo non habuit fidem.

III. Respondeo, nullam hic esse controuersiam. Sed tantùm calumniandi pruriginem. Calumniæ autem ansam sumit, ex eo quòd neget Caluinus Christi fidem in cruce defecisse, aut etiam læsam fuisse. Nam aliàs nusquam Caluinus disputat, habuerit-ne Christus fidem, an non. Est autem distinguendum. Non enim fides semper vna eademque notione vsurpatur. Aliquando generaliter significat, cùm quis assentitur doctrinæ à Deo reuelatæ: quomodo Simon Magus dicitur credidisse: quomodo à Iacobo etiam hypocritis conceditur nomen fidei. Aliquando pro certa fiducia in Dei bonitatem, quæ nobis omnia pollicetur, quæ ab eo expectari possunt ad nostram vtilitatem. Sic Iacobus opponit τὸ ἐν πίστει τῷ διακρίνεσθαι, *Postulet (inquit) in fide nihil hæsitans*. Aliàs significat medium illud, quo iustificamur coram Deo per Christum mediatorem nostrum, ob cuius mortem remittuntur nobis peccata, imputaturque perfecta iustitia: sic Paulus ait nos fide iustificari.

IV. His distinctis, dico, non posse absque blasphemia, simpliciter & absolutè negari fuisse in Christo fidem. Nam externam professionem pietatis quis ei deneget? Aut quis nescit, primo subiectum fuisse legi Mosis? Eiusque partes omnes impleuisse? Aut quis contendat non consensisse iis quæ ipse docebat discipulos suos? Certè, Paulus duodecimo ad Hebræos, vocat eũ ἀρχηγὸν τῆς πίστεως, & est ἀρχηγὸς non qui aliis ostendit quid faciendum, sed qui primus operi manum admouet. Itaque significat Paulus, Christum ipsum primum tota sua vita expressisse fidei nostræ professionem. Quod si est, tum sanè oportet eum ipsum aliquomodo fidem habuisse. Itaque Lombardus libro tertij distinctione vigesima sexta, concludit Christum non habere fidem, tamen concedit credidisse.

V. De fiducia, quid dicam? Certè Petrus Christo tribuit illud Psalmo decimo sexto, *Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam apud inferos: notas mihi fecisti vias tuas: replebis me iucunditate in conspectu tuo*, Actorum secundo: Vbi notandum illud Septuaginta Interpretum κατασκηνώσει ἐπ' ἐλπίδι esse pro Hebræis vocibus ישכן לבטח interprete Pagnino & Munstero *habitabit confidenter*: Aria Montano, *habitabit in fiducia*. Præterea, si verum est, eum, qui orat hæsitando, non exaudiri: constat autem & orasse, & exauditum esse Christum, quis dubitet Christum orasse cum fiducia? Quid? *Pater, gratias ago tibi, quòd me audieris.* *Ego verò sciebam me semper à te audiri*, Ioannis vndecimo. Id nónne magis etiam fiduciam significat?

VI. De tertia fidei significatione, consentimus non congruere Christo: Cui nulla opus fuit iustificatione, nulla peccatorum remissione, nulla imputatione iustitiæ, nullo denique mediatore: quæ nostræ electorum fidei partes sunt præcipuæ & necessariæ: vt eas qui non habeat, etiam fide carere dicatur. Nec contrà quicquam aut dixit, aut scripsit Caluinus. Imò Hayus manifestè ludit, qui non attendit Caluinum admodum disertè mentem suam explicasse, vt nemo dubitare possit, quin intellexerit, fiduciam illam, quam secundo loco nominauimus. Verba sunt, *Ne tantillum quidem deflexit à bonitatis eius fiducia*, Institutionis libro secundo, capite decimo sexto, segmento duodecimo. Et in Harmonia Euangelistarum, *Fixam tamen stetisse fidem eius in corde, qua Deum præsentem intuitus est*. Et rursus, *Fide retinuerat Deum sibi esse propitium*. Et iterum, *In hoc diro cruciatu, illæsa fuit eius fides: vt se derelictum esse deplorans, propinquo tamen Dei auxilio consideret.*

VII. Hæc cùm ita sint, ruunt per se obiectiones Iesuiticæ. In prima: primò, si ratio cõcludit nullam fuisse in Christo fidem: cõcludit etiam nullam fuisse spem. Nam certè spes non est in eo qui fruitur. At nemo hactenus dubitauit in Christo spem dicere. Sic Psalmo decimo sexto: *caro mea requiescet in spe*. Eusebius vltimo capite decimi de Demõstratione, ὁ πρῶτον ἀρξάμενος νῦν εἰς σὲ ἐλπίζων, *Non nunc primum incipiens sperare in te*. Sic enim Christum inducit loquentem ad Patrem. Deinde, quod dicitur Christi animam ab ipso conceptionis momento fuisse in gloria, indiget explicatione. Nam alioquin quis nescit illud Pauli priore ad Timotheum tertio, *Sursum receptus est in gloriã*? Et illud Christi Ioannis decimo septimo, *Glorifica me tu Pater apud temetipsum, ea gloria, quam habui apud te prius quàm hic mundus existeret*. Et ne prolixior sim, norunt Catholici Christum assumpsisse non naturam tantùm humanã, sed etiam eius naturæ infirmitates, siue πάθη, nõ tãtùm quæ corporis sunt, esurire, sitire, fatigari, flere, & similia: sed etiã quę animę, mortẽ deprecari, timore affici, tristari, mœrere. Ioannis vndecimo, ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, καὶ ἐτάραξεν ἑαυτόν, *infremuit spiritu & turbauit seipsum*; quæ vehementissimæ commotionis indicia sunt: & vetus glossarium habet βρυχῶμαι, *frendo*. Et Matthęi vigesimo sexto περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου, *vndique tristis est animus mea vsque ad mortem*. Atqui hęc omnia aliena sunt à perfectione gloriæ. Itaque etsi Christi anima, imò & corpus, ob vnionem illam personalem, verè dici possint iam tum euecta in infinitam gloriam: tamen, non est negandum nondum reipsa inducta fuisse in illam gloriam: qua nobis significatur perfecta beatitas, cui addi nihil possit.

VIII. Quod si est verum, vt est, quomodo poterit Christo indigna videri fides, primo & secundo significatu? Maximè, cùm constet opus habuisse etiam Angelorum consolatione, Lucæ vigesimo secundo. Itaque, quod dicitur de gloria Christi, distinguitur, vel de gloria vnionis, vel de gloria perfectæ beatitatis. Ad illam concedimus euectam esse animam Christi ab ipsa conceptione: sed ad hanc, tantùm post resurrectionem. Cum ista non consistere fidem concedamus sanè: sed cum illa, constanter negamus.

IX. Ad secundum argumentum. Qui fidem habet, non videt perfectè essentiam diuinam: distinguo fidem: Si sumitur tertio modo, conceditur: at si primo, aut secundo, negatur. Ad tertium: responsio patet ex iis quæ explicata sunt de beatitate Christi. Itaque, nihil erat causæ, cur tam seuerè in Caluinum, & reliquos Catholicos, Hayus inueheretur.

CAP. VIII.

De Scientia animæ Christi, Status quæstionis.

I. DE Scientia animæ Christi disputarunt Bellarminus libri quarti de Christo, capitibus primis quinque. Feuardentius Theomachiæ libri quarti capite septimo. Bouetius Demonstrationum tomi secundi libro secundo. Examinis primi capite decimo septimo. Gregorius de Valentia Commentariorum tomo quarto, disputatione prima, quæstione decima quinta, puncto primo. Vasques in tertiam Thomæ, disputatione quinquagesima prima.

II. Pronunciat Bellarminus Christi animam, ab ipsa sui creatione, ita repletam fuisse scientia & gratia, vt nihil postea didicerit, quod antea nesciuerit. Gregorius de Valentia, Christum nunquam laborasse vlla ignorantia priuatiua: sed per aliquam scientiam creatam sciuisse semper omnia, quorum ignoratio aliquam imperfectionem hominis denotat. Feuardentius nullam, vel cum Angelis, vel cum hominibus ignorantiam communem assumpsisse.

III. At Catholici contrà asserunt, dici posse Christum aliquid aliquando ignorasse. Sed scientiam distinguunt in increatam, & creatam. Quia enim constet persona Christi duabus naturis inter se suis proprietatibus vere distinctis: ideo increatam scientiam Deitati propriam in Christo omnes agnoscunt, adeo verè & propriè infinitam, vt neque augeri vlla ratione minuíve potuerit, possit-ve: cùm Deitatis natura sit omnino immutabilis.

IV. Creatam verò, quæ in mentem creatam cadat, nulla ratione infinitam dici posse: nisi quomodo infinitum dicimus interdum per κατάχρησιν, id cuius terminos assequi nequeamus, vt numerum, vt tempus, & si quid simile. Nam cæteroquin certum est, nec creatum quicquam infinitum esse posse, nec vllam creaturam capacem infinitæ qualitatis.

V. De creata scientia nunc quæstio est. Nec quidem, vtrum fuerit aliqua in Christo: sed quomodo. Nam consentiunt ipsi Papistæ fuisse aliquam. Distinguitur autem in infusam, & acquisitam: Hic nodus est quæstionis. Nam nos contrà censemus, & verè dici aliquid aliquando nescisse, quum esset adhuc non glorificatus: neque inde derogari quicquam aut personæ redemptoris, aut redemptionis mysterio. Querimur tamen, & meritò, iniuriam nobis fieri à Bouetio, calumniosè nobis imputante hoc axioma: *Christum crassa multarum rerum ignoratione laborasse:* Etenim crassam ignorationem, quis nostrûm dixit? Atqui scimus eam dici crassam, quæ neminem excuset à peccato. Nósne ergo sic dicere Christum ignorantia laborasse, qui in Christo ne vmbram quidem agnoscimus peccati? Aequè impudenter Feuardentius, nos Christo omnem nostram ignorationem impingere: vnde concludi nec Patrem, nec Matrem, nec bonum, nec malum, nec Deum, nec Angelos, nec cœlum, nec terram, nec seipsum agnouisse. Horrenda imaginatione. Verùm, non hoc solùm loco cucullionum impudentissima sunt mendacia.

CAP. IX.

De scientia animæ Christi argumenta Papistica è Scriptura.

I. ARgumentantur è Scripturis Papistæ. Primùm Bellarminus ex Esaiæ capite vndecimo, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ.* Item Psalmo quadragesimo quinto, *Vnxit te Deus tuus.* Esaiæ sexagesimo primo, *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me.* Actorum quarto, *Conuenerunt ergo aduersus sanctum puerum tuum, quem vnxisti.* Decimo, *Vnxit eum Dominus Spiritu Sancto & virtute.*

II. Respondeo: primùm illum ex Esaia locum nihil pertinere ad animæ Christi scientiam, sed ad vnionem hypostaticam duarum naturarum. Hieronymus, *Super hunc igitur florem, qui de trunco & radice Iesse, Maria Virgine, repente consurget, requiescet Spiritus Domini, quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter.* Procopius, ἐπαναπαύσεται δέ φησι, πνεῦμα Θεοῦ πολλὰς ἔχον τὰς ἐνεργείας, οὐχ ὅτι ἦν πνευματοφόρος ψιλὸς γενόμενος ἄνθρωπος· ἀλλ' ὅτι Θεὸς ἐνανθρωπήσας ἐποίει τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἴδια. *Requieturum in eo dicit Spiritum Dei, cuius multa sunt facultates: non quòd fuerit nudus homo, Spiritu afflatus: sed, quia Deus hominem suscipiens, sua facit ea quæ propria sunt humanitatis.* Nec Cyrillus aliter, *Dicimus prophetam in hoc præconio suo artificium sic temperasse, vt non hominem merum nobis inducat Iesum, Dei Spiritu afflatum, & quasi nostri ordinis, ac conditionis esset, chrismatum Diuinorum participem factum: sed potiùs Dei Sermonem humanam naturam assumpsisse declarat, cumulatam bonis omnibus, quatenus ad ipsius naturam pertinet, etiam, vnà cum humanitate, quæ ad eum spectant velut sua & propria vendicantem.* Hæc si vera est expositio, tum verò ille locus nihil ad præsentem controuersiam.

III. Verumtamen non negem referri posse ad effectus Spiritus in humanam naturam: quomodo etiam nostri interpretantur, vt Caluinus, Vrsinus, Borrhaus. Et verisimile est describi à Propheta dona effusa in Christum, quibus aptus efficeretur tanto muneri, quantum id erat cui destinabatur.

IV. Itaque

IV. Itaque, iam respondeo, tum huic loco, tum reliquis additis, insidentiam illam Spiritus, & vnctionem pertinere ad infusam gratiam: non autem ad acquisitam. Neque significare omnem omnium rerum scientiam, sed earum, sine quibus non posset constare eius officium: siue ad illuminationem referrentur intellectus, siue ad sanctificationem voluntatis. Nihil ergo obstare, quominus & nesciret anima Christi omnia, ac singula, tum præsentia, tum futura: & tamen vncta Spiritu Sancto, id est, gratia infusa omnino, perfectéque impleta.

V. Itaque Thomas, etsi dixerit illis Esaiæ verbis comprehendi omnia cognoscibilia, tamen postea contrahit ad ea, quæ ab homine cognosci possunt. Locus est articulo primo quæstionis vndecimæ partis tertiæ, *Potentia animæ Christi fuit reducta in actum, secundum hanc scientiam diuinitus inditam, & ideo secundum eam anima Christi, primo quidem cognouit quæcunque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis: sicut quæcunque pertinent ad scientias humanas. Secundò verò, per hanc scientiam cognouit Christus omnia illa, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt: siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum Prophetiæ, siue ad quodcunque donum Spiritus Sancti. Omnia enim ista abundantiùs & plenius cæteris cognouit anima Christi.* Non igitur omnia absolutè: sed tantum ea, quæ homini cognoscibilia sunt, vel per vim intellectus, vel per reuelationem. At nunquam homini possunt omnia simpliciter esse cognita. Ergo, neque Christo. Et certè idem Thomas articulo quæstionis præcedentis. *Anima Christi nullo modo comprehendit diuinam essentiam.* Quis ergo negabit eam aliquid ignorare? Nisi fortè ea etiam sciat, quæ non vllo modo comprehendat.

VI. Deinde, si requieuerit super Christum Spiritus ille, non sequitur tamen simul & semel omnia fuisse ei reuelata: satis enim est, si successiue. Neque enim necesse est ab initio suæ incarnationis sciisse turrem Siloë casuram: aut cædem Galilæorum inter sacrificandum: sed suis tandem temporibus singula. Itaque vnctio quidem facta est ab ipso conceptionis initio, sed eius vnctionis actus dispensati per temporum momenta: simul etiam per obiecta varia. Salmero in primam Ioannis disputatione decima septima, *Vnctio Spiritus disponit facultates ad diuina videnda, & animam ad lumen capiendum.*

VII. Secundum argumentum Bouerij est, ab locis, vbi dicitur sciisse omnia: Ioannis decimo sexto, *Nunc scimus, quia scis omnia, nec opus est tibi, vt quis te interroget.* Decimo octauo, *Sciens Iesus omnia, quæ euentura erant super eum.* Sexto, *Sciebat ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.*

VIII. Nihil difficile: nam in primo loco non significatur infinita scientia, quæ omnia absolute comprehendat absque exceptione. Quomodo neque secundo capite primæ Ioannis, cum legimus, *Vos vnctionem habetis à Sancto illo, & nostis omnia.* Nam quis hic explicet absolute omnia? Imo Lorinus, *Saluti necessaria & vtilia: nominatim quæ sunt credenda de Deo, & Christo.* Salmero, *Intelligit per Synecdochen, illos scire & nosse omnia, scilicet saluti necessaria & vtilia.* Bene est. Constat scire omnia, non semper infinitam cognitionem denotare.

IX. In reliquis multo minus laboris. Nam quæ tum dicitur cognouisse Christus, non sunt omnia quæ sciri possunt: sed ex multis pauca: omnia, quæ euentura sibi essent: & qui non crederent: & quis traditurus esset. Hæc verò, quanto spatio distant ab immensitate cognitionis?

X. Præterea, nusquam docetur, quomodo hæc scirentur omnia: verum-ne simul & semel ab initio, an per diuersos actus. Lorinus in secundum primæ Ioannis, *Spiritus Sanctus datur, Ecclesiæ doctor, vt doceat, ac suggerat omnia omnémque veritatem: non simul & semel id facit, sed quando iudicat opportunum.* Et post, *Nouit omnia Ecclesia, quæ nosse in præsenti expedit: & quæ nondum reipsa nouit, nosset autem aliquando, nosse nunc dicitur, quia in potestate eius est vt noscat.* Sic constat rursus, scire omnia dici ambiguè, vel quomodo Deus scit omnia, ita vt nihil vnquam didicerit: vel, quomodo creatura scit, nempe multa successiuè, ac repetitis actibus, siue infusæ scientiæ, siue acquisitæ. Non tantum enim, exempli gratia, successiuè acquiruntur Logica, Astrologia, Arithmetica, ita vt qui nunc eas omnes complexus est, tamen olim nonnisi Logicam cognouerit: sed etiam Reuelatio dispensari solet variè. Hi autem loci, etsi dicant, Christum sciisse, siue plurima, siue omnia, tamen non dicunt sciisse semper, sciisse simul & semel.

Cap. X.

De scientia animæ Christi argumenta Papistarum ex Patribus.

I. NVnc argumentantur ex Patribus, & quidem laxissimè Bellarminos: quem si dixero nullo prorsus iudicio versari in Veterum monumentis, non est quòd verear ne quid dictum sit coindignum.

II. Citatur apud eum primus Eusebius libro decimo Demonstrationis capite vltimo: qui ex iis verbis Psalmi vigesimi secundi, *De ventre matris meæ Deus meus tu*, deducit Christi animam in vtero Virginis perfectissimam cognitionem habuisse: imò & Deum vidisse, cui cognitioni nihil possit addi, *Cum*, inquit, *adhuc intra cellam gestantis me in vtero laterem, te tamen Deum meum videbam.* Et aliquanto antè, *Putabar vt reliqui hominum infantes, imperfectus esse, & absque vsu rationis: non autem eram talis, licet mihi cæteris hominibus simile esset corpus.*

III. Astego insignem locum, miserè à Iesoita laceratum indignatus, restituam suæ integritati, & describam Græcè, [illegible]

τὸ παιδίον τῶν κυησάντων με περιέλκοντα, σὲ τὸν Θεόν μου ἴσασι, ὄντα ἀσύγχυτον καὶ ἀδιάλυτον ἐν τῇ τοσαύτῃ τῆς σαρκὸς κοινωνίᾳ διαμείναντα, μᾶλλον δὲ ἀσώματον, καὶ τούτων ἐλεύθερον δεσμῶν. *In te confisus sum, meum Deum & Dominum & Patrem: & quidem non habens nunc primum initium spei in te: sed & tum, cum à mammis matris puerilem cibum capiens, existimabar similis hominum infantibus, infirmus, siue imperfectus* (dubium enim vtrum legas ἀσθενῆ, an ἀτελῆ vt in Codice regio, nam ἀτελὲς non quadrat) *& vsu rationis destitutus. Atqui non eram eiusmodi: quantumuis corpore hominibus similis essem: neque potentia, imò neque essentia vulgo æqualis: imò solutus nec vinctus, vt decet verum agnum, ô Deus, etiam ab ea ipsa ætate cùm lacte alerer, hoc est, à mammis matris meæ. Et quidem hoc ipsum nemo existimabit magnum aliquid esse, si sciat me etiã antè ea in te reiectum esse ab vtero, téque inde à ventre matris meæ esse Deum meum, cum enim adhuc essem intra receptaculum eius qua me gestabat, te Deum meum videbam: vtpote qui non confusus, aut permixtus in has carnis communione permanserim: sed potius incorporeus, libérque a vinculis.*

IV. Hoc loco contendo nihil agi specialiter de anima Christi: nihil de eius scientia acquisita. Non agi de anima, sed de tota Christi incarnati persona, habita ratione Deitatis, tum agnoscet quiuis non stupidus, tum probatur his argumentis. Primò, quia eum, de quo sermo est, negat Eusebius esse δυνάμει & ἴσα vulgo æqualem, quod de Christi humanitate nemo vnquam dicat Catholicus: quem esse factum nobis similem, atque adeò ὁμοιον, secundùm carnem, solemnis est Ecclesiæ confessio. Secundò, quòd eum dicat in carnis permixtione ἀσύγχυτον καὶ ἀδιάλυτον, id est, *inconfusum imperturbatum*, interprete Donato Veronensi. Tertiò, quòd non impermixtum duntaxat, sed etiam ἀσώματον καὶ τούτων ἐλεύθερον δεσμῶν. Quæ omnia ei homini secundùm carnem conuenire non possunt. Itaque hunc hominem sic Deum vidisse ait, quomodo Ioannis primo, *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.* Et sexto: *Non quòd Patrem viderit quispiam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem, soli enim consubstantiali Filio Pater visibilis est, & nulli præter eum alij*, inquit Cyrillus in Ioannem libro primo, capite vigesimo secundo. Et libri tertij capite octauo, *Quomodo igitur, si cùm nullus Patrem vidit, nisi is qui est à Deo, & nihil id penitus esse præter Filium intelligimus, non erit vltra omnem creaturam Filius? Quomodo si omnia sint ex Deo* (vt ait Paulus) *nec quisquam præter Filium Patrem videat, non erit ipse quodã alio modo ex Deo, quàm creaturæ, id est, ex substantia ipsius Patris? Si enim ita non est, quamnam ob rem, cùm omnia sint ex Deo, ipse solus idcirco, quia ex Deo est, Patrem videt?* Ex his patet agi ab Eusebio de Christi scientia increata & infinita, quæ per gratiam vnionis hypostaticæ hominis Christi scientia dicitur. Itaque locus hic ad hanc controuersiam non pertinet.

V. Eusebio subiicit Ambrosium libro quinto de Fide capite septimo: qui cùm proposuisset quorundam sententiam asserentium Christum, vt Deum, omnia scisse, non verò vt hominem, quia scriptum sit, *Proficiebat sapientia*, subiecit: *Hæc tamen alij dicant: ego autem multo magis arbitror, quòd Filius, qui cum hominibus conuersatus est, & hominem egit, & carnem suscepit nostrum assumpsit affectum, vt nostra ignorantia nescire se diceret, non quod aliquid ipse nesciret.*

VI. Respondeo, Ambrosium disputare contra Arianos, qui tum Filio Dei, tum Spiritui Sancto, ignorationem affingebant, vt vtrumque inferiorem Patre constituerent. Itaque, contrà prolixè probare, Dei Filium, verum Deum, nihil ignorare. *Quos enim* (inquit) *alios, nisi specialiter Arianos Propheta condemnat, qui dicunt, quòd Dei Filius nesciat tempora & annos? Non enim est aliquid quod ignoret Deus. Est autem Deus Christus, & Altissimus Christus, ipse est enim super omnia Deus.* Et nõnullis interiectis, *Quid censes de Dei Filio, vtrum ex institutione, an ex natura habeat scientiam? Si ex institutione, ergo non est natus sapientia: & ex processu cœpit esse perfectus, nec erat semper. Quod si naturalem scientiam habet, vtique perfectus in principio erat, perfectus ex Patre processit, & ideo præscientia non eguit futurorum. Non ergo nescmit diem. Neque enim sapientia Dei est, ex parte scire, & ex parte nescire. Nam quomodo potest nescire partem, qui fecit omnia, cum minus sit scire quàm facere?* Rursus, *Omnia in sapientia Pater fecit, id est, omnia per Filium fecit, qui est virtus Dei & Sapientia. Sapientia autem id conuenit, vt suorum operum & virtutes norit & caussas. Et ideo non potuit creator omnium ignorare quod fecit, nescire quod ipse donauit. Nouit ergo diem quem fecit.* Hæc, & alia plurima, quæ diligens lector obseruabit, docent agere Ambrosium de scientia Christi: non, inquam, de scientia animæ Christi, id est, humanæ naturæ distinctè; Sed Christi ὅλου considerati, vt in eadem persona per vnionem hypostaticam verè Deus est, & homo: ac proptereà scientiam intelligendam, increatam, non verò creatam. Nam quòd Gretserus colligit, ergo Ambrosium affirmare Christum, non modò secundùm Diuinam, sed & secundùm humanam naturam, nulla ignorantia laborasse: portenti simile est in Theologo: quia quæcunque de persona dicuntur, eadem pertinent ad vtramque naturam.

VII. Porrò, qui locus à Bellarmino licet indicatur, potiùs quàm recitatur, ita habet: Cùm obiicerent Ariani ignorationem illam diei illius postremi, ipséque respondisset, Christum non nescisse, sed se scire dissimulasse; subiicit, *Sunt tamen plerique non ita timidi vt ego. Malo enim alta timere, quàm sapere. Sunt tamen plerique, eo freti quod scriptum est, & Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines: qui dicant confidenter, quod secundùm diuinitatem quidem ea quæ futura sunt ignorare non potuit: sed secundùm nostræ conditionis assumptionem ignorare se, quasi Filium hominis, ante crucem dixit. Etenim cùm Filium dicit, non quasi de alio dicit; nam ipse est, & Dominus noster Dei Filius, & Filius Virginis: sed medio verbo nostrum informat affectum, vt quasi hominis Filius, secundùm susceptionem nostræ imprudentiæ, vel profectus, non plene adhuc scisse omnia crederetur. Non est vestrum scire quæ futura sunt. Eadem igitur videtur ignorare conditione, qua proficit.* Et paulò pòst, *Hæc tamen alij dicant. Ego autem, vt ad superiora redeam, qui proposuerim scriptum, quòd Pater dixit, fortasse venerabuntur Filium meum: quod vtique ideò arbitror positum, vt quod de hominibus loquebatur Pater, humano locutus videatur affectu: multo magis arbitror, quòd Filius, qui cum hominibus conuersatus est, & hominem egit, & carnem suscepit, nostrum assumpsit affectum, vt nostra ignoratione nescire se diceret, non quod aliquid ipse nesciret.*

VIII. Ex quo perpetuo verborum contextu, primò, apparet Bellarmini fallacia: qui ex verbis Ambrosij

Ambrosij, *Ego autem multò magis arbitrer*; eam cogitationem lectoribus obiicit, quasi Ambrosius suam hanc sententiam aliorum sententiæ præferat: & dicat, se multò magis arbitrari, Christum ita esse locutum, ex assumptione nostri affectus, quàm quòd distinguenda sit humanæ naturæ scientia à scientia Deitatis. Quod tamen Ambrosius non cogitauit. Nam hoc tantùm voluit; se, qui locum illum, *Fortasse reuerebuntur Filium meum*, sic esset interpretatus, vt Deum, Patrem diceret humano affectu sic locutum: multò magis hoc ipsum de Filio, qui homo factus est, asserturum: atque ita potiori ratione interpretaturum hunc locum, quem Ariani obiiciebant. Itaque, non illam aliorum interpretationem vsquam improbat; sed suæ in alterius loci interpretatione sententiæ acquiescit: vt sensus sit, malle se verba illa intelligere [illegible], de tota Christi persona, quàm distinguere humanitatem à Deitate.

IX. Deinde, hanc ipsam nostram distinctionem, ideoque, & sententiam, de scientia animæ Christi, ex hoc eodem loco dicimus, iam Ambrosij sęculo, probatam Catholicorum plerisque. Nam quis credat ab hæreticis fuisse, vt non saltem aliquo verbo indicaret Ambrosius? vt non etiam refutaret? At neutrum: Ergo, erat ea sententia Catholicorum: & quidem, ne ab ipso quidem Ambrosio improbata. Nam paulò pòst docebimus ex aliis eius locis etiam probari.

X. Gregorius Nazianzenus oratione in Basilium, *Proficiebat sapientia, non, vt incrementum aliquod acciperet: cùm ab initio, Dominus gratia, sapientiáque absolutus esset; sed, quòd hæc hominibus ignaris, paulatim apparerent.* At ne hunc quidem locum sincerè Bellarminus recitauit: nā illud, *hominibus ignaris*, nusquā est, [illegible] *Ille enim proficiebat*, inquit, *vt ætate, sic etiam sapientia & gratia: non quòd ista in eo augmentum sumerent: quid enim perfectius eo, qui ab initio perfectus erat? Sed quòd paulatim nudarentur, & apparerent.* Est vero abiiudi nihil: non enim de scientia animæ Christi loquitur, sed de scientia Christi, nimirum, quia eius est [illegible] etiam illa sapientia, quæ ab initio est perfecta, id est, Deitatis. Nam de anima quidem, proximo capite videbimus, quid Gregorius senserit. Quis autem nescit, Deitatem sese in Christo non continuò exeruisse, aut demonstrasse?

XI. Hieronymus in caput vndecimum Esaiæ, in Christum ex Maria conceptum, descendisse Spiritum Sanctum, non per partes, vt in alios sanctos, *Sed iuxta Euangelium Nazarenorum*, inquit, *descendit in eum omnis fons Spiritus Sancti.* Et in illud, *Mulier circumdabit virum*, Hieremiæ trigesimo primo, *Absque viri semine* inquit, *absque vllo coitu, fœmina circumdabit virum gremio ventris sui, qui iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus, & infantiam proficere videbitur sapientia & ætate: sed perfectus vir, in vtero Virginis, solitis mensibus continebitur.*

XII. Respondeo, priorem locum referendum ad gratiam vnionis. Sunt enim hæc verba contigua iis, quę paulò antè retulimus in explicatione loci illius Esaiæ, *Quia*, inquit, *in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter: nequaquam per partes, vt in cæteris sanctis, sed iuxta Euangelium eorum, quod Hebræo sermone conscriptum legunt Nazaræi, descendet super eum omnis fons Spiritus Sancti.* In altero loco sensus est Hieronymi, etsi Christus videatur, id est, reipsa percipiatur proficere, tamen perfectum virum fuisse. Non enim hoc loco *videbitur*, illud est, quod aliàs sæpe, *existimabitur*, cùm idipsum re verū non sit: nam quomodo idipsum ad ætatem referat? Verè enim, & re ipsa creuit ætate, quemadmodum cæteri omnes homines, non verò tantùm [illegible]. Perfectus autem vir, quidni dicatur is, in quo iam tum essent omnes thesauri sapientiæ? Scilicet, tum increatæ, tum inspiratæ?

XIII. Athanasius contra Arianos sermone quarto, simpliciter negat, Christum in sapientia profecisse, *Est-ne ille homo, vt vulgus hominum, an Deus humanitate & carne indutus? Quod si vulgaris est homo, esto, vt pro conditione aliorum hominum profectum capiat: at istiusmodi est Samosatensis sententia, quam vos tanto animo, & ope fouetis.* Etsi autem de Deo præcipuè loquatur, tamen quum solùm admittat profectum, quoad externam demonstrationem sapientię: & simpliciter neget Christum, interno profectu vllo modo auctum esse, satis apertè significat se loqui etiam de Christo, quà homo erat.

XIV. Atqui Athanasium Vasques in iis Patribus numerat, qui contrà senserint. Item Maldonatus, & Toletus, commentariis in Lucæ secundum: & sanè constat loqui de Christo, quatenus Deus est, ac proinde de eius sapientia increata. Id patet, primò, quia opposuerant ei Ariani tum alios, tum hunc locum de profectu, vt negarent Christum esse verum Deum. Non ergo de anima Christi quæstio erat. Secundò, quia præcipua solutio, cui præcipuè insistit, est, sollicitè distinguendas esse duas in Christo naturas: & locos Scripturæ variè interpretandos, vt alij ad humanam referantur, alij ad diuinam: in illis autem numerandum illum de ignoratione vltimi diei. Tertiò, quia hoc ipso loco à Bellarmino citato, seipsum Athanasius satis explicat sequentibus verbis, quæ Iesuita fugit describere. Nā statim sequitur, [illegible] *Sin autem Deus est, carnem gestans, (quod quidem re vera est: & sermo caro factus est, atque Deus cùm esset, in terram descendit) quemnā profectum habet, qui æqualis est Deo? Aut vnde habuit crescere Filius, qui semper est in Patre? Nam qui semper est in Patre, non proficit. Quid enim est vltra Patrē, vt inde proficiat?* [illegible] *Si cùm factus est homo, tūc profecit, manifestum est imperfectum fuisse, priusquam homo fieret, & carnem ei perfectionis causam fuisse, potiùs quàm ipsam carni. Et rursus, si cùm sit sermo, profecit, quid fieri potuit maius, quàm Verbum, & Sapientia, & Filius, & Potentia? Hæc enim omnia est ille sermo.* Hæc, & alia.

XV. Itaque, etsi verum sit ab Athanasio solùm admitti profectum, quoad externam demonstrationem sapientię, tamen non sequitur eum loqui de Christo, quà homo erat. Nam reuera, quia agit de Christo, quatenus Deus est; omnino oportuit, absolutè, & simpliciter negari interiorem profectum. Non enim potest intelligi vllo modo, per gradus, & paulatim Christum profecisse in iis, quæ sunt Deitatis. Sed non esse extendendum id ad humanitatem, ipse disertè testatur. Nam concludens

[illegible Greek], inquit, λόγος [illegible], λόγος ἐστι, ὁ προκόπτων, Non igitur sermo, in quantum sermo, is erat qui proficiebat. Et paulo pòst, [illegible Greek] Iudæi, tum veteres, tum noui, spõte sibi claudunt oculos, ne videant, quod illud in sapientia proficere significat, non ipsam sapientiam proficere, sed humanitatem in ea sapientia proficere. Et non multò pòst, [illegible Greek] Quod si ansfte: Iesum, dictum esse eum qui caro factus est; atque ad eum referant illud, proficiebat; audiant, sic ita quidem minus paternam lucem, hoc est enim Filius: imò rursum ostendit. Sermonem factum esse carnem: & sicut dicimus, carne passum, carne esurisse, carne fatigatum: sic etiam meritò dicatur carne profecisse. Fuit enim profectus, Sermonis non seiunctis separatique, qualis is est quem dicebamus. Erat enim in eo caro proficiens, atque eius esse dicebatur: quod ipsum rursum factum, vt humanus profectus sermonis esset ob societatem Sermonis. Non igitur, aut Sermonis profectus erat, aut caro ipsa sapientia: sed sapientia corpus fuit caro. Propterea, vt prædiximus, non proficit sapientia ipsa per seipsam, quatenus erat sapientia: sed humanitas in sapientia proficiebat, paulatim supergrediens humanam naturam.

XVI. Augustinus libro secundo de peccatorum meritis & remissione, capite vigesimo nono, *Quam ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, vt habitaret in nobis: nec illam, ipsius animi infirmitatẽ in Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis.* Et infrà, *Sed, quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit, ab ipsa exorsus infantia.* Quibus verbis, ætate solùm profecisse Christum significatur, non autem in animæ dotibus. Præterea de Trinitate libro decimo quinto, capite vigesimo sexto, absurdissimum dicit, Christum, alio tempore accepisse Spiritum Sanctum, quàm in ipsa conceptione.

XVII. Sed de posteriori loco, nulla est controuersia. In priori, non potuit Iesuita suarum artium obliuisci. Truncato enim loco, sententiam occultauit Augustini. Nam is loquitur, non de ignorantia in vniuersum, sed de ignorantia peccato infecta, quã miserabilem appellat, *Per hanc*, inquit, *etiam cùm motibus irrationabilibus perturbantur, nulla ratione, nullo imperio, sed dolore aliquando, vel doloris terrore cohibentur, vt omnino videas illius inobedientia filios, quæ mouetur in membris repugnans legi mentis, nec cum vult ratio, cõquiescit.* Hæc verò de Christo absit, vt non sponte profiteamur: sed non sequitur, si non fuit ignorantia cum peccato, vt nulla prorsus fuerit quocunque modo.

XVIII. Cyrillus Thesauri libro decimo, capite septimo, apertè dicit, nihil additum Christo, etiã si legamus eum profecisse sapientia & gratia. Et in Ioannem libro primo, capite decimo septimo, *Quia magis eum in dies homines admirabantur, illorum potius de Iesu opinio, quam illius perfecta crescebat gratia.*

XIX. At Cyrilli de sapientia creata, nulla verba sunt: sed de increata, quam hypostaticè Christus habet propter vnionem naturarum. Itaque in Thesauro, *Quod si æqualis Deo est, vt Paulus affirmat, & tamẽ proficiebat, maiorem iam patre secundum nos dicere eum necesse erit, quod absurdissimum est. Quum igitur perfectus sit, & perfecti Patris Filius, propter incarnationem dictum esse istud accipiatis. Nam si, vt Verbum factus homo, profecit: nõ ipse nobis profuit: sed magis caro, quam assumpsit, profectum sibi attulit, & ad perfectionem imperfectum conduxit.* In Ioannem disputat, nihil Verbo propter incarnationem decessisse, *Quamuis*, inquit, *Verbum caro factum sit, non tamen infirmitate carnis superatum est, nec de prisca maiestate, atque Omnipotentia decidit, quoniam homo factus est.* Et postea occupans obiectionem, *Sed si plena est, inquies gloria eius & veritate, quomodo sapientia, ætate & gratia profecisse, apud Lucam scribitur?* Obiectio erat igitur, non humanitatis Christi naturam impetens: sed Deitatis maiestatem; pro Arianorum more. Itaque soluit. *Sed non vt Verbum & Deus profecisse intelligitur: verùm, quia magis eum in dies homines admirabantur, illorum potiùs de Iesu opinio, quàm illum perfecta crescebat gratia, vt magis in dies cognoscentes, magis illum procedere, ac gratia crescere arbitrarentur.* Rectè sane. Nam illa increata sapientia, non potest dici Christus creuisse, nisi quantum sese paulatim Deitas quasi exserebat; vt hominibus innotesceret. Non sequitur tamen animam Christi non profecisse in sapientia acquisita.

XX. Gregorius magnus libri octaui Epistola quadragesima secunda. Et Sophronius in Epistola ad Sergium, quæ est in actione vndecima sextæ Synodi, damnant Agnoëtas. Respondeo: Agnoetas insultasse in Christi Deitatem. Rabanus de institutione Clericorum libro secundo, capite quinquagesimo octauo. Et Isidorus Originum libro octauo, capite quinto, *Agnoitæ* (sic enim legendum) *& Tritheitæ à Theodosianis exorti sunt: ex quibus Agnoitæ, ab ignorantia dicti, quia peruersitati, à qua exorti sunt, id adiciunt, quòd Christi Diuinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora nouissima: non recordantes Christi personam in Esaia loquentis, Dies iudicij in corde meo.* Itaque Gregorius, eadem, quam notat Bellarminus Epistola, *Quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam, qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid, quod Dei sapientia ignoret?* Sophronius etiam à Themistio ita ignorantiam Christo affingi docet, vt eum purum hominem efficiat.

XXI. Itaque, quòd Nicephorus libri decimi octaui, capite quinquagesimo, & Leontius libro de Sectis, asserunt hos Agnoëtas asseruisse Christum ignorare diem iudicij, quatenus homo: mirum est qui acciderit. Nisi forte verum sit, quòd tum Iunius, tum Tilenus admonent, duo fuisse Agnoetarum genera: quod ego tamen nusquam reperio. Itaque crediderim potiùs & Nicephorum, & Leontium deceptos fuisse. Aliàs, quis intelligat ex iis vocibus, hoc est, ea assertione colligi, alterius naturæ Patrem esse, alterius Filium? Vnde meritò damnati sunt Agnoetæ. Non tantùm enim Filius æternus scit omnia: sed etiam omnino credendum eam scientiã esse hominis Christi, hoc est, eius ipsius personæ, quæ homo est. Itaque, non tantùm ab æterno Christum sciisse omnia, & ante incarnationem, sed etiam incarnatum? Quòd qui negat, fieri profectò non potest, vt non sit Nestorianus, aut certè Arianus: cùm vel Filium, quà Deus est, neget æqualem Patri, cum

Ario: vel eum Filium neget, vnam personam esse cū Filio hominis, id est, propter incarnationem. Sed hæc nihil ad Catholicos.

XXII. Damascenus libro tertio Orthodoxæ fidei, capite vigesimo secundo, *Qui proficere ipsum dicunt sapientia, & gratia, & horum accessionem, additionémque subinde suscipientem, non secundùm hypostasin adorant vnionem.* Nimirum, hoc illud est, quod dicebam de Agnoetis: solui ab eis Chrysti hypostasin, vt non sit idem verus Deus, qui verus homo. Sed paulò prolixiùs Damascenum exhibeamus, οἱ δὲ προκόπτειν αὐτὸν λέγοντες σοφίᾳ τε, καὶ χάριτι, ὡς προσθήκην τούτων δεχόμενον, οὐκ ἐξ ἄκρας ὑπάρξεως τῆς σαρκὸς γεγενῆσθαι τὴν ἕνωσιν λέγουσιν, οὐδὲ τὴν καθ᾽ ὑπόστασιν ἕνωσιν πρεσβεύουσι. Νεστορίῳ δὲ τῷ ματαιόφρονι πειθόμενοι, σχετικὴν ἕνωσιν, καὶ ψιλὴν ἐνοίκησιν τερατεύονται, μὴ γινώσκοντες μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται. εἰ γὰρ ἀληθῶς ἡνώθη τῷ Θεῷ λόγῳ ἡ σὰρξ ἐξ ἄκρας ὑπάρξεως, μᾶλλον δὲ ἐν αὐτῷ ὑπῆρξε, καὶ τὴν ὑποστατικὴν πρὸς αὐτὸν ἔσχε ταυτότητα, πῶς οὐ τελείως ἐπλουτήσατο πᾶσαν σοφίαν, καὶ χάριν; *Qui proficere dicunt sapientia & gratia, scilicet additamentum horum acquirentem, hi negant vnionem factam ab ipso momento, quo caro existendi sumpsit initium, neque personalem vnionem venerantur. Quin potiùs insano Nestorio consentientes, vnionem habitualem, nudamque inhabitationem monstrosè fingunt, ignorantes quæque loquuntur, quæque affirmant. Enimuerò, si verè vnita caro est Deo Verbo, ipso statim sui initio; imò potius in eo sumpsit initium; habuitque cum eo personalem identitatem, quidni perfectè omnem sapientiam, & gratiam possederit?*

XXIII. Post enumeratos Patres (nam de Beda & Bernardo, nihil est noui quod dicam) Bellarminus rationes quasdam inducit. Prima est: non esse credibile, Verbum esse factum hominem personaliter, & non simul effudisse in ipsa incarnatione in illam humanitatem omnia dona, quorum capax erat. Nam, si fecit illam animam suam propriam, ita; vt verè dicatur, & sit anima Dei, quomodo verisimile est, non illam continuò sapientissimam redditam fuisse? Absurdum enim animam sapientiæ aliquando insipientem fuisse.

XXIV. Respondeo, verissimè statim ab initio effusa esse in humanitatem Christi omnia dona, quorum erat capax. Sed valdè vitiosum, quòd non probet Bellarminus omniscientiæ capacem fuisse humanitatem Christi, iam ab ipso conceptionis initio. Nos autem propterea negamus capacem, quia nostræ humanitati fuit similis; assumptis etiam infirmitatibus, quæ ex peccato processerunt, non tamen sunt peccata. Quia igitur ea natura est hominis, vt non sciat omnia, maximè ab ipso suæ conceptionis momento; ideò credimus, hoc ipsum Christo vsuuenisse, sicut credimus, non locutum esse in vtero: imò etiam fasciis inuolutum, gestatumque vlnis matris, propter ætatis defectum. Porrò, insipientiæ vox est distinguenda: solet enim in malam partem sumi, vt non absit à vitio: hanc insipientiam absit, vt Christo quisquam tribuat Christianus: sed insipientiam, si quæ nominari potest, simpliciter pro ignorantia, quæ ne quidem in vllo puro homine peccatum est; vt in Saule cùm nesciret vbi essent asinæ: in Elia, cùm ignoraret quid mulier, ad pedes suos abiecta, haberet in animo: in Iacobo, qui nesciebat Deum esse in eo loco, vbi tum erat: in Paulo, qui nesciebat vtrum Corinthi baptizasset aliquem, præter Caium, Crispum, & Stephanæ familiam. Si ergo insipientia hoc sensu nominari potest (quod si fortasse fiat, rarò fit, sine dubio & ἀκύρως) non video, quomodo indignum sit, hanc Sapientiæ animam sic fuisse insipientem, id est, ignorantem. Quid enim magis, quàm fuisse creatam, quæ erat æterni Dei anima? quàm tristem esse vsque ad mortem, quæ erat immortalis Dei? Quanquam adduci non possumus, vt ita loquamur, Christi animam insipientem fuisse: quia scimus insipientiæ nomine, non quamlibet ignorantiam significari, sed vitiosam. Non sequitur autem, vt qui crescit sapientia, fuerit insipiens. Nam, quis Paulum, Ioannem, Virginem Mariam, insipientes ausit dicere? Et tamen nemo negat, eos creuisse sapientia, quandiu in viuis fuerunt; etiam postquàm eis infusa est gratia.

XXV. Secunda ratio. Sapientia & gratia Christo homini naturalis fuit, vt docet Augustinus Enchiridij capite quadragesimo: Ergo, non accepit Christus illam sapiêtiam, vel gratiam, post incarnationem: nam ideò dicitur naturalis, quia statim, & abundantissimè manauit.

XXVI. Respondeo: Naturalem Christo homini fuisse omniscientiam ὑποστατικῶς, hoc est, quia eadem persona sit Deus & homo. Itaque Augustinus sic loquitur, *Modus iste, quo natus est Christus de Spiritu Sancto, non sicut Filius, & de Maria Virgine, sicut Filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo, nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset & Filius Dei, qui filius hominis: & filius hominis, qui Filius Dei, ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere.* Itaque, non sequitur non profecisse animam Christi in sapientia. Nam etsi proficeret, tamen erat ei naturalis: nimirum, quia proficere dicitur, per humanitatis proprietatem: naturalis autem ei dicitur sapientia, per gratiam vnionis hypostaticæ; quam proprietates naturarum, nullo modo, aut impediunt, aut minuunt.

XXVII. Tertia ratio: Christus homo in incarnatione cœpit esse Filius Dei; ergo, tunc debuit repleri omnibus donis. Nam filius est hæres omnium bonorum paternorum: nec debuit expectare Christus successionem ex morte patris, vt notum est.

XXVIII. Respondeo, verè repletum fuisse Christum omnibus Dei donis, ab ipso statim incarnationis momento, sed ὑποστατικῶς: qua de re nulla est controuersia. Sed non sequi ex eo, ergo, animam Christi nihil vnquam non sciuisse: quia hoc pertinet ad τὴν τῶν φύσεων ἰδιότητα, quam in vnione saluam esse, soli Eutychiani ignorarunt.

XXIX. Quarta ratio: Christus homo in ipsa incarnatione factus est caput, non solùm hominum, sed etiam Angelorum, vt omnes concedunt: ergo, debuit tunc repleri sapientia, gratia, & ipsa etiam beatitudine: nec enim conueniebat, vt caput esset minùs ornatum, & minùs sapiens quàm sint membra. Respondeo: quid, si sic concludam, non debuisse ergo pati corpore, multò minùs anima? Nam certè Angeli omnino nihil patiuntur: nec beatitudinis est pati: sed solutio facilis, vt priùs: caput fuit Angelorum ὑποστατικῶς, & repletus sapientia ὑποστατικῶς.

XXX. Quinta ratio: Adam creatus est sapientissimus; vt ex eo colligitur, quod mox à creatione imposuit nomina omnibus animantibus. Ergo multò magis secundus Adam debuit in ipsa conceptione sapientissimus fieri. Negamus consequentiam: quia Adam creatus est in ætate virili: at non Seruator. Adam, antequam peccato esset infirmata humana natura: At Christus assumpsit naturam illam sic à peccato infirmatam, etsi à peccato immunem. Ergo, non magis necessaria est consequentia, quàm si quis diceret, Adam creatus est expers dolorum, ergo & Christus. Adam creatus est ita, vt statim sermonem disertè formaret: ergo & Christus. Denique, Adam factus est absque vlla vteri opera: ergo & Christus. Ista sunt inepta: vt mirum sit Bellarminum sic ineptisse.

XXXI. Sextam rationem habeo à Lorichij fortalitio fidei, de Deo, hæresi secunda. Ignorantia denotat quandam imperfectionem personæ. At in Christo personæ imperfectio nulla. Ergo nec ignorantia. Respondeo, maiorem esse falsam. Nam ignoratio naturæ est, non personæ. Testis Athanasius contra Arianos oratione quarta, τῆς σαρκὸς ἴδιον ἐστὶ τὸ ἀγνοεῖν, *Carnis proprium est ignorare.* At caro non est persona Christi; sed Deitas, quæ scit omnia: nec vlli ignorantiæ est obnoxia. Porrò naturæ imperfectio intelligenda est, si comparetur, non ipsa humana natura ad se: nam tum perfectissima fuit Christi humanitas: sed creata natura cum increata: Tum enim dici potest, imò dici debet imperfecta: Absit enim, vt eandem in humana Christi natura perfectionem quæramus, quàm in diuina. Cyrillus de recta fide ad Reginas, τὸ ἀγνοοῦμεν πολλὰ τῶν ἐν Θεῷ μυστηρίων, [illegible] *Dicimus ignorare nonnunquam arcana, quæ in Deo sunt, neque insolens, neque aliàs indecorum esse creaturæ.*

Cap. XI.

Catholicorum argumenta de scientia Christi.

I. Catholicorum sententia nititur his argumentis: Lucæ secundo, καὶ Ἰησοῦς προέκοπτε σοφίᾳ, καὶ ἡλικίᾳ, καὶ χάριτι παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις, *Iesus autem proficiebat sapientia; & statura, & gratia, apud Deum & homines.* Quorum verborum sensus est; non fuisse tantam in Christo ætatem, siue staturam, (ἡλικία Græcis est vtrumque) cùm nasceretur, quantam annis aliquot postea: & vt staturam, sic etiam sapientiam, & gratiam. Quod si est verum, omnino falsam esse Papistarum sententiam, necesse est.

II. Bellarminus respondet, Christum profecisse sapientia & gratia, vel opinione hominum, quibus in dies magis aperiebat sapientiam suam: quomodo Sol, quo magis ascendit versus medium cœlum, tanto magis dicitur proficere in lumine & calore, non quòd in se fiat lucidior & calidior, sed quia magis apparet eius virtus: atque hanc esse Veterum, Nazianzeni, Cyrilli, Damasceni, Theophylacti, Bedæ, Anselmi, Bernardi & aliorum expositionem. Vel quòd, sicut Episcopus dicitur proficere in Ecclesia sua, suis concionibus, quando populus proficit, & doctor in schola dicitur proficere, quando doctos reddit auditores: ita etiam Christus potest profecisse, quia fecit alios proficere.

III. Sed contrà est, quod dicitur, *Apud Deum & homines.* Nam primò, sic proficere, vt alijs videatur, nunquam quisquam significauit his verbis, *profecit apud homines.* Secundò, proficere opinione hominum, nihil aliud est, quàm non proficere reuera; sed falli quodammodo homines, cum putent eum proficere: At id de Deo dici non potest. Tertiò, copulauit Euangelista, sapientiam, gratiam & ætatem. Non potest autem quisquam dicere, Christum ætate, hominum opinione profecisse: neque, quia alios proficere faceret. Itaque is profectus potius intelligendus est in ipsa Christi humana natura, vnde Syrus interpres reddidit, in statura sua & sapientia sua.

IV. Instat Bellarminus, primò, construendum contextum Lucæ, vt sit, non, *Crescebat apud Deum & homines*, sed, *gratia apud Deum & homines.* Quia non rectè dicatur aliquem proficere sapientia, vel ætate apud Deum & homines: eò quòd res sint absolutæ, sapientia & ætas, nec ab alio pendeant. Gratiam autem apud Deum & homines significare Christum ab hominibus fuisse in dies magis dilectum; & adeò recepisse signa beneuolentiæ. Secundò etiam illud, proficere apud homines sapientia, dici posse, quatenus, multiplicando opera sapientiæ, faciebat alios proficere: & ipse etiam quotidie sapientior apparebat.

V. Sed hæc etiam frustrà. Nam nemo non videt Grammaticam constructionem multò aptiorem esse, si generaliter illud, *coram Deo & hominibus*, referat ad verbum proficiendi; vt sit commune, tum gratiæ, tum ætati, tum sapientiæ. Nec in eo quicquam absurdi. Quid enim obstat, quominus dicamus proficere apud Deum & homines sapientia & ætate? Et quidem sapientiam, & ætatem absolutas esse non relatas qui dixit, non vidit, quid diceret. Quomodo enim absolutæ esse possunt, & tamen dici sapientia, & ætas apud Deum & homines? Nam, aut ego nihil prorsus video: aut certum hoc genus loquendi, sapientiam & ætatem facere relatas. Quod si absurdum, tum longe commodiùs dixeris, crescere apud Deum & homines.

VI. Et tamen, quid iuuat λογομαχεῖν, Concedimus hæc verba, *Apud Deum & homines*, non construi grammaticaliter cum verbo *proficere*: imò, amplius demus construi cum *gratia.* Dico nihil deperire argumento. Nam, quis hanc audaciam toleret; crescebat ætate, id est; non crescebat, sed tantùm videbatur crescere? Nam sic de Ismaele, Geneseos capite vigesimo primo, *Creuit puer*: & de Samson, Iudicum decimo tertio, & de Ioanne, Lucæ primo. Ergo, crescere, etiamsi non addas apud Deum & homines, significat nihil putatiuum: sed aliquid, quod reuera ita se habeat: vt de Samuele libri primi, capite secundo, *Et adolescens Samuel pergebat crescere & gratus esse tum apud Iehouam, tum apud homines.* Enimuerò insignis est hæc, siue sophistice, siue etiam pertinacia: hoc vocabulum, quo frequentissimè

ntissimè Scriptura veritur, sic detorquere, vt ei sensum affingas, quo nunquam vsa sit Scriptura. Et quid fictum, fictumque esse queat, si tanta permittatur audacia? Vt quoties libebit, confugiamus ad τὸ δοκεῖν? Cur non etiam mortuum esse Christum non reuera, sed quia sic videbatur, obtineant Docetæ? similiter resurrexisse, & ascendisse in cœlos, imò verò natum esse? nos demum fortassis concludamus etiam phantasia? Apage infaniam.

VII. Gregorius Nyssenus ad Eustathiam, [illegible Greek], *illud enim, progressum fecisse in statura, & sapientia, & gratia, historicè narrat Scriptura, vt demonstret vere in massa nostra, Dominum fuisse generatum, ne quis locus coram relinquatur errori, quorum scitum est, pro vera Dei apparitione, speciem duntaxat quandam esse genitam, quæ figuram assumpserit humanæ formæ.* Epiphanius hæresi septuagesima septima, Μετὰ δὲ τὸ εἰπεῖν προέκοπτεν [illegible Greek]; *Postquam dixit, profecit ætate: consequenter dixit, & sapientia. Atqui, cum sit sapientia Patris, quomodo profecit in sapientia, si fuit vacuam mente humana? Et si fuit sine mente, quomodo profecit sapientia in anima & corpore?* Obserua argumentum: Si profecit sapientia, ergo habuit mentem: quo argumento nihil efficit confectum aduersus hæreticos. Nam absque mente potuit videri proficere, cùm reuera non proficeret.

VIII. Ambrosius de Incarnationis Dominicæ Sacramento, capite septimo, *Sensu hominis animam meam dixi esse turbatam: sensu hominis esuriit: sensu hominis rogauit, qui rogantes exaudire consueuit: sensu hominis profecit, sicut scriptum est, Et Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines. Quomodo proficiebat sapientia Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus est ætatis, & profectus sapientiæ, sed humanæ est. Ideò ætatem antè præmisit, vt secundùm hominem crederes dictum. Ætas enim non diuinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia à sensu sapientia, Iesus autem proficiebat ætate & sapientia.* Et paulò pòst, *Quæ igitur implebatur, erat non Dei, sed nostra sapientia.* Et rursus, *Per quem autem sensum, Esaias dixit, Patrem puer nesciebat, aut matrem? Scriptum est enim: priùs quam sciat puer, patrem & matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ. Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallunt, expers autem agnitionis infantia, per humanam vtique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorat.*

IX. Fulgentius ad Thrasimundum libri primi, capite tertio, *Sicut caruis est ætate profecisse, sic est animæ sapientia, & gratia profecisse.* Leontius de Sectis actione postrema, [illegible Greek], *Scriptura de eo dicit, proficiebat ætate & sapientia, nimirum discens quod ignorabat.*

X. Marci decimo tertio, cùm interrogatus Christus, de tempore postremi iudicij, prolixè enumerasset signa, quæ eum diem præcessura erant: ad extremum, *de die autem illo*, (inquit) *& de hora illa, nemo nouit: nec etiam Angeli cœlorum, neque Filium, nisi Pater.* Matthæi vigesimo quarto, omittitur particula, *neque Filius*: sed additur, *nisi solus Pater*, vt facilè reddatur idem sensus. Bellarminus obseruat etiam in Matthæum illatam esse illam particulam ab Arianis; quod se ab Hieronymo didicisse testatur: falsò tamen. Etenim Hieronymus tantùm dicit in quibusdam Latinis codicibus inueniri: non verò in Græcis: postea Arianos quosdam abusos, vt docerent, Patre minorem esse Filium: vnde Iansenius coniicit à Matthæo sublatam. Sed ad rem: si Christus, quatenus homo, ignorauit diem & horam nouissimam, ergo aliquid ignorauit.

XI. Bellarminus responsurus, quatuor colligit explicationes, quarum acquiescit postremæ. Prima est à Gregorio Epistola quadragesima secunda libri octaui: Christum nescire diem illum, non in sua persona, sed in persona Ecclesiæ. Secunda, nescire, quâ homo, hoc est, humana scientia, sed diuina reuelatione, seu infusione: hancque esse Gregorij eodem loco, Ambrosij in Lucæ decimum septimum: Nazianzeni oratione quarta de Theologia: Cyrilli, capite quarto libri noni Thesauri. Tertia, nescire practicè; quomodo Adam ante peccatum nesciebat bonum & malum. Ita sentire Epiphanium in Anchorato, Chrysostomum homilia de Trinitate: Bernardum libro de duodecim gradibus humilitatis. Quarta, nescire, vt alius diceret, & quia eos nescientes faciebat. Ita Gregorium loco iam citato, Ambrosium libri quinti de fide, capite octauo: Hieronymum, Chrysostomum, Theophylactum in Matthæi vigesimum quartum: Basilium libro quarto in Eunomium: Augustinum libro primo de Genesi contra Manichæos, capite vigesimo secundo, & libri primi de Trinitate, capite duodecimo.

XII. At primò, insigniter Bellarminus abutitur horum omnium Patrum authoritate. Nam iis res erat cum hæreticis, impugnantibus Christi Deitatem, hoc argumento, quòd Christus aliquid ignoraret. Nimirum, ita ludebant ambiguo, nec distinguentes naturam à persona. Hoc argumentum variè (vt ferè fit quoties vnum idemque multi tractant) soluunt Patres. Sed ex hoc iam causæ statu facilè vident cordati, iis hunc scopum fuisse, vt negarent inde confici Deitatem aliquid ignorasse. At inter nos & Papistas longè alia est controuersia: vtrinque enim constat Christum, quatenus est Deus, secunda illa Trinitatis persona, esse παντειδῆ, prorsusque nihil ignorare: sed in dubio est, verum idem asseri debeat de eodem, quatenus homo est. Quorsum igitur hæ solutiones? Nisi fortè probent hunc locum non posse intelligi de Deitate?

XIII. Porrò, ad has quatuor interpretationes, quod attinet, prima, quæ Christum interpretatur Ecclesiam, meritò exploditur à Bellarmino, quamuis disertè comprobata à Gregorio, Eulogium eius authorem laudante, *Omnino rectè*, inquit, *vestra sanctitas sensit, quoniam non ad eundem Filium iuxta hoc quod caput est, sed iuxta corpus eius, quod*

nos filmus est certissimè referendum. Sed primò, non aptè Christus distinxisset Filium ab Angelis; quia Angeli continentur in eo corpore. Secundò, etsi Christi nomine aliquando intelligatur Ecclesia eius corpus; tamen nominis Filij non est eadem ratio: nec vsquam in eum sensum legitur vsurpatum. Tertiò, sic frangeretur gradatio: crescit enim vis sermonis: quasi diceret, non tantùm Angeli nesciunt, sed ne quidem Filius: quod omnino dici non posset de Ecclesia: quam ignorare multa, quæ sciunt Angeli, certum est. Ergo, non maius aliquod, sed minus esset dictum.

XIV. Tertia interpretatio (nam de secunda dicam postea) quæ ignorare dicit Christum, quia nesciret practicè, quid sibi velit, ego sanè videre non possum: Distinguit Epiphanius (qui hanc prolixissimè tractauit) *δύο γνώσεις, μίαν κατὰ ἐνέργειαν, καὶ μίαν κατὰ εἴδησιν, Vnam secundùm actionem, alteram secundùm scientiam*: eam distinctionem probat: quia in Paradiso Adam & Eua essent nudi, nec tamen erubescerent, Geneseos secundo; & cognouerunt post peccatum, se esse nudos, Geneseos tertio: Item, quia dicitur Adam cognouisse vxorem suam, Geneseos capite quarto. Dauid verò non cognouisse Abisay Sunamitidem, priores Regum primo. Et Filius, *Discedite à me* (inquit) *operarij iniquitatis: nunquam enim noui vos.* Matthæi septimo. His ita constitutis, infert, Patri cognitum esse illum diem, tum κατὰ γνῶσιν, tum κατὰ πρᾶξιν· οἶδε γὰρ (inquit) πότε ἔρχεται, καὶ ἤδη κέκρικεν, ὅτι ... *Nouit enim quando sit futurus; sed etiam iudicauit, cùm definit Filium iudicaturum*, ὁ δὲ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, οἶδε μὲν πότε ἔρχεται, οὔπω δὲ αὐτὴν ἔπραξε, *At Filius Dei, nouit quidem quando sit futurus: sed nondum fecit.*

XV. Fas mihi esto, cum bona Antiquitatis venerandæ venia, in hæc paulò diligentiùs inquirere, quæ iam Bellarminus non improbare non potuit, sed leuiter tractauit suo more. Maldonatus etiam suggillauit. Primò, exempla colliguntur ἀπροσδιόνυσα. Nam certè Adam, non tum primùm nouit se nudum practicè, cùm peccauit: sed antè sine dubio: quod ex ipso Epiphanio probatur, πολλοὶ (inquit) ... *Non erant cæci: videbant enim: Nam si non videbant, quomodo cognouerunt lignum, quòd esset bonum ad edendum, & pulchrum ad intelligendum?* Probat ergo Adamum sciuisse se esse nudum, antequam peccaret: & probat hoc argumento; quia oculis vtebatur: quod apparuit, quia vidit lignum. At ego, quæro, quum vidit lignum, qua cognitione id cognouerit? Annon κατ' ἐνέργειαν. Nam cognouit ipso sensu teste. At sensus non pertinent ad nudam contemplationem, sed ad experientiam. Cur ergo non similiter concludam eundem, qui iisdem oculis videbat se nudum; indem agnouisse se nudum, κατ' ἐνέργειαν. At contrà, Epiphanius, ἔδεισαν κατ' εἴδησιν, ἀλλ' οὐ κατὰ πρᾶξιν. Longè meliùs dicas antecedens sumi pro consequenti, agnouerunt, id est, erubuerunt, quia is mos est hominum post peccatum, vt qui se nudos sentiunt, pudefiant; ac proinde qui non pudefiunt, non sentiunt. Est autem vtrobique eadem intelligenda scientia, non verò diuersa genera. Secundum exemplum de Adamo cognoscente Euam, & Dauide non cognoscente Sunamitidem, longè est alienius: sermo est enim de copula carnali, quam honestis verbis sic velat Scriptura: itaque, nihil magis pertinet ad cognitionem propriè dictam, quàm cùm eadem Scriptura dicit operire pedes, pro, ventrem exonerare, opertio est exoneratio illa: aut duplex opertio est fingenda: quam ἀκυρολογίαν, quis ferat? Tertium exemplum vix etiam bene quadrat. Nam cognoscere dicitur Deus eo loco, pro, speciali cura amplecti, *Sic nouit Dominus viam iustorum*, Psalmo primo: hoc est, inquit Dauid Kimchi, *Meminit & curat vt eis benefaciat.* Theophylactus, τὸ δὲ οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς, ... *Illud, nunquam noui vos est, pro, ne tunc quidem cùm miracula patrabatis, amabam vos. Cognitio enim, amor dicitur hoc loco.* Maldonatus, *Omnes veteres authores obseruauerunt, in primisque Origenes, cognoscendi verbum hoc loco, aliisque similibus, non cognitionem, sed affectum approbationémque significare.* Lucas Brugensis, *Noui vos meos, siue pro meis: nouerat eos, vt Ecclesiæ suæ ministros: eapropter per eos fuerat operatus.* (Ergo nouerat etiam κατὰ πρᾶξιν) sed nunquam nouerat, vt quos ipsos probaret diligeretque, aut ad regnum cœlorum prædestinaret. Itaque, cùm negatur nosse operarios iniquitatis, sensus erit, non esse illos participes eius diuinæ curæ, qua conseruemur, ne pereant: quod quidem quid faciat ad hanc εἰδήσεως & πράξεως distinctionem, ego sanè non video.

XVI. Præterea ..., peccat. Quæro enim ab Epiphanio, vtrum cognoscere dicatur Christus diem vltimum, vno aliquo genere eorum trium, quæ nominata sunt: hoc est, vel tanquam cognouit Adam se esse nudum: vel tanquam idem cognouit Euam: vel denique tanquam cognoscit Dominus iustos. Nam id quidem explicatum oportuit. Quid tum enim, si distinguat Scriptura duplex, tripléxve genus cognitionis? Nam si ad eorum nullum, hoc, de quo agitur, pertinet, quis non videt inanem fuisse tam prolixum laborem? Neque enim legitima esse potest disputandi ratio, ex concessis, vel probatis, nouum aliquod genus comminisci: vt si quis colligens varias arborum species, inde conficiat magnetem posse nominari arborem; nec tamen censeri in enumeratis speciebus.

XVII. Quanquam non est id solum peccatum. Nam Pater, inquit, nouit vtroque modo. Esto sanè, sed quomodo κατὰ πρᾶξιν? Quia omne iudicium dedit Filio: atque ita iam iudicauit. Atqui iudicium, & dies iudicij, nonnihil differunt. Et quærebant Apostoli, non iudicium; sed tempus illud iudicij, id est, illum diem. Iudicauerit ergo sanè Dominus (quanquam hoc ipsum duriusculum videtur) sed propterea iam κατὰ τὴν πρᾶξιν, nosse diem illum futurum, nondum videtur satis elucidatum. Tum dicitur Christum declinasse interrogationem Apostolorum. Nam illi sanè non interrogabant de cognitione κατὰ πρᾶξιν (quod Bellarminus obseruauit) sed de alia, κατ' εἴδησιν. Si ergo non de hac, sed de altera, loquutus fingitur Christus, lusisset discipulos. Quod vel cogitare impium.

impium. Præterea, cur sibi Angelos copulasset? Nam hos sanè quis vnquam asseruit, nouisse diem iudicij tantùm κατὰ τὴν εἴδησιν; Aut nunquid manifestum erat, hos non nosse κατὰ πρᾶξιν? Quid Angelos dico? Nam latiùs patent verba Christi, *Nemo nouit.*

XVIII. Superest quarta interpretatio, cui Bellarminus acquiescit. Nesciebat, quia nolebat dicere. At ego huius tantæ ἀκυρολογίας velim aut exemplum, aut rationem dari. Dixit Christus se habere multa dicenda Apostolis, quæ non poterant portare: id est, quæ eam ob causam nolebat ipsis dicere: an dixit ignorare? Dixit Paulus se vidisse ineffabilia, posterioris ad Corinthios duodecimo: mirum, si non illi aliquis Bellarminus in aurem susurret, dicendum fuisse se illa ignorare. Sed verborum copula longè foret absurdissima: neque Angeli norunt, neque Filius: id est, vere Angeli non norunt, Filius autem scit quidem, at non vult declarare. Hoc quis iam ferre potest? & quidem cùm præcesserit, *Nemo nouit*, tanquam aliquid generale: confirmatum diserta nominatione eorum, quibus hoc potissimum videbatur inesse. Certè, illud qui probare poterit, quid erit, quod improbet, quantumuis violentum? Rursus, cur Patrem dicit scire? Nam sanè non Filius tantùm, sed nec Pater volebat dicere: itaque hac ratione æquè dicendus erat Pater nescire: quod contrà factum.

XIX. His explosis interpretationibus, solùm superest secunda, quæ possit probari: Christus nesciebat eum diem quatenus homo: sed hanc Bellarminus corrumpit cum, *hoc est*, (inquit) *humana scientia: sed diuina reuelatione seu infusione.* Quod glossema ridiculum est. Intellexerunt enim Patres, distinguendas esse in Christo naturas, earúmque proprietates: Atque adeo in hac quæstione cognitum quidem fuisse eum diem Christo, quatenus Deus est: & non esse cognitum eidem Christo, quatenus homo est. Nam si sciisset ex reuelatione, tum sanè hoc sciendi genere, non potuit dici scire, quatenus Deus est: quia Deitati reuelari nihil potest, & rursus non potest humanitus dici ignorare. Nam Paulus sanè Christum nesciebat nisi ex reuelatione: & tamen disertè gloriatur se Christum scire: nusquam autem dixit se Christum ignorare.

XX. Ergo, in hunc modum Patres loquuntur. Clemens Recognitionum decimo, *Refugiunt imperitiam notam: sed non debet pro hoc quis verecundiam pati: quia non est aliquis hominum qui profiteri debeat omnia se scire: vnus enim est qui scit omnia, ipse qui & fecit omnia. Siquidem magister noster diem & horam, cuius etiam signa prædixit, nescire se professus est, vt totum reuocaret ad Patrem: quomodo nos turpe ducemus, si aliqua nos ignorare fateamur? Cùm Magistri in hoc habeamus exemplum.* Ambrosius in caput Lucæ decimum septimum, *Bene meminisse Filium: est enim idem filius hominis, Filius Dei: vt magis dictum secundum Filium hominis existimemus, quia temporum finem non per naturam hominis, sed per naturam Dei nouit.* Et de Fide libro quinto, capite sexto, *Medium vtique nomen est Filij: vt secundum imprudentiam assumptionis nostra diem iudicij nescisse videatur.* Deinde prolixè probat, non posse dici ignorare quatenus Deus est. Phœbadius vehementiùs: *Adhuc audies, cur honorem ab vno & solo Deo non quæritis? & de die autem & hora nemo scit, nisi Pater solus. O duces caci! & seculi ambitione decepti! non distinguentes Dominica potentiæ duplicem statum, in sua vnumquemque proprietate distantem: Et quicquid de homine eius dictum est, Deo applicatis, vt ipse Deus hominis imbecillitate societur.* Ephrem Syrus apud Photium in Bibliotheca capite ducentesimo vigesimonono, εἷς μὲν λέγεται, καὶ ἔστι Χριστός· σώζονται δὲ ἀσυγχύτως, καὶ ἀχωρίστως, καὶ τὰ ἐξ ὧν καὶ ἐν οἷς νοεῖται Χριστός, οὐκ ἄλλος καὶ ἄλλος· μὴ γένοιτο· ἀλλ' ὡς ἤδη πολλάκις εἴρηται, εἷς καὶ ὁ αὐτός· *Vnus quidem dicitur, & est Christus: seruantur tamen indiuisè, & indiuulsè, tum ea ex quibus, tum eadem in quibus intelligitur: non alius & alius, absit: sed vt sæpe dictum, vnus & idem:* ὁ αὐτὸς γενεαλογεῖται, καὶ οὐκ ἀγενεαλόγητος, κατ' ἄλλο δηλονότι καὶ ἄλλο, καὶ γὰρ τὰ ἱερὰ λόγια φησί, καὶ ἄνθρωπός ἐστι, καὶ τίς γνώσεται αὐτόν, καὶ τὴν γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται, ἀλλὰ καὶ πάλιν βοᾷ, Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ Δαυίδ· ὥστε κατὰ μὲν τὴν θεότητα αὐτοῦ ἀγενεαλόγητος· κατὰ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα, γενεαλογούμενος. *Idem est, cuius generatio enarratur, & enarrari nequit; secundum aliud videlicet & aliud: Etenim Scriptura dicit: &, homo est, &, quis noscet eum, eiúsque generationem enarrabit? Et tamen eadem rursus clamat, Liber generationis Iesu Christi Filij Dauid: adeo vt secundùm Deitatem sine genere sit: at secundum humanitatem generationem habeat:* ὁ αὐτὸς πάντα γινώσκει, ἔστι γὰρ φύσει Θεὸς· καὶ πάλιν ἀγνοεῖν τὴν ἐσχάτην ἡμέραν διὰ τὸ ἡμέτερον λέγεται φύραμα. *Idem nouit omnia: est enim natura Deus: & rursus ignorare dicitur nouissimum diem, propter nostram massam.* Theodoretus ad quartum Cyrilli Anathematismum. *Si veritas non mentitur, neque Deus Verbum diem quem fecit ignorat, quem ipse ab aliis distinxit, in quo orbem iudicaturus est: sed habet Patris sapientiam imago incommutabilis. Non igitur Dei Verbi est ignorantia, sed forma serui, qua tanta per illud tempus sciebat, quanta Deitas inhabitans reuelabat.* Idem dialogo secundo recitat hunc ex Nazianzeno locum. πᾶσιν ἔνδηλον ὅτι γινώσκει μὲν ὡς Θεός, ἀγνοεῖν δέ φησιν, ὡς ἄνθρωπος. *Omnibus notum illum nosse quidem quatenus Deum, ignorare verò, quatenus hominem.*

XXI. Cyrillus de recta fide ad Reginas respondens huic obiectioni, Si Christus est Verbum Dei incarnatum, quomodo ignorauit diem consummationis? φαμὲν οὖν, inquit, ὅτι τὸ ἀγνοῆσαί ποτε τὰ ἐν Θεῷ μυστήρια, οὔτε ἀλλόκοτον, οὔτε μὴν ἑτέρως ἀπρεπὲς ἂν εἴη τῇ κτίσει· τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, κατὰ τὸ γεγραμμένον; καὶ εἰ λέγεται βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττῶσθαι ὁ υἱός, καθὸ γέγονεν ἄνθρωπος, δηλονότι, καί τοι κρείττων ἁπάσης ὢν ἐπέκεινα κτίσεως θεϊκῶς· τί τὸ θαυμαστὸν, εἰ ὁμοῦ τοῖς ἀγγέλοις ἀγνοεῖν λέγεται τὸ ἐν Θεῷ μυστήριον· καί τοι σοφία, καὶ δύναμις ὑπάρχων αὐτοῦ; εἶτα πῶς ἂν ἠγνόησεν ἡ σοφία τοῦ πατρὸς τὰ ἐν αὐτῷ κεκρυμμένα; καὶ εἰ τὸ πνεῦμα λέγεται πάντα ἐρευνᾷν, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, πνεῦμα δὲ ἐστὶ τοῦ Θεοῦ· πῶς ἂν αὐτὸς ἠγνόησεν, ἅπερ οἶδεν ἀκριβῶς τὸ πνεῦμα αὐτοῦ; οὐκοῦν καὶ ἀγνοεῖν ἀνθρωπίνως λέγεται, ἀλλ' οἶδε θεϊκῶς. *Dicimus, quòd ignorare nonnunquam arcana, quæ in Deo sunt, neque insolens, neque aliàs indecorum sit creaturæ. Quis enim, vt scriptum est, cognouit mentem Domini? Quòd si dicatur, paulùm infra Angelos diminutus Filius, quatenus scilicet factus homo, quantumlibet longe superet quamlibet creaturam iuxta diuinitatem, quid mirum, si simul cum Angelis ignorare mysterium dicatur, quod est apud Deum; quantumuis eius sit sapientia & potentia? Ad hæc, quomodo ignorauit sapientia Patris ea, quæ in eo erant abscondita? Et si Spiritus dicitur omnia scrutari, etiam profunda Dei, estque Dei Spiritus: quomodo ille ignoraret, quæ nouit Spiritus eius? Itaque, etsi ignorare dicatur secundùm hominem, nihilominus sciebat quatenus est Deus.* In eandem sententiam idem disputat Thesauri libro nono, capite postremo, *Eum ignorare dispensando dixit, vt homini quem assumpsit, congruentia diceret. Hominis enim naturæ proprium est, ignorare futura.* Et cùm

probasset non posse Verbum Dei futura ignorare, si ergo exactè horam ipsam sciebat, quam iam aduenisse dicebat, quid prohibet eum vltimam quoque diem scire, vt Deum; quam ignorare se, vt hominem, ait, vt conuenientia nostræ naturæ seruaret? Non oportet igitur propter hanc vocem ignorationem Dei Verbo inurere: sed potiùs misericordiam eius admirari, quòd non recusarit propter nos ad tantam humilitatem descendere, vt omnia nostra, & ipsam etiam ignorantiam humanam susciperet. Et rursus: Cùm discipulis id patefacere voluisset, ratione quadam occulta (quis enim nouit mentem Domini?) ne mœrorem illis efficeret, Filium etiam ignorare ait, de seipso vt homine loquens; nec sibi derogans, vt Deo: scit enim, vt Deus, quod, vt homo, ignorat. Idem contra Anthropomorphitas capite decimoquarto, postquam absurdis obruisset eos qui hanc ignorantiam Christo tribuunt secundùm Deitatem, [illegible] *Cùm igitur multa rationes imperitum deprauatúmque eorum sermonem cogant in multas absurditates, necessariò deueniendum ad dispensationem, dicendúmque vnigenitum Dei Verbum gestasse vnà cum humanitate omnia etiam quæ eius sunt, excepto peccato. Conuenit verò humanitatis modulo, ignoratio futurorum. Itaque, quatenus intelligitur Deus, omnia nouit quæ & Pater: nihilominus, quà homo est, idem ipse non auersatur, quominus videatur etiam ignorare: quia id humanitati cõuenit.* [illegible] *Ipse cùm sit vita omnium, ac vis, cibum corporalem cepit, exinanitionis modum non despiciens quem describitur etiam dormiens & fatigatus: similiter, & cùm omnia nosset, tamen ignorantiam, quæ humanitati conuenit, sibi tribuere non puduit. Fuerunt enim eius omnia quæ sunt humanitatis, excepto peccato.*

XXII. Sed Athanasius in hoc argumento multus est, & fusius contra Arianos oratione quarta: cùm prolixè disputasset nullam ignorantiam Deo affingi posse: [illegible] (inquit) [illegible] *Si importunum esse pergant interrogantes, audiant in Deitate quidem nullam esse ignorantiam; sed carnis est proprium ignorare.* Et post. [illegible] *Ergo cuilibet perspicuum est, carnis esse ignorantiam: At ipsum Verbum, quatenus Verbum est, omnia scire etiam antequam fiant.* Iterum. [illegible] *Quam ob causam verò, cùm sciret, dixerit ne Filium quidem scire, neminem fidelium ignorare existimo: scilicet quòd propter carnem, tanquam homo, loquutus sit. Neque enim defectus est Verbi: sed humanæ naturæ proprium ignorare.* Et rursus. [illegible] *Manifestum est, Christum etiam horam consummationis omnium, quatenus quidem Deus est, scire. ignorare autem quatenus homo. Est enim hominis proprium ignorare, maximè ea quæ sunt huius generis. Sed & hoc proprium est eius amoris quo hominem Seruator complexus est. Etenim factus homo, non erubuit propter carnem ignorantem, dicere, Non noui: vt ostenderet se cùm sciret, tanquam Deus, ignorare tamen propter carnem.* Longus sim, si excerpam omnia: hoc tantum. [illegible] *At nos, qui Christum & amamus & portamus, nouimus eum, non quòd ignoraret, quà Deus, dixisse, Non noui: nouerat enim, sed præ se ferens hominis conditionem: est enim hominibus propriũ ignorare: & ipse carnem ignorantem erat indutus: itaque in ea cùm esset, secundùm carnem dixit, Non noui.*

XXII. Denique Leontius de Sectis actione postrema. [illegible] *Sciendum, quòd Patres magnam partem, imò ferè omnes, comperiuntur dicere Christum ignorare. Si enim per omnia dicitur nobis homousios: & nos ignoramus: manifestum ipsum etiam ignorare.* Et quidem nota narrat Theodosianorum & Agnoetarum controuersiam: quoniam illi negarent Christi humanitatem quicquam ignorasse. Hi verò affirmarent. Et, his cùm vrgerent, prolato hoc ipso loco ex Luca, illos euadere conatos per [illegible] innuitum dixisse Christum se ignorare; [illegible] *discipulos auerteret ne ab eo scire vellent*: quæ solutio non abit ab ea, cui Bellarminus acquiescit. At verè Leontius ab horum sensu sensum separat Catholicorum: qui idem hodie quoque noster est: magno contra Papistas præiudicio.

XXIV. Illustres sunt hi loci: vt constet quo sensu dictum sit apud antiquos Christum, quà homo, postremum diem non cognouisse. Et sane miror (si quicquam absurdi miror in Sophista) quomodo id Bellarmino in mentem potuerit venire, vt diceret, quà homo, id est, humana scientia, & non reuelata. Perspicuum est enim hanc scientiam considerasse tanquam qualitatem inhærentem subiecto; non tãquam effectum alicuius caussæ. Itaque simpliciter negabant hanc eius diei scientiam esse in humana Christi natura. Quod pluribus argumentis apparet facile. Primò enim Theodoretus rationem cur nescierit, inde sumit, quòd tanta per illud tempus sciret, quanta Deitas inhabitans reuelabat. Itaque apparet, habita ratione huius scientiæ reuelatæ, Theodoretum credidisse humanam Christi naturam ignorasse hunc diem; hoc est, nondum ei fuisse reuelatum. Secundò; quia Cyrillus dicit, Christum [illegible] *simul cum Angelis ignorare*, hoc est, itidem, vt Angelos: Atqui Angeli diem vltimum non habent sibi reuelatum. Ergo, neque tum humana Christi natura. Tertiò, quia Ephrem comparat cum [illegible] proprietatibus naturarum: quà Deus inquit, [illegible] est, & nihil ignorat; quà homo [illegible], & ignorat. Ergo, aut inepta est comparatio, aut [illegible] fatendum, quemadmodum verè est [illegible] iam verè [illegible].

XXV. [illegible]

[illegible] Et verò hæc interpretatio omnium com- [illegible]. Nam primò optimè quadrat instituto [illegible] fatentur omnes voluisse cohibere cu- [illegible] signis, quæ [illegible], non amplius inquirere diem, [illegible] futuri iudicij. Fit autem id commodè [illegible], exemplo tum Angelorum, tum maximè ipsius Christi. Nam, si neque Angeli id norunt, neque ipse Christus, qua homo, iam nemo ne- [illegible] non ferendæ, si præferri vel [illegible], non tantum Angelis, sed etiam ipsi Christo. [illegible] nulla alia expositio consistit. Quid tum enim, si nesciat Christus, hoc est, Ecclesia? An piaculum est aliquid [illegible] quod Ecclesia nesciat? Minimè, si propter [illegible] aliquis. Quid tum rursus, si Christus eum diē nesciat, nisi ex reuelatione? Quasi interdictum sit ea nosse, quæ Christus habet reuelata. Tertiò, satis videri posse à nobis inquiri ea quæ Christus practicè nesciebat. Quid enim? an non ita potest dici ignorare signa illa, quorum tamen eo ipso temporis momento ipse Christus discipulos præmonebat? Quartò, si tantùm ignorasset, qui noller dicere, quid erat discipulis illudere, si hoc non erat quod absque blasphemia dictum sit. Quantò, expeditius, vt aliis, *Vestrum non est nosse tempora*, Actorum primo. Ergo sic Apostolis abundè satisfiebat. Arianis autem, ab iisque deductis omnibus hæreticis, quàm facillimè. Negabant Christum esse Deum, quia ignoraret aliquid: Deus autem nihil ignoret. Quid, inquam? Nónne Christus etiam mortuus est? Cum Deus nunquam moriatur? Eadem ergo vis argumenti, eadem ratio. Cur non & solutionis? Mortuus est carne: ignorauit carne. Ergo, quemadmodum mors carnis non obstat, quominus verè sit Deus, sic neque carnis ignorantia. Desperatè pertinacem oporteat esse, cui hæc expositio non satisfacit, quæ nihil habet violentum in verbis: nihil absurdum in sensu: nihil incommodum in consequentia.

XXVI. Si Christus, qua homo, nouit omnia: ergo non fuit similis nobis in omnibus, excepto peccato. At Christus fuit similis nobis in omnibus, excepto peccato. Ergo Christus, qua homo, non nouit omnia. Probatur assumptio. Ad Hebræos secundo, *Non enim vtique Angelos assumpsit: sed semen Abrahæ assumpsit: vnde debuit per omnia fratribus similis fieri.* Et quarto, *Non habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similitudine, absque peccato.*

XXVII. Bellarminus respondet; Christum assumpsisse, primò, naturam integram cum omnibus, quæ ad eius perfectionem pertinent: vt in Symbolo Athanasij, *Perfectus Deus est Christus, & perfectus homo.* Secundò, accepit aliquos defectus consequentes naturam nostram corruptam, vt mortem, famem, sitim. At non omnes, vt peccatum, fomitem, ignorantiam: nempe, quia, cùm hi defectus non pertinerent ad essentiam, vel perfectionem assumptæ naturæ, non debuit ex iis assumere, nisi illos qui conducebant ad finem incarnationis; qui erat saluare homines. Iam peccatum, fomes, ignorantia, non erant vtilia ad homines saluandos, sed potiùs noxia. Itaque ad Hebræos quarto, cùm additur, *absque peccato*, intelliguntur excepta, non solùm peccata, sed etiam omnes illi defectus, qui non erant vtiles redemptioni. Et cùm dicitur secundo, per omnia similem esse debere, intelliguntur omnia, quæ ad perfectionem naturæ pertinent; vel ad redemptio- nem conducunt, alioquin non debuisset concipi de Spiritu Sancto; nec nasci ex Virgine, nec carere rebellione partis inferioris: imò etiam oportuisset eum laborare febri, podagra, cæterisque morbis.

XXVIII. At Catholici meritò instant: Verè duûm generum esse qualitates, siue proprietates humanæ naturæ: alias ex creatione, alias ex corruptione: sed has rursum esse duplices: alias, quæ tantùm sint peccati effectus, non verò peccata: alias, quæ vtrumque, nimirum & peccati effectus & peccata. Has postremas consentimus nullas à Christo assumptas, vt fomitem, id est, concupiscentiam, vt rebellionem partis inferioris, vt peccatum originale, & similia. De primis etiam non dissentimus: sed fatemur omnes, quæcumque ad naturæ integritatem pertinent ex creationis necessitate, ea à Christo esse assumpta: sic enim compositum fuisse ex corpore & anima: sic animæ facultates distinctas habuisse; sic corpus in sua membra distinctum: sic denique finitum, circumscriptúmque fuisse, atque adeo localem: & quæ sunt similia.

XXIX. In secundo genere controuersia est. Negat Bellarminus omnes eiusmodi qualitates assumptas. & primò, dat instantiam. quia oportuisset ergo non esse conceptum à Spiritu Sancto, non natum è Virgine: Deinde distinguit, vt aliæ qualitates vtiles sint ad finem incarnationis, nimirum redemptionem generis humani, aliæ minimè: tum illas assumptas, has minimè. At nos nihil assumptum, non vtile redemptioni, concedimus: sed distinguimus, quasdam vtiles fuisse immediatè, quasdam mediatè. Illas, quæ propriè & per se requirebantur ad efficiendam redemptionem; qualis incarnatio est, & passio, & similia: has verò, quæ non propriè & per se ad redemptionem pertinebant; sed ad aliquid vtile redemptioni. Exēpli gratia, cùm fatigatus Christus sedit ad puteum; id verò ad redemptionem propriè & per se non desiderabatur, sed ad veritatem incarnationis, maximè: quia sic declarauit se verè esse hominem. Sic cùm pannis inuolutus est: sic cùm fleuit, & similia. Itaque dicimus omnes secundi generis qualitates assumptas, quia vtiles essent, non primò & per se ad Redemptionem: sed saltem ad veritatem incarnationis.

XXX. Iā, quod ait de cōceptione è Spiritu & natiuitate è Virgine, illa verò extra rē sunt, quia nō sunt qualitates in Christo existētes; sed tantū caussæ existendi: at illę neque ex necessitate creationis sunt, neque in primo genere effectuum peccati. Itaque, non possunt efficere, vt non habuerit Christus carnem similem nostræ. Quemadmodum, quòd Adam sit creatus, Eua autem formata ex illo, non obstant quominus vterque nobis sit ὁμοούσιος. De podagra & febri facile negotium: sunt enim personales affectiones, non autem vniuersales qualitates: itaque, quemadmodum οἱ ἀγένειοι, non propterea non sunt verè homines, reliquisque similes, sic neque ij qui febri carent, aut podagra: Itaq; non faciebant hę singulares affectiones, neque ad redemptionem, neq; ad incarnationis veritatem: reliquæ verò contra. Nam etsi sunt multi homines, quos nunquam febris inuasit: tamen nullus est, qui non fatigetur; qui non esuriat, non sitiat, non dormiat, quas omnes qualitates in Christo scimus fuisse: nemo etiam, qui non aliqua nesciat, tum quia, neque totus est infinitus, neque vlla eius aut pars, aut potentia. est autem rerum om-

nium scientia aliquid infinitum: tum etiam quia finitæ scientiæ progressus sunt quidam per gradus.

XXXI. Nunc ergo vnum superest considerandum, ad quodnam genus referenda sit ignorantia. Bellarminus in vitiosis qualitatibus numerauit, copulauit enim cum fomite & peccato. Verùm suo-ne iure: an nimis pro auctoritate? Nam rationem aliquam si postules, tam facilè inuenias, quàm in syluis delphinem. At Catholici constanter negant quamlibet ignorationem esse vitiosam. Neque enim Isaaco, fraudi aut fuit, aut esse debuit, quòd ignoraret diem mortis suæ, & se decipi à Iacobo, Geneseos vigesimo septimo: aut Iacobo, quòd nesciret Rachelem furatam esse Deos Labani, Geneseos trigesimo primo: aut Israeli, quòd ignoraret quò isset Ionatan, prioris Samuelis decimoquarto: aut Dauidi, quòd eo ignorante Adonias regnū innaderet, prioris Regum primo: & denique, ne omnia colligam, censemus-ne Paulum, cùm diceret, se nescire an in corpore, an verò extra corpus raptus esset, posterioris ad Corinthios duodecimo; existimasse se eam ob causam criminis alicuius reum esse? Minimè verò. Quid? nónne solemnia sunt ista Athanasij, *ἴδιον ἀνθρώπου τὸ ἀγνοεῖν*; *Hominum proprium est ignorare.* *τῆς ἀνθρωπίνης ἐστὶ φύσεως ἴδιον καὶ τὸ ἀγνοεῖν.* *Humana natura proprium est ignorare:* Et Cyrilli. *τὸ ἀγνοεῖν τὰ ἐν Θεῷ μυστήρια, ὅτι δὲ ἀνάξιον, οὔτε μὴν ἀπρεπὲς τῇ κτίσει.* *Ignorare aliquando quæ in Deo sunt mysteria, neque insuetum, neque indecorum est creaturæ.* Hæc nónne sunt diserta? Et nos aliquis ferat omnem omnino ignorantiam criminantes? Denique, nihil vitiosum in regno beatorum: at in cœlo beatorum ignorantia aliqua, ergo aliqua ignorantia non vitiosa. Maior per se manifesta. Minor in confesso apud Papistas, qui in illo speculo Trinitatis concedunt non omnia videre sanctos: sed quæ tantùm eorum intersit.

XXXII. Sed de Christo disertè idē Athanasius: *τοῦτο τῆς φιλανθρωπίας ἴδιον τοῦ σωτῆρος· ἐπειδὴ γὰρ γέγονεν ἄνθρωπος, οὐκ ἐπαισχύνεται, διὰ τὴν σάρκα τὴν ἀγνοοῦσαν, εἰπεῖν, οὐκ οἶδα.* *Proprium hoc est eius amoris, quo Seruator complexus est hominem, vt factus homo non erubesceret, propter carnem ignorantem dicere, non noui.* Cyrilli. *Non recusauit propter nos ad tantam humilitatem descendere, vt omnia nostra, & ipsam etiam ignorantiam humanam susciperet.* Ambrosius de fide libro secundo, capite quarto. *Mihi prodest scire, quia propter me suscepit Christus meas infirmitates, mei corporis subiit passiones: pro me peccatum, hoc est, pro omni homine, pro me maledictum factus est, pro me atque in me subditus atque subiectus, pro me agnus, pro me vitis, pro me lapis, pro me seruus, pro me filius ancillæ, pro me diem iudicij ignorans, pro me nesciens diem aut horam.* Autor operis imperfecti in Matthæum homilia secunda. *Pueri adorassent infantem, non intelligentem adorationis honorem, nisi aliquid diuinum credidissent in eo? Ergo, non pueritiæ detulerunt honorem nihil intelligenti, sed diuinitati eius omnia cognoscenti.* Sic igitur Veteres, contra Bellarmini mentem, hanc ignorantiam numerabant inter humanas infirmitates non vitiosas. Itaque, nihil est caussæ satisfustæ, quominus concludamus Christū, vt nobis per omnia similis fieret, excepto peccato, etiam hoc genus ignorantiæ suscepisse.

XXXIII. Lucæ secundo. *Puer crescebat & corroborabatur spiritu, ac implebatur sapientia, & gratia Dei erat super eum.* Implebatur, inquit, sapientia. Latina versio vulgata reddidit, *plenus*: sed Erasmus & Beza viri Græci participij expresserunt *πληρούμενον*, Quod si implebatur: ergo priùs oportet aliquid minus fuisse.

XXXIV. Bellarminus respondet primò, *πληρούμενον*, aliquando significare redundans, hoc est, idem quod *πλήρης*; atque eum sensum expressum à veteri interprete. Secundò, si legamus, *implebatur*, sensum esse, organa corporea Christi in dies magis repleta sapientia tam increata, quàm creata; id est, mouebantur, atque aptabantur ad opera excellentiora facienda. Atq; hunc sensum indicatū ab Athanasio contra Arrianos sermone quarto. Et probari ab ipso contextu *roborabatur spiritu*: scilicet non extrinsecus adueniente, sed qui in ipso erat: & sequitur *Et gratia Dei erat in illo*: non acquiliuit: sed erat in eo, eum fouens & dirigens: Itaque & implebatur sapientia, non aliunde ascita; sed ea, quæ in ipso esset, diffundente se, & possidente omnia membra & omnes sensus. Tertiò, dici posse, repleri sapientia acquisita per experimentum proprium: tametsi enim nihil ignoraret theoneeȩ cùm haberet infusam scientiam omnium rerum; tamen practicè ignorasse illa omnia, quæ non fuerat expertus: Atque ita videri Ambrosium exposuisse de incarnationis Dominicæ sacramento capite septimo: vbi dicit Christum habuisse naturam humanam initio perfectam, & tamen sensu humano profecisse.

XXXV. Sed contrà, interpretationem vocis *πληρούμενον*, pro *πλήρης*, quod nullo confirmet argumento, suo more facit Iesuita: cur non etiam nos nostro, & contemnamus? Certissima est enim differentia inter *πληρούμενον* & *πλήρης*. Itaque Lucas hoc loco, cùm de Christo puero verba facit, illam vsurpanit. At quarto capite, cùm de eodem iam viro loquitur, inquit, *πνεύματος ἁγίου πλήρης, Iesus Spiritu Sancto plenus.* Et Syrus interpres differentiam obseruauit: qui, cùm dixerit מתמלא secundo capite, quarto dixit מלא.

XXXVI. Ad secundum damus vltrò, Spiritum, quo confortabatur, Christo fuisse intrinsecum: sed eius effectum fuisse sapientiam, quæ pro ætatis progressu, ipsa etiam incrementum caperet. Itaque scaturigo eius sapientiæ, erat in eo homine propter vnionem hypostaticam: sed nihil obstat, quo minus inde deducta sapientia quotidie exundans augeretur, propter assumptæ humanitatis *οἰκονομίαν*. Itaque Ambrosius de incarnationis Sacramento capite septimo. *Et vt sciamus*, inquit, *quia secundum hominem loquebatur*, nempe cùm diceret proficere sapientia, *præmisit dicens, Puer autem crescebat, & confortabatur, & implebatur sapientia, & gratia Dei erat cum illo: Et puer nostra nomen ætatis est: nec confortari virtus poterat Dei, nec crescere Deus; nec altitudo sapientiæ Dei, nec plenitudo Diuinitatis impleri: quæ igitur implebatur erat, non Dei, sed nostra sapientia.* Ridiculè verò Bellarminus confugit ad organa corporea: quæ dici nequeunt subiectum sapientiæ: nam id sola anima est: etsi verum sit eius sapientiæ effecta exseri per organa corporis. Sed obserua Ambrosium pro eodem dixisse Christum sapientia impleri, & impleri sapientiam Christi, *quæ implebatur*, inquam, *erat non Dei, sed nostra sapientia.*

XXXVII. Athanasius autem, quem laudat authorem, nihil habet simile. Neque hunc locum de quo nūc agitur, vsquā explicat, sed alterū de profectu. Atque in eo docet, in hoc profectu sapientiam nō fuisse quid extraneū, verùtamen fuisse profectū. Verba recito, *[Greek text partly illegible]*

ita fieri

[illegible] *Sicut diximus carne passum, carne esurientem, carne fatigatum: sic meritò dicatur carne profecisse. Neque enim, quasi extrinsecus in verbum esset, factus est profectus qualem diximus. quia in eo caro erat proficiens, atque eius dicitur: atque id rursus, vt humanum profectus ob societatem verbi absque offensa permaneret. Igitur, neque Verbi profectus est, neque caro erat sapientia: sed sapientiæ corpus caro fuit. Propterea, vt diximus, non profecit sapientia per seipsam, qua sapientia: sed humanitas in sapientia profecit supergrediens paulatim humanam naturam & Deificata, & eius organum facta, ad energiam Deitatis, cuiusque illustrationem in omnibus patefaciens.*

XXXVIII. Hactenus Athanasius: cuius hæc mens est: primò eam carnem quæ profecit, fuisse carnem Verbi, non autem separatā à Verbo: itaque, sic Verbum dici posse profecisse, quomodo etiam [illegible] fuisse; nimirum, per idiomatum communionem. Secundò, humanitatem Christi fuisse organum sapientiæ, id est, Verbi, ad exserendam eius energiam. Quod si Bellarminus somniauit ideo esse, ac suum illud, organa corporea repleta sapientiâ, quid aliud quàm propinauit se omnibus ridendum? Tertiò, disertè asserit, sic profecisse τὸ ἀνθρώπινον, id est, humanitatem Christi, vt transcenderet quidem communem hominum sortem, sed tamen paulatim [illegible], non verò simul & semel, siue in instante: quod si non confirmat, aut explicat nostrum πληρούμενον, quid esse potest aliud?

XXXIX. In tertio, sumit suo more Bellarminus, Christo infusam fuisse scientiam omnium rerum: quod potius probare debuit. Certe Theodoretum audiuimus asserentem, Christi humanitatem tanta per illud tempus scire, quanta Deitas inhabitans reuelabat. Et in nouissimo die concessit Bellarminus, non agi de experimentali, scientia; sed de contemplatione: & nos euicimus verè Christum, quatenus homo est, tum ignorasse eum diem. Itaque hæc euasio non potest non esse nihili: præterea quid sibi vult distinctio scientiæ in theoricam & practicam? Nam scientiam quidem practicam, nondum aliam nouimus, nisi eam quæ significat ipsam [illegible] scientiæ: id est, actum ex habitu. Itaque, non in ipsa duæ sunt scientiæ, sed vna atque eadem, tantùm variè considerata. Quis porrò non rideat, si quem audiat impleri actibus alicuius facultatis? Etenim impleri est acquirere: acquiri autem habitus satis est intum: sed acquiri eorum habituū actus quis audiit? Nec Ambrosius vnquam tā monstrosè somniauit. Sed Iesuitæ, quo iure, quáve iniuria, sua phantasmata Veteribus imputant, vt suæ ætatis hominibus speciosiùs imponant.

XL. Non fuit opus peculiarem locum assignare Patribus, quorum tam frequentes loci fuerunt in explicandis hucusque Scripturæ locis. Sed hic tamen Damascenus erit capite vicesimo primo libri tertij de Orthodoxa fide. [illegible] *ignorantem & seruam assumpsisse naturam. Etenim hominis natura serua est eius à quo est facta, neque habet futurorum scientiam. Si igitur iuxta Gregorium Theologum, seorsim concipias id quod videtur ab eo quod intelligitur (id est humanitatem à Deitate) serua dicitur & ignorans natura. Verùm, propter personæ identitatem, atque inseparabilem vnionem, ditata est Domini anima futurorum cognitione, vt & reliquis diuinis signis. Sicut enim caro hominum, secundùm propriam naturam, non est viuifica: at Domini caro, vnita personaliter Deo Verbo, etsi non recesserit à mortalitate naturali, tamen viuifica facta est propter vnionem personalem cum Deo Verbo, neque possumus negare vel fuisse, vel esse viuificam. sic natura humana non habet substantialiter futurorum notionem: sed Domini anima, propter eam cum Deo Verbo vnionem, & personæ identitatem. Locupletata est, vt dixi, vnà cum reliquis Diuinis miraculis etiam futurorum cognitione.* Hactenus Damascenus.

XLI. Rectè. Conclusio est, Christi animam habere cognitionem futurorum, per identitatem personæ, id est, quòd vna sit persona Deitas & humanitas. Id autem quid est? Nempe, quod aliàs dicitur, Deum esse passum carne: Filium hominis esse in cœlo. Non quòd Deus, quantumuis vnitus carni, sit ipse passus: aut quòd caro, quantumuis vnita Verbo, esset ipsam cœlis: sed quòd caro, quicum vna erat persona Deus, sit passa: & Deitas, quicum erat vna persona caro, esset in cœlis. Quæ ratio appellari solet proprietatum communio. Sic prorsus anima Christi norat futura, non ipsa per se: sed, quia Deitas, quicum anima erat vna persona, sciat futura. Et quidem addito exemplo miraculorum: Nam hæc proprium esse Dei effectum omnes tenent Theologi: & tenent vtriusque naturæ proprietates mansisse inconfusas. Quare, quia miracula fiebant per carnem Christi, Deitas ipsa faciebat; sed quia hæc Deitas vna cum carne persona erat, ideò caro faciebat: vt τὴν ζωοποίησιν, etsi non recessisset à mortalitate.

XLII. Omnino in nostram sententiam: qui, cùm dicimus animam Christi aliquid ignorasse, χωρίζοντες (vt ita loquar) τὸ ὁρώμενον ἐκ τοῦ νοουμένου, neque impugnamus communionem proprietatum: & eam animam consideramus in seipsa, etsi vnitam Verbo: quomodo qui carnem passam dicunt, non Verbum, ij non vnitatem personæ negant, sed in vnitate ea naturarum proprietates dirimunt. Quare, nostro sensu dixit Damascenus, assumptam fuisse ignorantem naturam.

XLIII. Nam, quod Clichthouæus annotauit ita dictum non de indiuidua illa natura, quæ est assumpta, sed dè alijs hypostasibus, & personis humanis specie illi similibus, inanis est incrustatio, vt omnes facilè videut. Etenim exēpla contradicūt.

Quam enim, quæso naturam dixit non egressam mortalitatem? Iscariotæ-ne, vt hanc exempli gratia nominem, aut Pilati? minimè verò: sed hoc grande mysterium designauit, quòd etsi nulla esset naturæ proprietas, non tantùm in Pilato aut Iscariota; sed ne in ea quidem quæ nata ex Virgine Maria, tamen huius esse dicerentur miracula. Itaque, manifestum est, naturam ita nominatam, pro illo indiuiduo, in quo tamen proprietates vniuersales remanerent. Sicut dicitur assumpta natura finita: non quòd in reliquis indiuiduis eiusdem speciei maneret finitudo: sed quia etiam in hac ipsa.

XLIV. Desino in Thoma, cuius hæc verba sunt Quodlibeti tertij articulo tertio. *Anima Christi non comprehendit essentiam Dei; & per consequens neque virtutem eius: vnde non potest cognoscere omnia, quæ Deus facere potest: & ideo non cognoscit infinita simpliciter.* Hæreticus-ne Thomas? An nos potiùs tandem Catholici?

Cap. XII.

Vtrum in Christo Catholici aliquid agnoscant peccati.

I. VEnio ad alterum caput, in quo quæritur, vtrum Christo possit aliquod aliquãdo excidisse vel leuissimum peccatum. Vbi nulla profectò controuersia, sed non ferenda Papistarum calumnia. Nam solennis hæc est fides nostra; in Christo nihil fuisse peccati. Confessionis Gallicæ articulus decimus quartus *Credimus Iesum Christum, Sapientiam & Filium æternum Patris, naturam nostram assumpsisse, ita vt vna sit persona Deus & homo. Homo, inquam, & corpore & anima passibilis, nobisque per omnia, excepto peccato, similis.* Caluinus in Catechismo ad articulum symboli, *Conceptus è Spiritu Sancto*, cùm dixisset oportuisse Filium Dei hominem fieri, eo quòd inobedientiam ab homine admissam in Deum, necesse esset in humana quoque natura expiari: subiicit quæstionem. *Cur id à Spiritu Sancto effectum est, ac non potiùs communi vsitatáque generationis forma?* Tum respondet? *Quoniam penitus corruptum est humanum semen, in generatione Filij Dei intercedere Spiritus Sancti opus decuit, ne hac contagione attingeretur, sed esset perfectißima puritate præditus. Hinc ergo discimus, eum qui alios sanctificat, immunem ab omni macula esse: puritatéque, vt ita loquar, originali fuisse ab vtero præditum, vt totus Deo sacer esset, nulla humani generis labe inquinatus.* Idem in primum Lucæ ad hæc verba: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei; Notandum est*, inquit, *quòd Christus, quatenus spirituali virtute conceptus est, dicitur semen Sanctum. Quemadmodum enim oportuit illum esse verum hominem, vt peccata nostra expiaret, mortémque ac Sathanam vinceret in carne nostra: denique, vt esset verus mediator: ita necesse fuit, vt alios purgaret, immunem esse ab omni immunditie & macula. Quamuis ergo ex Abrahæ semine genitus sit Christus, nihil tamen contagij ex vitiosa natura contraxit: quoniam ab ipsa origine purum seruauit Dei Spiritus, nec tantùm vt ipse in se priuatim sanctitate polleat; sed magis vt suos sanctificet. Ergo, ipse conceptionis modus testatur mediatorem nobis esse à peccatoribus segregatum.*

II. Idem in quartum ad Hebræos exponens, quomodo tentatus sit absque peccato. *Veriùs sentiunt qui simul cum externis ærumnis comprehendunt animi affectus, quales sunt metus, tristitia, horror mortis, & similes. Et certè frustra alioqui addita esset restrictio, absque peccato, nisi de affectibus sermo esset, qui semper in nobis vitiosi sunt propter naturæ prauitatem: in Christo autem, in quo summa rectitudo, & puritas fuit, immunes fuerunt ab omni vitio.* Paulo post. *Ita non essentia tantùm factus est homo, sed humanæ etiam naturæ qualitates in se recepit. Restrictio tamen additur, absque peccato, quia semper tenendum est hoc discrimen inter affectus Christi & nostros: quod illi rectè semper compositi fuerint ad veram iustitiæ regulam: nostri autẽ, qui ex turbido fonte manant, semper resipiunt originis suæ naturam, quia turbulenti sunt & effrenes.*

III. Beza Confessionis capite tertio, articulo decimo nono. *Oportuit huius fœderis ac reconciliationis Mediatorem esse verum hominem, sed nulla vel peccati originalis, vel altera quapiam labe infectum; sicut ex sequentibus rationibus intelligi potest. Primum enim, cum Deus sit summè iustus, & homo propter corruptionem sit iræ ipsius obnoxius, necesse fuit aliquem verè hominem existere; in quo ruina ista instaurata, genus humanum Deo reconciliaretur. Deinde tenetur homo implere omnem illam iustitiam, quam Deus ab illo requirit gloriæ suæ caussa. Ex quo efficitur oportuisse hominem aliquem existere, qui impleta omni iustitia, Deo acceptus esset. Tertiò, vniuersi homines sunt infinita omnis generis peccatorum multitudine coperti, ac proinde Dei maledictioni obnoxij. Oportuit ergo hominem aliquem existere, qui prorsus Deo satisfaceret, vt ei gratus esset. Quartò, nullus homo corruptus ista vel auspicari, nedum conficere potuisset, imò verò proprij mediatoris operà indiguisset, tantum abest vt alios potuisset Deo conciliare, aut quicquam Deo iucundum ac gratum efficere. Consequitur ergo oportuisse, vt hominum redemptor verè homo esset, id est, verè humano corpore & humana anima præditus, ac nihilominus tamen integer, & nulla prorsus peccati labe inquinatus.*

IV. Possum alia infinita colligere: sed hæc & disertissima sunt, & satis multa: vt cuiuis manifestum fiat, Catholicos agnoscere Christum Mediatorem suum non modò perfectionem essentialem, atque increatam habuisse, quatenus Deum, sed aliam iterem creatam, quatenus hominem, atque hanc perfectam nulláque prorsus labe imminutam; atque ita omnes eius operationes, sermones, cogitationes perfectè congruisse cum voluntate Dei, omnis creatæ iustitiæ lege vera, ac summa. Hæc nostra, hæc omnium Catholicorum confessio est. Anathema, qui sentit contrà.

V. Et clamat tamen Feuardentius, in examine Confessionis Gallicarum Ecclesiarum, à nobis tribui Christo inclinationem ad quælibet peccata, omnésque immoderatos voluntatis affectus. Sed tam iratus, vt oblitus sit, vel leuissimum indicium annotare: quod in tam graui crimine nunquam omisisset vllus vir bonus, & qui suam fidem non pateretur esse suspectam. Alij, non adeò impudentes, tamen rodunt nonnulla, vnde sperant effectum iri Caluinum ita esse loquutum interdum, vt Christo imputarit aliquid peccati.

VI. Hæc pòst videro. Sed nunc quî fit, quæso, vt qui in nobis reprehendendis tam sint Demeæ, in suorum dissimulandis peccatis sint tam Mitiones? Non enim desunt apud eos qui Christũ negent caruisse originali iustitia. Salmero disputatione quinquagesima in Epistolam ad Romanos, respõdens, qui cõcludebant Mariam fuisse sub originali peccato, eo quòd caruisset iustitia originali, argumẽtũ soluit, negata cõsequẽtia: *Si hæc cõnexio*, inquit, *efficax esset, eum etiam Christũ fuisse sub originali peccato, eo quòd iusti-*

tia in-

tia originali destitutum fuerit. Et pòst. *Et hæc dixerim eo po-sito, quòd Christus caruerit iustitia originali, quam tamen quidam ex Scholasticis* (nota quosdam, ideoque nō omnes) *illi tribuūt, vt Ioannes Gerson, & Ioannes Maior: etsi prior sententia mihi magis arridet*. Proh fidem! eos, qui negent in Christo originalem iustitiam, manere inuiolatos: eos maledictis lacerari, qui & originalē, & actualem perfectissimam meo laudarit! Non est hæc insania?

VII. Sed contra Caluinum argumenta disputantium videamus: non enim passi sunt videri sine ratione insanire. Primùm mihi Genebrardus officiat in Chronographiæ seculo decimo septimo: & Dilemmate septuagesimo quinto. Caluinum ille notat dixisse, ita Christū nostram assumpsisse personam, vt esset peccator, & reus maledictionis. & locum adscripsit ex Commentariis in tertium ad Galatas versum decimum tertium.

VIII. Nihil est, quod dici pro meritis possit in istum: qui profectò vsurpare non potest illud solenne, *si teni fallo*. Vtique enim sciens, volens, videns, alit. Non potest enim aliter fieri. Caluini verba lege tu, quisquis es, vir bone, vir pie. Nam istos [illegible] æquum est relinqui suo merito supplicio. Verba igitur ea sunt, respondentis quibusdā quærentibus, *qui fit, vt Filius Patri dilectus maledicatur?* quia Paulus disertè dixerat, factum esse maledictionem. *Respondeo, inquit, duo consideranda esse, non tantùm in persona Christi sed etiam in humanitate ipsius. alterum, quod erat Agnus Dei immaculatus, plenus benedictione & gratia alterum, quod personam nostram susceperit, ideóque peccator erat & maledictionis reus: non tam in se quidem, quàm in nobis: sed tamen vt necesse haberet nostro nomine defungi: itaque neque extra Dei gratiam esse potuit, & tamen sustinuit iram eius. Nam qualiter Patrem, quem habuisset infestum, & cui fuisset exosus, reconciliare nobis poterat? Ergo semper voluntas Patris in illo acquieuit. Rursus, quomodo ab ira Dei nos liberasset, nisi & à nobis transtulisset in seipsum? Ideo percussus fuit propter peccata nostra, & Deum expertus est tanquam iratum Iudicem.*

IX. Quid hæc verba videntur? Peccatorem appellant Christum. Magnum crimen, si propriè, si in se; &, vt loquitur calumniator, si verè: quo nomine malè audiunt, & meritò, qui quicquam aut patrant, aut etiam concupiscunt contra Dei mandata. At nō ita Caluinus. Quomodo ergò? susceptа nostra persona. Atqui persona, vel [illegible] sonat; vt quum vnica Dei & hominis persona dicitur: aut certè alterius [illegible] vices: quomodo tu, Sycophanta, impiam personam (vt cum Cicerone loquar Verrina quarta) viro Sancto imposuisti. Iam priori modo non potuit Caluinus dicere à Christo nostram assumptam personam: nam reuera numero diuersæ sunt eius persona, & nostræ. Secundo igitur oportuit. At qui peccatoris personam in se suscipit, non est ipse per se, & verè peccator, sed tantùm imputatione morali: vt quotidie vades fiunt debitores, nō suo, sed alieno debito: & adhuc calumniantur Iesuitæ! En Christianos! & quid Paulo facient, qui non peccatorem dicit esse factum, sed peccatum? non maledictum, sed maledictionem?

X. Alterum argumentum eiusdem: Caluinus dixit deturpatum vitioso aliquo affectu. Institutionis libri secundi decimo sexto, paragrapho duodecimo.

XI. Næ tu graues aliquando pœnas dabis Caluino, qui tam inique nunc illi imponis calumnias tuas: At ille scripsit. *Obtendunt quod vitiosum per se est, indignè Christo tribui*. Obiectio est calumniantium; peccare Caluinum, quòd aliquid vitiosum Christo tribueret. Quid respondet? *Quasi verò supra Spiritum Dei sapiant, qui hæc duo simul conciliat, Christum fuisse tentatum per omnia sicut nos, & tamen absque peccato*. Attende, Sycophanta, si aures tibi ad audiendum. Caluinus negat id quod ipse Christo tribuebat, id quod Sycophantæ vitiosum dicebant per se: hoc negat vitiosum, dicit esse sine peccato: Quæ nbi nūc mens est? quis pudor?

XII. Bellarminus obiicit à nobis asseri Christi animam aliquid egisse, quod corrigi debuit: quod etiam si peccatum non audeamus dicere, tamen peccatum reuera fuerit, si corrigi debuerit: innuens nimirum locum illum ex Matthæi vigesimo sexto: *si possibile est, transeat calix iste: sed non quod ego volo, sed quod tu*.

XIII. Non præfabor, sed describam verba Caluini ex Harmonia Euangelistarum in Matthæi vigesimum sextum, & quidem paolo prolixiùs: *Frustra laborant quidam vt ostendant non hic precationem describi, sed querimoniam duntaxat. Ego verò, tametsi abruptū fuisse votum fateor, non tamen dubito quin precationem Christus conceperit. Nec obstat, quòd rem impossibilem sibi concedi poscit: quia non semper fidelium preces continuo tenore ad finem vsque fluunt: non semper æquabile temperamentum seruant, non semper etiam distincto ordine sunt compositæ: sicuti nauis procellis iactata, quamuis ad portum tendat, non tamen rectum & æquabilem cursum tenere potest, vt in mari quieto. Tenendum quidem est, quod nuper dixi, non fuisse turbulentos Christi affectus, qui more nostro eius animæ puram moderationem excuterent. Sed quantum ferre potuit sana & integra hominis natura, metu perculsus, & anxietate constrictus fuit, vt necesse foret inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare. Hæc ratio est cur mortem deprecatus mox sibi frænum iniiciat, Patrisque imperio se subiiciens, votum illud subito elapsum castiget ac reuocet.* Paulo pòst. *Non igitur hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Eadem vehementia præsentem cœlestis decreti memoriam illi abstulit, vt non reputaret in ipso momento, se hac lege missum esse humani generis redemptorem: sicuti grauis anxietas sæpe caliginem oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia. In summa nihil absurdi est; si in precibus non semper occurrit præsens omnium eorum attentio, vt distinctus ordo texatur.*

XIV. Hæc Caluini sunt. Quid ergo? pronunciátne Christum peccasse? Contenditne non posse excusari? Apage blasphemias plusquam diabolicas. Imò disertè tenendum mandat non fuisse turbulentos Christi affectus: non excussisse animæ puram moderationem: denique, tantos fuisse quantos caperet sana & integra natura. Et hæc tam clarè protestata, tam diligenter posita, non sufficiant refutandæ putidæ Iesuitarum calumniæ non satisfaciant probis; vt sciant Caluinum certa firmáque fide credidisse omnino nullum in Christo peccatum animaduerti posse? Certè res per se loquitur, Caluinum docuisse etiam hic, istóque momento tentatum fuisse Dominum similiter vt nos, absque vllo tamen peccato.

XV. Habent tamen quod rodant Iesuitæ: hoc magis Romani, quàm Roma; quod hæc, *quos rodere non valet odit*: at illi simul quos oderunt etiam rodūt. Quòd ergo Caluinus dixit aliquid egisse, quod corrigi debuerit, inde Bellarminus disputat, fuisse ergo peccatum. Quicquid corrigi debet, id verè peccatum est. At Christi verba corrigi debuerunt. Ergo

fuerunt re vera peccata. Postea laborat in explicando loco, *Illud si possibile est*: significare, si placet tibi. Sciuisse enim Christum Deo nihil esse impossibile. Et Lucæ vicesimo secundo dixisse, *Si vis transfer*: Non quòd ignoraret Patrem nolle: sed vt ostenderet affectum naturalem suæ voluntatis ad fugiẽdam mortem coniunctum cum omni subiectione ad paternam voluntatem: & esse, ac si diceret, Volo, vt non fiat, quod volo: id est, volo voluntate deliberata, quæ respicit obiectum cum omnibus circumstantiis, vt non fiat id, quod ego volo voluntate naturali, quæ refertur in obiectum secundùm se tantùm consideratum.

XVI. Dicam de posteriori priùs, quia breuius. Absit, vt hanc loci explicationem nõ admittamus, verbis quidem aliis contextam, quàm quibus Caluinus vsus: sed rem vnam eandémque significantibus. Neque enim alia est illa vehementia, quæ præsentem decreti cœlestis memoriam abstulit, vt ne in ipso momento reputaret se hac lege missum esse redemptorem, quàm naturalis illa volnotas, quæ fertur in obiectum secundùm se tantùm, & absque circunstantiis consideratum. Nam mors obiectum est, cuius circunstãtia erat mne temporis, officium Mediatoris, decretúmque Diuinum. Hãc mortem sensus naturalis, siue κατὰ φύσιν concipiebat tantũ quatenus mortem: τῆς γὰρ ἀνθρωπίνης φύσεως, inquit Theophylactus, τὸ δειλιᾶν θάνατον δεῖν· καὶ γὰρ φύσει οὐκ ἦν ὁ θάνατος, καὶ διὰ τοῦτο ἡ φύσις φεύγει τοῦτον. *Est enim humanæ naturæ horrere mortẽ: propterea quod præter naturam mors aduenit: ideóque eam natura refugit.* Sensus est igitur, ea verba, *Transeat calix iste*, pertinere ad voluntatẽ illam naturalem: hæc verò, *non sicut ego volo*, ad deliberatam: sed hanc illi præualuisse.

XVII. Non ignorasse Patrem nolle, nec ad hanc quæstionem pertinet, & non reuocatur in dubium à Caluino: nec negatur significare voluntatẽ naturalem fuisse subiectam Patri: Imò Caluinus disertè dixit, subiecisse se Patris imperio. Sciuisse autẽ nihil esse impossibile, cur annotauit Bellarminus? Neque enim Caluinus infitiatur. Quare eadem vtrinque sententia est. Quòd si eadem, cur Caluinus exagitatur. An quia sola verba displicent? Ridiculum, sed dixit saltem, præsentem cœlestis decreti memoriam ablatam. Prouidentèr, non memoriam absolutè ablatam: vt fit, cùm omnino res quæpiam in obliuionem venit: sed præsentem, id est, ipso illo momento: vt fit, cùm aliquid, quod habitu hæret, actu tamen non occurrit. Quod hîc Tertullianus vidit, de Oratione capite quarto. *Pater*, inquit, *transfer poculum istud: & recordatus, nisi quod mea non, sed tua fiat voluntas.* Hæc enim phrasis eum motum designat, quo reuocamus subitò in mentem id, quod paulò prius quasi excidisse videbatur.

XVIII. Iam ad Syllogismum respondeo: primò, nunquam dixisse Christi votum corrigi debuisse: sed tantùm fuisse correctum à Christo, aut reuocatum. Et quanquam verum sit, nihil egisse Christum, quod non debuerit: tamen nemo non videt durius esse multo vnum quàm alterum. Nam illud aliquam innuit legem, cui necesse habuerit Christus sese accommodare, tãquam principio externo: hoc verò potest inferri simpliciter ad voluntatem, cui libera sunt plurima: vt cùm rectè dixerit Paulus, *Deum multis vicibus, multísque modis olim loquutum*: tamen, si quis dicat, Deum multis vicibus multísque modis debuisse loqui, non putem Christianas aures æquè toleraturas. Itaque, nullus, dubito, sic de industria Bellarminum scripsisse, atque affectasse, quod in Caluino legerat nusquam, vt calumniæ pondus adderet, quod accusatoribus sublestæ fidei frequentissimum.

XIX. Porrò, Syllogismi negatur maior. Primò enim, quis nescit correctionem esse aliquam non Ethicam, sed Rhetoricam? Atque huius esse vsum in loquendo frequentem, & ἐπανόρθωσιν. Aut, quis nõ rideat transferri ad peccata contra bonos mores, quę de oratione dicuntur, eiúsve ornatu? Quis nescit à Rhetoribus ἐπανόρθωσιν sic dici, vt nullum tamen peccatum, ne quidem aduersus orationis leges, supponatur? Itaque Franciscus Lucas in decimum nonũ Matthæi, exponẽs illud de diuite haud facilè intrante in regnum cœlorum, *Corrigit*, inquit, *quod dixerat: durùs repetens, quod molliùs dixerat.* En tibi in homine Papista, nec certè minorum gentium, idipsum, vnde in Caluinũ tanta calumniarũ moles.

XX. Sed obiicit Gretserus, scilicet, inquit, Christus in monte Oliueti, inter sanguineos sudores rhetoricat* est, & abrupta, Rhetorũ sẽsu, oratione vsus.

XXI. Scilicet, inquam, Gretseri mirabilis imaginatio est; quæ speraueris, nam solam propter authoritatem, nobis absurdum futurum, quod sibi nõ placere significant. Sed, quid si Iesuitæ liber nũtium remittere sensui communi? an nos propterea oportet insanire? Enimuerò, vnde illud est *Transeat calix iste*, in eodem ipso agone, si non est à Rhetorica? nisi fortè noua Iesuitarum prudentia metaphoras exterminet ex agro rhetorico. Imò illud, *dormite quod superest*, Ironicè dictum, testibus Theophylacto, Euthymio, Francisco Luca, Maldonato, nonnullis aliis, vnde si nõ à Rhetorica? & illud ipsum huius loci *Non quod ego volo, sed quod tu vis*, defectiuum esse notat Euthymius: *Deficit enim, fiat: nam completa oratio est, fiat, non quod ego volo, sed quod tu.* Denique, sciunt omnes etiam, dolori suos esse eloquentiæ flores: & quidem tanto potentiores, quanto magis vrget dolor: Anadiploses, Exclamationes, Hyperbolas, Catachreses, Aposiopeses: denique genus omne tropotum, atque figurarum.

XXII. Præterea etiam Ethica correctio est, nõ tantùm vna à malo in bonum, sed etiam altera à bono in melius. Exempli gratia, rogauit Deum Paulus, vt à se Sathanas abscederet, posterioris ad Corinthios duodecimo: an peccabat? Minime sanè, aliâs non docuisset Christus orare, *Libera nos à malo.* Et tamen corrigitur à Domino: nimirum, vt quam habebat voluntatem non malam mutaret, subueretque diuinæ voluntati longè meliori.

XXIII. Itaque Patres non cunctantur in hoc ipso negotio, aut iisdem cum Caluino, aut certè similibus verbis vti. Augustinus in glossa ordinaria *Docet eos priuatam voluntatem corrigere, & dirigere iuxta diuinam.* Origenes tractatu trigesimo quinto in Matthæum. Docebat dolẽs de eis, *Pater, si possibile est trãseat calix iste à me. Rursus reuocans desiderium suum, & videns quanta vtilitas mundi totius esset futura per passionem ipsius, dicebat, sed non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et paucis interiectis. *Propter hos ergo quos in passione sua nolebat perire dicebat, Pater, si possibile est transeat calix iste à me. Propter salutem autem totius humani generis, quæ per mortem eius Deo fuerat acquirenda, dicebat quasi recogitans: sed non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hieronymus. *Attamen reuertens, Christus, in semetipsum, quod ex hominis persona trepidanter renuerat, ex Dei filiique confirmat.* Athanasius contra Arianos oratione 4. Ἀμφότερα περὶ τοῦ αὐτοῦ εἰρηκέναι, ἵνα δείξῃ, ὅτι Θεὸς ἦν, θέλων μὲν αὐτὸς, γενόμενος δὲ ἄνθρωπος

[illegible] τῶν νόσων. [illegible] ἵνα καὶ τοῦτο [illegible] τοῦ θανάτου [illegible]. *Vt* [illegible] *ab eodem dictum, vt ostenderet se Deum esse: & ipsum quidem* [illegible] *at factum hominem habere timidam carnem* [illegible] *habitarat* [illegible] *, & temperasse suam voluntatem humanis infirmitatibus; vt hoc ipso altera vice deleto, confidentem hominem constitueret, quod ad mortem attinet.* Ἀγωνίας d[illegible] luuitu vocabulum: cuius [illegible] Nonnius non est assequutus, cùm vertit; *vt metum mortis aboleto.* Nã vnde habet metum mortis? Sed cùm hi Patres non existimarent se a pietate recedere, quid potuit Caluinus peccare?

XXIV. Porrò, qui in nescio quam speciem & quasi tabulam hoc, quicquid est, detorquẽt, vt persuadeant nihil re vera tale in se Christum sensisse, velim expendant grauissima Basilij Seleucensis verba in eum locum, ἀλλ᾽ [illegible] Χριστὸς [illegible] Ἀδὰμ [illegible] τοῦ θανάτου [illegible]. *Atqui, inquiet aliquis, discipuli ad subeunda pro Christo pericula armantur gaudentes* [illegible] *delectati. Christus verò cum anxietate crucem* [illegible] *passionem timor praecedit? Quis fit? Enimuerò Christus contra viuentem adhuc mortem comparat se; atque cum tyrannide nondum soluta, in armis confert. Hactenus enim* [illegible] *suum iam inde ab Adamo in hominem imperium* [illegible]*. At Christus mortem interfectam, tanquam mortuum aliquem, iis, qui post futuri erant, obiecit ad luctam. Propterea ipse quidem, vt qui contra viuentem in acie con*[illegible]*, verissimè afficitur.* Rectè: non enim finxit quicquam [illegible] histrius: non alienam personam induit, quales qui in theatro reges ludũt. Itaque timuit [illegible], & verè timuit. Quis ergo neget verum eum fuisse metum, cùm postulauit liberari ab eo calice: & hoc ipsum, si vero, quonam artificio tandem efficient, non [illegible] agnoscendam in hoc loco [illegible].

XXV. Sed acriùs instat Stapletonus in Antidotis Euangelicis ad vigesimum sextum Matthæi: accusans Caluinum, quòd ponat in Christo desideria inconsiderata, vota abrupta, eadémque alternãtia, ac vacillantia, subitò erumpentia, & placida moderatione vacua. Grauis in speciem accusatio; sed reip[illegible] leuis calumnia: Agam de singulis seorsim.

XXVI. Inconsiderata vota nusquam Caluinus n[illegible]: sed orationem non meditatam. *Non fuit hæc*, inquit, *meditata Christi oratio.* Quæ verba quid haben[t], quæso, indignum, aut viro pio, aut etia[m] Christo. Quid? Nõnne Bellarminus voluntatẽ disti[nguit in] naturalem, & deliberatam? Quid rursus [illegible] ipse Stapletonus? Stapletonus, inquam, ip[illegible] ipso contextu, vota, vota, inquam, quo vo[cabu]lo Caluinus vtitur, similiter discernit in natur[alia, et] deliberata? Quæ si distinctio vera est, & non po[tius] larua, tum necesse est naturalia non esse d[eliber]ata, deliberata etiam non esse naturalia. Iam re[ferenda] tenetur siue hanc voluntatem, siue hoc votum Christi, ad naturam referẽdum. Quis non videt, ergo sequi, votum esse non deliberatum? Non meditatum dixit Caluinus. Vtrum grauius? En tragelapho [illegible] calumniandi [illegible]. In Caluino damnant Sycophantæ, quod in seipsis probant, vocabulis tantum immutatis.

XXVII. Mentiar, nisi ostendero reapse conue-

A nire hæc Caluini vota non meditata, cum Stapletoni votis non deliberatis. Naturalis (inquit) volũtas dicitur, quæ fertur in rem aliquam secundùm seipsam consideratam. Deliberata verò, quæ fertur in rem non solam, sed cum circunstantiis suis per intellectum propositam. Illa naturalis dicitur, quia rẽ in sua natura cõsiderat: hæc deliberata, quia per discursum considerat circunstantias adiectas. Hic primùm, quo igitur differt deliberatum à meditato? Nam quid, si dixero, qui rem meditatur; non idem

B erit, cum rem considerat? Certè & meditari, & considerare opus est intellectus, siue discursus animi: sed disertius mors consideratur, vel quatenus mors est simpliciter, & rationem habet mali, vel cum circunstantiis: vt in hoc negotio necessariam esse humanæ redemptioni, subeundámque ei qui Mediator esse debet; denique decretam à Deo. Illa voluntas naturalis, quam hæc verba prodũt, *Transeat calix*, illo modo tantùm mortem considerauit, non isto. Ita Stapletonus. Quid Caluinus? *Nihil est absurdi,*

C *si Christus, ex communi piorum more, omisso diuini consilij intuitu, desiderium suum, quo æstuabat, in Patris sinum deposuerit. Eadem vehementia præsentem cœlestis decreti memoriam illi abstulit, vt non reputarit in ipso momento se hac lege missum esse humani generis redemptorem, sicuti grauis anxietas sæpe caliginem oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia.* Audin' tuam duplicem circunstantiam, decreti & redemptionis? Imò audin', non simul in mentem venire omnia? Rursus. *Respondeo, in eo nihil fuisse vitij, quod obiecto mortis terrore simul oblata*

D *est caligo, vt alia omnibus omissis, ad votum illud prosiliret.* Audin' vtramque distinctionis partem, Stapletone? Oblato mortis terrore: en volũtas est naturalis, quæ mortem in seipsa simpliciter considerat, vt malum pœnæ, nec secundùm se appetibilem. Aliis omnibus omissis. Recognosce tuam illam deliberationem ex circunstantiis. Itaque nihil aliud Caluinus voluit, quàm Christi votum naturale fuisse, nõ meditatum, id est, deliberatum.

XXIX. Imò, inquit, cum Christus liberè mor-

E tis horrorem ante oculos suos proponeret, liberè quoque & meditatè dixit, *Pater, si possibile est transeat à me calix iste.* Itaque, nullum hîc votum inconsideratum, nullum abruptum, nullum subitò elapsum fuit. Prætereà, duo Caluinus Christo affingit, Christi puritate indignissima. Primò, obiectum mortis terrorem: deinde ex eo terrore oblatam caliginem. At Christus eum mortis terrorem in seipsum liberè & voluntariè suscepit; non verò fuit ei ex improuiso obiectus. Quòd si nullus terror obiectus, ergo nul-

F la oblata caligo.

XXX. Enimuerò, inquam, quis dubitet Christianorum à Christo liberè meditatéque susceptas omnes humanas infirmitates? aut quando contradixit Caluinus, ô Sycophantæ? Sed vos potius non vultis scire, quo sensu id dicatur. Pertinet enim ad incarnationis mysterium, vt sensus sit, Filium illum æternum suscepisse naturam humanam omnibus infirmitatibus obnoxiam, excepto peccato. Itaque quod vos fingitis, humanam in Christo naturam li-

G berè & meditatè eas suscepisse, hoc falsum est, neq; vnquam Patribus, aut dictum, aut cogitatum. Quid enim? An nobis Christum repræsentabitis, quã non habebat personam, ita meditatè suscepisse, quẽadmodum ludionem aliquem in theatro, præmeditato consilio cõsultantem apud se, quo gestu, qua voce, quibus lachrymis fabulam agat? Non sic, ô Papistæ: non sic Christum [illegible], inquam

τοῖς πάθεσιν. Itaque verè factus homo nobis ὁμοιοπαθὴς καὶ ὁμοιοπαθὴς; verè, non ex composito, esuriit, sitiit, fatigatus est, timuit. Nihil igitur Caluinus peccauit, cùm obiectum terrorem, oblatam caliginem dixit. Et vos, vos, inquam, quid agebatis, cùm diceretis metum mortis fuisse Christo naturalem? nisi fortè vos iam tandem, nouo more, motus nullos naturales in homine distinguitis à voluntariis.

XXXI. Iam, abruptum votum, quare, aut quo sensu reprehendunt, cur non docent? Certè abruptam orationem negare nemo potest: est enim pendulus sensus; *Si possibile est, vt transeat à me calix iste:* quis enim non videt subintelligendum aliquid, vt perficiatur sententia? & paulò antè docuit Euthymius. Aut quis grammaticulus nescit eas orationes abruptas solere dici? & hunc sensum postulāt verba Caluini, *frustra laborant quidam, vt ostēdant, non hic precationem describi, sed querimoniam duntaxat. Ego verò, tametsi abruptum fuisse votum fateor, non tamen dubito quin precationē Christus conceperit.* Non potest enim aliter intelligi differentia inter querimoniā, & precationem: multo minùs, quomodo sit precatio, quàm si cum Caluino dicas, fuisse votū abruptum. Itaque, nullum hîc vitium notari potest: sed tantùm πάθος rhetoricū, quo fit, vt in magnis animi motibus, non perficiamus sententiam.

XXXII. Alternantia, ac vacillantia vota, sic Caluinus nominauit. *Quantum ferre potuit sana & integra hominis natura, metu perculsus & anxietate constrictus fuit, vt necesse foret inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare.* Primùm alterna vota quis neget? Quid? non ipse Stapletonus longè duriùs dixit, duas has esse voluntates in contraria tendētes? Deinde Caluinus, non absolutè vacillare dixit, sed quasi vacillare: vt fateatur, non satis propriè hoc vocabulum, quo nostrorum animorum inconstantia significari solet, Christo tribui, sed tantùm per μίμησιν. Et nihil significauit, quā quod his verbis Stapletonus expressit: *Verbum illud, Non sicut ego volo, sed sicut tu vis, verbum esse hominis positi inter duas voluntates.* Itaque calumniator nodum quærit in scirpo. Nam Christum positum inter violentos tentationum fluctus, cur negat? tentatum fuisse etiam Apostolus dixit. Atqui, inquit, nullam tentationem à seipso passus est Christus. Imò contrà verum est. Nam animi motus non potuerunt non esse ab ipso: & si non habuit motus animi, omnino tentatus dici non potest, quo sensu Paulus tentatum dixit. Nam quid noui, si referas tantùm ad externos dolores, qui nulli imputantur ad peccatum, ne communi quidem homini? Et alioquin, cur ipse Stapletonus dicat Christō positum inter duas voluntates? Aut, quis voluntatem nominare queat, vt non dicat fuisse ab ipso Christo?

XXXIII. De placida moderatione quid dicā? Malim docuisset Iesuita, quo nomine reprehendendā putauerit. Nos enim meminimus Christum ipsum: ipsum, vnquam, Christum dixisse, nō tantùm, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, Matthæi vigesimo sexto: sed etiam Ioannis duodecimo, *nunc anima mea turbata est.* Et hoc ipsum Caluinus significatum voluit. Quis enim nescit moderatum placidúmque animi statum opponi turbato? & ab eo placido moderatóque statu discedere vel ipsam tristitiam? Itaque, etiam si hoc tantùm de Christo Scriptura prædicaret, nempe fuisse eius animam tristem; sufficeret hoc vnum ad Caluini voces à blasphemia vindicandas. Sed cùm habeamus disertum illud ταράχθην, quorsum immodestos Iesuitarum clamores tremeamus? Non potest: non potest, inquam, quis esse turbatus; & idem simul placidè moderatus. Et, si potest esse turbatus absque peccato, potest etiā esse non placidè moderatus, absque vllo tamen peccato: quod in hominibus ἄλλοις, vix ac ne vix quidem inuenias, in Christo tam verum, quàm verum eundem fuisse θεάνθρωπον.

CAP. XIII.

De Desperatione.

I. SEquitur alterum calumniæ caput; quum imputant Caluino Iesuitæ, Christi desperationem de salute. Qua in re vehemens est Ioannes Hayus contra Chambrunum capite decimoquarto. Et Bellarminus capite octauo libri quarti de Christo. Refutauit autem Thomas Mortonus Apologiæ Catholicæ libro primo partis primæ capite quinquagesimo quinto.

II. Occasionem sumunt ex commentariis Caluini in versum quadragesimum sextum capitis vigesimi septimi Euangelij secundùm Matthæum quorum hæc verba sunt, dum exponitur ille clamor, *Deus meus, Deus meus, cur deseruisti me?* Caluinus ergo, *Quanquam apparuit plusquam humanus vigor in Christi clamore, certum tamen est vehementia doloris illi fuisse expressum. Et certè hic præcipuus fuit conflictus, & omnibus aliis tormentis durior, quòd suis angustiis adeo leuatus non est Patris auxilio, vel fauore, vt se quodammodo alienū sentiret. Neque enim corpus solum in pretium nostræ cum Deo reconciliationis obtulit, sed in anima etiam pertulit debitas nobis pœnas: atque ita verè factus est vir dolorum, sicut Iesaias loquitur. Et verò nimis insulsi sunt, qui has redemptionis parte posthabita, tantùm in externo carnis supplicio insistūt. Nam vt pro nobis satisfaceret Christus, reū ad Dei tribunal sisti oportuit. Nihil autem magis horribile, quàm Deum sentire iudicem, cuius ira mortes omnes superat. Ergo, quum species tentationis Christo obiecta est, quasi Deo aduerso iam esset exitio deuotus, horrore correptus est, quo centies cuncti mortales fuissent absorpti, ipse autem mirifica Spiritus virtute, victor emersit. Nec verò ficto vel theatrice conqueritur, se à Patre relictum: & quod nōnulli ex vulgi opinione sic loquutum obtendunt, insipidum est cauillum. Nam interior animi mœstitia, vt & ardore suo eum coegit in clamorem erumpere: nec tantùm ocularis fuit redemptio, qua defunctus est vt nuper dixi: sed vt se vadem pro nobis obtulerat, vere Dei iudiciū subire loco nostro voluit. Sed absurdum videtur Christo elapsam esse desperationis vocem. Solutio facilis est, quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in eius corde, qua Deum præsentem intuitus est, de cuius absentia conqueritur. Diximus alibi, quomodo locum Deitas cesserit carnis infirmitati, quatenus salutis nostræ intererat, vt omnes redemptionis partes Christus impleret. Discrimen etiam notauimus inter naturæ sensum, & fidei notitiam. Quare nihil obstat, quominus Dei alienationem mens conceperit Christus, prout sensus cōmunis dictabat: & simul fide retinuerit Deum sibi esse propitiū. Quod satis clare patet ex duobus querimoniæ membris. Nam, antequam tentationem exprimat, præfatur se ad Deum confugere, tanquam Deum suum: atque ita clypeo fidei fortiter repellit illam, quæ sese ex opposito ingerebat, derelictionis speciem. Denique in hoc diro cruciatu illæsa fuit eius fides; vt se relictum esse deplorans, propinquo tamen Dei auxilio confideret. Porro vocem hanc in primis notatu fuisse dignam hinc apparet, quòd Spiritus Sanctus, quo melius eam insculperet hominum memoriæ, Sy-*

cuncta longius referri volui. Nam hoc perinde est, ac si Christum eadem, quae tum et aegrotus, verba recitantem inducas, quae semper et carnem suam fecerant, quae tantam Christi anxietatem et tam durum ... rem, quasi per iocum leniter praetereunt. Quae autem reputat hac lege susceptam fuisse a Christo Mediatoris personam; vt reatum nostrum tam in anima quam in corpore subiret, non mirabitur eum certamen fuisse cum mortis doloribus, quasi Deo irato in labyrinthum malorum proiectus foret.

III. Vrget calumniator illa verba, *sed absurdū videtur Christo elapsā esse desperationis vocē.* Quibus hunc sensū affingit, Caluinū sibi obiicere, hāc blasphemiā absurda videri: nimirū quasi hæc mēs esset; tribui quidem Christo desperationē, in eo tamen nihil esse absurdi. Non secus ac si quis nostrûm in de numero Sacramentorum disputans sibi obiiceret: at videtur absurdum, non nisi duo Sacramenta à Christo esse relicta. Et statim subiiceret, in eo nihil esse absurdi: hic enim exemplo Iesuitæ vteretur: hoc sibi certo polliceri, sibi cum fungis esse negotium; quibus facile quidlibet persuadeatur.

IV. Sed, quam sit fœda impostura, quis non videt? Quo magis mirum, hac aut vnica, aut certè præ aliis maxima, non tantū resonare quotidiana pulpita indoctorum rabularum, qui vix credāt se functos officio concionandi, nisi tertio quoque verbo, de Caluino mentiantur apud attonitam plebeculam: sed etiam tanquam crambe bis cocta repleri libros scriptorum, qui, centies refutati, non desinunt tamen esse importuni. Certè Caluini verba nihil significant huiusmodi: exaggerauit quantū potuit & debuit, vehementiā illam doloris, tum in corpore, tum maxime in anima, quā si à Christo separaueris, fieri non potest, vt colligat nobis quanto pretio redempti simus. Id vt faceret, accessit quàm proximè ad eos motus, quos in se homines quotidie sentiūt, cùm penè ad desperationem coguntur. Hic verò hominum infinitis calumniis exercitato, venit in mentem, non defuturos, qui hæc omnia raperent in malam partem, verbisque atrocissimis calumniā suam aggrauarent. Voluit istiusmodi peruersis ingeniis ire obuiam: itaque obiecit sibi ipse, quod illis in mentē venturum sciebat. *Sed absurdum videtur*, inquit, *Christo elapsam esse desperationis vocem.* Vbi non tantum illud *absurdum videtur*; sed etiam *desperationis vocem* imperatiue nominauit, suscepta aduersariorum persona: quasi diceret, Scio futuros, qui his verbis à me absurde dicta esse pronuncient, & desperationem etiā Christo affingi. Itaque statim postea: *Solutio facilis est.* Quā clausulam, cur tam facilè prætereunt? non enim solùm ea quæ nostro ipsorum sensu dicimus: sed potius quæ obiiciuntur ab aduersariis.

V. Sed instat Hayus: Etsi non affirmabat, inquit, Christum desperasse, quid obstitit, quominus vno verbo *suam sententiam aperiret? Aut, quid facilius quam id negare?* At ego contrà: Si voluit affirmare Christum desperasse, quid obstitit, quominus vno verbo suam sententiam eam esse testaretur? Aut cur difficilius est affirmare, quàm negare? Itaque, si concludat calumniator, ideo credidisse Caluinū, quod illi imponitur, quia non disertè negauit: certè æquo saltem iure concludam, non credidisse, quia non disertè affirmauit.

VI. Sed agam apertius. Imò Caluinus, inquam, mentem suam disertè aperuit: primum aliis locis, tum hoc ipso. Institutionis libro secundo, capite decimo sexto, paragrapho duodecimo. *Hic nebulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis, quam inscitia im*pulsi, *clamitant me atrocem facere Christo iniuriam, quia minime consentaneū fuerit eum de animæ salute timere.* Deinde, *calumniam durius exagitant, me desperationem adscribere Filio Dei, quæ fidei contraria sit.* Attende. Primò obiectionem nudè proponit: ibique solùm de salute timorem nominat. Deinde, obiectionis aggrauationem subiungit, ac tum desperationis nomen. Vnde igitur hoc à Caluino? Imò ab iis, qui Caluini doctrinam, quàm maxime poterant, calumniis grauabāt, eos vno nomine & imperitos & nebulones appellat; & meritò. Vtinam ne Iesuitarum iij colores essent: sed non est saltem Caluini in hoc negotio vocabulum *desperatio*.

VII. Rem videamus. Caluinus igitur obtrectatoribus suis respondens, primò, dicere asserit, quicquid id sit tandem, quod Christo accidit, tamen omnino vacasse peccato. *Obtendunt, inquit, quod vitiosum per se est, indigne Christo tribui. Quasi verò supra Spiritum Dei sapiant, qui hæc duo simul conciliat, Christum fuisse tentatum per omnia, sicut nos, & tamen absque peccato.* Sensus est, eos, qui sic argumentantur, malè assumere hunc timorem esse per se vitiosum: nam testatur Spiritus Dei, Christum fuisse tentatum, sicut nos, tamen absque peccato; hoc est, eos tentationum motus, qui in nobis sunt, & sunt vitiosi, in Christo fuisse, sed fuisse puros à vitio. Itaque, hūc etiam timorem etsi in Christo videamus, tamen non inferendum, aliquid igitur in eo fuisse vitij. At, inquam, desperationem Caluinus nunquam credidit nō esse vitiosam, imò non esse vitium: non potuit ergo eandem Christo tribuere.

VIII. Secundò, perspicue docet, fidē Christo sēper integrā, sartā tectā fuisse: *Solutio, inquit, facilis est: quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in eius corde, qua Deum præsentem intuitus est, de cuius absentia conqueritur.* Et post, *Nihil obstat, quo minus Dei alienationem mente conceperit Christus, prout sensus dictabat, & simul fide retinuerit Deum sibi esse propitium.* Et in Institutione. *Sciendum talem fuisse tentationem ex doloris & metus sensu, quæ cum fide non pugnaret, & hoc modo impletum est, quod habetur in concione Petri, non potuisse eum teneri a doloribus mortis: quia se quasi derelictum à Deo sentiens, ne tantillum quidem deflexit a bonitatis eius fiducia. Quod docet celebris illa inuocatio; in qua, præ doloris vehementia, clamauit, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Nam etsi supra modum angitur, non tamen desinit vocare Deum suum, à quo se derelictum exclamat.* Quæ quidem verba luculentiora sunt, quàm vt vllo artificio detorqueri possint. Nam fidem & desperationem in vno eodémque homine quis Christianus possit simul conciperet? Non certè Basilius Seleuciēsis, qui dixit homilia decima quinta, πᾶσαν ἀπόγνωσιν ἐξορίζει ψυχῆς, ἔνθα πίστις πάρεστι. *Omnem ab anima desperationem exterminari, quando adsit fides.*

IX. Et cauillatur tamen Hayus, fidem intelligi, vel donum Dei, quo præditus homo, consentiat omnibus articulis fidei, vel certā persuasionem, quā singuli habent de Dei in se beneuolentia. Priori notione negat fidem contrariā esse desperationi: posse enim quempiam in desperationem cadere, vt tamē fidem non amittat. Quòd si altero modo fidem intelligas, negat in eo posse eam fidem esse, qui horrēda inferni supplicia patiatur. Caluinum autē hoc de Christo docere ostendit Institutionis libro secūdo capite decimo sexto, segmento vndecimo. *Certe nulla fingi potest magis formidabilis abyssus* (inquit) *quam sentire se a Deo derelictum, & alienatum. & quum inuocaueris non exaudiri, perinde ac si in tuam perniciem ipse con-*

spirasset. eò Christum videmus fuisse deiectum, vt coactus fuerit vrgente angustia exclamare, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti: Hæc Caluinus: addens, *timuisse ne absorberetur tanquam peccator.* Inde concludit Hayus, non potuisse in Christo esse fidem cum eo timore.

X. Respondeo, à Caluino fidem intelligi posteriori modo. Nam alteram illam tam dilutam; quæ etiam diabolis competat, Caluinus sciebat esse fidei initium potiùs, quam fidem; itaque posse cum desperatione conuenire nullus dubitabat: eámque libens Papistis reliquisset, nisi sciret, non tantùm nō consentire religioni Christianæ, sed potiùs eam oppugnare. Porrò, quod obiicitur de inferni suppliciis, in solo Christo, falsum estimam in eo vtrumque fuisse constat: & horrenda illa, quæ pro nobis tulit supplicia, & fidem integram. In reliquis omnibus omnino verum, non posse ambo simul consistere. Ratio, quia alij omnes hæc supplicia tolerant, ob sua ipsorum peccata: Christus verò ob aliena. Itaque quemadmodum potuit Christus has pœnas tolerās nullum habere peccatum, sic etiam potuit desperatione carere, quia desperatio peccatum est. Potuit ergo Caluinus, & meritò, *ἰμφαντικῶς* cruciatus illos describere, quos nostra caussa subiit Seruator, & Paulus non contatur maledictionem appellare; ita tamen vt de Christi fide nihil minueret.

XI. Addunt argumenta. Vnum, distinctiùs à Bellarmino explicatum, in hunc modum: Christus verè pertulit statum damnatorum. At pœna damnatorum includit essentialiter desperationem, sicut fœlicitas includit certitudinem salutis. Ergo, Christus vel simpliciter desperauit, vel verè non pertulit pœnas damnatorum, secundùm Caluinum.

XII. Respondeo, damnatorum pœnas posse variè distingui: sed maximè, vt aliæ sint tantùm pœnæ: aliæ verò & pœnæ, & peccata: quomodo Deus nouit peccata priora posterioribus vlcisci. Desperationem autem non tantùm esse pœnam, sed etiā peccatum. His ita positis, negatur maior Syllogismi. Ratio, quia ne eos quidem, qui dānantur, oportet subire omnes pœnas inferni: alioquin, æquabiliter omnes torquerentur, contra Christi sententiam, qui Tyrios & Sidonios asserit mitiùs damnandos, quàm ciues Corasin, & Bethsaida. Et Lombardus agnoscit, sicut boni differenter glorificabuntur, alij magis, alij minùs: sic malos differēter in inferno puniendos, alios aliis tolerabiliùs, libro quarto, distinctione quadragesima nona.

XIII. Sed inquit, desperatio est essentialiter in pœnis damnatorum. Rectè. At Christus, inquā, non dicitur fuisse damnatus: sed tantùm pertulisse pœnas damnatorum, aut potiùs damnandorum, id est, eorum qui suorum scelerum pœnas apud inferos daturi erant. Itaque nihil necesse fuit Christum desperare, nec tamen non perfectè nos liberauit; non enim eo minùs passus est pœnas nostris peccatis debitas: hoc enim sic intelligendum, vt separentur hæ pœnæ, ab iis pœnis quæ peccata sunt. Nam omnino certum est: nulla prorsus peccata, Christū assumpsisse: nec aliter vnquam sensit Caluinus.

XIV. Pergit Bellarminus, argumentando: Quando Christus emisit verba desperationis, vel emisit deliberata voluntate, vel non. Si primum; ergo verè desperauit, & peccauit. Si secundum, ergo in Christo fuit inordinatio passionum: quandoquidem potuit metus præuenire rationem, & extorquere vocem desperationis inuita voluntate. At hoc est contra Caluinum; qui nullam fuisse in Christo passionum inordinationem asserit. Præterea, si non deliberatè: ergo in eadem sententia prima pars esset deliberata, nempe, *Deus meus*, altera indeliberata, *quare dereliquisti me*: Quod ne cogitari quidem potest. Ergo, deliberatè Christus desperauit, si desperauit.

XV. Respondeo, calumniam calumnia cumulare, non esse Theologicè argumentari: sed diabolicè in sanctos viros insurgere. Desperationem non alumnus nominabat: sed crepabant nebulones, imperitia pariter & malitia peccantes. De imperitia videat Bellarminus: malitiam sanè frustra dissimulet. Ergo, Caluino iudice, neque deliberatè, neque indeliberatè, Christus desperauit. Anathema, si quis vnquā quid simile cogitauit. Itaque, nulla potest concludi passionū inordinatio. Nā, quod de altera parte deliberata, altera indeliberata obiicit, videat quid agat. Nā in altero loco, cū precabatur Christus, *Transeat à me calix iste: verū non vt ego volo*: necesse habuit distinguere voluntatem, in naturalem & deliberatam: vt priorem illius orationis partem ad naturam referret, alteram ad deliberationem. Quid ergo? sensit-ne naturalem voluntatem esse deliberatam, an non sensit? si prius, quis non videt distinctionis inepti? si posterius, quod omnino est necesse, ergo eiusdem orationis pars prior indeliberata est, altera deliberata. Explicet nūc nobis, quomodo id ipsum, quod nunc negat quenquam capere posse, tum temporis ipse asserere potuerit; & videre, ne dum pietatem insectatur, ipse se ridendum propinet.

XVI. Sed rursus insurgit Hayus: Sic Christus desperauit sensu carnis, quomodo mortem timuit. At Christus verè mortem timuit: ergo, secundùm Caluinum, verè Christus desperauit. Imò, quid his facias non hominibus, sed hominum monstris? Caluinus Christum sensu carnis desperasse dixit? Calumnia centies repetita: sed ex mera impudentia. Tantùm dixit sensum carnis exitium apprehendisse. Cui autem persuadebit Iesuita, eū desperare, qui exitium apprehendat? Nam & fideles subinde horrores inferni apprehendunt, nec tamen amittunt fidem. Psaltes, Psalmo decimo octauo. *Circumdederūt me dolores mortis, & torrentes impietatis terrebant me, dolores inferni circumdederant me, præuenerant me laquei mortis. In angustia mea inuocaui Iehouam.* Et Christo quisquam id neget fidelium? Certè Caluinus erat inter fideles.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER

LIBER QVINTVS DE DESCENSV AD INFEROS.

Caput Primum.

CATHOLICOS NIHIL DETRAhere articulo.

PROXIMVM est, vt agamus de Christi Passione: vbi acerrima cõtrouersia est de articulo Symboli, *Descendit ad inferos*, in quo primùm calumniæ sunt, deinde disputatio de interpretatione.

II. Calumnia gemina est. Prior Feuardentij Theomachię libro sexto, capite primo: vbi de Caluinistis, *hunc, inquit, fidei Christianæ articulum malos artifices conari, vel omnino tollere de medio; vel saltem suspectum, ac dubium, velut de nouo inuentum, & Symbolo assutum, reddere.* Calumniæ argumenta. Primum: Beza in magna fidei suæ confessione, huius articuli nullam facit mentionem. Secundum: Caluinus Institutionis libro secundo, capite decimo sexto, paragrapho octauo, *Particulam illam, inquit, quæ legitur in Symbolo, apparet non adeò fuisse olim in Ecclesiis vsitatam. Cõtuere licet post aliquantum temporis insertam non protinus, sed sensim Ecclesiis insueuisse.*

III. Ita nullæ sunt, quantumuis alienissimæ, coniecturæ, (nam & ipse postea coniecturas appellat) quæ phanaticis his Sycophantis, non sint certissima argumenta. Beza, inquit, non meminit huius articuli. Certè Beza in Catechismo compendiario Symbolum inseruit integrum; neque hoc articulo truncatum. Quis coëgit? Aut cur non erasit, si improbauit? Imò ostendant, si possint, vllo vnquam loco, vel tenuissimum vestigium, quo constet à Beza vel tantillum suggillatum, & vicerint. At non recensuit in maiori confessione. Quid ergo dicemus de Veteribus, qui hoc ipsum Symbolum ex professo tradentes & explicantes Catechumenis prorsus omiserunt, vt postea docebo? Quanquam eo loco facilè vident omnes, Bezæ non propositum, recensere singulos articulos κατὰ λέξιν. Sed in Feuardentio nihil erat humanitatis.

IV. De Caluino facilius negotium. Nam Bellarminus de Christo libri quarti, capite sexto, non tantùm obseruat hunc ipsum articulum legi in Catechismo Caluini: sed præterea disertè. *Imò Caluinus libro secundo Institutionis capite decimo sexto, paragrapho octauo* (& hunc eundem locum Feuardentius notabat) *dicit hunc articulum in præcipuis habendum esse.* Tanta scilicet fides est Franciscani.

V. Et sanè, mira est hominis impudentia; locum misere truncantis, qui solus calumniam præfocasset. Integrum lege. *Nec verò descensum ad inferos omittere conuenit, in quo ad redemptionis effectum non parum est momenti. Quanquam enim ex veterum scriptis, particulam, quæ legitur in symbolo, apparet non adeò fuisse*

olim in Ecclesiis vsitatam; in tractanda tamen doctrina summa locum ei dari necesse est: vtpote, quæ rei maximæ vtile ac minimè spernendum mysterium continet, sunt quidem & ex Veteribus nonnulli, qui eam non prætermittant: vnde conijcere licet post aliquantum temporis insertam, non protinus, sed sensim Ecclesias insumpsisse. Id certè extra controuersiam est, ex communi piorum hominum sensu, fuisse desumptam. quando nemo est Patrum, qui non in suis scriptis descensum Christi ad inferos commemoret. En, quomodo Caluinus conetur vel omnino tollere, vel suspectum reddere hunc articulum: quem & necessariò retinendum dicit: & magnum mysterium continere: & ex communi piorum sensu desumptum: & à nemine Patrum non commemoratum. Scilicet ita norunt Monachi ex luce tenebras eruere.

V I. Sed dixit tamen non fuisse olim Ecclesiæ vsitatum. Dixit sanè: sed intellige, tanquam particulam Symboli: hoc est, fuisse quidem persuasum Ecclesiis descendisse Christum ad inferos: atque adeò neminem Patrum id non commemorare: sed non fuisse tamen in hoc huius Symboli contextu: quomodo & alia nonnulla. Et id verè dixit: nec solus dixit: nam Bellarminus ipse ipso illo capite iam notato, *Est autem obseruandum hanc particulam olim nō fuisse in Symbolo apud omnes Ecclesias.* Similiter Eustachius à sancto Paulo partis secundæ, tractatu secundo, disputatione sexta quæstione secunda: *Quæ symboli particula, licèt olim non legeretur in Symbolo apud omnes Ecclesias, apud aliquas tamen fuit semper vsurpata.* Quid? hæreticósne Bellarminum & Eustachium Feuardentius arcesset? Nam certè istis cum Caluino commune crimen erit, si crimen erit.

V I I. Nec Bellarminus tantùm. Sed & longè, longéque antiquior Ruffinus, *Sciendum sanè est quòd in Ecclesia Romana Symbolo non habetur additum, descendit ad inferna: sed neque in Orientis Ecclesiis, habetur hic sermo.* Et quanquam non admonuisset Ruffinus, tamen res ipsa loquitur. Nam neque Irenæus libri primi capite secundo, neque Tertullianus contra Praxeam, & de velandis Virginibus: neque Origenes initio περὶ ἀρχῶν, dum regulam fidei recitant, vllo loco habent: neque Symbolum exponens Augustinus libro de Fide & Symbolo; & de Symbolo ad Catechumenos; & Sermonibus quinque ad Catechumenos: neque Chrysologus varius item sermonibus ad eosdem: neque is, quisquis est, siue Eusebius Emyssenus, vt Gagnęus putat, siue Cæsarius Arelatensis, vt Bellarmino visum, siue Eucherius Lugdunensis, vt Baronius mauult.

V I I I. Et tamen, vide Franciscani audaciam: fallitur (inquit) apertissimè Ruffinus: & iactat plusquam viginti antiquorum Patrum testimonia; à se enumerata notis in Irenæi caput trigesimum primum libri quinti. At his loci cuiusmodi? Thaddæus apud Eusebium historiæ libri primi capite vltimo: Dionysius Areopagita, de cœlesti Hierarchia, capite quarto: Ignatius ad Trallianos: Abdias libro nono: Nicodemus in Euangelio: Clemens Alexandrinus secundo & sexto Stromatum: Origenes in quintum ad Romanos: Basilius in Psalmum quadragesimum octauum: Nazianzenus de Pascha: Epiphanius hæresi septuagesima septima, & sexagésima nona, & in Anchorato: Tertullianus libro de Anima, & quarto contra Marcionem: Arnobius in Psalmum decimum quintum, octogesimum septimum, centesimum trigesimum septimum: Cyprianus secundo aduersus Iudæos capite vigesimo quarto & quinto, Et Sermonibus de Cœna Domini, deque Passione Christi: Lactantius de Resurrectione.

I X. Hic verò mitto de Ruffino dicere, quem tum sua auctoritas, tum res ipsa facilè tuetur. Sed qui nominantur auctores partim lubricæ sunt fidei; vt Abdias, Nicodemus, & Lactantij carmen de Resurrectione: partim falsò citantur, vt Areopagita, Arnobius, forte & alij. Reliqui agunt tantùm de Descensu Christi ad inferos: at de Symbolo non agunt, aut de eius articulo. Itaque nihil probant, nisi quod Caluinus dixit, neminem esse Patrum, qui huius descensus mentionem non faciat.

Capvt II.

Catholicos non docuisse animas extingui.

I. Altera calumnia Bellarmini, est capite septimo; Brentium, Caluinúmque accusantis, quasi docuerint animas hominum omnino extingui. Grauissima accusatio: si vera. Nam crimen tantum, vt verè dixisse Bellarminum fateamur, hanc sententiam esse fundamentum Atheismi. Neque enim fieri potest, vt vllam salutem æternam expectet; qui animam non credit æternam. Et in Deum quomodo credet, qui ab eo salutem æternam non expectet? Quo vel vnico poterat argumento deterreri Iesuita ab hac accusatione, qui scinit Caluinum constanter docuisse certitudinem expectandæ salutis, si quis vnquam hominum: adeò vt vel Bellarmino iusta caussa visa fuerit traducendæ hæreseos. Videte vos, cordati Iesuitæ, væcordiam, concedentis non posse expectare salutem æternam, qui non crediderit animam æternam: accusantis rursus Caluinum nimiæ confidentiæ in expectatione salutis: & tamen accusantis Caluinum, quasi docentem animas interire. Satin' commode diuisa sunt argumenta duo hæc?

I I. Certè calumnia est putidissima. Nam contrà, ex professo Caluinus disputat de animæ immortalitate Institutionis libri primi, capite decimo quinto. Sed & ψυχοπαννυχίας librum integrum scripsit aduersus eos, tum qui animas fidelium dormire dicebant somnum perpetuum ad resurrectionem vsque, sine vllo beatitatis sensu: tum qui easdem asserebant esse tantùm vim vitæ, quæ ex spiritu arteriæ pulmonumque agitatione ducitur. Quid plura? Feuardentius, qui nec ipse dentes abstinere potuit à sancto viro rodendo, Theomachiæ libri octaui capite septimo: tamen nec ipsum asseruisse quicquam inuenit de mortalitate animæ, sed tantùm Libertinis fenestram aperuisse: & contra tamen disertè scripsisse: *hoc deliro nihil absurdius fingi potest; homines ad imaginem Dei creatos, instar pecudum morte extingui.* Item: *Admonet Christus non ideò creatam esse hominis animam, vt mundo tantùm ad paucos dies fruatur: sed vt sua demum illi constet in cœlo immortalitas.* Item: *Colligimus animas vbi à corpore migrarunt, superstites viuere: alioqui lusoria esset* (ad latronem facta) *promissio Christi, quam etiam iure-*

iurando

iurando confirmat. Denique: *deliros & phreneticos esse qui putant, animos nostros, aut vna cum corporibus interire, aut ita consopiri, vt perinde sit, atque si interirent.*

III. Sed audiamus tamen Bellarminianæ criminationis argumenta. Brentium in Catechismo dicere, descendere ad inferos esse penitus interire: & in secundum Actorum, Christum introducere sic loquentem; *Descendam in infernum: sentiam dolores inferni: & planè periisse videbor.*

IV. Caluinum in Psychopannychia ex illis verbis, *Non derelinques animam meam in inferno*, sic inferre: *Hæc nobis certissimam fidem faciunt, Christum extingui morte non potuisse, etiam secundùm hominem. Vera mors fuit, corporis & animæ solutio. Cæterùm, anima vitam suam nunquam perdidit, quæ Patri commendata, non poterat non salua esse. Id volunt verba ex concione Petri, quibus affirmat impossibile fuisse, teneri ipsum à morte, vt Scriptura impleretur, quoniam non derelinques animam meam in inferno. Nam anima eius diuina virtute suffulta est, ne in perditionem rueret, & corpus eius in sepulchro seruatum ad resurrectionem.* Videtur, inquit Bellarminus, intelligere Caluinus per infernum, perfectam extinctionem animæ. Probat enim animam Christi in morte corporis non fuisse extinctam: quia anima eius non fuit absorpta ab inferno. Tum paulò post clariùs. *Præbet & nobis aliud argumentum immortalitatis animæ suæ, cùm Ionam triduo immersum in ventre ceti, mortis suæ typum constituit. Venter ille mors est: animam igitur aluam in morte habuit.* Et rursus: *Quid est, quod Isaac non moritur: nisi quia quod proprium est hominis, immortale Christus præstitit hoc est, animam. Aries verò animal irrationale, qui in eius locum ad mortem substituitur, corpus est.*

V. Atqui vix vllum certius inuenias argumentum imposturæ. Primùm, illud falsum à Brentio descendere ad inferos exponi, penitus interire. Hoc, inquam, falsum, & malitiosè à Iesuita corruptum est. Lege Brentij verba in Catechismo: *hoc est descendere ad inferos, videlicet videri prorsus & omnino interire. Quare cùm & Christus postquam sepeliebatur, visus sit prorsus interiisse, rectè dicitur tunc ad inferos descendisse. Non enim sentiendum est, quòd Christus passus sit post mortem suam aliquem in inferno dolorem: dicit enim ad latronem, hodie mecum eris in paradiso: sed quòd visus fuerit in oculis hominum omni salute destitutus, atque à Deo ipso maledictus & abiectus.* En tibi non illud Bellarminianum, penitus interire: sed aliud, longè aliud, videri penitus interire. Quid dicemus fuisse Bellarmino, aut cerebri, si putauit vnum idémque esse perire, & videri perire: aut frontis, si cùm sciret interesse multum; tamen dissimulauit? Nam videtur interire ille, qui re vera non interit. At qui penitus interit, re vera interit: est autem Brentio descendere ad inferos, idem quod videri interire. Ergo descendere ad inferos Brentio, non est re vera interire: contra quàm Bellarminus calumniabatur.

VI. In Caluini criminatione audite mirum artificem, cui tota Dialecticorum schola meritò assurgat. Probandum est, Caluinum per infernum intelligere perfectam extinctionem animæ. Quæro argumentum, hoc Bellarminus profert ex eo, quia Caluinus probet animam Christi, in morte corporis non fuisse extinctam ex eo, quòd non fuerit absorpta ab inferno. Et ex clamat: Quid igitur est Caluino absorberi ab inferno, nisi animam penitus extingui?

VII. Imò, inquam, illud *absorberi*, quicquid sit tandem, apud Caluinum non est. Cæterùm disputat ille animas hominum non interire. Ergo, Iesuita id concludit ex Caluini argumento, quod est oppositum Caluini conclusioni. Non laudas acumen? Id autem docet Caluinus, quia anima Christi non interiit: hoc erat docendum: docet Caluinus, cùm aliis argumentis, tum isto, quòd impossibile fuerit eam detineri à morte, iuxta Scripturam, *non derelinques animam meam in inferno.* Ergo, inquit Iesuita, animam derelinqui in inferno, est eandem prorsus perire. Ei risum aliquis teneat? Imò non est, Bellarmine: sed tibi tuum illud [illegible] oculos mentis eruit, vt ne videas vim Caluiniani argumenti: quam ego sic ostendo: Nulla anima per mortem prorsus interiens, educitur ex inferno. At anima hominis educitur ex inferno. Ergo anima hominis non interit in morte. Probatur minor, exemplo animæ Christi. hæc Caluini mens est: Bellarmino bonam det Deus.

VIII. Sed habet aliud Sophisma: *Si Christus, quia diuinitate suffultus erat, animam immortalem retinuit in morte corporis: Ergo, cæteri homines, qui non sunt suffulti diuinitate, in morte penitus extinguuntur, nec erit anima humana immortalis.*

IX. Imò rursus calumniatur. Non enim illud Caluinus dicit, animam Christi retinuisse immortalitatem, quia suffulta esset diuinitate. Sed diuina virtute suffultam fuisse, ne in perditionem rueret. Perditio autem, non est omnimoda illa Bellarmini extinctio: sed est damnationis ille status à quo non est redemptio. Nam, quis nescit ita significare etiam in Scripturis? Iobi vigesimo primo: *In diem perditionis seruatur malus.* Prouerbiorum vndecimo: *In perditione impiorum erit laudatio.* Matthæi septimo: *Lata porta ducit ad perditionem.* Et alibi sæpissimè.

CAPVT III.

Status Controuersiæ de descensu ad inferos.

I. ELotis calumniis, superest inquirendus verus sensus articuli, *descendit ad inferos.*

II. Sunt, qui dicant aliis verbis repeti articulum de sepultura: prout in Veteri Testamento plurimùm solet vnum idémque duabus exprimi formulis. Huius sententiæ videtur fuisse Ruffinus. *Vis verbi eadem videtur esse in eo quod sepultus dicitur.* Quibus in verbis quis Bellarminum non miretur, qui Ruffinum scripsit dicere, ea implicitè contineri in articulo de sepultura; quia sicut corpus descendit ad locum corporum, ita anima ad locum animarum. Nam hæc certè nec apud Ruffinum vlla sunt: & tam procul abeunt ab iis, quæ scripta leguntur, vt nihil magis. Longè faciliùs sani intelligent Ruffinum voluisse his verbis iterari id quod priùs dictum, & vt vno verbo dicam, bis poni sepulturam Christi.

III. Hæc sententia, quæ est etiam nonnullorum recentium, etsi nihil impium habeat, & non discedat à phrasi Hebræa; tamen non fit verisimilis. Primò enim mos ille repetendi eundem sensum aliis verbis, etsi in Veteri Testamento frequens: tamen non ita in Nouo: vt videatur esse ex genio lin-

guæ. At hoc Symbolum nō est Hebraicè scriptum; & pertinet ad Nouum Testamentum: in quo sese cōformauit Spiritus Sanctus, ac proinde Ecclesia, consuetudini Gentium in loquendo: apud quas ταυτολογία etiam vitium est. Secundò, tum aliàs eiusmodi iterationes ingratæ sunt; tum maximè in tam breui, succinctáque epitome absurdę, in qua contrahuntur omnia quàm possunt maximè, etiam grauissima capita. Tertiò, tum maximè sunt auribus ingratæ, quum præcedentibus obscurior est sequēs inculcatio: est autem descendere ad inferna, eodem sensu longè obscuriùs quàm sepeliri.

IV. Itaque, nos huic expositioni acquiescere non possumus: Bezámque Bellarminus capite nono, cùm in illorum grege numerauit, discessit ab officio boni viri. Nam si in caput Actorum secundum annotauit *descendere ad inferos*, propriè significare sepulchro condi: tamen nusquam dixit huius articuli in hoc Symbolo, eum esse sensum. Atque adeò eadem annotatione in secundum Actorum, Beza notat hanc eandem phrasin translatiuè vsurpari *de iis qui summis, vel animi vel corporis doloribus ita opprimuntur, vt sint vltimo exitio proximi*: quomodo nos hunc articulum intelligimus.

V. Supersunt duæ sententiæ: vna Papistarum: Catholicorum altera. Illi dicunt Christi animam, ex quo separata fuit à corpore, esse profectum ad inferos, vsque ad resurrectionis horam. Sunt enim verba Catechismi Tridentini. *Nobis credendum proponitur, Christo iam mortuo, eius animam ad inferos descendisse: ibique tamdiu fuisse, quamdiu eiusdem corpus in sepulchro fuit.*

VI. Et Durandus quidem factum non locali aliqua profectione, sed duntaxat potentia; & virtute, non essentia. Sed eam sententiam tum Bellarminus impugnat, tum idem Catechismus Tridentinus damnat. *Nec verò*, inquit, *existimandum est, eum sic ad inferos descendisse, vt eius tantummodo vis ac virtus, non etiam anima eò peruenerit: sed omnino credendum est ipsam animam re & præsentia ad inferos descendisse.* Itaque concipi volunt motum verè localem: quo factum, vt anima Christi, egrediens è corpore, induerit se in illos locos, quos intra terræ viscera curiosi designatores descripsere: inde scilicet liberatura magnam animarum cateruam, quæ in limbo nescio quo, tanquam carcere, detinebantur: & in cœlos, à quibus exulabant, inductura.

VII. At Catholici ea somnia non tam rident, quàm horrent: & docent, inferos intelligendos de pœnis, cruciatibúsque à Christo perpessis pro peccatis hominum, tum in corpore, quod varis quasi laniatibus deturpatum, cruci tandem affixum, mortem hanc sustinuit, qua separatum est ab anima: tum etiam, & quidem præcipuè, in anima ipsa, quæ anxia vsque ad mortem, horrebat vim illam maledictionis, cui seipsa subiecerat volens. Has pœnas, quæ neque verbis exprimi, ac ne cogitatione quidem dignè concipi possunt, appellari inferorum nomine, quòd eas homines damnati, iusto Dei iudicio, solent in inferis tolerare. Ex inferorum autem nomine petitam esse descensus rationem. Etsi enim re vera non descenderit, id est, locum non mutauerit ex summo in imum; tamen, ex vsu vulgi, metaphoricè sic dici descendisse.

VIII. Sed admonemus tamen nolle λογομαχεῖν aut contentiosè disputare de verborum, quibus hic articulus Symboli conceptus est, sensu: verum hic sit potiùs, quem nunc diximus: an quispiam alius, dummodò pius. Nec sanè damnemus Tigurinos, quorum Catechismus, hunc articulum explicans, *Credo*, inquit, *Christum à morte sua corporea, non tantùm abiisse anima sua ad animas defunctorum: sed eandem quoque sua morte salutarem fuisse omnibus sanctis Patribus, ab exordio mundi defunctis: imò Christum sua morte nobis omnibus qui in ipsum credimus, mortem æternam, atque inferos confregisse, & ab omni tartari horrore liberasse.* Etsi duriusculum illud de profectione ad animas defunctorum, emolliamus commoda interpretatione: vt non sit expositio verborum *Descendit ad inferos*: sed transitio quædam à morte ad hunc articulū: & sensus sit. Ex eo quod verè mortuus sit Christus, intelligi eius animam profectam esse ad animas defunctorum: piorum videlicet: quomodo ipse testatus est, *hodie mecum eris in paradiso*: præterea tamen, cùm dicimus, *descendit ad inferos*, significari efficaciam mortis Christi, qua deuicti sunt inferi: cuius victoriæ fructus non ad eos tantùm pertinet, qui post erant futuri: sed ad illos etiam, qui longè ante præcesserant.

IX. Absit etiam vt damnemus eos, qui hæc verba per μετωνυμίαν explicant. Nam, etsi videantur dilutiùs interpretari: tamen valeat apud nos candor, qui perpetuus esse debet in Scripturis explicandis: nimirum, vt in obscurioribus locis, admitti possint varij sensus, dum ne impij. Et sic alij alios patienter, imò humiliter, toleramus, donec, aut illis aut nobis, Deus reuelet. Cur non enim inter nos eandem charitatem ostendamus, quam veteribus præstare cogimur; in quibus tot sunt, támque variç de multis locis sententiæ?

X. Quid ergo? aut quid nunc erit negotij Catholicis aduersus Papistas? nimirum, de re ipsa: vt dicamus, id quod fingunt Christi animam descēdisse localiter ad nescio quas specus subterraneas, id est, locum aliquem, in quo conseruarentur animę piorum procul à Deo: hoc inquam, figmentum esse, vt minimum dicam, ineptum, & falsum. Deinde, vt ostendamus Christum non tantùm in corpore, sed etiam in anima, pertulisse verè cruciatus nobis debitos propter peccata nostra. Quam sententiam, si piis doctísque probemus, abundè satisfactum erit nostro officio. Si qui postea contendant, non commodè significari id his verbis Symboli; fruantur sanè suo iudicio: nobis etiam ne nostram libertatem inuideant. Nos enim profitemur non videre, vllum alium aptiorem, pleniorémve sensum.

XI. Porrò, hanc controuersiam tractat Bellarminus libri quarti de Christo, capite sexto & sequentibus. Item Ioannes Hayus contra Chambrunum capite decimo, & decimo quinto. Franciscus Sonnius Demonstrationum Religionis Christianæ tractatu quarto. Alphonsus de Castro hæresi tertia de inferis. Simon Vigor sermone decimo tertio & decimo quarto in Symbolum. Salmero tomi decimi tractatu quinquagesimo. Gregorius de Valentia Commentariorum tomo quarto, disputatione quarta, puncto secundo. Sanctesius, Repetitionis quartæ capite secundo.

XII. Nostri contrà. Caluinus Institutionis libri secundi capite decimo sexto. Iunius contra Bellarminum. Polanus Syntagmatis libri sexti, capite vigesimo primo. Andreas Riuetus Catholici Orthodoxi tractatus secundi quæstione quin-

quagesima octaua. Ioannes Gardesius, in responsione Christiana ad nouum Apostatam.

CAPVT IV.

De portis æreis contritis, & inferioribus partibus terræ: de corde terræ.

I. PApistarum igitur est probare, Christum ad inferos descendisse verè, propriè, ac reipsa. A... renta Bellarminus colligit ex Scriptura primum, tum ex Patribus. Thomas Aquinas, & Vigor addunt quasdam rationes.

II. Scripturæ primus locus è Psalmo centesimo septimo. *Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Erratio est, quia sic intelligant Hilarius in Psalmum centesimum trigesimum octauum, & Ambrosius libro de mysterio Paschæ. Nihilominus tamen concedit Bellarminus hunc locum non conuincere, hoc est, non probare id quod est in quæstione: quia sensus literalis sit de liberatione ab Ægypto.

III. At ego præterea obseruo falsò citari Hilarium & Ambrosium, qui loca notatis de hoc loco Psalmi neque [illegible], neque [illegible]. Psalmi autem argumentum, facilè ex toto contextu percipitur hoc esse, vt laudetur Dei potentia in liberandis hominibus ab omni periculorum genere, quibus obnoxij sunt in hac vita. Hæc verò verba ad eos pertinent, qui à carceribus educuntur; quorum portæ dicuntur æreæ, & vectes ferrei, propter firmitatem. Ad infernos autem, siue statum post hanc vitam animarum, nihil est quod pertineat.

IV. Secundus locus, ex vigesimo quarto Ecclesiastici: vbi sic loquitur Sapientia Dei: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Sed huius argumenti rursus agnoscit imbecillitatem Iesuita, duplicem ob causam: Prior est, quia liber Ecclesiastici non sit Canonicus: Altera, quia hæc verba sint contextus Latini, in Græco autem contextu nulla sint. Itaque possunt à nobis securè præteriri. Nam quod addit, hæc verba apud Catholicos habere suam autoritatem, Papistas intellexit suo more; qui ex Tridentino concilio magis pendent quàm à verbo Dei, aut vlla etiam ratione.

V. Tertius locus è duodecimo capite Matthæi: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ.* Cor terræ significat vel mortem, vt Caluinus: vel sepulchrum, vt alij dixerunt, vel inferos. At non mortem; quia cor terræ est aliquis locus subterraneus: mors autem non est locus. Non etiam sepulchrum. Nam cor est in profundissimo loco animalis: sepulchrum verò prope superficiem terræ. Imò, Christi sepulchrum videtur fuisse supra terram; quia erat monumentum excisum in lapide supra terram extans. Præterea, sicut in ventre ceti Ionas fuit viuens: ita in corde terræ aliquid viuum esse debuit: at in sepulchro fuit corpus mortuum. Non est igitur cor terræ sepulchrum. Cùm itaque neque mors sit, neque sepulchrum, necesse est esse inferos.

VI. Respondeo, per cor terræ sepulchrum intelligi, indéque mortem. Neque enim pugnant quod in Psychopannychia Caluinus dixit, Ventrem illum ceti mortem esse: cum eo, quod Christus dixit esse cor terræ. Nouit sanè Caluinus, cor terræ esse locum: ac proinde in harmonia Euangelistarum, sepulchrum est interpretatus. Sed vidit etiam è sepulchro necessariò intelligendam mortem, tanquam præcedentem: neque enim in sepulchro collocari solent, nisi mortui. Et hoc illi propositum erat, vt probaret in morte non extingui animam. Neque ille primus. Nam glossæ ordinariæ: *Piscis qui vorauit in pelago, mors quam passus est in mundo.* Anselmus: *Nautæ enim sunt Iudæi, piscis mors: Nautæ tradunt Ionam pisci: & Iudæi Christum morti. Piscis tertia die Ionam in portu euomuit, & mors in tertia Christum firmitati vitæ restituit.*

VII. Non ergo per cor terræ sepulchrum intelligimus, in quo Christi corpus fuit depositum. Inferos verò, id est, locum quempiam animæ, post separationem à corpore, negamus hoc loco vllos esse. Pro sepulchro interpretantur ante nos non pauci Veteres. Ignatius ad Trallianos, Prosabbato sententiam accepit à Pilato, crucifixus est, expirauit, sepultus est, τὸ σάββατον ὑπὸ γῆν ἔμεινεν ἐν τῷ μνημείῳ. *Sabbato sub terra mansit in monumento, in quo reposuit eum Ioseph.* Illucescente Dominica resurrexit: & sic impletum quod dixerat de exemplo Ionæ. Chrysostomus: οὐκ εἶπεν ἐν τῇ γῇ, ἀλλ' ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, ἵνα καὶ τὸν τάφον δηλώσῃ, καὶ μηδεὶς δόκησιν ὑποπτεύσῃ. *Non dixit in terra, sed in corde terræ: vt & sepulchrum denotet, & neme apparentiam fuisse suspicaretur.* Euthymius: *Cor vero terræ intelligit illius profunditatem. Nam in profunditate illius lapidis incisum erat sepulchrum.* Anselmus: *Fuit in corde terræ, in sepulchro scilicet.* Isidorus Pelusiota. Epistola centesima decima quarta libri primi, τῆς τριῶν τῆς ταφῆς τοῦ Κυρίου ἡμερῶν τε καὶ νυκτῶν, αὕτη ἐστὶν ἡ διασάφησις. γέγραπται, ὥσπερ ἦν ὁ Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύκτας, οὕτως καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔσται ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύκτας. ὁ τοίνυν ἐπαγγειλάμενος, τὸν τύπον Ἰωνᾶ ἐκφράσειν αὐτὸν ἀκριβῶς εἰδὼς τὸ πάθος Ἰωνᾶ, ἐν τῷ καταβαίνειν εἰς τὸν βυθὸν, καὶ ἀναβαίνειν ἐκ τοῦ βυθοῦ, τοσοῦτον ἐν τῷ τάφῳ διατρίψας, ὅσον Ἰωνᾶς ἐν τῷ κήτει. *Trium Domini in sepulchro transactorum dierum, hæc est explanatio. Scriptum est: Quemadmodum Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ita etiam Filius hominis erit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Is igitur, qui se Ionæ typum expressurum receperat, cùm eum exactè nosset, (quippe qui etiam Ionæ adesset, cum in profundum præceps ageretur, atque è profundo euceretur) eum quoque haud dubiè explens, tanto nimirum temporis spatio in sepulchro commoratus, quanto Ionas in ceti ventre.*

VIII. Quæ autem Bellarminus opponit, meræ sunt nugæ: Cor, inquit, est profundissimum animalis: qua de re viderint sanè, siue μάγειροι, siue Anatomici: sed non esse hoc loco cor terræ, sepulchrum, id profectò non sequitur. Constat enim cordis vocabulum non esse propria sua notione accipiendum. Metaphora autem variè consideratur: nec semper habet pro fundamento vnam eandémque rei proprietatem; vnde fit vt idem vocabulum variè sumatur.

IX. Præterea sumi Hebraicè לב pro תוך medio vulgatum est. Sumi etiam medium pro interno, omnibus linguis est vsitatum. Sic Exodi decimo quinto: *Congregatæ sunt abyssi* [illegible] בלב ים ad verbum *in corde maris*, vt vertit Pagninus. Septuaginta

ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης, Latinus, *in medio maris*. Tremellius, *in intima parte maris*. Deuteronomij quarto, *Et mons ardebat igne vsque ad cor cæli*, עד לב השמים, Pagninus, *vsque ad medium cæli*: Tremellius, *vsque ad summum cælum*. Septuaginta & Latinus interpres paulò dilutiùs, quod attinet ad verba: nã sensus est idem: *ἕως τοῦ οὐρανοῦ*, *vsque ad cælum*. Secũdi Samuelis decimo octauo, dicitur Absalom adhuc vixisse בלב האלה *ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ δρυὸς*, sic enim ad verbum expresserunt Septuaginta: Pagninus, *in medio quercus*. Ezechielis vigesimo septimo, de Tyro בלב ימים גבוליך Septuaginta ad verbum: *ἐν καρδίᾳ θαλάσσης τοῖς υἱοῖς σου*, Pagninus, *in corde marium sunt termini tui*, Tremellius, *In intima parte marium erant termini*: Vulgatus, *Et in corde maris sita*. Edicat Bellarminus, an censeat sic intra mare Tyrum fuisse, vt est cor intra animalis corpus: imò, inquit Vatablus, quia vndique mari allueretur. Itaque, vt sensum habeamus huius metaphoræ, ridiculum est circinum adhibere: & frustra Bellarminus geometram agat, vt doceat nos, quantulum distaret sepulchrum à superficie.

X. Nam quod addit, fuisse etiam supra terram: quia in lapide excisum; vix crediderim etiam Iesuitæ posse in mentem venire. Nam primò, non dicitur fuisse excisum in lapide, sed *ἐν πέτρᾳ*, inquit Matthæus: vel *ἐκ πέτρας*, inquit Marcus: At *πέτρα* non est lapis: sed saxum, siue rupes: Deinde *λατομεῖν*, est incidere more lapidicinarum. Itaque Syrus interpres vertit [illegible] effossum, vt vertit Tremellius. Indéque dicitur Ioseph, *προσκυλίσας λίθον μέγαν τῇ θύρᾳ*, aduoluisse lapidem magnum ad ostium sepulchri: & Ioannis vigesimo; ille alter discipulus, qui cum Petro accurrerat ad monumentum, dicitur *παρακύψας*, incuruatus vidisse lintea.

XI. Beda, quem Anselmus citat in vigesimum septimum Matthæi, docet speluncam fuisse, siue, vt loquitur, domum rotundam, de subiecta rupe excisam, in cuius parte Aquilonari sepulchrum erat de eadem petra factum. Et Hieronymus, commentariis in idipsum caput, adfert vaticinium, *habitabit in excisa spelunca petræ fortissimæ*: sumptum ex trigesimo tertio capite Esaiæ, secundùm Septuaginta Interpretes. Non igitur extabat sepulchrum supra terram, nisi fortè nobis nouus aliquis geometres separet rupes à terræ globo: & neget Saram sub terra fuisse, quia sepulta fuit in spelunca excisa, Geneseos vigesimo tertio. Imò verò Ignatius ad Trallianos disertè *τὸ σάββατον ὑπὸ γῆν μένει ἐν τῷ μνημείῳ*, *Sub terra mansit in monumento Christus*.

XII. At in ventre ceti fuit Ionas viuus: ergo, in corde terræ debuit esse aliquid viuum. Corpus autem erat in sepulchro mortuum. Ridiculè: & cur, quæso, nobis ea tam impunè proponet Iesuita, quibus nullum est rationis fundamentum, præter omnia illa celebratissima è camera meditationum? Aut, quid illa regeret, si similiter concludam, in ventre ceti fuisse corpus Ionæ: ergo, in illo terræ corde oportere esse aliquid corporeum? Renũciabit ne subtili suo commento, an potiùs asseret, non animam tantùm, sed etiam corpus Christi descendisse ad inferos? Apage, in re tam seria, tam pueriles ludos.

XIII. At Salmero arguit ex supputatione tridui: quia ab hora nona, qua expirauit Christus in cruce, ad resurrectionem vsque, computantur ab Augustino horæ quadraginta: nempe feriæ sextæ quatuor circiter, Sabbati viginti quatuor, & noctis dominicæ horæ duodecim. Et sic tres dies constabunt; quanquam extremi non integri. At si de sepulchro, non constabunt, quia sepultus est Christus appetente vespera Sabbathi.

XIV. Atqui inquam, cùm necesse sit ad synecdochen confugere, non interest quantam partem sumas. Et quãtumuis breue sit spatium ante Sabbathum; tamen sepultura Christi nõ potest dici facta die Sabbathi. Si ergo facta prosabbatho, quantumuis extremo; tum prima Sabbathi qua resurrexit, dicitur tertia dies à sepultura. Deinde, ne nos quidem obstamus, quo minus putatio incipiat ab hora nona: & sic Ignatius: qui tamen cor terræ, *τὸ μνημεῖον* interpretatur.

Cap. V.

De anima Christi non relicta in inferno.

I. Qvartus locus Actorum secundo, *Non relinques animam meam in inferno*. Vbi Papistæ, & animam propriè interpretantur pro parte illa hominis, quæ corpori opponitur, & infernum pro locis illis suis subterraneis in quibus fingunt Patres fuisse. Itaque, sensum esse Christi animam profectutam quidem fuisse in eiusmodi locos inferos, quemadmodum eorum, qui tum quotidie moriebantur: sed ibidem, duntaxat triduum commoraturam, ac proptereà ibi non derelinquendam, sed educendam: sed de eorum verborum interpretatione controuersia est, quam agitant, præter Bellarminum, Genebrardus in Psalmum decimum quintum: & Stapletonus, Antidotis Apostolicis, in hunc locum Actorum.

II. Beza, in prima editione Noui Testamenti voces Græcas *οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου*, verterat, *Non derelinques cadauer meum in sepulchro*. Hîc verò, & cadauer exagitarunt, & sepulchrum. Cadauer quidem tanquam non dignum sanctissimo corpore, quod custoditum fuit ab omni corruptione. Fassus Beza, cùm moneretur à suis, mutauit tandem in animam; quod ipse alia editione testatus est: *Fateor, inquit, cadaueris nomen nec mortuo quidẽ Christi corporis statu conuenire: ac proinde in altera editione mutaui: sed eandem sententiam retinui*. Exemplo omnibus bonis imitando. Quanquam ne momos quidem effugere potuerit. Nam Hayus Disputationum libri primi, capite quinquagesimo quarto, accusat quasi mundo illudentem; qui verbis mutatis, eandem sententiam retinuerit. Qua in re non video quid sit peccatum. Nam bono sensu, cadauer primò vsurpauerat pro corpore, à quo anima discessisset: & hoc ipso sensu postea animam dixit, ex vsu Scripturæ. Quid habet quod rodat Sycophanta?

III. Aut, qui in Beza tam est seuerus, quid suis faciet, qui non abhorruerunt à cadaueris nomine, cùm agerent de hoc ipso Christi corpore? Nannius illud Athanasij de Incarnatione: *ἵνα τὸν ἐνδείξηται τὸν θάνατον ἐν τῷ σώματι, τριταῖον ἀνέστησεν αὐτό*, ita vertit; *vt mortuum esse suum corpus doceret, non prius quam, nisi vbi iam triduanum cadauer esset, excitauit*. Caietanus in Matthæi vigesimum octauum: *Voluit diuina prouidentia Iesu resurrectioni, quæ facta est non coram hominibus, videntibus cadauer eius resurgere, sed sepulchro clauso, testimonium perhiberi ab Angelis*. Salmero tractans sepum

primo tomi vndecimi. *Quomodo*, inquit, *anima illa gloriosa, sanctum illud cadauer intrauerit?* Et ante eos Chrysostomus in priorem ad Corinthios, homilia vicesima quarta, Πτῶμα καλεῖ τὸ σῶμα διὰ θάνατον: Interprete Herueto, *Cadauer corpus*, scilicet suũ Christus, *vocauit propter mortem.* Theophylactus in Matthæi vicesimum-quartum, Πτῶμα δὲ νόησον ὁ Χριστὸς διὰ τὸ πεσεῖν ὑπὲρ ἡμῶν, θανάτῳ; *Cadauer omnino Christum, quia cecidit pro nobis & mortuus est.* Hęc illi, quorum tamen nullus, quod sciam, accusatus blasphemiæ. Cur magis Beza: & quidem, quod indignissimum est, post mutatum consilium; post reparatum peccatum; si erat peccatum?

IV. Sed, omissa vocabulorum lite; de ipsa re, quid sit statuendum videamus. Nam Caluinus per ᾅδην, *Infernum*, intelligit sepulchrum: & per animã, ipsam vitam: vt, cùm homo mortuus est, iacetque in sepulchro, tum dicatur sepulchrum eius vitæ dominari. Itaque sensum esse huius loci: Prophetam prædixisse resurrectionem Christi secundùm carnem, quia eius corpus non esset relinquendum in sepulchro: Itaque assentior nimirum Bezæ, neque per τὴν ψυχὴν propriè animam Christi intelligendam; neque τὸν ᾅδην, inferos, locos receptaculum animarum post mortem. At Papistæ in vtroque capite valdè dissentiunt.

V. Inquiramus ergo diligentiùs, quid sit statuẽdum. Et quidẽ, quia locus desumptus est è Psalmo decimo sexto, conferenda esse Hebræis Græca nemo ambigit. לא תעזב נפשי לשאול: vbi vocabula sunt נפש quo anima significatur, & שאול quod solet verti per inferos. Et hoc quidem extra controuersiam.

VI. Verùm aliter atque aliter sumi pro variis locis Hebraicum נפש, ac proinde Græcum ψυχὴ, quod est pro eo, nemo ignorat, nisi qui sit eius linguę prorsus ἄγευστος. Significat animam extra controuersiam: sed & vitam, quæ est corpori ab anima, Geneseos decimo nono: *Salua animam tuam.* & alibi. Pręterea Animal, Geneseos primo: *Producat terra animam viuentem.* Et capite nono: Et aliàs sæpe. Item hominem, Geneseos decimo septimo: *Delebitur anima illa de populo suo.* Quadragesimo sexto: *Omnes animæ filiorum eius, & filiarum, triginta tres.* Et sæpe, in eodem capite. Atque adeò, ne multa colligam, Leuitici primo: *Homo qui obtulerit*, Latinè: cùm Hebraicè sit נפש, Græcè ψυχή: Quæ vertendi ratio non est seruata capite eiusdem libri quarto, *Anima quæ peccauerit.*

VII. Sed illa paulò alieniora à re nostra. Itaque tandem dico, vsurpari pro mortuo, siue corpore animantis, à quo vita recesserit, id est, cadauere. Leuitici decimo nono: Ἐντομίδας ἐπὶ ψυχῇ οὐ ποιήσετε Latinè: *Et super mortuo non incidetis carnem vestram.* Quomodo Paraphrastes Chaldæus: *Lęsionem super mortuo non ponatis in carne vestra.* Et in eum locum Steuchus: *Anima & pro toto homine, & pro defuncto accipitur.* Rursus, Leuitici vigesimo primo לנפש, *In animam non contaminabit se in populis suis.* Vetus interpres Latinè: *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium suorum:* Chaldæus, *super mortuo nullus contaminet se in populo suo.* Scibere, inquit Fagius, *tangendo cadauer Israelita*, Nam & Abben Ezra ad illud לנפש, annotat הוא המת, *id est, mortuum.* Vnde apparet eodẽ capite illud; *& super animas mortuas non ingredietur*, intelligendũ, de cadauere. Similiter Numerorum quinto, cùm mandatur eiici omnis immundus לנפש, *Super anima*, quod Arias in Idiotismis interpretabatur *Pollutum cadauere.* Et vndecimo: *Cùm fuerit immundus super anima.* Nec aliter Aggæi secundo, טמא־נפש, *Immundus anima*, siue in anima. Quid plura? Arias Montanus in Idiotismis Hebræis: *Non relinques animam meam in sepulchro, id est, corpus meum:* Sicut paulò pòst: *ferrum ingressum est animam eius.* Psalmo centesimo quinto: *Corpus eius vinctum est catenis.*

VIII. Bellarminus respondet: Primò multum inter נפש & ψυχὴν interesse. Illã enim generalissimam esse vocem; quæ significet sine vllo tropo tam animã, quàm animal: imò etiã corpus. Atque adeò ei frequenter addi epitheton Viuentis: quo innuitur eo vocabulo significari aliquid indifferens ad viuum & non viuum. Hanc verò Græcam, vt & animam Latinis, non posse sine tropo accipi pro toto animali. Secundò, cùm נפש, opponatur carni, tum non posse sumi pro carne, vt Leuitici decimo septimo, *Anima carnis in sanguine est.* Hîc verò opponi animam carni, cùm dicitur: *Neque anima relicta est in inferno, neque caro vidit corruptionem.*

IX. At ego, differentiam istam concedo; si proprius vsus τῆς ψυχῆς consideretur. Sed iubeo Bellarminum obseruare, Septuaginta Interpretes, ab hoc vsu discessisse: & semper נפש reddidisse per ψυχήν: vt in iis locis, quos iamiam enumerauimus: imò etiam Latinum interpretem non rarò. Atque adeò iis ipsis locis, quos Bellarminus citat, vt probet significari corpus. Nam, Numerorũ vigesimo tertio, Ἀποθάνοι ἡ ψυχή μου ἐν ψυχαῖς δικαίων: *Moriatur anima mea morte iustorum.* Et trigesimo primo: καὶ ψυχαὶ ἀνθρώπων ἀπὸ τῶν γυναικῶν αἳ οὐκ ἔγνωσαν κοίτην ἄρσενος, πᾶσαι ψυχαὶ δύο καὶ τριάκοντα χιλιάδες; *Anima hominum sexus feminei, quæ non cognouerant viros, triginta duo millia.* Certè, hîc & mori, & habere sexum, τὴν ψυχὴν animam audimus, æquè, ac נפש. Ergo, tam latè patent in his versionibus voces Græca & Latina, quàm Hebræa. Ac proinde confectum est negotium: & potuit suo iure Beza vel vertere, vel exponere τὴν ψυχὴν, corpus. Nam, quod de oppositione carnis dicitur, falsum est. Tum, quia caro non nominatur, sed τὸν ὅσιον, *Sanctum*: quo significatur tota persona, vt etiam per vocabulum carnis, quo postea Petrus vtitur. Tum, quia non est oppositio contrariorum, sed potiùs geminatio, vt in secundo membro idem inculcetur quod in primo, sed variis vocabulis, vt disertè notat Kimkhi. Quod idioma frequentissimum est, in Psalmis maximè: Vt in hoc ipso: *Funes ceciderunt mihi in iucundis: etiam hæreditas speciosa super me.* Et proximè sequenti: *Intende clamori meo, ausculta orationem meam: à facie tua iudicium meum egrediatur: oculi tui videant æquitates.*

X. Genebrardus scripsit indoctè, accipi animam pro corpore, siue cadauere. Et iis locis vult animam, vel σωματοψυχήν, sumi pro homine mortuo: vel νεκροψυχὴν, pro hominis mortui funere: *Vt ob animam ne contaminetur Sacerdos*, sit, ob hominis mortui funus, & exequias, in quibus pro anima eius parentatur: vt eo, & similibus locis, Anima non simpliciter significet mortuum, sed animam mortui, pro qua ista peragebantur.

XI. Quæ quidem ei viro excidisse, qui suo quasi iure Hebræam linguam profiteretur, mirum videri possit: nisi multis aliis experimentis compertum esset solitum, non tam quod sciret, quàm quid vellet omnibus persuadere, etiam cum propriæ conscientiæ dispendio, scriptum relinquere. Porrò eius auctoritati oppono, primò Bellarminum, & Papistam, & Iesuitam, & Cardinalem: is enim paulo

antè confessus est, vocabulum Hebraicum latissimè patere, & complecti tum animam, tum animal, tum corpus. Oppono deinde Rabbinorum auctoritatem. Abben Ezra in decimum nonum Leuitici ומ״ת לנפש הגוף הסור לנפש, *& vocabulum* לנפש *est corpus mortuum*. Et similiter in vigesimum primum לנפש היא הנפש: *In anima, hoc est, mortuo*. Kimchi in radice: וכנה המת בנפש כי סבת המיתה נפש בהפרד הנפש מן הגוף. *Vocatur mortuum nomine* נפש: *quia causa interitus eius est, cùm separatur anima à corpore*. Scilicet solus Genebrardus penetrauit adyta sacri templi.

XIII. Nam quod de parentationibus pro anima subiunxit, non est nauci. Vnde enim habet? Aut quomodo doceat Israeliticum populum huic superstitioni aliquid detulisse? Atque adeò vide audaciam. *Ob animam ne contaminetur Sacerdos*: Ille interpretatur, ob hominis mortui funus, & exequias. Nō potuit ineptiùs. Numerorum decimo nono. *Qui tetigerit mortuum omnis animæ hominis, immundus erit diebus septem.* Vetus interpres reddidit, *Qui tetigerit cadauer hominis*. Ergo immunditiæs illa originem habebat ex contactu corporis mortui, siue cadaueris: non ex pompa, aut parentatione. Et quidem etiam extra funus: nam in vniuersum sic pronunciatur. Atque adeò non de hominis tantùm cadauere sic cauebatur: sed etiam de variorum animalium brutorum, vt videre est Leuitici vndecimo: quibus credo non parentabatur. Itaque טמא נפש, vt loquitur Abdias, siue טמא לנפש, vt Numerorum quinto, nihil est aliud, quàm, *Immundus qui tetigerit mortuum siue cadauer hominis*.

XIV. Iam de inferis quid statuendum? magnis animis aduersarij Bellarminus שאול, & ᾅδην negat esse sepulchrum. Stapletonus in tota Scriptura vocem hanc pro sepulchro nusquam sumi.

XV. Ast ego de vocabulo Hebræo prouoco ad Hebræos. Certè autor concordantiarum Hebraicarum, cùm de שאול agit מה שפירושו קבר *Cuius interpretatio* inquit, *Sepulchrum*. Et in hoc ordine recenset hunc ipsum locum Psalmi decimi sexti. Kimchi in radicibus, post vnum & alterum recitatum, ענינם הקבר, *Sensus eorum sepulchrum*. Salomo Iarchi in Geneseos trigesimū septimū כפשוטו לשון קבר *Iuxta proprietatem eius significatio est sepulchrum*.

XVI. Consentiunt Papistæ. Pagninus non dubitauit reddere sepulchrum, Infernus, Gehenna. Et Psalmo octogesimo octauo, illud, *Vita mea inferno appropinquauit*. maluit reddere, *Vita mea ad sepulchrum peruenit*. Et sanè, cùm statim sequatur, *Reputatus sum cum descendentibus* בור *in foueam*. Ad eandem sententiam inculcandam Vet. interpres *Lacum* dixit; Arias Mōtanus *Cisternam*. Pagninus iterum *Sepulchrū*. Et rursus: *Inter mortuos liber, sicut vulnerati, iacentes in sepulchro*. Quæ verba satis indicant per שאול & בור Prophetam nihil aliud intellexisse, quàm קבר *Sepulchrum*.

XVII. Iansenius in decimū quintū Prouerbiorum. *Dictio Hebraica propriè significat sepulchrum*. Arias de Arcano sermone, capite vicesimo primo, hac voce dixit appellari, *quicquid terra superficie inferiùs iacet*. Et pōst: *omnem statū hominis de hac vita excedentis tam secundùm corpus, quàm secundùm animam. Corpori, inquit, ea terræ pars assignatur quæ illustrata à sole superficiei proxima est, obscurata tamen ipsa & lucis vsu priuata: cuiusmodi sunt sepulchra foueæ, cisternæ, spelunca, specus, lacus, & petrarum cauitates. & cætera, quibus cadauera vel sepeliuntur, vel reconduntur: Denique, vbi vel detrita, vel corrupta assumuntur: namque his etiam nominibus appellari sepulchrum, hinc enim generi omnis commune nomen inferni est.*

XVIII. Steuchus in Geneseos trigesimum octauum שאולה, *ad inferos, aut fossam, aut sepulchrum. Ne quid prauum hoc loco suspicemur: quòd Iacob, vir Deo amicissimus, dicat se descensurum ad inferos: de qua re nos passim in hoc opere loquemur. Hebraicè itaque, vbicunque Hieronymus, ac Septuaginta, infernum interpretati sunt, est Scheol, hoc est, fossa siue sepulchrum.* Et post pauca: *Non propriè inferos significat Scheol.* Imò Lyranus, *In Hebræo habetur ad fossam, id est, sepulchrum.* Emanuel Sa in Hoseæ 13. *Vel infernus pro morte accipitur, cum præsertim vox Hebræa etiam sepulchrum significet, sepulchrūmque pro morte accipiatur.* Idem in Indice phraseō Sacræ Scripturæ, notat, *Infers, seu infernus, pro sepulchro vel morte*, & enumerat vna serie sex & viginti locos. Denique Andradius defensionis Tridentinæ secundo, de hoc ipso Actorum loco agens, quem habemus præ manibus; *Nullum erit inter Latina Græcáque exemplaria dissidium, si animaduertamus infernum hoc loco pro morte atque sepulchro, Hebræorum dicendi more, vsurpari.*

XIX. Satin' habeo testium contra Bellarminum & Stapletonum? ex iis constat: primò, haud rarò שאול, esse sepulchrum. Secundò, propriè esse sepulchrum. Tertiò, proferri vlteriùs ad mortem: quod olim Chrysostomo notatum homilia in Parasceue, apud Gretserum tomo secundo, de Cruce: πρὸ μὲν γὰρ τῆς παρουσίας Χριστοῦ ὁ θάνατος θάνατος ἐκαλεῖτο. *Nam ante Christi aduentum, mors nomen mortis habebat*: ὁ δὲ θάνατος οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ ᾅδης ἐκαλεῖτο· καὶ ἄκουε τοῦ Δαβὶδ λέγοντος, Πλὴν ὁ Θεὸς λυτρώσεται τὴν ψυχήν μου ἐκ χειρὸς ᾅδου, ὅταν λαμβάνῃ με. καὶ ὁ Ἰακὼβ, κατάξετε τὸ γῆράς μου μετὰ λύπης εἰς ᾅδου. *Neque solùm mors, sed & infernus vocabatur. Audi Dauidem dicentem, Veruntamen Deus eripiet animam meam de manu inferni, quando acceperit me. Et Iacobus, Deducetis senectutem meam cum mœrore ad infernum.* Quartò, ad statum animæ post mortem. Et audent negare vnquam sumi pro sepulchro? Inanis confidentia! Quintò, denique, in hoc ipso loco non esse absurdum sumi pro sepulchro.

XX. Misereret me Bellarmini contrà disputantis, si falleretur ignorantiâ. Sed ille profectò malitiosè potiùs pertinax est, asserens eam vocem ordinariè accipi pro loco animarum subterraneo, & rarò vel nunquam pro sepulchro. In quo quid potest esse momenti, post tot testes? Sed examinemus tamen argumenta. Vnum est, à locis Scripturæ. Secundum, ab interpretibus. Tertium, à Rabbinis. Ex quibus duo prima nego quicquam necessarium inferre: In tertio dico meram esse imposturam dignam Iesuita.

XXI. E Scripturâ primus locus est Geneseos trigesimo septimo, vbi Iacob Patriarcha se descensurum dicit ad filium suum ad infernum. De quo iam audiuimus quid censeant Iarchi, Steuchus, Lyranus; quibus Pagninum addere licet. Nam quod argutatur Iacobum dixisse se iturum ad filium, quē putabat deuoratum à feris; ac proinde caruisse sepulchro, puerile est Sophisma compositionis. Nō enim sensus est, Iacobum iturum ad sepulchrum, vbi esset filius, sed se iturum ad sepulchrum, ac sic etiam ad filium. Quod vtrumque, quis nescit facile esse? nisi fortè cùm Geneseos decimo quinto, dictum est Abrahamo: *Tu ibis ad Patres tuos in pace, sepultus in senectute bona*; intelligimus promissum illi, vt in eodem tumulo cum Patribus suis conderetur.

Et cum

Et cum Iudicum secundo audimus, *Omnisque illa congregatio congregata est ad Patres suos*: necessariò credimus omnes illius temporis, aut seculi, nullo excepto, ad eosdem limbos esse profectos, nullos autem ad locum damnatorum. Imò abiisset ad filium non sepultum, Iacob sepultus: quia vterque fuisset inter mortuos. Itaque Arias Montanus, libro de Arcano sermone, non aliter intelligit.

XXII. Alter locus Numerorum decimo sexto. *Descenderunt viuentes in infernum operti humo*. Imò, inquam, auctor Concordantiarum hunc citat exponendum per קבר *Sepulchrum*. Et sanè facilis sensus est; viuentes fuisse sepultos; quod circunstantiæ indicant, *tum aperuit terra os suum: tum operuit eos terra*. Nec Arias Montanus aliter censet, libro de Arcano sermone. *Dathan atque Abiron viui in infernum descendisse, hoc est, antè sepulti quàm mortui fuisse dicuntur*. Atqui (inquit) Epiphanius & Hieronymus intellexerût locum damnatorum. Fateor, inquam. At quid tum? Non enim dicunt esse eam propriam vocabuli significationem: nec negât, inquam, accipi pro sepulchro: quæ nostra nunc quæstio est. Nos verò non dicimus nunquam significare locum, aut certè statum animarum post mortem.

XXIII. Tertius locus Psalmo centesimo trigesimo nono. *Si ascendero in cælum, tu illic es, & si descendero in infernum, ades*. Vbi opponuntur terræ superficies, in qua tunc erat Dauid, duo loca distantissima, altissimum cœlum, & profũdissimus infernus. Sepulchrum autem nõ abest à superficie terræ duobus palmis. Imò nulla est consequentia. Primò, quia non sequitur, שאול propriè significat ᾅδην, ergo nũquam sepulchrum. Deinde, quia etiamsi sit profundissimus locus in terra, tamen non est locus animarum. Tertiò, quia nequidem necesse est intelligi locum profundissimum in terra, sed tantùm generaliter omnia loca subterranea. Imò Abben Ezra exponit קבר sepulchrum: Et Kimchi vt exponat vocem אציעה quam Latinus vertit *descendam*, scripsit לפי שהשאול מצע הארם כמותו: *Propterea quòd* שאול, *est stratum siue lectus hominis post eius mortem*. Et ante: שאול הוא עמקי הארץ: *hoc est*, שאול, *id est profunda terra*.

XXIV. Quartus locus Isaiæ decimo quarto: *Dixisti, in cælum ascendam, verumtamen vsque ad infernum detraheris in profundum laci*. Vbi, quatenus agitur de Diabolo, non potest infernus significare sepulchrum: quia Diabolus non est in sepulchro: quatenus autem de rege Babylonis, non potest etiam significare sepulchrum: tum quia periret antithesis cœli & inferni; tum, quia ibidem dicitur Rex ille cariturus sepulchro.

XXV. Sed de Diabolo, nihil hoc quidem loco: qui primi id somniarunt, allegoriis nimis quàm curiose indulserunt. Itaque, hoc nihil ad rem. Deinde, consequentia similis est præcedentibus; hoc est, inepta: vt si hic significetur locus animarum, propterea ea sit propria notio, vt nunquam sit intelligendum sepulchrum. Tertiò, ne hic quidem quicquam est, quo excludatur sensus eius vocis, quem nos genuinum dicimus. Non enim perit antithesis vt in loco præcedente. Nec obstat quòd cariturus dicitur Rex sepulchro: Siue dicamus, cum Iunio, non absolutè priuandum sepulchro, sed suo, id est, Regio, ac proinde pompa: siue etiam absolutè. Tum enim erit prouerbialis sermo, vt quomodo per ascensum in cœlum significatur magnificentia extraordinaria; sic per descensum ad sepulchrũ ei magnificentiæ aliquid penitus contrarium. Porrò fauet nobis circunstantia contextus. Nam illud profundum laci, Hebraicè est ירכתי בור *Latera fossæ*, siue, vt vertit Pagninus, *sepulchri*: quomodo solent Hebræi idem inculcare variis verbis: Et Vatablus annotabat: *Ad infernum detraheris: futurum Hebraicè pro præterito: in sepulchrum detractus es vel deiectus*. Et statim lacum interpretatur, *foueam sepulchralem*.

XXVI. Atque hæc de locis Scripturæ. Nunc de interpretibus. Septuaginta verterunt ᾅδην, non autem τάφον: Hieronymus *infernum*, nusquam sepulchrum. Chaldæus גיהנם *Gehennam*. Facile negotium. Nam Septuaginta, & Latinus ille vetus interpres, quisquis est, non rarò Græca & Latina vocabula, detorserunt ad sensum Hebraicum, neglecta linguæ suæ proprietate. Nam illud עשה cum sacrificiis accommodatur, illi verterunt ποιεῖν, quod alius autor prorsus nullus. Et iste בור *Lacum*, etiam cùm pro sepulchro sumitur, vt Psalmo vigesimo octauo, & aliàs. Itaque, nihil hinc potast Bellarminus conficere: aut ex eorum auctoritate immutare propriam Hebraicæ vocis significationem. Atque adeò Psalmo trigesimo: *Eduxisti ab inferno animam meam*, Sa, *id est, Sepulchro*. Quod attinet ad Paraphrastem Chaldæum, is vt plurimum retinet vocem שאול vel שיול. Aliquando, & rarò admodum, vertit גיהנם quam ob causam vapulat Abben-Ezra, referente Steucho in eum locum. Sed & Iunius obseruat Vallem Hinnon fuisse commune Hierosolymitanorum sepulchrum: quanquam Elias Leuita aliter in Tisbi sentire videtur.

XXVII. Iam de Rabbinis. Rabbi Dauid (inquit) in Psalmum nonum: & idem rursus, atque Abben-Ezra, in Psalmum centesimum trigesimum: & Rabbi Leui in Prouerbiorum decimum quintum, & Iobi vigesimum sextum, exponunt locum animarum subterraneum. Puta puta mendacia. Kimchi in Psalmum nonum, *conuertentur in infernum*, exponit *in sepulchrum*. Tantùm addit in Dras exponi per Gehennam. Est autem Dras, inquit Elias in Tisbi, expositio, quæ non est iuxta simplicitatem: siue, vt vulgò loquimur, iuxta sensum literalem. In Psalmo centesimo trigesimo octauo, iam dixi eundem exponere, per *profunda terræ*: animarum nulla mentione. Abben Ezra in eundem psalmum שאול interpretatur תחתיות הארץ הפך השמים inferiora terræ opposita cœlo. De animabus metũ silentium. Lem Ben Gerson in Prouerbiis dicit esse המרכז centrum, circa quod est cœlum. Centrum autem esse locum depressum absolutè. In Iobo similiter, esse locum inferiorem absolutè: id est, centrum terræ. Animas verò apud eum tam inuenias, quàm in syluis delphinem.

XXVIII. Itaque Bellarminus frustra fuit audax. Et tamen concedimus posse hac voce significari secundariò statum animæ post mortem. Non tamen simpliciter: sed eum statum, qui sit seiunctus à fœlicitate, non optabilem, calamitosum, atque adeò imprecationibus aptum. Arias libri de Arcano sermone capite vigesimo primo. *Quicquid terræ superficie inferiùs iacet, Infernus dicitur. vnà tamen cum connotatione absumendi & excipiendi omnia, quæ viua antea fuerint: atque ita mortuum infernus spectat, quantum ex illius natura est*. Itaque nullus locus est in Scriptura, vbi sumatur in bonam partem. Quod illos opor-

tuetat obseruare, qui inde Limbos, quos vocant, Patrum fabricarunt.

XXIX. Quod ad Græcam vocem attinet: idem passam dicimus cum præcedenti ψυχῆς. Nimirum, vt eam Septuaginta, siue præpostera affectatione, siue aliam ob caussam, abduxerunt à natiuo germanoque vsu, ad alienum & barbarum. Itaque Steuchus dicebat, Vbicunque Hieronymus, & Septuaginta, infernum sunt interpretati, ibi Hebraicè esse Scheol, id est, *fossam siue sepulchrum*. Et sanè ita est. Nam Psalmo octogesimo octauo, vbi Hebraicè est: *Quis homo viuet & non videbit mortem? quis eripiet animam suam de manu* שאול? Græcè est, τίς ἐστιν ἄνθρωπος ὃς ζήσεται, καὶ οὐκ ὄψεται θάνατον; ῥύσεται τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐκ χειρὸς ᾅδου. Et Latinè: *Quis est homo, qui viuet & non videbit mortem; eruet animam suã de manu inferi?* Vbi quis non videt geminari eandẽ sententiam in priori & posteriori membro? Quod obseruauit Vatablus: Vnde Pagninus vertit *sepulchrum*. Et Chaldæus Paraphrastes בית קבורתא *Domum sepulchri*.

XXX. Psalmo centesimo quadragesimo primo נפזרו עצמנו לפי שאול: *dispersa sunt ossa nostra ad os Scheol*: vt veriãt se Sophistæ in omnes facies, non efficient tamen ossa mortuorum in inferno esse, hoc est, in loco animarum. Itaque Pagninus vertit, *in ore sepulchri*. Et tamen Græcè, παρὰ τὸν ᾅδην. Latinè: *secus infernũ*. Sa, *id est, sepulchrũ*. Ionæ secũdo: מבטן שאול שועתי Græcè: ἐκ κοιλίας ᾅδου κραυγῆς μου ἤκουσας φωνῆς μου. Latinè: *de ventre inferi clamaui*: scilicet Ionam isti contendent non fuisse in loco animarum post mortem. Meliùs Vatablus: *Seipsum sequenti versu declarat: id est, de vasto barathro: hoc est, de ventre illius ceti immanis qui similis erat barathro*. Et Abben Ezra exponit מקום עמוק הפך שמים שהוא מרום Locus depressus, oppositus cœlo, quod est altum. Denique, ne plura colligam, ea ipsa exempla, quæ Arias Montanus colligit, vt doceat per infernum significari sepulchra corporum, distincta ab inferis animarum, non tantùm Latinè reddita sunt per inferni vel inferorum vocem, sed etiam Græcè per ᾅδου. Vt etiam Prouerbiorum trigesimo: quo loco sepulchrum interpretatur Dauid de Pomis Iudæus, in Dictionario dicato Sixto quinto Papæ.

XXXI. Caluinus igitur & Beza, cùm haberent præ manibus voces πολυσήμους, quid peccarunt, si sensum delegerunt commodissimum? nisi fortè non commodissimum. Quod si Papistæ euincant, aut si illi non contra, nihil est quod deprecemur. Certè Petrum constat loqui de resurrectione Christi. *Quem Deus excitauit*, inquit, *solutis doloribus mortis: eò quòd impossibile erat ipsum ab ea retineri. Dauid enim dicit de eo*. Quid est autem illud quod resurgit? non certè anima quæ non cadit: sed corpus, quod inde πτῶμα, *cadauer* solet appellari. Præterea, si de anima & limbis intelligat, nihilomagis de Christo erit, quàm de Dauide. Nam neque Dauidis anima erat, ex sententia Papistarum, relinquenda in Limbo. Tertiò, vt probet Petrus hunc locum non pertinere ad Dauidem. *Viri fratres*, inquit *licet dicere apud vos de Patriarcha Dauid, eum & obiisse & sepultum esse, & monumentum eius esse apud nos ad hunc vsque diem*. Quorsum hæc, nisi vt doceret infernum sumi pro sepulchro.

XXXII. Et tamen Stapletonus disputat hanc impudentẽ esse, affectatámq; corruptionem: homo valdè scilicet modestus, & religiosus: duplici argumento. Primo, quia, cùm anima sit immortalis, nec morti subiecta, nec sepulchro conclusa, absurdissimus sensus sit, animam à morte liberare, vel è sepulchro eruere. Secundo, quia de liberatione è sepulchro in altero membro distinctè agitur. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*.

XXXIII. Respondeo ad prius: primò, si ψυχὴν, id est, נפש, sumas pro corpore, nihil est absurdi. Nam corpus, quod detinetur in sepulchro, inde liberari, facili sensu dicitur. Deinde, Bezam absurditatem sustulisse, cùm dixit, *Vitam videri quodammodo obrui sepulchro, quamdiu corpus illic mortuum iacet*. Nam, quod inde tanquam absurdum elicit, ergo nullum iam sanctorũ viuere; mera cæcitas est, non distinguens inter animam & vitam; neque inter obrui, & videri obrui. Enimuerò, etiamsi vita obruatur, non sequitur tamen animam obrui: nec, quicquid videtur obrui, re vera obruitur. Ad secundum, negatur ea distinctio: neque enim alia sententia est secundi membri, & prioris, vt antea diximus. Et quamuis esset distinctio, tamen Beza ψυχὴν sumit pro vita: non pro ipsa anima: sed præ ira non aduertit Stapletonus, aut quid diceret, aut contra quem.

XXXIV. Salmero pugnat etiam ex iisdem capitis verbis: *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*. Qui sermo re ipsa ponit animam Christi in inferno fuisse, à quo teneri minimè potuit. Et quia Græcè leguntur, *Dolores mortis*, pro *doloribus inferni*, disputat Latinam editionem Græca esse meliorem.

XXXV. At nos, hoc quidem loco, de editione non contendimus: etsi enim videtur potiùs sequendus consensus codicum Græcorum, in quibus vnum tantùm potuit notare Robertus Stephanus, in quo ᾅδου legatur: & videatur Petrus suis verbis vtens, loquutus potiùs simpliciter, vt caperetur ab auditoribus. Tamen, cùm & Syrus Interpres legerit שיול: & Græci nonnulli, ᾅδου: & Latini omnes *Inferni*, résque eodem redeat; non putamus in solis syllabis tantum momenti, vt de iis seuerius contendendum sit.

XXXVI. Ad rem ipsam igitur, siue dolores mortis, siue dolores inferni, quicquam habere cum Limbo commune, negamus: atque eò magis, quòd à nemine videmus probatum: imò, ne leuissimo quidem iudicio confirmatum. Nos contra: Dolores illos non posse intelligi, nisi vel Christi, vel aliorum. At non aliorum: quia Petrus statim addit vno contextu: *Iuxta quod impossibile erat teneri illum ab illo*: vt rationem reddat, quare solutus dixerit dolores inferni. Vnde necesse est, infernum intelligere, in quo ipse Christus fuerit; teneri tamen non potuerit. Quòd si dolores intelligendi, ipsius Christi: Ergo, non in Limbo; in quo nulli dolores: tum autem fatentur Papistæ non descendisse in Limbum, vt aliquid pateretur. Restat ergo, vt dolores intelligamus, quos Christus passus in morte: quæ significatur per infernum; quia mortis quasi triumphus, est sepulchrum, quod per infernum significatur.

CAPVT

Cap. VI.

De descensu in abyssum, & inferiores partes terræ.

I. QVintum locum citat Bellarminus ex decimo ad Romanos: *Ne dicas in corde tuo, quis descendet in abyssum, id est Christum à mortuis reuocare.* Ergo, Christus post mortem fuit in abysso. At hoc nomine non potest intelligi status damnatorum, in quo, secundùm Caluinum, ille fuit viuens; cùm hic agatur de loco, vbi erat solùm cùm esset mortuus. Neque potest intelligi sepulchrum: nam abyssos profundissimam voraginem significat, quale non est sepulchrum. Præterea, facilè est in sepulchrum descendere: at hic ponitur tanquam res homini viuenti impossibilis. Denique opponitur abyssus cœlo; tanquam terræ superficies sit media inter abyssum & cœlos. Itaque fuit Christus post mortem & ante resurrectionem in abysso, quæ longissimè abest à cœlo, id est, in profundissimis terræ partibus.

II. Negatur consequentia: est enim error παρὰ τὸ χοινὰ τῶν λέξεων. Inconsequentiam Lyranus agnouit: qui cùm primo loco istam Limborum fabulam attigisset, *Expositio ista* (inquit) *non videtur concordare in aliquo cum sententia Deuteronomij trigesimo, vnde accipitur hæc Scriptura: nec etiam cum litera sequenti, vt patet intuenti.* Rectè: Nam Moses, à quo sumitur locus, mare nominat, non abyssum. Itaque in Paulo oportet substitutam esse abyssum pro mari: quo sensu Septuaginta interpretes pro תהום semper ἄβυσσον dixerunt; etiam cùm de aquis agitur: quæ propria est vocabuli significatio: vt docet Kimchi in radicibus esse locum multarum aquarum: nec dissentit Dauid de Pomis. In aquis autem nihil est quod ad Limbos pertineat. Deinde Paulus non solùm hîc de mortuis tantùm loquitur, sed etiam in sequentibus, de resurrectione. At vtrumque saluum est, etiamsi de Limbo nihil cogitemus. Nam Christum fuisse in sepulchro, id est, sepultum, articulus est fidei, additus ad testificandam mortis veritatem: & nos, qui limbos illos negamus, tamen certò credimus Christum resurrexisse. Itaque illud, Christum à mortuis reuocare, est negare Christum esse mortuum & suscitatum: vt interpretantur, non solùm Lyranus; sed etiam Dominicus Soto, & Ioannes Gagnæus, & Aquinas, & Stapletonus in Antidotis.

III. Quæ subiungit Bellarminus, poenlia sunt nugamenta. Non potest, inquit, intelligi status damnatorum: quo nomine significantur pœnæ peccatis debitæ, quas pro nobis Christus est passus. Imò potest, inquam: nam, per synecdochen, mors Christi significat quæcunque in morte passus est, id est, dum perageretur eius mortis mysterium, vt & per crucem. Potest etiam intelligi sepulchrum: etsi abyssus locum profundissimum significet: quia non proprio significatu vsurpatur à Paulo. Nec assumitur, tanquam impossibile sit homini eò descendere: aliàs ne Limbum quidem Papisticum significabit; quò volunt Patres descendisse. Sed significat Paulus, ascensum inde: quare postea resurrectionem nominauit. Nemo autem hominum ad sepulchrum descendit, indéque rediit, vt homines doceret. Denique illud, de terræ superficie intermedia, frigidum est. Abyssus enim, vt dixi, non significat locum, sed statum mortis. Itaque frustra γεωμετρεῖ. Constat sensus Pauli, Christum descendisse è cœlis; sed & mortuum esse: eóque argui facilitatem Iustitiæ, quæ est ex fide; præ iustitia, quæ est ex lege. Limbi, mera somnia.

IV. Sextus locus ad Ephesios quarto: *Qui ascendit, ipse est qui descendit in inferiores partes terræ*: hoc est, ad subterraneum receptaculum animarum. Non enim sepulchrum, vt Bezæ: non hanc terram, vt Marlorato placuit. Primò, quia ea est verborum proprietas. Nam inferior pars terræ, significat vnam partem, eamque aliis inferiorem: non superficiem, quæ est pars superior: neque sepulchrum, quod supra terram fuit. Secundò, quia sequitur, *vt adimpleret omnia.* Voluit enim Christus descendere vsque ad verum infernum, sicut descenderat in terram, vt præsens visitaret omnes partes regni sui, quod tripartitum est, iuxta illud ad Philippenses secundo: *vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Tertiò, hunc locum sunt interpretati Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, de inferno, infra quem nihil est.

V. Respondeo, iniuriam fieri Bezæ. Is enim de sepulchro hunc locum nunquam est interpretatus. Imò, Caluini, Bezæ, Marlorati, vna eademque est sententia: Videlicet Christum descendisse è cœlis in terram, id est, in hanc vitæ conditionem nostram: atque adeò inferiores, siue, vt vertit Beza, infimas partes terræ, significare infimas partes mundi, id est, terram: vt non terræ partes quædam, aliis quibusdam eiusdem partibus terræ opponantur; sed tota terra cœlis; quibus illam esse inferiorem nemo nescit: vt eadem sit sententia, cum iis verbis quæ habentur Ioannis decimo sexto, *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Thomas de Vio: *Quòd autem dicit, in inferiores partes terræ, quamuis possit intelligi de partibus ipsius terræ, distinguendo in ipsa partes superiores, & partes inferiores (appellando partes inferni, inferiores partes, ad quas Christus descendit secundùm animam) planius tamen intelligitur appositum, terræ, ad determinandum inferiores partes: infima enim pars mundi est terra, ad differentiam inferiorum partium cœli quæ sunt in aere. Ac si apertiùs dixisset, quia descendit primùm ad inferiorem partem mundi, terram.*

VI. Ad primam rationem, respondeo, eam non esse vocabulorum proprietatem; vt tantùm comparentur in terra partes partibus: sed etiam vt ipsa terra comparetur, tanquam pars mundi, partibus eiusdem mundi superioribus. Nam Psalmo centesimo trigesimo nono, quod Latinè est, *Substantia mea in inferioribus terræ*: Hebraicè legimus רקמתי בתחתיות ארץ, *formatus sum in inferioribus terræ*: quod nemo vnquam sanus sumpsit pro inferno. Lyranus. *Substantia corporis mei non latebat te, cum adhuc esset in materia vnde facta est, quæ quidem materia, pro maiori parte, est terra, quæ est inferius elementum.* Imò Euthymius intelligit etiam sepulchrum: *Manifesta* (inquit) *tibi est corporis mei substantia, quæ post mortem meam in terræ profunditate absconditur, atque dissoluitur; hoc est, & compactũ me vidisti in vtero matris meæ, & dissolutum rursus videbis in vtero terræ*: ipso adeò Bellarmino non improbante. Sed & Iansenius reddidit,

Tota mea substantia, quam habui in vtero matris, loco magis abdito, quam est vllum antrum terræ, non fuit occultata à conspectu tuo. Addo à nonnullis hæc ipsa Psalmi inferiora terræ exponi pro vtero matris, vbi se dicat formatum Propheta. Sic Chaldæus Paraphrastes. Theodoretus: *Tu adhuc me, in materna aluo absconditum effinxisti, perinde ac si fuissem in quadam nouissima parte terræ*: à quo ne Bellarminus quidem est alienus. Vt rursus illud suum, de sepulchro, quod supra terram fuit, non tantùm esse falsum, vt antea diximus, sciat Bellarminus; sed etiam, vt concederetur, non tamen concludere. Nam certè vterus matris est supra terram: & tamen per inferiora terræ commodè intelligi potest. Atque hanc significationem, quid obstet quominus in hunc Pauli locum agnoscamus? vt dixerit Christum descendisse ad κατώτερα μέρη τῆς γῆς, id est, è cœlis, in vterum Mariæ, vt incarnaretur, & sumeret formam serui.

VIII. Ad secundam rationem. Peruertit etiam Bellarminus sequentia: ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα; *vt impleret omnia.* Primò enim, quo iure τὰ πάντα, *omnia*, reducit ad tres tantùm partes omnium? Aut, quomodo tantùm ad regnum Christi? Secundò, illud πληροῦν, quo exemplu audet interpretari; *visitare omnia*? Certè, vt nihil aliud, saltem hæc summa est insolentia, vocabulis, pro suo arbitrio, subinde nouas significationes imponere. Tertiò, cur ad ascensum refertur? Nam antea dixit, eum ipsum, qui ascendit, priùs descendisse. Ergo non erat opus in cœlum ascendere, vt omnia visitaret.

IX. Porrò, in duas abeunt sententias, tum veteres, tum recentiores, qui in hunc locum sunt commentati. Vel enim intelligunt Christum adimpleuisse omnia, quæ de eo erant scripta. Vt aliàs solent Euangelistæ dicere: *Vt impleatur Scriptura.* Thomas de Vio: *Vt adimpleret omnia quæ scripta sunt de eo: ad implendum siquidem promissa & Scripturas descendit & ascendit.* Lyranus: *Vt adimpleret quæ de eo per Prophetas erant scripta: qui non solùm prophetauerunt de eius incarnatione, morte, resurrectione, sed etiam de eius ascensione.* Aquinas: *Vt adimpleret omnia: id est, vt ad effectum perduceret omnia quæ de ipso erant scripta. Luca vltimo. Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me.* Anselmus: *Vt adimpleret omnia, quæ de eo fuerant prophetata: nondum enim de eo fuerant adimpleta, quando ille necdum iuxta humanitatem in dextera Paternæ gloriæ considebat regnans in æternum.* Et ante hos aliquot seculis Primasius: *Vt impleret omnia quæ scripta sunt.* Sedulius: *Vt non solùm Prophetas compleret, sed etiam has occultas dispensationes, quas neque scire possumus, quomodo & Angelis in inferno sanguis Christi profuerit.*

X. Alij sic explicant, vt sensus sit, Christum omnia, hoc est, suam Ecclesiam, implere donis Spiritus Sancti, quomodo erat pollicitus. Nam & Apostoli hoc est propositum, vt loquatur de donis Christi collatis in Ecclesiam. *Vnicuique nostrûm* (dixerat) *data est gratia pro mensura doni Christi*: qua occasione, illud è Psalmis recitat de Ascensu. Et rursus, statim post hæc verba, *vt impleret omnia*, subiicit, *Ipse igitur dedit alios quidem Apostolos; alios verò Prophetas; & reliqua.* Sic interpretantur, Glossa interlinearis, *Vt impleret omnia donis.* Thomas Aquinas: *Id est, omne genus hominum spiritualibus donis repleret.* Anselmus: *Omnia donis suis adimpleuit ascendens: vt etiam Angelica creatura, quæ ante erant impleta, adimplerentur, id est, promotionem quandam acciperent.*

XI. Vtrouis modo intelligas, nihil ad Limbos, aut subterraneos carceres: Et certè neuter, aut vocabulorum naturæ contradicit, aut à serie contextus discedit: aut denique quicquam infert absurdi. Cùm hæc Papistica expositio, & τὸ πληρῶσαι nouo inusitatóque sensu sumat, & Limbum, quasi de cœlo lapsum, imò verò fornito egestum inducat, qui neque à præcedentibus pendeat, neque cum consequentibus habeat quicquam commune. Et absurdissimo dogmate nititur, de Patribus, ante ea tempora, nondum beatis: quod suo loco disputandum erit. Iam verò, vt nihil aliud, certè hoc ad nos redit commodi, quòd locus ostenditur ambiguus: vnde nihil queat concludi aduersum Catholicos in gratiam Papistarum.

XII. Ad hæc, etiamsi Limbos, ac tertiam illam subterranei regni partem, concederemus; tamen non sequitur ad hanc tertiam partem localiter Christum descendisse. Quamobrem enim, quæso? Vt Patres liberaret, aiunt. Itane? Primùm mitto, quod alias disputaturi sumus Deo dante, Patres non fuisse liberandos. Deinde dico, etiam si id concederetur; tamen nullo fuisse descensu opus. Potuerat enim sola sua efficacia id ipsum præstare. Imò, ne nos quidem eius in hanc terram aduentus, quatenus consideratur in præsentia, siue animæ, siue corporis, redimit: sed præsentia spiritualis. Itaque venit in mundum, vt perageret, quæ desiderabantur, mysteria salutis hominum: sed fidenter dico, hac eius præsentia, quatenus præsentia fuit, neminem vnquam seruatum. Si igitur spiritualis Christi ἐπιδημία, nos à morte redimit, quid erat, quæso, maioris laboris, vt non posset vinctos illos (sic enim appellant cùm libet) è carcere liberare?

XIII. Supersunt Patres, de quibus, suo loco, pleniùs sumus acturi. Nemo verò miretur, nos ab eorum sententia aliquando & cum modestia discedere, sic cogente veritate. Cur non enim nobis idem liceat, quod Bellarmino, tum infinitis locis aliàs, tum nunc hoc ipso? Cùm enim τὸ πληρῶσαι exposuit de visitatione trium locorum, discessit sanè ab omnibus veteribus, quibus nunquam is sensus venit in mentem. Itaque condonemus hunc næuum iis, qui nescio quas subterraneas caueas animabus piis assignarunt, ex communi errore, non vllis Scripturæ argumentis.

XIV. Et tamen Chrysostomum immerito trahit in suas partes. Neque enim is quicquam, aut de animabus Patrum, aut de cæcis nescio quibus speluncis. Quid ergo? Primum, disertè ταῦτα ἀκούων, μὴ μετάβασιν νόμιζε, *Hæc audiens, ne existimes transitum.* Vult enim à Paulo, hîc itidem, vt ad Philippenses, agi, περὶ τῆς ταπεινοφροσύνης, Christi. Itaque localem motum negat; sine quo non consistunt Papistæ. Deinde τὰ δὲ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, τὸν θάνατόν φησιν ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων ὑπονοίας. *Vocat autem inferiores partes terræ, mortem, ex hominum opinione.*

Audi

ad mortem: Ea nostra sententia non Papistarum. A nihil ex hominum opinione: non ergo propriè & ad literam, sine, vt Bellarminus facit, Geometricè, vt suo ipso circino, spatia metiemur. Cùm igitur, *τὸ μέχρι* interpretatus, *ἀφ' ὃ ἐκ ἔτι ὄντες*, *Postquam non sunt* alia. Id verò non est difficile, nec sic accipiendum, vt præcedentia negligantur: significauit ergo, non posse statum aliquem abiectiorem obseruari, eo statu, in quem se Christus deiecit, factus obediens vsque ad mortem. Et habet Chrysostomus assentientes Theodoretum, ac Photium; verumque diserté infe- B riores partes exponentem, mortem; quia & Photius etiam *ᾅδην*, nominat eodem sensu.

Cap. VII.

De anima Christi prædicante mortuis, ex Petro.

I. SEptimum locum Bellarminus profert obscurissimum è tertio capite prioris Epistolæ Petri, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo: mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu: in quo his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit; qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe.* Et capite quarto, *Ideò & mortuis prædicatum est Euangelium, vt iudicentur quidem secundùm hominem in carne, viuant autem secundùm Deum in spiritu.* Hos locos semper obscurissimos fatetur esse habitos: itaque diligentiùs exequitur, & quidem, impugnato Augustino: quod obseruo, vt ne quis miretur nos aliquando à Veteribus modestè dissentire.

II. Porrò Papistæ, sic Petrum intelligi volunt, vt significet, Christi animam, post separationem à corpore, profectam ad locos subterraneos, Euangelium prædicasse animabus veterum illorum, qui tempore Noe, quandiu ædificabatur Arca, immorigeri E fuerunt: sed tamen sub horam mortis conuersi, detrusi sunt ad limbos, non verò in locum damnatorum: expectarunt, cum reliquis Patribus, aduentum Christi, ab eo inde liberandi, abducendique in cœlos. Sic enim contraximus Bellarmini sententiam, quam disertè, vnoque contextu non explicuit. Vide Caietanum & Guillaudum. Tamen Gagnæus non assentitur: negat enim se videre posse quomodo ex hoc loco colligatur hic descensus Christi fuisse fructuosus. Andradius etiam durius libro secun- F do defensionis Tridentinæ, hæc Petri loca ad descensum Christi ad inferos minimè pertinere, se demonstrasse confidit.

III. Sed hæc interpretatio facilè refutatur: & iã olim ab Augustino fuit grauissimè in suspicionem vocata epistola nonagesima nona. Sed & Beza annotationibus in hunc locum potentissimè confecit: quorum obiecta debuit Bellarminus plenè, solideque refutare, non verò magnam partem dissimulare, reliquam leuiter attingere. Primò, Petrus de anima Christi non loquitur, sed de spiritu, quo viuificatus est; cùm mortificatus esset carne. Ergo, non potest intelligi de vllo animæ descensu. At Bellarminus spiritum sumit pro anima: & profitetur se id ostendisse: vbi autem ostenderit, nihi nondum videre: hoc tantùm legi, *Spiritus, qui hic distinguitur contra carnem, non videtur posse significare aliud quam ani-* A *mam.* Quæ si Bellarmino demonstrationis vicem obtinent: næ seculum habemus fœcundissimum demonstrationum. Sed nobis contrà videtur. Cur non ex æquo? Atqui opponitur carni, inquit: ergo significat animam: negatur consequentia: & contrà, opponitur carni: ergo significat diuinam *ὑπόστασιν*. Sic enim solet in Scripturis. Prioris ad Timotheum tertio, *Conspicuum factum in carne: iustificatum spiritu.* Vbi Spiritum sanctum intelligunt, non tantùm Gagnæus & Caietanus, sed etiam Thomas, & Lyranus, & An- B selmus, & Iustinianus, sed & olim Theodoretus, & Primasius & Sedulius, & omnes. Quin & Paulus, primo ad Romanos, Christum docet declaratũ Filium Dei potenter, secundùm Spiritum sanctificationis. Itaque in hunc locum disertissima sunt Oecumenij verba, *θανατωθεὶς μὲν τῇ φύσει τῆς σαρκὸς, τοῦτ' ἔστι τῇ ἀνθρωπίνῃ, ἀναστὰς δὲ τῇ δυνάμει τῆς θεότητος, καὶ γὰρ πνεῦμά ἐστιν ὁ Θεός. Mortificatus quidem natura carnis, id est, humana, resurrexit autem virtute Deitatis: est enim Deus Spiritus.*

C IV. Secundò, Petrus loquitur de spiritibus *ἀπειθήσασι*, id est, rebellibus: quique bene monentibus non obtemperarunt, hoc est, infidelibus. At huiusmodi non possunt dici illi Patres, quos Papistæ in limbis vinctos detinent: aut quos Christum in cœlos deduxisse volunt: nisi fortè etiam infidelibus, post mortem velint salutem, noua quadam audacia, polliceri. Bellarminus dicit, eos spiritus fuisse quidem rebelles; sed ante mortem conuersos, pœnitentiam egisse: qui quoad corpus perierint, ta- D men quoad animam salui fuerint: vnde dixerit Hieronymus in quæstionibus Hebraicis in Genesin ad illud, *Non permanebit spiritus meus in homine*, Deum punisse multos eorum temporaliter aquis diluuij, ne deberet eos punire in gehenna in æternum.

V. Sed Bellarminus agit Iesuitico more, hoc est, audacter imponit. Diuinat enim pro arbitrio quæ nobis obuciat, quasi non liceat quicquam excipere. Primò, non habet è Scriptura. Nam, neque Petrus quicquam iudicat: nec Moses in historia diluuij notauit. Hieronymus autem, primò, solus ita sensit: deinde, præter mentem Scripturæ, etiam eius loci quem tractat, in quo est, *Non contendet*, siue *rixabitur*, non verò *permanebit*: neque *iudicabit*: est enim [illegible] ידון באדם. tertiò, de pœnitentia, ne γρῦ quidem: tantùm dici solere aliquando Deum punire in hac vita peccata, ne puniat post mortem. Ad hæc, si pœnitentiam egissent, quare à Petro vocati fuissent rebelles? Neque enim solet Spiritus Sanctus: alioquin etiam sanctissimos sic appellaret: quia vix quisquam est, qui non fuerit rebellis, ac proinde egerit pœnitentia.

VI. Tertiò, ij Spiritus dicũtur fuisse in carcere, *ἐν φυλακῇ*, quod vocabulum duplici tantùm notione vsurpatur. Vel, pro vigilia nocturna, vnde & quarta parte noctis, vt Lucæ secundo, & duodecimo: vel pro custodia & carcere, in quo detinentur sontes: vt Lucæ tertio. Atque hoc sensu nunquam, nisi in malam partem. Porrò, hoc loco non intelligitur vigilia: Ergo carcer: oportet igitur in malam partem sumi, pro loco quodam in quo detineantur qui obnoxij sunt iustitiæ diuinæ. Ideoque Glossa interlinearis, *carcerem dicit tenebrarum & infidelitatis*, & Syrus interpres vertit בשיול, *in inferno.* At huc non possunt detrudi Patres: cum iis Scriptura assignet sinum Abrahæ: qua de re suo & loco, & tempore.

VII. Quintò, Petrus de liberatione non agit: tantùm docet prædicatũ fuisse. Ergo, qui liberationem vrgent, addunt Scripturæ nimis audacter. Respondet Bellarminus, Prædicationem illam nõ fuisse aliud, quàm nuntium liberationis. Cuius, inquam? Iudeſinne-ne, vt sensus sit annunciatã rationem per quã possent liberari? Concedimus: sed ita euangelizatũ mortuis absurdum est. An verò determinatæ, vt significet eis denunciatum aduenisse tempus, quo liberandi essent? Imò, hoc est, quod obseruamus à seipsis loqui, quicunque ita loquuntur: itáque addere Scripturæ. Quid igitur? nempe principium petunt: volunt enim probare Christum descendisse ad inferos, vt liberaret animas Patrum. Nos vtrumq; negamus, & descendisse, & liberasse. Illi probant liberasse: ex hoc Petri loco, quia prædicauerit. Et hoc *prædicare* exponunt *liberare*: ita argumentum nititur duntaxat eorum interpretatione. Et tamen non congruit interpretatio. Non enim liberatorum rebelles, de quibus Petrum loqui obseruauimus.

VIII. Quintò, nulla esset caussa specialiter nominandi eos, qui fuerint temporibus Noe, dum appararetur arca. Si quidem ea liberatione, quam Papistæ comminiscuntur, nihil illis peculiariter accessit. Nam ex eorum hypothesi, æquè cum illis expectabant reliqui omnes ab ipso Adamo numerati ad ea vsque tempora, æquè etiam eo aduẽtu liberari. Itaque, ridiculè in tam amplo campo, ij soli essent delecti, in quibus tamen nihil erat specialiter notatu dignum, quod ad Apostoli propositum faceret. At Catholici diligentiùs conseruandam credunt maiestatem Scripturæ Sacræ.

IX. Vt hæc igitur incommoda vitentur, longè aliter locus exponendus. Et quidem Augustinus hãc prædicationem pertinere putauit, nõ ad inferos, sed ad tempora Noe. Nempe hoc sensu, vt iis, qui fuerũt increduli, prædicatum etiam tum fuerit. Carcerem itaque intelligendum corpus, in quo, tanquam in carcere claudebantur animæ tenebris ignorantiæ. Christum autem ad eos venisse, nõ in carne, sed in spiritu, vt ad reliquos, visis congruis alloquendo quos volebat, sicut volebat. Quam interpretatione vnum est incommodum, quod durum sit spiritus in carcere, animas interpretari.

X. Itaque Caluinus maluit spiritus intelligere animas à corpore solutas: & *φυλακὴν*, non carcerẽ, sed vigiliam, siue speculam: vt Patres illi ante Christum mortui, quanquam in cœlis essent, atque in paradiso vera fruentes beatitudine, quę fuerat fidei illorum promissa, tamen expectarẽt quodammodo, ac quasi procul intenti spectarent Christum veniẽtem, quem sciebant promissum. Itaque, suo aduentu Christus in paradisum (vbi se fore ipso mortis die pollicebatur latroni) abundè prędicauit adimpleta illa esse, in quorum spe essent introducti in regnum cœlorum.

XI. Sed Beza videtur omnium facillimè, & felicissimè mentem Petri consequutus. Is Augustini sententiam maxima ex parte retinens, illud tantùm, *τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι*, vertit, *Spiritibus qui sunt in carcere*, cùm vulgata versio legeret, *iis qui in carcere erant spiritibus*. Itaq; leuicula illa mutatione vocis *erant*, in *sunt*, rem totã mirum in modum illustrauit. Vt non frustra ei fuerint, & corã, & per literas actæ gratiæ, quod Bellarminus obseruauit. Cocurrisse in eandẽ sententiam, Andradium notauit etiam Lorinus, fermè hanc gloriæ palmam Bezæ eripiens. Absq; caussa tamen. Nam Andradius scripsit anno seculi decimi sexti septuagesimo quinto: At Beza iam antè, anno 56. vt nulla fuerit Lorino dubitãdi caussa, vtri prior in mẽtẽ venerit. Andradij verba, ex secundo defensionis Triden. *Hunc esse planũ loci huius se[illegible] existimo. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu: in quo spiritu iam olim ipse veniẽs prædicauit spiritibus illis, qui nunc in carcere meritas iam infidelitatis suæ pœnas luunt, quippe qui Noe recta monenti, & arcam Dei iussu construenti fidem habere nunquam voluerunt.*

XII. Veruntamen intelligit Beza per spiritum Christi, diuinam illam efficaciam: quã Augustinus descripsit, & prædicationem eandem: nimirũ, quia hominibus, qui tum erant in viuis, prædicatum fuerit opera Noe arcam construentis. Per *ἀπειθήσαντας*, non alios, quàm qui ei prædicationi omnino parere recusarunt, ac proinde meritò damnati fuerunt. Per carcerem etiam inferos: inferos, inquam, damnatorum. Per spiritus autem, animas eorum ipsorum incredulorum, qui tum, cùm Petrus scribebat, detinebãtur apud inferos in suppliciis sempiternis. Vt sensus sit, Christum diuina efficacia sua prædicasse iis olim incredulis, quorum animæ deinceps apud inferos torquerentur.

XIII. Harum trium expositionum nulla est, quæ non infinitis parasangis Papisticam illam præcedat, vtpote, quæ nihil absurdum inferat, nullum præter Scripturam dogma. Postremam tamen magis amplectimur, reliquis simpliciorẽ. Enimuerò in tã difficili loco nihil mirũ, & Augustinum, & Caluinum, nonnihil humani passos esse: nec inuideret ille, qua erat morum facilitate, Bezæ aliquid amplius quàm sibi fuisse reuelatũ. Nam & ipse attestatur, non hærere se suis, tanquam certis, sed donec melius quid appareret. Caluinus autem, viuẽs vidit Bezæ annotationes, & vtilissimas iudicauit: & ad extremum vsque spiritum cum Beza vixit, vt fratrem cum fratre decuit. Omissis igitur, non sine honoris debiti præfatione, Augustino, & Caluino, de Bezę interpretatione disputabimus: & Bellarmini obiectiones considerabimus.

XIV. Primo igitur loco Patres opponit, quorum sententia sit in contrariũ. Clementem Stromateon sexto. Athanasium Epistola ad Epictetũ: & libro de Incarnatione, cuius initium, *Μοῖρα ἡ ἀνθρώπου*. Epiphanium hæresi 77. Cyrillum de recta fide ad Theodosium: & libro 12. in Ioannem, capite 36. Hilarium in Psalmum 118. Ambrosium in decimum ad Romanos. Ruffinum in Symbolum. Oecumenium in eũ locum Petri: qui omnes exponant de descẽsu Christi ad inferos, vbi spiritus defunctorum degere existimabant. Addit Iustinum, Dialogo cum Tryphone, & Irenæum li[illegible] cap. 23 recitantes ex Esaia, locum quendam, qu[illegible] nunc non inuenitur, simillimũ in verbis Petri, *Commemoratus est Dominus Sanctus Israel mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis. Et descendit ad eos euangelizare salutem, quæ est ab eo, vt saluaret eos.*

XV. Sed Bellarminus debuit agere pudẽtiùs. Nã primò, ex iis autoribus, Athanasius libr. de Incarnatione, Epiphanius hęres. 77. quę est Dimęritarũ, Cyrillus duodecimi in Ioannem, capite 36. Iustinus, & Irenęus, de isto Petri loco, nihil agunt: quidam etenam ne quidem de descẽsu Christi. Secũdò, Athanasius Epistola ad Epictetum, quam recitat integrã

Epipha-

[illegible] hanius in Dimæritis, nō animam, sed Verbum a[illegible] chum, [illegible] (inquit) [illegible], idest, Nannio interprete, [illegible] tum qui per [illegible] pulcro erat positum, cum Verbum [illegible] vt [illegible] arcet spiritibus qui in carcere tenebantur, vt [illegible] Sanctus Petrus. P[illegible] etenim ex contextu ita comparato ab Athanasio, corpus & Verbū. Tertiò, Clem[illegible] incommoda, imò absurdissima sententia est, qu[illegible] B[illegible] minus quidē probet. Docet enim, non [illegible] eos, qui secūdùm legem vixerant, non per[illegible], sed etiam illos, qui secundùm philosophiam, in [illegible] tu dolorū, fuisse seruandos. Itaque post mor[illegible] [illegible] e, illis quidem à Christo, istis vero ab Apostol[illegible] ad prædicatio[illegible] tus autem illius au[illegible] [illegible] m conuersos, ac proinde seruatos.

XVI. Nec Ambrosius aliter videtur. *Omnis quicūque, viso Seruatore apud inferos sperauit de illo salutē, liberatus est: Petro Apostolo, hoc [illegible] stante, dicit enim, quia & mortuis [prædi]catum est.* Quanquā descensus animæ nō meni[illegible] d tantū n[illegible] etts. *Ideò passus est, vt expoliatis inferis [vir]tute Patris, deuicta morte resurgens, cū animabus credentium cælum ascenderet.* Nota, primò, descensum, vt di[illegible], non nominari: secundò, Christum dici fuisse prædicatum: tertiò, inferos spoliatos virtute Patris, nō animæ præsentia. Ruffinus descēsum asserit, sed de ani[illegible] hil dicit: itaq; relinquit ambiguū, vtrum virtute diuina: quod Papistę nolunt. Oecumenius ta[illegible] um, [illegible], *Dixit propterea prædicasse iis, qui in inferno detinebantur.* De ani[illegible] [illegible] sensu verbum nullum.

XVII. Supersunt duntaxat Hilarius, & Cyrillus, qui disertè descensum animæ asserunt: sed Cyrillus quos inferos intelligat, dānatorūmne, an aliorum, non explicat. Hilarius distinguit, iustos quiescentes apud inferos, ab his, qui tēporibus Noe increduli fuerant: vnde videtur credidisse etiā ad dānatos Christi animā esse profectā, & prædicasse. Itaq; cum eorū, quos Bellarminus laudat, alij, de loco Petri non agant: Alij descensus ad inferos non meminerint: alij malè senserint, & alij denique obscurè tantū iudicauerint, non erat, quòd eos opponeret Augustino ex professo disputāti: nec debemus etiā adeò moueri eorū n[illegible] minib[us] nudis, vt certis argumētis opponamus.

XVIII. Secūdo loco Bellarminus opponit, Christum dici profectū spiritu ad prædicandū spiritibus. Spiritum autē, qui distinguitur contra carnem, non vide[tu]r posse significare aliud quā animā. Sed nos antea [illegible] probauimus ex vsu Scripturæ, atq; ex autori[tat]e Veterū, in Christu spiritū carni oppositū, significare diuin[a]m virtutē, & potentiā. Itaque nō debet hæc Bellarmini sentētia, & quidē timidè prolata, [illegible] quæ probata per *videtur*, locum obtinere demonstrationis. Dicam amplius, vix vllum proferri locū posse è Scripturis, in quo τὸ πνεῦμα, carni oppositū, animam hominis significet: & nō potiùs carnis vocabulo comprehendatur, tum anima, tum corpus, id est, tota hominis natura non regenita.

XIX. Præterea, ipse cōtextus ostendit eundē spiritum, quo fuit Christus viuificatus, intelligendum esse eū, quo sit profect[us]: sic enim habet se cōtextus, [illegible]. Dicitur igitur illud, *spiritu viuificatus*, vel subiectiuè intelligi, vel efficaciter: nimirum, vel vt Christus dicatur viuificatus in sui parte: hoc est, Christi ea pars viuificata, quæ spiritus dicitur: quēadmodū nos resurrecturi dicimur carne; nēpe, quia caro ea est propriè, quę resurget è mortuis. Vel Christus viuificatus à spiritu, siue per spiritū. Vtronis autem modo, euinci dico, absurdū esse hanc de animæ descēsu fabulam. Nā posteriori notione, vel nihil agetur de animæ descensu; vel Christus à sua anima viuificatus dicetur: vel ineptus erit lusus [illegible], solis dignus sophistis, vt in eodem contextu aliter, atque aliter idem vocabulum intelligatur. At hoc indignū est Spiritu Sancto: illud falsum: primū igitur potius verum. Itaque Oecumenius, [illegible], *Mortificatus quidē natura carnis hoc est humana, resurgens verò potestate Diuinitatis: etenim Spiritus est Deus.*

XX. Priori autē sensu, dicetur anima Christi viuificata; ac proinde supponetur fuisse mortua. Quo argumento fuisse se motū testatur Augustinus. Nec satis solidè soluitur à Bellarmino: cùm passim in Scriptura asserit id dici viuificari, quod nō occiditur: citans locos, primo Samuelis, capit. 27. *Virum & mulierem non viuificabat Dauid.* Et secundo libro, cap. 8. dicitur *Dauid extendisse duos funiculos super Moab, vnū ad occidendum, alterum ad viuificandum.* Actorū septimo, *Afflixit Patres nostros, vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur.* Nam primò, Petrus vsus est voce Græca ζωοποιηθείς. In locis autē citatis, vel Hebraica vox est, vt in duobus primis: vel alia Græca, in tertio. At Hebræis, חיה vel החיות idem esse, quod permittere, vt quis viuat, nō est obscurum: etsi non simpliciter, sed cum hoc adsignificatu, vt de eo dictum intelligatur, qui potuit occidi: nunquam enim aliter.

XXI. Obseruo igitur, primò, impropriā, & valde incōmodam locutionē futuram, si quis dicat animā Christi sic viuificatā, vt potuerit occidi. Deinde, nō idem esse ζωογονεῖν: neq; vllum posse obseruari locum in Nouo Testamento, in quo id non significet vitam accipere, quā quis non habeat. Quod autem attinet ad locum ex Actis: Stephanus vsus est verbo ζωογονεῖν, non verò ζωοποιεῖν. Septuaginta autem solēt vertere Hebraicum vocabulum illo modo, nō isto, vt in Samuelis priore, capit. 2. & 27. & aliàs. Deinde multò rectiùs Beza vertit, *sobolescere*, vt dictum sit non de ipsis pueris, sed de Patribus, quos in magnam sobolem crescere nollet Pharao.

XXII. Tertia obiectio. Illud, *Veniens prædicauit*, si de anima intelligatur, propriè accipi poterit: quia verè venerit ad locū, vbi nō erat: at si de diuinitate, nō potest accipi, nisi impropriè. Præterea Græcè est πορευθείς: quæ vox postea repetitur, πορευθεὶς εἰς οὐρανόν: Et tum propriè sumitur: Ergo & hîc cùm dicitur, Venisse & prædicasse.

XXIII. Sed obiectio est inefficax: fatemur illud πορευθείς, accipi impropriè, id est, figuratè, & μεταφορικῶς. Sed ea nulla est absurditas. Quis enim nescit infinitis locis Deo tribui loci mutationē? vt dicatur venire, abire, ascendere, & descendere? Neque ausit Bellarminus tueri semper propriā, id est, non tropicā interpretationem prçstendam. Certè autē πορευθείς, cū de ascensu Christi in cœlos dicitur, intelligēdum de proprio motu locali. Ratio est, quia ascēsus ille fuit propriè dictus: & quidem testibus Apostolorū oculis [illegible], loquuntur Angeli, [illegible]. Actorū primo, *Vidistis illū ascendentem ad cœlos.* Nec vero, inquam, quisquam Christum in cœlos spiritu profectum dixit, vt prędicaret. Itaque, nihil est, quòd quis miretur, si pro locorum & subiectorum varietate, modò propriè, modò τροπικῶς vnum idemque vocabulum vsurpetur.

XXIV. Quarta: Per spiritus in carcere, non v[illegible]

dentur intelligi posse homines viuẽtes, nisi affectata impropietate, & obscuritate. At non licet, cùm habemus sensum proprium & facilem, fingere tropos. Et capite quarto Petrus habet, mortuis prædicatum esse Euangelium: quod non debet intelligi de mortuis in peccatis, cum Augustino: sed ad literam, de verè & propriè mortuis.

XXV. Hanc rationem concedo contra Augustinum cõcludere: qui carcerem pro corpore sumpsit. Sed cõtra Bezam, & Caluinum, dico esse inutilem: Nam iste carcerẽ sumit pro vigilia. Itaque spiritus, ἐν φυλακῇ, illi sunt animæ hominum defunctorũ, qui expectabant complementum eorũ mysteriorum, in quorum spe iam fuerant inducti in æternam beatitudinem. Iste verò, carcerem exponens inferos: spiritus, interpretatur animas defunctorum, quæ torquentur apud inferos. Itaque, non homines viuentes, sed homines, qui olim vixissent.

XXVI. Quinta obiectio: Si locus intelligatur de prædicatione facta in diebus Noë, non apparet quorsum inserta sit narratio. Quoniã ista nõ cohærent, Christus in passione sua, carne mortuus est, spiritu viuus mansit: ideò Deus olim prędicauit hominibus per Noë. At si de descensu ad inferos, omnia cohærent: Nam, volens Petrus ostendere Christum in passione & morte mansisse viuum, quoad animam, probat, quia illo tempore anima eius profecta sit in infernum, & prædicauerit spiritibus in carcere conclusis.

XXVII. Respondeo: primò, obiectionem multò posse retorqueri potentiùs. Nã si de liberatione intelligas, siue de descensu ad inferos, omnino nulla causa reddi potest, cur sint nominata Noe tempora. Nã animabus eorũ tẽporum nihil erat peculiariter expectandũ: neq; iis seorsim prædicauerit Christus: sed in cõmune iis, etiã qui ante eos, & post eos fuerunt: neq; earum specialis notatio quicquã confert ad probandum animam Christi non fuisse mortuã: Et sanè, Bellarminus nimium sophisticè, hãc prædicationem indefinitè sumit, pro descensu ad inferos, qui pertineret ad omnes animas in limbis detẽtas: cùm potiùs dicẽdus esset descensus ad animas eorũ, qui vixerant temporibus Noe: Nulla autem ratio reddi potest, cur τὸ ἀπροσδιόνυσον, descensus indefinitè sumpti, sit absurdum: non verò seculi Noe.

XXVIII. Secundò, nego Petrũ sibi probandũ sumere Christum in passione & morte fuisse viuum quoad animã. Quorsum enim? aut cui bono? neq; enim tũc eam quæstionẽ tractabat: sed aliam, de cõsolãdis fidelibus in tantis periculis, quæ quotidie sese offerebãt. Quid autẽ ea quæstione probasset? Nisi fortè animas fideliũ non mori ęquè cum corpore? Egregium verò argumentũ! in quo nihil fideles habeant plus iuris, quàm quilibet infideles. Deinde, quæ probationis ratio? Christi anima non est mortua: quia prædicauit spiritibus carcere conclusis. Atqui demonstrasset per obscurius. Nam animæ immortalitas multò faciliùs, & latiùs creditur, quàm illa prędicatio. Pręterea non tollitur τὸ ἀπροσδιόνυσον, de quo antè. Quid enim conferebat seculum Noe, ad immortalitatem animæ Christi?

XXIX. Nam, quòd ait prædicasse quidẽ Christũ omnib⁹ bonis spiritibus; sed nominari fuisse expressos illos qui fuerãt in diebus Noe increduli, quia de illis magis dubiũ esset, an essent salui, nécne, cũ puniti fuissent, & submersi aquis diluuij: Primò, non tollit ἀνακολουθίαν. Quid enim illud quicquid est, vt probetur, siue anima Christi non fuisse extincta in morte; vt vult Bellarminus: siue, vt veritas, constãter tolerandas afflictiones? Deinde falsum est, dubitatũ fuisse de eorũ statu post mortem. Nam, quod eos Petrus notauit incredulos fuisse dum viuerent, satis arguit, quid iis post mortẽ accidisset. Præterea, cur Bellarminus ad quosdam coercet, quæ Petrus vniuersaliter dixit? Aut, cur nõ probabilior eorum sententia, qui vniuersaliter intelligunt, quæ vniuersaliter dicta sunt de incredulis, quã eius, qui nõ potest nõ limitare? nõ enim verba Petri ostẽdũt ex illis incredulis fuisse aliquos, qui in fine vitæ pœnituerint, & quantum ad animam salui fuerint. Vt omittam, quod tamẽ non est nullius momẽti, non solere Scripturã indulgere curiosis istius generis quęstionibus, vt nobis ansam prębeat ἐρευνᾷν τὰ ἐν ᾅδῃ. Alioqui, cur non potius aliquid pronunciasset de Adamo, de quo sine dubio quæsitum fuit, cùm de his nemo vnquam in Ecclesia quæstionem mouerit?

XXX. Tertiò, quid est, quod in interpretatione Bezæ potuerit ἀνακόλουθον obiectari? Nam ille in annotationibus in hunc locũ, satis diligẽter ἀκολουθίαν partium indicauit. Quam, cùm ne attigerit quidem Bellarminus, non sunt eius importuni clamores, vel nauci. Connectit igitur in hũc modum Beza; vt dicat, Petrum fidelibus Christi proponere illustrissimum exemplũ, quo moueãmr, ad omne genus afflictiones constanter tolerandas. Et eidem illustrãdo intentum, docere, quęnam sit Ecclesiæ cũ Christo capite, tum in afflictionibus, tum in gloria, coniunctio: deinde etiam, quænam nunc sit illa capitis nostri gloria, cuius & virtute confirmemur, & spe sustentemur: deligere autem exemplũ, quo nullum potuerit magis expressum inueniri, tum antiquissimum, vt perpetua Ecclesiæ conditio ostendatur: tũ, in quo non vnus aliquis, sed mors ipsa potiùs, quàm mortis periculũ: non vulgare aliquod aduersus impios iudicium: sed quo nullum vnquam magis insigne editum fuerit: non simplex aliqua, sed miraculi plena liberatio spectanda proponatur: quod denique sit insigne, etiamnum nostræ salutis antitypon. Sic, inquam, Beza. Viderint tamen docti, piique, an melior, faciliorq́ue in hunc modum futurus sit nexus. Si dicamus Petrum hortari fideles ad æmulationem bonorũ: Et primum, esse argumẽtum versu decimo tertio, *Ecquis est, qui malè accipiat vos, si bonarũ rerum æmulatores fueritis?* Tum, sequi statim occupationem obiectionis sumptæ ab aduersis, siue afflictionibus: ex quibus apparet fideles, quantumuis æmulatores bonorum, tamẽ malè accipi. Huic obiectioni respondere in hunc modum: ne sic quidem discedendum ab officio. Primò, quia beati sunt qui patiantur pro iustitia: quòd constet exemplo Christi: deinde, quia pœnas persoluturi sint, qui contemnant prædicationem Christi, vt patet exemplo illustrissimo temporum Noe. Tertiò, quia qui parent eidem prædicationi, omnino seruantur in Ecclesia, tanquam olim in Arca.

XXXI. Postrema Bellarmini obiectio est; Bezam sua audacia textum mutare: nam vbi habetur, *Qui in carcere erant*; ipsum legere, *Qui in carcere sunt*. Cùm tamen non tantùm omnes Latini legerint, *erant*, sed etiam Græci sic exponant, vtpote qui eos velint è carcere liberatos: vt non potuerint dici, in carcere fuisse temporibus Petri.

XXXII. Respõdeo: calũniam esse ex ingenio Papistico: in textu enim Beza nihil mutauit. Nã textus nõ potest alius esse, quã Grec⁹, quẽ prorsus integrũ reliquit τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι. Reliqui autem, quorũ auctori-

autor [illegible] Sophista laudat, tantū sunt interpretes, siue Latinus ille vulgatæ versionis autor, siue Græci expositores. Hinc [illegible] oraculum ediderunt, se pro suo modulo in explicādis Scripturis laborarunt. Quod fecit & Beza. Itaq; hactenus illis par. Sed à liberiis Latinu, cùm alia sunt præiudicia malæ versionis, tum in simili phrasi Geneseos capite 44. de Iosepho, *Et ipsum solum habet mater sua.* Vnde crux Carthusiano, *Quomodo verum est hoc, cum Rachel mater Beniamin fuerit mortua, quando hæc dicebantur?* Nimirū suppleuit perperā, quod phrasis Hebraica tacuerat הוא לבדו לאמו, *Ipse solus matri suæ.* Omissis igitur personis; rem ipsam potius consiliderationem venire oportet: quam Bellarminus tamen ne leuissime quidem attingit.

XXXIIII. Porrò norunt, qui vel leuissimè Græcis tincti sunt in ea phrasi supplendum, [illegible], vt sit [illegible]. Illud ergo [illegible], illi verterunt, *erant*, quod quidem certis locis fieri posse, Beza nō negat: sed hic maluit *sunt*. Nec frustra, atque leues ob caussas, voluit. Primò, quia nunquam auditum fuit eos, qui rebelles fuerunt prædicationi, dum viuerent, ab inferis liberatos post mortem. Secundò, quia sic facillimus redditur totus locus; quem hactenus difficillimum fuisse, testatur ipse Bellarminus: testatur olim Augustinus: testātur & hodierni Papistæ, qui alij alijs minimè satisfaciunt. Porrò, nemo neget non tantùm tempore Petri, sed etiam adhuc nostro seculo in carcere esse omnium ab ipso mundi exordio damnatorum animas.

CAP. VIII.

De alijs quibusdam locis.

I. HOs, nec plures, Scripturæ locos Bellarminus recitat. At Vigor Sorbonicus istos. Psalmo trigesimo, *Eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me à descendentibus in lacum.* Quod Rufinus in Symbolo exponit de Christi descensu ad inferos. Psalmo 49. *Veruntamen redimet Deus animam meam de manu inferi.* Ad quæ verba Basilius, *Manifestè vaticinatus est Dauid descensum Christi ad inferos.* Psalmo 88. *Eruisti animam meā ex inferno inferiori.* Irenæus inde probat Christū ad inferos descēdisse, libro quinto extremo. Et notandum hinc probari plures inferos esse, saltē sublime & inferius: & eos qui sunt in sublimi, frui quiete. Psalmo 89. *Quis est homo, qui viuet, & nō videbit mortē, & eruet animam suam de manu inferi?* Augustinus de Ciuitate Dei, exponit de persona Christi, qui mortem vicit, quique solus animam suam eruit ab inferno: cùm alij ab eo sint liberati. Psalmo 88. *Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.* Rufinus in Symbolum, Ambrosius de Fide libro tertio, capite tertio, interpretantur de Christo, qui solus fuerit inter mortuos, sine adiutorio liber: cùm alij non essent liberandò egerent liberatore. Psalmo vigesimo quarto, *Attollite portas principes vestras.* Athanasius libro de Incarnatione, negat Christo opus fuisse, vt aperirentur portæ, sua quidē caussa: sed eorum potiùs, quos secum abducturus erat. Ad Ephesios quarto, *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem:* Hoc est, liberauit eos, qui erant in limbis, tanquam in carcere. Ambrosius in eum locum exponit de descēsu ad inferos. Sic Hieronymus. Item Ignatius ad Trallianos. Origenes in quintum ad Romanos. Denique Zachariæ nono, *Tu emisisti vinctos è lacu in quo non erat aqua.* Idque, *in sanguine testamēti tui.* Hieronymus interpretatur de captiuis in carcere inferni.

II. Respondeo, videri hunc Sophistam omnia voluisse colligere, in quibus, vel inferos legit, vel liberationē, vel quid simile, [illegible]: adeò nihil pensi habuit, aut vnde argueret, aut quid concluderet. Atq; adeò is Sophistarum mos est, vt voculas curiosè aucupentur; vnde non quidē doceant: sed insidias struant, quibus intercipiantur somnolenti lectores, siqui que saluus incuriosi. Bellarminus videtur paulò modestior, imò & Iodocus Coccius, qui hāc eandē controuersiam ex professo tractātes, hos locos omiserunt. Credo, quia eos puduit tam putidi [illegible]. Itaque, semel dico, eus omnes locos fœdè torqueri: itque imponi sensum alienum. Atque adeò verè dicam, non ex his locis probari hunc descensum: sed, contra quàm oportuit, ex præoccupata descensus illius opinione, eos locos deprauari: quod alijs accidit plurimis.

III. Psalmus trigesimus, (quē aliās vigesimū nonum dicunt) variè exponitur. Augustinus eius subiectum notat, resurrectionē atq; in immortalē statū mutationē, innouationemq; corporis, non tantùm Domini, sed etiā totius Ecclesiæ. Itaque hunc locū, de quo nunc quæstio, interpretatur in hunc modū, *Saluum fecisti me à conditione profundæ cæcitatis, atque infimi limi corruptibilis carnis.* Theodoretus Psalmum dictū esse in beatū Ezechiam, qui egerit gratias ob salutē populi, & templi ab igne hostili liberationē. Et tamen, vt Ezechiæ per figurā cōgruere, ita, secūdum veritatē, omni humanæ naturæ. Itaque hūc infernū, atque hūc lacum, non nisi de morte exponit, quā Deus euerterit: non vocatus, sed tantū lamentationes, quæ fiebant, videns. Lyranus totum Psalmum Dauidi accōmodat, qui primò, diuinam in se benignitatem cōmendet: deinde, propriam suam fragilitatē describat. Itaque hunc versum exponit, *Propter flagitia erā dignus gehenna: sed tu saluasti me misericordia tua.* Tum infernum, tum lacum, manifestè, non limbum intelligens, sed pœnas damnationis æternæ. Euthymius, tum de Dauid, tum de Ecclesia, tum de Ezechia interpretatur, & in hunc versum, *Siue exponas*, inquit, *de beato Dauid, siue de Ecclesia, per infernū intellige tenebras peccati: Vel hic verbum inferni destructionem, & animarum liberationem significat. Quòd si de Ezechia, tenebras formidinis. Solet enim formido tenebras generare.*

IV. Sic Veteres. Tandem verò, siue ex ignorātia, siue ex superstitione, inualuit eorū sententia, qui ad illam descensus fabulam hunc locum detorserunt: quorū antesignanus ille, quisquis est, autor cōmentariorū in Psalmos, qui [illegible] Hieronymi titulo commendantur. Nam Hieronymi non esse, soli, hi nesciunt qui solem ne meridie quidem lucere sciunt: quod non tantū Erasmus censuit, sed etiam Episcopus Ameriinus Marianus Victorius, quantūuis Erasmi arrodēdi ardore pruriēs. Eum igitur (quē Bedam nonnulli suspicantur) sequuti sunt deinceps longo ordine Papistæ, Lōbardus, Franciscus de Puteo, Dionysius à Rikel, cæteri: adeò illis deteriora placent. Genebrardus discessit à reliquis, sine dubio coactus vi veritatis: nā quis nescit, quantopere is laborarit in tuēda Psalmorum vsitata tum versione, tū interpretatione? Ille igitur exponit, maximas calamitates dictas infernū per hyperbolē, vel metonymiā, *è præsentissimo inferni, vel mortis periculo:* quasi diceret, *Me iam iam periturum, & statui mortuorum proximū, mirabiliter liberasti.* Et illud, *A descendentibus: Ne essem*

inter descendentes in sepulchrum, ne descenderem in mortem vel infernum. Sa cõsentit. *Ab inferno, id est, sepulcro, quasi dicat morte: Animam meam, id est, me.* Bellarminus & Lorinus ab eo sensu literali non discedunt; sed mysticè applicant & Christo, & Patribus. Quid? quòd Ecclesia, inquit Lorinus, recitat hunc Psalmum in officio de Ascensione?

V. Simpliciter sensus est, vt de seipso Propheta loquatur. Quis enim ad eum hæc spectare neget, *Ego dicebam in tranquillitate mea, Non dimouebor in seculum?* Cuius cogitationis vanitatem (inquit Genebrardus) duobus proximis versibus ostendit, *Quid lucri erit in sanguine meo quum descendam in foueam?* Vbi, per sanguinem, Genebrardus intelligendum docet, vel vitam, vel mortem, vt sensus sit: Quid mihi prodest viuere, si mox moriturus sum, vel in interitum inferni sempiternum descensurus? siue posteriori modo: Quid tibi proderit, si me permittas necari à meis hostibus? Hæc verò de Christo, qua ratione quisquam contendet dici? sed & versu tertio, *Iehoua Deus mi, vociferantem ad te curasti me.* Hebraicè תרפאני quod verbum ad medicinam pertinet, significans curationem à morbo; quod à Christo est alienum. Quanquam alij metaphoricè intelligant generaliter, pro, à malis præsentibus liberatione.

VI. Et sanè hic versus duobus membris constat, quæ ambo vnum idemque significant. Primum membrum, *Eduxisti ab inferno animam meam:* Posterius, *Saluasti me à descendentibus in lacum.* Euthymius testis, *Eandem iterum alio verbo repetit sententiam, quemadmodum mos est iis qui de accepto beneficio gratias agunt.* Testis item Bellarminus, *Illud, Saluasti me à descendentibus in lacum, idem significat.* Notandum verò eorum, qui Hebraicè nesciérunt, vix vllum assequutum esse huius alterius membri sensum. Augustinus, quasi peccatores persecuti sunt Christum, atque ab iis liberarit eum Dominus. Rufinus haud aliter; quòd à manibus Iudæorum sit liberatus. Alij fortè aliter. At longè aliud Propheta voluit, quod expressit Genebrardus: Ne essem inter descendentes in sepulchrũ, ne descenderem in mortem, vel infernum. Cui Sa cõsentit. Hebraica habent, חייתני מיורדי בור. Vbi duplicem lectionem Massoritæ obseruarunt: sed vtraque tamen idem canit, vt verbo vtar Genebrardi. Itaque Tremellius vertit, *Conseruans me viuum, ne descenderem in sepulcrum.* Hieronymus, *Viuificasti me, ne descenderem in lacum.* Chaldæus, *Confirmasti me, ne descenderem in domum sepulchri.* Et sane ad verbum est, vt vertit Arias Montanus, *Viuificasti me à descendendo me in lacum.* Sciunt autẽ qui Hebraicè sciunt, hàc phrasin esse negatiuam. Sic Esaiæ quinquagesimo quarto, *Iuraui à transeundo aquis Noah, vltrà super terram: sic iuraui ab irascendo contra te, & ab increpando te.* Hieronymus, *Iuraui, ne inducerem aquas Noe vltra supra terram, sic iuraui, vt non irascar tibi, & non increpem te.* Infinita sunt istiusmodi exempla.

VII. Quare negat Propheta, se descensurum in sepulcrum: Vnde primò, quis non videt, quàm absurdè versus hic applicetur Christo? Nam is certe non potest dici, non descendisse in sepulcrum, cùm contrà disertus sit fidei articulus, *Descendisse ad inferos.* Deinde, si non descendit in sepulcrum: ergo, ne ad inferos quidem. Cùm, vt notatum est, posterius membrum sit repetitio prioris: & nemo vnquam cogitarit, aut Christum, aut alium quẽquam, nisi mortuũ, anima descendisse ad inferos. Itaque hic locus importunè, atque imperitè, siue à Rufino, siue ab alio quolibet detorquetur.

VIII. De Psalmo quadragesimo nono, vix aliud iudicium. Primũ, certè nulla caussa est, quæ vrgeat, vt ea verba de Christo potius, quàm de quoquam fidelium dicta intelligamus. Nimirum voluit Propheta, intolerabili diuitum tyrannidi opponere spẽ quam habebat in Domino: à quo tam præsens auxilium pollicebatur, vt vel è sepulcro, id est, è quolibet, quantumuis magno, periculo, eruendus esset. Itaq; Theodoretus, *His qui cũ inopia degunt, & à diuitũ superbia cõculcati sunt, consilium & admonitionem adfert.* Lyranus, *Loquitur hic Propheta in persona cuiuslibet iusti.* Glossa interlinearis, *Vt terror prosternit malos, spes redẽptionis releuat bonos.* Deniq; Genebrardus, *Antithesis de salute piorum.* Et verò in hunc modum molliter fluũt omnia. Cùm si de Christo intelligas, eiusque descẽsu ad inferos: nullus sit nexus, neq; antecedentium, neque cõsequentium. Lorinus sensum aptissimum iudicat, *Miserabilis, & infelicissimus reproborum in inferno status, cùm sit is quem dixi, spero si, vt etiam volo, dedero pietati operam, fore, vt cũ ex hoc me Deus mundo euocauerit, non sinat animam meam in damnatorum descendere lacum, vbi esurient æternis pœnis, sed in beatorum domiciliũ, vt ipsomet fruar Deo.* Bellarminus similiter, *Potest tamen cum Chrysostomo hic locus intelligi de inferno inferiori, vbi torquentur animæ impiorum.*

IX. Psalmum octogesimum sextum de Christo qui interpretantur, debebant totum cõtextum diligẽtiùs attendere. Nam, quomodo explicent istud, *Doce me viam tuã, vt ambulẽ in veritate tua vni cor meũ, vt timeat nomen tuũ.* Nam hæc, tam aliena est à Christo precatio; quã familiaris Dauidi, atque omnibus fidelibus, qui, ex cõsciẽtia propriæ infirmitatis, sciũt sibi nunquam satis cognitam esse legẽ Dei: (nam & Genebrardus legem interpretatur viam) itaq; semper opus habere, vt doceãtur à Deo. Quod de Christo, vel cogitare sit blasphemum. Quid? quòd & misericordiam toties implorat, & condonationem, & patientiam? Illáne videntur Christo conuenire?

X. Sed & titulus promittit orationẽ Dauidis. Itaq; Theodoretus, *Beatus Dauid* (inquit) *secundũ inscriptionẽ, deprecationem Deo attulit, orans, vt alicuius gratia compos factus sit.* Et cõsentit Lyranus. Euthymius verò: *Si Dauidis sit oratio, per infernũ vult intelligi profundam peccati foueam, sin autem Ezechiæ, mortem cui is esset proximus, ab eáque admirandè liberatus.* Lyranus etiam pro morte intelligi magis probat: etsi etiã de inferno: sed illo, in quo peccata in æternum puniũtur. Bellarminus, Hoc est beneficium, pro quo gratias agit: quia videlicet ex magna misericordia sua Deus, non ex meritis ipsius hominis supplicãtis, eruerit animam eius ex inferno inferiore, id est, iustificauerit eum à peccatis, ob quæ ad infernum inferiorem descensurus erat, nisi per gratiam liberaretur.

XI. Tamẽ Paulus Burgensis contra Lyranum disputat, & probare conatur Psalmũ hunc de Christo intelligendũ, nõ autẽ de Dauide. Argumenta sunt: Primũ, quia autor se sanctum dicit, *Custodi animam meã, quia sanctus sum.* At Dauid in hac vita fuit peccatur: nec vllos vnquã, quandiu vixit, sanctus appellatus: minimè verò à seipso: quod mentis alienationẽ saperet. Secundũ, quia sic precatur, *Saluum fac filium ancillæ tuæ:* cùm tamẽ de Dauidis matre nulla vnquã mentio fiat in Scriptura. Sed hæc frustra sunt. Nam, primò, Hebraicè legimus חסיד, cui vocabulo nõ respondet Latinum, *Sanctus.* Genebrardus ipse interpretatur, *pium, beneficũ, pietatis studiosũ, seruũ, cultorem,* quibus titulis, quis neget, Dauidẽ potuisse insigniri? Secũdò, etsi nõ meminisset Scriptura matris Dauid,

tamen

tamen verum est, non esse natum fungi instar, sed communi omnium more è muliere. Sed meminit tamen Psalmo quinquagesimo primo, *In peccatis concepit me mater mea.* Eam matrem hic ancillam Dei appellat, vt secundo membro prius explicet. Est enim is contextus, *Da fortitudinem tuam seruo tuo, & serua filium ancillæ tuæ.* Nam seruus exponitur per ancillæ filium, ad exaggerandam seruitutem, vt notat Genebrardus. Nam filius ancillæ verna est, ignobiliore conditione, quàm emptitius, vel captiuitate seruituti mancipatus: quoniam hi per accidens sunt serui, ille ex origine & genere.

XII. Iam, quod de inferno inferiori philosophatur Vigor, plusquàm leuiculũ est: Hebraicè est משאול תחתית Septuaginta verterunt, ἐξ ᾅδου κατωτάτου: Hieronymus, *De inferno extremo.* Tremellius, *à sepulcro imo.* Genebrardus *infimum* dixit. Porrò, primum nego sic distingui inferni partes, vt aliæ aliis sint sublimiores, prout magis recedunt à centro, quas Genebrardus scripsit, secundùm Hebræos, esse septem: quatuor autem, secundùm Papistas. Sed comparari infernum, siue sepulcrum, cum hac vita, sic vt infima pars mundi dicatur. Vt non malè omnino Burgensis dixerit: Præsentem quidem vitam, vbi corruptio est, & mortalitas, esse infernũ, habita cœlestis habitationis ratione: at infernum, id est, habitationem damnatorum, esse adhuc infra hanc vitam; atque ideo non abs re totus ipse infernus dicatur infimus, siue imus. Deinde, si ea distinctio partium inferni vera esset, tum hic locus ad Christi descensum nihil pertineret. Nam per infernum inferiorem, siue infimum, intelligi nequit Limbus Patrum, quem, ni fallor, Papistæ designatores credunt esse partium inferni à centro remotissimam. Nam in centro collocant infernum damnatorum: circa hunc Purgatorium, tum Limbum puerorum: ad extremum Limbum Patrum. Quid ergo *eruisti animam meam ex inferno inferiori?* Aut, quomodo inde eruta fuerit anima Christi, quæ eò nunquam profecta est? Anima, inquam? Nam etsi Christum penetrasse etiam dicant vsque ad locum damnatorum, tamen Thomas parte tertia, quæstione quinquagesima secunda, articulo secundo, negat id factum per præsentiam, sed tantùm per effectum.

XIII. Venio ad Psalmum octogesimum nonum: Quis est homo, qui viuet & non videbit mortem? Eruet animam suam de manu inferi? Primò, corrigo versionem. Non enim dixit Propheta, *Quis est homo qui viuet.* Sed, *quis homo viuet* מי גבר יחיה Leue peccatum, inquit: fortasse: sed vnde suspicor Augustinum occasionem sumpsisse, vt diceret, *Quis est, vt quæras, dictum est: non vt desperes.* Id est, non esse hanc phrasin negatiuam, sed tantùm interrogatiuam. Atqui negatiua est. Euthymius, *Quis, posuit pro nullus.* Lyranus, *Quasi dicat nullus.* Theodoretus, *Cunctis hominibus finis mors est: fieri enim non potest, vt ipsa morte superiores simus.* Et astipulatur Bellarminus. Sensus est igitur: Nemo hominum sic viuet, vt nunquam moriatur. Hinc patet & sequens membrum. *In quo subaudienda est* (inquit Euthymius) *eadem dictio: ac si diceret, Et quis est qui eruet?* Itaque, etiam secundum membrum negat, æquè ac primum: vt sit, Nemo eruet animam suam de manu inferi. Et sanè exaggeratio est primi membri, more Hebraico, quem sæpe notauimus. Et sic Vatablus, *repetitio est.* Itaque de Christi descensu ad inferos intelligi non potest. Imò Chaldæus Paraphrastes diserte infernũ interpretatur sepulcrum, *Quis est ille vir, qui viuet, &* non videbit Angelum mortis? Liberabit animam suam de manu eius, & non descendet in domum sepulcri in perpetuum? Quò accedit non tantùm Euthymius, sed etiam Theodoretus, qui tantùm de morte interpretantur. Itaque nihil est quod faueat Papistis.

XIV. Psalmo octogesimo octauo sic habetur ex Hebræo, *Reputatus sum cum descendentibus in sepulcrum: fui sicut vir cui non est fortitudo: inter mortuos liber.* Quem locum de Christi ad inferos descensu mirum est à quoquam potuisse intelligi. Nam primùm pendet à præcedentibus, *Saturata est malis anima mea: & vita mea ad sepulcrum accessit. siue appropinquauit.* Quæ *hypotyposis est* (inquit Genebrardus) *hominis luctuosissimè affecti: & locutio poetica, quando nulla est vitæ spes: quomodo Latinè sepulcrum veluti digito tangere, pedem alterum habere in sepulcro, vel in Cymba Charontis:* vt rectè Kimchi, *appropinquauit morti.* Itaque sermo est de homine nondum mortuo, sed qui dum in viuis esset, tot vndique malis premebatur, vt de vita desperaret. Non potest igitur de Christo dici, qui re vera mortuus est.

XV. Secundò, *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum*: non alium habet sensum. Nam illud *æstimatus sum*, siue *reputatus*, vt vertit Pagninus, id significat quum ob vicinitatem id putatur aliquis esse quod tamen non est. Sic primi Samuelis primo capite de Anna, *Æstimauit eam Heli temulentam.* Psalmo quadragesimo quarto. *Æstimati sumus sicut oues occisionis.* Prouerbiorum decimo septimo, *Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur.* Sensus est igitur, ergo, quantumuis viuus, adeo tamen afflictus eram, vt reputarer mortuus. Nondum ergo mortuus. Quod de Christo, quomodo potest intelligi?

XVI. Tertiò, *cum descendentibus in lacum*, non significat eos, qui descendunt in infernum, id est, locum animarum: sed eos, quorum corpus dimittitur in sepulcrum, Hebraicè enim est non שאול vt in præcedenti versu, vbi tamen Pagninus, *sepulcrum*, vertit: sed בור quod *foueam* significat: & rursus à Pagnino *in sepulcrum* vertitur. Imò & Genebrardus, *Habeor iam velut humatus: hic adnumeror qui demittuntur in sepulcrum: Iam agitur de me sepeliendo pro vita desperatione.* Nec Sa it aliorsum. Quid igitur iis accidisse dicamus, qui lacum interpretati sunt infernum? & infernũ locum illum, quem animabus detinendis assignarunt? Detur eis sane venia, si per ignorantiam peccant. Eos autem, qui ex malitia pertinaces sunt, Deus iudicet.

XVII. Nam quod notant Christum solum fuisse inter mortuos sine adiutorio liberum: nihil habet firmi. Nam primò, Hebraicè non legimus *adiutoriũ*. Sed *robur* siue *fortitudinẽ* הייתי כגבר אין איל Pagninus, *Fui sicut vir cui non est fortitudo.* Tremellius & Iunius: *fui sicut vir quem deficit virtus.* Quis non aduertit dissimilitudinem? Nam adiutorium est aliquid extrinsecum, Hebræis עזר vel עזרה vt Geneseos secundo Deus pollicetur se facturum auxilium viro, mulierem. At fortitudo, virtus & robur, est quid intrinsecum. Itaque Kimchi exposuit, *fui tanquam vir cui non est robur* אין לו כח Itaque fugerit illud Euthymij: *omnes dimittentes eum, fugerunt:* & Theodoreti, *Omni ope & cura orbatus sum.*

XVIII. Deinde, confunduntur quæ in textu sunt distincta. Non enim dixit Propheta se fuisse inter mortuos sine adiutorio, inter mortuos liberum. Sed priori cõmate, fuisse sine adiutorio, tum altero, fuisse inter mortuos liberum. Quod tamen ipsum non similiter ab omnibus exponitur: sanè e-

nim obscura est constructio. Nam fuisse reuera inter mortuos, dici nequit: quia obstant præcedentia: quòd accesserit proximè ad inferos: quòd reputatus sit inter descendentes in sepulcrum: quæ obseruauimus significare nondum fuisse mortuum. Itaque Kimchi, *Melius*, inquit, *mecum ageretur, si essem cum mortuis: essem enim liber: at nunc ego in seruitutem redactus sum sub potestate inimicorum: & ibi essem liber.* Seruata vocabuli significatione propria; quam retinet etiam Abben Ezra, *Liber essem*, inquit, *ab omnibus imperiis, & ab omni seruitute corporea, & à regibus terræ.* Quam sententiam Sebastianus Castalio elegit & probauit. Iarchi paulò aliter, *Ecce, ego essem inter mortuos liber à seculo*, id est, liberatus ab hac vita. Lyranus, *Ab istis afflictionibus non apparet liberatio nisi per mortem.* Accedens proximè, vt apparet, ad Kimchi & Abben Ezra. At Tremellius & Iunius, cùm aduertissent vocem Hebræam חפשי sumi etiam pro separatione, quomodo posterioris Regum decimo quinto, & posterioris Chronicorum vigesimo sexto, Rex Azarias postquam lepra percussus est, dicitur habitasse in domo libera, hoc est, à reliquis separata, verterunt *semotum*, scilicet ab omni hominum consortio, & communione, vt nihil cum aliis commune haberet. Quam sententiam Henricus Mullerus videtur magis probare, & Caluinus amplexus est.

XIX. Quorsum hæc? Nēpe, vt in obscuro loco ostēdam varias esse doctorū virorum, imò etiam piorum, sententias. Itaque, debere Papistas vel suam interpretationem sic confirmare, vt constet esse omnium optimam, & certissimam: aut non vrgere eos locos, quos vident in aliam partem trahi posse. Certè obscurum per obscurius non probant, nisi Sophistæ. Cæterùm, constat de eodem hæc verba dici, de quo & præcedentia. At is neque erat, neque describitur reuera mortuus, sed tantùm vel proximus, vel similis mortuo. Ergo, is Christus esse nequit: qui re vera mortuus est, separata anima à corpore, quod sepulcro conditum est. Itaque non potest dici, *Reputatus inter mortuos.*

XX. E Psalmo vigesimo quarto, *Attollite portas Principes vestras*: cur sit citatum vix intelligere possum: nisi forte propter histrionicā illam fabulā, quā in Dominica Palmarum Papistæ ludunt, hunc Psalmū cantillantes, dum è processione reduces iubent sibi portas tēpli aperiri, quas clausas offendunt: quo mysterio vulgus putat significari aduentum Christi ad inferos. Nam sane causam aliam nullam video. Athanasius ipse, quem laudat autorē, interpretatur disertè de Ascensu in cœlos, τὴν δὲ εἰς οὐρανὸν ἄνοδον ἑτοιμάζων ἀνεκήρυττε, λέγων πάλιν, ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν, καὶ ἐπάρθητε πύλαι αἰώνιοι. οὐ γὰρ αὐτὸς ὁ λόγος ἦν ὁ χρῄζων ἀνοίξεως τῶν πυλῶν, Κύριος καὶ πάντων ὤν· οὐδὲ κεκλεισμένον ἦν τι τῶν ποιημάτων τῷ ποιητῇ· ἀλλ' ἡμεῖς ἦμεν οἱ χρῄζοντες, οὓς ἀνέφερεν αὐτὸς διὰ τοῦ ἰδίου σώματος αὐτοῦ. ὡς γὰρ ὑπὲρ πάντων αὐτὸ προσήνεγκε τῷ θανάτῳ, οὕτω δι' αὐτοῦ πάλιν ὡδοποίει τὴν εἰς οὐρανοὺς ἄνοδον. *In cœlos autem reditum parans, innouauit rursus dicens Attollite portas principes vestras: & eleuamini portæ æternales. Enimuerò non Verbum illud erat, cui reseratione opus esset, cum sit Dominus omnium. neque quicquam creatum obseratū sit Creatori. Verùm nos yeramus, quibus opus erat: nos, inquam, quos in proprio suo corpore sursum efferebat. Sicut enim id corpus obtulerat morti pro omnibus, sic per idipsum strauit iter ad cœlos.* Quam eandem sententiam reperis disputatione secunda contra Arianos. Eandem sequuntur Euthymius, Theodoretus, Genebrardus, & Sa. Quid hoc verò ad descensum ad inferos? Nam nos certe, qui negamus animam Christi ad Limbos esse profectam, tamen seriò docemus Christum corpore & anima in cœlos ascendisse.

XXI. Quanquam non is est literalis sensus eius loci. Lyranus cum Rabbinis Psalmum censet compositum cùm Arca deferretur in Sancta Sanctorum. Nam tum, accedente Arca, fuisse ab Angelicis clausas ianuas, vnde oportuerit dici, *Attollite portas.* Quod inuentum meritò ridet Burgensis: exponens de ingressu Christi in vrbem Hierosolymā, paulò ante passionem suam. Caluinus vult prophetatum fuisse de magnifica illa templi structura, in quo plus fuerit externæ dignitatis, quàm in tabernaculo: & admoneri fideles, vt ei attendant, ceremoniisque legalibus. Mollerus, & Iuoius, malunt vniuersaliter omnes homines inuitari ad Christum excipiendum. Qui omnes sensus nihil spectant ad hūc descensum: de quo est quæstio. Lurinus, *Catholici*, inquit, *solidius veriùsque accipiunt ista de Christo, vel ingrediente Ierusalem cum triumpho. vel debellante dæmonas in descensu ad inferos: vel in cœlum ascendente: vel impedimenta dæmonum eorundem, aliáque remouente, quominus verbum prædicationis liberè in homines subeat.* Non est igitur, inquam, necessaria argumentatio ad limbum probandum.

XXII. Sequitur ad Ephesios quartum, *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*: vnde liberationem animarum è limbo, nouo quodam artificio, excudit audaculus Sorbonista. Et citat autores, Ignatium, Hieronymum, Origenem. Quis credat, nisi qui ex quotidiana assuetudine horum nouerit impudentiam? Nam Ignatius ad Trallianos, & Origenes in quintum ad Romanos, hunc locum neque interpretantur, neque citant. Tantùm Ignatius κατῆλθεν εἰς ᾅδην μόνος, ἀνῆλθεν δὲ μετὰ πλήθους, *Descendit ad inferos solus: ascendit autem cum multitudine.* Quibus in verbis, quid est quod nos negemus; qui tamē negamus limborum fabulam? Origenes nonnihil loquitur de liberatione eorum, *qui nō tam præuaricationis crimine, quam moriendi conditione habebantur in inferis.* At neque hunc locum Pauli vel citat, vel indicat: neque, vt opinor, approbabitur ab omnibus. Nam eos Patres detentos fuisse in limbo sola moriendi conditione, non verò præuaricationis crimine, hoc est, propter peccata, vix putem cōcessuros Papistas, qui visioni Dei eos priuatos asseruot, etsi non affectos pœna sensus. Hieronymus verò prorsus in diuersum sensum abit, docens, *Illas esse manubias hominibus distributas, quas Christus victor emeruit. Ascendens quippe in altum, captiuam duxit captiuitatem. Nos, qui nūc in Christo credimus de gentibus congregati, cum essemus creatura Dei, à diabolo capti sumus, & eius satellitibus distributi. Venit igitur Dominus noster Iesus Christus, secūdum Ezechielem, vasa secum captiuitatis apportans, & operto capite, ne ab aduersariis cognosceretur, prædicans his qui capti erant, remissionem, & qui tenebantur in vinculis solutionem, & nos de catenis hostium, & de compedibus liberauit: liberatósque nos, & per nouam captiuitatem de captiuitate veteri erutos, secum duxit in cœlum, & his ipsis, quos de inimicorum manu victor eripuit, diuersa gratiarum dona largitus est.* Hæc verò, quis sperasset quēquam adeo impudentem fore, vt interpretaretur de Patribus conclusis in limbo? Videlicet hæc argumenta sunt Papistarum! Optimæ scilicet caussæ. Imò [illegible]. Et tamen Hieronymi expositio discedit à literali sensu Pauli, qui dixit, *captiuam duxit captiuitatem.* Quæ phrasis est Hebræa, qua significatur captiuatio hostium, qui apertè bellum gerebāt, quique victi abducuntur in seruitutem. Deuteronomij vigesimo

gesimoprimo, *Cùm egrediens ad bellũ contra hostes tuos, dederitque eos Iehoua Deus tuus in manus tuas & captiuam duxeris captiuitatem eorum.* Posterioris Chronicorum vigesimo octauo, *Reducatis captiuitatem, quam captiuã duxistis.* Itaque non vtebantur eà phrasi Hebræi, vt significarent eos, qui captiui erant, ab hostibus abduci in libertatem: sed hostes potiùs quos bello victos quis in captiuitatẽ abducit. Quare nõ potest satis commoda videri Hieronymi interpretatio: nam nos certè à Christo in libertatem asserti sumus, non in captiuitatem abducti, qui diabolum, mundum, peccatum, damnationem à Christo penitus victos triumphatósque hostes intelligimus.

XXIV. Superest Zacharias capite nono, *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Ergo Christi anima descendit ad limbos, vt Patrum animas liberaret.

XXV. Negatur consequentia. Negandi ratio prima, quia Propheta nullum habet descensus indicium: sed loquitur de sanguine testamenti, qui reserendus omnino est ad mortem. Itaque designaretur, non descensus animæ, sed efficacia mortis. Quam quis neget potuisse ad Patres peruenire, si Patres vincti detinerentur?

XXVI. Altera negandi ratio: quia nihil fit, quo significetur vllus status eorum qui in limbo. Non enim vincti in lacu sine aqua. Theodoretus, *Hunc autem lacum, siue de morte æterna, siue de errore idolorum velis quã intelligere, nõ à veritate aberrabis.* Et pòst, *Cùm in hoc laca vincti essent homines, Dominus Christus soluit & abstraxit, & pretioso sanguine eis libertatẽ donauit, & ad viam vitæ emisit, cum Nouum Testamentum eis dedit.* Hieronymus ipse, quem tamen testem citabat Vigor suæ expositionis, *Quod ita intelligitur, in sanguine passionis tuæ, eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est vlla misericordia, tua clementia liberasti. Denique postquam Dominus resurrexit, hi qui peccatis Adam siue, vt quidam volunt, errore inoliti, ac mortis vinculis tenebantur, resurrexerunt cum eo, & apparuerũt in sancta ciuitate.* Cyrillus, [illegible Greek]. *Quibus verbis aut infernum, vbi non est vita, significari dicimus (aquam enim pro symbolo vitæ accipiamus licet) aut certè infernum conuenientißimè falsorum deorum fallaciam interpretabimur. Vere enim fouea est, in quam si quis peruenerit deciderit, vita futura ac sempiterna carebit.* Augustinus de Ciuitate Dei libro 18. cap. 35. *Quid per hunc lacum velit intelligi, possunt diuersa sentiri, etiam secundum rectam fidem. Mihi tamen videtur non ea significari meliùs, nisi humanæ miseriæ siccam profunditatem quodammodo, & sterilem, vbi non sunt fluenta iustitiæ, sed iniquitatis lutum.*

XXVII. Sic Veteres. Enimuero, siue infernum dicant, siue idololatriam, nihil ad limbum. Nam in inferno dicunt illi nullam misericordiam, quod in limbis contrà fingunt. Idololatria autem profectò nonnisi in hac vita. Itaque gemina ratio liberandi: vna præueniens, altera eruens. Illa ad infernum: vt sensus sit, liberatum iri vinctos ne inciderent in foueam sine aqua, quæ ratio liberandi procul abest à limborũ fabula. Illa, ad idololatriam, nempe, vt qui ea detinebantur: iam vincti, atque expectantes æternam damnationem, ij ad veri Dei fidem vocarentur, quæ res ad statum pertinet huius vitæ, cum qua limbis nihil commune.

XXVIII. Quid plura? Bellarminus de Purgatorio libri primi capite quarto, *Hunc locũ adducunt passim pro liberatione Patrum ex limbo, tamen meliùs conuenit liberationi animarũ ex purgatorio, quas Christus eduxit, cùm eò descendit post mortem. Primò, quia isti meliùs dicuntur vincti: Secũdò, quia in purgatorio non est aqua cõsolationis, quæ est in limbo.* Adeò Sophistis sua illudit Sophistice.

XXIX. Tertia caussa, quia versio non est legitima. Ad verbum, *Etiam tu in sanguine testamenti tui, emisi vinctos tuos è cisterna vbi non est aqua.* Vbi primùm variæ sunt personæ: nam prius membrum secundam, alterum habet primam. Deinde in priore genus est fœmininum. Deinceps masculum, vt omnino necesse sit prius referri ad Sionem, cuius præcessit mentio: *Exulta filia Sion.* Pagninus putauit sensum esse imperfectum, itaque perficiendum: *Tu quoque seruaberis in sanguine testamenti tui.* Quo tamen nihil opus fuit. Iunius, *Tu autem infecta sanguine fœderis tui, emisi vinctos tuos*: nimirum vt בדם בריתך sit idem ac *tu quæ es in sanguine testamenti tui*, paulò durius. Sed & Hebraismus frequentissimus, vt pronomina, alioqui superflua, addantur emphasis caussa. Geneseos vigesimo quarto: *Ego in viam quã deduxit me Iehoua.* In vulgata latina, *recto itinere me perduxit.* Itaque debuit reddi, vt sensus esset, *Quod ad te attinet in sanguine testamenti tui emisi vinctos tuos*: vt in editione nostra Gallica, *Quant à toy aussi, à cause du sang de ton alliance ie mettray tes prisonniers hors de la fosse.*

XXX. Et hæc quidem responsa sunto ad eos locos, quos Vigor opposuit. Quorũ nonnullos scio à nonnullis Veterum aliquãtulum detortos, vt eorum autoritate facile queant abuti Papistæ. De his consultò nihil dum dixi: non obiectionem dissimulans: sed nunc eadem opera omnibus satisfacturus. Contra enim excipio: primùm, afferri à nobis alios Patres, qui in interpretando dissenserunt. Itaque non posse vrgeri illorum autoritatem. Particulares enim hominum sententias demonstrationis vicem non obtinere. Secundò, quandoquidem ij loci variè à variis exponuntur, esse igitur saltem ambiguos: proinde nihil probare: nam incertum per incertius non demonstratur. Tertiò, cùm è locis ipsis desumantur argumenta ad impugnãdam interpretationem eam quę Papistis fauet: tum verò satis superque obiectionẽ solui. Nam, qui à vero aberrat, quomodocumque tandem aberret, eum nihil posse probare. Quare bonorum Patrum peccata candidè condonemus; modestè etiam excusemus: sed tamen constanter caueamus, ne veritati vllum faciant præiudicium.

Cap. IX.

De Patrum Traditione.

I. DEuenimus ad Patres: quibus, qui malè tuti sunt à Scripturis, videri volunt confidere, tanquam qui nuditati suæ è ficulneis foliis præsidiũ quærat. At nos Christiani, [illegible Greek]: *non expectamus ab homine testimonium, sed quæstionẽ volumus confirmari diuina voce*, clamamus cum Clemente Alexandrino: Et te, nobilissime Hierosolymorum Antistes, quem esset è re Ecclesiæ reuiuiscere, si sic Deus daret, vt denuo quantumuis surdis auribus intonares illud tuum, [illegible Greek], *Cauete ne vel mihi afferenti fidem habeatis, nisi demõstratione accepta ab ipsis diuinis scripturis.* Itaque, esto prima hæc exceptio ad prolixam illam

testis enumeratione, quæ siue hic sit à Bellarmino, siue etiam à Coccio, ne Patrum quidem autoritati standum præter Scripturam. Cùm igitur demonstratum sit nullum esse Scripturæ locum, qui non violenter torqueatur, cùm accommodatur ad descensum hunc in limbum: superest, vt cum bona Patrum illorum venia nos eam fabulam Papistæ permittant tam facilè contemnere, quàm facilè inuenta sunt.

II. Secundò, ex iis Patribus sunt, qui non commodè cœnturie nimium ij, qui quid intelligendum sit per hunc descensum ad inferos, non explicant. Huc refer Symbolum Apostolicum, de cuius interpretatione nunc quæstio est. Huic poterat etiam Athanasius addi, in quo eadem verba repetuntur. Huc Ignatium refero, qui Epistola ad Trallianos, *Descendit ad infernum solus, regressus autem cum multitudine.* Quæ verba nemo est nostrûm, qui non concedat: nimirum, quia magnus est eorũ numerus, quos hoc suo descensu ad inferos redemit: etsi cum iis tum actu præsentibus, sibíque adsistentibus, non ascenderit. Neque aliter intelligendus Taddæus apud Eusebium historiæ libro primo, capite postremo, asserens Christum descendisse solum, ascendisse autem cum grandi multitudine. Quanquam ea Eusebij narratio de Abgaro, fabula sit potius.

III. Iam quod Ignatius addit passum esse, mortuumque Christũ, *ἀληθῶς καὶ οὐ δοκήσει, verè non bonorum opinione, βλεπόντων οὐρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, videntibus cœlestibus, terrestribus, & subterraneis*: nutor à Bellarmino esse citatum: neque animaduersam continuo subditam explicationem, *οὐρανίων μὲν, ὡς τῶν ἀσωμάτων φύσεων; ἐπιγείων Ἰουδαίων καὶ Ῥωμαίων, καὶ τῶν παρόντων κατ' ἐκεῖνο καιροῦ σταυρουμένου τοῦ Κυρίου, καταχθονίων δὲ ὡς τοῦ πλήθους τοῦ συναναστάντος τοῦ Χριστοῦ, Cœlestibus puta, incorporeis naturis: terrestrib⁹, Iudæis, Romanisque, & quotquot eodem tempore aderant cùm Dominus crucifigeretur. Subterraneis autem ea videlicet turba, quæ vnà cum Christo resurrexit.* En tibi *τοὺς καταχθονίους, eos qui sub terra detinebantur*, quorum nomine Bellarminus imponebat nobis. Non animæ in limbo Papistico, sed homines sunt morte detenti, atque in sepulcris, saltem ex parte, qui tum fuerunt à morte, atque à sepulcris liberati: idque per resurrectionem, non per imaginarium illum suum ascensum. Notandum igitur: primùm, eos subterraneos resurrexisse. At Patres illos è limbo liberatos Papistæ negant resurrexisse. Ergo, non sunt ij subterranei Ignatij, iidem cum illis Papisticis è limbo erutis. Secundò, Ignatij subterranei viderunt Christum patientem & mortuũ. At Papisticæ illæ animæ neutrum: saltem Animam Christi descendentem Papistæ negant quicquam passam. Tertiò, illi Ignatij subterranei resurrexerunt cum Christo. At ex Euangelica historia constat eos, qui tum resurrexerũt, tum resurrexisse, quum Christo animam expirante factus est terræ motus, apertaque monumenta: id est, cùm nondum esset anima Christi in limbo.

IV. Iustinus contra Tryphonem, queritur à Iudæis erasum testimonium Hieremiæ, *Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum ex Israele, qui obdormierunt in terra aggeris: & descendit ad eos, vt euangelizaret ei salutare suum.* Sed neque Iustinus, de limbis aut descensu ad eos quicquam loquitur, aut hic aut alibi. Neque ipsi loco non aliter potest facilè suus sensus constare. Quidni sit enim allegoricus, & mortui dormientésque intelligantur, quorum iam dui in seculo status erat deploratus? Cur non & descendere intelligatur aliter quàm de præsentia, & loci mutatione? Denique *γῆ χώματος*, quomodo de limbis potest intelligi propriè? Certè, qui Latinè vertit, exponit *tumulos & sepulcra*. Quanquam de loco Apocrypho, & eo quidem sic abrupto, vt neque quid antecederet, neque quid sequeretur, cognitum sit; non est quod diligentius laboremus. Neque eum Papistæ vrgere possunt: cùm ne quidem in eorum editionibus inueniatur. Nec vlla legitima suspicio est, erasum hunc locum fuisse à Iudæis. Cur enim hunc potiùs, quàm alios plurimos longè disertiores de Christo, eiúsque in Ecclesiam beneficiis?

V. Citantur etiam inutiliter ij, quorum sententia alia est, imò aliena, non à Catholicis tantùm, sed etiam à Papistis. In his Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes: quorum sensum sine dubio nó expenderunt Papistæ: ne Bellarminus quidem. Nec mirum *ἀμαθοῦς τις καὶ παιδάριον*. Nam hoc genus hominibus inutilis est *ἀκριβὴς τῶν συγγραμμάτων ἐξέτασις*. sufficit *ἐπιπολαίως*, & perfunctoriè legere, paucula sque voces notare: quarum vicinitas oculos perstringat. Itaque dum obseruarunt Irenæum, Clementem, Origenem, nonnihil esse loquutos de animarum receptaculis post separationem à corpore: meminerúntque siue limbum, siue Purgatorium, à se fingi esse tale quippiam, statim id arripiunt, quasi illi siue limbum, siue Purgatorium dixerint totidem syllabis literisque: Ridiculè. Quid enim est Papistis limbus? locus nescio quis intra terram circa inferos damnatorum, vbi beatorum detinebantur animæ vsque ad Christi aduentum, non vltra. At hæc somnia nego vel Irenæo, vel Clementi, vel Origeni in mentem venisse.

VI. Irenæus libri quinti capite trigesimo primo in editione Feuardentij, disputat contra hæreticos qui supergredientes ordinem promotionis iustorũ, dicebant se simul atque mortui fuerint, supergredi cœlos, & demiurgum, & ire ad matrem, vel ad eum quem fingebant, patrem, hoc est, subitò post mortem abire in eum fœlicitatis gradum, vt nihil expectandum esset præterea. Nam, & vniuersam resurrectionem reprobabant, & de medio auferebant. Hos igitur refutans, concludit contra, *discipulorum Christi animæ abibunt in inuisibilem locum definitum eis à Deo, & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora & perfectè resurgentes, hoc est, corporaliter. quemadmodum & Dominus resurrexit: sic venient ad conspectum Dei.* Hoc probat ab exemplo Christi, qui tertia die fecit resurrectionem, nec super crucem expirans, cõfestim abiit sursum, relinquens corpus terræ: sed tribus diebus cõuersatus est, vbi erant mortui: & cùm resurrexisset tertia die, Mariæ dixit, *Nondum ascendi ad Patrem meum.* Est autem hæc vis argumenti, quam iterum tertioque inculcat: Si Dominus non ascendit ad Patrem, statim atque expirauit: ergo, neque eius discipuli. Probatur consequentia, quia nemo discipulus est super magistrum: perfectus autem omnis erit sicut magister eius. Antecedens probatur, tum à triduo mortis, tum à loco illo Hieremiæ, quẽ Iustinus queritur à Iudæis erasum; tum à Prophetia Ionæ, tum ex quarto ad Ephesios, tum ex Ioannis vigesimo. Hæc Analysis eius disputationis.

VII. Non loquitur ergo Irenæus de Papistico descensu ad inferos. Quod sic demonstro: Primò, quia locus, in quo fuisse dicitur Christus, is est in quem abituri sint discipuli Christi. At limbus non est locus in quem abeant discipuli Christi. Nam

Papistæ

Papistæ cum Patribus Veteris Testamenti volunt esse particularem; atque adeo nunc vacare, iis inde deductis. Secundò, dixit Irenæus Christum seruasse legem mortuorum, vt fieret primogenitus à mortuis, commoratumque vsque ad tertiam diem in inferioribus terræ. Quæ verba significant id Christo accidisse ex generali mortuorum conditione; hoc est, quia sic in mortuis omnibus fieri solet. At hic descensus Christi, quem fingunt Papistæ, eaque commoratio in limbis, non fuit ex generali mortuorum conditione. Tertiò, loquitur Irenæus de loco, in quo animabus manendum sit, vsque ad corporum resurrectionem. At in limbo nemo Papistarum dixit tamdiu manere animas. Imò, inde eas deductas volunt longè ante resurrectionem.

VIII. Quid igitur Irenæus sensit? difficilem locum Feuardentius esse fatetur, in eoque tum excusando, tum elucidando laborat. Videtur enim sensus esse, animas sanctorum facie ad faciem Deū non videre, siue, vt loquitur Gallasius, arceri à conspectu Dei, vsque ad tempus resurrectionis. Excusat ergo, quia alibi contra scripserit, *animas defunctorum dignam habitationem nancisci ante iudicium* scilicet libro secundo, capite sexagesimo sexto. Et secundo capite libri primi, *Iusta & præcepta Dei seruantibus ac in eius dilectione perseuerantibus vitam donari, incorruptibilitatem loco muneris conferri, & claritatem æternam tribui*. Itaque sibi potiùs videri Irenæum sensisse beatorum animas nondum potiri regni illius perfecta summaque felicitate, sed quasi imminuta & dimidiata, loco à nostris sensibus nostraque experientia remotissimo, cùm longè ampliora in posterum recipienda sint præmia in aduentu Domini, cùm corpora secum asportabunt.

IX. Et nos sanè, quotquot sumus Catholici, Irenæum tantum virum libentibus animis audimus excusari. Nam charitas obtegit multitudinem peccatorum. Tum, etsi nonnullas habeat incommodas sententias, tamen scimus laudabilem inter primos operam contulisse ecclesiæ suo seculo. Sed hic sanè quomodo ab omni labe purgari queat, nos non videmus: Diserta enim verba sunt, *Discipulorum eius, propter quos & hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum definitum eis à Deo, & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora, & perfectè resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum & Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei*. Et pòst, *Quomodo ergo magister noster non statim euolans abiit, sed sustinens definitum à Patre resurrectionis suæ tempus (quod & per Ionam manifestatum est) post triduum resurgens assumptus est. Sic & nos sustinere debemus definitum à Deo resurrectionis nostræ tempus prænunciatum à Prophetis, & sic resurgentes assumi, quot quot Dominus ad hoc dignos habuerit*. Vbi non tantùm inuisibilem audias locum, hoc est, vt Feuardentius exponit, à nostris sensibus nostraque experientia remotissimum: sed etiam, expectandam esse resurrectionem, vt assumpto corpore in conspectum Dei assumamur. Quod quidē eò minùs excusari queat, si verum sit, quod ipse videtur sensisse, Christi animam in triduo mortis non fuisse in cœlis, quod & Papistæ tuentur, addentes fuisse in limbis, vbi Patres erant procul à visione Dei. Nam, quia exemplo Christi suam sententiam tuetur, vt omnino idem de animabus sanctorum dicendum sit, quod in Christo contigisse creditur, quis non videt necessariam esse conclusionem, quemadmodum Christi anima, ad resurrectionem vsque, in loco fuit procul à cœlis atque à visione Dei, sic nostras etiam animas, vsque ad sibi præfinitum resurrectionis diem? Itaque Deū omnino non videre? Nec contrà quicquam scripsit Irenæus alibi. Nam, quis nō videt locum illum dignæ habitationis facile intelligi posse de hoc ipso inuisibili? Vitam etiam beatam atque incorruptibilem? Nam sane non credidit Irenæus hunc locū inuisibilem esse locum, vbi corrumpantur animæ: imò verò vbi iam frui incipiant vita æterna, cui tandem accedere debeat conspectus Dei. Quid ergo? Nimirum omnino fatendum est, nonnullum esse Irenæum, cuius infirmitas excusari benignè tolerarive queat: at error nullo modo probari: quo magis sunt ἄτοποι Papistæ, qui eos ipsos Patrum locos nobis obiiciunt, quos approbare salua fide nō possint.

X. Clemens Alexandrinus Stromateon sexto, multò scripsit absurdiùs. Locus est admodum prolixus. Itaque in compendium redigendus. Docet ergo: Primò, κατὰ καιρὸν ἰδίᾳ νόμος μὲν καὶ προφῆται βαρβάροις, φιλοσοφία δὲ Ἕλλησιν, τὰς ἀκοὰς ἐθίζουσα πρὸς τὸ κήρυγμα, *pro tempore datam esse legem & Prophetas Barbaris, id est, Iudæis, Philosophiam verò Gentibus, vt assuescerent prædicationi, scilicet Euangelij*. Deinde duo constituit iustorum genera ex lege & ex Philosophia. Ac τοῖς μὲν γὰρ κατὰ νόμον δικαίοις (inquit) ἔλειπεν ἡ πίστις, τοῖς δὲ κατὰ φιλοσοφίαν δικαίοις, οὐχ ἡ πίστις μόνον, ἡ εἰς τὸν Κύριον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀποστῆναι τῆς εἰδωλολατρείας ἔδει, *Iis qui secundum legem erant iusti, deerat fides: iis verò qui secundùm Philosophiam, nō tantum fides, sed & discessio ab idololatria*. Tertiò, non esse conueniens, diuinaque iustitia dignum, nullum fieri discrimen iustorum & peccatorum, τίς γὰρ εὖ φρονῶν ἐν μιᾷ καταδίκῃ καὶ τὰς τῶν δικαίων καὶ τὰς τῶν ἁμαρτωλῶν ὑπολάβοι εἶναι ψυχάς, ἀδικίαν τῆς προνοίας καταγινώσκων; *Enimuerò quis recto præditus iudicio eadem damnatione inuoluat tum iustorum tum peccatorum animas, iniustitiæ reans agens prouidentiam?* His substratis fundamentis, iam hæc superstruit. Primò, ἔπρεπεν τῇ θείᾳ οἰκονομίᾳ, τοὺς ἀξίᾳ μᾶλλον ἐγκρίνοντας ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ προηγουμένως βεβιωκότας, εἰ δὲ καὶ τὸ ἐπλημμελῆσθαι μετανενοηκότας, κἂν ἐν ἄλλῳ τόπῳ τυγχάνωσιν ἐξεταζομένους, ἐν τοῖς τοῦ Θεοῦ ὅμως τοῦ παντοκράτορος, κατὰ τὴν οἰκείαν ἑκάστου γνῶσιν σωθῆναι, *Hoc decebat diuinum consilium & prouidentiam, vt qui in iustitia maiorem habuerunt dignitatem & merita, & præ cæteris egregiè vixerunt, & eorum, quæ peccarūt, ducti sunt pœnitentia, etiamsi sint in alio loco, cum extra controuersiam sint in eorum numero, qui sunt Dei omnipotentis, salui fiant per propriam vniuscuiusque cognitionem*: in quibus verbis non rectè Heruetus προηγουμένως vertit *præ cæteris*, debuit potius, *primò*. Sed sensus est Clementis; non tantùm Iudæos, qui vita secundùm legem transacta, excesserant è viuis: sed etiam Ethnicos, qui secundùm Philosophiæ præcepta mores suos composuerant, debere seruari, etiamsi inter mortuos degerent. Itaque Christum mortuis prædicasse, vt Iudæos seruaret: sed & Apostolos vt Græcos, τί γάρ; οὐ δηλοῦσιν εὐηγγελίσθαι τὸν Κύριον τοῖς τε ἀπολωλόσιν ἐν τῷ κατακλυσμῷ, μᾶλλον δὲ πεπεδημένοις, καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ τε καὶ φρουρᾷ συνεχομένοις; *Quid enim? annon significant Dominum annunciasse Euangelium & iis qui perierant in diluuio, vel potius vincti fuerant & iis qui in præsidio tenebantur & custodia?* Δέδεικται δὲ καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ Στρωματεῖ, τοὺς ἀποστόλους ἀκολούθως τῷ Κυρίῳ, καὶ τοῖς ἐν ᾅδου εὐαγγελίσασθαι (Heruetus rectè legit εὐαγγελίσασθαι) ἐχρῆν γάρ, οἶμαι, ὥσπερ κἀνθάδε, οὕτω δὲ κἀκεῖσε τοὺς ἀρίστους τῶν μαθητῶν μιμητὰς γενέσθαι τοῦ διδασκάλου, ἵν᾽ ὁ μὲν τοὺς ἐξ Ἑβραίων, οἱ δὲ τὰ ἔθνη ἐπιστρέψωσιν εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ Θεοῦ, τοὺς ἐν δικαιοσύνῃ τῇ κατὰ νόμον καὶ φιλοσοφίαν βεβιωκότας μέν, οὐ τελείως δέ, ἀλλ᾽ ἁμαρτητικῶς διανυσαμένους τὸν βίον. *Ostensum est autem in secundo quoque Stromate, Apostolos consequenter Domino,*

iis quoque qui erant apud inferos annunciasse Euangelium. Oportebat enim, vt existimo, sicut hic, ita illic quoque optimos ac præstantissimos discipulos esse magistri imitatores: vt vnus quidem, eos, qui erant ex Hebræis, alij verò Gentes deducerent ad conuersionem, hoc est, eos, qui in iustitia, quæ est ex lege & ex Philosophia, vixerant quidem, at non perfectè, sed cum errore & prolapsione vitam transegerant.

XI. En tibi Clementis sententiam in sexto Stromateon. Et tamen scio esse nõnullos, eósque magni nominis viros, qui malè acceptum hunc autorem, miniméque intellectum, querantur: contendantque figuratè esse locutum, vt τὸν ἐν ᾅδῃ appellaret eos, qui vitam hîc infernalem degunt, siue ex Iudæis, siue ex Gentibus. Sed ego ingenuè fateor, non videre quomodo excusari possit. Mitto καὶ τῶν δικαίων, καὶ τῶν ἁμαρτωλῶν ψυχάς, quę certè non solent significare homines in hoc seculo viuentes. Quid autem? Nónne τοὺς βεβιωκότας & [illegible] βεβιωκότας, scripsit? imò disertiùs τοὺς διαπεπραγμένους τὸν βίον. Nam, vt demus τοὺς βεβιωκότας posse intelligi de iis, quorũ adhuc viuentium præteritam vitæ partem consideramus, at certè διαπεπραγμένοι τὸν βίον non potest nisi de iis dici, quorum vitæ finis est impositus, quíque transgressi sunt huius æui terminos. Tertiò, quorsũ ista spectare possunt κἂν ἐν ἄλλῳ τόπῳ τυχῶσιν? Aut ego nihil video, aut hic sensus est, potuisse nõnullos distinguere, vt diceret, eos iustos vel in his terris positos esse, vel ἐν ᾅδῃ: illos quidẽ posse seruari, hos verò non item. Hanc autẽ distinctionem occupasse Clementem, asserendo, tam debere seruari iustos in alio loco positos, quàm in his terris. Nam & postea apponit ἐνθαῦτα & ἐκεῖσε. Quartò, [illegible] (inquit) [illegible]

Idque cùm possint animæ purius perspicere, quæ sunt liberæ à corporibus, etiamsi obscurentur vitiis & perturbationibus, eo quòd amplius se non eis apponat & eas impediat carunoula. Hæc verò quis excusare poterit? Mitto alia argumenta, quæ diligens lector obseruabit in textu Clementis. Nec sanè Gentianus Heruetus aliter sui autoris mentem concepit tum in versione, tum in annotationibus, quanquã nullo indicio sibi hanc sententiam displicere significauit. Est tamẽ [illegible]. Atque adeo eam Philastrius inter hæreses retulit: *Alij sunt hæretici* (inquit) *qui dicunt Dominum in infernũ descendisse, & omnibus post mortem etiam ibidem renũciasse, vt confitentes ibidem saluarentur. Cum hoc sit contrariũ dicenti Prophetæ Dauid, In inferno autem quis confitebitur tibi: & Apostolo, Quotquot sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Et rursus, *Nam Poetas falsos & vanos Philosophos, qui æstimant posse seruari rebelles Deo: errant illi penitus & à veritate dissentiunt.* Nec Papistæ dissentiunt. Imò Bellarminus negat Christũ profectum in infernũ ad conuertendos infideles, siue impios. At Clemẽs hoc vult disertis verbis, & quidẽ sæpius. En tibi legitimũ autorẽ Traditionis Papisticæ de descẽsu ad Limbũ.

XIII. Sequitur alter nihilò melior, Origenes: Is docuit, eos, qui hãc vitã in flagitiis, & facinorib⁹ & sacrilegiis atque impietatibus, quamlibet maximis, finierunt: ipsum etiam postremo diabolum, atque Angelos eius, quãuis post lõgissima tẽpora purgatos atque liberatos, regno Dei lucique restitui. Hæc, inquam, Origenes docuit, teste Augustino in hæresibus. Et hunc aliquis miretur etiam Clementis somniis assensum præbuisse? Certè libro secundo contra Celsum, cuius verba Bellarminus indicauit, non recitauit, soluẽs obiectionẽ Celsi, non sperantis Christianos affirmaturos, Christũ demissum ad inferos, vt illis persuaderet: huic, inquam, obiectioni respõdet, *Atqui, vel Celso inuito, dicturi sumus, vel cùm in humanis ageret Iesus, & corpore adhuc permaneret, non paucis illũ, sed tam multis persuasisse, vt præ eorũ tam multitudine, quos dicto audientes haberet, paratæ sibi insidiæ sint: & vbi e vita excessit, deposito corpore in animam nudam redactus, cum animis etiam corpore vacuis nudatisque versabatur, ex his ad se reuocans quos vel sequi se vellet, vel pro cognitis sibimet rationibus aptiores videret, vt ad seipsum conciret.* Hæc Origenes. Videant Papistæ velint-ne sua improbare, vt cum eo sentiant. At nos ingenuè profitemur nolle nos ab istius ingenij doctoribus discere, quis sit Christi descensus ad inferos.

XIV. De reliquis possent etiam sigillatim nonnulla dici: sed semel respondeo, vetustiores, & qui maximè ad Christi, Apostolorumque ætatem accesserunt, neminem omnino esse, cuius vlla diserta sint verba in Papistarum sententiam: aut quæ non possint facilem interpretationem ferre. Quosdam toto cœlo à veritate aberrasse, eósque magni nominis viros, Irenæum, Clemẽtem, Origenem, à quibus lõgè latéque error potuit spargi. Potuit etiam variè interpolari: vt quæ manifestissimè erant absurda, quale illud est de Philosophis, usque idololatris, omitterentur, nec tamen à vulgata persuasione omnino discederetur: sed tum inuentores, tum interpolatores oportuit ad Scripturam animum magis aduertere, indéque omnia probare.

Cap. X.

De rationibus, quibus probatur descensus in Limbum.

I. Thomas Aquinas Summę parte tertia, quæstione quinquagesima secũda, articulo primo, tribus rationibus probat fuisse conueniẽs Christum ad infernum descendere, quas non oportet intactas relinquere, à Bellarmino dissimulatas, nescio quam ob causam. Enimuerò quod ei licuit, suam caussam pro arbitrio defendenti; nobis non itidem permittitur alienam impugnãtibus. Illi quidẽ liber fuit argumentorum delectus; vt ne suo defuisse officio dici possit, si quędã omiserit, siue quia videbãtur leuia, siue quid aliud in caussa fuerit. Nobis, si quicquam prætermitus, quod alicuius momenti visum sit τοῖς ἀντικειμένοις, id facilius diffidentiæ cuipiam imputabitur, quàm argumentorum leuitati.

II. Prima ratio: quia venit Christus, vt nostros lãguores portaret, nosque à pœna eriperet, teste Esaia, capite quadragesimo tertio, *Verè languores nostros ipse tulit: & dolores nostros ipse portauit.* Atqui ex peccato, nõ solum corporis morti obnoxius factus est homo, sed etiam descensui ad inferos. Quare, quemadmodum conueniẽs fuit eum mori, vt nos à morte liberaret: sic conueniens fuit etiam descendere ad inferos: vt nos à descensu ad inferos liberaret.

III. Respondeo: primò, Papistas non admittere consequentiam: cùm negent Christum in anima sua pœnas nostras tulisse: cùm tamen negare non possint venisse, vt ab iis ipsis nos liberaret: qua de re postea videbimus. Secundò, iidem Papistæ negant Christum descendisse ad inferos, vt aliquid pateretur: itaque non potest ab iis concedi consequentia. Tertiò, non concedunt Christum nos liberasse à descensu ad inferos: alioqui in ventos abiret Purgatorij fabula. Nam quicumque abeunt in Purgatorium, eos necesse est descendere ad inferna: quando-

qu[illegible] ... ſi Patrum [illegible] ... Non bene i[illegible] ... congruit cum Papiſtica do[illegible] ... quicquid neceſſe e[illegible] ... peractum eſſe tum cùm ex[illegible] ... *Conſummatum eſt* inquit, Ioannis decimo no[illegible] ... nihil ſupererat agendum ad [illegible] ... ſacerdos. Quintò, deſcenſus ille ad inferos, ſi proptie ſumitur localiter, non eſt propter ſe per se pœna peccati: ſed tantum per accidens: quia eo loci deſtinatum fuit à Deo infideles puniri. Itaque remiſſa pœna, id eſt, eo quod eſt præcipuum, intelligitur eo ipſo remiſſus deſcenſus, id eſt, id quod eſt per accidens. Quemadmodum, cùm à Rege condonatur reo pœna mortis, eo ipſo intelligitur non deducendus à carnifice ad patibulum. Cùm igitur morte ſua liberauit nos Chriſtus ab omni pœna, quam in inferis pati debebamus, eo ipſo intelligendum eſt, liberatos eſſe nos ab hoc deſcenſu ad inferos. Itaque nihil erat neceſſe cum ipſum eò deſcendere. Chryſoſtomus Homilia ſexta ad Coloſſenſes, [illegible] ... *Ipſe peccatum, ſoluit & peccatum & pœnam: punitus autem fuit in cruce.* Denique hunc deſcenſum non repræſentant Papiſtæ, tanquam languorem, ſed tanquam triumphum teſte Bellarmino capite octauo. *Omnes Patres*, inquit, *qui deſcenſum Christi ad inferos deſcribunt, deſcribunt vt deſcenſum victoris & triumphatoris, non vt rei* ... *nec vllo modo audeant Chriſtum ab*[illegible] *, eſſe in inferno.* Quorſum ergo nobis Thomas languores occlamat?

IV. Secunda ratio: Conueniens erat, vt victo diabolo per paſſionem, vinctos eius eriperet qui detinebantur in inferno: ſecundùm illud Zachariæ nono. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui vinctos tuos emiſiſti de lacu.* Et ad Coloſſenſes ſecundo. *Expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter.*

V. Reſpondeo, vinctos diaboli non poſſe in inferinis alios eſſe, quàm animas damnatorum. At has nullas eſſe à Chriſto liberatas, ipſe docet Thomas hac eadem quæſtione, articulo ſexto. *Deſcenſus ad inferos, inquit, illis ſolis liberationis attulit fructum, qui fuerunt paſſioni Chriſti coniuncti per fidem charitate formatam per quam peccata tolluntur.* At hi nulli ad mandantur ad inferos vincendi à diabolis. De Zachariæ loco, iam ſatis actum. In illo ad Coloſſenſes, fœdè allucinatus eſt Thomas inſcitia linguæ Græcæ, & amphibolia Latinæ dictionis. Nam illud *traduxit*, interpretatur de ſanctis Patribus; qui ab inferis ad cœlum traducti ſint à Chriſto. *Traduxit ipſos ſanctos confidenter*, inquit, in commentariis. Quem errorem in Thoma aut Lyrano non miror: ſed à Caietano non fuiſſe animaduerſum, hoc miror. Certè longè alia mens eſt Pauli: nempe, traductas fuiſſe ipſas Poteſtates, & Principatus, id eſt, diabolos, Græcè ἐδειγμάτισεν forte Laurentius Valla, *Neſcientes quid nunc ſignificat, traduxit, exponunt, tranſtulit longè ab hoc regno ad cœlum, cum ſignificet, exemplum ignominiæ effecit, vt in principio Matthæi diſſeruimus.* Nec aliter Eraſmus, & Gagnæus. Græci omnes veteres, & è Lannis, quicunque Græcè ſciuerunt, conſentiunt. Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, & autor earum annotationum quæ tribuuntur Hieronymo. Iſidorus Pelusiota libro quarti Epiſtola centeſima octaua, interpretatur [illegible] ... *Reuera induebatur* ... *eſt diabolus, vnica carne in cruce pendente* ...

VI. Tertia ratio, vt ſicut poteſtatem ſuam oſtendit in terra viuendo, & moriendo: ita etiam poteſtatem ſuam oſtenderet in inferno ipſum viſitando & illuminando: vnde dicitur in Pſalmis: *Attollite portas principes veſtras.* Gloſſa, id eſt, *O Principes inferni, auferte poteſtatem veſtram, qua hucvſque homines in inferno detinebantur; & ſic in nomine Ieſu omne genu flectatur, non ſolùm cœleſtium, ſed etiam infernorum, vt dicitur ad Philippenſes ſecundo.*

VII. Reſpondeo, inanes eſſe coniecturas, quas tā facile eſt contemnere, quàm excogitare. Primū, debuiſſe à Chriſto viſitari locum illum damnatorum, quæ ratio efficit? Secundò, debuiſſe illuminari, multo abſurdius eſt. Non debent enim, qui damnati ſunt ad perpetuas tenebras, illuſtrari diuina luce. Infernum autem alium quàm damnatorum nō agnoſcit Scriptura: non debēt agnoſcere Chriſtiani. Tertiò, poteſtatem ſuam Chriſtus in inferna lōge aliter oſtendit: nimirū, quomodo Paulus docebat *ſpoliauit poteſtatibus & principatibus*: & id ſatis ſuperque fuit. In Pſalmo rurſus peccat Thomas, deceptus tū peruerſa verſione, tum interpretatione aliena: neque enim Pſaltes dixit, *O principes, attollite portas veſtras*: ſed, *ô portæ attollite capita veſtra.* Neque ſignificauit auferēdam eſſe portarum potentiam. Sed de his iam antè dictum fuit.

VIII. Vigor in Symbolum ſermone decimo quarto, duobus adhuc argumentis pugnat. Eſto igitur quarta ratio. Caluinus hunc articulum de deſcēſu ad inferos admittit eam ob cauſam, quia à veteribus admiſſus eſt, neque vllum Scripturæ contextum extat quo eum confirmet. Ergo, debuit etiam eorundem veterum explicationem admittere. At hi omnes vno ore dicunt Chriſtum realiter poſt mortem deſcendiſſe ad inferos.

IX. Reſpondeo, antecedens eſſe falſum. Nunquam enim Caluinus putauit quicquam admittendum in album articulorum fidei, ex ſola hominum, quātumuis aut veterum, aut ſanctorum, autoritate. Itaque, hunc ipſum, de quo agimus, ideo potius recepit, quia è Scriptura hauſtus eſt. En locum. *Verùm ante à quibus, aut quo primùm tempore inſerta fuerit, parum ad rem attinet. Potius hoc in ſymbolo animaduertendum, vt plena & numeris omnibus abſoluta fidei ſumma nobis conſtet, in quam nihil ingeratur, niſi ex puriſſimo Dei verbo petitum. Si quos tamen impedit moroſitas, ne in ſymbolum admittant, mox tamen planum fiet, tanti intereſſe ad redemptionis noſtræ ſummam, vt ea prætermiſſa multum ex mortis Chriſti fructu deperent.* Hæc Caluinus Inſtitutionis libro ſecundo, capite decimo ſexto, ſectione octaua. At vbi ergo (inquit Vigor) ſcriptum eſt, quòd Chriſtus deſcendit ad inferos? ſi Papiſticè, inquam, deſcenſum intelligas, reſpondeo, nuſquam ſcriptū eſſe: ideóque à Caluino non admitti. Sin autem Catholicè, tum Caluinus ſatis docet, vbi ſcriptum ſit: & nos etiam proximo capite docebimus. Iam igitur, negato antecedente, nihil poteſt concludi.

X. Sed rurſus, quæro, quomodo Patrum explicationem intelligat. Nam ſi vnanimem omnium, Caluinus negat inueniri poſſe. Verba ſunt, *Nemo eſt Patrum, qui non in ſuis ſcriptis deſcenſum Chriſti ad inferos commemoraret, tametſi interpretatione diuerſa.* Et nos capite præcedente id fecimus manifeſtum. Sin verò concedat Vigor, non conſentire Patres inter ſe, cur vrget eorum autoritatem? Aut quibus nos potiùs volet adhærere? At nos, dum ipſe deliberabit, pronunciamus, ſequi nos velle verbum Dei.

XI. Quinta ratio: anima Christi triduo mortis vel in sepulchro, vel in cœlo, vel in inferno fuit. At nō in sepulchro: quia erat separata à corpore. Nō fuit etiam in cœlo: nam ascensionem ad cœlos credimus factam quadragesimo demū die post resurrectionem, recitante Luca in Actis. Si autem in triduo mortis anima Christi fuisset in cœlis, tam verè diceretur Christus ascendisse in cœlos, quàm dicitur fuisse sepultus. Necesse est igitur animam Christi fuisse in Limbo, cū Abrahamo & reliquis Patribus.

XII. Respondeo: Christi animam fuisse in cœlo, postquam egressa est de corpore: id est, in eo loco, ad quem proficiscuntur omnes piorum animæ, expectaturæ resurrectionis suæ tempus. Sic Lucæ vigesimo tertio. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Nam quòd hanc sententiam Vigor errorem vocat execrandum, Papisticè facit, erroris præiudicio, non vlla legitima caussa. Quod enim in eo maius est incommodum, quàm in Paulo, Petro, Ioanne; quos ipsi Papistæ; ipsi, inquam, Papistæ credunt in cœlis versari, ante resurrectionis tempus? Atqui ascensio facta est post quadraginta dies à resurrectione. Ita est sanè, inquam. Sed vtrumque optimè conuenit. Nam ascensio intelligitur animæ Christi cum corpore, non solius animæ. Itaque, non ascensus simpliciter, sed ille ascensus resuscitati corporis negandus est factus ante quadraginta dies. Quid igitur? dicemúsne Christum ascendisse in cœlos, vt dicimus esse sepultum? hoc scilicet intelligo Vigorem velle: Quemadmodū Christus dicitur sepultus, etiamsi solum corpus fuerit sepultum: sic diceretur ascendisse in cœlos, etiamsi sola anima ascendisset. Satis subtiliter. Sed quid incommodi? Imò verò, nónne Christus dixit, *Eris hodie mecum in Paradiso?* Non autem, cum anima mea. Itaque nihil est absurdi.

CAP. XI.

Catholicorum sententia de descensu ad inferos.

I. PApistarum igitur sententia, nulla est sententia. Quid hîc nos? Nimirum quod Scriptura docet: Dominum nostrum Iesum Christum, fideles à pœnis peccato debitis liberasse, easdem pœnas subeundo. Itaque, non tantùm corpore, sed etiam anima, verè passum esse. Porrò, quæ corpore passus sit, ea continentur his symboli articulis, *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus.* Nam illa omnia corporis sunt absque controuersia: nec negant Papistæ. At quæ animâ passus est, ex vnico articulo significari, *Descendit ad inferos*, non κατ' τὸ ῥητὸν, siue ad literam, vt & inferi significent locū aliquem, verè locum, distinctum separatúmque ab his terris, aut descendere, localem quempiam motum à superioribus ad inferiora: sed metaphoricè, quomodo Scriptura solet hac ipsa phrasi immensos summósque dolores, atque angustias significare, quibus nō corpus duntaxat exercetur, sed etiam anima constringitur, idque tanto maiore cum emphasi, quāto notius est per inferos ἰδιωματικῶς iam olim significari statum eorum, quorum animæ ob peccata torquebantur. Denique huius articuli hunc sensum esse diximus, Christum nō communem tantùm mortem fuisse perpessum, quæ est animæ à corpore separatio, sed etiam dolores mortis, sicut Petrus vocat: hócque nomine horribiles angustias intelligi, quibus eius anima constricta fuit. Quæ verba sunt Cathechismi.

II. Hîc Bellarminus, vt semper, aut certè adeo sæpe, vt ferè semper, egregiè calumniatur, in quatuor articulos sententiam Caluini distinguens, quo iure, quáve iniuria. Primus articulus est, iuxta Caluinum nullum esse subterraneum locum pro impiis, nullū item esse purgatorium aut limbum Patrum, esséque ea omnia pueriles fabulas: libro secundo Institutionis capite decimosexto, segmento nono. Imò nihil esse aliud pœnas damnatorum, quàm terrorem & anxietatem conscientiæ, cogitantis Deum sibi esse iratū & infestum. In Psychopannychia, & Institutionis libro tertio, capite vltimo.

III. At in hoc articulo tria sunt capita: de loco impiorum, de Purgatorio, Limbóque Patrum, de pœnis damnatorum. Quorum primum cum secundo astutè, imò sycophanticè, miscetur, vt calumnia, arte quadam tectoria occultetur. Non enim idem Caluinus docet de inferis damnatorum, quod de Purgatorio & Limbo. Nam hæc quidem duo prorsus negat, & absolutè, fabulásque appellat: & meritò, vtpote alienissima à Dei verbo. At inferos, vbi torqueantur animæ damnatorum, nusquam negat: tantùm puerile esse dicit, damnatorum animas in carcere quodam concludere, etsi hac quidē in parte noluit curiositati habenas laxare; quod nimium sanè in Papatu iampridem factum est.

IV. De pœnis alia calumnia. Absit enim, vt dixerit Caluinus eas esse aliud nihil, præter terrorem, atque anxiam conscientiæ cogitationem. Nam tum propriè nullæ pœnæ essent, sed tantùm pœnarū timor, & quamuis hic ipse timor possit etiam pœna videri, tamen tam procul abest à pœna, quàm spes beatitudinis ab ipsa beatitudine: etsi ipsa etiam gradus sit quidam beatitudinis. Sed Caluinus sic docuit, Institutionis libro tertio, capite vigesimo quinto. *Quia diuinæ in reprobos vltionis grauitatem nulla descriptio æquare potest, per res corporeas eorum tormenta & cruciatus nobis figurantur: nempe per tenebras, fletum & stridorem dentium, ignem inextinguibilem, vermem sine fine cor arrodentem.* Et paulò post. *Quibus vt nos adiuuari oportet ad concipiendam vtcunque impiorum miseram sortem: ita nos in eo potissimum defigere cogitationem oportet, quàm sit calamitosum alienari ab omni Dei societate: neque id modò, sed maiestatem Dei ita sentire tibi aduersam, vt effugere nequeas, quin ab ipsa vrgearis. Nam primum eius indignatio instar ignis est violentissimi, cuius attactu omnia deuorentur & absorbeantur. Deinde, illi ad exercendum iudicium sic seruiunt omnes creaturæ, vt cœlum, terram, mare, animalia, & quicquid est, velut dira indignatione aduersum se inflammata, & in perniciem suam armata sensuri sint, quibus iram suā ita Dominus palàm faciet.* Hæc Caluinus, & alia multa: quæ si præter timorem & cogitationem nihil significant, næ tum facile solem meridie oportebit non lucere.

V. Secundus articulus: Christum, secundùm Caluinum, descendisse ad inferos, quia apprehendit Deum, tāquam sibi iratum, & infensum propter nos, & ex metu salutis propriæ amittendæ incredibilem anxietatem animi passus est, qualem pateretur, qui sciret se in æternum esse periturum.

Vnde

vnde etiam verba desperationis cum protulisse affirmat. Atque, vt hæc probentur, citantur hi Caluini loci. [illegible] Institutionis libro secundo, capite decimo [illegible] segmento decimo. *Diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit.* Et segmento vndecimo. *Christus ergo cum lachrymis & clamore valido orans, a metu suo exauditur, non vt à morte sit immunis, sed ne absorbeatur vt peccator, quia illic personam nostram gerebat. Et certè nulla fingi potest magis formidabilis abyssus, quam sentire se à Deo derelictum, & alienatum, & cum inuocaueris, non exaudiri: perinde ac si in tuam perniciem ipse conspirasset.* Et post, *ita cum diaboli potestate, cum mortis horrore, cum inferorum doloribus manum conserendo, factum est vt referret de illis victoriam.* Et segmēto vndecimo, *Hic nebulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis, quam inscitia impulsi, clamitant me atrocem facere Christo iniuriam, quia minime consentaneum fuerit eum de animæ salute timere.*

V I. Sed de desperatione immanem calumniam abunde discussimus. Quod attinet ad reliqua, Caluinus satis disertè docet, Christum pœnas nobis debitas passum esse, non opinione, aut timore tantùm, sed verè & re ipsa, non tantùm in corpore, sed etiam in anima. Testes hi loci, eiusdem libri, & capitis segmento decimo. *Nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus: sed opera simul pretium erat, vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret.* Item, *Correctionem pacis nostræ illi impositam fuisse ex Propheta nuper retulimus: fuisse propter scelera nostra à Patre percussum, attritum propter nostras infirmitates. Quibus significat in locum sceleratum sponsorem, vadem, adeoque instar rei submissum, qui dependeret ac persolueret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas: vno hoc duntaxat excepto, quòd doloribus mortis non poterat detineri. Ergo, si ad inferos descendisse dicitur, nihil mirum est, quum eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur.* Rursus. *Diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit.* Quæ verba Bellarminus recitat. Et segmento vndecimo, *Hoc sensu dicit Petrus, Christum resurrexisse, solutis mortis doloribus, a quibus impossibile erat ipsum teneri, vel superari: non simpliciter nominat mortem: sed Filium Dei implicitum fuisse doloribus exprimit, quos parit maledictio & ira Dei.* Multa possunt in eundem sensum colligi: quibus apparet manifestò, Caluinum multò plus considerasse in anxietate animæ Christi, quàm solum terrorem, timorémve pœnarum.

VII. Quæ tamen Bellarminus dicit, si commodum interpretem nanciscantur, vera sunt. Nimirū, vt intelligatur, ex sensu earum pœnarum verè præsensum Christum apprehendisse Deum tanquam sibi iratum, indéque passum incredibilem anxietatē animi. Non verò hanc istam apprehensionem, illud esse totum, quod per descensum ad inferos intelligatur, & nihil præterea. Nec aliter sunt exponendi, qui ex Institutione proferūtur loci. Quomodo enim aliter dici potuisset Christus passus esse diros cruciatus? Aut quomodo non à morte liberatus: morte, inquam, ea quam Deus sceleratis infligit? Aut manū conseruisse cum doloribus inferni? Quomodo, inquam, illa omnia stare possunt, si nihil aliud quàm apprehendisset cruciatus, quos tamen nullos sentiebat aut timuisset mortem, cui nunquam debebat esse obnoxius? aut denique dolores inferni procul à se positos vidisset? Itaque ille etiam mortis horror pœna fuit pro horrenda morte: nequis malè feriatus separet mortem ab horrore. Tertium illud quicquid est, de metu amittendæ suæ salutis, sycophanticum est: non potuit enim, qui non pro se, sed pro nobis patiebatur, suæ saluti timere.

VIII. Tertius articulus. Secundùm Caluinum, Christus cœpit versari in inferno illa hora, qua in horto cœpit cōtristari, & orare: deinde, profundiùs descendisse, quando in cruce clamauit, *Deus meus, Deus meus.* Denique profundissimè, quando corā Dei tribunali comparuit tāquam reus æternæ mortis, & seuerissimum iudicium irati Dei sustinuit. Institutionis libro secundo, capite decimo sexto, segmento duodecimo. *Si nunc roget quispiam, an tunc descenderit Christus ad inferos, cum mortem deprecatus est: respondeo hoc fuisse exordium, vnde colligi potest, quàm diros & horribiles cruciatus perpessus fuerit, cùm se ad tribunal Dei reum stare cognosceret nostra caussa.* Et quamuis nusquā apertè Caluinus dicat, quandiu fuerit in inferno Christus, tamen innuit fuisse vsque ad resurrectionem.

IX. Imò distinctio illa trium graduum, mera est calumnia: nusquam profectò eam Caluinus, aut docuit, aut etiam attigit. Mentiar, si possunt aduersarij, ex omnibus eius operibus locum aliquem indicare. Mentiar, nisi hic ipse locus contra faciat, quē recitauit Bellarminus, quasi oculos habens & non vidēs; hoc est, legens, non intelligens. Et primò quidem, quo artificio tres gradus eliciet? Nam vt maxime velimus insanire; & verbis Caluini alienū sensum inserere; tamen duo tantùm gradus essent: nimirum, quos Bellarminus primum facit & tertium. Nam de secundo, nulla verba sunt. Deinde, nego hæc ipsa verba duos gradus significare. Nihil enim voluit Caluinus, quàm Christum eodem ipso momento, cū mortem deprecatus est, sensisse se ad Dei tribunal reum stare nostra caussa: ideóque mortem esse deprecatum. Quòd si id somniasset, quod Bellarminus cōmentus est, tum oportuisset scribere in hunc modum: *Vnde colligi potest, quàm diros & horribiles cruciatus perpessus sit postea, cum stetit corā Dei tribunali.* Etsi autē in contextu Latino nulla sit ambiguitas tamen Gallica versio omnem vitilitigatoribus ansam præcidit, *Veu qu'il cognoissoit, qu'il luy conuenoit respondre au siege iudicial de Dieu, comme coulpable de tous nos malefices.*

X. Christum, ex sententia Caluini, apud inferos fuisse, vsque ad resurrectionis horam, æquè impudens mendacium. Et quidem fatetur à se diuinatum Bellarminus: cùm id nusquam illum apertè dixisse agnoscat. Sed saltem indicauit, inquit. Imò, ne hoc quidem. Quo enim loco? aut quibus verbis? O Bellarmine, iampridem tuis artibus effecisti, vt ne iurato quidem fides habeatur: nedum speres simpliciter affirmanti, nihil probanti. Enimuerò, quis Caluinū credat negare Christo, idipsum quod omnibus electis vendicat? nimirum, vt statim à corporis solutione eorum animæ abeant ad Deum: in illa verba, *Hodie mecum eris in paradiso.* Lucæ vigesimo tertio: *Quisquis ergo,* inquit, *vera fide animæ suæ custodiam Christo moriens tradet, non extrahetur in longum tempus vt suspensus langueat: sed eius voto eadem, qua erga latronem vsus est, benignitate Christus occurret.*

XI. Quartus articulus. Caluinus tribuit huic pœnæ infernali totā ferè nostram redemptionem: ita vt sine hoc descensu ad inferos mors in cruce nō fuerit futura vllius pretij. Institutionis libro secundo, capite decimo sexto, segmento decimo, *Nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus: sed opera simul pretium erat, vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret:* Et ibidem. *Vnde etiam eum oportuit cum inferorum copiis, æternæque mortis*

horrore, quasi consertis manibus, luctari. Similiter, imò fusiùs, Commentariis in caput vigesimum septimum Matthæi.

XII. Leuis accusatio, si accusatio. Caluini mens hæc fuit; nostram redemptionem à Christo peragi debuisse, toleratis ipsis pœnis, quas eramus ob peccata promeriti. Pertinebant autem illæ, tum ad corpus, tum ad animam, & quæ ad animam, potissimæ; & quidem tanto discrimine, vt in nullis aliarum remissio foret, nisi & harum accederet. Nam Christus dixit Matthæi decimo sexto, *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Et contrà tamen non propterea non salui dicantur nunc in cœlis spiritus fidelium, quanquam interim corpora sint in imperio mortis: cùm tamen, etiamsi non simus à corporis omnibus pœnis liberati, non eo minùs saluati esse dicamur. Hoc igitur supposito, docet Caluinus, si solas corporis pœnas luisset Christus, solas etiam easdem nobis fore remittendas. *Et sanè,* (inquit segmento duodecimo eiusdem & capitis & libri) *nisi pœnæ fuisset particeps anima, corporibus tantùm fuisset redemptor.* Itaque non dubitauit pronunciare, quod annotauit Bellarminus: non quidem Christi mortem corpoream per se consideratam, euacuans, sed nullius illam vsus futuram asserens, si anima Christi patiens nostras animas non liberasset. Nam quæ causæ sunt integrales concurrentes, istæ solent singulæ ineptæ esse operi perficiendo. Hæc Caluini sententia est, quam Ioannes Hayus blasphemiæ accusans, ostendit qui vir sit, vt ne quid in eum durius dicam.

Cap. XII.

Probatur Christum etiam in Anima esse passum, ex Esaia.

I. Hæc Catholicorum sententia sic probatur. Primo ex Esaiæ quinquagesimo tertio. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit, nos autem reputauimus eum plagis affectum, percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter præuaricationes nostras, attritus est propter iniquitates nostras. Castigatio pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.* Quæ verba nemo dubitat esse de Christo prædicta, patiente pro nobis. Ex iis autē dupliciter concludimus. Primò, quia hinc patet redemptos nos esse à Christo patiente, id est, easdem pœnas persoluente, quas nos eramus meriti. Et sic Athanasius de passione & cruce, *Quum videret malitiam intolerabilem: neque mortale genus idoneum esse, quod morti resisteret, neque pœnam suorum malorum persoluere posse (nam excessu malitia transcendebat omne supplicium) commotus fuit sua humanitate, & misertus nostræ imbecillitatis, illam ipsam imbecillitatem induit: Si quidem ipse, vt Propheta dicit, nostras infirmitates sustulit & languores gestauit:* ἰδὼν δὲ καὶ τὸ πέρας τῆς ὑποδίκου ἡμῶν τῆς τιμωρίας ἀδύνατον, ἀνεδέξατο ταύτην αὐτός. *Vidénsque simul quam non ad solutionem pœnæ sufficeremus, illam ipsam pœnam in se transtulit.* Vnde manifestè sequitur, passum esse etiā pœnas animæ. Nos enim non tantū pœnas corporeas eramus commeriti. Syllogismus: Omnes pœnæ à nobis commeritæ, toleratæ fu[illegible] à Christo. At pœnæ animæ erant à nobis commeritæ. Ergo, pœnas animæ Christus tolerauit.

II. Bellarminus respondet: Si hoc argumentum aliquid concluderet; debuisse Dominum æterno tempore manere in inferno, & infinitum propè numerum pœnarum perpeti. Rationem subiungit: Quia & nos merebamur æternam damnationem: & sumus propè infiniti qui id merebamur. At hoc factum non est: Nihil ergo concludit argumentum. Itaque, pretium redemptionis à Christo persolutum non debere pensari ex multitudine, vel qualitate, vel diuturnitate pœnarum, sed ex dignitate personæ quæ patiebatur, & ex charitate qua patiebatur. Vnde conficitur, mortem [illegible] poris Christi satisfacere potuisse pro morte ani[illegible]rum omnium: tum, quia Christus animo & corpore passus sit: tum etiam, quia vna pœna corporis fuerit infiniti pretij. Imò, Hayus contra Chambrunum capite decimo tertio, testatur suos Theologos docere minimam earum pœnarum, quas Christus passus est, sufficere reparādis mille mundorum peccatis. Deinde, cùm quis, inquit, præstat alienum peccatum, non est necesse, vt idem genus pœnæ subeat, quod ille alter passurus erat: sufficit enim, vt aliquid agat, quod æquare videatur eam pœnam: vt qui damnatum ad remos redimit, non ipse ad remos damnatur, sed pro damnato pecunias numerat.

III. At nos: Primò, contra sua sophismata Bellarminus tamen concludit, Christum passum anima & corpore: quod ipsum Caluinus contendit, & nos asserimus. Quid igitur frustra laborant Sophistæ in oppugnanda veritate, quam ipsi tandem, ipsi, inquam, fateri cogantur? Nisi forte in anima patiente, nihil aliud considerant, nisi ipsos dolores corporis, tantùm διὰ παρουσίαν per assistentiam, & συμπάθειαν, non verò ἰδίως & propriè suo sensu. Quo quid posset absurdius dici? Certè, antequam corpus quicquam pateretur, Christus ipse testabatur suam animam esse perturbatam, & quidem vsque ad mortem. Nempe igitur anima Christi passa est in corpore, hoc est, dum esset adhoc in corpore: (Nam post solutionem nihil est passa) sed passa suos dolores, vt & corpus.

IV. Secundò, de æterno tempore, absurda est collectio παρὰ τὸ συμβεβηκός, quasi, cum de re ipsa sit sermo, omnia eius adiuncta concludantur. Imò puerile est sophisma; quale eorum qui carnes crudas colligebant edi, quia crudæ emerētur, & quidni itidem dicat debuisse Christum non tantùm mori pro nobis, sed etiam sic mori, quomodo quisque nostrûm moritur? Id est, non tantùm crucifigi, quomodo Petrus, sed etiam decollari, vt Paulum, excoriari, vt Bartholomæum; torreri, vt Laurentium; laniari, vt Ignatium, & deinceps omnia? imò, cur non lenta longáque vt ita dicam, morte, quemadmodum latrones, quibus crura sunt brachiáque confracta, cùm iam ante eos ille expirasset? Nimirum hoc certum est, idem fuisse mortis genus, quod Christus passus sit, & latrones, etsi isti diutius durarint in cruciatibus. Ita omnino, etsi non in æternum Christi passiones durarint, tamen genere eędem fuerunt cum illis quæ in nobis debebant in æternum durare. Quamobrem? Nimirum, quia finem habuerunt, non ex se suáve natura, sed ex potentia Christi: vicit enim eas pœnas, omnino futuras æternas, si non potuisset vincere.

Etsi

Et sic eadem morte mortuus est cum Adamo: etsi Adamus totam seculis detineatur à morte: cùm Christus non totum triduum.

V. Iam, quod attinet ad numerum eorum, pro quibus passus est, qui dicuntur propemodù infiniti, non video, quid sit ponderis in eo. Revera enim Christus passus est easdem pœnas, quas illi omnes pati debebant: quemadmodum eandē mortem. Vt enim mors non tantū in singulis vna est; sed etiam omniū simul, nō magis, neque maior, quàm in vnius: differt enim mors singulorum, tantum numero: similiter gehenna, siue pœnæ animæ. Itaque Propheta: *languores nostros ipse tulit: & dolores nostros ipse portauit.* Rectè *nostros*, non meos; non vnius aut alterius; sed omnium nostrûm.

VI. Tertiò; non debere pretium nostræ redemptionis pensari ex quantitate pœnarū, sed ex dignitate personæ, & charitate; non satis explicatè dictum est. Nā vtrumque dico concurrere. Nimirum, quia non tantū opus fuerit, vt persona pateretur, quæ esset ea dignitate, eáque charitate, sed etiā sic Deus constituerat, vt hæc persona eas pœnas ita lueret. Deus, inquam, constituerat. Nā huius rei summa, imò tota ratio inde pendet. Quis enim neget potuisse Deū alio quouis modo prouidere saluti hominum? Sed hoc voluit, nec nisi hoc. Itaque, nō est nobis indulgendum pruritibus humanę curiositatis: sed cohibendi sensus, vt subiiciant se diuino decreto. Quamobrem, quod Hayus dixit, [illegible] est, nunimā passionum Christi sufficere ad mille mundos reparandos, tū quia extra Scripturam dicitur: tum quia diuinam Sapientiam arguit, tāquam superfluè quid agentē. Si enim sanguinis illa effusio, quæ facta est in circuncisione Christi, sufficeret; aut lachrymæ in suscitatione Lazari; aut etiam lassitudo & sitis ad puteū; quorsum reliqua facta, iisque superaddita? Et tamen, vide hominum istorū incogitantiam. Isti iidem, qui tam paruo pretio redimi posse fingunt genus humanum: isti, inquam, idē meritis Christi addūt merita Sanctorū, addunt merita nostra. Nec pudet asserere, nonnihil deesse passionibus Christi: huc detorquentes Apostolum ad Colossens. 1. Tam malè mendaces sunt memores.

VII. Quartò, quod Hayus addit, non debere idem genus pœnæ subire, qui alterius peccatū præstet: distinctione indiget. Variè enim aliena peccata præstantur. Sunt enim qui præstant, tanquā vades: sunt qui simpliciter, tanquam redemptores. Illos non est necesse eandem pœnā luere quò pertinet exemplum eius, qui damnatū ad remos redimit præsenti pecuniâ. Sed de vade aliud dicimus. Nam, qui vas est æris alieni, eum oportet eandem æris summam pendere: & qui incarceratum carceribus liberat sponsione sui facta; quotidie videmus ipsum in carcerē trudi à magistratu, nisi eum sistat pro quo spopōdit. Iam Christum omnes sciunt portasse nostra peccata, non simpliciter, tanquam redemptorem; sed prætera tanquam vadem: itaque oportuit verè nostros dolores portare: atque hæc est prima conclusio.

VIII. Altera nostra conclusio, ex eo Prophetæ loco, hæc est: Christus disertè dicitur à Deo percussus. *Reputauimus* (inquit) *eum plagis affectum, percussum à Deo, & humiliatum.* Ergo, inquiet Caluinus, *Deū quasi sibi iratū & infensū Christus sustinuit*, hoc est, eas pœnas luit, quas luunt ij, qui Deum propter sua peccata sibi iratum infensūmque experiuntur: eæ autem pœnæ longè aliæ sunt, quàm quæ subiistunt in solo corpore.

IX. Respondet Bellarminus. Primò, dici à Patre percussum Christum, non quia Pater illum oderit, sed quia pro nobis permiserit occidi: sic explicante Paulo ad Romanos octauo: *Proprio Filio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quomodo, quando Abraham filiū suum immolare voluit, vt Deo obediret, nec filium oderat, nec filius putabat se odio haberi: sed intelligebat id fieri ad obedientiam Deo præstandam, sine vlla ira, vel odio erga se. Secundò, istam percussionem, ab Hieronymo, & omnibus aliis expositoribus, referri ad solam mortem temporalem, non ad pœnas gehennæ, de quibus nullus Veterum somniauit, cùm de passione Christi ageret. Tertiò, figmentum esse Caluini, omnes, qui percutiuntur à Deo irato, pati pœnas infernales. Quàm sæpe enim Deus in hoc mundo flagellat impios, qui tamen non dicuntur propterea tam esse in inferno?

X. Sed hæc nihili sunt. Primò, Christus disertè dicitur percussus à Deo: neque hic tantùm, sed etiam Matthæi vigesimo sexto: *Scriptum est, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*: quod sumptum è Zachariæ decimotertio. Percussit ergo Deus Christum, non tantùm siuit perenti. Et sanè ea vis est verborum Pauli, quæ Bellarminus recitat, *Non pepercit: Tradidit.* Quorsum enim illa, si non ad Patrem? & quomodo ad Patrem, si otiosè tantùm quasi spectauit Iudæos percutientes? Ipse igitur Pater non pepercit, ipse Pater tradidit: ergo, ipse percussit, hoc est, ab ipso Patre agente aliquid passus est Christus: & passus pro peccatis. Non potuit autem id fieri, quin plus quàm corporeos dolores Christus pateretur, cùm sciret se non tantùm ab hominibus torqueri, sed etiam ab ipso Patre torquendum tradi: sibíque ab eo non parci. Hoc illud est, quod significatum voluit Caluinus, hoc Christum animā sensisse, & seriò sensisse, vt debuit.

XI. Abrahami & Isaaci longè dispar exemplum. Non enim sic traditus est à Patre Christus, quomodo ab Abrahamo Isaacus ductus ad mortem. Nullum iste ob peccatum, siue suum, siue alterius: itaque non poterat odio esse Patri suo. At Christus, etsi nullum ob suum peccatum, quamobrem non poterat ipse odio esse Patri, at certè ob omnia nostra: itaque, potuit hac ratione Patrem sentire iratum. Quemadmodum igitur Bruti filij à patre iussi mori ob suum proprium peccatum, verè senserunt iram patris: sic Christus, etsi nullam suam ob culpam admissam, sed alienam imputatam.

XII. Secundò, quod de Hieronymo & Patribus asserit Bellarminus, est falsum. Nam in eadem Christi morte, maledictionem agnouerunt. Athanasius de Incarnatione Verbi Dei contra Gentes, [illegible Greek] *Si ideo venerat, vt nostra piacula execrationésque portaret, quomodo alia ratione execratio, aut piaculum fuisset, nisi execrabilem mortem in se reciperet?* Et Hieronymus in hunc ipsum Esaiæ locum. *Despectus erat & ignobilis, quando pēdebat in cruce, & factus pro nobis maledictum, peccata nostra portabat.* Rursus, *ille vulneratus est propter iniquitates*

nostras, dicens in Psalmo. Foderunt manus meas, & pedes, vt suo vulnere vulnera nostra curaret: Et attritus est sive infirmatus propter scelera nostra, vt factus pro nobis maledictum, nos liberaret de maledicto. Iterum: *Ex quo perspicuum est, sicut corpus flagellatum, atque laceratum, signa iniuria in vibicibus, ac livore portabat, ita & animam verè doluisse pro nobis: ne ex parte veritas, & ex parte mendacium credatur in Christo.*

XIII. Tertiò, nullum est Calvini figmentum, eos omnes pati infernales pœnas, qui percutiuntur à Deo irato: sed Bellarmini egregium mendacium. Sciebat enim Calvinus Deum sæpè irasci suis, hoc est, iis ipsis, quibus per Christum conciliatus est: appellari etiam iram Dei, ea supplicia, quæ in hac vita reprobi patiuntur, & tamen non infernalia. Quid verò inde potuit Iesuita concludere? Nam primò, iidem vel sunt ἀναίσθητοι, vel illis ipsis experimentis sentiunt iratum sibi Deum. Christus autem non fuit ἀναίσθητος: superest ergo, vt senserit iratum sibi Deum, nō quidem propter se, sed propter alios: vt sensit tamen. Deinde, sic sensit se à Deo percussum, vt simul caussam agnosceret; nimirum peccata hominum: pro quibus vadem sistebat sese: & quidem tum, maximè sistebat: nimirum in actu postremo. Nam, quas pœnas impij flagellati sentiunt in hac vita, eæ non pertinent ad eorum actum postremum: sed sunt eius tanquam præludia. At in postremo actu, sic illi flagellantur, vt sentiant pœnas infernales. Itaque Christus, cùm defatigatus fuit, cùm sitiit, cùm esuriuit, imò etiam priùs, cùm exul fuit à patria, ob Herodis & Archelai metum, sine dubio agnoscebat, hæc incommoda pendere ab eadem caussa, nimirum peccatis hominum, in quorum gratiam infirmitates nostras iam tum susceperat: & tamen, non tum orauit, vt transiret à se calix ille, quemadmodum in hoc postremo actu.

XIV. Denique, non discerpendæ sunt contextus Prophetici partes, neque earum ἀκολουθία interrumpenda. Describitur autem Christi status summè miserabilis: sic dicitur Christus, *contemptus, abiectissimus omnium, vir dolorum, expertus infirmitates, qui languores nostros tulit, qui dolores nostros portauit.* Hæc omnia quis non videt subintelligenda, cùm dicitur percussus à Deo? Itaque, si illa eò pertinent, vt describatur verè pœnas luisse pro peccatis nostris, certè tum, cùm dicitur percussus à Deo, necesse est, vt intelligamus eas illum pœnas passum esse, non tantùm ab hominibus, sed etiam à Deo: atque ita non tantùm permissum percuti, sed etiam percussum.

Cap. XIII.

De Christi tristitia.

I. MAtthæi vigesimo sexto. *Assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & grauissimè angi. Tunc dixit eis, Vndequaque tristis est anima mea vsque ad mortem: manete hic, & vigilate mecum, & progressus paululum, procidit in faciem suam; precans, & dicens, Pater mi, si possibile est, abeat à me poculum istud: Verumtamen, non vt* [illegible]. Et Lucæ vigesimo secundo. *Vi[illegible] est ei [illegible] cœlo corroborans eum, & ipse [illegible] tius orabat: erat autem sudor [illegible] sanguinis descendentis in terram*, Nota λυπεῖσθαι, ἀδημονεῖν, περίλυπος ψυχὴ, verba Matthæi, & ἀγωνία Lucæ. Quibus contestor omnium piorum conscientiam, vtrum credant nihil significari præter quasdam corporeos dolores.

II. Sed examinemus attentiùs. Primò, hæc Christo acciderunt, antequam captus esset à Iudæis: multò magis, antequam damnationis sententia aut proferretur, aut etiam executioni mandaretur. At, si passus est aliquid Christus tum temporis, necesse est passum, vel corpore, vel anima; non enim datur tertium. At non patiebatur corpore: quod cuilibet promptum est agnoscere: ergo patiebatur anima. Verum est igitur, quod nos contendimus. Atque habemus ipsum Iesum testem asserentem animam suam eam esse, quæ tristitia esset affecta, non autem corpus: quanquam sciunt omnes, etsi non monuisset Christus, τὴν λύπην ad animum pertinere, non autem ad corpus, cuius sunt potius dolores. Athanasius de Incarnatione Christi contra Apolinarium, [illegible Greek] *Quomodo potuit vel dolere vel anxius esse, vel orare? Scriptum est enim, & conturbatus est spiritu. Atqui ista nec bruta, nullisque cogitationibus instructa caro, nec Deitati, quæ incommutabilis est, congruerint: sed animæ, quæ intellectu est prædita, quæ dolet, & perturbatur, & angitur, & intelligibiliter passionem sentit.*

III. Secundò, quomodo tristatus est? περίλυπος, inquit, hoc est, non tristis tantùm, vt vertit Latinus interpres, nimis molliter: sed vndique tristis, vt rectè Beza vim expressit compositi vocabuli: quam ne Syrus quidem satis. Franciscus Lucas περίλυπος, *valde tristis: auget enim præpositio* περί: *quasi dicat, tristitia vndique obsessa, & circumuallata est.* Denique *vsque ad mortem*, quo significatur *pondus tribulationis*, inquit Glossa interlinearis. Sed & Lucas Christum fuisse ἐν ἀγωνίᾳ, *in agonia*: qua significatur, inquit Beza, summa Christi luctantis angustia, quam Syrus per timorem expressit. Sed Matthæi τὸ ἀδημονεῖν cuiusmodi est? Etymologus, ἀλύειν, καὶ τὸ ἀπορεῖν, ἀμηχανεῖν. Erasmus *impotentem animi molestiam significat: penè examinari & deficere præ dolore.* Beza, *Præ mœrore penè concidere animo, & inopem consilii esse.* Franciscus Lucas ἀδημονεῖν, *anxio esse animo, & vehementer angi seu cruciari: ἀδημονεῖν est ita vehementer obiectis discriminis metu angi, vt quasi exanimis, & extra te sis.* Quin etiam Marcus copulauit cum ἐκθαμβεῖσθαι, *pauore expauescere, attonitum esse.*

IV. Tertiò, in hoc angore intentiùs orauit, sudor decidit. Iam id qualis? Tanta verò sudoris copia, vt non corpus humectaret solùm; sed etiam in terram caderet, &, quod verè mirum, θρόμβοι αἵματος: non sudor aqueus: sed sanguineus: nec guttæ, sed grumi: cui exemplo quod vnquam auditum simile, nedum æquale? Itaque ab effectis omnium maximis, meritò concludimus tristitiam in Christo fuisse omnium, quæ vnquam fuerunt, maximam. Rectè Glossa ordinaria. *Appropinquante morte, certamen nostræ mortis in se expressit, qui meritò quandam vim terroris patimur, quum post pusillum sumus venturi, quod in æternum durat.*

V. His, vt oportuit, consideratis, vel plusquam mortem corporalem apprehendisse Christum, vel longè mollissimum, timidissimumque fuisse omnium, qui vnquam exstiterunt, fatendum est: At hoc blasphe-

blasphemum est. Nullum enim fuit in vllo vnquam homine, quantumlibet sancto, Spiritus Sancti donum (& in eius donis, quis constantem forte neque mortis contemptum non numeret, maximè tot post martyrum exempla. quod nó fuerit in Christo longè perfectius. Non solam igitur corporalem mortem apprehendisse Christum necesse est. Non potest autem vltra illam mortem quicquam intelligi; præter eos animi dolores, quia Deira proueniunt in peccata. Hos ergo Christus sensit: ac propterea in hanc tristitiæ, mœroris, *ἀδημονίας* abyssum deuenit.

VI. Bellarminus respondet: sanctos Patres variè exposuisse hunc timorem Christi: nullum tamen, vel minimo vocabulo, insinuasse, fuisse de salute animæ. Hilarius, *timuisse dixit pro discipulis, quos prauidebat negaturos.* Hieronymus, *tristem fuisse propter populum Iudæorum, quem videbat ea nocte grauiter peccaturum.* Ambrosius & Chrysostomus, naturali affectu mortem corporis horruisse. Deinde, negat propter hunc timorem, Christum fuisse reliquis infirmiorem. Nempe, quia non coactus timuerit, sed volens, hoc est, quia voluit. Nam reliquos inde non timere, vel, quia Deus infundat consolationem maiorem ipsa pœna: vel quia Diabolus obstupefaciat eorum sensum: vel quia auertant animum à cogitatione pœnarum. At Christum voluisse pœnam mœroris & timoris subire: ideòque nec obstupefecisse sensum suum, nec permisisse vt redundaret ex parte superiore gaudium in partem inferiorem: nec auertisse cogitationem à morte imminente. Itaque & ante, cùm prævideret, mortem, non solùm non timuisse, sed & consolatum esse: & finita oratione, non timuisse ampliùs, sed alacriter occurrisse quærentibus se; neque vllum dedisse signum timoris in toto decursu suæ passionis.

VII. At de Hilarij interpretatione, non est necesse multa dicere. Vident omnes adeo alienam, vt nihil supra. Ne Hieronymus quidem commodè. Itaque alij plerique omnes ab vtroque discesserunt. Etenim eteipsa loquitur, per calicem significari mortem, quam passurus erat Dominus; quam quantum idem deprecatur! Sic Basilius Seleuciensis aliàs citatus, [illegible] *Christus inuitus crucem suscepit.* Isidorus Pelusiota libri primi Epistola ducentesima octogesima nona, [illegible] *Crucem cùm adhuc in eum compararetur, detrectabat.* Ego malim, *Crucem meditatione conceptam deprecabatur.* Et Hieronymus ipse in nonú Esaiæ, cùm dixit sensum esse; *si potest fieri vt sine interitu Iudæorum credat gentium multitudo, passionem recuso.* Satis vidit hunc calicem non posse non intelligi de passione; etsi causam diuinauerit alienam, atque adeò ipso. Itaque manet certum, hisce verbis Christum deprecatum passionem. Vnde Cyrillus in Ioannem libro quarto, capite primo obseruat, *non voluntarium quodammodo Christo fuisse crucis patibulum.* Et Thesauri libro decimo, capite secundo, *formidasse mortem atque abhorruisse.* Zacharias Chrysopolitanus in Monotessaro libro quarto, capite centesimo sexagesimo. *Cœpit pauere, & tristari etiam orat, calicem passionis transire à se: ita vt omnino neque gustaret amaritudinem eius.*

VIII. At Ambrosius, inquit, & Chrysostomus dicunt naturali affectu mortem corporis horruisse. Ipsos igitur audiamus potius. Chrysostomum primum, homilia octogesima tertia in Matthæum: [illegible]

[illegible] *Ipse verò intentè orat. Atque, vt ne videretur fictum, adornatúmque, eandem ob caussam sudores fluunt. Et ne hanc ipsam agoniam simulari dicerent hæretici, propterea tum sudores instar grumorum sanguinis, tum Angelus apparuit confirmans ipsum, & infinita timoris indicia, ne quis verba diceret esse ficta, atque adeo eandem ipsam ob caussam, preces. Caeterùm inquiens, Si possibile est transeat, humanum quid ostendit: At cùm dixit, sed non vt ego volo, sed sicut tu, forte quid & philosophicum: docens, quantumuis contra nitente natura, tamen sequendum esse Deum.* Sic Chrysostomus.

IX. Ambrosius in Lucam libro decimo. *Hærent plerique hoc loco, qui tristitiam Saluatoris ad argumentum insitæ potiùs à principio, quàm susceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, & naturalis sensum cupiunt retorquere sententiæ. Ego autem non solùm excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem eius maiestatémque demiror. Minùs enim contulerat mihi nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret: & sequestrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, vt mihi suam lætitiam largiretur: & vestigiis nostris, descendit vsque ad mortis ærumnam, vt nos suis vestigiis reuocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomino: quia vitam prædico. Neque enim speciem incarnationis suscepit sed veritatem. Debuit ergo & dolorem suscipere. vt vinceret tristitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint quàm dolorem. Homo enim in plaga & sciens,* inquit, *ferre infirmitates. nos voluit erudire: vt quia in Ioseph didiceramus carcerem non timere: mortem vincere disceremus in Christo: & quod est ampliùs, quemadmodum futuræ mortis mœstitiam vinceremus.* Et paulò post. *Infirmatus est, sed propter peccata nostra: non quia illa tibi infirmitas erat ex Patre assumpta, sed pro me suscepta.* Hæc Ambrosius.

X. Hîc verò, quid reperit Bellarminus, quo nobis insultet? An mortem corporis? At primò, eas voces non legit: simpliciter enim mortem nominant; cuius auditum non possunt accipere fideles, quin concipiant, non cuiuspiam hominis communis mortem, sed Christi; hoc est, eam quæ infligebatur propter hominum peccata: ac proinde cum maledictione coniunctam, qua de re postea. Deinde, ne sic quidem quicquam aduersus nos. Nam eam ipsam mortem, etiam corporis, tamen timuisse Christum, & sic timuisse, vterque agnoscit. Vnde certa conclusio, eius mortis pœnas non corpore tantùm, sed etiam anima; anima, inquam, ipsa à Christo toleratas: & toleratas longe acerbiùs, quàm omnes homines solent. Non enim aut solus, aut primus Christus ad mortis cogitationem cohorruit: sed idem profectò, non tam primus, quàm solus sic cohorruit; vt non tantùm tristis fuerit, sed vndique tristis: neque tristis tantùm; sed etiam attonitus; nec attonitus tantùm; sed etiam turbatus: nec turbatus tantùm, sed etiam *ἀδημονῶν*: Denique sudans, & sudans grumos sanguinis.

XI. Titus Bostrorum Episcopus. *Licet higentri terrore quispiam concutiatur, summóque moerore [illegible] beatur, non ideo tamen ob solam metum, vel ob solam ant-*

onis luctam, sanguine sudare solitus est. Eapropter sanguineo sudore perfundi, res est planè præter naturam. At placuit nihilominus Christo, vt hoc quoque in se fieret; quo nimirum timiditatis fons, pauorisque fluxus, qui naturæ nostræ cohærebat, hoc modo abstergeretur, penitúsque ex illa profligaretur. Quæ cùm ita sint, omnino alterutrum concedi oportet, quod semper vrgeo, vel esse in hac morte aliquid longè grauius ipsa morte; vel in Christo aliquid longè mollius & infirmius, quàm in vllo vnquam homine. At hoc posterius nemo Christianorum dubitat esse falsum: ergo, illud necesse est esse verum.

XII. An igitur naturalem potiùs affectum Bellarminus vrgebit? Vt libet: dum ne ex naturali simulatum fabricet. Libenter enim agnoscimus, Christum sic timuisse mortem, quomodo omnes solemus ex instinctu naturæ humanæ; cui proprium est horrere mortem. Itaque libenter audimus tum à Chrysostomo, ἔδειξε τὸ ἀνθρώπινον, & φύσεως ἀσθενείας: tum etiam ab Ambrosio, *naturalem sensum*. Et scimus significare aliud nihil, præter veritatem humanæ naturæ à Verbo assumptæ, cum omnibus infirmitatibus, qui in eam cadunt, excepto solo peccato. Isidorus Pelusiota, Epistola ducentesima octogesima nona, Ἄνθρωπος κατ᾽ ἀλήθειαν ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος γενόμενος, πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐπλήρωσεν· ὅθεν καὶ ἐν τῷ τοῦ πάθους καιρῷ παραιτεῖται τὸ ποτήριον. Interprete Billio. *Dei Verbum, vt verè humanitatem induit, ita verè omnia, quæ in hominem cadunt, expleuit. Ad hunc modum, passionis quoque tempore, calicem deprecatur.* Chrysostomus, ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἤρκει τοῖς ἀνοήτοις τὸ πρόσωπον δεῖξαι μόνον, καὶ ῥήματα προστίθησιν· οὐδὲ τὰ ῥήματα οὐκ ἤρκει αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ πραγμάτων ἔδει, καὶ ταῦτα συμπλέκει τοῖς ῥήμασιν· ἵνα καὶ σφόδρα φιλονεικοῦντες, ὅτι καὶ ἄνθρωπος γέγονε, καὶ ἀπέθανε, πιστεύσωσιν, καὶ τὸ ὄντως, ἀπιστοῦσι δὲ καὶ πάντων ὄντων τούτων, πολλῷ μᾶλλον, εἰ μὴ ταῦτα ἦν· ὁρᾷς δι᾽ ὅσων δείκνυσι τῆς οἰκονομίας τὴν ἀλήθειαν, δι᾽ ὧν φθέγγεται, δι᾽ ὧν πάσχει. *Quandoquidem non satis est imperitis, mœrentis faciem solummodo videre, verba quoque addidit: nec verba rursum amentibus sufficiunt, rem magis quærentibus: & rem ergo mœrentis adhibuit: vt vel qui valde contentiosi & pertinaces sunt, credere possint verè hominem factum veréque mortuum fuisse. Si enim, cùm & vultus, & verba, & res, mœrorem significauerunt, non creditur tamen à nonnullis passio: quidnam dicerent si ista non essent? Vides, quot quibúsve modis dispensationis veritatem ostendit, cùm his quæ loquitur, cum his quæ patitur.* Etiam Ambrosius. *Neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem: debuit ergo & dolorem suscipere, vt vinceret tristitiam, non excluderet.* Naturalis ergo motus hic in Christo, & verus, itidem vt mors. Quemadmodum igitur, ex conditione naturæ assumptæ, verè mortuus est: sic & verè doluit, turbatus est, timuit, deprecatus est. *Non est* (inquiebat Ambrosius) *tristis sapientia non diuina substantia: sed anima: suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum. Non me fefellit, vt aliud esset, & aliud videretur.* Ergo nobis fauet Ambrosij, Chrysostomique, hoc est, verior interpretatio.

XIII. Sed audiamus Bellarminum respondentem ad argumentum: quod repeto. Si in passione Christi nihil fuit præter corporalem mortem. Ergo Christus fuit omnium, qui vnquam fuerunt, mollissimus & timidissimus. At posterius falsum, Ergo & prius. Iesuita negat consequentiam. Ea probatur, quia Christus magis timuit quàm vllus vnquam. At Iesuita distinguit: Timuit, inquit, vel voluntariè, vel necessariò. Si timuisset necessariò, hoc est, si non potuisset non timere, & coactus timuisset, meritò infirmior multis videretur. At non sic: sed timuit, quia voluit: non fuit igitur reliquis infirmior. Vnde & constanter morti se obtulit, & in toto passionis decursu, nullum signum timoris dedit.

XIV. At ego distinguendum dico: primò, Personam ὅλως consideratam, à natura humana. Nam quia in persona intelligitur etiam Deus Verbum; rectè Christum dicimus passum, quia voluit: nimirum quia Deo Verbo placuit sibi assumere eam naturam, quæ passa est. Ambrosius. *Neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo & dolorem suscipere, vt vinceret tristitiam, non excluderet.* Et Anastasius Sinaïta de rectis Fidei dogmatibus libro quarto. *Quando id opus* (redemptionem humani generis significat) *solius erat Dei, nec consummari poterat citra mortem, & eas, quæ mortem ipsam prægrediuntur, afflictiones: Deus autem omni ex parte expers est mortis, nec istarum perturbationum capax: naturā denique assumpsit, quæ & mortis capax esset & afflictionum: nobis nimirum per omnia consubstantialem, nihilque à nostra variantem.*

XV. Iam verò, si naturam humanam in se consideres, voluntarium dupliciter dicitur; vt opponatur, vel inuito, vel naturali. Si sic humanam Christi naturam dicunt timuisse voluntariè, vt negent inuitam: concedimus: sed, quid hoc ad rem? Nam certè sic mortem ipsam est passa, & tamen verè passa, tam verè, inquam, ac vtetque latro. Itaque & hunc timorem, tristitiámque similiter. Quòd si absque causa sic intelligi volunt, stat conclusio nostra. Sin verò sic voluntatem nominant, vt negent esse φυσικὴν κίνησιν, tum illi profectò toto errant cœlo. Nam primò, Patres prolixe hunc ipsum timorem ad naturam referunt. Anastasius Sinaïta. *Animæ rationali competit, tristari, turbari, angi, & penè exanimari, dum illi se ingerunt, quæ per se sunt tristia. Corporis autem secari, transfodi. Animati verò corporis, est esurire, sitire, laborum pondere fatigari, sudare.* Atque adeò hoc sensu, Zacharias Chrysopolitanus, in Monotessari libri quarti capite centesimo sexagesimo non dubitat negare passionem Christi fuisse voluntariam: *Passus ergo est non quod vellet pati: imò reformidabat: sed quia Patrē diligebat, quem hoc velle sciebat: & quia per mortē suā salutem proximis fieri cupiebat. Nec sequitur, si propter hoc pati voluit: ergo pati voluit: sicut de infirmo videri potest, qui vult incidi, vel coqui, vt sanetur, nec vult tamen incidi: potius omnino reformidat. Euenit etiā quòd aliquis incarceratus, filiū suum vult in carcere poni, vt ipse sic euadat: nec tamen vult filium suum incarcerare; potius inde dolet. Voluntas enim nunquam est sine delectatione* (sic enim legendum non dilectione, patet ex sequentibus) *quippe quod delectat volumus; quod verò molestat, illud abhorrere solemus.*

XVI. Concludimus ergo Christo passionem fuisse non voluntariam, quatenus hæc in eo erat, vt in nobis omnibus φυσικὴ ὀργή, quæ ærumnas refugit atq; abhorret: Indéq; has voces: *Vndiq; tristis est anima mea:* & *si fieri potest, transeat calix iste.* Esse tamen hactenus voluntariam, quatenus non patiebatur inuitus; sed deliberata voluntate, illos naturales motus subiiciebat diuinæ voluntati: Vnde hæc, *verumtamen, non vt ego volo, sed sicut tu.* Et illud Chrysostomus appellat αἰδουμένης φύσεως ἕπεσθαι τῷ Θεῷ: *obsequente natura sequi Deum.* Zacharias: *Quod ex humana infirmitate trepidanter renuerat, reuertens in semetipsum, per obedientiam & fortitudinem mentis confirmat. Non, inquit, hoc fiat, quod humanus affectus loquitur; sed ad quod missus sum.*

XVII. Quis tam cæcus, vt nunc saltem non videat argumenti certitudinem? si Christus, naturali

illo sensu, magis horruit mortem, quàm vllus vnquam hominum, tum vel mollior fuit reliquis omnibus vel in morte apprehendit aliquid præter mortem. At ille vehementiùs horruit: & tamen non fuit mollior reliquis, imò verò constantior. Ergo, apprehendit in morte sua, aliquid grauius morte corporea. Non posse autem elabi Bellarminum, dicere exemplo Petri: quem cùm prædixerit Christus ducendum quò nollet, naturali illa voluntate, qua homo, abhorret mortem. Et tamen numquam legitur fuisse turbatum; aut ἀδημονῆσαι: & certè, vt mittam cætera, numquam sudasse grumos sanguinis.

XVIII. Ac vide mihi, quanta sit vis veritatis, quæ aduersarium vel inuitum cogat sibi testimonium dicere. Christus (inquit Bellarminus) non tantum non permisit vt redundaret ex parte superiore gaudium in partem inferiorem; sed etiam non auertit cogitationem à morte imminente: defixit mentem in omnia tormenta impendentia. In eandem sententiam Pererius in Exodi caput duodecimum, disputatione septima, *Christus nullam tunc habuit in parte inferiori consolationem, neque à parte superiori animæ, nec à Deo: quod significauit ipse dicens, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Ergo, inquam, hæc tristitia, hæc turbatio, hæc agonia, hæc ἀδημονία non fuit corporis, sed animæ; quamuis in inferiori parte: & quidem, vt non sic in vllo alio homine. Ergo perstat argumentum.

XIX. Sed idem, inquit, constanter morti se obtulit: nec deinceps vllum signum dedit timoris. Imò, inquam, dedit. Quis enim exclamauit, *Quare dereliquisti me?* At hoc tamtum Pererius induxit, vt probaret nullam fuisse consolationem animæ Christi in inferiori parte. Et Bellarminus prouenisse docuit eum, de quo loquebatur, timorem, ex hoc consolationis defectu. Nec negamus tamen constantissimè mortem ab eo fuisse toleratam. Imò negamus vllum vnquam simile exemplum constantiæ fuisse editum, necdum æquale. Sed vicissim docemus non emine posse satis intelligi huius infinitæ constantiæ laudem, qui solos corporis dolores considerabit: qui non cogitationem defiget in barathrum illud iræ diuinæ contra peccatores, quorum tum temporis negotium agebatur. Ille verè sciet hac infinita constantia superatam mortem, superatas etiam inferorum portas, qui didicerit, in eadem morte tolerandá, longè aliam rationem esse cuiuslibet hominis, aliam Christi sese pro homine sistentis. Quæ res non potuit meliùs explicari, quàm à Basilio Seleuciensi, quem iam aliquoties citaui. Χριστὸς οὖν ἀγωνιᾷ τὸν καιρὸν ὑποδέχεται. Chrysostomus homilia trigesima tertia dicebat [illegible] quod Anianus vertit, *mortem admisit pluribus maioribusque doloribus corporis vexatus, quàm Tragœdi omnes scribere possent.* Non rectè. debuit enim *mortem excepit cum Tragicis affectibus multis.* Sed redeo ad Basilium. [illegible] *Christus cum angore crucem excipit, passionémque pauor anticipat. Quamobrem? Nimirum, quia Christus contra viuentem adhuc mortem armatur, cuiusque nondum soluta tyrannide manum conserit. Etenim imperium, quod in homines iam inde ab Adamo obtinebat, etiamnum ostentabat.* Non potuit breuius simul & significantiùs res tota definiri. Videt Bellarminus. Nos haud aliter credimus docemúsve.

Cap. XIV.

De Christi exclamatione.

I. Matthæi vigesimo septimo Christus in cruce pendens, *Circiter horam nonam exclamauit voce magna dicens, Eli, Eli, lama sabachtani? hoc est, Deus mi, Deus mi, cur deseruisti me?* Quæ verba eum iudicant, qui præ angoris magnitudine tantùm non desperat de auxilio diuino. Inde elicimus; primò, non corpore solo passum esse Christum; sed etiam & quidem multò magis, anima. Non potuit enim corpus sentire, nisi dolores ab hominibus illatos: anima verò longè altiùs ascendit. Secundò: hanc animam, non tantùm defixam fuisse in cogitatione dolorum, quibus premebatur corpus; sed etiam in ira Dei aduersus peccata: cuius signum, imo effectum erat desertio. Nam alioquin, cur ita loqueretur? Nam si dolores corporis spectes; aut eosdé, aut etiam maiores, certè quidem prolixiores, sensit alter ille latro pius, qui tamen non conquestus est se à Deo deseri. Petrus etiam crucifixus, & quidem inuerso capite, quod crudelitatis augmento tribuunt, tamen confidit se à Deo sustineri. Necesse est igitur præter corporeos dolores, aliquid longè maius fuisse, quòd Christo hanc vocem magnam, hunc clamorem expresserit. Non potest autem illud esse quicquam, præter hunc, quem dicimus, sensum iræ Dei.

II. Respondet Bellarminus: nullam fieri mentionem iræ Dei erga Filium, sed solius derelictionis. Porrò Deitatem dereliquisse in pœnis humanitatem: & cùm posset inde eam eripere, noluisse, vt sacrificium perficeretur, quo mundus redimendus erat. Voluisse autem Christum hoc modo clamare, vt intelligeremus, illum verè grauissimos dolores pertulisse: id enim significare illud *Quare*, ac si diceret, non est in me caussa huius pœnæ.

III. Frustra. Primò, mentionem fieri iræ si negat ad literam, cur negat? Non enim fuerat obiectum: Neque nostrum quisquam sic impudens, vt dicat Christum exclamasse. Quare es in me iratus? Refutet potiùs, si possit, consequentiam, qua nos ab effecto causam concludimus: si non potest, det manus, cedátque veritati. Secundò, iram in Filium, ne nos quidem dicimus, nisi per accidens: sed iram in peccata, pro quibus se pati Christus sentiebat. Iram quidem non meruit Christus perfectè iustus, proindéque innocens: sed effecta tamen eius iræ sensit vt vadem peccatorum oportuit. Tertiò, τὸ ἐγκαταλείπειν non simplicem derelictionem significat, sed desertionem in malis: hoc est, cùm non tantùm permittitur quispiam venire in periculum, sed etiam, quum in ipso tum periculo lucta deseritur, vt nullum auxilium sibi polliceri possit. Itaque Pererius his ipsis verbis probat Christum in inferiori animæ parte omni consolatione destitutum fuisse: quod si est, tum omninò est necesse conqueri Christum, plusquam de sola morte corporis.

IV. Relictam fuisse à Diuinitate humanitatem, non debuit dici absque distinctione. Neque enim simpliciter verum: neque ita Christus dixit. Non dixit, quia ad Patrem direxit sermonem: neque idem est Patrem deserere Filium: & diuinitatem relinquere humanitatem Filij. Non est autem

verum: Non tantùm propter vnionem hypostaticam, quam ne mors quidem dissoluit, vt docet Damascenus de Fide libro tertio capite trigesimo septimo: sed etiam propter efficaciam diuinam; quæ Christo etiam morienti adstitit. Vnde Athanasius contra Arianos oratione quarta, ἰδοὺ γὰρ λέγοντος αὐτοῦ, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες, ἐδείκνυεν ὁ πατὴρ ὡς ἀεὶ καὶ τότε ἦν ἐν αὐτῷ. ἡ γὰρ γῆ γνοῦσα τὸν δεσπότην λαλοῦντα εὐθὺς ἔτρεμε καὶ τὸ καταπέτασμα ἐσχίζετο· ὁ ἥλιος τε ἐκρύπτετο καὶ αἱ πέτραι διερρήγνυντο. *Ecce ipso dicente, Cur me deseruisti, ostendit Patrem se semper, atque adeo tum esse in eo. Etenim terra Dominum loquentē agnoscens, contremuit, & velum scissum est: & sol absconsus statim & rupes perfractæ.* Quid igitur? Nimirum optimè Bernardus sermone quinto de verbis Esaiæ. *Quasi quædam ibi derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio; nulla ostensio maiestatis.*

Cap. XV.

De Christi doloribus mortis.

I. Actorum secundo, Petrus de Christo sic loquitur, *Quem Deus excitauit, solutis doloribus mortis: eo quòd impossibile erat ipsum ab ea retineri.* Non simpliciter nominat mortem: sed Filium Dei implicitum fuisse doloribus exprimit: nimirum quos parit maledictio & ira Dei, quæ origo mortis est. Itaque dolores mortis, plus quiddam significabunt, quàm corporeum sensum. Nam qui verè expendunt mortis naturam, quia audiunt esse Dei maledictionem, ipsos Deum iratum in morte concipere necesse est. Hinc horror, in quo plus mali est, quàm in morte. Ipsa iam, quia hac conditione mortem obiit Christus, vt reatum nostrum subiret, ille interior animæ sensus, multo plus illi anxietatis & horroris attulit, quàm omnes carnis cruciatus. Summa est, si istos mortis dolores Christus non tulit: ergo soluti non possunt dici: At eos solutos pronunciat Petrus: Ergo, oportet etiam fuisse toleratos.

II. Bellarminus variè respondet. Primùm, recitato loco ex versione Latina, quæ legit *dolores inferni*; obseruat Græcè legi *mortem*. Et Chrysostomum, atque Oecumenium interpretari mortem ipsam liberatam fuisse à doloribus, quos quasi patiebatur, cùm Christum detineret, quem non poterat detinere. Præstare tamen, si dicamus Christum, sua resurrectione destruxisse ac dissoluisse mortem, cum omnibus doloribus qui illam comitantur: cùm resurrexerit immortalis & impassibilis.

III. Sed varia lectio quorsum? Nam Caluinus non obiicit *dolores inferni*, sed *mortis*, acquiescens editioni Græcæ: etsi vtrouis modo legas, vix pili interest: tãtumdem enim valent dolores mortis, quãtũ dolores inferni. De Chrysostomi (quem sequũtur Theophylactus & Oecumenius) interpretatione non est laborandum. Video omnes sani alienam esse, & nimis affectatam. Porrò, Psalmo decimo octauo, & centesimo decimo sexto Septuaginta legũt ἔσχον με ὠδῖνες θανάτου· vnde verisimile est hæc verba fuisse mutuò sumpta. Hebraicè חבלי מות. Hieronymo interprete *funes mortis*. Nempe חבל vtrumque significat, *dolores*, inquam, & *funes*. At sanè non possunt iis locis dolores mortis intelligi, quos mors ipsa pareret. Itaque Chaldæus Paraphrastes Psalmo decimo octauo, vertit, *Circundedit me angustia, sicut mulierem, quæ sedet in partu, nec vis est ei pariendi, ipsaque periclitatur ad mortem.* Kimchi. *Ita loquitur præ magnis angustiis in quibus erat, non procul à morte in petra diuisionum.* Bellarminus ipse. *Id est, vndique talia pericula me oppresserunt, vt de salute corporali desperarem, & ideo tali dolore, id est, mœrore animi affectus sui, quali affici solent qui mortem sibi imminere vident.* Quis autem non videt, quantum præstet phrasis iampridem vsitatæ genuinũ sensum retinere? Itaque ne ipse quidem Bellarmino satis placet Chrysostomus. Cuius ingenuitatis vt gratiam referamus, testamur arridere nobis eum quem subiicit sensum. Nimirum, vt intelligantur dolores omnes mortem comitantes.

IV. Itaque, confecta res esset, nisi nollet hos dolores esse ab ira Dei: quod Caluinus contendit. Videre autem quàm leui argumento. Nam (si inquit) quia ira Dei fuit caussa mortis, ideo dolores, quos patiebatur in morte Christus, erant ab irato Deo, & dolores damnatorum dici poterant: eadem ratione omnes, qui moriuntur, etiam martyres, haberent Deum infestum, & paterentur dolores gehennæ. Est igitur, inquit, ira Dei caussa remota & generalis ipsius mortis: tamen proxima & particularis caussa, sæpissime est beneuolentia & gratia specialis Dei: teste Augustino de Ciuitate Dei libro decimo tertio, capite sexto. Et Dauide Psalmo centesimo decimo quinto. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Et Ioanne Apocalypseos decimo quarto. *Beati mortui qui in Domino moriũtur.* Denique Paulus mortem lucrum sibi esse dicebat, primo ad Philippenses.

V. Respondeo, primò ad argumentum, negando consequentiam. Ratio est; quia martyres, reliquique fideles, qui in Domino moriuntur, non patiuntur dolores mortis. Meminit Bellarminus, se docuisse Christum, destitutum consolatione in inferiori parte animæ, ad solam mortem animum intendisse, & tormenta impendentia. Hoc verò nos vlli vnquam martyrum, aut feliciter in Domino morienti, negamus accidisse: quia in eis Deus infundat consolationem maiorem, quàm sint omnes mortis pœnæ; vnde fit vt auersos animos à cogitatione pœnarum, defigant in spem æternæ beatitudinis, quam sibi promissam esse sciunt, certóque donandam: Et primò in remissionem peccatorum, quam sibi hac Christi morte partam constantissime credunt; ita vt neque pro suis peccatis patiantur, nedum pro alienis. Christi verò alia erat ratio.

VI. Causas mortis fateor esse distinguendas: vt remota, generalisque sit ira Dei: aliquando verò proxima & particularis eiusdem beneuolentia & gratia. Sed vicissim dico: primò, non tantùm vniuersalem, sed etiam per se mortis caussam esse iram Dei. Nam vniuersaliter pronunciauit Paulus, *mortem esse obsonium peccati*: ad Romanos sexto. Itaque, si animus defigatur in solam mortis considerationem, nullo modo posse non apprehendi iram Dei: ne exceptis quidem martyribus. Christum verò iam audiuimus, confitentibus ipsis aduersariis, sic in morte mortem solam, eiúsque tormenta considerasse. Secundò, gratiam Dei esse non tantùm particularem, sed etiam per accidens causam mortis: nimirum, quatenus in quibusdam Deus quasi abutitur morte, vt eos transferat in meliorem vitam. Itaque, non in omnibus eam caussam inueniri. Quare in Christi morte considerandam esse eius caussam; non tantùm remotam & vniuersalem; sed etiam proximam & particularem esse iram Dei.

VII. Esaiæ capite quinquagesimo tertio non

tantum

tantùm dicitur vulneratus propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, sed etiam מוסר שלומנו עליו Septuagint. παιδεία εἰρήνης ἡμῶν ἐπ' αὐτόν. Itáque, Latinus, *Disciplina pacis nostræ super eũ.* Non recte. Rectè Pagninus, Munsterus, Iunius. *Castigationem pacis nostræ* dixerũt: significat enim מוסר pœnas, quæ sumuntur pro delictis, id est, castigationem. Et quidem verbum, vnde id nomẽ deducitur, Septuaginta reddunt παιδεύειν. Sed Latinus, *corripere.* Leuitici vigesimo sexto. *Corripiam vos septem plagis.* Psalmo sexto. *Neque in ira tua corripias me.* Significauit ergo correptionem nostræ pacis, id est, per quam pacem apud Deũ habemus, Christo imputatã fuisse: ipsum igitur correptum fuisse. Et id quisquam concipere potest, vt non simul iram Dei concipiat? Concludo, iram Dei fuisse non tantùm vniuersalem & remotam caussam mortis Christi; sed etiam particularem & proximam. Itaque stare Caluini Argumentum.

VIII. Altera Bellarmini responsio inferorum vocabulum retinet, autoritate Irenæi, & Augustini. Qua de re, vt dixi, non est nostrum contendere. Nam & in illo Psalmo decimo octauo, illi ipsi siue dolores, siue funes mortis, appellantur etiam dolores siue funes inferni ὠδῖνες ᾅδου Græcè, & centesimo decimo sexto מצרי שאול κίνδυνοι ᾅδου apud Septuaginta, Latinè *munitiones inferni.* A Chaldæo, *molestiæ inferni.* A Pagnino, *angustiæ inferni,* A Iunio, *angores sepulchri.* Quin etiam Syrus reddidit חבליה דשיול *Dolores inferni.* Vertit Bodertianus: At Tremelius, *dolores sepulchri.* Quia tamen nusquam legimus *dolores inferni,* sed *dolores mortis,* videtur longè verisimilior lectio, quam retinent pleraque omnia exemplaria Græca, & Chrysostomus, Theodoretus Theophylactus, Oecumenius. Quin Epiphanius ipse, qui in Anchorato legit infernũ, in αἱρέσεσιν αὐτὸν mortem retinet. Sed, vt dixi, hęc à nobis susque déque habentur.

IX. Quid habet ergo Bellarminus? duplicem interpretationem. Vnam, *vt solutis doloribus inferni,* id est, ac factis irritis: non quibus Christus tenebatur, sed ne ijs teneretur. Ex Augustini Epistola nonagesima nona. Alteram, quibus ipse quidem non tenebatur Christus, sed alij, quos ipse nouerat liberandos: ex eodem Augustini loco.

X. Sed hæ sunt solius Augostini interpretationes, & quidem hæsitantis. Cæterùm ipse contextus ostendit; primò τὸ λύσας, referri ad Patrem, vt is dicatur soluisse, non verò Christus: cùm tamen bonus ille Pater supponat ab illo solutos inferni dolores. Et tamen contextus series apertè reclamat, qui totam liberati Christi caussam Deo assignat. Sic cum bis asserit suscitatum à Deo: sic ei tribuit illud, *Non derelinques animam meam in inferno.* Secundò, Christum alligatum fuisse doloribus mortis, siue inferni, patet ex præcedentibus: deinde ex contextu. Quorsum enim dolores aliorum nominasset Apostolus? Aut quis non videt τὸ λύσας, referri ad τὸ κρατεῖσθαι; Sciunt enim omnes vocabulum vsurpari, non de præda quæ in casses non incidit; sed de ea quę cùm inciderit, tamen retineri non potest. Itaque oportet Christum incidisse in casses, vt ita dicam, inferni, id est, in dolores mortis: sed ab illis euasisse. Ideóque non κρατεῖσθαι, non præualuisse, aduersus illum dolores illos, vt detinerent. Itaque Irenæus libro tertio capite duodecimo, sic membra connectit: *Quem Deus excitauit solutis doloribus inferorum: quoniam non erat possibile teneri eum ab eis.* Consentiente Syro interprete.

Quia non erat possibile, vt detineretur in eo inferno. Sic exponentes Petri illud καθότι, quo solutionis ratio redditur. Quasi diceret: Quare soluti sunt dolores mortis? Quia Christus à morte detineri non poterat. Hæc verò partium ἀκολουθία ridicula est, si dolores ij ad Christum non attinuerunt. Et sanè Chrysostomi, quique eum sequuti sunt, interpretatio, huc recidit: vt dicatur Christus suscitatus fuisse, solutis doloribus in quibus versabatur, non Adam, vt hunc, exempli gratia, nominem, sed ipse Christus: quemadmodum infans nascitur soluto vtero, intra quem ipse concludebatur, non alius quispiam.

CAP. XVI.

De Christi εὐλαβείᾳ.

I. PAulus ad Hebræos capite quinto, Christus, *in diebus carnis suæ, deprecationibus & supplicationibus oblatis cum clamore valido, & lachrymis, apud eum qui poterat eum seruare à morte,* καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, *& exauditus precibus, liberatus à metu, quamuis Filius esset, tamen ex iis, quæ passus est, didicit obedientiam.* Si Christus exauditus est à metu, ergo habuit metũ. Itaque primò, passus est non corpore tantùm, sed etiam anima. Secundò, si metuit, & exauditus est à metu. Ergo aliud quid metuit vltra mortem. Non est enim liberatus à morte. Non potest autem considerari quicquám vltra mortem; pręter iram illam Dei in hominum peccata, pro quibus se pati Christus sciebat.

II. Bellarminus negat τὴν εὐλάβειαν esse metum pœnę: sed significare pietatem, reuerentiam, & proinde etiam metum reuerentialem: teste Caluino in Lucæ caput secundum (vbi Simeon dicitur εὐλαβὴς in vulgata versione *timoratus*) legente *pius,* exponentéque de vera pietate. Teste etiam Beza in eundem locum definiente εὐλαβεῖσθαι significare non quemcumque timorem, sed cum reuerentia potiùs, quam cum animi trepidatione coniunctum: Latinéque religionem vocari. Itaque non debuisse aut Caluinum, aut Bezam, hoc ad Hebræos capite, eandem vocem ad metum accommodare. Et quia Beza vrget phrasin εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας negans Græcæ linguæ proprietatem pati posse, vt ἀπὸ sic constructum significet *propter* Bellarminus respondet, se faciliùs ostensurum eam voculam, sic constructam, idem significare, quod διὰ, id est, propter quàm Bezam ostensurum εὐλάβειαν accipi pro metu pœnæ. Et citat locos Matthæi decimo tertio: & Lucæ vigesimo quarto, & Actorum duodecimo, legi ἀπὸ χαρᾶς *præ gaudio, siue ob gaudium.* Lucæ vigesimo secundo ἀπὸ λύπης *ob tristitiam.* Posterioris Machabæorum quinto ἀπὸ τῆς ὑπερηφανίας, *ob superbiã,* prout explicatur alijs vocibus διὰ τὸν μετεωρισμὸν τῆς καρδίας, *ob elationem cordis.* Porrò Chrysostomum, Theophylactum, Oecumenium in Epistulam ad Hebræos, exponere εὐλάβειαν, venerationem, quæ Christo debebatur: vt sensus sit: exauditus est, quia merebatur exaudiri, cùm esset dignissimus omni honore & reuerentia: vel exauditus est *ob reuerentiam,* qua ipse Patrem prosequebatur. Fuisse autem Chrysostomum, Theophylactum, Oecumenium Græcarum phrasium peritos.

III. Sed περὶ τῆς εὐλαβείας, non est difficile negotium. Dico igitur eius vocabuli vsum hunc esse, vt

timorem significet, siue metum impendentis mali, quod vitare optemus: Et vix aliter inuenitur apud bonos authores, veterésque Græcos similiterque; εὐλαβεῖσθαι, καὶ εὐλαβὴς excepta illa rarissima significatione τῶ εὐλαβεῖν, quo significatur id quod facilè capit. Quæ significatio, si quæ sit, nihil ad nos. Repeto igitur τὴν εὐλάβειαν, cognatásque voces, timorem significare. Alias quidem generaliter adeo, vt confundatur cum δειλίᾳ. Phauorinus. εὐλάβεια, φυλακὴ ὅτι ἐσχάτου· εὐλαβεῖσθαι αἰτεῖ τὸ φυλάττεσθαι. Glossarium · εὐλαβὴς, ὁ δειλὸς, Pauidus. εὐλαβοῦμαι, reuereor, vereor, formido. Etymologici magni autor. εὐλαβεῖς τινὲς τὴν δειλίαν καὶ δειλόν. Quidam timidum & pauidum sic appellant. Idem in τρήρων ὅτι τὴν περιστερὰν ἐδήλωσε, ὅτι τρεῖ, εὐλαβὲς γὰρ τὸ ζῷον. Hoc est, τρήρων de columba dicitur quæ pauida est, à verbo τρεῖν. est enim animal timidum. Aristoteles magnorum Ethicorũ libr. primo, capite trigesimo, ὁ καταπεπληγμένος, ὁ ἅπαντα καὶ πάντας εὐλαβούμενος. Attonitus is est, qui omnia, atque omnes timet. Itaque, de suo testo quem medium facit [illegible] τὸν καταπεπληγμένον, καὶ ἀναίσχυντον pronunciat ὅτι ἄπαντα καὶ πάντας, οὐδὲ ἀναισχυντεῖ, καὶ ἐπὶ παντὶ καὶ πρὸς πάντας εὐλαβηθήσεται: neque omnia quomodocumque dicet, facietve, vt impudens: neque vt attonitus, & vbique, & quomodocumque timebit. Et Historiæ animalium nono, capite quinto, de ceruis cùm cornua amiserunt [illegible] ἑαυτοὺς, ὥσπερ εὐλαβούμενοι τοὺς μύας. Condunt se in densos locos, vitantes muscas. Diodorus Siculus libro decimo quinto, τούτῳ δὲ τῷ παρρησίᾳ κατεπλήξατο τοὺς εὐλαβεῖς ἔχοντας: cum increpasset eos qui erant timidi: & paulo post: ἐφιλοτιμεῖτο μεταθεῖναι τοὺς τῶν πολλῶν εὐλαβείας: Satagebat transferre aliò vulgi timores. Clemens Alexandrinus Protreptico. ἡ νὺξ δὲ εὐλαβεῖται τὸ φῶς, καὶ δύνουσα διὰ τὸν φόβον, ὑποχωρεῖ τῇ ἡμέρᾳ Κυρίου. Nox timet lucem, & abscondens se præ timore cedit [illegible] diei Domini. Aristoteles in tractatu de virtutibus & vitiis περὶ τῆς δειλίας agens, ἕπεται δὲ τῇ εὐλάβεια: subest ei inquit, quædam εὐλάβεια: vt doceat esse effectum τῆς δειλίας. Itaque & Philo de vita Mosis libro primo, Mosem dicit τὴν φύσιν εὐλαβῆ natura timidum: & Plutarchus Periclē πρὸς τὸν λόγον ἦν εὐλαβής: ad dicendum erat timidus. Et in Camillo infaustos dies institutos multiplicatósque dicit τῆς περὶ τὰ σύμβολα εὐλαβείας καὶ δεισιδαιμονίας ἐπιρρεούσης, ὥσπερ εἰωθε, γινομένης. Quæ à Lapo peruersa, sic facimus Latina. Timore superstitionéque sese, vt solet latius fundente. Athanasius de Passione & cruce Christi. ὥστε τοὺς πάντας εἰς εὐλάβειαν ἐλθεῖν· vt omnes in timorem venirent. Vbi idipsum est, quod Actorum quinto, Lucas dixit: καὶ ἐγένετο φόβος μέγας ἐπὶ πάντας. Et factus est timor magnus super omnes.

IV. Veruntamen, idem ipsum vocabulum alias coercetur, vt ne quemlibet timorem significet; sed rationabilem; & laudandum etiam; quo cauemus legitimè ab iis quæ cauenda sunt. Indéque etiam pro prudenti cautione vsurpatur. Sic Clemens Alexandrinus Stromateon secundo. ὁ οὖν εὐλάβεια λέγεται ἔκκλισις τοῦ βλάπτοντος, εὔλογος οὖσα. Ostenditur εὐλάβεια esse rationabilis declinatio à re noxia. Et rursus, vt fortitudini patientiam & constantiam, sic temperantiæ comitem esse εὐλάβειαν ἔκκλισιν οὖσαν, inquit, σὺν λόγῳ: quæ est declinatio cum ratione. Itaque & pædagogi secundo, de Paulo dixit εὐλαβούμενος περὶ ἡμῶν nobis timens, siue nobis cauens. Aristoteles Rhetoricæ primo capite nono. ληπτέον δὲ καὶ τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπάρχουσιν, ὡς ταὐτὰ ὄντα, καὶ πρὸς ἔπαινον, καὶ πρὸς ψόγον οἷον τὸν εὐλαβῆ ψυχρὸν, καὶ ἐπίβουλον. Sumenda sunt vicina pro iisdem siue ad laudem, siue ad vituperium: vt cautum & animosum, pro timido & insultoso. Idem Rhetorices tertio, ἐὰν δὲ ἀσεβῆ καὶ αἰσχρὰ, δυσχεραίνοντας καὶ εὐλαβουμένους λέγειν. Si qua sunt impia & obscœna, ea cum molestia quadam, & timide dicenda. Plutarchus in Camillo, ἡ [illegible] εὐλάβεια καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἄριστον. Prudens cautio, atque id, quod dicitur, nequid nimis, consultissimum. Significans cauendum ne omnibus, quæ de portentis fama vulgare solet, fidem adhibeamus nimium credulè. Atque hoc sensu de seipso Pescennius Niger apud Herodianum libro secundo sic loquitur, [illegible] γνώμης τὸ πρᾶον, καὶ πρὸς τὰ μεγάλα τῶν ἐγχειρημάτων εὐλαβὲς, ἴστε δὴπου πάλαι γνόντες. Hoc est, interprete Angelo Politiano. Quam mitte ingenium, quantaque in rebus maioribus aggrediendis nostra cautio sit, forsan ipsi iampridem cognouistis. Lucas Actorum vigesimo septimo, εὐλαβηθεὶς ὁ χιλίαρχος, μὴ διασπασθῇ ὁ Παῦλος: Timens Tribunus, ne discerperetur Paulus. Ipse Paulus ad Hebræos vndecimo de Noë: εὐλαβηθεὶς κατεσκεύασε κιβωτόν: metuens aptauit arcam.

V. Ab hoc vsu paululum discessum fuit in Ecclesia; vt, quia pietas in Deum solet timoris nomine significari, ἡ εὐσέβεια, indéque εὐλαβὴς, hanc nonnomen assumerent. Inde Lucæ secundo Simeon vocatur δίκαιος, καὶ εὐλαβής. Iustus & timoratus à vulgato interprete. Iustus & religiosus à Beza. Et Actorum secundo. Erant Hierosolymis commorantes Iudæi, ἄνδρες εὐλαβεῖς viri religiosi: quos Syrus interpres vertit דדחלין כן אלהא qui timebant à Deo. Nam & Syri hanc rationem sunt imitati דחלא appellantes σέβασμα, Numen, rationem reddente Masio in Syrorum peculio; quia religio Veteris Testamenti in timore posita erat. Quo sensu Geneseos trigesimo primo Deus appellatur פחד יצחק terror Isaac, id est, דחיל ליהיצחק Ille quem timebat Isaac. Et Vulgo ירא אלהים dicebatur religiosus φοβούμενος τὸν Θεόν· Iob primo. Quanquam non debuit Masius Vetus Testamentum nominare ἐξαιρέτως, cùm in Nouo legeret, Actorum nono, Ecclesias per totam Iudæam & Galilæam & Samariam recens ædificatas pergere τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου in timore Domini. Et in prioris Petri capite secundo τὸν Θεὸν φοβεῖσθε Deum timete. Vt non minus in Nouo Testamēto, Religio constet timore Dei, quàm in Veteri. Et hoc eodem sensu apud Plutarchũ in Camillo legimus τὴν ἄλλην περὶ τὸ Θεῖον εὐλάβειαν timorem (siue vt Lapus) pietatem & honorem erga Deos.

VI. Hæc cùm ita sint, & facta sit ad hunc modum vocula ὁμώνυμος, primũ, quid est miraculi, si tum Caluinus, tum Beza, Lucę secundo, τὸν εὐλαβῆ religiosum verterunt? Non sequitur tamen alibi non esse aliter vertendum. Et sanè hoc loco è quinto ad Hebræos adeò prolixè versionis suæ caussas Beza exposuit, vt pudendum sit Bellarmino, eam disputationem tam pro nihilo habitam. Nam, quod negat εὐλάβειαν esse metum pœnæ, quorsum spectat? Quasi nō sufficiat esse metum. Quid enim? An spem Christianorum negabit pro obiecto habere vitam æternam? quia non possit probari ipsum per se spei vocabulum significare, vitam æternam? Et tamen Clemens definiebat εὐλάβειαν, τοῦ βλάπτοντος ἔκκλισιν. Mirum, ni Iesuitarum pertinacia neget, pœnas numerari inter τὰ βλάπτοντα! Nos igitur hominem vrgeamus. εὐλάβεια significat vel timorem ἄλογον; vel timorem σὺν λόγῳ: vel pietatem & reuerentiam. At non timorem ἄλογον: non pietatem, siue reuerentiam: Ergo, timorem σὺν λόγῳ. Propositio patet. Assumptio deinceps probanda per partes. Et ille quidem timor ἄλογος, nos non deinnebit: conseruimus enim de Christo dici non posse.

VII. K -

VII. Reuerentiam Latinus interpres vulgatus reddidit: quo vsu, quàve auctoritate, id verò diuinandum. Nam primò, ea non est aut propria, aut vsitatior notio. Deinde, vix vllum credo posse exemplum dari, vbi εὐλαβεῖσθαι, aut τὸ αὐτὸ reuerentiam significet. Imò pro reuerentia, id est, honore delato alicui, nondum mihi occurrit: nequidem apud Lexicographos. Tertiò, quo sensu, quæso? An cum Chrysostomo, Reuerentia Dei in Filium? Ignoscat Chrysostomus, durum est: est inusitatum εὐλάβειαν maiori tribui ad minorem. Cur non enim hîc minorem appellem Patre Christum, quandoquidem agitur de eius humanitate? Et tamen etiam hac seposita, quis, inquam, ferat Patrem, reueritum esse Filium? Itaque, coactus est emollire per αἰδοῦν, quod longè minus est quàm εὐλαβεῖσθαι. Salmero disputatione decima tertia ad Hebræos, *Chrysostomus ἀπὸ τῆς εὐλαβείας interpretatur pro reuerentia Patris in Filium: sed profectò reuerentia minoris est ad maiorem, & congruit Christo homini precanti.*

VIII. An verò dicemus potiùs reuerentiam, qua Patrem suum Filius est prosequutus? Ergo, sensus erit, exauditum esse Filium à Patre, propter suam reuerentiam: & reuerentia causa erit, cuius gratia Pater exaudiuerit. At id phrasis Græca ferre non potest: εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας. Quæ causa Chrysostomum mouit, vt reuerentiam hanc Patri tribuerit: quia, vt Filio tribueretur reuerentia, phrasis non patiebatur. Nam quod Bellarminus regerit ἀπὸ cum genitiuo sumi pro διὰ *propter*, nauci est. Nam & ipsum διὰ variè significat, vt non mirum sit aliquando conuenire cum ἀπὸ, sed nego, tum illud διὰ sumi pro caussa, in cuius gratiam aliquid fit. Quod ipsa probant exempla à Bellarmino recitata. Omnia enim significant causam intrinsecam, à qua mouebantur agentia. Matthæi decimo tertio, *Simile est regnum cælorum thesauro occulto in agro, quem inuentum homo occultauit*, καὶ ἀπὸ τῆς χαρᾶς αὐτοῦ ὑπάγει. *Et præ gaudio quod accipit ex eo, subducit sese.* Lucæ vigesimo quarto. ἔτι δὲ ἀπιστούντων αὐτῶν ἀπὸ τῆς χαρᾶς, καὶ θαυμαζόντων, *Adhuc ipsis non credentibus præ gaudio, & mirantibus.* Actorum duodecimo: ἀπὸ τῆς χαρᾶς οὐκ ἤνοιξε τὸν πυλῶνα, *præ gaudio non aperuit vestibulum.* Lucæ vigesimo secundo εὗρεν αὐτοὺς κοιμωμένους ἀπὸ τῆς λύπης: *inuenit eos dormientes præ tristitia.* Denique Machabæorum secundo, capite quinto. οἰόμενος ἀπὸ τῆς ὑπερηφανίας, *existimans præ superbia.* Nam in his omnibus, quis non videt à suis ipsorum affectibus impulsos fuisse eos ipsos, qui vel subducebant se; vel non credebant, vel non aperiebant, vel dormiebant, vel existimabant?

IX. Sed hîc nihil tale: non enim ipse Christus exaudiuit seipsum præ pietate, sed, cùm ipse pius esset, vel potiùs, quia ipse pius esset, statuitur exauditus ab alio, nimirum à Patre. Quasi in penultimo exemplo dicerentur discipuli κοιμώμενοι ἀπὸ τῆς λύπης Χριστοῦ. quod nunquam dixisset Apostolus: Intellexit autem discipulos in somnum versos ab ea tristitia, non qua Christus afficiebatur, sed qua ipsi in sese.

X. Quadrarent hæc exempla sensui, quem Chrysostomus induxit: nisi nimis absurdum esset εὐλάβειαν Patri tribuere. Itaque Photius, qui vidit τὴν εὐλάβειαν omnino ad Christum referendam, subtile nescio quid adinuenire coactus est, distinguens illam Christi precationem, *Transeat calix iste*, à qua negat Christum fuisse exauditum, ab altera, *Verumtamen non vt ego volo*, ὅπερ ἦν ἀπόδειξις πολλῆς εὐλαβείας, *quod multa erat reuerentiæ*: ab hac exauditum fuisse: & propterea dici ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, videlicet, nominata caussa pro effecto. Cuius commenti sola illa tam abstrusa, tam longè petita subtilitas, mirum, si cui non fiat suspecta. Et, vt vt sit, tamen ἀπὸ interpretandum fuerit non pro διὰ, sed quo sensu Caluinus & Beza.

XI. Superest ergo, vt εὐλάβειαν intelligamus timorem κατὰ σάρκα: facili aptoque sensu. Facilem dico, quia hæc vsitatior est vocabuli vsurpatio: neque subtilitates alienas venatur, in quibus, præter acuti ingenij laudem, nihil habeas solidi. Commodam: quia optimè quadrant omnes contextus partes. Obtulit Christus preces & deprecationes: cui? ei, qui poterat ipsum seruare à morte: quæ verba tum illum designant, cui preces offerebantur, tum caussam propter quam offerebantur, nimirum liberationem à morte. Has preces non inanes fuisse Paulus docet: quia Christus sit exauditus: exauditus tamen non ἁπλῶς, neque enim non mortuus est, sed κατά τι ἀπὸ τῆς εὐλαβείας: *à timore*, hoc est, vt liberaretur ab omni mortis timore, constanterque ac fortiter ferret fieri voluntatem Patris.

XII. Ad hæc non tantùm Syrus interpres vidit τὴν εὐλάβειαν hoc loco metum significare: cùm reddidit, perturbata tamen Syntaxi, מן דחלתא *ex metu.* Sed etiam τὴν εὐλάβειαν in Christo pro metu non nemo Veterum nominatit. Nazianzenum audi, oratione secunda de Filio, τῆς αὐτοῦ ἔχεται σαρκός, καὶ τὸ μαθεῖν αὐτὸν τὴν ὑπακοὴν ἐξ ὧν ἔπαθε, ὅ τε κραυγὴ, καὶ τὰ δάκρυα, καὶ τὸ ἱκετεῦσαι, καὶ τὸ εἰσακουσθῆναι, καὶ τὸ εὐλαβές. ἃ δραματουργεῖται, καὶ πλέκεται θαυμασίως ὑπὲρ ἡμῶν. *Eiusdem rationis est, & quod obedientiam didicerit ex iis quæ passus est: tum clamor & lacryma, & quod supplicarit, & exauditus sit, & timiditas, quæ pro nobis mirabiliter exprimuntur & connectuntur.* Nam quis non videt τὸ εὐλαβὲς numerari inter τὰ πάθη τῆς ἀνθρωπείας?

XIII. Verùm Cyrillus disertior, de recta fide ad Reginas, capite de Sanctificatione & Sacerdotio Christi. Τὸ μὲν γὰρ κατατολμᾶν καὶ ἀντιτάξασθαι τοῖς πειρασμοῖς, ἀνδρείας μὲν ἔχει δόξαν. δοκεῖ δὲ πως ὑπερηφανίας οὐκ εἶναι ἀπῳκισμένον. Τό γε μὴν δεδιέναι μὲν καὶ ὑποστέλλεσθαι δοκεῖν, καὶ δεῖσθαι Θεοῦ τοῦ σώζειν ἰσχύοντος, εὐλαβείας ὑπόληψιν ἔχει. Quæ sic Latinè reddo: quia vulgata versio ridicula est, *Nam aduersus tentationes audacem esse, habet quidem fortitudinis laudem: verùm non videtur alienum à superbia. At verè quod videtur timere, & contrahi & rogare Deum, qui poterat saluum facere, timiditatem designat.* Nam quòd reuerentiam vertit interpres ille, quisquis est, insulsè facit: quomodo enim conueniat cum δεδιέναι, & ὑποστέλλεσθαι? Sed paulò pòst clariùs, πῶς ἂν κατεπόθη θάνατος ὑπὸ ζωῆς, *Quonam modo expauit mortem vita*: vbi rursus ineptiam mihi vide interpretis *quomodo absorpsit mortem vita*: non nihil somnians περὶ τοῦ καταποτοῦ. Sed vnde pergit Cyrillus, ὁ δὲ καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς θεσπίζων ἔσεσθαι μονίμους, καὶ λέγων μὴ φοβεῖσθε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τῶν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι; *Is qui nos constantissimos efficit, dicens, Ne metuatis eos qui occidunt*

corpus, quemodo deprehenditur seruire passionibus. En tibi A τὸ δειλιᾶν, quæ quid ad τὴν εὐλάβειαν, si δειλία est pietas? Sed audi rursus Cyrillum, qui, quòd dicerent aduersarij Christum illum ἰδίως ἄνθρωπον, tamen vocatum in æqualitatem gloriæ, & dignitatis cum Dei Verbo, stupidos vrget hoc absurdo: πῶς ἄξιον ἂν εἴη αὐτῷ, τὸ δεδιέναι θάνατον, τὸ κίνδυνον ὑφορᾶσθαι, τὸ κλαίειν ἐν πειρασμοῖς, ἐνδεῖσθαι δὲ καὶ ἐν ἐνδείᾳ τῆς παρ' ἑτέρου χειρὸς, ἵνα σώζηται, *Ergo conuenire ei verbo, timere mortem, periculum suspectum habere, flere in tentationibus, imo indigere aliena manu vt seruetur.* B

XIV. Denique, cur miremur εὐλαβεῖσθαι, *timorem* verti: cùm etiam φοβεῖσθαι, imò δειλιᾶν, Veteres in Christo sint confessi? Nam hæc certè vehementiora sunt. Itaque frustra Bellarminus, Caluini, Bezæque hanc huius loci interpretationem lancinauit.

XV. Sed quæramus ab istis, inquit Benedictus Iustinianus, num hæc dicendi ratio apud probatos autores reperiatur, *exaudiri à metu, à cruciatu, à morte*, id est, ita exaudiri, vt his malis liberetur. Ego verò, inquam, totius phraseos exemplum habeo Psalmo vigesimo secundo, *A cornibus vnicornium exaudias me*, interprete Vatablo ad literã: quamuis perperam vulgatus, pro *Exaudias me*, verterit, *humilitatem meam*. Habeo præterea, quo probem τὸ ἀπὸ εὐλαβείας significare *vt nullus sit timor*: etsi procul ab vsu Græcorum, tamen ex affectatione Hebraismi. Hieremiæ vigesimo sexto, ἡ πόλις αὕτη ἐρημωθήσεται ἀπὸ κατοικούντων, *Vrbs ista desolabitur ab habitantibus*: non hoc sensu, vt desolent eam habitatores ipsi: sed vt desoletur ita, vt nulli sint habitatores: nam Hebraicè מאין ישב Latina editio, *eo quòd non sit habitator*. Melius Pagninus, *Ita vt non sit habitator*. Capite trigesimo secundo ἄβατος ἐστιν ἀπὸ ἀνθρώπου καὶ κτήνους, *Inuia est ab homine & iumento*: eodem sensu. Similiter capite trigesimo tertio, & trigesimo quarto. Similiter Psalmo trigesimo, ἔσωσάς με ἀπὸ τῶν καταβαινόντων εἰς λάκκον, *Saluasti me à descendentibus in lacum*, id est, ne ipse descenderem. Nam, quicumque interpretati sunt; *quia ab illis saluatus est in resurrectione, ne amplius sibi nocere possent*, vt Aiguanus, iis imposuit Latina editio. Quanquam Massora ita restituit, vt sonet ἀπὸ τοῦ καταβαίνειν με, paulo disertiùs, in rem nostram. Sed & Paulus ad Collossenses secundo: εἰ ἀπεθάνετε σὺν Χριστῷ ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου. Vulgata editio, *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis mundi*, ad verbum: Beza ad sensum, *si mortui estis cum Christo ab elementis mundi*. Iustiniani paraphrasis, *mundi elementis liberi estis & soluti*.

Cap. XVII.

De Christo facto peccato & execratione.

I. PAulus quinto capite posterioris ad Corinthios, pronunciat, Christum esse pro nobis factum peccatum, *Fecit enim, vt qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum esset, vt nos efficeremur iustitia Dei in eo*. Hebraica phrasis, qua peccata dicebantur hostiæ immolandæ pro hominum peccatis, quod omnes obseruant, qui hunc locum exposuerunt. Neque enim alio sensu vllo fieri potest, vt verè Christus dicatur factus pecca-tum.

II. Sed nihil obstat, quominus in ea phrasi propriam emphasin obseruemus: quam hîc Veteres noluerunt neglectam: Chrysostomus τὸν μηδὲν ἡμαρτηκότα, ὑπὲρ τῶν ἁμαρτανόντων κολασθῆναι εἴασεν; ἀλλ' οὐχ οὕτως εἶπεν, ἀλλ' ὃ πολλῷ μεῖζον ἐστὶ τούτου τίθησι. ποῖον δὴ τοῦτο; τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν φησὶν αὐτὸν, τὴν αὐτοδικαιοσύνην, ἁμαρτίαν ἐποίησε· τουτέστιν ὡς ἁμαρτωλὸν κατακριθῆναι αὐτὸν, ὡς ἐπικατάρατον ἀποθανεῖν. ἐπικατάρατος γὰρ ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. τοῦ γὰρ ἀποθανεῖν τὸ οὕτως ἀποθανεῖν πολλῷ μεῖζον ἦν. *Eum, qui nihil deliquerat, pro delinquentibus supplicio affici permisit. Atqui non id dixit: sed aliud multo maius. Quidnam? Eum, qui non norat peccatum, qui erat ipsissima Iustitia, peccatum effecit. Hoc est, tanquam peccatorem condemnari permisit, tanquam maledictum mori: Etenim, Maledictus quicumque pendet in ligno: Enimuerò ipsa morte, ita mori longè grauius.* Chrysostomum sequuntur Oecumenius, & Theophylactus. Audiant Papistæ in hac morte Christi, Christo fuisse aliquid ipsa morte grauius. Quis ergo ausit iam solos corporis cruciatus memorare? Sed illud C ipsum, si quæris, quidnã fuerit, in promptu est responsio: Factus est peccatum; id est, mortuus tanquam peccator, qui tamen peccatum non norat. Et hoc quid est aliud, quàm quod Caluinus dixit?

III. Iterum Paulus tertio ad Galatas, *Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Scriptum est enim, Execrabilis quisquis pendet in ligno.* Qui locus vnus esse queat instar omnium: nihil enim dici potuit ἐμφατικώτερον. Nam κατάρα quis nescit id omne complecti, quo peccatum D Deus vlciscitur? Discat tamen è vigesimo octauo Deuteronomij, vbi etiam corporales pœnæ, atque adeo illæ, quæ in hac vita immittuntur à Deo, peccata hominum vindicante, maledictiones appellantur. Vnde facile est concludere: eos homines, in quos immittuntur, vel esse truncis quibuslibet stupidiores, vel agnoscere præsentem iram Dei. Quid mirum igitur, si nos asserimus Christum, qui & viuens & moriens tantas tulit pœnas, quantas alius nullus: & pœnas qui- E dem ob peccata: & tantas, vt factus dicatur maledictio, quis miretur, inquam, si hunc dicamus sensisse iratum Deum? Mirentur potiùs pij, si non dicamus. Nam de Papistis quidem nihil mirum: qui alia multa secus dicunt, quàm oporteat: & rectè dicta odio prosequuntur plusquam Vatiniano.

IV. Et quidem, cùm constet mortis hoc genus speciali quodam modo fuisse maledictum. Maledictum, inquam, non apud homines tan- F tùm, sed etiam apud Deum. Nam id sibi vult locus Deuteronomij vigesimo primo, quem citat Paulus, non ad verbum κεκατηραμένος ὑπὸ Θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου, *Maledictus à Deo quicumque pendet in ligno*. A Deo, inquam. Et adhuc dicat aliquis nullo modo sensisse iratum Deum? Nullo modo cogitationem defixisse in eam iram: & tantùm considerasse corporales dolores. Athanasius ad Epictetum, οὐκ αὐτὸ τοῦτο γέγονε κατάρα, ἀλλ' ὅτι τὴν ὑπὲρ ἡμῶν ἐδέξατο κατάραν, *Non quidem illud ipsum factus est, nempe maledictio: sed quia maledictionem pro nobis in se suscepit.* G Et Iustinus contra Tryphonem, τὸν ἑαυτοῦ Χριστὸν, ὑπὲρ τῶν ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων ὁ πατὴρ τῶν ὅλων, τὰς πάντων κατάρας ἀναδέξασθαι ἐβουλήθη, *Christum suum pro hominibus cuiuscunque generis, Pater omnium, omnium voluit suscipere maledictiones.* Augustinus in Actis cum Felice Manichæo libro secundo, capite vndecimo, *Quomodo suscipiendo mortem interfecit mortem,*

mortem, sic suscipiendo maledictum, soluit maledictum. Idem contra Faustum libro quarto decimo, capite quarto, *Ille negat Christum maledictum, qui negat & mortuum: qui autem confitetur mortuum, & negare non potest mortem de peccato esse: & ob hoc etiam ipsum peccatum vocari audiat Apostolum dicentem, Quoniam vetus homo noster simul cum illo crucifixus est: & intelligat, quem maledictum Moyses dixerit.*

CAP. XVIII.

Testimonia Veterum.

I. SCripturarum autoritatibus subiiciemus Patrum testimonia, qui itidem senserunt Christum, non tantùm corpore passum esse, sed etiam anima. Irenæus libro quinto, capite secundo, prout citatur à Theodoreto dialogo tertio, [illegible] *Proprio sanguine redemit nos Dominus, & dedit animam pro nostris animabus, & carnem suam pro nostris carnibus.*

II. Athanasius de Incarnatione contra Apollinarium, [illegible] *Frustra Ariani cauillantur, qui carnē tantùmmodo statuentes assumptā à Seruatore, ea, quæ de passione intelliguntur, ad impassibilem Deitatē impie referunt: frustra verò & vos, ex alio commento pariatum illis sensum, asserentes, ambiente figura, id est, organica, vsum.* Quod si (ne enim Græca explenda censeo) *pro interiore nostro homine, mens fuit cælestis in Christo, quomodo potuit vel dolere, vel anxius esse, vel orare? Quin scriptum est: Conturbatus est spiritu Iesus. Atqui ista nec bruta carni, nec immutabili Deitati congruerint: sed animæ, quæ intellectu est prædita, quæ angitur & perturbatur, & anxia est, & intelligibiliter passionem sentit. Quod si hæc sententia non placet, saltem, quum triplicia sint ea de re iudicia, quorum vnum in blasphemia est situm, alterum nudam inanémque apparentiam constituit: tertium veritate nixum, Eligite quod magis arridet. Nam suspicari non vere hæc de eo esse dicta, sed tantummodo videri dicta, id secum trahet, vt quæ facta de eo dicantur, opiniones sint & simulationes, non verò res gestæ. Iam si vere dicta sunt, & gesta: Omnino tamen aliena fuit anima Domini à sua ratione, quæ habuit Deum Verbum pro mente, mutatum esse immutabilem, in tristitiam & angorem, & turbationem, vel cogitare impium est.*

III. Cyrillus libro de recta Fide ad Theodosiū, [illegible] *Totum Dei verbum dicimus toti nostræ humanitati esse vnitum. Neque enim id quod in nobis præstantius est, scilicet animam nihili faciens, soli carni contexsit labores suæ inter homines conuersationis. Quin potius in vtraque pulcrè consūmatum est dispensationis mysterium. Carne propria tanquam instrumento vsus est, ad opera carnis, infirmitatésque naturales inculpabiles: anima item propria ad humanas, non tamen culpandas passiones. Dicitur enim sitiisse, & è longis itineribus fatigationes, itémque formidinem, timores, tristitiam, angores: denique mortem in cruce passus esse. Nemine enim cogente à seipso propriam animam posuit pro nobis, vt tam viuentibus, quàm mortuis dominaretur. Carnem quidem suam pretium plane sufficiens pro omnium carne soluens, & animam pro redemptione animæ quorumcumque.*

IV. Damasus Episcopus Romanus, [illegible] Sic enim citatur à Theodoreto Dialogo tertio: Latinè verò à Gelasio libro de duabus naturis in Christo, *Si quis dixerit, quia in passione crucis dolorem pertulit Filius Dei Deus, & non caro cum anima, quam induit serui formam, quam sibimet assumpsit, sicut Scriptura dicit, anathema sit.*

V. Hieronymus in Esaiæ quinquagesimū tertiū. *Ille vulneratus est propter iniquitates nostras: dicēs in Psalmo, Foderunt manus meas & pedes, vt suo vulnere, vulnera nostra curaret: & attritus est siue infirmatus propter scelera nostra, vt factus pro nobis maledictum, nos liberaret de maledicto: maledictus autem homo qui pendet in ligno. Vnde disciplina pacis nostræ super eum est: quod enim nos pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, pacificans per sanguinem crucis sua siue quæ in terra siue quæ in cælis sunt. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum: & medium parietem maceriæ soluens, inimicitiam in carne sua, & liuore eius sanati sumus. Ex quo perspicuum est, sicut corpus flagellatum atque laceratum signa iniuriæ in vibicibus ac liuore portabat, ita & animam verè doluisse pro nobis, ne ex parte veritas, & ex parte mendacium credatur in Christo.*

VI. Gregorius Thaumaturgus in explicatione Anathematismi vndecimi, [illegible] *Quomodo dicat vllus, sine anima aut sine mente corpus esse Christi? Turbatio enim & tristitia, & pauor neque carnis sunt inanimatæ: nec animæ carentis mente: sed ne diminutæ quidem apparentiæ ostentatio, humanæ-ve infirmitatis defectus. Quin potius nostrarum passionum experimentum in seipso Verbum faciebat, assumpta ea natura, quæ passionibus est obnoxia, sicut scribitur. Ipse infirmitates nostras assumpsit, morbósque portauit. Etenim turbatio, & tristitia, & pauor, sunt animæ morbi: fatigatio verò, & somnus, & corporis vulneratio, carnis infirmitates.*

VI. Denique Thomas parte tertia quæstione quadragesima sexta, articulo septimo, *Dicendum est, quòd si intelligamus totam animam ratione suæ essentiæ, sic manifestum est, totam animam Christi passam esse*. Et paulò pòst, *Secundum illum modum passionis, quo potentia aliqua dicitur pati ex parte sui subiecti, sic omnes potentiæ animæ Christi patiebantur.*

Cap. XIX.

De Bellarmini oppositionibus, & Feuardentij, & Gautieri.

I. Consideremus nunc oppositiones Bellarmini. Prima hæc est: Scripturæ totam salutem nostram tribuunt sanguini & morti corporali ipsius Christi, & post mortem corporalem nullam vlterius pœnam agnoscunt. Ad Philippenses secundo, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum.* Hîc nulla inferorum mentio, sed obedientiæ vsque ad mortem, omnia tribuuntur: statim subiicitur exaltatio. Psalmo vigesimo secundo & Esaiæ quinquagesimo tertio, describuntur sigillatim omnes Christi afflictiones, nulla autem mentio inferni. Matthæi decimo. Marci decimo. Lucæ decimo octauo, prædicit Dominus passionem suam, & nominat flagella, sputa, crucem, mortem, subiiciens continuò, *& tertia die resurget.* Et quinto ad Romanos, *Commendat suam charitatem in nobis, quia, cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Item, sanguini Christi redemptio nostra tribuitur primo ad Ephesios: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Similiter, primo ad Colossenses: nono ad Hebræos: primo prioris Petri: primo prioris Ioannis: Apocalypseos quinto.

II. Respondeo: primò, hæc verba, *Post mortem corporalem nullam vlterius pœnam agnoscunt*, sunt ambigua. Vel enim significant præter hanc mortem corporis, nullas agnosci pœnas animæ: vel sensus est, post mortem illam corporis peractam, separatamq; à corpore animam: ab eo inquam tempore, Christum nullas pœnas esse passum. Hoc Caluinus, omnésque cum eo Catholici, prolixè non tantùm fatentur, sed etiam profitentur, certò credentes animã Seruatoris statim à solutione corporis, ab omni tristitia, angore, pœna vacasse. Illud verò iidem omnes Catholici constantissimè negant: qui sciunt non tantùm corpore vulneratum: sed etiam anima turbatum: & quidem anima turbatum, priusquam corpore vulneratum.

III. Secundò, totam salutem nostram tribui sanguini & morti corporali Christi, non est verum. Nã salutis nostræ pars est iustificatio, quam Paulus distinctè tribuit resurrectioni, ad Romanos quarto, *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Itaque, cùm dixit Paulus, primo ad Collossenses, Christum pacificasse per suum sanguinem, quæ in cœlis sunt, quæque in terra, necessariò per synecdochen intelligi debet, nimirum, vt vnico sanguine nominato, quæcunque Christus peregit in dispensatione carnis suæ, comprehendantur.

IV. Tertiò falsum est Scripturam nihil aliud nominare in dispensatione salutis nostræ, præter corporales pœnas. Nam ex præcedenti capite patet nominatos esse dolores mortis siue inferni: Item λύπην, ταραχὴν, ἀδημονίαν, ἐκθαμβεῖσθαι, quæ propriè ad animum pertinent; ad corpus tantùm per accidens: Vnde Ambrosius, decimo in Lucam, de Tristitia Christi: *vt mœrorem animæ nostræ, sua animæ mœrore aboleret.* Denique nominatam κατάραν: quæ de sola corporis morte non potest intelligi.

V. Ad probationes: primò, dico Psalmo vigesimo secundo, & Esaiæ quinquagesimo tertio, passiones Christi alias nominari, præter mortem corpoream: vt demonstratum est capite præcedenti. Secundò, etiamsi iis locis qui citantur, nulla fieret mentio, nisi mortis corporalis, tamen non sequi, idem verum esse de tota Scriptura: non enim omnes Bellarminus locos enumerauit: nec ab vnius affirmatione, legitimè concluditur negatio alterius.

VI. Denique, mors & sanguis nominantur iis locis συνεκδοχικῶς, pro omnibus, quæ Christus passus est vsque ad mortẽ, & effusionẽ sanguinis. Et de sanguine quidẽ, satis manifestũ. Primò enim, nõ intelligitur sanguis simpliciter, sed sanguis effusus: Vnde Christus, *Hoc est, sanguis meus Noui illius Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, Lucæ 26. Deinde, ne sola quidem effusio, sed in morte, similiter mors, non quælibet, sed ea, quam ille passus est. Hoc autẽ cùm dicitur, & crux intelligitur: & κατάρα venit in mẽtẽ, & peccata hominũ supponũtur: ideoque Dei Iustitia, ira, vindicta, & quæcunq; eò pertinẽt.

VII. Secunda obiectio, à circunstantiis Passionis Christi. Nã si ab oratione illa in horto, vsq; ad resurrectionẽ, Christus fuit in inferno, & Deũ, vt sibi aduersum & iratũ apprehẽdebat, & nõ erat securus de sua salute, quomodo tã audacter dicebat Caiphæ, *At modo videbitis Filiũ hominis venientẽ in nubibus cœli*? Item Pilato: *Regnũ meũ, non est de hoc mũdo*? Item, quomodo orat Patrem pro crucifixoribus suis? Quomodo promittit latroni Paradisum? Quomodo Patri animam suam commendat? Certè, hæc non sunt signa diffidentis de beneuolentia Patris, multo minus desperantis, aut metuentis de salute propria.

VIII. Respondeo, hanc obiectionem pro fundamento habere duplicem calumniam: alteram, de desperatione: alteram de pœnis post mortem. Vtramque diluimus satis superque: hanc capite decimo sexto: illam decimo septimo huius libri. Diruto fundamento, reliqua corruere est necesse. Nunquã desperauit Christus de sua salute: tãtùm luctatus est cum horrore pœnarum peccatis debitarum, quas subire debuit. Atqui, non esset luctatus, si desperasset. Nam desperatio eorum est, qui ab illo horrore sunt superati. Pugnant autem è diametro desperatio & spes: at, non spes & lucta cum horrore, qui ad desperationem ducit. Itaque nihil est absurdius locis, qui proferũtur. Addo enim luctã non fuisse Christo perpetuam: sed tantùm per interualla: vt fit etiã in fidelibus quibusque; qui in maximis suis angustiis, querimonias suas miscent cõsolationibus. Itaque, tum luctatus est, cùm in horto precatus est: & vicit. Nam hæc verba, *Non sicut ego, sed sicut tu vis*, verba sunt victoriæ. Rediit postea sensus horroris, cùm exclamauit, *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me?* Sed idem victus est, cùm dixit, *Commendo Spiritum meum in manus tuas.* Iam verò, quæ Bellarminus obiicit, ea non sunt dicta in luctæ momentis. Sed in interuallis, quibus Christi fiducia seipsam exerebat magnificè victricem. Etsi autem ne in lucta quidẽ, quantumuis grauissima, desperauit (nunquam enim desperauit)

speramus tamen aliud est in lucta fiduciam retinere, A aliud parta fiduciæ effecta ostentare: & quidem victricis.

IX. Tertia obiectio: Si redempti essemus per infernales pœnas Christi, deberet figura præcessisse, deberet etiam aliquod sacramentū extare in memoriam tanti beneficij, vt est Eucharistia in memoriam passionis. Item Ecclesia deberet celebrare memoriam huius beneficij, vt celebrat memoriam Natalis Domini, Passionis, Mortis, Resurrectionis. Itē deberet depingi Christus in igne gehennæ in me- B dio damnatorum, vt pingi solet in cruce inter duos latrones. At nihil tale videmus fieri; aut legimus vnquam factum.

X. Respondeo. Ad primum, secundum, & tertium, assumptionem esse falsam. Nam quæcunque præcesserunt figuræ mortis Christi, eędē figuræ fuerunt harū pœnarū. Vt sacrificia pro peccatis: In quibus, tū hoc ipsum, quòd erāt pro peccatis, & peccata appellabantur, tum quòd planè cōburerentur, tū denique, quod de iis nihil prorsus inferebatur in C sancta sanctorum: hæc, inquam, hoc ipsum præfigurabant, quod nos hodie defendimus. Præterea serpens æneus, non tantùm mortem Christi figurauit, sed etiam crucem. At hæc erat maledicta. Ergo, serpens ille figurabat Christum futurum maledictionem pro nobis. Præterea Sacramentum Eucharistiæ institutum est in memoriam mortis Christi. Hęc autem mors si non fuit, nec debet cogitari, alia, quàm qualem describit Scriptura, omnino necesse est, nō tantùm in ea mortem corporis repręsentari, sed etiā D passionem animæ. Tertiò, eandem ipsam ob causam, quęcunque celebritas instituta est in memoriā passionis Domini, eam oportet ad illos dolores inferni pertinere: Quandoquidem non fuit absque iis illa passio. De pictura viderit celeberrimus idolorum artifex in papatu Michael Angelus. Non negamus Ecclesiam vnquam didicisse pictoriam, plasticem, statuariam, aut quicquā eiusmodi. Ἐλάλησεν ὁ ἐπί- ... [illegible]

XI. Quarta obiectio: Omnes Patres descensum E Christi ad inferos describūt, vt descensum victoris, & triumphatoris: non vt re ipse vllo modo indicant Christum aliquid passum in inferno. Respondeo: nos docuisse capite decimo quinto, Patres plerosq; omnes in descensu ad inferos esse allucinatos: itaque eorum auctoritate non debere Catholicos vrgeri. Deinde, quæcunque triumphi ab illis describi sunt, eos verè conuenire Christo patienti tam in anima, quàm in corpore. Reuera enim Christus sic patiendo vicit inferos. Hanc autem victoriam facile F potuisse ... amplificari, omnes facilè intelligunt. Denique nihil obstat, quominus, tum verè dolores inferni Christus senserit: tum ipsum infernus vt suum victorem apprehenderit.

XII. Quinta obiectio: fundamentum Caluini est falsum: quod videlicet esse in inferno, nihil sit aliud, quàm timere Deum iratum: Respondeo. Imò quinta obiectio Bellarmini mera est calumnia.

XIII. Sexta obiectio Feuardentij est. Si Christū oportuit omnes pœnas dependisse, quæ sceleratis ac G damnatis apud inferos debebantur: Ergo oportuit corpus eius, non in sepulcro quieuisse triduo, sed in profundam abyssi & tartari voraginem, cum sathana & aliis reprobis, absorptum atque demersum, in stagno ignis & sulphuris plenè submersum aliquandiu flammis inextinguibilibus cruciatum interioribus ac exterioribus, tenebris implicatum, simulque fletu ac stridore dentium vexatum, & torrū fuisse. Quandoquidem hæc tormenta reprobis & sceleratis deberi apertè Scripturæ patefaciunt. Atqui istud consequēs falsum est. Ergo illud antecedēs absurdū. Rursus, scelerati tam diuino, quàm humano iudicio, sæpissimè promerentur super rotas comminui, lapidibus obrui, laqueis præfocari, flammis absumi, aquis submergi, capitibus minui, in partes discerpi, feris obuci, tradi manibus sathanæ, pluribúsque aliis suppliciis tolli de medio. Mitto febres, catarrhos, paralysin, hydropisin, elephantiasin, epidemiam, pestilentiam: At hæc Dominus nec in corpore suo pertulit, nec perferre debuit. Non est igitur vniuersale axioma, quo Caluinus nititur, verum.

XIV. Sic solent Sophistæ extensiuè magis oratores esse, quam intensiuè demonstratores. Respondeo, Omnes pœnas dici, vel secundùm genera, vel secundùm species infimas. De his conceditur vniuersum argumētum: neque enim Caluino fuit propositum, quicquid vnquam incommodorum seu pœnarum venit in orbem propter peccatum, id cōgerere in vnum Christi corpus, etsi dixerit pertulisse omnes damnatorum pœnas. Quid ergo? Nempe omnes pœnæ damnatorū his duobus continentur generibus, vt aliæ pertineant ad corpus, aliæ ad animam. Et, quia de his generibus disputatio est aduersum Sophistas, qui cùm ex hoc posteriori genere nolunt quicquam fuisse in Christo, eam ob causam dixit audacter Caluinus omnes fuisse toleratas.

XV. Et sanè, vt à corporeis incipiam, manifesta ... est, omnes species tā curiosè colligere. Cùm certum sit, nunquam hac lege inductas in orbem, vt iis omnibus & singulis, omnes & singuli torquerentur peccatores: sed vt omnibus omnes: atque ita patefaceret se infinita diuinæ Iustitiæ potentia, cui tam sint multiplices puniendi viæ. Quod si verum, ne ipsos quidem peccatores debere pro suis peccatis omnes eas pœnas pendere, quanto minùs Christum, non peccatorem, sed tantùm peccatorū vadē?

XVI. Eadem ratio pœnarum alterius ordinis. Nam sunt sanè damnatarum animarum plures ordines, quàm concipere quisquam possit, quibus assignata tormenta suis proprietatibus varia. Sed, quomodo non singulis damnatis omnia, certè neque Christo non damnato: Et, quomodo non singula corporis, sic neque animæ.

XVII. De corpore in tartara præcipitato, quid opus est dicere? Nam, ne ipsi quidem Papistę vllum quāuis damnatissimum, agnoscunt eas pœnas dare, nisi post generalem resurrectionem, & vnitum cum anima sua. Atqui Christi hæ pœnæ fuerunt, non tātùm ante eam, sed etiam ante separationē ab anima. Quomodo ergo in gehennam? Denique, hic localis fuisset descensus, quem nullū fuisse concedimus.

XVIII. Septima obiectio Ganteri est, dilēmate tertio & octogesimo prioris partis Anatomiæ. Qui potuit esse in statu gratiæ diuinæ, imò, plenus gratia, sanctitate & omni virtute, supra omnes spiritus electos, qui tamen apud Deum extra gratiam fuerit, & quidem ad vsque extremam damnationē? Formo. Nemo priuatus gratia Dei; & constitutus in damnatione, potest esse in statu gratiæ diuinæ, & plenus gratia. At Christus fuit semper in statu gratiæ diuinæ, plenúsque gratia. Ergo non fuit priuatus gratia Dei, & constitutus in damnatione.

XIX. Respondeo, primò, gratiā diuinā dici, vel amorem Dei in Christum, vel effecta eius amoris: si amorem Dei in Christū intelligimus, calūnia est, nō

argumentum. Nunquam enim delirauit Caluinus, vt diceret Christum fuisse priuatum gratia diuina, id est, amore Dei. Quin potius contrà diligenter est protestatus in Catechismo, sectione decima, *Erat-ne igitur illi offensus Pater? Nequaquam.* In Institutione, libri secundi capite decimo sexto, sectione vndecima, *Neque tamen innuimus Deum fuisse vnquam illi vel aduersarium, vel iratum. Quomodo enim dilecto filio in quo animus eius acquiescit, irasceretur? aut quomodo Christus Patrem aliis sua intercessione placaret, quem infensum haberet ipse sibi?* Magnum scilicet præstant lesuitæ, cùm vehementer disputant aduersus eam thesin, quam nemo asserit.

XX. Sin autem intelligantur effecta amoris Dei in Christum, tum verò vel omnia omnino, vel singula. De omnibus, vt sensus sit, Qui nulla habet effecta amoris diuini, atque ita constitutus est in damnatione, non est in statu gratiæ: rursus calumnia est. Nam primò, effectum eius est ipsa vnio hypostatica, quæ nunquam est dissoluta. Prætereà, omne genus virtutum, quarum habitus fuit semper in Christo constantissimus; exque eo summa perfectissimaque puritas, & iustitia. Quis enim docuit Christum vlli peccato fuisse obnoxium? Itaque hæc etiam notione syllogismus est extra oleas.

XXI. Iam, si singula dicantur effecta amoris diuini in Christū, vt necesse sit eū ttō esse in statu gratiæ Dei, qui non habeat simul & semel quæcunque diuinus amor in iis, quos amat, potest efficere, conceditur sanè minor, sed maior negatur. Nam actualis fruitio plenissimæ beatitatis, est aliquod effectum eius amoris: & tamen non est necesse eos destitui amore diuino, siue gratia, qui non actualiter fruuntur plenissima beatitate. Enunuerò ad Hebræos decimo, *Quem diligit Dominus, castigat, & flagellat quemcunque filium recipit.* Atqui omnis castigatio, omne flagellum, pertinet ad miseriam: itaque non potest conuenire cum actuali fruitione perfectissimæ beatitatis. Quare necesse est Dei amorem concurrere interdum cum huiusmodi effectu nem defectu. Nam quomodo alioqui Chrysostomus in eum locū Pauli diceret, οὐκ ἔχεις εἰπεῖν, ὅτι δεῖ τινα δίκαιον θλίψεις μὴ παθεῖν, *Non potes dicere aliquem iustum esse absque afflictione:* Πόθεν δῆλον ἀνάγκη διὰ θλίψεως εἰσιέναι. ἐπειδὴ γὰρ ὁ Χριστὸς, ὅτι ὁ ἀπατεὼν, καὶ οὐρανὸς ... τὴν ἀπώλειαν, ἡ δὲ στενὴ καὶ τεθλιμμένη εἰς τὴν ζωήν, *Necesse est, vt quisquis iustus veniat per afflictionem. Ea enim Christi sententia est, quod via lata & spatiosa abducit ad interitum: arcta autem, & angusta, ad vitam.* Quòd si fieri possit, vt sint in statu gratiæ, qui propter sua peccata castigantur: multo tam magis, qui aliorum crimina luit, nullis suis implicitus: cuiusmodi est Christus, absque vlla controuersia.

CAP. XX.

Danielis Cappucini oppositiones.

I. HAnc quæstionem prolixissimè omnium, quos vidi, disputauit Daniel à Sancto Seuero, Cappucinus, libris quinque Christomachiæ. Hinc nobis huius capitis labor accrescet. Primo argumento docet blasphemiam esse, hoc modo: Si humanæ naturæ Christi in hypostatica vnione tribuatur damnatio, ergo Deus est damnatus. At hoc est blasphemum, ergo & illud. Consequentiam probat ab idiomatum communione, per quam, quicquid humanæ naturæ Christi competit, dici potest de persona composita ex duabus naturis.

II. Respondeo: non haberi ex Catechismo nostro humanæ naturæ Christi tribui damnationē; sed eam damnationem, videlicet sic descriptam, vt non pro se, sed pro aliis. Iam damnati nomen, nunquam aliter inueni vsurpatum, nisi pro eo qui ob sua peccata pœnas luit. Quo sensu antecedens profectò est impudenter calumniosum: totumque argumentum extra oleas: certè non contra nos, qui eo sensu horremus, non Deum duntaxat, sed etiam hominem illum dicere damnatū. Vt frustra sit obtendere communionem idiomatū. Nam, vt verissimū est, Quicquid est humanę naturæ Christi, de tota persona dici, & quidē denominata ab altera natura. at certè falsum est id de tota persona dici, quod non sit humanę naturę. Cùm ergo non dicamus humanam naturam hoc sensu damnatam: certè impostor est, quicunque nobis hanc inurit blasphemiam, Deum esse damnatum: eo, inquam, sensu.

III. Sed cùm dicitur damnatio pro aliis, tum verò, concessa consequentia, negamus assumptum. Etenim damnatio pro aliis, significat ipsum pœnas insontē dedisse pœnas pro sontibus. Atqui, siue naturam humanā Christi, siue totam personā, ea Deitate denominatam, dicas dedisse pœnas, tantum abest à blasphemia, vt contrà potius, quisquis neget, sit exterminandus ex Christianitate. Esaiæ quinquagesimo tertio, *Verè Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit. Ipse vulneratus est propter præuaricationes nostras: attritus est propter iniquitates nostras. Castigatio pacis nostra super eum: & liuore eius sanitas fuit nobis.* Audin'? Nam disertum est *ipse*, personam significans, Hominque & Deum. Nunc Gregorium audi Moralium tertij capite vndecimo, *Frustra afflictus est* (nempe Christus) *qui culpa vltione pressus est, & culpa contagio inquinatus non est.*

IV. Breuiter: cur blasphemiam dicunt delicatuli Sophistæ, quam totidem verbis, imò literis, legūt in Scriptura? Lucę vicesimo tertio. Latro ille inspiratus à Deo, alterū blasphemantem Dominū gloriæ secū crucifixum, obiurgauit, dicens, *ne Deum quidem times, ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ, quod in eadē sis damnatione?* Ergo ex hoc testimonio liquet manifestissimè, non illam tantùm humanitatem, sed etiam illam personam, id est, Deum fuisse in eadem damnatione cum latrone. Et quidem addita illa ipsa ea positione, siue distinctione, quam amamus nos magis oculis nostris. *Et nos quidem iustè: nam digna factis recipimus: iste verò οὐδὲν ἄτοπον nihil insolens fecit hue, nihil maligesit.* Et ausit posthac quisquam nobis: ausit nostro Catechismo blasphemiam impingere?

V. Hoc hoc intererat, vt probaret Sophista, aliquam esse in ea phrasi, sic explicata, blasphemiā. Quod tamen, vel nullo modo, vel certè obiter conatus est: nihil enim inuenio præter hæc verba, *Ipsa*, inquit, *natura sufficeret ad huius phraseos horrorem, dictas oportere non tantùm bene sentire, sed etiam bene loqui de Deo.* δεῖ γὰρ περὶ θεοῦ ... *Itaque euitanda omnia vocabula iniuriosa, & blasphema, atque etiam minori religione dē Deo nobis loquendum, quàm cogitandum teste Caluino primi Institutionis capite decimo tertio, sectione tertia.*

VI. Sed enim ista quam vim habent? Nimirū, vt probēt abstinēdū à blasphemiis in Deū: quod si quis ignoret inter homines, credidērim monachos ignorare. Sed hoc quod diximus, nō probāt esse blasphemiā in Deum. Hæccine laus est Cappucinorū in disputando? scilicet ille Catilinā pepulisset Vrbe, si de conti-

coniurationis horrore multa dicens, de Catilina ipso nihil nisi ... Facetè ille olim, *Dic de tribus capellis.* Audi, Cappucine, habes cõsentientem Caluinum, tam religiosè loquendum, quàm sentiendum de Deo. Itaque, si probaueris irreligiosè de Deo sentire, aut loqui, qui dicat Christum fuisse in damnatione nostra, potes tibi polliceri, ab hac sententia, ab hac phrasi, discessurum. Cur ergo aërem verberas?

VII. Scimus irreligiosè sensisse, loquutosque esse Ethnicos de Deitate, cùm suos finxerunt Deos, natos, mortuos, sepultos. Et hoc illis frequenter exprobratum à Christianis. Et scimus tamen eosdem Christianos suum Deum dixisse natum, mortuum, crucifixum, sepultum, idque illis obiectum fuisse à Iudæis. Æquóne iure? Capucini dicant. At Christiani negabunt. Atqui, ô bone, crucifixio dãnatio est, mors dãnatio est. Quid resistas verbis fateri, quod re credis? Denique, Ecquid nosti, hac ipsa nostra phrasin hac, inquam, quã nunc in nobis exagitas tã odiosè, pridem vsum esse Gregorium tertij Moralium capite vndecimo? Verba mecum recole, *Idem, qui Patri est æqualis per diuinitatem, venit propter nos ad flagella per carnem. Quæ nimirum flagella non susciperet, nisi formam damnati hominis redimendo sumpsisset.* Eheus tu, qui damnatorum pœnas susceptas non toleras: cur non indignaris susceptam formam hominis damnati? Vin' demus? Paulò post, *Eum, qui sine peccato est, pro peccatoribus damnat.*

VIII. Enimuerò, ais, si licet dicere Deum tulisse pœnas damnatorum, licebit etiam profiteri exosum fuisse à Deo, abominatum à Deo, reprobatũ à Deo, priuatum visione Dei, subditum Diabolo, tortum, atque afflictum cum Diabolo.

IX. Satis vehementer. Sed quid, si negem consequentiã? Et sine, hæc est inepta. Quid enim, si dicas mortuum Deũ, Deũ crucifixum: licebitne hæc omnia consectaria iactare? Atqui de damnatione, nihil potes declamare, quod non de morte, deque cruce: quandoquidem mors, & crux, nonnihil ad damnationem pertinet. Paulus ad Romanos sexto, *Stipendia peccati mors.* Ad Galatas tertio, *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Quid ergo? Petrúmne illum Apostolorum coryphæum, cõcesserit exosum Deo: & maledictum, & reliqua: quoniam crucifixus fuerit, atque ea morte mortuus? Et hoc, si non audeas, audeas Christum? Ita statues non esse exosum Deo, non abominatum, non reprobatum, non subditum Diabolo, quicumque patitur pœnas damnatorum, id est, debitas iis qui damnari erant meriti: sed qui eas patitur pro suis peccatis: vt constet amor Dei integer ei, qui patiatur non pro peccatis suis: qui profectò nemo vnquam fuit, si Christus non fuit.

X. Secundum argumentum ita est. Humana Filij Dei natura, vnita hypostaticè personę diuinæ, nullo modo potuit tolerare pœnas damnatorum. Ergo, hoc blasphemum est.

XI. Imò, inquam, gemina impotentia est: altera absoluta ex rerũ ipsarum principiis; vt cùm dico, nõ potest Deus peccare, & mori: non potest humana Christi natura mutari in Deitatem: aut Deitas in humanitatem. Alia hypothetica, quæ, etsi non pugnet cum iis principiis, tamen pugnat cum circumstantiis quibusdam positis: vt Lucæ decimo septimo, *Fieri non potest quin eueniant scandala:* nimirum posita humani generis corruptione. Rursus ad Hebræos vndecimo, *Fieri non potest, vt sine fide quisquam placeat Deo:* cùm tamen ipse Christus placuerit Deo, & tamen fidem modo hominum, non habuerit. Iam verò, quæ dicũtur fieri non posse hypotheticè, ea quidem falsa dicuntur, sed tamen non semper blasphema sunt. Sic Hilarium nemo blasphemię accusauit, qui carnem Christo adscripsit impassibilem: quanquam longissimè à veritate. Verùm tamen, hoc nihil nunc ad nos: qui sophistam habemus eligentem alterum modum impossibilitatis: ita enim significat phrasis illa, *Nullo modo potuit.* Videamus ergo quomodo probet.

XII. Si potuit vnita hypostaticè Deitati natura humana pati pœnas damnatorum: ergo, vel soluta, vel constante vnione. Atqui neutrum. Ergo nullo modo potuit. Assumptum negatur, inquam; dicimus enim non potuisse id fieri vnione soluta, non quòd non potuerit, si supponas vnionem solutam: sed, quod hoc ipsum supponere, sit blasphemum. Itaque dicimus salua, constantéque, atque integra manére vnione hypostatica, potuisse Christum pati, atque adeò reapse passum esse pœnas damnatis debitas.

XIII. Ille contra disputat dupliciter. Primò, sic: Nulla natura humana fruens gloria, potest pati pœnas damnatorum: At Christi humana natura hypostaticè vnita Deitati, ab ipso primo conceptionis instanti fruebatur gloria. Ergo, non potuit pati pœnas damnatorum.

XIV. Respondeo: gloriam in Christo dupliciter dici: aliàs personæ ipsius: aliàs naturæ humanæ propriã. De priore, verissima est minor. Nam, quia Verbum caro factum est; ideò hæc humana Christi natura statim ab initiis suis, primoque conceptus momento, fuit vnita Deitati: ac proinde vna eademque persona verè Deus, vereque homo; inde Matthæi primo, *Et vocabis nomen eius Emmanuel, id est, nobiscum Deus.* Sed negatur maior. Nam qui verè semper fuit Deus, fuit idem similis nobis: & tentatus in omnibus similiter, ad Hebræos quarto. Et, vt omnia taceam, factus maledictio, ad Galatas tertio.

XV. De altera gloria, conceditur maior absque cunctatione. Sed minorem, quis tam audax, vt asserat contra disertum Dei Verbum? Ioannis septimo, *Iesus nondum erat glorificatus.* Lucæ vicesimo quarto, *Nónne hæc oportebat pati Christum: & intrare in gloriam suam?* Verùm hæc pars latiùs est disputata, cùm de beatitate Christi ageremus paulò prius.

XVI. Alterum argumentum probandæ assumptioni ita est. Nemo factus caput Angelorum à primo instanti conceptionis, potest pati pœnas damnatorum: probat maiorem. Angelorum talis est gloria, quæ eximat eos à pœnis damnatorum. Ergo Angelorum capitis, eam oportet esse gloriam, quæ ipsum eximat pœnis damnatorum. Consequentia, quoniam capitis non est deterior conditio, quàm membrorum.

XVII. Respondeo, in primo syllogismo concedi minorem: sed prorsus negari maiorem. Etenim mors & quidem in cruce: vt reliqua taceam, est pœna damnatorum. Et tamen mortem in cruce tolerauit caput Angelorum. Vel hoc igitur vno exemplo, satis patet inconsideratè fuisse conceptam maiorem.

XVIII. In confirmatione negatur consequentia. Quid enim? Nónne Angelorum talis est gloria, vt omnes eximat à cruce, imò à morte? Et tamẽ, qui caput Angelorum non fuit exemptus à cruce, nedum à morte.

XIX. Sed non est capitis conditio deterior:

Absolutè, inquam, fateor: neque verò vnquam fuit Christus tam infimæ conditionis, vt non fuerit superior omnibus Angelis: vtpute possidens nomen supra omne nomen, ad Philippenses secundo. Sed secundum quid, negn. Nam ad Hebræos secundo, *Iesus ille paulisper fuit inferior Angelis factus, propter mortis perpeßionem, vt beneficio Dei pro omnibus mortem gustaret.*

XX. Instat Sophista contra solutionem. In hoc citando loco, vel imperitiam esse, vel Atheismum, atque impietatem. Imperitiam, si existimetur Paulus loqui de ea gloria, quam Christus acceperit in anima sua faciens sese hominé: & non potiùs de ea, quam habuit ab æterno, tanquam Deus: secundùm Apostolum, *Cùm esset in forma Dei, non reputauit rapinam esse æqualem Deo. sed exinaniuit seipsum.* Et hanc si reipsa amissam dicas, Deum facias corruptibilem; diuinitatemque destruas: quæ blasphemia superet Arrium, Eutichetémque.

XXI. Atqui imperitiam, & impietatem nulli solent vehementius in aliis notare, quàm qui toti cōstant ex imperitia & impietate. Verùm, Deus Monachos omnes iudicaturus est olim. Ad rem. Nemo nostrûm existimauit Paulum loqui de gloria vnionis hypostaticæ. Nam quis nescit, *esse Deū benedictum in secula.* Ad Romanos nono. Quorsum ergo imperitiæ dicam minabatur? Sed enim, quid est Apostolum loqui de gloria, quam habuit ab æterno, tanquam Deus? Hic enim me necesse est imperitiam meam fateri, non assequentem tanta mysteria. Gloriam, quam Christus possedit ab æterno, tanquam Deus, nó possum distinguere ab ipsa Deitate. Quid hæc autem ad eam diminutionem, de qua loquebatur Apostolus? Aut quò differt, quæso, ab ea gloria quæ est incarnationis? Nam hoc modo verè obtinuit homo ille nomen super omne nomen. Viderit Sophista. Mihi certissimè persuasum, cùm dixit Paulus, aliquantisper minorem factum esse Christum Angelis; non cogitasse quicquam, aut diminutum, aut imminutum de gloria Deitatis.

XXII. Quid ergo? Nempe eum, qui Deus erat, nec Deus cessabat esse, naturam creatam sumpsisse: vt esset homo: & quidem obnoxius morti. Sic enim series postulat: cùm hæc diminutio conditionis referatur ad mortem tolerandam; quæ in illum, tanquam Deum, non poterat cadere. Hæc autem natura; atque adeò etiam in ea natura, mortalitas, illud ipsum est, secundùm quod Filius ille Dei, factus est infra Angelos, & hactenus deterioris conditionis, quàm sint Angeli. Sic tamen, vt non desierit propterea esse caput Angelorum.

XXIII. Pergit contra hanc diminutionem. Nemo superior Angelis, eo ipso quo est superior, potest minor esse, siue exinanitus. At Christ⁹ homo est superior Angelis: ergo, Christus, qua homo, non est eo ipso minor Angelis. Probat minorem, Quisquis adoratur ab Angelis, est eis superior. At Christus homo adoratur ab Angelis: ergo Christus homo est superior Angelis. Assumptum constat ex primo ad Hebræos, *Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

XXIV. Respondeo: Conceditur integra ratiocinatio: neque enim attingit scopum vllo modo. Est sanè verum, Christum hominem esse superiorem Angelis. Quis enim negat Deum esse superiorem Angelis? Aut quis negat Christum hominem esse Deum? Sed, non si Christus homo superior est Angelis, ideò superior est quà homo. Nam hæc phrasis significat rationem propriam superioritatis. Itaque significaret hanc esse humanæ naturæ in vniuersum dignitatem; vt sit supra naturam Angelicam: quod est falsissimum, & absurdissimum. Sic, quà homo, mortuus est Christus: & quà Deus, est æternus: quia, videlicet, mortalitatis ratio est ab humana natura, secundùm quam omnes homines sunt mortales: & æternitatis ratio est à diuina; quæ concipi non potest, nisi æterna.

XXV. Sed ille disputari dicit ab Apostolo de adoratione Christi, quatenus homo est: non quatenus Deus. Quoniam Apostolus comparans hanc eius gloriam cum gloria Angelorum, dixit ab eo acceptam abundantiùs, quàm ab omnibus suis consortibus.

XXVI. Tu igitur, aut strenuè mentiris, inquam, aut abuteris hac phrasi, *Quà homo*: quę solet reduplicatiuè sumi, vt loquuntur Scholæ. Cæci vident, non quà cæci: Surdi audiunt, non quà surdi: Nempe, sicut iā dixi, vt ratio indicetur eius quod dicitur. Animalia rectè dicis viuere quâ animalia, & oculata videre, quâ oculata: quoniam viuendi, & videndi caussa est anima, & oculus. Si tu similiter dicis gloriam Christi, quâ hominis, profectò mendacium dicis. Nunquam enim hoc modo, aut hoc sensu loquutus est Paulus.

XXVII. Testes do aduersarios nostros, tuæque superstitionis mystas. Iustinianum in eum locum, *Hoc tertio testimonio probat Apostolus Christum esse Deum, quem Angeli adorant.* Salmero, *Cùm ergo inducans diuinā Christi naturā, dixisset, Et adorent eum omnes Angeli Dei,* vt citat Paulus Carthusianus. *Adoratio autem non conuenit nisi Deo. Hac ergo authoritate ostenditur Christus verus Deus, quem Deus Pater vult ab Angelis adorari.* Sed longè prior Chrysostomus sermone de Trinitate, *Mosis dicit, Et adorent eum omnes Angeli. Angelus autem creaturam non adorat. Et vt discas de Filio hoc dictum esse, audi Paulum dicentem: Quando autem inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent illum omnes Angeli Dei.* Athanasius oratione tertia contra Arrianos, *Inseruiebant illi Angeli, vt qui esset alius ab ipsis,* καὶ προσκυνεῖται παρ' αὐτῶν, οὐχ ὡς τῇ δόξῃ μείζων, ἀλλ' ὡς ἄλλος παρὰ πάντα τὰ κτίσματα, καὶ παρ' ἐκείνους ὤν, *Et adoratur ab eis, nō vt gloria maior, sed vt alius ab omnibus creaturis, atque adeò ab illis,* μόνος δὲ τοῦ πατρὸς ἴδιος ὢν κατ' οὐσίαν υἱός, *Et solus existens Patris, de essentia proprius Filius. Si enim ideò, quia gloria sublimior est, adoratur: par erat, vt omnia inferiora superioribus se in adorando inclinarent. Sed id ita non est: Creatura siquidem creaturam non adorat.* Paulò pòst, ἐπειδὴ οὐκ ἔστι κτίσμα. ἀλλ' ἴδιον τῆς οὐσίας τοῦ προσκυνουμένου Θεοῦ γέννημα, καὶ φύσει υἱός ἐστι διὰ τοῦτο προσκυνεῖται. *Quia creatura non est, sed proprium ex substantia Dei adorandi germen, & naturalis Filius, ideò adoratur.*

XXVIII. Itaque te oportet illud tuum, *quà homo,* nouo quodam more vsurpare: quo nempe etiam Lorinus in Psalmum nonagesimum sextum scripsit, *Propter hypostasin diuinam Christus adoratur ab Angelis, vt homo, non præcisè tantùm vt Deus.* Significans in adorādo non separari humanam naturam à diuina. Sed vnum idemque suppositum, id est, hominem, obiectum esse adorationis: quanquam eius adorationis causa sit & ratio, propria hypostasis. Qui sensus profectò Catholicus & sanus. Et ab Augustino à te indicato, rectè explicatus, de verbis Domini sermone quinquagesimo octauo, *Ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem, propterea adoro, quòd à diuinitate suscepta, atque Deitati vnita est, vt non alium, atque alium, sed vnum eundémque Deum & hominem Dei Filium confitear.*

XXIX. Con-

XXIX. Condonemus verborum τὸ ἄκυρον. Quid inde autem compendij est? Repetamus argumentũ. Nemo superior Angelis, eo ipso, quo superior est, potest esse minor. Esto sanè, inquam: alioquin contradictio manifesta implicaretur. At Christus homo est superior Angelis. Ne hoc quidem impugnet Catholicus quisquam. Sed hæc conclusionis forma legitima est. Ergo, Christus homo, quo superior est Angelis, eo ipso minor non est Angelis. Quid tanto labore quæsisti, quod gratis poteras obtinere? At tu hoc nunquã cõclusisti, quod ad rem tuam erat concludere propriè: Ergo, Christus homo, quà homo nõ fuit minor Angelis. Quod ex præcedentibus nulla legitima dialectica eliciat vnquam. Neque adeò verum esse potest: Nam, si secundùm hominem, minor est Angelis: & non potest eo ipso, quo est minor, esse superior; certè non potest, eo quod est homo, esse superior. Etsi verissimum sit esse eundem hominem superiorem. Sed quia non est superior, ex ratione suæ naturæ humanæ: verùm ex ratione personæ, id est, diuinæ naturæ: ideò nihil obstat quominus, qui superior est, sit κατά τι inferior. Et quo inferior, eo etiam passus pœnas damnatorum.

XXX. Nondum tacet. Paulus præcipit adorari Christũ ratione, vel gloriæ diuinæ, vel eius, quæ debetur ei quatenus incarnatus est. At non gloriæ diuinæ: ergo quatenus incarnat⁹ est. Probat assumptũ. Quia, si ratione diuinæ gloriæ, ergo frustrà esset præceptum. Consequentiam probat. Quicquid omitti non potest, frustrà præcipitur. At adorare Christum, quà Deus est, omitti non potest ab Angelis. Ergo, id frustrà præcipitur. Probat maiorem exemplo: quia, posito in agone extremo, frustra præcipias ne moriatur. Ex axiomate philosophico; *Frustrà est, id quod non assequitur effectum.*

XXXI. Respondeo: imperitè & absurdè disparata quæ optimè consentiunt. Certũ est enim adorari Christum ratione gloriæ diuinæ; & ratione eius, quæ debetur propter incarnationẽ. Quia videlicet per incarnationem, illa gloria diuina, facta est gloria humanæ naturæ. Itaque Veteres audiuimus asserẽtes adorationem deberi huic homini, quia Deus sit: neque alia ratione deberi. Cyrillus de recta fide ad Reginas, [illegible] *Non esset aliàs adorandus, nisi crederemus, Verbum illud ex Deo ab omni creatura adorandum, factum esse carnem.* Itaque nouum videmus syllogismi monstrũ; cuius vera sit maior: falsa minor: & vera tamen conclusio: cuiusmodi formam, solis, credo, Cappucinis esse familiarem.

XXXII. Sed si ratione diuinæ gloriæ: ergo frustrà esset præceptũ. Nego, inquam, consequentiam. Sed enim ait, quicquid omitti non potest, frustrà præcipitur. Imò, inquam, quo sensu dicis omitti non posse? An absolutè, vt sit in actibus non voluntariis, quemadmodum corpora grauia omittere non possunt, quominus deorsum vergant. An κατά τι, & certa data hypothesi? Nam si prius, negamus strenuè assumptum. Et facilè probatur: quia [illegible] sunt Angeli, & tamen omittunt hoc præceptum. Trahit autem Lorinus, (si Cappucinorum sunt Iesuitæ) in Psalmum nonagesimum sextum, asserit hoc præceptum commune esse bonis, malisque Angelis. Verba recole, me recitante, *Nihil obstat etiam Angelos Dei malos intelligere, quos vocant dæmones: & non idololatras tantum confundi, seu adoratores sculptilium, gloriantesque in simulacris suis: verùm etiam ipsosmet dæmones, qui, cum naturæ nobilitate superent homines ex eo quòd præcipiantur Christum adorare, potuit Paulus argumentari pro diuinitate Christi.* Non est ergo verum, non posse omitti ab Angelis, si absolutè dicas. Nam id opus est voluntatis. At voluntas creata est absolutè mutabilis.

XXXIII. Quanquam etiam de non voluntariis possum dare instantiam. Nam in Scripturis, non desunt exempla præceptorum impositorum creaturis non rationalibus, ac proinde nulla præditis voluntate. Quid enim? Censen' tu frustra loquutum Prophetam Psalmo centesimo quadragesimo octauo, *Laudate eum Sol & Luna: Laudate eum omnes stellæ & lumen. Laudate eum cœli cælorum: & aquæ omnes, quæ super cælos sunt; laudent nomen Domini.* Vbi Bellarminus, *Descendit ad corpora cælestia, quæ non laudant mente, vel intelligentia qua carent: sed laudant magnitudine, velocitate, efficacitate splendore, & pulchritudine admirabili: quomodo omne opus egregium artificem laudare dicitur.*

XXXIV. Sin autem ex hypothesi loquamr; puta, quoniam Angeli boni sint in gratia confirmati, vt peccare non possint, ac proinde neque omittere adorationem Christi, vt Dei: rursus dico, maiorem esse manifestò falsam. Et doceo rursum exemplis. Psalmo centesimo tertio, *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius.* Centesimo duodequinquagesimo, *Laudate eum omnes Angeli eius.* Quem *eum*? Deum videlicet. Incarnatúmne? sanè: sed & Patrem, & Spiritum Sanctum. Poterant omittere? An potiùs [illegible], imò [illegible], loquutus est Propheta? Sunto potiùs omnes Capucini [illegible]. Et nobis certum sit, non tantùm vtilia, sed etiam necessaria esse præcepta rerum in voluntate positarum, quantumuis confirmata: non quia possunt non facere: sed vt teneantur facere.

XXXV. Exemplum positi in agone, imò etiam illud axioma philosophicum, Deus bone, quàm absurdè, quàm ineptè opponitur! Quæritur, vtrum frustranea sint præcepta earum rerum, quæ omitti non possunt: hæc docent frustranea esse ea quæ omitti non possunt: Benè sanè: *Rumpantur vt ilia Codro.* Rursus adoratio res est voluntaria: est non mori inuoluntaria. Et est qui non miretur Capucinæ Logicæ præstantiam? Denique: nullum præceptum frustraneum assequitur suum effectum: constat ex illo axiomate. At hoc præceptum de adorando Christo ab Angelis, tanquam Deo, assequitur suum effectum, patet, quia res est, quæ non potest omitti. Ergo, non est frustraneum.

XXXVI. Tertium argumentum. Nullus comprehẽsor potest pati pœnas damnatorum. At Christus fuit semper comprehẽsor: Ergo, nunquam potuit pati pœnas damnatorum. Probatur minor. Ex vnione hypostatica, consequitur gloria in natura vnita, tanquam eius proprietas, quę eam ponit in statu comprehensoris. At natura humana Christi fuit hypostaticè vnita Verbo Diuino. Ergo, semper habuit gloriam constituentem in statu comprehensoris.

XXXVII. Respondeo: negari minorem. Nam nullus viator est comprehensor, quandiu est viator. At Christus fuit viator, ab initio natiuitatis ad vsque beatam resurrectionem. Ergo, Christus ab initio natiuitatis ad hanc vsque resurrectionem, non fuit comprehensor. Qua de re propria fuit cõtrouersia præcedenti libro. Nunc tamen breuiter probatur maior. Quia, *Viator*, inquit Altenstaig, *secundùm Sanctum Thomam, dicitur ex eo quòd tendit ad beatitudinem: comprehensor autem dicitur ex hoc,*

quòd iam beatitudinem obtinet. Secundùm Cameracensem, *Creatura Viatrix est natura rationalis, quæ nec est damnata, nec est beata.* Hinc res est manifesta. Nam, nec qui assequutus est beatitatem, tendit ad eam: nec qui non est beatus, comprehensor est.

XXXVIII. Minorem autem, ne ipsi quidem negare potuerunt Papistæ: qui noua sibi monstra fingentes, Christum dixerunt, simul fuisse viatorem & comprehensorem: ex Thomæ parte tertia, quæstione decima quinta, articulo postremo, qui primus, opinor induxit in Ecclesiam id opinionis. Sed probatur fortiùs à re ipsa. Nullus enim comprehensor est obnoxius vllis calamitatibus: at Christus obnoxius omne genus calamitatibus in hac vita: Ergo, non fuit comprehensor. Necessariò tamen, vel comprehensor, vel viator.

XXXIX. In confirmatione aduersarij dico, ex vnione hypostatica sequi gloriam, vel actu præsentē, vel futuram? Hanc concedo: sed nego consistere in statu comprehensoris. Nam omnes fideles iam essent comprehensores: cùm habeant suam gloriam in spe. Præsentem nego: alioquin Christus spem nō habuisset, *Spes enim si cernatur, non est spes. Quod enim quis cernit, cur speret?* ait Paulus octauo ad Romanos. At Christus habuit, Actorum secundo, *Propterea oblectatum est cor meum, & exultauit lingua mea, atque adeò caro mea requiescet in spe.*

XL. Quartum argumentum: Quicunque videt Deum, hoc ipso quo videt, non potest tolerare pœnas damnatorum. Probatur maior: quia nemo potest damnari, vt non priuetur visione Dei.

XLI. Respondeo, Videri Deum variè, & per gradus. Nam interdum videtur in hac vita: & sic Moses dicitur vidisse Deum. Sic Paulus raptus in tertium cœlum vidit inenarrabilia. Sic etiam Apostoli testantur se vidisse gloriam Vnigeniti, Ioannis primo. Aliàs videtur facie ad faciem in cœlis: plenè ac perfectissimè, quanta quidem perfectio cadere potest in creaturam. De hac posterioris generis visione conceditur maior. Negatur minor. Nam anima sic videns Deum nullis prorsus malis potest esse obnoxia. Ast anima Christi aliquibus malis fuit obnoxia. Thomas quæstione decima quinta, articulo quarto partis tertiæ, *In Psalmo octogesimo septimo, dicitur ex persona Christi, Repleta est malis anima mea: non quidem peccatis, sed humanis malis, id est, doloribus: vt glossa ibi exponit. Sic ergo anima Christi fuit passibilis.*

XLII. Præterea: qui sic videt Deum, non conqueritur se à Deo deseri. At Christus conquestus est se à Deo deseri. Ergo, non sic vidit Deum. Minor patet Matthæi vicesimo septimo, *Circiter horam nonā exclamauit Iesus, voce magna, dicens, Eli eli lama sabachthani? hoc est: Deus meus: Deus meus, quare deseruisti me?* Theophylactus, ὡς ἂν δείξῃ ὅτι ἄνθρωπος ἀληθῶς ἐγένετο, καὶ οὐ κατὰ φαντασίαν, *Vt ostenderet se hominem verè esse factum, & non imaginatione* ἀληθῶς ἐγένετο, καὶ ὀδυνώμενος περὶ τῆς σαρκὸς, δεικνύων τὴν ... ἕως νῦν, φησὶν ἵνα τί με ἐγκατέλιπες, ἐμφαίνων τὴν φυσικὴν φιλοζωΐαν ἡμῶν. *Quemadmodum igitur ante crucem in agone fuit, & anxietate, ostendens timorem nobis naturaliter innatum: sic nunc dicit, Cur me deseruisti: manifestum faciens naturalem nostram vitæ cupidinem.* Maldonatus, *Cùm & homo, & Deus esset, tamen ita Deus hominem, quasi diuinitatem cohibens, pati permittebat, vt si purus esset homo. Itaque etsi Deus sit, tamen vt purus homo erat: vt purus homo se à Deo derelictum queritur: non quòd se ab eo derelictum putaret, in cuius manus paulò pòst spiritum suum commendauit: sed quòd ita se pati videret, quemadmodum, si ab eo derelictus fuisset. Quamobrem & hominis à Deo derelicti more clamat; Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Vt hominis extrema patientis supplicia, & à Deo derelicti personam exprimat.*

XLIII. Quod attinet ad alterum genus visionis, conceditur minor: nam sine dubio vidit anima Christi Deum: & quidem longè aliter, quàm alius quisquam viderit vnquam. Sed negatur maior: nūquam enim docuit Scriptura (& quis potuit præterea?) perfectam fœlicitatem esse extra prius illud visionis genus. Quintum argumentum: Si tulit pœnas damnatorum: ergo vel damni, vel sensus. At neutras: Ergo nullas. Non damni: quia nunquam priuatus est visione Dei. Non sensus. Nam quicumque pœnam sensus patitur, idem patitur ignem & flammas inferni. At Christus non est passus ignem & flammas inferni. Ergo, non pœnam sensus. Probatur maior. Matthæi vicesimo quinto, *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.*

XLIV. Respondeo: negari assumptum. Nam pœnam damni sustinuit: cùm sensit se derelictum fuisse à Deo: quod non potuit accidere ei, qui semper Deum vidit, & eo genere visionis, quo carent ij qui dicuntur pati pœnas damni. Qua de re tamen actum in præcedenti argumento.

XLV. Et pœnam sensus sustinuisse, quis negare potest; nisi, qui prorsus ignoret quid sit passus? Aut, potuitne eius anima esse repleta malis, quod Thomas agnouit: & quidem tam vehementer, *Vt nulla fieret, pro tunc,* (verba sunt Carthusiani in Matthæi vicesimum septimum) *redundantia consolationis, & alleuationis à superiori parte animæ in partem eius inferiorem*: absque vllo sensu? Potuitne tam atrocia supplicia corporis tolerare, & quidem, *summè passibilis*, inquit idem Carthusianus, absque vllo sensu?

XLVI. Non passus est, ait, flammas inferni. Imò passus est dolores inferni, Actorum secundo, *Quem Deus excitauit, solutis doloribus inferni.* Vide quid statuas. Suntne omnes dolores inferni, ignis & flamma; an non sunt? Nam si sunt, aut mentitur Scriptura; aut ignem Christus & flammam sustinuit. Si non sunt, tum, tu ridiculus; qui, quia non tulerit ignem, & flammam, neges tulisse vllas pœnas inferni. Et tamen Gregorium audi vndecimo tertij Moralium, *Iuxta semetipsum, frustrà afflictus est, iuxta verò acta nostra, non frustrà. Rubigo quippe peccati purgari non potuit, nisi igne tormenti.*

XLVII. Nobis certum, Ignis & flammarum in inferno nihil esse, nisi metaphoricum: & pueriliter nugari, quicunque corporea, siue materialia sunt imaginati. Indignantur Papistæ. Scio, sed quid agas? etiam indignantur, cùm dicimus vnum Christum esse Mediatorem: cùm dicimus eius nobis imputari iustitiam: cùm dicimus Christianis abominandam esse iconolatriam. Quid plura? Cùm dicimus Christum passum esse pœnas damnatorum. Itaque, si nos oportet moueri eorum indignationibus, nihil propinquius, quàm fidei Christianæ propemodum vniuersæ abnegatio. Longè consulimus nobis prudentiùs, vt eos permittamus indignari, irasci, fremere, furere; vnicam veritatem omnibus præferentes.

XLVIII. Atqui, ait Cappucinus, Christus de iis pœnis, longè aliter loquitur, & ignem, & flammas appellans; quæ nunquam extinguantur: & iubet metui, non eos, qui tantùm corpus possunt occidere:

dere: sed Deum potentem mittere, & corpus, & animam in gehennam. Deuteronomij tricesimo secundo, *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitq; terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Psalmo decimo, *Pluet super eos laqueos, ignes, & sulphur: & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Vicesimo primo, *Deuorabit eos ignis.* Sontne hæc omnia metaphorica?

XLIX. Omnia, inquam. Omnibus iis locis ignis metaphoricus est, significans immanes pœnas, quæ de impiis Deus sumptur° est. Quid habes, quo refutes? Itane habet se Capucinorum Logica, vt tam frinolis interrogationibus, speret se aduersarios perturbaturum esse? Atqui nobis sanè constantior animus est, vt ausit contrà interrogare: Suntne ista non metaphorica? Hoc tu, Capucine, habeto certissimum, non videri tibi, tam ἀλλήκοτα, nostrum seorsim in his locis, nonnisi metaphoricè legentem ignem, quàm nobis absurdum, ineptum, ridiculum vestrum, qui non nisi propriè, non ignem tantùm, & flammas, sed etiam fornaces, caminos, cacabos, ollas, caldaria, verua: & quid non? concipientem. O semper prona in terram pectora!

L. Atqui diues ille nequam, Lucæ decimo sexto, cùm dixit, *crucior in ista flamma*, conqueritur se aliquid amplius experiri quàm metaphoras. Omnino, inquam: sed non, si ei pœnæ fuerunt, non metaphoricæ: ideò ille de iis pœnis loquutus est extra metaphoram. Quid enim? Censen' esse necessarium, vt per metaphoras nihil significetur, nisi metaphoricum? Monstrum hominis! Nam quid de paradiso dicturus es? Nullane esse in eo solida gaudia; quia Matthæi octauo legas, *Recumbent cum Abraham?* Vbi, *Translatione à conuiuiis sumpta*, inquit Franciscus Lucas, *significatur æterna vita felicitas.* Et Maldonatus, *Metaphora sumpta de conuiuiis: solet enim regnum cælorum per conuiuium significari.* Quid? dolores, quos ui cruce passus est Christus, fueruntne, nihil præter metaphoras? & tamen metaphoricè nominati *dolores inferni*. Contrahis frontem à me audiens? Ergo Salmeronem audi potiùs, in Acta, tractatu decimo tertio, *Superest, vt intelligamus de doloribus acerbissimis passionis, quos ob id metaphoricè inferni vocat, qui tamen finiti sunt in morte.* Quid ampliùs? Nos verò fortunatos, qui hoc vno argumento, totum purgatorium disturbare possimus. Nam, quia Paulum prioris ad Corinthios tertio, metaphoricè loquutum agnoscunt, Pelranus, Iustinianus, Bellarminus: Et tamen de Purgatorio: ergo si vlla fides Capucino nostro, secura conclusio est, nullum Purgatorium esse, nisi metaphoricum.

LI. Iudas in Epistola, disertè testatur ignem, & sulphur depluuium à Deo in Pentapolitanos, fuisse, παράδειγμα ignis in æternum ambutentis in inferno reprobus. Dicite, si audetis, exclamat Capucinus, hunc ignem quo periit Sodoma, fuisse tantùm metaphoricum.

LII. Minimè verò, ô bone. Quis enim ita insanus? Quanquam Iudas non dixit, παράδειγματα, sed δεῖγμα: vt te locum probem non legisse. Sed enim, quàm suauiter nos putas risisse, cum deprehendimus, tam subtiliter disputantem, vt velis, aut παραδείγματα, non esse nisi metaphorica, aut res iis designatas, non posse metaphoricè nominari? Et spectasti tu isto nos acumine deducendos à mente bona?

LIII. Sed redeo ad pœnas sensus. Christus nullas pertulit pœnas sensus, præter eas, quæ ei fuerunt inflictæ manibus carnificum. At hæ, neque genere, neq; specie sunt eædem cum iis, quas tolerant damnati. Ergo, Christus non est passus pœnas sensus, quas patiuntur damnati. Probatur maior, quia nullas alias narrant Euangelistæ.

LIV. Respondeo: primùm, negari maiorem. Nam carnifices nihil illi pœnarum imposuerunt, nisi per flagella, & crucem. Atqui ante flagella, & crucem, Christus passus est: & quidem vehementiùs passus, quàm in flagellis & cruce. Matthæi vicesimo sexto, *Venit Iesus in locum qui dicitur Gethsemane, & assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi*, ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, *cœpit contristari. & grauissimè angi. Tunc dicit eis Iesus*, περίλυπος, *Vndequaque tristis est anima mea vsque ad mortem.* Marci decimo quarto, ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, *cœpit expauescere, & grauissimè angi.* Lucæ vicesimo secundo, *Et ipse constitutus in angore intentiùs orabat. Erat autem sudor eius, quasi grumi sanguinis, descendētes in terram.* Hæc diligenter narrantur ab Euangelistis omnia, priusquam veniret in manus carnificum. Eratne in iis nullus sensus? An ludebat Christus historiam? Ij dicant, quibus Euangelium est fabula: & Christi passio, præter δόκησιν, nihil.

LV. Non negat Capucinus. Sed probat non fuisse pœnas inferni. Si enim fuissent, inquit: Ergo, quicunque sudarent in hac vita, per metum, aut aliter, paterentur pœnas inferni. At hoc falsum. Et hic egregiè philosophatur de sudore, ex medicorum arcanis: docetque aliis, quàm Christo, sudorem sanguineum accidisse.

LVI. Verùm, ante omnia, mentiebatur ergo, vir scilicet sanctissimus, & θεολογώτατος, nullas fuisse Christo pœnas sensus, nisi à carnificibus. Deinde negatur consequentia. Non enim omnes propter sua; nedum propter omnium hominum peccata, sudarunt: si fortè sudarūt sanguineum sudorē. Quomodo, nec quicumque crucifixi. Itaque, Petrus, cùm duceretur à carnificibus, nedum antequam comprehenderetur, testatus est suam animam esse, περίλυπον, nunquam se ἀδημονεῖν, vel ἐκθαμβεῖσθαι. Imò, tam læto vultu iit ad mortem, quàm quisquam ad nuptias.

LVII. Rursus ad argumentum: nego minorem. Nam hæ pœnæ, quas Christus passus est, siue à carnificibus, siue priùs, fuerunt, si non specie, at certè genere eædem cum pœnis damnatorum. Vidaliter, quoniam à vera & propria caussa, nimirum peccatis: non suis quidem personaliter: sed suis tamen imputatiuè. Etenim redemit nos Christus, non potestatiuè, vt ita loquar: vt cùm herus manumittebat olim seruum: & hodie Reges, gratiam faciunt criminum reis, quos solo mādato eripiunt morti, quā sunt meriti: quomodo Deus Pater Saluator dicitur, Lucæ primo, *Exultat spiritus meus super Deo Seruatore meo.* Prioris ad Timotheum quarto, *Speramus in Deo viuo, qui est Saluator omnium.* Sed per speciem vadimonij, siue sponsionis: vt apud Quintilianum declamatione sexta, *Filius vicarius manibus redemit patrem.* Nona, *amicus vicarius operis amicum*: vt ferūt Paulinum Nolanum, pro filio cuiusdam viduæ sese Vādalorum Regi in seruitutem mācipasse. Hic autem modus redemptionis postulat, vt si non speciei, saltem generis eiusdem subeantur pœnæ.

LVIII. Ille negat caussam finalem quicquam cōferre ad essentiam pœnæ. Quoniā variæ intētiones, non varient essentialiter actiones: vt, cùm multi vnà deambulant, alius animi gratia, alios sanitatis, alius societatis: omnes tamen æquè deambulant.

LIX. Atqui finalem causam, nos non dicebamus; quæ redemptio est. Sed longè aliam, & omnino formalem: nimirum peccata: & aduersus peccata iram Dei. Est enim pœna in relatis: quoniam nulla, vel cogitari potest, sine culpa peccati. Itaque, in hoc argumento necessariò distinguenda pœnæ materia, ab eius forma. Nã materia potest esse, & pœna, & non pœna. Exẽpli gratia: Cæcitas eadem fuit in Elyma mago, Actorum decimo tertio, & in illo cæco nato, Ioannis nono. Et tamen in hoc, negatur esse pœna, in illo pœnam fuisse constat ea ipsa narratione. Quare? Tãtùm, quia Elymas propter peccatum fuit excæcatus: at nõ alter ille. Rescindit manũ medicus: rescindit & carnifex. Ab illo pœna non est, quia propter morbũ: ab isto pœna est, quia propter patratum scelus. Cur non similiter in Christo? Sanè huius passionis causam discimus manifestè ex Scripturis. Esaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit. Ipse autem vulneratus est propter præuaricationes nostras: attritus est propter iniquitates nostras. Castigatio pacis nostræ super eum: & liuor eius sanitas fuit nobis.*

LX. Sed Capucinus, Deus, ait, nunquam fuit iratus Filio suo. Ita est, inquam, neque vllus nostrûm adeò fuit Insanus, vt assereret: neque enim potest irasci Deus iustissimus cuiquam creaturæ, nisi propter peccata eius. Cũ ergo in Filio suo, nulla inuenerit peccata: non potest, non absurdissimè, adde etiã, impiè asseri, Deus iratus suo Filio. Sed fuit: fuit Deus iratus peccatis nostris. Et hanc iram sustinuit is, qui nos vicariis redemit operis. Filius, inquam, Dei, sustinuit iram Patris, non in se, sed in nos: ideòque verè, *vulneratus propter præuaricationes nostras*: Verè, *attritus propter iniquitates nostras.*

LXI. Hîc ille, fabulam ad arbitrium factam, tragœdiam clamat à diabolo adornatam; Deũ fingentem se iratum Filio: Filium ostentantem se pauore consternatum. Breuiter, hypocritam Patrem, hypocritam Filium. Porrò Christum, vel ignorasse Deum in se non iratum, vel sciisse. Si ignorauit, potuisse timere. Sed hoc alienum à vero.

LXII. Sed hæc calumnia est impudentissima. Quis enim dixit nostrûm, finxisse Patrem se iratum Filio? Quis Filium finxisse timorem? Illi dicant, quibus lusus est humani generis redemptio. Catholici nullum figmẽtum, nullam fabulam, nullum agnoscũt, aut figmenti, aut fabulæ vestigium. Sed verè Patrem iratum in peccatores: verè eas ferentem illam iram suam in Filium vadem peccatorum: verè Filiũ, & tolerantem hanc iram: & proinde commotum vero eius horrore. Et anathema dicunt, quicumque hanc iram negant, hunc horrorem abominantur: siue ij Capucini sint, siue Iesuitæ, siue cuiuscumque generis, aut ordinis Papistæ.

LXIII. Secundum argumentum: Si passus est pœnas damnatorum Christus, ergo eum fuit necesse sic pati, vt pro nobis satisfaceret. At hoc falsum, ergo & illud. Probatur assumptum gemino argumẽto: Vno, si fuit necessarium, Ergo non voluntarium. At fuit voluntarium: ergo non necessarium. Probat hoc assumptum. Quia, cùm peccatum sit iniuria aduersus Deum; potuit Deus, vel ab initio omnino condonare; vel exigere satisfactionem; & quidem pro arbitrio circumscriptam, definitamque, siue integram, siue dimidiam. Itaque non fuit absolutè necessarium, Filium Dei incarnari: sed si sic visum fuisset Deo, alius quicumque poterat substitui: Similiter ne fuit quidem necessarium Christum pati ea omnia quæ passus est: sed ipse liberè eadem passus est, pro summo suo erga nos amore. Altero: Si fuisset necesse, eum pati pœnas damnatorum; ergo, non potuisset vna sui sanguinis guttula redimere totum mundum. At hoc falsum. Ergo & illud. Assumptum probatur. Quia, cuius rei pretium est infinitum, eius minima particula sufficit redimendo vniuerso mũdo. At passionis Christi pretium est infinitum. Ergo, eius particula minima sufficit redimendo vniuerso mundo. Assumptũ probatur. Cuius rei pretiũ est à persona diuina, id est infinitum. At passionũ Christi pretium est à persona diuina. Ergo eius pretiũ infinitum. Probatur minor. Id pretium est, vel à materia, vel à persona. At non à materia: ergo à persona. Probatur assumptum. Si esset à materia: ergo quilibet homo potuisset esse satis redimendo vniuerso mundo. At hoc falsum.

LXIV. Respondeo: necessitatis geminam rationẽ esse, alteram absolutã, alteram hypotheticam. Illam ex principiis rei internis, sine quibus illa esse nequit: vt cũ necesse est corpori viuenti inesse animam. Istam, ex quibusdam externis causis; quæ accidunt naturæ rei: vt ad vitam animalem, necessaria sunt medicamẽta; nempe propter morbos suppositos. Et Actorum 27. *Nisi isti in naui manserint, vos seruari non potestis*: nempe, reliquorũ vectorum posita gubernandi imperitia. De priori necessitatis genere, negatur in primo syllogismo consequentia. Neque enim quæcũque necessaria sunt, eadem sunt absolutè necessaria. Lucæ decimo quarto, *Agrum emi, & necesse habeo exire, & eum inspicere*. Vicesimo tertio, *Necesse habebat dimittere eis in festo vnum*. Actorum decimo quinto, *Ne quid amplius vobis imponeremus oneris, quàm hæc necessaria.*

LXV. Altero autem necessitatis posito genere, conceditur consequentia, negatur assumptum. Ad Hebræos nono, *Absque sanguinis effusione, non fit remissio*. Octauo, *Omnis Pontifex ad offerenda dona, & victimas constituitur: vnde necesse fuit hunc quoque habere quod offerret*. Nimirum, inquam, supposita voluntate Dei, vt redimeretur genus humanum, non absoluta potestate: sed hoc modo, id est, per ἀνυπεύθυνον. Priorie ad Corinthios primo, *Placuit Deo per stultitiam prædicationis seruare credentes*. Et de hac necessitate Actorũ quarto Petrus, *Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari.*

LXVI. Patres verò etiam sic philosophantur. Athanasius de Incarnatione Verbi Dei, ἐπειδὴ γὰρ τὸ ὀφειλόμενον παρὰ πάντων, ἔδει λοιπὸν ἀποδοθῆναι· ὠφείλετο γὰρ πάντας ἀποθανεῖν, δι' ὃ μάλιστα καὶ ἐπεδήμησε, τούτου ἕνεκεν, μετὰ τὰς περὶ τῆς θεότητος αὐτοῦ ἐκ τῶν ἔργων ἀποδείξεις, ἤδη λοιπὸν καὶ ὑπὲρ πάντων τὴν θυσίαν ἀνέφερεν, ἀντὶ πάντων τὸν ἑαυτοῦ ναὸν εἰς θάνατον παραδιδούς, ἵνα τοὺς πάντας ἀνυπευθύνους καὶ ἐλευθέρους τῆς ἀρχαίας παραβάσεως ποιήσῃ. *Quandoquidẽ id quod erat ab omnibus debitũ, oportebat tãdem expungi (omnino enim, vt dixi, debebatur mors, qua maximè causa fuit hoc descẽdit) ideò postquã factis demõstrauit se Deũ esse, insuper etiã pro omnib' sacrificiũ obtulit: suo tẽplo, pro omnibus ad mortẽ tradito, vt omnes antiquæ trãsgressionis immunes faceret & liberos*. Aliquãto pòst, *si quis percontetur, cur nõ aliud potiùs, quã crucẽ, sustinere voluerit*: audiat ille, ὅτι οὐκ ἄλλως ἢ οὕτως ἡμῖν συνέφερε. *Nulla alia ratione, id nobis vtile futurũ fuisse: atq; ideò à Domino in nostri gratiã id genus moriendi toleratũ fuisse*. εἰ γὰρ καθ' ἡμῶν γενομένην κατάραν ἦλθεν αὐτὸς βαστάσαι, πῶς ἂν ἄλλως ἐγένετο κατάρα, εἰ μὴ τὸν ἐπὶ κατάρᾳ γινόμενον θάνατον ἐδέξατο; *Nã si ideò venerat, vt nostra piacula, execrationésq; portaret, quomodo alia ratione execratio, aut piaculũ fuisset, nisi execrabilem mortẽ in se recepisset?* Thomas articulo 2, quæstionis quadragesimæ sextæ, partis tertiæ, *Simpliciter, & absolutè loquendo, possibile fuit*

Deo

Deo alio modo hominem liberare, quàm per passionem Christi, [illegible] impossibile apud Deum omne verbum. Sed ex [illegible] ione a.d.a., [illegible] impossibile. quia enim impossibile [illegible] præscientiam falli, & eius voluntatem seu dispositionem [illegible] posita præscientia, & præordinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem alio modo, quàm per eius passionem liberari.

LXVII. Ad primam assumpti confirmationem, primam propositionem fortasse veram esse de necessitate absoluta: sed omnino falsam de necessitate hypothetica. Nam hæc hypothesis est voluntatis diuinæ. Quare si voluntarium dicas ratione Dei; constat quod quæris. Sin autem Christi; non difficiliùs: cùm omnino voluntatem suam diuinæ subiecerit: ipso teste: Matthæi 26. *Si non potest hoc poculum abire à me* (nota necessitatem) *quin bibam ipsum, fiat voluntas tua.* Sic ergo voluntarium Christo: etsi non quomodo videtur Capucinus innuere, cùm fuisse negat necessarium Christo, pati ea omnia quę passus est: quasi in arbitrio fuerit humanę voluntatis, quid pateretur, an non: Alioquin, quid opus erat testari, non posse calicem à se transire? Itaque voluntarium potiùs fuit, eodem genere voluntarij, quo fideles omnes sponte subeunt etiam durissima sibi à Deo imposita Alioquin Lucæ 24. *Hæc oportuit pati Christum.*

LXVIII. Ad alteram confirmationem, negari consequentiam, si necessitatem dicas absolutam. Nā poterat etiam absque vlla guttula, aut sanguinis, aut etiam sudoris. Quid enim Deo est impossibile? Sed alias negatur assumptum; nam quia supponitur voluntas diuina, vt redimeretur humanum genus toto sanguine Christi; impossibile fuit redimi vna guttula: [illegible] licet quoniam Deus non potest esse mēdax, [illegible] Itaque non possumus pati tantam humanæ superbiæ tementatem, vt post decreta Diuina, & quidem patefacta, somniis suis indulgeat. Constat ex Scripturis, qua ratione sit mūdus redemptus: quid tu [illegible] lerate inquiris, quomodo potuerit aliter redimi? Quasi sis Deo sapientior: Audi: quicquid tibi aliter videatur: Ego scio homines redemptos morte Christi: nego igitur redemptos vna guttula. Nam vna tantùm guttula nullam mortem infert, non dicam homini; sed ne passerculo.

LXIX. Scio pretium redemptionis non esse à materia; sed à persona. Scio hoc à persona pretium esse infinitum: Scio vnius guttulæ sanguinis sacri pretium, nulla proportione æstimari posse. Omnia concedo. Vnum concessurus sum nunquam; nempe, omnisi vna guttula redemptionem constare; sed toto sanguine. Quemadmodum, etsi sciam vnius præputium pluris fuisse, quàm cœlum & terram; tamen dico non vno præputio, sed toto corpore diuino constare nobis salutem.

LXX. Denique, rideo argumentum; Nam cùm nos inquiramus, quid factum sit: ille confugit ad id quod fieri potuit. Quasi, legitima sit vlla consequētia. Christus potuit vna sola guttula sui sanguinis redimere orbem: Ergo, non tulit pœnas vllas damnatorum: Egregiè, quasi nihil Christus sit passus præter id quod potuit sufficere ad eam redemptionem. Cur tu [illegible] tot non negas, Capucine, fuisse flagellatum [illegible] ut tuos non impetis ridiculè comminiscentes [illegible] cio quas spinas durissimas, acutissimas, longissimas, quibus totum caput fuerit laceratum; etiā addito baculorum impressionibus? Cur non negas crucifixum fuisse? Nam profectò vna sanguinis guttula; imò, imò mille iam sanguinis guttulæ fuerant effusæ in infantuli circuncisione. Cur denique non irrides Euangelistas notantes vulnus lanceæ impactum: & non potius acicula leuiter punctum? Quò si nondum tua prorupit audacia, ne mirare nostram humilitatem acquiescentem Scripturæ: Et quanquam potuerit, si voluisset, vna sudoris guttula satisfacere: tamen quomodo non minùs passus est mortem durissimam illam & diuturnam in cruce: sic nos permittito dicere passum pœnas damnatorum.

CAP. XXI.

De quinque cicatricibus.

I. RESurrectio Christi superest. In eáque vnica cōtrouersia de quinque cicatricibus. Notant enim quinque in Christo vulnera, nimirum in singulis manibus, pedibúsque singula: atque hæc quatuor à clauis: præterea quintum in latere à lancea militis. Hæc quinq; post resurrectionē Thomę ostēsa, à Christo retineri conseruariq; in gloria, qua nūc fruitur in cœlis: & referenda, ostendendaque in vltimo iudicij die. Porrò, tum Ioannes Hayus quæstione centesima quadragesima quinta, tum Antonius Porsanus admonitione quarta ad Nemausensem Ecclesiam, & Feuardentius Theomachię libel sexto capite vndecimo, grandis blasphemia Caluinum accusant, quòd aliter sentiat. Docuit enim exponens versum trigesimum nonum capitis vigesimi quarti secundùm Lucam. *Stultum & anile delirium esse plagis adhuc confossum imaginari Christum, quum aduenient mundi iudex.* Tractauit autem hanc quæstionem Thomas Aquinas tertia parte summæ quæstione quinquagesima quarta, articulo quarto. Et Hayus contra Chambrunum, capite 17. Et sic disputāt.

II. Zachariæ duodecimo. *Et effundam super domum Dauid, & super habitatorem Hierosolyma Spiritum gratiæ & miserationum: & respicient ad me quem confixerunt.* Et hic vehemens est Hayus contra Caluinum, quòd hunc locum neget intelligendum de Christo: opponens Ioannis iudicium, tum Euangelij capite decimo nono, vbi Christi latus confossum dicitur, vt impleretur hæc scriptura: tum Apocalypsis primo. *Et videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerūt.* Obiicit Iudæos veteres, quorum autoritate recentiores confutantur à Galatino. Denique opponuntur Theodoretus, & Augustinus.

III. Respondeo, primò calumniam esse. Nunquā enim Caluinus negauit eum locum pertinere ad Christum. Verba eius sunt. *Locum hunc qui secundùm literam de Christo exponere conantur; nimis violenter torquent.* quæ verba significant, nō esse Prophetæ eum literalem sensum, vt significaret vulnus illud lanceæ factum in Christi corpore. Nam sic Prophetam interpretatur, vt illud configere sit metaphoricum, quasi Deus perinde vulneretur populi sceleribus, vt mortale vulnus est homini, cui cor est transfixū: fatetur tamen à Ioanne eundem locum rectè Christo applicari, quia in visibili eius carne palàm fuerit impletum, quod Diuina eius Maiestas, secundùm rationem, qua pati potuit, passa fuit à Iudęis. Hęc erat Caluini sententia: sed priuata: quæ nemini potuit præiudicium facere. Quanquam non destituatur ratione: imò filum seriemque contextus fundamentum habeat.

IV. Secundò, negatur consequentia. Nam *videbunt eum quem confixerunt*; non significat idem ac si dictū esset, videbunt Christum habentem in [illegible]

stigmata vulnerum, quæ passus est à crucifigentibus: sed tantùm, videbunt eum, cui ea vulnera olim facta sunt. Non aliter, ac si dictum esset: videbūt eum quē crucifixerunt: quod etiam verum erit: nec tamen, opinor, tunc apparebit cruci affixus. Significant enim huiusmodi phrases, quod olim factum fuerit; non verò quid sit etiamnum.

V. Esaiæ sexagesimo tertio quærit à Christo, siue Propheta, siue Angelus. *Quare rubrum est indumētum; & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Respondet autem Christus. *Torcular calcaui solus.* Hunc locum Hieronymus de Christo interpretatur, quem Angeli mirabantur cruentum ascendentem ad Patrem. Ergo Christus retinuit cicatrices vulnerum.

VI. Respondeo, Primò, locum non pertinere ad Christi humanitatem, aut eius passionis sanguinem: longéque allucinatos esse Veteres, qui putarūt describi triumphantem eius ascensum. Etenim subiungitur statim ratio, cur dicantur vestimenta rubea. *Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & calcaui eos in ira mea: & aspersus sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumēta mea inquinaui.* Nota: primò, agi de furore eius, cuius vestimenta rubra sunt. At is furor in Christo nullus fuit, primo quidem aduentu. Secundò, rubra esse vestimenta sanguine, non eius cuius erant; sed eorum qui erant conculcati. Quod de Christo quis asseret? quem scimus proprio sanguine, non alieno, salutem nostram perfecisse? Tertiò, illo sanguine vestimenta dicuntur fœdata: Quod, vtrum Christo, magnificè ascendenti, conueniat, viderint alij. Papistæ saltem non agnoscent; qui negant has cicatrices Christo esse indecoras; imò potius gloriosas. Hæc cùm ita sint; longè meliùs, qui intelligunt Deum describi habitu viri bellicosissimi, qui iamiam redeat è multa strage hostium recens debellatorum: cuiúsque, vt fit, vestimenta cruentata hostico sanguine, quem multum fudit.

VII. Secundò, etiamsi concedamus de Christo intelligendum locum: tamen negamus consequentiam. Nulla enim cicatricum in eo mentio: de quibus tamen quæstio est. Quid enim? An quia cruentus? Atqui, oporteret igitur sanguine fluere adhuc plagas. Quod si esset, nullæ cicatrices essent; sed vulnera. Nam cicatrix vulnus est obductum. Sed nemo non videt potuisse describi cruentatum; non quia tum esset cruentatus; sed quia fuisset cruentatus: quod quidem cicatrices conseruatas non infert. Ac proinde Hieronymus earum prorsus non meminit, etsi de Christo locum contendat explicandum: confessus tamen seriem contextus nonnihil habere difficultatis.

VIII. In Euangelio secundùm Ioannem, capite vigesimo; Thomæ qui negauerat se crediturum, nisi vidisset vestigia clauorum, & lanceę, Christus dixit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & profer manum tuam, & immitte lateri meo, & ne esto incredulus, sed credens.* Ergo Christus retinuit vulnerum cicatrices.

IX. Negatur consequentia. Christus enim, vt fidē faceret resurrectionis, accommodauit se discipulis. Sic iis præsentibus comedit. Nec tamen asserit quisquam Christum retinuisse eam necessitatem, cui ante mortem erat obnoxius, æquè nobiscum scilicet comedendi: neque eum reipsa in cœlis comedere. Cyrillus de Trinitate, cap. 17. Παθὼν ὁ Κύριος, καὶ θανὼν, καὶ ταφεὶς, ἀπεσκεδάσατο τὴν φθορὰν, καὶ τὰ τῆς φθορᾶς. *Postquam passus est Dominus, & mortuus & sepultus, excussit tum corruptionem, tum quæ ab ea sunt.* εἰ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ὁ Κύριος [illegible] ἔφαγεν, ἀλλὰ κατ' οἰκονομίαν [illegible] τοὺς μαθητὰς, ὡς αὐτὸς ἦν [illegible], ὁ πρότερον ὢν μετ' αὐτῶν. *Quod si verò etiam post resurrectionem Dominus comedit, tamen id per dispensationem fecit probans suis discipulis seipsum, qui priùs cum eis erat, resurrexisse.* [illegible] *Eandem ob causam vestigia ostendebat plagarum; quæ quidem impressæ fuerant, sed non amplius extabant, pro sua omnipotentia præsentia faciens:* [illegible] *Quandoquidem corpus illud omnino indigentiam & omnem ad tactum obsistentiam supergressum, neque cibos admisit neque contrectationes.* [illegible] *Quapropter etiam dicimus Dominum secundùm carnem iam non esse, vt quæ carnalia, cibi desiderium, somnum, laborem, & huiusmodi, insuper ad tactum resistentiam deposuerit.*

X. Enimuerò, quod instat Hayus; etsi non comedat, posse tamen comedere: quid ad rem? Nam de cicatricibus, non δύναμιν quandā asserunt, scilicet vt dicant posse Christum, in suo corpore glorificato, habere cicatrices: sed de actu disputāt, reipsa habere. Nos igitur rectè: quemadmodum non sequitur actu Christum comedere, etiam si actu comederit: sic neq; actu habere cicatrices, etiamsi actu habuerit, atque ostenderit.

XI. Actorum primo: *Hic Iesus, qui sursum receptus est à nobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eū proficiscētē in cœlū.* Ergo, Christ⁹ retinuit cicatrices.

XII. Mirum argumentum, quasi *ascendit in cœlos*, significet, retinuit cicatrices. Quis non videat? Saltem hoc prius docendum erat, Christum habuisse cicatrices tum cùm ascendebat in cœlos. Vrget Feuardentius. Talis in cœlum ascendit quadragesima die, qualis tertia resurrexit, & octaua se discipulis manifestauit; quoniam nec corpus, nec gloriam alicubi permutasse legitur. Quis ergo iam dubitet beatas cicatrices retinuisse, cœlestibus intulisse, & his adhuc notatum, venturum esse ad iudicium? Sed negatur antecedens. Non enim dixit Scriptura talē rediturum, qualem viderunt Apostoli die octaua: sed ita venturum, quomodo ascendit. Et quidem corpus permutasse, aut gloriam, fateor nusquam dictum: sed hæ cicatrices primùm non sunt seruatæ in resurrectione, sed tantùm οἰκονομικῶς ostentatæ post resurrectionem: Deinde, non sunt de substantia corporis, nec partem vllam efficiunt gloriæ.

XIII. Imò, inquit, Hayus, Vos, qui ad Verbum scriptum refertis omnia, ostendite Christum post resurrectionem non habuisse cicatrices: nullas item habiturum, cùm veniet ad iudiciū. Facetè; atque vt Iesuitam decuit. Quod sibi probationis onus incūbit, transfert in nos. Non potuit ἀλογιστότερον. At nos, eo ipso quòd omnia referamus ad Scripturam, si negemus aliquid in ea contineri; satis habemus, vt concludamus, non esse igitur illud Theologicum. Quanquam, non negamus Christum habuisse cicatrices post resurrectionem: quod esset impudens & cōtra Scripturam: sed retinuisse, hoc verò negamus: idipsum probari postulamus. Et nisi satis Papistæ faciant, ne disputent; ne calumniētur: ne nos blasphemiæ accusent: agnoscant, atque erubescant, ea se temere effutire, quæ cum oportet probari, magis muti sint quàm pisces.

XIV. A Scripturis abeunt ad Patres: Ambrosium in Lucæ vigesimum quartum: Cyrillum libro duo-

decimo

[illegible] Ioanne [illegible] quinquagesimo octa- A id, quod suo tempore vulgo receptum fuit, satis habuerunt, dum quibusdam quasi coloribus fucarent, cum viderent non sufficere demonstrandæ veritati, quam nullam haberent. Fuit ergo conueniens, inquit, animam Christi in resurrectione, corpus cum cicatricibus resumere. Primo, propter gloriã ipsius Christi, vt victoria perpetuo triumphum circumferat. Secundò, ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suæ resurrectionis. Tertiò, vt Patri pro nobis supplicãs, quod genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. Quartò, vt sua morte redemptis, quàm misericorditer sint adiuti, proposita mortis indicia insinuet. Postremò vt in iudicio, quàm iustè damnentur ibidem annunciet.

XVII. Nimirum (inquam ad primum) nouo quodam more Scholasticis, numquam nisi in vmbra pugnantibus, licebit cicatrices appellare triumphum victoriæ? Quonam, quæso, aut vsu linguæ, aut rationis argumento? Deinde, quàm ineptum est, Deum, diuinæve statum gloriæ, metiri ex humanis nugis? An verò, quia non potest Pompeius satis magnificè C triumphare, absque externis triumphi indiciis, ideone Dei quidẽ satis erit magnifica gloria, nisi habeat signum aliquod in oculos incurrens? Et hancego appellem Scholasticam Theologiam; ac non potius anilem somniationem? Secundam rationem, absit vt improbem: tantùm sequi nego reseruatas esse has cicatrices: sed saltem [Greek] pro præsenti vsu, necessitatéve ostentatas.

XVIII. In tertio, videámne, an lugeam cæcorũ D hominum stuporem? Quasi verò aut Christus quotidie, imò ad singula momenta, flectat genua, nouásque preces fundat pro nobis ad Deum, instar Papisticorum Monachorum, qui sphærulas precatorias, magnæ pietatis indicia, circumgerunt, vt se nõ nisi numerato cum Deo agere probent? Aut Deus, apud quem, nondum natus, tamen ab initio mundi immolatus est agnus, nouis egeat, nouísque submonitoribus, aliàs totam redemptionis œconomiam miserè obliuioni traditurus! Apage portenta. Imò E neque aut sui, aut nostri caussa, Deus vllis vel indiget, vel vrgetur monitoribus. In quarto, quos, quæso, redemptos intelligit? Eósne qui in via, an eos qui in patria? Illos, absurdum: non enim vident stigmata. Nam eos qui aspiciũt in tabula, id est, Papistas, quibus nullus est in animo Christus, nisi ante oculos pictus; ego quidem non numerem in redemptis. An igitur istos? Quis ferat ad æternam spiritualémque vitam translatos, non posse meminisse redemptionis F suæ, infinitæque in ea peractæ misericordiæ, nisi præ oculis habeant illa stigmata, cùm fideles in carne degentes, eam redemptionem, eámque misericordiam continuò celebrent, qui eas cicatrices nunquam oculis vsurparunt? Denique, nunquam credet Catholicorum quisquam in extremo illo iudicio egere Deum externis vllis adiumentis, ad declarandum iustitiam suæ sententię. Et si quid eius G modi dici potest, sufficiet, præsens ipse Christus, suum corpus exhibens videndum, etiamsi non ostentet nominatum cicatrices.

[left column, partly obscured by the gutter:]

[illegible] I [illegible] de symbol[illegible] ad Cathe[illegible] lus tantùm docet Christum ap[illegible] , Thom[illegible] & reliquis, quo[illegible] morem Th[illegible] flagitauerat. [illegible] Esaiæ loco, similiter in ascen[illegible] retinuisse. Nam & in eum Esaiæ lo[illegible] neque verò dubium, inquit, post resurrectionem à mortuis penetrationem clauorum [illegible] & cætera signa a[illegible] in sancta carne adhuc fuisse. Sed illud potius: quemadmodum Thomæ parum credenti Sanctis Apostolis, dicentibus se vidisse Dominum excitatum ex mortuis, impressiones clauorum, [illegible] [illegible] intelligimus, quòd nunc principatibus & potestatibus in cœlestibus, varia & multiplex Dei sapientia [illegible] in Christo propter Ecclesiam declarata innotescere [illegible] passione rediisse. Censet ergo per dispen[illegible] [illegible] Thomæ ostensas fuisse cicatrices, tum p[illegible] cœlestibus: non verò, quòd eas resur[illegible] uerit. Imò hoc ipso loco in Ioannem, cùm [illegible] videri absurdum in suscitatis corporibus [illegible] gia infirmitatis, vniuersaliter conclu[illegible] nulla corruptionis reliquias, nullum signum [illegible] consequentia, vel antecedentia post resurre[illegible] in hominibus futura. Vt facilè agnoscas, [illegible] semper fuisse Cyrilli mentem: non reora[illegible] Christo cicatrices, sed [Greek] tantùm: &, [illegible] loquitur Theophylactus, [Greek] esse [illegible] [illegible] ad fidem faciendam resurrectionis. Itaque, quan[illegible] illud de cœlestibus potestatibus parum est D [illegible] tamen non sentit cum Papistis Cyrillus.

XV. Ambrosium sat[illegible] progressum vlteriùs; asserentem De[illegible] vulnera cœlo intulisse, vt Deo pretia nostræ libertatis ostenderet, talémque à Patre fuisse locatum ad dexteram. Quæ verum hyperbolicè dicta sint, an [Greek], non facilè dixerim. Nam quid erat necesse ostentare Deo cicatrices? aut cui bono? Verumtamen, quomodocumque Ambrosius sense[illegible], non habet consentientes omnes Veteres. Vnius E [illegible] hominis priuatum iudicium, nullam legem [illegible] in Ecclesia. Itaque Augustinus, quantumlibet Ambrosij admirator, induci tamen non potuit, vt [illegible] id tantùmque putaret. Nam eo ipso quem ci[illegible] loco, rem tantùm vt verisimilem describit. Fortasse inquit, sicut demonstrauit Thomæ, non credenti, nisi tangeret & videret: ita etiam inimicis suis vulnera sua demonstraturus est. Putauit ergo Augustinus se posse impunè hanc opinionem in dubium reuocare: quod F quantum abest à negante? Itaque non credidit esse articulum fidei. Nam ille profectò nõ solet de articulis fidei tam titubanter loqui. Quid igitur habẽt frontis, qui hæc placita sic vrgent, vt non assentientes damnent hæreseos, atque blasphemiæ?

XVI. Aquinas, vt solet, totus est in coniecturis, quibus probet, non quidem certum esse, sed tãtùm conueniens Christum resurgere cum cicatricibus. Quæ tamen ipsæ adeo sunt leues, vt facilè prodant G ingenium Sophisticum, quale iampridem habuerũt ij, quos Scholasticos appellarunt; qui supponentes

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER SEXTVS DE CORPORE CHRISTI.

Caput Primum.

STATVS CONTROVERSIAE DE DOTIBVS Corporis Christi.

DE Dotibus Corporis Christi disputant quidam Papistæ, non [illegible] & propter eas ipsas: quomodo de aliis, quæ pec se constituunt controuersiæ caput separatum: sed propter Transsubstantiationis commentum, cuius infinitis absurditatibus omni arte prouisum volunt. Itaque videbatur hæc tractatio illuc potius reiicienda. Veruntamen, quia separatim à quibusdam agitatur: & est etiam paulo prolixior, quàm vt videatur, salua perpetua styli connexione, tractari per accidens, habeat sanè hîc locum suum, bona cum lectoris venia. Nam & pertinet ad Incarnationis Dominicæ veritatem: quam fartam tectam, in Ecclesiæ fide, & prædicatione, conseruari imprimis interesse, probant tam vehementes & prolixæ Patrum contentiones contra hæreticos veteres. Quod si tam diligentes, imò tam religiosi fuerunt illi, certè ne nos quidem decet esse somnolentos: aut Papistis eandem veritatem prodere; quam olim doctissimi quique & pijssimi contra Euthychianos constanter tutati sunt.

II. Porrò hanc Incarnationis Dominicæ veritatem, hoc semper sensu à Catholicis intellectam, vt Filius Dei ab æterno verus Deus, in tempore factus sit homo: Homo autem verus, verè constans anima humana, & corpore humano, nō solùm quoad substantiam: sed etiam quoad proprietates. Hoc verò in confesso est: & quidem de substantia, ne hodie quidem est vlla controuersia inter Catholicos & Papistas: sed tantùm de quibusdā proprietatibus.

III. Catholici proprietates distinguūt; vt aliæ sint essentiales: aliæ verò accidentales. Illæ, absque quibus corpus humanum non sit corpus: vt compositio, vt quantitatis dimensiones. Aut certè non sit humanum, vt membrorum constitutio & symmetria: & si quæ sunt præterea. Has omnes proprietates simpliciter & absolutè fuisse à Christo assumptas: & quidem nunquam dimittendas; tam certum Catholicis quàm quod certissimum.

IV. Accidentariæ possunt adesse atque abesse absque subiecti interitu: hoc est, ita vt non propterea corpus desinat esse corpus: aut etiam humanum: vt grauitas hæc, tanta quanta in hominibus esse solet: & tarditas & mortalitas, & si quæ sunt similia. De his antequam respondeant Catholici, distinguu[n]t in Christo geminum statum. Alterum, inanitionis, siue humilitatis à conceptu ad mortem: alterum, gloriæ siue exaltationis à resurrectione in æternum. Nam, etsi post resurrectionem, mansertit aliquandiu in terris, cùm videretur nondum glorificatus: tamē quia cepit iam tum nō esse mortalis; ideo facil[è] hoc etiam spatium accensetur gloriæ. Nunc ergo d[icun]t Catholici, has accidentarias proprietate[s] [illegible] assumptas à Christo in statu exinanitionis [illegible] nes, excepto solo peccato: nempe, vt v[illegible] similis. At postea in statu gloriæ deposit[illegible] tatásque contrariis gloriæ conditionibus.

V. Papistæ aliter sentiunt; vt ex [illegible]

næ Institutionis libri primi capite quinto. Christum quatenus viatorem habuisse corpus simile nostro in omnibus, excepto peccato: at quatenus comprehensorem, habuisse qualitates corporis glorificati, non exercitio quidem, verùm potestate. Et in Lemmate: Proprietates corporis gloriosi semper comites fuisse corpori Christi originaliter; aliquando etiam actu [illegible], tum quum esset mortale & passibile in terris.

VI. Quibus in verbis quid non miremur? Primò enim, qui potest eodem tempore concipi Christus, & viator, & comprehensor? Maximè in hac Controuersia, quæ est de dotibus corporis. Nam fuisse viatorem quidem ante mortem, & postea comprehensorem, cur Christo negemus, qui concedimus cunctis fidelibus? Sed hæc temporis diuersitas est contra Cotonum, asserentem eas dotes corporis, quas habent comprehensores, in Christi corpore semper fuisse, vt necesse sit Christũ ab eo semper statui comprehensorem. At hoc qui potest, cùm viatorum & comprehensorum status opponantur inter se, quomodo via & patria: hoc est, huius vitæ miseria, & cœlestis beatitas? est omnino viator, qui tendit ad beatitatem: at comprehensor, qui iam obtinet, quò tendebat. Et concipere iam aliquis possit, vnam eandémque personam, eodem tempore, adspirantem ad beatitatem, & beatitate fruentem? Et quidem eadem ratione corporis. Corporis, inquam, ratione: Imò ne Scholastici quidem tam fuere temerarij. *Christus*, inquit Altenstaig, *fuit Viator, & Comprehensor ante passionem.* Quomodo, inquam? Attende. *Nam secundum mentem plenè videbat Deum: Corpus verò erat mortale, & passibile.* Hoc verò est ex professo contra Cotonum.

VII. Deinde, illud, *non exercitio, sed potentia*, quid est? An quomodo qui dormit Musicus, musicam habet in seipso potentia: nimirum proxima: id est, habitu: quia eam artem ita callet re vera, vt possit statim exercere: sed non exercet tamen: eo quòd hæc potentia, siue habitus, coercetur, vt ne erumpat in actum exercitum? Et sine dubio ita Cotonus, vt explicet illud *originaliter*, quod est in Lemmate. At hoc Catholicorum dabit nemo.

VIII. Cæterùm non omnes dotes siue proprietates veniunt in controuersiam: verùm sex duntaxat, impassibilitas, subtilitas, leuitas, splendor, inuisibilitas, localitas.

CAP. II.

De Impassibilitate, Subtilitate, Leuitate, Splendore Corporis Christi.

I. DE primis quatuor, id est, Impassibilitate, Subtilitate, Leuitate, Splendore, non est prolixum negotium: Nam in iis probandis tam nullus est Cotonus, vt nihil supra. Impassibilitatem, inquit, Christus ostendit tum, quum corpus suum mortale dedit immortaliter; passibile, impassibiliter, sub quantitate, qualitate, & figura panis & vini. Formemus argumentum, quod Sophista neglexit: Quicquid datur mortale immortaliter, passibile impassibiliter, sub speciebus panis & vini; id habet in se originaliter impassibilitatem. At Christi corpus ita datum est. Ergo habuit in se originaliter impassibilitatem.

II. Imò, inquam, meræ præstigiæ. Distinguendum enim fuit: Datur aliquid vel corporaliter, vel sacramentaliter. Si datum intelligitur Christi corpus sub speciebus panis & vini corporaliter, negatur assumptum; quo præsupponitur crassum illud Transubstantiationis commentum, quò nihil vidit orbis absurdius. Sin autem intelligitur datum sacramentaliter, tum negatur maior. Sacramenti enim ratio nihil mutat in re quæ significatur: sed tantùm in re quæ significat, addit relationem; quæ tum incipit esse alia, vt fiat signum. Tum etiam alia ratio est negatæ maioris: quia aliud est passibilitas, aliud ipsa passio. Illa est potentia patiendi: hæc autem actus. At certum est tum non desinere potentiam, cùm nullus est actus. Enimuerò Christi corpus tum quũ euasit per medios insidiatores, Lucæ quarto; nihil passus est, & tamen tum re vera & potentia proxima erat passibile. Hoc est, poterat pati idipsum quod aduersarij cogitabant. Itaque subduxit se. Ludit ergò Cotonus in vocabulis. Nam certè impassibile dicitur, non id quod nihil patitur: sed id potius quod nihil potest pati: quod de Christo non probat.

III. Transeo ad subtilitatem. Hanc Christus, inquit, minimum sexies exercuit. Primò, cùm natus est de Virgine: secundò, cùm transiuit per medios inimicos, Lucæ quarto: tertiò, cùm egressus est de sepulcro: quartò, & quintò; cùm ostiis clausis visitauit Apostolos bis: Ioannis vigesimo: sextò, cùm ascendit supra cœlos.

IV. Sed hæc rursus nulla sunt. Nam prima obseruatio est nugatoria: quia in dubio, prout libro præcedente disputatum est. Tertia, quarta, quinta, & sexta, inutiles: quia pertinent ad statum gloriæ. Contigerunt enim post resurrectionem, quum exuta est mortalitas, depositúsque status exinanitionis. Non sequitur autem, si tum subtile fuit Christi corpus, semper etiam fuisse. Secunda autem, quid habet, quæso, vitium? Transiuit Christus per medios inimicos: Ergo habuit corpus subtile. Ego verò nullam video vim consequentiæ. Nam in Actis lego Petrum [illegible]: Et nemo tamen affingit illi subtilitatem. Imò ipse Christus, Lucæ decimo nono, *διήρχετο τὴν Ἱεριχώ*: nec tamen subtili corpore. Enimuerò absit vt negem miraculum. Sed hoc miraculum in eo fuisse, vt redigeretur corpus ad subtilitatem, qualem habiturum erat in gloria: hoc verò nemo adhuc inuentus, qui diceret: aliqui tantùm, qui ad inuisibilitatem: de qua postea. Et quid opus erat, quæso, subtilitate? Nisi fortè imaginetur Cotonus penetratos fuisse singulos adstantium in ea turba: quod ridiculum.

V. Leuitatem ostensam Cotonus dicit, tum, quum Christus super aquis ambulauit: & cùm euanuit ex oculis discipulorum.

VI. Respondeo: euanuisse Christum ab oculis discipulorum; non nisi post resurrectionem. Itaque nihil ad rem. Quanquam, hoc ipsum, quid sit, proximo capite excutiendum erit. Ambulasse super aquis scio: sed nihil sequi video. Nam & Petrum itidem ambulasse certum: nec tamen quisquam colligit originaliter habuisse leuitatem in suo corpore. Imò Hieronymus ad Pammachium Epistola sexagesima prima, *Petrus super aquas ambulat graui & solido corpore.* Maldonatus ipse Iesuita non concedit Christi corpus factum leue. Quod ego tamen non negarem simpliciter. Libenter enim concederem factum leuius. Nam & corpora sic vulgò natant

plurima. Imò, si ars & exercitium efficere possunt, A vt humanum corpus, quod sua grauitate petit imum aquarum, aquis tamen superstet, non mutata qualitate, cur non multo magis efficiat potentia Diuina?

VII. Quid? quòd non desunt, qui miraculum factum dicant in ipsis aquis factis solidioribus? Hieronymus ab ipso Cotono recitatur. *Tu præcipe, & illico solidabuntur vndæ.* Et commentarij nescio qui Vaticani. ὡς Θεῷ δὲ ὑπεστρώθη αὐτῷ ἡ θάλασσα, καὶ ἐβάδιζεν ἐπάνω τοῦ ὕδατος. *Tanquam Deo substratum est ei mare: &* B *ambulabat super aquas.* Quomodo Theophylactus, ὑπέστρωσε τῷ Πέτρῳ τὴν θάλασσαν. *Substrauit Petro mare.* Salmero hanc numerat secundo loco inter varias huius miraculi rationes; tractatu vigesimo tomi sexti? vt ne Sophistæ stomachentur Caluinum in eam isse sententiam.

VIII. Sed contra Cotonus. Non sic, inquit: Nullum enim maius fuisset miraculum, quàm cùm hyperborei, & ipsi ambulant, & curros ducunt su- C per maria glacie concreta. Itaque, negat intelligendos illos authores, quasi reuera solidatas aquas dicerent: sed Christum in iis ambulasse quasi solidatis.

IX. Imò, inquam, abutitur lectorum patientia Cotonus. Enimuerò, si huic audaciæ locus detur, quæ non eludentur miracula? Imò, hoc ipsum facile, etiamsi detur corpus effectum leue. Tam enim non est mirum corpus effectum leue, aquis supernatare; quàm super aquas solidatas hominem incedere. Et quomodo, etsi miraculum nul- D lum sit in eo, quòd corpus leue ambulet super aquas; est tamen non paruum in eo, quòd corpus factum est leue. Ita, etsi nihil mirum, ambulare homines super aquis solidatis, tamen nonnisi miraculo aquæ fuere solidatæ. Vnde Theophylactus ὑπέστρωσε Πέτρῳ τὴν θάλασσαν, δεικνὺς τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν. *Substrauit Petro mare, ostendens suam potentiam.* Est verò nimia Cotoni confidentia, cùm sperat se effecturum, vt quod illi interpretes dixere, id non videantur dicere: & nos suis coniecturis E plus fidei habituros, quàm ipsissimis verbis quæ legimus. Enimuerò non tam durus Salmero, qui ingenuè agnoscit quosdam ita velle. Viderit Cotonus. Quanquam ego quidem non crediderim, soliditatem illam ita intelligendam, quasi reuera gelu aliquid effectum esset; sed aliqua alia ratione, quæ Deo ipsi sit cognita. Imò ego huc potius inclinarem, vt neque in aquis seorsim, neque in corpore mutationem vllam factam agnoscerem: sed potiùs in vtroque: & effectum diuinitus, vt contra ordi- F nem naturæ cohiberetur effectus ponderis: sic, vt, quantumuis graue, non mergeretur tamen: quam sententiam Salmero etiam non omisit.

X. Superest splendor. Is, inquit, exsertus est in monte Thabor: tum, quum inter duos, Mosem & Eliam, Christi factus est vultus splendens vt sol; & vestes candentes instar niuis.

XI. Atqui hoc miraculum est: ideò consequentia nulla. Non enim, si miraculo factum, i- G deo corpus Christi eum splendorem habuit originaliter. Imò vestes etiam mutatæ, ac candidatæ instar niuis: siue luminis. An & hoc verum, hunc in illis candorem fuisse originaliter? Quod si absurdum: certè illud non necessarium: vt mollissimè loquar.

* * *

Cap. III.

De Inuisibilitate corporis Christi.

I. DE Inuisibilitate Cotonus disputat paulò prolixiùs. Nos ante omnia inuisibile aliquid obseruamus d[illegible] dupliciter. primò, per se & ipsa sui natura: vt Deus, vt Spiritus sunt inuisibiles. B Secundò, per accidēs; cùm quid in se tale est quidē: vt possit videri: sed, aliqua externa superueniente caussa, fit inuisibile iis à quibus vel aliàs potuit, vel etiam debuit videri: quomodo iis, qui sunt ad Septentrionem inuisibiles sunt stellæ ad Austrum: quomodo aues longissimè à nobis auolantes fiunt inuisibiles: quomodo stellæ quædam minutissimæ, vt in via lactea, dicuntur inuisibiles. Quomodo denique Esaiæ quadragesimo quinto θησαυροὺς ἀ- C οράτους Græcè legimus, quos Hebraicè *Thesauros tenebrosos*: nempe, quia, absconditi in tenebris, videri non poterant. Et Longus Pœmenicon tertio ἡ γῆ πᾶσα ἀφανὴς ἦν: nimirum præ multa niue. Corpus ergo Christi, priori modo aut fuisse, aut esse inuisibile omnino negamus. At posteriori, sanè non imus inficias aliquando, cùm esset in terris, fuisse inuisibile; vt tum, cùm transiit per mediā turbam. Et nunc esse, cùm cœlis continetur. Cotonus contrà priorem modum amplectitur.

II. Primum illi argumentum: à Verbis Christi D *Accipite, manducate: hoc est corpus meum.* Hinc enim alterutrum constare, vel Christi verbum esse mendax: vel eius corpus esse inuisibile sub accidentibus panis & vini. At prius absurdum. Ergo, posterius verum.

III. Facilis responsio. Primò, non probari quæstionem: quæ est de corpore Christi inuisibili per se. At hoc argumentum concludit duntaxat esse inuisibile, sub accidentibus panis & vini. Hæc autem inuisibilitas esset accidentaria: & facillima, non E tantùm in corpore Christi, sed etiam in quolibet. Nihil enim facilius, quàm quiduis abscondere sub alienis accidentibus. Sic corpus rectum vestibus, latet obductum earum vestium colore. Sic Sol, propter vmbram terræ, videri nequit. Sic Rahab speculatores inuisibiles reddidit, Iosue secundo. Sic occultās sub stipula lini. Sic alia plurima. Quin & οἱ σκώληκες, qui hostiam rodunt, facilè delitescunt sub eius hostiæ accidentibus. Quid mirum igitur, si sub iisdem accidentibus latens corpus Christi sit nobis F inuisibile? Si tamen latet: quod nunc in disputationem nō voco. Secundò, dico neutrum sequi. Nam & verbum Christi est veracissimum; vtpote diuinum. Et tamen corpus Christi non est inuisibile sub speciebus panis & vini. Quia omnino non est sub iis: & Sacramenta nihil mutant in natura rei cuius sunt Sacramenta.

IV. Secundum argumentum ex Lucæ quarto. *Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & de-* G *duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.* Et Ioannis octauo. *Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.* Græcè additur quod neglexit vetus interpres: *quum transiisset per med[illegible] & progressus est.* Hic Cotonus primò vrget [illegible] quā vocem Paulus etiā vsurpat ad Hebr[illegible] dicit Christū διεληλυθότα τ[illegible] S[illegible]cundò, C[illegible]

hoc miraculo volu[illegible] am Deitatem demonstrare [illegible] te[illegible]us Ambr[illegible], Eu[illegible]mio, Th[illegible]. Denique, exhibuisse sese inuisibilem, teste Theo[illegible]to Heracl[illegible], [illegible] is locum ex[illegible] [illegible] fa[illegible] ato in Ioann[illegible]. *[illegible] Relinquit, non continens seipsum in angulo neque, vt quis posset putare, in domunculam [illegible] ac ne quidem post [illegible] declinans verum potentia Diuina inuisibilem seipsum insidiatoribus constituens, per medium eorum non visus exiit, & praeteriit eo.*

V. R[illegible]ndeo: primò, argumenti nullam vim esse [illegible] nihil [illegible] in contextu, quo inuisibilitas de[illegible] itaque Maldonatus in Lucam. *Quale miraculum fuerit incertum.* Q[illegible] d[illegible] Imò, inquit C[illegible] Imò, inquit Maldonatus, *Verba tantum [illegible] cum securum, sine vlla fugâ sine vlla festinatione [illegible] medio hosti[illegible] gradu processisse. H[illegible] vel potius, ipse autem: [illegible] per medium eorum transiens [illegible] id est procedebat, & securus gradiebatur.* En tibi [illegible] & quidem magni nominis [illegible] omnia vocabula: ipsum etiam illud [illegible] ponderantem: & tamen nullam inuisibilitatem aduertentem. Factum malè? vtcumque sit, habet Cotonus [illegible] se testem & quidem domesticū. Enimuero [illegible] hic est [illegible]. An inuisibi[illegible] Non est ausus dicere, ne miretur [illegible].

VI. At Christus voluit ostentare suam diuinitatem, e[illegible]. Sed pergat Sophista. Ergo, inuisibil[illegible] corpus. Vnde hoc consequens? Aut quae vis [illegible] sequentiae? Quasi non omnibus miraculis, [illegible] m Diuinitatis potentiam magnificè ostentarit: an ergo in singulis inuisibilitatem quandam Cotonus obtrudet? Nugae. Iansenius Concordiae [illegible] quinquagesimo quarto, *Se tantum seruat, & man[illegible] eorum eripit, illisque mirabili quadam potentia sua [illegible], quae illos, si vellent, ad poenam etiam commouere posset. [illegible] autem mirabiliter liberatum, non se vertit in [illegible], aut serpentem, aut aliud praestigij genus, sed diuinam plane, & se dignam virtutem ostendit.* Hactenus ex [illegible]. Sed postea. *Potest autem his transitus dupliciter [illegible] contigisse, aut per hoc, quod illorum muta[illegible] sensus, vt vult Beda, adimendo scilicet il[illegible] per hoc, quod se illis inuisibilem reddidit.* Ergo, [illegible] non necessariò concluditur inuisibilitas, quod vo[illegible] Cotonus.

VII. Secundo. Concedo inuisibilitatem. Video en[illegible], si non necessariam, certè verisimilem: nec ve[illegible] Theodoto [illegible] penitus derogare. Quid tum [illegible]? An o[illegible]litus est Cotonus se agere, non de [illegible] inuisibilitate, sed de originali; hoc est, quae [illegible] ab ipso corpore? At haec quomodo e[illegible]? Certè Theodorus non simplici[illegible] Sal[illegible] tractatu duodecimo. *Transiit per [illegible] vel ad tem[illegible] excaecando illos, ne viderent [illegible], quemadmodum Angelus ciues Sodoma, Gen. [illegible] nono. vel [illegible] se nubecula obtegente [illegible] cum accedentem [illegible] sustulit ab oculis spectantium, vt [illegible] Beda, Albertus, & Nicolaus de Lyra, [illegible] quod Domino cessit [illegible] blanda, quae recepit sigil-lum. Vel denique vsus est dote subtilitatis, vt cùm de matre integra editus est in lucem.* En tibi modos quatuor, & in his quidem tertium, meo iudicio, ineptum, ac nugatorium: & forte Toleto cogitatum, quum mittere se diceret ea, quę nonnullis pijs quidem, nec indoctis, sed minus fortasse limati iudicij, ferūtur autoribus, de ratione qua Christus euaserit. Sed vtcumque; en tibi, inquam, modos quatuor; quorum tamē nullus agnoscit inuisibilitatē in corpore Christi. Ne quartus quidem, qui confugit ad subtilitatem: nam idipsum corpus nemo dixit inuisibiliter natum.

VIII. Porrò, si ea inuisibilitas fuisset in ipso corpore; imò ab ipso corpore, tum verò absolutè dicendum erat corpus ἄφαντον, non autem insidiatoribus, & sanè nemo omnino vidisset. At Salmero tomi octaui tractatu quadragesimo secundo. *Diuinitatis virtute inuisibilis factus est illis. sed non suis Apostolis, & bonis inuisibilis.*

IX. Tertium argumentum, & quidem Cotonopalmarium, ex vigesimo quarto Lucae, *& ipse euanuit ex oculis.* Vbi totius viget Graeca[illegible] anquam nunc nuper Athenis regtessus, καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν. Nam τὸ ἄφαντον negat posse directè aliud significare, quàm inuisibilem. Qua occatione multa blaterat in Caluinum & Bezam, [illegible] tatus suum Toletum, sed & Maldonatus inuenis[illegible] exultat.

X. Respondeo, τὸ ἄφαντον propriè ac directè esse τὸ μὴ φαινόμενον, id quod non appareat, quod ipsum etymon per se docet. Nec negem eti[illegible]m quod Caesar Bulengerus maiuilt parte prima co[illegible]tra tractatum orthodoxum segmento centesim[illegible] vigesimo. *Id quod videri non possit dum patratur.* Adde dupliciter aliquid videri non posse, vel per se, vel per accidens: esse enim ἀφανίαν vel ab ipsa rei, quae non apparet natura: & tum appellari posse inuisibilitatem ἀφανίαν: vel ab alia causa: ac tum non esse inuisibilitatem. Nunc autem priori modo intelligendum negamus: nec probat Cotonus, vllúsve Papistarū: nullus etiam Veterum dixit. Sed posteriori nos verò asserimus: nempe, quia Christus, vsus sua leuitate, quę dos erat gloriosi corporis, subducens corpus suū subitò ab eo loco, quo erat, effecerit, vt propter absentiam cerni non posset à quoquam eorum.

XI. Huius interpretationis argumenta nobis duo: Prius ab ipsa phrasi. Non enim ἄφαντον dixit Lucas simpliciter, siue etiam ἄφαντον αὐτοῖς: quod oportuit, si se etiam praesentem voluisset inuisibilem, sed ἄφαντον ἀπ' αὐτῶν. In quo illud 'ἀπ' αὐτῶν' non potest significare nisi motum à loco. Itaque Syrus interpres vertit והו אשתקל לה מנהון, Bodenanus reddidit, *& ipse ablatus est ab eis.* Lucas Brugensis. *Quod ab eis dicit, potius quàm eis, videtur indicare non tantùm inuisibilem redditum Iesum, verùm etiam locum mutasse.* Et paulò post. *Ruituri erant in eius amplexum, simul atque cognouerant eum: sed ipse transtulit se aliò extra conspectum eorum.* Augustinus de tempore, Sermone centesimo quadragesimo. *Dominus his cognitus est: & postea quàm cognitus est, nusquā comparuit. Abscessit ab eis corpore, dum tenebatur fide.* Itaque Caietanus dictum notat *euanuit,* pro *disparuit*: quomodo Ammianus Marcellinus libro duodecimo. *Simul hoc dicens è medio prospectu abscessit, non auersus, sed dum euanesceret, verecunde retrogradiens & pectus ostendens.*

XII. Alterum argumentum, ab vsu Graecorum, apud quos ἀφανίζειν, ἀφανής, ἄφαντος, cognata vocabula, intelligi dico aut semper, aut fere semper de inuisibilitate illa, quae fit, non per originalem qualitatem, vt phrasi vtar Cotonica; sed hac nostra, quae [illegible]

per absentiam rei, quæ aliàs si præsens esset, non posset non videri. Exempla sunt hæc de infinitis pauca. Primum ἀφανίζειν. Plato in Gorgia, Νύκτωρ ἐξαγαγὼν ἀποσφάξαι τε καὶ ἀφανίσαι ἀμφοτέρους. *Noctu eductos ambos iugulauit, & inuisibiles effecit*: hoc est, ita abscondit, vt ampliùs à nullo viderentur. Isocrates Trapezitico, ἀφανίζει Κίττον τὸν παῖδα: *Inuisibilem reddidit*, id est, occultauit, *Cittum seruum*. Et post, ἔφασκεν ἡμᾶς ἀφανίσαντας τὸν παῖδα: *Dixit nos seruum abduxisse à conspectu hominum*: ita enim securè verto.

XIII. Secundò, ἀφανὴς, Euripides Helena, κεῖνος ἀφανὴς σὺν δάμαρτι κλῄζεται. *Ille nusquam apparere cum coniuge dicitur*: id est, in viuis desiisse numerari. Hermogenes περὶ στάσεων, haud procul ab initio, ὁ ἄσωτος, ὁ ἐπὶ τῷ πατρὶ ἀφανεῖ κρινόμενος, φόνου φεύγων. *Helluo, ob Patrem nusquam comparentem, cædis reus*. Lucianus Philopseude, haud multò ante finem, Αὐτὸς δὲ ἀπολιπών με καὶ ἄδων, οὐκ οἶδα ὅπου, ἀφανὴς ᾤχετο ἀπιών. *Iste, clam relicto me, nescio quo abiit nusquam visus*. Idem de Syra Dea: ἐπειδὴ δὲ ἀφανὴς ἐγεγόνει, *Postquam à conspectu abiit*, sermo est de Europa rapta. Longus Pœmenicon primo: ἐνταῦθα ἡ αἲξ θέουσα συνεχὲς ἀφανὴς ἐγίνετο πολλάκις: *Huc capra frequenter occurrens, crebro nusquam apparebat*. Nazianzenus de Cypriano, τὸ μὲν ὄνομα πολὺ παρὰ πᾶσι Κυπριανοῦ, τὸ δὲ σῶμα ἀφανὲς ἦν. *Nomen quidem plurimũ erat apud omnes Cypriani, at corpus non comparebat*. Billius maluit: *obscurum erat*. Arrianus de Alexãdri expeditione libro secundo, κατόπιν τῆς φάλαγγος ἀφανῶς διελθεῖν. *Post phalangem occultè transire*. Et iterum paulo post, ἐπὶ τὸ δεξιὸν ἀφανῶς παρελθεῖν. *In dextrum cornu clam progredi*. Libro quinto, ὅτι ὁ ἵππος ἐν τῇ Οὐξίων χώρᾳ ἀφανὴς ἐγένετο Ἀλεξάνδρῳ, *Bucephalus apud Vxios nusquam apparebat Alexandro*. In protestatione populi Alexandrini, quæ extat extremo tomo primo Athanasij, ὁ μὲν γὰρ ἐπίσκοπος ἑλκόμενος παρ' ὀλίγον διεσπάσθη· παραλυθεὶς γοῦν μεγάλως, καὶ ὡς νεκρὸς ἑλκόμενος, οὐκ οἴδαμεν πού γέγονεν ἀφανὴς παρ' αὐτῶν· ἐπεχείρουν γὰρ αὐτὸν ἀποκτείνειν. οὕτω δὲ εἶδον πολλοὺς ἀπολωλότας, προσέταξαν τοῖς στρατιώταις ἀφανῆ τὰ σώματα καταστῆσαι τῶν τετελευτηκότων. *Episcopus distractus, tantum non discerptus est: certè post magnum deliquium, & pro mortuo tractus, nescimus vbi factus sit inuisibilis ab eis*, id est occultatus: *occidere enim conati sunt. At, cùm viderent magnum esse talorum numerum, militibus imperarunt, vt mortuorum corpora inuisibilia constituerent*, id est, occultarent. In concilio Constantinopolitano sub Mena, actione prima bis legitur ἐπειδὴ ἀφανῆ ἑαυτὸν κατέστησεν ὁ Ἄνθιμος. Nẽpe in supplicatione Monachorum ad Iustinianum Augustum: & paulo post in eorumdem didascalico per Marianum porrecto: quibus verbis significant Antimus subduxisse sese iudicio, quod nunquam assequutus est Latinus interpres.

XIV. Restat ἄφαντος: ne vitilitigatores Sophistæ calumnientur cognata, at non eadem vocabula. Pindarus Olympiaca prima, ὡς δ' ἄφαντος ἔπελες: *postquam nusquam fuisti conspicuus*. Scholiastes, ὡς δὲ ἀφανὴς ἐγένου, καὶ οἱ ζητοῦντές σε κενοὶ, καὶ ἄπρακτοι ὑπέστρεψαν, *postquam inuisibilis factus es: & qui te quærebant vacui frustratique rediere*. Anacreon Ode trigesima tertia de hirundine abeunte χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος, ἢ Νεῖλον, ἢ 'πὶ Μέμφιν. Theocritus Idyllio quarto, ᾤχετο δ' εἰς τίν' ἄφαντος ὁ βώκολος ἔχθε χώραν. Quid iam superest? An ipsam phrasin ἄφαντος ἐγένετο vrgebit tenebrio? Quãquam vidimus cognatam ἀφανὴς ἐγένετο. En tibi tamẽ hanc ipsam. Diodorus Siculus libro tertio: ἐξαίφνης ἀπὸ τῶν ὀμμάτων συναρπασθῆναι μεγάλην ἄφαντον φθῆναι. Et quinto: Ἀριάδνη ἄφαντος ἐγένετο, *Ariadne facta est inuisibilis*. Gregorius, Dialogo de sacris imaginibus apud Baronium anno vigesimo sexto octaui seculi, κελεύσας (sic enim lego) ἀφανίσαι αὐτὰς καὶ τελείως ἀφανεῖς φανῆναι. Loquitur de imaginibus ab Imperatore deturbatis; & à populi conspectu ablatis.

XV. Nempe igitur vera est & recta interpretatio, *subduxit se*: quantumuis rideat Maldonatus. *Quasi verò*, inquit, *verba Euangelistæ defuerint, vt eum diceret abiisse*: Ineptè. Nam hæc verba Euangelistæ fuerunt, quibus significaret abiisse: & quidem sumpta de medio; non affectatè quæsita, aut violenter detorta: apud Græcos significantia aliquid abesse, & ita abesse, vt nescias aut quomodo, aut quò subduxerit se. Salmero obseruauit. *Euanuit ex oculis eorum: id est, subduxit per dotem subtilitatis, corporis sui delectabilem præsentiam. Verbum, euanuit, Græcè dicitur, disparuit: rectè tamen dicitur Latinè euanescere, quod ex oculis, cùm minus cogitamus, subtrahitur. Hinc Plinius* (libri noni capite quinquagesimo primo) *Verè*, inquit, *pectines, limaces, hirundines eodem tempore euanescunt. Et Cicero de claris Oratoribus Isque & orationes reliquit, quæ iam euanuerunt*. Gottanus etiam, *Scilicet subtrahendo ab eorum aspectu corporali suam præsentiam. Euanuit autem, non sicut phantasma per annihilationem, sed sicut res gloriosa per agilitatem; quia, sicut Augustinus dicit, Vbicumque vult esse spiritus, ibi protinus est corpus, scilicet glorificatum*.

XVI. Hactenus argumenta Cotoni. Nobis facilè transigitur res tota; qui pro certo ponimus corporis Christi naturam non esse aliam quàm veri corporis, & quidem humani; etiam post resurrectionem: vt potè, *cui sit addita gloria, non autem ablata natura*; vt loquitur Augustinus. Itaque securè disputamus argumentis naturalibus. Hoc esto primum: Nullum corpus per se visibile potest esse simul per se inuisibile. At corpus Christi est per se visibile. Ergo, non potest esse simul per se inuisibile. Maior probatur à natura contradicentium: quorum alterutrum potest tantùm esse verum: ideóque non potest vtrumque esse in eodem subiecto simul. Ratio, quia implicaretur contradictio. Minor est in confesso etiam apud Papistas. Nam, quòd videntur distinguere, qua viatorem, & qua comprehensorem; primò docuimus esse absurdum: quia ipsum etiam implicat contradictionem. Secundò, negamus hãc distinctionem ad rem esse. Quia non distinguitur aut subiectum aut tempus: vtrumque enim supponitur idem. Itaque manet contradictio. Rectè, si quatenus Deus, quatenus homo. Vel, secundùm animam, secundùm corpus. Nam hęc sunt varia subiecta: vt non magis sit absurdum, Christum, qua Deum esse inuisibilem, qua hominem verò visibilem, simul & eodem tempore; quàm Æthiopem esse album dentes, nigrum cætera.

XVII. Argumentum secundum: Nullum per se inuisibile est coloratum. At, corpus Christi erat coloratum. Ergo, corpus Christi non erat per se inuisibile. Maior patet: quia color est proprium & adæquatum obiectum visus. Itaque necesse est omne coloratum videri: & quidem per se: quomodo omne odoratum, olere: sonorum audiri. Minor negari non potest: quin statim negetur Christi corpus, fuisse corpus, aut certè humanum. Color enim est propria affectio corporis.

XVIII. Argumentum tertium: Quicquid habet in se originaliter inuisibilitatem, id est per se inuisibile. At corpus Christi non est per se inuisibile. Ergo non habet in sese originaliter inuisibilitatem. Vt tot phrasi Cotonica: & habere originali-

[illegible]litatem, intell go ita, vt inuisibilitatis causæ non sint externæ. Itaque maior patet. Nam si non esset per se inuisibile, esse ergo per accidens: & tum causæ essent externæ, ac proinde non haberetur originaliter inuisibilitas.

XIX. Minor probatur: Quicquid est per se inuisibile, aut nunquam apparet, aut non nisi per accidens. At Christi corpus nec nunquam apparuit, nec per accidens. Ergo Christi corpus non est per se inuisibile. Minoris partes sunt manifestæ. Nam Christus conspicuum præbuit seipsum in proprio corpore, tum quandiu fuit in mundo, tum post resurrectionem: primæ Ioannis primo. *Quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus & manus nostræ contrectarunt.* Ioannis primo, *& spectauimus gloriam eius.* Actorum primo, *seipsum repræsentauit viuum multis signis, per dies quadraginta conspectus [illegible] ab eis*: Nec est [illegible] tum verè fuisse, & in seipso, conspectum. [illegible] non est difficilis probatu, per inductionem. Nam inuisibiles naturæ sunt Deus & Spiritus, Et [illegible] oculis cerni nequeunt, ne tum quidem cùm sunt [illegible] quod nemo vocat in dubium: vel ap[illegible] tantùm per accidens: hoc est, vel per effe[illegible] assumptis alienis formis. Per effecta, apparuit Deus in Paradiso, cum locutus est Adamo: & Salomoni, cùm templum impleuit nube. Angelus, cùm turbauit piscinam, & fortè cum alloquutus est Zachariam ex altari. Per formas alienas, in Genesi apparuerunt tres illi Abrahamo, quorum vnus di[illegible] Iehoua dicitur. Et Ioanni Baptistæ Spiritus in forma columbæ, & Gedeoni Angelus, tanquam vir. S[illegible] sæpissimè. Neque vnquam inuenias aut Deum aut Angelum apparuisse: nisi fortè somnia [illegible]: quanquam in iis nihil apparet reuera, sed videtur apparere. Iam verò, qui corpus Christi d[illegible] aliter apparuisse, illum exibilabunt Christiani.

XX. Adde veteres, Nazianzenum Epistola prima ad Cledonium. [Greek illegible]: *Aliud & aliud, ex quibus constat [Se]ruator: si quidem non est idem inuisibile & visibile.* V[illegible]ilus contra Euthychianos asserentes carnem mu[tatam] in Deitatem, libri quarti capite quarto, *Necesse erit vt & caro sicut & Verbum, si vnius cum eo est Naturæ, increata sit & inuisibilis, atque incontrectabilis, & initio carens: aliter enim cum Verbo vnitatem non potest habere natura, sed quia carnem his conditionibus subiacere impossibile est vnum [na]tatem, vt dicitis, cum Verbo natura est: Verbum ergo erit secundum Arianos creabile & contrectabile atque visibile.*

Cap. IV.

De Argumento ab Omnipotentia.

I. DE localitate longè animosior contentio est: quantò propius attingit Transubstantiationem, cuius vnius causa hi omnes mouentur lapides, vt dixi. Disputarunt, quos viderim Papistæ, Coponus Institutionis libri primi, capite sexto: Bellarminus tertio de Eucharistia: Gregorius de Valentia, [libro] primo de vera Christi præsentia, capite decimo [illegible] & tribus sequentibus: item tertij de sacra[mento] E[ucharisti]æ, capite secundo, & Commentariis in Thomam, tomo quarto, disputatione sexta, quæstione tertia, puncto primo paragrapho vicesimo secundo, ac sequentibus. Claudius Caroneus in Proœmio Equitis Christiani. Petrus Michael Iesuita controuersiarū de Eucharistia Dialogi primi, capite septimo. Richeomus in sancta Missa declarata & defensa, libri secundi capite quadragesimo quarto, ac sequentibus. Coffetæus Apologiæ Eucharisticæ contra Molinæum, capite decimo quarto, & quinto. Conimbricēses in quinque prima capita quarti Physicorum. Sanctesius Repetitionis quartæ, capite quarto, & septimo. Sapetus in Aphorismis. Zacharias Bouerius examine primo de Vnitate Religionis.

II. Catholici contrà Martyr in Pantacho. Zacharias Vrsinus in Defensione argumentorum ab Orthodoxis, contra Vbiquitatem. Ioannes Angelus Polanus, prima parte Sophisticæ Eucharisticæ. Hellopæus de tota re sacramentaria tractatus tertij capite decimo quarto & quinto.

III. Sed Papistæ disputant aliter quàm in præcedentibus. Hactenus enim hypothesis fuit de solo Christi corpore, cui volebant tanquam priuilegia indulgeri. At nunc dant thesin de quocunque corpore, & quidem triplicem. Posse verum corpus esse sine loco. Posse plura vera corpora esse in vno eodémque loco. Posse vnum verum corpus esse in pluribus distantibúsque locis. Et priores quidem duas, non propter ipsas: sed propter vltimam, cuius putant hoc artificio fundamenta ponere. Nos, etsi paulo alienior disputatio videatur ab instituto nostro, quod totum occupatur in Theologicis: tamen, quia non minus hic est importunitatis, quàm in vllo alio capite; committendum non putamus, vt hàc partem neglectam prætereamus: applicatur tamen subinde vniuersalem thesin ipsi corpori Christi, cuius natura nobis præ manibus.

IV. Iam verò illud *Posse*, non quomodo in schola solet cuiusque rei potentia dici, *aptitudo quadam subiecti ad aliquid quod ita actu non habeat, vt tamen ex principiis suæ naturæ, aptum sit ad habendum*: sicut homo potest esse musicus, pauper potest esse diues, surculus potest arbor fieri, & similia plurima: sed nouo quodam modo, sensúque, pro Omnipotentia Diuina, quæ possit efficere, quæcunque non implicant contradictionem. Itaque fatentur quidem nullam esse naturalem dispositionem, per quam possit sine loco corpus esse, aut in pluribus locis: pluráve corpora in eodem loco: sed tantùm, Deo miraculosè efficiente, posse accidere absque vlla corporis veri destructione. Bouerij confessio. *Id libenter in gratiam Bezæ accipio, hoc naturæ omnino vires excedere neque enim natura, quæ visibilis est, ac certis terminis comprehensa, inuisibilem aut incircumscriptam substantiam gignere potest: eam enim præstitutis sibi à Deo legibus contineri necesse est, vt ea tantùm efficere possit, quæ naturalem aspectabilium rerum ordinem consequūtur. Res verò, cùm qualitatibus dimensionibus, ac cæteris accidentibus, duntaxat nobis se aspectabiles reddant, sanè perspicuum est, id naturæ viribus fieri non posse, vt substantia dimensionibus penitus expolietur.*

V. Quo fuit intempestiuior immodestia Conimbricentium, qui hàc disputationem in mediam Physicæ disciplinam intruserunt: quasi Physicæ essent disciplinæ miracula. Quod si in animum induxerant, cur non iidem de Christi generatione temporali tractabant? & de mutatione aquæ in vinum, & de vxore Lot mutata in statuam salis, & plurima similia? Imò, cur miraculis in genere disquirendis suum negarunt locum? Quanquam ne alij quidem

considerationes, qui hoc vniuersum negotium metiuntur ex ipsis naturæ corporum (ita enim videri volunt) principiis, quæ conantur conciliare cum Omnipotentia.

V I. Sed enim his thesibus omnibus, præter propria singulis, vnum omnibus argumentum generale inuentum est, ab Omnipotentia, quod in hoc limine dispiciẽdum videtur, vt reliqua sigillatim possint faciliùs discuti. Sic igitur illi, *Apud Deum omnia possibilia sunt*, ipso pronunciante Christo apud Matthæum decimo nono, & apud Lucam Angelo, capite primo: ergo potest idem Deus ea ipsa quæ iis thesibus continentur.

V II. Respondeo, negari consequentiam. Nam illud *posse*, vel significat energiam, hoc sensu, vt, etsi non semper, tamen aliquando ea faciat, aut fecerit, aut facturus sit; vel simplicem considerationem eiusmodi potentiæ, abstractámque à rerum euentibus; vt qui dixerit, posse Deum hominis generationem efficere conseruata integra virginitate: quod quidem aliquando factum fuit, & qui dixerit posse creare mille mundos: quod tamen neque fuit, neque porrò futurum est vnquam.

V I I I. At nos de priori potentia consequentiam negamus: quia nunquam certum est argumentum ab omnipotentia Dei: nisi præeat vel facti certitudo, vel certè voluntatis Diuinæ cognitio. Nam ipsemet Bellarminus capite secundo tertij de Eucharistia, disputat multa Deum posse, quæ tamen nunquam sit facturus. Et Suarez sectione secunda disputationis nonæ in tertiam Thomæ, *Non quicquid est possibile, affirmandum est factum esse, si omnino sit supernaturale, ac miraculosum, & reuelatum non sit ita factum esse, nec ex reuelatis satis colligi possit.*

I X. De altera potentia, ratio negatæ consequentiæ: quia, vt aliàs disputatum, Omnipotentia Dei non extendit se ad ea quæ sunt impotentiæ, defectúsque. At hæc sunt impotentiæ defectúsque: ergo, Omnipotentia Dei non extenditur ad ista, quæ in iis sunt, de quibus Thomas dicit, meliùs dici non posse fieri, quàm Deum non posse facere: vt desinant nobis aduersarij importunè obiicere suum illud, *Deus non potest*, qui [illegible] perpetuus est Bouerio.

X. Probatur minor: nam maior est in confesso: Quæcunque implicant contradictionem, ea sunt impotentiæ: at hæc implicant contradictionem: ergo, sunt impotentiæ. Maior probatur, quia omne mendacium est impotentiæ. Itaque Scriptura testatur, impossibile esse mentiri Deum, sexto ad Hebræos: & negare seipsum non posse, secundo prioris ad Timotheum. At quæcunque implicant contradictionem, ea sunt mendacia: quia ponunt simul esse, & non esse. Minor autem facilè probatur: quia, cùm proprium sit corporis occupare locum vnum: tum certè, qui corpus dicit esse sine loco, vel esse in pluribus, vel contrà, corpora plura esse in vno loco, tum is profectò dicit corpus esse non corpus. Quæ ratiocinatio eò nobis gratior est, quòd olim vsurpata Theodoreto, capite quarto dialogi tertij.

X I. Hîc verò variæ sunt aduersariorum artes. Saperus facetè Aphorismo nono, Hieronymus in octauum Matthæi, *Qui voluntatem rogat, de virtute non dubitat.* Ergo, qui dicunt agendum de volũtate Dei, concedunt rem ipsam posse fieri. Scilicet, quia prior ratio nostra negabat arguendum ab Omnipotentia sine voluntate.

X II. Ita me amet quicquid est Theologastrorum, vt arrisit subtilitans acumen, quod probamur ponere, quod tamen velis, remísque [illegible] oppugnatum. Sed sit plurimùm, sinistro quodam fato, vt tanto acumini desit iudicij soliditas. *Qui voluntatem rogat*: Rectè, doctè, diuinè dictum, Hieronymo significante leprosum, qui Dominum rogarat vt se vellet sanare, non dubitasse, quin posset si vellet. Ac sanè ita erat protestatus, *Si vis, potes me mundare.* Sed hoc, quid ad nos? An nos Dominum rogamus, vt vllum corpus faciat esse sine loco? At nos potiùs Sophisticum Papistarum refutamus argumentum à negata voluntate. Sic; Quæcumque Deus potest efficere, eadem potest velle. At hoc, de quo agitur, Deus non potest velle. Ergo, neque potest efficere. Aut hoc refutato, Sapere aut mittre ridicula [illegible].

X I I I. Bouerius: Illud primùm percontor. Vtrùmne omnia credere oporteat, quæ Deus hominibus per Angelos & cœlestes nuntios reuelat, vel quæ nobis Scripturarum oracula de Diuina Maiestate ac potentia prædicant? Si negent, Scripturarum autoritatem contemnunt: si affirmant, cur dixit Beza, *Non credendum, nec vniuersaliter recipiendum Angeli dictum?*

X I V. Atqui hæc nulla sunt Bezæ verba. Imò hęc potiùs in Creophagia contra Heshusium, obiicientem omnipotentiam: *Dic obsecro, an potest mori Deus? Hes. Apage. Th. Habet igitur aliquam exceptionem tuum illud dictum, omnia esse Deo possibilia. Primùm enim eripienda sunt, quæcunque non sunt alicuius potentiæ, sed infirmitatis potius argumenta, vt mori, mutari, & quæcunque sunt eius generis. Sed age, progrediamur. An putas Deum efficere posse, vt tria, quatenus sunt tria, sint quatuor? vt effectum præeat efficienti caussæ, vt quod factum est, factum non sit, & alia eiusmodi? He. Apage hanc profanam curiositatem. Th. Hæc profana non sunt. Hes. Tune igitur Dei potentiam aliquibus finibus circumscribes? Th. Minimè: sed hoc dico, multa esse Deo impossibilia, non simpliciter, sed ex hypothesi: quoniam videlicet illi visum est ab initio certas leges certis rebus præscribere cuius ordinis est conseruator, non euersor. Itaque, cum hoc dico, de potentia Dei nihil detraho, sed perpetuam & inuariabilem ipsius naturam commendo.* Hæc, inquam, Bezæ verba sunt, quæ cur non descripsit, mitto describere: at, cur mutauit Sycophanta, & maluit dicere, non credendum Angeli Verbum?

X V. Verumtamen, vt calumniæ, si fieri [illegible] calumniatores pudeat; iubeo relegere Theodoreti Dialogum tertium, quem videtur Beza voluisse describere, aut certè contractum in compendium. Describo ex capite quarto, etsi olim descriptũ [illegible] controuersia de Omnipotentia. ΕΡ Α. [illegible] ἅπαντα δυνατὰ τῷ Θεῷ. *Didicimus omnia Deo possibilia.* obiiciebat Catholico hæreticus olim, nõ [illegible] fidenter, quàm hodie Papista. At Orthodoxus, [illegible] *Cum indefinitè [illegible], complecteris oratione tua, etiam quæcunque partibus diaboli competunt. Nam qui solutè omnia dicit, eadem & bona dicit & mala.* Pergebat impudens hæreticus, [illegible] *Annon generosum hoc fiduciè dixit, Scio te omnia posse, & tibi nihil esse impossibile?* & paulò post, [illegible] τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ. *Nihil impossibile omnipotenti Deo.* Non [illegible] tuit Bouerius magis importunè Angelum

Quid ergo Theodoretus? [illegible Greek] *Ergo etiam peccare potest, vel est omnipotenti Deo secundum tuam sententiam.* Cui hæreticus [illegible Greek], inquit, *Nequaquam:* Vnde Orthodoxus [illegible Greek]. *Multa igitur non potest: cùm plurima sint genera delictorum.* Et post nonnulla impossibilium exempla; [illegible Greek]. *Multa etiam alia reperire licet, quæ non minus sunt impossibilia. Neque enim æternum erit in tempore, nec increatum creatum et quod factum, neque infinitum finitum, & quæ sunt eiusdem generis.* Placuit Sancti Patris diligentia. Placuerunt eius diligentiæ manifestissima in Bezæ scriptis vestigia. Placuit in tanta causarum similitudine, tanta argumentationum vicinitas: vt non possint Bezæ, non nobis, insultare Papistæ, vt non pedibus proterant venerandam antiquitatis caniciem: qui, cùm libet, tantum deferre profitentur. Quo minùs monebunt nos bruta Bouerianæ eloquentiæ fulmina. *Proh prodigiosam hominis temeritatem, quæ homines à vera Dei fide auertit. Quid Beza? Tu-ne, quæ iubente Deo de ipsius Maiestate ac gloria Angeli hominibus annunciãs, temerè, vel expungere, vel corrigere audes? Heu, quo humana impietas erumpit!* Nam quid hic est præter temerarium impetum eius, qui neque quid ipse dicat attendit, neque quid aduersarius dixerit, audiri vult à quoquam: sed impudentiam Deo Iudici permittamus: nostras refutandi partes exequamur.

XVI. Contra hoc argumentum nostrum, triplex est instantia. Prima Bellarmini, nostrum vnum principium esse, nihil credendum sine verbo Dei. At verbum Dei nusquam excipere ab omnipotentia hæc axiomata. Ex illis autem in duobus locis, neutrum posse clarè ad ista reduci. Itaque excipi non debere.

XVII. Respondeo. Primò, imperitè Bellarminum argutari. Quia nunc negamus agi de rebus credendis, sed de non credendis. At nemo vnquam asseruit, omnia non credenda debere extare in Scripturis. Nam nō esse quatuor, pluresve personas in Deo, nusquam legas; non esse duos pluresve mundos, & similia: quæ tamen apud nos certissima sunt, vel hanc ob causam, quòd in Scripturis nulla sint.

XVIII. Deinde, nostrum illud principium malignè à Bellarmino recitari dico. Nemo enim nostrûm dixit, nihil omnino credendum sine Verbo Dei, sed tantùm, in rebus fidei. Ast cùm de rebus agitur aliis, puta naturalibus; omnes profitemur multa esse credenda, id est, habenda pro certissimis, quæ tamen nusquam docuit Verbum Dei. Hæc verò axiomata, de quibus nunc disputatio est, ad res naturales pertinent: atque ob eam causam traduntur in naturali Philosophia omnium bricensium. Itaque, nemo debet mirari, si à nobis iudicentur rationibus aliunde petitis, quàm ex Verbo Dei.

XIX. Denique Verbum Dei distinguimus [illegible Greek] & [illegible Greek]. Res autem fidei, in primarias, quæ à nullis aliis oriantur, & secundarias, quæ ab illis pendeant. Illas primas concedimus extare debere in Verbo Dei [illegible Greek], hoc est, expressè, disertéque, vt Deum esse Vnum in tribus personis: hominem esse peccatorem. Christum esse redemptorem, & similia. At res secundarias non esse omnes expressas: sed enim expressis per legitimam necessariámque consequentiam, vt Mariam fuisse obnoxiam peccato, sanctos nullos adorandos, & alia. Porrò, hæc tria axiomata, quatenus ad fidem spectant, in posteriori ordine consistere. Itaque etsi nullo loco disertè pronuncietur, sint-ne affirmanda, an neganda: tamen iudicari ex disertis locis, qui negant in Deo esse contradictionem.

XX. Enimuerò, quòd ea negat posse clarè reduci ad ea quæ implicant contradictionem, primò frustra est. Quid tum enim, si non clarè, dummodo certè? Non enim omnis veritas semper est clara, & perspicua: nec tamen desinit esse veritas. Deinde falsum est. Nihil enim in natura magis perspicuum, quàm contradicere ipsum sibi, qui dicat, corpus nullum occupare locum, plura corpora esse vno loco: vnum corpus esse in pluribus locis. Atque adeo horum fides postremo tandem sollicitata est à recentioribus Papistis, & maximè recentissimis Iesuitis, eorùmque discipulis, & quidem immutatis peruersisque humanioribus disciplinis; vt meritò dicamus nunc ortum esse nouum rerum ordinem. Nam olim ex nimia Aristotelis admiratione, Scholastici totam penè Theologiam corruperunt, reuocatam ad axiomata Philosophica, quæ illis in ore erant longè frequentiora, quàm Scripturæ. At nunc, ex stulta persuasione Transubstantiationis, Iesuitæ naturalem disciplinam impugnant, & inuertunt, & monstris replent, qualia nunquam vel Epimenides somniasset.

XXI. Secunda instantia rursus Bellarmini: Alterum nostrum principium esse: eam veram esse doctrinam, quæ Deum exaltet, & hominem deprimat: falsam contra, quæ hominem exaltet, Deum deprimat. At qui dicit, inter ea quæ Deus potest, esse etiam, ponere vnum corpus in pluribus locis, hic Deum exaltat, & hominem deprimit: quum fateatur plura posse Deum facere, quàm nos intelligere: qui autem negat, Deum deprimit, & hominem extollit, cùm dicat Deum non posse facere, quod homo non potest intelligere.

XXII. Respondeo, absurditatem huius argumenti facilè deprehendi, quòd eodem ipso probetur, Deum posse facere ea quæ contradictionem implicent: quod tamen Bellarminus, reliquíque Papistæ, concedunt esse falsum. Nam certè forma eadem erit: Quæcunque doctrina Deum exaltat, hominem verò deprimit, ea est vera. At, quæ doctrina docet Deum posse contradictoria; Deum exaltat, hominem deprimit: ergo eadem vera est. Et minor eodem modo confirmatur, quia fateatur Deum plura posse quàm nos intelligere. Cùm igitur illa conclusio abhorreat à vero: tum necesse est falsissimum esse argumentum: quantumcunque in eo spem posuerit sophistarum nominatissimus.

XXIII. Itaque respondeo, illud principium apud nos nullum esse. Viderit Bellarminus, vnde sit piscatus. Ego certè apud neminem vnquam legi, præter vnum Sanctesium, qui meritus est sua petulantia, suis imposturis, vt minimè omnium in nostris numeretur. Enimuerò ille Repetitionis quartæ capite septimo, cùm obseruaret, in quæstione de corpore, vtrum possit circumscriptiue localitérque constitui in pluribus locis; alios negare, alios affirmare: *Hos potiùs sequendos,* Inquit, *vel hac ratio persuadebit, quòd in controuersiis religionis probabilior haberi debet opinio, quæ sensum & naturam deprimit, Deúmque contra extollit, modo aliàs non aliqua id*

ex Scripturis inueniat impedimentum. Et capite quarto, hoc eodem fundamento tuxus, eò progreditur, vt ne contradictoria quidè eximat ab Omnipotentia. Verba audi, *Iam si postulatur à nobis, quàm latè patere credamus Dei potentiam, & an saltem ab ipsa eximamus, quæ in creaturis manifestam contradictionem sensus communis concipit includere: respondemus, ne quidem ista nos excipere: quoniam scimus Deum plus posse quam valeamus intelligere: quo ipsum priuamus, si tantùm illi permittimus, quæ facta possibilia apprehendimus: imo, tum demū magnitudinem Dei veneramur, quo magis ad ea, quæ nobis apparent impossibilia, extēdimus.* Hæc Sanctesius; ille scilicet religiosissimus Episcopus Ebroicensis. Ab hoc debuit Bellarminus argumentum suum sumptum profiteri, non nobis imputare, non nostrum principium venditare: vt probaret se vel aliud agere, vel certè perperam agere. Vnum illi concessérimus libentes; eam esse doctrinam falsam, quæ quomodocumque tandem Deum deprimat: sed eam veram continuò; quæcunque Deum exaltet, non obtinebit à nobis.

XXIV. Quanquam his axiomatis Deum exaltari, non debuit tam facilè sperare se obtenturum à nobis: nunquam agnituris Deum exaltatum iri vllis mendaciis, ne iis quidem quæ de eo videbuntur magnifica prædicare. At hæc non possunt non esse mendacia, quæ de eodem simul ponant esse, & non esse: quod manifestum in his axiomatis; quæ ponunt corpus manere verum corpus, sublata tamen eius definitione. Cùm tamen olim apud Patres solenne fuerit axioma, *ὁ τὰς ἰδιότητας ἀναιρῶν, ἀμφοτέρας φύσεις ἀρνεῖ*. *Proprietates qui tollit, vtramque,* In Christo scilicet, *naturā negat.* Quid? quòd ne hominem quidem deprimunt? permittunt enim impunè de Deo garrire; eiusque Omnipotentiam pro arbitrio meum, & producere: atque inde sua quælibet somnia confirmare.

XXV. Tertia instantia negat assumptionem, quæ posuit hæc axiomata implicare contradictionem. Impugnant ergo variis conatibus. Bellarminus: Illa implicant contradictionem, quæ pugnant cum essentia rei: ita vt dicatur res esse, & non esse. At esse in loco, non est de essentia corporis: sed quid extrinsecū, & accidentarium. Ergo, non repugnat essentiæ corporis, esse in vno vel in pluribus locis. Suppleo defectus formæ: Quæcunque implicant contradictionem, dicunt rem esse & non esse. At corpus esse vno vel pluribus locis, non dicit rem esse, vel non esse. Ergo, corpus esse in vno vel pluribus locis, non implicat contradictionem. Probatur minor: Quæcunque dicunt rem esse & nō esse, sunt de essentia rei. At esse in vno, vel pluribus locis; nō est de essentia rei. Ergo, non dicit rem esse & non esse. Probatur iterum minor, quia esse in loco non sit de essentia corporis, sed quid accidentarium.

XXVI. Respondeo, rem duplici posse notione concipi, vel incomplexam, vel complexam, vt loquuntur Scholæ Logicorum. Incomplexam dicunt, rem simplicem, quæ sit subiectum enunciationis; vt cùm dico, parietem esse album: tum paries res est incomplexa, siue terminus incomplexus. Res autem complexa erit totum illud enunciatum, paries est albus; cùm non parietem seorsim consideret quis, sed vtrumque simul, parietem album. Hoc posito, si rem incomplexam Sophista dicat; negatur prima propositio. Quia non tantùm in iis est contradictio, quæ tollunt rem: sed etiam sæpe, quæ eandem ponunt: vt qui parietem dixerit esse album & nigrum; certè parietem non negat esse, sed tantùm ponit, contradicit tamen: sed tollens rem, siue terminum complexum, & quidem tam seriò mentitur, qui album dicit & nigrum, quàm qui simpliciter parietem esse & non parietem. Sic in hac controuersia; quia corpus significat creaturam, quæ vno tantùm est loco: si quis creaturam asserit, esse in vno vel pluribus locis, tum verò ille, etsi non vrgeatur eo capite, quòd dicat creaturam esse & non esse, quod reipsa facit, tamen effugere non potest, quin contradictionem implicet in termino complexo, hoc est, neget creaturam esse in vno loco, & non esse in vno loco: quia contraria sunt esse in vno loco, & in pluribus locis.

XXVII. Secundò, de re etiam incomplexa, nego assumptum illud, Corpus esse vno vel pluribus locis, non dicit rem esse & non esse. Et contrà verum esse dico, eo ipso negari corpus esse corpus: quia proprietatibus sublatis essentialibus, res ipsa tollitur. Est autem essentialis proprietas, non tantùm corporis, sed etiam cuiuscunque rei finitæ, vt sit in vno suo loco, quod postea disputandum erit.

XXVIII. Bouerius agit distinctiùs, duplicem esse rerum repugnantiam, formalem, aut virtualem. Illam, cùm res rebus secundùm se suosque effectus opponuntur, vt album & nigrum, calidum & frigidum. Hanc verò, cùm non secundùm se; sed tantùm secundùm effectus: vt si sol in ligno vermem generat; & aquæ oppositam aliquam formam inducat: id enim exemplum selegit: ergo facilius ex ipsorum Papistarum doctrina, qui sacerdotium & matrimonium pugnare dicunt: quia illud vacari velit perpetuis precibus: hoc verò abducat à perpetuis precibus. Hac posita distinctione: quærit vtro modo contradictionem dicamus implicari: An ex repugnantia formali? At hanc negat esse: quia locus non sit de natura corporis. An igitur ex repugnantia virtuali? At ex ista negat fieri contradictionem: quia videlicet Deus possit suspendere, & impedire effectus quarumcunque rerum.

XXIX. Scilicet ostentanda fuit Capucinorum eruditio: intererat enim multum sciri huic hominū generi esse non minus acuta ingenia, quàm altas cucullorum pyramides. Geminam, inquit, repugnantiam, formalem, & virtualem. Esto sanè: sed quid hoc ad rhombum? Atqui de contradictione agendum fuit, longè alio negotio. Nam repugnantia vtraque binas res comparat, de quibus prædicentur contraria, siue formæ, siue effecta. Sed contradictio non nisi singulas; de quibus iisdem eadem affirmentur, & negentur. Itaque in contrarietate, nō tantùm illa virtuali, sed ne formali quidem, vlla contradictio aut est, aut esse potest: nimirum, quia vtraque pars vera, quod fieri non potest in contradictione? Quare hæc Capucini ἀγχίνοια, de alliis interrogatus, de cepis respondet.

XXX. Petrus Michael sic argumentatur: Quod humanum ingenium potest concipere, Deus potest facere. At homo potest concipere quantitatem absque vllo loco. Ergo, Deus potest facere quantitatem corporis absque vllo loco. Probat [illegible] : quia quantitatem corporis potest definire absque occupatione loci. Est autem definiti[illegible] tum, quo ingenium nostrum natura[illegible] cipit.

XXXI. En consensum. Paulo an è [illegible]

nos no[illegible] hanc quæstionem inter ea quæ su-
supe[illegible]m intellectum humani. Nūc Michael
contrà [illegible] quæ idem ille intellectus potest conci-
pere. O S[illegible]histæ, vt importunè luditis! Sed respon-
deo, d[illegible]nguendum. Nam animo concipere, aliquā-
do significat tantum imaginari: aliquando autem
rei veritatem contemplari. Priori notione, negatur
maior. Id est, posse Deum efficere, quæcunque ho-
mo potest concipere, id est, imaginari. Et sanè non
defuerunt inter Scholasticos, qui imaginati sint
Deum posse peccare: nec nulli hæretici aosi dicere
Deo esse membra instar humana. Quid? quòd Ca-
ronæus imaginari potuit, posse Deum vniuersam
suam essentiam contrahere ad vnius Geometrici
puncti quantitatem? Et Aliacensis, Occam, Maior
Almainus, atque alij, concipere potuerunt posse à
Deo produci aliquid actu infinitum, testibus Co-
nimbri[illegible]nsibus in tertium Physicorum, quæstione
secunda de Infinito. Quæ portenta sunt imagina-
tionum. Itaque sanior Superus in Aphorismis con-
traxit Axioma, Posse Deum facere quicquid intelle-
ctus non errans potest concipere.

XXXI. Altero modo: Contemplatio vel est ab-
stracta, vel concreta. Hæc, quæ res quasque con-
templatur, quales actu existunt in primis substāniis.
Illa verò, quæ res vi rationis abstrahit ab indiui-
duis, siue à materia, & ita format sibi entia rationis.
Dico igitur, Deum & posse facere, & reuera facere
quæcunque sic contemplatur homo; nimirum, vt
sint secundùm eam rationem, secundùm quam in
contemplationem veniunt. Nam etiam realia effi-
cit realiter: entia rationis abstractè. Sed entia ratio-
nis si efficiat realiter, implicabit contradictionem.
Est autem quantitas absque loco, merum eos ratio-
nis: vt lux absque aere, color absque corpore, do-
ctrina absque mente: numerus absque indiuiduis.

XXXII. Sanctè sus tonat altiùs, & mirè decla-
mat in eos, qui nolunt Omnipotentiam Dei profer-
re in Infinitum, ne subductis quidem contradictio-
nibus: sed hac nos prouincia defuncti sumus pro-
prio loco in attributis Dei: vt non sit necesse nunc
iterare laborem. Hactenus de Omnipotentia: dein-
ceps de Thesibus.

CAP. V.

An corpus possit esse sine loco.

I. PRima Thesis erat, Posse corpus esse sine lo-
co, asserentibus nunc Papistis: Catholicis
contrà negantibus.

II. Primum illorum argumentum. Summum
cœlum est sine loco. At summum cœlum est corpus.
Ergo, corpus potest esse sine loco. Assumtum mani-
festum est. Maiorem probant, tum authoritate Ari-
stotelis, qui quarti Physicorum quinto ὁ οὐρανὸς [illegible] *Cœlū non est alicubi totum, neque in
vno loco* tum eiusdem ratione gemina. Priore: Quic-
quid est in loco, continetur aliquo corpore. At cœ-
lum nullo corpore continetur, quia extra cœlos
nullum est corpus. Ergo, cœlum non est in loco.
Altera. [illegible] *Quicquid est alicubi, est aliud ab eo in quo est. At cœ-
lum non est aliud ab eo in quo est. Ergo non est alicubi. Pro-
batur minor: quia vltra cœlum nihil est.*

III. Respondeo: primi syllogismi maiorem esse
falsam. Doceo ratione. Si cœlum nō est in loco. Er-
go, nullus locus esset supra cœlum. At hoc falsum,
ergo & illud. Consequentia patet; quia cœlum qui
dicunt esse sine loco, intelligunt ratione ambitus
supremi, qui nullo loco circumfundatur. Assum-
ptum autem probatur, quia si nullus sit supra cœ-
lum locus: ergo corpus Christi nunc non esset in lo-
co: quod est falsum. Consequentia per se est mani-
festa: At consequentis falsitas, tum ipsa aduersario-
rum confessione: tum Pauli testimonio ad Colos-
senses tertio, *Superna quærite, vbi Christus est ad dexte-
ram Dei sedens: vbi est*, inquit. Ergo, inquam, in loco. *Ibi
enim non dicimus, nisi cùm specialiter locum designamus*, in-
quit Odo Cluniacensis Sermone de natiuitate Do-
mini.

IV. Præterea, Omne finitum est alicubi. Cœlum
est finitum: ergo est alicubi. Minor perspicua. Maior
probatur ex ipso Aristotele, primo capite quarti
Physicorum, [illegible] (& hæc finita esse oportet:
nam de infinitis ne cogitauit quidem Aristoteles)
[illegible]
*Ea quæ sunt, alicubi esse, omnes existimant: quod namque
non est, nusquam esse*. Cui consentit Augustinus, quum
de corporibus, *& quia nusquam erunt, ne erunt quidem*.
Rursus, Omne corpus sensile, est in loco. At cœlum
est corpus sensile: Ergo est in loco. Minor perspi-
cua. Maior ex ipso Aristotele eodem capite: [illegible]
[illegible] ἐν τόπῳ. Tertiò, Omne corpus localiter mo-
bile, est in loco. At cœlum est localiter mobile. Er-
go est in loco. Maior perspicua: nam nihil potest lo-
caliter fieri absque loco. Tum, [illegible] ἐν τόπῳ [illegible]
[illegible], inquit Nazianzenus secundo de Theo-
logia. *Quomodo non est omnino in loco, si localiter mouetur?*
Et quidem negans Deum esse sic mobilem. Minor
patet ipsis sensibus. Nam cœlū ita fertur, vt habeat
sursum & deorsum, & vt loquūtur, Zenith & Na-
dir: dextrum & sinistrum: nempe Orientem & Oc-
cidentem.

V. At negat Aristoteles. Ita sanè, sed ego huius
autoritati aliorum autoritatem oppono, & quidem
in Ecclesia maiorem. Augustinus libro 2. de sermo-
ne Domini in monte. Sunt enim cœli excelsa mun-
di corpora: sed tamen corpora, quæ non possunt es-
se, nisi in loco. Iustinus in Euersione Aristotelicorū
dogmatum, dogmate vigesimo quarto, [illegible]
[illegible], τὸ [illegible] ἐν τῷ τόπῳ οὐρανὸν λέγειν [illegible]
*Quomodo non est absurdum, cœlum dicere ingenitum, cum
tamen sit in loco?* Et prolixiùs dogmate vigesimo octa-
uo, [illegible]
[illegible]
[illegible]. *Si quod de-
latione mouetur, alicubi est per se: cœlū autē delatione moue-
tur: ergo per se alicubi esse cœlū necesse est. Quod si hoc non est:
ne illud quidē: etenim separari nequeunt.* [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] ἐν τόπῳ? *Si cœlum per seipsum in loco non est, quo-
modo cùm feratur circulari motu, partes eius aliæ sursum
eunt, aliæ deorsum? Quum autem suas per partes sit infra &
supra, qui potest non esse falsum, cœlum non esse in loco?* I-
mò, & in Iesuitis Pererius, capite non o vndecimi de
communibus rerum naturalium principiis, disertè;
Nullum omnino cœlo locū assignare, planè absurdum est. Et
addi possunt Pererio quicumque philosophan-
tes conati sunt cœlo locum assignare, de quibus
idem Pererius capite octauo. Nam etsi singuli
non nihil aberrarunt à vero loco: tamen omnes sen-

ferunt cœlum esse in loco.

VI. Quòd si parum est momenti in iis autoritatibus, addo diuinam. Etenim Scriptura nobis locũ describit supra cœlos, vbi sedes est beatorum. Articulus fidei. *Vnde venturus est iudicaturus viuos & mortuos.* Ioannis decimo septimo. *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum.* Decimo quarto. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ad Galatas quarto. *Illa autem, quæ sursum est Hierusalem.* Ad Colossenses tertio. *Quæ sursum sunt, quærite: vbi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram.* Et ne multa colligam, Ioannis decimo quarto. *Vado parare vobis locum.*

VII. Hic Catonæus respondet, phrases esse metaphoricas, vt multas alias. Sed ego contrà disputo, verè intelligi. Primò, quia Christus illud *vbi*, intelligit in quo ipse est. At in cœlo Christus est in loco, & localiter, vt docent Patres; nec Papistæ contradicunt. Secundò, quia Paulus illud *sursum*, opponit terris, tanquam sursum & deorsum. Hæc autem oppositio ne cogitari quidem potest absque infinita propemodum distantia. Itaque necesse est esse verum *vbi*. Denique ratio idem euincit. Nam qui sunt in cœlo sancti, non sunt in aëre, non in terra, non in sphæra Lunæ: non etiam in primo mobili. Ergo habent verum & proprium, *vbi*, id est, locum.

VIII. Ad Aristotelis rationem primam: dico negandam esse maiorem. Quæ est à falsa definitione, quæ locum ponit esse corporis superficiem continentis aliud corpus. At hæc definitio neutra sui parte constat. Nam primò, necessarium esset loco, corpus contentum: ac proinde nihil esset in loco, nisi corpus. At Theologi agnoscunt spiritus creatos esse in loco. Lombardus disertè libri primi distinctione trigesima septima. *Sunt ergo spiritus creati in loco: & transeunt de loco ad locum.* Deinde oporteret omnem locum esse corpus. At hoc falsum, quia vltra omnes cœlos constat esse locum: vbi tamen nullum corpus continens. Nam si nullus esset locus, non esset ibi corpus Christi localiter: quod tamen fatentur ipsi Papistæ. Salmero tomi noni tractatu vigesimo tertio. *Nemo nostrûm adimit Christo spatium localem: nam in cœlo locum habet quantitati suæ coextensum.* Rubeus in quartum Sententiarum distinctione decima. *Corpori Christi, in propria specie considerato, attribuitur locus ratione propriarum dimensionum.* Imò, non essent ibi Angeli in loco: quos tamen esse locales certum ex Lombardo, cùm ita sint ibi, vt non sint alibi.

IX. In altera ratione, maior non est in confesso. Docti enim locum distinguũt in extrinsecum & intrinsecum. Illum corporis ambientis superficiem, iuxta Aristotelem. Hunc verò (vt ait Bernardus in paruis & variis sermonibus, Sermone quinquagesimo primo) *vniuscuiusque rei finem suæ substantiæ.* Horum locorum, ille quidem semper est alius à re locata: at iste non est alius à re ipsa, sed tantùm cogitatione. Itaque, non est maior vniuersalis: sed tãtùm vera de iis rebus, quæ sunt in loco extrinseco. Atqui non sequitur, vt quæ non sunt in loco extrinseco, omnino non sint in loco. Aliàs nullus esset locus intrinsecus. Et sanè Christi corpus esse supra cœlos localiter, vtrinque est concessum. Quomodo autem, si omnem locum oportet esse alium à re locata: & tamen extra cœlos nihil est? Itaque, si non obstat quominus Christi corpus sit in loco: ergo neque efficiet, vt summum cœlum non sit in loco.

X. Rursus tamen respondeo, non constitui ab Aristotele cœlum sine loco. Contrà enim disertè concedit esse in loco. Nam capite quarto, *οὐ γὰρ ἂν ἐζητεῖτο ὁ τόπος, εἰ μὴ κίνησίς τις ἦν ἡ κατὰ τόπον· διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τὸν οὐρανὸν μάλιστ' οἰόμεθα ἐν τόπῳ, ὅτι ἀεὶ ἐν κινήσει. Non inquireretur locus, nisi esset motus secundùm locum. Propterea enim etiam cœlum maximè putamus in loco, quòd sit in continuo motu.* Itaque tandem distinguit varias rationes loci: & cœlum pronunciat esse in loco, partium beneficio; hoc est, quia reuera & singulæ & omnes eius partes sunt *πού, alicubi*, id est, in loco. Manifestum ex ipso sensu communi. Alibi enim est ea pars, quæ ad Orientem, quàm quæ ad Occidentem: & quæ in summo quàm quæ in imo. Quin singula signa eodem sunt loca. Nõ potest autem vel cogitatione concipi, id esse omnino absque loco, cuius nullæ sunt partes non in loco. At nostri Sophistæ, cùm corpus posse dicunt esse absque loco, vniuersaliter dicunt: vt eius corporis ne partes quidem vllæ sint in loco. Patet ex Transubstantiatione, cuius vnius gratia, hic, quantus quantus est labor, suscipitur. Nã in hostia corpus Christi dicunt esse, vt non tantùm sit sine loco totum, sed etiam per partes.

XI. Præterea hoc de cœlo argumentum nihil ad corpus Christi. Nam caussam constituendi cœlum absque loco, Aristoteles notat hanc esse, quia nullũ habet corpus quo ambiatur. Denotans non in ipso cœlo illocalitatem esse, sed et potius extrinsecus accidere: nam si haberet aliud corpus superius, esset in loco. Quomodo omnis sonus est audibilis, si adsint aures quæ audiant: aliàs non est audibilis sed per accidens. Ita omnis color visibilis per se: at inuisibilis per accidens; si nulli sint oculi qui videant. Atqui Christi corpus, si est in hostia, & inter manus sacerdotis, non destituitur corpore ambiente. Itaque, nõ potest esse absq; loco per accidens: sed per se. Non congruit igitur cœlorum illocalitati.

XII. Secundum argumentũ: Si locus potest separari à corpore. Ergo, potest esse corpus sine loco. At prius verũ. Probatur, Omne accidẽs separari potest à substantia. At locus est accidẽs: ergo, separari potest à substantia: ac proinde à corpore. Sic Catonæus sed prolixiùs, & suo more intricatiùs.

XIII. Respondeo, Locũ separari à corpore, nõ vno modo intelligendũ. Locum enim alium esse extrinsecũ, alium intrinsecum, vt paulò antè dictũ. De intrinseco, negatur antecedẽs. Nihil enim finitũ separari potest à fine suæ substantiæ: ideóque neq; à loco intrinseco. Itaq; in secundo syllogismo negamus minor. Locus enim intrinsecus nullo modo potest accidens dici. De extrinseco autem fateor esse accidẽs: sed accidens separari posse, cùm dicitur, distinguo. Accidẽs enim, vel in genere accipitur & indefinitè: vel indiuiduè aliquod accidens, *τόδε τι*. De accidente indiuiduo (vt pote hoc vel illo colore, hoc vel illo pondere, hoc vel illo loco) concedo illud separari posse à substantia: neque enim corpus non erit corpus, nisi sit candidũ, aut põdo trium librarũ, aut in musæo. At accidens indefinitè sumptũ, nego separari posse à sua substantia. Nõ fert enim natura vllũ corpus non coloratum, non ponderosum, nõ locale: hoc est, quod etsi non sit semper candidũ, aut triũ librarũ, aut in musæo, nõ sit tamẽ aliquo colore illitũ, aut aliquo põdere graue, aut aliquo loco contentum. Iam nostra hæc controuersia, non de loco est indiuiduo, sed de loco indefinitè.

XIV. Tertium argumentum: Omne posterius separari potest à priori. At locus posterior est corpore. Ergo, locus separari potest à corpore.

XV. Re-

XV. Respondeo, Prius posteriúsq; dici, ratione, vel tempore & separari aliàs reipsa, aliàs cogitatione. Prius tempore id dicitur, quod rei accidit, non statimq; que illa ortum suum habet, vt senectus homine est posterior. Non enim senex est homo tantum, cùm nascitur. Item experientia posterior est ratione, & alia plurima. Ratione autem prius, posteriúsq; id dicitur, quod etsi in singulis individuis actu simul sit tépore cum eorum existentia; tamen, cùm vtriusque natura in contemplationem venit abstractè, rationem aliquam habet prioritatis, vel posterioritatis. Ita etsi actu nullum vnquam corpus fuerit non ponderosum, aut coloratum, tamen corpus ratione prius est pondere, & colore. Iam verò quæ separantur reipsa, sunt quæ actu possunt existere seorsum à se inuicem: vt à morbo corpus: à terra Angeli. Cogitatione autem sola separantur, quæ etsi actu simul sunt, tamen distinctè considerantur: vt humiditas & aqua: ignis & calor: lux & dies. Basilius libro primo contra Eunomium, Ἔστι τι τάξεως εἶδος, οὐχ ὑπὸ τῆς ἡμετέρας θέσεως συνιστάμενον, ἀλλ' αὐτῇ τῇ κατὰ φύσιν ἀκολουθίᾳ συμβαῖνον· ὡς τὸ πυρὶ πρὸς τὸ φῶς ἔχει, τὸ ἐξ αὐτοῦ· ἐν τούτοις γὰρ αἴτιον, τὸ αἴτιον λέγομεν, δεύτερον δὲ τὸ ἐξ αὐτοῦ. οὐ διαστήμασι χωρίζοντες ἀπ' ἀλλήλων ταῦτα, ἀλλὰ τῷ λογισμῷ τοῦ αἰτιατοῦ προεπινοοῦντες τὸ αἴτιον. *Quoddam est ordinis genus, non nostra constitutum dispositione, sed ipsius naturæ consequens, cuiusmodi est ignis, & lucis qua ab ipso est. Nam in priorem esse caussam dicimus: posterius verò quod ab ipsa est: non interuallo hæc causarum ab inuicem dirimentes, sed cogitatione, priusquam causatum causam intelligentes.*

XVI. His positis, primò, si separatio intelligitur cogitationis, concedi maiorem: sed eam nihil ad rhombum. Nam cogitatio, siue imaginatio, nihil actu ponit in re, vt vulgo loqui mos est. Nos autem nunc temporis disputare de separatione reali, idest, quærere vtrum actu locus separari possit à corpore. Sin autem separatio realis intelligatur, respondeo de prioribus & posterioribus ratione, falsam esse maiorem. Nam, etsi sol sit prior sua luce, ratione; tamen à sole non potest lux separari realiter. Deinde, nego minorem. Nam re vera locus (& locum indefinitè intelligo, non hunc aut illum) locus, inquam, neque tempore, neque ratione posterior est corpore. Non tempore: quia, *Res naturales, præsertim caducæ, ac mortales* (Pererij verba sunt) *statim atque habent quantitatem, necessariò locum aliquem occupant.* Non ratione. Quia substantiæ finitæ propria affectio locus est. At substantia finita ratione prior est, quàm corpus. Hoc enim alh[?] est species. Itaque, corpus ratione prius est substátia finita, quàm corpus: ná substantia finita est & spiritus & corpus, & ad substantiam oportet accedere differétiam specificam, quæ faciat corpus: atque eam ob causam corpus prius est substantia, quàm corpus, prioritate rationis. Et omnis substantia finita propriam sibi differentiam habet locum: ergo, prioritate rationis corpus prius est locatum, quàm sit corpus.

CAP. VI.

Corpus non esse sine loco.

I. HAEretici Papistæ: Catholici contrà. Primum argumentum: Omne finitum necessariò est in loco. Omne corpus est finitum. Ergo, omne corpus necessariò est in loco. Minor est per se manifesta. Maior probatur: Quicquid est alicubi necessariò, est etiam in loco necessariò. At omne finitum necessariò est alicubi: Ergo, Omne finitum necessariò in loco. Maior patet: quia τὸ ποῦ idem est quod τόπος. Ideóque & connectuntur ab Aristotele, & promiscuè vsurpantur. Statim initio quarti physicorum, id est, disputationis de loco, vt eam probet necessariam, πάντα γὰρ ὅτι ταῦτα ὑπολαμβάνουσιν εἶναί που. *Quæcunque sunt, omnes supponunt alicubi esse.* Et capite quinto, ὁ δ' οὐρανὸς οὐ πᾶς ἐστι, οὐδέ που τόπῳ ἐστί. Et post, τὸ γὰρ ποῦ ὁ τόπος. Minor probatur, etsi vix opus est. Nam si non est alicubi: ergo vel nusquam, vel vbique. At non vbique, esset enim infinitum, quod Deo soli competit. Non etiam nusquam: nam ne esset quidem: sic enim concludit Augustinus. Ergo, necessariò est alicubi.

II. Rursus, probatur omne finitum esse in loco: Omne finitum, vel est substantia finita, vel accidens. At vtrumque est in loco necessariò. Ergo & omne finitum. Probatur assumptum per partes. Primò de substantia: Omnis substantia finita, vel spiritus est creatus, vel corpus. Atqui vtrumque in loco. Basilius de Spiritu Sancto, capite vigesimo secundo, τῶν ἄλλων ἑκάστη δυνάμεων ἐν περιγραπτῷ τόπῳ τυγχάνειν πεπίστευται. *Aliæ omnes virtutes in circũscripto loco esse creduntur.* Est autem argumétum, quo probat Spiritus Sancti Deitatem: ideóque nullum est, si recipit exceptionem. At proinde illud πιθανόν, nun de verisimili aut contingenti intelligendum: sed de necessario. Lombardus libri primi distinctione trigesima septima, sectione nona, *Duobus his modis dicitur in Scriptura aliquid locale siue circumscriptibile, & econuerso, scilicet, vel quia dimensionem capiens longitudinis, altitudinis, latitudinis distantiam facit in loco, vt corpus: vel, quia loco definitur ac determinatur: quoniam cùm sit alicubi, non vbique inuenitur: quod non solum corpori, sed etiam omni creato Spiritui congruit. omne ergo corpus omni modo locale est. Spiritus verò creatus, quodammodo est localis, & quodammodo non est localis. Localis dicitur quia definitione loci terminatur: quoniam cum alicubi præsens sit, totus alibi non inuenitur. Non autem ita localis est, vt dimensionem capiens distantiam in loco faciat.* Hoc ipsum postea repetitur sectione duodecima. Hoc fusiùs item prosequitur Suares Metaphysica disputatione quinquagesima prima de *Vbi*. Pererius libro vndecimo de communibus principiis in proœmio, *Res naturales, præsertim caducæ ac mortales, statim atque habét quantitatem, necessariò locum aliquem occupant.*

III. Audi Veteres Theologos. Cyrillum, libro secundo de Trinitate. *Si verè sectionem & partitionem Diuina natura reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, & in loco omnino, & in magnitudine, & quantitate: & si quanta facta esset, non effugeret circumscriptionem.* Locus est notatu dignus. Si Deus esset corpus, esset in loco. Ergo, inquam, inutile omnipotentiæ προτεχνῶν. Augustinum, Epistola quinquagesima septima. *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt.* Ergo, inquam, nullum corpus potest esse absque loco. Quod contrà Papistæ disputant.

IV. De accidentibus facile negotium: quorum natura est inesse substantiæ: ideóque, si substantia est in loco, erunt etiam ipsa in loco: quomodo, qui homo est in cubiculo, eum necesse est esse domi: quia cubiculũ domi: & in vrbe, quia domus in vrbe: & in terris quia vrbs in terris. Et reipsa hęc aliqua alicubi sunt, quia manifestũ est hic, & alibi nusquã

quod etiam sensus renunciant.

V. Verùm, de accidentibus dictum esto ἐκ περι-σίας: quæ ad nostram controuersiam non pertinent. Illud certum, Omnem essentiam finitã, esse necessariò in loco. Vnde conficitur, esse de essentia corporis, vt sit in loco. Hîc verò non fuit omittendum sophisma Petri Michaelis Iesuitæ: Nullius rei actionem siue officium, de illius essentia esse. Itaque, extendere partes substantiæ non posse esse de ipsius quantitatis essentia. Quia hoc ipsa ministerium præstat substantiæ. Quare, quemadmodum in Christi corpore, aliquando impeditum colorem fuisse legimus, ne visum afficeret: ita etiam quantitatem, ne suo officio fungatur, impediri posse.

VI. Respondeo: tum demum actiones non esse de essentia rei, cùm reapse differt actus à potentia: vt τὸ μουσικὸν καὶ τὸ ᾄδειν· τὸ λογικὸν, καὶ τὸ λογίζεσθαι. Visus & videre. At, cùm nulla est realis differentia, vt lux & lucere: vita, & viuere: sonus & sonare: motus & mouere; atque huiusmodi multa: tum verò actiones ipsas esse de essentia rei. Sic lucem, quæ non luceat, aut vitam quæ non viuat, ne cogitauit quidem quisquam vnquam. Præterea, quæcumque ad afficiendum indigent alterius cuiusquam rei aptitudine, ad priorem illum ordinem pertinent: vt color, ad afficiendum oculos, indiget tum aptitudine ipsorum oculorum, tum remotione impedimentorum, quæ esse possunt inter colorem & oculos. Aliàs enim, nec afficiuntur oculi cæcorum, nec illorum etiam quos paries separat. At, cùm effectio pendet tantùm ab ipsa essentia, tum verò res sunt in secundo ordine: vt fit in omnibus actibus elicitis. Sic, in corpore pondus, grauitatem suam semper habet: etsi grauitatis effectus cohiberi possint. Porrò localitas rei finitæ in his est: patet ex definitione Bernardi, *locus est cuique rei finis substantia.* Neque ad finiendam suam substantiam, res vlla alieno indiget auxilio: quia ipsa per se, & in sese semper est finita.

VII. Iam, ne his disputandis aërem verberasse videri possimus; hanc ipsam doctrinam Veteres in corpore Christi veram & necessariam agnouerunt, & quidem disertè. Fulgentius libri secundi ad Trasimundum capite quinto, *Vnus idémque* (Christum dicit) *homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre.* Et paulò post, *Quod ipsius Domini certissimo potest cognosci sermone, qui vt localem ostenderet humanitatem suam, dicit discipulis suis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Item, *Quomodo ascendit in cælum, nisi quia localis & verus est homo?* Rursus, *Istam Christi veram humanitatem, qua localis est, vt veram diuinitatem, quæ immensa semper est, Apostolica quoque doctrina cernimus intimari. Nam, vt Christi veri hominis corpus localiter contineri Paulus monstraret, ait ad Thessalonicenses: Quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo vno & vero, & expectare Filium eius de cælis, quem suscitauit à mortuis Iesum.* Vigilius libri quarti capite quarto, *secundùm vos,* Euthychianos, *aut Verbum cum carne sua loco continetur: aut caro cum Verbo vbique est: quando vna natura contrarium quid, & diuersum, non recipit in seipsa. Diuersum est autem, & longè dissimile, circumscribi loco, & vbique esse. Et quia Verbum vbique est, caro autem eius vbique non est, apparet vnum eundémque Christum vtriusque esse naturæ: & esse quidem vbique secundùm naturam Diuinitatis suæ, & loco contineri secundũ naturam humanitatis suæ: creatum esse, & initium non habere: morti succũbere, & mori non posse: quod vnũ illi est ex natura Verbi, quâ Deus est: aliud, ex natura carnis, quâ idẽ Deus homo est. Igitur vnus Dei Filius, idemq; hominis factus Filius, habet initium ex natura carnis suæ, & non habet initium ex natura Diuinitatis suæ: creatus est per naturam carnis suæ: & non est creatus per naturam Diuinitatis suæ: circumscribitur loco, per naturam carnis suæ: & loco non capitur per naturam diuinitatis suæ. Hæc est fides & confessio Catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborarunt, & fideles nunc vsque custodiunt.*

VIII. Hos præcessit Augustinus. In Epistola quinquagesima septima, quæ ad Dardanum, *Christum Dominum nostrum, vnigenitum Dei Filium, æqualem Patri, eundémque hominis Filium, quo maior est Pater, & vbique totum præsentem esse non dubites, tanquam Deum, & in eodem templo Dei esse, tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cæli, propter veri corporis modum.* Item libro de essentia Diuinitatis ferè extremo. *Eundem Dei Filium, secũdùm substantiam Diuinitatis suæ, inuisibilem, & incorporeum, & immortalem, atque incircumscriptum, sicut & Patrem, & Spiritum Sanctum, nos credere & confiteri oportet. Iuxta humanitatem verò visibilem, corporeum, localem, atque omnia membra humana veraciter habentem, credere conuenit, & confiteri. Quoniam, sicut eundem Dei Filium & Redemptorem nostrum, secundum Diuinitatem inuisibilem, & incorporeum, sicut & Patrem, & Spiritum Sanctum, non credere impium est: ita eundem Dei Filium in homine assumpto visibilem, corporeum, atque localem, post resurrectionem non credere, & profiteri profanum est.* Item apud Gratianu[m] Distinctione secunda de Consecratione, canone [q]uadragesimo quarto, *Donec seculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen hic etiam est nobiscum veritas Domini. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, vno loco esse oportet: Veritas autem eius vbique diffusa est.*

IX. Notandæ phrases. Nam manifestò, locale esse, in loco esse, circumscribi loco, cõtineri loco, contineri localiter, vno eodemque sensu vsurpantur. Vnde constat actionem hîc non separari ab essentia: & non esse aliud actum, aliud potentiam, vt locale quidem corpus Christi concedatur, attamẽ non contineri in loco. Secundò, opponi locale & infinitum: circumscribi loco, & vbique esse: quod & aliàs erit excutiendum diligentiùs. Nunc satis est ad axioma nostrum, quo ponebamus omne finitum esse in loco.

Cap. VII.

An Corpus non occupet locum.

I. ALtera Thesis Papistarum ponit, Plura simul corpora in eodem loco. Locum autẽ intelligunt, non communem, quomodo forum plures capit homines: Arca Noë, omne genus animantia: sed proprium & adæquatum corporis, cuius est locus. At Catholici hanc thesin negant, & docẽt, Omne corpus occupare suum locum: ideóque nõ posse eodem capi plura vno.

II. Bellarmini argumentum primum: Deus potest omnia, quæ non implicant contradictionem. At corpus esse in loco, & non occupare locum, vel occupare & non expellere alterum, non implicant contradictionem. Ergo, Deus potest pone[re c]orpus in loco: ita vt tamen non occupet locum. Probat minorem. Nam id est implicare cõtradictionem repugnare essentiæ. At nõ repugnat essentiæ magnitudinis, nõ occupare locũ, aut non expellere alterũ corpus. Hoc probat quatuor argume[ntis]. Prim[um]: Quia occupare locum est posterius ipsa magni[tudi]ne: prius enim res magna est, & apta repl[ere] l[ocum]: deinde replet locu[m]. Ni[hi]l autem posterius [es]sentia corporis: essentiæ enim [ ] indiuisib[ilis] [ ]n-
si[ ]t.

siliunt. Secundò, potest magnitudo intelligi, & definiri sine loco, siue repletione loci. Imò potest esse sine loco, vt patet in cœlo. Tertiò repletio, seu situatio non est de essentia vllius rei creatæ. At replere locum, & expellere alia corpora, est officium magnitudinis, & functio quædam externa. Quartò ita se habet moles, seu extensio, ad magnitudinem, vt grauitas ad corpus graue. Nam vt magnitudo sua mole replet locum, & aliud corpus extrudit: ita corpus graue sua grauitate ponderat, & alia corpora deprimit. At non est de essentia grauis, ponderare: vt patet, quia in propria regione aqua, & aer non ponderant. Igitur neque de essentia magnitudinis replere.

II. Respondeo: hoc assumptum, esse corpus in loco, & non occupare locum, vel occupando non expellere aliud corpus, non implicare contradictionem, esse falsum. Falsum item non repugnare essentiæ corporis. Quanquam sophistam agit etiam Bellarminus; qui pro corpore substituit quantitatem. Atqui, quantitas est abstractum quid, atque ita ens rationis duntaxat: propterea nullum locum potest occupare. At corpus est concretum; nempe quantum: nec sequitur, si illa non occupet locum, ne hoc quidem. Nam illa reapse non existit: at hoc reapse existit, cùm sit prima substantia. Verumtamen condonemus hoc peccatum, & sic legamus, quasi, non quantitatem, sed quantum scripsisset. Est igitur falsum, non esse de essentia Quanti, siue corporis, occupare locum.

III. Ad argumentum primum, respondeo, occupare locum posteriùs esse quanto, tantùm ratione: sed reipsa, siue actu, simul esse. Imò quantum esse aptum replere locum, imperitè dici. Nam aptitudo separatur ab actu: quomodo auis apta dicitur ad volandum, quæ tamen non volet. At nullum corpus est ita aptum implere locum: nam si vera semper implet, quam primùm existit; neque existit, si non implet. Sic Augustinus negat corpora futura, si spatia tollas locorum. Veteribus res naturales statim atque habent quantitatem, locum aliquem occupare affirmat.

IV. Hinc facilis responsio ad secundum. Magnitudo, inquit, intelligi potest absque loco. Sanè, inquam. At non quantum. Quomodo albedo: at non album. Quomodo doctrina: at non doctus. Quomodo anima: at non animatum. De tertio actum est præcedente capite.

V. Ad quartum. Primò, quid illud est; graue deprimere alia corpora? Hoc verò nullus Philosophus dixit, esse de natura grauis corporis: sed tantum, vt seipsum deprimat; hoc est, vt tendat deorsum. Nam de aliis corporibus, res est accidentaria. Si ergo ponderare, Bellarminus ita intelligit, nimirum seipsum deprimere, & deorsum ferre, tum negatur, id non esse de essentia grauis corporis. [illegible] quod ait, aerem & aquam non ponderare, cum [illegible] in suo loco: hoc verò falsum: Nam hoc ipsum [illegible] esse in suo loco, si locus sit deorsum, est ponderare. Enim, si non ponderarent, non essent grauia: si non essent grauia, sursum ferrentur, ac proinde non [illegible] inferne. Enimuerò, quis neget ita se habere leuitatem ad corpora leuia, vt pondus ad grauia. Atqui non propterea negatur igni sua leuitas, quòd [illegible] in summa regione. Ergo, ne aeri quidem, & [illegible] suum pondus, cùm sunt in inferiore. Quare [illegible], ita se habere molem ad quantitatem vt pondus ad grauitatem: & pondus est de essentia grauitatis: omnino necesse est molem esse de essentia quantitatis, contra quàm putauit Bellarminus.

VI. Secundum argumentum, ab exemplis non occupati loci: quæ nos tamen negamus esse vlla. Sed, excutiamus singula. Primum Matthæi decimo nono, Marci decimo: Lucæ decimo octauo, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorũ, & cùm Apostoli dicerent, Quis ergo poterit saluus fieri?* Respõdit Dominus: *Hoc apud homines impossibile est: apud Deum omnia possibilia sunt.* Ergo, possibile est Deo camelum ingredi per foramen acus. At hoc fieri nõ potest, nisi remota occupatione loci.

VII. Respondeo, nullam esse huius loci consequentiam, etsi non insistam illorum vestigiis qui camelum interpretantur, *rudentem*: aut acum portam nescio quam, aut etiam confugiunt ad allegorias, camelum esse Christum oneratum nostris peccatis, foramina acus, ipsas pœnas, quas pro nobis subiit. Hæc, inquã, non consector: alij viderint, quibus libet nimium esse curiosis: & quidem, meo iudicio, curiosis potiùs, quàm iudiciosis. Ego etsi *rudentem* iudico non absurdum, tamen longè simplicius, animal gibbosum: & foramen siue in acu, siue ab acu: nec dissentiunt nostri: Beza, Marloratus, Aretius, Piscator. Tantùm Caluinus *rudentem* maluit.

VIII. Quid ergo? Nempe hoc primùm: non asseri à Christo possibile esse camelum ingredi foramen acus. Imò, ait Bellarminus, dicit possibile esse diuitem ingredi regnum cœlorum. Esto, inquam. Et dicit facilius hoc illo esse difficilius. Imò, inquam, non est certum. Franciscus Lucas, *Quod comparatiuo, facilius, vtitur, non intelligit impossibili magis impossibile esse: sed hyperbole est in huiusmodi loquẽdi generibus vsurpata: quale est illud de iis inter quos insanabile dissidium est. Prius ouem lupus ducat vxorem.* Est autẽ moris, in huiusmodi hyperbolis cõferri res minores maioribus, quasi cõtrà illæ his maiores essent. Itaque Iansenius Cõcordiæ capite centesimo, *Nec tamen necesse fuit dicere, hac sententia Dominũ significasse impossibilitatem: sed simplicissimum fuerit hyperbolen esse in hac loqutione, qua Dominus vulgari modo locutus, significare tantum voluerit, valde difficile esse diuitem ingredi in regnum Dei.* Et illustrat nonnullis exẽplis. Consentit Maldonatus, sed longè prior Hieronymus, libro primo cõtra Pelagianos. *In hoc non quod fieri potest dictum, sed impossibile impossibili comparatum.* Hoc verò si est, nullum superest Bellarmino fundamentum, vt totum argumentum ruere sit necesse.

IX. Deinde, etiamsi concederemus Christo hanc mentem fuisse, vt diceret posse fieri, vt camelus transeat per foramen acus; tamen, non sequitur, corpus non occupare locum. Nam etiam tenuissima fila, quæ per foramen acus transeunt, occupant locum. Imò, inquit, non potest camelus sic occupare locum: alioquin maior esset sub minore. Respondeo, posse camelum à Deo redigi in tantam tenuitatem, vt transire posset per foramen, etiam minus. Nam & corpora post resurrectionem futura sunt tenuiora, longè & subtiliora quàm nunc sunt. Atqui, inquit, nullum esset miraculum, si extenuetur ad fili tenuitatem. Nullum? Hoc verò pernego. Nam etsi non sit in transitu, esset tamen in attenuatione. Quomodo etsi miraculum nullum fuit, cùm, inuisibilis factus Christus, transiit per medios insidiatores: tamen in eo fuit, quòd inuisibilis factus est. Eodem modo miraculum fuit, non quod panibus multiplicatis saturata fuerunt

hominum millia multa: sed quòd panes fuerint multiplicati. Item miraculum, non quod aut cæcus sanatus vidit, aut claudus sanatus ambulauit, sed quòd vterque sanatus est.

X. Instat Bellarminus. Augustinus epistolâ octogesima nona, quæstione quarta, rectè docet, posse hominem diuitem, etiamsi non desinat esse diues, per Dei gratiam & potentiam, ingredi regnum cœlorũ. Deinde Augustinus libro de Spiritu & litera, capite primo, apertè dicit, posse camelum per Dei potentiam transire per foramen acus, licet id nunquam sit factum, & nunquam fortasse futurum. Et id affirmant Nazianzenus libro quarto de Theologia. Origenes in caput Matthæi decimumnonum, asserens quomodo id fieri possit soli Deo esse notũ.

XI. Respõdeo: censeri diuites, vel ex possessione, vel ex affectu. Illos, quibus datum abundare bonis, quas Fortunæ opes dixerunt Ethnici: Hos verò, qui sibi thesaurizantes in terris, suis etiam opibus corda affixerunt sua: atque adeo, non tam opes possident, quàm ab opibus possidentur. Illos rectè Augustinus asseruit posse saluos fieri, etiam cùm manent diuites, cuiusmodi paucos legas in Scripturis, Abrahamum, Iobum, Salomonem: At de aliis Christum esse potiùs loquutum, testes habeo, Carthusianum: *Hoc loco per diuitem intelligunt expositores immoderatum diuitiarum amatorem. Ita quòd eas plus amat, quàm Deum.* Imò Hieronymum libro secundo aduersus Pelagianos, *In hoc, non quod fieri possit, dictum est, sed impossibile impossibili comparatum; quomodo enim camelus non potest intrare per foramen acus, ita & diues non ingredietur in regna cælorum: aut si potuerit ostendere, quòd diues ingrediatur regna cælorum, sequitur vt & camelus intret per foramen acus. Nec mihi Abraham & cæteros, quos in veteri Testamento diuites legimus, exemplo proponas, qui diuites ingressi sunt regna cælorum: cùm ipsis diuitiis ad bona vtentes opera, diuites esse desierunt: imò cùm non sibi, sed aliis diuites fuerint, dispensatores magis Dei, quàm diuites appellandi sunt.* Diuites ergo, non tam à possessione, quam ab affectu, impossibile est saluari, in sensu composito. In sensu diuiso, difficile, quòd priùs oporteat mutari: mutatio autem nõ fiat facilè: sed per solam gratiam & potentiam Dei. Quomodo igitur diuites non ingrediuntur regnum Dei, nisi mutati: sic ne camelus quidem, foramen acus, nisi redactus in tenuitatem, quæ quanta quanta sit, tamen locum occupet.

XII. Ad secundum patet responsio. Nam Augustinus, & Nazianzenus, & Origenes, cùm docent, camelum posse intrare per foramen acus: non addunt, etiãsi nihil immutetur. Atq; adeo Sanctius mentitur dictũ ab iis, ad Omnipotentiã pertinere, vt camelus tantus, quantus est, se in acum insinuet.

XIII. Sequitur exemplum secundum ex Ioãnis vigesimo, Christi venientis ad discipulos cũ fores essent clausę. Et iterum, post dies octo, intrantis ianuis clausis. Ex quo necesse est, vt corpus Christi, vel non occupauerit locum, cùm transierit per ianuas clausas, vel, si cum alio corpore, penetrauerit. Quorum vtrumque est impossibile viribus creatis, & intelligentiam nostram superat.

XIV. Respondeo: primò, non haberi è Scripturis, Christum intrasse per ianuas clausas: sed τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, quas voces Latinus interpres reddidit semel, *quum fores essent clausæ.* Et iterũ *ianuis clausis.* At Syrus vtrobique *cùm essent fores clausæ.* Sic autẽ nihil necesse est penetrationem intelligere. Verba enim non cogunt. Quo minus mirum variare nostrorũ Interpretum sentẽtias, Oecolampadij, Caluini, Bezæ, Martyris. Cur non enim liberum sit? Imò, cur illis non liceat verisimilitudines consectari: quum Papistarum nemo sit, qui non se etiam leuissimis moueri patiatur?

XV. Sed argumentatur contrà Bellarminus. Primò, Ioannem miraculorum diligentissimũ enarratorem, nec solitũ verba sine caussa multiplicare, magno studio, & quidem bis, addidisse fores clausas. At si per fenestras, vel alio modo aditu patefacto, ingressus esset, nullum fuisset miraculum. Secundò, Lucas, cap. 24. Dominum dicit repentè constitisse in medio discipulorum, & propterea Spiritum esse putatum. Vnde constet Dominũ nullo strepitu facto, sed tota domo immota manente, cõparuisse. Tertiò, Patres vno cõsensu agnoscere miraculũ, in eo quòd Dominus corpus suum solidum, per aliud solidum introduxerit: Chrysostomum, Cyrillum, Augustinũ, Euthymium, Theophylactum, Iustinum, Ambrosium, Amphilochium, Epiphanium, Hieronymum, Leonem, Gregorium, Hilarium.

XVI. Respondeo ad primum, falsum esse nullum futurum miraculum, si aliquo modo sibi Christus aperuisset aditum. Cur non enim? quum miraculũ nõ fuerit nullum in educendo Petro de carcere, reseratis tamen ianuis? Tum autem illud *ianuis clausis,* incertum, an ad miraculum pertineat. Et si nõ pertineat, tamen esse frustraneum non sequitur. Nã additum esse potest, propter id quod sequitur de metu Iudæorum, vt obseruauit Franciscus Lucas.

XVII. Ad secundum: primò, Lucã non dicere Christum repentè constitisse: sed tantùm cõstitisse. Attamen, quia Chrysostomus, & alij nõnulli ita explicãt: respondeo secũdo, nihil inde sequi: etsi enim repentè adfuerit, tamen non cõficitur ingressum per ianuas clausas. At nullus strepitus factus. Concedo: nego tamẽ sequi ingressũ per ianuas clausas. Reputatum spiritum audio: sed, propter penetrationẽ nego. Imò, quia quem nondum credebãt resurrexisse, ne cogitare quidẽ poterant præsentẽ: sicut in Actis Petrum eidem putarunt Angelum, quòd crederẽt in carcere constitutum, non posse ad ostium stare.

XVIII. In tertio illud certum, Patres nonnullos disertè scripsisse, Dominum ingressum per ianuas clausas, nec velim ego sanè repugnare. Interim tamẽ demonstratio nulla est: sed tantùm humani ingenij coniectura, quæ nihil concludit necessariò. *Non enim* (inquit Caietanus initio Commentariorũ in Genesin) *alligauit Deus expositionẽ Scripturarum sacrarum priscorum doctorum sensibus.* Quin & ipsi Papistæ frequẽtissimè à Veterum consensu discedunt, vt probauimus cap. 12. libri decimi septimi in primo tomo.

XIX. Et tamen, quia negligi non debet Veterum autoritas: secundò respondeo, non sequi, ingressus est per ianuas clausas: ergo, non occupauit locum. Quia vt nullũ occuparet locum, necesse erat in spiritum verti; atq; omnino amittere naturã veri corporis. Ast, ad ingrediendum per ianuas clausas suffi[illegible]ebat subtilitas corporis gloriosi. Salmero T[illegible] decimo sexto, tomi vndecimi, *Venit Christus, & stetit in medio, per dotem subtilitatis fores penetrando: quemadmodum matris vterũ, & saxũ monumẽti penetrauerat, [illegible] penetraturus erat, & nihil mirum corpus fores clau[illegible] intrare: nam si ignis corpus in vapores soluit, multo ma[illegible] nima Deo vincta id potest agere, & multo magis D[illegible] extenuare in nebulam per subtilitatem vaporem & [illegible] & rursus cogere.* Nec Salmero aut [illegible], a[illegible] Amphilochius ille apud Theodoretu[illegible]

[illegible] cap. [illegible]gesimo quarto, [illegible] [Greek illegible] [illegible] ... [illegible] non au[illegible] passionem, sed post passio[illegible] [illegible] ianu[illegible] clausis stetit in medio discipulorum Dominus, vt etiam tu[illegible] cor[illegible] tuum seminatum animale, resurgere corpus spirituale. Epiphanius hæresi septuagesima q[illegible] [Greek illegible]. Dominus noster resurrexit a mortuis: non alio corpore suscitato, sed eo ip[s]o quod erat: nec alio ab eo quod erat. Quin id ipsum, quod erat demutans in subtilitatem spiritualem, totumque spirituale postquam adunasset, ingressus ianuis clausis: quod fieri nequit (Græca hîc corrupta sunt, sensus tamen non difficilis) corporibus nostris hic consistentibus; propter soliditatem partium, quæ nondum adunata sunt in tenuitatem spiritualem. Euthymius, Ianuas non pulsauit, ne turbarentur: sed clausis illis, introiuit tanquam Deus; & quasi corpori suo leuitatem & subtilitatem, ac immortalitatem effecto. Lyr[a]nus, Hoc ex diuina ordinatione factum sit: vt Iesus intrans ad discipulos ianuis clausis ostenderet se habere corpus gloriosum. Augustinus de Agone Christiano, capite vigesimo quarto, Post resurrectionem suam de corpore suo fecit quod voluit. Si enim potuit ante passionem clarificare illud, sicut splendorem solis: quare non potuit & post passionem ad quantam vellet subtilitatem in temporis momento redigere, vt per clausa ostia posset intrare?

XX. Hæc illi. Itaque, non verum, omnes Patres in [h]o[c] miraculum constituere, quòd corpus solidum per al[iud s]olidum sit introductum: quod Bellarminus asserit. Contra potiùs, nullus inter eos ita loquutus est præter vnum Augustinum, qui nonnihil de mole dixit. Reliqui omnes tantùm dicunt per ianuas clausas corpus subtile ingressum, quomodo autem, non quærunt vlteriùs.

XXI. Tertium exemplum est ex Domini natiuitate, corporis exeuntis per vterum matris clausum. V[erum] hac de re prolixè à nobis disputatum est quarto libro. Et ostensum etiam inter veteres non esse [c]onsensum in sententiam Papistarum: & Scripturam contrà esse. Itaque hoc exemplum frustra est.

XXII. Quartum exemplum corporis Christi exeuntis è monumento. Nam colligi ex Matthæi vigesimo octauo, & Marci decimo sexto, lapidem ab [o]stio monumenti non esse reuolutum, quum resurg[er]e[t] Christus: sed postquam resurrexisset; vt ostende[re]t mulieribus monumentum vacuum. Tum autem Veteres docuisse, per clausum sepulchrum verum corpus exisse.

X[X]III. Respondeo: nihil hic difficilius esse. Primo enim à resurrectione corpus Christi immutatu[m] habuit subtilitatis dotem, quam habitura [illegible] nomo[illegible] fidelium [c]orpora in regno Dei: [illegible] spiritualia dicantur à Paulo. Quæ autem ita [illegible] penetr[a]nt. Nam & in hoc rerum [illegible] vitreos pertransit. Nec tamen [illegible] sunt vera corpora humana: sed tan[illegible]. Salmero tomi vndecimi tractatu [illegible] Ab ostio monumenti clauso, & obsignato subtil[illegible] ingressus est. Secundo: nego constare ex [illegible] lapidem reuolutum postquam Christus [illegible] è monumento. Posse colligi non ne[go] [illegible] necessariò colligi, falsum. Itaque ne Bellar[minus] nimus quidem ausus experiri. Quare hæc sententia tantùm est verisimilis: auctoritatémque suam totam mutuatur à Veteribus: quorum is fuit sensus. Cui quidem nolim valdè repugnare.

XXIV. Quanquam non desunt in contrarium sententiæ Patrum. Hilarius in Matthæum Canone postremo, *Angelus Domini de cælo descendens, & lapidem reuoluens, & sepulchro adsidens, misericordia Dei Patris insigne est, resurgente Filio ab inferis virtutum cælestium ministeria mittentis.* Leo Romanus Epistolæ ad Leonem Augustum capite secundo, *Dicant isti hypocritæ, qui cæcis mentibus lumen nolunt recipere veritatis; in qua forma crucis ligno Dominus Christus affixus sit? quid iacuerit in sepulchro? & reuoluto monumenti lapide quæ tertio die caro resurrexit?*

XXV. Quintum exemplum ascensionis in cœlos, tum Christi, tum beatorum. Nam, cùm certũ sit Christum ascendisse supra omnes cœlos, ex quarto ad Ephesios, &, similiter post resurrectionem corpora beatorũ: & in cœlo nulla sit ianua, nulla fenestra, nulla rima, qua transiri possit: Quia Iob trigesimo septimo; *solidissimi quasi ære fusi sunt cæli.* Ergo, necesse est dari plura corpora in vno loco.

XXVI. Respondeo: primò, idem dici posse hîc de subtilitate, ac in præcedentibus. Nam sanè, si ianuas clausas, si ostium monumenti obseratum, hęc subtilitas potuit penetrare: multò magis cœlos, quæ sunt corpora simplicissima: ideóque multò penetrabiliora. Secundò, ne subtilitatem quidem hîc esse necessariam duplicem ob causam. Prima caussa, quia, vt iam dictum, cœli, sint corpora simplicissima: docet autem experientia corpora hoc magis esse penetrabilia, quò sunt simpliciora. Patet in aqua, aere, igne.

XXVII. Nam de loco Iobi, respondeo, primò, versionem non esse sinceram. Hebraicè est. *An expandisti cum eo* לשחקים *æthera fortia sicut speculum fusum?* Vbi שחקים vix est vt significet cœlos: sed nubes locis plurimis. Nam etiam Deuteronomij trigesimo tertio, vbi Septuaginta [Greek] verterunt. Et Hieremiæ quinquagesimo primo, [Greek]. Latinus nubes habet. Mercerus in eum locum Iobi, *Nomine* שחקים *propriè aer supra nubes intelligitur, qui æther propriè dicitur sub orbibus cælestibus, à subtili & tenui substantia, sic dictus: nam* שחק *est comminuere: etsi etiam aer mediæ regionis, vbi sunt nubes, hoc nomine significetur.* Deinde, illud *quasi ære fusi sunt cæli*, fieri nequit. Nam Hebraicè מוצק singulare est, cùm שחקים sit plurale. Itaque refertur ad ראי *speculum* pro quo nõ bene interpres *cælos* substituit. Denique *fortia vt speculum fusum*, non significat cœlum, corpus esse solidum, & densum: sed in sua subtilitate & pelluciditate, ac nitore constanter permanens.

XXVIII. Secunda caussa: quia falsum, nullam esse ianuam, fenestram, rimam in cœlis. Hos enim apertos non semel legimus. Matthæi tertio, *Baptisatus Iesus ascendit statim ex aqua, & ecce aperti sunt ei cœli.* Ioannis primo, *Deinceps videbitis cælum apertum.* Actorum septimo, *Ecce conspicio cælos apertos: & Filium hominis adstantẽ ad dextram Dei.* Quod si possunt cœli aperiri, quid mirum, per eos corpora transire, tanquam per ianuam, fenestram, aut rimam, vt ne sit penetratio dimensionum? Croquetius Catechesi vicesima tertia de hoc Christi ascensu agens ex professo, *Verè nubes cœlósque penetrauit, cedentibus dimensionúmque separationem patientibus corporibus illis orbibúsque cælorum.*

XXIX. Hic contrà Bellarminus disputat; non

aperiri cœlos. Primò: si cœlum sua natura solidum est, & incorruptibile, certè probabile non est, tot foramina in cœlo esse facienda, quot corpora sunt beatorum ascensura. Nec posse id nisi temerè de Christo asseri. Primò, quia Scriptura nusquam doceat: secundò, contrà insinuet, quarto ad Hebræos, cùm dicitur Christus penetrasse cœlos; tertiò, si corpus Christi potuit ingredi clausis ianuis, quantò credibilius est, non disrupto cœlo, collocandum supra sydera? De Scripturæ autem locis, quibus dicuntur cœli aperiri, respondet, apertionem fuisse secundùm apparentiam, ac metaphoricè: fuisse enim non realem colligit: primò, à similibus locis Actorum decimo, Apocalypseos decimo nono. Deinde, quia nulla fuerit caussa, cur cœlum diuideretur. Nam neque Spiritus Sanctus indiguit apertura ad descendendum: neque columba de cœlo propriè dicto missa est: sed in aere & ex aëre producta. Sed & Angeli, cùm spiritus sint, per quælibet corpora penetrare possunt. Stephanus autem oculis vel corporis, vel mentis vidit Christum. At cœlum, cùm sit diaphanum, neutram visionem impedire poterat.

XXX. Respondeo: de apertura cœli facilè posse in vtramque partem disputari. Veteres sanè nihil quod sciam definiuere. Caluinus etiam negat expedire diligentiùs, qualis scissura fuerit, inquirere. Attamen nihil absurdi, si vrgeantur Scripturæ verba, quæ non tantùm ἀνεῳχθῆναι dicit, sed etiam σχιζομένους, Marci primo. Tum etiam id visum, non à Christo tantùm, sed etiam à Ioanne, à Stephano: & visum non in somnis, non in extasi: sed vigilantibus & attentis: visum autem oculis corporeis. Hæc omnia, si nihil certi habent; & possint quibusdam potiùs coniecturis conuelli: quid esse poterit certi? & cur non itidem, non visam, sed quasi visam columbam à Ioanne? non visum, sed quasi visum Christum à Stephano? Quomodo Petro, cui non visi sunt cœli aperti: sed quasi visi: etiam non visum linteum, sed quasi visum: quia in exstasi? Quomodo Ioanni, qui non vidit, sed quasi vidit cœlum apertum: etiam fuit non visus, sed quasi visus equus albus? aut si non solet eadem visio, partim realis esse, partim metaphorica: sed tota aut realis aut metaphorica, cur in illis ita partes discerpuntur, vt ne sint [illegible]?

XXXI. Enimuerò, quid obstat incorruptibilitas, quominus perforari possit cœlum? Aut cur non potiùs ipsa illa incorruptibilitas, facilitatem adfert aperturæ? Non enim opinor verendum, ne si aperiatur, corrumpatur, si est incorruptibile cœlum. Imò potius negari esse incorruptibile, si cauenda esset apertura, ne corrumperetur. Etenim ea incorruptibilitas esset tantùm per accidens: ac proinde non vera incorruptibilitas. Quòd si in ascensu Christi nulla Scriptura dicit fuisse cœlos apertos: certè nulla etiam negat. Itaque in vtramuis partem coniectura esse potest. Nec verum τὸ διελθεῖν contra quicquam innuere. Neque enim apertioni aduersatur. Alioqui, non tantùm in acu nullum oporteret esse foramen, si penetraret camelus; nam eodem verbo Christus vsus est: sed etiam cum Lucæ decimo nono dicitur Christus διελθεῖν τὴν Ἱεριχὼ necesse esset eam clausam dicere, imò solidam. Quod quis ferat? scio potuisse penetrare cœlos clausos; si penetrauit fores opertas. Verùm, primò, hoc nulla Scriptura asserit, vt docuimus. Deinde, si potuit fieri, non tamen sequitur factum.

XXXII. Præterea, nō sunt similes loci. Actorū 10. & Apocalypseos decimo nono. Nam in his describuntur visiones exstaticæ. At in his nostris minimè. Nam & de Petro ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις. *Incidit in eum mentis excessus.* Et de Ioanne Apocalypseos primo, ἐγενόμην ἐν πνεύματι ἐν τῇ κυριακῇ. *Fui in spiritu die Dominico. Quia tanta mysteria*, inquit Ambrosius, *quæ sequuntur, non carnalibus, sed spiritualibus oculis videri poterant.* Haymo. *Apertè demonstratur beatum Ioannem hanc visionem, non corporaliter, sed in spiritu vidisse. Non tamen in somnis, sed in ecstasi raptus est. Itaque, nihil per corpus vidit, vel audiuit, vel sensit, vel intellexit: sed docendus eius spiritus à Spiritu docente assumptus est, vt alta & mystica posset intueri.* Et tamen, inquit Bellarminus, vtrinque eadem verba. Sanè, inquam. Quid ergo? An vtrinque metaphorica? Atqui non tantùm vtrinque sunt aperti cœli; sed etiam vtrinque visi. Et tamen, quamquam viderit Petrus, viderit Ioannes metaphoricè: tamen, siue Christus, siue Baptista, siue Stephanus conceduntur reapse vidisse, non metaphoricè: cur non reliqua?

XXXIII. At aperiendi cœli nulla caussa. Quin tu te potius ignorare diceres? cui non sint relata omnia consilij Diuini arcana. Quòd si ignores, an sequitur nullam esse? Quid verò si te dicam nolle videre? Et illud ex Polybij quarto exprobrem? [illegible] *Amentia est, cùm malitia coniuncta, siquis cùm ipse oculos sibi claudat, putet ne alios quidem oculis vti.* Nam alij viderunt caussam esse, vt, scilicet, tum Ioannes, tum Iudæi, euidenti signo intelligerent Christum esse Messiam. Sic enim Maldonatus. Quomodo autem euidens signum, si tantùm secundùm apparentiam? si re vera nullum. Aut, cur possent hic signum certum agnoscere ij, qui paulo post nihil actum volunt, nisi Paulus Christum sibi proximè adstantem in terris viderit? Nam, in Stephano quàm ridiculum confugere ad cœli diaphaniam: cùm certum sit non videri ea quæ sunt vltra cœlos: vix etiam pauca quę in cœlis? Hodie, inquā, hoc ipsum Christi corpus, quod est supra omnes cœlos, quantumuis hodie diaphanos, non videri?

XXXIV. Hactenus Bellarmino exempla fuere corporū non occupantium locum. Sequuntur exempla paulo alieniora: quia non eius generis: ex quibus argumenta fiunt vel à pari, vel à maiori. Sextum, ergo est à pœnis damnatorum: in quibus sunt multa miracula difficiliora, vel æque difficilia, atque hoc est, de quo agimus. Primum, eorum corpora ab igne corporali comburuntur, ac torquentur realiter, nec dissoluuntur: cùm tamen dolor corporalis tendat ad dissolutionem corporis. Secundum, spiritus eorundem alligantur certis locis ac corporibus quasi carceribus, vnde nullo modo egredi valeant: Cùm tamen spiritum teneri & impediri à corpore, non minùs difficile videatur, quàm corpus nō teneri nec impediri à corpore; quo minùs liberè transeat per solida corpora, ac si nulla essent. Tertium, iidem spiritus non solùm tenentur, sed etiam affliguntur, ac torquentur ab igne corporali. Quum tamen ignis non affligat nisi dissoluendo continuum. Septimum exemplum. Non magis conuenit corpori quanto occupare locum; quàm graui ponderare; colorato videri; lucido lucere: calido calefacere. At potest Deus efficere, vt graue non ponderet, coloratum non videatur, lucidum non luceat, calidum non calefaciat.

XXXV. Respondeo. Primò, argumenti nullam vim esse, nisi merè coniecturalem; quæ tan-

ap-

à persuadendo, vt vix etiam moueat simpliciores. Aliloquin, ex quolibet quidlibet efficeretur. Certè hæc ipsa videntur difficiliora, quàm vt spina producat vuas: aut è tribulis ficus proueniant: quàm vt Æthiops dealbetur. Et tamen hæc exempla Scriptura nobis profert rerum impossibilium. Quare, vno verbo negari potest consequentia. Et tamen videamus cuiusmodi exempla sint.

XXXVI. Corpora vruntur, nec dissoluuntur. Rectè, inquam. Sunt enim indissolubilia post resurrectionem. At hic etiam videmus ignem agere in corpora aliter atque aliter, pro eorum diuersa natura. Quædam enim non tantùm dissoluit, sed etiam consumit, vt ne id sint ampliùs, quod erant: lignum, stipulam. At quædam dissoluit tantùm, non etiam consumit. Nam aurum in igne dissoluitur, si tamen libet liquefieri & dissolui pro eodem [illegible]: nec efficit tamen, vt ne sit aurum. Quid [illegible]m, si in corpora indissolubilia non nihil agat, nimirum vrendo, non dissoluat tamen?

XXXVII. At spiritus alligantur certis corporibus, & locis. At hoc falsum est, tam difficile videri, quàm corpus vnum non pelli loco ab alio. Sunt enim omnes spiritus naturæ finitæ: itaque obnoxij loco. Quid ergo mirum, si alligentur loco? Imò spiritus humani nulli sunt aliter, quādiu sunt in hac vita: nec aliter erunt post resurrectionem, quàm in corporibus. Nec sanè vlla implicatur contradictio. Cum contrà, si vnum corpus non expellat alterum, sit corpus non quantum: hoc est, corpus non corpus, siue quantum non quantum.

XXXVIII. At spiritus patiuntur ab igne corporeo. Hoc verò mirum: & fortassè non demonstratum, Sed esto tamen. Nam & in hac vita spiritus aliquid patiuntur à rebus corporeis. Aristoteles Physiognomicis. [illegible] Et iterū [illegible]. Sic enim condolent suis corporibus. Imò sic hebetantur, aut acuuntur pro varia temperamenti corporei ratione. Atqui non dissoluuntur: ratio in promptu; quia non sunt dissolubiles: qua de re in corporibus actum.

XXXIX. Restant grauia, lucida, colorata & calida, quæ possunt non pōderare, non lucere, non videri, non calefacere. In quibus dico nihil esse simile. De grauibus iam dictum argumento primo. Nec quicquam noui addunt exempla, quibus illustrantur: Christi & Petri ambulantium super vndas, aquæ Iordanis, non modò non descendentis, sed etiam ascendentis, & instar montis eleuatæ. Enimuerò, quis nescit grauia contra naturam cogi posse, ne deorsum eant? Nam & ab hominibus lapides in altum iaciuntur: Et aquæ sistuntur oppositis obstructionibus. At neque lapides neque aquæ propterea amittunt pondus suum. Imò, aquas Iordanis tenuisse, inde apparet, quòd inferiores in mare descēderunt, donec deficerent: superiores autē, instar montis intumescerent: Iosue tertio. Nam ita fieri solet, quoties aquis aliquid opponitur. Miraculū ergo fuit in eo, quòd nullis obstructionibus vndę sistebantur. Sed non, quòd pondere suo caruerint.

XL. Lucida ne luceant, quomodo intelligit? an vt simul lucida sint, & non luceant tamen? An [illegible] in sensu diuiso, vt fiant non lucida? Illud impossibile, quia implicat contradictionem. Hoc non difficile Deo, qui potest creaturas suas in nihilum reducere. Sed quis sensus Bellarmini? secundus, vt videtur: Probat enim à corpore Christi, quod cùm sole isto lucidius sit: tamen sæpius apparuit Apostolis sine vllo solito splendore. Nam si fuit sine vllo splendore: Ergo factum non lucidum. At hoc nihil contra nos, qui non negamus corpus posse à Deo destrui, & in spiritum etiam mutari, cùm volet, vt ne locum occupet. Sed non credimus corpus, manens corpus, posse non occupare locum. Quanquam non est certum corpus Christi fuisse sole lucidius ante ascensionem.

XLI. Colorata non videri; hoc verò non absurdum. Nam id non tantùm pendet à coloribus: quia opus est aliis etiam adiumentis: lumine medio diaphano, oculis apertis, & intentis. Quæ cùm non occurrunt omnia, tum non videri nihil mirum. Sed instat, & posse non videri, etiam his omnibus concurrentibus. Et probat, quia sese Christus inuisibilem non semel reddidit; Lucæ quarto, Ioannis octauo. Item, *euanuit ex oculis discipulorum*. Lucæ vltimo. At ista tractata sunt capite tertio huius libri. Et obseruatum, primò, non esse certum, nihil oppositum oculis non videntium Iesum. Imò, verisimilius miraculum fuisse in oculis Iudæorum, quàm in corpore Christi. Ab Apostolis autem ablatum fuisse, vt propter absentiam non posset cerni. Itaque nihil probat Bellarminus. Addo, non esse coloratorum effectum internum, videri: sed prorsus externum: & accidentale: nam etsi non videantur in tenebris, tamen non minùs sunt colorata. At corpori interna est occupatio loci. Itaque nihil simile.

XLII. Calida non calefacere; probat ea tertio Danielis; vbi in medio fornacis ardentissimæ duo iuuenes perstiterunt inuiolati. Atqui rursus dico, calefacere non esse igni internam qualitatem: sed externum effectum, & accidentale. Nihil enim calefacit, si nihil sit quod calefiat. Itaque impediri posse absque vlla contradictione. Non enim desinet propterea ignis esse calidus, sed tantùm calor non aget in externa corpora. Quomodo Plinius libri vigesimi noni capite tertio, *Vis tanta est, vt lignum perfusum eo non ardeat; ac ne vestis quidem contacta aduratur*. Quod quidem verum sit, nec ne, non [illegible]fiterim. Sed experientia quotidiana docet [illegible], ne vestes quidem illitas ea, quam appellant aquam vitæ, ab igne consumi, quandiu aqua ardet. Si hæc fiunt etiam naturaliter; quid mirum, si Deus iuuenes illos conseruauit in mediis flammis? Non tamen fuit ignis absque calore: quod illico docuit euentus: nam qui pepercit iuuenibus, satellites consumpsit. Rursus ergo nihil simile.

XLIII. Addo octauum exemplum ex Richeomi Pantacheo capite vigesimo, spirituum assumentium figuram sitúmque corporum. Si, inquit, spiritus assumunt figuram sitúmque corporum, atque instar corporum occupant locum: non erit absurdum corpus in modum spiritus esse [illegible], neque occupare locum. Ratio consequentiæ; quia illud isto longè difficilius, tum captu, tum factu. Antecedens, id est, spiritus corporaliter occupare locum, probatur variis locis Scripturæ: ex quibus constat Angelos apparuisse vestitos corporibus, ambulātes, loquentes, comedentes, cum hominibus versantes. Imò Deum ipsum corporea figura apparuisse in Paradiso; tréisque adeo Trinitatis personas Abrahamo.

XLIV. Respondeo: occupari locum ab aliquo

vel per se, vel per aliud. Per se, nempe ipsum sua substantia. Per aliud, nempe vsum aliena substantia tanquam medio apto ad occupandum locum. Nostram autem quæstionem in priori versari: quæri enim, vtrum aliquod corpus, quatenus est corpus, id est, per se, possit non occupare locum. Quo posito, cùm dupliciter intelligi possit argumentum, variè respondeo. Nam, si antecedens asserat spiritus occupasse locos, non per se, sed per aliud, nempe per assumpta corpora, ita conceditur antecedens, vt negetur consequentia. Non enim sequitur legitimè, Spiritus occupat locum per aliud: Ergo, corpus potest per se non occupare. Neque valet consequentiæ ratio. Reuera enim longè difficilius est captu atque effectu, corpus per se non occupare locum, quàm Angelum per aliud occupare.

XLV. Sin autem antecedens asserat, spiritus occupasse locos per se: tum verò id constantissimè negatur. Neque vnquam sanè probabitur è Scripturis. Apparuisse fateor Angelos ambulantes, loquentes, manducantes: sed, per se atque Angelica sua natura, hoc verò ipse Richeomus negat, dum vestiros dicit corporibus.

Cap. VIII.

Non posse Corpus non occupare locum.

I. Catholicorum argumenta hæc sunt. Primù: Omne quantū, eo ipso quod est quātum, necessariò occupat locum. At omne corpus est quantum. Ergo, omne corpus necessariò occupat locū. Probatur maior testimonio Philosophorum. Pererius initio libri vndecimi de communibus principiis. *Res naturales, præsertim caducæ & mortales, statim atque habent quantitatem, necessariò locum aliquem occupant.* Conimbricenses in quintum Physicorum, quæstione tertia de loco, articulo primo. *Rationem, qua fit vt corpora sese mutuo expellant, pro certo petendam ab eo, quod occupandi locum, certúmque in ipso situm habendi, causa est. Ab eodem enim fonte prouenit, & quod res loco ac situ circumscribatur, & quod aliam ad sui consortium non admittat: id autem nec materia est, nec forma: quia hæc per accidens se habent ad locū: sed quantitas trifariā dimensa, cuius beneficio res materiá prædita extensionē alterius corporis expultricem sortiuntur.* Probatur minor. Quia non tantùm in Categoriis Aristoteles τὸ σῶμα locat ἐν τῷ ποσῷ, sed etiam aliàs semper definit ex dimensionibus τὸ πάντῃ καὶ τριχῆ διαιρετόν scilicet κατὰ τὸ μῆκος, καὶ κατὰ τὸ πλάτος, καὶ κατὰ τὸ βάθος.; Metaphysicorum quarti capite septimo, & aliàs.

II. Papistæ respondent variè. Sunt qui ad minorem. Bouerius & Caronæus distinguūt corpus in Mathematicum & Physicum. Corpus apud Mathematicos, cùm ab omni concretione alienum sit, præter tres dimensiones nihil prorsus esse; itaque iis sublatis, ipsum tuere. At diuerso modo se habere corpus Physicum, vel humanum: hoc enim non solis dimensionibus constare, sed substantiæ potissimum inniti, eáque tum definiri, tū subsistere. Dimēsiones alterius naturæ accidētia esse: itáque ad illius essētiā nō pertinere, ac proinde ab eo separari posse.

III. Sed hæc sunt vel immanis ἀναισχυντίας τέρατα, vel portentosa audaciæ conamina. Corpus aliud Physicum, aliud Mathematicum; quis vnquam priscus Philosophus dictum audierat? Aut quis nouis sophistis noua permittat commentari spectra: & quidem non nisi ex præiudicio priuatorum errorū? Nam tolle Transubstantiationem, eadem opera omnem præcideris huiusmodi nebulonibus ansam garriendi. Sed rem ipsam inspiciamus. Mathematicum, inquiunt, constat solis dimensionibus. Quomodo verò? An quia vllum in rerum natura sit, fuerit, futurum sit Mathematicum corpus? An, quia subtilitas Philosophica abstrahit speculationes suas à materia per solam cogitationem? Sanè verò Astrologia in Mathematicis est; & habet sibi proprium adæquatúmque subiectum, corpus nimirum cœleste. An ergo corpora cœlestia solis dimensionibus constant, nullàque præterea substantia? Et tamen eadem ipsa non tractant Astrologi aliter, quàm per tres dimensiones. Quod si absurdū est negare cœlis substantiam: dicamus similiter omnia Mathematica corpora suam habere singula substantiam; sed non considerari à Mathematicis secundùm eam substantiam, sed solummodo secundùm eas dimensiones.

IV. Præterea: quid corpus Physicum? Substantiæ, inquit, innititur, eáque tum definitur, tum subsistit. Nugator, inquam, hoc nihil ad rem. Responde, constat-ne sola substantia; vt Mathematicum illud tuum solis dimensionibus? Non audes dicere: sed tantùm, non solis cōstare dimensionibus. Esto. Ergo, inquam, non tantùm Mathematicum constat dimensionibus, sed etiam hoc Physicum. Nam quid tum, si nō solis? An propterea non quantū? Nā profectò ne solis quidem coloribus: sed non propterea non coloratum. Atqui hoc sufficit. Nam potuit maior, omne quantum occupare locum. Quare, si corpus Physicum sit quantum, sequitur occupare locum. At tu concedis maiorem exemplo corporis Mathematici. Nunc etiam minorem: vt qui concedas Physicum corpus constare dimensionibus: etsi non solis: Euge, ergo strenuum te. Logicum exhibeto: &, quæ vnica superest, negato conclusionem.

V. Enimuerò Aristoteles Physicum corpus nō aliter definit, quàm ex dimensionibus. Physicorum libri tertij capite quinto τὸ πάντῃ ἔχον διάστασιν. *Vndequaque habens distantiam.* Primi de cœlo statim initio σῶμα, τὸ πάντῃ διαιρετόν, *corpus est, quod quaquauersum diuidi potest.* Et vt scias, loqui eum de dimensionibus, Μεγέθους δὲ τὸ μὲν ἐφ' ἓν, γραμμή· τὸ δ' ἐπὶ δύο, ἐπίπεδον· τὸ δ' ἐπὶ τρία, σῶμα. *Magnitudinum, quæ semel diuisibilis, linea: quæ bis, superficies: quæ ter, corpus.* Ad eandē mētem Basilius primo cōtra Eunomium testatur in Deo τὸ ἀσώματον significare τὸ μὴ ὑπάρχειν αὐτοῦ τριχῆ διαστατὴν τὴν οὐσίαν. *non esse eius essentiam trina dimensione constantem.*

VI. Quid plura? vide pecuinam incogitantiam. Vt ne cogantur admittere corpus occupare locum, ex dimensionibus solis constituunt Mathematicū, negant Physicum. Atqui, ô boni, contrà oportet. Nam Mathematicum corpus illud, quod solis dimensionibus constare dicitis, nullum occupat locū. Est-ne apud vos in dubio? facile probatu. Nullū enim idest, nisi abstractum; ac proinde purum putum ens rationis. At nulla entia rationis vllum locum occupant: quia non existunt nisi in Vtopia, fœcundissima nugarum prouincia.

VII. Denique, quò peregrinari dicam animos Sophistarum, tam fœdè oblitos, hanc controuersiā susceptam in gratiam vnius corporis Christi? Ast hoc corpus non tantùm Patres non spoliant suis dimensionibus, sed ne Papistæ quidem. Pro Patribus respondeto nunc vnus Theodoretus dialogi secun-

[illegible] *Dominicum corpus incorruptibile quidem refurrexit, & nulli passioni iam obnoxium, & immortale, diuinaque gloria glorificatum, adoraturque à cœlestibus virtutibus: Nihilominus corpus est, priorem obtinens circumscriptionem.*

VIII. Papistæ. Gemmnea in Thesauro. *Est corpus Christi in cœlo existens per modum quantitatis dimensiua, determinata situatione, cuius est, vt tantum localiter sit in vno loco.* Cusanus capite decimo sexto defensionis Eucharistiæ. *Si quicquam fuit vnquam falsum, certè falsum est, Romanam Ecclesiam auferre à corpore Christi longitudinem & latitudinem* (altitudinem credo oblitum fuit) *Quin potius illud credit, possidere in Sacramento eandem quantitatem, quam in cœlo.* Item. *Partes corporis Christi in cœlo extensæ ita distant inter se, vt non possint esse simul, quando sunt in diuersis locis.* Bellarminus, a, in septimo libri tertij de Eucharistia. *Neque nos dicimus Christi corpus in Eucharistia dimensionibus, aut situ carere.* Item. *At nos fatemur Christi corpus nõ esse vbique diffusum, & vbicunque est, habere suam formam & figuram humanam, & partium situm, ac dispositionem: quamuis hæc figura, forma, dispositio partium in cœlo continuatur, vbi locum replet.*

IX. Atqui, inquiunt, dimensiones non pertinẽt ad naturam essentiæ. Et corpus per essentiam definitur. Imò, inquam, improbè mutantur termini. Nam substantia differt à corpore, tanquam genus à specie; atque hactenus potest corpus definiri per substantiam: quomodo homo definitur per animal. Sed non reciprocè tamen substãtia est corpus, vt corpus substantia. Nam substantiarum, alia spiritus est, alia corpus, siue vt loqui assueuerunt Scholæ, alia incorporea, alia corporea. Quare, concedatur sanè dimẽsiones esse accidentia substãtiæ: quia scilicet potest esse & præsentibus & absentibus dimensionibus. Quid hoc ad rem?

X. Sed corporis accidentia esse, immane mendacium est. Enimuerò, quis audiuit vnquam accidentibus locum esse in rei definitione? Atqui nulla definitio est corporis, in quo non sint dimensiones: quibus etiam distinguatur à substantia incorporea tanquam per differentiam, quam vocant specificã: haud aliter ac homo differt à bruto per rationem. Vnde etiam falsum est, corpus definiri per substantiam, si definitionem intelligas integram. Nulla enim definitio constat solo genere. Sicut ergo ratio nullum est accidens hominis: etsi accidẽs animalis, quia nõ omne animal rationale: ita dimẽsiones sunt de essentia corporis: etsi non de essentia substantiæ. Non possunt ergo dimẽsiones separari à corpore: etsi possint separari à substantia: alioquin, cùm substantia diuidatur in corpoream & incorpoream, eiusque diuisionis causa sit in dimensionibus: profectò, si dimensiones dicas separari à substantia corporea, necesse erit transire in aliam speciem, vt remaneat substãtia incorporea. Sicut si ab homine remoueas rationem, non desinet quidem esse animal: sed futurum est animal alterius generis, nempe brutum.

XI. Et disputat tamen Bouerius dimensiones corporis essentiales & intrinsecas esse non posse: aliquot enumeratis argumentis. Quorũ primũ hoc est: Quod esset rerum naturas confundere, & accidẽtia substantiis miscere: vt aliqua essentia daretur cõposita ex substantia & accidente. Secundò, Si dimẽsiones essent causa substantiæ, ergo quantitas esset prior substantia, & substantia penderet ab accidentibus. Tertiũ, Si corporea substãtia ideo corporea diceretur, quòd absque quantitate esse non posset: ergo corporea ab incorporea substantia tantùm per quantitatẽ distingueretur. At hoc absurdũ. Primò, quia, inquit, in generũ cõstitutione idẽ est constituentiũ rei, & distinctiuũ: itaq; accidens esset cõstitutiuũ substantię. Secũdò, quia accidens variaret rationem substãtię. Tertiò, quia sequeretur aliqua primò diuersa posse in vnũ cõfluere; & corporeũ in incorporeũ mutari: quia si quãtitas per intellectũ separaretur à substãtia, nõ discerneretur ab incorporea.

XII. Sed nos constanter asserimus, dimensiones esse corporis essentiales & intrinsecas: quandoquidem, vt diximus, constituant definitionem corporis. In primo argumento, negatur propterea naturas rerum confundi: etsi verum sit accidentia substantiis misceri, & aliquam substantiam componi ex substantia & accidente. Quod quare mirum sit Bouerio, mihi profectò portentum est: cùm in rerum natura nulla detur compositio sine accidente. Nam etiam differentia specifica, quæ sine dubio vnà cum genere componit speciẽ, est accidens, non ipsi quidẽ speciei, sed generi. Adeò noui cuiusdã generis Philosophũ esse necesse est Zachariã Boueriũ.

XIII. Ad secundum: negatur dimensiones esse causas substantiæ: neque nostrûm quisquam tã absurdè loquutus est: sed verum, dimẽsiones esse causas corporis: nempe, quia omnis differentia specifica est causa suæ speciei. Non est autem idem cõstituere corpus, & constituere essentiam: quomodo aliud est constituere hominem, & constituere animal. Hominem à ratione constitui, nemo dubitauit vnquam: Animal autem nemo dixit vnquam. Sic qui negabit corpus constitui à dimensione, hunc oportet naturæ ipsi bellum indicere: qui substantiam dicet ab eadem dimensione constitui; in hunc Bouerius agito suo more.

XIV. Ad tertium: conceditur consequentia: & negatur quicquam absurdi dicere, qui corpoream substantiam ab incorporea distinguit per quãtitatem: & per quantitatem tantùm, si intelligas πρῶτον καθ' αὑτό. Nam etsi dari possunt alia discrimina; tamen omnia eorum posteriora isto, fortasse etiam non καθ' αὑτό. Exempli gratia, mortalitas, siue corruptio, potest distinguere spiritum à corpore: sed non καθ' αὑτό, quia dantur etiam corpora immortalia, & incorruptibilia, vt post resurrectionem. Quod si non est καθ' αὑτό discrimen, ergo neque πρῶτον.

XV. Concedo idem esse constitutiuum, & distinctiuum: sed vario respectu, quem ipse Bouerius exprimit: nempe cõstitutiuum speciei, distinctiuum generis. Igitur nego fore accidens constitutiuum substantiæ: nam substantia genus est corporis; non autem species ipsa. Itaque dicendum fuit, quantitatem fore constitutiuam corporis, distinctiuã substãtiæ: non verò constitutiuam corporis, & substantiæ. Et hactenus concedo, accidens variare rationem substantiæ: quod qui absurdum dicat, hunc necesse est mirè imperitum esse totius Philosophiæ.

XVI. Aliqua primò diuersa, posse in vnum confluere, Deum immortalem! quis negauit vnquam? quis negandum sperasset? Nam, quomodo fient compositiones, si nunquam diuersa confluant? Sed corporeum mutari in incorporeum, absurdè infertur. Concedo sanè posse quantitatem separari à substantia per intellectum: sed sic fieri vllam in rebus mutationem, qui tam stupes fuit, vt assereret? Quanquam verum est, per hanc separationem

non discerni corporea ab incorporeis. Nam hæc abstractio, seorsim considerans substantiam corporis ab eius dimensionibus, corpus contemplatur quatenus naturam habet communem cum natura incorporea: quomodo qui de homine disputat, quatenus est animal, non potest hominem disparare à bruto. Sed ea contemplatione hominem mutari in brutum, bruti est affirmare.

XVII. Alij contra maiorem armantur potiùs. Michael negat esse de essentia quantitatis occupare locum. Et probat, quia nulla actio, siue officium, est de essentia rei: At occupatio loci est actio, siue officium quantitatis. Ergo, non est de quantitatis essentia. Verùm Pererij & Conimbricensium non est minor, credo, authoritas, quàm Michaelis. Ad argumentum autem aliàs responsum est: Occupationem loci non esse in corpore actum diuersum à potentia. Itaque, tam esse de essentia quãtitatis, id est, corporis; quàm animantis viuere. Imò paulò post, idem affirmat Michael, quantitatem esse caussam formalem occupationis loci. At nemo verè Philosophus concedet caussam formalẽ separari posse à suo subiecto.

XVIII. Bellarminus negat etiam maiorem. Quia *si ex tota hac aula*, inquit, *in qua nunc sumus, Deus totum aerem auferret, nec aliud ingredi pateretur, nos omnes retineremus dimensiones nostras, & tamen spatio non contineremur.* Atqui primò, hoc quicquid est exempli, fictum est ad placitum. Itaque nullam vim habet. Secundò, supponit nullum locum esse, vbi nullum sit corpus ambiens: quod nos refutauimus. Ac sanè corpori Christi supra omnes cœlos constituti, non negatur locus ratione dimensionum: vbi tamẽ nullus est aer, & omnino nullum corpus ambiens. Cur ergo non essent in loco corpora intra eam aulam destituta aere, seruatis tamen proprijs dimensionibus?

XIX. Secundum argumentum: Si totum corpus non occupet locum, ergo neque singulæ eius partes. Atqui hoc est absurdum. Ergo & illud. Probatur cõsequentia: quia concipi non potest, quomodo partes singulæ occupẽt locũ, & corpus nõ occupet. Multò minus quã, qui essent singulæ candidæ, & totum nigrum. Nam corpus actu idem est cum partibus omnibus. Probatur assumptum: quia si singulę non occupant locum, ergo non expellunt se mutuo: quare omnes sũt cõfusæ, & absq; vlla analogia. Et esset totum in toto, & totum in qualibet parte. Quod abhorret ὡς διὰ πασῶν à natura corporis: & maximè organici: quale est corpus Christi: Estque proprium Spiritui.

XX. Conimbricenses mira ænigmata loquuntur. Concedunt non minùs repugnare, duo corpora, quàm plures eiusdem corporis partes, simul existere. Verùm omnes simul esse corporis partes nõ posse negant. Et addunt partes ita simul positas nihilominus cõseruare eam extensionem & distinctionẽ, in qua essentia quãtitatis cõsistit. Explicat, ni fallor, Bellarmin⁹, quomodo balbus balbum intelligit: distãtiam, quæ est inter mẽbra corporis, quatenus in se extensum est, non esse distantiam localem, sed alterius cuiusdam generis. Et dici ea distare inter se, quæ non sunt immediatè coniuncta: & ea magis distare, inter quæ plura sunt interiecta, non interualla, sed membra. Nam in corpore supra cœlum distare pedes à capite, non per spatium locale, quod ibi nullũ est; sed per interiectionem pectoris, aliorúmque membrorum. Coffetæus etiam clariùs. Hanc partium distantiam esse ordinem organicum partium distinctarum inter se; vt oculi, ne sint aures: neque labia nates: neque vna sit in alia.

XXI. At ista, Deus bone, quis sanus concipere possit? Distantiam partium in corpore negant esse localem. Sed contra Aristoteles quinto quarti Physicorum, asserens cœlum esse in loco per partes, quia mouetur circulariter. Nam certè hic motus est φορά. Itaque, secundùm locum. Et reuera interuallis sunt cœli partes distinctæ, in quibus est sursum & deorsum. Deinde corpus est quantum συνεχές. At τὸ συνεχές, vt colligitur ex Aristotele eodem capite, est cuius partes aliæ alias continent. Quod si est, tum necesse est interuallum esse. Confirmatur ex alia definitione τοῦ συνεχοῦς, tertij capitis quinti Physicorum, ὅταν τὸ αὐτὸ γένηται καὶ ἓν τὸ ἑκατέρου πέρας οἷς ἅπτονται: *Quando vnum idémque est terminus partibus quibus sese contingunt.* Nam πέρας non potest intelligi absque interuallo. Secundò, opponuntur pedes capiti, tanquam contrarij locu: quia ἐναντία κατὰ τόπον τὸ κατ' εὐθεῖαν πλεῖστον ἀπέχον. *Contrarium secundum locum id est, quod per rectam maximè distat.* Atqui non potest τὸ κατ' εὐθεῖαν ἀπέχον cogitari absque interuallo.

XXII. Veruntamen, si non est interuallum, quid est? Nam illud alterum genus Bellarmini nihil est. Coffetæus ergo esse vult ordinem organicũ partium distinctarum inter se, vt vna non sit alia. Atqui hoc portentum est. Primò, etsi corpus totum sit συνεχές: tamen partes eius inter se sunt quædam συνεχεῖς, quædam autem διωρισμέναι. Non enim caput est pedibus συνεχές: ratio est, quia non est vnus amborum terminus. At si distantia partium esset hic ordo organicus, omnes partes essent συνεχεῖς: quia is ordo est vniuerso corpori. Itaque tam coniuncti essent capiti pedes, quàm collum. Secundò, nullum corpus esset alio maius aut minus. Nam in omnibus idem est ordo organicus. Tũ autem magis & minus, nunquam quisquam audiit dictum propter ordinem, sed propter quantitatem, eiúsve dimensiones. Præterea omnis ratio τοῦ συνεχοῦς absque vllo dubio debet excludere τὸ διωρισμένον. At ordo hic non excludit τὸ διωρισμένον. Nihil enim obstat, teste Iauello in prædicamento, Quãtitatis, quominùs partes quãtitatis discretæ sint ordinatæ secundùm prius & posterius: quam rationem esse ordinis nemo hactenus dubitauit.

XXIII. Ad absurdũ de toto in toto, & in partibus; respondent Thomas parte tertia, quæstione septuagesima sexta, articulo quarto ad primum; tum esse *corpus per modum substantiæ, cuius natura est toto in toto, & tota in qualibet parte.* Et inde sumpserunt alij. Explicat etiam Rubeus in quartum Sententiarum distinctione decima. *Substantia ex sui natura, & quantum est de se, non determinat sibi locum paruum vel magnum; sed indifferenter continetur in parua & magna quantitate: sunt tota natura aeris in paruo vel magno aere: & tota natura aquæ in parua vt in guttula; & magna aqua, vt in flumine.*

XXIV. Rursus mera monstra. Per modum, inquit, substantiæ: at ego quæro cuius substantiæ: primę-ne an secundæ? Nam si secundæ; primò absurdũ est, corpora esse in loco, ad modũ secũdæ substãtiæ. Nã esse in loco, est actu existere. At secundę substantiæ nunquam actu existunt: cùm sint mera entia rationis: vt τὸ ἄνθρωπος. τὸ ζῷον. Secundò, quomodo intelligunt secundam substantiam esse totam in toto, & totam in partibus? Nam totam in partibus, id est, suis speciebus: concedo esse, nimirũ totã naturam hominis in Petro, in Paulo, in Ioanne: nec maiore in

vno quàm in alio: imò ne in omnibus quidem magis quàm in vno. Sed totam esse in toto; hoc verò ego capere non possum. Nam hic totum nullum intelligi potest, præter ipsam substantiam secundam: quæ, vt dixi, nusquam est per se actu: sed tantum in singulis indiuiduis.

XXV. Confugient-ne ergo ad modum substãtiæ primæ, quæ actu existit? At ego quæram, cuius? hoc est, suæ-ne an alienæ? Nam duplex est substantia, spiritus, & corpus. Et spiritus substantiam concedo esse totam in toto, totam in singulis partibus, quãuis hoc ipsum impropriè: cùm spirit⁹ nullæ sint partes. Ergóne dicent corpus, non occupans locum, existere ad modum spiritus? At Fulgentius de fide ad Petrum, capite tertio, *Vnaquaque res ita permanet, sicut à Deo, cùm non esset, accepit, aliu quidem sic, alia autem sic. Nec enim sic datum est corporibus, vt sint, sicut spiritus acceperunt.* Augustinus contra Epistolam Fũdamenti, capite decimo sexto, *Omnino non potest esse aliquod corpus, siue cæleste, siue terrestre, siue aereum, siue humidum, quod non minus sit in parte, quam in toto.* Et pòst: nam est totus locus post pauca recitandus, *Anima nostra nullo modo inuenitur locorum spatiis aliqua mole distingui.* Lombardus primi distinctione trigesima septima, sectione duodecima, *Corporalis creatura ita est localis, vel circumscriptibilis, quòd terminatur definitione loci, & quòd dimensionem recipiens distantiam facit: spiritualis verò tantùm definitione loci includitur, cum ita sit alicubi, quòd non alibi: sed nec dimensionem recipit, nec distantiam in loco facit: quia si multi essent spiritus hic, non eo coangustarent locũ, quò minùs de corporibus contineret.* Quum sint ergo ἀντιδιῃρημέναι substantię species, spiritus & corpus, quis credat huic communicari illius ἰδιώματα? Aut quis cõcipiat quomodo corpus, manẽs corpus, eandẽ habeat existẽdi rationẽ cum spiritu?

XXVI. Ergo necesse est intelligi corpus esse per modum suæ substantiæ, id est, corporeæ. Atqui falsũ est vllam substantiam corpoream primam existere totam in toto: & totam in qualibet parte. Augustinus contra epistolam Fundamenti, capite 19. *Deus, si locorum ex vna parte determinato, ex aliis immenso spatio, tenderetur, quantalibet in eo particula, & innumerabilia frusta essent, alia maiora, alia minora, pro cogitantis arbitrio metirentur: vt bipedalis in eo, verbi gratia, pars, octo partibus minor esset, quàm decempedalis. Id enim necesse est contingat omnibus naturis quæ per talia spatia diffusa, vbique totæ esse non possunt.* Imò de aere ipso, quod in exẽplum Rubeus assumpsit, idem eodem libro, capite 16. *Aeris partes suos quæque implent locos: nec fieri potest, vt aer, quo impletur hæc domus, simul secum in eadẽ domo habere possit etiam illum aerẽ, quem vicini habent.* Quod idem in aqua obtinere, quis dubitet? Idem epistola tertia: cũ corpora distinxit in crassiora, sicut humorem atque humum; & subtiliora, vt aeris & lucis, Tum *quorum*, inquit, *nullum potest esse vbiq; totum: quoniam per innumerabiles partes aliud alibi habeat, necesse est, & quantumcumque sit corpus, seu quantulumcumque corpusculum, loci occupet spatium: eundémque locum sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum.*

XXVII. Et tamẽ, inquit Rubeus, tota natura aeris est, tum in paruo, tũ in magno aere: tota natura aquæ, & in guttula, & in flumine. Ita est omnino, inquã, & tota natura corporis in minimo digito: etiam in vno granulo arenulæ. Quis ignorat? sed hoc putidissimũ est sophisma τῆς ὁμωνυμίας. Non enim debuit naturam dicere, sed substãtiam, & quidem primam. Nam natura aeris, & aquæ, est illud vniuersale, quo fit, vt aer sit aer, aqua sit aqua. Itaque prædicatur de hoc aere, de hac aqua. Quomodo natura corporis est, πάντη ἔχον διάστασιν, tertij Physicorũ quinto: siue πάντη ἐστὶ διαιρετόν, cap. 1. primi de cœlo. Et hęc natura tã est in grano arenulæ, quã in vniuersa terra. Sed non propterea in grano arenulæ tota est substantia vniuersæ terræ. Itaque, hæc existentia per modum substãtiæ, mera est Sophistarum Chimæra.

XXVIII. Argumentum tertium, ab authoritatẽ Augustini: à quo vnum locum Bellarminus excerpsit. Epistola 57. ad Dardanum, *Non potuit obtinere quantitas corporis, quod potuit qualitas: nam ita distantibus partibus, quæ simul esse non possunt, quoniam sua quæque spatia locorum tenent, minores minora, & maiora maiores, non potuit esse in singulis quibusque partibus tota, vel tanta sed amplior est quantitas in amplioribus partibus, breuior in breuioribus. & in nulla parte tanta, quãta per totum.* Et pòst, *Spatia locorũ tolle corporibus, & nusquã erũt: & quia nusquã erũt, nec erunt.* Hæc Bellarminus sibi describẽda putauit. Verũ, ego addo alia. Epistola eadẽ, quũ diceret Patrem, Filium, Spiritum Sanctũ, vbique totos esse, *Non enim*, inquit, *corpora sunt; quorum amplior sit in tribus, quàm in singulis magnitudo: nec loca suis motibus tenent, vt distantibus spatiis simul esse non possint.* Contra epistolã Fundamenti, capite decimo sexto, *Quicquid qualibet crassitudine distenditur, non potest, nisi minuta per partem, habendo aliud hic, & aliud alibi. Minor est enim digitus quàm tota manus: & minor est digitus vnus, quàm duo: & alibi est iste digitus, alibi ille, alibi cætera manus. Quod non solũ in mobilibus corporũ articulis videmus: sed etiam terra pars ista non est ibi vbi illa: quia suum locum quæque obtinet: & pars humoris, minor minore, & maior maiore loco est: & alia pars est circa fundum, alia circa oras poculi. Similiter aeris partes suos quæque implent locos: nec fieri potest vt aer, quo impletur hæc domus, simul secum in eadem domo habere possit etiam illum aerem, quẽ vicini habent: initúsque ipsius alia pars infunditur per hanc fenestram, alia per aliam; & maior per maiorem, per minorem autem minor. Nec omnino potest esse aliquod corpus, siue cæleste, siue terrestre, siue aereũ, siue humidum, quod non minus sit in parte, quã in toto: neque vllo modo possit in loco huius partis simul habere aliam partem, sed aliud hic, & aliud alibi habens, per qualibet spatia locorum distantia, & diuidua, vel potius, vt ita dicam, sectilis, mole distenditur.* Et capite decimo nono. *Deus, siue Manichæorum phantasmata perstrepũt, locorum ex vna parte determinato, ex aliis immenso spatio tenderetur, quantalibet in eo particula, & innumerabilia frusta essent, alia maiora, alia minora, pro cogitantis arbitrio metirentur: vt bipedalis in eo, verbi gratia, pars, octo partibus minor esset, quam decempedalis. Id enim necesse est contingat omnibus naturis, quæ per talia spatia diffusa, vbique tota esse non possunt, quod in ipsa anima non inuenitur.* Epistola tertia, *Hominum isto sensus est, nihil nisi corporea valentium cogitare: siue ista crassiora, sicut sunt humor atq; humus: siue subtiliora, sicut aeris & lucis: sed tamen corpora, quorum nullum potest esse vbique totum: quoniam per innumerabiles partes, aliud alibi habeat necesse est, & quantumcumque sit corpus, seu quantumcumque corpusculum, loci occupet spatium, eundémque locum sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum.*

XXIX. Eodẽ pertinet Cyrillus de Trinitate libro 2. *Si verè partitionem, & sectionẽ, diuina natura reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, & loco omnino, & magnitudine, & quantitate. Et si quanta facta esset, nõ effugeret circumscriptionem.* Addo Nazianzenum oratione secũda de Theologia, qui Deum negat esse corporeũ, hoc argumẽto, ἢ γὰρ διὰ κενοῦ χωρήσει τοῦ παντός, καὶ τὰ πάντα οἰχήσεται ἡμῖν, ἢ σῶμα ἐν σώμασιν ἔσται· ὅπερ ἀδύνατον, *Vel per inane meabit; & peribunt nobis omnia, vel corpus erit in corporibus, quod fieri nequit.* Eodem pertinet Ignatius Diaconus in vita Tharasij apud

non discerni corporea ab incorporeis. Nam hæc abstractio, seorsim considerans substantiam corporis ab eius dimensionibus, corpus contemplatur quatenus naturam habet communem cum natura incorporea: quomodo qui de homine disputat, quatenus est animal, non potest hominem disparare à bruto. Sed ea contemplatione hominem mutari in brutum, bruti est affirmare.

XVII. Alij contra maiorem armantur potiùs. Michael negat esse de essentia quantitatis occupare locum. Et probat, quia nulla actio, siue officium, est de essentia rei: At occupatio loci est actio, siue officium quantitatis. Ergo, non est de quantitatis essentia. Verùm Peretij & Conimbricensium non est minor, credo, authoritas, quàm Michaelis. Ad argumentum autem aliàs responsum est: Occupationem loci non esse in corpore actum diuersum à potentia. Itaque, tam esse de essentia quãtitatis, id est, corporis; quàm animantis viuere. Imò paulò post, idem affirmat Michael, quantitatem esse caussam formalem occupationis loci. At nemo verè Philosophus concedet caussam formalẽ separari posse à suo subiecto.

XVIII. Bellarminus negat etiam maiorem. Quia *si ex tota hac aula*, inquit, *in qua nunc sumus, Deus totum aerem auferret, nec aliud ingredi pateretur, nos omnes retineremus dimensiones nostras, & tamen spatio non contineremur.* Atqui primò, hoc quicquid est exempli, fictum est ad placitum. Itaque nullam vim habet. Secundò, supponit nullum locum esse, vbi nullum sit corpus ambiens: quod nos refutauimus. Ac sanè corpori Christi supra omnes cœlos constituti, non negatur locus ratione dimensionum: vbi tamẽ nullus est aer, & omnino nullum corpus ambiens. Cur ergo non essent in loco corpora intra eam aulam destituta aere, seruatis tamen propriis dimensionibus?

XIX. Secundum argumentum: Si totum corpus non occupet locum, ergo neque singulæ eius partes. Atqui hoc est absurdum. Ergo & illud. Probatur cõsequentia: quia concipi non potest, quomodo partes singulæ occupẽt locũ, & corpus nõ occupet. Multò minus quã, qui essent singulæ candidæ, & totum nigrum. Nam corpus actu idem est cum partibus omnibus. Probatur assumptum: quia si singulę non occupant locum, ergo non expellunt se mutuo: quare omnes sũt cõfusæ, & absq; vlla analogia. Et esset totum in toto, & totum in qualibet parte. Quod abhorret δι' ὅλου παντὸς à natura corporis: & maximè organici: quale est corpus Christi: Estque proprium Spiritui.

XX. Conimbricenses mira ænigmata loquuntur. Concedunt non minùs repugnare, duo corpora, quàm plures eiusdem corporis partes, simul existere. Verùm omnes simul esse corporis partes nõ posse negant. Et addunt partes ita simul positas nihilominus cõseruare eam extensionem & distinctionẽ, in qua essentia quãtitatis cõsistit. Explicat, ni fallor, Bellarmin⁹, quomodo balbus balbum intelligit: distãtiam, quæ est inter mẽbra corporis, quatenus in se extensum est, non esse distantiam localem, sed alterius cuiusdam generis. Et dici ea distare inter se, quæ non sunt immediatè coniuncta: & ea magis distare, inter quæ plura sunt interiecta, non interualla, sed membra. Nam in corpore supra cœlum distare pedes à capite, non per spatium locale, quod ibi nullũ est; sed per interiectionem pectoris, aliorùmque membrorum. Coffetæus etiam clarius. Hanc partium distantiam esse ordinem organicum partium distinctarum inter se; vt oculi, ne sint aures: neque labia nares: neque vna sit in alia.

XXI. At ista, Deus bone, quis sanus concipere possit? Distantiam partium in corpore negant esse localem. Sed contra Aristoteles quinto quarti Physicorum, asserens cœlum esse in loco per partes, quia mouetur circulariter. Nam certè hic motus est φορά. Itaque, secundùm locum. Et reuera interuallis sunt cœli partes distinctæ, in quibus est sursum & deorsum. Deinde corpus est quantum συνεχές. At τὸ συνεχές, vt colligitur ex Aristotele eodem capite, est cuius partes aliæ alias continent. Quod si est, tum necesse est interuallum esse. Confirmatur ex alia definitione τοῦ συνεχοῦς, tertij capitis quinti Physicorum, ὅταν τὸ αὐτὸ γένηται καὶ ἕν, τὸ ἑκατέρου πέρας οἷς ἅπτονται: *Quando vnus idémque est terminus partibus quibus sese contingunt.* Nam πέρας non potest intelligi absque interuallo. Secundò, opponuntur pedes capiti, tanquam contrarij loco: quia ἐναντίον κατὰ τόπον τὸ κατ' εὐθεῖαν ἀπέχον πλεῖστον. *Contrarium secundum locum id est, quod per rectam maximè distat.* Atqui non potest τὸ κατ' εὐθεῖαν ἀπέχον cogitari absque interuallo.

XXII. Veruntamen, si non est interuallum, quid est? Nam illud alterum genus Bellarmini nihil est. Coffetæus ergo esse vult ordinem organicũ partium distinctarum inter se, vt vna non sit alia. Atqui hoc portentum est. Primò, etsi corpus totum sit συνεχές: tamen partes eius inter se sunt quædam συνεχεῖς, quædam autem διωρισμέναι. Non enim caput est pedibus συνεχές: ratio est, quia non est vnus amborum terminus. At si distantia partium esset hic ordo organicus, omnes partes essent συνεχεῖς: quia is ordo est vniuerso corpori. Itaque tam coniuncti essent capiti pedes, quàm collum. Secundò, nullum corpus esset alio maius aut minus. Nam in omnibus idem est ordo organicus. Tũ autem magis & minus, nunquam quisquam audiit dictum propter ordinem, sed propter quantitatem, eiúsve dimensiones. Prætetea omnis ratio τῆς συνεχείας absque vllo dubio debet excludere τὸ διωρισμένον. At ordo hic non excludit τὸ διωρισμένον. Nihil enim obstat, teste Iauello in prædicamento, Quãtitatis, quominùs partes quãtitatis discretæ sint ordinatæ secundùm prius & posterius: quam rationem esse ordinis nemo hactenus dubitauit.

XXIII. Ad absurdũ de toto in toto, & in partibus; respondent Thomas parte tertia, quæstione septuagesima sexta, articulo quarto ad primum; tum esse *corpus per modum substantiæ; cuius natura est tota in toto, & tota in qualibet parte.* Et inde sumpserunt alij. Explicat etiam Rubeus in quartum Sententiarum distinctione decima. *Substantia ex sui natura, & quantum est de se, non determinat sibi locum paruum vel magnum; sed indifferenter continetur in parua & magna quantitate: sicut tota natura aeris in paruo vel magno aere: & tota natura aquæ in parua vt in guttula; & magna aqua, vt in flumine.*

XXIV. Rursus mera monstra. Per modum, inquit, substantiæ: at ego quęro cuius substantię: primę-ne an secundæ? Nam si secundæ; primò absurdũ est, corpora esse in loco, ad modũ secũdæ substãtiæ. Nã esse in loco, est actu existere. At secundę substantiæ nunquam actu existunt: cùm sunt mera entia rationis: vt τὸ ἄνθρωπος. τὸ ζῶον. Secundò, quomodo intelligunt secundam substantiam esse totam in toto, & totam in partibus? Nam totam in partibus, id est, suis speciebus: concedo esse, nimirũ totã naturam hominis in Petro, in Paulo, in Ioanne: nec maiore in

vno

vno quàm in alio: imò ne in omnibus quidem magis quàm in vno. Sed totam esse in toto; hoc verò ego capere non possum. Nam hic totum nullum intelligi potest, præter ipsam substantiam secundam: quæ, vt dixi, nusquam est per se actu: sed tantum in singulis indiuiduis.

XXV. Confugiene-ne ergo ad modum substãtiæ primæ, quæ actu existit? At ego quæram, cuius hoc est, suæ-ne an alienæ? Nam duplex est substantia, spiritus, & corpus. Et spiritus substantiam concedo esse totam in toto, totam in singulis partibus, quãquam hoc ipsum impropriè: cùm spiritus nullæ sint partes. Ergóne dicent corpus, non occupans locum, existere ad modum spiritus? At Fulgentius de fide ad Petrum, capite tertio, *Vnaquæque res ita permanet, sicut à Deo, cùm non esset, accepit, alia quidem sic, alia autem sic. Nec enim sic datum est corporibus, vt sint, sicut spiritus acceperunt.* Augustinus contra Epistolam Fundamenti, capite decimo sexto, *Omnino non potest esse aliquod corpus, siue cæleste, siue terrestre, siue aereum, siue humidum, quod non minus sit in parte, quam in toto.* Et póst: nam erit totus locus post pauca recitandus, *Anima nostra nullo modo inuenitur locorum spatiis aliqua mole distingui.* Lombardus primi distinctione trigesima septima, sectione duodecima, *Corporalis creatura ita est localis, vel circumscriptibilis, quòd terminatur definitione loci, & quòd dimensionem recipiens distantiam facit: spiritualis verò tantùm definitione loci includitur, cùm ita sit alicubi, quòd non alibi: sed nec dimensionem recipit, nec distantiam in loco facit: quia si multi essent spiritus hic, non eo coangustarent locũ, quò minùs de corporibus contineret.* Quum sint ergo ἀντιδιαιρούμεναι substantiæ species, spiritus & corpus, quis credat huic communicari illius idioma? Aut quis cõcipiat quomodo corpus, manẽs corpus, eandẽ habeat existẽdi rationẽ cum spiritu?

XXVI. Ergo necesse est intelligi corpus esse per modum suæ substantiæ, id est, corporeæ. Atqui falsũ est vllam substantiam corpoream primam existere totam in toto: & totam in qualibet parte. Augustinus contra epistolam Fundamenti, capite 19. *Deus, si locorum ex vna parte determinata, ex aliis immenso spatio, tenderetur, quantalibet in eo particula, & innumerabilia frusta essent, alia maiora, alia minora, pro cogitantis arbitrio metirentur: vt bipedalis in eo, verbi gratia, pars, octo partibus minor esset, quàm decempedalis. Id enim necesse est contingat omnibus naturis quæ per talia spatia diffusa, vbique tota esse non possunt.* Imò de aere ipso, quod in exemplum Rubeus assumpsit, idem eodem libro, capite 16. *Aeris partes suos quæque implent locos: nec fieri potest, vt aer, quo impletur hæc domus, simul secum in eadẽ domo habere possit etiam illum aerẽ, quem vicini habent.* Quod idem in aqua obtinere, quis dubitet? Idem epistola tertia: cũ corpora distinxit in crassiora, sicut humorem atque humum; & subtiliora, vt aeris & lucis, *Tum quorum, inquit, nullum potest esse vbiq; totum: quoniam per innumerabiles partes aliud alibi habeat, necesse est, & quantumcumque sit corpus, seu quantulumcumque corpusculum, loci occupet spatium: eundémque locum sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum.*

XXVII. Et tamẽ, inquit Rubeus, tota natura aeris est, tum in paruo, tũ in magno aere: tota natura aquæ, & in guttula, & in flumine. Ita est omnino, inquã, & tota natura corporis in minimo digito: etiam in vno granulo arenulæ. Quis ignorat? sed hoc putidissimũ est sophisma τῆς ὁμωνυμίας. Non enim debuit naturam dicere, sed substãtiam, & quidem primam. Nam natura aeris, & aquæ, est illud vniuersale; quo fit, vt aer sit aer, aqua sit aqua. Itaque prædicatur de hoc aere, de hac aqua. Quomodo natura corporis est, *κίνησις ἔχον διάστασιν*, tertij Physicorũ quinto: siue *κίνητὸν ἐν διαιρετόν*, cap. 1. primi de cœlo. Et hęc natura tã est in grano arenulæ, quã in vniuersa terra. Sed non propterea in grano arenulæ tota est substantia vniuersæ terræ. Itaque, hæc existentia per modum substãtiæ, mera est Sophistarum Chimæra.

XXVIII. Argumentum tertium, ab authoritate Augustini: à quo vnum locum Bellarminus excerpsit. Epistola 57. ad Dardanum, *Non potuit obtinere quantitas corporis, quod potuit qualitas: nam ita distantibus partibus, quæ simul esse non possunt, quoniam sua quæque spatia locorum tenent, minores minora, & maiora maiores, non potuit esse in singulis quibusque partibus tota, vel tanta: sed amplior est quantitas in amplioribus partibus, breuior in breuioribus. & in nulla parte tanta, quãta per totum.* Et póst, *Spatia locorũ tolle corporibus, & nusquã erũt: & quia nusquã erũt, nec erunt.* Hęc Bellarminus sibi describẽda putauit. Verũ, ego addo alia. Epistola eadẽ, quũ diceret Patrem, Filium, Spiritum Sanctũ, vbique totos esse, *Non enim, inquit, corpora sunt; quorum amplior sit in tribus, quàm in singulis magnitudo: nec loca suis molibus tenent, vt distantibus spatiis simul esse non possint.* Contra epistulã Fundamenti, capite decimo sexto, *Quicquid qualibet crassitudine distenditur, non potest, nisi minuitur per partem, habendo aliud hic, & aliud alibi. Minor est enim digitus quàm tota manus: & minor est digitus vnus, quàm duo: & alibi est iste digitus, alibi ille, alibi cætera manus. Quod non solũ in mobilibus corporũ articulis videmus: sed etiam terræ pars ista non est ibi vbi illa: quia suum locum quæque obtinet: & pars humoris, minor minore, & maior maiore loco est: & alia pars est circa fundum alia circa ora poculi. Similiter aeris partes suos quæque implent locos: nec fieri potest vt aer, quo impletur hæc domus, simul secum in eadem domo habere possit etiam illum aerem, quẽ vicini habent: lucisque ipsius alia pars infunditur per hanc fenestram, alia per aliam; & maior per maiorem, per minorem autem minor. Nec omnino potest esse aliquod corpus, siue cæleste, siue terrestre, siue aereũ, siue humidum, quod non minus sit in parte, quã in toto: neque vllo modo possit in loco huius partis simul habere aliam partem: sed aliud hic, & aliud alibi habens, per qualibet spatia locorum distantis, & diuidua, vel potius, vt ita dicam, sectilis, mole distenditur.* Et capite decimo nono. *Deus, si vt Manichæorum phantasmata perstrepũt, locorum ex vna parte determinato, ex aliis immenso spatio tenderetur. quantalibet in eo particula, & innumerabilia frusta essent, alia maiora, alia minora, pro cogitantis arbitrio metirentur: vt bipedalis in eo, verbi gratia, pars, octo partibus minor esset, quam decempedalis. Id enim necesse est contingat omnibus naturis, quæ per talia spatia diffusa, vbique tota esse non possunt, quod in ipsa anima non inuenitur.* Epistola tertia, *Hominum iste sensus est, nihil nisi corporea valentium cogitare: siue ista crassiora, sicut sunt humor atque humus: siue subtiliora, sicut aeris & lucis: sed tamen corpora, quorum nullum potest esse vbique totum: quoniam per innumerabiles partes, aliud alibi habeat necesse est, & quantumcumque sit corpus, seu quantumcumque corpusculum, loci occupet spatium, eundémque locum sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum.*

XXIX. Eodẽ pertinet Cyrillus de Trinitate libro 2. *Si verè partitionem, & sectionẽ, diuina natura reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, & loco omnino, & magnitudine, & quantitate. Et si quanta facta esset, nõ effugeret circumscriptionem.* Addo Nazianzenum oratione secũda de Theologia, qui Deum negat esse corporeũ, hoc argumẽto, ἢ γὰρ διὰ κενοῦ χωρήσει τοῦ παντὸς, καὶ τὰ πάντα οἰχήσεται ἡμῖν, ἢ σῶμα ἐν σώμασιν ἔσται, ὅπερ ἀδύνατον, *Vel per inane meabit; & perierunt nobis omnia, vel corpus erit in corporibus, quod fieri nequit.* Eodem pertinet Ignatius Diaconus in vita Tharasij apud

Baronium anni septingentesimi trigesimi sexti, paragraphu tertio. Loquitur autem de fœminis per foramen, vel portis clausis domum subeuntibus, & ex improuiso infantes inter furantibus, *O stuporem! O cordis oculorum cæcitatem! si corpus longitudine, profunditate, & latitudine coniunctum, ac constipatum in spiritum dissolutum procedit, & hoc facere creditur: Christus ergo, qui est ipsa veritas, dicens, Spiritus carnem, & ossa non habent, reputatus est phantasma ab iis qui hoc asserunt.*

XXX. Ad hos locos ex Patribus (etsi paucos tantùm describunt) respondent variè. Primò Sanctesius. Magnam esse Augustini & Cyrilli authoritatẽ: sed non tantam, vt eorum nudam affirmationem, nec Scripturæ, nec traditionis, ac ne quidẽ purioris Philosophię testimonio probatam, non aliter, quàm indubitatum fidei articulum liceat vrgere. Et verè, inquã: hoc apophthegmate, nihil verius. Ac ne nos quidẽ aliud quicquã magis vrgemus in tota Theologia, quàm Augustini, Cyrilli, aliorũ omnium authoritatem esse verè humanam: ideoque plenam fidem non facere absque Scriptura. Atque vtinam id Papistis omnibus esset semper ratum fixumq; principium. Verùm id optandum magis, quàm sperandum. Porrò corporum natura ad Theologiam non pertinet; sed ad Physicam. Possunt autem, credo, in humanis (& Physica humana est) hominum testimonia nonnihil habere ponderis, maximè peritorum, quales fuisse Augustinum, & Cyrillum, nemo negat. Destitui autem traditionis testimonio, quomodo potuit Sãctesius dicere, cùm ipsa scripta Veterum pertineant ad traditionem? Nullum Philosophiæ testimonium, cur dicit, cùm Philosophia nihil sit præter naturæ cõtemplationem: & habeant Augustinus & Cyrillus naturæ experientiam, quod est certissimum Philosophiæ principium? Quanquam Aristoteles definiens corpus τὸ πάντῃ ἔχον διάστασιν, satis amplum testimonium illis reddit.

XXXI. Secũdò, respondet idem Sanctesius, Augustinum Epistolam illam quinquagesimam, aliter obsignare, quã soleat fidei articulum proponere. Nã in his, quæ sunt fidei, magna asseueratione consueuisse intonare, *hoc est, quod dicimus: quod modis omnibus probare intendimus. Firmissime crede, ac nullatenus dubites.* Hanc verò epistolam ita: *Si qua vitia mea hic perspicis, ignosces.* Ne scilicet dicta, tanquam fidei articulum amplectamur, qui habeat ex verbo Dei immota fundamenta.

XXXII. Consueuit intonare, inquit. Et tamen prior illa phrasis, *hoc est quod dicimus*: omnino semel tantùm legitur in Gratiano de cõsecratione, distinctione secunda. Altera nusquam. Nam librum de fide ad Petrum Diaconum, non esse Augustini, lippis iam notum, & tonsoribus. Imò illud ipsum, *firmissimè tene, & nullatenus dubites*, Erasmo indiciũ fuit fœtus suppositi. Quod si hoc argumentum est, vt euincatur, non proferri articulos fidei ab Augustino: tum verò, aut nunquam, aut semel ad summum, ab eo propositus est articulus fidei. Quod est absurdũ. Sed idem hanc claudens epistolam postulat ignosci sibi vitia. At, inquam, primò, non hæc sola epistola est, vnde testimonia promimus. Nam in epistola Fũdamenti seriò disputatur cõtra Manichæos, & quidem de articulis fidei; nec vlla est veniæ postulatio. Nulla etiam epistola tertia. Deinde, cur nolunt Papistæ Machabæorum authoritatem minui hac veniæ postulatione: & volunt huius epistolæ? Tertiò: non sunt nihilominus nulli in eadem epistola articuli fidei. Nam, *Noli dubitare ibi nunc esse hominẽ Christum, Iesum vnde venturus est.* Item, *Vna persona Deus & homo est, & vtrumque est vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cælis per id quod homo.* Item, *Est ergo Deus per cuncta diffusus.* Hi, inquam, sunt certissimi articuli fidei. Et hoc ipsum, de quo nunc agimus, iis articulis explicandis seruit. Denique meminerimus, non agi hic de articulo fidei: sed de re naturali, nempe de corporum natura.

XXXIII. Tertiò, respõdet Ioannes Hayus Disputationum libri secundi, capite 36. Agere Augustinũ de corporibus, quę locis circumscribuntur: Eiusmodi enim corpora naturaliter, sine locis consistere non posse. Sic Sanctesius, Cyrillum, tantùm de corporibus coextẽsis, & diuisibiliter existẽtibus. Quasi verò, inquam, aut sint vlla alia corpora: aut ab Augustino & Cyrillo ponantur. Imò agunt de corporibus: eaque negat Augustinus posse existere absque loco. Enimuerò, si dicam sublata ratione, nullũ esse hominem: certum est me de hominibus loqui rationalibus. Sed falsum mihi alios vllos homines venire in mẽtem. Cyrillus ponit pro certo, Deum fore corpus, si partitionẽ admitteret. Ergo, inquam, aut insaniuit, aut credidit, quicquid admittit partitionẽ, esse corpus. Sed an non contrà, omne corpus partitionẽ admittere? Qui potest; cùm sit definitio corporis σῶμα διαιρετόν? Sed idem docet, si Deus foret corpus, futurum in magnitudine, in quantitate, in loco, ideoque non effugiturum circumscriptionem. Rursus ergo, aut insaniuit, aut credidit omne corpus esse in loco, in magnitudine, in quantitate. Nullum corpus effugere circumscriptionem. Et hæc nobis sufficiunt.

XXXIV. Quartò, respondent Sanctesius, Hayus, Coffetæus, Augustinũ, & Cyrillũ disputare de corporum conditionibus, secundùm ordinẽ naturæ. At non de eximia Dei virtute, quæ creaturas versat ad arbitrium. Probãt, quia lib. 9. de Genesi ad literam, capite 17. *Super motũ cursúmq; rerum naturalem* (inquit Augustinus) *potestas creatoris habet apud se posse de omnibus facere aliud quã eorum quasi seminales rationes habẽt: non tamen id quod in eis posuit, vt de his fieri, vel absque ipso possit.* Et libri vigesimi primi de Ciuitate Dei, capite octauo, *Sicut non fuit impossibile Deo, quas voluit instituere: sic ei non est impossibile in quicquid voluerit, quas instituerit, mutare naturas.*

XXXV. Respõdeo: ordinem naturæ varium esse. Aliquando enim intelligi de iis conditionibus, quæ ad tempus duntaxat insunt rebus. Alias verò, de ipsa rerum essentia, sine qua res esse non possunt, id quod sunt. Iam Patres illos loqui de ordine naturæ in priori significatione, hoc verò nego: sed in posteriori certum. Apparet ex ipsis verbis. Nam illud, *spatia tolle, & corpora non erunt*: nihil aliud potest significare, quã esse corporibus, tam essẽtialia spatia locorum, vt absque iis corpora esse nequeant corpora. Nec aliter Cyrillus, negans, vel Deum ipsum, nedũ aliquid creatum, effugiturum, aut locum, aut circũscriptionem, si esset corpus: nam id sibi vult, nõ posse esse corpus, nisi sit in loco, & circumscriptum. Quæ verba omnino essentialem illum ordinem describunt; quem dixi: non vllum alterum temporalẽ. Nunquam enim Augustinus dixisset, *Tolle alimentorum vsum: & non erunt corpora.* Nunquam Cyrillus, *Si Deus esset corpus, ergo alimentis vteretur.* Quia etsi verum, hunc esse huius naturæ ordinem, vt corpora animata alimentis vtantur: tamen non est is ordo, vt si alimentis non vtantur, omnino ne sint: aut etiam ne sint animata.

XXXVI. De Omnipotentia omnino solidè, ac sincerè, & credidisse & scripsisse Augustinum, ac Cyrillum, nobis planè persuasum est. Nec quisquam dubitat posse à Deo, & de spiritu fieri corpus: & de corpore spiritum, si velit. Cur non enim æquè, ac de nihilo omnia? & si faceret, tum verum futurû, corpus non occupare locum: & spiritum occupare: sed in sensu diuiso. At in sensu composito: vt corpus, manens corpus, nec mutatum in spiritum, non occuper locum, hoc verò, neque Augustinus, neque Cyrillus cogitauit, nedum dixit. Imò contrà. Nam B cuicumque certum est, sublatis spatiis locorum, nô existere corpora: eidem hoc persuasissimum esse necesse est, corpus esse & non esse in spatio loci, implicare contradictionem. At Augustinus credidit cótradictoria non cadere in Dei potentiam. Cyrillus etiam manifestè: cùm dixit, si Deus foret corpus, futurum in loco, & circumscriptum: hoc ipso docuit, non cadere in Dei Omnipotentiam: vt corpus sit corpus, & simul sine loco, & circumscriptione. Aliter necesse esset Augustinum, & Cyrillum animo C comprehendisse duas enuntiationes ἀντιφατικὰς simul esse veras. Quod est absurdissimum.

XXXVII. Quintò, respondet Bellarminus, Augustinum quædam dicere de corpore Christi, quædam generaliter de corporibus. De illo, non esse vbique diffusum, ita vt forma, & figura humana careat. De illis; primò, corpora magnitudinem habentia, extésa esse, & habere certum ordinem partium: nec fieri posse, vt tāta sit magnitudo vnius partis, quanta totius. Secundò, corpora esse in loco, ita vt pendeant D à loco: contrà, Deum ita esse in loco; vt locus potiùs pendeat ab eo. Porrò, primum & secundum membrum, verum esse. Sed primum esse côtra Vbiquitas. Secundum, non contra Papistas; quia non requirit Augustinus, vt corpus necessariò coextendatur loco; sed tantùm, vt sit in se coextensum. Tertium intelligendum de corporibus, quæ sunt intra cœlum, & quatenus naturaliter existunt: alioquin falsum esse: vt patet in summo cœlo.

XXXVIII. Ego verò concedo, primum membrû E non pertinere ad hanc quæstionem, de occupatione loci: sed ad proximam de pluribus locis. Itaque non erat necesse huc inducere. Quod tamê Sophistam non potuit absque immani fraude: quorsum enim illud, *Ita vt forma, & figura humana careat*. Est-ne ab Augustini verbis? Minimè gentium: sed Sophistæ dolo malo, qui sperauit nonnullis visum iri corporum vbique diffusorum, alia carere forma humana, alia minimè. Sed in secundo & tertio, meros fumos vendit. In secundo, falsum est non requiri ab F Augustino, vt corpus coextendatur suo loco. Nónne enim disertè, ideò non posse quantitate coesse totam, vel tantam in singulis partibus: quia distâtes partes simul esse nô possint, *quoniam sua quaque* (oépe partes) *spatia locorum tenent: minores minora, maiora maiora*. Rursus, *quicquid qualibet crassitudine distēditur, non potest, nisi minus per partes, habendo aliud hic, & aliud alibi*; quod exemplis illustrat corporis organici, tum terræ, aquæ, aeris, lucis. Et rursus, nullum corpus vllo modo posse in loco huius partis, simul habere aliam partem, sed aliud hic, & aliud alibi habens, per G qualibet spatia locorum, distanti, diuidua, secubi mole, dissiendi. Denique, *quantumcumque sit corpus, & quantulumcumque corpusculum loci occupare spatium, ita vt in nulla eius spatij parte sit totum*. Et quæ hæc tandem est tanta audacia, vt post hæc ita scripta, ita lecta, persuadere audeat non loqui Augustinum de coextésione ad locum? Nam istum Sophistam oportet A omnes homines habere pro fungis, aut stipitibus, qui nihil sentiant, nihil cogitent.

XXXIX. In tertio membro, primùm, vnde illud *pendere à loco*: neque enim apud Augustinum vsquam est. Hoc lego, *Si spatia locorum tollantur nusquā esse corpora, hoc est, non esse*. Hoc si appellat pédere à loco; non contendam ego quidem de vocibus. Sed, intelligēdum Augustinum de corporibus solis, quæ sunt intra cœlum, hoc verò falsissimum. Nulla enim B vnquam fuit vniuersalis enuntiatio, si hæc non fuit *Quantumcumque sit corpus, quantulumcumque corpusculum. Tolle spatia corporibus, & nusquam erunt*. Præterea, quid illud est, *infra cœlum*? Atqui Augustinus disertè, *Neque omnino potest esse aliquod corpus, siue cœleste, siue terrestre siue aereum, siue humidum*. Tum verò Cyrillus etiam Deum negat effugiturum locum, & circumscriptionem, si esset corpus: & mihi aliquis excipiat corpora quædam supra cœlos?

C

CAP. IX.

An corpus aliquando fuerit pluribus locis.

I. SVperest thesis tertia, de vno corpore in pluribus locis. Quæritur ergo, an possit vnū idemque numero corpus, simul eodemque momento præsens per se consistere in diuersis locis. Papistæ affirmant in transubstantiationis gratiam, quæ, si hoc non concedatur, funditus perit. At Catholici negant: ne pro articulis fidei, monstra inuehant in re- D rum naturam.

II. Primum argumentum Papistis ab experientia: quod in hanc formam concipit Gregorius de Valentia: Quod diuinitus aliquando factum est, id sine omni dubitatione fieri potest diuinitus. Factum est autem aliquando diuinitus, vt Christus corpore suo præsens simul esset in cœlo, & in terra, vel penes terram. Potest igitur fieri diuinitus, vt Christi corpus non vnico adsit tantùm loco; sed in pluribus ipsa sit præsens. Maior est extra contradictio- E nis aleam. Minorem probant. Primò, quia ex quo Christus, videntibus Apostolis, in cœlum est assumptus, constet nullo temporis momento abfuisse, vel abfuturum esse, à cœlo, donec mundum iudicaturus ita veniat, quemadmodum discessisse visus est. Psal. centesimo decimo, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponā inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: id est, in finem vsque, teste Apostolo prioris ad Corinthios decimo quinto, *Cùm scilicet tradiderit* F *regnum Deo & Patri: cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem*. Item Actorum tertio, *Quem oportet cœlum suscipere, vsque ad tempus restitutionis omnium*.

III. Iam verò eundem, qui semper fuit in cœlo, fuisse aliquando in terra, probant. Primò, quia Actorum nono & vigesimo secundo, Paulo apparuit in via eunti in Damascum. Secundò, eidem rursus, Actorum 23. in carcere. Sed & aliàs. Romę quidem, Petro, in via Appia: vbi nunc oratorium, eius rei memoriam, nomen est, *Domine, quò vadis*: Authores, G Origenes tomo 21. in Ioannem. Ambrosius oratione contra Auxentium. Hegesippus libro 3. de excidio Hierosolymitano. Athanasius, licet paulò obscuriùs, Apologia pro fuga sua. Iterum, Antonio à dæmonibus grauissimè cæso: autor Athanasius in eius vita. Tharsillæ apud Gregorium, Dialogorum libri quarti capite decimo sexto. Ipsi Gregorio apud Ioannem Diaconum libri secundi de eius vita,

capite vigesimo secundo. Denique alias, teste Paulino epistola ad Macarium.

IV. Respondeo: propositi Syllogismi negari minorem. Nunquam enim esse factum, vt vnum idemque corpus humanũ simul in cœlis fuerit, & in terris. Ad confirmationem autem dico, axioma prius, primò, fortè non esse necessarium. Quid enim, si dicamus cœlum esse Christi hominis domicilium ordinarium, ita tamẽ, vt sibi liberũ reseruarit extra ordinẽ terras visitare? Aut, cur non Christo dabimus, quod Petro Papistę: quem, etsi volunt sedisse Romę ad mortem vsque, id est, annis vigintiquinque; tamen agnoscũt excurrisse in varias orbis prouincias? Ego sanè id mallem, in quo nulla est absurditas; quã tantum ἀτοπον cõcedere vnius corporis in pluribus locis. Et tamen habeatur sanè pro certo. Ast alterum axioma concedi non debet. Agam de singulis exemplis.

V. Primum est, cùm Paulus, proficiscẽs Damascũ, dicitur vidisse, & audisse Dominum in terris. Hic verò dico, primò, nõ esse certum Christi corpus visum fuisse à Paulo. Neque enim id, aut textus dicit, aut vllæ circumstantiæ demonstrant. Imò, describitur lux subitò perstringens Paulum. Et lux quidem multa. At hæc solet aciem oculorum retundere, visumque adeò interuertere, vt ne proximè quidem adsita videãtur, nedum procul dissita. Quin & Paulus excæcatus est, vt surgens nihil videre potuerit. Quòd si accedentem non vidit præ subito fulgore: nec recedentem potuit prę cæcitate. Ergo, verisimile est omnino, tum non vidisse. Itaque Salmero in Acta, tractatu vigesimo nono, vocem audisse, sed faciem non vidisse, scripsit.

VI. Probat tamen visum. Primò, quia comites dicuntur quidem vocem audisse, at neminem vidisse, per antithesin, quasi dictum, comites audisse vocem, neminem vidisse: at Paulum, & audisse vocem, & vidisse aliquem. Secundò, quia capite Actorum vigesimo secundo, dicat Ananias, *Deus Patrum nostrorum prædestinauit te, vt cognosceres voluntatem eius & videres Iustum, & vocem audires ex ore eius*. Ergo, & vidit Paulus Christum, & vocem audiuit, non ex nube, aut Angelorum ministerio formatam in aere, sed ex ore Christi. Tertiò: *ad hoc apparui tibi*, ait ipse Christus, capite vigesimo sexto, *vt constituam te ministrum & testem eorum, quæ vidisti*. Ergo, fuit Paulus testis oculatus resurrectionis. At non fuisset, nisi corpus ipsum vidisset. Quartò, Paulus prioris ad Corinthios nono, *Nónne Dominum nostrum vidi?* cùm probares Apostolatum suum. Denique, capite decimo quinto eiusdem, *Nouissimè, tanquam abortiuo, visus est & mihi*: cùm priùs dixisset visum Petro, Iacobo, & aliis. At hæc probatio resurrectionis non valeret, nisi vidisset ipse, vt alij viderant.

VII. Respondeo ad primum, Antithesin esse commentitiam: neque esse vllum eius in textu vel tenuissimum indicium. Imò, simplex est narratio; quæ post ea quæ Paulo acciderant, ea quoque proponit, quæ comitibus. Nam Paulum, & subita luce perfusum, & prostratum, & excæcatum, non mirum nihil vidisse, solam vocem audisse. Promptum autem erat quærere, quid autem comites, qui nec prostrati, nec excęcati? Tum hi verò, inquit, æquè cum Paulo vocem audierunt, neminem viderunt. Quo nouo indicio colligimus Christi corpus nõ fuisse in terris: alioquin videndum fuisse à comitibus. At vidit Paulus Iustum. Sanè, inquam: cur non enim vidisse dicatur, qui viuentis, loquentisque, & operantis, tanta habuerit experimenta? Aut cur non videre hîc minùs aptum sit vocabulum, etsi ad sensum oculorum non referatur, quàm alibi, cùm describuntur etiam ἐκστάσεις. Nam Actorũ vndecimo, εἶδον, inquit Petrus, τὰ τετράποδα τῆς γῆς, *Vidi quadrupeda terræ*: & quidem, ἀτενίσας, *intentis oculis*: siue, vt capite 10. mo, θεωρῶν, *conspiciens*. Et rursus vigesimo secundo, ἐγένετο γενέσθαι με ἐν ἐκστάσει, καὶ ἰδεῖν αὐτόν· *Contigit mihi, vt raperer extra me, & viderem eum*. Et in Apocalypsi quoties? capite primo, *Quod vides, scribe. Vidi septem candelabra aurea. Cùm vidissem eum, cecidi ad pedes eius.* Quarto, *Post hæc vidi, & ecce ostium apertum*. Et alia plurima, quæ omnia colligere non est necesse. Denique Ambrosius, capite postremo tertij de Spiritu Sancto, *Paulus, cùm oculos perdidisset, quomodo, nisi in spiritu, Christum videbat*. *Vnde & Dominus ait, Ad hoc enim tibi visus sum, vt constituerem te ministrum & testem eorum, quæ vidisti, & eorum quæ visurus es.* Item Oecumenius & Theophylactus in Actorum nonum: & illud Ananiæ, *qui apparuit tibi*, [Greek illegible] *At qui non est visus. Imò per effecta, & efficaciam est visus.* Et verò vocem illum audisse, non ab aere, sed ab ore Christi, fateor, sed ἄνωθεν. inquit Theophylactus. Augustinus, *à cælis*, & inde potuit audire: nec tamen Christum videre.

IX. Fuit oculatus testis resurrectionis. Imò, inquam, non resurrectionis, sed eius qui resurrexerat. At non sequitur, tum temporis fuisse visum corpus. Quia suppetebant alia experimenta certissima, lux immensa, acceptæ, redditęque voces: denique tota visio non exstatici, sed vigilantis, mouentis, attenti: & cur non hæc faterentur sufficere ad rei certitudinem, illi, qui millies millenas monachorum, monacharúmve visiones ingerũt, infinitis partibus istac minores, ad fidem faciendam suis dogmatis recentibus? Potuit igitur verè Paulus dicere, Dominum sibi visum, his nixus experimentis. Bernardus sermone primo in Conuersione Pauli, *Lucis & vocis testimonia credibilia facta sunt nimis. nec dubitare est de veritate, quæ sese ingerit per vtrasque, oculorum scilicet, auriúmque fenestras.* Denique, cur non valeret eius testimonium ad probandam resurrectionem, nisi æquè vidisset cum Petro, & Iacobo? Nam, absit, vt Bellarmino quicquid in buccam venerit, nobis sit pro oraculo. Quòd si esset, tum alius negaret æquè valere, quia non sit versatus cum Christo familiariter, nec sumpserit cibum, potúmve.

X. Et esto tamen: visus sit, tum temporis à Paulo Christus. An propterea penes terram? Hoc negamus, & è cœlis potiùs asserimus. Nec solus, nec pomi Augustini fuit hæc constans sententia. In Psalmum quinquagesimum quartum, *Caput, & membra vnus Christus: caput in cælo erat, & dicebat, Quid me persequeris?* In primam Ioannis Tractatu decimo, *Non expauescis vocem capitis de cælo clamantem pro membris suis, Saule, Saule, quid me persequeris?* Et infrà, *Ascensurus enim, dixit nouissima verba. Post ista verba, non est loquutus in terra. Ascensurum caput in cælum, commendauit membra in terra: & discessit. Iam nõ inuenis loqui Christum in terra. Inuenis illum loqui, sed de cælo. Et de ipso cælo, quare? Quia membra calcabantur in terra. Persecutori enim Paulo dixit desuper, Saule, Saule, quid me persequeris? Ascendi in cælum, sed adhuc in terra iaceo: hic ad dextram Patris sedeo: ibi adhuc esurio, sitio, & peregrinus sum.* De Ciuitate Dei libro 17. capite nono, *Vt intelligamus de ipso dici quodammodò, quod de eius corpore dicitur: propter quod etiam ipse de cælo, cùm corpus eius, quod sunt fideles,*

les, Saulus persequeretur, Saule, inquit, Saule, quid me persequeris?

XI. Augustino attestantur, & alij. Irenæus libri tertij capite decimo quinto, *Habent necessitatem recipere etiam eam testificationem, quæ est de Paulo, dicente ipso* (Luca) *primum quidem Dominum ei de cælo loquutū, Saule, Saule, quid me persequeris?* Ephrem encomio in omnes Sāctos Martyres, *E cælo vocatus. Paulus à benignissimo Domino cohibitus est, & retardatus.* Isidorus Pelusiota Epistola quatercentesima nona libri primi, [illegible Greek] *Supernaturalia, diuináque documenta, cum dáceret Paulum Dominus, è cælo eum alloquitur, vt prædicationem, quam ei commissurus erat, cælestem esse demonstraret.* Drogo Hostiensis sermone primo de Sacramento Dominicæ passionis, *Et nunc, Domine, doles tu super Saul & Ionatam filium eius, qui occumbunt quotidie super montes Gelboe. Nisi enim doleres, non clamares de cælo, Saule, Saule, quid me persequeris?* Maxentius Ioannes dialogo secundo, *Nam & Ecclesia, corpus eius dicitur, eiusdémque Ecclesiæ, facit Deus proprias passiones: pro qua etiam in cælo positus, clamat, Saule, Saule, quid me persequeris?*

XII. Neque ab istis dissentiunt, Gregorius Romanus Moralium libri trigesimi, capite vigesimo quarto, *Carnali sapientia contra Deum, Saulus obdurnerat, quando cor eius nulla prædicationis Euangelicæ sagitta penetrabat. sed postquam fortis cælitus increpatione iaculatus, & superno respectu cæcatus est, lumen, quippe vt acceperat amisit, ad Ananiam veniens, illuminatur.* Theophylactus in nonum Actorum; Vocem à Paulo auditam cœlestem vocat, [illegible Greek] *Quam vocem audierunt comites Pauli: Ipsius Pauli respondentis. At cælestem ipse solus audiuit.* Oecumenius vero, [illegible Greek] *Audientes quidem vocem, non ex alto vocem audierunt, qui erant cum Paulo: sed vocem Pauli: at neminem videbant cui responderet. At Paulus tantùm illam ex alto.*

XIII. Et tamen contrà disputant, vt doceant, corpus Christi, tum temporis fuisse in terra, vel in aere proximo. Et credo proximum hunc aerem animos fecisse Cotono, olim aduersum me murmuranti, solemne illud, *volucres cæli*, cùm illa Patrum testimonia præsens præsenti obijcerem. Nempe, hoc volens, sic intellexisse Augustinum, fuisse tū temporis Christum in cœlo, nempe in quo & lusciniæ esse dicuntur. Quo nihil dici potest absurdius. Nam, primò, etsi ita solet aliquando cælum intelligi in Scripturis: tamen non solet ita vsurpari à Patribus. Deinde, quæ, malum, hæc proteruia est? Quasi non indicet Augustinus quod cœlum intelligat? *Ascendit, inquit, caput in cælum.* Et pòst, *Hic ad dextram Patris sedet.* Vbi ergo erat ibi, vnde loquebatur. An igitur sedet Christus ad dexteram Patris in aere cum coelo, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.

XIV. Sed conantur tamen probare, fuisse corpus Christi in terrâ. Primò, quia excæcatus est Paulus à luce, & non potuisset lux illa corporis Christi lædere, nisi propinqua fuisset. Secūdò, etiam comites lumen viderunt, & vocem audierunt: ergo, vel in terris, vel in aere proximo, Christus apparuit. Quia summum cœlum, oculis & auribus, comites non penetrassent. Tertiò, comites, licet audierint vocē, tamen non distinctè. Ergo, propinquior Christus Paulo

fuit, quàm comitibus, vt quasi in aurem loqueretur. Si enim de cœlo: ergo omnes audissent. Quartò, illa interrogatio, *Quis es, Domine?* & responsio, *Ego sum Iesus, quem tu persequeris*; apertè indicāt præsentiam Domini. Nam si Paulus vidisset in summo cœlo, vt Stapletonus: nō dubitasset quis esset. Quintò, si solum vidisset in cœlo, non fuisset Paulus testis idoneus resurrectionis: quia facilè potuisset eludi testimoniū, dicendo, aut deceptum fuisse, aut sola imaginatione vidisse. Addit sextum Cotonus. Ananias ad Paulum, *Dominus*, inquit, *qui apparuit tibi*, [illegible Greek] non simpliciter *in via*: sed *in via qua veniebas*: quod idem est, ac si diceret: *in ipso existens in eadem via tecū*: nisi fortè Lucas, battologiæ accusetur. Sextum Cotonæus Actorum vigesimo sexto, *Surge, & sta in pedes tuos: ideirco enim apparui tibi, vt designarem te ministrum, ac testem.* Ergo, Christus ipse, suas Paulo manus imposuit.

XV. Respondeo ad primum: Lucem illam fuisse quidem proximā Paulo, & ideò excæcasse: sed corpus tamen, vnde illa lux (si fuit tamen illa à corpore Christi, quod Scriptura non explicauit: nos neque negamus, neque vt certum admittimus) corpus, inquam, illud non æquè fuisse iuxta Paulum. Quomodo sciunt omnes solem à suo cœlo non descendere, & tamen eius luce Regulum fuisse obcæcatum. Ad secundum, primò, non consentire Bellarmino Cotonum; negantem splendorem istum percussisse oculos comitum: hoc argumento, quia excæcati non fuerint. Comparēt inter se si libet. Quanquam Bellarminus, teste Paulo, superior Cotono est. Actorū vigesimo secundo. Deinde argumenti vis nulla: nā lux, itē vox è cœlis percipitur ab ijs, qui sunt in terris: etiamsi neq; oculi, neq; aures penetrent cœlos: Est enim earū natura, vt agant in obiecta remotissima à sui origine. Certè Geneseos vigesimo secūdo, *Clamauit ad Abrahamum Angelus Domini è cælo*, nec ille, puto, non audiuit. Similiter posterioris Petri primo, *Hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam.*

XVI. In tertio, sumitur incertum, comites audisse sonum loquentis Christi. Nam id Paulus disertè negat capite 22. Ideoque Patres, capite 9. consentiunt audiuisse vocem Pauli: vt Theophylactus, & Oecumenius. Quāquam illud sanè videtur facilius auditum etiam Christi loquentis sonum: at non assequutos comites mentem eius soni. Porrò, non sequitur, si non distinctè audierunt comites: ergo vocem non editam è cœlo. Nam Ioann. 12. dicitur vox facta de cœlo, ab omnibusque audita: sed adeò non distinctè ab omnibus, vt alij dicerent tonuisse: alij Angelum loquutum esse. Nam, qui Angelum loquutum esse dicebant, sine dubio distinctiùs audisse necesse est, quàm qui tonitru dicerent, & hos ipsos aliquem sonum percepisse certum. Nam si nullum, quo à prætextu tonitru dicerent? Nō ergo mirum hic eandem vocem è cœlo factā, & distinctè auditam à Paulo: & non distinctè à comitibus.

XVII. In quarto: Primò, vt dixi, non est certū fuisse à Paulo Christi corpus visum. Secūdò, etsi visum, non tamen necesse est fuisse agnoscendū. Nō enim visus causa est agnitionis: alioqui, quoscūque videmus, agnosceremus: quod cōtrà fit: sed præcedēs aliqua cognitio, siue per sensum, vt agnouisse dicitur Ioseph fratres suos sibi prius familiariter cognitos: siue per contemplationē, quomodo credo agnitos ab Apostolis, Mosē, & Eliā in transfiguratione. At hæc neutra causa esse potuit in Paulo: quē non cōstat vidisse Christum in carne cum Apostolis: & certū est

hactenus non credidisse Christū esse in cœlis. Aliàs, quomodo posset dicere se ignorātem fecisse? Quid autem? Illud, *Quid me persequeris*, nulliúsne erat momenti? Aut quomodo potuit ille, tum nihil spirans præter minas, in animum sibi inducere, se persequi, vel Christum, quem non credebat, nisi mortuum: vel omnino aliquem in cœlis positum? Cùm ipse potius iret in eos, quos sciebat esse Damasci. Non mirum igitur, & à Stephano Christum in cœlis fuisse agnitum, cui iam id erat persuasissimum: & à Paulo non agnitum, qui nihil tale credebat.

XVIII. In quinto falsum est, non futurū testem idoneum, si vidisset in cœlis. Cur nō enim? Prædicatio Apostolorū duo continebat capita: & resurrexisse Christum: & esse in cœlis receptū in gloriam. Vtrūque hoc caput Paulo cōstabat, si sic vidit in cœlis. Ast alterū tantō, si vidisset in terris. Atqui potuisset eludi testimoniū. Credo, inquā. Quid non enim molitur hominū nequitia contra veritatem? At non propterea infirmum est testimonium, quia aliquo cauillo eluditur. Alioquin, quid esset in Euangelio certi? Cùm resurrexit Christus, reperti sunt qui dicerent raptum de sepulchro. Cum Apostoli pleni spiritu loquebantur magnalia Dei, cauillantur plurimi esse musto plenos. Cum prædicat resurrectionem Paulus, audit σπερμολόγος. Quid multa? *Venit Ioannes, nec edens, nec bibens*, (Matthæi vndecimo) *& aiunt, dæmonē habet: Venit Filius hominis, edens, & bibens, & dicunt, Ecce homo bibax, & vini potor, publicanorum amicus & peccatorū*. Adeò obstinatè vitulētum est humanum ingeniū, & in suam perniciem sophisticum. Sed nō propterea, aut Ioannis, aut Christi prædicatio non fuit authentica. Sic etsi mille cauillis Pauli testimonium Iudęi eleuare studuissent, tamen ideò firmum, certumq́; fuisset nihilominus, quia Christū in cœlis vidisset. Tum autē, quid promouet Bellarminus? aut qui credit nullum fore locū vllis cauillis, si vidisset Paulus in terra Christum? Maximè cùm oppositos testes haberet suos comites, qui iurare poterant se neminem vidisse? Breuiter: aut cauilli malè feriatorum, nihili faciendi: aut ne pugnandum quidem pro Christi corpore in terris.

XIX. In sexto, fæliciórne Cotonus, an confidentior? qui illud, *Visus est tibi in via, quâ venisti*, exponat, *ipse præsens fuit in eadem via tecum?* Quasi illud, *qua venisti*, pertinere possit ad explicandum quomodo visus sit: & non potiùs ad designandā viam, non quālibet, sed hanc vnam & peculiarem. Scilicet, metuūt battologiā delicatulæ Cotoni aures, viri benedicēdi peritissimi. Quasi battologia vlla esset, & nō potiùs certissima circumstantia ab Anania addita, vt sciret Paulus sibi certissimè reuelatum fuisse, quod ei acciderat, annotato, & loco & tempore: quasi diceret, Scio tibi apparuisse Christum; & quidem nunc recens, cùm esses in via, atque huc venires.

XX. Septimum, si euicerit Cotonus, quid supererit præter triumphos? Nam sanè, si impositæ Paulo manꝰ Christi, nemo est Catholicorū, tā ferreus, qui non concedat Christi corpus fuisse in terris? Verùm, quis credat nondum baptizato manus impositas? Aut, si tum, & quidē ab ipso Christo, cur posteà iterum, & à discipulis? Actorum decimo tertio, Quis credat Paulo, tum impositas à Christo, à quo, ne præsente quidem cū esset in terris, vnquam fuēre impositæ reliquis apostolis? Denique τὸ προχειρίζεσθαι, nunquam significat χειροθετεῖν. Atque adeò Ananias, capite vicesimo secundo, vsus est eodē verbo, quod à Latino interprete redditur, *præordinauit*, à Caietano, *præparauit*. Salmero ipse annotauit, *Græcè habetur, præparauit*. Erasmus, προεχειρίσατο, *præparauit te, siue prius apparauit te*.

XXI. Atque hactenus de prima apparitione. Alteram ex Actorum vicesimo tertio, valde vrgēt Cotonus & Caronæus. Lucas, *Cum magna seditio esset, veritus tribunus, ne Paulus ab ipsis discerperetur, iussit militū manum descendere, & eum rapere de medio eorum, ac ducere in castra. Sequente verò nocte*, ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ κύριος, *adstans ei Dominus, dixit, Confide Paule*. ἐπιστὰς, ἐπιστὰς, clamat Cotonus, totus Græculꝰ, an Gracculus, nunc nuper Athenis redux, ἐπιστὰς αὐτῷ, id est, *assistens, atque stans iuxta eum*. Et Cæsar Bulengerus contra Plessæum ad tertium caput quarti de Eucharistia, ἐπιστὰς, inquit, *assistens, & stans iuxta Paulum, ne quis dicat apparuisse ex cœlo*.

XXII. At vos tam auidè pergræcati estis, vt obliti sitis nocturnam visionem describi: & in visionibus, imò in somniis, quia imaginatio haud aliter afficitur, quā si res ipsæ sensibus offerrētur, ita describi omnia, quasi essent realiter gesta, etsi nō sint. Inde est, non hîc tantùm, ἐπιστὰς· sed etiam ἑστὼς. Actorū decimo sexto. Et visio per noctem apparuit Paulo, ἀνήρ τις ἦν Μακεδὼν ἑστώς, *Vir Macedo quidē aderat stans*: vt & Danielis tertio, *Statua illa magna, & statura sublimis* קאם לקבלך, ἑστῶσα [illegible], *Stabat cōtra te*. Octauo, *Venit vsq; ad arietē illum cornutū*, [illegible] ἑστῶτος [illegible] τῆς [illegible], *quem videram stantem ante portam*. Quid mirum igitur, si Paulo Lucas dixit hominem ἐπιστάντα, etsi in somniis, non verè adstantem, sed visum adstare.

XXIII. Plutarchus vsus est vicino verbo, [illegible], nō minùs efficaci, in Sylla, *Filium eius mortuū, haud multò ante Metellam*, [illegible], *apparuisse in somnis sordida veste adstantē*. Lucullo, [illegible] ὁ θεὸς [illegible], *In somnis Dea Aristagoræ populi scriba adsistens*. Vicinum legas vsurpatum primi Samuelis capite tertio, vbi habes nocturnam visionem, *venit Dominus, & stetit*, Græcè κατέστη, Hebraicè ויתיצב, quo non potest esse disertius illud, ἐπιστάς.

XXIV. Sed, quid prolixè disputo? Quid vicina quæro? quæ, etsi diserta, tamen vel nodum in scirpo quæritantibus, protelādæ disputationis poterūt ansam præbere. Atqui possum breuiùs Articulos nugatores docere, sic ferre vsum, vt ἐπιστῆναι dicatur, de quocūq; somnio, & absq; vlla loci mutatione. Audite testes, Xiphilinum in Adriano, [illegible] ἐπιστάς [illegible], *Magister meus, hac nocte in somnis adstans mihi, iussit operam nauare patriæ*. Lucianum in Cronosolone, [illegible] ἐπιστάς, [illegible], *Non in somnis adstans: sed pridem vigilanti manifestè consociatus*. Eustathium libro 7. Ismeniæ somnium narrantem, [illegible]. *Et paulò pòst, mihi rursum adfuit*, Plutarchū Sylla, [illegible], *Dormiens noctu, visus est videre sibi Deam adstantē*. Halicarnassēū libro 1. [illegible], *Æneæ eo loco noctē illā fortuitò cubanti, adstitisse procerum quandā, mirandāq; in somnis, cuidā Deorū patriorū similem visionem*. Et iterum paulò pòst, de Latino agens, [illegible] δαίμων, *Cū ea apud se decreuisset, quidā indigetū dæmonū in somniis illi assistens dixit*. Et libr. 5. [illegible], *In somnis obuersabantur ei horribiles quædam species*. Diodorum Siculum libr. [illegible] In miraculis Hemitheæ, [illegible]

[illegible Greek] *Aegrotantibus in somnis adstantem manifestum auxilium contulisse.*

XXV. Sed litem dirimat Lorinus Iesuita: si non æquè delicatulus Iesuita cum Cotono, certè æquè subtilis Græculus. Is hunc ipsum exponens à Cotono laudatum locum, *Probabilis est*, inquit, *sententia Carthusiani, fuisse apparitionem imaginariam, dormienti factam ab Angelo qui referret Christum: ita vt, nec Paulus, dum affirmat se vidisse Christum ad confirmandam veritatem resurrectionis eius, vel æqualem dignitatem suam in Apostolatu, inde ducere voluerit argumentum: nec qui ex hac præsenti apparitione colligunt Christum esse in Sacramento Eucharistiæ, & in cælo, satis firmiter argumententur.*

XXVI. Reliquas apparitiones nullas habent ex Scripturis: extra has autem scio infinitas iactari: vt miror tam paucis nunc esse contentos aduersarios. Certè poterant Agnetem proferre, & Catharinam illam Costi filiam: & Catharinam alteram illam Senensem, omnes à Christo (iam scilicet digamo, imò polygamo, & tamen sacerdoti, quod in Ecclesia Romana monstrosum) desponsatas: & quidem inserto annulo: in testimonium, credo, & præsentiæ, & fidei. Quin Conimbricenses omissam noluerunt lepidam sanè fabellam Antonini historiarum parte secunda, titulo decimo, capite vndecimo, de Ambrosio, qui cùm Mediolani diuinis rebus assisteret; simul se Turoni exequiis D. Martini interfuisse testatus est. Miro stupiditatis Papisticæ argumento. Nam Ambrosius decessit anno trecentesimo nonagesimo septimo: Martinus quinque annis seriùs, nempe quadringentesimo secundo; teste Baronio. Sed poterunt videlicet, qui vni corpori plures locos assignant, iidem eidem diuersa tempora multiplicare. Huic imposturæ similis impostura Frontonis Petracoricensis, qui, cùm missam celebraret, subitò deductus à Christo ad funus Sanctæ Marthæ Tarascum in Prouinciam: & vix excitatus à Diacono, *Cur excitastis*, inquit, *Dominus Iesus Christus ad corpus Marthæ hospitæ suæ me duxit: & ipsam tradidimus sepulturæ. Dirigite igitur illuc velociter nuncios, qui nobis annulum nostrum aureum & chirothecas griseas deferant, quas, dum ad corpus sepeliendum me aptarem, sacristæ commendaui, & ex obliuione dimisi, quòd tam citò excitastis.* Descripsi ex capite centesimo Legendæ aureæ.

XXVII. Verùm, hæc omnia saniores rident. Pijetiam detestantur, adeo habitam esse ludibrio plebem Christianam, sanguine Christi redemptam. Etsi nolim equidem vno eodemque numero habere omnes eiusmodi narrationes. Satis enim perspicuum ab initijs modestiæ immanem licentiam paulatim propagatam. Potest igitur concedi apparuisse Christum Petro forte, & alijs. Sed furiosa fingendi libido, quæ tandem inualuit, extrema, non per se mala initia, facilè suspecta reddit. Quicquid sit, possunt omnes istæ apparitiones, siue veræ sint, siue fictæ, facilè iudicari ex veris, de quibus actum.

XXVIII. Pergo ad aliud exemplum vnius corporis in multis locis. Id petitur à corpore Christi in Eucharistia. Nam Patres asserunt sisti varijs locis. Chrysostomus libro tertio de Sacerdotio. *O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipso tradit volentibus illum excipere & amplecti.* Idem ad Hebræos capite decimo dicit, *idem corpus Christi in multis altaribus simul offerri.* Consentientibus Ambrosio, Primasio, Anselmo. Cyrillus in Ioannem libri duodecimi capite vigesimo secundo: & Theophylactus in decimum nonum Ioannis, disertis verbis docent, *Christum, per carnem suam in Eucharistia perceptam sanctificare animas & corpora omnium communicantium in toto mundo, & esse in omnibus totum & impartibilem.*

XXIX. Respondeo: verissima esse hæc omnia, consentientibus omnibus Catholicis: sed nullam aut significare, aut inferre vnius eiusdemque corporis locorum pluralitatem. Sunt enim mystica: hoc est, fide intelligenda: non autem locorum spatiis metienda: &, vt loquitur Augustinus de Consecratione, distinctione secunda, capite quadragesimo octauo, *non rei veritate, sed significante mysterio.* Nempe, quatenus panis suo modo vocatur corpus Christi, cùm reuera sit Sacramentum corporis Christi. Doceo ex ipso Chrysostomo: qui statim post ea verba: [illegible Greek], *Faciunt autem illud omnes oculis fidei.* Ita enim Græcè est: etsi Germanus Brixius longè aliter verterit: id est, nugas meras egerit, quasi Chrysostomus dixerit mysteria Eucharistica oculis censenda. *Fit autem id*, inquit, *nullis præstigiis, sed apertis ac circumspicientibus circumsistentium omnium oculis.* Hæc Brixius: sed fide nimium Papistica. Quanquam, quis in Chrysostomo non agnoscat manifestas hyperbolas? Nam illud *amplecti* cuiusmodi est? Aut quomodo corpus Christi in Eucharistia potest aliquis amplecti? Sed & [illegible Greek], quis vidit vnquam? Atqui tribuit id miraculo: Ergo, non intelligit de pertractatione Symboli. Nimirum, inquam, [illegible Greek]: vt solet etiam aliàs. Quanquam certum illam, quæ sacramentis inest efficacia, tantam, vt non certius signa habeantur præ manibus, quàm res significata fide possideatur: hanc, inquam, efficaciam, non posse esse nisi à potentia diuina: ac proinde miraculosam.

XXX. Nec sacrificij alia ratio, quàm præsentiæ. Nec enim aliâ offertur Christus, quàm quâ præsens est. Sed hæc disputatio aliò pertinet. Lombardus libri primi distinctione duodecima, segmento septimo, *Illud quod offertur & consecratur à sacerdote, vocari sacrificium & oblationem, quia memoria est & repræsentatio veri sacrificij & sanctæ immolationis factæ in ara crucis.* Thomas, parte tertia, quæstione octogesima tertia, articulo primo, *Duplici ratione celebratio huius sacramenti, dicitur immolatio Christi: primò quidem, quia sicut dicit Augustinus ad Simplicianum, solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt: celebratio autem huius sacramenti, imago quædam est repræsentatiua passionis Christi, quæ est vera eius immolatio. Alio modo, quantum ad effectum corporis Christi: quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus Dominicæ passionis.* Hæc si certa sunt: tum verò nihil obstat, quominus infinitis locis sic offeratur corpus Christi: vt tamen suos locos non multiplicet: neque vsquam sit extra summum cœlum.

XXXI. Postremò, argumentantur ab autoritate Augustini, qui de cura pro mortuis, capite decimo sexto, proponit quæstionem, verum, cùm in diuersis locis fiant miracula ad memorias martyris alicuius, sit ipse martyr præsens vno tempore tam multis locis, an verò ista fiant ministerio Angelorum. Ac respondet, quæstionem esse supra ingenij vires. Vnde liquet, non existimasse impossibile, vnam rem esse in diuersis locis: alioqui

non dubitasset: sed apertè dixisset, implicare A contradictionem.

XXXII. Respondeo, Inuerti argumentum. Inde enim liquere, non existimasse Augustinum possibile vnam rem esse in diuersis locis: alioqui non fuisse dubitaturum, sed apertè dictū non implicare contradictionem. Quomodo hodie, cùm sibi Iesuitæ persuaserunt posse corpus in multis statui locis: nemo est, vel in eorum nouitiis, qui subitò non respondeat, posse fieri: & addat etiam acutissimas decisiones: quid futurum, si Romæ in igne, B. Luteciæ in gelu, sit idem corpus, eodem tempore: &, si hic iaceat: illic stet: &, si hic sepeliatur: illic occidatur: &, si occurrat ipsum sibi in itinere: atque alia non pauca, digna profectò Plauti Sosia, ac Menæchmis.

XXXIII. Augustino dubitanti, negantem componamus autorem Quæstionum ad Antiochū apud Athanasium quæstione vigesima quinta. *Ἆρα ἐπισκέπτονται τὸν βίον αἱ προαπελθοῦσαι τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ, ἢ οὐχί; οὐδαμῶς, Animæ, quæ nos præuenientes decedunt, inuisunt- C ne hanc vitam, annon? Nequaquam.* Vbi tamen *ἐπισκέπτειν* non est propriè *inuisere, sed inspectare, curare.* Verumtamen altera statim quæstione, quomodo appareant sicuti multoties in suis templis & tumulis. *Αἱ ἐν τοῖς ναοῖς καὶ σοροῖς τῶν ἁγίων γινόμεναι ἐπιφάνειαι, καὶ ὀπτασίαι, οὐ διὰ τῶν ψυχῶν τῶν ἁγίων γίνονται. ἀλλὰ δι᾽ ἀγγέλων ἁγίων μετασχηματιζομένων εἰς τὸ εἶδος τῶν ἁγίων. πῶς γὰρ, εἰπέ μοι, μία οὖσα ψυχὴ τοῦ μακαρίου Πέτρου, ἢ Παύλου, δύναται κατ᾽ αὐτὴν τὴν ῥοπὴν ἐν τῷ μνήματι αὐτοῦ ἐπιφαίνεσθαι ἐν χιλίοις ναοῖς αὐτοῦ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ; τοῦτο γὰρ οὔτε ἄγγελος εἷς δύναται ποιῆσαί D ποτε. Illa quæ apud templa & tumulos sanctorum fiunt adumbrationes & visiones, non per animas sanctorum fiunt, sed per sanctos Angelos transfiguratos in speciem sanctorum. Quomodo enim, cedo mihi, vna existens beati Petri, vel Pauli anima, potest in suo monumento apparere & in mille templis suis per totum mundum? Hoc enim nec Angelus vnus facere posset vnquam.* Huic autem coniectura suus etiam locus fuit apud Augustinum. Eius enim solutio hæc etiam est, *Sanctos in cælo orantes generaliter pro indigentia supplicantium, exaudiri à Deo, præbente homini- E bus solatia per Angelica ministeria.*

CAP. X.

An possit vnum corpus esse in multis locis.

F

I. SIc argumentabantur ab experientia Papistæ. Nunc aliis rationibus posse fieri disputant, quod factum colligebant. Prima esto Petri Michaelis. Sicut se corpus habet ad accidentia, ita & ad locum. At corpus vnum & idem potest subire diuersa accidentia. Ergo, potest esse in diuersis locis.

II. Respondeo: distinguendum, quo sensu dicantur accidentia diuersa; vel genere: vt odor, sapor, color, quantitas: vel specie, vt in odoribus suaue vel putidum. In saporibus, dulce, acre, amarum. In G coloribus, album, nigrum, viride, cæruleum, flauum. Vel denique numero, vt hæc albedo, quę in hoc pariete: & illa, quæ in Cygno: & illa quæ in niue: item nigredo, quæ in coruo, quæ in lana, quæque in singulis literis atramento exaratis in hac charta. Dulcedo, quæ in melle, quæ in saccaro. Accidentia genere diuersa concedimus nihil obstare, quominus plura sint in eodem subiecto. Etenim, idem mel & flauum est, & dulce, & graue. In eodem pariete & longitudo est, & latitudo, & altitudo, & color, & pondus. Quæ autem specie diuersa sunt, vt & numero, nego vllum exemplum dari posse vllius rei, quæ huiusmodi accidentia simul recipiat. Nam nec idem mel flauum esse potest, simul & nigrum, & candidum, aut cæruleum: neo idem paries longus, & breuis: altus, & humilis; latus & arctus. Neque idem olor suum habet candorem, & candorem B. niuis simul. Iam verò locorum multitudo in eorum est ordine, quæ vel specie, vel certè numero differunt. Itaque, concesso sic se habere corpora ad accidentia, quomodo ad locos, tamen non sequitur vni corpori plures esse locos posse: imò contrà potiùs.

III. Secunda ratio Sanctesij. Causa coadunationis corporis cum vno loco, non est alia, quàm Dei liberum placitum, qui omnia quæcunque voluit, effecit in cœlo, & in terra. Quid ergo vetat eadem libertate diuersos locos assignare corpori?

IV. Atqui paulò antè concessit Sanctesius ea fieri non posse, quæ aliter futura Deus pronunciauit: quia ipse sibi contradiceret, si fierent. Quæro igitur, an ita pronuntiandi causa fuerit alia à Deo, nempe, quàm liberrimum idem placitum, quo omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra. Quòd si nulla alia: quid ergo? Dicamus posse eadem libertate effici, contra quàm liberrimè idem Deus pronunciarit? Ergo, ea fieri possunt, quæ fieri non posse Sāctesius consentit. Cur ergo hic est durior? aut certè inconsideratior? An, qui intentior hosti feriendo, sibi minus cauit? Breuiter. Pronunciauit Deus se mentiri non posse: ergo, neque contradictoria velle. At sunt contradictoria vnum aliquid corpus esse, & esse in multis locis. Ergo hoc non potest Deus. Non potest autem, eadem ipse libertate, qua non potest mentiri.

V. Tertia ratio Bellarmini, Sanctesij, Michaelis, Caronzi, ab exemplis Dei & animæ rationalis. Nam Deus, cùm sit res vna & simplicissima, atque indiuisibilis, tamen est simul in infinitis locis. Et anima rationalis tota est in qualibet parte corporis.

VI. Respondeo: primò absurdissimè dici, Deum esse in multis locis: cùm nullo modo subiiciatur loco: vt pote infinitæ essentiæ. Locus autem sit cuicumque rei finis substantiæ. ac proinde rem contineat. Quòd autem solet dici Deus in cœlo, in templo, hic aut & alibi: id Theologus debuit scire dictum per *ἀνθρωποπάθειαν*: quomodo de Deo cogimur balbutire tanquam de nobis ipsis, vt significemur variis in mundi partibus ipsum operari. Itaque insani esse cerebri, si quis concludat, quia Deus sit in multis locis: ergo corpus posse esse in multis locis. Nam, in antecedente, figurata est loquutio: in consequente autem propria. Quòd si vtrobique propria esset, tum antecedens esset falsum: Si autem vtrobique figurata; tum consequens esset præter thesin. Rectè Fulgentius de fide ad Petrum capite tertio, *Si vnius eiusdémque naturæ esset qualibet creatura corporalis, cuius est Sancta Trinitas, quæ vnus est Deus, nec localiter in loco esset, nec temporis mutationem aliquando sentiret, nec de loco ad locum transiret, nec circumscriberetur quantitate molis suæ.*

VII. Aliter breuiùs & clariùs: Deus nusquam dicitur esse in multis locis suis, id est, in quibus ipse totus contineatur singulis: sed in multis locis mundi,

mundi, id est, in quibus singulis non totus sit mundus. At nostra disputatio vtrumque includit, & multos locos mundi, & multos ipsius corporis: nempe enim sic Papistæ disputant, vnum idemque corpus esse totum Romæ, totum Athenis, totum Hierosolymis, totum Ephesi, Alexandriæ, alibi. Itaque, mera insania est concludentis, cùm Deus esse possit in multis locis mundi; ergo, posse vnum corpus esse in multis locis suis.

VIII. Secundò, absurdè etiam dici animam esse in pluribus locis, cùm sit in variis membris corporis. Nam in corpore est anima rationalis, non tanquam locatum in loco: sed tanquam forma in materia. Informat enim hoc corpus, vt sit homo. Aristoteles autem quarto Physicorum tertio, hunc modum separat à modo locali. Quum enim dicat variis modis aliud esse in alio: tum primum statuit partium in toto, & totius in partibus: Secundum, formæ in materia: Tertium, moti in mouente: Quartum, ὡς ἐν τῷ τέλει: Quintum vt locati in loco. Hoc si verum, tum ineptè conferruminantur res non eædem.

IX. Præterea, cùm caussa, cur anima sit in singulis membris, hæc sit, quia ipsa est spiritualis naturæ: ideoque tota in toto, & tota in singulis partibus: & fieri non possit, vt idem accidat corporibus: Ergo, ne potest quidem corpus esse in multis locis. Fulgentius de Fide ad Petrum capite tertio, *Neque enim sic datum est corporibus, vt sint sicut spiritus acceperunt.* Augustinus contra epistolam Fundamenti capite decimo sexto, *Omnino non potest esse aliquod corpus, siue cœleste, siue terrestre, siue aereum, siue humidum: quod non minus sit in parte, quàm in toto: neque vllo modo possit in loco huius partis simul habere aliam partem, sed aliud hic, & aliud alibi habens per qualibet spatia locorum distanti & diuisa, vel potius, vt ita dicam, sectili mole distenditur. Anima verò natura, etiamsi non illa eius potentia consideretur, quâ intelligit veritatem, sed illa inferior quâ continet corpus, & sentit in corpore, nullo modo inuenitur locorum spatiis aliqua mole diffundi:* nota *omnino corpus sectili mole distenditur: & nullo modo anima mole distenditur.* Ergo, hæ naturæ inuicem distant ὅλῳ τῷ γένει. Et vnum erit vtriusque consequens.

X. Denique, Angeli sunt spiritus: ideoque toti in toto, & toti in partibus. Et tamen non possunt esse in pluribus locis. Nam Didymus & Basilius inde probant non esse infinitos: quia cùm hic sunt, non sunt alibi. Damascenus libri secundi capite tertio, ὅτε ἐν οὐρανῷ, ἐν γῇ ... [illegible] *Quum sunt in cœlo, non sunt in terra. Et quum in terram mittuntur à Deo, non manent in cœlo.* Quare, cur Deus sit in pluribus locis, non eo fit quòd sit impartibilis, hoc est, totus in toto, & totus in partibus: alioquin & Angeli essent simul in pluribus locis: sed quòd sit infinitus. Angeli autem, cùm sint finiti, similiter esse non possunt in multis locis. At eadem ratio in anima. Itaque etsi sit tota in toto, & tota in partibus, tamen non potest esse in multis locis: multo minùs corpus.

XI. Breuiter: loci multi sunt, respectu tum rei locatæ, tum ipsorum inter se locorum. Priori modo, quum singuli rem totam locatam intra se continent. Posteriori verò, cùm comparantur loci, non cum re locata, sed inter se. Illo modo, nihil omnino potest esse in pluribus locis. Non Angelus: quia cùm erat in altari, non erat eodem temporis momento in cœlis. Non Deus ipse, quia nullo loco continetur. Multo minùs anima rationalis potest in multis esse. Altero autem modo, nihil obstat quominus res aliqua sit in multis locis: infinita quidem, tota in singulis, vt Deus in cœlo, in terra, in aere: finita autem per partes, vt terra est ad orientem, ad occidentem, ad meridiem, ad septentrionem. Corpus humanum pede terram tangit, capite aerem secat. Sed neutra loci ratio, ad hanc nostram thesin Papistis vtilis esse potest.

XII. Quarta ratio Bellarmini, Sanctesij, Caronæi, Cotoni. Si possunt plura corpora esse in vnò loco: ergo & vnum corpus in pluribus locis. At verum prius. Ergo & posterius. Antecedens supponitur probatum thesi secunda. Consequentia probatur: primò, quia ita se habet locatum ad locum, quomodo locus ad locatum: secundò, quia hoc quàm illud non magis repugnat ordini à Deo constituto.

XIII. Respondeo: primò negari assumptum: prout est prolixè disputatum in secunda Thesi. Deinde, negatur etiam consequentia. Nam Angeli, quorum natura est etiam spiritualis, possunt plures eodem loco esse. Lombardus libri primi distinctione trigesima septima, *Spiritualis natura tantùm definitione loci concluditur, quum ita sit alicubi, quòd non alibi: sed nec dimensionem recipit, nec distantiam in loco facit: quia si multi essent spiritus hic, non eò coangustarent locum, quò minus de corporibus contineret.* Et tamen vnus spiritus non potest esse in pluribus locis. Multo minùs corpus. Et inde intelligi potest quid de priori confirmatione sentiendum sit. Nimirum non vniuersaliter esse verum, ita se habere locum ad locatum, vt locatum ad locum: alioqui, vt vni Angelo vnus est locus: sic vni loco vnus esset Angelus. Idem & de secunda. Nam occupatio vnius loci propria est corpori, nihil habens commune cum spiritu. At pluralitas locorum neque cum corpore, neque cum spiritu. Itaque, si essent duo corpora in vnò loco, repugnaret id duntaxat ordini, qui in corporibus. At si vnum corp⁹ in multis locis, tum perturbaretur ordo, non tantùm qui corporum est, sed etiam qui spirituum. Quare hic maior est ratio impossibilitatis, quia gemina. Ioannes de Turrecremata ne ipse quidem sibi passus est consequentiam persuaderi in quæstionibus Euangeliorum, in octauis Paschæ quæstione secunda, *Quia quòd vnũ corpus sit in duobus locis, implicat contradictionem: quia de ratione loci est, quòd sit locati terminus. terminus autem est extra quod nihil est rei: vnde nihil locati potest in loco exteriori: quòd si ponatur esse in duobus locis, sequitur quòd sit extra suum locum: & sic sequitur, quòd sit locatum & non locatum. Hoc autem non contingit, si duo corpora sint in eodem loco.*

XIV. Quinta ratio: Si quicquam obstat, quominus vnum corpus sit in pluribus locis: Ergo, vel id obstabit, quòd pluralitas locorum sit Deo propria: vel, quia vnitas rei multiplicaretur. At nihil horum obstat. Ergo, nihil obstat. Ita Catonæus: & probat assumptum, quà de Deo. Quia sunt quædam magis propria Deo, quàm pluralitas locorum; quæ tamen communicantur creaturis. Poterit ergo & hæc pluralitas locorum communicari. Antecedens probatur, quia triplices in Deo considerandæ sunt proprietates: Aliæ, sine quibus Deus esse nequit; aut ipsæ absque Deo: vt infinitas, & independentia. Aliæ, sine quibus Deus non potest esse Deus; ipsæ tamen possunt esse extra Deum: vt immortali-

hactenus non credidisse Christũ esse in cœlis. Aliâs, quomodo posset dicere se ignorãtem fecisse? Quid autem? Illud, *Quid me persequeris*, nulliúsne erat momenti? Aut quomodo potuit ille, tum nihil spirans præter minas, in animum sibi inducere, se persequi, vel Christum, quem non credebat, nisi mortuum: vel omnino aliquem in cœlis positum? Cùm ipse potius iret in eos, quos sciebat esse Damasci. Non mirum igitur, & à Stephano Christum in cœlis fuisse agnitum, cui iam id erat persuasissimum: & à Paulo non agnitum, qui nihil tale credebat.

XVIII. In quinto falsum est, non futurũ testem idoneum, si vidisset in cœlis. Cur nõ enim? Prædicatio Apostolorũ duo continebat capita: & resurrexisse Christum: & esse in cœlis receptũ in gloriam. Vtrũque hoc caput Paulo cõstabat, si sic vidit in cœlis. Ast alterũ tantũ, si vidisset in terris. Atqui potuisset eludi testimoniũ. Credo, inquã. Quid non enim molitur hominũ nequitia contra veritatem? At non propterea infirmum est testimonium, quia aliquo cauillo eluditur. Alioquin, quid esset in Euangelio certi? Cùm resurrexit Christus, reperti sunt qui dicerent raptum de sepulchro. Quum Apostoli pleni spiritu loquebantur magnalia Dei, cauillantur plurimi esse musto plenos. Quum prædicat resurrectionem Paulus, audit σπερμολόγος. Quid multa? *Venit Ioannes, nec edens, nec bibens*, (Matthæi vndecimo) *& aiunt, dæmonẽ habet: Venit Filius hominis, edens, & bibens, & dicunt, Ecce homo bibax, & vini potor, publicanorum amicus & peccatorũ*. Adeò obstinatè vinilẽtum est humanum ingeniũ, & in suam perniciem sophisticum. Sed nõ propterea, aut Ioannis, aut Christi prædicatio non fuit authentica. Sic etsi mille cauillis Pauli testimonium Iudæi eleuare studuissent, tamen ideò firmum, certumq́; fuisset nihilominus, quia Christũ in cœlis vidisset. Tum autẽ, quid promouet Bellarminus? aut qui credit nullum fore locũ vllis cauillis, si vidisset Paulus in terra Christum? Maximè cùm oppositos testes haberet suos comites, qui iurare poterant se neminem vidisse? Breuiter: aut cauilli malè feriatorum, nihili faciendi: aut ne pugnandum quidem pro Christi corpore in terris.

XIX. In sexto, fæliciórne Coronus, an confidentior? qui illud, *Visus est tibi in via, quâ venisti*, exponat, *ipse præsens fuit in eadem via tecum?* Quasi illud, *qua venisti*, pertinere possit ad explicandum quomodo visus sit: & non potiùs ad designandã viam, non quãlibet, sed hanc vnam & peculiarem. Scilicet, metuũt battologiã delicatulæ Coroni aures, viri benedicẽdi peritissimi. Quasi battologia vlla esset, & nõ potiùs certissima circumstantia ab Anania addita, vt sciret Paulus sibi certissimè reuelatum fuisse, quod ei acciderat, annotato, & loco & tempore: quasi diceret, Scio tibi apparuisse Christum; & quidem nunc recens, cùm esses in via, atque huc venires.

XX. Septimum, si euicerit Coronus, quid supererit præter triumphos? Nam sanè, si impositæ Paulo manꝰ Christi, nemo est Catholicorũ, tã ferreus, qui non concedat Christi corpus fuisse in terris? Verùm, quis credat nondum baptizato manus impositas? Aut, si nim, & quidẽ ab ipso Christo, cur postea iterum, & à discipulis? Actorum decimo tertio; Quis credat Paulo, tum impositas à Christo, à quo, ne præsente quidem cũ esset in terris, vnquam fuere impositæ reliquis apostolis? Denique τὸ προχειρίζειν, nunquam significat χειροθεσίαν. Atque adeò Ananias, capite vicesimo secundo, vsus est eodẽ verbo, quod à Latino interprete redditur, *præordinauit*, à Caietano, *præparauit*. Salmero ipse annotauit, *Græcè habetur, præparauit*. Erasmus, προεχειρίσατο, *præparauit te, siue prius apparauit te*.

XXI. Atque hactenus de prima apparitione. Alteram ex Actorum vicesimo tertio, valde vigẽt Coronus & Caronæus. Lucas, *Cùm magna seditio esset, veritus tribunus, ne Paulus ab ipsis discerperetur, iussit militũ manum descendere, & eum rapere de medio eorum, ac ducere in castra. Sequente verò nocte*, ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ κύριος, *adstans ei Dominus, dixit, Confide Paule*: ἐπιστὰς, ἐπιστάς, clamat Coronus, totus Græculꝰ, an Gracculus, nunc nuper Athenis redux, ἐπιστὰς αὐτῷ, id est, *assistens, atque stans iuxta eum*. Et Cæsar Bulengerus contra Plessæum ad tertium caput quarti de Eucharistia, ἐπιστὰς, inquit, *assistens, & stans iuxta Paulum, ne quis dicat apparuisse ex cœlo*.

XXII. At vos tam auidè pergræcati estis, vt obliti sitis nocturnam visionem describi: & in visionibus, imò in somniis, quia imaginatio haud aliter afficitur, quã si res ipsæ sensibus offerrẽtur, ita describi omnia, quasi essent realiter gesta, etsi nõ sint. Inde est, non hîc tantùm, ἐπιστὰς· sed etiam ἑστώς. Actorũ decimo sexto. Et visio per noctem apparuit Paulo, ἀνήρ τις ἦν Μακεδὼν ἑστώς, *Vir Macedo quidã aderat stans*: vt & Danielis tertio, *Statua illa magna, & statura sublimis* קאם לקבלך, ἑστῶσα ἀπὸ προσώπου σου, *Stabat cõtra te*. Octauo, *Venit vsq; ad arietẽ illum cornutũ*, ὃν εἶδον ἑστῶτα ἐνώπιον τοῦ οὐβάλ, *quem videram stantem ante portam*. Quid mirum igitur, si Paulo Lucas dixit hominem ἐπιστάντα, etsi in somniis, non verè adstantem, sed visum adstare.

XXIII. Plutarchus vsus est vicino verbo, παρίστασθαι, nõ minùs efficaci, in Sylla, Filium eius mortuũ, haud multò ante Metellam, φανῆναι κατὰ τοὺς ὕπνους ἐσθῆτι φαυλῇ παρεστῶτα, *apparuisse in somnis sordida veste adstantẽ*. Lucullo, ὄναρ δ' ἡ Θεὸς Ἀρισταγόρᾳ τῷ τοῦ δήμου γραμματεῖ παραστᾶσα, *In somnis Dea Aristagoræ populi scribæ adsistens*. Vicinum legas vsurpatum primi Samuelis capite tertio, vbi habes nocturnam visionem, *venit Dominus, & stetit*, Græcè κατέστη, Hebraicè ויתיצב, quo non potest esse disertius illud, ἐπιστάς.

XXIV. Sed, quid prolixè disputo? Quid vicinã quæro? quæ, etsi diserta, tamen vel nodum in scirpo quæritantibus, protelãdæ disputationis poterũt ansam præbere. Atqui possum breuiùs Articulos nugatores docere, sic ferre vsum, vt ἐπιστῆναι dicatur, de quocũq; somnio, & absq; vlla loci multiplicatione. Audite testes, Xiphilinum in Adriano, ὁ διδάσκαλός μου ὄναρ τὴν νύκτα ταύτην ἐπιστάς μοι ἐκέλευσε πολεμεῖν τῇ πατρίδι, *Magister meus, hac nocte in somnis adstans mihi, iussit operam nauare patriæ*. Lucianum in Cronosolone, οὐκ ὄναρ ἐπιστὰς, ἀλλὰ πάλαι ἐγρηγορότι ἐναργὴς συγγενόμενος, *Non in somnis adstans: sed pridem vigilanti manifestè consociatus*. Eustathium libro 7. Ismeniæ somnium narrantem, ἡ κατ' ὄναρ μοι ἐπιστᾶσα. *Et paulò pòst, mihi rursus adfuit*, Plutarchũ Sylla, κατακοιμηθεὶς δὲ νύκτωρ ἔδοξε τὴν θεὸν ὁρᾶν ἐπιστᾶσαν αὐτῷ, *Dormiens noctu, visus est videre sibi Deam adstantẽ*. Halicarnassẽũ libro 1. αὐτῷ δ' ἐν τῷ χωρίῳ, κοιμωμένῳ τὴν νύκτα ἐκείνην, ἔδοξεν εἴδωλον μεγάλῃ ὄψει ... ἐπιστῆναι, *Aeneæ eo loco noctẽ illã fortuito cubanti, adstitisse procerum quandã, mirandámq; in somnis, tum Deorũ patriorũ similem visionem*. Et iterum paulò pòst, de Latino agens, ... *Cùm ea apud se decreuisset, quidã indigetũ dæmonũ in somnis illi assistens dixit*. Et libr. 5. ἐφίσταντο αὐτοῖς ἐν τοῖς ὕπνοις ... *In somnis adversabantur eis horribiles quædam species*. Diodorum Siculum libr. ... in miraculis Hemitheæ, τοῖς νοσοῦσι κατὰ τοὺς ὕπνους ἐφισταμένην ...

[illegible] *Aegrotantibus in somnis adstantem manifestum auxilium contulisse.*

XXV. Sed literis ditemat Loriuus Iesuita: si non æquè delicatulus Iesuita cum Corono, certè æquè subtilis Græculus. Is hunc ipsum exponens à Corono laudatum locum, *Probabilis est*, inquit, *sententia Carthusiani, fuisse apparitionem imaginariam, dormienti factam ab Angelo qui referret Christum: ita vt, nec Paulus, dum affirmat se vidisse Christum ad confirmandam veritatem resurrectionis eius, vel æqualem dignitatem suam in Apostolatu, inde ducere voluerit argumentum: nec qui ex hac præsenti apparitione colligunt Christum esse in Sacramento Eucharistiæ, & in cœlo, satis firmiter argumententur.*

XXVI. Reliquas apparitiones nullas habent ex Scripturis: extra has autem scio infinitas iactari: vt mirer tam paucis nunc esse contentos aduersarios. Certè poterant Agnetem proferre, & Catharinam illam Costi filiam: & Catharinam alteram illam Senensem, omnes à Christo (iam scilicet digamo, imò polygamo, & tamen sacerdoti, quod in Ecclesia Romana monstrosum) desponsatas: & quidem inserto annulo in testimonium, credo, & præsentiæ, & fidei. Quin Conimbricenses omissam noluerunt lepidam sanè fabellam Antonini historiarum parte secunda, titulo decimo, capite vndecimo, de Ambrosio, qui cùm Mediolani diuinis rebus assisteret; simul se Turoni exequiis D. Martini interfuisse testatus est. Miro stupiditatis Papisticæ argumento. Nam Ambrosius decessit anno trecentesimo nonagesimo septimo: Martinus quinque annis seriùs, nempe quadringentesimo secundo; teste Baronio. Sed potuerunt videlicet, qui vni corpori plures locos assignant, iidem eidem diuersa tempora multiplicare. Huic imposturæ similis impostura Frontonis Petracoricensis, qui, cùm missam celebraret, subitò deductus à Christo ad funus Sanctæ Marthæ Taruscum in Prouincia: & vix excitatus à Diacono, *Cur excitasti*, inquit, *Dominus Iesus Christus ad corpus Marthæ hospitæ suæ me duxit: & ipsam tradidimus sepulturæ. Dirigite igitur illuc velociter nuncios, qui nobis annulum nostrum aureum & chirothecas griseas deferant, quæ, dum ad corpus sepeliendum me aptarem, sacristæ commendaui, & ex obliuione dimisi, quod me tam citò excitasti.* Descripsi ex capite centesimo Legendæ aureæ.

XXVII. Verùm, hæc omnia saniores rident. Pyetiam detestantur, adeo habitam esse ludibrio plebem Christianam, sanguine Christi redemptam. Etsi nolim equidem vno eodemque numero habere omnes eiusmodi narrationes. Satis enim perspicuum ab initiis modestis immanem licentiam paulatim propagatam. Potest igitur concedi apparuisse Christum Petro forte, & aliis. Sed furiosa fingendi libido, quæ tandem inualuit, extra illa, non per se mala initia, facilè suspecta reddit. Quicquid sit, possunt omnes istæ apparitiones, siue veræ sint, siue fictæ, facilè iudicari ex veris, de quibus actum.

XXVIII. Pergo ad aliud exemplum vnius corporis in multis locis. Id petitur à corpore Christi in Eucharistia. Nam Patres asserunt sisti variis locis. Chrysostomus libro tertio de Sacerdotio. *O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus illum excipere & amplecti.* Idem ad Hebræos capite decimo dicit, *idem corpus Christi in multis altaribus simul offerri.* Consentientibus Ambrosio, Primasio, Anselmo. Cyrillus in Ioannem libri duodecimi capite trigesimo secundo: & Theophylactus in decimum nonum Ioannis, disertis verbis docent, *Christum, per carnem suam in Eucharistia perceptam sanctificare animas & corpora omnium communicantium in toto mundo, & esse in omnibus totum & impartibilem.*

XXIX. Respondeo: verissima esse hæc omnia, consentientibus omnibus Catholicis: sed nullam aut significare, aut inferre vnius eiusdemque corporis locorum pluralitatem. Sunt enim mystica: hoc est, fide intelligenda: non autem locorum spatiis metienda: &, vt loquitur Augustinus de Consecratione, distinctione secunda, capite quadragesimo octauo, *non rei veritate, sed significante mysterio.* Nempe, quatenus panis suo modo vocatur corpus Christi, cùm reuera sit Sacramentum corporis Christi. Doceo ex ipso Chrysostomo: qui statim post ea verba: [illegible] *Faciunt autem illud omnes oculis fidei.* Ita enim Græcè est: etsi Germanus Brixius longè aliter verterit: id est, nugas meras egerit, quasi Chrysostomus dixerit mysteria Eucharistica oculis censenda. *Fit autem id*, inquit, *nullis præstigiis, sed apertis ac circunspicientibus circumsistentium omnium oculis.* Hæc Brixius: sed fide nimium Papistica. Quanquam, quis in Chrysostomo non agnoscat manifestas hyperbolas? Nam illud *amplecti* cuiusmodi est? Aut quomodo corpus Christi in Eucharistia potest aliquis amplecti? Sed & [illegible], quis vidit vnquam? Atqui tribuit id miraculo: Ergo, non intelligit de pertractatione Symboli. Nimirum, inquam, [illegible]: vt solet etiam aliàs. Quanquam certum illam, quæ sacramentis inest efficacia, tantam, vt non certius signa habeantur præ manibus, quàm res significata fide possideatur: hanc, inquam, efficaciam, non posse esse nisi à potentia diuina: ac proinde miraculosam.

XXX. Nec sacrificij alia ratio, quàm præsentiæ. Nec enim aliâ offertur Christus, quàm quâ præsens est. Sed hæc disputatio aliò pertinet. Lombardus libri primi distinctione duodecima, segmento septimo, *Illud quod offertur & consecratur à sacerdote, vocari sacrificium & oblationem, quia memoria est & repræsentatio veri sacrificij & sanctæ immolationis factæ in ara crucis.* Thomas, parte tertia, quæstione octogesima tertia, articulo primo, *Duplici ratione celebratio huius sacramenti, dicitur immolatio Christi: primò quidem, quia sicut dicit Augustinus ad Simplicium, solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt: celebratio autem huius sacramenti, imago quædam est repræsentatiua passionis Christi, quæ est vera eius immolatio. Alio modo, quantum ad effectum corporis Christi: quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus Dominicæ passionis.* Hæc si certa sunt: tum verò nihil obstat, quominus infinitis locis sic offeratur corpus Christi: vt tamen suos locos non multiplicet: neque vsquam sit extra summum cœlum.

XXXI. Postremò, argumentantur ab autoritate Augustini, qui de cura pro mortuis, capite decimo sexto, proponit quæstionem, vtrum, cùm in diuersis locis fiant miracula ad memorias martyris alicuius, sit ipse martyr præsens vno tempore tam multis locis, an verò ista fiant ministerio Angelorum. Ac respondet, quæstionem esse supra ingenij vires. Vnde liquet, non existimasse impossibile, vnam rem esse in diuersis locis: alioqui

non dubitasset : sed apertè dixisset , implicare A contradictionem.

XXXII. Respondeo, Inuerti argumentum. Inde enim liquere , non existimasse Augustinum possibile vnam rem esse in diuersis locis : alioqui non fuisse dubitaturum, sed apertè dicturũ non implicare contradictionem. Quomodo hodie, cùm sibi Iesuitæ persuaserunt posse corpus in multis statui locis: nemo est, vel in eorum nouitiis , qui subitò non respondeat, posse fieri: & addat etiam acutissimas decisiones: quid futurum, si Romæ in igne, Luteciæ in gelu, sit idem corpus, eodem tempore: &, si hic iaceat : illic stet: &, si hic epuletur: illic occidatur : &, si occurrat ipsum sibi in itinere : atque alia non pauca, digna profectò Plauti Sosia, ac Menæchmis. B.

XXXIII. Augustino dubitanti, negantem componamus autorem Quæstionum ad Antiochũ apud Athanasium quæstione vigesima quinta. *Ἆρα ἐπισκέπτονται τὸν βίον αἱ προαπελθοῦσαι τῶν ἀνθρώπων ψυχαί, ἢ οὐδαμῶς; Anima, quæ nos præeuntes decedunt, inuisunt-ne hanc vitam, an non? Nequaquam.* Vbi tamen *ἐπισκέπτονται* non est propriè *inuisere*, sed *inspectare*, *curare*. Verumtamen altera statim quæstione, quomodo appareant sicuti multoties in suis templis & tumulis. *Αἱ ἐν τοῖς ναοῖς καὶ σορίοις τῶν ἁγίων γινόμεναι ἐπισκιάσεις, καὶ ὀπτασίαι, οὐ διὰ τῶν ψυχῶν τῶν ἁγίων γίνονται. ἀλλὰ δι' ἀγγέλων ἁγίων μετασχηματιζομένων εἰς τὸ εἶδος τῶν ἁγίων. πῶς γάρ, εἰπέ μοι, μία οὖσα ψυχὴ τοῦ μακαρίου Πέτρου, ἢ Παύλου, δύναται κατ' αὐτὴν τὴν ὥραν ἐν τῷ μνήματι αὐτοῦ ἐπιφαίνεσθαι καὶ ἐν χιλίοις ναοῖς αὐτοῦ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ; τοῦτο γὰρ οὔτε ἄγγελος εἷς δύναται ποιῆσαι ποτέ, Illa quæ apud templa & tumulos sanctorum fiunt adumbrationes & visiones, non per animas sanctorum fiunt, sed per sanctos Angelos transfiguratos in speciem sanctorum. Quomodo enim, cedo mihi, vna existens beati Petri, vel Pauli anima, potest in suo monumento apparere & in mille templis suis per totum mundum? Hoc enim nec Angelus vnus facere posset vnquam.* Huic autem coniecturæ suus etiam locus fuit apud Augustinum. Eius enim solutio hæc etiam est, *Sanctos in cælo orantes generaliter pro indigentia supplicantium, exaudiri à Deo, præbente hominibus solatia per Angelica ministeria.* C D E

CAP. X.

An possit vnum corpus esse in multis locis.

I. SIc argumentabantur ab experientiis Papistæ. Nunc aliis rationibus posse fieri disputant, quod factum colligebant. Prima esto Petri Michaelis. Sicut se corpus habet ad accidentia, ita & ad locum. At corpus vnum & idem potest subire diuersa accidentia. Ergo, potest esse in diuersis locis.

II. Respondeo: distinguendum, quo sensu dicantur accidentia diuersa; vel genere : vt odor , sapor, color, quantitas: vel specie, vt in odoribus suaue vel putidum. In saporibus, dulce, acre, amarum. In coloribus, album, nigrum, viride, cæruleum, flauum. Vel denique numero, vt hæc albedo, quę in hoc pariete: & illa, quæ in Cygno : & illa quæ in niue: item nigredo , quæ in coruo, quæ in lana, quæque in singulis literis atramento exaratis in hac charta. Dulcedo, quæ in melle, quæ in saccaro . Accidentia genere diuersa concedimus nihil obstare , quominus plura sint in eodem subiecto. Etenim, idem mel & flauum est, & dulce, & graue. In eodem pariete & longitudo est, & latitudo , & altitudo, & color, & pondus. Quæ autem specie diuersa sunt, vt & numero , nego vllum exemplum dari posse vllius rei, quæ huiusmodi accidentia simul recipiat. Nam nec idem mel flauum esse potest, simul & nigrum, & candidum, aut cæruleum : nec idem paries longus, & breuis: altus, & humilis; latus & arctus. Neque idem olor suum habet candorem, & candorem niuis simul. Iam verò locorum multitudo in eorum est ordine, quæ vel specie , vel certè numero differunt. Itaque, concesso sic se habere corpora ad accidentia , quomodo ad locos , tamen non sequitur vni corpori plures esse locos posse : imò contrà potiùs.

III. Secunda ratio Sanctesij. Causa coadunationis corporis cum vno loco , non est alia, quàm Dei liberum placitum, qui omnia quæcunque voluit, effecit in cœlo, & in terra. Quid ergo vetat eadem libertate diuersos locos assignare corpori?

IV. Atqui paulò antè concessit Sanctesius ea fieri non posse, quæ aliter futura Deus pronunciauit: quia ipse sibi contradiceret, si fierent. Quæro igitur , an ita pronuntiandi causa fuerit alia à Deo, nempe, quàm liberrimum idem placitum, quo omnia quæcunque voluit , fecit in cœlo , & in terra. Quòd si nulla alia: quid ergo? Dicamus posse eadem libertate effici , contra quàm futurum idem Deus pronunciauit? Ergo, ea fieri possunt, quæ fieri non posse Sãctesius consentit. Cur ergo hic est durior? aut certè inconsideratior? An, qui intentior hosti feriendo, sibi minus cauit? Breuiter. Pronunciauit Deus se mentiri non posse: ergo, neque contradictoria velle. At sunt contradictoria vnum aliquid corpus esse , & esse in multis locis. Ergo hoc non potest Deus. Non potest autem, eadem ipse libertate, qua non potest mentiri.

V. Tertia ratio Bellarmini, Sanctesij, Michaelis, Caronæi, ab exemplis Dei & animæ rationalis. Nam Deus, cùm sit res vna & simplicissima, atque indiuisibilis, tamen est simul in infinitis locis. Et anima rationalis tota est in qualibet parte corporis.

VI. Respondeo : primò absurdissimè dici, Deum esse in multis locis : cùm nullo modo subiiciatur loco: vt pote infinitæ essentiæ. Locus autem sit cuicumque rei finis substantiæ. ac proinde rem contineat. Quòd autem solet dici Deus in cœlo, in templo, hic aut & alibi: id Theologus debuit scire dictum per ἀνθρωποπαθῶς : quomodo de Deo cogimur balbutire tanquam de nobis ipsis, vt significemur variis in mundi partibus ipsum operari. Itaque insani esse cerebri, si quis concludat, quia Deus sit in multis locis : ergo corpus posse esse in multis locis. Nam, in antecedente, figurata est loquutio: in consequente autem propria. Quòd si vtrobique propria esset, tum antecedens esset falsum: Si autem vtrobique figurata; tum consequens esset præter thesin. Rectè Fulgentius de fide ad Petrum capite tertio, *Si vnius eiusdémque naturæ esset qualibet creatura corporalis, cuius est Sancta Trinitas, quæ vnus est Deus, nec localiter in loco esset , nec temporis mutationem aliquando sentiret, nec de loco ad locum transiret , nec circumscriberetur quantitate molis suæ.* F G

VII. Aliter breuiùs & clariùs: Deus nusquam dicitur esse in multis locis suis , id est, in quibus ipse totus contineatur singulis : sed in multis locis mundi,

mundi, id est, in quibus singulis non totus sit mundus. At nostra disputatio vtrumque includit, & multos locos mundi, & multos ipsius corporis: nempe enim sic Papistæ disputant, vnum idemque corpus esse totum Romæ, totum Athenis, totum Hierosolymis, totum Ephesi, Alexandriæ, alibi. Itaque, mera insania est concludentis, cùm Deus esse possit in multis locis mundi: ergo, posse vnum corpus esse in multis locis suis.

VIII. Secundò, absurdè etiam dici animam esse in pluribus locis, cùm sit in variis membris tota. Nam in corpore est anima rationalis, non tanquam locatum in loco: sed tanquam forma in materia. Informat enim hoc corpus, vt sit homo. Aristoteles autem quarti Physicorum tertio, hunc modum separat à modo locali. Quum enim dicat variis modis aliud esse in alio: tum primum statuit partium in toto, & totius in partibus: Secundum, formæ in materia: Tertium, moti in mouente: Quartum, ὡς ἐν τῷ τέλει Quintum vt locati in loco. Hoc si verum, tum ineptè conferruminantur res non eædem.

IX. Præterea, cùm caussa, cur anima sit in singulis membris, hæc sit, quia ipsa est spiritualis naturæ: ideoque tota in toto, & tota in singulis partibus: & fieri non possit, vt idem accidat corpori: bus: Ergo, ne potest quidem corpus esse in multis locis. Fulgentius de Fide ad Petrum capite tertio, *Neque enim sic datum est corporibus, vt sint sicut spiritus acceperunt.* Augustinus contra epistolam Fundamenti capite decimo sexto, *Omnino non potest esse aliquod corpus, siue cæleste, siue terrestre, siue aereum, siue humidum: quod non minus sit in parte, quàm in toto: neque vllo modo possit in loco huius partis simul habere aliam partem, sed aliud hic, & aliud alibi habens per qualibet spatia locorum distanti & diuisa, vel potiùs, vt ita dicam, sectili mole distenditur. Anima verò natura, etiamsi non illa sua potentia consideretur, quâ intelligit veritatem: sed illa inferior quâ continet corpus, & sentit in corpore, nullo modo inuenitur locorum spatia aliqua mole distendi: nota omnino corpus sectili mole distenditur: & nullo modo anima mole distenditur.* Ergo, hæ naturæ inuicem distant διὰ παντός. Et vnum erit vtriusque consequens?

X. Denique, Angeli sunt spiritus: ideoque toti in toto, & toti in partibus. Et tamen non possunt esse in pluribus locis. Nam Didymus & Basilius inde probant non esse infinitos: quia cùm hic sunt, non sunt alibi. Damascenus libri secundi capite tertio, ὅτε εἰσὶν ἐν οὐρανῷ, ἐπὶ εἰσὶν ἐν τῇ γῇ. καὶ εἰς τὴν γῆν ὑπὸ θεοῦ ἀποστελλόμενοι, οὐ ἐναπομένουσιν ἐν τῷ οὐρανῷ. *Quum sunt in cœlo, non sunt in terra. Et quum in terram mittuntur à Deo, non manent in cœlo.* Quare, cur Deus sit in pluribus locis, non eo fit quòd sit impartibilis, hoc est, totus in toto, & totus in partibus: alioquin & Angeli essent similiter in pluribus locis: sed quòd sit infinitus. Angeli autem, cùm sint finiti, similiter esse non possunt in multis locis. At eadem ratio in anima. Itaque etsi sit tota in toto, & tota in partibus, tamen non potest esse in multis locis: multò minùs corpus.

XI. Breuiter: loci multi sunt, respectu eum rei locatæ, tum ipsorum inter se locorum. Priori modo, quum singuli rem totam locatam intra se continët. Posteriori verò, cùm comparantur loci, non cum re locata, sed inter se. Illo modo, nihil omnino potest esse in pluribus locis. Non Angelus: quia cùm erat in altari, non erat eodem temporis momento in cœlis. Non Deus ipse, quia nullo loco continetur. Multo minùs anima rationalis potest in multis esse. Altero autem modo, nihil obstat quominus res aliqua sit in multis locis: infinita quidem, tota in singulis, vt Deus in cœlo, in terra, in aere: finita autem per partes, vt terra est ad orientem, ad occidentem, ad meridiem, ad septentrionem. Corpus humanum pede terram tangit, capite aerem secat. Sed neutra loci ratio, ad hanc nostram thesin Papistis vtilis esse potest.

XII. Quarta ratio Bellarmini, Sanctesij, Caronæi, Cotoni. Si possunt plura corpora esse in vno loco: ergo & vnum corpus in pluribus locis. At verum prius. Ergo & posterius. Antecedens supponitur probatum thesi secunda. Consequentia probatur: primò, quia ita se habet locatum ad locum, quomodo locus ad locatum: secundò, quia hoc quàm illud non magis repugnat ordini à Deo constituto.

XIII. Respondeo: primò negari assumptum: prout est prolixè disputatum in secunda Thesi. Deinde, negatur etiam consequentia. Nam Angeli, quorum natura est etiam spiritualis, possunt plures eodem loco esse. Lombardus libri primi distinctione trigesima septima, *Spiritualis natura tantum definitione loci concluditur, quum ita sit alicubi, quòd non alibi: sed nec dimensionem recipit, nec distantiam in loco facit: quia si multi essent spiritus hic, non eò coangustarent locum, quò minùs de corporibus contineret.* Et tamen vnus spiritus non potest esse in pluribus locis. Multo minùs corpus. Eximde intelligi potest quid de priori confirmatione sentiendum sit. Nimirum non vniuersaliter esse verum, ita se habere locum ad locatum, vt locatum ad locum: alioqui, vt vni Angelo vnus est locus: sic vni loco vnus esset Angelus. Imò & de secunda. Nam occupatio vnius loci propria est corpori, nihil habens commune cum spiritu. At pluralitas locorum neque cum corpore, neque cum spiritu. Itaque, si essent duo corpora in vno loco, repugnaret id duntaxat ordini, qui in corporibus. At si vnum corp⁹ in multis locis, tum perturbaretur ordo, non tantùm qui corporum est, sed etiam qui spirituum. Quare hic maior est ratio impossibilitatis, quia gemina. Ioannes de Turrecremata ne ipse quidem sibi passus est consequentiam persuaderi in quæstionibus Euangeliorum, in octauis Paschæ quæstione secunda, *Quia quòd vnū corpus sit in duobus locis, implicat contradictionem: quia de ratione loci est, quòd sit locati terminus. terminus autem est extra quod nihil est rei: vnde nihil locari potest in loco exteriori: quòd si ponatur esse in duobus locis, sequitur quòd sit extra suum locum: & sic sequitur, quòd sic locatus & non locatum. Hoc autem non contingit, si duo corpora sint in eodem loco.*

XIV. Quinta ratio: Si quicquam obstat, quominus vnum corpus sit in pluribus locis: Ergo, vel id obstabit, quòd pluralitas locorum sit Deo propria: vel, quia vnitas rei multiplicaretur. At nihil horum obstat. Ergo, nihil obstat. Ita Caronæus: & probat assumptum, quà de Deo. Quia sunt quædam magis propria Deo, quàm pluralitas locorum; quæ tamen communicantur creaturis. Poterit ergo & hæc pluralitas locorum communicari. Antecedens probatur, quia triplices in Deo considerandæ sunt proprietates: Aliæ, sine quibus Deus esse nequit, nec ipsæ absque Deo: vt infinitas, & independentia. Aliæ, sine quibus Deus non potest esse Deus: ipsæ tamen possunt esse extra Deum: vt immortali-

tas. Aliæ denique, sine quibus potest Deus esse Deus: & quæ ipse possunt esse extra Deum: vt esse totum in toto; & totum in qualibet parte. Nam, quia essentiam habet sine quantitate: posset igitur eam redigere ad vnum punctum: etsi nostra nos eò fides ducat, vt credamus esse vbique, & implere cœlum & terram. Porrò pluralitas ipsa locorum est in postremo ordine.

XV. Rursus probat, quâ de vnitate. Nam si vnitas obstat corpori: Ergo & animæ. At non Animæ, ergo neque corpori. Consequentia probatur: quia anima æque est vna ac corpus. Probatur assumptum, quia anima est actu in variis locis: nempe in singulis partibus tota.

XVI. Descripsi argumentum, non tàm propter momentum, quàm vt videant lectores, in quæ blasphemiarum præcipitia abeant Papistæ, dum suo sensui indulgent in rebus Theologicis: sibi permittentes, nulla præeunte Verbi Diuini face, cœlestia arcana rimari: deque ea essentia, quam nulla ingenij vis capere queat, temere nugari. Ita me amet Deus, vt, dum hæc legerem, totus cohorrui: eoque magis, quòd non in vno Caronæo animum defixi, medicum profitente: sed eoque distractum à rebus Theologicis: vt dicere quis possit *homine imperito nihil quicquam iniustius*. Sed cùm attenderem etiam Iesuitas Petreum, & Hayum testatos hunc libellum dignum qui in lucem emitteretur ad vtilitatem animarum Christianarum; tum verò non exclamare non potui, O tempora! O mores! & illud in memoriam reuocare [illegible].

XVII. Iam respondeo: primò de Deo, non hoc obstare, quominus corpus sit in pluribus locis. Ratio, quia ne Deus quidem est in pluribus locis, sed est vbique. Hoc autem *vbique*, non est pluralitas locorum: nisi (quomodo diximus) per partes mundi. Hic autem modus non est huius quæstionis. Nam nostri plures loci non tantùm singuli totam habent rem locatam, sed etiam continent: hoc est, finiunt eius substantiam. At Dei substantia nusquam finitur. Itaque etsi sit vbique: tamen non potest dici in pluribus locis.

XVIII. Quare, quæ de proprietatibus Dei nugatur Caronæus, [illegible]: quum hæc nulla sit Dei proprietas. Tantùm hæ nobis blasphemiæ notandæ. Prima, posse Deum non esse totum in toto; & totum in partibus. Id verò quid aliud, quàm posse habere partes extra partes? Ideoque, vt loquitur Augustinus, *sectili mole distendi*? Id est, finitum esse? Nam Cyrillus de Trinitate libro secundo, *Si verè partitionem & sectionem diuina natura reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, & in loco omnino, & magnitudine, & quantitate, & si quanta facta esset, non effugeret circumscriptionem.* Altera blasphemia: Potest Deus suam essentiam redigere ad vnum punctum. Hoc quid est? nempe, primò Deum non esse Deum necessariò, sed voluntariè. Deinde, posse esse Deum, & tamen finitum, ac non vbique. Nam ita opponuntur ab ipso Caronæo, punctum; & esse vbique. Hæc autem monstra quis capiat? quis fidelis non execretur? [illegible], Κύριε Ἰησοῦ.

XIX. De vnitate. Hæc verò [illegible] repugnat multitudini locorum. Non enim potest fieri, vt finita res, vna eademque numero, sit in variis locis. Quia, vt sit vna numero; hoc habet à terminis suæ substantiæ. Locus autem vnus, quisquis terminat hanc substantiam. Itaque tam possibile est rem vnam omnino esse in multis locis; quàm vnitatem esse multitudinem. At anima, inquit, & vna est & actu in multis locis. Hoc verò falsum, inquam, non enim est in corpore anima, tanquam in loco: sed tanquam forma in materia. Qua de re antea dictum.

XX. Sexta ratio Cotoni est: Si Spiritus potest vno loco corporali alligari: poterit & vnum corpus non alligari vni loco. At verum prius. Ergo & posterius. Probatur consequentia: quia, non est magis de natura corporis occupare vnum locum: quàm de natura Spiritus vno loco alligari.

XXI. Respondeo: alligari vno loco, intelligi posse dupliciter, vel indefinitè, vt significet nò posse, aut Spiritum, aut corpus, esse nisi in loco suo. Vel definitè, vt sit, non posse discedere ab hoc illóve loco, particulatim assignato. Hoc posteriori sensu conceditur totum argumentum: quia, vel est extra oleas: cùm agat Thesis nostra non de vno definito loco, puta summa parte cœli, in qua quasi catenis vinctus detineatur Christus: sed indefinitè de vno aliquo loco; qui mutari possit per motum localem. At priori sensu negatur consequentia. Nam quilibet spiritus creatus alligatur vni loco: quia non potest esse in multis simul. Et similiter corpus. Hoc enim vniuersale est omnibus rebus finitis, id est, creatis.

XXII. Septima ratio eiusdem Cotoni: Si vnus Angelus potest esse simul in multis locis. Ergo & vnum corpus. At prius verum, ergo & posterius. Assumptum probatur. Exodi duodecimo describitur Angelus magnam cædem faciens in tota Ægypto; idque medio noctis: hoc est, vel vno eodemque momento: vel saltem horæ spatio. Quod fieri non potuit, nisi Angelus fuerit simul in plurimis locis: propter amplitudinem regni; lati à vigesimo nono gradu ad trigesimum primum: longi autem à sexagesimo ad sexagesimum quartum. Rursus Angelus in exercitu Sennacherib cecîdit hominum centum octoginta quinque millia: secundi Regum decimo nono: & Ecclesiastici quadragesimo octauo: & primi Machabæorum septimo.

XXIII. Respondeo: negari antecedens. Nam & Vasques in primam partem Thomæ, *veriorem sententiam*, inquit, *Angelus nequit esse in pluribus locis, etiam non adæquatis vllo modo*, Disputatione centesima nonagesima, capite tertio. Neque, contrà vllo probari exemplo. Nam cædem illam primogenitorum, quid vetat successiuè factam? Imò, inquit, in medio noctis: quod ad literam intelligendum pro ipso momento, vel certè, pro vna hora. Nugæ, inquam, nihil enim est necesse. Nam contrà prohibentur Israelitæ egredi domo, ad lucem vsque, nempe dum cædes perficitur. Atque ita, vt minimum, durauit cædes horas quinque. Et illud *medium noctis* eius initium significabit, quomodo & vulgo vsus est, & in Scriptura. Tum autem, etsi horam duntaxat vnam concedamus Cotono, sic pro suo iure postulanti, nihil tamen erit quod inferat multos locos. Nam Angelorum quis nescit miram esse celeritatem? Sed enim, quantulum id spatium est quod occupatum ab Ægypto, tam diligenter vult videri metitus noster Iesuita? duorum graduum in latitudinem: quatuor in longitudinem? Aut quis credat tantillum hoc terræ, non potuisse vna hora peruagari ab Angelo?

XXIV. Quòd si negem Angelum vnum autorem fuisse huius cædis? Etsi enim nihil necesse sit,

tamen

tamen Pererius disputatione prima in Exodi vndecimum pronunciat, *Probabilius, fuisse plures.* Et quidem vt videas, quàm non sit eadem omnibus Iesuitis iudicij mensura, iisdem Pererius argumentis suā probat sententiam, quibus argumentis contrariam Cotonus, ab amplitudine Ægypti, à breuitate temporis, *Etenim terra Aegypti, inquit, longissimè & latissimè patet, habens plurimas ciuitates, multóque plura oppida longissimis dissita interuallis & prope innumerabiles domos. Cædes autem illa facta est in tota Aegypto, vbicumque locorum versarentur Aegyptij, ita vt nulla domus ab ea cæde fuerit immunis. Et facta est cædes eodem tempore atque eo quidem breuissimo: nō igitur vnus Angelus potuit tam breui tempore in omnibus Aegyptiorum habitationibus longissimè inter se distantibus, interficere omnia primogenita Aegyptiorum.* Et paulò pòst, *Non est itaque improbabile, cuiuslibet ciuitatis, vel magnæ habitationis fuisse vnum Angelum percussorem.* Tum laudat adstipulatorem Caietanum.

XXV. At Cotonus disputat inutiliter. Quid enim? Notandum, inquit, destructoris nomen. Nam etsi in Scriptura singulare nonnunquam sumatur pro plurali: tamen hoc loco suam habet emphasin: maximè, quia ab Apostolo eodem modo referatur prioris ad Corinthios decimo: dicēte, eos periisse à destructore, καὶ ἀπώλοντο ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ. Quod agnoscit Beza in annotationibus, comparans Hebraicum המשחית cum Græco. Quid tum enim, si nomen singulare? Cùm constet singulare nomen collectiuè sumi pro plurali ipso fatente Cotono? Quod enim *aliquando* dicit, primò nihil obest: quid enim si hic locus in eo ordine? Deinde si *aliquando* dicit, id est, *rarò*, falsum: est enim tam frequens apud Hebræos, vt numerum fermè exempla excedant. Itaque, sensus esse potest facilis; non permissurum Dominum, vllum interfectorem ingredi domum signatam sanguine. Sed habet hic emphasin, inquit Cotonus? Quam emphasin, inquam? An vt vnicus designetur? Si Prætor decreuerit, taceo. At si Sophista calumnietur, rideo. Et hoc ponùs verum. At Beza agnoscit? Quid, inquam, agnoscit? vnicumne significari? Merum mendacium.

XXVI. De exercitu Assyriorum facilius negotium. Nam Scriptura nullum momentum indicat: ideo neque multos locos, sed totam noctem. Verba diserta decimo nono posterioris Regum, *Factum est igitur in nocte illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Audin' *nocte illa?* Quid ergo? in præcedenti exemplo non potuit necessariò pro medio noctis momentum substituere: Et hic speret se noctem integram adeò contracturum? Non faciet: non faciet impunè, quandiu quidem nos aduersarij erimus. Imò, quandiu Pererij Iesuitæ nomen erit nōnullum. Is in Exodi vndecimū. *Et proditum Angelum Domini cecidisse centum octoginta millia Assyriorum: sed illi erant simul in vno exercitu, atque in vno loco, & per vnam noctem occisi sunt.*

XXVII. Ratio octaua Cotoni. Sidem sonus potest simul eodemque tempore percipi à multis auribus: ergo & idem corpus existere in multis locis. At verum antecedens, ergo & consequens.

XXVIII. Respondeo, sonum esse accidens: corpus verò substantiam. Ideóq; absurdam esse cōsequentiam in rebus toto genere disparatis. Secundò eundem sonum intelligi, vel specie, vel numero. De eadem specie, verum quidem antecedens: sed negatur consequentia. De eodem numero negatur antecedens. Nam sonus est in multis auribus per multiplicationem. Cui rei argumentum est certum: quod sonus fortior est circa originem, quam procul ab ea: & ita paulatim diffusus per aerem, tandem abit in nihilum. Non potest autem non differre numero sonus intensior à sono remissiore. Item alterum, quia idem numero accidens non potest esse in variis subiectis. Atqui aër subiectum est soni. Non est autem idem numero aër in omnibus audientium auribus: est enim corporeus, ac proinde sectili mole distentus. Quare, quæ vox est in aure Socratis, non est eadem numero in aure Platonis: sed tantùm eadem specie. At corpus nos hîc vnum numero dicimus. Itaque nulla est vis argumenti.

XXIX. Ratio nona esto Bellarmini: sumpta à mysteriis nostræ fidei, vel difficilioribus, vel æquè difficilibus; Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis, Creationis, Annihilationis, & Æternitatis. Si creduntur hęc omnia: Ergo, credendum etiam vnum corpus esse posse in multis locis. Probatur consequentia; quia sigillatim singula ostenduntur longè difficiliora esse.

XXX. Respondeo: primò negari consequentiam argumenti. Non enim plus infert minus necessariò. Credendum datam homini à Creatore rationem: at non tamen propterea dotes etiam brutorum omnes. Credendum homini post peccatum animæ immortalitatem relictam: non credendum tamen etiā corporis. Multa sunt similia. Itaque totum hoc consequentiarū genus à maiori ad minus topicum est: & aliquando verum; aliquando falsum. Atque adeo Papistæ, etsi concedant remissionem culpæ, tamen remissionem pœnæ negant. Et Peltanus ridet, contra argumentantes à maiore ad minus. Secundò, negatur etiam antecedens. Non enim sunt illa capita difficiliora isto vno. Ratio; quia nulla tanta esse potest difficultas, quanta implicatio contradictionis. Nam reliquæ difficultates, saltem subiciuntur omnipotentiæ: At hæc minimè. Consentimus enim vtrinque, ea quæ implicant contradictionem, ne à Deo quidem fieri posse.

XXXI. Hîc pugnat Bellarminus; primò, de Trinitate, in qua est vna natura in tribus personis reipsa verissimè distinctis. At hoc mirabilius est, quàm vnum corpus in multis locis. Nam vtrinque realis est distinctio, hîc locorum, ibi personarum: vtrinque vnitas: hîc corporis, illic naturę. Sed illic natura identificatur realiter & formaliter cum singulis personis: non autem corpus cum loco.

XXXII. Respondeo: primò, verè mirabilia esse: Imò mente non comprehendi arcana Trinitatis. Verùm, non implicare contradictionem. Nam quia omnes fatemur, ea quæ sunt huius generis, in Deum non cadere: profectò, si hæc arcana implicarent contradictionem: ea in Deo nulla essent. At sunt in Deo: ergo, non implicant contradictionem. Corpus verò in multis locis, verè implicat contradictionem. Est autem Deitatis & corporis ratio diuersa. Quia in Trinitate personæ sunt indiuidua: At essentia est τὸ τοῖς τρισὶ κοινόν. Atqui corpus nullum est nisi indiuiduum: ideóque non potest esse pluribus commune: nedum locis: quomodo essentia Deitatis sua natura communis est pluribus personis. Esto hoc quidem mirum, quantum voles: dum diuersa sit ratio rerum comparatarum.

XXXIII. In Incarnatione vna est hypostasis in duabus naturis perfectis & dissimillimis: quæ tamen identificatur realiter & formaliter cum earum naturarum altera. Diligenter autem considerandi

CAPVT XI.

Vnum corpus non posse implere plura loca.

I. HÆc fuere Papistarum argumenta. Iam nostra Catholicorum. Primum: Quicquid est totum in pluribus simul locis, est vbique. At nullum corpus est vbique. Ergo, nullum corpus est in pluribus simul locis totum. Minor patet: quia quicquid est vbique, est infinitum: ac proinde Deus. Ideóque à Patribus inde educitur demonstratio, ad probandam veram Sancti Spiritus Deitatem. Ambrosius de Spiritu Sancto libri primi capite septimo. *Quis audeat creaturam appellare Spiritum Sanctum, qui non habeat circumscriptam determinatamque virtutem? Quia & in omnibus, & vbique semper est, quod vtique diuinitatis & dominationis est proprium.* Augustinus libri tertij contra Maximinum capite vigesimo primo. *Itáne Deus est, qui repleuit orbem terrarũ?* Basilius capite vigesimo secundo de Spiritu Sãcto: [illegible Greek] *Eum verò, qui vbique est, simúlque cum Deo præsens est, cuiusnam decet existimare naturæ? illiúsne quæ omnia continet, an eius quæ partialibus continetur loculis?* Claudianus Mamertus Viennensis de statu animæ libro secundo: *Si vbique esset, Deus esset.*

II. Probatur autem maior ab iisdem ipsis Patribus, qui illo argumento adstruunt Spiritus diuinitatem. Recito: Ambrosius eodem loco. *Cùm Dominus seruulos suos Apostolos destinaret, vt agnosceremus aliud creaturam esse, aliud gratiam spiritualem, alios aliò destinabat: quia omnes simul vbique esse non poterant. Dedit autem omnibus Spiritum Sanctum, qui licet separatis Apostolis inseparabilis gratiæ munus infunderet. Erant igitur diuersæ personæ, sed vnus in omnibus operationis effectus, quia vnus est Spiritus Sanctus: de quo ait: Accipietis virtutem venientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, vsque in fines terræ. Incircumscriptus igitur & infinitus Spiritus Sanctus, qui se discipulorum sensibus per separatarum diuortia discreta regionum, remotósque fines totius orbis infudit.* Didymus de Spiritu Sancto. *Ipse Spiritus Sanctus si vnus de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam; sicut vniuersa quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco, & finibus, inuisibiles creaturæ: tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem Sanctus, cùm in pluribus sit, non habet substantiam circumscriptam. Mittens quippe Iesus prædicatores doctrinæ, repleuit eos Spiritu, & insufflans in faciem eorum; Accipite, inquit, Spiritum Sanctum: & euntes, docete omnes gentes: non quasi omnes cunctis gentibus mitteret. Neque enim omnes Apostoli ad omnes gentes pariter sunt profecti: sed quidam in Asiam, quidam in Scythiam, & alij in alias diuersi nationes. Si ergo hi in extremis finibus terræ, ob testimonium Domini constituti, distabant inter se longissimis spatiis, aderat autem eis inhabitator Spiritus Sanctus, incircumscriptam habens substantiam: demonstratur Angelica virtus ab hoc prorsus aliena.* Basilius loco iam dicto: [illegible Greek] *Aliæ virtutes singulæ in circumscripto loco esse creduntur. Nam qui Cornelio adstabat Angelus, non erat eodem momento etiam cum Philippo. Neque qui ex altari colloquebatur Zachariæ, eodem tempore etiam in cœlo propriam implebat stationem. At Spiritus simul & in Abacuc operari, & in Daniel Babylonia creditur: & in Catharacta dicitur fuisse cum Hieremia, & cum Ezechiele ad Chobar.*

III. Hæc ille: Attende: Primò, disertè Didymus: Spiritum Sanctum negat esse circumscriptæ naturæ, hoc argumento, quòd sit in pluribus. Necesse est igitur nostra hac maiori propositione niti, Quicquid est in pluribus, est vbique. Deinde reliqua demonstratio hoc ipsum postulat. Vt enim probent esse vbique, obseruant esse in variis orbis partibus, vnà cum Apostolis: qui tamen non occuparunt omnes locos totius orbis; sed tantùm duodecim. Ergo, necesse est eum, qui duodecim in orbe distantes locos impleat, esse vbique. Quid? quod Basilio duo sunt satis? Erat Spiritus simul in Abachuc & in Daniel, simul in Hieremia & Ezechiele: ergo erat vbique. Tanto nunc certior est maior propositio.

IV. Bellarminus respondet specialiter de corpore Christi, quasi oblitus agi de quolibet corpore. Et quia videtur perplexè respondere, describam. *Dico*, inquit, *duas esse differentias inter Deum, & corpus Christi.* Nos dicamus: *& quodlibet corpus* ita poscente quæstione. Sed quas ergo? Prima est, quòd Deus reipsa, ac de facto est vbique: At corpus Christi reipsa, ac de facto non est vbique, neque vnquam erit, sed vno loco est localiter nimirum in cœlo: in multis Sacramentaliter, in multis aliis nullo modo: & hoc sufficit ad saluanda argumenta Patrum de Spiritus Sancti diuinitate. Nam si solus Deus de facto est vbique: certè Spiritus Sanctus conuincitur Deus esse, quia est vbique. Altera differentia: Quòd diuinitas non solùm est vbique, sed etiam non potest constringi ad vnum locum: imò, non potest non esse vbique, cùm sit intrinsecè & essentialiter immensa. At Christi corpus, licet possit esse, & sit per Dei potentiam in multis locis; tamen potest etiam redigi ad vnum solum locum. Ita scripsit Bellarminus; adeò perplexè, vt non facilè sit discernere quid sibi voluerit. Credo, quia argumentũ sibi informe proposuit. At Baptista Desbois, eius abbreuiator, argumẽtũ sic posuerat: Patres soli Deo tribuũt esse vbique. At si corpus aliquod vnũ possit in pluribus locis poni. Ergo & vbique. Respondet ad maiorẽ, id Patres tribuisse Deo de facto: nec enim de facto corpus aliquod fuit, aut erit vsquam vbique. Secundò, ita esse proprium Dei ex natura sua, vt nulla ratione possit determinari ad vnum, quantumlibet de facto, locum. At nihil creatum, quod ita determinari non valeat. Ita formauit iste paulò meliùs, & obiectionem & solutionem. Sensus est, distingui ea quæ vbique, in ea, quæ vbique sunt actu, vel potentia: Deinde, in ea, quæ non possunt esse vbique; & ea quæ possunt cogi in vnum certum locum. Et de iis, quæ actu sunt vbique, nec possunt aliter, negari maiorem nostri syllogismi. At de iis quæ vbique sunt tantùm potentia, nunquam actu, & cogi possunt in vnum locum: negari minorem.

V. Respondeo: Primò, non satisfieri argumento, quum non distinguatur argumentum, sed ipsa

conclusio. Quid tum autem, si sit vbique vnum actu, alterum potentia? Non enim propterea negatur esse vbique corpus; quod tamen fit in argumento. Deinde, dico distinctionem esse nouam, atque antehac non auditam: itaque olere recentissimum Iesuitarum artificium, quibus mille vestigia turrimæ, ad elabendum: mille sophismata, quibus etiam manifestissimam veritatem eludant: quibus denique mille nocendi artes. Dico igitur, nunquam hactenus auditum esse, aliquid esse vbique potentiâ, & non actu. Aut quicquam cogi posse in vnum locum, quod possit esse vbique. Hæc verò somnia sunt Iesuitica: sed sunt etiam contra mentem Veterum. Quod constat, quia lusissent operam, hoc argumento disputantes contra aduersarios: potuissent excipere Spiritum Sanctum, quum esset in pluribus locis, esse de earum rerum genere, quæ non sunt vbique actu: quæque poterant cogi in vnum locum. Contra hanc exceptionem, nemo Veterum suum fulciuit argumentum. Itaque, quicquid Bellarminus dicat, non fuisset satisfactum hæreticis. Et si satisfactum; tum argumento est has distinctionis strophas incognitas fuisse. Deinde, certum eos intellexisse Spiritum Sanctum esse vbique; sed hoc ipsum dico illis probatum hoc medio; quòd esset in pluribus locis. Quare, hoc rursus dico: ex præsentia in pluribus locis, concludi necessariò existentiam vbique actu: eadémque necessitate & alterum sequi, non posse vno loco concludi. Quæ vis est nostri argumenti. Quod si placet ita potest reformari, Quicquid est totum in pluribus simul locis; est vbique actu: nec potest coërceri vno loco. At nullum corpus est vbique actu: nec non coerceri potest vno loco. Ergo nullum corpus est totum in pluribus simul locis. Et minorem probabunt iidem ex Patribus loci.

V I. Hactenus argumentum primum: ex quo elicitur aliud: Quicquid est in pluribus locis totum, est vbique actu. At corpus Christi non est vbique actu: ergo corpus Christi non est in pluribus simul locis totum. Maior iam est disputata, minorem probo. Matthæi vltimo, *Angelus, scio* inquit, *vos Iesum crucifixum quærere. Non est hic: Resurrexit enim, prout dixit. Venite: videte locum vbi iacebat Dominus.* Similiter Marci vltimo: & Lucæ vicesimo quarto: Item Ioannis vigesimo: *Sustulerunt Dominum è monumento, & nescimus vbi posuerunt eum.*

V I I. Huc referendi Patres, qui disertè negant Christum humanitate sua in terris esse. Fulgentius libri secundi ad Trasymundum, capite quinto: *Vnus idémque Christus homo, localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre. Vnus idémque secundùm substantiam humanam absens cælo, cùm esset in terra: & relinquens terram, cùm ascendit in cælum.* Vigilius libri primi capite tertio: *Hoc erat ire ad Patrem, & recedere à nobis, auferre de hoc mundo naturam, quam susceperat à nobis. Vides ergo eidem naturæ proprium fuisse, vt auferretur & abiret à nobis, quæ in fine temporum reddenda est nobis.* Et pòst: *Dei filius secundùm humanitatem suam recessit à nobis. Quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit nec deseruit diuinitate sua.* Augustinus libri vigesimi contra Faustum capite vndecimo: *Secundùm præsentiam corporalem simul & in Sole & in Luna, & in cruce esse non posset.* Nec opus est pluribus. Nam subinde occurrunt similia.

V I I I. Bellarminus omnia dissimulat; excepto vnico illo. *Non est hic.* Et altero ex Augustino. Ad illud respondet facilè, duobus modis. Primo, sensum esse; non iacere mortuum in sepulchro, vt credebant mulieres. Secundò, intelligendum moraliter: quia non solet corpus viuens in sepulchro manere: quamquam absolutè potuisset.

I X. Proh Dei & hominum fidem, quid est manifestissima quæque torquere, si hoc non est? Dixit Angelus, qui erat ad sepulcrum, dixit, inquam, de Christo, quem mulieres quærebant in eo sepulcro *Non est hic*: Ego nunc quæro, quid hoc verbi significet. An corpus Christi tum re vera & actu non fuisse in eo loco: an verò fuisset? Illud tum ipsa phrasis præ se fert ex vsu communi, tum Veteres estantur. Gregorius homilia vigesima prima in Euangelia. *Non est hic, dicitur per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deerat per præsentiam diuinitatis.* Quæ verba ab eo mutuantur Zacharias Chrysopolitanus, & Anselmus. Petrus Chrysologus sermone septuagesimo septimo aliis verbis eandem rem effert. *Non est hîc secundùm id quod in loco extitit. Hîc est autem, per hoc quod vbique est & loci capacitate non clauditur.* Aduerte: Non est hîc, & nusquam deesse, opponi inter se. Ergo necesse est illud, *non est hîc*, idem esse ac si dictum esset, *deest hîc*. At hoc significat absentiam actualem.

X. Adde sequentia verba: *Videte locum.* Lyranus: *Vacuum scilicet.* Consonant Victor Antiochenus in Matthæum. *Propter hoc enim, nimirum quò locum, vbi positus fuerat, vacuum demonstrari posset, lapidem sustulerat.* Anselmus: quasi dicat: *Si verbo non creditis, vacuo sepulcro credatis.* Caietanus: *Etiam vacuitatem sepulcri affert in testimonium.* Nec recentiores dissentiunt. Franciscus Lucas: *Videte locum: qui corpore vacuus, corporis adhuc habet exuuias.* Salmeron tractatu nono tomi vndecimi: *His verbis declarat se propter eas lapidem reuoluisse: & vacuum sepulcrum visum satis erat ad comprobandum primum dictum, scilicet, Non est hic.* Sedulius: *Vacuúmque vident iam corpore factum, sed plenum virtute locum.* Quid? potéstne dici locus vacuus, in quo te ipsa corpus esset? Iuuencus: *Visere iam vobis licitum est quod sede sepulcri Nulla istic iaceant, fuerant quæ membra sepulta.*

X I. Sed mulieres quærebant mortuum. Ergo, applicandum ad eorum mentem dictum: hoc sensu scilicet, *non est hîc mortuus*. Imò, inquam, illud de non mortuo vno verbo significatur, *Resurrexit*. Maldonatus: *Non satis fuit dicere, Non est hic: poterat enim illic non esse, nec tamen resurrexisse: quia inde translatus aut furto sublatus: propterea addit, Surrexit enim.* Consentit Lucas Brugensis: Ergo non vnum idémque est: *non est hic*: & *non est hic mortuus*: quod putat Bellarminus. Et sanè hæc ad mulierum mentē. Hæ enim & Christum putabant mortuum, & putabant ibi esse in eo sepulcro. Ad vtrumque Angelus. Et non esse ibi, & resurrexisse.

X I I. At illud, *moraliter* festiuum. Quid autem? an aliud, quàm historicè? Videtur: alioquin non esset Bellarmino soluta difficultas. Sensus est ergo, Angelum dixisse, *non est hic*: non historicè vt vere significaret eo loco, tum temporis non esse corpus Christi: sed tantùm moraliter. Nempe, vt significetur Christi corpus fuisse quidem in sepulcro historicè: sed non fuisse in sepulcro moraliter: Hæc verò somnia quis facilè explicet? Et primò, quorsum illud prius de mente mulierum? Neque enim nullius est momenti: nisi de Angelo sophistam facias; non instruentē mulieres, sed eludentē, imò illudentem.

Nam

Nam certè mulieres historicè quærebant Iesum mortuum: & quærebant in sepulchro. Quid absurdius, quàm inducere Angelum moraliter respondentem. Nunquam quisquam probet, præter Iesuitas, quibus eadem est cordi mentalis æquiuocatio. Secundò: quid illud *Venite, videte locum?* eritne etiam moraliter dictum? At si non potest; tum ne reliqua quidem. Nam illo ista probantur: & probantur per experientiam: Maldonatus. *Quod & suo & Christi testimonio probauerat, nunc experientia confirmat, & ipso visu nititur fidem facere.* Quid? iam experientia & visus, sunt-ne moralia, an potiùs historica?

XIII. Augustinum Bellarminus respondet loqui de corpore Christi, vel, secundùm sententiam Manichæorum, vel vt est re vera. Si prius, hoc esse dilemma. Si Christus est Spiritus, seu Phantasma, crucifigi non potuit. Si autem est corpus expansum per Solem, Lunam & alia loca; non potuit totus simul esse in Sole, Luna & cruce. Sin autem posterius, tum loqui Augustinum de corpore secundum ordinarium cursum naturæ: & non secundùm id quod potest in illo facere Omnipotentia Creatoris. Probat, quia ibidem dicat, Spiritum nullo modo pati posse in cruce. Quod nisi intelligatur secundùm ordinem naturæ, contradiceret, quod idem ipse scripsit de Ciuitate Dei, libri vigesimi primi, capite decimo, Spiritum pati posse ab igne corporeo per diuinam potentiam. Quòd si alligari potest igni, cur non etiam cruci?

XIV. At ego hos homines dico, vel negligentissimè legere quæ legunt, vel stupidissimè esse Dialecticos, qui tam malè resoluant quæ alij scripsere. Recito locum integrum, etsi prolixiorem paulò. Thesis erat, Vtrum ex viribus Spiritus Sancti, ac spiritali profusione, terra concipiens genuerit passibilem Iesum: quod Manichæi asserebant. Hanc thesin variis argumentis Augustinus exagitat: & *Postremò*, inquit, *dicite nobis, quot Christos esse dicatis. Alius-ne est, quem de Spiritu Sancto concipiens terra passibilem gignit, omni non solùm suspensus ex ligno, sed etiam iacens in herba: & ille alius quem Iudæi crucifixerunt sub Pontio Pilato: Et tertius ille, per Solem Lunámque distentus? An vnus atque idem, ex quadam sui parte ligatus in arboribus: ex quadam verò parte liber, eidem ligata capiat subueniens? Quod si ita est, ille quem sub Pontio Pilato passum esse creditis, (cùm eum sine carne fuisse narratis, nondum dico quomodo talem mortem sine carne pati potuerit) sed quæro cur naues illas reliquerit, vt inde descendens talia pateretur, qualia sine quocunque corpore fieri non possent? Secundum præsentiam quippe spiritualem nullo modo illa pati posset: secundùm præsentiam verò corporalem simul & in Sole & in Luna & in cruce esse non posset. Proinde, si corpus non habuit: non est crucifixus, si autem habuerit, quæro vnde habuerit. cùm omnia corpora ex tenebrarum gente esse dicatis: quamuis substantiam diuinam cogitare nisi corpoream nunquam volueritis. Vnde cogimini aut sine corpore dicere crucifixum: quo absurdius & dementius nihil dici potest: aut in phantasmate potius quàm in veritate visum fuisse crucifigi: quo rursus impietate quid peius est? Aut non omnia corpora de gente esse tenebrarum: sed esse etiam corpus diuinæ substantiæ, quod tamen immortale non sit, sed posse ligno affigi, & occidi: quod nihilominus plenum est dementiæ. Aut ex gente tenebrarum mortale corpus habuisse Christum: atque ita qui eius corporis matrem Mariam Virginem credere timetis, gentem dæmonum non timetis.*

XV. Hactenus ille: quid Bellarminus? Vel agit, inquit, Augustinus ex mente Manichæorum, vel de ordine naturę. Hic ego primùm. Quid tum, si secundùm Manichęorum mentem? Nam, quid hęc faciat ad solutionem argumenti, non indicat: ego etiam non video. Deinde, nego posse secundùm mentem Manichæorũ. Nam quomodo, qui Christum in Sole, & Luna & qualibet arbore ponerent; iidem negarent esse posse in Sole, Luna, & cruce? Itaque, alterum potiùs verum. Sanè enim Augustinus Manichæorum somniationes impugnat ex veritate naturæ corporalis. En tibi Analysin. Dilemma, Christus ille, quem Manichęi genitum dicunt, terra concipiente, vel multiplex est, vnus in Sole, alter in qualibet stirpe, tertius in cruce: Vel est vnus per partes distentus in iis omnibus. Prius membrum propter perspicuitatem absurditatis, credo (nam quis ferat vnum quid esse tria?) missum facit. Alterum prolixè examinat: Si est vnus, ergo primum reliquit naues illas quas ei assignabant. Ratio, quia non poterat simul esse in Sole, & Luna (vbi illæ naues) & cruce. Deinde, vel habuit corpus, vel non. Si non habuit: ergo, vel non est crucifixus: quia non potuit id supplicij absque corpore fieri. Est id enim absurdum: Vel in phantasmate, quod est impium. Si autem habuit; ergo vel ex diuina substantia mortale: quod est plenum dementiæ: Vel ex gente tenebrarum: quod indignum: maximè apud eos qui nolunt ex Maria. Hæc mens est Augustini perspicuè vereque explicata.

XVI. Attendite: Primò, vel multiplex est, vel vnus per partes distentus. Certè aut Augustinum necesse est ἀπαίδευτον fuisse; aut non esse natam tum temporis Iesuitarum Sophisticen. Nam & Iesuitæ statim responderent, & suo more facile: non esse necessariam disiunctionem: tertium enim membrum dari vnum in pluribus locis: quo neque multi darentur, vnus in Sole, alius in stirpibus, alius in Cruce: neque vnus distentus: sed vnus tantùm & in Sole, & in stirpibus, & in cruce: Quomodo vnum corpus Romæ & Lutetiæ, & Constantinopoli. Secũdò, si vnus, ergo reliquit naues, vt in cruce moreretur. Minimè verò, inquit Iesuita. Nam si vnum corpus potest esse Romæ ad ignem; & Lutetiæ in media glacie; vt Bellarminus: Et si potest Romæ viuere, Lutetiæ mori; vt Conimbricenses asserunt: cur non idem Christus potuerit & in Sole, ac Luna, naues suas agere: & simul in cruce mori? hæc, inquam, acutissimi Iesuitæ respondissent Augustino: hæc Manichæi etiam, si tum contigisset Iesuitarum in schola Manichæos erudiri: Sed ea videlicet erant tempora quibus tanta mysteria non erant cognita. Nostra faciliora: quæ si aggrediantur, non has tantùm Augustini ratiunculas; sed totam à fundamento, veritatem doctrinæ euertant.

XVII. Sed redeo ad meum Bellarminum. Quid tum ergo, si loquitur Augustinus de ordine naturæ: ergo, inquit, non de omnipotentia Creatoris. Imò, inquam, etiam de omnipotentia Creatoris. Disertè enim, *Secundùm præsentiam spiritalem nullo modo pati posset: secundum præsentiam verò corporalem, simul in Sole & in Luna, & in Cruce, esse non potest:* repete ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *nullo modo.* Si nullo modo: ergo ne quidem per omnipotentiam. De contradictione autem; iubeo esse securum. Primò enim, nõ sibi Augustinum contradicere ostendit Sophista: sed tantum cõsequenti suo, ex Augustini verbis edocto. Nõ enim in libris de Ciuitate dictũ vnquã

bono illi Patri, Spiritum pati illa in cruce; id est, crucifigi potuisse: quod hic negat. Deinde Bellarmini consequentia eiusmodi est? Si spiritus alligatur igni; ergo & cruci. Distinguo, inquam, alligatur cruci, vel vt ab ea non discedat, vel in ea illa patiatur quæ Christus est passus. Illo modo nihil est absurdi: nec negat hic Augustinus. At hoc modo negat Augustinus: nec sequitur ex antecedente. Quid? quòd non dixit secundùm spiritum, sed secundùm præsentiam spiritalem? Hæc verò differre quis nescit, qui saltem sit Theologus? Nam potest etiam corpus præsens esse hoc modo, quod tamen non potest spiritus dici. Sed vbi sic præsens est, ibi pati non potest, quod in sua substantia pati oportet, aut omnino nihil pati: at corpus præsens per spiritualem præsentiam tantùm, absens est per substantiam suam. Itaque, nugatur Bellarminus, non autem Augustini mentem explicat.

XVIII. Secundum argumentum: Nullum vnum finitum potest esse in multis locis totum. Minor certa: maior probatur: primò, quia locus est vnicuique rei suæ substantiæ finis. Vel, quia locus continet locatum. Quicquid autem continet, id quod continet ita habet intra se, vt extra nihil relinquat. At si vnum corpus est in horto, & in cubiculo: neuter locus intra se continetet: quia extra se relinqueret: itaque non esset locus: quæ est contradictio. Quomodo autem potest esse in horto finis substantiæ eius corporis, cùm sit eadem substantia extra hortum, in cubiculo? Argumentum fuit olim Ioannis de Turrecremata quæstionibus Euangeliorum in octauis Paschæ, quæstione secunda. *Quòd vnum corpus sit in duobus locis, implicat contradictionem: quia de ratione loci est quod sit locati terminus: terminus autem est extra quem nihil est rei: vnde nihil locati potest esse in loco exteriori: quod si ponatur esse in duobus locis, sequitur quòd sit extra suum locum: & sic sequitur quòd sit locatum, & non locatum.*

XIX. Respondent Bellarminus & Michaeli Vnitatem essentialem rei, non pendere ab vnitate loci: cùm prius sit rem esse vnam, quàm esse in vno loco: sed ab internis suis principiis. Itaque, imaginationem quidem non posse concipere vnum corpus in diuersis locis: sed rationem tamen iudicare posse, si sana sit, falli imaginationem.

XX. Sed primò, non respondet. Non enim quæritur, vnde pendeat vnitas: sed quid ex vnitate sit consequens. Pendeat sanè ab internis principiis: sed non est propterea falsum, nihil ita ab internis suis principiis vnum, esse posse in multis locis. Quin vide quàm sit præposterum ingenium Bellarmini. Nam vis argumenti nostri postulat potius, vt vnitas loci pēdeat ab vnitate rei. Quod si est, omnino erit necesse vnius rei vnicum esse locum: ideóque nullum vnum posse esse in multis locis: quæ maior est nostra.

XXI. At Caronæus respondet, non obstare vnitatem corporis, magis quàm vnitatem spiritus multitudini locorum. At spiritum vnum posse esse in multis locis. Et hoc probat exemplo animæ: cuius quantitatem essentiæ animæ non excedere quantitatem puncti Mathematici. Itaque esse totam in corpore: & totam in singulis particulis.

XX. Sed hæc præter nugas nihil habent. Quantitas, inquit, essentiæ animæ: quasi essentia animæ habeat quantitatem. Quis potuit ineptiùs loqui? Non excedit quantitatem puncti. Quid inconsideratius? Datur enim excessus inter res similes. At anima & punctum non sunt similia, hoc quantum, illa non quanta: sed ad rem: negamus animam, etsi tota sit in singulis particulis, esse in pluribus locis. Quomodo, etsi Angelus sit totus in singulis partibus loci, quo detinetur, plures locos non habet: sed ante a dictum.

XXIII. Quod autem Sanctesius asserit, Si partes corporis in quibus illa tota habitat, à se inuicem, saltem intra aliquod spatium, pro animæ capacitate, ad animandum limitatum & definitum, seiungerentur; eam in singulis totam perseueraturam futuram in pluribus locis diseretis naturaliter. Quomodo in reptilibus & insectis, aliquandiu persistat anima sensibilis, partibus longo interuallo sepositis. Hoc inquam, Monasticum somnium est. Quis enim dedit huic homini quidlibet pro arbitrio supponere, & pro demonstrationibus obtrudere? Atqui, id tantùm non fit, sed ne fieri quidem potest. Quia enim anima est in corpore, non vt locus in locato, sed vt forma in materia: nempe, quia informat hominem; non potest fieri vt sit, exempli gratia, in manu præcisa: alioqui manus ipsa per se esset homo: quomodo reliquum corpus, etsi truncum manibus, tamen est homo; quia semper ab anima rationali informatur. Nam de insectis quàm dissimile exemplum est? In his enim anima est tantùm qualitas & temperamentum caloris viuifici. Itaque non potest esse tota in toto, & tota in partibus. Ideóque cùm membra separata mouentur; non iam vna eademque anima est; quia non tota, sed pars tantùm prioris animæ: nimirum temperamentum illud quod erat in ea parte. Non est igitur aptum exemplum ad multitudinem locorum vnius eiusdémque rei.

XXIV. Tertium argumentum: Si corpus vnum est in pluribus locis, tum aut occupatiuè, aut definitiuè, aut repletiuè. At neque occupatiuè, neque definitiuè, neque repletiuè: Ergo, Nullum corpus est in pluribus locis. Probatur consequentia: quia hi tres sunt duntaxat modi essendi alicubi. Probatur assumptum per partes. Non repletiuè: quia is modus proprius est Deitati, quæ omnia cùm repleat, tamen neque spatium occupat, cùm sit spiritus: neque terminis vllis definitur, cùm sit infinita. Non definitiuè: quia quæcunque sic sunt in loco vno, non possunt esse alibi. Non etiam occupatiuè: quia quicquid ita est in loco, est etiam definitiuè: ac proinde non potest esse alibi. Hæc duo membra proponuntur & explicantur à Lombardo distinctione trigesima septima libri primi, segmento nono. *Duobus modis dicitur in Scriptura aliquid locale, siue circumscriptibile, & è conuerso: scilicet, vel quia dimensionem capiens longitudinis, altitudinis & latitudinis, distantiam facit in loco, vt corpus: vel quia loco definitur ac determinatur: quoniam cùm sit alicubi, non vbique inuenitur: quod non solùm corpori, sed etiam omni creato spiritui congruit. Omne ergo corpus omni modo locale est, spiritus verò creatus quodammodo est localis, quodammodo non est localis. Localis quidem dicitur, quia definitione loci terminatur: quoniam cum alicubi præsens sit totus, alibi non inuenitur. Non autem ita localis est, vt dimensionem*

sionem capiens, distantiam in loco faciat. Et segmento duodecimo: idem repetitur.

XXV. Ad solutionem huius argumenti refero; Primum, ex Cotono, tria esse locorum genera. Circumscriptiuum, Definitiuum, Sacramentale. Primū omni corporum generi competere: Secundum omni spiritui creato: tertium esse proprium Christi in Eucharistia. Secundò, ex Sanctesio, *Angelos mitti in ministerium propter eos, qui hereditatem capient salutis*, primo ad Hebræos: & tamen semper videre faciem Patris qui in cœlis est, illicque perpetuò adstare: neque enim propter ministerium fraudari sua beatitudine, & visione Dei: alioqui enim pœnam illis esset & miseria ad nos ablegari: nec similiter vbique Deo frui, sicut in beatorum, & beatitudinis cœlo: alioqui frustra seponeretur ad beatitudinem illa regio.

XXVI. At ego ad primum: tria illa locorum genera esse recentissimum inuentum Cotoni: & illud quidem sacramentale verè chimericum. Nam si est locus verè, tum vel internus, vel externus. At non internus; est enim hic finis suæ cuiuslibet essentiæ, ideoque est connaturalis rei. Sacramentum autem corporis Christi non est connaturale; imò est verum accidens. Nam & ipsi Papistæ fatentur corpus Christi esse sacramentaliter in loco, non per se, sed per dimēsiones panis & vini. Nō est etiam extrinsecus. Est enim hic aliquid relatiuū: locus enim est locati. At Sacramentum est iterū aliquid relatiuū: est enim signū: & omne signū nonnisi signati signum. Atqui me meus Cotonus olim docebat, relationem relationis nec fundamentum, nec terminum esse posse alium super alium. Epistola ad me postrema. Præterea: quæro per quem locum corpus sit in pluribus locis? Nam si per sacramentalem tantùm: ergo nullum aliud corpus est in pluribus locis. Ratio, quia nulli alij corpori hic locus conuenit, ipso teste Cotono, qui proprium asserit corpori Christi in Eucharistia. Itaque frustra erit disputata thesis de quolibet corpore.

XXVII. Sanctesij instantia de Angelis eò est, vt doceat ea quæ sunt definitiuè in loco, posse pluribus locis esse. Sed hoc negatur. Probat: quia Angeli simul sunt in cœlis, & tamen alibi ministrantes sanctis. Hoc iterum negatur. Ille probat, quia in cœlis semper vident faciem Dei. Si enim semper in cœlis: ergo nunquam deserunt cœlos. Respondeo, negari consequentiam. Et locum Matthæi dupliciter exponi. Alij enim legūt: *Angeli eorū in cœlis*: Lucas Brugensis. *In cœlis, id est cælestes, quorum propria habitatio in cœlis est. Hoc epitheto distinguuntur à malis Angelis (etsi Syrus illud non legat) quorum propria habitatio in inferno est.* Alij verò legunt, *In cœlis vident*, Sed cœlos figuratè dictos interpretantur, Et huc inclinat longè maxima pars interpretum. Gregorius, Moralium secundi capite secundo: *Quomodo aut semper assistere & videre semper faciem Patris possunt, si ad ministerium externum pro nostra salute mittuntur? Quod tamen citius soluimus, si quanta subtilitatis sit Angelica natura, pensamus. Neque enim sic à diuina visione foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudijs priuentur.* Et pòst: *Et mittuntur igitur & assistunt, quia per hoc quod circumscripti sunt, exeunt: & per hoc, quod intus quoque præsentes sunt, nunquam recedunt. Et faciem ergo semper Patris vident, & tamen ad nos veniunt: quia & ad nos spiritali præsentia foras exeunt: & tamen ibi se vnde recesserant, per internam contemplationem seruant.* Beda super Lucam apud Lombardum libri primi distinctione trigesima septima, segmento decimo tertio. *Cum ad nos Angeli veniunt, sic exterius implent ministerium, vt tamen ante Deum, interius, per contemplationem assistant: quia etsi Angelus est spiritus circumscriptus, summus tamen spiritus, qui Deus est, incircumscriptus est, intra quem currit Angelus quocunque mittatur.* His recentiores consentiunt. Iansenius Concordiæ capite septuagesimo primo. Circa illud, *semper vident in cœlis faciem Patris mei. Notandum Angelos etiam cùm non sunt in cœlo, sed ad nos missi sunt, non carere beatissima Dei contemplatione: sed vbicunque sint, Dei, qui vbique præsens est, perfrui contemplatione atque ratione eius contemplationis dici esse in cœlo.* Vide Lyranum & Maldonatum.

XXVIII. Facilè igitur satisfit Sanctesio. Primò enim apparet illud falsum, non deseri cœlum ab Angelis. Non tantùm enim à Gregorio dicuntur *exire foras*: & à Beda *circumscripti*. Sed etiam à Iansenio, *non esse in cœlis cùm ad nos mittuntur*: quod & Veteres dicebant. Basilius certè, *non eodem tempore implere stationem suam in cœlis.* Etiam Becanus Iesuita de Officiis Angelorum, capite secundo: *Angeli duobus modis possunt nostri curam gerere: vt quando in cœlis existentes pro nobis solliciti sunt. Secundo, externis officiis ac ministeriis, vt quando relicto cœlo ad nos mittuntur & præsentes opem ferunt.* Deinde, falsum fraudari propterea sua beatitudine, si cœlos deserant: cùm eorum beatitudo sit in contemplatione Dei, à qua nunquam vacant; ne in terris quidem. Nam quod seponi notat regionem cœlestem ad beatitudinem; hoc fit non exclusiuè, quasi alibi nusquam sit: alioquin quomodo asserant Papistæ ab initio conceptionis, animam Christi, quę tamen non erat in cœlo, beatam fuisse ob istam Dei visionem? sed comparatè; quia ibi præcipuè & semper: maximè hominum ratione, qui quandiu in cœlos non deueniunt, hac beatitudine non fruuntur.

XXIX. Sed tum Cotono, tum Sanctesio longè audacior Bellarminus est, qui primò disertè ait, corpus idem posse esse circumscriptiuè & definitiuè in pluribus locis, visibiliter & localiter. Quomodo autem? Nam hoc sanè nouum est; nunquam auditum: & verè portentum. Audite, Nam vt corpus, inquit, sit circumscriptiuè in aliquo loco, tantùm requiritur, vt commensuretur illi loco: ita vt termini loci, & locati simul sint: non autem, vt non sit alibi, tanquam in alio loco. Item, vt aliquid sit definitiuè in loco, satis est si definiatur certo quodam spatio: ita vt in toto illo sit, & non in maiori: siue sit in alio loco etiam definitiuè siue non. Si instes: Corpus trium cubitorum, si hic occupet tres cubitos, & alio loco tres cubitos: & rursus alios tres cubitos: tum fieri spatium nouem cubitorum. Esse autem impossibile, vt corpus triū cubitorum, occupet plusquam tres cubitos. Ille respondet; verè non posse vnum corpus trium cubitorum occupare locum nisi tantum: At nihil obstare, quo minus bis térve ponatur in loco tanto.

XXX. Ast ego primò obseruo Bellarminum imperitè loqui de loco definitiuo, dum ei tribuit spatium: & quidem cum differentia maioris & minoris. Nam diserta sunt verba: *Satis est si definiatur certo quodam spatio: ita vt in toto illo sit, & non in maiori.* At locus definitiuus nullum agnoscit spatium: quod proprium est loci circumscriptiui, teste Lombardo: quem sæpe citaris, necesse est ne hîc quidem omitti. *Duobus his modis dicitur in Scriptura aliquid locale.* Quibus ergo, inquā? *Vel quia dimensionem capiens distantiā facit in loco: Vel quia loco definitur & determinatur.* En tibi distātiam loco propriā circumscriptiuo! Et rursus:

Spiritualis creatura nec dimensionem recipit, nec distantiam facit in loco. En tibi distantiam alienam à definitiuo. Quis autem, aut distantiam sine spatio; aut spatium sine distantia potest imaginari?

XXXI. Sed illud certè falsissimum, non requiri, vt quid sit in loco definitiuè, ne non sit in alio loco. Nam contrà, Lombardus constanter. *Quia loco definitur ac determinatur: quoniam, cùm sit alicubi, non vbiq; inuenitur.* Item: *Spiritus creatus quomodo est localis? Localis quidem dicitur, quia definitione loci terminatur* (en tibi locum definitiuum) *quoniam cùm alicubi præsens sit totus, alibi non inuenitur.* Item: *Creatura spiritualis tantùm definitione loci concluditur, cùm ita sit alicubi, quòd nõ alibi.* En tibi Bellarmini mendaciũ. Nam Lombardus definitione loci contineri, semper explicat, *ita esse vno loco, vt non sit in alio.* Quod si verum est de definitiuo, certè etiam de circunscriptiuo: quia, ipso Lombardo teste, quicquid est circunscriptiuè in loco, est etiam definitiuè: ac proinde omnis locus circunscriptiuus, est etiam definitiuus.

XXXII. Illud verò de corpore bis terve tricubitali, nec iucundum est commentum, & dignum cui applaudat tota Iesuitarum cauea. Non impletur, inquit nouem cubitos, sed ter ternos. [illegible Greek] Et si vnum eundémque pannum metiatur Petrus, & secundò Robertus, & tertiò Gregorius: tunc sanè implebit idem pannus ter ternos cubitos: nec tamẽ nouem. Sed non puto sic fieri in hac quæstione de multiplicatione locorum. Nam hæc mensuratio trina merè est per accidens, quia pannus nullo modo multiplicatur, neque secundùm se, neque secundũ locum. At hæc non potest dici per accidens, quoniam nascitur necessariò ab hac multiplicatio falsitem loci.

XXXIII. Verùm, cùm hoc primum commentum non satisfecerit ipsi Bellarmino, nedum nobis: secundò respondet, dari tertium modum essendi in loco præter circunscriptiuum, & definitiuum: nimirũ per solam præsentiam: quomodo Deus est in loco. Et hoc modo esse in loco ea corpora, quæ per diuinam potentiam sunt in variis locis. Vt abyssus abyssum inuocat! vt qui sordescit, sordescit adhuc! Sed quis sensus Bellarmino? An eundem modum existendi in pluribus locis, Deo esse communẽ cum corporibus? An verò solam præsentiam? Illud quî potest, vt non sint tot Dij, quot corpora illa erunt? Imò, quî potest, cùm Deus omnino non sit in multis locis, vt antea diximus? Nisi si nostro loco locos illos comparemus in quibus Deus est. Sed tum non sunt loci, habita ratione Dei. At hîc nos multos locos dicimus, relatè ad ea ipsa corpora. Itaq; hac parte solutio est [illegible Greek]. Quid ergo? vt in hac multiplicatione locorum nihil sit præter præsentiam? Hoc verò intelligat Oedipus. Aut ego nihil video, aut nihil Bellarminus nisi [illegible Greek]. Nam quid est præsentia, nisi existentia alicubi? & præsentia in multis locis, nisi existentia in multis locis? Magnum igitur arcanum; si, an existat in multis locis corpus, cùm quæritur; dicas posse per præsentiam: hoc est, per existentiam. Et nondum pudet ineptiarum?

XXXIV. Quartum argumentum: Si ab vno loco in multis sit præsens vnum corpus. Ergo incipit esse vbi prius non erat, vel per generationem; vt, cùm homo, qui non erat, fit: ac proinde est in vtero: vel per motum localem; vt cùm sol exoriens ascendit supra Horizontem. At neutro modo. Ergo, nullum corpus fit ab vno in multis locis præsens. Propositio per se patet. Assumptum probatur per partes. Non per generationem: quia quodcunque generatur, antea non erat. At id corpus si ab vno fit præsens in multis: necessariò erat in eo loco antequã fieret in multis præsens. Ideoque non potest in istis generari. Non etiam motu locali. Nam quicquid mouetur localiter, deserit locum in quo erat, vt abeat ad alium. At hîc ponitur non deserere.

XXXV. Respondet Bellarminus, Domini corpus incipere esse in altari, vbi antea non erat: nõ per generationem, non per motum localem; sed per transsubstantiationem. Quomodo, cùm corpus augetur, anima incipit esse vbi non erat, non per generationem aut motum localem. Et Deus, cùm quid in mundo nascitur, incipit in ea re esse; nec generatur, aut localiter mouetur.

XXXVI. Atqui, primò nos de quolibet corpore disputamus; non de Christi tantùm. Nam volunt Papistæ etiam alia corpora esse in multis locis posse: imò & spiritus. An etiam ipsis tribuunt transsubstantiationem? aut si non tribuunt, sed soli corpori Christi: ergo & spiritus, atq; alia corpora negent esse in pluribus locis; vel concedant generari, aut moueri loco: id est, strenuè ineptiant. Deinde, quod ait, animam incipere esse, vbi non erat prius, cum corpus augetur; non est ad rem: quia non est exemplum pertinens ad locum. Sæpè enim dictum, animam esse in corpore, vt formam, non vt locatum. Idem respondeo de Deo, quem ineptè dicat quis esse in vllo loco.

XXXVII. Ast abbreuiator Bellarmini Baptista respondet: Etsi non generetur corpus Christi, qui iam iam est: tamen habere se, ac si de nouo produceretur. Quia vi consecrationis, si actu nullo modo esset, poneretur actu in rerum natura per commutationem panis in seipsum.

XXXVIII. Ita monstra monstris cumulans ita mendaciis mendacia purgat. Et profectò nullus erit finis commentorum, quamdiu sibi humana indulgebit stultitia, vt suo ductu rimetur ea quæ sunt supra se. Respondeo, primò hæc ipsa, sine absurditate, fieri extra omnem fidem. Enimuerò, quanta illa audacia est, supponere quod nunquam fuit, nũquam erit; tum pronunciare, quid futurum sit, si id fit? Deinde supponatur: quî cogitari potest ille genitus per consecrationem, esse Iesus, quem oportuit genitum ex Maria; & esse hoc modo filium hominis? Denique [illegible Greek] Sophista [illegible Greek]. Etenim non est idem generari, quod in argumento est, & sic se habere, ac si generaretur.

XXXIX. Quintum argumentum: Si vnum corpus potest esse in multis locis: ergo potest suscipere contradictoria. At nullum corpus suscipere potest cõtradictoria. Ergo nullũ corpus potest esse in pluribus locis. Patet assumptum: quia contradictoria in eodem subiecto esse non possunt. Probatur propositio. Quia idem posset esse seipso superius & inferius: imò & alio corpore: sic de aliis loci affectionibus. Item posset hîc frigere, illic calere: hic ambulare, illic quiescere: hîc stare, illic sedere: hic cædi; illic minime. Et quia vt esse posse contendunt in multis; ita concedunt ad vnum reduci: Ergo, cũ qui erit Romæ & Lutetiæ, ad vnum redibit, necesse erit ipsum sibi occurrere; quid ergo, auersum an aduersum? Tum autem ipsum ne ab ipso videbitur? & multa eiusmodi.

XL. En tibi nunc mirabilia: Imò officinam mi-

taculorū. Affectiones corporis distinguūt in relatas & absolutas. Illas, quæ dicuntur de corpore respectu loci; vt stare, sedere, ambulare. Has verò, quę absq; loci respectu dicūtur de corpore, vt calefieri, ægrotare, mori, & similia. Relatas omnes cōcedunt multiplicari, sicuti & locos. In his esse primò, affectiones ab ipsis locis; vt sursum, deorsum: procul, propè, & similes. Deinde actiones etiam, quæ terminātur ad loca: vt quæ non egrediuntur sphæram actiuitatis: sic enim faculam posse totum orbē illustrare, nimirum, quia multiplicatis locis, multiplicetur sphæra actiuitatis. Porrò non esse contradictionem, cùm dentur varij respectus. Erunt enim in eodem subiecto per diuersa fundamenta, aut diuersas fundandi rationes.

XLI. Ast absolutas quidam (Thomistas nominat abbreuiator Bellarmini) concedunt multiplicari eò vsque progressi, vt dicant, eundem hominem vno loco ebriū esse posse, & alio sitire; vno viuere, alio mori. Alij verò negāt. In his Bellarminus. Si ergo vno loco corpus calefiat, etiam in alio esse calidum. Et si vno sit ad ignem, altero intra glaciē, vtrobique nec summè frigidum, nec summè calidum: sed eodem modo ac si eodem loco applicarentur, ei contraria illa agentia. Si vno loco vulneretur, etiam alio appariturum vulnus. Et si vno loco comedat, altero non esuriturum.

XLII. Nimirum hoc illud est: *Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum, si vis esse aliquid*: & qui semel verecundiæ limites transgressus est, hunc oportet gnauiter esse impudentem. Sed frustra. Non enim quærunt cordati, quid in gurgustiis suis Monachi somnient, sed quid veritas ferat. Cuius hoc summum axioma, de qualibet re, aut esse, aut non esse. Ideoque contradicentia, quæ vtrumque simul, à veritate alienissima. Et contrà nulla erat hactenus data exceptio. Hoc igitur considerandum, vtrum ista quæ prolata sunt, sint in contradicentibus.

XLIII. Incipio ab iis, quæ dicunt referri ad locum. Et primò, dico esse contradicentia; vnum idēque corpus esse seipso superius & inferius: sibi ipsi propinquum, & à seipso remotum. Negāt illi. Quo pacto? Quia, inquiunt, dantur varij respectus. Quæro hos ipsos: & queror à Bellarmino non diligentius expositos. An enim varios locos intelligit? vt sensus sit, vnum corpus existens in sublimi esse inferius seipso existēte in infimo. Et esse sibi proximū existens in vno loco, ac remotissimum existens in alio loco. Hoc si vult: iste ille nugas agit nugerrimas. Quasi hoc ipsum non sit esse superius, quum quid est in loco superiori: & inferius, quum in inferiori. Et non vident subtilissimi homines idem per idem explicari? Quasi quis diceret, posse eundem hominem esse sanum ratione sanitatis, & morbosum ratione morbi. Et mel idem dulce ratione dulcedinis, & amarum ratione amaritudinis. Itaque nō est hoc contradictionem tollere: sed puluerem inijcere oculis spectantium: vt cùm nihil dixeris, tum verò magnificè loquutus videaris.

XLIV. Sed non multiplicantur affectiones absolutæ. Primùm, esto, inquam: quid tum autem, si relatæ saltem, in quibus non minor est cōtradictio? Deinde, hoc ipsum non omnes sentiunt: & media illa via, quæ Bellarmino placet, non tanquam certa ponitur, sed tanquam verisimilior: *verissima videtur*, inquit Bellarminus: & Abbreuiator, *verisimilius contrarium videri*. Quæ incertitudo, nónne est indicium manifestum, concepi ab iis absurditatum cōgeriem;

nec bene expediri: neminem tamen velle credere. Tū autem Perrinius in Ministrophthoria. *Id est Christum qui passus est sub Pontio Pilato, & traditus à Iuda, flagellatus à militibus, affixus cruci: idem, inquam, permansisset impassibilis in Eucharistia* (nempe si quæ fuissent reliquiæ) *nec passus esset sub Pontio Pilato, non proditus à Iuda, non flagellatus à militibus, non affixus cruci.*

XLV. Sed non multiplicantur: quare, inquam, cùm multiplicentur loci? Non esuriet Romæ, si comedit Lutetię Sophista, nō hoc quæritur: hoc quęritur, vtrum qui Romæ est in conuiuio opiparo, Lutetiæ verò procul ab esculentis, idem comedat vtrobique: vtrum, inquam, æquè comedat Lutetiæ, vbi nihil erit, ac Romæ, vbi cœna erit Pontificalis. Et cū Oratorem aget Lutetiæ, non quæro, vtrum Romæ positus eadem sciat quæ Lutetiæ explicabit ille sua magnifica oratione: sed vtrū æquè tum tēporis Romę eadē oratione vsurus sit ad populū. Nam si eadē vtrobiq; affectio, etiam eadem vtrobique actio. Enimuerò, nihil vnquam quisquam vidit iucundius: vt quæ Romæ Cardinalibus apponuntur edulia, Lutetiæ consumantur: & qui concionabitur Lutetiæ ad Sancti Germani, exaudiatur Romæ ad Sancti Petri. Si non erit: ergo multiplicabuntur affectiones illæ, quas absolutas vocant, non relatas ad locum: & qui comedet, eodem tempore non comedet: & qui orabit, eodem momento tacebit. Et erunt hi fructus Loioliticæ siue Philosophiæ siue Theologiæ: & non exclamem, *Tribus Anticyris caput insanabile?*

XLVI. Abras disputat aliter paragrapho septimo sectionis septimæ. Si quæ contradictio esset, ergo vel à parte corporis, vel à parte quantitatis. At neutrum. Probat, non à corpore: quia vnitas loci nihil confert ad vnitatem corporis: hoc probat: quia corpus vnum sit, antequam in loco contineatur. Non à quantitate, simili ratione: quia vnitas loci nihil confert ad vnitatem quantitatis: quòd hæc in corpore consideretur, antequam corpus sit in loco.

XLVII. Atqui mera est nugatio, aut quid peius. Nam primò, quid monstri est corpus distinguere à quantitate? Atqui corpus, vt sit corpus, habet à quātitate: adeò vt ratio corporis sit ipsa quantitas, id est, differentia specifica per quam substantia distribuitur in spiritum & corpus: vnde factum, vt quantitas contineatur in ipsa corporis definitione; nimirum trigemina mensura. Quare, tam absurdum est Abræ commentum, quàm si hominem distinxisset à sua ratione: aut animal ab animatione. Tolerabiliter distingueret substantiam à quantitate: sed corpus à quantitate nulla ratio pati potest.

XLVIII. Deinde; quid illud est, *vnitas loci nihil confert ad vnitatem corporis?* Constituendámne, an demonstrandam? Nam ad constituendam, concedo nihil conferre vnitatem loci, quod probant argumenta subiecta. Sed quid tum? Nam ego quidem vim consequentiæ nullam video. Nulla, inquam, consequentia est. Si vnitas loci nihil conferat ad vnitatem constituendam corporis, Ergo contradictoria non sunt, corpus esse vnum, & esse in multis locis? Etenim etsi accidentia nihil conferant ad constituendam vnitatem corporis: tamen certissimum est contradictoria esse, vnum corpus esse, & tamen longum & breue: sanum & ægrum: album & nigrum. Tam enim contradicunt vnitati ea quæ ex vnitate pendent: quàm ea ex quibus pendet vnitas.

XLIX. Nihil autem conferre vnitatem loci,

ad vnitatem corporis demonſtrandam; omnino falſum: neque demonſtratur argumentis ab Abra. Nã etſi vnitas corporis prior ſit localitate; tamẽ falſum eſt non demonſtrari vnitatem corporis ab vnitate loci. Non enim omnes demonſtrationes neceſſe eſt eſſe à prioribus: & poſſunt aliquę peti à poſterioribus, vt cuiuis Logico notũ. Maximè ab iis quę ratione tantùm: non etiá tempore poſteriora ſunt: cuiuſmodi hoc eſt. Nam etſi vnitas loci pendeat ab vnitate corporis, ac proinde hæc illa prior ſit: tamen certum eſt, nunquam vel momentum dari poſſe in quo fuerit corpus & nõ in loco, & non in vno loco. Quare hæc prioritas rationis eſt tantùm, non temporis, vt dixi. Porrò, quis neſcit & aſpectũ ſyderum nihil conferre ad conſtituendam noctẽ, & eſſe poſteriorem nocte, & tamen rectè concludi, ſi apparent ſydera, ergo nox eſt: ita contradictionẽ implicari, ſi dicas noctem non eſſe, & ſydera apparere?

L. Sextum argumentum: Si anima, ſi Angelus, non poteſt eſſe pluribus ſimul locis. Ergo, multo minus corpus. Conſequentia neceſſaria. Quia tum Angeli, tum anima humana, ſunt naturæ ſimplicioris, & proinde minus obnoxiæ loci affectionibus. Probatur antecedens ex Athanaſij ad Antiochum quæſtione viceſima ſexta. πῶς, εἰπέ μοι, μία οὖσα ψυχὴ τοῦ μακαρίου Πέτρου, ἢ Παύλου, δύναται κατ' αὐτὴν τὴν ῥοπὴν ἐν τῷ μνήματι αὐτοῦ ὀπτάνεσθαι, καὶ ἐν χιλίοις ναοῖς αὐτοῦ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ; τοῦτο γὰρ οὔτε ἄγγελος εἷς δύναταί ποτε ποιῆσαι. μόνου γὰρ τοῦ Θεοῦ ἐστὶν ἐν δυσὶ τόποις, καὶ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ ἐν αὐτῇ τῇ ῥοπῇ εὑρίσκεσθαι. *Quomodo, cedo mihi, vna exiſtens beati Petri, aut Pauli, anima, poteſt in eodem momento apparere in ſuo monumento, & in mille templis ſuis per totum mundum? hoc enim nec Angelus vnus facere poſſet aliquando. Solius enim Dei eſt in duobus locis, & per totum mundum in eodem momento inueniri.*

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER

LIBER SEPTIMVS DE OFFICIO MEDIATORIS.

Caput Primum.

DE CHRISTO MEDIATORE.

PERTRACTATIS his, quæ ad Christi personam, eiúsque naturas pertinent, consequens est vt de eius officio agamus: quod vno Mediatoris nomine significatur. Quia cùm extrema sint quædam, Creator & creatura; opus fuit quodam medio, quo deuincirétur: hoc est, cuius habita ratione, creatura, tum à Deo crearetur, tum etiam eius benignitate frueretur. Itaque dicuntur omnia creata per Christum: deinde recollecta *ἀνακεφαλαιωθέντα*, tum cœlestia tum terrestria: & denique fideles adoptari in filios. Hinc nomen: sic enim solemus appellare mediatores eos, qui siue natura, siue voluntate dissidentes conciliant. Nam *Mediator vnius non est*, inquit Paulus ad Galatas tertio. Quia verò in hac conciliatione Creatoris & creaturarum, peculiare beneficium est in homines collatũ, qui non tantùm longè erant alij à Deo, creationis iure; sed etiã alieni propter peccatum; indéque meritò æternis addicẽdi supplicijs: hinc factum, vt in Scripturis proprio quodã modo hominum Mediator Christus dicatur: quam etiam ob causam assumpta fuit humana natura, atque perfecta omnia Mediatoris mysteria. Hinc Paulus, *Vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Prioris ad Timotheũ secũdo. Et quia hominũ cum Deo A reconciliatio facta est pacti instar, siue Testamenti, quod in Christo fundatur; hanc ob causam in Epistola ad Hebræos *μεσίτης* dicitur *τῆς καινῆς διαθήκης*, *Mediator Noui Testamenti.*

II. Porrò huius officij tres partes numerantur, Prophetia, Sacerdotium, Regnum. Prima continetur officium docendi homines voluntatem Dei; vt quicquid pertinet ad Animæ salutem, nemo hominum petat nisi ab vno Christo; B qui plenè perfectéq; omnia docuit, tũ per seipsum, tum per Prophetas & Apostolos. Sacerdotium, obedientiam illam complectitur, qua Filius obediens factus vsque ad mortem crucis, obtulit se Patri in verum sacrificium *ἱλαστήριον*, *expiatorium, propitiatoriúmque*: quo deleto chirographo, quod aduersum nos erat, condonatísque peccatis, quibus grauabamur, denique imputata perfecta iustitia, nihil iam deesset ad perfectæ nostri cum Deo reconciliationis culmen. Denique Regnum, summam illam authoritatem denotat, quam suo iure C Christus obtinet in omnes creaturas; & specialiter in Ecclesiam, quam regit, & tuetur.

III. Est verò inter Catholicos & Papistas de Christo Mediatore controuersia triplex. Prima, Vtrum Mediator sit secundùm vtramque naturam, hoc est, quatenus Deus & homo: an verò tantùm secundùm alteram, id est, quatenus homo tantùm. Secunda, Vtrum sibi ipsi fuerit Mediator. Tertia, Vtrum solus sit Mediator inter Deum & homines.

* * *

CAPVT II.

Status controuerſiæ de Mediatore ſecundùm vtramque naturam.

I. IN prima Controuerſia Catholici aſſerunt, Chriſtum Mediatorem dici ſecũdùm vtramque naturam, id eſt, tum quatenus Deus eſt: tum quatenus homo: quomodo olim Ambroſius in ſeptimum ad Romanos: *Quamuis ad tempus mortuus eſſet in carne, tamen in æternum diuinitate & humanitate Mediator inter Deum & homines, ſemper viuens eſt ad interpellandum pro nobis.*

II. Hoc tamen ſenſu, vt neutra natura conſideretur ſeorſim ab altera: ſed ſemper in vnione hypoſtatica. Neque enim poſſe aut ψιλὸν ἄνθρωπον *hominem nudum* coniungere nos Deo: nec rurſus Deum, quatenus tantùm Deus eſt, Deum nobis conciliare. Ideóque vnitam fuiſſe ἀσυγχύτως Deitati humanitatem: atque in ea vnione diſtinctas manere τὰς ἐνεργείας; imò etiam ἀποτελέσματα; vt ex iis quædam ſint diuina, id eſt, formale, vt vocant, principium ſuum Deitatem habeãt: alia rurſus humana, à principio formali ſuo humanitate. Sic enim vtramque formam quæ ſuæ ſunt naturæ, agere cum communione alterius. Denique, vt vno verbo dicam, hanc eſſe veram propriámque cauſam Incarnationis, nimirum vt eſſet aliquis Mediator Dei & hominum.

III. At Papiſtæ ne hîc quidem Catholicis potuerunt conſentire. Lombardus tertij diſtinctione decima nona. *Mediator dicitur ſecundùm humanitatem, non ſecundùm diuinitatem. Non eſt enim Mediator inter Deum & Deum: quia tantùm vnus Deus: ſed inter Deum & hominem, quaſi inter duo extrema: quia medius eſſe non poteſt niſi inter aliqua. Mediator eſt ergo in quãtum homo. Nam, in quantum Deus non Mediator, ſed æqualis Patri eſt, hoc idem quod Pater, cum Patre vnus Deus. Mediat ergo inter homines & Deum Trinitatem, ſecundùm hominum naturam, in qua ſuſcepit illa per quæ reconciliamur Deo Trinitati.* Sic ille præcisè, & pro magiſterij autoritate.

IV. Recentiores diſtinctiùs. Vaſques capite tertio diſputationis octuageſimæ tertiæ, in tertiam Thomæ; *Chriſtum ſecundùm ſolam naturam humanam eſſe Sacerdotem & Mediatorem: particula illa (ſecundùm) ſumpta, vt aiũt, ſpecificatiuè, hoc eſt, determinante naturã, à qua elicitur operatio Mediatoris & Sacerdotis, & ratione cuius toti ſubiecto conuenit.* Bellarminus de Chriſto libri 5. cap. 1. diſtinguit principium quod operatur, à principio quo fiunt operationes; & principium operans ea quæ ſunt Mediatoris, negat eſſe Deum ſolum, & hominẽ ſolum, ſed vtrumque ſimul, id eſt, Verbum incarnatum: ſed principium, quo illa eadem fiebant opera fuiſſe naturam humanam, non diuinam. Tametſi enim Deus incarnatus erat, qui orabat, patiebatur, obediebat, ſatisfaciebat tamen hæc omnia faciebat ſecundùm formam ſerui, non ſecundùm formam Dei. Idem diſputat Vaſques in tertiam Thomæ, tomi primi diſputatione tertia & octogeſima. Eadem ſentẽtia eſt Gregorij de Valentia, Commentariorum tomo quarto, diſputationis primæ quæſtione viceſima ſecunda, puncto tertio. Idem ſcripſit Euſtachius à Sancto Paulo, ſecunda parte ſummæ Theologicæ, tractatus primi diſputatione duodecima, quæſtione tertia.

V. Nec diſſimiliter Gregorius de Valentia, libri de Officio proprio Chriſti Redemptoris, capite quarto ſecundæ partis: & puncto tertio quæſtionis ducenteſimæ in tertiam Thomæ; etſi aliis verbis, & fortaſſe lucidioribus, niſi eum ſpes ſua fefellerit: *Si quæſtio ſit, per quid Chriſtus propriè, & mediatè obierit officium Mediatoris, dicendum eſt, illum Mediatorem fuiſſe tantùm vt hominem. Si verò communiter, quæritur, per quod omnino Mediator fuerit ſiue tanquam per id quo proximè exercuerit id officium, ſiue tanquam per id certè à quo valorem acceperit eius muneris functio, reſponderi debet, Mediatorem Chriſtum fuiſſe, non tantùm vt hominem, neque tantùm vt Deum, ſed coniunctim, vt Deum & hominem.*

VI. Obſeruandum eſt primùm diſplicuiſſe tum Bellarmino, tum Gregorio de Valentia, Lombardum & Thomam, qui præcisè negarent Mediatorem eſſe quatenus Deum. Viderunt enim longè id abire à Veteris Eccleſiæ ſtylo, qui ſine dubio inclinat magis in noſtram ſententiam. Quanquam Lombardi ſtuporem poterant etiam accuſare. Nam quid eſt, quæſo, non eſſe Mediatorem ſecundùm diuinitatem, quia non ſit Mediator inter Deum & Deum, ſed inter Deum & hominem? Ego certè in quamcunque partem vertam, nihil in eo ſani poſſum videre. Et cur non ei quis poſſet regerere, non eſſe Mediatorem ſecundùm humanitatem, quia non ſit Mediator inter hominem & hominem?

VII. Secundò, hue redire eorum ſententiam, quam alioquin variis Scholaſticorum formulis, quaſi tricis, de induſtria inuoluunt: perſonam Mediatoris eſſe Deum & hominem: ſed, quomodo crucifixum eundem dici Chriſtum, in quo vtraque natura eſt; at non tamen ſecundùm vtramque naturam, ſed duntaxat ſecundùm alteram, videlicet humanam: ad eundem prorſus modum, & Mediatorem. Itaque functiones nullas Mediatoris diuinas fuiſſe: ſed duntaxat humanas: nimirum ab humanitate proximo ſuo principio: ſic tamen, vt his functionibus dignitas acceſſerit à perſona, id eſt, altera natura; quod expreſſum diſertè Gregorius voluit.

VIII. Ita eſt conſtituta controuerſia; quam tractarunt Papiſtæ iidem, qui iam nominati. Catholici autem, Tigurini duabus Epiſtolis ad Polonos: Caluinus aliis totidem, quarum altera in opuſculis eſt, altera in Epiſtolis, Beza Epiſtola duodetrigeſima Rheticarum Eccleſiarum miniſtri aduerſus Ruſcam.

CAP. III.

Argumentum Catholicorum à partibus Mediatoris.

I. SVam ſententiam demonſtraturi Catholici, id ſolum habent negotij, vt Deitati Chriſti ſuas fuiſſe in humana redemptione partes doceant: nam humanitati ſuas vtrique concedimus, vt patet ex poſito ſtatu quæſtionis.

II. Eſto igitur hoc argumentum: Si præcipua neceſſariaque ad reconciliationem noſtram cum Deo ἀποτελέσματα, ſunt à Deitate Chriſti, tanquam proprio, proximo, immediato, atque formali principio: ergo Chriſtus non tantum quà homo, ſed etiam

etiam quà Deus incarnatus, Mediator est Dei & hominum. At, verum est, præcipua, eáque non tantùm necessaria; sed etiam essentialia ad reconciliationem nostri ἀποτελέσματα esse à Deitate Christi, tanquam proprio, proximo, immediato, atque formali principio. Ergo, illud etiam verum, quod est in quæstione; nō tantùm quà homo est, sed etiam quà Deus incarnatus, Christū esse Mediatorem nostrū.

III. Consequentia patet à simili, ratione humanitatis: neque enim vlla ratio est, cur dicatur Mediator secundùm humanam naturam, nisi quia sua humanitas fuit illi principium proximum, immediatum, & formale, multarum actionum, quibus eadem nostra redemptio perfecta fuit. Et Bellarmini, Gregorij de Valentia, Eustachij de Sancto Paulo, nulla est alia euasio in hac controuersia, nisi à distinctione principij formalis & suppositi, cuius hic sensus est, vt actiones omnes Christi sint à supposito, id est, hypostasi, siue persona tota, sed tamen secundùm alteram naturam duntaxat. Exempli gratia, Christus mortuus est: Cùm Christum nomino, personam illam significo totam, quæ est Christus, constantem Deitate & humanitate: vnde sanguis eius dicitur *sanguis Dei*, Actorum vigesimo: & *Dominus gloriæ crucifixus*, prioris ad Corinthios secundo: & *princeps vitæ trucidatus*, Actorum tertio: sed illud tamen *mortuus* ad Deitatem ἀθάνατον καὶ ἀπαθῆ, non pertinet: Itaque Apostolus non dixit simpliciter Deum passum, sed passum carne. Quare, mors in Christo est aliquid humanum, non diuinum, vt, quanquam sit suppositi totius, non enim aliter dici posset Deus mortuus, tamen habeat formale propriumque principium, naturam humanam, vnde necessariò passus dicitur carne. Hoc igitur sensu, negat Bellarminus Deitatem Christi esse formale principium vllarum actionum, quæ pertineant ad Mediatorem secundùm Deitatem. Quare, hoc probato sensu, emerget contraria conclusio.

IV. Probatur autē per enumerationem. Incarnatio effectum est præcipuum, & necessarium, & essentiale ad redemptionem humanam, ideóque etiam Mediationis, siue Mediatoris. Atqui, Incarnatio est à Deitate, tanquam proprio, proximo, immediato, formali principio: Deitatis, non tantùm personaliter, sed etiam formaliter. Ergo aliquod effectum necessariò ad redemptionē nostram, id est, Mediationis est à Deitate Christi formaliter. Vnde, negari non potest, Christū esse Mediatorē etiam secundùm Deitatē, id est, secundùm vtramq; naturā.

V. Maior est in confesso apud omnes Christianos. Et Paulus prioris ad Timotheum secūdo: *Vnus Mediator* (inquit) *Dei & hominum homo Christus Iesus*. significans Iesum Dei Filium inhumanatum, hoc est, incarnatum, esse Mediatorem nostrum. Et Paulus ad Hebræos quinto, *Omnem Pontificem dicit assumi ex hominibus*. Et Patres prolixè disputant, necessariò fuisse hominem: quia in homine luenda erat pœna peccatis debita.

VI. Minor verò facilè probatur. Nam Deitas assumpsisse dicitur humanitatem: non contrà Deitatem humanitas. Ad Hebræos secundo: *Non enim vsquam Angelos assumpsit: sed semen Abrahæ assumpsit*. Et sanè in hac Incarnatione, humanitas non potuit non habere se merè παθητικῶς: æquè ac in creatione. Et tamen necesse est hoc ἀποτέλεσμα esse ab alterutra natura. At non est ab humana: quæ cùm non extaret, non poterat seipsam assumere: ergo à diuina. Itaque eius incarnationis hypostasis, vnde vnio dicitur hypostatica: illa, inquam, hypostasis est diuina. Sed & Patres disertè hoc effectum tribuunt Deitati. Athanasius de Incarnatione Verbi: ἡ ἡμῶν παράβασις τοῦ λόγου τὴν φιλανθρωπίαν ἐξεκαλέσατο, ὥστε καὶ εἰς ἡμᾶς φθάσαι καὶ φανῆναι τὸν Κύριον ἐν ἀνθρώποις, τῆς γὰρ ἐκείνου ἐνσωματώσεως ἡμεῖς γεγόναμεν ὑπόθεσις, καὶ διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν ἐφιλανθρωπεύσατο, καὶ ἐν ἀνθρωπίνῳ φῦναι καὶ φανῆναι σώματι. *Transgressio nostra Verbi charitatē in homines excitauit, vt ad nos vsque veniret Dominus, interque homines appareret. Siquidem eius incorporationis occasionem nos præbuimus, ac propter nostram salutem affectauit fieri atque apparere in humano corpore*. Audin' hūc piūm Patrem, Incarnationis caussam efficiētem propriam adscribere τῇ τοῦ λόγου φιλανθρωπίᾳ? Idem reliqui Patres: imò vniuersa Ecclesia: Neque enim res est ambigua.

VII. Rursus ipsum docendæ veræ pietatis munus ab humanitate Christi est, tanquam instrumento: sed à Deitate tanquam vera caussa. Itaque Athanasius de Incarnatione Verbi inter alias, hanc etiā caussam reddit, cur oportuerit Verbū incarnari: ἐπειδὴ δὲ καὶ εἰδωλολατρεία καὶ ἀθεότης κατεῖχε τὴν οἰκουμένην, καὶ ἡ περὶ Θεοῦ γνῶσις ἐκρύπτετο, τίνος ἦν διδάξαι τὴν οἰκουμένην περὶ πατρός. *Cæterùm, cum idololatria furor, atque Atheismus orbem occuparet, essétque Dei cognitio suppressa, cuiusnam fuerit orbem docere de Patre?* Tum disputat, *neque vllius hominis eas partes esse posse, neque etiam naturæ rerum. Hominis quidem, tum quia nemo posset totum orbem peragrare; tum quia nullus satis idoneus autor fuisset. Natura verò, quia hæc non obstitisset, quominus in errores de Deo homines deuenissent*. τίνος οὖν ἦν πάλιν χρεία, ἢ τοῦ Θεοῦ λόγου, τοῦ καὶ ψυχὴν καὶ νοῦν ὁρῶντος, τοῦ καὶ τὰ ὅλα ἐν τῇ κτίσει κινοῦντος, καὶ δι᾽ αὐτῶν γνωρίζοντος τὸν πατέρα; *Cuius igitur vsus operáque requirebatur? Nisi Verbi Dei Eius, qui cùm animam mentémque intueatur & omnia in mūdo creato moueat, per ea etiā Patrē manifestat*: Et pòst: ὅθεν εἰκότως ἀνθρώποις θέλων ὠφελεῖν ὡς ἄνθρωπος ἐπιδημεῖ, λαμβάνων ἑαυτῷ σῶμα ὅμοιον ἐκείνοις. *Itaque conuenienter, quandoquidem volebat hominibus opitulari, inter homines conuersatus est, assumpto sibi corpore, illorum corporibus simili*.

VIII. Fuit igitur ἡ τοῦ Θεοῦ θεοφάνεια, siue Dei manifestatio, verè diuinum opus: Vnde Ioannis primo. *Deū nemo vidit vnquam: vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille exposuit*. Matthæi vndecimo: *Neque Patrem quisquam nouit nisi Filius: & cuicunque Filius voluerit retegere*. Et Paulus ad Hebræos primo; *Vltimis diebus hisce loquutus est nobis per Filium*. Vbi, quis non videt perspicuè declaratum id, quod contendimus? Nam in posteriori loco, manifestè tanquam Mediator describitur Christus, cùm dicitur Deus nobis loquutus ἐν υἱῷ, id est, inquit Chrysostomus, δι᾽ αὐτοῦ, *per eum*. In prioribus autem declaratur eas partes non esse humanitatis, sed Deitatis incarnatæ. Et quidem autoritas huius doctrinæ, quam Athanasius denegabat puro homini, exponitur in Christo, Ioannis tertio: *Amen Amen dico tibi, quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur*. Et octauo: *Ego loquor quod vidi apud Patrem*. Quod si obtineamus ab aduersariis; nihil est quod vlteriùs contendamus.

IX. Esse autem has partes Mediatoris necessarias, & essentiales nostræ redemptioni, non tantùm patet ex Athanasij ratiocinatione, quæ docet veram Dei cognitionem homini prædito restituendam: sed etiam res ipsa clamat. Negat enim Paulus quenquam posse credere in eum, de quo nihil audiuerit: ad Romanos decimo. Et primo ad Romanos Euangelium vocat, *potentiam Dei ad salutem*. Et

& potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam à me, sed ego eã pono ex me. Qui ergo se ipsum tradidit, & animam suam propria potestate posuit, & assumpsit, minor dici [illegible] poterit. Nihil dilucitius. atque hinc facile intelligi[illegible] Athanasius, de Trinitate Dialogo tertio, [illegible] [illegible], τίς ἐστιν ὁ λέγων, τὴν ψυχήν μου [illegible] [illegible] ὅτε θέλω, τίθημι αὐτήν· καὶ ὅτε θέλω, λαμβάνω αὐτὴν [illegible], ὁ λόγος; *Quis est qui dicit, Animam meam nemo tollit à me: quum volo, depono eam: & quum volo, sumo eam: quis in quam est? Caro, an Verbum?* Respondent statim Apollinaristæ, ὁ λόγος, Verbum esse qui id dicat: [illegible] contradixerit.

XV. Bel[illegible]minus tamen contendit, ponere animam non esse Dei, sed hominis: quamuis potestas ponendi [illegible]am, & recipiendi ad libitum, sit à Deo data ipsi homini: nam ponere animam, quid aliud est quàm mori? & resumere animam, quid, nisi resurgere? Mori autem & resurgere, esse hominis, non D[illegible] Sic Augustinum hunc ipsum locum exponentem quærere, cuius sit ponere animam, an Verbi, an Carnis, an Animæ: & negare esse Verbi, aut animæ, sed [illegible] nis. & libro tertio contra Maximinum, capite decimo q[illegible]o. *Quid*, inquit, *quòd etiam illud commemorandũ putasti, quod manifestißimè vt homo loquitur, potestatem habeo ponendi animam meam?* Chrysostomum [illegible] hunc locum aliquoties repetere hæc à Christo dicta secũdùm humanitatem. Viderit ergo Caluinus (inquit Bellarminus) quos authores sequatur, dum ponere animam suam, & iterùm sumere eam, diuinitati tribuit.

XVI. Sed responsio facilis: nam de authoribus, quos sequatur Caluinus, iam satisfactum. Atq; eos quidem quos citauimus, si Bellarminus tantus controuersiarum helluo non vidit, nõ obseruauit, quis excuset? Sin vidit, & dissimulauit, quis non damnet? Ipse ergo potiꝰ viderit, apud quos causã suã probare possit: qui cùm nihil ferè quàm Patres crepet; tamen aut in eorũ lectione hospes est, aut certè iis se non veretur opponere. Quanquam Caluinus, si nullum haberet ex Patribus astipulantem; tamen satis tutus esset, quòd Deum in Scripturis loquentem habuit autorem. Quid? quòd etiam Patres ementitur Iesuita? Nam illud certè de Chrysostomo falsum.

XVII. Ad Augustinum respondeo: Ponere animam, amphibolum esse. Nam neque *animam suam* vnico sensu dicitur, neque *ponere animam*. Animam suã Christus potuit dicere vel [illegible] vel [illegible]. Suam, quatenus Verbũm, [illegible] non potuit, sed tãtùm [illegible]: quatenus idem erat Verbum & homo, id est, Verbum, caro & anima, vt ait eodem tractatu Augustinus. Ergo, sic suam animã, quomodo suum corpus. Rursus *ponere*, vel passiuè vel actiuè. Passiuè, quomodo nostrûm quilque cùm moritur, cùm esse possit moriendi causa voluntaria, tamẽ moriendi ab ea caussa necessitas naturalis, vt rectè Aquinas. Actiuè, quomodo Christus solus, non quà homo, sic enim passiuè posuit: sed quã Deos incarnatus, animam à corpore seiunxit: vt loquitur Gregorius Nyssenus oratione in Christi resurrectionẽ: Tertullianus Apologetici cap. 21. *Spiritum cum Verbo [illegible] dimisit præuento carnificis officio.* Est autẽ absurdi [illegible] dicatur Christus, quatenus Verbũ, posuisse actiuè animam [illegible] suã. Qui tamen, quatenus homo, posuit passiuè animam [illegible] suam. Et tertiò, ponere animã, vel à corpore; qua phrasi significatur mors: vel ab hypostasi, quasi sẽsus esset, semotã fuisse animã ab vnione hypostatica, in quam eũ carne fuerat assumpta. Posterior sensus falsus est, quod enim Christus semel assumpsit, nunquã deposuit: sed prior verus: quia verè Christus mortuus est.

XVIII. Augustinus igitur multus est in hoc loco explicando. & primò contra Apollinaristas astruit Christum esse, Verbum & hominem. Et quia homo constet carne & anima; ideo Christum esse Verbũ, carnem, & animam. Id autẽ est quod diximus, animam esse carnis [illegible], & Verbi [illegible]. Deinde quærit, quis animam posuerit, an Verbum, an Caro, an anima. Verbum negat, quia, *Si dixerimus*, inquit, *quia Verbum Dei posuit animam suã, & iterum sumpsit eã: metuendum est ne subintret praua cogitatio, & dicatur nobis: ergo, aliquando anima illa separata est à Verbo.* Negat etiam animam: quia anima à seipsa non possit separari. Concludit ergo, Carnem eam esse, quæ animam suam posuit. *Quia hoc est ponere animam quod est mori.* Id est, vt nos distinguebamus, posuit [illegible], & huc vsque Augustino vtitur Bellarminus. At nos diligentiùs attendentes, in eodem Augustino inuenimus nostrum *ponere* [illegible]: quod Bellarminus strenuè dissimulauit. *Caro*, inquit, *ponit animam suã, & Caro iterum sumit eam: non tamen sua potestate Caro, sed potestate inhabitantis carnem.* Adde ea quę paulo antè citauimus. Itaque omnino cũ Caluino, omnino nobiscum, omnino cùm Catholicis sentit Augustinus. *Ponere animam* passiuè ad carnem referri: vt ponere animam actiuè, ad Verbum. Sophisticatur ergo Iesuita, qui à parte tantùm arguit.

XIX. Quartò: resurrectio Christi pars est nostræ redemptionis omnino essentialis. Teste Paulo quarto ad Romanos: vbi æquè dicitur Christus resurrexisse proptèr iustificationẽ nostri, ac mortuus propter offensas. Et octauo. *Quis est qui cõdẽnet? Christus est qui mortuus est: imò verò qui etiam excitatus est.* Chrysostomus Homilia nona ad Romanos, [illegible] ἀπέθανεν, ἵνα [illegible] καὶ [illegible] ἀλλ' ἵνα [illegible]. [illegible] καὶ ἀπέθανε, καὶ ἀνέστη, ἵνα δικαίους ἐργάσηται. *Non ideirco mortuus est, vt sibi reos haberet, damnatósque puniret: sed vt de nobis benè mereretur. Propterea enim tum mortuus est, tum resurrexit, vt iustos constituat.*

XX. Atqui resurrexisse Christum, non suæ carnis proprietate, sed suæ Deitatis potentia, Christianorum est qui ambigat nemo: quando audit ab Apostolo primo capite ad Romanos, declaratum esse Filium Dei, ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, *potenter secundùm Spiritum Sanctitatis, per resurrectionem à mortuis:* [illegible], inquit Chrysostomus: *Primus enim hic & solus seipsum excitauit.* Athanasius de Assumptione hominis ad Marcellinum. *Ecce Filium hominis, sicut Apostolus dicit, qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem. Nam secundùm Deitatem sic ait, Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis.* Eutychianus Romanus Episcopus Epistola prima: si titulus nõn fallit, & fallit profectò. Nam prima pars doctissima est: reliqua nugatoria. Sed ille tamẽ, quisquis est, in priore parte, *Videsne ita Deum & hominem prædicari, vt mors hominis, Deo verò carnis excitatio deputetur?*

XXI. Quintò: Mediatorem oportuit esse perfectè iustum, vt nos peccato perditos per suam iustitiam instauraret. At non potuit sola humanitas habere hanc iustitiæ perfectionem. Itaque iustitia, quæ fuit in Christo ad Mediatoris opus necessaria, ea est propriũ effectũ Deitatis. Athanasiꝰ de Incarnatione Verbi cõtra Paulũ Samosatẽsẽ, iubet credere [illegible] [illegible] ὁ Κύριος [illegible]

(sic enim legit Nannius & rectè) ἀλλὰ θεϊκῇ, τῇ καθαρότητι, *Iustitiam quam habuit Dominus in Spiritu, hoc est, non humano more, sed diuina puritate.* Et subiicit ἀδύνατον γὰρ ὅτι [illegible] τὸ καθαρὸν καὶ ἀναμάρτητον ἐπ' ἀνθρωπίνης φύσεως [illegible], εἰ μὴ Θεὸς ἐν σαρκὶ [illegible], ὁ τὴν ἀναμάρτητον δικαιοσύνην εἰς τὸν κόσμον [illegible], ἧς μετέχοντες [illegible]. *Alioquin impossibile est puritatem & innocentiam in humana natura exhiberi, nisi Deus credatur in carne fuisse, qui iustitiam omni peccato liberam in mundum introduxit: cuius quia participes redditi sumus, viuemus, & saluabimur.* Ipsi Papistæ docent, iustitiæ, quæ propria fuit humanæ naturæ, pretium fuisse à Deitate, cuius fuit [illegible]. Omnino id nostrum est argumentum: nam hoc huius iustitiæ pretium prorsus erat necessarium; ideóque pars mediationis: fuit autem à Deitate, tanquam causa propria, proxima, immediata.

CAP. IV.

Argumenta Catholicorum ab effectis Mediatoris.

I. PRæter has Mediatoris partes, vrgent etiam Catholici, eiusdem mediationis effecta in nos redundantia: quæ humanitati, non tantùm nudæ, sed ne quidem distinctæ à Deitate, competere possunt. Eiusmodi effecta sunt, remittere peccata: tum dare Spiritum Sanctum: tertiò saluare: quartò Deo coniungere. Quæ etsi reapse non differant inter se, tamen cùm à Patribus distinguantur, ne à nobis quidem confundenda erunt. Ea autẽ constat à Christo præstari ex vi suæ Deitatis, non autem humanitatis. Itaque, necesse est cõcedere eũdem Mediatorem esse, nõ tantùm quà hominem, sed etiam quà Deum incarnatum.

II. De primo, id est, remissione peccatorum. Marci secundo, *Iesus dixit Paralytico: fili, remissa sunt tibi peccata tua:* & cùm murmurarent Iudæi, *Quid iste loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Tum Christus, *Vt sciatis Filium hominis præditum autoritate remittendi peccata in terra, ait Paralytico, Tibi dico, surge, & tolle grabatum tuum, & abi domum tuam.* Filius igitur hominis ἐξουσίαν ἔχει, *autoritatem habet*, non λειτουργίαν, siue ὑπηρεσίαν, quomodo ministri Mediatoris, non ipsi Mediatores: habet, inquam, autoritatem remittendi peccata. Quam autoritatem ipsi etiam Iudæi agnoscebant esse diuinam. Pertinere tamen ad Mediatorem, argumento est Filius hominis, quomodo solet se Christus appellare propter incarnationem. Sed Athanasium audiamus Dialogo quinto de Trinitate. Obiicit Apollinarista. Πᾶς ἄνθρωπος μέρος κόσμου· καὶ οὐδὲν μέρος κόσμου αἴρει τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὑφ' ἧς καὶ αὐτὸς κεῖται. Χριστὸς δὲ αἴρει. οὐκ ἄρα ἄνθρωπος ὁ Χριστός. *Omnis homo est pars mundi: & nulla mundi pars tollit peccatum mundi, cui peccato & ipsa subest. At Christus tollit. Non est igitur homo Christus.* Orthodoxus respondet. Διὰ γὰρ τοῦτο, ἐπειδὴ οὐδὲν μέρος κόσμου αἴρει τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὁ δημιουργὸς τοῦ κόσμου μορφὴν [illegible] μέρους κόσμου, ἵνα [illegible] μέρει τοῦ κόσμου [illegible] ὡς μέρος κόσμου, ἄρῃ τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὡς δημιουργὸς τοῦ κόσμου. *Enimuerò propterea quòd nulla pars mundi tollit mundi peccatum, idcirco mundi opifex formam accepit partis mundi, vt quatenus pars erat mundi, occisus tanquam pars mundi, tolleret mundi peccatum, vt opifex mundi.* Et rursus, cùm similiter obiiceret hæreticus, eum qui seruat à peccato, superiorem esse peccato: itaque non esse Christum hominem, quia homo est inferior peccato: Christus autem seruat à peccato: respondet Orthodoxus, [illegible] ἄνθρωπος ψιλὸς Χριστός. [illegible] Χριστὸς αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, [illegible] ἄνθρωπος. Διὰ τοῦτο ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου Χριστὸς, ἐπειδὴ ὁ Θεὸς λόγος μορφὴν δούλου λαβὼν γέγονε Χριστὸς ἄνθρωπος: *Non est enim Christus nudus & duntaxat homo. Neque enim si duntaxat homo fuisset, sustulisset peccatum mundi. Per hoc autem Christus sustulit mundi peccatũ, quòd Deus Sermo, accepta serui forma, factus est Christus homo.* Idem oratione tertia contra Arianos, [illegible] κτίσμα [illegible] λόγος, [illegible] Θεοῦ λύειν [illegible] καὶ ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας, γεγραμμένου παρὰ τοῖς προφήταις, [illegible] Θεοῦ. *Quomodo, si Verbum erat creatura, sententiam à Deo latam posset soluere, & remittere peccatum, cum scriptum sit apud Prophetas hoc esse Dei?*

III. De secundo, Augustinus Enchiridij capite trigesimo tertio. *Quòd ergo per Mediatorem reconciliamur Deo, & accipimus Spiritum Sanctum, ideo est* [illegible] ninì legunt meæ membranæ, & necessariò *vt ex inimicis efficiamur fideles: quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei: hoc est gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Est igitur verum, auctore Augustino, nos per Mediatorem fieri participes Spiritus Sancti. Sed id disertius explicandum. Nam, Ioannis decimo quarto, *Ego autem* (inquit Christus) *rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Quæ quidem ad Christum referri possunt, quà hominem; cuius partes sunt, rogare Patrem vt mittat, non verò ipsum mittere: sed decimo quinto. *Quum autem venerit Consolator ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus, inquam, ille veritatis, ille testabitur de me.* Et decimo sexto, *Veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego abeam. Nisi enim abiero, Consolator ille non veniet ad vos. sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos.* Quibus locis sibi Christus αὐθεντίαν vindicat mittendi Spiritus Sancti: & quidem à Patre, vt Mediatorem intelligas. Quis autem concipere possit, quomodo humanitas Christi, distinctè considerata, mittat Spiritum Sanctum? Cyrillus in Ioannem libro decimo, capite trigesimo tertio. *Nemo Spiritum Patris per Filium, vt per ministrum, mitti ad creaturas credat: nam etiam id nonnulli dicere ausi sunt. Credere namque debemus, quoniam Spiritus sic proprius Filij est, sicut sanè ipsius quoque Dei Patris: idcirco ad sanctificationem fidelium singulorum ab eo mitti.*

IV. Nam, quòd Bellarminus excipit, distinguens inter mittere meritoriè, & dare efficienter: meræ sunt præstigiæ. Neque vnquam vllus Theologus sic loquutus erat, vt diceret, Spiritum Sanctum mitti meritoriè. Dixit Christus, cũ suas, tanquã hominis, partes significaret, Rogabo Patrem & mittet vobis: sed non dixit, se missurum. At cùm suas, vt Dei, non dixit rogaturum, sed missurũ. Quid ergo? Nimirũ, aduersus nimis vrgentẽ vim veritatis oportuit nouas strophas excogitari, ab iis qui mendacium magis amãt. Sed cõcedamus tamen distinctionẽ. Certè in Christo vtrunque inuenimus: mittit Spiritũ meritoriè, quatenus homo, asserẽte Bellarmino: sed mittit etiã efficienter: ergo, quatenus Deus: & mittit, tanquam Mediator, nam mittit à Patre: ergo frustranea distinctio.

V. De tertio: saluari fideles à Christo, notius est quàm vt opus sit nos admonere: sed ad id perficiendũ Patres vno cõsẽsu asserũt, necesse fuisse, vt non tãtùm homo esset, sed & Deus verus: indéq; rationẽ sumunt τῆς ἐνανθρωπήσεως. Athanasius in eo multus est. Libro de Incarnatione Verbi, eiúsq; corporali ad nos aduentu. [illegible] προσηκόντως τὸν [illegible] εἰς τὸν [illegible] ἄνθρωποι, [illegible] τὴν κατ' εἰκόνα [illegible] τῆς [illegible], τί ἄλλο [illegible] ὁ [illegible]

[illegible] Θεοῦ λόγου αὐτοῦ [illegible] καὶ τὸ φθαρτὸν εἰς ἀφθαρσίαν ἐπαγαγεῖν, καὶ τὸ ὑπὲρ πάντων εὔλογον, ἀποσῶσαι πρὸς τὸν πατέρα. *Quandoquidem, praeoccupante transgressione detinebantur homines sub corruptione: quae est praeter naturam. spoliatique erant ea gratia qua secundum Dei imaginem creati erant; quid olim faciendum fuit, aut cuius opera necessaria erat, vt reuocaretur ad eam gratiam; nisi Dei Verbi, eius qui ab initio ex nihilo fecerat omnia? eius enim erat corruptum rursus ad incorruptionem transferre, & quod maximum est, apud Patrem seruare.* Idem quinto Dialogo de Trinitate, cùm obiiceret hæreticus: Neminem, qui morti obnoxius sit, abolere mortem: at omnem hominem esse obnoxium morti: Christum verò abolere mortem: itaque non esse hominem. Respondet, [illegible] ἀνθρώπων κατάρχει θανάτου ὑπὸ θάνατον ὤν, ὁ ἀθάνατος τοῦ Θεοῦ υἱὸς, λόγος ὢν καὶ Θεὸς, ἥνωσεν ἑαυτῷ τὸ ὑπὸ θάνατον ἵνα ἐν τῷ θανάτῳ [illegible] τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου καταργήσῃ. *Quoniam nullus hominum, vt qui morti subsit, mortem abolet, idcirco immortalis Filius Dei, Sermo simul, & Deus, sibi ipsi vniuit id quod morti subest, vt in morte aboleret eum qui mortis imperium habet.* Et rursus dicente hæretico, εἰ ψιλὸς ἄνθρωπος ἦν ὁ Χριστὸς, [illegible] κόσμον, καὶ εἰ μόνον Θεὸς, [illegible] ἔσωσε. [illegible] Χριστὸς, καὶ Θεὸς ἄρα ἐστὶ, καὶ ἄνθρωπος, *Si tantum homo fuisset Christus, non seruasset mundum. At si tantum fuisset Deus, non seruasset patiendo: Vtrumque verò præstitit Christus. Est igitur & Deus & homo.* Respondet Athanasius, καὶ νῦν [illegible] [illegible] Θεὸς, [illegible] ἄνθρωπος· ἀμφότερα δὲ Χριστὸς, καὶ ἔπαθεν καὶ ἐζωοποίησε· Θεὸς ἄρα ἐστὶ, καὶ ἄνθρωπος, *Nunc quoque scienter loqueris: fuit enim necesse humanam naturam subferre passionem, & Deitatem ducem esse ad vitam. Itaque, nisi Deus esset, non viuificaret: & nisi fuisset homo, non passus fuisset volens: vtrumque autem Christus præstitit, scilicet & passus est & viuificauit. Est igitur Deus & homo.* Nec aliter Fulgentius ad Trasimundum libro primo. *Reuera homo saluari non poterat, si vel susceptor hominum naturaliter verus Deus non fuit, vel in vero Dei susceptione aliquid hominis defuit.* Et libro tertio, *Dum redemptionis commercium gereretur, pleno veróque homini plenum verumq; Deum decebat vniri.*

VI. Cyrillus Alexandrinus expositione fidei ad Reginas, *Cùm legis scriptum, maledictum pronunciet, qui transgressus sit legem per peccatum, is qui peccatum non nouit, id est, Christus oblatus est, mortis sententia suscepta immeritò, & patiens quæ decet pati eos qui sunt in maledictione,* [illegible] *vt, qui omnibus præponderat, pro omnibus moriens, inobedientiæ omnium solueret accusationem: & quod est sub cælo, seruet proprio sanguine,* [illegible] *Non autem præponderasset vnius omnium, si homo fuisset simpliciter. At si cogitetur Deus, homine assumpto, & propria carne passus parum est ad eum comparata vniuersa creatura: itaque sufficit ad redemptionem omnium quæ sub cælo, solius carnis mors erat enim propria ei [illegible] nati ex Patre.* Idem Paschalium decima sexta. [illegible] *Cum igitur nobiscum infeliciter ageretur, ipsum necessariò Filium suum demisit Deus & Pater, vt res nostras in meliorem absque comparatione, quàm olim fuissent, statum transferret, ac salutem terræ incolis daret, euecto nimirum peccato: quæque per ipsum pullulauerat, cùm ipsismet radicibus interempta morte, & ipsa præterea diaboli tyrannide euersa.* [illegible] *Nec enim vlli rei creatæ tam illustria præclaráque facinora conueniebant, sed ei tantùm, quæ super res alias omnes excellit natura,* quæque supremo imperio ac prærogatiuis egregiè admodum exornata est, γέγονε τοίνυν ἄνθρωπος ὁ μονογενὴς ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, δι᾽ οὗ τὰ πάντα παρῆχθαι πρὸς γένεσιν, καὶ [illegible] σώζεται: *Proinde factus est homo vnigenitus Dei Verbum, per quem omnia genita sunt, & facta seruantur.*

VII. De quarto, quod Mediator debeat nos coniungere Deo; nec id possit, nisi æquè Deus sit & homo, atque ob eam caussam mediatoris nomen habeat: multa sunt Patrum testimonia, & disertissima: è quibus pauca quædam obiter Bellarminus obseruauit, vnicum duntaxat recitauit. Nostrum est pleniùs exequi pro veritate demonstranda, quod ille pro mendacio fucando dissimulare maluit. Irenæus libro tertio, capite vigesimo, ἔδει γὰρ τὸν μεσίτην Θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων διὰ τῆς ἰδίας πρὸς [illegible] εἰς φιλίαν καὶ ὁμόνοιαν τοὺς ἀμφοτέρους συναγαγεῖν· καὶ Θεῷ μὲν παραστῆσαι τὸν ἄνθρωπον, ἀνθρώποις δὲ γνωρίσαι τὸν Θεόν: *Oportuerat enim Mediatorem Dei & hominum, per suam ad vtrosque domesticitatem, ad amicitiam concordiámque vtrosque reducere, & facere vt & Deus assumeret hominem, & homo se dederet Deo.* Athanasius dialogo quinto de Trinitate obiicienti hæretico, εἰ μόνον ἦν ἄνθρωπος ὁ Χριστὸς, ἢ εἰ μόνον Θεὸς, οὐκ ἂν ἦν μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων. *Si Christus esset tantùm homo, vel tantùm Deus, non esset medius inter Deum & homines.* Respondet, εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἐν πᾶσι τούτοις, ὅτι [illegible] ὁμολογήσας μὴ μόνον ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν εἶναι, μηδὲ μόνον Θεόν. *Benedictus sit Deus in his omnibus; quod etiam sis confessus Christum non tantùm esse Deum, nec tantùm esse hominem.* Θεὸς ἀνθρώπῳ ἑνωθεὶς Χριστὸς ἐστὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων ὁ αὐτὸς Θεὸς καὶ ἄνθρωπος. *Vnitus Deus homini est Christus, Mediator Dei & hominum idem Deus, & homo.*

VIII. Gregorius Nyssenus oratione in illud, *Tunc ipse Filius subiicietur. Namque est in Patre, & factus est inter homines, in hoc implet suam intercessionem, quòd omnes sibi vniuerit, & per seipsum Patri: sicut dicit Dominus in Euangelio, ad Patrem verba faciens, Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi vnum sint in nobis.* Epiphanius Anchorato. Συνᾴδει δὲ καὶ τούτῳ τῷ λόγῳ ὁ ἅγιος Ἀπόστολος Παῦλος, εἷς Θεὸς, καὶ εἷς μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων ἄνθρωπος Ἰησοῦς Χριστὸς, ὃς οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ ἀλλ᾽ ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβών. [illegible] μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἐπειδὴ τοῖς ἑκατέροις μεσιτεύει, [illegible] πατέρα αὐτοῦ Θεὸς ἐν φύσει γνησίως γεγεννημένος· παρὰ δὲ τοῖς ἀνθρώποις, ἄνθρωπος φυσικῶς γνήσιος ἐκ Μαρίας δίχα σπέρματος ἀνδρὸς γεγεννημένος. οὕτω γὰρ ἐστὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων Θεὸς ὢν, καὶ ἄνθρωπος γενόμενος, οὐ τραπεὶς τὴν φύσιν, ἀλλὰ [illegible] πρὸς τὰ ἀμφότερα μεσιτεύων. *Concordat huic sermoni Sanctus Paulus Apostolus. Vnus Deus, & vnus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui non arbitratus est rapinam, quòd esset æqualis Deo: sed ipse se exinaniuit, forma serui assumpta. Vides declarasse illum hominem, nec tamen nudum? Nam illud Mediator Dei & hominum, ita est, quandoquidem inter vtrosque medius est: apud Patrem suum Deus existens natura genuinum genitus, apud homines verò homo naturalis genuinus, ex Maria absque semine viri genitus. Sic enim Mediator est Dei & hominum, Deus existens, & factus homo: non mutatus natura, sed secundùm vtraque* (id est, Deitatem & humanita-

tem) *ad vtrosque medium agens.* Theodoretus dialogo secundo, capite quarto, *αὐτὸ δέ γε τοῦ μεσίτου τὸ ὄνομα Θεότητός τε ἐνδεικτικὸν καὶ ἀνθρωπότητος ὑπάρχει δηλωτικόν. Ipsum Mediatoris nomen hoc loco, & deitatem & humanitatem significat.*

IX. Pariter Latini. Cyprianus ad Quirinum libro secundo, capite decimo. *Quod & homo Deus Christus, ex vtroque genere concretus, & Mediator esse inter nos & Patrem posset, apud Hieremiam dicit, Et homo est, & quis cognoscet eum?* Augustinus de Consensu Euangelistarum libro primo ad finem. *Ideo Christus Mediator Dei & hominum dictus est. inter Deum immortalem, & hominẽ mortalem, Deus & homo: reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat.* Idem in expositione Epistolæ ad Galatas, *si Filius Dei in naturali æqualitate Patris manere vellet, nec se exinaniret formam serui accipiens, non esset Mediator Dei & hominum. Quia ipsa Trinitas Vnus Deus est eadem in tribus, Patre, Filio & Spiritu Sancto, Deitatis æternitate & qualitate constante. Sic itaque Vnicus Filius Dei & hominum factus est, cum Verbum Dei, Deus, apud Deum & Maiestatem suam vsque ad humana deposuit, & humilitatem humanã vsque ad Diuina subuexit, vt Mediator esset inter Deum & homines, homo per Deum vltra homines.* Fulgentius, siue alius quis autor est libri de fide ad Petrum Diaconum, qui est inter Augustini opera. Is igitur capite secundo: *Idcirco autem Mediator, quia idem Deus atque homo verus, habens cum Patre vnam Diuinitatis naturam, & humanitatis vnam cum matre substantiam: habens ex nobis vsque ad mortem iniquitatis nostræ pœnam: habens incommutabilem de Deo Patre Iustitiã: propter iniquitatem nostram temporaliter mortuus: propter iustitiam suam & ipse verus semper & immortalitatem mortalibus largiturus.* Leo Romanus eius nominis primus, Epistola 12. quæ est ad Iulianũ Coensem: *verus homo vero vnitus est Deo: nec secũdũ existentem primi animã deducitur è cœlo: nec secundùm carnem creatus ex nihilo, eandem gerẽs in Deo Verbi Dei personam, & tenens communem nobiscum in corpore animaq; naturã. Non enim esset Dei hominumq; Mediator, nisi idem Deus idemq; homo in vtroq; & vnus esset & verus.* Vigilius cõtra Eutychen libri 5. capite 4. *Vnde medius erit si veramq; nõ habuerit? Quia nisi talem dederis inter Deum & homines, qui ita sit medius, vt ex vtroq; vtrumq; sit, idest, vt & Deus sit propter diuinitatis, & idem homo sit propter humanitatis naturam, humana diuinis quemadmodum reconciliẽtur, non ostendis. Nam quia transgressione mandati inimici Dei extiteramus, & in contrarium animis discordantibus vergebamus, à supernis declinantes, & ad ima tendentes, necesse fuerat interuentu miserationis Diuina soluturus inimicitias, cõtraria in vnum reuocari, & supernis ima restitui, quod non aliter fieri potuit, nisi talis Mediator existeret, qui de cœlestibus veniẽs, coniretur terrenis, retinens in se id quod erat, & assumens id quod non erat, vnus fieret in vtroque: & ita per vtriusque naturæ cõmunionem in vna eademq; persona, & humana Diuinis, & Diuina sociaret humanis, prim vtrumq; sine vtriusq; abolitione, viuens in seipso, dein omnes fideles Patri reconcilians Deo.*

X. Hîc Bellarminus distinguit Mediatorem substantialẽ, à Mediatore per operationem. Et explicat illam, quæ facta est in ipso Christo per incarnationẽ, Et huc pertinere quæcunq; à Patribus citantur. Nisi enim esset Christus Deus, & homo, nõ esset suppositum Diuinum in natura humana operans, & proinde non essent opera Mediatoris infiniti pretij. Christũ igitur formaliter esse Mediatorem, quantũ ad mediationẽ operationis, per solam humanitatẽ: tamẽ, vt esset Mediator, & posset totum mundũ redimere ex rigore Iustitiæ, debuit præter formã humanitatis habere diuinũ suppositũ: non poterat antẽ habere diuinũ suppositum in natura humana, nisi in illo esset mediatio substãtialis duarũ naturarum.

XI. Sed hæc mediationis distinctio erat hactenus inaudita, & nouum est sophistæ *μηχάνημα* ad eludendam vim argumentorũ, quam infirmare non potest. Quorsum autẽ, qui Antiquitatem tantopere se fingunt admirari, discedunt ab eius stylo? Nam Patres, apud quos hanc distinctionem tam facile inuenias, quã in syluis Delphinem, non verentur Christũ appellare mediatorem, vtriusq; naturæ habita ratione. Cur nos ita cum illis loquentes aut hæreticos appellant: aut blasphemos? cur anathemati deuouent? An illud verum eos Prophetarũ sepulcra ædificare, qui ipsos si viuerẽt, non tolerarent? Ita, quorum nomen venerantur Papistæ, eorum stylum, & cum stylo doctrinam damnant.

XII. Deinde, cui bono hæc distinctio? Recurramus enim ad statũ nostræ quæstionis. Quærebamus, vtrum Christus Mediator esset secundùm alteram naturam, an secundùm vtramque. Hæc verba Christi quidem naturas in persona distinguũt, at mediatoris siue nomen siue partes non distinguunt. Ergo, aut secundùm substãtialem mediationem negandũ est Christum dici posse mediatorem: aut, si id absurdè negatur: ergo verè nos contendimus secundùm vtramque naturam esse mediatorem. Nam Bellarminus fatetur eam mediationem pertinere ad vtrãque naturam. Nam quod idem capite primo negabat, hanc mediationem substantialem, illam esse de qua nos disputamus: non tam attendo quid dixerit, quàm cur dixerit quæro. Nos enim si quem locum ei distinctioni damus, ita damus, vt dicamus eum, qui futurus est verè Mediator, vtrũque habere debere, nempe & personam mediatricem, vt sit substãtialiter Mediator, & operationes mediationis, vt sit etiam operatoriè Mediator. Ideoque solum Christum verè esse Mediatorem, qui vtrumque solus habuerit.

XIII. Quod verò negat istam substantialẽ mediationem esse inter naturas dissidentes, falsum est. Et addita ratio, quia nunquam Christi humanitas fuit contraria diuinitati, hæc, inquam, ratio non potuit esse magis ridicula. Quomodo enim vel cogitare quisquam potuit, vllo tandem modo Christum esse Mediatorem inter suam Deitatẽ, suámque humanitatem? Id ne Chorœbus quidem dixerit. *Nullus enim Mediator, est vnius*, inquit Paulus, tertio ad Galatas: & Christus vnus est constans ex Deitate atque humanitate. Itaque Veteres disertè Mediatorẽ substantialiter dixerunt Christum totum Deum & hominem, *κατ' ἀμφότερα* (inquiebat Epiphanius) *πρὸς τὰ ἀμφότερα μεσιτεύων*, secundum vtraque ad vtrosque mediũ agens: nempe, vt paulo prius exponebat, ad Patrem, Deus existens; ad homines verò, homo existens. Et Fulgentius, habens cum Patre veram Diuinitatis naturam, & humanitatis vnã cum matre substantiam. Sic ergo Patres iudicarunt, Christũ quatenus Deus est & homo, esse substãtialiter mediatorẽ, non inter suam Deitatem, suámque humanitatem, quo nihil absurdius posset excogitari; sed inter Deũ & homines: esse autem has naturas dissidentes, mirum si negare Bellarminus audeat.

XIIII. Tertiò, Nos asserimus Christum secundùm vtramque naturam, scilicet tum humanam, tum Diuinam incarnatam, esse Mediatorem, & quidem mediatione, non tantùm substantiali, sed etiam operatoria: atque ita Patres docuisse.

Illa-

Itaq. falsò dixisse Bellarminum omnes Patres loqui de mediatione substantiali. Quod vt manifestũ fiat, repeto ex eo primo capite quatuor illos modos quibus fieri alicuius mediationem, quæ in opere consistit. Primus modus est, decernendo & iudicando causam: secundus referendo hinc inde pacta & conditiones vtriusque partis. Tertius orando & supplicando vni parti pro altera. Quartus soluendo & satisfaciendo vni parti pro altera. Quorum tres primos esse communes dicit, quartum propriissimè conuenire Christo. Ponamus ita se rem habere, & condonemus defectum quinti membri, quem Iunius obseruauit, scilicet regni mediatorij: hoc est quod Christus obtinet non vniuersaliter tanquam Deus æqualis Patri, sed specialiter tanquam mediator. Hunc, inquam, defectum condonemus. Hi enim quatuor sufficient.

XV. Enimuerò alterutrum necesse est, vel omnes, quæ ad hos quatuor modos pertinent operationes, simul inueniri debere in ea Natura, quæ mediatrix dicitur secundùm operationem, vel saltem quasdam. At non omnes: nulla enim natura posset esse mediatrix, ad quam aliqua operationum earum non pertineret; ac tum non distinguendi essent varij mediatorum gradus, vt Bellarminus distinxit, neque sancti appellandi mediatores suo modo, vt appellant Papistæ. Deinde ne ipsa quidem humanitas Christi esset Mediatrix, quia vt probauimus, quædam effecta mediatoris in Christo, sunt Diuinitatis. Quod si humanitati satis sunt quædam operationes necessariæ ad mediationem, vt sit & dicatur mediatrix: similiter concludimus, de Deitate, si ad eam pertineant aliquæ mediationis operationes: ergo eam esse pari ratione mediatricem, quo sensu humanitatẽ diximus.

XVI. Probatur verò antecedens. Nam primò, secundùm modum non esse proprium humanitati Christi, sed communem cum Deitate: imò verò Deitati proprium αὐθεντικῶς & humanitati communicatum ὀργανικῶς tantùm, quatenus Deitatis facta est instrumentum: probauimus tum ex Scriptura, tum ex Patribus, capite tertio. Deinde in quarto modo præcipua satisfactionis pars consistit in perfecta Iustitia, quam à se non habet humanitas. Itaque sic etiam præcipuas esse Deitatis partes agnouerunt Veteres, vt prolatis locis docuimus. Et rursus, in ipsa morte, quum passionis partes ad carnem spectarent, tamen à Deitate fuisse autoritatem animæ deponendæ, ostensum est. Quin etiam primum modum discernendi, & iudicandi, an Bellarminus ausit Filio Dei æterno derogare? Itaque constat quasdam, addo etiam præcipuas, mediationis operationis partes pertinere ad Deitatem incarnatam. Itaque ex vi argumenti omnino fatendum Deitatem incarnatam esse mediatricem. Denique quo loco Bellarminus numerabit reconciliationem nostri cum Deo? An excludet à partibus mediatoris? Et propriè mediatoris. Cõtradicet Catholicis Patribus: contradicet Scripturæ. Atqui id nullo pacto potest pertinere ad alteram naturam, sed ad vtramque. Itaque rectè concludebant Patres τὸ τοῦ μεσίτου ὄνομα Θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος σημαντικόν: mediatoris nomen significare (non potuit autem disertiùs exprimi nostra sententia) vtramque naturam.

Cap. V.

De Christo homine Mediatore.

I. CONfirmarunt suam veritatem Catholici: eandem nunc oppugnabunt Papistæ. Qui ex vniuersa Scriptura locum vnicum obiiciũt, è secundo capite prioris ad Timotheũ, *Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus.* Et dupliciter inde argnunt. Primò; Cur, quæso, addidit Paulus, *Homo*, nisi ad exprimendum naturam secundùm quam Christus est Mediator? Et ita notasse Augustinum libro secundo de Peccato originali, capite vigesimo octauo: & sermone vndecimo de Verbis Apostoli. Præterea Apostolum distinxisse Mediatorẽ à Deo: dum inquit, *Vnus Deus & vnus Mediator.* Ergo, inquiunt, Christus non est Mediator secundùm naturam diuinam: sed tantùm secundùm humanam, secundùm quam Christus à Deo distinguitur.

II. At respondent Catholici, ex hoc eodem loco, contrarium deduci argumentum. Nam quia probatum prius, non posse esse mediatorem, nisi in vtraque natura: sic igitur Paulus nominans Christum Mediatorem indicauit esse in Christo vtramque naturam. Nec sanè alio sensu Patres hunc ipsum locum sunt interpretati. Quos quia dissimulauit, non inutile sit Bellarmino, etiam nolenti legendos obtrudere. Epiphanius Anchorato ὁρᾷς ὡς ἄνθρωπον αὐτὸν ἀπεκάλεσεν, ἀλλ' οὐ ψιλόν· τὸ γὰρ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων ἐπειδὴ τοῖς ἑκατέροις μεσιτεύει. πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ Θεὸς ὢν φύσει γνήσιος γεγεννημένος· πρὸς δὲ τοὺς ἀνθρώπους ἄνθρωπος φυσικός. *Vides quòd hominem ipsum pronunciauit, sed non nudum. Mediator enim Dei & hominum est, quoniam in medio vtrorumque est: ad Patrem quidem suum Deus existens natura genuinus genitus: ad homines verò homo naturalis ex Maria, citra semẽ viri genitus.* οὕτω γὰρ ἐστὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, Θεὸς ὢν καὶ ἄνθρωπος γενόμενος, οὐ τραπεὶς τὴν φύσιν, ἀλλὰ καθ' ἑκάτερα πρὸς τὰ ἀμφότερα μεσιτεύων: *Sic enim Mediator est Dei & hominum, Deus existens & homo factus, non mutatus natura, sed secundum vtramque ad ambo medius existens.*

III. Chrysostomus in locum propositum, ὁ δὲ μεσίτης ἑκατέρων ἀμφοτέρων κοινωνεῖν ὀφείλει ὧν ἐστὶ μεσίτης. Μεσίτου γὰρ τοῦτό ἐστι, τὸ ἑκατέρων ἔχεσθαι, ὧν ἐστι μεσίτης, κοινωνεῖν. εἰ δὲ τοῦ μὲν ἑνὸς ἔχοιτο, τοῦ δὲ ἑνὸς ἀπεσχισμένος εἴη, οὐκ ἔτι μεσίτης ἐστίν. *Enimuerò Mediator vtrisque eis debet societate coniungi, quorum Mediator est. Id quippe mediatoris est proprium, vtrorumque participem fieri, quorum fuerit Mediator. Quod si vnius quidem societate contingat, ab altero verò fuerit separatus, Mediator iam dici non potest.* Et vt intelligas de ipsa natura Chrysostomum agere, subiicit, εἰ τοίνυν μὴ ἔχει τὴν τοῦ πατρὸς φύσιν, οὐκ ἔστι μεσίτης, ἀλλ' ἀπεσχισμένος. ὥσπερ γὰρ τὴν τῶν ἀνθρώπων ἔχει φύσιν, ἐπειδὴ πρὸς ἀνθρώπους ἦλθεν, οὕτω καὶ τὴν τοῦ Θεοῦ, ἐπειδὴ παρὰ Θεοῦ ἦλθεν, ἐπειδὴ γὰρ δύο φύσεων μέσος γέγονεν, ἐγγὺς τῶν δύο φύσεων αὐτὸν εἶναι δεῖ. *Nisi igitur consors sit paternæ naturæ Mediator, profectò nõ est, sed seiunctus est. Quẽadmodũ enim humanæ naturæ connexus est, quandoquidem ad homines venit: sic & diuinæ: quandoquidem à Deo venit. Nam quia duarum naturarum medius est, vicinitate coniunctum esse oportuit earum duarum naturarum.* ὥσπερ γὰρ ὁ ... μέσος ... ἐγγὺς ...

φύσεων μέσον, ἑκατέρων [illegible] ἐγγύς. *Quemadmodum enim cuiuslibet medium vtramque partem coniungat necesse est, ita & naturarum ambarum medium oportuit vtramque naturam contingere.* [illegible] καὶ Θεὸς ἦν. *Quemadmodum igitur homo factus est, ita etiam Deus erat.* Ἄνθρωπος [illegible] μεσίτης· [illegible] καὶ τῷ Θεῷ διαλέγεσθαι. Θεὸς [illegible] μεσίτης, [illegible]. *Homo vtique non fuisset mediator: oportebat enim etiam cum Deo colloqui* (an potius Deo conciliari, vt legamus διαλλάττεσθαι) *Deus etiam Mediator non fuisset: non enim eum suscepissent ij quibus medius erat futurus.* Oecumenius disertius, [illegible] ἀμφοτέρων μετέχειν, [illegible] καὶ [illegible] ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ [illegible] λόγος, [illegible] δύο φύσεων, [illegible] θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος [illegible]. *Quandoquidem necesse erat eum qui mediator esset futurus, vtrisque communicare, Filius Dei, Verbum existens ante secula, vt Mediatoris muneri fungi posset, incarnatus est ex duabus naturis, Deitate videlicet atque humanitate.* Theophylactus Chrysostomi, vt solet, vestigia sequitur.

IV. Theodoretus. *Vnus est conciliator pacis, qui ea quæ erant inter se disiuncta, & distantia coniunxit. Christum autem hominem nominauit, quoniam vocauit intercessorem. Homo enim factus fuit intercessor: & quemadmodum qui duos quospiam manus inter se conferentes ac confligentes vult reconciliare, se medium interponens, & hunc quidem dexera, illum verò sinistra tenens ad amicitiam deducit ac coniungit: ita ipse, cùm diuinam naturam humanæ vniisset, inuiolabilem, & quæ dissolui non potest pacem conciliauit. Si autem, vt vult Arius, & Eunomius, non est Patris substantiæ particeps, quomodo est intercessor? Nobis enim vnitus est, quoniam quod ad humanitatem attinet, est eiusdem nobiscum substantiæ: sed Patri non itidem: siquidem, vt illi volunt, est ab eius substantia seiunctus.* Idem Dialogi secundi capite quinto, cuius particulam præcedenti capite citauimus, prolato hoc ipso quem nunc Papistæ obiiciunt, loco contra Eranistem, vt probaret Christum dici debere hominem. [illegible] θεότητος [illegible] καὶ ἀνθρωπότητος [illegible]. *Hoc loco,* inquit, *Mediatoris ipsum vocabulum Deitatē & humanitatem significat:* [illegible] Θεὸς [illegible] μεσίτης. [illegible] καὶ Θεοῦ, [illegible] Θεὸς [illegible] ἄνθρωπος [illegible] μεσίτης [illegible] θεότητος λέγω καὶ ἀνθρωπότητος: *Si enim Deus fuisset tantummodo, non appellaretur Mediator. Quomodo enim mediatorem egisset inter nos & Deum, si nihil habuisset nostri? At quandoquidem tanquam Deus coniunctus est Patri, habens eandem dignitatem: & tanquam homo nobis (à nobis enim formam serui accepit) merito Mediator dictus est, in seipso ea quæ separata erant connectens vnione naturarum, Deitatis inquam & humanitatis.*

V. Athanasios de Assomptione hominis, *Vides, quia mediator, nec iam Deus tantum purè sine homine quem assumpsit dici potest, nec homo sine Deo. Considera quia duplex est in vna persona mediatoris significatio, Deus & homo. Dum de Deo sit, & secundum carnem idem filius hominis fit. Ideo Deus verus & homo verus est hic Mediator, sicut & forma Dei, & forma hominis.* Ambrosius, *Dei & Christi vnam significat esse voluntatem in saluandis hominibus: vnde Deum Patrem, quia ab ipso est omnis autoritas, vnum esse fatetur, & vnum Mediatorem Dei & hominū Christum Iesum. Missus enim à Patre, factus arbiter reconcilians Deum & homines, reformando eos ad agnitionem eius. Quia enim vnus est Pater & Filius, non persona, sed indifferentia natura, vt arbiter esset Dei & hominum, Filius Dei assumpta carne homo natus est, vt Mediator Dei & hominum homo esset Christus Iesus id est, non sine Diuinitate, quia in Deo homo erat, & Deus in homine: & vt ex vtroque esset Mediator & vtrumque reconciliaret, in se primum hoc fecit: non enim poterat vnitatem Dei custodiens, Mediator Dei & hominum vocari, quasi alius esset Deus, qui dissidentem hominem à Deo in gratiam reuocaret: sed homo qui legem datam non præteriret, factus est arbiter inter eum qui peccauit, & inter illū qui peccare ignorat, vt hic ignosceret, & homo de cætero in Dei fide maneret.* Haimo, *Dominus Iesus in vna persona verus Deus, & verus homo est. Si solummodo Deus esset, non poterat esse Mediator noster: quia ipse in natura Diuinitatis vnius substantiæ est cum Patre. E contra, si solummodo homo purus esset, nequaquam Mediator esset inter nos & Deum Patrem: quia peccator esset, & similis nobis omnibus. Accepit ergo humanitatem nostram qui Deus erat: & per hoc, quia sine peccato conceptus, natus & conuersatus est, Deus verus & homo existens, innocenter pro nobis mortuus, factus est Mediator noster.*

VI. Hæc est Patrum in eo explicando loco concordia. Quid? quòd Gregorius de Valentia tomi quarti disputatione prima, quæstione vigesima secunda, puncto tertio, disertè ex his ipsis Pauli verbis colligit, *quod natura fuerit medius inter Deum & homines, vtpote & homo & Deus: atque ita perfectissimus Mediator, natura etiam participans de vtroque extremo. Hanc enim conditionem subindicauit Apostolus, inquiens, Homo Iesus Christus, id est talis ac tantus homo, nempe Christus, qui secundùm aliam & aliam naturam est Deus & homo.* Itaque vel illos, vel Bellarminum necesse est longè à vero aberrare. Nam illi ex his Pauli verbis colligunt mediationem secundùm vtramque naturam: hic verò negans secundùm vtramque, adstruit suam mediationem secundùm humanitatem duntaxat. Quòd si personā tantùm comparamus, quis nō videt vnum Iesuitulum, amplius dico, omnes simul Iesuitas, imò quantumcunque est Papistarum non præponderare? Aut quis nos miretur, illorum malle vestigiis insistere, quàm horum deuiationes sectari? Neque mihi nunc suam substantialem & operatoriam distinguat. Nam primò, Patres adeo illam ignorarunt, vt ne nominarint quidem vnquam: imò crediderint potiùs, neminem posse esse Mediatorem secundùm operationem, qui nō esset prius secundùm substantiam: nec quenquam rursus secundùm substantiam, qui non etiam operationes adhiberet. Deinde si distinctio retinenda est, constat Patres hunc locum potius intellexisse de mediatione substantiali: itaque necesse est à Bellarmino perperam citari.

VII. Iam, quod quærit, quare Paulus addiderit hominem: Respondeo, eius rei caussam non esse quam Bellarminus diuinat, nempe vt in mediationis officio naturas Christi distingueret, aut separaret potius. Quam igitur? Sedulius. *Quia de traditione erat dicturus, ideo hominem solummodo nominauit.* Nec malè, quia statim Apostolus subiungit, *Qui semet ipsum dedit redemptionis pretium.* Itaque sensus erit: Non separari quidem naturas Christi in officio Mediatoris, vt dicatur vna mediatrix, altera minimè: sed distingui tamen in mediationis operationibus, quarum aliæ ad Deitatem pertineant tantùm, aliæ ad humanitatem. Hic autem Paulum voluisse loqui de ea operatione quæ propria est humanitati. Itaque hominem

potius

potius nominasse quàm Deum: vt non pertineat ad Homo, sed ad διαστολὴν τῷ Θεῷ, vt distinguat à Deo prius nominato: sed ad ... eorum quæ sequuntur: contra quàm Bellarminus censet.

VIII. Vel potius homo sumitur non naturaliter, sed personaliter: est enim vsitatissimum, vt tota persona Christi nominetur ex alterutra tantùm natura in concreto: vt cùm Deus gloriæ dicitur crucifixus. Nemo enim Catholicorum sic insanit, vt intelligat nomine Dei eam naturam, secundùm quam Christus est cruci affixus, sed potius eam personam, cuius erat etiam altera natura: personam, per quam quam, cuius erat etiam altera natura, per quam & est, & meritò vocatur Deus. Ita hoc loco Christus homo: non Christus quatenus homo; siue Christi humanitas: sed Christus, hoc est, ea persona, cuius est ea natura, per quam & est, & verè appellatur homo. Atque ita intellexerunt Veteres omnes paulo ante citati. Chrysostomus ... Oecumenius ... Theodoretus. *Homo factus fuit intercessor.* Ambrosius. *Filius Dei assumpta carne homo natus est, vt mediator Dei & hominum, homo esset Christus Iesus.* Nec aliter idem ipse, quem laudat Augustinus, intelligendus. Cuius locos postea à Bellarmino recitatos videbimus.

IX. Sed quare Deum Paulus distinguit à mediatore? Nam inde Bellarminus audacter concludit: ergo non esse Christum mediatorem secundùm naturam diuinam. Sed negatur consequentia. Primò enim non sequitur, si primo loco nominatus est Deus, ideo non secundo intelligendum. Nam Ioannis decimo quarto, *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Et decimo septimo: *Vt te esse illum solum verum Deum cognoscant, & quem misisti Iesum Christum.* Quibus locis quis neget distinctum esse à Deo prius nominato Christum? Et tamen nemo concludat, non esse in Christum credendum, quatenus Deus est: aut vitam non esse Christum, nisi quatenus homo. Quo igitur iure, quo impetu, cogit nos Bellarminus, vt omnem Deitatis considerationem abdicemus ab homine mediatore; quia post vnum Deum nominatum, exprimatur distinctè vnus mediator homo?

X. Secundò, Deus non nominatur ad differentiam hominis postea nominati: sed ad differentiam mediatoris: vt ad Galatas 3. *Deus vnus est, mediator autem non est vnus.* Itaque personaliter intelligendus pro Deo Patre; inter quem & nos propterè Christus dicitur mediatoris officio functus tum in Scripturis, tum apud Patres. In prima Ioannis capite secundo. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* Chrysostomus homilia decimaseXta ad Hebræos. ... *mediator Filius factus Patris & nostrûm. Nolebat Pater relinquere nobis hanc hereditatem: quia irascebatur, & indignabatur tanquam alienatis. Mediator igitur factus est eius & nostrûm: eique persuasit. Et quidem vide quomodo mediator fuerit. Verba vltro citroque retulit: ea quæ Patris erant ad nos detulit & mortem adiecit.* Cyrillus in Ioannem libro vndecimo, capite septimo *In quantum mediator est & Pontifex, nostras preces ad Patrem adducit.* Itaque Ambrosius paulo antè citatus hunc ipsum locum eam ob causam de Deo Patre interpretatur. *Vnde*, inquit, *Deum Patrem, quia ab ipso est omnis autoritas, vnum esse fatetur.* Itaque sensus est, Filium Deum mediatorem esse pro hominibus apud Patrem.

XI. Sed instat Bellarminus, primò sic confirmari Arianismum. Id enim Arianos cupere vt vbicumque legitur vnus Deus, aut simpliciter, Deus intelligatur Pater, non Trinitas. Secundò Chrysostomum, Oecumenium, Theophylactum, in hunc locum, notare per illud *vnus*, non excludi Filium, sed Deos Gentium. Itaque intellexisse per vnum Deum, non Patrem, sed Trinitatem. Augustinum etiam sermone primo in Psalmum vigesimum nonum, dicere, vnum Deum significare Trinitatem: Et Christum esse mediatorem inter Trinitatem & homines peccatores. Tertiò, Non solùm Patrem fuisse nobis infensum ob peccata, sed etiam Filium, & Spiritum Sanctum. Totam igitur Trinitatem à mediatore fuisse conciliandam. Ideóque & vnum Deum apud Paulum intelligendum totam Trinitatem.

XII. Respondeo, primam instantiam esse meram calumniam. Nam Ariani, non hunc tantùm locum, sed omnes, vbi Dei nomen occurrebat, ita interpretabantur, vt solum Patrem Deum assererent, Filium negarent. At Catholici non omnibus locis; sed tantùm quibusdam Dei nomen tribui Patri obseruant, vt isto, vt ad Romanos primo, vt Ioannis decimo septimo & alijs nonnullis. Tribui autem non ἰδίως, quasi hoc soli Patri ius esset, vt Deus appellaretur: sed tantùm ..., propter ordinem illum, quem constanter Scriptura obseruat, vt primus Pater sit, à quo Filius, & Spiritus Sanctus: etsi æquè cum Patre Dei tum essentiam, tum nomen sibi vendicent Filius & Spiritus Sanctus. Hæc confessio, si tanquam Ariana traducitur, quid est, quæso, quod deinceps dici possit Catholicum? Aut quis se tandem sperare possit ...? si eos qui sic credunt, sic docent Iesuitis licet tanquam hæreticos infamare? Nec sequitur, Ariani volunt Patrem intelligi, non Trinitatem, quoties vnus Deus nominatur, aut Deus absolutè: Ergo, nunquam Pater intelligendus, quum sic Deus nominatur. Imò media via tutissima est, ideóque Catholica: vt nec semper Trinitas intelligatur: nec semper solus Pater: sed aliquando illa: & hic etiam aliquando.

XIII. Atqui Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus. Optimè: quid igitur illi dicant videamus. Chrysostomus. ... *Quid ergo? Filius non erit Deus? Imò erit. Quomodo ergo vnum dixit? ad differentiam idolorum, non verò propter Filium.* ... *Nam de veritate aut errore omnis illi sermo erat.* Tum illa subnectuntur quæ de Mediatore vtrique parti communicâte iam recitata sunt. Oecumenius & Theophylactus hæreot Chrysostomi vestigijs. Nisi quod præterea quærunt, cur non sit loquutus Paulus de Spiritu Sancto: & respondent, factum ad vitandum τὴν πολυθεΐας suspicionem.

XIV. Ab eorum authoritatibus Bellarminus concludit εἷς Θεὸς intelligendum de Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Videte quantum distet vir à viro: Nam Catholicus inde potius concluderet, illud εἷς Θεὸς de Patre intelligendum. Primò, quia nomen Patris Paulus non expresserat: sed tantùm Dei. Si ergo absurdum est Dei nomen soli Patri tribui, vnde nasci poterit obiectio, ergo Filius non est Deus?

Quæ inde tamē quaſi ex ſeſe naſcitur, ſi dicas, Vnus eſt Deus Pater & vnus mediator, Ieſus Chriſtus homo. Et hæc ita contexta verba; videbuntur facesſere negotium Catholicis, hæreticis verò fauere. Non autē, ſi dicas, Vnus eſt Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: & deinde vnus mediator homo. Secundò ſolutio non inde ſumitur, quòd Dei nomen tres perſonas complectitur: ſed à natura mediatoris, qui ſecundo loco nominatur. Itaque ſenſus eſt: æquè Filium eſſe Deum verum, cùm vocatur mediator, ac Patrem, cùm dicitur Deus. Vnde neceſſe erit, vt mediatorem de Filio, ſic Deum de Patre intelligere. Tertiò, nullus eſſet aliàs locus dubitationi, quam Oecumenius ſoluit: nempe cur non ſit locutus Paulus de Spiritu Sancto. Nam ſi de Patre ſpecialiter Deum non dixit: certè tam de Spiritu ſancto loquutus eſt, ac de Patre, & Filio. At concedunt Oecumenius & Theophylactus, nō eſſe loquutum de Spiritu: Ergo, Dei nomen non ſignificat totam Trinitatem eo loco.

XV. Et ſanè ridicula eſt conſequentia: Deus vnus non excludit Filium. Ergo, Deus non dicitur ſpecialiter de Patre. Nam Chryſoſtomi, & aliorum ea mens eſt, quòd Pater dicitur eo loco vnus Deus, non eò ſpectare, vt negetur Filius eſſe Deus; ſed tantùm vt idola. Dicam planiùs: Pater dicitur vnus Deus, non vt ſeparetur à Filio, quaſi is negaretur eſſe verus Deus: ſed tantùm, vt intelligatur, Deum Patrem non eſſe Deum, quemadmodum Ethnicorum idola dicuntur dij, per humanæ veſaniæ errorem: ſed Deum, qui verè ac reipſa Deus eſt: imò ſic Deus, vt præter eum Deum, nullus ſit alius Deus. Hæc genuina Chryſoſtomi ſententia: quam callidè Bellarminus diſſimulat. At ea ſemper ſupponit eo loco per Deum intelligi Patrem: quod Bellarminus malè negat.

XVI. Venio ad Auguſtinum: cuius hæc verba recitantur. *Quid eſt Mediatorem eſſe, inter Deum & homines? Non inter Patrem & homines; ſed inter Deum & homines: Quid eſt Deus? Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Quid ſunt homines? Peccatores, impij, mortales. Inter illam Trinitatem & hominum infirmitatem, & iniquitatem, Mediator factus eſt homo, non iniquus, ſed tamen infirmus.* Et indicatur à Bellarmino alter locus in commentario capitis tertij in Epiſtolam ad Galatas.

XVII. Reſpondeo: primò, ab Auguſtino non exponi; imò nec citari quidem hunc locum, quem præ manibus habemus: ſed ex octauo ad Romanos. *Qui ſedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*: quorum verborum occaſione inducitur hic ſermo de Mediatore. In quo ſi ea mens Auguſtini eſſet, quam vult Bellarminus; ſolitarius eſſet. Nam, vt oſtendimus præcedenti capite, omnes Patres in alteram partem eunt. Secundò, hæc verba, *Non inter Patrem & homines, ſed inter Deum & homines*: non eſſe Auguſtini quicquam aſſerentis, ſed mouentis quæſtionem; & quidem eiuſmodi quæſtionem; quæ magis ad formam loquendi pertineat quàm ad rem. Nimirum, quæritur, quare dixiſſet *inter Deum & homines*, & non potiùs, inter Patrem & homines. Itaque non negat Chriſtum eſſe Mediatorem inter Patrem & homines: ſed tantùm rationem reddit, quare pro Patre ſubſtituatur nomen Dei. Tertiò, etiam Auguſtino *homo* non ſignificat humanitatem diſtinctè, ſed incarnationem. Et ſanè locum Bellarminus truncauit. Nam ſtatim ſequitur, *Atque ita, vt inter hominem & Deum Mediator exiſteret; Verbum caro factum eſt, id eſt, Verbum homo factum eſt.* Ergo, ad Mediatoris officium vtramque naturam Auguſtinus iudicauit neceſſariam. Et in Epiſtolam ad Galatas. *Nam ſi Filius Dei in naturali æqualitate Patris manere vellet, nec ſe exinaniret, formam ſerui accipiens, non eſſet Mediator Dei & hominum.* Quid? egent-ne hæc verba commentariis? eſt-ne aliquis, qui non intelligat, eum dici Mediatorem, qui naturaliter æqualis eſt Patri? Eum, qui exinaniuit ſeipſum? eum denique, qui ſerui formam aſſumpſit? Is autem quis eſt? Filius Dei abſque vllo dubio. Sed quomodo? an ſecundum carnem? an potius ſecundum Deitatem, ſecundum id, per quod naturaliter Patri eſt æqualis. Certè ſciunt omnes Catholici, carnem non eſſe exinanitam; ſed euectam in altiſſimum gloriæ gradum: Carnem non aſſumpſiſſe formam ſerui: ſed ipſam fuiſſe formam ſerui. Itaque, ſententia eſt Auguſtini, Chriſtum, quatenus eſt Filius Dei æternus, ſed incarnatus, eſſe Mediatorem inter Deum & homines.

XVIII. Reſtat ratio, quam vltimo loco Ieſuita protulit. Et fatemur quidem totam Trinitatem [illegible] ſe peccatis offenſam: fuiſſe igitur conciliandam. Sed ideo à Paulo per vnum Deum, intelligi Trinitatem, nulla neceſſitate efficitur. Ratio eſt, quia Ioannes, dixit, *Si quis peccauit*: ſimpliciter, non verò peccauit aduerſus Patrem, vnam Trinitatis perſonam: ſed peccauit. Quid ergo? *Si quis peccauit, habemus Aduocatum?* Quem Aduocatum: apud ne totam Trinitatem? Imò *apud Patrem, Ieſum Chriſtum.* Itaque, etſi verum ſit peccatis offendi totam Trinitatem; tamen illud etiam verum eſt, pro condonandis iis ipſis peccatis, quæ offendunt totam Trinitatem: aduocatum eſſe conſtitutum Ieſum, ſed apud Patrem. Nimirum, quia re vera non poteſt nobis conciliari Pater; quin tota concilietur Trinitas.

XIX. Et ſanè diſtinguenda eſt Natura Trinitatis [illegible]. Natura, ea eſt, vt tres perſonæ ſint vnus verus Deus; ideóque inter ſe [illegible] & reliqua. Sed Oeconomia ſecundam perſonam exinaniuit quodammodo, & [illegible] minorauit non [illegible], vt auferret naturam; manſit enim quæ erat: quia non poteſt mutari Deitas: ſed [illegible] aſſumpta carne. Et per hanc [illegible] Chriſtus Mediator eſt, quà Deus incarnatus: non verò per naturam, quà Deus. Secundùm eandem [illegible] non tota Trinitas, ſed Pater is eſt, apud quem fit mediatio, vt Epiphanius loquebatur [illegible]. S[illegible] nunquam in Scriptura repræſentatur Chriſtus orans ſiue Filium, ſiue Spiritum Sanctum: ſed duntaxat Patrem. Ab hac diſpenſatione Catholicis quidem nefas eſt diſcedere, nefas eſt diſcurrere in alienas ſpeculationes, quas ſibi humana curioſitas indulget. Papiſtæ viderint quid ſint acturi.

CAP. VI.

De Patrum autoritatibus.

I. E Patribus in ſuæ cauſſæ ſubſidium, quatuor duntaxat Bellarminus profert, Cyrillum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Fulgentium. Quorum nominibus ſi nomina tantùm o[illegible], Irenæi, Athanaſij, Epiphanij, The[illegible], C[illegible] p[illegible]

ptiani, Leonis, quis neget obiectioni satisfactum? Nam,& hi Patres fuerunt, nec nominis nullius: addnem annquiores. Et, vt illud valere iubeamus, tamen ... *in vtramque partem stimdere l'eterum Patrum numerus.* It que commune erit ... mentum, Imò verò, quia nos ... superiores sumus, infirmos aduersariorum caussa. Et tamen Chrysostomum, Augustinum, Fulgentium à nostris partibus stare iam docuimus. Sed videamus, quid noui proferre queant Iesuitæ.

II. Cyrillus, in defensione Anathematismi decimi proponit obiectionem: *Si Deus Verbum est sacerdos, aut quali Deo suum ministerium offert:* Respondet autem: *Quando factus est homo, vocatus est Pontifex, non quod maiori Deo offerret sacrificium, sed sibi ipsi & Patri.* Et rursus, *Audisti, quod dictus est sacerdos propter humanitatem, eruberesine: Deinde, quomodo non admiratus es, quod non secundum sacerdotum morem alteri fecerit sacrificium, sed sibi ipsi ponis, & Patri, vt dixi?* Hic (inquit Bellarminus) Cyrillus, non solùm apertè dicit, Christum esse Pontificem propter humanitatem; sed etiam cogit nos intelligere negatiuam, id est, non propter diuinitatem, cùm dicit, eum sacrificium sibi ipsi obtulisse & Patri. Non enim potest vnus & idem sacrificium offerre, & accipere: sed sacrificium accepit, vt Deus: ergo, non offert vt Deus. Offert igitur tantùm vt homo. Vnde idem libro vndecimo in Ioannem capite septimo. *In quantum Filius & Deus est, vnà cum Patre nobis bona largitur: in quantum verò Mediator est, & Pontifex, nostras preces ad Patrem adducit.*

III. Respondeo: multa dissimulari à Bellarmino, nimis vafrè. Itaque totam causam altiùs repetam. Cyrillus Nestorij errorem penitus confodere volens, inter alios anathematismos decimo loco, hunc posuerat: [illegible] *Si quis Pontificem & Apostolum nostrum factum fuisse dicit, non ipsum ex Deo Patre Verbum, quando factum est caro, homo nobis similis; sed tamquam alium propriè ab eo hominem è muliere. vel, si quis dicit etiam pro seipso obtulisse oblationem & non potius pro nobis solis, (neque enim oblatione opus habuit qui peccatum nesciuit) Anathema esto.* Hæc huius Anathematismi verba à nobis stare quis est qui non videat? Certè ea disertè pronunciant Verbum ipsum carnem factum esse Pontificem nostrum. Quod si concedant Papistæ, alta pax erit. Sin minùs, videant, ne Nestoriani sceleris participes eodem Anathematis vinculo innodentur.

IV. Cùm hos Anathematismos variè varij accepissent, addidit singulis Cyrillus ..., *declarationes*, vertit interpres. Huic igitur istâ, [illegible] *Exigui momenti equidem Verbo è Deo Patre nato fuit humana, non tamen reucienda propter œconomiam. Quoniam natura Dominus erat omnium, demisit se ad statum nostrum forma serui accepta, & noster Pontifex appellatus est, atque Apostolus, humanitatis mensura ad hoc illum vocantibus.* [illegible] A ... *At nescio quo pacto quidam abrepti in alienas opiniones, affirmant neque ipsum à Deo Verbum hominem factum appellatum Pontificem, atque Apostolum nostræ confessionis, & per profectum in eum gradum deuenisse.* Et hæc quidem constant cum Anathematismo, nostræque caussæ fauent. Nam & Catholicis tribuunt confessionem nostram, quæ Verbum ex Deo natum, incarnatúmque asserit esse Pontificem: & contrariam sententiam hæreticis assignant: vt nos Papistis. Non ouum ouo similius.

V. Hæc ita scripta Orientales Episcopi Nestorio fauentes impugnabant, negantes Deum Verbum dici posse Pontificem: idque conficere putabant, tum alijs nonnullis argumentis; tum hoc, quod solum Bellarminus excerpsit, quasi Christo sacerdoti necesse sit offerre sacrificium Deo alicui maiori. Itaque, non à seipso Cyrillus eam obiectionem commentus est, vt plerumque fit; sed re vera audiuit à suis aduersarijs; negantibus idipsum, quod hodie Papistæ negant: adeo hæc omnis historia præiudiciis plena est contra eos, qui nobis hodie ob veritatem facessunt negotium.

VI. Sed quomodo respondet Cyrillus? Is, inquam, qui tam disertè & sub anathematis denunciatione cauit ne quis neget Verbum incarnatum esse Pontificem: cauit-ne Palinodiam? Ita enim necesse esset, vt à suis partibus ad Papistarum, hoc est Nestorianorum, partes accederet. Sed non canit, imò, vt quę hactenus recitata sunt, omnia dissimulauit Bellarminus: ita in responsione longè maximam partem omittit suo commodo. Ego describam pleniùs. Primum igitur: *Nec absurdum, inquit, quod volunt Dei Patris Verbum à nobis nominari Apostolum & Pontificem confessionis nostræ, quando factus est homo.* Quomodo ergo non absurdum? An, quia probandum? Minimè verò: sed, quia necessariò consequatur ex alijs eorundem hæreticorum hypothesibus. *Nam qui prorsus attentant natiuitatem eius secundùm carnem calumniari, & reiectionem, quasi non veram, facere audent, non ferentes dici sanctam Virginem Dei genitricem, quomodo non & dispensationis modos vitarent?* Ergo, Cyrillo iudice, eiusdem est negare Verbum natum ex Virgine, & negare idem Verbum incarnatum esse Pontificem nostrum. Caueant sibi Papistæ. Et interea notent, hoc sacerdotium pertinere ad *οἰκονομίαν*.

VII. Sed iam repetita obiectione, *Eia*, inquit, *si ipsum Dei Patris Verbum factus est Pontifex, quis oro, maior est, ille, an is, cuius sacerdotali ministerio seruitte?* Respondet: *Igitur dicam iterum, Crede quod, quamuis Deus secundùm naturam esset in forma Patris Filius, non rapinam arbitratus est se esse Deo æqualem, sed seipsum exinaniuit formam Dei assumens. Si autem factus est homo, assumpsit autem serui formam, quomodo censebitur parum, & dispensationis sermonibus incongruum appellari & Apostolus & Pontifex?* Rursus tibi timidis Cyrillus, cum asserens Verbum incarnatum esse Pontificem, cum hunc Pontificatum referens ad dispensationem. Sed hic insuper oppositam habemus affirmationem negationi: vt sciamus, quemadmodum hæretici negabant, & calumniis impugnabant; ita Cyrillum constanter affirmasse, *Verbum incarnatum esse Pontificem.*

VIII. Denique, *Confitemur*, inquit, *quòd Deus est in carne & sanguine, & humanitatis mensuram per humana agnouimus. Mille enim millia sanctorum Angelorum ministrant ei, & diuinum eius Chorum circumstant Seraphim. Quando autem factus est homo* & hæc quidem sunt, quæ pro te Bellarminus recitat *Vocatus*

est & Pontifex, non quòd maiori Deo offerret sacrificium, sed sibiipsi & Patri fidei nostræ confessionem procuraret. Audiens, quòd dictum est sacerdos propter humanitatem, erubescisne? Deinde (Græcè crediderim esse ἐπὶ, igitur: nam Latina non quadrant) *quomodo non admiratus es, quòd non secundùm sacerdotum morem alteri fecerit sacrificyrium, sed sibi potius & Patri, vt dixi. Quando dicis* (& hæc omisit Bellarminus) *indignum esse Deo vt sacrificet, astipulor & ego: scilicet si solum sit & absque carne Verbum, dixeris rectè: quia autem factum est caro, inde & sacrificantem propter humanitatem, & in dignitatibus vltra creaturam sicut Deum.* Hæc Cyrillus. Nota primùm: Deum factum carnem esse Pontificem. Deinde, Deum sacrificate sic distingui, vt Deus solùm dicatur: vel Deus incarnatus. Deum solum sacrificate indignum esse: at non item Deum incarnatum. Hæc apertè nostra sunt.

IX. Sed duo Bellarminus opponit. Primò, Christum esse Pontificem propter humanitatem. Secundò, Christum sacrificium sibi obtulisse & Patri. Vnde concludit non esse igitur Pontificem propter diuinitatem. Respondeo ad primum: Cyrillum non dixisse Christum esse Pontificem propter humanitatem: sed potiùs Verbum. Etsi autem Christus sit Verbum, tamen aliter nominatur Christus, aliter Verbum. Christus quidem est tota persona constãs duabus naturis. Verbum verò ex altera tantùm natura. Itaque Christus totum suppositum designat. Verbum verò Deitatem. Secundò: Propter humanitatem nego esse idem, quod secundùm humanitatem. Nam hoc quidem Deitatem excluderet. Vt cùm dicitur Deus mortuus carne, siue secundùm carnem, significatur mortem illam sic propriè fuisse carnis, vt Deitatis esse non potuerit. At verò illud non excludit: significat enim Verbum non in puris diuinis esse sacerdotem; sed esse tamen propter incarnationem; hoc est, vt loquebatur idem Cyrillus, quando factus est homo. Quomodo, Mortuum Verbum, propter humanitatem, siue propter carnem, dici non potest. Itaque, negatur consequentia, quæ dicit, Sacerdos est Verbum propter humanitatem: Ergo, non est sacerdos secundùm deitatem; omnino negatùr Verbum esse sacerdos: quod tamen ponit, qui dicit, Verbum est sacerdos propter humanitatem.

X. Ad secundum facilis solutio, ex Cyrilli distinctione, tum Dei solius, & incarnati: tum naturæ & dispensationis. Sacrificium offerri à Deo, tantùm Deo, & æstimaro secundùm naturam suam, hoc verò indignum est. At sacrificium offerri à Deo incarnato, & per dispensationem, nihil est absurdi. Similiter sibi ipsi Deo tantùm Deo, & in sua natura offerri sacrificium à Verbo, absurdum est, vt nihil magis. At sibi, secundùm naturam tantùm Deo, offerri sacrificium à Verbo, Deo quidem, sed incarnato, & per dispensationem, nihil habet à ratione alienum. Nam quod subiicit Bellarminus, non posse vnum & eundem, vt eundem, sacrificium offerre & accipere; falsum est, nisi addas etiam eodem respectu, & secundùm idem. Sed tum falsum erit Verbum, eodem respectu, & secundùm idem, offerre & accipere. Offert enim, vt Mediator, recipit vt Deus: tantùm offert dispensatione, recipit natura.

XI. Superest alter à Cyrillo locus, cuius intellectus facilis. *Inquantum*, inquit, *Filius & Deus, vna cum Patre bona nobis largitur.* Quis neget? nisi qui idem neget esse ὁμοούσιον Patri? *Inquantum verò Mediator est, nostras ad Patrem preces adducit.* Ergo, inquam, quatenus Verbum incarnatum. Nam antea constitutum est non esse Mediatorem, nisi quatenus Verbum incarnatum est. Itaque illud quidem est o Naturæ, hoc autem dispensationis.

XII. Ad Chrysostomum venio. Is homilia decima sexta ad Hebræos. *Quid est*, inquit, *Mediator? Mediator non est Dominus rei, cuius est Mediator, sed alia quadam res est.* At quis dicat (inquit Bellarminus) Christum, vt Deum, non esse hominem? Ergo, Chrysostomus secundùm formam serui vult Christum esse Mediatorem?

XIII. Respondeo, negari consequentiam. Locum autem truncari. En tibi. τίς δέ ἐστι μεσίτης; ὁ μεσίτης οὐκ ἔστι κύριος τοῦ πράγματος οὗ ἐστι μεσίτης, ἀλλ' ἕτερον μὲν τὸ πρᾶγμα, ἕτερος δὲ ὁ μεσίτης. οἷον μεσίτης γάμου γίνεται, οὐχ ὁ γαμῶν, ἀλλ' ὁ τῷ μέλλοντι ἄγεσθαι συμπράττων. οὕτω δὲ καὶ ἐνταῦθα μεσίτης ὁ υἱὸς ἐγένετο τοῦ πατρὸς καὶ ἡμῶν. οὐκ ἤθελεν ἡμῖν ἀφεῖναι ὁ πατὴρ τὴν κληρονομίαν ταύτην, ἀλλ' ὠργίζετο· καὶ ἠγανάκτει ὡς ἀπηλλοτριωμένοις· μεσίτης τοίνυν ἐγένετο ἐν μέσῳ ἡμῶν καὶ αὐτοῦ, καὶ ἔπεισεν αὐτόν. *Quis est Mediator. Mediator non est Dominus rei, cuius est Mediator: sed alia quidem res est, & Mediator alius. Exempli gratia: Mediator nuptiarum est, non ipse qui ducit vxorem; sed is qui ducturo suam operam commodat. Similiter hic Mediator Filius factus est Patris & nostri: Nolebat Pater nobis relinquere hanc hereditatem: imò nobis irascebatur, & infensus erat, tanquam alienatis. Mediator ergo fuit eius, & nostri, placauitque eum.*

XIV. Hæc Chrysostomus. In quibus venatur Sophista ambiguitatem illius Κύριος τοῦ πράγματος. Christus, inquit, quatenus Deus, est Dominus. At Mediator non est Dominus. Ergo, Christus, quatenus Deus, non est Mediator. Imò, inquam. Christus, quatenus homo, est Dominus. Psalmo secundo. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Ad Hebræos primo. *Quem constituit heredem omnium.* Et secundo, *Constituisti eum super opera manuum tuarum.* At Mediator non est dominus. Ergo Christus, quatenus homo, non est Mediator. Placétne? Imò blasphemum, sed æquè hoc & illud. Quid ergo? Nimirum haud absolutè dominum Chrysostomus dixit, sed Κύριον τοῦ πράγματος: & τὸ πρᾶγμα, cuius negauit dominum, intellexit effectum ipsum mediationis, quod non sibi, sed alij, cuipiam Mediator procuret. Patet ab exemplo. Non enim dixit τοῦ μέλλοντος ἄγεσθαι, eius qui ducturus est vxorem, non esse dominum Mediatorem. Nam contrà testis est quotidiana experientia. Nam & pater nuptias liberis suis, & Rex suis subditis passim procurat: & dominus suis seruis: sed dixit ipsum τὸν γαμοῦντα non esse μεσίτην τοῦ γάμου, *ipsum qui ducit vxorem, non esse mediatorem nuptiarum,* sed eum qui ducturo adest. Nempe igitur ille Mediator non est nuptiarum dominus hoc est, sibiipsi nuptias nõ procurat. Itaq; hoc sensu, omnino Christus, neque secundùm Deitatem, neque secundùm humanitatem, dominus est τοῦ πράγματος. Non enim sibi, sed nobis conciliauit Patrem: non sibi, sed nobis hæreditatem acquisiuit. Nam etiamsi eius sit hæreditas, tamen non sibi eam acquisiuit, ex vi mediationis: aliâs Mediator diceretur inter se & Patrem: quod est [illegible] ἄτοπον.

XV. Sequitur Augustinus, à quo multa testimonia desumuntur, etiam ridicula diligentia, è singulis tomis singula, & quidem præsente nota: [illegible] e tomo lector non aduerteret, non satis Iesuiticè [illegible] ligens. Quod exemplum si incidisset in Theophrastum, mirum ni in capite περὶ τῆς μικροφιλοτιμίας lo[illegible]

gnasl

De [illegible] libro decimo Confessionum capite [illegible]. *In quantum homo, in [illegible] in quantum autem Verbum, non medius, quia [illegible] Deo. [illegible] apud Deum, & cum Patre & Spiritu sancto, vnus Deus.* Ad Paulinum Epistola quinquagesima nona. *Per Mediatorem, non Deum, quod Verbum semper erat, sed hominem Christum Iesum.* De Trinitate [illegible]. *Christus in forma Dei aequalis Patri, in forma serui Mediator Dei & hominum.* De consensu Euangelistarum libro primo capite tertio. *Secundum hominem Christus Rex & sacerdos effectus est, vt esset ad interpellandum pro nobis Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* De ciuitate Dei libro decimo, capite vigesimo. *Vnde verus [illegible] Mediator, in quantum formam serui accipiens, Mediator effectus est Dei & hominum, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo vnus est Deus, tamen in forma serui sacrificium maluit esse.* Contra Faustum libro decimo sexto, capite decimo quinto. *Dissimilis hominibus Christus, quia Deus; similis hominibus, quia homo, Mediator Dei & hominum.* Libro secundo contra Coelestium & Pelagium de peccato originis, capite vigesimo octauo. *Nam per hoc Mediator est, quod aequalis Patri per hoc enim, quantum Pater, tantum ipse à nobis distat. Et quomodo erit medietas, vbi eadem distantia est? Ideo Apostolus non ait, Christus Iesus, sed, homo Christus Iesus. Per hoc ergo Mediator, per quod homo, inferior Patre, per quod nobis propinquior: superior nobis, per quod Patri propinquior. Quod apertius ita dicitur, Inferior Patre, quia in forma serui; superior nobis, quia sine labe peccati.* In Psalmum vigesimum nonum expositione prima. *Inter Trinitatem & hominum infirmitatem, & iniquitatem, factus est Mediator homo, non iniquus, sed tamen infirmus.* In Ioannem tractatu octogesimo secundo. *Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est Iesus Christus.* Et sermone vndecimo de Verbis Apostoli. *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum. Non ait, Christus Iesus, ne tu putares secundum Verbum dictum, sed addidit, Homo Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.*

XVI. Respondeo: Etiamsi concederemus Augustinum sensisse, Christum non esse Mediatorem secundum vtramque, sed secundum humanam naturam, tamen id nobis non obfuturum. Ratio. Quia solitarius esset in ea opinione. Nam reliquos iam demonstrauimus contrà sentire. Non habet autem solitarius doctor autoritatem idoneam: quod ipsi Papistae interdum fateri coguntur. Secundò: fatemur Augustinum reliquis Patribus paulo durius, & fortasse [illegible], esse loquutum multis locis: sed si diligenter locos locis conferamus, compertum iri non sensisse solitariè, sed cum aliis. Itaque, mollienda durius dicta, commoda quadam interpretatione; quae neque vim vocabulis faciat, neque discedat à veritate, communique aliorum Patrum consensu. Atque ideo hoc est, admonens priùs vnum ex iis locis esse falsatum: sextum, videlicet, contra Faustum decimo sexto. Legitur enim sic, *Et similis hominibus Christus, quia homo quia de illo itidem scriptum est, Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Non *quia homo mediator Dei & hominum*, vt scripsit Bellarminus.

XVII. Dico ergo, Augustinum credidisse Verbum non nudum, sed incarnatum, hoc est, in quantum factum est caro, fuisse Mediatorem nostrum. Quomodo Vigilius dixit libri quinti capite quarto. *Constat per humanam naturam ineffabiliter Verbo vnitam Mediatorem fuisse factũ Dominum Iesum Christum.* Itaq; eum Mediatorem esse, in vtraque natura simul vnitam, id probo tum ex iis locis, qui recitantur cap. 4. tum ex iis qui annotantur capite quinto: & denique ex nonnullis, quae nunc ipse Bellarminus citat; sed truncatè, non negligenda fraude. Vt epistola quinquagesima nona illud quod dixerat, *Omnes homines vult saluos fieri; nullo alio modo intelligitur praestari nisi per Mediatorem, non Deum quod semper Verbum erat, sed hominem Christum Iesum, cum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* De ciuitate Dei dictum est, *in quantum formam serui accipiens, Mediator effectus est.* In Psalmum vigesimum nonum. *Atque ita, vt inter hominem & Deum Mediator existeret, Verbum caro factum est, id est, Verbum homo factum est.* In Ioannem. *Deus enim erat Verbum, vnigenitus, gignenti coaeternus: sed vt Mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Denique de Verbis Apostoli. *Per Verbum carnem factum fideles facti sumus. Vnus enim Deus, & vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, in principio erat Verbum.*

XVIII. Ex his facilè animaduertunt omnes, eatenus dici Mediatorem Christum, quatenus Verbum caro factum est. Imò verò vt fieret Mediator, Verbum factum esse carnem. Denique illud ipsum Verbum quod erat in principio, carnem factum, Mediatorem esse. Quod cùm ita sit, reliqua sunt omnia facilia. Quid enim? dixit, Mediatorem esse, in quantum est homo. Certè, inquam: quia non Mediator, nisi incarnatus: nec incarnatus, nisi in quantum homo. Quo sensu Vigilius libri quinti contra Eutycheo capite quarto, disputat de Mediatore secundùm vtramque naturam. *Constat, inquit, per humanam naturam ineffabiliter Verbo vnitam, Mediatorem fuisse factum Dominum Iesum Christum.* Dixit Mediatorem, non Deum, quod semper Verbum erat. Nec malè, dummodo Deum tantùm intelligas, nec incarnatum, quod Verbum semper erat: Mediatorem ergo, quum Verbum factum est caro. Dixit factum esse Regem, & Sacerdotem secundùm hominem. Quis neget? est enim secundùm incarnationem. Dixit, non per hoc Mediatorem esse, per quod aequalis est Patri. Qui contradicit, non sit sanus. Sed qui inde excludendum dicat, Verbum incarnatum (nam per incarnationem exinanitus est, non [illegible], sed [illegible]) haereticus sit.

XIX. Addo ex iisdem locis nonnullos esse inutiles. Qualis ille, *Secundùm hominem rex & sacerdos factus est.* Item. *Inter Trinitatem & hominum infirmitatem, & iniquitatem factus est Mediator homo.* Nam quae de humanitate affirmantur, non est consequens negari de Deitate. Et qui fatentur Mediatorem Christum secundùm vtramque naturam: iidem sine dubio concedunt secundùm humanitatem. Item hic, *dissimilis hominibus Christus, quia Deus, similis hominibus, quia homo Mediator Dei & hominum.* Nam quid quaeso iam obstat, quin intelligamus Mediatorem referri tum ad dissimilitudinem, tum ad similitudinem: vt sensus sit; eam ob causam Mediatorem dici, quia & dissimilis sit hominibus, quia Deus; & similis quia homo? Nam priùs ostensum, eam esse Mediatoris naturam. Itaque, non satis perspicaciter probationes suas selegit Iesuita.

XX. Superest Fulgentius libro de Incarnatione & gratia Christi, capite decimo tertio. *Hic in natura humana Mediator Dei & hominum factus est.*

XXI. Non difficilis locus. Nam in natura humana Mediatorem Christum fuisse, Anathema qui negauerit. Verùm, id superest, vtrum in sola humana natura. Quod Fulgentius nusquam verbis [illegible], non asseris; disputans esse Mediatorem secundùm

vtramque naturam libro primo ad Thrasimun- A dum. *Cuncti, qui salutis æternæ cupiunt esse participes, oportet agnoscere pariter & tenere, non incassum hominem Iesum Christum Mediatorem Dei & hominum nuncupatum: nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totam in se habet substantiam Diuinitatis. Nam, quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem hominémque peccantem, talis vtique Mediatoris necesse erat, vt interueniret persona, quæ ad propitiandum Deũ hominis, totum verúmq; se Deum de Deo natũ haberet: & ad reconciliãdum homine Deo, totum verúmque in se de homine natum hominem contineret.* Et post paulò. *Propterea se Mediator Dei & hominum, plenum Deum, plenúmque dignatus est hominem demonstrare.* Itaque sensus Fulgentij manifestus est, Mediatorem esse Filium Dei in humana natura: quod absque ea non poterat. Vnde manifestè sequitur fuisse in vtraque: contra quàm Bellarminus putat.

Cap. VII.

De rationibus Bellarmini.

I. Nunc pugnat rationibus: quarum hanc primo loco constituit, à definitione, & conditionibus Mediatoris. Omnis Mediator est medius, id est, aliquomodo distans ab vtraque parte dissidente. At Christus, quatenus Deus, non est sic D medius, sed tantùm quatenus homo iustus. Ergo Christus, quatenus Deus, non est Mediator, sed tantùm quatenus homo iustus. Probatur assumptionis pars vtraque. Nam primò Christus, vt Deus, non distat à Deo vllo modo, id est, nec natura, nec iustitia, nec vllo alio modo. Secũdò, Christus, vt homo, distat à Deo, vt iustus conuenit cum Deo: & contrà, vt homo, conuenit cum cæteris hominibus: vt iustus, distat ab omnibus hominibus.

II. Respondeo, ex statu quæstionis constare, E Catholicos confiteri Christum Mediatorem secundùm vtramque naturam: hoc est, tum secundùm Deitatem incarnatam, tum secundùm carnem assumptam. Hoc cõstituto, negatur syllogismi assumptio. Nam quod in probatione ponitur, Christum, quatenus Deus est, non distare, à Patre Deo, falsum est: Differt enim tripliciter: primò personaliter: est enim altera persona à Patre. Neque hæc differentia est ἀπροσδιόριστος, quandoquidem probatum est, tum Scripturam, tum Catholicos Patres agnoscere Mediatorem Filium, pro nobis apud Patrem. Secundò differt Incarnatione. Pater enim non est factus homo nobis ὁμοούσιος, sed tantùm Filius. Tertiò, differt dispensatione, οἰκονομίαν Græci dixerunt: quatenus ea persona Trinitatis per incarnationem exinaniuit seipsam. Itaque non probat Bellarminus priorem partem assumptionis.

III. Quod ad alterã attinet, dicimus concludi ἀναλόγως &c, vt scholæ loquũtur, affirmatè in secũ- G da figura. Omnis Mediator est distans aliquo modo ab vtraque parte. At Christus, quatenus homo, iustus distat aliquo modo ab vtraque parte: Ergo Christus, quatenus homo, est Mediator. Quid autem impediat, quo minus sic Angelus sit mediator? distat enim aliquo modo ab vtraque parte: nempe à Deo, quatenus est creatura: ab homine quatenus est spiritus, & iustus. Nec miror hoc sophismate de- A lusos miseros Papistas etiam ad Sanctos produ[illegible] officium Mediatoris. Nam, exempli gratia, Mariam virginem distantem agnoscunt à Deo, quatenus mulier est. rursus distantem profitentur à nobis, quatenus à peccato omni liberam mentiuntur. Catholici, vt conclusio esset legitima, dicunt inuertendam fuisse propositionem, vt dicatur, Omnis, qui aliquo modo distat ab vtraque parte, est Mediator. Sed hanc nunquam Catholici con[fe]ssi sunt, qui sciunt plura esse distantia à Deo & hominibus: & ta- B men vnum esse Mediatorem.

IV. Quid ergo? negamus hoc Mediatorem distare debere ab vtraq; parte? Absit: sed negamus satis dici. Non enim debet tantùm distare, sed etiam æquè distare: ac propterea, etiam æquè ad vtramque accedere. Ideóque, & quà ad eum accedit apud quem est Mediator, tam distare ab iis pro quibus intercedit, quàm distat ab eo ipso, quà accedit ad eos. Dicam planius: quia Mediator noster ad Deũ C accedit, quà iustus, ex hypothesi Bellarmini, ad nos autem quà homo: tam debet coniungi Deo per id quod iustus est, quàm nobis coniungitur per id quod homo: & tam distare à nobis per id quod iustus, quàm à Deo per id quod homo: aliàs non futurus medius: id enim omnes medium appellant: quod æquè ad extrema accedit: & æquè ab extremis distat. Mediatorem verò debere esse Medium, tum antea vidimus, tum fatetur Thomas eo ipso articulo, quo hanc quæstionem tractat. Iam verò negamus Christum tam accedere ad Patrem, quà D iustus est, quàm ad nos quà homo: aut tam distare à nobis quà iustus est, quàm accedit quà homo. Ratio est, quia homo peccator distat à Deo, tum quà homo, tum quà peccator. At homo iustus accedit ad Deum, tantùm quà iustus: & quidem longissimo adhuc interuallo: quia ea iustitia non potest esse nisi creata, ac proinde finita. Nazianzenus oratione quarta & trigesima, [illegible] E [illegible] *Quamlibet cœlestis ac supercœlestis res aliqua condita sit, sublimioréque quàm nos natura prædita, Deóque vicinior, longiori tamen interuallo à Deo, plenaque illa & absoluta cognitione distat, quàm quæ compositam hanc nostram & abiectam, atque humi vergentem massam superat.* Rursus non tam recedit à nobis homo iustus, quà iustus, quàm ad nos accedit, quà homo. Quia etsi ea iustitia sit perfecta, nostra verò imperfecta; tamen non differunt F toto genere, sed tantùm κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. Humanitas autem ipso genere est eadem in Christo cum nostra: quia nobis ὁμοούσιος. Ergo, non est homo iustus medius, ac proinde, neque Mediator. At ex Catholicorum sententia Christus Mediator verè medius est: tam enim accedit ad Patrem quà, Deus est, quàm ad nos, quà homo. Et rursus tam recedit à Deo quà homo, quàm à nobis quà Deus. Et denique tam G accedit ad Patrem, quàm à nobis recedit: tamque accedit ad nos, quàm ad Patrem accedit.

V. Præterea ridiculus est Bellarminus, idque, dupliciter. Primò, quia mediationis rationem quærit, non totam in supposito, nec totam in qualitatibus: sed partim in supposito, partim in qualitatibus. Vnde sequitur, non posse esse veram mediationem. Nam sic Mediator noster, quatenus Mediator, coniunctus esset cum Patre,

non natura, sed voluntate tantùm: & tamen disiunctus à Patre; non quidem voluntate, sed tamen natura. At longè plus est natura quàm voluntas. Sic nemo neget, Lupum magis distare à Busiride crudelissimo tyranno, quàm Busiridem à Mose viro mansuetissimo. Nam Busiridis & Mosis eadem erat natura, etsi alienissima voluntas. At Lupi & Busiridis, etsi erat eadē voluntas, tamē erat altera natura. Sic propior erat Iscariotes Petro, quàm Petrus Angelo, quia etsi voluntate quàm maximè illi dissenserunt, tamen erant eiusdem ambo naturę. At hi etsi voluntate consentiant, tamen alienissimi sunt natura.

VI. Hinc altera absurditas, quòd quærat Bellarminus vtrasque mediatoris partes in eodem respectu, scilicet in humana natura. Nam homo iustus nō differt ab homine, sed tantùm ab homine iniusto. Itaque differentia est per accidens. Debuit autem Christus mediator esse hominum absolutè, non tātùm hominum iniustorum. Id apparet, quòd etiam iustificatorum hominum, post iustificationem mediator est. Et hic obiter quæram, an Papistę Mariam, & Ioannem Baptistam, quos fingunt ab omni prorsus peccati labe fuisse puros, non opus habuisse Mediatore credant. Nam si habuerunt; vel discedendum erit Papistis à suo dogmate, quà asserunt illos caruisse peccatis: vel fatendum mediatorem esse nō tantum peccatorum, sed etiam non peccatorum, id est, iustorum. Paulus etiam dixit, vnus mediator Dei & hominum: non autem Dei & hominum iniustorum duntaxat. Multo Patres illi melius, qui vt antea vidimus, mediationis rationem in vtraque natura quæsierunt. Tum enim mediatio est, non per accidens, sed verè naturalis.

VII. Addo tertiam absurditatem. Nam si Christus mediator est, non quà Deus & homo, sed tantùm quà homo iustus: Ergo Mediator erit tantum quà ὁμοιούσιος, non verò quà ὁμοούσιος: hoc est, non quatenus substantialiter vnus est cum Patre: sed tantum quatenus eidem voluntate vnitus, quod est Arianorum, *Qui vbi obiecerunt nomen consubstantiale, & subornarunt nouum ac insolitum aliud, dicunt debere nos confiteri eum esse ὁμοιούσιον addentes, quod hoc mediatoris nomen sit illo dignissimum & congruentissimum.* Verba sunt Cyrilli dialogo primo cum Hermia, addentis, *Et quid hoc aliud quòd deliramentum, & verè anile nugamentum? Nam si medium quandam naturam in ipso intelligunt, & propter eam putant mediatorem nominandum, insipientissime dicunt.* Quod si est, quis vnquam Papistas excusabit? Nam eos sanè naturam oportet mediam comminisci, secundùm quam Christus sit mediator. Nunquam enim efficient, vt Christus sit persona, quæ est homo iustus: est enim tantùm natura. Ac proinde in illud absurdissimum dogma incidūt, quod in Arianis Cyrillus exagitabat. Quanto melius Catholici, qui non naturam mediam, sed personam mediam dicunt?

VIII. Secunda Bellarmini ratio. Si Christus est mediator secundùm vtramque naturam, vel secundùm vtramque coniunctim, vel secundùm vtramque seorsim acceptas. At non seorsim, quia non secundùm diuinam, quæ est pars offensa. Non etiam coniunctim. Ratio, quia sic distat quidem à cæteris hominibus: distat etiam à Patre & Spiritu Sancto: & non distat à Deo Filio, nec persona, nec natura: & tamē etiam à Filio distare debet, cùm & ipse sit pars offensa; ad cuius placationem mediatore opus sit.

IX. Respondeo: concedi non esse mediatorem Christum, secundùm vtramque naturam seorsim. Nec tantùm, non secundùm Deitatem, offensam; quod vrget Bellarminus: sed ne quidem secundùm humanitatem, quæ reconcilianda erat: quod ille omittit: affirmari verò esse mediatorem secundum vtramque naturam coniunctim & in vnitate hypostatica. Ad reliqua duplex solutio. Primò, mediatorem esse inter nos & Patrem: non verò inter nos & Filium: sic docente Scriptura; docentibus etiam Patribus, vt ostendimus. Et Biel dixit Epitome in Canonem & in illud, *Per Iesum Christum Filium tuum orationes nostræ, inquit, quatenus sunt impetratoriæ, dirigendæ sunt ad Patrem per Filium, qui mediator est inter Patrem & nos.* Etsi verum sit, totam Trinitatem nobis propter offensas iratam, fuisse placandam. Catholici autem non solent suis speculationibus indulgere, magis quàm Scripturæ loquenti obtemperare. Itaque hoc posito, negatur mediatorem debuisse differre à Filio; etiam si Filius offensus esset. Quia Patre conciliato, tota conciliatur Trinitas.

X. Secundò, quamuis concedatur mediationem spectare etiam ad Filium: tamen distinguenda est [illegible]. Differt Filius [illegible] videlicet incarnatus, & assumpto mediatoris officio, à seipso [illegible] Deo, sed tantum Deo. Itaque nihil obstat, quominus etiam apud se pro nobis quodammodo intercedere dicatur. Nam quod notat Bellarminus, vnum eundemque, vt Deus est, mediatorem esse sumpsius, vt Deus est, inuoluere apertissimam contradictionem; falsum est. Quia distinguuntur respectus. Contradictio autem esse non potest, nisi de eodem, ad idem, eodem modo. Hic autem modi variantur: itaque nulla contradictio.

XI. Tertia ratio: Si Christus esset aliquo modo mediator secundùm Diuinam naturam, omnes tres personæ essent mediatores. At non sunt tres personæ mediatores. Ergo nullo modo Christus est mediator secundùm naturam Diuinam. Probatur consequentia. Quia natura Diuina est communis tribus personis: itaque quicquid secundùm illam conuenit vni personæ, id conuenit omnibus tribus.

XII. Respondeo, Naturam Dei dici, vel essentialiter, vel personaliter. Essentialiter, vt significet illam totam essentiam, quæ est Trinitatis [illegible] Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Sic Deus dicitur solus sapiens, solus potens, solus immortalis, & similia. Nam in iis Dei nomen illam essentiam significat. Personaliter verò denotat ipsam illam essentiam, (nam tres personæ sunt vna essentia) sed sigillatim distinctèque consideratam in Patre, Filio & Spiritu Sancto. Sic vnus Deus, à Paulo, id est, vnus Pater, vt ostendimus ex Veterū sententia. Sic ab ipso Christo, *Creditis in Deum, & in me credite.* Paulus ad Romanos primo, *Separatus ad Euangelium Dei de Filio suo, declarato Filio Dei.* Nam eo loco negari non potest Dei nomen bis specialiter sumptum pro Patre, id est, personaliter. Et *Deus erat in Christo*, posterioris ad Corinthios quinto. Ad pascendam Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: Actorum vigesimo. Vbi Dei nomen significat personaliter Filium.

XIII. Ad argumentum ergo respondentes, negamus consequentiam. Nam, etsi Christus sit Mediator secundùm diuinam naturam, non tamen ve-

rum est tres personas esse mediatores: sed tum dun-taxat, cùm natura diuina sumetur essentialiter, nam cùm personaliter, tum nullum est discrimen: nō magis, quàm cùm dicitur Deus incarnatus, Deus crucifixus: quæ phrases tritæ iam sunt vsu, tum Scripturæ, tum Ecclesiæ: nec tamen vllus Catholicus non Patripassianos odit ac detestatur.

XIV. Quod addit Trinitatis opera esse indiuisa: sic intelligendum, vt singularum tamen personarum distincta ratio retineatur. Sic creatio tam est Filij quàm Patris: & tamen dicitur Pater creasse per Filium, non contra Filius per Patrem. Incarnatio, ἀποτέλεσμα est, in quo efficientiam agnoscimus, tum Patris, tum Filij, tum Spiritus: & tamen solus Filius est incarnatus. Simili prorsus ratione mediatio erit opus Trinitatis. Nam incarnatio mediationis fundamentum est: quia & Verbum incarnatum est, vt esset mediator: nec est mediator nisi incarnatum.

XV. Ratio quarta, Officium mediatoris propriū est sacrificare, & sacrificando satisfacere, vt constat ex Epistola ad Hebræos. At sacrificare non potest Christo conuenire secundùm diuinitatem, sed solùm secundùm humanitatem. Ergo mediator non est secundùm diuinitatem. Probatur assumptum, primò, quia facere diuinitatem Filij sacerdotem, est apertissimus Arianismus. Quia omnis sacerdos minor est eo cuius est sacerdos: officium enim eius est ministrare. Deinde ex Patribus, Ambrosius libro tertio de Fide, capite quinto, *Idem sacerdos, idem & hostia: & sacerdotium tamen & sacrificium humanæ conditionis officium est.* Et rursus, *Nemo igitur vbi ordinem cernit humanæ cōditionis ibi in diuinitatis adscribat.* Hieronymus in Psalmum centesimum nonum, *Iurauit Dominus, tu es sacerdos in æternum. Non illi iurauit qui ante luciferum genitus est, sed illi qui post Luciferum natus ex virgine est.* Fulgentius de Fide ad Petrum capite secundo, *Solus sacerdos sacrificium & templum, & hæc omnia Deus secundùm formam serui.* Augustinus de consensu Euangelistarum libro primo, capite tertio, *Secundùm hominem Christus, Rex, & Pontifex effectus est.*

XVI. Respondeo, primùm non solas esse Mediatoris partes sacrificare, sed & docere & regnare: vt aliàs diximus, quia nō sacerdotem solùm, sed etiā Prophetam & Regem Scripturæ veteresque Patres agnoscunt. Est autem vtrumque horum eiusmodi, vt humanitati Christi non soli conueniat; sed Deo incarnato. Itaque etsi Sacerdotium pertineret ad humanam naturam seorsim: tamen mediatoris officium non esset non commune ei cum Deitate incarnata, vt pote quod neque peractum sit, neque etiam peragi potuerit absque ea: quia sacerdos nudus homo, nunquam reconciliasset homines Deo. Peccat igitur syllogismus παρὰ τὸ σχῆμα λέξεως. Nam etsi omne sacrificium sit mediatoris opus: tamen non omne mediatoris opus est sacrificium.

XVII. Secundò, negatur assumptum, quia negatur sacrificare posse conuenire Christo secundum Diuinitatem. Nam Paulus cōtrà ad Hebræos nono, Christus per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo. Tum si sacrificare, est hominem offerre Deo ad mortem pro hominibus: Deitas verò hunc hominem, (id est, hanc humanam naturam) obtulit Deo in mortem, profectò Deitas etiam sacrificauit. Assumptum probatur, quia antè docuimus Christum, qua Deum, arbitrium habuisse vitæ suæ, necisque. Animā enim ponebat Caro, sed ex potestate Verbi, &, vt loquitur Gregorius Nyssenus, Verbum animam à carne seiungebat. Sacrificabat igitur.

XVIII. Ad probationes Bellarmini: respondeo nullum esse Arianismum. Primò, quia non nimis sacerdos ministrat, sed tantùm homo. Itaque Theophylactus explicās illud, *Ego pono animā meam*, quod de morte Christi intelligendū nemo negat. Et mortem Christi esse illud sacrificium, de quo agimus, omnes concedūt: Theophylactus ergo asserit ea verba dicta à Christo ἵνα μὴ νομίσῃ τις ὅτι ὡς ὑπηρέτης καὶ ὑποχείριος ἀποθνήσκει ὑπ' ἄλλου καλούμενος, *Ne quis eum mori putaret, vt ministrum ac seruum, ab aliòve iussum.* Et Idacius contra Varimadum, *Qui ergo seipsum tradidit, & animam sua propria potestate posuit, & assumpsit, minor (scilicet Patre) dici non poterit.*

XIX. Secundò, non quicumque Deum incarnatum minorem asserit Patre, is est Arianus. Id enim dupliciter asseritur, vel φυσικῶς, vel οἰκονομικῶς. Quicunque filium etiam incarnatum, φυσικῶς, id est, secundùm naturam diuinam Patre asserit esse minorem, aut ministrum patris, is verè Arianus est. Est autem falsum, sacerdotem oportere esse naturaliter minorem, sed tantùm officio. Sic inter homines ij serui sunt, qui tamen naturaliter sunt heris consubstantiales. Sed qui οἰκονομικῶς, non item. Alias & Paulus & omnes Patres, qui Filium dixerunt seipsum exinaniuisse forma serui accepta, essent cum Arianis anathemate feriendi. Fulgentius de Fide ad Petrum capite secundo, *Etiam illa qua consequenter subiungit Apostolus dicens, quia semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, & quia humiliauit semetipsum, factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis, omnia hæc de illo Deo vnigenito Dei Filio, de illo Verbo Deo, de quo dicit Euangelista, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: de illa Dei virtute Deique sapientia, de qua de eo dicitur, Omnia in sapientia fecisti: de illo principio cum quo vnum est ipse Pater principium, & in quo sibi coæterno fecit cælum & terram, id est, omnem spiritualem corporalémque naturam: de Deo vnigenito qui est in sinu Patris, vt dixi, omnia hæc personaliter accipit: salua tamē æternitate, immensitate, immortalitate, incommutabilitate, inuisibilitate Deitatis eius.* Ego sic hoc modo, Verbū ipsum, inquam, Verbum, id est, Deus personaliter, id est, in persona Filij Catholicè dicitur minor Patre, quatenus incarnatus est, non quatenus Verbum est. Cur non & similiter sacerdos? Certè Fulgentius eodem capite, nō cunctatur dicere, *Io sacrificia carnalium victimarum, qua ipsa sibi sancta Trinitas à Patribus nostris præcipiebat offerri, illius sacrificij significabatur gratissimum munus, quod pro nobis seipsum solus Dei Filius secundùm carnem esset misericorditer oblaturus. Ipso enim secundum Apostolicum doctrinam obtulit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Theodoretus in quintum ad Ephesios, *Hic quoque ostendit Patris & Filij æqualitatem. Cùm enim Deum imitari iussisset, idem etiam præcipit de Filio: & quemadmodum de Patre dixit, eum nobis donasse: ita etiam de Christo, eum nos dilexisse, & seipsum pro nobis tradidisse. Non enim necessitate adductus obediuit, vt seruus aliquis, sed seipsum sua sponte pro nobis tradidit.* Ambrosius in eundem locum, *Quod autem Christus ipse se obtulit, aut Deus illum tradidit, vnum est, quia amborum vna voluntas.* Christus igitur Deus seipsum hominem tradidit Deo oblationem & victimam: ergo Christus Deus sacrificator.

XX. Quod ad Patres citatos attinet, de Augustino iam antè diximus, quæ repetere non libet. Ambrosij

[illegible] secretæ, quàm ego legi in e- [illegible] quim habet non obscuris ta- [illegible] testi- [illegible] tamen [illegible] *conditionis effectum est (nã & agnus [illegible] ad occidendum ductus est) & sacerdos est secundùm ordinem Melchisedech. Nemo igitur, vbi ordinem cernit humanæ conditionis, [illegible] asserat.* Non dixit ergo, vt Bellarminus, & sacerdotium & sacrificium, humanæ [illegible] esse, sed tantùm sacrificium. Et distinguit [illegible] sacerdote: vt sacrificium sit ablatum [illegible] conditionis humanæ: sacerdos verò non item; sed incarnatæ Deitatis: quod postea sic explicat: cùm Melchisedech fuisse dicit sine patre, sine matre, sine generationis enarratione, sine initio, & sine fine descriptum, *vt ostenderet sempiternum Filium Dei in hunc mundum esse venturum, qui & sine patre secundùm incarnationem natus est, & sine matre secundùm diuinam generationem, & sine enarratione generationis: quia scriptũ est, Generationem autẽ eius quis enarrabit? Ergo illum Melchisedech in Christi typo sacerdotem Dei accipimus. Sed illum in typo, hunc in Veritate.* Censet igitur Ambrosius Christum sacerdotem esse secundùm quod respondet figuræ, quæ præcesserat in Melchisedech: fuisse autem hunc figuram incarnatæ Deitatis. Quis ergo dubitet concludere, Christum esse sacerdotem secundùm incarnatam Deitatem: Sacrificium verò oblatum nemo negat esse humanæ conditionis: id est, non Deitatem incarnatam, sed tantùm humanitatem Deitati vnitam esse oblatam Deo.

XXI. Hieronymus non est autor commentariorum in Psalmos, vnde citatur alterum testimonium: sed longè recentior Beda. Et tamen ne is quidem Bellarmino fauet. Non ei iurauit, inquit, qui ante Luciferum genitus est: nimirum Verbo, inquantum Verbum est tantummodo: sed ei iurauit, qui post Luciferum natus è Virgine est; scilicet Verbo incarnato. Nam & statim post, illud secundùm ordinem Melchisedech, exponit, vt etiam Ambrosius. *quoniam sine patre dicitur secundùm carnem, sine matre dicitur, secundùm Deum.* Videlicet idem, ille cui iuratum est, eum esse sacerdotem.

XXII. Ratio quinta: Si operatio propria mediatoris conuenit Christo, ratione vtriusque naturæ, sequitur confusio operationum: & consequenter naturarum in Christo: quæ est hæresis Monothelitarum, & Euthychianorum, damnata in sexta Synodo, actione decima septima. Quod in hunc explicatur modum: Reiectam esse vnam operationem in Christo, non respectu Dei, tanquam principalis agentis: & hominis, vt instrumenti: sed respectu Dei & hominis, tanquam propriæ & principalis caussæ, quæ agit ex virtute sua, quam habet ex propria sua forma & essentia: vt in curatione febris, impositio manus erat humanitatis operatio: vt expulsio febris, erat operatio Deitatis: similiter sacrificare, proprium est Christi, vt homo est: quia conuenit etiam puris hominibus. Itaque, si hoc item conuenit Christo, vt Deus est, eadem erit operatio vtriusque naturæ.

XXIII. Respondeo, negari consequentiam. Quod vt fiat planum, paulo exactius explicanda est Catholica doctrina de duarum in Christo naturarum proprietatibus: quam leuiter Bellarminus attingit. Distinguendum igitur inter τὸ ἔργον & τὴν ἐνέρ-γειαν. [illegible] hic opus illud est, quod cõficitur: Ioannis septimo [illegible], *Vnum opus feci.* Et secundo, vnum quoddam opus, Ioannes appellat initium signorum. Huiusmodi opera personæ adscribuntur. Sic Ioannes in carcere audiuit opera Christi: Matthæi vndecimo: Ioannis quinto, *opera quæ ego facio*: Et infinita huiusmodi. At verò ἐνέργεια, inquit Damascenus, [illegible] *efficax & substantialis naturæ motus.* Itaque, quia in Christo naturæ duæ sunt, omnino duplex ἐνέργεια agnoscenda: vt humana quidem quæcunque sunt, ea tribuuntur naturæ humanæ: quæcunque autem diuina, diuinæ. Vt in homine ipso, quia vniuntur anima & corpus; in vno eodemque homine quædam obseruantur, quæ anima agit sua ipsius natura, vt cogitare, corpus etiam mouere: quædam iterum, quæ corpori sunt propria, vt edere, bibere, dormire. Neque id tantum, sed etiam in vno eodemque opere, quod ad vnam eandemque personam referendum est, duplicem agnoscas ἐνέργειαν pro naturarum munere: vt in homine loqui. Nam qua sonus est, ad corpus pertinet, eiusque organa: qua verò rationum textura, non potest esse nisi animæ. Vel, vt Veterum exemplum vsurpem, ferrum candens & secat & vrit. Non secat quatenus candens: non vrit quatenus ferrum. Porrò id quod ab efficacitate fit, vocant ἀποτέλεσμα. Vt ferri ἀποτέλεσμα sectio. Ignis verò vstio. Sic corporis in sermone sonus: animi verò ratio. Porrò τὴν ἐνέργειαν Latini Theologi operationem appellarunt.

XXIV. His explicatis, dico primò, Mediatorem, neque opus esse, neque operationem, sed officium, ad quod referuntur tum opera, tum operationes Quemadmodum, neque Prophetam, neque Sacrificatorem. Quare, vt Dominus dicitur Christus ex officio, & ineptè disputaret quispiam in eo capite de naturarum energia: non aliud iudicium est de Mediatore. Itaque ineptè omnino, ex eo quod Mediator, siue Sacrificator, sicut Dominus, ad vtramq. naturam spectare dicitur, inferet quis τῶν ἐνεργειῶν confusionem, indeque naturarum. Sicut nemo vnquam Catholicus id inferre potuit, ex eo quod Dominus Christus dictus est: debent enim singulares actus, imò singularia ἀποτελέσματα considerari. Nam alioquin Mediator idem est aut simile, ac si ignitum dixerim: quod quidem vnum est, nec plura: sed tamen continet in se tum ferrum, tum ignem: non enim ignitum est nisi ferrum, (aut quid eiusmodi) & ignis. Nec tamen quisquam calumniabitur me ferri naturam confundere, cum ignis natura.

XXV. Secundò, etiamsi Mediator esset opus, tamen consequentia nihil valet. Nam in vno eodemque opere est tamen certissima τῶν ἐνεργειῶν differentia. Nam si vnum idemque opus, tum ferri sectionem, tum ignis vstionem præ se fert: si vna eademque oratio, Ciceroniani tum oris suauitatem, tum ingenij subtilitatem, sic ostendat; vt nequeas vel oris subtilitatem, vel ingenio suauitatem adscribere: qui fiet minus in vno eodemque Christi miraculo? Quod certè non potuit, quin profiteretur Bellarminus, qui in sanando ægroto fatetur impositionem manuum esse humanitatis, expulsionem morbi Deitatis. Vnde Dionysius ille quisquis est Areopagita θεανδρικὴν ἐνέργειαν excogitauit: quam Leo ad Flauianum sic expressit, *Agit vtraq. forma, cum alterius communione, quod proprium est: Verbo scilicet operante, quod*

φύσεων μέσον, ἑκατέρων ἐφάπτει δεῖ τῶν φύσεων ἐγγύς. *Quemadmodum enim cuiuslibet medium vtramque partem contingat necesse est, ita & naturarum ambarum medium oportuit vtramque naturam contingere:* ὥσπερ οὖν ἄνθρωπος γέγονεν, οὕτω καὶ Θεὸς ἦν. *Quemadmodum igitur homo factus est, ita etiam Deus erat.* Ἄνθρωπος μὲν οὖν ἐγένετο μεσίτης· ἔδει γὰρ καὶ τῷ Θεῷ διαλέγεσθαι. Θεὸς μὲν οὖν ἐγένετο μεσίτης, οὐ γὰρ ἂν ἐδέξαντο αὐτὸν οἷς ἐμεσίτευσεν. *Homo vtique non fuisset mediator: oportebat enim etiam cum Deo colloqui* (an potius Deo conciliari, vt legamus διαλλάττεσθαι) *Deus etiam Mediator non fuisset: non enim eum suscepissent y quibus medius erat futurus.* Oecumenius disertius, ἐπειδὴ οὖν ἔδει τὸν μεσιτεύειν μέλλοντα ἀμφοτέρων μετέχειν, ἵνα καὶ μεσιτεύσῃ δυνηθῇ, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ προαιώνιος λόγος, σαρκωθεὶς ἐχρημάτισεν, ἐκ δύο φύσεων, ἔκ τε θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος ὑπάρχων. *Quandoquidem necesse erat eum qui mediator esset futurus, vtrisque communicare, Filius Dei, Verbum existens ante secula, vt Mediatoris munere fungi posset, incarnatus est ex duabus naturis, Deitate videlicet atque humanitate.* Theophylactus Chrysostomi, vt solet, vestigia sequitur.

IV. Theodoretus. *Vnus est conciliator pacis, qui ea quæ erant inter se disiuncta, & distantia coniunxit. Christum autem hominem nominauit, quoniam vocauit intercessorem. Homo enim factus fuit intercessor: & quemadmodum qui duos quospiam manus inter se conserentes ac confligentes vult reconciliare, se medium interponens, & hunc quidem dextra, illum verò sinistra tenens ad amicitiam deducit ac coniungit: ita ipse, cùm diuinam naturam humana vnisset, inuiolabilem, & quæ dissolui non potest pacem conciliauit. Si autem, vt vult Arius, & Eunomius, non est Patris substantiæ particeps, quomodo est intercessor? Nobis enim vnitus est, quoniam quod ad humanitatem attinet, est eiusdem nobiscum substantiæ: sed Patri non itidem: siquidem, vt illi volunt, est ab eius substantia seiunctus.* Idem Dialogi secundi capite quinto, cuius particulam præcedenti capite citauimus, prolato hoc ipso quem nunc Papistæ obiiciunt, loco contra Eranistem, vt probaret Christum dici debere hominem. Αὐτὸ δηλοῖ τοῦ μεσίτου τὸ ὄνομα θεότητος ἐνταῦθα καὶ ἀνθρωπότητος ὑπάρχει δηλωτικόν. *Hoc loco, inquit, Mediatoris ipsum vocabulum Deitatē & humanitatem significat:* οὐ γὰρ εἰ μόνον ὑπῆρχεν Θεὸς, ἐκλήθη μεσίτης. πῶς γὰρ ἂν ἐμεσίτευσεν ἡμῶν καὶ Θεοῦ, μηδὲν ἔχων ἡμέτερον; ἐπειδὴ δὲ ὡς Θεὸς συνῆπται τῷ πατρὶ τὴν αὐτὴν ἔχων ἐξουσίαν, ὡς δὲ ἄνθρωπος ἡμῖν, ἐξ ἡμῶν γὰρ ἔλαβε τὴν τοῦ δούλου μορφήν, εἰκότως μεσίτης ὀνόμασται, συνάπτων ἐν ἑαυτῷ τὰ διεστῶτα τῇ ἑνώσει τῶν φύσεων, θεότητος λέγω καὶ ἀνθρωπότητος: *Si enim Deus fuisset tantummodo, non appellaretur Mediator. Quomodo enim mediatorem egisset inter nos & Deum, si nihil habuisset nostri? At quandoquidem tanquam Deus coniunctus est Patri, habens eandem dignitatem: & tanquam homo nobis (à nobis enim formam serui accepit) merito Mediator dictus est, in seipso ea quæ separata erant connectens vnione naturarum, Deitatis inquam & humanitatis.*

V. Athanasius de Assumptione hominis, *Vides, quia mediator, nec iam Deus tantum purè sine homine quem assumpsit dici potest, nec homo sine Deo. Considera quia duplex est in vna persona mediatoris significatio, Deus & homo. Dum de Deo fit, & secundum carnem idem filius hominis fit. Ideo Deus verus & homo verus est hic Mediator, sicut & forma Dei, & forma hominis.* Ambrosius, *Dei & Christi vnam significat esse voluntatem in saluandis hominibus: vnde Deum Patrem, quia ab ipso est omnis autoritas, vnum esse fatetur, & vnum Mediatorem Dei & hominū Christum Iesum. Missus enim à Patre, factus arbiter reconcilians Deum & homines, reformandu eos ad agnitionem veri. Quia enim vnus est Pater & Filius, non persona, sed indifferentia naturæ, vt arbiter esset Dei & hominum, Filius Dei assumpta carne homo natus est, vt Mediator Dei & hominum homo esset Christus Iesus id est, non sine Diuinitate, quia in Deo homo erat, & Deus in homine: & vt ex vtroque esset Mediator & vtrumque reconciliaret, in se primum hoc fecit: non enim poterat vnitatem Dei custodiens, Mediator Dei & hominum vocari, quasi alius esset Deus, qui dissidentem hominem à Deo in gratiam reuocaret: sed homo qui legem datam nonpræteriret, factus est arbiter inter eum qui peccauit, & inter illū qui peccare ignorat, vt his ignosceret, & homo de cætero in Dei fide maneret.* Haimo, *Dominus Iesus in vna persona verus Deus, & verus homo est. Si solummodo Deus esset, non poterat esse Mediator noster: quia ipse in natura Diuinitatis vnius substantiæ est cum Patre. E contra, si solummodo homo purus esset, nequaquam Mediator esset inter nos & Deum Patrem: quia peccator esset, & similis nobis omnibus. Accepit ergo humanitatem nostram qui Deus erat: & per hoc, quia sine peccato conceptus, natus & conuersatus est, Deus verus & homo existens, innocenter pro nobis mortuus, factus est Mediator noster.*

VI. Hæc est Patrum in eo explicando loco concordia. Quid? quòd Gregorius de Valentia tomi quarti disputatione prima, quæstione vigesima secunda, puncto tertio, disertè ex his ipsis Pauli verbis colligit, *quod natura fuerit medius inter Deum & homines, vtpote & homo & Deus: atque ita perfectissimus Mediator, natura etiam participans de vtroque extremo. Hanc enim conditionem subindicauit Apostolus, inquiens, Homo Iesus Christus, id est talis ac tantus homo, nempe Christus, qui secundùm aliam & aliam naturam est Deus & homo.* Itaque vel illos, vel Bellarminum necesse est longè à vero aberrare. Nam illi ex his Pauli verbis colligunt mediationem secundùm vtramque naturam: hic verò negans secundùm vtramque, adstruit suam mediationem secundùm humanitatem duntaxat. Quòd si personā tantùm comparamus, quis nō videt vnum Iesuitulum, amplius dico, omnes simul Iesuitas, imò quantumcunque est Papistarum non præponderare? Aut quis nos miretur, illorum malle vestigiis insistere, quàm horum deuiationes sectari? Neque mihi nunc suam substantialem & operatoriam distinguat. Nam primò, Patres adeo illam ignorarunt, vt ne nominarint quidem vnquam: imò crediderūt potiùs, neminem posse esse Mediatorem secundùm operationem, qui nō esset prius secundùm substantiam: nec quenquam rursus secundùm substantiam, qui non etiam operationes adhiberet. Deinde si distinctio retinenda est, constat Patres hunc locum potius intellexisse de mediatione substantiali: itaque necesse est à Bellarmino perperam citari.

VII. Iam, quod quærit, quare Paulus addiderit hominem: Respondeo, eius rei caussam non esse quam Bellarminus diuinat, nempe vt in mediationis officio naturas Christi distingueret, aut separaret potius. Quam igitur? Sedulius. *Quia de traditione erat dicturus, ideo hominem solummodo nominauit.* Nec malè, quia statim Apostolus subiungit, *Qui semet ipsum dedit redemptionem pretium.* Itaque sensus erit: Non separari quidem naturas Christi in officio Mediatoris, vt dicatur vna mediatrix, altera minimè: sed distingui tamen in mediationis operationibus, quarum aliæ ad Deitatem pertineant tantùm, aliæ ad humanitatem. Hic autem Paulum voluisse loqui de ea operatione quæ propria est humanitati. Itaque hominem potius

potius nominasse quàm Deum: vt non pertineat τὸ *Homo*, πρὸς διαστολὴν τοῦ Θεοῦ, vt distinguat à Deo prius nominato: sed ad *συμπλοκὴν* eorum quæ sequuntur: contrà quàm Bellarminus censet.

VIII. Vel potius homo sumitur non naturaliter, sed personaliter: est enim vsitatissimum, vt tota persona Christi nominetur ex alterutra tantùm natura in concreto: vt cùm Deus gloriæ dicitur crucifixus. Nemo enim Catholicorum sic insanit, vt intelligat nomine Dei eam naturam, secundùm quam Christus est cruci affixus, sed potius eam personam, cuius erat ea natura: personam, inquam, cuius erat etiam altera natura, per quam & est, & meritò vocatur Deus. Ita hoc loco Christus homo: non Christus quatenus homo; siue Christi humanitas: sed Christus, hoc est, ea persona, cuius est ea natura, per quam & est, & verè appellatur homo. Atque ita intellexerunt Veteres omnes paulo antè citati. Chrysostomus ἄνθρωπον αὐτὸν ἄνθρωπος γέγονεν, ὄντα καὶ Θεὸν ἐν. Oecumenius ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος γέγονε. Theodoretus. *Homo factus fuit intercessor.* Ambrosius. *Filius Dei assumpta carne homo natus est, vt mediator Dei & hominum, homo esset Christus Iesus.* Nec aliter idem ipse, quem laudat Augustinus, intelligendus. Cuius locos postea à Bellarmino recitatos videbimus.

IX. Sed quare Deum Paulus distinguit à mediatore? Nam inde Bellarminus audacter concludit: ergo non esse Christum mediatorem secundùm naturam diuinam. Sed negatur consequentia. Primò enim non sequitur, si primo loco nominatus est Deus, ideo non secundo intelligendum. Nam Ioannis decimo quarto, *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Et decimo septimo: *Vt te esse illum solum verum Deum cognoscant, & quem misisti Iesum Christum.* Quibus locis quis neget distinctum esse à Deo prius nominato Christum? Et tamen nemo concludat, non esse in Christum credendum, quatenus Deus est: aut vitam non esse Christum, nisi quatenus homo. Quo igitur iure, quo imperio, cogit nos Bellarminus, vt omnem Deitatis considerationem abdicemus ab homine mediatore; quia post vnum Deum nominatum, exprimatur distinctè vnus mediator homo?

X. Secundò, Deus non nominatur ad differentiam hominis postea nominati: sed ad differentiam mediatoris: vt ad Galatas 3. *Deus vnus est, mediator autem non est vnius.* Itaque personaliter intelligendus pro Deo Patre; inter quem & nos propriè Christus dicitur mediatoris officio functus tum in Scripturis, tum apud Patres. In prima Ioannis capite secundo. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* Chrysostomus homilia decimasexta ad Hebræos. Μεσίτης ὁ υἱὸς ἐγένετο τοῦ πατρὸς καὶ ἡμῶν ... ὁ Πατὴρ τὴν κληρονομίαν ... ἀλλ' ὠργίζετο πρὸς ἡμᾶς καὶ ἠγανάκτησεν ὡς ἀπηλλοτριωμένοις ... μεσίτης τοίνυν ἐγένετο αὐτοῦ καὶ ἡμῶν, καὶ ἔπεισεν αὐτόν. καὶ ὅρα πῶς μεσίτης ἐγένετο. ὁ λόγος ἀπήγαγε καὶ ἤγαγε τὰ παρὰ τοῦ πατρὸς ἡμῖν διαπρεσβευόμενος καὶ τὸν θάνατον προστιθείς. *Mediator Filius factus Patris & nostrûm. Nolebat Pater relinquere nobis hanc hereditatē: quin irascebatur, & indignabatur tāquā alienatis. Mediator igitur factus est eius & nostrûm. eique persuasit. Et quidem vide quomodo mediator fuerit. Verba vltro citróque retulit: ea quæ Patris erant ad nos deferens & mortem adiiciens.* Cyrillus in Ioannem libro vndecimo, capite septimo *In quantum mediator est & Pontifex, nostras preces ad Patrem adducit.* Itaque Ambrosius paulo antè citatus hunc ipsum locum eam ob causam de Deo Patre interpretatur. *Vnde, inquit, Deum Patrem, quia ab ipso est omnis auctoritas, vnum esse fatetur.* Itaque sensus erit, Filium Deum mediatorem esse pro hominibus apud Patrem.

XI. Sed instat Bellarminus, primò sic confirmari Arianismum. Id enim Arianos cupere vt vbicumque legitur vnus Deus, aut simpliciter, Deus intelligatur Pater, non Trinitas. Secundò Chrysostomum, Oecumenium, Theophylactum, in hunc locum, notare per illud *vnus*, non excludi Filium, sed Deos Gentium. Itaque intellexisse per vnum Deum, non Patrem, sed Trinitatem. Augustinum etiam sermone primo in Psalmum vigesimum nonum, dicere, vnum Deum significare Trinitatem: Et Christum esse mediatorem inter Trinitatem & homines peccatores. Tertiò, Non solùm Patrem fuisse nobis infensum ob peccata, sed etiam Filium, & Spiritum Sanctum. Totam igitur Trinitatem à mediatore fuisse conciliandam. Ideóque & vnum Deum apud Paulum intelligendum totam Trinitatem.

XII. Respondeo, primam instantiam esse meram calumniam. Nam Ariani, non hunc tantùm locum, sed omnes, vbi Dei nomen occurrebat, ita interpretabantur, vt solum Patrem Deum assererent, Filium negarent. At Catholici non omnibus locis; sed tantùm quibusdam Dei nomen tribui Patri obseruant, vt isto, vt ad Romanos primo, vt Ioannis decimo septimo & aliis nonnullis. Tribui autem non *ἰδίως*, quasi hoc soli Patri ius esset, vt Deus appellaretur: sed tantùm *ἀντονομαστικῶς*, propter ordinem illum, quem constanter Scriptura obseruat, vt primus Pater sit, à quo Filius, & Spiritus Sanctus: etsi æquè cum Patre Dei tum essentiam, tum nomen sibi vendicent Filius & Spiritus Sanctus. Hæc confessio, si tanquam Ariana traducitur, quid est, quæso, quod deinceps dici possit Catholicum? Aut quis se tandem sperare possit *ἀνυπαίτιον*? si eos qui sic credunt, sic docent Iesuitis licet tanquam hæreticos infamare? Nec sequitur, Ariani volunt Patrem intelligi, non Trinitatem, quoties vnus Deus nominatur, aut Deus absolutè: Ergo, nunquam Pater intelligendus, quum sic Deus nominatur. Imò media via tutissima est, ideóque Catholica: vt nec semper Trinitas intelligatur: nec semper solus Pater: sed aliquando illa: & hic etiam aliquando.

XIII. Atqui Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus. Optimè: quid igitur illi dicant videamus. Chrysostomus. Τί οὖν; ὁ υἱὸς οὐ Θεός; καὶ σφόδρα. πῶς οὖν εἶπεν εἷς; πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν εἰδώλων, οὐ πρὸς τὸν υἱόν. *Quid ergo? Filius non erit Deus? Imò erit. Quomodo ergo vnum dixit? ad differentiam idolorum, non verò propter Filium.* περὶ γὰρ ἀληθείας καὶ ψεύδους ἦν αὐτῷ ὁ λόγος. *Nam de veritate aut errore omnis illi sermo erat.* Tum illa subiiciuntur quæ de Mediatore vtrique parti communicāte iam recitata sunt. Oecumenius & Theophylactus hærent Chrysostomi vestigiis. Nisi quod præterea quærunt, cur non sit loquutus Paulus de Spiritu Sancto: & respondent, factum ad vitandum τῆς πολυθεΐας suspicionem.

XIV. Ab eorum authoritatibus Bellarminus concludit τοῦ Θεοῦ intelligendum de Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Videte quantum distet vir à viro. Nam Catholicus inde potius concludet, illud τοῦ Θεοῦ de Patre intelligendum. Primò, quia nomen Patris Paulus non expresserat: sed tantùm Dei. Si ergo absurdum est Dei nomen soli Patri tribui, vnde nasci poterit obiectio, ergo Filius non est Deus?

Quæ inde tamē quási ex sese nascitur, si dicas, Vnus A est Deus Pater & vnus mediator, Iesus Christus homo. Et hæc ita contexta verba, videbuntur facessere negotium Catholicis, hæreticis verò fauere. Non autē, si dicas, Vnus est Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: & deinde vnus mediator homo. Secundò solutio non inde sumitur, quòd Θεὸς nomen tres personas complectitur: sed à natura mediatoris, qui secundo loco nominatur. Itaque sensus est: æquè Filium asseri Deum verum, cùm vocatur mediator, ac Patrem, cùm dicitur Deus. Vnde necesse erit, vt me- B diatorem de Filio, sic Deum de Patre intelligere. Tertiò, nullus esset aliàs locus dubitationi, quam Oecumenius soluit: nempe cur non sit locutus Paulus de Spiritu Sancto. Nam si de Patre specialiter Deum non dixit: certè tam de Spiritu sancto loquutus est, ac de Patre, & Filio. At concedunt Oecumenius & Theophylactus, nō esse loquutum de Spiritu: Ergo, Dei nomen non significat totam Trinitatem eo loco.

XV. Et sanè ridicula est consequentia: Deus C vnus non excludit Filium. Ergo, Deus non dicitur specialiter de Patre. Nam Chrysostomi, & aliorum ea mens est, quòd Pater dicitur eo loco vnus Deus, non eò spectare, vt negetur Filius esse Deus; sed tantùm vt idola. Dicam planiùs: Pater dicitur vnus Deus, non vt separetur à Filio, quasi is negaretur esse verus Deus: sed tantùm, vt intelligatur, Deum Patrem non esse Deum, quemadmodum Ethnicorum idola dicuntur dij, per humanæ vesaniæ errorem: sed Deum, qui verè ac reipsa Deus est: imò sic Deus, D vt præter eum Deum, nullus sit alius Deus. Hæc genuina Chrysostomi sententia: quam callidè Bellarminus dissimulat. At ea semper supponit eo loco per Deum intelligi Patrem: quod Bellarminus malè negat.

XVI. Venio ad Augustinum: cuius hæc verba recitantur. *Quid est Mediatorem esse, inter Deum & homines? Non inter Patrem & homines; sed inter Deum & homines: Quid est Deus? Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Quid sunt homines? Peccatores, impij, mortales. Inter illam* E *Trinitatem & hominum infirmitatem, & iniquitatem, Mediator factus est homo, non iniquus, sed tamen infirmus.* Et indicatur à Bellarmino alter locus in commentario capitis tertij in Epistolam ad Galatas.

XVII. Respondeo: primò, ab Augustino non exponi; imò nec citari quidem hunc locum, quem præ manibus habemus: sed ex octauo ad Romanos. *Qui sedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*: quorum verborum occasione inducitur F hic sermo de Mediatore. In quo si ea mens Augustini esset, quam vult Bellarminus; solitarius esset. Nam, vt ostendimus præcedenti capite, omnes Patres in alteram partem eunt. Secundò, hæc verba, *Non inter Patrem & homines, sed inter Deum & homines*: non esse Augustini quicquam asserentis, sed mouentis quæstionem; & quidem eiusmodi quæstionem; quæ magis ad formam loquendi pertineat quàm ad rem. Nimirum, quæritur, quare dixisset *inter Deum & homines*, & non potiùs, inter G Patrem & homines. Itaque non negat Christum esse Mediatorem inter Patrem & homines: sed tantum rationem reddit, quare pro Patre substituatur nomen Dei. Tertiò, etiam Augustino *homo* non significat humanitatem distinctè, sed incarnationem. Et sanè locum Bellarminus truncauit. Nam statim sequitur, *Atque ita, vt inter homines* A *& Deum Mediator existeret; Verbum caro factum est, id est, Verbum homo factum est.* Ergo, ad Mediatoris officium vtramque naturam Augustinus iudicauit necessariam. Et in Epistolam ad Galatas. *Nam si Filius Dei in naturali æqualitate Patris manere vellet, nec se exinaniret, formam serui accipiens, non esset Mediator Dei & hominum.* Quid? egent-ne hæc verba commentariis? est-ne aliquis, qui non intelligat, eum dici Mediatorem, qui naturaliter æqualis est Patri? Eum, qui exinaniuit seipsum? eum denique, qui serui for- B mam assumpsit? Is autem quis est? Filius Dei absque vllo dubio. Sed quomodo? an secundum carnem? an potiùs secundum Deitatem? secundum id, per quod naturaliter Patri est æqualis. Certè, sentiunt omnes Catholici, carnem non esse exinanitam; sed euectam in altissimum gloriæ gradum; Carnem non assumpsisse formam serui: sed ipsam fuisse formam serui. Itaque, sententia est Augustini, Christum, quatenus est Filius Dei æternus, sed incarnatus, esse Mediatorem inter Deum & ho- C mines.

XVIII. Restat ratio, quam vltimo loco Iesuita protulit. Et fatemur quidem totam Trinitatem fuisse peccatis offensam: fuisse igitur conciliandam. Sed ideo à Paulo per vnum Deum, intelligi Trinitatem, nulla necessitate efficitur. Ratio est, quia Ioannes, dixit, *Si quis peccauit*: simpliciter, non verò peccauit aduersus Patrem, vnam Trinitatis personam: sed peccauit. Quid ergo? *Si quis peccauit, habemus Aduocatum*? Quem Aduocatum: a- D pud ne totam Trinitatem? Imò *apud Patrem, Iesum Christum.* Itaque, etsi verum sit peccatis offendi totam Trinitatem; tamen illud etiam verum est, pro condonandis iis ipsis peccatis, quæ offendunt totam Trinitatem: aduocatum esse constitutum Iesum, sed apud Patrem. Nimirum, quia re vera non potest nobis conciliari Pater; quin tota concilietur Trinitas.

XIX. Et sanè distinguenda est Natura Trinitatis [illegible]. Natura, ea est, vt tres personæ sint E vnus verus Deus; ideóque inter se [illegible], & reliqua. Sed Oeconomia secundam personam exinaniuit quodammodo, & [illegible] minorauit, non [illegible], vt auferret naturam; mansit enim quæ erat: quia non potest mutari Deitas: sed [illegible] assumpta carne. Et per hanc [illegible] Christus Mediator est, quâ Deus incarnatus: non verò per naturam, quâ Deus. Secundùm eandem [illegible] non tota Trinitas, sed Pater is est, apud quem fit mediatio, vt Epiphanius loquebatur [illegible]. Sic F nunquam in Scriptura repræsentatur Christus orans siue Filium, siue Spiritum Sanctum: sed duntaxat Patrem. Ab hac dispensatione Catholicis quidem nefas est discedere, nefas est discurrere in alienas speculationes, quas sibi humana curiositas indulget. Papistæ viderint quid sint acturi.

CAP. VI.

G

De Patrum autoritatibus.

I. E Patribus in suæ caussæ subsidium, quatuor duntaxat Bellarminus profert, Cy[illegible], Chrysostomum, Augustinum, Fulgentium. Quorum nominibus si nomina tantùm opponerem, Irenæi, Athanasij, Epiphanij, Theod[illegible], C[illegible] pr[illegible]

ntiani, Leonis; quis neget obiectioni satisfactum? Nam,& hi Patres fuerunt,nec nominis nullius: adde [illegible]m antiquiores. Et,vt illud valere iubeamus, tame[illegible] *in vtramque partem scindetur Veterum Patrum numerus.* Itaque commune erit a[illegible]mentum, Imò verò, quia nos [illegible] supe[illegible]mus, infirmior aduersariorum caussa. Et tamen Chrysostomum, Augustinum, Fulgentium à nostris partibus stare iam docuimus. Sed videamus,quid noui proferre queant Iesuitæ.

II. Cyrillus,in defensione Anathematismi decimi proponit obiectionem: *Si Deus Verbum est sacerdos,cui,vel quali Deo suum ministerium offert?* Respondet autem. *Quando factus est homo, vocatus est Pontifex, non quòd maiori Deo offerret sacrificium, sed sibi ipsi & Patri.* Et rursus, *Audisti, quòd dictus est sacerdos,propter humanitatem,erubescisne? Deinde, quomodo non admiratus es, quod non secundum sacerdotum morem alteri fecerit sacrificium, sed sibi ipsi potiùs,& Patri,vt dixi?* Hic (inquit Bel[illegible]minus) Cyrillus,non solùm apertè dicit, Christum esse Pontificem propter humanitatem: sed etiam cogit nos intelligere negatiuam, id est, non propter diuinitatem, cùm dicit, eum sacrificium sibi ipsi obtulisse & Patri. Non enim potest v[illegible] & idem sacrificium offerre, & accipere: sed sacrificium a[illegible]cepit,vt Deus:ergo, non offert vt Deus. Offert igitur tantùm vt homo. Vnde idem libro vndecimo in Ioannem capite septimo. *In quantum Filius & Deus est, vnà cum Patre nobis bona largitur: in quantum verò Mediator est, & Pontifex, nostras preces ad Patrem adducit.*

III. Respondeo: multa dissimulari à Bellarmino,nimis vafrè. Itaque totam causam altiùs repetam. Cyrillus Nestorij errorem penitus confodere volens, inter alios anathematismos decimo loco, hunc posuerat: εἴ τις ἀρχιερέα, καὶ ἀπόστολον [illegible] γεγενῆσθαί φησιν, [illegible] αὐτὸν τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγον, ὅτε γέγονε σὰρξ [illegible] ἄνθρωπος· ἀλλ᾽ ὡς ἕτερον [illegible] αὐτὸν ἰδικῶς ἄνθρωπον ἐκ γυναικός· ἢ εἴ τις λέγει καὶ ὑπὲρ ἑαυτοῦ προσενεγκεῖν αὐτὸν τὴν προσφορὰν, καὶ οὐχὶ δὴ μόνον ὑπὲρ ἡμῶν (οὐ γὰρ ἂν ἐδεήθη προσφορᾶς ὁ μὴ εἰδὼς ἁμαρτίαν) ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis Pontificem & Apostolum nostrum factum fuisse dicit, non ipsum ex Deo Patre Verbum, quando factum est caro, homo nobis similis; sed tamquam alium propriè ab eo hominem e muliere: vel,si quis dicit etiam pro seipso obtulisse oblationem & non potiùs pro nobis solis, (neque enim oblatione opus habuit qui peccatum nesciuit) Anathema esto.* Hæc huius Anathematismi verba à nobis stare quis est qui non videat? Certè ea disertè pronunciant Verbum ipsum carnem factum esse Pontificem nostrum. Quod si concedant Papistę,alta pax erit. Sin minùs, videant, ne Nestoriani sceleris participes eodem Anathematis vinculo innodentur.

IV. Cùm hos Anathematismos variè varij accepissent, addidit singulis Cyrillus ἐπιλύσεις, *declarationes*, vertit interpres. Huic igitur istã, [illegible] ἀνθρωπίνῳ [illegible] ἀλλ᾽ [illegible] ὁ [illegible] κατὰ φύσιν [illegible] ἑαυτὸν [illegible] καὶ [illegible] ἀπόστολος, [illegible] ἀνθρωπότητος μέτρον, [illegible] αὐτῷ. *Exigui momenti equidem Verbo e Deo Patre nato sunt humana, non tamen reiicienda propter œconomiam. Qui enim natura Dominus erat omnium, demisit se ad statum nostrum forma serui accepta, & noster Pontifex appellatus est, atque Apostolus, humanitatis mensuris ad hoc illum vocantibus.* Ἀλλ᾽ [illegible] Θεοῦ λόγον ἄνθρωπον γεγονότα [illegible] καὶ ἀπόστολον, καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, καὶ κατὰ προκοπὴν εἰς τοῦτο [illegible]. *At nescio quo pacto quidam abrepti in alienas opiniones, affirmant neque ipsum à Deo Verbum hominem factum appellatum Pontificem, atque Apostolum nostræ confessionis, & per profectum in eum gradum deuenisse.* Et hęc quidem constant cum Anathematismo, nostræque caussæ fauent. Nam & Catholicis tribuunt confessionem nostram, quæ Verbum ex Deo natum, incarnatúmque asserit esse Pontificem: & contrariam sententiam hæreticis assignant: vt nos Papistis. Non ouum ouo similius.

V. Hæc ita scripta Orientales Episcopi Nestorio fauentes impugnabant, negantes Deum Verbum dici posse Pontificem: idque conficere putabant, tum alijs nonnullis argumentis; tum hoc, quod solum Bellarminus excerpsit, quasi Christo sacerdoti necesse sit offerre sacrificium Deo alicui maiori. Itaque,non à seipso Cyrillus eam obiectionem commentus est, vt plerumque fit; sed re vera audiuit à suis aduersarijs; negantibus idipsum, quod hodie Papistæ negant: adeo hæc omnis historia prę-iudicijs plena est contra eos, qui nobis hodie ob veritatem facessunt negotium.

VI. Sed quomodo respondet Cyrillus? Is, inquam, qui tam disertè & sub anathematis denunciatione cauit ne quis neget Verbum incarnatum esse Pontificem: canit-ne Palinodiam? Ita enim necesse esset, vt à suis partibus ad Papistarum, hoc est Nestorianorum, partes accederet. Sed non canit, imò, vt quę hactenus recitata sunt, omnia dissimulauit Bellarminus: ita in responsione longè maximam partem omittit suo commodo. Ego describam pleniùs. Primum igitur: *Nec absurdum*, inquit, *quod nolunt Dei Patris Verbum à nobis nominari Apostolum & Pontificem confessionis nostræ, quando factus est homo.* Quomodo ergo non absurdum? An, quia probandum? Minimè verò: sed, quia necessariò consequatur ex alijs eorundem hæreticorum hypothesibus. *Nam qui prorsus attentant natiuitatem eius secundùm carnem calumniari, & ineptiam, quasi non veram, facere audent, non ferentes dici sanctam Virginem Dei genitricem, quomodo non & dispensationis modos vitarent?* Ergo, Cyrillo iudice, eiusdem est negare Verbum natum ex Virgine, & negare idem Verbum incarnatum esse Pontificem nostrum. Caueant sibi Papistæ. Et interea notent, hoc sacerdotium pertinere ad οἰκονομίαν.

VII. Sed iam repetita obiectione, *Est*, inquit, *si ipsum Dei Patris Verbum factus est Pontifex, quis oro, maior est, ille, an is, cui sacerdotali ministerio seruit?* Respondet: *Igitur dicam iterum, Crede quod, quamuis Deus secundùm naturam esset in forma Patris Filius, non rapinam arbitratus est se esse Deo æqualem, sed seipsum exinaniuit formam Dei assumens. Si autem factus est homo, assumpsit autem serui formam, quomodo censebitur parum, & dispensationis sermonibus incongruum appellari & Apostolus & Pontifex?* Rursus sibi similis Cyrillus, tum asserens Verbum incarnatum esse Pontificem, tum hunc Pontificatum referens ad dispensationem. Sed hîc insuper oppositam habemus affirmationem negationi: vt sciamus, quemadmodum hæretici negabant, & calumnijs impugnabant; ita Cyrillum constanter affirmasse, *Verbum incarnatum esse Pontificem.*

VIII. Denique, *Confitemur*, inquit, *quòd Deus est in carne & sanguine, & humanitatis mensuram per humana agnouimus. Mille enim milia sanctorum Angelorum ministrantes, & diuinum eius Chorum circumstans Seraphim. Quando autem factus est homo* (& hæc quidem sunt, quæ pro se Bellarminus recitat) *Vocatus*

est & Pontifex, non quòd maiori Deo offerret sacrificium, A *sed sibi ipsi & Patri fidei nostræ confessionem procuraret. Audiens, quòd dictus est sacerdos propter humanitatem, erubescisne?* Deinde (Græcè credideium esse *ἐπεὶ*, igitur: nam Latina non quadrant) *quomodo non admiratus es, quòd non secundùm sacerdotum morem alteri fecerit sacrificium, sed sibi potius & Patri, vt dixi. Quando dicis* (& hæc omisit Bellarminus) *indignum esse Deo vt sacrificet, astipulor & ego: scilicet si solum sit & absque carne Verbum, dixeris rectè: quia autem factum est caro, unde & sacrificantem propter humanitatem, & in dignitatibus vltra creaturam sicut Deum.* Hæc Cyrillus. Nota primùm: Deum factum carnem esse Pontificem. Deinde, Deum sacrificare sic distingui, vt Deus solùm dicatur: vel Deus incarnatus. Deum solum sacrificare indignum esset: at non item Deum incarnatum. Hęc apertè nostra sunt.

IX. Sed duo Bellarminus opponit. Primò, Christum esse Pontificem propter humanitatem. Secundò, Christum sacrificium sibi obtulisse & Patri. Vnde concludit non esse igitur Pontificem propter diuinitatem. Respondeo ad primum: Cyrillum non dixisse Christum esse Puntificem propter humanitatem: sed potiùs Verbum. Etsi autem Christus sit Verbum, tamen aliter nominatur Christus, aliter Verbum. Christus quidem est tota persona constās duabus naturis. Verbum verò ex altera tantùm natura. Itaque Christus totum suppositum designat. Verbum verò Deitatem. Secundò: Propter humanitatem nego esse idem, quod secundùm humanitatem. Nam hoc quidem Deitatem excluderet. Vt D cùm dicitur Deus mortuus carne, siue secundùm carnem, significatur mortem illam sic propriè fuisse carnis, vt Deitatis esse non potuerit. At verò illud non excludit: significat enim Verbum non in puris diuinis esse sacerdotem; sed esse tamen propter incarnationem; hoc est, vt loquebatur idem Cyrillus, quando factus est homo. Quomodo, Mortuum Verbum, propter humanitatem, siue propter carnem, dici non potest. Itaque, negatur consequentia, quæ dicit, Sacerdus est Verbum propter humanita- E tem: Ergo, non est sacerdos secundùm deitatem; omnino negatur Verbum esse sacerdos: quod tamen ponit, qui dicit, Verbum est sacerdos propter humanitatem.

X. Ad secundum facilis solutio, ex Cyrilli distinctione, tum Dei solius, & incarnati: tum naturæ & dispensationis. Sacrificium offerri à Deo, tantùm Deo, & æstimato secundùm naturam suam, hoc verò indignum est. At sacrificium offerri à Deo incarnato, & per dispensationem, nihil est ab- F surdi. Similiter sibi ipsi Deo tantùm Deo, & in sua natura offerri sacrificium à Verbo, absurdum est, vt nihil magis. At sibi, secundùm naturam tantùm Deo, offerri sacrificium à Verbo, Deo quidem, sed incarnato, & per dispensationem, nihil habet à ratione alienum. Nam quod subiicit Bellarminus, non posse vnum & eundem, vt eundem, sacrificium offerre & accipere; falsum est, nisi addas etiam eodem respectu, & secundùm idem. Sed tum falsum G erit Verbum, eodem respectu, & secundùm idem, offerre & accipere. Offert enim, vt Mediator, recipit vt Deus: tantùm offert dispensatione, recipit natura.

XI. Superest alter à Cyrillo locus, cuius intellectus facilis. *Inquantum*, inquit, *Filius & Deus, vna cum Patre bona nobis largitur.* Quis neget? nisi qui idem neget esse *ὁμοούσιον* Patri? *Inquantum verò Mediator est, nostras ad Patrem preces adducit.* Ergo, inquam, quatenus Verbum incarnatum. Nam antea constitutum est non esse Mediatorem, nisi quatenus Verbum incarnatum est. Itaque illud quidem esto Naturæ, hoc autem dispensationis.

XII. Ad Chrysostomum venio. Is homilia decima sexta ad Hebræos. *Quid est*, inquit, *Mediator? Mediator non est Dominus rei, cuius est Mediator, sed alia quædam res est.* At quis dicat (inquit Bellarminus) Christum, vt Deum, non esse hominem? Ergo, B Chrysostomus secundùm formam serui vult Christum esse Mediatorem?

XIII. Respondeo, negari consequentiam. Locum autem truncari. En tibi. *τίς ἐστι μεσίτης; ὁ μεσίτης οὐκ ἔστι κύριος τοῦ πράγματος οὗ ἐστι μεσίτης, ἀλλ' ἕτερον μὲν τὸ πρᾶγμα, ἕτερος δὲ ὁ μεσίτης. οἷον μεσίτης γάμου γίνεται, οὐχ ὁ γαμῶν, ἀλλ' ὁ τῷ μέλλοντι ἄγεσθαι συμπραγματευόμενος. οὕτω καὶ ὁ υἱὸς μεσίτης ἐγένετο τοῦ πατρὸς καὶ ἡμῶν. οὐκ ἤθελεν ἡμῖν ἀφεῖναι ὁ πατὴρ τὴν κληρονομίαν ταύτην, ἀλλ' ὠργίζετο πρὸς ἡμᾶς καὶ ἐχαλέπαινεν ὡς ἀπηλλοτριωμένοις· μεσίτης τοίνυν ἐγένετο* C *ἡμῶν καὶ αὐτοῦ, καὶ ἔπεισεν αὐτόν. Quis est Mediator? Mediator non est Dominus rei, cuius est Mediator: sed alia quidem res est, & Mediator alius. Exempli gratia: Mediator nuptiarum est, non ipse qui ducit vxorem: sed is qui ducturo suam operam commodat. Similiter hic Mediator Filius factus est Patris & nostri: Nolebat Pater nobis relinquere hanc hæreditatem: imò nobis irascebatur, & infensus erat, tanquam alienatis. Mediator ergo fuit eius, & nostri, placauitque eum.*

XIV. Hæc Chrysostomus. In quibus venatur Sophista ambiguitatem illius *κύριος τοῦ πράγματος.* D Christus, inquit, quatenus Deus, est Dominus. At Mediator non est Dominus. Ergo, Christus, quatenus Deus, non est Mediator. Imò, inquam. Christus, quatenus homo, est Dominus. Psalmo secundo. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Ad Hebræos primo. *Quem constituit heredem omnium.* Et secundo, *Constituisti eum super opera manuum tuarum.* At Mediator non est dominus. Ergo Christus, quatenus homo, non est Mediator. Placétne? Imò blasphémum, sed æquè hoc & illud. Quid ergo? Nimirum haud E absolutè dominum Chrysostomus dixit, sed *κύριον τοῦ πράγματος*: & *τὸ πρᾶγμα*, cuius negauit dominum, intellexit effectum ipsum mediationis, quod non sibi, sed alij, cuipiam Mediator procuret. Patet ab exemplo. Non enim dixit *τοῦ μέλλοντος ἄγεσθαι*, eum qui ducturus est vxorem, non esse dominum Mediatorem. Nam contrà testis est quotidiana experientia. Nam & pater nuptias liberis suis, & Rex suis subditis passim procurat: & dominus suis seruis; sed dixit ipsum *τὸν γαμοῦντα* non esse *μεσίτην τοῦ γάμου*, F *ipsum qui ducit vxorem, non esse mediatorem nuptiarum*, sed eum qui ducturo adest. Nempe igitur ille Mediator non est nuptiarum dominus hoc est, sibi ipsi nuptias nō procurat. Itaq; hoc sensu, omnino Christus, neque secundùm Deitatem, neque secundùm humanitatem, dominus est *τοῦ πράγματος.* Non enim sibi, sed nobis conciliauit Patrem: non sibi, sed nobis hæreditatem acquisiuit. Nam etiamsi eius sit hæreditas, tamen non sibi eam acquisiuit, ex vi G mediationis: aliàs Mediator diceretur inter se & Patrem: quod est *ὑπερβολίας ἄτοπον.*

XV. Sequitur Augustinus, à quo multa testimonia desumuntur, etiam ridicula diligentia, è singulis tomis singula, & quidem præsente nota: ne fortè lector non aduerteret, non satis Iesuiticè diligens. Quod exemplum si incidisset in Theophrastum, mirum ni in capite *περὶ τῆς μικροφιλοτιμίας* locum

gua l 2

[illegible] Dei [illegible] : Libro decimo Confessionum [illegible]. *In quantum homo, in [illegible] quantum autem Verbum, non medius, quia [illegible] Deo, & [illegible] apud Deum, & cum Patre & Spiritu Sancto, vnus Deus.* Ad Paulinum Epistola quinquagesima nona. *Per Mediatorem, non Deum, quod Verbum semper erat, sed hominem Christum Iesum.* De Trinitate [illegible] 7. *Christus in forma Dei aequalis Patri, in forma serui Mediator Dei & hominum.* De consensu Euangelistarum libro primo capite tertio. *Secundum hominem Christus Rex, & sacerdos effectus est, vt esset ad interpellandum pro nobis Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* De ciuitate Dei libro decimo, capite vigesimo. *Vnde verus ille Mediator, in quantum formam serui accipiens, Mediator effectus est Dei & hominum, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo vnus est Deus, tamen in forma serui sacrificium maluit esse.* Contra Faustum libro decimo sexto capite decimo quinto. *Dissimilis hominibus Christus, quia Deus, similis hominibus, quia homo, Mediator Dei & hominum.* Libro secundo contra Coelestium & Pelagium de peccato originis, capite vigesimo octauo. *Nam per hoc Mediator est, quod aequalis Patri per hoc enim, quantum Pater, tantum ipse à nobis distat. Et quomodo erit medietas, vbi eadem distantia est? Ideò Apostolus non ait, Christus Iesus, sed, homo Christus Iesus. Per hoc ergo Mediator, per quod homo, inferior Patre, per quod nobis propinquior: superior nobis, per quod Patre propinquior. Quod apertius ita dicitur, Inferior Patre, quia in forma serui, superior nobis, quia sine labe peccati.* In Psalmum vigesimum nonum expositione prima. *Inter Trinitatem & hominum infirmitatem, & iniquitatem, factus est Mediator homo, non iniquus, sed tamen infirmus.* In Ioannem tractatu octogesimo secundo. *Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est Iesus Christus.* Et sermone vndecimo de Verbis Apostoli. *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum. Non ait, Christus Iesus, ne tu putares secundum Verbum dictum, sed addidit, Homo Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.*

XVI. Respondeo: Etiamsi concederemus Augustinum sensisse, Christum non esse Mediatorem secundum vtramque, sed secundum humanam naturam, tamen id nobis non obfuturum. Ratio. Quia solitarius esset in ea opinione. Nam reliquos iam demonstrauimus contrà sentire. Non habet autem solitarius doctor autoritatem idoneam: quod ipsi Papistae interdum fateri coguntur. Secundò fatemur Augustinum reliquis Patribus paulo durius, & fortasse [illegible], esse loquutum multis locis: sed si diligenter locos conferamus, compertum iri non sensisse solitariè, sed cum aliis. Itaque, molliendae durius dicta, commoda quadam interpretatione, quae neque vim vocabulis faciat, neque discedat à veritate, communique aliorum Patrum consensu. Atque adeo hoc etiam admonens priùs vnum ex iis locis esse falsatum: sextum, videlicet, contra Faustum decimo sexto. Legitur enim sic, *Et similis hominibus Christus, quia homo, quia de illo itidem scriptum est, Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Non *quia homo mediator Dei & hominum*, vt scripsit Bellarminus.

XVII. Dico ergo, Augustinum credidisse Verbum non nudum, sed incarnatum, hoc est, in quantum factum est caro, fuisse Mediatorem nostrum. Quomodo Vigilius dixit libri quinti capite quarto. *Constat per humanam naturam ineffabiliter Verbo vnitam Mediatorem fuisse factum Dominum Iesum Christum.* Itaque eum Mediatorem esse, in vtraque natura simul vnita [illegible] id probo tum ex iis locis, qui recitantur cap. 4. tum ex iis qui annotantur capite quinto: & denique ex nonnullis, quae nunc ipse Bellarminus citat; sed truncatè, non negligenda fraude. Vt epistola quinquagesima nona illud quod dixerat, *Omnes homines vult saluos fieri; nullo alio modo intelligitur praestari nisi per Mediatorem, non Deum quod semper Verbum erat, sed hominem Christum Iesum, cum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* De ciuitate Dei dictum est, *in quantum formam serui accipiens, Mediator effectus est.* In Psalmum vigesimum nonum. *Atque ita, vt inter homines & Deum Mediator existeret, Verbum caro factum est, id est, Verbum homo factum est.* In Ioannem. *Deus enim erat Verbum, vnigenitus, gignenti coaeternus: sed vt Mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Denique de Verbis Apostoli. *Per Verbum carnem factum fideles facti sumus. Vnus enim Deus, & vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, in principio erat Verbum.*

XVIII. Ex his facilè animaduertunt omnes, eatenus dici Mediatorem Christum, quatenus Verbum caro factum est. Imò verò [illegible] fieret Mediator, Verbum factum esse carnem. Denique illud ipsum Verbum quod erat in principio, carnem factum, Mediatorem esse. Quod cùm ita sit, reliqua sunt omnia facilia. Quid enim? dixit, Mediatorem esse, in quantum est homo. Certè, inquam: quia non Mediator, nisi incarnatus: nec incarnatus, nisi in quantum homo. Quo sensu Vigilius libri quinti contra Eutychen capite quarto, disputat de Mediatore secundùm vtramque naturam. *Constat,* inquit, *per humanam naturam ineffabiliter Verbo vnitam, Mediatorem fuisse factum Dominum Iesum Christum* Dixit Mediatorem, non Deum, quod semper Verbum erat. Nec malè, dummodo Deum tantùm intelligas, non incarnatum, quod Verbum semper erat: Mediatorem ergo, quum Verbum factum est caro. Dixit factum esse Regem, & Sacerdotem secundùm hominem. Quis neget? est enim secundùm incarnationem. Dixit, non per hoc Mediatorem esse, per quod aequalis est Patri. Qui contradicit, non sit sanus. Sed qui inde excludendum dicat, Verbum incarnatum (nam per incarnationem exinanitus est, non [illegible], sed [illegible]) haereticus sit.

XIX. Addo ex iisdem locis nonnullos esse inutiles. Qualis ille, *Secundùm hominem rex & sacerdos factus est.* Item. *Inter Trinitatem & hominum infirmitatem, & iniquitatem factus est Mediator homo.* Nam quae de humanitate affirmantur, non est consequens negari de Deitate. Et qui fatentur Mediatorem Christum secundùm vtramque naturam: iidem sine dubio concedunt secundùm humanitatem. Item hic, *dissimilis hominibus Christus, quia Deus, similis hominibus, quia homo Mediator Dei & hominum.* Nam quid quaeso iam obstat, quin intelligamus Mediatorem referri tum ad dissimilitudinem, tum ad similitudinem? vt sensus sit; eam ob caussam Mediatorem dici, quia & dissimilis sit hominibus, quia Deus; & similis quia homo? Nam priùs ostensum, eam esse Mediatoris naturam. Itaque, non satis perspicaciter probationes suas seligit Iesuita.

XX. Superest Fulgentius libro de Incarnatione & gratia Christi, capite decimo tertio. *Hic in natura humana Mediator Dei & hominum factus est.*

XXI. Non difficilis locus. Nam in natura humana Mediatorem Christum fuisse, Anathema qui negauerit. Verùm, id superest, [illegible] tum in sola humana natura. Quod Fulgentius [illegible] quidem verbis, non asserit, disputans esse Mediatorem secundum

vtramque naturam libro primo ad Thrasimundum. *Cunctos, qui salutis æternæ cupiunt esse participes, oportet agnoscere pariter & tenere, non incassum hominem Iesum Christum Mediatorem Dei & hominum nuncupatum: nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totam in se habet substantiam Diuinitatis. Nam, quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem hominémque peccantem, talis vtique Mediatoris necesse erat, vt interueniret persona, quæ ad propitiandum Deũ hominibus, totum verúmq; se Deum de Deo natũ haberet: & ad reconciliãdum homine Deo, totum verúmque in se de homine natum hominem contineret.* Et post paulò. *Propterea se Mediator Dei & hominium, plenum Deum, plenúmque dignatus est hominem demonstrare.* Itaque sensus Fulgentij manifestus est, Mediatorem esse Filium Dei in humana natura: quod absque ea non poterat. Vnde manifestè sequitur fuisse in vtraque: contra quàm Bellarminus putat.

CAP. VII.

De rationibus Bellarmini.

I. NVnc pugnat rationibus: quarum hanc primo loco constituit, à definitione, & conditionibus Mediatoris. Omnis Mediator est medius, id est, aliquomodo distans ab vtraque parte dissidente. At Christus, quatenus Deus, non est sic medius, sed tantùm quatenus homo iustus. Ergo Christus, quatenus Deus, non est Mediator, sed tantùm quatenus homo iustus, Probatur assumptionis pars vtraque. Nam primò Christus, vt Deus, non distat à Deo vllo modo, id est, nec natura, nec iustitia, nec vllo alio modo. Secũdò, Christus, vt homo, distat à Deo, vt iustus conuenit cum Deo: & contrà, vt homo, conuenit cum cæteris hominibus: vt iustus, distat ab omnibus hominibus.

II. Respondeo, ex statu quæstionis constare, Catholicos confiteri Christum Mediatorem secundùm vtramque naturam: hoc est, tum secundùm Deitatem incarnatam, tum secundùm carnem assumptam. Hoc cõstituto, negatur syllogismi assumptio. Nam quod in probatione ponitur, Christum, quatenus Deus est, non distare, à Patre Deo, falsum est: Differt enim tripliciter: primò personaliter: est enim altera persona à Patre. Neque hæc differentia est ἀπροσδιόνυσος, quandoquidem probatum est, tum Scripturam, tum Catholicos Patres agnoscere Mediatorem Filium, pro nobis apud Patrem. Secundò differt Incarnatione. Pater enim non est factus homo nobis ἐμφανής, sed tantùm Filius. Tertiò, differt dispensatione, οἰκονομίαν Græci dixerunt: quatenus ea persona Trinitatis per incarnationem exinaniuit seipsam. Itaque non probat Bellarminus priorem partem assumptionis.

III. Quod ad alteram attinet, dicimus concludi ἀσυλλογίστως: &, vt scholę loquũtur, affirmatè in secũda figura. Omnis Mediator est distans aliquo modo ab vtraque parte. At Christus, quatenus homo, iustus distat aliquo modo ab vtraque parte: Ergò Christus, quatenus homo, est Mediator. Quid autem impediat, quo minus sic Angelus sit mediator? distat enim aliquo modo ab vtraque parte: nempe à Deo, quatenus est creatura: ab homine quatenus est spiritus, & iustus. Nec miror hoc sophismate de-

Ipsos miseros Papistas etiam ad Sanctos produ[illegible] officium Mediatoris. Nam, exempli gratia, Mariam virginem distantem agnoscunt à Deo, quatenus mulier est: rursus distantem profitentur à nobis, quatenus à peccato omni liberam mentiuntur, Catholici, vt conclusio esset legitima, dicunt inuertendam fuisse propositionem, vt dicatur, Omnis, qui aliquo modo distat ab vtraque parte, est Mediator. Sed hanc nunquam Catholici concessuri sunt, qui sciunt plura esse distantia à Deo & hominibus, & tamen vnum esse Mediatorem.

IV. Quid ergo? negamusne Mediatorem distare debere ab vtraq; parte? Absit: sed id negamus satis dici. Non enim debet tantùm distare, sed etiam æquè distare: ac propterea etiam æquè ad vtramque accedere. Ideoque, & qua ad eum accedit apud quem est Mediator, tam distare ab iis pro quibus intercedit, quàm distat ab eo ipso, qua accedit ad eos. Dicam planius: quia Mediator noster ad Deum accedit, qua iustus, ex hypothesi Bellarmini, ad nos autem qua homo: tam debet coniungi Deo, per id quod iustus est, quàm nobis coniungitur per id quod homo: & tam distare à nobis per id quod iustus, quàm à Deo per id quod homo: aliàs non futurus medius: id enim omnes medium appellant quod æquè ad extrema accedit: & æquè ab extremis distat. Mediatorem verò debere esse Medium tum antea vidimus, tum fatetur Thomas eo ipso articulo, quo hanc quæstionem tractat. Iam verò negamus Christum tam accedere ad Patrem, qua iustus est, quàm ad nos qua homo: aut tam distare à nobis qua iustus est, quàm accedit qua homo. Ratio est, quia homo peccator distat à Deo, tum quà homo, tum quà peccator. At homo iustus accedit ad Deum, tantùm quà iustus: & quidem longissimo adhuc interuallo: quia ea iustitia non potest esse nisi creata, ac proinde finita. Nazianzenus oratione quarta & trigesima, [illegible] *Quamlibet cœlestis ac supercœlestis res aliqua condita sit, sublimioréque quàm nos natura prædita, Deóque vicinior, longiori tamen interuallo à Deo, plenaque illa & absoluta cognitione distat, quàm quo compositam hanc nostram & abiectam, atque humi vergentem massam superat.* Rursus non tam recedit à nobis homo iustus, qua iustus, quàm ad nos accedit, qua homo. Quia etsi ea iustitia sit perfecta, nostra verò imperfecta: tamen non differunt toto genere, sed tantùm [illegible]. Humanitas autem ipso genere est eadem in Christo cum nostra: quia nobis ὁμοούσιος. Ergo, non est homo iustus medius, ac proinde, neque Mediator. At ex Catholicorum sententia, Christus Mediator verè medius est: tam enim accedit ad Patrem qua, Deus est, quàm ad nos, qua homo. Et rursus tam recedit à Deo qua homo, quàm à nobis qua Deus. Et denique tam accedit ad Patrem, quàm à nobis recedit: támque accedit ad nos, quàm ad Patrem accedit.

V. Præterea ridiculus est Bellarminus, idque, dupliciter. Primò, quia mediationis rationem quærit, non totam in supposito, nec totam in qualitatibus: sed partim in supposito, partim in qualitatibus. Vnde sequitur, non posse esse veram mediationem. Nam sic Mediator noster, quatenus Mediator, coniunctus esset cum Patre,

non

non natura, sed voluntate tantùm: & tamen disiunctus a Patre, non quidem voluntate, sed tamen natura. At longè plus est natura quàm voluntas. Sic nemo neget, Lupum magis distare à Busiride crudelissimo tyranno, quàm Busiridem à Mose viro mansuetissimo. Nam Busiridis & Mosis eadem erat natura, etsi alienissima voluntas. At Lupi & Busiridis, etsi erat eadē voluntas, tamē erat altera natura. Sic propiores fuit Iscariotes Petro, quàm Petrus Angelo, quia etsi voluntate quàm maximè illi dissenserunt, tamen erant eiusdem ambo naturę. At hi etsi voluntate consentiant, tamen alienissimi sunt natura.

VI. Hinc altera absurditas, quòd quærat Bellarminus vtrasque mediatoris partes in eodem respectu, scilicet in humana natura. Nam homo iustus nō differt ab homine, sed tantùm ab homine iniusto. Itaque differentia est per accidens. Debuit autem Christus mediator esse hominum absolutè, non tātùm hominum iniustorum. Id apparet, quòd etiam iustificatorum hominum, post iustificationem mediator est. Et hic obiter quæram, an Papistę Mariam, & Ioannem Baptistam, quos fingunt ab omni prorsus peccati labe fuisse puros, non opus habuisse Mediatore credant. Nam si habuerunt, vel discedendum erit Papistis à suo dogmate, quā asserunt illos caruisse peccatis: vel fatendum mediatorem esse nō tantùm peccatorum, sed etiam non peccatorum, id est, iustorum. Paulus etiam dixit, vnus mediator Dei & hominum: non autem Dei & hominum iniustorum duntaxat. Multo Patres illi meliùs, qui vt antea vidimus, mediationis rationem in vtraque natura quæsierunt. Tum enim mediatio est, non per accidens, sed verè naturalis.

VII. Addo tertiam absurditatem. Nam si Christus mediator est, non quà Deus & homo, sed tantùm quà homo iustus: Ergo Mediator erit tantùm quà ὁμοιούσιος, non verò quà ὁμοούσιος: hoc est, non quatenus substantialiter vnus est cum Patre: sed tantum quatenus eidem voluntate vnitus, quod est Arrianorum, *Qui vbi obseruerunt nomen consubstantiale, & fabricarunt nouum ac insolitum aliud, dicunt debere nos confiteri eum esse ὁμοιούσιον addentes, quod hoc mediatoris nomen sit illo dignissimum & congruentissimum.* Verba sunt Cyrilli dialogo primo cum Hermia, addentis, *Et quid hoc aliud quod deliramentum, & verè anile nugamentum! Nam si medium quandam naturam in ipso intelligunt, & propter eam putant mediatorem nominandum, ὁμοιούσιον dicunt.* Quod si est, quis vnquam Papistas excusabit? Nam eos sanè naturam oportet mediam comminisci, secundùm quam Christus sit mediator. Nunquam enim efficient, vt Christus sit persona, quæ est homo iustus: est enim tantùm natura. Ac proinde in illud absurdissimum dogma incidūt, quod in Arrianis Cyrillus exagitabat. Quanto meliùs Catholici, qui non naturam mediam, sed personam mediam dicunt?

VIII. Secunda Bellarmini ratio. Si Christus est mediator secundùm vtramque naturam, vel secundùm vtramque coniunctim, vel secundùm vtramque seorsim acceptas. At non seorsim, quia non secundùm diuinam, quæ est pars offensa. Non etiam coniunctim. Ratio, quia sic distat quidem à cæteris hominibus: distat etiam à Patre & Spiritu Sancto: & non distat à Deo Filio, nec persona, nec natura: & tamē etiam à Filio distare debet, cùm & ipse sit pars offensa; ad cuius placationem mediatore opus sit.

IX. Respondeo: concedi non esse mediatorem Christum, secundùm vtramque naturam seorsim. Nec tantùm, non secundùm Deitatem, offensam, quod vrget Bellarminus: sed ne quidem secundùm humanitatem, quæ reconcilianda erat: quod ille omittit: affirmari verò esse mediatorem secundùm vtramque naturam coniunctim & in vnitate hypostatica. Ad reliqua duplex solutio. Primò, mediatorem esse inter nos & Patrem: non verò inter nos & Filium: sic docente Scriptura; docentibus etiam Patribus, vt ostendimus. Et Biel dixit Epitome in Canonem & in illud, *Per Iesum Christum Filium tuum orationes nostra,* inquit, *quatenus sunt impetratoriæ, dirigendæ sunt ad Patrem per Filium, qui mediator est inter Patrem & nos.* Etsi verum sit, totam Trinitatem nobis propter offensas iratam, fuisse placandam. Catholici autem non solent suis speculationibus indulgere, magis quàm Scripturæ loquenti obtemperare. Itaque hoc posito, negatur mediatorem debuisse differre à Filio; etiam si Filius offensus esset. Quia Patre conciliato, tota conciliatur Trinitas.

X. Secundò, quamuis concedatur mediationem spectare etiam ad Filium: tamen distinguenda est φύσει ἀλλ' οὐ τῇ οἰκονομίᾳ. Differt Filius οἰκονομικῶς videlicet incarnatus, & assumpto mediatoris officio, à seipso φυσικῶς Deo, sed tantùm Deo. Itaque nihil obstat, quominus etiam apud se pro nobis quodammodo intercedere dicatur. Nam quod notat Bellarminus, vnum eundemque, vt Deus est, mediatorem esse sumpsius, vt Deus est, inuoluere apertissimam contradictionem; falsum est. Quia distinguuntur respectus. Contradictio autem esse non potest, nisi de eodem, ad idem, eodem modo. Hîc autem modi variantur: itaque nulla contradictio.

XI. Tertia ratio: Si Christus esset aliquo modo mediator secundùm Diuinam naturam, omnes tres personæ essent mediatores. At non sunt tres personæ mediatores. Ergo nullo modo Christus est mediator secundùm naturam Diuinam. Probatur consequentia. Quia natura Diuina est communis tribus personis: itaque quicquid secundùm illam conuenit vni personæ, id conuenit omnibus tribus.

XII. Respondeo, Naturam Dei dici, vel essentialiter, vel personaliter. Essentialiter, vt significet illam totam essentiam, quæ est Trinitatis ὁμοούσιος Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Sic Deus dicitur solus sapiens, solus potens, solus immortalis, & similia. Nam in iis Dei nomen illam essentiam significat. Personaliter verò denotat ipsam illam essentiam, (nam tres personæ sunt vna essentia) sed sigillatim distincteque consideratam in Patre, Filio & Spiritu Sancto. Sic vnus Deus, à Paulo, id est, vnus Pater, vt ostendimus ex Veterū sententia. Sic ab ipso Christo, *Creditis in Deum, & in me credite.* Paulus ad Romanos primo, *Separatus ad Euangelium Dei de Filio suo, declarata Filio Dei.* Nam eo loco negari non potest Dei nomen bis specialiter sumptum pro Patre, id est, personaliter. Et *Deus erat in Christo,* posterioris ad Corinthios quinto. Ad pascendam Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: Actorum vigesimo. Vbi Dei nomen significat personaliter Filium.

XIII. Ad argumentum ergo respondentes, negamus consequentiam. Nam, etsi Christus sit Mediator secundùm diuinam naturam, non tamen ve-

Am[illegible] aliter tectat, quam [illegible] lego [illegible] [illegible] habet, non [illegible] ta- [illegible] fli- [illegible] idem [illegible] Tamen [illegible] *conditionis est, [illegible] est, nã & agnus ad immolandum ductus est, & sacerdos est secundùm ordinem Melchisedech. Nemo igitur, vbi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi [illegible] Deitatis afferat.* Non dixit ergo, vt Bellarminus, [illegible] & sacrificium, humanæ [illegible] esse, [illegible] sacrificium. Et dicit [illegible] sit ablo- lutæ [illegible] tionis humanæ: sacerdos verò non item; sed incarnatæ Deitatis: quod postea sic explicat: cùm Melchisedech fuisse dicit sine patre, sine matre, sine generationis enarratione, sine initio, & sine fine depictum: *vt ostenderet sempiternum Filium Dei in hunc mundum esse venturum, qui & sine patre secundùm incarnationem natus est, & sine matre secundùm diuinam generationem, & sine enarratione generationis: quia scriptū est, Generationem autē eius quis enarrabit? Ergo illum Melchisedech in Christi typo sacerdotem Dei accipimus. Sed illum in typo, hunc in Veritate.* Censet igitur Ambrosius Christum sacerdotem esse secundùm quod respondet figuræ, quæ præcesserat in Melchisedech: fuisse autem hunc figuram incarnatæ Deitatis. Quis ergo dubitet concludere, Christum esse sacerdotem secundùm incarnatam Deitatem? Sacrificium verò oblatum nemo negat esse humanæ conditionis: id est, non Deitatem incarnatam, sed tantùm humanitatem Deitati vnitam esse oblatam Deo.

XXI. Hieronymus non est autor commentariorum in Psalmos, vnde citatur alterum testimonium: sed longè recentior Beda. Et tamen ne is quidem Bellarmino fauet. Non ei iurauit, inquit, qui ante Luciferum genitus est: nimirum Verbo, inquantum Verbum est tantummodo: sed ei iurauit, qui post Luciferum natus è Virgine est; scilicet Verbo incarnato. Nam & statim post, illud secundùm ordinem Melchisedech, exponit, vt etiam Ambrosius. *quoniam sine patre dicitur secundùm carnem, sine matre dicitur, secundùm Deum.* Videlicet idem, ille cui iuratum est, cum esse sacerdotem.

XXII. Ratió quinta: Si operatio propria mediatoris conuenit Christo, ratione vtriusque naturæ, sequitur confusió operationum: & consequenter naturarum in Christo: quæ est hæresis Monothelitarum, & Euthychianorum, damnata in sexta synodo, actione decima septima. Quod in hunc explicat modum: Reiectam esse vnam operationem in Christo, non respectu Dei, tanquam principalis agentis: & hominis, vt instrumenti: sed respectu Dei & hominis, tanquam propriæ & principalis causæ, quæ agit ex virtute sua, quam habet ex propria forma & essentia: vt in curatione febris; impositio manuū erat humanitatis operatio: vt expulsio febris, erat operatio Deitatis: similiter sacrificare, proprium est Christi, vt homo est: quia conuenit etiam puris hominibus. Itaque, si hoc item conuenit Christo, vt Deus est, eadem erit operatio vtriusque naturæ.

XXIII. Respondeo, negari consequentiam. Quod vt fiat planum, paulo exactius explicanda est Catholica doctrina de duarum in Christo naturarum proprietatibus: quam leuiter Bellarminus attingit: distinguendum igitur inter τὸ ἔργον & τὴν ἐνέρ-γειαν. τὸ ἔργον est opus illud est, quod cōficitur Ioannis septimo ἓν ἔργον ἐποίησα, *Vnum opus feci.* Et secundo, vnum quoddam opus, Ioannes appellat initium signorum. Huiusmodi opera personæ adscribuntur. Sic Ioannes in carcere audiuit opera Christi: Matthæi vndecimo: Ioannis quinto, *opera quæ ego facio*: Et infinita huiusmodi. At verò ἐνέργεια, inquit Damascenus, ἡ δραστικὴ καὶ οὐσιώδης τῆς φύσεως κίνησις, *efficax & substantialis naturæ motus.* Itaque, quia in Christo naturæ duæ sunt, omnino duplex ἐνέργεια agnoscenda: vt humana quidem quæcunque sunt, ea tribuuntur naturæ humanæ: quæcunque autem diuina, diuinæ. Vt in homine ipso, quia vniuntur anima & corpus; in vno eodemque homine quædam obseruantur, quę anima agit sua ipsius natura, vt cogitare, corpus etiam mouere: quædam iterum, quæ corpori sunt propria, vt edere, bibere, dormire. Neque id tantum, sed etiam in vno eodemque opere, quod ad vnam eandemque personam referendum est, duplicem agnoscas ἐνέργειαν pro naturarum munere: vt in homine loqui. Nam qua sonus est, ad corpus pertinet, eiusque organa: qua verò rationum textura; non potest esse nisi animæ. Vel, vt Veterum exemplum vsurpem, ferrum candens & secat & vrit. Non secat quatenus candens: non vrit quatenus ferrum. Porrò id quod ab efficacitate fit, vocant ἀποτέλεσμα. Vt ferri ἀποτέλεσμα sectio. Ignis verò vstio. Sic corporis in sermone sonus: animi verò ratio. Porrò τὴν ἐνέργειαν Latini Theologi operationem appellarunt.

XXIV. His explicatis, dico primò, Mediatorem, neque opus esse, neque operationem, sed officium, ad quod referuntur tum opera, tum operationes Quemadmodum, neque Prophetam, neque Sanctificatorem. Quare, vt Dominus dicitur Christus ex officio, & ineptè disputaret quispiam in eo capite de naturarum energia: non aliud iudicium est de Mediatore. Itaque ineptè omnino, ex eo quod Mediator, siue Sanctificator, sicut Dominus, ad vtramq; naturam spectare dicitur, infert quis τῶν ἐνεργειῶν confusionem, indeque naturarum. Sicut nemo vnquam Catholicus id inferre potuit, ex eo quod Dominus Christus dictus est: debent enim singulares actus, imò singularia ἀποτελέσματα considerari. Nam alioquin Mediator idem est aut simile, ac si ignitum dixerim: quod quidem vnum est, nec plura: sed tamen continet in se tum ferrum, tum ignem: non enim ignitum est nisi ferrum, (aut quid eiusmodi) & ignis. Nec tamen quisquam calumniabitur me ferri naturam confundere, cum ignis natura.

XXV. Secundò, etiamsi Mediator esset opus, tamen consequentia nihil valet. Nam in vno eodemque opere est tamen certissima τῶν ἐνεργειῶν differentia. Nam si vnum idemque opus, tum ferri sectionem, tum ignis vstionem præ se fert: si vna eademque oratio, Ciceroniani tum oris suauitatem, cum ingenij subtilitatem, sic ostendat; vt nequeas vel oris subtilitatem, vel ingenio suauitatem ad scribere: qui fiet minus in vno eodemque Christi miraculo? Quod certè non potuit, quin profiteretur Bellarminus, qui in sanando ægroto fatetur impositionem manuum esse humanitatis, expulsionem morbi Deitatis. Vnde Dionysius ille quisquis est Areopagita θεανδρικὴν ἐνέργειαν excogitauit: quam Leo ad Flauianum sic expressit, *Agit vtraq; forma, cum alterius communione, quod proprium est: Verbo scilicet operante, quod*

verbi est, & carne exequente quod carnis est, κατὰ διῃρημένας οὔσας τὰς ἐνεργείας (Damasceni verba, Orthodoxæ fidei libro tertio, capite decimo nono) οὐ γὰρ διῃρημένας ἐνεργείας φαμὲν, οὐδὲ διῃρημένως ἐνεργούσας τὰς φύσεις, ἀλλ' ἡνωμένως ἑκάστην μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας ἐνεργοῦσαν τοῦθ' ὅπερ ἴδιον ἔχει. οὔτε γὰρ τὰ ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως ἐνήργησεν. οὐ γὰρ ψιλὸς ἦν ἄνθρωπος, οὔτε τὰ θεῖα κατὰ Θεὸν μόνον. οὐ γὰρ ἦν γυμνὸς Θεὸς, ἀλλὰ Θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος. *Non enim separatas dicimus operationes, neque separatas naturas operantes, sed vnitas vnamquamque cum alterius communione operantem, id quod habet proprium. Neque enim humana humanè operatus est, quia non erat homo tantum: neque diuina tantùm secundùm Deum, quia non erat nudus Deus, sed Deus simul & homo.* ὥσπερ γὰρ μίαν τὴν τετμημένην καῦσιν λέγομεν, καὶ τὴν κεκαυμένην τομὴν τῆς πεπυρακτωμένης μαχαίρας, ἄλλην δὲ ἐνέργειαν φαμὲν τὴν τομὴν καὶ ἄλλην τὴν καῦσιν, καὶ ἄλλης καὶ ἄλλης φύσεως, τοῦ μὲν πυρὸς τὴν καῦσιν, τοῦ δὲ σιδήρου τὴν τομήν. οὕτω καὶ μίαν τοῦ Χριστοῦ θεανδρικὴν ἐνέργειαν λέγοντες δύο τὰς ἐνεργείας νοοῦμεν τῶν δύο φύσεων αὐτοῦ, τῆς μὲν θεότητος αὐτοῦ τὴν θείαν, τῆς δὲ ἀνθρωπότητος αὐτοῦ τὴν ἀνθρωπίνην ἐνέργειαν. *Nam quemadmodum vnam incisam vstionem dicimus & combustam incisionem candentis gladij: Verùm aliam operationem dicimus incisionem, aliam vstionem, & quidem alius, atque alius naturæ, videlicet ignis vstionem, ferri incisionem: sic etiam Christi cùm dicimus vnam operationem humanodiuinam, duas intelligimus operationes duarum eius naturarum: Deitatis quidem diuinam, humanitatis autem humanam.*

XXVI. Hæc cùm ita sint, nihil est incommodi, si mediatoris officium, imò verò etiam mediatoris opera dicamus esse vtriusque naturæ communia: dummodò tum in ipso officio, tum in operibus diligenter distinguamus τὰς τῶν φύσεων ἐνεργείας naturarum operationes: & quæcunque in mediatoris fungendo officio diuina occurrunt, vt remittere peccata, & similia, Deitati assignemus ἰδικῶς, non verò humanitati: & contrà quæcunque humana sunt, vt timere, turbari, mori, sepeliri, &c. nō Deitati, sed humanitati ἰδικῶς adscribamus: quod quidem Catholici diligentissimè faciunt. Sic in sacrificio, aliæ sunt Deitatis partes, aliæ humanitatis.

XXVII. Nam quod probat Bellarminus proprium esse homini, frustra facit: imò verò non facit. At puro homini (inquit) conuenit sacrificare. Respōdeo primò, in typo & figura, vt docet Ambrosius de Melchisedech: Itáque ὁμωνύμως: non enim eadem ratione sacrificant homines, & Christus. Itaque sacrificare τυπικῶς, conuenire concedimus puro homini, sed verè sacrificare contendimus, soli θεανθρώπῳ. Secundò, sacrificare λειτουργικῶς, siue ὑπουργικῶς, concedimus, esse puri hominis: at sacrificare αὐθεντικῶς & ἐξ ἰδίας ἐξουσίας, negamus. Christum autem hoc modo dicimus sacrificasse, vt paulo antè Veteres docuerunt.

XXVIII. Eustachius à Sancto Paulo ridiculè argumētatur: Christus neq; orauit, neq; passus est pro nobis quatenus Deus: atqui hæc omnia ad officiū mediatoris pertinēt. Non igitur Christ⁹ fuit mediator specificè & formaliter secūdùm naturam diuinā, sed humanam. Equidem à tanto viro libens audierim, vnde hanc syllogismi figuram didicerit. Ego si similiter, Christus neque orauit, neq; passus est quatenus Deus. Atqui hæc omnia ad officium incarnati pertinent. Ergo Christus non fuit incarnatus specificè & formaliter secundùm naturam diuinam. Quis ferat delirātem? Et Eustachio condonet quisquam? Ego fateor eas esse partes mediatoris; Itaque ab iis concludi non esse tantùm Deum: sed non solùm. Itaque ab iis non excludi naturam Diuinam. Atque ita tractatis vtriusque partis argumentis, concludimus quod ab initio erat propositum, Christum Mediatorem esse nostrum secundùm vtramque naturam: scilicet Deitatem incarnatam, & humanitatem vnitam Verbo.

Cap. VIII.

An Christus sibi meruerit.

I. SEcunda Controuersia erat, vtrum sibi Christus Mediator fuerit, hoc est, vt Papistæ loquuntur, vtrum sibi aliquid meruerit. Qua de re agunt Driedo, tomo secundo, capite secundo, parte secunda, articulo tertio. Vigor, sermone in symbolū decimo quinto, duobus postremis capitibus. Vasques in tertiam Thomæ disputatione septuagesima nona. Ioannes Hayus contra Chambrunum capite vndecimo. At ante illos, Lombardus libro tertio, distinctione decima octaua; in eumque locum frequentes Scholastici: Definientes vno ore omnes, Christum non nobis tantùm, sed etiam sibi meruisse.

II. Quod si quæris, quidnam sibi meruerit: Respondent; Vigor exaltationem nominis & glorificationem corporis: Driedo aditum cœlestis paradisi, redemptionem seu liberationem à lacu inferni, à detentione diaboli, suæ exaltationis gloriam, Claritatem seu immortalitatem corporis, impassibilitatem animæ & corporis: Lombardus Impassibilitatis & immortalitatis gloriam: Bellarminus generaliter, illa omnia quæ accepit post resurrectionem.

III. Iam verò tum Hayus quæstione centesima quadragesima, tum Antonius Porsanus admonitione quarta ad Nemausenses, Caluino pro ingenti blasphemia obiiciunt, negasse Christum sibi quicquam esse meritum. Sed hi, vt semper, calumniantur. Caluinus enim Institutionis Christianæ libro secundo, capite decimo septimo, segmento sexto tantùm dixit, *Quærere, an sibi meruerit, quod faciunt Lombardus & Scholastici; non minus stulta est curiositas, quàm temeraria definitio, vbi hoc idem asserunt.* Quæ religiosissimi viri verba significant, primò quæstionem esse curiosam: hoc est, ex earum genere, quas melius sit omnino non inuestigare, quæque cùm tractātur, nullum habent momentum ad pietatem: cuius farinæ plurimas in Ecclesiam induxerunt otiosi Monachi, Scholasticorum Theologorum nomine insignes: qui in hoc ipso capite non potuerunt sibi temperare quominus inquirerent in ipsorum Christi meritorum tempora: magno conatu disputantes, vtrum ab ipso conceptionis momento Christus dici possit esse meritus.

IV. Secundò, huiusmodi quæstionis propositæ definitionem esse temerariam Caluinus asserit: nimirum, quia nullo præeunte, prælucēteque Dei verbo fiat, sed tantùm ex meris humani ingenij coniecturis. Atqui, vbi Deus tacet, quis loqui audeat? Atque is mos erat viri sanctissimi, vt abhorreret ab huiusmodi audacia: cetrùs sapere ad sobrietatem, nec vltra quod scriptum est. Itaq; Theologos Scholasticos, id est, otiosos Monachos seuerissimè tractabat, quoties se occasio offerebat: quibus nihil vnquam aut intactum aut inausum fuit.

VI. Hæc igitur nostra sententia est. Non esse de hoc articulo ita contendēdum, vt de summa religionis

ligionis Christianæ, siue de fundamentali quopiam articulo fidei, in quo definiendo non queat non grauissimè errari, si erratur. Sed potius primò quidem præstare, si nunquam moueretur quæstio. Nã etsi nihil habeat in se mali aut falsi; tamen hoc ipso noxia est; quod assuefiant humana ingenia discedere à Verbo Dei, vnde digressis nullus euagandi terminus. Deinde, si non possit cohiberi humana curiositas, quin sibi indulgeat, consultissimum fuerit, si hæ propositia, caueamus definite. Et si quandoque sententiam nostram aperiamus, modeste id faciamus: quod certè ij non faciunt, qui nõ iurantes in sua verba, damnant tanquã blasphemos.

VI. Obiiciunt tres locos: primum Vasques ex Lucæ vltimo, *Nonne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam?* Verbum *oportet*, inquit, adiuncta particula *& ita*, causam denotat: significat enim antecessionem, non quancunque, sed necessariam, ac proinde meritum necessarium.

VII. Scio, inquam, Stellam esse ita interpretatum. Sed nego quicquam esse firmi. Primò Græcè non est *& ita*: quod si fundamentum subtrahas, ruit argumentum. Scripsit Lucas tantùm *&*, quomodo solent duo membra connecti: etiam cum nulla cõsequentia denotatur, nedũ causa. Vt sensus sit, duo debuisse à Christo impleri, & mortem in cruce, & introitum in gloriam. Quod omnes satis vident. Deinde ipsam illam particulam *& ita*, nego habere quicquam, quo superbiat Vasques. Nego, inquam, eam copulationem verbi *oportet* cum particula *& ita*, significare causam. Antecessionem possum concedere, & quidem necessariam. Sed proinde meritũ nego: non enim omnis antecessio necessaria meritum est. Exẽpli gratia, Lucæ duodecimo, *dicitis, Imber venit; & ita fit.* Antecessio est sine dubio, & quidẽ denotata per *& ita*: sed quis tã infanus, vt illud dicat esse meritũ? ergo simplex sensus est, ea Dei decreto vtrumq; oportuisse euenire, & pati priùs Christũ, & pòst intrare in gloriam. Meriti nulla necessitas fuit.

VIII. Alterum locum proferunt è secundo capite ad Hebræos, *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Id intelligunt, quasi dictum propter passionis mortisque meritum fuisse Iesum gloria & honore coronatum.

IX. Sed nihil est certi. Locus enim tripliciter exponitur. Prima expositio eorum est, qui passionẽ pro merito ponunt: sed Papistarum duntaxat, Lyrani, Thomæ, Anselmi, & si qui pauci sunt præterea. At vetustiores quidem ipsam crucis mortem intelligunt gloriam illam & honorem. Primasius, *Hic aperte manifestat, quia gloria & honor Christi, crux eius fuit, pro qua modicum minoratus est ab Angelis moriendo pro nostra salute.* Oecumenius. δόξαν καὶ τιμὴν καλεῖ τὸ ὑπὲρ τῶν ... Θεῷ, ... *Gloriam & honorem crucem vocat. Neque enim tam dignum Deo fuit, aut magnificum creare cœlum & terram & hominem & supernas potestates, quam dignari propter nos cruci affigi.* Et author dictorum & interpretationum, quæ tribuuntur Athanasio, quæstione centesima vigesima octaua, ... *Gloria & honos Christi crux, quia innumera bona per eam contigere.* Et hanc interpretationem è recentioribus sequitur Ioannes Gagnæus in Scholiis in eum locum: nam o distinguit ita contextum, vt non passionem mortis legat: sed mortis gloria & honore: nullo quod sciam exemplo.

X. Tertia expositio longè facilior, connectit illud *per passiones mortis* cum præcedentibus, vt non dicatur per passiones mortis gloria & honore coronatus: sed minoratus ab Angelis, id est, minor factus Angelis per passiones mortis. Sic Athanasius de Trinitate dialogo secundo. ... *Propter incarnationem etiam Angelis minorem factum dixit Apostolus scribens, Iesum autem nonnihil minorem factum Angelis videmus per passionem mortis.* Nec aliter explicat Theodoretus, *Non natura ... fuit minor Angelis, sed per passione humanitatis.* Augustinus contra Maximum tertij capite vigesimo quinto. *Denique propter quod dictum fit, Minorasti eum modico minus quàm Angelos, aperuit Scriptura, vbi legitur, eũ autem modico minus quàm Angelos minoratum vidimus Iesum propter passionem mortis. Non ergo propter naturam hominis, sed propter passionem mortis.* Et hanc interpretationem amplectitur Thomas de Vio Cardinalis Caietanus. Nec Iustinianus Iesuita improbauit.

XI. Ita verò Chrysostomus vtramque contingit, tum hanc posteriorem, tum secundam, ... *Eum autem quipaulo Angelis minor factus est, videmus, inquit, Iesum per passionem mortis. Deinde rursus. Gloria & honore coronatum.* Et illud Paulò minor ... *passion.* ... expositionem de tribus diebus, quibus ... mansit in sepulcro. Tum subiicit: ... *Præterea ostendit, gloriam & honorem crucem esse.*

XII. Nunc ergo facilis solutio. Nam Papistarũ interpretationi Veterum nullus accedit, quem hactenus viderim. Reliquarum autem nulla est, quæ non eludat argumentum. Nam si enim ipsa sumitur pro gloria & decore, primum est absurdũ, vt dicatur per mortem, id est, ericeẽ, esse meritus crucem siue mortem. Deinde ipsi Papistæ meritum hoc qualecunque est, referunt ad ea quæ obtinuit Christus post mortem. Sin autem intelligamus, Christum imminutũ esse per passionẽ mortis, vident omnes primò nõ agi de iis quę cõsequuta sunt mortẽ: secũdò, nullã esse meriti vllius mentionẽ, siue *propter* intelligas formaliter, scilicet in ipsa passione fuisse exinanitum, siue finaliter exinanitum fuisse, vt pateretur.

XIII. Excipit Gretserus: primò, Si quis verba illa *propter passionẽ mortis*, transponere, & cum illis *minoratus est*, copulare velit, hyperbaton prorsus improbabile Apostolo affingit. Secundò, Clarũ est nõ cæcis, illud *propter passionem* significare causam cur Christus gloria & honore coronatus fuerit. Nam Christus non in passione modico quàm Angeli minoratus est: sed in ipsa naturæ humanę assumptione. Itaque hæc minoritas in passione demum non exiftit.

XIV. Respondeo ad primum, durius esse hyperbaton Latinè propter barbariem, quàm Græcè: itaque à Græcis non auer satum: nec à Syro, nec à Caietano. Ad secundum facilis modus. Nihil enim obstat, quo minus, etsi minoratus sit in incarnatione, dicatur etiã minoratus per passionẽ: quia is vltimus fuit actus eius minorationis. Itaq; non erit sensus, tũ demũ minoratũ fuisse, cùm passus est, sed potius in ea passione vel maximè apparuisse hãc minorationẽ. Quanquã aliis placet potiùs, minoratũ fuisse propter passionem, id est, vt pateretur, quem sensum nihil est in Græcis quod non facile patiatur.

XV. Tertium locum vehementiùs vrgent ex

secundo capite ad Philippenses, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Nam illud διὸ intelligunt causam propter quam, vel meritum; adeò vt Hayus Gallicè reddiderit, *pour l'amour de quoy.* Itaque significare, aiunt Christum per hanc sui exinanitionem meritum esse vt exaltaretur, & haberet nomen eiusmodi. Et Pater subiicit testes Chrysostomum, Ambrosium, Theophylactum, Oecumenium, Primasium in eundem locum. Item Augustinum tractatu centesimo quarto in Ioannem; & libro secundo contra Maximinū capite quinto: & libro tertio, capite secundo: Cyrillum libro tertio Thesauri capite secundo: Basilium libro quarto in Eunomium. Qui omnes (inquit) ex hoc loco colligunt Christum meruisse humilitate gloriam, non solùm nobis, sed etiam sibi.

XVI. Respondeo, non esse hanc aut loci explicationem aut argumenti consequentiam certam: Quia, quæ Christus habuit per & propter vnionem hypostaticā humanitatis suæ cum Verbo, id nullo modo mereri potuit. Neque id controuersum inter Catholicos & Papistas. At verò hoc nomen, quod Christo datum, à Patribus agnoscitur, esse per & propter vnionem. Quod probo inductis testimoniis. Theodoretus in hunc locum, *Accepit vt homo, quæ habebat vt Deus: nomē autem quidam interpretati sunt gloriam. Ego autem ex epistola ad Hebræos inuenio aliam Apostoli dicti intelligentiam. Cum enim dixisset, Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit: interpretatur nominis differentiam, & dicit: Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Et rursum, Ego ero illi in Patrem, & ille erit mihi in Filium. Hic ergo hoc etiam dicit, quod seipsum humiliauit, non solùm non perdidit quod habebat vt Deus, sed hoc etiam accepit vt homo.* Oecumenius. ποῖον δὲ τὸ χαρισθὲν ὄνομα; τὸ Χριστὸς, τὸ Υἱὸς, τὸ Θεός· ταῦτα γὰρ καὶ μετὰ σαρκὸς καλεῖται, *Quodnam verè illud est concessum nomen? Christus, Filius, Deus. Sic enim etiā cum carne vocatur.* Theophylactus, *Verum quod nomen illi ob humanam naturam contulit Deus? nimirum vt Filius in carne dicatur & Deus. Nam & homo Dei est Filius, sicuti & Angelus dixit quod factum est, Filius Dei vocabitur. Istiusmodi autem appellatio vniuersorum nomē excedit.* Sic Sedulius & Vetustior Ambrosius, *Videtur ergo donum Patris, hoc est, esse Filium, & nomen eius super omne nomen sit, hoc est esse Deum.* Athanasius apud Theodoretum dialogo secundo, capite vigesimo nono. καὶ ὅτε λέγει διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ λέγει, οὐ περὶ τῆς θεότητος. οὐ γὰρ ὁ ὕψιστος ὑψοῦται, ἀλλ' ἡ σὰρξ τοῦ ὑψίστου ὑψοῦται, καὶ τῇ σαρκὶ τοῦ ὑψίστου ἐχαρίσατο ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. καὶ οὐχ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ κατ' ἀρχὴν ἔλαβε τὸ καλεῖσθαι, ἀλλ' ἡ σὰρξ αὐτοῦ σὺν αὐτῷ ἐθεολογήθη, *Et quando dixit, Propterea Deus ipsum superexaltauit, & largitus est ei nomen quod est supra omne nomen, de templo scilicet eius corpore dicit, non de Deitate: neque enim altißimus exaltatur: sed caro altißimi exaltatur: & carni altißimi largitus est nomen excedens omne nomen: neque Verbum Dei ab initio accepit vt vocaretur, sed caro eius cum eo Dei nomen obtinuit.* Idem Athanasius Oratione secunda contra Arianos. ὥσπερ γὰρ ὡς ἄνθρωπος ὁ Χριστὸς ἀπέθανε καὶ ὑψώθη, οὕτως ὡς ἄνθρωπος λέγεται λαμβάνειν ὅπερ εἶχεν ἀεὶ ὡς Θεός, *Quemadmodum enim qua homo Christus mortuus est & exaltatus: sic qua homo dicitur accepisse quod habuit semper qua Deus.*

XVII. Mitto alios. Sed admoneo ipsam rationem confirmare hanc sententiam, ne quis me putet sola autoritate pugnare. Nam id nomen Paulus asserit esse ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, id est, excedere omne aliud nomen: siue excellentius esse omnibus nominibus, vt vertit Syrus. Atque id omnino nullum esse potest præter Dei nomen. Ambrosius, *Nomen enim Dei, sed per naturam, non per solam appellationem super omne nomen est.* Et sanè, quantumuis exaltetur Christi humanitas in seipsa, siue gloria, siue incorruptibilitate, siue aliis dotibus, quibuscumque & quantiscumque, tamen eas dotes creatas esse non est dubium: itaque longè infra Dei gloriam. At si ipsa hæc Dei gloria intelligatur, iam nulla restat exceptio, quin absolute hoc nomen excedat omne nomen.

XVIII. Neque hæc infirmari ratio potest Anselmi autoritate; cuius occasione Hayus affirmat Christum meruisse, non quidem vt Deus esset: sed saltem, vt Deus agnosceretur ab hominibus. Nam primò, recentior est Anselmus, quàm vt Veteribus possit comparari. Apud Veteres autem legebamus, *Donum Patris hoc est esse Filium: & nomen eius super omne nomen, hoc est esse Deum:* Et nomen Dei per naturam, illud esse nomē, quod sit super omne nomen. Quæ certè de agnitione siue fama intelligi non possunt. Secundò, non potuit Christi meritum magis deiici, imò exinaniri: quia ex Papistarum hypothesi, etiam Martyres, maximeque Apostoli, id meruerunt, vt tum eorum martyria, tum fides ab omnibus hominibus agnosceretur, imò etiam celebraretur. Etsi autem fateor longè maius esse, cum quis agnoscitur esse Deus, quàm cùm martyr, aut Apostolus, tamen cùm duo sint in eodem complexo, videlicet esse Deum & agnosci: ac prius non veniat in rationem meriti, sed tantùm posterius; sequitur sequestrato eo, quod sibi proprium eximiumque Christus habet, solum id superesse, quod habet commune cum Apostolis & martyribus. Itaque nihil magis sibi sua morte Christum meruisse quàm martyres sibi. Tertiò, multo plus fidelib' meruisset Christus, quàm sibi. Nam æstimatio siue agnitio, nihil est reale. Itaque nihil conferre potest ad realem, siue gloriam, siue beatitudinem cuiusquam: Et vno verbo, vmbra est potius beatitudinis, quàm beatitudo. At quæcunque nobis Christus meruit, ea sunt beneficia realia, quæ realiter nos beatos efficiunt. Quanto igitur res præstat vmbræ, tanto plus nobis quàm sibi Christus meruisset. Imò verò quis cordatus admittat, realem suam beatitatem absque merito Christum habuisse: & ad acquirendam beatitatis vmbram, opus fuisse meritis?

XIX. Iam quod tam confidenter asseuerat Bellarminus, Chrysostomum, Ambrosium, Theophylactum, Oecumenium, Primasium, Augustinū, Cyrillum, Basilium ex hoc loco colligere Christum meruisse humilitate gloriam, non nobis solùm, sed etiam sibi, suo more facit, hoc est, audacius, quàm religiosius. Certè de Chrysostomo, Theophylacto, Oecumenio, Primasio, Cyrillo, Basilio: aliud mendacium: adeò illi de merito prorsus tacent. Ambrosii mens ex præcedentibus cōstare potest. Nam, qui nomen illud interpretatur ipsam Deitatis naturam, non potest credere hoc meritis vllis imputandum. Itaque quod dixit, *Quid & quantum humilitas mereatur, ostēdit*, intelligendū primò, de humilitate nostra: vt sit applicatio exempli: nempe doceri à Paulo hoc Christi exēplo, quid nō ab humilitate possimus expectare. Secundò, *mereatur*, simpliciter est, assequatur,

to, obtineat, etiam absque vlla merito, id est, debita ratione: qui vsus apud Veteres crebertimus: etiam Ambrosium, vt docebimus sequente tomo, si Deus dederit. Ita solus superest Augustinus adde Vigilium ab Hayo citatum. Quid ergo? Nimirum probabilis fuat eorum sententia, at non necessaria, & eiusmodi, vt non liceat ab ea discedere.

XX. Superest tamen, in vocula διὸ, *propter*, quæ vbique, inquit, causam significare solet. Deinde particula &, in illis verbis, *Propter quod & Deus exaltauit illum*: apertè indicat causam, vt sit sensus, Christus obediuit Deo, & vicissim Deus honorauit illum. Sed hæc vinlegatio est. Appellant eam particulam Grammatici causalem. Sed quàm latè pateat apud eos causæ nomen, quis ignorat? Vt quamlibet etiam tenuem occasionem complectatur: etiam in sermone contexendo, consequentiam. Lucæ septimo, *Non sum dignus, vt tectum meum obeas, Ad διὸ οὐδὲ ἐμαυτὸν, propterea, ne me ipsum quidem sum dignum arbitratus, qui venirem ad te.* Actorum vigesimo, *Ego scio, non amplius visuros faciem meam, vllos ex vobis omnibus, διὸ μαρτύρομαι, ideo testor vobis hodierno die, me purum esse à sanguine omnium.* Priori ad Corinthios duodecimo, *Scitis vos Gentes fuisse, qui ad idola muta prout rapi contigisset, abripiebamini, διὸ γνωρίζω ὑμῖν, quapropter notum vobis facio, nullum per Spiritum Dei loquentem, dicere Iesum anathema.* Addam sexcenta huiusmodi si libet, sed in re, vel pueris nota, non est opus. Fallit ergo Bellarminus, cùm à causa simpliciter, causam meritoriam concludit.

XXI. De altera particula, καὶ, longe leuior instantia. Solent enim per eam copulari, quæcumque orationis membra. Et quidem solere subnecti particulæ διὸ expletiuè: absque vlla meriti, aut etiam causæ significatione patet. Ad Romanos 15. *Non sustinuerim quicquam loqui, quod non effecerit Christus per me adducendis ad obedientiam Gentibus, verbo, & facto, διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην, Quapropter etiã impeditus sum sæpe, ne venirem ad vos.* Ad Hebræos decimo tertio, *Quorum animalium sanguis offertur pro peccato in sacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra castra. Διὸ καὶ Ἰησοῦς, Quapropter, vt Iesus sanctificaret populum per proprium sanguinem, passus est extra portam.*

XXII. Nihil igitur habet in Scripturis præsidij caussa Bellarmini. De ratione videamus. Melius est, inquit, cæteris paribus, aliquid ex merito habere, quàm sine merito. Ergo Christus quæcumque habuit post resurrectionem, ea sibi meruit. Respondeo primò, negari consequentiam. Nam inde conficeretur, nihil omnino Christum habuisse, nisi ex merito, non gratiam, non scientiam, non ipsam vnionem hypostaticam. Quæ tamen ipsi fatentur Papistæ, non esse ex meritis. Ridiculè autem Bellarminus distinguit bona, vt aliis melius sit nunquam carere: aliis potius sit acquirere ex merito. Nam primò non probatur gratiam, scientiam, vnionem ex iis esse, quæ melius sit semper habere: quàm acquirere per merita. Secundò, ratio proponebatur vniuersaliter: itaque hæc non tã solutio est obiectionis, quã retractatio rationis propositæ. Tertiò, supposita hac distinctione eneruatur ratio, nisi prius doceatur melius esse incorruptionem, & immortalitatem ex merito acquirere, quàm nunquam non habere. Hoc autem qui probet, idem eadem opera, non parum detrahet de beatitudine diuina. Deinde negatur etiam antecedens. Nam, & quæ habentur à natura, ea melius habentur, quàm si ex merito: inde Dei maxima perfectio æstimatur. Et quæ Deus largitur hominibus ex mera sua gratia, ea longè præstant iis omnibus, quæ homines suis meritis possunt acquirere. Nec vnquam, vt hoc dicam exempli gratia, tanta fuit Augustini scientia, quam continuo labore acquisiuit; quanta fuit Pauli, qui se Euangelium testatur habuisse ex reuelatione: id est, absque vllo suo merito. Imò non tantùm, non fuit tanta scientia; sed ne quidem Augustinus in iis quæ didicit, vnquam laude comparandus cum Paulo. Quomodo in nuptiis illis nunquam tanta fuit qualitas quam ex se aqua habuit, quàm quæ in eam collata est ex gratia, conuersa in vinum.

XXIII. Hæc erant arma Papistarum. At Catholicis vnũ hoc sufficit, quod Scriptura nusquam docet Christum sibi aliquid meruisse. Id inde apparet euidentissimè, quod qui contrariam sententiam tuẽtur, nullos prorsus locos citare possunt; præter eos duos, de quibus iam actum est. Quid ergo obstet quo minus sanctè exclamarit Caluinus, Quæstionem esse stultè curiosam, definitionẽ autem temerariam? Et illustratur, quia quoties Spiritus Sanctus agit de fructibus incarnationis, eos omnes ad nos refert: Sic nobis natus puer est: sic nobis factus sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio: sic pro nobis sanctificauit seipsum: sic passus est pro peccatis nostris: sic resurrexit pro iustitia nostra. Sic denique abiit ad Patrem, vt pararet nobis locum, & faceret nos considere in cœlestibus. In his si modestè sapimus, longè tutius sapimus, quàm si ἀκριβῶς, arcana nobis perscrutemur incognita.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

est & Pontifex, non quòd maiori Deo offerret sacrificium, sed sibiipsi & Patri fidei nostræ confessionem procuraret. Audiens, quòd dictus est sacerdos propter humanitatem, erubescisne? Deinde (Græcè crediderim esse ἐπεὶ, igitur: nam Latina non quadrant) *quomodo non admiratus es, quòd non secundùm sacerdotum morem alteri fecerit sacrificij ritum, sed sibi potius & Patri, vt dixi. Quando dicis* (& hæc omisit Bellarminus) *indignum esse Deo vt sacrificet, astipulor & ego: scilicet si solum sit & absque carne Verbum, dixeris rectè: quia autem factum est caro, inde & sacrificantem propter humanitatem, & in dignitatibus vltra creaturam sicut Deum.* Hæc Cyrillus. Nota primùm: Deum factum carnem esse Pontificem. Deinde, Deum sacrificare sic distingui, vt Deus solùm dicatur: vel Deus incarnatus. Deum solum sacrificare indignum esset: at non item Deum incarnatum. Hęc apertè nostra sunt.

IX. Sed duo Bellarminus opponit. Primò, Christum esse Pontificem propter humanitatem. Secundò, Christum sacrificium sibi obtulisse & Patri. Vnde concludit non esse igitur Pontificem propter diuinitatem. Respondeo ad primum: Cyrillum non dixisse Christum esse Pontificem propter humanitatem: sed potiùs Verbum. Etsi autem Christus sit Verbum, tamen aliter nominatur Christus, aliter Verbum. Christus quidem est tota persona constās duabus naturis. Verbum verò ex altera tantùm natura. Itaque Christus totum suppositum designat. Verbum verò Deitatem. Secundò: Propter humanitatem nego esse idem, quod secundùm humanitatem. Nam hoc quidem Deitatem excluderet. Vt cùm dicitur Deus mortuus carne, siue secundùm carnem, significatur mortem illam sic propriè fuisse carnis, vt Deitatis esse non potuerit. At verò illud non excludit: significat enim Verbum non in puris diuinis esse sacerdotem; sed esse tamen propter incarnationem; hoc est, vt loquebatur idem Cyrillus, quando factus est homo. Quomodo, Mortuum Verbum, propter humanitatem, siue propter carnem, dici non potest. Itaque, negatur consequentia, quæ dicit, Sacerdos est Verbum propter humanitatem: Ergo, non est sacerdos secundùm deitatem; omnino negatùr Verbum esse sacerdos: quod tamen ponit, qui dicit, Verbum est sacerdos propter humanitatem.

X. Ad secundum facilis solutio, ex Cyrilli distinctione, tum Dei solius, & incarnati: tum naturæ & dispensationis. Sacrificium offerri à Deo, tantùm Deo, & æstimato secundùm naturam suam, hoc verò indignum est. At sacrificium offerri à Deo incarnato, & per dispensationem, nihil est absurdi. Similiter sibi ipsi Deo tantùm Deo, & in sua natura offerri sacrificium à Verbo, absurdum est, vt nihil magis. At sibi, secundùm naturam tantùm Deo, offerri sacrificium à Verbo, Deo quidem, sed incarnato, & per dispensationem, nihil habet à ratione alienum. Nam quod subiicit Bellarminus, non posse vnum & eundem, vt eundem, sacrificium offerre & accipere; falsum est, nisi addas etiam eodem respectu, & secundùm idem. Sed tum falsum erit Verbum, eodem respectu, & secundùm idem, offerre & accipere. Offert enim, vt Mediator, recipit vt Deus: tantùm offert dispensatione, recipit natura.

XI. Superest alter à Cyrillo locus, cuius intellectus facilis. *Inquantum*, inquit, *Filius & Deus, vna cum Patre bona nobis largitur.* Quis neget? etsi qui idem neget esse ὁμοίουν Patri? *Inquantum verò Mediator est, nostras ad Patrem preces adducit.* Ergo, inquam, quatenus Verbum incarnatum. Nam antea constitutum est non esse Mediatorem, nisi quatenus Verbum incarnatum est. Itaque illud quidem esto Naturæ, hoc autem dispensationis.

XII. Ad Chrysostomum venio. Is homilia decima sexta ad Hebræos. *Quid est*, inquit, *Mediator? Mediator non est Dominus rei, cuius est Mediator, sed alia quadam res est.* At quis dicat (inquit Bellarminus) Christum, vt Deum, non esse hominem? Ergo, Chrysostomus secundùm formam setus vult Christum esse Mediatorem?

XIII. Respondeo, negari consequentiam. Locum autem truncari. En tibi. τί δέ ἐστι μεσίτης; ὁ μεσίτης οὐκ ἔστι κύριος τοῦ πράγματος οὗ ἐστι μεσίτης, ἀλλ' ἕτερον μὲν τὸ πρᾶγμα, ἕτερον δὲ ὁ μεσίτης. οἷον μεσίτης γάμου γίνεται, οὐχ ὁ γαμῶν, ἀλλ' ὁ τῷ μέλλοντι ἄγεσθαι συμπραττόμενος. οὕτω δὴ καὶ ἐνταῦθα μεσίτης ὁ υἱὸς ἐγένετο τοῦ πατρὸς καὶ ἡμῶν. οὐκ ἤθελεν ἡμῖν ἀφεῖναι ὁ πατὴρ τὴν κληρονομίαν ταύτην, ἀλλ' ὠργίζετο πρὸς ἡμᾶς καὶ ἐχαλέπαινεν ὡς ἀπηλλοτριωμένοις· μεσίτης τοίνυν ἐγένετο μεταξὺ καὶ αὐτοῦ, καὶ ἔπεισεν αὐτόν. *Quis est Mediator: Mediator non est Dominus rei, cuius est Mediator: sed alia quidem res est, & Mediator alius. Exempli gratia: Mediator nuptiarum est, non ipse qui ducit vxorem; sed is qui ducturo suam operam commodat. Similiter hic Mediator Filius factus est Patris & nostri: Nolebat Pater nobis relinquere hanc hæreditatem: imò nobis irascebatur, & infensus erat, tanquam alienatis. Mediator ergo fuit eius, & nostri, placauitque eum.*

XIV. Hæc Chrysostomus. In quibus venatur Sophista ambiguitatem illius Κύριος τοῦ πράγματος. Christus, inquit, quatenus Deus, est Dominus. At Mediator non est Dominus. Ergo, Christus, quatenus Deus, non est Mediator. Imò, inquam. Christus, quatenus homo, est Dominus. Psalmo secundo. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Ad Hebræos primo. *Quem constituit hæredem omnium.* Et secundo, *Constituisti eum super opera manuum tuarum.* At Mediator non est dominus. Ergo Christus, quatenus homo, non est Mediator. Placétne? Imò blasphemum, sed æquè hoc & illud. Quid ergo? Nimirum haud absolutè dominum Chrysostomus dixit, sed Κύριον τοῦ πράγματος: & τὸ πρᾶγμα, cuius negauit dominum, intellexit effectum ipsum mediationis, quod non sibi, sed alij cuipiam Mediator procuret. Patet ab exemplo. Non enim dixit τοῦ μέλλοντος ἄγεσθαι, eius qui ducturus est vxorem, non esse dominum Mediatorem. Nam contrà testis est quotidiana experientia. Nam & pater nuptias liberis suis, & Rex suis subditis passim procurat: & dominus suis seruis: sed dixit ipsum τὸν γαμοῦντα non esse μεσίτην τοῦ γάμου, *ipsum qui ducit vxorem, non esse mediatorem nuptiarum*, sed eum qui ducturo adest. Nempe igitur ille Mediator non est nuptiarum dominus hoc est, sibi ipsi nuptias nō procurat. Itaq; hoc sensu, omnino Christus, neque secundùm Deitatem, neque secundùm humanitatem, dominus est τοῦ πράγματος. Non enim sibi, sed nobis conciliauit Patrem: non sibi, sed nobis hæreditatem acquisiuit. Nam etiamsi eius sit hæreditas, tamen non sibi eam acquisiuit, ex vi mediationis: aliàs Mediator diceretur inter se & Patrem: quod est ὑπὲρ λίαν ἄτοπον.

XV. Sequitur Augustinus, à quo multa testimonia desumuntur, etiam ridicula diligentia, è singulis tomis singula, & quidem præsente nota: ne fortè lector non aduerteret, non satis Iesuiticè diligens. Quod exemplum si incidisset in Theophrastum, mirum ni in capite περὶ τῆς μικροφιλοτιμίας [illegible]

gressfet. Def[illegible] Libro decimo Confessionum c[illegible] dro [illegible] tertio. *In quantum homo, in* *tantum [illegible] quantum autem Verbum, non medius,* *quia [illegible] Deo, & [illegible] Deus, & cum Patre, & Spiritu sancto, vnus Deus.* Ad Paulinum Epistola quinquagesima nona. *Per Mediatorem, non Deum, quod Verbum semper erat, sed hominem Christum Iesum.* De Trinitate [illegible]. *Christus in forma Dei aequalis Patri, in forma serui Mediator Dei & hominum.* De consensu Euangelistarum libro primo capite tertio. *Secundum hominem Christus Rex, & sacerdos est, illus est, vt esset ad interpellandum pro nobis Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* De ciuitate Dei libro decimo, capite vigesimo. *Vnde verus ille Mediator, in quantum formam serui accipiens, Mediator effectus est Dei & hominum, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo vnus est Deus, tamen in forma serui sacrificium maluit esse.* Contra Faustum libro decimo sexto, capite decimo quinto. *Dissimilis hominibus Christus, quia Deus: similis hominibus, quia homo, Mediator Dei & hominum.* Libro secundo contra Coelestium & Pelagium de peccato originis, capite vigesimo [illegible]. *Nam per hoc Mediator est, quod aequalis Patri per hoc enim, quantum Pater, tantum ipse a nobis distat. Et quomodo erit medietas, vbi eadem distantia est? Ideo Apostolus non ait, Christus Iesus, sed, homo Christus Iesus. Per hoc ergo Mediator, per quod homo, inferior Patre, per quod nobis propinquior: superior nobis, per quod Patre propinquior. Quod apertius ita dicitur, Inferior Patre, quia in forma serui: superior nobis, quia sine labe peccati.* In Psalmum vi[illegible] nonum expositione prima. *Inter Trinitatem & hominum infirmitatem, & iniquitatem, factus est Mediator homo, non iniquus, sed tamen infirmus.* In Ioannem tractatu octogesimo secundo. *Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est Iesus Christus.* Et sermone vndecimo de Verbis Apostoli. *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum. Non ait, Christus Iesus, ne tu putares secundum Verbum dictum, sed addidit, Homo Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.*

XVI. Respondeo: Etiamsi concederemus Augustinum sensisse, Christum non esse Mediatorem secundum vtramque, sed secundum humanam naturam; tamen id nobis non obfuturum. Ratio. Quia solitarius esset in ea opinione. Nam reliquos iam demonstrauimus contra sentire. Non habet autem solitarius doctor autoritatem idoneam: quod ipsi Papistae interdum fateri coguntur. Secundo: fatemur Augustinum reliquis Patribus paulo durius, & fortasse [illegible], esse loquutum multis locis: sed si diligenter locos locis conferamus, compertum iri non [illegible] ille solitarie, sed cum aliis. Itaque, mollienda durius di[illegible], commoda quadam interpretatione; quae neque vim vocabulis faciat, neque discedat a veritate, communique aliorum Patrum consensu. Atque adeo huc [illegible] admonens prius vnum ex iis locis esse falsatum: sextum videlicet, contra Faustum decimo sexto. Legitur enim sic, *Et similis homini Christus, quia homo: quia de illo uidem scriptum est, Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Non *quia homo mediator Dei & hominum*, vt scripsit Bellarminus.

XVII. Dico ergo, Augustinum credidisse Verbum non nudum, sed incarnatum, hoc est, in quantum factum est caro, fuisse Mediatorem nostrum. Quomodo Vigilius dixit libri quinti capite quarto. *Constat per humanam naturam ineffabiliter Verbo vnitam Mediatorem fuisse factu Dominum Iesum Christum.* Itaque etiam Mediatorem esse, in vtraque natura simul vn[illegible] illud probo tum ex iis locis, qui recitantur cap. 4. tum ex iis qui annotantur capite quinto: & denique ex nonnullis, quae nunc ipse Bellarminus citat; sed mutilate, non negligenda fraude. Vt epistola quinquagesima nona illud quod dixerit, *Omnes homines vult saluos fieri; nullo alio modo intelligitur praestari nisi per Mediatorem, non Deum quod semper Verbum erat, sed hominem Christum Iesum, cum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* De ciuitate Dei [illegible], *in quantum formam serui accipiens, Mediator effectus est.* In Psalmum vigesimum nonum. *Atque ita, vt inter hominem & Deum Mediator existeret, Verbum caro factum est, id est, Verbum homo factum est.* In Ioannem. *Deus enim erat Verbum, vnigenitus, gignenti coaeternus: sed vt Mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Denique de Verbis Apostoli. *Per Verbum carnem factum fideles facti sumus. Vnus enim Deus, & vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, in principio erat Verbum.*

XVIII. Ex his facile animaduertunt omnes, eatenus dici Mediatorem Christum, quatenus Verbum caro factum est. Imo vero vt fieret Mediator, Verbum factum esse carnem. Denique illud ipsum Verbum quod erat in principio, carnem factum, Mediatorem esse. Quod cum ita sit, reliqua sunt omnia facilia. Quid enim? dixit, Mediatorem esse, in quantum est homo. Certe, inquam: quia non Mediator, nisi incarnatus: nec incarnatus, nisi in quantum homo. Quo sensu Vigilius libri quinti contra Eutychen capite quarto, disputat de Mediatore secundum vtramque naturam. *Constat, inquit, per humanam naturam ineffabiliter Verbo vnitam, Mediatorem fuisse factum Dominum Iesum Christum.* Dixit Mediatorem, non Deum, quod semper Verbum erat. Nec male, dummodo Deum tantum intelligas, non incarnatum, quod Verbum semper erat: Mediatorem ergo, quum Verbum factum est caro. Dixit factum esse Regem, & Sacerdotem secundum hominem. Quis neget? est enim secundum incarnationem. Dixit, non per hoc Mediatorem esse, per quod aequalis est Patri. Qui contradicit, non sit sanus. Sed qui inde excludendum dicat, Verbum incarnatum (nam per incarnationem exinanitus est, non [illegible], sed [illegible]) haereticus sit.

XIX. Addo, ex iisdem locis nonnullos esse inutiles. Qualis ille, *Secundum hominem rex & sacerdos factus est.* Item. *Inter Trinitatem & hominum infirmitatem, & iniquitatem factus est Mediator homo.* Nam quae de humanitate affirmantur, non est consequens negari de Deitate. Et qui fatentur Mediatorem Christum secundum vtramque naturam: idem sine dubio concedunt secundum humanitatem. Item hic, *dissimilis hominibus Christus, quia Deus, similis hominibus, quia homo Mediator Dei & hominum.* Nam quid quaeso iam obstat, quin intelligamus Mediatorem referri tum ad dissimilitudinem, tum ad similitudinem: vt sensus sit; eam ob causam Mediatorem dici, quia & dissimilis sit hominibus, quia Deus; & similis quia homo? Nam prius ostensum, eam esse Mediatoris naturam. Itaque, non satis pensiculate probationes suas seligit Iesuita.

XX. Superest Fulgentius libro de Incarnatione & gratia Christi, capite decimo tertio. *Ex natura humana Mediator Dei & hominum factus est.*

XXI. Non difficilis locus. Nam in natura humana Mediatorem Christum fuisse, Anathema qui negauerit. Verum, id superest, [illegible] in sola humana natura. Quod Fulgentius [illegible], non asserit; disputans esse Mediatorem secundum

vtramque naturam libro primo ad Thrasimundum. *Cunctos, qui salutis æternæ cupiunt esse participes, oportet agnoscere pariter & tenere, non incassum hominem Iesum Christum Mediatorem Dei & hominum nuncupatum: nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totam in se habet substantiam Diuinitatis. Nam, quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem hominémque peccantem, talis vtique Mediatoris necesse erat, vt interueniret persona, quæ ad propitiandum Deû homini, totum verâmq; se Deum de Deo natû haberet: & ad reconciliãdum homine Deo, totum verúmque in se de homine natum hominem contineret.* Et post paulò. *Propterea se Mediator Dei & hominum, plenum Deum, plenúmque dignatus est hominem demonstrare.* Itaque sensus Fulgentij manifestus est, Mediatorem esse Filium Dei in humana natura: quod absque ea non poterat. Vnde manifestè sequitur fuisse in vtraque: contra quàm Bellarminus putat.

CAP. VII.

De rationibus Bellarmini.

I. Nunc pugnat rationibus: quarum hanc primo loco constituit, à definitione, & conditionibus Mediatoris. Omnis Mediator est medius, id est, aliquomodo distans ab vtraque parte dissidente. At Christus, quatenus Deus, non est sic medius, sed tantùm quatenus homo iustus. Ergo Christus, quatenus Deus, non est Mediator, sed tantùm quatenus homo iustus. Probatur assumptionis pars vtraque. Nam primò Christus, vt Deus, non distat à Deo vllo modo, id est, nec natura, nec iustitia, nec vllo alio modo. Secùdò, Christus, vt homo, distat à Deo, vt iustus conuenit cum Deo: & contrà, vt homo, conuenit cum cæteris hominibus: vt iustus, distat ab omnibus hominibus.

II. Respondeo, ex statu quæstionis constare, Catholicos confiteri Christum Mediatorem secundùm vtramque naturam: hoc est, tum secundùm Deitatem incarnatam, tum secundùm carnem assumptam. Hoc cõstituto, negatur syllogismi assumptio. Nam quod in probatione ponitur, Christum, quatenus Deus est, non distare à Patre Deo, falsum est: Differt enim tripliciter: primò personaliter: est enim altera persona à Patre. Neque hæc differentia est ἀπερινόητος, quandoquidem probatum est, tum Scripturam, tum Catholicos Patres agnoscere Mediatorem Filium, pro nobis apud Patrem. Secundò differt Incarnatione. Patet enim, non est factus homo nobis ὁμοούσιος, sed tantùm Filius. Tertiò, differt dispensatione, οἰκονομίᾳ Græci dixerunt: quatenus ea persona Trinitatis per incarnationem exinaniuit seipsam. Itaque non probat Bellarminus priorem partem assumptionis.

III. Quod ad alteram attinet, dicimus concludi ἀσυλλογίστως: &, vt scholæ loquũtur, affirmatè in secũda figura. Omnis Mediator est distans aliquo modo ab vtraque parte. At Christus, quatenus homo, iustus distat aliquo modo ab vtraque parte: Ergo Christus, quatenus homo, est Mediator. Quid autem impediat, quominus sic Angelus sit mediator? distat enim aliquo modo ab vtraque parte: nempe à Deo, quatenus est creatura: ab homine quatenus est spiritus, & iustus. Nec miror hoc sophismate delusos miseros Papistas errare ad Sanctos producere officium Mediatoris. Nam, exempli gratia, Mariam virginem distantem agnoscunt à Deo, quatenus mulier est: rursus distantem profitentur à nobis, quatenus à peccato omni liberam mentiuntur. Catholici, vt conclusio esset legitima, dicunt inuertendam fuisse propositionem, vt dicatur, Omnis, qui aliquo modo distat ab vtraque parte, est Mediator. Sed hanc nunquam Catholici concessuri sunt, qui sciunt plura esse distantia à Deo & hominibus: & tamen vnum esse Mediatorem.

IV. Quid ergo? negamusne Mediatorem distare debere ab vtraq; parte? Absit: sed id negamus satis dici. Non enim debet tantùm distare, sed etiam æquè distare: ac propterea etiam æquè ad vtramque accedere. Ideóque, & qua ad eum accedit apud quem est Mediator, tam distare ab iis pro quibus intercedit, quàm distat ab eo ipso, qua accedit ad eos. Dicam planius: quia Mediator noster ad Deũ accedit, qua iustus, ex hypothesi Bellarmini, ad nos autem qua homo: tam debet coniungi Deo per id quod iustus est, quàm nobis coniungitur per id quod homo: & tam distare à nobis per id quod iustus, quàm à Deo per id quod homo: aliàs non fuerit verus medius: id enim omnes medium appellant, quod æquè ad extrema accedit: & æquè ab extremis distat. Mediatorem verò debere esse Medium, tum antea vidimus, tum fatetur Thomas eo ipso articulo, quo hanc quæstionem tractat. Iam verò negamus Christum tam accedere ad Patrem, qua iustus est, quàm ad nos qua homo: aut tam distare à nobis qua iustus est, quàm accedit qua homo. Ratio est, quia homo peccator distat à Deo, tum qua homo, tum quâ peccator. At homo iustus accedit ad Deum, tantùm quâ iustus: & quidem longissimo adhuc interuallo: quia ea iustitia non potest esse nisi creata, ac proinde finita. Nazianzenus oratione quarta & trigesima, [illegible Greek] *Quamlibet cælestis ac supercælestis res aliqua condita sit, sublimiorque quàm nos natura prædita, Deóque vicinior, longiori tamen interuallo à Deo, plenaque illa & absoluta cognitione distat, quàm quæ compositam hanc nostram & abiectam, atque huius vergentem massam superat.* Rursus non tam recedit à nobis homo iustus, qua iustus, quàm ad nos accedit, qua homo. Quia etsi ea iustitia sit perfecta, nostra verò imperfecta: tamen non differunt toto genere, sed tantùm κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. Humanitas autem ipso genere est eadem in Christo cum nostra: quia nobis ὁμοούσιος. Ergo, non est homo iustus medius, ac proinde, neque Mediator. At ex Catholicorum sententia Christus Mediator verè medius est: tam enim accedit ad Patrem qua Deus est, quàm ad nos, qua homo. Et rursus tam recedit à Deo qua homo, quàm à nobis qua Deus. Et denique tam accedit ad Patrem, quàm à nobis recedit: tamque accedit ad nos, quàm ad Patrem accedit.

V. Præterea ridiculus est Bellarminus, idque duplicter. Primò, quia mediationis rationem quærit, non totam in supposito, nec totam in qualitatibus: sed partim in supposito, partim in qualitatibus. Vnde sequitur, non posse esse veram mediationem. Nam sic Mediator noster, quatenus Mediator, coniunctus esset cum Patre,

non

non natura, sed voluntate tantùm: & tamen disiunctus à Patre; non quidem voluntate, sed tamen natura. At longè plus est natura quàm voluntas. Sic nemo neget, Lupum magis distare à Busiride crudelissimo tyranno, quàm Busiridem à Mose viro mansuetissimo. Nam Busiridis & Mosis eadem erat natura, etsi alienissima voluntas. At Lupi & Busiridis, etsi erat eadē voluntas, tamē erat altera natura. Sic propiores fuit Iscariotes Petro, quàm Petrus Angelo, quia etsi voluntate quàm maximè illi dissenserunt, tamen erant eiusdem ambo naturę. At hi etsi voluntate consentiant, tamen alienissimi sunt natura.

VI. Hinc altera absurditas, quòd quærat Bellarminus vtrasque mediatoris partes in eodem respectu, scilicet in humana natura. Nam homo iustus nō differt ab homine, sed tantùm ab homine iniusto. Itaque differentia est per accidens. Debuit autem Christus mediator esse hominum absolutè, non tātùm hominum iniustorum. Id apparet, quòd etiam iustificatorum hominum, post iustificationem mediator est. Ex hic obiter quæram, an Papistę Mariam, & Ioannem Baptistam, quos fingunt ab omni prorsus peccati labe fuisse puros, non opus habuisse Mediatore credant. Nam si habuerunt; vel discedendum erit Papistis à suo dogmate, quā asserunt illos caruisse peccatis: vel fatendum mediatorem esse nō tantùm peccatorum, sed etiam non peccatorum, id est, iustorum. Paulus etiam dixit, vnus mediator Dei & hominum: non autem Dei & hominum iniustorum duntaxat. Multo Patres illi melius, qui vt antea vidimus, mediationis rationem in vtraque natura quæsierunt. Tum enim mediatio est, non per accidens, sed verè naturalis.

VII. Addo tertiam absurditatem. Nam si Christus mediator est, non quà Deus & homo, sed tantùm quà homo iustus: Ergo Mediator erit tantum qua ὁμοιούσιος, non verò qua ὁμοούσιος: hoc est, non quatenus substantialiter vnus est cum Patre: sed tantùm quatenus eidem voluntate vnitus, quod est Arianorum, *Qui vbi obiecerunt nomen consubstantiale, & subornarunt nouum ac insolitum aliud, dicunt debere non conferri eum esse ὁμοούσιον addentes, quod hoc mediationi nomen sit illo dignissimum & congruentissimum.* Verba sunt Cyrilli dialogo primo cum Hermia, addentis, *Et quid hoc aliud quod deliramentum, & verè anile nugamentum? Nam si mediam quandam naturam in ipso intelligunt, & propter eam putant mediatorem nominandum, insipientissime dicunt.* Quod si est, quis vnquam Papistas excusabit? Nam eos sanè naturam oportet medium commentisci, secundùm quam Christus sit mediator. Nunquam enim efficient, vt Christus sit persona, quæ est homo iustus: est enim tantùm natura. Ac proinde in illud absurdissimum dogma incidūt, quod in Arianis Cyrillus exagitabat. Quanto melius Catholici, qui non naturam mediam, sed personam mediam dicunt?

VIII. Secunda Bellarmini ratio. Si Christus est mediator secundùm vtramque naturam, vel secundùm vtramque coniunctim, vel secundùm vtramque seorsim acceptas. At non seorsim, quia non secundùm diuinam, quæ est pars offensa. Non etiam coniunctim. Ratio, quia sic distat quidem à cæteris hominibus: distat etiam à Patre & Spiritu Sancto: & non distat à Deo Filio, nec persona, nec natura: & tamē etiam à Filio distare debet, cùm & ipse sit pars offensa; ad cuius placationem mediatore opus sit.

IX. Respondeo: concedi non esse mediatorem Christum, secundùm vtramque naturam seorsim. Nec tantùm, non secundùm Deitatem, offensam, quod vrget Bellarminus: sed ne quidem secundùm humanitatem, quæ reconcilianda erat: quod ille omittit: affirmari verò esse mediatorem secundùm vtramque naturam coniunctim & in vnitate hypostatica. Ad reliqua duplex solutio. Primò, mediatorem esse inter nos & Patrem: non verò inter nos & Filium, sic docente Scriptura; docentibus etiam Patribus, vt ostendimus. Et Biel dixit Epitome in Canonem & in illud, *Per Iesum Christum Filium tuum orationes nostræ, inquit, quatenus sunt impetratoriæ, dirigendæ sunt ad Patrem per Filium, qui mediator est inter Patrem & nos.* Etsi verum sit, totam Trinitatem nobis propter offensas iratam, fuisse placandam. Catholici autem non solent suis speculationibus indulgere, magis quàm Scripturæ loquenti obtemperare. Itaque hoc posito, negatur mediatorem debuisse differre à Filio; etiam si Filius offensus esset. Quia Patre conciliato, tota conciliatur Trinitas.

X. Secundò, quamuis concedatur mediationem spectare etiam ad Filium: tamen distinguenda est [illegible]. Differt Filius [illegible] videlicet incarnatus, & assumpto mediatoris officio, à seipso [illegible] Deo, sed tantùm Deo. Itaque nihil obstat, quominus etiam apud se pro nobis quodammodo intercedere dicatur. Nam quod notat Bellarminus, vnum eundemque, vt Deus est, mediatorem esse sui ipsius, vt Deus est, inuoluere apertissimam contradictionem; falsum est. Quia distinguuntur respectus. Contradictio autem esse non potest, nisi de eodem, ad idem, eodem modo. Hic autem modi variantur: itaque nulla contradictio.

XI. Tertia ratio: Si Christus esset aliquo modo mediator secundùm Diuinam naturam, omnes tres personæ essent mediatores. At non sunt tres personæ mediatores. Ergo nullo modo Christus est mediator secundùm naturam Diuinam. Probatur consequentia. Quia natura Diuina est communis tribus personis: itaque quicquid secundùm illam conuenit vni personæ, id conuenit omnibus tribus.

XII. Respondeo, Naturam Dei dici, vel essentialiter, vel personaliter. Essentialiter, vt significet illam totam essentiam, quæ est Trinitatis ὁμοούσιος Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Sic Deus dicitur solus sapiens, solus potens, solus immortalis, & similia. Nam in iis Dei nomen illam essentiam significat. Personaliter verò denotat ipsam illam essentiam, (nam tres personæ sunt vna essentia) sed sigillatim distinctéque consideratam in Patre, Filio & Spiritu Sancto. Sic vnus Deus, à Paulo, id est, vnus Pater, vt ostendimus ex Veterū sententia. Sic ab ipso Christo, *Creditis in Deum, & in me credite.* Paulus ad Romanos primo, *Separatus ad Euangelium Dei de Filio suo, declarato Filio Dei.* Nam eo loco negari non potest Dei nomen bis specialiter sumptum pro Patre, id est, personaliter. Et *Deus erat in Christo*, posterioris ad Corinthios quinto. Ad pascendam Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: Actorum vigesimo. Vbi Dei nomen significat personaliter Filium.

XIII. Ad argumentum ergo respondentes, negamus consequentiam. Nam, etsi Christus sit Mediator secundùm diuinam naturam, non tamen ve-

A[illegible] fcriat, quam [illegible] lego in e- [illegible] habet, non obferuatis ia- [illegible] omnibus, qui [illegible] tefti- [illegible], & [illegible] tamen *& fac[illegible] conditionis [illegible] eſt, [illegible] & agnus ad immolandum ductus eſt & ſacerdos eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech. Nemo igitur, vbi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi eum diminutatis a[illegible]ſtrat.* Non dixit ergo, vt Bellarminus, & ſacerdotium & ſacrificium, humanæ [illegible] eſſe, ſed tantùm ſacrificium. Et diſtinctè [illegible] ſacerdote: vt ſacrificium ſit abſolutè [illegible] conditionis humanæ. ſacerdos verò non item; ſed incarnatæ Deitatis: quod poſtea ſic explicat: cùm Melchiſedech fuiſſe dicit ſine patre, ſine matre, ſine [illegible] ſine narratione, ſine initio, & ſine fine deſcriptum, *vt oſtenderet ſempiternum Filium Dei in hunc mundum eſſe venturum, qui & ſine patre ſecundùm incarnationem natus eſt, & ſine matre ſecundùm diuinam generationem, & ſine enarratione generationis: quia ſcriptū eſt, Generationem antè eius quis enarrabit? Ergo illum Melchiſedech in Chriſti typo ſacerdotem Dei accipimus. Sed illum in typo, hunc in Veritate.* Cenſet igitur Ambroſius Chriſtum ſacerdotem eſſe ſecundùm quod reſpondet figuræ, quæ præceſſerat in Melchiſedech: fuiſſe autem hunc figuram incarnatæ Deitatis. Quis ergo dubitet concludere, Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundùm incarnatam Deitatem? Sacrificium verò oblatum nemo negat eſſe humanæ conditionis: id eſt, non Deitatem incarnatam, ſed tantùm humanitatem Deitati vnitam eſſe oblatam Deo.

XXI. Hieronymus non eſt autor commentariorum in Pſalmos, vnde citatur alterum teſtimonium: ſed longè recentior Beda. Et tamen ne is quidem Bellarmino fauet. Non ei iurauit, inquit, qui ante Luciferum genitus eſt: ninirum Verbo, inquantum Verbum eſt tantummodo: ſed ei iurauit, qui poſt Luciferum natus è Virgine eſt; ſcilicet Verbo incarnato. Nam & ſtatim poſt, illud ſecundùm ordinem Melchiſedech, exponit, vt iamiam Ambroſius: *quoniam ſine patre dicitur ſecundùm carnem: ſine matre dicitur, ſecundùm Deum.* Videlicet idem, ille cui iuratum eſt, eum eſſe ſacerdotem.

XXII. Ratio quinta: Si operatio propria mediatoris conuenit Chriſto, ratione vtriuſque naturæ, ſequitur confuſio operationum: & conſequenter naturarum in Chriſto: quæ eſt hæreſis Monothelitarum, & Eutychianorum, damnata in ſexta ſynodo, actione decima ſeptima. Quod in hunc explicat modum: Reiectam eſſe vnam operationem in Chriſto, non reſpectu Dei, tanquam principalis agentis: & hominis, vt inſtrumenti: ſed reſpectu Dei & hominis, tanquam propriæ & principalis cauſſæ, quæ agit ex virtute ſua, quam habet ex propria ſua forma & eſſentia: vt in curatione febris, impoſitio manuū erat humanitatis operatio: vt expulſio febris, erat operatio Deitatis: ſimiliter ſacrificare, proprium eſt Chriſti, vt homo eſt: quia conuenit etiam puris hominibus. Itaque, ſi hoc item conuenit Chriſto, vt Deus eſt, eadem erit operatio vtriuſque naturæ.

XXIII. Reſpondeo, negari conſequentiam. Quod vt fiat planum, paulo exactius explicanda eſt Catholica doctrina de duarum in Chriſto naturarum proprietatibus: quam leuiter Bellarminus attingit: diſtinguendum igitur inter τὸ ἔργον & τὴν ἐνέργ[illegible] [illegible] opus illud eſt, quod cōficitur: Ioannis ſeptimo [illegible], *Vnum opus feci.* Et ſecundo, vnum quoddam opus, Ioannes appellat initium ſignorum. Huiuſmodi opera perſonæ adſcribuntur. Sic Ioannes in carcere audiuit opera Chriſti: Matthæi vndecimo: Ioannis quinto, *opera quæ ego facio:* Et infinita huiuſmodi. At verò ἐνέργεια, inquit Damaſcenus, ἡ δραστικὴ καὶ οὐσιώδης τῆς φύσεως κίνησις *efficax & ſubſtantialis naturæ motus.* Itaque, quia in Chriſto naturæ duæ ſunt, omnino duplex ἐνέργεια agnoſcenda: vt humana quidem quęcunque ſunt, ea tribuuntur naturæ humanæ: quæcunque autem diuina, diuinæ. Vt in homine ipſo, quia vniuntur anima & corpus; in vno eodemque homine quædam obſeruantur, quę anima agit ſua ipſius natura, vt cogitare, corpus etiam mouere: quædam iterum, quæ corporis ſunt propria, vt edere, bibere, dormire. Neque id tantùm, ſed etiam in vno eodemque opere, quod ad vnam eandemque perſonam referendum eſt, duplicem agnoſcas ἐνέργειαν pro naturarum munere: vt in homine loqui. Nam qua ſonus eſt, ad corpus pertinet, eiuſque organa: qua verò rationum textura; non poteſt eſſe niſi animæ. Vel, vt Veterum exemplum vſurpem, ferrum candens & ſecat & vrit. Non ſecat quatenus candens: non vrit quatenus ferrum. Porrò id quod ab efficacitate fit, vocant ἀποτέλεσμα. Vt ferri ἀποτέλεσμα ſectio. Ignis verò vſtio. Sic corporis in ſermone ſonus: animi verò ratio. Porrò τὴν ἐνέργειαν Latini Theologi operationem appellarunt.

XXIV. His explicatis, dico primò, Mediatorem, neque opus eſſe, neque operationem, ſed officium, ad quod referuntur tum opera, tum operationes Quemadmodum, neque Prophetam, neque Sanctificatorem. Quare, vt Dominus dicitur Chriſtus ex officio, & ineptè diſputaret quiſpiam in eo capite de naturarum energia: non aliud iudicium eſt de Mediatore. Itaque ineptè omnino, ex eo quod Mediator, ſiue Sacrificator, ſicut Dominus, ad vtramq; naturam ſpectare dicitur, inferet quis τῶν ἐνεργειῶν confuſionem, indeque naturarum. Sicut nemo vnquam Catholicus id inferre potuit, ex eo quod Dominus Chriſtus dictus eſt: debent enim ſingulares actus, imò ſingularia ἀποτελέσματα conſiderari. Nam alioquin Mediator idem eſt aut ſimile, ac ſi ignitum dixerim: quod quidem vnum eſt, nec plura: ſed tamen continet in ſe tum ferrum, tum ignem: non enim ignitum eſt niſi ferrum, (aut quid eiuſmodi) & ignis. Nec tamen quiſquam calumniabitur me ferri naturam confundere, cum ignis natura.

XXV. Secundò, etiamſi Mediator eſſet opus, tamen conſequentia nihil valet. Nam in vno eodemque opere eſt tamen certiſſima τῶν ἐνεργειῶν differentia. Nam ſi vnum idemque opus, tum ferri ſectionem, tum ignis vſtionem præ ſe fert: ſi vna eademque oratio, Ciceronianis tum oris ſuauitatem, tum ingenij ſubtilitatem, ſic oſtendat; vt nequeas vel ori ſubtilitatem, vel ingenio ſuauitatem adſcribere: qui fiet minus in vno eodemque Chriſti miraculo? Quod certè non potuit, quin profiteretur Bellarminus, qui in ſanando ægroto fatetur impoſitionem manuum eſſe humanitatis, expulſionem morbi Deitatis. Vnde Dionyſius ille quiſquis eſt Areopagita θεανδρικὴν ἐνέργειαν excogitauit. quam Leo ad Flauianum ſic expreſſit, *Agit vtraq; forma, cum alterius communione, quod proprium eſt. Verbo ſcilicet operante, quod*

verbi est, & carne exequēte quod carnis est, ὃ γὰρ διῃρημένας εὐθὴ τὰς ἐνεργείας (Damasceni verba, Orthodoxæ fidei libro tertio, capite decimo nono) οὐδὲ διῃρημένως ἐνεργούσας τὰς φύσεις, ἀλλ' ἡνωμένως ἑκάστην μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας ἐνεργοῦσαν τὸ ἴδιον. οὔτε γὰρ τὰ ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως ἐνήργησεν. οὐ γὰρ ψιλὸς ἦν ἄνθρωπος, οὔτε τὰ θεῖα κατὰ Θεὸν μόνον. οὐ γὰρ ἦν γυμνὸς Θεός, ἀλλὰ Θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος. *Non enim separatas dicimus operationes, neque separatas naturas operantes, sed vnitas vnamquanque cum alterius communione operantem, id quod habet proprium. Neque enim humanus humanè operatus est, quia non erat homo tantum: neque diuina tantùm secundùm Deum, quia non erat nudus Deus, sed Deus simul & homo.* ὥσπερ γὰρ μίαν τὴν πεπυρακτωμένην ἔγνωμεν λέγομεν, καὶ τὴν πεπυρωμένην τομὴν τῆς πεπυρακτωμένης μαχαίρας, ἄλλην δὲ ἐνέργειαν φαμὲν τὴν τομὴν καὶ ἄλλην τὴν καῦσιν, καὶ ἄλλης καὶ ἄλλης φύσεως τὸ μὲν πυρὸς τὴν καῦσιν, τὸ δὲ σιδήρου τὴν τομήν. οὕτω καὶ μίαν τοῦ Χριστοῦ θεανδρικὴν ἐνέργειαν λέγοντες δύο τὰς ἐνεργείας νοοῦμεν ἐπὶ δύο φύσεων αὐτοῦ, τῆς μὲν θεότητος αὐτοῦ τὴν θείαν, τῆς δὲ ἀνθρωπότητος αὐτοῦ τὴν ἀνθρωπίνην ἐνέργειαν. *Nam quemadmodum vnam incisam vstionem dicimus & combustam incisionem candentis gladij: Verùm aliam operationem dicimus incisionem, aliam vstionem, & quidem alius, atque alius naturæ, videlicet ignis vstionem, ferri incisionem: sic etiam Christi cùm dicimus vnam operationem humanodiuinam, duas intelligimus operationes duarum eius naturarum: Deitatis quidem diuinam, humanitatis autem humanam.*

XXVI. Hæc cùm ita sint, nihil est incommodi, si mediatoris officium, imò verò etiam mediatoris opera dicamus esse vtriusque naturæ communia: dummodò tum in ipso officio, tum in operibus diligenter distinguamus τὰς τῶν φύσεων ἐνεργείας naturarum operationes: & quæcunque in mediatoris fungendo officio diuina occurrunt, vt remittere peccata, & similia, Deitati assignemus ἰδικῶς, non verò humanitati: & contrà quæcunque humana sunt, vt timere, turbari, mori, sepeliri, &c. nō Deitati, sed humanitati ἰδικῶς adscribamus: quod quidem Catholici diligentissimè faciunt. Sic in sacrificio, aliæ sunt Deitatis partes, aliæ humanitatis.

XXVII. Nam quod probat Bellarminus proprium esse homini, frustra facit: imò verò non facit. At puro homini (inquit) conuenit sacrificare. Respōdeo primò, in typo & figura, vt docet Ambrosius de Melchisedech: Itaque ὁμωνύμως: non enim eadem ratione sacrificant homines, & Christus. Itaque sacrificare κοινῶς, conuenire concedimus puro homini, sed verè sacrificare contendimus, soli θεανθρώπῳ. Secundò, sacrificare λειτουργικῶς, siue ὑπουργικῶς, concedimus, esse puri hominis: at sacrificare αὐθεντικῶς & ἐξ ἰδίας ἐξουσίας, negamus. Christum autem hoc modo dicimus sacrificasse, vt paulo antè Veteres docuerunt.

XXVIII. Eustachius à Sancto Paulo ridiculè argumētatur: Christus neq; orauit, neq; passus est pro nobis quatenus Deus: atqui hæc omnia ad officiū mediatoris pertinēt. Non igitur Christ' fuit mediator specificè & formaliter secūdùm naturam diuinā, sed humanam. Equidem à tanto viro libens audierim, vnde hanc syllogismi figuram didicerit. Ego si similiter, Christus neque orauit, neq; passus est quatenus Deus. Atqui hæc omnia ad officium incarnati pertinent. Ergo Christus non fuit incarnatus specificè & formaliter secundùm naturam diuinam. Quis ferat delirātem? Et Eustachio condonet quisquam? Ego fateor eas esse partes mediatoris, Itaque ab iis concludi non esse tantùm Deum: sed non solas. Itaque ab iis non excludi naturam Diuinam. Atque ita tractatis vtriusque partis argumentis, concludimus quod ab initio erat propositum, Iesum Christum Mediatorem esse nostrum secundùm vtramque naturam: scilicet Deitatem incarnatam, & humanitatem vnitam Verbo.

CAP. VIII.

An Christus sibi meruerit.

I. Secunda Controuersia erat, vtrum sibi Christus Mediator fuerit, hoc est, vt Papistæ loquuntur, vtrum sibi aliquid meruerit. Qua de re agunt Driedo, tomo secundo, capite secundo, parte secunda, articulo tertio. Vigor, sermone in symbolū decimo quinto, duobus postremis capitibus. Vasques in tertiam Thomæ disputatione septuagesima nona. Ioannes Hayus contra Chambrunum capite vndecimo. At ante illos, Lombardus libro tertio, distinctione decima octaua; in eumque locum frequentes Scholastici: Definientes vno ore omnes, Christum non nobis tantùm, sed etiam sibi meruisse.

II. Quod si quæris, quidnam sibi meruerit: Respondent; Vigor exaltationem nominis & glorificationem corporis: Driedo aditum cœlestis paradisi, redemptionem seu liberationem à lacu inferni, & detentione diaboli, suæ exaltationis gloriam, Claritatem seu immortalitatem corporis, impassibilitatem animæ & corporis: Lombardus Impassibilitatis & immortalitatis gloriam: Bellarminus generaliter, illa omnia quæ accepit post resurrectionem.

III. Iam verò tum Hayus quæstione centesima quadragesima, tum Antonius Porsanus admonitione quarta ad Nemausenses, Caluino pro ingenti blasphemia obiiciunt, negasse Christum sibi quicquam esse meritum. Sed hi, vt semper, calumniantur. Caluinus enim Institutionis Christianæ libro secundo, capite decimo septimo, segmento sexto tantùm dixit, *Quærere, an sibi meruerit, quod faciunt Lombardus & Scholastici; non minus stulta est curiositas, quàm temeraria definitio, vbi hoc idem asserunt.* Quæ religiosissimi viri verba significant, primò quæstionem esse curiosam: hoc est, ex earum genere, quas melius sit omnino non inuestigare, quæque cùm tractātur, nullum habent momentum ad pietatem: cuius farinæ plurimas in Ecclesiam induxerunt otiosi Monachi, Scholasticorum Theologorum nomine insignes: qui in hoc ipso capite non potuerunt sibi temperare quominus inquirerent in ipsorum Christi meritorum tempora magno conatu disputantes, vtrum ab ipso conceptionis momento Christus dici possit esse meritus.

IV. Secundò, huiusmodi quæstionis propositæ definitionem esse temerariam Caluinus asserit: nimirum, quia nullo præeunte, prælucēteque Dei verbo fiat, sed tantùm ex meris humani ingenij coniecturis. Atqui, vbi Deus tacet, quis loqui audeat? Atque is mos erat viri sanctissimi, vt abhorreret ab huiusmodi audacia: certus sapere ad sobrietatem, nec vltra quod scriptum est. Itaq; Theologos Scholasticos, id est, otiosos Monachos seuerissimè tractabat, quoties se occasio offerebat: quibus nihil vnquam aut intactum aut inausum fuit.

VI. Hæc igitur nostra sententia est: Non esse de hoc articulo ita contendēdum, vt de summa religionis

ligionis Christianæ, siue de fundamentali quopiam articulo fidei, in quo definiendo non queat non grauissimè errari, si erratur. Sed potiùs primò quidem præstare, si nunquam moueretur quæstio. Nã etsi nihil habeat in se mali aut falsi; tamen hoc ipso noxia est; quod assuefiant humana ingenia discedere à Verbo Dei, vnde digressis nullus euagandi terminus. Deinde, si non possit cohiberi humana curiositas, quin sibi indulgeat, consultissimum fuerit, si hæc proposita, caueamus definire. Et si quandoque sententiam nostram aperiamus, modestè timideq; faciamus: quod certè ij non faciunt, qui nō iurantes in sua verba, damnant tanquã blasphemos.

VI. Obiiciunt tres locos: primum Vasques ex Lucæ vltimo, *Nonne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam?* Verbum *oportet*, inquit, adiuncta particula *& ita*, causam denotat: significat enim antecessionem, non quamcunque, sed necessariam, ac proinde meritum necessarium.

VII. Scio, inquam, Stellam esse ita interpretatum. Sed nego quicquam esse firmi. Primò Græcè non est *& ita*: quod si fundamentum subtrahas, ruit argumentum. Scripsit Lucas tantùm *&*, quomodo solent duo membra connecti: etiam cùm nulla cōsequentia denotatur, nedū causa. Vt sensus sit, duo debuisse à Christo impleri, & mortem in cruce, & introitum in gloriam. Quod omnes satis vident. Deinde ipsam illam particulam *& ita*, nego habere quicquam, quo superbiat Vasques. Nego, inquam, eam copulationem verbi *oportet* cum particula *& ita* significare causam. Antecessionem possum concedere, & quidem necessariam. Sed proinde meritū nego: non enim omnis antecessio necessaria meritum est. Exēpli gratia, Lucæ duodecimo, *dicitis, Imber venit; & ita fit.* Antecessio est sine dubio, & quidē denotata per *& ita*: sed quis tã insanus, vt illud dicat esse meritū? ergo simplex sensus est, ex Dei decreto vtrumq; oportuisse euenire, & pati priùs Christū, & pòst intrare in gloriam. Meriti nulla necessitas fuit.

VIII. Alterum locum proferunt è secundo capite ad Hebræos, *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Id intelligunt, quasi dictum propter passionis mortisq; e meritum fuisse Iesum gloria & honore coronatum.

IX. Sed nihil est certi. Locus enim tripliciter exponitur. Prima expositio eorum est, qui passionē pro merito ponunt: sed Papistarum duntaxat, Lyrani, Thomæ, Anselmi, & siqui pauci sunt præterea. At vetustiores quidem ipsam crucis mortem intelligunt gloriam illam & honorem. Primasius, *Hic aperte manifestat, quia gloria & honor Christi, crux eius fuit, pro qua modicum minoratus est ab Angelis moriendo pro nostra salute.* Oecumenius. δόξαν καὶ τιμὴν τὸν σταυρὸν [illegible] *Gloriam & honorem crucem vocat. Neque enim tam dignum Deo fuit, aut magnificum creare cælum & terram & hominem & supernas potestates, quam dignari propter nos cruci affigi.* Et author dictorum & interpretationum, quæ tribuuntur Athanasio, quæstione centesima vigesima octaua, δόξα καὶ [illegible] *Gloria & honos Christi crux, quia innumera bona per crucem contigere.* Et hanc interpretationem è recentioribus sequitur Ioannes Gagnæus in Scholiis in eum locum: nino distinguit ita contextum, vt non passiones mortis legat: sed mortis gloria & honore: nullo quod sciam exemplo.

X. Tertia expositio longè facilior, connectit illud *per passiones mortis* cum præcedentibus, vt non dicatur per passiones mortis gloria & honore coronatus: sed minoratus ab Angelis, id est, minor factus Angelis per passionem mortis. Sic Athanasius de Trinitate dialogo secundo. [illegible] *Propter incarnationem etiam Angelis minorem factum dixit Apostolus scribens, Iesum autem nonnihil minorem factum Angelis videmus per passionem mortis.* Nec aliter explicat Theodoretus, *Non natura humanitatis fuit minor Angelis, sed per passionem humanitatis.* Augustinus contra Maximinum tertij capite vigesimo quinto *Denique propter quid dictum sit, Minorasti eum modico minus quam Angelos, aperuit Scriptura, vbi legitur, eū autem modico minus quam Angelos minoratum vidimus Iesum propter passionem mortis. Non ergo propter naturam hominis, sed propter passionem mortis.* Et hanc interpretationem amplectitur Thomas de Vio Cardinalis Caietanus. Nec Iustinianus Iesuita improbauit.

XI. Imò verò Chrysostomus vtramque coniungit, tum hanc postremam, tum secundam, [illegible] *Eum autem qui paulo Angelis minor factus est, videmus, inquit, Iesum per passionem mortis. Deinde rursus, factum gloria & honore coronatum.* Et illud *Paulò minor factus est per passionem* exposuit de tribus diebus, quibus solis mansit in sepulcro. Tum subiicit: [illegible] *Præterea ostendit, gloriam & honorem crucem esse.*

XII. Nunc ergo facilis solutio. Nam Papistarū interpretationi Veterum nullus accedit, quem hactenus videam. Reliquarum autem nulla est, quæ non iugulet argumentum. Nam si crux ipsa sumitur pro gloria & decore, primum est absurdū, vt dicatur per mortem, id est, crucē, esse meritus crucem siue mortem. Deinde ipsi Papistæ meritum hoc qualecunque est, referunt ad ea quæ obtinuit Christus post mortem. Sin autem intelligimus, Christum imminutū esse per passionē mortis, vident omnes primò nō agi de iis quę cōsequuta sunt mortē: secūdò, nullã esse meriti vllius mentionē, siue *propter* intelligas formaliter scilicet in ipsa passione fuisse exinanitum, siue finaliter exinanitum fuisse, vt pateretur.

XIII. Excipit Gretserus: primò, Si quis verba illa *propter passionē mortis*, transponere, & cum illis *minoratus est*, copulare velit, hyperbaton prorsus improbabile Apostolo affingit. Secundò, Clarū est nō cæcis, illud *propter passionem* significare causam cur Christus gloria & honore coronatus fuerit. Nam Christus non in passione modico quàm Angeli minoratus est: sed in ipsa naturæ humanæ assumptione. Itaque hæc minoritas in passione demum non existit.

XIV. Respondeo ad primum, durius esse hyperbaton Latinè propter barbariem, quàm Græcè: itaque à Græcis non auersatum: nec à Syro, nec à Caietano. Ad secundum facilis modus. Nihil enim obstat, quo minus, etsi minoratus sit in incarnatione; dicatur etiã minoratus per passionē: quia is vltimus fuit actus eius minorationis. Itaq; non erit sensus, tū demū minoratū fuisse, cùm passus est, sed potius in ea passione vel maximè apparuisse hãc minorationē. Quanquã aliis placet potiùs, minoratū fuisse propter passionem, id est, vt pateretur, quem sensum nihil est in Græcis quod non facile patiatur.

XV. Tertium locum vehementiùs vrgent ex

secundo capite ad Philippenses, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Nam illud διὸ intelligunt caussam propter quam, vel meritum; adeò vt Hayus Gallicè reddiderit, *pour l'amour de quoy.* Itaque significare, aiunt Christum per hanc sui exinanitionem meritum esse vt exaltaretur, & haberet nomen eiusmodi. Et Patres subiicit testes Chrisostomum, Ambrosium, Theophylactum, Oecumenium, Primasium in eumdem locum. Item Augustinum tractatu centesimo quarto in Ioannem; & libro secundo contra Maximinū capite quinto: & libro tertio, capite secundo: Cyrillum libro tertio Thesauri capite secundo: Basilium libro quarto in Eunomium. Qui omnes (inquit) ex hoc loco colligunt Christum meruisse humilitate gloriam, non solùm nobis, sed etiam sibi.

XVI. Respondeo, non esse hanc aut loci explicationem aut argumenti consequentiam certam: Quia, quæ Christus habuit per & propter vnionem hypostaticā humanitatis suæ cum Verbo, id nullo modo mereri potuit. Neque id controuersum inter Catholicos & Papistas. At verò hoc nomen, quod Christo datum, à Patribus agnoscitur, esse per & propter vnionem. Quod probo inductis testimoniis. Theodoretus in hunc locum, *Accepit vt homo, quæ habebat vt Deus: nomē autem quidam interpretati sunt gloriam. Ego autem ex epistola ad Hebræos inuenio aliam Apostoli dicti intelligentiam. Cum enim dixisset, Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit: interpretatur nominis differentiam, & dicit: Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Et rursum, Ego ero illi in Patrem, & ille erit mihi in Filium. Hic ergo hoc etiam dicit, quod seipsum humiliauit, non solùm non perdidit quod habebat vt Deus, sed hoc etiam accepit vt homo.* Oecumenius. ποῖον δὲ τὸ χαρισθὲν ὄνομα; τὸ Χριστὸς, τὸ Υἱὸς, τὸ Θεός· ταῦτα γὰρ καὶ μετὰ σαρκὸς καλεῖται, *Quodnam verò illud est concessum nomen? Christus, Filius, Deus. Sic enim etiā cum carne vocatur.* Theophylactus, *Verùm quod nomen illi ob humanam naturam contulit Deus? nimirum vt Filius in carne dicatur & Deus. Nam & homo Dei est Filius, sicuti & Angelus dixit quod factum est, Filius Dei vocabitur. Istiusmodi autem appellatio vniuersorum nomē excedit.* Sic Sedulius & Vetustior Ambrosius, *Videtur ergo donum Patris, hoc est, esse Filium, & nomen eius super omne nomen sit, hoc est esse Deum.* Athanasius apud Theodoretum dialogo secundo, capite vigesimo nono. καὶ ὅτε λέγει· διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ λέγει, οὐ περὶ τῆς θεότητος. οὐ γὰρ ὁ ὕψιστος ὑψοῦται, ἀλλ' ἡ σὰρξ τοῦ ὑψίστου ὑψοῦται, καὶ τῇ σαρκὶ τοῦ ὑψίστου ἐχαρίσατο ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. καὶ οὐχ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ κατ' ἀρχὴν ἔλαβε τὸ καλεῖσθαι, ἀλλ' ἡ σὰρξ αὐτοῦ σὺν αὐτῷ ἐθεολογήθη, *Et quando dixit, Propterea Deus ipsum superexaltauit, & largitus est ei nomen quod est supra omne nomen, de templo scilicet eius corpore dicit, non de Deitate: neque enim altissimus exaltatur: sed caro altissimi exaltatur: & carni altissimi largitus est nomen excedens omne nomen: neque Verbum Dei ab initio accepit vt vocaretur, sed caro eius cum eo Dei nomen obtinuit.* Idem Athanasius Oratione secunda contra Arianos. ὥσπερ γὰρ ὡς ἄνθρωπος ὁ Χριστὸς ἀπέθανε καὶ ὑψώθη, οὕτως ὡς ἄνθρωπος λέγεται λαμβάνειν ὅπερ εἶχεν ἀεὶ ὡς Θεός, *Quemadmodum enim qua homo Christus mortuus est & exaltatus: sic qua homo dicitur accepisse quod habuit semper qua Deus.*

XVII. Mitto alios. Sed admoneo: ipsam rationem confirmare hanc sententiam, ne quis me putet sola autoritate pugnare. Nam id nomen Paulus asserit esse ὑπὲρ πᾶν ὄνομα; id est, excedens omne aliud nomen: siue excellentius esse omnibus nominibus, vt vertit Syrus. Atque id omnino nullum esse potest præter Dei nomen. Ambrosius, *Nomen enim Dei, sed per naturam, non per solam appellationem super omne nomen est.* Et sanè, quantumuis exaltetur Christi humanitas in seipsa, siue gloria, siue incorruptibilitate, siue aliis donibus, quibuscumque & quantiscumque, tamen eas dotes creatas esse non est dubium: itaque longè infra Dei gloriam. At si ipsa hæc Dei gloria intelligatur, iam nulla restat exceptio, quin absolute hoc nomen excedat omne nomen.

XVIII. Neque hæc infirmari ratio potest Anselmi autoritate; cuius occasione Hayus affirmat Christum meruisse, non quidem vt Deus esset: sed saltem, vt Deus agnosceretur ab hominibus. Nam primò, recentior est Anselmus, quàm vt Veteribus possit comparari. Apud Veteres autem legebamus, *Donum Patris hoc est esse Filium: & nomen eius super omne nomen, hoc est esse Deum:* Et nomen Dei per naturam, illud esse nomē, quod sit super omne nomen. Quæ certè de agnitione siue fama intelligi non possunt. Secundò, non potuit Christi meritum magis deiici, imò exinaniri: quia ex Papistarum hypothesi, etiam Martyres, maximeque Apostoli, id meruerunt, vt tum eorum martyria, tum fides ab omnibus hominibus agnosceretur, imò etiam celebraretur. Etsi autem fateor longè maius esse, cùm quis agnoscitur esse Deus, quàm cùm martyr, aut Apostolus, tamen cùm duo sint in eodem complexo, videlicet esse Deum & agnosci: ac prius non veniat in rationem meriti, sed tantùm posterius; sequitur sequestrato eo, quod sibi proprium eximiumque Christus habet, solum id superesse, quod habet commune cum Apostolis & martyribus. Itaque nihil magis sibi sua morte Christum meruisse quàm martyres sibi. Tertiò, multo plus fidelib' meruisset Christus, quàm sibi. Nam æstimatio siue agnitio, nihil est reale. Itaque nihil conferre potest ad realem, siue gloriam, siue beatitudinem cuiusquam: Et vno verbo, vmbra est potius beatitudinis, quàm beatitudo. At quæcunque nobis Christus meruit, ea sunt beneficia realia, quæ realiter nos beatos efficiunt. Quanto igitur res præstat vmbræ, tanto plus nobis quam sibi Christus meruisset. Imò verò quis cordatus admittat, realem suam beatitatem absque merito Christum habuisse: & ad acquirendam beatitatis vmbram, opus fuisse meritis?

XIX. Iam quod tam confidenter asseuerat Bellarminus, Chrysostomum, Ambrosium, Theophylactum, Oecumenium, Primasium, Augustinū, Cyrillum, Basilium ex hoc loco colligere Christum meruisse humilitate gloriam, non nobis solùm, sed etiam sibi, suo more facit, hoc est, audacius, quàm religiosius. Certè de Chrysostomo, Theophylacto, Oecumenio, Primasio, Cyrillo, Basilio altum mendacium: adeo illi de merito prorsus tacent. Ambrosij mens ex præcedentibus cōstare potest. Nam, qui nomen illud interpretatur ipsam Deitatis naturam, non potest credere hoc meritis vllis imputandum. Itaque quod dixit, *Quid & quantum humilitas mereatur, ostēdit,* intelligendū primò, de humilitate nostra: vt sit applicatio exempli: nempe doceri à Paulo hoc Christi exēplo, quid nō ab humilitate possimus expectare. Secundò, *mereatur,* simpliciter est, assequatur,

to, obtineat etiam absque vllo merito, id est, debiti ratione: quæ vsus apud Veteres creberrimus: etiam Ambrosium, vt ducebimus sequente tomo, si Deus dederit. Ita solus superest Augustinus adde Vigilium ab Hayo citatum. Quid ergo? Nimirum probabilis fiat eorum sententia, at non necessaria, & eiusmodi, vt non liceat ab ea discedere.

XX. Superest tamen vocula δι', *propter*, quæ vbique, inquit, causam significare solet. Deinde particula καὶ, in illis verbis, *Propter quod & Deus exaltauit illum*: apertè indicat causam, vt sit sensus, Christus obediuit Deo, & vicissim Deus honorauit illum. Sed hæc vniuersalis non est. Appellant eam particulam Grammatici causalem. Sed quàm latè pateat apud eos causæ nomen, quis ignorat? Vt quamlibet etiam tenuem occasionem complectatur: etiam in sermone contexendo, consequentiam. Lucæ septimo, *Non sum dignus, vt tectum meum subeas*, διὸ οὐδὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα, *propterea, ne me ipsum quidem sum dignum arbitratus qui venirem ad te*. Actorum vigesimo, *Ego scio, non amplius visuros faciem meam, vllos ex vobis omnibus*, διότι μαρτύρομαι, *ideo testor vobis hodierno die, me purum esse à sanguine omnium*. Prior ad Corinthios duodecimo, *Scitis vos Gentes fuisse, qui ad idola muta prout rapi contigisset, abripiebamini*, διὸ γνωρίζω ὑμῖν, *quapropter notum vobis facio, nullum per Spiritum Dei loquentem, dicere Iesum anathema*. Addam sexcenta huiusmodi si libet, sed in re, vel pueris nota, non est opus. Fallit ergo Bellarminus, cùm à causa simpliciter, causam meritoriam concludit.

XXI. De altera particula καὶ, longè leuior instantia. Solent enim per eam copulari, quæcumque orationis membra. Et quidem solere subnecti particulæ διὸ expletiuè: absque vlla meriti, aut etiam causæ significatione patet. Ad Romanos 15. *Non sustinebo quicquam loqui, quod non effecerit Christus per me adducendis ad obedientiam Gentibus, verbis, & factis*, διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην, *Quapropter etiã impeditus sum sæpe, ne venirem ad vos*. Ad Hebræos decimo tertio, *Quorum animalium sanguis offertur pro peccato in sacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra castra*. διὸ καὶ Ἰησοῦς, *Quapropter, vt Iesus sanctificaret populum per proprium sanguinem, passus est extra portam*.

XXII. Nihil igitur habet in Scripturis præsidij caussa Bellarmini. De ratione videamus. Melius est, inquit, cæteris paribus, aliquid ex merito habere, quàm sine merito. Ergo Christus quæcumque habuit post resurrectionem, ea sibi meruit. Respondeo primò, negari consequentiam. Nam inde conficeretur, nihil omnino Christum habuisse, nisi ex merito, non gratiam, non scientiam, non ipsam vnionem hypostaticam. Quæ tamen ipsi fatentur Papistæ, non esse ex merito. Ridiculè autem Bellarminus [illegible], quæ bona, vt aliis melius sit nunquam carere: aliis potius sit acquirere ex merito. Nam primò non probatur gratiam, scientiam, vnionem ex iis esse, quæ melius sit semper habere; quàm acquirere per merita. Secundò, ratio proponebatur vniuersaliter: itaque hæc non iã solutio est obiectionis, quã retractatio rationis propositæ. Tertiò, supposita hac distinctione eneruatur ratio, nisi prius doceatur melius esse incorruptionem, & immortalitatem ex merito acquirere, quàm nunquam non habere. Hoc autem qui probet, idem eadem opera, non parum detrahet de beatitudine diuina. Deinde negatur etiam antecedens. Nam, & quæ habentur à natura, ea melius habentur, quàm si ex merito: inde Dei maxima perfectio æstimatur. Et quæ Deus largitur hominibus ex mera sua gratia, ea longè præstant iis omnibus, quæ homines suis meritis possunt acquirere. Nec vnquam, vt hoc dicam exempli gratia, tanta fuit Augustini scientia, quam continuo labore acquisiuit, quanta fuit Pauli, qui se Euangelium testatur habuisse ex reuelatione: id est, absque vllo suo merito. Imò non tantùm, non fuit tanta scientia; sed ne quidem Augustinus in iis quæ didicit, vnquam laude comparandus cum Paulo. Quomodo in nuptiis illis nunquam tanta fuit qualitas quam ex se aqua habuit, quàm quæ in eam collata est ex gratia, conuersa in vinum.

XXIII. Hæc erant arma Papistarum. At Catholicis vnũ hoc sufficit, quod Scriptura nusquam docet Christum sibi aliquid meruisse. Id inde apparet euidentissimè, quod qui contrariam sententiam tuẽtur, nullos prorsus locos citare possunt; præter eos duos, de quibus iam actum est. Quid ergo obstet quo minus sanctè exclamarit Caluinus, Quæstionem esse stultè curiosam, definitionẽ autem temerariam? Et illustratur, quia quoties Spiritus Sanctus agit de fructibus incarnationis, eos omnes ad nos refert: Sic nobis natus puer est: sic nobis factus sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio: sic pro nobis sanctificauit seipsum: sic passus est pro peccatis nostris: sic resurrexit pro iustitia nostra. Sic denique abiit ad Patrem, vt pararet nobis locum, & faceret nos considere in cœlestibus. In his si modestè sapimus, longè tutius sapimus, quàm si [illegible], arcana nobis perscrutemur incognita.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVVS.

DE VNO MEDIATORE.

Caput Primum.

STATVS CONTROVERSIAE, DE INTERcessione Sanctorum.

SVPEREST in officio Christi, tertia quæstio, vtrùm Christus solus sit Mediator: Catholicis affirmantibus, Papistis negãtibus. Sed huius Controuersiæ duo fiunt capita; quorum alterum ad eam mediationis partem pertinet, quę Sacrificatoris est, qui deferat fidelium preces ad Deum, pro iis intercedat, vt exaudiantur. Alterum ad regiam dignitatem. Cuius iure Christus caput Ecclesiæ dicitur.

II. Christus ex mediationis iure, modò *μεσίτης*, hoc est, Mediator & Intercessor, modò *παράκλητος*, id est, Aduocatus, solet nominari. *Μεσίτης* quidem eam ob causam, quæ est iam prolixè explicata: scilicet, quia medium tenens inter Patrem & homines, quà Deus & homo hos illi conciliauit, *παράκλητος* verò, quia pro nobis Patrem interpellet, & quasi sollicitet, *παράκλητον τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ τὸν πατέρα παρακαλοῦντα, ὅτι μεσιτεύων*, inquit, Occumenius in priorē Ioãnis. Quod ad mediatoris officium pertinere idem docet, *ἐπειδὴ ἔχοντες γὰρ τὸ χρέος ἦν πάλιν τὴν μετάνοιαν, διὰ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ μεσιτεία, αὐτὸς γὰρ τῷ πατρὶ περὶ ἡμῶν ἐντυγχάνων ἱλάσκεται περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν*. Cõuersi enim etiam rursus salutē assequimur per Domini Iesu Christi mediationem. Ipse enim Patri pro nobis supplicans placabit eum peccatis nostris.

III. Vtrumque hunc titulum Papistæ noluerunt soli Christo proprium permittere: sed aliis quo iure, quàve iniuria communicarum. Possumus contra Chytræū impostura septima, *Quoniam intercessor est Christus, reliquos non abnuit, quibus adeò intercedendi vim, & facultatem præstas.* Et paulò antè, *Non est scriptū Christum sic esse solum Aduocatum, vt alius pro se in hoc munus fuerit ademptum.* Sic Pottanus contra Falgnerolium negat conceptis verbis Christum absolutè solum esse Aduocatum nostrum. Costerus in Enchiridij capite duodecimo, negat incommodum esse, si plures sint mediatores, sicut plures sunt Patres, & plures magistri. Cochlęus in discussione articuli vigesimi primi confessionis Augustanæ, *Christus sic est Mediator & Pontifex, vt non excludat pios, & in se credentes alios mediatores & Pontifices.* Vnde ista in Missali in festo Sancti Ambrosij, *Deus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Ambrosium ministrum tribuisti: præsta, quæsumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis.* Et in festo Sancti Andreæ, *Maiestatem tuam Domine suppliciter exoramus, vt sicut Ecclesiæ tuæ beatus Andreas Apostolus extitit prædicator, & rector: Ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor.* Et ne omnia colligam. In festo omnium Sanctorū, *Quæsumus, vt desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris.* Quæ verba, si non continent triumphum de Christo in ordinem redacto, quid significent, non video. Sanè verò videntur *αὔξησιν* continere, quasi dicerent, ante hoc vnum apud te habuimus intercessorem, videlicet Christum: & tamen per eum nobis gratiã pollicebare: ô Deus: At nunc cùm multiplicati sunt intercessores, non gratiam tantùm, sed etiam abundantiam gratiæ obtinere debemus meritò. Deus bone! in quod se impietatis barathrum induit humana temeritas!

IV. Itaque miror quid in mentem venerit Alphonso Vernesio Philippica decima sexta: & Bellarmino de Pontifice libro tertio, capite vigesimo primo, vt negarent Papistas colere Sanctos, vt mediatores, sed vt suas preces nostris adiungãt. Næ illi fuere, aut nõ satis Papisticè docti: aut frõtis minus duræ, qui aut ignorauerint quod alij docent, aut nõ satis habuerint audaciæ, vt id ipsum defenderent. Verum enimuerò rem totam diligentiùs exploremus. Nam propositionis duritiem, quia satis vident aures Christianas ferre non posse, variis medicamẽtis mollire conantur: quæ suis locis non sumus omissuri. Nunc autem in Christu Mediatore duo consi-

considerantur, primò, satisfactio pro peccatis; secūdò, interpellatio apud Deum. Illa intelligitur, vt ex vi meritorum Christi peccata dimittantur: quemadmodum Paulus dixit mortuum esse pro peccatis nostris, imò factum esse peccatum, id est, hostiam pro peccato. Hæc verò significat, perpetuò se Christum coram Patre sistere; eumque pro nobis orare, atque adeò et preces nostras offerre, efficereque, vt sint gratæ. Quæ ἐξομολογήσεις quidem dicuntur: non sunt tamen Christianis obscura.

V. At vtrumque suis Sanctis Papistæ tribuunt. Nam, primò, interpellationem etiam profitentur; cùm ab iis defetri preces suas contendunt: imò verò eorum precibus sibi veniam dari, seque exaudiri postulant. Missale Romanum in festo Sancti Thomæ Episcopi, *Deus, pro cuius Ecclesia gloriosus Pontifex Thomas gladiis impiorum occubuit: præsta, quæsumus, vt omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum.* Et ibidem pro Innocentibus, *Sanctorum tuorum nobis, Domine, pia non desit oratio: quæ & munera nostra conciliet: & tuam nobis indulgentiam obtineat.* In festo Sancti Andreæ Apostoli, *Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus, beati Andreæ Apostoli tui precatio sancta conciliet: vt in cuius honore solemniter exhibetur, eius meritis efficiatur acceptum.* In Damasi: *Da, quæsumus, Domine, fidelibus populis Sanctorum tuorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri.* Apollinaris, *vt, cuius venerandam celebramus festiuitatem precibus eius indulgentiam consequamur.* In Marci Papæ, *Intercedente beato Marco confessore tuo, atque Pontifice supplicationes nostras placatus intende.* In Ioannis Chrysostomi, *Sancti Pontificis tui Ioannis Chrysostomi, nobis, Domine, pia non desit oratio.*

VI. De Satisfactione quid dicam? Aut quidnam aliud est, placatum habere Deum per alicuius merita, item sibi remitti peccata, donari veniam, misericordiam assequi? At hæc omnia Papistæ à Deo postulant per merita Sanctorum. In festo Nicolai Episcopi, *Vt eius meritis, & precibus, à gehēna incendiis liberemur.* In Leonis Papæ, & in Athanasij, & in Basilij, *Eius intercedentibus meritis ab omnibus nos absolue peccatis.* In octaua Apostolorum Petri & Pauli, *Vt amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur.* In Ludouici Confessoris, *eius, quæsumus, meritis, & intercessione Regum regum Iesu Christi Filij tui nos cohæredes efficias, & eiusdem regni tribuas esse consortes.*

VII. Quid, quod ipsam oblationem quam in Missa faciunt, ipsius, vt blasphemant, Filij Dei, Deo Patri gratam fieri postulant intercedentibus iisdem Sanctis? In conuersione Pauli, *Apostoli tui Pauli precibus Domine plebis tuæ dona sanctifica: vt quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis.* In Francisci de Paula, *Hæc dona deuota plebis, Domine, quibus tua cumulamus altaria, beati Francisci meritis, tibi grata, nobisque salutaria, te miserante reddantur.* In apparitionis Sancti Michaelis, *Hostias tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes, vt easdem Angelico, pro nobis intercedente suffragio, & placatus accipias, & ad salutem nostram peruenire concedas.* In Nærei, & Achillei, *Quæsumus Domine, vt beatorum martyrum tuorum, Nærei, & Achillei, atque Pancratij deprecationibus, Sacramenta Sancta, quæ sumpsimus, ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum.*

VIII. Hæc igitur, atq; alia pleraq;, quæ ex Missali, & Breuiario colligi possunt, ostendūt, quo sensu à Papistis, tum Angeli, tum Sancti dicantur, mediatores, siue intercessores. Videlicet, non tanquam precatores simpliciter, quomodo certum est, omnes fideles, alios pro aliis suppliciter Deum precari; sed etiam tanquam verè intercessores, qui aliorum preces ad Deum deferant: neque hoc tantùm: nam, & Sacerdotum in Veteri Testamento, & Pastorum in Nouo, hæ partes sunt; sed etiam, vt eas ipsas preces oblatas Deo commendent, & commendēt suis meritis, id est, gratas efficiant: imò, non tantùm preces commendent; sed etiam ipsos precantes Deo sic concilient, vt assequantur remissionem peccatorum, vitam æternam.

IX. At contrà Catholici, credentes, *Quicquid ad salutem nostram requiritur, nobis in vno demum illo Iesu Christo offerri, & communicari vt qui, cùm nobis seruandis sit datus, simul etiam sit nobis factus sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, adeò vt quicumque ab eo declinat, misericordia Patris, id est, vnico refugio nostro renunciet:* Quę confessionis Gallicę verba sunt articulo decimo tertio: sic, inquam, credētes necessariò inferunt, alium nullum prorsus, aut esse, aut esse posse pro se mediatorem apud Deum; siue intercessorem, siue interpellatorem.

X. Itaque hîc tandem status erit huius controuersię; vtrum præter Christum, Sancti sint nostri apud Deum mediatores. Id autem affirment Papistæ: Catholici negent: miror à Bellarmino hanc partem esse prætermissam: imò verò vix à quoquam Papistarum tractatam, αὐτολεξεὶ, sed per accidens, cùm agunt de iis Sanctis inuocandis. Nam, ne Salmero quidem aliter, quum tamen ex professo tractaret luculentum illum locum ex priore ad Timotheum. Nos putauimus quæstiones distinguendas: & ea de inuocatione in aliud tempus dilata, hanc de intercessione nunc agitādam: de qua, quos viderim, hi scripserunt Papistæ; Petrus Auratus paradoxo octogesimò quinto. Lindanus Panopliæ libro tertio, capite trigesimo, & sequentibus. Perefius de Traditionibus libro tertio. Costerus Enchiridij capite duodecimo. Eckius in Enchiridio, capite decimo quinto. Ioannes Fabri disputationis cū Baltasaro, capite septimo. Pighius controuersia decima tertia. Posseuinus contra Chitræum impostura septima. Richeomus de Sanctis, capite decimo octauo, & sequentibus. Porsanus contra Falguerollium. Bellarminus de Sanctis libro primo, capite decimo octauo. Salmero in priorem ad Timotheum, disputatione septima & octaua.

CAP. II.

De Sanctorum orationibus.

I. IN retexendis Papistarum disputationibus, mirātus sum, totam hanc de mediatione Sanctorum in hoc vno cōsumi, vt probent Sanctos defunctos orare pro nobis. Cùm tamē demonstrandum sit, non hanc tantùm ob causam ab iis illos mediatores constitui. Atqui in primis erat necessarium probare primò preces nostras per eos Deo præsentari: Secundò, nos ipsos Deo commendari per ipsorum merita. Tertiò, per eadem merita dari nobis remissionem peccatorum, & vitam æternam. At hæc prorsus ne disputantur quidem: Mirum stuporem! sed agamus ergo saltem de precibus.

II. Esto igitur argumentum: Quisquis pro aliis Deum orat, is est mediator. At Sancti pro aliis Deum orant. Ergo Sancti sunt mediatores.

III. Respondeo, distinctionibus opus esse. Primo, Sancti appellantur, vel omnes fideles etiam in his terris degentes, quæ frequentissima eius vocabuli nono in Scripturis. Vel fideles defuncti, apud Deum iam regnantes: quo sensu vsurparum iam olim apud Patres: hodie perseuerat apud Papistas: in Scripturis, aut nunquam, aut rarissimè. Secundò, orarur pro aliis variè: tum in genere: vt quotidie Ecclesia orat pro vniuersis fidelibus: orat pro persecutoribus: orat pro Iudæis, & Turcis: tum particulariter pro hoc, vel illo homine, puta Petro, aut Ioanne: item pro in hoc vel illo statu constitutis: vt pro Petro incarcerato, pro Thabita mortua. Rursus preces concipiuntur, vel à fratribus ex iure tãtùm eiusdem communionis in fide, & charitate: vel à mediatoribus ex vi suorum meritorum.

IV. His ita distinctis, iam ad argumentum. Sanctos hîc intelligi defunctos, non verò viuentes in his terris nobiscum. Nam & de illis inuocandis colendisque Papistæ laborant. Itaque maiorem negamus. Quia non quicumque orat Deum, is mediator est apud Deũ: aliàs tot haberemus mediatores propemodum, quot sunt homines: & cum Scriptura sæpissimè mutuas hominum preces commendet, tamen, neque ipsa, neque vlli Patres docuerunt homines viuos esse mediatores apud Deum. Is igitur erit mediator, qui orat, primò, non tantùm in genere pro omnibus, sed etiam pro singulis: secundò, ex vi suorum meritorum.

V. Ad minorem verò: Primò, Sanctos orare pro nobis in terra positis non est certum. Secundò, orare pro nobis in genere potest cõcedi: sed sigillatim, falsum est. Tertiò, orare pro nobis ex vi suorum meritorum, nobisque sic impetrare remissionem peccatorum, & vitam æternam, est *ἄτοπον*, imò *ἀδύνατον*. Itaque negamus Sanctos dici posse nostros apud Deum mediatores. Et de tertio quidem capite, mutum est apud Papistas silentium. Quod verò ad reliqua attinet, disputant ita fieri Peresius, Bellarminus, Salmero. Et quidem Peresius promiscuè. Hi verò distinctis quæstionibus, quod & nos faciemus.

Cap. III.

Vtrum Scripturæ doceant Sanctos defunctos orare in genere pro viuentibus.

I. Esto igitur quæstio prima, Vtrum Sanctorum animæ pro nobis orent in genere: hoc est, vniuersaliter pro Ecclesia Christiana, fideliumque vniuersitate. Exẽpli gratia, vt Deus eos tueatur aduersus omnes diaboli mundique insultus: vt spiritus virtute confirmet, ne deficiant in tentationibus: & similia plurima. Hoc verò enixè contendunt Papistæ, & omnino tam certum esse volunt, quàm vel Sanctos esse. Sic enim Peresius, sic Bellarminus asserit.

II. At nos, primò etiamsi id ita constaret, tamen negamus propterea Sanctos appellari posse mediatores. Et miramur hac parte adeò suæ causæ Papistas defuisse, vt ne verbo quidem exiguo quæstionem attigerint, eamque ob causam asserimus frustrà laborasse. Ratio est, quia nemo vnquã Papistarũ Sanctos inuocauit, quòd *ἀφορίστως* possent ita concipi Sanctorum ad Deum preces: sed potius, quia persuasissimum habeant singuli sigillatim pro se intercessuros: & quidẽ non tantùm habita ipsius ratione personæ, sed etiam circunstantiarum. Sic enim qui peste laborat Rochum inuocat, non verò is qui epilepsia: qui se potius Ioanni commendat. Et hydrops Eutropium sollicitat, & parturiẽs Catharinam. Is etiam qui scrofam sibi benè sanam cupit, & fertilem, nunquam adeat Eligium, nec miles equum Antonij tutelæ permittet vnquam. Itaque, si hæc persuasio auerruncetur à cordibus, nemo vnquam Papista, Rocho, Ioãni, Eutropio, Catharinæ, Antonio, Eligio, candelam offerat. Et sanè mediatorem fingere, qui nesciat pro quibus interpellet, aut quidnam pro iis postulet, tam absurdum est, vt ne somniando quidem concipi posse videatur.

III. Secundò, de ipsa quæstione pronunciamus, habere quidem nõnihil verisimilitudinis: posseque ad populum de ea plausibiliter perorari. Nec sanè velimus tam seriò Papistis aduersari in hoc capite, quàm in aliis plurimis: sed facilè relinquemus in medio, vt quisque suo fruatur iudicio. Quid ergo? Nimirum ferre non possumus, vt quæ tãtùm verisimilia sunt: ea pro indubitatis fidei articulis obtrudantur Ecclesiæ: eamque ob causam ij damnentur hæretici, quibus certum est sese intra simplicitatis, modestiæque Christianæ terminos continere. Multò minùs, vt inde labefactetur Domini nostri Iesu Christi honor, & titulus Mediatoris communicetur cum multis: populus etiam Christianus, in apertam idololatriam inducatur, vt fit. Itaque hic sit status quæstionis. Nullo argumento certo constare defunctorum animas Deum orare pro nobis in genere. Quod manifestum fiet explicatis argumentis quæ aduersarij proferunt. Et primò è Scriptura.

IV. Hieremiæ capite decimo quinto. *Dixit Dominus ad me, Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo, inquit Bellarminus, Moses & Samuel iam mortui, poterant, & solebant orare pro populo Iudæorum. Ergo, falsum est in Scripturis non haberi, quòd Sancti mortui orarent pro viuis.

V. Respondemus, negari consequentiam. Primò, quia huiusmodi hypotheses nihil solent vel affirmare, vel negare. Imò verò potiùs ad *ἔμφασιν*, maiorem supponere ea quæ omnes sciunt impossibilia. Exempla passim obuia. Ad Galatas primo, *Si vel nos, vel Angelus è cælo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto.* Vnde quis concludet, posse vel solere Angelum euangelizare præter Euangelium? Hieremiæ decimo tertio, *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Ecclesiastici sexto, *Si duobus millibus annorum vixerit.* Ecclesiastici decimo, *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto.* Hieremiæ trigesimo tertio, *Si irritum facere potestis fœdus meum de die, & fœdus meum de nocte, atque vt non sit diurnum tempus, & nocturnum tempore suo, Etiam fœdus meum cum Dauide seruo meo irritum fiet.* Itaque nimis quàm absurdum est Iesuitæ artificium, sic è quolibet quidlibet efficiens. At nos multò facilius colligeremus id ipsum non fieri. Nam certè si fieret, non sic enunciasset Propheta.

VI. Instantia: Etsi, inquit, forsasse significetur, eos tunc non orasse, quia intelligebãt rem esse iam desperatam, tamen significatur eos aliàs orare consueuisse,

fuerisse, quando se impetrare posse putabant. Alioqui inepta esset hæc Dei loquutio. Nam si quis diceret, Si iumentum meum orauerit pro te, nihil impetrabit, ineptè loqueretur: quia iumenta non possunt orare. Et similiter, si quis diceret, Si Cicero, vel Demosthenes huc venerit, non persuadebunt mihi, ineptè loqueretur, quia mortui huc venire non solent. Aliud esset, si Scriptura diceret, Si staret, id est, si per impossibile, nunc viuerent, & orarent: at nunc ait, *si steterint*, & Græcè ἐὰν στῇ, non ἐὰν ἔστη, & Hebraicè יַעֲמֹד, si stabit Moses.

VII. Sed hæc sunt inepta. Nam primò exempla producta sunt in contrarium, rerum impossibilium per hypothesin enunciatorum. Itaq; vel falli instantiam oportet, vel eos locos esse absurdos, quod est blasphemum. Secundò, conceditur Moysen & Samuelem, alias orare consueuisse pro populo, scilicet, dum essent in viuis: eoq; Prophetam respicere; quum per se patet, & annotant Veteres: sed non sequitur etiam post mortē. Tertiò, vident omnes absque ratione ineptam appellari loquutionem: Si Cicero venerit, non persuadebit: est enim similis illi: Si Angelus de cœlo euangelizet. Quartò, in verbis Prophetæ, nihil est quod excludat positionem eius quod est impossibile: & sensus sit, si per impossibile nunc viuerēt. Et, quę in verbis grammaticatur, adeò sunt nihili, vt indicent magnam Bellarmini imperitiam, tam Latinè, quàm Græcè, & Hebraicè. Nam & Hebraicè non possunt huiusmodi hypotheses concipi, nisi per futurum, siue impossibiles sint, siue minus. Sic in locis paulò antè citatis. Hieremiæ trigesimo tertio תָּפֵרוּ אִם. Et decimo tertio, הֲיַהֲפֹךְ. Esaiæ primo, יִהְיוּ, *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum*. Denique primo ad Galatas illud *euangelizet* à Syro redditur per futurum נְסַבְּרְכוֹן. Græcè autē quid sibi vult quęso? An istas impossibiles hypotheses exprimendas per præsens? Imò sciunt docti in modo subiunctiuo vix vllam esse temporum significationem discretam, sed tantùm flexionis rationem. Tum Hieremię trigesimo tertio, ἐὰν [illegible], de re impossibili in Aoristo, & de possibili Matthæi nono, ἐὰν μόνον ἅψωμαι, *Si solùm tetigero vestimentum eius*. Contrà in præsenti, de re impossibili. Ad Galatas primo, ἐὰν εὐαγγελίζηται, *si euangelizet*. Iā Latinè quid dicam? Certè, cùm ad Galatas legamus, *Si euāgelizet*: tamen qui Syriacam versionē interpretatus est, scripsit, *Si euangelizauerit*. Itaq; oportet eodem sensu dici vtrumque tempus, & quidem de re impossibili. Itaque nihil quam nugatur Bellarminus.

VIII. Secunda ratio nostra negatæ consequētiæ. Quia eius loci sensus est: Etiamsi Moses & Samuel nunc essent in viuis, & vt olim precarentur me, pro isto populo. Itaque de defunctorum precibus nullus est sermo, sed de viuorum. Et ita Veteres intellexerunt. Theodoretus. Hîc demulcet Prophetā, *Ne putes, inquit, quod per tuū contemptum supplicationem non susceperim, quia, neque his acquieuissem supplicantibus, qui tanta ediderunt miracula, horum meministi tanquam antiquorum: scis etiam quod hi frequenter pro populo ipsum interpellantes persuasissent*. Interpellantes autem quando? An postquam erant inter mortuos? Imò verò dum essent in viuis, *Etenim magnus ille Moses in conflatione vituli, cùm Deus dixisset: Sine me, vt indignabūdus deleam eos, feruentissimis precibus oblatis conciliauit Dominum his qui peccauerant. Itidem & Samuel hunc non destitit le præstitit, dum pluuiam copiosam tempore messis adduxit*. Sed Chrysostomus disertior: in sermone, ne desperemus

si in benè operando tardi fuimus, vel potius homilia prima in priorem ad Thessalonicenses: nam hinc ille sermo decepit, ἐὰν στῇ Μωϋσῆς, καὶ Σαμουήλ, ὁ πρῶτος [illegible], *Si steterint Moses & Samuel. Primus ille legislator, is qui sæpè liberauit eos à periculis, is qui dixit si quidem dimittas peccatum, dimitte: sin minus, & me dele. Si igitur is hoc tempore superstes esset, & eadem diceret, non obtineret*. Et confirmatur à loco simili apud Ezechielem decimo quarto, *Etsi fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Dauid, & Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Tres viri isti si fuerint in ea, Viuo ego, dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt*. Vbi illud disertè, si fuerint in medio eius: si fuerint in ea. Et Chrysostomus hunc locum pręcedenti comparat, vt similem, imò verò germanum.

IX. Secundò, profertur locus è decimo quinto posterioris Machabæorum: vnde somnium describitur Iudæ Machabæi, cuius enarratione militibus suis animum addiderit, asserens se vidisse in somnis Oniam Sacerdotem orantem pro populo Iudæorū, ostendentemq; que Ieremiam, qui multum oraret pro populo, & vniuersa sancta ciuitate. Sed nos excipimus: primò, librum esse Apocryphum: cuius auctoritati fides Christiana non innititur. Deinde narrari somnium. Iam verò, cùm quę sint in Apocryphis serið dicta momentum habeant nullum, quanto minùs somnia? Tertiò: vulgò notum est somnia etiā θεῖα, nunquam esse absque inuolucris: id est, nunquam remipsam nudè describere: itaque opus habere solerti cautaque interpretatione. Quare, vel somniū hoc longè absccederet à somniorum natura, vel, si cuiusquam esset momenti, aliquid aliud significaret, quàm Oniam & Hieremiam orasse tum temporis pro Iudæis.

X. Tertiò, locus ex Apocalypsis capite quinto, vbi describuntur viginti quatuor Seniores in cœlo procidisse coram throno Dei, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes iustorum. Quem locum exponentes Primasius, Richardus, Scholia Græca apud Oecumenium, & Gagnæus, dicunt orationes illas esse intercessiones pro infirmorum stabilitate.

XI. Respondeo, solum Gagnæum interpretari has orationes, quas Sancti pro viuis fundunt: indeq; conicere eorum quæ hîc aguntur, sanctos sensum habere cognitionemque. Sed hūc auctorem, & recentem (denatus est enim, haud ita pridem) & Papistam, & Sorbonicum, Catholici certè non magni faciūt. Primasium incertum esse, & ambiguum, nec indicasse, quos Sāctos intelligat, viuósne an defunctos, *Orationes*, inquit, *Sanctorum, gratiarum actiones sunt congratulantium pro mundi salute, & intercessiones pro paruulorum stabilitate*. Esse autē huiusmodi, tum gratiarum actiones, tum intercessiones viuorum, nemo est qui neget. Reliquos verò omnes interpretes, non alias intelligere preces, quàm viuentium, ne exceptis quidem Scholiis Græcis: & Richardo: quos ergo necesse est falsò citari à Bellarmino. Aretas auctor Scholiorum Græcorum, αἱ δὲ χρυσαῖ φιάλαι, αἱ [illegible], *Aureæ phialæ sunt mentes eorum qui pia & Deo placentia operantur, quamobrem per aurum designantur, quæ apud nos materia pretiosa, eorum, inquam, quæ continua in Deum eleuatione pretiositatem eam, quæ sit proficiendo, assecuti*

fuit. Quis non videt, & τὸ ἐργάζεσθαι, & [illegible], & τὸ [illegible], de viuis intelligenda? Rursus [illegible] [illegible] [illegible] Σαμουὴλ [illegible] Θεοῦ [illegible] Κυρίου [illegible] ἁμαρτίας [illegible]. Ex ijs phialis exhalantia diffunduntur thymiamata, id est, remedium iusta in nostra Dei, oppositum praui studij. *Remedium enim* (*vt quidam dixit*) *cohibebit peccata magna. Apud Deum autem interpellare preces Sanctorum in remedium ira, manifestum, tum a Veteri Testamento, quia Samuel dixit, Si in Deum peccauit quis orabitur pro eo? tum ex Nouo, quia Domini discipuli potestatem acceperunt soluendi, ligandique peccata.* Neget iam aliquis hæc Scholia de viuorum precibus intelligenda? Certè in Veteri Testamento non docent Papistæ, Sanctos defunctos mediatores fuisse, vtpote qui non ipsi quidem Deum viderent, sed in limbum detruderentur procul à Dei visione. Itaque non potuit Samuelis dictum intelligi de precibus defunctorum. Illa autem potestas ligandi, soluendique, éstne aliquis, qui nesciat fuisse discipulorum viuentium, & ministerio in Ecclesia fungentium? Est igitur non obscura mens eorum Scholiorum. Richardus nihil habet, quod ad mortuorum preces accedat: sed contrà potiùs. Quatuor animalia interpretatur, quatuor Euangelistas, siue vniuersos prædicatores. Seniores viginti quatuor, omnes vniuersalis Ecclesiæ iudices, & quicumque sub illis comprehenduntur fideles duodecim Prophetarum, & Apostolorum doctrinis & exemplis innitentes: se per ipsum iustificari poscentes. Cytharas, quia pulsu manuum suauiter sonant, operà bona, quæ proximos ad cœlestem patriam excitant. Hæc ad mortuorum statum torqueri quomodo queant, non video.

XII. Irenæus libro quarto, capite trigesimo tertio, *Quoniam ergo nomen Filij proprium Patris est, & in Deo Omnipotēte per Iesum Christū offert Ecclesia, benè ait, secundùm vtraque, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Incensa autem Ioannes in Apocalypsi orationes esse ait Sanctorum.* Ambrosius in Apocalypsin, *Quid autem sint odoramenta, ipse exponit, cùm subiungit, Quæ sunt orationes Sanctorum: Et vt hæc odoramenta ad Deum ascendant, Psalmista precatur, cùm dicit, dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.* Istis igitur iudicibus locus hic pertinet ad preces, quæ quotidie fiunt à fidelibus, dum sunt in hac vita: non verò postquàm sunt in cœlum recepti.

XIII. Quartus locus è primo capite posterioris Epistolæ Petri, *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Nam intelligit, dabo operam habere vos commendatos, siue in animo post mortem meam, *Quasi dicat* (Sic enim Nodino visum in Exodi caput octauum) *Non tantùm hic vestri curam gero, sed post depositionem tabernaculi mei, dabo operam semper meis precibus apud Deum fusis, vt horum omnium mentionem facere possitis.* Vnde aliqui Veterum (vt obseruant Scholia Græca) colligebant Sanctos post obitum gerere curam viuentium. Et citatur idem locus, tum à Iodoco Coccio, Thesauri libro quinto, articulo quarto, tum à Ludouico Richeomo de Sanctis, capite decimo, tum à Petro de Bollo, de authentica probatione Christiani sacrificij. Sed Bellarminus tamen sensit infirmitatem argumenti, negans esse euidens, sed tantùm probabile.

XIV. At Catholici stuporem Papistarum hic, si vsquam, admirantur, qui sponte cæcutiunt in interpretandis Scripturis. Et hunc locum conqueruntur fœdissimè deprauatum barbara, ineptaque versione. Græca sic habent, Σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι. Doctissimus Beza vertit, *Sed & studebo, vt vos subinde post exitum meum possitis horum mentionem facere.* Vt τὸ ἔχειν referatur, non ad Petrum, sed ad eos, ad quos scribebat: scilicet, non vt Petrus ipsos haberet, sed vt ipsi habeant. Deinde μνήμην ποιεῖσθαι, construatur cum ἔχειν, vt sit, vt habeatis memoriam facere. Et sit sensus: Dabo operam, vt possitis meminisse. Quomodo Gagnæus vidit interpretandum locum. Vertit enim, *Dabo quoque operam, vt postquam egressus ex hoc tabernaculo fuero, perpetuam memoriam, de quibus vos commonefeci, memoriam teneatis.* Erasmus etiam, *Quin etiam semper operam dabo, quò possitis horum mentionem facere post exitum meum.* Nec Caietanus aliter paulò pòst citandus. Itaque illud *post exitum meum*, non ad id pertinet, quod dicitur, *dabo operam*, sed potiùs ad illud, *mentionem faciatis.*

XV. Repugnant tamen. Et primò, phrasin vrgent. Gagnæus negat se putare vnquam inuenisi τὸ ἔχειν, alteri infinitiuo iunctum, pro posse, itaque comminiscitur nescio quod Petri [illegible]: qui cùm præmisisset ἔχειν, ob longum hyperbaton, iam non memor prædicti verbi, adiecerit rursum ποιεῖσθαι: cùm sufficeret alterutrum. Salmeron quid simile nugatur. Etsi fateor à me sensum non percipi. Describo ex secunda disputatione in hanc epistolam, *Nec valet quod Erasmus legit, ἔχειν ὑμᾶς cum verbo ποιεῖσθαι, id est, vt vos post exitum meum horum mentionem facere possitis.* Et pòst, *Verbum ἔχειν, si cum alijs modis præter infinitiuum iungatur, significat posse: vnde Lucianus dixit, [illegible], hoc est, non enim possum inuenire. Vbi verò ἔχειν in infinitiuo ponitur cum alio verbo infinitiui, non significat posse.*

XVI. Sed enim quid illud est, *Si cum alijs modis præter infinitiuum iungatur?* An vult regere indicatiuum, aut imperatiuum, aut subiunctiuum? Egregium grammaticum, qui nouas leges loquendi Græcis vult imponere. Hoc enim nunquam auditum est ab vllo Græco, vt ab vllo verbo possit vllum verbum regi in modo finito. Deinde ipsum inductum exemplum contrà est, οὐκ ἔχει εὑρεῖν. Nam certè εὑρεῖν, est infinitiui. Secundò, quomodo constabit huius membri cum altero antithesis? Si alijs modis iungatur præter infinitiuum, significat posse. Vbi verò in infinitiuo ponitur cum alio verbo infinitiui non significat, posse. Nam hæc membra non opponuntur: quia in priori agit de modo verbi iuncti cum ἔχειν: in altero autem de ipsius verbi ἔχειν modo. Hic credo tam absurdum, tam nouum, tam fictum inuentum esse, vt cogitantem turbant tanta absurditas, tanta nouitas, tanta fingendi audacia, vt extra se positus nesciret, quid loqueretur. Quanquam, quid miremur in Salmerone, qui etsi subinde græculus affectat videri, tamen ostendit se eius idiomatis esse imperitissimum? Nam quale illud est quæso, quod effutiuit, disputatione vigesima prima in priorem ad Corinthios, *Græcè comparatiua gignendi casum regunt, superlatiua verò ab-*

[illegible]. Nam hoc quidem ad miraculum vsque, & imperitum est, & impudens.

XVII. Mirum verò, si quis vel leuissimè salutatis Athenis, horum hominum imperitiem non detegat. Nam, quocumque modo sumatur τὸ ἔχειν, significationem habet potentiæ, iunctam cum alio verbo infinitiui modi. Exemplis doceo, qua sanctis, qua prophanis. Matthæi decimo octauo. μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι. Vetus interpres, *Quũ nõ haberet vnde redderet*, [illegible], vt & Syrus וכר לית הוא לה לכפרע *Et quum non esset ad soluendum.* Beza, *Quum autem is non posset hoc reddere.* Franciscus Lucas, μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι, *non habente autem eo reddere id est, non valente.* Ioannis octauo. ἵνα ἔχωσι κατηγορεῖν αὐτοῦ. Vetus interpres; *vt possent accusare eum.* Actor. 4. οὐδὲν εἶχον ἀντειπεῖν, Vetus interpres, *Nihil poterãt contradicere.* Vt & Syrus ולא משכחין הוו מדם ריאמרי לוקבלהון *Et non poterant quicquam dicere contra eos.* Quomodo paulò post [illegible]. *Et non possumus negare.* Ad Ephesios quarto. ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι. Vetus interpres; *Vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* Rursus [illegible], vt & Syrus: *vt sit aliud dandum ei qui indiget.* Beza, *vt possit impartiri eis opus habenti.* Salmero. *Non enim Apostolus dixit: laboret vt non indigeat: vel, vt habeat victum & vestitum, & vt alteri molestiam non exhibeat: sed vt possit impartiri his qui indigent.* Demosthenes pro Corona, [illegible]. *Videbar non posse diluere obiecta.* [illegible] *Et cùm possim insuper multa dicere de iis quæ tum gesta sunt.* Pudet diutius immorari in re tam puerili. Franciscus Lucas in Matthæi 18. ἔχειν additum verbis infinitiuis plerũque significat *possum.* Espencæus in caput secundũ ad Titum ἔχειν cum infinitiuo, *posse Græcis significat.* Ergo hoc saltem argumentum est putidum.

XVIII. Addit alterum Salmero: Quia hic sensus, nempe vt vos post exitum meum, horum mẽtionem facere possitis, non esset ad propositum: & tertium nec similes à Petro dictum. Nam primùm dixit, *propter quod incipiam vos commonere de his.* Deinde *iustũ autem arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo.*

XIX. Frustra, nam non esse ad propositum, nullo probat Salmero tantum sumit: & erat tamen nõ indignum in quo laboraret. Sed is eius mos est perpetuus: vt quæ desperet tractata nitescere posse tenuiter [illegible]. Sed cur non æquè ad propositum, ac reliqua, *incipiam vos commonefacere*: & *iustum arbitror*? Nam si idem vbique sensus vt ipse putat Salmero, certè æque singula ad propositum. De repetitione non est quod sit sollicitus. Primùm enim, non omnis repetitio damnanda est. Est enim quædam, quæ [illegible] dicitur, etiam laudanda. Neque hic perpetua repetitio. Nam primò ponitur quasi positio, *Non negligam vos de istis semper commonefacere.* Tum [illegible] *iustum arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo excitare vos per commonefactionem.* Tum rursus ex ea ratione [illegible] positionis, *Studebo vt vos subinde post obitum meum possitis horum mentionem facere.*

XX. Sed Richeomi quantum est acumen quæso? Vtrouis modo vertas, idem sensus est, inquit. [illegible] verò, inquam? Nempe, quia de futuro [illegible] loquatur Apostolus, non in vita sua, quæ [illegible] post erat finienda. Sed post mortem. [illegible] loquitur de tempore vitæ suæ, cùm [illegible] operam: & loquitur de tempore [illegible] suam, cum de memoria eorum ad quos [illegible] intelligendus est, *Ego dum viuam, dabo* [illegible] *vt horum rerum meminerit is etiam post obitũ meũ.* Caietanus. *Et est sensus, quod dabo semper operã, vt habeatis tractatus seu libros, quibus possitis semper memoriam horum facere.* Et colligitur ex præcedentibus: *Non negligam vos de istis semper commonefacere. Iustum enim arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem.* Cui officio, hoc diligentius incumbebat, quo sciebat magis instare diem sui obitus [illegible], inquit Oecumenius. *Reddens causam frequentis commonefactionis, subiunxit se scire breui futurum, vt liberetur ab hoc corpore.*

XXI. Quid tum autem, si quidam iam olim perperam siue verterunt siue exposuerũt hunc locum? Itáne oportet, quicquid vnquam aliquis somniauit, nobis esse pro lege? Absurdum; [illegible], Tyrannicum. Et quidem illi, quinam fuere? homines nullius nominis. Nam, præterquam quod eos Oecumenius indicauit, nusquam sunt omnino. Omnino enim nullus repertus autor, ante id tẽpus (erat autem Oecumenij seculum à Christo decimum) qui eius loci eum sensum esse diuinarit. Has nos larvas non contemnemus? Hæc [illegible] obiicientes Papistas non rideamus? Enimuerò quid est, *operam dabo vt habeam vos post obitum meum*? aut quis vnquam sic loquutus, habere aliquem, id est, habere alicuius curam? exemplum postulo. Deinde quid est, *dabo operam*? aut quomodo id conuenire potest sanctis post mortem defunctis? [illegible]. Næ istis longè præstant, qui in Apostoli verbis nihil barbarum, nihil [illegible] agnoscunt, tantùm [illegible] obseruant, sed familiarissimum Græcè loquentibus.

XXII. Quintus locus è decimo sexto Lucæ; vbi Diues epulo orat pro fratribus suis. Quod si iste maledictus (verba Richeomi capite decimo de Sãctis) charitate destitutus, solicitus fuit orare pro viuis: quanto magis sancti ob amorem Dei, salutémque fratrum, quos amant charitate prorsus cœlesti? Nec Bellarminus aliter.

XXIII. Sed consequentiæ vis nulla. Quia antecedens non est verum: non est, inquam, verum, epulonem orasse pro fratribus. Ratio, quia locus est parabolicus. Parabola autem fingit gesta, non narrat. Est enim (inquit Salmero in hunc locum) narratio alicuius rei sensibus efficta, ad docendum spiritualia. Et tomi septimi tractatu primo, *Differt parabola ab historia: nam est narratio rei gesta: parabola verò res ficta, & composita.* Quomodo igitur, cùm Christus Matthæi decimo tertio dixit, quum dormirent homines, inimicum seminasse zizania; non sequitur aliquando ita gestum: ita, neque ab hoc Lucæ loco concluditur Epulonem illum reapse orasse pro fratribus.

XXIV. Hîc tamen occurrit Richeomus capite decimo quinto de Sanctis, apertè ridens eos, qui parabolam esse dicunt, neque aliud esse quàm latitare post carectas & reticulo tegi contra solis radios. Et re vera fuere nonnulli, qui opinarentur narrari à Christo rem gestam. Quorum rationes sic habe, tum ex Richeomo, tum ex Salmerone tomi quarti tractatu vigesimo. Primò, non admonuit Euangelista, esse parabolam, vt aliàs solet, *dixit Iesus ad illos parabolam.* Secundò, nomina propria designantur, Abraham, Lazarus, Moses, Angeli. Tertiò, assignantur rei circunstantiæ, locus, nempe sinus Abrahæ, & infernum: item tempus, nempe mors diuitis & pauperis. Quartò, Beatus Lazarus vbique Sanctus & pauperum protector, altaribus, & imaginibus colitur & inuocatur. Fuit enim ab Ecclesia in

numerum diuorum relatus; pauperum aduocatus & morbo contagioso laborantium. Quintò, historiam esse agnouerunt, Hieronymus ad Marcellam de exitu Leæ; & ad Paulam de abitu Blæsillæ. Hilarius in Psalmum centesimum vigesimum secundum. Irenæus libri secundi capite sexagesimo secundo, & quarti quarto. Gregorius in dialogis libri quarti capite trigesimo tertio: & tomi secundi homilia quadragesima in Euangelia. Item Lyranus. Quin etiam Ambrosius libri octaui in Lucam capite tertio. Cyrillus libri primi in Ioannem capite vigesimo secundo. Euthymius, & Leontius ex annalibus Hebræorum hanc historiam referunt, & diuitis nomen Nimeusin. Abdias etiam libro quinto Historiæ, testem adolescentem suscitatum à Domino.

XXV. Respondeo, concedi non esse aut nullos, aut exigui nominis, qui hoc loco rem gestam existimauerint narrari. Sed esse etiam certum, alios aliter sensisse. Quosdam enim putam putam allegoriam. Sic enim Nazianzenum in Carminibus numerasse inter allegorias, quæ extant apud Lucam: & iterum in allegoriis quatuor Euangelistarum. Cyrillus etiam à Thoma citatur in Cathena. *Præsens sermo de Diuite & Lazaro similitudine scriptus est in parabola.* Theophylactus disertus est. *εἰπὼν τοὺς ὅτι πλουσίοις καὶ ταύτην τὴν παραβολήν. Meritò hanc subnectit parabolam. παραβολὴ γὰρ καὶ τοῦτο, ἀλλ' οὐχ ὥς τινες ἀνοήτως ὑπειλήφασι, πρᾶγμα ἤδη γεγονός. Est enim parabola hic locus etiam: non vt quidam stultè putarunt, res iam gesta.* Euthymius item. *Quàm multa frequenter de paupertatis amore docuerit, nunc per parabolam etiam timorem duris corde & tenacibus diuitibus incutit.* Chrysostomus de Lazaro concione prima. *Quin potius ne leuiter hoc aut obiter agamus, ordine vobis parabolam istam recitabimus.* Et pòst. *Qua gratia Dominus per parabolas loquutus sit, & quam tandem ob causam ex parabolis alias quidem explicuerit, alias non item: & quidnam sit parabola, & si qua sunt huius generis alia, in aliud tempus reseruabimus, ne ab oratione, qua nunc festinat, digrediamur. Cæterum, illud vobis dicimus in præsentia, quis Euangelistarum scripserit hanc parabolam à Christo fuisse propositam. Quis igitur est? Nimirum Lucas solus.*

XXVI. Verumtamen, tertia restat sententia, inter primam & secundum media: quæ historiam quidem agnuscit rei gestæ in Lazaro & diuite: sed tamen παραβολικῶς siue ἀλληγορικῶς tractatam. Quò magis inclinant recentiores, non tantùm Caluinus, sed etiam Papistæ, Maldonatus, Salmero. Olim etiam nônulli. Autor Responsionum ad Orthodoxos, qui inter opera Iustini, responsione sexagesima, negat esse aut historiam aut parabolam: hoc ipso, ni fallor, sensu: cùm enim historiam dicat esse narrationem τοῦ ἤδη γενομένου rei iam gestæ: tum verò quod hic recitatur, negat esse gestum. Quin Euthymius, cùm quosdam à Iudæorum traditione Nimeusin quendam accessere dixit: tum *postquam vterque mortuus est*, inquit, *formauit Christus parabolam de rebus ab illis gestis.*

XXVII. Et sanè allegoriam quis negare queat? Cùm enim narrentur, quæ si gesta sunt, gesta esse oportuit post mortem, & tamen ante resurrectionem: tamen omnia ita describuntur, quasi essent gesta in corpore, Sic oculos, sic linguam legis, sic digitos, sic aquam, sic ignem. Quæ in statum animarum cadere nullo modo possunt. Et hinc intelligendos existimo Theophylactum & Euthymium, quorum alter, *οὔπω γὰρ ἐπὶ τῶν δικαίων τῶν ἀγαθῶν, ὅτι τοῖς ἁμαρτωλοῖς τῶν ἐναντίων ἡ ἀπόληψις ἐστί.* Alter autem. *Nondum enim eorum quæ in vita sunt peracta, datur retributio: quum nondum adsit iudicium:* Nimirum vt de corporibus dictum intelligatur.

XXVIII. Nihil autem euincunt aduersariorum argumenta. Nam primò; Quid enim, si non admonuit Lucas esse parabolam? Nam ne aliàs quidem: vt capite decimo tertio, de grano synapi & fermento: & capite decimo, de homine descendente in Ierichо; & decimo quarto, de multis vocatis ad cœnam: & ædificante turrim. Et decimo quinto, de filio prodigo. Et decimo sexto, de dispensatore. Et ne omnia colligam similia, non Ioannes capite decimo, de bono pastore.

XXIX. In secundo solum nomen est Lazari: in quo vis aliqua esse possit: quæ & ipsa persuasit iis, quos antè diximus, non esse meram parabolam. Itaque vt maximum, vrgeat sanè eos, quibus placet secunda sententia. Quanquam ne hos quidem validè. Non enim *efficaciter* inquit Iansenius. Enimuerò quid obstat, quominus dicat aliquis nomen esse ἐγκαινομένον, desumptum videlicet à quodam mendico eius nominis apud Iudæos vulgo cognito? Quomodo Paulus, & Apollo, & Cepham, & Paulum vsurpauit in priori ad Corinthios, pro aliis quibusdam, quomodo etiam Ierusalem & Ierico, Lucæ decimo leguntur: & Osee primo Gomer filia Diblaim; etsi verisimile non sit rem gestam narrari, sed vel somnium, vel parabolam. Quid? nónne Iudicum nono, & oleam legimus, & ficum, & vitem & rhamnum? Nec tamen negat parabolam vllus. Certè Abrahamum, Mosem, Angelos, non oportuit à Richeomo nominatos. Quid enim habent quod rem gestam significet? Nam, qua ratione Abrahami sinus dictus est pro loco beatorum; eadem ratione Abraham fingitur colloqui cum epulone. Et Maldonatus disertè hanc partem refert ad parabolam: *neque enim cum Abrahamo, neque cum Lazaro loquutum fuisse: sed fictum esse in modum parabolæ sermonem.* Mosem verò nominari pro Mosis scriptis, nemo tam cæcus qui non videat, nemo tam impudens qui non agnoscat. Ab Angelis autem delatum in sinum Abraham, proprium esse solis sanctis, Maldonatus notauit: id est, non particularem huius rei gestæ circunstantiam: sed commune esse omnium sanctorum priuilegium.

XXX. In tertio, negatur aut locus designatus esse aut tempus. Nam etsi sinus Abrahę sit locus: itidémque infernum: tamen ea nulla circunstantia est ad designandam rem gestam. Non magis certè quàm ager in parabola thesauri absconditi, Matthęi decimo tertio: aut vinea in parabola fici, Lucæ decimo tertio: aut templum in Pharisæi & Publicani, Lucæ 18. Egregiam verò circunstantiam temporis, mortem vtriusque! Quasi sufficiat ad rem gestam conuincēdam quomodocumq; tempus aliquod designare. Quod si est, cur non tēpus somni in parabola zizaniorum Matthæi decimo tertio: & media nox in parabola poscentis tres panes, Lucæ vndecimo: vel in decem Virginum, Matthæi vigesimo quinto. Cur non, inquam, hæc tempora sic designata rem gestam arguunt? Aut si non arguunt, cur illud potius tempus post mortem, tam amplum, tam non limitatum.

XXXI. Sed enim mirum, si quarto argumento è media idololatria petiro palmam non deferant idololatræ. Verùm Catholici negant vnde quicquam legitimè probari. Neque est quod quisquam

[illegible] Lazarum adoratum, apud quos [illegible] sunt Christophori, Georgij, quæ [illegible] emblemata: hoc est aliquid etiam inanius, quàm parabolæ. Enimuerò, post hæc experimenta [illegible], nemo iam se autoritate idololatriæ vrgeri patietur, qui non ipse inciderit [illegible]. Et tamen, quam mihi Ecclesiam narrant, quæ Lazarum in sanctis numeret, eiúsque festum colat? Nam certè in nullo Martyrologio ego id nomen legi. Non Romano, non Græco, non Adonis, non alio: Lazari, inquam, huius mendici; nam alios Lazaros scio nominari: vnum Monachum Constantinopolitanum vigesimo tertio Februarij: alterum Martyrem in Perside vigesimo septimo Martij: tertium Episcopum Massiliensem fratrem Mariæ & Marthæ decimo septimo Decembris. At mendicum nusquam. Imò neque apud Petrum de Natalibus, aut Iacobum de Voragine, aut Hareum, aut Surium, aut omnino vllum Legendarium. Itaque sine dubio hoc, quicquid est superstitionis, est à priuata [illegible], cui Bellarminus permittit priuatum cultum non canonizatorum. Atque ita Baronius ad annum trigesimum tertium in multis locis in memoriam huius erectas Ecclesias haberi; eiúsque anniuersariam celebritatem agi in iis. In iis, inquit, cùm non potuit vbique dicere. Quanquam quid alibi fiat nec scio, nec valdè curo: sed in nostra tamen Gallia, nulla, quod sciam, illi templa dicata sunt: sed tantùm leprosorum casæ, ex nominis allusione puto; Vocant enim *S. Ladre* per totam Occitaniam, Prouinciam, Delphinatum & vicinas regiones. Excepta Auenione, vbi nomen habet *S. Lase*, sed hæc Catholici non curant.

XXXII. Ad quintum, ex Patribus. Primò quidem immeritò citantur. Nam quidam suum hac de re sensum non aperiunt: tantùm locum vel citant, vel recitant. Vt probent aliquid, quod habebant præ manibus. Hilarius, esse post mortem statum vt illis fidinem: Gregorius agnosci in beata vita fideles à fidelibus. Hieronymus ad Paulam: Patres descendisse ad inferos. At, cur non possit [illegible] aliquid etiam ex parabola? Cuius ea laus est, cum, etsi non gesta, sed certè verisimilia narrat: & quæ non abhorrent à sensu communi. Etsi alioquin sæpe adumbrata figuris loquendi aliunde sumptis. Hieronymus ad Marcellam longè dilutius: nec enim citat, aut recitat: sed alludit duntaxat. *Nunc igitur pro breui labore æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choro, Abrahæ sinibus confouetur: & cum pauperi quondam Lazaro, diuitem purpuratum, & non palmatum consulem, sed atratum stillam digiti minoris cernit [illegible]*. Sic ille de Lęta: vnde nemo vnquam probet [illegible] veritatem.

XXXIII. At Cyrillum profectò historiam hanc [illegible] ex annalibus Iudæorum apertè mentitur Salmero. Nam ille quidem hoc tantùm. *Quod verò de Lazaro dicitur: non modò nobis non refragatur, verùm etiam suffragatur. nam hac vita defunctus Lazarus in sinum Abrahæ fuit deductus: id est cum Abrahæ filiis collocatus est.* Hæc ille, nec plura. De Ambrosio æquè falsum, videat locum paulo proliziorem qui volet. De Euthymio verum: item & Theophylactus erat addendus. Quanquam hi annales Hebræorum nullos nominant: sed tantùm Traditionem. Videat Salmero quare annales maluerit. Sed de his siue annalibus, siue traditionibus audi iudicium Iesuitæ Maldonati. *Si tam facilè coniecturis vellem credere, quàm credere nonnulli solent, Regem potius aliquem, ac fortassis Herodem, aut certè regulum, quales multi tunc erant, fuisse dicerem, & ex habitu probarem, quàm quod Euthymius, ex Hebræorum traditionibus, aut potius Fabulis, dicit fuisse diuitem quendam sub id tempus, cui Nineusi nomen esset. Meminit fidem opinionis mali autores Hebræi.* Abdiam si nominasset solum; vapulare meruisset: elevauit tamen culpam, qui tam inepti autoris fidem elevauit [illegible] hominem.

XXXIV. Quare nihil est quod cogat vel ab ea sententia discedere, quæ parabolam à Christo enarrari docuit: aut saltem ab ea, quæ historiam [illegible]. Quod si est, tum omnino negamus epulonem illum reapse rogasse Abrahamum pro fratribus suis in seculo degentibus. Atque adeo Maldonatus hoc ipso argumento vtitur; vt probet historiam [illegible] descriptam. *Quod autem diues ille tum Abraham loquutus fuerit, eúmque rogauerit, vt Lazarum ad se mitteret, qui gutta aquæ linguam suam refrigeraret, parabolæ est historiæ admista: nec enim qui in inferno sunt, sanctos rogare solent.*

XXXV. Sextus locus è sexto Apocalypseos: *Quum aperuisset sigillum quintum, vidi sub altari animas eorum qui mactati fuerant propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant. Clamabant autem voce magna dicentes, Vsquequo, Domine, qui sanctus es & verax, non iudicas ac vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra:* Quod si animæ sanctorum petunt vindictam de interfectoribus suis: ergo multo magis misericordiam petunt fratribus suis.

XXXVI. Respondeo, primò consequentiam esse nullam. Ratio; quia non pro aliis, sed pro seipsis illæ animæ orant, deque suis rebus. Non enim dicunt. Quare non liberas fratres nostros à persequutoribus qui sunt in terra: sed, Quare non vindicas sanguinem nostrum? Non sequitur autem, qui pro se orat, & de suis rebus, hunc statim orare pro aliis & ob res alienas.

XXXVII. Secundò, allegorica est oratio, ideóque variè à variis intellecta. Ambrosius Autbertus preces istas constituit in solo desiderio extremi iudicij & resurrectionis. *Quid est*, inquit, *animas sanctorum vindictam sanguinis de persequutoribus exposcere, nisi diem extremi iudicij & resurrectionem mortuorum præstolari? Quorum videlicet clamor, mentis est desiderium. Magnus earum clamor magnum est desiderium, & tanto quælibet earum minus clamat, quanto minus desiderat. Animarum ergo verba, ipsarum sunt desideria.* Quæ sententia est etiam Bernardi, sermone tertio in festo omnium Sanctorum. *Dicunt, Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum qui effusus est: non tanquam vindictæ cupidi, nec de propria victoriæ zelo: sed ex desiderio resurrectionis & glorificationis corporum suorum, quam minimum vsque in diem iudicij differendam esse non dubitant.* Similiter & Ambrosius ille, quisquis est, autor expositionis in Apocalypsin, sed & Haymo, vt sensus sit Sanctos non [illegible] postulare, aut optare vindictam in suos persecutores, qua iustas luant pœnas: sed vindictam suorum corporum occisorum, quæ velut in libertatem asserantur & simul recipiant gloriam. Qua in re vident iam omnes nullam esse mediationis rationem.

XXXVIII. Aretas alium sensum profert, vt sit oratio contra Dæmones [illegible Greek]. *Nō postulatur vindicta cōtra homines: neque enim dignū esset eorum charitate, insurgere in eos qui sunt eiusdem*

genera. [illegible Greek] *Sed eam Sancti possunt contra Dæmones, qui homines incitant, vt illos occidant.* At Lyranus aliam iniit viam, nec ἀτόπως. *Iste clamor non est aliud quàm manifestatio nequitiæ tyrannorum coram Deo meriti è punienda, & innocentiæ Martyrum præmiandæ: sicut dixit Dominus ipse Cain, Geneseos quarto. Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra: id est, eius innocentia declarat tuam nequitiam puniendam in mortis eius vindictam.* Et in Glossa ordinaria Lugdunensi, citatur Augustinus in eandem sententiam. Ac sanè hæc videtur facillima planáque expositio: vt ἀνθρωποπαθῶς repræsentari dicantur diuinæ mysteria iustitiæ: non quòd ita fiant: sed vt ne nos non capiamus, si non nostro modo dicantur, sed suo. Sic autem nulla est intercessio.

XXXIX. Salmero ex veteri Testamento duos addit. Vnū Esaiæ sexagesimo tertio, *Tu enim Pater noster & Abraham nesciuit nos: Et Israel ignorauit nos.* Id est, cùm olim Abraham & Israel consueuissent nobis suis precibus opitulari, & pro nobis intercedere, nunc videntur esse nostri ipsorum obliti, & nos pro suis non agnoscere. Alterum ex Psalmo trigesimo secundo, *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Loquitur de remissione iustitiæ & peccati. At de Sanctis qui mundi sunt à peccatis non potest intelligi, quod pro sua iniustitia remittenda orent, sed pro aliena. Et non tantùm omnis Sanctus viuens: Sed etiam iam defunctus in tempore opportuno; id est, non tantum dum viuerent: sed etiam post mortem, dum in gloria constiterint eis nostræ iniquitates, & votum, quo eorum intercessiones expetimus.

XL. Respondeo, vt ex his locis Salmero suum argumentum conficeret, fuisse necesse multa confingere, & ponere tanquam ἀναμφισβήτητα: de quibus neque iis locis quicquam Spiritus cogitauit, neque alibi vsquam. Enimuerò nihil facilius fuerit, quàm disputare, si huic audaciæ locus conceditur. In priori; cùm olim, inquit, Abraham & Israel consueuissent suis precibus opitulari. Hoc verò si ponit tanquam certum, cur disputat? si disputat; cur ponit pro certo? An non hæc est manifestissima αἴτησις τοῦ ἐν ἀρχῇ. Tam solidè disputant Iesuitæ. Cæterùm locus facilis. Hieronymus, *Nesciet nos Abraham & ignorauit Israel, quia te offendimus: nec cognoscunt Filios, quos à Deo suo intelligunt non amari.* Aliter Lyranus, *Quod ab eo non habemus animam.* quod sumpsisse videtur à Procopio, [illegible Greek] *Neque enim Abraham Pater est noster; quamuis generationis minister. Sed tu qui de nihilo producens, spirituū omnium Pater es & animarum ad imaginem tuam factarum.* Aliter rursum Caluinus & quidem cum maiori momento; *Simplex ac verus sensus est, Domine, quod Pater noster es, id adeo firmum ac stabile erit: vt etiam si nos Patrum cognatióque omnis in terra cesset, tamen Pater esse non desinas.* Sic nihil de intercessione quam Salmero somniabat.

XLI. In Psalmo trigesimo secundo. Primò supponit Sanctos non tantùm viuos, sed etiam defunctos. Atqui non potuerunt docere Iesuitæ חסיד quod verbum is locus habet, vsurpari pro defunctis sanctis. Non solere autem sanctos huiusmodi orare pro sua iniustitia remittenda, dogma est plusquam Pelagianum: contrà autem Augustinus in priori enarratione, *Pro hac impietate cordis orabit ad te omnis sanctus. Non enim meritis suis sancti erant, sed opportuno tempore, hoc est, in aduentu eius, qui nos à peccatis redemit;* quem sensum latius exequitur in posteriori. Euthymius, *Hoc est ab hac iniquitate mihi remissa, pius ac religiosus vir quilibet instinctus rogabit te. Vbi enim innotuerit, remissum mihi fuisse peccatum, statim vt confessus sum, imitabuntur me deinceps pij omnes in tempore pœnitentiæ. Hoc enim pœnitentiæ tempus, quasi idoneum ac commodum, opportunum tempus appellauit. Eritque hæc remissio exemplum omnibus pœnitentibus: quos ideo vocauit Sanctos, quia impij atque omnino perditi ij sunt, quos nulla duci cura tangit pœnitentia.* Remigius. *Pro hac venia peccatorum orabit ad te omnis Sanctus, id est, orabit te, vt ad te perueniat non propter aliud. Omnis sanctus, id est, omnis qui vult fieri Sanctus.* Carthusianus. *Pro hac re, id est, pro remissione peccati, orabit ad te omnis sanctus, id est, omnis viator quantumcunque perfectus.* Mitto alios.

CAP. IV.

An ratio euincat defunctos orare pro viuentibus.

I. EXhaustis Scripturæ autoritatibus, nunc falsis argumentis pugnant. Primum est o à communione Ecclesiæ triumphantis cum militante. Nam duodecimo ad Hebræos Apostolus dicit nos accessisse ad Ecclesiam primitiuorum, qui sunt in cœlis, quo significatur nos esse illorum ciues, secundo ad Ephesios. Sed & quarto ad Galatas dicitur Hierusalem, quæ est in cœlis, esse mater nostra. Item primo ad Colossenses, & quarto ad Ephesios, Christus esse caput super omnem Ecclesiam: vnde non excluditur Ecclesia cœlestis. Constat ergo esse quandam communionem fidelium qui sunt in hac vita cum iis qui in cœlo. At hæc communio exigit necessariò, vt membra pro inuicem sollicita sint, & inuicem se iuuent. Hæc enim est natura membrorum sub vno capite viuentium, duodecimo ad Romanos, & duodecimo prioris ad Corinthios. Itaque falsum est, quod Caluinus asserit libro tertio Institutionis, capite vigesimo, segmento vigesimo quarto, Deum voluisse, vt nullum nobis esset commercium cum sanctis mortuis: Sed nec illis nobiscum. Nam id quomodo verum esse potest, si sumus vna respublica, vnus populus, vnum corpus?

II. Respondeo, certissimum esse, communionem quidem summa connecti triumphantem Ecclesiam cum militante. Nec sanè vnquam id Caluinus negauit: aut quisquam negare potest, cùm illi sint cogniti Scripturæ loci qui sunt indicati, aliique multi qui in eam rem colligi possunt. At negauit Caluinus commercium. Ita sanè, inquam: neque enim commercium est omnis communio: sed illa tantùm quæ est in singularium rerum vltro citróque communicandarum facultate: qualem, necesse est concedi, si detur Sanctos inspicere res nostras singulas. Sed communio tam longè patet, vt communionem habere possimus cum iis, quibuscum tamen nullum est commercium. Ac sanctorum quidem communio consistit in altissima illa coniunctione, quā omnes habent in Christo capite, vt sint tu eius, tum alij aliorū mēbra. Itaque rectè Apostolus dixit nos accessisse ad conuētū & Ecclesiā primogenitorū

eum conscripti sunt in cœlis, ad Hebræos duodecimo. Et ad Ephesios primo, recollecta esse in Christo omnia, tum quæ in cœlo sunt, tum quæ in terra.

III. Verum his concessis negatur consequentia. Negatur etiam hanc communionem exigere necessariò, vt se membra inuicem iuuent. Nam primò, si hoc est necesse, tum nulla est inter ipsos, qui iam beati sunt, in cœlis cómunio. Non enim opinor, ipsi inter se alij pro alijs orãt. Secúdò, exigua ac vix dimidiata esset inter nos & illos communio. Nos enim non possumus eos vicissim iuuare. Ac proinde longè arctiùs communicarent Iesuitæ qui nunc sunt, Carthusianis, quàm suo Ignatio. Quia cùm inter Iesuitas ac Carthusianos tanta sit commercio, vt etiam sit mutuum meritorum commercium. sic enim audio conuenisse; vt illi suas contemplationes istis: isti rursus suas actiones illis impertiant: tum verò Iesuitæ Ignatij quidem fortè iuuantur precibus, etsi non videtur; vt potè cùm sit tantùm beatitudinis candidatus: nondum autem Sanctus: quia nondum habuit Iouem Tarpeium propitium. Sed vtrumque concedamus nunc Ignatij sui precibus Iesuitas iuuari: at certè Ignatius nullis Iesuitarum precibus, aut meritis iuuatur. Tertiò, nequidem inter omnes fideles viuos esset communio: quia certum plerosque plerisque prorsus incognitos, ac si nusquam essent.

IV. Quæ cùm ita sint, sine dubio sequitur non esse hæc iuuamenta, vbicumque est communio: etiamsi vbicumque illa sint, communionem esse verum sit. Quemadmodum igitur fideles, qui sunt in extrema Hispania, ab huiusmodi commercio mutuo cum iis qui sunt in vltima Germania, excusat locorum conditio, imò & propter vitæ status: ita sine dubio ineptus sit, qui à nobis longè remotos in cœlum, iisdem velit commercij legibus subnectere cum iis qui eiusdem vrbis municipes sunt: præcipuè nullo Dei verbo fretus. Sumus igitur nos quidem alij aliorum membra: sed hic, vt alibi, valeat axioma, omnium membrorum non esse eandem operationem: ideóque nec sequatur, quia officium sit fidelium in hac vita, vt solliciti sint alij pro aliis, ita & aliorum, qui iam recepti sunt in cœlum: quemadmodum inquam est, si quis concludat, ipsos Sanctos inter se eadem officia exequi, quæ nos præstamus inter nos.

V. Sed hanc quidem vnicam rationem Bellarminus habuit. Salmero longè plures, quasdam tamen ad sequens proximè caput pertinentes. Esto hæc igitur secunda: Si Christus interpellat pro nobis quatenus homo: ergo & Sancti. Antecedens patet. Probatur illatio. Quia Christus Sanctos sibi assimilat etiam in maioribus priuilegiis, quàm in orando, quia facti sunt Lux, iudices, dij, regnantes, assidentes, magistri, pastores. Ergo & in orando, ac interpellando conformes sibi reddet, in quo etiam viatores sibi facit similes.

VI. Respondeo, negari consequentiam. Nam, nec quia Christus saluat; etiam Sancti saluant: nec quia Christus remittit peccata: etiam Sancti remittunt peccata. In confirmatione, primò negatur consequentia. Etsi enim Sancti dicantur Lux, Iudices, dij, & reliqua, tamen non dicuntur intercessores. Secundò, quòd dicuntur Lux, iudices, dij, id fit *ὁμωνύμως*. Lux, quia lucem tulerunt. Iudices, quia secundùm eorum doctrinam orbis iudicabitur; & sic de cæteris. At hæc intercessio in audiendis deferendisque precibus; & quidem fiducia suorum meritorum; non esset *ὁμωνύμως*: sed verè *συνωνύμως*, etsi fortè gradu inferior. Tertiò, negatur priuilegia illa, ob quæ dicuntur Sancti, Lux, iudices, dij, esse maiora priuilegio intercessionis huius, quæ fit per merita. Nam eadem conceduntur etiam in hac vita. Denique hoc non quæritur, vtrum maiora sint minoráque priuilegia: sed vtrum hæc minora illis conuenire queant. Nec verum sibi viatores etiam Christum reddere similes in orando: quia viatores nulli orant, vt intercessores, vt confisi suis meritis.

VII. Tertia ratio: Si Angeli pro nobis deprecantur: Ergo & Sancti. Probatur Antecedens: Zachariæ primo, Angelus dixit, *Domine exercituũ, vsque quo tu non misereberis Hierusalẽ & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est.* Tobię duodecimo. Angelus dicit, *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Matthæi decimo octauo, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*: scilicet ad interpellandum, vt familiares & noti. Iob trigesimo tertio, *Si fuerit pro eo Angelus vnus de millibus* (siue Mediator Hebraicè) *& annunciet hominis æquitatem, miserebitur eius: & dicet, Libera eum, vt non descendat in corruptionem, inueni in quo ei propitier.* Danielis decimo orat Princeps regni Persarum. Accedit ratio: Cùm præcipuum bonum nostrum ex affectibus solius Dei in animo pendeat: principalis custodia, quam Angeli exhibent, est precari Deum, vt operetur. Iam probatur consequentia. Primò, quia Sancti erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Secundò, quia Sancti sunt nobis natura viciniores, suntque experti mala nostra.

VIII. Respondeo, argumentum esse verisimile. Non tamen necessarium. Nam primò, antecedens potest verti in dubium. Zachariæ locus visionem continet. At solenne est in visionibus res repræsentari, non vt fiunt: sic in eodem loco, vidit Propheta insidentem virum equo ruso, qui tamen nullus erat. Itaque visiones huiusmodi nunquam fidem faciunt rei sic gestæ; ideóque solent per analogiam quandam exponi: & idem responsum esse ad locum ex Daniele. Tobiæ fabula nihil confirmare potest: quanquam neque ipsa docet Angelum orasse: sed tantùm detulisse preces Tobiæ. Matthęi decimo octauo, vt abuti possit Salmero, supponit suo more quod probare debuit, videre Angelos faciem Dei, ad interpellandum: facilis huic viro victoria si sic omnia licent.

IX. Iobi trigesimo tertio locus valdè torquetur. Nam primò מליץ Mediatorem non significat sed interpretem. Deinde nihil est in textu, vnde hic Angelus interpres dicatur apud Deum; sed potius apud ipsum hominem. Atque adeo pro *annunciet hominis æquitatem* Hebraicè est *ad annunciandum homini rectitudinem suam.* Non vt annunciet Deo; quæ partes fortè sint Mediatoris. Sed vt annunciet ipsi homini. Rursus. *Inueni in quo ei propitier*, ne fortè ita Salmero intelligat *inueni Mediatorem in quo propitier*; scilicet Angelum illum: Hebraicè est *inueni propitiationem.*

X. Ad rationem respondeo, non esse verum, principalem custodiam, quam Angeli nobis exhibeãt, esse precari Deum. Quid enim si omnino hãc non exs

hibent? Quod nos saltem incertum esse docemus: & ita incertum, vt falso sit proximum. Scimus ex Scriptura Angelos dici commissos nostræ custodiæ: nimirum vt nobis adsint, & eruant ex periculis. Itaque hanc dicimus esse præcipuam custodiam, quam nobis exhibeant. Quis enim credat, hanc tam certò explicatam, si non sit præcipua: & illam tacitam, quæ esset præcipua? Concedo præcipuum bonum nostrum ex effectibus Dei in animis nostris pendere: sed huic bono cur non possint inseruire aliter quàm orando; aut si non possint aliter quàm orando, vnde docet Salmero, hanc eis custodiæ speciem esse commissam? Et non ipsum potius Deum per se, absque vllius, præter Christum, precibus, huic bono nostro intentum esse?

XI. In confirmatione consequentiæ: Sancti, inquit, erunt sicut Angeli Dei. Audio dictum à Domino: sed quum ageret de coniugio: negabat enim in vita æterna Sanctos ducere vxores: sed esse sicut Angelos: nempe non infinitè; vt quæcumque Angeli faciunt, faciant & Sancti: & quæcumque de Angelis dicuntur, dicantur & de Sanctis: sed tantùm, vt quemadmodum Angeli matrimonio non vtuntur: sic neque Sancti. Et ita explicat Franciscus Lucas, atque alij. At sunt nobis Sancti natura viciniores, expertique nostra mala. Fateor: sed quid inde conficitur? Non enim hoc solum sufficit. Intelligo non sine magno momento Apostolum id in Christo obseruasse: sed vicissim iubeo Salmeronem obseruare, Christum esse Pontificem. Esto igitur in Pontifice illud magni momenti: vt qui ex suo officio debet pro nobis intercedere, etiam expertus sit nostra mala. At in Sanctis etsi hæc sit ratio, at altera deest: non sunt enim nostri Pontifices.

XII. Quarta ratio: Sancti charitate multos Angelos vincunt. At charitati tam repugnat esse otiosam, quàm igni non esse lucidum. Si ergo gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, multo magis Sanctis. Et si Angeli curant nos & nostra, curabunt & Sancti, vt pro se inuicem solicita sunt membra.

XIII. Respondeo, ex omnibus argumentis, quæ ad hanc rem afferri possunt, nullum mihi videri probabilius isto, ducto à charitate. Atque eo mihi facilè persuaderi patior Sanctos defunctos in genere rogare pro viuentibus. Verumtamen nego ita certum esse, vt plenè persuadeat. Et primò illud superari multos Angelos à Sanctis charitate; aut ego vehementer fallor; aut est à camera Meditationum. Vnum scio, non esse à Scriptura: Itaque tam facilè irrideri, quàm audacter proferri. Cæterum, esse gaudium in cœlis super conuersione vnius peccatoris, dixit Dominus de Angelis: non dixit de Sanctis: & fortasse hi nesciunt quod Angeli. Sed si sciunt, non dubitem etiam affici gaudio. Sed quid inde? Afficiuntur gaudio, ergo omnes. Negatur consequentia. Rursus, si Angeli nos nostráque curant: ergo & Sancti: negatur consequentia. Quia id Angelis mandatum scimus, non Sanctis. Quo-quam hac de re alias.

Cap. V.

Vtrum Sancti orent sigillatim.

I. IN altera quæstione; Vtrum Sancti pro nobis orêt, non tantùm in genere pro omnibus, sed etiam sigillatim pro indiuiduis, ratio est controuersia. Nam, vt dixi, priorem quidem facilè patiamur disputari in vtramque partem: vt quæ contra fidem non sit, siue asseratur, siue negetur. Itaque tantùm hoc propositum fuit in ea disputanda, vt ostenderemus nulla argumenta adferri posse, vnde demonstretur affirmatio. Nunc verò omnino contendimus falsum esse, Sanctos orare sigillatim pro iis qui sunt in hac vita: examinemus argumenta; etiamsi nonnulla capite præcedenti fuerint à Salmerone prolata, à nobis etiam considerata.

II. Primum argumentum Papistarum: Si viui orant pro viuis, cur beati mortui id non facerent? Probatur antecedens Iacobi quinto. *Orate alij pro alijs.* Sic Moses orauit, Exodi decimo septimo, & trigesimo primo. Mulier Chananæa pro filia sua, Matthæi decimo quinto. Centurio pro seruo suo, Lucæ septimo. Paulus tum pro iis qui secum nauigabant, Actorum vigesimo septimo, tum pro Ecclesiis ad quas scribebat, vt constat ex variis eius Epistolis. Probatur consequentia: quia Sancti in cœlis sunt charitate perfectiores, & apud Deum potentiores, & mente puriores. Sic in Enchiridio Eckius & Costerus.

III. Respondeo, negari consequentiam. Nam de antecedente habemus disertissima Scripturæ non exempla tantùm, sed etiã præcepta. At de cõsequente neutra. Et exempli gratia; Si quis, quia viui tum præcepto, tum exẽplo eleemosinam præbẽt, idem concludat etiam de Sanctis, quorum perfectior est charitas, quis non rideat? Et omnino sic credo Druidas argumentatos, cùm in altero seculo æra dispungi sperarent: quia id iustitiæ est, quam in eo seculo nullam esse quis dicat? itaque, vt Druidibus, quãquam in illo seculo amor iustitiæ sit maior, quàm in isto: tamen in illo dispungi æra; quia id non fert eius seculi conditio: sic Papistis responsum esto, quamuis post mortem Sancti lõgè confirmatiores sint in charitate, tamen eos pro nobis non orare; quia id non ferat eius vitæ conditio: vt postea probabitur.

IV. Secundum argumentum Bellarmini est, & Costeri: quia constat Sanctos, in cœlis regnantes cum Christo, hæc terrena curare & administrare. Probatur. Psalmo quadragesimo quinto. *Constitues eos principes super omnem terram.* Psalmo centesimo quadragesimo nono. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum. Gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Et Apocalypsis secundo. *Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo.* Matt. 24. *Beatus ille seruus quem cùm venerit Dominus, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum.* Lucæ decimo nono. *Euge serue bone, eris potestatem habens super decem ciuita-*

munerauit & alij, eris super quinque ciuitates.

V. At Catholici negant Sanctos cum Christo regnantes hæc terrena curare, à quibus erepti sunt in empyream gloriam. Omnes autem hi loci perperam citantur. In Psalmo quadragesimo quinto ad literam Epithalamium continetur nuptiarum Salomonis: cui promittitur fœcunditas, in multitudine filiorum: sed & gloria, in eorum potentia. Itaque phrases sunt omnes accommodatæ ad vsum Regũ. Allegoricè autem intelliguntur nuptiæ spirituales Christi & Ecclesiæ, ex omnibus gentibus componendæ. Primò igitur constat, locum esse allegoricum: itaque non probare nisi clarioribus confirmatum & illustratum. Et statuant semel apud se, quomodo hunc Psalmum interpretentur. Ad literamne, an allegoricè? Si ad literam, nihil ad Sanctos, siue viuentes, siue mortuos: sed ad filios Regum. Nihil etiam ad orationem, intercessionémve: sed ad magnificentiam Regiæ stirpis, quæ suæ ditionis terminos longe latéque erat ampliatura: sin allegoricè, primò ostendant, cur filios intelligant Sanctos defunctos: secundò, illud constituere principes, quam ob causam significet è cœlis procurare humana negotia.

VI. Præterea norent hunc locum à nemine vnquam in eum sensum fuisse intellectum, exceptis his postremis temporibus: cùm confirmatissima fuit Papistarum idololatria. Veteres autem longè aliter filios Apostolos & Episcopos principatum super terram id est, autoritatem administrandæ Ecclesiæ accepisse, dũ essent in terris. Arnobius seu quis alius, *Pro duodecim Patriarchis nati sunt Deo filij alij duodecim, quos constituit principes Iesus super omnem terram, memores nominis sui in omni gente, cùm eis diceret, Baptisate omnes gentes.* Ruffinus. *Genuerunt te Apostoli: ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi sunt Patres, ipsi sunt recepti in gloria, & loco illorum nati sunt filij, constituti sunt episcopi. Constitues eos, id est, stabiles facies in fide & opere principes, magistros & doctores.* Hieronymus, siue potius Beda, *Fuerũt, ô Ecclesia, Apostoli Patres tui, quia ipsi te genuerunt. Nunc autem, quia illi recesserunt à mundo, habes pro his Episcopos filios qui à te creati sunt. Sunt enim & hi Patres tui, quia ab ipsis regeris.* Et post, *Constituit Christus Sanctos suos super omnes populos. In nomine enim Dei dilatatũ est Euangelium in omnibus finibus mundi, in quibus principes Ecclesiæ, id est, Episcopi constituti sunt.* Sic alij. Theodoretus paulo quidem aliter. Nam & Apostolos tantùm intelligit & martyres, eósque principes etiam post mortem. Sed is principatus nihil ad Papistas. Recito verba, *Diuini Apostoli cũ Patres habuerint Patriarchas, terra marique etiam post mortem dominantur, veluti quidam principes & duces à Christo omnium Rege constituti, & qui post illos sequuti sunt, quos qui vellet Ecclesiæ filios nominare, non erraret: illi, inquam, triumphatores martyres præfecti sunt, vt eidem imperium gubernent, & omnes homines habeant subditos.* Quid hæc sibi velint, doceat Euthymius. *Filij verò Apostoli, qui in dignitatem parentum Christi suffecti sunt: effecti numerum & ipsi Patriarchæ, ac plurimarum gentium Patres, quas per baptismum sibi genuerunt. Qui etiam digni habiti sunt, vt Spiritus gratiam reciperent: vtque veluti quidam eximij duces in vniuersum orbem terrarum mitterentur. Euntes, inquit, docete omnes gentes. Nec tantummodo dum viuunt, principatum hunc tenuerunt, sed etiam post mortem: eorum enim præceptis ac monitis, vbique gentium fideles obtemperant, atque ab eis diriguntur.* Nec dissentit Lombardus, neque Ayguanus, non Bellarminus, *qui nati sunt tibi filij, id est, inquit, Apostoli & discipuli Christi, qui tanta excellentia erunt, vt orbi leges dare possint: ideo constitues eos super omnem terram. Verè enim Apostoli primi Ecclesiæ Filij, toti orbi terrarum leges dederunt, quod nullus temporalis monarcha facere potuit.* Non denique Lorinus, *Hinc intelligitur, inquit, perpetua successio Pontificum, & prælatorum legitime electorum, ordinatorumq́; in Ecclesia Dei. Deinde principatum ac regimen Ecclesiæ, non pertinere ad laicum magistratum.* Iansenius ab his non recedit. Fuerunt ergo dum viuerent principes in Ecclesia, quam optimo iure administrat. Et sunt etiam post mortem, quia eorum doctrina eadem auctoritate perseuerat: & æquè auditur hodie in Ecclesiæ administratione, Petrus dixit, aut Ioannes, aut Paulus, ac olim. Sed hic sensus tam longè abest à Papistis, vt frustra sit admonere.

VII. In Psalmo centesimo quadragesimo nono, de Sanctis defunctis verbum nullum. Nam primò חסידים nominantur, quod vocabulum nihil habet quod propriè referatur ad eos tantum, qui sunt vita functi. Imò vix vnquam dictum nisi de his, qui in hac vita vel obtinuerunt à Deo misericordiã: vnde hoc loco Tremellius reddidit eos *quos benignè accepit*: vel fortè de iis qui misericordia mouentur in fratres suos. Psalmo duodecimo. *Quia defecit* חסיד *Sanctus.* Trigesimo primo, *Amate Dominum omnes Sancti eius.* Quinquagesimo, *Congregate illi Sanctos suos:* mitto plurima. Ergo, id tritum est in Psalmis, vt eo vocabulo significentur ij sancti, qui in hac vita sunt positi. Deinde in toto hoc Psalmo id nomen bis tantum reperitur, semel versu primo. *Cantate Domino canticum nouum: laus eius in congregatione Sanctorum.* Et iterum versu quinto. *Exultabunt Sancti in gloria.* Vbi nego quicquam esse caussæ, cur non iidem vtrobique sancti intelligantur, maximè cùm statim subiiciatur, *in cubilibus suis.* Nego etiã obstare quicquã, quominus vtrobique imperandi modus retineatur. Et quemadmodum ab initio dictum est, *Lætetur Israel, & laudent nomen eius:* Ita & deinceps *exultent Sancti in gloria:* vel vt Tremellius: *Gestiant benignè accepti pro gloria:* & Tigurini haud aliter: sed & Veteres nulli Papistis sua expositione præiuerunt, qui etsi variè, tamen de sanctis viuentibus omnes vno consensu. Mortuos nemo, vel per somnium, imaginatus est: sed & qui de sanctis prorsus aliud cogitarunt. Ayguanus & Bellarminus retulerunt ad diem postremi iudicij, & id quod pollicitus est Christus Apostolos secum sessuros, iudicandis duodecim tribubus Israelis. Iansenius, *In sensu mystico oportet intelligere gladium Spiritus, quod est verbum Dei, & potentiam resecandi putrida membra à puris: deinde & potestatem iudiciariam & vindicatiuam, qua in nouissimo iudicij die cum Christo Sancti hunc mundum iudicabunt.*

IIX. De Apocalypsi quid dicam? Primum illud quale? quo Veterum nullus est qui odoratus sit istam rerum terrenarum procurationem defunctis commissam? Et certè habet aliquid absurdum: duplicem ob causam: loquitur enim de præmio quo afficiendi sunt fideles, qui in exantlandis laboribus constantiam retinuerunt vsque ad finem. Primo ergo verisimile est id expressum, quod in eo præmio maximum. Ridiculum verò, si post tot tantásque & luctas & promissiones, nihil maius sit in beatitudine fidelium, quàm hæc minuta nostra curare: & vt Papisticè loquar, porcos custodire, equos sanare, febrim pellere, sartoribus, sutoribus, carminatoribus adesse. Deinde hoc præmium oportet esse vniuersale, id est, quo omnes ij potiantur, qui ad finem perdurabunt. Quod patet ex comparatione similium sententiarum in eodem capite, *Victori dabo edere de*

arbore vitæ quæ est in medio paradisi Dei. Victor non lædetur à morte secunda. Victori dabo edere ex manna illo absondito. Atque hæc procuratio non potest esse omnibus communis. Nam saltem eos excipi oportet, qui erunt ad consummationem seculi: tum quæ humana, quæso, procurabūtur? quis porcos alet, aut equos? quis lanæ, ac proinde sartorum, carminatorúmque vsus?

IX. Veteres variant. Sũt qui *hæc præmia considerent in ipsis fidelibus: sed alij in hac vita.* Rupertus, *Dabo illi potestatem super gentes: id est, mea ordinatione fiet magister eorum, qui, si absque magisterio sint, gentes sunt, id est, gentiliter viuunt: Et reget illas in virga ferrea, id est, recta ac seuera iustitiæ disciplina.* Anselmus, *Dabo ei potestatem & in hoc seculo: quia possunt eos gentiliter viuentes excommunicare, & æternaliter damnare: & reget illos in virga ferrea, id est, iustitia inflexibili, & tanquam vas figuli confringentur, quidam vt pereant, quidam vt melius vas fiant.* Sed hi non videntur satis attendisse, sermonem haberi de eo præmio, quod post absolutam in laboribus constantiam in fine, id est, post liberationem ex hac vita reportaturi sunt fideles, quæ ratio torsit illum, quisquis est, Ambrosium, qui soluens, *Omnia*, inquit, *quæ secundùm dispositionem Dei fienda sunt, in prædestinatione eius, iam quasi facta existunt.* Duriùs. Illi meliùs qui ad futurum seculum. Andreas Cretensis, τῷ νικῶντι, φησί, τὰ ἔργα μου, δώσω αὐτῷ ἐξουσίαν ἐπάνω πέντε ἢ δέκα πόλεων, ὡς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ εἴρηται. ἢ διὰ τούτου, καὶ τὴν τῶν ἀπίστων κρίσιν αἰνίττεται. δι' ἧς οἱ πλανώμενοι, ὡς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ ποιμαινόμενοι συντριβήσονται, ὑπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς τῷ Χριστῷ πιστευσάντων κρινόμενοι. *Qui opera mea fecerit, inquit, dabo ei potestatem supra decem aut quinque ciuitates sicut in Euangelio dictum est, vel per hoc etiam illud infidelium iudicium innuitur, quo seducti tanquam virga coerciti conterentur ab iis iudicati, qui inter eos Christo crediderint.* Et accedit Sa, *Dabo illi, quasi dicat, Faciã mecum imperare, scilicet ex capite Christo & membris vnum corpus constat, totúmque regnabit.*

X. Verùm alij, illam eandem potestatem considerant non in ipsis fidelibus, sed in Christo residentem, factam tamen etiam fidelium propter vnionem membrorum cum capite. Primasius: *In Christo habet Ecclesia hanc potestatem, tanquam corpus in capite. Si qua enim digna corpori eius adhæserit, veraciter habere dicitur, quod Filius hæreditario iure possedit: in quo secundùm Apostolum nobis Deus omnia donauit.* Haimo, *Illam potestatem, quam in tempore Christus homo factus accepit à Patre electis suis se dare promittit: sed in se in quo totum regitur corpus: & cui totum Ecclesiæ adhæret corpus. Cùm enim ipse sit caput electorum, electi verò membra illius: quod ipsum caput habet, hoc membra illius hæreditario iure possidere videntur.* Neque ab istis discedit Ambrosius Ausbertus. Quanquam videatur hæc etiam expositio paulo alienior: quia in Christo hac ipsa potestate fruuntur omnes Sancti, dum sunt in terris: neque enim desinunt esse eius membra.

XI. Sed quæcumque tamen obtinebit interpretatio, ea nihil ad hanc curam rerum terrestrium. Nã, si in hac vita positi fruantur fideles hac potestate, longè abit argumentum ab hac controuersia: quandoquidem nemo nostrûm neget in hac vita positos orare alios pro aliis. Sin autem est, non in fidelibus sed in Christo: tum nihil ad precea: nam harum ius faciendarum singulis sigillatim Papistę tribuunt. Si Denique pertinet ad vitam futuram, & est præmium vitæ benè actæ, tum oportet esse æternum, & ea cura rerum terrenarum æterna esse nequit: non enim in æternum futuræ sunt hæ terrulæ: atque adeò tum cessabunt penitus, cùm maximè intendendum speramus præmium.

XII. Sed Bellarminus inquirit in tempus, quo conferendum est huiusmodi premium. Ante, an post resurrectionem vniuersalem. Et docet conferendum ante. Argumentum: Quia, *Reges eas in virga ferrea*, non significet punire, quod etiam post resurrectionem fiet: sed regere virga pastorali, quod solùm fit ante resurrectionem, & probatur primò ex Psalmo secundo תרעם: & Apocalypsis duodecimo & decimo nono ποιμανεῖ: *pasces*, siue pastoraliter reges. Secundò ex Apocalypseos duodecimo: *Peperit Filium, qui recturus est omnes gentes in virga ferrea:* & tamen Christus non punit omnes gentes, sed regit pastoraliter. Tertiò, quia Psalmo secundo, vnde sunt desumpta hæc Ioannis verba, dicitur totam suam hæreditatem regere in virga ferrea: cùm tamen Ecclesia non sit à Christo destruenda. Quartò, quia sic exponunt Hilarius, Augustinus, Theodoretus, in Psalmum secundum. Primasius, Beda, Rupertus in secundum Apocalypsis. Hæc cùm ita sint, (inquit) ergo spiritus hominum beatorum post mortem & ante diem resurrectionis accipiunt potestatem in gentes, regunt, ac pascunt eas.

XIII. Respondeo hæc esse inania. Nam Psalmo secundo תרעם non est pascere, nec regere pastoraliter; sed comminuere, conterere, & frangere vt vertit Hieronymus. Vicinitas tamẽ imposuit Grȩcis qui verterunt ποιμανεῖς, vt alia multa non benè.

XIV. At Apocalypseos duodecimo & decimo nono eadem phrasis vsurpatur, vt significet *punire*. Manifestè quidem in decimo nono. *Ex ore*, inquit, *eius prodibat gladius acutus, vt ex eo percutiat gentes: ipse enim reget eas virga ferrea. Ipse enim est qui calcat lacum vini furoris, & iræ Dei omnipotentis.* Nam, quid erat opus meminisse furoris & iræ Dei, si in pastorali regimine non est punitio? In duodecimo autem, sufficit nullo absurdo posse confutari hunc sensum, quo pœna significatur: Etsi gentium nomen id indicat: nam nominantur pro infidelibus ex Iudęorum idiomate: infideles autem quis nescit regi à Christo puniendo? Itaque falsum est secundum argumentum? Itémque tertium, quia non dicitur Christus totam suam hæreditatem regere in virga ferrea, sed tantùm gentes: Alioqui, quàm absurdè diceretur confringere Ecclesiam.

XV. De Patribus non sunt multa dicenda. In Psalmo secundo dubitari non potest, quin à scopo Prophetæ aberrarint Hilarius, Augustinus, Primasius, Beda, & Rupertus. Vidit Theodoretus: itaque etsi non omisit aliorum sententiam, tamen suam prætulit de Iudæis per Imperium Romanum conterendis.

XVI. Quid ergo? nempe *pascere virga ferrea*, μεταφορικῶς intelligendum, pro autoritate potestatéque summa, cui resistere non valeant infideles, qui potius conterantur, ęquè ac vasa lutea. Quæ autoritas conferenda est Sanctis, post mortem quidem: sed non ante resurrectionis diem: in qua illi sessuri sunt cum Christo, vt cum eo iudicent impios & rebelles.

XVII. Quæ citantur è vigesimo quarto secundùm Matthæum, *constituet eum super omnia bona sua*, nihil habẽt difficultatis. Anselmus interpretatur de æternis præmiis. *Non vt solus, inquit, sed vt præ cæteris habeat æterna præmia, cùm pro sua vita tum pro grege custodito.*

[illegible] de [illegible] honore, *In magnum bonorum constituet eum, vt bonis suis dignum ducat illum. Tu vero huiusmodi ne vlterius curiose scruteris.* Theophylact. [illegible] *Qui ergo tunc deprehendetur fidelis & prudens, ille perfectiora assequetur. Regnum, inquam, cœlorum. Quæcunque enim bona habet Deus, eorum heredes erũt Sancti.* Quid hæc ad controuersiam nostram? aut quomodo inde sequitur d[illegible] nctos curare hæc mortalia?

XIIX. Nec operosior solutio verborum ex Lucæ decimo nono. Nam, quia Christus regni cœlorum mysteria tractabat [illegible], absurde faciunt qui ad literam interpretantur. Quin potius agnoscant Christum inseruisse parabolæ, & non tantum regem, & regionem longinquam, & decem seruos, & talenta, siue minas, sed etiam ciuitates nominasse m[illegible]: non statim & repente deserta allegoria desilire ad propriam loquutionem. Itaque interpretes simpliciter intelligunt de æterna fœlicitate, in qua habituri sunt aliquid eximium ij, quorum ope vsus erit Deus in docenda administrandaque Ecclesia. Lyra, *Gaudebis de fœlicitate omnium qui per tuam doctrinam vel exemplum vita tua conuersi sunt ad bonum.* Euthymius, *Per potestatem supra decem ciuitates variam beneficij magnitudinem ac honorem demonstrauit.* Theophylactus, [illegible] *Id significat, multiplicata præmia recipi.* Hi omnes admonent ita interpretandum locum, vt quemadmodũ per decem minas, nullã intelligimus pecuniarũ administrationem à Deo vlli tradi in procuratione Ecclesiæ: imò quicquid est minarũ talentorúmve, relinquimus suis Regibus, regnisque: Ita in præmiis distribuendis, suis regibus suas ciuitates permittamus pro arbitrio distribuendas: in cœleste gaudium non ingeramus: sed [illegible] intelligamus varios fore præmiorum gradus: qui quidem varij esse possunt absque vlla terrestrium rerum procuratione.

XIX. Tertium argumentum sumitur ab Angelis. Hi orant pro nobis, & curam nostri gerunt etiam in speciali: vt Iobi trigesimo tertio, Tobiæ duodecimo, Zachariæ primó, Apocalypseos octauó, Danielis decimó, Psalmo nonagesimo primo, Matthæi decimo octauo. Ergo multo magis id spiritus hominum beatorum faciunt. Nam in primis nihil eis deest eorum quę Angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet, cùm sint pręditi intelligentia & voluntate, & adsint semper Deo, & nos vehementer diligant, ac demum sint æquales Angelis, vt dicitur Lucæ 20. Deinde aliquid habent pre Angelis: quòd sint membra corporis Ecclesiæ nobis magis coniuncta quàm sint Angeli, & experti sint miserias & pericula nostra, quæ Angeli non sunt experti.

XX. Respondeo, Angelos nostri curam gerere simpliciter, neque verum esse, neque falsum, sed cum distinctione: nostri enim curam gerere intelligi possunt, vel apud Deum, nempe vt quæ salutẽ nostram spectant, ea promoueant apud Deum, puta sollicitando, vt ita dicam, & procurando: vel alio modo exequendo Dei decreta & mandata. Hoc posteriori modo libẽter concedimus, Angelos, nostri etiam sigillatim curam gerere, & inde appellari [illegible], & mitti ministerij caussa propter eos qui heredes futuri sunt salutis, ad Hebræos primo. Ipsum etiam nomen, tum Hebraicè מלאך tum Græcè ἄγγελος, non ab alia etymologia. Denique plenæ sunt Scripturæ exemplis in eam partem: Sed & Danielis decimo nominantur Principes, & Matthæi decimo octauo, Angeli paruulorũ & Psalmo nonagesimo primo, custodientes homines in omnibus viis eorum.

XXI. Sed de priori modo, non æquè liquida res est: Certè Athanasius in dubio relinquit, siue quis alius autor est libri de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus, [illegible] *Quod autem est opus cœlestium potestatum? Hymnus nunquam remittens, & amor nunquam cessans Diuinæ Maiestatis: forsan etiam preces assiduæ pro nostra salute.* Audin? Nam profectò procuratio nostræ salutis apud Deum non potest, nõ in precibus esse. Hæc igitur, saltem incerta est, huic si fides autori habenda est.

XXII. Nos pronunciauimus, nunquam nobis Angelos describi in Scripturis, nostri curam gerentes apud Deum. Nec contra probant loci ab aduersariis prolati. Nam qui ex Danielis decimo, & Psalmo nonagesimo primo; & Matthæi decimo octauo (ij vt iam monuimus, pertinent ad procurationem posterioris modi.

XXIII. Iobi verbis abutuntur transsumptis ex corruptione Latina, de qua quanquam actum est paulo antè, tamen nunc plenius. Latinè igitur, *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem, miserebitur eius.* Quæ quisquis legit, nihil concipit aliud, quàm Angelum aduocatum pro homine laudantem apud Deum sui clientis iustitiam, vt ab irato Deo extorqueat, vt ita dicam, misericordiam: magno Papistarum plausu. Nam & Sa confidenter, *Annunciet*, inquit, *ante Deum.* Et Carthusianus, *Deo præsentet & offerat iustitiam ægri & peccatoris.* Atqui Hebraicè longè aliter. *Si fuerit ei, vel pro eo, Angelus interpres vnus ex mille ad denunciandum homini rectitudinem eius.*

XXIV. Vnde constat primò non agi de precibus. Nam מליץ non significat id officium: sed aliud quod in interpretando versatur, siue in referendis mandatis. Deinde non describi officium, quo quis fungatur apud Deum. Vt grauissimum sit Latini interpretis peccatum, qui dixit, *annũciet hominis æquitatem*: cùm d[i]buerit, *annũciet homini æquitatem suam*: est enim להגיד לאדם ישרו Paraphrastes Chaldæus, *Si est in eo meritum, præparatur Angelus vnus de mille accusatoribus, vt annunciet Filio hominis rectitudinem eius.* Vbi ישרו ambiguum est, quia referre licet vel ad hominem, reciprocatè, vt sit *rectitudinem suam*: vel ad Deum rectitudinem eius. Et vix interest, vtrum eligas. Sensus erit facilis: Si homini attrito ex sensu peccatorum (talem enim descripserunt versus præcedentes) quisquam, siue Angelum velis, siue hominẽ (nam Hebraicum מלאך generaliter nuntium, quemcumque significat, siue corporeum, siue spiritum) annunciet rectitudinem, siue suam, id est, quã si habeat, rectus sit; siue eius, nempe Dei, puta imperatam à Deo; tum fore vt Deus misereatur hominis, nimirum propter conuersionem. Hic autem sensus quid ad procurationem apud Deum? Longè melius procurationem apud nos, id est, posterioris generis.

XXV. Tobiæ narratio [illegible] est [illegible], anilis fabula, nec piè cogitata, nec artificiosè contexta. Denique totus liber Apocryphus, vt suo loco disputatum. Quid ergo ille nos diutius moretur?

XXVI. Qui Angelus Apocalypseos octano habebat thuribulum aureum, cuique dati sunt suffitus

multi, vt offerret cum precibus Sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum: hic, inquã, Angelus Christus est, non verò [illegible]. Sic enim interpretati sunt Primasius, Haymo, Ambrosius, Glossa interlinearis, Rupertus disertè lib. 5. in Apocalypsin, *Venit*, inquit, *Angelus, & stetit ante altare habens thuribulum aureum in manu sua*: Angelum esse Christũ Dei Filium, Angelum, id est, nũtium magni consilij, hunc esse, vel dici, non solũ prophetica, verùm etiam legalis autoritas adstruit.

XXVII. Zachariæ primo describitur visio, & quidem nocturna, in ea vnus Angelus orans, *Domine exercituum, vsq; quo tu non misereberis Hierusalem & vrbiũ Iuda quibus iratus es?* At non solent in visionibus res nudæ repræsentari, aut absq; inuolucro. Itaque nihil cogit rem omnino ita gestam, vt Angeli nihil aliud significent, præter spirituales illas naturas. Quomodo nec virum vllum inter myrteta, quisquam [illegible] asseruit, aut equos etiam nihil nisi equos. Quare argumenti vis esse potest nulla, nisi quantum adstruent alia argumenta.

XXIIX. Hactenus de antecedente: vnde, quã infirma sit consequentia, quis non videt? Nã si falsum Angelus nostri curam gerere apud Deum; certè ne Sanctos quidẽ quisquam concludere poterit. Non enim ab antecedente falso verum elicias consequẽs. Sin autẽ agere nostri curam Angelos exequendo vel mandando decreta Dei, concedamus, at certè cõsequentia negabitur. Primò, quia dissimilia concludãtur: nam hæc cura, in cuius disputationẽ Papistæ incurrerunt occasione intercessionis, non est eius generis cura. Deinde, etiam si cõcluderetur eiusdẽ generis cura, consequens patet esse manifestò falsum: quia Angeli in mundum veniunt apud nos huius curæ caussã, non sancti; quos à suę quietis loco nulla Scriptura testatur recedere.

XXIX. Et verò consequentiæ confirmationes palam sunt ineptæ. Habent Sancti intellectum, voluntatem, amorem, cum Angelis, plus etiam quàm Angeli experimentum miseriarum: nego tamẽ habere omnia quæ Angeli habent, ad eius curæ munia obeunda. Non enim habent munus Angelicum: non sunt [illegible]. Itaque quod pares Angelis Christus esse pronunciauit, non [illegible] intelligẽdum, sed [illegible]. Vt taceam dictum esse de Sanctis post resurrectionem, cùm tamen nemo sanctorũ vllas res terrenas curaturus est; vnde patet [illegible] nullã eam partem esse; nam si esset, cura profectò hac desinente, desineret ipsa [illegible], contra hypothesin. Magis esse nobis coniunctos sanctos, quàm Angelos; verum est, si addas natura; nam magis coniũctos præsentia falsum: quia sancti nec sunt vbique, nec è cœlis recedunt, & ad nos veniunt, vt Angeli. Certè Zachariæ propinquior, id est, secundùm præsentiam coniunctior erat Gabriel, quum ex altari alloquebatur eum, quàm Abrahamus. Atqui ad hanc curã minutarum rerum nostrarum, siue procurationem secundi generis, cõiunctio præsentiæ requiritur, magis quàm naturæ: vt patet ipso Angelorum exemplo.

XXX. Quartũ argumentum habeo ex Petro de Bello in authentica probatione Christiani sacrificij ex Lucæ decimo sexto, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Item sexto, *Date & dabitur vobis. Mensuram bonã confertam & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* Quomodo remetientur gratum munus eleemosynæ diuitis, impensæ pauperi, qui statim eo accepto moritur, nec pinguioris fortunæ experitur fauorem, nisi orationis & precum fauore? Vbi recipiabuntur locupletes illos misericordiæ cõcessæ fructus præsentem; si Lazari instar pro foribus diuitis aluntur susceptà eleemosynâ ilico commoriantur? Creditum illud æs soluitur verè in futura vita, & remetientur merces & gratis illa in cœlis, vbi cœleste adepti thesauros suis suffragiis & precibus nobis opitulantur, adeo vt ingẽti eius fœnore caduca & terrestria ista beneficia pusilla videbuntur tantæ gratiæ pretio.

XXXI. Nempe igitur supponit perire fructum eleemosynæ, si non accipiatur ab iis in quos eleemosyna est collata. Atqui contra est doctrina Christi. Lucæ sexto, *Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa.* Toletus, *Benefacite etiam iis à quibus nulla referenda gratia expectatur.* Et post in annotatione, *Diligite inimicos, non vt vos diligant, sicut benefactores hominibus, ac mutuo date, non vt similibus vos beneficiis prosequantur.* Quare non est consequens amittere suam mercedem, qui dat eleemosynam, nisi ille reddat, qui accepit. Et verò illud, *dabitur vobis* nõ referendum ad eos qui acceperint, sed ad Deum. Toletus, *Promissio fit dantibus. Qui enim misericordes & benefici erga alios sunt propter Deum; his Deus misericordem ac beneficũ se exhibet: sic etiam Deus homines diligit, ac mutuo seipsos diligere cupit, vt omnibus, qui aliis ipsius gratia beneficia impenderint, ipse rependat: tantaq; promissione ad dandum vniuersos excitet & alliciat.* Et paulo post, ad illud, *mensuram dabunt, Hac mensura plena & perfecta erit talem Deus certissimè reddet: nam perfectissima mercede cumulabit nõ iudicantes, nõ cõdemnantes, dimittentes, & dãtes.*

XXXII. Postremum argumentum est ab autoritate Patrum; qui sanctis apud Deum agentibus nostri curam commendarunt suis scriptis. De quibus respondeo, ante Cypriani ætatem nullũ extare vestigium huius traditionis: quod Martinus Petrus agnouit, estq; ingenuè confessus parte 3. de Traditionibus, cõsideratione 7. addita etiam caussa, modestia & humilitate Apostolica; ne de se magna præsumerent, & quasi Deos facerẽt; quodque essent toti intenti prædicationi & diuulgationi Euãgelij, & aliarũ rerũ quæ magis ad substantiam salutis attinebant.

XXXIII. Quæ confessio totum hoc negotium conficit. Nam primò, constat ab initio, non sic fuisse. Magnum falsitatis argumentum. Secundò, si hãc partem doctrinæ Apostolorum nemo tradidit, cur ruinam ad ius esse potuit? Tertiò, si hæc Apostolorũ fuit humilitas, & modestia; certè eos, qui apud Papistas finguntur se ipsos mediatores obtulisse, nimò à Deo id officium postulasse, necesse est longè diuerso genio impulsos fuisse. Quin imò, quis credat modestiam, humilitatemque nunc à beatorum cœtu adeò exulare, vt qui viuentes de se noluerunt alta sentire: nunc, apud Deum beati, cœperint omnes ad se conuertere: & quod caput est, collegas se sui capitis Christi ostentare? Denique noluerunt, inquit, sese quasi Deos facere. Optimè. Hæc igitur cura rerum humanarum, quam Sanctis Papistæ tribuunt, Sanctos quasi Deos facit. Errant nunc Papistæ, & suorum sanctitatem iubent dogmatum. Ea Sanctos, si non deos, certè quasi deos facit. Atqui Lucifer, nõ se Deum constituebat, sed similem Altissimo, id est, quasi Deum.

XXXIV. Cùm igitur ab initio magnũ esset inter Christianos de hoc capite silentium, tandem primùm quidã affectus prodiderũt sese: inde paulatim sequuta priuata iudicia: quę vt fit, latius vagata, tandẽ doctrinæ publicæ, faciem induerunt, donec se te vtrique confirmaret, stabiliretq; idololatria: harum doctri-

errationum germanus genuinusq; fœtus, vt solent à minimis vitus incommoda nasci, vel maxima. Itaq; omnino necesse est has priuatas sententias distingui à publica Ecclesiæ doctrina. Et quanquam ne hæc quidem facilè admittenda, sed examinanda sit diligenter ad normam sacrarum Scripturarum, tamen illas longè plus iuris est cuilibet Christiano.

XXXV. Et tamen ex eo ipso seculo vnicũ Cyprianũ citant, non adeò disertè asserentem quod volũt. *Si quis hinc nostrum* (inquit Epistola quinquagesima septima) *prior diuina dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris, apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Quo loco de particulari cura nullum verbum: sed tantùm de generali dilectione & oratione pro fratribus & sororibus. Hanc autem paulo ante concessimus esse verisimilem, negauimus pertinere ad hoc mediationis officium, de quo est quæstio. Quanquam ambiguum est. Quis tam potest intelligi de orationibus viuorum pro mortuis (solebant concipi etiam pro martyribus) quàm de precibus mortuorum pro viuis: atque adeo nullum id est argumentum pro mediatoribus.

XXXVI. Citant etiam Irenæum libro quarto, capite decimo nono. *Sicut illa, Eua, seducta est, vt effugeret Deum, sic hæc, Maria, suasa est obedire Deo, vt virginis Euæ, virgo Maria fieret aduocata.* Quibus recitatis, quid clarius, exclamat Bellarminus, quasi id repertisset, quod in faba pueri. Feuardentius etiam triumphat.

XXXVII. Sed recito locum integrum. *Manifestè itaque in sua propria veniente Domino, & sua propria eum baiulante conditione, quæ baiulatur ab ipso, & recapitulationem eius, quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eam, quæ in ligno est obedientiam faciente, & seductione illâ solutâ, quâ seducta est male illa, quæ iam viro destinata erat virgo Eua, per veritatem euangelizata est benè ab Angelo iam sub viro Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deũ, prævaricata verbum eius: ita & hæc per Angelicum sermonem euangelizata est vt portaret Deum, obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est vt effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo: vti Virginis Euæ virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, soluatur per virginem: æqua lance disposita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam.* Hæc Irenæus mysterium redempto generis humani illustrans pulcra oppositione perditionis & restaurationis: in qua hæc membra. Eua virgo, Maria Virgo: Angelus decipiẽs, Angelus suadens: Virgo seducta, Virgo euangelizata: Virgo præuaricata verbũ Dei, Virgo obediens Deo: Virgo effugiens Deum, Virgo portans Deum. Itaque planum est, Irenæum considerare Mariam viuentem in terris, non autem mortuam & in cœlis regnantem. Ridiculum verò ad probandam intercessionem defunctorum pro viuis, induci argumentum Mariæ viuentis, intercedentis pro Eua iam pridem mortua. Quis non miretur acumen? Ita Papistas oportuit sapere scilicet. Sed nos scimus Irenæũ considerare; non quid Maria, siue viuens, siue mortua effecerit, sed quid per ipsam sit effectum: nimirum in animo habentem mysterium illud Incarnationis, humanæ salutis fundamentum. Itaque sensus est, Mariam fuisse Euæ aduocatam: non quòd pro ea suis siue precibus, siue meritis intercesserit apud Deum: sed quia pepererit Filium Dei, in quo solo Eua saluata est.

XXXIX. Quod verò aduocatæ vocem vrgent, frustra, imò imperitè faciunt. Non enim aduocatam nominauit Irenæus hoc nostro sensu, vt significet, qui apud Deũ agat caussam nostram siue precibus, siue meritis: sed longè alio, nimirũ, vt apud Tertullianum legimus contra Marcionem libro quarto, capite decimo quinto. *Quoniam accepistis aduocationem vestram*, pro eo quod est Græcè ἀπέχετε τὴν [illegible], sexto Lucæ, *habetis consolationem vestram.* Et rursus capite decimo quarto. *Aduocare languentes* è sexagesimo primo Esaiæ, & *Medicorum aduocatorem:* & de Patientia capite vndecimo, *Talibus & aduocatio, & risus permittitur.* Quibus omnibus locis consolatio significatur, vt obseruát Rhenanus, Pamelius, Laurentius, Iunius, ex affectatione Græcismi, Tertulliano [illegible]: quo ne Irenæi interpretem quidem scatere nemo neget, nisi insigniter impudens, aut imperitus. Ille igitur [illegible], Græcum [illegible] vertit per *consolari*. Itaque Irenæi mens erit, Virginem Mariam fuisse Virginis Euæ consolatricẽ, quatenus scilicet, quæ ruina in genus humanum irrupit per Euam, ea reparata est per Mariam. Nec aliter intelligi locus potest, nisi luxatis membris.

XL. Sic igitur Bellarmino nullus restat testis, quo probare queat intra primum & secundum seculum, aut creditam, aut probatam fuisse defunctorum pro viuis intercessionem apud Deum. Nam quæ citant deinceps, longè sunt recentiora, & vltra seculum tertium, vt Gregorij Nazianzeni, Hieronymi, Augustini, Leonis. Sed & quædam fraude supposita: vt quæ Feuardentius recitat ex meditationibus Augustini, è Liturgiis, ex Athanasij sermone in Euangelium de Deipara. Nam ea opera eorum authorum non esse, quorum nominibus insigniuntur, norunt omnes paulò cordatiores.

CAP. VI.

Defunctos non esse Intercessores apud Deum.

I. CAtholicorum argumenta iam expendamus. Primum, Si solus Christus est mediator noster apud Deum, ergo, Sancti nõ sunt. Consequentia per se patet: non potest enim solus esse qui in eodem munere collegas habet. Probatur antecedens, prioris ad Timotheum secundo. *Vnus enim Deus, vnus etiam mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Primæ Ioannis secundo, *Si quis peccauit, aduocatum apud Patrem habemus Iesum Christum iustum*: Ioannis decimo quinto, *Nemo venit ad Patrem nisi per me*: Hæc perspicua sunt. Vnde Catholicis facilis materia in eos declamandi, qui in Christum Seruatorem nostrum Dei Filium, tam facilè, imò tam prolixè iniurij sunt, vt quod officium solus possidet, communicent aliis plurimis. Caueant sibi. Nam & Christus Deus est: Deus autem gloriam suam alteri non concedit.

II. Respondent Papistæ, negantes consequentiam: eámque variis distinctionibus eludentes. Primum enim, si consequentia esset necessaria, ergo (inquit Costerus) neque sancti Angeli pro nobis orarent: nec essent rogandi viuentes in eum finem, & peccasset Paulus, qui viuentium preces sibi expetiit. Deinde alios præter Christum mediatores esse cõstat è Scripturis. Nam Paulus apertè fatetur, Mosem fuisse Mediatorem inter Deum & populum Israeliticũ. Et ad Hebræos quinto, Omnem Pontificem constitui pro hominibus in iis, quæ sunt ad

Deum vt offerat dona & sacrificia pro peccatis; quæ sunt partes Mediatoris. Itaque sic statuût: quemadmodum Matthæi vigesimo tertio, *Vnus est Pater, & vnus Magister*. Et decimo nono, *Deus solus bonus*: & tamen nihilominus Nicodemus sit, *Magister in Israel*, Ioannis tertio; & *omnis creatura Dei bona*, prioris ad Timotheum, quarto: sic Christus sit vnus Mediator: & tamen sancti sint Mediatores.

III. Distinguût autem variè. Costerus dicit esse Mediatorem excellentiori ratione, homines verò participatione. Eckius, atque alij, mediatorem esse Christum quidem redemptionis, reliquos verò intercessionis. Possanus, Christum aduocatum præcipuum, & ex officio; sanctos verò sollicitationis, sic enim appellat. Bellarminus omnium prolixissimè Mediatoris triplices partes obseruat. Primû, vt dissidentes conciliet declarando vter iustum petat. Secundò, soluendo creditori pro debitore: tertiò, orando creditorem, vt remittat debitori. Primas partes in hoc negotio nullas esse, quia constet Deum ab homine offensum. Secundas esse Christi solius; & hanc ob caussam appellari solum Mediatorem. Tertias verò etiam ad sanctos pertinere. Rursus idem distinguit Mediatorem ratione officij à Mediatore ratione personæ. Et Christum solum esse Mediatorem ratione personæ, quia Deus sit & homo. Denique Mediatorem alium esse, qui nullo Mediatore indigeat; & hunc Christum solum: sanctos verò ita esse mediatores aliorum, vt ipsi eguerint Mediatore.

IV. His substratis distinctionibus ad locos respondent singulos. In primo quidem agi de Redemptione; quod Bellarminus probat, tum quia subijciatur. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*; tum quia scripta sit epistola ad Timotheum Episcopum Ephesi in Asia, vbi hæresis Simonis vigebat Angelos substituens in locum Christi. In secundo Richeomus negat dici vnum Mediatorem, sed tantum Mediatorem. Possinus verò intelligi Mediatorem præcipuum & ex officio. Tertij sensum esse Possanus dicit, neminem venire ad Patrem, nisi per fidem Mediatoris Iesu Christi: quia nemo possit scire Patrem esse Patrem, nisi norit Filium. Itaque cùm Christus sit Filius; credendum esse in Christum, vt credatur in Patrem.

V. Hi tanti conatus, si non redolent sophisticam pertinaciam, quid non redolent? Nam certè solent sophistæ, cùm maximè tenentur; tum maximè rursum prursum mouere. Et tamen produnt suum ingenium: veritatem non infirmant. Tenet ergo consequentia Catholicorum; & instantiæ sunt nihili. Nam de Angelis actum antea. Viuentium autem preces non propterea damnantur, quia non pertinét ad munus mediatoris. Et sanè Paulum, quem sæpè audis postulasse preces viuentium, tamê nunquam leges appellasse viuentes suos mediatores. Mosen fuisse *μεσίτην* à Paulo dictum tertio ad Galatas non omnes consentiunt. Nam Veteres plerique omnes Christum dicunt mediatorem legis datæ. Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Primasius, alij, etiam Papistæ. Lombardus, Thomas, Gagnæus. Hic sensus nihil ad hanc quæstionem. Fateor tamen tum Veterû nonnullos, tum etiam recentium ad Mosen referre: Epiphanium contra Manichæos, Theodoretum: Gennadium apud Oecumenium, Bezam, Piscatorem. Sed manifesta est homonymia: nam tum *μεσίτης* nihil aliud quàm internûcium significat, qui ab vno ad alium mandata defert: quomodo Deuteronomij 5. *Ego* (inquit Moses) *sequester & medius fui inter Deû & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius*, sic enim vulgata editio Latinè vertit, quod Græcè est, *ἐγὼ εἱστήκειν ἀνὰ μέσον Κυρίου καὶ ἀνὰ μέσον ὑμῶν* (ὑμῶν) vel veritate Hebraica: ego stabam inter Deum & vos. Et hoc modo nihil sit absurdi omnes Prophetas & Apostolos appellari mediatores: imò verò omnes Pastores: Sed hoc mediatoris officiû tam lôgè abest ab hoc officio, de quo disputamus, quàm præconis partes à partibus Regis: atq; adeo ita fuit Moses internuncius mediator in lege danda, vt post mortem, neq; fuerit, neq; esse potuerit. Iam, quod attinet ad Pontifices: illi quam *μεσίτας* mediatores dicebant: si tamen dicebantur: quomodo lapis sic factus appellatur homo, quia figuram hominis repræsentet. Nam illi Pontifices figurabant Iesum Christû verum Pontificem: Itaq; Deo donaria offerebant, sed non suas hostias immolabant; et non seipsos. Non possunt igitur ostendere Papistæ alios aut esse, aut fuisse appellatos propriè mediatores præter Christum.

VI. Iam de vno magistro, & solo bono Deo, respondeo: primò non comparari similia. Nam hæ dicuntur instantiæ ex ipsis Scripturis, in quibus tum alij Magistri nominantur, tum alia bona. At vnum esse Mediatorem Catholici quidem docent è disertis Scripturæ locis: alios autem esse mediatores Papistæ non probat, nisi quia ita volunt, & eo posito, distinctiones, quo iure quavis iniuria obtrudunt. Porrò iste res se habet: Quædam esse Dei nomina, quæ quàmquam Deo conueniant propria quadam ratione, tamê hominibus etiam communicantur: vt sunt, & Bonus & Magister. At vicissim alia quædam, quæ non communicantur, vt omnipotens & naturalis Dei filius. In his Catholici asserunt esse nomen Mediatoris inter Deum & homines: quia, cùm Scriptura dicat eum vnicum esse Christum, tum alios nullos vnquam sic nominat.

VII. Secundò, bonus solus Deus dicitur, & re vera est. Nec obstat, cùm bona dicuntur eius opera, aut boni viri: nam manifesta est homonymia. Cùm enim increatum & infinitum non possit esse eiusdem generis, cû creato, & infinito: certè alia, longè alia ratione bonum Deû intelligi hominem oportet, quàm virum. Nempe illum propriè verè, & *ἀληθῶς*: hunc autem *ἀκύρως*, & ob quandam similitudinem. At mediatores sanctos Papistæ faciunt, eodem mediationis genere cum Christo, eam deniq; ob caussam tantùm vnum excipiunt Redemptionis efficacia, & quidem verbis potius, quàm re ipsa: nam & apud Patrem pro hominibus intercedere dicunt, & non tantum precibus, sed etiam meritis suis: & deniq; contend propter eos nobis à Deo remitti peccata. Itaque Christus & Sancti mediatores erunt, non alia & alia ratione, siue mediationis definitione, sed tantum *κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον*: quæ est accidentaria differentia, non essentialis.

VIII. De Patre & Magistro Augustinus in breuiculo diei tertiæ capite 3. cû obijcerent Donatistæ Paulum se Patrem Corinthiorum appellare, *Responsum est à Catholicis hoc honorificentiæ caussa dictum propter Euangelicû ministeriû quod dispensabat Apostolus. Nã Patrem ad fidê salutemq; æternã non esse, nisi Deû*. Distinguit ergo Augustinus Patrê, vt alius sit ratione ministerij, alius salutis æternæ. Ita sanè, inquient Papistæ; sed & nos distinguimus. Differo de distinctione dicere, sed Augustinus statim docet è Scripturis necessario, distinctionem elici, *Neque enim posset, inquit, contrarium Christo Apostolus loqui, vt sit ille dicens*

Ne vobis dicatis Patrem in terra, vnus enim Pater vester Deus: vnicè Apostolus tamquam restitueret verba Christi Patrem se dicerat eorum, quibus annunciauerat Euangelium: nisi esset vtrinque distinguendum, quid diuina gratia, quid humana honorificentia causa diceretur. At non similiter Papistæ, qui non è Scripturæ variis locis suas eliciunt distinctiones: sed è suis somniis, quæ Scripturæ apportatum opponunt veritati. Sed ad rem. Vult Augustinus Patrem & magistrum solum Deum esse, ad fidem, salutemque æternam. Sed Hieronymus obiectionem soluit solidiùs in eum Matthæi locum, *Quomodo vnus per naturam Deus, & vnus Filius; non præiudicat cæteris, ne per adoptionem Dei vocentur & filij, ita & vnus Pater & Magister, non præiudicat aliis, vt abusiuè appellentur patres & magistri.* Videtint Papistæ, vtrum suos sanctos velint abusiuè ἐντυγχάνοντας appellari mediatores.

IX. Ad distinctiones venio: & primùm meminisse iubeo, agi non de mediatore simpliciter, sed de mediatore inter Deum & homines. Nam sic Paulus disertè circumscripsit & de mediatore ad expianda peccata vt Ioannes. Deinde, non debere nos in diuinis sapere nostro sensu: sed è Scripturis. Itaque, nisi mihi Papistæ vtrumque membrum, non è suis placitis aut somniis: sed è Verbo Dei probent, frustrà laborant. Nego igitur mediatorem inter Deum & homines alium esse excellenti ratione, alium participatione, quod somnium est Costeri. Nego alium præcipuum, & ex officio, alium sollicitationis, quod est Porsani. Nego esse alium redemptionis, alium intercessionis, quod est Eckij. Ratio: quia non tantùm has distinctiones Scriptura nescit: sed etiam, quia diuersos mediatores nunquam nominet: imò contrà vnum esse asserit. At in vnitate nihil distinguendum sciunt omnes.

X. Ita porrò se habet distinctionum negotiū: vt aliæ quidem è Scripturis ipsis αὐτολεξεὶ, vt ita dicam, sumantur. Sic Dei Filius, alius natura, alius adoptione. Sic Angeli in bonos Angelos, & diabolos, & similia multa. Aliæ autem necessariò eruuntur è Scripturis, vt paulò antè Augustinus distinxit Patrem & magistrū: vt Theologi fidem distinguūt ex actu, & habitudine, & obiecto. Et Seruatorem, in Seruatorē animarum, vel corporum. Nam etsi ipsa distinctionum vocabula non legantur in Scripturis: tamē ea leguntur, quæ necessariò ita exponēda sunt. Nam eadem Scriptura, quæ Deum esse asserit, & Patrem & magistrum, etiam Paulum iisdē titulis ornat. Et quæ fidem nominat Romanorū, Corinthiorum, Thessalonicensium: eadem dicit esse vnam fidem: & quę Dei Filium dixit Christū, eadem fideles filios. Denique Seruatorem Christum (& quæ exempla obiecerit Eckius) Othonielem, Iudicum tertio: & Iosephum, Geneseos 41. Eiusmodi quippiam si habēt Papistę, vicerunt sanè. Sed, vt à se excogitent, tum distinctiones suas, tum res iis distinctionibus significatas: hoc verò tyrannicum est: hoc verò non ferendū. Nam quæ non sic elaberetur? Aut cur non duo sua principia Manichæi tueantur, etiamsi dicatur vnus Deus: dicētes esse vnū Deum bonum, ac de eo intelligi Scripturas: sed esse alium malum? Infinita denique eiusmodi. Et certè in eo peccatur, aut semper, aut sæpè, vt ferè semper, à Scholasticis Theologis, qui, cùm pro veris, & certis posuerunt ea, quæ à temporibus obseruabāt, quoties opponeberut Scriptura, elabebātur distinctione aliqua. Sic nobis caput principale, & caput ministeriale cōflatum: vt Ecclesiam bicipitem negarent esse monstrosam. Sic

A latria, dulia, hyperdulia, vt honore religioso creaturę adorētur. Sic opera legis, distincta à meritis operum, ne obtineat iustificatio per fidem absque operibus. Prolixus sim, si enumerem quæcumque possum. Nam ea est horum hominum perpetua audacia.

XI. Sed mediator redemptionis, & intercessionis (quæ plerisque omnibus, ipsi etiam Bellarmino placuit distinctio) quàm ineptè dicitur? Nam intercessio quid est? Latino vsu, sciunt omnes intercessorem dici, qui opponit se, ne quid fiat, siue, vt loquitur Laurentius Valla, ad impediendum interuenit: quo sensu semper vsurpatur à Tertulliano, post Ciceronem. At hoc Ecclesia non vtitur: sed alio vicino: nēpe vt sit in alicuius gratiā apud aliquem instare: quomodo Geneseos vigesimo tertio, פגעו לי, quod Septuaginta verterāt, λαλήσατε περὶ ἐμοῦ, non bene Latinus reddidit, *intercedite pro me.* Augustinus Epistolā quinquagesima quarta, defensorem distinguit ab Intercessore: sic, vt ille diluendis, vel obtegendis criminibus operam maximè impendat: hic autem etiā cùm de culpa constat, pro pœna remouenda, vel tēperanda curam gerat. Itaque, nec sic quidem recessum fuerit à primaria significatione: quum enim cōstat de culpa, tum ex legis pręscripto certa pœna est. Itaque, hic intercessor obstat, impeditve quominus legis decretum executioni mandetur. Quanquam hunc sensum tam latè producit Augustinus, vt multos intercessores confiteri nihil sit absurdum, cùm non tantùm iustos pro peccatoribus, sed etiam peccatores intercedere dicat, quod procul abest à nostra controuersia. Sed ad rem. Isidorus etiam Originum libro septimo, capite secundo, intercessorem vocari Christum docet, *Quia pro culpa nostra remouenda curam gerit: & pro abluendis nostris criminibus curam impendit.*

XII. Quorsum hæc? Vt doceam ineptè à Papistis distingui mediatorem, in redemptorem, & intercessorem. Nam, primò, vt de vocabulis agam: dico mediatorem, & intercessorem esse συνώνυμα: hoc est, eiusdem rei diuersa nomina. Nam primò, vt appareat esse lusum verborum, Græci mediatorem, & intercessorem, vnico vocabulo τῷ μεσίτῃ significant. Itaque his autoribus, mediator esset, Græcis alius redemptionis, alius μεσιτείας, mediationis. En ἀδολεσχίαν.

XIII. Secundò, res ipsa eadem. Nam intercessorem, tum ex Augustino, tum ex Isidoro vidimus dici, qui satagit, vt ne peccator puniatur: imò ab eo culpa remoueatur, & abluantur crimina. Atqui eædem partes sunt redemptionis. Probo, tum, quia Ioannes Christum aduocatum proponit eis, qui peccarunt: & addit rationem, quia sit propitiatio pro peccatis. Nam quis non videt ideò proponi aduocatum, vt spes dat peccatoribus delendorum criminum, remouendæque culpæ? Imò quis nescit, hoc ipsum appellari propitiatorem? Rursus Paulus, qui vnum mediatorem sic dixit, vt vnum Deum: ac proinde quem volunt Papistæ loquutum de mediatione redemptionis, is, inquam, rationem addit, *Qui dedit semetipsum redemptionis pretium pro quibusuis.* Et paulò antè, Deum velle homines ad salutem venire: quod non fit, nisi per remissionem peccatorum. Ergo, tum redemptio, tū intercessio re sunt eædem. Itaq; distinctio est inutilis. Idque eò magis, quod Papistæ à suis Sanctis disertè postulent, id ipsum quod à Christo redēptore,

remissionem peccatorum, salutem, liberationem ab æternis pœnis, vitam æternam. Et quidem ex vi meritorum. Quę si redemptio non est: quid est, quæso, redemptio, aut quibus eam terminis circumcludet? Si non est, inquam, cùm nobis aliquis liberationem à peccatis, à gehenna, vitam etiam æternam obtinet à Deo propriis suis meritis? Itaque hic omnino puerilis est vocabulorũ lusus, vt alias cùm idem genus adorationis religiosæ tribuentes Creatori, & creaturis, tamen distinguunt latriam, & duliam.

XIV. Supersunt tres Bellarmini causæ: quarum prima, Intercessorem appellat eum, qui pronunciet, vtra partium æquum postulet. Vnde id? Nam hactenus eas partes nemo vnquam Intercessori tribuit: vt solius Bellarmini est καινοτομία. Atqui Augustino, defensor ab intercessore plurimum distat: & defensori hoc officium assignabat, vt diluat crimina: hoc est (vt omnes videt) vt pronunciet, vtrum æquum petatur. Itaque non tantum intercessor huiusmodi dari non potest inter Deum & homines: sed ne quidem in rerum natura.

XV. Quod attinet ad duas reliquas: respõdeo, Papistas non assignare Sanctis solas preces: sed etiam merita. Imò preces non nisi cum meritis, aut etiam pruptet merita. Sunt autẽ merita apud Deum solutio pro debitore. Et cùm orant Papistæ, vt Nicolai meritis & precibus à gehennæ incendiis liberentur, & vt Iaruis intercedentibus meritis, ab omnibus peccatis absoluantur, an quisquam iis verbis sensus esse potest, quàm vt qui suis meritis non possunt eam gratiam [illegible] etare, adiuuentur alienis, id est, vt Deus acceptet Sanctorum merita pro satisfactione peccatorum, quorum ij rei sunt, qui orant? Ergo Sancti apud Papistas inuolant in eam causam, ob quam fatetur Bellarminus Christum dici solum mediatorem. Et rursus apparet vocabulorum lusum esse sophisticum.

XVI. De Mediatore officij, & Mediatore naturæ rursus tricæ. Nam, primò aliud est medius, aliud mediator. Ille ad personam referri queat: sed hunc omnino oportet significare officium. Itaque tum Scriptura, tum Veteres, cùm non solùm mediũ: sed disertè solum mediatorem dicant Christum, ostendunt se de officio loqui. Et confirmatur à circumstantiis. Nam Paulus, non tantùm mediatorem nominauit, postquam dixisset, Deum velle omnes homines saluari: sed etiam post Mediatorem nominatũ, addidit redemptionis pretium pro quibusius. Quæ quidem non personæ sunt, sed officij. Itaque fatẽdum à Paulo Christum appellari vnum Mediatorem non ratione personæ, sed maximè ratione officij. Secũdò, officium Mediatoris pendet à persona: adeò vt nemo sit mediator inter Deum & homines: nisi qui etiam medius: qua de re paulò pòst. Tertiũ, non consentit Bellarminus cum Porsauo. Nam Bellarminus, cùm solius personæ mediationem soli Christo vindicet: concedit ex officio alios præter Christum esse mediatores. At Porsanus explicans locum ex secundo capite prioris Epistolæ Ioannis, Christum dicit intelligi Mediatorem præcipuum, & ex officio: significans mediationem ex officio non competere, nisi Christo. Itaque contradictio est manifesta.

XVII. Superest stropha distinctionis in mediatorem, pro quo nullus sit mediator, & mediatorem qui ipse indigeat mediatore. Cui oppono primũ illud solenne, vnde sit hausta. Nam si è Scriptura, cedo locũ, & cedimus. Sin à Scholasticorum somniis, εἰς κόρακας. Deinde Augustinum malim audire contra Epistolam Parmeniani libro secundo, capite octauo, *Homines omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis: pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verúsque mediator est.* Quibus significatur, non omnem qui apud Deum interpellat pro alio, esse appellandum mediatorem: sed eum solum qui sic pro omnibus, vt nemo pro eo. At Papistæ, tũ hunc, tum illos eodem nominis honore dignantur. Id ergo asserunt quod Augustinus negat: patiantur nos cum Augustino negare vllum esse mediatorem apud Deum, qui ipse mediatore indigeat.

XVIII. Iam de locis è Scriptura citatis, nullũ negotium. In primo, vnus mediator disertè, itidem, vt Deus: At Deus sic vnus dicitur, vt excludantur omnes distinctionum quisquiliæ: cur non & mediator? Certè Augustinus ita scripsit contra Epistolam Parmeniani libro secundo, capite octauo, *Si esset mediator Paulus, essent vtique & cæteri Apostoli: ac sic multi mediatores essent: nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dixerat, Vnus Deus, vnus Mediator.* Nam quod aiũt intelligi Mediatorem redemptionis, fateor: sed addam Mediatorem solius intercessionis, monstrum esse Papisticum. Ad hæc quis non videt Paulum probare esse orandum pro omnibus, quia omnes Deus saluari velit? Et rursus Deũ omnes velle saluari, quia vnus sit Mediator? Ergo oportet Mediatorem intelligi cuius beneficio perueniatur ad salutem. Itaque vnicum esse mediatorem, per quem speremus salutem. At Papistæ per Sanctos volunt sperari, postulantque salutem, & quæcumque ad eam conducunt. Quid tum autem si nominatur statim pretium redemptionis? aut quo artificio elicient inde distinctionem Mediatoris? Cur non potius concludant neminem esse mediatorem qui idem non dederit seipsum redemptionis pręmium?

XIX. De Simone Mago nugæ. Nam primùm nemo docuit ab eo Angelos substitutos in locum Christi, sed potius seipsum pro Christo venditasse. Deinde quorsum? Nulla enim consequentiæ vis. Timotheus erat Episcopus Ephesinus. Ephesus erat in Asia. In Asia Simoniani vigebant. Simoniani, siue Simonem, siue Angelos substituebãt in locũ Christi. Intelligo. Sed quis scopus? Ergo Paulus intellexit tantùm Mediatorem redemptionis? monstrum Logicæ. Quid si ego contrà. Ergo intellexit mediatorem intercessionis? Quo argumento refutent? At ego probem: quia si constituebant, siue Angelos, siue Simonem in locum Christi: ergo mediatorem non distinguebant, ac tum redemptionem, tum intercessionem adscribebant, siue Simoni, siue Angelis. Scribens ergo contra eos Paulus vniuersaliter intelligendus, Vnicum esse mediatorem Christum, tam intercessionis, quàm redemptionis.

XX. In secundo loco non nominatur ἀντίλυτρον, vt prius, sed ἱλασμὸς, propitiatio pro peccatis. Etsi autem vtrumque reuera vnum sit, & idem, tamen ita cæcutiunt, vt redemptionem Christo permittentes propitiationem Sanctis communicent. Audi solennia verba in festo omnium Sanctorum, *Vt desideratã nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris.* Quid igitur habẽt quod opponãt Ioanni? Audite verò. Non dixit vnum esse, sed tantùm esse aduocatum. Ita est, inquam, sed quid tum? Aut si Papistis fauet, cur ii qui se peccatorũ multitudine grauari sentiunt, non cecinit illud magnificum, *multiplicatis intercessoribus?* Cur non quod hodie

inter

inter omnes maximè solent Iesuitæ, cum morbundis adeunt, hortatus est, vt eligerent sibi aduocatum: Cur potius Iesum Christum nominauit, aliū præterea nullū? Nimirum ille mos erat Apostolorum perpetuus: necdum multiplicatos in successores suos Papismus excauerat, per quos non tantū propitiationem, vt per Christum, sed abundantiam propitiationis postularet, quemadmodum per multos tubos aquas vident largiores fluere, quàm per vnum. Nam Porsani mediatorem præcipuum & ex officio, cur amplius exagitem? Audiat semel à Catholicis eos omnes mediatores teneri, qui non ex officio, ideóque præter officium, Mediatoris vsurpanē officium.

XXI. Restat tertius locus, in quo quis non adoret Porsani Theologiam? Nemo venit ad Patrē, id est, inquit, Nemo Patrem nouit, nisi metaphysicus sit, & dialecticus, vt exactè sciat relationum naturam. I nunc, & nega mirandam Papistarum in explicandis Scripturis solertiam. Sed simpliciores Catholici finem sermonis attendunt, *In domo Patris mei* (inquit Dominus) *habitationes multæ sunt: alioquin dixissem vobis. Proficiscor paraturus vobis locum: & cū profectus fuero, & parauero vobis locum rursum veniam, & assumam vos ad meipsum: vt vbi sum ego, & vos sitis. Et quò ego abeam scitis, & viā scitis. Dicit ei Thomas, Domine, Nescimus quò abeas: quomodo igitur possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Vbi sciunt, imò vident omnes agi de mansione apud Deum, hoc est, de fruitione Dei, quæ est beatitudo fidelium: nec consistit in sola cognitione, multò minùs in dialecticis, & metaphysicis tricis. Ephrem de mansionibus beatorū, *Saluator noster, mansiones multas Patris, vocat mensuras intelligentiæ eorum, qui in regione illa commorantur: dico autem discrimina, ac differentias, quibus mente & intelligentia gloriam participant: non enim locorum diuersitatem, sed charismatum ordinem, mansiones multas appellauit. Quemadmodum enim vnusquisque pro puritate, & capacitate visiua potentia, sensibilibus radiis solaribus fruitur: & quemadmodum vnica lucerna in vna domo lucente, aliter atque aliter luminis splendor diffunditur, licet etiam per multas lucernas non fuerit diuisus: ad eundē modum in futuro seculo, iusti omnes indiuisibiliter habitabunt, vnius gaudij participes.* Hieronymus libro secūdo contra Iouinianum, *Quis risum tenere queat in eo, quod multas mansiones apud Patrem, Ecclesias arbitretur in toto orbe diffusas: cùm manifestissimè Scriptura doceat, secundū Euangelium Ioannis, non de Ecclesiarum numero, sed de cœlorum mansionibus, & æternis tabernaculis, quæ Propheta desiderat, Dominum fuisse sermonem?* Itaque Cyrillus in Ioannem libro nono, *Nemo accedit ad Patrem, id est, nemo diuinæ naturæ aliter particeps erit, nisi per Christum. Nam nisi factus homo ille mediasset, in tantam beatitudinem nemo vnquam hominum perueniret.*

XXII. Habent ergo Catholici luculentam scripturam. Sed & rationem: Omnis mediator est medius. At nullus Angelus, nullus Sanctus, est medius inter Deum & homines. Ergo nullus Angelus, nullus Sanctus, est mediator inter Deum & homines. Patet maior ex iis quæ prolixè disputata sunt suprà capite quarto: vbi asseruimus omnes Patres necesse fuisse, vt Christus esset Deus & homo: non futurus alioquin mediator. Nouatianus de Trinitate, capite decimo quarto, *Si homo tantummodo Christus, cur homo interationibus mediator inuocatur, cum inuocatio hominis ad præstandam salutem inefficax iudicetur?* Et similiter capite decimo sexto, *Is merito, dum est in illo aliquid quod superat creaturam, pignerata in illo diuinitatis, atque humilitatis videtur esse concordia. Propter quam causam, qui mediator Dei & hominum effectus exprimitur, in se Deum & hominem sociasse reperitur*, [illegible], inquiebat Athanasius Dialogo quinto de Trinitate, *Si Christus esset tantùm homo, vel tantùm Deus, non esset medius inter Deum & homines.* Cur non itidem nos, Si Sancti sunt tantùm homines, ergo non sunt medij; ideoque, neque mediatores? Adde Theodoretum in priori ad Timotheum secundum caput, *Et, vt vult Arrius & Eunomius, non est Patris substantiæ particeps, quomodo est intercessor? Nobis enim vnitus est: quoniam, quod ad humanitatem attinet, est eiusdem nobiscum substantiæ: sed Patri non itidem, si quidem, vt illi volunt, est ab eius substantia seiunctus. Atqui eum vocauit intercessorem diuinus Apostolus. Ergo etiam Patri fuit vnitus, quod attinet ad diuinitatem: & nobis similiter, quoad humanitatem.* Nota: primò, ab hoc Theodoreti interprete, [illegible], Latinè reddi *intercessorem*: vt ne nihil amplius distinguant Papistæ mediatorem in redemptorem, & intercessorem. Secundò, vim argumenti: Omnis mediator est particeps substantiæ Patris. At Christus est mediator: ergo est particeps substantiæ Patris, contra Arrium & Eunomium. Cur nos non similiter? Omnis mediator est particeps substantiæ Patris. At Sancti sunt mediatores, secundùm Papistas: Ergo, Sancti sunt participes substantiæ Patris. Quod est blasphemum. Leo Epistola decima tertia, *Non enim esset Dei hominúmque mediator, nisi idem Deus, idémque homo, in vtroque & vnus esset, & verus.*

XXIII. Addo alteram rationem: Quicumque est mediator inter Deum & homines, eum oportuit mori pro hominibus. At Sancti nulli possunt pro hominibus mori. Ergo, nulli Sancti sunt mediatores inter Deum & homines. Maior probatur, quia mediatoris est conciliare partes dissidentes inter se, & quidem in hoc salutis negotio: non æquo iure, sed Deum propitiando hominibus. At sine sanguine nulla fit remissio, ad Hebræos nono. Itaque Paulus priori ad Timotheum secundo, postquam Christum nominauit mediatorem, statim subiicit (tanquam signum, inquit Aquinas, nimirum quòd sit mediator) *Qui semetipsum dedit redemptionis pretium pro quibusuis.* Ambrosius, *Saluator vt arbitrium suum* (sic appellat [illegible]) *ad effectum perduceret, mori se passus est.* Et Ioannes similiter, *Aduocatum*, inquit, *apud Patrem habemus Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Rursus, Paulus octauo ad Romanos, *Quis est qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est, imò verò qui etiam excitatus: qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Porrò assumptio non eget probatione.

XXIV. Porsanus negat maiorem, data instantia. Nam aliàs, inquit, fideles viui qui pro nobis orāt mortui essent pro nobis. Sed hoc frustra. Nam etsi viui orent alij pro aliis, tamen non sunt mediatores apud Deum: vt aliàs diximus: Et rursus non sic fingunt Papistæ, sanctos defunctos orare quomodo viuos: solis, inquam, precibus: sed addunt eorum merita, quibus innituntur sperantes se propter illa assequuturos remissionem peccatorum, & regnum cœlorum. Exempli gratia: In festo Sancti Ludouici Confessoris, *Deus qui beatum Ludouicum confessorem tuum, de terreno ac temporali regno, ad cælestis, & æterni*

regni gloriam transtulisti: eius quæsumus meritis, & intercessione, Regis regum Iesu Christi Filij tui nos cohæredes efficias, & eiusdem regni tribuas esse consortes. Notent pij detestandam blasphemiam. Postulant Papistæ fieri participes regni cœlorum: fieri autem, tum intercessione, tum meritis Ludouici. Respondeant quid hæc sibi velint vocabula. Si simpliciter preces intercessio apud eos significat: audimus hîc discertè plusquam simplices preces, quales sunt viuorum pro viuis, expectari à Ludouico, nempe merita. Nam vtrumque exprimitur. Sin idem est vtrumque, aut saltem alterum nunquam seorsim ab altero, agant ingenuè tandem aliquando, & aperiant mentem suam Papistæ, verum ab omnibus viuis sic sperent se efficiendos cohæredes Christi, quemadmodum à Ludouico postulant. Nam si non credunt, exempli gratia, Paulum factum esse consortem regni æterni per merita, & intercessionem Thessalonicensium, quorsum nobis illi viuentium mutuas preces occinunt in re prorsus dispari, nisi vt imperitis fucum faciant? Ita enim solent.

XXV. Iam Veteres subiicimus. Disertè Clemens ille, quisquis est autor Constitutionum Apostolicarum libro secundo, capite vigesimo octauo, οὐδὲ γὰρ τῷ παντοκράτορι Θεῷ προσελθεῖν ἔστιν, εἰ μὴ διὰ τοῦ Χριστοῦ, *Neque enim ad Omnipotentem accedere licet, nisi per Christum.* Et vt magis intelligas, quid hæc sibi verba velint: prohibet ne temere quisquam negotium facessat, τῷ ἄρχοντι Episcopo, ἀλλὰ διὰ τῶν ὑπηρετῶν ἃ βούλονται σημαινέτωσαν, *quin potius qua volent per ministros significent.* Vult igitur neminem ipsum deferre ad Episcopum sua negotia, sed per intercessores (vt ita dicam) diaconos. Hoc præceptum similitudine confirmat: quia ad Deum nemo accedit, nisi per Christum, cui etiam alibi diaconos comparat. Iam verò, ille intercessores apud Episcopum non distinguit in varios ordines: sed absolutè solis diaconis eas partes assignat. Itaque eius hæc mens est, vt solus Christus is sit, quo intercedente ad Deum accedamus. Ignatius Epistola ad Philadelphios, εἷς γὰρ ὁ Θεὸς τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης. εἷς ὁ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων εἴς τε δημιουργίαν νοητῶν, καὶ αἰσθητῶν, καὶ πρόνοιαν πρόσφορον, καὶ κατάλληλον. εἷς δὲ καὶ ὁ παράκλητος, ὁ ἐνεργήσας ἐν Μωσῇ, καὶ προφήταις, καὶ ἀποστόλοις. *Vnus est Deus Veteris & Noui Testamenti: Vnus mediator Dei & hominum, tum ad creationem rerum intellectualium, ac visibilium: tum ad prouidentiam congruam & accommodatam. Vnus & Paracletus, qui efficax fuit in Mose, in Prophetis, in Apostolis.* Ad Antiochenos, οἱ ἀπόστολοι εἰπόντες ὅτι Θεὸς εἷς ἐστιν, οὗτοι εἶπον, ὅτι εἷς καὶ μεσίτης Θεοῦ, καὶ ἀνθρώπων, *Apostoli, qui vnum esse Deum, ijdem dixerunt vnum esse mediatorem Dei & hominum.* Ad Magnesios, μία δέησις ἔστω κοινή, εἷς νοῦς, μία ἐλπὶς ἐν ἀγάπῃ, ἐν πίστει τῇ ἀμωμήτῳ. τῇ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, οὗ ἄμεινον οὐδέν ἐστι, πάντες, ὡς εἰς τὸν ναὸν Θεοῦ συντρέχετε ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, ὡς ἐπὶ ἕνα Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν ἀρχιερέα τοῦ ἀγεννήτου Θεοῦ, *Sit vna communis precatio, vna mens, vna spes in charitate, & fide inculpata in Christum Iesum, quo nihil præstantius. Omnes velut in templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad vnum Iesum Christum summum Sacerdotem Dei ingeniti.* Rursus εἷς γάρ ἐστιν ὁ Χριστός, εἰς ὃν πᾶν ἔθνος πιστεῦσαν, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογησαμένη, εἰς Θεὸν συνήχθη, *Vnus est Christus, in quem gens omnis credens, & omnis lingua confitens, ad Deum adunata est.* Ad Philadelphios, Αἱ παρθένοι μόνον τὸν Χριστὸν πρὸ ὀφθαλμῶν ἐχέτωσαν, καὶ τὸν αὐτοῦ πατέρα ἐν ταῖς εὐχαῖς. *Virgines, vnicum Christum præ oculis habete eiusque Patrem in precibus.*

XXVII. Chrysostomus de Pœnitentia homilia quinta, *Atque homines si quando exorare oportet, & ianitoribus prius occurrere conuenit, parasitisque, histrionibusque suadere, & longum sæpenumero abire. In Deo nihil tale est, sine mediatore exorabilis est.* Idem de muliere Chananæa, ex varijs in Matthæum locis, homilia decima septima, *Dic mihi, mulier, quemadmodum ausa es, cum sis peccatrix & iniqua, accedere ad eum? Ego, inquit, noui quid agam. Vide prudentiam mulieris. Non rogat Iacobum, non obsecrat Ioannem, non pergit ad Petrum, nec intendit Apostolorum chorum: non quæsiuit mediatorem: sed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, quæ aduocati locum impleuit, & sic ad summum fontem perrexit: Propterea, inquit, descendit: propterea carnem assumpsit, & homo factus est, vt ego ei audeam loqui.* Et rursus, *Non ostiario, non mediatore, non ministro opus est: sed dicito, Miserere mei, & Deus illico aderit.* Hæc Chrysostomus: quibus quid clarius?

XXVIII. Porsanus tamen negat propterea mediatores reiici. Alioqui reiiciendum ipsum Christum. Deinde etiam viuorum intercessiones. Nam Iacobus, Ioannes & Petrus, tum erant in viuis.

XXIX. Sed hæc frustra. Nam viui nulli sunt intercessores nostri apud Deum, vt aliàs diximus: nisi impropriè & abusiuè: vt hanc mulierem Chananæam, pro filia sua orantem, idem autor aduocatricem appellat, *Egressa est* (inquit) *aduocatrix filiæ.* Quid? aut quo modo aduocatrix? Ex vi suorum meritorum? Imò, οὐχ ὡς ἀξία οὖσα, οὐχ ὡς ὀφειλὴν ἀπαιτοῦσα τοῦτο πεποίηκεν, *Nec quasi digna, nec quasi debitum efflagitans*, inquit Chrysostomus homilia quinquagesima secunda in Matthæum. Præterea, si verum est, μόνον ὑπὲρ τοῦ πράγματος, pro seipso non postulare, vt antea vidimus; hæc sanè mediatrix propriè appellari non potest: quæ ipsa grauiter angebatur morbo filiæ, καὶ οὐ λέγει, ἐλέησον τὴν θυγατέρα μου, ἀλλ' ἐλέησόν με. ἐκείνη μὲν γὰρ ἀναισθήτως ἔχει τὸ νόσημα, ἐγὼ δὲ ὑπομένω μυρία ἀλγοῦσα δεινά, *Nō dicit, Miserere filiæ meæ, sed miserere mei: illa enim morbi sensu non afficitur: at ego ea sum, cuius dolores sunt infiniti.* Videte imaginem viuam intercessionis fidelium viuentium mutuæ. Non enim, vt extra aleam positi, quomodo Christus pro nobis orat: vt Sancti finguntur à Papistis: sed vt ipsi participes afflictionum, quæ fratribus accidunt: quomodo Paulus dicebat, *Quis affligitur, quin ego affligar? quis offenditur, quin ego vrar?* Posterioris ad Corinthios vndecimo. Atque hactenus suam rem agunt fideles, cùm pro fratribus deprecantur. Denique nulli viuentes suis precibus id agunt, vt nobis ad Deum præbeant accessum: sed vt ipsi nobiscum Deum adeant: itaque non sunt mediatores.

XXX. Iam Christum verum mediatorem à Chrysostomo excludi, hoc verò falsum. Primò enim agitur de precibus ad Christum. Itaque conclusio erit legitima, si dicamus apud Christum, nullo nobis opus esse mediatore: contra quàm docent Papistæ. Secundò, ipse Christus est Deus. Nec dixit Chrysostomus, opus non esse mediatore apud Patrē: Deus est, apud quem mediator nullus est. Sunt autem hæc notanda, *Propterea descendit, propterea carnem assumpsit, & homo factus est, vt & ego ei audeam loqui. Sursum in cælis Cherubin eum tremunt, & Seraphim metuunt, & deorsum meretrix loquitur cum eo.* Nam hæc Christum referunt, non vt Deum simpliciter, sed vt Deum mediatorem. Tertiò, satis apparet Chrysostomum excludere homines puros, quantumuis Sanctos: siquidem nominat Iacobum, Ioannem, Petrum. Itaque hoc tantùm concludi potest, apud Deum nullum esse mediatorem purum hominem.

XXXI. An-

XXXI. Augustinus Confessionum libri decimi, capite quadragesimo secundo, *Quem inuenirem qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad Angelos? Qua prece? quibus Sacramentis? multi conantes ad te redire, neque per seipsos valentes, sicut audio, tentauerunt hæc, & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus.* Idem contra Epistolam Parmeniani libro secundo, capite octauo, cùm incidisset in eum locum ex prima Ioannis de aduocato Iesu Christo, *Si ita diceret, Hoc scripsi vobis, vt non peccetis; & si quis peccauerit, Mediatorem me habebit apud Patrem. & ego exoro pro peccatis vestris: sicut Parmenianus quodam loco Mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum, quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur? Homines enim omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verúsque Mediator est: cuius typus, quoniam præfigurabatur in Sacerdote Veteris Testamenti, nullus illic inuenitur orasse pro Sacerdote. Paulus autem Apostolus, quanquam sub capite præcipuum membrum, sed tamen, quia membrum est corporis Christi, & nouerat, non per figuram in interiora, vel ad sancta sanctorum, sed per expressam, & firmam veritatem in interiora cœli ad sanctitatem non imaginariam, sed æternam, pro nobis intrasse maximum & verissimum Sacerdotem Ecclesiæ, se orationibus fidelium & ipse commendat. Nec Mediatorem se facit inter populum & Deum, sed rogat vt pro se orent inuicem omnia membra, quoniam pro inuicem sollicita sunt membra, & si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & si glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra: at sic oratio pro inuicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium ascendat ad caput, quod præcessit in cælum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris. Nam si esset mediator Paulus, essent vtique & cæteri coapostoli eius. ac sic multi mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio qua dixerat, vnus enim Deus, vnus Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.*

XXXII. Quid disertius? Neque Ioannes, neque Paulus, neque cæteri Apostoli mediatores sunt inter Deum & homines. Atqui ij apud Papistas sunt inter primos fideles: commendant se inuicem orationibus suis: & tamen non sunt mediatores. Atqui hac instantia subinde vtuntur Papistæ, viuos orare pro se inuicem: ergo esse mediatores. Rursus negat Apostolos esse mediatores: ergo ponit pro absurdo plures esse mediatores: quod Papistæ non cessant negare. Si se Apostolus mediatorem dixisset, pro Antichristo haberetur. Quid de iis diceret, qui Apostolos pro mediatoribus obtrudunt? Non essent ipsi Antichristi, qui, quantum in iis est, ex Apostolis Antichristos faciunt?

XXXIII. Iam mediatorem quo sensu nominauit? Qui exorat pro peccatis. Audi puram putam intercessionem Papistarum. Ergo ne intercessionis quidē, quatenus eam à redemptione distinguunt, Mediatorē vllum agnoscit Augustinus præter Christū. Deniq; qui pro omnibus interpellat, & pro quo nemo, is vnus verúsque Mediator. Ergo reliqui non sunt mediatores: & si sunt, non sunt veri mediatores: imò, quia non sunt veri: ideò ne sunt quidem.

XXXIV. Audistis Augustinum: nunc audite Bellarmini sophisticam solertiam. Non negat Augustinus, quin Sacerdos possit esse mediator orando pro populo, nisi in eo sensu, quo Mediator Dei & hominum dicitur, qui pro omnibus interpellat, & ipse nullo eget, qui pro se interpellet, aut per quem interpellet. Secundò, cùm dicit Christum pro omnibus interpellare, intelligit, Christum esse, per quem omnes interpellant, siue pro se, siue pro aliis orent.

XXXV. Ad hæc quid dicimus? Primò, Augustinus distinguit Sacerdotes Veteris Testamenti, à Sacerdotibus Noui, siue Apostolis & Episcopis. Illos concedit fuisse mediatores, sed typicè: hoc est, non ipsos esse mediatores, sed mediatorem significare. Hos verò prorsus negat esse mediatores; distinctione nulla adhibita. Itaque pro Sacerdote Veteris Testamenti: quia mediatorem figuraret, negat fuisse oratum. At pro populo fuisse oratum docet: quia, cū Christus ingressus esset in cœlum, non tantùm nulli essent mediatores: sed ne quidem vllus, qui mediatoris typum gereret. Itaq; vniuersaliter, Si Ioannes se mediatorem appellasset, futurum fuisse Antichristum.

XXXVI. Ad secundum, primò, Augustinus cùm de precibus fidelium agit, non vtitur hac phrasi *interpellare apud Deum*: sed hac, *se inuicem commendare orationibus suis*. Etsi autem in vocabulis simpliciter non sit magnum momentum: tamen, quia *interpellandi* vocabulum iampridem vsurpari cœptum pro officio mediatoris, non putem facilè multis communicandum. Secūdò, si admittimus huius vocis vsum promiscuum, concedo Augustinum dicere, Christum eum esse, per quem reliqui Deum interpellant, siue pro se, siue pro reliquis: sed addo, eum qui per Christum, siue pro se, siue pro aliis interpellat, ab Augustino negari esse mediatorem: qui quæstionis nodus est: imò verò huius controuersiæ luculenta conclusio.

CAP. VII.

Vtrum Sancti in cœlis positi humana negotia norint.

I. Rursus negant Catholici Sanctos defunctos esse Mediatores viuentium, hoc argumento: Omnis Mediator nouit eorum negotia pro quibus est intercedendum: At sancti denati non norunt negotia viuentium hominum: Ergo sancti mortui non sunt mediatores. Maior est extra controuersiam. Per se enim notum est; Paulum, exempli gratia, quum oratur, pro quacumque tandem necessitate oretur, scire oportere, primò se orari, secūdò, quis sit is qui orat, fidelisne an hypocrita: tertiò, quis sit orationis finis: nā apud Papistas alius remitti sibi peccata postulat: alius liberari à morbo: alius aliquis erui à maris, siue itinerum periculis: alius porcos sibi custodiri, aut equos, aut oues: & similia absque vllo numero. Et quidem ita, vt singulis sanctis sua distinctè munia sint assignata. Non enim qui in sāctis Papisticis, bubulcus est, is est opilio, aut subulcus: nec qui carminator, idem sator, aut sutor. Nec qui à peste liberat, idem ab hydropisi, aut mania.

II. Bellarminus tamen hanc maiorem negat. Nā cùm certum sit (inquit) ex tot Patrum testimoniis, & tot miraculis à Deo ostensis, eos qui inuocant Sanctos exaudiri, & impetrare quod petunt: certè non frustra inuocantur sancti, etiamsi demus eos non audire, neque cognoscere nostras preces. Nam aliquis alius eorum vice fungitur, sicut non frustra supplicat Regi, qui certè scit Regem non lecturum supplicationem: sed aliquem alium ex aula eius; & nihilominus ita se impetraturum quod petit, ac si Rex legisset supplicationem.

III. At hæc quàm inexpectata! imò quàm monstrosa! Nam quis dubitet ab eo nos commendari debere Deo, qui est pro nobis intercessor? Quid? enim ergo quis putet posse nos cõmendare, qui nesciat quidem, vtrum nos simus in rerum natura? Et potuit aliquid excogitari magis ridiculum? magis absurdum? Vtinam verò cunctis è Papistica plebe, possemus persuadere quod ille fingit cõcedi posse. Næ videret ipse suis oculis, quantum in eo momentum esset ad euertendam idololatriam Papisticam! Aliquis (inquit) eorum vice fungitur. Is autem quisnam est? Imò priori loco hoc ipsum vnde habetur? An ex Scriptura? At ea, ne verbum quidem habet de intercessione Sanctorum: nedum de Sãctorum vicariis istis. An ex Patribus? Imò nõ potest, vel verbulo id docere. Vnde igitur? à seipso? sine dubio à seipso: hoc est, à mendace. En Papisticas demonstrationes! Sed is vicarius quis est? Aliúsne quis è Sanctis? Abibit in infinitum. An Angelus? Nouum genus doctrinę, Angelos esse Sanctorum vicarios. An Deus? Blasphemum.

IV. Deinde vicarius iste, quisquis est, quid agit? defertne nostra negotia ad eos mediatores? an certè ad Deum? Nam si ad Sanctos: ergo implicatur contradictio: nam quos supponimus nescire nostra negotia, iidem affirmantur scire: nã certè sciunt, si quis ad eos deferat. Si ad Deum recta, omissis Sanctis intermediis: quî fieri potest, vt quis eos mediatores, intercessores, interpellatores cogitet, quorum nullas esse partes nouit in suis negotiis, vel cognoscendis, vel deferendis, vel commendandis? Nam si non cognoscit, non defert, multò minùs commendat: hos igitur delatores potius oportuit mediatores appellare.

V. Sed similitudo à Rege, quàm aliena, quàm inepta? Primò, persona Regis, non commodè refert mediatorem, sed potiùs Deum, apud quem mediatore opus est. Est autem certum, Regem posse multa præstare, per mediatores, quorum ipse ignarus sit. At cõtrà, falsum posse quempiam apud Regem agere mediatorem, qui tamen omnino non norit eum, pro quo intercedit. Secundò, Rex, etsi supplicationem scriptam non legat: tamen sibi offerri nouit: at Sãcti, si sunt ignari rerum hîc gestarum, tum ne quidem, vtrum sibi vlla supplicatio offeratur, intelligunt. Tertiò, hîc fons est, vel maximus errorum in religione, cùm è terrestribus cœlestia metimur.

VI. Assumptioni contradicunt omnes Papistæ. Itaque hinc noua surgit controuersia: & Costerus quidem disertè pronunciat, Sanctos cum Christo in cœlis æuum degentes, non ignorare, quæ à viuẽtibus in terra geruntur. Coccius, Thesauri tomo primo, libro quinto, articulo octauo, Sanctos in cœlo triumphãtes, & diuini spiritus lumine collustratos, nulla locorum intercapedine impediri quominus absentia agnoscant, & nostra vota percipiant. Tamen Caietanus in articulum quintum quæstionis octuagesimæ octauæ in secunda secundæ Thomæ, *Certa ratione nescimus, an Sancti nostra vota cognoscant, quamuis piè hoc credamus.* At Catholici docent Sanctos in Christo quiescentes, ab huius vitæ tempestatibus ereptos, singula, quæ in his terris fiunt, ignorare.

VII. Et Bellarminus quidem hanc quæstionem ita attingit leuiter: vt ne vnico quidem confirmet argumento. Quid igitur? Audite. Etsi dubitatio esse possit, quemadmodum cognoscunt absentia, & quæ solo cordis affectu interdum proferuntur: tamen certum est eos cognoscere: Cùm, vt ostendimus, præsint nobis, & rerum nostrarum curam gerant. Et certè melior est hæc consequentia: Sancti rectè inuocantur, ergo sciunt quid petamus, quàm illa, Non sciunt quid petamus: ergo non rectè inuocantur. Nam antecedens primi argumenti habetur ex consensu totius Ecclesiæ: antecedens secundi non probatur vllo solido fundamento.

VIII. En disputandi solertiam! ex pura puta principij petitione. Nos igitur contrà, negamus probatum Sanctos defunctos nobis præesse, aut rerum nostrarum curam gerere. In comparandis autem consequentiis, quàm fœde sui est oblitus? Rectè inuocantur, ergo sciunt, inquit, quid petamus. Imò negatur. Nam ipse Bellarminus docuit, etiamsi nesciunt, tamen rectè inuocari: exemplo Regis, qui non legit supplicationes. Fœda contradictio. Deinde antecedens primi argumenti falsum est haberi ex consensu totius Ecclesiæ: secundi autem haberi ex Scripturis, postea probabimus.

IX. At reliqui Papistæ putarunt, non esse sibi tam perfunctoriè agendum: Costerus, Richeomus, Lindanus: quorum hæc sunt argumenta. Primum quidem ab Angelis. Angeli in cœlis consistentes, norunt quid in mundo agatur: ergo & Sancti. Probatur antecedens Lucæ decimo quinto, *Gaudent super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta nouem iustis.* Probatur consequentia, quia Sancti sunt sicut Angeli Dei, Matthæi duodecimo.

X. Sed negatur consequentia. Nam Angeli vt spiritus ministratores, versantur nobiscum in his terris: itaque tanquam præsentes, nostras possunt res habere cognitas. At non sic Sancti: quibus id munus non est commissum. Ratio autem consequentiæ fallit, à secundùm quid ac simpliciter. Nam, primò de Sanctis agitur, quales futuri sunt post resurrectionem: quo tempore, ne Papistæ quidem ausint dicere eos interpellaturos pro aliis. Secundò, dicuntur similes futuri Angelis, non vniuersaliter, sed quoad immortalitatem & nuptias. Non morientur, vt Angeli: non ducent vxores, vt & Angeli. Itaque non valet consequentia. Nam aliàs sumendum esset per omnia similes fore. Quod falsum: & euincitur, quia non sunt ministratorij spiritus, vt Angeli.

XI. Secundum, Patres in limbis ante Christi aduentum nosse poterant, quæ fiebant in terris: Ergo Sancti, qui nunc adstant Deo, maiorique gloria fruuntur, potiori ratione eadem non ignorabunt. Probatur antecedens, quia sciebat Abraham epulonem illum recepisse bona in vita: & Lazarum similiter mala. Item sciebat in terris haberi Mosen & Prophetas.

XII. Respondeo negari antecedens: Et sanè Bulengerus cõtra Plessæum disertè pronunciat Patres in limbis, quia non fruerentur visione Dei, nescisse statum suorum nepotum; nisi per particularem Dei reuelationem. Probatio autem nulla est. Quia narratio de Lazaro & diuite: vel parabola est, vel certè parabolicè contexta, vt probauimus. Parabolica autem narratio nullam rem proponit, vt est, sed quasi ita esset.

XIII. Tertium. Plerique in inferno non ignorãt, quæ ad ipsorum maiorem damnationem à viuentibus fiunt: multò ergo magis cognoscent Sancti, quę à viuentibus geruntur ad suam maiorem gloriam.

Probatur

Probatur Antecedens, quia diues epulo nouerat fratres ad sui imitationem perditè viuere.

XIV. Respondeo, negari primò consequentiam. Ratio, quia nihil eorum quæ fiunt in terris, attinet ad maiorem minorémve sanctorum gloriam, quæ tota est in fruitione Dei. Deinde negatur Antecedens, & probatio nulla est: tum quia à parabola, vt ante: tum etiam, quia non proponitur diues scire quæ post se mortuum gerebantur: sed quæ viuente gesta erant: Nam fratres suos viderat secum impiè viuentes. Sic non dicam sanè omnem sanctis memoriam ablatam, eorum quæ hîc geri viderunt: Sed rescire ab iisdem omnia, quæ post eorum obitum accidunt, id verò ne veri simile quidem.

XV. Quartum: Nonnulli viuentes absentia & futura, adeoque cordis occulta non ignorarunt: cur non etiam beati? Probatur antecedens. Elisæus seruo suo Giezi, *Nonne cor meum in præsenti erat, quando descendit homo de curru suo in occursum tuum*: Posterioris Regum capite quinto. Item Samuel Sauli, prioris Samuelis capite nono, *Omnia quæ sunt in corde tuo dicam tibi: & de asinis patris tui quos perdidisti.* Petrus absens sciebat Ananiam & Sapphiram fraudasse de pretio agri, Actorum quinto. Paulus intuitus cor claudi mendici, cognouit eum fidē habere, vt saluus fieret Actorum decimo quarto. Idem raptus in tertium cœlum audiuit arcana verba, posterioris ad Corinthios duodecimo. Stephanus ex Synagoga non impeditus vel tabulatis, vel tecto, vel loci distantia, vidit cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, Actorum septimo. Denique Prophetæ futura & cognouerunt & prædixerunt.

XVI. Negatur consequentia. Nam, quæ viui sic cognouerunt, nulla suæ naturæ, aut status conditione cognouerunt; sed ex particulari, atque adeo extraordinaria reuelatione. Vnde videmus eundem Elisæum, qui viderat absentem Giezi, fateri sibi reuelatam causam doloris mulieris ad se accedentis. Et eundem Petrum, qui cõiugum detexit hypocrisin, Simeonis tamen nõnisi ex post facto (vt aiunt) deprehendisse. At primò, si vera est Papistarum doctrina, sancti non ex particulari, aut extraordinaria reuelatione nostra negotia norunt; sed ex status sui conditione: itaque ordinariè. Non valet ergo consequentia in rebus dissimilibus. Deinde, si extraordinaria reuelatione sancti nostra scirent: tum non semper, non omnia scirent: at propterea non semper essent mediatores: itaque nulla certitudine eos inuocaremus.

XVII. Quintum, ad cumulum pertinet fœlicitatis, qua fruuntur sancti, vt sciant tum quæ ad eorum gaudium faciunt, tum quæ ad eorum, quos amant vtilitatem. Ergo cognoscunt tum preces, tum necessitates eorum à quibus inuocantur.

XVIII. Antecedens est falsum: tum etiam consequẽtia. Nam primò gaudium sanctorum nullum nobis Scriptura describit, præter fruitionẽ Dei, qui erit omnia in omnibus. Secundò preces ad sanctos directę, quia sunt superstitiosæ (vt modestissimè dicam) non possunt esse sanctis gratæ, aut iucundæ. Tertiò necessitates viuentium non possunt conferre quicquam gaudio sanctorum.

XIX. Sextum: cognitio est basis beatitudinis. *Ergo sancti nihil ignorant eorum, quæ pertinent ad salutem fratrum.*

XX. Distinguo Antecedens. Cognitio est basis beatitudinis: at non quælibet: sed tantùm cognitio eius obiecti, vnde ea beatitudo oritur. Itaque rectè concludas, Deum non ignorari à sanctis in cœlis: sed si latiùs producas, falli necesse erit.

XXI. Septimum ab authoritate Veterum doctorum. Augustinus de cura pro mortuis, capite decimo quinto, disputat quibus rationibus quę hîc geruntur, sancti in cœlis scire possint. Et de Ciuitate Dei libro vigesimo secundo, capite vigesimo nono, *Si Propheta Elisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit Naaman Syrus, quem Propheta memoratus à lepra deformitate mũdauerat, quod seruus nequam, Domino suo non vidente, latenter se fecisse putauerat: quanto magis in illo corpore spiritali videbunt sancti omnia, non solùm si oculos claudant, verum etiam vnde sint corpore absentes?* Quæ eadem verba recitantur ab Eucherio in librum quartum Regum capite decimonono. Origenes contra Celsum libro octauo, *Sentiunt beati qui sunt digni fauore cœlestis numinis, qui ipsi non solum bene volunt, verum etiam dant operam, vt Deum ei seruire volentibus concilient, & vna nobiscum precantur.* Gregorius Nyssenus oratione de Sancto Theodoro, *Quanquam tu vitam hanc transcendisti, humanas tamen molestias, & necessitates non ignoras: impetra nobis pacem.* Prosper Aquitanus de vita contemplatiua, libro primo, capite quarto, *Ibi sanctis exuberabit tanta lætitia, tanta cœlestium gratia gaudiorum, vt & remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, & nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant. Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta ibi erit, & tam perfecta munditia, vt habeant vnde mundatori suo Deo gratias agant. Nec latebit tam perfectè beatos, aliquid secretorum, qui, quod est longè præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum.* Prudentius etiam sæpè sanctis cognitionem tribuit rerum quæ hîc aguntur: & in Hamartigenia disputat non obstare aut distantiam locorum, aut etiam terræ interpositionem, quominus quæ apud inferos geruntur animæ videant. Multi etiam colliguntur ex inferioribus seculis maximè Latini. Gregorius magnus, Beda, Alcuinus, Haimo, Anselmus, Hugo Victorinus, Bernardus, Lombardus, Thomas Aquinas, & alij.

XXII. Respondeo primò, hos posteriores esse nihili. Certum enim, ex quo inclinari cœpit sinceritas doctrinæ, & inualescere paulatim cultus mortuorum, nullum factum esse modum. Hinc fit, vt è primis seculis, ne vnum quidem pro se locum Papistæ recitent. Ex prima sequentibus paucos: inde quo vlterior fit progressus, eo frequentiores testes habent. Itaque paucorum erat hominum priuata coniectura, abiit demum in dogma publicum. Hac igitur temporũ errorumque cloaca neglecta, prioris æui testes examinemus. Prudentium poetam fuisse elegantiorem, quàm prudentiorem Theologum agnoscimus. Et tamen in Hamartigenia nihil admodum habet, quod huc faciat. Tantùm explicat, quare diues epulo dicatur vidisse Lazarum in sinu Abraham, eaque occasione longam texit disputationẽ de facultate animarum à corporibus separatarum. Itaque eius disputationis summa eò redit, vt eadem facultate præditæ sint animæ damnatorum, & beatorum. Si igitur hinc Papistæ conficiãt animas beatorum omnia nosse, idipsum erit etiam de damnatis asserendum, etsi (vt prius argumentabantur) beatitudinis basis est cognitio: videant, quęso, quomodo damnatos beatitudine excludent, quibus omnium rerum cognitionem concedent.

XXIII. Augustinus de Ciuitate Dei, & Prosper A & Eucherius inconsideratè citantur. Nam Augustinus non loquitur de animis à corpore separatis: sed de iisdem cum in resurrectione corpora receperint, *Nunc iam* (inquit) *quid acturi sunt in corporibus immortalibus, atque spiritualibus sancti non adhuc eorum carne carnaliter, sed spiritualiter viuente, quantum Dominus dignatur adiuuare, videamus.* Itaque non potest hæc tractatio ad hanc controuersiam pertinere, vtrum sancti sciant ea quæ in his terris geruntur. Maximè cùm in de Cura pro mortuis disertè pronunciet, eos B illa non videre. Non videre, inquam: nam concedit quidem posse rescire vel relata, vel reuelata: sed negat videre. Hic autem concludit sanctos omnia videre quæ geruntur.

XXIV. Eucherij (si tamen is est autor) eandem oportet mente messe: quandoquidem Augustini locum istum, etsi prolixiorem, ad verbum describat. Prosper etiam de Resurrectione agit, vt ipse capitis titulus indicat, *De resurrectione vel vita sanctorum*: tum hæc verba, *Deo suo in æternum & inuicem sibi fœliciter* C *adhærebunt: recepta cum incorruptione atque immortalitate corporibus mancipatam patria cœlestis accipient.* Itaque ne Prosperi quidem disputatio ad hanc nostram controuersiam pertinere potest. Deinde non disputat vtrum sancti in cœlo positi terrena hæc cognoscant: sed vtrum noscant in cœlis quæ fiunt, *Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales.* Ibi ergo id est, sancti in cœlis existentes cognoscent sanctorum in cœlis existentium mentes. Quod à nostro sermone quam D sit alienum quis non videt?

XXV. In libro de Cura pro mortuis, Augustinus, primò disputat mortuorum animas non sentire res viuentium: vt postea docebimus. Postea tamen capite decimo quinto. *Fatendum est* (inquit) *nescire quidem mortuos quid hic agatur: sed dum hic agitur: postea verò audire ab iis, qui hinc ad eos moriendo pergunt: non quidem omnia: sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse: & quæ illos quibus hæc indicant, oportet audire.* Tum de Angelis deferentibus, ac de spiritu reuelante, sub- E iicit quæ paulo pòst tradentur. Sed obseruemus primò nihil prorsus è Scriptura, aut desumi aut probari: sed tantùm tenues coniecturas proferri Augustini non satis sibi constantis. Secundò nihil certi affirmari: sed tantùm posse fieri: quod certè miserum est fundamentum intercessionis sanctorum. Tertiò, non omnia reuelari defunctis: sed tantùm quædam. Atqui tanta est in Papatu inuocantium frequentia, tanta in orbe infirmitatum diuersitas, tamque infini- F ta Veterum multitudo, vt qui non omnia scire sanctos concedat, nunquam satisfaciat huic quæstioni. Quartò, negat Augustinus sanctos ea ipsa quæ sciunt nosse dum geruntur, sed tantùm rescire postquàm gesta sunt. Ergo, inquam, necessitatibus nostris non possunt subuenire: nisi fortè apud Papistas etiam mortuis adhibentur Medici. Et preces certè non audiunt dum fiunt; atque eò deuentum est, vt non precibus demurmuratis opus sit, sed iam tabellariis, atque internunciis, qui sanctis significent G nostra vota. Adeò ludicra sunt hæc somnia.

XXV. Oratione de laudibus Theodori in operibus Gregorij Nysseni, εἰ καὶ ὑπερέβης τὸν βίον, ἀλλ᾽ οἶδας τὰ πάθη καὶ τὰς χρείας τῆς ἀνθρωπότητος, *Etiam si superaris seculum & nosti affectus, & vsus necessitatesque humanæ conditionis.* Quæ vim habeat non video. Nam ea verba non significant Theodorum, aut videre aut rescire quid in terris agatur: sed tantùm scire ex præterita experientia multas & molestias & necessitates hominibus in terris accidere: nimirum quia olim ipse, cùm in viuis ageret, proprio experimento didicisset.

XXVII. Sed enim vereor, vt sit Gregorij Nysseni ea oratio. Suspicionis causæ. Prima, quia de picturis & imaginibus omnino sic loquitur, vt longo pòst æuo cœptum: itemque de inuocatione & intercessione sanctorum. Cuiusmodi sermones non inuenias vsitatos Gregorij seculo. Secunda, quòd de B loco vbi ageret Theodorus post mortem, pueriliter nugatur, *Vbicunque tandem fueris: siue in sublimi æthere habitas: siue per cœlestem aliquem circulum versaris, aut in Choros Angelorum cooptatus Domino assistis, aut cum virtutibus aut potestatibus, vt seruus fidelis adorationis officio fungeris.* Quæ certè grauem Theologum non redolent, mitto quod eum cupit ab iis officiis, quibus scilicet occupatus erat, vacationem postulare, vt veniret: quod si non est ridiculum: omnino non video quid sit esse ridiculum. Quid? quod addit, *Si maiori* C *opus fuerit aduocatione, & deprecatione, fratrum tuorum, martyrum coge chorum: & cum omnibus vnà deprecare multorum iustorum preces, multitudinum, ac populorum peccata luant: admone Petrum: excita Paulum: Ioannem item Theologum ac discipulum dilectum, vt pro Ecclesiis, quas constituerunt, solliciti sint.* Hæc Theologica? Hæc Christiana? hæc sana sunt? vt Paulus, Petrus, Ioannes excitari debuerint à Theodoro: vt Sanctorum preces luant peccata populorum? Nunquam credet Catholicus. Viderint etiam viri prudentes, an D tempora consonent, αἴτησον εἰρήνην, ἵνα καὶ πανηγύρεις αὗται μὴ λήξωσιν, ἵνα μὴ κατὰ ναῶν ἢ θυσιαστηρίων λυσσήσῃ καὶ ἄνομος βάρβαρος, ἵνα μὴ πατήσῃ τὰ ἅγια ὁ βέβηλος, *Pete pacem, vt hi publici conuentus non desinant: ne debacchetur atque grassetur aduersus templa altariáve rabiosus & sceleratus barbarus ne conculcet sancta profanus & impius.* Ex quibus constat fuisse tum magnos motus bellorum, & impendisse orientalibus Ecclesiis periculum à barbaris ethnicis. Quod ego tamen nullum obseruare potui in vniuersa eius temporis historia. E Nam Gothi sub Valentiniano Thraciam solam infestarunt, victi à Theodosio Germani Galliis minitabundi vno prælio cæsi sunt à Gratiano. Maximus Barbarus non fuit, & ad Orientem non peruenit in Italia victus & cæsus.

XXVIII. Superest Origenes autor non purus: adeo vt vix vnquam nominari possit in rebus fidei absque præfatione. Et hoc loco tamen nihil est quod vrgeat. Nam quid obstat, quominus beatos pro Angelis accipiamus? Non erat enim Origeni F negotium cum Celso, nisi de dæmonibus, quibus perpetuò Angeli opponuntur: de Sanctorum animis toto libro ne syllaba quidem. At Angelos quæ hîc geruntur nosse, nemo nostrûm negat. Nec tamen consequentia valet ab Angelis ad eas animas: vt aliàs obseruatum.

CAP. VIII.

Non sciri à defunctis, quæ hîc geruntur.

I. SEd Catholici primum obseruant nullo Scripturæ testimonio constare ab animis mortuorum quicquam resciri eorum, quæ in his terris geruntur. A nobis autem nesciri, quæ facultates eorum qui à nobis per mortem sunt separati, nisi per diuinam

diuinam reuelationem, certius est, quàm vt admoneri debeant Christiani. Vnde euincitur hac de re saltem nihil sciri posse quod sit certum, & in quo possint fidelium conscientiæ acquiescere. Cum tamen esse mortuos nostros apud Deum mediatores, certo certius omnibus persuasum velint Papistæ: & pro hereticis habent, qui contrà aut sentiunt, aut docent. Quo quid stultius? Aut quomodo potest, exempli gratia, Bellarminus sibi certú persuadere Augustinum sibi futurum intercessorem, si is incertus vtrum sciat Augustinus, vnum aliquem omnino in mundo Bellarminum esse? Nugæ.

II. Secundò, inclinare Scripturam in alteram partem: Ecclesiastis capite nono. *Viuentes nouerunt se esse morituros: mortui verò nihil nouerunt: neque eis pars vlla in seculo, aut in iis quæ fiunt sub Sole.* Dilerú. Nam quod Pontianus distinguit cognitionem naturalem, à supernaturali, ineptum est. Quam enim naturam appellat? An istam atque huius seculi? Mirum scilicet eos qui è seculo discessere, iam supernaturaliter agere? Et magna illa est profundissimaque sapientia, quæ id doceat. Quasi vllus vnquam vel cogitare contrà potuerit. Quid igitur? Appellemus-ne naturam, statum eius vitæ, qua fruuntur beati post mortem? Atqui vnde hauserunt, aliquid adhuc expectandum homini superius ea natura, atque altius? Absurdum. Sensus est loci longè facilior: defunctorum hunc statum esse, ac, si velis, hanc naturam, vt earum rerum quæ geruntur in hoc seculo hácve vita, norint nihil.

III. Tertiò, defunctos viuentium corda non scrutari. Quod tamé in hoc negotio, omnino summum est, vt in omnes partes necessarium. Cùm, si fingendi sint sancti intercessores apud Deum, tantùm fidelium piorumque fingendi sint. Nam quæ absurditas, vt mollissimè dicam, si æquè Petrus apud Deum intercedat pro hypocrita & viro pio? At hæc discretio fieri nullo modo potest, nisi ipsum cor sit cognitú. Esse verò has partes vnius Dei testes sunt hi loci. Primo Regú capite octauo, *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Hieremiæ decimo septimo, *Prauum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscit illud? Ego Dominus, scrutans cor & probans renes.* Inde apud veteres probandæ Christi Deitatis certa demonstratio. *Quod si* (inquit Nouatianus de Trinitate, capite decimo tertio) *cum nullius sit nisi Dei cordis nosse secreta, Christus secreta conspicit cordis: meritò Deus est Christus.* Cyrillus in Ioannem libro secundo capite vigesimo septimo, *Verè Deo solummodo, nec vlli creaturarũ, hæc dignitas attribuitur: vnde Psalmista quoque dicit, Qui finxit sigillatim corda eorũ: qui omnia opera eorum intelligit. Si ergo solus Deus quæ sunt in cordibus nostris intelligit, quomodo non erit verus Deus saluator, qui profunda & abdita cordium nouit?* Cur non igitur nos contrà: Sancti nó sunt dij, ergo non norunt secreta cordis humani? Quod si non ista; ergo non omnia norunt quæ geruntur in terris: & quidem ea minimè omnium, quorum maximè interest mediatorem habere exploratam certamque notitiam.

IV. Denique defunctis nullus modus assignari potest, quo rescire queant, quæ hic geruntur. Nam si rescitunt, vel à se, vel aliunde. Atqui neutro modo: ergo non rescitunt. Hîc verò hæret Papistis aqua, suæ incertitudinis abundè conscijs. Nos pergimus, & vtrumque membrum demonstramus.

V. Non à se: Primò, posterioris Regum vigesimo secundo, Iosiæ Regi promittit Dominus, *Colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulcrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.* Deinde, si à se: ergo vel procul vident, atque audiunt, vel præsentes intersunt nostris negotiis. At neutrum. Primú enim quis reuelauit? Deinde, si procul, ergo infinitá sunt virtute. Multo minus præsentes sunt: nam oporteret eos vbique esse; ac proinde non iam facultate, sed substantia infinitos.

VI. Iam verò si aliunde: vel à Deo reuelante: vel à nunciantibus Angelis, vel à morientibus. At nó à Deo, quia ridiculú esset, vt suprà dictum, sanctis reuelari à Deo preces nostras; quas illis fundimus vt intercedant pro nobis: circulatione absurda. Nam sic constitueretur Deus intercessor noster apud sanctos, qui tamé finguntur nostri intercessores apud Deum. Non etiá ab Angelis: tum quia non omnia norunt ipsi Angeli: saltem non occulta cordium: tum quia absurdum sit, Angelos constitui nostros mediatores apud sanctos. Non denique à mortuis: tum quia ne ipsi quidem omnia sciunt; tú quia non moritur aliquis cui nostra sint cognita, quoties orandi essent sancti. Adde quod ex Papistarum dogmate, aut nulli, aut certè paucissimi morientes rectà ad sanctos eunt, cùm prius diuertendum sit ad Purgatorium, vnde vix post multorum annorum numerum euolent in cœlum: vnde fieret vt qui, exempli gratia, postulat à Maria Virgine liberari à præsenti tempestate, etiamsi habeat præsentem aliquam animam exhalantem; tamen expectare debeat annus, fortè quinquagies millies, dum plenè purgatus euolandi veniam obtineat.

VII. Et tamen hæc absurda nihil veriti Papistæ, audent garrire: & suadent tum à se, tum aliunde, siue à Deo, siue ab Angelis, siue à morientibus, posse defunctos res nostras cognoscere. Nec tamen satis inter eos conuenit. Nam Bellarminus neque præsentiam sanctorum, neque Dei reuelationem, neque relationem Angelorum valde probat. Non præsentiam: quòd ei celeritas nulla sufficiat; sed vbiquitas sit necessaria: sic non relationem, quia dici non posset ita audacter omnibus sanctis, Orate pro nobis: sed aliquando petendum à Deo, vt eis preces reuelaret. Non relationem: quia Angeli nequeant nosse preces, quas sola cogitatione fundimus. Quid igitur? Nimirum in quarto malunt acquiescere, fingentes sanctos videre cum Deo omnia à principio suæ beatitudinis, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent. Et tamen vide inconstantiam? Hunc ipsum Bellarminus negat idoneum ad conuincendos hæreticos, & præfert reuelationem. Ita nesciunt cæci quò se vertant. Nos autem obseruamus id illis hîc accidere, quod in omnibus humanis inuentionibus necesse est, quæ quoniam nihil habeant solidius somniis incertis, non possunt non mira anxietate suos amatores vexare: vt nihil sit consultius, quàm iis semel nuncio remisso, nolle sapere præter Verbum Dei.

VIII. Sed in hoc tamen quarto modo audiamus miseram Sophisticem. Videbunt ergo in Deo defuncti: sed quomodo? Quemadmodum nos in speculo, ea quæ post tergum, vel etiam oculos, frontem faciemque nostram. Mira oracula. Sed vnde habent? Audiamus Costerum. Dominus Moysi exhibiturus essentiam suam contemplandam: *Ego,* inquit, *ostendam tibi omne bonum.* Exodi trigesimo ter-

tio, id est, quicquid aliquo modo nomen & rationẽ boni habere potest, id omne in mea essentia, quam es visurus, ostendam tibi. Et rursus Ioannes, *Quod factum est in ipso vita erat.* Ioannis primo, id est, creatura omnis in Deo est, non quidem vt in se mortua, sine sensu, materialis, corporea, imperfecta, sed vita, id est, immaterialis, perfectissima. Ideoque Gregorius, *Qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum, quia foris sit aliquid quod ignorent. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?* Libro duodecimo Moralium capite decimo tertio: & Dialogorum libro quarto, capite trigesimo tertio.

IX. Atqui prioris loci versio corrupta, *Ego transire faciam omnem bonitatem meam coram te.* Non igitur, vt Costerus, quicquid aliquomodo nomen & rationem boni habere potest. Potrò Chaldæus Paraphrastes bonum illud, interpretatur gloriam Dei, quam videre Moses postulabat. Non igitur omnem creaturarum bonitatem: non quicquid creatum est: nõ denique quicquid ab hominibus vel cogitatur. Næ hic huius loci nullus sensus est: sed merum est febricitantis monachi somnium. Et res ipsa euincit. Nam si qui vident omne bonum Dei, omnia sciũt, Ergo Moses etiam viuens omnia sciuisset: at posterius falsum: ergo prius. Nã scisse Mosem omnia in terris positum, ausint-ne aduersarij contendere?

X. In altero loco longè maior audacia. Nam primò eius varia lectio est. Græci omnes, paucis exceptis, legunt, *Omnia per hunc facta sunt, & absque eo factum est nihil quod factum sit.* Vt sensus sit, eorum quæ in vniuerso mundo creata sunt, nihil esse creatum sine Filio Dei Verbo. Tum altera inchoata sententia, *In ipso vita erat.* Sic Chrysostomus homilia quarta in Ioannem. Sic Theophylactus in eum locum. Syrus interpres. Athanasius de Incarnatione Verbi. Et contra Arianos oratione quarta, & [illegible] haereses: & in Synopsi. Irenaeus [illegible] capite vndecimo. Nazianzenus de Spiritu Sancto. Epiphanius de Anomaeis, & Arianis. Marcus Heremita de Baptismo. Ex Latinis etiam Cyprianus Testimoniorum libro secundo: quamuis [illegible] edederit. Hieronymus in caput [illegible] Amos. Nec inconcinna lectio. Nam cum statim subiiciatur, *Et vita erat lux illa hominum*, quis non videt non posse referri ad eas, quas in Deo ab æterno esse dicunt? Itaque hanc lectionem Caietanus, Lucas Brugensis, Iansenius, Maldonatus, longè prætereunt alijs, vtpote coactis. Quamuis Sixtus neutri parti voluerit præiudicare, ita consulto interpungens, vt vtroque modo legi queant: vt monuit Brugensis in annotationibus ad Sixti Biblia.

XI. Secundò, etiamsi à Græcis discedas, tamẽ altera superest lectio: *Quod factũ est in ipso vita erat:* vt dicatur non in ipso vita erat, quod omnino postulat Costeri commentum, sed quod in ipso factum est, esse vitam. Et sic Ambrosius in Psalmum trigesimum sextum.

XII. Denique, etsi ita concedatur legendum, tamen restat consequentia. Nam quis concedat, quia omnia in Deo sunt ab æterno, ideo videri omnia ab iis qui Deum vident? Nam ne ipsi quidem Papistæ audent asserere. Bellarminus certè ea tantùm, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent. Atqui non hæc sola in Deo erant. Ergo nonnihil præter Dei visionem comminiscendum. Nam si in Deo sunt omnia: & qui Deum vident, quę in Deo sunt vident: necesse esset eos omnia videre. Quòd si conclusio falsa; certè in antecedente necesse est peccari. Et quia supponitur omnia esse in Deo: iam illud alterum falsum erit, eos, qui Deum vident, videre quæ in Deo sunt.

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONVS DE OECVMENICO.

Caput Primum.

DE IMMENSA AVTORITATE Oecumenici Pontificis.

PERTRACTATA Controuersia prima de officio Mediatoris, quæ erat in intercessione: sequitur altera, in Regio munere, cuius Thesis hæc esto, Vtrum solus Christus sit rex, siue Monarcha, siue caput Vniuersalis Ecclesiæ. Quam Catholici constanter asserunt. Papistæ oppugnant pertinacissimè, Romani Pontificis partibus fauentes. Vnde magna, interque primas nobilis disputatio oritur, non obiter tractanda, imò verò necessariò: nec aut nullo, aut leui momento in vtramuis partem concludenda. Norunt enim, quicunque in Papisticis Controuersiis tempus terunt, hanc, quam Episcopo Romano sui vendicant autoritatem, summam esse omnium, quæ à nobis oppugnantur, hæreseon, tutelam: cùm ex eius nutu, plerumque impurissimi hominis, atque etiam non tantò scelerati, omnes pendere velint Theologicas disputationes: vt id sit Catholicum, cui dignatus fuerit annuere: id contrà hæreticum, quod quacunque tandem de caussa improbarit. Nec dissimulat Bellarminus, dum præfatur in hanc disputationem, agi de summa rei Christianæ: quærique, debeat-ne Ecclesia diutius subsistere, an verò dissolui, & concidere: quemadmodum si quæratur, an oporteat ab ædificio fundamentum remouere, à grege pastorem, ab exercitu Imperatorem, solem ab astris, caput à corpore; nihil sit aliud quàm quærere, an oporteat ædificium ruere, gregem dissipari, exercitum fundi, sydera obscurari, corpus iacere. Quæ quidem ille sic dixit ex præiudicio eius opinionis, qua fascinatus, nullam aliam credit rem esse Christianam, quàm Papisticam: quomodo solent iampridem intolerando abusu Ecclesiam Catholicam dicere & Romanam eodem sensu. Vt sint ea Iesuitæ verba non aliter accipienda quàm si disertè diceret, non posse aduersum Catholicos diutius subsistere totum illud Romanæ [illegible] chaos, si semel redigatur in ordinem ille vnius vrbis Episcopus.

II. Qui quam sibi, quantamque autoritatem vendicet, etsi ex ipso facto, id est, quotidiano experimento percipere sit facilius, his maximè temporibus, quæ nihil fermè vident ab huiusmodi tyranno non attentatum: tamen visum est hoc initio indicandum: vt cùm constiterit, quàm immensum tyrannidis chaos hoc vno Oecumenici Pontificis nomine occultetur, mirari desinant sanæ mentis homines, tanto feruore hanc causam iam ab aliquot annis actam esse à piis viris, quos Deus excitauit ad opus suum perficiendum: id est, Ecclesiam in libertatem asserendam.

III. Volunt igitur hunc suum summum Pontificem Papistæ, vnum aliquem esse in terris hominem Vicarium Christi (sic enim appellant) qui sic vice Christi in Ecclesia fungatur, vt caput etiam ipse dicatur totius militantis Ecclesiæ: quod etsi fateantur nō æquo aut iure, aut gradu cum ipso Christo, quem solum sciunt hoc nomine appellari in Scripturis, tamen sic amplificant postea, vt facile appareat, dicis tantùm caussa Christum præferri.

IV. Primum enim hunc homuncionem, sic summum faciunt, vt nulli prorsus potestati, quæcunque illa tandem sit, Ciuilis aut Ecclesiastica, obnoxium esse velint, ne tum quidem quum officio minimè fungitur. Si Papa (hæc verba sunt apud Gratianum distinctione quadragesima) *suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos*

cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos, huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quod cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius. Et rursus, caussa nona, quæstione tertia, *Nemo iudicabit primam sedem iustitiam temperare desiderantem: neque enim ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo index iudicabitur.* Ex quibus verbis concludit Glossator, tum à Concilio non posse Papam iudicari, tum Pontificis sententiæ standum esse; quamuis totus mundus sententiaret in aliquo cōtra eum. Præterea ne accusari quidē posse de homicidio, aut adulterio disertè notat idem Glossator ad caput *Non nos*, distinctione quadragesima nona. Et caussa nona, quæstione tertia, hic habetur Canon, *Aliorum hominum caussas Deus voluit per homines terminari: sed sedis istius præsulem suo, sine quæstione, reseruauit arbitrio. Voluit enim Petri Apostoli successores cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indaginis, inuiolatam habere conscientiam.*

V. Illud autem de Concilio, vno tantùm verbo obiter significatum, fusius postea disputarunt multi: inter quos Ioannes Hieronymus Albanus, libro primo de Potestate Concilij, asserit nullum casum reperiri, in quo verè dici possit Concilij potestatem Pontificiā maiorem esse. Similiter Carranza in quarta Controuersia: Nullum esse criminis casum, in quo Ecclesiæ vniuersalis Pastor iudicari aut deponi possit ab vllo Episcoporum Concilio. Nam etiam, quod de hæresi exceptum legitur in Canone, *Si Papa*, nunc noua stropha inutile efficitur, cùm asseritur, non posse Papam hæreticum fieri. Adeò in peius quotidie proficitur.

VI. Secundo: huic ita exempto ab omni potestate, omnes reliqui absque vlla prorsus exceptione subiiciuntur. Sic enim Extrauagante de Maioritate & obedientia, capite *Vnam sanctam*, definitum legimus, *Si deuiat terrena potestas, iudicabitur à Spirituali potestate: sed si deuiat spiritualis, minor à suo superiori: si verò suprema, à solo Deo, non ab homine poterit iudicari: testante Apostolo: Spiritualis homo iudicat omnia, ipse verò à nemine iudicatur.* Et rursus, *Subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus esse de necessitate salutis.* Apud Gratianum caussa nona, quæstione tertia, capite *Aliorum*, sic legitur, *Patet sanctorum voce Pontificum dignitatem sedis huius factam toto orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium est, vbique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur.* Et Bartholomæus Carranza asserit, Controuersia quarta, omnium Conciliorum autoritatem subesse autoritati sedis Apostolicæ, & Romanorum Pontificum: atque ab illa necessariò pendere.

VII. Et quidem, non in Ecclesiasticis tantùm negotiis: sed & in secularibus, atque politicis. Crédendum enim dicunt talem potestatem summo Pastori Ecclesiæ concessam esse: vt possit non modò excommunicare impium regem, sed etiam subdítos eius ab omni obseruantia ipsius liberos reddere: quæ verba sunt Sanderi libro secundo de Visibili Monarchia Ecclesiæ capite quarto. Imò instituendorum, destituendorumque regum, transferendique regni penes eum ius esse, Bellarminus argumentis conatur asserere: libro quinto de Romano Pontifice. Sed & Bozius, Pontificis omnia esse regna, omnesque Christianorum Prouincias: Reges autem ac Principes, aut ab illo eas habere precario & gratuita largitione, aut iniustè occupare: libro decimo de Signis Ecclesiæ.

VIII. Tertiò, eiusmodi volunt eius esse sententias, vt contrà ne hiscere quidem cuiquam liceat. Apud Gratianum distinctione decima nona, *Sic omnes sanctiones Apostolicæ sedis accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuina voce Petri firmatæ.* Et caussa decima septima, quæstione quarta, *Nemini de sedis Apostolicæ iudicio iudicare, aut illius sententiam retractare permissum: videlicet propter Romanæ Ecclesiæ primatum, Christi munere, in beato Apostolo Petro diuinitus collatum.* Distinctione decima nona, capite *In Memoriam*: *Licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Et, vt cumulus perficiatur insolentiæ, asseritur summus Pōtifex habere, *cælestè arbitrium, & ideo naturam rerum mutare, substantialia vnius rei applicando alij. Et de nullo posse aliquid facere, & sententiam, quæ nulla est, facere aliquā: in his quæ vult ei esse pro ratione voluntatem: nec esse qui ei dicat, Cur ita facis? posse enim supra ius dispēsare. Et de iniustitia facere iustitiā, corrigendo iura & mutando: denique plenitudinem obtinere potestatis*: quæ totidem sunt verba glossatoris in caput, *Quanto personam*, de Translatione Episcopi, in Decretalibus.

Cap. II.

De statu quæstionis.

I. Ecclesiam esse domum Dei, quæ suos habeat Oeconomos, diuinis literis disertiùs testatum est, quàm vt ab vllo pio ambigi possit: vnde constat etiam, habere eandem domum suam Oeconomiam: quorsum enim aliàs Oeconomi? Et præterea testatur Paulus omnia ordine agi debere. Quare inter Catholicos & Papistas, non controuertitur hæc generalis propositio, sit-ne aliqua ratio Ecclesiæ gubernandæ. Imò etiam, quia Ecclesia sit domus, non cuiuslibet, sed Dei, quàm certum est solum Patremfamilias ius habere suæ domus custodiendæ, tam nemo dubitat, quæcumque tandem in Ecclesia sit politia, eam à Deo constitutam esse oportere.

II. Hæc cùm vtrinque ita se habere concedantur: tum oritur quæstio, cùm agitur de ea ipsa politia, quam in Ecclesia Deus constituit, quænam illa tādem sit, id est, Monarchicáne, an Aristocratica, an verò Democratica. Et hîc tamen primò concedimus vtrique ab ipso Christó Ecclesiam gubernari μοναρχικῶς: quem ob id vtrique fatentur & Regem appellari, quod nomen manifestè infert summam illam vnius principis autoritatem: quam μοναρχίας nomine iampridem significari visus est. Eoque nomen capitis refertur metaphoricum: quia non tantùm ab eo regitur totum corpus, sed etiam solo. Domini etiam nomen eodem pertinet. Nam etsi ex sua própria vi, μοναρχίαν non infert: tamen hactenus infert, quatenus dominium significans, vni tamen Christo, nullique alij tribuitur. Est igitur hæc Catholicorum luculenta confessio, Christus Iesus seruator noster Filius Dei, idem verus Deus, & homo, verus est vniuersalis Ecclesiæ princeps, caput, rex, Monarcha: cui subesse omnes homines sit de necessitate salutis: & quidem subesse dicimus non eam tantùm Ecclesiæ partem, quæ in his terris Militantis Ecclesiæ nomen præfert: sed & eam, quæ in cælis Triumphantis.

III. Sed Papistis ista confessio non sufficit.

Pergunt

Pergunt enim, & interrogant de Ecclesia Militante vniuersa, quaqua se per totum orbem diffundit; vtrum eius regendæ ratio sit Monarchica; sic, vt vnus ei præsit, non Christus, sed purus homo: à cuius summa autoritate pendeant, tum laici omnes, tum maximè clerici cuiuslibet ordinis, gradus, autoritatis.

IV. Hic verò Democratiam quidem nulli asserunt, quod sciam: etsi tum Sanderus, tum Bellarminus, Lutheranos accusent: qua re opinor eos fieri iniuriam: eo magis quòd neuter vllum locum indicet ex eorum scriptis, quo hæc opinio defendatur. Sed nos certè, præter electorum Ministrorum approbationem vel improbationem, plebis nullas esse partes censemus in Ecclesiastico regimine. Non sufficit autem electio magistratuum ad Democratiam constituendam: alioqui nullæ respublicæ regna dici possint, in quibus reges sunt, non hæreditarij, sed electiui, vt loquuntur: cùm tamen contrà vsus obtinuerit. Atque adeo ipsi Papistæ suum regimen monarchicum esse tuentur, non Aristocraticum; etsi monarcham suum, id est, Papam, omne Cardinales, id est, optimates eligant, spoliata plebe, suo, quod olim obtinebat, iure. Supersunt ergo tantùm Monarchia & Aristocratia disputanda.

V. Et Catholici quidem singulis Ecclesiis, ita suos pastores attributos esse docent, vt æquo iure tum omnes omnium, tum singuli singularum curam gerant: itaque Aristocratiam esse legitimam. Vnde Confessionis Gallicæ articulus trigesimus, *Credimus omnes veros Pastores, vbicunque locorum collocati fuerint, eadem & æquali inter se potestate esse præditos, sub vnico illo Capite, summóque & solo vniuersali Episcopo, Iesu Christo: ac proinde nulli Ecclesiæ licere sibi in aliam imperium, aut dominationem vendicare.*

VI. At Papistæ, vnum tuentur Episcopum Romanum; non tantùm suæ Ecclesiæ, id est, eius quæ est intra muros vrbis Romæ, curam habere demandatam, vt reliquos Pastores suæ quemque: sed præterea omnium omnino, quotquot aut sunt, aut esse possunt militantes Ecclesiæ: in easque summam obtinere, nullisque legibus coercitam autoritatem, potestatémque, vt Christi Vicarium: ac proinde eum appellant & Caput, & Sponsum Ecclesiæ, & Vniuersalem Episcopum, & Oecumenicum Pontificem. Hacque ratione Monarchiam in Ecclesia constituunt.

VII. Hæc nos de Controuersiæ statu perspicuè: quem cùm Sanderus, Bellarminus, reliqui, negligenter, Costerus videri voluit tractare diligentius vnam certo indicio. Christum is è cœlo delapsum dicit, ex omnibus totius orbis gentibus, atque temporibus, homines euocasse, & Rempublicam quandam, seu congregationem constituisse, quæ omnes habuerit duplici administratione: altera, quæ ad externam pacem & quietem retinendam præcipuè spectaret: altera, quæ potissimum homines ad supernaturalem, & cœlestem finem, perspicuè nullo que errore dirigeret: quarum hæc sit illa tanto præstantior, & superior, quanto animarum salus sempiterna præstet quieti externæ. Et eam quidem quæ externam pacem curat, Christum suo aduentu non immutasse, sed Principibus reliquisse: alteram verò in ipsum per se, quandiu in terris fuit, exercuisse. Quæ omnia capita negat esse controuersa: sed hoc tantum in quæstionem vocari, An Christus, profectus in cœlum, sic sibi omnem autoritatem retinuerit in Ecclesiam, vt neminem vicarium in terris reliquerit, quem cùm ampla, & ad vtilitatem fidelium conueniente potestate, Ecclesiæ vniuersæ præfecerit.

VIII. Hæc summa eorum, quæ paulo fusius Costerus prosequitur in Enchiridio, capite tertio, quod est de Summo Pontifice: in quibus meritò dubitem, mendacémne se magis, an imperitum Theologiæ præbuerit. Certè statum causæ peruertisse, audacter pronuntio. Primùm enim, quàm ineptum est, quæso, quòd partem eius Reip. quã Christus suo aduentu instituit, politicam seu ciuilem faciat? Aut quis audiuit aliquando, in eum finem è cœlis delapsum Christum, id est, incarnatum, vt prouideret Reipublicæ, hoc est, terrenæ politiæ administrandæ? Imò verò ipse se disertè negauit constitutum iudicem inter fratres de hæreditate contendentes: nec adulteram ad se deductam iudicare voluit: & negauit regnum suum esse de hoc mundo. Denique nihil omnino vel attigit, vel immutauit, in seculari politia: quam ascendens in cœlos eandem reliquit, quam descendens constitutam inuenerat: iubens etiam reddi Cæsari, quæ essent Cæsaris. Itaque Costerus strenuè sibi contradicens, negat eam, quæ externam pacem curat, à Christo fuisse immutatam. Quo sensu, si institutam?

IX. Secundò: quòd Ecclesiasticam administrationem potissimum referri dicit ad cœlestem finẽ, parum est legitimum: quasi alius quidam finis sit, quò, etsi non potissimum, aliquo tamen modo referatur hęc administratio. Imò verò is cœlestis finis vnicus est Ecclesiastici regiminis, vt homines, quorum vitæ corporeæ politia secularis prouidet, ad Christum adducantur, salutem animę percepturi. Certè nullum alium Scriptura docuit: & illustris est in eam rem (vt alios taceam) Pauli locus ad Ephesios quarto, quo dicitur Christus Apostolos dedisse, Prophetas, Euangelistas, pastores & doctores, non potissimum, sed simpliciter, *ad coagmentationem sanctorum, ad ædificationem corporis Christi, donec euadamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, vt veritatem sectantes cum charitate, prorsus adolescamus in eum per omnia qui est caput, nempe Christus.*

X. Nos igitur, rem, si placet, ab ouo, quod aiunt, deducere, multo sic melius: Hominẽ anima & corpore constantem, duplici egere politia: altera, quæ animæ bonum spectet, id est, æternam salutem: altera, quę ad corpus referatur, id est, prouideat iis omnibus, quæ ad bene beatéque hanc corporalẽ vitam traducendam sunt necessaria. Huic vt satisfiat, institutas esse Respublicas, suis distinctas generib', pro variis locorũ, tẽporum personarũ circunstantiis, Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam: quas etiã extra Ecclesiam Deus vigere voluit: & cõseruat quandiu videtur, multis alioquin incommodis, atque mutationibus obnoxias. Christum verò è cœlis venisse, assumta serui forma, vt Ecclesiam constitueret, id est, eam politiæ partem, quæ animi bonum procuraret: instituisséque quosdam quasi magistratus, quos tamen ministros maluit appellari, quibus eius politiæ curam sic committeret, vt eius ministerij iure nihil illis esset commune cũ altera politię parte, quę ad corpus pertinet. Esse autem hanc quidem administrationem, quę animũ regit, digniorẽ alterâ, quæ corpus: sed eã dignitatẽ metiendã ex vsu non seculi, sed cœli: vt nihil obstet, quominus, qui in Ecclesia sit dignissimus, in politia temporali aliis subijciatur. Neque enim ideo Christi diminutam fuisse dignitatẽ, quòd obnoxius fuerit magistratua

imperio: aut Apostolos nō fuisse vocatos ad administrationem salutis æternę, præstantiorem lōgè administratione corporū; quod eousque potestatibus subiecti fuerint, vt etiam virgis cæderentur. Quare ille tetrius obscurari potest in Costeri verbis error, quòd absq; vlla distinctione, ex eo quòd animarum salus præstet quieti externæ, & hæc ad illam tanquā ad bonum maius perfectiúsq; referatur, simpliciter concludat, eos inferiores esse, viliúsq; munus obire, qui externam quietem curent.

XI. Deniq; grauiter peccat in constituendo statu quæstionis; idq; dupliciter. Cū enim quæri dicit, an vllum in terris Christus vicariū reliquerit, relinquit ambiguum de vnóne loquatur, an pluribus vicariis. Quod si plures intelligat, quomodo si quæreretur, an vllum Christus Pastorem reliquerit, facilis respōsio; nos prolixè concedere, Christum in Ecclesia sua reliquisse sui vicarios: itáq; id non controuerti. Sin autem de vno certo Vicario, ita appellato, vt plures in eius nominis aut officij communionem admitti nec possint, nec debeant: tum verò hoc ipsum erit verè in quęstione positum: sed Costerus debuerat disertius exprimere, cùm Sophistarum sit ambiguo ludere.

XII. Deinde hæc verba, de ampla & ad vtilitatem fidelium conueniente potestate, aut inuidiosè concepta sunt, aut petunt principiū. Si enim intelligātur de ea potestate, quam vulgò tribuunt suo illi vnico Vicario; quæ sit immēsa, &, vt Herodianus lib. 1. Imperatoriam potestatem vocat, *ἐξουσίαν αὐτοκράτορα καὶ ἀκώλυτον*, tum verò ineptè in constituenda quæstione appellabitur conueniens ad vtilitatem fideliū: quia hoc ipsum controuertitur: vt omittam satis *ἀκύρως* eā dici amplam, quæ sit immensa. Sin autem indefinitè sumunt, pro autoritate ea quę sit à Christo cōstituta, quæcunq; tandem illa sit: tum absit vt negemus, si aliquis sit à Christo constitutus, ei concessam autoritatem conuenientem.

XIII. Deniq; neminem esse quem toti Ecclesiæ Christus præfecerit, nos nūquam asseruimus: qui & ab initio Apostolos, non omnes modò, sed etiā singulos. Quomodo Cyrillus Glaphyrorum in Genesin 7. de Dan, *κριτὰς* vocat *οἰκουμενικούς*, *Iudices Oecumenicos*. Et paulo pòst, *τοὺς ὑφ' ἡλίῳ καθηγητάς*, *duces terræ quæcunq; sub sole est*: deinceps etiam Pastores, si minus singulos, certè omnes, toti Ecclesiæ præfectos esse docemus: tali, tantáq; autoritate præditos, quantam vtilissimam fuisse, atq; esse animarum nostrarū saluti, non Christus tantùm iudicauit, qui falli non potest, cùm sit æterna Patris Sapientia; sed etiam experientia comprobauit: adeò vt cùm ab ea potestate eiúsque legibus discessum est, tum omnia in peius ruere cœperint.

XIV. Non potuit igitur peius concipi controuersiæ status, quàm à Costero conceptus est: qui mos est eorum qui caussę nō bonę patrocinium susceperūt. Itaq; iis omnibus purgatis peccatis, in hæc tandem verba Thesin concipiēdam asserimus: *An sit vnus quispiam à Christo constitutus omnium Ecclesiarum toto orbe dispersarum, atq; adeo omnium pastorum, singulis Ecclesiis præfectorum, summus Pastor.* Eam Thesin Papistæ asserunt, Catholici negant.

XV. Tractatio aliàs prolixa, diuidetur in duo capita. Primū de Thesi, Vnū scilicet aliquis à Christo ita cōstitutus sit: aut constituendus fuit Oecumenicus Pontifex. Alterum de Hypothesi; hoc est, de eo quem Papistæ constitutum asserunt.

XVI. Cæterùm, hunc vniuersum Controuersiæ locum, tum integrum, tum per partes, Papistarū plurimi tractarunt: in quibus istos nā omnes nominare vix possim. Thomas de Vio tractatu de autoritate Papæ & Cōcilij, Bellarminus tomo 1. Controuersia 3. Salmero tomo 13. libri 1. parte 3. disputatione vndecima, & sequētibus. Slotanus disputationibus aduersus hereticos capite de Primatu Petri & Ecclesię Romanæ. Thomas Bozius de Signis, libro 18. Gregorius de Valentia Analyseos libro 7. Costerus in Enchiridio capite 4. Sanderus de Visibili Ecclesiæ monarchia. Pighius Hierarchiæ Ecclesiasticę libro 4. Franciscus Turrianus aduersus capita disputationis Lipsicæ. Lindanus Panopliæ libro quarto, capite octogesimo secundo & sequentibus. Panigarolla lectione sexta. Franciscus Cordubensis de Ecclesia articulo secundo, articulo centesimo octauo & deinceps, Stapletonus de Principiis fidei doctrinalib⁹ libro 6. Et in relectione, Controuersia Capitali tertia. Canus locorum Theologicorum libro sexto, Petrus Auratus Paradoxo septuagesimo. Arboreus Theosophiæ libr. primo, capite tertio. Driedo tomi primi libro quarto, capite 3. Episcopus Roffensis contra articulos Lutheri, articulo vigesimo quinto. Frācíscus Agricola Tractatu de Primatu S. Petri Apostoli. Alphonsus de Castro aduersus Hæreses libro 12. Ioannes Eckius de Primatu Petri. Ioannes de Turrecremata Summę de Ecclesia libro tertio.

XVII. Ex Catholicis autem, Caluinus Institutionis libro 4. capite 6. Ioannes Iuellus contra Hardingum, articulo 4. Petrus Martyr in octauum prioris Regum. Musculus in locis communibus de Ecclesia. Antonius Sadeel contra Turrianum. Sibrādus Lubertus de Papa. Vvitakerus, & Sutliuius de Pontifice Romano. Iunius notis in hanc Bellarmini controuersiam. Riuetus Summæ controuersiarū tractatu secundo, quæstione 4. Ioannes Scharpi⁹ cursus Theologici tomo 2. de Ecclesia militāte. Marcus Antoni⁹ de Dominis tū noster, de Republica Ecclesiastica lib. 1. & 4. Ego etiā sex libros edideā de Oecumenico Pōtifice, iam ante annos cōplures. Quos nunc retexere nō piget, tū vt mihi corpus integrum conficiatur Controuersiarum: tum quia multa sunt ab eo tempore in vtramq; partem visa, lecta, considerata, quæ non venerant in notitiam meam, tum temporis hoc Cōtrouersiarum Pelagus affectanti quidem: sed tamen tentanti duntaxat: donec dedit Deus & animum, & vires audendi maiora.

CAP. III.

De Analogia Corporis & Capitis.

I. NOtata quæstione, deueniēdum ad aduersariorum argumenta: quorum primū hoc esto: Si in membrorum multitudine vnum caput est, quod omnia membra vnit & regit: ergo & in visibili Ecclesia Christi. At prius verum: ergo & posterius. Argumentum est frequentissimum in ore Papistarum: sed disertè apud Sanderum de Visibili Monarchia lib. 5. cap. 3. apud Turrianum libro 1. contra disputationem Lipsicam, Bellarminum libri secūdi de Pontifice capite 12. Probatur autem consequentia, ex decimo ad Romanos, *Sicut in vno corpore multa membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Et prioris ad Corinthios duodecimo, *Sunt*

enim

corpus unum est, & membra habet multa: omnia autē mēbra corporis cùm sint multa, vnū tamē corpus sunt: ita & Christus.

II. Respōdeo, corporis cōparationem in Scripturis dupliciter accōmodari Ecclesiæ. Aliquādo, vt significetur arctissima totius Ecclesiæ cum Christo coniunctio: vt ad Ephesios 1.& 4.& 5.& ad Colossenses primo. Atqui hoc sensu conceditur totus syllogismus. Sed is nihil contra nos: quia vnum illud caput, est Christus: non autem alius quisquā: qua de re actum sumus prolixius in argumentis Catholicorū. Alias verò, illustratur arctissima fideliū inter se cōiunctio, qualis est membrorū in vno eodēmq; corpore, vt in locis ex decimo ad Romanos, & duodecimo prioris ad Corinthios. Huc autem sensu negarunt aiquin entipropositi consequentia. Nā Apostolis scopus est, vt ā comparatione corporis humani doceat hanc membrorum Ecclesiæ cohærentiā nō impediri a diuersitate donorum Dei distributione. Ideò membris distribuit tn præstantiora, & inferiora, quæ plura acceperūt dona Spiritus: hæc, quæ pauciora. Illa membris in corpore illustrioribus, in quibus caput est, comparat, hæc reliquis. Itaque sicut hic quemadmodum illustriora membra in corpore, cætera non possunt reliquorum officio: sic neque in Ecclesia, quibus plura sūt spiritus charismata, ab necessarij sunt ij quibus pauciora. *ceteram* illustratur inductione oculi manuum, capitis, pedū.

III. Peccant itaque Papistæ pluribus modis. Primò, cum, quod pertinet ad *...*, transferunt ad *...* est, quæ verba dicta sunt de corpore ad illustrandam similitudinem, ea volunt esse dicta dē Ecclesia, cui similitudo applicatur: etsi enim quæ sunt in protasi, locum suum habere debent in apodosi tamen id oportet esse non *ἀπλῶς*, sed *...* nec necesse est, vt quæcunque illustrationis caussa pinguntur, mordicus retineantur. Comparauit olim Romanus quidā, plebem dissentientē ab optimatibus, membris conuiratis aduersus ventrem. An ergo, quiain corpore vnus duntaxat venter est, non plures: propterea sequebatur in republica Romana, vnum ventrem? Minimè verò: sed venter ad *...* pertinebat, ad *...* verò optimates.

IV. Secundò, huiusmodi membrorum differentia, non est constituenda tantùm in muneribus Ecclesiasticis, institutis a Deo ad cogendam & continendam Ecclesiam: sed ad quæcunque charismata, quibus etiam idiotæ ornari possunt a Domino: aut etiam ad gradus, qui quomodocunque, etiam non habita Ecclesiasticæ dignitatis ratione, personas efficiunt illustres. Itaque autor Commentariorū quæ Hieronymo tribuuntur, & Primasius, caput Sacerdotem interpretantur. Et Thomas Aquinas, tum Prælatos Ecclesiæ, tum Principes seculi. Verba sunt: *Si hoc ist quod subdit, aut iterum caput, id est, prælatus: secūdum illud primi Regum decimo quinto, Caput in tribubus factus es. non potest dicere pedibus, id est subditis, non estis mihi necessarij: quia, vt dicitur Prouerbiorum decimo quarto, In multitudine populi dignitas regis.* Et similiter Oecumenius, ... G ... *Quemadmodum oculus non potest dicere reliquis mēbris, robur non habeo: quia si vnum deficiat, totū corpus fit mutilum: sic qui maiora dona acceperunt non possunt sese extollere aduersus eos qui minora, quasi ijs non indigerent. Vnum enim*

A *defectus, mutilam efficit Ecclesiæ plenitudinem: cùm non sufficiant illi ædificanda, soli ij qui maiora charismata acceperunt.*

V. Non potest igitur hinc concludi caput vniuersale Ecclesiæ. Et falluntur potius aduersarij, qui caput fingūt ab Apostolo dici, caput Ecclesiæ: cùm sit tantùm caput in Ecclesia: hoc est, is qui cùm sit in ipso corpore Ecclesiæ, tanquam fidelis & Christianus, tenet locum capitis: non relatē ad Ecclesiam; sed ad alios fideles singulos, qui sunt in eadem Ecclesia. Quod si forte prima fronte cuipiam videatur obscurius: consideret eos ipsos, quos Thomas nominauit, Reges, inquam; qui, sic postulante analogia, capita quidem sunt, & in Ecclesia, non tamen Ecclesiæ capita.

VI. Tertiò cùm caput ab Apostolo nominetur, non propriè, sed per similitudinem, non bene vrgetur numerus: quē cùm nullo loco Apostolus nominauit, cur, quæso, magis attēdatur, quod vnum corporis sit vnicum caput, quàm quod eiusdem bini C tantùm sunt pedes, oculi, manus? Aut, poterūnt-ne, vt sibi constent aduersarij, contendere in Ecclesia, eos qui locum tenent oculorum, id est, de quibus *...* intelligēdi sunt oculi, tantùm duos esse quosdam viros, nec omnino plures? & similiter de pedibus, & manibus? Quod si est absurdum, fateātur â se ridiculè vnum caput vrgeri. Nos verò scimus, nihil obstare, quominus capita metaphorica sint in Ecclesia vno plura: quomodo pedes & oculi & manus, plures binis.

D VII. Confirmatur nostra sententia ex Commentariis Ambrosij, *Non potest autem dicere oculus manui, opera tua nō indigeo: hoc est, ... potest dicere potior inferiori, mihi opus est, quia oculus quidem videtur, sed manus sunt quæ operantur. Aut iterum caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij: id est, maior gradu & dignitate nō potest sine illo esse qui humilis est: quia est quod humilis potest, quod non potest sublimis: quia ferrum potest, quod nō potest aurum: ac per hoc honorem capitis faciunt pedes.* Atq; hæc Ambrosij verba Lōbardus exscripsit: illustrauitq; exēplo. *Magnus Im-* E *perator,* inquit, *necessarium habet exercitum.* Theophylactus. *Castigatis qui minoribus essent donis affecti, nunc ad eos sermonem diuertit, qui maioribus acceptis contra inferiores acrius insolescerent: aut namque, quemadmodum oculus obiicere huiusmodi cæteris membris nequit, vestra opera haudquaquam indigeo si quidem vel vno aliquo membro deficiente, vniuersum claudicat corpus: sic neque hi qui præstantiore donati sunt gratia, licet ij cæ ... minorem acceperunt: opus enim his habent: quippe qui facere satis per se condenda Ecclesiæ nequeant, nec struere soli hanc pos-* F *sint.* Thomas. *Non potest autem oculus, qui deseruit cognitioni, & significat contemplatiuos, dicere manui, quæ deseruit motui, & significat actiuos, opera tua non indigeo.* Et paulo post. *Secundò ostēdit idē secundū differētiā prælatorū qui significātur per caput, & subditorū qui significātur per pedes.*

VIII. Ergo si verum est ex Ambrosij, Theophylacti, Lōbardi, Thomę sententia, oculū & caput significare potiorem, maiorem gradu, eos qui maioribus donis sunt affecti, cōtemplatiuos prælatos: denique, sacerdotem, vt paulo antè Hieronymus & Primasius: hi autē semper in Ecclesia plures sunt. Ergo & capita necesse est plura esse in Ecclesia: etsi Paul' caput nominarit numero singulari: quomodo etiā nō oculos, non aures, nō manus; sed in singulari oculū, aurem, manū. Imò etiam indifferenter pedē, & pedes. Namq; semel, *Si dicat pes:* & secundo: *Aut rursum caput pedibus.* Vt ne quis cerebrum sibi fatigaret, in numero *...*

IX. Nec aliter olim vsi Veteres hoc loco. Basilius, scribens ad transmarinos Episcopos, non vnum aliquem, sed omnes, Epistola 77. ἀντὶ κεφαλῆς ἑαυτοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας λογίζεσθε, οὐ δύναται ἡ κεφαλὴ εἰπεῖν τοῖς ποσί, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω, *Sine vos caput existimetis esse Ecclesiæ Catholicæ, non potest caput pedibus dicere, vobis opus non habeo.* Et Epistola 70. ad Gallicos & Italos, ἐπεὶ οὖν οὐ δύναται ἡ κεφαλὴ τοῖς ποσὶν εἰπεῖν, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω, πάντως οὐδ' ὑμεῖς ἀνέξεσθε ἀποπεμφθῆναι ἡμᾶς. *Cùm igitur non possit caput pedibus dicere, non estis mihi necessarij, omnino nõ tolerabitis nos abdicari.* Nam hîc disertè caput non vnus quispiam appellatur: sed plures simul Episcopi, qui in Italia & Gallia: Nec alius stylus, aliáve mens Ioannis Constantinopolitani, quem Turrianus obijcit ex actis Synodi sextæ. Nam in ea Epistola duæ sunt partes. Prima recitat ordinẽ humani corporis à Deo constitutum. *Ipse* (inquit, sic vertente Turriano) *natura nostra autor caput toti corpori artificiosè præfecit, ac præcipuis sensibus in eo collocatis, fecit vt omnis inde reliquorum membrorum motio & integritas existat, ac conseruetur.* Hæc, & nonnulla alia, pertinent ad πρότασιν, comparationis: tum sequitur ἀπόδοσις, quam Græcè describit Turrianus, τοῦτον δὲ τὰ καθ' ὑμετέραν ἀποστολικὴν προεδρείαν ἔχοντα παραβάλλειν, ἁγιώτατοι· καὶ κεφαλὴν τῆς τοῦ Χριστοῦ ἱερωσύνης καθολικῶς ὑμᾶς λογιζόμενοι, εἰκότως δι' ὑμῶν ἐκζητοῦμεν τῆς ἐπιγενομένης ἀδυναμίας τῷ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησιαστικῷ σώματι ἐκ τῆς λοιμώδους καὶ νοσοποιοῦ τῶν ψυχῶν τυραννίδος [illegible] κομίσασθαι. πάντως γὰρ ὑμεῖς τῷ τῆς κεφαλῆς ἰδιώματι ἀβουλήτως νενοσηκότας ἡμᾶς οὐ περιόψεσθε, οὐδὲ τῆς ἑαυτῶν συμφυΐας ἡμᾶς ἀποπέμψεσθε. *His possumus vestrum in Apostolico præsidendi munere statum comparare, Sanctissimi: & qui vos sacerdotij Christiani caput reputamus, merito damus operam, vt vestra ope leuamentũ obtineamus deliquij huius, quod accidit in Ecclesiæ corpori quod apud nos est à pestifera & morbida animorum tyrannide. Omnino enim vos, quod capiti proprium est, nos præter voluntatẽ ægrotãtes non despicietis: nec à vestra societate reijcietis.* Hæc illi: quæ cum Basilij verbis quàm conueniant sola ostendit lectio. Nã scriptas esse ad plures has literas, indicant ipsa verba, ἁγιώτατοι & ὑμᾶς: quorum ad vnicum vsus nullus. Et tamen Turrianus protulit, tanquam ad vnicum · onstantinum, Episcopum Romanum missas. Haud admodum pudenter.

X. Sed, quid opus Veterũ autoritatibus, cũ ab ipso Paulo mentem loci perspicuè possimus discere? Is enim, cũ multis exaggerauit πρότασιν, insistens in illustranda illa membrorũ corporis συμφυΐᾳ, tandem ad ἀπόδοσιν delapsus: *Vos autem, inquit, estis corpus Christi, & mẽbra ex parte. Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, deinde Prophetas: tertiò doctores: deinde potestates, deinde dona sanationũ, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Nũ omnes Apostoli? num omnes Prophetæ: num omnes doctores? num omnes sunt potestates? Num omnes donum habent sanationũ? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?* Obserua primò, nullum gradum numerari, in quo vnicus fuerit aliquis. Secũdò illud, *Primum* eum sensum habere, vt significet Apostolos primum locum habuisse in Ecclesia: vnde Glossa ordinaria, & interlinearis, Primũ notãt dignitate & tempore. Chrysostomus, τὸ γὰρ πρῶτον εἶπεν, καὶ δεύτερον, οὐχ ἁπλῶς εἶπεν, ἀλλ' ὑποτάττων τὸ τιμιώτερον καὶ τὸ καταδεέστερον δεικνύς· διὸ καὶ τοὺς ἀποστόλους προέθηκεν, οἳ πάντα ἐν ἑαυτοῖς εἶχον τὰ χαρίσματα, *Nam hîc primum & secundum, non simpliciter dixit, sed subordinans, significãs præstantius & inferius. Propterea Apostolos prætulit, qui in se omnia habebãt charismata.* Perspicuũ est igitur Paulum Apostolos, in Ecclesia cõparasse capiti in corpore: ac proinde Apostolos in Ecclesia eũ locũ, eáq; obtinere dignitatem, quẽ locum, quámve dignitatẽ caput habet in corpore. Non est autẽ vnicus Apostolus. Ineptè igitur vnius capitis numerum à Papistis vrgeri.

XI. Et libet sophisticen admirari. Nam strenuè laborãt omnes, vt doceãt aliud caput intelligẽdum præter Christũ; Turrianus in corpore visibili, caput esse visibile: aut vacare hãc partẽ analogiæ. Sãderus Christũ, nõ tantùm caput appellari sed etiã corpus, Itaque sicut præter Christũ alij sint homines, qui dicantur corpus Christi, id est Ecclesi. : Sic etiam præter Christum, totius Ecclesiæ æternũ caput, alia esse ad tẽpus capita. Bellarminus, loqui Paulũ de capite, quod negare nõ possit, sibi pedes non esse necessarios: quod quia in Christũ cadere nequeat · rgo · put à Paulo Christũ nõ intelligi. Quæ, etsi nõ difficilè sit eludere, tamẽ prolixè, quod ex ijs infertur cõcedimus. At hoc stupẽdum mõstrum est: eorum neminẽ vidisse aut (quod magis crediderim) videre voluisse, restare probandũ, vnum id caput præter Christum, esse vnicum aliquem hominem, & non multos, qui per accidens dicãtur vnum, nimirum ex cõmuni munere, gradu, dignitate, siue aliud quid dicere malis. Hoc verò quamdiu intactum manet, quid aliud quã ἀναπολογήτως peccant Sophistæ? Nam id magno labore conficiunt vltro quod conceditur: id verò, in quo est τὸ ζητούμενον intactum prætereunt. Egregios verò triumphos.

CAP. IV.

De vno Ouili, vnóque Pastore.

I. SEcundum argumentum: Si Ecclesia est vnũ ouile, in eáq; vnus Pastor: Ergo est etiam vnus summus Põtifex præter Christum. Probatur antecedens, ex Ioann. 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocẽ meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Argumẽtum est Sanderi, cap. 2. lib. 5. de visibili Monarchia: & Auratj paradoxo 70. Sed & Stapletoni antidoto in 10. Ioannis. Iuuat insaniam Toletus Commentariis in Ioannem.

II. Negatur cõsequẽtia. Nam locus, vel ad literam intelligitur vel τροπολογικῶς. Si ad literã: per eum vnũ pastorẽ Christus seipsum intelligit, cui Israelitæ omnes tunc diuisi, subijciendi erãt. Augustinus in Ioannem tractatu 47. *Duobus istis gregibus, tanquã duobus parietibus, factus est lapis angularis.* Theophylact'. καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν· ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ οὐκ ἔνι Ἕλλην καὶ Ἰουδαῖος, οὐδὲ διαφορά τις. εἷς γὰρ χαρακτὴρ ἅπασι, μία σφραγὶς ἡ τοῦ βαπτίσματος, εἷς ποιμήν, ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ καὶ Θεός, *Et fiet vnum ouile, vnus pastor. Nã in Christo Iesu nõ est Græcus, neq; Iudæus, neque vlla differentia: vnus enim character omnibus, vnũ sigillũ baptismatis, vnus pastor, Verbũ Dei & Deus.* Lyranus, *Et vnus Pastor, scilicet Christus: alij autẽ nõ sunt nisi vicarij huius pastoris.* Procopius, *Et vnus pastor horum & illorum Christus.* Aponius lib. 6. in Canticũ, *Vt sit vnus grex populus Christianus in vna fide, & vnus Pastor Dominus Christus.* Rupertus in ipsum locũ, *Nõ dixit, & fiet vnus pastor & vnũ ouile: nã etiam vnus pastor est: sed fiet vnũ ouile, quod nondũ factũ est, & vnus pastor permanebit, qui nũc & semper est.* Guillaudus: *vnũ ergo ouile, hoc est, vna Ecclesia ex Iudæis & gẽtibus in vnam religionem cõspirãtibus facta cõgregatáq; est sub vno pastore, capite huius Ecclesiæ, Christo.* Carthusian'. *Et fiet vnus pastor, id est, Christus qui fuit pastor Iudæorum solum, fiet pastor Iudæorum & gentium. Et qui multos atque diuersos habuerant pastores, vel potius dissipatores, qu ãtum ad gentes quæ seruierunt dæmonibus, conuertentur ac sortientur vnum verum ac summum pastorẽ, videlicet Christum.* Gorranus, *Vnde ad Ephesios 2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, scilicet gentes & Iudæos in vnum ouile, cuius ipse est vnus Pastor.* Cli· thouæus

mus septimo in Ioannem, *Et vnus Pastor Christus*. Caietanus: *Non erat constituendus alter pastor, sed vnus, praexistens pastor, extensurus erat seipsum ad pascendum omnes.*

III. Quanquã, quid opus erat testibus? Nã res ipsa per se clamat. Ab initio enim capitis, seipsum Christus proponit verum & ostium, & Pastorem Ecclesiæ suæ. *Ego dico vobis*, inquit, *ego sum ostium ouium.* Et post, *Ego sum pastor ille bonus: bonus pastor animam suam dat pro ouibus. Ego sũ pastor ille bonus, & agnosco oues meas, & agnoscor a meis. Prout nouit me Pater, ita & ego noui patrem, & animam meam pono pro vobis.* Tum statim, *Alias etiam oues habeo*: & quæ recitat Sanderus. Cur enim discerpamus filum contextus, vt repentè de alio atque alio pastore loquutũ dicamus? Maxime cũ eodem commate oues suas appellet. *Alias*, inquit, *oues habeo.* Nam in præcedentibus sic se pastorẽ dixit, vt oues non alienas esse, sed suas significaret: atq; adeo se non pastorem mercenarium, qui pretio cõductus alienas oues pascat: sed pastorem dominum gregis, qui suas ipse oues regat. Itaq; omnino necesse est, vt his verbis non alium, sed seipsum pastorem appellarit.

IV. Et tamen contrà Sanderus & Auratus sophisticantur. Sanderus. Hæc duo in Christi verbis mutuo se respiciunt, & velut ex altera parte sibi respõdent: nõ sunt ex hoc ouili, & fiẽt vnum ouile. Quod, obsecro, vnũ? nisi quod antè appellauit Ouile hoc? Oues igitur, quę non sunt ex hoc ouili, fient de hoc ouili: & ita fiet vnum ouile siue grex. Quemadmodum igitur ouile, de quo agitur, militans ac tẽporale erat: ita & vnus ille pastor, quem Christus ibi designat, militãs pastor fuisse intelligitur; qui tamen nõ nisi sub signis Christi militat. Quæ cùm ita sint, manifestè prædictum est à Christo, vt vnum ouile suũ in terris, ita & vnum pastorem sub ipso in terris futurum, per cuius tẽporale ministerium oues ad ipsum, vtpote pastorem verum, æternúmq; adducerentur.

V. Respondeo: falsum sumi, cũ de eodem ouili futuras oues dicitur, de quo non erãt. Illa enim verba, *Non sunt de hoc ouili*, Ecclesiã significant Iudaicam, ad quã negantur gẽtes pertinere: quia non essent de semine Abrahã. Nec aliter intellexerũt, quotquot hactenus eum locum sunt interpretati, ἐκ τῆς (inquit Theophylact⁹) ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης τῆς ὑπὸ τὸν νόμον. οὐ γὰρ ὑπὸ τὸν νόμον ἀποκλείονται. *Nõ sunt antẽ de hac caula, quæ est sub lege: neq; enim gentes lege concludũtur.* Glossa interlinearis. *Ex hoc ouili, de populo Israel.* Lyranus, *id est, de Synagoga Iudæorũ.* Clichthoueus. *Alias oues habeo quæ nõ sunt ex hoc ouili, vtpote gentilem populũ, qui non est de genere carnis Israel.* Quę verba mutuatus est à Thoma. His Augustinũ adde, quem priua nominatum oportuit. Ergo si de eodẽ ouili futurę dicũtur alię illæ oues, de quo ante nõ erant, oportuerat Christũ gentes effecisse Iudaicas. Quod cũ falsissimũ sciãt omnes: ergo non possunt de eodem ouili censeri, de quo nõ erãt.

VI. Quod autẽ pro argumento profertur. Pastorẽ oportet militãtem intelligi; quia sermo sit de Ecclesia militante: friuolũ est. Primò, de Ecclesia militãte agi, non debuit simpliciter dici. Duo enim membra sunt, bisque ouile nominatum. Priore loco, *Non sunt de hoc ouili*: ac tum certum est intelligi Ecclesiã militantẽ: non quamlibet tamen, & in genere: sed in specie Iudaicã. Ac de hoc membro falsa illatio. Nam ne Papistę quidem concedent, eundem esse pastorem visibilem Ecclesiæ Iudaicæ, & earum ouium quę nõ erant de eo ouili. Altero mẽbro, *vt fiat vnum ouile*, de Ecclesia militante sermonẽ esse, vnde asseritur? Aut quid obstat, quominus de Ecclesia vniuersalissimè intelligatur? Nam facilis sensus: Gentes non sunt de ouili Iudaico: & tamẽ pertinẽt ad Ecclesiã: ne exclusa quidem triumphante, ad quã eos pertinere qui in militante sunt electi, & generaliter, omnes qui sunt Christi oues, non est, opinor, qui neget.

VII. Secundò, etiã hoc concesso; quod tamen cõsequentiæ genus hoc erit? Sermo est de Ecclesia militãte: ergo intelligẽdus est pastor militãs? Atqui cõstat, etiã militantis pastorem esse Christũ. Sic ad Hebræos 3. Christum Paulus vocat, *magnũ ouium pastorẽ*: quũ sermo sit de Ecclesia in genere, tam militante quã triumphante. Imò Petrus secundo prioris Epistolæ, *Conuersi estis ad Pastorem & Episcopũ animarũ vestrarum*: quæ non possunt nisi de militante intelligi. Quomodo etiã Paulus, Ephesios desponsatos dixit vni viro: alio quidẽ similitudinis genere vsus, sed eãdem rẽ significans. Quò referri etiam debet capitis nomen. Quòd si verum est, Christũ esse pastorẽ militantis Ecclesię: quæ necessitas iubet, vt quoties de militante Ecclesia quid legimus, & eius pastore, nõ alium intelligamus, quàm pastorem aliquem militantem, hoc est, alium à Christo?

VIII. Tertiò, non tantũ Veteres iam audiuimus hunc locũ: imò in hoc loco hunc pastorẽ Christũ interpretantes: sed & Sanderus ipse scripsit, neminem negare debere ea verba de Christo vno pastore esse intelligenda: atqui hęc interpretatio, cũ illa consequẽtia non potest cõsistere: hoc est, si, quia sit sermo de militanti Ecclesia, ideo necesse sit intelligi pastorẽ militantem: Christum autẽ non esse militantẽ vtrinq; certum sit: tũ profectò & Veteres allucinati sunt interpretes: & Sanderus incõsideratè loquutus est. At de inconsideratione quidẽ Sanderi, Sãderus ipse viderit. Sed alucinatos Patres, nullis prolatis argumentis, nemo ei crediturus est sanæ mentis.

IX. Iam verò Auratus in hunc modũ, Manifestum esse Christũ perficere omnia Ecclesiastica Sacramẽta: & tamen eundẽ, quia nõ erat semper futurus pręsens, elegisse ministros, per quos prędicta sacramẽta fidelibus dispensaret. Eadẽ igitur ratione, quia præsentiã visibilem & corporalem erat subtracturus, oportuisse eum aliquem constituere, qui loco sui vniuersalis Ecclesiæ curam gereret.

X. Respondeo, inanẽ esse subtilitatem. Nã primò coniectura est tantùm, ideo non probat necessariò. Quis enim nescit cõparationes ad placitũ institui? nec esse demonstrationes: sed tantũ demõstratæ rei illustrationes? Secundò, non facit ea comparatio ad expositionẽ dicti Christi, de cuius sensu nũc agitur. Neq; enim sequitur: Christus debuit aliquẽ sibi Vicariũ substituere: ergo hic locus loquitur de eo Vicario. Tertiò, non bene aptantur cõparationis ipsius partes, quo fit vt argumentũ ne verisimile quidẽ sit. Quęso enim, quã absurdè hęc dicuntur! Christus reliquit plures, qui se absente Sacramẽta administrẽt: ergo, constituit vnicũ, qui totam Ecclesiã Catholicã regeret: cui ipse adesse non potest. Imò verò, inquã, multo probabilius cõstituisse quis cõcludet plures sui Vicarios, æquè in regimine Ecclesiæ, atque in administratione Sacramentorũ. Certè ex vi cõparationis nihil est quod obstare queat. Tum verò veritas ipsa docet, non aliis commisisse Ecclesiæ curam, quàm quibus Sacramentorũ administrationem: quę ipsa non exigua pars est eius curę: quare si hi sunt plures, non vnicus: ergo & illi. Quartò, non est vtrinsque membri eadem ratio. Nam, etsi non possit Christus absens corpore per seipsum Sacramẽta administrare: tamen potest Ecclesiã Catholicã gubernare sufficienter: quia ad id non requiritur corporalis præsentia, sed spiritualis efficacia.

XI. Atq; hęc de ſenſu literali. A quo ſi diſcedentes hûc locum applicemus ad politiã Eccleſiaſticã, primũ nullũ erit neceſſariũ argumẽtũ: quia ij ipſi qui Scripturę varios ſenſus tribuunt, fatentur nullũ aliũ in argumentationẽ adducẽdum prȩter eum qui verè, & germanè literã explicat. Deinde, ne ſic quidem vnus concluderetur vniuerſalis Epiſcopus. Nam Cyprianus (quem Sanderus pro ſe ſolum citat, quique ſolus in hoc loco applicando diſceſſit à litera) ad omnes & ſingulos ſingularum Eccleſiarũ Epiſcopos trãsfert, Epiſtola ſeptuageſima ſexta, *Et idcircò Dominus inſinuãs nobis vnitatẽ de diuina autoritate venientem, ponit & dicit, Ego & Pater vnum ſumus: ad quam vnitatem redigens Eccleſiam ſuam, denuo dicit, Et erit vnus grex, & vnus paſtor. Si autem grex vnus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt? aut paſtor haberi quomodo poteſt, qui (manente vero paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente) nemini ſuccedens, & à ſeipſo incipiens, alienus fit & prophanus, Dominicæ pacis ac diuinæ vnitatis alienus?* Vbi tractatur quęſtio de Nouatianis, Vtrum recipiendi ſint non inſtaurato baptiſmo: non igitur de vnico Epiſcopo Oecumenico: ſed de ſingulis ſingularum Eccleſiarũ paſtoribus. Nec aliter in libro de vnitate Eccleſiæ, *Monet ipſe in Euangelio ſuo, & docet dicens, Et erit vnus grex & vnus paſtor: & eſſe poſſe vno in loco aliquis exiſtimat, aut multos paſtores, aut plures greges?* Vno in loco, inquit: nimirum Romæ, Carthagini: at non pluribus in locis. Nõ in vniuerſa Eccleſia. Ergo ex Cypriani iudicio hic locus, ne ad literam quidem non expoſitus, concludet vnum paſtorem omnium Eccleſiarum præter Chriſtum: ſed tantùm vnum ſingularum, ac proinde plures omnium.

Cap. V.

De Rege vno, & capite vno.

I. Tertium argumentum eſt Sanderi, libro quarto de Viſibili Monarchia, capite quinto, ex Ezechiele, & Oſea. Ezechielis trigeſimo ſeptimo, *Ecce, ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum, & faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſrael: & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna* Et poſt, *Seruus meus Dauid Rex ſuper eos, & Paſtor vnus erit omnium eorum.* Ergo vnus eſſe debet in Eccleſia Oecumenicus Pontifex.

II. Reſpondeo: Negatur conſequentia. Nam in antecedente Propheta loquitur, non de Gentiũ vocatione, ſed de Iudæorũ vnione in Chriſto: qui poſt Solomonis mortem diuiſi erãt in duo regna, Iudaicum & Iſraeliticum: atque eorum hoc in captiuitatẽ abductum: ambo tamen reſtituẽda in vnũ ſub Meſſia vnione ſpirituali. Ac proinde quem regẽ Propheta vocat, is nullus intelligendus eſt præter Chriſtũ. Gloſſa interlinearis, *Et erit vnus rex omnibus: Chriſtus, de quo, Et regni eius non erit finis.* Ordinaria ex Theodoreto. *Hæc ex tum conſtituta ſunt ſecundũ figuram in Zorobabelo: accuratè autem & verè in Domino Chriſto.* Lyranus. *Per hoc enim deſignabatur futurum, quod regnum Iſrael erat coniungendum regno Iuda, ſub vno rege Chriſto.* Imò verò ipſe Propheta, *Seruus meus Dauid rex ſuper eos: & paſtor vnus omnium eorum.* Atqui per Dauidem, quis alium poſſit animo concipere præter Chriſtũ? Itaque Sanderus ipſe: *Equidem concedo,* inquit, *hunc regem & paſtorẽ vnum, de quo Ezechiel prædicit, eſſe Chriſtũ, qui eſt filius Dauid ſecundùm carnem, & Dominus Dauid ſecundum Deitatem.* Ergo, inquam, fruſtra diſputat: nã ſi is rex Chriſtus eſt: ergo non eſt alius præter Chriſtum: nam illa ἀντικείμενα opponuntur.

III. Et tamen idem neſcio quid tricatur. Primò notat, Ezechielem de Chriſto agere ea ratione, qua carnem accepturus erat. Alioquin non dictum fuiſſe, Rex vnus erit: ſed, Rex vnus eſt: nec Chriſtũ vocaturus, Dauid ſeruum Dei: quia Verbũ Dei non ſeruit. Secundò, Ezechielem ſignificaſſe, fideles aliter futuros vnã gentem & vnum regnum poſt Chriſti aduentum, quàm priùs fuerunt. At fideles etiam ante Chriſti aduentum, qui vel in Iudæa noti erant, vel in Samaria latebãt, duo regna, in Deo, ſeu in Spiritu Chriſti non erant: ſed per externum & viſibile regimẽ duorum regum, & duorum aut plurũ pontificum. Poſt aduentum ergo Chriſti, ſignificari non futura duo regna, ſed vnum paſtorem, & vnum ouile, etiam quoad viſibilem externámque ſpeciẽ. Tertiò, eius gubernationis modum non futurum ſpiritualem. Quia ab initio mundi ſolus ſic imperarit: futurũ ergo ſecundùm carnis, quam accepit, rationem: quod fit, dum principatum, quem ipſe ſuo corpore geſſit, eundem perpetuò gerit: quemadmodum Chriſtus eſt qui baptizat; dum alter, poteſtate ab eo accepta, baptiſmum adminiſtrat.

IV. Reſpondeo, primum vltro concedi: nã certe Chriſtus, nec Dauid, nec ſeruus appellari poteſt, niſi habita incarnationis ratione. Sed tamen in eo totã eſſe prophetiæ vim, quòd Chriſtus, qui antea tãtum Deus regnabat, deinceps qua Deus incarnatus regnaturus eſſet, negamus. Imò alteram addimus, & quidem quæ ſit præcipua, nimirum ab ipſo Iſraelitarum ſtatu: fore ſcilicet, vt qui tũc non regno tantùm ſeculari; ſed etiam religione diſtrahebantur alij ab alijs, tandem vniendi eſſent in vnum ſpirituale regnum. Atque hic peccatum eſt Sanderi non exiguum, quòd totam diuerſitatis rationem in Chriſto quærit: nullam, in hac vnionis regnorum redintegratione.

V. In ſecundo, prorſus diſceditur à mente Prophetæ: non enim prædixit alia ratione futuros vnũ regnum, quàm fuiſſent: quaſi aut ſupponeret vnum eſſe, aut alluderet ad id quod olim fuerant: ſed omnino vnum futuros, qui tum in duo erant diuiſi. Secundò, non id etiam ſpectat, quomodo fideles fuerint vnum in Chriſto: ſed docet potius eos, qui tum non erant in Chriſto, futuros in Chriſto, id eſt, eum populum qui tum temporis, non regni tantùm legibus diuiſus erat in duos populos, ſed etiam religionis profeſſione in duas Eccleſias, tandem in vnam religionem vniendum. Ne nobis igitur fidelũ nomine fucum faciat Sanderus: ſed de præſenti regnorum ſtatu cogitet. Tertiò, ſi futuri ſint vnum regnũ alia ratione quam prius, ideo futuros vnum nõ ſpiritualiter, ſed ſecũdum externam ſpeciem: tum nullam habet vim conſequentiæ, tum dicitur falsò: quia nunquam ſecundùm externam ſpeciem Chriſtiani per totum mundum, fuerunt vnum regnum, vnumque ouile: ſed tantùm ſpiritualiter.

VI. In tertio igitur, falsò ſumit Sanderus non fore ſpiritualẽ hũc gubernationis modũ. Nec tamen valet. Ab initio mũdi ſpiritualiter Chriſtũ imperaſſe fidelibus fatemur: ſed inde nihil ſequitur. Non enim alia ratione Chriſtum imperaturum Propheta prædixit, quàm vnquam imperaſſet: ſed tãtum ijs etiam imperaturum, quibus tum temporis nõ imperabat. Deinde, illud de carnis ratione ambiguum eſt. Nam ſi ſignificet Chriſtũ, quatenus incarnatũ, cõceditur illum prȩdici à Propheta, imperaturum Iſraelis:

ſed

sed hoc nihil ad Oecumenicum Pontificem. Sin autem significet, Christum eadem ratione gubernaturum Ecclesiam humanitate sua, quàm cùm in viuis esset: tunc verò sensum falsũ esse asserimus. Nã prędicit Propheta Christũ futurũ principem in æternũ. Quod nõ potést intelligi, nisi de spirituali regimine, Nam illud, secundum rationem carnis, temporale est, non æternum. Denique concedimus sic per homines nunc Christum regere, quomodo per homines baptizat. Ideóque concludimus, nullum esse vnum per quem regat: quomodo nullus vnus est per quem baptizet.

VII. Ad Oséam venio. Is capite primo, *Congregabuntur*, inquit, *Filij Iuda, & Filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnum*. Ergo vnus esse debet Oecumenicus Pontifex.

VIII. Respondeo: Negatur consequentia, vt priùs. Nam & locus simili audacia detorquetur. Oseæ enim mens eadem cum Ezechiele. Proindéque caput intelligendum de Christo solo. Quod tum Christiani, tum Iudæi doctores agnouerunt. Nam & Rabbi Schèlomo interpretatus est, Dauid regem eorum; alludens ad locum superiorem Ezechielis. Et Dauid Kimchi; Messiã regem. Sed Christiani disertius. Rupertus. *Nonnorum tali sermo, vel processu verborum, electos ex gentibus, & saluatos, siue saluandos ex Israel, in vnum coniungit Christum.* Glossa interlinearis, quæ, *Christum*, inquit, *vnde Ezechiel, Et princeps vnus in medio Dauid seruus meus*. Sic Lyranus: Denuq; Sãderus nõ audet nõ concedere. Et Ribera. *Et ponẽt sibi vnũ caput, Christũ scilicet, de quo ad Ephesios primo scriptum est. Et omnia subiecit pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Quæ interpretatio si vera est, quo hîc nos à Christo Sanderus ad alium auertat?

IX. Audiamus egregium sophisma. Vult enim Christum ita per Caput vnum hoc loco intelligi; vt alius tamen præter illum, & sub illo in ijsdem verbis comprehendatur. Hoc verò vt conficiat, Theodoretum citat ita exponentem. *Hæc typicè & adumbratiuè sub Zorobabel acciderunt: expressè verò & veritate ipsa, vbi Christus se hominem fecit, ac sibi Ecclesiam despondit in æternum.* Et rursus. *Hoc finem inuenit temporibus Zorobabel.* E quibus illa priora verba, etsi non inuenio in meo codice, tamen non impugno. Sed quid inde conficitur? Duo: quorum prius est, quod in magna laude ducitur, vt filij Iuda, & filij Israel, ponant sibimet caput vnum: quod significat, multo præstantius esse ab vno capite, quàm à duobus gubernari. Alterum: illa verba: *Caput vnum*, simul intelligi de duobus quidem, non tamen ex æquo præfuturis; sed quorum vnum alteri subsit: scilicet primum de Zorobabele: deinde de Christo: quorum, Zorobabel fuerit figura, Christus res ipsa, & veritas figuræ. Vnde conficit, vnum caput toti Ecclesiæ tunc præesse, quando is qui præest, non suo, sed nomine Christi præest. Nam vt Zorobabel figura Christi, & Christus ipse, nõ duo, sed vnum caput constituunt: sic multo magis Christus, & Vicarius Christi, non duo capita, sed vnum constituunt.

X. Respondeo. Primam obseruationem esse [illegible]: non enim probare, præter Christum esse vnum aliquod Ecclesiæ caput. itaque posse facilè prætermitti. Nos tamen fatemur, vnius optimi principis regimẽ esse optimum. Sed addimus eum optimũ principem in Ecclesia esse Christum: à quo verè [illegible] reguntur omnes fideles. Sed præter eum neminem esse, aut esse posse: qua de re suo loco plura erunt dicenda.

XI. Ad secundam obseruationem. Primò solitariam esse vnius authoris sententiam: vni sine dubio alios plures esse præferendos. Addo allucinatum fuisse Theodoretum: neque satis attendisse historiam rerum gestarum. Nam Osee disertè congregandos dixit filios Iuda, & filios Israel, id est, vtrumque regnum. Nam antea, id est, mortuo Solomone, vt iam diximus, filij Israel diuisi fuerant in duo regna, quorum maius, constans decem tribubus, Israelis nomen retinuit: alterum verò, Iudæ asciuit, quod in eo ea tribus regia esset. Iam verò Esdræ primo legimus. *Tunc* (audito scilicet Cyri edicto) *surrexerunt capita patrum Iehuda & Beniamin, sacerdotes quoque & Leuitæ, & omnes quorum spiritum Deus excitarat, vt ascenderent, & ædificarent ædem Domini quæ est in Hierusalem.* Eiusdem postea secundo capite dicuntur ascendisse cum Zorobabele. Nunquam autem Israel. Itaque, non satis exactè ad veritatem historię, Theodoretus asserit, hæc Prophetæ verba tum impleta fuisse quoad figuram. Non potest enim quicquam alterius figura dici, quod ipsum non extiterit. Non fecit ergo prudenter Sanderus, qui suum argumentum inniti voluerit sententiæ priuatæ, quę consistere nequeat cum veritate. Nam ex falso verum concludi nequit.

XII. Et tamen, vt plus Theodoreto deferamus quàm veritati, tamen ineptus est Sanderus argumentando: & peccat multipliciter. Primò, etsi concederem hinc confici, Regis & Vicarij vnum esse regnum: tamen id non probat aliquem esse Vicarium: sed tantùm, si aliquis sit Vicarius, tum nõ propterea diuidi regnum. At nunc ea nostra quæstio nulla est: sed inquirimus, Vtrũ aliquis ille sit Vicarius. Debuit autem animaduertere æquè pro nostra Aristocratia concludi. Nos enim credimus & docemus, eos omnes qui præsunt Ecclesijs, non alio nomine præesse, quàm Christi. Est autem verum, & vsu quotidiano comprobatum, non diuidi regnum in quo multi sunt proreges sub vno rege. Nam, exempli gratia, ita administratur Regnum Gallicum, vt singulæ prouinciæ suos habeant Gubernatores, qui verè sint Regis vicarij. Simili ergo ratione asserimus, etiamsi suis singulis Ecclesijs præsint pastores æquo iure, tamen Ecclesiam esse vnum regnum: quia ij omnes sint Christi vicarij.

XIII. Secundò, vnum regem, esse Zorobabelem figuram, Christum figuratum, neque Theodoretus dixit, & malè somniauit Sanderus: reuera enim duo reges dicendi sunt: quomodo oportet se vera differre figuras, ab iis rebus quæ significantur. Sic, exempli gratia, Melchisedec, & Christus, re vera duo sacerdotes, non vnus idémque, sic Dauid & Christus duo reges: sic Iosue & Christus duo seruatores. Et quidem Zorobabel, neque quatenus persona, idem fuit cum Christo: neque quatenus rex: nam regnum omnino alterius fuit generis & naturæ. Christi enim regnum nunquam fuit de hoc mundo: Zorobabelis autem nunquam cœleste. Itaque adumbrare quidem hoc illud potuit: sed nunquam esse idem verumque.

XIV. Tertiò, si fuit Zorobabel figura Christi, & Propheta loquutus sit tum de Zorobabel, tum de Christo: vt vult Sanderus: tamen non sequitur, Prophetam prædixisse in veritatis complemento duos futuros, qui dicantur vnum caput. Quemadmodum, etsi certum est Melchisedeci veritatem impletam fuisse in Christi sacerdotio, tamen Melchisedeci figura non significauit, cùm impleretur ve-

ritas futurum vnum aliquem præter Christum, qui sacerdotio fungeretur nomine Christi.

XV. Quartò: absurdè concluditur à Figura ad Vicarium: quæ duo toto genere differunt. Nam figura & res figurata, non extabant simul: sed diuerso tempore. Itaque, quando Zorobabel imperauit Iudæis, tum Christus, ratione assumptæ carnis, nondum erat rex; sed aliquot seculis serius futurus: & cũ Christus aduenit, tum Zorobabel desierat esse. Nam veritate præsente cessant vmbræ. At Vicarium oportet simul & semel existere cum eo, cuius est Vicarius. Nam Vicarius dicitur, non eius qui aut fuit, aut futurus est: sed eius qui est reapse. Itaque nihil potest esse magis ridiculum hac consequentia: Zorobabel fuit figura Christi: Ergo oportet esse aliquem Vicarium Christi. Zorobabel enim princeps fuit absolutus & summus: atque eatenus Christi figura: at Vicarius, non summus est, sed subalternus. Zorobabel suo iure: at Vicarius precario. Zorobabel denique rex verè & propriè: at Vicarius nullus vnquã rex appellatus; sed tantùm regis Vicarius.

XVI. Quintò: quæro, qua ratione à Zorobabele velit concludi Vicarium. An tanquam à figura figuratum? an tanquam à præcessore successorem? At neutrum potest consistere: nec potest etiam dari tertium membrum. Non vt à figura, quia supponitur esse figura Christi: itaque oporteret hunc Vicarium iam ipsum locum vsurpare Christi. Deinde, ridiculum est à summo & absoluto principe, figuratum esse principem subalternum. Non etiam vt à præcessore: nam qua ratione Zorobabel dicatur præcessor œcumenici pontificis? Tum dignitatum genera diuersa sunt. Successores autem dicuntur in eandem autoritatem dignitatémque succedere, qua vtebantur fruebantur præcessores. Ergo nulla est ratio, quæ à Zorobabele, Vicarium Christi concludat.

CAP. VI.

De similitudinibus, quibus Ecclesia describitur.

I. QVartum argumentum, ex Bellarmino, libro primo de Pontifice, capite nono: ab iis similitudinibus petitur, quibus in Scriptura describitur Ecclesia. Comparatur enim exercitui, ordinato, Cantici sexto: Corpori humano, seu mulieri speciosæ, Cantici septimo: Regno, Danielis 2. Ouili, Ioannis decimo: Domui, prioris ad Timotheum tertio: Naui seu arcæ Noe, prioris Petri tertio. Quæ omnes similitudines ostendunt, necessariò debere esse in Ecclesia vnum caput.

II. Respondeo: non satis distinctè Bellarminum argumentari. Neque enim in hac controuersia probandum vnum esse Ecclesiæ caput: quod nos docemus sponte: sed vnum esse præter Christum: quod constanter impugnamus: Et negamus sequi ex propositis comparationibus: quæ nunc sunt sigillatim excutiendæ.

III. Prima similitudo ex sexto capite Cantici petitur. Iam nulla (inquit Bellarminus) castra sunt ordinata, vbi non sit vnus Imperator, multi Tribuni, plures Centuriones. Hieronymus in Epist. ad Rusticum Monachum. *In quantis grandi exercitu, vnius signum exspectatur.* Quomodo ergo Ecclesia est exercitus ordinatus, si omnes Episcopi, imò omnes presbyteri sunt pares?

IV. Respondeo: primùm, quòd vocem illam *acies ordinata* vrgeat Bellarminus, frustra esse; quia nõ sit à veritate eius loci: sed à versione Latina; quæ sẽsum sectata est, non verba pensitauit. Latine igitur: *Pulcra est amica mea, suauis & decora, sicut Hierusalem terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Et Græcè non multo aliter, *θάμβος ὡς τεταγμέναι, pauor vt ordinata.* At veritas Hebraica, exprimente κατὰ λέξιν suo more Aria Montano, habet *Terribilis vt vexillata.* Intelligere facilè est à Solomone propositam effigiem exercitus parati ad prælium, cum educti sunt ordines & dispositæ legiones. Itaque *ordinata* nomen vsurpatum à Latino interprete, non vt significetur eorũ quibus autoritas aliqua est, & ἀναρχία: sed ea quam Græci παράταξιν appellant.

V. Itaque sensus est: *Quemadmodũ milites* (verba sũt Gregorij Episcopi Romani) *si strictim & concorditer gradiantur, ab hostibus contra gradientibus timentur: sic in multitudine fidelium contingit: quæ dũ contra malignos spiritus pugnare nõ desinit, necesse est vt pace charitatis cõstringatur, quo salua sit.* Quam expositionem confirmat & illustrat Philo Carpathiorum Episcopus: & Glossa interlinearis, & ordinaria. Imò Iustus Orgelitanus sic: *Habet enim sancta Ecclesia castrorum aciem ordinatam, quando imminente Christo nec Martyres persecutio, nec Virgines carnalis delectatio, nec misericordes cupiditas, nec humiles temporalis gloria deuincit ambitio.* Hæc verò ad vnius hominis dominatum in Ecclesia asserendum, quid faciunt? Nec ipse Delrio vel in speciem meminit Oecumenici, aut vllius omnino capitis, sciẽnq; ordinatam quærit in Martyribus, Virginibus, Confessoribus, Iustis: vel in Iudæis, Gentibus, reliquis Iacob tandem conuertendis: Vel in Doctoribus, Continentibus, coniugatis.

VI. Sed Bellarminiani argumenti hæc vis est: Omnis exercitus vnus vnum habet imperatorem. Ergo & Ecclesia vnum caput. Primò negamus antecedens. Nam olim Græci suis exercitibus plures vno constituebant imperatores, qui communi consilio rem gererẽt: Et tamen non tantùm exercitus erant, sed etiam feliciter rem gerebant. Secundò negamus consequentia: Nam primò non est ex sensu loci. Solomon enim exercitum considerauit, non quatenus vnum aut plures habet Imperatores: sed quatenus instructus est, & ἐν παρατάξει, & hostibus formidandus. Absurdum est autem è quopiam loco argumentari præter autoris mentem. Deinde, etiamsi demus eum ordinem Solomoni tum venisse in mentem, nihilominus ineptè inferetur Oecumenicus Pontifex, quia in vno exercitu non necesse est esse alium Imperatorem, præter vnum: itaque Solomoni satisfactum abundè, cùm dixerimus Christum esse huius exercitus Imperatorem. Preterea is Oecumenicus Pontifex, propriè Imperator dici non potest, qui tantùm sit Imperatoris Vicarius. Imperator enim is dicebatur, qui suis auspiciis bellum administrabat: quod homo nullus potest in hac militia spirituali.

VII. Secunda similitudo, ex eodem Cantico Canticorum capite sexto, vbi comparatur Ecclesia mulieri speciosæ. *Quid videbitis in Sulamitide, nisi choros castrorum? Quàm pulcri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis? iunctura fæminum tuorum, sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.* Et paulo post: *Caput tuum vt Carmelus: & coma capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus.* Ergo Ecclesia habet vnum caput præter Christum.

VIII. Ne-

VIII. Negatur consequentia. Primùm, quia præter Solomonis mentem: qui tantùm sibi proponit allegoricè describendam Ecclesiæ pulcritudinem ... in singulorum humani corporis membrorum enumeratione: tantum, vt ostendat nihil deesse, quominus Ecclesiæ forma censeatur perfecta. Eas autem membrorum particulas sigillatim rimari, curiositatis est impotentis. Et sanè nihilo magis ad rem attinet, vnum esse caput, quàm duos oculos duósve pedes; aut manus, vnum etiam vmbilicum. Imò Rupertus caput hîc sumit pro corde. Sed veneremur hæc illi, quibus mos inani aura seque suósque pascere: at quibus sincera religio cordi fuerit, solidius & ipsi agere, & ab aliis secum agi volent.

IX. Secundò, etiam si vni capiti hærere quis velit, tamen nego inde confici vnum caput præter Christum. Nam hoc ipsum caput esse potius ipsum Christum Veteres docent. Philo Carpathius, *Carmelus interpretatur cognitio. vel agnitio circumcisionis. Hæc prima carnalis ab Abrahamo patre multarum gentium: secunda verò spiritualis, tota à capite nostro Iesu Christo. Ipse enim caput est Ecclesiæ. nos autem cum cæteris fidelibus cunctis, illius membra sumus, ex quo cognita nobis est, & data vera & salutaris circumcisio.* Iustus Orgelitanus, *In Carmelo monte Sancti Heliæ & Helisæus sæpe receptaculum habuere, quapropter in capite Ecclesiæ, Domino nostro Iesu Christo, & vitis habitaculum, & multitudo populorum, tanquam diuersitas animalium, sapientia percipiunt alimentum.* Gregorius dilectissimè, *Caput Ecclesiæ Christus, qui bene vt Carmelus dicitur, quia ipse per passionem, quam suscepit, ad gloriam Patris est exaltatus.* Etiam itidem Pa... omnimentanus additus Theodoreto, *Caput tuum vt Carmelus super te: Christus vtique sponsus tuus, vitemus atque efficax.*

X. Christus ergo caput est: Cur, aut quomodo alius vllus? Nam frustra Bellarminus supplisticatur contra, non comparari hoc loco Ecclesiam cū Christo, vt membra cum capite, sed vt sponsam cum sponso. At profectò, si Ecclesia, quæ est in terris Christo seclusio, non ineptè comparatur sponsæ: seclusio etiam Christo vnum caput habere debet. Et quidem caput hoc comparatur cum monte Carmel, quia etsi summus Pontifex ingens est mons: tamen nihil est aliud quam terra, id est homo. Eniinuerò primò, etsi comparatio sit sponsi cum sponsa; tamen allegotica est. Notum autem allegoriarum partes, nō sibi semper ita hærere, quominus varios respectus admittāt. Tum nihil est absurdi ita laudari pulcritudinem Ecclesiæ, vt admoneatur, eam totam à Christo eodem sponso, & capite profluere. Imò verò; nónne certum eandem Ecclesiam, quæ est in his terris esse Christi sponsam? Et tamen eiusdem eundem Christum caput dici. Itaque manifestum est, eandem Ecclesiam, cui Christus caput est, esse sponsam Christi. De Carmelo; & terra: nugæ. Non enim consideratur Carmelus tanquam terra: sed tanquam excelsus & prominens: tum etiam, quatenus fertilissimus, quod annotauit Theodoretus. Sed has nimirum exiles tricas ij sectatæ coguntur, quibus nihil est solidum.

XI. Tertiò, etiam si vnū caput non libeat Christū interpretari: tamen nego inde confici vnū aliquem hominem esse caput. Nam cur hîc potius, *nasus* sic vigeas, quàm in collo, & vmbilico? Aut si mihi nullum hominem indicare potes, qui in Ecclesia collo fungatur vice: nullum etiam, qui vmbilici: cur tu me cogas vnum dare, qui capitis? Itaque satisfactum fuerit similitudini, si solum ordinem Pastorum nominaro, quem dicam esse caput hoc instar Carmeli: non tantùm eminentis propter autoritatem, quam obtinet in subiectam plebem, sed etiam fertilissimi, propter abundantiam charismatum. Non aliter, quā binis pedibus satisfactum putabunt Papistæ, cum vniuersam plebem ostenderint.

XII. Tertia similitudo, est regni, secundo capite Danielis: *In diebus regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur: & regnum eius alteri populo non tradetur.* Et decimotertio Matthæi, *Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.* Iam verò, quod vnquam regnum fuit (inquit Bellarminus) quod non regeretur ab vno? Et quanquam rex Ecclesiæ Christus est: tamen ex eo colligimus Ecclesiam habere debere præter Christum, aliquem vnum à quo regatur, quòd regna semper administrentur regiè, id est, per vnum qui omnibus præsit: &, si quidem rex præsens est, per se id facit: si abest, per alium, qui ducitur prorex: sæpe etiam rege præsente, generalis aliquis vicarius constituitur.

XIII. Negatur consequentia. Nam regnū Ecclesia non dicitur, nisi Christi regis habita ratione. Itaque quoties regnum audimus appellari, toties in nobis in mentem venire debet: non vllus alius. Cæterum dupliciter Bellarminus peccat. Primò, quòd contingens pro necessario supponit. Etsi enim verum sit regnum regiè administrari: tamen verum id non est vniuersaliter, nisi ipsius regis habita ratione. Cæterùm nihil prohibet sub eo rege multos esse sine vicarios siue proreges. Et sic vsus obtinuit vbique Nam in nostra Gallia, non tantùm singulis Prouinciis sui sunt Proreges: sed etiam multi Senatores, qui Parlamentum constituunt, à quibus regia autoritate ius dicitur. Sic Constantinus, cùm abiret Constantinopolim, Romæ Senatum reliquit, non verò vnum aliquem, quem penes esset rerum summa. Atque omnino, vt in Democratia pauci Magistratus, rempublicam administrantes, non efficiunt Aristocratiam: Vel in Aristocratia, vnus dux, monarchiam: sic neque in Monarchia, plures Officiatij, regię administrationi officient. Fateor aliquando à rege absente, vnum constitui proregem: sed semper, nego. Itaque speciale erit Antecedens: vnde necessaria potest inferri nulla conclusio.

XIV. Secundò, peccat Bellarminus, quòd non ex mente Scripturæ argumentetur: sed aliunde. Atqui, aut Scripturam non oportuit nominatam, aut ab ea non discessum. Imò tanto fœdius hoc peccatum, quanto absurdius est, è rebus seculi, Ecclesiam metiri. Etsi enim Ecclesia regno assimiletur, tamen non sequitur eam sic administrandam, vt solet administrari regnum: quod Christo ipsi monenti, quis non credat? Reges gentium dominantur eis, vos autem non sic. Alucinetur ergo si quis dicat Ecclesiam similem esse regno: regnum autem ita administrari solitum, vt in eo dominentur reges: Ergo & Ecclesiam, sic, vt in eo dominentur Pastores. Similis ratio huius quod tractamus, argumenti.

XV. Quarta similitudo est Domus. Prioris ad Timotheum tertio, *Vt scias quomodo oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viuentis.* Atqui omnis domus (inquit Bellarminus) vnum habet Dominum, & vnum Oeconomum: vt Lucæ duodecimo *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Hic autem agi de vno tantùm probat: Primò, quia ea verba dicantur Petro, & de Petro: ratio est, quia cùm paulo antè Do-

minus dixisset, *Beati serui illi, quos, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes*: quæsiuit Petrus, *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Respondit Dominus in eum modum: quasi diceret, tibi, ô Petre, in primis dico, tibi enim incumbit cogitare, quid requiratur in Oeconomo fideli, & prudenti, quem constituit Dominus super familiam suam. Secūdò, quia Christus paulo pòst, vt ostēdat se loqui de vno, qui præsit omnib⁹ cōseruis, & qui soli Domino subiiciatur, subiungit. *Quod si dixerit malus ille seruus, in corde suo, moram facit Dominus meus venire; & cœperit percutere seruos, & ancillas: & manducare & bibere cum ebriosis. veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partémque eius cum infidelibus ponet.* Quem locum disertè Chrysostomus explicat de Petro & successoribus eius: libro secundo de Sacerdotio, circa principium: & Ambrosius in tertium prioris ad Timotheum: *Domus Dei* (inquit) *est Ecclesia, cuius hodie rector est Damasus.*

XVI. Huic similitudini illa affinis est, quam obseruauit Sanderus capite secundo libri quinti. Christus, inquit, Ecclesiam suam assimilauit diuersorio, in quod Samaritanus hominem de via vulneratum duxit; hospitique seu stabulario curandum & fouendum, donec ipse rediret, commendauit, Lucæ decimo. Ecclesia ergo est diuersorium, Christus Samaritanus. Stabularius, aut hospes, quis? nisi alius præter Christum? Porrò, licet in magno diuersorio, sint multi ministri: tamen omnibus hospes vnus præest, qui solus aliorum omnium curam gerat.

XVII. Respondeo Bellarmino: non esse vniuersaliter verum, aut necessarium, vnius domus, esse vnicum Oeconomum. Quemadmodum enim paulo antè diximus, in regno nihil obstare, quominus multi sint proreges: sic neque in vna domo, præcipuè magna, quominus multi sint Oeconomi. In hac verò Dei domo disertè Scriptura plures nominat. Prioris ad Corinthios capite quarto. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & Oeconomos mysteriorum. At reliquum, quæritur in Oeconomis vt fidelis quis inueniatur.* Vnde ad Titum primo capite, *Oportet Episcopum inculpatum esse, sicut Dei Oeconomum.* Certè, si omnis Episcopus est Oeconomus: & plures sunt Episcopi, necesse est plures esse Oeconomus: contra quàm Bellarminus volebat.

XVIII. Neque contra quicquam probat locus ex Luca. Nam etsi numero singulari fidelis dispensator nominetur; tamen non vnus necessariò significatur. Quis enim nescit solere sæpissimè indefinitè cū numerum vsurpari? Sic eodem capite, *Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus sit, vigilaret*: quibus verbis nec vnicus paterfamilias, nec fur vnicus necessariò intelligendus est. Itaque paulo pòst ea similitudo non vni cuipiam applicatur, sed omnibus Apostolis: *Vos igitur estote parati.*

XIX. Falsū est autē ea verba dici de Petro: & ratio Bellarmini est inepta. Ea enim petitur, vel à Petri interrogatione: vel à Christi responsione. At à neutra quicquam concluditur particulariter Petro dictum. Nam Petrus sic interrogat: *Domine ad nos dicis, an ad omnes?* Non autem ad me dicis. Euthymius, *Sciens Petrus quasdam parabolas electis propriè aptari discipulis, quasdam verò communiter omnibus, meritò de parabola interrogat, qua videlicet dixit, Sint lumbi vestri præcincti.* Non ergo se Petrus discreuit à reliquis: sed discipulos electos peculiariter à Christo, id est, siue Apostolos, siue septuaginta, à reliqua turba.

XX. Iam Christus quid respondet? *Quis, putas, est fidelis dispensator & prudens.* Et reliqua. Hæccine verò de Petro? Imò Euthymius, *Requisito fideli ac prudenti dispensatore, deinde ipso beato prædicato, ostendit, quod de ipsis dixerit parabolam: futurum enim erat, vt ipsi fidelium dispensatores fierent, dantes ipsis in tempore demensum doctrinæ cibum.* Glossa ordinaria, *Vobis, qui dispensatores estis instituti, hoc specialiter venit de custodia & præparatione.* Lyranus. *Hic consequenter ponitur tertium stabiliens in fide, quod est exigentia officij: quia prælati qui debent alios in fide firmare, debent esse in fide magis solidi.* Et post, *Quis putas: quasi dicat, licet quilibet debeat vigilare super custodiam sui, tamen hoc præcipuè prælatis incumbit, qui sunt dispensatores Dei.* Theophylactus. [illegible Greek text] *At Dominus nihil quidem manifestè ad interrogationem Petro respondet: obscure tamen ostendit, iam dictam parabolam communem esse, & ad omnes sese porrigentē, etiam de vulgo fideles. At iam exaudite, inquit, eam quæ ad vos pertinet Apostolos, & quoscumque qui auctoritate docendi & præsidendi sunt honorati. Quis igitur est fidelis & prudens dispensator? Ea quidē quæ ante dicta est parabola, vulgo competit: nunc autem de iis loquitur, qui præsidentia honore digni sunt habiti.* Frāciscus Lucas, ita temperat responsum, *vt non neget quidem pertinere ad omnes qui salui fieri volunt: significet autem ad Petrum & collegas ipsius, quos Ecclesiæ suæ præfecturus erat, præcipuè pertinere.* Salmero tractatu vigesimo tomi septimi. *Coniectabat Petrus condiscipulos suos electos esse ad officium patrisfamilias, cuius munus est domus custodiendæ inuigilare: & Dominus respondit per aliam præsentem parabolam, quæ tacitè innuit se ad omnes præcedentem dixisse: sed præsertim ad pastores, & prælatos Ecclesiarum, quorum est alios regere, & pascere.* His ergo indicibus, Christus respondit de omnibus Apostolis: imò de omnibus prælatis. Non igitur de solo Petro; vt Bellarminus volebat.

XXI. Et confirmatur, cùm additur à Christo, *Constituit eum super omnia sua.* Quo præmium indicatur: præmium autem, non vnius proprium, sed pluribus commune. Glossa interlinearis. *Omnia quæ possidet cælestis regni gaudia.* Ordinaria. *Quanta inter bonos auditores & bonos doctores est distantia meritorum, tanta & præmiorum. Auditores bonos facit discumbere, & transiens ministrat: dispensatores constituit super omnia quæ possidet, non vt soli, sed vt præ cæteris habeant æterna, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia.* Lyranus. *Quia in beatitudine æterna, consequetur bonum infinitum quod concludit omnia bona.* Nam, si præmium cum multis commune, quæ ratio præmij caussam esse patitur singularem & propriam?

XXII. Sequentia nihilomagis Bellarmino prosunt. Nam, quod inde colligit & præesse omnibus seruis: & soli Domino subiici: frustra notat. Nam prius non est necessarium. Si cœperit (inquit Christus) percutere seruos & ancillas. Ita sanè, inquam: sed & seruos & ancillas percutere dicitur, etiam qui non omnes, sed solùm quosdam: puta Episcopus Hierosolymitanus suos, Antiochenus suos, Alexandrinus suos, Romanus suos. Vnde Petrus monet quemlibet pascere τὸ ἐν αὐτοῖς ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, addens non vt κατακυριεύοντα τῶν κλήρων Itaque credidit quemlibet Episcopum posse κατακυριεύειν τῶν κλήρων, etiamsi non sit vniuersalis Episcopus. Præterea; qui sic percutiat; aut impotentèr imperet; cum non sequitur legitima

legitima dominatione abuti, sed illegitimam tyrannidem vsurpare, vt vexet etiam nullo sibi iure subditos. Quod verè factum à Romano Episcopo: qui typho seculi intumescens, fratres suos sibi violenter subiecit coegitque suo arbitrio viuere: vnde necessariò conuincitur seruus ille malus, quem graphicè depictum hic videmus.

XXIII. Soli autem Domino eum imponentes seruorum seruum subiici, primum non habetur ex vi contextus: neque enim eum necesse est soli Deo subiici, qui tandem à Deo iudicatur. Deinde, etsi concedatur, tamen non concludet vnicum Oeconomum. Nam, teste Cypriano, singuli Episcopi Domino, soli actus sui Domino, sunt rationem reddituri.

XXIV. Et de Chrysostomo quidem nullum negotium. Nam Petro atque eius successoribus hunc ab eo locum accommodari falsum. Sed hunc potius, *Petre, amas me?* de quo aliàs. Hunc verò de quo agimus, generaliter omnibus: atque adeo, ipsi Basilio, qui inuitus, & deceptus, erat promotus ad Episcopale solium. [illegible] *Vide ergo & premium quantum. Super omnibus bonis constituet eum. At nobis adhuc contendes te non rectè deceptum, qui præficiendus sis omnibus Dei bonis?* Ita Basilium Chrysostomus credidit & familiæ Christi præfectum, & vniuersis eius bonis præficiendum. Nec multo aliter Cælestinus de ipso Nestorio hæretico, in Epistola ad eum scripta in actis Synodi Ephesinæ. [illegible] *Malè contra eum arma per desperationem mouisti, qui te prius super suis domesticis, tanquam fidum & prudentem seruum, suffecerat constitui.* Quid nunc? an Basilium Chrysostomus? an Nestorium Cælestinus credidit vnum præfuisse omnibus Ecclesiis, siue toti Ecclesiæ Catholicæ? Imò suæ quemque; illum Seleuciensi, hunc Constantinopolitanæ. Ergo satis perspicuus est eius locus sensus.

XXV. Præterea, Ecclesia, inquiunt, est domus Dei. Fateor, inquam; sed quælibet particularis. Scribit enim ad Timotheum Paulus: *Vt scias, quemadmodum oporteat te in domo Dei versari:* hoc est, interprete Ambrosio, quomodo Ecclesiam ordines, quæ est domus Dei. Atqui Timotheus omnes Ecclesias nunquam ordinauit; sed eam tantùm quæ sibi esset commissa. Ergo, si singulæ Ecclesiæ sunt domus Dei: & singulæ domus suos habent œconomos: & œconomos Bellarminus sumit pro iis, qui à nullo pendeant, nisi à Domino: sequitur singularum Ecclesiarum suos esse Oeconomos: ideòque plures omnium, qui soli Domino sint rationem reddituri, non vlli conseruo. Ideóque perit Papistis suus Oecumenicus Pontifex. Nec Ambrosii (si tamen is Ambrosius) mens alia: cui non aliter Damasus dictus rector domus Dei; quàm Paulo in eadem domo Timotheum versari; id est, eandem ordinare, interprete eodem Ambrosio.

XXVI. De Sanderi diuersorio, quid iam dicam? Primò ἀλληγορία est. Nam literalem sensum satis Christus innuit ipse: nimirum, vt doceret, quis dicendus esset propinquus: nam id interrogabatur à legis perito: induxit parabolam Samaritani confossum quempiam à latronibus miserari, etsi incognitum, eique omnia charitatis officia impendentis. Itaque nego Samaritanum esse Christum: sed quemlibet hominem: nego diuersorium esse Ecclesiam: sed tantùm amplificatæ parabolæ circumstantiam: vt oleum, vt vinum, vt quadrupedem. Nam ea omnia non sunt curiosius rimanda: sed tantùm in genere, pro quibuslibet operibus misericordiæ intelligenda. Hic sensus est literalis: qui ad Oecumenicum Pontificem est vt asinus ad lyram.

XXVII. Quòd si indulgere vacat allegoriæ, quod in hoc loco plerosq; Patrum fecisse aduerto, & fateor: ne sic quidem quicquam erit operæ pretii. Nam & hospitium illud Veteres quamlibet Ecclesiam intellexerunt; & stabularium quemlibet Episcopum. Chrysostomus. *Stabulum Ecclesiam accipimus: stabularium Episcopum confirmamus.* Euthymius. *Hospes est, quisquis Ecclesiæ præest, puta omnis Episcopus, vel quisquis Apostolorum successor est.* Theophylactus. [illegible] *Stabularii typum obtinet quilibet Apostolus, & doctor, & pastor: quibus dedit Dominus duos denarios, duo Testamenta.* Emissenus ille, quisquis est, cui assignatur Homiliarum in Euangelia Farrago; Dominica decima tertia post Pentecostem. *Stabulum Ecclesia est: vnde & in stabulo Dominus natus est. Stabularius Episcopus: ipse enim stabulum custodit, Ecclesiam regit, & Dei animalia diuini eloquii pabulo reficit. Bonus stabularius, beatus Paulus: qui & duos denarios sibi à Domino commissos fideliter distribuit, & magnū aliquid de suo supererogauit.* Iansenius Concordiæ capite octugesimo primo. *Hospitibus suis hominem curandum commisit. Hi sunt Apostoli, & Apostolorum successores, per quos etiam hodie curat humanum genus.* Fateamur ergo stabularium esse alium quempiam, præter Christum. At non tamen Oecumenicum propterea concedemus. Non enim vnicum: quum in eiusdem nominis, officiique communionem veniant Apostoli, veniant Episcopi, veniant Doctores.

XXVIII. Superest quinta similitudo nauis: de qua Hieronymus in Epistola ad Rusticum, *In naui,* inquit, *vnus gubernator.* Et Cyprianus Epistola septuagesima sexta; postquam docuit arcam Noë typum fuisse Ecclesię, inde probat Nouatianum non potuisse fieri huius arcæ gubernatorem, quia iam Cornelius factus erat, & nauis vna vnum rectorem postulabat, non plures. Sic Bellarminus.

XXIX. At ego respondeo: primùm in Scripturis nusquam comparari Ecclesiam naui. Nam locus ex prioris Petri capite tertio, prorsus nihil ad rem; qui nō Ecclesiam, sed Baptismum comparat arcæ Noë. *Quando,* inquit, *expectabat illa Dei longanimitas in diebus Noe apparata arca, in quam pauca, id est, octo animæ seruatæ sunt: cui respondēs exemplar nūc & nos saluat baptisma.* Sensus est; vt olim per arcā Noe à diluuio saluas factas fuisse paucas animas: sic & nunc per baptisma (quod eius est Arcæ siue nauis ἀντίτυπον) non omnes, sed paucas animas salutem æternam obtinere. Nec aliter Lyranus: Thomas de Vio, Gagnæus. Quare hęc argumentatio est præter Scripturæ mentem.

XXX. Secundò, etiamsi concedatur Ecclesia esse naui similis; negatur consequentia. Quia ea similitudo ad singulas quasque Ecclesias pertinet. Quæ mens est Hieronymi eo ipso loco, quem mutilum

tat Bellarminus. *Singuli, inquit, Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator.* Quę verborum series ostendit ex eius viri mente, singulas potius Ecclesias singulis nauibus conferri: ac proinde singulos rectores habere. Itaque omnium, plures, non vnum. Non enim sit ille sanę mentis, qui omnium nauium vnum contendat esse rectorem.

XXXI. Cyprianus autem impudenter hoc loco testis nominatur. Nam is hac nauis similitudine non disputat, vtrum Nouatianus non fuerit, aut esse non potuerit Episcopus Romanus contra Cornelium: sed potius contendit nō esse eos, qui à Nouatiani schismate ad vnitatem redibant, admittendos absque nouo baptismate. *Petrus*, inquit, *ostendens vnam Ecclesiam esse, & solos eos, qui in Ecclesia sint, baptizari posse, posuit, & dixit. In arca Noe pauci, id est, octo animæ hominum salua facta sunt per aquam: quod & vos similiter saluos faciet baptisma: probans & contestans vnam arcam Noe typum fuisse vnius Ecclesiæ. Si potuit tunc in illo expiati & purificati mundi baptismo saluus per aquam fieri, qui in arca Noe non fuit, potest & nunc viuificari per baptisma, qui in Ecclesia non est, cui soli baptisma concessum est.* Quam eandem argumenti vim legas etiam epistola septuagesima quarta, & quinta. Non disputabat ergo Bellarminus: sed nobis impositum volebat omnis audactos.

Cap. VII.

De multitudine in se vna.

I. QVintum argumentum: Omnis multitudo, quæ in se vna est, vno aliquo eget, à quo cōtineatur ac sustentetur. At Ecclesia est multitudo in se vna: ergo, eget vno aliquo, à quo cōtineatur ac sustentetur. Sic Hardingus contra Iuellum articulo quarto, sectione decima septima. Sed & ante Hardingum Contarenus, libro de Potestate Pontificis. Vbi quęro quid sit, Multitudo in se vna. An enim potest multitudo esse in se vna; id est, quatenus multitudo? Absurdum, quia implicat contradictionem: & ipse Hardingus confitetur, omnem multitudinem, quòd vna existat, id habere aliunde. An id potius dictum volunt; multitudo, quatenus consideratur vt vnum corpus, seu [illegible], Mira loquendi ratio. Verùm ita esto, ne frustra de verborum apicibus contentio nascatur.

II. Respondeo: Negatur minor: Nam Ecclesia, quatenus significatur Catholica, non est multitudo in se vna. Quia est vnum καθ' ὅλον, conflatum è plurimis particularibus. Vt si regnum quis dicat, non hoc vel illud; sed in genere: cuius partes sint singula quælibet regna, Gallicum, Hispanum, Anglicum: nam sic Ecclesia cōponitur ex infinitis Ecclesiis, Romana, Constantinopolitana, Antiochena, Alexandrina, Ephesina. Porrò quæ sic sunt vnum; manifestum est nullo egere vno rectore: neque enim vt singulis regnis sui sunt reges: sic omnibus vnus, vt fiat id quod καθ' ὅλον regnum dicitur. Itaque ne in Ecclesia quidem, quatenus significat vnum quid aggregatum è multis Ecclesiis, necesse est aliquem vnum præsidere.

III. Præterea negatur etiam maior. Nam omnis Democratia, imò verò omnis etiam Aristocratia, est multitudo vnum efficiens corpus; & in se vna, vt loquitur Hardingus: neque tamen ab vllo vno homine continetur, ac sustentatur.

IV. Probat tamen Hardingus: Quia omnis multitudo facilè dissoluatur; oportere id vnde vna fit, vnum esse: ne ipsum alterius ope indigeat, quo vnum fiat. Sed fallit ambiguo: Nam quicquid vnum est, id hominem esse non est necesse. At nos de vno homine disputamus. Itaque ordo vnus est, lex vna est, politia vna est. Et in vno ordine, vna lege, vna politia, Democratia est vna, Aristocratia est vna; etsi ab homine nullo vno sustentetur. Sic in Ecclesia, vnus Deus est, vna fides, vnum baptisma, teste Apostolo.

V. Rursus: Etiam concesso toto argumento, non concluditur id quod est in quæstione positum. Non enim quæritur, vtrum ab vno sustentetur ac contineatur Ecclesia: quod nemo sanus negauerit: nos etiam satis concessimus, cùm concessimus esse Monarchiam: sed, vtrum ab aliquo præter Christum: at de hoc nihil concludit argumentum. Paulus ad Ephesios quinto. *Nullus vnquam suam ipsius carnem odio habuit, imò nutrit ac fouet eam, sicut & Dominus Ecclesiam.* En tibi vnum aliquem, qui contineat, ac sustentet Ecclesiam: & quidem vt vir vxorem, id est, [illegible]. Et diseruis secundo dicuntur fideles in Christo [illegible] simul ædificari, vt sint [illegible] *Habitaculum Dei in Spiritu.* Qui locus ostendit, fidelium multitudinem considerari posse, vt vnum quid, sed in Christo. Non enim οἰκοδομεῖσθαι dixit, sed συνοικοδομεῖσθαι, quo verbo multitudinis, seu plurium indiuiduorum coniunctionem significari, quis negauerit? Sed & [illegible], non [illegible]. Ad Romanos duodecimo. *Ita multi corpus vnum sumus in Christo.* Ad Galatas tertio. *Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, ac fœmina: omnes enim vnus estis in Christo Iesu:* quia (inquit in eum locum Theophylactus) quum omnes vnum simus corpus effecti, Christum vnicum in caput habemus, ac ducem. Et Oecumenius, [illegible] *Eo quòd vnam figuram & formā indueritis, nimirum Christi: & vnicum caput habeatis omnes, videlicet ipsum: atque omnes in vnum corpus profeceritis.* Ergo, tota Scriptura nobis vnum designat Christum, à quo sustentetur Ecclesia: in quo, & quidem vnico, vnum quid sit fidelium vniuersa multitudo. Quorsum igitur aliò diuertimus? quem alium quærimus? Digni profectò excidere ab hac vnitate.

VI. Disputat tamen Hardingus: Deus, inquit, decreuit, vt quæque res eo modo conseruetur, qui illius conditioni atque naturæ maximè conueniat. Genus autem humanum, quum ex sensu maximè pendeat, omnémque disciplinam & institutionem ex rebus sub sensum cadentibus percipiat, homine opus habet gubernatore atque rectore, quem externo sensu comprehendat. Quare necessarium etiam fuit, vt Ecclesiæ gubernatio vni viro traderetur.

VII. Respondeo: Primò, etsi verum est Deum accommodare se captui humano, seruandum est tamē luculētissimū discrimē inter res spirituales & tēporales. Nā quod dicitur humanū genus pēdere ex sensu,

sensu, omnémque disciplinam & institutionem percipere ex rebus sub sensum cadentibus, verum est, sed in iis tantùm rebus quæ sunt temporales, quásque eum percipere oportet ex vi sui ingenij, quod habet à natura. Sed in his rebus, quæ sunt spirituales, aliter se res habet. Nam eas sua vi nullum potest humanum ingenium concipere: sed tantùm ex efficacitate agentis Spiritus: vnde Petro dictum: *Beatus es Simon Barjona: quia caro & sanguis hæc non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis.* Quo fit, vt natura Ecclesiæ non sit simpliciter metienda, ex hominum natura, qualis ea apparet in rebus humanis: sed eo potiùs, quod in fidelibus efficit Spiritus.

VIII. Præterea Ecclesia vt non docetur, sic nō regitur humano more. In rebuspub. cùm nihil sit non temporale, potest iis regendis homo sufficere. In Ecclesia verò, cùm attendatur id maximè, quod est in homine spirituale, hoc est, bona conscientia ex fide non ficta, quam homo regere non potest, ne velle quidē (est enim Deus solus [illegible]) eo maximè opus est spirituali rectore, cuiusmodi Christus est, qui per Spiritum suum corda nostra regit, & sibi subijcit, vtēs hominum ministerio: non quomodo reges suis officiariis, sed vt veram doctrinam suggerant, quam ipse per Spiritum efficacem reddat.

IX. Secundò: negatur consequentia; tribus argumentis. Primum est: quia negatur esse ratio accommoda humano ingenio, vt totus orbis regatur ab vno homine: teste experientia; quæ id docet nūquam accidisse. Nec spem facit vnquam fore: sed docuit potiùs singulas respublicas commodè à suis rectoribus gubernari; id est, cunctas à pluribus. Et quidem valde obseruandum, ab initio Monarchias nullas constitutas nisi per vim, & bella, & scelera: quæ ratio, opinor, non est valde accommoda & conueniens naturæ humanæ. Contra verò, vel omnes, vel plerasque omnes Aristocratias: Democratias certè omnes, ex communi eorum consensu quorum intererat. Et etiamnū hodie nihil est frequentius sæuissimis bellis, quę toties oriuntur, quoties in pluribus regnis, vnus aliquis vult præesse. Et in Ecclesia, Græci, cùm quærunt caussam, [illegible]: ob quam (& verba sunt Nili Thessalonicensis) *Ecclesiarum bellum, & ortum sit primum, & eo tantum efferbuerit; vt ne sperandus quidem sit finis, nisi Deus ex alto manum porrexerit*: Cū, inquā, eā caussam quęrūt; queruntur, [illegible]: *Quod Romani magistratum partes sibi sumunt; alios verò instar discipulorum dicto audientes habere volunt.*

X. Secundum argumentum: Quia est etiam ratio accommoda ingenio humano, vt multitudo, quæ vna est, regatur à pluribus: vt videre est in Aristocratia, & Democratia: quæ, etsi constent ex hominibus, qui à sensu potissimum pendent (vt verbis vtamur aduersariorum) vnus tamen vir eas non regit. Dicam audacter: quia constant ex hominibus à sensu pendentibus, vnus eas homo non regit.

XI. Tertium: Quia in eodem humano genere, à sensu potissimum pendente, vsitatissimum sit, Monarcham sub se habere plures officiarios, à quibus singulæ regni partes administrentur regentúrque: Et qui non pendeant alij ab aliis; sed omnes ab ipso solo Monarcha. Similiter ergo, cùm Christus sit Ecclesiæ princeps; à quo ea primò &

præcipuè gubernatur, consentientibus nostris aduersariis, nihil est necesse sub eo vnum esse aliquē, dum singulis Ecclesiis prouideantur rectores, qui eas tanquam vnius spiritualis Monarchiæ singulas prouincias regāt, actus sui rationem Domino reddituri, vt loquitur Cyprianus: vnde Apostolus ad Hebræos decimo tertio, [illegible] vocat eos, qui loquuntur sermonem Dei: Et quinto prioris ad Thessalonicenses [illegible].

Cap. VIII.

De Monarchiæ præstantia.

I. SExtum Papistarum argumentum, à Monarchiæ præstātia. Christum enim Costerus ait, æternam Dei Patris sapientiam, qui Ecclesiam spōsam vsque adeò dilexit, vt pro illa & sanguinē profuderit, & animam posuerit, talē constituisse in hac sua Repub. politiam, talémque ordinem, ac gubernādi rationē sanciuisse, qualis & charitatem, & sapiētiam tantā decebat, & tam dilecto populo ad quietem salutémque maximè conueniebat. Optimā autem esse Monarchiā ipsos quoque Philosophos gentiles docuisse. Præfecisse igitur vnum, qui vice sua vniuersam Ecclesiam regeret, atque ad supremum finem æternę felicitatis appositè, ex sacrarum literarū præscripto dirigeret. Eodem argumento vtitur Bellarminus de Pontifice libro primo, capite primo: & Sanderus de Visibili Monarchia, libro tertio, capite tertio. Sed & olim Ioānes de Turrecremata in summa de Ecclesia, lib. 2. cap. 2. sic breuiùs collegit: Nemini dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen sit optimè ordinatum: vtpote per eum dispositum, per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Optimum autem regimē multitudinis est, quod regatur per vnum: quod patet, tum autoritate Aristotelis vndecimo Metaphysicorum, & tertio politicorum, tum ex fine regiminis. Pax autem & vnitas subditorum est finis regentis, vt inquit Augustinus: vnitatis autē caussa congruentior est vnus quā multi. Ergo regimen Ecclesię sic à Deo esse dispositum creditur, vt vnus in eo toti Ecclesiæ præsit.

II. At hi omnes fœdè peccant argumentando: quia affirmatè in secunda figura, vt loquuntur scholæ, Monarchia est optimū regimen: At Ecclesiæ gubernatio est optimū regimen. Ergo Ecclesiæ gubernatio est Monarchia. Quomodo apud Ciceronem, secundo de Natura Deorum, Zeno concludebat mundū vti ratione. Quod ratione vtitur melius est, quàm id quod ratione non vtitur. Nihil autē mundo melius: ratione igitur mundus vtitur. Hæc puerilia sunt: nec digna quibus immoremur.

III. Itaque prudentiùs Panigarolla in lectionibus Catholicis, lectione sexta, parte prima: cuius argumentū in hanc formam contrahi potest: Omnis Respublica optime cōstituta, regitur [illegible]. At Ecclesia est Respublica optimè constituta, imò omniū in toto orbe rerū publicarū optima, optiméque cōstituta: Ergo Ecclesia regitur Monarchicè.

IV. Respōdeo primò ad Minorē: ineptè à Panigarolla dici Ecclesiā omniū Rerumpub. pręstātissimā. Respublica enim vel propriè sumitur, vel translatitiè. Propriè, significare solet quoddā quasi corpus compositum ex multis hominibus iure quodā ciuili consociatis; quorū negotia publica quę ad hāc vitā pertinent, certis regantur legibus. In quo Rerūpublicarū genere Christus nagauit Ecclesiam nu-

metandam; quum diceret regnum suum nô esse de hoc mûdo. Quare tam ineptè quis asserat Ecclesiã, quæ tamen non est Respublica, omnium Rerumpublicarum esse præstantissimam; quàm si quis côcederet omniû arborum hominē esse eloquentissimum. Iā verò, si translata significatione Reip. nomē vsurpetur, qua ratione rerum nomina permutātur ob quandā similitudinem, vel alias multas caussas; concesserim sanè Reip. nomen Ecclesiæ tribui posse: quòd vnû sit quasi corpus ex multis hominibus, quomodo veræ Respublicæ: at non aliter, quā sæpe docti reinpub. dicunt literariam. Iterum autē dico non minus ineptè eû loqui, qui dicat Ecclesiā, quæ respub. est nô proprio, sed translato nomine, esse omniû rerûpub. præstantissimā; quā si quis affirmet Taurum mótem esse omniū taurorū maximū: vel Taurum sidus, esse omnium taurorum lucidissimum. Quæ phrases nô possunt non esse absurdæ: vel quia nomina translata côparantur propriis: vel si vtrinq; eadem significatio seruetur, ea res plus nbus côferātur, quæ tamen in suo genere sunt vnicæ. Taurus enim mós est vnicus eius nominis: Taurúsque item sidus. Eodémque modo Ecclesia est vnica respublica: id est, alterius generis ab omnibus iis quæ Respublicę dici solent.

V. Secundò, quia ad côfirmationē maioris, arguunt Monarchiā esse omniū præstantissimā regiminis formā: idque probari tum autoritate Philosophorum, & Theologorum: tum oraculo diuino: tum à natura: denique à proprietatibus optimi regiminis. Ideò hæc nobis materia paulo fusius tractanda: pérque partes examinanda: vt ne quid in tanta segete, non diligenter exploratum, sed fortuitò siue concessum, siue negatum; imò etiam dissimulatum, abducat nos procul à veritate.

VI. Hîc igitur ante omnia notemus hoc ipsum quidem Bellarminū pronuntiare Monarchiā omnem esse omniû rerumpub. præstātissimā formā: sed tantū, circunstantiis seclusis, tum personæ, tū aliis. Hac cautione necesse est hoc argumentū fieri elumbe. Id enim idē est, ac si dicatur; nô omnem, sed quandā Monarchiā; siue quoddā Monarchiæ genus, esse omnium præstantissimū. Maior ergo nô erit vniuersalis: Non enim omnis Monarchia erit præstantissima reip. forma: Itaque conclusio non erit necessaria, sed tantùm contingens.

VII. Sed côsideremus ergo Monarchiā vel ἁπλῶς, id est, seclusis omnibus circunstantiis, vt nuda ipsius Monarchiæ ratio habeatur: vel κατά τι, id est, vestitā variis circunstantiis. Si igitur ἁπλῶς eā verò fatendū omnino Monarchiā simpliciter præstare omnibus aliis gubernandi formis: vel hoc vno exēplo; quod quęcúq; creata sūt, regūtur μοναρχικῶς, id est, ab vnico Deo: Et quid è ita; vt non possim sapiētius, potētius, vtilius. Itaq; frustra Bellarminus sudauit in demonstrando hoc capite nô côtrouerso. Sed quid hoc ad Oecumenici Pontificis caussam? Nā in ea nô ἁπλῶς Monarchiā côsideramus, seclusis omnibus circunstantiis: quod in rebus humanis etiā frustra fiat, nec nisi per somnium: sed certis descriptā circūstantiis: tum personarum quæ regunt, aut reguntur, tum ipsius regiminis. Agimus enim nō simpliciter, & indefinitè de gubernandi formis variis: sed de regūdæ Ecclesiæ ratione: adq; his (vt aliās omittam) additis circunstantiis, & vt homo vnus mortalis, atq; adeò ψιλὸς ἄνθρωπος sit Monarcha: & vt omnes omnino Ecclesiæ particulares, quotquot orbe toto numerari possunt, ei subiaceantur: & præterea hac regiminis ratione, quæ Ecclesiā deceat. Quēadmodum igitur apud Xenophontem meritò vapulat Cyrus puer, quum grādem penulam minori detractā, maiori tradit: nô quod errasset in Thesi, verum maiori grandis penula aptāda esset: sed quia hac phantasia deceptus, non videbat sibi iudicandū, vtrū illa grādis penula detracta ab alio, detrahenti esset adiudicanda: sic nisi in disputando aduersarij ostēderint illis omnibus positis circunstantiis Ecclesiæ administrandæ Monarchiā esse accommodatissimam: tū profectò illi nobis multo risu excepti pœnas dabunt: eóq; maiores, quo magis etiam ad tautum Monarchiæ ἁπλῶς consideratæ laudes cantillabunt.

VIII. Placet vrgere: vt agnoscāt Sophistæ potentosum suā audaciam. Quæstio est, Vtrū Deus instituerit Ecclesię regimen monarchicum. Affirmāt: tamq; constanter, vt negent aliter bene, sapienterq; Ecclesiæ prouisum. Arguūt; quia nô instituisset Ecclesiæ suæ regime n optimum. Rationem si quæras, subiciuntq; quia Monarchia, seclusis circunstantiis, est optimum regimen. Attēdite: Nam inde necessariò consequitur, aut nô sapienter Deum prouidisse Ecclesiæ suæ: aut in ea formā regiminis instituisse monarchicam, seclusis circunstantiis. At hoc posterius manifestò falsum ex Papistarum doctrina. Nam illis suus monarcha multis circunstātiis circunscribitur: nec tantùm iis quas diximus, sed insuper, vt sit Episcopus Romanus: vt sit electiuus: & si quid aliud. Quod quum ita sit: iam tādem necessariò sequitur, Deū nô prouidisse sapienter suæ Ecclesiæ. En labyrinthos, in quas sese humana subtilitas induit!

IX. Porrò, ne quid obscuri remaneat, Monarchiā ἁπλῶς, omnibus præferendā absq; côtrouersia dicimus: quum qui præest, alterius est, & præstantioris naturæ. Sic optimè oues pascuntur à pastore: sed is homo est, non ouis. Sic optimè Deus mūdum regit: sed is nullo modo pars est mūdi: & natura sua longè latéque differt ab omnibus rebus quas regit. Et in vniuersum, nullum dabitur exemplum Monarchię, quantumuis præstantissimæ cuius tamē monarcha, nô sit alterius naturę: cui nô ostendatur multis modis præferenda ea quā iam descripsimus. Atq; hoc sensu, si concedatur ex vi propositi argumenti, id in Ecclesia côstituendū regimē, quod ἁπλῶς omniū sit præstātissimū: bocantē aliud nullū sit, quā id quod ab vno pēdet, qui nô sit eiusdē, sed præstātioris naturę: sequetur esse Ecclesiæ regimen monarchicum quidem: sed ita, vt monarcha non sit homo aliquis, nihilo præstātioris naturę reliquis fidelibus: ac proinde nullū Episcopum, nedum Romanum, in id dignitatis admittendum: sed solū Christo suū gradum côseruandum: quem constat non esse ψιλὸν ἄνθρωπον.

X. Iam verò, si Monarchiam κατά τι, id est, cū debitis circūstantiis, côsideremus: videlicet, vt sit vnus nostræ naturæ homo qui imperet: & imperet omnibus per totum orbem Ecclesiis: tum verò negandū, hanc politię formam esse pręstantissimā. Nam illud optimum prestantissimúmq; gubernationis genus censendum, quod maximè vole us qui gubernātur. Et huc referēdę omnes deliberationes hac tanta de re. De qua si nunc agam paulò diligentiùs, maturè deprecor inuidiam. Nouí quam periculosè soleat quæstio tractari in omnes partes: dū singulis in Rebuspub. suę politiæ fauent ij, penes quos rerum est summa: adeò vt capitale sit in Heluetiis, côtra Democratiam disputare: apud Venetos, contra Aristocratiam: in omnibus regnis côtra Monarchiam. Et me quidem in Galliis Deus natū voluit, atque educatum

carũ, in quibus & absolutissima, & vtilissima, & laudatissima Monarchia: cui me ex animo fauere ille nouit, qui perscrutatur renes meos. Itaque cauebo serio, ne contra Monarchiam disputem. Nihil obstat tamen, quo minus hoc argumentum pertractẽ: & ostẽdam meo fastu aduersarios nobis illudere, in re omnium maxima. Et faciã tanto securiùs, quãto certiùs iampridẽ mihi persuasum frustra eos laborare, qui siue Monarchiæ, siue Aristocratiæ, siue Democratiæ laudes cantillẽt in thesi quasi [illegible]: cùm nulla sit simpliciter, & in se laudãda: sed tãtùm in certo subiecto, hoc scil. vel illo populo, cui hæc sit magis accommodata ratio, quã alia. Ac proinde Venetum credo suis Venetis prædicare debere Aristocratiæ laudes: quia sint ab ea iãdiu plurima experti cõmoda. Sic Heluetius Heluetium conuenit populi maiestatem commendare. Sic denique Gallum Gallis, solam Monarchiam ingerere: quia id sit Gallicarum gentium ingenium; vt aut Aristocraticè, aut Democraticè commodè regi nequeant.

XI. Redeo ad id, vnde digressus sum, ad Monarchiam, nõ illam ἁπλῶς consideratam; qualis in rerũ natura, excepta Dei maiestate, nulla est omnino; sed illam κατά τι, cuius in Ecclesia constitutionem cùm ab eius præstantia concludunt aduersarij; eos dico peccare. Primò, quia cùm certum sit à Christo aliquod politiæ genus institutũ fuisse in Ecclesia: nũc inuestigandum duntaxat; quodnã instituerit: at isti quæstionem mutant; & quærunt, quodnã instituere debuerit. Quasi nostrũ sit officio quopiã inquirere Dei voluntatẽ, ac non potiùs ex Dei voluntate concludere τὸ ἄριστον. Nam si ab eo constitutã esse cõstaret Democratiã: tum omnino concedendũ foret; optimũ Ecclesiæ regimẽ esse Democraticum. Nam Deus, quũ quid efficit, ita efficit, vt sit optimum. Sic homini, quã in creatione naturã tribuit; etsi ea inferior sit multo naturâ Angelorum, quos non minus creauit quã homines: tamẽ eo ipso eam naturã fecit optimã: non absolutè quidẽ optimã: sed homini optimã. Et frustra nunc quis cõtenderit: Eã naturam hominis creasse Deũ, quæ sit optima: Esse autẽ naturã merè spiritualem optimam: Ergo naturã hominis creatã fuisse merè spiritualẽ. Non ille profectò solertiã suam ostenderet; sed temeritatem potiùs traduceret. Proinde nõ sequitur, si quid extra Ecclesiam videatur præstantiùs; id esse in Ecclesiam aut translatum à Deo, aut transferendum ab hominibus.

XII. Nam, quod solẽt proferre nomẽ, quo in Euangelio significatur identidẽ Ecclesia; frustra faciũt vt probent id politiæ genus à Christo stabilitũ. Quũ enim loquimur de regimine Ecclesiæ, hominũ habemus rationẽ, quibus regendi onus cõmissum sit, iã posuimus. Quare, nõ erit satis probare Ecclesiã esse regnũ: sed quũ relata sint Rex & regnũ, ostendi debet, Ecclesiam huiusmodi esse regnũ: quod alicuius hominis regis sit regnum. Vt enim nemo dubitat eã rẽpublicã regnũ dici, quæ ab vno regitur: sic nemo ignorat, cum vnum qui eam rẽpub. gubernat, regẽ esse, cuius id sit regnũ. Iam Scriptura idipsum quod regnum appellat cœlorum, id est, Ecclesiã, dicit esse regnũ Christi: nunquã Petri, aut alterius cuiusquã. Cùm igitur ex ipsa rerũ natura constet, eum qui in regno est Monarcha, eius regni semper regem dici nec præter eum quenquã: rectè concluditur: quandoquidem nullius hominis [illegible] Ecclesia regnũ dicatur: nullum etiam hominẽ [illegible] Ecclesiæ regẽ esse siue Monarchã: proindéq; sic à Christo fuisse regnũ appellatã: vt tamen non institutum sit eius regimen Monarchicum: quo sensu nos in hac disputatione regimen Monarchicum nominamus.

XIII. Secundò peccãt: cum varia Monarchiæ genera nõ distinguunt. Nam Politici viri aliã hæreditariam faciunt, aliã electiuam: nõ eiusdem vtraq; præstantiæ, aut meriti. Hæreditariã electiuæ longè præferendam hodie plurimi cũ tendunt viri magni, & qui politica cum laude tractant: in quibus Ioannes Bodinus de Republica lib. 6. cap. 5. Et recentior, sed longè doctior Iustus Lipsius, tum Politicorum, tum Monitorũ lib. 2. cap. 4. Quib. atque alijs vereor vt par sit Bellarminus, qui præfert electiuã: sed leui nimiũ brachio indicata, non verò tractata quæstione. Viderit, quomodo satisfacturus sit grauissimis incõmodis, quibus eum obruent grauissimi viri, quę solent accidere in electione: ex ambitu, corruptione, factionibus, legibus violatis, interregno; indéq; seditionibus, cędibus, bellis: atque alijs: quibus, tum omnibus, tum singulis, ne ipsam quidem Romanorum Põtificũ successionem obnoxiã non fuisse testantur historiæ. Viderit, quomodo sustinere queat impetũ omnium ferè populorũ, quibus Monarchia placuit: nã præter Ægypti Sultanos, quorũ breuissimum fuit imperium: & nonnullos in Septentrione populos, vt Germanos, Polonos, &, si qui sunt præterea: omnes Monarchiã hęreditariam admiserunt. Sed si quis ex eo numero, qui hæreditariæ fauẽt, exsurgat & arguat in hunc modum. Id regimen est omniũ optimum, quod est nõ Monarchicum tantũ, sed etiã hæreditatis iure à patre in liberos deriuatũ: At Ecclesiæ regimen est omnium optimũ: Ergo Ecclesiæ regimen est hæreditarium: Si quis, inquã, sic arguat, quid agant nostri Sophistæ? Renuncient-ne suo, sic huic argumento: an potiùs suum iubeant Pontificem vxoratum esse, & liberos procreare?

XIV. Tertiò: negatur Monarchiã aut absolutè reliquis formis præstare, aut vtilẽ esse Ecclesię gubernandæ: quod, vt fiat manifestum, examino proprietates omnes, in quibus illi hanc præstantiã cõstituunt: enumeratas à Bellarmino, sub finem capitis secundi libri primi de Pontifice Romano.

XV. Prima proprietas est, Ordo. Eo siquidem melior gubernatio est, quo magis est ordinata. Magis autem ordinata Monarchia, quàm Aristocratia, vel Democratia. Quia omnis ordo in eo positus est, vt alij præsint, alij subiiciãtur. Nec enim inter pares, sed inter superiores & inferiores ordo dignoscitur. Vbi autẽ Monarchia est, ibi omnes omnino ordinẽ aliquẽ habent, cùm nemo sit qui non subiiciatur alicui, eo solùm excepto, qui curam omnium gerit. Vbi verò gubernatio est penes Optimates, plebes quidẽ ordinẽ suũ habent: sed Optimates inter se ordinem nullum habent. Multo etiam magis Democratia ordine caret, cum omnes ciues eiusdem conditionis, & autoritatis in Repub. censeantur. Ergo Monarchia pręstat. Itaq; vt in Ecclesia constituta, sic in Romana summus est ordo: vbi plebes subiiciuntur parochis: Parochi Episcopis: Episcopi Metropolitanis: Metropolitani primatibus: Primates Pontifici: Pontifex Deo.

XVI. Respondeo: Concedi eam optimã esse gubernationẽ quæ sit ordinatissima: sed Bellarminum falli in ordine assignando. Nam si omnis ordo in eo sit, vt alij præsint, subsint alij; in Democratia autem omnes ciues sint eiusdẽ authoritatis; & cõditionis, quod vtrũq; Bellarminus dixit: id est, nemo præsit, nemo subiiciatur: Sequeretur, nullam vnquam Democratiã fuisse ordinatã: Quod est falsissimũ. Rura

ſus, ſi in omni Ariſtocratia Optimates nulli ſubiiciãtur, ſed tantũ Optimatibus plebeij, ſequeretur in omni Ariſtocratia vnũ tantũ eſſe ordinis gradũ: ac propterea ex omnibus Ariſtocratiis nullam eſſe alia ordinatiorẽ; quod nemo ſanus aſſerat. Tertiò, ſi in graduũ pluralitate ordo cõſiſtit, ſequeretur multa regna eſſe ordinatiora ipſa Eccleſia, in qua hos tãtũ gradus Bellarminus agnoſcit, Plebis, Parochorum, Epiſcoporũ, Metropolitanorũ, Primatum Põtificis Maximi: cùm non pauca regna inueniantur, in quibus multo plures gradus enumerare liceat. Eſſe verò vllam Monarchiam ordinatiorem Eccleſia, Bellarminus, opinor, non facilè conceſſerit. Quartò, dico poſſe obiici etiam ſic ordinatiores eſſe Ariſtocratiã, & Democratiã Monarchia: quia in illis nullus ſit, ne vnus quidem, qui à ſubiectione legibúſq; eximatur, & ſit ἀνεύθυνος. Quia & ſinguli Optimates ab omnibus coërcẽtur in Ariſtocratia: & ſinguli plebeij à toto populo in Democratia. In Monarchia autem, Monarcha eſt prorſus ἀνεύθυνος, ἀνυπεύθυνος, nec vllis legibus, vllave autoritate cohiberi poteſt.

XVII. Quæ cùm ita ſint, neceſſariò alibi conſtituendus is ordo, vnde Reſpub. dicenda bene ordinata; atque ideò optima, quàm in gradibus ſubiectionis. Nam cùm hi gradus, imò verò non hi tantùm gradus: ſed gene aliter quicquid illud eſt, quo reſp. ordinata dici poſſit, non propter ſe inſtitutum ſit, ſed propter aliud, nempe commune eorum omnium, ex quibus Reſp. componitur, bonũ, efficitur, non tantùm non eſſe hos ſubiectionis ordines, id quod t Rep. ſit quærẽdum præcipuè: ſed etiam, eã ſemper Remp. eſſe ordinatiſſimam, quæ ita ſit conſtituta, vt omnia quàm maximè referantur ad illud commune bonum; ipſúmque promoueant. Quod ſi aliter obtineri nequit, quàm in infinitum multiplicata graduum diſtinctione, tum ea Reſp. cui id obuenerit, non eſt neganda ordinatiſſima eſſe. Sed ſi cuipiam pauciores ſubiectionis gradus ſufficiant: tum nec hæc quidem non erit ordinatiſſima. Et in vniuerſum, cùm comparantur Reſpublicæ inter ſe: non gradus vnius alterius gradibus ſunt conferẽdi, atque ita numerandi: ſed totus ſtatus toti ſtatui: vt quæ ſuos gradus ſiue plures ſiue pauciores ita conſtitutos habebit, vt certius dirigantur ad commune bonum, ea dicatur ordinatior. Sic etſi iidem ſubiectionis gradus ſint in Tyrãnide, qui in Monarchia; tamen certum eſt non Ariſtocratiam tantùm, ſed etiam Democratiam eſſe ordinatiorem. Sic nunc Heluerij, nolint ſuam Democratiam commutare, antiqua illa ſua Oligarchia; cùm Nobiles non commune curarent bonum, ſed ſuas voluptates. Similiter Romani ſibi longè meliùs conſultum putarunt, expulſis Regibus, inſtitutíſque Conſulibus: neque ſuam militiam putarunt deteriorem militia Spartanorum, & erat tamen hæc in plures ordines ſecta. Romani Imperatorem nominabant, Tribunos, Centuriones, milites. At Spartani βασιλέα, πολεμάρχας, λοχαγὺς, πεντηκοντῆρας, ἐνωμοτάρχας, ἐνωμοτίας, teſte Thucidide lib. quinto. Nempe in quolibet Reipublicę genere, ſalus populi ſuprema lex eſto.

XVIII. Iam verò, cùm Eccleſiæ ſummum bonũ ſit, Salus in Chriſto; ad eàmq; optimè ſingulos Ariſtocratia dirigat: teſte Paulo ad Epheſios quarto; docente, Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, Doctores inſtitutos ad coagmentationem ſanctorum, ad ædificationem corporis Chriſti, donec euadamus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei: nihil neceſſe eſt Monarchiã inducere.

XIX. Alteram proprietatem Bellarminus appellat, Aſſequutionem proprij finis: qui eſt ciuium inter ſe coniunctio & pax: quæ in eo potiſſimũ ſita eſſe videtur, vt idem ſentiant, idem velint, idem ſequantur omnes: quod ſit faciliùs cum vni parendũ, quàm cum multis. Vix enim fieri poteſt, vt multi, quorum vnus ab alio non dependeat, de rebus iiſdem eodem modo iudicẽt. Itaque, ſi multi ſint, qui regunt, & alius aliud imperet: aut alicui non parebitur, aut in varia ſtudia populum ſcindi neceſſe erit. Quod tunc minimè poteſt accidere, cùm ad vnius tantùm officium pertinet imperare. Atque id vſus confirmauit. Siquidem apud Romanos ſub regibus raræ admodum inter ciues, diſſenſiones leguntur fuiſſe: exactis autem iis, cùm per annuos magiſtratus Reſpub. gereretur, rarus ille annus fuit, in quo nõ contenderent patritij cùm plebeiis: ac tandem eò vſque ciuiles contentiones progreſſæ ſunt, vt ſuis quodammodo manibus potentiſſima illa Reſp. interierit. Accidit etiam illud, quod nunquã maiori & diuturniore pace Romana ciuitas via eſt, quàm ſub imperio Auguſti; qui primus Romæ ſtabilem Monarchiam inſtituit.

XX. Reſpondeo: cùm idem ſentire, velle, ſequi, pendeat ab interno principio, non autem ab externo, ex natura liberi arbitrij, qua fit vt ſe cogi voluntas non [illegible]atiatur: eam optimam eſſe rationem aſſequendi eius finis qui proprius eſt Reipublicæ; quo minimè violabitur ciuiũ libertas: adeò vt ipſi quoque viri politici agnouerint ne firmam quidem eſſe Monarchiam, quam non ſecuram reddat populorum benè in principem affectus animus. Vnde nũquam ſatis laudata vox Marci apud Herodianum libro primo: *οὔτε χρημάτων πλῆθος αὔταρκες πρὸς τυραννίδος ἀκρασίαν, οὔτε δορυφόρων φρουρὰ ἱκανὴ ῥύεσθαι τὸν ἄρχοντα, εἰ μὴ προϋπάρχοι ἡ τῶν ὑπηκόων εὔνοια· μάλιστα δὲ ἐκεῖνοι ἐς ἀρχῆς μῆκος ἀκινδύνως ἤλασαν, ὅσοι μὴ φόβον ἐξ ὠμότητος, πόθον δὲ τῆς αὐτῶν χρηστότητος ταῖς τῶν ἀρχομένων ψυχαῖς ἐνέσταξαν· οὐ γὰρ οἱ ἐξ ἀνάγκης δουλεύοντες, ἀλλ' οἱ μετὰ πειθοῦς ὑπακούοντες ἀνύποπτοι.* *Neque opum abundantia quicquam habet, quod ſufficiat tyrannidis intemperantiæ. neque ſatellitum cuſtodia Imperatorẽ ſeruare poteſt; niſi adſit primũ ſubditorũ beneuolentia. Porrò illi potiſſimũ ſuũ imperium in longum tempus produxerũt, qui non terrorẽ e crudelitate, ſed amorem bonitatis inſtillarũt animis ſubditorum. Etenim ij demum ab omni ſuſpicione alieni ſunt, non qui neceſſitate ſeruiunt, ſed qui perſuaſi parent.* Similiter, Plinius Iunior libro octauo, Epiſtola ad Maximum. *Malè vim ſuam poteſtas aliorum contumeliis experitur: malè terrore veneratio acquiritur, longéque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quàm timor: nam timor abit, ſi recedas, manet amor: ac ſic vt ille in odium, hic in reuerentiam vertatur.* Quæ cùm ita ſint, tum id verum eſt, quo minus vehementiæ habet & terroris quæque ratio gubernandæ Reip. eò magis aptam videri ad finem propoſitum aſſequendũ, ſcilicet, vt omnes vnum probent, velint, ſequantur. Nemo autem neget plus eſſe & vehementiæ & terroris in Monarchia, quàm in vllo alio Reip. genere.

XXI. Fieri autem vix poſſe, vt multi quorũ alij ab aliis non pendeant, de rebus iiſdem eodem modo iudicent: primò alienum eſt. Nam in Democratia, Ariſtocratiáque nulli reperiuntur qui non ab aliis pendeant. Quia, etſi non à ſingulis; tamen omnes ab omnibus. Deinde falſum eſt: Nam poſitis iiſdem iudicandi fundamentis, & principiis, id eſt, legibus, non tantùm plures poſſunt de iiſdem idem iudicare: ſed etiam re vera ſępiſſimè factum eſt. Alias, quis

cedat

credat vllam vnquam Rempublicam vel vnum diē quietam fuisse. Et quotidiana experientia testis esse po est: tum olim Græcorũ, Romanorumque: tum hodie Venetorum, Heluetiorũ: & maximè Ecclesię. Secūdò, nec in Monarchia quidē, vbi ab vno pēdēt, omnes de o[illegible] ē rebus eudē modo iudicant: quia, vt diximus, iudi[illegible]re & velle, pendet ab interno motu: illa autem subiectio est quid externum, & quidē vim [illegible]res interno illi motui. Itaq; in Monarchia, nō curat Monarcha, quodnā sit subiectorũ iudiciũ; sed quantũ imperare queat: siue volentibus & persuasis siue etiā nolētibus, & coactis. Quod etiā reliquę politię imitātur; vbi nō pōderātur, sed numerātur [illegible]ffragia; vt quod maiori parti placet, id ratũ sit.

XXII. Iā verò ea est Ecclesiæ natura; vt nusquā magis requiratur interna persuasio. Nam & ad fidē nemo cogi potest inuitus: & Deus toto se corde vult amari: & deniq; hypocrisis peccatum est in primis Deo exosum. Quo fit, vt tota Ecclesiæ gubernandæ ratio, hūc scopũ habere debeat, vt & in Ecclesiā vocentur plurimi persuasi: & in Ecclesia contineātur non alia ratione. Itaq; quo magis ea ratio aberit ab imperio; hoc magis erit apta regēdæ, augendæ, cōseruandæ Ecclesiæ. Quare nō tantùm Christus negat Apostolos imperaturos vt reges gentium: sed etiam Petrus prohibet presbyteros dominari cleris. Vnde satis constat etiamsi in rebus seculi Monarchia sit optimum politiæ genus: tamen eam in Ecclesiam minimè omnium inducendam.

XXIII. Quòd si Romæ raræ sub regibus fuerunt dissensiones; contrà frequentissimæ fuerunt in Imperatores coniurationes; & aliorũ in alios bella ciuilia plurimis interfectis; Iulio, Caligula, Claudio, Nerone, Galba, Vitellio, Domitiano, Commodo, Pertinace, Iuliano, Caracalla, Heliogobalo, Alexādro, Seuero, aliisq; plurimis: vt audacter dicā, pauciores numerari seditiones cùm annuis magistratibus vteretur Resp. quàm cùm ab Imperatoribus est monarchicè gubernata. Et ipsius Romanę tyrannidis in Ecclesia, quis historiam nescit?

XXIV. Quare, cũ ratione siue persuasione ducātur homines ad idē & probādũ, & sequendũ: maior autē sit vis, maius imperiũ, in Monarchia, quā ratio & persuasio: videtur ergo ineptior Monarchia ad eũ finē assequendũ, quem Bellarminus proposuit. Sed vtcunq; hoc sit in Republica seculari, in qua nō tā corda persuadentur, quā externæ actiones diriguntur: certè in Ecclesia, in qua præcipuæ partes sunt cōsciētiæ, quæ cogi nunquā potest, sed persuaderi, eo inutilior erit Monarchia, quo magis abest à persuadēdo, magisque exercetur in cogēdo. Propterea nō sequitur optimā esse in Ecclesia, vt in Republica.

XXV. Tertia proprietas est, Robur ac potentia Reipublicę. Illa enim gubernatio cęteris antecellit, quę potentiorem ac fortiorē rempublicā facit. Illa verò fortior est Resp. in qua maior est ciuiũ inter se cōiunctio & cōspiratio. Vires enim cōiunctę seipsis dissipatis fortiores sunt. At maior cōiunctio est: vbi ab vno pendent omnes; quā vbi à multis. Et cōprobauit hoc experientiā. Siquidē è quatuor potētissimis imperiis, tria sub regibus creuerũt, Assyriorum, Persarũ, Gręcorũ: vnũ Romanũ sub populari dominatu, sic tamen, vt nec in maximis perturbationibus sine Dictatore, id est, Rege ad tempus constituto, conseruari posset: & postea sub Augusto Monarcha multo magis floruerit.

XXVI. Respōdeo; primũ robur Reip. cōparandũ vel in diuersis Rebusp. vel in eadem. Deinde maiorē ciuium consensum ambiguè dici, vel cũ multitudo ciuiũ cōsentientiũ est maior; vel cũ, eodē posito numero, cōsensus ipse firmior est & sincerior. Si rēpublicā nō secũ cōpares, sed cũ aliis, tũ illa sine dubio fortior est, in qua maior est cōsentientiũ ciuiũ numerus. Sed fieri potest, vt hoc robur deteriori politiæ accidat. Nā tyranni fortiores esse possunt multis nō tantùm Democratiis & Aristocratiis; sed etiā regnis: vt Tamerlanis vires facile fuere superiores Imperij Romani viribus: fieri etiā potest, vt nō tantùm Aristocratia, sed etiam Democratia, regna superet: quomodo Romani Antiochũ, & Iugurthā, & Perseum, & alios reges. Cęterùm hoc roboris genus, in Ecclesia est inutile; quia externis hostibus, nunquā illa restitit magno suorũ ciuium numero: sed tantùm paucorũ constātia inuicta, imò singulorũ ad martyria paratissimorũ: & nunquā tam pura, tam sancta, id est, tā bene cōstituta fuit, quàm ab initio, quũ pauci essēt fideles. Ad extremũ etiā, cũ vix fidē in terris se inuēturum Christus prædicit, quis eā putet magno suorũ ciuiũ numero pugnaturā cōtra Antichristũ?

XXVII. Quòd si Rempublicā vnam eandémq; secũ cōpares; tum verò firmior illa sinceriorq; ciuiũ cōiunctio, multũ addit ad robur. Sed cũ vnio oriatur ex interno potius motu, & persuasione magis quā imperio: videtur etiā eam Remp. futurā robustiorē, quæ magis persuasione regatur, quā imperio. Itaq; maiorē esse conspirationē ciuiũ in Monarchia quā in Aristocratia, & Democratia; falsum est. Falsum item in his dissipari vires Reipublicæ. Nam istas vel ex earum natura consideramus; vel ex incidēntibus vitiis. Ex natura si consideres, omnino vires vnitæ cōsiderādę sunt: nā ea natura est omnis Reipublicę: & experiētia suffragatur. Nā quis Romanæ Democratię vires neget vnitas fuisse? Quis nunc dissipatas dicat Venetę Aristocratię? Quòd si vitia cōsecteris, fit importunè: nā quis nescit Monarchiā suis incōmodis nō carere? Aut quis nō meminit bellorũ ciuilium cùm alibi passim, tum in nostra Gallia? Ergo neque semper in Aristocratia diuisę sunt vires, neque semper in Monarchia vnitæ.

XXVIII. Quarta proprietas est stabilitas, ac diuturnitas: neq; enim negari potest (inquit Bellarminus) quin illa sit melior gubernatio, quæ stabilior, & diuturnior est. Quod sic demonstrat: vim Reip. noxiā diuidens in externā & internā. Contra externam, præcedente proprietate ostensum, esse fortiorem Monarchiā. Quoad internā verò, sumit minus esse casibus & mutationibus obnoxiā. Et probat; quia (Matthæi duodecimo) *Omne regnũ in se diuisum desolabitur*: difficiliùs autē diuidi possit Monarchia. Ratio est: quia id min' facile diuiditur quod est magis vnum: at magis est vnũ ipsum simplex vnũ, quā multitudo cōspirans in vnum. Illud enim vnum est per se & naturaliter: & nihil aliud est, quàm vnum: hæc autem solùm ex arte est vnum: per se verò, & naturaliter multa. Igitur Monarchia, quę pendet ab vno, minus facile scindi, destruive potest; quàm Aristocratia, vel Democratia: quæ pendent à multitudine conspirante in vnum.

XXIX. Respondeo: Non bene diuturnitatē proferri in argumentũ bene cōstitutæ Reip. Quemadmodum enim nō est necesse eum hominem magis fuisse sanũ qui diutius vixerit; etsi id accidat nonnũquā: sic nec eas Respublicas fuisse melius cōstitutas, quæ fuerint diuturniores. Aristoteles Ethicorum ad Nicomachum lib. 1. cap. 6. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τῷ ἀΐδιον εἶναι μᾶλλον ἀγαθὸν ἔσται, εἴπερ μηδὲ λευκότερον τὸ πολυχρόνιον τοῦ ἐφημέρου. *Neq; verò eò quòd sempiternũ, magis erit bonum. siquidē neque res candida diuturna, candidior est ea, quæ vnũ*

discādida est. Et quæso, vt agant nobiscū ingenuè; respōdeantq; quomodo dicat diuturnitatē esse argumētū optimè cōstitutæ Reip. An sic, vt verū sit, rectè cōstitutas Resp. esse diuturnas: an verò diuturnas esse rectè cōstitutas. Atq; etiā id ipsū: specialitèr ne quasdā, an vniuersaliter omnes? Nā si specialiter, infirmāt ipsi suū argumētū: quia erit quędā Resp. vel bene constituta nō diuturna: vel diuturna nō benè cōstituta: ac proinde nec diuturnitas cōcludet Monarchias esse benè constitutas: nec breuitas inferet aut Democratias, aut Aristocratias esse malè constitutas. Sin autem vniuersaliter; ergo vel nulla regna oportebit esse breuia: vel, si sunt quędā breuia: falsum erit omnia regna esse bene cōstituta. Et rursus, vel nulla Aristocratia, nullaque Democratia erit diuturna, vel si sit, aut diuturnitas, non erit signum optimè constitutæ Reipublicæ: aut erit quædam Aristocratia & Democratia optimè constituta.

XXX. Et vt exemplis etiā pugnemus: Respublicà Carthaginensis fuit lōgè diuturnior regno Syracusano Dionysij: Respublica Romana regno Macedonico: Respublica item Veneta regno Neapolitano: Quid ergo? Alterutrū sine dubio fatēdum, aut non esse diuturnitatē argumentū bene cōstitutæ Reip.; falsoq; Bellarminū dicere, illā esse gubernationem meliorē; quæ sit stabilior: vel illas Respublicas, illis regnis melius fuisse cōstitutas. Vtrūuis Bellarminus affirmet, caussa cadit. Nam si illud: ergo præstigiator erit, qui vt nobis imponat; id profert pro argumento, quod scit ipse nō esse argumentū. Sin hoc: ergo falsum est omnem Monarchiam esse melius constitutam qualibet Aristocratia & Democratia.

XXXI. Sed rē ipsam propius intueamur: Euertūtur Respub. vi aliqua, vel interna vel externa, sic enim distinxit Bellarminus: & rectè. Contra vim externā; opponit maius illud robur, quod in Monarchia esse dixit, in tertia proprietate. At nos ostēdim⁹ in Monarchia, ob id ipsū quod sit Monarchia; nullū esse maius robur quā in Aristocratia, ob id quòd sit Aristocratia: aut in Democratia, quaten⁹ Democratia. Et sanè si aliter se res haberet: primò nullum regnū esset alio regno robustius: nā in vtroq; æquè Monarchia: deinde, nulla Aristocratia vel Democratia robustior vlla Monarchia. At cōtrà, nō tantū Regnum Græcorum fortius fuit Regno Medorū: sed etiā Respub. Romana longè fortior regno Gręcorum: quod nunquam factum esset: si contra vim externam. Monarchia, eo ipso quòd Monarchia, satis munita esset sui regiminis viribus.

XXXII. Ad vim internam quod attinet, insigniter Sophistā Bellarminus egit. Omne regnum diuisum in se desolabitur; oraculū est diuinū Sed Aristocratiā, Democratiamq; regnum esse diuisum in se, quis Bellarminū docuit? imò cui se persuasurum sperauit Bellarminus? Nam Christus intellexit eā diuisionē, qua fit vt pars partē inuadat: quod fit in seditionib⁹. At eæ seditiones eaq; diuisio, nō est Aristocratię aut Democratiæ natura: sed morbus. Imò potiùs morbus nō Aristocratię tantū aut Democratiæ, sed in vniuersum Reip. Atq; adeò docuit experiētia intestinis ciuilibusq; bellis regna esse nō minus obnoxia. Quin plura opinor numeres in Gallico nostro regno, quàm in Aristocratia Veneta, aut Democratia Heluetica. Et in ipsa Romana Rep. quandiu Maiestas fuit penes populum, etsi sæpe seditiones obortę sunt; tamen pauciores fuisse certum est, quā ex quo Imperatores regnare cœperunt. Deniq; hic ipse sermo vnde prodiit? Certè à regno. Nónne enim Christus disertè: Omne regnum diuisum? Et regnis ergo metuenda hæc pestis: non soli Democratiæ.

XXXIII. Difficilius solui quod per se ac naturaliter est vnū, nemo sanus negauerit. Sed inter ea quæ sic sunt vnū, Monarchiā numerare, insignis est vel rei si imperitia; vel audacia. Atq; adeò ne Bellarminus quidē ausus: qui assumēdo tātū dixerit Monarchiā ab vno pendere. Cui autem mentis nō emotæ persuaserit, idē esse, pēdere ab vno, quod, per se, & naturaliter vnum? Monarchia per se & naturaliter est multitudo, æquè ac Aristocratia, & Democratia. Est enim omnis [illegible], apud Aristotelem Politicorū 3. cap. 6. siue [illegible], cap. 1. [illegible]. Est igitur multitudo cōspirans in vnum. Itaq; Polybius lib. 6. [illegible]. *Nō est qualibet Monarchia, Regnū dicenda: sed tantum quæ ex sponte.* Quod si ita est: ergo non aliter regnū vnū est, quā aliæ, nempe quatenus fit, vt multitudo, quæ cōstabat ex infinitis indiuiduis dissipatis, pēdeat ab vno, ad quē communi cōsensu delatū est imperiū. Quanquā non cōmunis tantū consensus efficit regnū, vt Polybius putabat; sed etiā vis; & quidē sæpius. Sed si vi fit regnū: tūc eò infirmius necesse est esse: quia prima statim oblata occasione resiliūt partes, violēter vnitæ. Vt accidit imperio Rom., cui inuitę, nec nisi multis bellis ferò domitæ parebant olim Gallia, Hispania, Anglia; aliæq; plurimæ nationes, quę tandē iugum excussêre. Sin verò sponte fiat; quod Polybius necessariū putauit; tum nullū habet Monarchia maius vinculū, quā Aristocratia quā Democratia. Itaque nullo argumēto cōficitur, Monarchiā esse firmiorē, eò ipso quòd Monarchia est, aduersus vim cùm internā tum externam, quā sint reliquæ formæ Reip.

XXXIV. In Ecclesia verò, vim externam appellamus persecutiones ab infidelibus excitatas: aduersus quas vidēt omnes nullū esse præsidiū Ecclesiæ, in suo robore: cùm non pugnet armis carnalibus, & patiendo potiùs vincat. Quod si quando armis carnalibus defensa fuit: certè nunquā suis: sed Reip. id est, alienis, mutuatitiisq;. Nunquā enim nisi sub Papatus tyrānide, auditus est exercitus Ecclesię, milites Ecclesię: & similia nomina vsurpata tū temporis cū Episcoporū Romanorū in tantū excreuit audacia, vt Imperatoribus, Regibúsq; bellū inferre auderent. Certè Ægidius Viterbiensis in Cōcilio Lateranense sub Iulio secundo, huic Pōtifici datū testatur, quod nemini antea, vt militiæ Ecclesiæ arma magnis regibus metuēda faceret. Hac ergo ratione duratio Ecclesiæ non pendet ab eius externo regimine, quodcunq; id sit. Vim autē internā vocamus hæreses, & schismata: nam sic sæpe [illegible] Patres nominarunt. At hanc vim contra; nunquam [illegible] (vt ita dicam) ab Ecclesia pugnatum: sed autoritate Conciliorum, vel doctorum hominum disputationibus; quod ipsa probat historia, & nos alibi fusiùs explicamus.

XXXV. Quinta ac postrema proprietas est, facilitas gubernationis. Multū enim refert (inquit) facile an difficulter obtineri possit, vt ciuitas bene gubernetur. Faciliùs autē esse, vt ab vno rectè ciuitas regatur, quàm à multis: his probat argumētis. Primò, faciliùs est vnū hominē bonū reperire quā multos: Secundò, populi faciliùs vni parebunt quā multis. Tertiò, Magistratus, qui per vices, atq; ad breue tēpus Remp. gerunt, sæpe coguntur prius deponere prouinciā, quā negotia planè cognouerint: Rex autem semper eodē officio fungitur: itaq; tametsi tardioris interdū sit ingenij, tamē vsu atq; experientia multo

multis aliis præstat. Quartò: annui Magistratus negotia Reip. eò quòd nō propria, sed cōmunia sint, quasi aliena respiciunt: Rex verò tanquā sua & propria: certum autē est, cū faciliùs, tum etiā diligentiùs propria quā aliena curari. Quintò: vbi multi sūt qui regunt, vix fieri potest, vt absit æmulatio, ambitio, contentio: ex quo nō rarò fit, vt alij alios impediāt: at verò Monarcha, quia non habet cui inuideat, aut cum quo de gubernatione contendat, faciliùs omnia moderatur. Sextù, quemadmodū in amplis familiis, vbi multis seruis idem ministeriū assignatur, negligenter negotia procurantur, quod vnus alij prouinciam communem relinquat: sic etiam vbi multi sunt principes Reipub. vnus alium respicit, & dum vnusquisq; in collegas onus reiicit, nemo satis diligentē curam adhibet ciuitati. Rex autē, qui scit à se vno pendere omnia, cogitur nihil negligere.

XXXVI. Respondeo, gubernationis facilitatem nullam maiorē esse in Monarchia, quā in aliis Reipublicæ formis. Imò contrà in his maiorem. Quia infinitam negotiorum molem in plures distributā, omnes sine dubio faciliùs sustinent, quàm vnus: vt onere ferendo baiuli multi sufficiunt, cui vnus nullus par esse queat. Comprobatur autem experiētia. Nam ipsi Monarchæ necesse habent, multos sub se officiarios cōstituere per singulas prouincias; quorum alij ærario præsint; alij iuri dicundo; alij bello gerendo: Adeò quidem, vt in hoc solo Galliç regno eiusmodi officiariorū numerus longè excedere dicatur summam centum millium. Et quidem ita, vt non semper singulis sua certa distributa sint officia: sed etiam pluribus eadem in commune. Nec tamē hoc regnum eò negligentiùs administrari quisquam queritur.

XXXVII. Ad primum autē argumentum respōdeo. Primùm: non esse commune cuilibet Monarchiæ: cùm tamen vniuersaliter Monarchiæ caussam disputandam Bellarminus susceperit: sed proprium electiuæ. Nam in hæreditaria nō eliguntur viri, sed dantur à natura; & plerumq; monstra hominū potius, quā homines: vt taceā pueros: taceā mulieres. In violenta frequentissimi sunt, qui sceleratissimi. Secundò in ipsa electiua (cuius partes Bellarminus propriè tuetur) non pauca sunt, quæ infirmant hoc argumentū. Nam infinita exempla probant, ex bonis viris plurimum fieri pessimos principes, vt Tiberios, vt Nerones: atq; adeò paucos numerari, qui ex priuata fortuna in Monarchiā euecti, non profecerint in deterius. Deinde ipsa electio, quot modis, quæso, vitiari solet? Præcipui: Corruptio, factiones. Illa, cùm præsenti pecunia principatus emitur. Hæc cùm potentes supremum quisque gradum ambiūt: & scinduntur ij quorū electionis ius est: [Greek illegible]. Ea autem vitia cū adsunt singula, nedum omnia, vix miraculo fieri potest, vt optimus eligatur. Quid præsentem dicam necessitatem, quę non tam optimo quā τῷ τυχόντι rerū habenas dat in manus? Sic Herodianus testatur mortuo Antonino, & Audente imperiū recusante, Macrinum electum: [Greek illegible]. *Non tā beneuolentia fideque militum, quàm necessitate penuriaque præsenti*: lib. 4.

XXXVIII. Atq; hæc electionis vitia eò sunt nocentiora, quo minùs cohiberi potest Monarchiæ autoritas, quę se iactat ἀνυπεύθυνος, & vt Herodotus loquebatur, ἀνεύθυνος. In Democratia verò & Aristocratia, etsi possunt eadē accidere in electione magistratuum: tamen non adeò solent esse noxia: quia Magistratus non sunt αὐτοκράτορες, aut [Greek illegible] sine ἀνεύθυνοι: sed ὑπεύθυνοι: & cohiberi possunt ab iisdem à quibus creati sunt: cohiberi autem & post depositum Magistratum: & tum etiam cùm Magistratum gerunt, vel coacti renunciare, vel etiam depositi. Astipulatur experientia. Nam hinc celebre illud cuiusdā dictum, omnium bonorum regum nomina si colligantur, facile annulo inscribi posse: quod de Aristocratiæ, Democratiæve magistratibus nemo dixit vnquam.

XXXIX. Secundum argumentum nego esse vniuersale. Sunt enim populi, qui vni nunquam libenter pareāt: vt olim testantur historię infinitum fuisse libertatis amorē: tantùmq; odium tyrannidis; vt tyrannicidæ certa essent proposita præmia. Deinde, multos populos simul, vni Monarchæ parere inuitos quotidie videmus, nō minus quā vni Democratiæ, Aristocratiæve. Neque enim maiora bella fuerunt Carthaginēsiū: aut Attali contra Romanos: quàm Darij, Porive contra Alexandrum: & nostro seculo Regum Franciæ & Hispaniæ inter se. Quod, si verum esset, multos populos vni melius faciliùsq; parere: nunquā profectò populi sese tantis bellorū periculis obiecissent. Et quis nescit diuersos populorum mores, diuersa ingenia, nō rarò etiā cōtraria, haud paruo esse impedimēto, quominus vni eidēq; omnes pareant Monarchæ? Nam & miraculi instar ab historicis notatur in Hannibalis exercitu, nunquam ortam seditionem. Tertiò, non cuilibet, sed bono tantùm Monarchæ: qui q; ipse se legibus subiiciat, populi libentes seruiunt. qui tamen rarò contingit, simillimus nigro Cygno.

XL. In Ecclesia verò tanto ineptius sit hoc argumētum, quāto certiùs constat regendę Ecclesiæ rationē non imperiū esse, sed διακονίας. Atque adeò historiæ testantur, tuto vni autoritatē vsurpāti sæpius Ecclesias restitisse: ipsis aduersariis testibus, diligenter enumerantibus schismata, quæ vocant Ecclesiæ Græcæ, & Carthaginēsis, & Cōstātinopolitanæ, & Rauennēsis, & Gallicarū: tum omnes libēter obtēperasse pluribus: hoc est Conciliis. Adeò vt necesse fuerit ipsi Episcopo Romano, quoties frui voluit reliquarum cōmunione, id est, vt loquūtur schismata, extinguere, rem ad Conciliū deferre: quod de Gręcis prolixè docet Antoninus historię parte tertia titulo 22. cap. 13. enumeratis duodecim schismatis, quorum pauca aliter sedata sunt. Et in Actis Apostolicis, qui vni Paulo non obtemperabant, summo Pontifici, id est, Apostolo, in vsu legalium, obtemperarunt Synodo Hierosolymitanæ.

XLI. In tertio argumento, insignis fallacia, cùm sermo sit de iis penes quos summum est imperium; subitò transite ad Magistratus annuos. Cùm tamen vbiq;, id est, in omnibus Reip. formis, ij penes quos summum est imperium, sint perpetui. Imò in Aristocratia iidem Remp. gerant, & magistratus obtineant. Possint etiam Magistratus esse perpetui, vt apud Lacedæmonios, Reges, Venetiis, Duces. Denique ad Ecclesiam hoc nō pertinet, in qua Pastores sunt perpetui, non verò annui. Quāquam oportet non esse perpetuum: alioquin nulli vnquam annui Magistratus rem bene gessissent: quod est falsissimum, atque adeò plures in vna Romana Rep. annuos Magistratus numerans in omnibus Reip. partibus magnos, quā Imperatores, quantumuis perpetuos. Nec quisquam dubitat Brutos, Publicolas, Coruncanos, Fabios, Scipiones, Pompeios; longè pręferendos Tiberiis, Neronibus, Caligulis, Domitianis, Caracallis, Heliogabalis.

XLII. Ad quartū: Primò, nullam vim id habet in

Electiua Monarchia. Non enim sua possunt dicere ea quę ad Rempublicam attinet, ij, ad quos sola administratio, dum viuunt, pertinet, quasi ex fideicōmisso: sic vt in eam nullum ius sit eorum liberis, aut cuiquam ex eorum genere. Quo fit, vt non rarò intentiores sint, vel mutādo statui, vt ex electiuo reddant hæreditarium: vel certè minuēdo, vt inde suos augeant, quo iure quáve iniuria: quod studium perpetuum esse Episcopis Romanis historiæ loquūtur. Secundò: qui suā & propriam censent Monarchiā, eâdem facilius abutuntur: cùm se nō propter populos esse creatos putant: sed contrà populos propter se. Inde Samuelis ad populū grauissima admonitio octauo capite primi libri: vbi multa enumerat, quę sibi vsurpaturi erāt reges: quæ tamē leuia sunt, præ iis, quæ vsu quotidiano cernūtur. Magistratus autē eo ipso quod se creatos norūt ad administranda negotia nō sua, sed publica: atq; ita quidē, vt sit ratio reddēda, diligentiùs fungūtur suo munere. Itaq; plures numerari possūt in Romana Rep. Cōsules optimè functi suo magistratu, quique se ac sua omnia ad cōmune bonū retulerint, quā Imperatores & Reges.

XLII. Iam verò in Ecclesia, hæc ratio locū nullū habere potest: Quia disertè Christus, *Reges gentiū dominantur eis, vos autem non sic*. Et Petrus: *Pascite gregem, non tanquam dominantes cleris*. Quæ verba vetant Ecclesię pastores sic res Christianorum administrare, quasi earum essent domini; eásque proprio iure possiderent; mancipatásque haberent. Et tamen ex omnibus Rebusp. nunquam tot magistratus bonos excerpas, quot ex Ecclesia fideles Episcopos. Ratio hæc vnica est, quòd sese norūt nō suū possidere: sed Domini gregem pascere. Cùm id verò dicitur, constat conscientiam vrgeri; qua nihil est in omnes partes potentius. Ac porrò ab experientia præteritorum temporum, in futurum spes esse potest certa, nō defuturos, qui hāc ipsā ob caussam eodē ipso munere fungātur religiosè: etsi in tanta morū desperatione, tāta etiā pessimorū exēplorū multitudine, videatur nihil non metuendū. Sed viuit Deus qui sui sunt: potest etiam è lapidibus suscitare filios Abrahamo.

XLIV. Ad quintum: Ne Monarchia quidem æmulationis periculo caret. Tū quia sub vno Monarcha necesse est plurimos esse inter se pares; qui contendant περὶ τῶν πρωτείων; etiamsi desperent se solium regium occupaturos. Cur nō enim, æquè ac in Democratia? Nam hîc, etsi Maiestas semper sit penes populum: tamen illę æmulationes oriūtur nimium sæpe. Tum præcipuè, quia ipsi Monarchæ plures inuident. Vnde in Imperio Romano tot aduersus ipsos principes cōiurati. Neque enim tantùm æmulatio solet esse inter pares: sed etiam aduersus maiores inuidia. Sic his paucis elapsis annis, norūt omnes quas tragœdias excitarint in Gallia, omniū regnorum regno absolutissimo, ij qui in Reges regnúmq; coniurarunt: quod eo libentiùs Bellarmino in memoriam reuoco; quòd certò sciant omnes nō fuisse nullas in iis turbis eius operas & fouēdis, & augendis, cum suo Cardinali Caietano. In ipsa Ecclesia, quis ignorat contentionē Episcoporum Constantinopolitani, Rauennatis, Romani? Quis Antipaparum schismata non audiuit? Et quidē in annos plurimos? Hæc nimirum nullā æmulationē redolebāt? Hæc scilicet in Monarchia Ecclesiastica nulla erant siue incommoda, siue pericula?

XLV. Ad sextum. Primò incuriæ periculum non est perpetuum: alioqui nullæ vnquam Aristocratię, Democratiæve, rectè fuissēt administratæ: quod cōtrà est. Nam quandiu Romana Resp. permāsit Democratica, quā plurimos habuit, qui negotia publica nō secus curarunt, quā si ad se propriè pertinerēt: nec paucos, qui suis propriis prætulerint. Deinde, id tū accidit, cū pluribus nullo designato idem munus tractandū relinquitur potiùs quā cōmittitur: sed nihil obstat, quominus publica negotia curē... cū singula certis quibusdā, aut singulis, aut etiā pluribus specialiter demandantur: vt Romana duobus Consulibus; aliquando etiam sex Tribunis militū: qui, quia specialiter erāt nominati, non indiligentiùs suo fungebātur officio, quā Dictatores, qui erāt singuli. Tertiò multò magis verendū, ne vni & soli cōmissa infinitorū negotiorū moles, nō modò indiligēter curetur, sed etiā magna ex parte intacta relinquatur: cū ei vnus homuncio par esse nequeat ... si iā alios substituas; quæso, quā ubic in reliquis formis Reip. periculosior sit multorum administratio, quā in Monarchia? In Ecclesia verò is ordo est, vt nō indefinitè omnes omnibus partes cōmittantur, sed singulę vel singulis, vel pluribus: paucis tamē, & designatis. Hoc modo Ecclesia Antiochena cū primū cœpit, à Barnaba & Paulo est administrata: sic Ephesina, teste Luca, à pluribus Episcopis. Denique sic Apostolis & omnibus & singulis tota credita est Ecclesia: vt ipsi tamen sibi prouincias sumerent, Paulus Gentes, Petrus Circuncisionem, Thomas Indiam, Ioannes Asiam; alij alias. Quare hoc neglectæ Reipub. periculum, non necessarium est in Rep. non Monarchica; & multò minus in Ecclesia.

XLVI. Sed Monarchię pręstantiā duobus adhuc argumentis Bellarminus tuetur; ab auctoritate tum diuina, tum humana. Deus (inquit) tribus modis ostendit Monarchiā esse optimū regimen. Primò institutione generis humani, quod fecit ex vno semine, teste Paulo Actorū 17. producens virū ex humo, fœminā ex viro: cuius caussam Chrysostomus esse dixit, vt esset inter homines nō Democratia, sed regnū: homilia trigesima quarta in priorē ad Corinthios. Secūdò, cùm omnibus penè rebus inseuit naturalē propensionem ad Monarchiā: sic in qualibet domo vnus est paterfamilias, ad quem pertinet gubernatio cōiugis, filiorū, seruorū, rerū deniq; cæterarū sic maxima pars orbis terrarū à regibus gubernatur & quidē antiquitus ea forma est, alitis: teste Iustino lib. 1. Sic etiā animalia rationis expertia, vnius principatū expetere videntur: vt apes, greges, armēta, grues. Tertiò: cùm Remp. instituit Hebræorū: in ea enim primò Patriarchę Principes: deinde Duces: tertiò Iudices: quartò Reges: rursum iterū Duces.

XLVII. Sed hęc superioribus nō sūt absimilia. Ad primū respōdeo, in Adamo agnosci patriā potestatē: nō verò Monarchicā. Sūt autē hæc duo potestatis genera lōgè diuersa. Nā illa ad Oeconomiā pertinet, ista verò ad politiā. Est aūt οἶκος domus, pars tātū politiæ; quā cōstare è multis familiis, nō erat lectoris expectandū, vt admoneretur. Itaq; quia in Adamo ortū factū est familiæ, rectè cōcluditur eius gubernādę autoritatē penes vnicū esse; quod ita naturale est, vt aliter factū sit nunquā. δεῖ γὰρ ... ἀλόγων. Ridiculū tamē est, quia paterfamilias vnus regit, & μοναρχία nomen vnius potestatē significat, ideò Monarchiā appellare patriā potestatē; nimis exile id est syllabarū aucupiū. Nam quid tū si sint vocabula homonyma, dū sit definitio discreta? Nā Monarchia, de qua disputamus, est politia in qua vnus curat rem nō suam, sed publicam. At in familia, vnus suam rem curat. Non enim κτῆσιν tantùm, sed & ἀνδράποδα, quas partes familiæ Aristoteles notat, sunt in potestate patrisfamilias. Sunt enim homi-

homines, vel liberi vel serui: liberi, vxor & filij. Ea omnia non sui sunt iuris. sed in potestate patrisfamilias. Iraque non procedit cõclusio à familia ad [illegible] (inquit Philosophus Oeconomicorum primo) [illegible] *Differunt Oeconomice & Politice: non solum, quantum familia, & ciuitas: sunt enim hæc vtriusque subiecta verùm etiam, quod Politice ex multis principibus: Oeconomice verò Monarchia est.*

XLVIII. Abutitur verò Chrysostomi nomine Iesuita. Ille enim nunquã dixit creatũ esse à Deo vnũ hominem, aut ab vno semine totum genus humanum, vt esset inter homines non Democratia, sed regnum. Quid igitur? Vt mutuò amare disceret homines. Primò, generationis mysteria exsequitur: deinde familiæ ordinationem. De generatione locus sic habet. Explicat illud Pauli, [illegible] *Sectamini charitatem*: & examinata vi [illegible], elicit magno studio, curaq; exacta opus esse charitatem amplexandam. [illegible] *Etenim Deus ab initio infinitis artibus vsus est, vt eam nobis inseretet. Nam & omnibus vnũ caput dedit Adamũ. Quamobrem enim non omnes nascimur è terra: Cur non perfecti, sicut ille? Scilicet, vt & partus, & infantiũ educatio: & quod nascimur alij ex alijs; nos inter nos colligarent. Propterea, ne mulierem quidem fecit è terra. Nam non sufficiebat ad nos honesto pudere cogendos ad concordiam: quod omnes eiusdem simus substantiæ, nisi & eũdem haberemus generis autorem: etiam hoc curauit. Enimuerò si nunc, cùm solus locus disiungitur, nos alij ab alijs alienos putamus: multo magis, si duo principia essent generis nostri. Propterea ergo, tanquam ab vno capite totum corpus humani generis colligauit.* Hæc Chrysostomus. In quibus de regno, aut Monarchia politica, neque [illegible] neque [illegible]: sed tantùm de charitate: quæ quidem esse & potest & debet in Aristocratia, & Democratia; æquè ac in Monarchia. Iam de familiæ ordine paulò pòst: [illegible] *Deinde, vt alterum quidem subiiceretur, alterum imperaret (etenim honoris æqualitas solet pugnas inducere) non permisit esse Democratiam sed Monarchiam: & quem in exercitu, eundem in singulis familiis ordinem quilibet videat.* Hæc Chrysostomus. Atqui de familiæ Monarchia nemo dubitat. Nec consequens est, si in familia vigeat Monarchia; ideò etiam vbique terrarum aut in Ecclesia debere constitui.

XLIX. Ad secundum: Omnibus rebus insitam propensionem ad Monarchiam falsum. Non enim hominibus; quia nullius Monarchiæ constitutionẽ nouimus non violentam: id est, cõtra naturam, naturæque propensionem: aut si non constitutionem (vt fortè in vna atq; altera) certè incremẽta. Quod nunquam factum foret; si in eam hominum natura inclinaret. Nam familias quidem nulla vis cogit in vnum: Ciuitates etiam naturalis hominum ad societatem propensio cõgregauit. Et in vniuersum, à natura duci se non trahi sentiunt homines. Quo argumento quis Democratiam dixerit esse Reip. formã reliquis omnibus humanæ naturæ accommodatiorem? Nam non Monarchiæ tantùm ferè omnes: sed & Aristocratiæ plurimæ, per vim constitutę sunt: At Democratiæ nullæ, familiæ verò exemplũ est extra rem, vt iam diximus. Quod maxima pars orbis terrarum à Regibus gubernetur, nõ efficit eam formã esse naturalem: Nam seruorum vsus longè patebat olim latius; quem tamen esse cõtra naturam nemo sanus nõ fatetur. Esse verò rerumpublicarum antiquissimam Monarchiam; ne Iustino quidem credi-derim. Quamuis non tam videtur antiquitatẽ Monarchiæ obseruare, quàm antiquarum Monarchiarum moderationem indicare, quam Ninus primus violauit. Sed vt vt sit, tamen primũ Monarchã Nimrodum legimus: & ante eum tamen ciuitates. De animantibus rationis expertibus, nugatur Sophista. Nam & minima eorum pars [illegible] viuit: & hæc ipsa Monarchiam nullam nouit; exceptis, si fortè apibus. Quid enim? In gregibus dux vnus, & in armentis rector vnus, fateor: Sed alterius naturæ, scilicet homo. Nam neq; aries arietibus imperat, neq; bos bubus: aut gruibus grus. Atq; adeò, si quis obseruet, non semper vnus aries præcedit, sed promiscuè [illegible]. Et grues alias alijs succedere in primum locum omnes agnoscunt. Hęc igitur exempla nihil ad Monarchiam.

L. Ad tertiũ: Patriarchas nego Monarchas fuisse. Nam Abraham, Isaac, Iacob; patresfamilias duntaxat fuere: iis enim viuentibus nondum in Remp. excreuerat eorum semen. Abrahamum gessisse bellum certum est: sed exercitu coacto è vernaculis tãtùm: non igitur ex ciuibus: sine quibus nulla politia est: nulla Monarchia. Iudas verò cùm nurum suã igni adiudicaret; non alio iure vtebatur quàm patrisfamilias: quis enim ignorat patrisfamilias in suos ius fuisse vitæ necisque? Post Patriarchas autem illos primos diuisus est Israeliticus populus in varias tribus: ac tum verè constituta politia: sed nunquam regia vsq; ad Saulem. Nam Mosen, Iosue: & deinde Iudices, quod nominant, facile negotium. Quia illos extra ordinem Deus eligebat, mittebat, mouebat; ad præsentes necessitates: non verò sic constituta aliqua forma Reipublicę: legimus enim multis annis nullos fuisse, aut duces, aut iudices. Imò ex capite secundo Iudicum discimus: mortuo iudice populum auerti solitum à Deo; indeque variè ab hostibus exercitum, donec [illegible]ius alius iudex suscitaretur: quo certè significatur, non fuisse ordinarium, continuúmque magistratum, quæ nostra quæstio est. Roma autem non propterea Monarchia erat, quòd Dictator aliquando fieret. Tandem ad reges deuentum: non Dei præcepto: sed populi inconstãtia & temeritate: quam Deus grauiter increpuit; adeò vt se ab iis derelictum quereretur: ad eósque deterrẽdos regis משפט ius, siue, vt ego censeo, cõsuetudinem describeret, cuiusmodi solet esse tyrãnorum. Quibus argumentis, si negamus confici, displicuisse hanc populi inconsiderationem, cur non solem negemus lucere meridie? Quamuis non sit negandum, hoc peccatum ita fuisse à Deo moderatum, vt è malo bonum emeret.

LI. Et hæc quidem de Institutione diuina, ita disputata sunto. Non, vt concludatur exosam esse Deo Monarchiam [illegible]: sed tantùm ne illa sese reliquis præferat. Nam & reliquæ item sunt à

Deo; Et Monarchia non est nisi ab illo. Sed κατὰ τί. Non enim sic Democratiam probat, vt nusquam velit esse Aristocratiam: aut istam rursum ita, vt nusquam Monarchiã: sed ita omnes amplectitur, vt alibi Democratiã esse velit: alibi Aristocratiã foueat: alibi tandem Monarchiam protegat. Quare nõ incõsideratè facimus, cũ Ecclesiã distinguimus à politia: & negamus idẽ de vtraq; statuendũ. Aliàs, cùm Democratiam in politia, nemo negare possit esse à Deo; posset etiã confici eandẽ gubernationis formã non improbandã in Ecclesia: quod neque Papistæ laudauerint, neque vlli Catholici concesserint.

LII. Supersunt autoritates humanæ: Ecclesiasticorũ, Prophanorũ. Ecclesiastici nominãtur Iustinus oratione exhortatoria ad Gentes: Athanasius oratione aduersus idola: Cyprianus de Idolorũ vanitate: Hieronymus ad Rusticũ Diaconum: Thomas primę partis quęstione cẽtesima tertia, articulo tertio: & libro quarto contra Gentes cap. 76. Sed Thomæ autoritas nulla. Reliquorũ expedita res est. Neque enim illi de varijs Politiæ formis disputant ex professo: sed de Deo, quẽ vnum probare cõtendũt; eò quòd multorum Dominorũ imperiũ sit noxiũ. Et rectè: Nam sensus est: nunquã bene eam Remp. administrari posse, in qua plures sint ad quos singulos absoluta autoritas pertineat. Sic Cyprianus, *Ad diuinum Imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quomodo vnquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore desijt?* Regni, inquit, societas: non autem Respublica qualibet; non Democratia: non Aristocratia: nã refutaretur infinitis exẽplis: sed Regni societas. Rectè itaque Hieronymus: *Roma vt condita est, simul habere duos reges non potuit*; Nimirũ Romulus, non simpliciter politiam, siue Rempublicam instituebat; sed eam in qua authoritas esset regia. Itaque statim deuentum ad cædem: quia duos Reges, vix vnum regnum capit: Etsi nonnũquam exempla fuerunt in contrarium; sed rarissima. Inde autem non malè vnus Deus concluditur, quia Deũ nemo aliter cõcipit, quãm ad quẽ iure proprio summa maiestas pertineat. Itaq; mũdo, quicunq; plures Deos ingereret, ei nõ Democratia, nõ Aristocratia profuerit: quia in his nemo est vnus, qui suo iure omnia administrandi autoritatẽ sibi vendicare possit. Est igitur necessariò dominatus intelligendus regius: ac proinde ipse Deus vnus. Sic nos facile cõcedemus in administranda Repub. si supponatur idẽ, id est, regia autoritas, longè consultius esse vbique gẽtiũ; vnũ esse regem quã multos reges. Sed nõ conficietur eodẽ argumento, ibi etiam cõstitui debere vnũ regem, vbi iam sit Democratia, aut Aristocratia.

LIII. Externi autores laudãtur. Homerus, Plato, Aristoteles, Seneca, Plutarchus, Isocrates, Stobæus, Herodotus. Atqui nemini dubiũ est, quin Monarchiæ laudes multi sint exsequuti. Sed vicissim reliquas formas alij laudarunt. Et qui Monarchiã, ij laborarunt in ea formanda variè: Nã alij, optimę ideã finxerunt, qualis nunquam fuit, nunquã erit. Alij, vt Lacedæmonij olim, & hodie Germani, Poloni, atque alij sic legibus alligarũt, vt multi negare audeãt eas verè Monarchias esse. Sed illi viderint. Nobis tantùm is scopus est, vt nec ita laudari Monarchiã ostendamus, vt cæteris absolutè præferatur: nec iis laudibus, quę eam vt in politia, sic in Ecclesia constituant necessariam.

CAP. IX.

De summo Pontifice ab Adamo ad Mosen.

I. SEptimum argumentum: Si in Ecclesia fuit vnicus semper princeps & Monarcha, ab Adamo ad Mosen: Ergo & deinceps post Christum esse debet. At prius verum: Ergo & posterius. Argumentum est Sanderi capite tertio libri quarti, de Visibili Monarchia: & Iodoci Coccij Thesauri parte prima, libro septimo; articulo tertio, consequentia tamen dissimulata, quam nos formauimus.

II. Atqui negatur cõsequẽtia. Est enim certum in Ecclesia ante Mosẽn fuisse pecudum sacrificia: quæ tamen non retinentur in Ecclesia Christiana. Vt in genere verũ nõ sit, omnia retinẽda Christianis, quæ in vsu fuere Adami tẽporibus & deinceps: alioquin mutata non esset Ecclesiæ facies Christi aduentu: sed eadem mansisset: quod non est verum.

III. Deinde, negatur Antecedens. Nec enim cõstat ex vllo Scripturæ loco; aut vllo alio argumẽto, vnũ aliquẽ semper fuisse qui imperaret omnib' toto orbe terrarũ Deũ colẽtib'. Sed sic aduersarij fingũt, vt necesse est eos, qui veritate destituũtur, multa sibi sumere nimiũ pręteregressis pudẽtię finibus. Pugnãt illi tamen: & per inductionẽ probare conãtur hanc suam ab initio mundi Monarchiã Ecclesiasticã, varijs exẽplis: quæ nobis nunc ad examen reuocanda.

IV. Primũ exẽplũ Adami: quẽ, quoad vixit, id est, annos nõgentos triginta, Monarcham Ecclesiæ fuisse volunt, imperantẽ primò vxori, deinde liberis: & ita quidẽ, vt peccarit primũ Eua, eo quòd cùm tentaretur, rẽ totã ad caput suum nõ retulerit: deinde Cain, cũ excusso parentis imperio, Abelẽ fratrem occidit. Sed deinceps vidit Adã filios filiorũ in multas generationes: & vixit cũ Seth annos octingẽtos: cũ Enos sexcẽtos nonaginta quinq;, cũ Cainã quinq; & sexcẽtos: cũ Malaleel quingẽtos triginta quinq;: cũ Iared quadringẽtos septuaginta: cũ Enoch trecentos & octo: cũ Mathusalẽ ducentos quadraginta nouẽ: cũ Lamech quinquaginta sex: quæ sancta progenies illi tãquã parenti primas cõcessit, & dictis paruit.

V. Respõdeo, Adamũ pręfuisse tũ vxori tũ liberis, nõ iure religionis, sed naturæ: quomodo etiã apud Ethnicos: & multo magis apud Christianos, qui norunt mulieris caput virũ esse: & honorari à liberis parentes debere. Atq; adeò idẽ ipsũ ius, quo Adã pręfuit, perseuerat ad finẽ vsq; mũdi; proferetq; se in omnes vndiq; partes, nulla excepta. Itaq; nõ potest inde concludi, quid in Republica, multò minus quid in Ecclesia faciendum. Nisi fortè sic Ecclesiam nomines, quomodo Paulus τὴν κατ' οἶκον ἐκκλησίαν, *domesticam Ecclesiam*: cap. 16. tum Epistolæ ad Romanos, tũ prioris ad Corinthios: & ad Colossenses quarto, & ad Philemonẽ; significãs piorũ virorũ familias, adeò piè institutas, vt Ecclesiæ instar essent: ὅτι πιστοὶ ἦσαν πάντες, ὡς τὴν οἰκίαν αὐτῶν ἐκκλησίαν εἶναι, inquit Oecumenius, *quòd cũ vniuersa familia fideles essent: adeò vt tota domus esset Ecclesia*. Quomodo etiã hodie, quilibet paterfamilias suos omnes & admonere, & instituere debet in timore Domini. Inde Paulus, tum in Episcopis deligendis, vult hoc obseruari, *Qui suæ domui bene præsit: qui liberos cõtineat in subiectione cũ omni honestate. Nã si quis propria domui præesse nescit, quomodo Ecclesiã Dei curabit?* Tũ in Diaconis, *Sint* (inquit) *vnius vxoris mariti; qui liberis rectè præsint & proprijs domibus*. Has igitur Ecclesias, concedimus μοναρχικῶς gubernandas: Sed eæ ad hoc institutum non pertinent.

VI. Peccasse Euã & Cainũ: quia nõ cõsuluerint Adamũ, diuinatio est. Constat peccasse: constat nõ cõsuluisse: sed peccasse, quia nõ consuluerint, friuolũ est. Ac de Eua quidẽ, quis credat? quum videat

Adamum

Adamum, cùm ad se factum deferretur, non tãtùm non reprehendisse; sed etiam ipsum communicasse alieno peccato? Quanquam hoc nihil ad rem: Sæpe enim accidit, vt quis à peccato abducatur, si rem communicet, non iis tantùm quibus subest, sed etiam alienis ex sociis.

VII. Secundum exemplum: Seth, defuncto Adamo, superstes fuit annos cẽtum viginti: quẽ Philo testatur, & ipsum virtutis studio se totũ dedisse: nepotésque sui similes reliquisse. Sed huius eadem ratio, quæ Adami: quia Caino facto apostata: deinceps Ecclesia redacta fuit in domũ Sethi: qui præerat iure patrisfamilias: non verò summi Pontificis.

VIII. Tertium igitur exemplum: Setho natus est filius Enos; qui patri superuixit annos nonaginta octo. *Ipse autem* (inquit Moses) *cœpit inuocare nomen Domini*. Non quòd ante eum hoc ipsum nemo fecisset: sed quod magis aucto humano genere, ille magis in dilatando diuino cultu laborarit. Vel potiùs iuxta Sanderũ: Quia cultus Dei suo proprio & peculiari principio carere non debuit: itaque primum constitit in Abele: deinde, illo sine liberis mortuo, in Seth ac filiis eius.

IX. Atqui de Enos, præter meras præiudicatásque diuinationes, habeor omnino nihil quod affirment. Nam post Sethum, iam in familias diuisum est genus humanum, etiam pium, & à Caini Apostatis abhorrens: singulis autem familiis suos fuisse patresfamilias, dubium nullum. Locus autem, *Ille cœpit inuocare nomen Domini*: non est ex veritate Hebraica; sed ex peruersione Latina. Nã Hebraicè est, *Tunc cœptum est ad inuocandũ nomen Domini*: vt ad verbum expressit Arias; vt notetur non persona, quæ cœperit, sed tempus quo cœptũ est. Nam & הוחל nõ actiuum est, sed passiuũ. Sensus erit igitur Enoso in mundum edito, cœptum לקרא בשם יהוה: quæ verba variè exponuntur. Aliàs, inuocare nomẽ Domini: vt significet: tum externo cultu distinctã fuisse Ecclesiã, à reliquis hominibus: quòd in ea inuocaretur peculiariter Domini nomen. Sunt tamen, qui vertãt, *Vocare de nomine Dei*: id est, tum temporis ita distinctos fuisse cœtus religionis causa; vt etiam nomine distincto significarentur: & alij quidẽ essent filij hominum, alij filij Dei. Vt sexto postea capite: *Cùm vidissent filij Dei filias hominum*. Hic igitur significari volunt, eam nominum distinctionem initium sumsisse post natum Enos. Quæ interpretatio & facillima est, & absurdi nihil habet; congruitque non tantùm grammaticę constructioni; sed etiam historiæ contextui.

X. Quartum exemplũ: Post Enos, Cainã, quinque & centum annos: Malaleel quadraginta quinque: Iared centum quinquaginta duos: Mathosalẽ ducentos triginta quatuor, Ecclesiæ Monarchiam obtinuerunt. Sanderus duobus id probat argumẽtis. Primo: quia ætas illa secuta sit ordinem naturæ; quæ etiam inter geminos primogenitum nouit: altero; quia credendum, inter posteros Sethi ante diluuium, in præfectura & successione, seruatam esse eam legem, quæ postea seruabatur in Abrahamo ac filiis eius. Tertiũ Coccius addit, quia Petrus posterioris secundo, Noẽ vocat octauum præconem veritatis: quod intelligi nequit, nisi numeremus, Adamum, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Mathusalem; quibus septem octauus successerit Noẽ.

XI. Nos verò negamus vllam illos Ecclesiasticam Monarchiam obtinuisse: sed in sua quemq; familia naturalem, vt paulò antè dictum. Ad primum autẽ argumentum respondeo, nõ constare vllũ vnquã ius fuisse primogenituræ in religionis negotio; Ne in reliquis quidem rebus: nisi quandiu omnes intra eandem familiam. Sed in multiplicatas, nullũ exemplũ esse prolatæ autoritatis. Nec si Sem fuit primogenitus, idcò legi fratribus Cham & Iaphet, aut eorũ posteris, in varias prouincias distractis, imperitasse: Non Abraham, Nachori & Harano.

XII. Sed natura agnouit ius primogenituræ. Rectè, inquã, in successione paterna: in hęreditate herciscunda: sed in religione temperanda, falsum. Atq; adeò Theodoretũ audi quæstione cẽtesima octaua in Genesin: [illegible]. *Notandum est, vbique primogenitis minores natu præferri*. Et habuit illustre exẽplum præ manibus. Ephraimi & Manasses. Sed cumulauit alia. [illegible]. *Nam Kaino prælatus Abel: & Iapeto Seth, iunior.* [illegible]. *Et Ismaeli, Isaacus: & Esau Iacobus: & Rubeno Iudas, Iosephúsque: & Manasse, Ephraim.* [illegible]. *Idẽ in sequentibus deprehenditur. Nam Aaroni præponitur Moses, & Dauid minor fuit septem fratribus.* Satin' id enucleatè?

XIII. Atque adeò in secundo argumento sumitur partim falsum, partim incertum. Falsum est, in Abrahæ liberis primogenituræ ius fuisse obseruatũ. Nam quis nescit Ismaelẽ annis minimum quatuordecim fuisse maiorem Isaaco? Nam Geneseos decimo septimo annorum fuisse dicitur tredecim cùm est circuncisus: Et pòst capite decimo octauo, promittitur natiuitas Isaaci intra annum. De Iacob & Esau, nónne disertum est, *Maior seruiet minori?* Geneseos vicesimo quinto: repetitum & inculcatum à Paulo nono ad Romanos. Quid Ephraimum dicam, & Aaronem?

XIV. Ne Semo quidẽ primogenitura fuit: neq; verò etiam Abrahamo, contra quàm Sanderus asserit. Quod vel ipsi demonstrant digiti. Certè Geneseos 10. dicitur ולשם ילד גם הוא אבי כל בני עבר אחי יפת הגדול. Editio Græca sic reddidit: [illegible]. Hoc est: *Et Semo natus est etiã ipsi patri omniũ filiorũ Heber, fratri Iaphet maiori*. Et sic paulò antè citabat Theodoretus; in eámque sententiã vtebatur. At Latinus interpres, *De Sem quoq; nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iaphet maiore*: vnde natus error, vt Sem nonnullis diceretur maior natu ipso Iapheto: ac proinde maximus trium. Nam Cham fuisse minimum, disertè notatũ capite nono.

XV. Et verò fateor seriem etiã textus Hebraici esse ambiguam. Sed annorum putatio litem dirimere sufficiens est. Geneseos quinto. *Noe, quum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet.* Quibus verbis manifestum, significari cœpisse Noachũ generare anno ætatis suæ quingentesimo. Nam qui somniant, annum potiùs notatum, quo postremus horum trium genitus sit (de quibus nonnihil dixit Pererius) valde sui dissimilem faciunt Mosen, qui aliàs semper solet aliter. Sexcentesimo autem eiusdem Noachi anno manifestum est diluuium fuisse. Quare, si natus Sem esset anno illo quingentesimo Noachi: ergo biennio post diluuium oporteret fuisse natum annos centum & duos. Atqui fuisse constat duntaxat centum. Testis Moses capite vndecimo: *Sem erat centum annorum, quan-*

do genuit Arphaxat biennio post diluuium. Potest-ne quicquam demonstrari clarius?

XVI. Nam quod commentus Caietanus est: non dictum Semum anno suo centesimo genuisse: sed distrahi partem illam, quæ dicit natum annos centum, ab ea quę genuisse: sua ipsa perit absurditate. Cur enim tam dissimilem sui Mosen faciamus? Dixit capite quinto: *Et fuit Noach filius quingentorum annorũ* (ea est enim phrasis Hebræa) *& genuit Noach Semũ*. Dixit septimo. *Et Noach fuit filius sexcẽtorũ annorũ: Et diluuium fuit*. Dixit decimo septimo: *Et fuit Abrahã filius nonaginta nouem annorum: Et apparuit Dominus Abrahamo*: neque dubitat quisquam iis phrasibus designatos ipsos annos; quibus eæ res sunt gestæ: & nunc similem, imò prorsus eãdem phrasin persuadebit Caietanus non idem significare? Æque ridiculi qui rotundatum numerum dicunt. Et centum annos numeratos, qui essent centum & duo. Nam quo docent exemplo? *Vixit Seth cẽtum quinque annis, & genuit Enoc. Vixit Malaleel sexaginta quinque annis, & genuit Iared. Vixit Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit Henoc. Vixit Methuselah postquam genuit Lamec, duos & octoginta annos, atque septingentos. Vixit Lamec duos & octoginta annos, atq; cẽtum, & genuit filium. Rehu vixit duos & triginta annos & genuit Serug*. Quid omnia colligã? His & similibus annis nihil circũcisum: nihil diminutũ: Et hoc vno loco sui tandẽ oblitum Mosen credimus? Denique videant quãto hoc Chronologiæ periculo dicant; iij maximè, qui ne inchoatos quidem pro completis volunt annos admittere.

XVII. De Abrahamo non dissimilis ratio: etsi difficilius negotium, propter magnorum Chronologorum autoritatem. Extremo capite Geneseos vndecimo Thare dicitur vixisse annos quinque supra ducentos: mortuúsque in Charran. Genuisse autem anno ætatis septuagesimo. Vnde necesse erat, tum cùm mortuus est, fuisse Abrahamum annorum centum triginta quinque, si fuisset primogenitus. Atqui cũ egrederetur ex Charran, fuit tantũ septuaginta quinque. Geneseos duodecimo: Quod si verum, ergo natus est anno patris centesimo trigesimo, itaque non primogenitus.

XIIX. Scio pertendi, ante excessum Thare, Abrahamum profectum esse ex Charran. Sed coniectura exilior est, quã vt vim faciat. Nã Moses dixit: *Tulitque Thara Abrã filium suum, & Lot filium Haran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui: egressique sunt cum eis de Vr Chaldæorum, & venerunt vsque ad Charran, habitauerúntque ibi. Fuerũt autem dies Thare quinq; & ducẽti anni, mortuúsq; est Thare in Charran*. Et capite duodecimo: *Abiit itaque Abraham, sicut dixerat ei Dominus, & perrexit cum eo Lot*. Hactenus Moses. Et inibi notandum: Primò mandatum illud egrediendi ex terra sua factũ Abrahamo in Vr Chaldæorum, teste Stephano Actorum septimo. Vnde facilis consequentia: voluisse Thare socium fieri eius peregrinationis. Quis credat viuum relictum à filio optimo, & frustratum tanto voto? filio, inquã, optimo, & qui se agnosceret esse in potestate paterna? Nam ideò dictum, *Tulit Thare Abram filium suum*. Quid? quod etiã solum deseri oportuisset? Tres sustulisse dicitur liberos, Abram, Nachor, Haran: ex quibus Haran mortuus in Vr. Nachorem verisimile est non mouisse: neque enim à Mose nominatus est. Ergo in Charran Thare peruenit comitibus Abrahamo, Loto, Sara. Abraham recedit; abducit vxorem Saram: abducit Lotum filium fratris: en tibi senem relictum solum. Durum: Sed & Lotum abductũ, quis non argumento esse videat aui defuncti, in cuius alioquin potestate remanserat, defuncto patre?

XIX. Denique, quid argumẽtis opus, cum testem habeamus authenticum? Stephani Actorũ septimo verba sunt tam diserta, vt nullum fucum admittant: *Habitauit in Charris; & illinc postquam pater eius mortuus est, transtulit eum Deus*. Ignoscant viri magni, quorum nomina non soleo absque honoris præfatione vsurpare: Dicam ingenue, non patior Stephano Mosen opponi; & hũc potiùs sectãdum. Absit hæc cogitatio ab iis qui eundem in vtroq; spiritum adorant: neque verò etiam tam confidenter principium petant, viri docti. Non enim certũ Mosen aliud dicere. Itaque ego pro certo habeo, me Mosen sequi, cùm Stephano hæreo: atque hoc modo neutrum neutri aut præpono, aut oppono.

XX. Non versatur Stephanus, fateor, in diligẽti putatione temporum. Sed idem nego, solis Chronologis nõ licere mentiri. Sed loquitur Stephanus secundùm aduersariorum suorum sententiam, ã versione Septuaginta, siue ex Rabinis. Quemadmodũ cùm dicit Iacobum transtulisse in Ægyptũ animas septuaginta quinque: cùm tamẽ Moses septuaginta tantùm duobus locis numeret, & quidem nominatim designatas. Quid autem si idem ex Septuaginta editione Patrum genealogias retulisset? An propterea discedendum esset à veritate Hebraica?

XXI. Imò, inquam, quid si cœlum ruat? Neque enim aliud respondeo ei argumento, cuius fundamentum nihil est, præter nudam imaginationem. Nego autem Stephanum accommodare se aduersariis suis. Nego hausisse aliũde quàm ex ipso Mose.

XXII. Septuaginta quinq; animæ, torquẽt, fateor, eruditos: quorum alij credũt factum ex autoritate Septuaginta, apud quos ea summa, isque catalogus inuenitur. Et fieri potuit: propter autoritatem eius editionis, sicut aliàs scimus factũ. Sed dissimile exẽplum est. Nam profectò Septuaginta non dixerunt Abrahamum profectum post mortem patris, magis quàm Moses, cui hac certè in parte fideliter hæserunt. De Rabbinis, nihil constat: nec velim tam facile suspicionibus locum dari. Tum autem res ipsa, vt dixi, per se loquitur: à qua potuit habere Stephanus, quod neque Septuaginta tradiderunt: neque Rabbini, quod quidem quisquam sciat.

XXII. Est & alterũ argumentum, etsi non tãti põderis: sororẽ suam Abrahamus Saram disertè testatur Geneseos vigesimo: *Verè soror mea est, filia patris mei: veruntamen non est filia matris meæ: & duxi mihi in vxorem*. Nimirum ex Hebræorum more: qui filiorum nomine, etiam nepotes comprehendunt: vnde & Loth frater, qui tamẽ filius fratris. Itaque Iosephus Antiquitatum libro primo, capite octauo, filiam tradit ipsius Haram. *Ἀβράμος δὲ Λῶτον τὸν Ἀρὰν τοῦ ἀδελφοῦ υἱὸν, τῆς δὲ γυναικὸς αὐτοῦ Σάῤῥας ἀδελφὸν εἰσποιήσατο, γνησίου παιδὸς ἀπορῶν. Abram Lotum Harami fratris filium, vxoris suæ Saræ fratrem adoptauit, quum filium nullum naturalem haberet*. Hoc si est: magnum argumẽtum. Nã fuisse Saram nonagenariam, tum cùm Abrahamus centenarius, certo certius ex Geneseos decimo septimo. Quod si fuit Abraham maior natu, ipso Saræ patre, ergo hunc necesse fuerit Saram genuisse ante ætatis annum decimum: quod abhorret à vero.

XXIII. Respondent non esse certum, fuisse filiam Haram: & potuisse filiam esse ipsius Thare; itaque sororem ipsius Abrami, etsi non vterinam, nempe ex alia matre.

XXIV. Sed

XXV. Sed nunquam mihi quisquam persuaserit, Abrahamo fuisse vxorem filiam ipsius sui patris: & germanam sororem: quamuis non vterinam. Videntur, qui tam durè possunt de tam sancto viro sentire. Nec tamen vim feceris in Haran nomine. Tantùm vrgeo, filiam fuisse Thare, siue ex eo, siue ex Nachore, siue ex alio, quem Thare genuerit, post Abrahamum, si Abrahamus primogenitus. Quo posito, absurditas manet: fortasse etiam augetur.

XXVI. Sed hoc si sic abeat, inquiunt, tota turbatur annorum ratio. Magnum, inquam, incōmodū, & cui medendo, optādum, imò magno emendū remedium. Veruntamen hoc posito, salua fuit fides Christiana: quæ nō potest nō titubare, si titubet autoritas Verbi Dei. Itaque æquius feret orbis Christianus incōmoda Chronologica, dū Deus prouideat.

XXVII. In argumento Coccij, vide Sophistarū ingenium, quidlibet pro arbitrio detorquentium, quantumuis tenuissima oblata occasione. Scripsit Petrus, ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα ἐφύλαξε, *Octauum Noë iustitiæ præconem seruauit.* Inde lusit Coccius ambiguo: quia dictum videri potuit octauum præconem: cùm tamen verum sit, *seruauit octauum*, id est, cum aliis septem, qui vnà erāt cum eo in *Arca, in qua pauca, id est, octo animæ seruatæ sunt.* Certè in hunc modum interpretes acceperunt: non Ambrosius tantum Catharinus, quem Coccius nominauit, sed etiam Lyranus, Caietanus, Gagnæus, Gulllandus, Salmero, Lorinus, Sa. Ad eam videlicet rationem, ad quā, Plutarchi Pelopida legimus, ὁ Πελοπίδας εἰς οἰκίαν δωδέκατος κατελθών, *Pelopidas duodecimus ingressus domum*, id est, cum vndecim comitibus: Et apud Polybium libro quinto, de Theodoro Aetolo εἰσπεσὼν τρίτος εἰς τὸν τῶν πολεμίων χάρακα, id est, interprete Casaubono, *Duobus tantum comitatus hostile vallum intrat.* Et libro decimo sexto, τρίτος δὲ αὐτὸς ὁ Διονυσόδωρος ἀπεσώθη, *Dionysidorus verò cum duobus aliis euasit.* Homerus Iliados tertio & vicesimo, Meriones πέμπτος ἐλαύνε ... ἵππους, *Quintus pulchrè iubatos pascit equos.* Quomodo quintus? Nēpe Antiochus, Eumelus, Menelaus, Meriones, Tydides. Quo genere loquendi vsus Latinus interpres Matthæi decimo tertio, quod Græcè est, ἐδίδου καρπὸν ὃ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα. vertit, *Dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Non satis pure*, ait Maldonatus, *quanquam aliqui non male verba ita locata sint.* Enimuerò cuius ingenij est, & facilem, & non absurdum, & iam probatum sensum deserere: aliumque, quantumuis inuita Minerua, venari, primum nō faciliorem, secundò solitarium, tertiò absurdum. Nam quis Coccio concessurus est veritatis præconem Noam ab initio mundi fuisse tantùm octauū in tam multis seculis: aut significare Ecclesiæ Monarcham: & quidem iure successionis?

XXVIII. Quintum exemplum est Noë, qui arcam gubernauit, quam Petrus militantis Ecclesiæ figuram gessisse demonstrat. Nam solus Noë minister Dei factus est in eo, vt colligeret in arcam suam, non solùm vxorem & filios, verùm etiam animalia omnia: ea re significans, Christum vnius potissimum Pastoris ministerio collecturum, non modò Iudæos, velut filios regni, verùm etiam omnium gentium aliquos in Ecclesiam suam. Animalium quippe ingressus in Arcam sub vnius Noë ducatu, gentium ingressum in Ecclesiam Christi sub vnius pastoris primatu designabat.

XXIX. Respondeo, Primò nusquā Petrū demōstrare Ecclesiam militātē significatā esse per arcam Noë. Etiamen quia quodam aspectu non ineptè dici potest Arcam fuisse figuram militantis Ecclesiæ, & in eo nonnullos veteres lusisse animaduerto: secundò respondeo, non esse hanc similitudinis rationem, siue fundamentum: id est, non tantùm Petrum; sed ne vllum quidem Veterum eā Ecclesiam per totum orbem ei Arcæ comparasse, quā spectatur vnius principatus. Est autem ineptum, sumpta cuiuspiam comparationis occasione, deinceps alteri termino tribuere quicquid de altero cogitari potest. Atque adeo in hoc ipso exemplo, scire velim, quo me modo excepturi sint sophistæ, si dicam oportere alterius esse naturæ caput Ecclesiæ: maximè, qua parte constat è gentibus; quàm sint ipsæ gentes: quia Noë fuit alterius naturæ, quàm bruta illa animalia, quibus Sanderus significatam voluit gentium admissionem. Cæterùm ea Noë autoritas erat potius politica: vt apparet ex eo, quòd ei Deus iniungit omnes partes patrisfamilias, in curandis corporibus cùm hominū tum brutorū. Porrò nihil Sāderus de potestate Ecclesiastica hoc loco.

XXX. Sextum exemplum. Defuncto Noe, superfuit Sem annis centum viginti: & suis posteris, qui pietatem coluerunt, solus præfuit: ad quem qui volebant seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, ante omnia debebant accurrere: sedem regni habētem in Salem, & iustitiæ regem dictum: fuisse enim Sem eundem Melchisedecum crediderunt multi tum Hebræi, tum Catholici.

XXXI. Respondeo: primò de Sem meram esse coniecturam: quæ noua refutatione non indigeat: neq; enim pro demonstrationibus esse nobis debere Sanderi, Coccij, aliúsve cuiusquam somniationes. Et quidem nimis considerate loquutum Coccium, qui ei in solos suos posteros autoritatem tribuat: quam ei nemo eripere possit, vt patrifamilias. Sed meminisse debuerat, agi inter nos de vniuersæ Ecclesiæ principatu. Erant autem Semo fratres, non tantùm Cam ille apostata, sed etiam Iaphet verè frater tum sanguine, tum moribus. Et quidem natu maior, in quem naturalem nullam potestat sibi autoritatem vindicare; neq; in eius posteros. Quare nihil est in eo quod vrgeat.

XXXII. Secundò, nego eundē esse Sem & Melchisedec: nego id vllum Catholicum asserere: paucos tantùm Iudæos fingere. Fingere autem pro solita audacia, quæ nihil inausum relinquat: nam cæteroquin opinionis fundamentum nullū habere, sed tenuem duntaxat coniecturam annorum. Nos verò obseruamus, non modò non id à Scriptura doceri, qua tacente quis loquatur? Sed etiam Paulum asserere Melchisedecum induci à Scripturis ἀγενεαλόγητον, ἀπάτορα, ἀμήτορα: quæ in Sem cadere nō possunt, cuius genealogiam tum à maioribus, tum in posteros disertè Moses enarrauit: imò etiam initium, finemque vitæ. Hæc, inquam, non tantùm Sem habuit omnia, quæ & Melchisedecum habuisse nemo dubitat: sed præterea habuit in Scripturis expressa quod de Melchisedeco Paulus negat: itaque omnino necesse est diuersas fuisse personas.

XXXIII. Tertiò, nego Melchisedecum fuisse Ecclesiæ Monarcham, ab eoque pependisse omnes fideles. Quis enim potest diuinare? Nam Scriptura quidem nihil docet eiusmodi. Imò potius, iam tum Abrahamum fuisse vocatum ad Ecclesiam constituendam separatam: paulò pòst circumcidendum: & quidem absque aut consilio aut etiam conscientia Melchisedeci, vllius-ve alterius: sed solo Dei mādato. Quod quidem non licebat: si summo iure, aliquis eius religioni præfuisset, ex sententia Papistarum.

Electiua Monarchia. Non enim sua possunt dicere ea quę ad Rempublicam attinēt, ij, ad quos sola administratio, dum viuunt, pertinet, quasi ex fideicōmisso: sic vt in eam nullum ius sit eorum liberis, aut cuiquam ex eorum genere. Quo fit, vt non rarò intentiores sint, vel mutādo statum, vt ea electiua reddant hæreditarium: vel certè monēdo, vt inde suos augeant, quo iure quáve iniuria: quod studium perpetuum esse Episcopis Romanis historiæ loquūtur. Secundò: qui suā & propriam censent Monarchiā, eàdem facilius abutuntur: cùm se nō propter populos esse creatos putant: sed contrà populos propter se. Inde Samuelis ad populū grauissima admonitio octauo capite prioris libri: vbi multa enumerat, quę sibi vsurpaturi erāt reges: quæ tamē leuia sunt, præ iis, quæ vsu quotidiano cernūtur. Magistratus autē eo ipso quod se creatos norūt ad administranda negotia nō sua, sed publica: atq; ita quidē, vt sit ratio reddēda, diligentiùs fungūtur suo munere. Itaq; plures numerari possūt in Romana Rep. Cōsules optimè functi suo magistratu, quique se ac sua omnia ad cōmune bonū retulerint, quā Imperatores & Reges.

XLII. Iam verò in Ecclesia, hæc ratio locū nullū habere potest: Quia disertè Christus, *Reges gentiū dominantur eis, vos autem non sic*. Et Petrus: *Pascite gregem, non tanquam dominantes cleris*. Quæ verba vetant Ecclesię pastores sic res Christianorum administrare, quasi earum essent domini; eásque proprio iure possiderent; mancipatásque haberent. Et tameo ea omnibus Rebusp. nunquam tot magistratus bonos excerpas, quot ea Ecclesia fideles Episcopos. Ratio hæc vna est, quòd se se norūt nō suū possidere: sed Domini gregem pascere. Cùm id verò dicitur, constat conscientiam vrgeri; qua nihil est in omnes partes potentius. Ac porrò ab experiētia præteritorum temporum, in futurum spes esse potest certa, nō defuturos, qui hāc ipsā ob caussam eodē ipso munere fungātur religiosè: etsi in tanta morū desperatione, tāta etiā pessimorū exēplorū multitudine, videatur nihil non metuendū. Sed nouit Deus qui sui sunt: potest etiam è lapidibus suscitare filios Abrahamo.

XLIV. Ad quintum: Ne Monarchia quidem æmulationis periculo caret. Tū quia sub vno Monarcha necesse est plurimos esse inter se pares; qui contendant περὶ τοῦ πρωτεύειν; etiamsi desperent se solium regium occupaturos. Cur nō enim, æquè ac in Democratia? Nam hîc, etsi Maiestas semper sit penes populum: tamen illę æmulationes oriūtur nimium sæpe. Tum præcipuè, quia ipsi Monarchæ plures inuident. Vnde in Imperio Romano tot aduersus ipsos principes cōiurati. Neque enim tantùm æmulatio solet esse inter pares: sed etiam aduersus maiores inuidia. Sic his paucis elapsis annis, norūt omnes quas tragœdias excitarint in Gallia, omniū regnorum regno absolutissimo, ij qui in Reges regnúmq; coniurarunt: quod eo libentiùs Bellarmino in memoriam reuoco; quòd certò sciant omnes nō fuisse nullas in iis turbis eius operas & fouēdis, & augendis; cum suo Cardinali Caietano. In ipsa Ecclesia, quis ignorat contentionē Episcoporum Constantinopolitani, Rauennatis, Romani? Quis Antipaparum schismata non audiuit? Et quidē in annos plurimos? Hæc nimirum nullā æmulationē redolebāt! Hæc scilicet in Monarchia Ecclesiastica nulla erant siue incommoda, siue pericula?

XLV. Ad sextum. Primò incuriæ periculum non est perpetuum: alioqui nullæ vnquam Aristocratię, Democratiæve, rectè fuissēt administratæ: quod contrà est. Nam quandiu Romana Resp. permāsit Democratica, quā plurimos habuit, qui negotia publica nō secus curarunt, quā si ad se propriè pertinerēt; nec paucos, qui suis propriis prætulerint. Deinde, id tū accidit, cū pluribus nullo designato idem munus tractandū relinquitur potiùs quā cōmittitur. Sed nihil obstat, quominus publica negotia curētur, cū singula certis quibusdā, aut singulis, aut etiā pluribus specialiter demandantur: vt Romana duobus Consulibus; aliquando etiam sex Tribunis militū: qui, quia specialiter erāt ordinati, non indiligētiùs suo fungebātur officio, quā Dictatores, qui erāt singuli. Tertiò multo magis verendū, ne vni & soli cōmissa infinitorū negotiorū moles, nō modò indiligēter curetur, sed etiā magna ex parte intacta relinquatur: cū ei vnus homuncio par esse nequeat. Cur si iā alios substituas, quæro, quā obrē in reliquis formis Reip. periculosius sit multorum administratio, quā in Monarchia? In Ecclesia verò is ordo est, vt nō indefinitè omnes omnibus partes cōmittantur, sed singulę vel singulis, vel pluribus: paucis tamē, & designatis. Hoc modo Ecclesia Antiochena cū primū cœpit, à Barnaba & Paulo est administrata. sic Ephesina, teste Luca, à pluribus Episcopis. Deniq; sic Apostolis & omnibus & singulis tota credita est Ecclesia: vt ipsi tamen sibi prouincias fecerent, Paulus Gentes, Petrus Circuncisionem, Thomas Indiam, Ioannes Asiam; alij alias. Quare hoc neglectæ Reipub. periculum, non necessarium est in Rep. non Monarchica: & multò minus in Ecclesia.

XLVI. Sed Monarchię pręstantiā duobus adhuc argumentis Bellarminus tuetur; ab autoritate tum diuina, tum humana. Deus (inquit) tribus modis ostendit Monarchiā esse optimū regimen. Primò institutione generis humani, quod fecit ex vno semine, teste Paulo Actorū 17. producens virū ex humo, fœminā ex viro: cuius caussam Chrysostomus esse dixit, vt esset inter homines nō Democratia, sed regnū: homilia trigesima quarta in priorē ad Corinthios. Secūdò, cùm omnibus penè rebus insevit naturalē propensionem ad Monarchiā: sic in qualibet domo vnus est paterfamilias, ad quem pertinet gubernatio cōiugis, filiorū, seruorū, rerū deniq; cæterarū sic maxima pars orbis terrarū à regibus gubernatur & quidē antiquior ea forma est, aliis: teste Iustino lib. 1. Sic etiā animātia rationis expertia, vnius principatū expetere videntur: vt apes, greges, armēta, grues. Tertiò: cùm Remp. instituit Hebræorū: in ea enim primò Patriarchę Principes: deinde Duces: tertiò Iudices: quartò Reges: tum iterū Duces.

XLVII. Sed hęc superioribus nō sūt absimilia. Ad primū respōdeo, in Adamo agnosci patriā potestatē: nō verò Monarchicā. Sūt autē hæc duo potestatis genera lōgè diuersa. Nā illa ad Oeconomiā pertinet, ista verò ad politiā. Est aūt οἶκος δόμου, pars certū politiæ; quā cōstare è multis familiis, nō erat Iesuitis expectandū, vt admonerētur. Itaq; quia in Adamo initiū factū est familiæ, rectè cōcluditur eius gubernādę autoritatē penes vnicū esse, quod ita naturale est, vt aliter factū sit nunquā. ὥσπερ ἂν ... παίδων ... ἄρχειν. Ridiculū tamē est, quia paterfamilias vnus regit, & μοναρχίας nomen vnius potestatē significat; ideò Monarchiā appellare patriā potestatē, nimis exile id est syllabarū aucupiū. Nam quid tū si sint vocabula homonyma, dū sit definitio discreta? Nā Monarchia, de qua disputamus, est politia in qua vnus curat rem nō suam, sed publicam. At in familia, vnus suam rem curat. Non enim κτῆσιν tantùm, sed & ἀνδράποδα, quas partes familiæ Aristoteles notat, sunt in potestate patrisfamilias. Sunt enim homi-

homines, vel liberi vel serui: liberi, vxor & filij. Hæc omnia non sui sunt iuris, sed in potestate patrisfamilias. Itaque non procedit cõclusio à familia ad politiam. [illegible] (inquit Philosophus Oeconomicorum primo) [illegible] *Differunt Oeconomice & Politice: non solum, quantum familia, & ciuitas: sunt enim hæc vtriusque subiecta. verum etiam, quod Politice ex multis principibus: Oeconomice verò Monarchia est.*

XLVIII. Abutitur verò Chrysostomi nomine Iesuita. Ille enim nunquã dixit creatũ esse à Deo vnũ hominem, aut ab vno semine totum genus humanum; vt esset inter homines non Democratia, sed regnum. Quid igitur? Vt mutuò amare discerẽt homines. Primò, generationis mysteria exsequitur: deinde familiæ ordinationem. De generatione locus sic habet. Explicat illud Pauli, [illegible]. *Sectamini charitatem:* & examinata vi [illegible], elicit magno studio, curaq; exacta opus esse charitatem amplexandam. [illegible] *Etenim Deus ab initio infinitis artibus vsus est, vt eam nobis insereret. Nam & omnibus vnũ caput dedit Adamũ. Quamobrem enim non omnes nascimur è terra: Cur non perfecti, sicut ille? Scilicet, vt & partus, & infantiũ educatio: & quod nascamur alij ex alijs; nos inter nos colligarent. Propterea, ne mulierem quidem fecit è terra. Nam non sufficiebat ad nos honesto pudore cogendos ad concordiam: quod omnes eiusdem simus substantiæ, nisi & eũdem haberemus generis autorem: etiam hoc curauit. Enimuerò si nunc, cùm solis locis disiungimur, nos alij ab alijs alienos putamus: multo magis, si duo principia essent generis nostri. Propterea ergo, tanquam ab vno capite totum corpus humani generis colligauit.* Hæc Chrysostomus. In quibus de regno, aut Monarchia politica, neque [illegible] neque [illegible]: sed tantùm de charitate: quæ quidem esse & potest & debet in Aristocratia, & Democratia; æquè ac in Monarchia. Iam de familiæ ordine paulò pòst: [illegible] *Deinde, vt alterum quidem subijceretur, alterum imperaret (etenim honoris æqualitas solet pugnas inducere) non permisit esse Democratiam, sed Monarchiam: & quem in exercitu, eundem in singulis familijs ordinem quilibet videat.* Hæc Chrysostomus. Atqui de familiæ Monarchia nemo dubitat. Nec consequens est, si in familia viget Monarchia; ideò etiam vbique terrarum aut in Ecclesia debere constitui.

XLIX. Ad secundum: Omnibus rebus insitam propensionem ad Monarchiam falsum. Non enim hominibus; quia nullius Monarchiæ constitutionẽ nouimus non violentam: id est, cõtra naturam, naturæque propensionem: aut si non constitutionem (vt fortè in vna atq; altera) certè incremẽta. Quod nunquam factum foret, si in eam hominum natura inclinaret. Nam familias quidem nulla vis cogit in-(fitias) Ciuitates etiam naturalis hominum ad societatem propensio cõgregauit. Et in vniuersum, à natura duci se non trahi sentiunt homines. Quo argumento quis Democratiam dixerit esse Reip. formã reliquis omnibus humanæ naturæ accommodatiorem? Nam non Monarchiæ tantùm ferè omnes: sed & Aristocratiæ plurimæ, per vim constitutę sunt: At Democratiæ nullæ, familiæ verò exemplũ est extra rem, vt iam diximus. Quod maxima pars orbis terrarum à Regibus gubernetur, nõ efficit eam formã esse naturalem: Nam seruorum vsus longè patebat olim latius; quem tamen esse cõtra naturam nemo sanus nõ fatetur. Esse verò rerumpublicarum antiquissimam Monarchiam; ne Iustino quidem credidetim. Quamuis non tam videtur antiquitatẽ Monarchiæ obseruare, quàm antiquarum Monarchiarum moderationem indicare, quam Ninus primus violauit. Sed vtut sit, tamen primũ Monarchã Nimrodum legimus: & ante eum tamen ciuitates. De animantibus rationis expertibus, nugatur Sophista. Nam & minima eorum pars [illegible] viuit: & hæc ipsa Monarchiam nullam nouit; exceptis, si fortè apibus. Quid enim? In gregibus dux vnus, & in armentis rector vnus, fateor: Sed alterius naturæ, scilicet homo. Nam neq; aries arietibus imperat, neq; bos bubus: aut gruibus grus. Atq; adeò, si quis obseruet, non semper vnus aries præcedit, sed promiscuè [illegible]. Et grues alias alijs succedere in primum locum omnes agnoscunt. Hęc igitur exempla nihil ad Monarchiam.

L. Ad tertiũ: Patriarchas nego Monarchas fuisse. Nam Abraham, Isaac, Iacob; patresfamilias duntaxat fuere: ijs enim viuentibus nondum in Remp. excreuerat eorum semen. Abrahamum gessisse bellum certum est: sed exercitu coacto è vernaculis tãtùm: non igitur ex ciuibus: sine quibus nulla politia est: nulla Monarchia. Iudas verò cùm nurum suã igni adiudicaret; non alio iure vtebatur quàm patrisfamilias: quis enim ignorat patrisfamilias in suos ius fuisse vitæ necísque? Post Patriarchas autem illos primos diuisus est Israeliticus populus in varias tribus: ac tum verè constituta politia: sed nunquam regia vsq; ad Saulem. Nam Mosen, Iosue: & deinde Iudices, quod nominant, facile negotium. Quia illos extra ordinem Deus eligebat, mittebat, mouebat; ad præsentes necessitates: non verò sic constituta aliqua forma Reipublicę: legimus enim multis annis nullos fuisse, aut duces, aut iudices. Imò ex capite secundo Iudicum discimus: mortuo iudice populum auerti solitum à Deo; indeque variè ab hostibus exerceri, donec nouus alius iudex suscitaretur: quo certè significatur, non fuisse ordinarium, continuumque magistratum, quæ nostra quæstio est. Roma autem non propterea Monarchia erat, quòd Dictator aliquando fieret. Tandem ad reges deuentum: non Dei præcepto: sed populi inconstãtia & temeritate: quam Deus grauiter increpuit; adeò vt se ab ijs derelictum quereretur: ad eósque deterrẽdos regis משפט ius, siue, vt ego censeo, cõsuetudinem describeret, cuiusmodi solet esse tyrãnorum. Quibus argumentis, si negamus confici, displicuisse hanc populi inconsiderationem, cur non solem negemus lucere meridie? Quamuis non sit negandum, hoc peccatum ita fuisse à Deo moderatum, vt è malo bonum erueret.

LI. Et hæc quidem de Institutione diuina, ita disputata sunto. Non, vt concludatur exosam esse Deo Monarchiam [illegible]: sed tantùm ne illa sese reliquis præferat. Nam & rebus quæ item sunt à

Adamum, cùm ad se factum deferretur, non tātùm non reprehendisse; sed etiam ipsum communicasse alieno peccato? Quanquam hoc nihil ad rem: Sæpe enim accidit, vt quis à peccato abducatur, si tem communicet, non iis tantùm quibus subest, sed etiam alicui ex sociis.

VII. Secundum exemplum: Seth, defuncto Adamo, superstes fuit annos cētum viginti: quē Philo testatur, & ipsum virtutis studio se totū dedisse: nepotesque sui similes reliquisse. Sed huius eadem ratio, quæ Adami: quia Caino facto apostata: deinceps Ecclesia redacta sunt in domū Sethi: qui præerat iure patrisfamilias: non verò summi Pontificis.

VIII. Tertium igitur exemplum: Setho natus est filius Enos, qui patri superuixit annos nonaginta octo. *Ipse autem* (inquit Moses) *cœpit inuocare nomen Domini.* Non quòd ante eum hoc ipsum nemo fecisset: i. d quod magis aucto humano genere, ille magis in dilatando diuino cultu laborarit. Vel potiùs iuxta Sanderū: Quia cultus Dei suo proprio & peculiari principio carere non debuit: itaque primum constitit in Abele: deinde, illo sine liberis mortuo, in Seth ac filiis eius.

IX. Atqui de Enos, præter meras præiudicatásque diuinationes, habent omnino nihil quod affirment. Nam post Sethum, iam in familias diuisum est genus humanum, etiam pium, & à Caini Apostasia abhorrens: singulis autem familiis suos fuisse patresfamilias, dubium nullum. Locus autem, *Ille cœpit inuocare nomen Domini*: non est ex veritate Hebraica; sed ex peruersione Latina. Nā Hebraicè est, *Tunc cœptum est ad inuocandū nomen Domini*: vt ad verbum expressit Arias: vt notetur non persona, quæ cœperit, sed tempus quo cœptū est. Nam & הוחל nō actiuum est, sed passiuū. Sensus erit igitur Enoso in mundum edito, cœptum לקרא בשם יהוה: quæ verba variè exponuntur. Aliàs, inuocare nomē Domini: vt significet: tum externo cultu distinctā fuisse Ecclesiā, à reliquis hominibus: quòd in ea inuocaretur peculiariter Domini nomen. Sunt tamen, qui vertāt, *Vocare de nomine Dei*: id est, tum temporis ita distinctos fuisse cœtus religionis causa; vt etiam nomine distincto significarentur: & alij quidē essent filij hominum, alij filij Dei. Vt sexto postea capite: *Cùm vidissent filij Dei filias hominum.* Hîc igitur significari volunt, eam nominum distinctionem initium sumsisse post natum Enos. Quæ interpretatio & facillima est, & absurdi nihil habet; congruitque non tantùm grammaticę constructioni; sed etiam historiæ contextui.

X. Quartum exemplū: Post Enos, Caināi quinque & centum annos: Malaleel quadraginta quinque: Iared centum quinquaginta duos: Mathusalē ducentos triginta quatuor, Ecclesiæ Monarchiam obtinuerunt. Sanderus duobus id probat argumētis. Primo: quia ætas illa secuta sit ordinem naturæ; quæ etiam inter geminos primogenitum nouit: altero; quia credendum, inter posteros Sethi ante diluuium, in præfectura & successione, seruatam esse eam legem, quæ postea seruabatur in Abrahamo ac filiis eius. Tertiū Coccius addit, quia Petrus posterioris secundo, Noē vocat octauum præconem veritatis: quod intelligi nequit, nisi numeremus, Adamum, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Mathusalem; quibus septem octauus successerit Noē.

XI. Nos verò negamus vllam illos Ecclesiasticam Monarchiam obtinuisse: sed in sua quemq; familia naturalem, vt paulò antè dictum. Ad primum autē argumentum respondeo, nō constare vllū vnquā ius fuisse primogenituræ in religionis negotio: Ne in reliquis quidem rebus: nisi quandiu omnes intra eandem familiam. Sed in multiplicatas, nullū exemplū esse prolatatæ autoritatis. Nec si Sem fuit primogenitus, ideò legi fratribus Cham & Iaphet, aut eorū posteris, in varias prouincias distractis, imperitasse: Non Abraham, Nachori & Harano.

XII. Sed natura agnouit ius primogenituræ. Rectè, inquā, in successione paterna in hęreditate herciscunda: sed in religione temperanda, falsum. Atq; adeò Theodoretū audi quæstione cētesima octaua in Genesin: *Ἐπισημαντέον ὅτι πανταχοῦ τῶν πρωτοτόκων οἱ μετ' αὐτοὺς προτιμῶνται. Notandum est, vbique primogenitis minores natu præferri.* Et habuit illustre exēplum præ manibus, Ephraimi & Manasses. Sed cumulauit alia. *καὶ γὰρ τοῦ Κάϊν προετιμήθη Ἄβελ, καὶ τοῦ Ἰάφεθ ὁ Σὴθ ὁ δεύτερος. Nam Kaino prælatus Abel: & Iapeto Seth, iunior. καὶ τοῦ Ἰσμαὴλ ὁ Ἰσαάκ, καὶ τοῦ Ἡσαῦ ὁ Ἰακώβ, καὶ τοῦ Ῥουβὴν ὁ Ἰούδας καὶ ὁ Ἰωσήφ, καὶ τοῦ Μανασσῆ ὁ Ἐφραΐμ. Et Ismaeli, Isaacus: & Esau Iacobus: & Rubeno Iudas, Iosephúsque: & Manasse, Ephraim. οὕτω καὶ ἐν τοῖς μετὰ ταῦτα εὑρεῖ τις ἄν. καὶ γὰρ τοῦ Ἀαρὼν ὁ Μωϋσῆς προετιμήθη καὶ Δαβὶδ νεώτερος ὢν τῶν ἀδελφῶν. Idē in sequentibus deprehenditur. Nam Aaroni præponitur Moses, & Dauid minor fuit septem fratribus.* Satin' id enucleatè?

XIII. Atque adeò in secundo argumento sumitur partim falsum, partim incertum. Falsum est, in Abrahæ liberis primogenituræ ius fuisse obseruatū. Nam quis nescit Ismaelē annis minimum quatuordecim fuisse maiorem Isaaco? Nam Geneseos decimo septimo annorum fuisse dicitur tredecim cùm est circuncisus: Et pòst capite decimo octauo, promittitur natiuitas Isaaci intra annum. De Iacob & Esau, nónne disertum est, *Maior seruiet minori?* Geneseos vicesimo quinto: repetitum & inculcatum à Paulo nono ad Romanos. Quid Ephraimum dicam, & Aaronem?

XIV. Ne Semo quidē primogenitura fuit: neque verò etiam Abrahamo, contra quàm Sanderus asserit. Quod vel ipsi demonstrant digiti. Certè Geneseos 10. dicitur ולשם ילד גם הוא אבי כל־בני־עבר אחי יפת הגדול. Editio Græca sic reddidit: *Καὶ τῷ Σὴμ ἐγενήθη καὶ αὐτῷ, πατρὶ πάντων τῶν υἱῶν Ἔβερ, ἀδελφῷ Ἰάφεθ τοῦ μείζονος.* Hoc est: *Et Semo natus est etiā ipsi patri omniū filiorū Heber, fratri Iaphet maioris.* Et sic paulò antè citabat Theodoretus; in eámque sententiā vtebatur. At Latinus interpres, *De Sem quoq; nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iaphet maiore*: vnde natus error, vt Sem nonnullis diceretur maior natu ipso Iapheto: ac proinde maximus trium. Nam Cham fuisse minimum, disertè notatū capite nono.

XV. Et verò fateor seriem etiā textus Hebraici esse ambiguam. Sed annorum putatio litem dirimere sufficiens est. Geneseos quinto. *Noe, quum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet.* Quibus verbis manifestum, significari cœpisse Noachū generare anno ætatis suæ quingentesimo. Nam qui somniant, annum potiùs notatum, quo postremus horum trium genitus sit (de quibus nonnihil dixit Pererius) valde sui dissimilem faciunt Mosen, qui aliàs semper solet aliter. Sexcentesimo autem eiusdem Noachi anno manifestum est diluuium fuisse. Quare, si natus Sem esset anno illo quingentesimo Noachi: ergo biennio post diluuium oporteret fuisse natum annos centum & duos. Atqui fuisse constat duntaxat centum. Testis Moses capite vndecimo: *Sem erat centum annorum, quan-*

Electiua Monarchia. Non enim sua possunt dicere ea quę ad Rempublicam attinēt, ij, ad quos sola administratio, dum viuunt, pertinet, quasi ex fideicōmisso: sic vt in eam nullum ius sit eorum liberis, aut cuiquam ex eorum genere. Quo fit, vt non rarò intentiores sint, vel mutādo statui, vt ex electiuo reddant hæreditarium: vel certè minuēdo, vt inde suos augeant, quo iure quáve iniuria: quod studium perpetuum esse Episcopis Romanis historiæ loquūtur. Secundò: qui suā & propriam censent Monarchiā, eâdem faciliùs abutuntur: cùm se nō propter populos esse creatos putant: sed contrà populos propter se. Inde Samuelis ad populū grauissima admonitio octauo capite prioris libri: vbi multa enumerat, quę sibi vsurpaturi erāt reges: quæ tamē leuia sunt, præ iis, quæ vsu quotidiano cernūtur. Magistratus autē eo ipso q̃ se creatos norūt ad administranda negotia nō sua, sed publica: atq; ita quidē, vt sit ratio reddēda, diligentiùs fungūtur suo munere. Itaq; plures numerari possūt in Romana Rep. Cōsules optimè functi suo magistratu, quíque se ac sua omnia ad cōmune bonū retulerint, quā Imperatores & Reges.

XLIII. Iam verò in Ecclesia, hæc ratio locū nullū habere potest: Quia disertè Christus, *Reges gentiū dominantur eis, vos autem non sic*. Et Petrus: *Pascite gregem, non tanquam dominantes cleru*. Quæ verba vetant Ecclesię pastores sic res Christianorum administrare, quasi earum essent domini; eásque proprio iure possiderent, mancipatásque haberent. Et tamen ex omnibus Rebusp. nunquam tot magistratus bonos excerpas, quot ex Ecclesia fideles Episcopos. Ratio hæc vnica est, quòd sese norūt nō suū possidere: sed Domini gregem pascere. Cùm id verò dicitur, constat conscientiam vrgeri; qua nihil est in omnes partes potentius. Ac porrò ab experiētia præteritorum temporum, in futurum spes esse potest certa, nō defuturos, qui hāc ipsā ob caussam eodē ipso munere fungātur religiosè: etsi in tanta morū desperatione, tāta etiā pessimorū exēplorū multitudine, videatur nihil non metuendū. Sed nouit Deus qui sui sunt: potest etiam è lapidibus suscitare filios Abrahamo.

XLIV. Ad quintum: Ne Monarchia quidem æmulationis periculo caret. Tū quia sub vno Monarcha necesse est plurimos esse inter se pares; qui contendant περὶ τῶν πρωτείων; etiamsi desperent se solium regium occupaturos. Cur nō enim, æquè ac in Democratia? Nam hîc, etsi Maiestas semper sit penes populum: tamen illę æmulationes oriūtur nimium sæpe. Tum præcipuè, quia ipsi Monarchæ plures inuident. Vnde in Imperio Romano tot aduersus ipsos principes cōiurati. Neque enim tantùm æmulatio solet esse inter pares: sed etiam aduersus maiores inuidia. Sic his paucis elapsis annis, norūt omnes quas tragœdias excitarint in Gallia, omniū regnorum regno absolutissimo, ij qui in Reges regnúmq; coniurarunt: quod eo libentiùs Bellarmino in memoriam reuoco; quòd certò sciant omnes nō fuisse nullas in iis turbis eius operas & fouēdis, & augendis; cum suo Cardinali Caietano. In ipsa Ecclesia, quis ignorat contentionē Episcoporum Constantinopolitani, Rauennatis, Romani? Quis Antipaparum schismata non audiuit? Et quidē in annos plurimos? Hæc nimirum nullā æmulationē redolebāt? Hæc scilicet in Monarchia Ecclesiastica nulla erant siue incommoda, siue pericula?

XLV. Ad sextum. Primò incuriæ periculum non est perpetuum: alioqui nullæ vnquam Aristocratię, Democratiæve, rectè fuissēt administratæ: quod cōtra est. Nam quandiu Romana Resp. permansit Democratica, quā plurimos habuit, qui negotia publica nō secus curarunt, quā si ad se propriè pertinerēt: nec paucos, qui suis propriis prætulerūt. Deinde, id tū accidit, cū pluribus nullo designato idem munus tractandū relinquitur potiùs quā cōmittitur. Sed nihil obstat, quominus publica negotia curentur; cū singula certis quibusdā, aut singulis, aut etiā pluribus specialiter demandantur: vt Romana duobus Consulibus; aliquando etiam sex Tribunis militū: qui, quia specialiter erāt nominati, non indiligētiùs suo fungebātur officio, quā Dictatores, qui erāt singuli. Tertiò multo magis verendū, ne vni & soli cōmissa infinitorū negotiorū moles, nō modò indiligēter curetur, sed etiā magna ex parte intacta relinquatur: cū ei vnus homuncio par esse nequeat. Cui si iā alios substituas; quæro, quāobrē in reliquis formis Reip. periculosior sit multorum administratio, quā in Monarchia? In Ecclesia verò is ordo est, vt nō indefinitè omnes omnibus partes cōmittantur, sed singulę vel singulis, vel pluribus: paucis tamē, & designatis. Hoc modo Ecclesia Antiochena cū primū cœpit, à Barnaba & Paulo est administrata: sic Ephesina, teste Luca, à pluribus Episcopis. Deniq; sic Apostolis & omnibus & singulis tota credita est Ecclesia: vt ipsi tamen sibi prouincias sumerent, Paulus Gentes, Petrus Circuncisionem, Thomas Indiam, Ioannes Asiam; alij alias. Quare hoc neglectæ Reipub. periculum, non necessarium est in Rep. non Monarchica: & multò minus in Ecclesia.

XLVI. Sed Monarchię pręstantiā duobus adhuc argumentis Bellarminus tuetur; ab autoritate tum diuina, tum humana. Deus (inquit) tribus modis ostendit Monarchiā esse optimū regimen. Primo institutione generis humani, quod fecit ex vno semine, teste Paulo Actorū 17. producens virū ex humo, fœminā ex viro: cuius caussam Chrysostomus esse dixit, vt esset inter homines nō Democratia, sed regnū: homilia trigesima quarta in priorē ad Corinthios. Secūdò, cùm omnibus penè rebus inseuit naturalē propensionem ad Monarchiā: sic in qualibet domo vnus est paterfamilias, ad quem pertinet gubernatio cōiugis, filiorū, seruorū, rerū deniq; cæterarū sic maxima pars orbis terrarū à regibus gubernatur & quidē antiquior ea forma est aliis: teste Iustino lib. 1. Sic etiā animātia rationis expertia, vnius principatū expetere videntur: vt apes, greges, armēta, grues. Tertiò: cùm Remp. instituit Hebræorū: in ea enim primò Patriarchę Principes: deinde Duces: tertiò Iudices: quartò Reges: tum iterū Duces.

XLVII. Sed hęc superioribus nō sūt absimilia. Ad primū respōdeo, in Adamo agnosci patriā potestatē: nō verò Monarchicā. Sūt autē hæc duo potestatis genera lōgè diuersa. Nā illa ad Oeconomiā pertinet, ista verò ad politiā. Est aūt οἶκος *domus*, pars tātū politiæ; quā cōstare è multis familiis, nō erat le[illegible] expectandū, vt admoneremur. Itaq; quia in Adamo initiū factū est familiæ, rectè cōcludimus eius gubernādę autoritatē penes vnicū esse; quod ita naturale est, vt aliter factū sit nunquā. [illegible] Ridiculū tamē est, quia paterfamilias vnus regit, & μοναρχίας nomen vnius potestatē significat; ideò Monarchiā appellare patriā potestatē, nimis exile id est syllabarū aucupiū. Nam quid tū si sint vocabula homonyma, dū sit definitio discreta? Nā Monarchia, de qua disputamus, est politia in qua vnus curat rem nō suam, sed publicam. At in familia, vnus suam rem curat. Non enim κτῆσις tantùm, sed & ἀνδράποδα, quas partes familiæ Aristoteles notat, sunt in potestate patrisfamilias. Sunt enim

homi-

hominés, vel liberi vel serui: liberi, vxor & filij. Ea omnia non sui sunt iuris, sed in potestate patrisfamilias. Itaque non procedit cóclusio á familia ad politiam. [illegible Greek] (inquit Philosophus Oeconomicorum primo) [illegible Greek] *Differunt Oeconomice & Politice: non solum, quantum familia, & ciuitas: sunt enim hæc vtriusque subiecta verum etiam, quod Politice ex multis principibus: Oeconomice verò Monarchia est.*

XLVIII. Abutitur verò Chrysostomi nomine Iesuita. Ille enim nunquã dixit creatũ esse á Deo vnũ hominem, aut ab vno semine totum genus humanum: vt esset inter homines non Democratia, sed regnum. Quid igitur? Vt mutuò amare discerẽt homines. Primò, generationis mysteria exsequitur: deinde familiæ ordinationem. De generatione locus sic habet. Explicat illud Pauli, [illegible Greek]. *Sectamini charitatẽ:* & examinata vi [illegible Greek], elicit magno studio, curaq; exacta opus esse charitatem amplexandam. [illegible Greek] *Etenim Deus ab initio infinitis artibus vsus est, vt eam nobis insereret. Nam & omnibus vnũ caput dedit Adamũ. Quãobrem enim non omnes nascimur è terra? Cur non perfecti, sicut ille? Scilicet, vt & partus, & infantiã educatio: & quod nascamur alij ex alijs, nos inter nos colligarent. Propterea, ne mulierem quidem ais fecit è terra. Nam non sufficiebat ad nos honesto pudore cogendos ad concordiam: quod omnes eiusdem simus substantiæ, nisi & eũdem haberemus generis autorem: etiam hoc iurauit. Enimuerò si nunc, cùm solis locis disiungimur, nos alij ab alijs alienos putamus: multo magis, si duo principia essent generis nostri. Propterea ergo, tanquam ab vno capite totum corpus humani generis colligauit.* Hæc Chrysostomus. In quibus de regno, aut Monarchia politica, neque [illegible Greek] neque [illegible Greek]: sed tantùm de charitate: quæ quidem esse & potest & debet in Aristocratia, & Democratia; æquè ac in Monarchia. Iam de familiæ ordine paulò pòst: [illegible Greek] *Deinde, vt alterum quidem subijceretur, alterum imperaret (etenim honoris æqualitas solet pugnas inducere) non permisit esse Democratiam sed Monarchiam: & quem in exercitu, eundem in singulis familiis ordinem quilibet videat.* Hæc Chrysostomus. Atqui de familiæ Monarchia nemo dubitat. Nec consequens est, si in familia viget Monarchia; ideò etiam vbique terrarum aut in Ecclesia debere constitui.

XLIX. Ad secundum: Omnibus rebus insitam propensionem ad Monarchiam falsum. Non enim omnibus; quia nullius Monarchiæ constitutionẽ nouimus non violentam: id est, cótra naturam, naturæque propensionem: aut si non constitutionem (vt fortè in vna atq; altera) certè incremẽta. Quod nunquam factum foret; si in eam hominum natura inclinaret. Nam familias quidem nulla vis cogit inuitas: Ciuitates etiam naturalis hominum ad societatem propensio cógregauit. Et in vniuersum, á natura duci se non trahi sentiunt homines. Quo argumento quis Democratiam dixerit esse Reip. formã reliquis omnibus humanæ naturæ accommodatiorem? Nam non Monarchiæ tantùm ferè omnes: sed & Aristocratiæ plurimæ, per vim constitutę sunt: At Democratiæ nullæ, familiæ verò exempli est extra rem, vt iam diximus. Quod maxima pars orbis terrarum á Regibus gubernetur, nó efficit eam formã esse naturalem: Nam seruorum vsus longè patebat olim latius; quem tamen esse cótra naturam nemo sanus nó fatetur. Esse verò rerumpublicarum antiquissimam Monarchiam; ne Iustino quidem crediderim. Quamuis non tam videtur antiquitatẽ Monarchiæ obseruare, quàm antiquarum Monarchiarum moderationem indicare, quam Ninus primus violauit. Sed vt vt sit, tamen primũ Monarchã Nimrodum legimus: & ante eum tamen ciuitates. De animantibus rationis expertibus, nugatur Sophista. Nam & minima eorum pars [illegible Greek] viuit: & hæc ipsa Monarchiam nullam nouit; excepeis, si fortè apibus. Quid enim? In gregibus dux vnus, & in armentis rector vnus, fateor: Sed alterius naturæ, scilicet homo. Nam neq; aries arietibus imperat, neq; bos bubus: aut gruibus grus. Atq; adeò, si quis obseruet, non semper vnus aries præcedit, sed promiscuè [illegible Greek]. Et grues alias alijs succedere in primum locum omnes agnoscunt. Hęc igitur exempla nihil ad Monarchiam.

L. Ad tertiũ: Patriarchas nego Monarchas fuisse. Nam Abraham, Isaac, Iacob; patresfamilias duntaxat fuere: iis enim viuentibus nondum in Remp. excreuerat eorum semen. Abrahamum gessisse bellum certum est: sed exercitu coacto è vernaculis tãtùm: non igitur ex ciuibus: sine quibus nulla politia est: nulla Monarchia. Iudas verò cùm nurum suã igni adiudicaret; non alio iure vtebatur quàm patrisfamilias: quis enim ignorat patrisfamilias in suos ius fuisse vitæ necisque? Post Patriarchas autem illos primos diuisus est Israeliticus populus in varias tribus: ac tum verè constituta politia: sed nunquam regia vsq; ad Saulem. Nam Mosen, Iosue: & deinde Iudices, quod nominant, facile negotium. Quia illos extra ordinem Deus eligebat, mutebat, mouebat; ad præsentes necessitates: non verò sic constituta aliqua forma Reipublicę: legimus enim multis annis nullos fuisse, aut duces, aut iudices. Imò ex capite secundo Iudicum discimus: mortuo iudice populum auerti solitum á Deo; indeque variè ab hostibus exercitum, donec alius aliusque index suscitaretur: quo certè significatur, non fuisse ordinarium, continuumque magistratum, quæ nostra quæstio est. Roma autem non propterea Monarchia erat, quòd Dictator aliquando fieret. Tandem ad reges deuentum: non Dei præcepto: sed populi inconstãtia & temeritate: quam Deus grauiter increpuit; adeò vt se ab iis derelictum quereretur: ad eòque deterrẽdos regis משפט ius, siue, vt ego censeo, cõsuetudinem describeret, cuiusmodi solet esse tyrãnorum. Quibus argumentis, si negamus confici, displicuisse hanc populi inconsiderationem, cur non solem negemus lucere meridie? Quamuis non sit negandum, hoc peccatum ita fuisse á Deo moderatum, vt è malo bonum erueret.

LI. Et hæc quidem de Institutione diuina, ita disputata sunto. Non, vt concludatur exosam esse Deo Monarchiam [illegible Greek]: sed tantùm ne illa sese reliquis præferat. Nam & reliquæ item sunt á

Adamum, cùm ad se factum deferretur, non tãtùm non reprehendisse; sed etiam ipsum communicasse alieno peccato? Quanquam hoc nihil ad rem: Sæpe enim accidit, vt quis à peccato abducatur, si rem communicet, non iis tantùm quibus subest, sed etiam alicui ex sociis.

VII. Secundum exemplum: Seth, defuncto Adamo, superstes fuit annos cẽtum viginti: quẽ Philo testatur, & ipsum virtutis studio se totũ dedisse: nepotesque sui similes reliquisse. Sed huius eadem ratio, quæ Adami: quia Caino facto apostata: deinceps Ecclesia redacta fuit in domũ Sethi: qui præerat iure patrisfamilias: non verò summi Pontificis.

VIII. Tertium igitur exemplum: Setho natus est filius Enos, qui patri superuixit annos nonaginta octo. *Ipse autem* (inquit Moses) *cœpit inuocare nomen Domini.* Non quòd ante eum hoc ipsum nemo fecisset: sed quod magis aucto humano genere, ille magis in dilatando diuino cultu laborarit. Vel potiùs iuxta Sanderũ: Quia cultus Dei suo proprio & peculiari principio carere non debuit: itaque primum constitit in Abele: deinde, illo sine liberis mortuo, in Seth ac filiis eius.

IX. At qui de Enos, præter meras præiudicatásque diuinationes, habeo omnino nihil quod affirment. Nam post Sethum, tam in familias diuisum est genus humanum, etiam pium, & à Caini Apostasia abhorrens: singulis autem familiis suos fuisse patresfamilias, dubium nullum. Locus autem, *Ille cœpit inuocare nomen Domini*: non est ex veritate Hebraica, sed ex peruersione Latina. Nã Hebraicè est, *Tum cœptum est ad inuocandũ nomen Domini*: vt ad verbum expressit Arias: vt notetur non persona, quæ cœperit, sed tempus quo cœptũ est. Nam & הוחל nõ actiuum est, sed passiuũ. Sensus erit igitur Enoso in mundum edito, cœptum לקרא בשם יהוה: quæ verba variè exponuntur. Aliàs, inuocare nomẽ Domini: vt significet: tum externo cultu distinctã fuisse Ecclesiã, à reliquis hominibus: quòd in ea inuocaretur peculiariter Domini nomen. Sunt tamen, qui vertãt, *Vocare de nomine Dei*: id est, tuio temporis ita distinctos fuisse cœtus religionis causâ; vt etiam nomine distincto significarentur: & alij quidẽ essent filij hominum, alij filij Dei. Vt sexto postea capite: *Cùm vidissent filij Dei filias hominum.* Hic igitur significari volunt, eam nominum distinctionem initium sumsisse post natum Enos. Quæ interpretatio & facillima est, & absurdi nihil habet; congruitque non tantùm grammaticę constructioni; sed etiam historiæ contextui.

X. Quartum exemplũ: Post Enos, Caioã, quinque & centum annos: Malaleel quadraginta quinque: Iared centum quinquaginta duos: Mathusalẽ ducentos triginta quatuor, Ecclesiæ Monarchiam obtinuerunt. Sanderus duobus id probat argumẽtis. Primo: quia ætas illa secuta sit ordinem naturæ; quæ etiam inter genuinos primogenitum nouit: alterо; quia credendum, inter posteros Sethi ante diluuium, in præfectura & successione, seruatam esse eam legem, quæ postea seruabatur in Abrahamo ac filiis eius. Tertiũ Coccius addit, quia Petrus posterioris secundo, Noẽ vocat octauum præconem veritatis: quod intelligi nequit, nisi numeremus, Adamum, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Mathusalem; quibus septem octauus successerit Noẽ.

XI. Nos verò negamus vllam illos Ecclesiasticam Monarchiam obtinuisse: sed in sua quemq; familia naturalem, vt paulò antè dictum. Ad primum antè argumentum respondeo, nõ constare vllũ vnquã ius fuisse primogenituræ in religionis negotio: Ne in reliquis quidem rebus: nisi quandiu omnes intra eandem familiam. Sed in multiplicatas, nullũ exemplũ esse prolatæ autoritatis. Nec si Sem fuit primogenitus, ideò legi fratribus Cham & Iaphet, aut eorũ posteris, in varias prouincias distractis, imperitasse: Non Abraham, Nachori & Harano.

XII. Sed natura agnouit ius primogenituræ. Rectè, inquã, in successione paternam in hęreditate herciscunda: sed in religione temperanda, falsum. Atq; adeò Theodoretũ audi quæstione cẽtesima octaua in Genesin: [illegible] *Notandum est, vbique primogenitis minores natu preferri.* Et habeit illustre exẽplum præ manibus. Ephraimi & Manasses. Sed cumulauit alia. [illegible] *Nam Kaino prælatus Abel: & Iapeto Seth, iunior.* [illegible] *Et Ismaeli, Isaacus: & Esau Iacobus: & Rubeno Iudas, Iosephúsque: & Manasse, Ephraim.* [illegible] *Idẽ in sequentibus deprehenditur. Nam Aaroni præponitur Moses, & Dauid minor fuit septem fratribus.* Satin' id enucleatè?

XIII. Atque adeò in secundo argumento sumitur partim falsum, partim incertum. Falsum est, in Abrahæ liberis primogenituræ ius fuisse obseruatũ. Nam quis nescit Ismaelẽ annis minimum quatuordecim fuisse maiorem Isaaco? Nam Geneseos decimo septimo annorum fuisse dicitur tredecim cùm est circuncisus: Et pòst capite decimo octauo, promittitur natiuitas Isaaci intra annum. De Iacob & Esau, nònne disertum est, *Maior seruiet minori?* Geneseos vicesimo quarto: repetitum & inculcatum à Paulo nono ad Romanos. Quid Ephraimum dicam, & Aaronem?

XIV. Ne Semo quidẽ primogenitura fuit: neque verò etiam Abrahamo, contra quàm Sanderus asserit. Quod vel ipsi demonstrant digiti. Certè Geneseos 10. dicitur ולשם ילד גם הוא אבי כל־בני עבר אחי יפת הגדול. Editio Græca sic reddidit: [illegible] *Hoc est: Et Semo natus est etiã ipsi patri omniũ filiorũ Heber, fratri Iaphet maioris.* Et sic paulò ante citabat Theodoretus; in eámque sententiã vtebatur. At Latinus interpres, *De Sem quoq; nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iaphet maiore*: vnde natus error, vt Sem nonnullis diceretur maior natu ipso Iapheto: ac proinde maximus trium. Nam Cham fuisse minimum, disertè notatũ capite nono.

XV. Et verò fateor seriem etiã textus Hebraici esse ambiguam. Sed annorum putatio litem dirimere sufficiens est. Geneseos quinto. *Noe, quum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet.* Quibus verbis manifestum, significari cœpisse Noachũ generare anno ætatis suæ quingentesimo. Nam qui somniant, annum potiùs notatum, quo postremus horum trium genitus sit (de quibus nonnihil dixit Pererius) valde sui dissimilem faciunt Mosen, qui aliàs semper solet aliter. Sexcentesimo autem eiusdem Noachi anno manifestum est diluuium fuisse. Quare, si natus Sem esset anno illo quingentesimo Noachi: ergo biennio post diluuium oporteret fuisse natum annos centum & duos. Atqui fuisse constat duntaxat centum. Testis Moses capite vndecimo: *Sem erat centum annorum, quan-*

XXV. Sed nunquam mihi quisquam persuaserit, Abrahamo fuisse vxorem filiam ipsius sui patris & germanam sororem: quamuis non vterinam. Videnos, qui tam dure possint de tam sancto viro sentire. Nec tamen vim fecerim in Haran nomine. Tantùm vrgeo, filiam fuisse Thare, siue ex eo, siue ex Nachore, siue ex alio, quem Thare genuerit, post Abrahamum, si Abrahamus primogenitus. Quo posito, absurditas manet: fortasse etiam augetur.

XXVI. Sed hoc si sic habeat, inquiunt, tota turbabit annorum ratio. Magnum, inquam, incómodũ, & cui medendo, optãdum, imò magno emendũ remedium. Veruntamen hoc posito, salua fuit fides Christiana: quę nõ potest nõ titubare, si titubet autoritas Verbi Dei. Itaq; æquius feret orbis Christianus incómoda Chronologica, dũ Deus prouideat.

XXVII. In argumento Coccij, vide Sophistarũ ingenium, quidlibet pro arbitrio detorquentium, quantumuis tenuissima oblata occasione. Scripsit Petrus, ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα ἐφύλαξε, *Octauum Noe iustitiæ præconem seruauit.* Inde lusit Coccius ambiguo: quia dictum videri potuit octauum præconem: cùm tamen verum sit, *seruauit octauum*, id est, cum alijs septem, qui vnà erãt cum eo in *Arca, in qua pauca, id est, octo animæ seruatæ sunt.* Certè in hunc modum interpretes acceperunt: non Ambrosius tantum Catharinus, quem Coccius nominauit, sed etiam Lyranus, Caietanus, Gagnæus, Guillandus, Salmero, Lorinus, Sa. Ad eam videlicet rationem, ad quã, Plutarchi Pelopida legimus, ὁ Πελοπίδας εἰς οἰκίαν δωδέκατος κατελθὼν, *Pelopidas duodecimus ingressus domum*, id est, cum vndecim comitibus: Et apud Polybium libro quinto, de Theodoro Aetolo τρίτος εἰς τὸν τῶν πολεμίων χάρακα, id est, interprete Casaubono, *Duobus tantum comitatus hostile vallum intrat.* Et libro decimo sexto, τρίτος δ' αὐτὸς ὁ Διονυσόδωρος ἐσώζετο, *Dionysidorus verò cum duobus alijs enatauit.* Homerus Iliados tertio & vicesimo, Meriones πέμπτος ἐΰτριχας ὁπλίσατ' ἵππους, *Quintus pulchre iubatos parauit equos.* Quomodo quintus? Nẽpe Antiochus, Eumelus, Menelaus, Meriones, Tydides. Quo genere loquendi vsus Latinus interpres Matthæi decimo tertio, quod Græcè est, ἐδίδου καρπὸν ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ δὲ ἑξήκοντα, ὁ δὲ τριάκοντα. vertit, *Dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Non satis vsitate*, ait Maldonatus, *quanquam aliqui non male autores ita locuti sint.* Enimuerò cuius ingenij est, & facilem, & non absurdum, & iam probatum sensum deserere: aliumque, quantumuis inuita Minerua, vestigare, primum nõ faciliorem, secundò solitarium, tertiò absurdum. Nam quis Coccio concessurus est veritatis præconem Noam ab initio mundi fuisse tantùm octauũ in tam multis seculis: aut significare Ecclesiæ Monarcham: & quidem iure successionis?

XXVIII. Quintum exemplum est Noë, qui arcam gubernauit, quam Petrus militantis Ecclesiæ figuram gessisse demonstrat. Nam solus Noë minister Dei factus est in eo, vt colligeret in arcam suam, non solùm vxorem & filios, verùm etiam animalia omnia: ea re significans, Christum vnius potissimum Pastoris ministerio collecturum, non modò Iudæos, velut filios regni, verùm etiam omnium gentium aliquos in Ecclesiam suam. Animalium quippe ingressus in Arcam sub vnius Noë ducatu, gentium ingressum in Ecclesiam Christi sub vnius pastoris primatu designabat.

XXIX. Respondeo, Primò nusquã Petrũ demõstrare Ecclesiam militãtẽ significatã esse per arcam Noë. Et tamen quia quodam aspectu non ineptè dici potest Arcam fuisse figuram militantis Ecclesiæ, & in eo nonnullos veteres lusisse animaduerto: secundò respondeo, non esse hanc similitudinis rationem, siue fundamentum: id est, non tantùm Petrum; sed ne vllum quidem Veterum eã Ecclesiam per totum orbem ei Arcæ comparasse, quã spectatur vnius principatus. Est autem ineptum, sumpta cuiuspiam comparationis occasione, deinceps alteri termino imbuere quicquid de altero cogitari potest. Atque adeo in hoc ipso exemplo, scire velim, quo me modo excepturi sint sophistæ, si dicam oportere alterius esse naturæ caput Ecclesiæ: maximè, qua parte constat è gentibus; quàm sint ipsæ gentes: quia Noë fuit alterius naturæ, quàm bruta illa animalia, quibus Sanderus significatam voluit gentium admissionem. Cæterùm ea Noëautoritas erat potius politica: vt apparet ex eo, quòd ei Deus iniungit omnes partes patrisfamilias, in curandis corporibus cùm hominũ tum brutorũ. Porrò nihil Sãderus de potestate Ecclesiastica hoc loco.

XXX. Sextum exemplum. Defuncto Noe, superuixit Sem annis centum viginti: & suis posteris, qui pietatem coluerunt, solus præfuit: ad quem qui volebant seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, ante omnia debebant accurrere: sedem regni habẽtem in Salem; & iustitiæ regem dictum: fuisse enim Sem eundem Melchisedecum crediderunt multi tum Hebræi, tum Catholici.

XXXI. Respondeo: primò de Sem meram esse coniecturam: quæ noua refutatione non indigeat: neq; enim pro demonstrationibus esse nobis debere Sanderi, Coccij, aliúsve cuiusquam somniationes. Et quidem nimis consideratè loquutum Coccium, qui ei in solos suos posteros autoritatem tribuat: quam ei nemo eripere possit, vt patrifamilias. Sed meminisse debuerat, agi inter nos de vniuersæ Ecclesiæ principatu. Erant autem Semo fratres, non tantùm Cam ille apostata, sed etiam Iaphet verè frater tum sanguine, tum moribus. Et quidem natu maior, in quem naturalem nullam potestat sibi autoritatem vindicare; neq; in eius posteros. Quare nihil est in eo quod vigeat.

XXXII. Secundò, nego eundẽ esse Sem & Melchisedec: nego id vllum Catholicum asserere: paucos tantùm Iudæos fingere. Fingere autem pro solita audacia, quæ nihil inausum relinquat: nam cæteroquin opinionis fundamentum nullũ habere, sed tenuem duntaxat coniecturam annorum. Nos verò obseruamus, non modò non id à Scriptura doceri, qua tacente quis loquatur? Sed etiam Paulum asserere Melchisedecum induci à Scripturis ἀγενεαλόγητον, ἀπάτορα, ἀμήτορα: quæ in Sem cadere nõ possunt, cuius genealogiam tum à maioribus, tum in posteros disertè Moses enarrauit: imò etiam initium, finemque vitæ. Hæc, inquam, non tantùm Sem habuit omnia, quæ & Melchisedecum habuisse nemo dubitat: sed præterea habuit in Scripturis expressa: quod de Melchisedeco Paulus negat: itaque omnino necesse est diuersas fuisse personas.

XXXIII. Tertiò, nego Melchisedecum fuisse Ecclesiæ Monarcham, ab eoque pependisse omnes fideles. Quis enim potest diuinare? Nam Scriptura quidem nihil docet eiusmodi. Imò potius, iam tum Abrahamum fuisse vocatum ad Ecclesiam constituendam separatam: paulò pòst circuncidendum: & quidem absque aut consilio aut etiam conscientia Melchisedeci, vllius-ve alterius: sed solo Dei mãdato. Quod quidem non licebat: si summo iure, aliquis eius religioni præfuisset, ex sententia Papistarum.

rum, qui ne cucullum quidem induci patiuntur, aut cibos mutari præter sui capitis nutum. Verum (inquit Sanderus) Abraham non dedignatus est superiorem agnoscere Melchisedec. Esto sanè: sed aliud est superiorem agnoscere, quàm ab eo pendere. Agnoscitur enim superior aliquis, multis modis, ob ætatem, ob dignitatem, ob diuitias, atque aliter. Et quidem Melchisedec Abrahamo facile superior conceditur, vt qui esset non sacerdos tantùm, sed etiam Rex.

CAP. X.

De Ecclesia triumphante in Synagoga.

I. OCtauum argumentum: Si Synagoga, quæ fuit vmbra, vnum habuit summum Sacerdotem: & Ecclesia triumphans, quæ est exemplar, habet vnum præsidem Deum sibi: Ergo & Ecclesia militans, quæ inter eas est media, carere non potest vnitate præsidis. At priora vera. Ergo & posterius. Argumentum est integrum apud Roffensem ad vigesimum quintum articulum Lutheri. At eius partem de Synagoga Bellarminus habet, libro primo de Pontifice, capite nono. Altera parte de Ecclesia triumphante vsus est Petrus Auratus, Paradoxo septuagesimo: sed & Petrus de Monte in Monarchia Petri.

II. Respondeo, prius de Cœlesti, tum de Synagoga. In illa parte igitur antecedens est absurdum: Nam primò, vnde habent Ecclesiam triumphantẽ esse exemplar militantis? Citat Auratus ex Apocalypseos vigesimo primo, Hierusalem nouam descendentem de cœlis: Et ex Epistola ad Hebræos, Moysi dictum, vt faceret omnia secundùm exemplar ei in monte monstratum. Atqui hæc frustra. Nam Hierusalem illa noua, non est Ecclesia militãs, sed ipsa triumphans. Rupertus, *Nunc tandem in calce visionum sint reuelationis huius, vniuersitas huic Ioanni demonstratur totius operis, quod Iesus Christus tot impensis, tot spirituum suorum gratiis vel donis ædificauit, scilicet ciuitas sancta Hierusalem, quæ est Ecclesia Dei, non qualis in ista peregrinatione est, vel qualis in vltimo iudicio stabit à dextris, sicut paulo antè dictum est, non sine aliquanto timore, donec transeat furor Domini, quo in ignem æternum mittentur sinistri: sed qualis post iudicium in gloria æterna erit, sola & tota, alienis omnibus foras missis, perfruens visione Dei.* Quomodo igitur hinc intelligi potest illud exemplar? Nam post resurrectionem non erit alia triumphans, alia militans Ecclesia: sed vnica triumphans, quam Rupertus nominauit, vniuersitatem operis. Ad Hebræos autem, neque exemplar illud in monte est Ecclesia triumphans: neque id quod factum ad eius imitationem, est militans, sed Mosis tabernaculum.

III. Deinde, quid, aut quomodo exemplar dicunt? aut qua ratione disparant ab vmbra, quam assignant Synagogæ? Nam Vetus interpres, voces Græcas ὑπόδειγμα, τύπον, ἀντίτυπα, quibus vsus est Paulus ad Hebræos octauo & nono, cùm comparat tabernaculum Mosaicum cœlesti, reddidit hoc exemplaris nomine, cùm tamen certum sit vmbrã significari. Quod si ideo triumphantem exemplar appellant, quia credant ad instar eius institutam esse militantis politiam; hoc verò vnde habeant, quæro mihi monstrari. Deinde refuto facile. Nam quæcunque sunt in exemplari, ea exprimenda sunt in exemplato (& concedant mihi quæso huius vocabuli scholasticam barbariem) ac vicissim, vt exemplatum respondeat exemplari: vnde Mosi dictum, *Vide vt facias omnia ad exemplar, quod ostensum est in monte.* Quid igitur? censent-ne in Ecclesia triumphante esse, non tantùm summum Pontificem, sed etiam Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & reliquos ordines? Absurdum. Ergo non satis consideratè, exemplaris nomen est vsurpatum.

IV. Rursus nego consequentiam: Ecclesia triũphans habet vnum Deum præsidem: Ergo & militans. Multa peccantur. Primum: Quid? Militans nõ habet eundem Deum præsidem? Secundò: cur necesse est alium esse triumphantis præsidem, alium rursus militantis? Imò quis sanus sic arguat: Imperium Romanum vnum Imperatorem habet à quo regitur: Ergo Italiam (exempli gratia) quæ pars est eius Imperij, atque eidem Imperatori subiicitur, necesse est habere vnum, alium ab illo, Imperatorem. Tertiò, nos de vno Ecclesiæ capite simpliciter non disputamus: sed de vno secundario & subalterno: Deus autem est summum caput Ecclesię triumphãtis. Rursus ergo, quis hanc conclusionem sanam sanus iudicet? Ecclesia triumphãs habet Deum summum præsidem: Ergo militans habere debet vnum præsidem secundarium? Quasi quis diceret: Gallia regitur ab vno Rege: ergo Angliam oportet regi ab vno prorege. Hæc adeo sunt inepta, vt nihil supra.

V. Sed de Synagoga prolixius. Primò igitur negamus eam fuisse vmbram siue figuram Ecclesiæ Noui Testamenti. Et sane Roffensis Christianam potius facit mediam inter cœlestem Ecclesiã, & Synagogam. Non possum autem concipere, quomodo, quæ media est inter extremas, possit ab altera extrema adumbrari, siue figurari. Sed hoc ipsi videant. Nos nullo Scripturę loco scimus probari Ecclesiam Iudæorum ante Christum, fuisse vmbram Ecclesiæ Christianæ.

VI. Et tamen Bellarminus citat ex Epistolæ ad Corinthios prioris capite decimo, *Hæc omnia contingebant illis in figuram.* Turrianus de Ecclesia libro primo, capite tertio, ex decimo ad Hebræos, *Vmbrã habebat lex futurorum bonorum, non ipsam imaginẽ rerũ.*

VII. Respondeo, vtrumque egregiè falli. Nam in Epistola ad Corinthios, primum τύπος, siue figura non sumitur, quomodo alias sępe pro significationis analogia, vt cũ serpens in deserto typus fuisse Christi dicitur, aut summus Pontifex Iudæorum, Christi. Sed pro exemplo morali: quod manifestum est ex ipso contextu, *Hæc* (inquit) *in figura facta contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos, fines seculorum deuenerunt.* Et paulo pòst disertius, *Hæc in figura sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupiuerunt.* Non vult autem Apostolus, idololatriam Israelitici populi, significasse futuros etiam Christianos populos idololatras: aut pœnas, quas illi tum ob id scelus luerunt, pœnas designasse, quibus afficiendi essent Christiani, quo sensu agnum immolatum dicimus significasse Christum crucifigendum: sed eas res sic scriptas, vt in eas, tanquam in exempla intueamur, pro certo habentes nos ipsos similiter puniendos, si peccemus similiter, *Ad significandum* (inquit Lyranus) *quod sic grauius fiet nobis, si fuerimus similes eis. Ideo subditur, scripta sunt autem ad correptionem nostram: dicitur enim vulgariter, quod pulchriter se castigat, qui exẽplo alterius se emendat.* Atque ante eum Oecumenius ὁ ἐστιν [illegible] (sic enim lego) [illegible]. *Perditis*

typum

typus erat nostri, ne eadem facientes eadem patiamur. At hęc quàm aliena sunt ab instituta disputatione? Nā eiusmodi exempla non solent ἀναγωγικῶς applicari. Sic non est necesse, vt puniamur, æquè ac ij, nos ob eadē peccata puniri: nec momentum iuri numerū viginti trium millium: denique neque ad eorum instar vnum habere summum sacerdotem.

VIII. Iam de Epistola ad Hebræos quid dicam? Certè neque Synagogam Paulus nominauit, neq; Ecclesiā Christianam: sed inde legem, hinc autē futura bona. Legem intelligens ceremonias legales, maximè sacrificia: bona autē, remissionē peccatorū: vt patet ex sequentibus. Ceremoniæ autem legales non erant ipsa Synagoga, sed erant in Synagoga: neque remissio peccatorum, siue sanctificatio, est Ecclesia Christiana, sed est in Ecclesia Christiana. Quomodo autem si quis dicat, Agnus erat vmbra Christi immolati, ergo Agnus est vmbra Ecclesiæ: siue, Melchisedeci panis erat figura panis Eucharistici (vt hodie mus & nonnullis è Patribus, & omnibus Papistis) ergo panis Melchisedeci erat figura Ecclesiæ: simili ratione prorsus illud ineptire dicam, qui ceremonias legales, faciat figuras Ecclesiæ Christianæ.

IX. Et tamen, ne his quidem condonaris ineptiis, quicquam conficitur. Negatur enim consequētia. Nam quia figuræ non dicuntur ἀναλόγως, sed tantùm κατά τι, propterea que non est necesse conuenire per singulas suas partes: ideò vel demonstrare debēt Synagogam in eo dici figuram Ecclesiæ, quod vnū haberet summum Sacerdotem merum hominem: vel pati, sua argumēta exsibilari. Nam quemadmodum nō sequitur, Agnus erat figura Christi; Agnus fuit coctus & frustulatim manducatus: ergo similiter Christū oportuit torreri, ac deinde eius carnes, vt in macello laniari: Vel Dauid fuit Christi figura, & fuit conceptus è semine viri, ergo Christū quoque oportuit non è Virgine nasci. Sic non necessariò concluditur, Synagoga fuit vmbra Ecclesiæ: & habuit vnum hominem summum Sacerdotem: ergo & Ecclesia.

X. Et confirmatur negatio consequentiæ: quia summus ille Synagogę Sacerdos, Christum significabat: quod facile nouerit, quicunque mentē Pauli aduertet scribentis ad Hebræos. Cur ergo analogia aliò detorquetur? Quasi diceret quis è medius Papistis exsurgens: Melchisedec fuit typus Christi: & fuit ἀγενεαλόγητος: ergo Pontificem Romanum oportet esse ἀγενεαλόγητον. Eam consequentiam non sani esse hominis non sanus iuret Orestes. Debuit ergo ex ea figura potius concludi in hunc modum: Synagoga fuit vmbra Ecclesiæ. In Synagoga fuit vnus summus Pontifex, absque vllo Vicario: & ille Pontifex Christum significauit. Ergo in Ecclesia Christiana, solus Christus summus est, & absque vicario: ac proinde præter Christum, nullus est agnoscendus summus omnium fidelium Pontifex.

XI. Hic verò instant, Primò, Bellarminus, se non tam vrgere figuram Aaronis, quàm totius Testamenti Veteris. Cùm enim Testamentum Vetus sit figura Noui, sicut in Veteri fuit regimen Monarchicum, ita & in Nouo esse debere. Atqui primū male vrget ea eo loco. Nouū enim significauit Paulus totū Vetus Testamētum esse figuram: secūdò, etsi esset, at non eo respectu, etsi eo respectu, id est, quatenus administratum fuit μοναρχικῶς, tamen eo non significatur, nouum sic administrandum. Itaque frustra confugit ad totum Vetus Testamentum: quomodocumque tandem id consideret.

XII. Secunda instantia est Roffensis & Bellarmini. Eandem rem posse esse figuram diuersarum: sic enim Leonem, tum Christi, tum Diaboli: fermentum, & fidei, & peccati: sacrificia vetera, tum sacrificij in cruce, tum eius quod in Eucharistia celebratur. Itaque Aaronem, non solùm Christi gessisse figuram: sed & Petri, ac successorum eius.

XIII. Respondeo, primò, non esse conclusionem necessariam: sed tantùm possibilem. Itaque per eam nihil demonstrari, nihil euinci. Nō enim probandum fuit, vtrum posset Aaron significare Petrū: sed vtrum significaret. Illud ergo frustra est: hoc verò erat necessarium. Secundò: nego Aaronem posse esse figuram Petri. Ratio: Quia fuit figura Christi. Est enim falsū, vnā eandem figurā, posse esse plurium rerū figuram: & nego vllum exemplū cōtrà adferri. Nā in Leone, & fermento, quàm se ridiculum præbuit Roffensis? Confundit enim figuras, i. σχήματα τῆς λέξεως, cum figuris, id est, τύποις. Leo enim & fermentum in Scriptura, tantùm metaphoricè vsurpātur: nec vllus vnquam fuit in Ecclesia veteri Leo, reuera Leo, qui significaret aut Christum, aut diabolum. Multo minus vnus qui vtrumque. Sacrificia etiā vetera, cùm significāt sacrificium in cruce, & sacrificium in Eucharistia, nō significant res plures. Nam sacrificiū illud in cruce, est idem numero sacrificium, quod in Eucharistiæ Sacramento celebratur. Tertiò, etiā si verum esset sic τύπους esse posse variarum rerum, quomodo metaphoras: tamen id fieri non posset, nisi diuersa ratione: neque enim sic Leo Christum repræsentat, vt diabolum: aut fermentum eadem ratione fidem & peccatum. Atisti, eo ipso quod Aaron fuerit summus sacerdos, volunt Christum significari, & Episcopum Romanum. Annon absurdè cùm ille quidem sit absolutè summus Pontifex, hic tamen tantùm se Vicarium dicat. Quis ergo nō rideat consequentiam, Aaronem habuit Vetus Ecclesia summum sacerdotem: ergo Ecclesia Christiana Romanum Episcopum habere debet summi Sacerdotis vicarium?

XIV. Præterea Roffensis duas obseruationes colligit, quæ si veræ sunt, tum profectò non potest Aaron fuisse typus Christi, contra quàm Paulus docet. Prima obseruatio: In omnibus negotiis, quæ ad Deum attinebant, Moses erat, quàm Aaron superior. Quamobrem Moses absolutè summus fuit, Aaron verò non absolutè, sed comparatione cæterorum. Ita in noua lege, Christus absolutè & simpliciter summus est, Petrus verò non nisi cæterorum comparatione. Altera: In vmbra illa Iudaica, Moses apud Deum Aaronis agebat negotium. Aaron vicissim apud populum vice Mosis negotia Dei gerebat. Sic enim Exodi quarto, *Ipse (nimirum Aaron) loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in iis quæ ad Deum pertinent.* Sic in vmbra fuit Iudaica. At quomodo respondet huic vmbræ Christianorum veritas? Dixit Christus ad Petrum, *Ego rogaui pro te:* fuit ergo tanquam os Petri in iis quæ ad Deum pertinebant. Et deinceps, *Tu confirma fratres tuos:* fuit igitur Petrus os vice Christi.

XV. Respondeo ad primam: Aaronem fuisse Summum Sacerdotem; non tantùm comparatè ad inferiores: sed etiam absolutè & simpliciter. Nam & Hebraicè vocatur כהן הגדול is Sacerdos qui magnus est, nempe omnium sacerdotum maximus: & Summus, Latinè, non potest non simpliciter significare eum, supra quem in eodem ordine

nemo est. Græcè ἀρχιερεὺς, hoc est, qui præsit omnibus sacerdotibus, sic vt à nemine pendeat. Itaque summum Sacerdotem eum oportet esse, & quem supra se reliqui agnoscant, & qui supra se nullum agnoscat Sacerdotem. Aaron igitur, aut non verè dictus est summus; aut non agnouit superiorem se vllum alium. Fuisse Mosen superiorē, equidem fateor: sed tanquam Magistratum, non tanquam Sacerdotem: nam hoc munere Sacerdotali, post institutum Aaronem, nunquam legitur esse functus. Fuit igitur Moses supra Aaronem & reliquos Sacerdotes, eo iure quo summus debet esse is, qui Dux est totius populi; in quo continentur etiam Sacerdotes. Sicut primis Ecclesiæ Christianæ temporibus, id est, ante inuectam Antichristi tyrannidem, Magistratus, puta Imperatores primum, deinde Reges in suo quisque regno, erant supra Episcopos, etiam Romanum, iisque imperabant, & leges dabant. Nec adeo Christus ipse dedignatus est tributum soluere. Quare nihil necesse est, vt alium dicamus Christo superiorem, etsi eius figuram dicamus Aaronem gessisse: non enim gessit, quatenus fuit vnus de populo Israelitico, quo iure Mosi subiectus fuit: sed quatenus summus fuit Sacerdos: quo iure neminem habuit superiorem. Et rursus non potest Aaron esse figura eius, qui vicarius est tantùm Pontificis summi: non autem ipse summus Pontifex. Nam Aaronem quis vnquam audeat dicere vicarium fuisse Mosis in munere Sacerdotali, etiamsi aliàs Mosen sciat fuisse eo superiorem?

XVI. In secunda obseruatione, nihil est sani. Nam primùm, Exodi quarto, non agitur de Aaronis Sacerdotio: quod nondum vllum erat, sed postea institutum: sed de speciali negotio legationis ad populum, quam Moses recusabat, prætexens balbutiem. In quo negotio addidit ei Deus comitem fratrem Aaronem. Qua in re nemo est qui vnquam dixerit, aliquam esse quærendam figuram; nedum regiminis Ecclesiastici. Sed ita solent Papistæ sibi quidlibet sumere, & suis somniis vti, demonstrationum loco.

XVII. Deinde locus ipse pessimè tractatus à Latino interprete, peius exponitur à Roffensi: Latine igitur, *Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* Enimuerò, quid illud est in postremo membro, *eris ei in his quæ ad Deum?* aut quis sensus? Quid igitur eris? Non exprimitur. At Hebraica veritas, *Et loquetur pro te ad populum, & ipse erit tibi pro ore ad populum: & tu eris ei pro Deo.* Quam sententiam Chaldæus Paraphrastes sic expressit, *loquetur ipse pro te cum populo: & ipse erit* למתרגמן *pro interprete: & tu eris ei* לרב *pro principe.* Vnde Schlomo Iarhi asserit, & פום id est, *os*, esse pro מליץ *interprete*, & לאלהים pro לרב ולשר *magistro & principe.* Lyranus itaque sic interpretatur, *Accipies ordinationem meam, & leges à me immediatè: & ipse eas per te sibi reuelatas denunciabit populo.* Vatablus verò, *Vteris eo interprete: tu verò narrabis ei quæ ego dixero tibi, & te consulet tanquam me.* Quæ interpretatio confirmatur è versu primo septimi capitis: *Aaron erit Propheta tuus*, hoc est, *interpres*, iuxta Paraphrastem Chaldæum. Quare hic locus nihil ad rem: & non benè inde asseritur, Mosen apud Deum egisse negotium Aaronis: nullum enim in textu significatur negotium Aaronis, quod ei esset apud Deum. Quanquam Latinus interpres, hæc verba, *Tu eris illi in Deum*, pessima fide vertit, *Tu eris ei in his quæ ad Deum pertinent*: sequutus, credo, Græcam versionem, σὺ δὲ αὐτῷ ἔσῃ τὰ πρὸς τὸν θεόν: in qua Steuchus, recognoscens Vetus Testamētum ad veritatem Hebraicam, cùm non posset peccatum negare, extenuauit, dicens modestiæ caussa sic factum: quasi Moses fuerit immodestus, & sibi plus tribuerit quàm æquum erat.

XVIII. Tertiò; nimis quàm supinè dormitauit Roffensis in applicandis huius figuræ partibus. Nam, cùm Aaronem constituat os Mosis; Mosen verò Deum Aaronis: & Mosi quidem Christum comparet, Aaroni Petrum: ideóque debuerit Petrum dicere os Christi: Christum verò Deum Petri: tamen, nescio quomodo sui oblitus, vtrumque alterius os esse dixit, Christum Petri, Petrum Christi. Quis non plaudat?

XIX. Quartò, Petrum fungi vice Christi: aut Christum esse Petro vice Dei, non bene probat. Nā Christū quidem orasse pro Petro, nemo dubitat: sed id non respondet partibus Mosis. Neque enim Moses orabat pro Aarone: sed Aaroni exponebat quę à Deo ipse haberet referenda ad populum. Deinde, confirmare fratres, non est esse os Christi, non est fungi vice Christi. Quid, inquit, annon Christus venit, eius vel maximè rei gratia, vt Christianos cōfirmet? Sane quidem, inquam: Etsi non tantùm vt confirmet, sed prius vt faciat. Sed perinde esto. Negatur tamen cōsequētia. Nam confirmationis varij sunt modi. Christus, virtute sua, suoq́; Spiritu, fideles confirmat: Petrus verò, suo exemplo, quia gratiā consequutus erat post triplicem abnegationem: qua de re plura in proxima controuersia de Petro. Atqui, qui exemplo sic confirmat fratres suos, non fungitur vice Christi: alioquin omnes ferme fideles ea vice fungerentur: & tot haberemus summos Pontifices, Ecclesiæque Monarchas, quot Christianos.

XX. Nullo igitur argumento Roffensis & Bellarminus potuerunt ex Iudaico Pontifice, Christianum aliquem concludere. Sed Sanderus alia via rem aggreditur, capite quarto libri quinti: Ministerium Noui Testamenti superat in omni honore, gloria, & dignitate, Veteris Testamenti ministeriū. Cùm ergo in Veteri Testamento gloriosum fuerit Iudæorum Ecclesiæ, vt totius gentis & omnium Synagogarum vnus esset summus Pontifex, eadem ipsa res, cum gloria maiore, in tempus Noui Testamenti translata esse intelligitur.

XXI. Respondeo: antecedens non esse verum, si intelligatur de honore, gloria, & dignitate externa, quæ faciat ad magnificentiam temporalem. Cùm enim multa sint per Mosen instituta, quæ summum Sacerdotem magnificum redderent intuentibus: eorum nihil vnquam à Christo, aut Apostolis, simile fuit designatum. Tota autem Euangelici Ministerij dignitas est spiritualis, teste Apostolo, negante arma militiæ suæ esse carnalia, capite decimo posterioris ad Corinthios. A spirituali autem dignitate ad temporalem concludere, manifesta est ineptia: non secus ac si quis diceret, illustriora esse debere tēpla Christianorum templo Hierosolymitano, quo nunquam vidit orbis quicquam magnificentius.

XXII. Denique, si quid est in Aaronis exemplo virium, dico pertinere potius ad singulas Ecclesias, quàm ad vniuersas: hoc est, concludere in vnaquaque Ecclesia Episcopum vnum esse, non in omnibus vnum Oecumenicum. Nempe, quia legamus in Damasi Decretali quarta, summorum Pontificū, id est, Episcoporum (sic enim exserte explicantur) figuram tenuisse Mosen & Aaronem.

CAPVT

CAP. XI.

De Ecclesia Angelorum.

I. NOnum argumentum Bellarmini, capite nono libri primi de Pontifice, ab ea similitudine, quam habet Ecclesia mortaliũ hominum, cum Ecclesia immortalium Angelorum. Ergo hæc esto forma: Si Ecclesia mortalium hominum similis est Ecclesiæ immortalium Angelorum: ea est monarchica: At verum prius: Ergo & posterius. Probatur Antecedens: quia certum est istam illius exemplar, & quasi ideam quandam esse, vt Apostolus indicare videtur ad Hebræos octauo: & S. Bernardus disertè affirmat libro tertio de Consideratione ad Eugenium; vbi militantem Ecclesiam in Apocalypsi, Hierusalem nouam descendentem de cœlo, appellatam esse dicit, propterea quòd ad exemplũ cœlestis illius ciuitatis instituta & conformata sit. Probatur verò consequentia, quia certum & exploratum est, inter Angelos, præter summum Regem omnium, Deum, esse vnum, qui alijs omnibus præsit: qui ab initio erat is, qui nunc diabolus dicitur: post eius verò casum, Michael.

II. Respõdeo, Primò, negatur antecedens. Nulla enim Scriptura id docuit. Lego quidem Matthæi vigesimo secũdo, similes beatos fore Angelis cœli: sed id & de singulis dicitur, non de toto corpore: & de beatis post resurrectionem. Verùm Ecclesiam militantem similem esse Ecclesiæ Angelorum, nusquam quisquam legit in Scriptura. Ac mihi vide Iesuiticum ingenium. Certum est, inquit, Ecclesiam Angelorum esse exemplar huius militantis. Diceres oraculum narrari, aut axioma, cuius veritas non tãtùm sit necessaria, sed etiam explorata. Et tamen cũ probat, Apostolus, inquit, indicare videtur. Hem tam exiliter? Primò Apostolus non pronunciat, nõ definit, non docet: sed indicat tantum: imò ne indicat quidem: sed indicare videtur. Et huic fundamento οὐ ῥητῶς, ἀλλὰ ὥσπερ φαινόμενον certum aliquid superstruitur? O nugatores lepidos!

III. Quid si Paulus, non tantùm nõ indicat, sed ne quidem videtur indicare? Textus ita habet, *Cæterum eorum quæ dicimus, summa est, talem nos habere Pontificem, qui consedit ad dextram throni Maiestatis illius cœlestis, sanctuarij minister, ac veri illius tabernaculi, quod fixit Dominus, non homo.* Et paulò pòst, *Manentibus illis sacerdotibus, qui secundum legem dona offerunt, qui exemplari & vmbræ deseruiũt rerum cœlestium, sicut diuinitus dictũ est Mosi, quum esset absoluturus tabernaculum: vide enim, inquit, vt facias omnia ad exemplar, quod ostensum est tibi in monte.* Ex quorum verborum serie, nemo non videt opponi verum illud tabernaculum, quod fixit Deus, & non homo, illi tabernaculo, quod à Mose est factum: quodque vocatur exemplar & vmbra cœlestium rerum. Quam comparationem postea capite nono per partes exequitur: & descripto tabernaculo octo primis versibus, tum nono, *Quod* (inquit) *erat exemplar pro tempore illo præsenti quo dona sacrificiaque offeruntur.* Et pòst, *Adueniens autem Christus Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum non manu factum, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium, ingressus est semel in sacrarium, æterna redemptione nactus.* Et rursus, *Itaque necesse fuit exemplaria eorum quæ sunt in cælis, hisce rebus purificari: ipsa verò cælestia potioribus quàm hæ sunt victimis. Non enim in manu factum Sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens, sed in ipsum cælum, vt appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.* Quis igitur neget, cõparari figuras tabernaculi Mosaici, cum veritate mysteriorum in Christo? Tabernaculum, inquam, ipsum manu factum in deserto, cum cœlorum Sacrario, in quod Christus post mortem suam ingressus est: Ergo non indicat Paulus, quod Bellarminus indicari vult.

IV. Quid, si ne videtur quidem indicare? Nam cui quæso? Veteribus-ne an recentioribus? Neutris. Non enim Ambrosio, *Omnes sacerdotes in lege constituti, exemplare, & vmbratile sacerdotium gerebant cælestium, id est, spiritualium, significantes verum & sempiternum Christi sacerdotium. Nonne altare est cæleste fides nostra?* Non Primasio, *Tabernaculi quoque veri minister est, quod constituit, siue composuit Deus, & non homo, id est, cœli, quod nobis ipse administrat, vt claritate syderum illius illustremur. Tabernaculum enim, quod Bezeleel composuit in deserto, siue quod templum Salomon fecit in terra repromissionis, non fuit verum: quia & vetustate consumptum est, nec semper durare potuit, ideoque tabernaculum verum, cælum vocat, quoniam in æternum stabit, nullaque vetustate consumetur.* Non Anselmo, *Est minister sanctorum, & tabernaculi, non vmbratilis, non præfigurantis sed veri, id est, significati tabernaculi, hoc est, æterni sanctuarij, quod significatum est per tabernaculum Moysi.* Non Caietano, *Duo dixerat alterum Sanctorũ Minister, alterum & tabernaculi veri, quod fixit Deus. Et quoad primũ dixit, quod id, quod offert Iesus, non est super terram, ad differentiam Sacerdotum legalium.* Et paulò pòst, *Modo differentiam tabernaculi prosequitur, dicendo de Sacerdotibus legalibus, quia deseruiunt exemplari & vmbræ cælestium. Tabernaculum siquidem illud, erat exemplatum a tabernaculo cælesti, & erat velut vmbra illius.* Non denique Petro Aurato, quem in argumento præcedenti vidimus hunc ipsum locum citantem, vt probaret, Ecclesiam triumphantem esse exemplar militantis: militantis autem, cui caput præficit non Angelum aliquem, sed Christum.

V. Bernardus ita habet, *Viderat hoc qui dicebat. Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cælo, à Deo paratam. Ego enim propter similitudinẽ arbitror, quod sicut illic Seraphim & Cherubim, ac cæteri quiq; vsque ad Angelos & Archangelos ordinantur sub vno capite Deo: ita hic quoque sub vno summo Pontifice Primates, vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum.* Hæc, inquam, Bernardus. Sed quid tum? Nam primò priuatam suam sententiam profert: & quidem incertam. Reor, inquit. Quis verò nescit nullius viri dictum, scriptumve regulam esse Ecclesiæ? Deinde, & quod maximum est, hoc ei falso visum est. Nam Hierusalem cœlestem Ioannes appellauit, non Ecclesiam hic in terris peregrinantem, sed Ecclesiam triumphantem, qualis futura est post resurrectionem. Primasius, *Futuri temporis circumscribit Ecclesiam, quando non sicut nunc permixtos cum bonis cohabitantes patitur malos, quia soli cum Christo boni regnabunt, cum quo, & in quo eadem Ierusalem cælestis mater omnium fideliter permanebunt.*

VI. Secundò, negatur consequentia. Nam primũ, etsi daretur esse quædam similitudo inter has duas Ecclesias, tamen non est necesse eam similitudinem esse in ipsa regiminis ratione: ac proinde, etiãsi Angeli monarchicè regerentur, non esset tamen necessè idem concludi de Ecclesia militante, nisi prius doceretur in hoc ipso capite eam consistere similitudinem. Nam si dicerem, Ecclesiæ Angelorum similis est Ecclesia militans: ergo in vnitate

CAP. XI.

De Ecclesia Angelorum.

I. NOnum argumentum Bellarmini, capite nono libri primi de Pontifice, ab ea similitudine, quam habet Ecclesia mortaliū hominum, cum Ecclesia immortalium Angelorum. Ergo hæc esto forma: Si Ecclesia mortalium hominum similis est Ecclesiæ immortalium Angelorum: ea est monarchica: At verum prius: Ergo & posterius. Probatur Antecedens: quia certum est illam illius exemplar, & quasi ideam quandam esse, vt Apostolus indicare videtur ad Hebræos octauo: & S. Bernardus disertè affirmat libro tertio de Consideratione ad Eugenium; vbi militantem Ecclesiam in Apocalypsi, Hierosalem nouam descendentem de cœlo, appellatam esse dicit, propterea quòd ad exemplū cœlestis illius ciuitatis instituta & conformata sit. Probatur verò consequentia, quia certum & exploratum est, inter Angelos, præter summum Regem omnium, Deum, esse vnum, qui aliis omnibus præsit: qui ab initio erat is, qui nunc diabolus dicitur: post eius verò casum, Michael.

II. Respōdeo, Primò, negatur antecedens. Nulla enim Scriptura id docuit. Lego quidem Matthæi vigesimo secūdo, similes beatos fore Angelis cœli: sed id & de singulis dicitur, non de toto corpore: & de beatis post resurrectionem. Verùm Ecclesiam militantem similem esse Ecclesiæ Angelorum, nusquam quisquam legit in Scriptura. At mihi vide Iesuiticum ingenium. Certum est, inquit, Ecclesiam Angelorum esse exemplar huius militantis. Diceres oraculum narrari, aut axioma, cuius veritas non tātùm sit necessaria, sed etiam explorata. Et tamen cū probat, Apostolus, inquit, indicare videtur. Hem tam exiliter? Primò Apostolus non pronunciat, nō definit, non docet: sed indicat tantùm: imò ne indicat quidem: sed indicare videtur. Et huic fundamento [illegible] certum aliquid superstruitur? O nugatores Iesuitas!

III. Quid si Paulus, non tantùm nō indicat, sed ne quidem videtur indicare? Textus ita habet, *Cæterum eorum quæ dicimus, summa est, talem nos habere Pōtificem, qui consedit ad dextram throni Maiestatis illius in cælis, sanctuarij minister, ac veri illius tabernaculi, quod fixit Dominus, non homo.* Et paulo pòst, *Manentibus illis sacerdotibus, qui secundum legem dona offerunt, qui exemplari & vmbræ deseruiūt rerum cælestium, sicut diuinitus dictū est Mosi, quum esset absoluturus tabernaculum: vide enim, inquit, vt facias omnia ad exemplar, quod ostensum est tibi in monte.* Ex quorum verborum serie, nemo non videt opponi verum illud tabernaculum, quod fixit Deus, & non homo, illi tabernaculo, quod a Mose est factum: quodque vocatur exemplar & vmbra cœlestium rerum. Quam comparationem postea capite nono per partes exequitur: & descripto tabernaculo octo primis versibus, tum nono, *Quod* (inquit) *erat exemplar pro tempore illo præsenti quo dona sacrificiaque offeruntur.* Et pòst, *Adueniens autem Christus Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum non manu factum, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium, ingressus est semel in sacrarium, æternam redemptionē nactus.* Et rursus, *Itaque necesse fuit exemplaria eorum quæ sunt in cælis, his e rebus purificari ipsa verò cælestia potioribus quam hæ sunt victimis. Non enim in manu factum Sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens, sed in ipsū in cælum, vt appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.* Quis igitur neget, cōparari figuras tabernaculi Mosaici, cum veritate mysteriorum in Christo? Tabernaculum, inquam, ipsum manu factum in deserto, cum cœlorum Sacrario, in quod Christus post mortem suam ingressus est: Ergo non indicat Paulus, quod Bellarminus indicari vult.

IV. Quid, si ne videtur quidem indicare? Nam cui quæso? Veteribus-ne an recentioribus? Neutris. Non enim Ambrosio, *Omnes sacerdotes in lege constituti exemplare, & vmbratile sacerdotium gerebant cælestium, id est, spiritualium, significantes verum & sempiternum Christi sacerdotium. Nonne altare est cælestis fides nostra?* Non Primasio, *Tabernaculi quoque veri minister est, quod constituit, siue composuit Deus, & non homo, id est, cæli, quod nobis ipse administrat, vt claritate syderum illius illustremur. Tabernaculum enim, quod Bezaleel composuit in deserto, siue quod templum Salomon fecit in terra repromissionis, non fuit verum: quia & vetustate consumptum est, nec semper durare potuit, ideoque tabernaculum verum, cælum vocat, quoniam in æternum stabit, nullaque vetustate consumetur.* Non Anselmo, *Est minister sanctorum, & tabernaculi, non vmbratilis, non præfigurantis sed veri, id est, significati tabernaculi, hoc est æterni sanctuarij, quod significatum est per tabernaculum Moysi.* Non Caietano, *Duo dixerat alterum Sanctorū Minister, alterum & tabernaculi veri, quod fixit Deus. Et quoad primū dixit, quod id, quod offert Iesus, non est super terram, ad differentiam Sacerdotum legalium.* Et paulò pòst, *Modo differentiam tabernaculi prosequitur, dicendo de Sacerdotibus legalibus, quia deseruiunt exemplari & vmbræ cælestium. Tabernaculum siquidem illud, erat exemplatum à tabernaculo cælesti, & erat velut vmbra illius.* Non denique Petro Aurato, quem in argumento præcedenti vidimus hunc ipsum locum citantem, vt probaret, Ecclesiam triumphantem esse exemplar militantis: militantis autem, cui capiti præficit non Angelum aliquem, sed Christum.

V. Bernardus ita habet, *Viderat hoc qui dicebat, Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cælo à Deo paratam. Ego enim propter similitudinē dictum reor, quod sicut illic Seraphim & Cherubim, ac cæteri quiq; vsque ad Angelos & Archangelos ordinantur sub vno capite Deo: ita hic quoque sub vno summo Pontifice: Primates, vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum.* Hæc, inquam, Bernardus. Sed quid tum? Nam primò priuatam suam sententiam profert: & quidem incertam. Reor, inquit. Quis verò nescit nullius vnius dictum, scriptūue regulam esse Ecclesiæ? Deinde, & quod maximum est, hoc ei falso visum est. Nam Hierusalem cœlestem Ioannes appellauit, non Ecclesiam hic in terris peregrinantem, sed Ecclesiam triumphantem, qualis futura est post resurrectionem. Primasius, *Futuri temporis circumscribit Ecclesiam, quando non sicut nunc permixtos cum bonis cohabitantes patitur malos, quia soli cum Christo boni regnabunt, cum quo, & in quo eadem Ierusalem cælesti matre omnium fideliter permanebunt.*

VI. Secundò, negatur consequentia. Nam primū, etsi daretur esse quædam similitudo inter has duas Ecclesias, tamen non est necesse eam similitudinem esse in ipsa regiminis ratione: ac proinde, etiāsi Angeli monarchicè regerentur, non esset tamen necesse idem concludi de Ecclesia militante, nisi prius doceretur in hoc ipso capite eam consistere similitudinem. Nam si dicerem, Ecclesiæ Angelorum similis est Ecclesia militans: ergo in militante

omnes debent esse cœlibes, sic vt nemo aut nubat, aut vxorem ducat; quis me ferret? Ne ipsi quidem Papistæ, qui cœlibatum obiiciunt tanquam perfectionem Christianitatis.

VII. Deinde negatur, Angelos habere vnum principem è suo numero sibi præpositum: aut omnino vllum, præter Deum, & Christum Dominum nostrum. Cui enim teuelatum est? Aut quis scire potuit, tacente Scriptura? Imòue Dionysius quidem ille perpetuò ἀφελκτῶν, eiusmodi quicquam somniauit. Et si somniasset, non latuisset nostros Papistas, qui nouem illos ordines apud eum sic admirãtur. Quin etiam Sanderus, hoc ipso vtens argumento, libri quarti capite primo, tamen argumenti infirmitatem libenter agnoscit, *Neque enim puto* (inquit) *illum vnius Angeli supra cæteros principatum, de quo nunc ago, tam clarè aut in Scripturis proponi, aut ab Ecclesia hactenus definitum esse, vt hæreticus aut infidelis haberi debeat, si quis contradixerit.* En Dialecticam, quæ pro argumẽto, & quidem in rebus Theologicis, & quidem hoc tempore tanta animorum contentione controuersis, pro argumento sumit id, quod impune possit negari! Et tamen Bellarminus vult esse certum & exploratum. Adeò sibi constat Papistarum Theologia. Et quidem Bellarminus prudentior Sophista, qui in Theologiã impingere maluit, quàm sui vim argumenti ipse eneruare. Sanderus pudentior Theologus, qui suæ ratiocinationis neruos incidi consultius putauerit, quàm lectoribus impudenti temeritate imponere.

VIII. Sed videamus, quibus coniecturis astruatur huius fabulæ fides. Sanderus citat è tertio ad Ephesios, *Ex quo* (Patre Christi) *omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur.* Quibus verbis significatur esse quasdam Angelorũ familias, & cognationes, ita dispositas, vt non temerè & fortuito facti, sed ordine quodam certo procreati sint Angeli: vt, etsi omnes eodem tempore, tamen alius alio dignior, atque ob id prior, donec ad vnum accederetur omnium omnino primum. Vnde Hieronymus in eum locum, *Puto Angelos cæterasque virtutes habere principes sui generis in cœlestibus, quos patres gaudeant appellare. Archangelus enim nisi Angelorum dici non potest: & Dominatio & principatus, & potestas, nisi inferiores subditos habeant, non vocantur.*

IX. Respondeo: nihil esse in eo loco, quod vel cogat, vel etiam persuadeat. Nam primum de Angelis nihil est necesse interpretari. Cõstat enim sensus, si de sola Ecclesia intelligatur: vt πᾶσα πατριὰ sit nõ omnis, sed tota familia siue paternitas: quo sensu in Scripturis maximè πᾶς vsurpari plerumque solet. Eius autem familiæ partes sint duæ, quarum alia in cœlis, quæ vulgò triumphans appellatur, altera in terris, quæ militans. Nam sic tota familia ex iis partibus constans nominatur à Christo.

X. Secundò, etsi concedam Angelos comprehendi, quod antiquis nonnullis placuisse video, tamen nego quicquam esse quod vnius dominatum significet. Nõ enim πατριᾶς vocabulum. Nam commune est tum cœlestibus, tum terrestribus: πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς. Si igitur vnius principatum significet inter Angelos, cur non etiam inter homines? At isti, cùm audeant hinc argumentari ad concludendum illum inter Angelos principatum: tamẽ nũquam ausi sunt, ad suam inter homines Monarchiam. Mirentur hoc alij: ego rideam. Et sanè πατριὰν scimus aliàs occurrere. Nam quod Hebraicè משפחות dicitur, Septuaginta πατριὰς vertêrũt, quod Hieronymus mouuit. Significat autem familias in quas distribuebatur populus Israeliticus. Sed & Gẽtibus tribuitur Psalmo vigesimo secundo, *Adorabũt in conspectu eius vniuersa familiæ gentium*, προσκυνήσουσιν ἐνώπιον αὐτοῦ πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῶν ἐθνῶν. Et nonagesimo sexto, *Afferte Domino patriæ Gentium*: ἐνέγκατε Κυρίῳ αἱ πατριαὶ τῶν ἐθνῶν. Atqui, opinor, Gentibus non præerant omnibus Monarchæ.

XI. Sed quo argumento Sanderus conuicere potuit, significari à Paulo ordinem creationis Angelorum? Aut cur in Angelis ita potius quàm in hominibus? Nam familiam in terra non interpretabitur, opinor, ordinem creationis hominum. Imò verò, quomodo à Christo Paulus eam paternitatẽ, id est, eum creationis ordinẽ nominari diceret? Sed præterea, vnde constat eam paternitatem desinere in vnum denique patrem? Postremò, non sic Veteres, ij ipsi, qui hunc locum de Angelis sunt interpretati. Oecumenius, ἐπὶ μὲν γῆς πατριὰς τὰ γένη καλεῖ, ἀφ' ὧν καὶ πατέρες ὀνομάζονται· ἐν οὐρανῷ δὲ ἔνθα οὐκ ἔστιν ἐξ ἀλλήλων, πατριὰς τὰ συστήματα λέγει, *In terra quidem familias genera vocat, vnde & patres nominantur. In cœlo verò, vbi non est hic ab illo, familias dicit ordines.* Similiter Theophylactus. Hieronymus disertiùs, *Puto* (inquit) *Angelos cæterasque virtutes, habere principes sui generis in cœlestibus.* Ergo non vnum principem, sed plures. Itaque non potest inde concludi Monarchia, imò potius Autocratia.

XII. Bellarminus Angelorum duo considerat tempora, alterum in statu creationis: alterum post lapsum diaboli. Ac initio quidem Angelorum principem fuisse eum, qui nunc diabolus dicitur. Idque deduci è Scripturæ tribus locis: primò, Iob quadragesimo: vbi Behemot, id est, diabolus, dicitur principium viarum Domini: secundo, ex Esaiæ decimo quarto, vbi comparatur Lucifero, id est, stellarum maximę & pulcherrimæ, saltem quoad apparentiã, & vulgi opinionem, ad quam se Scripturæ accommodare solent: tertiò, ex Ezechielis vigesimo octauo, vbi dicitur, *omnis lapis pretiosus operimentum tuum*: & mox enumerantur nouem lapides, quibus significantur nouem chori Angelorum, qui hunc Angelum tanquam principem suum circunstabant.

XIII. Respondeo, ex iis locis nihil simile probari. Nam apud Iobum Behemot, nõ significat diabolum, *Behemot* (inquit Lyranus) *est nomen æquiuocũ: & vno modo significat idem quod animalia, & sic est nomen communis generis, & plurale: alio modo signat animal immensæ magnitudinis, & sic est nomen speciei, & singulare.* Sic explicat Lyranus propriã eius vocis apud Hebræos acceptionem. Quarum primam secuti sunt Septuaginta, θηρία vertentes: & Paraphrastes Chaldæus בעיריא animalia, vt sensus sit, proponi à Deo suam potentiam Iobo contemplandam in creatione omnium animalium terrestrium. Sed alij intelligunt non in genere animalia, sed speciem quandam animalium magnorum, cuiusmodi Elephas est: vt postea Leuiatan Cetum siue balenam, vt suam potentiam Deus obseruari velit, non tantùm in omni animalium genere, sed etiam specialiter in illis ingentibus animalium molibus, quorum alia terrestria, Behemot: alia maritima, Leuiatan. Quo sensu nihil facilius, nihil omnino clarius, aut toti contextui congruentius. Nam & factus est cum homine, id est, eodem die quo & homo: & fœnum comedit: & corporis viribus præstat: & sic omnia deinceps facili fluunt filo. Atq; ea est sententia nõ tantùm Aben Ezra doctissimi in Hebræis, sed etiam Oecolãpadij, Pellicani, Caluini, Merceri, Munsteri, Vatabli.

XIV. Qua-

XIV. Quare nullum hîc Diabolus locum habet, si literalem sensum retineamus. Quòd si in allegoriam exspatiari placet, quomodo Lyranus dixit expositores Catholicos eum locum exponere de Dæmone, sub similitudine Elephantis: primum nihil est necesse: nam in literali sensu nihil est absurdum: & nulla necessitate cogente, ad allegorias cōfugere ἀδύνατον est: deinde incertum, imò nullum erit argumentum: nisi, iuxta Augustini præceptum, proferantur manifesta testimonia, quorum luce illustrentur obscura: & consentiunt etiam Papistæ, solum literalem sensum demonstrare. In quibus Christophorus à Capite-fontium, capite tertio de Eucharistiæ Sacramento, *Cùm mysticus Scripturæ sensus, quem pro suo quisque effingere potest ingenio, obscurus sit, & incertus: hinc sanè consequitur, ex illo nihil, quod ad fidei nostræ articulos pertineat, efficaciter, aut necessariò confirmari posse, nisi clariùs & certiùs ex literali sensu testimonium habeatur, ad efficiendum quod mystico sensu concludere nitebamur.*

XV. Ad hæc, in hac ipsa allegoria nihil est, quod monarchiam significet. Nam, *initium viarum Domini*, non significat imperium in Angelos: quia nec viæ Domini sunt Angeli: nec initium est imperium. Viæ Dei opera sunt Dei, vt alibi sæpè: & consentiente ipso Gregorio, moralium trigesimo secundo, capite decimooctauo, *Quid enim vias Dei, nisi eius actiones accipimus?* Ergo non sequitur: Est initium viarum Dei: ergo caput Angelorum: Alioquin esset etiam caput hominum: Nam homines sunt inter vias, id est, opera Dei. Initium, ראשית nego vnquam significare imperium. Tantùm est primatus, vel temporis, vt Geneseos primo, *In principio creauit Deus.* Et Exodi duodecimo, *Mensis iste vobis principium mēsium.* Quo sensu vnicum tantùm principium esse potest: Vel dignitatis: vt Numerorum vigesimo quarto, *Principium Gentium Amalec*: quomodo plura esse nihil prohibet. Geneseos decimo, *Principium regni eius, Babylon, & Arac, & Acad, & Chalanne in terra Sennaar.* Et hîc quidem Iudæi sumunt pro initio temporis, *Ipse est initium viarum Domini: in creatione* (inquit Ab-ben Ezra) *animalium, & omnium iumentorum.* Itemq́; Veteres, qui sensum allegoricum sectati sunt. Lyranus, *Quia inter creaturas, Angelica est prima.* Sed videtur facilius, vt pro præcipuo accipiatur. *Est* (inquit Vatablus) *veluti specimē viarū Dei: quasi dicat, inter animātia, quæ Deus creauit, hoc animal primas obtinet partes.* Sic Mercerus, & alij, qui intelligunt de Elephanto, qui mole corporis, fortasse etiam prudentia, omnibus præstet brutis: & tamen nullis imperet animalibus. Vtrouis autem modo intelligant, nihil admodum interest. Nam si ab initio, id est, ante omnes creaturas reliquas, factus est ille diabolus, non sequitur tamē habuisse principatum, siue dominium aliquod: nam sic bruta, quæ ante hominem creata sunt, haberent imperium in hominem. Sin præcipuus erat operum Dei, tamen ne sic quidem habet imperium: non enim omnia præcipua imperant. Adde, quod Lyranus rationem generalem reddit à tota Angelica natura: quasi idcirco iste Angelus dicatur initiū viarum Dei, quia omnes Angeli sint initium viarū Dei: quomodo, si quis hominem quempiam hortetur, vt viuat dignè Deo, quia sit creatus ad imaginem Dei. Qui sensus infinitis parasangis discedit à Papistica monarchia.

XVI. Alter locus etiam detorquetur. Nam prædicit Esaias ruinam Regis Babylonici: quæ, vt membus, quanta sit, intelligatur, describit priorem magnificentiam eius, & amplificat multiplici hyperbole: tum autem ista, *Quomodo cecidisti de cælo, lucifer, qui mane oriebaris?* Quæ verba glossa interlinearis exponit, *Nabuchodonosor aliis regibus gloriosior, vt lucifer stellis splendidior.* Et Cyrillus, *Componit cum lucifero Babylonium: eo quod antecellat cæteris. Et nemo ei similis imperio, & regnis conspiciatur: itaque conspicuus, & illustris sit, vt quasi inter astra reliqua lucifer habeatur.* Quin etiam Propheta exertè monuerat, *Sumes parabolam istam contra regem Babylonis.* Quis igitur ferat, hos à rege Babylonis, ad Angelorum statum argumentantes?

XVII. At Veterum tamen nonnulli interpretati sunt de diabolo. Ita est. Sed allegoricè. Vnde glossa ordinaria, *Allegoria. Lucifer qui mane oriebaris: Diabolus in exordio mundi creatus vel inter Angelos gloriosus.* Allegoricum igitur argumentum. Et quidem allegoria non necessaria. Nam literalis sensus de rege Babylonio nihil habet absurdi. Et quod Hieronymus vrget τὴν παραβολὴν vocem, cùm dixit Propheta, *sumes parabolam*: frustra est: *Si* (inquit) *contra Nabuchodonozor sermo est, & simpliciter historiæ expositio, quomodo parabola dicitur, quæ nulli alteri παραβάλλεται, id est, comparatur?* Atqui primò importunè vocem vrget, quæ Græca est, παραβολὴ ἀπὸ τοῦ παραβάλλειν. Atqui Hebraicè est, משל quæ nullam comparationem originatione sua includit. Argumentatur ergo, non ex verbis, multò minùs mente Prophetæ, sed tantùm ex interpretis vno vocabulo. Quod quā sit inane, potest infinitis argumentis doceri. Secundò, ne sic quidem concluditur de alio locum interpretandū, quàm de Babylonio. Nam παραβολὴ erit etiam, cùm rex ipse comparabitur alij cuidam rei: & adeò, cùm quæ ad eius statum pertinent, tractabuntur ἀλληγορικῶς: vnde Cyrillus paulò antè, *Componit cum lucifero Babylonium.* Cōponit, illud est Hieronymi παραβάλλεται. Sic numerorum vigesimo tertio, Balaē dicitur assumpsisse parabolam suam: non quòd de populo Israelitico loquens, aliud aliquid intelligendum insinuaret: sed tantùm, quia de eo populo loqueretur paulò obscuriùs.

XVIII. Et quidem, vt huius ἀλληγορομανίας futilitatem intelligas, non tantùm hunc locum de diabolo quidam sunt interpretati, sed alij etiam longius produxerunt. Certè glossa ordinaria, ex quodā Eusebio, ad hæc verba, *Qui mane oriebaris*: sic notat, *Hi sunt falsi Apostoli, operarij mendaces, qui transfigurantur in Apostolos Christi, qui lolium superseminant dormientibus prælatis, & nolentibus, aut non valentibus resistere.* En tibi igitur allegoriam, quæ non Angelos significet, sed quoslibet inter homines falsos doctores. Vtra verior? Vtra saltem verisimilior? Aut si æquè vtraque, cur vrgent illam potiùs? Aut nos ad hanc confugientes, quo argumento, qua auctoritate confutabunt?

XIX. De tertio loco, non dissimile iudicium. Etenim Ezechiel loquitur de principe Tyri: vt initio capitis, *Et factus est sermo Domini ad me: Fili hominis, dic principi Tyri.* Hieronymus, *Ad principem Tyri primùm sermo fit prophetalis, quòd erectus sit per superbiam, nec benè abusus opibus, quas habebat: deinde luctus & lamentatio, de quantis bonis ad mala quanta peruenerit.* Hîc ergo literalis sensus, quid facit ad Angelorum monarchiam? Et tamen fateor quosdam hîc, vt alibi, allegoriæ indulgere. Lyranus, *Aliqui istud caput exponunt de casu diaboli: sed hæc expositio videtur magis mystica, quā literalis: ideò alij exponunt ad literam, de rege Tyri.* Hæc Lyranus ingenuè. Quid nostra autem, si quidam

exorbitant: & nodum quærunt in scirpo?

XX. Imò iusto iudicio factus est Gregorius ridiculus: Nam illa ipsa de lapidibus preciosis ad regem Tyri pertinent, *Fili hominis, leua planctum super regem Tyri: Et dices ei, Hæc dicit Dominus Deus, Tu signaculum similitudinis, perfectus decore: in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis preciosus operimentum tuum.* Viden' contextum? Quæ igitur illa tio est, quæ tam audacter auertit se à verbis Dei? Hieronymus, *Quia didicimus, qui sit princeps Tyri, & quomodo corruerit per superbiam: lamentationes eius super pristina gloria cognoscamus. Primum commonetur quid fuerit, vt doleat se perdidisse quod habuit.* Et Lyranus, *Quia, sicut dicit Boethius primo de cõsolatione, infelicissimũ infortunij genus est fuisse felicem: ideò in hoc planctu primò recolitur felicitas regis Tyri præterita.* Rursus Hieronymus, *Hoc obseruandum est, non omni lapide pretioso regem Tyri fuisse circumdatum, siue opertum, & vt Symmachus transtulit, vinctum atque constrictum: sed omnem lapidem, quem habuit princeps Tyri, fuisse pretiosum.* Cur ergo de diabolo intelliguntur?

XXI. Et quidem lapidum nouem nomina, totidem choros Angelorum Gregorius vult esse. Cùm tamen, & nouem illi chori meræ sint fabulæ: & nimia audacia, vestimentum interpretetur subditos imperio: quod nunquam factum: & denique puerilitet sese à Latino interprete decipi passus sit. Nam in Hebraica veritate denarius est numerus, qui Latinè tantùm nouenarius: etenim aurũ connumeratur lapidibus preciosis: vt faciat etiam ipsum partem ornamenti huius. Itaque Arias Montanus sic vertit, *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, rubinus, smaragdus, & adamas, hiacintus. & onyx, & iaspis, sapphirus, carbunculus, & smaragdus, & aurum.* Excudant igitur nobis decimum aliquem Angelorum ordinem, & suum Dionysium è cœlis deducant in tantum opus, vel cessent, sic ἀλληγοριζόμενοι.

XXII. Sed iam de Angelorum statu post diaboli lapsum videamus: Nam tum Michaelem factum esse eorum omnium principem, Bellarminus colligit è duodecimo capite Apocalypsis, vbi dicitur, *Michael, & Angeli eius.* Quid enim illud est, nisi Michael & exercitus eius? Vt enim, cùm ibidem dicitur, diabolus, & Angeli eius, intelligimus omnes Angelos malos diabolo esse subiectos, vt milites Imperatori: ita, cùm dicitur Michael, & Angeli eius, intelligere debemus, omnes Angelos bonos Michaelem principem suum agnoscere.

XXIII. Sed hæc coniectura cum præcedentibus leuitate certat. Nam primùm, *Angeli eius*, non necessariò sunt eius imperio subditi. Primasius ad eum locum, *Quod verò Angeli eius esse dicuntur, eo hic loquutionis genere vsus est, quo legimus. Quoniam Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est: eorum scilicet, quorum ciues esse Christum credendo cœperunt: sicut & hic Angeli eius, quia vno præsidente rege numerari, & vno spiritu creduntur viuificante beatificari.* Cui expositioni videtur etiam Haimo acquiescere: etsi alteram adferat. Atque ita significabuntur, non Angeli, qui Michaeli, tanquam principi, aut monarchæ, subditi sunt, sed qui ab eius partibus stant.

XIV. Deinde: quid? si Michael ille non sit vnus è spiritibus creatis, quos Angelos solemus appellare? Autor Commentariorum in Apocalypsin, qui tribuuntur Augustino, homilia nona, Christum interpretatur, atque Angelos eius, fideles. Nec aliter Ambrosius, *Michael, qui interpretatur, Quis vt Deus? Christum significat. Prælium in cœlo factum est, id est, propter cœlum, pro salute, videlicet omnium electorum, præliatus est Michael cum Dracone: quia Christus prædicando, patiendo, & moriendo, pro salute generis humani præliatus est. Præliati sunt Angeli Michaelis, id est, Apostoli Christi, cum Dracone, prædicando videlicet, miracula faciendo, & ad vltimum pro Christi nomine moriendo.* Atque hæc interpretatio est omniũ aptissima: non tantùm, quia certum, pugnare Ecclesiam contra diabolũ, duce Christo: sed etiam, quia post, qui Angeli eius appellati sunt, dicuntur esse fideles, qui animas suas exposuerunt. Ioannis hæc verba sunt, postquam dixisset diabolum esse deiectum, *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum, Dei nostri, & potestas Christi eius: quia deiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte. Sed ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter sermonem testimonij sui: & animæ suæ prodigi fuerunt vsque ad mortem.* Quod omnino quis discerpat à præcedente pugna? Quòd si Angeli illi propriè intelligendi essent, quis eos non absurdè dictos defendat prodegisse animas suas, & quidem vsque ad mortem? Longè ergo facilius Christiani intelliguntur. Ac propterea nullo argumento probatur vnum Angelum præesse reliquis Angelis.

Cap. XII.

De Ecclesia, viuente Christo in terris.

I. DEcimum argumentum, Si Ecclesia à Christo cõgregata, ab initio cœpit regimen visibile & externum habere monarchicum, non Aristocraticum, aut Democraticũ: Ergo, & deinceps etiam nunc debet habere regimen monarchicum. At antecedens verum: Ergo & consequens. Argumentum est Bellarmini, capite nono libri primi de Pontifice: & Sanderi capite primo libri quinti de Monarchia. Probatur antecedens: quia Christus, cũ in terris degeret, Ecclesiam visibiliter administrabat, vt summus eius pastor, & rector: neque illam, dum vixit, aut populo suo commisit gubernandam: aut optimates aliquos in societatem æqualem sui principatus admisit. Probatur autem consequentia: Primò, quia alioqui non esset Ecclesia, quæ nũc est, eadẽ ciuitas Dei cum illa: vt enim Philosophus docet libro tertio Politicorum, capite secundo: Ciuitas dicitur eadem specie, donec remanet eadem forma Reip. id est, idem communis gubernationis modus: quo mutato, mutatur etiam ciuitas. Secundò, Christus hac ratione Ecclesiam regebat, vt ipse summus esset: sub eo Apostoli: quibus inferiores erant Septuaginta discipuli. At Apostolis transeuntibus successerunt Episcopi: Septuaginta discipulis presbyteri: Ergo & Christo successum oportuit.

II. Respondeo, distinguendum, vt semper, regimen, in summum, & subalternum. Illud, cum qui monarcha est, suo iure, summoque rem gerit. Hoc verò, cum alieno, & subalterno, vt in prouincia prorex. Si de summo iure agitur, totum argumentum concedimus. Sed consequens non est contra nos, qui in statu quæstionis posuimus, Ecclesiam veram esse, & puram monarchiam, quia summo iure pendeat à Christo: non tantùm ab initio, sed & deincept. Itaque primæ probationi satisfit. Non enim potest alia esse ciuitas, manente eadem forma Reipublicæ. Secunda autem est absurda: quia Christo, in summo illo iure, succedi non potest, in æternum viuenti,

suamque

suamque auctoritatem retinenti: vnde Paulus, septimo ad Hebræos. *Et illi quidem,* Aaronicos intelligit, *plures facti sunt, quòd mors prohiberet eos permanere: At iste, propterea quòd in æternum manet perpetuum habet Sacerdotium.* Et sanè, ne ipsi quidem Papistæ suum illum Pontificem dicant successorem Christi: sed tantùm Vicarium.

III. Quòd si agatur de subalterno rectore, primò, negatur antecedens. Nũquam enim Christus, dum instituerет Ecclesiam in Iudæa, vnum aliquem sibi subrogauit, cui suas partes demandaret: atque adeò ipse solus discipulos vocauit ad se, solus binos ad prædicandum misit, solus duodecim Apostolos asciuit. Denique, neque populo, neque optimatibus suam commisit Ecclesiam regendam: quæ verè notauit Sanderus. Itaque falso antecedente, non potest verum consequens elici.

IV. Secũdò, negatur etiam consequentia: id est, etiamsi supponamus (quod tamẽ falsum est) Christum sibi suffecisse aliquem vicarium, tamen non sequitur, debere vnum constitui super omnibus Ecclesiis. Quemadmodum, neque reges sibi vnicum proregem sufficiunt. Imò, ne Papæ quidem Romani, sibi vnum per vniuersum orbem Legatum. Sufficeret igitur, si singulis Ecclesiis, aut certè singulis diœcesibus, vnus Episcopus præficeretur: si tamen id Christus iussisset. Quanquam ne hoc quidem necesse est: potest enim monarcha pro arbitrio leges dare suæ Reipublicæ. Sic etsi olim Romani, etiam tũ cùm Democraticè viuebãt, Prætorem singulis prouinciis iuri dicundo præficerent vnum: tamen hodie reges Galliæ multos, tum Præsides, tum Consiliarios constituunt. Adeò non insolitum est, & in Democratia vnicum esse, & in Monarchia plures Reipublicæ administratores.

V. Ad primam rationem respondeo, aut non intelligi à Bellarmino, aut audacter peruerti Aristotelis axioma, πολιτείας γενομένης ἑτέρας τῷ εἴδει, καὶ διαφερούσης τῆς πολιτείας, ἀναγκαῖον ἂν δόξειεν εἶναι καὶ τὴν πόλιν μὴ τὴν αὐτήν. *Cum politia sit specie alia, differtque à seipsa, tum necesse esse videtur non esse ciuitatem eandem.* Nam primò, ciuitas intelligẽda, non materialiter, sed formaliter, pro Reip. forma. Etenim, ciuitate materialiter sumta manẽte eadem, potest mutari ciuitas formaliter: vt cùm eadem Roma aliàs regibus est vsa, aliàs Consulibus, tertiò etiam Imperatoribus. Et hîc quidem ciuitatem materialiter, credo, non intelligit Bellarminus. Aliàs negandum esset eandem permanere Romanam Ecclesiam in interregno: vt, exempli gratia, cùm clerus Romanus sic loqueretur, scribens ad clerum Carthaginensem. *Cùm incumbat nobis, qui videmur præpositi esse, & vice Pastoris custodire gregem.* Nam tum videtur aliquantulum mutata politia, cùm, pro vno Pastore, plures clerici Ecclesiam regerent.

VI. Is verò formaliter mutari ciuitas dicitur, id est, [illegible], cùm maiestas imperij transfertur. Quod fit duobus modis. Primo, cùm permutantur species, siue formæ Reipublicæ Monarchia, Aristocratia, Democratia. Sic non mansit eadem Romana ciuitas, cùm regibus exactis Consules sunt instituti: quia è Monarchia, facta est Democratia. Et rursus, cùm Imperatores summa rerũ potiti sunt: tum Democratia rediit ad Monarchiam. Sic Respublica Syracusana à Timoleonte mutata est, pulsis tyrannis. Sic denique apud Heluetios à nobilibus ad plebem delato imperio, ex Aristocratia facta est Democratia. Secundo, mutatur Respublica, cùm ab vna ad aliam maiestas transfertur: manente etiam eadem regiminis forma. Sic euersa est à Cyro Persa, Medorum monarchia: & ab Alexandro Persarum: cùm tamen neque Cyrus, neque Alexãder substituerint pro Monarchia, Democratiam, aut Aristocratiam: nam ipsi monarchæ fuerunt: & Darius sese regem dicebat Persarum, Medorumque. Sed, quia quæ regna primò erant per se, ac penes se habebant maiestatem, redacta sunt in prouincias, quæ aliis subessent, qui ad se maiestatem rapuerant. Similiter, cùm à monarchica autoritate Imperij subducens sese Galba, facta est sub monarchica autoritate sui, proprijque regni.

VII. At cùm, non mutata, aut translata maiestate, reliqua gubernationis forma variatur, tum non propterea non manet eadem specie Respublica. Roma, post eiectos reges, in statu populari varias mutationes est passa. Nam primò, Consulatus erat penes nobiles solos: inde facti sunt Tribuni militum: postea consulatus populo communicatus: aliquando decemuiri facti: non rarò etiam dictatores, integra semper eademque politia. Sic in Gallia, olim vnicum fuisse Parlamentum ferunt, & ambulatorium: deinceps facta octo: regno semper saluo.

VIII. Iam verò, cùm fieri nequiret, vt eædem numero personæ, candẽ Rempublicam administrarẽt successio inducta est; quæ est translatio eiusdem dignitatis ab aliis in alias personas: cùm primis rectoribus alij succedunt eodem gradu, vt si primus sit summus, reliqui item summi sint: & subalterni, si subalternus. Neque enim summi subalterniq; inter se succedunt. Sic Augusto Tiberius successit, Tiberio Caligula, huic Claudi⁹. In Gallia nostro seculo: Francisco primo, Henricus secũdus: tum continuata serie, Franciscus secundus, Carolus nonus, Henricus tertius. & quartus. Quia eodem iure, Imperator erat Tiberius, quo iure Cæsar: eodem rursus Henricus rex, quo Franciscus. At verò, Ciceronis Augustum nemo successorem dixerit: quia Cicero tãtùm Consul Rempub. Romanam administrabat, Augustus verò Imperator.

IX. His positis, facilè satisfit argumento. Nam si de summo Imperio agimus in Ecclesiam: constat nihil mutatum: quia id idẽ Christus semper obtinet. Quo melior est Ecclesiæ, quàm vllius Reip. conditio. Nam hæ nõ habent vnum numero imperatorem: sed multos, quorũ vnitas in successione. Hinc fit, vt non eodem semper modo regantur: quia non omnium successorum idem ingenium. Succedit enim Augusto, optimo principi, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, sceleratissimi: Tito, deliciis generis humani, Domitianus odium Dei, atque hominum. Antonino Philosopho, Commodus gladiator. In ipsa Romana, quam vocant Hierarchia, quot monstra numerant historici? At Ecclesiæ maiestas, nullis his casibus obnoxia est: præsidente semper vno eodemque Iesu Christo, Domino nostro, Filio Dei.

X. Sin autem agimus de regimine subalterno, primum negamus monarchicum esse institutum à Christo. Neque enim ipse sibi quenquam vnum subordinauit in Iudæa, vt fatetur, imò profitetur Sanderus: & res ipsa facile probat. Elegit enim, tum duodecim, tum septuaginta: atque hos binos misit in Iudæam ad prædicãdum Euangeliũ. Quin etiam ij ipsi, qui de Petri primatu agunt, negant constitutum, nisi post resurrectionem ab ascensione

iamiam ad Patrem Christo. Erat ergo pluribus æquo iure commissum regimen Ecclesiæ subalternum: quare, si & hodie; tum eadem forma perseuerat: nec est mutata. Secundò, etsi concederemus esse mutatam; tamen non sequeretur Ecclesiam non esse eandem: quia, vt dixi, forma Reip. non consistit in subalternis magistratibus: sed in summo. Sic cùm iure humano facti sunt Episcopi superiores presbyteris, nemo tamen questus est Ecclesiam ob id à sua prima natura egressam. Neque hoc nostro seculo, cùm ab Episcoporum primatu, ad primam presbyterorum ἰσοτιμίαν reditum est; quisquam queri debet, non esse apud nos Christi Ecclesiam.

XI. Atque adeo magnum peccatum peccauit Bellarminus. Nam, quo iure ad Papam à Christo delatam vult regiminis autoritatem? successione, an substitutione? Si prius; blasphemè. Nam Christum oportebit prius exutum vel morte, vel destitutione. Quorum vtrumque absurdum, & impium. Christus enim non moritur: Et summam regendæ Ecclesiæ auctoritatem exercuit, non tantùm ante crucem, & in Ecclesia Iudaica: sed etiam post resurrectionem in omnes Ecclesias, saltem missis Apostolis in vniuersum orbem: à quo tempore non possunt mortuum dicere. De destitutione non dico: nam ne per somnium quidem venisse in mentem credo. Nemo igitur Christo successor est. An igitur substitutus? Primò peccat αἰτεῖται τὸ ἐν ἀρχῇ: hæc enim quæstio est; vtrum vnus substitutus sit. Sed secundò peccat Bellarminus μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος. Nam, qui pro argumento sumit regimen summum, subitò transit ad subalternum: nimis vafrè, ne quid durius dicam.

XII. Ad secundam rationem, quæ est Sanderi, respondeo, primò falsò sumi Apostolis & septuaginta discipulis fuisse successum ab Episcopis, & presbyteris. Nam successor is est, qui in eundem magistratum alteri cuipiam substituitur. At neque Episcopi in Apostolorum, neque presbyteri in discipulorum gradum vocati sunt. Nullus enim illorum liberam legationem habet, vt hi habuerunt: sed omnes suis certis gregibus assignantur. Itaque, ne nomina quidem remanserunt communia. Nam, vt plurimum, successores solent eadem eiusdem magistratus appellatione gaudere. Sic Tiberius æquè Imperator cum Augusto: & Clodio rex æquè cum Pharamundo. At nunquam Episcopi Apostoli sunt appellati. Quod si Apostolis, discipulisq; septuaginta non fuit successum, cur potius Christo?

XIII. Secundò; negatur consequentia. Non enim sequitur mutari summam rerum, etsi mutentur inferiores magistratus. Sic, quamuis in Iudæa præfecti sæpius mutarentur, vnde Actorum quarto & vicesimo dicitur Felix successorem accepisse, Portium Festum: tamen idem Cæsar permanebat. Cur non similiter, vnus idemque Christus permaneat Monarcha; mutatis subinde iis qui Ecclesias singulas administrant? Imò verò hanc aliis Papistarum blasphemiis annumerabunt Catholici, quod Christo audeant successorem sufficere: & obseruabunt; quod se ille τῷ ἱερατείῳ insidens Vicarium appellet; eò fieri, quòd sibi nondum satis frontem perfricuerit: nam alioquin re ipsa gerere se pro successore. Imò & successuris nomen ipsum iam paulatim affectari, quis non videat; qui meminerit sic olim Antonium tentasse plebem Romanam, cùm diadema Cæsaris imponebat capiti: recusante quidem Cæsare: sed indignante tamen sibi repugnanti à plebe applaudi? Et sanè successuris nomen quis affectari miretur, qui Sponsi vsurpatum norit? Innocentius tertius sermone tertio in consecratione Pontificis, *Annon ego sponsus sum, & quilibet vestrûm amicus sponsi?*

Cap. XIII.

De vnitate Ecclesiæ.

I. VNdecimum argumentum est ab vnitate Ecclesiæ, quod quidem dupliciter tractatur. Primùm enim arguunt ab vnitate fidei, Bellarminus, & Petrus Auratus. Necesse enim, vt omnes fideles idem omnino sentiant in rebus fidei: quia, *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma,* Quarto ad Ephesios. Atqui vna fides in Ecclesia esse non potest, si non sit vnus summus iudex, cui omnes acquiescere teneantur. Nam cùm multi sunt pares, vix fieri potest, vt in rebus obscuris & difficilibus vllus velit alterius iudicium suo iudicio anteponi.

II. Respondeo, non sequi, si vnitas fidei conseruanda sit, vnum esse debere omnibus Ecclesiis hominem præpositum. Nam conseruandæ vnionis ratio gemina, vel summa, vel subordinata. Summa est ipsi vnius capitis vis agens in omnia membra. Basilius in Asceticis prooemio, ὅτι κρίνεται ὁ Θεὸς τίς ἔσεσθαι ὅπως οἰκονομεῖσθαι; ἐγὼ μὲν οἶμαι ἵνα σώζηται ὁ τοιοῦτος ἀκολουθίᾳ τε καὶ συναφείᾳ πολλῷ τινι ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ, πρὸς ἣν εἴρηται, ὑμεῖς δέ ἐστε σῶμα Χριστοῦ, καὶ μέλη ἐκ μέρους· κρατούσης δηλονότι, καὶ συναρμοζούσης ἕκαστον τῷ ἄλλῳ τῆς μιᾶς καὶ μόνης κεφαλῆς, ἥτις ἐστὶ Χριστός. *Quam ob causam ita constitutum est? Mea quidem sententia, vt similis conseruetur nexus, & ordo multò magis in Ecclesia Dei, ad quam dictum, Vos estis corpus Christi, & membra ex parte: continente scilicet, & vnumquodque alteri connectente illo vno, & solo capite Christo.*

III. Subordinantur huic summæ, quæcumque rationes sunt ab hominum ministerio: sed hi semper plures. Nam olim, cùm exortæ sint hæreses multæ, tum nunquam ad vnum aliquem fuit concursum, cuius autoritate quæstiones deciderentur. Cùm exorta esset aduersus Paulum & Barnabam disputatio de Mosaicis ritibus, Apostoli conuocarunt Concilium, Actorum decimo quinto. Quo remedio deinceps Ecclesia diligentissimè vsa est, quoties vel hæreses, vel schismata eius rumperent vnionem. Sic cùm de festo Paschatis non exigua concitata esset controuersia, testatur Eusebius libri sexti capite vigesimo secundo, conuentus Episcoporum factos esse multos in Palæstina, Romæ, in Ponto, in Gallia, in Osroena, Corinthi, qui omnes vna sententia confirmarent festum celebrandum die Dominico. Nec aliam ob causam Synodus Nicena facta, *Nam cùm in singulis ciuitatibus* (inquit Eusebius de vita Constantini libro tertio) *Episcopi cum Episcopis, & populus contra populum tumultus ciere, & impetu quodam repentino, instar Symplegadum, & mutuis pugnis sese concidere cœpisset: Constantinus, simulatque fama rerum istarum ad ipsius aures permanauit, intellexitque literas ad Alexandrinos à se missas, nihil habuisse ponderis, nouum consilium animo cœpit agitare, inquiens alio prælio contra occultum illum & clandestinum hostem, Ecclesiæ statum perturbantem, denuo decertandum: deinceps igitur concilium generale, tanquam quendam Dei exercitum instruens, in vnum locum coegit.* Sed & ipse Constantinus ad Ecclesias de habita Nicææ Synodo, sic scribit, apud

apud eundem Eusebium, eiusdem libri, capite decimo sexto: Theodoretum libri primi, capite decimo. Et Socratem libri primi, capite sexto, [illegible Greek] En tibi eundem ipsum finem, de quo nunc agitur. *Cùm ex florenti, & prospero Resp. statu quanta sit diuini Numinis erga nos benignitas, compertam haberem, hunc mihi ante omnes finem proponendum iudicaui, vt in sanctissima Catholica Ecclesia multitudine, vna fides, sincera charitas, & in vnum conspirans Dei cultus seruetur.* Vt autem id assequerere, quid actum Constantine? Num ad vnicum profectus es omnium Ecclesiarum caput, cuius oraculum omnibus necessariò amplectendum, imò verò adorandum proposueris? Minimè verò: respondet piissimos princeps; [illegible Greek] *Verum, quoniam id aliter non poterat tutò, firmitérque constitui, nisi vel omnibus omnino, vel certè plurimis Episcopis congregatis, singulorum, quæ ad sanctam religionem pertinent capitum disquisitio fieret: eam ob causam coactis quàm plurimis, tantisper omnia in quam decuit inquisitionem venerunt, dum quæ apud eum, qui omnia intuetur, potior est sententia, ad vnitatis consensum, in lucem prodiit: sic vt nihil vltra reliquum factum sit ad discordiam, fidémque in dubium reuocandam.* Audistin' Imperatorem? Audistin' ab eo dictum nullum aliud esse satis aptum remedium seruandæ vnitati Ecclesiasticæ in fide, & charitate, præter generale Concilium? Quis igitur non videt, tum temporis nullos fuisse Papistas? Nam ij sine dubio suum [Greek] importunè crepassent, quo hodie neminem non obtundunt. Sed præterea optimam, certissimamque vnitatis fouendæ rationem esse, Concilium, non verò vnum Monarcham intelligimus.

IV. Et quidem non solo Imperatore teste: accedit enim, & locupletior, & disertior etiam, Innocentius Episcopus Romanus: qui si alius vllus, debuit profectò suæ Monarchiæ, (si sua fuisset vlla Monarchia) fauere, eaque vti ad continédos in officio subditos. Quod si is nulla vsus est, quis dubitet nullã habuisse? Et si non habuit: quis ex eius posteris obtinuit? quibus artibus obtinuit? Imò cur obtinuit? Sed Innocentius scribés ad clericos Constantinopolitanos de Chrysostomi negotio hæc habet inter alia (Est autem Epistola apud Sozomenum libri octaui, capite vicesimo sexto) [illegible Greek] *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria est Synodalis cognitio, quam etiam multò iam antea congregandam diximus,* [illegible Greek] *Ea quippe sola est, quæ huiusmodi procellarum impetus retundere potest: quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis huius committere voluntati magni Dei, ac Christi eius Domini nostri.* Egregium testimonium! Sola, inquit, Synodus. Quàm procul ab hodiernis Romanistis, qui contrà solum Romanum Episcopum ingeminant? Sola igitur Synodus huiusmodi procellarum impetus retundere potens est, id est, schismata in Ecclesia oborienta. Quid? Non poterat Innocentius partes citare, caussam cognoscere, decretum facere? Non poterat. Imò, ne prouisionaliter quidem, vt aiunt, vsque ad proximam Synodũ. Id enim est, quod ait, vsque dum Synodus cogeretur, medelam calamitatis eius esse Deo committendam: Et paulò antè, [illegible Greek] *Cuius rei sola patientia consolatio medeatur. Breui enim dabit Deus noster his calamitatibus finem.* Ergo ex eius mente, tumultibus Ecclesiasticis, aut Synodus medetur, aut Deus solus. Vbi Oecumenicus Pontifex? Nimirum ab Orco nondum prodierat. Sed & Gregorius Epistola trigesima octaua libri quarti, *Sed quia in mea correptione despicior, restat, vt Ecclesiam debeam adhibere.* Sine dubio significans in se non esse satis momenti ad Ioannem Constantinopolitanum compescendum: ideoque recurrendum ad Concilium. Quid vltra? Ægidius Viterbiensis in oratione, quæ est in præambulis Synodi Lateranensis sub Iulio secundo, ita disputabat, *Paulus Apostolorum decus, cùm salutis caput ostenderet: absque fide, inquit, Deo placere, nullo modo possumus: atqui sine Synodis stare nõ potest fides: absque Synodo igitur salui esse non possumus.* Et postea, *Quicquid laude, quicquid gloria dignũ à Melchiadis ætate, in Ecclesia gestum est, aut ad hostem arcendum, aut ad Rempublicam componendam, id omne de Synodis originẽ sumpsit, & proinde Synodis referendum acceptum est.*

V. Nam quod queritur Bellarminus, vix quenquam alterius iudiciũ suo anteponere: primùm contrà probatur in Ecclesia: aliàs enim, nulla vnquam Concilia potuissent vllam quæstionem terminare. Cùm contrà constet, non in singulis solùm, concordasse, aut omnia vota, aut maioré certè partem: & diuersis etiam in locis congregata, tamé non dissensisse, vt illa, quæ paulò antè retulimus ex Eusebio, in controuersia de celebratione Paschatis. Deinde, quos mihi homines tandem in Ecclesia fingũt? Nam id quidem tum accidere solet, cùm quisque suum habet priuatum iudicium pro norma: sed in Christianis, quis fingat? Enimuerò possunt Philosophorum plurimi in eadem placita concurrere: etiamsi nullus iis præficiatur, de quo dicant αὐτὸς ἔφα: & non poterunt Christiani? Habent, illi, inquies, communia principia. Ita est, inquam: sed & Christiani sua.

VI. Sed de Conciliis Bellarminus excipit: primò; maiorem partem errare posse, si autoritas desit summi Pastoris; vt experimento probatum est Concilij Ariminensis, & Ephesini secundi. Secundò, non posse semper cogi Concilia generalia: primis enim trecẽtis annis nullum fieri potuit generale Concilium, & tamen plurimæ tum hæreses extiterunt.

VII. Respondeo, nihilominus, tum Constantinũ, tum Innocentium testari, non posse alia autoritate cõpesci Ecclesiæ dissidia sui temporis. Mirum si hodie longè plus sapiant Iesuitæ. Et, si consequẽtia valet, Cõcilia possũt errare, ergo nõ possunt vnitaté fidei in Ecclesia cõseruare: valebit & hæc: Omnis homo mendax, id est erroribus obnoxius: ergo nullus homo potest vnitatem fidei in Ecclesia conseruare. Nam antecedens vsq; adeò verũ est, vt ex ipsis Romanis Põtificibus plures non numerentur hæretici: vt docuimus tomi primi libro tertio. Quod si propter illos errores negant vnius hominis nomen inutile esse fouendæ custodiæ; cur non & nos nege-

mus, ob quorundam Conciliorum aberrationes, non falsò dici eorum saluberrimam esse autoritatem?

VIII. Cæterùm de summi Pontificis autoritate, quod dicit, sophisticum est: Primò, quia hoc quæritur, verum aliquis aliquando fuerit, cuius ea fuerit autoritas. Nam si nulla fuit, quod nos dicimus, ergo hæc exceptio est ineptissima: quia omnia Concilia caruerunt hac autoritate: itaque non dicendum erat, posse errare, sed necessariò errare. Secundò, quia sumit, non probat, eius autoritatis defectu factum, vt Ariminense, & Ephesinum errarint: quod falsum cõperietur. Nam autoritas illa, vel præscribit Concilio quid sit decernendum: vel tantù Concilium cõuocat. Prius nunquam factum: nisi fortè in Conciliabulo Tridentino, quod non cõstabat, nisi ex iuratis in verba Romani Põtificis, abiectorum instar mancipiorum: vnde prouerbium, Roma Tridentũ deferri Spiritum in pera. In Niceno autem Concilio, Constantinus iam testatus est, omnes Episcopos fuisse conuocatos, vt singuli suum iudicium interponerent. Quòd si igitur nunquam ita præscriptum legitimo Concilio: ergo, vel is defectus non est causa erroris, vel omnia Cõcilia legitima errarunt: quorum posterius est absurdum. Sin posterius, adhuc dupliciter: vel conuocationem ipsam factam, ab vno quopiam Episcopo, suo iure: vel cõuocationi factæ consensum ab eodem. Si prius, rursus nunquam vlla fuit vllius Episcopi autoritas: ne Romani quidẽ, vt aliàs probabitur. Ergo similiter absurdum, vt præcedẽs. Sin alterum, primò, nullius vnius id ius erat, sed omniũ, etsi maximè Patriarcharũ, inter quos primus ordine numerabatur Romanus. Deinde, eo cõsensu neutrum caruit è nominatis Cõciliis. Nam Ariminensi dicuntur interfuisse Episcopi Occidentis, in quibus Romanus erat, & Orientis, apud Theodoretum libri secũdi, capite decimo octauo. Ephesinũ verò coactum est ab Imperatore, summis contentissimisq; Leonis Romani precibus, tãdem coacto: nec celebratum, nisi præsentibus ipsius Leonis legatis. Nec dissenserunt Romani ab alterutro, nisi ex postfacto, vt aiũt. id est, cùm cognouissent errasse. Adeò, vt dici non possit, dissensum eorum causam fuisse, vt ea Concilia errarint: sed contrà errorem Conciliorum effecisse, vt illi dissentirent: nec soli. Quare ineptè dictum, errare Concilia, cùm destituuntur summi Pontificis autoritate.

IX. Denique, etsi id aliquando accidit, vt Concilia deflexerint ab officio, atq; adeò ab orthodoxa fide, tamen nunquam factum, vt accurreretur ad vnius hominis summã autoritatem: sed vel ad autoritatẽ Scripturæ, vel ad alia Concilia, & maiora. De primo, Augustinus lib. 3. contra Maximinũ cap. 14. *Nunc, nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam praiudicaturus, proferre Conciliũ: neque ego huius autoritate, neq; tu illius detineris: Scripturarũ autoritatibus, nõ quorumcũque propriis: sed vtriusque testibus communibus, res cũ re, causa cum causa ratio cum ratione decertet.* De secundo: Leo, post Ephesinam Synodũ secundã, cui à latronibus cognomen, ad Theodosium Augustum, Epistola 24. *Ecce ego, Christianissime, & venerabilis Imperator, cũ cõsacerdotibus meis, obsecramus coram Deitate inseparabili Trinitate, quæ talis facto læditur, vt omnia in statu manere iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium: donec maior ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.* Vbi notandum, Leonem ex iis vnum, quos hodie summos Pastores appellant, suam autoritatem nusquam opponere Concilio errantũ: sed prouocare ad maius Concilium.

X. Porrò, Concilia rarò cogi generalia (quæ secunda erat Bellarmini instantia) concedimus: sic tum nobis Innocẽtius viam præiuit, *Expedit, (inquit) donec Synodum consequamur, medelam calamitatis huius, committere voluntati magni Dei, ac Christi nostri Domini nostri, Illa* (addebat) πάντα ὅσα νῦν τῷ φθόνῳ τοῦ διαβόλου εἰς πεῖραν τῶν πιστῶν τετάρακται, ἀποκαταστήσει. οὐδὲν δεῖ ἀπελπίζειν τῇ στεῤῥότητι τῆς πίστεως παρὰ τῷ κυρίῳ ἑστηκότας. καὶ γὰρ ἡμεῖς πολλὰ σκεπτόμεθα ὅτῳ τρόπῳ ἡ οἰκουμενικὴ συναχθείη σύνοδος, ὅπως τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ, αἱ ταραχώδεις κινήσεις παύσωνται. ἀναμείνωμεν οὖν τέως, καὶ τῷ τείχει τῆς ὑπομονῆς ὠχυρωμένοι ἐλπίσωμεν πάντα τῷ βουλήματι τοῦ Θεοῦ ἀποκατασταθήσεσθαι: *Vniuersa, quæ nunc per inuidiam diaboli ad examẽ fidelium turbata sunt, tranquillitatem dabit. Nihil autem desperare debemus, freti nostra in Deum fide. Nam & nos diligenter circumspicimus, si quo modo cogi queat Oecumenica Synodus: vt Dei voluntate turbulenti isti motus conquiescant. Exspectemus igitur tantisper: & patientia muro vallati, speremus omnia Dei nostri voluntate constitutum iri.*

XI. Et hactenus quidem de Vnitate Ecclesię Bellarminus. At Hardingus aliter. Nam si varia in Ecclesia capita, ac rectores Deus constituisset, & æquã omnibus potestatem tribuisset, tum tot Ecclesias erexisse videretur, quot essent rectores: atq; hoc modo in populum fidelem induxisse ἀναρχίαν, qua nulli magistratuum ordines seruantur, omnis politia tollitur. At posterius falsum, & absurdum. Quia vnica est Ecclesia. Ergo & posterius.

XII. Respondeo, negari consequentiam. Non enim semper pluribus constitutis rectoribus, plures constituũtur Resp. sed tantũ pluribus, qui suo summo iure regant. At id non fit in Ecclesia: nam omnes rectores, serui sunt vnius eiusdemque Christi, cuius gregem curant, singuli quantum in se est. Itaque eos Scriptura nunquam appellat capita: sed id nominis soli Christo reseruat eximium. Ab antiquis verò, fateor tribui nonnunquam pastoribus: sed nonnisi καταχρηστικῶς, ac fortasse etiam non sine periculo.

XIII. Porrò Ecclesia, vel consideratur, quatenus vnica fide Christo coniungitur: ac tum verè vnica est, & Catholica per vniuersum orbem terrarũ, vnicũmq; caput habet ipsum, cuius corpus dicitur. Vel quatenus ab hominibus administratur: ac tum non est vnica, sed plures. Sic Actorum nono, *Ecclesiæ per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam.* Primo ad Galatas, *Ecclesiis Galatiæ.* Prioris ad Corinthios decimo sexto, *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ,* Prioris ad Thessalonicẽses 2. *Imitatores facti estis Ecclesiarũ Dei, quæ sunt in Iudæa.* Apocalypseos primo, *Ioannes, septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia.* Atque hæ particulares vocantur, siue singulares. Itaque hoc sanè sensu falsum est, vnicam esse Christi Ecclesiam. Iis autem singulis suos præesse rectores, certum. Actorum 14. χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, *Creatis per suffragia presbyteris per singulas Ecclesias.* Ad Titum primo, καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, *constituas oppidatim presbyteros.* Vnde in Apocalypsi legimus, Angelum Ephesinæ Ecclesiæ, & Smyrnensis, & Pergamenæ, & Thyatirensis, & aliarum.

XIV. Neque ea rectorum multiplicitas, magis scindit Ecclesiam Catholicam in plures, quàm regnum vnum diuiditur in multa regna, cùm singulis prouinciis singuli præficiuntur proreges, quorum nullus in alium habeat imperium. Imò verò quàm

ipsa

ipsa Papistica Ecclesia scinditur, cùm sub eodem Papa multi sunt Cardinales, Archiepiscopi. Nihilominus enim omnes illæ particulares Ecclesiæ ad vnam illam pertinent Catholicam. Vnde Augustinus in Breuiculo collationis tertij diei, capite quarto. *Per totum mundum effunditur, incipiens ab Hierusalem: vnde in propinqua & longinqua crescendo, etiam in Africam venit: & in alia loca & ciuitates per quas dilatata est: in quibus multæ Ecclesiæ, ad ipsam vnicam pertinentes, Apostolico labore fundatæ sunt.* Cyprianus autem de ipsa Episcoporum multitudine, libro de Vnitate Ecclesiæ. *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.*

CAP. XIV.

Utrum omnibus pastoribus præficiendus sit Pastor vnus.

I. DVodecimum Argumentum, Turriani de Ecclesia libro primo, capite octauo, & Bellarmini de Pontifice libr. primo, capite nono. Si singulis Ecclesiis singuli præficiendi sunt Episcopi: ergo & omnibus Ecclesiis vnus aliquis. At verum prius. Ergo & posterius. Antecedens probat Bellarminus autoritate Caluini Institutionis libro quarto, capite sexto, segmento septimo. *Quid aliud contendit, quàm singulis Ecclesiis debere suos Episcopos attribui?* Consequentiam autem: Turrianus. Nam cùm Episcopi, arietes quidam sint, secundùm Prophetam Ezechielem, capite trigesimo quarto: *Ecce ego iudicabo inter ouem & ouem: & inter arietem & arietem*: vbi Episcopi vocantur arietes, tanquam ductores gregis: Consequens est necessariò, secundùm rationem ac naturam, illis non minus opus esse pastoribus, quàm gregi ouium, id est, laicis: Imò etiam magis, ne qui aliorum duces sunt, ipsi errent: & alios, quibus præsunt, in errorem mittant. Bellarminus autem: tum quia nulla ratio postulat, vt partes Monarchicè, totum autem Aristocraticè gubernetur: tum quia quibus rationibus probatur vnum Episcopum præesse Parochis, Archiepiscopum Episcopis, iisdem probatur vnum summum Pontificem præesse debere Archiepiscopis, & Patriarchis. Nempe primò, quia vna ciuitas non potest bene regi nisi ab vno: Ecclesia autem etiam vna est vniuersa: Secundò, quia vnus requiritur Archiepiscopus, non nisi vt contineantur Episcopi in vnitate, vt dissoluantur eorum lites, vt ad Synodum conuocentur, vt cogantur fungi suo munere: at propter easdem caussas requiritur vnus, qui Archiepiscopis & Primatibus omnibus præsit.

II. Respondeo, primùm negari antecedens. Non enim necessariò vnum aliquem vnicuique Ecclesiæ præesse oportet. Nam Scriptura Episcoporum plurium meminit in vna & eadem Ecclesia. Vnde Hieronymus ad Euagrium. *Apostolus perspicuè docet eosdem esse presbyteros, quos Episcopos. Quæris autoritatem? Audi testimonium. Paulus & Timotheus serui Christi Iesu, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis. Vis & aliud exemplum? In Actibus Apostolorum ad vnius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite vobis, & cuncto gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, vt regeretis Ecclesiam Domini, quam acquisiuit sanguine suo. Ac ne quis contentiosè in vna Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat: audi & aliud testimonium, in quo manifestissimè comprobatur eundem esse Episcopum atque Presbyterum. Propter hoc reliqui te Cretæ, vt quæ deerant corrigeres, & constitueres presbyteros per ciuitates, sicut & ego mandaui. Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopū sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem.* Hæc, atque alia nonnulla in eundem finem Hieronymus, quæ alias disputabuntur fusiùs suo loco. Hinc autem duo pro nobis faciunt: primum, quòd disertè vnius Ecclesiæ plures dicuntur Episcopi in Scriptura: deinde, quòd idē sunt presbyteri & Episcopi. Nam si ita est, necessariò concluditur, eiusdem Ecclesiæ plures esse rectores: non igitur non posse vnam Ecclesiam rectè administrari nisi ab vno.

III. Sed addit Hieronymus, *Quòd autem postea vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est.* Ergo nō ab initio, sed postea; hoc est, procedente tempore, & nouis nascentibus occasionibus, ea in Ecclesiam introducta est politiæ ratio, vt singularum Ecclesiarum singuli essent Episcopi. Atqui in Ecclesia id optimum quod primum: id primum quod ab initio. Quare, non tantùm potest Ecclesia à pluribus administrari: sed etiam ea ratio optima fuerit: nisi fortè quis absurdè eligat dicere, ab initio Ecclesiam minus bene fuisse administratam. Iam si nulla necessitas cogit Ecclesiis singulis singulos præfici: certè multo minus aut pluribus, aut vniuersis vnum. Itaque neque pluribus parochis Episcopi: neque Episcopis Archiepiscopi, neque his Patriarchæ præficiendi erunt. Atque adeo Parochorum, Archiepiscoporum, Patriarcharum ignota fuerunt Apostolis nomina: & post Apostolos etiam plurimis annis.

IV. Sed secundò negatur consequentia. Vt enim non sequitur, si singulæ familiæ vnum habeant patremfamilias; ergo & cunctas: si singula regna vnum regem; ergo & omnia: ita non est consequens, vt omnibus Ecclesiis vnus præsit Episcopus, quia singulis singuli. Atque adeo, hoc quidem, nimirum vt singuli Episcopi singulis præessent Ecclesiis, fuit olim constitutum atque obseruatum εὐταξίας gratiâ: illud verò, vt vnus omnibus, nunquam. Cyprianus in Concilio Carthaginensi. *Neque quisquā nostrûm, Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit.*

V. Ad Turriani rationem respondeo, primò, apud Ezechielem eo loco arietes non intelligi pastores populi: Lyranus. *Arietem & hircum, id est, bonum & malum. Hoc modo dicitur Matthæi vigesimo quinto, Statuet oues à dextris, hædos autem à sinistris.* Perspicuè. Nam apud Matthæum nemo arietes sumit pro pastoribus: sed intelligit duntaxat arietes & hircos dictos, bonos & malos, siue ij pastores fuerint, siue de grege. Theodoretus. *Sicut pastores & oues iudico: ita etiam ouium iudex ero, & peccantes puniam.* Indicat duas esse partes huius sermonis Prophetici: vnam, de pastoribus, ab initio capitis: alteram de ouibus, ab hoc loco. In priore igitur, Deum sese comminatum esse fore iudicem pastorū: In secunda similiter pronunciare se iudicaturum oues. Itaque ex ea mente, tum arietes, tum hirci, in grege sunt, nō in pastoribus. Similiter Hieronymus. *Hæc* (quæ continentur in priori parte) *aduersus pastores loquutus est. Nunc loquitur ad oues, id est, ad populum, & ad vtriusque pecoris gregem, id est ouium & caprarū: & non solum ad oues & capras, sed & ad arietes & hircos, qui sunt in gregibus principes.* Et fauet ratio. Nō enim cōstaret allegoria: quia arietib⁹ nūquā

committitur gregis cura: itaque non possunt pastores significare.

VI. Secundò: etiamsi concedamus Ezechielem per arietes significasse pastores; tamen negamus consequentia: Ergo his pastoribus alios esse præficiendos. Primùm, quia id nusquam Propheta, aut dixit, aut significauit: imò in toto eo sermone, nulla est particula, quæ ad hanc consequentiam referri queat. Allegoria autem, quoties expatiatur vltra autoris mentem, somnium est, non allegoria. Quasi ego dicerem: Propheta arietibus comparat Episcopos: At arietes habent duo cornua: Ergo Episcopi debent habere mitram bifidam. Quis non rideat? Deinde, est contra mentem Prophetæ. Nam si alij sint Episcopi, atque alij Episcopis præfecti: & Episcopi significati sint per arietes: ergo, Episcopis præfecti non significabuntur per arietes. Itaque Propheta tantùm comminatus esset Dei iudicium Episcopis, non etiam Episcoporum præfectis. Quod est absurdissimum. Quòd si in arietibus contineantur etiam Episcopis præfecti; ergo, vel abibit in infinitum; vt, quia ipsi Episcopis præfecti sint arietes: arietibus autem pastore opus est: ergo & ipsis Episcoporum præfectis, sint alij præfecti; nullo fine facto. Vel quod certius est, inepta est Turriani consequentia.

VII. Nam quod addit, Ne, qui aliorum duces sunt, ipsi errent: æque circulatio est. Nam, non tantùm Episcopi possunt errare; sed etiam iis præfecti: ac proinde his etiam præfecto opus esset: ne excepto quidem illo vnico, ad quem postremo deueniri volunt. Nam ille homo est æque cum reliquis: & erroribus obnoxius. Itaque huic etiam alio directore opus esset. Quod si ei Deum præficiunt: interrogo, cur huic potiùs quàm reliquis? Aut cur non censeant Deum sufficere, non multis tantùm, sed omnibus regendis. Tum cur discedant à Veteribus; qui Episcopos sui actus rationem Deo reddituros tenebant, teste Cypriano. Denique obseruare iubebo, ab ipsis suum argumentum elumbari: nam si huic vni, quamuis erroribus obnoxio, non est necessarium præfici aliquem hominem: ergo non erit verum Axioma; Omnibus, qui erroribus obnoxij sint, esse aliquem hominem præficiendum. Ex hoc autem falso, nulla potest vera conclusio elici.

VIII. Ad primam Bellarmini rationem: primò nego partes monarchicè gubernari. Non tantùm, quia plures Episcopi possunt eandẽ partem regere, vt iam dixi: sed etiam, quia ne tum quidem, cùm vnus est, regimen est Monarchicum: quia is non est summus, sed summo subalternatus. Ab eo autem summo Respublica formam sumit. Exempli gratia: Romani singulas Prouincias singulis Prætoribus committebant: nec tamen vllus vnquam dixit eas prouincias monarchicè administratas. Et in Regno Galliæ, plures prouincias plures proreges regunt: nec tamen regnum aristocraticè administrari dicitur. Ratio est, quia apud Romanos prætores à populo pendebant: quod in Monarchicum regimen cadere non potest: & in Gallia omnes Proreges ab vno Rege autoritatem mutuantur: quod ab Aristocratia abhorret. Itaque Ecclesiæ singulæ non propterea μοναρχικῶς gubernantur, quia singulis vnus præest: sed quia is qui præest, ab vno Christo autoritatem habet: quod æquè fieret, si sic singulæ à pluribus administrentur.

IX. Secundò, negatur eadem ratio esse vnius Ecclesiæ & omnium. Nam singulę Ecclesiæ sunt numero vnę: itaque regi possunt ab vno. At omnes Ecclesiæ, non sunt vnæ, nisi quomodo τὰ καθ᾽ ἕκαστα, id est, quomodo omnia regna sunt vnum regnum: quatenus, inquam, consideratur secundùm externam politiam. Itaque, quemadmodum non sequitur, quia singulis regnis singuli reges præsunt, ideo omnibus vnum præficiendum: sic ineptè concludas, quia singulis Ecclesiis singuli Episcopi, ideo omnibus etiam vnum.

X. Ad secundam Bellarmini rationem; respondeo eas rationes, quibus constituta est in Ecclesiis ea πολιτείας ratio, vt ab vno singulæ administrentur, esse tantùm probabiles, non verò necessarias. Itaque, si iisdem nixi Papistę concludant de omnibus, id futurum non necessarium, sed duntaxat probabile. At in religione Christiana qui probabiliter tantùm disserit, nihil agit. Tum valeat fortè hæc probabilitas, si res ab initio consultanda proponitur, sic vt integrum sit in vtramque partem quidlibet statuere: sed res iam constitutas, & constitutas à Christo, vel ab Apostolis: eas, inquam, res ita constitutas ab initio, immutare nemini licet: multo minus sola verisimilitudine nixo.

XI. Non posse autem, nisi ab vno, ciuitatem bene regi, falsò sumitur. Roma enim optimè regebatur à duobus Consulibus: aliquando etiam à sex Tribunis militum. Sparta à duobus Regibus, & ab Ephoris. Athenæ ab Areopagitis. Alioquin Apostoli accusandi forent, qui plures in eadem ciuitate viderunt Episcopos. Sic quidem apud se homines postea sunt deinceps ratiocinati, vt concluderent melius & facilius ab vno vnam Ecclesiam regi: sed non est consequens, vt quod videtur melius, ideo sit necessarium. Quid quod non absolutè, sed κατά τι melius est visum? Nempe ad vitanda schismata; teste Hieronymo. Simili autem modo τὴν ἰσοτιμίαν æqualitatem inter pastores, possumus & nos κατά τι, meliorem dicere, nempe ad vitandam paucorum in reliquos fratres, imò vnius in omnes tyrannidem. Hæc autem quantum sit malum, & quàm opportuna ei sit aperta ianua ex huiusmodi πρωτοκαθεδρίας ambitione, iampridem ostendit plus satis experientia. Porrò Ecclesiam esse vnam vniuersam, damus, sed in Christo tantùm; non in vllo alio nomine: habita verò externæ πολιτείας ratione, negamus vnicam esse in toto orbe Ecclesiam. Itaque, sicut in Ciuitatibus, cùm singulis præsit vnus, pluribus præsunt plures, ita in Ecclesiis, etiamsi singulos assignari Episcopos consultius existimetur, tamen omnibus vnum imponendum nulla ratio efficit.

XII. Secunda ratio, quæ efficiebat Archiepiscopis vnum præficiendum, vt Episcopis Archiepiscopos, ad eorum lites dissoluendas: nititur similitudine. At similitudines non sunt necessariæ, sed tantùm probabiles: nec controuersiam concludunt: sed quod aliis argumentis concluditur, illustrant. Propterea olim non sic factum: neque enim ad vnum aliquem deueniebatur: teste Dionysio illo, cui vulgo Areopagitæ nomen tribuunt, Epistola octaua, quæ est ad Demophylum. αὐτὸς μὲν οὖν ἐπιθυμίᾳ καὶ θυμῷ καὶ λόγῳ τὰ κατ᾽ ἀξίαν ἀφόριζε· σοὶ δὲ οἱ θεῖοι λειτουργοὶ, καὶ τούτοις οἱ ἱερεῖς, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν οἱ ἱεράρχαι, καὶ τοῖς ἱεράρχαις οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ τῶν ἀποστόλων διάδοχοι.

[illegible] *Et tu quidem, concupiscentias tuas rationi sua tribuito: tibi autem sacri ministri; atque his sacerdotes: sacerdotibus Hierarcha: Hierarchæ Apostolis, Apostolorumque successores: Quod si ex his quispiam aberret ab officio, is cogatur in ordinem à sanctis qui sunt eiusdem ordinis.* Etsi autem non satis certum sit, quos appellet Apostolorum successores. Nam Pachymeres quosdam censet ab Apostolis constitutos; Maximus, cumque eo Sanderus libro septimo Monarchiæ, Patriarchas: tamen obseruandum, primò hos tantùm gradus enumerari, Diaconos, λειτουργοὺς, presbyteros, Episcopos, ἱεράρχας, Apostolos, eorumve successores: itaque vnum tantùm supra Episcopos, non duos Archiepiscoporum, & Patriarcharum. Secundò Episcopis præfuisse non vnum aliquem; sed plures: nominantur enim Apostoli, Apostolorumque successores. Tertiò hunc summum Hierarchiæ gradû poni: neq; vsquam ad vnû deueniri. Quartò refutari cõsequentiam Bellarmini. Nam etsi Dionysius velit Diaconos exorbitantes corrigi à Presbyteris: presbyteros ab Episcopis: Episcopos à Patriarchis, siue Archiepiscopis: tamen Archiepiscopos siue Patriarchas, non à gradu quodam superiore; sed à symmystis, siue aliis eiusdem gradus & dignitatis, τοῖς ὁμοταγέσι. Quintò, summum in Ecclesia gradû, quicunque tandem ille sit, non debere esse ἀνυπεύθυνον, sed ipsum etiam cuidã correctioni obnoxiû. Quod maximum est in Romana Hierarchia peccatum: in qua vnus homo sic reliquos corrigit, vt ipsum nemo vllo casu possit vel accusare. Atq; adeo hinc sophistæ produnt se contentiosos potius, quàm veritatis amantes. Nam cùm vrgeant Episcoporum peccata, vt euincant eis aliquem præficiendum: tum sui summi Episcopi scelera dissimulant; aut certè, si dissimulare nequeant, saltem non conficiunt inde, debere etiam ipsum habere suorum actuum inspectorem, & iudicem.

XIII. Præterea huiusmodi Archiepiscoporum, siue Primatum, siue Patriarcharum constitutio, non erat Monarchiæ institutio: sed tantùm εὐταξία quædam inter plurimos eiusdem muneris. Neque enim Archiepiscopus imperium habebat in reliquos Episcopos: neque ex se, aut suo tantùm ingenio, quicquam poterat maioris momenti: sed de communi coëpiscoporum suorum concilio. Vnde Canon trigesimus quartus, inter eos, quibus Apostolicorum nomen tribuitur. *Τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλήν, καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης· ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις· ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι. Qui per singulas gentes sunt Episcopi, eos nosse oportet suum primatem, eumque capitis loco habere; neque quicquam maioris momenti absque eius sententia facere: tantùm quæ ad suas Parœcias, eisque subiecta oppida pertinent. Sed ne ille quidem absque omnium sententia, quicquam facito.* Nota. Primò, absque Primatis sententia nõ potuisse quemque suã Ecclesiã administrare. Secundò, ne eum quidem Primatẽ posse à se ipso quicquam maioris momenti facere: sed vt reliquis eius sententiam, sic & illi reliquorum esse necessariam. At Papistæ nolunt intra hos limites contineri sui Pontificis autoritatem: sed absolutam esse & liberam. Comparant ergo res longè dissimiles, ridiculæ consequentiæ forma. Quasi dicerent: Oportet inter Episcopos aliquem esse Primatem, sic vt neque illi absque huius; neque hic absque illorum sententia quicquam faciat. Ergo & Primatibus debet præfici vnus aliquis, cum plenitudine potestatis: sic vt nullius sit obnoxius examini.

XIV. Hactenus Bellarminus & Turrianus. Sed Sanderus eiusdem argumenti consequentiam longè probat aliter, capite tertio libri quinti. Si, inquit, tota militans Ecclesia, & magis vna est in seipsa, & magis vnit alias particulares Ecclesias in se, quàm illæ in seipsis vnitæ erant, necessariò efficitur, vt ob quascunque caussas illę particulares Ecclesiæ dicuntur & sunt vnæ, ob illas etiam ad minimum tota militans Ecclesia dicatur & fiat vna. Illę autem particulares Ecclesiæ dicuntur, & sunt vnæ potissimum, quia vnum rectorem habent: Ergo totam quoque militantem necesse est vnum habere rectorem. Esse autem totam militantem magis vnam probat, quia tota militans Ecclesia, velut omnium aliarum mater, omnes alias particulares locis & linguis diuisas, in vnum corpus mysticum congregat, magisque eas vnit in se, quàm in se ipsis vniebãtur.

XV. At ego satis mirari nequeo Sanderiani ingenij τὸ σκοτεινὸν, cuius vt plurimû adeo subtiles sunt argumentationes, vt vix percipiantur: tęque verborum, nouarumque locutionû ambages, vt vix quisquam assequatur. Enimuerò, quid sibi vult: tota militans Ecclesia magis vnit particulares Ecclesias alias in se, quàm illæ in se ipsis vnitę erant: Hæc ænigmata sunt Sphingis, quæ nouo Oedipo indigeant. Nam primùm, quomodo quis intelligat particulares Ecclesias, alias esse ab ipsa tota militante? Atqui ipsa militans constituitur ex particularibus. Quasi quis diceret, alius esse singulos homines, ab ipso homine, quatenus est quid καθ' ὅλον. Hoc iterum quid? Magis vnit in se, quàm ipsæ essent vnitæ in se ipsis? Nam illud *in se ipsis*; vel est, singulæ seorsim & in se consideratæ vel est, omnes inter se, vel aliæ cum aliis. Si prius: monstrum absurditatis τὸ καθ' ὅλον magis esse vna quàm τὰ καθ' ἕκαστα. Sin alterum, quomodo potest tota Ecclesia, quæ non est vna nisi ex Ecclesiarum nexu inuicem, magis esse vna, quàm ipsæ inuicem connexæ Ecclesiæ? Hoc tertiû quid? Tota militans tanquam mater, particulares congregat, & locis & linguis diuisas. Quid? grex oues congregat? an potius grex est oues congregatæ? Nisi fortè per locutionis figuram: quemadmodum Schola discipulos congregat, familia domesticos. Sed hoc idem est, ac, Constat discipulis illa, hæc domesticis congregatis. Sed κατὰ τὸ ῥητὸν non potest non ineptissimè dici Ecclesia, schola, familia, quę nihil est se ipsa subsistens, sed tantùm cogitatione, congregare ea ex quibus ipsa congregatis constat. Et cùm has verborum ampullas Sanderus proiecit, putarit se operæpretium facere: atque lectores διὰ φόνον ἄγειν. At nos lolio non victitamus.

XVI. Verum, esto Ecclesia militans tota, magis vna quàm singulæ: quid inde sequitur? Nempe, inquit, ob quascunque caussas illæ dicuntur magis vnæ; ob illas etiam ad minimum illam etiam dici magis vnam. Atqui negatur primùm consequentia. Quid enim, si concludam similiter, Ecclesiam triumphantem magis esse vnam, (nam sine dubio maior est vnio) quàm totam militantem: ergo oportere easdem esse vnionis caussas? Non meritò irridear? Imò si maior est vnitas, caussa esse debet alia. Nam ex iisdem caussis non sunt effecta speranda non eadem.

XVII. Sed & illud egregiè falsum, particulares Ecclesias potissimum vnas dici, quia vnum rectorem habent: falsum item, Ecclesias, si varios rectores habeant, diuidi magis quàm vniri. Alioquin Antiochena Ecclesia tum non poterat vna dici, cùm ad eam regendam Barnabas sibi Paulum adsciuit, teste Luca Actorum vndecimo. Nec Ephesina, cù plures haberet Episcopos, teste Paulo Actorum vigesimo. Denique ne Romana quidem, tum cùm Petrus & Paulus eam fundarent & instruerẽt, vt loquitur Irenæus libri tertij capite tertio: aut iterum, cùm in interregno regeretur à Clericis, vt ex Epistolis Cypriani patet: aut tertiò, cùm ex decreto Sirmiensis Concilij Liberius & Fœlix ambo pariter sedem Apostolicam administrarent, vt est apud Sozomenum libr. quarto, capite decimo quarto. Rursus autem, necesse esset plures Ecclesias vnam Ecclesiam dici, quibus esset vnus Rector. Atqui Theodoretus octingentis Ecclesiis pastorem se datum esse asserit in Epistola ad Leonem. Quòd si Ecclesiæ singulæ non propterea non sunt vnæ, cùm plures habent rectores: nec plures, ideo non plures, cùm vnum habent rectorem: sequitur vnitatis Ecclesiarum caussam non esse, quam fingit Sanderus: ideóque fallax esse argumentum.

CAP. XV.

De Ecclesiæ propagatione.

I. DEcimum tertium argumentum est Bellarmini, capite nono libri primi: sumptum à propagatione Ecclesiæ. Nam Ecclesia semper creuit & crescere debet, donec in toto mundo prædicatum sit Euangelium. At id fieri nequit, nisi sit vnus summus Ecclesiæ præsul, cui solicitudo incumbat totius huius corporis conseruandi & propagandi. Quod probatur tum ratione, tum experientia. Ratio, quia nemo debet prædicare nisi mittatur: decimo ad Romanos. Mittere autem in alienas prouincias non est Episcoporum particularium: qui extra sui fines Episcopatus nullum ius habent. Experientia: Quia vix inuenimus Ecclesiam propagatam post Apostolorum tempora, per alios, quàm per eos, quos in opus Dei miserant Romani Pontifices. Germanos conuertit S. Bonifacius à Gregorio secundo missus: Francones Kilianus à Papa Conone: Anglos Augustinus à Gregorio primo. Tum Innocentius primus Epistola prima, constanter affirmat, per omnem Hispaniam, Galliam, Africam, Ecclesias esse fundatas per eos, quos Petrus, aut eius successores in hoc opus miserant.

II. Respondeo, Ecclesiam propagari posse, etsi nullus sit vnus summus Ecclesiæ præsul: atque adeo sic esse propagatam, vt nunquam ad vnum aliquem sit ea prouincia delata: sed Christianorum quisque, maximè autem qui ad gradus Ecclesiasticæ autoritatis promoti erant, ei rei inuigilarent, oblatámque occasionem diligenter arriperent: imò non id tantùm, sed etiam ipsi vltro occasionem vel accerserent, vel prouocarent. Et quidem hanc propagationem dupliciter factam obseruare licet: tum ordinario modo, tum extra ordinem.

III. Extra ordinem: cùm ab iis personis, quorum nulla erat docendæ Ecclesiæ autoritas ordinaria. Cuius propagationis hæc sunto exempla, pauca de multis. Actorum octauo dicuntur ij, qui dispersi fuerant propter persecutionem in Ecclesiam Hierosolymitanam, euangelizasse τὸν λόγον sermonem Dei: in queis Philippus, tantùm Diaconus. Capite 18. Apollos qui tantùm sciebat Baptismum Ioannis, disputasse in Synagoga, & docuisse ea quę sunt Domini. Apud Socratem libro primo, capite decimo sexto, Iberes à muliere quadam captiua conuertuntur, initio facto à Rege & Regina, qui ipsi, inquit, Socrates, Christum prædicant, Rex viris, Regina mulieribus.

IV. Sed eidem propagationi sæpe prouisum ordine seruato, atque ab iis quibus iam onus incumbebat prædicandi Euangelij. Quod quomodo factum, hæc exempla docebunt. Cum Frumentius Alexandriam venisset, exponit Athanasio quanta spes esset Indorum ad fidem conuertendorum, oratque vt Episcopum & clerum eò mittat: numineque eos qui ad viam salutis deduci possent, negligat. Athanasius ipsum Frumentium designat Episcopum, testatus neminem habere se ad id muneris aptiorem. Autor Socrates libri primi capite decimo quinto: & Theodoretus libri 1. capite vigesimo tertio. Rursus, Saracenis Moseu quendam Episcopum sibi dari postulantibus, deductus Moses est, non Romam, sed Alexandriam ad Lucium Episcopum, à quo cùm nollet sibi manus imponi, deductus est in montem quendam, inibique ab iis qui eo loci exulabant creatus Episcopus, teste Socrate libri quarti capite vigesimo nono. Chrysostomus, cùm videret gentem Scythicam doctrinę Arrianæ laqueis irretitam, molitus inde eam seduló eripere, complures, qui eadem lingua loquerentur presbyteros, diaconos, & lectores ordinauit. Idem, cùm eos qui inter Scythas Nomadæ vocantur, Istri accolas, accepisset sitientes quidem salutē appetere, sed habere neminem, qui sitim salutaris doctrinæ fluentis restingueret, viros laborum Apostolicorum imitatores conquisiuit, eósque illis erudiendis præfecit: sed & literas scripsit ad Leontium Episcopum Ancyræ, quibus tum Scythas significabat esse conuersos ad fidem, tum orabat vt viros idoneos ad rectam salutis viam illis commonstrandam mitteret. Hæc Theodoretus, libro quinto historiæ, capitibus vicesimo, & vicesimo primo. Euagrius libri quarti capite vicesimo secundo, narrat, eos, qui ad Tanaim habitarent, orasse Iustinianum Imperatorem, vt Episcopum ad se mitteret: idque illum diligenter perfecisse. Ante id tempus, cùm Iberes templum ædificassent, admoniti ab ea muliere, quæ eis prima Christum prædicarat, legatos ad Constantinum Imperatorem miserunt, vt sibi doctor aliquis veræ in Deum pietatis mitteretur. Imperator, cùm legatos summa humanitate & beneuolentia complexus est, tù virum fidei, doctrinæ, & pię vitæ ornamentis eximiè decoratum, atque ad Episcopatus gradum euectum, pręconem diuinæ cognitionis, Iberum genti cum donis quamplurimis misit, testante Theodoreto libro primo, capite vigesimo quarto.

V. Ex his omnibus exemplis apparet satis. opinor, abundè, hominum ad fidem conuertendorum, hoc est, propagandæ Ecclesiæ curam, nemini vni proprio iure demandatam, sed omnibus commẽdatam, communémque, quibus Deus offerat rei bene gerendæ occasionem. Eamque ob [illegible] modò

modò Episcopum Alexandrinum, modò Ancyranum Antistitem, modò Constantinopolitanum: modò ipsum etiam Imperatorem, ei rei inuigilasse. Itaque eam ob rem non esse necesse vnius cuiuspiam tyrannidem inuehi in Ecclesiam.

VI. Neminem debere prædicare, nisi mittatur; nostrûm nemo negat. Sed vicissim primum, sciunt Catholici, non eos tantùm mitti, qui ab hominibus ordinatiè mittuntur: sed eos etiam qui à Deo extra ordinem suscitantur: in quo missionis genere, necessarius esse non potest summus ille Pastor. Deinde, ne illi quidem non legitimè mittuntur, qui à variis per multas Ecclesias Episcopis mittuntur. Itaque, ne sic quidem ad vnius autoritatem deueniendum.

VII. Mittere autem in alienas prouincias si non sit Episcoporum particularium; ergo damnandi fuerant olim Athanasius, Chrysostomus; qui in prouincias non suas Episcopos mittebant. Sed Catholici distinguunt. Alienam prouinciam, vel eam dici quæ sit alteri iam Episcopo assignata: vel eam quæ sit extra vnius certi Episcopi fines. Et de priori quidem significatione nulla nunc quæstio est: quia agitur de propaganda Ecclesia, id est, constituenda iis locis, vbi nondum est. At si esset iis iam locis constitutus Episcopus, ad cuius curam pertinerent, tum esset iam propagata in eos locos Ecclesia.

VIII. Altera autem significatione, negò non licere alicui Episcopo particulari quemquam mittere in prouinciam non suam. Nam & nulli obstant veteres Canones: & contrà exempla sunt, quæ iam antè enumeraui. Athanasius prouidit Indiæ: imò ei parti Indiæ, ad quam ne Thomæ quidem prædicatio peruenerat, cui Indiã assignatam esse ab Apostolorum tempore Veteres testantur. Sic Saracenis Lucius Alexandrinus Episcopus poterat Episcopum consecrare. Sic Chrysostomus Ancyranum Episcopum hortatur, vt ad Scythas doctores mittat: quæ omnes prouinciæ erant alienæ: hoc est, iis Episcopis non commissæ.

IX. Iam de Bellarminiana experientia quid dicã? Ad Germanos Bonifacius; ad Francones Kilianus, ad Anglos Augustin⁹, missus est ab aliquo Romano Episcopo: per Hispaniam, Galliam, Africam, Ecclesiæ constitutæ sunt ab iis, quos Petrus misit, aut Petri successores. Quid tum? Nam vniuersæ Ecclesiæ non continentur iis earum nationum limitibus: sed tantùm Occidentales. Itaque sequitur, Romanos Episcopos, si fortè, suo officio functos esse: fortè etiam magis quàm alios vllos laborasse. Sed nullas constitutas Ecclesias, nisi eorum autoritate, nullo modo sequitur: Et perspicuè falsum euincitur ab iis exemplis, in quibus Episcopi Romani neque nomen, neque autoritas interuenit.

CAP. XVI.

De Patrum autoritatibus.

I. AB argumentis veniendum ad veteres Doctores. Eos nullos Bellarminus quidem protulit in medium, ad hanc Thesin confirmandam: sed alij paucos nominant. Primus locus est Cypriani ex Epistola quinquagesima quinta. *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos & iudex vice Christi cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se, non iam Episcopi, sed Dei faceret.* Hunc locum cùm alij, tum præcipuè Pamelius, annotationibus in eam Epistolam, prolixè disputat intelligendum de Oecumenico Pontifice, atque adeo de Romano.

II. Respondeo, prorsus aliam esse Cypriani mentem: nempe hanc, vt asserat omnia membra cuiuslibet Ecclesiæ, puta, Romanæ, Carthaginẽsis, Ephesinæ, Constantinopolitanæ, reliquarum, debere subiici propriis Episcopis: inde autem nasci hæreses & schismata, quòd is ordo negligatur. Cõqueritur enim apud Corneliũ Romanum Episcopum de Felicissimo, & Fortunato, qui se aduersum insurgebant audaciùs. *Quæ autem,* inquit, *sui elatio est, quæ comminantium tumoris & inflata & vana iactatio: illic* (nempe Romæ) *absenti* (Cypriano) *minari, cùm hic me habeant in potestate præsentem?* Inde locum communem ingreditur duplicem: priorem, de Episcoporum constantia aduersus omnes calumnias, quem paucis absoluit: alterum, de vltione Dei in calumniatores omnes: à quibus descendit ad eos specialiter qui insurgunt in Sacerdotes. *Nam cùm scriptum sit,* inquit, *Neque maledici regnũ Dei consequentur: & iterum Dominus in Euangelio suo dicat, Qui dixerit fratri suo, fatue, & qui dixerit, racha, reus erit in gehenna ignis: quomodo possunt censuram Domini vltoris euadere, qui talia ingerunt, non solùm fratribus, sed & sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, vt quisquis sacerdoti eius, & ad tempus hic iudicanti non obtemperaret, statim necaretur?* Tum citatis multis ex vtroque testamento locis, concludit in hæc verba: *Cùm hæc tanta ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus sacerdotalis autoritas & potestas de diuina dignatione firmatur, quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur?* Tum his verbis subiiciuntur immediatè ea de quibus nunc quæstio: vt explicetur id quod quæsierat Cyprianus: quales essent Sacerdotum hostes. Nam hoc eos perniciosiores vult intelligi, indéque seuerius puniendos, quòd sua rebellione occasionem præbeant hæresibus & schismatis, Ecclesiam inuadendi.

III. Ipsa igitur sermonis series ostendit locum intelligendum de quolibet cuiuslibet Ecclesiæ legitimo Episcopo, quem vnum vocat, ex recepta iam politiæ Ecclesiasticæ ratione, vt in vna Ecclesia non essent plures. Etenim, cùm suum ipsius proprium agat negotium: hoc est, contra eos inuehatur qui suam autoritatem contemnebant, imò & sibi Romæ calumniarẽtur, quàm ineptè, quæso, sermonem inueheret de Oecumenico pontifice, qui ad se nihil pertineret? Quilibet autem facilè videt, ab hypothesi ad thesin ascẽdit, qua probata nihil esset in illa difficultatis: vt hic sit syllogism⁹. Quicunq; insurgit in Episcopũ legitimum, is diuino iudicio graues pendet pœnas. At illi insurgunt in legitimum Episcopũ, scilicet Cyprianum Carthaginẽsem. Ergo digni sunt qui graues pœnas luant. Maior probatur, Quicunque hæresibus & schismatis occasionem præbent, ij graues pœnas dare debent: at qui insurgunt in Episcopum, hæresibus & schismatis occasionem præbent: ergo, qui insurgunt in Episcopum, graues pœnas dare debent. Comparat partes, &

videbis in priore syllogismo agi de quocumque Episcopo: nam si de Oecumenico, minor fuisset impudenter falsa. Itaque & in posteriori de eodem: nisi fortè ab amphora transeas ad vrceum.

IV. Et rursus: Quicumque se iudicem constituit Dei, graues pœnas dare debet. Atqui insurgit in Episcopum legitimum, constituit se iudicem Dei. Ergo is graues pœnas dare debet. Probatur assumptio à Cypriano, cùm docet non fortuito Episcopos creari, aut sine iudicio Dei: *Nisi*, inquit, *ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri sacerdotem, cùm Dominus in Euangelio suo dicat, Nónne duo passeres asse veneũt, & neuter eorum cadit in terram sine Patris voluntate: Cũ ille ne minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa & magna, aut nõ sciẽte, aut non permittente Deo fieri, & Sacerdotes, id est, dispensatores eius, non de eius sententia ordinari?* Atque eodem modo, eodémque sensu Epistola 69. ad Florentium Puppianum. *Porrò autem etiam nunc in literis tuis animaduerto eundem te adhuc esse, qui prius fueras: eadem te de nobis credere, & in eo quod credideris perseuerare: & ne fortè claritatis & martyrij tui dignitas nostra communicatione maculetur, in mores nostros diligenter inquirere, & post Deum iudicẽ, qui sacerdotes facit, te velle, non dicam de me (quantus enim ego sum?) sed de Dei & Christi iudicio iudicare.*

V. Hæc quanquam sunt perspicua, tamen contrà disputat Pamelius contendens circumstantias textus hoc loco, arguere Cyprianum loqui de Romano & sũmo sacerdote: concedens interea in Epistolis ad Rogatianum & Florentium, de se & Episcopis omnibus loqui. Quam iudicij peruersitatem in viro docto nõ mirari sanè non potui. Est enim tã perspicua disputationis series, vt calumniam quamlibet dissoluat: tum etiam in hac ad Cornelium Epistola Cyprianus suam ipsius caussam agit, æquè ac in illa ad Florentium. Sed tamen has textus circunstantias examinemus, quibus Pamelius innititur, hoc est, videamus, quomodo videri velit cum ratione insanire.

VI. Prima circunstantia: Testimonia præmissa ex Deuteronomio; ex libro primo Regum, ex Euãgelio Ioannis, ex Actibus Apostolorum, non nisi in summos Pontifices Iudæorum quadrare nemini dubium est: itaque aptius ad summum Pontificem Romanum referuntur. Respondeo his verbis multipliciter peccari à Pamelio. Primò, quia non omnes loci intelligi possunt de summo Iudæorum Pontifice. Nam Deuteronomij decimo septimo hæc sunt verba. *Venies ad Sacerdotes Leuitici generis: & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæréſque ab eis: qui indicabunt tibi iudicij veritatem: tùque ages iuxta præscriptum quod tibi indicarint de loco illo quem elegerit Dominus. Et obserua, vt facias secundum omnia quæ te docuerint. Iuxta legem quam dicent tibi ages: nec declinabis à verbo, quod tibi annunciauerint, neque ad dextram, neque ad sinistram. Et homo quicunque fecerit* (hæc iam verba sunt quæ à Cypriano citantur) *in superbia, vt non exaudiat Sacerdotem, aut iudicem quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille.* Hæc sunt Mosis verba; quibus summum Sacerdotem ne nominauit quidem; sed numero multitudinis, Sacerdotes Leuitici generis: quo nomine intelligebantur omnes qui fungebantur sacrificandi munere, apud Iudæos. Nam summi, etsi erant ex eodem genere Leuitico, tamen appellantur filij Aarõ: quia ex genere Leui, nulli alij, præter Aaronis posteros, in id munus patebat aditus. Secũdò, peccatum est, quòd non omnes loci enumerati, qui citãtur à Cypriano. Nã omissus est ex Matth. 8. *Vade & demonstra te Sacerdoti*: qui à nemine vnquam expositus est de Summo sacerdote. Omissus & alter ex Lucæ 10. *Qui audit vos, me audit, & eum qui misit me*: quem de vnico summo Pontifice, ne ipse quidẽ Pamelius accipiendum cõtenderit. Ex his autẽ perspicuũ est, ne in reliquis quidẽ citandis locis Cyprianum illud attendisse, quòd summi Põtifices fuerint Caiaphas & Ananias (nam Samuel erat iudex non Pontifex summus) sed simpliciter, quòd Pontifices, siue Sacerdotes; quod satis erat ad eius argumentum. Tertium peccatum: quia, etsi ij omnes loci intelligẽdi essent de summo Iudæorum Pontifice; tamen non sequitur applicandos vni tantùm summo Pontifici Christianorum: tum, quia apud Christianos nõ est, quẽadmodum apud Iudæos vnicus summus Pontifex; sed plurimi: quia, vt libro sequenti docebimus, omnes Episcopi singularum Ecclesiarum eo nomine appellabãtur olim: Deinde, quia in Epistola ad Rogatianum hos eosdem omnes locos idem Cyprianus citat, & in altera ad Florentium, in quibus tamẽ concedit Pamelius non agi de summo vnico Pontifice: sed in vna quidem, de ipso Rogatiano, in altera de Cypriano.

VII. Secunda circunstantia, quia loquatur Cyprianus de iudice, qui vice Christi fungitur. Atqui, inquam, is est Cypriano quilibet Episcopus. Argumenta. Primum, quia suam ipsius caussam agit, qui tamen erat vnus ex Episcoporum numero. Secundum, quia paulo ante, Episcopatum appellarat sublimẽ & diuinam potestatem: Tertium, quia, quem hic iudicem nominat vice Christi, paulopòst vocat Episcopum, eique coepiscopos assignat, his verbis: *Nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se iam non Episcopi, sed Dei faceret.* Quartum, quia in Epistola sexagesima nona ad Florentium, seipsum Cyprianus appellat *iudicem ad tempus à Deo constitutum.* Verba sunt, *Quis autem nostrum longè est ab humilitate: vtrum ne ego qui quotidie fratribus seruio, & venientes ad Ecclesiam singulos benignè & cum voto & gaudio suscipio: an tu, qui te Episcopum Episcopi, & iudicem iudicis ad tempus à Deo dati constituis?* Et quidem citato eodem loco è decimo septimo Deuteronomij. Quintum: quia non mirum esse debet Episcopos Christi vicem gerere, cùm idem dixerit Ignatius de Diaconis, qui sunt infra Episcopos: Epistola ad Trallianos, ὑμεῖς οὖν ἐντρέπεσθε αὐτοὺς ὡς Χριστὸν, οὗ φύλακές εἰσι τοῦ τόπου. *Vos igitur reueremini eos vt Christum, cuius locum seruant.*

VIII. Tertia circunstantia: Quòd loquatur de vno sacerdote, seu vno Episcopo in Ecclesia: quam appellationem tum ex Epistola 48. quæ est Cornelij: tum ex alijs Epistolis, & libro de Vnitate Ecclesiæ, constat Cyprianum non solere vsurpare nisi de summo Pontifice. Respondeo, Pamelium sumere falsum: Et cõtra à Cypriano vnũ Episcopum appellari quemlibet in sua Ecclesia. Nam ad Pupianũ, vbi fatetur Pamelius nõ agi de summo omniũ Pontifice, eadem est phrasis: *Inde schismata*, inquit, *& hæreses obortæ sunt, & oriuntur, dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contẽnitur.* Sed & Romanus Episcop' Corneli' de sua Ecclesia Romana, ea, inquam, quæ continebatur intra muros vrbis, eodem modo scribit ad Fabiũ, apud Euseb. Hist. libr. 6. cap. 35. [illegible] *nesciebat vnum Episcopum oportere esse in Catholica Ecclesia.* Quę tamen Christophorsonus vertens dixit, *in hac Catholica Ecclesia*: nimirum, quia ma-

ni[illegible]

manifestus sensus erat, vel ex sequentibus: *In qua non ignorabat presbyteros esse quadraginta sex; diaconos septem; hypodiaconos septem*, & reliqua. Nam quis hunc numerum accommodaret vniuersæ per totum orbe Ecclesiæ? Porrò, quæ de Epistola quadragesima octaua, & libro de Vnitate Ecclesiæ Pamelius iactat, ea nulla sunt: & nescio quo modo ab eo nominata: alij viderint, ego tantam audaciam indignam iudico viro bono.

IX. Quarta circunstantia: quòd dicat, *Nemo aduersum sacerdotum collegium aliquid moueret*. Nam si de se solo loqueretur, non statim, qui illi nō obtemperaret, aliquid moueret aduersus reliquos Episcopos. Respondeo, illa explicari ex his verbis quæ sequuntur, *Nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se iam non Episcopi, sed Dei faceret*. Dixit igitur mouere aliquid contra Sacerdotum collegium: quia eum necesse esset aduersari iudicio episcoporum, qui Episcopum ab ipsis ordinatum non agnosceret; quemadmodum Epistola quadragesima ad plebem Carthaginensem, quosdam presbyteros dicit coniurationis suæ memores, & antiqua illa contra Episcopatum suum, imò contra suffragium eorum, & Dei iudicium, venena retinentes, instaurare veterem impugnationē. Et quid hic mirum esse potest, cum ab eadem origine, eorum, inquam, qui suo Episcopo non obtemperant, idem dilertè deducat, tum hæreses, tum schismata? Neque hac tantùm Epistola: sed etiam sexagesima quinta: *Hæc, inquit, sunt initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum, malè cogitantium, vt sibi placeant, vt præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, & ordinationem atque vnitatem Dei rebellatur*. Et sexagesima nona, *Inde enim schismata & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, dū Episcopus qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus iudicatur*.

X. Quinta circunstantia: quòd postea de seruo præposito loquutus, mox D. Petri, super quē Christus ædificauit Ecclesiam, mentionem inicit. At ego hic quid sibi Pamelius voluerit non capio: imò vix credo apud se fuisse. Locus ita habet, *Nec præpositum seruum, desert à quibusdam miretur aliquis: quando ipsum dominum magnalia & mirabilia summa facientem, & virtutes Dei Patris factorum suorum testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerunt. Et tamen ille non increpuit recedentes, aut grauiter comminatus est, sed magis conuersus ad Apostolos suos, dixit: Nunquid & vos vultis ire? seruans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem. Petrus tamen, super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia vnus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait, Domine ad quem ibimus?*, Hîc verò, quid reperit Pamelius non video: nam neq; præpositus ille seruus de Petro dicitur, sed de quolibet Episcopo: imò de ipso Cypriano; qui neminem vult mirari, quod à nonnullis suis sit desertus, cum constet id ipsum Christo accidisse. Neque quòd supra Petrum ædificata dicitur Ecclesia; quicquam pertinet ad seruum præpositum. Et denique hæc omnia nihil habent commune cum his verbis, de quorum sensu disputamus.

XI. Frustrà ergo fatigauit se Pamelius. Ioannes Horantius locorum Catholicorum libro sexto, capite decimo: sed & Hardingus contra Iuellum, articulo quarto, aliud argumentum sumunt ex his verbis: *Cui si secūdum magisteria diuina obtēperaret fraternitas vniuersa*: Vbi, inquit, vniuersam Ecclesiam vocauit: vniuersam fraternitatem, quæ vni capiti obtemperare debet.

XII. Sed hi viri nimis oscitanter euoluerunt scripta Cypriani, neque eius stylum sibi familiarem effecerunt: eóque nunc fœdè labuntur: vniuersam enim fraternitatem ille solet appellare, totam multitudinem, vnde componitur quælibet Ecclesia particularis. Epistola sexagesima octaua, *Apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, vt de vniuersa fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, iudicio, Episcopatus ei deferretur*. Audin' Episcopū electum suffragio vniuersæ fraternitatis? An omnium toto orbe Ecclesiarum? Minimè. Audin' rursus vniuersam fraternitatem distinctam ab Episcopis præsentibus, ab Episcopis absentibus? Qui potuit, si fuit vniuersalis Ecclesia? Epistola quinquagesima octaua, *Sed & nūc non minus tibi, & comitibus tuis, atque vniuersæ fraternitati gratulamur: quod cum eadem gloria & laudibus vestris reduces vos denuo ad suos fecerit benigna Domini & larga protectio*. Simili sensu alibi fraternitatem omnem legas. Epistola quadragesima septima, *Meritò illos reuertentes, summo, vt scribitis, gaudio, & clerus, & plebs, & fraternitas omnis excepit*. Epistola sexagesima tertia, *Cùm cœnamus ad conuiuium nostrum, plebem conuocare nō possumus, vt Sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus*. Et quinquagesima octaua, *Vicarias pro nobis ego & Collegæ, & fraternitas omnis has ad vos literas mittimus*. Alibi etiam omnem fratrum numerum. Epistola quadragesima septima, *Illic ad literas vestras, quas de eorum confessione misistis lætus est omnis fratrum numerus*. Ergo sensus est Cypriani fraternitatem vniuersam, id est, vniuersam multitudinem Christianorum, qui fratres appellantur, in singulis Ecclesiis, suo Episcopo obtemperare debere.

XIII. Atque hic erat primus locus. Secundus est Cornelij Romani, Epistola ad Cyprianum, in editione Pamelij numero quadragesima sexta, *Non ignoramus vnum Deum esse, & vnum Christum esse Dominum quem confessi sumus, vnum Spiritum Sanctum, vnum Episcopum in Ecclesia Catholica esse debere*. Hîc, quia legunt vnum Episcopum in Ecclesia Catholica, clamant se reperisse, quod in faba pueri. Et ipse Pamelius annotauit, hîc vnum Episcopum simpliciter prò Episcopo Romano accipi.

XIV. Sed hîc Ecclesia Catholica significat vnam quamlibet Ecclesiam particularem, non hæreticam aut schismaticam: vt in illo loco Cornelij apud Eusebium, quem paulo antè citauimus, quo in Ecclesia Catholica esse dicitur vnus Episcopus, Presbyteri quadraginta sex, Diaconi septem. Recitatur autem à Cornelio, quorundam Confessorum à Nouatiani schismate redeuntium professio. Qui, quia Nouatianus erat à suis constitutus Romæ Episcopus contra Cornelium, testabantur, se nolle amplius cum Nouatiano communicare, à quo fuerant antè decepti: sed cum Cornelio, quem legitime electum sciebant, & ante Nouatianum: cùm scirent vnius Ecclesiæ Catholicæ duos esse non posse Episcopos. *Nos, inquiunt, Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum à Deo Omnipotente, & Christo Domino nostro scimus: nos errorem nostrum confitemur: nos imposturam passi sumus: circumuenti sumus perfidia & loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur, quasi quandam communicationem cum schismatico & hæretico homine habuisse, sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit. nec*

enim ignoramus vnum Deum esse, vnum Christum esse Dominũ quem confessi sumus, vnum Spiritum Sanctum, vnũ Episcopum in Ecclesia Catholica esse debere. Cui loco similis locus est apud Theodoretum Historiæ libro secundo, capite decimo septimo: vbi, cùm rogarent Romanæ mulieres Imperatorem, οἰκτεῖραι τὴν τοσαύτην πόλιν ποιμένος ἐστερημένην, *vt misereretur vrbis* (notate non orbis, sed vrbis) *pastore suo destitutæ:* illéque respondisset; primùm, μὴ δεῖσθαι ποιμένος ἑτέρου τὴν πόλιν, *non indigere vrbem pastore:* deinde tamen ἐπικαμφθεὶς *inflexus*, Felicem redire concederet, κοινῇ δ' ἀμφοτέρους τὴν ἐκκλησίαν ἰθύνειν: *Et communibus operis vtrumque* (Felicem & Liberium) *Ecclesiam* (illam videlicet etiam antè πόλιν nominabat) *regere:* Hoc decreto in Circo recitato, ἐξεβόησαν τὸ πλῆθος, δικαίως γὰρ λέγειν τοῦ βασιλέως τὴν ψῆφον. διχῇ γὰρ διῃρῆσθαι τοὺς θεατὰς ἀπὸ τῶν χρωμάτων τὰς ἐπωνυμίας ἔχοντας, καὶ χρῆναι τὸν μὲν τούτων, τὸν δὲ ἐκείνων ἡγεῖσθαι, *Exclamauit populus, æquam esse Imperatoris sententiam: bifariam enim diuisos esse spectatores, pro colorum varietate nomina sortitos* (quæ tum temporis erat ludorum Circensium insania) *itaque alterum his, illis alterum præfuturum.* Ex quibus apparet vrbis Romæ semper haberi rationem: non enim toto orbe ea diuisio inualuerat, sed Romæ tantùm, & Constantinopoli, regiis vrbibus, οὕτω κωμῳδήσαντες τοῦ βασιλέως τὰ γράμματα, κοινὴν ἀφῆκαν φωνήν· εἷς Θεός, εἷς Χριστός, εἷς ἐπίσκοπος, *Postquam sic illusissent regiis literis, vnã omnes vocem emiserunt, Vnus Deus, vnus Christus, vnus Episcopus.* Quæ ex præcedentibus hunc sensum habent, vt vnius Ecclesiæ, videlicet Romanæ, vnus Episcopus esset, non plures.

XV. Tertius locus est Cypriani, Epistola quadragesima ad vniuersam plebem Carthaginensem, quæ est quadragesima, *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata.*

XVI. Respondeo, huius loci eandem mentem esse cum præcedentibus, in quibus qui Episcopus dicebatur, hic Cathedra nuncupatur: notum est enim, Cathedram nominari pro singulorum Episcoporum sede: atque inde, pro eorum dignitate, id est, Episcopatu ipso. Significat igitur Cyprianus, non esse in eadem ciuitate agnoscendas, aut plures Ecclesias, aut plures Cathedras, id est, Episcopos. Argumenta tria colligo. Primum, ex ipso Cathedræ nomine. Nam impunè plures Cathedras passim esse constitutas, nemo ignorat. Et Tertullianus, de Præscriptionibus capite trigesimo sexto, *Percurre*, inquit, *Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur.* Si igitur plures per orbem Cathedræ erant, aut falsò Cyprianus dixit vnam esse: aut necessariò intelligendus est de vna in singulis Ecclesiis. Secundum: quia statim additur: *Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium, non potest.* Atqui vnum altare in omnibus Ecclesiis esse oportere, nemo vnquam dixit. Et Epistola sexagesima quinta, vbi de Rogatiani caussa agitur: *Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur.* Deinde sacerdotium pro vno sacerdote nominari, patet ex his eiusdem Epistolæ verbis adiunctum. *Ac ne parum fuisset corrupisse quorundam confessorum mentes, & contra sacerdotium Dei, portionem rupta fraternitatis armare voluisse*, vbi sacerdotium Dei vocat suum ipsius: nam loquitur de schismaticis, qui eum pro Episcopo nollent agnoscere. Itaque hîc aliud *sacerdotium, præter vnum fieri non potest*, significat non constituendos duos Episcopos in vna eadémque Ecclesia. Tertium argumentum; quia tota Epistola suam ipsius caussam Cyprianus agat. Suam, inquam, non Episcopi Romani: non Episcopi vniuersalis: sed Episcopi Carthaginensis. Itaque eorum, qui à se discesserant, caussam improbat, hoc argumento, quia vnam Cathedram esse oporteat. Quàm ridiculè, si sic intelligas: Qui ab Episcopo Cypriano discesserunt, improbandi sunt: quia vnum oportet esse in toto orbe Episcopum Oecumenicum!

XVII. Atqui (inquient) eam Cathedram super Petrum fundatam esse dicit. Respondeo: primum hanc lectionem non esse certam. Nam Pamelius agnoscit solum Manutij codicem sic habere: reliquos omnes pro Petro, Petram; tum editos, tum manuscriptos. Et quanquam alibi legatur, Cyprianum dixisse, super Petrum fundatam Ecclesiam: tamen non debuit discedi à codicum plurimorum consensu: tum quia vtrumque non malè dicitur, & super Petram, & super Christum: tum quia hoc loco non de Ecclesia, sed de Cathedra sermo est. Secundò, etsi super Petrum legamus: sic Cyprianum loqui de quolibet vno Episcopo, in qualibet vna Ecclesia: vt dicat, vnicũ Episcopum cuiuslibet Ecclesiæ fundatum esse super Petrum: hoc sensu, vt in Petro docuerit Christus quid in singulis Ecclesiis obseruandum esset, quum eum constituit primum inter duodecim: qua de re plura in proxima Controuersia, de Petri primatu.

XVIII. Quartus locus, ex Hieronymo contra Luciferianos, *Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exsors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes.* Hunc locum, tum alij, tum Pamelius citauit annotationibus in quinquagesimam quintam Cypriani.

XIX. Respondeo, ab Hieronymo, & Ecclesiam intelligi quamlibet, & Episcopum quemlibet appellari summum sacerdotem: phrasi prorsus trita, & identidem apud veteres scriptores Ecclesiasticos obuia: cuius exempla plurima à nobis colligentur libro proximo. Nunc sufficiat Tertullianus libro de Baptismo, capite decimo septimo: quem locum eo libentiùs hîc adscribo, quòd tam sit huic similis, vt non magis ouum ouo, *Superest*, inquit, *ad concludendam materiolam de obseruatione quoque dandi & accipiendi Baptismum commonefacere. Dandi quidem habet ius summus sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri, & Diaconi: non tamen sine Episcopi autoritate, propter Ecclesiæ honorem: quo saluo salua pax est.* Nullus hîc cauillandi locus, cùm disertè summus sacerdos, explicetur Episcopus. Quin ipse Episcopus Amerinus in Hieronymo notauit: *Summum sacerdotem Episcopum vocat.*

XX. Quanquam, quid testibus opus est, cùm ipse contextus sit perspicuus? Quem paulo pleniùs describam. *Non abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos, qui longè in minoribus vrbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* Et paulo pòst, *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui, disce hanc obseruationem ex ea autoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit: Et multis locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotij, quam ad legis necessitatem.*

Alioqui

Alioquin si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt qui in viculis aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptisati ante dormierunt, quàm ab Episcopis inuiserentur. Ecclesia salus in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exsors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit vt sine Chrismate & Episcopi iussione, neque Presbyter, neque Diaconus ius habeat baptisandi.

XXI. Hæc Hieronymus, in quibus nota. Primò, quæstionem esse de Baptismo, quem Presbyteri Diaconique conferant quidem, at non sine permissione Episcopi: tum de manuum impositione ad recipiendum Spiritum Sanctum, quæ ad solum Episcopum pertineat. Quæ vtraque quæstio soluitur ab autoritate summi sacerdotis. Itaque necesse est, eundem esse Episcopum, cuius sit imponere manus, & summum illum sacerdotem. Quid enim ineptius Hieronymo, si essent diuersi? Et si iste esset Oecumenicus Pontifex? Nullo enim medio hæ partes connectuntur: Necessarium est vnum esse Oecumenicum Pontificem. Ergo Presbyteri, & Diaconi non possunt manus imponere. Secundò, nota comparari Summum sacerdotem cum Presbyteris, & Diaconis: ridiculè si ille sit Oecumenicus. Nam inter eum & presbyteros intersunt alij gradus, & quidem altiores; ex quibus si tacere voluisset Patriarchas, Primates, Archiepiscopos: at saltem Episcopos cur omittebat? Tertiò, nota tot schismata futura, quot sacerdotes, & compara cum illo loco ex Epistola ad Euagrium, de quo aliàs plura erunt disputanda: cùm affirmatur ad vitanda schismata, vnum reliquis præfectum.

Nam is Episcopus est manifestè,
non autem Oecumenicus.

FINIS LIBRI NONI.

LIBER DECIMVS DE OECVMENICO PONTIFICE

Caput Primum.

DE CAPITE ECCLESIAE.

REFVTATIS Papistarum argumentis; iam Catholicorum eoumeranda sunt, & vindicanda ab omnibus calũniis. Primum hoc esto: Si Christus est totius Ecclesiæ caput: ergo nullus alius. At prius verum: Ergo & posterius. Antecedẽs patet ex his locis: Ad Ephesios primo, *Et omnia subiecit eius pedibus, eumq́; constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.* Et quarto, *Veritatem sectantes cum charitate prorsus adolescamus in eum per omnia, qui est caput, nempe Christus.* Et quinto, *Vir est caput vxoris, vt & Christus caput est Ecclesiæ: & is est qui salutem dat corpori.* Ad Colossenses primo, *Estq́; caput corporis Ecclesiæ.*

II. Consequentia verò patet, quia nullum corpus non monstrosum plura habet capita: Ecclesia verò non est monstrosum corpus. At, si Christus esset caput; aliúsque item homo mortalis etiam caput, vt Papistæ asserunt de Oecumenico Pontifice, plura essent capita, nempe duo. Et confirmatur ex Gregorio Pontifice Romano, Epistola trigesima sexta, libri quarti ad Eulogium Episcopum Alexandrinum; qua inuehitur in superbiam Ioannis Constantinopolitani, *Ex eo,* inquit, *in quo sedebat cinere, ex ea quam prætendebat humilitate, tantam iactantiam sumpsit, ita vt vniuersa sibi tentet adscribere, & omnia quæ soli vni capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis eiusdem Christi audet sibi membra subiugare.* Rursus Epistola trigesima octaua ad ipsum Ioannem, *Certè Paulus Apostolus quum audiret quosdam dicere, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius aliis quodammodo capitibus sociabant, vehementissimè perhorrescens exclamauit dicens, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptisati estis? Si ergo ille membra Dominici corporis, certis extra Christum quasi capitibus, & ipsis quidem Apostolis subiici particulariter euitauit, tu quid Christo vniuersalis scilicet Ecclesiæ capiti, in extremi iudicii es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere?* Quibus tam vehementibus verbis aut nihil prorsus, aut hoc dicit Gregorius; quandoquidem Christus sit vniuersalis Ecclesiæ caput, nefas esse quenquam alium hunc sibi honoris titulum adscribere. Basilius in Asceticis, proœmio de Iudicio Dei, *κρατοῦντος συναφείᾳ καὶ συναρμολογοῦντος ἕκαστον τῷ ἄλλῳ πρὸς ὁμόνοιαν τῆς μιᾶς καὶ μόνης ἀληθοῦς κεφαλῆς, ἥτις ἐστὶν ὁ Χριστὸς Continente, & aptante vnumquodque alteri, ad concordiam vno illo soloq; verè capite, nempe Iesu Christo.*

III. Papistæ concedunt antecedens: Est enim euidentius, quàm vt negari possit, absque desperatæ impudentiæ nota. Quid igitur? Consequentiam obstinatè negant: variis conquisitis distinctionibus. Alphonsus de Castro negat propterea corpus Ecclesiæ esse monstrum biceps: quoniam Petrus non sit caput æquale Christo; sed caput sub Christo. Christum enim esse primum & supremum caput: Petrum verò non esse caput primum totius corporis, quod est Ecclesia; sed Vicarium, hoc est, Christi loco subrogatum, & caput secundum post Christũ, hoc est, caput aliorum omnium à Christo. Ita constare non esse duo capita eiusdem corporis totalis: quoniam illius corporis totalis solus Christus sit caput: & membrum vnum sit Petrus, cæteris tamen præstantius: Corporis verò mystici, quod ex aliis hominibus à Christo coalescit, Petrũ esse caput: & ita nõ esse caput totius corporis integri: quoniam non sit caput respectu Christi, qui ad hanc Ecclesiam pertinet.

IV. Hactenus Alphonsus, obscurè, & perplexè: vt facilè appareat ipsum sibi vim fecisse, ac quasi

-n-

contra stimulos calcitrasse: adeo sudat, hæret, repe- tit. Nec aliter certè potest fieri: quoties veritati, & veritati manifestæ imbellum indicitur. Videtur autē dupliciter distinguere: primò, Caput, in primum & secundarium: deinde Corpus, in totum siue integrum, & mysticum, siue constans ex aliis hominibus a Christo. Nobis vtraque hæc distinctio seorsum consideranda, & prius hęc posterior, quæ Alphonso peculiaris est, non enim memini alibi legere: alteram verò plerique omnes amplectuntur, singulique illustrant; vt necesse sit nos in ea diutius hærere.

V. Corpus igitur Alphonso, aut totum est, aut mysticum: illud, quod non omnes tantùm comprehendit, qui membra sunt Christi; sed etiam ipsum Christum: hoc verò, illos tantùm, qui membra sunt Christi, seorsum tamen à Christo. Illius corporis solus Christus caput: huius verò, Petrus: sic paucis, vt potui, sensum explicaui Alphonsi, aliàs inuolutum. Enimuerò, inquam, venit apud Papistas in periculum Christus, ne sibi etiam videret caput impositum: ideóque gratiam debet subtilissimis Alphonsi cogitationibus, qui hac tam noua, tam subtili, tam abstrusa distinctione, tanto periculo Christum liberauit. Sed & Christo apud Papistas, satis deinceps honoris est, si ipse intactus relinquatur, neminique subiciatur: hócque in lucro libr pooere debet, dum suum sibi regnum ereptum videt, vel saltem aliis communicatum. Ita sapiunt Papistæ: ita sunt Christiani.

VI. Sed enim distinctio & noua est, & priuata. Noua, quia iam primum ab Alphonso excogitata: itaque non tantùm non ab initio Ecclesiæ, id est, à Christo, ab Apostolis, ab Apostolicis viris: sed ne quidem ab initio huius inductæ tyrannidis: verùm longè post eam confirmatam. Priuata, quia soli Alphonso placuit, nulli autem præterea. Vtrumque autem magnum signum mendacij. Nam in dogmatibus, & nouitas, & particularitas nunquam in Ecclesia bene olent.

VII. Secundò, est etiam inepta: Quia quoties Ecclesia comparatur corpori, non quodlibet corpus intelligitur, sed humanum: proinde non potest sine summa *ἀδικίᾳ* in illustranda, explicandáve comparatione discedi à natura corporis humani. Sani igitur viri considerant, non quid hic vel illè excogitare possit; sed quid corporis humani natura postulet. Quis autem distinxerit vnquam corpus humanum integrum, quod constet capite & membris reliquis: & corpus aliud quomodocunque nominatum, tàntùm ex reliquis membris, quæ suum habeant caput aliud ab illo primo? Hoc enim nunquam aut fuit, aut erit, aut ferri potest à natura. Itaque Leo, Sermone de Petro & Paulo non est ausus caput capiti subiicere: sed capiti oculos aptare, & hunc summum gradum iis assignat. *Quos*, inquit, *gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra prouexit, vt eos in corpore quasi geminum constituerit lumen oculorum.*

VIII. Tertiò, est contra mentem Scripturæ. Nam quoties nobis Ecclesiam corpus appellat Scriptura, eiusmodi corpus intelligit, quod componatur ex aliis hominibus à Christo, vt Alphonsi verbis vtar: hoc est, inter quos Christus non numeretur. Ad Romanos duodecimo, *Multi vnum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra. habentes diuersa dona pro gratia quæ nobis est data.* Nam & cum *sumus* dixit Apostolus, satis quos significet, indicauit; nempe mortales: & quum eos, qui corpus id componunt, habere diuersa dona asserit: quam Christus non diuersa habet, sed omnia. Tum non simpliciter, *multi vnum corpus sumus*: sed addit, *in Christo*: Ergo, inquam, alios omnes significauit, præter Christum: nam quæ ratio ferat ipsum comprehendi in iis qui sunt vnum in ipso? Ad Ephesios quarto, *Veritatem sectantes cum charitate, prorsus adolescamus in eum per omnia qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus pro mensura vniuscuiusque membri incrementum capit corpori conueniens.* Atqui Christus non capit incrementum; ergo non continetur in eo corpore, quod totum dicitur incrementum capere: & quidem pro mensura vniuscuiusque membri: quo significantur omnia membra, ex quibus id corpus componitur, incrementum capere; etsi non omnia æqualiter; sed singula pro sua mensura. Denique, absurdè dicas ipsum Christum capere incrementum ex Christo.

IX. Et in vniuersum, cùm, tum his, tum similibus locis, adeò sollicitè Christus distinguatur ab iis omnibus, qui sunt eius corpus, patet non comprehendi inter eos, tanquam membrum vnius eiusdémque corporis, quod eius esse dicitur: sed potiùs corpus dici reliquorum omnium, qui ei per fidem vniuntur. Vnde Augustinus de Agone Christiano, capite vicesimo, *Si Ecclesiæ caput est homo ille, cuius susceptione Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, membra cætera sunt omnes sancti, quibus perficitur & completur Ecclesia.*

X. Quartò, dico ridiculè distingui Christi corpus in totum, & mysticum. Primò, quia non potest corpus dici id, quod non est totum: nam ipsa corporis natura est, vt totum aliquid significet: vt hic, compositum ex omnibus suis membris: quare, non potest sano iudicio opponi corpus mysticum toti corpori: quia ipsum mysticum, aut est totum, aut non est corpus. Secundò, quia Ecclesia nullo modo dici potest corpus Christi, nisi mysticum: Duplex enim est tantùm corpus Christi: videlicet naturale, quod sumpsit è Maria Virgine, per quod verus est homo, nobis *ὁμοούσιος*: & mysticum, quod est per gratiam adoptatis membris. Propterea rursus non sana mente opponitur corpus totum corpori mystico: quia ipsum totum oportet esse mysticum (constat enim non esse naturale) aut non esse corpus Christi. Denique etsi humani corporis nomine soleat plerunque comprehendi tota illa hominis pars exterior, quæ constat ex variis membris, inter quæ caput etiam nominatur: vt prioris ad Corinthios decimo tertio, *Si tradidero corpus meum.* & decimo quinto capite, *Seminatur corpus animale: resurgit corpus spirituale*: & alibi: tamen, tum nunquam solet opponi capiti: sed tantùm animæ: sic dicitur homo corpore & anima constare: Prioris ad Thessalonicenses quinto, *& anima, & corpus inculpatè seruentur*, Matthæi decimo, *Ne timete ab iis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potius eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.* Itaque, cùm opponitur caput corpori, alia iam corporis notio est: vt consideretur separatim caput ipsum per se: & corpus, hoc est, reliqua membra, excepto capite, quæ conficiant aliquod *ὅλον*, cui corporis nomen tribuatur: quod in mortuo corpore, trunci nomine significari solet apud Latinos. Lucanus, *trunce ceruix abscissa recessit*: & ; *æquore truncus conspi-*

tinr. Sed indignum tunci nomine, hoc de quo loquimur corpus: quia viuū vigētque. Iam Ecclesia Christi corpus cū appellatur, non ea significatio est, vt cùm sua corpora dicuntur animæ receptrura; hoc est, cùm corpus & anima ἀντιδιαιροῦνται: sed illa altera. cùm caput & corpus: rumurum relatè, vt caput se corporis caput, & corpus capitis corpus: atque hæc quidem de priori distinctione.

X I. Venio ad alteram, quam priori miserè, siue deserta, siue repudiata, alij ruentur. Distinguunt igitur caput, in primum & secundarium. Et primum solū esse Christū liberotet conceduot: secundarium verò aliud esse contendunt. Et primò negat Alphousus, hac posita distinctione, duo constitui capita eiusdem corporis toralis. Quàm ineptè! Nam primò perstandum erat in analogia corporis humani, cui diximus Ecclesiam comparari, noo Cerasti cuidam, non Amphisbenæ. Nondum autem cuiquam visum aut auditum corpus bene constitutum, formatúmque, corpus non monstrosum, capere duo capita, vnum primarium, alterum secundarium. Nou satisfit igitur argumento: fuerat enim negatum, vnum corpus habere duo capita: hæc autem distinctio respondet, duo quidem induci capita, sed non eodem gradu, aut eiusdem generis. Secundò, quid hoc est. *Non facimus duo capita eiusdem corporis totalis?* Quid, inquam, idem corpus? Súntne non eiusdem corporis capita Christus & Oecumenicus? Ergo, vel non erunt ambo Ecclesiæ capita, vel duplex erit Ecclesia; altera Christi, altera Pontificis. Quid insuper, *idem corpus totale?* An vt Pontifex caput sit partis alicuius è toto corpore? Atqui oon vitatur absurditas: perinde enim monstrosum, vuum corpus habere duo capita totum: & eiusdem corporis varias partes sua habere varia capita: aut totius quidem vnum esse caput; sic tamen vt nonnullæ partes suum habeant præterea. Tertiò, nugatur, asserens hac posita distinctione, non coostitui duo capita. Nam abutitur distinctionis nomine: quæ proptiè significare solet obseruationem variorum (vt loquuntur) respectuum eiusdem rei: vt cùm Christum vnicum distinguimus in Deum & hominem, non propterea duos Christos facimus, quorum alter Deus sit, alter homo; quæ erat Nestorij insania, personas diuidentis. Sic cùm Paulus hominem alium interuum nominat, alium externum: Sic alia multa. At hic nulla huiusmodi distinctio est, sed vera diuisio, siue distributio in species ἀντιδιῃρημένας, quarum alia non sit alia. Neque enim Christus idem est Oecumenicus. Itaque vtrique suam habet diuersam non definitionem tantùm, sed etiam ὑπόστασιν. Quomodo ergo, cùm animal dicimus esse rationale, & brutum, ipsa constituimus plura animalia, & oon vnicum: sic aduersarij, cùm caput primum dicunt & secundarium; necessariò non vnum, sed plura capita inducunt.

XII. Bellarminus non negat plura constitui capita, vt Alphonsus, sed secundarium caput, primò esse necessarium disputat; secundò etiam illustrare Christi gloriam. Necessitatem sic probat. Quanquam caput Ecclesiæ totius est Christus, tamen, quia abest à militante Ecclesia, secundùm visibilem præsentiam, exigitur necessariò aliquis vnus Christi loco, qui eam in vnitate contineat. Verba sunt Bellarmini: quæ vt vera sint, necessariò supponendum est; Quicquid Ecclesiam in vnitate continet, id esse visibiliter præsens.

X I I I. Respondeo, hoc suppositum axioma, esse insigniter & manifestò falsum. Alioqui Iesus Christus non contineret Ecclesiam in vnitate, cùm sit absens visibili præsentia. At contrà Scriptura hanc Ecclesiæ vnitatem nusquam quærit, nisi in Christo. Ioannis decimo septimo, *Vt & ipsi in nobis sint vuum.* Ad Romanos decimo, *Multi vnum corpus sumus in Christo.* Ad Galatas tertio, *Omnes vos vnus estis in Christo.* Et ratio est satis facilis: quia hæc vnitas est spiritualis. Ad Ephesios quarto, *Studētes seruare vnitatem Spiritus.* Prioris ad Corinthios capite duodecimo, *Sicut corpus vnum est, & membra habet multa: omnia verò membra corporis vnius multa cùm sint, vnum sunt corpus, ita & Christus. Etenim per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi: & omnes vna potione potati sumus in vnum Spiritum.* Ad Philippenses primo, *Tantum vt dignum est Euangelio Christi versemini, vt siue venero, & videro vos, siue absens fuero, audiam de rebus vestris, vos perseuerare in vno Spiritu, vno pariter animo decertantes per fidem Euangelij.* Quæ cùm ita sint, non tantùm sufficit inuisibilis Christi præsentia, secundum quam pollicitus est se adfuturum Ecclesiæ vsque ad finem seculi, ad eam vnitatem conseruandam: sed etiam ea sola præsentia id potest. Neque ipsi aduersarij aliàs contradicunt. Nam cùm hęc vnitas fundetur in fidei veritate, facilè vident omnes id quo Ecclesia continetur in veritate, esse caussam eius vnitatis. At omnes Papistę Ecclesiam contineri in veritate, non aliunde ostendunt, quàm ab hac præsentia Christi inuisibili. Nam Ecclesiam errare non posse inde probant, quia Christus se ei adfuturum pollicitus sit.

X I V. Ad hęc, non contra rationem tantùm, sed & contra stultorum magistram experientiam, aduersarij disputant: quę docuit nihil magis nocere huic vnitati Ecclesiæ, quàm hoc secundarium caput, quod sibi imponunt, hęretutes præsentiæ visibili, non secus ac Israelitæ postulabant deos qui sibi præirent. Nam ea vnitas consideratur vel membrorum inter se, vel totius corporis cum capite. Illam quoties, quæso, violauit Oecumenici Pontificis insolens & importuna ambitio? Mitto schismata toties repetita; non aliter antinducta, aut deducta, quàm solent in regno bella geri inter eos, qui de Monarchia contendunt. Certè Græci, continuati schismatis caussam eius asserunt, quòd Episcopus Romanus nolit subdi Oecumenico Concilio. Alteram, quę corporis est cum capite, facilè dissolui ab hoc secundario capite clamabat Gregorius Epistola trigesima secunda libri tertij. *Vniuersa Ecclesia à statu suo corruit, quando is, qui appellatur vniuersalis, cadit.* Atque hanc prophetiam luculenter effecta comprobant, cùm Ecclesia Romana, quà blanditiis, quà tyrannide Romani Episcopi, in Apostasiam lapsa sit vniuersalem.

X V. Non est ergo necessarium caput secundarium. Iam non esse Christo iniuriosum: quin potiùs inde gloriam eius augeri, demceps probant Bellarminus, Sanderus, Spondanus. Bellarminus: quia non fiat Regi iniuria, si dicatur Prorex esse caput regni sub Rege: quin eius augetur potius gloria: omnes enim

nim qui id audiunt, mox cogitant regem esse caput nobiliori modo. Et addit in Scriptura, Christum, qui de se, *Ego sum lux mundi*, Ioannis octauo; de Apostolis etiam dicere, Matthæi quinto, *Vos estis lux mundi*. Et Apostolum, qui, *fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus*, prioris ad Corinthios capite tertio: secundo ad Ephesios scribere, *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*. Rursus Christum esse, *Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum*, prioris Petri secundo: Et, *Apostolum confessionis nostræ*, tertio ad Hebræos: Et, *virum Prophetam*, Lucæ vltimo. Et, *Doctorem iustitiæ*. Ioel secundo. Et tamen nullam ei factam à Paulo iniuriam, cùm dixit, quarto ad Ephesios, in Ecclesia esse Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores. Denique Dei ipsum nomen non semel in Scripturis, hominibus tribui, Psalmo octogesimo secundo, *Ego dixi, dij estis*. Cur ergo iniuria erit Christo capiti Ecclesiæ, si alius quidam sub ipso dicatur etiam caput?

XVI. Respondeo ad illud de Rege, & Prorege: primò, nouam esse, & nunc primùm natam loquendi rationem, vt dicatur prorex, caput regni sub rege, quam nulla vnquam natio vsurpauit. Exempla autem facta ad placitum nihil, aut probare, aut illustrare. Deinde non seruari comparationis analogiam: quod enim caput est in corpore, hoc rex est in regno. Ideò quemadmodum dicitur nulla Christo fieri iniuria, si sub eo capite, asseratur esse aliquod aliud caput: sic Bellarmino dicendum fuit, regi nullam fieri iniuriam, si sub eo alius esse dicatur eiusdem dicionis Rex. Sed hoc, quoniam nemo sanus libenter auditurus erat, ideò commutatis nominibus inuidiam Bellarminus vitare voluit. Tertiò, nullam fieri regi iniuriam, cùm sub eo agnoscitur aliquis prorex: sed tum solùm, quum eum proregem ipse constituit. At contrà, si præter eius voluntatem, aut ipse se se proregem ingerat, aut eum populi sibi ipsi præficiant, tum id violatæ maiestatis crimen est. Quare, ne Christo quidem honor vllus tribuitur, si qui se Christianos profitentur præter eius verbum, secundarium sibi caput adsciscant.

XVII. Ad illa exempla, quæ de Christo & hominibus dicuntur, respondeo, non negari ea esse non pauca, atque adeò plura quàm Bellarminus enumerarit: non sequi tamen, vt quæcunque de Christo, eadem de hominibus dici possint. Iam verò, quæ sic de Deo dicuntur, & Christo, vt hominibus tribui non possint, ea si quis suo fretus iudicio his tribuat, iniuriam facere Deo & Christo. Vt si quis Adamum dicat Creatorem: & Mosen, Omnipotentem: & Paulum, Mediatorem: & Petrum, Redemptorem. Huius autem secundi generis, id esse, de quo nunc contendimus, vel hoc vno argumento probamus, quod Scriptura, quæ alia multa solet de Deo sic dicere, vt non dedignetur tamen hominibus communicare: hoc tamen soli Christo reseruauit integrum, nec de vllo vnquam homine loquuta vsurpauit. Nobis verò in rebus tanti momenti extra Scripturam, multò magis contra Scripturam, sapere, religio est. Similiter in rebus humanis, etsi multa dicantur de rege, quæ eius subditis tribui facilè possint, & soleant, exempli gratia, nobilis, potens, fortis, diues, dominus, & huiusmodi plurima: qui tamen quenquam regem appellet, & salutet ex subditis, eum rex ipse non facilè toleret, imò verò reum damnet maiestatis.

XVIII. Sed exempla tamen distribuo in duos ordines. Nam Pastoris, Episcopi, Apostoli, Prophetæ nomina, nunquam vnicum quid significarunt: sed & Pastores, & Episcopos, & Apostolos, & Prophetas multos semper in Ecclesia fuisse perspicuum est. Et quidem primo, proprioq; vsu, homines significant: adeò, vt nō hominibus communicata sint Christi nomina, sed potius Christo hominum. Nemo autem nescit, nulli inferiori iniuriã fieri, cùm se in eius ordinem quasi demittit præstantior: sed præstantiori tantùm, cùm in eius gradum inferior ascendit. At caput Ecclesiæ, tum, ipsa dictante analogia metaphoræ, vnicum significat: tum de Christo primò & propriè dicitur. Itaque exempla aliena sunt, & nihil concludunt.

XIX. Lux autem & fundamentum, & Deus, reliquis non annumerantur rectè. Nam, vt de luce prius dicam: cùm Christus lux dicitur, & Apostoli item, non est vtrumque eodem sensu intelligendum, teste Ioanne, qui, cùm de Baptista loquitur, *Non erat*, inquit, *lux ipse*. Sed de Christo, *Ille erat lux illa vera, quæ illuminat hominem omnē venientem in hunc mundum*. In quem locum Cyrillus, *Apertius modo verā lucem à creaturis, quæ lux non sunt, Euangelista disseparat. Illa enim naturā lux est, ista per gratiā: ista participāt, illa participatur: indigēt ista luce: illa indigētibus seipsā largitur*. Cyrillo Thomas cōsētit, etsi aliis verbis. Sed & Augustinus, *Quare additū est vera: Quia & homo illuminatus dicitur lux: sed vera lux est illa quæ illuminat*: Et cætera multa quæ addit in eundem sensum: vt sit certum Apostolos, imò verò vllum hominem, lucem non dici, nisi propterea quod illuminatus est à luce: hoc est, figuratè, siue ἀκύρως. Quum ergo prorsus alia ratione Christus & Apostoli lux dicantur, non satis rectè asseritur, idē dici de Christo & Apostolis: nisi fortè solum nomen intelligas; quod nihil ad hanc rem nostram: neque enim asserunt Papistæ, sic Christum, & suum Papam dici caput Ecclesiæ, vt solum nomen sit commune.

XX. De fundamento; Pauli illa verba, *Super fundamento Apostolorum, & Prophetarum*, respondeo dupliciter exponi solere. Paucos nonnullos, in quibus Chrysostomū, & post eum Oecumenium, ac Theophylactum: quibus consentire videtur Tertullianus contra Marcionem libro quarto, capite tricesimo nono, sic interpretari, quasi dictum sit, super Apostolos & Prophetas, qui sunt fundamētum. Quæ expositio etsi coactior sit, quàm solidior: tamen (vt eam non refellam) certum est Apostolos, & Prophetas, non posse dici fundamentū, nisi habita ratione ministerij, id est, quaten⁹ ministri fuerūt iaciendi fundamēti: vnde Iustinianus Iesuita significari dixit: Ephesiorū fidē vtriusq; Testamēti testimonio, & autoritate firmari: ac proinde μετωνυμικῶς: quo sensu Christus fundamētū non dicitur. Quare rursus peccatur homonymia: vt iterū sit falsum, fundamentū dici de Christo & Apostolis. Atq; hęc ratio est, cur Paul⁹ neget fundamētū vllum posse cōstitui præter Christum: nō enim respexit rei nomen, quod cōmunicatur Apostolis,

& Prophetis, sed rem nominis, quæ soli Christo competit.

X X I. Verùm magis propria expositio, & quam sequuntur plerique omnes, hæc est, vt voluerit Paulus fideles superstructos super doctrina Veteris & Noui Testamenti, quæ sit fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est, quod Apostoli & Prophetæ constituerunt: quod idem est, ac si ipsum Christum nominasset. Anselmus, *Idest, super fidem Christi, super quam primò fundati sunt Apostoli & Prophetæ: Christus enim fundamentum est totius diuini templi, vel diuinæ ciuitatis, quia ex eo, & ex eius fide, & gratia incheant omnia bona, & ipse totum spirituale portat ædificium.* Ante Anselmum Ambrosius, *Hoc est supra Nouum, & Vetus Testamentum collocati.* Sic Glossa interlinearis, & ordinaria, Lyranus, Thomas, Lombardus: denique Caietanus, & Ioannes Gagnæus, ne recensendis ipsis eorum verbis sim prolixior: Et Salmero hanc secundam verborum Pauli sententiam ponit. Hoc autem sensu importunè Bellarminus hunc locum transtulit in hanc disputationem.

X X I I. De Dei nomine, vix est, vt admoneam: Primùm, locum illum Psalmi significare, non reges, aut iudices appellari deos, siue id illis nomen communicari, sed tantùm ex florente illorum statu homines de iis sic iudicare, tanquam de diis, vt illud *Dixi*, non Dei sit, sed ipsius Psalmistæ, quod facile apparet ex totius contextus serie. At hic sensus, nihil ad nostram controuersiam. Deinde illud ipsum nomen Dei, hoc loco non pauci accipiunt, pro Angelis, vt aliàs aliquando. Tertiò etiam si nomen Dei vrgeatur, tamen non potest negari, vsurpatum καταχρηστικῶς, quod de Capitis nomine nunquam aduersarij concessuri sunt. Nam longè aliud est, Deum obiter nominari, aliud reuera esse.

X X I I I. Atque de Bellarmini argumento hactenus. Sanderus, vt solet nunquam non subtilia venari, sic hoc loco ea vidit, quæ præter eum nullus, capite secundo libri tertij, *Si gloria Christi est* (inquit) *caput Ecclesiæ suæ esse, quanto pluribus viis hæc gloria prædicatur, & in omnium notitiam perducitur, tanto maior gloria Christi in hac vita defertur. At si vnus constituatur in Ecclesia militante primus omnium, & sub Christo reliquorum caput, plures erunt viæ, quibus ea Christi gloria prædicabitur, quàm si negetur.*

X X I V. Respondeo: negari hoc assumptum. Reuera enim non sunt plures, sed pauciores viæ prædicandæ gloriæ Christi, quum vnus homo dicitur caput Ecclesiæ: quàm cùm negatur. Ratio gemina. Prima, quia ipso capitis nomine alteri tributo, non potest gloria Christi prædicari, si res ipsa, quæ eo significatur nomine, vni alicui creaturæ tribuatur. Nam id omnino derogat gloriæ Christi, quæ non est communicanda cum aliis: vt enim Deus, quia solus omnia potest, solus appellatur Omnipotens: sic Christus Caput Ecclesiæ. Rem autem ipsam aliis communicatam derogare gloriæ Christi, paulò antè docuit Gregorius.

X X V. Secunda ratio: Quia omnium Episcoporum honor eò tendit, vt Christi gloria prædicetur: nam quoties eos appellamus ποιμένας, toties ille cogitatur ἀρχιποιμήν. Ergo quo magis singulis Episcopis suus constabit honos, eo plures erunt viæ prædicandæ gloriæ Christi: & quo magis illorum honori detrahetur, eo pauciores. Atqui hoc Capitis, siue Oecumenici Pontificis nomine, suus omnibus Episcopis honor derogatur, prout hoc eodem libro probabit Gregorius pluribus locis. Eo igitur pauciores esse vias prædicandæ huius gloriæ Christi necesse est, quo pluribus obstructis, vna tantùm relinquitur: si tamen hæc ipsa relinquitur.

X X V I. Sed instat Sanderus: Si, quia Christus totius militantis Ecclesiæ caput est, alius sub Christo eiusdem Ecclesiæ caput esse non potest: profectò neque particularis Ecclesiæ vllus quisquam sub Christo caput futurus esset. Christus enim, vt totius militantis Ecclesiæ, sic singularum diœcesium, & parœciarum caput est.

X X V I I. Respondeo, olim hoc Capitis nomen tributum fuisse Pastoribus. Sic enim Ambrosium, in duodecimum prioris ad Corinthios, vocare Apostolos caput in Ecclesia: & Gregorium agnoscere Petrum, Iacobum, & Ioannem singularum plebium capita. Et tamen ab iisdem nullum vnquam caput Oecumenicum fuisse agnitum: imò à Gregorio detestatum. Hi ergo, si cum Sandero disputarent, negarent consequentiam. Quemadmodum in Regnis, etiamsi per singulas prouincias, suos constituat sibi rex proreges: tamen non sequitur, vt vnum in vniuersis constituat: quin potius is regum mos est, vt sibi in vniuersas prouincias imperium solis reseruent. Sed nos totum argumentum prolixè concedimus: asserimusque eo ipso quod Christus sit caput vniuersale omnium Ecclesiarum, nulla esse capita particularia singularum diœceseon, aut parœciarum. Itaque nunquam Scripturam id nominis cuiquam tribuere, præter Christum. Tribuerint sanè Patres: sed καταχρηστικῶς. At nobis consultius, cum Scriptura, & sapere, & loqui.

X X V I I I. Superest sophisma Henrici Spondani, hominis nulla alia re noti, quàm infami apostasia, vt habeat etiam hodie sequaces suos Herostratus. Sed hoc monstrorum feracissimo seculo, nihil est in hoc religionis negotio tam exiguum, quod facilè sit contemnendum. Is igitur ex his Apostoli verbis ad Ephesios capite quarto, *Adolescamus in eum per omnia, qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus congruenter coagmentatum incrementum capit*: ex his, inquam, verbis sic argutatur: Paulus, cùm Christum vocat caput, sub eo ponit totum corpus. Totum autem esse non potest, nisi habeat caput proprium. Cùm ergo Ecclesia præter Caput Iesum Christum, non tantùm sit corpus, sed etiam corpus integrum, militans, & peregrinans in hoc mundo; debet etiam habere caput eiusdem naturæ sibi proprium, & quod sit eius corporis membrum reliquis analogum.

X X I X. Respondeo, vt iam antea ad Alphonsum de Castro, in hac oppositione Capitis & Corporis, hoc posteriore intelligi in humano corpore, μόνως omnia membra, quæ compacta vnum aliquod totum conficiant, quod capiti opponatur

tur. Itaque totum corpus non significare aliud vnum corpus humanum integrum, constans ex membris, & alio capite: sed eiusmodi corpus, in quo nullum desideretur ex iis membris, quæ præter caput humanum corpus constituunt. Itaque consentiunt interpretes Paulum vti similitudine, ducta ab humano corpore, cuius hæc natura est, vt à capite in membra inferiora spiritus vitalis deriuetur. Vide Chrysostomum, & Theodoretum, & Theophylactum. Iustiniani autem verba sunt, *Ait Apostolus, quemadmodum caput, omnibus corporis membris vi cerebri, vnde omnis sentiendi facultas pendet, omnium sensuum actiones suppeditat: non aliter Christum Dominum, qui est Ecclesiæ caput, cùm dona Spiritus Sancti impertit, tum membra corporis in vnam iuncturam, atque compagem connectere.* Nec aliter Salmero. Itaque æquè potest dici, totum corpus humanum incrementum capere à capite. Quo audito, si quis imaginetur aliquod corpus totum, sic oppositum capiti, vt Spondanus finxit, quis ferat? Itaque Theophylactus, *totum corpus* explicauit his verbis, *Omnia membra, quæ à capite sensum accipiunt:* vt sit, eo iudice, apud Apostolum, totum corpus, nihil aliud quàm omnia membra infra caput.

XXX. Quòd verò dixit Spondanus Ecclesiam esse totum corpus militans, & peregrinans in terris, nimis arctè dixit, Ambrosio iudice, qui, *Quæ ratione* inquit, *Christum caput esse omnium dixerit, docet. Ex ipso enim, inquit, omne corpus, id est, omnis chorus Angelorum, & potentiarum, principum & potestatum subsistit. Quamuis enim singula hæc numeros proprios habeant, & sint legiones, vt ipse Dominus dixit, quia ab vno tamen, per vnum sunt simul omnia vnum corpus appellat.* Chrysostomus similiter, homilia decima ad Ephesios, *τί δέ ἐστιν ἓν σῶμα; οἱ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης πιστοί, καὶ ὄντες, καὶ γενόμενοι, καὶ ἐσόμενοι. πάλιν καὶ οἱ πρὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας εὐαρεστήσαντες ἓν σῶμά εἰσιν. Quid est vnum corpus? Qui vbique terrarum fideles, sunt, fuerunt, aut erunt: Quin etiam ij, qui ante Christi aduentum placuerunt, vnum corpus sunt.* Ergo, cùm hoc nomine corporis nonnunc intelligantur omnia membra, quæ à Christo virtutem spiritualem accipiunt, ea autem non soli sint fideles in Ecclesia militante, sed etiam Angeli, & fideles qui sunt in triumphante, non rectè Spondanus hunc locum restringit ad solam militantem. Iam si totum illud corpus, vtramque comprehendat partem, & quæ in cœlis regnat, & quæ in terris peregrinatur, aut fateatur Spondanus se sophisticè agere, nec significari iis verbis vnum corpus, quod habeat alterum caput: aut ostendat Ecclesiam triumphantem, cum militante, atque adeò cum Angelis, eiusmodi esse totum corpus, quod præter Christum, vnum habeat caput: hoc est, Oecumenicum suum Pontificem, caput esse æquè Sanctorum, qui in cœlis sunt.

XXXI. Quòd verò idem obiter dixit de capite cæteris membris analogo, nouum est argumentum, fusiùs explicatum à Panigarolla lectione sexta. Cùm Ecclesia sit corpus visibile, ea esset monstrosa, si nullum aliud caput haberet, quàm inuisibile. Sed respondeo, monstrum id dici, quod est contra rei naturam. Si autem sit contra corporis visibilis naturam, vt habeat caput inuisibile: multò magis est, vt habeat vnum inuisibile alterum visibile. Nam duo quidem capita, nonnunquam profert natura: sed vtrumque visibile. Quare sic potius fuisset Panigarollæ argumentandum: Omne corpus visibile, quod habet caput inuisibile, est monstrosum. At Ecclesia non est monstrosa, & est corpus visibile: Ergo non habet caput inuisibile. Christus autem inuisibilis existit. Ergo Christus non est caput Ecclesiæ. Quæ conclusio, cùm sit blasphemiæ plena, ergo falsum est alterutrum, vel corporis visibilis non esse caput inuisibile: vel certè esse Ecclesiam corpus visibile. Quorum vtrum verius sit, non est necesse nunc inquirere: cùm sufficiat ab vtroque euerti Panigarollæ argumentum. Sed tamen Ecclesiam potiùs esse inuisibilem suo loco disputaturi sumus, Deo dante. Nunc tantùm, *ἐκκλησία οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἀλλ' ὁ διὰ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν οἰκοδομηθεὶς οἶκος: Ecclesia nihil aliud est, quàm domus per nostras animas ædificata.* Verba Chrysostomi homilia decima ad Ephesios.

XXXII. Deinde Christum non esse suis membris proportionatum, siue analogum, nemo vnquam sanus dixerit. Nam si est eiusdem naturæ, non potest non esse analogus. At illud verum, teste Apostolo ad Hebræos secundo capite, *Quoniam pueri participes sunt carnis, & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem.* Et deinde, *Debuit per omnia fratribus similis fieri.* Denique, quis nescit nos fieri Christo *σύσσωμοι*? Nihil igitur obstat, quominus Christum agnoscamus pro capite totius Ecclesiæ: nec quicquam vrget, vt alium quæramus.

CAPVT II.

Ecclesiam esse corpus Christi.

I. SI aliquod esset Ecclesiæ caput præter Christum: Ergo Ecclesia diceretur alterius corpus, quàm Christi. At consequens falsum, & absurdum: ergo & antecedens. Consequentia patet, ex perpetua relatione capitis & corporis: est enim *κεφαλὴ τοῦ κεφαλωτοῦ κεφαλή*. Vnde fit, vt non tantùm caput sit, dicaturque sui corporis caput: sed etiam corpus sui corpus capitis: quomodo non tantùm pater sui filij pater, sed etiam filius sui patris filius: rex sui regni rex: & regnum sui regis regnum. Sic in Scriptura non solùm Christus dicitur Ecclesiæ caput, sed etiam Ecclesia Christi corpus. Ad Ephesios capite primo, *Omnia subiecit eius pedibus, eúmque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.* Ad Colossenses capite primo, *Estque caput corporis Ecclesiæ.* A qua analogia, id denique sequitur, vt si aliquis, puta Gregorius, sit Ecclesiæ caput, ipsa etiam Ecclesia, sit Gregorij corpus. At hoc vel auditu fœdum, quis non detestetur Christianus?

II. Bellarminus soluit dupliciter, capite nono libri primi de Pontifice. Prior solutio. Causam, cur nusquam Ecclesia dicatur corpus Petri, aut Papæ, semper autem Christi, hanc esse quòd solus Christus sit caput principale, & perpetuum totius Ecclesiæ. Vt enim regnum non dicitur esse proregis, sed regis, & domus non est œconomi, sed

domini: sic Ecclesiam non esse corpus Petri, aut Papæ, qui solùm ad tempus, & alterius loco, eam gubernat.

III. Sed hæc frustrà. Nam primùm, commentitia est distinctio capitis principalis, & non principalis: perpetui, & non perpetui: & contra naturam, à qua non debet similitudo discedere, alioqui non futura similitudo. Repeto enim, Scripturam hanc metaphoram desumere à corpore humano: itaque in ea explicanda omnino insistendum in natura humana: non pro arbitrio fingendum quicquam. Id habent autem similitudines, vt sint reciprocę: si enim hac parte similis est Ecclesia corpori humano: & corpus humanum necesse est simile esse Ecclesiæ. Quare, si Ecclesia admittit caput vnum principale, alterum non principale: item vnum perpetuum, alterum non perpetuum: necesse erit in humano corpore idem fieri. At hoc non fit: Ergo neque illud.

IV. Secundò, distinctio est inutilis: quia nō obstat principalis, & non principalis differētia, quominus in suo cuiusque rei genere agnoscatur relationis reciprocatio. Proreges, etsi in suis prouinciis non sint principales, sed subalterni, habent tamen hanc relationem, vt dicantur suarum prouinciarum proreges: & vicissim prouinciæ, suorum proregum prouinciæ. Multò iam minùs temporalitas obstat. Nam, etsi reges singuli non sint perpetui, sed ad tempus, id est, quandiu eis vita suppetit: tamen non propterea, non dicebatur Alexander rex Macedoniæ, & Macedonia regnum Alexandri.

V. Tertiò, quod Rex est in regno, dominus in domo, id caput est in corpore: & vicissim, quod regnum regi, domus domino, hoc corpus capiti. Propterea, quemadmodum non tantùm regnum non dicitur proregis regnum, nec domus œconomi domus, sed nec prorex eius regni rex, aut œconomus eius domus dominus: sic, non tantùm Ecclesia dici non debet Pontificis corpus: sed nec ipse Pontifex Ecclesiæ caput.

VI. Quartò, non vt regis esse potest aliquis prorex, aut domini aliquis œconomus: sic capitis Ecclesiæ aliud tanquam procaput: vt hoc verbum, in re tam noua, cùm bona venia liceat innouare. Etsi enim verum sit comparari Christum, & regi, & domino: tamē non in omnibus, & singulis circumstantiis. Atque adeò, vt ne egrediamur ab argumento proposito, vt doceat nos Scriptura non esse aliquem Christi aut proregem, aut œconomum: ideò idem qui aliàs, & Dominus, & Rex appellatur, etiam Caput dicitur: & quę Ecclesia, aliàs domus, & regnum, etiam corpus. Capiti autem in humano corpore, vnde similitudo sumitur, nullū substituitur secundarium caput. Quemadmodum igitur ex nominibus Regis, & Domini, colligimus Christi summam potestatem in Ecclesiam: sic ex capitis nomine concluditur, eandem potestatem Christum nulli communicare: etsi reges suam aliquando soleant impertiri proregibus: & domini œconomis.

VII. Secunda solutio: Cùm dicitur Ecclesia corpus Christi, vox illa *Christi*, potest commodè referri, non tam ad Christum, vt caput, quàm ad eūdem Christū, vt hypostasin eius corporis. Quemadmodum cùm dicimus, illic iacet corpus Petri, illic Pauli, non significamus Petrum, aut Paulum esse capita: sed personas, quarum illa sunt corpora. Christus enim non modò caput est Ecclesiæ: sed est ipse quasi magnum quoddam corpus, ex multis, & variis membris constans. Quod annotauit Augustinus libro primo de peccatorum meritis & remissione, capite tricesimo primo: inde Apostolus primæ ad Corinthios duodecimo, cùm ait, *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra, cùm sint multa, vnum est corpus*: non addit, ita & Christi corpus: sed, *ita & Christus*. Iam igitur corpus est Christi, non Petri, Ecclesia, quia Christus tanquam corporis huius hypostasis, omnia membra sustentat, & omnia in omnibus operatur, per oculum videt, per aures audit: quod certè, nec in Petrum, nec in alium hominem, conuenit.

VIII. Sed contrà. Primùm, solutio est inutilis: non enim infirmat argumentum propositum: quo asseritur absurdum esse, vt Ecclesia dicatur alterius corpus quàm Christi. Vt enim omnia concedamus, quæ nunc vult Bellarminus: conficietur dupliciter dici aliquid corpus alicuius: vel propter relationem ad caput, vel propter hypostasin. Nec negat Ecclesiam dici corpus, Christum caput, id est, Christum esse caput Ecclesiæ corporis: & Ecclesiam esse corpus Christi capitis. Quî enim posset, cùm diserti sint Scripturę loci, Patrumque formulæ? Nos verò dicimus, non tantùm propter hypostasin, Ecclesiā dici corpus Christi solius, quod sponte concedit Bellarminus: sed etiam propter relationem ad caput: quod ille cùm debuisset refellere, ne attigit quidem: deterritus, credo, rei difficultate.

IX. Deinde, Christum esse ipsam ipsius Ecclesiæ hypostasin, siue Christum esse tanquā aliquod magnum corpus ex multis, & variis membris constans, *καινοτομία* est, qua nullus vnquam vsus est ante hunc Iesuitam. Imò verò inepte, & falsò, sic dicitur. Nec sanè Augustinus ea verborū portenta vsurpauit: sed eius locum Bellarminus trūcauit citatum: imò ne citauit quidem, sed indicauit duntaxat. Habet autem ita, *Non dixit, ita & Christi, id est, corpus Christi, vel membra Christi: sed, ita & Christus, vnum Christum appellans caput, & corpus*. Quasi diceret, Apostolum appellasse Christum, qui est caput Ecclesiæ, & Ecclesiam, quæ est Christi caput, vnum Christum: quod inepte profectò dixisset, si Apostoli ea mens fuisset, vt diceret, ita & Ecclesia, quæ est ipse Christus.

X. Tertiò, falsum est igitur, dici vnquam Ecclesiam corpus Christi, qua significatione dicimus corpus Pauli, aut Petri. Nam cōtrà, Scriptura, dum sic loquitur, relationem spectat corporis & capitis, vt quilibet sanus videt, ex locis iam citatis. Quibus istos addo. Ad Ephesios quarto, *Adolescamus in eum per omnia, qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus congruenter coagmentatum incrementum capit*. Et quinto capite, *Vir est caput vxoris, & Christus est caput Ecclesiæ, & is est, qui salutem dat corpori*. Ad Colossenses secundo, *Neque obtinens caput, ex quo totum corpus, per commissuras augescit Dei augmento*. In quibus manifestè componuntur caput, & corpus. Quòd si sic diceret Paulus, Ecclesiam corpus Christi, sicut dicimus, Iacet corpus Petri: quemadmodum dici nequit, Petrus est eius corporis iacentis caput: sic neque Paulus dicere potuisset Christum esse caput corporis Ecclesiæ: quod cùm

contra

contrà toties faciat, quis non videt Bellarminum alucinari?

X I. Atque vt id sit illustrius, iubeo obseruari, vtraque phrasi Paulum esse vsum: tum ea, quæ hypostasin Bellarmino significat, tum ea, quæ nobis relationem: & quidem eodem verborum ambitu. Nam ad Colossenses, *Corporis Ecclesiæ*, non corporis, cuius caput sit Ecclesia, sed vt ad Ephesios, *Ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus*. Quæ Bellarminiana est hypostasis. Relationem verò nostram significat, capitis nomen oppositum corpori: & quidem capitis, quod sit Christus. Sunt autem longè diuersa corporis caput, & corporis hypostasis. Ergo, Ecclesia est hypostasis eius corporis: & eodem sensu dicitur Ecclesiæ corpus, quo Petri corpus. Sed nunquam sic Scriptura nominauit Corpus Christi, nisi cùm de eius organico corpore sermo erat. Matthæi vigesimo septimo, *Petiit corpus Iesu.* Ad Romanos capite septimo, *Mortificati estis legi, in corpore Christi.* Et si qui sunt loci similes. Sed quinto capite ad Ephesios nihil manifestius, *Vt vir est caput vxoris, ita Christus est caput Ecclesiæ.* Qua ratione igitur vxor est corpus viri, sic Ecclesia corpus Christi. Quænam autem illa ratio? An hypostasis? Minimè verò, sed relatio. Quare firmum stat argumentum contra Iesuiticas argutationes, nullum, præter Christum, Ecclesiam corpus, aut esse, aut dici: proptereáque nullum, excepto Christo, esse caput Ecclesiæ.

CAP. III.

Quænam dominatio prohibeatur in Ecclesia.

I. SI in Ecclesia non debet esse dominatio: ergo, nullus est Oecumenicus Pontifex. At verum prius: ergo & posterius. Antecedens patet ex vigesimo secundo capite, secundùm Lucam. Cùm enim discipuli contendissent inter se de primatu, his verbis eorum Dominus ambitionem cohibuit, *Reges Gentium dominantur eis: & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non ita: sed qui maximus est inter vos, fit sicut qui minimus est, & qui princeps est, sicut qui ministrat.* Similiter Petrus Epistola prima, capite quinto, *Pascite gregem, qui penes vos est, curam illius agentes, non coactè, sed libenter, non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo: neque vt dominantes clero, sed vt qui sitis exemplaria gregis. Et cùm apparuerit princeps pastorum, reportabitis immarcessibilem coronam gloriæ.* Inde Paulus posterioris ad Corinthios primo, negat se dominari fidei eorum ad quos scribebat.

I I. Consequentia autem probatur, quia hic, de quo disputatur, primatus dominatio sit. Nam & Papam Dominum nostrum sui vocant. Et quidem, tum in Ecclesia, tum in Politia. Nam pronunciatur esse de necessitate salutis, vt omnes ei subsint. Quin ei maiestas tribuitur. Iouius libro vigesimo quinto, *Clementis viri regnantisque, & diu etiam regnaturi, Maiestatem impiè contemnerent.* Et rursus, *Quantum ad Pontificiam maiestatem pertineret.* Adde, Episcopos, Papæ ministros appellatos in Concilio delectorum Cardinalium. Adde eosdem factos eius domesticos. Inde apud Iouium libro vigesimo septimo, Vasionensis Antistes Pontificiæ familiæ dispensator. Quid plura? Costerus Apologiæ contra Gomarum primæ, capite secundo, per triplicem coronam significari docet, plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ: sicut in tribus Imperatoris coronis ferrea, argentea, aurea, potestatis secularis. Illa Ecclesiastica sunt. Hæc politica. Princeps appellatur. Iouius libro trigesimo quarto, *Paulus in administranda Republica illustri quodam in speciem diuersarum virtutum temperamento, ita Pontificis simul, & Principis nomen tuebatur, vt in omni consilio singularis pietas emineret, nec tamen obscura esset amplificandæ suorum potentiæ voluntas.* In Concilio Lateranensi, Balthasar del Rio, De Leone tunc Papa, *Cen Leo Rex quadrupedum, tu alter Leo hominum, non alter rex tantùm, sed regum Rex, & orbis terrarum Monarcha effectus.* Hæc, ex multis pauca.

I I I. Nunc, quid excipiant aduersarij, videamus: Sanderus libri sexti capite primo, consequentiam impugnare videtur; quia illa vnius Pastoris supra gregem reliquum præfectura, quam in Ecclesia militante esse defendunt, non propriè dicatur dominatus, aut dominandi potestas: sed primatus. Quia dominium sit propriè in seruos: Primatum autem etiam inter fratres inueniri nihil prohibeat.

I V. At nos sanè inter fratres non inficiamur esse aliquando primatum ordinis: Sed eum primatum Oecumenico Pontifici satisfacere negamus. Nemo enim primus tantùm ordine, adeò imperiosè suo primatu vsus est vnquam: & si effecta considerentur, verè dicat quispiam, Episcopum Romanum, omnes reliquos, non fratrum, sed seruorum loco habere. Sic enim ex ipsis Episcopis, alios sibi legatos facit, & apocrisiarios: alios secretarios: alios œconomos: & Imperatorem ipsum deuicit ad oscula pedum: ad aquam manibus lauandis fundendam: ad stapham tenendam. Quæ si sunt duntaxat primatus, non tantùm distincti, sed etiam separati à dominio, tum nobis infima summa sint: & nox in diem conuertatur.

V. Sed de Scripturæ locis allatis, maior contentio. Nam illum ex Luca sic inuertit Sanderus, vt ex eo primatum, vel vnico probaturum se confidat. Quater Apostolos contendisse fuimit: semel, post transfigurationem in monte. Marci nono, & Lucæ nono. Iterum, post petitionem filiorum Zebedæi, Matthæi vigesimo, Marci decimo. Tertiò, post staterem persolutum, Matthæi decimo octauo. Denique, post cœnam, Lucæ vigesimo secundo. Tribus primis locis, Christum à seculari & prophana dominandi cupiditate Apostolos deterruisse, humilésque esse iussisse: at postremo, non id tantùm, sed præterea quendam cæteris maiorem inter eos esse, palam dixisse, eique præscripsisse quemadmodum in illo primatus officio sese deberet gerere.

V I. At in eorum locorum distinctione, etsi non multum sit momenti: tamen Sanderus videri possit distrahere, discerpereque potius, quàm distinguere: atque ex duobus, quatuor efficere. Apparet enim bis tantùm contendisse Apostolos. Itaque singuli Euangelistæ non sæpius narrant. Matthæus capite decimo octauo, & vigesimo. Marcus nono, &

decimo. Lucas nono, & vigesimo secundo. Præterea eandem historiam recitari Matthæi decimo octauo: Marci nono: Lucæ nono, facilè coniicias, tum ex loco. nam Capernaum disertè Marcus nominat: & stateris solutio facta est eodem loci. Tum ex circumstātia pueruli adhibiti, & aliorum sermonum. Itaque Hieronymi Canon hos locos comparat: Itemque Euthymius. Rursus eandem historiam narrari, Matthæi vigesimo, Marci decimo, Lucę vigesimo secūdo: responsio Christi eadem arguit: etsi filios Zebedæi Lucas omittat, & in circumstantia temporis nonnihil variet à reliquis. Euthymius tamen Lucam seorsim ponit: ac sic triplicem historiam distinguit.

VII. Sed ea distinctio neutram partem, aut iuuat, aut lædit. Hoc diligentiùs considerandum, vtrum apud Lucam quicquam sit, quod vnius primatum significet, magis quàm in aliis locis. Nam id nos quidem negamus: Sanderus verò asserit: & sua habet argumenta, nunc examinanda sigillatim.

VIII. Primum Sanderi argumentum, ex his verbis, *Reges Gentium dominantur eis, vos autem non sic.* Qui enim dixit, non sic dominabimini, vtique non omnem dominādi modum, sed illum duntaxat prohibet, qui sit similis tyrannidi Gentium. Ex quo statim rectè colligas, aliquo saltem modo Apostolos præfuturos esse.

IX. Fallit acumen. Non enim dictum, *Non sic dominabimini:* sed tantùm, *Non sic:* quæ phrasis simplicem negationem significat. Quasi totidem syllabis legeremus, Vos autem minimè: siue mauis, *non dominabimini.* Primò, ita postulante contextu: Quia ostenditur dispar comparatio inter Apostolos, & Reges: itaque id quod de regibus affirmatur, de Apostolis negandum fuit. Cicero, *Certus dies, non vt sacrificij, sic consilij exspectari solet.* Resolue, seruato Scripturæ stylo. Sacrificij certus dies expectari solet, cōsilij autem non sic. Hîc igitur, quoniā Christus Reges affirmauerat dominari; id erat de Apostolis negandum: nec debent interpretes diuinare id, quod nusquam dictum. Alia ratio esset, si dixisset, Reges impiè, & iniustè dominantur: tum enim posset referri negatio ad impietatem, & iniustitiam.

X. Secundò, idipsum exigit vsus Scripturæ, apud quam οὐχ οὕτως Græcè, Hebraicè לא כן, simpliciter negat, id quod præcessit. Geneseos quarto, cùm vaceret Cain se occidendum, responsum Dei Septuaginta expresserunt per οὐχ οὕτως, *Non sic.* An vt innueret occidendum fore, tamen non eo modo, quo fratrem occidisset? Minimè verò. Basilius Epistola trecentesima decima septima, ἐλέγχει δὲ αὐτοῦ τὸ σφάλμα ὁ λόγος λέγων, οὐχ οὕτως. τοῦτ' ἔστιν, οὐκ ἀναιρεθήσῃ, *Errorem eius. Cain putantis se occisum iri, Verbum hoc reprehendit, inquiens, Non sic. hoc est, non interficiere.* Nehemias, capite quinto, cum dixisset alios duces populo graues fuisse, addit, ἐγὼ δὲ οὐκ ἐποίησα οὕτως, nónne, vt se prorsus negaret grauem fuisse? Psalmo primo, οὐχ οὕτως οἱ ἀσεβεῖς, οὐχ οὕτως, *Non sic impij, non sic.* Et Christi, Matthęi decimo nono, *Ab initio nō erat sic.* Velim mihi aliquis Sanderus asseueret, esse quidem ab initio repudij datum libellum, sed non eo modo, quo post Mosen. Quin etiam in reliquis illis locis, vbi concedit Sanderus, non constitutum fuisse vllum alium maiorem, Matthæi vigesimo, & Marci decimo, οὐχ οὕτως ἔσται ἐν ὑμῖν, *Non ita erit inter vos.*

XI. Tertio, non esset soluta Apostolorum quæstio. Contendebant enim inter se, quis futurus esset maximus, simpliciter, nullisque additis circunstantiis. At si simpliciter intelligitur negatio, tum nihil restat quærendum. Ad hæc, fatentur omnes Christum cohibere voluisse tantam ambitionem; at non cohibuisset, si concessisset futurum quidem aliquem maximum: sed non eo modo, quo reges in suis regnis. Nam etiam alij primatus ambitionem pascunt: quod qui nesciat, Romanos ipsos Pontifices inspicito, etiam tum cùm nondum essent Oecumenici.

XII. Quartò, demus Sandero, sic intelligendam negationem Christi, sed cum modificatione, vos non dominabimini, eo dominationis genere, quo reges Gentium: tamen abundè profligabitur Oecumenicus primatus. Nam, si solo nomine spiritualis, re vera non differt à seculari Principum dominio. Quanquam hic Sanderus importunè tyrannidem nominauit, quam Christus non designauit. Contrà potius, *Benefici,* inquit, *vocantur:* quod credo tyrannis vix accidit.

XIII. Secundum argumentum ducitur è verbis, *Qui maior est in vobis.* Nam obseruat Sanderus, primò Christum dixisse τὸν μείζονα, pro eo quem aliàs μέγαν: vnde concludit, aliis locis agi de regno cœlorum, in quo verè magnus sit qui humilitate sit præditus: hoc autem, de hoc mundo, vbi possit aliquis maior esse, qui tamen verè magnus non sit.

XIV. Sed leuis hæc est vocabulorum aucupatio. Est enim μέγας ἐν ὑμῖν, Hebraismus: pro Græcorum, Latinorumque superlatiuo, quo carent Orientales omnes linguæ. Erit igitur גדול בכם ad verbum μέγας ἐν ὑμῖν, *magnus in vobis,* propriè μέγιστος ὑμῶν, *maximus vestrûm.* Hunc Hebraismum, vt alios plurimos, retinuerunt Matthæus, & Marcus. At Lucas, inflexit paululum, & dixit μείζων ἐν ὑμῖν, eodem sensu. Non sumi autem μέγας, absolutè, sed comparatè apud Matthæum, & Marcum, indicio est, quod statim subnectunt, ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος, *Qui inter vos volet esse primus:* quæ omnino intelligi nequeunt, nisi per comparationem. Denique, qui Matthæi vigesimo, & Marci decimo, est μέγας, is Matthæi decimo octauo, est μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, *maior in regno cœlorum:* & vterque eodem modo redditus à Syro interprete. Illic quidem רבא בבון [illegible] רב במלכותא דשמיא. Hîc verò, רבא [illegible].

XV. Sed rursus obseruat, aliàs dixisse Christum, ὃς ἐὰν θέλῃ γενέσθαι μέγας, *qui volet fieri magnus,* nullo designato: hîc verò, ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, *maior in vobis.* Et ὁ ἡγούμενος, de certo quodam viro nominatim.

XVI. Ridiculè. Quid enim est in istis, quod certum aliquid designet? An articulus? Atqui is vtrique loco communis est: Et rursus exprimitur Lucæ nono, ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν, *Minimus in omnibus vobis:* nec tamen, opinor, significat vnum aliquem nominatim, qui tum esset reliquis minor: sed potius indefinitè, quicumque se ita demitteret. Et rursus in hoc ipso nostro loco, ὁ νεώτερος, καὶ ὁ διακονῶν, nullam personam denotant, sed quamlibet. An verò verbum est? Et sanè in eo vim facit. Sed frustrà: primò, quia Lucæ nono, ὁ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, *Qui est minimus in vobis,* idem ipsum verbum, nihil significat non indefinitum. Deinde, id verbum non est è contextu, sed ex interprete Latino. Lucas enim scripsit, ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, *maior in vobis,* nec præsenti, nec futuro tempore vsurpato. Notum est autem huius-

huiusmodi phrases apud Græcos vtrique tempori esse communes, interpretandasque pro locorum circumstantia.

XVII. Tertium argumentum à verbis, *fiat sicut minor*: Christus, inquit, eum, qui iam est maior ad humilitatem hortatur dicens, *fiat sicut minor*: hic igitur primatus tribuitur, siue sequatur humilitas, siue non sequatur.

XVIII. At supponitur falsum: non enim eum qui iam esset maior, Christus hortatur: sed eum, qui siue esset, siue futurus esset. Est enim præceptum vniuersale. Quale, *Oportet Episcopum irreprehensum esse*. Et similia, quæ perinde est, siue de præsentibus intelligantur, siue de futuris. Sed de præsentibus dici præcisè, nulla necessitas cogit. Itaque mens etiam Christi non ea est, quam Sanderus docet: sed hæc potius, cum primatum dari non posse, nisi præcedente humilitate: Imò potius in ipsa humilitate situm esse: vt quis se in Ecclesia Dei verè credat esse omnium maximum, qui se omnibus subiecerit. Itaque non tãtùm Euthymius, *Docet* (inquit) *quod si quis præpositus esset, non deberet dominari tanquam Dominus*. Sed etiam Lyranus: *Christus de hoc eos docuit, videlicet, quod ille esset ad hoc aptior, qui esset verè humilior, per contrarium ad terrenam dominationem*. Quinetiam Matthæi vigesimo, & Marci decimo, quibus negat Sanderus agi de hac Ecclesiastica dignitate, sed de ea quæ pertinet ad beatam vitam, similis vsurpatur loquutio, ἔστω ὑμῶν δοῦλος, *Esto seruus vester*. An, quia hæc cælestis dignitas tribuatur, siue sequatur, siue non sequatur humilitas? Imò Euthymius, *Dicit ergo: Potestatem in illos exercere Gentium est: ego verò legem vobis statuo parandi principatus, ministrando aliis, eisque seruiendo. Qui enim hoc facit, illum ego magnum ac primum declaro & hic apud me primatum habebit.*

XIX. Ergo-ne (inquit Sanderus argutulus) illi qui nusquam est Christus præcepta dat? Ridiculum, inquam. Quasi non possint præcepta dari in futurũ. Imò, quasi præcepta non soleant dari indefinitè, nulla designata persona certa. Quid igitur fiet Matthæi vigesimo & Marci decimo, vbi præceptiua est loquutio, etiamsi nullus certus designetur? *Qui voluerit inter vos esse maximus, sit vester minister*. Exclamémne cum Sandero: ergo-ne illi, qui nusquam est, à Christo data sunt præcepta? Rideant omnes: & merito: non sanum.

XX. Quartum argumentum: Postrema admonitione, Christus non absolutè iubet esse minorem, aut ministrum, aut seruum, vt in aliis: sed tantùm sicut minorem, aut ministrum, aut seruum, addita particula ὡς, quæ aliàs omittitur.

XXI. Futile [illegible]. Reipsa enim idem est, fiat seruus, & fiat sicut seruus: tantùm hic posteriorem figuratam loquutionem indicat sua nota. Non enim id voluit Christus, vt re vera se quisquam in seruitutem alteri tradat: sed humilitatem significauit, cuiusmodi esse debet in eo, qui seruus est.

XXII. Quintum argumentum: Christus hæc duo opposuit, μείζων & νεώτερος. Ergo cùm admonuisset primatum à se non instituendum similem illius, qui apud gentes exercetur, postea declarauit quemadmodum ille dominaretur, qui inter eos maior erat futurus, dicens, qui maior est in vobis, hoc est, qui ius primogenituræ adipiscitur, ita se gerat, ac si minor esset inter omnes fratres suos.

XXIII. Atqui hæc perpetua est intolerabilis peruersitas in peruertendo tam illustri loco. Primò, non negat Christus se primatum similem gentium primatui: sed omnino vllum constituturũ dominatum. Secundò, ostendere voluisse, quomodo is qui eo primatu ornatus esset, dominaretur, falsum. Et argumento esse potest, ipsum τὸν νεώτερον nomen. Nã si ad ætatem referas, omnino admonet omnem dominatum negari. Nam is qui inter fratres minimus est, non tantùm non quodam modo dominatur: sed etiam omnino non dominatur. Quemadmodum in aliis locis, ὁ μείζων opponitur τῷ διακονοῦντι. Quis autem dicat, ὁ διακονῶν *Ministrantem*, aliquo modo dominari? Itaque Syrus Interpres τὸν νεώτερον זעורא reddidit, id est, *paruum*. Euthymius, *Iuniorem dicit postremum*.

XXIV. Sextum argumentum; ab exemplo Christi, quod statim subijcitur, *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat*: quasi in hunc modum ratiocinaretur: Si ego, qui verè sum maximus & Dominus omnium, quique sum solus vniuersale caput totius Ecclesiæ ab initio mundi vsque ad finem, tamen adeo demissè humiliterque versor, vt ministrare potius quàm recumbere videar: quanto minus ei, qui maior est inter vos, molestum esse debet, vt instar ministri gerat se inter conseruos suos?

XXV. Sed Theophylactus multo melius sensum vidit, ἐπεὶ τοίνυν ἐγὼ ὁ ὑπὸ πάσης ἀγγελικῆς καὶ λογικῆς φύσεως προσκυνούμενος ἐν μέσῳ ὑμῶν διακονῶ, πῶς ὑμεῖς ἐν ἀξίᾳ ἐστὲ μεγαλοφρονεῖν, καὶ περὶ τῶν πρωτείων ἐρίζειν; *Cùm igitur ego, qui ab angelica & rationali natura adoror, in medio vestri ministro, quo pacto vos æquum est magnifice de vobis sentire, & primatum ambire?* Vnde cõstat, non vni cuipiam, & certo homini Christum, sed omnibus æquè Apostolis esse loquutum, omnésque nullo discrimine facto reprehendisse: deinde, non aut probare, aut instituere primatum aliquem vnius in reliquos, sed improbare τοὺς περὶ πρωτείων ἐρίζοντας. Præterea non aduertit Sanderus hoc ipso exemplo Christum esse vsum in ea, quam tertiam facit, admonitione, post petitionem filiorum Zebedæi: qua tamen ipse concedit neminem vnum designari maximum, sed omnes potius admoneri, ne aliis ambitiosè præesse desiderent. Quare huius exempli sensum esse oportet: Si ego, qui sum vniuersalis Ecclesiæ caput, ita me gero, ac si seruus essem: quanto magis vos abhorrere debetis à dominatione, quorum nullus id aut est, aut futurus est? Et verò Lucas Brugensis exponit in hunc modum, *Vult dicere, cùm videatis me facere id quod præcipio, vt qui dignitate inter vos sum maior & conditione dominus, habeam me tanquam minor & seruus sim, nosse debetis, hoc idem vobis præstandum esse si quando aliis præfecti fueritis.* Communi nimirum omnibus eruditione, etsi vel Papistarum confessione non essent omnes futuri Pontifices Oecumenici. Atqui si hæc verba sonarent Oecumenicum Pontificem, non potuissent omnibus esse communia.

XXVI. Atque hactenus quidem Sanderus. Sed Bellarminus hoc postremum ab exemplo Christi argumentum paulo aliter concipit, capite nono libri primi de Pontifice. Christus, inquit, exemplo suo rem declarauit, *Sicut ego non veni ministrari, sed ministrare. Et, ego in medio vestri sum sicut qui ministrat.* Et tamen idem de se dicit, Ioannis decimo tertio. *Vocatis me, magister, & Domine: & bene dicitis: sũ etenim.* Sicut ergo Christus non dominabatur, non præerat sicut reges Gentium, sed ministrabat, & laborabat: & tamen verè præerat, imò & Dominus erat: ita quoque vult vnum è suis præesse, sed absque libidine dominandi, qualis est in Regibus gentium.

XXVII. Respondeo, vim fieri verbis Christi. A Certum est quidem in Christo vtrumque fuisse, & ius dominij in Ecclesiam, & humilitatem tantam, vt demitteret se ad ministerium vsque. Sed hic, cùm disertè Apostolis pro exemplo alterum tantùm proponat, quis non videt noluisse Apostolos sibi ad imitandum proponere ius illud dominandi, sed tantùm humilitatem? Nec verò hoc loco duntaxat sic cauit: sed neq; vsquam aliter. Quare nouo prorsus modo concluditur, Christus voluit discipulos se imitari, cùm illis ministraret. At idem fuit etiā Dominus: Ergo, voluit discipulos admonere, aliquem ex iis dominaturum reliquis. Quis hoc ferat? Nam id sanè non ad vnum pertineret: sed ad omnes, *Discite à me, quòd mitis sim, & humilis corde.* Matthæi vndecimo. Voluit ergo discipulos suo exemplo mites esse & humiles. At idem erat etiā Dominus: Ergóne Iesuiticè dicimus, voluisse omnes suos discipulos mites quidem esse & humiles, sed tamen Dominos? Apage mōstrum! Hoc certum: sæpe se Christum pro exemplo proponere: & diuersis rationibus: quas si confundamus, vt singulis locis quicquid in eo fuerit, concludamus imitandum proponi, infinita absurda esse consequutura.

XXVIII. Atque hactenus de eo loco. Sequitur alter ex prima Petri: quo vetantur Presbyteri κατακυριεύειν τῶν κλήρων: & designabatur Christus τῷ ἀρχιποιμένος nomine, tam absolutè, vt facilè quilibet cognoscat id epitheto esse illi proprium. Hunc verò Hayns Disputationum libro primo, capite octauo, nodum sic soluit: Vocem κατακυριεύειν ratione præpositionis κατὰ, significare vsum tyrannidis, seu dominatus tyrannici: itaque Petrum vetare, Episcopos in clerum dominari, id est, tyrannidem exercere.

XXIX. Sed respondeo, sumi falsum. Nam τὸ κατακυριεύειν, vbique sumitur pro simplici κυριεύειν. His exemplis. Matthæi vigesimo, οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Marci decimo, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Vbi de Principibus gentium generaliter agitur, qui tamen non omnes tyrannidem exercent. Itaque vtramque sententiam Lucas vigesimo secundo capite sic expressit: οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν, simplici verbo vsus. Et Syrus Interpres vbique מרי הון אנון *domini illorum sunt.* Et Latinus *dominandi* verbo vtitur.

XXX. Præterea Septuaginta Interpretes verbum רדה frequenter sic exprimunt, quod *regnare*, non verò tyrannicè regnare significat. Psalmo quadragesimo nono: καὶ κατακυριεύσουσιν αὐτῶν οἱ εὐθεῖς: *Et dominabuntur eorum iusti.* Psalmo septuagesimo secundo, καὶ κατακυριεύσει ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης: *Et dominabitur à mari vsque ad mare.* Psalmo centesimo decimo, καὶ κατακυρίευε ἐν μέσῳ τῶν ἐχθρῶν σου, *Et dominare in medio inimicorum tuorum.* Sed & Geneseos primo, mandatum est Dei ad hominem, πληρώσατε τὴν γῆν καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς, *Replete terram, & dominamini ei.* Adde Psalmum centesimum nonum: Ieremiæ tertium: Numerorum vigesimum primum, & trigesimum secundum. His omnibus locis quis contendat tyrannidem intelligi? Ergo & Deum constituet autorem tyrannidis: & non tantùm τοὺς εὐθεῖς, sed etiam ipsum Christum tyrannum. Ita leuia sunt, quæcunque Sophistæ contra veritatem comminiscuntur.

Cap. IV.

Oecumenicum Pontificem non esse in Hierarchia Ecclesiastica.

I. Oecumenicus Pontifex, aut pertinet ad Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ fuit Apo- B stolorum tempore: aut non est à Christo institutus. Atqui non pertinet ad Hierarchiam Ecclesiasticam. Ergo, non est à Christo institutus. Prima propositio certa, quia Ecclesiasticam Hierarchiam, qualem Christus instituit, sine dubio vsurparunt Apostoli, illi Christi fidelissimi discipuli: qui testabantur se omnem viam salutis docuisse: neque quicquam reticuisse. Enimuerò, si eum Pontificem Christus instituisset, Apostoli autem non vsurpas- C sent, alterutrum necesse erat: vel nesciuisse Apostolos fuisse institutum: vel noluisse vsurpare, etiamsi esset institutus. At nesciuisse, alienum est à veritate: quis enim postea docuisset? Nam omnem veritatem Ecclesia habuit à Christo, per Apostolos. Noluisse autem, tantos viros arguerēt malæ fidei in populos commissos: & ἀθετήσεως, ob non expletum suum munus: denique læsæ Christi maiestatis à cuius institutis esset discessum. Quæ omnia si sunt absurda, necesse est disiunctionem Proposi- D tionis esse necessariam.

II. Assumptionem probamus: quia si Oecumenicus pertinuisset ab Hierarchiam Apostolicam, tum, quicumque eius enumerarunt varios gradus, illi Oecumenicum nominassent aliquo loco, mò verò summo. At hoc non factum. Nemo enim Apostolus, nemo etiam post Apostolos inuenitur, qui eius meminerit. Et habemus tamen Hierarchiæ nomenclationes. Primum Pauli ad Ephesios quarto, *Qui descendit, ipse est qui ascendit longè supra omnes cœlos, vt impleret omnia. Dedit igitur ipse alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem* E *Pastores, & Doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec eudamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei.* Hactenus Apostolus: in quo notandum, primo nullum gradum nominare, in quo non sint collegæ: singulos enim plurali numero significari: Apostolos videlicet, non vnicum Apostolum: sic Prophetas, sic Euangelistas, sic reliquos. Deinde, eos gra- F dus sufficere ad perficiendam Ecclesiam: Diserta verba, *Ad coagmentationem sanctorum, donec eudamus omnes in vnitatem fidei.* Dionysius ille quisquis est, qui Areopagitæ nomen inuasit, Epistola octaua. Αὐτὸς μὲν ὁ Θεὸς ... [illegible Greek] ... ἰδρύμενοι ... [illegible] ... *Tu ergo cupiditati, iracundia, rationi modum statue pro dignitate. Tibi verò diuini ministri: hi sacerdotes: Pontifices sacerdotibus: Pontificibus Apostoli, Apostolorúmque successores. Quòd si quis etiam in istis ab officio discedat, à sanctis, qui sunt eiusdem ordinis corrigetur: atque ita non insultabit ordo in ordinem: sed vnusquisque in suo ordine ac ministerio permanebit.* In quem locum Maximus. [illegible Greek]

...ὅλως, καὶ οἱ τούτων διάδοχοι· οὗτοι δὲ τοὺς τῶν ἀποστόλων διαδόχους ... τῶν ἐπιταγῶν ὁ ἐπίσκοπος: *Nota laude dignam Ecclesiasticam ordinationem, vt Monachos Diaconi, istos presbyteros, presbyteros Episcopi reprehendant: Episcopos verò Apostoli, horumque successores. Hos autem Apostolorum successores collegij reprehendendi ius est.* Et paulò pòst. Ἀποστόλων δὲ διαδόχους, τοὺς νῦν πατριάρχας ὀνομάζω, *Apostolorum verò successores puto, qui nunc Patriarchæ sunt.* Quanquam huic Dionysio non satis conuenire videtur cum Ignatio, qui Episcopos in summo gradu collocat, sub quo tantùm Presbyteros & Diaconos. Epistola ad Magnesios προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ: *Ita vt præsideant episcopi loco Dei: & presbyteri, loco consessus Apostolici: & Diaconi mihi suauissimi, quibus concreditum est ministerium Iesu Christi.*

III. Quinetiam longè post ea tempora, in enumerando clero Oecumenicus Pontifex nullo numero fuit. Nam Hieronymus contra Luciferianos, *Ecclesia multis gradibus consistens, ad extremum Diaconis, Presbyteris Episcopisque finitur.* Isidorus Etymologiarum libro septimo, capite decimo, cùm clericorum summum gradum Episcopis tribuit, tum, *Ordo*, inquit, *Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitis, atque Episcopis.* Paulo aliter, sed tamen in eundem finem, Rabanus Maurus de Institutione Clericorum, libro primo, capite quinto, *Ordo Episcoporum tripartitus est, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, qui & Metropolitani sunt, & in Episcopis.*

IV. Vnde nobis argumentum certissimum. Oecumenicus Pontifex, si est in Ecclesia, vel est in Laicis, vel in Clero: At neutrum. Ergo non est in Ecclesia. Non in Laicis, ipsis concedentibus aduersarijs. Nam Laici sunt ij qui nullam habent præsidendi auctoritatem. Non verò in Clericis. Nam aliàs esset in aliquo ordine. At hoc minimè. Ratio: Quia vel in Episcopis sunt, vel omnino non sunt. At non in Episcopis: qui neque Patriarcha est, neque Archiepiscopus, neque Metropolitanus, neque simplex Episcopus. Ratio, quia ij omnes gradus, & habent certos iurisdictionis limites: quibus Oecumenicus contineri se non patitur: & habent collegas: cùm Oecumenicus sit solitarius, tanquam Phœnix.

V. Bellarminus de Pauli loco respondet dupliciter. Primò, negat argumenti consequentia, hoc est, non propterea non pertinere Oecumenicum ad Hierarchiam Ecclesiæ, quia eum Paulus omisent. Ratio est, quia non delinearit eam Hierarchiam: sed tantùm enumerarit varia dona, quæ sunt in Ecclesia. Primùm enim posuit Apostolos, id est, eos qui primi à Deo missi sunt: secundò Prophetas, id est, qui futura prædicunt: tertiò Euangelistas, id est, eos qui Euangelia scripserunt: vltimò Pastores & Doctores: quo vno verbo significauit confusè totam Hierarchiam ministrorum Ecclesiæ. Et prioris ad Corinthios duodecimo, addidit genera linguarum, curationes, & alia, quæ non Ecclesiastica ministeria, sed Spiritus Sancti charismata sunt.

VI. Sed quis tergiuersantem non videt? Negari tamen non potest Paulũ enumerare varia Dei dona, quæ erant in Ecclesia: Paulo enim prius, *Vnicuique* (inquit) *nostrûm data est gratia pro mensura doni Christi.* Sed addendum vicissim, ea dona enumerari, quæ inseruiunt administrãdæ Ecclesiæ. Quod duobus argumentis conficitur: vno, quia nulla munisceũtur non eius generis nam Apostoli, Prophetæ, Euãgelistæ, Pastores, Doctores, omnes exercebant sua dona in regenda Ecclesia: altero, quia ea ipsa dona disertè Paulus collata asserit εἰς ἔργον διακονίας, *ad opus ministerij*: εἰς τὸ ἐν τούτῳ (inquit Oecumenius) διακονεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ οἰκοδομεῖν αὐτήν, *vt in eo ministrent Ecclesiæ, eámque ædificent.* Qui autem ministrant Ecclesiæ, ij omnes ad Ecclesiasticam Hierarchiam pertinent: vt vel ipso Ministrorum nomine ostenditur. Nec verò rectè huic loco comparatur ille alter ex prima ad Corinthios. Est enim dissimilis, eo quòd Spiritus enumeret charismata, etiam quæ latius patent quàm τὸ ἔργον τῆς διακονίας: adeo vt eis ornarentur etiam qui inter laicos, siue potius, vt loquebantur Apostoli, inter idiotas consistebant.

VII. Porrò hoc insuper certum, enumeratos esse eos ministerij gradus, non solùm qui sunt in perpetuo Ecclesiæ vsu: sed etiam quos pro tempore duntaxat illo Christus instituisset, Apostolos, & Prophetas. Etiam Euangelistas: si tamen Euangelistas sumis eo sensu, quem Bellarminus protulit ex nonnullis Patribus: quod tamen non est adeo necesse, vt alij docuerunt: atque ij non postremi aut tempore, aut etiam eruditione: verùm id ad rem nostram aut parum, aut etiam nihil interest. Sed hoc maximè, quòd constet Oecumenicum Pontificem, neque inter perpetuos, neque inter temporarios ministrorum gradus, à Paulo numerari. Non inter temporarios: tum quia non sit Apostolus, aut Propheta, aut Euangelista: est enim vnicus, ij autem plures nominantur: tum quia asseritur esse perpetuus. Non inter perpetuos, quia neque Pastor sit, neque Doctor: sed gerat se pro Pastorum & Doctorum magistro: deinde, quia à nullo vnquam interprete huius loci nominatus est.

VIII. Chrysostomus Pastores & Doctores eos exponit, quibus vniuersus populus concreditus est, & addit minores fuisse etiam Euangelistis: quò se sine dubio nunquam demittat is, qui se dicit caput Ecclesiæ. Theophylactus & Oecumenius eos intelligunt, quorum curæ fuerat Ecclesia commendata: nempe Episcopos, vt Timothei & Titum. Non igitur Oecumenicum, qui se Timotheo & Tito æquari nunquam patiatur. Theodoretus. *Pastores & Doctores eos dicit, qui in ciuitate & in pago erant deputati & segregati: quia de causa posuit eos post Euangelistas, quoniam illi obeuntes prædicabant.* En quàm longè Theodoretus abit ab Oecumenico. Longè ab his diuersus abit Ambrosius. *Pastores*, inquit, *possunt esse lectores, qui lectione saginent populum audientem: magistri verò exorcistæ sunt, quia in Ecclesia ipsi compescunt, & verberãt inquietos.* Adeo nemo est, qui in his gradibus caput Ecclesiæ Apostolo, vel per somniũ, in mẽtem venisse putarit.

VIII. Itaque, quod ait Bellarminus, his Pastorum, & Doctorum nominibus, designatam esse à Paulo Ecclesiasticam Hierarchiam; hoc est, omnes gradus à summo ad imum, id verò ipse solitarius dicit. Nam, vt vidimus, Veteres certum duntaxat gradum indicatum volunt, & quidem infra non tantùm Apostolos, & Prophetas, sed etiam Euangelistas. Imò verò ne ipsi quidem Papistæ interpretes Iesuitæ fauent: Lombardus, Thomas Aquinas, Lyranus, Thomas de Vio. Ac sanè, vt cætera mittã, quomodo suos Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Acolythos, inter Pastores & Doctores Bellarminus numerabit? At hi sunt de Papistica Hierarchia.

IX. Ergo, rursus respondet, negans omissum à Paulo Oecumenicum: eo triaque asserens Pontificatum summum disertè positum in illis verbis, *Et*

ipse dedit quosdam quidem Apostolos. Et clariùs duodecimo prioris ad Corinthios. *Posuit in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas.* Siquidem summa potestas Ecclesiastica, non solùm data sit Petro, sed etiam reliquis Apostolis: Petro tamen, vt ordinario Pastori, cui perpetuò succederetur: aliis verò tanquam delegatis, quibus non succederetur.

XI. Sed hæc non sunt superioribus solidiora. Nam cùm disputatur de Oecumenico Pontifice, non simpliciter agitur de summa authoritate in Ecclesia; quam omnibus & singulis Apostolis concessam esse nemo it inficias: sed de vno duntaxat, qui eam authoritatem sic obtineat, possideat, vt collegã nullum admittat. Quare, cùm responderit de omnibus Apostolis, tum miserè proditur Oecumenici caussa. Nam quia eo quod summum est, non potest dari quicquam superius, maiúsve: Ergo si singuli Apostoli summi fuerunt, nullus supra eos constitutus fuisse conceditur: ac proinde Ecclesia tum temporis fuisse non μοναρχικῶς, sed ἀριστοκρατικῶς administrata: quo vno euertuntur omnia argumenta in contrariam partem: & firmum stat argumentum nostrum. Nam si Oecumenicum Pontificatum Paulus comprehendit, sine dubio comprehendit in summo gradu. At hoc non: quia Oecumenicus nullum admittit consortem. Summus autem gradus apud Paulum, qui Apostolorum est, consortes admittebat. Itaque non potest ille in hoc comprehendi.

XII. Enimuerò Petrum fuisse ordinarium, cui succedi deberet, reliquos delegatos tantùm, quibus successor nullus esset dandus: merum est somnium. Primum absque Scripturis; quæ semel & vna missione omnes Apostolos missos asserit; ac proinde æquo iure: vt necesse sit omnes fuisse vel ordinarios, vel delegatos. Deinde, absque vllo eruditæ Antiquitatis testimonio. Quid igitur dicemus? Solos tandem Papistas, & quidem incurrentes in hanc mundi senectam, hoc arcanum videre, agnoscere? Sed desperata est horum hominum audacia: qui sibi sperent habendam fidem, tantùm asserentibus: quasi in iis redivivus esset Pythagoras. Quo iure igitur nobis obtrudunt? Sed illi viderint: nos tantam temeritatem execremur.

XIII. Iam verò ex iis omnibus, qui multi suos in hunc locum commentarios edidere, etsi singuli gradus ab Apostolo numeratos, applicare conentur sui temporis Hierarchiæ: tamen nullus est, qui vel verbo vno meminerit Oecumenici. Longum sit ire per singulos: breuitatis gratia, vnus & alter citetur, Ambrosius ex prioribus: Anselmus è posterioribus seculis, & iam Papistis. *Apostoli* (inquit Ambrosius) *Episcopi sunt. Prophetæ verò explanatores sunt Scripturarum: quamuis inter ipsa primordia fuerint Prophetæ, sicut Agabus, & quatuor virgines prophetantes, sicut continetur in Actis Apostolorum: sed propter rudimenta fidei commendanda: nunc autem interpretes Prophetæ dicuntur. Euangelistæ Diaconi sunt, sicut fuit Philippus: Nam quamuis non sint Sacerdotes, euangelizare tamen possunt sine cathedra, quemadmodum & Stephanus, & Philippus memoratus. Pastores sunt, & possunt esse lectores, qui lectionibus saginent populum audientem: quia non in pane tantùm viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Magistri verò, Exorcistæ sunt, quia in Ecclesia ipsi compescunt & verberant inquietos: siue ij qui lectionibus imbuendos infantes solebant imbuere, sicut mos Iudæorum est, quorum traditio ad nos transitum fecit, quæ per negligentiam obsoleuit. Inter istos post Episcopum plus esse intelligitur, qui propter reseratum occultum Scripturarum sensum prophetare dicitur: præsertim, qui futura spei verba depromit, qui ordo nunc potest esse presbyterij. Nam in Episcopo omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est, hoc est, Princeps Sacerdotum, & Propheta, & Euangelista, & cætera adimplenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium.* Anselmus longo post hunc interuallo aliter. *Et vt omnia adimpleret, dedit ipse nobis ad eruditionem, quatuor regentium ordines, scilicet, quosdam quidem esse Apostolos, sicut Petrum, & Andream, cæterósque tales, qui omnibus aliis maiores erant, habentes officium prædicationis, & per se tradentes aliis, quorum nunc locum Apostolicum, & Primates, & Archiepiscopi tenent in Ecclesia. Quosdam autem dedit esse Prophetas, qui ventura prædicerent, etiam sub Nouo Testamento, sicut Agabum, sibique similes: quorum locum nunc tenent qui Scripturas interpretantur: quia pronunciant per eas cæteris, futura iustorum gaudia, malorúmque supplicia. Alios verò dedit Euangelistas, sicut Lucam, & cæteros, qui Euangelium ad Pastores scriptum transmiserunt: vel etiam qui Euangelium prædicabant, & officium ministrandi pauperibus habebant, vt septem Diaconi, sub Apostolis: vtrumq; enim victum præbebant & spiritualẽ & corporalem: similiter adhuc deberent agere omnes Diaconi. Inde est etiam quòd hodie in Missa legunt Euangelium. Alios autem dedit Pastores, & Doctores, sicut Episcopos, vel Presbyteros. Pastores enim & Doctores, vnum regentium ordinem intelligimus, quia gregem Dei ipse veraciter docet qui pascit.*

XIV. Hactenus vterque, qui Oecumenicum in his Pauli verbis, neque vidit neque notauit. Quin etiam Ambrosius totam Hierarchiam Ecclesiasticã quæsiuit in singulis Ecclesiis: vbi Oecumenicum quis quærat? Quòd si omnes ordines, ab Apostolo numeratos, complectitur in singulis Ecclesiis, tum verò necesse est fateri, Pontificatum illum Oecumenicum, qui vnus sit in toto orbe, Paulo in mentem non venisse: quod contrà volebat Bellarminus. Et tamen verius est non quærendos esse illos gradus in singulis Ecclesiis. Nam Apostolos, Prophetas, & Euangelistas, sine dubio nominauit Paulus, ex vsu primordiorum Ecclesiæ. Certum autem, non fuisse singulis Ecclesiis, suos Apostolos. Nihilominus, id nunc quidem nostra nihil interest: sufficit enim dum constet illam vnius in omnes Pastores Monarchiam non potuisse à veteribus animaduerti, quam Bellarminus disertè expressam à Paulo asserit: condecoret, impudenter Iesuiticè.

CAP. V.

Singularum Ecclesiarum politiam esse Aristocraticam.

I. SI Ecclesiæ regimen est Aristocraticum, ergo nullus est Oecumenicus Pontifex. At illud verum: Ergo & istud. Consequentia per se patet: tũ ex aduersariorum doctrina, qui, vt Pontificem stabiliant, ab hoc fundamento ordiuntur, vt prolixè disputent Ecclesiam μοναρχικῶς administrandam esse, vt vidimus libro præcedenti. Antecedẽs per partes probatur. Nam Ecclesiarum regimen, est vel singularum, vel confertarum. Quòd si vtrumque demonstretur esse Aristocraticum, obtinebimus quod quærimus. Prius autem de singulis: & quidem de primæ origine prius: tum de ea consuetudine, quæ pòst inualuit.

II. Pri-

II. Prima ergo Ecclesiasticæ politiæ origo quænam fuerit, hinc apparebit. Matthæi decimo octauo, *Quod si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus vel publicanus.* In quibus verbis, si quid sit Ecclesia, quæris; Chrysostomus expediet, *Dic Ecclesiæ, τοῖς προέδροις: hoc est, præsidentibus.* Euthymius, *Ecclesiam nunc vocat præsides fidelium Ecclesiæ.* Inde Glossa interlinearis, *vt obiurgatio plurimorum eum corrigat.* Est ergo Ecclesiasticæ disciplinæ summa authoritas non penes vnum: neque enim vnquam vnus appellari potest Ecclesia: sed penes plures. Ergo vel Aristocratia, si τοὺς προέδρους Ecclesiæ significet, vt explicant ij quos vidimus: vel Democratia, si cœtum Ecclesiæ aspectantis, vt Hilario: quod nō fit verisimile. Rursum Actorum vigesimo, *Attendite vos ipsos, & totum gregem, in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei, quam proprio sanguine acquisiuit.* En ubi Ephesi, id est, in vna Ecclesia plures Episcopos. Itaque Glossa ordinaria ex Hieronymo, *Sicut Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate, presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere.* Petrus Epistola prima, capite quinto, *Presbyteros qui inter vos sunt precor: Pascite Dei gregem, qui penes vos est, curam illius agentes.* Est igitur regimen singularum Ecclesiarum, ab initio, Aristocraticum: quandoquidem à pluribus administrabatur.

III. At Bellarminus Aristocraticum fuisse negat, libro primo de Pontifice, capite octauo. Et dissimulato Christi dicto ex Matthæi decimo octauo, duobus reliquis locis obiicit, non negare quin Episcopis & Presbyteris commendat vt Ecclesiam Dei pascant & regant: Sed quæstionem hic esse de summa totius Ecclesiæ potestate; sit-ne ea in cœtu ministrorum, an in vno aliquo homine: atq; hanc neque Paulum, neque Petrum attingere, sed solùm admonere Episcopos, vt erga subiectos sibi populos pastorali munere strenuè fungantur.

IV. Sed contrà, vix poterat dilucidius quæstio terminari. Primùm, quia neuter presbyterorum, quos alloquitur, muneri has vel illas partes assignat, sed indefinitè omnes. Secundò, quia vtitur vterque verbo ποιμαίνω, quo omnes continentur Ecclesiastici regiminis partes, ipsis etiam testibus, imò iudicibus, aduersariis, qui contendunt eo plus significari quàm verbo βόσκειν: atque inde etiam supremam elicimus Petri auctoritatē: quod proximo constabit libro. Tertiò, quia Petrus subdit, *nō dominātes in clero:* quo quid opus erat, si τὸ ποιμαίνειν nullam inferret auctoritatem? Quartò, quia Petrus eos Episcopos nemini subiicit, præterquam Christo, quem vocat ἀρχιποίμενα: quod nisi sumatur pro Epitheto Christi proprio, incerta erit mens Apostoli: non enim satis explicasset quem intelligeret eum, quo adueniente reportanda sit illa corona gloriæ. Est tamen verum admoneri Episcopos, vt pastorali munere strenuè fungantur: sed addendum erat Bellarmino, id munus omnes partes comprehendere Ecclesiæ regendæ, quas pluribus, non vni tantùm commissas, ex iis locis fit manifestum.

V. Ea ergo fuerunt Ecclesiasticæ politiæ initia. Deinceps è cœtu presbyterorum, qui sic in commune Ecclesiam administrabant, vnus electus, qui omnium primus esset, & Episcopus diceretur. Factæ mutationis testes locupletissimi Ambrosius & Hieronymus: etsi in causa reddenda diuersi abeant. Ille in quartum ad Ephesios, *Non per omnia conueniunt scripta Apostoli, ordinationi quæ nunc in Ecclesia est, quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Nam & Timotheum presbyterum à se creatum, Episcopum vocat, quia primi presbyteri Episcopi appellabantur: vt recedente eo sequens succederet: denique apud Aegyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus. Sed quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, vt non ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum Sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temere vsurparet, & esset multis scandalum.* Hieronymus in primum Epistolæ ad Titum, *Antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisque eos quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & Schismatum semina tollerentur.* Rursus idem epistola ad Euagrium, *Manifestissimè comprobatur eũdem esse Episcopum, atque Presbyterum.* Et pòst, *Quod autem postea vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista, vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.*

VI. Ex his Ambrosij & Hieronymi constat; primum in ipsis Ecclesiæ primordiis, nullos tales Episcopos fuisse, qui postea instituti fuere: scilicet qui suo iure reliquis è clero præessent: vnde colligitur; & non esse idipsum à Christo, aut Apostolis institutum: & (quandoquidem in Ecclesia id sit optimum, quod primum) Ecclesiæ fore consultius, vt omnes presbyteri, pari censerentur & iure & gradu. Secundò constat, ne tum quidem, cùm hic Episcoporum à Presbyteris distinctorum ordo, siue gradus est constitutus, fuisse Episcopos tanquam Monarchas; qui potestatem haberent in Clerum: sed principes electos, qui rebus deliberandis, gerendisque præessent: sicut necesse est in omni Aristocratia: & fieri etiam solitum in ipsis Conciliis, in quibus duo Episcopi deligebantur, quos ἐξάρχους appellabant. Atque ex iis duobus hoc tertium conficitur, Ecclesiæ regimen esse ex sui institutione Aristocraticum, non autem Monarchicum.

VII. Hic Bellarminus, quid? strenuè resistit; Et primo conatur Ambrosij, Hieronymique autoritates soluere, de Clericis capite decimo quinto. Sed & suam, id est, contrariam sententiam argumētis struere aggreditur; De Clericis capite decimoquarto. Ad Ambrosium ergo dupliciter. Primò, loqui solum de ratione successionis Episcoporum; ac docere initio nascentis Ecclesiæ, antiquissimum presbyterum consueuisse ordinari in Episcopum: eoque mortuo succedere solitum sine vlla electione rursus antiquissimum: Sed non negare tamen primum illum presbyterum, cùm Episcopo succedebat, debuisse iterum consecrari, & nouam potestatem ac iurisdictionem acquirere. Atque hæc prima solutio.

VIII. Sed enim falsum agi de ratione succedendi in munus Episcopale. Quin potius explicat Ambrosius, quis esset ipse Episcopi gradus primis & purissimis Ecclesiæ temporibus: nimirum aliud nihil quàm inter presbyteros is, qui

XIV. In Hieronymo non constat sibi Iesuita. Nam libro de Pontifice, capite octauo, non dissimulat Hieronymum esse lapsum. *Videtur*, inquit, *Beatus Hieronymus in sententia fuisse, vt existimaret Episcopos, si de iurisdictione agatur, esse quidem presbyteris maiores: sed de iure Ecclesiastico non diuino. Quæ sententia falsa est, & suo loco refellenda.* At verò libro de Clericis primo, capite decimoquinto, idem defendit Hieronymum contra Michaelem Medinam, affirmatque vbique agnoscere Episcopum esse maiorem presbytero, quantum ad ordinis potestatem, idque sine dubio iure diuino. Ita primò videtur Hieronymus Bellarmino sentire nonnihil malè de inæqualitate Episcopi & Presbyteri: deinde verò contrà, nihil non bene. Quæ si non est contradictio, quid esse potest? Nisi fortè iurisdictionem separet ab ordinis potestate: quod ego quidem intelligere non possum. Ipse otiosè videtie.

XV. Sed respondet tamen, primò, in ea sententia Hieronymum non admodum constantem videri: vt probabile sit non fuisse certum. Quod si verum est; quid inde conficitur, nisi è duabus sententiis eam amplectendam, quam Scripturarum autoritatibus confirmarit? At hæc illa est, quæ ex prima institutione æquari dicit Episcopum presbytero. Nam alteram ille profectò nusquam vllo Scripturæ testimonio confirmauit. Verùm Bellarminus potius fallitur, non verò Hieronymus incertus fuit: alioqui quis eum credat pugnaturum diserti Scripturæ locis? Hæc autem fuit eius constans sententia: iure diuino, hoc est, ex ipsa Christi & Apostolorum institutione pares fuisse Episcopos, Presbyteris: imò verò non pares: sed vnum, idémq; munus: postea tamen humana autoritate effectum, vt his illi præferrentur.

XVI. Audiamus tamen Hieronymianæ inconstantiæ argumenta. Primùm, quod, cùm consuetudinem quæ Episcopos Presbyteris anteposuit, cœpisse asserat ab eo tempore, quo dictum est, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ: tamen Presbyteros pares esse colligere nitatur ex Epistola ad Titum, & ad Philippenses, & ex Epistolis Petri & Iohannis; quæ scriptæ sunt post Epistolam priorem ad Corinthios. Respondeo Hieronymum, huic mutationi nullum certum tempus assignare; sed tantùm caussam indicare, ob quam facta sit, post initia aliter constituta: eam autem caussam, esse schismata, quæ significare placuit formula ab Apostolo mutuata eleganti, & trita. Quomodo in alio negotio Origenes tractatu in Matthæû primo, *Petra est quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spirituali consequente petra*: mutuatus à Paulo ea verba quæ de Israelitis in deserto dicta erant. Et confirmatur hoc ipsum ab ea ipsa temporis circunstantia, quam Bellarminus notat. Nam quis credat Hieronymum, aut tam imperitum, vt nesciret Epistolam ad Timotheum longè post priorem ad Corinthios scriptam: aut tam immemorem, vt non veneritei in mentem? Facile est argumentum. Hieronymus obseruauit eundem esse Episcopum & Presbyterum, eo temporis, cùm scriberet ad Timotheum Paulus: ergo non credidit, tum cùm apud Corinthios schismata orirentur, eum ordinem fuisse toto orbe mutatum.

XVII. Secundum argumentum Bellarmini. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis dicit, Iacobum continuò à Christi ascensione ordinatum Episcopum Hierosolymorum. Nullum ergo tempus fuit, quo Ecclesiæ sine Episcopis, à Presbyteris gubernarentur. Respondeo: Episcopû appellari primùm Presbyterum: eoque munere Iacobum functum, id est, ei primo omnium demâdatam eius Ecclesiæ curam: itaque verè fuisse primum Presbyterum, adeòque Episcopum.

XVIII. Tertium: Idem in epistola ad Euagrium comparat Episcopum Aaroni, Presbyteros filiis Aaronis. Et epistola ad Marcellam de erroribus Montani, Episcopos Apostolis succedere dicit. At certè Aaron iure diuino maior erat ordine & iurisdictione filiis suis: & Apostoli omnibus aliis Christi discipulis. Respondeo, in priore loco Hieronymum, de Episcopis & Presbyteris agere, ex more sui temporis, quo concedimus ampliorem fuisse iurisdictionem illis, quàm his. At id non ab initio: sed postea, cùm vnus electus est, qui cæteris præponeretur; etiã si ipse etiam Presbyter: sicut in Veteri Testamento, eiusdem erant officij Aaron & filij eius, Numerorũ tertio, *Aaron autem & filios eius constitues super cultum sacerdotij*: Sed is qui summus Pontifex erat aliorum erat princeps. Itaque etsi iure diuino Aaron maior esset filiis suis: tamen non idem sequitur de Episcopis & Presbyteris: quia non vt ille, sic isti ab initio ita fuere constituti: Tantùm ergo sequitur maiores esse. In altero loco, non fideliter versatus est Iesuita. Non enim Hieronymus dixit Apostolis Episcopos succedere: sed dixit, *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent*: quod verum eodem sensu, quem iam iam exposuimus, nempe post initia, & mutatione facta.

XIX. Quartum: Idem contra Iouinianum, libro primo affirmat ab ipso Christo vnum electum ex duodecim, id est, Petrum, *vt capite constituto, schismatum tolleretur occasio*. Cur non igitur credemus Christum voluisse, vt inter Presbyteros vnus emineret?

XX. Respondeo, non esse id Hieronymi argumẽtum, sed Bellarmini coniecturam: nos autem nunc quærere, quid Hieronymus senserit, non quid Bellarminus ariolettur. Hoc ergo nobis est satis, nusquam illum docere Episcopum iure diuino maiorẽ esse presbytero, quod Bellarminus probandũ sumpserat: disertè verò dixisse, ab initio eundem fuisse ordinem; sed postea mutatum: & sic tamen mutatum, vt non imponeretur reliquis Presbyteris Dominus; sed duntaxat εὐταξίας gratiâ, vnus reliquis præesset, vt tamen communi consilio omnes Ecclesiam administrarent, quod est Aristocraticum.

XXI. Sed idem Bellarminus, capite octauo libri primi de Pontifice, negat Hieronymum iuuare Aristocratiam presbyterorum: his argumentis: Primò quia non dicat in prima Ecclesia viguisse eam presbyterorum Aristocratiam: & fuisse illud bonum regimen, & postea per abusionem aliquam introductam esse à malis hominibus Monarchiam. Secundo, quod contra affirmet, Aristocratiam, quæ initio erat, quia non benè succedebat, & plurimæ indè seditiones oriebantur & schismata, communi orbis terræ consilio, in Monarchiam esse mutatam. Tertio: quod in epistola ad Euagrium, asserat Marcum episcopum fuisse Alexandriæ.

XXII. Respondeo ad primum, etiamsi Aristocratia non sit totidem syllabis nominata, tamen certo significatam, his verbis, *Communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernantur*: & rursus, *magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse maiores Episcopos.* Bonum autem fuisse id regiminis genus, inde sequitur, quod

ab initio fuisse dicat: cùm in Ecclesia id sit optimum, quod verissimum: id autem verissimum, quod primum. Dicat etiam fuisse ex institutionis Dominicæ veritate. Quis verò toleret, in Ecclesia, sic desperatè blasphemantem, esse à Christo institutum aliquid non bonum? Quid quod eam Aristocratiam tam diligenter Scripturis confirmet? Et sic insurgent Iesuitæ in Scripturarum sanctitatem, vt negemus id esse bonum, quod ex iis confirmationem accipiat? Non fuit autem necesse Hieronymo dicere, Monarchiam à malis hominibus institutam fuisse in Ecclesia. Cur enim à malis institutum diceret, quod ne institutum quidē est prorsus? Neque sanè ille Monarchiam aut nominauit, aut indicauit: tantùm dixit, vnum reliquis præpositum. Atquicunque cæteris præponitur, non fit tamen Monarcha: Nam & in Democratia, & in Aristocratia, necesse est sic fieri. Præterea, eum morem à bonis viris, & bono fine inductum, nemo est qui dubitet: vtinam non carnali prudentia potius, quàm Spiritus ductu: vtinam tam fausto prosperóque successu, quàm magno omnium applausu.

XXIII. Ad secundum. Rursus falsum, Hieronymum dixisse Aristocratiam mutatam in Monarchiam: falsum etiam dixisse, Aristocratiam non bene cessisse, aut inde orta schismata. Orta quidem dixit, sed inde forta non dixit: Potuisse aliunde, quàm ex Aristocratiæ vitio, quis non videt? maximè cùm ne instituto quidem Episcoporum primatu esse desierint? quin plura potius ex eo numerari possint, quàm prius? quis enim in historiis non legit frequentissimas Episcoporum inter se, & Ecclesiarum ab Episcopis dissensiones? Et denique, id quod à Christo institutum fuit, non bene cessisse, quàm exsecranda est blasphemia? Quasi Christus non satis fuerit in futurum prouidens. Blasphement in hunc modum Iesuitæ: nos Christiani, diuinam potius sapientiam adoremus.

XXIV. Ad tertium, Marcum Alexandriæ Episcopum ab Hieronymo nominatum nego. Verba sunt, *Alexandriæ à Marco Euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos*; Video suo titulo Marcum distinctum ab Heracla & Dionysio? Illum Euangelistam fuisse, istos Episcopos? Sensus Marcum ab initio Ecclesiam Antiochenam constituisse, (in viris illustribus:) & sic instituisse, vt presbyteri vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominarent. Eam autem institutionem perseuerasse ad Heraclam vsque & Dionysium: hoc est, ad exactum annum centesimum quadragesimum: ac tum demum immutatam.

Cap. VI.

An Iure diuino Episcopus maior sit Presbytero.

I. Audiuimus pessimè interpretantem vereres Bellarminum. Nunc disputantem videamus, ex iure diuino maiorem esse Presbytero Episcopum. Primum argumentum: Solus Episcopos ordinare potest Presbyteros: Presbyteri autem ordinare non possunt. Atque hoc primo factum docet: tū factum iure diuino. Factum: testibus, Damaso Epistola tertia: Concilio Antiocheno, capite decimo: Ancyrano canone duodecimo: Epiphanio, hæresi septuagesima quinta: Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio in tertium & quartum prioris ad Timotheum: Hieronymo ad Euagrium: Leone, epistola octogesima octaua: Factum iure diuino. Primò quia habebatur irritum, si quid in ea re fecissent, qui veri Episcopi non essent. Ex Gregorio tertio ad Bonifacium: & Damaso epistola tertia. At si presbyteri iure diuino ex ipsa sua ordinatione, haberent ordinandi potestatem, non esset irritum quod facerent, tametsi prohibente Ecclesia facerent. Præterea, cùm ordinatio, Sacramentum sit (vt etiam Caluinus admittit) & Sacramenta omnia sint à Deo instituta: certè qui maior est ordinis potestate, quæ per Sacramentum ordinationis accipitur, is quoque maior est ex diuina institutione. Tertiò: quia Episcopi soli, vt ordinarij Ministri, confirmationis Sacramentum conferre, & templa atq; altaria possunt consecrare: testibus Leone ad Episcopos Germaniæ & Galliæ: Damaso, epistola tertia: Dionysio, capitibus quarto & quinto Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Sed & Apostolos ipsos, quibus Episcopi succedunt, missos, vt per manus impositionem, darent iam baptisatis Spiritum Sanctum, legimus Actorum octauo.

II. Sed contrà: Presbyterorum esse Episcopos ordinare hæc testantur. Paulus Timotheum asserit accepisse impositionem manuum presbyterij, id est, cœtus presbyterorum; quarto capite prioris ad Timotheum. Atque hoc quidem scio nonnullos interpretari, de officio; vt sit sensus, impositioné accepisse, vt esset presbyter: sed illi viderint, quo iure τὸ *πρεσβυτέριον, presbyteratum* exponant. Certè Lucæ vigesimo secundo redditur *Seniores plebis*: & Actorum vigesimo secundo, *Omnes maiores natu*. Taceo quàm sit insolens phrasis, impositio manuum presbyterij, eo sensu. Item Timotheus presbyter (quod notat Ambrosius) iubetur Episcopos constituere, id est, ordinare. Denique Hieronymus testatur, Alexandrinos Presbyteros solitos esse spatio centum quadraginta annorum, sibi ex suo numero Episcopum deligere.

III. Quid ergo de iis autoribus dicimus, quos Bellarminus citauit? Primum, agere de sui temporis politia: non de ea quæ fuit ab Ecclesiæ initiis: & quod eorum autorum antiquissimum est, Ancyranum Concilium paruo interuallo Nicenum præcessisse; anno Christi octauo, vt notatur in tomis Conciliorum, vel certe decimo quarto, vt Baronius, supra trecentesimum. Nos autem concedimus à quo tempore inualuit ea politiæ mutatio, quæ Episcopum à Presbytero separauit, ordinationes Presbyteris denegatas. Sed inde negamus sequi nunquam aliter factum. Quin Epiphanius ipse, Aerio obiicienti Scripturæ locos, nihil habet, quod respondeat, nisi confugiat ad temporum distinctionem: *καὶ γὰρ οὔπω, ἐν ἀρχῇ τὰ πάντα ἔσχε, ἀλλὰ προβαίνοντος τοῦ χρόνου τὰ πρὸς τελείωσιν τῶν χρειῶν κατηρτίζετο. Neque enim ab initio hæc res habuit omnia: sed procedente tempore quæ requirebantur ad vtilitatis perfectionem, concinnata sunt.*

IV. Deinde, Ancyranum, & Antiochenum Concilium, item Damasus, loquūtur de Chorepiscopis. Quos prohibitos fuisse ordinare; quis miratur, quum eis ne locum quidem esse Damasus velit in Eccle-

Ecclesia? Et tamen in Conciliorum tomis: & ab Isidoro de Officiis diuinis libro secundo, capite sexto, ij intelliguntur Vicarij Episcoporum, quos hodie in vsu esse apud Papistas: & ordinationum autoritatem vsurpare, nemo nescit. Itaque fateantur Papistæ, vel ea statuta non esse iuris diuini: vel à seipsis violari ius diuinum.

V. Theophylactus in tertium & quartum prioris ad Timotheum nihil habet, quod ad hanc controuersiam pertineat. Chrysostomus & Oecumenius, hoc tantùm, quod illa verba, *per impositionem manuum Presbyterij*, negant intelligenda de Presbyteris, sed de Episcopis, quia non sit verisimile Timotheum ordinatum esse à Presbyteris. Quod illi sine dubio dixerunt, vel ex præiudicio sui temporis, vel potius innueres Presbyteros olim Episcopos fuisse. Chrysostomus enim in tertium, diserte asserit, ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον: *Inter Episcopum & Presbyterum interesse ferme nihil*, καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀνειλημμένοι, καὶ προστασίαν τῆς ἐκκλησίας. *Quippe & Presbyteris docendi partes commissæ sunt, sed & præsidendi Ecclesiæ*, τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ αὐτῶν ὑπερβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. *Nam sola ordinatione eos Episcopi superant: atque hoc tantùm plusquam presbyteri habere videntur.* Atque hanc caussam putat, cur omissi sint à Paulo Presbyteri: & Diaconi statim post Episcopos inducti. Superest Hieronymus, quem manifestum est de suo loqui tempore; è quo peut argumentum, quo probet olim eundem fuisse Episcopum & Presbyterum scilicet, quod etiam tum, cùm iampridem innaluisset distractio eorum nominum in totidem gradus, tamen excepta ordinatione, nihil Episcopus ageret, quod non Presbyter.

VI. Ergo non bene probatur factum. Ius verò diuinum multo minus. Non enim sequitur, si irritæ erant presbyterorum ordinationes, ideo de iure diuino maiores esse Episcopos. Nam & Chorepiscoporum ordinationes volebat Damasus irritas esse, quæ tamen hodie apud Papistas in vsu sunt. Et quis non videt, potuisse id fieri, eodem iure, quo prima institutio erat mutata: nempe consuetudine, id est iure humano? Et de Alexandrina Ecclesia quid dicant? Nam si in ea Episcopus constituebatur à Presbyteris: & ipse Episcopus nihil erat aliud quàm primus Presbyter: tum certè in ea saltem Ecclesia, Presbyteri ordinabant. Quis docuit eas ordinationes fuisse irritas? Ergo merum id est ius humanum: pro variis locis varium: quod iuri diuino non accidit. Miror autem dixisse Iesuitam esse aliquid non irritum, quod Ecclesia iubeat esse irritum. Nam hoc quidem multum resecat de ea authoritate, quam Iesuitæ solent Ecclesiæ vindicare. Sed vt id mittamus: si irritæ erant à Presbyteris factæ ordinationes: intelligendum de facto non de iure: videlicet, quatenus praua consuetudo obtinuit, vt homines immutarent, quod erat ab initio constitutum. Atque id quis miretur, qui legerit irritam olim fuisse Episcoporum Romanorum electionem, non annuente Imperatore? *Nihil enim à Clero in eligendo pontifice actum erat, nisi eius electionem Imperator approbasset.* Verba Platinæ in Pelagio secundo.

VII. Ordinationem esse Sacramentũ negamus: negamus id à Caluino dictũ: Nam is tantùm impositionem manuum primis temporibus fuisse quoddam Sacramentum dixit. Est verò aliud impositio manuum, aliud ordinatio: & rursus, aliud quoddam Sacramentorum, quàm simpliciter Sacramentum. Sed hæc aliena sunt ab hoc instituto. Negamus Episcopos maiores esse ordinis potestate, quæ per Sacramentum ordinis accipitur: quia teste Ambrosio, vna est ordinatio Episcopi & Presbyteri.

VIII. De templorum & altarium consecratione, respondeo non esse proferendam pro argumento: cùm sit è ritibus in Ecclesiam inductis ex peruersa Ethnicæ superstitionis affectatione. Confirmationem esse Sacramentum, soli dicunt Papistæ: & errant dum dicunt. Et tamen Hieronymus testis est eam solis Episcopis permissam, nulla necessitate legis, sed tantùm consuetudine ad honorem Sacerdotij: libro contra Luciferianos. Quinetiam Ambrosius quarto ad Ephesios, *Apud Aegyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.* Sed & Clemens Pædagogi tertio: τίνι γὰρ ὁ πρεσβύτερος ἐπιτίθησι χεῖρα; τίνα δὲ εὐλογήσει; *Cui imponet presbyter manus? cui benedicet?* Quæ ergo Dionysius, Leo, Damasúsque dicunt, consuetudinem politiámque eius temporis ostendunt: non legem vniuersalem. Actorum caput octauum, Diaconum comparat Apostolo, non Episcopum Presbytero. Præterea, id Spiritus donum, non erat confirmatio, quæ postea ex præpostero imitationis studio inualuit: sed extraordinarium donum, quo fiebat, vt ij, quibus imponebantur manus, visibilia dona Spiritus acciperent. Porrò Apostolis successisse, nulla alia ratione dici possunt, quàm qua Presbyteri: quandoquidem tum temporis iidem vtrique erant. Nec postea facta mutatio, Presbyteros debuit hoc honore suo priuare.

VIIII. Secundum argumentum Bellarmini: In Testamento Veteri erat vnus summus Sacerdos Aaron, & qui ei succedebant: erant præterea minores Sacerdotes, omnes filij Aaron, & qui ab eis: ac denique erant Leuitæ cæteri, eósque tres gradus constat fuisse distinctos iure diuino: ita vt Pontifex Sacerdotibus: hi Leuitis maiores essent distincta consecratione: distinctis vestibus, & officiis. At Episcopi id sunt in Ecclesia, quod Pontifices in Veteri Testamento: & Presbyteri, quod Sacerdotes: & Diaconi, quod Leuitæ: testibus Damaso Epistola tertia, Hieronymo ad Euagrium, Leone Epistola octogesima octaua, Concilio Hispalensi secundo Canone septimo. Ratione etiam: quia non debet distinctior fuisse in Veteri testamento Hierarchia, quàm in Nouo: cùm illud vmbræ, istud imagini comparetur ad Hebræos decimo. Sequitur ergo, vt iure diuino, sicut Pontifices Sacerdotibus, ita Episcopi Presbyteris autoritate præstent.

X. Respondeo: negari, Christianos Episcopos ex sua Institutione respondere summis Pontificibus Iudæis. Sunt enim manifestæ discriminis notæ. Primùm Apostolus ad Hebræos, asserit id nobis esse Christum, quod erat summus Pontifex: siue hunc illius typum fuisse. Esse verò Apostolum testem omnibus quantumlibet Antiquis præferendum nullus dubitat Christianus. Deinde summus Sacerdos in toto Israele fuit vnicus: cùm apud Christianos Episcopi sint innumeri. In Scripturis Presbyteri promiscuè vocantur Episcopi: at minores Sacerdotes, nunquam olim Pontifices maximi. Et sanè, quid Bellarmino in mentem venerit, non facile dixerim: nisi fortè nimis intentus in hoc negotium, reliqua suæ religionis placita securius obliuioni mandet. Nam si in Ecclesia,

quilibet Episcopus, id quod summus Pontifex apud Iudæos, οἱονεὶ οἰκουμενικός: quia supra quemlibet Episcopum nullus dabitur gradus altior.

XI. Ratio autem est ἄλογος. Nam primò non valet consequentia: Nouum Testamentum est imago, Vetus est vmbra: Ergo in illo Hierarchia debet esse distinctior. Nam hæc extrema nullo medio vinciuntur: non enim ea vmbræ & imaginis comparatio instituitur, ad indicandam Hierarchiam: vllúmve politię ordinem: sed potius rerum promissarum exhibitionem: hæ enim in Veteri Testamento obscurius proponebantur, in Nouo luculentiùs: ad id autem nihil omnino confert, graduum aut multiplicatio, aut compendium. Secundò: quia ministerium Veteris Testamenti erat operosius; ideo necessarij fuisse videntur plures gradus ministerij: vnde non tantùm Pontifices, Sacerdotes, Leuitæ distinguebantur: sed etiam ipsi Leuitæ distribuebantur in tres ordines: quibus in Ecclesia nulli respondent: & ipsi Sacerdotes in varias τάξεις. Itaque hac saltem parte distinctius esset ministerium vetus, nouo ministerio: quod non fert Bellarminiana ratio: si ratio. Denique, etsi non differant ab Episcopis Presbyteri, tamẽ esse distinctiorem veterem Hierarchiã nouâ, Papistę saltem non deberent asserere: apud quos tot numerantur gradus Ostiariorum, Cantorum, Lectorum, Exorcistarum, reliquorum.

XII. Tertium argumentum: Episcopos Apostolis successisse, Presbyteros autem septuaginta discipulis, docent constanter omnes Patres. Concilium Neocæsariense canone decimotertio: Damasus Epistola tertia: Anacletus Epistola secunda: Hieronymus ad Marcellam: Augustinus in Psalmum quadragesimum quartum. Leo Epistola octogesima octaua. Isidorus libro secundo de Diuinis officiis: Beda in caput decimum Lucæ: & alij. Fuisse autem Apostolos iure diuino maiores discipulis septuaginta, certum. Ergo & Episcopos Presbyteris.

XIII. Respondeo, si verum sit, vt antea disputatum, Presbyteros & Episcopos eosdem esse de iure diuino, id est, ab initio: tum omnino falsum illos quidem septuaginta discipulis, hos verò Apostolis succedere. Atq; adeo, si aliquando hoc assertũ, tum assertũ est, cùm mutatio facta est: itaque non significatum, iure diuino eam graduum inæqualitatem esse constitutam: sed tantùm consuetudine sic inductam, habere similitudinem quandam cum illa veteri distinctione. Itaq; à Bellarmino nullus citatur, qui non lõgè abfuerit ab initiis Ecclesiæ. Cõcilium enim Neocæsariense, paucis annis abest à Niceno: atque adeo à Baronio coniicitur in annum trecentesimum decimum quartum, quo testimonio nullum Bellarminus habet antiquius.

XIIII. Præterea in laudandis testibus, meritò eius & fidem desideremus & iudicium quidem, quia Damasi Epistola, & Leonis, & Anacleti, sunt supposititiæ. Nam illa Damasi, consules habet adscriptos, Libium, & Theodosium IIII. qui nunquam fuerunt. Leonis tota ad verbum descripta est, pauculis additis, immutatisve, & factis peioribus, è septimo Canone Hispalensis Concilij secundi. De Anacleto actum aliàs. De fide quid dicam? Neocæsariensis canon falsò citatur. Is enim Chorepiscopos institutos dicit ad exemplum septuaginta seniorum. Sunt autem illi: non qui sunt à Christo electi, & discipuli vocati: sed quos Moses ex soceri sui consilio assumpsit, Exodi vigesimo quarto. Hieronymus ad Marcellam scribit, *apud nos Apostolorum locum tenent Episcopi*. Augustinus in Psalmum quadragesimũ quartum. *Pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi*. De Presbyteris neuter quicquam.

XV. Quartum argumentum, Matthæi vigesimo quarto, *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*. Ea verba Hilarius & cæteri Patres, de Episcopis dicta esse volunt: ex quo intelligimus, ipso Domino instituente, Episcoporum propriam esse curam, & gubernationem Ecclesiæ. Quò etiam pertinet locus ille Actorum vigesimo, *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei*.

XVI. Respondeo: locum Matthæi non agere propriè de Episcopis: sed ἀδιαφόρως de omnibus, quibus à Deo demandatum aliquod munus: etiam de Apostolis. Nam eis dictum, *Ideo & vos estote parati quia nescitis horam, qua Filius hominis venturus est*. Quæ verba illustrantur ea similitudine boni, malique serui, quem Dominus super domo sua constituerit. Itaque Hieronymus, *Exemplum patrisfamilias, hoc est sui, & fidelium seruorum, id est, Apostolorum, ad cohortationem solicitamẽtis interserit*. Et latiùs Chrysostomus Homilia septuagesima octaua in Matthæum, ταῦτα δὲ οὐ περὶ χρημάτων εἴρηται μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ λόγου, καὶ περὶ δυνάμεως, καὶ περὶ χαρισμάτων, καὶ περὶ πάσης οἰκονομίας, ἧς ἕκαστος ἐνεχειρίσθη, ἁρμόττει δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἄρχοντας τοὺς πολιτικοὺς ἡ παραβολή. ἕκαστον γὰρ ὧν ἔχει πρὸς τὸ κοινῇ συμφέρον ἀποχρήσασθαι δεῖ· κἂν σοφίαν ἔχῃ, κἂν ἀρχήν, κἂν πλοῦτον, κἂν ὁτιοῦν, καὶ μὴ εἰς βλάβην τῶν συνδούλων, μηδὲ εἰς ἀπώλειαν ἑαυτοῦ. *Hæc non de pecuniis solummodo, verùm etiam de sermone, & potentia, & donis gratuitis, omníque dispensatione, quæ cuilibet commissa sit, dicta sunt. Quin & principibus politicis congruit hæc parabola. Decet enim quemlibet, quæcunq; habet, in vsu ad communem vtilitatem: siue sapientiam habeat, siue principatũ, siue diuitias, siue quicquam aliud: minimè verò ad detrimentum conseruorũ, & proprium interitum.* Et autor operis imperfecti, Homilia quinquagesima prima. *De bonis & iustis sacerdotibus introducit sermonem, dicens, Quis est fidelis seruus, & prudens?* Theophylactus à Chrysostomo non discedit, suo more, πιστὸς δὲ δοῦλος καὶ φρόνιμος, πᾶς διδάσκαλος ὁ ἐν καιρῷ διδοὺς τὴν τροφὴν ἑκάστῳ τῶν ὑπ' αὐτοῦ διδασκομένων· οἷος ὁ Παῦλος, νῦν μὲν γάλα ποτίζων, νῦν δὲ σοφίαν λαλῶν. πιστὸς δὲ διάκονος ὤν, ὁ πρότερον βλάσφημος. καὶ φρόνιμος, ὡς μὴ ἀγνοῶν τὰ νοήματα τοῦ ἐχθροῦ. ἀλλὰ καὶ πᾶς ὅστις οὖν παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβὼν, εἴτε χρήματα, εἴτε δυναστείαν, εἴτε ἀρχήν, ὀφείλει καὶ πιστῶς καὶ φρονίμως διοικεῖν ταῦτα, ὡς λόγον δώσων, *Fidelis autem seruus & prudens, omnis magister, qui in tempore cibum præbet iis qui a se docentur: qualis Paulus, nunc quidem lacte potans, nunc autem sapientiam loquens: fidelis minister, qui prius blasphemus: & prudens, vtpote qui non ignoraret cogitationes inimici. Sed & quicunque à Deo accepit pecunias, potentiam, principatum, debet tum fideliter, tum prudenter ea administrare, vt rationem redditurus.* Denique Lyranus, *Potest intelligi tripliciter: vno modo in dispensatione spiritualium, quod propriè pertinet ad prælatos: alio modo in regimine temporalium, quod pertinet ad principes seculares & iudices: tertio modo, in bono vsu gratiarum sibi à Deo collatarum, & hoc pertinet ad omnes.* Credat his tot testibus Bellarminus, non esse hoc loco propriè intelligendos Episcos: Imò aduertat ipsum Hilariũ, non discedere in aliam partem. *Quanquam*, inquit, *in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est, Episcopis in expectatione aduentúsque sui sollicitudinem mandat.* Adeo sublesta fides est Iesuitarum in citandis

Vete-

Veteribus. Nunc incogitantia quanta est? Omnes qui præsunt domui Dei, debent esse prudentes, & fideles. Ergo Episcopi iure diuino maiores sunt Presbyteris. Ita pugnant aduersarij veritatis.

XVII. Locus ex Actis non minùs est alienus. Nam ex eo constat Episcopos & Presbyteros eosdem esse: teste Hieronymo, atque aliis. Nam quos priùs *πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας Presbyteros Ecclesiæ*, Lucas appellauit: eos postea Paulus dicit à Spiritu constitutos esse Episcopos. Et quidem ad pascendam, sine, vt Latinus vertit interpres, ad regendam Ecclesiam Dei: vnde docemur administrandæ Ecclesiæ autoritatem esse penes eos: quod etiam post factam illam immanem distractionem non potuit prorsus aboleri: adeò vt qui ei distractioni fauerunt plurimum, ab ea administratione, ordinationem solam eximant. Isidorus de Officiis Ecclesiasticis libro secundo, capite septimo, *His sicut Episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est: præsunt enim Ecclesiis Christi, & in confectione diuina corporis & sanguinis consortes cum Episcopis sunt: similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. Sed sola propter autoritatem, summo sacerdoti clericorum ordinatio & consecratio reseruata est.*

XIIX. Hinc Hieronymus ad Euagrium: *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* Hæc, cùm non omnino in tyrannidem primatus abiisset: sed vt genium agnoscas, deinceps longè progressum vlterius: & multa alia Presbyteris prohibita, quasi aut nullo modo facere, aut certe non suo, sed alieno iure & precario possent: de quibus Hispalense Concilium canone septimo, ex quo plagiarij consuerunt Leonis Decretalem octogesimam octauam. Ibi enim non tantùm ordinare, vt primum, aut, vt postea, confirmare: sed etiam basilicas, altariáque erigere, consecraréve, imponere manus baptisandis conuersisve ex hæresi, aut publicè quenquam pœnitentem conciliare, aut formatas mittere. Quid plura? Baptisterium ingredi præsente Episcopo, infantem tingere, sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere, populum docere, benedicere, salutare, aut plebem exhortari: hæc, inquam, omnia Presbyteris prohibita. Idque hoc prætextu, *vt per hoc, & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur.* Ita tandem factum paulatim, vt vix alio loco presbyteri sacrificuli sint, quàm eorum, qui apud Episcopos culinæ inseruiunt. Tantus fuit summi illius Pontificatus amor. Imò sic, à bonis initus tantillum digrediens humana sapientia, proficit in deterius.

XVIIII. Quintum argumentum: Si iure humano Episcopi Presbyteris præessent, inueniretur principium aliquod huius institutionis post Apostolica tempora. At ipso Apostolorum tempore, is erat Ecclesiæ vsus, vt Presbyteri Episcopis subessent. Nam prioris ad Timotheum quinto, Apostolus ita scribit, *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*: vbi videmus Apostolorum tempore, iudicem presbyterorum, ac proinde verum principem ac superiorem fuisse Episcopum.

XX. Respondeo: Cùm ex scriptis Apostolicis, non nos tantùm hodie, sed etiam iam olim nominatissimi Patres, probarint ab initio non sic fuisse, necesse omnino est aliquod fuisse temporis momentum, quo noua consuetudo cœperit induci. Non secus autem nullum esse, etiamsi sit incognitum, aut non obseruatum. Multa enim euenire, quæ facta potiùs aduertantur, quàm obseruentur, cùm primum fieri occipiunt: sic Archiepiscopi, & Patriarchæ in vsum abierunt; quorum ante Constantini tempora altum silentium: & tamen quando aut vbi cœperint, non constat: sic Cardinales, quorum fastui vix sufficit orbis Christianus, à quibus initiis ad tantam dignitatem peruenerint, ne ipsi quidem sciunt Papistæ. Et horũ tamen graduum, nemo ausit originem ab Apostolicis tẽporibus repetere. Id inde fit, quia nemo vult videri quicquam innouare. Ideo illi etiam Hispalenses, qui de Presbyterorum iure pro arbitrio deciderunt, tamen priores canones citarunt confidenter.

XXI. Porrò Paulus scribit ad Timotheum, quem fuisse presbyterum pro certo Patres sumunt. Itaque hinc necessariò conficitur, nihil eum locum pertinere ad inæqualitatem Episcopi & Presbyteri. Atq; adeò presbyterum illum, aduersus quem non vult Apostolus recipi accusationem, Ambrosius Episcopum interpretatur. *Quoniam*, inquit, *huius ordinis sublimis honor est (huiusmodi enim Vicarij Christi sunt) idcirco non facile de hac persona accusatio debet admitti.* Et Theodoretus eum presbyterum designat cui Ecclesia est credita. Quanquam Cyprianus ad Quirinum libro tertio, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, non munus vllum Ecclesiasticum, sed duntaxat ætatem significari putant. Sed vt vt sit, nihil ad primatum.

XXII. Nec legitima conclusio est, Episcopi erant iudices presbyterorum: ergo & principes. Nam quis nescit, æquales ab æqualibus iudicari? Certè ille, quisquis est, Areopagita, sensit *τοὺς τῶν ἱερέων διαδόχους* iudicandos *παρὰ τῶν ἱεραρχῶν ἀξίων*. Atque ita factitatum. Nam Episcoporum caussæ coram Episcopis iudicabantur in Concilio. Sed & Petrus ipse coram Apostolis & fratribus caussam agit: Actorum vndecimo.

XXIII. Denique citat Patres Bellarminus. Ignatium ad Philadelphienses, *Boni sunt Sacerdotes & sermonis ministri: melior autem est Pontifex, cui credita sunt Sancta Sanctorum. cui soli commissa sunt secreta Dei.* Clementem Apostolorum canonibus, canone quadragesimo, *Presbyteri & Diaconi, præter Episcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.* Dionysium Areopagitam, qui capite 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, primo loco Pontifices, secundo Sacerdotes, tertio Ministros ponit. Irenæum libro tertio, capite tertio, *Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, & successores eorum. Nam si recondita mysteria scissent Apostoli quæ seorsim & latenter ab reliquis perfectos docebant, iis vel maximè traderent ea, quibus ipsas Ecclesias committebant.* Tertullianum, libro de Baptismo, *Ius habet dandi Baptismum summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, sed non sine Episcopi facultate.*

XXIV. Respondeo, horum autoritates nihil efficere. Ratio, quia non ostendunt nullum vnquam tempus extitisse, cùm essent Episcopi pares Presbyteris: sed tantùm inæqualitatem esse vetustissimam, ac vicinam Apostolorum temporibus: quod nos vltro fatemur. Nam Hieronymus, cùm docet eã inæqualitatem inualuisse apud Alexandrinos, temporibus Heraclæ & Dionysij: satis disertè docet antiquissimam eam fuisse. Nam ij vixerunt circa annum centesimum quadragesimũ, & quod excurrit.

& tamen sic designatur Ecclesia, quæ omnium postrema eam innouationem admiserit: quam propterea conicere licet factam, aut nondum elapso, aut vix elapso primo seculo. At Ignatius peruenit vsque ad finem primi seculi, occisus anno Trajani vndecimo, iuxta Baronium: Christi autem centesimo decimo. Irenæus, & Tertullianus, non paulo pòst. Nam Clementis Apostolici Canones, non est quod magni faciamus. Photius Bibliothecæ capite centesimodecimo tertio, ἀνεγνώσθη Κλήμεντος τοῦ Ῥώμης τεύχη βιβλίων δύο, ὧν τὸ μὲν ἐπιγράφεται Διαταγαὶ τῶν ἀποστόλων, διὰ Κλήμεντος. ἐν ᾧ καὶ οἱ τῶν συνοδικῶν κανόνων τῷ ἀθροίσματι τῶν ἀποστόλων κανόνες ἐπιγραφόμενοι ἐμφέρονται. *Lecta sunt duo volumina librorum Clementis Romani: quorum vnum inscribitur Constitutiones Apostolicæ; quo continentur etiam inscripti Apostolorum Canones, ex aceruo Synodicorum Canonum.* Et credunt Papistæ tamen esse Apostolicos. Sic similes labra lactucas. De Dionysio actum aliàs.

X V I. Et tamen Ignatium, Irenæúmque non concedimus legitimè citari. Nam quis docebit apud illum τὸν ἀρχιερέα esse Episcopum? Et non potius ipsum Christum, cui verè τὰ ἅγια τῶν ἁγίων credita sunt, & τὰ κρυπτὰ τοῦ Θεοῦ? Nam Episcopo soli credita, quænam sunt hoc nomine digna? Apud Christianos quidem nullus locus; nulla etiam mysteria nón communia Episcopo & Presbytero. Quin ille alioquin inter Episcopum & Presbyterum non distinguit, nisi vt inter Præsidem & Consiliarios. Ad Trallianos: τί δὲ πρεσβυτέριον, ἀλλ' ἢ σύστημα ἱερόν, σύμβουλοι καὶ συνεδρευταὶ τοῦ ἐπισκόπου; *Quid est Presbyterium: nisi sanctum Concilium, consiliarij, assessorésque Episcopi?* Irenæus, quid ait? Episcopis commissas esse Ecclesias? Esto. Sed & Presbyteris. Epistola ad Victorem Papam, apud Eusebium Historiæ libro quinto, capite vigesimo quarto, οἱ πρὸ Σωτῆρος πρεσβύτεροι, οἱ προστάντες τῆς ἐκκλησίας, ἧς σὺ νῦν ἀφηγῇ, Ἀνίκητον λέγομεν, καὶ Πίον, Ὑγῖνόν τε καὶ Τελέσφορον, καὶ Ξύστον: *Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiæ cui tu iam præes, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum & Sixtum.* Ergò ipsi Episcopi Romani, hodie Papæ, hodie Oecumenici, hodie soli Summi Pontifices, Irenæo erant Presbyteri: & Ecclesiæ præerant. Idem libro quarto, capite quadragesimo tertio, *Eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obedire oportet: his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt.* Presbyteri ergo, autore Irenæo, habent successionem Episcopatus: id est, sunt Episcopi. Libro tertio, capite secundo; traditionem, quæ est ab Apostolis ait, *per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custodiri.* Denique ausim asserere nunquam ab Episcopis distingui, nedum separari Presbyteros apud Irenæum.

Cap. VII.

De Politia Prouinciarum.

I. Atque hactenus de singularũ Ecclesiarũ regimine. Superest, vt de conuentus agamus: id est, ostẽdamus Aristocraticam fuisse etiã administrationem earum rerum, quę non ad vnam, sed ad plures Ecclesias pertinerent: idque multis post Apostolos seculis. Considerantur hic autem Ecclesiæ, vel vnius Prouinciæ, vel totius orbis. De illis prius, tum de his.

II. In singulis prouinciis constitutos fuisse singulos Patriarchas, antiquum est: sed non antiquissimum tamen. Nam id nomen ne quidem inuenitur in primo & secundo seculo; Ignatio, Irenæo, Iustino, Tertulliano, Cypriano, aliis: nisi fortè Decretales Epistolas excipias, & similes nugas impudenter suppositas. Vix etiam in tertio seculo: Nam si Eusebium, Lactantium, Optatum, Augustinum, Chrysostomum, reliquos legas, tam inuenias Archiepiscopos, aut Patriarchas, quàm in syluis delphinem. Atque adeo ij ipsi, qui deinceps iis titulis honestati sunt, nunquam alio nomine competias appellatos, quam Episcoporum: Romanum dico, Cõstantinopolitanum, Alexãdrinum, Antiochenũ, Hierosolymitanum, reliquos. Itaque ridiculè in Decretalibus Epistolis legas, *Xystus Romanæ vrbis Archiepiscopus*; quẽ tamen Irenæus presbyterum nominat. *Soter Apostolicæ sedis Archiepiscopus: Victor Romanæ Ecclesiæ & vrbis Archiepiscopus.*

III. Quapropter disponendis dirigendísque publicis negotiis destinata erant Concilia prouincialia, id est, cœtus Episcoporum intra eandem prouinciam, quæ quidẽ cogebantur, quoties opus erat, aut commodum. Inde Canon Apostolicus trigesimus septimus, Δεύτερον τοῦ ἔτους σύνοδος γινέσθω τῶν ἐπισκόπων, καὶ ἀνακρινέτωσαν ἀλλήλους τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν, *Bis quotannis Concilium cogitor Episcoporum: tum quæ inter se, diiudicanto pietatis placita, atque Ecclesiasticas lites componunto.* Cui canoni consonat Nicenus quintus, καλῶς ἔχειν ἔδοξεν ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι, ἵνα κοινῇ πάντων τῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένων, τὰ τοιαῦτα ζητήματα ἐξετάζοιτο. *Consentaneum visum est singulis annis per prouincias singulas bis cogi synodos: vt communi consilio omnium Episcoporum eiusdem prouinciæ in vnum conuenientium, quæstiones examinentur.* Nec aliter Antiochenus vigesimus.

IV. Factum est tamen ordinis gratia; vt in singulis illis prouinciis vnus aliquis primus esset omnium, sic Apostolicus Canon trigesimus quartus, τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον. *Episcopos cuiusque prouinciæ, nosse oportet eum, qui inter eos primus est.* Et quidem isto canone non definitur is primus: vnde videri possit, liberæ electionis fuisse. Postea tamen designabatur nominatim Episcopus metropoleos. Antiochenus Canon nonus, Τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, *Episcopos in singula prouincia nosse oportet eum Episcopum, qui Metropoli præsidet.* Hinc iam ergo frequens Metropolitanorum mẽtio: qui postea Archiepiscopi appellati; ὡς ἐκ τοῦ ἄρχειν τῶν ἐπισκόπων. Rabanus Maurus de Institutione Clericorum libro primo, capite quinto, *Ordo Episcoporum tripartitus est, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, qui & Metropolitani sunt, & in Episcopis.* Et pòst *Ἀρχιεπίσκοπος Græco vocabulo dicitur, quod sit summus vel princeps Episcoporum: tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet Episcopis cæteris. Singuli enim prouinciis præeminet, quorum autoritati & doctrinæ cæteri sacerdotes subiecti sunt: sine quibus reliquis Episcopis nihil agere licet, nisi quod singulis in propria parochia commendatum est.* Etsi postea nonnullis visum, Archiepiscopo suum supra Metropolitanos ordinẽ assignandum, infra Patriarchas. Sic enim Isidorus Originum 7. cap. 12. *Archiepiscopus Græcè dicitur summus Episcoporum: tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet tam Metropolitanis, quàm Episcopis cæteris.* Quod falsum, etiam ex praxi Papistica.

V. Huius porrò siue Metropolitani, siue Archi- A episcopi, [illegible] Pr[illegible] Episcopi, partes erant, vt prouideret totius Prouinciæ, diligeretque negotia communia, etiam Episcoporum ordinationes: quarum rerum nemo Episcopus propria autoritate, quicquam auderet attingere. Sic Apostolicus canon trigesimus quartus, non tantùm agnoscendum esse primum à reliquis: sed etiam statuit *καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν καὶ μηδὲν πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης: censeri tanquam caput nihilque ab eis fieri præter eius sententiã.* Et deductior Antiochenus nonus, *τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας. Ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ. Metropolitanus curam suscipito totius prouinciæ, propterea quod ad Metropolim omnes vndique concurrant, quibus aliquid est negotij. Vnde visum etiam honore cæteris præire debere: neque reliquos Episcopos quicquam agere maioris momenti seorsim ab eo.* B

VI. Sed ea tamen autoritas duabus legibus C maximè coercebatur. Prima, vt ne propterea singulis Episcopis sua in suis Ecclesiis autoritas minueretur. Idem canon Antiochenus, postquam prohibuit Episcopos quicquam agere inscio metropolita, exceptionem subiicit, *ἢ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις: præterquam ea tantùm, quæ ad vniuscuiusque parœciam spectant, vicósque ei subditos. Ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τε κατὰ τὴν ἑκάστῳ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν, καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν. Vnusquisque enim Episcopus arbitrium in suam parœciam obtineto, eamque administrato pro sua pietate, prouidetóque vniuersæ regioni, quæ suæ vrbi subiacet.* D

VII. Altera lex erat, ne quicquam earum rerum ageret, quæ ad eius curam pertinebant, proprio suo priuatóque motu, sed tantùm communicato cum Episcopis reliquis consilio. Diserta verba Apostolici canonis: *ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι. Sed ne ille quidem primus, absque omnium sententia quicquam facito.* Quæ eadem lex E gas in Antiocheno. A quo iure illud est Cypriani Episcopi Carthaginensis, id est, Primatis Aphricæ, ad clerum suum Epistola decimaoctaua: *Quæ res cùm omnium nostrûm consilium & sententiam spectet, præiudicare ego, & soli mihi rem communem vindicare non audeo: & ideo interim Epistolis, quas ad vos proximè feceram, quarum exemplum collegis quoque multis iam misi, qui rescripserunt placere sibi quod statuimus, nec ab eo recedendum esse, donec, pace nobis à Domino reddita, in vnum conuenire, & singulorum caussas examinare possimus.* F Et in Concilio Carthaginensi idem, *Neque enim quisquam nostrûm, Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit: quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non possit quàm nec ipse potest alterum iudicare.*

VIII. Ergo primùm quidem mera erat Aristocratia: ne tum quidem sublata, cùm inducti sunt Metropolitani, qui ipsi Episcopi erant, & sibi subiectos Episcopos, pro collegis habebant: tantùm G ordinis gratia, magistratu quodam fungebantur: vt Athenis, quæ Resp. erat Democratica, ἄρχοντες erant; vt Romæ Consules: vt hodie apud Venetos, qui Aristocraticè viuunt, Dux: in quibusdam etiam hodie prouinciis, quæ à Papistica tyrannide recesserunt, sui sunt Superintendentes, siue Decani: cæterum collegis prorsus æquales.

IX. Et sunt hæc quidem luce meridiana clariora: nisi quod Cypriani testimonium ex Epistola ad Clerum, Bellarminus suis tenebris infuscare conatur, de Pontifice libro primo, capite octauo. Cyprianum enim propterea id non esse ausum, quia sponte sua ipse se obstrinxerat, tum cùm Episcopatum susciperet, nihil sine Cleri & populi consilio, & consensu esse facturum, Epistola sexta.

X. Sed cuius ingenij est, alienam caussam procul quærere, cùm eodem verborum ambitu mentem suam tam disertè testatus sit autor: Rem communem sibi vendicare se non audere. Quasi diceret, agnoscere se, rem communem, id est, quæ plurimos spectaret, atque adeo non contineretur intra limites suæ *παροικίας*, cui ex Episcopatus iure *ἐξουσίαν* habebat prouidendi; tractari debere communi plurimorum consilio, non vnius duntaxat, ne Primatis quidem arbitrio. Atque adeo si solitarius hic locus esset, fortè nonnihil posset ambiguus videri, sed leges, id est, Ecclesiastici Canones nónne audiuimus *διαρρήδην* enunciantes, non licere Metropolitano quicquam agere absque consensu sui cleri, eorum saltem quæ latius patent, quàm eius parœcia?

XI. Esse autem communem illam rem, de qua tum temporis agebatur, nempe de pace lapsis dãda ex libris martyrum, ipse sic exponit Epistola vigesima tertia ad Clerum Romanum. *Scripsit* (inquit, & intelligit Lucianum Martyrem) *omnium* (nempe confessorum & Martyrum) *nomine, vniuersis eos pacem dedisse, & hanc formam per me aliis Episcopis innotescere velle.* Et post pauca, *Denique huius seditionis origo iam cœperat in prouincia nostra per aliquot ciuitates in præpositos impetus multitudinis factus est: & pacem quam semel cunctis à martyribus & confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentare coegerunt.* Ergo hoc negotium huiusmodi erat, vt ad omnes Africanos Episcopos pertineret: & hęc Canones nolunt tractari *ἄνευ τῆς τῶν πάντων γνώμης*. Fecit igitur ex officio suo Cyprianus, cùm eam rem ipse solus definire noluit.

Cap. VIII.

De omnium Ecclesiarum politia.

I. SVperest quæstio maior, & magis ad hoc nostrum argumentum, de omnium toto orbe Ecclesiarum politia. Has verò qui neget ab Oecumenicis Synodis administratas, eum oportet insigniter aut impudentem esse, aut totius imperitum antiquitatis. Nam in ipsis primordiis, cùm exorta esset quæstio grauis de Mosaicis ritibus, volentibus nonnullis eos qui ab Ethnicorum idololatria conuertebantur, iis subiici; testatur Lucas Actorum decimo quinto, concilium coactum: *Congregati sunt* inquit, *Apostoli, & Presbyteri, vt dispicerent de hoc negotio.* Atque huius concilij autoritate fuit ea quæstio cõposita: quam autoritatem vt maximam significarent, decretum in hæc verba concipitur, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Quod si Apostolorũ nullus, ne Petrus quidem præsens ausus est solus sententiam pronuntiare, decretúmque facere, quis sanus deinceps audeat?

II. Enimuerò, quòd hoc Concilium appellemus Oecumenicum, nemo miretur: etsi Iouerius initio Constitutionum Ecclesiasticarum, hoc nu-

mero eximat, ob paucitatem eorum qui conuenerunt, quos censet fuisse tantùm quatuor Apostolos, cum paucis Hierosolymitanis. Etsi enim de numero nihil possimus distinctè asserere, cùm Lucas tacuerit: & coniecturæ quædam ex Epistola ad Galatas colligantur, præsentes fuisse solos Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, & Barnabam: tamen ipse rerum exitus contra militat. Nam primùm, authoritas certè decretorum eius est œcumenica: longéque maior, quàm vllius deinceps habiti concilij: abiit enim in Canonem fidei, & partem Scripturæ sanctæ: tum statutum de rebus quæ omnes vndique Ecclesias spectarent: denique non de Iudaicis tantum Ecclesiis, sed etiam de aliis, omnibus actum, cùm distributæ sunt Prouinciæ inter Petrum, & Paulum: sic vt huic quidem Gentium prædicatio & patrocinium (sic enim Baronius loquitur ad annum quinquagesimum primum, numero decimo sexto) Petro autem, Iacobo, & Ioanni, cura eorum demandaretur, qui ex circuncisione ad fidem venirent. Quæ partes nunquam fuerunt *μερικῆς συνόδου*.

III. Post id temporis non passa est rerum humanarum conditio, frequentes haberi Synodos: præter nonnullas particulares. Itaque longo post tempore, quum ob Arij delirium, & Paschatis celebrationem distraherentur Ecclesiæ rupto communi fœdere: etiamsi tum Alexandrinus Episcopus Arij furores conatus esset compescere: & Romani nonnulli quicquid habebant autoritatis, exseruissent aduersus Quartadecimanos: tamen componi non potuit negotium, aut pax reddi Ecclesiis. Adeo vt Constantinus Imperator Christianus, pius pariter & prudens, apud Eusebium de eius vita libro tertio, capite decimo sexto, negarit, posse vnam fidem, sinceram charitatem, & consentientem cultum tutò restitui, nisi vel omnes Episcopi, vel quamplurimi conuenirent. *τοῦτον σκοπὸν πάντων ἔμπροσθεν* (superfluit hęc postrema vox) *μοι προσήκειν ἐνόμιζον, ὅπως παρὰ τοῖς μακαριωτάτοις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πλήθεσι, πίστις μία, καὶ εἰλικρινὴς ἀγάπη, ὁμογνώμων τε περὶ τὸν παγκρατῆ Θεὸν εὐσέβεια τηρῆται. Hunc mihi esse scopum putaui oportere, vt per omnes Ecclesiæ Catholicæ cœtus, vna fides, sincera charitas, consentiens omnipotentis Dei cultus, conseruaretur.* [illegible] *Sed quia non poterat id certo firmóque ordine constitui, nisi in idem omnibus simul, vel saltem plurimis Episcopis conuenientibus, omnium, qui vacat sanctæ religioni disquisitio institueretur:* [illegible] *eam ob caussam quam fieri potuit plurimis coactis, ipse, vt vnus è vobis adfui.* Ergo sic, eámque ob caussam coacta est Oecumenica Synodus Nicena.

IV. Deinceps, & aliæ. Sed cùm turbæ essent ingentes in Ecclesiam Græcam inuectæ ob negotium Constantinopolitani Episcopi Ioannis, cui eloquentia Chrysostomi nomen peperit; indoluit, vt par erat, Innocentius Romanus, & *οἰκουμενικὴν σύνοδον συναγεῖραι σπουδάζων*, *Oecumenicam Synodum congregare satagens*, scripsit ad Clerum Constantinopolitanum sui studij rationem; apud Sozomenum libro octauo, capite vigesimo sexto editionis Græcæ. [illegible] *Quid agemus nunc temporis aduersum ista?* [illegible] *Necessaria est Synodica disquisitio, quam pridem cogendam esse diximus.* [illegible] *Sola enim ea est, quæ tempestatum istarum motus cohibere possit.* Similiter Leo obtinere sua autoritate nũquam potuit, vt *τὰ τῆς λῃστρικῆς* Synodi Acta rescinderentur, donec Chalcedonensis Concilij autoritate id effectum est.

V. Quibus argumentis non vtiles tantùm, sed etiam necessariæ docentur Synodi, adeo vt alio nullo remedio curari queant Ecclesiæ Catholicæ morbi. Ad Synodos autem conuocatos fuisse, atque admissos omnes Episcopos, nemo dubitat, sedisséque iudices suo iure, prout fieri solet in Aristocratia. Certè Constantinus eadem Epistola, qua se necessariò Synodum conuocasse testatur, [illegible] *τῇ ἁγιωτάτῃ θρησκείᾳ*, tribuit *ἐξέτασιν*. Nam ego quidem ea verba, non cum Christophorsono interpretor *de rebus singulis ad religionem spectantibus*, sed *de singulis qui vacant religioni*.

VI. Hæc nos. Quid contrà Bellarminus? De Apostolica Synodo, capite octauo libri primi de Pontifice. Hanc igitur negat pro Aristocratia facere. Si quidem in ea præses fuerit & caput Petrus: qui in aliena Diœcesi, & Episcopo præsente Iacobo, loqui primus non fuisset ausus, nisi toti Concilio præfuisset. Monarchiæ autem non repugnare, aliquid statui in publico conuentu de communi Principum consilio & consensu.

VII. Sed hæc nihili sunt. Primò, in Concilio Hierosolymitano Petrum fuisse præsidem falsum est: qua de re plura dicenda erunt aliàs. Secundò, etsi concedatur fuisse eius Concilij præses, & caput, (nam ne capitis quidem nomen hoc sensu nouum: Cyrillum enim Synodus Ephesina scribens ad Theodosium & Valentinianum, vócat *τὴν κεφαλὴν τῶν συναθροισμένων ἁγιωτάτων ἐπισκόπων*, *caput congregatorum sanctorum Episcoporum*) tamen id neque confirmat Monarchiam, neque Aristocratiam infirmat: quia cuilibet Synodo aliquem oportet præesse: qui dici solet *ἔξαρχος*, & *πρόεδρος*: quo vtroque nomine Synodus Ephesina Cyrillum insignit & Memnonem. Sed hoc ipsum fusiùs in tertia controuersia. Et hunc præsidem, quicunque esset, ius erat primas partes tenere, etiam præsente eius vrbis, in qua Concilium, Episcopo. Sic in eadem Ephesina, Cyrillus perpetuò. Sic in Nicena Eustathius Antiochenus primus omnium Imperatorem alloquitur.

VIII. Porrò Monarchiæ non repugnare conuentus principum, vbi communi consilio & consensu aliquid statuatur, verum: si tamen statuta vim sumunt non à consensu eorum qui conuocati sententiam dixere; sed ab ipso conuocante Monarcha: vt in Regno nostro Gallico, si quid statuant ij, quos status vocant, id aliter vim legis nõ obtinet, quàm si diplomate regio sancitum, fiat edictum. Aliter si fiat, negant viri in politica docti, esse Monarchiam. Atqui in Oecumenicis Conciliis, quæ decernũtur, habent suum robur ex ipsa Concilij autoritate, id est, omnium Episcoporum, non vllius vnius. *Visum est*, inquiunt, *Spiritui Sancto, & nobis*, nõ Petro. [illegible] *Hæc decreuerunt Episcopi qui ex Christi gratia Constantinopolim conuenerunt.* Clerus Romanus ad Cyprianum. *Nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum.* Non potest ergo, sic celebratis Conciliis, bene conuenire cum Monarchia.

IX. Sed negat vsquam in Scripturis legi collatam

tam summam potestatem Concilio Sacerdotum. Quæcumque enim autoritas Apostolis, cæterisque discipulis, concessa est à Christo, non solùm omnibus, sed etiam singulis esse concessam, neque ad eam exercendam fuisse opus Concilio: potuisse enim singulos Apostolos, & possunt etiam nunc singulos Episcopos, docere, baptizare, soluere, ligare, ordinare ministros, & cætera.

X. Respondeo, primùm in Scripturis legi summam autoritatem esse penes Concilium. Actorum decimo quinto, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*: quibus verbis ea significatur summa autoritas, qua vsumest id Concilium, ad determinandam propositam quæstionem. Nec sanè potuit maior vlla significari, quàm cùm ita Spiritui Sancto sese Apostoli, & Presbyteri coniungunt.

XI. Secundò, eandem autoritatem argumentis necessariis confirmari. Nam si singulis Apostolis eadem erat concessa potestas summa, certè multò magis omnibus, cùm in vnum conuenirent. Ac proinde ipsorum cœtus summo iure poterat Ecclesiastica negotia disponere. Si verò Ecclesiæ regimen cœpit Aristocraticum, & eadem perseuerat Ecclesia, necesse est non esse hodie Monarchicum. Deinde, Episcopi summi sunt in sua quisque Ecclesia Pontifices; potestatem habêres piu sua pietate pascendi sui gregis: ergo omnes omnium Ecclesiarum summi sunt pastores. Congregati igitur eandem habebunt in omnes Ecclesias potestatem, quam singuli in singulas.

XII. Tertiò, singulis quidem Apostolis esse concessam summam potestatem, sed tantum in subditos: non verò alius in alios, ex communi notione, par in parem nullum habet imperium. Sic Paulo erat summa autoritas in constituendis Ecclesiis per vniuersum orbem terrarum: sed nulla in Petrum, aut reliquos: vt neque aliorum in eum, qui se profitetur *οὐδὲν ὑστερηκέναι*, nulla re illis inferiorem esse. Quoties igitur aliquid occurrebat, quod ad omnes Apostolos æque spectaret, nullus poterat iis legem ponere: sed omnes poterant de communi consensu. Itaque nihil erit absurdi, si dicamus, non eandem esse singulis concessam potestatem, & omnibus. Æquè post Apostolos, quia omnes Episcopi æqualis sunt honoris & potestatis, possunt quidem singuli suis Ecclesiis prouidere: sed non alij aliis: & omnes possunt constituere ea quæ communia sunt, & ad omnes pertinent.

XIII. Quartò, distinguendos esse ab Apostolis, Episcopos. Quia illis singulis commissæ erant omnes Ecclesiæ: his verò tantum singulis singulæ: iuxta Petrum, *Pascite, qui penes vos est, gregem Dei*: vnde Canones dant eis *ἐξουσίαν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας*, disertè præcipientes, vt ne quid in alienis audeterent. Itaque non possunt singuli quod omnes. Vnde ad Cyprianum Clerus Romanus: *Per quam nobis & inuidiosam, & onerosam videtur, non per multos examinari, quod per multos commissum videatur fuisse: & vnum sententiam dicere, cùm tam grande crimen, per multos diffusum notetur exisse: quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum.*

XIV. Sic nos probamus Aristocratiam. At vicissim eandem Bellarminus impugnat. Eius primum argumentum hoc est; quo & Sanderus vtitur libro secundo, capite quinto. Si penes optimates esset summum Ecclesiæ regimen, sequeretur Ecclesiam ferè semper carere rectoribus: & vt plurimum, neminem esse, cui curæ sit commune bonum. Optimates enim, cùm pares inter se sint, non possunt commune bonum, vt par est, administrare: nisi vel congregati sint, vel aliquem elegerint communi consensu magistratum, cui omnes obediant, quemadmodum Romani suos consules. At in Ecclesia rarissimè congregantur Optimates ad generale Concilium: Magistratum autem nullum vnquam crearunt.

XV. Respondeo, vniuersalis Ecclesiæ nullum esse negotium abstractum ab Ecclesiis particularibus: proinde quàdiu singulæ rectè administrantur, nullo opus esse vniuersali Magistratu: quia singulæ suos habent Episcopos rectores; qui omnes tum censentur commune bonum, vt par est, administrare, cùm suis gregibus rectè præsunt. Non posse autem Optimates commune bonum, vt par est, administrare, tum demum conceditur, cùm idem omnino negotium nulli ex eis certo demãdatur: quod non sit in Ecclesia, in qua non omnes tantùm, sed potissimum singuli audiunt, *Pascite gregem qui in vobis est.* Ergo non habet opus Ecclesia vllo vniuersali magistratu.

XVI. Cogi verò Optimates, non semper est necesse, sed tum duntaxat, cùm id certa negotia extraordinaria postulant: sicut in seculari Aristocratia, Democratiave. Nam Amphictyones non semper congregabantur in Græcia: sed statis temporibus: Hodie apud Heluetios, non semper habentur Diætæ. Tum verò cùm ingruit necessitas, singuli Episcopi ius habent inuigilandi bono publico: vnde Cyprianus Epistola sexagesima septima ad Stephanum Romanum, *Idcirco, frater charissime, copiosum corpus est Sacerdotum concordia mutua glutino, atque vnitatis vinculo copulatum, vt si quis ex collegio nostro, hæresim facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentauerit, subueniant cæteri, & quasi pastores vtiles & misericordes, oues Dominicas in gregem colligant.* Et paulo pòst, *Nam etsi pastores multi sumus, vnum tamen gregem pascimus, & oues vniuersas, quas Christus sanguine suo, & passione quæsiuit, colligere, & fouere debemus.* Hoc iure Meletius Ægypti Archiepiscopus ex Thebaide, primus detexisse dicitur Arij hæresin, & detulisse Alexandro Alexandriæ, qui ipse Synodum coegit subiectorum sibi Episcoporum, & Arium deposuit, non expectata vllius Oecumenici autoritate. Cyrillus Alexandrinus, Nestorio Constantinopolitano primus se viriliter opposuit. Atque in eum modum Deus suos suscitat, qui Spiritu pleni in commune consulunt Ecclesiæ. Quapropter frustra hic comparantur Episcopi magnatibus seculi, publica vix curantibus. Nam alia ratio est Ecclesiæ, cui Deus specialiter præest, ac prouidet.

XVII. Postremò: ne tum quidem cùm necessitas exigit, cogi semper posse fatemur Concilia: sed tum exitum Deo dicimus commendandum: idque didicimus ab Episcopo Romano Innocentio, qui cùm se imparem sentiret componendo negotio Chrysostomi, nec subitò cogi posse Concilium, exspectandum suasit diuinum auxilium: apud Sozomenum libro 8. capite vigesimo sexto. *Ἀναγκαῖα*, inquit, *ἐστὶ διάγνωσις συνοδική*, necessaria est Synodalis inquisitio: *ἣν πάλαι φαμὲν χρῆναι συγκροτηθῆναι· ...* [illegible] *Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis huius committere voluntati magni Dei, ac Christi eius Domini nostri: qui omnia quæ nunc ad fidelium probationem inuidia Diaboli*

turbantur, componet. Hactenus ille.

XVIII. Secundum argumentum: Si esset in cœtu optimatum summa potestas, quo numerosius cogeretur Concilium, eò plus haberet autoritatis: neque vnquam euenire posset, vt minori Concilio plus tribueretur, quàm maiori. At hoc falsum: quia Concilium Ariminense Episcoporum sexcentorum, nullius vnquam autoritatis habitum est in Ecclesia Catholica. Contra primum Constantinopolitanum centum quinquaginta Episcoporum, summæ semper fuit autoritatis. Et Papistę quidem caussam reddunt, quòd illud à summo Pontifice reprobatum, hoc verò confirmatum fuerit. At qui summam potestatem tribuunt optimatibus, nullam possunt.

XIX. Respondeo primùm, re vera fuisse nonnunquam apud Patres maiora Concilia minoribus prælata. Cùm enim non bene cessisset Ephesinum illud λῃστρικὸν, etsi conuocatum ex consensu, imò verò ad preces Romani Episcopi: imò celebratum præsentibus legatis Leonis: tamen & à Flauiano est appellatum ad maius Concilium: & Leo Romanus, sic scribit ad Theodosium Augustum, Epistola vigesima quarta. *Obsecramus, vt omnia in eodem statu manere iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur.* Similiter de Chrysostomo deposito narrat Sozomenus libri octaui capite decimo octauo, plebem concursu facto ad Ecclesiam clamitasse tū alia multa, tum maioris esse Synodi cognoscere: [illegible Greek] Atque adeo tandem iis clamoribus effectum, vt Impetatrix reuocaret Chrysostomum, qui tamen exspectauit maioris Synodi iudicium: [illegible Greek] *Negauit se ingressurum vrbem, antequam maior Synodus iudicasset: vt constaret se iniustè deturbatum esse Episcopatu.* Itaque si necessaria est Bellarmini consequentia, nihil iam obstat, quominus Optimatibus Ecclesiæ summam autoritatem asseramus.

XX. Sed negatur consequentia. Nam in comparandis inuicem Conciliis, siue vniuersalibus, siue particularibus, non solet numerus considerari: sed tantùm in suffragiis colligendis: tum enim semper maior numerus præponderat minori: puta si in Cōcilio Niceno trecentorum decem & octo Episcoporum, ducenti opponerentur reliquis centum decem & octo; decretum fieret in verba ducentorum. Sed cùm diuersi cœtus comparantur, non ita fit: alioqui nihil esset certi, ne in politia quidem temporali. Romæ cogebatur Senatus non semper eodem numero: aliàs enim frequens erat, aliàs minimè. Et tamen numquam legas vnum Senatū, alteri oppositū. Similiter esse non debuit maior autoritas Chalcedonēsis, cui interfuerunt sexcēti triginta Episcopi, quàm Niceni, quod fuit dimidia parte minus.

XXI. De Ariminensi Concilio respondeo, falsò asseri ideo non habuisse autoritatem, quod ab Episcopo Romano fuerit improbatum. Exstant varia scripta tum Athanasij, tum Hilarij; qui cùm alias multas caussas colligunt, tum istam de Romani Episcopi improbatione tacent. Exstat apud Theodoretum historię libro secundo, capite vigesimo secundo, Epistola Concilij Romani ad Episcopos qui erant in Illyrico: in ea hæc: [illegible Greek] ... ἐν Ἀριμήνῳ ... [illegible Greek] *Numerus Episcoporum, qui erant Arimini in vnum congregati præiudicij vim habere non debet: quandoquidem formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Episcopatum integrè gessit, neque aliis eidem consentientibus.* [illegible Greek] *Cùmque etiam (quod est omnium maximum) illi ipsi (vt ante diximus) qui in fraudem inducti, visi sunt fuisse inflexi, ij, inquam, ipsi meliori consilio vsi, sibi ea displicere testati sunt.* Hæc illi: qui etsi Romani dissensum notarit, tamen non solum: & quanquam illius præcipuè sententiam exspectandam fuisse notent: tamen eorum Episcoporum, qui prius ad subscribendum inducti fuerant, pœnitentiam, pro argumento longè maximo obseruari velint. In summa triplicem caussam reddunt: quòd non consenserit Romanus: quòd Vincentius dissenserit: quòd Episcopos subscriptionis pœnituerit.

XXII. Sed est & alia longè pręcipua: Quòd non fuerit legitimum Concilium. Primò, quia non Oecumenicum: sed tantùm ex Episcopis Occidentalibus: nam Orientales Seleuciam Isauriæ conuenire iussi erant. Id notat Athanasius libello de Synodis. [illegible Greek] *Primum, Ego quidem demiror (idémque arbitror quemlibet prudentem mecum animaduertere:) quòd cùm vniuersale Concilium indictum esset, idque omnes exspectarent, derepente diuisio facta sit.* Rursus non fuit liberum: quod prolixè testatum reliquit Seuerus Sulpitius historiæ sacræ libro secundo. Nam non tantùm legati à Concilio ad Imperatorem missi, coacti sunt vniri hæreticorum communioni: sed etiam paulatim plerique Orthodoxorum Episcoporum, partim imbecillitate ingenij, partim tædio peregrinationis euicti, dedere se aduersariis, iam post reditum legatorum superioribus, & Ecclesiam, Orthodoxis inde detrusis, obtinentibus: factáque inclinatione animorum cateruatim in partem alteram concessum, donec ad viginti vsque, Orthodoxorum numerus imminutus esset: qui tamen etiam ipsi postea, aut minis fracti, aut blanditiis illecti, defecēre. Et negabat Bellarminus aliam vllam caussam posse proferri præter Oecumenici authoritatem?

XXIII. Sed restat maxima: ex Hieronymo in Epistolam ad Galatas. *Spiritus Sancti doctrina est, quæ Canonicis libris prodita est, contra quam, si quid statuant Concilia, nefas duco.* At Concilium Ariminense eam doctrinam labefactauit: Ergo nefarium fuit. Hæc verè summa, certissimáque caussa fuit exauctorandæ Synodi Ariminensis. Athanasius. [illegible Greek] ... ἐν Νικαίᾳ ... [illegible Greek] *Quis illos admittet, qui Ariminensem Synodum nominant, aut aliam vllam præter Nicænam? Aut quis non oderit eos, qui Patrum quidem dogmata abrogant, & ea quæ Arimini per contentionem, & per vim constituta sunt, iis præferunt?* Apud Theodoretum historiæ libro secundo, capite vigesimo tertio.

XXIV. Breuiter reiiciendas esse Synodos dico, quæ errarunt, quia errarunt. Leo contra Ephesinam

ABCE

Antemio, hoc non vnum quidem, sed in primis vrget argumentum. Epistola vigesima sexta ad Pulcheriam. *Quæ enim, congregata apud Ephesum, Synodo, sopienda & sananda pacis remedia credebantur. Hæc non solum in maiora pacis dissidia: sed (quod nimis dolendum est) etiam in ipsius fidei, qua Christiani sumus, excidia processerunt.* Et 28. ad Archimandritas. *Specialibus dilectionem vestram literis cohortandam esse credidimus, vt memores sanctæ professionis vestræ, quæ propriè in fide & charitate consistit, omnia scandala, quæ contra pacem Ecclesiæ orta sunt, à vestris cordibus repellatis, beati Apostoli sententiam pia mente retinentes: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.* Et 29. ad Anastasiū Thessalonicensem. *Quia ergo prorupit in apertum perfidia, quæ latebat, & in nephandissimam hæresin vnius imperitissimi senis affecta transierunt, tempus probationis nostræ debemus agnoscere, & cōtra impetus aduersantiū, munitionibus cœlestibus freti, incommutabilis animi constantiam præparare.* Possum alia colligere: quæ diligens lector obseruabit.

XXV. At hoc (inquit Bellarminus) quid est aliud quàm Conciliorum & totius Ecclesiæ iudicem facere? Quid ergo, inquam, Hieronymus? Is ne se Conciliorum ac totius Ecclesiæ iudicem constituebat, cùm rotundè pronunciaret, nefas ducere, quicquid Concilia pronunciarent contra Spiritus Sancti doctrinam? Quid Athanasius? cùm tam seuerè Ariminensium placita exigeret ad fidem? Nam de Leone taceo, ne mihi Iesuitæ Oecumenici personam obuciant.

XXVI. Tertium argumentum: Tametsi Democratia sit absolutè pessimum regimen: tamen Ecclesiæ perniciosior esse videtur Aristocratia: si quidem summum Ecclesiæ malum hæreses: & hæ ab optimatib⁹ potius, quàm à plebeiis. Itaque sunt quędam quasi factiones: & hæ nunquam facilius oriuntur, quàm cùm optimates regunt.

XXVII. Respondeo. Primum; etiam aliunde quàm ab optimatib⁹ Ecclesiæ, hæreses oriri. Mitto Nicolaum Diaconum: Apollinarem lectorem teste Socrate, libro 2. capite 16. Marcionem, & Ariū duntaxat presbyteros. Certè Ebionem, Cerinthum, Valentinum, Apellem, nullę, quod sciā, historiæ testantur in vllo fuisse gradu functionis Ecclesiasticæ. Simō magus, nunquā nisi laicus. Theodorū fuisse coriarium testatur Epiphanius. Vt iam scire possit Bellarminus, non solorum optimatum, id est Episcoporum, hæreses esse factiones.

XXVIII. Secundò. Ne Monarchia quidem obstare potest, quominus hæreses inducantur in Ecclesiam: quomodo ne in Repub. quidem, quominus magnatum factiones oriantur, indéque bella ciuilia. Alioquin exponāt mihi aduersarij qui certo certius habent Ecclesiæ regimen tum ab initio institutum, tum deinceps conseruatum monarchicum, vnde tot hæreses singulis seculis profluxerint, si is morbus Aristocratiæ adhæret.

XXIX. Tertiò. Etsi Aristocratia Ecclesię, non possit viam præcludere hæresibus, quominus eueniant: habet tamen remedia quæ eis opponat, cùm semel ortæ sunt: & quidē plura, & expeditiora quā Monarchia: teste Cypriano paulo antè citato: qui idcirco asserit copiosum esse corpus Sacerdotum, vt cum vnus tentarit Ecclesiā lacerare, vel hæresin facere, cæteri subueniāt. Quod non ęquè fieret in Monarchia. Nam si ipse Monarcha tentaret hæresin facere, non facilè vllus obsisteret. Marium Sylla cōpescuit: Catilinam Cicero fregit. At Tiberio, Neroni, Caligulæ, qui singuli rerum potiebantur soli, non erat qui obsisteret.

XXX. Quartò. Non hæreses tantū timendæ sunt in Ecclesia, sed etiam schismata. At hęc oriri ex Monarchia, maximè electiua nimirū sæpe docuit experientia: & exempla quilibet innumera facilè recogitabit, qui vel à limine historiam salutaris Ecclesiasticā. Ea autem quoties euenerūt, & maximè, à quo tēpore inualuit Episcoporū Romanorum tyrannis; sedari non potuerunt, nisi ope & autoritate Concilij, id est Aristocratiæ. Vnde constat eo vtiliorem esse Aristocratiam Monarchia: quòd nō suis tantùm incommodis mederi, sed ijs etiam quæ à Monarchia fluunt, sola possit adhibere remedium. Monarchiā verò eo inutiliorem Aristocratia, quòd & possit absque ea factiones primatum sopire: & nō possit ipsa, schismata, quibus à se originē esse nouit, extinguere.

XXXI. Denique, quid si negem summū Ecclesię malum esse hęreses: Nam certè Antichristianismus longè maius. Quemadmodum Democratię Tyrannis longè noxior est, quàm factiones optimatū. Itaque Scriptura, etsi nobis hęreses detestandas propinet, tamen Antichristum non frustra describit, quasi omnis sceleris epitomen: & Ecclesiam non in turbas tantùm dantem, sed propemodū in internecionem. Est autem Antichristus tyrannus. In tyrannidem verò, quis nescit procliuiorē esse Monarchiā, quàm Aristocratiam? Et sanè Gregorius vniuersalē Episcopum dixit esse præcursorem Antichristi. Non desunt etiam è Papistis, qui docuerunt Antichristū illum vnicum, quem expectant futurum Papam Romanum: qua de re alias.

XXXII. Quartum argumentum est, Sanderi libro 4. capite 5. negantis Aristocraticum esse regimē Ecclesiæ, eo quòd nondum satis perspicuè definitum sit, quinam sint Ecclesiæ optimates. Nam si sunt aliqui optimates, ij sunt aut Patriarchę, aut omnes omnino Episcopi. At nō Patriarchæ, quia non soli iudicabant in Synodis. Non etiam omnes Episcopi, quia iis Patriarchæ præsunt. Ergo nulli sunt optimates: & si nulli Optimates, nulla Aristocratia.

XXXIII. Respondeo: Optimates vix certos esse posse, apud eos qui militant ambitioni: à qua tot ordinum origo, Primatum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, Episcoporū, Abbatum generalium: Sed apud eos, quibus cordi est prisca sinceritas, nihil facilius. Quidni enim illi suos agnoscant τοὺς ἡγουμένους. Ad Hebræos 13. προεστῶτας, prioris ad Timotheum 5. denique πρεσβυτέρους & ἐπισκόπους. Nam quandoquidem agitur de regimine Ecclesiæ: & certum sit in Aristocratia, non nisi ad Optimates regiminis autoritatem pertinere: proculdubio ij erunt optimates, ad quos regimen spectabit. Itaque Actorum 15. *συνήχθησαν οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι, ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου. Congregati sunt Apostoli, & Presbyteri vt dispicerent de hoc negotio.*

XXXIV. Enimuerò cur Patriarchas obiicit & Episcopos? Nam primò ea distinctio non est antiquissima: & prius Episcoporum summus gradus erat: id est, ab initio presbyterorum. Et tamen argumenta frustra sunt. Non erant, inquit, Patriarchæ optimates. Cur? quia non soli iudicabant. Itáne? Atqui Aristoteles concludendum diceret, non esse solos Optimates. Sed omnino atque ἁπλῶς nō esse negaret confici. Sed Papistis fortasse alia est Dialectica, alius sensus communis.

XXXV. Rursus Episcopis Patriarchæ præsunt: ergo Episcopi, non sunt Optimates. Quasi quis diceret, apud Venetos Dux præest Nobilibus: ergo

nobiles non sunt Optimates. Atqui inquirendum erat priùs, quo modo præsint, suóne iure, an tanquã Magistratus. Nam si tanquam Magistratus, neque paucorum præfectura Democratiam, neque vnius autoritate Aristocratiam extingui norunt omnes. Res porrò sic se habet: Patriarchæ, siue Primates, siue Archiepiscopi, erant ipsi Episcopi; sed quorum in reliquos inspectio erat. Itaque vtrique tum Patriarchæ, tum Episcopi, in Ecclesia Optimatum locum tenebant.

CAP. IX.

An Episcopi sint summi Pontifices.

I. SI vnus esset Oecumenicus Pontifex, & Ecclesiæ Monarcha, ergo singuli Episcopi non essent summi Pontifices. At singuli Episcopi sunt summi Pontifices. Ergo nullus est Oecumenicus Pontifex, siue Monarcha Ecclesiæ. Patet consequẽtia, quia eo quod est summum nihil est superius. Quare si Oecumenicus ille esset supra singulos, ipsi non essent summi. Et confirmatur ab euentu. Nam ex quo Episcopus Romanus gessit se pro Monarcha, non tantùm appellatus est Episcopus Episcoporum, sed etiam solus Pontificis summi nomine gaudet. Atque adeo non Costerus tantùm, sed etiã Bellarminus huic controuersiæ titulum alium nullum fecit, quàm *de summo Pontifice*. Contarenus etiã simpliciter, *de Pontifice*: & in disputando nunquam aliter appellat quàm maximum Pontificem. Sic apud Iudæos, etsi plurimi erant Pontifices; tamen is qui erat supra reliquos omnes, & supra quem nemo Pontifex erat, solus appellabatur Summus.

II. Assumptio igitur probatur; Primò, quia is olim mos fuit, & durauit in multa tempora, vt Episcopi cuiuslibet Ecclesiæ, vulgo audirent summi Pontifices, summi Antistites, summi Sacerdotes, maximi Pontifices & Antistites. Locos non omnes cõgeram, sed seligam aliquot. Anacletus (nam quid tum si suppositus?) epistola secunda, *Vnde liquet, quod summi Sacerdotes, id est Episcopi, à Deo sunt iudicandi.* Et mox, *Quo loco contemplari licet, Aaron summum Sacerdotem, id est, Episcopum fuisse.* Tertullianus de Baptismo capite decimo septimo, *Dandi quidem baptismi habet ius summus Sacerdos qui est Episcopus.* Hieronymus contra Luciferianos, *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet*: quo loco ipse Marianus Victorius Episcopum interpretatur. Ambrosius tertij de Sacramentis capite primo, *Succinctus est Sacerdos. Licèt enim & Presbyteri fecerint, tamen exordiũ ministerij à summo est Sacerdote: succinctus, inquam, Summus Sacerdos pedes tibi lauit.* Idem epistola quinta, *Annunciasti diem affore, quo suscepisti gubernacula summi sacerdotij.* epistola 34. dicit Valentinianum sanctos & summos Sacerdotes Domini intra Gallias habuisse. Gaudentius tractatu in prima die suæ ordinationis, *Meritò fugiendi licentiam à summis Sacerdotibus postulabam.* Eusebius Emissenus (quisquis is tandem sit, siue Cæsarius, siue Eucherius) in homiliis Maximum Episcopum vocat *summum Antistitem & confessorem.* Paulinus epistola ad Romanianum, quæ est inter Augustini Epistolas trigesima sexta, *Tũc verò tibi summus Christi Põtifex Augustinus videbitur.* Eucherius ad Salonium, *Cum te illic beatissimi Hilarij, tunc insulani tyronis, sed iam nunc summi Pontificis doctrina formaret.* Zozimus ipse Romanus eodem sensu, ex epistola ad Isichium, apud Gratianum distinctione trigesima sexta. *Qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem nõ est imbutus, & temporum approbatione diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiæ Sacerdotium aspirare præsumat.* Et hoc ipse Gratianus de Episcopis interpretatur: Leo ad Anastasium Thessalonicensem epistola octogesima quarta, capite quinto, *Cum ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus postularit.*

III. Et ne ab initio tantùm is vsus fuisse videatur. Hæc sunt recentiora testimonia. Sidonius Apollinaris via vnquam aliter. Epistola vndecima libri quarti de Mamerco & Claudiano fratribus, *Nam de Pontificis tenore summus, ille insignia sumpsit, hic laborem.* Epistola vigesima quinta eiusdem libri. *Cùm venisset in oppidum suprascriptum* (id erat Cabillonum) *Prouincialium Sacerdotum præuio partim, partim comitante collegio, scilicet vt municipio summus aliquis antistes ordinaretur.* Libri septimi epistola quinta. *Biturricas decreto ciuium petitus adueni: caussa fuit euocationis, nutans Ecclesiæ status, quæ nuper summo viduata Pontifice, vtriusque professionis ordinibus ambiendi Sacerdotij quoddam classicum cecinit.* Et in concione, *Simplicium est, quem prouincia nostra Metropolitanum, ciuitatis vestra summum Sacerdotem, fieri debere pronuncio.* epistola sexta. *Burdegala, Petrogorij, Ruteni, Lemouices, Gabalitani, Heluani, Vasates Conuenæ, Auscenses, multòque iam maior numerus ciuitatum, (summis sacerdotibus ipsarum morte truncatis, nec vllis deinceps Episcopis in defunctorum officia suffectis, per quos vtique minorũ ordinum ministeria subrogantur) latum spiritualis ruinæ limitem traxit.* Libro octaui Epistola decima quinta, Antianum vocat maximum consummatissimúmque Pontificem, eundémque Antistitem summum. Basilius Ancyranus in secundo Concilio Niceno actione secunda, *Ego Basilius Episcopus Ancyranæ ciuitatis, catholicam Ecclesiam coniunctam, & consentientem esse cupiens, Adriano sanctissimo Papæ veteris Romæ; Tharasio beatissimo Patriarchæ, sanctisque Apostolicis thronis, Antiochiæ, inquam, & Alexandriæ, & sanctæ vrbis, nec minus summis sacerdotibus & presbyteris cunctis orthodoxis hanc, quam discripsi meam confessionem exhibere volo.* Hildebertus Cenomanensis epistola decima tertia ad electum Episcopum Andegauensem, *In summis enim Sacerdotibus ætas integra postulatur.* Et longo post tempore. Vuitikindus gestorum Saxonicorum libro primo, *Summus Pontifex mittitur ad sedandam tam ingentem discordiam.* Is autem erat Hatto Mogonciacæ sedis Episcopus. Et non multo post, *Cúmque ei offerretur vnctio cum diademate à summo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non spreuit, nec tamen suscepit.* Et sic aliàs sæpe. Theganus de gestis Ludouici Imperatoris, *Iamdudum illa pessima consuetudo erat, vt ex vilissimis seruis summi Pontifices fierent.*

IV. Sic Episcopi. Sed & ipse episcopatus, summũ Sacerdotiũ. Ambrosius Epistola quinta ad Felicem Comensem Episcopum, *Celebrem vtrique nostrum annunciasti diem affore, quo suscepisti gubernacula summi Sacerdotij.* Cyrillus homilia sexta contra Nestorium, *Etiam à Catalogo te fratrum separasti, non considerata, quæ data tibi fuerat, summi sacerdotij sorte.* Concilium Agathense, capite quinto, episcopos vocat, *Pontificium summo sacerdotio constitutos.* Quo sensu etiam Cyprianus episcopatum appellat *sacerdotij sublime fastigium, & Ecclesiæ gubernandæ sublimem & diuinam potestatem*, epistolis quinquagesima secunda, & quinta Gaudentius tractatu in die ordinationis suæ, *Suscepi hoc*

summi sacerdotij munus. Leo Epistola octogesima octaua ad Rauennium, *Prouectionem dilectionis tuæ, qua summi sacerdotij adepta est dignitatem, nobis placere cognosce.*

V. Et quidem id tituli quid significet, hi loci docent, Optatus Mileuitanus libro primo: Apices, & Principes omnium Episcopos vocat. Ignatius ad Trallianos. Τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος, ἀλλ' ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα, πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν; *Quid est Episcopus, nisi is qui prætergressus est omne imperium & potestatem, quique omnibus imperat, quantum quidem homo imperare potest?* Locus illustrissimus: quemque nullo colore infuscare queant Papistæ. Nam certè, si non tantùm Patriarcha, sed etiam Papa est Episcopo superior, tum necesse est Episcopum non esse πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα, aut certè Patriarchatū, & Papatum necesse est negare esse ἀρχὴν & ἐξουσίαν: quod non ausit nisi ipsissima impudentia. Et rursus, si Papæ dominium aliud est, & sublimius autoritate Episcopali, cum sanè Episcopus ὡς κρατεῖ πάντων, non enim κρατεῖ τῶν πάντων: nec κρατεῖ ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν: nisi forte negent Sophistæ Papam esse hominem. Leo Epistola octuagesima septima, ad Africanos: *Quanto magis elaborandum est, vt in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite.* En tibi supra omnes gradus. Quis ergo reliquitur superior?

Cap. X.

De Creatione Episcoporum.

I. Si Ecclesiæ totius vnus esset Monarcha: ergo singuli Episcopi crearentur ab vnico illo. At falsum posterius: ergo & prius. Cōsequentia patet, quia in Republica quàlibet omnes magistratus creari solent ab eo penes quem est maiestas: sic in Democratia Atheniensi, & Romana, Dictatores, Censores, Consules, Prætores, Tribuni, à Populo: sic in Aristocratia Lacedæmoniorum, ab Ephoris, Venetorum à Nobilibus. Sic in Monarchiis à Rege: vt in Gallia, in Hispania, in Britannia. Atque adeo inde hodierna praxis Episcopi Romani, qui in toto Occidente neminem patitur esse Episcopum, nisi ex suis diplomatis, quæ sunt necessariò obtinenda, antequam vllus consecretur. Imò Alcuinus sui temporis consuetudinem sic describit in libro de Diuinis officiis, *Cùm Episcopus ciuitatis fuerit defunctus, eligitur aliquis è clero seu populo: fitque decretum ab illis: & veniunt ad Apostolicum* (id est, Romanū Episcopum) *cum suo electo deferentes secum suggestionē, hoc est, rogatorias literas, vt eis consecret Episcopum.* Et Pontificale Romanum, titulo de Consecratione electi in Episcopum. *Ecclesiarum Cathedralium, siue Metropolitanarum, ac Patriarchalium prouisiones, seu electionum ad illas confirmationes, ad sedem Apostolicam hodie pleno iure pertinent: & ab eadem Ecclesiis Pastore viduatis, vel de nouo prouidetur, vel electiones ab illis, quibus ex priuilegio licet, canonicè celebratæ confirmantur.* Et in Concordatis Leonis decimi cum Francisco Rege Galliæ, constituitur, ne vacantibus Ecclesiis Capitula, & Canonici ad electionem, seu postulationem futuri prælati procedere possint; quæ rudera erant priscæ Ecclesiarum libertatis: sed vt *Rex Franciæ pro tempore existens, vnum grauem magistrum intra sex menses à die vacationis Ecclesiarum earundem computandos, nobis* (inquit Leo) *& successoribus nostris Romanis Pontificibus nominare possit.* Sic ad se reuocauit omnem hanc autoritatem Romanus Pontifex: vt sese verè Monarcham constitueret.

II. At olim longè aliter. Nam plebs sibi liberis suffragiis Episcopum deligebat, quem vellet. Eum autem Episcopi vicini, tres minimum, consecrabāt. Sic apud Cyprianum videas, tum eius, tum Cornelij Romani descriptam electionem legitimam. Epistola quinquagesima secunda, *Factus est* (Cornelius) *Episcopus à plurimis Collegis nostris, qui tunc in vrbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas & laudabiles, & testimonio sua prædicationis illustres, de eius ordinatione miserūt. Factus est autem Cornelius Episcopus, de Dei & Christi eius iudicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio.* Hæc de Cornelij Episcopi Romani electione. Et vt sciamus eodem ordine, eadem solennitate creari solitum Carthaginensem, audiamus ipsius Cypriani electionem. Primùm epistula quinquagesima quinta, dicit se *in locum defuncti substitutum, populi vniuersi suffragio delectum, collegis omnibus fideliter iunctum.* Et generaliùs epistola sexagesima octaua. *Propter quod diligenter de traditione Diuina, & Apostolica obseruatione, obseruandum est & tenendum, quod apud nos quoque & ferè per prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vnius cuiusque actum de eius conuersatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, vt de vniuersæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum qui in præsentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, iudicio, Episcopatus ei deferretur: & manus ei in locum Basilidis imponeretur.* Optatus libro primo, *Suffragio totius populi Cyprianus eligitur.* Ad hunc modum Mediolanenses, seditione compressa, vno ore omnes postulasse testatur Theodoretus historiæ libro quarto, capite sexto, vt Ambrosius, qui nondum erat sacris baptismi initiatus, designaretur Episcopus: eaque re audita, Imperatorem iussisse illum egregium virū extemplo & initiari mysteriis, & Episcopum ordinari. Sic apud Augustinum epistola centesima decima, describitur electio Eradij in successorem Augustini. Denique, ne omnia colligam, Rhegino ad annum octingentesimum sexagesimum nonum Vuilibertum à plebe electum, à Luitperto, Moguntiæ Archiepiscopo, ordinatum fuisse in Coloniensem Archiepiscopum testatur.

III. Et hæc quidem de Electione certa olim fuerunt. De Consecratione autem disertus est Nicenus Canon quartus. Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι. εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτο ἢ διὰ κατεπείγουσαν ἀνάγκην, ἢ διὰ μῆκος τῆς ὁδοῦ, ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων, καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι. τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. *Episcopum conuenit maximè quidem ab omnibus eiusdem Prouinciæ Episcopis constitui. Sin id difficile sit, siue ob instantē necessitatem, siue ob itinerum longitudinem, omnino tres congregatos, ordinationem facere oportet, suffragantibus tamen absentibus, & consensum suū testantibus per literas. Cæterum in singulis Prouinciis eorum gestorum confirmatio concedatur Metropolitæ.*

IV. Hæc vetus erat Politia. In qua notandum suffragiis electionem fieri solitam: & suffragiis quidem, non solius Cleri, sed totius plebis, siue, vt Cyprianus loquitur, vniuersæ fraternitatis. Cùm hodie apud Papistas suffragia omnino nulla sint, sed tantum aulica ambitio: quæ tamen seuerissimè olim interdicebatur: Canone Apostolico trigesimo: & multis deinceps Conciliis. Secundò, electum iis

suffragiis statim fuisse consecratum à præsentibus Episcopis: nullis exspectatis Romanensibus mandatis: cùm tamen hodie in Pontificali disertè contrà caueatur, *Inprimis animaduertendum* (inquit) *quòd nemo consecrari debet, nisi prius constet consecratori de commissione consecrandi, siue per literas Apostolicas, si sit extra curiam: siue per mandatum à Camera Apostolica emanatum in ipsa curia: siue per commissionem viuæ vocis oraculo à summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis: alioquin ei non debet credi.* Tertiò, eius actionis τὸ κῦρος pertinere ad Metropolitam eius prouinciæ. Est autem τὸ κῦρος plena cuiuslibet actionis confirmatio, præter quam nihil vltra quæratur. Quę omnia [illegible] aducetantur Monarchicæ autoritati.

Cap. XI.

Ab vno homine regi non posse vniuersas Ecclesias.

I. SI Ecclesię regimen esset Monarchicum, ergo vnicus homo posset sufficere regēdis omnibus per totum orbem terrarum Ecclesiis. At hoc fieri non potest: Ergo, Ecclesiæ administrandæ inepta est Monarchia. Vtraque pars argumenti per se patet. Nam consequentia quidem necessaria: alioqui, quorsum committeretur cuipiam id onus, cui non tantùm subeundo esset impar, sed etiam exercendo inutilis? Assumptum autem concedet, quicumque vires humanas habuerit cognitas, & Ecclesiæ molem.

II. Et tamen aduersarij bellum indicunt sensui communi: & assumptum impugnant. Petrus Horantius bis distinguit, locorum Catholicorum libro sexto, capite vndecimo. Primum quidem, verū fore assumptum, si huius vnius hominis humanâ prudentiâ, sapiētiâ, iudicio, sit nitendum duntaxat: & non magis illi excellentissimæ promissioni, qua Deus, ei sedi pollicitus est, se eam non deserturum: item illi Christi orationi, qua in altissimis defixa sedes hæc radicibus, vnquam vi aut terrore labefactari possit.

III. Sed Christi promissiones frustra iactantur: quæ nullæ sunt. Negatur enim vlli sedi à Deo vllam vnquam huiusmodi factam promissionem, quæ eā afferat suffecturam omnibus totius orbis Ecclesiis regendis. Pollicitus est sanè Christus se Ecclesiam suam nunquam deserturum: at ea Ecclesia non est aliqua vna particularis vnius Episcopi sedes, sed quælibet indefinitè. Quare, si ea promissione id significaretur, quod est in quæstione, sequeretur, quālibet Ecclesiam, Eugubinam puta, sufficere omnibus Ecclesiis gubernandis. Asseruit etiam idem Dei Filius, se Ecclesiam suam ædificaturum super Petram: atque hanc esse credo alteram promissionē ab Horantio indicatam. Atqui, neque illa Ecclesia, vnam aliquam sedem significat: neque ædificari super Petram, idem est ac sufficere omnibus Ecclesiis regendis. Quare, cùm nihil huiusmodi promissum sit, quid possit Deus ne quæramus: sed quid soleat aut possit fieri ex rerum natura attendamus. Quanquam fatemur sanè Ecclesiæ regimen non niti humanâ prudentia, humanóve iudicio: sed à Deo iis qui ad ea gubernacula vocantur suffici idoneam virtutem. Verùm addimus, eam virtutem esse dimensam, non immensam: nullique vni propriam, sed pluribus communem: vnus enim ille est, cui non det Spiritum Deus ἐκ μέτρου: Ioannis tertio: at reliqui ex eius plenitudine hauriunt gratiam pro gratia: Ioannis primo: vnde fit, vt singuli singulis gregibus suæ fidei commissis, pascendis sint satis: imò verò vix sint satis: nedum totum orbem sua ambitione complectantur.

IV. Rursus distinguit Horantius. Ad summum Pontificem non deferri nisi grauiora negotia: cùm singulis Ecclesiis sui tribuātur Episcopi. Sed & hoc frustra. Nam primùm, sequitur non regi ab eo homine Ecclesiam, nisi ex parte tantùm, nec semper. Quam gubernādi rationem à Deo institutam, quis probarit è Scripturis? Aut quis vnquam ea Christi verba, *Pasce oues meas*, sic est interpretatus: non semper pasce, sed tantùm, cùm ingruent maxima negotia? Deinde, hac ipsa solutione confirmatur argumentum: quia inde constat ineptum esse regendis omnibus Ecclesiis vnum hominem, cùm necesse sit ad eum non omnia, sed quædam tantùm referri negotia: id enim eò fit, quòd non possit omnibus par esse. Quemadmodū in Exodo, cùm Iethro Mosi autor esset assumendorum septuaginta Iudicum, hac ratione persuasit, *Vltra vires tuas est negotium.* Exodi decimo octauo.

V. Denique, hoc ipsum negatur, vnum hominem parem esse posse omnibus administrandis Ecclesiarum toto orbe dispersarum negotiis maioribus. Nam quæ illa, quæso, maiora sunt negotia? Institutio, destitutioque omnium Episcoporum: omniū hæreseon, hæreticorumque condemnatio: eorum qui in Ecclesiam quoquomodo insurgūt cōpressio: Schismatum sanatio: & infinita alia: sed etsi illa sola, tamē ea dico esse supra vires vnius hominis. Atque adeo non est necesse procul argumenta conquirere: nam id ipsa docuit experientia. Non potuit Innocentius compescere eos, qui iniustè Chrysostomum vexabant. Non potuit Liberius Constātio resistere fauenti Arianis. Dioscori ambitiosam insolentiam Leo domare nō potuit. Imò viuo Theodosio nunquam Synodum conuocare. Mille exempla colligam huiusmodi. Quid, cùm opposuerunt se Papæ Imperatoribus, inuolantibus (sic enim fingebant) in iura Ecclesiæ? Friderico, inquam, Aenobarbo, & similibus: cur tanti sunt bellorum impetus concitari, si solus sufficiebat in ea sede sedens homuncio? Nam is tum vti coactus est armis non suis, id est, non Ecclesiasticis.

VI. Sic argumentum soluebat Horantius. At Bellarminus vtile esse & commodum disputat, vt vnus homo totam Ecclesiam regat, per multos sibi subiectos pastores, neque esse non possibile. Duplici argumēto. Primo, quia posterioris ad Corinthios vndecimo, Paulus dicat se habere curam omnium Ecclesiarum: quod Chrysostomus exponit totius terræ curam gerere. Altero, quia multi Principes seculares habuerunt à Deo regna amplissima, & maiora, quàm nunc sit orbis vniuersus Christianus: quæ nisi administrare potuissent, data eis à Deo nūquam fuissent. Neque vnquam felicius administratus sit orbis terrarum, quàm Augusti temporibus. Cùm igitur Deus totum ferè terrarū orbem vnius hominis Imperio parere voluerit, cur non potuit Ecclesiam vniuersam vnius hominis prudentiæ ac sollicitudini commendare?

VII. Sed facilior est assertio, quàm probatio solidior. Nam primò, etsi multi sunt Scripturæ loci qui agunt de Ecclesiis regendis, tamen nullus est qui hanc rationem tradat, vt quispiā, quod sui muneris

neris est, agat per alios. Est enim Episcopatus, Apostolo quidem ἔργον, Veteribus verò λειτουργία. Secundò, primis Ecclesiæ seculis nego eum morem fuisse, vt vnus omnes Ecclesias rexerit per alios sibi subiectos. Denique ineptè & absurdè dici assero, Ecclesias regi ab vno per alios sibi subditos. Nihil enim aliud id potest significare, quàm eos plurimos Ecclesias regere, non suo iure, sed alieno, tanquam legatos alterius, qui ius suum omne mutuantur, habeantque precariò ab eo, cui sunt subditi. Sic in regno dicuntur reges, omnes sibi subiectas prouincias administrare per suos ministros: quia ij ministri in eas Prouincias nihil habent iuris, nisi quantum accipiunt à Regibus, qui eas illorum fidei committunt. Sic Romana Resp. prouincias regebat, per Proconsules, Prætorésve.

VIII. At Ecclesias Episcopi singuli singulas regunt suo iure, non verò accepta potestate precaria ab vllo vno: dicunturque & sunt Episcopi, non vllius Episcopi vicarij. Ecclesiam Constantinopolitanam regebat, exempli gratia, Chrysostomus, Alexandrinam Cyrillus, Cæsariensem Basilius, hoc iure, quòd singuli earum essent Episcopi, legitimo ordine à plebe electi, à Collegis probati, & consecrati. Itaque ineptè dicitur Episcopus Romanus eas Ecclesias rexisse, per Chrysostomum, Cyrillum, Basilium, sibi subditos: quos potius suos solebat appellare collegas, id est, æquo iure præpositos Ecclesiis Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Cæsariensi, atque Romanæ. Itaque Episcopi per Galliam scripsere ad Nicolaum, à quo seueriùs erant tractati anno octingentesimo sexagesimo tertio, *Scisque nos non tuos esse, vt te iactas & extollis, clericos, quos vt fratro, & coepiscopos recognoscere si elatio permitteret, debueras*. Extat Epistola in Annalibus autoris incerti, à Petro Pithœo editis. Denique Cyprianus dixit, *Vnū esse Episcopatum, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Quod certè esset absurdissimum, si omnes Ecclesiæ ab vno regerentur per plurimos. Quis enim dicat, vnum esse regnum, cuius in solidum pars teneatur à singulis, qui eius regni prouincias administrent tanquam regis officiarij?

IX. Ad argumentum primum respondeo: Non esse idem habere sollicitudinem omnium Ecclesiarum, & regere omnes Ecclesias: teste Gregorio Magno, Epistola trigesima secunda libri quarti, de Petro, *Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur: & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur*. Imò Cyprianus Epistola sexagesima septima, ei curæ vult omnes Episcopos incumbere, *Etsi pastores*, inquit, *multi sumus, vnum tamen gregem pascimus, & oues vniuersas, quas Christus sanguine suo & passione quæsiuit, colligere & fouere debemus*. Hoc igitur teste, non ad Apostolos solùm, sed etiam ad quemlibet Episcopum pertinet sollicitudo de omnibus Ecclesiis. Quod si ita est, tum profectò oportet diuersa esse, curam habere omniū Ecclesiarum, & omnes Ecclesias regere, siue per se, siue per alios. Enimuerò Paulus non potest dici pauisse eas Ecclesias, quas nunquam vidit, puta Indiā, aut Arabiam, aut si quæ sunt huiusmodi. Nemo etiam dixerit Iacobum, quem Hierosolymitanum Episcopum fuisse volunt, rexisse aut Romam, aut Alexandriam, aut Antiochiam, aut Ephesum. Quid? quod Paulus testatur sibi prouinciam datam Gentium, Petro Iudæorum? Habuerit ergo sanè curam omnium Ecclesiarum: sed nihilominus ei mandatā esse vnam prouinciam verum est. Si rexit, pauit, gubernauit vnam prouinciam, ergo non omnes: Nam ea esse opposita, quis non videt?

X. In summa, potest quilibet curam gerere, etiam eorum qui sibi non sunt subditi. Cyrillus ad Clerū & populum Constātinopolitanum in Actis Synodi Ephesinæ, ὀψὲ μὲν ἤδη καὶ μόλις ἐληλύθαμεν, ἐφ' ὅπερ ἦν ἀνάγκη ἐξ ἀρχῆς ἐλθεῖν τὸ φροντίζειν διὰ πάντων, τῆς ἁπάντων ὑμῶν σωτηρίας, *Serò, ac vix tandem eò venimus quò ab initio veniendum erat, vt curam haberemus vestræ omnium salutis*. Et tamen ad Alexandrinum Episcopum Constantinopolis non pertinebat. Cœlestinus Romanus ad Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Clerum & populum Catholicum Constantinopolitanū, in Actis eiusdem Synodi. ἡμεῖς πατρικῆς φροντίδος, ἡμᾶς ὑπὲρ ὑμῶν κινούσης, ἀλλοτρίῳ πυρὶ ἐμπεπρήσμεθα, *Nos, paterna cura quā gerimus de vobis, vrente alieno igne incensi sumus*. Alienū ignem appellans ea, quæ Ecclesiam Constantinopolitanam perturbabant. Quod, quo sensu dici potuisset, si ad Cœlestinum Constantinopolitana negotia proprio iure pertinerent, tanquam ad Monarcham? Nam certè non is ignis alienus est Regi, qui aliquam è suis prouinciis infestat, sed domesticus. Itaque, cùm sic loquutus est Cœlestinus, indicauit Ecclesiam Constantinopolitanam sibi non esse subiectam: & ostendit simul posse nos alienorum curam gerere.

XI. Itaque etsi Apostolus dicat, sibi incumbere sollicitudinem omnium Ecclesiarum, id tamen nō euincit vnum hominē sufficere regendis omnibus Ecclesiis. Aliàs, quorsum plures instituti fuissent à Christo Apostoli? quorsum etiam ipsi inter se distribuissent Prouincias? Quinetiam ipse Apostolus statim explicat, quam curā intelligat, subiiciēs, *Quis affligitur, quin ego affligar? quis offenditur, quin ego vrar?* Vnde Glossa interlinearis, Lombardus & alij, eam curam ex charitate prouenire dicunt.

XII. At Sanderus libri tertij capite primo, instat, & negat Paulum talem sollicitudinem intellexisse, quæ solo animo, ac non etiam exteriore opere exerceretur: quia dixerit Barnabæ, *Visitemus fratres, per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus Verbum Domini*. Præterea, varias ad varios scripserit Epistolas.

XIII. Respondeo, nullo modo Paulum potuisse opere exteriori, id est, iis officiis, quæ necessaria sunt ad administranda Ecclesiastica negotia, exercere curam omnium, quæ vbique essent, Ecclesiarum: & certum esse non paucas toto orbe fuisse, ad quas ille nec peruenerit, nec scripserit. Nam, etsi longus sit tractus ab Hierusalem, vsque ad Illyricū, quo spatio impleuisse se testatur prædicandi Euangelij munus: tamen, qui eum tractum comparabit cum vniuerso orbe, exiguū dicet. Proinde eam curam necesse est intelligi de affectu interno ex charitate summa, qua sic volebat Ecclesiis prospectum, vt nihil accideret, quod eis non proficeret ædificādis, vbicumque terrarum essent. Et sanè locus ex Actorum decimoquinto non ad omnes Ecclesias extenditur absolutè: sed limitatur ad eas, in quib' antè Paulus & Barnabas prædicarant, nempe in Pisidia, Iconio, Lycaonia, & vicinis prouinciis.

XIV. Sed hîc rursus Sanderus. Cùm Pauli sollicitudo talis omnino sit, qualem nos (inquit) hodie Pontifici Romano vindicamus, cur in hoc iudicatur impossibilis? Respondeo, non esse eandem curam. Nam, hoc sibi tribuit Romanus, vt à se vno pendeant omnes omnino Ecclesiæ, & quidem solo. Cùm Paulus nihil derogatum vellet suorum collegarum autoritati: atque adeo studiosè vitaret eos locos, in quibus illi priores functi essent suo mune-

re. *Ita ambiens* (inquit) *prædicare Euangelium, non vbi nominatus esset Christus, vt ne super alienum fundamentum ædificarem*: ad Romanos decimo quinto. Itaque in Indiam legitur nunquam excurrisse: aut in alias orbis partes, quæ erant aliis assignatæ. Imò ne Hierosolymis quidem vsus esse sua autoritate: aut vllam eius Ecclesiæ administrandæ partem vsurpasse.

XV. Iam de secundo Bellarmini argumento. Respondeo, primùm non quæri quid possit Deus: quando non constet quid velit: sed tantùm quid possit homo. Nostrû nemo est qui dubitet, si Deus constituisset vni homini hoc onus imponere, vt vniuerso orbi prouideret, id illum perfecturum. Quia nõ est apud illum quicquam impossibile. Sed frustra sibi homines de eius potentia blandiuntur, destituti eius promissis: quod semper Papistæ faciũt. Quasi non in alium finem putarent Deum esse omnipotentem, nisi vt hanc Omnipotentiam cùm vellent, exsererent: quomodo dicunt secularem gladium ad nutum sui Oecumenici exserendum. Quid his precemur, præter bonam mentem?

XVI. Secundò, nego vnquam totum terrarum orbem vnum Imperatorem agnouisse: imò ne maiorem quidem partem orbis: nego vlla esse oracula, quæ promittant aliter fore: Etsi non defuerint qui sibi conati sint totum orbem subiicere, imò lacrymati sint, cùm audirent alios orbes, præter istum. Sed horum conatus irritus, satis arguit ne in rebus quidem seculi, posse vllum vnquam hominem toti orbi imperare. Ecclesiam autem olim longè latiùs diffusam, quàm vllum vnquam Imperium, certo certius est. Nam Persæ, quos nunquam Romana domuerunt arma, ad eam pertinebant, & Scythæ: & tamen Eusebius Concilio Niceno, tum ex Perside, tum è Scythis adfuisse testatur Episcopos. Atque adeo certum est, Ecclesiam sua natura nullis terminis esse circumscriptam. Quid tum igitur, si olim fuerint Regna maiora, quàm nunc sit orbis Christianus? Non enim Oecumenicus huic duntaxat tempori imponitur, sed vniuersæ Ecclesiæ ab initio ad finem. Tum eadem libertas, quæ antiquis temporibus ei fuit, & hodie conseruanda est. Itaque dolendum quidem, arctiores esse Christianitatis limites, quàm fuerint iampridem: sed non propterea, Ecclesiarum, quæ quantumuis pauculæ supersunt, libertas immani subiicienda tyrannidi.

XVII. Tertiò, alia est ratio administrandę Ecclesiæ, alia Imperij. Nam hoc potest per Vicarios administrari: imò potius non potest nisi per Vicarios. At Ecclesia non item: nam etiam Chorepiscopi olim damnati sunt, quos hodie Episcoporum vicarios dicunt. Et Imperij administratio, cùm versetur circa res terrenas, non excedit vires humani ingenij. At Ecclesiæ regimen totum est spirituale: itaque non mirum, huic impares esse humani ingenij vires, quantumuis magnas. Ac sanè operosiorem, onerosioremque esse Ecclesiæ curã, agnoscet, quicunq; reputabit apud se, ei ipsam, vt ita dicam, rerum vniuersitatem esse oppositam: & multo difficiliùs hæresin eradicari è cordibus hominum, qui eam semel imbiberint, quàm hostes fugari è Republica: vt innumera alia prætermittam. Denique Chrysostomus hoc agit multis libris, de Sacerdotio, vt doceat, ipsum Episcopatum, id est, vnius Ecclesiæ curam, tantam esse, vt nemo hominum ei par sit: & nos credemus omnium Ecclesiarum administrationi vnum sufficere?

XVIII. Hîc tamen insurgunt Bellarminus & Sanderus, asserentes multo facilius Ecclesiam administrari, quàm Imperium: duobus argumentis. Quorum prius est Bellarmini: Reges non habent alia præsidia quàm humanam prudentiam, & generalem Dei prouidentiam. Pontifex autem, habet supernaturale lumen fidei, Scripturas Sacras, cœlestia Sacramenta, & particularem diuini Spiritus assistentiam. Alterum Sanderi Fideles multo faciliùs reguntur, quàm Ethnici: quia hi nihil nisi coacti faciunt; illi sponte: hi metu, illi amore: hi non nisi suum commodũm, honoremque, illi in primis Dei honorem, & proximi commodum spectant.

XIX. Respondeo ad Bellarminum: supernaturale lumen, Scripturas Sacras, cœlestia Sacramẽta, non esse particularia vni alicui pastori: sed communia vel omnibus, vel certè plurimis. Proinde nõ posse fauere Oecumenico Pontifici. Nam quid defuit, exempli gratia, Ignatio, Athanasio, Ambrosio, Basilio, quominus illa sibi vindicarent? Aut quem mihi dabunt ex eorum numero quos Oecumenicos volunt fuisse, qui his sit æquandus? Specialem autem Spiritus assistentiam; nemini vni vnquam esse promissam, sciunt Christiani: nisi fortè intelligas, generalium promissionum, specialem applicationẽ, distributis donis pro varia mensura: quæ nihil attinet ad Oecumenicum. Illam enim assistentiam specialem habuit Athanasius, habuit Basilius, habuerunt alij, qui tamen Oecumenici nunquam fuerũt.

XX. Ad Sanderum. Primò importunè comparari Ethnicos Christianis. Nam institutũ argumentum, non habuit comparationem Imperij Ethnici cum Ecclesia: sed simpliciter Imperij. Non est autem omne Imperium Ethnicum: itaque non esset hæc ratio vniuersalis, & perpetua, nec inde petitum argumentum necessarium.

XXI. Secundò, ne Ethnici quidem bene describuntur: quia non est verum Ethnicos nihil facere nisi coactos, & ex metu. Contrà enim, nunquam Christiani magis conspirarunt ad vtilitatem publicam Reipublicæ vllius, quàm Ethnici: quod probare licet infinitis exemplis, ex veteri historia repetitis.

XXII. Tertiò: ipsi Christiani describuntur non quales sunt, aut omnes, aut magnam partem, sed quales esse debent, quod ad facultatem regiminis nihil facit. Nam in Repub. optandi quidem ciues optimi: sed qui contigerunt tamen regendi. Et in ipsis rebus Ecclesiæ, tum Schismata, tum hæreses, manifesto sunt indicio, non omnes esse, quales Sanderus opinatur.

XXIII. Denique non ferendum, sic loqui Sanderum, quasi ex solis fidelibus Ecclesiæ constarent, de quarum regimine nunc agitur. Cùm tamen & alias Papistæ pertinacissimè disputent Ecclesiam vniuersalem constare tam ex reprobis quàm ex electis: & nos fateamur id esse verum in omnibus particularibus: in quibus experientia testatur, & ipsum Dei verbum perspicuè docet non minimam, sæpe etiam maximam partem eorum esse, qui sola professione sint fideles: cæterùm hypocritæ, ἄπιστοι, ἀνόητοι. Atque hæc ingenia mirum quàm difficilem reddant Ecclesiæ administrationem! maximè cùm ne coërcita quidem extremo supplicio (quod in Ecclesia vltra excommunicationem, & anathematismum, nullum est) nocere desinant. Nam Apollinaris, & Marcion, post excommunicationem hæresin facere cœperunt. Arius & Nestorius, & alij, ne excommunicatione quidem flecti potuere. Quare nihil

nihil tandem relinquitur, quo facilior ostendatur Ecclesiæ administratio, administratione Reipub. aut quo doceatur vnum hominem esse patrem regendis omnibus toto orbe Ecclesiis.

CAP. XII.

De Cypriano & Hieronymo.

I. HActenus argumenta nostra. Nunc venio ad Patres: Quorū primus esto Cyprianus. Is epistola quinquagesima quinta, quæ est ad Cornelium Episcopum Romanum, *Singulis (inquit) Pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.* Vnde geminum argumentum. Primum, si singulis pastoribus portio gregis est adscripta: ergo nulli totus grex. Satis sit ergo Romano Episcopo sua portio, nec in alienas vsurpet imperium: aut ne se pastorem dicito, sed lupum rapacem.. Hoc autem conforme est auctoritati Petri, *Pascite qui in vobis est gregem Christi*, de quo iam antè egimus. Alterum. Si singuli pastores sic regunt gregem, vt sui actus rationem Domino sint reddituri: ergo nullus est, qui ab aliis eam rationem exigendi ius habeat: ac proinde nullus est Oecumenicus.

II. Et hoc quidem posterius explicatur, confirmaturque ab eodem Cypriano in oratione, quam habuit ad Concilium Carthaginense, *Neque enim*, inquit, *quisquam nostrùm Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit: quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis suæ arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum iudicare. Sed expectemus, vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem & praeponendi nos in Ecclesia sua gubernatione, & de actu nostro iudicandi.*

III. Est verò notandus Cypriani scopus in ea Epistola, ex eius negotij quod tractat historia. Nonnulli Schismatici, in Africa condemnati, & abstenti Romam nauigarant ad Cornelium, vel sui purgandi, vel Cypriani accusandi gratia. Hoc factum grauiter Cyprianus exagitat, cùm aliis argumentis, de quibus aliàs: tum istis duobus, quæ nunc obseruamus: disertè innuens non teneri Episcopos Africanos suorum iudiciorum rationem reddere Romano Pontifici: ex hoc generali axiomate, *Quia singulis Episcopis portio gregis sit adscripta, quā regat quisque, sui actus rationem Deo redditurus*: quasi diceret, Romanum Episcopum suam habere ditionem, Africanos item suam: & quemadmodum Africanis non licebat regere transmarinas Ecclesias, sic nec Romano Africanas; quia non essent illi adscriptæ, siue committi: nec posse à Romano rescindi Africanorum iudicium, quia ipsi essent soli Deo suorum actuum rationem reddituri.

IV. Sanderus libro septimo, negat orationem Cypriani ad Concilium Carthaginense, quicquam detrahere Pontifici Romano: idque triplici argumento conicit, etsi perfunctoriè. Primo, Cùm dicit eminem ipsorum constituere se Episcopum Episcoporum, vtique significat se, quanquam sit Primas; non tamen id sibi sumere, vt collegis suis præscribat, quid ipsi aut dicant aut faciant. Secundo, Romanus sese non constituit, sed à Deo constitutus est. Tertio, Quòd Episcopus Romanus, Episcopus constitutus sit, non quidem Episcoporum, saltem quoad ordinem sacerdotalem, sed tamen etiam Episcoporum, quoad gubernationem omnium Christianorum, & fratrum confirmationē.

V. Respondeo, ad primum falli Bellarminum: quia non se tātùm Cyprianus intelligat, sed omnes Episcopos tum coactos; *Superest*, inquit, *vt de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem iudicantes, aut a iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Neque enim quisquam nostrùm*: & cætera, quæ sunt iam recitata Ergo, vult Cyprianus sic tractari quæstionem de hæreticorum baptismo, vt non tantùm sententiam suam quilibet dicat liberè: sed etiam vt ne quis propterea communione priuetur, quod aliter se credere profiteatur. Cuius ratio illud axioma, non esse vllum Episcopum Episcoporum, cui reliqui actus sui rationem reddere teneantur: Aliàs enim non opus erat hac oratione: quia nunquam Primates ius habuerunt Episcopis suis præscribendi, maximè in Concilio, quid dicerent, aut sentirent.

VI. Ad secundum, Sumitur res controuersa pro certa: hoc enim ipsum quæritur, verum Romanus Pontifex à Deo constitutus sit Episcopus Episcoporum. Deinde illud, constituit, intelligendum, gerit se: vt neget Cyprianus vllius esse gerendi se pro Episcopo Episcoporum. Esse autem eam sententiam generalem, patet ea proxima, *Quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium.* Nam si hoc vniuersaliter verum, vt voluit Cyprianus, colligitur sine dubio vniuersaliter, non verò tantùm particulariter pro Episcopis Africanis.

VII. Ad tertium, etiamsi concedatur distingui Sacerdotium à iurisdictione, tamen nihil est, quo eneruetur vis testimonij citati. Quia Cyprianus agit nnn de Sacerdotio, sed de ouibus pascendis: &, vt postea Sanderus loquitur, non de ordine, sed de iurisdictione. Agit enim de remouendis Episcopis à iure communionis, id est, de excommunicatione. Itaque nnn tantùm quoad ordinem, quod vltrò concedit Sanderus: sed ne quidem quoad iurisdictionem, vllus est Episcopus Episcoporum.

VIII. Secundus locus è Cypriani libro de Vnitate Ecclesiæ, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Et Epistola quinquagesima tertia, *Episcopatus vnus est, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.* Et sexagesima septima ad Stephanum, *Etsi pastores multi sumus, vnum tamen gregem pascimus: & oues vniuersas, quas Christus sanguine suo & passione quæsiuit, colligere, & fouere debemus.* Cypriano accedit Alexander Episcopus Alexandriæ, in ea ad omnes Episcopos, quæ extat apud Socratem libro 1. cap. 3. *In Sacris literis vnum est corpus Ecclesiæ Catholicæ nobis traditum.* Sic enim Christophorsonus legit. Nec aliter Clemens ille, quisquis fuit, Constitutionum sacri capite decimo quarto, ὑμῖν ἀποστόλοις ... ἐπισκοπῆς ... Nos Apostoli scripsimus vobis Catholicam hanc doctrinam ad fulciendum & confirmandum vos, quibus vniuersalis Episcopatus creditus est. Sensus est horum omnium locorum, æquo omnes iure Episcopos esse factos: eumque gradum, qui in Ecclesia Episcopatus dicitur, vnum esse, & in omnibus eundem, id est, vnius vbique naturæ, dignitatis, & potestatis. Atque id est quod expressum Cyprianus voluit, cùm dixit, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Nempe quia singuli Episco-

pi, quasi indiuidua quædam sint illius speciei, quæ Episcopus appellatur: ac proinde oporteat eos singulos, etsi partes sint duntaxat, totam participare Episcopatus naturam: quemadmodum homines singuli, cùm sint indiuidua, totam tamen in se naturam habent eius speciei, quæ dicitur homo. Sic singulæ Ecclesiæ, totam ipsam Ecclesiam per partes possident. Hinc est illud etiam quod dicitur, Episcopatum vnum diffusum esse concordi Episcoporum numerositate: & disertius, multos pastores vnum gregem pascere, hoc est, vniuersas oues: &, vt loquitur Alexander, vnum corpus Ecclesiæ Catholicæ. Quare si omnes, æquo iure, hoc est, in solidum, Episcopi sunt totius corporis Ecclesiæ: ergo necesse est nullum esse Oecumenicum Pontificem, qui habeat in alios Episcopos imperium. Sic olim Romæ, Senatores erant plurimi, sed singuli in solidum Reipublicæ Romanæ Senatores: aut si mauis, Proconsules eiusdem Reipublicæ Proconsules, sed in variis sibi attributis prouinciis, alij in alios ius nullum habentes, sed omnes eiusdem potestatis collegæ. Sic hodie septem Electores Imperij in solidum singuli sunt Electores, nec vnus, quatenus Elector, alio maior.

IX. Hoc illustri testimonio Cypriani, quum valde premi sese sentiant aduersarij, mirum quantis, quàm variis artibus eludere conentur, sibi mutuo nunquam satisfacientes. Franciscus Agricola capite decimo octauo, eatenus ita loquutum Cyprianum asserit, tum quia extra Catholicam Ecclesiam legitimus Episcopatus nullus sit: tum quia inter Episcopos Catholicæ Ecclesiæ visibilis, Pastor visibilis à Christo ordinatus, & ordinaria successione continuandus, principalis & summus Episcopus: cui alij inferiores Episcopi & Collegæ sint, inferiores tamen, atque diuina ordinatione meritò, semperque subiecti.

X. Hæc ille: sed vt alter Pythagoras, *αὐτὸς ἔφα*. Probationum tantum habet, quantum syluæ Delphinum. Tantam autoritatem sibi Iesuitæ arrogant. At nos audacissimos assertores, securissimè irridemus, non innutriti cæcæ obedientiæ. Porrò, prius membrum est inutile. Etsi enim verum sit, extra Catholicam Ecclesiam nullum esse legitimum Episcopatum, tamen non propterea, non omnes Episcopi intra Ecclesiam eodem iure sunt Episcopi: quanquam facile lector videt, id esse præter Cypriani scopum. In altero membro, perspicua falsitas: neque enim de visibili pastore vel literam Cyprianus habet, neque de principali & summo: neque de collegis inferioribus, & subiectis. Imò hæc omnino pugnant cum iis verbis, *à singulis in solidum pars tenetur*. Non potest enim vel fingi ratio, quomodo inferiores cum superioribus, & subiecti cum dominis, eandem dignitatem in solidum teneant. Non potest, inquam, fieri: & quicunque contrà imaginantur, monstra sibi fingunt.

XI. Hayus disputationum libro primo, capite vndecimo, asserit, nomine vnius Episcopatus Ecclesiam intelligi, cui vnum Episcopum, Christi Domini in terris Vicarium, præsidere vult. Huius autem vnius Episcopatus, à singulis Episcopis in solidum partem teneri, quia singuli Episcopi de Christianis suæ curæ commissis Domino sunt rationem reddituri: quæ explicatio fuerat Turriani.

XII. Sed via potuit quisquam magis falli. Primùm enim distinguitur expertè Ecclesia ab Episcopatu apud Cyprianum, *Quam vnitatem* (inquit) *firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum atque indiuisum probemus*. Erat autem loquutus de vnitate Ecclesiæ. Itaque sensus est, Episcopos debere vnitatem Ecclesiæ tenere, vt vnum quoque ostendant Episcopatum. Ergo aliud est Ecclesia, aliud Episcopatus. Secundò, Episcopatus non intelligitur nisi abstractè pro ipso munere, vnde concretè Episcopi nominantur: *Maximè* (inquit) *nos Episcopi, vt Episcopatum vnum & indiuisum probemus*. Ergo non est, vt vult Hayus, vnus Episcopatus, vnus Episcopus. Nam etiam quis ferre posset dicentem, vnus Episcopus est, cuius à singulis pars tenetur? Tertiò, Cypriani verba sunt vniuersalia, *cuius à singulis in solidum pars tenetur*: oportet igitur neminem excludi, qui se Episcopum profiteatur: itaque eum, quem toti Ecclesiæ præfectum Hayus somniat, aut non esse Episcopum, aut Episcopatus partem tenere. Quartò, Hayus dissimulat illud, *in solidum*, & illa tantùm expendit, *cuius à singulis pars tenetur*, cùm tamen tota vis argumenti in eo sit.

XIII. Sanderus libro septimo: vnitatem Episcopatus iis rebus conferri dicit, quæ vnæ sunt in origine, licet multiplicentur in propagatione. Ex eo effici, vt vnus Episcopus à Christo fuerit institutus, à quo, velut à matre fœcunda, cæteri Episcopi procrearentur.

XIV. Fœda alucinatio. Primùm, pro vno Episcopatu, vnus Episcopus substituitur: concretum pro abstracto: qua in re Hayus ineptè peccabat. Secundò, nunquam auditum est in Ecclesia, ab vno Episcopo alios esse procreatos Episcopos, tanquam à fœcunda matre. Atque adeò non potest consistere cum euentu. Nam à Petro nemo Apostolorum creatus est. Ab omnibus autẽ Apostolis, multi Episcopi. Ergo à Petro multi Episcopi non fuerunt creati. Tertiò, non cohærent præcedentia verba Cypriani, cum hac Sanderi interpretatione. Vult enim Cyprianus Episcopos vnitatem seruare, vt vnum & indiuisum Episcopatum esse probent. At hæc multorum ab vno creatio, omnino est diuisionis species: ideoque apud Papistas multi Episcopatus numerantur. Tum sciũt omnes creationem non esse vnius eiusdemque naturæ participationẽ cum eo quod creat. Quartò, non Episcopatus, sed Ecclesia comparatur iis rebus quæ vnæ sunt in origine, licet multiplicentur in propagatione: quo faciliùs deprehenditur Sanderi sophistina, affirmantis vnum constitutum esse Episcopum à Christo, quia Episcopatus per propagationem vnus sit. Quid enim? an vnicam dicet à Christo constitutam Ecclesiam, à qua, vt matre fœcunda, cæteræ procrearentur Ecclesiæ? Non dicet, opinor. Nam certè Romanam Christus non constituit, ipso Bellarmino confitente, non factum ex Christi institutione, vt Episcopus Romanus sit Petri successor, libro secundo de Pontifice capite duodecimo. Itaque, si esset aliqua à Christo fœcunda mater instituta, eam Hierosolymitanam esse oporteret: pro cuius dignitate satis scimus aduersarios nostros non pugnaturos. Igitur oportet aliud esse Ecclesiam, aliud Episcopatum à Cypriano nominatum. Quintò, huic consequenter Sanderi, quomodo cohærent hæc verba, *in solidum*? Nam si singuli partem vnius Episcopatus in solidum tenent, perinde Episcopus est Eugubinus, & Roffensis, & Alexandrinus, & Romanus. Nec ea ratione maior est Romanus, quàm quilibet alius Episcopus.

XV. Atque

XV. Atque hoc obiiciendum præuidit Sanderus: & respondit: Omne genus hominum, rectè vnum dici, quia vna sit natura humana ab vno propagata, cuius partem singuli homines insolidum tenent. Sed tamen Adamum maiorem esse cæteris hominibus, vtpote patrem. Eodemque modo, licet ordo sit idem, & idem Episcopale officium, tamen, quia Romanus Episcopus Cathedram Petri tenet, Petrus verò fuit ille primus Episcopus, quem Christus, velut aliorum fontem, & caput constituit, hinc fieri, vt Episcopus Romanus, etsi eandem Episcopatus naturam adeptus, omnibus tamen sit maior.

XVI. Sed primùm, falsò sumitur, Adamum maiorem esse hominé reliquis hominibus. Fuit pater: sed ea dignitas est accidens ad naturam hominis: non ipsa hominis natura. Secundò, rursus falsum sumitur, Petrum esse à Christo constitutum aliorum fontem & caput. Imò hoc ipsum est quod quæritur. Tertiò, comparantur dissimilia: quia exemplum est de solo Adamo: apodosis autem non de solo vno Episcopo, sed de pluribus, siue de Episcoporum successione. Atqui si verum, Petrum maiorem esse Episcopum, quia ab eo omnes orti Episcopi, quemadmodum Adam maior fuit homo, quia pater omnium hominum, oportuit illam inæqualitatem, vt in Adamo, sic in Petro personaliter subsistere: quia principium generationis non multiplicatur: aliàs nõ futurum principiũ: quia principium semper est vnicum, atque indiuiduum. Nec sanè Episcopatus dignitas quotidie suam originem sumere, nisi absurdè dici potest. Quartò, non vt Adam pater est omnium hominum, sic Petrus principium omnium Episcoporum. Nec enim ex Episcopatu Petri prodierunt reliqui omnes Episcopatus, quemadmodum ex Adamo homine reliqui homines. Etenim, cùm Adamus à se contulerit aliquid, & efficiens fuerit secũdùm Deũ, omnium hominũ, tamẽ Petrus non fuit efficiens omnium Episcoporum: sed Christus, siue per se, vt cùm Apostolos instituit Episcopos, si quibusdam credimus ex antiquis: vel per ipsos Apostolos, Apostolicosque viros, qui in variis Ecclesiis Episcopos constituerunt. Nec verò Cyprianus vnquã dixit, Petrum originem fuisse omnium Episcoporum: sed tantùm ex eius cathedra ortam sacerdotalem vnitatem. Notentur ergo verba: non enim sacerdotium ipsum dixit, sed sacerdotalem vnitatem: id autem significat vinculum, quo in fraternæ consensionis vnitatem vincirentur omnes Episcopi, vt vnum corpus, imò vnum Episcopatum efficerent. Quod quomodo intelligendum sit, alibi explicatur à nobis fusius.

XVII. Bellarminus libro secundo de Pontifice, capite decimo sexto, Episcopatum vult vnum esse eo modo, quo Ecclesia est vna: hanc verò vnam esse eo modo, quo multi arboris rami sunt vna arbor, multi riui vna aqua, & multi radij vna lux. Sicut ergo in ramis, riuis, radiis, vnitas est ratione vnius capitis: ita etiam Ecclesia vna est, inquit, & Episcopatus vnus in radice, & capite. Vnius igitur magni Episcopatus ab Episcopis singulis insolidum pars tenetur, sed non æqualis, neque eodem modo. Nam Petrus, & eius successores tenent eam partem, quæ est veluti caput, & radix, & fons: cæteri tenent alias partes, quæ sunt velut rami, & riui.

XVIII. Atqui hæc toto cœlo, totaque terra aberrant à Cypriani mente. Is enim distinctè singulas Ecclesias particulares comparat ramis, riuis, radiis, qui vnitatem seruent in origine. Quemadmodum igitur nulli rami sunt robur ipsum, nulli riui fons ipse, nulli radij lux ipsa: sic nullas ecclesias particulares, oportet esse eam ecclesiam vnã, è qua multiplicatæ oriuntur. Si placet igitur eandem similitudinẽ aptare singulis episcopatibus, necesse erit, vt sint singuli distincti ab eo magno episcopatu, vnde ortũ ducent. Aut igitur, non erit is magnus ille episcopatus, aliquis qui teneatur ab vno è singulis episcopis, aut profectò sui valde oblitum oportuerit Cyprianum.

XIX. Deinde: Sic vnus est (inquit) episcopatus; quemadmodum ecclesia vna. esto, inquam. Atqui ecclesia nõ est vna hoc modo, vt vna quædam particularis ecclesia sit magna illa ecclesia, vnde reliquæ oriantur. ergo, ne episcopatus quidem.

XX. Tertiò, quod ait insolidum quidem, sed non æqualem à singulis partem teneri, admitti potest, si inæqualitatem intelligas accidentariam. Neque enim omnes ecclesiæ, aut omnes episcopatus, amplitudine, & diuitus pares esse possunt: sicut neque in arbore rami, aut in fonte riui. Sed id nihil obstat: neque inducit vllam inæqualitatem episcopatuum, quatenus episcopatus sunt: vnde Hieronymus disertè negat Romanum maiorẽ esse Eugubino. Sic, etsi mole corporis Polyphemus Vlysse maior fuerit, non tamen fuit magis homo. Hęc igitur inæqualitas, si qua est, referenda, non ad originis participationẽ, sed ad ipsam partium inter se comparationẽ.

XXI. Proinde cùm Bellarminus asserit, à Petro, & Petri successoribus eam teneri partem, quę sit velut caput, radix, & fõs: nugatur. Imò non potuit manifestiùs cõtradicere Cypriano: qui ipsũ episcopatum vnum, qui caput est, & radix, & fons, vult à singulis insolidum teneri. Itaque bis peccat. Primò, quòd eam partem dicat esse: deinde, quòd ab vno quopiam teneri. Quod vtrumque longissimè aberrat à Cypriani mente.

XXII. Instat Bellarminus: & episcopatus, inquit, similis est corpori heterogeneo, non homogeneo: ex quo sequitur, vt non eodem modo teneant episcopi singuli partem huius episcopatus. Nam sicut radix, licet sit pars, vt etiam ramus, tamen sustentat, & regit ramos: & omnia quæ sunt in ramis, sunt etiã virtualiter in radice, non è contrario: ita etiam, licet ecclesia Romana, & episcopatus Romanus, sit pars ecclesiæ vniuersæ, & episcopatus vniuersalis, sicut est ecclesia Tusculana, & eius episcopatus, tamen ecclesia Romana regit Tusculanam, non contrà.

XXIII. Respondeo. Primùm, non est episcopatus instar corporis heterogenei, sed homogenei, vel potiùs ὁμοιομερῶν. Nam quæcumque corpora sunt heterogenea, eorum partes non participant totum insolidum: Nec enim oculus totam possidet, non tantùm quantitatem, sed ne naturam quidem corporis humani. At aquæ guttula, sola quantitate, non verò natura distinguitur à lacu vniuerso. Cyprianus autẽ testatur quemlibet episcopatum insolidum obtinere per partes episcopatum vniuersalem.

XXIV. Secundò, hæc partium heterogenearum comparatio est præter Cypriani mentem. Quia is episcopatum, atque ecclesiam in abstracto cõsiderat, distinctè ab ecclesiis particularibus: atque has omnes comparat ramis, non autem trunco, radicibúsve: at illam trunco, non ramis. Quid ergo Bellarminus cogitabat, cùm ecclesiam Romanam, partem ecclesiæ vniuersalis, sine illius episcopatus magni, radicibus comparauit? Certè animum habuit in patinis, non in loco qui erat præ manibus. Deo-

de, etsi verum sit inter ramos alios esse aliis maiores, minoresve, tamen id nusquam Cyprianus attingit, nedum vrgeat: itaque otiosè conquiritur. Et cum id ille tantùm consideret, quòd omnes sint rami, eaque saltem ratione inter se æquales: etiam particulares Ecclesiæ intelligendę sunt à Cypriano inter se cumparatę, qnatenus sunt æquales.

XXV. Tertiò, eadem comparatio est contra Cypriani mentem: quia, cùm is dixerit à singulis insolidum partem teneri, Bellarminus tamen dicit, non omnes partes eodem modo teneri: quæ duæ sententiæ, si non sunt contradictoriæ, ego me vehementer falli fatebor. Itaque, ex sententia Cypriani, rectè colligitur, non tantùm quod concedit Bellarminus, Papam Romanum non esse Episcopum omnium Ecclesiarum: sed etiam, quod ille nolebat, nullo iure eum sibi aliquid assumere in reliquos Episcopos, qui æquo iure, hoc est, insolidum, cum eo sint Episcopi.

XXVI. Sequuntur duæ solutiones, sed obscuriores, non tamen omittendæ. Vna: Oecumenicū Pontificem, ex eo quòd sit Episcopus, nihil quidem habere, iuris in reliquos: sed præter Episcopatum, habere etiam primatum in omnes. Altera: Concedit cuilibet Episcopo suam esse attributam Ecclesiæ Catholicæ partem: nihil tamen obstare, quominus vnus sit omnium primus.

XXVII. Contrà, ad priorem, quæro, vtrum sit is primatus, aliud quid ab Episcopatu, an non sit. Nā si est quid aliud: primò, contradicitur Bellarmino, qui Episcopatum Romanum comparat radici, vt alios ab eo regi doceat. Secundò, quæram à quo, & quando sit institutus. Nam certè claues ad Episcopatum pertinent. Tertiò, si præter Episcopatum cōstituitur hic Primatus, & quidem supra Episcopatū: ergo non erit episcopatus summus in ecclesia gradus, contra quàm docuimus apud Veteres creditū. Sin verò non sit ab episcopatu alienus Primatus: sed potiùs ab episcopatus Romani natura: sic vt reliqui sint tantùm episcopi, sed iste episcopus primus: ergo, proprio quodam iure episcopus Romanus erit episcopus: ac proinde reliqui non participabunt episcopatum insolidum cum eo: sed ille tantùm insolidum solus habebit: reliqui non per partes, sed per particulas. Quod nunquā Cyprianus admisisset.

XXVIII. In altera, non satisfit argumento: quia Cyprianus dixit, non tantùm vnum esse episcopatum, cuius à singulis pars teneatur: sed etiam eam partem teneri insolidum: quod significat, non tantùm vnum aliquem non esse episcopum omnium ecclesiarum: sed etiam reliquos omnes pari cum eo iure episcopos esse Catholicæ ecclesiæ. Itaque primatus intelligi nullus potest: non temporis, non ordinis, quem tamen vtrumque admittimus: Sed is non est, nisi accidens ad episcopatum: ac proinde non potest contineri sub ea participatione solidaria. Multo minus potestatis, quia contradiceret eidem participationi.

XXIX. Superest Turrianus Defensionis aduersus Sadeelem libro primo, capite decimo septimo, & vigesimo sexto. Is, primùm negat à singulis episcopis vnum episcopatum teneri posse totum, id est, insolidum: hoc argumento: Iste episcopatus, quem Cyprianus dicit, habet partes, quarum vnaquæq; pars ab vno quoque episcopo tenetur. Quod si is, qui partem episcopatus, qui vnus est, tenet, ipsum vnum episcopatum insolidum tenet: igitur totum non distinguitur à parte. At hoc fieri non potest. Deinde Cypriani mentem sic explicat: Vt episcopatum illū, quem vnum & indiuisum vocat, ecclesiam intelligat Catholicam ex multis ecclesiis constātem, quarum singulis singuli episcopi sic prȩsidere debeant, vt episcopatum ipsum vnum & indiuisum maximè probent. Teneri autem à singulis insolidum partem episcopatus esse, vt ipse solus, qui tenet, insolidum redditurus sit rationem partis, siue portionis sibi adscriptæ. Id probat, quia episcopus ad episcopatū refertur: ergo, portio gregis, quæ vnicuiq; adscripta est, episcopatus eius est. Sunt igitur in vna ecclesia Catholica totidem episcopi, quot episcopatus. Deinde, sicut multæ orationes sunt vna συνδεσμῷ, sic omnes episcopatus, quum in vnum cohærent, vnus episcopatus indiuisus sunt. Hæc Turrianus.

XXX. Respondeo ad argumentum, Cōsequentiam esse falsam. Distinguitur enim totum in τὸ καθ' ὅλον, & τὸ συνεχὲς, καὶ πεπερασμένον Quarti Metaphysicorū vigesimo sexto. De posteriori tantùm vera possit esse consequentia: neque enim pes potest esse totum corpus insolidum: sed tantùm pars eius corporis. At de priore omnino falsa est: nam omnis species, pars est generis: & indiuiduum speciei: & tamen totū genus est in specie: totaque species in indiuiduo: nec propterea non distinguitur genus à specie: species ab indiuiduo. Episcopatus autem à Cypriano consideratur, vt totum καθ' ὅλον, non vt συνεχές. Itaq; nihil obstat, quominus securè dixerit, à singulis per partes teneri insolidum: nā ea natura est τοῦ καθ' ὅλου.

XXXI. Iam verò, Cypriani mentem quàm fœdè corrupit? Primò falsum, episcopatum ecclesiam vocare: & iam refutatum in Bellarmino. Secundò, teneri partem insolidum, vnius episcopatus, nego esse rationem reddi Deo eius partis. Nam id Cyprianus neq; eo loco dixit: neq; vt interpretaretur, multò similius illud, *Vnum gregē pascimus*: Et, *oues vniuersas colligere, & fouere debemus.* Nēpe, vt quilibet episcopus, etsi suo gregi peculiariter affectus, tamen iure sui episcopatus vniuersam ecclesiam curare debeat: quomodo Paulus omnium sibi solicitudinē dicebat incumbere. In probatione nego cōsequentiā. Nam, etsi episcopus ad episcopatū referatur, tamen non est verum, portionē gregis cuiq; adscriptam esse ipsum episcopatū. Distinguendum enim inter episcopatū, & diœcesin: nam hæc est subiectū, in quo episcopus suo Episcopatu fungitur. Sic Paulus, *Attendite totum gregem, in quo vos Spiritus posuit Episcopos.* Actorum vigesimo. Sed nimiū delusus est Turrianus Papistica consuetudine, quæ episcopatum solet pro diœcesi nominare. Falsū igitur totidē esse episcopatus, quot episcopos ex mente Cypriani, qui potius vnum dixit, & indiuisum. Vnitatis autē ratione falsum est, esse ex συνδεσμῷ: non enim per partes teneretur insolidū. Et quæ sic sunt συνδεσμῷ vnum, non ipsa inter se vna sunt: sed in tertio. Sic ligna in fasciculo non sunt vnum lignum, sed vnus fasciculus: nec literæ in syllaba, vna litera, sed vna syllaba: nec oues in grege, vna ouis, sed vn⁹ grex. At episcopat⁹ omnes sunt Cypriano vnus episcopatus, non aliud quid tertiū.

XXXII. Atq; hactenus Cyprianus: cui addo Hieronymū epistola ad Euagrium, *Vbicūque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdē meriti, eiusdem est & Sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorē, vel inferiorem Episcopū non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt.* In quibus verbis hæc duo notanda. Primū, omnes episcopos eiusdem esse, non tantùm sacerdotij, sed etiam meriti: quo ver-

bo id omne, sine dubio, significatur, quod dignitatis vocabulo potest comprehendi, vt tantumdem tribuendum ostendatur vni, quantum alteri. Sacerdotium videtur additum, pro argumento; ac si esset dictũ: Idem est Sacerdotium: ergo & meritum. Alterum: quòd Episcopi non sint alij aliis sublimiores, vel inferiores: etsi locorum, quibus præficiuntur circunstantiæ eiusmodi esse queant, quæ alterum altero illustriorem efficiant. Valet autem argumentũ: Si omnes Episcopi sunt eiusdem, vt sacerdotij, sic & meriti, nullusque sit alio sublimior: Ergo nullus est Oecumenicus Pontifex. Hunc enim nulla ratio patitur esse non sublimiorem, aut maioris meriti, Episcopis ipsis subiectis. Nec omittẽda successio Apostolorum: significat enim, tam Episcopum Eugubinum, quàm Romanum esse Apostolorum successorem: vnde superiora validissimè cõfirmantur. Erant enim Apostoli, teste Cypriano, id quod Petrus: pari consortio præditi honoris, & potestatis.

XXXIII. Hîc distinguunt omnes ordinem à iurisdictione. Sed id Hayus pluribus explicat, Disputationum libro primo, capite duodecimo. Hieronymum asserere, omnes esse eiusdem meriti, & sacerdotij, quia vnus non sit magis Episcopus, quã alius: omnes enim esse successores Apostolorum. Esse etiam verum, potentiam diuitiarum, & paupertatis humilitatem, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum nõ facere: sed nihil haberi de potestate gubernandi Ecclesiam: neque dicere Hieronymum, omnes Episcopos eiusdem esse potestatis, & honoris: sed paucis verbis esse loquutum de ordinis, non de iurisdictionis potestate.

XXXIV. Sed contrà. Primò, ea ipsa, quæ Hieronymum dixisse concedit, abolent Oecumenici Põtificis gradum: Nam si sunt omnes Episcopi eiusdẽ sacerdotij, ideoque & meriti: necessariò fatendum, aut non esse eiusdem sacerdotij cum cæteris hunc Oecumenicum, aut reliquos esse eiusdem cum eo meriti. Et rursus, si sunt omnes Apostolorum successores, verumq; sit (quod aliàs diligenter, & sumũt, & vrgent Papistæ) successores idem ius habere, cũ iis quibus succedunt: Ergo sunt omnes Episcopi pares, & honore, & potestate, quia sic olim Apostoli. Secundò, etsi iisdem potestatis, & honoris vocabulis vsus non sit Hieronymus, tamẽ pro iisdem sumpsisse sacerdotij, & meriti nomina: quorum priore ipsa in se significatur ministerij natura: altero, quicquid ad hoc sacerdotium sit consequens. Itaq; negat ex iure eius Ecclesiastici ministerij, vllũ Episcopum quicquam magis mereri, quàm alium. Tertiò, non esse alium, alio magis Episcopum, id quidem sequitur ex Hieronymi verbis: sed non id tantùm: imò aliquid præterea. Dixit enim omnes Episcopos esse eiusdem etiam meriti: à quo vocabulo, tanquam à scopulo, in quem naufragium faciat, sibi diligenter Hayus cauet.

XXXV. Porrò non fuit adeò ineptus Hieronymus, vt sacerdotium, siue Episcopatum separaret à potestate regendi Ecclesiam: sciebat enim vtrumq; ordinatione diuina coniunctum, itaque ab homine non distrahendum. Actorum vigesimo, *Attendite vos ipsos, & totum gregem in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei.* In quem locum Caietanus, *Officij nomen est Episcopus: quod officiũ subiungit Paulus dicens, Regere Ecclesiam Dei.* Nam verbum ποιμαίνειν, hoc loco Vetus interpres reddidit *regere*: Quemadmodum igitur ab Imperij dignitate, ipsa imperij regendi facultas: aut à magistratus ordine, ipsa iuris dicundi autoritas separari nequit, sic neq; ab Episcopi officio, potestas gubernandæ Ecclesię. Nam & Episcopus Pastor est: Pastoris autem officium, aliud nullum, quàm pascere oues.

XXXVI. Ad ordinẽ, quod attinet, & iurisdictionem, distinguo iurisdictionẽ, vt significet, vel ipsam potestatis exercendæ facultatem in abstracto, vel concretè potestatem pro variis locorum circumstãtiis: & vno verbo pro diœcesi. Nam hoc sensu, fateor distingui ab ordine: quia qui Episcopus est, non potest suo fungi Episcopatu vbique terrarum, sed in sua ecclesia tantùm. Verum hæc iurisdictionis circumscriptio non est Episcopatus natura, sed accidẽs: At si abstractè intelligas, pro autoritate vsurpandi omnes partes ministerij pastoralis, tum negamus ordinem distingui à iurisdictione. Porrò Hieronymus vero sensu loquutus sit, facile est videre. Non igitur concretè: quia concedit distinctionem diœcesium, Romanæ, Alexandrinæ, Eugubinæ: sed abstractè: quia in variis illis diœcesibus, idem sacerdotium, idemq; meritum constituat: vt sensus sit, non maiorem esse Episcopo Romano, in sua Romana diœcesi autoritatem, dignitatémve, quàm Eugubino in sua: quia æquè Episcopus hic sit Eugubinus, ac ille Romanus. Itaque æquè vterque Oecumenicus; id est, neuter.

CAP. XIII.

De Gregorij primi autoritatibus & sententia.

I. CYpriano, & Hieronymo subiicimus Gregorium eius nominis primum, Episcopum Romanum, acerrimè inuehentem in Ioannem Constãtinopolitanum Patriarcham, qui se vniuersalem volebat appellari, id est, Oecumenicum Pontificem: sibiq; eo iure omnes subiici totius orbis Episcopos. Ex cuius Epistolis, quæ sequuntur, excerpta sunt.

II. Libro quarto, epistola trigesima secunda ad Mauricium Augustum, *Non solus ego, sed tota turbatur Ecclesia: quia piæ leges, quia venerandæ Synodi, quia ipsa Domini nostri Iesu Christi mandata, superbi, atque pompatici cuiusdam sermonis inuentione turbantur. Sacerdotes, qui in pauimento, & cinere iacentes flere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, & nouis, ac prophanis vocabulis gloriantur.* Et postea, *Quis est iste, qui contra statuta Euangelica, contra Canonum decreta, nouum sibi vsurpare nomen præsumit?* Rursus, *Absit à cordibus Christianorum, nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur.* Item, *Ille coercendus est, qui sanctæ vniuersali Ecclesiæ iniuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoque imperij vestri, se per priuatum vocabulum superponit.* Epistola trigesima quarta ad Constantiam Augustam, *Sunt quidam, qui indignos se omnibus hominibus fatentur: sed priuatis vocabulis contenti esse non possũt, quia illud appetunt, vnde omnibus digniores esse videantur.* Qui tamen mihi corruptus locus videtur: nam quid illud est, *indignos omnibus hominibus?* Et illud, *priuatis vocabulis contenti esse non possunt?* In priore videtur reponendum, *communibus nominibus*. De posteriore ἐπέχω. Sed rursus Gregorius, *Se noua præsumptione, atque superbia idem frater meus vniuersalem Episcopum appellat.* Item, *Sed in hac eius superbia, quid aliud, nisi propinqua iã Antichristi esse tempora designantur? Quia illum videlicet*

imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere? Vnde per Omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis vestræ tempora permittatis vnius hominis elatione maculari: neq; tam peruerso vocabulo vllum aliquo modo præbeatis assensum.

III. Epistola trigesima octaua, ad ipsum Ioannem, *Rogo, deprecor, & quanta possum dulcedine exposco, vt fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, atque erroris nomen deferentibus, contradicat, nec stulto, ac superbo vocabulo appellari cōsentiat.* Et pòst, *Quis, rogo, in hoc tā peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandū proponitur, qui despectis Angelorū legionibus secū socialiter cōstitutis ad culmē conatus est singularitatis erumpere, vt & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur?* Iterū, *Scriptum est: Honore inuicem præuenientes: & tu conaris eum omnibus tollere, quem tibi illicite desideras singulariter vsurpare.* Epistula trigesima nona, *In isto scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quàm fidem perdere.*

IV. Epistola vigesima quarta libri sexti, *In suscipienda fratris, & consacerdotis nostri Cyriaci synodica Epistola dignum non fuit, vt pro causa profani vocabuli moras facerem, ne vnitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarem: sed tamen de eodem superstitioso, & superbo vocabulo eum admonere studui, dicens, quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata inuenit. Vos tamen eandem causam nullam esse, dicere non debetis: quia si hanc æquanimiter portamus, vniuersa Ecclesiæ fidem corrumpimus.* Et epistola trigesima ad Mauriciū Augustum, *Eundem fratrem, & consacerdotem meum studiose admonere curaui, vt si habere pacem omnium, concordiámque desiderat, ab stulti vocabuli se appellatione compescat.* Et pòst, *Ego autem fidēter dico, quia quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur: quia sicut peruersus ille, Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus Sacerdos appellari appetit, super cæteros Sacerdotes se extollit.*

V. Hæc collegisse sufficiat: vnde non pauca suppeditantur argumenta. Primum, si Gregorij temporibus, qui post Christum floruit annis fere sexcentis, vniuersalis Episcopi, nouum erat nomē, nouum vocabulum, ex noua præsumptione, & superbia: ergo antea incognitum Christianæ Ecclesiæ: atque adeò ipsum munus, non à Christi, aut Apostolorum constitutione. Secundum: Si vniuersalis Episcopi nomē est vanum, prophanum, blasphemum, peruersū, stultum, superbum, sceleratum: ergo non tantùm ex institutione diuina: sed ne humana quidem bona, aut vtili: nec vnquam in Ecclesiam inuehendū, aut inuectum recipiendum, aut receptum tolerandum. Tertium, si est contra statuta Euangelica, & Canonum decreta: ergo à nemine vsurpandum. Quartū, Si eo nomine omnium Sacerdotum honor adimitur, & fit iniuria sanctæ vniuersali Ecclesiæ: ergo nemo id sibi debet arrogare. Quintum: ille coercēdus est, qui honori Imperatoris se superponit: qui nulli subesse, & solus omnibus præesse vult. At huiusmodi est, quicūque sibi vniuersalis Episcopi nomen assumit. Coercendus igitur. Sextum, Si is qui se in Ecclesia vniuersalem nominat, & Satanam imitatur, & præcursor est Antichristi. Ergo non debuit in Ecclesia locum habere. Hæc & alia sic possunt ex Gregorio concludi, aduersus successorum eius superbam insolentiam.

VI. Hoc Gregorij grauissimum, domesticumque testimonium, vt eludant, nullum non lapidem mouent omnes, Sanderus libro septimo de Monarchia Ecclesiæ: Ioannes Haynus Disputationum libro primo, capite decimo tertio. Bellarminus libro secundo de Pontifice, capite tricesimo primo: Franciscus Agricola, capite sexto, & decimo sexto. Cæsar Baronius ad annum quingentesimum nonagesimum quintum. Et alij. Quæcumque autem adferunt, in duo capita recidunt, quæ nos ordine refutabimus.

VII. Primū igitur effugium, in distinctione personarum. Non enim simpliciter vniuersalis Episcopi nomen à Gregorio traduci, sed tantùm Ioannis insolentiam reprimi, qui ad se transferre conaretur id, quod iure tribuendū erat Episcopo Romano. Nullus enim hactenus (inquit Baronius) Orientalium Patriarcharum, ne Alexandrinus quidem ipse, licet totius Orientis spiritualem præfecturam sibi vendicaret, eo vsus est nomine. Et cum his sensisse videtur Platina, & Sabellicus, qui dicunt hoc argumento Gregorium vsum, Petro, & eius successoribus Episcopis Romanis claues esse traditas à Christo, non Episcopis Constantinopolitanis.

VIII. Sed hoc vehementer est falsum: refutaturq; facilè his argumentis. Primùm, Quod se disertè neget Gregorius, aut vllum suorum prædecessorum tā profano vocabulo vti vnquam consueuisse: imò ne velle quidem in posterum consentire: quia non sit id aliud quàm fidem perdere: quasi diceret, si vllus Romanus Episcopus sese Oecumenicū appellarit, is fidem perdet. Secundò: hoc scelesto vocabulo omnium Sacerdotum adimi honorem clamat: negari alios esse Patriarchas: quod non esset verum, si de suo tantū negotio ageret. Nihil enim obstaret quominus æque perseuerarent in dignitate Patriarchatus omnes, atque adeò singulis suus honor seruaretur, sub Ioanne, ac sub Gregorio, si tantùm personæ mutatio fieret. Quemadmodum, cùm Thessalonicensis, Syracusanus, Corinthius, Rhegiensis, Neapolitanus, Atheniensis, Patrensis, non magis erant Metropolitani, cùm sub Romano Episcopo agerēt, quā cùm translati sunt in dicionem Constantinopolitani, prout habetur in dispositione facta per Imperatorem Leonem Sapientem, de ordine Ecclesiarum Patriarchæ Cōstātinopolitano subiectarum, quæ est in corpore iuris GræcoRomani. Tertiò, Si suum negotium ageret: atque eum titulum ad se pertinere assereret, non debebat in rē ipsam, imò ne quidem in ipsum nomen, sed tantùm in Ioannis personam inuehere. An possit enim quisquam credere sanum Gregorio cerebrum fuisse, sic causam s-gentis? Vniuersalis Episcopi nomen, stultum est, prophanum, blasphemum, superbum, vanum, peruersum, denique scelestum: ergo non pertinet ad Ioannē, sed ad me? Rursus. Quicūque se effert supra collegas suos, & vsurpat nomen singularitatis, & præfert se cæteris, & cæteros sibi subiicere conatur, Luciferum imitatur, & est præcursor Antichristi. Ergo Ioannes non debet ea sibi vendicare: sed mihi soli permittere? Egregiam verò Dialecticam, & Oecumenico Pontifice dignissimam! Sed fatendum est potius, Gregorium prorsus & absolutè damnasse ipsam eius fastus introductionem in Ecclesiam.

IX. Secundum effugium ab ὁμωνυμίας distinctione, quæ plerisque omnibus placuit. Dupliciter enim vniuersalem Episcopum intelligi: vel pro eo, qui solus sit, & vnicus Episcopus, sic vt nulli præter ipsum Episcopi nomine vocari similiter possint, & potius, vniuersalis istius, ac vnici Episcopi, veluti ministri, & vicarij censeri possint, & debeant. Vel pro eo, qui non quidem vnus, & solus, sed saltem præcipuus, & sum-

summus sit Episcopus inter alios inferiores, habeatque curam totius Ecclesiæ, sed generalem, ita vt nō excludat particulares Episcopos, sicut generalis aliquis minister, aut prouincialis vocatur, non qui solus, sed qui principalis, & supremus sit Minister, aut Prouincialis, inter alios Ministros, & Prouinciales, quos sub se habet. Priore ergo sensu intelligendum Gregorium itaque rectè id nominis exsecrari, vt vanum, sacrilegum, scelestum. Altero autem, nūquam putasse damnandum. Illo igitur Ioannem sese vniuersalem voluisse esse: at isto tantum Romanum Episcopum sibi sumere.

X. At contrà, dupliciter disputo: Primò, Episcopum Romanum sese Oecumenicum dicere priori sensu. Secundò, Gregorium exsecrari id nominis secundo sensu, multoque magis primo. Et quidem Episcopum Romanum fatemur nondum eò deuenisse insaniæ, vt omnibus Episcopis nomen adimeret, tanquam sibi eximium: sed quod proximum est, saltem reliquos omnes Episcopos pro ministris, & vicariis suis habet: quare tollit reuera, eius nominis quod eis dicis causa concedit, rem ipsam, & substātiam: cùm propriè Episcopus sit summus Sacerdos. Probatur, quia ad annum octingentesimum sexagesimum tertium, Ecclesia Gallicana querebatur à Nicolao Papa Episcopos appellatos esse suos clericos, in Annalibus à Pithœo editis, *Scisque nos nō tuos esse, vt te iactas, & extollis, clericos, quos vt fratres, & coepiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras.* Rursus, Concilium Cardinalium delectorum à Paulo tertio, totidem literis Episcopos vocat Ministros Papæ, *Sāctitas vestra ità gerit curam Ecclesiæ Christi, vt ministros plurimos habeat, per quos hanc curam exerceat. Hi autem sunt clerici omnes, quibus mandatus est cultus Dei, presbyteri præsertim, & maximè curati, & præ omnibus Episcopi.* Rursus, post notatos abusus circa beneficia, *Hucastigatu*, inquit, *quæ pertinent ad constituendos tibi ministros.* Et iterum, *Post hæc, quæ ad instituendos ministros tuos in hac vniuersali Ecclesiæ cura, & in eius deinde administratione spectare videtur.* Quod si ita est, quis non videat, ne hac quidem distinctione elabi Papas, quin feriantur Gregoriano fulmine?

XI. Pergo ad alterum membrum, & doceo Gregorium vniuersalis nomine vti secundo sensu, pro eo, qui non quidem velit præter se vllum esse, aut Episcopum, aut Patriarcham: sed qui non excludens particulares Episcopos, omnibus sese superiorem diceret: quomodo hodie sese Romanus ostentat. Id probo his argumentis.

XII. Primum argumentum: Quia id reprehendit Gregorius, quod sibi Ioannes arrogabat. At id nunquam sibi Constantinopolitanus Patriarcha arrogauit, vt solus esset Episcop⁹ in toto orbe. Itaq; quicunque eius autoritatem agnouerunt, inque eius ditione fuerunt, suos semper titulos retinuerunt, tum Episcoporum, tum Patriarcharum, atque adeò haud aliter salutabantur ab ipso Constantinopolitano: vt videre est in Dispositione Leonis Sapientis. Sic in corpore iuris Græco-Romani inuenias, *Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης, τῷ ἐν κυρίῳ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ, καὶ συλλειτουργῷ, τῷ ἱερωτάτῳ μητροπολίτῃ Δυρραχίου, καὶ ὁσιωτάτῳ ἐπισκόπῳ Διαβόλεως.* Ioannes, *miseratione Dei, Archiepiscopus Constantinopolis nouæ Romæ, & vniuersalis Patriarcha, dilecto in Domino fratri, & comministro, sanctissimo, & honoratissimo Dyrrachij metropolitano: itémq; religiosissimo episcopo Deabolis.* Audin' eum sese quidem vniuersalem nominantem: & tamen non tantùm ad Metropolitanum, Episcopumque scribentem: sed etiam Metropolitanum appellantem συλλειτουργόν? Inuenies item acta nonnullarum Synodorum, quibus Constantinopolitanus præfuit, ita vniuersalis titulo designatus, vt alij suis Patriarcharum, Metropolitanorum, Episcoporum, nō fraudētur. In Epistola Patriarcharum ad Tarasium Constantinopolitanum, *Sanctissimo, & beatissimo Domino Tarasio Archiepiscopo Constantinopoleos, & vniuersalis patriarchæ, Orientis summi Sacerdotes, & alij Sacerdotes in Domino salutem.* Sic Imperatores ad Constantinopolitanos Episcopos, non rarò scribunt eodem Vniuersalis nomine compellatos: multa tamen definientes de Episcoporum electione, & iure. Iustinianus, *Ἐπιφανίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς βασιλίδος ταύτης πόλεως, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ.* In Nouellis, *Ἡράκλειος καὶ Ἡράκλειος, νέος Κωνσταντῖνος, πιστοὶ ἐν Χριστῷ βασιλεῖς, Σεργίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ ταύτης τῆς βασιλίδος πόλεως, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ.* In corpore iuris Græco-Romani.

XIII. Secundum argumentum: Varij, tum Episcopi, tum Patriarchæ eo Vniuersalis titulo salutabant, tum Episcopum Romanum, tum Constantinopolitanum. Nam Gregorium ipsum Eulogius Alexandrinus Patriarcha sic vocabat: teste ipso Gregorio, *Ecce in præfatione epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxisti, superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicens, imprimere curasti.* De Constantinopolitano testis est Theodorus Balsamon in Meditato, siue responso de Patriarcharum priuilegiis in iure Græco-Romano, *τὰς οἰκείας ὑπογραφὰς ὡς οἰκουμενικὸς ὁ μεγαλοδωρότατος πατὴρ, κἂν παρ' ἡμῶν οὕτω καλῆται, καὶ δοξάζηται*, *Subscriptiones suas non facit magnificas tanquam pater vniuersalis, licet à nobis ita vocetur, & celebretur.* Quis autem simile putet, aut Eulogium, aut Balsamonem, voluisse spoliare seipsos propria dignitate: & sic, aut ad Gregorium, aut ad Constantinopolitanum scribere, vt se negarent esse Patriarchas? Imò sic subiici Constantinopolitano, vt reliqui Romano. Basilius Achridenus ad Adrianum Romanum Papam, *τὰ αὐτά σοι πρεσβεύομεν, καὶ διδάσκομεν ἐγώ τε, καὶ πάντες οἱ τῷ μεγάλῳ, καὶ ἀποστολικῷ τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ.* *Eadem tecum prædicamus, & docemus, tum ego, tum omnes, qui ad magnam Apostolicámque sedem Constantinopolitanam pertinemus, καὶ ὁ αὐτὸς ἀμνὸς θύεται, ὅν τε παρὰ τοῖς κατὰ δύσιν ἀρχιερεῦσι τοῖς ὑπὸ τὴν σὴν τελοῦσι κορυφαίαν ἀρχήν, καὶ ἡμῖν τοῖς ἐξ ἡλίου ἀνίσχοντος ἐκ τοῦ ὑψηλοῦ τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνου δεχομένοις τὰς τῆς ἱερωσύνης αὐγάς*, *Et idem sacrificatur Agnus inter Occidentales Antistites, qui sub tuo principali culmine degunt, & nos, qui ad Orientem solem à sublimi Constantinopolitana sede Sacerdotij accipimus splendorem.* Erant ergo sub Constantinopolitani ditione Archiepiscopi, & Episcopi, æquè ac sub Romani: etiam tum, cùm se Oecumenicum vocitabat. Calumniantur itaque, qui eum asserunt voluisse solum esse Episcopum.

XIV. Tertium argumentum: Rem hoc nomine significatam Gregorius his definiebat circumstantiis, *Illud appetunt, vnde omnibus degeneres esse videantur: illum imitantur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur. Qui honori quoque Imperij se superponit.* Item epistola tricesima octaua libri quarti, *Tu quid Christo, vniuersalis scilicet Ecclesiæ capiti, in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere?* Ex quibus Gregorij verbis ita liceat Oecumenicum describere, vt sit is, qui omni-

bus dignior appareat, nulli subsit, omnibus præsit solus: Imperatori seipsum præponat, & omnia Christi membra sibi subiiciat. In quibus, si quicquam sit, quod non aduersarij disertis verbis suo tribuant Oecumenico, assensisset Gregorij autoritatem à nobis non opportunè citatam.

XV. Quartum argumentum: Sabellicus Enneade octaua libro quinto, sic habet, *Ioannes Constantinopolitanus Antistes, frequenti Synodo, se Oecumenicum, id est, cæterorum Antistitum Patriarcham renunciauit: cuius stultitiam studium Princeps sequutus, ad Gregorium scripsit, vt Ioanni obtemperaret. Ad eum constanter Romanus Pontifex rescripsit, ligandi absoluendique potestatem Petro, & qui illi successissent, non Constantinopolitano traditam.* Et iisdem penè verbis Platina in Gregorio, *Cùm Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, habita Græcorum Synodo, seipsum Oecumenicum, id est, vniuersalem Patriarcham creasset, monuissetque Gregorium Mauritium, vt Ioanni obtemperaret, respondit homo constantis ingenij, & fidei potestatem ligandi, & soluendi Petro traditam, eiúsque successoribus, non Episcopis Constantinopolitanis.* Hæc illi: qui etsi talli possint argui, quòd asserunt hoc argumento pugnasse Gregorium, quòd Petro, non Constantinopolitano potestas esset data soluendi, & ligandi: (id enim nunquam Gregorius fecit: quin potius ita se gessit, vt aut seuera noluerit, aut saltem nolle se finxerit causam suam propriam agere) tamen quo sensu hunc vniuersalem intelligere debeamus, docent. Eruunt enim id argumentum è sui seculi consuetudine, quæ illam ligandi, soluendique potestatem existimabat esse ius illud Oecumenicum. Quare, ex eorum sententia Ioannes id sibi arrogabat, quod erat Romani Episcopi. Oportet igitur, aut Romanum Episcopũ, sic esse vniuersalem, vt nullus præter eum sit Episcopus: aut Ioannem, cùm id nominis sibi sumpsit, non affectasse: vt vnicus videretur. Tum etiam dilucida sunt Sabellici verba, vniuersalem Patriarcham exponentis, eum, qui esset cæterorum Antistitum Patriarcha: cuiq; eã ob causam cæteri obtemperarent.

XVI. Quintum argumentum: Pomponius Lætus in Phoca, *Vnum porrò sanxit, quod laudem meruit, hoc est, Vrbem Romam totius salutaris vitæ caput esse, quum antea propter sedem Principis Cõstantinopolis haberetur.* Platina in Bonifacio, qui interiecto tantùm Sabiniano annis non integris duobus, Gregorio successit, *Bonifacius tertius, patria Romanus, à Phoca Imperatore obtinuit, magna tamen contentione, vt sedes beati Petri Apostoli, quæ caput est omnium Ecclesiarum, ita & diceretur, & haberetur ab omnibus: quem quidem locum Constantinopolitana sibi vindicare conabatur, fauentibus interdum malis principibus, affirmantibúsque eo loci primam sedem esse debere, vbi Imperij caput esset.* Sabellicus Enneadis octauæ libro sexto, *Egit is,* (Bonifacium intelligit) *ab initio suæ administrationis cum Phoca, vt Romana Ecclesia esset omnium aliarum caput: idque ei ægrè, nec sine multa contentione, Apostolicæ sedi datum. Græci id ad se deriuerabentes, ibi Christianæ pietatis arcem oportere esse aiebant, vbi Imperij caput esset.* Blondus Decadis primæ libro nono. Bonifacius, *Insolentiam Constantinopolitani Patriarchæ Oecumenicum se, prout beati Gregorij temporibus cœperat, appellantis, compescuit: Phocas etenim ipsius Pontificis suasione publica, & ad vniuersum orbem Christianũ dimissa sanctione, constituit, vt Romana Ecclesia, Romanóque Pontifici omnes orbis Ecclesiæ obedirent.* Nauclerus Generatione 21. *Bonifacius insolentiam Patriarchæ Constantinopolitani, οἰκουμενικὸν se appellantis, compescuit. Phocas enim pontificis suasione, publica, ac ad vniuersum orbem dimissa sanctione, constituit, vt Romana Ecclesia, Romanóque pontifici, omnes orbis Ecclesiæ obedirent, quod retroactis temporibus nõ ad vnguem seruabatur, maximè à Græcis, asserentibus eo loci primatum sedem esse debere, vbi esset caput Imperij.* Ex quibus autoribus patet: primùm, hoc inter eos duos Episcopos certamen fuisse, non vter solus in orbe Episcopus remaneret: sed vter esset caput omnium Ecclesiarum, siue Princeps omnium Pontificum: itaque, eundem cæteri Principem Pontificum, Caput Ecclesiarum, & Oecumenicum. Secundò, id ipsum quod sibi Constantinopolitanus arrogabat, fuisse tributum Romano. Quod & Baronius cognoscens, *Quid ergo,* inquit, *suo edicto contulit Romanæ Ecclesiæ Phocas? Nihil planè: nisi quod declarauit sua sententia, indebitè vsurpari ab Episcopo Constantinopolitano Oecumenici nomen, quod Romanæ duntaxat deberetur Ecclesiæ.* Annalium tomo octauo, anno sexcentesimo sexto. Itaque necesse esse, Romanum dici Vniuersalem, eodem sensu, quo se Constantinopolitanus iactabat: omnibus probris ob id exceptus à Gregorio. Quod indicauit magni nominis nostro æuo Augustus Thuanus Historiarum libro septimo & sexagesimo. Phocas Bonifacio tertio, *insignes Episcopi vniuersalis titulos, quos nuper Gregorius in Ioanne Constantinopolitano improbauerat, prolixe attribuit.*

XVII. Hæc quanquam ita sint, tamen quatuor obiectionibus contrà pugnant. Prima instantia Sanderi: Vniuersalis ab vniuerso nomen sortitur. Vniuersum autem, eum continet in se vim, & potestatẽ ejus quod vnum est: & præterea, aliud quiddam significat. Quæ verba, quantulum absint à ridiculo? Sed in hoc alio inquirendo nihil illo intricatius. Propriè, inquit, vnicum significat: impropriè autem primum. Iam Constantinopolitanus sese non vt primum gerebat: nam, teste Gregorio libri septimi Epistola sexagesima quarta, seipsum dicebat sedi Apostolicæ subiici: Ergo vt solum.

XVIII. Respondeo: hoc vniuersale Latinum nomen, non respondere Græco, Catholico: sed potius Oecumenico. Nam isto se, non illo Ioannes venditabat. Gregorius Epistola trigesima nona libri quarti: *Se per omnem versum οἰκουμενικὸν Patriarcham nominat,* Quo nomine significatur is, qui Patriarcha sit πάσης τῆς οἰκουμένης, totius orbis. Quomodo Oecumenica Synodus, ex toto orbe. Porrò Constantinopolitanos, non eo sensu vsos esse, vt sese vnicos, aut solos dicerent: sed tantùm primos. Amplius dico; non tantùm non solos: sed ne primos quidem: tantùm in primis. Etenim id nominis non sibi soli peculiariter asserebãt: sed vsurpabant tanquam commune quinque Patriarchis; qui in Trullensi Synodo numerati fuêre: ἔκτοτε, οἱ μέγαι τῶν πέντε ἁγιωτάτων θρόνων μεγάλοι ἀρχιερεῖς, ὡς κατὰ τὴν οἰκουμένην τιμώμενοι, inquit Theodorus Balsamon, in Responso de Patriarcharum priuilegiis, *Ab eo tempore, & deinceps, magni pontifices, quinque sanctissimarũ sedium, super vniuersum orbem honorantur.* Illud saltem certum ab eodem Balsamone eodem responso id Oecumenici nomen permitti etiam Romano.

XIX. Enimuerò, quid in mentẽ venit Sandero, vt existimaret Constantinopolitanum, eum qui se Oecumenicũ appellabat, fateri se subiici Romano? At contrà Gregorius hoc vel maximè in eo reprehendit, quod & nulli subesse, & omnibus præesse vellet. Et sanè ridiculus error eius, qui in ea epistola Byzacenum primatem interpretetur Constantinopolitanum antistitem. Pudenda ignoratio. Cùm Byzacenus, vel potius Byzacenus, primas fuerit in Africa, longè distans à Thracia, vbi Constantinopolis: quæ olim

olim quidem Byzantium fuit: sed ab eo nomine Byzantinus fit, non autem Byzacenus. Ergo hic Byzacenus in Africa, id est, primas prouinciæ Byzacenæ, agnouit se subiici Romano; at nunquam Thrax Byzantinus. Quanquam iam Byzantij, tum Byzantini, nomen iampridem ante tempora Gregorij erat obliteratum; inducto Constantinopoleos, & Constantinopolitani titulo. Illud verò quis conciperet, voluisse Constantinopolitanum, haberi solum Episcopum, & tamen agnouisse se subiici Romano: Nam hoc ego sanè concoquere non possum.

XX. Secunda obiectio, Ex his Gregorij verbis, Epistola trigesima quarta ad Constantiam, libro quarto: *Triste valde sit, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus, supradictus frater, & coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus.* Et trigesima sexta ad Eulogium, *Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et libri septimi sexagesima nona ad Eusebium, *Si vnus vniuersalis est, restat, vt vos Episcopi non sitis.* Hinc conficiunt Gregorium oppugnasse vniuersalem Episcopum, hoc sensu, quòd nullus præter eum Episcopus esset.

XXI. Respondeo: ea non proferri à Gregorio quasi à Ioanne asserrata: sed tanquam incommoda ab eo nomine orienti. Non vt dicat sic, aut eo sensu sese illum oecumenicum appellare, quasi nullus vellet præter se Episcopum esse: sed potius contrà quia nolit se esse solum Episcopum, ideo non esse id nomen assumendum. Itaque argumentum est vtrinque concedendum, quo demonstretur quæstio. Enimverò quis nescit non probari à respondente omnia incommoda quibus thesis oppugnatur: Cyprianus eis qui negabant, baptisatos ab hæreticis rursus baptizandos, obiiciebat, consequens vt Ecclesiam fatererentur esse apud hæreticos: quod tamen Catholicorum nemo admittebat. Rectè autè Gregorius argumentabatur ex vi ipsius nominis. Nam quia Episcopi munus ex sua institutione personale est; nemo se verè potest vniuersalem Episcopum dicere, qui non habeat ipse per se singularum Ecclesiarum curam eam, quam Episcopum habere oportet. Id verò non attendebat Ioannes, tantùm volebat ad singularitatis culmen erumpere: id est, ad eum gradum ascendere, in quo nullum collegã haberet. Quemadmodum autem non fuit necesse vt Lucifer, cũ se præferri volebat omnibus Angelis, reliquos omnes Angelos, Angelorum & gradu & nomine priuaret, sic nec Ioannem oportuit, vt se vniuersalem diceret, nullum relinquere sub se Episcopum.

XXII. Tertia obiectio. Quo sensu vniuersalis Episcopus is est, qui habet curam totius Ecclesiæ; nomen hoc tribui posse Romano Gregorius censuit: quod probatur tribus argumentis. Primo, quia fatetur libro quarto, Epistola trigesima secunda, & aliis sequentibus, id nomen tributum Romano Episcopo à Concilio Chalcedonensi, quod sanctum & Catholicum fuisse idem Gregorius passim docet. Existimauit igitur in aliquo sensu hoc nomen Romano Pontifici conuenire. Secundo: Idem eadem Epistola, asserit Petro totius Ecclesiæ curam esse commissam à Domino; quod est idem, ac si diceret, Petrum esse vniuersalem Episcopum à Domino constitutum. Tertio: Quia Romani Pontifices, etsi nunquam vocarunt se vniuersales Episcopos: tamen sæpe vocarunt se Episcopos Ecclesiæ vniuersalis. Sixtus primus Epistolâ secunda Victor prima. Ex Epistola Pontiani ex Stephani primi secunda. ex Leonis primi quinquagesima quarta, sexagesima secunda; sexagesima quinta. Quæ testimonia sine dubio Gregorius legerat: nec ignorabat, idem esse, quoad sensum, Episcopum Ecclesiæ vniuersalis, & Episcopum vniuersalem.

XXIII. Respondeo: falsum est vllo sensu, Gregorium concedere illud nomen tribuendum Episcopo Romano. Ad primum argumentum: dico Gregorium profiteri quidem suis prædecessoribus oblatum id nominis, sed tamen non existimasse aliquo sensu conuenire Romano. Probatur, primò, quia testatur non acceptum fuisse: secundò, quia id ipsum ipse improbat iisdem argumentis, quibus Ioannem vrget. Sic enim Epistola trigesima secunda libri quarti, *Sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis vocabulum assumsit, nec vti consensit: ne dum priuatum aliquid daretur vni, honore debito sacerdotes priuarentur vniuersi.* Et disertiùs Epistola octogesima, *Sicut enim, veneranda vestra sanctitas nouit, per sanctam Chalcedonensem Synodum pontifici sedis Apostolicæ, cui Deo disponente seruio, hoc vniuersitatis nomen oblatum est. Sed nullus vnquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti consensit, quia videlicet, si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et libri septimi Epistola trigesima Indictionis primæ, *Et quidem in sancta Chalcedonensi Synodo, atque postea subsequentibus Patribus, hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas nouit. Sed tamẽ nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit: vt dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.* Hinc constat, idipsum vocabulum, quod Papæ Romano offerebatur, à Gregorio fuisse prophanum appellatum: & improbatum, ob singularitatem, & reliquis honorem derogatum. Atqui non aliter contra Ioannem egit. Itaque non credidit eiusdem vocabuli, diuersos esse sensus, mutatis duntaxat personis. Credidit potius eadem absurda sequi in Episcopo Romano, quæ in Constantinopolitano, hoc est, tam negari cæteris Patriarchis suum honorem, cùm ipse Gregorius, quàm cùm Ioannes vocaretur vniuersalis. Etsi verò Synodum Chalcedonensem sanctam appellet, tamen disertè asserit, hoc ipsum nomen nihilominus fuisse prophanum.

XXIV. Quanquam oblatum fuisse Romano Episcopo id nominis à Synodo Chalcedonẽsi falsum, vt appareat Gregorium hic sibi nonnihil indulsisse præter veritatem. Nullum enim decretum proferri potest: nullũ scriptum publicũ: adeo vt Baronius ad annum quadringentesimum quinquagesimũ primum, cogatur suspicari librarij fraudem. Sed hac de re plenius actum sumus alias.

XXV. Ad secundum: Nego idem esse Petro curam demandari totius Ecclesiæ, & Petrum esse vniuersalem. Ipse Gregorius: *Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur.* Sic egregiè discreuit alterum ab altero. Enimuerò, si idem est vtrumque, cur alterum respuit? Manifesta fuisset insania.

XXVI. Ad tertium: Nego idem esse vniuersalem Episcopum, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopum. Quia illud quidem significat Oecumenicum Patriarcham, vt ipse Gregorius testatur;

hoc est omnium Antistitum Patriarcham, vt exposuit Sabellicus: Hoc verò, cum indicat, qui vnus sit ex Episcopis in Ecclesia Catholica: atque adeò qui præsit vni Ecclesiæ Catholicæ, id est, non hæreticæ. Proinde non solus Romanus ita solebat appellari, sed omnes eius collegæ, vt manifestum ex his locis. In Canonibus Carthaginēsis Cõcilij Græcè editis, canone nonagesimo quarto, exstat forma congressionis cum Donatistis, in qua hæc legas: Ἐπίσκοπος ὁ Καθολικῆς ἐκκλησίας εἶπε. Sic in gestis Collationis Carthagini habitæ Honorij Cæsaris iussu, subinde hæc occurrunt, *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ: Fortunatianus Ecclesiæ Catholicæ Episcopus: Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ.* Sozomenus, libro octauo, capite primo, asserit Sisinnium Nouatianorum Episcopū, Ecclesiæ Catholicæ Episcopis gratū fuisse. Epiphanius hæresi sexagesimaprima de Photino hæresiarcha; Ἐπίσκοπος γέγονε τῆς ἁγίας Καθολικῆς ἐκκλησίας: *Factus est Episcopus sanctæ vniuersalis Ecclesiæ.* Et potuerunt sanè hoc modo vniuersales Episcopi dici, id est, Catholici: vt in Actis Synodi Ephesinæ Celestinus scribens ad Nestorium, vocat Atticum Constantinopolitanum Ἐπίσκοπον Καθολικόν. Et ad Constantinopolitanos, meminit τῆς ἱερᾶς Καθολικῆς.

XXVII. Vt autem magis pateat, quo sensu Romani Episcopi, sese Ecclesiæ Catholicæ dicerent Episcopos, addebant plerumq; nomen vrbis. Damasus ad Stephanum Archiepiscopum, sic habet: *Damasus seruus seruorum Dei, atque per gratiam eius, Episcopus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ vrbis Romæ.* Quemadmodum in gestis collationis Carthaginensis, *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Carthaginensis.* Sozomenus lib. 2. cap. 24. Callinicum vocat *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ, quæ est in Pelusio.* Concilium Nicænum apud Socratem libro primo, capite sexto, nominat *Episcopos Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, qui sub Alexandro erant.* Epiphanius in Meletianis, eos sic affecit vocatos: ὑπὸ Μελιτίου τινὸς Ἐπισκόπου ἐν τῇ Θηβαΐδι ... τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας: *à Meletio quodam facto in Tiberiade Episcopo vniuersalis Ecclesiæ.*

XXVIII. Ex his igitur exemplis constat omnes dici posse Ecclesiæ Catholicæ, siue vniuersalis, Episcopos, qui præsunt vni alicui Ecclesiæ, quæ non sit hæretica. Hoc autem sensu, is dicitur Ἐπίσκοπος Καθολικός. *At quo sensu offendebatur Gregorius, dicebatur* Ἐπίσκοπος Οἰκουμενικός. Illud nomen antiquum est, & lōgè ante Gregorij tempora vsurpatū. Hoc verò nouum, & vix affectatum ante Ioannis Constantinopolitani tempora: quem propterea Gregorius accusat nouæ superbiæ, & præsumptionis, & noui nominis inuecti. Ad hęc cùm Gregorius negaret vllos suos decessores vlos esse hoc *vniuersalis*, nomine & legisset tamen, vt nos cum Bellarmino fatemur, plures se inscripsisse Episcopos vniuersalis Ecclesiæ necesse est Gregorium, aut insigniter mentitum, aut non putasse vtrumque idem esse, quod est verius.

XXIX. Quarta obiectio: Gregorius vsus est eo iure, quod est vniuersalis Episcopi, & agnouit etiā suos prædecessores vsos. Nam & Romanum Pontificem dicit Constantinopolitanæ Synodi acta rescidisse, & Constantinopolitanum ne rem diuinam faceret, prohibuisse. Hęc Hayus. Sanderus addit, exercuisse Primatum in Ecclesias, Italiæ, Siciliæ, Corsicæ, Sardiniæ, Africę, Hispaniæ, Angliæ, Galliæ, Dalmatię, Græcię, Corcyrę.

XXX. Respondeo: multa quidem fecisse, quæ excederent vnius Episcopi fines, pro more non tātùm quorundam, quibus succederat, sed etiam Patriarcharum qui inter se orbem vniuersum distribuerant. Sed primùm nego attendendum quid fecerit ex præscriptione periculose consuetudinis: sed quid potiùs docuerit conforme autoritati Scripturarum. Ex doctrina enim mores corrigēdi sunt semper: non ex moribus doctrina corrumpenda.

XXXI. Deinde nego Gregorium gessisse se pro Oecumenico: vt enim cætera omnia concederentur; tamen non prætulit se Imperatori, quod tamen ipse non notauit necessariò sequi. Contrà non potest humilius, abiectiúsve ad Imperatorem scribi, quàm is scripsit; eius se dicens serenissimi iussionibus obedientiam præbere, Epistola trigesima secunda libri primi.

XXXII. Ad Hayj exempla respondeo: Constantinopolitani Concilij acta cassata, non arguere Oecumenicum: qua de re latiùs disputauimus aliàs. Gregorium autem prohibuisse, ne Ioannes rem diuinam faceret; prorsus non legit Hayus, sed à sese commentus est. Hoc tantùm Gregorius scriptum reliquit Epistola trigesima octaua libri quarti: Pelagium prohibuisse Diaconum, quem iuxta morem ad vestigia Domiociorum transmiserat, Missarum solennia celebrare cum Ioanne. Quod quātum abest, quæso, ab eo quod Hayus asserebat? Non enim Ioannem prohibuit Missarum solennia celebrare: sed suum Diaconum ne cum eo celebraret, quod erat negatæ communionis indicium, satis frequens eum temporis, atque adeò ab aliis Episcopis sæpe vsurpatum. Sed & quas prouincias Sanderus enomerauit, eæ pertinent ad distributionem Ecclesiarum, in varios Patriarchas. Nam & Constantinopolitani, plurima similia obserues gesta in suis prouinciis; vt videre est in Corpore Iuris Greco-Romani.

LIBER

LIBRI DECIMI FINIS.

LIBER VNDECIMVS DE OECVMENICO.

VTRVM PETRVS FVERIT PONTIFEX OECVMEN.

Caput Primum.

STATVS QVAESTIONIS.

ET THESIS quidem de Oecumenico Pōtifice hactenus tractata esto. Quæ potuit futuris Controuersiis ansam præcidere. Nā si nullum Christus instituit summum, vel potiùs Oecumenicum Pontificem, cui omnium Ecclesiarū sic curā traderet: vt etiam Pastores omnes eius autoritati subiiceret: tum quis non videt, frustra deueniri ad hypothesin, & inquiri quis is sit, qui hac tanta autoritate vtatur, fruatur? Sed enim quia multa proferunt adhuc aduersarij ad hanc hypothesin confirmandam; atque hinc præscribunt etiā contra Thesin: ne (vt solet etiam ex minima occasione magnos triumphos capere, & sibi plausus excitare) calumnientur nos ea argumenta dissimulare, quæ soluere non possimus: necesse est hanc etiam partem non abire intactam.

II. Habet autem hæc hypothesis partes duas. In priori quæritur, de primo Oecumenico Pontifice, quem à Christo collocatum Papistæ volunt in hoc tam excelso solio. In altera, de eius primi successoribus, ad hoc vsque tempus. Et in priori quidem diserta est Papistarum assertio, Petrum Apostolum cæteris omnibus Apostolis prælatum, à Christo plenam summámque administrandæ Ecclesię autoritatem accepisse; atque adeò institutum fuisse Pontificem Oecumenicum. Cui assertioni omnes Catholici constanter contradicunt. Caluinus Institutionis libri quarti capite sexto. Sadeel contra Turrianum loco secundo, tertio, quarto. Iuellus contra Hardingum articulo quarto. Matthæus Sutliuius de Pontifice Romano libro secundo. Witakerus de Pontifice Romano, quæstione secunda, Danæus, Iunius, Tileous in Bellarminum, ad hanc controuersiam. Sibrandus de Pontifice libro secundo, & tertio. Riuetus Catholici Orthodoxi, tractatu secundo, quæstione quarta. Marcus Antonius de Dominis, libro primo de Ecclesiastica Republica.

III. Papistæ: Bellarminus de Pontifice, libro primo, capite decimo, & sequentibus. Franciscus Cordubensis Annotationibus de Ecclesia articulo secundo, capite centesimo decimo, & proximis duobus. Canus Locorum communium libro sexto, capite tertio, propositione prima. Pighius Monarchiæ libro tertio, à capite secundo, vsque ad vndecimum. Gregorius de Valentia Analyseos libro septimo. Et Commentariorum in Thomam tomo tertio, disputatione prima, quæstione prima, puncto septimo, quęstione quinta. Polus de Vnitate Ecclesiæ, libro secundo. Turrianus pro Epistolis Decretalibus, libro secundo, capite quarto, & sequentibus. Stapletonus toto libro sexto, de Principiis: & in Relectione Controuersiæ Capitalis tertiæ, quæstione prima. Ioannes Eckius libris tribus de Primatu Petri. Arboreus Theosophiæ libro primo, capite vigesimo quinto, Petrus Auratus Paradoxo septuagesimo. Franciscus Agricola, tractatu de Primatu Petri. Et his antiquiores Ioannes de Turrecremata, de Ecclesia libro secundo, capite quinto & sequentibus. Thomas Waldensis Doctrinalis tomo primo, libro secundo, articulo primo.

CAP. II.

Petram Ecclesiæ, non esse Petrum.

I. PEtra, super quam Christus pollicetur se ædificaturum suam Ecclesiam, est Oecumenicus Pontifex. At Petrus Apostolus, erat ea petra. Ergo Petrus Apostolus fuit Oecumenicus Pontifex. Assumptio probatur ex Matthæi decimo sexto: *Iesus interrogauit discipulos suos, dicens, Quem me dicunt homines esse, Filium hominis? Illi verò dixerunt, alij quidem Ioannem Baptistam, alij verò Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit eis: Vos autem, quem me dicitis esse? Respondens verò Simon Petrus, dixit, Tu es Christus ille, Filius Dei viuentis. Tunc respondens Iesus, dixit ei: Beatus es, Simon Bar-iona: quia caro & sanguis hæc non reuexit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Sed & ego dico tibi, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferorum non superabunt eam.*

II. Argumentum est apud aduersarios decantatissimum. Catholici autem respondent: primò ad Minorem: secundò ad Maiorem. Ergo negatur Minor. Quia, cùm nominauit Christus Petram, non intellexit Apostolum, qui deinceps appellatus est Petrus. Quod multis argumentis doceo.

III. Primum esto, ex ipso contextu: quia sensum Christi his verbis Euangelista voluit expressum: σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: quibus disertè Petrus distinguitur à petra, cùm persona, tum genere: quod esset absurdum, si de vno Petro vtrumque membrum esset intelligendum. Debuerat sanè potiùs dici, Tu es Petrus, & super te Petro, ædificabo. Et verò nullum potest simile proferri exemplum.

IV. Secundum: quia non potest de eodem dici Nomen & Denominatum. Non enim idem est lapis & lapideus: fides & fidelis: Grammatica & Grammaticus. Est verò Petra nomen, vnde Petrus denominatur. Itaque, perinde faciunt Papistæ, ac si quis diceret, Aristotelem esse Dialecticum: & Dialecticam esse organum scientiarum: ergo Aristotelem esse organum scientiarum. Tam enim differt Petrus à Petra, quàm Dialecticus à Dialectica: nempe, quia vtraque sunt παρώνυμα. Augustinus tractatu centesimo vicesimo quarto in Ioannem: *Ecclesia fundata est super petram, vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro Petra, sed Petrus à Petra: sicut non Christus à Christiano: sed Christianus à Christo vocatur.* Basilius sermone de Pœnitentia. Χριστὸς γὰρ ὄντως πέτρα ἀσάλευτος· Πέτρος δὲ διὰ τὴν πέτραν χαρίζεται γὰρ [illegible] τὰ ἑαυτοῦ ἀξιώματα. *Christus verè petra est inconcussa. Petrus verò propter petram. Nam Christus suos honores impertit.* Ambrosius sermone octogesimo quarto: *Rectè igitur, quia Petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, vt qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet & nominis Dominici vnitatem: vt sicut à Christo Christianus dicitur, ita & à Petra Christo, Petrus Apostolus vocaretur.* Itaque, si ab eà petra Petrus τὴν ὀνομασίαν sumpsit, nulla ferre ratio potest, vt ipse sit eadem petra.

V. His duobus nostris primis argumentis, Papistæ duas opponunt instantias. Prima est Bellarmini, Costeri, Agricolæ, Stapletoni, & Baronij ad annum trigesimum primum, & trigesimum tertiū. Imò & Iansenij, ac Maldonati in hunc locum: Syris, quorum linguam locutus est Dominus, eādem vocem esse sine generis mutatione, quæ Petrum, & Petram significat: nempe כאפא quod est saxum, vel lapis ingens: vt dixerit Christus, Tu es saxum, & super hoc saxum ædificabo Ecclesiam meam: neca Petra Petrus, sed ipse Petra dictus sit.

VI. Scilicet ab hac grāmaticatione fuit illa liberior Petri de Bollo Parisiensis Theologi querela in authentica probatione Sacrosancti Missæ Sacrificij: *Scimus quòd interpres Matthæi Syri, Græcus & Latinus, non sit hoc loco optimè de hac nostra fidei parte promeritus. Si enim dixisset,* σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῳ τῷ πέτρῳ *(viderint alij quomodo emendent, ego quod lego describo) Et tu es Petra, & super hanc Petram, res fuisset multò clarior, nunc autem cùm priore loco Petrum, posteriore Petram posuerit, videntur propter mutatam vocem, res etiam permutata: cùm Christus, qui Syriacè proculdubio loquebatur, dixerit* ואנת הו כאפא ועל הרא כאפא*, id est, Tu es Petra (πέτρος Atticè,) & super hanc Petram. Quod si nostro placuisset interpreti multum detraxisset obscuritatis.* Et sanè necopinatū rei Romanæ consultum, potiùs quàm veritati. Egregium specimen Romanæ ἀσεβείας: vix ab ipso Christo vngues abstinetis.

VII. Respondeo, nemini dubium esse quin Christus loquutus sit Syriacè: eaque lingua, & Petrus & Petra eodem sono efferantur. Sed primò, falsum non mutari genus. Nam Cepha pro lapide fœmininum est, prioris ad Corinthios vndecimo: מן כאפא דרוחא דאתיא הות עמהון *Ex petra Spirituali quæ veniebat cum eis.* Matthæi 21. כאפא *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes* הו הורית *factus est in caput anguli.* Marci decimo sexto, דמעגלא הי כאפא רבא הות גיר טב. Et sic semper genere fœminino.

VIII. Quis igitur nō videt, Matthæū de industria Christi, & τὸ ῥητὸν, & τὴν διάνοιαν expressisse, qui tā solicitè distinxit inter Πέτρον & πέτραν, qui tamē ex vsu Græcorū vtrumq; vno eodémq; & sono & genere Πέτρον poterat dicere, nec sensu valde distante? Etsi autem id Syriaci sermonis idioma ferret; nihilominus tamen hoc Simoni nomen est impositum, ab eo saxo quod ipse non esset: quemadmodum solent nomina rebus alterius generis imponi ex quadam similitudine, seu analogia: non autem quemadmodum singulis arboribus, arboris nomē tribuitur, vt sint ipsæ reuera arbores. Et hoc Matthæus significatum voluit, destinata varietate Πέτρου & πέτρας.

IX. Porrò ea imponendi nominis ratio, aliquando vocem inflectit, maximè apud Græcos & Latinos, Hebræis & Syris faciliores in variandis vocabulis: cuiusmodi inflexionem παρωνυμίαν solent Græci dicere: sic à cicere Ciceronem, à lente Lentulū, à faba Fabium dixerunt Latini: sic Græci [illegible] Πλάτωνα. Nec Hebræi spreuerunt: sic Isaacum, Iacobum, Danidem, à risu, calcaneo, delicis vocitamus: & Iesum à salute: & Ioannem à gratia. Aliquando per compositionem: qua tamen Latini vix vsi sunt, sed Græci, atque Hebræi, frequentissimè: Inde Demosthenes, Agesilaus, Stratocles, Themistocles, Pericles, Abraham, Absalom, Abimelec, Melchisedec, Daniel. Sed non rara tertia ratio, cùm ipsum nomen purum, non flexum, non compositum, mutuo sumitur aliunde, vt Græcis λίμαξ, & pauca alia: apud

Latinos

Latinos frequentiùs, Caligula, Sura, Stolo, Murena, Ouata, Taurus, Capra, Vitulus, Leo, Merula, Pauo, Pica, Passer, Asina, Sagitta, Vocula, Flāma. Vide Carolum Sigonium de Nominibus Romanorum. Hanc rationem Hebræi in frequenti vsu habuerunt: vnde enim Abel, Debora, Rachel, Aaron, Tabitha, Cepha, Iona. Porrò siue dicto inflectatur, siue minus, tamē semper intelligimus *παρονομασίαν*, saltem in significationis deriuatione: vt cùm magistratum dicimus ipsum munus, atque eum qui fungitur eo munere: quæ ratio non est seruata in Consulatu & Consule.

X. Quare, etsi Simonem Christus Cepham dixerit ex Idiomate Syriaco, quæ vox, sono nihil immutato, saxum significat: tamen voluit non saxum, sed saxeum dicere, quam *διαφορὰν* diligenter Matthæus expressit. At verò cùm diceret *super hanc petrā*, illud voluit, vnde ipsi Simoni nomen impositum: quæ caussa fuit Euangelistæ *τῆς πέτρας* hoc secundo loco nominandæ, ne nos ambiguitas deciperet vocabuli vno eodemque complexo bis, sed diuerso sensu enunciati.

XI. Altera instantia est Bellarmini ex pronomine. Illud, inquit, pronomen *Hanc*, demōstrat aliquā petram, de qua paulò antè Dominus sit loquutus: proximè autem Petrum vocauerat petram, quia Syriacè loquebatur. Ergo, cùm immediatè præmiserit (inquit Agricola) *Ego dico, quia tu es Petrus*, vel puero liquidum fiat, Christum non de alia petra dixisse, quàm cuius antea, & quidem proximè atque immediatè mentionem fecerat, scilicet de Petro.

XII. Respondeo: Primò, Non esse necesse, sic paulò antè eam petram fuisse nominatam ab ipso Christo: sed sufficere, de ea fuisse iam factum sermonem. Quum autem petra intelligatur ipsa Petri cōfessio, vt postea docebimus: & ea paucis interiectis præcesserit, potuit facile id pronomen ad eam referri. Simile, Matthæi vndecimo, *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quòd abscondens ταῦτα hæc à sapientibus, & intelligentibus; & αὐτὰ ea detexeris infantibus.* *ταῦτα*, quo refers? an ad cælum, & terram proximè nominata? An verò ad remotiora?

XIII. Nam, quod vult Bellarminus referri ad aliquid proximum, non ad remotissimum; proximè autem præcedere Cephas, dictum, non de Christo, sed de Petro: nihil est necesse: vt his exemplis fiet manifestum. Actorum secundo: *Iesum illum Nazarenum, virum à Deo approbatum apud vos præstantibus factis & miraculis, & signis quæ edidit per eum Deus in medio vestri, sicut & ipsi nostis τοῦτον hunc definito consilio, & prouidentia Dei deditum accipientes manibus sceleratis affixum interemistis.* Hîc si situm spectes verborum, pronomini *τοῦτον* propius est nomen Dei, quā Christi initio sermonis vsurpati: & tamē nemo nō videt ad Christum esse referendum. Capite tertio: *Principem vitæ occidistis, quem Deus excitauit à mortuis, cuius nos testes sumus: & per fidem in nomen αὐτοῦ ipsius hunc quem conspicitis ac nostis confirmauit ἐκεῖνα αὐτοῦ nomen eius.* Hîc rursus, quis neget *τὸ αὐτοῦ* bis referendum ad id quod remotius, nempe *ἀρχηγὸν ζωῆς*, non ad vicinius, Deum? Posterioris ad Thessalonicēses secundo: *Impius ille, quem Dominus conficiet Spiritu oris sui & illustri aduentu suo abolebit.* *ὃ ἐστιν ἡ παρουσία*. *Cuius aduentus est ex efficacia Sathanæ.* Certè ne nasutissimus quidem Iesuita *τὸ* illud referet ad Christum proximè nominatum.

XIV. Secundò: nego à Christo fuisse prius petram nominatam: sed Petrum: etsi Cephas vocē vsurpauit. Nam cùm ea indifferēter & Petrum significet & Petram; ergo quoties occurrit, interpretanda est ex circunstantiis. Quare cùm dictum, Tu es Cephas, non magis petra significata est, quàm cùm dixit Paulus secundo ad Galatas, *Iacobus, & Cephas & Ioannes*. Non magis, inquam, quàm est caprea his verbis, *Tabitha cumi*, Actorum nono: aut apes cum *Surrexit Debora*, Iudicum quarto. Atque id probatur teste Euangelista, qui non petram, quomodo nunquam vocatur Apostolus, sed Petrū Græcè dixerit.

XV. Tertiò: Matthæus non simpliciter pronomen vsurpauit, siue nudum, & solitarium: sed addito nomine: Non, inquam, dixit, super hunc, vel super hanc, vel eam: sed *super hanc petram*. Ea autem phrasis prorsus omnem tollit ambiguitatem; Matthæi 26. *Hoc est enim sanguis meus Noui illius Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis: Nō bibam ab hoc tempore: ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, de hoc genimine vitis*: Vbi si tantùm dixisset *ἐκ τούτου*, sine dubio referretur ad sanguinem proximè nominatum: sed cùm dixit, *ex hoc genimine vitis*, nemo ambigit *hoc*, referendum ad acceptū poculum remotius nominatum: Lucæ primo: *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa cōcepit filium in senectute sua: καὶ οὗτος μὴν ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ, & hic mensis est illi sextus.* Rursus, si esset dictum *καὶ οὗτος ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ*, nemo aliud intelligeret, quàm sextum esse eum filium quem Elizabeth concepisset: vt pronomen referretur ad id quod erat paulò antè positum: sed mensis additum nomen obstat. Lucæ secundo: *Factum est autem diebus illis, prodiit edictū à Cæsare, vt describeretur tota terra: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ, hæc descriptio prima, facta est præside Syriæ Cyrenio.* Dic nudè, *αὕτη ἐγένετο, hæc facta est*: nemo non referat ad terram. Sed additum nomē *ἀπογραφῆς*, non sinit alucinari lectorem. Et generaliter huiusmodi phrases nihil necesse est referre ad id quod priùs dictum, siue proximum sit, siue remotum. Actorum primo: *οὗτος ὁ Ἰησοῦς, hic Iesus sursum à vobis receptus in cælum.* Matthæi vicesimo sexto: *ἐν αὐτῇ τῇ νυκτί, in ea ipsa nocte.* Marci nono: *τοῦτο τὸ γένος, hoc genus nulla re potest exire, nisi per precationem & ieiunium.*

XVI. Quartò, dico etiam satisfieri Iesuiticæ importunitati: & *hanc petram*, hoc ipso loco posse referri ad proximum, *Tu es Petrus*; nimirum per *παρονομασίαν*: vt sæpe fit. Sic Lucæ secundo; *ἀπεγράφεσθαι πάντας τὴν οἰκουμένην*; cùm priùs esset dictum, tum statim, *αὕτη ἡ ἀπογραφὴ*, deducto nomine ab illo verbo. Itidem fit hoc loco: nam quia Petrus à petra: ideò statim post petram securè nominat eam ipsam à qua Petrum, vt tota oratio sic resolui debeat. Tu es saxeus, ita dictus à saxo: super quod saxum ædificaturus sum Ecclesiam. Similia exempla occurrunt passim apud bonos autores. Aristophanes Lysistrata, *ἐδεδίττετο τὴν ἰσχαδόπωλιν, καὶ τὰς δρυπεπεῖς κατήσθιεν. Terrebat anum vendentem ficus, maturasque vorabat*: non *ἰσχαδοπώλιδος*, sed à quibus id nominis deductum. *τὰς ἰσχάδας.*

XVII. Sequitur tertium nostrum argumentum ex verbis, *καὶ τὴν ἐκκλησίαν*, quæ significant totum illud ædificium ex variis partibus constitutum, quod vocatur Ecclesia, cuius duæ præcipuæ partes Triumphans & militans. Nihil est autem in Christi verbis, quo restringantur ad alterā duntaxat partē, puta militantē, exclusa triūphante. Tum autē certū est & in confesso apud omnes, haud aliud esse huius atque illius fundamentum. Meminisse etiam debēt aduersarij, suæ illius artis, tam præcisè vrgentis *oues meas*, vt nullas velint exceptas. Itaque si Petrus intelligeretur petra illa super quā Christus pollicetur

hoc est omnium Antistitum Patriarcham, vt exposuit Sabellicus: Hoc verò, eum indicat, qui vnus sit ex Episcopis in Ecclesia Catholica: atque adeò qui præsit vni Ecclesiæ Catholicæ, id est, non hæreticæ. Proinde non solus Romanus ita solebat appellari, sed omnes eius collegæ, vt manifestum ex his locis. In Canonibus Carthaginēsis Cōcilij Græcè editis, canone nonagesimo quarto, exstat forma congressionis cum Donatistis, in qua hæc legas: Ἐπίσκοπος τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας εἶναι. Sic in gestis Collationis Carthagini habitæ Honorij Cæsaris iussu, subinde hæc occurrunt, *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ: Fortunatianus Ecclesiæ Catholicæ Episcopus: Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ.* Sozomenus, libro octauo, capite primo, asserit Sisinnium Nouatianorum Episcopū, Ecclesiæ Catholicæ Episcopis gratū fuisse. Epiphanius hæresi sexagesima prima de Photino hæresiarcha; Ἐπίσκοπος γέγονε τῆς ἁγίας Καθολικῆς ἐκκλησίας: *Factus est Episcopus sanctæ vniuersalis Ecclesiæ.* Et potuerunt sanè hoc modo vniuersales Episcopi dici, id est, Catholici: vt in Actis Synodi Ephesinę Celestinus scribens ad Nestorium, vocat Atticum Constantinopolitanum Ἐπίσκοπον Καθολικόν. Et ad Constantinopolitanos, meminit τῶν ἱερέων Καθολικῶν.

XXVII. Vt autem magis pareat, quo sensu Romani Episcopi, sese Ecclesiæ Catholicæ dicerent Episcopos, addebant plerunq; nomen vrbis. Damasus ad Stephanum Archiepiscopum, sic habet: *Damasus seruus seruorum Dei, atque per gratiam eius, Episcopus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ vrbis Romæ.* Quemadmodum in gestis collationis Carthaginensis, *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Carthaginensis.* Sozomenus lib. 2. cap. 24. Callinicum vocat *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ, quæ est in Pelusio.* Concilium Nicęnum apud Socratem libro primo, capite sexto, nominat *Episcopos Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, qui sub Alexandro erant.* Epiphanius in Meletianis, eos sic asserit vocatos: ἀπὸ Μελιτίου τινὸς Ἐπισκόπου ἐν τῇ Τιβεριάδι γενομένου τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας: *à Meletio quodam facto in Tiberiade Episcopo vniuersalis Ecclesiæ.*

XXVIII. Ex his igitur exemplis constat omnes dici posse Ecclesiæ Catholicæ, siue vniuersalis, Episcopos, qui præsunt vni alicui Ecclesiæ, quæ non sit hæretica. Hoc autem sensu, is dicitur Ἐπίσκοπος Καθολικός. *At quo sensu offendebatur Gregorius, dicebatur* Ἐπίσκοπος Οἰκουμενικός. Illud nomen antiquum est, & lōgè ante Gregorij tempora vsurpatū. Hoc verò nouum, & vix affectatum ante Ioannis Constantinopolitani tempora: quem propterea Gregorius accusat nouæ superbiæ, & præsumptionis, & noui nominis inuecti. Ad hęc cùm Gregorius negaret vllos suos decessores vsos esse hoc *vniuersalis*, nomine: & legisset tamen, vt nos cum Bellarmino fatemur, plures se inscripsisse Episcopos vniuersalis Ecclesiæ, necesse est Gregorium, aut insigniter mentitum, aut non putasse verumque idem esse, quod est verius.

XXIX. Quarta obiectio: Gregorius vsus est eo iure, quod est vniuersalis Episcopi, & agnouit eo suos prædecessores vsos. Nam & Romanum Pontificem dicit Constantinopolitanæ Synodi acta rescidisse, & Constantinopolitanum ne rem diuinam faceret, prohibuisse. Hęc Hayus. Sanderus addit, exercuisse Primatum in Ecclesias, Italiæ, Siciliæ, Corsicæ, Sardinię, Africę, Hispanię, Anglię, Gallię, Dalmatię, Græcię, Corcyrę.

XXX. Respondeo: multa quidem fecisse, quæ excederent vnius Episcopi fines, pro more non tātùm quorundam, quibus successerat, sed etiam Patriarcharum qui inter se orbem vniuersum distribuerant. Sed primùm nego attendendum quid fecerit ex pręscriptione peruersę consuetudinis: sed quid potiùs docuerit conforme autoritati Scripturarum. Ex doctrina enim mores corrigēdi sunt semper: non ex moribus doctrina corrumpenda.

XXXI. Deinde nego Gregorium gessisse se pro Oecumenico: vt enim cætera omnia concederentur; tamen non pręttulit se Imperatori, quod tamen ipse notauit necessariò sequi. Contrà non potest humilius, abiectiusve ad Imperatorem scribi, quàm is scripsit; eius se dicens serenissimis iussionibus obedientiam prębere, Epistola trigesima secunda libri primi.

XXXII. Ad Hayj exempla respondeo: Constantinopolitani Concilij acta cassata, nouarguere Oecumenicum: qua de re latiùs disputaturi sumus aliàs. Gregōrium autem prohibuisse, ne Ioannes rem diuinam faceret; prorsus non legit Hayus, sed à seipso commentus est. Hoc tantùm Gregorius scriptum reliquit Epistola trigesima octaua libri quarti: Pelagium prohibuisse Diaconum, quem iuxta morem ad vestigia Dominorum transmiserat, Missarum solennia celebrare cum Ioanne. Quod quātum abest, quęso, ab eo quod Hayus asserebat? Non enim Ioannem prohibuit Missarum solennia celebrare: sed suum Diaconum ne cum eo celebraret, quod erat negatę communionis indicium, satis frequens tum temporis, atque adeò ab aliis Episcopis sępe vsurpatum: Sed & quas prouincias Sanderus enumerauit; eę pertinent ad distributionem Ecclesiarum; in varios Patriarchas. Nam & Constantinopolitani, plurima similia obserues gesta in suis prouinciis; vt videre est in Corpore Iuris Greco-Romani.

LIBER

LIBRI DECIMI FINIS.

LIBER VNDECIMVS DE OECVMENICO.

VTRVM PETRVS FVERIT PONTIFEX OECVMEN.

Caput Primum.

STATVS QVAESTIONIS.

ET THESIS quidem de Oecumenico Pōtifice haectenus tractata esto. Quæ potuit futuris Controuersijs ansam præcidere. Nā si nullum Christus instituit summum, vel potiùs Oecumenicam Pontificem, cui omnium Ecclesiarū sic curā traderet: vt etiam Pastores omoes eius autoritati subiiceret: tum quis non videt, frustra deueniri ad hypothesin, & inquiri quis is sit, qui hac tanta autoritate vtatur, fruatur? Sed etiam quia multa proferunt adhuc aduersarij ad haoc hypothesin confirmandam; atque hinc præscribunt etiā contra Thesin: ne (vt solét etiam ea minima occasione magnos triumphos captare, & sibi plausus eacitare) calumnientur nos ea argumenta dissimulare, quæ soluere non possimns: necesse est hanc etiam partem oon abire intactam.

II. Habet autem hæc hypothesis partes duas. In priori quætitur, de primo Oecumenico Pontifice, quem à Christo collocatum Papistæ volunt in hoc tam eacelso solio. In altera, de eius primi successoribus, ad hoc vsque tempus. Et in priori quidem diserta est Papistarum assertio, Petrum Apostolum cæteris omnibus Apostolis prælatum, à Christo plenam summámque admioistrandæ Ecclesię autoritatem accepisse; atque adeò institutum fuisse Pontificem Oecumenicum. Cui assertioni omnes Catholici constanter contradicunt. Caluinus Institutionis libri quarti capite sexto. Sadeel contra Turrianum loco secundo, tertio, quarto. Iuellus contra Hardingum articulo quarto. Matthæus Sutliuius de Pontifice Romano libro secundo. Witakerus de Pontifice Romano, quæstione secunda, Danæus, Innius, Tilenus in Bellarminnm, ad hanc controuersiam. Sibrandus de Pootifice libro secundo, & tertio. Riuetus Catholici Orthodoxi, tractatu secuodo, quæstione quarta. Marcus Antonius de Dominis, libro primo de Eeclesiastica Republica.

III. Papistæ: Bellarminus de Ponnifice, libro primo, capite decimo, & sequentibus. Franciscus Cordubensis Annotationibus de Ecclesia articulo secundo, capite centesimo decimo, & proximis duobus. Canus Locorum communium libro sexto, capite tertio, propositione prima. Pighius Monarchiæ libro tertio, à capite secundo, vsque ad vndecimum. Gregorius de Valentia Analyseos libro septimo. Et Commeotariorum in Thomam tomo tertio, disputatione prima, quæstione prima, puncto septimo, quęstione quinta. Polus de Vnitate Ecclesiæ, libro secundo. Turrianus pro Epistolis Decretalibus, libro secundo, capite quarto, & sequentibus. Stapletonus toto libro seato, de Principiis: & in Relectione Controuersiæ Capitalis tertiæ, quæstione prima. Ioannes Eckius libris tribus de Primatu Petri. Arboreus Theosophiæ libro primo, capite vigesimo quinto, Petrus Aoratus Paradoao septuagesimo. Franciscus Agricola, tractatu de Primatu Petri. Et his antiquiores Ioanoes de Turrecremata, de Eeclesia libro secundo, capite nonoto & sequentibus. Thomas W al lensis Doctrinalis tomo primo, libro secuodo, articulo primo.

* * *

Latinos frequentiùs, Caligula, Sura, Stolo, Mutena, Orata, Taurus, Capra, Vitulus, Leo, Merula, Pauo, Pica, Passer, Asina, Sagitta, Vocula, Flāma. Vide Carolum Sigonium de Nominibus Romanorum. Hanc rationem Hebræi in frequenti vsu habuerunt: vnde enim Abel, Debora, Rachel, Aaron, Tabitha, Cepha, Iona. Porrò siue dictio inflectatur, siue minus, tamé semper intelligitur παρονομασία, saltem in significationis deriuatione: vt cùm magistratum dicimus ipsum munus, atque eum qui fungitur eo munere: quæ ratio non est seruata in Consulatu & Consule.

X. Quare, etsi Simonem Christus Cepham dixerit ex Idiomate Syriaco, quæ vox, sono nihil immutato, saxum significat: tamen voluit non saxum, sed saxeum dicere, quam διαίνας diligenter Matthæus expressit. At verò cùm diceret *super hanc petrā*, illud voluit, vnde ipsi Simoni nomen impositum: quæ caussa fuit Euangelistæ τὴν πέτραν hoc secundo loco nominandæ, ne nos ambiguitas deciperet vocabuli in vno eodemque complexo bis, sed diuerso sensu enunciati.

XI. Altera instantia est Bellarmini ex pronomine. Illud, inquit, pronomen *Hanc*, demōstrat aliquā petram, de qua paulò antè Dominus sit loquutus: proximè autem Petrum vocauerat petram, quia Syriacè loquebatur. Ergo, cùm immediatè præmiserit (inquit Agricola) *Ego dico, quia tu es Petrus*, vel puero liquidum fiat, Christum non de alia petra dixisse, quàm cuius antea, & quidem proximè atque immediatè mentionem fecerat, scilicet de Petro.

XII. Respondeo: Primò, Non esse necesse, sic paulò antè eam petram fuisse nominatam ab ipso Christo: sed sufficere, de ea fuisse iam factum sermonem. Quum autem petra intelligatur ipsa Petri cōfessio, vt postea docebimus: & ea paucis interiectis præcesserit, potuit facile id pronomen ad eam referri, Simile, Matthæi vndecimo, *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quòd absconderis ταῦτα hæc à sapientibus, & intelligentibus; & αὐτὰ ea detexeris infantibus.* ταῦτα, quo refers? an ad cœlum, & terram proximè nominata? An verò ad remotiora?

XIII. Nam, quod vult Bellarminus referri ad aliquid proximum, non ad remotissimum; proximè autem præcedere Cephas, dictum, non de Christo, sed de Petro: nihil est necesse: vt his exemplis fiet manifestum. Actorum secundo: *Iesum illum Nazarenum, virum à Deo approbatum apud vos præstantibus factis & miraculis, & signis quæ edidit per eum Deus in medio vestri, sicut & ipsi nostis τοῦτον hunc definito consilio, & prouidentia Dei deditum accipientes manibus sceleratis affixum interemistis.* Hic si situm spectes verborum, pronomini τοῦτον propius est nomen Dei, quā Christi initio sermonis vsurpati: & tamé nemo nō videt ad Christum esse referendum. Capite tertio: *Principem vitæ trucidastis, quem Deus excitauit à mortuis, cuius nos testes sumus: & per fidem in nomen αὐτοῦ ipsum hunc quem conspicitis ac nostis confirmauit ὄνομα αὐτοῦ nomen eius.* Hic rursus, quis neget τὸ αὐτοῦ bis referendum ad id quod remotius, nempe ἀρχηγὸν ζωῆς, non ad vicinius, Deum? Posterioris ad Thessalonicéses secundo: *Impius ille, quem Dominus conficiet Spiritu oris sui & illustri aduentu suo abolebit.* οὗ ἐστιν ἡ παρουσία. *Cuius aduentus est ex efficacia Sathanæ.* Certè ne nasutissimus quidem Iesuita οὗ illud referet ad Christum proximè nominatum.

XIV. Secundò: nego à Christo fuisse prius petram nominatam: sed Petrum: etsi Cephas vocé vsurpauit. Nam cùm ea indifferēter & Petrum significet & Petram; ergo quoties occurrit, interpretanda est ex circunstantiis. Quare cùm dictum, Tu es Cephas, non magis petra significata est, quàm cùm dixit Paulus secundo ad Galatas, *Iacobus, & Cephas & Ioannes.* Non magis, inquam, quàm est caprea his verbis, *Tabitha cumi*, Actorum nono: aut apes cum *Surrexit Debora*, Iudicum quarto. Atque id probatur teste Euangelista, qui non petram, quomodo nunquam vocatur Apostolus, sed Petrū Græcè dixerit.

XV. Tertiò: Matthæus non simpliciter pronomen vsurpauit, siue nudum, & solitarium: sed addito nomine: Non, inquam, dixit, super hunc, vel super hanc, vel eam: sed *super hanc petram*. Ea autem phrasis prorsus omnem tollit ambiguitatem; Matthæi 26. *Hoc est enim sanguis meus Noui illius Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis: Nō bibam ab hoc tempore:* ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, *de hoc genimine vitis*: Vbi si tantùm dixisset ἐκ τούτου, sine dubio referretur ad sanguinem proximè nominatum: sed cùm dixit, *ex hoc genimine vitis*, nemo ambigit *hoc*, referendum ad acceptū poculum remotius nominatum: Lucæ primo: *Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa cōcepit filium in senectute sua:* καὶ οὗτος μὴν ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ, *& hic mensis est illi sextus.* Rursus, si esset dictum καὶ οὗτος ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ, nemo aliud intelligeret, quàm sextum esse eum filium quem Elizabeth concepisset: vt pronomen referretur ad id quod erat paulò antè positum: sed mensis additum nomen obstat. Lucæ secundo: *Factum est autem diebus illis, prodiit edictū à Cæsare, vt describeretur tota terra.* αὕτη ἡ ἀπογραφὴ, *hæc descriptio prima, facta est præside Syriæ Cyrenio.* Dic nudè, αὕτη ἐγένετο, *hæc facta est*: nemo non referat ad terram. Sed additum nomē ἀπογραφὴ, non sinit alucinari lectorem. Et generaliter huiusmodi phrases nihil necesse est referre ad id quod priùs dictum, siue proximum sit, siue remotum. Actorum primo: οὗτος ὁ Ἰησοῦς, *hic Iesus sursum à vobis receptus in cælum.* Matthæi vicesimo sexto: ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ, *in ea ipsa nocte.* Marci nono: τοῦτο τὸ γένος, *hoc genus nulla re potest exire, nisi per precationem & ieiunium.*

XVI. Quartò, dico etiam satisfieri Iesuiticæ importunitati: & *hanc petram*, hoc ipso loco posse referri ad proximum, *Tu es Petrus*; nimirum per παρονομασίαν: vt sæpe fit. Sic Lucæ secundo; ἀπογράφεσθαι πάντας τὴν οἰκουμένην, cùm priùs esset dictum, tum statim, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ, deducto nomine ab illo verbo. Itidem fit hoc loco: nam quia Petrus à petra: ideò statim post petram securè nominat eam ipsam à qua Petrum, vt tota oratio sic resolui debeat. Tu es saxeus, ita dictus à saxo: super quod saxum ædificaturus sum Ecclesiam. Similia exempla occurrunt passim apud bonos autores. Aristophanes Lysistrata, ἐδεδίττετο τὴν ἰσχαδόπωλιν, καὶ τὰς δρυπεπεῖς κατέπινεν. *Terrebat anum vendentem ficus, maturásque vorabat*: non ἰσχαδόπωλις, sed à quibus id nominis deductum. τὰς ἰσχάδας.

XVII. Sequitur tertium nostrum argumentum ex verbis, μου τὴν ἐκκλησίαν; quæ significant totum illud ædificiū ex variis partibus constitutum, quod vocatur Ecclesia, cuius duæ præcipuæ partes Triumphans & militans. Nihil est autem in Christi verbis, quo restringantur ad alterā duntaxat partē, puta militantē, exclusa triūphante. Tum autē certū est & in confesso apud omnes, haud aliud esse huius atque illius fundamentum. Meminisse etiam debēt aduersarij, suæ illius artis, tam præcisè vrgentis *oues meas*, vt nullas velint exceptas. Itaque si Petrus intelligeretur petra illa super quā Christus pollicetur

se ædificaturum Ecclesiam suam: ergo sequeretur Petrum esse fundamentum Ecclesiæ triumphantis, æquè ac militantis: & quia fundamentum, ergo & Pontificem, quandoquidem vtriusque eâdem vim esse Papistæ supponunt. At hoc postremum, quàm falsum, quàm absurdum, Deus bone! Ergo neque antecedens verum.

XVIII. Quartum argumentum: Quia Christus Simoni dixit, nō, tu eris Petrus: sed *tu es Petrus*. Si igitur sensu idem est, tu es Petrus, & tu es Petra, ergo iam tū oportuit Simonē esse Petram. At hoc falsum est. Quia deinceps Christum negauit lapsu horrendo: quo ipso declarauit se nondum esse adeò cōfirmatum in Christo, vt penitus, & sine vlla hæsitatione ei adhæreret: quod tamen postea accidit, nēpe post acceptum Spiritum; vt & reliquis. Hinc Chrysostomus homilia octogesima tertia in Matthæum: [illegible] *Qui tum crucifigeretur consistere non poterant, hi post eius mortem robusti, atque adamante firmiores fuere.* Ergo cùm oporteat eam Petram esse ipsam *ἀσάλευτον inconcussam* (non enim aliter Petra:) tum Christus (quod nisi horrescens nō dico) falsus esset, qui diceret eum esse Petram, qui paulò pòst, non tantùm commouendus erat; sed tantùm non præcipitandus.

XIX. Quintum argumentum: è tertio capite prioris ad Corinthios, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.* Adde Gregorium capite sexto, libri vigesimi octaui Moralium: *Cùm in sacro eloquio non fundamenta, sed singulari numero fundamentum dicitur, nullus alius nisi ipse Dominus designatur.* Nam si præter Christum nullum esse potest Ecclesiæ fundamentum, tum sine dubio, nullo argumento effici potest, vt Petrus sit Petra, super quā Ecclesia est ædificata. Nam id super quo ædificatur Ecclesia, est Ecclesiæ fundamentum.

XX. Gretserus opponit, etiam à nobis velimus nolimus agnosci plura fundamenta: Primò Deum, qua Deū. Nā, inquit, quin Deus, vt Deus, sit fundamentū Ecclesiæ, non, vt opinor, negabunt. Secundò Christum, vt hominē. Tertiò Apostolos & Prophetas. At nos negamus præter Christū vllū agnosci à Catholicis fundamentū Ecclesiæ propriè dictū. Est enim Mediatoris propriū. Nos verò præter Scripturā huiusmodi mysteria asserere pudet: multo magis quàm olim Athanasiū pudebat Patrē dicere ingenitū: tacente Scriptura. Dispar enim ratio. Nam ingenitum Patrem, si non nominauit; at certè designauit Scriptura. Fundamentum autem tale Ecclesiæ Deum, puta Patrem, aut Spiritum; nos nunquam legimus. De Apostolis & Prophetis, similiter paulò pòst sumus negaturi.

XXI. Bellarminus asserit Paulum nō loqui de quocunque, sed de primario fundamento. Ratio: quia aliuqui pugnaret secum. Nam ad Ephesios secundo, *Superædificati* (inquit) *super fundamentum Apostolorū & Prophetarū*: et Ioanni repugnaret, qui Apoc. vigesimo primo, describit fundamenta duodecim in ædificio Ecclesiæ; & explicat per fundamenta Apostolos designari. Summa solutionis est, distinguēdum fundamentum in primarium & secundarium. Christum vnicum esse fundamentum primarium; sed Petrum esse secundarium.

XXII. Sed Pauli disertiora verba sunt, quàm vt eludi possint. Nam si distinguitur fundamētum, in vnum primarium, & aliud secundarium; necesse erit fateri fundamentum esse aliud & aliud. Nominato ergo vno, necessariò ille falsum dixerit, qui negarit aliud vllum dari posse: quæ Pauli non mens tantùm, sed & diserta verba sunt, *Fundamentum aliud nemo potest ponere.* Quod si hanc fundamenti distinctionem aut nosset, aut probasset, eum oportuisset dicere, fundamentum aliud primarium nemo potest ponere: quod ille tamen nusquam dixit.

XXIII. Contradiceret aut sibi, aut Ioanni, falsum. Nam cùm fideles dicuntur fundari *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*; non intelliguntur ipsi Apostoli & Prophetæ esse fundamentum: sed Christus eorum ipsorum Apostolorum, Prophetarumque fundamentum: siue, quod idem est; doctrina, quam Ecclesiæ proposuerunt pro fundamento Apostoli, & Prophetæ: quomodo architecti plures si de peritia certarent, suum quisq; fundamentum ostentaret. Ambrosius: *Hoc est supra Nouum & Vetus Testamentum collocati: quod enim Apostoli prædicauerunt, Prophetæ futurum dixerunt.* Et paulò pòst: *Nam Apostoli fundamentum secerunt: vnde dicit Dominum ad Petrum, Super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, hoc est, in hac Catholicæ fidei confessione statuo fideles ad vitam.* Primasius: *Fundamentum Apostolorum & Prophetarum Christus est, qui etiā lapis dicitur angularis: vt scriptum est, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, duos parietes coniungens & continens. Et fundamentum autem & summus: quia in ipso & fundatur, & consummatur Ecclesia.* Anselmus: *Id est super fidem Christi, super quam primò fundati sunt Apostoli, & Prophetæ. Christus enim fundamentum est totius domus templi, vel diuinæ ciuitatis: quia ex eo, & ex eius fide, & gratia inchoant omnia bona, & ipse totum spiritale portat ædificium. Ipse ergo est fundamentum Apostolorum & Prophetarum, quia super illum incumbunt, & firmi permanent Apostoli & Prophetæ, qui totam deinde fabricam sancti ædificij portant. Ipse est fundamentum, id est, fides eius est prima firmitas & initium ad sustentaculum omnis ædificij virtutum ac bonorum operum.* Lombardus: *Id est super Christum, qui est fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere. Vel super fundamentum, id est, doctrinam Apostolorum & Prophetarum, id est super Nouū Testamentū, & Vetus.* Thomas Caietanus: *Metaphoricus est sermo. Et quod dicit super fundamentū Apostolorum & Prophetarū: intellige formaliter, hoc est, super Christum seu Deum, quatenus est fundamentum Apostolorū & Prophetarum. Verè enim non sumus fundati super Christū immediatè: sed quatenus ipse sustentat Apostolos & Prophetas, hoc est, mediātibus Apostolis & Prophetis, mediante doctrina ministrata per Apostolos & Prophetas.* Gagnæus: *Id est, fidē à Prophetis prædictam, & ab Apostolis prædicatam.* Hæc illi; quibus consentit Glossa interlinearis & Lyranus. Sed & Iesuita Vasques in Secundam secundæ disputatione ducentesima decima, capite septimo, *Non Apostolos & Prophetas intelligit sed fidem illorum ab eis scilicet prædicatam & annunciatam.* Item Guillaudus: *Super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum: id est, quo Apostoli & Prophetæ & sancti quilibet, cuiuscunque ordinis illi fuerint, nituntur: Christum ipso.* Sibi ergo consentit Paulus.

XXIV. Quod verò ex Antiquis nonnulli maluunt ipsos Apostolos & Prophetas fundamentum dici: primùm ij non rectè locum explicant: & malè Thomas eos præfert. Nam contra rationē, quæ sequuntur, *Cum ipso angularis lapis est Christus, in quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, vt sit templum sanctum Domino. In quo & vos vnà ædificamini, vt sitis habitaculum Dei per Spiritum.* Enimuerò absurdum est, vt super alio fundari in alio crescere dicantur:

cantur: nec minus, vt ipsi quidem Apostoli & Prophetæ, fundamentum constituantur; ipse autem Christus tantùm lapis ad angulum; id est, pars fundamenti; quamuis præcipua. Adde hæc disertiora, quàm vt eludi possint. *In quo & vos vnà ædificamini, vt sitis habitaculum Dei.* Nam certè habitaculum in fundamento ædificari ipsa natura docet.

XXV. Iam de Apocalypsi quid dicam? Magnum mendacium apud Ioannem, per duodecim fundamenta Apostolos intelligi. Nam is duntaxat, Apostolorū nomina inscripta duodecim fundamentis Ecclesiæ dicit. Quæ etsi multi sic intelligant, quasi ipsi Apostoli dicantur fundamenta: tamen alij etiam exponunt de ipsa doctrina, in qua docenda Apostoli strenuè laborarunt. Haimo: *Et in ipsis fundamentis, hoc est, in fide Patriarcharum & Apostolorum nomina duodecim Apostolorum.* Lyranus: *Dicuntur autem nomina Apostolorum in ipsis fundamentis scripta; quia primò publicarunt fidem Christi prædicando & pro ipsa moriendo.* Hæc illi. Et facilis intellectu: quia solent in ædificiorum molibus, maximisque operibus inscribi architectorum nomina.

XXVI. Porrò qui dicunt Apostolos esse fundamenta, non aliter intelligunt, quàm, quia ij fundamentum iecerunt: nempe Metonymicè: vnde Nazianzenus in Oratione de Modestia in disputationibus, idcirco Petrum ait dictum fuisse petram, *quòd eius fidei concredita sint Ecclesiæ fundamenta.* Et Basilius libro secundo, contra Eunomium: *ὡς ἑαυτῷ τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας ἐδέξατο, quòd in se receperit ædificationem Ecclesiæ.* Aretas in hunc Apocalypseos locum, fundamentum appellatos explicat, *ὡς τὴν κατ' Χριστὸν πίστιν ... ὑποστησάμενοι. vt qui ipsi substrauerunt fidei fundamentum.* Ergo figuratè, quatenus solet efficienti caussæ tribui nomen effecti. At Christus propriè: quia in eo crescat totum ædificium. Non igitur contrarius Paulus Ioanni. Cùm autem dixit Christus se ædificaturum Ecclesiam super Petram; non agebat de fundamento Ecclesiæ metonymico, siue ministeriali: sed proprio: ideòque non dixit, super hanc Petram tu ædificabis Ecclesiam, vt erat necesse, siquidem proprium est fundamenti ministerialis, iacere fundamentū, id est, ædificare: sed dixit *Ego ædificabo*: vt se ostēdat loqui nō de ministerio & laboribus Petri, sed de sua virtute.

XXVII. Sic frustra Bellarminus pugnat. Sanderus paulò aliter, Petrum non esse aliud fundamentum specie, vel toto genere distinctum à Christo: quale est, qui Christo apertè aduersatur; sed esse alterum fundamentum, eiusdem quidem generis, sed accidente differens: quum sit Christus fundamentum principale, absolutum, atque vitale: Petrus verò, subordinatum, participatum, & ministeriale. Paulum autem dixisse *ἄλλο*, non *ἕτερον*: *aliud*, non *alterum*.

XXVIII. Respondeo: primò differentiam inter ἄλλο & ἕτερον, esse commentitiam. Vsurpatur enim ἄλλο, non tantùm pro diuersitate generis: sed etiam, & quidem sæpissimè, pro pluralitate indiuiduorum. Exempla vbique obuia. Matthæi quarto: *εἶδεν ἄλλους δύο ἀδελφούς; Vidit alios duos fratres.* Marci tertio: *ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη, Constituta est manus sana, vt alia.* Ioannis quinto: *ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει, alius ante me descendit.* Et hoc ipso textu *ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθεικα, ἄλλος δὲ ἐποικοδομεῖ: vt peritus architectus fundamentum posui: alius verò superædificat.* Et notant Grammatici ἄλλοι de pluribus, ἕτεροι propriè de duobus dici: etsi vsus confundat. Videtur ergo Stapletonus, vtro modo hîc sumat: nam vtrouis, commentitia erit differentia.

XXIX. Deinde contextus ipse seipsum satis explicat. Non enim simpliciter Paulus dixit, *Nemo potest aliud fundamentum ponere*: sed addidit *præter id quod positum est, quod est Iesus Christus*: quo satis ostenditur agi de fundamento indiuiduo, cùm Christus sit indiuiduus. Quare intelligendus Paulus, negare, præter vnicum & indiuiduum fundamētum, quod ipse posuerat, nempe Christum, posse vllum dari Ecclesiæ fundamentum aliud, non tantùm, non specie, siue genere, sed ne numero quidem.

XXX. Tertiò: quonam quæso sensu Stapletonus affirmare potuit esse fundamēta eiusdem generis, & speciei: tantùm numero differentia, & accidēte, Petrum & Christum? Nam quia fundamentum propriè id est, super quo ædificium crescit: metonymicè autem, & architectus, à quo iacitur fundamentum; fieri non potest, vt fundamentum & architectus sit vnum specie, aut genere. Nam *ὁμώνυμα* nihil habēt cōmune præter nomen: vt Taurus astrum, & Taurus mōs, & Taurus animal. Definiuntur autem: *ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος: quorum nomen solum commune: at secundùm nomen definitio essentialis alia.* Certè si λόγος οὐσίας alius est, oportet magis differre, quàm numero siue accidente.

XXXI. Tum autem Stapletonus pugnantia loquitur. Nam differentiam statim sic notat, vt alterū sit principale, absolutum, & vitale: alterum subordinatum, participatum, & ministeriale. At hæ sunt non accidentium, sed naturarum differentiæ, & generum. Non potest enim eiusdem generis esse, potestas absoluta cū participata, principalis cum subordinata; vitalis cum ministeriali. Quemadmodum non est eiusdem generis lux Dei, quæ absoluta, & lux hominum quæ participata: Potestas regia principalis, & officiarij subalternata. Quid? quod ipse sui obliuiscitur? Nam hæc eius verba sunt in Relectionib. Controuersia tertia, quæstione prima, articulo primo, cōclusione tertia, *Ostendit Christus Petrum fore non quemlibet architectum, aut Pastorem Ecclesiæ suæ, sed planè primarium & fundamentale quoddam in genere suo, quale Christus est in alio genere.* Audin' Petrum in suo genere fundamentum, Christum in alio? Et qui id asserat, idem neget genere differre? idem asserat tantùm numero, tantùm accidente differre? Monstrosum ingenium!

XXXII. Denique sic Antiqui locum intellexere, vt agatur de Christo vnico & indiuiduo fundamento. Hieronymus: *Non est alius Christus quem possit nobis aliquis prædicare, præter Iesum, cui fide firmissima credidistis.* Theodoretus: *Neque aliud potest iacere fundamentum, qui vult sapienter ædificare. Christus est fundamentum.* Chrysostomus: *Θεμελίῳ ἐχόμεθα, ὡς ἀλλήλων ἐχώμεθα, καὶ μηδὲν ἔστω μέσον ἡμῶν καὶ τοῦ Χριστοῦ· ἂν γὰρ γένηταί τι μέσον, εὐθέως ἀπολλύμεθα. Fundamento hæreamus, vt palmes viti, & inter nos & Christum nihil esto medium: Nam si medium sit aliquid, statim perimus.* Oecumenius: *οὐκ ἔστιν ἄλλος θεμέλιος εἰ μὴ Χριστός, ὃν εὐηγγελισάμην. Non est aliud fundamentum præter Christum, quem annunciaui.* Lyranus: *Solus Christus, vel fides ipsius, est fundamentum.*

CAP. III.

Ecclesiæ Petram esse Christum.

I. ERrant ergo qui Petrum Apostolum interpretantur Petram, super qua fundatus Ec-

clesia. Sed enim, quomodo igitur eum locum exponamus, quærat aliquis. Nos verò respondemus non à nobis, sed à Patribus, qui pridem præiuere. Atque hoc quidem tanto prolixiùs enumeraturi, quanto insolentiùs aduersarij iactant in huius loci expositione, suam esse totam Antiquitatem. Nam Iansenius, *Communiter*, inquit, *etiam ab antiquissimis & omnibus Catholicis, per petram hanc, Petrus ipse intelligitur.* Et postea nominat concordem omnium Patrum interpretationem. De Valentia: *Ita locum illum vniuersi Patres interpretati sunt: neque prorsus dubitauerunt, quin Petrus ibi petra dictus à Christo sit. Etsi vnus quidem excipiendus sit Augustinus.* Agricola constare ait non aliter orthodoxos Patres ea verba intellexisse, quàm hodie quoque intelligat & interpretetur Ecclesia Romana. Bozius decimo octauo, de Signis Ecclesiæ, capite primo, neminem dissentire, vnum tantùm Augustinum dubitasse. Sic enim solent magnifici Sophistæ, magnificè mentiri.

II. Distinguuntur verò Patres in duos ordines: Et ij quidem verbis diuersi potius, quàm rebus aduersi. Sed tamen alij disertè totidémque syllabis Christum interpretantur petram hanc ædificandæ Ecclesiæ: alij verò fidem, siue confessionem Petri. Quorum etsi eadem sit sententia: nam Augustinus de Fide & operibus, capite decimo sexto: *Apertè dictum est, fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si autem Christus, procul dubio fides Christi: per fidem quippe habitat Christus in cordibus vestris.* Tamen, quia solent Papistæ syllabas aucupari, placet vtrorumque testimonia seorsim disponere. Sic enim luce clarius apparebit, quàm diligenter omnem moueant lapidem, vt sese veritati opponant.

III. Tertullianus aduersus Marcionem libro quarto, capite decimotertio. *Mutat & Petro nomen de Simone: quia & creator Abraha & Sara, & Ausea nomina reformauit, hunc vocando Iesum: illis syllabas adiiciendo. Sed & cur Petrum? Si ob vigorem fidei, multa materia solidaque nomen de suo accommodarent. An quia & petra & lapis Christus?* Hilarius de Trinitate libro secundo: *Vnum igitur, hoc est immobile fundamentum, vna hæc est fœlix fidei petra, Petri ore confessa, Tu es filius Dei viui.* Ambrosius sermone octogesimo quarto. *Gradus quidam sunt fidei, & qui deuotius credit, religiosius confitetur. Pro hac deuotione dicitur Petro, Beatus es tu Simon Bar-Iona, quoniam caro & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus, qui est in cœlis. Et ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Cùm vocaretur ergo Simon, per hanc deuotionem vocatus est Petrus. Legimus dicente Apostolo de ipso Domino, Bibebant de Spirituali petra. Petra autem erat Christus. Rectè igitur, quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, vt, qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet & nominis Dominici vnitatem: vt sicut à Christo Christianus dicitur, ita à Petra Christo, Petrus Apostolus vocaretur.*

IV. Gregorius Nyssenus postremo capite testimoniorum contra Iudæos. *Dominus est petra fidei: tanquam fundamentum, vt ipse Dominus ait ad principem Apostolorum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: super confessionem videlicet Christi, quia dixerat, Tu es Christus Filius Dei viuentis.* Theodoretus in Psalmum quadragesimum septimum. *Ædificauit namque ipsam Ecclesiam (ait diuinus Apostolus) supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cum sit petra angularis eius Christus Iesus. Et ipse Dominus beato Petro, inquit, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Idem in priori ad Corinthios caput tertium: *Hoc fundamentum iecit beatus Petrus, vel potiùs ipse Dominus. Cùm enim dixisset Petrus, Tu es Christus filius Dei viui. dixit Dominus, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ne vos ergo denominate ab hominibus, Christus enim est fundamentum.* Hieronymus in Matthæi septimum. *Super hanc petram Dominus fundauit Ecclesiam: ab hac petra Apostolus Petrus sortitus est nomen.*

V. Augustinus de verbis Domini secundùm Matthæum, sermone decimo tertio. *Deinde addidit, & ego dico tibi: tanquam diceret, quia tu mihi dixisti, Tu es Christus filius Dei viui, & ego dico tibi, tu es Petrus. Simon quippe ante vocabatur: hoc autem nomen ei, vt Petrus vocaretur à Domino impositum est: & hoc, vt ea figura significaret Ecclesiam: quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est. ideò Petrus à petra, non petra à Petro: quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus: Et super hanc petram quam confessus es, super hanc petram, quam cognouisti, dicens, Tu es Christus filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificari super homines dicebant, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ipse est Petrus. Et alij qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram, Ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus, vbi cognouit se eligi & Christum contemni, Diuisus est, inquit, Christus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est: aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo non in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi, vt Petrus ædificetur super petram, & non petra super Petrum.* Idem in Ioannem tractatu centesimo vicesimo quarto: *Ecclesia non cadit, quoniam fundata est super petram, vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideò quippe ait Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Christus filius Dei viui. Super hanc ergo, inquit, petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, super quod fundamentum, etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Item libro secundo de Trinitate, capite decimo septimo. *Sed dum peregrinamur à Domino, & per fidem ambulamus, ideò per speciem posteriora Christi, hoc est carnem per ipsam fidem videre debemus, id est, in solido fidei fundamento stantes, quod significat petra, & eam de tali specula tutissima intuentes, in Catholica scilicet Ecclesia, de qua dictum est, Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

VI. Adde istis etiam posteriores: Gregorium in Iob libro trigesimo primo, capite decimonono: *In sacro eloquio cum singulari numero petra nominatur, quis alius quàm Christus accipitur? Paulo attestante, qui ait, Petra erat Christus.* Anselmum in eum locum Matthæi: *Super hanc petram, id est, super me ædificabo Ecclesiam meam. Quasi dicat: Sic es Petrus à me petra, vt tamen mihi reseruetur fundamenti dignitas. Sed tu cui ego vt amatori, & confessori meo participium mei nominis dedi, super me fundamentum mundos lapides ordinabis.* Glossam interlinearem: *Petram id est, Christum in quem credis.* Lyranum: *Et super hanc petram, quam confessus es, id est super Christum.* Ioannem Arboreum Theosophiæ libro quinto, capite quinto: *Ecclesia fundata est super petram & non super Petrum.* Cardinalem de Alliaco in Recommendatione Sacræ Scripturæ: *Non videtur quod in petra Petrus, sed in petra Christus sit intelligendus, de quo agit Apostolus, Petra autem erat Christus.* Et Concordantiæ libro secundo, capite decimo tertio. *Per*

petram Christum, quem confessus est, intelligunt. Peterum libro secundo in Danielem; qui docet lapidis appellationem conuenire Christo, tum aliàs, tum *Quia Christus est petra, super quam fundata est & sustentatur Ecclesia: ideòque nullo vnquam tempore, nullâque vi labefactari & euerti poterit: quinimò, nec portæ inferi aduersus eam præualebunt.*

VI. Hi omnes ergo petram eam, super quam tum dixit Christus ædificandam esse Ecclesiam, non aliam intelligunt, quàm ipsum Christum, quem Petrus confessus erat. Ad quorum autoritatem video triplicem exceptionem proferri à Papistis. Prima est de Augustino: quem vnum adoriuntur, neglectis, aut certè dissimulatis alijs. Ergo Bellarminus Augustinum negat improbare eorum sententiam qui Petrã, de Petro interpretantur: sed tantùm illi anteponere hãc, quæ de Christo: videlicet capite vigesimo primo libri primi Retractationum. Deinde eundem Augustinum tum Bellarminus, tũ Costerus, tum Agricola, tum Stapletonus lapsum dicunt, ex ignoratione linguæ Hebraicæ, siue Syriacæ: vt crederet Cepham non significare Petram, sed aliquid à Petra deriuatum.

VII. At ego, Esto, inquam, detur Augustinum vnam sententiam alteri præferre; & nihil præterea, tamen sequitur, Augustini saltem iudicio, Papistas male argumentari ex hoc Matthæi loco; vt qui eius meliorẽ sensum deserentes, alium sectentur, non adeò probabilem, aut aptum. Quanquam, quid tergiuersatione opus est? Augustinus nostram sententiam ita præfert, vt rationibus confirmet: alteram, Ambrosij tantum auctoritate: quasi diceret, illam quidem sua niti ratione certa, atque ea quidem ab ipso petita contextu: hanc verò nullâ, sed tantùm vnius viri autoritate. Et id aduersarij dicent esse aliud nihil, quàm vtcunque vnam vni præferre: aut vt Agricola, in alteram magis inclinare?

IX. Ignorantiam linguæ Syriacæ cur non miter obiectam Augustino: qui eos videam non improbari, qui Cepham caput interpretantur, ex vicinitate, ὡς κεφαλῆς? vt suppositium Anacletum, Optatum Mileuitanum, Isidorum, alios? Nam hos Turrianus audet tueri, in libris pro Decretalibus Epistolis: & Baronius ad annum Christi trigesimum primum, negat reprehendendos. En Papisticæ sinceritatis specimen. Augustino imperitiæ nota inuritur, eiusque propterea exsibilatur sententia: Illi ab omni reprehensione vindicantur. Cur quæso? Nimirum, quia ille aduersatur rei Pontificiæ, hi verò fauent. Anacletus saltem, & Isidorus. Nam Optatum exemerim ab hoc ordine: & illud de capite, suppositium esse, nullus dubitarit, quomodo alia plurima emunctæ naris Critici deprehenderunt temerè ab imperitis inserta glossemata. Sed si Augustinum placuit ignorantiæ accusare: cur non reliquos sunt reueriti: in quibus saltem Hieronymus, & Lyranus, non fuerunt Hebraici sermonis ignari?

X. Et quanquam fatear, Augustinum eam linguam non attigisse: tamen nego eam imperitiam ei imposuisse. Habebat enim Christi sententiam αὐτολεξεὶ expressam verbis non Hebraicis, aut Syris, sed Græcis; quorum ignarum fuisse, quis dicet non impudens? Itaque cùm Matthæum Græcè legeret, non erat ei necesse vlterius laborare. Et sanè, à nomine Cepha ille nunquam argumentatur, sed à Petro, & Petra, quæ Græca sunt. Deinde res erat non simpliciter Grammatica, sed etiam Theologica: erat autem Theologiæ peritissimus Augustinus. Sicut igitur in reliquis religionis capitibus poterat suam sententiam dicere, etiam si Hebraici contextus pleraque non intelligeret, quæ sunt in verbis posita: ita non eò hîc reijciendus erit: quia quid Syris Cephas esset, non exactè norat. Nam fundamentum explicationis suæ facit hoc axioma certissimum, atque immotum, Christum esse vnicum Ecclesiæ fundamentum. Atque adeò miror, quid de suis dicturi sint Sophistæ, quorum non Syriacæ linguæ tantùm, sed etiam Græcæ tanta erat, tanq; stupida ignoratio; vt crederent Petrũ & Cephas, non idiomate tantùm, sed etiam significatione differre. Vide Valdensem; doctrinalis tomo primo, libro secundo, articulo primo.

XI. Secunda exceptio eorũ qui negant, si Christus intelligatur Petra; sequi non etiam Petrum intelligendum. Vtrumque igitur hi coniungunt: esse Petram, & Christũ, & Petrum etiam propter Christum. Citantque Basilium sermone de Pœnitentia: *εἰ γὰρ καὶ Πέτρα, ἀλλ' οὐχ ὡς Χριστὸς πέτρα, ὡς Πέτρος πέτρα. Χριστὸς γὰρ ὄντως πέτρα ἀσάλευτος· Πέτρος δὲ διὰ τὴν πέτραν. Nam etsi Petra, non tanquam Christus, vt Petrus Petra: Christus enim reverà Petra immobilis: Petrus verò propter Petram.*

XII. Respondeo, nos non disputare vtrum Petrus vllo modo dici aut possit, aut debeat petra: sed tantùm, vtrum hoc loco Christus petram hanc nominans, Petrum voluerit intelligi. Nam petram posse dici, & Petrum, & quemlibet fidelẽ, suo gradu & captu, tum nos concedimus, tum Origenes prolixè docet tractatu primo in Matthæum. *Petra est, inquit, quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spiritali consequente petra: & super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina, & secundùm hanc vita institutio: in vnoquoque enim perfecto habente congregationem eorum quæ complent beatitudinem verborum, factorum, & sensuum, est quæ à Deo ædificatur Ecclesia.* Hæc Origenes, atque alia non pauca in eundem sensum. Hoc igitur sensu cùm facilè concedimus dici posse Petram Apostolum, tum negamus, hoc Matthæi loco, aut Petrum aut alium vllum, quantumuis fidelem, rectè intelligi, sed solum Christum. Esse autem absurdum valde, postquam concesseris petram hîc significare Christum, statim asserere, significare etiam Petrum. Quia ipsa verba contra sunt: non enim dixit Christus, & super petram: sed disertè, super hanc petram, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ: quæ verba, ex vsu communi, non plures significant, sed vnam quandam indiuiduam petram designant. Non sunt autem vnum indiuiduum Christus & Petrus: sed duo ὑφεστῶτα, reapse separata & diuersa. Adde, eam petram intelligi, tum quam Petrus erat confessus: tum à qua Petro nomen deductum. Atqui neque seipsum Petrus erat confessus, sed Christum Filium Dei viui: nec à se petra, nomen Petri dicitur accepisse, sed à Christo petra. Ergo non potest ea petra de Petro intelligi. Nam quod Origenes tamen de quolibet fideli petram hanc exponit; sensus est tropologicus (vt in scholis appellant) id est moralis applicatio, non literalis explicatio.

XIII. Tertia exceptio Stapletoni audacissima: qui negat per hãc petrã Christũ intelligẽdũ. Etsi, inquit ille, prima & principalis, & absolutè loquẽdo, Petra Ecclesiæ Christus est: tamẽ Christus nõ est hæc petra, illo videlicet loco à Christo designata. Similiter Karnskoukius hãc interpretationem impropriam appellat, & alienam. Salmero non satis idoneam & firmam. Cunerus Petri, nullam hîc Christi fieri mẽtionem: nullâque probabilitate ad personam eius

referri, quod de petra dicitur: in disputatione de firmitate Cathedræ Petri. Imò Maldonatus: *Nihil,* inquit, *magis à sensu Christi alienum cogitari potuit quàm vt dicere voluerit super se ipsum, aut super aliam rem, quàm super Petrum fundaturum Ecclesiam.* Quod cùm asserũt non perpendunt, quantam iniuriam faciant veteribus illis magnis viris iam laudatis testibus. Sed esto tamen: quasi ij nulli fuerint; aut si fuerint, fuerint Sophistis longè inferiores & merito & nomine; vocetur in dubium interpretatio: & argumenta potiùs ponderentur.

XIV. Primum igitur. Quia verba illa, *Et super hanc petram*: respondent prioribus, *Tu es Petrus*, rationémque reddunt, quare vocatus sit Petrus. Sicuti in Genesi cùm dixisset Deus, *Tu vocaberis Abraham*, caussam subiungit, *quia Patrem multarum gentium constitui te.* Similiter ergo hic; *Et super hanc petram*, scilicet quæ tu es: alioqui vana esset & falsa copulatiua. Respondeo, ista referri ad præcedentia: sed partim ad hæc: *Tu es Petrus*, nimirũ propter *παρονομασίαν*: partim ad illa, *Tu es Christus Filius Dei viui*: nimirum quia vna eadémq; opera voluit ostendere, & vnde imponeretur nouum nomen, nimirum à Christo, quem confitebatur Apostolus: & quæ imponendi ratio: nempe quia metaphoricè Christus sit petra. Itaque, etiamsi pertineant hæc, *Super hanc petram* ad illa *tu es Petrus*, non sequitur tamen, eandem personam significari. Imò fieri nequit. Nam ratio nominis non potest esse ipsa persona. Sic Iacob à Calcaneo: sic Isaac à risu: sic Iesus à salute. Præterea repugnat Syriacus sermo. Nam apud Syros itidem, vt apud Hebræos, nominibus propriis nunquam additur articulus connotatiuus: Nunquam igitur illi dicant: Hic Abraham, iste Isaac. Nam etiam Iudicum nono, vbi Latinè legitur, *Quis est iste Abimelec*: Interpres addidit, iste: nam Hebraicè, *Quis Abimelec.* Porrò Geneseos exemplum est dissimile: quia in eo disertè exprimitur pronomen te; quod hinc abest.

XV. Secundum: Certum est Christum his verbis confessioni Petri de se mercedem reddere. At si illud *Super hanc petram*; non refertur ad Petri personam, prorsus nihil est hic Petro retributum. Nam illud Petrus, antè ei nomen impositum erat. Nec magis ad eius dignitatem aut præeminentiam pertinet vocari Petrum propter aliquam animi virtutem; quàm ad Iacobi & Ioannis, vocari Boanerges. Nam id commune est omnibus fidelibus Christum confitentibus.

XVI. Respondeo: magna profectò retribui Petro: primũ, vt Beatus diceretur: secundò, vt Petrus appellaretur: tertiò, vt claues acciperet regni cœlorum. Et hæc sufficere. Itaque Chrysostomum falsò Stapletonus citat. Nam is mercedem Petro redditam notat in tertio tantùm capite. *Τί δέ, καὶ ἐγὼ δέ σοι δώσω; ὥσπερ ὁ πατήρ σοι ἔδωκε τὸ ἐμὲ γνῶναι, οὕτω καὶ ἐγώ σοι δώσω. τί δίδως εἰπέ μοι; τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν.* Quæ verba, quia interpres nõ reddidit sana fide, ego sic: *Quid est, & ego tibi dabo? Quemadmodum tibi Pater dedit me nosse, sic ego tibi dabo. Quid das, quæso? Claues regni cœlorum.* Itaque, etsi illa petra non referatur ad ipsam personam Petri, nihil est verendum, ne nihil ille à Christo acceperit.

XVII. Quid tum autem, si Petri nomẽ ante collatum fuit? Nam hîc non de nomine agitur, sed de re, per id nomen significata. Itaque dixit Christus, *Tu es*, non autem *tu vocaris*. Nec verò propterea nullum hoc donum fuit, quia confessio communis est omnibus fidelibus: nam illud ipsum numerari in fidelibus, magnum donum est. Et tamen de beatitudine, & clauibus, nihil Stapletonus: quasi nauci essent. At Catholici, magnum id, imò maximum censent: longéque pluris, quàm ipsas claues possidere: quas præpostero iudicio Romani Pontifices solas amant.

XVIII. Adhæc: etiamsi interpretemur hanc petram de Christo, tamen multa merces Petro repensa fuerit, multúsque honor delatus: nimirum, vt eius prædicationi innitatur Ecclesia: prædicationi, inquam, quæ Christum profitebatur esse Filium Dei viui. Sic Theophanes Cerameus apud Salmeronem. *Ego verò dicam tibi quia tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tu (inquit) qui Petrus es, petra fies fidei verbi, & Ecclesiæ firmata fundamentum, ac ædificationis spiritualis primus aditus. Super hanc enim confessionem fundamentum Ecclesiæ stabit. Tali tempe petra de rupe collocata, reliqua dogmata firmè ac tutè ædificabuntur.*

XIX. Tertium: Christus quidem est petra: itaque nemini homini dici potest, tu es petra, absolutè loquendo: sed hæc petra commodè & verè Petrus dicitur: videlicet per participationẽ metaphoræ petræ, quæ Christo simpliciter applicatur.

XX. Hoc verò prorsus negatur. Nam Christus nõ tantùm est petra in genere, & absolutè: imò verò potiùs, nõ est petra in genere & absolutè: sed est hæc petra, quã Petrus erat professus: hæc, inquã, super qua ædificatur Ecclesia: hæc, à qua nomen Petri deriuatur. Et cur non nostra assertio, Stapletoni negationi opponatur? Nam quod hanc petram interpretatur ministerialem, & participatiuè dictam; habet tantùm à propria audacia. At nos scimus, eã petram, cui inædificatur Ecclesia, non esse ministerialem. Ministerium enim significat artificium ædificandi super eam petram. Quis nescit autem longè aliud esse ministrum iaciendi fundamenti, aliud ipsum fundamentum?

XXI. Quartum: à verbis *ædificabo Ecclesiam meã.* Atque hoc duplex. Primò: quia de re futura Christus loquatur. At super Christum, nullo modo ædificanda erat, aut ædificari nunc cœperat: sed fuerat iam olim ædificata Ecclesia. Deinde, quia non ipse super seipsum ædificat: sed Deus dedit *ipsum caput super omnem Ecclesiam.* Itaque Deus super Christum, non Christus super se ædificat.

XXII. Respondeo, ita fuisse super Christum ædificatam Ecclesiam, vt esset adhuc ædificanda in posterum: & quidem propria quadam ratione: nẽpe, quia quoad ministerium exterius, tantùm particularis erat ad id vsque temporis Ecclesia, neq; extra Iudæam: at deinceps erat Catholica futura, & per totum orbem spargenda: quod nunquam fuerat factum. Itaque rectè dictum est, Ædificabo. Sicut Matthæi primo. *Ipse seruabit populum suum.* Cùm tamen iam pridem seruasset Christus populum suũ à peccatis suis. Nihil verò absurdi obstat, quominus dicatur Christus ædificare super seipsum. Imò Augustinus: *Non me ædificabo super te: sed te super me.* Ac disertiùs, *Super me ipsum Filium Dei viui ædificabo eam.* Imò Bellarminus: *In se iam ædificauerat Apostolos, & discipulos multos.* Et verò, Deus Christũ dedit caput Ecclesiæ: sed quã vim id habet, vt concludant ipsũ Christũ non ædificare? Imò verò, quia ædificare, hîc est incrementũ dare à seipso: certè, si Christus incrementũ dat à seipso: ædificat super seipsũ. Illud autẽ patet quarto ad Ephesios. *Adolescamus in eum per omnia, qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus incremen-*

crementum capit, in ædificationem sui ipsius. Et verè fatetur Christum seipsum non glorificasse, quinto ad Hebræos: quod in Relectione Stapletonus obiicit, sed id dico esse [illegible]. Nam cur non sit à Patre glorificatus, vt super seipsum ædificaret?

XXIII. Quintum, Isto sensu constituto, nec vbi sit Ecclesia scire queas: & quod prædixit Christus futurum, Lutherus dicet, Ecce hic est Christus: Caluinus ecce illic est: Anabaptistæ dicent apud se tantùm esse Ecclesiam: idem Iconomachi, ac Iconoclastæ contendent: idem denique sentiēt omnes hæreses quæ Christum amplectuntur & confitentur. Quid ergo aliud quàm commentitia erit Ecclesia, cuius nec fundamentum, nec ædificium cognosci posset? Hæc Salmero.

XXIV. Respondeo; satis constare multis experimentis hoc vnum Papistas agere, vt remotis omnibus, sibi solis prouideant: itaque hîc mentem esse Salmeronis Ecclesiã penes eos esse solos, qui Romani Veiouis res agant. Nam profectò etiam Petri quidem apud eos, [illegible], nisi quatenus illius tyrannidi sperarunt fore commodum nomen. At nos persuasissimi neque Petri, neque Veiouis illius negotium agi, sed Christi, sed Ecclesiæ, contrà dicimus æquè magno vrgeri incommodo in alteram partem. Nam profectò si absurdum sit nescire apud quos sit Ecclesia, Lutherum, an Caluinum, Anabaptistásve, aut Iconomachos: certè Ecclesiæ est [illegible], vel suspicari apud Papistas esse: quomodo magis est contra naturam hominis, si quis brutum esse credat: quàm si quis nesciat, aut quis sit, aut vbi sit.

XXV. Veruntamē nō est absurdum, sed larua. Quomodo enim intelligunt? An sic, vt ex isto loco nesciatur? An verò ex alio nullo? In posteriori, mira stupiditas. Quid enim obstat quominus vtcunque hic locus exponatur, extēt nihilominus alij in Scripturis, qui doceant nos id ipsum, quod hinc nesciri queat? Certè Augustinus, cùm disputaret aduersus Donatistas, vbi esset Ecclesia, & Scripturis creber fuit, & hanc ne indicauit quidem vnquam.

XXVI. In priori primò incommodum nullum est peculiare huic loco: sed cōmune cũ aliis multis, in quibus Petrus nullo modo dicitur fundamentũ Ecclesiæ. Itaque si quid ei concedamus incōmodo, necesse erit fateri, non hîc tantùm, sed ne vspiã quidem Christũ esse nominatũ fundamentũ Ecclesiæ. Exēpli gratia, cũ dixit Paulus, non posse aliud poni fundamentum, præter Christũ; Iesuitam oportebit clamare Christum, nō illum intelligendum, natum ex Maria, sed Petrũ: videlicet, quia si Christus dicatur fundamentum Ecclesię, ex eo loco nesciri queat vbi sit Ecclesia, apud Anabaptistásne, an Iconoclastas. Quid hic facias? Cedáine importunitati, an impudentiam compescas? Enimuerò ne ea quidem quæ vera sunt, atque alioquin necessaria, omnibus locis sunt obuia.

XXVII. Secundò dico, incōmodum nullũ esse. Est enim falsum non posse cognosci Ecclesiã vbi sit, si Christus ponatur eius fundamentũ; cōtrà potiùs, cũ solidissimè, certissiméq; sciri vbi illa sit, cùm pro certo habetur esse super Christo fundatã. Ea enim mente Paulus dixit, & nō posse aliud fundamentũ [illegible]: & puto Ephesios fuisse ædificatos super fundamento Prophetarum & Apostolorum, cùm dixit, non eò dixit, vt incertos redderet, pertinerēt ad Ecclesiã necne. Itaq; nobis persuasissimũ hoc ipso [loco] voluisse Christũ demōstrare certissimã, & infallibilē notã quæ à primis initiis Ecclesiæ ad finem vsque mundi distingueret veram Ecclesiam, ab omni falsa Ecclesia: nimirum quia omnis vera ædificanda erat super petra, id est Christo, non super Petro, id est, vllo homine.

XXVIII. Sextũ. Ex præcedentibus & sequentibus solet legitimus verborũ sensus colligi. Præcessere autem, *Tu es Petrus*: & sequitur, *Tibi dabo claues.* Ergo verba intermedia: *Et super hanc petram*, de Petro sunt accipienda.

XXIX. Quasi diceret, Matthæi primo præcessit: *Ioseph fili Dauid.* Et paulò pòst sequitur: *Et vocabis nomen eius Iesum*: vtrumq; de Iosepho: Ergo intermedia: *Quod in ea genitum est, à Spiritu Sancto est: pariet autem filium.* Ergo hæc quoque de Iosepho dicta sunt. Placet-ne? Sanè verò præcedentia, subsequentiaque inseruiunt intermediis interpretandis: sed aliud est interpretari hæc verba: *Tu es Petrus*, aliud eadem de Petro accipere.

XXX. Septimũ ex de Valentia. Qualis obsecro esset illa orationis cōsequētia? Tu Petrus es: ego super me ædificabo Ecclesiã meam. Deinde, cur diceret *hanc*? Num digitum in se intendit, aut manu sublata se indicauit, vt commodè *hanc* diceret?

XXXI. Nugæ. Nam quam consequentiã intelligit? Grammaticã: ne in situ verborũ, siue diuersarũ partiũ orationis: an dialecticam; quæ ex antecedēte infert cōsequens? Atqui hęc nulla: nō enim sensus: Tu es Petrus: ego igitur ædificabo Ecclesiã meã: neque est quisquã, qui ita somniauerit. Alteram ergo oportet esse: hęc antē quid habet absurdi, quod tãtum Iesuitã mouere potuerit? Quasi nō esset tritissimum succedere alias aliis sententias, & quidem per copulam, quæ alioquin diuersissimæ sint. Actorum decimo sexto: *Prætereuntes Mysia descenderunt Troada: & visum per noctē apparuit Paulo.* Vicesimo primo: *Peruenimus Tyro Ptolemaida: & salutatis fratribus mansimus diem vnum apud eos.* Quanquam vereor vt sim ridiculus, qui tam ridiculum sophisma exemplis oppugnem, quasi seriò mereatur.

XXXII. Nō intendit in se digitũ. Quid enim opus erat? An nulla alia ratio est dicendi, *hanc*, & cognata pronomina? Matthæi 26. *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet ter me negabis.* Lucæ 2. *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrenio.* Iterũ: *Erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis.* Mille sunt eiusmodi: Sed Iesuitæ mirum genus est hominum: natum importunè exercēdis, imò irritandis etiam patientissimis ingeniis. Sed constantes vident, quemadmodum in omnibus iis locis nullo opus esse digito, nulla intēsione, sed sola præcedentium memoria: ita in hoc de quo nunc disputamus, facillimum esse, *Super hanc, quam confessus es petram.*

CAP. IV.

Ecclesiæ Petram esse fidem.

I. ATque hactenus primi ordinis testimonia, nec pauca, nec obscurè interpretantia Petrã ipsum Christum: quantumlibet inuitis Papistis. Venio ad ea quibus petra illa fides intelligitur, siue eius fidei cōfessio. Liturgia quę vulgo Iacobi. [illegible] *Ad confirmationē sancta tua Catholica & Apostolica Ecclesia, quã fundasti super Petra fidei, vt portæ inferni non præualeant ei.* Eutychianus Papa, Epistola

hoc est omnium Antistitum Patriarcham, vt exposuit Sabellicus: Hoc verò, eum indicat, qui vnus sit ex Episcopis in Ecclesia Catholica: atque adeò qui præsit vni Ecclesiæ Catholicæ, id est, non hæreticę. Proinde non solus Romanus ita solebat appellari, sed omnes eius collegæ, vt manifestum ex his locis. In Canonibus Carthaginēsis Cōcilij Græcè editis, canone nonagesimo quarto, exstat forma congressionis cum Donatistis, in qua hæc legas: Ἐπίσκοπος τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας εἶπε. Sic in gestis Collationis Carthagini habitæ Honorij Cæsaris iussu, subinde hæc occurrunt, *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ: Fortunatianus Ecclesiæ Catholicæ Episcopus: Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ.* Sozomenus, libro octauo, capite primo, asserit Sisinnium Nouarianorum Episcopū, Ecclesiæ Catholicæ Episcopis gratū fuisse. Epiphanius hæresi sexagesima prima de Photino hæresiarcha; Ἐπίσκοπος γέγονε τῆς ἁγίας Καθολικῆς ἐκκλησίας: *Factus est Episcopus sanctæ vniuersalis Ecclesiæ.* Et potuerunt sanè hoc modo vniuersales Episcopi dici, id est, Catholici: vt in Actis Synodi Ephesinę Celestinus scribens ad Nestorium, vocat Atticum Constantinopolitanum Ἐπίσκοπον Καθολικόν. Et ad Constantinopolitanos, meminit τῆς ἱερᾶς Καθολικῆς.

XXVII. Vt autem magis pateat, quo sensu Romani Episcopi, sese Ecclesiæ Catholicæ dicerent Episcopos, addebant plerunq; nomen vrbis. Damasus ad Stephanum Archiepiscopum, sic habet: *Damasus seruus seruorum Dei, atque per gratiam eius, Episcopus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ vrbis Romæ.* Quemadmodum in gestis collationis Carthaginensis, *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Carthaginensis.* Sozomenus lib. 2. cap. 24. Callinicum vocat *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ, quæ est in Pelusio.* Concilium Nicęnum apud Socratem libro pimo, capite sexto, nominat *Episcopos Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, qui sub Alexandro erant.* Epiphanius in Meletianis, eos sic asserit vocatos: ἀπὸ Μελιτίου τινὸς Ἐπισκόπου ἐν τῇ Θηβαΐδι γενομένου τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας: *à Meletio quodam facto in Tiberiade Episcopo vniuersalis Ecclesiæ.*

XXVIII. Ex his igitur exemplis constat omnes dici posse Ecclesiæ Catholicæ, siue vniuersalis, Episcopos, qui præsunt vni alicui Ecclesiæ, quæ non sit hæretica. Hoc autem sensu, is dicitur Ἐπίσκοπος Καθολικός. *At quo sensu offendebatur Gregorius, dicebatur* Ἐπίσκοπος Οἰκουμενικός. Illud nomen antiquum est, & lōgè ante Gregorij tempora vsurpatū. Hoc verò nouum, & vix affectatum ante Ioannis Constantinopolitani tempora: quem propterea Gregorius accusat nouæ superbiæ, & præsumptionis, & noui nominis inuecti. Ad hęc cùm Gregorius negaret vllos suos decessores vlos esse hoc *vniuersalis*, nomine & legisset tamen, vt nos cum Bellarmino fatemur, plures se inscripsisse Episcopos vniuersalis Ecclesiæ: necesse est Gregorium, aut insigniter mentitum, aut non putasse vtrumque idem esse, quod est verius.

XXIX. Quarta obiectio: Gregorius vsus est eo iure, quod est vniuersalis Episcopi, & agnouit etiā suos prædecessores vsos. Nam & Romanum Pontificem dicit Constantinopolitanæ Synodi acta rescidisse, & Constantinopolitanum ne rem diuinam faceret, prohibuisse. Hęc Hayus. Sanderus addit, exercuisse Primatum in Ecclesias, Italiæ, Siciliæ, Corsicæ, Sardinię, Africę, Hispanię, Anglię, Gallię, Dalmatię, Græcię, Corcyrę.

XXX. Respondeo: multa quidem fecisse, quæ excederent vnios Episcopi fines, pro more non tātùm quorundam, quibus successerat, sed etiam Patriarcharum qui inter se orbem vniuersum distribuerant. Sed primùm nego attendendum quid fecerit ex pręscriptione peruersę consuetudinis: sed quid potiùs docuerit conforme autoritati Scripturarum. Ex doctrina enim mores corrigēdi sunt semper: non ex moribus doctrina corrumpenda.

XXXI. Deinde nego Gregorium gessisse se pro Oecumenico: vt enim cætera omnia concederentur; tamen non prętulit se Imperatori, quod tamen ipse notauit necessariò sequi. Contrà non potest humilius, abiectiùsve ad Imperatorem scribi, quàm is scripsit; eius se dicens serenissimis iussionibus obedientiam prębere, Epistola trigesima secunda libri primi.

XXXII. Ad Hayj exempla respondeo: Constantinopolitani Concilij acta cassata, non arguere Oecumenicum: qua de re latiùs disputaturi sumus aliàs. Gregorium autem prohibuisse, ne Ioānes rem diuinam faceret; prorsus non legit Hayus, sed à seipso commentus est. Hoc tantùm Gregorius scriptum reliquit Epistola trigesima octaua libri quarti: Pelagium prohibuisse Diaconum, quem iuxta morem ad vestigia Dominorum transmiserat, Missarum solennia celebrare cum Ioanne. Quod quātum abest, quęso, ab eo quod Hayus asserebat? Non enim Ioannem prohibuit Missarum solennia celebrare: sed suum Diaconum ne cum eo celebraret, quod erat negatę communionis indicium, satis frequens tum temporis, atque adeò ab aliis Episcopis sępe vsurpatum: Sed & quas prouincias Sanderus enomerauit, eę pertinent ad distributionem Ecclesiarum; in varios Patriarchas. Nam & Constantinopolitani, plurima similia obserues gesta in suis prouinciis; vt videre est in Corpore Iuris Græco-Romani.

LIBER

LIBRI DECIMI FINIS.

LIBER VNDECIMVS DE OECVMENICO;

VTRVM PETRVS FVERIT PONTIFEX OECVMEN.

Caput Primum.

STATVS QVAESTIONIS.

ET Thesis quidem de Oecumenico Pōtifice hactenus tractata eſto. Quæ potuit futuris Controuerſiis aoſam pręcidere. Nā ſi nullom Chriſtus inſtituit ſummom, vel potiùs Oecumenicum Pontificem, cui omnium Eccleſiarū ſic curā traderet: vt etiam Paſtures omoes eius autoritati ſubiiceret: tum quis nun videt, fruſtra deueniri ad hypotheſin, & inquiri quis is ſir, qui hac tanta autoritate vtatur, fruatur? Sed enim quia multa proferunt adhuc aduerſarij ad hanc hypotheſin confirmandam; atque huc præſcribunt etiā contra Theſin: ne (vt ſolét etiam ex mitiima occaſione magnos triumphos captare, & ſibi plauſus excitare) calumnientur nos ea argumenta diſſimulare, quæ ſoluere non poſſimus: neceſſe eſt hanc etiam partem non abire intactam.

II. Habet autem hæc hypotheſis partes duas. In priori quæritur, de primo Oecumenico Pontifice, quem à Chriſto collocatum Papiſtæ volunt in hoc tam excelſo ſolio. In altera, de eius primi ſucceſſoribus, ad hoc vſque tempus. Et in priori quidem diſerta eſt Papiſtarum aſſertio, Petrum Apoſtolum cæteris omnibus Apoſtolis prælatum, à Chriſtu plenam ſummámque admioiſtrandæ Eccleſię auturitatem accepiſſe; atque adeò ioſtitutum fuiſſe Pootificem Oecumenicum. Cui aſſertioni omnes Cathulici conſtantet contradicunt. Caluinus Inſtitutionis libri quarti capite ſexto. Sadeel contra Turrianum loco ſecundo, tertio, quarto. Iuellus contra Hardingum articulo quarto. Matthæus Sutlinus de Pontifice Romano libro ſecundo. Witakerus de Pontifice Romano, quæſtione ſecunda, Danæus, Iunius, Tilenus in Bellarminum, ad hanc controuerſiam. Sibrandus de Pontifice libro ſecundo, & tertio. Riuetus Catholici Orthodoxi, tractatu ſecundo, quæſtione quarta. Marcus Antonius de Dominis, libro primo de Eccleſiaſtica Republica.

III. Papiſtæ: Bellarminus de Pootifice, libro primo, capite decimo, & ſequentibus. Franciſcus Cordubenſis Annotationibus de Eccleſia articulo ſecundo, capite centeſimo decimo, & proximis duobus. Canus Locorum communium libro ſexto, capite tertio, propuſitione prima. Pighius Monarchiæ libro tertio, à capite ſecundo, vſque ad vndecimum. Gregorius de Valentia Analyſeos libro ſeptimu. Et Commentariorum in Thomam tomo tertio, diſputatione prima, quæſtione prima, puncto ſeptimo, quęſtione quinta. Polus de Vnitate Eccleſiæ, libro ſecundo. Turrianus pro Epiſtolis Decretalibus, libro ſecundo, capite quarto, & ſequentibus. Stapletonus toto libro ſexto, de Principiis: & in Relectione Controuerſiæ Capitalis tertiæ, quæſtione prima. Ioannes Eckius libris tribus de Primatu Petri. Arboreus Theoſophiæ libro primo, capite vigeſimo qointo, Petrus Autatus Paradoxo ſeptuageſimo. Franciſcus Agricola, tractatu de Primatu Petri. Et his antiquiores Ioannes de Turrecremata, de Eccleſia libro ſecundo, capite quinto & ſequentibus. Thomas Waldenſis Doctrinalis tomo primo, libro ſecundo, articulo primo.

* * *

Latinos freqoentiùs, Caligula, Sura, Stolo, Muræna, Orata, Taurus, Capra, Vitulus, Leo, Merula, Pauo, Pica, Passer, Asina, Sagitta, Vocula, Flāma. Vide Carolum Sigonium de Nominibus Romanorum. Hanc rationem Hebræi in frequenti vsu habuerunt: vnde enim Abel, Debora, Rachel, Aaron, Tabitha, Cepha, Iona. Porrò siue dictio inflectatur, siue minus, tamē semper intelligitur *παρονομασία*, saltem in significationis deriuatione: vt cùm magistratum dicimus ipsum munus, atque eum qui fungitur eo munere: quæ ratio non est seruata in Consulatu & Consule.

X. Quare, etsi Simonem Christus Cepham dixerit ex Idiomate Syriaco, quæ vox, sono nihil immutato, saxum significat tamen voluit non saxum, sed saxeum dicere, quam *διαίνων* diligenter Matthæus expressit. At verò cùm diceret *super hanc petrā*, illud voluit, vnde ipsi Simoni nomen impositum: quæ caussa fuit Euangelistæ *τῶ πέτρᾳ* hoc secundo loco nominandæ, ne nos ambiguitas deciperet vocabuli eo vocodemque complexo bis, sed diuerso sensu enunciati.

XI. Altera instantia est Bellarmini ex pronomine. Illud, inquit, pronomen *Hanc*, demōstrat aliquā petram, de qua paulò antè Dominus sit loquutus: proximè autem Petrum vocauerat petram, quia Syriacè loquebatur. Ergo, cùm immediatè præmiserit (inquit Agricola *Ego dico, quia tu es Petrus*, vel puero liquidum fiat, Christum non de alia petra dixisse, quàm cuius antea, & quidem proximè atque immediatè mentionem fecerat, scilicet de Petro.

XII. Respondeo: Primò, Non esse necesse, sic paulò antè eam petram fuisse nominatam ab ipso Christo: sed sufficere, de ea fuisse iam factum sermonem. Quum autem petra intelligatur ipsa Petri cōfessio, vt postea docebimus: & ea paucis interiectis præcesserit, potuit facile id pronomen ad eam referri. Simile, Matthæi vndecimo, *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quòd abscondere ταῦτα hæc à sapientibus, & intelligentibus; & αὐτὰ ea detexeris infantibus.* *ταῦτα*, quo refers? an ad cœlum, & terram proximè nominata? An verò ad remotiora?

XIII. Nam, quod vult Bellarminus referri ad aliquid proximum, non ad remotissimum; proximè autem præcedere Cephas, dictum, non de Christo, sed de Petro: nihil est necesse: vt his exemplis fiet manifestum. Actorum secundo: *Iesum illum Nazarenum, virum à Deo approbatum apud vos præstantibus factis & miraculis, & signis quæ edidit per eum Deus in medio vestri, sicut & ipsi nostis τοῦτον hunc definito consilio, & prouidentia Dei deditum accipientes manibus sceleratis affixum interemistis.* Hic si situm spectes verborum, pronomini τοῦτον propius est nomen Dei, quā Christi initio sermonis vsurpati: & tamē nemo nō videt ad Christum esse referendum. Capite tertio: *Principem vitæ trucidastis, quem Deus excitauit à mortuis, cuius nos testes sumus: & per fidem in nomen αὐτοῦ ipsius hunc quem conspicitis & nostis confirmauit ὄνομα αὐτοῦ nomen eius.* Hîc rursus, quis neget *τὸ αὐτοῦ* bis referendum ad id quod remotius, nempe *ἀρχηγὸν ζωῆς*, non ad vicinius, Deum? Posterioris ad Thessalonicēses secundo: *Impius ille, quem Dominus conficiet Spiritu oris sui & illustri aduentu suo abolebit. οὗ ἡ παρουσία. Cuius aduentus est ex efficacia Sathanæ.* Certè ne nasutissimus quidem Iesuita *οὗ* illud referet ad Christum proximè nominatum.

XIV. Secundò: nego à Christo fuisse prius petram nominatam: sed Petrum: etsi Cephas vocē vsurpant. Nam cùm ea indifferēter & Petrum significet & Petram; ergo quoties occurrit, interpretanda est ex circunstantiis. Quare cùm dictum, Tu es Cephas, non magis petra significata est, quàm cùm dixit Paulus secundo ad Galatas, *Iacobus, & Cephas & Ioannes.* Non magis, inquam, quàm est caprea his verbis, *Tabitha cumi*, Actorum nono: aut apes cum *Surrexit Debora*, Iudicum quarto. Atque id probatur teste Euangelista, qui non petram, quomodo nunquam vocatur Apostolus, sed Petrū Græcè dixerit.

XV. Tertiò: Matthæus non simpliciter pronomen vsurpauit, siue nudum, & solitarium: sed addito nomine: Non, inquam, dixit, super hunc, vel super hanc, vel eam: sed *super hanc petram.* Ea autem phrasis prorsus omnem tollit ambiguitatem; Matthæi 26. *Hoc est enim sanguis meus Noui illius Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis: Nō bibam ab hoc tempore ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, de hoc genimine vitis:* Vbi si tantùm dixisset *ἐκ τούτου*, sine dubio referretur ad sanguinem proximè nominatum: sed cùm dixit, *ex hoc genimine vitis*, nemo ambigit *hoc*, referendum ad acceptū poculum remotius nominatum: Lucæ primo: *Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: καὶ οὗτος μὴν ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ, & hic mensis est illi sextus.* Rursus, si esset dictum *καὶ οὗτος ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ*, nemo aliud intelligeret, quàm sextum esse eum filium quem Elizabeth concepisset: vt pronomen referretur ad id quod erat paulò antè positum: sed mensis additum nomen obstat. Lucæ secundo: *Factum est autem diebus illis, prodiit edictū à Cæsare, vt describeretur tota terra. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ, hæc descriptio prima, facta est præside Syriæ Cyrenio.* Dic nudè, *αὕτη ἐγένετο, hæc facta est*: nemo non referat ad terram. Sed additum nomē *ἀπογραφῆς*, non sinit alucinari lectorem. Et generaliter huiusmodi phrases nihil necesse est referre ad id quod priùs dictum, siue proximum sit, siue remotum. Actorum primo: *οὗτος ὁ Ἰησοῦς, hic Iesus sursum à vobis receptus in cælum.* Matthæi vicesimo sexto: *ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ, in ea ipsa nocte.* Marci nono: *τοῦτο τὸ γένος, hoc genus nulla re potest exire, nisi per precationem & ieiunium.*

XVI. Quartò, dico etiam satisfieri Iesuitæ importunitati: & *hanc petram*, hoc ipso loco posse referri ad proximum, *Tu es Petrus*; nimirum per *παρονομασίαν*: vt sæpe fit. Sic Lucæ secundo; *ἀπογράφεσθαι πάντας τὴν οἰκουμένην*, cùm priùs esset dictum, tum statim, *αὕτη ἡ ἀπογραφὴ*, deducto nomine ab illo verbo. Indem fit hoc loco: nam quia Petrus à petra: ideò statim post petram secutè nominat eam ipsam à qua Petrum, vt tota oratio sic resolui debeat. Tu es saxeus, ita dictus à saxo super quod saxum ædificaturus sum Ecclesiam. Similia exempla occurrunt passim apud bonos autores. Aristophanes Lysistrata, *ἐλοιδόρει τὴν ἰσχαδόπωλιν, καὶ τὰς ἰσχάδας ...* *Terrebat anum vendentem ficus, matura ficus vorabat*: non *ἰσχαδόπωλις*, sed à quibus id nominis deductum, *τὰς ἰσχάδας*.

XVII. Sequitur tertium nostrum argumentum ex verbis, *μου τὴν ἐκκλησίαν* quæ significant totum illud ædificium ex variis partibus constitutum, quod vocatur Ecclesia, cuius duæ præcipuæ partes Triumphans & militans. Nihil est autem in Christi verbis, quo restringantur ad alterā duntaxat partē, puta militantē, exclusa triūphante. Tum autē certū est & in confesso apud omnes, haud aliud esse huius atque illius fundamentum. Meminisse etiam debēt aduersarij, suæ illius artis, tam præcisè vrgentis *oues meas*, vt nullas velint exceptas. Itaque si Petrus intelligeretur petra illa super quā Christus pollicetur

se ædificaturum Ecclesiam suam: ergo sequeretur Petrum esse fundamentum Ecclesiæ triumphantis, æquè ac militantis: & quia fundamentum, ergo & Pontificem, quandoquidem vtrumque eâdem vim esse Papistæ supponunt. At hoc postremum, quàm falsum, quàm absurdum, Deus bone! Ergo neque antecedens verum.

XVIII. Quartum argumentum: Quia Christus Simoni dixit, nō, tu eris Petrus: sed *tu es Petrus*. Si igitur sensu idem est, tu es Petrus, & tu es Petra, ergo iam tū oportuit Simonē esse Petram. At hoc falsum est. Quia is deinceps Christum negauit lapsu horrendo: quo ipso declarauit se nondum esse adeò cōfirmatum in Christo, vt penitus, & sine vlla hæsitatione ei adhæreret: quod tamen postea accidit, nēpe post acceptum Spiritum; vt & reliquis. Hinc Chrysostomus homilia octogesima tertia in Matthæum: *Καὶ γὰρ σταυρουμένου αὐτοῦ οὐκ ἴσχυσαν [illegible] ἀδάμαντος ἰσχυρότεροι. Qui tum crucifigeretur consistere non poterant, hi post eius mortem robusti, atque adamante firmiores fuere.* Ergo cùm oporteat eam Petram esse ipsam *ἀσάλευτον inconcussam* (non enim aliter Petra:) tum Christus (quod nisi horrescens nō dico) falsus esset, qui diceret eum esse Petram, qui paulò pòst, non tantùm commouendus erat; sed tantùm non præcipitandus.

XIX. Quintum argumentum: è tertio capite prioris ad Corinthios, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.* Adde Gregorium capite sexto, libri vigesimi octaui Moralium: *Cùm in sacro eloquio non fundamenta, sed singulari numero fundamentum dicitur, nullus alius nisi ipse Dominus designatur.* Nam si præter Christum nullum esse potest Ecclesiæ fundamentum, tum sine dubio, nullo argumento effici potest, vt Petrus sit Petra, super qua Ecclesia est ædificata. Nam id super quo ædificatur Ecclesia, est Ecclesiæ fundamentum.

XX. Gretserus opponit, etiam à nobis velimus nolimus agnosci plura fundamenta: Primò Deum, qua Deū. Nā, inquit, quin Deus, vt Deus, sit fundamentū Ecclesiæ, non, vt opinor, negabunt. Secundò Christum, vt hominē. Tertiò Apostolos & Prophetas. At nos negamus præter Christū vllū agnosci à Catholicis fundamentū Ecclesiæ propriè dictū. Est enim Mediatoris propriū. Nos verò præter Scripturā huiusmodi mysteria asserere pudet: multo magis quàm olim Athanasiū pudebat Patrē dicere ingenitū: tacente Scriptura. Dispar enim ratio. Nam ingenitum Patrem, si non nominauit; at certè designauit Scriptura. Fundamentum autem tale Ecclesiæ Deum, puta Patrem, aut Spiritum; nos nunquam legimus. De Apostolis & Prophetis, similiter paulò pòst sumus negaturi.

XXI. Bellarminus asserit Paulum nō loqui de quocunque, sed de primario fundamento. Ratio: quia alioqui pugnaret secum: Nam ad Ephesios secundo, *Superædificati* (inquit) *super fundamentum Apostolorū & Prophetarū*: Et Ioanni repugnaret, qui Apoc: vigesimo primo, describit fundamenta duodecim in ædificio Ecclesiæ; & explicat per fundamenta Apostolos designari. Summa solutionis est, distinguendum fundamentum in primarium & secundarium. Christum vnicum esse fundamentum primarium: sed Petrum esse secundarium.

XXII. Sed Pauli disertiora verba sunt, quàm vt eludi possint. Nam si distinguitur fundamētum, in vnum primarium, & aliud secundarium; necesse erit fateri fundamentum esse aliud & aliud. Nominato ergo vno, necessariò ille falsum dixerit, qui negarit aliud vllum dari posse: quæ Pauli non mens tantùm, sed & disertra verba sunt, *Fundamentum aliud nemo potest ponere.* Quod si hanc fundamenti distinctionem aut sciisset, aut probasset, cum oportebat dicere, fundamentum aliud primarium nemo potest ponere: quod ille tamen nusquam dixit.

XXIII. Contradiceret aut sibi, aut Ioanni, falsum. Nam cùm fideles dicuntur fundari *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*; non intelliguntur ipsi Apostoli & Prophetæ esse fundamentum: sed Christus eorum ipsorum Apostolorum, Prophetarumque fundamentum: siue, quod idem est; doctrina, quam Ecclesiæ proposuerunt pro fundamento Apostoli, & Prophetæ: quomodo architecti plures si de peritia certarent, suum quisq; fundamentum ostentaret. Ambrosius: *Hoc est supra Nouum & Vetus Testamentum collocati: quod enim Apostoli prædicauerunt, Prophetæ futurum dixerunt.* Et paulò pòst: *Nam Apostoli fundamentum tecerunt: vnde dicit Dominus ad Petrum, Super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, hoc est, in hac Catholicæ fidei confessione statuo fideles ad vitam.* Primasius: *Fundamentum Apostolorum & Prophetarum Christus est, qui etiā lapis dicitur angularis: vt scriptum est, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, duos parietes coniungens & continens. Et fundamentum autem & summum: quia in ipso & fundatur, & consummatur Ecclesia.* Anselmus: *Id est, super fidem Christi, super quam primo fundati sunt Apostoli, & Prophetæ. Christus enim fundamentum est totius diuini templi, vel diuinæ ciuitatis: quia ex eo, & ex eius fide, & gratia inchoant omnia bona, & ipse totum spirituale portat ædificium. Ipse ergo est fundamentum Apostolorum & Prophetarum, quia super illum incumbunt, & firmi permanent Apostoli & Prophetæ, qui totam deinde fabricam sancti ædificij portant. Ipse est fundamentum, id est, fides eius est prima firmitas & totum ad sustentaculum omnis ædificij virtutum ac bonorum operum.* Lombardus: *Id est super Christum, qui est fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere. Vel super fundamentum, id est, doctrinam Apostolorum & Prophetarum, id est super Nouū Testamentū, & Vetus.* Thomas Caietanus: *Metaphoricus est sermo. Et quod dicit super fundamentū Apostolorum & Prophetarū: intellige formaliter, hoc est, super Christum seu Deum, quatenus est fundamentum Apostolorū & Prophetarum. Verè enim non sumus fundati super Christū immediatè: sed quatenus ipse sustentat Apostolos & Prophetas, hoc est, mediātibus Apostolis & Prophetis, mediante doctrina ministrata per Apostolos & Prophetas.* Gagnæus: *Id est, fidē à Prophetis prædictam, & ab Apostolis prædicatam.* Hęc illi; quibus consentit Glossa interlinearis & Lyranus. Sed & Iesuita Vasques in Secundam secundæ disputatione ducentesima decima, capite septimo, *Non Apostolos & Prophetas intelligit, sed fidem illorum ab eis scilicet prædicatam & annunciatam.* Item Guillaudus: *Super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum: id est, quo Apostoli & Prophetæ & sancti quilibet, cuiuscunque ordinis illi fuerint, nituntur: Christus est.* Sibi ergo consentit Paulus.

XXIV. Quod verò ex Antiquis nonnulli malunt ipsos Apostolos & Prophetas fundamentum dici: primùm ij non rectè locum explicant: & malè Thomas eos præfert. Nam contrà faciunt, quæ sequuntur, *Cuius enim angularis lapis est Christus, in quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, vt sit templum sanctum Domino. in quo & vos vnà ædificamini, vt sitis habitaculum Dei per Spiritum.* Enimuero absurdum est, vt super alio fundari in alio crescere dicantur:

tantur: nec minus, vt ipsi quidem Apostoli & Prophetæ, fundamentum constituantur; ipse autem Christus tantùm lapis ad angulum; id est, pars fundamenti; quamuis præcipua. Adde hæc disertiora, quàm vt eludi possint, *In quo & vos vnà ædificamini, vt sitis habitaculum Dei.* Nam certè habitaculum in fundamento ædificari ipsa natura docet.

XXV. Iam de Apocalypsi quid dicam? Magnum mendacium apud Ioannem, per duodecim fundamenta Apostolos intelligi. Nam is duntaxat, Apostolorū nomina inscripta duodecim fundamentis Ecclesiæ dicit. Quæ etsi multi sic intelligant, quasi ipsi Apostoli dicantur fundamenta: tamen alij etiam exponunt de ipsa doctrina, in qua docenda Apostoli strenuè laborarunt. Halmo: *Et in ipsis fundamentis, hoc est, in fide Patriarcharum & Apostolorum nomina duodecim Apostolorum.* Lyranus: *Dicuntur autem nomina Apostolorum in ipsis fundamentis scripta; quia primò publicarunt fidem Christi prædicando & pro ipsa moriendo.* Hæc illi. Et facilis intellectus: quia solent in ædificiorum molibus, maximisque operibus inscribi architectorum nomina.

XXVI. Porrò qui dicunt Apostolos esse fundamenta, non aliter intelligunt, quàm, quia ij fundamentum iecerunt: nempe Metonymicè: vnde Nazianzenus in Oratione de Modestia in disputationibus, idcirco Petrum ait dictum fuisse petram; *quòd eius fidei concredita sint Ecclesiæ fundamenta.* Et Basilius libro secundo, contra Eunomium: *ἐφ' ἑαυτῷ τὴν οἰκοδομὴν τῶν ἐκκλησιῶν δεξάμενοι, quòd in se receperit ædificationem Ecclesiæ.* Aretas in hunc Apocalypseos locum, fundamentum appellatos explicat, *ὡς τὴν κατὰ Χριστὸν [illegible] αὐτοῖς [illegible]. vt qui ipsi substrauerint fidei fundamentum.* Ergo figuratè, quatenus solet efficienti caussæ tribui nomen effecti. At Christus propriè: quia in eo crescat totum ædificium. Non igitur contrarius Paulus Ioanni. Cùm autem dixit Christus se ædificaturum Ecclesiam super Petram, non agebat de fundamento Ecclesiæ metonymico, siue ministeriali: sed proprio: ideòque non dixit, super hanc Petram tu ædificabis Ecclesiam, vt erat necesse, siquidem proprium est fundamenti ministerialis, iacere fundamentū, id est, ædificare: sed dixit *Ego ædificabo*: vt se ostēdat loqui nō de ministerio & laboribus Petri, sed de sua virtute.

XXVII. Sic frustra Bellarminus pugnat. Sanderus paulò aliter, Petrum non esse aliud fundamentum specie, vel toto genere distinctum à Christo: quale est, qui Christo apertè aduersatur; sed esse alterum fundamentum, eiusdem quidem generis, sed accidente differens: quum sit Christus fundamentum principale, absolutum, atque vitale: Petrus verò, subordinatum, participatum, & ministeriale. Paulum autem dixisse ἄλλο, non ἕτερον: *aliud*, non *alterum*.

XXVIII. Respondeo: primò differentiam inter ἄλλο & ἕτερον, esse commentitiam. Vsurpatur enim ἄλλο, non tantùm pro diuersitate generis: sed etiam, & quidem sæpissimè, pro pluralitate indiuiduorum. Exempla vbique obuia. Matthæi quarto: *εἶδεν ἄλλους δύο ἀδελφούς, Vidit alios duos fratres.* Marci tertio: *ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη, Constituta est manus eius sana, vt alia.* Ioannis quinto: *ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει, alius ante me descendit.* Et hoc ipso textu *ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθεικα, ἄλλος δὲ ἐποικοδομεῖ: vt peritus architectus fundamentum posui: alius verò superædificat.* Et notant Grammatici ἄλλο de pluribus, ἕτερον propriè de duobus dici: etsi vsus confundat. Videtur ergo Stapletonus, vtro modo hîc sumat: nam vtrouis, commentitia erit differentia.

XXIX. Deinde contextus ipse seipsum satis explicat. Non enim simpliciter Paulus dixit, *Nemo potest aliud fundamentum ponere*: sed addidit *præter id quod positum est, quod est Iesus Christus*: quo satis ostenditur agi de fundamento indiuiduo, cùm Christus sit indiuiduus. Quare intelligendus Paulus, negare, præter vnicum & indiuiduum fundamētum, quod ipse posuerat, nempe Christum, posse vllum dari Ecclesiæ fundamentum aliud, non tantùm, non specie, siue genere, sed ne numero quidem.

XXX. Tertiò: quónam quæso sensu Stapletonus affirmare potuit esse fundamēta eiusdem generis, & speciei: tantùm numero differentia, & accidēte, Petrum & Christum? Nam quia fundamentum propriè id est, super quo ædificium crescit: metonymicè autem, & architectus, à quo iacitur fundamentum; fieri non potest, vt fundamentum & architectus sit vnum specie, aut genere. Nam ὁμώνυμα nihil habēt cōmune præter nomen: vt Taurus astrum, & Taurus mōs, & Taurus animal. Definiuntur autem *ὧν ὄνομα μόνον κοινὸν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος: quorum nomen solum commune: at secundùm nomen definitio essentialis alia.* Certè si λόγος οὐσίας alius est, oportet magis differre, quàm numero siue accidente.

XXXI. Tum autem Stapletonus pugnantia loquitur. Nam differentiam statim sic notat, vt alterū sit principale, absolutum, & vitale: alterum subordinatum, participatum, & ministeriale. At hæ sunt non accidentium, sed naturarum differentiæ, & generum. Non potest enim eiusdem generis esse, potestas absoluta cū participata, principalis cum subordinata; vitalis cum ministeriali. Quemadmodum non est eiusdem generis lux Dei, quæ absoluta, & lux hominum quæ participata: Potestas regia principalis, & officiarij subalternata. Quid? quod ipse sui obliuiscitur? Nam hæc eius verba sunt in Relectionib. Controuersia tertia, quæstione prima, articulo primo, cōclusione tertia, *Ostendit Christus Petrum fore non quemlibet architectum, aut Pastorem Ecclesiæ suæ, sed planè primarium & fundamentale quoddam in genere suo, quale Christus est in alio genere.* Audin' Petrum in suo genere fundamentum, Christum in alio? Et qui id asserat, idem neget genere differre? idem asserat tantùm numero, tantùm accidente differre? Monstrosum ingenium!

XXXII. Denique sic Antiqui locum intellexere, vt agatur de Christo vnico & indiuiduo fundamento. Hieronymus: *Non est alius Christus quem possit nobis aliquis prædicare, præter Iesum, cui fide firmissima credidistis.* Theodoretus: *Neque aliud potest iacere fundamentum, qui vult sapiēter ædificare. Christus est fundamentum.* Chrysostomus: *Θεμελίῳ ἐχώμεθα, ὡς κλήματα ἀμπέλου, καὶ μηδὲν ἔστω μέσον ἡμῶν καὶ Χριστοῦ· ἂν γὰρ γένηταί τι μέσον, εὐθέως ἀπολλύμεθα. Fundamento hæreamus, vt palmites viti, & inter nos & Christum nihil esto medium: Nam si medium sit aliquid, statim perimus.* Oecumenius: *οὐκ ἔστιν ἄλλος θεμέλιος εἰ μὴ Χριστὸς, ὃν κατήγγειλα. Non est aliud fundamentum præter Christum, quem annunciaui.* Lyranus: *Solus Christus, vel fides ipsius, est fundamentum.*

CAP. III.

Ecclesiæ Petram esse Christum.

I. ERrant ergo qui Petrum Apostolum interpretantur Petram, super qua fundatur Ec-

clesia. Sed enim, quomodo igitur eum locum exponamus, quærat aliquis. Nos verò respondemus non à nobis, sed à Patribus, qui pridem præiuere. Atque hoc quidem tanto prolixiùs enumeraturi, quanto insolentiùs aduersarij iactant in huius loci expositione, suam esse totam Antiquitatem. Nam Iansenius, *Communiter*, inquit, *etiam ab antiquissimis & omnibus Catholicis, per petram hanc, Petrus ipse intelligitur.* Et postea nominat concordem omnium Patrum interpretationem. De Valentia: *Ita locum illum vniuersi Patres interpretati sunt: neque prorsus dubitauerunt, quin Petrus ibi petra dictus à Christo sit. Etsi vnus quidem excipiendus sit Augustinus.* Agricola constare ait non aliter orthodoxos Patres ea verba intellexisse, quàm hodie quoque intelligat & interpretetur Ecclesia Romana. Bozius decimo octauo, de Signis Ecclesiæ, capite primo, neminem dissentire, vnum tantùm Augustinum dubitasse. Sic enim solent magnifici Sophistæ, magnificè mentiri.

II. Distinguuntur verò Patres in duos ordines: Et ij quidem verbis diuersi potius, quàm rebus aduersi. Sed tamen alij disertè totidémque syllabis Christum interpretantur petram hanc ædificandæ Ecclesiæ: alij verò fidem, siue confessionem Petri. Quorum etsi eadem sit sententia: nam Augustinus de Fide & operibus, capite decimo sexto: *Apertè dictum est, fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si autem Christus, procul dubio fides Christi: per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris.* Tamen, quia solent Papistæ syllabas aucupari, placet vtrorumque testimonia seorsum disponere. Sic enim luce clarius apparebit, quàm diligenter omnem moueant lapidem, vt sese veritati opponant.

III. Tertullianus aduersus Marcionem libro quarto, capite decimotertio. *Mutat & Petro nomen de Simone: quia & creator Abrahe & Sara, & Ausea nomina reformauit, hunc vocando Iesum: illis syllabas adiciendo. Sed & cur Petrum? Si ob vigorem fidei, multa materiæ solidæque nomen de suo accommodarent. An quia & petra & lapis Christus?* Hilarius de Trinitate libro secundo: *Vnum igitur, hoc est immobile fundamentum, vna hæc est fœlix fidei petra, Petri ore confessa, Tu es filius Dei viui.* Ambrosius sermone octogesimo quarto. *Gradus quidam sunt fidei, & qui deuotius credit, religiosius confitetur. Pro hac deuotione dicitur Petro, Beatus es tu Simon Bar-Iona, quoniam caro & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus, qui est in cœlis. Et ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Cùm vocaretur ergo Simon, per hanc deuotionem vocatus est Petrus. Legimus dicente Apostolo de ipso Domino, Bibebant de Spirituali petra. Petra autem erat Christus. Rectè igitur, quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, vt, qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet & nominis Dominici vnitatem: vt sicut à Christo Christianus dicitur, ita à Petra Christo, Petrus Apostolus vocaretur.*

IV. Gregorius Nyssenus postremo capite testimoniorum contra Iudæos. *Dominus est petra fidei: tanquam fundamentum, vt ipse Dominus ait ad principem Apostolorum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: super confessionem videlicet Christi, quia dixerat, Tu es Christus Filius Dei viuentis.* Theodoretus in Psalmum quadragesimum septimum. *Aedificauit namque ipsam Ecclesiam (ait diuinus Apostolus) supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cùm sit petra angularis eius Christus Iesus. Et ipse Dominus beato Petro, inquit, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Idem in prioris ad Corinthios caput tertium: *Hoc fundamentum iecit beatus Petrus, vel potiùs ipse Dominus. Cùm enim dixisset Petrus, Tu es Christus filius Dei viui. dixit Dominus, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ne vos ergo denominate ab hominibus, Christus enim est fundamentum.* Hieronymus in Matthæi septimum. *Super hanc petram Dominus fundauit Ecclesiam: ab hac petra Apostolus Petrus sortitus est nomen.*

V. Augustinus de verbis Domini secundùm Matthæum, sermone decimo tertio. *Deinde addidit, & ego dico tibi: tanquam diceret, quia tu mihi dixisti, Tu es Christus filius Dei viui, & ego dico tibi, tu es Petrus. Simon quippe antè vocabatur: hoc autem nomen ei, vt Petrus vocaretur à Domino impositum est: & hoc, vt ea figura significaret Ecclesiam: quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est: ideò Petrus à petra, non petra à Petro: quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus: Et super hanc petram quam confessus es, super hanc petram, quam cognouisti, dicens, Tu es Christus filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificari super homines dicebant, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ipse est Petrus. Et alij qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram, Ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus, vbi cognouit se eligi & Christum contemni, Diuisus est, inquit, Christus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est: aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo non in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi, vt Petrus ædificetur super petram, & non petra super Petrum.* Idem in Ioannem tractatu centesimo vicesimo quarto: *Ecclesia non cadit, quoniam fundata est super petram, vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideò quippe ait Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Christus filius Dei viui. Super hanc ergo, inquit, petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, super quod fundamentum, etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Item libro secundo de Trinitate, capite decimo septimo. *Sed dum peregrinamur à Domino, & per fidem ambulamus, ideò per speciem posteriora Christi, hoc est carnem per ipsam fidem videre debemus, id est, in solido fidei fundamento stantes, quod significat petra, & eam de tali specula tutissima intuentes, in Catholica scilicet Ecclesia, de qua dictum est, Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

VI. Adde istis etiam posteriores: Gregorium in Iob libro trigesimo primo, capite decimonono: *In sacro eloquio cum singulari numero petra nominatur, quis alius quàm Christus accipitur? Paulo attestante, qui ait, Petra erat Christus.* Anselmum in eum locum Matthæi: *Super hanc petram, id est, super me ædificabo Ecclesiam meam. Quasi dicat: Sic es Petrus à me petra, vt tamen mihi reseruetur fundamenti dignitas. Sed tu cui ego vt amatori, & confessori meo participium mei nominis dedi, super me fundamentum mundos lapides ordinabo.* Glossam interlinearem: *Petram, id est, Christum in quem credis.* Lyranum: *Et super hanc petram, quam confessus es, id est super Christum.* Ioannem Arboreum Theosophiæ libro quinto, capite quinto: *Ecclesia fundata est super petram & non super Petrum.* Cardinalem de Alliaco in Recommendatione Sacræ Scripturæ. *Non videtur quod in petra Petrus, sed in petra Christus sit intelligendus, de quo agit Apostolus, Petra autem erat Christus.* Et Concordantiæ libro secundo, capite decimo tertio. *Per*

petram Christum, quem confessus est, intelligimus. Pererium libro secundo in Danielem; qui docet lapidis appellationem conuenire Christo, tum aliàs, tum: *Quia Christus est petra super quam fundata est & sustentatur Ecclesia: ideòque nullo vnquam tempore, nullâque vi labefactari & euerti poterit: quinimò, nec portæ inferi aduersus eam praualebunt.*

VI. Hi omnes ergo petram eam, super quam tum dixit Christus ædificandam esse Ecclesiam, non aliam intelligunt, quàm ipsum Christum, quem Petrus confessus erat. Ad quorum autoritatem video triplicem exceptionem proferri à Papistis. Prima est de Augustino: quem vnum adoriuntur, neglectis, aut certè dissimulatis aliis. Ergo Bellarminus Augustinum negat improbare eorum sententiam qui Petrā de Petro interpretantur: sed tantùm illi anteponere hāc, quæ de Christo: videlicet capite vigesimo primo libri primi Retractationum. Deinde eundem Augustinum tum Bellarminus, tū Costerus, tum Agricola, tum Stapletonus lapsum dicunt, ex ignoratione linguæ Hebraicæ, siue Syriacæ: vt crederet Cepham non significare Petram, sed aliquid à Petra deriuatum.

VII. At ego; Esto, inquam, detur Augustinum vnam sententiam alteri præferre; & nihil præterea, tamen sequitur, Augustini saltem iudicio, Papistas male argumentari ex hoc Matthæi loco; vt qui eius meliorē sensum deserentes, alium sectentur, non adeo probabilem, aut aptum. Quanquam, quid tergiuersatione opus est? Augustinus nostram sententiam ita præfert, vt rationibus confirmet: alteram, Ambrosij tantum auctoritate: quasi diceret, illam quidem sua niti ratione certa, atque ea quidem ab ipso petita contextu: hanc verò nullâ, sed tantùm vnius viri autoritate. Et id aduersarij dicent esse aliud nihil, quàm vtcunque vnam vni præferre? aut vt Agricola, in alteram magis inclinare?

IX. Ignorantiam linguæ Syriacæ cur non mirer obiectam Augustino: qui eos videam non improbari, qui Cepham caput interpretantur, ex vicinitate, *ὡς κεφαλὴν* vt suppositiuum Anacletum, Optatum Mileuitanum, Isidorum, alios? Nam hos Turrianus audet tueri, in libris pro Decretalibus Epistolis; & Baronius ad annum Christi trigesimum tertium, negat reprehendendos. En Papisticæ sinceritatis specimen. Augustino imperitiæ nota inuritur, eiusque propterea exsibilatur sententia: Illi ab omni reprehensione vindicantur. Cur quæso? Nimirum, quia ille aduersatur rei Pontificiæ, hi verò fauent. Anacletus saltem, & Isidorus. Nam Optatum temerim ab hoc ordine: & illud de capite, suppositiuum esse, nullus dubitarit, quomodo alia emunctæ naris Critici deprehenderunt temerè ab imperitis inserta glossemata. Sed si Augustinum placuit ignorantiæ accusare: cur non reos sunt reuocati in quibus saltem Hieronymus, Origenes, non fuerunt Hebraici sermonis ignari? Et quanquam fatear Augustinum eam linguam non attigisse: tamen nego eam imperitiam nocuisse. Habebat enim Christi sententiam expressam verbis non Hebraicis, aut Syriacis, sed Græcis; quorum ignarum fuisse, quis dicet impudens? Itaque cùm Matthæum Græcè legeret, non erat ei necesse vlterius laborare. Et in nomine Cepha ille nunquam argumentatur, Petro, & Petra, quæ Græca sunt. Deinde erat non simpliciter Grammatica, sed etiam Theologica: eius autem Theologiæ peritissimus Augustinus. Sicut igitur in reliquis religionis capitibus poterat suam sententiam dicere, etiam si Hebraici contextus pleraque non intelligeret, quæ sunt in verbis posita: ita non eò hic reiiciendus erit: quia quid Syris Cephas esset, non exactè norat. Nam fundamentum explicationis suæ facit hoc axioma certissimum, atque immotum, Christum esse vnicum Ecclesiæ fundamentum. Atque adeò miror, quid de suis dicturi sint Sophistæ, quorum non Syriacæ linguæ tantùm, sed etiam Græcæ tanta erat, tam quam stupida ignoratio; vt crederent Petrū & Cephas, non idiomate tantùm, sed etiam significatione differre. Vide Valdensem; doctrinalis tomo primo, libro secundo, articulo primo.

XI. Secunda exceptio eorū qui negant, si Christus intelligatur Petra; sequi non etiam Petrum intelligendum. Vtrumque igitur hi coniungunt: esse Petram, & Christū, & Petrum etiam propter Christum. Citantque Basilium sermone de Pœnitentia: *εἰ γὰρ καὶ Πέτρα, οὐχ ὡς Χριστὸς ὁ Πέτρος πέτρα· Χριστὸς γὰρ ὄντως πέτρα ἀσάλευτος· Πέτρος δὲ διὰ τὴν πέτραν.* *Nam etsi Petra, non tanquam Christus, vt Petrus Petra: Christus enim reuerà Petra immobilis: Petrus verò propter Petram.*

XII. Respondeo, nos non disputare vtrum Petrus vllo modo dici aut possit, aut debeat petra: sed tantùm, vtrum hoc loco Christus petram hanc nominans, Petrum voluerit intelligi. Nam petram posse dici, & Petrum, & quemlibet fidelē, suo gradu & captu, tum nos concedimus, tum Origenes prolixè docet tractatu primo in Matthæum. *Petra est*, inquit, *quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spiritali consequente petra: & super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina, & secundùm hanc vitæ institutio: in vnoquoque enim perfecto habente congregationem eorum quæ complent beatitudinem verborum, factorum, & sensuum, est quæ à Deo ædificatur Ecclesia.* Hæc Origenes, atque alia non pauca in eundem sensum. Hoc igitur sensu cùm facilè concedimus dici posse Petram Apostolum, tum negamus, hoc Matthæi loco, aut Petrum aut alium vllum, quantumuis fidelem, rectè intelligi, sed solum Christum. Esse autem absurdum valde, postquam concesseris petram hîc significare Christum, statim asserere, significare etiam Petrum. Quia ipsa verba contra sunt: non enim dixit Christus, & super petram: sed disertè, super hanc petram, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*: quæ verba, ex vsu communi, non plures significant, sed vnam quandam indiuiduam petram designant: Non sunt autem vnum indiuiduum Christus & Petrus: sed duo [illegible], reapse separata & diuersa. Adde, eam petram intelligi, tum quam Petrus erat confessus: tum à qua Petro nomen deductum. Atqui neque seipsum Petrus erat confessus, sed Christum Filium Dei viui: nec à se petra, nomen Petri dicitur accepisse, sed à Christo petra. Ergo non potest ea petra de Petro intelligi. Nam quod Origenes tamen de quolibet fideli petram hanc exponit; sensus est tropologicus (vt in scholis appellant) id est moralis applicatio, non literalis explicatio.

XIII. Tertia exceptio Stapletoni audacissima: qui negat per hāc petrā Christū intelligēdū. Etsi, inquit ille, prima & principalis, & absolutè loquēdo, Petra Ecclesiæ Christus est: tamē Christus nō est hæc petra, illo videlicet loco à Christo designata. Similiter Karnskoukius hāc interpretationem impropriam appellat, & alienam. Salmerò non satis idoneam & firmam. Cunerus Petri, nullam hîc Christi fieri mētionem; nulláque probabilitate ad personam eius

crementum capit, in ædificationem sui ipsius. Et verè fateor Christum seipsum non glorificasse, quinto ad Hebræos: quod in Relectione Stapletonus obiicit, sed id dico esse *ἀπροσδιόνυσον*. Nam cur non sit à Patre glorificatus, vt super seipsum ædificaret?

XXIII. Quintum. Isto sensu constituto, nec vbi sit Ecclesia scire queas: & quod prædixit Christus futurum, Lutherus dicet. Ecce hic est Christus: Caluinus ecce illic est: Anabaptistæ dicent apud se tantùm esse Ecclesiam: idem Iconomachi, ac Iconoclastæ contendent: idem denique sentiēt omnes hæreses quæ Christum amplectuntur & cōfitentur. Quid ergo aliud quàm commentitia erit Ecclesia, cuius nec fundamentum, nec ædificium cognosci posset? Hæc Salmero.

XXIV. Respondeo; satis constare multis experimentis hoc vnum Papistas agere, vt remotis omnibus, sibi solis prouideant: itaque hic mentem esse Salmeronis Ecclesiã penes eos esse solos, qui Romani Veiouis res agant. Nam profectò etiam Petri quidem apud eos, οὐδεὶς λόγος, nisi quatenus illius tyrannidi sperarunt fore commodum nomen. At nos persuasissimi neque Petri, neque Veiouis illius negotium agi, sed Christi, sed Ecclesiæ, contrà dicimus æquè magno vrgeri incommodo in alteram partem. Nam profectò si absurdum sit nescire apud quos sit Ecclesia, Lutherum, an Caluinum, Anabaptistásve, aut Iconomachos: certè Ecclesiæ est αὐτὴ ἡ ἀρχή, vel suspicari apud Papistas esse: quomodo magis est contra naturam hominis, si quis brutum esse credat: quàm si quis nesciat, aut quis sit, aut vbi sit.

XXV. Veruntamē nō est absurdum, sed larua. Quomodo enim intelligunt? An sic, vt ex isto loco nesciatur? An verò ex alio nullo? In posteriori, mira stupiditas. Quid enim obstat quominus vtcunque hic locus exponatur, extēt nihilominus alij in Scripturis, qui doceant nos id ipsum, quod hinc nesciri queat? Certè Augustinus, cùm disputaret aduersus Donatistas, vbi esset Ecclesia, & Scripturis creber fuit, & hanc ne indicauit quidem vnquam.

XXVI. In priori primò incommodum nullum est peculiare huic loco: sed cōmune cū aliis multis, in quibus Petrus nullo modo dicitur fundamentū Ecclesiæ. Itaque si quid ei concedamus incōmodo, necesse erit fateri, non hìc tantùm, sed ne vspiã quidem Christū esse nominatū fundamentū Ecclesiæ. Exēpli gratia, cū dixit Paulus, non posse aliud poni fundamentum, præter Christū; Iesuitam oportebit clamare Christum, nō illum intelligendum, natum ex Maria, sed Petrū: videlicet, quia si Christus dicatur fundamentum Ecclesię, ex eo loco nesciri queat vbi sit Ecclesia, apud Anabaptistásne, an Iconoclastas. Quid hic facias? Cedasne importunitati, an impudentiam compescas? Enimuerò ne ea quidem quæ vera sunt, atque alioquin necessaria omnibus locis sunt obuia.

XXVII. Secundò dico, incōmodum nullū esse. [...]ist enim falsum non posse cognosci Ecclesiã vbi sit, [...]i Christus ponatur eius fundamentū; cōtrà potiùs, [...]ũ solidissimè, certissiméq; sciri vbi illa sit, cùm pro [c]erto habeatur esse super Christo fundatã. Etenim [...]ente Paulus dixit, & nō posse aliud fundamentū [...]ari: & puto Ephesios fuisse ædificatos super fundamento Prophetarum & Apostolorum, cùm di[xi]t, non eò dixit, vt incertos redderet, pertinerēt ad [E]cclesiã nécne. Itaq; nobis persuasissimū hoc ipso [lo]co voluisse Christū demōstrare certissimã, & infallibilē notã quæ à primis initiis Ecclesiæ ad finem vsque mundi distingueret veram Ecclesiam, ab omni falsa Ecclesia: nimirum quia omnis vera ædificanda erat super petra, id est Christo, non super Petro, id est, vllo homine.

XXVIII. Sextū. Ex præcedentibus & sequentibus solet legitimus verborū sensus colligi. Præcessere autem, *Tu es Petrus*: & sequitur, *Tibi dabo claues*. Ergo verba intermedia: *Et super hanc petram*, de Petro sunt accipienda.

XXIX. Quasi diceret, Matthæi primo præcessit: *Ioseph fili Dauid*. Et paulò pòst sequitur: *Et vocabit nomē eius Iesum*: vtrumq. de Iosepho: Ergo intermedia: *Quod in ea genitum est, à Spiritu Sancto est: pariet autem filium*. Ergo hæc quoque de Iosepho dicta sunt. Placet-ne? Sanè verò præcedentia, subsequentiaque inseruiunt intermediis interpretandis: sed aliud est interpretari hæc verba: *Tu es Petrus*, aliud eadem de Petro accipere.

XXX. Septimū ex de Valentia. Qualis obsecro esset illa orationis cōsequētia? Tu Petrus es: ego super me ædificabo Ecclesiã meam. Deinde, cur dicit *hanc*? Num digitum in se intendit, aut manu sublata se indicauit, vt commodè *hanc* diceret?

XXXI. Nugæ. Nam quam consequentiã intelligit? Grammaticã-ne in situ verborū, siue diuersarū partiū orationis: an dialecticam; quæ ex antecedēte infert cōsequens? Atqui hęc nulla: nō enim sensus: Tu es Petrus: ego igitur ædificabo Ecclesiã meã: neque est quisquã, qui ita somniauerit. Alteram ergo oportet esse: hęc autē quid habet absurdi, quod tãtum Iesuitã mouere potuerit? Quasi nō esset tritissimum succedere alias aliis sententias, & quidem per copulam, quæ alioquin diuersissimæ sint. Actorum decimo sexto: *Prætereuntes Mysiam descenderunt Troada: & visum per noctē apparuit Paulo*. Vicesimo primo: *Peruenimus Tyro Ptolemaida: & salutatis fratribus mansimus diem vnum apud eos*. Quanquam vereor vt sim ridiculus, qui tam ridiculum sophisma exemplis oppugnem, quasi seriò mereatur.

XXXII. Nō intendit in se digitū. Quid enim opus erat? An nulla alia ratio est dicendi, *hanc*, & cognata pronomina? Matthæi 26. *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet ter me negabis*. Lucæ 2. *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrenio*. Iterū: *Erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis*. Mille sunt eiusmodi: Sed Iesuitæ mirum genus est hominum: natum importunè exercēdis, imò irritandis etiam patientissimis ingeniis. Sed constantes vident, quemadmodum in omnibus iis locis nullo opus esse digito, nulla intēsione, sed sola præcedentium memoria: ita in hoc de quo nunc disputamus, facillimum esse, *Super hanc, quam confessus es petram*.

Cap. IV.

Ecclesiæ Petram esse fidem.

I. Atque hactenus primi ordinis testimonia, nec pauca, nec obscurè interpretantia Petrã ipsum Christum: quantumlibet inuitis Papistis. Venio ad ea quibus petra illa fides intelligitur, siue eius fidei cōfessio. Liturgia quę vulgo Iacobi. [Greek text illegible] *Ad confirmationē sancta tua Catholica & Apostolica Ecclesia, quã fundasti super Petra fidei, vt portæ inferni non præualeant ei.* Eutychianus Papa, Epistola

prima, si titulus non mentitur, *Vnum hoc & immobile fundamentum, vna hac felix fides petra Petri ore confessa, Tu es, inquit, Christus filius Dei viui.* Hilarius sexto de Trinitate, *Super hanc igitur confessionis petram, Ecclesiæ ædificatio est.* Et paulò post: *Hac fides Ecclesiæ est fundamentum: per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorum.* Et iterum: *Filium Dei cõfessus ob hoc beatus est. Hæc reuelatio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum, hæc securitas æternitatis est.* Nyssenus contra Iudæos, capite vltimo, *Petra fidei tanquã fundamentum, vt ipse Dominus ait ad principẽ Apostolorũ, Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meã, super confessionẽ videlicet Christi, quia dixerat, Tu es Christus.* Ambrosius in secundũ ad Ephesios: *Vnde dicit Dominus ad Petrũ, super istã petrã ædificabo Ecclesiã meã: hoc est, in hac Catholicæ fidei cõfessione statuo fideles ad vitã.* Et cap. 5. de Incarnationis Dominicæ Sacramento: *Fides ergo est Ecclesiæ fundamentum: non enim de carne Petri, sed de fide dictũ est, quia portæ mortis non ei præualebunt: sed confessio vicit infernum.*

II. Chrysostomus in Matth. homilia 55. [illegible] *Et ego dico tibi, Tu es Petrus: & super hac petra ædificabo Ecclesiam meam id est, fide, confessionis.* Et homilia de Pẽtecoste: *Sunt fundamentũ, quia in confessione eorũ fundata est Ecclesia dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc petrã fundabo Ecclesiam meam.* Homilia de Pentecoste: *Qui sermones? quæ verba? Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Super hanc Petram, non dixit, super Petrum. non enim super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? Tu es Christus Filius Dei viui.* Item: *Quid est super petram? hoc est super confessionem, super sermones pietatis.* Græcè habes apud Gennadium cap. 5. pro Cõcilio Florẽtino: sed postrema paulò aliter: [illegible] Πέτρου. *Quid est super petram? Hoc est super confessione Petri?* Quod ipse paulò pòst repetit Gennadius: [illegible] Πέτρου τοῦ ἁλιέως. *Quanam fide? Firma fidei confessione Petri piscatoris.* Chrysostomo intimus Basilius Seleuciẽsis, ab amico nõ discedit. Lege verba ex homilia in locũ, *Quẽ me dicũt esse homines:* [illegible] ὁ Χριστὸς [illegible] Ἰησοῦς Χριστός: *Hanc confessionem Christus Petrã appellans, Petrũ nominauit eũ, qui primus eã edidit: cõcesso nomine, quod indiciũ esset cõfessionis. Ea enim verè pietatis est petra. hoc salutis fundamentum hic fidei murus. hoc veritatis fulcimentũ: fundamẽtũ enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, qui est Iesus Christus.* Theophylactus Chrysostomi vestigiis, vt ferè semper, hic etiam insistens: [illegible] Θεοῦ ὁ Πέτρος, [illegible]. *Postquã cõfessus est enim Petrus Filium Dei, dixit, Hæc cõfessio, quã cõfessus es, futura est fundamentũ credentiũ.* Et vt magis mirere Chrysostomo alioqui infelior Epiphanius, haud aliter: cõtra Catharos: [illegible] Πέτρος [illegible] Χριστὸν [illegible] Θεοῦ ζῶντος, [illegible] *Sanctus Petrus, qui ad horã negauit, & princeps fuit Apostolorũ: qui factus est nobis verè solida petra fundãs fidem Domini, super qua omnibus modis fundata est Ecclesia primùm quidem* (puto enim legendum [illegible]) *quia confessus est Christum filium Dei viuentis, etiam audi-*

uit, super hac petra firmæ fidei ædificabo Ecclesiam meam.

III. Isidorus Pelusiota, lib. 1. Epist. 235. [illegible] Χριστός, [illegible] ὁ Πέτρος [illegible] ὁ Κύριος [illegible]. *Nonne [illegible] raret varias de se hominum sententias is qui corda penetrat Christus, quæsiuit à suis discipulis, Quem me homines dicunt: Sed quod vellet omnes docere certam confessionem [illegible] quam Petrus ab eodem inspiratus tanquam [illegible] posuit super qua suam Ecclesiam Dominus [illegible]* Cyrillus Dialogorum [illegible] lib. [illegible] *Petram opinor per agnominationem, aliud [illegible] concussam & firmissimam discipuli fidem vocauit, in qua Ecclesia Christi, ita fundata & firmata esset, vt non [illegible]* Theodoretus libro secundo in Cantica C[illegible]rum, *Petram appellat fidei pietatem, veritatis pr[illegible] Domino enim ex discipulis quærenti, quem [illegible]m homines esse dicerent, Tu es, inquit beatus Petrus Christus Filius Dei viuentis. Cui Dominus respondit, Amen amen, inquiens, dico tibi, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

IV. Augustinus tractatu 10. in primã Io[illegible] *dete quæ laudes prosequantur hanc fidẽ. Tu es Petrus & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meã. Quid est, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã? Super hanc [illegible] quod dictũ est, Tu es Christus Filius Dei viui: super [illegible] trã, inquit, fundabo Ecclesiam meam.* Magnus Leo [illegible] mone 2. de Petro & Paulo: *Super hãc, inquit fortitudinẽ æternũ templũ. & Ecclesiæ meæ cælo inferenda [illegible] huius fidei firmitate cõsurget.* Eusebius Em[illegible], sed quicunq; ille tandẽ autor est, vir [illegible] Latinè eloquens, antiquùsque, homilia in [illegible] Sancti Petri, *Videamus quid sit, Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Super hanc petram quã tu modò docuisti dicens, Tu es Christus filius Dei viui, super hanc petrã, & super hanc fidem ædificabo Ecclesiam meã. Huic enim sententiæ Apostolus cõcordãs, ait, fundamẽtũ enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, Chr[illegible] dicat, non est aliud fundamentum nisi illa petra, quam [illegible]trus posuit in fundamento, quum diceret. Tu es Chr[illegible]*

V. Felix tertius Romanus ad Zenonẽ Augustũ de depositione Petri Antiocheni, quæ exstat apud Gennadiũ pro Concilio Florentino [illegible] [illegible] Χριστὸν, [illegible] Θεοῦ [illegible] *immutabilem & immaculatã fidem in Dominũ nostrum Iesum Christũ Dei Filiũ vnigenitũ [illegible] mus exponens, à Saluatore ipso beatus est dictus. [illegible] dixisset ad Dominum, Tu es Christus Filius Dei viui, ab ipso audire, meruit, [illegible], Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est:* [illegible] *& super ista cõfessione ædificabo Ecclesiã meã.* Et iterũ [illegible]. Prosopopœia est Ecclesiæ: *Eius vnigeniti [illegible] lini in Cõfessione primi Apostolorũ fũdauit me.* In Synodo sexta Cõstantinopolitana, Actione decima octaua, literis Imperatoris ad Occidentales: *Firmamentũ & fundamentum super nomen credita nobis Christianissimis exstitit Resp. fides in Deo inflexibilis, & inconcussibilis, in qua Christus Deus noster tanquam propriam domum suam construxit Ecclesiam.* [illegible] *Sicut enim quandã petrã excelsã & fabricatã, & vt cæli terraq; in cõsortio constitutã mystice [illegible] qua in eum cum Patre & Spiritu est saluator nobis ostendit.*

Ioan-

Ioannes Damascenus sermone in Metamorphosin Christi, apud Gennadium Scholarium pro Concilio [illegible] tino capitis quinti sectione sexta. *Petrus ardenti incensus zelo, & sancto actus Spiritu, respondit. Tu es Christus filius Dei viui. O beatum os! ô labia felicissima!* [illegible] *Hæc est fides recta & inconcussa, super quam, vt super Petram, Ecclesia est firmata: ex qua dignè cognomen accepisti.*

VI. Victor Antiochenus ad caput tertium Marci. *Quia Christus Dominus supra petram, hoc est, supra infractam sanamque Petri doctrinam, inconcussamque eiusdem fidem, Ecclesiam suam ædificaturus erat, ob id Prophetico Spiritu Petrum illum appellat.* Elias in Nazianzeni orationem de composita differendi ratione: *Respondens Christus, Beatus es, inquit, Simon: quia caro & sanguis hoc tibi non patefecit, sed Pater meus, qui est in cælis. Ego quoque dico tibi, Tu es Petrus: & in hac petra confessionis tuæ construam Ecclesiam meam, quam orci portæ, hæreticorum, inquam, ora non superabunt.* Germanus Constantinopoleos Epistola ad Thomam, Claudiopoleos in Concilio Niceno secundo, actione quarta. [illegible] *Dicat igitur nobiscum beatissimus Euangelista Ioannes. Hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides nostra: addatur autem & à nobis, & dicatur, Hæc est petra, super quam Christus ædificauit suam Ecclesiam.*

VII. Satin' id est testium? Addamus Papistas, vt magnificè triumphet veritas. Adrianus Papa primus in epistola ad Episcopos Galliciæ & Hispaniarum, quæ est in actis Concilij Francofordiensis, *Super hanc, inquit, Petram, quam confessus es, & à qua vocabuli sortitus es dignitatem, super hanc soliditatem fidei Ecclesiam meam ædificabo.* Innocentius tertius Romanus ad Episcopos Galliæ de Petro Abcilardo apud Ottonem Frisingensem de gestis Friderici primi libro primo, capite 84. *Beatus Petrus*, inquit, *Apostolorum princeps, pro eximia huius fidei confessione audire meruit, Tu es, inquam, beatus Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petram vtique firmitatem fidei, & catholicæ vnitatis soliditatem manifestè designans.* Adrianus quintus Epistola ad Fridericum Imperatorem, apud Radewicum Frisingensem libri primi capite tertio. *Quam in Apostolicæ confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatam.* Glossator decretorum distinctione decima nona, capite *Ita Dominus. Et super hanc petram. Per hanc distinctionem non credo Dominum aliud demonstrasse, quam hæc verba, quæ Petrus respondit Domino, cum dixit, Tu es Christus filius Dei viui: quia super illo articulo fidei fundata est Ecclesia. Ergo super seipso fundauit Dominus Ecclesiam.* Ioannes de Turre-cremata, in Summa de Ecclesia libro secundo, capite centesimo secundo. *Ecclesia est fundata super petram, scilicet fidem Christi, Matthæi decimo sexto, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ergo qui cadit à petra, scilicet à vera fide eius, notoriè & contumaciter, cadit omnino ab Ecclesia Christi.* Et capite centesimo duodecimo. *Confessio ipsa fidei, qua Petrus Christum Deum & hominem confessus, ait, Tu es Christus Filius Dei viui, super quam dicitur Christus Ecclesiam suam ædificasse, non primo Romæ, sed in Cæsarea Philippi facta est.* Nicolaus secundus apud Gratianum distinctione secunda & vicesima, capite primo. *Romanam Ecclesiam solus ille fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato æternæ vitæ clauigero, terreni simul & cælestis imperij iura commisit.*

VIII. Et in hunc ipsum locum commentatores. Dionysius Carthusianus. *Et super hanc petram, hoc est, fidei huius firmamentum, & fundamentum: vel super hanc petram, quam confessus es, hoc est, super meipsum lapidem angularem, montem altissimum, de quo ait Apostolus, fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Gorranus. *Post fidei expressionem, post experimentis commendationem, promittit hic stabilimentum Ecclesiæ super hanc fidei confessionem.* Iterum. *Et super hanc petram, id est, huius veritatis firmitatem, tanquam super fundamentum firmum, ædificabo Ecclesiam meam. Ad Ephesios secundo, Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Erasmus, *Et super istam petram, hoc est, solidam istam fidei professionem extruam Ecclesiam meam.* Titelmannus. *Et super hanc petram, super hanc fidei veritatem, quam confessus es, & quam protulisti dicens, Tu es Christus Filius Dei viui. Item & super me petram firmissimam, quam in prædicto verbo confessus es.* Paulo post: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, nisi quod ego ponam, quod ero ego Christus Iesus: & veritas ipsa fidei atque confessionis de me, erit fundamentum totius ædificij.* Ferus. *Et hoc claret, quod Christus Ecclesiam suam non super Petrum, aut quemcumque alium hominem ædificauit: alia igitur petra inquirenda est. Petra igitur primariè Christus est, cui tota Ecclesia superædificata est. Deinde, quia per veram fidem Christo coniungimur, ac sic quodammodo & nos petrascimus (si sic loqui licet) & ipsa igitur fides Christiana, & veritas Euangelica firma & inconcussa petra illa est, super quam Christus ædificauit Ecclesiam suam.*

IX. Sunt hi veteres, sunt hi recentes testes, sed ex aduersariorum sinu. Quid nostri sophistæ? vt afficiuntur? Variè: proue solent pharmaca pro varijs humoribus variè operari. Sunt igitur qui toti sese permittant iracundiæ: Pighius Hierarchiæ libro tertio, capite quinto, hanc asserit interpretationem euidentissimè coargui ipsis Christi verbis: tum in se multo absurdissimam esse, atque indignam aduersus quam pluribus ageret. Baronius ad annum trigesimum primum, etiam amentiæ insimulat eius fautores. Tanta illis cùm libet, modestia est aduersum Patres?

X. Alij mitiùs, vt Bellarminus ac Stapletonus, qui fidem considerant duobus modis: Vno, inquit Bellarminus, absolutè secundùm se, ac sine ratione ad personam Petri: siue, vt Stapletonus loqui maluit, per se accepta, & vel in nullo, vel in quouis supposito considerata. Altero, cum relatione ad Petrum, vt sit, non quælibet fides, sed Petri fides, siue, vt Stapletonus, Petrus in fide. Priori negant fidem esse fundamentum Ecclesiæ: posteriori, concedunt, & coincidere aiunt cum eo quod dictum, Petrum esse fundamentum.

XI. At nos dicimus, ab his testibus consideratam fidem non posteriore modo, pro Petro credente; sed priori: nempe fidem, qualem ille confessus est. Argumenta: primum, quia perpetui ædificij perpetuum esse oportet fundamentum. At Petrus credens non poterat esse perpetuum fundamentum, nimirum qui per mortem paulo pòst subtrahendus. Secundum, quia Ambrosius disertè, non de carne Petri, sed de fide dictum esse testatus est. Tertium, quia plerique, confessionem, & fidem confessionis nominarunt. Theophylactus: [illegible], *confessio quam confessus es.* At hæc non potest esse ipsa Petri fides. Nam cõfessio actus est: ac proinde indiuiduus. Fides autẽ habitus in ipsa Petri persona: illa transiens, hæc remanẽs. Quartũ, quia dicũt, Petrũ potuisse id

fundamentum: at fundamentum & ponens non possunt esse idem. Quintò, quia exponant eam fidem, id quod dictum, *Tu es Christus*. Atque adeo Glossator Decreti appellauit articulum fidei. Sextò, Gorranus eam considerauit in Apostolis & Prophetis; non in solo Petro: vt etiam longè prior ille, quisquis fuit, autor sermonis de Pentecoste tomo Chrysostomi tertio. *Columnæ quidem sunt* (Apostoli) *quoniam virtute sua Ecclesiæ robur sunt. Fundamentum autem, quia in confessione ipsorum fundata est Ecclesia, dicente Domino, Tu es Petrus, & super hanc petram fundabo Ecclesiam meam*. Itaque certum est fidem esse fundamentum Ecclesiæ, quatenus est articulus fidei communis omnibus fidelibus; ex cuius assensu & fiunt, & vocantur, & dignoscuntur Christiani.

XII. Sunt tamen in oppositum suæ Sophistis obiectiones. Polo prima, vt probet non posse ipsam fidem esse. Talem petram intelligendam, quæ onus multorum hominum ferre possit. Hoc verè nihil esse aliud, quàm cura & solicitudine multitudinis, id est, Ecclesiæ onus sustinere. At loquendi vsus non patitur, vt confessioni fidei, Ecclesiæ cura committi dicatur. Nam quis esset sensus? quàm absurda, & à ratione aliena loquutio?

XIII. Næ isti Sophistæ egregiam subtilitati nauarunt operam; quibus tam sunt omnia in promptu. Petra debet onus Ecclesiæ sustinere. Ita esto, inquam, dum modò onus tam metaphoricè dicatur quàm petra, quàm fundamentum, quàm ædificium. Quid tum igitur? Onus Ecclesiæ sustinere, est curam eius gerere & sollicitudinem. Sed hoc iam negatur; vt frustranea sit subtilitati nauata opera. Nam profectò qui lapides sunt in fundamento, ij totius ædificij pondus sustinent, & tamen ædificij cura, solicitudóve nihil ad eos pertinet. Itaque nihil obstat quominus fides totius Ecclesiæ Petra sit, & tamen alius aliquis Ecclesiam curet. Quanquam, qui fidem sciunt nominatam pro ipso Christo fidei obiecto, non dubitarint concedere: cùm Christum sciant, & quidem solum, hoc modo pondus Ecclesiæ sustinere. Sed hæc profectò ratio per accidens est: quia non ex fundamenti natura, à qua nunc est argumentum. Est enim Christus, & fundamentum, & caput: curam autem habet, quatenus caput. Post ergo sophisma est, quasi diceret, petra sustinet onus Ecclesiæ. Qui autem sustinet onus Ecclesiæ, curam eius habet. Qui curam habet, caput est: hæc enim ille omnia disertè. Addamus: At caput est super totum corpus: ergo fundamentum est super totum ædificium. Quis dubitet, quin magnificè sit conclusum: & ex præceptis Architecturæ?

XIV. Secundum argumentum Bellarmini est; quia oportuisset Christum dicere, ædifico, vel ædificaui: iam enim multi crediderant, eum esse Filiũ Dei viui, vt prisci prophetę, Beata Virgo, Simeõ, Zacharias, Ioannes Baptista, Apostoli, & discipuli cæteri.

XV. Respondeo: primùm, qui se ędificaturum promittit, eum non negare se iam aut ædificare, aut ædificasse. Nam verba futuri temporis etiam continuationẽ significãt eius quod iã cœptũ est fieri. *Misericordia tua* (inquit Propheta Psalm. 23.) *subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*: non vt significet, non esse ante subsequutã: sed tantùm vt doceat sibi certum esse, eandẽ quã iam antè sensisset, experturũ ad finẽ vsq; Apostolus prioris ad Corinthios cap. 14. *Precabor spiritu, sed precabor etiam intelligentia: psallã spiritu, sed psallam etiam intelligentia*. An quia se iam precatũ esse negaret? Et sciũt omnes, Hebraicè docti, Hebræos, qui verbis pręsentis temporis in coniugando carent, vti consueuisse futuro, cùm significatur actus cõtinuus à præterito in futurum. Geneseos 2. [illegible] *[illegible], diuiditur*. Et 32. תלך *πορεύῃ, vadis*. Primo Samuelis 24. תשמע *ἀκούεις, audis*.

XVI. Deinde, Christus post id temporis Ecclesiam suam peculiari modo erat ædificaturus super eam fidem: quia etsi iam antè quidam eum credidissent esse Filium Dei, tamen ij pauci erant, & ex solo semine Abrahami: cùm tamen deinceps ea doctrina esset prędicanda toti orbi; eóque modo colligenda Ecclesia, nõ vnius gentis, & particularis, sed Catholica: quare sensus est, Christum ædificaturum deinceps Ecclesiam vniuersalem, nullis circumscriptam aut regionum aut gentium terminis, super eam cõfessionem: quod nondum factum esset, & quidem ordinaria docendi ratione: cùm antea tantùm quibusdam, & quidem per extraordinariam reuelationem & inspirationem factum esset. Præterea nõ erant Apostoli docendi, quid ante id temporis factum esset: sed obfirmandi in futurum, in spem eorum quæ postea facienda erant.

XVII. Tertium argumentum eiusdem: quia fides absolutè sumpta rectè quidem dicitur fundamentum iustificationis, & omnium virtutum: sed non Ecclesiæ propriè: debent enim eiusdem generis esse, fundamẽtum & reliquum ædificium. Atq; hoc argumentum Pighius vrget. Quis enim nesciat, inquit, Ecclesiam ædificium quoddam, ex viuis rationabilibúsque constructum lapidibus, quod nimirũ fundamẽtum requirit sibi congeneũ? Est autem fides toto genere diuersa res ab illis, ex quibus construitur hoc ædificium: nempe qualitas quædam.

XVIII. Respondeo, fidei *ὁμώνυμον* esse vocabulũ, cùm aliàs significet qualitatem, id est, habitũ cuiusq; credentis, quæ numero variatur in singulis: vnde fides tua, & fides mea, & fides Petri: aliàs verò, ipsum obiectum quod creditur, vnde fides Catholica, quę in omnibus eadem est, teste Apostolo: *Vna fides*, 4. ad Ephesios. Priori modo fatemur non posse dici fundamentũ Ecclesiæ: sed negamus sic intelligendã apud Patres, cũ petram fidem exponunt. Altero autẽ modo, nihil est absurdi, quominus fundamentum dicatur: cùm idem sit, fides, & Petra, id est, Christus, quem verè esse fundamentum Ecclesiæ nemo contradicit. Notauit Ferus. *Petra primariò Christus est, cui tota Ecclesia superædificata est. Deinde, quia per veram fidem Christo coniungimur, ac sic quodãmodo & nos petrascimus, & ipsa igitur fides Christiana & veritas Euãgelica firma & inconcussa Petra illa, super quã Christus ædificauit Ecclesiã suam*. Sic intelligi apud Patres certũ est. Augustinus de verbis Domini sermone 13. *Super hanc petram quã confessus es*. Et Emissenus disertè, *non est aliud fundamentum, nisi illa Petra, quam Petrus posuit in fundamentum, cùm diceret, Tu es Christus*. Hoc autem sensu, omnino fides est *ὁμογενὴς* Ecclesiæ. Nam Christus est primogenitus frater, & similis factus nobis per omnia, excepto peccato.

XIX. Sed enim videant acuti Sophistę, quis sit huius argutiæ exitus. Nam si fundamentum oportet esse Ecclesiæ congeneum (vt voce vtar Pighij) ergo omne fundamentum Ecclesiæ est ipsi Ecclesiæ congeneum. Esto hæc maior à Papistis subministrata: Pighio inquam, & Bellarmino. At nulla fides est congenea Ecclesiæ. Esto hæc rursus minor, ab iisdem: nam disertè Pighius, toto genere

diuer-

dixeram dixi? Quid ergo? Nempe ex iis præmissis, recte esset conclusio. Nulla fides est fundamentum Ecclesiæ. Quid illi? erubescunt-ne? Vtinam. Certè Synodus Tridentina Sessione tertia Symbolum fidei appellat, *fundamentum firmum ac vnicum, contra quod portæ inferi nunquam præualebunt*. Est-ne Symbolum congeneum Ecclesiæ? Ehem iam manifestè in medio Papismo impugnant Concilium Tridentinum, petram Papismi.

XX. Tertium, ex eodem: illud pronomen *hanc* clarissimè ostendit nō posse intelligi fidem absolutè: nam refertur ad petram proximè nominatam: proximè autem dictum fuerat Petro, *tu es petra*, non fides. Respondeo, Petrum à Christo nusquam appellatum esse petram: & fieri iniuriam Euangelistæ, qui cùm dixerit, *Tu es Petrus*, tamen asseratur debuisse dicere, Tu es petra. Et vt semel dicam, videntur aduersarij Grammatices regulas aut nunquam didicisse, aut nimis citò obliti esse. Nam quis non audiuit frequentissimum vsum apud Latinos hunc esse, vt pronomen relatiuum genere discrepet ab antecedenti, si connexum habeat substantiuum nomen, quasi explicationis gratia? Exempla. Cæsar de bello Ciuili libro primo. *Quotiescumque sit decretum, darent magistratus operam ne quid Resp. detrimenti caperet, (qua voce, & quo S. C. populus Rom. ad arma sit vocatus) factum in perniciosis legibus.* Et paulo post, *Doluisse se, quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur: ereptóque semestri imperio, in vrbem retraheretur, cuius absentis rationē haberi proximis comitiis populus iussisset: tamen hanc honoris iacturam sui, reip. caussa æquo animo tulisse.*

XXI. Quartum Sanderi: Fides sic absolutè considerata absque relatione ad Petrum, si est fundamentum Ecclesię; tum vel in nullo, vel in quouis supposito considerabitur: At neutro modo fundamentū est Ecclesiæ: ergo nullo modo. Assumptum probatur. Non igitur in nullo subiecto: quia super fidem non prædicatam, aut à nemine assertā, Ecclesia fundari non potest. Non in quouis: quia super fidem ab alio quàm à Petro prędicatam, Ecclesia infallibiliter fundari nequit. Ratio gemina. Prior: quia nemini alij quàm Petro Christus dixit, *Super hanc petram*: non possumus ergo de alia persona certi esse. Altera: quia si super fidem ædificari ponimus Ecclesiam extra personam Petri & successorum eius, ęquè ac pariformiter hanc prærogatiuam quiuis fidelis vindicabit, & æquè super vnumquenque ædificabitur Ecclesia.

XXII. Respondeo: propriè fidem esse non posse, nisi in aliquo subiecto: quemadmodum enim nulla scientia est, absque aliquo sciente: sic nulla fides, absque aliquo credente: sed tamen nihil obstare, quominus abstractè consideremus fidem: quomodo & singulas scientias: vt Physicam per se, absque vllo Aristotele. Et sic consideratam fidem antè diximus, *[illegible]* esse idem cum Christo: & hoc modo esse fundamentum Ecclesiæ. Ad argumentum respondeo: etsi verum esset, fidem ab alio prædicatam quam à solo Petro, non posse esse fundamentum Ecclesiæ: tamen non sequi idem esse Petrum & fidem: aut Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, id est, Oecumenicum Pontificem.

XXIII. Secundò negatur Ecclesiam fundari non posse super fidem ab alio quàm à Petro prędicatā: fundatur enim super fidem prædicatam ab ipso Christo: & prędicatam à Prophetis & Apostolis: vnde Paulus nominauit fundamentum Apostolorum & Prophetarum: quod Gorranus non est oblitus. Ideò Paulus 15. ad Romanos protestatur se cauisse ne super alienum fundamentum ædificaret: id est, studuisse prædicare Euageliū, vbi non nominatus esset Christus. Ergo potuit à Paulo ædificari Ecclesia super fidem, ab Apostolo Petro non prædicatam. Et tertio prioris ad Corinthios asserit à se, non à Petro, fundamentum esse positum.

XXIV. Ratio prior est ridicula. Vel enim Petram sumit pro persona Apostoli Papisticè; & tum principium petitur: vel vt nos, pro Christo, siue fide in Christum: ac tum falso & ineptè infertur, nō posse nos de alio vllo certos esse. Quid tum enim, si soli Petro dictum? Quid obstat, quominus dictum, vt reliquis communicaretur? Nam & solis Apostolis dixit, *Qui vos audit, me audit*. & tamen nemo contatur id applicare omnibus fidis pastoribus. Quinetiam ipse Stapletonus statim Petro successores annectit: quo iure, si quæ Petro dicta sunt, id est, soli personæ eius Apostoli, efficiunt vt de nullo præterea certi esse possimus? An non, exempli gratia, Gregorius Romanus alia persona est à Petri persona?

XXV. Altera ratio vitiosè concludit. Nam qui Petram fidem, & Christum interpretamur, omnem personarum respectum procul abijcimus; itaque omnibus hominibus omnem ansam præcidimus, constituendi sui pro Ecclesiæ fundamento. Quare longè melius in contrariā partem consequētia succederet, si Petrus non sit fundamentū, sed fides; Ergo neminem prorsus hominem esse fundamentum.

CAP. V.

De Patribus, qui Petram Petrum interpretantur.

I. ADuersarij multos hic Patrum locos congerunt, quibus confici volunt, Petram à Christo nominatam, intelligendam ipsum Petrum: quorum locos enumerant diligenter Bellarminus, capite 10. libri 1. de Pontifice: & Agricola de Primatu Petri, capite 1. Et hos nominant autores. Clementem Romanū epistola prima ad Iacobum. Tertullianum de Præscriptionibus. Origenem in Exodum homilia quinta. Cyprianum epistola ad Quintum; & ad Iulianum. Athanasium Epistola ad Felicem. Hilarium in Matthæi decimum sextum. Et sexto de Trinitate. Ambrosium sermone quadragesimo septimo: & Hymno quem citat Hieronymum in Matthæi decimum sextum: & Esaiæ 2. & in epistola ad Damasum de hypostasi. Basilium libro 2. contra Eunomium, & concione de Pœnitentia. Nazianzenum de moderatione seruanda in disputādo. Chrysostomum homilia 55. in Matthæum: homilia 4. in 6. Ezechiæ: ex varijs in Matthæū locis homilia 27. Et in 1. Ioannis ad illa verba, *Tu vocaberis Cephas*. Epiphanium Ancorato. Psellum in Canticum, apud Theodoretum. Augustinum in Psalmum 69. In Ioannem tractatu 7. epistola 165. De Sanctis sermone, 15. 29. In Psalmo contra partē Donati: retractationū lib. 1. cap. 21. Sermone secundo de SS. Petro & Paulo. Maximum Taurinensem sermone 1. de Petro & Paulo. Paulinum epistola 4. ad Seuerum. Cyrillum Alexandrinum lib. 2. in Ioannem capit. 12. Leonem magnū sermone 2. in anniuersario suæ assumptionis. Prosperum, libr. secundo de Vocatione Gentium capite 28. Andræam Creten sem oratione in

Domini transfigurationem. Gregorium Magnum epistola trigesima septima libri sexti. Theophylactum in caput Lucæ vigesimum secundum. Euthymium in decimum sextum Matthæi. Denique Ecclesiam vniuersam in Concilio Chalcedonensi, actione tertia.

II. Respondeo prius in genere: deinde sigillatim. Prius ergo, falsò Bellarminũ ac reliquos totius Ecclesiæ consensum iactare. Totius, inquit, ecclesiæ, & Græcorum ac Latinorum Patrum. Quod si esset, tum necesse foret, nullum vnquam è Patribus aliter exposuisse. Quod contrà est, vt antè citatis locis cuiuis constat, & multis quidem. Nam si vnus tantùm, aut alter, idque obiter, & perfunctoriè, nihil mirum: sic enim plerunque: sed & frequentes, & seriò, tum ad populum, tum in priuatis, quietisque commentationibus, hoc verò mirum si sit de nihilo. Illud saltem conficitur in tanta sententiarum discrepantia, nihil certi concludi posse ab autoritate, nisi alia accedant argumenta certiora: quæ cum aduersarij nulla habeant, nos autem habeamus, apparet quanto melior sit caussa nostra. Quod si vtrinque æqualia essent rationum momenta, tamen optio nobis libera relinqueretur: quod etiam Augustinus voluit in Retractationibus *Harum*, inquit, *duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligat lector*. Quod ille nunquam diceret, si altera ad amentiam accederet, aut textum peruerteret: aut denique officeret, siue [illegible], siue [illegible]. Itaque nos hic locus tanto fastu ab aduersariis obiectus vrgere non potest, quandoquidem (vt minimum) nobis est liberũ eam expositionem amplecti, quæ ab Oecumenico longissimè abit.

III. Iam sigillatim. Primò supposititiæ quædam sunt autoritates ex iis. Nam Clementis ad Iacobum Epistola sporia est, & indigna tanto nomine: scripta ad Iacobum prius defunctum. Tota constans centonibus malè consutis: denique Veteribus incognitissima: vt appareat imperitissimum, atque ineptissimum quendam è postremis seculis ludionem, fœdè voluisse Ecclesię imponere: vt in reliquis plerisque Decretalibus epistolis. Athanasij itẽ ad Felicem Epistola, si cuiquam sapit, enimuerò illius prorsus similes habent labra lactucas: tota inepta, pueriliter garrula, mendax, multáque asserens contra veritatis historicæ fidem: Intérque ea, illud falsissimum, ex sede Romana omnes ecclesias sumpsisse prædicationis exordium. Quod siue de tempore intelligas, siue alio quouis modo, consistere non potest: sed & Athanasium, qui priùs factus est Episcopus, quàm vnquam vidisset Romam, quanta impudentia est dicere, Romæ factum Episcopum, & quidem Felicis precibus. Vide Baronium anno trecentesimo quinquagesimo septimo, paragrapho sexagesimo sexto. Et Binnium orationibus in eam Epistolam priori parte tomi primi Conciliorum. Sermones de Sanctis, quicunque tribuit Augustino, næ ille putauit sibi rem futuram cum fungis: certè festum fuisse aliquod Cathedræ Petri, aut fuisse vniuersale temporibus Augustini, nullo potest indicio deprehendi. Sed & docti agnoscunt indiscretam esse farraginem sermonum vndique transuasatorum, ex Alcuino, Fulberto, Petro Rauennensi: atque aliis. Ambrosij sermones non esse magis legitimos docti sciunt.

IV. Secundò falsum etiam, Synodum Chalcedonensem, & in ea vniuersam Ecclesiam eius interpretationis esse testem. Nam soli sunt legati Romani, Paschasinus, Lucentius & Bonifacius, qui suam sententiam dicunt contra Dioscorum: magna verborum pompa, & suæ sedis, de more, agentes negotium. Sed non solent singula eorum qui suffragia ferunt, vocabula pensitari, aut etiam à Synodo haberi pro totius cœtus Decretis: sed tantùm id quod, aut omnibus aut plurimis suffragiis confirmatum fuerit. Quis autem miretur eos, qui à Romano Pontifice mittebantur, voluisse eius dignitatem esse maximam? Eo præsertim tempore, cùm [illegible], etiam Constantinopolitanus contenderet, & sese Oecumenicum iam appellaret? atque adeo in eodem Concilio obtinuerit, æquari Romano, etsi secundo ordine. Leonis & Gregorij testimonia eodem iure suspecta sunt, quoties quæstio de autoritate Romani Pontificis. Nam quis dubitet in veram partem sint pronunciaturi? Rectè Æneas Syluius commentario primo de Basiliensi Concilio. *Nec considerant miseri, quia quæ prædicant tantopere verba, aut ipsorum summorum Pontificum sunt, suas fimbrias extendentium, aut illorum qui eis adulabantur.*

V. Tertiò; ex ipsis, qui citantur, pro nobis testimonium dixerunt, Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus; Origenes. Sed & Augustinus. Imò hic, sententiam retractauit, ita vt ab ipsis etiam Papistis agnoscatur in nostram esse propensior, itaque non fuit annumerandus talis quis, sed nobis totus relinquendus.

VI. Quartò: Quid? quòd inuiti nonnulli coguntur stare à partibus non nostris? Origenes: Nam quid mirum, si Petro is Petræ nomen concessit, qui nulli fidelium negauit? Nam omnes esse suo modo & petram & fundamentum, diserté docet. *Petra est quisquis Christi discipulus est: & super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina.* Itaque & hoc loco non fundamentum tantùm, sed magnum fundamentum appellat: quasi essent alia minora. Athanasius ad Felicem: etsi is autor non est, vt diximus. *Tu*, inquit, *es Petrus & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ; id est, Episcopi sunt constituti.* Nota: non te fundamentum, sed tuum fundamentum: quemadmodum Paulus, fundamentum Apostolorũ & Prophetarum: id est, Christum. Deinde, Tu es Petrus: non, tu es Petra. Basilius: qui dicit Petrum [illegible]. *Propter fidei excellentiam, ædificationem Ecclesiæ in seipsum recepisse.* Atqui recipere in se ædificationem Ecclesiæ, non est super seipsum ædificare Ecclesiam: sed tantùm suam operam cõmodare ædificandæ Ecclesiæ. Nazianzenus: [illegible], inquit, [illegible]. *Hic quidem Petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta sua fidei credita habet.* Ergo, inquam, non est ipsum fundamentum. Paulus; [illegible]: *dispensatio credita est mihi*: nono prioris ad Corinthios. [illegible], tertio ad Romanos, *ei credita sunt eloquia Dei.* Felix epistola ad Zenonem Imperatorem contra Petrum Antiochenum de Trisagio. Petrus, [illegible], *cui regni claues à Saluatore traditæ sunt.* An Paulus fuit ipsa dispensatio? an Iudæi ipsa eloquia? An Petrus, ipsæ claues? absurdum.

* * *

CAP. V.

CAP. VI.

Etsi Petrus à Veteribus appelletur Petra, tamen non est Oecumenicus Pontifex.

I. ET hactenus quidem de Assumptione. Nunc de Maiore propositione. Quia enim negari nō potest quosdā, eósq; nominatissimos veteres, per petram intellexisse ipsum Petrum: atque id etsi non rectè: tamen quia non de Petra, sed de Oecumenico Pontifice controuersia est: ideo his etiam autoritatibus satisfaciendum. Dico igitur maiorem esse falsam. Neque enim nunc agitur de petra, quomodo à Christo aut nominata est, aut intellecta: sed quomodo à Veteribus explicata. Itaque hoc dico: etsi Patres Petrum appellarint petram, super qua Christus ædificauit Ecclesiam suam; tamen non propterea aut nominasse, aut credidisse Oecumenicum Pontificem.

II. Ratio prima, quia eius nominis à Patribus ea ratio redditur, quæ non infert Oecumenicum Pontificatum. Nazianzenus in oratione de Moderatione in disputationibus. *Petrus petra vocatur: atque Ecclesiæ fundamenta sua fidei credita habet.* Ambrosius sermone quadragesimo septimo, siue is potius est alius. *Petra dicitur, eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit.* Et post, *Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem domo Petrus fundamentum posuit: Petrus plantat: Dominus incrementum dat, Dominus irriguum subministrat.* Theophylactus, ἀμείβεται τὸν Πέτρον ὁ Κύριος, μισθὸν αὐτῷ διδοὺς μέγαν, τὸ ἐπ' αὐτῷ οἰκοδομηθῆναι τὴν ἐκκλησίαν· ἐπεὶ γὰρ ὡμολόγησεν αὐτὸν υἱὸν Θεοῦ ὁ Πέτρος φησὶν, ὅτι αὕτη ἡ ὁμολογία ἣν ὡμολόγησας θεμέλιον μέλλει εἶναι τῶν πιστευόντων· ὥστε πάντα ἄνθρωπον μέλλοντα κτίζειν τὸν τῆς πίστεως οἶκον, ταύτην τὴν ὁμολογίαν ὑποτίθεσθαι θεμέλιον. *Remuneratur Petrum Dominus, mercede magna data, nempe, vt super eo ædificata sit Ecclesia: Quandoquidem enim confessus est eum Petrus Filium Dei, ea confessio, quam confessus es,* inquit, *futura est fundamentum credentium: adeò vt quicumque ædificaturus sit fidei ædificium, hanc confessionem ponat fundamentum.* Epiphanius in Catharis. γέγονεν ἡμῖν ἀληθῶς στερεὰ πέτρα θεμελιοῦσα τὴν πίστιν τοῦ Κυρίου, ἐφ' ᾗ ᾠκοδόμηται ἡ ἐκκλησία κατὰ πάντα τρόπον. *Factus est nobis verè solida Petra, fundans fidem Domini, super qua ædificata est Ecclesia omni modo.* Theophanes Cerameus in sermone de Sanctis Apostolis: citatus à Salmerone tractatu secundo tertię partis tomi quarti, in hæc verba, *Ego verò dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tu,* inquit, *qui Petrus es, petra fies fidei verbi, & Ecclesia firmata fundamentum, ac ædificationis spiritualis primus adeoque. Super hanc enim confessionem fundamentum Ecclesiæ stabit. Talis nempe petra ac rupe collocata, reliqua dogmata firmè, ac tutè ædificabuntur.*

III. Hæc diligenter consideranda sunt. Petra est, quia fundamentum posuit. At hoc primo nihil ad Oecumenicum. Paulus enim se etiam testatur fundamentum posuisse: qui tamen non dicitur Oecumenicus. Deinde: non solus posuit: sed primus posuit. Ergo & alij posuerunt, post eum quidem: & hæc secundi, siue tertij: sed tamen posuerunt. Primus autem, & secundus, & tertius, discretionem significant ordinis, non potestatis: & quidem hîc, ordinis secundùm tempus: quomodo Andręam dicunt priùs vocatum, quàm Petrum, id est, aliquanto tempore ante: & Paulus, sibi vltimo visum esse Christum: prioris ad Corinthios decimo quinto: qui tamen se οὐδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων gloriatur: posterioris ad Corinthios vndecimo. Similiter ergo potuit Petrus, primus omnium iacere fundamentum: vt tamen nihilo plus habuerit authoritatis quàm reliqui.

IV. Et fundamentum fidei: propter confessionem, quam confessus est. At nostra controuersia est de politia, & autoritate pastorali: non in docenda plebe: sed in ipso Clero moderando. Certè confiteri Christum, longè aliud est, quàm moderari Ecclesiam, imò quàm imperare Clero. Fundamentum ergo credentium, quomodo Aristoteles Dialecticorum. Non enim Aristoteles imperium vllum obtinet in Dialecticos: sed duntaxat primus Dialecticam tradidit, cui posteri adhærent. Itaque Theophylactus explicat, non quòd ipse Petrus, aut eius successores, eius fidei fundamēta semper iaciant vsque ad finem mundi: sed quia ipse primus eam confessionem ediderit, quam credentes ipsi posituri sint basin suæ fidei. Non ergo ipse Petrus ponit: aut pro Petro, nescio quis successor: sed πᾶς ἄνθρωπος μέλλων κτίζειν τὸν τῆς πίστεως οἶκον. quilibet homo, quilibet fidelis: quod de gubernationis autoritate, nunquam quisquam verè, aut sanè dixerit.

V. Itaque hi Patres, etsi verbis differunt, tamen reipsa idem sentiunt cum iis qui Petri fidem illam, seu confessionem intelligunt per Petram esse designatam. Atque adeo id Theophylactus habuit à suo Chrysostomo: qui qua homilia dixit, Christum pollicitum se Ecclesiam ædificaturum super Petrum (*Super te* inquit, *ædificabo Ecclesiam meam*, homilia quinquagesima quinta in Matthæum) eadem Petram exposuit fidem & confessionē. Verba antè citauimus. Si igitur ea ratione Petrus dicitur petra, & fundamentū Ecclesiæ, quòd ea confessio, quam edidit, sit petra & fundamentum Ecclesiæ, certè non sequitur inde, eum esse Oecumenicum Pontificem.

VI. Secunda ratio: Si, quia Petrus dicitur petra, ideo esset Oecumenicus Pontifex: ergo, quemadmodum Oecumenicus ille vnicus est, sic oporteret, Petrum vnicum esse petrā: at hoc falsum: atq; adeo nulli vnquam è Veteribus, satis probatæ fidei, affirmatum: à nonnullis disertè negatum: vt Origene, Cypriano, Augustino: de quibus singulis iam ago: aduersariorum exceptiones considero.

VII. Origenes tractatu primo in Matthæum. *Petra est, quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spirituali consequente Petra: & super talem petram constituitur omnis Ecclesiastica doctrina: & secundùm hanc vita institutio. In vnoquoque enim perfecto, habente congregationem eorum, quæ complent beatitudinem, verborum, factorū, & sensuum, est quæ à Deo ædificatur Ecclesia. Quod si super vnum illum Petrum tantum existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Ioanne filio tonitrui. & Apostolorum vnoquoque? quin alioqui, num audebimus dicere, quòd aduersus Petrū vnū nō præualituræ sint portæ inferorum, aduersus autē cæteros Apostolos, ac perfectos, præualituræ sint? ac nō potius in omnibus & singulis eorū, de quibus dictū est sit illud, quod dictū est, & portæ inferorū nō præualebūt aduersus eā. Itē illud, super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meā.* Vbi luxatio est: nec enim cōsistit sēsus: apparet sic legēdū, aut nō multo secus *Ac nō potius in omnibus & singulis eorū? Quod si in iis de quibus dictū est, sit illud quod dictū est, & portæ inferorū non præualebūt aduersus eā: itē illud, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Pergit Origenes argumentando. *An verò soli Petro dantur à Christo claues regni cælorum, nec alius beatorum quisquam eas accepturus est? Quod si dictum hoc, Tibi dabo claues regni*

cælorum, cæteris quoque commune est, cur non simul omnia, & quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia?

VIII. Sic Origenes, non asserit tantùm, sed etiam disputat, non esse Petrum solum, petram, super qua ædificatur Ecclesia: & quidem duplici argumento. Nam id nomen accepisse vel propter cōfessionem fidei, vel propter ministerium ædificij Ecclesiastici. Neutra autem ratione, id ei conuenire. Nam si propter confessionem: eam non esse eius solius, sed omnium perfectorum, qui eodem animo, eodem etiam Spiritu reuelante, idem cum eo confitentur. Si verò propter Ministerium, tum & reliquis Apostolis id conuenire: nam eis etiam omnibus & singulis datas esse claues regni cœlorum. Denique non magis id, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, Petro dictum esse, quàm illud, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: atqui hoc posterius non esse soli Petro proprium. Ergo neque illud.

IX. Bellarminus respondet: Origenem explicare locum Matthæi allegoricè tum temporis: sed ad literam, homilia quinta in Exodum. *Vide*, inquit, *magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino*. Tum disputat non posse intelligi ad literam de omnibus fidelibus. Primò, quia Christus, vt de solo Petro se loqui indicaret, descripsit illum multis modis. Secundò: quia sic omnes essent fundamentum: vbi ergo parietes, & tectum? Tertiò: quia absurdum iudicatur super hominem Petrum ædificare Ecclesiam: quomodo igitur super singulos fideles ædificabitur? nam & cæteri homines sunt.

X. Sed Origenes non exponit allegoricè: nisi allegoriæ vocabulo abutens, omnia comprehendas explicationum genera: quod non decuit fieri. Nam Allegoria transfert verba siue phrases in alium sensum. Vt, exempli gratia: cum Agar ancillam nominatam à Mose propriè pro muliere, Paulus legem interpretatur. At hic nihil fit eiusmodi: nam quo sensu Petrum petram interpretatur Origenes, eodem & singulos fideles. Itaque tropologica potius est interpretatio, quum doctrina generalis singulis applicatur. Vt apud Paulum, cùm ab Israelitarum interneccione concludit Christianis abstinendum à malis. Velut si quis illud hæmorroissæ à Christo dictum, *fides tua saluam te fecit*, exponens generaliter, id applicet omnibus fidelibus.

XI. Non est autem hic locus contrarius alteri in Exodum. Primò, quia in Matthæo non sic applicauit omnibus, vt negaret Petro: ac proinde facilè potuit idipsum de Petro specialiter dicere, quod omnibus asserebat conuenire: quemadmodum cū dixero omnes fideles fide sua saluos fieri, nihil obstat, quòminus hæmorroissam dicam fide sua saluam esse factam. Deinde, quia in Exodo nihil est quo solus Petrus dicatur esse Petra: imò contrà, vt antè dixi, cùm vocatur non simpliciter fundamentum, sed magnum fundamentum: & non petra, sed petra solidissima: videtur comparatio cum aliis designari: quasi cùm multa sint fundamenta, multæque Petræ, Petrus in omnibus sic emineat, vt & magnus & solidissimus dici mereatur.

XII. Ad argumenta respondeo: ad primum quidem, eas vnius Petri descriptiones, à nomine, à patre, à reliquis, significare, soli Petro Christum esse loquutum: & quid tum, si etiam de solo concedamus loquutum? Nam inde non conficitur ad solum Petrum spectare id quod dicitur. Etenim, quis neget Mosen cùm dixit, *Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam*. Quis, inquā, neget, de solo Abrahamo dictum? Et tamen idipsum Paulus omnibus fidelibus applicat. Quid, quod ipsi Papistę, qui solum Petrum tāto boatu ingeminant: eiusque nomen, & patrem, & agnomen, & pronomina, Tibi, tu, te: vt euincant vnam certámque personam: tamen statim ab vna illa persona transiliunt ad ducentas triginta quatuor personas Romanorum Pōtificum, vt eis commune euincant, hoc ipsum, quod iam laborant esse vni, vni, vni, inquam, Petro iam proprium, quàm eius nomen, eiúsque patrem? Nēpe hoc illud est, nihil aliud quàm mundo illudunt.

XIII. Ad secundum: hoc sensu Ecclesiam dici fundari super omnes fideles, vt in iis solis doceatur consistere: vnde Lyranus in hunc Matthæi locum. *Ex quo patet, quòd Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticæ, vel secularis: quia multi principes, & summi pontifices, & alij inferiores, inuenti sunt apostatasse à fide: propter quod Ecclesia consistit in illis personis in quibus est notitia vera, & confessio fidei, & veritatis.* Ergo, fundari non propriè sumitur pro ea parte ædificij, quæ parietes, & tectum sustinet: nam id honoris pertinet ad solum Christum: à quo nomen Origenes eum deriuare voluit: sed impropriè pro consistere: dicimus enim Ecclesiam consistere in fidelibus.

XIV. Ad tertium, inde patet responsio. Nam quod super Petrum hominem disputamus, absurdum esse ędificari Ecclesiam, ideo sensu dicitur, quatenus vnicus ille homo totum ædificium sustētare dicitur, quomodo Papistæ de Petro pertinaciter. Sed non illo altero, quatenus in fidelibus, qui certè homines sunt, & inter quos est Petrus, & quidem Apostolus, imò [illegible], consistere dicitur. Atque hactenus de Origene.

XV. Cyprianus (quo autore nullus, opinor, frequentiùs dixit, super Petrum fundatam Ecclesiam) Epistola vicesima septima, quæ est ad lapsos, *Dominus noster, cuius præcepta metuere, & obseruare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Euangelio loquitur, & dicit Petro, Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: & tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Inde per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.* Cyprianus igitur hunc eundem locum sic intellexit, vt ad plures quàm ad Petrum pertineret. Eum enim omnibus Episcopis accommodat, teste in eam epistolam Pamelio: qui cùm inde se videret premi, hoc quasi effugium quæsiuit, eundē Cyprianum alibi, maximè Epistola quinquagesima quinta, hunc locum applicare soli Petro. Quod si sic intelligat, vt dicat Cyprianum alias in citando hoc loco solius Petri meminisse: nihil est quod non facilè concedam. Sed si hoc velit potius, Cyprianum asserere, ea Christi verba soli Petro conuenire, & præter eum nulli, tū verò Pamelius egregiè falsum dixerit. Certè enim Cypriani ea perpetua mens est, vt ex eo loco probet, quænam sit Episcopatus, quē in Ecclesia vnicum esse dicit, natura: qua de re aliàs plura. Si autem iis verbis institutio continetur Episcopatus, ergo non Oecumenici Pontificatus.

XVI. Augustinus epistola centesima sexagesima quinta: *Petro, totius Ecclesiæ figuram gerenti, Dominus*

ait,

ait, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Latiùs autē tractatu centesimo vigesimo quarto in Ioan. *Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa: cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè attinet, naturâ vnus homo erat, gratiâ vnus Christianus, abundantiore gratiâ, vnus idemq́; primus Apostolus. Sed quando ei dictum est, Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, vniuersam significabat Ecclesiam.* Et paulo pòst, *Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro.* Hæc Augustinus: vnde sequitur, quum non Petro, vt Petro; sed toti Ecclesiæ in Petro dictum id sit, non esse Petrum solum Petram Ecclesiæ: ac proinde aut esse plurimos Oecumenicos Pontifices: aut Petram non significare Oecumenicum Pontificem.

XVII. Et quia Petræ nomen significationem habet fundamenti: addamus & hoc, reliquos Apostolos dici etiam fundamenta Ecclesiæ. Hilarius in enarratione Psalmi sexagesimi septimi: *Sed quia in his* (Petrum autem nominauerat denegantem, & cæteros Apostolos timentes, fugientes, diffidentes) *bonæ voluntatis esse affectus, perfecti ita sunt, vt & fundamenta Ecclesiarum fierent & columnæ.* Sic alij non pauci affirmant: ementes ex his Scripturæ locis, *Fundamenta eius in montibus Sanctis*: Psalmo octogesimo septimo. Nam hos montes interpretantur Apostolos & Prophetas, Augustinus, Theodoretus, Remigius, Lombardus, alij. Secundò ad Ephesios, *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Apocalypseos vigesimo primo, *Fundamenta quibus inscripta sunt nomina duodecim Apostolorum.* Quòd si Apostoli omnes, adde etiam Prophetæ, sunt fundamenta Ecclesiæ, ergo Petrus solus non est Petra: quandoquidem petra est fundamentum.

XVIII. Huic argumento Bellarminus vt satisfaciat, capite vndecimo libri primi de Pontifice: tribus modis omnes Apostolos fuisse ait fundamēta Ecclesiæ, absque vllo Petri præiudicio: primo, quia ipsi primò Ecclesias vbique fundarint: secundò, ratione doctrinæ à Deo reuelatæ: nam fides Catholica nititur reuelatione, quam habuerunt à Deo Apostoli, & Prophetæ: tertiò, ratione gubernationis: omnes enim fuerunt capita, rectores, & pastores Ecclesiæ vniuersæ. Porrò primo & secundo modo Petrus non fuit maior cæteris; sed tertio. Illi enim habuerunt summā atq; amplissimā potestatē, vt Apostoli, seu legati: Petrus autem vt Pastor ordinarius. Deinde ita habuerunt plenitudinem potestatis, vt tamē ille vnus esset caput eorum, & ab illo penderent, non contrario. Hoc verò ei promitti his verbis, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

XIX. Sed nos instamus, & admissa triplici illa distinctione: primò dicimus, hoc modo aduersarios recedere ab hoc loco Matthæi, atq; illi renunciare, quam inutili ad probādum Oecumenicum Pontificatum Petri. Ratio: quia concedunt Petrum reliquis Apostolis præstare duntaxat tertio modo, id est ratione gubernationis. Atqui hic locus *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, ad gubernandi rationem non pertinet: sed ad primum modum & secundum; quia exponitur de confessione fidei, quam Petrus primus omnium confessus, posuerit Ecclesiæ fundamentum. Et quia his duobus modis, Petrus æqualis fuit reliquis: Ergo hic locus pertinebit ad eam æqualitatem, nō autem ad disparitatem; absque qua nullus est Oecumenicus pontificatus.

XX. Secundò, negamus probari posse vllo ex iis modis Petrum superiorem fuisse reliquis Apostolis. Et de primis quidem duobus, nullum negotium: quia conceduntur vltro à Bellarmino. Ergo, de tertio tantùm quæstio: in quo dupliciter Petrum ille præfert: tum quia reliqui ab eo penderent, etsi haberent plenitudinem potestatis: tum quia illi essent legati, Petrus autem ordinarius. Quæ cuiusmodi sint, quæso videamus.

XXI. Atqui in priori mira ἄνοια. Habuisse cæteros Apostolos plenitudinem potestatis, & tamen pependisse à Petro suo capite. Atqui primùm plenitudo potestatis prophanum nomen est, & ex prophana dominatione, quam suis discipulis seuerè & ἐξουσιάζειν interdixerat Christus, inuectum in Ecclesiam: ab eo tempore cùm eam vnius tyrannis occupauit: itaque alienum ab vsu, nō Scripturæ tantùm, sed etiam purioris Antiquitatis. Et sane tum διακονία, tum λειτουργία, quibus nominibus significantur dignitates Ecclesiæ, tum apud Paulum, tum apud Veteres, ἐκ διαμέτρου opponuntur plenitudini potestatis.

XXII. Secundò: cùm plenitudo potestatis sit vt in Republica, sic in Ecclesia, summū ius illius administrandæ, & αὐτοκρατορία, Bellarminus cōtradicit, tum suis, tum sibi. Suis quidem: quia plenitudinem illi docent Petro, eiusque successoribus concessam; idque in definiendo exprimunt Altenstaig in Dictionario Theologico, *Plenitudo potestatis Ecclesiastica, est potestas ordinis & iurisdictionis, quæ à Christo collata est supernaturaliter Petro, sicut vicario suo & monarchæ primo, pro se & suis successoribus legitimis vsque in finem seculi, ad ædificationem Ecclesiæ militantis, pro consecutione felicitatis æternæ.* Et paulo pòst, *Potestas Ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter & subiectiuè in solo Romano Pontifice.* Ergo, inquam, neque formaliter, neque subiectiuè, in vllo alio. At Bellarminus concedit in omnibus & singulis Apostolis. Euidens contradictio.

XXIII. Sed & sibi contradicit: cùm Apostolis tribuit plenitudinem potestatis, ita tamen vt Petrum caput haberent, & ab eo penderent: fieri enim non potest, vt plenitudo potestatis, & pendere ab alio capite, non sint contraria. Est enim plenitudo potestatis, ea cui ad summam inter homines potestatem nihil addi potest. Atqui ea potestas quæ pendet ab alia, profectò summa dici nequit. Ac proinde oportet cæteros aut non habuisse plenitudinem potestatis: aut certè non pependisse à Petro. Et sanè Cyprianus omnes Apostolos, asserit cum Petro pari præditos consortio honoris & potestatis. Quis autem neget dispar esse consortium, plenitudinem potestatis: & potestatem dependentem ab alia?

XXIV. In legatis autem & ordinario, admiratus sum Iesuitarum audaciam, quibus nihil sit ineptum, si commodum. Quam autem caussam reddunt, cur Petrus ordinarius sit potiùs quàm reliqui? Aut reliqui legati potiùs quàm Petrus? Et sanè res est eiusmodi, quam non debuerit Bellarminus tam securè, confidentérque effutire, nulla vel leuissima coniectura confirmatam.

XXV. Nam, quòd Apostolum legatum exponit, quàm est ridiculum Deus bone! Esto ea Græci significatio vocabuli. Sed quid hoc ad rem? Nam primò, Nónne fuit Apostolus Petrus? Imò verò non

alio magis insigni titulo solet insigniri, *Petrus Apostolus Iesu Christi*; statim initio Epistolarum: vt *Paulus Apostolus Iesu Christi*, posteriore ad Timotheum. Quî fit ergo, vt Apostolus Petrus non sit legatus. Apostolus autem Paulos sit legatus? Quod eo magis vrgendum: quia ipsi Romani Pontifices, tam certo ex Apostolatu Petri suum ius deriuent: vt olim non alio nomine vocitati fuerint, quàm Apostolici, qui nunc Papæ.

XXVI. Deinde, quia legatum opponunt ordinario, postulo mihi exempla proferri, quibus doceat, ἀπόστολον Græcè eo sensu legatum significare: legatum, inquam, non quemlibet, sed tantùm oppositum ordinario; id est, extraordinarium. Mihi quidem potius videtur eum notare, qui ab alio mittitur siue ordinariè, siue extraordinariè. Nec aliam eius nominis vim obseruauit Antiquitas. Tertullianus de Præscriptionibus capite vigesimo, *Hæc appellatio*, inquit, *missos interpretatur*. In quem locum Pamelius. *Ἀπόστολος Græcè dicitur, Latinè Missus, nuncius, legatus, qui cum mandatis aliquò mittitur. Ἀποστέλλω verbum significat mittere cum potestate & autoritate aliqua.* Eucherius in Græcis nominibus, *Apostolus, missus, ideo quòd à Domino ad euangelisandum missi sunt*. Gaudentius ad Beniuolum, *Apostoli ex officio sortiti vocabulum, Latino sermone destinati nuncupantur*. Quinetiam Hieronymus, explicans initium Epistolæ ad Galatas, quatuor ordines Apostolorum, siue missorum constituit: Vnum à Deo, non per homines: alterum à Deo per homines: tertium, per homines, & non à Deo: quartum neque à Deo, neque per homines. Itaque putat ex vi vocabuli ordinarios non excludi. Non negem tamen extraordinarios fuisse Apostolos in suo munere: eò maximè, quòd eis non fuerit successum: sed hoc denique ineptum esse dico, ex ipso Apostoli nomine reliquos legatos asserere, cùm Petrus constituatur ordinarius.

XXVII. Sed in hoc negotio Sanderus videtur subtilior, capite nono libri sexti de Monarchia. Ordinarium, inquit, ab ordine denominatur. In ordine autem nihil potest eo prius esse, quod primum est. Primus verò Petrus accepit potestatem ligandi, & soluendi, atque etiam pascendi. Igitur ordinaria ligandi, soluendi, & pascendi potestas in solo Petro primùm instituta fuit: eadémque postea cæteris Apostolis per voluntatem Christi communicata est: sic tamen vt non mutaret aut reuocaret, quod priùs dederat Petro.

XXVIII. Sed hæc omnia perperam colliguntur, & præter Dialecticæ leges: quod vt fiat manifestum, singulas partes reexamus, vt τὸ ἀξιούμενον nudetur. *Ordinarium*, inquit, *ab ordine denominatur*. Sanè, inquam, & intelligi debet id, quod in eo ordine, vnde denominatur, perpetuum est: nec semel, aut iterum, sed semper vsurpatur. In Republica Romana, ordinarij erant Consules: Dictatores extraordinarij. In Israelitica Ecclesia, Sacerdotes ordinarij, Prophetæ extraordinarij: Prædicatio ordinaria: miracula extraordinaria. Pergamus verò, *In ordine, nihil potest prius esse eo quod primum est*. Quis cõtradicat? Sed disceditur à quæstione: non enim quid sit in ordine prius, sed quid sit perpetuum quæritur. Deinde, potéstne, quæso, intelligi quid sit prius, vel primum in ordine, nisi ipsum esse ostendatur in ordine? At hîc deficit Sanderus.

XXIX. Iam tertiò: *Primus verò Petrus*, inquit, *accepit potestatem ligandi, & soluendi, & pascendi*. Hoc verò incertum. Nam cùm ei dictum, *Dabo tibi claues* nihil exhibebatur, sed tantùm promittebatur quod erat exhibendum, nec ei seorsim, sed vnà cum cæteris Apostolis, vt patebit proximo argumento. Sed, vt nunc quidem eam quæstionem nó moueamus, & demus primò exhibitas claues esse: tamen iterum disceditur à quæstione. Non fuit enim propositum ostẽdere, vtrum primus eam dignitatem Petrus acceperit: sed vtrum in ordine, hoc est, sic vt esset ordinarius. Etsi autem verum est, ordinarium esse ab ordine denominatum: & verum sit etiam id, quod primum sit in ordine (quod tamen non assumpsit Sanderus, siue sophisticè, siue imperitè, siue incogitanter) esse ordinarium: tamen falsum est, quicquid primum est, id ordinarium esse. Quid enim? non fuit in Ecclesiæ principiis ipsa Apostolatus dignitas? Et tamen conceditur fuisse extraordinaria. Non omnium primus doctor Christus? Et tamen extraordinarius? Quare, etsi constaret omnium primum suam autoritatem accepisse à Domino: non esset tamen consequens, esse ordinarium pastorem.

XXX. Præterea, ne illud quidem quæritur, vtrum primus fuerit instituturus ordinarius. Quid ergo? Vtrum solus. Non est autem necesse, eum esse solum, qui primus in aliquam dignitatem adsciscitur. Nihil enim prohibet, quominus ei postea collegæ addantur. Atque id hîc factum disertè Cyprianus agnouit, vt postea videbimus suo loco. In Rebuspublicis quotidie vsu venit, vt qui ab initio pauciores erant magistratus, fiant plures, eodem iure, dignitate, potestate. Apud Romanos olim, qui prima institutione quatuor erant Pontifices, postea facti sunt octo. Senatores, qui primùm sub Regibus centum: à Bruto τυραννοκτόνῳ, primoque Consule instituti trecenti, teste Liuio primæ Decadis libro secundo: qui ipse numerus deinceps variis accessionibus auctus: tandem infinitus factus est sub Imperatoribus. Prætor primò vnicus: tum additus alter, facta distinctione inter vrbanum & peregrinum: denique pro numero prouinciarum.

XXXI. Audio Sanderum excipientem, res rationésque omnes ad suam originem reuocandas, si volumus scire quid legitimum & solemne primum fuerit, & quid deinde extra ordinem accesserit: vnde Christus respondit, *Ab initio non erat sic*.

XXXII. Quid ergo? Censétne Sanderus nihil esse in vllo ordine legitimum, nihil ordinarium, quod non fuerit statim ab initio? Dicat ergo suos Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, Cardinales, nec legitimos, nec ordinarios. Ne quidem Episcopos, Diaconos: quia post Apostolos institutos creati sunt. Exemplum autem Christi, de matrimonio respondentis, nihil ad rem. Nunc enim non agitur de corruptione Ministerij Ecclesiastici, vt Christus agebat de corruptione matrimonij; quo casu valeret argumentum. Aut etiam generalius, nó agitur de ipsa ministerij natura; sed tantùm de personis id ministerium exercentibus. Quemadmodum autem ineptè concluderet, qui negaret omnibus hominibus licitum matrimonium, quia ab initio solus Adam & Eua, eo vinculo copulati leguntur, & qui per totum orbem vellet septem omnino, nec plures constitui Diaconos, quia totidem ab Apostolis creati sunt: sic non potest non absurdè concludi, vnum solum esse ordinarium ministrum, quia ab initio Petrus fuerit solus: si tamen hoc ipsum aut conceditur à nobis, aut ab aduersariis probatur. Nam ne ipsi quidem, ipsi, inquam, Papistæ, qui discipulis successisse dicunt Episcopos, hos non plu-

res esse volunt, quàm septuaginta.

XXXIII. Hæc igitur in hoc Sorite antecedentia, cùm tot absurda contineant, quis exspectet aut speret sanam conclusionem? *In Petro, inquit, solo primum instituta est potestas ordinaria.* At hęc ab illis antecedentibus nulla legitima ratione eruitur. Nam de Petro primo, non solo, hactenus est actum. Deinde, de potestate ligandi, soluendi, pascendi: non verò de potestate ordinaria. Quis autem nescit, & ligandi, & soluendi, & pascendi potestatem aliam esse ordinariam, aliam extraordinariam? Certè ipsi aduersarij fatentur, in reliquis Apostolis fuisse extraordinariam: nos asserimus in omnibus æquè. Est igitur fallacia τῶ ἁπλῶς ὡς πῇ καὶ τί. In Petro primo fuit potestas soluendi, ligandi, pascendi. Ergo potestas ordinaria. Deinde, si intelligitur temporis prærogatiua, hoc sensu, vt cùm Petrus institutus est, nullus eodem tempore, & (vt hodie loqui solent Papistæ) eadem creatione cum eo facti sint ministri, respondemus, vt prius, & esse admodum incertum, & nihil ad rem facere. Sin autem intelligas, sic ante alios creatum, vt ei nunquam collegæ adderentur, tum verò falsum afferri cõstanter affirmabimus. Nam *eadem potestas,* (inquit Sanderus ipse) *cæteris Apostolis communicata est.* Petrus ergo non remansit solus.

XXXIV. *Atqui, inquit, noluit Christus mutare aut reuocare quod primò dederat Petro.* Ita sanè, inquam: itaque permansit Apostolus vnus in duodecim. Sed nunquam Christus promiserat, multo minus dederat hanc dignitatem, vt solus esset pastor ordinarius, cæteri reliqui tantùm essent legati.

CAP. VII.

Argumenta Papistarum, quibus probant à Christo Petrum factum Ecclesiæ fundamentum.

I. HÆc ergo nostra erant argumenta, contra Papistici syllogismi maiorem. Nunc examinanda ea, quæ Stapletonus colligit ad eandem confirmandam in Repetitione controuersiæ tertiæ, articulo primo, Conclusione tertia. Is enim contendit disertè Christum docere, ideo Petri cognomine ante antea Simonem donatum fuisse, quia futurus esset vera Ecclesiæ suæ petra, id est, rupes & fortitudo inuicta: nempe ædificandæ Ecclesiæ fundamentum, primus architectus, indefectibilis magister, & supremus pastor: cùmque esse eorum verborum sensum literalem & germanum. Atque hoc vt doceat, ita obseruari postulat: occasionem loquendi: quomodo loquutus: & denique quid loquutus sit Christus. Quæ singula ordine explorabimus.

II. Occasio, inquit, & circunstantia docet. Christus hoc loco personæ Petri aliquid singulare, & excellens, & proprium quoddam donum suum velle conferre. Ratio est: Quia cùm Petrus propositum problema soluisset, Christus laudata prius fide, & aperiens Patris reuelationem, & donum excellens Petro datum primo: postea suum proprium donum, qualique tantæ fidei & obedientiæ mercedem adijciens, ait, *Et ego dico tibi.* Itaque verba sequentia manifestè aliquid connotare debent ipsi personæ Petri à Christo collatum.

III. Respondeo: concedi à Christo tribui personæ Petri aliquid excellens. Sed singulare, & proprium distinguimus. Nam si singulare, ad ipsum donum referatur, vt significet aliquod inter multa dona eminens: quomodo dicimus, Virum eruditionis singularis, concedimus: Nam & reliquis Apostolis id donum sic singulare concessum est: Sin autem referas ad personam Petri, vt sensus sit, id donum fuisse Petro singulare, hoc est, illi soli datum: tum verò negamus. Similiter, propriū si intelligas: quod ei, & semper: vt apud Vigilium, *propria hæc si dona fuissent:* admittimus, Petro sic aliquid proprium tributum: quod fuerit itidem proprium reliquis Apostolis. At si proprium sumitur, quod vni, soli, & semper: negamus.

IV. Ad rationem autem dico, conclusionem primò non esse legitimam: deinde inutilem. Quia vnam tantùm quæstionis partem contineat: videlicet Petri personæ aliquid tributum esse singulare, & proprium. Nam quæcumque vni alicui personæ tribuuntur, non sunt tamen singularia, aut propria. Nec vlli Patres hoc afferunt. Non Cyrillus, cùm dixit, *Beatus Petrus tam nobiles honores consequutus est, Filium Dei confessus.* Non Hilarius: cùm, *supereminentem & vltra humanæ infirmitatis modum gloriam,* nominat. Non Chrysostomus. Hæc enim, *Quoddam hic esse Filij donum proprium Petro datum, sicut Patris quoddam donum erat eidem concessum. Pater enim reuelauit Petro Christum esse Filium Dei viui: Filius tribuit Petro, vt sit Ecclesiæ Petra:* Hæc inquam, verba, quæ Stapletonus recitat tanquam à Chrysostomo, Stapletoni sunt, Chrysostomi nunquam fuerunt. Chrysostomus hęc tantùm. τί ἐστι; κἀγώ σοι δώσω ἐπειδὴ σὺ ἐξεῖπάς με τὸν ἐμὸν πατέρα, κἀγὼ καὶ ἐγὼ τὸν τεκόντα σε ὀνομάζω ... [illegible] ... τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. *Quid est, Et ego dabo tibi? Quemadmodum Pater dedit tibi vt me agnosceres, sic & ego tibi dabo. Nec dixit, rogabo Patrem, quamuis magna esset potentiæ ostentatio, & doni magnitudo ineffabilis. Verumtamen ego tibi dabo. Quid dabis, quæso? Claues regni cælorum.* In quem locum non pauca peccat Stapletonus: Primò, quòd infarciat, proprium, de suo: nam id Chrysostumus nusquam posuit. Secundò, quòd donum referat ad nomen Petræ: cùm Chrysostomus referat ad claues cœlorum. Tertiò, quòd non aduertat istam comparationem: quemadmodum Pater dedit tibi vt me agnoscas: sic ego tibi dabo. Petro enim etsi dedit id Pater, tamen non dedit tanquam soli: nam multi alij idipsum habuerunt: ergo, si sic datum est à Christo alterum donum, dicendum est, non esse datum soli.

V. Altera obseruatio Stapletoni est, quam emphaticè, & significatiuè Christus sit loquutus. Primò enim iubet aduertere quis loquatur, *Ego dico.* Deinde eum nouo nomine compellat, quod antea fecisse non legitur, *Tu es Petrus.* Tertiò coniunctiuè addit, *Et super hanc Petram,* scilicet quæ tu es: alioquin coniunctio erit, vel otiosa, vel falsa: Si autem seriò, & verè apponitur, prorsus personam, cui ita expresse loquitur, significare debet.

VI. Respondeo: concedi, & emphaticè & significatiuè Christum esse loquutum: sed tamen negari sensum Papisticum esse literalem, aut genuinum: hoc est, Petrum esse ordinarium fundamentum Ecclesiæ, & quidem solum: quæ quæstio est in qua nunc versamur. Itaque in primo fateor esse em-

phasin in designata persona loquentis. Sed nego sequi, si Christus is est qui loquitur: ergo Christus dixit Petrum solum esse ordinarium fundamentum. Nam aliàs sæpe illud legimus, *Ego dico*, vbi tamen eiusmodi nihil significatur. Lucæ vndecimo, *Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis.* Decimo sexto, *Et ego vobis dico, facite vobis amicos ex mammona iniusto.* Ioannis decimo sexto, *Ego veritatem dico vobis.* Itaque illud *ego*, non sensum moderatur eorum verborum quæ proferuntur, sed tantùm indicat personam à qua proferuntur.

VII. In secundo: primò, falsum est: compellari nouo nomine. Compellatio enim facta est nomine veteri, *Simon Bar-iona.* Tantùm est indicatũ nouum illud nomen: *Tu es Petrus*: quo Stapletonus dixit nunquam antea sic compellatum esse: cùm tamen legamus Ioannis primo, *Tu vocaberis Cephas.* Secundò, ea compellatio nullam habet vim argumenti: non enim sequitur, appellauit eum nouo nomine: ergo constituit solum Pastorem ordinarium: nisi fortè id nomen hoc significaret à se ipso: quod falsum est: atque adeo id ipsum quod nunc disputatur.

VIII. In tertio miserè se Grammaticum prodit. Nam vnde habet particulam coniunctiuam, *&*, prorsus personam significare debere? Illa verò orationis membra copulat, non autem relationis munere fungitur. Itaque, si quid in his verbis est, quod referatur ad præcedentem Petri personam, id pronomini *Hanc* acceptum referri debet. Nam, *Et*, referendum ad *Dico tibi*, hoc sensu; vt duo dicta sint Simoni, vnum, ipsum esse Petrum: alterum, super Petram Ecclesiam esse ædificandam: hac Grammatica constructione: Dico tibi, *Tu es Petrus: & dico tibi, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vtrum autem illam petram referri oporteat ad Petrum, an ad aliud quippiam, aliunde ratio quærenda. Et tamen, etiamsi concedamus Stapletono quod supponit, nihil concludit: non enim si dicitur, & super hanc petram, quæ tu es, ideo sequitur, solum Petrum esse petram Ecclesiæ ac fundamentum, siue ordinarium Pastorem.

IX. Tertia obseruatio prolixior est: & in his verbis, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: in queis tria expendit: Vim verbi *ædificabo*: quantum importet, *Super hanc petram*: denique quantum valeat. *Ecclesiam meam.* Attendamus singula. Ad primũ notari iubet, Christum non dixisse, ædificabitur Ecclesia mea: vel, tu ædificabis Ecclesiam meam: sed *ædificabo*: & eo significari ait, me ædificante, & te semper in fidem solidante, vt sis verè immobilis petra: me agente, tibique semper cooperante, ædificabitur Ecclesia mea.

X. Hæc Stapletoni verba: in quibus quid potissimum mirer? audaciámne, an stultitiam? Vtrumque potius. Primò audaciam: vnde enim illa, te semper in fide solidabo, vt sis verè immobilis petra, tibique semper cooperabor? Vnde, inquam, habuit illa includi eo verbo *ædificabo*? Si habet autores, si habet argumenta, proferto. Sin habet non aliunde quàm à se ipso; quid nisi *γλώσσης ἰδιώτου*? Imò Basilius insurgit, qui non Petrum, sed Christum credi vult, *ἔτυμος ἀσάλευτον πέτραν*. Deinde stultitiam: Nam vt hæc illi gratis concedantur, quid ad Oecumenicum põtificatum? Non enim sequitur, aut Petrum solum esse petram: aut eam petram significare Oecumenicum. Et hoc tamen est quod quæritur.

XI. Transeo ad se[illegible]ndum. His verbis, inquit, *Super hanc Petram*, prim[illegible] intelligitur Petri persona: tum ex copula coniunctiua: tum ex consensu omnium Patrum. Deinde osten[illegible] Christus, Petrum non fore quemlibet architectum aut P[illegible]storem Ecclesiæ suæ: sed planè primarium & [illegible] talem: siue caput & fundamentum ministeriale. [illegible] primò quod appellet non simpliciter Petram, sed hanc petram, id est, petram minist[illegible]alem, & participatiuè dictam: secundò, quia propt[illegible]r hęc verba Patres Petrum vocant fundam[illegible]: te[illegible], [illegible] ratione fundamenti, seu petræ per metaphoram dictæ: cuius tres sunt condition[illegible] prima, vt [illegible] mum, & immobile: secunda, vt pr[illegible]um lo[illegible] in ædificio obtineat: tertia, vt a nulla pa[illegible] [illegible] deat: sed ipsum met sit tota ratio sustinendi [illegible]. [illegible] verò conditiones Petro conueniunt. Nam primò, Petra est propter fortitudinem fidei: secundò, mortalium primus hanc fidem hoc loco professus est: posteáque primus eam fidem docuit Iudæos, & Gentes: tertiò, immediatè à Deo hanc fidem accepit, ipso Patre reuelante.

XII. Hæc verò probant, Sophistas, quanto subtiliores, tanto esse ineptiores. Petri personam designari, antè falsum probauimus: & coniunctionis *ἀντανάκλασιν* exsibilauimus: docuimúsque Patres in id omnes non consentire: sed paucos tantùm opinari. Et tamen hoc capite, etsi non concedamus, ponimus tamen; in gratiam eorum Patrum, qui [illegible] senserunt: sed negamus inde confici Oecumenicum Pontificatum.

XIII. Esse Petrum pastorem primarium, fundamentalem, & caput, & fundamentum ministeriale: non est nunc nobis integrum negare: postquã supposuimus esse petram. Sed hæc non est quæstio; quin potius illud videndum, vtrum solus fu[illegible]. Nam nos quidem omnes Apostolos eodem ho[illegible]re fuisse asserimus dignos habitos. Nimirum Episcopi sunt capita & fundamenta ministerialia suarum Ecclesiarum: Apostoli verò fuerunt omnium: quia nullis certis regionibus eos Christus destinarat, sed liberam legationem (vt ita dicam) concesserat eundi in orbem terrarum vniuersum. Ita non fuerit Petrus Oecumenicus Pontifex, saltem qualem quærimus: quia hunc oportet non tantùm esse caput, & fundamentum ministeriale, sed etiam solum omnino. Hoc verò nunquam Petro concessum fuit.

XIV. Et tamen probationes sunt inutiles [illegible] quia non concludunt: tum quia non [illegible] solum Petrum cadunt. Quia reliqui Apostoli fuerunt petræ ministeriales, & participatiuæ: etsi h[illegible]c non necesse est significari per *hanc Petram.* Et Patres Petro fundamenti nomen tribuerunt, ob aliã caussam, quàm ob Oecumenicum pontificatum; atque aliis quàm Petro, vt antea ostensum. Denique si fundamenti eæ proprietates sunt, reliquique Apost[illegible] fundamẽta fuerũt, tum necesse est reliquis Apostolis eas proprietates esse communes. Atque [illegible] nunq[illegible] Petrus solidior aut constantior fuit Paulo, vt hunc exempli caussa nominem. Etsi p[illegible] confessus est: tamen non solus: imò [illegible] ergo non solus: nam in solitudine, [illegible] ideóq; nihil primum. Nec illi [illegible] media[illegible] Deo ea fides tradita: nam & Paulus i[illegible] psum pro[illegible] & de reliquis Apostolis verum.

XV. Supersunt postrema verb[illegible], *Ec[illegible]m meam*: Hæc (inquit ille) indefinitè dicta, [illegible] Ecclesiam Christi: & Pe[illegible]um to[illegible] Eccl[illegible] rium pastorem fore.

XVI. Respondeo, primò indefini[illegible] m[illegible] nẽ non necessariò esse vniuersalem: At[illegible]

esset, contineret Ecclesiam triumphantem: quod est absurdum, si de Petro locus intelligitur: quia super eo non fundatur illa: sed tantùm militans. Secundò, non quæri vtrum tota Ecclesia sit Petro credita, sed vtrum soli: illud enim facile nos concedere; quia Apostolis dictum, *Docete omnes gentes*: hoc verò negare: quia idem ius concessum omnibus & singulis Apostolis. Tertiò, si primatum intelligas vnum è primariis; quomodo Paulus nominat [illegible], cum nihil esse absurdi: etsi verba, *Ecclesiam meam*, non id significent: sin autem, vt præter vnum nullus fuerit primarius: tum non tantùm non sequi ex verbis Christi, sed etiam falsò asseri.

Cap. VIII.

Claues cælorum non esse Oecumenicum Pontificatum.

I. HActenus prolixè de Petra. Nunc haud minor controuersia surgit de Clauibus. Sic enim Papistæ arguunt: Quicunque accepit claues regni cælorum, is est Oecumenicus Pontifex: At Petrus accepit claues illas: Ergo est Oecumenicus Pontifex. Et probant assumptum ex Matthæi decimo sexto, *Et tibi dabo claues regni cælorum: & quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cælis, & quicquid solueris in terra, erit solutum in cælis.*

II. At nos Maiorem propositionem negamus: duobus argumentis: Quorum prius est à Clauium definitione. Sunt enim aliud nihil, quàm potestas ligandi & soluendi, vt statim subiicitur hæc ipsa explicatio, à Christo. Porrò hæc illa potestas consistit in peccatis remittendis & retinendis. Augustinus in Ioannem tractatu quinquagesimo, *In Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, in cælo ligentur: & quæ soluuntur in terra, soluantur in cælo: quia cùm excommunicat Ecclesia, in cælo ligatur excommunicatus: quum reconciliatur ab Ecclesia, in cælo soluitur reconciliatus.* Theophylactus in Matthæi decimum sextum, [illegible]. *Claues intelligit eas, quæ soluunt & ligant, peccatorum vel condonationes, vel punitiones.* Anselmus in eundem locum, *Ligare & soluere, est super terram viuos excommunicare, & absoluere.* Quis autem ambigat hanc peccatorum retinendorum, ac remittendorum potestatem longè aliud esse ab Oecumenico Pontificatu?

III. At Bellarminus capite decimo tertio libri primi, per Claues datas Petro intelligit summam potestatem in omnem Ecclesiam. Et probat tribus argumentis. Primo, ab ipsa Clauium metaphora. Esaiæ vicesimo secundo: *Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum Quid tu hic? Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te: & erit in die illa, vocabo seruum meum Eliacim filium Helciæ, & potestatem dabo in manu eius, & dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Vbi apertè per claues non intelligitur remissio peccatorum, aut ministerium verbi, sed principatus Ecclesiasticus. Esaiæ nono, *Factus est principatus super humerum eius.* Quod ideo dicitur, quoniam claues, quibus principatus designatur, super humeros poni solebant. Per clauem Christi autem principatum significari patet ex Apocalypseos 3. *Qui habet clauem Dauid.* Tum communis cõsuetudo, etiam in rebus prophanis, ea est, vt quando vrbes dedũtur alicui Principi, offerantur ei claues in signum subiectionis: & ei qui instituitur œconomus in domo, claues tradi solent.

IV. Secundò: ex verbis, *quodcunque ligaueris.* Nam in Scripturis ligare dicitur, qui præcipit, & punit. De præceptis Matthæi 23. *alligant onera grauia*: Et decimo octauo de pœnis, *Quæcunque alligaueritis super terram.* Soluere autem dicitur, qui remittit peccata, qui liberat à pœna, qui dispensat à lege, in votis, iuramẽtis, & similibus obligationibus. Cùm ergo dicitur Petro generaliter, quicquid solueris, datur ei potestas præcipiendi, dispensandi, remittendi: proinde fit iudex, & princeps omnium qui sunt in Ecclesia.

V. Tertiò, ex Patribus. Chrysostomus Homilia quinquagesima quinta in Matthæum dicit, Petro commissum vniuersum orbem terrarum, & ipsum factum pastorẽ & caput totius Ecclesiæ. Gregorius libri quarti Epistola trigesima secũda, cùm dixisset, *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica, sancto & omnium Apostolorum principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est*, continuò rationem reddens, ait, *ipsi quippe dicitur. Tibi dabo claues regni cælorum.*

VI. At ego respondeo: per summam potestatem in Ecclesiam intelligi, vel simpliciter ius administrandæ Ecclesiæ supremum, quod supra se Christũ solum agnoscat: vel eiusmodi autoritatem, quæ sic se porrigat in omnes, etiam pastores, vt vni soli subiiciantur: illo priore sensu, concedo non solùm illas claues esse intelligendas: sed etiam Petro & tum promissas, & postea reapse traditas: nego tamen fuisse Oecumenicum Pontificem. Non enim quicunque sic summo iure Ecclesiam regit, eo confestim nomine cẽsendus est. Altero autẽ modo, nego claues esse aut intelligendas, aut datas cuiquam mortalium, nedum Petro.

VII. Ad primum argumentum. Respondeo, dari claues dupliciter: vel à principe alicui officiario. vel à subditis Principi. Posteriore hoc modo fateor significari summam potestatem. Priori autem nego. Atq; id ipsa fert consuetudo, quam testem laudant etsi non satis consideratè. Nã claues tradi à subditis principi, mirum si antiqua sit consuetudo: ac non potius recens inuentum. Sed illi vident otiosè. In hac verò quæstione, quis non facilè videt, agi de priori modo, non de altero? Nam Christus sanè princeps est, Petrus officiarius.

VIII. In Sobna fœdè peccat. Nam apud Esaiã is non describitur præfectus templo, vt putauit, deceptus falsa interpretatione Latina. Sed ex Hebraica veritate, œconomus domus regiæ. אשר על הבית Arias ad verbum, *Is qui super domum.* Septuaginta reddiderunt [illegible], *Quæstorem.* Ab ipso Propheta סוכן appellatur: quod nomen Chaldæus exprimit per פרנסא quo vocabulo Geneseos decimoquinto exprimitur Hebraicum משק *procuratio.* Et Abbe Ezra סוכן exponit שהוא ממונה על בית המלך לבות *qui erat præfectus domui regiæ.* Septuaginta [illegible]: Latinus interpres *tabernaculum*, pessimè. Et quid vltra laboramus? Nam Eliakimo, sufficiendo in locum Sobnæ, promittuntur claues domus Dauid: quo nomine non solet templum significari. Et secundo libro Regum capite decimo octauo, Heliakim ille dicitur, præfectus domui, Chaldaicè דממנת על ביתא, Græcè [illegible]: Sobna verò tantùm Scriba: quod nonnulli factum volunt ex ea status mutatione, quam Esaias prædicebat. Quare

si habere claues domus Dauid, significat esse οἰκονόμον, siue ταμίαν, eius autem officij non est summa autoritas, profectò non est necesse clauium nomine summam autoritatem significari.

IX. Audin Christi principatum Esaiæ nono: audio eundem habere clauem Dauid in Apocalypsi: sed quorsum? Nam neque de Christi Principatu nobis quæstio: neque illam clauem is vsquam accepisse dicitur à maiore aliquo. Potest autem habere à se ipso, suóque iure. Itaque, etsi clauis illa summam Christi autoritatem significet: tamen non etiam claues Sobnæ, aut Petri.

X. In secundo argumento: nemo negat eos quus Ecclesiæ suæ Deus curam gerere voluit, & præcipere & punire. Paulus prioris ad Thessalonicenses quarto, *Sicut præcipimus vobis*. Et posterioris tertio, *Quæ præcipimus & facitis, & facietis*. Et prioris ad Timotheum quarto, *Præcipe hæc, & doce*. Præcipiebat igitur Ecclesiæ non tantùm Petrus, sed etiam Paulus: neque hic tantùm, sed etiam Paulo haud paulò inferior Timotheus. Iam de punitione, posterioris ad Corinthios decimo, *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam*. Posterioris ad Timotheum quarto, *Argue, & obiurga*. Ad Titum primo, *Increpa illos durè*. Rursus ergo puniebant delinquentes Christianos, non Paulus tantùm, sed etiam illo inferiores Timotheus, & Titus. Quinetiam, quis nescit Excommunicationem esse pœnam: & contineri sub his verbis, *Quicquid ligaueritis in terra*? Ergo omnes Apostoli puniebant. Et quia Apostolis in id iuris successerunt Episcopi, profectò Episcopi puniunt. Esto sanè igitur ligare, idem quod præcipere, & punire: & esto soluere, idem quod remittere peccata, ac proinde liberare à pœna: quid hoc tamen ad Oecumenicum?

XI. Ad Patres quod attinet, primò falsatur Chrysostomus. Non enim is dixit Petro commissum vniuersum orbem terrarum: non dixit etiam factũ caput. Non dixit, inquam, sed Trapezuntius, interpres nõ sincerus, de suo infersit: [Greek text illegible] Ea sic reddita sunt. *Ita & Pater ad Hieremiã dicebat, sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem vni genti Pater, hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit.* Pessimè: nam & comparationem eneruauit: & *præposuit*, non habet à Græcis. Ego sic reddo, *Quemadmodum Pater Hieremiam alloquens dixit: Instar colũnæ æneæ, & muri posuit eũ: Sed illum quidem vni genti: hunc verò toti orbi.* Quid hęc ad Oecumenicum? Nam certè Hieremias non erat tanquam summus Iudæis præpositus: sed in medio eorũ positus tanquam murus aheneus, in quem frustra arietarent. Præterea, hæc verba, *cuius & caput piscator homo*: Trapezuntij pura puta sunt: non Chrysostomi. Etsi paulò antè, καὶ [Greek illegible], inquit, [Greek illegible], καὶ [Greek illegible]. *Et sublimiora ipsum sapere fecit* (inquit ille) *& Ecclesiæ pastorem constituit*. Sed de capite ne γρῦ quidem. Quæ tamen ita dicta sunto, ad vindicandam suam Chrysostomo sinceritatem. Nam alioquin non grauatè fatebimur Petro & vniuersum orbem fuisse commissum; & fuisse eundem pastorem & caput Ecclesiæ: sed tanquam Apostolum: non tanquam Oecumenicum Pontificem.

XII. Gregorius autẽ, etsi ipse Romanus Papa, & quidẽ in suæ sedis fauorem aliàs nonnihil mẽtiens, vt cùm dicit suis prędecessoribus ablatum à Synodo Chalcedonensi vniuersalis titulum: tamen quo loco dicit Petro commissam fuisse curam totius Ecclesiæ eodẽ disertè negat fuisse vniuersalem Apostolũ. *Cura, inquit, ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur: & tamen vniuersalis Apostolus nõ appellatur.* At si fuisset Oecumenicus, æquè potuisset sese vniuersalẽ Apostolũ appellare, ac noster iste, si Deo placet, Petri successor, sese vniuersalem Episcopum non dissimulanter nominat. Cõstat ergo has claues Gregorio, non significare eam autoritatem, quam aduersarij contendunt.

XIII. Stapletonus in Relectione Controuersiæ 1. quæstione 1. articulo 1. conclusione 4. Claues appellat totius Ecclesiasticæ potestatis plenitudinem. Et probat: Quia tota & adæquata potestas clauiũ regni cœlorum, est tota & plena potestas supra regnũ cœlorum, id est, supra Ecclesiam militãtem. At hoc ipsum probatur: quia clauiũ potestas propria est aperire & claudere, quocunque tandem modo id fiat. Tota igitur ratio claudendi, & aperiendi regnum cœlórum, Petro hoc loco promittitur.

XIV. Respondeo, claues non significare plenitudinẽ potestatis: claues, inquam, à principe datas officiario. Ad argumentationis partes, dico: primò, hanc potestatẽ clauium, non esse supra regnum cœlorum: & regnum cœlorum, non esse militantem Ecclesiã: sed ipsam beatitudinem æternam, siue Ecclesiam triumphantem, ad quam aditus siue aperitur, siue clauditur per eas claues. Nam propterea in cœlis ligari & solui Christus addidit. Et præterea hic fœda est petitio principij. Rursus falsum est, clauium potestatem propriam esse claudere, & aperire, quocunque tandem modo id fiat: debet enim id fieri tantũ per modum clauium, non alia vlla ratione. Deinde, non quarumlibet clauium, sed clauium regni cœlorũ. Nam harum clauium, non eadem est natura, non officium, non ratio, cum clauibus, exempli gratia, domus regiæ. Itaq; si quis in Ecclesiam inducat claues domus regię, is toto cœlo, terráq; terra decertat. Deniq; illatio est ἀπροσδιόνυσος. Non enim quæritur, vtrum tota ratio claudendi & aperiendi data sit Petro: sed in quos data sit. Vtrum in subditos tantũ, an etiam in Collegas, nimirum Apostolos. Nam in hos negamus: in illos concedimus, & scimus non inferre Oecumenicum pontificatum.

CAP. IX.

Cui datæ sint Claues.

I. ATque hactenus primum nostrum argumẽtum ad Maiorem propositi argumenti de clauibus. Pergo ad alterum. Si huiusmodi claues significarent Oecumenicum pontificatum, quo vnus tantùm fruitur: Ergo datæ fuissent soli Petro: At hoc falsum: Ergo & illud.

II. Non esse soli Petro datas, tum Scriptura probat, tum Patres confirmant suo calculo. Matthæi 18. *Amen, amen, dico vobis, quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cœlo: & quæcunque solueritis in terra erunt soluta in cœlo.* Ioannis 20. *Afflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum: si quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

III. Pacianus Epistola prima ad Sympronianum *Quid est aliud, quod Apostolus dicit, Quæ ligaueritis in terris, ligata erunt & in cœlis: & quæcunque solueritis in terra, soluta erunt & in cœlis*? Hieronymus libro primo aduer-

aduersus Iouinianum, *Cuncti discipuli, claues regni cælorum accipiunt.* Origenes tractatu primo in Matthæū. *An verò soli Petro dantur claues regni cælorum, nec alius beatorum quisquā eas accepturus est? Quod si dictum hoc, Tibi dabo claues regni cælorū, cæteris quoq; cōmune est, cur non simul omnia cōmunia? Nā hic & illud velut ad Petrum videtur dictū, Quæcunq; ligaueris super terrā, erunt ligata & in cælis, & quæ sequuntur. Cæterū in Euāgelio Ioannis, Seruator dans Spiritum Sanctū discipulis per insufflationem; ait, Accipite Spiritum Sanctum, & cætera.* Cyprianus de Vnitate Ecclesiæ; *Christus Apostolis omnibus post resurrectionem suā parem potestatem tribuit, & dicit, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctū: si cuius remiseritis peccata, remittentur illi: si cuius retinueritis, retinebuntur.* Dionysius Areopagita Ecclesiasticæ Hierarchiæ, capite 7. [illegible] *Et qui illuminatus fuit diuinus ille benedictis Patris reuelationibus* (Petrū significat) *oracula dixerunt, Quicquid ligaueris:* Et quæ sequuntur, [illegible] *Nimirū, quia tum ipse, tum quicunq; Pontifex ei similis,* [illegible] *& pios admittat, & atheos excludat.* Basilius 22. Constitutionū Monasticarum, [illegible] *Nihil est aliud Antistes, quā qui personam Christi sustinet, sequester Dei, & hominum sacrificans Deo eorum qui ei subsunt salutē. Et hoc ab ipso Christo docemur, Petrum post se sua Ecclesiæ pastorem constituēte. Petro enim, inquit, amas me plus his, pasce oues meas.* [illegible] *Sed & omnibus deinceps pastoribus, ac magistris eandē tribuit potestatem cuius quidem rei signum est, quod omnes similiter atque ille, & ligent, & soluant.*

IV. Augustinus in Ioannem tractatu 124. *Quando Petro dictum est, Tibi dabo claues regni cælorū, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, vniuersā significabat Ecclesiā.* Et paulò pòst, *Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorū accepit in Petro id est, potestatē ligandi, soluendiq; peccata.* Item tractatu 50. *Vnus malus, corpus malorū significat: quomodo Petrus corpus bonorū, corpus Ecclesiæ, imò corpus Ecclesiam, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentū, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues regni cælorum, & quæcunq; solueris in terra, soluta erunt in cælo & quæcunque ligaueris in terra, ligata erunt & in cælo. Si hoc Petro tantū dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem, & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, in cælo ligentur, & quæ soluuntur in terra, soluantur in cælo, quia cū excōmunicat Ecclesia in cælo ligatur excōmunicatus: cùm reconciliatur ab Ecclesia, in cælo soluitur excommunicatus: si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.*

V. Gaudentius prima die ordinationis suæ, *Pro illo ipso scelere iam damnato Iuda, omnes Apostoli Christo surgente, in Petro claues accipiunt: quinimò cū Petro, cælestis regni claues ab ipso Domino accipiunt, quando ait illis: Accipite Spiritum Sanctum quorum peccata dimiseritis, dimissa erunt. Et iterū Euntes, inquit, Docete omnes gentes, & baptizate eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ianua quippe regni cælorū, non nisi his Sacramentorū spiritualium claue reseratur.* Photius Bibliothecæ cap. 280. cùm legisset apud Eulogiū, [illegible] *neq; Ioannis, neq; alij cuiquā discipulorum dixisse Seruatorē, Dabo tibi claues regni cælorum.* Ipse contradicens, subiicit, [illegible] *Hæc Eulogius ait, verisimiline, quā* [illegible] *Nam etsi Petro dixerit: tamen in persona coryphæi, etiam reliquis discipulis huiusmodi potestas dabatur. Vnde & eis, qui post illos per successionem Pōtificalem dignitatem gestant hanc eandem ligandi soluendi potestatē inesse credimus.* Ioānes Hierosolymitanus rescripto ad Ioānem Constantinopolitanum Actione 5. Concilij sub Menoa, [illegible] *Qui enim dedit Hieremiæ Prophetæ reædificare, & demoliri, eradicare, & plantare, & Petro Apostolorum principi soluere, & ligare, hoc communiter donauit sacerdotio.*

VI. Euthymius in Matthæi 16. *Cùm confessus esset ipsū Dei Filium esse legitimum, iam ei demōstrat suæ diuinitatis dignitatē, dicēs, Aedificabo super te Ecclesiā meā: Et dabo tibi claues regni cælorum, videlicet, vt ad illud introducas: siquidē clauigeri est introducere. Atqui donū hoc cæterorū etiā fuit Apostolorū: sed primum huic datum est, quia primus hic Filium Dei legitimū esse Christum fassus est.* Theophylactus in eundē locū, [illegible] *Habent enim potestatē soluendi: & ligandi, qui post Petrum, Episcopatus gratia digni habiti sunt. Nā etsi Petro soli dictū sit, dabo tibi: tamen omnibus Apostolis datū est. Quando? Cū dixit: si quorū remiseritis peccata, remittuntur. Nam, dabo, futurum tempus significat, hoc est, post resurrectionē.* Anselmus, *Notandum est, quod hæc potestas non solum Petro data est: sed sicut Petrus, vnus pro omnibus respondit, sic in Petro omnibus hanc potestatem dedit.*

VII. Elegātē tabulā narrabo: sed & ad hæcrē pertinentē, & cui nō possint Sophistæ fidē negare. Recitat ex Metaphraste Græculo Græculus Gennadius Romanæ sedis gnatho, cap. 5. extremo pro Cōcilio Florētino, Apparuisse Chrysostomo oranti Petrum & Paulū, illum clauibus insignē, hunc codice. Illum [illegible] *Manu porrecta dicere. Hæ tibi claues notæ sunt: sed & ego, cui illæ traditæ à Deo. Hunc credito nūc per me eiusdē gratiæ facere te participem: & scito, quæcunq; ligaueris, solueris ve super terra, fore ligata solutáve etiam in cælis.* En tibi Chrysostomo cōmunicatam ab ipso Petro ipsam illam rationem clauium. Mirum ni drē dicant Sophistæ Oecumenico primo, ob tam malè consultum Ecclesiæ Romanæ.

VIII. Ex his omnib' locis apparet, etsi Petro promittatur peculiariter, tamē nihil promitti peculiare: sed idipsū quod promittebatur, nō esse ius aliquod speciale, siue priuilegiū, in cuius vsurpatione socium nullū admitteret: hoc est, vt vno verbo dicā, promissionē quidē ipsā, id est, promittendi actū illū fuisse Petro peculiarē: sed non rē ipsam, quæ promittebatur: vt aliàs sæpissimè. Matth. 4 Simoni, & Andreæ dixit Christus, *Faciā vos piscatores hominum.* Actus hic promittēdi, nō alios respexit quā eos duos: & tamen res ipsa, cōmunis fuit cū aliis. Sic 18. *Quæcunque ligaueritis in terra,* & quæ sequuntur; quoad actū illū indiuiduū, promissio solis illis fiebat, qui tū aderāt: & tamē nemo negat effectū porrigi in omnes Episcopos. Itaq; in Cōcilio Toletano 1. Dictinnius Episcopus dixit, *Audite me, optimi Sacerdotes, corrigite omnia: quia vobis correctio data est. Scriptum est enim, Vobis data sunt claues regni cælorum.*

IX. Esse igitur rem illam cōmunem, Patres citati quatuor argumentis cōficiunt. Primo, quia eo iure, quod tū Petro promittebatur, non solus Petrus

vsus sit, sed tota Ecclesia, omnes Episcopi. Secundò, quia idipsum omnibus Apostolis postea disertè à Christo sit concessum, tum iisdē verbis Matthæi 18. tum æquipollentibus, Ioannis 20. Tertiò, quia Petrus, tum figuram gestauit Ecclesiæ, ac proinde quæ ei tum dicta sunt, toti Ecclesię dicta sint existimanda: ac sic in Petro Ecclesia, in Petro Episcopi eas claues acceperint. Quartò, quia Petrus, cùm omnes Apostolos videret à Christo interrogatos, solus respōderit pro omnibus: ideoq; & eum Christus pro omnibus sit alloquutus. Sic igitur nos: sic nobiscum Patres, negamus eum esse Oecumenicum Pontificem, quicunque claues regni cœlorum accepit.

X. Aduersarij contrà pugnant, primū argumento proprio: deinde nostra soluentes. Argumentum hoc habent: Tot modis Christus Petri personā designauit (inquit Bellarminus, capite 12.) vt non pluribus circūstantiis describere soleant aliquē certū hominem notarij. Nā expressit substantiā personę singularis per pronomē *Tibi*, deinde addidit nomē indutū à natiuitate, *Simon*, adiunxit nomē patris, *Filius Iona*: nec omisit nomē à se recens impositum *Petrus*. Præterea, illi promittuntur claues, qui responderat, *Tu es Filius Dei viui*. At hoc solus Petrus respōderat. Denique illi dictum, *Tibi dabo claues*, cui postea, *Vade post me Satana*: is autem solus Petrus. Quare soli Petro Christus promisit se daturum claues.

XI. Respōdeo: hæc conclusionis verba, soli Petro Christus promisit se daturū claues, esse ἀμφίβολα. Vel enim sic: Christū soli Petro promisisse se daturū claues: vt sensus sit, eam pollicitationem, quę tum facta est, nō dirigi ad cæteros Apostolos, siue omnes, siue singulos, sed tantùm ad Petrū. Vel sic, Christus promisit se soli Petro daturū claues: vt sit sensus, eam tē tū pollicitus est Petro Christus, se alij nulli daturum prȩter ipsum. Si illo sensu sua Bellarminus verba cōceperit, habet consentiētes. Sed is sensus, vt ante dictū, nihil ad rhōbū. Sin altero, tū verò dicimus malè conclusum esse: quia nihil est in antecedente, quo inferatur hoc consequens. Quæ enim circumstantię personam designant, eæ referendæ sunt ad actum illum indiuiduum promissionis: non verò ad rem promissam: quod memini me iam dicere.

XII. Quod si à priori sensu, ad posteriorē velit argumētari, vt quia soli Petro pollicitatio tū est facta, ideò etiā ipsi soli postea datum sit idipsum, quod ea pollicitatione continebatur: tum præter absurditatē, habet contrarios eos Patres, quos citauimus: inter quos Theophylactum cōceptis verbis, *Quamuis soli Petro dictum sit, omnibus tamen Apostolis concessum est.* Quis neget soli dictum adolescenti, *Si vis ingredi in vitā, serua mandata*? Et tamen nostri Papistæ inde generaliter concludunt, opottere seruari ex meritis operū? Quid si igitur nos meritorū hostes instemus à personæ circumstantiis: & illud, vis & serua, vrgeamus, id est, Tu vis, tu serua: & ei dictū qui quærit, quid agendo habiturus esset vitam æternam. Et alia nonnulla? Nimirū riderent: & meritò. Cur in re simili, non simile iudicium? Destinarat Christus Ecclesiæ claues duodecim Apostolis: inter hos se Petrum annumeraturum promisit hoc loco, post egregiam præclaram confessionem. Præterea nihil.

XIII. Sed qui tam ieiuni sunt in suis confirmādis, videamus quid præstent in his quatuor infirmandis argumentis, quę Veteribus visa concludere, non soli Petro claues esse datas. Et de primo quidē, quod sumebatur ab Ecclesiæ vsu, & Episcoporum, no ponunt facilius esse negotium. Nihil enim mihi vsquā occurrit, quod ei sit oppositū. Quo facto quō dicā: diuinent alij. Erat tamen argumentum huiusmodi: Si Petro soli claues essent datæ: ergo Petrus solus iis vsus esset. At hoc falsum: Ergo & illud.

XIV. In secundo, variè laborant: an ludūt potiùs? Primò, Reginaldus Polus in Defensione vnitatis Ecclesiasticæ libro secundo. Nec verò (inquit) Petri dignitatem quicquam illud imminuit, quod asseritur, postea eandem omnibus Apostolis datam esse potestatē remittendi, & soluendi peccata: cùm verba ipsa ad Petrū & ad illos declarent, ampliori ratione traditā Petro, quàm illis. Sed, vt maximè hæc eadem potestas illis etiam tradita esset, attamen nō Petri dignitatem minueret: non sanè magis, quàm de Mosis dignitate à Deo data detractum est, cùm Deus de eodem spiritu, quem illi dederat, abstulit, vt Septuaginta Senioribus impertiret, qui cum ipso populi onus sustentarent.

XV. Sed de minuenda Petri dignitate, nemo nostrûm cogitat: tantùm immanē tyrānidem, quæ Petri prætextu à maleferiatis hominibus in Ecclesiam malo fato inuecta est, impugnare nos Deus iubet. Cæterum verbis ipsis ampliorē quandā rationem in Petro significari, quā in aliis, dictum, non declaratū: itaq; sola inficiatione soluitur. Cyprianus parē potestatē dixit: reliqui easdē claues: vbi ergo impar ratio? Mosis exemplum alienum. Primum enim dicitur Numerorū 11. *Auferens de spiritu qui erat in in Mose*: quod nusquam de Petro dicitur. Tū illi etiam Septuaginta, ex institutione inferiores fuerunt Mose: ac proinde ipsius Mosis iussu delecti, constitutique: quod de Apostolis dici similiter nequit. Itaque nunquam dicuntur illi cum Mose parem dignitatem habuisse: quod de Apostolis, & Petro Cyprianus professus est.

XVI. Sed Polus leuiculus, reliqui animosiores, negāt idē cæteris datū esse, & Petro. Maldonatus in 16. Matthęi. Nō nego, inquit, cęteros Apostolos suas etiā claues, id est, ligādi, soluendiq; potestatē habuisse: sed nego has, de quibus hîc agitur claues habuisse: & nego eas, quas habuerūt, quásq; omnes semper Catholici, verè quidē, sed alio tamē sensu claues appellarūt, in sacris vsquā literis claues vocari. Firmissimum est argumentū, quod cū Christus aliis Apostolis, ligandi, soluendiq; potestatē dedit, nullam de clauibus mentionē fecit. Solus ergo Petrus eas claues habuit, quibus ita aperiebatur, vt nemo clauderet, ita claudebatur, vt nemo aperiret. Argumētū ita est: Claues datæ Petro, appellātur claues in Scriptura: at potestas data cæteris Apostolis non appellantur claues in Scriptura. Ergo potestas data reliquis Apostolis, non sunt claues datæ Petro.

XVII. Respōdeo negati assumptū. Nā contrà: potestas ligādi, & soluendi appellatur nomine clauiū in Scripturis. At potestas data cęteris Apostolis, est potestas ligādi, & soluēdi. Ergo potestas data cęteris Apostolis appellatur nomine clauium in Scripturis Sacris. Minor est extra cōtrouersię aleā: Maior patet ex ipso, *Dabo tibi claues regni cœlorū: quodcunq; ligaueris in terra*. Et quæ sequuntur. Itaq; Veteres disertè asserūt datas Apostolis claues: quod paulò pòst imus demonstratum multis testimoniis. Nunc vnū esto sans Iesuitæ Gregorij de Valentia quarto tomo Commentariorū Theologicorū Disputatione septima, quæstione 1. puncto primo, asserenus eodem pertinere, id est, vt loquuntur Papistę, ad Sacramentum Pœnitentiæ tres locos ex Ioannis vicesimo, et Matthæi decimo sexto, & decimo octauo, *Ioannis vicesimo*, inquit, *expressè Christus loquitur de potestate Sacerdotibus collata ad remittendum peccata, sicut; de eo vsu, qui*

su, qui in Sacramento pœnitentiæ maximè exercetur. Item pertinet huc ille etiam locus Matthæi decimo sexto, Quodcunque solueris super terram. Etsi potius ibi videatur promisisse istud Sacramentum, quàm instituisse: quemadmodum etiam illud clarius promisit Matthæi decimo octauo.

XVIII. Veruntamen, capite decimo octauo Matthæi nullæ nominantur claues. Inuictum sanè argumentum. Non vocantur eo loco: ergo nusquã. Quasi diceres: Christus Euangelij secundùm Matthæum primis verbis non appellatur Deus: ergo nusquam. Imò, ergo non est Deus. Ast ego contrà. Alibi appellatur Deus ille idem natus ex Maria: Ergo cuius generationem Matthæus descripsit, idem est Deus. Nónne Catholicè? At similis nunc ratio: nisi Iesuitis non ratio placeret, sed voluntas esset pro lege.

XIX. Stapletonus, Conclusione 4. Articuli primi, quæstionis primæ controuersiæ tertiæ in Relectione, illa verba, *Et quæcunque ligaueris*, cum sequentibus, ferre non potest esse expositionẽ eorũ, *Tibi dabo claues*. sed rem planè distinctã iis promitti. Quod probat à particula *Et*, per quã, quia cętera omnia distinguantur, videlicet, *Ego dico tibi, & super hanc petram, & portæ inferi non præualebunt: & tibi dabo claues*: Ergo & hoc postremum: *Et quodcunque ligaueris*. Esse autem hoc de ligando, & soluendo, partem tantùm potestatis clauium, non totam, & adæquatam potestatem: quia duplex est iurisdictio, altera in foro interiori: altera in foro exteriori. Quarum hæc hîc significatur, & Matthæi 18. Illam verò Ioannis 20. Hæc etiam à non Sacerdote exercetur: illa tantùm à Sacerdote iurisdictionem habente. Itaque illa maior, planéque maxima pars est potestatis clauium. Porrò nunquam in Scriptura legitur, omnibus Apostolis datas claues.

XX. Respondeo, Stapletono Bellarminum contradicere: atq; hanc sententiam à Caietano mutuò sumptam, ex professo refutare, capite 12. libri primi de Pontifice Romano. Inauditum enim esse in Ecclesia, alias esse claues, quàm ordinis, & iurisdictionis. Et planum esse sensum, vt primò promittatur autoritas, seu potestas designata per claues: deinde officium, siue actiones explicentur. Ita, nõ cum Catholicis tantùm: sed & secum Papistæ contendunt. Et sanè, quis non videt temerè discerpi contextum? Quis nõ videt id, quod significatum fuit per claues, explicari per ligare, & soluere? Et sic omnes hactenus Interpretes. Augustinus disertè in Ioannẽ tractatu 124. *Ecclesia claues accepit, id est, potestatem ligandi & soluendi.* Anselmus in Matthæi decimum sextum, *Claues regni cælorum, ipsam discernendi sententiam, & potentiam nominat: potentiam, qua liget, vel soluat. Discretionem, qua dignos, vel indignos discernat.* Nec Scholastici aliter claues definiunt. Biel in quartum Sententiarum distinctione 18. quæstione prima. *Sic describitur clauis spiritualis. est potestas iudicandi, id est, soluendi, & ligandi: qua dignos recipere, & indignos excludere debet à regno Dei Ecclesiasticus iudex.* Ioannes de Turrecremata in summa de Ecclesia libro 1. capite 93. conclusione 8. *Conuenienter clauis definitur, cùm dicitur: Clauis est potestas ligandi, & soluendi, qua Ecclesiasticus iudex dignos recipere, & indignos excludere debet à regno.* Sic Durandus in quarti Sententiarum distinctionem decimã octauam, quæstione prima, Altenstaig in Dictionario Theologico. Hosius ipse Cardinalis in Confessione Petricouiensi, capite quadragesimo septimo, *ligandi, soluendíque potestas Sacerdotibus à Christo data est, quæ clauium nomine appellatur.* Mirum, hoc postremo tandem seculo surrexisse Stapletonum, qui suarum etiam commentum oculos configeret: dissentientibus tamen Maldonato, Iansenio, Francisco Luca.

XXI. Nec valent argumenta. Nam τὸ & ἐπεξηγητικόν, quàm est inepta? Non enim semper connectit ea quæ reapse diuersa sunt: sed etiam sæpè ea quæ verbis tantùm differunt. Atque adeò ipsi Papistæ hoc ipso loco non aliter interpretãtur, cum contendũt, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Esse explicationem eorum, *Tu es Petrus*. Cur non etiam rectè, istud ligare, & soluere, sumatur pro declaratione clauium?

XXII. De duplici foro, facile negotium. Nam vtrumque pertinet ad potestatem spiritualem Ecclesiæ: & vtrumque versatur in ligando, & soluendo. Altenstaig, *Forum ecclesiæ duplex est: vnum secretissimum, in quo idem est accusator, & reus, qui dicitur forum animæ, vel forum pœnitentiæ: & ad istum forum pertinent claues potestatis, & scientiæ. Aliud est forum publicum, quia ecclesia habet autoritatem corrigendi delicta publica: & ad hunc requiritur duplex autoritas, scilicet cognoscendi, & iudicandi, sicut in priori foro.* Ad vtrumque forum ergo claues pertinent. Claues autem definiuntur per ligare, & soluere: Ergo & forum vtrumque.

XXIII. Quin etiã vix crediderim apud se fuisse Stapletonum, cùm hæc effunderet. Nam forum conscientiæ dixit esse longè maiorem partem clauium: & tamen significari Ioannis 20. At hoc loco nemini dubium est, Christum esse loquutum omnibus Apostolis suis. Videt ergo illam longè maximam partem datam Apostolis. Quo iure sint minores Petro? Deinde forum interius significatur Matthæi decimo sexto: & Matthæi decimo octauo: forum exterius Ioannis vigesimo. Ergo, inquam, vtrumque forum concessum Apostolis. At vtrumque forum est tota & adęquata potestas clauium. Ergo, tota & adæquata potestas clauium, non tantùm Petro, sed etiam reliquis Apostolis est concessa. Sic veritatis, id est, nostra plena est victoria.

XXIV. Non esse autem datas claues reliquis Apostolis: si totidem concepta verba intelligas, cum Karnskovkio, cõcedo non haberi è Scripturis. Sed quanta hæc est sophistice, cùm de re constet, de verbis litigare? Potestas ligandi, & soluendi data est omnibus Apostolis. At claues, sunt potestas ligandi, & soluendi: Ergo, claues datę sunt omnibus Apostolis. Non potest non esse certissimum argumentum. Et sanè Patres ita disertè testati sunt.

XXV. Sed de Patribus multipliciter excipit. Primò, id agonisticè dicere Hieronymum libro primo contra Iouianum, & in certamine contra aduersarium. Secundò, Apostolos omnes parem potestatẽ accepisse, ratione Apostolatus tẽporanei: & quoad sibi subditos: non autem ratione officij pastoralis duraturi, & in respectu mutuo ad se inuicem. Tertiò, Patres, cùm dicunt cæteros Apostolos accepisse claues, exponere, quoad potestatem ligandi, & soluendi: non quoad plenam, & adæquatam potestatem clauium. Quartò, solum Petrum singulariter, & nominatim, tum claues ipsas, tum potestatem ligandi, atque soluendi, hoc loco accepisse, cæteros verò Apostolos, nonnisi communiter. Matthæi decimo octauo, & Ioannis vigesimo.

XXVI. Sed ego insto: & ad primum, si Hieronymus agonisticè dixit, at non reliqui Patres. Sed quid tum, si agonisticè, dum ne falsò? Ad secundum. Omnino parem potestatem omnes acceperunt Apostoli, respectu clauium: sic enim

Patres, id est, quoad potestatem ligandi, & soluendi. Deinde, Petrus non fuit pastor ordinarius magis quã reliqui Apostoli. Tertiò, officiũ pastorale ordinariũ, minus est officio extraordinario Apostolat⁹. Itaq; si id verũ esset, tũ Petro minor esset cõcessa potestas, quam reliquis. Ad tertium: Potestas ligandi, & soluendi, est adæquata potestas clauium, vt antè dictum. Ad quartum: Petrus hoc loco nihil accepit: quia nihil ei datũ, sed tantùm promissũ. Itaque nihil singulariter accepit. Sed accepit cõmuniter cum reliquis Apostolis. Deinde etiam singulariter accepisset, nulla esset inde præeminentia. Nã officiarij aliàs singuli creãtur, aliàs multi: vt à Papa ipso Cardinales solent. Et tamen, qui solus creatus est, id est, cum quo nulli sunt creati eadem creatione, non propterea maior est illis qui simul.

XXVII. Hactenus Stapletonus. Sed Bozius libro de Signis Ecclesiæ 18. capite 1. hoc ipsum commentum postremum vrget diligentius. Cunctis ergo Apostolis Christum dedisse ait ius ligandi, & soluẽdi: id est, vniuersis, nõ singulis. Nõ negare igitur cũctis Apostolis claues regni cœlorum mãdatas ex æquo: sed id vrgere se, nõ singulis seorsim à reliquis datas, nisi soli Petro: atq; ita vniuersos in vnum collectos potuisse ligare & soluere: neminem tamen solùm ac disiunctum à reliquis, nisi vel Petrus solus, vel alij cum Petro dedissent illi hanc potestatem.

XXVIII. Respondeo, hinc manifestissimum euadere, non defendi Oecumenicã tyrannidem ratione, aut veritate: sed mera impudentia, quę nõ argumentis disputet, sed immani quidlibet fingẽdi, asserendiq; audacia. Atqui primò flagellatur à Bellarmino Bozius. Nam capite 8. libri primi de Pontifice disertè is asserit nusquam in Scripturis collatã summam potestatem concilio Sacerdotũ: & quæcunq; authoritas Apostolis, cæterisq; discipulis à Christo concessa est, non solùm omnibus, sed etiam singulis esse cõcessam. Contradictio. Singulis est concessa: singulis non est cõcessa. Secundò, Cyprianus disertè reliquos Apostolos comparat Petro, *Hoc erant reliqui Apostoli, quod Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis.* Vnde sequitur, eandẽ potestatẽ, quæ fuit in Petro sine reliquis Apostolis, fuisse in reliquis Apostolis absque Petro. Deniq;, vnde nobis Bozius eliciet, Paulum clauibus cœli nũquam vsum esse, nisi accepta potestate, vel à Petro solo, vel ab omnibus Apostolis? Imò ipse Paulus contrà, de sui Apostolatus authoritate loquens, *ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο· Qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt.*

XXIX. Est verò Bozij ratio absurdissima, vt suum illud probet de omnibus, non singulis. Quid ita, inquit? Quia non singulos est alloquutus Christus, cũ largitus est illis id iuris, sed cunctos in vnũ coactos. Tũ enim si hoc cõceditur, necesse erit cõcludere Apostolorũ neminẽ potestatẽ habuisse prędicandi Euangelij, nisi ab alijs prius postulata venia. Nec enim singulis seorsim, sed omnibus simul dictum, *Ite, docete omnes gentes.* Quid ergo Paulus? Peccauerit sanè, qui Euangelium, quod acceperat ex reuelatione prædicauit, antequã cõtulisset cũ carne & sanguine.

CAP. IX.

Vtrum similes sint loci, Matthæi 16. Matth. 18. Ioann. 20.

I. SEquitur nũc labor magnus. Quos enim locos è decimo octauo Matthæi, & Ioannis 20. cõparamus cum Matthæi 16. negant esse similes. Et de posteriore quidẽ (inquit Bellarminus) nulla difficultas. Quamobrẽ verò? Nam nos quidem Patres vidimus conferre, itidẽ vt nos. Et Patribus multum deferre videri volunt, papistæ. Sed quamobrẽ ergo? Respondet, certũ esse, non dari per ea verba omnẽ potestatem clauium, sed tãtùm potestatem ordinis ad remittenda peccata. Probatq; tribus argumentis. Primò, quia hoc loco determinatur potestas ad peccata: Matthæi verò 16. nõ determinatur, sed dicitur, *Quodcunq; ligaueris*: ligant autem homines, non solũ peccatis, sed legibus. Secũdò, minus est retinere peccatum, quàm ligare peccatorem. Nam retinere, est relinquere hominẽ in suo statu, siue non soluere: ligare autem est nouum vinculũ ei imponere, quod fit per excommunicationẽ, interdictũ, legem. Tertiò, Patres disertè asserunt, dari hîc potestatem remittendi peccata, per Sacramenta Baptismi, & pœnitentiæ. Chrysostomus, Cyrillus in hunc locum, Hieronymus ad Hedibiam, quæstione nona.

II. Imò, distinctio est inepta. Primò, quia potestas ordinis, & potestas iurisdictionis, reapse idem sunt, ratione tantùm, & quidẽ per accidens differunt. Nã iurisdictio limitatur ad subditos: nimirum, vt pascat quisq; gregem suũ, non alienũ. Sic eadem potestas erit Episcopi Eugubini, & Mediolanensis: tamẽ Eugubinus in Mediolanẽses, aut Mediolanẽsis in Eugubinus, nullũ ius habet. Secundò, Apostoli eandẽ omnes iurisdictionẽ habebãt: quia iussi erant ire, & docere omnes gentes. Tertiò, Patres hunc locũ cõferunt cum decimo sexto capite Matthæi. Deniq;, si hoc loco cõfertur potestas ordinis: & hæc maior est potestate iurisdictionis: & potestas iurisdictionis traditur Petro his verbis, *Quodcunque ligaueris.* Ergo Apostolis omnib⁹ maior potestas hic tribuitur, quã Petro illic. Nulla autem potestas maior est Pontificatu Oecumenico: Ergo Matthæi decimo sexto non confertur Petro Pontificatus Oecumenicus.

III. Nunc ad argumenta. Ad primũ illud *quodcunque*, nihil aliud esse quàm peccata: atq; ita Patres explicant. Augustinus disertè, *Ecclesia, quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi, soluendique peccata.* Hinc etiam illud ipsum ligare, & soluere, tum fieri docet in Ecclesia, cùm quis excõmunicatur, & absoluitur. Theophylactus etiã, *κλεῖδας δὲ ἤκουσε τὰς δεσμούσας, ἢ λυούσας τὰ ἁμαρτήματα, ἢ συγχωρήσεις ἢ ἐπιτιμήσεις.* Sed & Scholastici claues exponunt, per dignos recipere, & indignos excludere. Præterea in condendis legibus nunquam Petro maior fuit autoritas, quàm cæteris.

IV. Ad secundũ: Quia remittere peccata, idipsũ est soluere peccatorẽ: (nã in Scripturis remissio peccatorum significat id omne, quod necessariũ est, vt à peccatis liberemur) Ergo retinere peccata, quod illi opponitur, idem erit ligare peccatorẽ: & tantum hoc intererit, quòd à priore posterius significetur. Quia enim nõ ligãtur homines, nisi propter peccata, ideò necesse est, aut remissis peccatis eos solui, aut si non soluantur, retineri peccata. Nec enim debent vnquam remitti peccata, quin pœnæ etiam, quas ob illa peccata incurrerunt, etiam ipsæ remittantur: nec debent, aut possunt, non remissis peccatis, pœnæ condonari: ex relatorum natura.

V. In hanc sententiam Cyrillus hunc locum ita exponit, vt Apostolos dicat, *aut credentes, & vitæ sanctimonia probatos homines ad Baptismũ inducere, & indignos inde diligẽter expellere: aut Ecclesiæ filios peccãtibus quidẽ increpare, pœnitentibus autẽ indulgere: sicut Paulus illum fornicatorem apud Corinthios in perniciem carnis tradidit, vt sp-*

vt spiritus eius saluaretur: recepitq; rursum, ne maiore submergeretur dolore. Non erit igitur Cyrillo iudice, retinere peccata, hominem relinquere in suo statu: sed prætereà nouo vinculo alligare: si quidem Paulus, cùm Corinthium incestũ tradidit Sathanæ, dicitur eius tenuisse peccata. Aquinas etiam, *Minister remittit peccata, in quantum impendit Sacramentum Ecclesiæ: & retinet, in quantum aliquos indignos ostendit Sacramentorum perceptione.* Glossa interlinearis hîc remittere, & retinere peccata dicit duobus clauibus, potestatis, & remissionis.

VI. Ad tertium: primò, non sumi, nisi partẽ argumenti, quæ est de remittendis peccatis: alterã omitti, de retinẽdis. Illã omnino consistere in Baptismo, & Pœnitentia: hanc non item: atq; hoc loco plus aliquid Apostolis concessum, quàm ius administrandi Baptismũ, & Pœnitentiã. Secũdò, etiam Veteres ad Baptismũ referre illa quæ Petro dicta sunt. Cyprianus Epistola 73. *Manifestũ est autem, vbi & per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in baptismo scilicet datur. Nam Petro primùm, Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde vnitatem originis instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, vt id solueretur in cœlis, quod ille soluisset in terris. Et post resurrectionẽ quoq; ad Apostolos loquitur, dicens: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc quum dixisset, insufflauit, & ait illis, Accipite Spiritum Sanctum, si cuius remiseritis peccata, remittentur illi, si cuius tenueritis, tenebuntur. Vnde intelligimus, non nisi in Ecclesia præpositis, & in Euangelica lege, ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remissam peccatorũ dare.* Sed & Gaudentium disertius audiuimus præcedenti capite, *Leuia regni cœlorum, non nisi hac Sacramẽtorum spiritualium claue referantur.* Constat igitur nullam hinc sumi posse differentiam inter hos duos locos: & idem vtroq; promissũ Petro & Apostolis: vt côtẽdebamus.

VII. Iam de priore loco ex Matthæi 18. maiorem difficultatem esse fatetur ingenuè Bellarminus. Nec mirum sanè eos sudare, qui quasi nodum in scirpo, in iisdem verbis diuersum quærunt sensum, & quoquo modo volunt extundere, etiam inuita erudita antiquitate. Hinc factũ, vt nec alij aliis, ac ne forrasse quidem sibi ipsis singuli satisfecerint: adeò variè vanj conantur eludere: an illudere potius? Alphonsus de Castro aduersus hæreses libro 12. Et Roffensis ad articulum Lutheri vigesimum quintum à nomine cœlorũ arguunt. Etsi aliis Apostolis datæ sunt claues: non tamen cœlorum omnium, sed cœli. Petro enim dicitur, *erit solutum, & in cœlis*: cæteris verò Apostolis, *erunt ligata, & in cœlo*: vt videlicet ex hoc diuerso loquutionis modo intelligas, fortiores, & potentiores claues fuisse datas Petro, quàm cæteris Apostolis.

VIII. Hem! quanti sit nasci Sophistam! At primò, quis nescit fieri sæpè, vt quæcunque indiuidua eodem nomine singula appellantur, numero singulari significentur omnia? Geneseos primo, *Germinet terra herbam virentem*: id est, herbas virentes: Sexcenta occurrunt huiusmodi. Quid ergo prohiberet, nominus altero loco cœlũ dicatur collectiuè? Secundò, perpetuus is vsus est Scripturæ, vt pro eodem indiscretè cœli dicantur, & cœlũ. Sic Marcus cap. 1. σχιζομένους τοὺς οὐρανούς. Lucas 3. ἀνεῳχθῆναι τὸν οὐρανόν, Mat. 6. [illegible] ὑμῶν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ, Lucas 12. [illegible] ἀνέκλειπτον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Atq; adeò, vt non tantùm diuersos authores, sed vnum eundemq; eodem modo, vtroq; numero, nullo discrimine vsum intelligas, Lucas 18. ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ. In oratione Dominica, πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Et pòst, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Hinc Adrian⁹ in Isagoge in sacrã Scripturã, τὸν οὐρανὸν πολλάκις οὐρανοὺς καλεῖ, ὡς τὸ αἰνεῖτε τὸν κύριον ἐκ τῶν οὐρανῶν. *Cœlum plerunque cœlos appellat: vt, laudate Dominum de cœlis.* Rectè. Nam is Hebraismus est: apud prophanos enim authores, rarò inuenias τοὺς οὐρανούς, aut cœlos. Contrà, apud Hebræos nunquam in singulari: vnde Ecclesiasticis authoribus factum plurale: Hebræorum autem sequuti sunt morem Syri: adeò vt Christus Syriacè loquutus, vtroq; loco vsus sit necessariò tantũ plurali. Et sic hodie in editione Syriaca, vterque locus iisdem verbis, יהוה אסיר בשמיא יהוה שרא בשמיא, *erit ligatum in cœlis, erit solutum in cœlis.* Et hic multò iustiùs vrgenda linguę proprietas, quàm antea in Cepha.

IX. Adde Patres: qui adeò, vel non viderunt, vel neglexerunt hæc syllabica mysteria, vt & hunc ex decimo octauo locũ exprimant, numero plurali: & illum ex decimo sexto, singulari. Hilarius libro 6. de Trinitate, *Vos, ô Sancti, & beati viri, ob fidei vestræ meritum, claues regni cœlorum sortiti, & ligandi atque soluendi in cœlo, & in terra ius adepti.* Item libro aduersus Arrianos, *Illi manu, atq; opere se alentes, intra cœnacula, secretaque coeuntes, vicósq; & castella, gentésque ferè omnes, terra ac mari contra Senatusconsulta, & Regum edicta peragrantes, claues credo regni cœlorum non habebant.* Cyprianus Epistola 54. *Quando promiserit ipse qui legem dedit, vt ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent: solui autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia soluerentur.* Athanasius, *In illud, profectus in pagum*, εἰ δὲ μήπω λέλυνταί σου οἱ δεσμοί, δὸς σεαυτὸν τοῖς μαθηταῖς τοῦ Ἰησοῦ. πάρεισι γὰρ οἱ λύοντες ἡμᾶς. [illegible] ὅτι ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Quod si nondum soluta sunt tua vincula, trade teipsum discipulis Iesu. Adsunt enim qui soluant nos: accepta ea potestate à Seruatore. Quæcunque enim ligaueritis in terra, ligata erunt in cœlis: & quæcunque solueritis in terra, erunt soluta in cœlis.* Chrysostomus de Sacerdotio libro tertio, οἱ γὰρ τὴν γῆν οἰκοῦντες, καὶ ἐν ταύτῃ ποιούμενοι τὴν διατριβήν, τὰ ἐν οὐρανοῖς διοικεῖν ἐπετράπησαν, καὶ ἐξουσίαν ἔλαβον, ἣν οὔτε ἀγγέλοις, οὔτε ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ Θεός. οὐ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἴρηται. ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα, καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ. καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. *Qui terram incolunt, in eaque versantur, iis commissum est, vt ea quæ in cœlis sunt, dispensent: potestatemque data, quam neque Angelis, neque Archangelis concessit Deus. Neque enim illis dictum: Quæcunq; ligaueris in terra, erũt ligata in cœlo: & quæcũq; solueris in terra, erũt soluta in cœlo.* Isidor⁹ Pelusiota Epistola 5. lib. 2. ἐρρήθη γὰρ αὐτοῖς, ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε, ἔσται λελυμένα. *Ipsis dictum est: quæcunq; ligaueritis super terram, ligata erunt in cœlis: & quæ solueritis, soluta.* Liturgia vulgo Iacobi, σὺ γὰρ εἶ ὁ ἐντειλάμενος ἡμῖν λέγων, ὅτι ὅσα ἂν δήσητε, ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Tu enim is es, qui mandatum nobis dedisti, dicens, *Quæcunque ligaueritis in terra, ligata erunt in cœlis: quæcunque solueritis in terra soluta erunt in cœlis.*

X. Ambrosius primi de Pœnitentia sexto, *Sed hoc improba, quod etiam in Ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit, Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcũq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Augustinus contra Aduersariũ legis, & Prophetarũ lib. 1. cap. 17. *Claues quippe regni cœlorũ sic dedit Christus Ecclesiæ, vt non solũ diceret, quæ solueritis super terram, erũt soluta & in cœlis, vbi apertissimè bonum pro malo reddit Ecclesia: verũ & adiungeret, quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlo.* Et in Ioãnẽ tractatu quinquagesimo,

Quæcumque solueritis in terra, erunt soluta in cœlo: & quæcumque ligaueritis in terra, ligata erunt & in cœlo. Pacianus ad Sympronianum Epistola prima, *Nam quid est illud, quod Apostolis dicit, Quæ ligaueritis in terris ligata erunt & in cœlis: & quæcumque solueritis in terris, soluta erunt & in cœlis.* Idem tractatu contra Nonatianos, *Iam quàm argutè caput illud absoluis, quod ego posui, datam Episcopis potestatem, vt quæ ligassent in terris, ligata essent in cœlis.* Infinita possem eiusmodi colligere: sed hæc sufficiunt.

XI. Nec tantùm ita: sed etiam aliàs testati sunt se credere Apostolis concessam potestatem, non in cœlo esse tantum, sed etiam in cœlis. Chrysostomus enim loco iam citato, nó tantùm datum dicit Apostolis, *τὰ ἐν οὐρανοῖς δικάζειν*, sed etiam continuò, *ὁ γὰρ δεσμὸς οὗτος ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς*. *Hoc vinculum ipsam animam pertingit, & cœlos penetrat*. Et, *καὶ τί γὰρ ἄλλ' ἢ πᾶσαν αὐτοῖς τὴν ἐπουράνιον ἔδωκεν ἐξουσίαν*, *et quid illis aliud, quàm omnem cœlestē potestatem dedit?* Gaudentius in die ordinationis suæ, pro regno cœlorum, dixit regnum cœleste, *Cum Petro cœlestis regni claues ab ipso Domino accipiunt.* Et ita, Nazianzenus de Basilio loquens oratione in eios laudes, *διὰ ταῦτά τοι καὶ κλεῖς οὐρανῶν πιστεύεται*, *Propterea claues etiam cœlorum ipsi committuntur.* Et quas Basilio datas audiunt, audent Apostolis negare?

XII. Quid plura? Ad ipsos Scholasticos prouoco: qui cùm definiant claues, potestatem ligandi, & soluēdi: tū verò eas, ipsas, inquā, claues nō cœli, sed cœlorum (nam claues cœli, neminem puto nominasse vnquam) claues ergo cœlorum tantùm abest, vt Petro soli vendicent, vt omnibus Sacerdotibus communicent: vnde, quis non videt vim argumenti: Nam certè, si Sacerdotes soluunt, ligantque tantùm in cœlo, non in cœlis: & potestas ea sit clauis: ergo Sacerdotibus necesse est datas, non cœlorum, sed cœli tantùm. Audi contrà. Lombardus distinctione decima octaua quarti, capite primo, *Vbi sunt claues illæ, quas Dominus tradidit Petro, & successoribus eius, dicens, Tibi dabo claues regni cælorum?* Distinctione sequenti, *Dantur hæ claues per ministerium Episcopi alicui in promotione Sacerdotij.* In hanc decimam nonam distinctionem, Durandus quæstione prima, *Illud quod datur per consecrationem, non habetur nisi à consecratis: sed potestas clauium datur per consecrationem Sacerdotibus. Ergo ista potestas non est, nisi in habentibus consecrationem sacerdotalem.* De Orbellis ad decimam octauam, quæstione prima, *Conferuntur cuilibet Sacerdoti hæ claues in susceptione ordinis Sacerdotij.*

XIII. Nec verò etiam omittendum hoc argumētum, quòd ea potestate, quæ Apostolis data, Apostolis, inquam, omnibus, non possit dari maior. Sic enim Chrysostomus tertij de Sacerdotio, capite quinto, *τίς ἂν γένοιτο ταύτης ἐξουσία μείζων*, *Quanā obsecro, potestas hac vna maior esse queat?* Quod absurdissimè est à Chrysostomo interrogatum, si maior fuit Petri, quàm omnium aliorum Apostolorum autoritas, id est, vt videri volebant, cœlorum, quàm cœli.

XIV. Et tamen citat Bozius, citat Karnskouius, in eam rem libro decimo octauo de Signis Ecclesiæ, capite primo, Origenem tractatu sexto in Matthæū, *Tamen, & illa quæ superius soli Petro sunt dicta, videtur etiam istu omnibus dicta, qui ter peccantes arguerint, si auditi non fuerint, & alligauerint super terram, iudicantes peccatorem sicut publicanum, & Ethnicum. Sed quoniam oportebat aliquid maius habere Petrum, præ illis, qui ter arguerint, ideò illi quidem sic dicit: Et tibi dabo claues regni cælorum: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis: & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis. Non ergo modica differentia est, quòd Petro quidem data sunt claues, nō vnius cœli, sed multorum cœlorum, vt quæcumque ligauerit super terram, sint ligata, nō tantùm in vno cœlo, sed in omnibus cœlis: & quæ soluerit super terram, sint soluta non solùm in vno cœlo, sed in omnibus cœlis. Ad eos autem qui multi sunt ligatores, & solutores in terra, sic dicit, vt soluant, & alligent, non in cœlis, sicut Petrus, sed in vno cœlo: quia non sunt in tanta perfectione, sicut Petrus, vt alligent & soluant in omnibus cœlis. Quanto ergo melior fuerit, qui ligat, tanto qui alligatur, amplius quàm in vno cœlo alligatur: & quanto melior fuerit, qui soluit, tanto beatior erit qui soluitur, quoniam in omnibus solutus est cœlis.*

XV. Respōdeo, Primò, Origenē suo more subtiliùs, quàm solidiùs allegorias venari. Secundò, rectè ititur, iis, qui ter peccantes arguerint, dictum esse eos alligaturos, aut soluturos in vno cœlo. Tertiò, inepta est *λογομαχία*. quid enim cœlum vocat? & quid cœlos? Vel enim Theologicè, vel Astrologicè loquitur. Theologicè è Scriptura tantùm tres cœli numerantur, aër, cœlum propriè dictum, cœlum beatorum, è quibus solum tertium huc pertinere vident omnes. Astrologi multò plures numerant, sed eos qui ad claues pertinere contenderit, sanumne Bozius arbitretur? Tertiò: Origenem nego comparasse Petrū cum alio, cui claues Ecclesiæ traditæ sint tanquam ministro. Quod probatur, quia aliàs hæresin docuisset, asserens, quo sanctior sit aliquis, eo magis aut alligare, aut soluere: quod quidē improbant omnes Papistæ, qui non patiuntur suos Episcopos censeri ex vitæ discrimine. Tum etiam de iis loquitur, qui ter arguerint. At ij indicātur à Christo priuati fideles, quib⁹ querela est cum alio. Quid igitur? Nempe comparat Petrum cum quolibet Christiano, non fungente Ecclesiastico ministerio: ad eūq; censet pertinere ea verba, quicquid ligaueritis in terra, erit ligatum in cœlo. *Iuste eum ligauit (inquit) qui ter arguit, & non est auditus, eum, qui factus est sicut Publicanus, & Ethnicus.* Nos verò in hac de Oecumenico Disputatione, Petrum non cuiquam priuato comparamus, sed reliquis Apostolis, qui ex mente Origenis, atque aliorum Patrum grauissimo testimonio, negari non possunt claues cœlorum accepisse, non tantùm cœli. Atque hactenus de leuicula grammaticatione.

XVI. Bellarminus asserit hoc loco Apostolis nihil conferri: sed tantùm promitti, vel explicari ac prædici, quātam potestatem essent tum illi, tum eorum successores suo tempore habituri. Et probat. Primò, quia nondum essent Apostoli facti Sacerdotes, aut Episcopi, aut Pastores: sed post resurrectionem: proinde erant priuati: nec vllam habebāt Ecclesiasticam potestatem. Secundò, quòd similia sint, hîc & in decimo sexto verba, *Quæcumque ligaueritis*, Et, *quodcumque ligaueris.* Quare si non sit Petro data, sed tantùm promissa potestas: nec etiam reliquis.

XVII. Respondeo: primùm Bellarmini argumēta non concludere. Nam contendit superius, Matthæi decimo sexto, significari claues iurisdictionis: nunc concedit decimi octaui verba esse similia: vnde sequitur significare etiam claues iurisdictionis. At has claues, tum ille concedit, tum omnes Papistæ disputant, haberi posse ab eo qui non habeat claues ordinis: id est, qui neque Sacerdos sit, neque Episcopus, aut Pastor. Secundò, Verba *solueris*, & *ligaueris*, non sunt ea, vnde elicitur promissio: sed potius ista, *Tibi dabo.* Nam aliàs, ne post resurrectionē

quidem

quidem quicquam esset exhibitum: quia similiter loquutus est Christus, *Si quorum remiseritis peccata.*

XVIII. Sed nihilominus concedimus, nihil tum esse datum reipsa Apostolis, magis quàm Petro: quia reuera eorum missio tantùm cœpit post resurrectionē. Nos etiam credimus, & sic semper Catholici, nō posse claues iurisdictionis vlli dari, absque clauibus ordinis: atq; adeò has ab illis re non distingui, nedū separari: sed tantùm ratione, vt diximus. Itaque respondeo: Primùm, vix potuisse Bellarminum prodita, quam tuetur, causa, disertius argumentum præcipuum, de quo nunc controuersia est, infirmare. Concedit enim, vtroque loco, cùm ex 16. tum ex 18. non tantùm aliquid promitti, sed promitti iisdem verbis: atq; adeò eandem potestatem Petro, & reliquis: quæ quidem & ordinis sit, & iurisdictionis: inæqualitatem verè non probari, nisi ex vigesimo secundo Ioannis. Dent igitur, inquam, Papistę manus: ipse Bellarminus herbam porrigat: & fateatur quod nos contendimus: etsi Petro soli dictum sit, *Dabo tibi claues regni cælorum*, non sequi tamen, Petrum esse Oecumenicum Pontificem: hoc est, constitutum supra reliquos Apostolos, ex vi eius loci.

XIX. Deinde, dico, quocunque tandem loco id à Christo exhibitum sit, quod his verbis Christus pollicitus est: necesse esse, vt nihil sit minus exhibitū, quàm promissum. Cùm autem verba eadē sint, ideoque necesse sit idem significare, nihil erit aut manus traditum Petro, aut minus concessum Apostolis. Aliàs non possent hi loci sumi pro promissionibus: quia, vel non essent promissa, quæ plus data erunt: vel non data, quæ promissa.

XX. Sed quæso, quo tandem loco impletum censebimus id, quod nunc promittitur? Franciscus Polygranus in Assertionibus quorundam Ecclesiæ dogmatum, capite de clauibus, *Hic*, inquit, *multi casso labore disquirunt, vbinam Petro data sint claues, quas hic Christus est pollicitus: qui rectè quoque rogarentur, vbi ædificata sit supra Petram Ecclesia, quam hic ædificandam prædixit. At nos tunc intelligimus Petro datas claues, cùm Ecclesia cœperit ædificari, etiamsi neutrum scriptū sit.* Et rectè: quia claues imaginatur Papisticè, quæ Oecumenici arma sint. Has certè nunquam & nusquam tributas Petro Scriptura testatur. Sed ministeriales claues certo quodam loco datas inuenit tota censet antiquitas.

XXI. Bellarminus diuersus abit à Polygrano, respondens, impleri Ioannis vigesimo id quod Apostolis, & vigesimo primo id quod Petro erat promissum. Esto, inquam: sed de posteriore paulo pòst agendum, & suo loco. At si altero impletur quod erat Apostolis promissum: & erat promissum idipsum quod Petro, vt antè obseruauimus: tum & impletum idipsum, quod vigesimo primo. Et saltē, quia confessus est Bellarminus eadem esse verba decimi octaui & decimi sexti, secundùm Matthæū: & nunc idem significari vigesimo Ioānis, quod decimo octauo Matthæi: necesse erit idem significari Ioannis vigesimo, quod Matthæi decimo sexto.

XXII. Audiamus tamen Bellarminianam subtilitatem. Cùm Dominus ait Apostolis, *Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, tum eis potestatem seu clauem iurisdictionis attribuit. Verbis autem sequentibus, *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata*, & quæ sequuntur, dedit eis potestatem ordinis. Hæc verò quorsum? Nempe: soli Petro dicitur, *Pasce oues meas*, quemadmodum eidem erat dictum, *Tibi dabo claues.* Ergo hæc summa potestas collata est Apostolis omnibus, vt legatis, non vt pastoribus ordinariis, & cum quadam subiectione ad Petrum. Probat consequentiam: quia tum etiam Apostolorum fratrum suorum ei cura commissa est.

XXIII. Τέταρτον. Primò, perperam contextus discerpitur. Cuius seriem non malè Thomas docet, *Iniungit Apostolis officium. Et primò præmittit pacis vinculum: secundò iniungit officium: Ibi, Sicut misit me.* Et paulo pòst. *Statim subditur iniunctio officij: sicut misit me Pater.* Et post, *Secundò datur eis idoneitas officij per dationem Spiritus Sancti, vnde dicitur, Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctū: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorū retinueritis, retenta sunt. Et circa hāc dationem, primò præmittit dationis signū, quod est insufflatio. Secundò ponit dationis verba, dicens, Accipite Spiritum Sanctū. Tertiò ponitur dationis fructus, Quorū remiseritis peccata.* Hoc igitur autore, vno cōtextu intelligenda ea omnia, de vno eodēq; officio & ministerio, quod Apostolis mādabatur, per hæc verba, *Sicut misit me pater, & ego mitto vos*: cui officio vt essēt pares, datur Spiritus: eius verò officij effecta reliquis insinuantur verbis. Lyranus etiā, *Et ego mitto vos. Id est, mittam ad hanc veritatem publicandam per totum mundum. Et quia exsequutio huius officij non potest conuenienter fieri sine gratia Spiritus Sancti, ideo sequitur, Hæc cùm dixisset, insufflauit.*

XXIV. Deinde à potestate ordinis, vt diximus, non differt potestas iurisdictionis vlla essentiali differentia, sed tantùm per accidens. Hic autem locus, fatente Bellarmino, loquitur de essentia potentiæ ordinis: Ergo & iurisdictionis. Denique, cur illa, *Ego mitto vos*, iurisdictionem potius significent, quā illa, *remiseritis, retinueritis*? Non enim solet missio de eo dici, qui fungitur officio: sed de eo, qui ad officium vocat. Itaque *mitto*, significabit, ego vobis autoritatem do. Vnde Chrysostomus, [illegible] *Nullam habetis difficultatem: tum ob ea quæ gesta sunt: tum ob meam mittentis dignitatem. Hic erigit eorum animos, atque ostendit magnam certitudinem, siquidem accepturi sint eius opus. Neq; amplius vlla sunt ad patrem preces: sed sua autoritate tribuit illis potestatem.*

XXV. Quid soli Petro dictum sit Matthæi decimo sexto; iam satis disputatum est: idem iudicium de Ioannis vigesimo primo: de quo tamen rursus postea. Summa est, etsi Petro tum soli Christus sit loquutus: tamen ea quæ dicta sunt, non pertinere ad solum Petrum. Porrò Bellarmini verba continent manifestam contradictionem: cùm dicunt, summam potestatem datam cum subiectione. Non potest enim fieri, vt eadem potestas sit summa, & subiecta.

XXVI. Ioannes Hieronymus Albanus parte prima de potestate Papæ & Concilij, horum locorum dissimilitudinem sic conatur ostendere. Quia Matthæi decimo sexto, sermo est de vniuersali Ecclesia ædificanda: at decimo octauo, non de vniuersali Ecclesia, non de fidei fundamento, sed de foro conscientiæ agitur. Et Christus erudiendos Apostolos susceperat, quemadmodum erga fratrem peccantem se gerere deberent: vnde patet ibi rem ad solum peccati negotium fuisse coangustatam: cui si verba potestatis illius simul prolata annectantur, vt & naturæ ratio, & ius ipsum postulat, consequens

est, verba illa quanquam vniuersalia ad illos dimittendorum peccatorum limites, & ad ferendam cōtra impœnitentes excommunicationis sententiam, de qua ibi agitur, restringi oportere.

XXVII. Respondeo: Primò, temerè confundi, quæ in verbis Christi sunt luculenter distincta. Nā hæc verba, *Aedificabo Ecclesiam meam*, alia sunt à sequentibus, *Quicquid ligaueris*. Illis enim, quid ipse Christus: his verò, quid Petrus facturus esset, designatur. Petrum autem hoc suum officium exsequi non potuisse in Ecclesia vniuersali, nisi *ἀνὰ μέρος*, & per particulas: quomodo etiam reliqui Apostoli: ac deinceps, quicumque claues regni cœlorum acceperunt. Itaque æquo iure, *Quicquid ligaueris*, & *quicquid ligaueritis*, intelligendum. Secundò: falsum est decimo octauo, agi de foro conscientiæ. Nam forum conscientiæ definitur, in quo idē est accusator, & reus. At hoc loco diuersi sunt accusator & reus, *Si peccauerit in te frater: dic Ecclesiæ*. Tum excommunicatio non pertinet ad forum conscientiæ: sed ad forum publicum. Hic autem omnes interpretantur agi de excommunicatione: *sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*. Itaque tertiò: Christum non tantùm instruere Apostolos, quomodo se erga fratrem peccantem gerere debeant: sed etiam quænam sit Ecclesiæ, eique præfectorum autoritas in eum peccatorem præfractum: ex generali doctrina, quæcumque Ecclesia ligant, esse in cœlis ligata: & quæcumque soluerit, soluta. Quartò, non tantùm è decimo octauo locum coarctandum ad peccata: sed etiam è decimo sexto: quod antea euicimus tota teste antiquitate.

XXVIII. Gaspar Contarenus, & Franciscus Panigarolla, hos tres locos simul conferunt: ille quidem libro de potestate Pontificis: hic verò lectione sexta Disputationū Caluinicarum. Eorum autem quæ fusiùs disputant, hæc summa est: Duplicem esse potestatem. Vnam remittendorum peccatorum, per insufflationem & largitionem Spiritus Sancti: alteram infligendarum & soluendarum mulctarum Ecclesiasticarum. Illam primùm respicere peccatorum remissionem, per accidens verò, & obliquè retentionem. Hanc contrà, primùm pœnarum inflictionem, deinde solutionē. Illam sequi characterem ordinis, & à Spiritu Sancto esse per Sacerdotem ministrum: hanc iurisdictionis cuiusdam esse, non ordinis aut characteris. Ideò in illa danda, Christus, *Accipite*, inquit, *Spiritum Sanctum*: in hac verò nullam fieri mentionem dati Spiritus. In illa danda, incipi à remissione, subiuncta retentione: in hac verò, primùm tradi potestatem ligandi, dein subdi potestatem soluendi. Illam potestatem omnibus Discipulis plenè traditam esse, Ioānis vigesimo primo: hanc verò omnibus quidem, sed non plenè, nisi soli Petro, & per eum cæteris: ideoque, quod dicitur decimo octauo, esse prius peculiariter Petro dictum decimo sexto.

XXIX. In his multa non rectè sese habent. Primò, falsum, remittendorum peccatorum retinēdorumque diuersas esse potestates. Nunquam id quisquam Christianorum in hunc vsque diem cogitauerat, aut dixerat. Imò, cùm vtrumque sedulo semper Christus coniunxerit, satis innuit eiusdem esse muneris & potestatis. Ipsi Papistæ idipsum docent: qui cùm geminas claues fingant: non tantùm nunquam dixerunt alteram remittendi, alteram retinendi, peccata: sed cùm dixerunt in scientiam & potestatem, tum vtrique subiiciunt & ligare & soluere. Imò ex metaphoræ explicatione illustrantur. Nam non altera clauis claudit, altera reserat: sed eadem vtrumque præstat.

XXX. Secundò, ineptè, & *ἀσυλλογίστως* cōcluditur, ex eo quod alterū præponitur, post ponitur alterū, non tantùm varias esse potestates: sed etiam, præcipuam vnam, alteram accidentariam: quasi esset accidentarium, quicquid non primo statim loco enumeratur: aut, quasi non sit perpetuum, quoties in partes quid secatur, non omnia simul, sed sigillatim singula nominari. Debuit ergo potius, quia apud Matthæum, primo nominatur ligare, tum soluere: apud Ioannem verò, primò remittere, tum retinere: debuit, inquam, concludi, non interesse, vtrum vero nominetur prius: sic enim solet plerumque fieri, cùm in ordine nullum est momentum.

XXXI. Tertiò, Bellarminus, id quod decimo octauo capite omnibus Apostolis promissū erat, præstitum asserit Ioannis vigesimo. Vnde sequitur, vtroque loco eandem potestatem significari. Quod & Patres senserunt, vt antea docuimus. Hinc sequitur non tantùm ineptè conclusum esse, sed etiam falsò. Nam cùm ligare & retinere sint idem: & rursus soluere, & remittere: tamen in Matthæo, ligare prius positum est. In Ioanne verò remittere: Mirum, vt in eadem potestate, easdem partes isti somnient simul esse principales, & accidentales. Ita enim necesse est somniorum somnia esse consequentia.

XXXII. Quartò: Posse remitti peccata, magis quàm retineri, nisi ex vi Spiritus Sancti, nunquā credidit Ecclesia. Cyrillus in Ioannē libro duodecimo, capite quinquagesimo sexto: *Cum ipsi Discipuli remittunt, aut detinent, Spiritus qui habitat in eis, remittit aut detinet*. Nec mirum tamē apud Matthæum, nullam fieri Spiritus dati mentionem: ratio fuit: quia tum, ipso teste Bellarmino, nihil tradebatur aut Petro, aut reliquis Apostolis: sed tantùm promittebatur. Nemo autem non videt fuisse satis, vt cùm exhiberentur promissa, tum Spiritus reipsa traderetur.

XXXIII. Quintò: si diuersæ potestates indicantur, ergo necesse est priorem, quæ in Matthæo, aut nunquam datam, aut eo ipso loco datam. At si nunquam fuit data, illusit Christus discipulis suis, imò Ecclesię, quod non abest à blasphemia: datam autem eo ipso loco, id est Matthæi decimo octauo, & negat Bellarminus, & ex eo colligitur, quòd nondum promoti erant ad vllum gradum administrandæ Ecclesiæ, nedum vt essent Apostoli. Ergo hoc superest, vt eam distinctionem falsam esse dicamus.

XXXIV. Sextò: etiam si concederetur hæc potestatum distinctio (quamuis id quidem potius est discerpere) tamen esset inuolis. Etenim, ex orthodoxa antiquitate ostensum est, eam ipsam Petro factam promissionem, non cedere in solius Petri commodum: sed omnibus esse Apostolis, imò toti Ecclesiæ communem. Quare quæcunque illa sit potestas ligandi soluendique, distincta à potestate soluendi ligandique: ea nihil Petro potest arrogare peculiare. Quin potiùs, cùm Matthęi decimo octauo significetur, illa. Et Ioannis vigesimo, ista, sequitur omnibus Apostolis vtramque potestatem datam. Petro autem soli (si tamen soli) alteram tantùm. Etsi hoc ipsum refutauimus iam antea: & docuimus nullū ius proprium, siue priuilegium supra cæteros Petro constari, ex eo quòd ad eum disertè & distinctè sermo dirigitur.

XXXV. Septimò: si constaret aliquid Petro concessum peculiariter, & diuersas esse potestates, non-

nondum esset plena demonstratio. Antequam enim concluderetur Pontificatus Oecumenicus, ostendendum esset, eam potestatem, quæ propriè ligat, & soluit per accidens, maiorem esse altera, quæ propriè soluit, & ligat per accidens. Si enim sit aut minor, aut æqualis, vident omnes nihil actum. At Lombardus libro quarto distinctione decima octaua, citat ex Ambrosio: *Dominus parim & soluendi esse voluit, & ligandi, qui vtrumque pari conditione permisit.*

Cap. X.

Quomodo Petrus gestauerit Ecclesiæ personam, & loquutus sit pro omnibus.

I. E Quattuor argumentis, quibus Patres docebant, Claues non esse Petro peculiares, sed communes Apostolis & Ecclesię, vnum fuit neglectum: alterum diligentissimè consideratum, & in vtramq; partem disputatum. Supersunt adhuc duo: Tertium erat ex Augustino, asserente, Petrum gestasse totius Ecclesiæ personam, tum cùm ei facta est promissio. Quartum ab Anselmo, inde ductum, quòd Petrus pro omnibus collegis Christo interroganti responderit.

II. De Ecclesiæ persona respondent non vno modo. Ioannes Horantius capite decimo libri sexti locorum Catholicorum. Cœlestis huius donationis finem esse Ecclesiam, in cuius vnius vtilitatem ac commodum cuncta à Christo diriguntur. Non enim Ecclesiā esse propter Petrum, sed magis Petrū ipsū esse ob Ecclesiæ bonū, diuino munere donatū à Christo. Petrū ergo sic toti⁹ Ecclesię personā, siue figuram gessisse, vt in veritate claues eas ipse receperit in Ecclesiæ bonum: non minus quàm apud vnā gentem imperij celsitudo retineri dicitur, quòd vnus ipsorum ea corona prefulgeat, licet non omnes sint Imperatores. Esse igitur eam dignitatem in Ecclesia, postquam Petro fuit collata, Ecclesiæ Principi. Hæc Horantius.

III. At ego: hoccine verò est, inquam, candidè agere? hoccine Augustinum interpretari? Atqui Augustinus non quærit quem in finem datæ sint claues: sed quærit, cui. Hæ verò quæstiones quanto separentur interuallo, quis non videt? Sed & exemplo facile docetur, *Vnicuique datur declaratio Spiritus ad vtilitatem*, inquit Paulus, priotis ad Corinthios duodecimo, id est, in bonum Ecclesiæ, vt totus sermo ostendit. An dicat aliquis, eum, cui datur declaratio illa Spiritus, figuram gestare Ecclesiæ, quum eam recipit? Minimè verò: est enim non publicum, sed priuatum donum: publicum quidem ipsa vtilitate: sed priuatum donatione, possessioneque. Quum igitur quærit Augustinus, cui sint datæ claues, Petróne soli, an toti Ecclesiæ, importunè inculcatur, datas esse in bonum Ecclesiæ: quia nihil obstaret, quominus & datæ essent in commune bonum Ecclesię: & tamen soli Petro. At Augustinus hæc opponit: datæ sunt soli Petro, & datæ sunt Ecclesiæ: vt si soli Petro, non Ecclesiæ: & si Ecclesiæ, non soli Petro. Si soli Petro, inquit, *hoc tantū dictū est, non facit hoc Ecclesia.*

IV. Sed & illud insuper Horantio excidit ineptius: in Petro Ecclesiā claues habere, quomodo vnā ... item Imperium in Imperatore. Nec enim dixit Augustinus Ecclesiam habere eas claues in Petro: sed tantùm accepisse in Petro: vti verò iis, hoc est, habere eas per se ipsam, distinctam à Petro. Nam si haberet in Petro, solus Petrus iis vteretur: quomodo sic Germania Imperium habet in Imperatore: vt tamen solus Imperator vtatur autoritate Imperatoria. At negat Augustinus solum Petrum vtitum iis clauibus. Nec tantum esse claues asseruit in Ecclesia: quo vix quicquam dici queat exilius. Erant enim in Ecclesia dona sanationum: erant dona linguarū. Sunt etiamnum scientiæ: sunt artes mechanicæ: quia ex membris Ecclesiæ, hoc est, ex iis qui sunt in Ecclesia, quidam his donati sunt. Sed ipsa Ecclesia propterea non habet, aut iis ipsa vtitur, quod de clauibus dixit Augustinus.

V. Addo, ineptam fore Augustini oppositionem, Petri & Ecclesiæ. Nam quemadmodum ineptè opponeretur Imperatori Germania, in hoc argumento, Tota Germania habet Imperium, ergo nō solus Imperator: quia Germania non dicitur Imperium habere, comparatè ad Imperatorem, sed tantùm ad alias nationes, puta Gallicam, Italicam, Hispanicam: vt cùm id audias, intelligas Imperium non esse penes Gallos, Italos, Hispanos, sed tantùm penes Germanos: qui sensus alius est prorsus, quàm cùm dicitur, Imperium esse in Imperatore. Sic, si esset verum, Ecclesiam non habere claues nisi in Petro, nemo sanus ferret Augustinum sic argutantem: Tota Ecclesia habet claues: ergo non solus Petrus.

VI. Denique, cùm Germania dicitur habere Imperium, id non significat Germaniam ipsam imperare: nam tum necesse esset eius autoritatem porrigi in alias nationes, puta Græcas, Italas, quemadmodum olim Roma: sed significat potius (si ita loqui licet) Germaniam imperari: siue, esse eam regionem, seu nationem, in quam Imperator habeat autoritatem, sic vt non ipsa imperet, sed potius imperanti pareat. Similiter, si in Petro claues haberet Ecclesia, ipsa propriè non haberet, sed haberi subiiceretur tantùm. At Augustinus contendit, ipsam Ecclesiam habere eas claues: & arguit, quòd iis vtatur. Quare non rectè, nec ex Augustini mente, hæc excogitauit Horantius.

VII. Bellarminus disputat, duobus modis potuisse Petrum Ecclesiæ personam gerere: historicè, aut parabolicè. Historicum modum explicat, cùm quis, re aliqua verè à se gesta, rem ab alio gerendam significat: vt Abraham verè duos filios habens, Deum significauit, qui duos populos habiturus esset. Parabolicum verò, cùm res verè gesta nulla proponitur, sed aliquid verisimile fingitur ad aliud significandum: quomodo in Euangelio, qui seminat bonum semen, Christum prædicantem significat. Iam verò Petrum, non posteriore modo, sed priore personam Ecclesiæ gessisse: ita nimirum, vt ipse verè & principaliter, ac immediatè, claues acceperit, & simul eas accipiendo, significauerit, vniuersam Ecclesiam suo quodam modo postea accepturam.

VIII. At Iesuita, vel non benè definit modum historicum, vel non plenè distribuit. Est enim tertius modus repræsentatæ personæ, cùm aliquid ita fit historicè vni personæ, vt tamen ea persona tum ipsa sistatur, tum alias, ad quas id quod fit ęquo iure pertineat, repræsentet. Qui modus differt ab vtroque Bellarmini. A secundo quidem, quia historicus est, non autem parabolicus, siue fictus verisimiliter. A priori verò, quia non significatur quid aliud, in quo eius personæ, quæ præsens sistitur, nullæ sint partes: quomodo non tantùm duo populi, aliud sunt,

quàm duo filij Abrahæ, & Abraham ipse, aliud quàm Deus: sed etiam quòd Deus habuerit duos populos, id nihil ad Abrahamum, qui potiùs fuit in altero eorum populorum, quos Deus habuit.

IX. Et illustro exemplis. Abrahamo dictum est, Geneseos decimo septimo, *Stabilio fœdus meũ inter me, & te, ac semen tuum post te per ætates suas, vt fœdus sit perpetuum, me esse tibi Deum, ac semini tuo post te.* Tum Abrahamus, & ipse sibi propriè historicéque pactũ accipiebat: & simul idem ipsum fœdus accipiebat, seu, vt loqui solent Iurisconsulti, stipulabatur pro suo semine, in cuius persona ei dicebatur, *Ero Deus seminis tui.* Ac proinde eius fœderis non ipse tantùm fuit particeps, sed etiam Isaacus, Iacobus, Iosephus, eius posteri, æquo iure cum eo. Similiter, cùm Apostolis diceret Christus Matthæi vltimo, *Ego sum vobiscum vsque ad consummationem seculi*, non solis præsentibus fiebat pollicitatio: vt rectè Theophylactus exposuit, οὐ μόνον δὲ τοῖς ἀποστόλοις τοῦτο ἐπήγγελται, τὸ συνεῖναι αὐτοῖς· ἀλλὰ καὶ πᾶσι ἁπλῶς τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς. οὐ γὰρ δήπου οἱ ἀπόστολοι ἄχρι τῆς συντελείας ἔμελλον ζῆν· ἀλλὰ καὶ ἡμῖν, καὶ τοῖς μεθ' ἡμᾶς ὑπισχνεῖται τοῦτο. *Non solis Apostolis hoc pollicitum est, nempe secum eis futurum: sed & omnibus simpliciter suis discipulis. Nam Apostoli non erant victuri vsque ad consummationem. Et nobis igitur, & successoribus nostris idipsum pollicebatur.* Et Augustinus libro sexto de Genesi ad literam capite octauo, Christum nos, nondum natos, etiam longè post futuros: nec tantùm nos, sed etiam eos omnes qui futuri sunt post nos, esse alloquutum dixit. Est igitur necesse tum temporis Apostolos gessisse personam omnium fidelium, quicunque aut erant, aut postea futuri erant. Nec tamen, vt ipsis nihil re vera promitteretur: nec sic etiã, vt ipsis quidem aliquid reipsa, iis autem quos referebant aliud quid, metaphoricè intellectum. Sed sic potius, vt & ipsi primùm sibi certo scirent Christum adfuturum: & adfuturum etiam eundem omnibus fidelibus, quos is in eorum persona quasi præsentes alloquebatur. Idque iure & vi huius ipsius promissionis, non alterius cuiuscunque.

X. Vt igitur rem in pauca conferam: tres erunt modi repræsentatæ personæ. Nimirum duo, quos Bellarminus descripsit, & appellauit, Historicum, ac Parabolicum. Tertius autem is, quem iam descripsi. Appellemus, si placet, Socialem, quia is qui personam repræsentat, socius est eorum, quos repræsentat, & societatis eius iure, etiam particeps eiusdem beneficij.

XI. His ita constitutis, respondeo ab Augustino Petrum dici Ecclesiæ personam gessisse, non secundo modo: quia non proponebat Christus parabolam. Non etiam primo: quia nulla est allegoria, quæ per id quod datum est Petro, significet quid aliud Apostolis datum. Sed tertio, nempe vt & ipse sibi claues promissas sciret: & in eius persona eas ipsas tota reciperet Ecclesia, æquo iure cum eo. Calumniatur ergo Bellarminus, cùm nos asserit parabolicè existimare Petrum significasse Ecclesiam. Sed ne Augustinum quidem intellexit.

XII. Tamen, inquit Bellarminus, non vult Augustinus à Petro claues acceptas, sicut à Vicario quodam, & legato Ecclesiæ: quemadmodum à legato regis, nomine principis sui, claues accipi solent alicuius ciuitatis: sed potius vt à principe, & moderatore totius Ecclesiæ: quemadmodum dicimus regno dari, quod regi ipsi datur, præsertim si in publicam vtilitatem cedat.

XIII. Respondeo: verè non datas Petro claues, sicut dari solent Vicario regis: tum enim ipsi re vera nihil foret datum, quod nisi falsò asseri non potest. Datas etiam, vt moderatori totius Ecclesiæ, vel potius in eum finem, vt esset moderator totius Ecclesiæ: nempe quatenus erat Apostolus. Sed datas in Petro, Ecclesiæ, quemadmodum regno dari dicitur, quod datur regi: hoc verò pernegamus. Quę enim dantur regno, quia dantur regi, iis solus rex vtitur fruitur, non etiam ipsum regnum. At his clauibus Augustinus contendit ipsam Ecclesiam vti frui, etiam seorsum à Petri persona.

XIV. Significatam autem in Petro Ecclesiam, propter eum quem gerebat primatum, concedimus Augustinum dixisse: sed eum primatum intelligi asserimus, qui esset in ipso Apostolico munere: perinde ac si diceret, propter Apostolatum. Tractatu vltimo in Ioannem, *Cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam.* De verbis Domini sermone vigesimo tertio, *Petrus à Petra cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens.* In Psalmum centesimum octauum, *Cuius ille agnoscitur gessisse personam, propter primatum, quem in Discipulis habuit.* Sic enim solet Augustinus primatũ dicere, pro ipso Apostolatu: vt libro secundo de Baptismo contra Donatistas, capite primo, *Quis nescit illum Apostolatus principatum, cuilibet Episcopatui præferendum?*

XV. Egregiè fallitur ergo Bellarminus, asserens sic apud Augustinum à Petro significatam esse Ecclesiam, vt acciperet claues tanquam summus præsul, quas reliquis non sine mensura communicaret: hoc enim vir eximius nunquam somniauit, nedum dixerit: sed importunum est commentum eorum, qui quoquomodo Romanam tyrannidem fulcire conantur. Atque adeò vbi tandem mihi aliquis leget, has claues non habuisse reliquos Apostolos, puta Paulum, aut Iacobum, aut Ioannem, nisi quãtum illas Petrus communicare dignatus sit? Imò Cyprianus ab ipso Christo asserit reliquis datã eandem potestatem cum Petro. Et quid opus fuit eis id à Petro communicari cum mensura, quod ipsi à communi magistro accepissent pari cum eo mensura?

XVI. Negant Papistę. Barradio rationes, hæ sunt. Quia Christus propter responsionem Petrum solum remunerat, nulla reliquorum facta mentione. Et quia Petrus non responderit, Nos dicimus te esse Christum. Sed *Tu es Christus*: quasi diceret: ego dico te esse Christum. Atque hæc de repræsentata persona: nunc de responsione pro omnibus. Bellarminus distinguit: respondere aliquem pro aliis vel vt præconem, vel vt Principem. Petrum, non vt præconem, sed vt Principem, caput atque os Apostolorum. Et probat: Quia, si vt præco, tum vel cæteri hanc ei prouinciam demandassent: vel sciuisset quid essent illi responsuri. At neutrum. Non primum: quia ex reuelatione didicit, non ex consultatione humana. Non secundum, quia soli ipsi facta est reuelatio. Tum si sciuisset omnium mentem, aliquo modo id indicasset: vt Ioannis sexto: *Ad quem ibimus? Nos credimus.* Sed & Patres testantur, ita esse loquutum, vt ne quidem sciret, quid alij sentirent. Hilarius in hunc locum, & libro sexto de Trinitate. Chrysostomus homilia quinquagesima quinta in Matthæum: Cyrillus libro duodecimo in Ioannem, capite sexagesimo quarto: Augustinus sermone centesimo vigesimo quatro de Tempore: Leo sermone

mone vndecimo de Passione Domini: & secundo de Sanctis Petro & Paulo. Solus ergo respondit, cùm ignorarent cæteri quid potissimum responderent: sed reliqui Petri confessionem silentio suo approbarunt, & eo modo per os Petri omnes responderunt.

XVII. Sed Petrum esse loquutum pro aliis, non pauci dicunt Veteres. Ambrofins de Incarnationis Sacramento, capite quarto, *Petrus respondit pro cæteris Apostolis, imò pro cæteris*. Hieronymus in Matthæi decimum sextum, *Petrus ex persona omnium Apostolorum profitetur*. Cassianus de Incarnatione libro tertio, *Interroganti Domino Iesu Christo, quem eum traderent, quem confiterentur esse discipuli, respondet primus Apostolorum Petrus, vnus vtique pro omnibus. Idem enim vnius habuit responsio quod habebat omnium fides*. Augustinus de verbis Domini sermone decimo tertio, *Ipse enim Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus sæpe vnus respondit pro omnibus. Ipse denique domino Iesu Christo requirente, quemnam homines dicerent eum esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursúsque Domino interrogante, & dicente, vos autem quē me esse dicitis? Respondit Petrus, Tu es Christus Filius Dei viui. Vnus pro multis dedit responsum: vnitas in multis*. Anfelmns in Matthæi decimum sextum, *Respondens Petrus, quamuis eadem voluntas esset omnium Apostolorum, tamen Petrus pro omnibus respondit*. Inde Glossa interlinearis, *Sciunt & Apostoli: sed Petrus respondet pro omnibus*. Lyranus, *Tanquam principalis inter alios pro se & pro aliis dedit responsum*. Imò Iansenius accedit. *Tanquam os Apostolorum, pro omnibus respondet*. Et sanè, quis credat Apostolos diserte interrogatos omnes vno excepto tacuisse in re tanta? Itaque sine dubio aut ipsi sigillatim responderunt, aut Petri responsum probarunt. Illud non est verisimile: non enim omisisset Matthæus. Hoc potius certum.

XVIII. Barradij vtraque ratio principium petit. Nam Petrum solum remunerari negant Patres, nos etiam negamus. Non enim solus, si in eo omnes. Tum autem, *Ego dico te esse Christum*, rursus negatur, cùm ponitur respondisse pro omnibus. Et longe facilius repetitur ἀπὸ τῷ κοινῷ. Nos dicimus, quia præcessit, vos dicitis, in interrogatione: Nam & id consuetum, vt qui respondet, non ipse repetat quæ expressit interrogans, nec mutantur à respondente. Quæ verò vel non expressa sunt ab interrogante: vel ita expressa, vt respondens aliter velit esse, ea solent exprimi respondendo. Exempla sunt infinita. Et obuia vbique. Itaque cùm Christus interrogasset in communi, quem me vos dicitis? Petrus si non pro omnibus, sed pro se tantùm respondit, debuit hoc ipsum significare & dicere, Ego quidem dico. Quod cùm non fecerit, reliquit repetendum, Nos dicimus.

XIX. Iam fatemur, Petrum non respondisse vt præconem, aut ex mandato cæterorum. Sed distinctionem negamus esse plenam: quia datur tertium membrum: vt dicatur respondisse tanquam vnus ex omnibus: quemadmodum, cùm dicerent Apostoli, *Quare ad eos loqueris in parabolis*, Matthæi decimo tertio, & alia sæpe aliàs, non est verisimile omnes turmatim confusis vocibus, ea verba protulisse, sed aliquē ex eo numero pro omnibus. Atque in hoc ipso facto hoc obseruat Gaudentius Tractatu in sua ordinatione, *Cùm Dominus interrogasset Apostolos, Vos autem quem me esse dicitis? solus Petrus omnium credentium ore respondit, Tu es Christus Filius Dei viui. Quid statim muneris accepit ista confessio? Beatitudinem scilicet, regnique cœlestis gloriosissimam potestatem. Solus ergo cùm loquitur Petrus, nequaquam reliquorum credentium fides excluditur: sed congruus ordo seruatur, dum princeps Apostolorum primus loquendi locus iure defertur, ne tumultus quidam magis quàm responsio videretur, si tunc vniuersi certatim ac pariter respondissent*. Non respondit ergo Petrus sanè vt præco: quid tum? Ergo-ne est necesse respondisse vt caput, & os cæterorum. Absurdum? Non enim quicunque non respondet vt præco, ideo est caput & princeps eorum, quorum nomine respondet.

XX. Deinde Caput, & principem, & os, quomodo intelligunt? Nam vel Oecumenicum Pontificem, vel præcipuum, & illustrem inter collegas. Si hoc, nihil ad rem. Non enim est consequens, accepisse solum claues: nam & cum eo Iacobus & Ioannes à Paulo appellantur στῦλοι ἐπίσημοι: qui tamen æquo iure cum reliquis erant Apostoli: non autem Oecumenici. Sin illud, contradictio est. Nam contendunt Papistæ, has claues, regni cœlorum, id est, Oecumenicum Pontificatum, vel datum vt nonnulli, vel promissum vt alij, & Bellarminus ipse, tanquam mercedem huius confessionis. Vnde necessariò conficitur, non fuisse Petrum Oecumenicum, ante eam confessionem quam fecit pro omnibus. Quomodo ergo eam confessionem pro omnibus fecisset, tanquam princeps, caput, os, id est, Oecumenicus?

XXI. Ad probationem dico, primum, non esse perfectam distributionem: Aut, inquit, eam prouinciam reliqui mandarunt, aut sciuit quid essent responsuri. At potuit esse neutrum, sed tertium, vt sciret quid illis esset respondendum. Vt autem demus, nec mandatum ei fuisse, nec scire potuisse, quid essent responsuri, tamen sciuit quid esset tam illis quàm sibi respondendum: ac sic potuit pro omnibus respondere.

XXII. Deinde, nesciuisse quid essent responsuri, ex præiudicio dicitur, non vllo necessariò argumento. Contrà potius, Ioannis sexto, *Respondit ei Simon Petrus, Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, & nouimus, te esse Christum illum Filium Dei viuentis*. Quæ confessio eadem est, cum ista ex Matthæi decimo sexto: & facta à Petro omnium nomine: non enim se solum, sed omnes testatur scire, & credere, *Nos*, inquit, *credidimus & nouimus*. At hoc antè gestum est, quàm id quod narratur Matthæi decimo sexto, vt videre est in Harmonia Gerardi Mercatoris: & in Concordia Zachariæ Chrysopolitani: & in Harmonia Tatiani, atque Ammonij. Et Matthæus diserte testatur ex eo tempore cœpisse Christum indicare discipulis suis sibi eundum Hierosolymam, & multa pati à Senioribus. Quod argumento est, id gestum antequam postremo ascenderet in vrbem proficiscens ad passionem. Quid plura? Disertè Cassianus de Incarnatione libro tertio, *Idem vnius habuit responsio, quod habebat omnium fides*.

XXIII. Nec contrà quicquam probat Bellarminus. Nam soli Petro factam esse reuelationē, quis docuit? aut quomodo? Illa enim, *Caro & sanguis tibi non reuelauit, sed Pater meus*: nihil huiusmodi significant. Quod enim de vno affirmatur, non negatur de aliis. Etsi ei soli, quomodo ante id tempus pro omnibus confessus est, Ioannis sexto? Signum

particulare cur quærunt, vt constet Petrum loquutum pro omnibus? Nam ego potius quærerem, quo constaret loquutum pro se solo. Quomodo Matthæi vigesimo sexto, *Tametsi omnes offendantur in te, ego nunquam offendar.* Tum enim verè distinxit sese à reliquis, imò separauit. Hic ergo si dixisse: Quid cæteri sentiant nescio, at ego dico, Tu es Filius Dei viui: tum certè constaret pro se solo respondisse. Sed quis non videt Grammaticam constructionem contrarium nuere? *Dicit eis, Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit, Tu es Christus Filius Dei viui.* Quis puerorum nescit ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum, Nos dicimus?

XXIV. De patribus autem quid dicam? Hilarius, *Dignus iudicatus est, qui quod in Christo Dei esset, primus cognosceret.* At hæc sublesta fides est, & lesuinca. Hilarius enim dixit, *agnosceret*, non verò *cognosceret*. Quid autem hæc differant ipsi sciũt Grammaticuli. Cognoscere dicimus res quas antè nescieris, agnoscere verò res, quas antè cognoueris, testari tibi non excidisse. Itaque Hilarius nihil voluit, quàm quod Augustinus, *primus omnium veritatem meruit confiteri.* Interpres ipse Hilarius sexto de Trinitate, *Tametsi in corpore manens Dei Filium se esset professus, tamen Apostolica fides nunc primum naturam diuinitatis agnouit: Neque enim Petro tantùm ex confeßo honore laus reddita est, sed ex agnitione mysterij: quia non Christum solum, sed Christum Dei Filium esse confessus est.* Ergo idem agnoscere & confiteri. Alter locus truncatur. Sic recitat Bellarminus, *In cunctorum Apostolorum silentio Dei Filium reuelatione Patris intelligens.* Et tacet. At Hilarius pergens, *vltra humanæ infirmitatis modum*, inquit, *supereminentem beata fides sua confeßione gloriam promeruit.* Nempe vt illud *in cunctorum silentio*, ne referas ad *intelligens*, sed ad *sua confeßione*. Confessus est enim cùm reliqui silerent. Esto igitur & illud verum, *loquutus est, quod vox humana nondũ protulerat*: dũ prolationẽ distinguas à cognitione nostra, nihil interest.

XXV. In Chrysostomo manifesta incuria. καὶ ὅτι μὲν τὴν τῶν δήμων γνώμην ἠρώτα, πάντες εἶπον τὸ ἐρωτηθέν· ὅτε δὲ τὴν αὐτῶν, Πέτρος προπηδᾷ καὶ προλαμβάνει, *Et quidem, quando interrogabat sententiam vulgi, omnes responderũt: quando verò eorum, tum Petrus prosilit & occupauit.* Nota *prosilit Petrus*: id est, cæteris æquè interrogatis, ac debentibus respondere, ipse se protulit: & occupauit προλαμβάνει: id verò de iis dici solet, qui alios respondere paratos sua promptitudine præueniũt. Deinde ad quid respondet? Ad interrogationem de fide omnium: τὴν αὐτῶν non τὴν αὐτοῦ: respondit ergo non suam peculiarem: sed omnium communem.

XXVI. Reliqui haud aliter. Cyrillus, primùm exclamasse: Augustinus, primum omnium veritatem meruisse confiteri. Leo, illum primum esse in Domini confessione, & omnium celerrimè ora præuenisse. Nemo solùm cognouisse: nemo soli reuelatum fuisse. Imò ne solum quidem confessum esse, sed primum: At si primum, non solum. Quis enim nescit tantùm in multitudine primum esse?

XXVII. Sic Bellarminus disputabat. Franciscus Agricola, capite secundo probat Petrum nõ pro Discipulis, sed pro sese confessionem edidisse: ex textus circumstantia, & verbis ac responsis Christi. Prima ratio: Quia Petrus non potuit corda aliorum intueri, & scire an idem de Christo sentirent, nisi illos prius interrogasset: atqui non interrogauit, sed nulla interposita mora Christo respondit, aliis tacentibus. Respondeo: Ioannis sexto similiter respondisse statim, nullaque interposita mora post Christi interrogationem, *Num & vos vultis abire?* Nec tum magis fuisse καρδιογνώστην: Et tamen pro omnibus respondisse: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus & nouimus te esse Christum illum Filium Dei viuentis.* Non sequitur, ergo non respondisse pro omnibus, etsi non nouerit corda eorum.

XXVIII. Secunda ratio: Non potuit aliorum Apostolorum nomine respondere, quasi idem crederent, quia certum est, Iudam in Christum non credidisse vt Deum. Respondeo, nihil sequi. Nam & Ioannis sexto Iudas non credebat. Et quis nescit in multitudine vix haberi vnius rationem? Quanquam tum erat Iudas in Discipulorum numero: & Christum profitebatur, vt alij: eius doctrinam audiebat, miracula videbat. Itaque tum poterat ob illam externam professionem numerari inter credentes: etiam si non crederet. Denique, quid si id confessus est Petrus, quod omnes debebant confiteri? Neque enim dixit, Ego credo, aut nos credimus. Sed tantùm, *tu es Christus Filius Dei viui*: quod quidem verum erat, etiam si non tantùm Iudas, sed ne vllus quidem ita credidisset. Adde quod Christus non quæsierat, *quem me esse creditis?* sed *quem me esse dicitis?*

XXIX. Tertia ratio: certum est, aut saltem probabile, ne alios quidẽ Apostolos tunc adhuc Christi diuinitatem credidisse. Si enim credidissent & cognouissent Christum esse Deum, vtique non id sese habuissent, nec ex carnis suggestione, sed Diuina reuelatione. Atqui Christus apertè testatur, soli Petro, & non aliis Apostolis illam reuelationem esse factam. Respondeo, hoc falsum esse. Nã quod de vno asseritur, de aliis non negatur. Deinde contradicit ipse Petrus Ioannis sexto: *Nos credidimus, & nouimus te esse Christum illum Dei viuentis.* Theophylactus: ὡς πάντων ὑπὲρ ἀπολογεῖται τοῦ χοροῦ. Maldonatus, *Respondisse pro omnibus, & omnes sentiunt autores, & eius docent verba.* Nota autem *credidimus*: An ex carnali reuelatione fides est?

XXX. Quarta ratio: Si omnes Apostoli idem credidissent, & Petrus ex eorum sententia & nomine respondisset, non solus Petrus erat dicẽdus beatus: sed in vniuersum omnes beatificandi. Atqui nõ dixit Christus, Beati estis, sed ad solum Petrũ, Beatus es. Respondeo: quia solus Petrus erat loquutus, solum etiam Petrum fuisse compellatum: sed quia solus responderat pro omnibus, ideo quòd is, etsi solus, personam gerebat aliorum: & à Christo quæ audiuit, audiuit, & pro se & pro aliis. Propterea Hilarius de Trinitate sexto alludens ad hunc locum, *Vos ô sancti & beati viri ob fidei vestræ meritum claues regni cælorum sortiti.* Perinde igitur est, siue diceret Christus, Tu beatus es, siue, Vos beati estis.

XXXI. Quinta ratio: Si omnium Apostolorum fuisset eadem fides, & omnium nomine respondisset: omnibus parem atque æqualem mercedem rependisset Christus: & omnibus claues regni cælorum æqualiter promisisset. At non omnibus, sed soli Petro nominatim claues addixit. Respondeo, esse importunam principij petitionem. Cùm enim disputemus, an soli Petro datæ sint claues, an verò omnibus: iste, vt probet Petrum pro se solo esse cõfessum, sumit pro argumento, solum accepisse claues. Hîc verò repeto Hilarij verba iam iam recitata, *Vos ô sancti & beati viri, ob fidei vestræ meritum claues regni cælorum sortiti.* Vbi video & beatos, & fidem vestram & claues sortitos.

CAPVT

CAP. XII.

Quid sit pascere.

I. EXtremissimus à Papistis duo argumenta; quæ illis erant maximi momenti. Tertium sequitur: Cuicunque mandatæ sunt oues Christi pascendæ; is est Oecumenicus Pontifex. At Petro mandatæ sunt oues Christi pascendæ. Ergo Petrus est Oecumenicus Pontifex. Probatur Assumptio, ex vigesimo primo Ioannis, *Dicit Simoni Petro Iesus, Simon Iona, diligis me plus quàm hi? Dicit ei, Etiam, Domine, tu nosti quòd amem te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei rursum secundò. Simon Iona, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu nosti quòd amem te. Dicit ei, Pasce oues meas. Dicit ei tertiò. Simon Iona, amas me? Tristis fuit Petrus, quod tertiò dixisset ipsi, amas me? Dixitq; ei: Domine, tu omnia nosti: tu nosti quòd amem te. Dicit ei Iesus, Pasce oues meas.*

II. Respondent Catholici, negari maiorem: tribus de caussis. Caussa prima est, quia pascere oues Christi, non est idem quod imperare Christianis, & in eos dominium exercere. Ipso Petro teste, capite quinto Epistolę primæ, *Pascite qui in vobis est gregem Dei, non vt dominantes cleris:* multo minus est, dominari omnibus absque vlla exceptione, tum ouibus, tum pastoribus.

III. At Bellarminus, capite decimo quinto libri primi instat: & vrget Pascendi verbum: eóque demonstrari summam potestatem. Primò, quia non propriè dicitur pascere aliom, qui cibum quacunque ratione ministrat: sed qui procurat, ac prouidet alteri cibum: quod est præpositi, ac gubernatoris: vnde Lucæ duodecimo, *Fidelis dispensator, ac prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram.* Secundò: quia per id verbum intelligitur ex communi vsu, omnis actus pastoralis: qui non est tantùm præbere cibum: sed etiam ducere, reducere, tueri, præesse, regere, castigare. Hinc in Scripturis passim, pascere est regere. Psalmo secundo, *Pasces eos in virga ferrea.* Esaiæ quadragesimo quarto; Cyrus vocatur à Domino *pastor meus.* Tertiò: quia Ioannes vsurpauit verbum ποιμαίνειν, quod est pascere regendo, & præsidendo: vnde Homerus, libro secundo Iliados frequenter Agamemnonem vocat ποιμένα λαῶν. Et in Scriptura; vbi Matthæi secundo legitur, *Exibit Dux, qui reget populum meum Israel,* Græcè est ποιμανεῖ, Hebraicè autem משל, *dominari.* Quartò, ex autoritatibus Patrum. Chrysostomus libro secundo de Sacerdotio non semel vocat præfecturam, officium Petro commissum per illam vocem *pasce:* eámq; explicat ex Matthæi duodecimo, *fidelis seruus & prudens.* Augustinus in hunc Ioannis locum, *Oues ipsius pascendas, id est, docendas, regendasque committit.* Gregorius de cura Pastorali, passim pastores vocat *Rectores:* & curam pastoralem regimen: imò & culmen regiminis: & ipsum pascere, regere, ac præesse interpretatur.

IV. Sed, quicquid ille contendat, certum est nihil esse in eo verbo, quo summa potestas potius significetur, quàm subalterna, aut etiã infima. Nam primò, ipsa propria significatio, eorũ munus vt plurimum designat, qui non suas, sed sibi commissas oues curant, in quas propterea ius nullum habent, nisi precarium: vt pastor is sit, qui ne lanam quidé non postulata venia audit diripere. Sic Geneseos decimo tertio nominantur *Pastores gregis Abraham, & pastores gregis Loth.* Et trigesimo, Iacob ad Labanum, *pascam, tuquit, & custodiam pecora tua.* Et tamen paulo antè: *Tu nosti seruitutem, qua seruiui tibi;* scilicet in eodem munere pascendi gregem.

V. Deinde, in initiis Ecclesiæ summa secundùm Christum autoritas erat Apostolorum; infra quos quarto tantùm loco τοὺς ποιμένας Paulus nominat ad Ephesios quarto. Quod si infra Apostolos, Prophetas, Euangelistas, constituuntur pastores suo & legitimo ordine: quis audit asserere, τὸ ποιμαίνειν non significare, nisi summam regendæ Ecclesiæ autoritatem? Nisi quis ita insaniat, vt id summum appellet, quod est quarto tantùm gradu.

VI. Tertiò, cùm negent aduersarij summam regendæ Ecclesiæ autoritatem esse penes singulos Episcopos: miror non venisse illis in mentem, singulos Episcopos olim, trita, vsitatáque loquendi formula, ποιμένας pastores appellatos esse. Imò & ipsis Presbyteris à Petro tribui τὸ ποιμαίνειν: Epistolę primæ capite quinto, ποιμάνατε τὸ ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, *Pascite gregem Dei.*

VII. Itaque, etsi non negem, idem pascendi Latinum vocabulum, eique respondens Græcũ ποιμαίνειν, aliquando esse dominari: &, si hoc etiam velis, summo iure, vt ab Homero regibus tribuitur, & Christo apud Matthæum: tamen cùm de munere Ecclesiastico dicitur; primùm non necesse est significari summam autoritatem: deinde, ne dominationem quidem: teste Petro iam citato. Ac proinde futilis est consequentia; *Pascendi* verbum cùm de regibus dicitur, infert summam autoritatem: ergo idem significabit etiam cùm dicitur de Ecclesiæ Pastoribus.

VIII. Ad primum Bellarmini argumentum. Non est necesse, vt quicunque procurat ac prouidet alteri cibum, ideo ei dominetur. Nec infertur ex Lucæ duodecimo. Non enim simpliciter dictum: *constituit illum super familiam suam:* sed cum additione & limitatione: *vt det illis in tempore tritici mensuram.* Quæ verba eum seruum indicant præfectum domui, non vt libere imperaret, sed speciatim vt cibum dispensaret. Deinde: vt concedam eum qui prouidet, & procurat cibum, dominari: non sequitur tamen summo iure dominari, vt ante dictum in pastoribus propriè dictis.

IX. Ad secundum. Primò obiter obseruo Bellarmini siue incogitantiam, siue imperitiam, qui Psalmo secundo, dicit Hebraicè haberi *Pasce:* cùm tamẽ sit, *confringes.* Delusus vicinitate vocum תרועם qua vsus est Propheta, quámque Chaldæus vertit תתברנון & תרעם quasi vtriusque radix esset רעה. Quod ferre contextus non potest, cùm statim subiiciatur, *& tanquam vasa figuli disperges eos.* Quod certè contrarium est *pascendi* verbo: & cognatum *confringendi.* Sed ad rem ipsam. Negari nequit, *pascendi* verbo indicari omnem actum pastoralem. Verùm, quia in hoc sermone eius verbi nõ proprius, sed metaphoricus vsus est: metaphorę autem variæ possunt rationes esse, propter varios in variis rebus similitudinum habitus: ideo determinanda hæc significatio ἀναλόγως ad subiectum, de quo agitur. Aliter enim rex pascit subditos suos, aliter Episcopus plebem Christi. Quum igitur de Rege id verbum vsurpatur, significat omnes partes officij pastoralis, quatenus regi conueniunt. Quum verò de Episcopo, omnes partes officij pastoralis, quatenus Episcopo conueniunt.

erit igitur hîc non simpliciter à pascendi verbo arguendum: sed ex natura Episcopatus: quæ si dominationem non admittat, palam est ne eo quidem verbo eandem posse significari.

X. Ad tertium. Ioannes semel duntaxat vsurpauit τὸ ποιμαίνειν, bis autem τὸ βόσκειν. Quo non significantur omnes partes autoritatis pastoralis: sed ea tantùm, quæ ad nutriendum pertinet. At Syrus Interpres vtrunque reddidit verbo רעי. Latinus etiam vnico pascendi. Itaque constat, neque Euangelistam, neque Interpretes, vlla hîc mysteria quæsiuisse: quin pro eodem habuisse, τὸ ποιμαίνειν & τὸ βόσκειν. Deinde, vt tanta concedatur autoritas pascendi, quantam vult Bellarminus: tamen ea futura est in oues tantùm, non in alios pastores: quemadmodum Agamemnonem Homerus ποιμένα λαῶν vocat: sed nunquam ποιμένα βασιλέων. Quare eo verbo significari non potest Oecumenicus pontificatus, qui magis exercetur in pastores quàm in oues.

XI. Ad quartum. Nihil est aut magni, aut noui, si quis præfecturam προστασίαν appellet muneris Ecclesiastici. Sunt enim quicunque eo defunguntur constituti supra domum Dei προεστῶτες, siue προστάται. Et sanè non officium soli Petro commissum, eo vocat nomine Chrysostomus; sed quemlibet Episcopatum. Disputat enim de Sacerdotio, quod est commune omnibus Sacerdotibus: non vni Oecumenico eximium. Similiter Gregorij de Cura pastorali opus ad omnes Episcopos spectat. Nam & inter dotes optimo pastori necessarias, quas enumerat sanè plurimas, nullam tamen inuenias, quæ non cuilibet Episcopo conueniat. Et cùm libro primo inuehatur in eos, qui id muneris ambiunt, etiam eos specialiter refutandos putauit, capite octauo, *qui ad vsum suæ libidinis* (verba recito) *instrumentum Apostolici sermonis arripiebant, quo ait, Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, Quod quis eum fecisse credat, si, non de Episcopatu, sed de Oecumenico Pontificatu, disputationem habuisset præ manibus? Itaque illud culmen regiminis, nihil ad nostrum Oecumenicum.

CAP. XIII.

An solus Petrus pauerit.

I. SEcunda caussa negatæ Maioris, hæc est: Quia pascendarum ouium Christi (quicquid tandem significetur eo verbo) solus Petrus curam non habuit; sed cum eo reliqui etiam Apostoli: ac post eos Episcopi omnes, non vllus aliquis vnus.

II. De Apostolis probatur. Quia dictum illis Ioannis vigesimo, *Sicut misit me Pater, sic ego mitto vos.* Quæ verba sic exponuntur à Cyrillo libro duodecimo in Ioannem, capite quinquagesimo quinto, *Ordinauit orbis doctores, quos vt luminaria ad illustrationem, non Iudæorum regionis tantùm misit, sed vniuersum terrarum orbem illuminare iussit.* A Theophylacto, παραμυθούμενος αὐτοὺς καὶ [illegible], φησί, καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατὴρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς. τὸ γὰρ ἔργον τὸ ἐμὸν [illegible]. *Consolans eos, & animans*, inquit, *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: Meum enim opus*, inquit, *suscipite.* Chrysostomus Homilia octogesima quinta in Ioannem, [illegible] τὸ ἔργον [illegible]: *Siquidem suscepturi erant eius opus.*

III. Rursus iisdem Apostolis dictum Matthæi vigesimo octauo, *Profecti docete omnes gentes*: quo loco τὸ μαθητεύειν omnes partes comprehendit magistrorū in discipulos: ac proinde iis verbis idem proprio sermone mandatur, quod figurato, cùm dictum est, *Pasce oues meas.* Magistrorum porrò est, docere, præesse, regere, castigare. Cur non ergo & pascere?

IV. Consensit Antiquitas, illam pascendarum ouium curam non esse peculiarem Petro, sed communem Apostolis. Clerus Romanus ad Clerum Carthaginensem apud Cyprianum Epistola tertia, *Sed & Simoni sic dicit: Diligis me? respondit, Diligo. Ait ei, Pasce oues meas. Hoc verbum factum, ex ipso actu quo cessit, agnoscimus: & cæteri discipuli similiter fecerunt.* Ipse Cyprianus, de Vnitate Ecclesiæ, *Pastores sunt omnes, sed grex vnus, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.* Et paulo antè, cùm hunc ipsum, de quo agimus locum, citasset, subdit, *Apostolis omnibus post resurrectionem parem potestatem tribuit.* Ergo, omnes Apostoli æquè cum Petro potestatem acceperunt pascendarum ouium Christi.

V. Sed & omnes deinceps Episcopos, idem sibi dictum existimare debere, iidem Patres asserunt. Augustinus in Ioannem tractatu centesimo vigesimo tertio, *Qui hoc animo pascunt oues Christi, vt suas velint esse, non Christi, se conuincuntur amare non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & subueniendi, & Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata illa vox Christi.* Et paulo pòst, *Non ergo nos, sed ipsum amemus, & in pascendis ouibus eius, ea quæ sunt eius, non quæ sunt nostra, quæramus.* Et rursus, *Non sint ergo se ipsos amantes, qui pascunt oues Christi, non tanquam suas, sed tanquam ipsius eas pascant.* Idem de Verbis Domini sermone sexagesimo secundo. *Ergo fratres, cum obedientia audite, oues vos esse Christi, quia & nos cùm timore audimus, Pasce oues meas.* Chrysostomus de Sacerdotio libr. 2. διὰ τί τὸ αἷμα ἐξέχεεν; ἵνα τὰ πρόβατα κτήσηται ταῦτα, ἃ τῷ Πέτρῳ καὶ τοῖς μετ᾽ ἐκεῖνον ἐνεχείριζεν. *Quorsum effudit suum sanguinem? vt eas oues acquireret, quas Petro, & post eum futuris commisit.* Et ibidem longa oratione, illa ad Petrum dicta verba omnibus accommodat, Καί τι τοῦτο τῆς κηδεμονίας [illegible], [illegible] τὰ τοιαῦτα ποιοῦντας [illegible], ἃ δὴ γνωρίσματα [illegible] Χριστὸν ἀγάπης, αὐτὸς ὁ Χριστὸς [illegible] τὸν κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων διαλεγόμενος, Πέτρε, φησί, φιλεῖς με; τοῦ δὲ ὁμολογήσαντος, ἐπάγει, εἰ φιλεῖς με, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. ἐρωτᾷ τὸν μαθητὴν ὁ διδάσκαλος, εἰ φιλεῖτο [illegible] αὐτοῦ, οὐχ ἵνα αὐτὸς μάθῃ· πῶς γὰρ ὁ τὰς ἁπάντων ἐφορῶν καρδίας; ἀλλ᾽ ἵνα ἡμᾶς διδάξῃ, [illegible] τοῦ ποιμνίου [illegible]. *Et quodnam isto commodum maius esse queat, si comperiamur ea facere, quæ dilectionis in Christum signa esse, ipse Christus dixit? Colloquens enim cum Petro Apostolorum principe, Petre, inquit, amas me? Quod ille cùm esset confessus, subiungit: Si amas me, pasce oues meas. Interrogat discipulum Magister, vtrum amaretur ab eo: non vt ipse disceret: qui enim? cùm omnium corda penetret: sed vt nos doceat, quantæ sibi curæ sit huiusmodi gregum præfectura.* Hæc Chrysostomus, atque alia in eandem rem non pauca. Basilius capite vicesimo secundo Constitutionum monasticarum, [illegible] Χριστοῦ [illegible] Πέτρον ποιμένα [illegible]: *Hoc ab ipso Christo docemur Petrū post se pastorē Ecclesiæ cōstituēte:* ut recitato hoc loco; [illegible]

μεν και διδασκάλοις τὴν ἴσην παρέχοντος ἐξουσίαν: Et parem omnibus deinceps pastoribus ac magistris autoritatem tribuente.

VI. Ex his omnibus apparet illud, *Pasce oues meas*, ita Petro fuisse dictum, vt tamen autoritas illa pascendi, quæcunque tandem est, aut esse potest, non pertineat ad solum Petrum: sed ad omnes porrigatur Episcopos, & sacerdotes. Quod si est; tum verò perit Oecumenicus Pontifex: certè eius saltem tyrannis in eo loco nullum inuenit fundamentum.

VII. Instant. Bellarminus enim & Sanderus contendunt aliquid peculiare tradi Petro, quod non cæteris. Nam soli illi ea verba esse dicta. Hoc verò constare, ex nomine Simon Ioannis: ex eo quod cæteri excludantur per hæc verba *Diligis me plus his*: ex trina interrogatione: ex tristitia Petri: ex his, *quum senueris extendes manus tuas*: ex eo quod dixit Petrus, *Hic autem, quid?* Et responsione Domini, *Tu me sequere.* Nunquam enim Petrus interrogasset, quid Ioannes acturus esset, si intellexisset dictū omnibus, *Pasce oues meas*: neq; Dominus dixisset, *Quid ad te? tu me sequere*: sed dixisset, idem faciet quod tu. Denique ex Patribus: Ambrosio in vltimum Lucæ, *Ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus præfertur.* Maximo, sermone de Sanctis Petro & Paulo, *...m necessarium reor, vt proprias eorum specialésque virtutes prosequamur: hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem, pascendas oucculas suas ouésque commendat.* Leone, Epistola octogesima nona ad Episcopos Viennensis Prouinciæ: *Cui cùm præ cæteris soluendi, & ligandi potestas tradita sit, pascendarum tamen ouium cura specialius mandata est.*

VIII. Sed primùm Bellarminus sophisticè statum mutat quæstionis. Probat enim hæc verba soli Petro facta esse: quod nostrûm nemo negauit vnquam: nec quisquam potest, nisi qui communi sensui bellum indicat. At negligit id quod negamus cōstanter: hoc nimirum, ex eo quòd soli Petro facta sint, esse eidem aliquid concessum peculiare, cuius reliqui non fuerint participes. Certè duobus solis dictum ab initio Genesis primo, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Imò Adamo soli, Genesis tertio, *In sudore vultus tui comedes panem.* An igitur præter Adamum & Euam, nullis quicquam commune est cum iis verbis?

IX. Secundò, non aduertit caussam, ob quam Petrum Christus sic est alloquutus. Poterat tamen à Patribus nullo negotio discere. Augustinus, in Ioannem tractatu centesimo vigesimo tertio, *Sed ...t Dominus, quod sciebat interrogat, nec semel, sed iterum, ac tertio, vtrum Petrus eum diligat: nec aliud toties audit à Petro, quàm se diligi: nec aliud toties commendat Petro, quam suas oues pasci. Redditur negationi trinæ, trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quam timori: & plus vocis elicuisse videatur, mors imminens, quàm vita præsens. Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem.* Cyrillus in Ioannem libro duodecimo, capite sexagesimo quarto, *Altius quiddam hac oratio ...rtitur. Nam quoniam cum aliis Apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negauit, iure nunc ab eo terna dilectionis confessio ...itur, vt terna negatio æqualis confessionis numero compensetur. Ita quod verbis commissum fuit, verbo curatur. Petri autem ab eo si plus cæteris diligeret. Nam qui ... clementiam ipsius Domini fuit expertus, maiore ... affici iure debebat.* Et paulo pòst, *Tertia igitur confessione Petri, trina denegationis delictum euacuatum est. Dixit autem, pasce agnos meos, Apostolatus ei renouans dignitatem: ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefactata videretur.* Isidorus Pelusiota Epistola centesima tertia libri primi, *ἡ τρίτη τοῦ Κυρίου πρὸς Πέτρον περὶ ἀγάπης ἐρώτησις, οὐκ ἔστιν ἀγνοίας τοῦ διδασκάλου ἔλεγχος. ... ἀλλὰ τὸ τρίτον ... τῆς ἀρνήσεως ... ὁ ἀγαθὸς ἰατρὸς ἐξωστράκισε.* *Triplex Domini ad Petrum de dilectione interrogatio, nullum est ignorantiæ Domini indicium: Ne quis ita perperam concipiat. Sed triplicem negationem, triplici confessione bonus medicus eliminauit.* Similia leges Epistola trecentesima quinquagesima sexta. Nazianzenus oratione in Sancta lumina: *τὸν Πέτρον ... τῇ ... ἐρωτήσει καὶ τῇ ὁμολογίᾳ, τὸ τρισσὸν τῆς ἀρνήσεως ἐθεράπευσεν.* *Petrum Christus admisit: & triplici interrogatione ac confessione, triplicem negationem sanauit.*

X. Hactenus illi. Ex quibus collige duas caussas, cur tum specialiter Petrum Christus sit alloquutus. Primam, ad reparandam abnegationis culpam. Alteram, ad restituendam Apostolatus dignitatem, à qua per illam negationem excidisse videri poterat. Nam etsi (inquit Cyrillus) *omnes discipuli magna perculsi fuerint formidine, quando Dominus tradebatur, maius tamen crimen fuerat Petri, qui breuissimo tempore ter negauit.* Inter has caussas, qui fit vt Oecumenico Pontificatui nullus sit locus datus? Nimirum tantam tyrannidem nondum Patres inaudierant.

XI. Sed duo præterea docemur ab iis Patribus. Primum, per ea verba, *Pasce oues meas*, significari Apostolatus dignitatem: non igitur primatum inter Apostolos, non Oecumenicum Pontificatum. Alterum, eum Apostolatum significari restitutum, qui ante fuerat collatus. Nihil igitur nouę dignitatis Petro accessisse, sed duntaxat pristinam redditam, aut certè confirmatam: atque eam quidem, quæ non fuisset illi seorsim ab aliis, & quasi eximium quid tradita, sed in turba, & vna cum aliis, teste Cyrillo.

XII. Enimuerò, quod Arnobius in Psalmum centesimum trigesimum octauum habet, *Maior gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti*: quem locum diligenter Sanderus citat: non potest esse magni momenti. Tum quia autor incertus: non enim persuadetur doctis non esse eum librum suppositum: tum quia consensus Patrum contra stat: tum denique, quia, vt id illustret, quisquis is est, Arnobius falsum sumit. *Quod vt doceam*, inquit, *illud ostendo, quòd nullus Apostolorum nomen pastoris accepit.* Atqui, inquam, si τὸ ῥητὸν, atque vt ita dicam, syllabas eius nominis attendimus, nunquam Petrum reperiemus exsertè & totidem literis Pastorem appellatum in Scripturis, magis quàm reliquos Apostolos. Sin verò ἡ διάνοια magis placet, & is Pastor nominatus esse dicatur, qui pascere iussus est, quis negare potest reliquos Apostolos pauisse oues Christi? cùm id tribuatur cuilibet Episcopo: imò presbytero? Certè sese Paulus Oeconomis accēset: sunt autem Oeconomi in Ecclesia, iidem Pastores, etsi aliunde ducta metaphora. Sed enim demus Petrum ipso Pastoris nomine compellatum fuisse, quæ inde ad eum rediret tam eximia dignitas: cùm plurimi ipso longè inferiores sic appellentur, & sępe aliàs, & à Paulo, 4. ad Ephesios? Ac rursus si id Pastoris nomē tribuitur inferioribus, quis denegę t Apostolis sublimiorib'? Pręterea, quî cōstat inęqualitas? Nā

Paulus ad Ephesios Apostolos primo loco recensens, postremo Pastores & Doctores apertè docet falsum esse Pastoris titulum maiorem esse titulo Apostoli. Deinde quidnam redditur? Certè id quod erat ablatum. Itaque vel non ablatum erat Pastorale munus, vel non est redditum. At illud absurdum; hoc autem contra Arnobium. Quod si redditum simpliciter interpreteris, datum; vt constet inaequalitas, tum necesse erit ante abnegationem non fuisse pastorem. Quorsum igitur illud, *Tu es Petrus*?

XIII. Stapletonus excipit, de restituto Apostolatu solum Cyrillum loquutum: & contra disputat, antea restitutum, siue per pœnitentiam statim subsequutam: vel per apparitionem Christi, & primo & ante omnes factam primo resurrectionis die: vel certè per concessam cum aliis potestatem remittendi, retinendique peccata. Sed hæc frustra. Nam quid tum, si solus Cyrillus? An propterea falsus testis? Quanquam non solus. Nam cùm eo sentiunt omnes, qui pascendarum ouium curam faciunt generalem. Antea restitutum Apostolatum, non est opus negare. Sed Petrum qui grauius omnibus peccarat, maiori etiam consolatione indiguisse, quis non videt? Et Cyrillus indicat, Petri maius crimen notans. Sanderus illud de gradu Petro deneganti sublato, negat intelligendum de Apostolatus officio. Et testem citat Cyrillum Catechesi secunda, *Petrus Apostolorum princeps excellentissimus, non solum negationis illius accepit condonationem, verùm etiam dignitatem Apostolicam non ablatam retinuit*. Sed Græcè est, καὶ τὸ ἀποστολικὸν ἀξίωμα ἔχειν ἀναφαίρετον: Hoc est, *Apostolicam dignitatem habuit, non auferendam*. Quanquam qui amissam dicunt, non tam actu intelligunt, quàm merita; hoc est, cuius se indignum ille præbuerat, adeo vt merito debuerit ab eo auferri.

XIV. Sed redeamus ad Bellarminum: atque eius vafritiem tertio loco obseruemus. *Nunquam*, inquit, *Petrus interrogasset, quid Ioannes acturus esset, si intellexisset, dictum omnibus Pasce oues meas: neque Dominus dixisset, quid ad te? Sed, idem faciet quod tu*. Atqui non ex illis verbis *Pasce oues meas*, nascitur Petri interrogatio, aut ad eam interrogationem Christi responsio: sed à proximis, quibus Petro martyrium prædicebatur: ideóque ipse Ioannes docet eam responsionem intellectam fuisse, non de autoritate pascendi oues: sed de eius duratione, *Hunc ita Domino dilectum, cùm respexisset Petrus, statim interrogauit, quis vitæ illi terminus immineret*. Audin' Cyrillum Bellarmine? Non ergo quid acturus esset, quóve munere functurus, an ipse etiam pasturus oues: sed quomodo excessurus è vita, *Sed quoniam* (pergit Cyrillus) *curiosa magis, quam vtilis rerum alienarum inquisitio est, respondet quidem, sed ita, vt rogantis animum abducat ad alia: nec mortis expertem futurum Ioannem ait, sed si eum manere volo donec veniam, quid ad te? Id est, audisti Petre, quæ ad te pertinent: cur aliena quæris? cur diuinæ Iustitiæ secreta rimaris? Nam si etiam vellem minime istum mori, quid tu, inquam, emolumenti, aut quid consolationis consequereris?* Euthymius, *Hic autem quid? Num & ipse te sequetur? num eandem nobiscum mortis viam gradietur? num similiter morietur?* Et post, *Si eum volum in viuis manere, donec secundo aduentu veniam, quid illi tecum in hoc commune est?* Thomas Aquinas, *Quasi dicat: Ecce ego sequor te in passione: sed hic nunquid morietur*: Zacharias Chrysopolitanus, & Glossa ordinaria, *Quia audierat Petrus se crucifigendum, voluit etiam fratris cognoscere exitum*. Guillaudus, *Sciens Petrus de morte sua interrogat Christum, an Ioannem mortis suæ comitem haberet. Quasi diceret, quo exitu Ioannes nobis charissimus vitam hanc clausurus est? Extendam solus manus, cingar solus, ducar solus, quomodo?* Adde Carthusianum, Gorranum, Caietanum, Toletum, Maldonatum, Barradam, Sa. Corrupit ergo Bellarminus loci sensum, quod illi, aliisque Papisticam rem agentibus nimium sanè solenne est.

XV. Sanderus lib. 6. cap. 4. vrget illud, *Amas me plus his*: & concludit; cùm ei postea dictum, *Pasce oues meas*, traditam fuisse ouium curam propter amorem: & cùm esset is amor in eo maior quàm in reliquis; ideo necesse esse, vt ipsi pascendi autoritas maior sit, et quàm reliquis concessa. Sanderus nescio quos lancinat, qui vt euaderent, interpretarentur, diligisne plus quàm alios diligas.

XVI. Sed de interpretatione nulla nobis opus Apologia. Omnes enim intelligimus quæsitum, vtrum Petrus plus diligeret, quàm alij. Caluinus disertè, *Diligis me plus quàm hi?* Nec aliter Beza: non Aretius: nõ Piscator, non Musculus, non Tigurini, non Pellicanus, non Bucerus. Denique omnes; ita aut verterũt, aut sunt interpretati. Quo magis tuta nostra causa est à Maldonati calumnia.

XVII. Respondeo, itaque primùm: non constare fuisse Christum à Petro plus amatum, quàm à cæteris: Nam neque à Christo asseritur, sed tantùm interrogatur; vt in memoriam reuocaret insignem illam confidentiam, qua se antè erat professus, nunquam deserturum Dominum suum, etiamsi omnes reliqui fugerent. Nec ab ipso Petro ostentatur, qui simpliciter, modestéque respondet se amare. Thomas, *Ante quàm negaret Petrus superbiuit contra cæteros Apostolos, dicens, Etsi omnes scandalizati fuerint: ego nunquam in te scandalizabor. Item contra Dominum: quod Domino dicente, Ter me negabis: ille subdit: Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Sed modo de propriis viribus victus, non audet cõfiteri suum amorem, nisi sub testimonio & protestatione Domini. In quo instruimur, quia non debemus nos aliis præponere, sed alios nobis*. Nec denique vita Petri quicquam habuit, quo testaretur maiorem Christi amorem, quàm in Ioanne, aut Paulo, aut Iacobos qui & Euangelium summa fide prædicarunt ac diligentia, & pro Christo martyrium subierunt.

XVIII. Quia tamen Veterum non paucis aliter videri video, secundò respondeo, non esse consequens, quia plus amarit, ideo vt ei sit autoritas maior concessa: imò tanto absurdius hoc ab aduersariis asseri quanto certius, nulla posse similia exempla proferri. Sed & contra est praxis perpetua, etiam in Ecclesia. Sic etiã inter ipsos Pontifices Romanos, alij aliis inueniantur plus amasse Christum, tamen eadem omnes autoritate præditi fuere. Christum etiã Stephanus plus amauit, quàm Nicolaus: vterq; tamen eodem iure Diaconus factus. Denique magis amabat Christum Ioannes, quam Iscariotes: & tamẽ æquo vterque gradu, vnus fuit ex duodecim, ante passionem. Ad hæc dico nihil esse causæ, cur dicamus maiorẽ autoritatem esse datam Petro, quia plus amaret, quàm Ioanni, quia plus amaretur.

XIX. Nihil igitur obstat, quominus ea verba soli Petro tum dicta, ad plures pertineant. Itaque rursus in soluendo nodo Bellarminus laborat. Etsi, inquit, hæc verba propriè & principaliter ad solum Petrum pertineant, omnibus tamen Episcopis suo modo conueniunt: quia videlicet omnes, qui in partem solicitudinis à Petro vocantur, Petri formam in pascendo grege imitari debent. Itaque quod

que quod summo pastori dicitur, id etiam, suo modo, seruata proportione, alijs minoribus pastoribus dicitur.

XX. Respondeo: Constat ea verba generalia esse, etsi soli tum Petro dicta: principaliter autem ad illum pertinere, aduersarij semper sumunt, nunquam probant: itaque nihil agunt. Præterea vnde illud est, *Omnes qui in partem solicitudinis vocantur à Petro*? Non certè ex Scriptura: non è veteri Ecclesia. Ergo ex mero erroris præiudicio. Quid enim? an nemo pauit oues Christi, nisi quem Petrus vocarit? Absurdum: cæteri enim Apostoli non sunt à Petro vocati, sed ab ipso Christo æquè cum eo: & ipsi multos vocarunt, nulla postulata aut venia, aut confirmatione. Quid? quòd respondetur tantùm de minoribus pastoribus? Et tamen Patres de ipsis loquebantur Apostolis. Hos autem quis numeret inter minores pastores? Tum distinctio summi Pastoris & minorum, vel comparat Apostolos reliquis omnibus, qui non fuerunt Apostoli: & tum conceditur: sic vt intelligatur Petrus summus Pastor, ex Apostolatus iure: nempe, quia erant Apostoli summi Pastores, propterea quòd is gradus longè eminuit supra alios ministrorum gradus: in quo nihil Petro singulare: Aut vnum comparat Petrum reliquis omnibus etiam Apostolis: & est inepta, petitque principium: nunc enim hoc agitur, verum ex hoc loco rectè concludatur, Petrum esse summum Pastorem, quod nos negamus, hoc argumento, quòd nihil sit illi dictum, quod cæteris non conueniat: hoc autem soluere per distinctionem summi Pastoris, & minorum pastorum, mera est *φλυαρία*.

XXI. Turrianus capite vicesimo secundo, libri secundi Defensionis contra Sadeelem, concesso eandem paremque autoritatem omnibus concedi, *Hæc æqualitas*, inquit, *hæc vna eadémque ratio omnium pastorum spiritualium, quatenus pastores sunt, non tollit gradus pastorum, quia alius sit presbyter, parochus, alius Episcopus ciuitatis, alius omnium ouium. Sicuti eadem est ratio & æqualitas omnium hominum, quatenus homines sunt, quamuis non sit idem ordo, aut gradus hominum.*

XXII. Esto sanè, inquam: sed vicissim vna & eadem ratio omnium pastorum spiritualium, non ponit diuersos gradus. Quis enim audiuit vnquã, quia homines omnes sint facti ad imaginem Dei; ergo alios esse prôceriores, breuiores alios? hos principes, alios priuatos? vnos mares, alios fœminas? Et propius ad hanc rem; quum dictum sit Lino, Clementique *Pasce oues meas*. Ergo, Linum esse Oecumenicum, Clementem verò Parochum? Tun' patiare Turriane? Atqui id peccatum tuum est: tuorum est. Neque enim nos locum obijciebamus, probaturi non esse diuersos gradus: sed vos asserturi Oecumenicum Pontificatum non omnibus Pastoribus, sed vni Petro. Vno verbo, ista, *Pasce oues meas*, vel significant Oecumenicum Pontificatum, vel non. Si significant: ergo non conueniunt, nisi Oecumenico Pontifici: sicut hæc. *Erunt duo in carne vna*; quia matrimonium describunt, ergo tantùm coniugatis seruiunt. Itaq; ineptè factum esset à Veteribus quum hic ipse locus ampliatus est in omnes pastores. Sin autem non significent: ergo non debuerunt illum in argumentum tam alienum. Sicut Ioannes Casa, ille Episcopus Beneuentanus, legatus Papæ ad Venetos, fustuarium meruisset, si ex illis, *Duo in carne vna*, conclusisset suã illam, quam laudabat Sodomiam à Deo esse sancitam.

XXIII. Sanderus lib. sexto Monarchiæ visibilis. *Quis non videt parum cohærere orationem Christi, si potestatem pascendi oues suas Petro commissurus, plus amoris ab illo, quàm ab alijs postulet; & non simul iubeat, vt plus illis, verùm vt æqualiter cum illis pascat? Nam quorsum requiritur plus amoris, ob æqualem pascendi autoritatem?* Addit autoritatem Chrysostomi, ex secundo de Sacerdotio, hæc ipsa Domini verba tractantis, *Christus Petrũ autoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longè præcellere.*

XXIV. Atqui primum, quis vidit, plus amoris à Petro postulari, quàm ab alijs? Quis vnquam dixit? Ne ipse Chrysostomus quidem, quem citat autorem. Deinde, vt postulatũ esset, quid absurdi? Nam Lucæ 7. is concluditur plus diligere, cui plus peccatorum est indultum. Deinde, cur non requiratur plus amoris, etiam ob æqualem pascendi autoritatẽ? Nã possunt esse reliqui remissiores æquo. Aut quid Sophista regeret, si dicamus, plus amoris fuisse in Petro, quàm in Alexandro sexto, & tamen æqualem autoritatem, si credimus Papistis? Denique, si aliter esset, cur Chrysostomus ab hoc ipso loco argumẽtatus esset de quolibet Episcopo, atque adeo illo ipso suo Basilio? Nam huius profectò non erat non æqualis autoritas pascendi, cum reliquis collegis.

XXV. Sed enim Chrysostomi verba nulla agnosco. Imò Brixij, quid dicam imperitiam-ne, an temeritatem? Nam Græcè ita est. [illegible] Quæ verba mirum est tam corruptis oculis lecta, vt verum sensum nemo Papistarum assequeretur. Nam præter Brixium, Fronto Ducæus annotationibus in hunc locum, Ceratini exhibet interpretationem. *Quæ cùm faceret Petrus, permissu diuino consequutus est, vt cæteros omnes excelleret Apostolos.* Sed & Veterem, *& hæc administrans, in qua Petrum cernis assumptum, qui cum in hoc ministerio legeretur, cæteris prælatus Apostolis est.* Denique ipse suam, *Qui per eam vniuersis Dei optimi maximi bonis sis præficiendus, & acturus ea, quæ si Petrus ageret, dixit eũ reliquos etiã Apostolos superare facilè posse.* Est quod omnes mirẽtur tã fœdè cæcutijsse viros non indoctos: & quidem in re puerili. Sic reddo, *Et tu igitur dubitabis adhuc non pulchre fuisse te à nobis delusum, qui præponendus eras omnibus, quæ erant Dei? Et quidem cùm ea faceres, quæ cùm faceret Petrus, concessit ei Deus reliquos Apostolos excedere.* Significat commodè deceptum fuisse Basilium, cùm ad Episcopatũ vocatus est, quadam quasi fraude amicorum. Nã Episcopum esse, id est quod appellat præfici omnibus bonis Dei. Commodè autem, quia videlicet amaret Deum: hoc est, id faceret, in quo concessum fuisset Petro reliquos superare, id est, plus amare quàm cæteros. En tibi miram Papistarum industriam! Certè nihil hoc loco de Petri munere vllo, aut ordine supra reliquos Apostolos.

CAP. XIV.

Quas oues pauerit Petrus.

I. SVperest tertia causa negata à nobis Maioris: Quòd Petrus nunquam pauerit omnes oues: id est, omnes, qui relati directè ad Chri-

stum, ouium censentur nomine, in quibus ipse Petrus erat necessariò. Ostenditur dupliciter. Primò, quia nunquam pauit omnes totius orbis oues: sed tantùm aliquas. Nam excipi necesse est eas saltem, quas sic Paulus pauit, vt caueret ne super alieno fundamento strueret. Item Indi, Aethiopes, alij, ad quos Apostoli alij penetrarunt, nunquam Petrus: adeo vt eas non potuerit pascere, aut verbo, aut opere: neque per se, quia absens: neque per alios, quia per nullos à se missos. Nam qui eò profecti sunt Apostoli, à Christo missionis & initia sumpserunt, & autoritatem. Secundò: quia ipsos saltem Apostolos nunquam pauit. Nam si pauisset, vel docendo, vel corrigendo, vel mittendo, vel denique imperando pauisset. At nunquam docuit: erant enim omnes docti à Spiritu Sancto: nunquam correxit; quia nusquam legitur, aut in Scriptura, aut in Veterum libris: imò ipse potius ab alijs correptus. Sed neque misit: quia omnes suam missionem, & quidem authenticam habebant à Christo immediatè, potestatemque docendi omnes gentes. Puto autem nulla intercessisse inter Christum & Petrum concordata, quomodo inter Papam & Regem Galliæ: vt solius nominationis ius esset Christo: Petro autem confirmationis. Denique, Apostolis nunquam quicquam Petrus imperauit: atque adeo non potuit: quia eos Apostolatus officium illi æquabat: paris autem in parem nullum imperium. Ergo nō pauit Apostolos Petrus. Quod si non pauit, non fuit Oecumenicus Pontifex.

I I. At nobis, inquit Bellarminus, capite decimo sexto, exploratum, certùmque omnes omnino Christianos etiam Apostolos ipsos, Petro tanquam ouiculas commendari, cùm ei dicitur, *Pasce oues meas:* Magnam verò confidentiam! Sed vnde? Primum à vocibus τὰ προβάτιά μου: deinde ab argumentis. A vocibus. Obseruat bis dictum, *Pasce agnos meos:* & semel, *pasce oues meas:* Nam quod in Græco contextu semel sit, *pasce agnos*, & bis *pasce oues*, corruptum videri vitio librariorum, qui secundo loco scripserunt ποίμαινε αὐτὰ προβάτιά: quod colligitur ex Ambrosio, qui in caput vltimum Lucæ, dicit Christum primò commendasse agnos ἀρνία: secundò ouiculas προβάτια: tertiò oues, πρόβατα. Item ex Maximo, sermone de Sanctis Petro & Paulo; qui dicit commendatas ouiculas, & oues: quod certè non diceret, nisi legisset προβάτια & πρόβατα: tertio ex versione Latina: nam si bis fuisset in Græco πρόβατα, ne indoctissimus quidem puer secundo loco vertisset agnos.

I I I. Porrò si bis nominati sint agni, oues semel, illos significare duos populos Iudaicum, & Gentilem: has verò Episcopos, qui sunt tanquam matres agnorum: vnde probabitur omnes Christianos Petro esse subiectos. Si verò legimus agnos, ouiculas, & oues, dicendum cum Ambrosio, significari, incipientes, proficientes, & perfectos: ita vt nulli sint in Ecclesia, quantumuis spirituales, eruditi, & sancti, qui Petro non subsint. Vel per agnos intelligemus populos, qui nullam habent curam pastoralem: per ouiculas sacerdotes minores, id est, presbyteros & parochos: per oues denique, sacerdotes maiores, id est, Episcopos.

I V. Hæc Bellarminus: subtiliter quidem, at non solidè. Primum, omnia exemplaria, omnésque editiones, semel habent ἀρνία, bis autem πρόβατα. Nam quod Salmero negat Græcorum codicibus facilè credendum; quia & ipsi varij & mendosi reperiuntur quandoque; ludit suo more. Nam primò, si hæc ratio valet, quid Latinis codicibus fiet; quorum infinitis locis infinitæ sunt, non tantùm varietates, sed & corruptelæ? Atque adeo hoc ipso capite plurima exemplaria etiam [illegible] num, habēt, *Nemo discumbentium*: malè pro *discipulorum*; peccatū agnoscentibus, Caietano, & I[illegible]no. Secundò hic nulla varietas est: nec enim vllus Græcorum se aliter legisse indicauit: nō Chrysostomus, non Cyrillus, non Theophylactus. Tantùm doctissimus Beza assérit codicem suum manuscriptum vetustissimum ter legere πρόβατα. Tantum autem consensum improbare quis possit, absque vllæ nimiæ temeritatis nota? Latinus interpres bis legit agnos, semel oues: magno consensu: neque enim aut Sixtus, aut Franciscus Lucas, vllas annotauit variationes. Sed quid tum? Quasi non multis constet argumentis, quantulam fidem mereatur, siue ex imperitia propria, siue, quod plerunque verius, ex incuria librariorum.

V. At Ambrosius tres gradus distinguit, agnorum, ouicularum, & ouium. Sanè: & qui factum, non immerito quis quærat, ac miretur. Nam qui Ambrosio fuere σύγχρονοι, etsi non pauci, tamen nulli eam lectionem suo testimonio confirmant. Maximus autem manifestè facit pro Græcis exemplaribus, qui duos tantùm gradus distinguat ouicularum, & ouium. Posse enim τὰ ἀρνία ouiculas dici, quis tam est imperitus vtriusque linguæ, vt neget? Syrus tamen Interpres, tribus vocibus vtitur, primo אמרי agnos meos: secundo ערבי greges meos: tertio נקותי oues meas: quæ tamen voces non confirmant Bellarmini coniecturam; multo minus argumentum. Quin hæc tota leuissimarum coniecturarum curiosa consectatio, caussæ miseriam abundè testatur.

V I. Secundò Scripturæ solent nullo discrimine & agnos, & oues pro iisdem vsurpare. Sic quod est Matthæi decimo, ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων, *Ego mitto vos tanquam oues in medio luporum*: id Lucas dixit capite decimo, ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς ἄρνας ἐν μέσῳ λύκων, *Ego mitto vos vt agnos in medio luporum.* Syrus vtrobique: אמרא, agnos. Actorum octauo, ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν: *tanquam ouis ad occisionem ductus est: & tanquam agnus coram tondente eum.* Quo loco ouem & agnum pro eodem ἐξηγητικῶς sumi, tum res indicat ipsa; non enim aut solæ oues ad σφαγὴν, aut soli agni ad tondentem deducuntur: tum Hebraicus textus Esaiæ quinquagesimo tertio: שה qui agnum duxit ad occisionem, & רחל ouem ad tondentem: quomodo etiam vertit Syrus. Tum testis est Tertullianus contra Marcionem libro quarto, capite quadragesimo, *An ipse erat, qui tanquam ouis ad victimam adduci habens, & tanquam ouis coram tondente, sic os non aperturus, figuram sui sanguinis salutaris implere concupiscebat?*

V I I. Atque adeo hoc ipso in loco, tota Patrum cohors, agnos & oues pro iisdem est interpretata. Augustinus in Ioannē tractatu centesimo vicesimo tertio, *Dominus quod sciebat, interrogat, nec semel, sed iterū ac tertio, vtrum Petrus eum diligat: nec aliud toties audit à Petro, quàm se diligi: nec aliud toties commendat Petro,* quam

quàm suas oues pasci. Cyrillus in Ioannem, libro duodecimo, capite sexagesimo quarto. *In singulis autem confessionibus variatis parumper verbis, audiuit rationalium ouium curam sibi esse habendam.* Chrysostomus in Ioannem Homilia octogesima septima, Τρίτον δὲ ἐρωτᾷ, καὶ τρίτον ἐπιτάττει [illegible] [illegible]. *Ter autem interrogat, terque præcipit eadem, ostendens quanti ouium suarum curam faciat.* Ambrosius, seu quisquis est alius, sermone, quadragesimo sexto. *Ait Dominus, pasce oues meas: & hoc tertio.* Zacharias Chrysopolitanus *Quid est aliud, pasce agnos meos, quàm si diceret, si me diligis, pasce oues meas?* Et neget aliquis inanem esse Bellarmini [illegible], Non certè Maldonatus Iesuita. *Agnos esse eos qui in grege ad est in Ecclesia Christi essent, dubium non est nec subtiliter disputandum, cur agnos potius, quàm oues appellauerit: quod qui fecerit, videat etiam atque etiam, ne doctis hominibus risum præbeat.* Non Iansenius, qui, *Quærendum, inquit, non est mysterium in eo quod in prima interrogatione dixerit agnos meos, in secunda verò & tertia oues meas: rursum quod in prima & in tertia in Græco βόσκε, in secunda ποίμαινε. Non enim significationum aliciuus gratia, sed tantum elegantiæ causa verisimile est hac variatione vsum Euangelistam.*

VIII. Tertiò: hæc argumentatio tota est allegorica, incerta, ac nullius momenti: nisi fortè ad illustranda ea quæ iam aliunde constarent, essentque explorata. Itaque etiam variè pro variis ingeniis inflexa. Ambrosius, qui ex antiquis subtilissimè in has voces inquirit, vult asserit indicari Christianorum progressus, *incipientium, proficientium, perfectorum*: Quæ allegoria non significat diuersos ministerij gradus: sed potius non distinguit Ecclesiam in populum & pastores, in filios & matres: nam perfecti æquè in populo, ac proficientes, incipientesque. Tum quilibet Episcopus, non Petrus solus pascere, id est, regere tenetur incipientes, proficientes, & perfectos. Theophylactus opinatur, ἀρνία τοὺς εἰσαγομένους, πρόβατα δὲ τοὺς τελείους: Euthymius, imperfectos, & perfectos. Et præterea τὸ ποιμαίνειν Theophylactus, productiori regimine; τὸ βόσκειν pro molliori: τὸ μὲν γὰρ ποιμαίνειν, [illegible] καὶ [illegible] [illegible] [illegible], τὸ δὲ [illegible]. Has verò allegorias quo argumento Bellarminus fastidiuit, vt sua somnia præferret?

IX. Enimuerò, ridicula est illa trium graduum distinctio. Agni, inquit, populos significant; ouiculæ presbyteros, & parochos: oues Episcopos. Atqui primum nouitas suspecta: nunquam enim antiquo cuiquam venit in mentem: primúsque Bellarminus excogitauit. Et quæso, quando hæc lectio, quæ discernit agnos, ouiculas, & oues; solo confirmatur Ambrosij testimonio, quo iure Bellarminus discedit ab eius expositione? Aut quanam poterit demonstratione conficere, illi quidem sic legenti fidem habendam, & habendam contra omnium codicum, omniúmque autorum consensum; derogandam verò exponenti? Deinde, agni quare distinguntur ab ouiculis? An aliud sunt ouiculæ; quàm nuos partus? Agni verò quid? nonduot oues? non sunt patrat? Ad hæc, ouiculæ cur significat presbyteros, & parochos? Quia, inquit, sic parentes sunt populorum, vt Filij sunt Episcoporum. Atqui prius docendum fuerat ouiculas eas dici, quæ harum quidem matres sunt ouium, illarum verò filiæ. Certè non existimauit Ambrosius, qui proficientes interpretatus. Et apparet Maximè ouiculas, agnos in-tellexisse. Denique, si ouium nomine intelliguntur tantùm Episcopi, imperitissimi fuerunt antiqui, qui hoc ipso quod commendatas oues Petro legerunt, idem eos omnium esse Episcoporum asseruerunt: Clerus Romanus, Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus. Nec satis prudens ipse Bellarminus, qui concesserit hæc eadem verba reliquis Episcopis suo modo conuenire. An enim reliquis Episcopis vllo modo conueniat Episcopos pascere? Minimè verò; stylo saltem Papistico.

X. Ergo in ouium vocabulo, nihil habet præsidij Pontifex Oecumenicus. Sequitur vox μου. Ex, inquiunt, cum absque vlla restrictione addita habeat oues, manifestè significatur, eas omnes oues Petro commendari, ad quas extenditur pronomen *meas*, id est, omnes simpliciter: nec enim vllus est in Ecclesia, qui se Christi ouem esse non glorietur. Igitur omnes omnino Christianos, nullo excepto, Petro Dominus commendauit. Turrianus aliter, libri primi de Ecclesia capite nono, τὰ πρόβατά μου non potest significare, ratione articuli & pronominis, nisi πάντα ὅσα ἐστι, id est, vniuersaliter, vt si diceret, Pasce quæcumque oues meas.

XI. Respondeo: Primùm, ex vi ipsa verborum nun posse ita colligi: quia est propositio indefinita quæ non semper æquiualet vniuersali: cuiusmodi hæ sunt; Actorum secundo, *Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: & iuuenes vestri visiones videbunt: & seniores vestri somnia somniabunt*, non omnes vtique vniuersaliter, nullo excepto, sed indefinitè. Actorum quarto, *Adstiterunt reges terræ, & principes coacti sunt eodem aduersus Dominum & Christum eius.* Atqui soli Iudæi, & cum eis vnicus Pilatus. Lucæ vndecimo, *Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius.* Quid? ne exceptis quidem iis qui crediderunt? Matthæi vigesimo tertio, *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas*: ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας. Minimè verò Eliam. Sed nimirum, tum hæ, tum similes plurimæ, ne omnes percenseam, quanuis additis articulis, sic indefinitæ sunt, vt eas stultum sit & absurdum, pro vniuersalibus interpretari. Chrysostomus in Genesin homilia quinquagesima septima, cùm notauit Iacobi diligentiam in pascendis ouibus Labani: ταῦτα ἀκουέτωσαν οἱ τὴν τῶν λογικῶν προβάτων ἐγκεχειρισμένοι προστασίαν. *Hunc omnes intueantur, quibus rationales oues concreditæ sunt.* Scilicet hæc exhortatio solos spectat Oecumenicos? Credant qui nondum ære lauantur. Et tamen habes τὰ λογικὰ πρόβατα, æquè ac in Euangelio, τὰ πρόβατά μου.

XII. Quare, quemadmodum vt illæ sint enunciationes veræ, satis est plura indiuidua comprehendi, etsi non omnia: sic nihil obstat, quominus verè Christus commiserit Petro ouium suarum curam, vt tamen non omnes prorsus ei fuerint subditæ, nulla prorsus excepta: Sic Petrus ipse, singulis Episcopis commendauit τὸ ποίμνιον τοῦ Θεοῦ. Annon enim idem est, ac τὰ πρόβατά μου? Sanè: ipso teste Bellarmino, qui hoc Ioannis loco τὰ πρόβατά μου nihil aliud esse contendit, quàm ouile meum. Et addit quidem Petrus τὸ ἐν ὑμῖν, quod notauit etiam Bellarminus: sed præterquam quod à nonnullis exponitur pro viribus vestris: tamen si referas ad τὸ ποίμνιον, ita ostenditur posse oues Christi dici non vniuersaliter. Iam verò, Apostolis ipsis, tùm omnibus, tum singulis, nónne dictum Matthæi vigesimo octauo, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη? Quid si nos igitur sic arguamus, nullus est omnino Christianus, qui non sit a-

licuius gentis: ergo omnes Christiani, nullo prorsus excepto, quicunque tandem ille sit, singulis Apostolis subditi sunt? admittat-ne Bellarminus? Sic enim singulorum Apostolorum, reliqui etiam Apostoli, qui profectò erant alicuius gentis, ne ipso quidem excepto Petro, essent discipuli. Quòd si autem hæc verba exceptionem admittunt, nempe vt intelligantur Apostoli eximi ex hoc generali gentium nomine: cur non & ea, quæ sunt apud Ioannem, sic dicemus intelligenda, vt ouium nomine ipsi Apostoli, Petro additi socij in Ministerio Euangelico, non comprehendantur?

XIII. Secundò. Ezechielis trigesimo quarto, hæc eadem phrasis vsurpatur. *ἰδοὺ ἐγὼ ἐπὶ τοὺς ποιμένας, καὶ ἐκζητήσω τὰ πρόβατά μου ἐκ τῶν χειρῶν αὐτῶν, καὶ ἀποστρέψω αὐτοὺς τοῦ μὴ ποιμαίνειν τὰ πρόβατά μου, καὶ οὐ βοσκήσουσιν ἔτι οἱ ποιμένες αὐτά. Ecce ego contra pastores: & requiram oues meas de manibus eorum. auertamque eos, ne pascant oues meas: nec pascent amplius eas pastores.* Atque hunc locum Theodoretus & Lyranus intelligendum dicunt de principibus, & prophetis. Cyprianus autem epistola sexagesima septima, disertè applicat Pastoribus Ecclesiæ. Dominus igitur de singulis Prophetis vsurpat *τὸ ποιμαίνειν τὰ πρόβατά μου*. An vt eos significaret fuisse summos Pontifices, & pauisse etiam Prophetas? An verò vt Prophetas negaret esse in numero ouium suarum? Neutrum sanè: sed indicat non propterea præfici pastoribus eum, qui indefinitè ouibus Dei præfici dicitur.

XIV. Tertiò, fatentur quidem omnes Christiani; imò verò gloriãtur se esse oues Christi. Diuersa tamen ratione. Alij enim à solo Christo pascuntur, ac proinde dicuntur oues, solius Christi pastoris habita ratione: alij verò pascuntur etiam ab hominibus ad id munus ab ipso Christo vocatis. Ex illo numero fuerunt Apostoli: & sunt post eos terris subductos, omnes Episcopi, qui Ecclesias regunt, actus sui rationem Domino reddituri. Christus ergo cùm Petro commendauit suas oues, eas intellexit, quas pasci vellet non à se solo & immediatè, sed à se per Petrum. Nulla itaque ratio patitur, vt in iis ouibus Apostoli numerentur, quos ipse pollicitus erat, se deducturum in omnem veritatem per Spiritum paracletum, quem postea reapse effudit. Denique si his verbis, *Pasce oues meas*, omnes omnino Christiani intelligerentur, nullo prorsus excepto, ne Apostolis quidem, & pastoribus, nunquam ea Patres applicarent singulis Episcopis, quos perspicuum est non esse Oecumenicos.

XV. Atque hæc erat in vocibus Bellarmini *ἀναλογία*. Nunc argumentorum sophisticem videamus: quæ à Bellarmino quidem habemus duo, à Bozio vnum. Primum ergo: Quid aliud est, *pasce oues meas*, quàm habe curam mei ouilis. Est autem vnum tantùm Christi ouile: igitur, vniuersum gregem suũ Petro Christus commisit.

XVI. Et quid est aliud, inquam, *μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη*, quàm, habete curam mei ouilis? Est autem vnum tantùm Christi ouile. Ergo vniuersum suum gregem Apostolis singulis Christus commisit. An etiam ipsum Petrum? Quod si est absurdum, qua se ratione tuebitur Bellarminus? Et sanè in argumento fœda est *ἀκαταλληλία*; quia plus concluditur, quàm proponitur, Christi ouile est vnum. At quod Petro cõmittitur, est Christi ouile. Ergo vniuersum ouile Petro cõmittitur. Atqui in antecedẽte nõ erat vniuersum ouile, sed vnicum: itaque debuit cõcludi: ergo, quod Petro committitur, est vnicum ouile. At non est idem, vnicum & vniuersum. Quid enim? An propterea non est vnicum ouile Christi, quia singulis Episcopis commendatur grex Christi qui penes ipsos est? Imò significatur illud ouile, quod vniuersum vnum est, pastoribus per partes commendari: imò etiam in solidum.

XVII. Secundò, ouile oportet intelligi, non simpliciter omnes eos qui in Christum credunt, quique ab eo pascuntur: sed ex eo numero eximendi sunt aliquot: ij nimirum, qui reliquis præficiuntur, & pastores dicuntur; cùm reliqui censeantur ouile. Qui vsus frequentissimus est in Ecclesia. Apostolus ad Ephesios 4. *Dedit Ecclesiæ pastores, & Doctores.* Ecclesiæ, inquit, non plebi. Actorũ vigesimo. *Attendite vos ipsos: & totum gregem, in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos.* Ergo Episcopi & grex opponuntur, vt non censeantur Episcopi de grege. Chrysostomus de Sacerdotio libro secundo. *Qui neque pecunia, neque re alia vlla, sed morte propria ouile istud redemit, suumque proprium sanguinem gregis pretium obtulit, quanto præmio pastores eius remuneraturus est?* Gregorius libro primo de cura Pastorali, capite quinto. *Quisquis virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, pastorem summum conuincitur non amare.* Item libri quarti in priorem librum Regum, capite quarto. *Multi sunt pastores sanctæ Ecclesiæ, & pastorem vnum habent Dominum Iesum Christum.* Loci sunt similes infiniti. Quare cum de Ecclesiæ politia agitur, cuius præcipua pars est, vt pascant alij, alij pascantur, distinguendi sunt ita pastores ab ipso ouili, vt etsi certum sit omnes etiam pastores esse oues Christi, tamen distinctè intelligantur ab ouili: ac proinde non contineantur in ipso ouili, aut inter oues numerentur, quarum ipsi pastores sunt.

XVIII. Alterum argumentum: Quum Dominus ait, *Pasce oues meas*, commendauit Petro suas oues, vel omnes, vel nullas, vel aliquas certas ac definitas, vel aliquas indefinitas. At absurdum fuerit dicere aut nullas, aut aliquas certas, aut indefinitas. Nam nullas, aut certas commendatas, manifestè falsum. Sed & indefinitas: quia non est sapientis prouisoris relinquere indefinitam curam, cùm possit eam definire, præsertim cùm certa confusio, & perturbatio ex illa indeterminatione oriatur: præterea commendare aliquas, & non indicare quas, idem videtur, ac nullas. Quas enim pascet, qui gregem suum non nouit? Restat igitur, vt omnes omnino suas oues Petro Christus pascendas assignarit.

XIX. Respondeo, Petro assignatas oues Christi indefinitè. Hoc ipso argumento: quia aut nullas, aut certas quasdam, aut omnes, aut indefinitas. At non nullas: non enim fuisset pastor: nõ certas quasdam, quia Apostolus non fuisset: non omnes, quia non Apostolos, non etiam multas gentes: ergo indefinitas. Item à simili. Quia reliquis Apostolis cùm dictum est, *Docete omnes gentes*, nec nullæ, nec certæ quædam, nec omnes omnino intelligi possunt: sed tantùm indefinitè. Ac proinde rectè Pastor ouium Christi Petrus appellabitur, etiamsi non omnes pauerit. Nam & Cyprianus epistola sexagesima nona, appellatur Episcopus Christianorum, etsi non omnium, sed quorundam.

XX. Nec absurda Bellarmini quenquam moueant. Non est, inquit, sapientis indefinitas oues committere. Quamobrem verò? Nam cæteris Apostolis idem ipse Christus indefinitas commisit

non

non omnes neque certas quasdam. At inde confusio & perturbatio sequetur. Minimè verò: erant enim Apostoli ducendi à Spiritu Sancto. Et inter reliquos Apostolos, quid simile potest obseruari? Sed idem erit, ac si nullæ committerentur. Falsum; nam reliquis Apostolis indefinitè gentes assignatæ sunt, nec tamen nullæ. Sed quem pascet, qui gregem nō nouit suum? Distinguo: non nouit tunc cùm ipsi indefinitum mandatum datur; vel tunc cùm mandatum exsequendum est. Qui hoc modo suum gregem non nouit, verè is nullum potest pascere: sed tum Petrus, tum alij suos greges cognouerunt: dicenim Paulus ad Gentes, Petrus ad circumcisos profectus est; at qui primo modo nō nouit, potest postea nosse, & pascere; quomodo omnibus Apostolis accidit. Sic Christus Paulo, Actorum vigesimo secundo, *Ego te*, inquit, *procul ad Gentes mittam*: nec dixit quas tamen, etsi non esset missurus ad omnes, an igitur idem fuit, quasi missurus esset ad nullas? Imò hæ minutiarum quisquiliæ, caussæ infirmitatem produnt. Si enim suppeterent certiora argumenta, hæc non corraderentur.

XXI. Tertium argumentum Bozij de Signis Ecclesiæ libro decimo octauo, capite primo. *Pasce oues meas.* Iubet igitur vt pascat: & incipiat ab ipso illo tempore, quo hæc Christus dixit; Pasce, non pascas aut aliquid huiusmodi, quod respiciat futurum tempus. At eo tempore nullæ aliæ Christi oues erant, nisi Apostoli, ac nonnulli præterea discipuli. In primis igitur Apostolorum cura, & gubernatio Petro commissa est.

XXII. Et huc admissi risum Grammatici teneant? Aut patietur Priscianus, *Pasce*, non respicere futurum tempus? Quid igitur, Docete omnes gentes, & baptizate? An tum statim, atque adeo ipso momento iussi sunt Apostoli, idipsum exsequi? Ergo quia tum nulli erant Christiani præter Apostolos, & paucos alios: oportuit eos ipsos tū statim baptizari: & quidem promiscuè ὑπ' ἀλλήλων. Sed sensus est facilis, Petrum à Christo institutum esse Apostolum; vt iam tum potuerit eo fungi munere oblata occasione, in eos qui ex eius muneris iure, sibi subiicerentur, inter quos procul dubio non fuerunt reliqui Apostoli.

CAP. XIV.

De Petri prærogatiuis in genere.

I. SI Petrus plurimas habuit prærogatiuas præ ceteris Apostolis, ergo fuit institutus à Christo Pontifex Oecumenicus. At verum prius: ergo & posterius. Hoc argumentorum plerisque omnibus placuit Papistis. Bellarminus capite decimo septimo libri primi. *Hactenus*, inquit, *attulimus quæ ad promissionem & institutionem primatus Petri pertinebant: nunc ad eiusdem primatus confirmationem singulares varias que prærogatiuas in medium afferemus.* Roffensis in articuli vigesimi quinti Lutherani confutatione, cùm ante congressum promitteret se ostensurum, quod summus Pontifex sit totius Ecclesiæ caput, primùm è Scripturis, deinde è Patribus, *Age*, inquit, *primum ex Petri prærogatiuis, quæ non pauca sunt illud ostendamus.* Sic reliqui plurimi: atque adeo videntur inter se contendere, quis sit eas prærogatiuas diligentius enumeraturus: vnde longum opus nascitur earum omnium examinandarum; etiam curiosè enumeratis pensiculatisque omnibus ac singulis circumstantiis. Nos prius ad argumentum, deinde ad singulas prærogatiuas sumus responsuri.

II. Equidem optarim semel definiri, quid sit intelligendum nomine prærogatiuæ: nuda enim vsurpatio disputationem obscuram efficit, & incertam. Quid igitur appellemus prærogatiuas? An quæcunque alicui vni peculiariter accidisse cognoscuntur? Ineptum. Sed hanc aduersariis mentem esse, cogit suspicari, morosa illa in enumerando diligentia, in omnibus iis vndique non diligenter tantùm, sed etiam superstitiosè colligendis, enumerandis, inculcandis, quę vspiam soli Petro accidisse leguntur. Atqui hoc sensu, negamus argumenti consequentiam. Quotus enim quisque est hominum, cui non soleant accidere infinita quæ non aliis? Sed & singulis Apostolis, non sua cuique euenerunt? Imò Ambrosius, siue is potius est Maximus, sermone sexagesimo sexto, *Petrus & Paulus*, inquit, *eminent inter vniuersos Apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt.*

III. Solus Paulus inter Apostolos non ἰδιώτης, sed liberaliter educatus. Solus miraculosè ad Christum conuersus, Actorum nono. Solus appellatus vas electionis, ibidem. Solus, cui post ascensionem in cœlos Christus apparuit, ibidem. Raptus in tertium cœlum; secundæ ad Corinthios duodecimo. Plus omnibus laborauit, primæ ad Corinthios decimo quinto. Restitit Petro in faciem, ad Galatas secundo: hominem tradidit Sathanæ, primæ ad Corinthios quinto. Primus à Spiritu mittitur prædicaturus gentibus, Actorum decimo tertio. Sudariis solis ægros sanauit: Actorum decimo nono. Elymam excæcauit, ibidem. Proconsulem conuertit, ibidem. Eius scripta citantur etiamnum viuentis, & quidem à Petro, secundæ Petri tertio. Ad eius prædicationem primo Christianorum nomen institutum, ἦλθεν (inquit Chrysostomus apud Photium Bibliothecæ capite ducentesimo septuagesimo) εἰς τὴν Ἀντιόχου πόλιν ὁ Παῦλος, καὶ τοσοῦτον πλῆθος πιστῶν ἐφύτευσεν, ὡς προσηγορίας τὴν τῶν Χριστιανῶν τότε πρῶτον ἐν αὐτῇ ἀνθῆσαι. *Venit in Antiochi vrbem Paulus, tantámque fidelium multitudinem plantauit, vt tum primum Christianorum appellatio floruerit*, ex vndecimo Actorum. Quid plura? Chrysostomum audi, homilia septuagesima septima, de Pœnitētia & Continētia & Virginitate. ὁ μακάριος Παῦλος ἀπόστολος, ὁ τῶν ἐθνῶν διδάσκαλος, [illegible]

Audin' magnificum præconium? Et claudit οὗτος ὁ τοσαῦτα κατορθώματα κεκτημένος, *Is tot possidens priuilegia, siue prærogatiuas.* Hæc verè omnia, quare Paulo nullum primatum conficient?

IIII. Quid plura? Ambrosius ille, siue Maximus est potius sermone illo sexagesimo sexto, ex-

orsus dicere de Petri, Paulique prærogatiuis, concludit. *Ergo beati Petrus & Paulus eminent inter vniuersos Apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verùm inter ipsos, quis cui præponatur incertū est.* Magno vestro præiudicio, Papistæ. Nā Oecumenicum Pontificatum nunquam passuri estis, aut vtrique communem; aut non alterum longè præcellere.

V. Quod si non omnia, quæ cuipiam accidunt quomodocumque, censent prærogatiuæ nomine contineri: primò doceant ergo, quare tanta diligentia vndique corrogarint etiam minima, quæ siue in Scripturis, siue apud Patres, de Petro solo dicta legerunt. Deinde explicent nobis, quænam illa sint, quæ speciali hoc prærogatiuarum nomine censent digna. Aliàs ne indignentur, si queramur agi nobiscum veteratoriè, artibus ad decipiendum facilibus, non ad docendum vtilibus.

VI. Ego censeo prærogatiuas dici meritò, certa priuilegia, quæ aliquem cæteris præferant. Præferre autem, non semper & absolutè: sed κατά τι, in hoc, illóve negotio, hoc illóve tempore. Apud Romanos in suffragiis ferendis erat prærogatiua, id est, ius quoddam, seu potius consuetudo; vt quidam suffragia sua ferrent ante reliquos. Ergo præferebantur hi reliquis: at non absolutè: quasi reliqui omnes inde penderent; totique adeo Reip. præficerentur: sed tantùm eo tempore, eóque casu. Paulus Iureconsultus dixit, Veteranorum priuilegium inter cętera in delictis habere prærogatiuam, vt superentur à cæteris in pœnis. At hæc prærogatiua Veteranos illos in aliis negotiis bellicis non sequebatur.

VII. Hac prærogatiuarum notione rursus negatur consequentia. Neque enim necesse, eum qui plurimas habet prærogatiuas, cæteris imperare: quemadmodum nihil est necesse, vt qui reliquis præfertur, eos sibi subditos habeat.

VIII. Deinde eas Petri prærogatiuas, quæ iactantur, oportet esse, vel personæ, vel officij. Illas non alias quàm quibus persona ipsa reliquis præferatur. Atque has quiliber aduertit abhorrere ab hac quæstione: nec inferre Oecumenicum Pontificatum; alias futurum ipsum personalem: quod nunquam velint aduersarij.

IX. Sin autem dicantur esse officij: primùm, petitur principium, quia quęstio est, vtrum id officium Petrus habuerit: si enim non habuit, constat ne eius quidem prærogatiuas habuisse: & nos quemadmodum negamus Petrum fuisse Oecumenicum, sic non possumus concedere, eum habuisse vllas prærogatiuas, quæ ipsum aliquo gradu Ecclesiastici ministerij superiorem reliquis Apostolis constituerint: nam prærogatiuas personales, non inuiti concedimus: imò libentissimè recolimus, siue illas Scriptura doceat, siue Patres tradant. Secundò, si essent officij prærogatiuę, eas oporteret inueniri in omnibus, in quibus ipsum officiū. At res aliter se habet. Nā quęcunque enumerantur ab ipsis aduersariis, ea ipsa Petro sunt propria, vt nihil iuris in eis habeat quisquam alius. Nam nec immutatum fuit nomen à Christo vlli Romano Pontifici: etsi serò tandem simiæ conati sint imitari. Nec Cephas vlli nomen imponitur: Quod Petrus Messiss variarum lectionum capite decimo nono, tanquam mirum obseruat. Neque vllus ambulat super aquas: & similiter cętera. Quòd si non sont officij, quis sanus ab iis concludat ipsum officium? Aut cur non ęquè regiam maiestatem? Cur non, inquam, æquè dicunt, Petrus multas habuit inter Christianos pręrogatiuas, ergo constitutus est Rex Romanorum? Nempe quia non pertinent illæ ad munus regium. At iam probatum, non pertinere ad Oecumenicum Pontificatum. Ergo, ęquè absurdi Papistę ab iis prærogatiuis istum concludentes.

Cap. XVI.

De Petri prærogatiuis ex Euangelio Matthæi.

I. HActenus in genere responsum ad argumentum: deueniendum iam ad examen singularum prærogatiuarum: quo certius constet frustra Papistas laborare. Eas variè varij enumerant: omnium autem diligentissimè Bellarminus, vsque ad viginti octo: cùm ante eum cęteri paucioribus multo fuissent contenti. Sunt autem viginti primæ è Scripturis: octo reliquæ ex traditione.

II. Prima pręrogatiua est, mutatio nominis Simonis in Petrum, Ioannis primo. *Tu es Simon filius Iona tu vocaberis Cephas.* Conclusionis forma. Si Christus mutauit Simonis nomen in Petrum, ergo Petrus est Oecumenicus Pontifex. Consequentiam firmant, primò, quia Deus nunquam imponit noua nomina, nisi maximis de causis, & ad significāda priuilegia concessa iis quibus nomina mutantur. Secūdò, quia soli ex omnibus Apostolis nomē est immutatum. Nam Boanerges, cognomen est potius, quā nomen inditum filiis Zebedæi; Marci tertio; quo etiam postea numquam appellantur. Tertiò, quia tale nomen est, quod Syriacè Petram significat: Gręcè autem caput, vt libro secundo contra Parmenianū annotauit Optatus. Est denique vnum ex celeberrimis Christi nominibus, quo nullum aliud ei frequentius tribuitur in Scripturis. Christus ergo cum solo Petro suum ipsius nomen communicans, & nomen illud quo ipse significatur, vt fundamentum & caput Ecclesiæ vniuersę, quid aliud indicare voluit, quàm se facere Petrum fundamentum & caput Ecclesiæ suo loco: Sic Bellarminus.

III. Sed negatur consequentia, & quidem nemo est, qui putet hanc nominis mutationem carere mysterio: sed non est necesse, id mysterium esse Oecumenicum Pontificatum. Possunt enim alia sic facilè significari. Chrysostomus homilia decima octaua in Ioannem, notat Christum hac impositione ostendisse, se eundem esse qui vetus Testamentum dedisset, videlicet, quia æquè mutatum ab eo fuit nomen Abraham, Sarę, Israel. Quod vtique mysterium, neque paruum, neque inutile: sed ne quidem accedens ad Oecumenicum Pontificatum. Idem aliud annotat; nempe diuini beneficij perpetuum monimentum. Et *qui debebant*, inquit, *ab initio suæ virtute pollere, eis tunc indita sunt nomina: qui verò in modo progressu profecturi erant, postmodum.* Atque adeo Salmero tomo quarto, parte prima, tractatu decimo septimo. *Eiusmodi nominis mutatione signata est noua vita, & nouus ac primus filius Christi, qui olim erat filius Iona, vt sit typus aliorum lapidum, qui si naturaliter non repugnant veritati, Dominus intuetur eos oculo misericordiæ, naturam imperfectam ac debilem fide confirmatam reddens.* At hoc rursus mysterium nihil habet commune cum Oecumenico Pontificatu. Augustinus in Ioannem tractatu septimo, ea nominis mutatione

docu

doceri vult, ædificandum nobis esse super Petram. Hoc verò quid ad Oecumenicum? Denique Cyrillus libro primo in Ioannem, capite duodecimo. *Nec Simon fore iam nomen ei, sed Petrus, prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quod in eo tanquam in Petra firmissima suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Atque hoc mysterio scimus sibi Papistas gratulari: sed nos iam de eo prolixè disputauimus: & euicimus aliud esse ab Oecumenico Pontificatu. Hæc igitur mysteria, in noui nominis impositione, facilè vidit antiquitas: illud verò de Oecumenico violenter intrusit nouella Sophistice.

IV. Iam, quod sumitur Petro ex Apostolis soli mutatum; primo importunum est. Nam, cur solus non dicitur absolutè, sed solus ex Apostolis? Nempe in promptu erat Chrysostomus, qui obseruauit mutata fuisse nomina etiam veteris Testamenti. Sed frustra sunt ingeniosi. Quare enim id potius valebit ad confirmandum hunc primatum, quod soli ex Apostolis Petro mutatum fuerit nomen: quam ad eum ipsum destruendum, quod idipsum factum sit aliis, etsi non Apostolis? Dicam disertius. Oportet, aut soli omnino Simoni immutatum nomen; ad Pontificatum Oecumenicum ei adstruendum: aut non bene adstrui inde, quòd non soli absolutè, sed tantùm soli inter Apostolos, mutatum fuit. Nam si sola mutatio nominis consideratur, ea si sit pluribus communis, priuilegium esse non potest; etsi in eius communionem nemo Apostolorum veniret: sed tantùm aliquis ex infima fidelium sorte.

V. Deinde, quid commiserunt filij Zebedæi, vt expungantur ex Apostolorum albo? Nam eis Christus indidit nouum nomen Boanerges. Itaque falsum, soli ex Apostolis Petro mutatum fuisse nomé. Imò, inquiunt, non nomen mutatum, sed inditum cognomen. Atqui, inquam, Chrysostomus tamen copulat, τούτῳ μὲν οὖν ὄνομα ἐπέθηκε τοῦ δὲ υἱοὺς Ἰακώβῳ [illegible]. *Hunc quidem sic nominauit: Iacobum verò Filium tonitru.* Cuius nomen præponderat, & authoritas? Chrysostomi-ne, an Iesuitæ? Sed ad rem. Mutatum fuisse Petro nomen, non solidè asseritur. Nam scriptum non dicit: Cum Abrahamo mutatum est, legis Geneseos decimo septimo. Non erit vltra nomen tuum Abram, sed Abraham. At de Petro aliter: *Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Petrus:* vbi non antiquatur prius nomen, sed alterum additur. Itaque Petrus etiam cognomen fuit: teste Luca Actorum decimo; [illegible] Πέτρος: *accerse Simonem, qui cognominatur Petrus.* Inde vsus, Simonis Petri, Matthæi decimo sexto: Lucæ quinto & nono. Et apud Ioannem capite primo: *frater Simonis Petri:* decimo tertio: *Venit ad Simonem Petrum:* atque adeo vix vnquam aliter Ioannes. Ipse Petrus secundæ epistolæ initio. *Simeon Petrus, seruus & Apostolus.* Itaque non minus Simon, quam Iacobus cognomen accepit. At Boanerges, inquiunt, nunquam deinceps vsurpatur. Quasi eò Christus imposuisset, vt vsui futurum esset vsui. Sed ratio manifesta. Quia non vni, sed duobus simul impositum esset: illi ante erant distinguendi: ne incerti auditores nescirent vter designaretur. Etiamnè id non obstitit, quominus hoc Petro Chrysostomus communicet, & in eisdem mysteria vestigarit.

VI. Quid? quod in huius prærogatiuæ consortium Paulus venit, & quidè ex æquo? Testis Theophilus in primum ad Romanos. *A Saulo propterea in Paulum nomè mutatus est, vt ne inferior esset Apostolorum corypheo Petro.* Et didicit iste à Chrysostomo in eundem locum. [illegible] *Quam ob causam mutauit ei nomen Deus: & Saulus qui esset, Paulum nominauit? Vt ne hac quidem parte reliquis Apostolis inferior esset: imò quod habuit eximium princeps ille discipulorum, hoc ipsum obtineret, maiorisque necessitudinis argumentum sumeret.* Non fuit hæc ergo Petri vnius prærogatiua. Et si ob eam Petrus Oecumenicus: & Paulus hac parte eo non inferior: ergo Paulus Oecumenicus. Sed hoc absurdum. Falsum ergo hanc nominis mutationem portendisse Oecumenicum principatum.

VII. Quod attinet ad ipsius nominis rationem, significari Petram apud Syros eo sono, non est obscurum. Nec fuerat à Salmerone conquirendus nescio quis scopus aut scopulus, quem Albertus siue legit, siue legisse videri voluit apud Iosephum: nòn item originationis λογολεσχία iactanda. Id enim vt verum est, sic caussam nihil adiuuat. Nā quid tum, si Petra Christus appellatus? Atqui Christiani nomen à Christo ductum quo nomine longè frequentius Filius Dei significatur: & tamen qui Christiani à Christo, non idem sunt summi Pontifices. Præterea; non ipsum Petræ nomen inditum Simoni: sed inde deductum per agnominationem, Πέτρος. Quid tum enim, si quam communiter πέτραν Græci dicūt, Attici πέτρον vocant? Certè Euangelistæ non sunt vsi dialecto Attica, sed communi: alioqui, cur non etiam Christum masculino fine πέτρον dixere? Certè id non est de nihilo; quòd cùm Christus nunquam Petrus appelletur, sed Petra: Simon tamen, nunquā Petra, sed Petrus. Neque id aliorsum trahi potest, quàm vt dicamus non ὁμωνύμως, sed παρωνύμως Simonem sic appellatum fuisse. Quæ παρωνυμία si, non potuit Syriacè exprimi, nihil decedit caussæ nostræ; vt aliàs dictum.

VIII. Sed, eodem nomine Græcè significari caput, quàm ridiculum? Quantumlibet affirmante Optato, ac cū eo, si velis, Aniceto illo suppositio: quos crassus nimirum, & puerilis error abduxit à recto. Si tamen abduxit Optatum: quod vix credam: & statuam potius ineptum esse scioli cuiusdam additamentum: cuiusmodi plurima Critici subinde deprehendunt. De quo tamen suum esto cuique iudicium. Ego sanè sic malim, quàm tantam ineptiam tanto viro imputare. Græci κεφαλὴν dicunt, nunquam Cephas. Etsi autem nonnulla sit syllabarum similitudo, tamen significatio non est eadem. Quid enim? si quia μωρὸς Græcè stultus dicitur, ideo dicat aliquis Euangelistam Matthæum dictum esse tanquam stultum? Imò ne Thomam quidem quisquam ferat ἀπὸ τοῦ θαύματος: aut Simeonem à Simia. Aquinatem quis non ridet, qui præfatione in libros Boethij de Consolatione, ea syllabarum similitudine deceptus, titulum à Titane, id est Sole, format? Denique longè propinquior est allusio inter ἀγορὰν & πόρνας. Et tamen sanum-ne quis existimet, qui ita luserit?

IX. Stapletonus subtiliùs singula persequitur in Relectione, controuersia tertia, quæstione prima, articulo primo. Tres ergo gradus distinguit: Primum, noui nominis prædictionem, Ioannis primo, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Secūdum, noui nominis impositionem, Marci tertio: *Et imposuit Simoni nomen Petrus.* Tertium, noui nominis expositionem, Matthæi decimo sexto. *Tum*

singulos gradus exaggerat, pensiculatis curiosè circunstantiis omnibus. In primo: quod ad ipsum statim primum aspectum, & cõgressum: scilicet, vt tã à Petro quàm à posteris diligentiùs obseruaretur. Et quod antequam loqueretur, Petrũ Christus intuebatur: qui modus studiosum quendã & singularem affectum coniunctum habet. Et quod primum, vulgare eius nomen protulit: nempe, vt antithesis fortior fieret, & nominis pollicitatio illustrior. In secundo: quòd impositio facta sit, cùm duodecim Apostolos designauit Christus: vt eodem momento caput cæterorum pastorum insinuaret. Et quòd in ea vocatione semper Petrus primum enumerationis locum occupet. Et quòd mutatio aliquid excellens in ipsa persona significet. In tertio, tum occasionem notat confessionis editæ: tum emphasin verborum: & reliqua, quæ antè expensa fuere. Atque hæc est Stapletono propria in disputando pompa, & magnificentia: qualis esse solet circulatorum, qui suas ineptias sonantibus vocabulis sollicitè commendant.

X. At primùm, vix crediderim tres gradus benè distinctos. Nam apud Ioannem primo capite, cur prædictio est potius, quàm impositio? Nam sanè sic aliàs. Geneseos decimo septimo: *Nomen tuum erit Abraham.* trigesimo quinto: *Israel erit nomen tuum.* Lucæ primo: *Vocabitur Ioannes.* Quibus locis nõ prędicitur, sed imponitur nomen. Neque Marcus notat tum fuisse mutatum Simoni, cùm duodecim selecti. Sed cùm in enumerationem deueniret eorum qui erant selecti, mutationem nominis indicauit; non habita temporis ratione, vt aliàs sæpe. Itaque Aquinas in hunc locum quærit, quare Simoni nomen Christus indiderit à principio conuersionis, non verò à natiuitate. Sed & Nonnus, *σὺ μοι κεκλήσεαι Κηφᾶς δεύτερον οὔνομα δέξο νεώτερον.* *Tu mihi vocare Cephas. Secundum nomen accipe recentius.* Sed & Augustinus De consensu Euangelistarum, tum libro primo, capite decimo septimo, & quinquagesimo tertio: tum quarto, capite tertio, hanc sententiam disertè tuetur. Accedit Pererius Iesuita in primum Ioannis disputatione vndequinquagesima. Quòd si duo tantùm sint gradus, magna pars perit horum mysteriorum.

XI. Secundò, etiam si bene distincti sint gradus, tamen consequentia nulla est ad Oecumenicum Pontificatum. Prædixit Christus. Sic Chrysostomus obseruat: & post eum Theophylactus, Euthymius, Aquinas. Sed de Pontificatu, ne γρῦ quidem. Imò prophetasse dicunt, vt cum Nathanaële, & Samaritana, ad autoritatem sibi comparandam. *ἀπὸ προφητείας*, inquit Chrysostomus, *οὐχ ἧττον αἱ προφητεῖαι προσάγονται, ἢ τὰ σημεῖα ...* *Nec enim minus quàm signa, mouent prophetia, nec vllum præ se fastum ferunt.* Non igitur vt Petrum aliis præferret, sed vt seipsum ostenderet quis esset, Christus prophetauit, *ἄρχεται ἀποκαλύπτειν τὰ τῆς θεότητος: incipit reuelare diuinitatis mysteria*; id est, suam ipsius Deitatem. Et esto tamen: sint omnia comparata, vt solènne aliquid indicetur: tamen longus inde hiatus est ad Oecumenicum Pontificatum. Nam & in primo congressu Nathanaeli dixit; *Ecce verè Israelita in quo dolus non est*, & Samaritanæ, *da mihi potum.* Et vtrumque vix ac ne vix quidem potuit fieri, nisi oculis in eos conuersis. Quanquam *τὸ ἐμβλέψας*, facilè esse potest pro simplici *βλέπειν*, vt Marci octauo, *ἐνέβλεπε τηλαυγῶς*, *Clarè videt.* Actorum vigesimo secundo, *ὡς οὐκ ἐνέβλεπον. Cùm non viderẽ.* Nec phrasin ipsam, *Tu vocaberis Cephas*, per se significare necesse est aliquid singulare & excellens: sed duntaxat noui nominis vsurpationem. Nam quod Stapletonus comparat cum hoc loco, *Tu vocaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te*; coactum est. Non enim sunt loci prorsus similes: quia hîc ratio nominis impositi redditur, non in Petro: & si qua est emphasis, ea pendet non ab ipsa phrasi tota, *Tu vocaberis Abraham*: sed à solo nomine, eiúsque etymo. Et tamen emphasis non significabit Oecumenicum Pontificatum.

XII. In secundo gradu, primùm, vt dixi, non est certum, eam nominis impositionem tum factam fuisse, cùm duodecim eligerentur, mitterenturque. Deinde, quis hanc tum concedat factam, vt eodem momento capút cæterorum pastorum insinuaretur? Fœda ea est petitio principij; quæ longè faciliùs sumit, quàm demonstrat *τὸ κεφάλαιον*. Et quæro, quid erat necesse tum caput illud insinuare? Quod neque constituebatur, neque vllius vsus erat. Nam constitutum ipsi Papistæ asserunt, duntaxat post resurrectionem: & manifestum est discipulos, cum missi sunt primò, à nemine pependisse, nisi à Christo. Scilicet Papistæ, iidem vt proci, quod amant, putant se passim cernere.

XIII. De tertio gradu, id est, de loco ex Matthæi decimo sexto, dicta sunt iam satis multa: quæ huc transcribere nihil attinet, id est, actum agere.

XIV. Toleti notationibus in primum Ioannis noua subtilitas fuit: Petro non ablatum prius nomen, sed nouum additum: nempe, vt primo nomine significaretur esse Apostolus cum reliquis, quibus reseruata pristina nomina: sed altero, supra Apostolos. Vah! profundum meditationum! Sed ego solidum quærebam. Est-ne igitur ita, vt quibus nomina vetera relinquerentur, omnes essent Apostoli? quis dixit? quis edixit? Est-ne igitur, vt quibus nomen additum, ij sint supra Apostolos? Quo igitur ordine locabis vtrumque Boanergem? An piget ineptiarum?

XV. Secunda prærogatiua: Quum nominantur Apostoli, vel omnes, vel aliqui, semper primo loco ponitur Petrus. Matthæi decimo: Marci tertio: Lucæ sexto: Actorum primo: Marci quinto: Lucæ octauo: & vicesimo secundo: Matthæi decimo septimo: Marci decimo tertio: Ioannis vltimo.

XVI. Respondeo: Primò non est perpetuum: itaque non priuilegium, siue prærogatiua. Ioannis primo; Petrus post Andream nominatur. *Erat Philippus ex Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri.* Primæ ad Corinthios tertio: nominantur, *Paulus, Apollo & Cephas.* Ad Galatas secundo: *Iacobus, Cephas & Ioannes.* Primò ad Corinthios nono: *Reliqui Apostoli, & fratres Domini, & Cephas.* Marci decimo sexto: *Discipulis eius & Petro.* Ad Galatas secundo: *Quum vidissent mihi concreditum esse Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis.* His saltem locis Petrus nominatur post alios. Qua igitur fronte asserunt, hanc ei fuisse prærogatiuam, vt semper primus & ante reliquos nominaretur?

XVII. Quanquam in secundo ad Galatas Bellarminus negat esse certum an Paulus sic scripserit: & rationem dubitandi notat, quia Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus, legant Petrus, Iacobus, & Ioannes: sed & Chrysostomus in Commentariis. Si tamen sic legendum, dicendum, inquit, factum, vel quia Iacobus erat Episcopus Hierosolymorum, vbi tunc erant Apostoli de quibus Paulus loquitur: vel

qua

quia Paulus hoc loco nullum ordinem seruauerit.

XVIII. Atquis non agnoscat meram desperationé, dum vellicari videt fidem codicum sacrorū; in tanto consensu omnium exemplarium: imò & interpretum tum Latini, tum Syriaci: tum Commentariorum Græcorum, Chrysostomi, Oecumenij, Theophylacti, vt Latinos taceam? Enimuerò, dubitandum potiùs videatur, vtrum Ambrosius & Hieronymus ita scriptum reliquerint, *Petrus, Iacobus, & Ioannes*, an potius librariorum incuria ordo sit peruersus. Nam de Augustino & Chrysostomo facilis responsio. Ille nihil habet, quo constet legisse in cõtextu aliter, quàm nunc habemus. Cùm enim dicit, *Petrus autem, Iacobus, & Ioannes honoratiores in Apostolis erant*, non αὐτολεξεὶ contextum citat, sed suo arbitrio sensum exponit, sicut & Chrysostomus, qui cùm in contextu nihil variet, in commentarijs mutauit ordinem. Potuit autem vterque securior esse in re tantuli momenti. Nam ante huius temporis Papistas, nemo mysterium quæsierat in hac nominum serie.

XIX. Sed si factum, inquit: vel quia Iacobus erat Episcopus: vel quia ordinis cura nulla. Ridiculè, inquam. Non enim argumentum fuit ab enumerandi caussa: sed ab ipsa enumeratione, cuius quæcunque tandem caussa fuerit, tamen ipsa constat: & eo magis constaret, si daretur certa caussa. Quare, certa etiam nostra instantia, primum locum non fuisse Petro assignatum ex prærogatiua. In quo tantò plus est ponderis, quantò illi disertiùs ducunt non ex eo simpliciter, quod interdum, ante nam sæpius: sed ex eo quod semper. At hoc manifestè falsum ex his locis. Deinde, quid habet hæc caussarum enumeratio momenti? Clariùs. Concedamus illis, si placet, primum numerari Iacobum, siue ob Episcopatum, siue fortuito. Quid tum? Nempè hoc illi volunt, non propter principatum Oecumenicum: Et cachinnum aliquis comprimat, in tam fœda ἀλογίᾳ? Esset enim concipiendum argumentum hac forma: Quisquis propter Oecumenicum principatum semper primus nominatur, is est Oecumenicus Pontifex. Quo quid potest esse putidum magis?

XX. Sed illud de Episcopatu Iacobi est friuolum: etsi mutuatum ab Anselmo, & Thoma. Primò, vix fit verisimile, fuisse Iacobum Episcopum, qui Apostolus esset: præterea non concedent aduersarij, cùm Oecumenicus est in alicuius diœcesi, tum honoratiorem esse eum Episcopum, vt ei primæ sint deferendæ. Nam contrà Episcopum Episcoporum appellant, & ordinarium ordinariorum & Dominum omnium: & omnes Episcopos eius ministros. Atque adeò iam olim Synodo Constantinopolitanæ Agatho interesse noluit, quantumuis rei versaretur intra muros Constantinopolitanæ: ne sederet secundus ab eius loci Episcopo, Synodi præside. Denique nunquam dabunt aduersarij Episcopatum Hierosolymitanum digniorem esse, Oecumenico. Altera caussa verior, nullum ordinem à Paulo fuisse seruatum. Profectò ille non seruauit, non tantùm vllam prærogatiuam erat acquirere, aut significari ex priori, posterioriue loco in numeratione: Sed ne quidem Petro vllum ius esse, vt semper primus nominaretur: alioquin, quis dubitet quin ei magnam faceret iniuriam? Is, inquam, qui cum de se & Siluano ac Timotheo loquitur, ipsi primum locum semper retinet?

XXI. Secundò respondeo: Si Nazianzeno credimus, non fuit id Petri priuilegium vllum: sed commune cum Iacobo, & Ioanne. Sic enim ille in oratione de moderatione in disputationibus: Πέτρος, καὶ Ἰάκωβος, καὶ Ἰωάννης, οἱ πρὸ τῶν ἄλλων καὶ ὄντες, καὶ ἀριθμούμενοι. *Petrus, & Iacobus, & Ioannes, qui præ alijs & erant & numerabantur.* Quòd si hæc prioritas in Petro conficit Oecumenicum Pontificatum, cur non in Iacobo & Ioanne? Aut si non in his, cur in illo?

XXII. Tertiò, negatur consequentia. Non enim valet illatio, Petrus nominatur primus inter Apostolos: Ergo, est Oecumenicus Pontifex. Primatus enim est, vel temporis, vel ordinis, vel dignitatis, & non duntaxat potestatis. Petrus ergo, etsi non fuerit primus tempore; potuit tamen esse primus ordine; primus etiam dignitate: nec tamen primus potestate. Nam hunc potestatis primatum nullum esse à Christo institutum, euicimus. Posse autem inter æquales, id est, præditos eodem munere, & æquo iure, id est, inter pari præditos consortio honoris & potestatis, vt Cyprianus loquitur; sic vt non habeat alius in alium vllam autoritatem: posse, inquam, inter eos esse primatum ordinis, & dignitatis, ipse communis sensus docet, & experientia confirmat. Romæ, cùm instituerentur duo Consules, alter dicebatur primus, puta, Cicero: Nam hic prior erat Antonio, tum quia prior renunciatus: tum quia in conseruanda & administranda Rep. eius fuere partes præcipuæ. Antonius tamen ab eo nullo officij iure pendebat. Hoc verò melius ipse Cicero doceat suis verbis in oratione pro Muræna. *Neminem fugit, quum multi pares dignitate fiant, vnus autem primus solus possit obtinere, non eundem esse ordinem dignitatis, & renunciationis: propterea quod renunciatio gradus habeat, dignitas autem sit persæpe eadem omnium.*

XXIII. Hoc modo Concilium Constantinopolitanum ordinem definiit sedium Patriarchalium, canone trigesimo sexto. Θεσπίζομεν ὥστε τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον τῶν ἴσων ἀπολαύειν πρεσβείων τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θρόνου, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δεύτερον μετ' ἐκεῖνον ὑπάρχοντα· μεθ' ὃν ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως, καὶ μετὰ τοῦτον ὁ τῆς Ἱεροσολυμιτῶν πόλεως. *Definimus Constantinopolitanum thronum pari honore frui cum Romano: atque in rebus Ecclesiasticis æque magnifieri: sic tamen vt secundum locum obtineat: post quem Alexandrinus: & post hunc Hierosolymitanus.* Quæ verba sunt admodum perspicua: vt sit post Romanum Constantinopolitanus, ordine tamen. Et quia solet qui prior est reliquis, etiam dignior censeri, ideo etiam dignitate. Sed eadem opera sollicitè cauetur, vt æquè vterque in negotiis Ecclesiasticis exaltetur, quæ æqualitas est officij, & potestatis. Præuidebant enim boni Patres tandem futurum, vt hæc ordinis contentio abiret in præceps, quod & factum.

XXIV. Hunc primatum ordinis, siue dignitatis, & Paulus indicat, quum nominat, τοὺς δοκοῦντας, καὶ τοὺς στύλους, ad Galatas secundo: item τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους secundæ ad Corinthios vndecimo. Et Cyprianus, qui etsi primatum Petro dari agnoscat, tamen disertè asserit reliquos eiusdem fuisse cum eo honoris & potestatis consortio præditos. Sed & Eusebius historiæ libro secundo capite decimo tertio ὁ πανάγαθος καὶ φιλανθρωπότατος τῶν ὅλων πρόνοια, τὸν καρτερὸν καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων, τὸν ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον Πέτρον ἐπὶ τὴν Ῥώ-

μὲν, ὃν δὴ πολλάκις ἡμῖν ἀνέμνησα βίω χειραγωγῶ. Ii qui omnibus rebus optimè humanißiméque prouidet, fortem & in Apostolis magnum, reliquorúmque ob virtutem primum, Romam quasi manu prehensum deducit ad eam vita pestem. *Ἀρετῆς ἕνεκα πρῶτον*, inquit: quomodo Cicero pro Planco, Catonem vocat in omni virtute principem. Augustinus tractatu in Ioannem centesimo vicesimo quarto. *Petrus naturâ, vnus homo erat: gratia, vnus Christianus: abundātiore gratia, vnus idémque primus Apostolus.* Hinc ipse Leo in sermonibus de Petro & Paulo, non solùm Petrum dicit *principem & primum Apostolici ordinis*, sicut ante eum Augustinus, sermone decimo tertio de verbis Domini, *in Apostolorum ordine primum*: sed etiam *Petrum & Paulum Apostolorum præcipuos*: sermone primo. Et Bernardus sermone in festo eorum, *Apostolorum principes*. Hunc primatum nec nos odimus, quod falsò asserit Bellarminus: & intellexit Ambrosius in duodecimum caput prioris ad Corinthios, quum dixit, *Prior Andreas sequutus est Saluatorem: primatum verò non accepit Andreas, sed Petrus.* Augustinus autem alio sensu dixit tractatu in Ioannem vltimo, *Apostolatus primatum*, non pro dignitate eius qui inter Apostolos emineret: sed pro ipso Apostolatus munere, vt aliàs sæpe: & quo sensu apud Patres Episcopatus nominari solet primatus. Ambrosius in secundum ad Galatas hunc nostrum primatum intellexit, cùm de Paulo dixit, *vt dignus esset habere primatum in prædicatione gentium, sicut & habebat Petrus in prædicatione circumcisionis*: hoc est enim, vt eius essent præcipuæ partes in prædicatione gentium, vt erant Petri in prædicatione circumcisionis. Nam certè Paulum nemo concedat fuisse Papam.

XXV. His quidnam opponant, videamus. Salmero, tomo quarto, parte secunda, tractatu decimo tertio; negat τὸ *primus*, esse nomen ordinale: quia sequeretur, secundus, tertius, quartus. Satis acutè, si solidè. Sed quid his locis fiet? Lucæ decimo quarto. *Primus dixit ei, Agrum emi.* decimo sexto. *Dixit primo, quantum debes domino meo.* decimo nono. *Adfuit primus, dicens; Domine, mina tua decem minas lucri fecit.* Nam his certè locis nusquam sunt illi, secundus, tertius, quartus: sed tantùm *ἕτερος, καὶ ἕτερος*, alius, & alius. An concludimus igitur non significari ordinem? sed potius Oecumenicum Pontificatum? Vt primus ille ex inuitatis, in eos omnes qui inuitati erant, imperium obtineret? Ridiculum. Imò, significat ordinem narrandi: nimirum eum, qui etsi aliis non præferatur, tamen ordine primus in enumeratione nominetur: quod vel fortuitum esse potest; vel ab aliis causis quam ab vlla prærogatiua. Interea notemus τὸν πρῶτον non statim inferre τὸν *δεύτερον*, sed tantùm τὸν ἕτερον.

XXVI. Bellarminus negat Petrum dici primum, propter eximia dona personalia & propria. Non enim potuisse Euangelistam facilè scire, nec iudicare etiam ausum fuisse, quisnam esset inter Apostolos optimus, præsertim cùm sciret Ioannem fuisse virginem, Petrum coniugatum: & Ioannem eundem ita diligi videret à Domino, vt vocaretur discipulus quem diligebat Iesus: nec ignoraret Iacobum minorem tanta sanctitate præditum, vt Iustus & frater Domini ab omnibus diceretur.

XXVII. Respondeo, Euangelistam facilè potuisse scire: nam quî facilius, Eusebius, Augustinus, Leo; quos antè testes laudaui? Hi, inquam, quibus Apostoli nunquam visi erant; quos ille æquè ac digitos norat suos? Intelligebat ergo, non quidem quis esset optimus, nam eo iudicio nihil opus erat; sed quis primus; hoc est, plura à Christo dona accepisset. Nec ipse tamen iudicauit: sed id expressit potius, quod cunctis erat notum.

XXVIII. Virginitas & matrimonium nihil ad rem: sciebat enim Euangelista, inde neminem fieri in Ecclesia aut sublimiorem, aut inferiorem, maiorémve aut minorem. Adde nihil mirum Ioannem esse virginem, qui vix dum ex ephebis excessisset. Sed ne illud quidem obstat, quòd Ioannem specialiter Christus dilexerit: quia etsi suos amet, tamen eis dona largitur cum mensura, his quidem plura, illis pauciora. Iacobus autem facilè potuit vocari Iustus & frater Domini, absque vllo donorum Petri præiudicio. Frater quod fuit, habuit à natiuitate, quæ nihil ad hanc rem facit: quod Iustus vocatus sit, (etsi non habetur id quidem è Scriptura, & multa fabulosa narrant Apocryphi) id ei commune fuit cum aliis. Actorum primo. *Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus.* Ad Colossenses quarto, *Iesus, qui dicitur Iustus.* Quare in eo nomine nihil erat, quod Iacobum Petro præferret.

XXIX. Tertia prærogatiua, è decimo quarto Matthæi, cùm solus Petrus vnà cum Domino ambulat super aquas. Bernardus libro secundo de Consideratione. *Instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet: siquidem aquæ multæ populi multi.* Simile est (inquit Bellarminus) quod narratur Ioannis vicesimo primo, vbi cæteris discipulis in nauicula venientibus ad Dominum, qui in litore exspectabat, Petrus se misit in mare, & natando venit: de quo Bernardus: *Nempe in signum singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quisque suam, sed seculum ipsum susceperit gubernandum: mare enim seculum est, naues Ecclesiæ.*

XXX. Hæc verò, quo, inquam, iure prærogatiua dicitur? Hoccine iuris concessum Petro, vt præter eum nemo se in mare mitteret? Absurdum, & ridiculum. Certè Chrysostomus nullam agnoscit prærogatiuam, sed feruorem, atque adeo impatientiam: hoc est, ipsum sibi id præcipitanter suoque proprio motu sumpsisse: homilia quinquagesima prima in Matthæum. Quid igitur Petrus, *ὁ πανταχοῦ θερμός, καὶ ἀεὶ τῶν ἄλλων προπηδῶν*: *Ille semper feruens, sempérque sese præ aliis aggerens.* *εἶδες πόση ὁ διδασκάλου, πόση ἡ πίστις; Videstis, quanta fuerit feruor? quanta fides?* *καὶ γὰρ ἐν τούτῳ μᾶλλον ἐκινδύνευσεν, ὅτι τὰ ὑπὲρ τὸ μέτρον ἐζήτει.* *Enimuerò hinc sapius in periculum incidit, quod maiora suo modulo quæreret.* *οὗτος δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ὁμοίως· οὐκ ἀνέμεινε μετὰ τῶν ἄλλων ἐλθεῖν, ἀλλὰ προεπήδησεν.* *Hoc & post resurrectionem fecit: non expectauit dum veniret cum aliis, sed occupauit desilire.* Cyrillus in Ioannem lib. duodecimo, capite sexagesimo tertio. *Petrus feruenti amore Christi, vt solebat, exsilit, tardius terra applicaturam nauim intelligens.* Et capite sequenti. *Præueniebat alios Petrus: ardore namque Christi præcipue feruens, & ad faciendum, & ad respondendum paratissimus erat. Vnde tarditatem modo nauigij videns, tunica succinctus in mare exsiliit.* Hæc illi: quod si fuit effectum aut feruoris aut impatientiæ; profectò non magis prærogatiua fuit Petri, quàm fuit prærogatiua Ioannis, quod pri-

mus

mus Dominum agnouerit: vnde Chrysostomus in Ioannem homilia octogesima sexta concludit fuisse & altiorem, & perspicaciorem.

XXXI. Et tamen, negatur consequentia. Petrus solus ambulat super aquas: ergo est Oecumenicus Pontifex. Quo enim cæmento hæc conglutinãtur, vt cohæreant? Nisi fortè sit prorutione voluntas: hic vt aliàs nimium sæpe. Modestior Salmero, qui tantum abest, vt quicquam agnoscat huiusmodi; vt contrà potius dicat: *Et potius ambulare super aquas, non quòd prior esset dignitate: quia ambulare super mare, non est actus Pontificatus.* Neque vllus sanè Veterum ita fuit perspicax, vt hoc loco hunc primatum deprehenderet.

XXXII. Sed Bernardus, inquiunt. At Bernardus, inquam, malè. Non est enim hæc interpretatio: sed audacissima allegoria. Allegoriis autem quicunque indulget, is sanè ex quolibet efficiet quidlibet. Sed primum, quis Bernardum docuit, id factum, eò factum esse, vt quid aliud significaret? An verò concedendum cuilibet, vt quæcunque occurrerint, transformet in allegoriam? Deinde, si est allegoria, cur hæc est potius, quàm aliarum quælibet, quas infinitas curiosa possunt ingenia comminisci? Anselmus multo aliter. *Petrus*, inquit, *personam gerit laborantis Ecclesiæ. Dicit ergo Ecclesia, si tu es ille verus liberator, sicut te vera es, iube me venire ad te: optat enim Ecclesia semper venire ad Dominum. Addit super aquas: quasi dicat, fac me ad exemplum tuum, mundi superare pressuras.* Sic Anselmus: imò & aliter paulò post. *Mystica nauicula designat humanum auxilium: quia nauis est hominis instrumentum ad gentes transfretandas: descendit Petrus de nauicula, quum Ecclesia, postposito humano auxilio, humiliando se ad Deum solum refugit: & per hoc datur ei calcare tribulationes huius mundi, vt veniat ad Iesum, id est, fit ei conformis.* Sed rursus aliter Emissenus, nisi ψευδεπίγραφος liber, in homilia Sabbathi post cineres: & quidem non longè petita allegoria. *Hoc facto beatus Petrus, ea quæ sibi ipsi futura erant, iam tunc significabat. In Christi namque passione, quasi super aquas confidenter ambulabat, cùm diceret, Etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor. Videns verò ventum validum, timuit, quia cùm Dominus à Iudæis teneretur, ipse quoque cum aliis discipulis fugit: mersus est autem quando negauit.*

XXXIII. Iam quæro argumentum, quo constare possit potiorem esse allegoriam Bernardi? *Aquæ multæ*, inquit, *populi multi.* Sanè, inquam, ita legitur Apocalypsis decimo septimo. Sed quid? an propterea, vbicumque sunt aquas multas, aut mare legimus, intelligendi populi multi? Minimè verò: Nam etsi Ioseph dixerit, Geneseos quadragesimo primo, *Septem vaccæ, septem anni sunt*: nemo tamen sanus contendat Geneseos trigesimo secundo, *Vaccas quadraginta*, significare annos totidem. Rectè Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana, capite vigesimo quinto. *Non putemus esse præscriptum, vt quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc eam semper significare credamus.* Rursus Bernardus, *Mare seculum est.* Hoc verò vnde? neque enim è Scriptura. Deinde, qui probatur, si sunt aquæ multæ, populi multi, & mare seculum ideo ambulare super aquas maris, aut natare in mari, significare populis præesse: eósque gubernare? Imò potius, vnde constat populos illos, & seculum illud, significare Apostolos? Nam hic nodus est. Fatemur enim præfuisse Petrum populis multis, id est, Ecclesiæ; vt & reliquos Apostolos, sed præfuisse Apostolis, hoc verò negamus Denique quid hoc est? quàm dignũ Bernardo? Mare seculum: naues Ecclesia. Nam hinc consequẽs nõ esse in Ecclesia primatum, sed extra Ecclesiam in seculo. Næ Pontificum illustre Emblema, vt pro certo habeamus non nisi egressis Ecclesia contigisse suum principatum.

XXXIV. Quarta prærogatiua, illa peculiaris reuelatio facta soli Petro, Matthæi 16. Insigne enim priuilegium est, quòd primus omnium Apostolorum, à Deo edoctus, cognouerit summa mysteria fidei. Nã etsi antea Christus vocatus esset filius Dei, Matthæi 14. & Ioãnis 1. tamen ita vocabatur, quomodo omnes Sancti vocantur filij Dei. At Petrus intellexit Christum esse Filium Dei verum, ac naturalem.

XXXV. Respondeo, hîc nullum esse priuilegiũ. Et sanè geminum mendacium est in obiectione: tũ quòd soli, tum quòd primo sit reuelatum id mysterium. Non soli, quia quẽadmodum hîc ei Christus dixit, *Caro & sanguis tibi non reuelauit, sed Pater meus*: sic & Paulus de se, ad Galatas primo, *Notum vobis facio fratres, Euangelium prædicatum à me non esse secundum hominem: neq; enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sũ, sed patefaciente mihi Iesu Christo.* Et postea. *Quando igitur placuit Deo reuelare Filium suũ in me, vt euangelizarem ipsum in gentes, nõ statim contuli cum carne & sanguine.* Quare æquè ac Petrus, Paulus etiam sciuit mysteria nostræ fidei ex reuelatione.

XXXVI. Sed neque primo factam reuelationem, constat aut à Scriptura, aut à Patribus. Nã verba, *Caro & sanguis tibi nõ reuelauit, sed Pater meus*, nulla necessitate inferunt, nemini hactenus fuisse reuelatum: sed tantùm reuelatum: quod quidem verũ est, etsi aliis plurimis ante id tempus reuelatum fuisset: quemadmodum, etsi verum est Petro tum fuisse reuelatum, tamen non est falsum Paulo postea fuisse. Et sanè ante id tempus Apostoli dixerant, *Tu es verè Filius Dei.* Matthæi decimo quarto: & Ioannis 6. *Nos credimus & nouimus te esse Christũ Filium Dei viuentis.* Nã quod ea dicta Bellar. excipit, dicta haud aliter ac de singulis fidelibus: sumit suo iure, hoc est audacter: nõ autẽ probat. At quorsum illud ἀληθῶς, si nullum discrimẽ notaretur inter Christum & reliquos fideles? Certè Maldunatus interpretatur Filiũ non adoptione, sed natura: non vt virum iustum: sed vt verum Deum. Sed & adorarunt, teste Matthæo. Itáne Apostolos adorasse, eum quem haberent vnũ ex singulis fidelibus? Chrysostomus in eum locum, asserit ex miraculis quæ viderant, nempe ambulari super aquas, & pacatam tempestatem, discipulos fuisse in fidẽ deductos, & dixisse, *Filius Dei es tu.* Hieronymus disertius. *Ad vnum signum tranquillitatis maris reddita, quæ post nimias procellas interdum & casu fieri solet, nautæ atque vectores verè Filium Dei confitentur: & Arius in Ecclesia prædicat creaturam?* Lyranus disertissimè. *Dicitur verè, id est, non metaphoricè, nec per adoptionẽ sicut sancti, sed propriè, & eiusdem naturæ.* Similiter Cyrillus in Ioannem libro 4. capite 29. *Illud diligenter considera: quod vbique præcipuè cum præpositione articuli. Tu es ipse Christus, dicunt, ipse Dei viui Filius, ab aliis filiis Dei, qui vocati per gratiam adoptati sunt, verè ac naturaliter Filium separantes.*

XXXVII. Illæ igitur confessiones, etsi verbis nonnihil differant, re tamen sunt eædem cum confessione Petri: vt sit igitur necesse Apostolis idem fuisse mysterium reuelatum; etiam prius quàm hoc loco Petrus confiteretur. Et quæ contra Bellarminus argumenta profert, sunt nihili: primum à verbis: σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος: secundum ex magniti-

ea Christi approbatione: tertium ex Patribus, Hilario in Psalmum centesimum trigesimum primum: & libro sexto de Trinitate: & in caput decimum sextum Matthæi. Athanasio, oratione quarta contra Arianos. Chrysostomo in eundem Matthæi locum: Cyrillo in Ioannem libro duodecimo, capite sexagesimo, quarto. Augustino, sermone cẽtesimo vicesimo quarto de tempore: Leone, sermone secundo de natali Petri & Pauli.

XXXVII. Nam ad primum: quid tum si verba sunt alia, & quidem *ἐμφατικώτερα*? Quanquam eadẽ leguntur Ioannis sexto; ne apice quidem mutato. Sed tamẽ quid tum? Quasi eadem fides non possit, imò non soleat variè enunciari. Et quis negat eandem ipsam fidem contineri in Symbolo; his paucis verbis: *Et in Iesum Christum filium eius vnigenitum?* Ad secundum respondebit Salmero Iesuita tomo quarto, parte tertia, tractatu primo. *Cùm ergo quæritur, cur solus Petrus prædicetur beatus ab hac fide: Respõdemus: nónne etiam dictum est de Abrahã quod credidit, & reputatum est illi ad iustitiam? Et tamẽ ante ipsum, & postea multi crediderunt.* Nulla igitur vis est consequentiæ; cùm dicitur, solus prædicatur beatus: ergo ante eum nemo eandem fidem professus erat.

XXXVIII. Quod attinet ad Patres; Primũ falsò aliquos Bellarminus nominat. Nam Athanasius nõ alludit ad hunc locum; sed ad illum è decimo quarto capite, vt verba ipsa ostendunt: *ὁμολογοῦσι λοιπὸν πρῶτον μὲν Πέτρου, ἔπειτα καὶ περὶ πάντων, ὅτι ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς οὗτος ἐστιν. Deinceps agnoscitur à Petro quidem primum, deinde à reliquis, esse verè filius Dei.* Nam illud *ἀληθῶς* non vsurpatur decimo sexto capite. Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus, Leo; primum intelligũt in eius confessionis actu: hoc est, hoc sensu; verum temporis omnibus interrogatis Petrus occuparit responsum. Verba sunt, Chrysostomi; *πάντων ἐρωτηθέντων αὐτὸς ἀποκρίνεται; omnibus interrogatis, ipse respondet: Πέτρος προπηδᾷ καὶ προλαμβάνει: Petrus confestim prosilit, ac præoccupat.* Cyrilli. *Cùm iterum post responsionem ab eis quæreretur, vos autem quẽ me dicitis esse? vt princeps caputq́ue cæterorum primus exclamauit.* Leonis. *At vbi quid haberet discipulorum, sensus exigitur, ille primus est in Domini confessione.* Nec aliter intelligendus Augustinus. *Hic est Petrus, qui diuina reuelatione prior omnium veritatem meruit confiteri.* Itaque solus superest Hilarius: cuius priuatum iudicium demonstrationis vim obtinere non potest.

XXXIX. Sed denique, etiamsi certissimè constaret primò, atque ante omnes Petro factã eã reuelationem, tamen negatur inde legitimè concludi Oecumenicum Pontificatum. Nihil enim eximium accessit iis discipulis, qui ante Petrum sunt vocati: aut illis operariis, qui Matthæi vicesimo dicuntur conducti prima statim luce; cùm alij tantùm hora tertia, aut sexta, aut nona, aut denique vndecima. Sed & Paulus; cui certum est nouissimo Christum apparuisse, & tanquam abortiuo, negat se tamen esse minorem aut Petro, aut vllo Apostolo, quantumuis summo, quantumuis primo.

XL. Quinta prærogatiua ex Matthæi decimo sexto. *Portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.* Quo verbo non solùm promittitur perpetua stabilitas vniuersæ Ecclesiæ, sed etiam petræ, super quam fundatur Ecclesia: vt notat Origenes. Itaque speciali priuilegio promissum est Petro, sedem eius nunquam esse ruituram: quam promissionem si habuissent cæteri Apostoli, adhuc staret sedes Iacobi Hierosolymis, Ioannis Ephesi: Matthæi in Æthiopia: Andreæ in Scythia. Augustinus in psalmo contra partem Donati. *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa sede Petri: ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Sensus est, ea Christi verba sic interpretanda, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferorum non præualebũt aduersus eam petram. Quam constructionem Salmero amplectitur, tomo quarto, parte tertia, tractatu tertio: & tuetur his argumẽtis. Primò, quòd Christus remuneraturus confessionem Petri, tertio repetiuit coniunctionem. *Et, nimirũ, & ego dico tibi: Et super hanc petram: & portæ inferorum:* vbi vides ex præcedentibus & sequentibus sermonem accipiendum de Petro. Secundo: Quid non in Ecclesiam vniuersalem supra Petram fundatam, neq; infernum, neque mundum præualere posset?

XLI. Respondeo: Matthæi locum fœdè torqueri. Primò, cùm Petra intelligitur non tantùm Petrus: sed etiam sedes Petri, cùm tamen Christus sit: nec possit *hæc Petra*, id est, indiuidua, tribus diuersis rebus assignari. Nam re vera, aliud Christus est, quam Petrus: & rursus aliud longè, Petrus, quàm sedes Petri. Enimuerò, si concedamus Petræ nomine Petrum significatum: tamen Petri nomine eius sedem venire, non potuit somniare nisi merus Papista. Atque adeò tam abfuerunt ab eo, omnes Veteres quàm à febricitantis insomniis. Nam de Augustino quid dicam? Primùm Psalmus ille sic compositus est, vt constet versibus non continui sensus: sed interrupti. Vt nihil sit necesse hanc Petram intelligi de sede Petri: sed de ea vite, ad cuius vnitatem paulò antè Donatistas inuitabat. Qui sit autem verisimile, id eum de sede intellexisse, quod, cùm aliquando de Petro exposuisset, retractauit?

XLII. Secundò, quis non miretur horum hominum peruersitatem, qui, cùm hanc Petram interpretantur, pertinaciter clamitant pronomen referendum ad id quod proximè præcessit: vbi tamen solum pronomen non est: hic verò, vbi solum pronomen est, *eam*, remotius inuestigant? Nam illic quidem, si dictum esset, Tu es Petrus, & super hunc ædificabo, nulla nostra foret controuersia: constructio enim esset perspicua. Adde, quod non tantùm nullum est incommodum, cùm hanc petram intelligimus Christum, sed etiam multa sunt, si intelligas Petrum: hic verò & multa sunt si, *eam*, intelligas vel Petrum, vel sedem: & nulla prorsus, si Ecclesiam. Sed, & quid causæ dicant, cur non moueantur Veterum consensu? Nam Origenes quidem ambiguam constructionem reliquit: Hieronymus dixit, *Portæ inferorum non præualebunt contra te.* Sed præterea nullus, imò omnes Ecclesiam dicunt. Chrysostomus, *εἰ δὲ ἐκκλησίας οὐ κατισχύσουσι, πολλῷ μᾶλλον ἐμοῦ.* Interprete Aniano. *Si verò aduersus Ecclesiam non præualebunt, multò minus aduersus me præualebunt.* Theophylactus. *postquam* portas inferorum dixit esse persecutores & hæreticos, *πολλῶν γὰρ διωκτῶν, καὶ πολλῶν αἱρετικῶν ἐπαναστάντων ἡ ἐκκλησία: multis persecutoribus, multisque hæreticis præualuit Ecclesia.* Et applicans vniuersis fidelibus: *ἐὰν οὖν καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ τοῦ Χριστοῦ στηριχθῶμεν, αἱ πύλαι τοῦ ᾅδου, ἤτοι αἱ ἁμαρτίαι οὐ κατισχύσουσιν ἡμῶν. Si igitur & nos fundemur super confessione Christi, portæ inferni siue peccata non præualebunt nobis.* Euthymius. *Non dominabuntur Ecclesiæ.* Anselmus. *Non præualebunt aduersus eam Ecclesiam.* Athanasius oratione qua disputat vnum esse Christum, citato loco,

lo[illegible] *per [illegible]. Ecclesia mutilata res est; etiamsi [illegible] commoueatur: imò ipsi qui in eo sunt principes [illegible]atum.* Denique Syriaca versio manifesta est, [illegible] dixerunt כאפא, & relatiuum postremum; quod tamen conuenit cum לעדת.

XLIII. Sunt autem argumenta Salmeronis le[illegible]nia. Primum à particula, *&*, quam nihil habere quod repugnet ei quam tuemur constructioni, omnes [illegible] etiam pueri: & sanè eam expressit etiam Syrus interpres. Nec Veteribus credo saltem Grammaticæ ignorationem affingent aduersarij. Itaque non sequitur si præcedentia & sequentia de Petro intelligantur, etiam media intelligenda. Nam illud quidem fit, non vi particulæ illius; sed pronominis, *Tu es: Tibi dabo.* Postea verò mutatur phrasis in tertiá personam, *hanc petram: aduersus eam.* Vix autem solet ita abrumpi orationis filum: vt eadem persona manente, nunc *Te* dicamus, nunc *Eum.* Cur non autem nouum fuerit effatum de Ecclesiæ firmitate? Aut cur non æquè ac de Petri? Et si non nouum, cur non magnum? atque hoc satis. Sed aduersarij singula, non ex proprio pondere æstimant, sed suo arbitrio metiuntur.

XLIV. Sexta prærogatiua, Matthæi decimo septimo. Dominus iubet solui tributum pro se & Petro: vnde cæteros Apostolos collegisse, sibi Petrum præferri, scribunt Origenes, Chrysostomus, & Hieronymus. Autor denique Quæstionum Veteris & Noui Testamenti, quæ tribuuntur Augustino, quæstione septuagesima quinta, id factum docet, quia sicut in Christo, ita & in Petro omnes continebantur. *Ipsum enim constituit,* inquit, *esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.* Sic Bellarminus. Alphõsus de Castro, argumentatur ex eo, quòd Hieronymus asserat in hunc locum, Iudæam factam tributariam, & omnes capite censos esse. *Si igitur,* inquit, *tributa per capita soluuntur, quid est quod Petrum iubetur staterem pro se & Christo soluere: nisi quia iam Christus meditabatur Petrum post se Ecclesiæ caput relinquere?*

XLV. Respondeo, nullam esse prærogatiuam. Nam si est: vel quia soluit tributum: vel quia soluit cum Christo. At neutrum. Non prius: fuit enim tributum inductum in capita; vt testatur Hieronymus: & ipse Syrus interpres appellat מכסא וכסף רישא *tributum & argentum capitis, siue capitationis.* At id neque solus Christus, neque solus Petrus, sed omnes Iudæi; imò verò quicumque sub Imperio erant Romano, soluerunt: ad Romanos decimo tertio. *Propter hoc etiam tributa soluitis.* Syriacè, *argentum capitationis.* Quodnam, obsecro, priuilegium? quænam prærogatiua; in eo, à quo nemo excipiebatur? Non posterius: quia certa caussa est, cur tum Christus, tum Petrus debuerint soluere: nempe quia vterque in ea vrbe habitabat. Nam Matthæi octauo, post ingressum in eam vrbem, Christus dicitur venisse in domum Petri, ibique socrum eius sanasse: Et Matthæi quarto, Christus dicitur venisse & habitasse in ciuitate Capernaum. Nono autem, venisse in ciuitatem suam. [illegible] inquit Theophylactus, [illegible]. *Propriam vrbem Capernaum dicit. Ibi enim habitabat. Nam Bethlehem genuit eum: Nazareth aluit: at Capernaum habuit perpetuò habitantem.* Consentiunt omnes interpretes. Quis autem nescit tributa solere per singulas ciuitates exigi? Tenebantur ergo vterque soluere exactoribus eius vrbis, in qua domicilium sibi constituerant. Et soluissent etiam alij, si in eadem habitassent. Ergo, nullum id fuit Petri priuilegium.

XLVI. At pro capite familiæ, inquiunt, census soluebatur. Primùm: vnde habetur, inquam? Ex Hieronymo. At id mendacium est. Hieronymus enim, *post Augustum Cæsarem,* inquit, *Iudæa facta est tributaria, & omnes censi capite ferebantur.* Proh Deum immortalem! portentosam ignorantiam! quæ nobis *capite censos* explicet, capita familiarum! Imò, quis nescit esse, quum singulæ personæ, siue, quæ phrasis est vsitatior, singula capita numerantur? Saltem attenderent, quod subiecit Hieronymus: *Vnde & Ioseph cum Maria cognata sua professus est in Bethlehem.* Nam quid Maria opus erat, quæ non erat caput familiæ? Præterea, si concederetur per familias id tributum persolutum, quid opus est confugere ad familiam metaphoricam, quæ nullo vnquam iure aut diuino, aut humano tributum soluit? Maximè, cùm sit in promptu familia re vera, & propriè sic dicta? Petrus enim erat paterfamilias, vxorem habens, & socrum, & liberos. Et hæc familia solet tributum soluere. Pro ea igitur Petrus soluerit, non pro Ecclesia: quæ & erat tantum metaphorica familia: & nondum erat aut Petri familia; aut omnino familia.

XLVII. Ad hæc, argumentatio est allegorica: ac proinde infirma. Quo enim argumento docetur hanc rem ita gestam esse, vt aliquid aliud significaret, & esset transformanda in allegoriam? Tum si hoc: vnde probant de pontificatu potissimum exponendam? Imò verò ridiculum est, ideo voluisse Christum solui à Petro tributum, quia eum esset constituturus caput Ecclesiæ. Sic enim caput Ecclesiæ fecisset tributarium principibus seculi: quod ne audire quidem sustinent, qui hodie se in eam dignitatem ingesserunt. Quin ipse Christus soluit, non quà caput est Ecclesiæ, sed quà serui formam assumpserat. Origenes in eum locum, *Quasi ergo habens formam serui, illi tributum & censum dedit; non aliud ab eo quod dedit discipulus.* Sed & Salmero Iesuita tomo sexto tractatu trigesimo septimo, dum exponit hunc locum. *Simonem vocat, non Petrum, quia nondum vt vicarium, sed vt subditum & priuatum habebat.* Sic, inquam, Salmero: qui totam hanc allegoriam silentio obruens, tantùm dicit à Christo assumptum Petrum, vel quia tum solus erat cum eo: vel quia Christus, qui caput erat familiæ Apostolicæ, soluere voluit pro Petro, qui ibi habitabat, & habebat domum, vxorem & filios, ideóque obligatus erat ad censum: aliàs non curasset Dominus eum facere tributarium. Quæ vtraque ratio, quid ad Pontificatum? Sed audite tertiam: *vel quia ad Petrum, vtpote Vicarium Christi futurum, & caput, hoc maximè pertinebat scire. Atque ita eius primatum aliquo modo indicauit.* Notate: primò, indicauit tantùm: & aliquo modo indicauit. Sed quomodo? an quia soluit? minimè. An quia cum Christo soluit? nequaquam. Sed quia Vicarium futurum, id expediebat scire. Quidnam autem? Diuinent alij. En priuilegium! en prærogatiuam! en demonstrationem!

XLVIII. Sed ne ex ipsis quidem Patribus ij, qui hîc

magnum quoddam Petri priuilegium considerant, quisquam est, qui Oecumenicum Pontificatum, vel per somnium viderit. Nec autor quæstionum in vetus & nouum Testamentum, dixit, *sicut in Christo, ita & in Petro omnes contineri*: Quod ei Bellarminus ausus est affingere. Recito locum. *Magistrum, vt pro omnibus discipulis solueret, conuenerunt: Saluator autem, cùm pro se, & Petro dari iubet, pro omnibus exsoluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij: ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur: ipsum enim cōstituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.* Atque hęc verba eò mihi diligentius examinanda censeo, quòd iam constat, ipsi etiā Bellarmino, non esse Augustini. Primum igitur, vnde habet postulatū fuisse à Christo, vt pro omnibus discipulis solueret? Certè id Scriptura nusquam dixit, nullus Pater asserit. Imò verba Christi contrà sonant: *Da*, inquit, *pro me, & te*: non pro me, & reliquis omnibus. Et si esset postulatum, quis credat exactores, auarissimum, importunissimúmque hominum genus, adde etiam impudentissimum, non clamaturos statim fraudem fisco fieri, persoluto duntaxat statere vno, pro tredecim didrachmis? Tot dē enim esse debebant, quādoquidem per capita tributum exigebatur. Aliud est, si dicat quis ipsos intellexisse iam mysteriū Pōtificatus Oecumenici, ideóq; acquieuisse. Deinde, noua est, eóque obscura loquendi ratio: *Vt in Seruatore omnes caussæ magisterij erant; sic in Petro omnes continentur*. Et tamen significari, sic in Petro, vt in Christo omnes contineri; non puto posse probari. Experiatur Bellarminus. Et quidem quis credat idem esse: In Christo omnes continentur; & in Christo sunt omnes caussæ magisterij? Mihi autem hic videtur sensus: Quia ipse solus esset magister, ideo pro se solo, & seorsim, fuisse Christo tributum exsoluendum: quoniam autem reliqui omnes erant discipuli, ideo in Petri persona, vnius ex cœtu, pro omnibus persolutum videri potuisse. Ad hæc is quisquis est autor, non ex hoc facto concludit Petrum fuisse caput cæterorum: sed contra potius, ex eo quòd esset caput cæterorum, in ipso pro omnibus fuisse persolutum. Quare hæc esset Bellarminianæ argumentationis ratio: Petrus est caput Apostolorum, quia Christus soluit pro se & ipso simul. Soluit autem pro se & ipso simul, quia Petrus erat Apostolorum caput. Quam φλυαρίαν quis ferat?

XLIX. Ad Hieronymum, Augustinum, Origenem quod attinet, asserentes inde Apostolos cognouisse sibi Petrum prælatum: respondeo, primùm coniecturam esse admodum frigidam. Quid tum enim, si continuetur historia contentionis, cum hac tributi? Certè apud Lucam capite vigesimo secundo continuatur similis contentio, cum sermone de proditione. An dicemus ex ea proditione Apostolos coniecisse, aut Petrum, aut alium reliquis præferendum? Tum verò nihil ad Oecumenicum pontificatum, hæc suspicio: quia non est necesse, qui alijs præfertur, eundem iis præfici. Tertiò, nō ex Apostolorum suspicionibus desumenda Scripturæ interpretatio est, sed ex Christi potius responso, quo emendatur suspicionis vitium. Quomodo Ioannis 11. cùm dixisset Christus Lazarum dormire, suspicati quidem sunt Apostoli eū loqui περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου *de dormitione somni*: sed nos non item: quia statim Christus subiunxit, Λάζαρος ἀπέθανε: *Lazarus est mortuus*. Itaque, quia testatus est Christus nolle se in Ecclesia sua vllum institui dominium: est autem Oecumenicus Pontificatus dominium: concludimus hoc tributo persoluto, nihil minus Christum cogitasse, quàm vt Petrum Oecumenicū Pontificem designaret.

CAP. XVII.

De Petri prærogatiuis ex Luca, & Ioanne.

I. SEptima prærogatiua Petri, è capite quinto Lucæ, & vicesimo primo Ioannis: in quibus explicantur duo miracula Christi edita in piscatione Petri: quorum primum designat Ecclesiam militantē, secundum triumphantem. Ratio significationis: quia prima piscatio facta est ante; altera verò post resurrectionem Christi. Rursus in illa, retia non in dextrum, aut in sinistrum latus tantùm iaciuntur: sed indifferenter, *laxate retia in capturam*: vt neque boni, neque mali excludantur: in hac verò tantùm in dextrum, quia soli boni colliguntur in vitam æternam. Tertiò, in illa rumpebatur rete, & nauis penè mergebatur; quod significat schismata, hæreses, scandala: in hac, neutrum: quia in alia vita nulla erunt schismata. Quartò, in illa nullo numero pisces comprehenduntur, vt impleretur illud Psalmi quadragesimi: *Annunciaui & loquutus sum: & multiplicati sunt super numerum*. In hac, certus est numerus centum quinquaginta trium: quia ad regnum nulli colliguntur præter electorum numerum. Denique in illa, pisces introducuntur in nauem adhuc fluctuantem: in hac verò trahuntur ad litus, quod propter stabilitatem, vitam significat immortalem ac beatam. Porrò in vtraque & naui & piscatione, quæ apertissimè totius Ecclesiæ statum significant, semper Petrus princeps inuenitur. Probatur, quia in illa, cùm vidisset Dominus plures nauiculas, intrauit in *vnam quæ erat Simonis*, & ex ea docebat: vt intelligamus in ea tantùm Ecclesia esse, & doceri Christum, cuius gubernator est Petrus. Et sic Ambrosius sermone vndecimo. *Hanc solam Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est cōstitutus*. Deinde soli Petro dicitur, *duc in altū: & laxate retia in capturā*: vbi Petrus iubetur tanquam summus nauclerus, & piscator, ducere alios ad piscandum. Tertiò, Dominus exponens figuram, soli Petro dicit, *Noli timere: ex hoc enim homines eris capiens*. In altera autem, *Petrus dicit, Vado piscari*: & alij, *Venimus & nos tecum*. Item: *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram*. Significatur autem his figuris, Petrum esse, qui homines de mundo ad fidem, & Ecclesiam militantem adducit, & qui eos regens & gubernans ad Ecclesiam triumphantem perducit.

II. En tibi Iesuiticum acumen! En Loioliticam ἀλληγορομανίαν! Nimirum ea fidelium sors est, vt cum ingeniis confligantur eiusmodi: quibus nihil pensi, nullus canon, nulla imaginationum norma. Nihil est tam nouum, tam inauditum, tam audax, quod modò animo concipiant, vt non effundant, imò obtrudant Ecclesiæ, tanquam ἀκρογωνιαῖον fidei fundamentum. Vtinam det Deus his quoque finem. Sed enim nos primum negamus vllam esse Petri prærogatiuam. Nam in prima, quid est, quæso, quo se Petrus efferat supra reliquos Apostolos? An quod ingressus est Christus in eius nauigiū? Atqui littore erāt tātū duo: fuerit ergo sanè prælatum Petri

nauigium

nauigiū alteri nauigio: sed cōsequentiā quis admittit: Ergo, ea est Petri prærogatiua supra reliquos Apostolos? Nam quid? si alterum non pertinuit ad vllum Apostolum, aut discipulum. Nam id non dicit Scriptura: qua tacente, quis loquetur? Maximè in allegoriis, vbi fundamenta sunt ex positis. Nempe sic concidit prorsus sophismatis subtilitas. Nam prælatus Petrus dici non potest reliquis, quibus ne comparatus quidem fuerit.

III. Sed saltem iubetur ducere in altum. Ita sanè, inquam: quia eius erat nauigium: qua in re si nullum priuilegium, vt iam diximus, ne hîc quidem vllum. Certè soli non dicitur, *Laxate retia*. In altera, primùm non erat nauis Petri: si vera est Salmeronis coniectura. Deinde, nihil ad eū peculiare dixit Dominus. Quid ergo vrgent? Illud, *Dixit Petrus, Vado piscari: reliqui statim, & nos tecum*. Hem! hæccine verba Petrum significant principem? An, quia necesse est eum esse principem, hoc est, reliquis autoritate maiorē, qui suo exēplo autor est cuiuspiā operis aggrediēdi? At nemo, inquit Gretserus, ex his præcisè verbis principatum colligit: sed ex his, & ex tota facti historia. Nugæ, inquam: nam neque ego hæc sola refuto: sed omnes partes sigillatim examino, & ostēdo nihil concludere. Debuit ergo sophista, si ex his verbis non sequi agnoscat, ex aliis saltem argumentari, quod non facit.

IV. At ascendit, & traxit. Rectè: Sed non soli præceptum fuerat à Domino: imò omnibus promiscuè: itaque cuiuslibet eorū, qui aderāt, id ius erat. Fuerit ergo sanè Petrus cæteris diligētior; vt, audito Christi verbo, reliquos præuerterit, vt solebat: sed suo proprio iure fecisse, quasi reliquis non licuerit, nunquam quisquam euincet.

V. Secundò, mera est allegoria, id est, argumentū non necessarium. Nō enim probantur, hæc esse facta, vt aliquid aliud significarent: & quidem satis apparet in quem finē facta sint. Nam prius illud, vt reliqua miracula: nempe ad vim Deitatis Christi probandam: posterius autem, etiam ad resurrectionis fidem adstruendam. Id cùm certum sit, & obuium; quis coget nos aliò diuertere, & *dogs[illegible]* sectari? Nā, quod Petro dictum est, *Ex hoc eris homines capiens*: vnde Sanderus conficit, occasionem iustissimā præberi, vt quicquid à Petro fieret circa capturā pisciū, id auderemus ad conuersionem fidelium accōmodare: hoc, inquam, violentum est. Quis enim vnquā hanc regulam tradidit, vt omnia quę semel aliquando metaphoricè vsurpata fuerint, semper trahantur in allegoriam? Aut, cur nō idem de reliquis, quibus dictum, *Faciam vos piscatores hominum*: Marci primo?

VI. Tertiò, etiamsi hæc aliquid allegoricè significarent, tamen docendum superest, hæc mysteria significari potius, quàm alia quæpiam? Video quidem Augustinum, priorem piscationem exponere Ecclesiam militantem: alteram verò, triumphantem. Sed non sunt omnia Augustini placita, totidem scita Spiritus Sancti. Atque adeo si hæc triumphans, quid illa significabunt, *Laxate rete in dextram partem*? Si enim piscatio est conuersio fidelium, vt Sanderus putat, siue officium prædicandi, vt Lyranus; an quæso, in triumphanti adhuc prædicatur Euangelium, & conuertuntur infideles ad fidem? Quid? quod Petrus egreditur è naui; in qua remanent alij? An Petrus deserit Ecclesiam triumphantem? Quid rursus? quod è piscibus captis, quidam assantur igni in litore, & comeduntur, tum à Christo, tum à discipulis? quidnam esse potest in Ecclesia triumphante? Quid sunt etiam magni pisces? Nam hæc omnia Bellarmini solertia non aduertit.

VII. Reliqua, quæ exsequitur, aptè quidem videri possint concinnata: sed quid non possit in eum modum aptari? Et quidem illud, *Duc in altum*, Panigarolla confidenter de Roma interpretatur, quasi tum præceptum fuerit Petro, vt ibi sedem figeret. Ambrosius verò de disputationibus intelligit. Noster hic Iesuita, de prædicatione, ad quam Petrus iubetur alios ducere. Sic varij variis imaginibus ludunt. Illud de numero ridiculū. Nam quorsum è Psalmo, *multiplicati sunt super numerum*? Etenim de mirabilib⁹ Dei sermo est: & longè rectius Hieronymus reddidit, *Si narrare voluero, & numerare, plura sunt, quàm vt narrari queant*. Sic nimirum Scripturis Papistæ norunt vti. Nullos autem fuisse super numerum; id certe Ioannes non dixit: sed tantùm fuisse centum quinquaginta tres pisces: & eos magnos: videlicet minoribus non computatis. Quin litus, in quo pisces pereunt, quo iure vitam æternam significet? Nam in æterna vita nullus omnino perit.

VIII. Quartò superest demonstrandum, significari hac vtraque piscatione Oecumenicum Pōtificatum. Quod strenuè negant Catholici. Nam Lucæ quinto dicitur Petrus habuisse socios. *Innuerunt*, inquit, *sociis, qui erāt in altera nauigio*. Et postea, *Similiter & Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis*. At Oecumenicus Pontificatus nullos admittit socios. Deinde, duo erant nauigia: vnum Petri. Et hoc, inquiunt, significat militantem Ecclesiā. Quid autem alterum, inquam? Erit-ne Ecclesia militans: aut triumphans, aut omnino non Ecclesia? Si omnino non est; quomodo vocatur in auxilium? Non enim solent gentes adiumento esse Pastoribus in cōuersione populorum. Et quod absurdius, non solet prædicatio Euangelij piscari homines, quibus impleatur corpus gentium. Si est triumphans, quomodo est in eodem mari cum militante? Et quomodo iuuat militantē in colligendis piscibus, tū à dextra, tū à sinistra: hoc est, bonis & malis? Imò, quomodo iis implentur ambæ naues? Nam in triumphantem nulli admittuntur à sinistris. Iam si est militans: erit igitur aliqua Ecclesia militans, quæ non pertinebit ad Petrum, id est, cuius rector nō erit Petrus. Imò in quam non ingreditur Christus. Quæ quis non videt esse absurda? In altera verò historia, si significatur Ecclesia triumphans, & Petri Pontificatus: Ergo Petrus esset Pontifex Ecclesiæ triumphantis: quod ne Papistæ quidem dicant. In quæ absurda, quid mirū eos deuenire, qui omnia suo metiuntur arbitrio?

IX. Iam, ne veteres quidē ex his locis vllum Oecumenicum Pontificatum Petro excogitarunt. Augustinus sanè eius ne verbulo quidem meminit: etsi allegoriaa sectetur: & ab eo aduersarij ansam capiant deerrandi longius. Ambrosius cùm dixit, *Hanc solam Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus*: nihil dixit absurdum. Nam omnes Apostoli magistri constituti sunt in Ecclesia, iuxta illud, *Docete omnes gentes*. Itaque, similiter potest dici in eam solam Ecclesię nauem ingredi Christū, in qua Paulus magister est constitutus. Non enim vlla est alia Christi Ecclesia, præter eam in qua docuerūt, imò quam docuerunt Apostoli. Sed cum Petrū nominauit Ambrosius, seruiuit Allegoriæ: quia in ea historia nauigiū dicitur esse Petri. Et sane aliud est, esse magistrum in Ecclesia; aliud esse vnicum totius Ecclesiæ magistrum. Illud non tantùm Petro, sed & omnibus

Apostolis, imò & Episcopis tribui potest: hoc verò nemini, ne Petro quidem.

X. Octaua prærogatiua, ex Lucæ vicesimo secũdo, *Simon, Simon: ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos:* quem locum tractat Bellarminus libro 1. de Pontifice, capite vigesimo. Gregorius de Valentia Analyseos libro septimo, capite tertio: Salmero tomo nono, tractatu quadragesimo sexto. Agricola de primatu, capite quarto. Stapletonus Antidotus in Lucam: & de Principiis libri sexti capite octauo. Atque hîc Christum volunt clarissimè ostendisse, Petrum fore principem, & caput fratrum suorum. Rationes. Prima, quia in præcedenti contentione de Primatu, Christus cùm affirmasset aliquem fore primum: nunc eũ indicat: nempe Petrum, pro cuius fide orat. Secunda; quia confirmandi vocabulo autoritas in docẽdo significatur, Actorũm 15. & 16. & prioris ad Thessalonicẽ ses tertio. Tertia, ab autoritate Veterũ: Theophylacti in eum locum: Leonis sermone tertio de anniuersario assumptionis suæ. Ambrosij in Psalmũ 43 Augustini quæstione 75. ex Nouo Testamento: & sermone centesimo vigesimo quarto de tempore.

X I. Respondeo: nihil hoc loco agi de primatu. Imò nullam esse prærogatiuam: duplicem ob caussam. Prima est: quia cõpressio est superbientis Petri: Ergo nulla prærogatiua. Theophylactus. *Ad Petrum verba hæc dirigit,* διότι καὶ θρασύτερος τῶν ἄλλων ἦν, καὶ εἰκὸς αὐτὸν μεγαλοφρονῆσαι, ἐφ᾽ οἷς ἐπηγγείλατο ὁ Χριστὸς: *propterea quòd esset reliquis audacior: & probabile sit superbisse, ob ea quæ Christus promiserat.* Διὸ καταστέλλων αὐτὸν φησι. *Itaq; reprimens eum dicit,* & quę sequuntur. Secunda ratio: quia nõ pro solo Petro oratũ est: sed & pro reliquis Apostolis, Ioannis 17. *Non tantùm pro eis rogo: sed pro eis etiam, qui per torũ sermonem credituri sunt in me.* Ignatius ad Smyrnẽses: Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ δεηθεὶς μὴ ἐκλείπειν τὴν πίστιν τῶν ἀποστόλων: *qui precatus est ne deficeret fides Apostolorum.* Clemens Constitutionum lib. 7. cap. 5. αὐτὸς ἐρεῖ καὶ νῦν, ὡς καὶ πάλαι συνηθροισμένων ὑμῶν, ὅτι ἐδεήθην, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις ὑμῶν. *Ipse dicet etiam nunc, quomodo olim cum congregati essemus, Rogaui ne deficiat fides vestra.*

X I I. In prima ratione falsum sumitur, Dominum designasse futurum aliquẽ reliquis superiorem. Nã nos contrà ostendimus libro pręcedenti, interdictũ fuisse primatum illum, quẽ Papistæ tribuũt suo Oecumenico. Itaque illud etiam falsum; nunc innui à Christo, Petrum assequuturum hunc primatũ. Nec sanè est continuatio eiusdem sermonis: sed transitio ab ea contentione, ad aliam admonitionem.

X I I I. In altera ratione, negatur confirmandi vocabulum significare, primò Oecumenicum Pontificatum: secundò hoc loco saltem autoritatẽ. Non illud, quia aliâs, quicunq; confirmarunt fratres, essent Oecumenici Pontifices. Quod falsum. Nã Actorum 14. Paulus & Barnabas dicuntur, *Confirmantes animos discipulorum:* & decimo quinto *Iudas, & Silas, cũ essent ipsi Propheta, multo sermone adhortati sunt fratres, & cõfirmarũt.* Et Paulus, *Peragrauit Syriã & Ciliciã, confirmans Ecclesias.* Et decimo octauo idem, *peragrans ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, cõfirmans omnes discipulos.*

X I V. Sed neq; hoc loco autoritatem significat: quin potius exẽplum. Theophylactus, *Postquã negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma reliquos, hoc enim te decet qui post me Ecclesia Petra es, & fundamentũ. Intellexerit autem quis, non solum de Apostolis dictum, quod confirmati fuerint à Petro: sed de omnibus, qui vsq; ad consummationẽ seculi futuri sunt fideles. Tu enim, Petre, cõuersum* ὑπόδειγμα φανῆθι πᾶσιν εἰς μετάνοιαν, *bonum exemplũ fieri pœnitentia omnibus: nullúsque eorũ qui in me credũt, desperabit, in te respiciens: qui cùm quidem esses Apostolus, & negauisses, rursum acceperis* τὸ πρωτεῖον πάντων, *primatum omniũ,* καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης ἐπιστασίαν λαβεῖν διὰ τῆς [illegible]: *præfecturámque totius orbis, per pœnitentiam.* Et paulo post. *Quamuis autem rogauerim pro te, attamen tu ne recideris:* ἀλλ᾽ ἐπιστρέψας, τοῦτ᾽ ἐστι μετανοήσας καὶ δακρύσας: *verum conuersus, hoc est pœnitentia ductus, & lachrymas profundens, & à negatione resiliens,* ἴσθι καὶ τῶν ἄλλων τύπος τῆς μετανοίας, καὶ μὴ ἀπογνώσεως, *esto aliis exemplar pœnitendi, & non desperandi.* Glossa interlinearis. *Sicut ego, orando pro te, protexi ne deficeres: sic tu infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ conforta, ne de venia desperent.* Addit Salmero. *Quis enim considerans, Apostolum tam turpiter Christum abnegasse, atque illum per pœnitentiã à Domino fuisse, non tantum ad amicitiam admissum, sed etiam ad primatum Ecclesiæ regendæ receptum, magnopere peccatores omnes, futuros vsque ad seculi consummationẽ, confirmat, vt nullus desperationis barathro demergatur.* At hoc genus confirmationis procul abest ab autoritate. *Nã illi* (inquit glossa in expositione morali) *qui consecuti sunt à Deo donum misericordiæ, debent quantum possunt in bono cæteros roborare.* Et Paulus capite primo prioris ad Timotheum: *Ideò, inquit, misertus est mei, vt in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, vt essem exemplo credituris ipsi in vitam æternam.*

X V. Non negamus tamen, confirmationem aliquando inferre autoritatem: quod probant [illegible] Gregorio de Valentia notati. Sed negamus aut [illegible]per, aut hoc loco. Et præter autoritatem, argumentũ habemus vocem, *Tu conuersus:* quæ supponit auersionem pręcedẽtem. Itaque à Veteribus sic exponitur. Theophylacto. Μετὰ ἀρνήσασθαί με κλαύσας, καὶ εἰς μετάνοιαν ἐλθὼν: *cùm post me abnegatum, fleueris, & ad pœnitentiã veneris.* A Lyrano. *Cõuersus, scilicet à peccato ad gratiam.* Imò & Iesuita Salmerone: *Hoc est pœnitentiam agẽs, & lachrymas profundens, & à negatione resiliens. Non ergo conuersus ab infidelitate, quia fidem non amisit: sed à sensu ad Dominum, qui eum gratiæ oculis respexit, vt defleret peccatum suum: vel à timore quo eum negauit, quem verè nouerat & credebat, conuersus ad magnã cõfidentiam de Domini bonitate, ac pietate conceptam, qua etiam valeat pro Christi gloria pati.* Maldonatus *Ambrosij, Theophylacti, & Euthymij interpretatio mihi non displicet, qui conuersum exponunt à peccato, quo Christum negauit, ad pœnitentiam: quasi aliis de suo vulnere fecerit medicinam.*

X V I. Itaque valde alienum fuit à viro bono, & Theologo, quod scripsit Bellarminus lib. 4. de Põtifice c. 3. *Dico nõ esse absurdum, si dicamus illud* cõuersus, *nõ referri ad pœnitentiam, sed ad tentationes aliorũ, vt nõ sit sensus, Tu à peccato ad pœnitentiam conuersus, confirma fratres: sed tu, cuius fides non potest deficere, quãdo videris alios nutãtes & vacillantes, ad eos conuersus illos confirma.* Nam quid iuuat tam procul recedere ab omnibus Theologis, qui vnquam fuere? nulla præsertim necessitate, aut legitima caussa? Enimuerò, in ipsa expositione Veterũ nihil est absurdi prorsus: nihil coacti. Nã verba sic molliter fluere, nemo negare potest. Et phrasis πότε ἐπιστρέψας, nonnihil habet efficacię: quorsum enim illud ποτὲ, si nihil præsupponitur præcedente oppositũ cõuersioni? Et Bellarminum videre est huc deuenisse non nisi vi adactũ, & feruore disputationis, non tam vt refutaret, quàm eluderet aduersarij argumenta.

X V I I. Ratio quam adfert, Christum nondùm prædixisse Petro casum, sed paulo pòst: videri autẽ absurdum, si prius prædicatur conuersio, quã auersio, te-

sio, resurrectio: quàm casus: hæc, inquam, ratio longè aliena est à bona mente. Nam primò à se absurditatē in Veteres omnes deriuat: quasi hoc absurdū inciderunt, si est absurdum: nempe vt putarint prædici conuersionem ante auersionem. Secundò, non est vera. Nam casus eo ipso prædicitur, quum prædicitur & cribratio & lapsus. Nam qui restauratam valetudinem loquitur, eo ipso supponit infirmatam. Et sensit ipse Petrus, qui cùm audisset & cribrationem Satanæ, & pro se specialiter oratum, vt non deficeret, & conuersionis iniectam mentionem, statim excepit, *Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & ad mortem proficisci.* Quasi diceret: quantum ex tuis verbis percipio, prædicis aliquid sinistri imminere fidei meæ: at ego testor me in ea constanter perseueraturum, neque à te, in quem fides mea respicit, vel tantillum discessurum. Euthymius, *Oportebat, cùm hæc ab ipsa veritate audisset, fortitudinem, atq; auxilium ab eo petere: at ille præ feruore contradicit potius, asserens se nihil tale passurum.* Glossa ordinaria, *Quia Dominus dixerat se pro Petro orasse, conscius ille præsentis affectus, & feruentis fidei, sed nescius casus futuri, non credit se ab eo posse deficere.* Salmero, *Non poterat Petrus æquo animo ferre se eius infirmitatis infirmitatis, vt totus esset à Christo defecturus, nisi huius pro illo obstaret deprecatio: vnde ex animi impotentia has tragicas erupit voces, ac si se melius, quàm Christus nouisset.* Itaq; etiam postea Theophylactus dicit prædictæ tentationis hîc speciem esse prædictam. Si igitur prædictus est casus, cur non & conuersio?

XVIII. Venio ad Veteres: è quibus nemo est, qui ab hoc loco conficiat Petrum constitui primum Apostolorum, siue Oecumenicum: Nemo est, inquā, qui ex vi verborum Christi id eliciat. Quidam tantū de Petri dignitate de suo (vt sæpe fit) inserciunt. Sed hoc longè aliud est, quàm ex hoc loco Petri principatum colligere. Deinde ne eorum quidem verba nimium vrgent. Theophylactus, quid dixit? *Quia te habeo vt principem ἔξαρχον discipulorum:* &, *Qui post me Ecclesiæ petra es & fundamentum:* &, *iterum recepturus primatum omnium, & præfecturam orbis.* Quid Ambrosius? *Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus à Diabolo est.* Quid Augustinus Sermone de tempore centesimo vicesimo quarto? Vocat Ecclesiæ rectorē futurum: cui credendæ erant claues Ecclesiæ: cui creditæ sunt claues regni cœlorum: credenda erat populorum innumera multitudo. At hæc omnia quid habent quod non prolixè Petro concedamus? Etsi postea de principe discipulorum agetur fusiùs: tamen negamus principem & præfectum idem esse. De Petra & fundamento; iam antè prolixè est disputatum. Primatus omnium, προστασία πάντων, præfectura orbis, significant Apostolatum: cuius iure præpositus est Ecclesiæ, & factus eius rector, eíque credita populorum innumera multitudo. Hæc etsi millies ingeminentur, tamen Oecumenicum Pontificem, de quo disputamus, nunquam constituent. Author Quæstionum in Vetus & Nouum Testamentum, non est Augustinus: sed alius nescio quis, pauca habens bona: multa inepta; itaque nullius est autoritatis. Leo, etsi magnificentius de sua sede sentit, & loquitur, quàm par sit, tamen hoc quidem loco tolerari potest, quod Petrum principem vocat, & totius Ecclesiæ principem: quod verum est, eo sensu, quem ostendimus.

XIX. Nona prærogatiua: quod Christus resurgens primum omnium ex Apostolis Petro se videndum præbuerit. Hoc autem probatur ex Lucæ vicesimo quarto, *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Vbi Ambrosius notat, ei omnium primo ex viris Christum apparuisse. Item ex priore ad Corinthios 15. *Visus est Cephæ, & post hoc vndecim.* Vnde Chrysostomus, *Non omnibus initio visus est, nec pluribus simul, sed vni tantum, & ei principi, & fide maximè digno.* Et rursus, *Petro primum apparet.* Similiter Theophylactus.

XX. Respondeo: Petro primo ex viris Christum apparuisse, verisimiliter asseri, non necessariò concludi. Nam illi loci è Luca & Paulo, non sunt ita diserti, quin facile queant aliter intelligi. Verùm id Papistarum ingenium est, vt tenuiculas coniecturas non dubitent obtrudere pro certissimis demonstrationibus. Satis pro imperio. Sed negatur ea fuisse prærogatiua: & si fuit, indicare aut conficere Oecumenicum Pontificem. Nam si cuicunque primo Christus apparet, id reliquis sic præfertur: quanto maior prærogatiua futura est Mariæ Magdalenæ, cui ex omnibus hominibus primæ visum constat: & constat non ex coniecturis, sed ex diserta historia? Imò, quis neget magis detrahi Petro, ex eo quòd illi non nisi post mulieres Dominus videri dignatus sit, quàm acquiri, ex eo quòd ipsi ex Apostolis primo visus sit? Certè enim, si eo ipso intelligitur prælatus Apostolis, ei etiam intelligitur prælata Maria Magdalene: aut, si non hæc illi: nec iste illis. Itaque nihil est caussæ, quare inde ille potius intelligatur Pontifex, quam Maria: quæ tamen ne in mulieres quidem vllam habuit autoritatem: nedum in viros, aut etiam Apostolos, etsi omnium prima Dominum viderit.

XXI. Decima prærogatiua. Ex lotione pedum. Ioannis decimo tertio. Nam ex Veteribus alij asserunt Petro primo Christum pedes lauisse tanquam principi. Augustinus in eum locum: & Nonnus. Alij, vt Chrysostomus, Theophylactus, Iudæ potius: & hinc tamen primatum Petri colligunt: quia dicunt, nullum alium præter Iudam passurum fuisse, vt sibi ante principem Apostolorum pedes lauarentur: Iudam autem ante Petrum impudenter se constituisse.

XXII. Respondeo, primam partem esse incertam: neque vllo valido argumento probari Petrum fuisse primum, cui Christus pedes lauerit. Ioannis hæc verba sunt, *Cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum:* Quæ esse ambigua per se satis patet; vt tam intelligi possit Christus ab alijs siue omnibus, siue paucis initio facto, tandem deuenisse ad Petrum: quam à Petro incepisse, cùm omnium pedes lauare vellet. Itaque diuersi abeunt interpretes: nam Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Iudam dicunt primo lotum, indéque Petrum, ἐγὼ δοκῶ, inquit Chrysostomus, τὸν προδότην νίψαι πρῶτον, εἶτα πρὸς τὸν Πέτρον ἐλθεῖν. καὶ τοὺς ἄλλους ἀπ' ἐκείνου παιδευθῆναι λοιπόν. ὅτι γὰρ καὶ ἄλλον τινὰ πρὸ αὐτοῦ ἔνιψε, δῆλον ἐκ τοῦ εἰπεῖν. ὅτε δὲ ἦλθε πρὸς Πέτρον. *Arbitror ante omnes proditoris pedes lauasse, inde venisse ad Petrum, à quo & cæteri admoniti sunt, quid esset faciendum. Quòd enim alium quempiam ante lauerit, constat ex eo quod dicit, cum autem venisset ad Petrum.* Chrysostomum paraphrasi Theophylactus illustrat, Οὐ πρῶτον τὸν Πέτρον νίπτει, εἰ καὶ τὰ πρωτεῖα τῶν μαθητῶν ἐκέκτητο. ἀλλὰ τάχα ὁ προδότης ἰταμὸς ὢν καὶ ἀναίσχυντος πρὸ τοῦ Πέτρου ἀνέκειτο, καὶ τοὺς πόδας ἐκβάλλετο. ...... ἀπὸ ...... νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, καὶ ἐκμάσσειν. εἶτα ἔρχεται πρὸς Σίμωνα Πέτρον. ...... ὅτι ὁ πρῶτον τὸν Πέτρον ἔνιψε, ... πρὸς Σίμωνα Πέτρον, εἰ μὴ ἄλλον τινὰ πρὸ τοῦ Πέτρου ἔνιψε. *Non primum lauat Petrum, quamuis primatum discipulorū*

gereret: sed forte proditor, cùm esset impudens & inuerecundus, ante Petrum assidebat, & pedes lotus est. Vnde hoc manifestum? Hinc. Cæpit, inquit, lauare pedes discipulorum, & extergere deinde venit ad Simonem Petrum. Itaque declarat, quòd non primum lauerit Petrum: non enim vtique dixisset, quòd venisset ad Simonem Petrum, nisi alium quendam ante Petrum lauisset.

XX. Alij Petrum postremum constituunt. Origenes, ex cuius in Ioannem tomo trigesimo secūdo, hæc verba Salmero recitat: *Videntur omnes loti ante Petrum qui præ alijs reuerēs extitit, & singularis.* Verba tamen mihi non lecta: sed hæc tantùm eodem spectantia: *Cùm eundem oportuisset credere dicenti, Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea, hoc respondit, Non lauabis mihi pedes in æternum: præsertim, cùm cæteri se Iesu permisissent, nec quicquam contradicerent, vllâve in re ei repugnarent.* Aliquanto pòst, *Petrus ergo, qui sententia, ac voluntatis Christi, qui pedes discipulorum abluere cœperat, & detergere linteo quo erat cinctus, rationem minimè spectaret.* Sed Lyranus, & Thomas, testātur eundem asseruisse Christum cœpisse à minoribus, vrgētes ipsam verborum seriem. Ambrosius de Sacramentis libro tertio, capite primo, *Audisti vtique, quia Dominium cùm lauisset discipulis alijs pedes, venit ad Petrum.* Et quidem hi pro suæ sententiæ confirmatione obseruare possunt, non tantùm eam verborum seriem, quàm priores, quòd cœpisse lauare dicat Euangelista, & deuenisse ad Petrum: sed etiam, quòd absoluta narratione de Petro, ei historiæ finis imponitur: vt liceat conicere, post Petrum lotionem non continuatam.

XXI. Alij denique, Petro primum locum assignant. Nonnus, Χριστὸς ἑῶν ἑτάρων ἐπιλοις πόδας ἤρξατο νίπτειν, Λύσεν ἐκ πρώτου μεταδίχιος ἄλλον ἐπ᾽ ἄλλῳ, Ἀρχόμενος Σίμωνος, ἕως ἰδίου φονῆος, *Christus suorum sociorum pedes cœpit lauare, Ad vltimum à primo transiens ad alium ab alio, incipiens à Simone, vsque ad suum homicidam.* Augustinus in Ioannem tractatu quinquagesimo sexto, *Facilius sic accipiuntur ista verba Euangelij, quia quū dictum esset, cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus: deinde subiunctum est, Venit ergo ad Simonem Petrum, quasi aliquibus iā lauisset, & post eos venisset ad primum: quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est, quod post alios ad illum venerit: sed quod ab illo cœperit. Quando ergo pedes discipulorum lauare cœpit, venit ad eum à quo cœpit, id est, Petrum.* Augustinum effusè deinceps Latini sequuntur interpretes. Atque eorum sententiam Salmero his fulcit rationibus. Prima, quia Petrus inter primos vocatus, relictis omnibus sequutus sit Christum. Secūda, quia prior fuerit dignitate, vtpote designatus Christi Vicarius. Tertia, quia alij etiā Apostoli idem omnino dixissent, detrectassentque rem tam insolitam, & minimè expectatam: imò vel ipse Iudas proditor, qui ceremonias externæ reuerentiæ cum Domino obseruare solitus erat. Quarta, lotionem congruè incipere à maiori: quia si prælatus mundus sit, subiecti facilius mundentur.

XXII. Ergo, vt dicebam, variæ sunt hae de re sententiæ: quas si comparemus, pronunciabit Salmero nullam rationibus necessariis probari, *Hæ rationes, inquit, post enumeratas eas quæ fauent Augustino, etsi non necessario probent, quemadmodum nec priores, probabiliores tamen mihi videntur.* Similiter Emanuel Sa, *Apparet non fuisse Petrum primo lotum: quāquam nec id certum.* Ergo, inquam, hæc prærogatiua non est certa; sed tantummodo verisimilis; hoc est, coniectura. En quibus argumentis Pontificatus nitatur Oecumenicus! Sed & rationes istæ nullæ desumuntur ab ipso contextu Ioannis; sed aliunde conquiruntur. Itaque negari non potest, primam & secundam sententiam esse verisimiliores: quia vrgent ipsum contextum: à quo etiam timuisse videtur Augustinus: cùm cautione opus esse duxit, ne ab auditoribus in eam partem intelligerentur.

XXIII. Deinde Salmeronis rationes non tantùm non sunt necessariæ: sed etiam faciles refutatu. Prima & secunda nituntur dignitate Petri: At Origenes putauit Christū à minimis initiū fecisse, vt testantur Lyranus, & Thomas, & Theophylactus disertè, οὐ πρῶτον τὸν Πέτρον νίπτει εἰ καὶ τὰ πρωτεῖα τῶν μαθητῶν ἐφέρετο, *Non primum Petrum lauit, etsi primatum gereret discipulorum.* Imò & Iudæ non dignitatem, sed impudentiam, καὶ ἀναισχυντίαν, notat. Itaque nullum fit dignitati, quantacumque Petri fuisse concedatur, præiudicium.

XXIV. Tertiam soluit Origenes in Ioannem tomo tricesimo secundo, *Omnes quidem pedes porrexerunt conuenienter Iesu occupationi, cùm intelligerent, nunquam tantum virum sine caussa, & ratione: atque vt multi possent dicere) quod discipulis molestus esse vellet, pedes ipsorum abluere: Sed quod vtile quiddam efficeret, quod se cogniturosesse sperares* (lego sperarent) *posterius cogitantes, num hæc vt alicuius rei significatio fierent.* Potuerunt ergo reliqui negotium aliter concipere, quàm Petrus: & magistro se humiliter morigeros præbere. At si ille apud se cogitauit, vt conijcit Augustinus, etsi magnæ esset audaciæ contradicere seruum domino, hominem Deo, tamen id faciendum potius, quàm patiendū, vt sibi pedes lauarentur, à domino & Deo. Cōtrà reliqui omnes apud se potuerūt statuere, etsi absurdū esset sibi à domino & Deo lauari pedes: tamen id potius patiendū, quàm sese magnæ audaciæ reos facere: cùm temera audax sit facinus contradicere seruum domino, hominem Deo: & quidem ei quem sæpe experti essent vix quicquam agere non mysticè: nunquam quicquam non sapienter & sine caussa? Sic certè cogitantes absoluentur ipso Christo iudice, qui Petrum seuere increpuit. Quod ad Iudam attinet: cuius fictam modestiam Salmero profert, eius impudentiam, & temeritatem reliqui Patres accusant. Et si sic solitus erat suam nequitiam dissimulare; quis non facile videat, æquè cum reliquis potuisse obsequij humilitatem præ se ferre?

XXV. Denique Toletus Iesuita in iis est, qui negent à Petro factum initium: nixus primo verbis Ioannis, quibus inesse vim magnam asserit, & negans in humilitatis negotio primas deferēdas ei qui maximus esset: denique subtiliter, sequutum esse Christum in lotione ordinem sedendi, sedisse autem ab vno latere proximum magistro Ioannem, qui recubuerit ad pectus: ab altero non potuisse Petrum; quia videlicet non potuisset Ioannem secreto alloqui, & iubere vt interrogaret de proditore.

XXVI. Nullum ergo certum priuilegium hic Petro fuit. At, inquit Bellarminus, ij ipsi qui negant primo lotum, inde tamen colligunt eius primatum. At hoc, inquam, putum putum mendacium. Imò potius, ij ipsi qui eum asserunt primo lotum, id colligunt ex eius primatu. Nam ea est prima secundáque ratio Salmeronis; & diserta etiam Veterum verba. Itaque subit admirari, & serio quidem, nouam aduersariorum Dialecticam.

Petrus primus

primus lotus est; quia est princeps Apostolorum. Ergo Petrus est princeps Apostolorum, quia primo lotus est. Fœda circulatio, petitióque principij. Hoc illi viderint. Sed enim, tantum abest vt ex hoc loco prærogatiuam primatus patres collegerint, vt contra petri primatum, tanquam aliunde notum, supponant ad probandam hanc prærogatiuam, tum ex contextu incertam, tum à varijs interpretationibus controuersam.

XXVI. Vndecima prærogatiua, est Ioannis vigesimo primo: vbi petro soli mortem Christus prædixit: & mortem crucis, *Extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* Deinde ibidem Dominus subiungit, *Sequere me*: quod quidam intelligunt de officio pastorali: alij de similitudine mortis: sed plenus commentarius erit, si vtramque sententiam coniungamus, quasi dictum esset, Esto id quod fui, & viuens, & moriens.

XXVII. Respondeo, constare ex diserto Euangelistæ testimonio, prædictã fuisse petro mortem: sed primò, mortem crucis significari, incertum esse: secundò, non esse prærogatiuam: tertiò, non pertinere ad Oecumenicum pontificatum. Nam mortem crucis, quid est, quod euincat? An quod manus esset extensurus? Audio: & recolo crucifixis diducta esse brachia, sed primum hoc refutatur ab iis qui asserunt fuisse crucifixum: id enim illi asserunt inuerso contigisse, non recto: vt necesse fuerit pedes potius fuisse extensos siue diductos; manus autem coniunctas instar pedum: nec enim aliter ferebat forma crucis. Quod si fuit, & fuisse persuasum est papistis, tũ necesse est Christi prædictionem fuisse mendacem: quod blasphemum. Deinde, non sunt ea verba auellenda à sequentibus. Totus enim contextus hic est: *Extendes manus tuas: & alius cinget te, & transferet quò noles.* Significantur ergo manus extendendæ, non vt clauis figerentur, sed vt loris vincirentur: id enim est Græcum ζώσει: quo eodem verbo vsus erat Christus, ἐζώννυες σεαυτὸν, *Cingebas te*: cùm tamen ipse petrus seipsum clauis non figeret. Syrus interpres vertit, *alius cinget lumbos tuos.* Glossa interlinearis, *Cinget*, inquit, *vinculis*. Ridiculus autem Lyranus, qui in hunc locum asseruit, petrum fuisse in cruce positum cum chordis ligatum, & non clauis affixum. porrò eadem sermonis figura paulo fuit mors significata, quum sumto cingulo Agabus vinxit pedes & manus. Et tamen non est ille crucifixus, sed gladio percussus. Confirmatur è serie sermonis: Nam postquam nominata est manuum extensio, & vincula, tum additur, *Et ducet te quò non voles.* At hoc ridiculum est: Neque enim postquam crucifixus erat aliquis, quoquam ducebatur.

XXVIII. Porrò, quæcunque mors hîc fuerit prædicta; tamen nulla est prærogatiua: non tantùm quia postea Agabus, id est, per Agabum Christus, paulo mortem prædicit, Actorum vicesimo primo: sed etiam quia in genere antea idem Christus dixerat omnibus Apostolis, Matthæi vigesimo quarto, *Tunc tradent vos oppressioni, & trucidabunt vos: & odio eritis gentibus omnibus propter nomen meum.* Denique vt demus prædictam crucem etiam disertè: ea tamen ad nihil ad Pontificatum. Nam argumenti vis esset, vel in prædictione, vel in ipso mortis genere. At neutrum. Non in prædictione; quia aliis mors est prædicta, & ipsa prædictio, si quid est, est propter rem futuram. Non in mortis genere: quia & illis latroni vtrique magnum priuilegium fuisset, ac plurimis aliis Christianis, quos Ethnici cruci affixerunt.

XXIX. Neque verò illud, *sequere me*, significare potest, *Esto id quod fui.* Nec id vnquam Bellarminus dixisset, nisi suo genio nimium indulgeret. Nunquam enim vllo docebit exemplo, eam interpretationem esse legitimam. Intelligi autem potest, vel propriè, vel metaphoricè. Propriè, de mutatione loci; vt cùm Matthæo dixit, *Sequere me*: Nam, quia statim additur, *Atque is surgens sequutus est eum*: constat κυρίως [illegible] intelligendum. Metaphoricè autem de imitatione, obsequióve, vt Matthæi decimo sexto, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hic autem, vtro modo debeamus intelligere, non est difficile dictu: primo enim modo non potest sumi: quia nihil toto illo sermone de loci mutatione. Ergo, secundo: nam loquebatur Christus de genere mortis, quo Deus erat à Petro glorificandus. Et quidem respondens ei, qui de Ioanne interrogauerat, *His autem quid?* postquam audisset se vinciendum, ducendúmque quò nollet. Cui quæstioni satisfecit hunc in modum, *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Sequere me*: Quis non videt continuatam esse ἀλληγορίαν, in verbis manendi, & sequendi? Itaque, sicut manere intelligi non potest, quasi nollet Christus Ioannem se sequi, id est, pascere oues Christi, fuit enim constitutus Apostolus: sed tantùm de vita eius; quomodo intellexerunt Apostoli, & ipse Ioannes explicat: sic sequi, exponendum omnino de morte Petri. Non equidem negem, quosdam è Patribus longius producere: sed illi videntur. Certè alij magis hærent filo contextus.

XXX. Sed quo iure sese Bellarminus arbitrum constituit variarum sententiarum? *Plenus commentarius erit*, inquit, *si vtramque sententiam coniungamus.* Nimirum αὐτὸς ἔφα. Tanti est Iesuitam fieri. Sed debuit sibi minus tribuere: & docere saltem aliquo argumento vtramque expositionem coniunctam, veram esse potius, quàm separatarum alterutram. Certè, si illa de officio per se & sola infirma est; nulla ratio ferre potest, vt coniungatur cum altera.

CAP. XVII.

De prærogatiuis ex Actis, & Paulo.

I. DVodecima prærogatiua ex Actorũ primo, vbi Petrus tanquam paterfamilias colligit in vnum cœtum discipulorum, & vnum eligendum esse docet in locum Iudæ. Ibi Chrysostomus. *Quàm agnoscis Petrus commissum sibi gregem? quàm in hoc choro princeps est?* Oecumenius, *Surgit Petrus, non Iacobus, vt is cui præsidentia discipulorum commissa erat.* Nec vllus orationi Petri cõtradixit: sed mox ad eius præceptum constituerunt duos. Addit Salmero tomo duodecimo, tractatu nono: Cum dicitur, *In medio discipulorum*, indicatur, Petrum Iesu personam sustinere, qui consueuerat in medio discipulorum stare, vt habes apud Lucam & Joannem. Rursus discipulos hoc loco exponit, discipulos Christi & Petri quatenus scilicet Petrus erat Christi vicarius.

II. Sed sumitur bis falsum. Primò enim, is coetus à Petro nusquam dicitur coactus, multo minus tanquam à patrefamilias. Tantùm Lucas asserit discipulos habitasse vnà, *Et quum introissent in vrbem, ascenderunt in coenaculum, vbi commorabantur.* Et paulo pòst, *Hi omnes perdurabant concorditer in oratione & deprecatione. Et per eos dies assurgens Petrus in medio discipulorum, dixit, Viri fratres.* Quibus verbis Lucas ostendit, sic solitos esse discipulos conuenire ad orandum: eáque arrepta occasione, Petrum fuisse eos alloquutum. Bellarminus igitur vtrumque assuit de suo, Petrum & collegisse discipulos, & collegisse tanquam patremfamilias. Quomodo quid non conficiat? Quanquam patremfamilias non inuitè Petrum audimus: commodè tamen interpretantes. Nam certum est propriè solum Christum esse patremfamilias in Ecclesia, cuius Apostoli sint *οἰκόνομοι*. Sed quia *οἱ οἰκόνομοι*, in multis partes tuentur patrisfamilias, tolerari potest, qui dicat eos, quæ sui muneris sunt exsequi, tanquam patresfamilias: hoc est, ac si essent, id quod re vera non sunt. Deinde id honoris non erit Petri peculiare: sed commune cum reliquis Apostolis: vt nihil faciat ad Oecumenicum Pontificatum.

III. Secundò, falsum est, ad Petri præceptum constitutos fuisse duos. Nam Petri in toto eo negotio nullum omnino fuit præceptum: sed tantùm sententia, quam reliqui amplexi sunt, vt commodam, vtilem, imò necessariam, *ὅρα δὲ αὐτὸν*, inquit Chrysostomus, *μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνώμης. οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδὲ ἀρχικῶς. Vide eum omnia facientem de communi consilio: nihil ex autoritate, imperióve.* Oecumenius similiter, *οὐκ ἀρχικῶς, οὐδὲ κατ' ἐξουσίαν.* Non præcipiebat igitur: sed in coetu proposuit, quid sibi factu optimú videretur. Et assensi sunt reliqui. Quid hoc autem ad Oecumenicum? Præsidentem verò in discipulorum coetu, etsi hîc quidem nihil est necesse fateri, tamen non illibenter agnoscimus: imò & cum Chrysostomo, principem. Sed hæc ab Oecumenico distant multis parasangis. Habuisse curam gregis sibi commissi, cur non fateamur? Nam Ecclesiam illi, vt & cæteris singulis Christus commiserat. Sed hoc rursus non significat Oecumenicum.

IV. At facetè Salmero, stetit in medio discipulorum, hoc est, gessit personam Christi. Quasi nemo vnquam audierit, quid sit in medio stare: & hic primus Iesuita hanc nobis de coelo lapsam phrasin explicare debeat. Imò ex vsu perpetuo Scripturæ ea significat, cùm in coetu aliquo quis se aliquo actu conspicuum exhibet, reliquis spectantibus. Sic puerum *statuit in medio eorum* Christus: Matthæi decimo octauo: & Marci tertio ei qui habebat manum arefactam, *Surge in medium.* Et Paulus Actorum vigesimo septimo, *Stans in medio eorum*, & infinita similia. Nec sane alia notione de Christo dictum, *Stetit in medio*; tum Lucæ vigesimo quarto, tum Ioannis vicesimo. Et quidem vt sciamus hanc phrasin, nihil per se autoritatis significare, Lucæ vicesimo secundo, *Ego*, inquit, *sum in medio vestrûm, vt qui ministrat.* Ergo etiam qui ministrant, possunt dici esse in medio.

V. Discipulos verò Christi, & Petri, primò cogitauit importunè. Nam eorum temporis id nomen erat omnibus qui fidem Christianam profitebantur, pro quo substitutum postea aliud est Christianorum. Itaque discipuli intelligendi hoc loco, in quibus Petrus, tanquam ipse etiam Discipulus. Deinde nihil ad rem: nam Salmero colligit discipulos esse Petri, quia esset vicarius Christi. Non potest igitur inde probari fuisse vicarium Christi. Tertiò, si appellantur discipuli Petri, intelligendus est coetus nominatus à maiori parte: erant enim centum & viginti; in quibus tantum duodecim Apostoli: reliqui Apostolis inferiores, ac proinde etiam Petro. Itaque, tam potuissent reliquorum quàm Petri discipuli nominari.

VI. Decima tertia prærogatiua, ex Actorum secundo, vbi post acceptum Spiritum Sanctum, Petrus omnium primus promulgat Euangelium. Vbi Chrysostomus, *Petrus*, inquit, *omnium erat os: sed adstabant illi vndecim, testimonio suo comprobantes ea, quæ ab illo dicebantur.*

VII. Sed primò sumitur incertum. Nam ante eam orationem Petri, Lucas asserit Apostolos loquutos esse linguis, prout Spiritus dabat eis loqui: adeo vt obstupescerent omnis generis homines, qui eò confluxerant vndique: vt necesse sit non loquutos tantùm, sed & publicè, tanta turba audiente. An autem alia loquerentur, quàm Euangelium, facile est coniicere, & cùm id fecisse dicuntur impellente Spiritu: & quia dicuntur loquuti, *τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ*. Quod si non primus publicè loquutus est de Euangelio, ergo neque primus prædicauit. Verùm Gretserus prærogatiuam vult intelligi de publica & vniuersali promulgatione Euangelij, quæ ad omnes vniuersim facta sit. At malè tacitè aliquo argumento in hac ipsa rectè aliquod priuilegium constitui, siue prærogatiuam. Tum autem cur non vult reliquos Apostolos publicè promulgasse? Nam Lucas docet innotuisse omnibus non solùm Petrum, sed omnes Apostolos loquutos esse linguis: sed ad omnes vniuersim, quid est, adstantésne, an per orbem? Hoc absurdum: illud quid habet prærogatiuæ? Nam sic etiam *κοινωνὸς* [illegible] *χάριτος*.

VIII. Secundò, non valet consequentia ad Pontificatum Oecumenicum. Nam Maria prima nunciauit Christum resurrexisse, quæ maxima pars est Euangelij, atque adeo ea ipsa, cui potissimum hæc Petri concio insistit: nec tamen vllum habuit primatum. Et Chrysostomus videtur id, quicquid est, tribuere potius modestiæ Apostolorum. [Greek illegible] *Quin & illud considera, Apostolorum concordiam, qui Petro cesserint concionandi vices.* Et quidem ex generali necessitate: *οὐ γὰρ ἔδει πάντας φθέγγεσθαι: Non enim oportebat omnes pariter loqui.* Quo vero sensu idem appellet os omnium, ipse contextus indicasset, nisi capite eum Bellarminus truncasset. [Greek illegible] *Quid autem est cum reliquis vndecim? Communem vocem edebant: & ille erat os omnium: sed adstabant vndecim, testimonio suo comprobantes ea quæ ab illo dicebantur.* Significat tum omnes aut voluisse, aut certè potuisse eadem dicere: sed quia non oportebat omnes pariter vocem fundere, orationem ei concesserunt: hoc est, vt nomine eorum concionaretur. At qui hoc modo os dicitur, nihil habet imperij: Nam Exodi quarto, Aaron dicitur fuisse *os Mosis*: Et tamen tantum abest, vt eam vllam autoritatem habuerit, vt contrà Moses asseratur ei fuisse *in Deum*.

IX. Decima quarta prærogatiua. Actorum tertio, primum miraculum in testimonium fidei fit à Petro, qui solus dixit claudo, *Quod habeo hoc tibi do.* Notat autem Ambrosius sermone sexagesimo octauo merito Petrum edidisse miraculum in pedum confirmatione, vt ostenderet se fundamentum esse totius Ecclesiæ.

X. Rursus sumitur incertum. Nam Lucas nullo indicio ostendit, id miraculum fuisse primum omnium quæ Apostoli fecerunt. Imò potius capite secundo legas, *Obortus est omnibus timor: multáque signa & miracula per Apostolos edebantur.* Et quandoquidē vnum tantùm Lucas recitat, verisimile est delegisse, non tam primum quàm notissimum: quodque maximam dedisset occasionem promouendi Euangelij. Et ita notat Theophylactus. [illegible] *Reliqua quidem signa prætereo-let, vt ita dicam: id vero narrat, quo omnes commoti sunt.* Oecumenius disertius. [illegible] *Cùm plurima signa patrarentur ab Apostolis, vt paulo ante meminit is qui hæc scripsit Lucas, nullius eorum nominatim meminit: sed id solum describit, quo omnes commoti fuerunt. Illa enim fortè negligebantur, quod viderentur exigua: Vel etiam quia non in fastum et liber hic elaboraretur.* Breuius horum magister Chrysostomus. [illegible] *Alia signa dissimulans autor libri: id verò narrant. quod maximè perculit, & omnes in sui admirationem conuertit.*

XI. Et verò quis neget linguarum vsum fuisse miraculum? Et præcessisse hanc pedum confirmationem? Et factum per Apostolos? etsi prius in iis? Ac sanè is quisquis est autor sermonis, quem Ambrosij nomine citat Bellarminus, non asserit fuisse id miraculum omnium primum: sed tantùm eorum quæ Petrus edidit. *Primum*, inquit, *mirabilium suorum Petrus fecit claudo pedum restituendo vestigia.* Nota, *mirabilium suorum.* Quanquam Chrysostomus [illegible], Et *signum, quale nondum fecerant.*

XII. Hîc Gretserus negat vllum ex Luca proferri posse, ita publicè & notoriè factum circa personam ægram & miserabilem, quodque omnes vniuersim adeò permouerit. En tibi Sophistarum ingenium. Si vrgeres, aduocaret reliquas omnes circunstantias in auxilium, etiam locum, & tempus: denique negaret hoc ipsum numero vnum bis factum, aut nunquam aliàs. Sed iniquum est satisfacere immani Sophistarum importunitati. Quis autem eis concessit, vt vnde velint initium faciant? Aut cur non mihi eodem iure liceat dicere, primum miraculum fuisse Pauli excutientis viperam? Nam ego quoque asseram nunquam vllum ante id tempus factum, si permittas omnes circunstantias percurrere. Sed mihi certè non libet esse tam Sophistæ. Porrò nullum fuisse, quod omnes æquè permouerit, falsum: nam linguarum donum præsto est.

XIII. Et tamen concedamus, si placet, omnino primum fuisse signum: nam si nostro summo iure vtamus, & nihil gratis demus, ad restum illis res redit. Quid inde tandem conficitur? Petrum ne esse Oecumenicum Pontificem? Nihil dilutius. Primum enim id oporteret solius Petri miraculum esse: si soli Petro id dignitatis vindicatur. Quid si ergo non sit? Basilius Seleuciensis homilia decima quarta. [illegible] *Intentis oculis Petrus cum Ioanne, dixit, respice nos. Rectè Commune enim vtrique miraculi opus: ex vtroque egreditur medicina gratia. Nam etsi Petrus solus loquutus sit, tamen collega fuit Apostolus.* Et verò non dissentit Petri oratio. *Quid intentos oculos in nos habetis? quasi propria vi aut pietate effecerimus, vt hic ambularet?*

XIV. Rursus demus à Petro fuisse solo: ne sic quidem solida conclusio. Nam sumitur argumentum vis, vel ab eo quòd primum fuerit signum, vel quòd pedes sanati, qui in corpore fundamenti locum tenent. At vtrumque absurdum. Nam si prius, erit is primatus temporis beneficium, non verò vllum priuilegium: nisi fortè ita sint sanæ mentis aduersarij, vt sicut [illegible], sic etiam prærogatiuarum in Ecclesia ius transire velint in primum occupantem. Sed nos ab hac ambitione longè Petrum abfuisse habemus persuasissimum: saltem post acceptum Spiritum. Neque inde argumentatus est Ambrosius. Itaque hoc ne verisimile quidem est.

XV. Sed nec alterum: Nam Actorum decimo octauo, Paulus etiam Lystræ pedes sanauit. Vel igitur falsum, quicunque pedes sanat, fundamenta corporis, hunc esse Oecumenicum, vel Paulum esse Oecumenicum erit verum. At hoc absurdum, ipsis testibus Papistis. Ergo & illud. Præterea si libet allegoriis indulgere: cur quicunque in capite miraculum patrat, non ostendet se esse caput Ecclesiæ? Nam allegoria expeditior, & vsitatius apud illos caput est Oecumenicus: & quamuis interdum, fundamentum: tamen nunquam pedes, quod sciam. Etenim, etsi hi fundamentum corporis, tamen vilissima pars. Nec Papam, credo, tantus amor cepit fundamenti, vt propterea velit & infra omnes deiici, & vilissimo loco esse. Quare conuenientior longè allegoria futura, à capite ad caput. At Paulus (nunquam quod sciam Petrus) Actorum decimo tertio, miraculum patrauit in capite, non enim erant Elymæ oculi in pedibus, nisi tamen aliter videatur Sophistis, in gratiam sui Pontificis: ne Petrus aliquid videatur minus habere. Neque est quod obiiciant, non sanatum, sed potius infirmatum caput. Nam Oecumenici esse volunt, etiam potestatem puniendi. Denique, si nobis indulgeamus, [illegible] Adeo nihil erit, vnde non eruat quilibet importunè curiosus infinitas coniecturas. Sed tam debili fundamento non nituntur demonstrationes, minimeque omnium Theologicæ.

XVI. Sed Ambrosius tamen, inquit Bellarminus, dixit pedes Petrum sanasse, vt ostenderet se fundamentum esse totius Ecclesiæ. Imò Bellarminus imputat Ambrosio sua somnia. Mitto non esse Ambrosij hos sermones. Sed certè non facile quis est autor. Attende verba, *Si Petrus Petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat: vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine* [illegible]

membrorum fundamenta confirmet. Aduerte inuersum ordinem à Bellarmino. Nam ea verba argumentantur à fundamento Ecclesiæ ad pedes sanatos: at Bellarminus contra, à pedibus sanatis ad fundamentum Ecclesiæ. Magna scilicet sinceritate.

XVII. Denique quis credat Apostolos edidisse miracula sui ostentandi caussa? Imò negat Chrysostomus homilia octaua in Acta, qua hanc explicat historiam, *ὁρᾷς πῶς ἄτυφος ὁ Πέτρος καὶ οὐκ ἐπιδεικτικός. οὐδὲ πρὸς αὐτὸν τὸν εὐεργετούμενον, Viden' vt à fastu sit alienus Petrus, nec sui ostentandi cupidus, ne quidem apud eum qui beneficium accipiebat?* Et Petrus ipse, cùm plebi attonitæ rationem facti redderet, *Quid intentos oculos in nos habetis?* statimque iubet cogitare de Christi virtute & potentia. Et tamen confidentissimè Bellarminus, *Vt ostenderet, se fundamentum esse Ecclesiæ,* quod tamen non habet à suo Ambrosio. Quare neque hic vlla est prærogatiua: neque si esset aliqua, confirmaret Oecumenicum Pontificatum.

XVIII. Decima quinta prærogatiua, Actorum quinto, vbi Petrus tanquam summus & diuinus Iudex agnouit, & damnauit hypocrisin, & fraudem Ananiæ & Sapphiræ, & eos verbo suo occidit.

XIX. Respondeo, Petrum fuisse quidem summum & diuinum iudicem: sed id ei fuisse commune cum reliquis Apostolis, id est, Collegis suis. Itaque Paulum eodem iure Elymam magum excæcasse, Actorum decimo tertio. Quinetiam Cyprianus appellat Episcopos, iudices in Ecclesia vice Christi. Non erat igitur ea Petri prærogatiua: nec facit ad Oecumenicum Pontificatum. Quod si est, tum certè multo minus aut ipsa mortis adiudicatio, aut detectio hypocriseos, id est, cognitio caussæ ante condemnationem, quæ pendent ab illo officio summi ac diuini iudicis, quicquam contulit Petro, quo extollatur supra reliquos Apostolos. Et si quicquam hoc miraculo significatum fuit: cur non potius assentiamur Salmeroni? *Ostendit Dominus hoc facto* (inquit tomo duodecimo, tractatu vigesimo primo) *Apostolos habere potestatem remittendi, & retinendi peccata.* Hoc certe facilius, & certius.

XX. Decima sexta prærogatiua, Actorum nono, vbi sic legimus, *Factum est cum Petrus transiret per omnes.* In quem locum Chrysostomus, *Quemadmodum dux in exercitu obambulans, considerabat, quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeat: vide vbique illum circumcursare, & primum inueniri.*

XXI. Respondeo: primùm illud *διὰ πάντων, per omnes,* intelligendum de sanctis, id est, fidelibus in iis Ecclesiis, quas paulò antè Lucas enumerabat in Iudæa, Galilæa, Samaria. Non est autem visitatio aliquot diœcesium idem cum visitatione vniuersæ per totum orbem Ecclesiæ. Secundò, nullum esse vel tenue vllius prærogatiuæ vestigium. Fiebat enim ex Apostolici muneris iure. Apostolis enim nulla erat statio attributa: itaque eos oportebat huc illud quocumque ferebat occasio, pergere. Itaque Caietanus in hunc locum, *Hinc apparet, quod Apostoli, qui remanserunt in Hierusalem, non permanebant ibidem, sed discurrebant euangelizando: vt etiam apparet ex verbis Pauli ad Galatas: vbi narrans primum suum aduentum in Hierusalem post triennium conuersionis suæ, dicit se duos tantùm Apostolos vidisse tunc, Petrum scilicet, & Iacobum fratrem Domini.* Quinetiam Lucas eodem modo loquitur de Paulo, Actorum decimo octauo: *ἐξῆλθε διερχόμενος καθεξῆς τὴν Γαλατικὴν χώραν, καὶ Φρυγίαν, ἐπιστηρίζων πάντας τοὺς μαθητάς, Egressus est percurrens ordine Galaticam regionem, Phrygiamque, confirmans omnes discipulos.* Quæ Theophylactus sic explicat, *ἔθος ἀεὶ τοῦτο τῷ Παύλῳ, ἐπισκέπτεσθαι τοὺς πιστοὺς καὶ ἐπιστηρίζειν αὐτούς, ἵνα εἴ τι δέοι ... αὐτούς, ἀνακουφίζῃ τὸ τοῦ βάρους τῷ διδασκαλικῷ λόγῳ, Id semper moris erat Paulo: obseruare fideles, eósque confirmare: vt si quos reperiret vexatos, eorum onera leuaret oratione apta ad docendum.* Quid igitur mirum, si cùm singuli Apostoli diuersis in partibus occuparentur, hanc prouinciam Petrus obiuit?

XXII. Ad priorem solutionem Gretserus. Transire per omnes commune fuisse. At transire instar simpliciter supremi iudicis, non fuisse commune, sed Petro proprium. Eugè optime: sic enim exigit Dialectica Iesuitarum, vt argumenta confirmentur per meram petitionem principij. Nam quis dixit Petrum transisse instar supremi iudicis? Non certè Lucas; sed qui profundè meditatus est in Camera.

XXIII. Secundæ solutioni Stapletonus obsistit in Antidotis Apostolicis. Primò negans Apostolis nullam fuisse attributam stationem. Et contrà disputat, omnes Hierosolymis mansisse, quum prima vigeret persecutio, Actorum quarto. Post propagationem Euangelij, Petrum & Ioannem in Samariam missos, nullos autem alios narrari à Luca. Tum constitisse Hierosolymis colligit primò ex Iacobi martyrio. Secundò: ex primo Concilio ibidē habito. Tertiò: quia Apollonius etiam apud Eusebium libro quinto, capite decimo septimo dicat à Saluatore mandatum Apostolis, ne ante duodecim annos inde excederent. Quartò, quia Paulus menio post conuersionem omnes Apostolos Hierosolymis inuenit: quamuis Petrum duntaxat & Iacobum salutarit: atque id probat, quia post quindecim dies, *deductus est à fratribus Cæsaream & dimissus Tarsum.* Quartò, quia Apostolorum diuisio accidit ad Gentium maximè conuersionem: at post hanc Petri visitationem, Cornelij primi ex Gentibus conuersio accidit. Quintò: cùm satis diu post hanc Petri visitationem, Paulus Antiochiæ Syriæ cum Barnaba ad Ecclesias Asiæ fundandas missus esset, & Antiochiam Pisidiæ veniens, vt Christi resurrectionem probaret, diceret, *Qui visus est per multos dies his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Hierusalem, qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem,* dubium non est, quin ipsos maximè Apostolos designauerit, eo adhuc tempore Hierosolymis hærentes. Denique, Apostolos reliquos omnium Ecclesiarum visitationem obiisse, aut vllas hoc tempore Ecclesias visitasse, nulla Scriptura commemorat.

XXIV. At hæc ventosæ sunt inanis caussæ *πομφόλυγες*: non vllæ solidæ instantiæ. Nullam enim fuisse assignatam Apostolis stationem, facile concludunt, qui audiunt iis dictum, *Docete omnes gentes:* & qui cum hoc præcepto euentum comparant, & animo reuoluunt perpetuas illas Pauli; imò & Petri peregrinationes, etiam aliorum, ex historia Ecclesiastica: quas nunquam obiissent, si vni alicui vrbi Episcoporum instar hærere debuissent. Et fuisse quidem omnes Hierosolymis in prima persecutione, non videtur negandum: sed eis propterea assignatas esse sedes, nulla ratione inde conficitur: quis enim nescit, non omnia eodem tempore, aut etiam intra breue tempus euenire? Multo absurdius concluditur, quia

in Sa-

in Samariam nulli missi sunt præter Petrum & Ioannem. Quid enim si alio? Imò, quid nim, si nusquam? Videlicet nondum necessitas exposcebat.

XXV. Sed probat constitisse Hierosolymis multos annos. At hoc primò, quorsum? Nam quod dicimus, aliis partibus occupatos, Petrum hâc prouinciam obiisse: partes intelligimus non orbis, sed muneris. Itaque etiamsi Hierosolymis substitissent; tamen suis partibus occupati fuissent. Et quod diximus nullam stationem sortitos, etiam de Petro intelligendum: vt eo iure potuerit eas Ecclesias visitare; quod minimè potuisset alias. Ita non intelligit Stapletonus quod impugnat. Sic enim agit, quasi ex eo iure probaremus reliquos Apostolos in varias orbis partes abiisse, tum temporis, cùm hæc visitatio facta est. Quod à Caluini, quem oppugnat, mente alienum est.

XXVI. Deinde mansisse Hierosolymis Apostolos tot annos, non probatur. Nam in primo, vnde docetur adfuisse Hierosolymis omnes tum temporis, cùm Iacobus occisus est? Neque enim Lucas significat. Multo magis incertum illud de tempore ab eo martyrio vsque ad Côcilium: cùm ne ipsi quidem Concilio omnes interfuisse liquidùm sit. Apollonij testimonium ex traditione, exigui est momenti. Nam si traditio fuit particularis, ipsi Papistæ non vrgebunt: sin vniuersalis, vnde illa? aut vbi est? aut quomodo iampridē obsoleta, vt eam solus Eusebius norit, solus Eusebius narret? Tum nō probat. Nam à Conuersione Pauli ad Concilium, quatuordecim anni numerantur: à Christo passo ad eā conuersionem, anni duo: sic omnino à Christo passo ad id Concilium anni sexdecim. Quos tamen Baronius conficit septendecim. At Apollonius tantùm duodecim numerat. In quarto, falsum omnes Apostolos à Paulo inuentos, cùm tertio post conuersionem anno Hierosolyma ascenderet. Et quis credat, omnes inuentos, duos tantùm salutatos? Et fratres à quibus deductus est, non necessariò sunt Apostoli: sed etiam alij fideles. Quartum est inutile: nō enim probat vsque ad Concilium mansisse: ne quidem vsque ad Cornelij conuersionem. Nam quid tum, si non abierunt ad Gentes? Ne ipse quidem Petrus Gentes visitabat, de quarum vocatione nondū certus erat. Poterant itaque occupari Hierosolymis: poterant & in aliis Iudææ partibus esse. Actorum decimo tertio, nihil est quo significentur Apostoli tum temporis fuisse Hierosolymis: tantùm ij qui ascenderant cum eo à Galilæa, id est, discipuli qui ex Galilæa erant, esse testes apud populum. At id vbicumque terrarum essent, verum erat: quia testabantur populo cuilibet resurrectionem Christi. Ad postremum denique respondeo; etiamsi nusquam testatum sit, tamen non propterea non esse verisimile: deinde, etiamsi ne verum quidem sit eo tempore reliquos Apostolos nullas visitasse; tamen nō sequitur aut Petrū non visitasse ex Apostolatus iure: aut reliquis Apostolis suas fuisse sedes assignatas.

XXVII. Sed in Chrysostomo quid habent? vbique primum Petrum inueniri. Ita sanè: sed quæ sunt tam stupida ingenia, quę non videant quo sensu? Nam significat Chrysostomus promptitudinem illam Petro familiarem ad aggrediūdum quidlibet, aliis non expectatis. Atque adeò, hæc verba nō sunt conclusio ab ea comparatione Imperatoris, cuius meminit, sed nouum axioma, quod inductione demonstratur. Ὁρᾷ, inquit, [illegible] [illegible] A [illegible] *Vide vbique illum circuncursare, & primum inueniri. Quando eligendus Apostolus, hic primus, quando apud Iudæos orandum non esse Apostolos ebrios: quando sanandus claudus: quando concionandum, hic præ aliis est. Quando apud principes, idē: quando contra Ananiam: quando ab vmbra sanationes fiebant: idem erat. Et vbi quidem periculum erat: aut moderatio, idem. Vbi verò in tranquillo negotia erant, communiter*

B *omnes.* Et hîc sermonem abrumpunt: sic inquam citant hunc locum, vt nihil aliud diuinare possis, nisi ex eo quod omnes visitauit, concludere Chrysostomum, vbique Petrum primas tenere. Et quidem quasi omnes conspirarent. Hic autem contextus ostendit comparare negotia, vt ita dicam, negotiosa, reliquis facilioribus, & tranquillioribus: in illis Petrum primum semper occurrere: in his verò promiscuè. Atqui id à principatus natura abhorret, cuius

C dignitatem Papistæ tuentur. Nam vt taceam Papam negotiosa quæque suis ministris imponere ipsum Romæ quietè sedentem: certè ne Iesuitæ quidem dicant non debere suum Oecumenicū in pace primas tenere, aut promiscuè cum aliis numerari. Denique hoc Epiphonemate Chrysostomus sermonē illum claudit, [illegible] *Adeo maiorem sibi honorem non postulabat.* Quid hoc? nónne euidenter distinguit inter illud suum [illegible], & [illegible]? Quàm absurdè, si illud significaret Pon-

D tificatum: & quidem Oecumenicum? Comparari autem Petrum Imperatori exercitum lustranti, siue ordines circumeunti, [illegible]: non inuiti audimus. Fuerunt enim omnes Apostoli quasi duces in Ecclesia: quomodo apud Athenienses vnius exercitus plures Imperatores creabantur ad quos eius cura spectabat.

XXVIII. Decima septima prærogatiua, Actorum decimo, vbi Petrus omniū primus incipit prædicare Gentilibus, sicut omniū primus prędicauerat

E Iudæis. Tum soli ei ostensa visio est, qua monebatur tempus esse prædicandi Gentilibus: vbi etiā pulcrè dicitur, *Macta & manduca.* Nam capitis est manducare, & per manducationem traiicere cibū in stomachum: & illum sibi incorporare. Significatur enim hac metaphora Petro conuenire, vt ipse, tanquam caput Ecclesię, infideles conuertat, & efficiat membra Ecclesiæ.

XXIX. Respondeo, priùs ad historiam: deinde ad allegoriam. Primò dubitari potest, verum primus

F Petrus prædicauerit gentibus: tum quia Samaritani non erant Iudæi: ergo Gentiles: & tamen eis Philippus prædicarat: & etiam Petrus cum Ioanne: tum quia Eunuchum ex Aethiopia iamidem Philippus baptizauerat. Erant autem Aethiopes Ethnici. Nā fuisse proselytum fidenter nimis Bellarminus asserit. Salmero tomo duodecimo, tractatu vigesimo octauo, multo rectius: notat Oeconomiam propagan Euangelij, à Iudæis ad Samaritas, inde ad puros Gentiles, inter quos erant quidam, qui peculia-

G ri religione Templum Hierosolymitanum venerabantur: ob duplicem caussam: tum templi ipsius magnificentiam, tum Versionem Græcam Veteris Testamenti.

XXX. Nec obstant quæ Bellarminus obiicit. Non enim Petrus dixit Actorum decimo quinto se primum prædicasse gentibus: Sed duntaxat, *Vos scitis Deum iampridem inter nos elegisse, vt per os meum audirent gentes verbum Euangelij, & crederent.* Quod qui-

dem verum constat, etiamsi non primo acciderit. Ad hæc nihil mirum, eos, qui dispersi erant ex oppressione orta ob Stephanum, solis Iudæis prædicasse: non erant enim certi de vocatione gentium: nec obstat tamen, quominus extra ordinem, & ex peculiari mandato etiam cum miraculo Philippus Eunuchum baptizarit, quod sua sponte non fuisset facturus. Reprehensus autem fuit Petrus primo Hierosolymis: at Philippus erat in Samaria. Quid enim? si nondum Hierosolymitani audierant conuersionem Eunuchi? Deinde factum Petri erat illustrius: vt pote intra vrbem populosam: & tota familia baptisata: at Philippi, in deserto: & vnico homine baptisato. Facile autem fuit, etsi id rescisset, dubitare adhuc de Gentium conuersione: quia ab aliquo extra ordinem facto, nihil certo concluditur. Iam quod Hieronymus scripsit, hunc primum ab Apostolo baptizatum, salutem gentium dedicasse. Et Chrysostomus, ab eo initium esse gentium: meritò dictum est: Nam quia hæc conuersio sic facta est, vt non tantùm fuerit factum peculiare aliquod, & quasi priuilegium: sed addita diserta admonitione, de gentium conuersione: adeo vt etiam qui id factum improbarent, audito Petro exclamauerint cum gaudio, *Nempe etiam Gentibus Deus resipiscentiam dedit in vitam*, facile quilibet dicere potuit, inde iam apertam esse ianuam gentibus, quæ adhuc clausa videbatur.

XXXI. Secundò, etiamsi concedatur primum id fuisse exemplum Ethnici baptizati: tamen certum est Petrum prædicasse tum vni familiæ, & quidem intra Iudæam. Paulum verò primum omnium cum Barnaba, delectum esse à Spiritu Sancto ad publicum ministerium prædicandi gentibus, Actorum decimo tertio. Quilibet autem videre potest, multo maiorem esse Pauli prærogatiuam, quã Petri, si quidem vlla est prærogatiua. Aliud est enim vni familiæ conuertendæ destinari: aliud mitti ad Gentes ipsas vniuersas: quomodo profectus est Paulus in Seleuciam, Cyprum, Salamina, Paphum (vbi non iam Centurionem conuertit vt Petrus, sed Proconsulem) Pamphiliam, Pisidiam, atque aliò: adeo vt ab Hierusalem & circumiacentibus regionibus, vsque ad Illyricum impleuerit prædicandi Euangelij munus, ad Romanos decimo quinto. Tum ergo serò perfectum est opus illud arduum conuertendorum Ethnicorum, quod antea quibusdam quasi præludiis erat tentatum. Itaque meritò sibi Paulus concreditum dicit Euangelium præputij, & quidem cum comparatione, vt Petro circuncisionis, secundo ad Galatas: in quem locum Ambrosius asserit, Paulum dignum esse visum, qui haberet primatum in prædicatione gentium. Qui si verum dicit, ergo non Petrus.

XXXII. Venio ad allegoriam. Petro igitur dictum, *Macta & manduca*. Intelligo. Sed video Sophisticen. Manducare est capitis: & traijcere cibum, & incorporare, Ergo Petrus est caput Ecclesiæ. At primùm allegoria est: id est argumentum nihili. Deinde, falsum sumit, non enim est capitis traijcere cibũ, nam id gutturis est: nec incorporare: nam eas sibi partes stomachus vendicat. Imò ne manducare quidem: Nam id est oris officium. Etsi autem os sit in toto capite; tamen distinguitur. Aliàs cur non æquè dicamus; quia oculorum est videre: & oculi sunt in capite: ergo capitis esse videre? Atque hinc concludamus, quia Thomæ dictum, *Vide manus meas, & pedes meos*; significari eum esse caput? Tertiò, quàm ridiculè id dictum: Capitis est manducare: & Petro dictum, mãduca: ergo Petrus caput: Similiter si quis dicat: Pedum est διώκειν. & Petrus id faciebat: Ergo Petrus erat pes: admittãt-ne Iesuitæ? Quid si, surgere est totius corporis: at Petro dictũ, surge, ergo Petrus est totũ corpus Ecclesiæ. Notũ est autẽ in parabolis, nõ esse singulas particulas cõsectãdas: earumq; plurimas proferri tãtùm ad ornatum, ex catũ rerũ natura iustè similitudo desumitur. Sic Ioseph cùm exponit Pharaoni somnium, non curiosè singula examinat, fluuium, loca palustria, loca virentia. Idẽ de hoc loco iudicium. Voluit Deus Petrum docere, Gentes non esse amplius habendas pro prophanis. Idque à ciborum similitudine: quorum quidam in lege dicebãtur immundi. Hæc erat igitur visionis summa: Petro vtendum esse animalibus etiam immundis. Atqui vsus est in mactatione, & mãducatione: itaq; vtramque Deus expressam voluit: non vt singulis inhæreat interpres: vt ipse suo exemplo Petrus docuit.

XXXIII. Denique, etiamsi subtilissimè pensitentur omnia, tamen nulla argumenti necessitate Pontificatum concludent. Augustinus ea, quæ in quinquaginta homiliis, est quadragesima quinta, *Quod autem dictum est Petro, macta & manduca. hoc significatum est, quod Ecclesia Catholica omnes qui in Christum credunt prius occisura est. & postmodum manducatura. hoc est, occisura esset infidelitatem, vt postea insereret fidem.* Et Salmero tomo duodecimo, tractatu vigesimo primo, *Occidere siue mactare, id est, tanquam sacrificium immolare, vt vox Græca indicat, & incorporare peccatores Christi Ecclesiæ per Sacramenta, fine in vitam suam conuertendo, vt vitam, quam viuebat Petrus, communicaret manducatu.* Quid est autem in his omnibus Petro peculiare? Quid non commune, non dico cum reliquis Apostolis, sed omnino cum omnibus qui Euangelium prædicant? Hoc sanè modo Paulus mactauit & manducauit Proconsulem, reliquosque Ethnicos.

XXXIV. Cæterùm, eam ipsam visionem quũ Petrus ipse interpretatur, primatũ suum ne minimo quidem verbo indicat, tãtùm dicit, *In veritate cõperio Deũ non accipere personã: sed in quauis gente acceptũ ei esse quemuis qui eum timeat, & operetur iustitiam.* Concludimus ergo & nos, hæc dicta fuisse Petro, non ad priuilegium aliquod ei acquirendum: sed vt commonefieret sui officij, ne eos qui ad se veniebant eiiceret: quandoquidem ad eos ad fidem conuertendos eius ministerio Deus vti volebat. Sic cùm Paulum destinaret ad Macedonas mactandos, & manducandos, obiecit ei visionem. Actorum decimo sexto, *Vir Macedo quidam aderat stans, & rogans eum, & dicens, Transi in Macedoniam, & succurre nobis*: non quasi non posset ab alio id munus obiri: sed quia tum admonebatur sic statuisse Deum.

XXXV. Decima octaua prærogatiua, Actorum duodecimo, pro Petro in carcere constituto, *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia.* Quod factum non legitur pro Stephano, & Iacobo. Cuius quæ potest alia ratio assignari, nisi quia multum intererat, verum membrum vnum, an caput periclitetur? Chrysostomus, *Magni amoris indicium oratio. Patrem quærebant omnes.*

XXXVI. Respondeo, non esse prærogatiuam. Est enim oratum pro Petro, eo affectu quo solent fideles pro pastoribus suis. Vnde Chrysostomus in eum locum, quem noluit integrum recitare Bellarminus, sibi magis cauẽs, quàm veritati, *φιλοστοργίας ἐνδείγματα ἡ εὐχὴ ... πατέρα πάντες ἐζήτουν τὸν ποιμένα.*

[illegible] ἐκτενὴς, τουτέστι, [illegible] ἀκούσατε πῶς διέκειντο περὶ τοὺς διδασκάλους, *Magni amoris indicium oratio. Patrem omnes quærebant: patrem benignum. Continua, inquit, oratio fiebat pro illo. Audite quomodo affecti erant erga præceptores.* Et post eum Theophylactus, [illegible]. His igitur iudicibus, pendebat hæc precũ continuatio, non à Petri prærogatiua: aut eius solius amore: sed à generali dispositione discipulorum in magistros. Itaque non Patrem vnicum, sed vnum ex Patribus tum fideles Deo commendabant. Et quot haberet, quæso, Pontifices Oecumenicos Ecclesia, si pro quibuscunque orat, ij essent huiusmodi? Rectè notat Salmero hinc factum, vt in Liturgia semper oretur pro Pontifice. Sed addere debuit, in Romana Ecclesia pro Romano: alibi pro alijs. Liturgia Marci, oratur pro Marco: Clementis pro Clemente. In Basilij, ἐν πρώτοις μνήσθητι Κύριε τοῦ ἀρχιεπισκόπου ἡμῶν, τοῦδε, *In primis memento Domine Archiepiscopi nostri.* Quæ eadem verba sunt Liturgiæ Chrysostomi.

XXXVII. Atqui nihil simile notatur de Stephano & Iacobo, inquit Bellarminus. Respondeo, non sequi non factum: neque enim omnia collegisse Lucam, quæ facta sunt, sed illustriora duntaxat. Hoc autem in his erat: tum ob præsens periculum. *Erat enim* (inquit Chrysostomus) *grauissimum certamen: meticulososque illos faciebat, & quod ille in carcerem coniectus erat: & quod iste interfectus esset.* Tum ob exitum: nempe Petri miraculosam liberationem, atque inperatam. Deinde potest responderi: orandi pro Stephano & Iacobo, non fuisse spatium: quia illi non describantur coniecti in carcerem, sed repentè occisi: Petrum autem produci volebat Herodes post Pascha. Porrò interesse multum, vtrum membrum, an caput periclitetur, vt concedã, tamen non sequitur Ecclesiam non orare pro vno membro: non sequitur Petrum fuisse caput, aut certè vnicum caput.

XXXVIII. Decima nona prærogatiua, Actorum decimo quinto, quum congregatum esset Concilium Hierosolymitanum, Petrus primus loquitur: sententiamque eius Iacobus, reliquique omnes sequuntur. Hieronymus ad Augustinum: Theodoretus ad Leonem. Hæc Bellarminus, sed audaciores alij. Horantius, Petrus congregauit id Concilium: retulit quid faciendum: alios audiuit: nec locum tantùm concessit dicendæ sententiæ, sed arbitrium eis permisit. Hæc ille libro sexto locorum Catholicorum capite decimo. Et ipse Bellarminus de Concilijs libro primo, capite decimo nono, asserit Petrum præsedisse.

XXXIX. Respondeo, primò sumi incertum. Nullo enim certo constare argumento, Petrum fuisse in eo Concilio præsidem. Imò contrà, Chrysostomum autoritatem in hoc cœtu maiorem Iacobo adscribere: Homilia trigesima tertia in Acta, Ἐπίσκοπος ἦν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις Ἐκκλησίας οὗτος, διὸ καὶ ὕστερος λέγει, *Erat hic Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ: itaque posterior loquitur.* Μετὰ Πέτρον Παῦλος δημηγορεῖ, καὶ οὐδεὶς ἐπιστομίζει. Ἰάκωβος ἀνέχεται, καὶ οὐκ ἀναπηδᾷ. ἐκεῖνος γὰρ τὴν ἀρχὴν ἐγκεχειρισμένος, *Post Petrum Paulus loquitur: neque quisquam eum comprimit. Iacobus patitur, neque resilit. Huic enim principatus commissus erat.* Σφοδρότερον μὲν ὁ Πέτρος διαλέγεται. οὗτος δὲ ἡμερώτερον. οὕτως δεῖ τὸν ἐν ἐξουσίᾳ μεγάλῃ [illegible] τὰ μὲν φορτικὰ ἑτέροις ἀφιέναι, αὐτὸν δὲ τῶν ἡμερωτέρων διαλέγεσθαι. *Petrus quidem vehementius loquebatur. Iacobus verò clementius. Sic semper oportet eum, qui in magna est potestate, quæ dura sunt alijs relinquere: ipsum verò mansuetius loqui.*

XL. Quæ verò collegit Horãtius, nõ vera sunt, sed ad miraculũ vsque impudentia. Petrus congregauit. At id nusquam Lucas significauit, qui simpliciter cõgregatos testatur Apostolos, & Presbyteros. Neq; ad eum locũ quisquã Veterũ has Petri partes esse docuit. Tantùm Salmero, *Cuius autoritate atque iussu* (inquit) *fuerit hæc Synodus coacta, in dubiũ vocandũ non est. Nam aderat Petrus supremus Apostolorum Coryphæus, cuius vnius, vel successorũ eius autoritate Concilia generalia congregari possunt tantummodo.* Sed id somnium est Papisticum: & non disputatoris, sed nugatoris commentum. Imò & Horantium refutat. Nã iste ex dignitate Coryphæi concludit Concilij conuocationem: cùm contrà Horantius, ex conuocatione Concilij, dignitatem Coryphæi. Adeò sunt ridiculi, qui contra veritatem disputant. Petrus retulit quid faciendum. Ne hoc quidem: & sanè cùm adessent Paulus & Barnabas, quid opus erat Petrum referre? Audiuit. Nimirum tanquam ex adstantibus, imò ex iudicibus vnus: quomodo Iacobus etiam audiuit: quomodo alij. Potestatem fecit dicendæ sententiæ. Itáne? In Concilio? quasi quicunque vocantur, eo ipso non habeant loquendi potestatem. Et hæc quidem non minus ridicula, quàm pudoris experta.

XLI. Sed Bellarminus præsedisse Petrum ita ostendit: primò, quia Hieronymus affirmet: secundò, quia Petrus primus surrexit; primus loquutus sit: tertiò, quòd quæstionem definierit: quartò, quia omnes, teste Hieronymo, eius sententiam sequuti sunt.

XLII. Sed hæc facilè confutantur. In primo Hieronymus falsò citatur. Nec enim is vnquam dixit Petrum huic Concilio præsedisse. Tantùm in ea quæ est vndecima in Epistolis Augustini, *Non ignorasse Petrum principem huius decreti, legem post Euangeliũ non esse seruandam.* Quibus in verbis, illa, *Principem decreti*, nihil sonant aliud, quàm, quod antè dixit, in sententiam eius iuisse Iacobum Apostolum & omnes simul presbyteros. Principem enim sententiæ norunt omnes dictum Latinis, non qui præesset cœtui, in quo sententiæ dicebantur, sed qui primus (quæ propria eius vocis significatio est) eam sententiam dixit. Cicero pro Sextio, *Princeps rogationis, vir mihi amicissimus, Q. Fabricius.*

XLIII. In secundo sumitur etiam falsum. Lucas nusquam dixit Petrum primum aut surrexisse, aut esse loquutum. Contrà potius, *Quum multa disceptatio fuisset, surgens Petrus dixit.* Non potuit autem disceptatio fieri nullis loquentibus. Si ergo surrexit facta iam disceptatione: ergo non est primus loquutus. Et Glossa ordinaria eam disceptationem factam obseruat inter iudices. Ergo ne primus quidem iudicum loquutus est.

XLIV. In tertio, quæstionem definisse potest ambiguè dici, vel vt decretũ pronunciauerit, auditis suffragijs: vel vt, quæstionis nodo probè perspecto, eam sententiam dixerit, in quam decretum factum est. Prius illud est quidem præsidentiæ signũ: sed hîc falsum. Tũ quia tã dixit Hieronymus in Petri sententiam iuisse reliquos: quæ verba significant eum, qui suam sententiam dicit, non qui decretum pronunciat. Tum, quia post Petri orationem, Iacobus etiam de eadem re disserit: quod non fit post decretum. Altera notione, potest concedi Petrum definisse: sed id nullum signum est præsidẽtiæ: solet enim quilibet sententiam dicẽs sic definire, etiamsi

postremus sit in ferendo suffragio. Quanquam non est factum decretum prorsus in verba Petri: nam is nihil de Idolothytis, suffocato, sanguine, & scortatione: quæ capita fuerunt in Iacobi oratione.

XLV. In quarto, nullum est argumentum præsidentiæ. Nam in Nicæna Synodo certum est non præsedisse Paphnutium, cuius tamen sententiæ omnes acquieuerunt, etiam, vt videtur, retractatis iam latis suffragiis. Imò verò hinc potius colligat quis, non præsedisse Petrum. Non enim solent alij Præsidis sententiam sequi: sed primi opinantis. Præses potius solet aliorum sententias colligere, & secundùm maiorem numerum concludere: vt ipse potius dici debeat aliorum sententias sequi. Itaque Iacobus videtur potius præsedisse, eùm postremus loquutus sit. Theophylactus ἐπίσκοπος ἦν οὗτος, διὸ ὕστερον λέγει, *Episcopus erat Iacobus: propterea postremo loco dicit.* Et facile id ex Luca colligitur, qui narrat, post auditum Petrum, alios esse loquutos: & ad extremum, quum omnes conticuissent, tum demum Iacobum verba fecisse. Præterea decretum concipitur prorsus in Iacobi verba: cuius duæ fuerunt partes: prima, de vsu legis Mosaicæ, in qua præualuit Petri sententia omnibus assentientibus: altera, de Idolothytis, & reliquis à Petro ne nominatis quidem, sed à Iacobo additis, siue ea sua sententia, siue ea aliorum iam latis suffragiis. Itaque Gaudentius sermone de Machabæis, *Beatus Iacobus cum cæteris Apostolis tale decretum constituit obseruandum.*

XLVI. At Theodoretus ad Leonem scribit, *Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus, ad magnū Petrum cucurrit, vt iis qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso adferret solutionem.* Respondeo, primùm nullum hîc esse argumentum præsidentiæ: imò præsidentiam ne nominari quidem. Videtur autem sic loquutus Theodoretus ex euentu: quia accidit, vt quam Petrus sententiam dixit, ea obtineret. Secundò, dico Theodoretum refutari à Luca, qui Paulum & Barnabam, & alios quosdam missos testatur, non specialiter ad Petrum, sed communiter ad Apostolos, & presbyteros, qui erāt Hierosolymis. Non esse autem quenquam audiendum, contra disertum Scripturæ contextum, quis Christianorum ignorat? Deinde, quas literas Paulus retulit, cuius nomine scriptæ fuerunt? Certè nō solius Petri. Nam, *Apostoli & presbyteri & fratres, iis qui sunt Antiochiæ, & in Syria, & in Cilicia fratribus, qui sunt ex gentibus, salutem.* Tum deinde, *Visum est*: quibus? non Petro soli: sed *nobis concorditer coactis.* Ergo neque ad Petrum solum venit: neque à solo Petro solutionem retulit.

XLVII. Quare, nihil est quo possit euinci Petrum fuisse huius Concilij præsidem. Sed demus tamen fuisse. Secundò igitur respondeo, neque fuisse prærogatiuam, neque significari inde Oecumenicum Pontificatum. Nam Conciliis Oecumenicis varij præfuerunt, qui tamen neque id sibi cuiquam prærogatiuæ adscripserunt, neque in Oecumenici gradum sese vnquam extulerunt: qua de re in tertia quæstione pluribus agetur.

XLVIII. Vicesima prærogatiua: ad Galatas primo, Paulus dicit: *Post annos tres ascendi Hierosolymā, vt viderem Petrum.* Nimirum tanquam se maiorem, inquit Oecumenius. Chrysostomus: quia os erat & princeps Apostolorum. Ambrosius: quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Seruator curam Ecclesiarum. Hieronymus, *Tanta Petrus autoritatis fuit, vt Paulus in Epistola sua scripserit, Deinde post annos tres veni Hierosolymam, videre Petrum.* Et quidem vocem Græcam ἱστορῆσαι expendunt Polus de Vnitate Ecclesiæ libro secūdo: & Turrianus in Defensione contra Sadeelem libro primo, capite octauo. Ea voce significari cum admiratione quadam studium eius videndi, qui sua quadam augusta homines maiestate ad se spectandum euocaret. Et testis citatur Theophylactus, καὶ τοῦτο ταπεινοφροσύνης. ἔργα ὁ τοσαῦτα κατορθώσας ἀπέρχεται πρὸς Πέτρον, οὐκ ἀκούσεως ἕνεκα, ἀλλ' ἱστορήσων μόνον, τιμῶν ὡς μείζονα αὐτόν, διὸ οὐδὲ εἶπεν ἰδεῖν Πέτρον, ἀλλ' ἱστορῆσαι, ὅπερ οἱ τὰς μεγάλας πόλεις καὶ λαμπρὰς καταμανθάνοντες λέγουσιν. ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ἀπερχόμεθα πρὸς ἁγίους ἄνδρας. ἀλλ' ἡμεῖς ὠφελείας ἕνεκα. ἐκεῖνος δὲ τιμῆς μόνον. *Et hoc ad humilitatem pertinuit: siquidem qui tam multa præclarè gesserat, ad Petrum adiuit: non vt ab eo vtilitatem caperet, sed vt spectaret tantum, & tanquam maiorem se honoraret. Idcirco non dixit ἰδεῖν, sed ἱστορῆσαι, vt loquuntur qui magnas & splendidas ciuitates perlustrant: & vt nos facere solemus, cùm viros sanctos adimus: verùm nos vtilitatis nostræ caussa, ille verò honoris tantùm*, τὸ μὲν ἱστορῆσαι τιμῆς σημεῖον, *honoris est iudicium* ἱστορῆσαι.

XLIX. Respondeo, ὕστερον πρότερον. Vocabulum ἱστορῆσαι paulo plus significare, quàm simplex ἰδεῖν: nempe videndo obseruare, & ad id, quod videtur, animum aduertere, ita vt non obiter, aut perfunctoriè, siue παρατροχάδην videatur. Esse tamen vocem mediam: & ipsam per se neque in bonum sumi, neque in malum. Xiphilinus in Augusto, Dionem taxans, qui pleraque mira non obseruasset in historia: εἰ μὲν οὐδ' αὐτὸς ᾔδει ταῦτα, inquit, μεμπτέος. πλήρης γὰρ [illegible] τοιούτων ἡ ἱστορία. εἰ δ' ὡς οὐχ ἱστορήσας αὐτός, συγγνωστός, *Si quia non putaret euenisse, culpandus: cùm horum euentuum plena sit historia: sin autem, vt qui ipse non viderit, excusandus.* Origenes contra Celsum libro primo, οὐ γὰρ ἱστορήσαμεν ταῦθ' ὁμολογουμένως ἐν τοῖς Ἰουδαίων γεγονότα: *Non obseruauimus apud Iudæos in cōfesso esse hæc fieri.* Et rursus, πολλὰ γὰρ τοιαῦτα ἱστορήσαμεν. ἅτινα εἰ ἐγράφομεν, ὡς τοῖς αὐτοῖς παρατυχόντες, καὶ ἰδόντες γέλωτα πολὺν ὠφλήσαμεν. *Multa enim talia vidimus, quæ si memoraremus duntaxat gesta in nostra præsentia, cachinnum tollerent infideles.* Theophilus ad Autolycum, μονομάχων [illegible], appellat eos qui in Amphitheatris Monomachias spectarent. In Clementis Epitome Actorum Petri, Barnabas ipsum Clementem alloquens, σὺ εἰ μὲν ἱστορῆσαι τὰ ἡμέτερα, καὶ μαθεῖν τὸ συμφέρον ἐθέλεις, *Tu, si nos resque nostras* (sic reddente Perionio) *videre cupis, & quod vtilitatem adferat discere.* Et de Simone Mago Nicetas ibidem αὐτὸν ποιοῦντα [illegible] ἱστορήσαμεν, *ipsum facientem vidimus.* Plutarchus Theseo, [illegible] ἐλθεῖν καὶ τὴν χώραν ἱστορῆσαι. Interprete Lapo, *Theseum orauit secum vnà proficisci, regionemque inuisere.* Euripides Helena, οὐδ' ἱστορῆσαι τοῖς ἐμοῖς δυσχλαινίας, *vt spectaret mearum vestium sordes.* Aristænetus libri primi Epistola vigesima sexta, [illegible] ἱστόρηκα Ῥώμην, *Veterem ac nouam visitaui Romam.* Georgius Gemistus Ellenicon primo dicit Platonē venisse in Siciliam [illegible] ἐκεῖ, *vt videret vrbes ac respublicas quæ illic erant.* Ex his exemplis, atque hoc vsu facile possit intelligi Paulus venisse, vt Petrum, non amplius ex aliorum sermonibus cognitum haberet, vt hactenus, verùm de facie, tanquam præsentem intueretur. Quod certè honoris est, nec quidem vulgaris, habita ratione personæ quam Paulus gerebat. Qui quidem honor & abest ab Oecumenico Pontificatu: & absque vlla Petri in reliquos Apostolos prærogatiua esse potest.

L. Et

L. Et sanè proderit Patrum Veterum ea de re sententiam perpendere. Chrysostomus, *Quid hoc animo posit esse modestius? μετὰ τοσαῦτα, καὶ τοιαῦτα κατορθώματα, post tam multa, támque preclarè gesta, μηδὲν Πέτρου δεόμενος, quùmque Petro nulla iure egeret, ne voce quidem, ἀλλ' ἰσότιμος ὢν αὐτῷ, sed parem tum eo sortitus honorem, τέως γὰρ οὐδὲν ἐρῶ τέως, nihil dum enim dicam amplius: tamē ἀπέρχεται, ὡς πρὸς μείζονα, καὶ πρεσβύτερον, tanquam ad maiorē ac seniorem, solíque petri conspectus (ἡ ὄψις Πέτρου) cōmouit illum, vt eo proficisceretur. Vides quemadmodum illa tribuit congruentem honorem: neque solum non ducit se illo meliorem, verùm ne parem quidem esse putat. Id quod ex ipsa profectione liquet. Sicut enim nunc multi fratrum nostrorum ad viros sanctos proficiscuntur: eodem affectu tunc Paulus ad Petrum profectus est.* Hieronymus, *Non vt oculos, genas, vultúmque eius aspiceret.* Et pòst, *Nec puto Apostolice fuisse grauitatis, vt post tantam triennij preparationem aliquid humanum in Petro voluerit aspicere: sed his oculis aspexit eum, quibus, & modò in Epistolis suis videtur.* Et iterum, *Non discendi studio, qui & ipse eundem predicationis haberet autorem, sed honoris priori Apostolo deferendi.* Augustinus, *Cùm euangelizasset Paulus in Arabia, postea vidit Petrum: non ideò, vt per ipsum Petrum disceret Euangelium: (nam antè, eum vtique vidisset) sed vt fraternam charitatem etiam corporali notitia cumularet.* Tertullianus de Præscriptionibus, *Ascendit Hierosolymam cognoscendi Petri causa, ex officio, & iure scilicet eiusdem fidei, & predicationis.* Istis adde Lombardum, *Videre Petrum: non discere aliquid ab eo: sed videre eum propter affectum Apostolatus: & vt Petrus sciret me fore sibi coapostolum: & apud eum diebus quindecim mãsi, receptus ab eo, vt verax, & coapostolus.* Adde Thomam, *Dicit ergo, licet non iuerim ad Apostolos, vt instruerer ab eis circa principium mea conuersionis (quia iam eram instructus à Christo) tamen ex affectu charitatis compulsus, post annos tres, scilicet conuersionis meæ, veni Hierosolymam: quoniam tandiu desiderans videre Petrum, non vt discerem ab eo, sed vt visitarem eum.*

LI. Hæc illi: quæ si perpendamus, quid factum, imò cur factum sit, intelligemus. Nam Augustinus disertè fraternam charitatem nominat: & Thomas affectum charitatis. Tertullianus etiam ius eiusdem fidei, & prædicationis. Lombardus, affectum Apostolatus. Hæc igitur eius itineris causa: quæ, opinor, non concludit præfecturam aliquam in Apostolos. Enimuerò honorificam Petro visitationem fuisse, non est quod negemus: sed vicissim hunc honorem cur transformant in Pontificatum? Nihilominus enim manebat Paulus coapostolus, vt loquitur Lōbardus: & ἰσότιμος, vt Chrysostomus: & quidem, vt minimū: Nam illud, τέως γὰρ οὐδὲν ἐρῶ τέως, indicat potuisse aliquid de Paulo prædicari vltra ἰσοτιμίαν. Húc verò honorem delatum Petro aduerte, non quasi soli deberetur, sed cum aliis. Eò refer hæc verba, ὅπερ καὶ τοῖς προσήκουσιν αὐτοῖς ἀπονέμειν τιμῆς, illis honorem defert, scilicet reliquis Apostolis: eius autem specimen in Petro edit.

LII. Et tamen tanquam maiori: Esto sanè. Sed an tanquam Pontifici? Minimè. Nam eodem modo de Iacobo Chrysostomus loquitur. ἀφότε μὲν εἰσήει πρὸς τὸν Ἰάκωβον μετ' πολλῆς τῆς ταπεινοφροσύνης, ὡς πρὸς μείζονα, ἤ πρεσβύτερον. *Primùm quidem ingreditur ad Iacobum plurima cum modestia, velut ad maiorem, & honoratiorem.* Cur non & Iacobo Oecumenicum Pontificatum affingunt? Et sanè maiorem, non solùm constituit superioris potentioris̃ue magistratus munus: sed etiam in eodem munere personalia quædam charismata: qualia in Petro non inuiti agnoscimus. Hieronymus, priorem Apostolum dixit, *honoris*, inquit, *priori Apostolo deferendi.* Quod quamobrem Iustinianus in primum ad Galatas, mutarit in, *vt Apostolorum principi deferret honorem*, inquirant alij. Certè Hieronymus temporis prærogatiuam indicauit, sed in Apostolatu: quàm alij in ætate: vnde non μείζονα tantùm, sed & πρεσβύτερον, Chrysostomus nominat. Imò & apud Theophylactum, ex versione Porsenæ, inuenio, *cùm esset ætate prouectior*, pro ὡς μείζονα, in Græco codice Turriani: siue ille sic legerit interpres, vt sunt, & alia nonnihil discrepantia, siue sic intelligēdum putauerit. Et vtut sit, tamen Iacobum, quem maiorem Chrysostomus Paulo dixit, scimus, nullo officij Ecclesiastici gradu præstitisse. Cur non etiam Petrum, maximè, cum ei dicat ἰσότιμον Paulum? Et quidem etiam alios, οὐ μόνον ἀμείνω, ἀλλ' οὐδ' ἴσον ἑαυτὸν ἐκείνων εἶναι νομίζων, *Neque solum non ducit seipsum illis meliorem, verùm ne parem quidem esse putat.* Itaque fuerit sanè magnæ auctoritatis, apud Hieronymum: fuerit os, & princeps apud Chrysostomum: neutrum tamen euincit ex hoc loco Pontificatum Oecumenicum. Nam illi commissam fuisse Ecclesiarum curam, cur negemus, qui Apostolum agnoscimus?

CAP. XIX.

De prærogatiuis Petri ex traditione.

I. HActenus, quæ è Scripturis, quo iure quáve iniuria, extorquebantur prærogatiuæ. Nunc sequuntur eæ, quas emendicant à traditione. Hæc igitur esto vigesima prima, quòd Christus suis manibus solum Petrum baptizarit. Id probatur ex Euodio: à quo, Euthymius in tertium Ioannis, & Nicephorus libro secundo, capite tertio, referunt ex mulieribus solam Virginem matrem; ex viris solum Petrum fuisse baptizatum: à quo deinceps, Andream, Iacobum, Ioannem.

II. At hæ meræ nugæ sunt. Neque Euodius habet satis autoritatis. Qui factum enim, vt tam serò cognitus sit liber eius, vt omnium penè postremi Euthymius, & Nicephorus, (quáquam Euthymius neminem nominatim autorem laudat) eum soli, quod sciamus, legerint, citarint? Et quidem quàm verè nomen ei libro à lumine sit inditum, hinc notum esto: quòd à Christi morte ad Stephani martyrium annos computat septem: quo nomine vapulat Baronio ad annum trigesimum quartum, quo extremo occisum disputat, vix decem menses post Christum. Rursus idem Euodius dicit eam domum in qua Cœnam Dominus celebrauit, fuisse Ioannis Apostoli: quod est manifestè contra historiam Euāgelij, Matthæi vigesimo sexto, Marci decimo quarto, & Lucæ vigesimo secundo. En tibi scilicet autorem proximum Apostolis: imò en Ecclesiasticæ traditionis authenticam originem apud Papistas.

III. Cæterum, ex Veteribus nonnulli contrà sentiunt. Nam ipse Euthymius, qui eam Euodij sententiam, tacito nomine, recitat perfunctoriè, ipse, inquam, asserit Apostolos fuisse à Ioanne baptizatos: Et consentit longè antiquior. Eulogius apud Photium, Bibliothecæ capite ducentesimo octogesimo, Imò Tertullianus de Baptismo, capite duodecimo. Sed & Chrysostomus in Acta homilia prima. Au-

postremus sit in ferendo suffragio. Quanquam non est factum decretum prorsus in verba Petri: nam is nihil de Idolothytis, suffocato, sanguine, & scortatione: quæ capita fuerunt in Iacobi oratione.

XLV. In quarto, nullum est argumentum præsidentiæ. Nam in Nicæna Synodo certum est non præsedisse Paphnutium, cuius tamen sententiæ omnes acquieuerunt, etiam, vt videtur, retractatis iam latis suffragiis. Imò verò hinc potius colligat quis, non præsedisse Petrum. Non enim solent alij Præsidis sententiam sequi: sed primi opinantis. Præses potius solet aliorum sententias colligere, & secundùm maiorem numerum concludere: vt ipse potius dici debeat aliorum sententias sequi. Itaque Iacobus videtur potius præsedisse, cùm postremus loquutus sit. Theophylactus ἐπίσκοπος ἦν οὗτος, διὸ ὕστερον λέγει, *Episcopus erat Iacobus: propterea postremo loco dicit*. Et facilè id ex Luca colligitur, qui narrat, post audiium Petrum, alios esse loquutos: & ad extremum, quum omnes conticuissent, tum demum Iacobum verba fecisse. Præterea decretum concipitur prorsus in Iacobi verba: cuius duæ fuerunt partes: prima, de vsu legis Mosaicæ, in qua præualuit Petri sententia omnibus assentientibus: altera, de Idolothytis, & reliquis à Petro ne nominatis quidem, sed à Iacobo additis, siue ex sua sententia, siue ex aliorum iam latis suffragiis. Itaque Gaudentius sermone de Machabæis, *Beatus Iacobus cum cæteris Apostolis tale decretum constituit obseruandum*.

XLVI. At Theodoretus ad Leonem scribit, *Paulus præco veritatis, tuba sanctißimi Spiritus, ad magnū Petrum cucurrit, vt iis qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso adferret solutionem*. Respondeo, primùm nullum hic esse argumentum præsidentiæ: imò præsidentiam ne nominari quidem. Videtur autem sic loquutus Theodoretus ex euentu: quia accidit, vt quam Petrus sententiam dixit, ea obtineret. Secundò, dico Theodoretum refutari à Luca, qui Paulum & Barnabam, & alios quosdam missos testatur, non specialiter ad Petrum, sed communiter ad Apostolos, & presbyteros, qui erāt Hierosolymis. Non esse autem quenquam audiendum, contra disertum Scripturæ contextum, quis Christianorum ignorat? Deinde, quas literas Paulus retulit, cuius nomine scriptæ fuerunt? Certè nō solius Petri. Nam, *Apostoli, & presbyteri & fratres, iis quæ sunt Antiochiæ, & in Syria, & in Ciliciæ fratribus, qui sunt ex gentibus, salutem*. Tum deinde, *Visum est*: quibus? non Petro soli: sed *nobis concorditer coactis*. Ergone- que ad Petrum solum venit: neque à solo Petro solutionem retulit.

XLVII. Quare, nihil est quo possit euinci Petrum fuisse huius Concilij præsidem. Sed demus tamen fuisse. Secundò igitur respondeo, neque fuisse prærogatiuam, neque significari inde Oecumenicum Pontificatum. Nam Conciliis Oecumenicis varij præfuerunt, qui tamen neque id sibi cuiquam prærogatiuæ adscripserunt, neque in Oecumenici gradum sese vnquam extulerunt: qua de re in tertia quæstione pluribus agetur.

XLVIII. Vicesima prærogatiua: ad Galatas primo, Paulus dicit: *Post annos tres ascendi Hierosolymā, vt viderem Petrum*. Nimirum tanquam se maiorem, inquit Oecumenius. Chrysostomus: quia os erat & princeps Apostolorum. Ambrosius: quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Seruator curam Ecclesiarum. Hieronymus, *Tanta Petrus autoritatis fuit, vt Paulus in Epistola sua scripserit, Deinde post annos tres veni Hierosolymam, videre Petrum*. Et quidem vocem Græcam ἱστορῆσαι expendunt Polus de Vnitate Ecclesiæ libro secūdo: & Turrianus in Defensione contra Sadeelem libro primo, capite octauo. Ea voce significari cum admiratione quadam studiū eius videndi, qui sua quadam augusta homines maiestate ad se spectandum euocaret. Et testis citatur Theophylactus, καὶ τοῦτο ταπεινοφροσύνης. εἶχε γὰρ τοσαῦτα κατορθώσας εἰπεῖν πρὸς Πέτρον, ἐκ ἀναγκαίως ὅτενα, ἀλλ' ἐπειδὴ μόνον τιμῆς ὡς μείζονα αὐτοῦ, διὸ οὐκ εἶπεν ἰδεῖν Πέτρον, ἀλλ' ἱστορῆσαι, ὅπερ οἱ τὰς μεγάλας πόλεις καὶ λαμπρὰς καταμανθάνοντες λέγουσι. ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ἀπιέναι πρὸς ἁγίους ἄνδρας. πολλοῦ δὲ ἡμᾶς ὠφελείας ἕνεκα. ἐκεῖνος δὲ τιμῆς μόνον. *Et hoc ad humilitatem pertinuit: siquidem qui tam multa præclarè gesserat, ad Petrum adiuit: non vt ab eo vtilitatem caperet, sed vt spectaret tantum, & tanquam maiorem se honoraret. Idcirco non dixit ἰδεῖν, sed ἱστορῆσαι, vt loquuntur qui magnas & splendidas ciuitates perlustrant: & vt nos facere solemus, cum viros sanctos adimus: verùm nos vtilitatis nostræ causa, ille verò honoris tantùm*, τὸ μὲν ἱστορῆσαι τιμῆς σημεῖον, *honoris est indicium* ἱστορῆσαι.

XLIX. Respondeo, ὕστερον πρότερον. Vocabulum ἱστορῆσαι paulo plus significare, quàm simplex ἰδεῖν: nempe videndo obseruare, & ad id, quod videtur, animum aduertere, ita vt non obiter, aut perfunctoriè, siue παρεργωδῶς videatur. Esse tamen vocem mediam: & ipsam per se neque in bonum sumi, neque in malum. Xiphilinus in Augusto, Dionem taxans, qui pleraque mira non obseruasset in historia: εἰ μὲν οὐδ' αὐτὸς ἐπιδὼν ταῦτα, inquit, μεμπτέος. πλήρης γὰρ τοιούτων ἡ ἱστορία. εἰ δ' ὡς οὐχ ἱστορήσας αὐτὸς, συγγνωστέος, *Si quia non putaret euenisse, culpandus: cùm horum euentuum plena sit historia: sin autem, vt qui ipse non viderit, excusandus*. Origenes contra Celsum libro primo, οὐδὲ ἱστορήσαμεν ταῦθ' ὁμολογεῖσθαι παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις γεγονέναι: *Non obseruauimus apud Iudæos in cōfesso esse hæc fieri*. Et rursus, πολλὰ γὰρ τοιαῦτα ἱστορήσαμεν. ἅτινα εἰ γράφοιμεν, ἃ τοῖς αὐτοῖς παρατυχόντες, ἢ ἰδόντες γέλωτα ἂν ἀπίστοις ὠφλήσαμεν. *Multa enim talia vidimus, quæ si memoraremus duntaxat gesta in nostra præsentia, cachinnum tollerent infideles*. Theophilus ad Autolycum, αὐτόπτας φόνων, appellat eos qui in Amphitheatris Monomachias spectarent. In Clementis Epitome Actorum Petri, Barnabas ipsum Clementem alloquens, σὺ εἰ μὲν ἱστορῆσαι τὰ ἡμέτερα, καὶ μαθεῖν τὸ συμφέρον ἐθέλεις, *Tu, si nos résque nostras* (sic reddente Perionio) *videre cupis, & quod vtilitatem adferat discere*. Et de Simone Mago Nicetas ibidem αὐτοῦ φράσαντος ἱστορήσαμεν, *ipsum facientem vidimus*. Plutarchus Theseo, ἐδεῖτο τὸν Θησέως ἐλθεῖν καὶ τὴν χώραν ἱστορῆσαι. Interprete Lapo, *Theseum orauit secum vnà proficisci, regionemque inuisere*. Euripides Helena, ὡς ἱστορήσῃ τὰς ἐμὰς δυσχλαινίας, *vt spectaret mearum vestium sordes*. Aristenetus libri primi Epistola vigesima sexta, περὶ γε τῷ νέᾳ τὴν πρεσβυτέραν ἱστορῆσαι Ῥώμην, *Veterem ac nouam visitare Romam*. Georgius Gemistus Ellenicon primo dicit Platonē venisse in Siciliam διὰ ἱστορίαν τῶν τε πόλεων καὶ πολιτειῶν τῶν ἐκεῖ, *vt videret vrbes ac respublicas quæ illic erant*. Ex his exemplis, atque hoc vsu facile possit intelligi Paulus venisse, vt Petrum, non amplius ex aliorum sermonibus cognitum haberet, vt hactenus, verùm de facie, tanquam præsentem intuitus. Quod certè honoris est, nec quidem vulgaris, habita ratione personæ quam Paulus gerebat. Qui quidem honor & abest ab Oecumenico Pontificatu: & absque vlla Petri in reliquos Apostolos prærogatiua esse potest.

L. Et

L. Et sanè proderit Patrum Veterum ea de re sententiam perpendere. Chrysostomus, *Quod hoc animo posuit esse modestiam? μετ' τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα κατορθώματα, post tam multa, tamque praeclarè gesta, μηδὲν Πέτρου δεόμενος, quàmque Petro nulla in re egeret, ne voce quidem, ἀλλ' ἰσότιμος ὢν αὐτῷ, sed parem cum eo sortitus honorem, οὐδὲ γὰρ πλέον ἐρῶ νῦν, nihil dum enim dicam amplius; tamē ascendit, ὡς πρὸς μείζονα, καὶ πρεσβύτερον, tanquam ad maiorē ac seniorem, solúsque petri conspectus (ἡ ὄψις ἡ Πέτρου) eō mouit illum, vt eo proficisceretur Viden' quemadmodum illu tribuit congruentem honorem: neque solum non ducit se illo meliorem, verùm ne parem quidem esse putat. Id quod ex ipsa profectione liquet. Sicut enim nunc multi fratrum nostrorum ad viros sanctos proficiscuntur: eodem affectu tunc Paulus ad Petrum profectus est.* Hieronymus, *Non vt oculos, genas, vultúmque eius aspiceret.* Et pòst, *Nec puto Apostolica fuisse grauitatis, vt post tantam triennij praeparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aspicere: sed his oculis aspexit eum, quibus, & modò in Epistolis suis videtur.* Et uerum, *Non discendi studio, qui & ipse eundem praedicationis haberet autorem, sed honoris priori Apostolo deferendi.* Augustinus, *Cùm euangelizasset Paulus in Arabia, postea vidit Petrum: non ideò, vt per ipsum Petrum disceret Euangelium: (nam antè, cum vtique vidisset) sed vt fraternam charitatem etiam corporali notitia cumularet.* Tertullianus de Praescriptionibus, *Ascendit Hierosolymam cognoscendi Petri causa, ex officio, & iure scilicet eiusdem fidei, & praedicationis.* Illis adde Lombardum, *Videre Petrum: non discere aliquid ab eo: sed videre eum propter affectum Apostolatus: & vt Petrus sciret me fore sibi coapostolum: & apud eum diebus quindecim mansi, receptus ab eo, vt verax, & coapostolus.* Adde Thomam, *Dicit ergo, licet non iuerim ad Apostolos, vt instruerer ab eis circa principium meae conuersionis (quia iam eram instructus à Christo) tamen ex affectu charitatis compulsus, post annos tres, scilicet conuersionis meae, veni Hierosolymam: quoniam tandiu desideraui videre Petrum, non vt discerem ab eo, sed vt visitarem eum.*

LI. Haec illi: quae si perpendamus, quid factum, imò cur factum sit, intelligemus. Nam Augustinus disertè fraternam charitatem nominat: & Thomas affectum charitatis. Tertullianus etiam ius eiusdem fidei, & praedicationis. Lombardus, affectum Apostolatus. Haec igitur eius itineris causa: quae, opinor, non concludit praefecturam aliquam in Apostolos. Enimuerò honorificam Petro visitationem fuisse, non est quod negemus: sed vicissim hunc honorem cur transforment in Pontificatum? Nihilominus enim manebat Paulus coapostolus, vt loquitur Lombardus: & ἰσότιμος, vt Chrysostomus: & quidem, vt minimū: Nam illud, μὴ δὲ γὰρ πλέον ἐρῶ νῦν, indicat potuisse aliquid de Paulo praedicari vltra ἰσοτιμίαν. Húc verò honorem delatum Petro aduerte, non quasi soli deberetur, sed cum aliis. Eò refer haec verba, ἵνα καὶ τὴν προσήκουσαν αὐτῷ ἀποδίδωσι τιμήν, illis honorem defert, scilicet reliquis Apostolis: eius autem specimen in Petro edit.

LII. Et tamen tanquam maiori: Esto sanè. Sed an tanquam Pontifici? Minimè. Nam eodem modo de Iacobo Chrysostomus loquitur, *ὁρᾶτε μεθ' ὅσης εἰσέρχεται πρὸς Ἰάκωβον μετ' πολλῆς τῆς ταπεινοφροσύνης, ὡς πρὸς μείζονα, ἢ τιμιώτερον. Primùm quidem ingreditur ad Iacobum plurima cum modestia, velut ad maiorem, & honoratiorem.* Cur non & Iacobo Oecumenicum Pontificatum affingunt? Et sanè maiorem, non solùm constituit superioris potentioris ue magistratus munus: sed etiam in eodem munere personalia quaedam charismata: qualia in Petro non inuiti agnoscimus. Hieronymus, priorem Apostolum dixit, *honoris*, inquit, *priori Apostolo deferendi.* Quod quamobrem Iustinianus in primum ad Galatas, mutarit in, *vt Apostolorum principi deferret honorem*, inquirant alij. Certè Hieronymus temporis praerogatiuam indicauit, sed in Apostolatu: quàm alij in aetate: vnde non μείζονα tantùm, sed & πρεσβύτερον, Chrysostomus nominat. Imò & apud Theophylactum, ex versione Porsenae, inuenio, *cùm esset aetate prouectior*, pro ὡς μείζονα, in Graeco codice Turriani: siue ille sic legerit interpres, vt sunt, & alia nonnihil discrepantia: siue sic intelligendum putauerit. Et vtut sit, tamen Iacobum, quem maiorem Chrysostomus Paulo dixit, scimus, nullo officij Ecclesiastici gradu praestitisse. Cur non etiam Petrum, maximè, cum ei dicat ἰσότιμον Paulum? Et quidem etiam alios, *ὁ μὲν ἐμοῦ, ἀλλ' ὡς ἴσον ἑαυτὸν ἐκείνων ἡγεῖται, Neque solum non ducit seipsum illis meliorem, verùm ne parem quidem esse putat.* Itaque fuerit sanè magnae auctoritatis, apud Hieronymum: fuerit os, & princeps apud Chrysostomum: neutrum tamen euincit ex hoc loco Pontificatum Oecumenicum. Nam illi cominissam fuisse Ecclesiarum curam, cur negemus, qui Apostolum agnoscimus?

CAP. XIX.

De praerogatiuis Petri ex traditione.

I. HActenus, quae è Scripturis, quo iure quàve iniuria, extorquebantur praerogatiuae. Nunc sequuntur eae, quas emendicant à traditione. Haec igitur esto vigesima prima, quòd Christus suis manibus solum Petrum baptizarit. Id probatur ex Euodio: à quo, Enthymius in tertium Ioannis, & Nicephorus libro secundo, capite tertio, referunt ex mulieribus solam Virginem matrem; ex viris solum Petrum fuisse baptizatum: à quo deinceps, Andream, Iacobum, Ioannem.

II. At hae merae nugae sunt. Neque Euodius habet satis auctoritatis. Qui factum enim, vt tam serò cognitus sit liber eius, vt omnium penè postremi Euthymius, & Nicephorus, (quàquam Euthymius neminem nominatim autorem laudat) eum soli, quod sciamus, legerint, citarint? Et quidem quàm verè nomen ei libro à lumine sit inditum, hinc notum esto: quòd à Christi morte ad Stephani martyrium annos computat septem: quo nomine vapulat Baronio ad annum trigesimum quartum, quo extremo occasum disputat, vix decem menses post Christum. Rursus idem Euodius dicit eam domum in qua Coenam Dominus celebrauit, fuisse Ioannis Apostoli: quod est manifestè contra historiam Euangelij, Matthaei vigesimo sexto, Marci decimo quarto, & Lucae vigesimo secundo. En vbi scilicet antorem proximum Apostolis: imò en Ecclesiasticae traditionis authenticam originem apud Papistas.

III. Caeterum, ex Veteribus nonnulli contrà sentiunt. Nam ipse Euthymius, qui eam Euodij sententiam, tacito nomine, recitat perfunctoriè, ipse, itaquam, asserit Apostolos fuisse à Ioanne baptizatos: Et consentit longè antiquior. Eulogius apud Photium, Bibliothecae capite ducentesimo octogesimo, Imò Tertullianus de Baptismo, capite duodecimo. Sed & Chrysostomus in Acta homilia prima. Au-

Augustinus ambiguus est Epistola centesima octaua, tractans ex professo hanc ipsam quæstionem, *Tunc ergo* (inquit) *quando ab Hierosolymis exiit cum discipulis suis in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, baptizabat, non per seipsum, sed per discipulos suos: quos intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismo Iohannis, sicut nonnulli arbitrantur: siue, quod magis credibile est, baptismo Christi.* Hinc certè apparet Augustini tempore non fuisse Ecclesiæ persuasam eam traditionem, quam nunc Ecclesiasticam audent appellare, quæque docet baptizatum fuisse Petrum ipsius Christi manibus. Quàm enim facilis fuisset inde Augustino ad quæstionem propositam responsio? Et quæ, malum ea est audacia, vt Ecclesiasticam traditionē appelles, quā fortè fortuna in aliquo vno autore, mitto obscurum dicere, & suppositiuum, at saltē incerto, certè solitario teste, offenderis? Hui, quantulum fundamenti Papistis sufficit indigitandis traditionibus? Porrò, ex Augustino etiam illud facile didiceris, nullam esse Petri prærogatiuam in baptismo: quandoquidem nullo alio argumento eum baptizatum docet, quàm quod omnes Apostoli fuerint baptizati.

IV. Præterea, etiamsi constaret Petrum esse à Christo baptizatum, etiam solum: non video tamē, quid hæc prærogatiua faceret ad Oecumenicū Pōtificatum. Neq; enim maioris est virtutis, aut dignitatis baptisma collatum ipsius Christi manibus, quā id quod cōfertur à Christi ministris, vnde Ioānes nō contatur dicere Christum baptizasse, cùm tamen ipse non baptizaret, sed eius Apostoli. Ioānis tertio. Nec necesse est eum, qui in Ecclesia autoritatem est habiturus, solenniùs baptizari: aut etiā eum, qui solenniùs baptizatur, habere potestatē in Ecclesiā: nec denique; in baptismatis natura, & effectibus est quicquā, quo arguatur Oecumenicus Pontificatus. Vnde idem Euodius asserit æquè ac Petrum, Mariam fuisse baptizatam: quæ tamē, opinor, Pontificatum nunquā gessit. Quod si id quicquam faceret ad Ecclesiasticam politiam, & reuera factum esset, quis credat vsque adeò fuisse Euangelistas negligentes, vt rem tantam omitterent, cùm longè minutiores persequantur?

V. Vigesima secunda prærogatiua: quòd solus Petrus à Christo ordinatus est Episcopus: cæteri autem à Petro Episcopalem ordinationē acceperint. Atque hanc quæstionem prolixè ante Bellarminū tractauit Ioannes de Turrecremata in Summa de Ecclesia, libro secundo, capite trigesimo secundo.

VI. At rursus nugæ iactantur, & fabulæ. Certè Chrysostomus in Matthæum homilia 5. de Iacobo, ὅπως ἦν θαυμαστὸς, ὡς καὶ τὴν ἐπισκοπὴν ἐγχειρισθῆναι πρῶτος. *Tam fuit ille admirabilis, vt Episcopatum primus acciperet.* Si hic primus: ergo non prior Petrus: at prior, si à Christo. Et sanè nūquam auditum, Episcopum absque propria sede: Sunt enim relata Episcopus, & Ecclesia. Adeoq; nemo vnquam factus Episcopus, non assignata Ecclesia: vnde etiam hodie Papatus, cùm degenerauit in lacunas, nondum tamen ausus est Episcopum [illegible] creare: sed tantùm titularios. At Petro nulla assignata Ecclesia peculiaris. Ergo Petrus non factus Episcopus. Itaque dicimus, Petrum à Christo constitutum esse Apostolum, nō Episcopum: nimirum si diuersa cōstituantur esse munera Apostolatus, & Episcopatus. Nam videntur potius differre gradib⁹, hoc est, κατὰ τὸ ἧττον, καὶ τὸ μᾶλλον, quàm vlla essentiali differentia: nempe vt Apostoli essent quidā quasi vniuersales Episcopi, qui huic, illíve Ecclesiæ non addicerentur: sed in orbem vniuersum indefinitè mitterentur. Nam si id non sit, quo iure Episcoporum partes sint in sua diœcesi cuiusque, quæcunq; erant Apostoli? Quo iure rursus ab iis locis in quibus mandata fuerant Apostolis sua munia, ea nam Veteres, imò etiā Papistæ eliciunt Episcoporum munia? Sed tamen, si sit alius Episcopus, alius Apostolus, quo sensu iampridem in Ecclesia nominantur, dico rursus à Christo non esse Petrum constitutum Episcopum.

VII. Et tamen, quia nonnulli Veteres contrà loquuti sunt, id est, Petrum dixerunt factum esse Episcopum, dico secundò, eodem sensu, eademque ratione etiam reliquos Apostolos esse constitutos Episcopos. Nam id intelligi nequit, vlla particulari ordinatione, vt loquuntur hodie, quasi distincta ordinatio sit Apostolatus, & Episcopatus. Sed quatenus Apostolatus in se Episcopatum includit. Certè non tantùm Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ testatur, reliquos Apostolos parem accepisse honorē, & potestatem cum Petro: sed etiam Augustinus, siue quis alius est autor, quæstione nonagesima septima ex Nouo Testamento sub finem, *Nemo ignorat*, inquit, *Episcopos Saluatorem Ecclesiis instituisse. Ipse enim, priusquam in cœlum ascenderet, imponens manum Apostolis, ordinauit eos Episcopos.* Præterea, fatentur Papistæ constitutos esse ab ipso Christo presbyteros: vnde ipse Petrus se aliorum συμπρεσβύτερον appellat. At ex vsu Scripturæ, nihil differt Presbyter ab Episcopo: ne in Ecclesia quidem, vlla saltem essentiali differentia: sed tantùm accidentali, vt aliàs disputatum est.

VIII. Audiamus tamen contrà disputantem Bellarminum duobus argumentis. Primum est, Dominus vel nullum ordinauit Episcopum, vel omnes, vel aliquos, vel vnum. At non nullum: neque omnes, neque aliquos. ergo vnum, videlicet Petrum.

IX. Respondeo, posita distinctione. Quatenus Episcopus eum significat, cui pascendę sunt oues Christi, omnes Apostolos esse constitutos Episcopos. At quatenus eum, cui peculiare quoddam ouile, puta Romanum, vel Hierosolymitanum, vel Alexandrinum: nullos Apostolos esse constitutos Episcopos. Verum aduersarij nihil distinguunt, vt facilius fallant.

X. Sed non esse nullos ordinatos sic probat Bellarminus: quia sic nullum haberemus iam Episcopum. Nemo enim potest dare alteri quod ipse non habet: ergo, non potest non Episcopus Episcopum ordinare. Si ergo Dominus neminem reliquit ordinatum episcopum, quis posteà ordinauit Petrum, & alios?

XI. Facilis solutio, negata consequentia: nametsi Christus nullum episcopum constituit, tamen Apostoli post Christum instituerunt. Ratio autem consequentiæ absurda. Nam, primò, non datur episcopatus ab hominibus, sed à Deo solo: etsi is, in conferendo, hominibus vtatur ministris. Proinde absurdè dici non episcopum non posse constituere episcopum, hanc ob causam, quia nemo dat, quod non habet. Nam si spectandum sit, quod dent, aut non dent homines, in vniuersum negandum, vllos homines etiam episcopos, posse constituere episcopos: quia ne illi quidem dent episcopatum.

XI. Secundò, Si propterea non haberent episcopatum.

parum Apostoli, quòd eos Christus non fecisset Episcopos: nec potuerunt Episcopos constituere, si non habuerunt Episcopatum: simili ratione argumentandum esset: Apostolos non habuisse Diaconatum: quia eos Christus nũquam cõstituisset Diaconos: & quia Diaconatũ non habuerũt, ne potuisse quidem Diaconos constituere: quia nemo dat, quod non habet. At contrà constat, ex Actorum 6. ab Apostolis ordinatos, & constitutos esse Diaconos in Ecclesia Hierosolymitana. Ergo negandum est, neminem posse dare, quod non habet: quo sensu hic dicitur, sæpe neminem posse constituere gradum aliquem ministerij in Ecclesia qui ipse prius nõ fuerit in eodem gradu constitutus: quemadmodum in Repu. nihil obstat, quominus totus populus, qui nunquam fuit Cõsul, Consulem tamen constituat: quominus, non Rex tantũ, sed etiam qui ab eo pendent Magistratus, alios constituant officiarios in iis muneribus, quę tamẽ ipsi nũquã gesserint. Aut certè concedendũ, illud *habere*, ita sumendum, vt inferat, non quid sit aliquis, aut fuerit: sed quã habeat potestatem: vt is dicatur Episcopatũ quẽ habebat cõtulisse, non tã qui ipse sit Episcopus, quã qui autoritatẽ habeat constituendi Episcopi: ac proinde is etiam non posse Episcopũ constituere, qui non habeat Episcopatum: hoc est, autoritatẽ, siue potestatem Episcopi constituendi. Quare nihil est, quod vrgeat, vt nullũ negemus à Christo Episcopum constitutum: quo sensu Episcopus est vnius diœceseos.

XII. Non esse rursus omnes Apostolos factos Episcopos probat. Quia saltẽ Paulus excipiendus: quẽ Apostolũ quidem fecit immediatè Christus: sed Episcopum iussit ordinari per manuũ impositionem ministrorum Ecclesiæ, vt patet Actorum decimo tertio: & ex Leone in Epistola ad Dioscorum: & ex Chrysostomo in eum locum. Rursus excipiendus Iacobus, qui ordinatus fuit Hierosolymitanus Episcopus ab Apostolis.

XIII. Imò, inquã, eo ipso quod à Christo constituti sunt Apostoli, facti etiam sunt Episcopi: quatenus Episcopus est pastor ouium Christi. Itaque, nec Iacobus, nec Paulus excipiendi: quod etiam frustrà conatur Bellarminus. Nam primùm, de Paulo, mẽtitur. Etenim Actorum decimo tertio, non ordinatur Episcopus. Cuius enim Ecclesiæ? Sed ad Apostolatum in Gentibus explendum mittitur, τί ἐστιν ἀφώρισεν μοι εἰς τὸ ἔργον, εἰς τὴν ἀποστολήν· *Quid est*, inquit Chrysostomus) *segregate mihi in opus? In Apostolatum.* Et pòst χειροτονεῖται λοιπὸν εἰς ἀποστολήν, *Ordinatur porrò in Apostolatum.* Sic post eum Oecumenius, & Theophylactus: sic glossa Interlinearis, & Ordinaria. Lyranus etiam, *Id est, in opus publicationis Euangelij, sicut & alij Apostoli ad hoc sunt assumpti.* Accedit recentior testis, Iesuita Iustinianus. De Apostolatu, capite tertio, *Initio huius Epistolæ Paulus se vocatum Apostolum nominat, hoc est, vt interpretati sumus, diuina vocatione Apostolum. Huius vocationis historia describitur à Luca. Cùm enim Paulus vnà cum Barnaba esset Antiochiæ, ministrantibus, inquit, illis. Et quæ sequuntur.* Rursus, *Quid, quæso aliud putamus esse illud, Segregate mihi Saulum ac Barnabam? Ad hunc, opinor, locum allusit Paulus, vt monuimus in explanatione, cùm se dixit segregatum in Euangeliũ Dei: & cum scribit ad Galatas, se Apostolum esse, non ab homine, neque per hominem.* Rursus, *Quarta sequitur quæstio, quò potissimum hæc segregatio referatur. Videtur vnico verbo explicari à Luca. Ad opus inquit, ad quod assumpsi eos. Ad Gẽtes, opinor, Christo aggregandas, & plurimas Ecclesias inter Gentes instituendas: idcirco enim Gentium Apostolus appellatur.* Ergo, inquam, habet è propria domo testem Bellarminus contra se, constitutum Paulum fuisse, non Episcopum, sed Apostolum, eodem ipso loco, quo volebat Episcopum non Apostolum.

XIV. Nec illi contrà dicunt, quos ipse laudauit. Nam Leo quid? *Quum Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad Euangelium Sanctis mitterent prædicandum, ieiunantes, & orantes imposuerunt eis manum.* Ita est. Sed ergóne factus non Apostolus, sed Episcopus? Quasi verò nulli Apostoli missi sint ad Euangelium sanctis prædicandum. Explicet ipse Paulus: primo ad Romanos, *Prompta est mea facultas vobis quoque, qui Romæ estis, euangelizare.* Euangelizare, inquit: an hoc aliud, quàm Euangelium prædicare? Sed quibus? Vobis, qui Romæ estis. Hi autem qui? Prophanine, an sancti? Imò, *Omnibus qui Romæ estis, dilectis Dei, vocatis sanctis.* Sanctis igitur prædicauit. Quis? Paulus. Episcopúsne? Imò, *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus.* Quare si Pauli Apostoli fuit prædicare euangeliũ sanctis: is certè, qui dixit Paulum missum ad prædicandum euangelium sanctis, non dixit factum episcopum, potius, quàm Apostolum.

XV. Sequitur Chrysostomus: quem à Bellarmino quis credat citatum? Is, inquit, *in hunc locum Actorum dicit, adeò veram fuisse Pauli ordinationem, vt in ipsa nomen mutauerit.* Vix oculis meis credidi legentibus. Locus est ex homilia vicesima octaua, vbi de veritate ordinationis, nihil: sed de ordinatione tantùm: & omnino certè nihil de episcopatu. Obseruans Paulum eo loco primum omnium nominari, ἐντεῦθεν, inquit, τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀλλάττεται μετὰ τῆς χειροτονίας, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τοῦ Πέτρου γέγονε, *Hic nomen illius mutatur cùm ordinatione: id quod & Petro accidit.* Ordinationem audis nominatam? Sed vbi illud, *adeò veram fuisse Pauli ordinationem*, quod Iesuita dicebat Chrysostomum dicere? Tam tum sui confidentes Iesuitæ! tam nihil eos pudet! Sed vbi iterum episcopatus? Atqui & hîc Petri exemplum, cur est pro nihilo? Huic enim idem accidisse vult Chrysostomus, quod Paulo, nimirum, ὀνόματος ἐναλλαγὴν μετὰ χειροτονίας. Quænam hæc fuit? An episcopatus? An non potius Apostolatus? Certè si aduersarius fides, Pontificatus Oecumenici: Cur ergo Paulo episcopatus potius? Quanquam, quid iuuat argutari? Habemus diserta Chrysostomi verba, homilia præcedente, paulò antè relata.

XVI. Bellarminus ergo, nihil nisi imposturam fecit. Audiamus Salmeronem tomi duodecimi tractatu tricesimo sexto, Impositæ sunt ei manus, vel in Sacramento confirmationis: vel ad Apostolatum; vel ad episcopatum. Non autem ad confirmationẽ: neque ad Apostolatum: ergo ad episcopatum. De confirmatione nõ pugnamus: sed cur non ad Apostolatum? Cur ad episcopatum potius? Apostolatus non est ordo: vnde Matthiæ manus non imponuntur, Actorum primo: & Apostoli creati, cùm nullo ordine essent initiati: nam sacerdotes in Cœna facti: & episcopi post resurrectionem, vel certè post ascensionem, à Petro: vel etiam in Cœna Dominica. Præterea Paulus suum Apostolatum gloriatur esse immediatè à Deo. Denique ante hoc tempus iam prædicauerat.

XVII. Sed absurditatem, quæso, videte. Quasi diceret, Pueris, Matth. decimo nono, imposuit manus ipse Christus. At non in confirmatione: nondum enim erant baptizati: vnde Lucas Brugensis, negat eos propter hanc impositionem contempsisse postea baptismum. Non etiam ad Apostolatum: ergó

ne ad Episcopatum? Sic ridiculi sunt Iesuitæ, cùm se putant maximè subtiles. Cæterùm de Apostolatu habet aduersarios Salmero, quos antè indicauimus, Chrysostomum, Theophylactum, Oecumenium, Lyranum, Glossas Interlinearem, & Ordinariam: denique Benedictum Iustinianum.

XIIX. Sed Apostolatus, inquit, non est ordo. Primò, quid tum? Nam nec omnes Papistæ consentiūt Episcopatum esse ordinem: etsi habeat impositionē manuum. Deinde, non datur semper impositio ad conferēdum ordinem: sed sæpè ad benedictionem, vt notant plèrique Papistarum ad caput decimum nonum Matthæi. Itaq; nihil erit incommodi, si dicamus factum, ad implorandam benedictionem laboribus, quos deinceps Paulus erat suscepturus. Tertiò, Apostolatum non fuisse ordinem, fatemur, si nullum ordinem agnoscas nisi perpetuum: at si functionem Ecclesiasticam per se, & distinctam ab aliis; tum negamus: Paulus enim præit ad Ephesios quarto, *Dedit alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas: alios autem Pastores, & Doctores: ad opus ministerij.* Vbi Lyranus, *Sicut diuersis membris Ecclesia data est ad mensuram gratia plus, & minus, ita constituta sunt in diuersis gradibus, & officiis.* Sed & Iustinianus de Apostolatu, capite primo, *Si quis Apostoli definitionem ad canones dialecticos, & calculos exigat, facilè respondeat, gradum esse munus, aut officium.* Audis munus, officiū, gradum, & negas ordinem? Atqui Altēstaig, de Ordine, vt est Sacramentum, *Vbicunque est dare multitudinem, diuersos gradus, & potestatis, & dignitatis includentem, ibi est dare ordinē.* Et pòst, *Ordo est signaculum quoddam sacrum, quo spiritualis potestas traditur ordinato, & officium.* Iterum, *Ordo est Sacramentum spiritualis potestatis ad aliquod officium in Ecclesia ordinatum.* Rursus; *Ordo, secundùm Scotum, est gradus eminens in Ecclesia disponens de congruo ad actum aliquem, ad consecrationem, vel dispensationem Eucharistiæ pertinentē.* Et positis his definitionibus, neget quisquā Apostolatui nomen ordinis? Sed, inquit, Matthiæ non fuerunt impositæ manus. Quis dixit? Non certè Lucas: etsi non scripserit impositas. Non enim idem non dicere, & negare. Itaque quid factum sit, cur non coniiciamus ex Ecclesiasticæ politiæ consuetudine? Nam Apostolos creatos cùm nullo essent ordine initiati, concedi potest, hoc sensu, vt antè Apostolatum nullo functi sint alio munere publico. Quid tum verò? Nam ne ij quidem, qui in Actis electi Diaconi, fuerant prius subdiaconi, aut acolyti, aut lectores, aut ostiarij. An propterea Diaconatus non ordo? Quid hos dico? An ipsi duodecim, quos vult Salmero factos presbyteros in Cœna, ante id tempus ordinibus aliis fuerant initiati? Neget ergo presbyteratum fuisse ordinem: & sua omnia peruertat.

XIX. Scimus Apostolatum Pauli fuisse immediatè à Deo: sed hoc quid ad rem? Nam Lucas describit ab ipso Deo Paulum electum, *Dixit Spiritus Sanctus, Separate mihi Barnabam, & Saulum operi ad quod eos aduocaui.* Quid hîc minus est, vt ne sit Paulus immediatè electus? Non sic solent, qui nullam nisi ordinariam, & mediatam vocationem habent, diserta Dei voce notari. Itaq; verissimè Paul⁹ se dixit, neq; ab homine, neque per hominem fuisse Apostolum. Fateor antè prædicasse, quàm ita segregaretur: sed nego solius Apostoli esse prædicare. Nónne enim Stephanus tantùm Diaconus prædicauit? Actorum sexto & septimo? Nónne Philippus Actorū octauo, ἐκήρυσσε τὸν Χριστόν; item εὐαγγελιζόμενος τὸν Χριστόν? Sed & vndecimo, *Quidam Cyprij & Cyrenenses, quum introissent Antiochiā, loquuti sunt Græcis εὐαγγελιζόμενοι τὸν Κύριον Ἰησοῦν.* Apud Iberas, Sozomeno teste, capite vigesimo libri primi, ἐγένοντο ἀμφότεροι κήρυκες τοῦ Χριστοῦ, ὁ μὲν βασιλεὺς τοῖς ἀνδράσιν, ἡ δὲ γυνὴ ταῖς γυναιξί. *Vterque Christum prædicant: Rex viris, regina mulieribus.*

XX. Non potuit Salmero probare non esse ordinatum Apostolum. Nunc conatur demonstrare Episcopum, argumentis quatuor. Vno: Quisquis segregatur ad prędicandum Euangelium, is constituitur Episcopus: quia Episcopi dum ordinantur, audiunt, *Accipe Euangelium, & vade, & prædica Verbum Dei.* Altero: Quicunq; ordinātur ad hoc, vt possint per Ecclesias constituere Episcopos, & Presbyteros, ij constituuntur Episcopi. At Paulus ad id est ordinatus: & probatur, quia Actorum decimo quarto, legimus Paulum & Barnabam constituisse per singulas Ecclesias presbyteros: vbi Theophylactus, *Notandum*, inquit, *quòd Paulus & Barnabas Episcoporum dignitatem habebant: neque enim solùm Diaconos creabāt, verùm etiā Presbyteros.* Tertiò, ad Galat. 2. cū dixit Paulus, *Dexteras dederūt mihi, & Barnabæ, societatis, vt nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisionem*, scilicet, prædicaret, ostendit non minus Apostolatum suum esse à Deo, quàm Petri, & aliorum: promotionémque hanc tantùm fuisse, vt sacros & superiores ordines susciperent, quo alios in Gentibus possent ministros constituere, quod priùs neuter poterat, etsi doceret ac prædicaret. Quarto: Leo Epistola ad Dioscorum de tempore ordinationis loquens, quod vult esse Dominicam diem, *Nam præter auctoritatem*, inquit, *quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quòd cùm Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad Euangelium Gentibus mitterent prædicandum, ieiunātes, & orantes imposuerunt illis manus: vt intelligamus quanta, & dantium, & accipientium deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Sic Leo, agnoscens hîc Sacramentum benedictionis esse ordinationis: & illos promotos ad Euangelium Gentibus prædicandum, id est, ad Episcopatus gradum.

XXI. Sed duriorem prouinciam suscepit Salmero, quàm vt possit tam facile efficere quod sperat: Nam, quis nescit relata esse Episcopum, & Ecclesiā? Si ergo fuit Paulus Episcop⁹: alicuius Ecclesiæ fuisse oportet: quomodo Titum Cretensis Timotheū Corinthiæ: Iacobum Hierosolymitanæ. Denique Episcopus absolutè, monstrum est inter Christianos inauditum: donec cùm aliis pluribus, etiam portatiuos Episcopos Papismus, monstrorum non minus ferax, quàm Africa, produceret. Quanquam his ipsis, si non Ecclesias, saltem titulos assignet: tenues reliquias legitimi vsus. At Paulum vnquam dictum Episcopum alicuius vrbis, siue diœcesis, quis vnquam dixit?

XXII. In primo argumēto, negatur constitui Episcopum, quicunque segregatur ad prædicandum Euangelium. Et est fallacia accidentis: quia, etsi verum omnem Episcopum segregari ad prædicandum Euangelium, tamen reciprocatio fallit. Itaq; si quādo quis dixit Episcoporum id esse proprium munus: non intelleait quarto modo, vt in Scholis loqui mos est, quod omnibus, & solis, & semper: sed tantùm, quod omnibus, & semper. Alioquin non tantùm Apostolis, sed ne Presbyteris liceret, quod est absurdum. Lucas Brugēsis, explicans illud Matthæi vltimo, *Euntes, docete omnes gentes. Ergo, quandoquidem*, inquit, *data est mihi potestas, & dominium omne in*

cœlo

cælo & in terra: Ego quidem in cælum ascendam, sessurus ad dexteram Patris supra omnem principatum, ac potestatem: vos verò Apostoli, ac legati mei, Euntes, πορευθέντες, *profecti vnus hac, alius aliò, docete omnes gentes.* Audin', Apostoli, & legati docere? Ergo erat Apostolorum docere omnes gentes: & non erat Apostolorũ prædicare? Maldonatus, *Quod antequam Apostolis potestatẽ Euangelij prædicandi tradat, datam sibi in cælo & in terra omnem potestatem dicit, eò spectat, vt doceat, se nihil sibi temerè arrogare.* Sed quid alios quæro, qui omni exceptione maiorem habeam Marcum? *Dixit eis, Profecti in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.*

XXIII. In secundo falsum itidem, omnes qui ordinantur ad constituẽdos Episcopos, ipsos Episcopos ordinari: etsi verum, qui ordinantur Episcopi, ordinari ad constituendos Episcopos. Nam constituere Episcopos, latiùs patet: & pertinet etiã ad Apostolos, qui similiter Diaconos poterant instituere, etsi nunquã ipsi Diaconi. Theophylacto absit vt contradicam, [illegible]. Sed habere dignitatem Episcopi, negabo esse idem, quod esse Episcopum. Dixit Ambrosius eodẽ sensu in quartum ad Ephesios, *In Episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est.* Certè quæcunque partes sunt Episcopi, eis nos agnoscimus Apostolũ fungi potuisse: sed fuisse tamen Episcopum, quo sensu solet Episcopatus ab Apostolatu seiungi, nunquam Salmeroni concedemus.

XXIV. In tertio: damus, ad Galatas, Paulum docere suum Apostolatum esse à Deo, non minus quã Petri, aut Ioannis. Sed promotionẽ ad sacros, & superiores ordines: negamus quenquã cogitasse, præter hunc Iesuitam: Et hunc quidem tanto absurdius, quanto verba disertiora, *Dederunt*, inquit, *dexteras societatis*: interprete Ambrosio, *ita vt Apostoli circuncisionis dextras porrigerent Apostolo gentium, ad concordiam societatis demonstrandam, vt vtrique scientes perfectionis Spiritum in dispensatione Euangelij se à Domino consecutos, in nullo se inuicem egere ostenderent.* Anselmo, *Dexteras nobis dederunt societatis, id est, signum socialis amicitiæ, & dignitatis Apostolicæ.* Iustinianus, *Hoc est, mecum societatem inierunt. Dexteras autem societatis, dixit more Hebræorum pro dextris socialibus.* Caueat ergo Salmero, ne se ridiculum præbeat, describens nobis Paulum, quasi famelicum nescio quem euntem ad ordines, quod apud Papistas frequentissimum.

XXV. In quarto, Leonis nos quidẽ sensum probamus valdè: ex Apostolico ieiunio cum precibus colligentem magna cura cauendum, ne manuũ impositio negligenter videatur impleta. Sed Sacramẽtum benedictionis, quo iure sibi permittit Salmero mutare in sacramentum ordinationis: & quidẽ ordinationis Episcopalis? Nihil enim simile apud Leonem. Nam etsi arguat ab impositione illa Apostolorum, ad hanc Episcoporum: tamen non sequitur vtramque esse Episcopalem: sed sequitur tantùm, communem esse tum Episcopis, tum Apostolis: sicut cùm ex iis verbis, *Petre amas me?* concludunt Veteres, debere omnes pastores amare Christum, atq; ita pascere suos greges: non, opinor, id voluere, nihil differre Petrum à reliquis quibusque pastoribus: sed tantùm omnibus eum amorem esse communem debere.

XXVI. Atque hactenus de Paulo, aliquanto prolixiùs, propter Sophistarum importunitatẽ. Nunc ad Bellarminum redeo: & Iacobũ, qui addebatur Paulo, ordinatus ab Apostolis Hierosolymitanus Episcopus. Hunc ergo Bellarminus negat à Christo factum Episcopum: sed à Petro. Respondeo hac de re sic loqui Veteres. Clementem Constitutionũ octaui capite tricesimo quarto, [illegible]. Turrianus vertit, *Episcopus Hierosolymitanus ab ipso Christo, & ab Apostolis ordinatus.* Eusebius verò, historiæ libri 2. cap. 1. [illegible]. Interprete Christophorsono, *Hunc Iacobum primum sedem Episcopalem Ecclesiæ, quæ est Hierosolymis, obtinuisse memoria traditur.* Tum sequitur testimonium Clementis, Apostolos, [illegible], *Iacobum iustum Hierosolymorum Episcopum designasse.* Hieronymũ in viris illustribus, *Post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus*: Quod Græcè Sophronius reddidit, [illegible], *Hierosolymorum Episcopus constitutus.* Epiphanium in Antidicomarianitis, [illegible], *Primus accepit cathedram Episcopatus*, [illegible], *Cui primo in terris suam commisit sedem Dominus.*

XXVII. Obserua, primùm dici ab ipso Christo constitutum, in Constitutionibus Clementis: Et apud Epiphanium: quod est contra Bellarmini mentem, & argumentum. Nam, quod commentus est Turrianus, ordinatum ab Apostolis quidem: sed dici à Christo, quòd eius voluntate, & Spiritu sit ordinatus: non respondet his verbis, ὑπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου, quã de re appello eruditorum iudicium. Secundò: Græcos nullos vti verbo χειροθεσίας, quo propriè designatur impositio manuum siue consecratio, sed vel χειροτονίας, quæ propriè suffragiũ est, vel αἱρέσεως, quæ electio, vel καταστάσεως, quæ constitutio. At Hieronymus ordinationem dixit. Ordinatio autem, nõ propriè est impositio manuum: sed vtramque complectitur, & χειροθεσίαν, & χειροτονίαν. Itaque nõ est necesse, quoties Latini ordinationem dicunt, statim consecrationem animo occurrere. Nam exempli gratia, Gregorius, primò Sasimorum, deinde Naziãzi, deniq; Cõstantinopoleos Episcopus, toties χειροτονηθεὶς, & ordinatus dici potuit: etsi non toties suscepisse manuum impositionem, aut certè consecrationem aduersarij fatebuntur. Quare ego quidem Iacobo id accidisse fateor, vt qui iam erat Apostolus, de cõsensu collegarum præfectus sit Hierosolymitanæ Ecclesiæ, non assumpta noua dignitate, sed assignato eius exercendæ loco: quomodo inter Petrum, & Iacobum, ac Paulum, & Barnabam, constitutum, vt illi in circuncisione, isti in Gentibus prædicarent.

XXVIII. Baronius, Anno tricesimo quarto, paragrapho ducentesimo nonagesimo, *Iacobus Alphæi, cognomento Iustus, idémque frater Domini dictus à Petro Apostolorum principe ordinatur Hierosolymorum Episcopus.* Nota à Petro. Nimirum seruiebat Cardinalis Papæ, magis quàm veritati. Sed vnde id? Ex Chrysostomi homilia in Ioannem octogesima octaua, *Si quis à me percontaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymitanam accepit, responderem ego, hũc totius orbis magistratum præposuisse Petrum.* Satin' sobriè, satin' dignè tanto Annalium numine? Atqui ementitum est Chrysostomi testimonium. Nam ille profectò non dixit à Petro constitutum Episcopum, [illegible], *Quomodo igitur Iacobus thronum accepit Hierosolymitanum?* Id dixerim,

hunc non thronis, sed orbis doctorem constituisse. Manifesta mens: non à Petro Iacobum, sed à Christo Petrum fuisse ordinatum: nempe orbis magistrum. En qua arte conflati sunt Annales.

XXIX. Nondum ergo Bellarminus probauit, aut nullum à Christo non creatum Episcopum: aut non omnes. Restat pars tertia. Quod non aliquos (inquit) Dominus ordinauerit, alios non ordinauerit, inde satis probatur, quod Apostoli, excepto Petro, essent inter se æquales, & nullus in alium ius haberet, & omnis potestas eis tradita, communiter omnibus sit tradita, quantũ ex Euãgeliis colligi potest.

XXX. Mira cæcitas. Nõ ordinauit aliquos, alios minimè. Hoc si verum, inquã, ergo necessariò, vel neminem, vel omnes. Nam si vel vnum excipias, omnino sequitur, alios ordinatos, alios minimè. Ita enim loqui mos est. Sed esto, cõdonemus *ἀναγκαίως*, imò potiùs *ἀνάγκην*. Tamen illud ipsum, quod ille habet in animo, Salmero impugnabit, quem vidimus conuicere, factos Episcopos, vel in Cœna, vel post resurrectionem. Et verò ita opus: si verum, quicunq; ad prædicandum mittitur Euangelium, hunc Episcopum fieri, quod Salmero ponebat. Nam post resurrectionem, Christus, vt vidimus, omnes ita misit.

XXXI. At erant, inquit, omnes æquales, excepto Petro. Nugator, quin compescis linguam indicem stultitiæ. Nam primùm, manifesta hæc est principij petitio. Nisi fortè oblitus sit Iesuita, hoc quæri, verũ Petro reliqui fuerint inæquales: & id se probare velle inductis prærogatiuis, in quibus hæc sit vicesimo secundo loco. Nam hinc egregia hæc texitur disputatio. Maior est Petrus reliquis Apostolis. Vnde probas? Quia solus à Christo factus Episcopus. Vnde hoc rursus? Quia Petrus maior reliquis. *ὦ τῆς ἐνδιαθέσεως!* Benè, *ἵνα γὰρ μεθοδεύῃ πάντα παντὶ τῷ τρόπῳ βιαζόμενος, καὶ γελοῖος, καὶ ...*

XXXII. Atqui rursus nullus nexus: Si omnes æquales, ergo simul ordinati. Alioqui nulli posterius ordinati essent æquales prioribus: ac tum egregiè periclitaretur successorum Petri dignitas: nam horum nullus simul cum Petro ordinari potuit. Et si in his leuiusculum sit momentũ: at certè Paulus non est cum Iacobo (vt Petrum missum faciam) ordinatus. Fuitne ergo minoris autoritatis? Ipse negauit. Videat Bellarminus, quid sit asserturus: vt nouum par depugnantium exhibeat, non vt olim Retiarium, & Insecutorem: sed Apostolum, & Iesuitam.

XXXIII. Denique, ne vltima quidem pars legitimè concluditur: quia plus infertur, quã fuerit in præmissis. Erat enim huiusmodi argumentum: Christus, aut nullum constituit, aut omnes, aut aliquos, aut vnum. Atqui non nullum, non omnes, non aliquos. Hic iam quis non videt, concludendum fuisse. Ergo vnum tantùm constituit. Et tamen pro eo Bellarminus reposuit: Ergo Petrum solum. At cur non potius Ioannem? aut Iacobum? aut omnino alium? Videlicet, facilius est sumere, quàm probare.

XXXIV. Sequitur alterũ argumentum Bellarmini. Quia passim docent Veteres Romanam Ecclesiam esse matrem omnium Ecclesiarum: atq; ab ea omnes Episcopos habuisse consecrationẽ, & dignitatem suã. Quod non videtur esse verum, nisi in eo sensu: quia Petrus, qui Episcopus fuit Romanus, omnes Apostolos, omnesq; Episcopos, vel per se, vel per alios ordinauit. Illud autẽ probatur testibus, Anacleto Epistola prima: Cypriano Epistola quadragesima quinta: Innocentio primo, Iulio primo, Leone.

XXXV. Respondeo, falsò sumi, quod asseritur de Ecclesia Romana. Non est enim verũ, esse, aut materẽ, aut matricem omnium Ecclesiarũ: aut ab ea omnes Episcopos habuisse consecrationem. Neque id vnquã Cyprianus asseruit. Nam illud de matrice, & radice dictum de Ecclesia Catholica; nõ Romana: qua de re disputandum erit in tertia quæstione. Anacletum illũ esse suppositiuũ nomen, lippi sciunt, & tonsores, & pleraſq; omnes illas Pontificum Epistolas esse fictas impudenter. Et tamen à Petro cœpisse post Christum Sacerdotalem ordinẽ potuit dici, vt ad sedẽ Romanã, id non pertineret, sed ad Petrum, quem etiam Cyprianus credidit priusquã cæteros Apostolos constitutum esse Pastorẽ Ecclesiæ. Quanquam quo sensu id Anacletus ille scripserit, non est quod curemus. Idem responsum esto de Innocentio, & Iulio, & Leone.

XXXVI. Vicesima tertia prærogatiua: quòd Petrus primũ hæresiarchã, & principem, ac Patrem omniũ hæreticorũ, qui postea fuerunt, Simonem Magum, prius detexit, Actor. 8. & postea damnauit, & planè extinxit. Decuit enim, vt pater, & princeps Ecclesiæ, patrem, & principem hæreticorum superaret.

XXXVII. Respondeo, tria notari, primùm, quod Simon detectus sit: deinde quod sit damnatus, & extinctus: tertiò, quòd fuerit princeps, & pater hæreticorũ. Atq; hæc singula ordine sunt expendenda. Detexit igitur Petrus hypocrisin Simonis. Sanè: atque hoc vnicum est in hac historia certum. Nam reliqua valdè nutant: vel quia narratio ad fabulã accedit, magis quã ad historiam: vel quia nullo nititur satis certo autore. Nam Clementis Constitutiones nemo nescit esse apocryphas: reliquos Egesippum, Arnobium, Damasum, Cyrillum, Epiphaniũ, Theodoretum, Ambrosium, Hieronymum, Sulpitium, Gregorium Turonensem, Eusebium, Maximum, Augustinum, quos Bellarminus testes laudat, multis seculis post eam rem gestam vixisse. Nam Egesippum illum falsò nonnulli putant esse Apostolis *σύγχρονον*, qui vixit post Constantinum magnum. Rẽ autem adeò illustrem, nullum habere autorem coætaneum, aut secundi seculi, aut etiam tertij, ne eos quidẽ qui de Simone sermonẽ faciunt, portento simile est. Inualuisse autem in hac narratione fabulas, testis est Augustinus Epistola octogesima sexta.

XXXVIII. Sed id saltem certũ, à Petro Simonis hæresin fuisse detectam. At primũ, ea se manifestis prodebat indiciis: ex quibus erat facilè eam detegere, non tantũ Petro, sed & cuilibet Apostolo. Certè enim is qui Christi *χαρίσματα* præsenti pecunia emẽda putaret, atq; adeò ipse vellet emere, non potuit sana fide in Christũ credidisse. Nec dubito, quin eũ Philippus similiter fuisset increpaturus, si ab eo sic baptismum mercari voluisset. Deinde in eo toto negotio Petrus fuit legatus Apostolorũ, à quibus missum eò disertè Lucas testatum reliquit. Quare hinc ad eum nulla redit prærogatiua.

XXXIX. Extinctũ à Petro, vt concedamus Magum, quid id ad rẽ? Nã id intelligas, vel de morte eius, vel de hæresi. Illud primò, non certò constat. Nã Clemens ille in Constitutionibus, decidentis eius fracta dicit crura, summosq; pedum articulos: mortuum non dicit. Deinde, non erat solius Petri ius, hæreticos damnare, & extinguere. Nam & Paulus Elymam etiam Magum oculis priuauit: & Ioannes Cerinthum in balneis extinxisse legitur. Sin autem de hæresi intelligas: facilè vident omnes, cùm nouæ hæreses subinde in Ecclesiam introductæ sint, ne-

cesse

cesse fuisse ab aliquibus extingui. Quanquam Simoniana non sic extincta cum Simone, vt non postea sobolesceret in eius discipulis.

XL. Fuisse verò Simonem, principem patrémque omnium hæreticorum; fateor antiquos Patres dixisse: sed in eo, quæ sit argumenti vis, prorsus non video. Nam primò, id alio prorsus dictum est sensu, quàm quo Papistæ, principem patremque Christianorum dicunt. Nunquam sanè fuit Simon Oecumenicus Pontifex hæreticorum: aut ab eius autoritate hi vnquam pependerunt: neque eius se quisquam successorem nominauit: tantùm primus fuit ex iis qui Christo nomen dederant, qui hæresin fecerit. Itaq; Clemēs ille in Constitutionibus actutus de eo, sic præfatur: *ὁ κατάρχῃ τῶν πασῶν αἱρέσεων γέγονεν οὗτος, Initium nouarum hæreseon sic extitit.* Est autem frigida allusio, ab eo qui tempore tantùm sit princeps, ad Monarcham: æquè ac si, quia solum Petrum ex Apostolis certò constat fuisse Patrem; inde quis Papistarum argutulus concluderet, meritò appellari, aut etiam factum esse patrem Ecclesiæ.

XLI. Deinde coniectura est leuissima, nō verò argumētum: quum ex eo quòd extinxerit hæresiarcham, ipse concluditur esse princeps Christianorū. Sui temporis hæreticorum principem & detexit, & damnauit primus Alexander Alexādriæ Episcopus: nec fuit tamen Christianorū sui temporis princeps. Sic Nestorium Cyrillus: sic alios alij. Et certè non magis est necesse, eum in Ecclesia esse principem, qui principem hæreticorum extinxerit; quā illum in Rep. regem, qui regem vicerit; vt exempli gratia, Philippum Flaminius, Æmilius Persea. Proinde ex antiquis nemo ex hoc Petri facto ei principatum affinxit. Tantùm Eusebius libro secundo historiæ, capite decimo quarto Græci codicis, *Benigna & propitia Dei totius bonum vniuersitatis rectoris, erga humanum genus prouidentia,* τὸν καρτερὸν καὶ μέγαν τῶν Ἀποστόλων, τὸν ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον; *fortem, & inter Apostolos magnum, & reliquorum omnium propter virtutem principem Petrum, Romam aduersus eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam, quasi manu deduxit.* Hæc inquam Eusebius: quæ tamen Papistas nihil iuuant. Neque enim fortis, & magnus, princépsque ob virtutem inter Apostolos, idem est Oecumenicus Pontifex totius Ecclesiæ. Quanquam obseruari debet, quicquid hîc fuit προεδρίας, communicari cum Paulo apud Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi sexta. προσγενομένης δὲ τῆς πλάνης, ἀγαθὴ ξυνωρὶς ἀνδρῶν τὸ πλάνημα, Πέτρος καὶ Παῦλος προστάται τῆς ἐκκλησίας ὑπάρχοντες, καὶ ὑποδείξαντες τὸν νομιζόμενον θεὸν Σίμωνα, νεκρὸν εὐθὺς ἀπέδειξαν. *Errorem latiùs se proferentem coarguerunt duo viri boni huc perlati Petrus & Paulus Ecclesiæ præfecti, & Simonem sese Deum ostentantem, taléque existimatum confestim morte affecerunt.* Item apud Sulpitium Seuerum, libro secundo historiæ: *Illustris illa aduersus Simonem Petri ac Pauli congressio fuit.* Euidem sententiæ est Isidorus Hispalensis in Chronico: & quidem disertiùs: nam & disputatum ab vtroque: & ab vtroque deiectum in terram: nimirum Petro adiurante, Paulo orante: & hanc vtroque caussam fuisse martyrij.

XLII. Vicesima quarta prærogatiua; quod Romæ potissimum Petrus sedem suam diuino iussu collocauerit. Signum enim apertum principatus Petri, esse videtur, quod cùm Apostoli ab eo in totum orbem mitterentur, Petrus ad ipsum orbis terrarum caput, & vrbiū reginā missus sit. Leo sermone primo, de Natali Petri & Pauli: item Maximus.

XLIII. Respondeo, sumi falsum, cùm asseritur diuino iussu Petrum esse profectum Romam. Nec enim vllo id argumento confirmatur, aut è Scriptura, aut ex erudita antiquitate. Leo citatus à Bellarmino, tantū dicit: *Quum Apostoli imbuendum Euangelio mundū, distributis sibi terrarū partibus, suscepissent, Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur Imperij.* Et Eusebius antè citatus, prouidētia diuina eò deductum dixit. Sed hæc non significant peculiare aliquod mandatum diuinō Petro potiùs, quā aliis factum. Secundò sumitur falsum rursus, Petrū Romæ constituisse sedem suam: nisi fortè sic intelligas, quemadmodum Cathedram Pauli, antiqui dicunt esse Corinthi, quia ibi docuerit: quæ significatio nihil ad rem facit. Sed ea de re prolixiùs in tertia quæstione.

XLIV. Addo, non valere hanc consequentiā: Petrus ex diuino mandato Romam venit: quæ erat caput orbis: Ergo Petrus fuit caput Ecclesiæ. Ratio prima: quia sic Petro Roma contulisset Pontificatū, nō Petrus Romæ. Secunda; quia Paulus etiā Romā deductus est, diuina prouidentia, & reuelatione: & quidem hoc longè certius, quia ex Scriptura; atque ibi docuit ad mortem vsque. Vnde Maximus à Bellarmino citatus: *Vbi mundus caput habebat Imperij, ibi regni sui principes collocauit:* Petrum & Paulum intelligens. Quare, quo iure efficietur Petrū esse principē Ecclesiæ, quia Romæ sedit; eodē & Paulum necesse erit agnosci Oecumenicum. Tertia, quia Roma erat caput orbis, propter secularem principatū: hîc verò agitur de administranda Ecclesia: quæ duo non tātum distincta sunt, sed etiam separata. Leo Epistola quinquagesima quarta, *Alia ratio est rerum secularium, alia diuinarum.* Gelasius ad Episcopos Dardaniæ, *Alia potestas est regni secularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum.* Et longè potentiùs, qui ante omnes, imò verò supra omnes est Christus: *Reges gentium dominantur eis: vos autem non sic.*

XLV. Vicesima quinta prærogatiua: Quod sub finem vitæ Petri, Christus ipse Petro dignatus sit apparere; & roganti *quo vadis?* respondere: *Venio Romam iterum crucifigi.* Authores, Hegesippus libro tertio, de Excidio Hierosolymitano, capite secundo: Ambrosius oratione contra Auxentium: Athanasius Apologia pro fuga sua, etsi obscuriùs. Gregorius in explicatione quarti Psalmi. Quid autem significare voluit, cùm dixit in Petri crucifixione, se iterū crucifigi, nisi Petrū suum esse vicariū, & quod Petro fit, sibi ipsi fieri? Sic enim ante à Samoeli dixerat: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.*

XLVI. Respondeo, pauci admodum momenti hanc historiam esse. Eam enim Origenes tomo in Ioannem vigesimo septimo, recitat ex Apocryphis: & *Si cui placet*, inquit, *admittere.* Ergo nihil habet certi: & Lini illud scriptum pleno ore Manichæum redolet. Quid mirum autem, si Origene reliqui recentiores, eius meminerunt? Nam Hegesippus, vt aliàs dixi, non est ille Apostolis σύγχρονος; vt docet Barræus præfatione in eos libros. Et Baronius eum hîc citans, appellat Iuniorem, anno sexagesimo nono, paragrapho septimo. Athanasius verò, non potest intelligi de hac visione. Quid enim ille? Πέτρος ὁ διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων κρυπτόμενος καὶ Παῦλος ὁ Ἀπόστολος ἐν σαργάνῃ χαλασθεὶς καὶ φυγὼν, ἀκούσαντες, εἰς Ῥώμην δεῖ ὑμᾶς μαρτυρῆσαι, οὐκ ἀνεβάλοντο τὴν ἀποδημίαν, χαίροντες δὲ μᾶλλον ἀπῆλθον. Sic enim locus habet, non quomodo exscripsit Bel-

larminus. *Petrus qui ob metum Iudæorum absconderat se: & Paulus qui in sporta demissus fugerat, cùm audierūt, Oportet vos Romæ martyrio defungi. nō distulerunt profectionē, sed gaudentes potiùs profecti sunt.* Nam primò non de solo Petro sermo est, sed cum eo Paulus nominatur: & quidem sic, vt videatur visio communiter ambobus facta: secundò, non significatūr Petrus Roma egrediens, nec vltra portam progressus, rediisse in carcerē: sed potiùs ἀποδημίαν, hoc est, longū iter suscipere. Quis autē sanus ἀποδημίαν vnquam nominauit, de eo qui cùm sit adhuc in porta vrbis, rursus vrbē conuersus ingrediatur? Itaq; sensus est potius, vtrūque (nam de Paulo certè clarū) obsecutū esse Deo vocanti; & ne propositis quidē martyrij periculis, recusasse itineri se longo, peregrinationique molestissimæ committere. Quod profectò nihil ad illam Hegesippi fabulam.

XLVII. Sed in gratiam tamen Ambrosij, ne suggillemus historię fidem: quid tum? Certè πολλαὶ ὁδοὶ γίνονται Bellarmino in eruendo consequente. Nam nec apparitio, Petri vllū est priuilegium: antè enim Christus apparuerat, & Stephano Actorū 8. & Paulo Actorū 9. Nec verba ad Petrū habita vllū primatum significant. Designare Christi vicarium, concedo; nempe vt Christo fieret, quod Petro fieret. Sed, si quicunque ita est vicarius, Oecumenicus Pontifex sit, næ multos habebit Ecclesia Pontifices. *Quatenus id fecistis* (inquit Christus Matthæi 25.) *vni ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Imò Actorū nono, *Saule, Saule, cur me persequeris?* vt significaret sibi ipsi fieri, quod Paulus faciebat Discipulis: ac proinde istos esse suos vicarios: in quibus & vinciretur, & abduceretur, & in carcerem mitteretur: & denique flagris cæderetur: cur non etiam capite truncaretur, aut iterum crucifigeretur? Nā ita disertè notant autores, à quibus hanc habet fabulā Bellarminus. Hegesippus, *Intellexit Petrus de sua dictū passione, quod in ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis.* Ambrosius: *Videns igitur quod in seruulis pati velit Christus.* Sunt ergo hoc eodē iure omnes Christi seruuli, etiam vicarij. Quid id ad Oecumenicum?

XLVIII. Vicesima sexta prærogatiua: Quòd solæ illæ Ecclesiæ semper sint habitæ Patriarchales, & primæ, quas Petrus fundauerat: Romana, Antiochena, Alexandrina. Cōcilij Nicæni canon sextus. Chalcedonēsis actio 16. Anacletus Epistola 3. Leonis 53. Gregorij 37. lib. 6. Caussa autem vera est sola dignitas Petri; qui Antiochiæ, & Romę per seipsum sedit: Alexandriæ vel per se, vt Nicephorus testatur libr. 14. cap. 3. vel per discipulum suum Marcum; quem eo misit, vt nomine suo fundaret Ecclesiam; vt docet Gregorius ad Eulogium.

XLIX. Respondeo, eas sedes non esse habitas sedes Patriarchales, primò, semper: secundò, solas: tertiò, ob dignitatē Petri. Nō semper, quia Patriarcharum ne nomen quidem inuenias in vllis scriptis ante Constantini magni seculum. Nam Clemētis, Anacleti, & similiū Epistolas, & suppositititias esse, & ineptas, qui nō olfaciat, eū oportet esse μεστὸν μύξα κορύζων. Imò ne quidē in scriptis eius simij, qui Clemētis nomen affectauit in Cōstitutionibus. Negamus ergo semper eas sedes habitas Patriarchales. Certè Apostolorū tēpore ne indiciū quidē est vllū vel minimū, hęc secularis typhi nomina fuisse introducta.

L. Non solas. Nam etiā Constantini seculo plures his tribus numerabantur. Socrates historiæ lib. 5. cap. 8. describens acta Synodi Cōstantinopolitanæ primæ: πατριάρχας κατέστησαν διανειμάμενοι τὰς ἐπαρχίας. *Dispertitis Prouinciis, Patriarchas cōstituerunt. Nectario igitur ampla illa ciuitas Cōstantinopolis, & tota Thracia sorte obuenit: Pontica autem diœcesis Patriarchatus Helladio Cæsareæ Cappadociæ post Basilium Episcopo Gregorio Nyssæ, fratri Basilij: Et Otreio Melitinæ, quæ est in Armenia, contigit. Patriarchatum item Asianum Amphilochius Episcopus Iconij & Optimus Antiochiæ Pisidiæ sortito capiunt. Aegypti diœcesis Timotheo Alexandriæ Episcopo tribuitur. Ecclesiarum denique versus Orientem diœcesin iidem Episcopi qui antea, Pelagius scilicet Episcopus Laodiceæ: & Diodorus Tharsi obtinent: honoris prærogatiua Ecclesiæ Antiochenæ reseruata, quā Melitio tum præsenti tribuerunt.* En tibi ex Socrate decem Patriarchas, non tres duntaxat: & quidē vero nomine, ὥστε τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιβαίνειν. Quæ verba à Christophorsono malè vertuntur, *vt nullus Episcopus, relicta sua diœcesi, ad exteras Ecclesias demigraret:* cū ita potiùs debuerit: *Ne Episcopi, præter suā diœcesin, Ecclesias extra eos limites positas inuaderēt:* hoc est, ne quisquā, neglectis suæ diœcesis limitib⁹, vllā sibi in eas Ecclesias autoritatē vsurparet, quæ intra aliā diœcesin essent positæ: τοῦτο γὰρ πρότερον διὰ τοὺς διωγμοὺς ἐγίνετο ἀδιαφόρως. *Id enim prius propter persecutiones, indiscriminatim contingebat.*

LI. Nec Synodus Nicæna, Chalcedonensisve contradicunt: neque enim illæ profitentur enumerationem Patriarcharum; sed tantùm tribus præcipuis sui ἀξιώματος conseruationē: vt τὰ πρωτεῖα Romanus habeat; pòstque eum numeretur Antiochenus, & Alexandrinus. Et quidem, quod mirum; accedit Anacletus ille suppositiius: primā sedē definiens Romanam; secundam Alexandrinā; tertiam Antiochenam: *Reliquas verò,* inquit, *ut quodam tem; prolixitatem vitantes epistola, vobis conscriptas dereximus.* Ne Leo quidem, aut Gregorius, cōtradicit. Nam ille Anatolium tātùm obiurgat, quòd se præferri vellet Antiocheno: de numero sedium Patriarchalium nihil definit. Iste, vnius atque vnam esse pronunciat sedem, cui ex autoritate diuina tres tunc Episcopi præsidebant: id est, triplicem esse Petri Cathedram, Romanam, Antiochenam, Alexandrinam. Sed esse prętereà Patriarchales nullas, non dixit. Itaque hos testes in suam caussam Bellarminus falsò citauit.

LII. Non ob Petri dignitatem, sed ob vrbium amplitudinem. Canon Antiochenus nonus. τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας; διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας. ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτόν. *Episcopos per singulas prouincias scire oportet, eum Episcopum qui Metropoli præsidet, etiam totius prouinciæ curam gerere: quia ad metropolin vndique concurrunt omnes quibus est aliquod negotium. Itaque visum est honore etiam præ reliquis affici debere.* Hæc tanto constituendorum Metropolitarum. In quorum ordine censeri, Romanum, Antiochenum, Alexandrinum, facilè colligitur è sexto Canone Nicæno; in quo postquā sua prouincia adscripta est Alexandrino ad instar Romani, subiiciūtur ista: ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον. *Similiter Antiochiæ, & in aliis prouinciis, sua dignitas seruetur Ecclesiis. Quin vniuersaliter id manifestum: quòd si quis sine sententia metropolitæ fiat Episcopus; hunc magna Synodus definiit non esse Episcopum.* Quia igitur, post nominatum Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, & prouincias, de Metropolitanis καθ' ὅλου vniuersaliter & in genere præcipitur,

Patriar-

Patriarchæ autem illi fuerunt; constat eosdem esse Patriarchas, & Metropolitas. Ex Antiocheno autem constabat Metropolitarum dignitatem sumi ex ciuitatũ dignitate. Itaq; certum est Patriarcharum sedes electas à dignitate vrbium. Quod ipsũ fatetur ille quisquis est, Anacletus, epistola tertia. *Episcoporũ ordo vnus est: licet sint primates illi, qui primas ciuitates tenent: qui in quibusdam locis patriarchæ à nonnullis vocantur.* Vnde tamen Romanam sedem postea excipit, manifesta adulatione & vanitate.

LIII. Sed nihil manifestius canone tertio Constantinopolitano, & Chalcedonensi vigesimo octauo: quibus definitur, Constantinopolitanum thronum æquari dignitate, etsi non ordine, throno Romano: quia Constantinopolis sit noua Roma. *Εὐλόγως κρίναντες* (verba sunt Chalcedonensis) *τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασιν. Benè iudicantes eam vrbem, quæ regno & Senatu decoratur, iisdémque fruitur honoris prærogatiuis cum veteri regia Roma, etiam in negotiis Ecclesiasticis ad eius instar magni fieri.* Et vix aliter fieri potuit. Nam tempore Concilij Niceni, in Patriarchis nominandis omissus fuerat Constantinopolitanus: quòd nondum esset ciuitas Regia: vtpote à Constantino dedicata triennio post. Itaque cùm, facta sedes Imperij, excreuisset in magnum honorem; ausa est de dignitate contendere: & obtinuit. Quod cùm ad Iustiniani tempora Bellarminus refert, & defert Romanorum Pontificum permissioni, viderit vnde habeat. Certè tam constat à tempore Constantinopolitani Concilij in Patriarchis numeratum Constantinopolitanum, quàm solem meridie lucere: inuidente solo Romano; ob æmulationem. Sed Iesuitæ solent, quoties agunt suæ Helenæ negotium, etiam soli tenebras offundere.

LIIII. Addam testimonium Cæsaris Baronij, in Annalibus, ad annum trigesimum nonum paragrapho decimo, *Maiores in instituendis sedibus Ecclesiarum, non aliam inisse rationem, quàm secundum prouinciarum diuisionẽ, & prærogatiuas à Romanis antea stabilitas, quamplurima sunt exempla.* Hæc ille vir alioqui Papistico typho addictissimus: atque adeo in eius gratiam identidem historiæ veritatem adulterans. Sed hic tamen & hanc quam diximus caussam esse agnoscit: & disertius non aliam: ergo, non dignitatem Petri, vt vuluit Bellarminus.

LV. Sed disputat tamen Bellarminus. Primum argumentum: ex Leone & Gelasio: quorum ille Epistola quinquagesima quarta ad Martianum Augustum, aliam rationem esse rerum secularium, aliam diuinarum, scripsit. Iste ad Episcopos Dardaniæ, aliam potestatem esse regni secularis, aliam Ecclesiasticarum distributionem dignitatum. Secundum argumentum: quia tantùm tres fuerunt sedes Patriarchales, cùm tamen multo plures sint vrbes nobiles & regiæ. Gelasius ad Episcopos Dardaniæ. *Risimus,* inquit, *quòd prærogatiuam volunt Acacio comparari, quòd Episcopus fuerit regiæ ciuitatis. Nunquid apud Mediolanum, apud Rauennam, apud Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator? Nunquid harum vrbiũ Sacerdotes, vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam quippiam suis dignitatibus vsurparunt?* Tertium argumentum, ab ordine earum trium sedium. Nam cum omnes sint sedes Petri; tamẽ per se Romanam ipse administrauit vsque ad mortem. Alexandrinam per Marcum Euangelistam: Antiochenam per Euodiũ. Sicut ergo maior est Petrus Marco; & Marcus Euodio: ita Romana Ecclesia Alexandrinam; & hæc Antiochenam autoritate & dignitate superat.

LVI. Respondeo ad primum argumentũ optimè dicta illa esse & à Leone & à Gelasio: sed si ea sẽper *ἀκριβῶς* obseruata, ne ipsos quidẽ suas sedes cæteris sedibus præferre debuisse. Iam enim longè ante eos Christus dixerat, *Vos autem non sic.* At non quæritur in negotio quid fuerit faciendum: sed quid factum sit. Contra experientiam autem; cuius locupletissimi testes sunt Cõcilia, frustra disputatur rationibus. Ad hæc, etsi verum sit amplitudine ciuitatũ motos fuisse Patres; tamen nõ sequitur eandẽ esse rationẽ dignitatũ Ecclesiasticarum, & secularium: quemadmodum non sequitur, ex eo quòd ne vilesceret Episcopi nomẽ, vetitum sit in pagis & minoribus locis Episcopum constitui, sed tantùm in vrbibus maioribus. Sunt enim suæ dignitatibus Ecclesiasticis essentiales differentiæ, quibus distinguantur à secularibus: exempli gratia: Metropolitæ absque cõprouincialium, vt comprouincialibus absque metropolitæ concilio, nihil maioris momenti agere licebat: quod in secularibus aliter erat.

LVII. In secundo sumitur falsum: scilicet, fuisse tatũ tres sedes Patriarchales; vt antè diximus. Id duntaxat verum, tres fuisse omniũ nobilissimas: etsi deinceps ac paulatim Ecclesiarũ immutata sit politia: & cũ alnoi factus est Patriarcharum gradus, quã Archiepiscoporũ & Metropolitanorũ, hi tres summam rerum tenuerint. Gelasius autem ridiculè argumentatur: quia non quælibet vrbes regiæ erant, in quibus Imperator cõmorabatur ad tẽpus: nec ij Canones, quos antè citauimus, eo argumento vsi sunt in definienda Constantinopolitani præsulis dignitate: sed hoc, quòd Constantinopolis erat altera Roma; & honorata regno, ac Senatu; æquè cum Veteri Roma: quod illis reliquis vrbibus non competebat. Reliquæ autem sedes constitutæ alio iure; nempe è distributione prouinciarum.

LVIII. In tertio multa occurrunt. Primũ falsum est à Petri, Marci, & Euodij dignitate hunc assignatũ ordinem. Imò cõtra verũ, à dignitate vrbiũ. Testis Baronius loco iã antè notato. Exscribo verba. Cũ probat in instituendis sedibus nõ aliã fuisse rationem, quã prouinciarũ prærogatiuas; idque demõstrari exẽplis dixit, Tũ, *Sed satis modò erit* (inquit) *vnum vel alterum huc in præsentiarum adferre: ac in primis illud haud longè petitum de sede Antiochena: quæ quãtumlibet à Petro ante Alexandrinã fuerit instituta: tamen quoniam præfectura Alexandrina, Augustalis dicta, ab Augusto eo nomine insignita, magnificentissimè præ cæteris ab eodem fuerat nobilitata, longe præstabat Syriæ præfecturæ. ea de causa factum apparet, vt quamuis sedes Antiochena ante Alexandrinam à Marco nomine Petri erectam, fuerit instituta, tamẽ illi postposita habeatur. Sic etiam, quoniam inter omnes Oriẽtales præfecturas, Syria proconsulatum præstabat, cũ eius prouinciæ metropolis esset Antiochia: inde etiam accidit, vt prima omnium Antiochena Ecclesia haberetur: & quantumuis Hierosolymorum Ecclesia prima omnium origine temporis, & nobilitate rerum in ea consummatarum meritò dici posset, cæterísque ea de caussa, quæ in Oriente essent, Ecclesiis iure præferenda videretur; illi tamen subiiceretur.* En Cardinalem Cardinali *ἐκ διαμέτρου* oppositum. Bellarminus in assignatione Patriarchatuum nullam rationem esse dixit, præter dignitatem Petri. Baronius verò aliam nullam præter prouinciarum distinctionem. Bellarminus Alexandriam

Patriarchæ autem illi fuerunt; constat eósdem esse Patriarchas, & Metropolitas. Ex Antiocheno autem constabat Metropolitarum dignitatem sumi ex ciuitatũ dignitate. Itaq; certum est Patriarcharum sedes electas à dignitate vrbium. Quod ipsũ fatetur ille quisquis est, Anacletos, epistola tertia. *Episcoporũ ordo vnus est: licet sint primates illi, qui primas ciuitates tenent: qui in quibusdam locis patriarchæ à nonnullis vocantur.* Vnde tamen Romanam sedem postea excipit, manifesta adulatione & vanitate.

LIII. Sed nihil manifestius canone tertio Constantinopolitano; & Chalcedonensi vigesimo octauo: quibus definitur, Constantinopolitanum thronum æquari dignitate, etsi non ordine, throno Romano: quia Constantinopolis sit noua Roma. *Καὶ γὰρ* [illegible] (verba sunt Chalcedonensis) [illegible] *Benè iudicantes eam vrbem, quæ regno & Senatu decoratur, iisdémque fruitur honoris prærogatiuis cum veteri regia Roma, etiam in negotiis Ecclesiasticis ad eius instar magni fieri.* Et vix aliter fieri potuit. Nam tempore Concilij Niceni, in Patriarchis nominandis omissus fuerat Constantinopolitanus: quòd nondum esset ciuitas Regia: vtpote à Constantino dedicata triennio pòst. Itaque cùm, facta sedes Imperij, excreuisset in magnum honorem, ausa est de dignitate contendere: & obtinuit. Quod cùm ad Iustiniani tempora Bellarminus refert, & defert Romanorum Pontificum permissioni, viderit vnde habeat. Certè tam constat à tempore Constantinopolitani Concilij in Patriarchis numeratum Constantinopolitanum, quàm solem meridie lucere: inuidente solo Romano; ob æmulationem. Sed Iesuitæ solent, quoties agunt suæ Helenæ negotium, etiam soli tenebras offundere.

LIIII. Addam testimonium Cæsaris Baronij, in Annalibus, ad annum trigesimum nonum paragrapho decimo, *Maiores in instituendis sedibus Ecclesiarum, non aliam iniisse rationem, quàm secundum prouinciarum diuisionẽ, & prærogatiuas à Romanis antea stabilitas, quamplurima sunt exempla.* Hæc ille vir alioqui Papatico typho addictissimus: atque adeo in eius gratiam identidem historiæ veritatem adulterans. Sed hic tamen & hanc quam diximus caussam esse agnoscit: & disertius non aliam: ergo, non dignitatem Petri, vt voluit Bellarminus.

LV. Sed disputat tamen Bellarminus. Primum argumentum: ex Leone & Gelasio: quorum ille Epistola quinquagesima quarta ad Martianum Augustum, aliam rationem esse rerum secularium, aliam diuinarum, scripsit. Iste ad Episcopos Dardaniæ, aliam potestatem esse regni secularis, aliam Ecclesiasticarum distributionem dignitatum. Secundum argumentum: quia tantùm tres fuerunt sedes Patriarchales, cùm tamen multo plures sint vrbes nobiles & regiæ. Gelasius ad Episcopos Dardaniæ. *Risimus,* inquit, *quòd prærogatiuam volunt Acacio comparari, quòd Episcopus fuerit regiæ ciuitatis. Nunquid apud Mediolanum, apud Rauennam, apud Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator? Nunquid harum vrbium Sacerdotes, vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam quippiam sibi de dignitatibus vsurparunt?* Tertium argumentum, ab ordine earum trium sedium. Nam cum omnes sint sedes Petri; tamẽ per se Romanam ipse administrauit vsque ad mortem. Alexandrinam per Marcum Euangelistam: Antiochenam per Euodiũ. Sicut ergo maior est Petrus Marco; & Marcus Euodio: ita Romana Ecclesia Alexandrinam; & hæc Antiochenam autoritate & dignitate superat.

LVI. Respondeo ad primum argumentũ optimè dicta illa esse & à Leone & à Gelasio: sed si eis sẽc *[illegible]* obseruata, ne ipsos quidẽ suas sedes cæteris sedibus præferre debuisse. Iam enim longè ante eos Christus dixerat, *Vos autem non sic.* At non quæritur in negotio quid fuerit faciendum: sed quid factum sit. Contra experientiam autem; cuius locupletissimi testes sunt Cõcilia, frustra disputatur rationibus. Ad hæc, etsi verum sit amplitudine ciuitatũ motos fuisse Patres; tamen nõ sequitur eandẽ esse rationẽ dignitatũ Ecclesiasticarum, & secularium: quemadmodum non sequitur, ex eo quòd ne vilesceret Episcopi nomẽ, vetitum sit in pagis & minoribus locis Episcopum constitui, sed tantùm in vrbibus maioribus. Sunt enim suæ dignitatibus Ecclesiasticis essentiales differentiæ, quibus distinguantur à secularibus: exempli gratia: Metropolitæ absque cũprouincialium, vt comprouincialibus absque metropolitæ concilio, nihil maioris momenti agere licebat: quod in secularibus aliter erat.

LVII. In secundo sumitur falsum: scilicet, fuisse tantũ tres sedes Patriarchales, vt antè diximus. Id duntaxat verum, tres fuisse omniũ nobilissimas: etsi deinceps ac paulatim Ecclesiarũ immutata sit politia: & cũ altior factus est Patriarcharum gradus, quã Archiepiscoporũ & Metropolitanorũ, hi tres summam rerum tenuerint. Gelasius autem ridiculè argumentatur: quia non quælibet vrbes regiæ erant, in quibus Imperator cõmorabatur ad tẽpus: nec ij Canones, quos antè citauimus, eo argumento vsi sunt in definienda Constantinopolitani præsulis dignitate: sed hoc, quòd Constantinopolis erat altera Roma; & honorata regno, ac Senatu; æquè cum Veteri Roma: quod illis reliquis vrbibus non competebat. Reliquæ autem sedes constitutæ alio iure; nempe è distributione prouinciarum.

LVIII. In tertio multa occurrunt. Primũ falsum est à Petri, Marci, & Euodij dignitate hunc assignatũ ordinem. Imò cõtra verũ, à dignitate vrbiũ. Testis Baronius loco iã antè notato. Exscribo verba. Cũ probat in instituendis sedibus nõ aliã fuisse rationem, quã prouinciarũ prærogatiuas; idque demõstrari exẽplis dixit, Tũ, *Sed satis modò erit* (inquit) *vnum vel alterum huc in præsentiarum afferre: ac in primis illud haud longè petitum de sede Antiochena: quæ quãtumlibet à Petro ante Alexandrinã fuerit instituta: tamen quoniam præfectura Alexandrina, Augustalis dicta, ab Augusto eo nomine insignita, magnificentissimè præ cæteris ab eodem fuerat nobilitata, longè præstabat Syriæ præfecturæ: ea de causa factum apparet, vt quamuis sedes Antiochena ante Alexandrinam a Marco nomine Petri erectam, fuerit instituta, tamẽ illi postposita habeatur. Sic etiam, quoniam inter omnes Oriẽtales præfecturas, Syria proconsulatus præstabat, cũ eius prouinciæ metropolis esset Antiochia: inde etiam accidit, vt prima omnium Antiochena Ecclesia haberetur: & quantumuis Hierosolymorum Ecclesia prima omnium origine temporis, & nobilitate rerum in ea consummatarum meritò dici posset, cæterísque ea de caussa, quæ in Oriente essent, Ecclesiis iure præferenda videretur; illi tamen subiceretur.* En Cardinalem Cardinali *ἐκ διαμέτρου* oppositum. Bellarminus in assignatione Patriarchatuum nullam rationem esse dixit, præter dignitatem Petri. Baronius verò aliam nullam præter prouinciarum distinctionem. Bellarminus Alexandriam

Antiochiæ præpositam tãtùm, quia Marcus dignior Euodio. At Baronius tantùm, quia Præfectura Alexandrina dignior Syra.

LIX. Sed insuper patet absurditas: quia si propter dignitatẽ eius, qui Petro successit Alexandriæ, maiorem quàm eius qui Antiochiæ; prælata est illa huic: Ergo debuit etiam eadem Alexandrina præferri Romanæ. Quia Marcus Euãgelista longè fuit dignior, siue Lino, siue Anacleto, siue Clemente; quorũ nullus in autores Canonicos relatus est. Imò si omnes sedes, quas Petrus instituit siue per se, siue per alios, (vt Alexandrinam dicitur per Marcum) debuerunt esse Patriarchales: tum certè Hierosolymitana non tantũ debuit esse Patriarchalis; quod contra factum disputant Bellarminus, & Baronius: sed etiam reliquis omnibus præferri, quia Iacobus Apostolus (quem à Petro constitutum volunt) sine dubio dignior erat & Marco & Euodio, & Clemẽte, & Lino, & Anacleto: adeò vt eum Clemens (siquidem is est) appellet, Episcopum Episcoporum, & regentem omnes vbique Ecclesias.

LX. Sed hæc nimirum est Iesuitica φλυαρία, quicquid in buccam venit temerè effutiens, dum videatur Antichristianæ tyrannidi commodũ. At nobis, ex iis quæ disputata sunt, constat sedes Patriarchales, non ex rerum diuinarum natura distributas, sed instar typhi secularis. Quare possumus absque vllo periculo contra Bellarminum concludere, non esse Petri prærogatiuam aliquam in Patriarchatu Romano, Alexandrino, Antiocheno, sed esse superbiæ secularis imaginem in Ecclesia constitutam.

LXI. Vicesima septima prærogatiua: festũ Cathedræ Petri. Nam quod publicè in Ecclesia celebretur dies festus in honorem institutionis Episcopatus Petri, & nihil tale fiat pro sedibus aliorum Apostolorum, argumentum est, sedem Petri singulariter præstare omnibus aliis; imò esse solam & singularem Cathedram, ex qua totus mundus doceri debeat. Esse autem id festum vetustissimum probatur ex martyrologio Bedæ; & ex Sermone Augustini decimo quinto de Sanctis.

LXII. Respondeo: vix posse tyrannidem in Ecclesia nisi per superstitionem stabiliri. Sed non propterea, si Oecumenico Pontifici commoda superstitio, ideò quicquam legitimè probat. Hoc festum, primò nunquam celebratum in vniuersa Ecclesia: sed tantùm in Romana: itaq; non reperitur in Græcorum Menologiis; sed tantùm in Latinorum Martyrologiis. Vnde Baronius ipse ita scripsit in suis annotationibus ad Romanum. *De consuetudine Orientalis Ecclesiæ satis monent Græcorum Menologia, in quibus S. Basilij, Ioannis, Chrysostomi, & aliorum agitur sedis eorum natalis dies. Quo etiam vsu & ratione Romana Ecclesia tã diem solenniter agere cõsueuit, quo Romana natalis est Cathedra.* Ex ritu autem particulari, vniuersaliter concludere, valde est absurdum. Deinde, ne quidem ab initio celebratum fuit: atque adeò ne nomen quidem ipsum legas apud quenquã antiquiorem Beda, qui septimum seculum excessit, cùm iam valde inclinata est in superstitionem Christianitas. Augustini verò sermones decimus quintus & sextus de Sanctis suppositiții sunt. Constare ex malè consutis centonibus, rectè annotauit Erasmus, & facilè obseruat quivis non captus oculis. Porrò eius instituti eæ traduntur caussæ, quæ nihil habent sani: quas quærat qui volet apud Iacobum de Voragine, historiæ Lombardicæ capite quadragesimo quinto.

LXIII. Vicesima octaua postremaq; prærogatiua: quod in literis formatis antiqui post nomẽ Patris, & Filij, & Spiritus S. nomẽ Apostolorũ principis adiungebant. Ex Epistola Attici Constantinopolitani. Meminit autem formatarum Optatus libro secundo, & Concilium Mileuitanum. Nimirũ (inquit Baronius ad annum trecentesimum vigesimum quintum, paragrapho centesimo sexagesimo octauo,) quod in sede Petri vigeret totius Ecclesiæ principatus.

LXIV. Respondeo, formatas Epistolas, qui in antiquis scriptis sit versatus, neminẽ ignorare, fuisse in magno vsu: Nã earũ non ij tantùm meminerunt qui nominãtur à Bellarmino, sed & alij complures, etiam antiquiores Concilio Niceno. Verũ hanc Attico Cõstantinopolitano adscriptã Epistolã, sani iudicij viris nõ posse nõ esse suspectã. Primò, quia eius decreti nullum exstet vestigium præter hoc ridiculum Epistoliũ. Deinde, quia hoc sit eius initiũ, magnificum scilicet, & dignum iis tẽporibus. *Græca elementa literarum, numeros etiã exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci sermonis notitiã habet, ignorat*: Diceres scriptum in medio earũ nationũ, apud quas nõ nisi magno labore in scholis, atq; à paucis Græcè discitur. At viuebat Atticus tum cũ adhuc in maximo tractu orbis Græca lingua esset cõmunis, & vulgo cognita. Non igitur Græcis Atticus scribit. Latinis-ne igitur? At tanquam ad Græcos: *Quas*, inquit, *mos Latinus formatas vocat*. Deinde Canonicas, eas appellari formatas, vix puto constare posse.

LXV. Adde eius generis literarũ nullum exemplum exstare; præterquã apud Gratianũ: qui distinctione 73. duo collegit recentissima & ineptissima. Alterum anni millesimi secũdi; quod tamen de Petri nomine literam habet nullã: tantùm ad initiũ & finem primas, πατρὸς, υἱοῦ, πνεύματος. Et ἀμὴν cum his verbis: *Hanc igitur Epistolam Græcis literis hinc inde munire decreuimus*. Secundum exemplar, est anni millesimi trecentesimi decimi quinti: cum his ad initium literis π, υ, α, π, δ, β, α, ν, ι: atq; ad extremum ἀμήν. Duo rursus alia apud Iuonem, Decreti parte sexta, capite quadringentesimo trigesimo quarto, & quinto, Quorum vnius initium. *In nomine π Patris, & υ Filij, & α, Spiritus Sancti*. Ad finem verò, π, υ, α, π, δ, α, ι, δ, ν, ἀμήν. Anni sexti post millesimum quadringentesimum. Alterius finis: *Ego, inquam, in nomine π Patris, & υ Filij, & α Spiritus Sancti*: & cætera: *Dilectam paternitatem vestram virtutum floribus insignitam omnipotens Deus conseruare dignetur*: ἀμήν. n. CCLXXVIII. π, υ, α, π, δ, α, ι, δ. Et est eiusdem anni cum præcedente. Et tamen ad præscriptũ ab Attico Canonẽ hæc exẽplaria non quadrant. Nam primò nihil Atticus de voce, ἀμὴν quam nihilominus Iuo vult addi: & quidem in supputationẽ venire. Secundò, quarta litera è ciuitatis nomine nulla est. Tertiò apud Iuonem summa numerorũ non cõgruit literis. Apud Gratianũ autem, nudæ sunt literæ, summa numerorum nulla. Itaque figmentum potiùs postremi temporis docti facilè pronuntient, quàm vllum Nicenæ Synodi decretum, aut etiam Attici scriptum. Sic optimè Bellarminus has prærogatiuas à fabulis orsus, in fabulam terminauit. Non ei meritò triumphus decernitur?

LXVI. Atque ita tandem omnes percurrimus à Bellarmino collectas Petri prærogatiuas: quarum nonnullas comperimus esse commentitias: alias incertas: rursus, alias prærogatiuarum nomine non dignas: denique nullas eiusmodi, quæ Oecumenicum Pontificatum inferant. Possumus igitur tandem

dem securè concludere ad præcipuum argumentum, & antecedens non esse certum, & consequentiam esse non legitimam. Nam si singulæ prærogatiuæ non inferunt: ne omnes quidem. Non enim, vt virgulta, cùm singula sint fragilia, vnita frangi non possunt: sic argumenta, quæ singula nihil probant, conserta demonstrabunt.

Cap. XIX.

De tribus postremis argumentis.

I. SVpersunt argumenta tria. Primum: Si non esset Petri quàm reliquorum autoritas maior, eum Scriptura nunquam à reliquis seiungeret. At seiunxit à reliquis Marci decimo sexto: *Dicite discipulis eius & Petro.* Actorum secundo: *Stans Petrus cum vndecim.* Et quinto: *Petrus & Apostoli.* Ergo Petri maior est autoritas quàm reliquorum. Alphonsus libro duodecimo aduersus hæreses. Bellarminus addit ex prioris ad Corinthios nono: *Reliqui Apostoli, & fratres Domini & Cephas.* Prætereaidem Bellarminus obseruat, Marci primo: *Simon & qui cum eo erant.* Lucæ octauo: *Petrus & qui cum illo erant.* Et nono: *Petrus verò & qui cum illo erãt.* Quas phrases comparat cum his, Apocalypsis duodecimo: *Diabolus & Angeli eius: Michael & Angeli eius.* Vt describatur Petrus, quasi paterfamilias, & dux & princeps reliquorum. Addit B. Ignatium Epistola ad Smyrnenses dicere, Christum post resurrectionem ad eos qui circa Petrum erant. Imò & ipse Petrus ferè semper loquitur nomine omnium. Matthæi decimo nono: *Ecce nos reliquimus omnia.* Lucæ duodecimo: *Ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Ioannis sexto; *Domine ad quem ibimus?* In quem locum Cyrillus: *Per vnum qui præerat, omnes respondent.* Hæc Bellarminus libro primo de Pontifice, capite decimo octauo.

II. Respondeo; primò ad Alphonsum: Si autoritas sumitur pro dignitate, vt sæpe; ita vt Petrus intelligatur Apostolorum primus personali dignitate; quomodo in decimum sextum Marci, Theophylactus; *Petrum ab aliis discipulis segregat vt præcipuum* ὡς κορυφαῖον; *ac ob excellentiam* κατ' ἐξοχὴν *nominat eum* ἐκτὸς ἐκείνων *extra eorum numerum.* Si, inquam, sic sumas, possimus totum argumentum concedere: Nam quia aliud est personalis dignitas siue autoritas, ab autoritate muneris: nemo inde conficiat Oecumenicum Pontificatum, nisi ridiculè. Sin autoritas vocatur, potestas quædam seu dominatio in alios Apostolos, ex iure muneris superioris, negatur propositio. Nulla enim ratio cogit, vt quicunque separatim ab aliis nominatur, idem continuò sit reliquorum princeps, hoc est, reliquis dominetur. Nam primæ ad Corinthios nono sic loquitur Paulus, *Cæteri Apostoli, & fratres Domini:* hos à reliquis separans; qui tamen non dominabantur aliis.

III. Et sunt aliæ caussæ. Nam in Marci decimum sextum, Theophylactus: ἰδικῶς δὲ ὀνομάζεται ὁ Πέτρος ἐκ τῶν ἄλλων, καὶ εἶπον αἱ γυναῖκες, ὅτι προσετάχθημεν εἰπεῖν τοῖς μαθηταῖς, εἶπεν ἂν ὁ Πέτρος· ἐγὼ ἀπηρνησάμην αὐτὸν [illegible] μαθητὴς αὐτοῦ εἰμι [illegible] τοῦ Πέτρου· ἵνα μὴ [illegible] ὁ Πέτρος, ὡς αὐτὸς μὴ λόγου ἀξιωθεὶς, [illegible] ἀρνησάμενος, καὶ διὰ τοῦτο μηδὲ συντάττεσθαι τοῖς μαθηταῖς ἄξιος ὤν. *Quia negauerat Petrus; si venissent mulieres, ac dixissent, iussæ fuimus narrare discipulis; dixisset vtique Petrus: Ego negaui: iam non sum eius discipulus: itaque abiecit me; abominatus est me. Huius igitur gratia apponit, & Petro; vt ne offendatur Petrus, quasi qui hoc sermone indignus esset iudicatus, vtpote qui cùm negasset, indignus esset qui reliquis discipulis annumeraretur.* En tibi aliam caussam; longéque aliam à Primatu: nempe vt discipulis adscriberetur; non verò præferretur. Et assentiuntur, Hieronymus, & Beda in glossa ordinaria. Ille; *Quis se,* inquit, *indignum discipulatu iudicat, quum ter magistrum negat. Sed peccata præterita non nocent, quando non placent.* Iste: *Petrus vocatur, ex nomine, ne desperet ex negatione: nisi enim eum Angelus nominatim exprimeret, qui magistrũ ter negauerat, inter discipulos venire non auderet.* Sed & Lyranus: *Specialiter nominat Petrum: aliter non fuisset ausus venire, ad præsentiam Domini, quem negauerat.* Mirũ verò Papistarũ ingenium, si hinc sperant se Petrum reliquis præfecturos; qui vix audebat sese illis adnumerare. Actorum autem secũdo, & quinto, caussa est euidens; quia Petri partes fuerunt in iis sermonibus; tanquam omnium adstantium nomine ad populum concionem habentis, id est, vt Oecumenius, κοινῇ γνώμῃ, καὶ φωνῇ πάντων. Vnde à Chrysostomo vocatur πάντων τὸ στόμα, os omnium: quia videlicet, quẽadmodũ os non suo, sed totius corporis; sic Petrus non proprio, sed omnium Apostolorum nomine loquebatur. At in priore ad Corinthios; non seorsim, sed vnà cum aliis nominatur. Nam propositio est generalis, Apostoli circumducunt vxorem sororem. Hoc ne forte fortuna quis dictum interpretaretur magis quàm ex veritate, personas nominat, primò fratres Domini, scilicet Iacobum & Iudam; deinde, Petrum, quia erat quidem inter Apostolos, at non inter fratres Domini. Itaque non magis hic, quàm illi, ab aliis separatur. Et si huic Primatus inde conficitur, certè etiam illis. At non illis: ergo neque huic.

IV. Sed longè fallitur Bellarminus; qui illos locos vbi nominatur Petrus, & qui cum eo erant; comparat cum istis ex Apocalypsi, Michael & Angeli eius: Satan & Angeli eius: Cùm tamen ne verba quidem sint eadem. At cur non potiùs cum istis: ad Romanos vltimo: *Philologum, Iuliam, Nereum, & sororem eius Olympiam, & qui cum eis sunt.* Lucæ vigesimo quarto: *Maria Magdalene, Ioanna, Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant.* Actorum decimo nono: *Demetrius, & qui cum eo sunt artifices.* Nam hîc certè eadem verba legis. At hi nullum primatum arguũt: & sunt, his quos Bellarminus enumerauit, similiores. Quare quemadmodum, quum legimus apud Lucam: *Maria & quæ erant cum illa,* non sic intelligimus, quasi esset dictum, Maria & mulieres eius, id est, quarũ ipsa erat materfamilias, dux, aut princeps: sic nihil est necesse; quum audimus, *Petrus, & qui cũ illo,* vt hic sensus nobis in animum veniat; Petrus & viri eius; hoc est, quibus ipse imperabat, æquè ac Diabolus suis angelis: quod volebat Iesuita, sese valde ridiculum præbens in comparandis locis, nulla sui parte similibus: quod si liceret, quid tutum posset esse à Sycophantiis Sophistarum non video.

V. De Ignatio quid dicam? ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν. Id interpres quidam reddidit: *Quum ad eos qui cum Petro erant, venisset.* Et inde Bellarminus argumentatur: quasi veritatem oporteat pœnas dare alienæ imperitiæ. Vaitlenius, Interpretum Ignatij optimus iudice Billio; reddidit: *Quando ad Petrum venit.* Nimirum οἱ περὶ τὸν Πέτρον; quomodo aliàs Plutarchus Othone: οἱ περὶ Οὐεσπασιανὸν ἡγεμόνες ἤδη τῶν πραγμάτων ἀντελαμβάνοντο, *Vespasianus iam manifestè negotia gerebat.* Aristoteles Rhetoricorum tertio:

τὰ ἐκείνω ὁ περὶ Θεόδωρον. *Quod Theodorus faciebat.* Chrysostomus homilia prima ad populum Antiochenum: καὶ ἐγὼ μὲν ἄγαμαι, καὶ θαυμάζω οἱ περὶ Παῦλον καὶ Πέτρον, καὶ πάντες ἐσμὲν τοιοῦτοι, ὥσπερ ἐν καὶ εἰσὶν, ἀλλ᾽ ἄνθρωποι ἦσαν. *Vbi habet* τοὺς περὶ Παῦλον *æquè ac* τοὺς περὶ Πέτρον.

VI. Quid tum autem, si loquutus est Petrus omnium nomine? Nam primò, non semper: quæ enim ad se primariò, ipse suo nomine. Matthæi decimo quarto: *Iube me ad te venire.* Et vicesimo sexto: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te abnegabo.* decimo octauo: *Quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei.* Et in Epistolis Canonicis, capite secundo primæ: *Dilecti, precor, vt tanquam aduenæ ac peregrini abstineatis à carnis cupiditatibus.* Et quinto: *precor ego vnà presbyter.* Et: *per Syluanum vobis, opinor, fidelem fratrem paucis scripsi.* Et posterioris primo: *Non negligam vos de istis commonefacere.* Et: *Quum sciam breui futurum vt deponam hoc tabernaculum.* Et similia pleraque. Nimirum, nondum inoleuerat fastuosus ille successorũ eius (si superis placet) typhus; qui se nũquam nominant nisi plurali numero; vt non vnum homuncionem, sed vniuersas legiones loqui credas. Iulius in bulla continuandi Concilij Tridentini: *per nos tunc Cardinalatus honore fulgentes.* Μακαρία τὴν μητέρα αὐτοῦ ἀπαιτεῖ: quæ vno tantùm nixu turbam in lucem emiserit. Tanti est, Pontificis matrem esse. Sed œcumenicum sese Petrus non meminerat. Rursus, non solus eam loquendi rationem Petrus vsurpat. Nam & alij; quoties de iis loquuntur quæ ad se solos non pertingunt. Thomas, Ioannis decimo quarto. *Nescimus quò abeas: quomodo igitur possumus viam scire?* Et Philippus ibidem: *Ostende nobis Patrem.* Ioannes ipse: *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris: quod spectauimus: & manus nostræ contrectauerunt.* Nõ est igitur illud indiciũ Oecumenici Pontificatus. De Cyrillo ἐπέχω: quia Græca non habemus: mihi autem nullæ versiones sunt authenticę: putem προηγεῖσθαι aut quid simile, malè acceptum; & *præerat* dictum, pro *præibat.* Nam certè hoc actu reliquis Petrus voce *præibat*, vnde os eorum appellatur à Chrysostomo. Tum etiam præfecturam Petri, ne aduersarij quidem arcessunt, nisi ab eo tempore quod sequutum est resurrectionem.

VII. Alterum argumentum: Si Petro multum honoris cæteri detulerunt; ergo is fuit Oecumenicus Pontifex. At verùm prius. Nam Ioannis vicesimo, *Quum venissent ad monumentum Petrus & Ioannes*, licet hic præcurrisset, & prior venisset, tamen intrare non est ausus ante illum: honorem per hoc exhibens: vt quoniam is erat dignitate prior, sic etiam prior monumentum intraret. Ergo posterius verum. Alphonsus de Castro ibidem.

VIII. Respondeo, primùm negari consequentiam: neque enim verum esse eos omnes esse Pontifices Oecumenicos, quibus multum honoris defertur. Imò verò Chrysostomus Paulum asserit fuisse honore parem Petro. Et tamen esse Petri aliquo sensu maiorem dignitatem antè concessimus: nec nunc reuocamus: doctrinus verò non pertinere ad Oecumenicum Pontificatum: potuit enim deferri honor, vel propter ætatem, seniori; vel propter alia dona personalia. Scitè Augustinus: *Quanquam secundùm honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus presbyterio maior sit: tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Apertè distinguẽs: imò separans dignitatem muneris, à dignitate personæ. Cur non nos similiter: quanquam ex iure Apostolatus, Petrus Ioanni æqualis fuerit, tamen multis rebus Ioannes Petro minor fuit?

IX. Secundò; Antecedentis probatio est incerta. Non enim habetur è Scriptura, ideò non priorẽ intrasse Ioannem, quia non auderet ante Petrum. Estque hæc mera, tenuisque diuinatio, quæ longissimè abest à firma solidáque argumentatione. Augustinus hunc ipsum locum explicans: *Ista quæ per se manifesta sunt, quid singula etiam significent, quærere, sancta quidem delicia sunt, sed otiosorum.* Nimirum, sic ille nos docet, non veritatis; sed otij, & deliciarum caussa hæc Papistas προλογοτύποις colligere. Sed alias caussas Veteres insinuant. Theophylactus: *Vide quã alienus à fastu sit Euangelista: quomodo testetur diligentiã Petri in scrutando.* Euthymius, Ioannem præcurrisse ait, tanquam robustiorem vigore corporis: nec introisse; siue timore detentum, siue iis quæ viderat, contentum. Deniq; Petrum introisse; nullo iã metu oppressum, quo prioris culpam timiditatis abstergeret, aut diligentiùs scrutari volentem. Ergo istã, quam Papistæ quærunt, caussam, nullam viderunt.

X. Denique hoc quæro, quî fieri possit, vt plus sit dignitatis in ingrediendo monumento, quàm in deueniendo ad ipsum. Vtique, si Petrum suspiceret Ioannes, debuit primas cedere etiam in itinere, nõ autem præcurrere. Atqui, vide quibus ipse Ioannes vtatur verbis. Non tantùm dixit, *venit prior ad monumentum:* Sed etiam, *venit ergo & Simon Petrus sequens eum.* An hoc non videretur minuere dignitatem eius, siquidem vlla ei sit dignitas, vt vbique primas tenent? Sed has tricas Catholici negligunt. Euthymius rectè. *Inuicem se ambo vicerunt: Iohannes quidem præcurrendo: Petrus verò in monumentum introeundo.*

XI. Superest argumentum postremum, magno fastu, ingentique confidentia prolatum à Gregorio de Valentia Analysis libro septimo, capite septimo, & repetitum commentariis ad Thomam, Si Christus post collatam Apostolici muneris autoritatem dixisset Petro: non ędificabo super te Ecclesiam meam: non tibi dabo claues regni cęlorum: non quodcunque solueris, aut ligaueris super terram, erit solutum, aut ligatum in cœlis: non confirmes tu in fide fratres tuos: non pascas oues meas: item, Petrus non est primus Apostolorum, quis ex Sectariis dubitaret, quin in eiusmodi enunciationibus negatiuis, ædificatio Ecclesię super Petrum, claues regni cœlorum, cura singularis pascendi oues, autoritas fratres in fide confirmandi, primatus, & similia vocabula potestatem in Ecclesia post Christum summam significarent? At, inquit, quod illę significant in enunciationibus negatiuis, idipsum significant in contradicentibus affirmatiuis. Ergo quoties ea affirmatiuè dicta sunt Petro, toties significatum est ei concedi primariam aliquam, ac summam in Ecclesia autoritatem post Christum. Et vi consequentis efficitur, optimè primatum Petri illis ex Euangelio productis confirmari. Et Thrasonicè: *Hic nisi vel conscientia reclamante, vel præcipitante inscitia, & incogitantia, nihil ab aduersariis responderi posse, certissimus sane sum.* Cedite Romani (λογοποιεῖν), cedite Graij.

XII. Et tamen monstrum est argumenti. Retexamus. Quicquid eæ phrases significant in enunciationibus negatiuis, idipsum significant in affirmatiuis. Concedo, inquam: neque opus fuit longa probatione: nos enim non solemus παλιλογεῖν. Pergit ergo, & assumens: At, inquit, in negatiuis significãt primariam & summam dignitatem post Christum. Respondeo primò, hoc esse falsum; vt docuimus

prolixè

prolixè in singulorum inquisitione. Instat autem, inquit, hanc responsionem excludit argumenti hypothesis. Egregia, inquam, instantia. Enimuerò, quid obstat quominus Sophistæ hypotheses sibi pro arbitrio fingant? Sed vicissim nihil vetat, quominus qui iudiciosi sunt, fictas hypotheses constanti negatione conficiant. Ponit iste nos asserturos, quomodo nos asserere debere non agnoscimus. Non asseremus, inquam, iis phrasibus significari summam illam autoritatem: sed concluderemus iis negationibus euerti. Nam sanè quicunque habet summam illam autoritatem, oportet quidem habere claues regni cœlorum (vt has exempli gratia nominem) sed non contrà, eum, qui eas claues habeat, necesse est habere illam summã autoritatem: alioquin nullum esset discrimen inter Apostolos & Episcopos. Ascendam altiùs. Quisquis est Christus, eum oportet habere eas claues: Attamen, quicunque eas claues habet, esse Christum, ne Gregorius quidem dixerit: Si Petrum quis neget, habere animam sensitiuam; nónne is Petrum neget esse hominem? At non sequitur tamen; si habeat animam sensitiuam, statim esse hominem: alias nullum esset inter hominem & brutum discrimen.

XIII. Denique; Conclusio, Petro concedi primariam ac summam autoritatem post Christum, nihil infert contra nos. Quis enim neget Apostolicam autoritatem esse primariam, esse summam post Christum? Primariam Paulus disertè testatur: *Dedit primò Apostolos.* Summam res ipsa probat. Sed ab ea potestate, ad primatum Petri, hoc est, ad Pontificatum Oecumenicum transitio est importuna, & inepta: vt sæpe nobis dictum. Sic abiit in ventos Thrasonicus Gregorij conatus.

CAP. XX.

Quomodo Petrus præferatur toti Ecclesiæ apud Patres.

I. ABsolutis argumentis, ad Patres fit transitus; quos hic quamplurimos conglobant, vt vno quasi impetu veritatis aciem perrumpant. Sed frustra; Inuiti enim stant ab Antichristi partibus: & pro nobis pugnabunt potiùs. Certè nullus est in primis quatuor seculis, qui, Oecumenicum Pontificem nominarit. Sed monstrum id nominis tãdem paulatim cœpit induci, postquam quatuor, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, qui primò Episcopi, deinde Patriarchę, id est, Metropolitani Episcopi nominabantur æquo cum aliis plurimis iure; deinceps verò noua notione Patriarchę, superiores Metropolitanis; tãdem extra aliorum sortem positi inter se ipsi contẽdere cœperunt: ac præcipuè Romanus & Constantinopolitanus: quorum iste primus superbum illud, insanumq; vocabulum vsurpare cœpit; & quidem Romanus aliquandiu visus est exsecrari ac diris omnibus deuouere. Sed tandem mitior factus, propriæque ambitioni longè plus tribuens quàm Christianę simplicitati; ipse etiam se aut nominauit, aut ab aliis nominari passus est eodem titulo. Sed, vt dixi, prima secula eum fastum ignorarunt.

II. Porrò, antè quàm ad singulos Patrum locos enumerandos veniat, vt lectoribus oculos pręstringat, ne aliud cernant quàm tenebras: imò potius, vt id se putent videre, quod omnino non vident; substernit huiusmodi argumentum initio capitis vigesimi quinti, libri primi de Pontifice, repetitum à Francisco Agricola, capite septimo de Primatu Petri. *Si Patres dixerint Petrum fuisse caput Ecclesiæ, aut primatum in Apostolos, vel Ecclesiam habuisse, id satis esse debebit ad ostendendum ex Patrum sententia id quod volumus;* id est, Petrum fuisse œcumenicum Põtificem. Confirmatur consequentia; quia *ipsi aduersarij* (inquit) *per hæc duo nomina, caput & primatus, fatentur significari summam in Ecclesia potestatem. Itaque Magdeburgenses Centuria prima libro secundo, capite septimo, dicunt propriam esse notam Antichristi, habere primatum in Ecclesiam. Et Caluinus Institutionis libro quarto, capite septimo, sectione tertia: certè, inquit, quamdiu durauit Ecclesiæ vera & pura facies, ista omnia superbia nomina, quibus postea insolescere cœpit Romana sedes, prorsus erant inaudita.*

III. Sed respondeo, consequentiam negari. Nam primò, Capitis & primatus nominibus, non est necesse significari summam potestatem: sed tantùm maiorem dignitatem, vt postea docebimus. Deinde, etsi significari concederemus, tamen non omnis summa autoritas est Pontificatus Oecumenicus: sed tantùm, quæ consortis impatiens. Nam Apostolatus olim erat summa autoritas: Et deinceps Episcopatus, vt docuimus libro decimo, capite nono. Itaque, non cuicunque attributa sunt ea nomina capitis & primatus, is statim conficitur Oecumenicus Pontifex.

IIII. Nec probatur cõsequentia autoritate Magdeburgensium, aut Caluini. Nam illorum testimonium truncatur, imo omnino non recitatur. Est autem huiusmodi: *Paulus docet Antichristum sessurum in templo Dei: hoc est in Ecclesia: & seipsum ostentaturum esse Deum, séque elaturum aduersus omnem prædicatum Deum, aut cultum: hoc est, Antichristum affectaturum primatum super omnes Ecclesias, & super magistratum, deprauaturum doctrinam Christi, & corrupturum, & deformaturum Sacramenta à Christo instituta. Quod si Paulus sciuisset, Petro eiusque successoribus diuinitus primatum esse concessum, non Antichristum diaboli filium eiusmodi notis insigniret.* Primatum ergo nominant in omnes Ecclesias: nec simpliciter, sed & super magistratum. At is primatus qui in Ecclesia haberi potest, non est etiam in magistratum: in quem neque Petrus, neque alius vllus Episcopus autoritatẽ vllã habuit; nisi eatenus, quatenus sunt Ecclesiæ membra; non autem quatenus magistratu funguntur. Denique ipsi postea exponũt *Neuter ex illis* (Petro & Paulo) *primatum super omnes Apostolos & Ecclesias accepit.* Ergo eum primatum intelligunt, non tantùm super omnes Ecclesias, qui denegari non potest vlli Apostolo, nedum Petro; sed etiam super omnes Apostolos: Et quidem primatum, qualem Papistę imaginantur, non personæ sed muneris. Nam Magdeburgenses eam controuersiam tractant.

V. Caluinus non negauit Petrum, aut primatum habuisse, aut caput esse appellatum: Sed negauit apud antiquos sic appellatos Romanos Episcopos, *Quantum,* inquit, *ad ipsum titulum primatus, & alios superbiæ titulos, quibus nunc mirabiliter se iactat, non est difficile iudicare, quando, & qualiter obrepserint.* Et paulò pòst. *Certè quamdiu durauit Ecclesiæ vera & pura facies, ista omnia superbiæ nomina, quibus insolescere postea cœpit Romana sedes, prorsus erant inaudita: quid esset summus Pontifex, & vnicum Ecclesiæ in terris caput, nesciebatur.* Quibus verbis nihil verius: non quod simpliciter

aut primatus, aut summi Pontificis, aut capitis Ecclesiæ nomina non essent audita: sed quod ea nunquam tributa essent Romano Pontifici soli: aut eo sensu quo tribuuntur hodie. Et denique, non de Petro apud Caluinum sermo est; sed de Episcopo Romano. Quare nutat Bellarmini fundamentum.

VI. Sed probationes antecedentis expendamus, & varios excutiamus ex Antiquitate locos, tū à Bellarmino, tum ab aliis eiusdem caussæ patronis citari solitos. Iis enim diligenter pensitatis euadet manifestissimum; quod iam non inani præiudicio præscriptum habemus: videlicet, non fuisse primæ Ecclesię cognitam hanc tyrannidem, quā Episcopi Romani sibi ab ipso Petro arcessunt. Nam si re vera exstitisset in Ecclesia; & quidē bono iure; quis dubitet eius argumenta quàm plurima extitura in lucubrationibus Patrum? Et si exstarent, quis ambigat, quin ab iis producerentur, qui nihil intentatum relinquunt? Non producuntur autem: Nam cùm maximè, diutissimeque laborarunt, tum nihil inuenerunt, præter caput, & principatum: quæ longè absunt ab ea tyrannide. Ergo nulla extant. Sed, vt dixi, singularia videamus. Sunt autem duûm generum. Nam comparatur Petrus, aliàs toti Ecclesiæ, aliàs duntaxat Apostolis.

VII. Primi generis loci varij sunt argumenti. Primùm Petrus dicitur Petra & fundamentum Ecclesiæ. Ad hoc verò nobis abundè satis responsum huius libri capitibus primis quinque, vt non sit opus eandem telam denuò retexere. Summa est, neque propriè esse petram aut fundamentum: neque esse solum, sed cum aliis Apostolis: itaque non esse Oecumenicum, qui tantùm vnus esse potest.

VIII. Secundò: Petrus à Chrysostomo homilia quinquagesima quinta in Matthæum bis vocatur *Pastor Ecclesiæ*. Sanctus Maximus sermone tertio de Apostolis, dicit, *Petro tradita totius Ecclesiæ gubernacula*. Gregorius Romanus libri quarti epistola trigesima secunda; eidem *totius Ecclesiæ curam esse commissam*.

IX. In quibus obiter admoneo Chrysostomum non ita Græcè scripsisse, vt Latinè legimus, in Trapezuntij versione. *Ἀνάγει αὐτὸν τὸ φρόνημα, καὶ ποιμένα ποιεῖ. Sublimiora sapere ipsum facit, & Ecclesiæ pastorem constituit.* Quum potiùs vertendum sit: *Erigit eius animum & pastorem facit.* Rursus, quæ sic ille: *Quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & vt Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput piscator homo atque ignobilis terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet; hæc inquam omnia quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum.* Græcè aliter sonant. *ἃ γὰρ Θεοῦ μόνου ἐστὶν ἴδια, τό τε ἁμαρτήματα λύειν, καὶ τὸ ἀπερίτρεπτον τὴν ἐκκλησίαν ποιῆσαι ἐν τοσαύτῃ κυμάτων ἐμβολῇ, καὶ ἄνθρωπον ἁλιέα πέτρας πάσης ἀποφῆναι στερρότερον τῆς οἰκουμένης πολεμούσης ἁπάσης, ταῦτα αὐτὸς ἐπαγγέλλεται δώσειν. Quæ Dei sunt solius propria, tum peccata soluere, tum Ecclesiam immobilem constituere in tanto fluctuum impetu: tum hominem piscatorem, qualibet petra firmiorem ostentare obsistente vniuerso orbe: hæc illi pollicetur se daturum.* Vbi illa: *cuius pastor & caput*, nusquam parent: & reliqua mirè inuersa.

X. Et tamen facilis responsio. Nihil enim certius quàm Petrum fuisse Pastorem: & Pastorem Ecclesiæ: & quidem totius Ecclesiæ. Fuit enim Apostolus. Apostolis autem omnibus dictum, *μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη*: Matthęi vltimo: quibus verbis omnes constituuntur *διδάσκαλοι* magistri totius orbis, ac proinde totius Ecclesiæ: & si magistri, certè pastores. Quod si pastor Petrus, cur ei totius Ecclesiæ gubernacula tradita fuisse negemus: cur totius Ecclesię curam esse commissam inficias eamus? Enimuerò Paulo Chrysostomus omnem prædicationem, res orbis, mysteria cuncta, vniuersamque dispensationem à Deo commissam dicit. Et homilia duodecima in posteriorem ad Corinthios. *ἐκεῖνος μὲν γὰρ οὐ τῶν ἑαυτοῦ ἐπεμελεῖτο μόνον, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης. Ille solus rerum suarum curam non gerebat, sed vniuersi terrarum orbis.* Et vicesima secunda in priorem. *Si Paulus hoc timuit, qui tam multos docuit, & timuit postquam prædicauit, & factus est Angelus. καὶ τῆς οἰκουμένης τὴν προστασίαν ἐνεχειρίσθη. Et orbis præfecturam* (malè Heruetus defensionem vertit) *suscepit, quid nos dixerimus?* Et homilia secunda de laudibus eius. *Angelis quidem sæpe diuersarum gentium cura commissa est: sed nullus illorum ita creditum sibi populum gubernauit, vt Paulus vniuersum gubernauit orbem. Michaeli gens commissa est Iudæorum: Paulo verò terræ, ac maria, atque vniuersi orbis habitatio, ipsúmque desertum.* Imò & ipse de seipso Paulus, vndecimo capite secundæ ad Corinthios, cùm loquitur, asserit sibi incumbere: *μέριμναν πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, curam omnium Ecclesiarum.* Quinetiam Chrysostomus homilia octogesima septima in Ioannem, de Apostolis: *ἐπειδὴ ἔμελλον τῆς οἰκουμένης τὴν ἐπιστασίαν ἀναδέξασθαι: cùm essent orbis terrarum curam suscepturi.* Quid Paulum dico? Ipsum Timotheum eodem dignatur honore Chrysostomus, homilia prima ad populum Antiochenum. *τὰ κοινὰ τῆς οἰκουμένης ἦν ἐμπεπιστευμένος πράγματα. Fidei suæ commissa habuit cōmunia totius orbis negotia.* & post dicit *τὴν οἰκουμένην ἅπασαν διοικοῦντα. vniuersum orbem gubernare.* Sed & oratione sexta contra Iudæos, *τὴν τῆς οἰκουμένης προστασίαν ἐγκεχειρισμένος: qui orbis præfecturam suscepit.* Audin' eadem de aliis dicta quę de Petro? nam qui gubernat, habet sibi sine dubio tradita gubernacula: & orbis terrarum hic alius esse non potest ab Ecclesia vniuersa. Aut igitur necesse est, fuisse plures Oecumenicos, quod nunquam Tarpeius ille Iupiter concesserit: aut eas phrases Oecumenicum non significare.

XI. Huc etiam referri debent, quæ citantur ex Origene in caput sextum ad Romanos: *Petro cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super petrā fundaretur Ecclesia, nullius cōfessio virtutis alterius ab eo nisi charitatis exigitur.* Illa enim summa de pascendis ouibus, nihil aliud significat quàm Apostolatum: vt patet ex ipsa circūstantia. Nam tum cùm charitatis confessio à Petro exigeretur, eius agebatur in integrum restitutio, renouabaturque Apostolicum munus. Nec alia mente potuit Euthymius eundem dicere orbis constitutum esse doctorem. Tantùm insolentior est cum Iacobo comparatio: nisi ex ipso euentu sumatur, potiùs quàm ex iure: nempe hoc sensu, quia euenit Iacobum tantùm prædicasse Hierosolymis, Petrum verò lōgè latiùs: non verò quòd Petrus suo proprio iure, & non cōmuni cum Iacobo, totum orbem docuerit: Nam æquè Iacobo dictum erat: *Docete omnes gentes*.

XII. Theophylactus etiam, *τὰ πρωτεῖα πάντων, καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης ἐπιστασίαν, primatum omnium, & præfecturam orbis*, in vigesimum secundum Lucæ, non secùs intellexit, quàm de Apostolatu; vt euincitur ex ipso orationis contextu. Cùm, inquit, *Apostolus fueris, & negaueris, & iterum receperis primatum omnium, & præfecturam orbis.* Non enim dixit simpliciter accepisse: sed iterum *πάλιν* accepisse. Quidnam? Videlicet id;

cet idipsum quod ante habuerat, & à quo per negationem videbatur excidisse. Id autem quid erat? Apostolatus: disertè enim Theophylactus, *cùm Apostolus fuerit*. Iterum igitur accepit Apostolatum: ac proinde per hæc verba voluit Theophylactus describere non vllum Petro eximium munus; sed eum quem priùs nominauerat Apostolatum, Petro cum reliquis communem. Nec Arator plus habet difficultatis. *Totiusque per orbē, hoc auget pastore gregem: quo munere summus surgit.* Nam quid vrgent? An pastorem? Concessimus. An totum gregem per orbem? Id Apostolatus fuit. An summum? Et nos quisquam credat Apostolum infimo, aut medio loco constituere?

XIII. Tertio ordine locos constituo, qui Petrum caput dicunt. Chrysostomum in Matthæum homilia quinquagesima quinta: *Cum pastor & caput piscator homo.* Cyprianum ad Iubajanum de Petro dicit, *nos vnius Ecclesiæ caput, & radicem tenemus.* Augustinum sermone centesimo vigesimo quinto, de Tempore. *Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, in ipso vertice componis membrorum omnium sanitatem.* Hugonem Etherianum, siue Heretrianum, circa annum Domini millesimum cētesimum sexagesimum, tempore Emanuelis Imperatoris libro tertio aduersus Græcos: *Petrum eiusque successorem Christus principem & caput, non modò Latinorum & Græcorum, Occidentis & Septentrionis vniuersi: verùm etiam Armeniorum, Arabum, Indaorum, Medianitarum, & totius Orientis, & Meridiani Climatis in perpetuum constituit.*

XIV. Respondeo, primùm ad singulos locos: deinde ad rem ipsam, Chrysostomi ea verba non sunt, vt antè dixi: sed Trapezuntij procul discedentis ab Interpretis officio. Cyprianus quæ dicit, ad Petrum nullo pertinent modo; sed ad ipsum τὸ ἓν τῆς ἐκκλησίας: hoc sensu; vt opponat se Nouatianensibus, quos dixit esse extra Ecclesiam: *Nos verò, inquit, Ecclesiæ vnius caput & radicem tenemus*: hoc est, permansimus in vnitate Ecclesię, quæ vna est, & fidelium caput & radix; cuius singulæ particulares sunt membra & rami. Vnde, ne Pamelius quidem, qui aliàs exactissimè singulas aucupatur syllabas, quæ facere videntur ad dignitatem Ecclesiæ Romanæ, hic quicquam notat, quod certè non cōmisisset, nisi & vidisset aliò referenda, & esset religiosior Bellarmino. Sed de huiusmodi Cypriani phrasibus plura erunt dicenda in tertia quæstione. Sufficiat hoc loco indicasse, nihil enim de Petro cogitasse. Sermones de Tempore nemo doctus & cordatus agnoscit esse Augustini: atque hic ipse qui citatur, & Petrum dicit esse, non iam Ecclesiæ, sed fidei fundamentum; quod nunquam diceret Augustinus: & negationem illam exiguum peccatum appellat, in manifestum adulationis indicium.

XV. Hugo ille Etherianus, siue Heretrianus, testis est suspectæ fidei. Ac primùm immeritò Bellarminus eum numerat inter Græcos: fuit enim sine dubio Latinus, etsi aliquandiu vixerit inter Gręcos. Gesnerus siue Simlerus in Bibliotheca Tuscū appellat. Ego Pisanum fuisse certus sum. Nam Clerus eius vrbis his eum verbis compellat: *Tu huius gentis columen es: quare ex æquitate tua prouideas ciuitati, in cuius honestis muniis haud postremas tenebis.* Itaque dubitem, an potiùs Hetrurianus dicendus. Nam Pisis in Hetruria & disertè Hetruscus audit apud Baronium anno millesimo centesimo septuagesimo septimo, paragrapho trigesimo septimo. Gretserus hoc habet pro nihilo: diutissimè enim inter Græcos vixisse: & Græcè fuisse doctissimum. Quasi verò, inquam, Margunius, qui & Venetiis diu vixit, & Latinè fuit doctissimus; nō propterea fuerit, & natione & mente Græcus. Omnino similiter Hugo ille ita inter Græcos vixit, vt religione sese Latinum profiteretur.

XVI. Quod Hugonem Bellarminus scripsisse dicit circa annum millesimum centesimum sexagesimum; confirmatur ex annalibus Baronij: sed Margarinus collector Bibliothecæ Sacræ, annis cū plus minusve trecentis recentiorem credidit: constituit enim inter Scriptores seculi decimi quinti, sub Alexandro quinto Romano Episcopo, & Emanuele Palæologo Imperatore Constantinopolitano. Etsi de tempore quidem haud multum interest: sed hoc interest, & vixisse post initum certamen Episcoporum, Romani, Constantinopolitaniq́ue de Primatu: & fuisse Italum: ne cuiquam mirum sit fauisse Romano contra Constantinopolitanum. Hæc quum ita se habeant, nulli sunt à Bellarmino citati testes locupletes, qui Petrum appellatum doceant caput Ecclesiæ.

XVII. Nunc ad rem ipsam respondeo: Capitis nomen, quum translatitiè sumitur, vario sensu potest in vsum venire, vt sunt variæ capitis in corpore functiones: itaque non omnia quæ sunt de capitis natura, vrgeri debent, vbicunque caput nominatur. Hoc autem exemplis fiet manifestum. Paulus capite duodecimo prioris ad Corinthios: Caput vsurpauit pro eo qui aliquibus donis Dei præter cæteros præditus, excellit in Ecclesia: specialiùs tamē Thomas, & alij nonnulli intelligunt prælatos significari & doctores. Quomodo etiam Gregorius secundus Romanus, Epistola ad Germanum Constantinopolitanum in secunda Synodo Nicæna: *Ecclesiæ capita & columnas* nominauit. In prima Epistola Incertorum Patriarcharum in corpore iuris Græcoromani Martyrius Antiochenus vocatur πρόεδρος καὶ κορυφὴ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας; *præses & caput Ecclesiæ Catholicæ.* Basilius Epistola quinquagesima secunda Athanasium dicit, κορυφὴν τῶν ὅλων; *caput vniuersorum.* Gregorius primus, quarto libro in primum Regum, Paulum effectum *caput nationum.* Chrysostomus ad Romanos homilia decima octaua; Eliā τῶν προφητῶν τὸ κεφάλαιον, *Prophetarum caput*: & in Acta homilia vigesima sexta. ὅρα, inquit, ὅτι τὸ κεφάλαιον ἐν τούτοις ἦν τοῖς τρισὶ· μάλιστα δὲ Πέτρῳ καὶ Ἰακώβῳ. *Vides caput in his tribus esse: maximè autem Petro & Iacobo*: Sic enim legendum. Denique ad populum Antiochenum homilia tertia, Antiochiam vocat *caput totius orbis.*

XVIII. Ex his apparet duplici maximè ratione capitis nomine quippiam insigniri; vel propter magisterium & autoritatem, vel propter excellentiam: non verò tantùm propter absolutam in alios dominationem. Vtrouis autem modo caput sumatur in hoc quidem argumento, nostra non interest: inde siquidē euinci non potest Oecumenicus Pontificatus. Si propter magisterium, tum Petrus nō fuit solus Ecclesiæ magister: Nam Gregorius de Paulo sic: *Paulus caput effectus est nationum, quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum.* Quod si non solus Petrus ob magisterium Ecclesiæ caput fuit; ergo ne Oecumenicus quidem Pontifex. Sin ob excellentiam maluit id ei nominis tribui: vident omnes non magis elici summam eius in reliquos autoritatem, quàm Antiochiæ in totum orbem imperium, aut Eliæ in omnes Prophetas. Sin denique ob dominationem,

hoc verò probandum: non simpliciter, lecto capitis nomine triumphandum.

XIX. Quartò: Optatus lib. 2. contra Parmenianum: *Cathedra vna est. Et negare non audes, scire te Petro primum in vrbe Roma cathedram esse collocatam, vbi sederit omnium Apostolorum caput Petrus: vnde Cephas appellatus: in quo vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur: nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: vt iam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedrã, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica est, quæ est prima de dotibus. In ea sedit primus Petrus, succedit Linus, Lino Clemẽs.* Et reliqui deinceps ordine suo nominati. Hic vides, inquit Bellarminus, & nomen Capitis, & Petri Cathedram, ac successorum vnicam totius Ecclesiæ Cathedram nominari.

XX. Respondeo, de Capitis nomine iam esse actum: illud verò absurdum ἔτυμον: vt non immeritò à quibusdam temerè assutum glossema cẽseatur. Quemadmodum & paulò antè: *Cùm inde dicta sit Catholica, quod sit rationabilis & vbique diffusa.* Nam illud *rationabilis*, vnde est, aut quo iure? Ego cẽseo ab impetitu quopiam intrusum; legẽdum autem; *quod sit vbique diffusa.* Sed de Cathedra, primò nusquam legi illa prima, *Cathedra vna est*, etsi exscripserit Agricola. Sed Coccius non item. Cæterùm, nullã ab Apostolis constitutam Cathedram, ἐκ κατ᾽ τὸ ῥητὸν vrgeas, falsum est. Et quis dubitet, quum sedisse dicãtur, Iacobus Hierosolymis, & Ioannes Ephesi, æquè ac Petrus Romæ. Sedere autem nusquam dicantur Episcopi, nisi in Cathedra: vnde ἐπισκοπῆς sedes, & Cathedra? Sed & Tertullianus disertè de Præscriptionibus cap. 36. *Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ nunc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidẽtur.* Sed & Eusebius historiç lib. 1. cap. 1. in eundem sensum, etsi aliis verbis, præstantissimorum Apostolorum successiones nominat: *Si minus, inquit, omnium Apostolorum Seruatoris nostri, at facile præstantissimorum successores, qui Ecclesias & dignitate præstantes, & hominũ memoria celebratas ad hoc vsque tempus gubernarunt, literis prodendo, ab obliuione perpetua vindicabimus.* Constituerunt ergo alij Apostoli, præter Petrum, & Ecclesias, & Cathedras: atque eas quidem etiam illustres.

XXI. Quid igitur? Nempe falsum pronunciauerit Optatus: nisi commodè explicetur. Nimirum, non de vniuersali aliqua in vniuersa Ecclesia Cathedra, vt infert Bellarminus; at nunquam Optatus nominauit: sed de particulari cuiuslibet Ecclesiæ sede. Patet, quia cum se loqui dicat de Ecclesiæ dotibus, Cathedram nominat, & annulum. Non est autem annulus peculiaris Romanus, sed communis omnibus Episcopis. In singulis autem Ecclesiis singulos sedere Episcopos, solennis erat illorum temporum politia. At Donatistæ eam politiam cõtempserant: & in ipsa vrbe Roma sui schismatis Episcopum creauerant: itaque alteram Cathedram constituerant. Significat ergo Optatus ipsos Ecclesiæ primam dotem contaminasse. Vnam autem ibi esse Cathedram, exemplo Petri probat; qui solus sederit Romæ: itaque vnicam Romæ Cathedram constituerit: nullus autem Apostolus ibidem aliam. Is si Optati sensus esse non potest: omnino nullus sensus esse verus potest. Eniouerò, quòd Gretserus vnã interpretatur communione; cui reliquæ omnes vniterentur: idem sensus est: in variis Ecclesiis varias sic positas Apostolorum Ecclesias, vt debeant omnes Romanæ Ecclesiæ consentire. At hæc siue communio siue vnio etiã alternatur: sic Petro Romæ Cathedram esse cõstitutam, vt reliquis consentire ipsa debeat; & vnire. Neque enim communio cum quoquam, huius principatum significat. Quod addit, vnam origine, quid sit, aut quo sensu verum, aliàs diximus ad Cyprianum.

XXII. Quintò: Eusebius in Chronico anni quadragesimi quarti à Christo nato, *Petrus* (inquit) *Apostolus natione Galilæus, & Christianorum Pontifex primus.* Vbi obseruandum discrimẽ inter Petrum & aliarum ciuitatum Episcopos. Nam de illo non dicitur Romanorum Episcopus primus. At contra: *Ecclesiæ Hierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatur Iacobus frater Domini. Primus Antiochiæ Episcopus ordinatur Euodius.* Sed Petrus, *Christianorum Pontifex primus*: vt intelligamus illos vnius ciuitatis, hunc totius orbis Pontificem fuisse.

XXIII. Atqui primùm hic locus longè abest ab Eusebij scriptione, & mente. Sic aliàs coniecerim, hanc ob caussam, quòd ibidem affirmetur Petrus Episcopus fuisse vrbis Romæ: quod est contra indubitatam Eusebij mentem: qui in historia quum enumerat Romanos Episcopos; Petrum semper extra eum ordinem ponit; & Linum primum constituit, vnde computatio reliquorum incipiat: imò non in historia tantùm, sed in hoc ipso Chronico ad annos sequentes: qua de re libri decimi tertij capite tertio, pluribus agetur. Verùm quod tantùm coniiciebam, certum habemus tãdem beneficio viri maximi Iosephi Scaligeri, quem Iesuitarum natio similem ob caussam impetit, ob quam canes in Lunam latrant. Is igitur Græcum nobis edidit hoc Chronicon; in quo tantùm scripsit Eusebius. Πέτρος ὁ κορυφαῖος τὴν ἐν Ἀντιοχείᾳ πρώτην θεμελιώσας ἐκκλησίαν, εἰς Ῥώμην ἄπεισι κηρύττων τὸ εὐαγγέλιον: hoc est, *Petrus Coryphæus, postquam Antiochiæ primam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur prædicans Euangelium.* Quæ longè auctiora nunc leguntur in hunc modum: *Petrus Apostolus natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, quum primùm Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans, vigintiquinque annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat.* Atq; huiusmodi auctarium partim quidem est ab Hieronymo; sed & partim aliunde, hoc est, ab incerto authore, dum sibi quisque exscribens, nimium indulget. Quo factum vt Scaliger sic ediderit, ex Cassiodoro, & Mariano Scoto: *Petrus Apostolus, quum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, vbi Euangelium prædicans, vigintiquinque annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat.*

XXIV. Nec Eusebius igitur, nec Hieronymus Christianorum Pontificem scripsit, sed malè feriatus nescio quis adulterator adscripsit. Rursus Hieronymus quidem, at non Eusebius, vrbis Romæ Episcopum. Quorsum igitur illud discrimen à Bellarmino tam curiosè obseruatum? Quanquam falsum etiam sumit: cùm negat vt de Euodio, *Primus Antiochiæ Episcopus*, sic de Petro dictum quicquam. Nã Hieronymus disertè; *eiusdem vrbis Episcopus*; quod quare truncarit Iesuita mirarer, si hoc vnum solertiæ experimentum dedisset. Sed tamen de Pontifice Christianorum, quid mirum? Cyprianus cùm exposceretur ad martyrium (Epistola sexagesima nona) vocabatur *Christianorum Episcopus*, non quòd esset vnicus inter Christianos Episcopus, sed quòd vnus esset ex iis qui Episcopi erant inter Christianos. Est verò idem Episcopus, & Pontifex. Primum autem cur appellet Petrum, nostra nihil interest: potuit tamen propter dignitatem: quasi diceret, eum, qui inter Christianorum Pontifices primum obtineret

neret dignitatis gradum: potuit & propter temporis prærogatiuam:re vera enim sic ex Veteribus quidam putarunt ante reliquos Apostolos Petrum cōstitutum esse Apostolum: qua de re paulò pòst.

XXV. Sextò; Ambrosius sermone vndecimo. *Hanc solam Ecclesiæ nauem ascēdit Dominus,in qua Petrus magister est cōstitutus:* Et ibidem bis *Ecclesiam Petri* nominat. Sed primū hic sermo non est Ambrosij, testibus Erasmo,& Cotterio. Deinde hæc ipsa verba nihil ad rem faciūt. Eodem enim sensū Petrus dicitur cōstitutus in Ecclesia magister, quo dicere solemus, Christū in Ecclesia constituisse Apostolos, Prophetas, Euāgelistas, Pastores, Doctores. Quis neget antem Petrum à Christo missum, vt doceret in Ecclesia? Nam Apostolū quidem eū norunt omnes. Potuit igitur verè ille quisquis est, dicere, eā solam nauē Christum ascendere, in qua Petrus est magister: cùm is fuerit verè magister in Ecclesia: extra Ecclesiā autem Christus nullus fit. Quod verò Ecclesiā Petri appellat, est ἄγραφον, neque Scripturæ, aut Patribus frequentatum: cùm constet Ecclesiā nullius quā Christi nomine cēseri, cuius sanguine redēpta est. Sed excusari tamē potest quodāmodo, vt Ecclesiam Petri dixerit, in qua Petrus docuit: quod quidē nihil ad Oecumenicum.

XXVI. Septimò: Augustinus libro secundo de Baptismo capite primo, quum cōparat Petrum Cypriano. *Quis nescit* (inquit) *illum Apostolatus principatū cuilibet Episcopatui præferendum? Sed etsi distat Cathedrarum gratia, vna est tamen martyrū gloria.* Vbi notat Bellarminus, Petri Cathedram præferri particularium Episcoporum Cathedris non tantùm, quia sit nobilior; sed etiam quia sit quodammodo in alio genere: scilicet vt totum & pars.

XXVII. Respōdeo: Rectè, atque ex Augustini mente cōiectasse Bellarminum alterius generis esse Petri sedem, & sedem Cypriani, atque omnium Episcoporum particularium. Sed illud, *vt totum & pars*, omnino esse alienum. Quomodo igitur alterius generis? Nempe, quia non sit vnum idemq; munus Apostolatus, & Episcopatus: vt deinceps Episcopatus & Diaconatus. Discretè enim Apostolatum & Episcopatum Augustinus nominauit; vt sciamus cōparari Petrum Cypriano, nō vt Episcopum Episcopō, vniuersalem particulari: sed vt Apostolum Episcopo: vt sit generale axioma, Apostolatus Cathedram præferendā esse cuilibet Episcopatui. Cathedram inquam, nō Petri tantùm, sed Pauli, sed Iacobi, sed Ioannis, sed reliquorum Apostolorum. Propterea paulò antè sic loquutus. *Puto quòd sine vlla cōtumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur.* Et iterum: *Magnum quidem meritum nouimus Cypriani Episcopi & martyris: sed nunquid maius quàm Petri Apostoli & martyris?* Quod æquè dixisset de Lino aut Clemente, si sese obtulisset occasio. Ex quibus illud etiam intelligēdum, Cathedras appellari metonymicè, pro ipso munere: vt sit Cathedra Apostolatus, ipsemet Apostolatus: & Cathedra Episcopatus, ipsemet Episcopatus: ne fortè ludat homonymia Bellarminus.

XXVIII. Atq; hi sunt Patrū loci primi generis, qui de Petro & tota Ecclesia. Quod verò Thomas in opusculo contra Græcos citat ex Thesauro Cyrilli; impudens est cōmentum. Extat Thesaurus Cyrilli, in quo nihil est quod vel procul accedat ad huiusmodi verborū portenta. Leonē, Bedā, Bernardū omittimus, testes non locupletes. Primus ille fuit Romanus Episcopus, & quidē tum quum exarsit ambitiosa contentio cū Constantinopolitano. Posteriores duo recēntissimi. De Gregorio aliàs actū.

CAP. XXI.

Quomodo Petrum Apostolis compararint Patres.

I. TRanseo ad secundi ordinis locos, in quibus Petrus non toti comparatur Ecclesiæ, sed Discipulis, siue Apostolis. Ergo Petrum Basilius sermone de Iudicio Dei *cæteris prælatum discipulis*, πάντων μαθητῶν προκριθέντα dicit. Nazianz. de Moderatione in disputationibus, *reliquos expostbabitos.* Epiphanius hæresi quinquagesima prima, ἀρχηγὸν *ducem discipulorum.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi secunda, *principem Apostolorum excellentissimum.* Cyrillus Alexandrinus in Ioannem libro duodecimo, capite sexagesimo quarto, *principē capútque cæterorū.* Theophylactus in vigesimum secundum Lucæ, *principem discipulorum.* Oecumenius in primum Actorum, *accepisse discipulorum præsidentiam.* Hieronymus libro primo in Iouinianum, *electum inter duodecim, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio.* Autor quæstionum Veteris & Noui Testamenti, inter opera Augustini, quæstione 75. *Constitutum caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.* Hæc omnia citantur à Bellarmino, vt euincatur Pontificatus Oecumenicus.

II. Respōdeo: nihil hinc posse concludi. Nā illa omnia nullō significāt Oecumenicū Pōtificatū: sed tantùm primatum inter discipulos, siue Apostolos. Huius ratio duplex, altera ordinis, altera præstātiæ. Primat⁹ ordinis est, quū iorer pares alioquin discretio est quædā ordinis tātū gratia: & sic potuit inter Apostolos, vt fierēt omnia optimo ordine, vn⁹ eligi, qui cæteris præsideret. Esse verò hūc primatū distinctū ab administratione Ecclesiarū docet Ambrosi⁹ in secundum ad Galatas. *Ab Apostolis*, inquit, *qui clariores inter cæteros erant, quos & primitatis caussa columnas appellat, qui que cum Domino semper in secretis fuerant, gloriam eius digni in monte respicere: ab his itaque probatū dicit donum, quod accepit à Deo, vt dignus esset habere primatum in prædicatione Gentium, sicut & habebat Petrus in prædicatione Circuncisionis: & sicut dat Petro socios viros egregios inter Apostolos, ita & sibi iungit Barnabam, qui diuino iudicio ei adiunctus est: gratiam tamen primatus sibi soli vendicat concessam à Deo, sicut & soli Petro concessa est inter Apostolos.* His verbis Ambrosius primū comparat hinc Petrum & cæteros Apostolos: inde Paulū & Barnabam. Ac illum quidē asserit primatum habuisse in cæteros Apostolos: vt Paulum in Barnabā. At hic nullus fuit primatus nisi dignitatis: non verò potestatis: ergo nec ille. Secundò, duplicem primatum manifestè distinguit; vnum inter Apostolos: alterum in prædicatione. Et illum quidem tribuit soli Petro: hunc verò partitur inter Petrum & Paulū: vt Petri fuerit primatus in prædicatione Iudæorum: Pauli autem in prædicatione Gentium. Sigitur diuersi sunt primatus inter Apostolos, & primatus in prædicatione; quæ quidem pertinet ad totam Ecclesiam: quis iam non videt malè sic concludi, Petrus habuit primatū inter Apostolos solus: Ergo & primatum in totam Ecclesiā solus? Certè nos cōstanter consequentiā negamus. Et dicimus, Petrum solum habuisse primatum in Apostolos: at non solùm in Ecclesiā. Illud verò argumenti genus festiuè Iuellus illi comparat, quo se quidam dicebat Atheniensibus imperare; sibi vxorem, vxori filiolum: atque filiolum Atheniensibus.

III. Portò eandem esse cæterorum Patrum & Ambrosij mentem, ex eo cognoscas, quòd tam sollicitè Discipulos, Apostolósve nominent. Hieronymus electum vnum fuisse inter duodecim, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Inter duodecim Apostolos igitur fuerit sanè caput, id est, vt loquitur Oecumenius, fuerit ei commissa discipulorum præsidentia: sic enim quemlibet cœtum necesse est componi, vt præsideat aliquis: ab eo autem cœtu, ad omnes cœtus qui sunt in toto orbe: ab eáque præsidentia, ad Oecumenicum pontificatum, concludetur nulla ratione. Sic autor quæstionum Veteris & Noui Testamenti, caput vocat, non omninm absolutè (quomodo locum falsauit Hardingus, & post eum nonnulli) sed *caput eorum*, nempe Apostolorum, de quibus illi sermo. Sic Epiphanius *ἀρχηγὸν ducem discipulorum.* Quare hæc omnia eò tenduot, vt quæ esset Petri dignitas, siue etiam maius, autoritas in illo duodecim Apostolorum cœtu ostendatur: nō quam habuerit in vniuersa Ecclesiam.

IV. Venio ad alteram primatus rationem. Ea est præstantiæ; quum ob personales dotes quis inter alios eminet. Sic sanè Paulus agnoscit *τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους*, vndecimo capite posterioris ad Corinthios; & secundo ad Galatas *τοὺς δοκοῦντας εἶναί τι, τοὺς δοκοῦντας στύλους*. Id est, interprete Ambrosio, *Apostolos qui clariores inter cæteros erant, & firmitatis caussa columnæ vocabantur.* Eusebius etiam libro primo historiæ capite primo, *Apostolorum præstantissimos, διαφανεστάτους τῶν ... ἀποστόλων*. Erat igitur inter Apostolos discretio quædā præstantiæ siue dignitatis: vnde Eusebius Emissen.* (si is autor est) homilia in natali Apostolorū Petri & Pauli, Christianorū principes vocat Petrum, Paulū, & Andreā: & paulo post; *si*, inqoit, *ille primus, iste præcipuus*: de Petro & Paulo. Imò Paulus ipse Iacobum, Cepham & Ioannē columnas vocat.

V. Vocetur ergo sanè hoc sensu Petrus, *princeps Apostolorū excellentissimus*: à Cyrillo Hierosolymitano; ab Alexādrino *princeps, capútque cæterorū*: à Theophylacto, *princeps discipulorū*: A Dorotheo in Synopsi, *Apostolorū coryphæus*: Adde, ab Isidoro Pelusiota epistola 142. lib. 1. *ὁ θεῖος τῶν μαθητῶν κορυφαῖος*. & 58. secūdi: *τῶν Ἀποστόλων κορυφαῖος*: & 99. *κορυφαῖος τοῦ χοροῦ*: & alibi sæpè. Possunt enim pleraq; huiusmodi colligi in laudē Petri ab antiquis olim dicta. Sed exponantur, ex Eusebio, historiæ lib. 2. cap. 14. appellante, *τὸν ... ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἀποστόλων προήγορον*: Interprete Christophorsono, *reliquorum omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem facilè principem.* Rufino, *fidei magnificentia, & virtutis merito primorum principem.*

VI. Enimuerò, quis nescit eo sensu plurimum dici *ἀρχηγὸν, κορυφαῖον* principem? Theodoretus Therapeuticon secundo. *κατηγορήματα πλεῖστα ὁ Πλάτων ἐποιήσατο τοῦ κορυφαίου τῶν ποιητῶν*: *Plato multis in rebus accusat Homerum Poetarū coryphæum.* Chrysostomus ad Romanos homilia tertia, Platonē similiter *κορυφαῖον* Philosophorum vocat, & in Ioannē homilia prima: *τοὺς νομισθέντας εἶναι κορυφαίους τῆς ἐκείνων σοφίας*; Pythagoram Platonémque habitos fuisse coryphæos eius scientiæ, id est, Philosophiæ. Cyrillus secundi in Ioannem cap. 41. Nicodemum *Iudæorū principem*. Hieronymus in viris illustribus, Polycarpū Asiæ principem: & Sophronius vertit *ἀρχηγόν*: qui tamen Smyrnæ duntaxat fuit Episcopus: non verò patriarcha: non primas, si primatis nomen ita accipiat, vt tandē in vsum abiit, quū inde nescio quis gradus factus est Ecclesiasticæ dignitatis: quo nomine & sensu Sanderus imponere conatur lectoribus. Nunquam enim apud vllum ex antiquis, sic inuenias Smyrnensem Episcopum Asiæ primatē, quomodo hodie Lugdunensem Galliæ, Bituricensem Aquitaniæ, Papistæ nominant.

VII. Redeo ad Petrum, Quid enim igitur hunc Nazianzenus dixerit reliquis prælatum? Quanquam Bellarminus locum fœdè lacerauit. Lege integrum. [illegible Greek passage] Latinè sic ego reddo, quia non satisfacit Billius. *Vides vt Christi discipulorum, qui tamen omnes excelsi essent, dignique qui eligerentur, hic quidem Petra vocetur, commissaque habeat Ecclesiæ fundamenta: ille verò plus ametur, & supra pectus Iesu requiescat? Reliqui eos præferri æquo animo patiantur. Et quum in montem ascendendum esset, vt forma splenderet, & Deitatem probaret, nudarétque eum qui carne occulsabatur, quinam vnà cum eo ascendunt? Non enim omnes spectatores fuere miraculi. Petrus, & Iacobus, & Ioānes, qui præ aliis & erant & numerabantur. Aderant verò perturbato, & ante passionem paululum secedenti, orantique; quinam? Rursus ijdem. Atque hæc Christi prælatio.* Hæc Nazianzenus. Iam-ne igitur fraudem vides Iesuiticam? Enimuerò non solùm Petrum reliquis prælatum audis, sed & Ioannem, & Iacobum. Quomodo igitur concludas Oecumenicum Pontificatum? Nam primò solum oportuisset præferri. Nam hæc potestas est impatiens consortis. Deinde; quis dicat Iacobum & Ioannem, potestate, dominatione, reliquis prælatos? Ergo *sententia* Nazianzeno non est Oecumenicus Pontificatus.

VIII. Hunc eundem primatum, scilicet personalis præstantię, Ambrosius intellexit in duodecimum caput posterioris ad Corinthios, quum, *Primatum* inquit, *non accepit Andreas, sed Petrus.* Quod manifestum è tota serie. Exponitur enim is locus, quo se Paulus negat quicquam minus fecisse, quàm illos valde Apostolos (sic enim Ambrosius reddit *τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους*) & *hoc erant*, inquit, *quod & Apostolus Paulus. Hoc ergo dicit, quia minor non est, neque in prædicatione, neque in signis faciendis; Apostolis præcessoribus suis, non dignitate, sed tempore. Nam si de tempore præscribendū putatur, ante cœpit Ioannes prædicare quàm Christus: & non Christus Ioannem, sed Ioannes Christum baptizauit. Non ergo sic iudicat Deus. Denique prior secutus est Andreas Saluatorem, quàm Petrus: & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* Sensus est, nō ideo Apostolis reliquis esse Andream præstantiorem, quòd potior esset tempore. Imò Petrū, etsi posterior esset Andrea, tamē esse pręstātiorē, hoc est dignitate priorem. Sic enim Ambrosius perspicuè duplicem primatū facit, dignitatis & temporis, quum nominat eos qui Pauli erāt prædecessores non dignitate, sed tēpore.

IX. Cæterū in hoc dignitatis primatu, illud minimè omniū omittēdū; cū sic Petro tribui; vt tamē nō soli, sed vnâ cū Paulo. Eusebius Emissenus, si quidē is autor est, siue potiùs Cæsarius Arelatēsis, homilia de Natali vtriusq; nō tantū principes Christianorū dixit, cū eo Paulū, & Andreā; sed & postea: *Verè mirabiles lampadas* Petrum & Paulū, *æquali per vniuersam terram luce fulgentes*, inquit, *æquales omnes illas ac pares per varia & diuersa virtutū genera descripsit.* Et post: *Paulus humilitatis ac pietatis clauibus vsq; ad tertia cœli regna penetra-*

penetrauit, æqualis per omnia virtutibus Petro. Nam etsi ille primus, iste posterior. Atque ita sæpe ambo vocantur principes Apostolorum.

X. Superest Cyprianus in Epistola septuagesima prima, quæ est ad Quintum. Is, inquit Bellarminus, dicit Petrum noluisse dicere, cùm à Paulo reprehenderetur, se habere primatum, & sibi obediendum esse. Quibus verbis indicat, eum habuisse primatum, & potuisse ei imperare, si uellet.

XI. Ita Iesuita, non absistens à torquendis Cypriani verbis. Nimirum, quasi ita ut ipse, Cyprianum loqui. Profert ipsum verbis, *Nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de Circumcisione postmodum disceptaret, vendicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset. Sed consilium veritatis admisit.* Hic vero quid reperit Iesuita, quod in suas partes traheret? At quis hoc tereit? Non dixit se primatum tenere: id est, noluit dicere. Ergo habuit. Nam, cur non similiter: non despexit Paulum, id est, noluit despicere: Ergo potuit despicere? quid qui dicat, quid superest, nisi, vt item dicat, Consilium veritatis admisit, id est, voluit admittere: ergo potuit non admittere? Et sanè, tam absunt hæc verba à stabiliendo Oecumenico Pontificatu, vt Paulus habeat potiùs in soluenda obiectione ab hi ipsis petita verbis: nec soluat nisi ab illis, *Quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam.* Sed hoc scilicet præstant Iesuitæ reliquis Sophistis. Porrò etiam est perspicuum, Cyprianum præuertere obiectionem, quæ petebatur ab eorum autoritate, qui suam sedem reliquis iam tum prælatam volebant: eisque obiicere hoc Petri exemplum, qui Paulo suam dignitatē non opposuit, vt concludat, ne eos quidem suam debere iactare. At hoc genus argumenti omnino est inutile, nisi ducatur ab officio. Nam, exempli gratia, si quis dicat, Paulus victū sibi quæsiuit suis manibus: Ergo & omnes pastores ita debent: facilis responsio, Paulum ex officio non fecisse, sed propter voluntatem: itaque reliquos non teneri. Sed quid attinet coniectutis agere? Quasi nō sit disertum: *non vendicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit*: quæ verba indicant non debuisse: quasi fecisset, & arroganter, & insolenter fecisset: quod quidem nunquam Cyprianus dixisset, si crediisset esse Oecumenicum Pontificem, hoc est, vt dicerent adulatores tam nequissimi, quàm nouissimi, esse ei pro ratione voluntatem.

XII. Sed enim primatum quendam Petro, fateor tribui: sed, qui non potestatis sit: imò ne dignitatis quidem. Quid igitur? Saltem temporis, comparatè ad Paulum, qui multò post eum, non solùm ad Apostolatum, sed etiam ad Christianismum vocatus esset. Quod patet ex his verbis *se primatum tenere, & obtemperari sibi à nouellis, & posteris oportere*: vbi manifestè comparantur nouelli, & posteri, ei qui primatum teneat. At illa non possunt, nisi tempus significare: itaque sensus est, magis consentaneum videri, vt qui posteriores ad Christum, aut etiam ad Apostolatum venerant, obtemperarent prioribus: quàm contra illis. Hic verò temporis primatus *ὅσιν ἀρχή* [illegible].

XIIII. Instat Bellarminus tamen, nisus interpretē Augustino, qui in hunc ipsum Cypriani locum libro secundo de Baptismo, capite primo, obseruat, in Petro primatum Apostolorum, tam excellenti gratia præeminere. Sed quorsum? Nam primatus Apostolatum, nihil est aliud quàm ipsum Apostolicū munus, quod in Petro præeminueret: hoc sensu, vt concedantur omnes Apostoli esse primi Christianorum: sed hunc tamen Apostolorum primatum in Petro excellenti quadam gratia præeminere id est, inter Apostolos, qui primatum obtinerent in omnes Christianos, Petrum illustrem esse.

XIV. Eusebius Cæsariensis libro secundo historiæ, capit. 14. quod Petrū vocat *γενναῖον τῶ Θεῶ στρατηγὸν, ducē, ac magistrum militiæ Dei.* Quid hoc verò aliud est (inquit Bellarminus triumphans, quasi reperisset, quod se pueri in faba reperisse clamitant) quid hoc ergo est aliud, quàm esse caput militantis Ecclesiæ? Atqui, inquam, Isidorus Pelusiota, Epistola 25. libri tertij, Paulum similiter vocat *γενναῖον, καὶ ἄριστον στρατηγὸν, generosum, & fortissimum militiæ ducem*: an eundem caput militantis Ecclesiæ? Videtit Bellarminus. Interea recolat Eusebij verba, quæ ipsa per se sufficiunt, prodendo sophismati, *ὅς δὴ τις γενναῖος τῶ Θεῶ στρατηγὸς, Qui quidem* (interprete Christophorsono) *vt generosus, & strenuus Dei dux.* Sed melius Ruffino, à quo Bellarminus sumpsit, *Ducem quendam, & magistrum militiæ suæ.* Ergo non absolutè, *ὁ στρατηγὸς*, quasi soli sibi id nomen vendicans, sed *τις στρατηγὸς*, *quidam militiæ dux*, scilicet vnus è multis. Eusebius ergo significauit, quod est verissimum, Petrum fuisse vnum è Dei ducibus militiæ: quod nihil ad Pontificatum Oecumenicum.

CAP. XXII.

De Hilario, & Cypriano.

I. Atque hi quidem sunt omnes, quos ad hanc rē Bellarminus locos citat ex Patribus. Roffensis addit Hilarium, & Cyprianū, qui mihi extra ordinē considerādi. Ille igitur asserit, libro sexto de Trinitate Petrum supereminentem beatæ fidei suæ confessione locū promeruisse: Sed hîc nihil est difficultatis. Nam iste supereminens locus est Apostolatus ipse, tum promissus per hęc verba, *Dabo tibi claues regni cælorum.* Itaque supereminens intelligendus in Ecclesia: non in Apostolis. Nemo autem negat Apostolatum, gradum esse longè positum supra reliquos omnes, qui in Ecclesia nominari possunt gradus.

II. Sed Cyprianus libro de Vnitate Ecclesiæ docet, vnitatem Ecclesiæ ab vnitate Episcopatus Petri pendere: & Episcopatus eius reliquos in solidum non nisi partem quandam tenere: ipsum denique vnum caput, vnamque originem esse cunctis.

III. At horum nihil est, quod Cyprianus dixerit. Locus est dignus, qui consideretur, vindiceturque à Papistarum sophismatis, *Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina seruatur.* Et paulò pòst, *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam.* Deinde, *Super illum vnum ædificat Ecclesiam suā, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, Si cui remiseritis, peccata remittentur illi, Si cui tenueritis, tenebuntur: tamen, vt vnitatem manifestaret, vnam cathedrā constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua autoritate disposuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab*

vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur: & pastores sunt omnes: sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur. Hæc Cyprianus, quæ etiam Pamelius quantum potest contendit detorquere ad Oecumenicum Pontificatum.

IV. At Cypriano negotium est contra Nouatianum, qui per singulas vrbes, nouos Episcopos constituens suæ factionis, Ecclesiam scindebat in factiones. Hoc vt nequiter fieri probet, argumentatur ab ipsis Ecclesiæ initiis, asserens à Christo vnicum esse constitutum Episcopum, non plures: eumq; fuisse Petrum: cui postea reliqui additi sunt collegæ pari iure honoris, & potestatis. Ex eo verò, quòd primum vnicus sit factus Episcopus, concludit vnitatem Ecclesiæ, tanquam certo indicio. Distinguit igitur duo tempora: & priori tempore asserit, non quidem vnū Episcopum constitutum fuisse superiorem reliquis itidem Episcopis: sed omnino neminem factum præter vnum: itaque, vt Ecclesiam vnam, sic vnam cathedram fuisse. Altero autem, & sequenti tempore, id est, post resurrectionem, plures esse factos: ac tum non vnum aliquem cæteris præfectum, ne eum quidem, qui ante id tempus erat solus Episcopus, sed omnes æquales: ac proinde hos posteriores factos esse pares illi qui primo erat vnicus constitutus.

V. Hæc omnia demonstrantur ex ipsis Cypriani verbis. Primùm enim, cùm dixisset, super illum vnum ædificasse Christum Ecclesiam suam: Subdidit statim, post resurrectionem esse datam reliquis parem potestatem. Sunt igitur duo tempora, vnum ante resurrectionem, alterum post eam. Illo, super solum Petrum fundabatur Ecclesia: nempe quomodo super Episcopum potest, qua de re aliàs diximus. Hoc verò, additi sunt Petro collegæ: ac proinde super plures Ecclesia fundari cœpit: cœpit etiam Petr⁹ esse nō amplius vnicus, sed vnus è multis.

VI. Secundò, cùm dixisset, hoc esse cæteros, quod Petrum, subiecit, *Sed exordium ab vnitate proficiscitur.* Exordium autem intelligi nequit, nisi de tempore illo quo Christum putat Cyprianus Ecclesiæ politiam inchoasse, constituto solo Petro Episcopo. Exordium igitur Ecclesiæ, hoc autore proficiscitur ab vno: hoc est, in Ecclesiæ exordio, vnicus duntaxat constitutus est Episcopus: sed post hoc exordium haud ita: quia hoc facti sunt cæteri, quod erat Petrus pari consortio honoris, & potestatis. Rursus igitur geminum tempus, vnum ipsius exordij, alterum post exordium.

VII. Primatum ergo Petro datum eodem sensu Cyprianus hîc dixit, quo cùm ad Quintum scripsit, quem locum paulò antè obseruabamus: nempe tēporis respectu, quia, vt ibidem dixit, primus est electus: hoc est, non vt esset omnium primus, sed antequam reliqui eligerentur, *Primatus*, inquit, *Petro datur.* Quæ verba tamen absunt ab editione Morellij: & à nonnullis censentur esse merum glossema ex margine in contextum temere translatum: quod ego, pace tantorum virorum dixerim, non possum admittere: non tantùm motus consensu codicū: sed maximè, tota contextus serie, in quo nihil est, quod non fluat optimè: imò verò quod non esset Cypriano, si minus dictu necessarium, saltem vtile. Primatus igitur Petro datur: vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur: hoc est, ante reliquos, & prior reliquis factus est Episcopus, & quidem solus, vt significaret Christus Ecclesiam suam vnam esse, in eaque vnam cathedram. Hæc indubitata mens est Cypriani.

VIII. Contrà tamen Bellarminus, capite duodecimo libri de Pontifice: & negat intelligere Cyprianum prius ordine temporis hanc potestatem datam esse vni Petro, quàm cæteris, vt ita significaretur vnitas Ecclesiæ: sed cœpisse Ecclesiam in vno Petro, tanquam in fundamento, & capite: vt ex eo quod Ecclesia vnum haberet fundamentum, & caput, vna tantùm esse monstraretur. Et probat primò, quia falsum sit temporis ordine priùs datam esse Petro, quàm cæteris Ecclesiasticam potestatem: quia ei data sit Ioannis 21. & cæteris 20. Deinde, quia paulò pòst Cyprianus ipse explicans Ecclesiæ vnitatem, & qua ratione exordium fieret ab vno Petro, scribit Ecclesiam esse vnam eo modo, quo omnes radij solis dicuntur vnum lumen, quia ab vno sole manant: & multi riui vna aqua, quia ab vno fonte deriuantur: & multi rami vna arbor, quia ab vna radice omnes pullulant.

IX. Hæc Bellarminus: sed inutiliter. Nā, vt ad pri⁹ respondeā: fateor quidem reipsa non esse Petro exhibitam potestatē in Ecclesiam, antequam reliquis: atque hoc esse vitium eius argumēti, quemadmodū plurima inuenire est, tū apud eum, tum apud alios incautius disputata: sed cōtrà tamē sensisse Cyprianum certum est. Credidit enim, tum fuisse datū Petro Episcopatū, cùm dictum, *dabo tibi claues regni cælorum.* Itaq; disertè dixit, tanquam obijciens sibi, *Et quãuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parē potestatē tribuat.* Vnde patet Cypriano persuasum fuisse, eam potestatē, quæ data est, tum Petro, tum reliquis Apostolis post resurrectionem, vnam fuisse atque eandem. Neque vnquā distinxisse, sic vt diceret post resurrectionē aliter datam Petro, aliter reliquis. Ergo potestatem Petro eximiā reperit ille omnino ab eo tempore, quod resurrectionem præcessit.

X. In altero verò, dico Bellarminū sumere falsū, à Cypriano postea ostēdi, qua ratione ab vno Petro exordiū fiat. Sunt enim illa de sole, fonte, radice, nō continuatio primi argumenti: sed noua explicatio. Varia enim colligit: primum, hoc nostrū ab exordio Ecclesiæ, & vna Petri cathedra. Secundū ex Cantico canticorū, *Vna est columba mea.* Tertium ex 4. ad Ephesios, *Vnum corpus, & vnus spiritus.* Quartum, quòd ipse Episcopatus sit vnus. Denique similitudinibus illustrat vnitatem Ecclesiæ in multitudinē se incremento fœcunditatis extendentis: & huc faciunt illa radiorum, ramorū, riuorum exempla. Peruertit igitur Bellarminus Cypriani mentem, dum eius disputationis seriem confundens, quintum hoc membrū neglectis intermediis, subiicit primo. Considerat autem Ecclesiam Cyprianus tanquam ὅλον τι, cuius quædā quasi particulę sunt Ecclesiæ singulę: inter se quidē, & distinctæ, & diuisæ, sed coniunctę tamen in ipsa Ecclesię Catholicę natura, cuius ipsæ participes sunt. Ergo ea Cypriani mēs est quam dicebam: subtilior illa quidem quàm solidior: sed quæ tamen ad Oecumenicū Pontificatum non faciat. Norunt enim omnes, nihil obstare, quominus is qui alteri subditus erat tanquam Episcopo primùm creato, cùm postmodum fit etiam ipse Episcopus, sit illi qui prior est, & honore, & potestate æqualis.

XI. Porrò, vt ad reliqua transeā, illud etiam falsò prolatū: dixisse Cypriani vnitatē Ecclesiæ pendere ab vnitate cathedrę Petri. Mōstrari dixit, non pendere. Nēpe hoc volēs: eo ipso, quod in exordio vnicū Christ⁹ Episcopū cōstituerit, significare voluisse

vna-

vnitatem Ecclesię. Haud aliter, ac Isidorus Pelusiota Epistola decima libri primi, quod primi à Christo vocati discipuli fratres fuerunt, significatũ dixit, [illegible] inquit paulò pòst) [illegible]. *Nihil tam gratum Deo, quàm charitas: monstrante sapientissimo Seruatore statim ab exordio, velle se omnes suos discipulos conciliari tanquam fratres.* Vbi vides, [illegible], & [illegible] eodem vsurpata sensu, quo apud Cyprianum, *exordium*, & *manifestare*, siue *monstrare*.

XII. Petrum verò esse caput, & originem cunctis, dixit quidem à Cypriano scriptum Roffensis, & confidentissimè Pamelius asseruit: sed neuter demonstrauit. Enimuerò, quem tandem sperant adeò dementem fore, vt quæ verba sic cauant, *Ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur*, iis significari credat, Petrum omnium originem esse, & caput? Atqui Cyprianus nihil voluit aliud, quàm ex ipsa Ecclesiæ origine, ac capite, (vt in prouerbio à capite rem accersere) demonstrari necessariam esse vnitatem Ecclesiæ, & propterea etiam Cathedrę, contra schismaticos. Et sanè cur, *reditur*, dixisset? Docet enim causam schismatum, id est, non quare maneant nonnulli in schismate: sed quare ipsa schismata fiunt. At si ea mens esset, quam Papistæ volunt, ne fierent schismata, non redeundum esset ad initium, & caput; sed initio, & capiti constanter hærendum. Dixit autem *redeundum*, quia etiam ipsi qui sunt in Ecclesia, procul distant ab exordiis Ecclesiæ. Itaque ad exordia redeundum dixit, id est, posterioribus seculis, quasi reflectenda mentis acies, vt quid ab initio factum sit consideretur. Nam quod in argumentum Pamelius profert verba sequentia; *Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis: loquitur Dominus ad Petrum*, itaque explicari vult quod sit illud caput, ridiculum est nugamentum. Ostendi quidem fateor, quod sit caput, quæ origo Ecclesiæ: sed id caput, eamque originem esse Petrum, hoc verò Cyprianus non cogitauit. Analysis est. Si Ecclesia ab initio fuit vna: Ergo, & deinceps esse debet vna. Probatur antecedens, Si vna Cathedra in Ecclesia ab initio constituta est: ergo, Ecclesia ab initio fuit vna. Probatur antecedens. Quia soli Petro dictum est à Domino, *Ego tibi dico*, & reliqua.

XIII. Quod superest ex Cypriano, Roffensis mendacium facilius est, & vno verbo expediendum. Nunquam enim illi in mentem venit, singulos Episcopos de Episcopatu Petri, partem duntaxat possidere: sed dixit potius, vnicum Ecclesiæ vniuersalis Episcopatum esse [illegible], cuius partes à singulis, ipso etiam Petro, insolidum tenerentur: sicut alias disputatum nobis est.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

LIBER DVODECIMVS DE OECVMENICO

VTRVM PETRVS FVERIT PONTIFEX OECVMEN.

Caput Primum.

DE PETRI CVM CAETERIS AEQVALITATE.

PROLIXE disputantes audiuimus Papistas: nunc breuiter Catholicos. Si plures vno sunt summi Apostoli: ergo Petrus non est Oecumenicus Pontifex. At prius certum. Ergo, & posterius. Consequentia patet: quia Oecumenicus Pontifex solus est summus. At si plures fuerunt inter Apostolos summi, tum profectò Petrus solus non fuit summus: aut si Petrus solus fuit summus, tum reliquorũ nullus fuit summus. Et sanè si Petro suberant reliqui (suberant autem si fuit Oecumenicus) summi dici non possunt: quia id summum appellatur, quo nihil est superius.

II. Antecedens probatur ex capite vndecimo posterioris ad Corinthios, vbi Paulus nominat τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων, Vulgatus interpres, *magnos Apostolos* vertit: Erasmus, *eximios*: Valla, *præcellentes*: Stapulensis, *excellẽtes*: Iunius ex Arabica versione, *præstãtes*. Syrus interpres magis κατὰ πόδας, אילין רטב מיתרין, *eos qui valdè excedunt*. Et sanè, τὸ ὑπερλίαν, longè plus exprimit quàm, aut magnus, aut eximius, aut præcellens, & simile quid. Vnde Latinus, capite 12. reddidit, *eos qui supra modum sunt Apostoli*. Itaq; Beza omnium optimè, *Summos Apostolos* dixit. Nam perspicuũ est, Paulum significare voluisse eos, qui vltra omnium sortem prouecti essent.

III. Putant Interpretes designari Petrum, Iacobum, & Ioannem, vt Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus, Lyranus, Thomas, alij. Nec vana coniectura. Nam secundo ad Galatas iidem nominantur, οἱ δοκοῦντες, id est, qui inter Apostolos in pretio essent. Theophylactus interpretatur, (Si bene reddidit Porseona) magnos & præclaros, Oecumenius, τοὺς ἐντιμοτέρους, καὶ κορυφαίους. Chrysostomus, μεγάλους, καὶ ἐξάρχους, magnos, & principes. Anselmus, eos qui essent, *maioris autoritatis, & scientiæ*. Sed, & postea στῦλοι nominantur à Paulo, *columnæ*.

IV. Habemus itaque inter Apostolos, non vnum summum, sed tres summos: ideoq́ue, aut tres Oecumenicos, aut quod verius est, ne vnum quidem. Salmero ad eam Epistolam Disputatione 12. tantùm ridet hoc argumentum, *Beza*, inquit, *hoc loco abutitur ad euacuandum Petri primatum. Quasi verò quicquam ladat eius pastoratum super omnes oues, aut agnos: aut in Apostolatu, quæ est summa potestas, quæ potest simul pluribus competere. Non essent autem omnes pares honore, & autoritate, vt ait Cyprianus.* Quæ verba si non dant sine mẽte sonum, alij interpretentur: nam ego me fateor nõ assequi, quid sibi velint. Hoc scio Bezam contra Petri primatum, aut in oues omnes pastoratum, aut summam potestatẽ, id est, eius Apostolatum nõ disputare: sed tantùm contra Papistarum phantasma de Oecumenico Pontificatu. Cæterùm, non veritas tantùm ridet, quia secura est, vt inquit Tertullianus: sed etiam hæresis, quia metu mota. Nos autem absit, vt magno conatu hæreticorũ risus prosequamur.

V. Oecumenicus Pontifex maior est omnibus. At Petrus non fuit maior omnibus: ergo Petrus non fuit Oecumenicus Pontifex. Maior patet ex statu quæstionis.

VI. Assumptio probatur ex disertis Pauli verbis, vndecimo posterioris ad Corinthios, λογίζομαι μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων. Et cap. 12. οὐδὲν ὑστέρησα τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων. Quæ verba Vulgatus interpres reddidit, priore quidem loco, *Existimo me nihil minùs fecisse à magnis Apostolis*; barbarè, & ineptè: posteriore paulò meliùs, *Nihil minùs fui ab iis, qui sunt supra modũ Apostoli*. Sed longè optimè Syrus, ברםלא בצרת מן שליחא, *nihilo minor sum Apostolis*. Vt & Oecumenius, οὐδὲν ὑστέρησα, οὐδὲ ἐλάττων, ἢ ὕστερος ὤφθην τοῦ ἁγίου Πέτρου, *Nihilo minor fui, neque inferior, aut posterior Petro*. Theodoretus, *Existimo nos non distare à magnis fidei prædicatoribus*. Ambrosius, *Non vult gratiam Dei inferiorem in se videri, quia similiter docuit, & eadem fecit, quæ faciebant Apostoli, qui propensiores videbãtur, quia priores*

superant

ſperant docere, & fuerant cum Domino, vnde maioris autoritatis eſſe putabantur. Iuſtinianus in Paraphraſi, *Nihilo minùs perfecta ego vobis annuntiaui, quàm ſummi Apoſtoli alij prædicarent: neque vlla prorſus re, me illis inferiorē fuiſſe probare quiſquam poſſit.* Et in explanatione, *Cum Apoſtolis nulla prorſus re, vel magnis Apoſtolis ſit inferior, quid cauſæ eſſe putandum erit, cur illi tanti fiant, ipſe verò deſpicatui?* Quòd ſi Paulus nulla re fuit minor, inferior re, ergo ei per omnia fuit æqualis. Sed quæret aliquis, quibuſcum ſeſe comparet. Reſpondet Chryſoſtomus, [illegible Greek] Πέτρον [illegible Greek]. *Non tam cum illis, ſed cum Petro huiuſmodi comparationem faciens.* Oecumenius, [illegible Greek] Πέτρον, καὶ Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην [illegible Greek]. *Non ſimpliciter Apoſtolis, ſed ſummis, Petrum, Iacobum, & Ioannem ſignificans.* Itaque Petro, ſi non minor, igitur æqualis. Oecumenius, [illegible Greek]. *Opportunè vſque ad Apoſtolos venit, ſignificans, non tantùm Pſeudapoſtolis præſtantior ſum: ſed & Apoſtolis æqualis.* Erit igitur Paulus æqualis Petro. Itaque Petrus non maior Paulo: & ſi Paulo, certè ne omnibus quidem: vnde ſequitur non fuiſſe Oecumenicum Pontificem.

VII. Idē probatur ex Epiſtolę ad Galatas ſecūdo, [illegible Greek]. *Ab iis autem qui putantur eſſe aliquid, quales cunque fuerint, nihil mihi diſcrepat. Perſonam hominis Deus non accipit: nam qui ſunt in pretio, nihil mihi præterea contulerunt.* Et pòſt, Iacobus, Cephas, & Ioannes, [illegible Greek] Βαρνάβᾳ κοινωνίας, *qui videntur eſſe columnæ, dextras dederunt communionis, mihi, & Barnabæ.* Quæ verba æqualitatem ſignificare, nemo non videt. Vult enim Paulus aſſerere, ſe nec minus fuiſſe, nec minorem Apoſtolum, non iis tantùm omnibus, qui cum Chriſto erant verſati: ſed ne eorum quidem coryphæis: itaque fuiſſe iis ſociū.

VIII. Sed Bellarminus de Epiſtola ad Galatas, reſpondet, capite decimo ſexto libri primi de Pontifice. Propoſitum Pauli non fuiſſe oſtendere, ſe non eſſe Petrò ſubiectum, quod attinet ad gubernationem: cuius nullam facit mentionem: Sed Euangelium ſuum æquè verum eſſe, ac diuinum, & à Chriſto ipſo immediatè acceptum, ac Euangelium Petri, & Iacobi, & Ioannis. Quod autem de data dextera ſocietatis legimus: cogit quidem, vt credamus, Petrū, & Paulum ſocios fuiſſe in officio prædicationis: ſed non prohibet, vt intelligamus Petrum fuiſſe Paulo maiorem in officio gubernandi. Et probat, quia Samuelis primo, capite vigeſimo tertio, dicitur, *Saul, & ſocij eius*: & tamen eadem Scriptura Saulem regem, cæteros autem ſeruos eius facit.

IX. Imò, inquam ego, non Euangelij tantùm ſui Paulus, ſed etiam autoritatis ſuæ cauſam tuetur. Aliàs, quid opus fuiſſet, nō Apoſtolos nominare, ſed eorum Coryphæos? Certè enim, quoad doctrinam, ſiue Euāgelium acceptum à Chriſto, nulla erat huiuſmodi diſtinctio: quia id æquè omnes à Chriſto immediatè acceperant. Eos autem coryphæos, rurſus [illegible Greek] vocat, quod non poteſt, niſi ad autoritatē referri. Præterea obliuiſcitur Bellarminus, ſi eagi de prædicatione Euangelij, vt ſimul etiā agatur de certitudine eius prædicationis. At Papiſtæ hac parte lōgè plus tribuunt ſuo Oecumenico, quā cuiquam alij, adeò vt eum conſtituant pro regula fidei, à cuius etiā nutu omnes approbationē poſtulare teneātur. At Paulus, tū cū ſua prædicatio verteretur in dubiū, negauit ſe Petro eſſe ſubiectum, aut ab eo quicquā accipere poſſe, quod nō haberet. Fruſtrà igitur ſeparatur prædicatio à gubernatione, quia nec vo quāſla fuit abſque hac, niſi cùm Monachi, quorum in clero pars nulla, cœperunt inſilire in Cathedras Epiſcoporum: nec vllus erat Apoſtolus, qui ius non haberet æquè gubernandi, ac prædicandi.

X. Quod ad ſocietatē attinet, Gręcè κοινωνίας non benè comparari locum è Samuelis primo, capite vigeſimo tertio: quia Hebraicè eſt, שאול ואנשיו, hoc eſt, vt verterunt Septuaginta, Σαοὺλ καὶ οἱ ἄνδρες αὐτοῦ. Et Arias, *Saul, & viri eius.* Quis verò non videt procul abire à noſtra hac communione? Nam huiuſmodi viros, ſocios quidē appelles Latinè: & Gręcè ἑταίρους, non autem κοινωνούς. Et ſanè κοινωνίας nomine plus ſignificatur quàm ſocietatis: videlicet eiuſdē muneris communio. Eſt enim κοινωνὸς non is tantùm, qui alicui adhæret, ſiue additus eſt, ſed qui eiuſdē rei particeps eſt cum alio. Sic Lucæ quinto, ὁμοίως δὲ καὶ Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην υἱοὺς Ζεβεδαίου, οἳ ἦσαν κοινωνοὶ τῷ Σίμωνι, hoc eſt, qui eandem profitebantur artem piſcandi. Proindeque hoc loco Paulus ſubdit, *Vt nos inter gentes, ipſi verò inter circumciſos.* Eo igitur ſocius fuit Paulus Petrò, vt vterque Apoſtolatu fungeretur, etiam diſtributis (ſi ita loqui licet) diœceſibus: quare non tantū prædicandi, ſed etiā gubernandi fuit ſocietas.

XI. Si Paulo creditum fuit Euangelium præputij, ſicut & Petro Circuncіſionis: Ergo Petrus non fuit Oecumenicus Pontifex. At prius verum. Ergo & poſterius. Antecedens probatur ex 2. capite ad Galatas, Paulo ſic loquente, *Quum vidiſſent Apoſtoli mihi concreditum fuiſſe Euangelium præputij ſicut & Petro Circuncіſionis, dexteras dederunt ſocietatis, mihi, & Barnabæ, vt nos inter Gentes, ipſi verò inter circunciſos.*

XII. Conſequentia autem patet, primò naturali ſuáq; luce. Diuiduntur enim prouinciæ, non inter regem, & eius Magiſtratus, ſed tantū inter Magiſtratus, qui ſinguli ſingulis præſunt. Sic Romæ ſemper Conſulibus ita diſtribuebantur, vt vel aſſignarentur illis Senatuſcōſulto, vel Plebiſcito, vel ipſi inter ſe compararent. Nunquam verò fiebat ea diſtributio inter populum, & Conſules. Ac ceterà abſurdū eſt, vt is, qui ſibi autoritatem retinet in omnes prouincias, cum iis ſortiri dicatur, qui ei ſubſunt, quibuſque ſingulæ tantùm aſſignantur.

XIII. Deinde, è verbis ipſis Pauli. Non enim ſimpliciter dixit, cōmiſſum ſibi Euangelium præputij, & Petro Circuncіſionis: ſed diſertius, ſicut & Petro: quæ phraſis æqualitatē ſignificat. Vnde ea exponēs Ambroſius, *Petrum ſolū, inquit, nominat, & ſibi comparat: quia primatum ipſe accepit ad fundandam Eccleſiam: ſe quoque pari modo electum, vt primatum habeat in fundandis Gentium Eccleſiis: ita tamen, vt & Petrus Gentibus prædicaret ſi cauſa fuiſſet: & Paulus Iudæis: nam vterque inuenitur vtrumque feciſſe. Sed tamen plena autoritas Petro in Iudaiſmi prædicatione data dignoſcitur: Et Pauli perfecta autoritas in prædicatione Gentium inuenitur: vnde & Magiſtrum ſe Gētium vocat in fide, & veritate.* Et paulò pòſt, *Ab his probatum dicit, donum quod accepit à Deo, vt dignus eſſet habere primatū in prædicatione Gentium, ſicut & habebat Petrus in prædicatione circūciſionis.* Chryſoſtomus, [illegible Greek]. *Iam ſe iis honore parē oſtēdit, nec ſe aliis, ſed ipſi ſūmo comparat, ſignificans vtrumque æqualem ſortitum eſſe dignitatem.* Gloſſa ordinaria, *vt eſſem primus in prædicatione Gentium, ſicut Petrus in Circunciſione.* Oecumenius diſertiſſimè, [illegible Greek] τοῦ Πέτρου, *Vide, vt*

se Petro æquet. Hîc etiam referendum illud antè citatum ex Gregorio, *Paulum esse factum caput nationum.* Hæc igitur omnia cùm indicent, primùm distributas prouincias inter Petrum, & Paulum: deinde ita distributas, vt hic illi par esset, apparet conclusionis necessitas, non fuisse Petrum Pontificem Oecumenicum, qui sibi parem nullum agnosceret.

XIV. Hîc verò neruos intendunt aduersarij, omnemque rimam vestigant, qua, si queant, vim veritati effugiant. Sanderus, capite sexto libri sexti de Monarchia. Bellarminus capite decimo sexto primi de Pontifice. Stapletonus de Principiis libro sexto, capite decimo quarto: & in Relectione, Cõtrouersia tertia, quæstione prima, articulo tertio. Baronius ad annum quinquagesimum primum paragrapho vigesimo sexto: & sequentibus. Pighius Hierarchiæ libro tertio, capite vndecimo. Distinguo opposita absurda, & directas solutiones.

XV. Absurdum primum. Quia hic locus esset cõtrariis aliis, nempe his, *Tu vocaberis Cephas: Tibi dabo claues: Confirma fratres tuos: Pasce oues meas.* Et cura totius gregis Petro commissa fuisset limitata. Respondeo peti principium. Ostendimus enim prolixè illis locis Petrum non constitui Oecumenicum Pontificem: itaque hic locus iis contrarius esse non potest. Ne hos igitur nunc nobis obiiciant: Sed ex hoc potius agnoscant se iis fœdissimè abuti. Curam autem totius gregis Petro commissam, hoc loco limitari: nemo vnquam dicat, qui meminerit, & Petrum nihilominus fuisse Apostolum, & ipsum Paulum, qui sibi Gentes commissas profitebatur, tamen dicere, ingruere sibi omnium Ecclesiarum curam.

XVI. Alterum absurdum: ita conficitur Petrum non fuisse Apostolum, tam Gentium, quàm Iudæorum: neque ius habuisse eundi in vniuersum mundum, vt prædicaret Euangelium omni creaturæ, id est, tam Gentibus, quàm Iudæis: quod prorsus repugnat expresso Dei Verbo. Et ita primus Apostolus à longè maxima mundi parte remouebitur. Respondeo, hoc non sequi. Enimuerò nostrûm nemo negat Petrum esse Gentium Apostolum æquè, ac Iudæorum: sed ne Sãderus quidem negabit Paulum esse Apostolum Iudæorum æquè ac Gentium. Sed dicimus inter Petrum Apostolum æquè Gentium, ac Iudæorum, & Paulum Apostolum æquè Iudæorum, & Gentium, eo modo factam esse prouinciarum distributionem: itaque neutrum fuisse Oecumenicum Pontificem.

XVII. Tertium absurdum. Magnæ cæcitatis est, ab ipso initio Ecclesiam diuidi in duos greges, & in Pastores ad minimũ duos, quorum vnus Iudæorũ, alter sit Gentiũ Apostolus. Respondeo, cæcos igitur non nos esse, sed ipsum Paulũ, imò verò, & Petrũ, & reliquos Apostolos, in quorũ Concilio hęc facta est distributio. Vnde Chrysostomus in 2. ad Galatas, τί ποτε τοῦτό ἐστιν ὅ φησιν; ἐν τῷ τοῦ κηρύγματι, φησί, διειλόμεθα τὴν οἰκουμένην, κἀγὼ μὲν τοὺς ἐξ ἐθνῶν, ἐκεῖνοι τοὺς Ἰουδαίους ἔλαβον κατὰ τὸ τοῦ Θεοῦ δοκοῦν. *Quid tandem est hoc quod dicit? In prædicandi, inquit, munere partiti sumus inter nos orbẽ terrarũ: atq; ego quidẽ eos, qui ex Gentibus sunt, illi verò Iudæos sortiti sunt iuxta Dei placitũ.* Sed quis nescit Ecclesiam Catholicã semper diuisam fuisse in plurimos greges, nõ duos tantũ: & sine vlla absurditate? Singulis etiã gregibus, suos fuisse pastores tributos? Nec aliter sanè fieri potuit, vt per totũ orbem Euangeliũ dispergeretur. Nunquã verò obstitit ea, vel gregũ, vel pastorũ pluralitas: quominus Ecclesia Catholica seruaret in Christo vnitatẽ suã. Atqui (inquit Sãderus) Augustinus Ecclesiã illam, quæ ab ouili vnius pastoris Petri discedit, Schismaticam esse non dubitat: Epistola 48. Respondeo, Augustini locum hunc esse, *Exis tu in vestigiis gregum: non in vestigiis meis, sed in vestigiis gregũ: nec vnius gregis, sed gregum diuersorum, & errantiũ. Et pasce hœdos tuos: non sicut Petrus, cui dicitur, Pasce oues meas: sed pasce hœdos tuos in tabernaculis pastorũ: non in tabernaculo pastoris, vbi est vnus grex, & vnus Pastor.* Ergo falsator est Sanderus. Nam Augustinus, etsi de vno grege, & vno pastore loquatur, tamen vnum ouile vnius pastoris Petri, nusquã nominat. Pastorẽ enim illum vnum Christũ intellexit. Deinde, ne ego quidẽ dubitem eum esse schismaticum, qui discedat ab ouili Petri. Nam erant etiam schismatici, qui discedebant ab ouili, & Pauli, & Iuannis, & Iacobi: imò verò etiam, Cypriani, Athanasij, Chrysostomi, Augustini. Quælibet enim Christi ouilia, id est, particulares Ecclesię, tam arcto conuentus societatis vinculo, vt non possit quisquam ab vno discedere, quin ab omnibus seipsum abscindat, hoc est, fiat schismaticus. Sed hac prouinciarũ diuisione, eiusmodi separationem esse factam, quis probabit? Imò contrà, Paulus testatur sibi datam esse dextrã communionis. At in Ecclesia schisma, & communio, tam opponuntur, quàm mors, & vita: lux, & tenebræ. Si ergo communionem Paulus habuit cum Petro: Ergo non fuit Schismaticus: ne tum quidem, cùm distributæ sic sunt prouinciæ.

XVIII. Transeo ad solutiones. Prima Sanderi esto: qui queritur quod Paulus de factis Apostolorũ, & non de iure ipso diuino dixit, id ad iuris diuini ordinationem velut obtorto collo nos trahere. At ego respondeo, fateri Paulum de facto esse loquutum: sed quid obstat, quominus ab eo facto, quid iuris diuini fuerit concludamus? Quia enim (libet à Sandero mutuari responsionem) iniustum factum hoc non est, profectò factum hoc iuris diuini testificatio est. Certè si Petrus fuisset vnicus summus omnium, non Ecclesiarum tantùm: sed etiam doctorum, ne exceptis quidem Apostolis, doctor, inepta fuisset huiusmodi prouinciarũ distributio. Et Paulus non nisi se ridendum suis Galatis propinasset, apud quos se tanquam æqualem Petro, tam seriò disputabat: quod quàm sit indignum eo Spiritu, quo scimus Paulum plenum fuisse, nemo non videt.

XIX. Secunda, Ea distributio nõ fuit iurisdictionis: Sed prouinciarum, ad cõmodius prædicandum Euangeliũ. Et explicat Bellarminus: quia quanquã poterãt omnes Apostoli, imò & singuli per vniuersum orbem prædicare, tamen, vt celerius, & facilius id fieret, bis distributas esse prouincias. Semel, quũ Andreas in Scythiam, Thomas in Parthiã, Bartholomæus in Indiã abijt, alij aliò. Iterum, cũ Petro Iudæa, Paulo Gentes obtigerunt. At nos, si iurisdictionem intelligas autoritatem Apostolicã, fatemur nõ esse diuisam: quia non partẽ Paulus sibi sumpserit, partẽ reliquerit Petro: sed omnes Apostolatus partes, & Paulo inter Gẽtes, & Petro inter Iudæos pleno iure conseruatæ sint. Itaq; certum est, solas prouincias esse distributas. Neque aliud sumitur in argumento nostro: quod propterea sic infirmari non potest. Quin potius si iurisdictio non est diuisa: ergo eadem fuit iurisdictio Pauli in Iudæos, quæ Petri in Gentes: & hæc est æqualitas, quam diximus, quæque prorsus euertit Oecumenicum Pontificatum.

XX. Tertia: Fœdus non sic fuit initum inter Petrum, & Paulum, vt Petrus tantùm Iudæis, aut in Iudæa: Paulus autem tantùm Gentibus, aut extra

Iudæam

Iudæam prædicaret. Quia constat tum Petrum Ethnicis, tum Paulum Iudæis sæpissimè prædicasse, etiam post eam distributionē: sed vt Petrus prædicaret omnibus & vbicunque vellet, principaliter tamen Iudæis: Paulus etiam omnibus & vbicunq; vellet, sed principaliter, Gentibus. Hoc verò, inquam, quis neget? Confirmatur enim ipsa experientia, & Actuum historia, saltem quod attinet ad Paulum. Sed quid hoc ad rem? Non enim infringitur vis argumenti. Nam illud *principaliter in gentibus*, sic intelligendum, vt Petro prædicanti inter Iudæos principaliter, Paulus par esset prædicans inter gentes principaliter: & quidem, vt hæc æqualitas sit in plenitudine potestatis, quam nominauit Ambrosius.

XXI. Quarta. Negatur consequentia, gemino argumento. Primum est, quia Christus appellatus est Apostolus circuncisionis: qui tamen fuit pastor omnium atque Saluator; Ergo & similiter Petrus sic circuncisionis administer est constitutus, vt tamen esset vniuersi gregis pastor & moderator. Alterum: quia honorificentius erat Petri munus, quàm Pauli. Nam Dominus ipse per se Iudæis prædicare voluit, gentibus autem per discipulos. Et ipse Paulus Iudæos comparat oleæ, Gentes oleastris inserendis in bonam oliuam.

XXII. Respondeo ad primum. Instantiam esse nullam. Quia etsi Christus fuerit Apostolus Circuncisionis, tamen cum nemine sortitus est: Nec vnquam dictum, Christum Iudæis prædicasse, vt alium aliquem gentibus: sicut dictum est de Petro & Paulo. Nunquam dictum Christum & Petrum diuisisse orbem terrarum. Itaque argumentum non inde ducitur, quòd Petrus fuerit pastor Iudæorum: sed hinc potius: quòd fuerit pastor Iudæorum, vt Paulus gentium. Itaque fuit Christus & est summus omnium & Pastor & Seruator: at non sic Petrus. Vnde & Christus suos discipulos misit tum ante mortem suam in vniuersam Iudæā: tum post resurrectionem in vniuersum orbem: cùm Petrus Apostolorum neminem miserit. Et Christus nullos habuit socios, non in Seruatoris tantùm, sed ne in Pastoris quidem munere: At Petrus socios habuit reliquos Apostolos.

XXIII. Ad alterum: primò, etsi concederetur Iudaica prouincia fuisse illustrior, non tamen infirmatur argumentum. Nam qui præest honestiori prouinciæ, non propterea præest omnibus prouinciis. Romæ variæ erant præturæ, quarum vrbana erat honestissima: nec tamen fiebat, vt cui ea sortito obtigerat, esset omnium prouinciarum, aut etiam prætorum prætor. Sic Constantinopolitana sedes propter Imperij dignitatem præferebatur Antiochenæ, nec tamen illa in hanc autoritatem habebat. Imperator denique etiam hodie honoris primas tenet inter Monarchas Christianos, qui tamen non est Monarcharum monarcha. Ad eundem modum, nihil obstaret, quominus Petro tradita esset honorificentior prouincia, vt tamen ei Paulus par esset, non quidem ordine, sed certè munere.

XXIV. Deinde hæc ipsa honoris prærogatiua, non satis liquidò demonstratur. Etsi enim Christus prædicauerit per se Iudæis, tamen non magis sequitur Iudaicam prouinciam, esse gentili præferendam, quàm Ecclesiam Hierosolymitanam Romanæ, quia in illa Christus & prædicauit, & passus est, & resurrexit. Oleæ autem & Oleastri comparatio, non inæqualitatem arguit honoris, sed tantùm gratiæ Dei dispensationem, siue vt ita dicam principalitatem & posteritatem, quibus verbis Tertullianus significat temporis differentiam. Priores igitur Iudæi significantur, quia ante Ethnicos vocati fuerunt in Ecclesiam Dei: posteriores autem Gentes, quia ab illis ad eas Ecclesia translata est. Enimuerò contra potest disputari, honorificentius fuisse Pauli munus, quia ei commissæ erant gentes, ex quibus (reiectis Iudæis) colligenda erat Catholica Ecclesia: vt dicere possit quis, Paulum futuræ Ecclesiæ principatum obtinuisse, non Petrum. Itaque reiectis Iudæis, Petri desiisse Cathedram, nisi fortè titulariter, quomodo hodie Papa suos creat Episcopos titulares. Præterea Gentilis prouincia multo erat amplior Iudaica: vnde Sāderus indignatur Petrum à nobis cogi in Iudæorum angustias. Sed nos has φλυαρίας non consectamur, quibus si in suam rem vti possent aduersarij, nemo eos ferre posset.

XXV. Denique, vnum in toto hoc argumento non est omittendum, quod tamen Papistæ seriò dissimulant: hanc prouinciarum distributionem factam non inter Paulum & Petrum solos: sed inter Paulum cum Barnaba, & Petrum cum aliis Apostolis. Sic enim Paulus, *Quum cognouissent gratiam mihi datam Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui putantur esse columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos inter gentes, ipsi verò inter circuncisos.* Tum ne quis putet Paulum cum Petro esse sortitum, ideo quòd eius esset aliqua in reliquos Apostolos autoritas. Tum, ne quæcumque prærogatiua constitui poterit in Iudaica prouincia, eam ad Petrum solum pertinere quis contendat.

Cap. II.

Petrus missus in Samariam.

I. NVllus Oecumenicus Pontifex delegatur ab aliis. At Petrus delegatus est ab Apostolis. Ergo Petrus non fuit Oecumenicus Pontifex. Extat historia octauo capite Actorum, *Quum Apostoli qui erant Hierosolymis, audissent Samariam recepisse Sermonem Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem.* Quod certè valde abhorret ab Oecumenico Pontificatu. Nam qui Christum ab Apostolis diceret vsquam missum, quis eius blasphemiam toleraret? At Christi locum ab hoc Oecumenico teneri vulgo asserunt. Imò, qui Apostolos assereret potuisse à Diaconis mitti, eum ne Papistæ quidem tolerarent.

II. Huic argumento varij varia opponunt. Inter quos insignis est Panigarollæ Monachi impudentia. Disceptatione sexta, *Qui Samariam mitterentur* (inquit) *Petrus constituit: de quorum numero esse & ipse voluit.* En religionem! En sinceritatem! Quasi hæc actio tota absolutè penderet ab arbitrio Petri. Sed is mos est eius hominis. Atque adeo vix alium inuenias in falsandis Scripturis hoc vno impudentius audacem.

III. Reliqui consultius ducunt respondere ad maiorem. Et primum negant Bellarminus, Stapletonus, Sanderus, Salmero. Sed & Baronius anni tricesimi quinti paragrapho nono & sequentibus. hásque instantias proferunt. Primò, Mitti Filium à Patre, & Spiritum Sanctum ab vtroque: nec tamen Filium Patre, aut Spiritum vtroque esse minorem.

Tum Matthæi secundo, mitti ab Herode Magos in A Bethlehem, in quos tamen ille imperium nullum habebat. Iosuæ vicesimo secundo, populus Iudæorum misit Phinees Sacerdotem ad filios Ruben & Gad. Et apud Iosephum, Antiquitatum libro vigesimo, capite septimo, idem populus Romam ad Neronem Imperatorem misit non tantùm ex primoribus decem legatos, sed etiam Ismaelem summum Pontificem, aduersus Agrippam suum regem: cùm tamen iure diuino toti populo Sacerdos præesset. Actorum decimo quinto, Paulus & Barnabas B mittuntur ab Ecclesia Antiochena Hierosolymam ad Apostolos super quæstione de legalium obseruatione: idque ex decreto eius Ecclesiæ, *Statuerunt* (inquit Lucas) *vt ascenderēt Paulus & Barnabas, & quidam alij*. At hi eius Ecclesiæ præcipui magistri & doctores erant. Itaque Bellarminus obseruat, nomen missionis non necessariò significare subiectionem in eo qui mittitur. Dici enim mittere, quicumque est autor alicui vt eat, siue id faciat præcepto, quomodo dominus mittit seruos: siue consilio & sua- C sione, quomodo & par parem, & minor maiorem aliquando mittit.

IV. At Catholici primò fatentur nomen missionis non inferre necessariò subiectionem in eo qui mittitur: itaque mentiri Baronium: Petri primatui nos detrahere, quasi inferioris numeri sit habendus qui mittatur. Sed vicissim asserunt, excludere dominationem eius qui mittatur, in eos qui mittunt. Petrum enim nemo sanus dixerit reliquis Apostolis fuisse subditum: qui erat Aposto- D lus æquo gradu & iure cum reliquis. Nisi, quomodo Paulus dixit Spiritum Prophetarum Prophetis esse subiectum. Secundò, negant eum rectè dici mittere, qui vel suadendo, vel consulendo alicui autor est suscipiendæ profectionis: eiusque significationis exempla requirunt. Tertiò mittere Latine respondet duobus Græcis πέμπειν, & ἀποστέλλειν. Quorum illud possit fortè non inferre inæqualitatem: sed hoc negant conuenire, nisi ei qui cùm mandatis acceptis eam rem gerit, non suâ, sed mit- E tentis autoritate: quomodo legati solent. Porrò Lucas hoc vsus est, non illo.

V. Exempla verò sunt ἀνόμοια. Illud certè desumptum à mysterio Trinitatis, quis Theologorum non miretur huc referri? Non enim sic Pater mittit Filium, aut vterque Spiritum, quomodo Apostoli Petrum. Aliud, prorsus aliud missionis genus est, & quidem ineffabile. Et sicut cùm dicitur Pater genuisse Filium, sibi per omnia æqualem etiam dignitate, & autoritate, non tamen propterea cōcludas, Adami nullum esse ius in Cainum & Abelem, ab F eo genitos: nimirum, quia longè alia est generandi ratio in diuinis quam in humanis, etiamsi vtrinque idem vocabulum vsurpetur: sic iniquum est, quia missionis vocabulum vtrinque audis missionem in humanis sic interpretari sicut in diuinis. Et tamen disceditur ab argumento. Nostra enim nihil interest, fuerit-ne Petrus minor, an æqualis reliquis, dum ne maior fuerit. At in Trinitate, etsi verum sit Patrē non esse maiorem Filio, aut vtrumque Spiritu Sancto: tamen falsum est etiam Filium esse maiorem Patre, aut vtroque Spiritum. Nam si maior Filius, certè à Patre non mitteretur. Iam si æqualis est Petrus reliquis, & non maior, ergo non est Oecumenicus Pontifex.

VI. Matthæi secundo, primò non legitur ἀποστείλας, sed πέμψας. Quid mirum, si alio sensu? Deinde sciunt docti τὸ πέμπειν non rarò sumi pro ἀποπέμπειν *dimittere*, vt apud Homerum Odysseæ decimo quinto χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν: *Hospitem oportet præsentem amare, volentem dimittere*. Et Iliados vltimo: πέμψον δέ με σὺν θεοῖσιν, *dimitte me cum Diis*. Etiam apud oratores: Heliodorus Æthiopicon sexto, καὶ ἀπιέναι βουλομένους πέμψοντι. *Et abire volentes, dimittent*. Heliodorus Æthiopicon sexto, ὅπως ἡμᾶς καὶ παρόντας ἐφιλήσατε, καὶ ἀπιέναι βουλομένους πέμψατε, *Qui sic, & præsentibus nobis hæsertis, & volentes abire, dimisertis*. Herodianus autem libro secundo, εἰς τὸ τοῦ Διὸς νεὼ καὶ τὰ λοιπὰ ἱερὰ παραπεμφθεὶς, *In Iouis templum, reliquáque sacella deductus*: nimirum à Senatu honorificè comitante Pertinax. Et sanè Herodes Magis autor non fuit itineris, quod sponte susceperant, magnáque ex parte confecerant: sed quum detinuisset aliquot dies, dum consuleret principes Sacerdotum & Scribas, tandem potestatem fecit abeundi, indicato etiam loco ad quem tenderēt: quæ significatio prorsus aliena est ab hoc nostro sermone. Deinde illi neque superiores Herode fuerunt, neque pares: sed inferiores, puta magi rege: & quidem in eius regis ditione: vt non sit verum, quod Bellarminus contendit, Herodem in illos nullum habuisse imperium. Singuli enim reges imperare possunt, imò & solent etiam hospitibus, quandiu sunt intra fines regni: quod quotidiana docet experientia: atque adeo ipsa lex diuina, quæ vetat peregrinum, opus facere die Sabbathi intra terram Israëlitidem.

VII. Phinees exemplum etiam nihil probat: imò verò sophistam Bellarminus agit, qui cùm prius illum simpliciter Sacerdotem dixerit, postea asserit summum Sacerdotem præfuisse toti populo. Atqui non est idem Sacerdos, & summus Sacerdos. Phinees vocatur duntaxat filius Eleazaō summi Sacerdotis, non verò ipse summus Sacerdos: quo magis notanda Stapletoni audacia, ne quid dicam durius, qui hoc eum titulo insignit. Nullo igitur iure Phinees præesse poterat populo: itaque, mittitur nō vt maior à minore, quod volunt aduersarij, sed vt minor à maiore, quemadmodum in Democratia & Aristocratia mitti solent legati: quo iure vsi sunt non hic tantùm Apostoli: sed etiam postea Actorum vndecimo, Ecclesia Hierosolymitana, quæ quum audisset Antiochiæ prædicatum Euangeliū, misit eò Barnabam. Ismaelem Romam missum ἀρχιερέα Iosephus nominat. Sed non aduertit Baronius, missum tanquam legatum. Iudæi enim παρεκάλουν ἐξουσίαν αὐτοῖς δοῦναι πρεσβεῦσαι περὶ τούτου πρὸς Νέρωνα, *Rogauerunt* (interprete Rufino) *vt eis potestas daretur, quatenus ob hoc legatos dirigerent ad Neronem*. Mittunt ergo Ismaelem tanquam suum legatum. Videat Baronius verum velit hanc nouam rationem inducere in Rempublicam, vt legati dicantur maiores à minoribus.

VIII. Actorum decimo quinto Lucas neque πέμπειν dixit, neque ἀποστέλλειν, sed προπεμφθέντες, quo verbo significatur honorifica deductio: vt vigesimo capite προέπεμπον αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον: *deduxerunt eum ad nauem*: & vigesimo primo προπεμπόντων ἡμᾶς πάντων, *deducentibus nos omnibus*. Syrus reddidit ולוית שדרת אנין ערתא Bodetianus vertit *& deducens dimisit eos*. Vnde Caietanus in eum locum notat, *Comites ac duces itineris Ecclesia Antiochena dederat*: quod nec Salmero omittit. Ea autem verba, *statuerunt vt ascenderent*, non inferunt necessariò missionem, sed tantùm commune consilium, quo id optimum factu iudicatum est. Sed in argumento

mento nostro, Diuus Lucas expressit verbum A ἀπέστειλαν.

IX. Itaque doceri nondum potuit maiorem mitti posse à minori: quod nos absurdum esse ducimus, dicimus: maximè in hoc argumento in quo maioritas appellatur non qualiber; sed potestatis imò etiam dominij. Solent quidem Imperatores, ac Reges, sæpe eos consulere qui sunt ipsis minores: sæpe etiam iuxta suffragia suorum consiliariorum expeditionem suscipere, aut iter longum: sed qui B propterea Imperatores Regésve mitti diceret à suis consiliariis, nondum quisquam inuentus est. Imò quis non rideret tanquam absurdum, si quis assereret ab Annibale missum fuisse Antiochum ad bellum contra Romanos: quia eius suscipiendi belli is autor erat?

X. Roffensis contra articulum Lutheranum vigesimum quintum. Quid si (inquit) negotij difficultas præsentiam summi Pontificis exposceret? cuiusmodi Cardinalibus omnibus visum fuit, quãdo Pius secundus expeditionem parabat in Turcas. C Num ea profectio derogauit autoritati suæ quicquam? An non auxit eam potius, quum negotij moles præsentiam tantæ potestatis exposceret?

XI. Egregiam verò comparationem, Petri docentis Euangelium, & Pij parantis bellicam expeditionem in Turcas! Optime! non potuit ille melius se Petri successorem probare, cui dictum, *mitte gladium in vaginam*. Petrus solus cum Ioanne comite, fide plenus & charitate, fretus solo Christi auxilio, armatus solo zelo, legitimè missus, iter ipse suscipit ad D Samaritanos instruendos. Pius ambitione tumidus, coacto quàm poterat magno exercitu, armis fretus secularibus, expeditionem suscipiebat ad Turcas ferro flammáque destruendos. Num sunt hæc similia? Hem: non ouum ouo vicinius. Imò oportuerat illum Petri claues in Tiberim proiicere, assumpto Pauli gladio, quod de eius successore nescio quo, vulgò iactatur. Mirum verò huic Pio, non addi Iulium secundum obsidentem Mirandulam (vt Guicciardinus refert) nec iam per legatos, vt aliàs, sed E per se ipsum opera bellica disponentem, extrema senectute, maximis frigoribus: tantus in eo fuit Ecclesiæ promouendæ zelus! Sed Baronius proculdubio Clementis sui octaui exemplum non omisisset, cui ad Ferrariam (vetus scilicet Ecclesiæ Patrimonium: nam Christus ita legauerat) siue occupandam, siue recuperandam bellum mouenti, non tantùm Petri exemplo, ob longè leuius damnum, pecuniolæ videlicet interuersionem, Ananiæ irascentis, delicias F facit: sed etiam illud magnificum occurit: *In promptu habentes omnem vlcisci inobedientiam*: & illud, *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia*: Epistola præfixa tomo octauo. Papæ! Nouam Sanctitatem! Raram beatitudinem!

XII. Sed ad Roffensem vt redeam: ego responderi ad rem. Primò, quia non profectionem simpliciter: sed missionem vrgemus: at Roffensis illam solam nominat. Nec tamen ausus dicere suum illum Pium secundum, ad illam tanti rem momenti, tam G dignam apice pontificali, Turcarum, inquam, expugnationem; missum fuisse à Cardinalibus. Quomodo Petrum Lucas ab Apostolis.

XIII. Secundò, quanticunque momenti fuerit id negotium, non sequitur tamen non esse verum, eum, qui mittitur, non esse maiorem iis qui mittunt. Etsi autem concederetur, & Petri vnius maiorem fuisse dignitatem, quàm singulorum aliorum (qua de re egimus satis prolixè) & hoc ipsum negotium non potuisse confici nisi ab eo: id tamen non efficiet, non fuisse missum ab aliis. Nam Pompeium Cicero iisdem argumentis suadebat, oratione pro lege Manilia, præficiendum bello Asiatico: & obtinuit.

XIV. Tertiò negatur in eo negotio, quicquam fuisse, quod à quolibet Apostolo non potuerit perfici. Res erat (inquit Roffensis) vehementer ardua. Cur, inquam? Tum propter Simonem Magum: tum propter Christi verbum, qui prædixerat Apostolos etiam in Samaria testes sibi futuros: tum quia Philippus non potuerat Spiritum Sanctum conferre. Atque etiam si concedatur rem fuisse vehementer arduam: non conficitur tamen, eam ab alio nullo potuisse perfici. Quid enim, reliquíne Apostoli erant ea lege, vt nihil maioris momenti aggrederentur? Deinde argumenta non probant eam difficultatem. Nam Simon Magus, iam erat baptizatus: & pietatem strenuè simulabat, non abscedens à Philippo: nec hypocrisin, Apostolorum quisquam diuinabat, ne ipse quidem Petrus: Christi autem verbum nec augebat difficultatem, nec Petri præsentiam notabat, magis quàm alterius cuiuslibet. Nam quo contextu Apostolos sibi prædicebat fore testes in Samaria, eodẽ nominabat etiã vltimas terras. Et tamen id non effecit, vt Petrus ad Gentes primus mitteretur: licet id negotium multo illustrius, & difficilius esset negotio Samaritano. Comparatio autem Petri & Philippi, non præfert Petrum reliquis Apostolis, sed Apostolum Diacono. Oecumenius, εἷς τῶν ἑπτὰ ἦν. οὗτος γὰρ δύναμιν μὲν εἰλήφει ποιεῖν σημεῖα καὶ τέρατα, οὐχὶ δὲ καὶ πνεῦμα διδόναι ἑτέροις. τοῦτο γὰρ ἦν τὸ τῶν ἀποστόλων ἐξαίρετον, *Erat vnus è septem. Hi enim id acceperant, vt efficerent virtutes & signa: at non vt darent aliis Spiritum: hoc enim erat Apostolorum priuilegium.* Itaque Isidorus Pelusiota, Epistola quadringentesima quinquagesima libri primi: εἰ δὲ ὁ βαπτίσας εἷς τῶν ἀποστόλων ἐτύγχανεν, εἶχε τὴν αὐθεντίαν τοῦ τὸ πνεῦμα δοῦναι, *Si is qui baptizauerat fuisset vnus ex Apostolis, potestatem habuisset dandi Spiritum.* Quilibet igitur ex Apostolis æquè ac Petrus potuisset Spiritum dare, atque adeo defungi hoc munere.

XV. Sed iterum Roffensis. Istud bellè quadrat cum Petri maioritate. Nam dixerat Christus, ministrum illum esse debere, qui futurus esset inter Apostolos maior. Sic ergo decuit Petrum sui magistri prædictionem implere, vt ministrum se cæteris exhiberet.

XVI. Et cur non ergo magnus Petri hæres sic se seruum exhibet? An verò æquum censet hæreditatem adire, & hæreditatis onera recusare? Callidè: Sed Roffensis errat multipliciter. Primò enim non erat Christi dictum prophetia, sed doctrina generalis, quam sibi quisque applicare debeat. Secũdò, maior tum dicebatur, non is qui reliquis imperaturus esset: sed tantùm qui inter reliquos emineret, quo sensu magnos viros solemus appellare: distinxit enim hanc maioritatem, ab ea quæ esset imperij Christus: illam quidem concedens suis discipulis, imperiosam verò prohibens ex affirmatione cõtrarij, nempe obsequij: quare hic locus nihil ad rem. Tertiò, si verax esset Roffensis, tum Petrus nondũ fuisset maior reliquis Apostolis. Verba enim Christi: si de maioritate imperiosa essent intelligenda, non possent sic sumi, vt simul is magnus esset, & seruiret: sed tantùm vt ea ratio esset obtinendæ tandem maioritatis. At si eo tempore Petrus non fuit

reliquis maior, nullum assignari deinceps poterit, A quo ipsum esse cœperit: ideoque vulgus Papistarum asserit primatum Petri cœpisse statim ab ascensu Christi: plurimi enim ante mortem. Vnum hic in Roffensi laudes: quod tandem hanc missionem agnoscat, significare minoritatem quandam, quod paulò antè alij negabant constanter.

XVII. Renatus Benedictus in Panoplia. Non fuit, inquit, Petrus missus ab vno aliquo: sed à cunctis Apostolis in vnum coactis, Ecclesiam repræsentantibus, Petrus autem non erat maior tota Ecclesia: vt nec hodie Papa eius successor. Falloti an Renato consentit Stapletonus in Relectione, Controuersia tertia quæstione prima, articulo tertio in solutionibus? Etsi non adeo disertè. Petrus erat quidem caput Apostolorum, & totius Collegij vertex: tamen membrum quoque Collegij Apostolici: ideoque à toto Collegio, quod in capite & membris collectum maius est solo capite, mitti potuit, etsi caput esset.

XVIII. Atqui Renati peculiare dogma est, C vtpote è Sorbonistarum grege, qui docent Papæ autoritatem minorem esse totius Ecclesiæ autoritate. Imò olim crediderunt. Nunc credant nec ne, incertum est. Sed iis tamen reliqui Papistæ non assentiuntur: minimè autem omnium Iesuitæ, quibus hoc votum, vt eam autoritatem vnius hominis quàm amplissimam velint. Porrò, non soluitur argumentum: non enim queritur vtrum potuerit mitti: quod potius sumitur tanquam certum, constatque ex ipso facto: sed vtrum, qui sic missus est, fuerit Oecu- D menicus Pontifex. Et quidem Stapletonus, & Roffensis sic disputant, vt concedentes Petrum missū, quod negari non potuit, concedant etiam esse minorem iis à quibus est missus: vnde facilis conclusio: non esse igitur Oecumenicum Pontificem, sine caput. Nam vt caput in corpore, etsi omnibus reliquis membris, id est, toto corpore, sit mole minus: membris tamen iisdem, non tantùm singulis, sed etiam cunctis maius est dignitate & autoritate: sic si E est aliquod Ecclesiæ caput, ipsum oportet maius esse autoritate tota Ecclesia: vt in Christo est videre, qui verè & quidem omnino solus, id nomen obtinuit in Scriptura. Est verò ridicula sophistice Stapletoni: caput, inquit, minus est toto Collegio, quod est in capite & membris. Dicas agere de mole quadam corporea, quæ partium additione coalescens crescat. At non cōsiderauit in non corporeis id non fieri. Nam dignitas Regis non est maior, vniti cum suis Consiliariis, quàm seorsim considerati. Sic lux Solis maior non est, si addas infinitas faces.

XIX. Rursus Stapletonus: Potuit Petrus ab F Apostolis mitti, non quia mandato illorum parebat, sed quia voluntati & desiderio eorum acquiescebat, qui hoc ex bono Ecclesiæ iudicabant, vt illi principes Apostolorum in Samariam irent. Sed frustra eluditur vis verborum Lucæ. *ἀπέστειλαν πρὸς αὐτοὺς τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην.* Nam *ἀποστέλλειν* est mittere cum mandatis. sic vt ea missio pendeat ab autoritate mittentis: vt Ioannis primo: *ἀπέστειλαν οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων ἱερεῖς καὶ Λευίτας. Miserunt Iudæi Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas.* Secundæ ad Timo- G theum quarto, *Τυχικὸν δὲ ἀπέστειλα εἰς Ἔφεσον, Tychicum misi Ephesum.* Et aliàs sæpissimè, atq; adeo Actorum vndecimo: *ἐξαπέστειλαν Βαρνάβαν, miserunt Barnabam.* Quo verbo benè cauit Lucas ne vteretur Actorum decimo, quum ageret de Paulo, & Antiochena Ecclesia.

XX. Superest Sanderi querimonia, à nobis in A hac caussa bonam fidem requirentis, capite quinto sexti de Visibili Monarchia: Si plurima (inquit, & penè infinita Scripturæ Sanctæ loca non essent, quę abundè testatum redderent D. Petri primatum, alicuius forte ponderis vnus hic locus esse posset. Nunc autem fas non est, ob vnum missionis vocabulum, quod & ambiguum esse videmus, & alio modo rectè interpretari possumus, tantas Petri prærogatiuas irritas reddere. At nos multo magis in B Sandero frontem requirimus, qui ausit asserere, tum infinita Scripturæ testimonia Oecumenicum Pontificatum probare: tum à nobis vllas irritas fieri Petri prærogatiuas. Quod hæc tota disputatio falsissimum euincit. Poterit ergo deinceps cum bona Sanderi venia nostra fides laudari in hoc argumento, vt in aliis: & hic locus magni esse ponderis apud omnes pios.

C

Cap. III.

De Petro accusato & reprehenso.

I. OEcumenicus Pontifex est *ἀνεπίληπτος*, id est, extra omnem reprehensionis aleam: At Petrus non fuit *ἀνεπίληπτος*. Ergo nec fuit Oecumenicus Pontifex. Maior patet ex doctrina Pontificiorum, iisque prærogatiuis, quas enumerauimus capite primo libri decimi, huius ipso tomo. D

II. Assumptio probatur duobus Scripturæ locis luculentis. Primus est Actorum vndecimo, *ὅτε ἀνέβη Πέτρος εἰς Ἱεροσόλυμα, διεκρίνοντο πρὸς αὐτὸν οἱ ἐκ περιτομῆς, λέγοντες, ὅτι πρὸς ἄνδρας ἀκροβυστίαν ἔχοντας εἰσῆλθες, καὶ συνέφαγες αὐτοῖς. Quum ascendisset Petrus Hierosolymam, certarunt aduersus eum, qui erant ex circumcisione, dicentes: Ad viros præputium habentes introisti, & vna edisti cum eis.* Nec Petrus differt: queriturve minui suā E autoritatem: non clamat sibi in iis quę faciat voluntatem esse pro ratione: nō asserit sibi animas cateruatim ad gehennæ mancipium ducenti, non esse dicēdum, Cur sic facis? sed ingenuè, placidè, commodèque caussam dicit. Constat igitur ex verbis Lucæ, Discipulos non modò intra se Petri factum non probasse, sed etiam mentem suam aperuisse: & quidem non absque verborum quadam vehementia: *τί ἐστι, διεκρίνοντο; ἐσκανδαλίζοντο, φησὶν, ἐμέμφοντο. Quid est διεκρίνοντο? offendebantur non parum:* inquit Chrysostomus. Et Gregorius ad Theoostam libri noni Epistola trigesima nona, non tantùm quæstionem contra Petrum, sed etiam reprehensionem nominat. F

III. Hoc argumentum recitat quidem Bellarminus capite decimo sexto libri primi: sed dissimulat, non soluit: tantùm probare conatur, non fuisse Petro ignotum mysterium vocationis Gentium ante illam lintei visionem: quod & contradici potest, & est *ἀπερινόητον*, vt facile indicant omnes sani.

IV. Stapletonus, tum in Antidotis Apostolicis, tum in Principiis libri sexti capite decimo quarto, tum in Relectione controuersia tertia, quæstione G prima, articulo tertio, respondet, Esse officium boni pastoris (vt ipse docuit Petrus Epistola prima capite quinto) paratum semper esse ad satisfactionem, omni poscenti eum rationem de ea quæ in ipso est, spe, & fide, cum modestia. Itaque, non lædi primatum, quod sic modestè ageret. Alioquin nullum fore cæteris prælatum pastorem. Tum Gregorium

citat

citat ac Theotistam, *Querela*, inquit, *fidelium non ex* A *potestate, sed ex ratione respondit. Si enim cum à fidelibus culparetur, autoritatem quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere sic poterat, vt Pastorem suum oues quæ ei commissæ fuerant, reprehendere non auderent.*

V. At ego excipio: primum, esse igitur immanem illam tyrannidem, quæ Papam reddit nulli obnoxium examini, aut rationi. Secundò, non responderi ad argumentum, quod sumitur ex eo quod licuerit Discipulis à Petro rationem exquirere rei gestæ. Quod illos quis credat fecisse, eo fidei initio, B si inaudissent canonem *Si Papa*? Non fuere autem prælatos Pastores cæteris, malè concluditur: non enim quicunque præfertur, est αὐτόδικος. Gregorius confidentiùs loquutus est, quàm veriùs. Nunquam enim illum Scriptura docuit, non licere ouibus Pastorem reprehendere. Imò contrà Paulus, etsi non facilè, admittendam tamen docet accusationem contra Episcopum. Itaque cùm modestè Petrus respondit, non de suo iure quicquam remisit, sed potiùs officium fecit.

VI. Alter Scripturæ locus est secundo ad Galatas, *Quum venisset Petrus Antiochiam*, inquit, κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν: *in faciem ei restiti, eo quòd esset condemnandus*. Hoc autem quid est? Chrysostomus. Παῦλος ἐπιτιμᾷ, καὶ Πέτρος ἀνέχεται, ἵνα ἐγκαλουμένου τοῦ διδασκάλου καὶ σιγῶντος, εὐκολώτερον οἱ μαθηταὶ μεταθῶνται, *Paulus obiurgat: & Petrus sustinet: vt dum magister obiurgatus obticescit, facillimè discipuli mutarent sententiam*. Ergo illud, *restiti in faciem*, non tantùm ἔγκλημα, sed etiam ἐπίπληξιν significat: imò & D ἐπιτίμησιν σφοδροτέραν, acriorem increpationem. Nam & eam paulo post Chrysostomus sic nominat. Docet autem Paulus, non tantùm se restitisse Petro: sed etiam iure restitisse, id est, non temerè, aut prætergressum limites sui aut ordinis, aut officij: sed quia factum oportuerit, *Quod nunquam auderet* (inquit Glossa ordinaria, & Lombardus) *nisi se non imparem sentiret*. Imò verò Caietanus. *Non sufficit Paulo monstrasse se æqualem aliis Apostolis primis: Sed monstrat se quoque exhibuisse maiorem in actione summo Apostolorum* E *vertice Petro.*

VII. Malè habet Papistas hic locus, adeo vt à Baronio appelletur lapis offensionis, Petra scandali, & historia captu difficilis, & scaber locus. Quid-ni ergo lapidem omnem moueant, vt lapidem istum amoueant? Salmero tomo decimo quinto, disputatione vigesima tertia & quarta. Baronius ad annum quinquagesimum primum paragrapho trigesimo secundo & sequentibus. Pighius Hierarchiæ libro tertio, capite vndecimo. Polus de Vnitate Ecclesiæ libro secundo. Bellarminus decimo sexto capite libri primi de Pontifice. Stapletonus de Principiis libro sexto, capite decimo quarto. Posnanienses Controuersia secunda, thesi sexagesima tertia. Gregorius de Valentia Analysis libro septimo, capite sexto. Alexander Carerius libro primo, capite quinto. Et alij non pauci. Horum alij Pauli narrationem totam suggillant: alij varias solutiones quærunt.

VIII. Suggillant, historiæ veritatem in dubium vocantes: quomodo olim non satis consideratè à quibusdam factum: quorum errorem discuperent hodie renouari, dum suo gratificarentur Tarpeio Ioui. Respondetur primò (inquit Carerius) non Petrum Apostolum, sed quendam alium à Paulo reprehensum: teste Clemente Alexandrino apud Eusebium libro primo historiæ, capite decimo quarto. Et Pighius, hac occasione, in huius Clementis laudes digreditur. Sed hoc figmentum meritò iam explosum ab Hieronymo in hunc locum, negante alium sciri Cepham, quàm eum, qui modò Cephas, modò Petrus inscribitur. Et sanè tota orationis series satis ostendit Paulum sese comparare Petro, quem etiam inter columnas Ecclesiæ numerat. Quis autem credat, adeo pueriliter ridiculum fuisse, vt nominato Cepha pro Petro, statim alium quendam eodem nomine proferret, nulla annotata differentia? cùm Euangelistæ nunquam Iudam B fratrem Domini nominent, absque aliqua nota, qua discernant ab Iscariote. Itaque non admittitur hoc commentum à reliquis Papistis. *Hæc nec olim placuere Hieronymo* (inquit Spondanus breuiator Baronij), *nec nunc nobis.*

IX. Alij nescio quam simulationem repetunt ab aliquot Veteribus. De Valentia: Si maximè (inquit) illud ab eo non simulatè, sed ex animo sit factum. Pighius: Haud improbabilis sententia est, simulatam fuisse illam reprehensionem Pauli. Carerus. C Secundò, non verè, sed simulatoriè Petrum fuisse reprehensum. Et sanè sic olim Hieronymus disputabat contra Augustinum, ex quorundam interpretum autoritate: inter quos Chrysostomus est, qui totus in eam partem discessit. Censent verò ex composito factum, vt Petrus, Iudæis aduenientibus, discederet à Gẽtibus: vt ansam Paulus haberet eius reprehendendi. Et argumenta habent: primum: quia Petrus sciebat Ecclesiam esse à iugo legis Mosaicæ liberatam: itaque sententiã dixerat in Concilio. Secundò, quòd ipse etiam Paulus nõnulla legalia obseruarit, vt accommodaret se Iudæis. Tertium, quia Paulus dicat, se restitisse κατὰ πρόσωπον.

X. Sed hoc commentum validissimè Augustinus refutauit, scriptis Epistolis ad Hieronymum, ostendens hanc simulationem, id est, mẽdacium non decere sanctitatem Scripturæ. Et huius maximè in qua tam sanctè deierat Apostolus se non mentiri, primo capite, *In iis quæ scribo vobis ecce coram Deo non mentior*. Tum argumenta sunt nihili. Non enim dixit Paulus, Petrum perperam credidisse, aut docuisse subiiciendam esse Ecclesiam ceremoniis legalibus: sed contra quàm docendum esset, fecisse. Itaque, ἰδὼν, inquit, ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ Εὐαγγελίου, *Vidi non rectè incedere iuxta veritatem Euangelij*. Imò notat antè aduentũ quorundam Iudæorũ liberè vixisse cum Gentibus. Non obstat ergo illa in Concilio lata sententia, quominus tunc Petrus nõnihil commiserit contra officium. Porrò constat, eum sciuisse non abnegandum esse Christum: sic etiam protestabatur, *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te abnegabo*. Matthæi vigesimo sexto. Et tamen nemo dixit postea, ex composito negasse, quum ter dixit, *non eum*. Cur hic magis?

XI. Obseruauit sanè quædam legalia Paulus: nec verò eam ob caussam Petrum increpuit: sed, quòd absentibus Iudæis liberè cum Gentibus vesceretur; iis autem præsentibus ab illis discederet: quod nunquam Paulus fecisse comperitur. Itaque nunquam G quisquam legitur eius exemplo inductus ad huiusmodi obseruationes: quod factum exemplo Petri disertè conqueritur. Nam aliud, longè aliud erat, quum in medio Iudæorum Paulus versaretur, accommodare se eorum ritibus, quos nondum vt perniciosos odisse licebat, sed vt ἀδιάφορα paulatim omittere: aliud rursus, quum esset Petrus in mediis Gentibus, subitò ab eorum conuictu discedere: quod fieri non poterat, quin foueretur odium illud

Iudæorum, quo Gentes tanquam fœdere indignas A prosequebantur.

XII. Illud verò κατὰ πρόσωπον nescio verùm alibi; certè in toto N. Testamento non repetitur eo sensu, vt significet simulationem, & fictionem: sed potius id quod fit in præsentia. Lucæ secundo: [illegible] κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν, *Quod præparasti ante faciem omnium populorum.* Actorum tertio, [illegible] κατὰ πρόσωπον Πιλάτου, *Quem vos tradidistis. Et abnegastis ante faciem Pilati:* & B vigesimo quinto, [illegible] κατὰ πρόσωπον [illegible], *priusquam is qui accusatur ante faciem habeat accusatores.* Posteriori ad Corinthios decimo: τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε, *Quæ ante faciem sunt videtis:* Id est, quæ in oculos incurrunt. Syrus Interpres dixit [illegible] κατὰ [illegible], *ad nares eius*, id est, in faciem eius, quod profectò aliud significare non potest, quàm in præsentem præsenti. Itaque Thomas, *manifestè.* Sa, *palam, coram.* Lombardus, *non in occulto, sed coram omnibus, quibus nocebat.* Videant ergo simu- C lationis patroni, vnde sua colligant exempla. Tum verò, quid alienius ab instituto Pauli potuit fingi? Volebat sui ministerij autoritatem commendare, imò verò suam doctrinam stabilire. Itáne verò fit ex ficta, simulata, mendaci historia? Imò impostorem Galatæ iam, non nimium bene in eum affecti, statim clamassent. Et Petrum prævaricatorem esse sent detestati.

XIII. Iam alij in eo laborant, vt eleuent Petri peccatum. Idque dupliciter: sunt qui dicant Petrum D errasse non in fide aut doctrina, sed in conuersatione. Sic Sanderus Monarchiæ libro sexto, capite quarto. Et Stapletonus de Principijs libro sexto, capite decimo quarto. Et Posnanienses, & alij. Itaque nihil officere eius primatui. At longè audacissimus Baronius omnino nihil peccasse contendit longa disputatione, sed perplexa, & obscura. Summa est: Potuisse Apostolos vti legalibus absque vlla vel leuissima culpa, secundùm loci, & temporis rationem. Iam verò & loci & temporis rationē postulasse, vt E legalibus tunc Petrus vteretur. Hoc probat, quia vitandum erat illi scandalum Iudæorum, qui Hierosolymis venerant, quorum patrocinium susceperat. Hi autem magnas turbas excitâssent, si non tantum non fuisset illis concessum, in Gentiles legalia propagari, vt optabant, sed etiam ipsi Iudæi penitus legalibus spoliarentur, & ad Gentilitatem redigerentur.

XIV. Sed hæc inepta est euasio. Non enim à culpa Petri argumētum ducitur, sed à Pauli repre- F hensione: fieri autem potest, vt eos reprehendamus, qui non peccent, sed nobis videantur peccare. Attamen reprehensio, & maximè [illegible], fieri non solet, in eos quibus sua voluntas est ratio: quique à nemine mortalium propterea reprehendi possunt, aut saltem debent: cuiusmodi isti fingunt suum Oecumenicum. Itaque multo minus interest, quomodo peccauerit, dum peccauerit; siue cōtra fidem, siue in conuersatione. Imò, si tantùm in conuersatione: tum magis ad rem argumentum. G Nam qui nolunt Papam reprehendi, excipiunt si à fide sit deuius, siue hæreticus: tum enim concedunt posse reprehendi: etsi eum casum plurimi censeant nō posse euenire. Est ergo doctrina Papistarum Papæ corruptissimos mores à nemine reprehendi posse. At hic Petri mores sunt reprehensi, ergo certum est Petrum non fuisse Papam.

XV. Qui autem Petrum absoluunt ab omni culpa, ij præ partium amore non vident quid agant. Nam certè Paulus mentitus esset, qui primò dixit, non incedere recto pede secundùm veritatem Euangelij: secundò, esse κατεγνωσμένον aduerbum, *reprehensum*: sed Hebræorum idiotismo, pro reprehensibili. Nam alias nullus, nec ineptus sensus esset: quid enim est restitit ei in faciem, quia reprehensus est. Itaque Iustinianus: *Significat Apostolus Petrum fuisse dignum, qui reprehenderetur, ac damna-* B *retur.* Tertiò, eo facto dixit Paulus reliquos coactos iudaizare. Quæ omnia eò tendunt, vt quod fecit, iure fecisse Paulus doceat. At si iure fecit, profectò Petrum necesse est culpa non vacare. Nam quis insontem iure culpari dicat? Et certum quidem, potuisse Apostolos Iudaicis ritibus liberè tum temporis vti; quum non abijcienda, sed honorificè sepelienda lex esset: itaq; loci, temporisque, ac personarum habendā rationem. Sed quis non miretur, post tot demum cēturias annorū, melius eam temporis, loci, personarum rationem esse cognitam, Baro- C nio quam præsenti Paulo. Et quidem, quum eam historiā nemo habeat nisi à Paulo narrante? Repeto. Paulus tum aderat Antiochiæ: videbat, cognoscebat, numerabat personas tunc præsentes, siue è Gentibus, siue è Iudæis: sciebat, quando id fiebat, vtrum ante, an post Concilium: & cognitum, & in caritate, atque adeo, honore Petrum habebat: & tamen pronunciat Petrum peccasse. At Baronius, tredecim post id tempus seculis, aut paulo minus natus, nunquam fuit Antiochiæ, & hæc commentans D Romæ fuit: Earum personarum quæ tum aderant, quarumque habenda erat ratio, nunquam quenquam vidit, numerum etiam ignorauit. Imò eorum omnium nihil nouit, nisi quantum à Paulo didicit: Et tamen audacter pronunciat in Petrum nullam suspicionis culpam cadere. Hoccine, an illud iustius iudicium?

XVI. Sed habenda ratio fuit Iudæorum. Cur, inquam, potius quàm Græcorum? Nam Antiochiæ res gesta. Antiochia extra Iudæam. Itaque longè E pluribus Græcis abundabat. Tum Iudæi aduenerant, vt ita dicam, per accidens: venerant enim Hierosolymis: at Græci incolæ. Quis autem non potiorem habendam putet rationem Ecclesiæ totius præsentis, quàm paucorum peregrinorum? At Petrus erat Iudæorum patronus, & protector. Impudens commentum! Quasi tum Iudæi & Gentes in Ecclesia essent, quomodo hodie monachorum ordines in Papatu, qui singuli suos Cardinales eligunt sibi Patro- F nos, & protectores. Fabulæ. Petrus Iudæos docendos susceperat: protegendos nemo vnquam dixit. Neque ij erant Apostoli, qui se partium studio sinerent abripi: imò qui partes in Ecclesia esse paterentur. Itaque in Concilio Hierosolymitano Petrus ipse, Gentium potius caussæ fauit. Tum, quænam Iudæis scandali caussa? An, quod non tantùm Gentibus non imponeretur iugum legis, sed etiam Iudæis auferretur? Nam id Baronius dicit. Atqui primo, idipsum erant potius docendi. Deinde cur G magis inde à Petro periculi, quàm à Paulo? Nam & hic Iudæus erat, & gentiliter viuebat. Itaque scandali caussa erat, si erat. Tum qui fit, vt maius id periculum esset à facto Petri, quàm à Pauli reprehensione, imò increpatione? Ita furore cæci, non enim tam tantùm amore, sic Petrum purgant, si purgant, vt Paulum damnent.

XVII. Sed alij aliter soluunt. Stapletonus: Paulus, inquit, reprehendit Petrum, nō quia Petrus

[illegible]: sed quia maior quum esset, voluit [illegible] minor, id est, passus est modestissimè se [illegible] minori fratre argui. Et citat testes Augustinum de [illegible] contra Donatistas lib. 2. cap. 1. *Apostolus Petrus, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, à posteriore Apostolo Paulo, correptus est.* Epistola 1[illegible]. *Est laus iusta libertatis in Paulo: & sancta humilitatis in Petro.* In Commentariis in hunc locum, *Firmitas & charitas Petri, cui ter à Domino dictum est, Amas me? pasce oues meas. obiurgationem posterioris pastoris pro salute gregis libentissimè sustinuit. Nam erat, qui obiurgabatur ipso obiurgatore suo admirabilior & ad imitandum difficilior. Facilius enim est videre, quod in alio corrigas, atq; id obiurgãdo corrigere, quam videre quod in te corrigendum sit, libenterq; corrigi vel per teipsum, nedum per alium, adde per posteriorem. adde coram omnibus.* Cyprianum ad Quintum, *Nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, quum Paulus de circuncisione postmodũ disceptaret, se vindicauit, aut arroganter aliquid, vel insolenter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potius oportere.*

XVIII. Atqui argumentum nostrum est ex eo quod Paulus fecit; non ex eo quod Petrus passus est. Pati enim possumus, & à maiorib⁹, & ab æqualibus, & à minoribus: itaq; sanè ridiculè nos facerer arguere, si sic, Petrus passus est se redargui à Paulo: Ergo Paulus fuit Petro æqualis. Sed nos proferimus Pauli factum resistentis, siue opponentis se Petro. Necesse est enim id eum fecisse aut suo iure, aut contra officium. Hoc quis ausit dicere? Illud ergo certum. Quod si iure Petrum Paulus obiurgare potuit: nemo autem Pontificem Oecumenicũ: quis neget sequi, nõ fuisse Petrum, Oecumenicum Pontificẽ?

XIX. Præterea, illud *passus est se argui:* dupliciter intelligi potest, vel sic, vt ideo reprehensus sit à Paulo, quia passus est, siue, vt idem Sanderus loquitur, quia voluit: vt reprehensionem præcessisse voluntas putetur; quomodo Romanorum Imperatorum quispiam, ei quẽ magistratum constituebat dixisse fertur. Tu istoc gladio in me ipsum vtere, si cõtra leges quid facio: quibus verbis subiiciebat se illi magistratui, cui alias ab eius nutu pendendum erat: vel vt censeatur ea voluntas successisse reprehensioni: hoc est, Petrum, postquam vidit se ita reprehensum, patientiæ suæ atq; humilitatis documẽtum dedisse: quum nõ indignaretur. Prior sensus est absurdus, ineptus, alienus: neq; ab vllo Veterum assertus: haud scio etiã, an à quopiam recentiorum. Imò contrà Ambrosius, *Quis cæterorum auderet Petro primo Apostolo, cui claues regni cælorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis, vt Petrus?* Nã si voluisset, id est, iussisset, nemo erat vel è postremo ordine, qui non esset ausus: quemadmodum Papæ confessionarius esse potest, etiam quilibet sacerdotulus, dum ab eo delectus. Posterior autem sensus, verus est: & eum Patres in animo habuerũt, cum Petri modestiam laudarunt. Sic autem pati, non infert maioritatem eius qui patitur: sed animum constantem, & patientem. Nam quis nescit, ne subditos quidẽ semper æquo animo ferre prælatorum censuras? Multo minus æquales? Priorem verò Petrum dici aliàs docuimus, temporis ratione: itemque Paulum, nouellum, & posteriorẽ.

XX. Bellarminus respondet licere minori reprehendere maiorem, modò res postulet, & debita reuerentia conseruetur. Et citat Cyprianum, quẽ paulo antè Sanderus. Augustinum Epistola 19. ad Hieronymum, *Rarius & sanctius exemplum Petrus posteris præbuit: quo non dedignarentur à posterioribus corrigi: quam Paulus, quo cõfidenter auderẽt minores maioribus pro defendenda veritate, salua caritate resistere.* Gregoriũ, qui Homilia 18. in Ezechielẽ, Petrũ dicit factũ esse sequẽtẽ minoris sui; nec dedignari à minori suo reprehendi.

XXI. Atqui, inquam, non quæritur simpliciter, vtrũ Petrus fuerit maior: sed vtrũ fuerit Oecumenicus pontifex. Nam maiorem si concedunt Papistæ à minori reprehendi posse: certè tamen negant Pontificẽ Oecumenicum: nisi fortè iã tandem post lõga tempora suos refutent Canones, qui tanta verborũ põpa negant Papã ab vllo mortalium reprehendendũ; ne quidem si secũ populos cateruatim trahat in gehennã: nullo relicto loco, ne debitæ quidẽ reuerentiæ, quam Bellarminus, non sine caussa, opinor, voluit nominatã. Sed, quid magnũ concessit Bellarminus? licet minori maiorẽ reprehendere? Atqui non tantùm reprehendere, sed *ἀντιστῆναι* Paulus dixit: Dic igitur, Bellarmine, licet-ne Papę resistere? Nam sanè longè plus est resistere, quàm reprehendere.

XXII. Deinde illud ipsum reprehendere, licet-ne simpliciter? Imò, inquit, modò res postulet, & debita reuerẽtia conseruetur. At, inquã, ne maiori quidẽ licet minorẽ reprehendere, si res non postulet. Itaque nihil magnũ dicis. Sed reuerentiam, quam-nã intelligas, velim à te disertiùs explicatũ. Nã si subiectionis testificationẽ voluisti dicere: quomodo inferiores veniam poscunt, culpam deprecantur, audaciæ crimen amoliuntur, multis artificiosisq; præfationibus, eam verò reuerẽtiam Pauli verba nõ admittũt; qui se, vt dixi, non simpliciter reprehendere, sed *ἀντιστῆναι*, resistere, obsistere, sese opponere scripsit. Si est autẽ reuerentia idem cũ modestia, & animo charitatis, sinceritatisq; Christianæ non obliro, potest admitti absq; vllo præiudicio nostri argumẽti. Nam & ea paris est in parẽ: Imò etiã maioris in minorẽ. Vnde prioris ad Timotheũ 5. *Seniorem ne increpato: sed hortare vt patrem: iuniores, vt fratres: Anus, vt matres: iuuenculas, vt sorores.* Et facile credimus Paulum, etsi cũ quadam vehementia egerit, quod notat Oecumenius nominãs *τὸ σφοδρὸν τῆς ἐπιτιμήσεως*, tamẽ saluam semper voluisse huiusmodi reuerẽtiam, quam melius meo iudicio Augustinus fraternam charitatẽ vocat: significans inter hos duos amorem fuisse, qualem fraterna nutrit æqualitas, non reuerentia, qualẽ maiestas Imperatoris, aut Regis gignit in subditis. Itaq; Glossa interlinearis ad illud, *restiti* notat, *Tanquam par.*

XXIII. De Cypriano antea dixi. Hîc tantũ obseruo, falsò Bellarminum dicere, Cyprianum indicare, Petrum fuisse reprehẽsum à minore. Nunquã enim hoc titulo Paulum Cyprianus insigniuit: sed posteriorẽ, sed nouellum dixit: Non est autẽ nouellus & posterior, cõtinuò minor. Ne Augustinus quidẽ minores dixit, quum de Paulo loquitur, sed posteriores. Minores autem tum duntaxat, quum moraliter exemplum applicat, producens longius. Gregorius vix testis est legitimus. Et tamen dico, Minores esse nõ tantùm, qui officij gradu sunt inferiores; sed etiam qui donis personalibus: quã inæqualitatẽ aliàs tractaui, & docui non facere ad Oecumenicum pontificatum.

XXIV. Thomas Aquinas in Commentariis ad Galatas, & Eckius in Enchiridio, pares fuisse cõcedunt Petrum & Paulum: sed distinguunt, *Dicendum,* (inquit Thomas) *quod Apostolus fuit par Petro in exsequutione autoritatis, nõ in autoritate regiminis.* At Eckius: *Paulus reprehendit Petrum, quia attinebat ad ædificationẽ fidei, hoc est ad officium Apostolatus, in quo erant æquales: tamen regimine & potestate, Petrus adhuc erat prior.*

XXV. At Thomæ verba quid sibi velint, ne ipse quidem Oedipus fortè diuinarit. Executio autoritatis, autoritas regiminis. Quid hoc est? Vnam-ne vtrinque & eandem autoritatẽ intelligit, an diuersas? Nam si diuersas, quid lectorem dimittit incertũ, vt nesciat quò se vertat, aut quomodo hanc inæqualitatem intelligat, aut quorsum ea pertineat autoritas? Sin eandẽ potius: ergo sensus erit, Paulum fuisse parẽ Petro in exsequutione autoritatis regiminis, non verò in ipsa autoritate regiminis. Quod rursus quis homo capere queat? Aut quis non videt, quam monstrosum sit asserere, eum esse parem in exsequutione eiusdem autoritatis, qui tamen eandem autoritatem nunquam habuerit? Est enim, nisi me Grãmatica fallit, is par in exsequutione eiusdem autoritatis, qui omnia exsequitur, aut certè exsequi potest, quę sunt eius autoritatis. Iam igitur si ea omnia Paulus exsequutus est, aut exsequi potuit, quę Petrus ex eius autoritatis iure, quam possidebat in Ecclesia tegenda, quî fieri possit, vt eandem autoritatem Paulus non habuerit? & si non habuit, ergo contra ius fasq; exsequutus est. Et si contra ius fasque exsequutus est, tum nullo modo dici potuit par Petro in exsequutione. Itaque absurdissimè loquutus est Aquinas. Sed ita solent Sophistæ sepias imitari, vt cùm capti sunt à veritate, atramento monstrosæ distinctionis conentur effugere.

XXVI. Iam ad Eckium. Primò, quum prohibetur, ne Papam reprehendere præsumat mortalium quisquã, nulla fit exceptio, nisi solius hæreseos: quæ nostro exemplo non conuenit: neque enim tum Petrus erat hæreticus: sed errabat in opere potius, quã in fide. Ergo hoc saltem habemus. Nullus Papa, errans in opere tantùm, potest reprehendi. At Petrus errans in opere tantùm, potuit reprehendi. Ergo Petrus non est Papa. Ad id argumentum neque Eckius respondet: neque alij. Secundò, distinctio Apostolatus, & regiminis, est inepta: primò, quia regimẽ Ecclesiæ pars est Apostolatus: vt apparet ex eo quod singuli Apostoli ea omnia impleuerunt, quæ pertinent ad constituendas & gubernãdas Ecclesias. Secundò, quia ipsa reprehensio peccantium, siue in fide, siue in moribus, maximè publica, qualis hæc à Paulo describitur, pars est regiminis Ecclesiastici. Itaque, si quandam æqualitatem hæc historia significat, & distinguitur Apostolatus à regimine, vt vult Eckius: tum hæc æqualitas esset regiminis, potius quàm Apostolatus: quod tamen est absurdum. Itaq; illud melius, & Apostolatu, & regimine Petrũ Paulo æquari: imò regimine, quia Apostolatu.

XXVII. Non desunt, qui etiam retorquent argumẽtum, & ex ipso loco primatum Petri probant. Nam Polus de vnitate Ecclesiæ lib. 2. *Hoc quidem*, inquit, *procul dubio validum esset argumentum, si quis eo magnitudinem Petri autoritatis vellet confirmare.* Sed contẽtus dixisse, nihil amplius explicat. Nos autem eius animi sensus, quos diuinare non possumus, cur coniecturis indagemus? Sed Baronius paragrapho quadragesimo sexto ad annum quinquagesimum primum, mirum quid ostentat, vnde constet quanti principis Apostolorum æstimata fuerit autoritas. Quid igitur? Attendite. Quia post acceptas à Concilio Hierosolymitano literas, tum Apostolorum sententia, tum diuino suffragio consignatas, iis posthabitis, tanti ponderis exemplum Petri esse duxerunt, vt iudaizantem sequendum putarent, potius quàm Paulum: etiam Barnabas ipse.

XXVIII. Respondeo, primò non esse certum hanc historiam euenisse post Concilium Hierosolymitanum. Videri posse contrà: quia vix sit verisimile, aut non acquieuisse vtrosque, id est, tum Iudæos, tum Gentes, statutis eius Cõcil[ii]: aut ... in ipsum ... titubasse incertum Iudæos inter, & Gentes. Sed enim tum Baronius, tum Salmero, nullo inducuntur argumento, nisi quia Paulus hanc recitat statim post eam prouinciarum diuisionem. Et hanc supponunt factam in eo Concilio. At si quis negerat actam diuisionem in Concilio: aut Paulum ... seruasse ordinem temporum, nihil habent quod dicant. Deinde, vt concedamus, tamen nulla est consequentia. Prætulerunt exemplum Petri, statuto Con[cilii]. Ergo Petri autoritatem summ[am] existimarũt. Tum, quia non necesse est comparasse Petrum Concilio: sed simpliciter in rem præsentem attendisse, vt fit: tum quia non sequitur, vt quorum exẽplum sequimur, eorum autoritatem maiorem putemus quàm reliquorum: sed vel quia eò rapiat nos inclin[a]tio nostra: vel quia potentius exempla præsentia mouent. Denique, ex facto perperam agentium, nihil le[giti]mè concluditur. Multo rectius contrà: Paulus autoritatem Concilij prætulit exemplo Pe[tri]: & rectè iudicauit: Ergo Paulus non censuit autoritatem Petri esse summam: imò verò esse potius ... Concilium.

CAP. IIII.

Vtrum Petrus exercuerit Oecumenicum Pontificatum.

I. SI Petrus accepisset Oecumenicum Pontificatum, ergo eius opera aliquando exseruisset. At nunquam exseruit. Ergo non accepit. Consequẽtia patet: quia valde est absurdum, vt ii habere dicatur munus aliquod, quo tamen nunquã vsus ... fortè aliquis fingatur deses, & negligens miru[m] in modum: qualem fuisse Petrum, nunquam sibi persuaserit, qui eius τὰ πράγματα, καὶ τὰ ἀρετὰς observarit, tum in Euangeliis, tum in Actibus: aut saltem in ea tempora incidisse, quæ eo munere non indigerent: vt nonnulli reges, nunquam bella gessere: non quòd non haberent ius belli gerendi: sed quòd aut materia, aut occasio belli nulla esset. At hæc exceptio in Petro locũ habere non potest: certè enim aut nunquam, aut statim initio Ecclesiæ necesse fuit, vt suam vim Pontificatus ostenderet.

II. Assũptio probatur: quia, quæ propria sunt Oecumenici Pontificatus, ea præter Oecumenicũ Pontificẽ nemo gerere potest. At quæcunq; Petrus gessisse ostenditur è Scripturis, aut etiam ex Antiquis patribus, ea quilibet Apostolorum poterat gerere. Ergo, quę gessit Petrus, non erant propria Oecumenici Pontificatus. Assumptio constabit cuilibet, percurrenti vitam Petri; & obseruanti quæcunq; gessisse dicitur, etiam apud recentiores qui Paparum vitas scripserunt. Probatur iterum inductione eorum quę sibi arrogant peculiariter Romani Pontifices. Non fuit ab Apostolis reliquis ad eum appellatum. Non imperauit vnquã vlli Apostolorum. Solus nunquam aut sua autoritate controuersias religion[is] ... Nõ soli sibi arrogauit ius cõdend[or]ũ Ec[clesiæ] ... Nõ Cõcilia indixit: nullos habuit sibi cas[us] rese[ruatos] in quib⁹ (vt loqui mos est) nõ possent ... sare. Nõ iactauit posse ex nõ iure ius ... N...

…tis se Imperatori: Non vsurpauit vtrumque gladium, aut dixit posse auferre, transferreue regna. Non similia multa, quæ hodie sibi bipedum superbissimus vendicat Episcopus Romanorum. Ex omnia si nec verbo, nec facto Petrus vnquam sui iuris esse docuit, perspicuum est non gessisse se pro Oecumenico.

III. Et tamen colligunt quidam nonnulla: sed talia, vt videri possint præuaricatores agere in caussa tanti momenti. Eckius in locis communibus, & Stapletonus, in Relectione Controuersiæ tertiæ, quæstione prima, articulo tertio: Gregorius de Valentia Analysis libro septimo, capite sexto. Pronunciauit, Iudam proditorem Apostolatu, & Episcopatu suo excidisse, Actorum primo: vbi autoritatem pontificiam in deponendis Episcopis primus exercet. Direxit ordinationem Matthiæ in Apostolum. Defendit omnes Apostolos in die Pentecostes, Actorum secundo. Omnium primus mirabiliter fidem confirmauit in curatione claudi, & quidem coram Ioanne, Actorum tertio. Protulit sententiam mortis in Ananiam & Sapphiram, Actorum quinto. Simonem magum coercuit, Actorum octauo. Iussus est Gentes in suam potestatem suscipere, Actorum decimo. Antiochiæ, orta contentione magna circa fidem, quamuis non deessent tunc ibi Apostoli, & seniores, Paulus, Barnabas, & alij, tamen ascenderunt Hierosolymam, vt ab ipso afferrent solutionem, vt annotauit Theodoretus Epistola ad Leonem magnum. In Concilio Hierosolymitano primus sententiam dixit, cui reliqui assentiuntur.

IV. At hæc quædã falsa, omnia inutilia sunt. Quis enim non videat deponendorum Episcoporũ autoritatẽ exsertam in Iuda proditore? At Petrus nõ deposuit Iudam. Nec vllum est vel tenue vestigiũ, quo id significetur: & Iudas iam erat mortuus. Tantum igitur narrat Petrus quid illo factum sit, & recitat prophetiam, qua iã antè prædictus erat is eius scelerati exitus. Et hæc depositionem olent? Iussum esse gentes in suam potestatem recipere, nusquã dixit Scriptura: ne ipse quidem Petrus, cuius id intererat maximè. Imò & eam visionẽ testatur eò pertinere, vt ne amplius Gẽtes crederentur immundæ, alienæ à gratia Dei. Ascendisse Paulum Hierosolymã vt à Petro solutionem ferret, dixit quidem Theodoretus: sed si à solo; cõtradixit Lucæ disertissimis verbis, qui eum testatur ascẽdisse ad Apostolos & Presbyteros. Nemo autem dubitat in omnes partes maiorem esse Lucæ, quam Theodoreti autoritatem.

V. Iam verò quid illa omnia ad Oecumenicũ pontificatũ? Nam Episcoporum depositio nõ erat solius Petri: quis enim dubitat & potuisse cæteros simul Apostolos ab ouili mercenarios amouere? Imò verò quos nõ amouit Petrus, sed amotum diuino iudicio admonuit, cuius hominis nõ est, ne dicam Episcopi, diuinorum iudiciorum in impios plebem suã admonere? Et denique, quis nescit, non solius Romani eas partes olim fuisse, scilicet deponẽdorum Episcoporum? Nam etiam Synodi particulares ea autoritate sunt vsæ. Direxit ordinationem Matthiæ. Imò, nõ direxit, sed proposuit. Discipuli assensi sunt; atque ita gestum negotium. Tum quis nescit, non directionẽ, sed autoritatem electionis: imò verò nõ electionis, [illegible] electationis, id est, [illegible] primæ [illegible] indicare potest? Quanquam [illegible] impositæ dicuntur ab Apostolis: [illegible] quod deinceps nunquã factum: nimirum, quia de Apostolo agebatur, non Episcopo.

VI. Defendit Apostolos. At quomodo: Potestate, an oratione? Illud talium: hoc verò inutile: nõ enim quisquis pro aliis orat, is eorũ est caput. Primus curauit claudũ. Imò solus, quod quidẽ sciamus è Scripturis; sed id nihil ad rem, vt aliàs docuimus. De Anania & Sapphira, nihil mirum, aut nouum: sed ea potestas Apostolica erat, non Oecumenica: quomodo cũ Paulus Elymam excæcauit: & Ioannes Cerinthum extinxit in balneo. Simon magus coercitus, quid plus habet, quam Elymas increpatus? Ergo rursus, opus fuit Apostolicum.

VII. Gentes suscepit: primus, an solus? si primus, nulla vis argumenti: si solus, mendaciũ: nam Paulus suscepit, & alij. Postulatur à Petro solutio. At quicunq; dubitantibus consulit, non est statim Oecumenicus: tũ neq; à solo Petro postulatur. Primus si sententiã dixit; cui non videtur, certè nõ necessariò concluditur, ex Luca: sed si primus dixit, quæ tanta ea autoritas est, vt inde euocatur fuisse Oecumenicus? Atqui in Conciliis, aut semper, aut ferè semper, qui præsidet, postremus omniũ sententiam dicit, vel certè prorsus non dicit, sed decretum pronunciat. Nihil ergo Petrus gessit, quod redoleat tyrannidem Romanam.

CAP. V.

De Cypriano & Hieronymo.

I. NVnc Patrum testimonia audiamus. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ, *Hoc erant vtiq; & ceteri Apostoli, quod Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis.* Vbi animaduertenda Cypriani diligens curiositas. Multum dixit, cùm asseruit idẽ fuisse cæteros Apostolos, quod fuit Petrus: & hæc verba disertissimè æqualitatem significabant. Sed non contentus eo, addit primo, *consortium*: & quia potest etiã aliquando consortij quædã species esse inter impares, expressit *par cõsortiũ*: vt ne reliquos intelligas subsistere in gradu aliquo inferiori. Deniq; qua in re illã cõstitueret paritatẽ, testatum voluit, quum honorem nominauit, & potestatẽ: quibus quid amplius quisquam quærat in Petro? Rursus idem Cyprianus ibidem, *Apostolis omnibus post resurrectionem suam* Christus, *parem potestatem tribuit.*

II. Locus est tum momento magnus, tum perspicuitate disertissimus. Itaq; non est quod quisquam quærat, verum neglectus fuerit ab aduersariis. Nullũ enim artificium est, non adhibitum, si non eleuãdo, certè obscurãdo. Primò, Pamelius contextũ vellicat. Nõ est, inquit, quod pro se istud torqueant aduersarij contra Petri primatũ: præsertim si iuxta Manutiũ legatur, ad quem quàm proximè accedit Cãbronensis Codex. Ea autem lectio cùm aliis modis varia est, tum ita habet, *Hoc erant, & cæteri quod Petrus, sed primatus Petro datur, vt vna Ecclesia, & cathedra vna monstretur.*

III. Enimuerò facilis, & ad cõpẽdiũ expedita solutio. Quid nõ enim cõmodè diluas, si radas? Tũ verò nos sic infinitis è locis nos expediemus. Sed vafritiẽ vide. Primò, vnum aut alterum codicẽ habet, quem sequatur, vnum Manutij, alterum Cambronensem: præterea nullũ. Et tamen solent Criticorũ peritissimi præferre plures codices paucioribus, si nulla cõtra cogit ratio, aut necessitas: at iste vellet pauciores pluribus opponi: nulla significata ratione, sed duntaxat ex mero caussæ præiudicio. Quo etiam factum, vt non tantùm libenter illud admiserit, *Primatus Petro datur*, non malè meo iudicio, etsi pluribus

refragantibus codicibus: sed etiam ista, *Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit*: quæ meram glossema redolent, & in quibusdam editionibus non leguntur. Sed nos, quod isti homines sibi permittunt, haud æquum est pati. Deinde non est, inquit, quod pro se torqueant: præsertim si ita legatur. Diceres habere aliquid magni momenti, quod diceret in explicationem eius loci, cui postea subseruiret varia illa lectio. Sed id quantivis fuerit momenti, fuit vanescere in auras, nullo relicto vestigio. Ergo nos alibi quæramus.

IV. Agricola de Primatu S. Petri, capite tertio, arguitur ab absurdo. Si primatum habuit inter Apostolos Petrus; ergo, omnino & in omnibus pares non fuerunt Apostoli. At primatum habuit: teste eodem Cypriano eodem loco. Respondeo, Primatum intelligi, vel de tempore, vt suam dignitatem Petrus obtinuisse dicatur antequam reliqui suam: vel de quantitate dignitatis; vt maiorem habuisse quis putet dignitatem, quam reliqui habuerint. Priori sensu negatur consequentia. Quemadmodum enim nihil prohibet, quominus qui Lino successit Clemens, & honoris & potestatis consortio par fuerit Lino; etsi Linus primatum obtinuerit: sic nihil est absurdi, si dicamus reliquos post Petrum à Christo vocatos ad Apostolicum munus, pares fuisse Petro. Sin autem sumatur alter sensus, negatur assumptio: qua de re aliàs actum.

V. Ioannes Hayus Disputationum libro primo, & Bozius de Signis Ecclesiæ libro decimo octauo, capite primo, & ante eos Turrianus de Ecclesia & ordinationibus, libri primi capite nono, syllabas aucupantur. Intelligendum est (inquit Hayus) ante institutum à Domino Ecclesiæ principatum. Omnes enim erant Apostoli: at vbi à Domino creatus fuit D. Petrus Ecclesiæ vniuersæ princeps, & pastor, fieri non potuit, vt cæteri Apostoli essent illi omni honore & potestate pares. Bozius seuerius; Manifestissimè Cyprianum esse aduersus nos. Inquit enim Petrum fuisse quod cæteri Apostoli: sed apertè dicit eodem loco idem, non esse amplius, ex quo dictum est illi, *Pasce oues meas*: ex eo namque non est pari honore, ac potestate: sed ab ipso vno habet vnam originem potestas & honor aliorum.

VI. Sed in his multa peccantur. Primò Bozius manifestò ementitur verba Cypriani, quæ nulla sunt. Vbi enim dixit non esse amplius cæteros Apostolos pares Petro? Atqui (inquit) ex quo illi dictũ est, *Pasce oues meas*: non fuit pari honore, ac potestate. At, inquam, hoc glossema est Bozij: non manifestum dictum Cypriani: qui vult in eo ipso pascendarum ouium munere pares fuisse Petro reliquos: tantùm Petro primatũ fuisse datum, videlicet temporis, vt sæpe dictum.

VII. Secundò, itur contra Cypriani mentẽ, qui disertè post resurrectionem dicit reliquis esse datam parem potestatem cum Petro: nempe quum eis dictum, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. At primatũ Petri arcessit ab iis verbis, *Tu es Petrus*. Quid nũc obscuri esse potest? Primatus in eo consistit, quòd Petro suum munus mandatum est ante resurrectionẽ, reliquis verò post. At æqualitas in eo quòd post resurrectionem reliquis Apostolis idem honor, eadẽ potestas concessa sit, quæ Petrus habuerat ante resurrectionem. Itaque perperam fuit sic intelligitur, quasi dictum esset, ante resurrectionem Petrum nõ habuisse primatum, sed fuisse tantum Apostolum: at post resurrectionem, factos quidem esse reliquos Apostolos; at Petro additum primatum. Hoc verò alienissimum est à Cypriano commentum. Itaque & quidam codices legunt: *Hoc erant cæteri, quod Petrus*: non, *quod fuit Petrus*.

VIII. Et tamen etiamsi legatur; quis non videt sic loqui potuisse Cyprianum, vt se diu post Petrum vixisse cogitaret? Nam & *erant*, quis nescit esse pro *fuerunt*? Quemadmodum dicere possum: Hoc erat Clemens, quod fuit Linus. Nimirum quia vterque iampridem desiit esse.

IX. Tertium illud, *à Petro vno habet vnam originẽ potestas & honor aliorum*, est præter mentem Cypriani qui potius dixit, *Vnitatis eiusdem originem ab vno incipientẽ*. & post: *Exordium ab vnitate proficiscitur*, originem & exordium appellans ratione temporis: quomodo dicere possumus Consules Romæ originem habuisse à Bruto: Imperatores à Iulio: Reges à Romulo: quia in iis primis ea potestas fuit instituta, non quòd eam illi reliquis sic communicarint, vt ab iis successores penderent: quomodo officiariorum originem dicat quis, quanquã ἀκυρολογῶν, esse in Rege, à quo & creantur & pendent, & tamen nunquam eo sensu quis dicat, officiariorum exordium esse à rege. Ergo sensus est Cypriani, Exordium honoris & autoritatis prælatorum Ecclesiæ, habuisse aliquod initium: & id initium ab vno, nõ verò à pluribus: quo facto significata fuit vnitas Ecclesiæ.

X. Iam reliqui ludunt variis distinctionibus. Bellarminus lib. 1. cap. 12. fatetur, Apostolos fuisse pares in Apostolica potestate, & habuisse in populos Christianos eandem omnino autoritatem: sed non fuisse pares inter se, teste Leone epistola 84. *Inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris fuit quædã discretio potestatis. & quum omnium par esset electio, vni tamẽ datum est, vt cæteris præemineret*. Costerus Enchiridij cap. 3. similiter, sed disertius. Hoc de illa intelligendum potestate, qua in alios omnes vtebãtur: nõ autem de illa, qua in reliquos Apostolos: in quos solus Petrus autoritatem acceperat, atque in Ecclesiam vniuersam officium pastoris ordinarium.

XI. Sed primò, malè cõfertur Leo Cypriano: sunt enim loci nõ similes, sed contrarij. Nam, cũ Cyprianus agnoscat per consortium, hoc est, æqualitatem non honoris tantùm, sed etiam potestatis: Leo tantùm honoris similitudinem: potestatis verò discretionem, id est, inæqualitatem. Non igitur aut interpretatur, aut quasi interpretatur Cyprianum Leo, sed potius corrumpit. Nos verò non quid Leo dixerit homo ambitiosus, sed quid Cyprianus Leone & antiquior & modestior, dixerit, & quærimus, & curamus.

XII. Secundò eluditur, non soluitur argumentũ. Nam etsi detur, non fuisse inter se pares Apostolos, non tamen satisfit Cypriano. Hæc enim disparitas, personarum erit non munerum, quam iam ante cõcessimus, & declarauimus: sed ea nihil ad hanc rem. Quemadmodum enim fieri potest, vt is præcellat muneris gradu, qui tamen inferior sit personali dignitate: quo sensu Augustinus modestè olim dixit, & lepidè, *Etsi Episcopus maior est presbytero, tamen Hieronymus maior est Augustino*: sic non [illegible] nec [illegible] vt qui personali dignitate cæteris præemineret, [illegible] in celsiore positus muneris gradu.

XIII. Tertiò, quid illud est, Apostolos fuisse inter se pares Apostolica potestate. Quasi aliqua alia fuerit, secundũ quam Petro fuerint impares. [illegible] qui potest. Nam Apostolatus summ[illegible] in Ecclesia: Teste Apostolo [illegible] Corinthi[illegible]

At, si hoc summo gradu pares fuerunt, nullus alius gradus dari potest, vnde impares dici queant. Ratio est, quia, si is summus est, reliquos omnes oportet esse inferiores. Et sanè εἰ ἐπίσκοπεν (inquit Chrysostomus in eū locū) καὶ τὰ ἐν ἑαυτῷ εἶχεν τὰ χαρίσματα, omnia dona in se habebat. Quemadmodū igitur Rex regi par est regia maiestate: nec propterea alter magis, si (vt sunt nonnulli) præter eā, etiam Ducatus, & Marchionatus habeāt: sic & Apostolus Apostolo par erit, etsi ad autoritatē Apostolicā accederet, vel Episcopatus, vel Diaconatus. Vt sanè veterū nemo est qui Iacobum prætulerit Paulo, ob Episcopatum Hierosolymitanum.

XIV. Quartò, si omnes Apostoli in populos Christianos potestatē habuerint. Ergo Petrus non fuit Oecumenicus Pontifex. Ratio, quia Papa ferre non potest, vt quisquam secum summā habeat in populos autoritatē. Tum fieri non potest, vt qui Apostolico munere pares erant illi, & eandem cum eo autoritatem haberent in populos, essent ei subiecti.

XV. Denique, fieri nequit, vt subiectus æqualem habeat potestatem cum eo cui subiectus est, in eos populos, qui etiam eidem subiecti sunt. Exēpli gratia, vt qui Dux est in Gallia, eodem iure vtatur cum rege Galliæ. Nam fieri quidem potest, vt extra eos limites eandem autoritatem obtineat: quemadmodū olim Rex Hispaniarum ob Belgicā Galliam Regi Galliæ subiiciebatur, qui tamen in Hispania æquè rex erat. Hic verò nulla datur eiusmodi exceptio. Nam si ij populi, in quos, puta Paulus, æqualem autoritatem possidebat cum Petro, fuissent non subditi Petro, tum Petrus non fuisset Oecumenicus Pontifex. Itaque Bellarminus absurdissimè loquitur.

XVI. Sanderus cap. 4 lib. 6. Hoc fuerunt cæteri Apostoli in exercitio autoritatis Apostolicæ erga cæteras oues, quod fuit & Petrus, parique cōsortio honoris & potestatis prædīti sunt, erga quoscunque alios fideles in vniuerso mundo. Sed Cyprianus declarat, se nō intellexisse, quòd in origine potestatis æquales Petro fuerint. Nam exordium proficisci dicit ab vnitate: vnitatem verò non aliam esse, quàm Petrum. Necesse autem est, vt exordium, & fundamentum, & qui primus est electus, cæteris qui postea idem iūs acceperunt, saltem ratione primatus & originis anteponatur.

XVII. At hæc distinctio æquè est absurda. Nam primum membrum iisdem vitiis laborat, quæ iam obseruauimus in Bellarmino. Certè Oecumenico suo nullum Papistæ æquari paterentur in exercitio eiusdem autoritatis, imò reliquos ab eo in partem sollicitudinis non pudet assertos dicere: atque adeo id olim ægrè fuit Rom. Pontifici, quod decretum fuit Constantinopolitanum sic secundum à Romano numerari, vt tamen in Ecclesiasticis negotiis æquas cum Romano prærogatiuas haberet.

XVIII. Ad alterum quod attinet: Originem & exordium distinguo, vt aliàs, vel ratione temporis, quomodo Consulum à Bruto, Imperatorum à Iulio: vel autoritatis: quomodo in Republica Maiestas est origo Magistratuum, qui omnes ab ea suam autoritatem mutuantur. Illo sensu, Cyprianum docuimus exordium nominare: hoc non item: & sanè Petrum dici originem Apostolatus, quasi ab eo penderet cæterorum Apostolorum autoritas, sicut Rex Magistratuū, qui ab eo instituuntur & destituuntur, eiúsque autoritate vtuntur, quis asserat? Nam, nec Petrus cæteros instituit, sed Christus: nec vllum destituit, aut destituere potuit: nec eius nomine reliqui fungebantur officio, sed Christi: vt Paulus testatur secundæ ad Corinthios 5. *Nomine Christi legatione fungimur.* Nec Petri autoritate vtebantur, sed Christi. Nunquam dictū, *Qui vos spernit, Petrum spernit:* sed de se Christus, *Qui vos spernit, me spernit.* Denique hæc originis interpretatio poneret contrarium in obiecto: nec enim vel cogitatione concipi potest, eum, qui sic est origo, parem esse in exercitio autoritatis, cum iis qui oriuntur ab eo. Imò contrà vulgò dicunt: Vbi maior est, minor cessat.

XIX. Sed enim fatemur, eum, qui primus institutus est, ratione primatus reliquis præferri. Sed id, cuiusmodi sit, non considerauit Sanderus. Nam primùm sensus est, eum, qui sic primus est, tantùm ordine primum censeri: & comiter ab aliis in honore haberi: quomodo exempli gratia, in Gallia notant historici Parisiense Parlamētum, omnium esse antiquissimum: cui reliqui superinducti sunt, sic vt Tholosanum, in suæ iurisdictionis terminis, prorsus æqualem possideat autoritatem, nec in iis vllum ius sit Parisiensi, quemadmodum, neque Tholosano in terminos Parisiensis. Tantùm honoris gratia Parisiense primum dicitur, tum cætera suo ordine. Quomodo etiam Concilia, quum Romano & Constantinopolitano suum ordinem assignarent, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, æqualem dignitatis prærogatiuam tribuerunt Constantinopolitano, sic tamen vt secundus esset. Quæ totidem verbis legas in Chalcedonensi, & Trullensi Synodo. de quibus aliàs. Itaque, hac ratione, nulla esset Petro in Paulum potestas, vt neque Paulo in Petrum. Quorsum igitur illa tam vehementer disputata, Petro commendatas esse oues, agnos? Omnes omnino oues Christi, inter quas cùm essent & reliqui Apostoli: ergo & hos Petro fuisse commissos? Nam hæc simul stare non possunt. Non potest, inquam, fieri, vt Petro, tanquam oues, commissi fuerint Apostoli: & nullam, nisi primatus, prærogatiuam Petrus in eos habuerit. Præterea is primatus est personalis. Non enim, vt Petrus, sic Clemens ante omnes Apostolos, aut etiam ante omnes Episcopos creatus est. Itaque, non vt Petrus reliquis Apostolis: sic Clemens, aut Apostolis, aut reliquis Episcopis, hoc nomine præferendus erat.

XX. Stapletonus in Principiis libro sexto capite septimo, triplici vtitur distinctione. Primò personarum & successionis. Quia ipsius Apostolatus non erat successio, parem potestatem habebant quatenus Apostoli, in propriis personis, non tamen ad alios deriuandam. Nam, quatenus Apostoli, legati erant cum plena potestate ad inchoandam Ecclesiam, singulari priuilegio, & extra ordinem: & in hoc erant Petro æquales, tanquam Apostolo. Sed alia fuit in illis potestas, scilicet Episcopalis, & iurisdictionis specialis, quæ vnicuique ibi propria fuit, vbi sedem fixit: & hoc respectu Petro inferiores erant. Ideo Andream, Iacobum, Ioannem, vocat Gregorius Magnus, *singularum plebium capita, & sub vno capite Petro omnes membra Ecclesiæ:* Registri libro quarto Epistola trigesima octaua. Secundò: Omnes Apostoli habebant parem potestatem, quoad amplitudinem rerum gerendarum: sed non quoad superioritatem in ordine gerendi: id est, plenissimam singuli Apostoli habebant, & supremam potestatē respectu aliorum omnium Christianorum, non autem respectu ad se inuicem: quia videlicet Petrus, sic caput erat omnium Christianorum, vt etiam Apostolorum. Tertiò Petro data est potestas præceptiua, seu regiminis, Apostolis autem tantùm executiua, seu gubernationis: id est, etsi cæteri Apostoli immediatè à Christo parem haberēt potestatē & honorē cū Petro, scil. omnia faciendi, & exequendi, quæ ad ædificandam Ecclesiam pertinebant: tamen soli Petro

sic ista plena potestas data est, vt in ipsa gubernatione Ecclesiastica ipse præscriberet ea, quæ agenda, & exsequutioni mandanda essent, ideóque omnis ab illo gubernandi potestas ad alios descenderet.

XXI. Sed hæc nō sunt cæteris solidiora. Nā in prima distinctione, ea potestas iurisdictionis specialis, maior esse non potuit Apostolatu illo extraordinario: nā Apostolatus potestas erat summa, & primū locū obtinens, habénsq; in se omnia charismata, vt loquitur Chrysostom⁹. Fuit ergo, aut æqualis, aut minor. Vtrūlibet autē fuerit, nihil ad Oecumenicū. Nā Oecumenico oportuit cōmissos Apostolos tanquā oues: quod non potuit nisi maiori. Deinde, si æqualis est, tū certè nulla parte Apostoli inferiores erūt: nā, si duo tantùm cōsiderantur, & vtroq; pares erāt, nulla iā potest inæqualitas reperiri. Iā, si minor: etiā si concederemus minores Petro fuisse Apostolos, quatenus Episcopos: tamen, si æquales fuerint quatenus Apostoli, & Apostolatus fuerit superior illa iurisdictione Episcopali, sequitur Apostolo Iacobo nō minus subesse Episcopū Petrū, quàm Apostolo Petro Iacobū Episcopum.

XXII. Quod verò ex Gregorio Stapletonus adducit, longè aliò spectat. Gregorij mentem vt peruerteret, *Petri* nomen Gregorij verbis dolosè inseruit. Vbi enim legimus etiā in Editione Vaticana 1591. l. 4. ep. 38 *sub vno capite omnes membra*, ille, pro sua autoritate, *sub vno capite* PETRO *omnes membra*: quo, quid impudentius? Verū, si tota epistolæ series, si consiliū, si grauissimæ aduersus Ioannis Constantinop. superbiam sentētiæ expenduntur, constabit Gregorij propositū Thomæ cū argumento, tū assumēto, è diametro repugnare. Nā, quid agebat Gregorius? quid oppugnabat? *Oecumenici nomē*, quod sibi Ioannes arrogauerat. Qua ratione: *Hac præsumptione temeraria pacē totius turbari Ecclesiæ, & 2. gratiæ cōtradici cōmuniter omnibus affusa.* 3. *Paulū*, cū audiret quosdā dicere, *Ego sū Pauli, ego Cephæ, hāc dilacerationē corporis Domini, per quā mēbra eius alius se quodāmodo capitibus cōsociabant, perhorruisse.* 4. Mēbra Dominici corporis certis extra Christū quasi capitibus, & ipsis quidē Apostolis subijci particulariter euitasse. 5. *Quid Christo vniuersalis S. Ecclesiæ capiti in extremi iudicij examine dicturū, qui cuncta sibi eius mēbra conaretur vniuersalis appellatione supponere?* Hæccine sunt asserentis, omnes, etiam Apostolos, sub Petro Capite esse mēbra? qui Pauli verba de Cepha referat, nedū vt Petrū excipiat. Addit, *Luciferi exēplo sese supra nubes, i. Episcopos, illū efferre, & eos sub se hoc nomine vsurpato premere.* Deniq; ad Petrū descēdēs, *Certè Petrus primū*, (alij ex manuscr. *primum*) *membrū sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Iacobus, Ioannes, quid aliud quàm singularum sunt plebium capita? Et tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ.*

XXIII. Petrus *mēbrum* distinctè, nō omniū Caput, vocatur, & tā ille, qui primus, quā alij, sub vno omnes capite, quod Christū esse, de quo suprà, ipsi cæci animaduertāt: sed ep. 36. expressit Gregorius, *Omnia quæ soli vni capiti cohærēt, videlicet* CHRISTO, *per elationē pōpatici sermonis, eiusdem Christi sibi studeat membra subiugare.* Imò ep. 32. ad Mauricium August. Petrum, etsi *Curam ei totius Ecclesiæ, & principatum commissam* dicit, *tamen vniuersalem Apostolum vocatum negat.*

XXIV. Secūda & tertia distinctio cū Bellarmini sophismate coincidūt, & cōcidūt: impingūt enim in Cyprianū, qui omnes ait fuisse pari consortio præditos *Honoris & Potestatis.* Hic cōtrà Potestatis nomē partitus, vt potestatem alius cū Petro parē fuisse neget. At Cyprian⁹ *par* dicebat *consortiū potestatis.* Nēpe hisce distinctionib⁹ lōgissimè à Cypriano abeunt. Nā, qui superioritatē in ordine gerendi vni Petro, exclusis Apostolis adscribit atque adeo, ea ratione, caput eū omnium Christianorū & Apostolorum vocat, *par consortium potestatis Apostolus omnibus* non tribuit: neque enim par est capiti cum mēbris potestatis consortium. Adde quod, si verum quod antehac asserrū, *Omnes Apostolatus gradu pares fuisse*, fieri nequit, vt Apostolis cæteris vni soli subiectis, hic superior ordine nulli subsit: ea fit enim ratione, vt dispar sit Apostolatus, inferior in aliis, in illo superior: cū se tamē *nulla re* dicat *inferiorē* Paulus. Quid? quod amplitudo illa rerū gerendarū, secundùm quā parem habuisse vult illos potestatem, omnibus non inerit ex æquo, si cuipiā *superioritas in ordine*, eáque tanta Petro tribuatur, vt potestatem in collegas habeat, nemo in illum: eorum sit caput, omnes ei subsint. Quis enim inficietur plura illi gerenda, cui, putà Cæsari, præter cōmunē Consulatum, sit etiā in ipsos collegas imperiū? Denique res ipsa commentitiæ distinctioni refragatur. Nam Petrus etiam à Paulo reprehensus: neq; Paulus in Apostolatu obeundo opus habuit, vel à Petro, vel à quopiā homine rerum gerendarū autoritatem desumere: sed, qui omnes à Christo immediatè erant electi, ad æqualem Apostolatum vocati, alios aliis non autoritate præesse, sed fraterna sibi inuicem charitate subesse, & tanquam fratres fratribus, condiscipulos condiscipulis, collegas collegis, mutuis officiis doctrinæ, consolationis, redargutionis, consilij, adesse, prodesse & ministrare decuit.

XXV. Sed quis ferat ea quæ distinct. 3. nō inuolutè, vt in prima & secunda, sed explicatiùs statuuntur, soli Petro *Præceptiuam potestatem*, aliis *Executiuam* tantùm demandatā. Itáne Cyprianus, parē eius qui solus præcipiēdi autoritatē, & eorū qui exequēdi tantū habent, honorē dixerit & potestatem? Bona fide, insanime, an cū insanis sibi negotiū esse putat Stapleto? Petrus vnus præceptor, cæteri discipuli, an subditi? Præcipere enim dicuntur nunc *Magistri*, nunc *Domini*. Magisteriū in Apostolos vnus exercet Doctor & [illegible] Dominus Iesus. Imperium, qui [illegible] Doctor esse non potuit, fortean in eosdē obtinebit, vt illi sibi exequendi partes, Petro, mandādi cōmissas intelligant? Qua lege factus est Collegarū imperator, & dominus, qui eorū Doctor esse non debuit? Quo exemplo? cùm Apostoli se Dei, & Christi seruos toties: Petri famulos, Petri discipulos, filiósve nunquam dicant. Paulus se Petri collegam, & socium, præstātissimis nulla re, nō officio, non opere, non labore, non ministerij fructu minorem vbique asserat. Accedit, quod omnē superat amentiam, si Petrus cætera æqualis, non Apostolatū cōmunē; sed Autoritatē illam, qua cæteris præerat Apostolis, successoribus reliquit (quod omnino oportet, si Oecumenica potestas ad posteros transmittitur) ergo Linus, Clemēs, Clet⁹, & si qui tātæ dignitatis hæredes habentur, ipsis, qui ex Apostolorū collegio superstites erant, vtpote ipsi Ioāni, qui ad Traiani tempora ætatē produxit, vel Paulo, si Petro superuixit, tanto fuerunt anteferendi interuallo, quanto, qui præcipiendi potestatem habet, eo cuius munus est, exequi, tam *honore quàm potestate* potior existimatur.

XXVI. Hieronymus libro 1. in Iouinianum: *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia: licet idipsum alio loco super omnes Apostolos fiat, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Respondet *Bellarminus*: Solutionem esse in eodē loco: nam Hieronymū dicere sic habuisse claues omnes Apostolos, vt tamē subiecti essent Petro vt capiti. *Atqui* Bellarminus ementitur & verba & sensum Hieronymi: Neque enim is vnquam dixit, Petro reliquos Apostolos fuisse subiectos vt capiti: *Vnus* (inquit) *inter duodecim eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Quæ verba, si significant Petro reliquos

subie-

subiectos esse vt capiti in Ecclesiastico regimine, contradicũt superioribus, quæ asserunt ex æquo super reliquos Apostolos Ecclesiæ fortitudinem solidari, ac super Petrum; quæ verba nisi de Apostolatu & regimine Ecclesiastico intelligi non possunt. Quis credat autem eodem ambitu tam absurdè tãtum virum pugnantia dicere? *Ex æquo*, inquit, *super omnes Ecclesiæ fortitudo solidatur*: hoc est æquo gradu reliqui Apostoli fundaméta sunt Ecclesiæ cum Petro: quod nullo modo consistere potest, si in Ecclesiastico regimine, Petro reliqui subiiciuntur. Sunt igitur Hieronymi postrema verba sic intelligenda, vt Petrus dicatur electus & factus caput cæterorũ, quatenus cœtum vnum particularem efficiebant, & ante quàm missi essent ad Ecclesiarum gubernacula, quemadmodum ante vidimus Cyprianum dicere. Id autem non efficit Petrum Oecumenicum Pontificem.

LIBER DECIMVSTERTIVS

DE

OECVMENICO PONTIFICE.

Caput Primum.

STATVS QVÆSTIONIS DE ROMANO PONTIFICE.

IN disputatione de Oecumenico Põtifice hypotheseos prima pars fuit de Petro, quẽ Papistæ eius dignitatis primum compotem fuisse contendunt. Sequitur altera de eius successoribus, id est, Romanis Põtificibus. Nam istos illi Petro successores assignarunt, nec alios. Eius disquisitionis rursus partes duæ: prior, vtrum Romanus Episcopus, sit Oecumenicus Pontifex: altera, vtrum sit Antichristus.

II. In priori quæstione tuetur affirmatiuã Papistæ: scilicet Episcopum Romanum quencunq; Petro succedere in vniuersam illam Ecclesiæ regendæ potestatem, quæ nullis aut regionum, aut personarum circumstantiis contrahatur. Non satis certi tamen, sedisne idius sit an sedentis: hoc est, vtrum Oecumenicus ille Põtificatus sit annexus sedi Romanæ, vt inde transeat ad Episcopum: an cõtrà potius, Episcopus in locum Petri, & ab eo sedes illa super omnes prærogatiuam accipiat. Quod, etsi nõ sit aliud nullum, aut leue falsitatis indicium, tamen non vrgebitur à nobis, qui æquè sedi, ac personæ negamus Oecumenicum Pontificatum competere. Vt vt sit, in Synodo Florentina decretum fuit in hæc verba, quæ sunt in literis vnionis Eugenij Papæ, Sessione vltima. ὁρίζομεν τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν, καὶ τὸν ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην κατέχειν τὰ πρωτεῖα· καὶ αὐτὸν τὸν ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, καὶ ἀληθῆ τοποτηρητὴν τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας κεφαλὴν, καὶ πάντων τῶν Χριστιανῶν πατέρα τε καὶ διδάσκαλον ὑπάρχειν, καὶ αὐτῷ ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τὸ ποιμαίνειν, καὶ διϊθύνειν, καὶ κυβερνᾶν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πλήρη ἐξουσίαν παραδεδόσθαι, *Definimus sanctam Apostolicam sedẽ, & Romanum Põtificem in vniuersum orbem terræ tenere primatum: & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verè Christi vicarium, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & doctorem existere: & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

III. Capita erunt iterum duo. Alterum de autoritate in Ecclesiam; alterum de iure in temporalẽ politiam. Illud aget propriè de regimine Ecclesiastico, quatenus est Ecclesiasticum. Hoc autem de potestate, quã, eius Ecclesiastici regiminis vi, dicunt habere in principes seculares, suum hunc Oecumenicum, cui traditum volunt vtrumque gladium, cùm spiritualem, tum temporalem.

IV. Tractarunt priorem quæstionem, inter Papistas Bellarminus de Pontifice libro secundo: Pighius Hierarchiæ libro tertio, capite duodecimo, & sequentibus, & iterum libri tertij capite nono: Franciscus Agricola de Primatu, capite decimo quinto, & sequentibus: Iesuitæ Posnanienses parte secunda Controuersiæ secundæ. Bozius de Signis Ecclesiæ, libro decimo septimo, capite sexto: Et decimi octaui capite tertio, & sequentibus: Sanderus de visibili Monarchia, libro sexto, capite nono: Gregorius de Valentia, Analysis libro septimo, capitibus quatuor postremis; & Commenta-

riorum in Thomam tomo tertio, disputationis primæ quæstione prima, puncto septimo; & quæstione quinta, articulo tricesimo sexto, tricesimo septimo: Melchior Canus Locorum Theologicorum libro sexto capite tertio, & seqoentibus: Ioannes Driedo tomi primi libro quarto, capitis tertij parte secunda.

V. Catholici, Caluinus Institutionis Christianæ libro quarto, capite sexto: Petrus Martyr in caput octauum libri primi Samuelis. Suthuius de Romano Pontifice, libro tertio. Sibrandus de Romano Pontifice, libro tertio. Witakerus de Romano Pontifice, controuersia quarta. Danæus, Iunius, Tilenus contra Bellarmini librum secundum de Pontifice. Marcus Antonius de Dominis de Republica Ecclesiastica, libro quarto.

Cap. II.

Vtrum Scriptura doceat Romanum Episcopum omnibus præesse.

I. QVi è Scripturis ausus sit disputare, Romanam Ecclesiam omnibus præesse, vnum Bozium legi capite tertio libri decimi octaui, productis Petro & Paulo, qui hoc totum innuerint.

II. Locus Petri, ex Epistola posteriore, *Propter quod incipiam vos semper commonere de his; & quidem scientes & confirmatos vos in præsenti veritate. Iustum autem arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo salutare vos in commonitione, certus quod velox est depositio tabernaculi, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Quomodo Petrus, inquit, operam dedit, vt post obitum suum Ecclesiæ cunctæ semper commonerentur? Nam speciatim se id facturum pollicetur. Et quis vnquam Petri nomine id egit? Hoc enim necesse: alioquin non magis Petrus, quàm quiuis ad hæc operam posuisse dicetur. Duo sunt igitur necessaria, & vt aliquis hoc semper egerit, & egerit ex præscripto ipsiusmet Petri. Atqui solus Romanus Pontifex hoc confecit. Ergo, de mandato Petri, ius ipse habet in cunctas Ecclesias commonendi, & videndi, vt illæ memores sint mandatorum Petri ac Dei. Et aduertendum illud, *Incipiam semper commonere.* Ergo iam moriturus inquit se incipere. Incepit autem per literas, & alias huiusmodi vias. Ergo per easdem prosequutus est, vt progressus initio respondeat.

III. Fœcundus, inquam, locus, & cui iam multum debeat Ecclesia Romana: duo scilicet magna dogmata, vnum de intercessione sanctorum: alterum hoc ipsum de autoritate Romana. Nisi potius obtorto collo in eas partes trahatur. Nam profectò Petrus istos Oecumenicos non videtur amasse, qui noluit quenquam κατακυριεύειν τῶν κλήρων. Obseruemus singula exactè. Nam solitaria hæc subtilitas videtur aliquid polliceri non promiscuum. Quanquam laciniosa perplexitas, prima statim fronte, vix possit carere suspicione.

IV. Petrus, inquit, pollicitus est se commonefacturum omnes Ecclesias. Imò notauit Caietanus, & probauit Salmero, scriptam hanc Epistolam ad eosdem, ad quos priorem, nempe aduenas sparsos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam, videlicet Iudæos. Ad quam rem argumento est initium capitis tertij. *Hasce iam alteras vobis literas scribo.* Sed esto tamen: & condonemus vniuersaliter accipienda hæc. *Iis qui æquè pretiosam fidem nobiscum sortiti sunt:* quanquam non magis generalia sint, quàm ista prioris initio, *Dilectis ex præuotione Dei Patris ad sanctificationem Spiritus per obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi.* Nam, etsi actus singulares non bene producantur in infinitum, tamen non inuiti audimus hunc Petri laborem vniuersæ Ecclesiæ vtilem esse.

V. Quid tum autem? Ergo, inquit, per Pontifices Romanos. Atqui primum hoc nihil ad rem. Nã, si per Pontifices Romanos Petrus commoneat Ecclesias, tamen non propterea necesse est eum omnibus præesse. Tum quia non per solos illos: quandoquidem omnes qui vbique sunt Episcopi, iidem commonefaciant: tum quia nec ipse Petrus, qui cõmonefaciebat per se ipsum, fuerit Oecumenicus.

VI. Deinde negatur cõsequentia. Ille confirmat: Quia speciatim se id facturum Petrus sit pollicitus. Imò, inquam, cum Petrus sit pollicitus se speciatim facturum: sequitur non Pontifices Romanos id facturos. Nam profectò Pontifices Romani, non sunt speciatim Petrus. Et aliud est longè, seipsum polliceri facturum: quàm prædicere alios facturos. Tum autem non stetisset Petrus promissis: se semper cõmonefacturum διὰ παντός. Nam Pontifices Romani nõ semper commonefecerũt Ecclesias: quum non fuerint nulli vel hæretici, vel hæreticis fautores nec nulli monstra potius quam homines. Et quidẽ notandum agere Petrum, non peculiariter de dogmatis fidei: sed de moribus: quibus commemorandis, inculcandisque ineptissimi hominum sunt, qui monstra potius quàm homines. Scilicet Bonus persuaserit Petrũ commonefecisse Christianos, vt operibus electionem suam stabilirent, per eum Papam, qui Lugduno discedens, non nisi vnum, sed perpetuum lupanar reliquit, teste Hugone Cardinale apud Matthæum Paris.

VII. Itaque illa superflua est Bozij interrogatio, *Per quos?* Enuntiatum etiam temerarium, necesse esse vt aliquis egerit, & egerit Petri nomine. Nã quod veretur, ne non magis Petrus, quàm alius quiuis egisse videatur, importunũ est. Nã primo, quis magis Petrũ dixit? Nõ ipse profectò, qui tantũ dixit se facturum. Sed nimirum nihil in Scripturis pro se habent Papistæ, nisi quod ipsi adducunt de suo. Deinde, vnde est consequentis necessitas? Aut cur si ipse fecit, non magis fecerit quàm alius? Nã profectò Paulus se plus omnibus laborasse dicit, qui tamen per se fecit, non sibi substituit alios.

VIII. Sed per se, negat Bozius: eò quòd incipere se dixerit, & quidẽ iã morti proximũ. Imò, inquã, negãt omnes alij Papistæ, qui ab his verbis eruunt intercessionem sanctorũ post mortẽ: quicunq; dicũt Petrũ promisisse habiturum se eos ad quos scribebat, habiturum, inquam, post mortem suam. Nam perspicuum est hos sibi persuasisse, ita illum incepisse propinquum morti, vt post mortẽ præstiterit ipse, atque adeò etiamnum præstet. Nõ enim, puto, crediderunt, intercedere apud Deum per interpositas personas. Quid cum iis Bozius acturus est? Oppositurus scilicet suam autoritatem illorum autoritati. Dignum patella operculum.

IX. Veruntamen huius mendacij ope absit vt veritas indigeat. Primum, non dixit Petrus se incipere: sed finxit Latinus Interpres. Οὐκ ἀμελήσω; inquit Apostolus. Guillaudus, *Græcus est, non negligam,* *non omit-*

non omittam, sine non poss[...] rohortari. Atqui hæc [...], non ea [...] comprehenderet, quæ in posterum [...] obeunda sunt, sed ea etiam, quæ à præterito inchoata, pòst continuantur: & est generalis, ad vtrumque Petri tempus, tum ante mortem, tum post eam: vt sensus sit, dum vitam in eam curam totum me dabo, vt post obitum mecum hæc, quæ nunc tecum no, in memoriam, reuocare queatis.

X. Et re vera ita fuit. Nam scripsit Epistolas viuus, quæ post eius mortem omnibus fidelibus eorumque hodie inculcant illud idem. Guillaudum audi. *Quemadmodum optimi præceptores discipulis, quorum studiosissimi sunt, ne animo excidant quæ pia & sancta ab eis didicerunt, vt non solum his, sed & posteris omnibus prodesse possint docendo literas, & virtutum monumenta à se scripta, veluti animorum componendorum specula, tradere solent: ita & noster Apostolus ipsis Asianis, quin potius toti Ecclesiæ Christianæ destinare & ceu testamento delegare voluit hanc Epistolam, qua animum dominum, verum, sincerum, & integrum non modò perspiciant, sed etiam ipso mortuo habeant, quod doctrina olim ab ipso tradita admoneat.* Et verò dilecta Lonno, *Est apud Græcos tertia fatis* [...] *notio* (à verbo nimirum [...], quo vsus Petrus) *pro Commentario, & breui ad iuuandam memoriam scripto.* Vides vt rano constet; qua posset Petrus etiam proximus morti polliceri, se, se, inquam, ipsum id effecturum?

XI. Atque is fuit Petri locus. Nunc Pauli, quarto ad Philippenses. *Etiam rogo & te, germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis.* Quis hæc verba spei illec villa stabilienda Oecumenico? Certè non amplius tantæ molis erit Romanum condere gentem, quando sunt tam obuiæ demonstrationes. Audiamus commentum: & quidem subtilissimum. Is Clemens erat Episcopus: quia Pauli [...], quo nomine semper Paulus vocat Episcopos. Quid erat autem, quod Clemens adiuuaret eas mulieres, quæ Philippis erant tam longè ab vrbe positæ: nisi quòd Clemens, non modò erat Episcopus vrbis designatus, sed & ad eum iam pertinebat curam habere omnium? Et quid nominatim Clementis mentionem fecit? cur non aliorum? cur non propinquorum Philippis? nisi quod nominatim pertinebant hæc omnia ad illum; ad cæteros non nisi generatim, vel suum in diœcesibus ac locis? En tibi aliquot mulierculaum curam magnum fundamentum Romanæ superbiæ.

XII. Esto sanè is Clemens Romanus; quandoquidem ita definierit Hieronymus. Sed Episcopum fuisse, non est concessurus Salmero. Nam respondens Centuriatoribus, ab eo ipso [...] nomine arguentibus, non fuisse designatum Romanum Pontificem à Petro, *ignorant,* inquit, *isti boni viri, quod Paulus* (sic enim legendum, non Petrus, vt est editum) *hanc Epistolam scripserit ex vrbe, & ex vinculis, à quibus liberatus vixit ferè per decennium. Illo autem tempore erat quidem cooperator Pauli Clemens: non autem nouerat esse ordinatum Ecclesiæ Romanæ pastorem. Nam Petrus iam proximus morti illum sibi successorem futurum declarauit.*

XIII. Nec verum non nisi Episcopos appellatos Pauli [...]. Ad Romanos vltimo. *Salutate Priscillam & Aquilam,* τοὺς συνεργούς μου *adiutores meos in Christo Iesu,* vxorem virumque eius, Actorum decimo octauo. Ii ne, in Episcopis non coniugatum modò, sed etiam mulierem? Nisi fortè, nil nugacius Bozio.

XIV. Sed esto: quid inde? Quid erat, inquit, quod Clemens adiuuaret eas mulieres? Adiuuaret autem? quis dixit? Paulus ambiguum reliquit. Potes enim construere, vel [...] Κλήμεντος, adiuua tu vnà cum Clemente: vel αὐτοῖς μετὰ Κλήμεντος, eas vnà cum Clemente: vel denique συνήθλησάν μοι μετὰ καὶ Κλήμεντος, *laborarunt mecum vnà cum Clemente.* Tu primum prætulisti. Sed quo argumento? Iustinianus, cùm in Annotationibus dixit, *Non facilè quis statuat à quo verbo pendeant: an fœminæ illæ duæ cum Paulo laborauerint, itémque cum Clemente, & cæteris: an hic compar germanus, fœminis illis, ipsique adeo Clementi, reliquisque adiutoribus, opitulari debeat. Vtrumque sensum tam Græci quàm Latini reduces admittunt. verum illi priori sententiæ magis fauent.* Tum in paraphrasi, *Quæ vnà mecum promulgando Euangelio strenuè decertarunt, vnáque cum Clemente, cæterisque adiutoribus meis, quorum nomina in libro vitæ descripta sunt, mihi laboranti subsidio fuerunt.* Caietanus. *Ad verbum, certauerunt, referuntur ipsi: & est ordo literæ: quæ mecum & cum Clemente, & cæteris cooperariis meis certauerunt.* Nec Lyranus aliter. Imo Louanienses Gallicè sic expresserunt. *Qui ont trauaillé auec moy en l'Euangile auec Clement, & mes autres coadiuteurs.* Poteras quiescere, Bozi, horum vsus consilio: minori fortè cum subtilitatis, at maiori certè & iudicij & modestiæ laude.

XV. Demus tamen voluisse Paulum à Clemente iuuari has ipsas mulieres: quod etiam Anselmus non respuit. Quid tanto dignum hiatu? Quæris, cur Clemens iuuaret? Quasi tibi Paulus illud arcanum, si quod fuit, debuerit insinuare: & quæcumque dixerit, eorum tibi rationem reddere. Nam quod causam coniicis Episcopatum; refellit Salmero, qui negauit sciuisse Paulum, futurum illum Petri successorem. Tum autem si sciisset; tun' putas quæ consecrati sunt, easdem functionis partes esse designati? Nam tu nil nisi designatum dicis.

XVI. Cur non alij viciniores Philippis? Quis igitur, ille erat germanus compar? Qui cæteri adiutores? Omnes-ne procul Philippis, ex vltima fortasse Hispania, ac Scythia? Vtcunque: sed tamen, si ad Clementem eo pertinebat harum mulierculaum cura, quòd esset Episcopus Romanus: non debuit comparem, non debuit reliquos sollicitare, quibus in eo Episcopatu nihil erat commune.

Cap. III.

Vtrum Petro successum sit.

I. BOzius nugabatur. An reliqui magis serij? Examinemus argumenta. Et quidem hoc primum decantatissimum, neque à quoquam prætermissum, qui in hanc arenam descenderit. Id est à iure successionis. Bellarminus capite primo. *Ius successionis Pontificum Romanorum in eo fundatur, quod Petrus Romæ sedem suam, iubente Domino, collocarit.* Esto hæc argumenti forma. Quicumque cuiquam succedit, is eodem iure vtitur, quo vtebatur is cui successum est. At Episcopus Romanus successit Petro. Ergo eodem iure vtitur cum Petro. Ergo est Oecumenicus, ex vi consequentis.

II. Interloquitur Gretserus. *Chamierus,* inquit, *impudenter hunc syllogismum affingit Bellarmino.*

III. Imò Gretserus non pudenter calumniatur. Nam Bellarmini verba Chamierus descripsit

rat: argumenti formam non Bellarmino magis affingebat, quàm Papistarum cuilibet. In quibus Bozium legerat capite sexto libri decimi octaui de Signis. *Hæretici huc tandem confugiunt omnes, vt dicant Pontificem Romanum iure diuino non succedere in vniuersum ius Apostolorum principi Petro: sed contrarium Cyprianus tradit.* Paulò post. *Quod si successor vniuersum ius sortitur, quod habuit is cui succeditur, & Petrus idem habet à Deo: idē successori continget.* Ego-ne igitur imposui? An Gretserus nihil vidit?

IV. Respondeo autem ad vtramque partem antecedentis. Maiorem esse falsam: quod etsi Gretserus concedat: tamen doceo exemplis. Iacobus erat Apostolus, ac proinde vniuersalis doctor; ex Christi mãdato, *Docete omnes gentes.* Imò, si qua fides Epistolis Clementis. *Episcopus Episcoporum, regens Hebræorum sanctam Ecclesiam, sed & omnes Ecclesias, quæ vbique Dei prouidentia fundatæ sunt.* Quin eum Paulus numerat inter [illegible]. Huius in Episcopatu Hierosolymitano successores historiæ laudant, Simeonem, Iustum, Zachariam, Tobiam, alios: quorum tamen nulli ius fuit idem cum Iacobo. Denique omnes Episcopi vulgò dicuntur Apostolorum successores.

V. Iam ratio manifesta. Quia sit ius quoddam personale, quod & priuilegium appelletur. Hoc nō transit ad posteros, quantumuis hæredes. Nos verò asserimus, quicquid in Petro fuit prærogatiuarum supra Apostolos, fuisse personale: quomodo eum Eusebius dixit reliquorum principem, propter virtutis amplitudinem. Sunt enim virtutes dona personalia, quæ non transferuntur in successores: ac proinde nec principalitas; earum virtutum effectum: vt si Cicero, propter eloquentiam, primus fuit Romæ, hoc est, Romanorum princeps: non est tamen consequens eius filium itidem fuisse primum, & principem: quia eum pater non reliquerit æquè eloquentiæ ac fortunarum hæredem. Asserimus prætetea; quicquid idem Petrus habuit prærogatiuarum in omnes Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores, Episcopos, vel quocumque nomine censeantur; id habuisse ex Apostolatus iure. Quia omnes Apostolos Christus constituisset vniuersi orbis Doctores: atque etiam ipsorum Episcoporum: vnde eos primo gradu Paulus recensuit. *Dedit Deus primo Apostolos.* prioris ad Corinthios duodecimo. Et ex actu ipso apparet. Quia Apostoli non tantùm constituebant episcopos in singulis ecclesiis, sed iis etiam mandata dabant, leges præscribebant. Porrò Apostolicum munus fuit extraordinarium: ac proinde non transiit ad posteros; ipsis concedentibus aduersariis. Itaque quæ eius muneris prærogatiuæ fuerunt, non debent extendi ad posteros.

VI. Ad Minorem respondeo, successorem dupliciter dici; aliàs ratione temporis; aliàs ratione muneris. Priori modo is successor dicitur, qui tempore est posterior: vnde Ambrosius in caput duodecimum prioris ad Corinthios, de Paulo sic loquitur: *Minor non est Apostolis, præcessoribus suis, non dignitate, sed tempore.* Quorum verborum constructio hæc est, vt Apostoli dicantur Pauli præcessores, (ac proinde Paulus Apostolorum successor) tempore, minimè verò dignitate. Hoc sensu Epiphanius hæresi vigesima quarta, [illegible] *Beatus Irenæus, ille Apostolorum successor.* Theodorètus Dialogi primi capite vltimo; post multos citatos testes è Patribus; [illegible] *successores diuinorum Apostolorum hi viri fuerunt.* Cyprianus Epistola sexagesima nona, *Præpositos dicit Apostolis vicaria ordinatione succedere.* & epistola quadragesima secunda. *Laborare debemus, vt vnitatem à Domino, per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus.* Nobis, inquit, tum de se, tum de Cornelio. Itaque se ipsum successorem putauit Apostolorum. Gaudentius tractatu in ordinatione sua, de Ambrosio. *Et tanquam Petri Apostoli successor, ipse erit os vniuersorum circumstantium sacerdotum.* Denique hoc sensu Germanus Brixius libro secundo Chrysostomi de Sacerdotio, eos, qui Grecè dicuntur οἱ μετ' αὐτόν, *Petri successores*, vertit. Quomodo apud Halicarnasseum libro secundo, cum legis, [illegible] Latinè redditum, *tum post illos Reges, magistratus annui.* At Brixius vertisset, Regum successores quamuis Reges nulli essent, sed Consules. Hoc sensu Episcopi non tantùm Apostolorum successores dicuntur; sed etiam Petri. Sacerdotes, inquam, quilibet Petri successores dicuntur, non tantùm Romanus: & adeo quidem, vt Gildas castigatione in ordinem Ecclesiasticum, dixerit in Britannia esse *sedem Petri Apostoli immundis pedibus vsurpantes.*

VII. Posteriori autem modo, successor is est, qui alicui succedit in eodem administrando munere, vt Regibus Reges, Consules Cōsulibus, Imperatores Imperatoribus: Episcopi Episcopis, in singulis regnis, Rebusp. Imperiis, Ecclesiis. Hoc sensu, vt aliquis alicuius successor dicatur in hac, illave Ecclesia, necesse est, easdem eius administrandæ partes in vtroque, id est, tum præcessore, tum successore, considerari: aliòqui successio non est. Exempli gratia, In Romanæ Ecclesiæ administratione Clementis successor dicitur Anacletus, siue Cletus (nam dissentiunt autores) quia vterque eiusdem Ecclesiæ Episcopus: non verò Laurentius: cui versatus ipse etiam in eadem administranda Ecclesia: ratio est, quia diuersæ fuerunt Clementis & Laurentij partes: ille enim fuit Episcopus, hic Diaconus.

VIII. Hæc quum ita sint, dico de successoribus priori significatione falsam esse maiorem propositionē. Neque enim verum, omnes, qui posteriores sint tempore, eodem iure vti cum antecessoribus. At altero sensu negatur minor. Sunt enim Episcopi Romani successores Petri tempore, non verò dignitate, aut munere: atque hoc est τὸ κρινόμενον, de quo summa contentione disputatur. Nostræ negationis ratio gemina. Prima; quòd Petro successor nullus fuerit, secunda significatione: altera, quod, Petrus non fuerit Episcopus Romanus. Vtramque aduersarij diligenter impugnant: sed quidam argumentis generalibus, quibus docēt Ecclesiam debere μοναρχικῶς gubernari: quæ quia prolixè refutata sunt libro nono, nihil opus est hic repetere. Tantum ergo propria, si qua sunt, examinabuntur.

IX. Ergo, contra primam rationem disputatur, debere aliquem esse Petro successorem in pontificatu Ecclesiæ vniuersæ. Atqui quatuor iam præcedentibus libris demonstratum, atque confectum est, nullum fuisse constitutum vniuersæ Ecclesiæ pontificem, atque adeo nec ipsum Petrum. Quare quicquid disseruerunt Bellarminus, Stapletonus, alij, supposita eius muneris necessitate, petitio est principij, non argumentum, quo quicquam demonstretur. Enimuerò, si post Christum [illegible] Ecclesia opus habuit Oecumenico Pontifice, [illegible] nunc quidem. Potuerunt igitur hæc om[illegible] ab

[illegible] veritas sdetrimento præteriri. Sed expediētur tamen; vt quælibet, etiam tenuis ansa, prędatur sophistis illudendi, quam ol[illegible] re [illegible]. Et quia sic de Petro disputatum est hactenus, vt concesserimus fuisse huic Apostolo [illegible] & proprias prærogatiuas, propter quas vocatus sit, & quidem meritò, primus, princeps, caput, *[illegible]*, Apostolorum: fuisse etiam ex Apostolatus iure, quendam quasi vniuersalem Episcopum, quatenus Apostolis nullæ erant certæ assignatæ Ecclesiæ, sed omnes indefinitè: sic nobis disputatio temperabitur; vt quascumque habuerit prærogatiuas, siue ex Apostolatu communes cum aliis, siue ex alia caussa proprias, eas negemus successione perpetuatas: sed in eo potius desiisse.

X. Posnanienses sic arguunt, thesi septuagesima tertia. Quę Dominus Apostolis omnibus commendauit, ea quę congruentia fidelib[us] vniuersis, eadē futuris Christi [illegible] omnib[us] cōmēdata sunt. Et pari ratione; quæ Domin[us] Apostolis loquutus est, ad ipsos quidem spectantia, quatenus Ecclesiæ Sacerdotes, hæc non quidem ad fideles omnes, sed ad reliquos in Ecclesia Sacerdotes referuntur. Ergo, & quę ad Petrum a Christo dicuntur, quatenus cæteris fidelibus congruunt, iisdem quoque communia sunt: quæ autem, vt Apostolorum primati, & Ecclesię pastori, ea cuipiam posterorum, qui Petro succedat, accommodanda sunt. Est autem ei vt Ecclesiæ pastori & Apostolorum primati dictum, *Pasce oues meas*, & similia, quibus in Ecclesia princeps constitutus est. Ergo hæc debent etiam de successoribus intelligi.

XI. Respondeo, Posnaniensium distinctionem, vel intricatam esse, vel non plenam. Non plenam: quia re vera quæ Petro dicta sunt, ea sunt in triplici differentia, alia, vt fideli, itaque omnibus fidelibus communia: alia, vt pastori Ecclesiæ, itaque etiam communia omnibus pastoribus: alia denique, vt Petro, itaq; peculiaria ipsi: nec cum quoquam communicanda. Hæc autem quæ tria membra sunt, Sophistæ tantùm duo constituunt. Gregorius de Valentia Commentariis in Thomam primum omisit: secūdū & tertium expressit: lōgè faciliùs. Nā ab omisso tertio nata Posnaniētiū intricatio. Eodem enim membro comprehendunt tum quæ tanquam Ecclesiæ pastori dicta: tum quæ tanquam Apostolorum primati. Quæ tamen valdè sunt distinguenda.

XII. Nam illud, *Pasce oues meas*, dictum tanquam Pastori: itaque non Petro eximium: sed commune cum reliquis Apostolis: & pòst suo modo, cum omnibus pastoribus, vt aliàs demonstratum. Itaque non vni cuipiam successori, ea verba Catholici accommodarunt, sed omnibus, id est, Episcopis. Et verò intoleranda est tyrannis, quę sibi cum reliquis sunt communia (si quidem ipse cum reliquis sit verè pastor Ecclesiæ) ipsum sibi quasi priuilegium aliquod solum vendicare Romanum Episcopum. Quanto fuit Petri modestia laude dignior, qui se, cùm Apostolum, tamen *[illegible]* appellauit? Sed quæ Petro dicta sunt, tanquam Apostolorum primo (si sunt quædam dicta) ea ineptum est propagari ad posteros, quorum nullus dici potest Apostolorum primus, qui ne Apostolus quidem fuit: nedū primus atque sub imi ordine, vnde infinitis parasāgis aberat.

XIII. Alterum argumentum, cùm Posnaniensiū, tum Stapletoni: Quicquid est ordinariū, est per successionem in perpetuum: manente potestatis obiecto. At Pastor, est officium ordinarium, Ergo perpetuū. Probatur assumptio: primò, quia Ecclesia semper est ouile: Ioānis 10. *Erit vnus pastor, & vnū ouile*. Secundò, quia quę nomina enumerantur à Paulo duodecimo prioris ad Corinthios, & ad Ephesios 4. partim extraordinaria sunt, & tēporanea, vt Apostoli Euangelistę, Prophetę: partim ordinaria: & in his Pastores, & Doctores. Petrus ergo in officio pastorali omnibus aliis prælatus, habet necessariò huius supremi pastoratus successorem.

XIIII. Respondeo: Pastoris significationem distinguo. Aliàs enim latè, pro quolibet pascente Ecclesiam Dei, quomodo etiam Prophetæ: aliàs contractè pro iis, qui alio nomine Episcopi, & Presbyteri dicti sunt. Itaq; hos posteriores pastores certum est esse perpetuos. At illos non omnes. Quia non Apostoli, non Prophetę, non Euangelistę perpetui fuerunt. Nec valent contrà probationes [illegible], quia Ecclesia non est vnum ouile, nisi respectu Christi vnius pastoris; de quo is locus intelligendus, vt aliàs dictum. Nam singulorum pastorum singula sunt ouilia: quomodo Petrus dicebat *[illegible] gregem qui penes vos est*. Posterior verò, quia Paulus pastores distinguens ab Apostolis, Prophetis, Euangelistis; satis ostendit, se non sumere vniuersaliter: & ipse Stapletonus, concedens illos esse extraordinarios, concedit etiam quosdam pastores non esse perpetuos.

XV. Iam igitur tota quæstio est, vtrum Pastoratus iste Oecumenicus, sit ordinarius, an extraordinarius. Et illud debebant aduersarij propriis argumentis euincere: non solo pastoris nomine. Nos tamen etiam hoc docemus, ab eodem Pauli loco. Nā si cōtinetur ea enumeratione hic Oecumenicus pastor. Ergo, vel in tribus primis nominibus; vel in duobus postremis. At nō in postremis: ratio, quia tū nō esset in Ecclesia summus ordo, sed dūtaxat quarto gradu; ac proinde inferior Apostolis, Euangelistis, Prophetis: quod nunquam aduersarij cōcedant. Est igitur in tribus primis: quod etiam agnoscit Bellarminus capite 9. libri 1. de Pontifice ad secundam obiectionē, asserens Oecumenicum Pontificē contineri sub Apostolis. At hoc si verum est, tum caussa cadit Stapletonus, qui eos tres concedit esse extraordinarios: vnde nobis legitima conclusio, non perpetuari successione.

XVI. Huc refero tanquam instantias, quæ aduersarij maluerunt tanquam argumenta separata. Ergo prima instantia, ex Bellarmino. Certū est Pōtificem esse propter Ecclesiam: nō Ecclesiam propter Pontificē. Augustinus lib. de Pastoribus cap. 1. *Quod Christiani, sumus propter nos est, quod præpositi sumus, propter vos est.* Atqui Ecclesia nō minus eget nūc vno Pastore, quàm tēpore Apostolorū, imò verò etiam magis, cū nunc sint Christiani & plures, & peiores. Ergo, moriēte Petro, interire Pōtificatus nō debuit. Sūma est argumēti: Quicquid institutū est propter Ecclesiā, id tandiu debet durare, quādiu ipsa durat Ecclesia. At Petri autoritas est instituta propter Ecclesiam: ergo durare debet quandiu ipsa Ecclesia.

XVII. Respondeo: Negatur maior. Nam omnes gradus Ecclesiasticæ Hierarchiæ, sine dubio instituti erant propter Ecclesiam: teste Paulo ad Ephesios 4. *Dedit alios quidē Apostolos: alios verò Prophetas: alios autem Euangelistas: alios autē Pastores & Doctores: ad coagmētationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificatiōnē corporis Christi.* Et tamen certū, non perseuerasse ad hoc vsque tempus, Apostolos, Prophetas, Euangelistas. Quid ergo? Nimirū distinguenda Ecclesiæ initia; ab

eius duratione. Sunt enim quædam ita instituta, vt perpetuo durationem Ecclesiæ comitentur, vt Pastores, & Doctores, sed alia sunt instituta inchoandæ Ecclesiæ: & hæc post inchoatã oportuit cessare. In iis autem erat autoritas illa summa Petri; quam habuit ex Apostolatus iure. Gretserus negat eandem rationem esse Apostolatus, & Pontificatus Oecumenici. Quid tum, inquam? An propterea non falsa syllogismi maior? Imò hæc ipsa eam distinctio docet esse falsam: cùm concedat Apostolatum cessasse: & tamẽ non neget institutum fuisse propter Ecclesiam. Sed enim quænam est illa diuersitatis ratio? Nẽpe quia necessaria est duratio Pontificatus Oecumenici: at non Apostolatus. Egregiè, & valdè Iesuiticè: à mera principij petitione.

XVIII. Porrò, quod sumit Ecclesiam hodie nõ minus egere vno Pastore; quàm olim: falsum, duplici nomine: primum, quia nunquam eguit vnico pastore præter Christum. Nam Petrus non erat vnicus Apostolus; id est, summus pastor: deinde, quia aliter ipse Christus indicauit, qui præter illos, qui Apostoli dicuntur, alios nullos constituit: itaque iudicauit eorum autoritatem (hæc autem erat summa & vniuersalis) non esse amplius necessariam. Quis autem se Christo opponat? Sed facti sunt Christiani plures & peiores. Quid tum? Quasi dicas: ab initio mundi vnus erat paterfamilias, Adam: ergo nunc, quũ multiplicatũ est genus humanum, & factũ deterius, nõ oportet esse nisi vnũ in toto orbe patremfamilias.

XIX. Altera instantia ex Stapletono. Petro soli nominatim tota cura pascendi simul, & semel commissa est: & ei in persona claues regni cœlorum traditæ sunt. Ergo eius personæ successio & cõtinuatio necessaria est, non solùm potestatis illius traditæ. Aliorum Apostolorum successio, nec quoad loca, nec quoad personas certas, perpetua fuit: quia nulli illorum nominatim, sed in genere tãtum: nulli tota pascendi potestas simul & semel collata fuit, sed certæ regiminis partes. Ioannis 20. Matthęi 18. & vltimo. Sic in veteri Synagoga: quia cũ tribu Leui, & nominatim cũ Aarone, & filiis eius, pactum Deus inierat, Numerorũ 18. proptereà nõ nisi in tota Leuitica tribus sacerdotalis successio: & nõ nisi in filiis Aaronis supremi sacerdotij successio perpetuò cõseruata est.

XX. Hîc verò, quid potissimum reprehendam? Primò, quid illud sibi vult, necessariam esse successionem perpetuationémque non tantùm potestatis, sed etiam personę? Diuinet Oedipus, quomodo possit dici persona Petri continuata per successionem? Nisi fortè personam sic nomines, quomodo dicimus sustinere personam alicuius. Sed ne infans quidem ita balbutiret: nam ea persona nõ est aliud, quàm ipsa autoritas. Proculdubio autẽ alia fuit Petri persona, alia Lini.

XXI. Secundò, consequentia est inepta. Petro soli nominatim simul & semel tota cura est commissa, ergo eius necessaria est successio. Contrà potius: nam illud, soli, & nominatim, si quid virium habet, indicat personale aliquod priuilegium. Nam quæ debent continuari, non sic solent & soli & nominatim tribui. Sicut ipsi quidem papistę diffitentur eã potestatem retinendorum remittendorúmque peccatorum, quæ omnibus Apostolis est concessa, successione esse continuatam.

XXII. Tertiò, idipsum *soli nominatim*, vel ineptè, vel falsò sumitur. Ineptè, si nominatim intelligas, pro ipso nuncupato nomine: sic vt quemadmodum dictum est, *Petre, pasce oues meas*, non sit dictũ, Iacobe, pasce oues meas. Etsi enim quis in nominatim appelletur, nõ sequitur tamen ei prorsus soli conuenire id quod dicitur: quum nihil obstet quominus generalis doctrina alicui specialiter applicetur: vt quũ soli nominatim Paulus dixit, *O Timothee depositũ serua: & auersare prophanos de rebus inanibus clamores*. Nam etsi nusquã ita nominatim legas, *O Tite, depositũ serua*: tamen non magis id præceptum ad Timotheum pertinebat, quàm ad Titum.

XXIII. Quod si illud nominatim accipitur pro speciali designatione ipsius personæ, dico falsum esse, Petro soli nominatim eam curam fuisse commissam. Nam Ioannis 20. ita habetur: *Pax vobis: sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: & quum hæc dixisset, afflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum: si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorũ retinueritis, retẽta sunt*. In quibus verbis certissima est personarum designatio: tum quia illud *vobis*, perinde est, ac si singulos suis nominibus Christus compellasset: tũ, quia afflatio facta est in ipsos; atque, vt significantius loquar, in eorum corpora, vt designatio esset expressior.

XXIV. Quartò, illud *simul & semel*, & *tota cura*, quorsum? Nam si hac mẽte, vt cui simul & semel tota cura pascendi commissa est, eius necessaria successio censeatur: frustrà est: nam & reliquis Apostolis idem factum: quum dictum, Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, *discipulos efficite omnes gentes*: id est, Christianos: nam inde discipuli appellati, qui postea Christiani. Christianos autẽ efficere, simul & semel significat omnes partes pascendi. Et tamen omnibus Apostolis, quibus id dictum, non conceditur successio.

XXV. Quintò, ingens est mendaciũ, aliis Apostolis certas duntaxat regiminis partes esse assignatas. Quas enim? An non in omnes gẽtes? Cõtrà sunt diserta verba. An non æqua autoritate? Cõtrà Cyprianus: imò cõtrà Paulus: qui se nulla re ὑστερηκέναι asserit.

XXVI. Aaronis exemplum est dissimile. Sic enim legimus Numerorum 18. *Dixit Dominus ad Aaron, Tu & filij tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarij: & tu & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij vestri: sed & fratres tuos de tribu Leui, & sceptrum patris tui sume tecum, præstò que sint, & ministrent tibi: tu autem & filij tui ministrabitis in tabernaculo testimonij*. Et pòst, *Alienigena non miscebitur vobis*. Audis? Non Aaronẽ tantùm alloquitur, sed etiam filios eius nominatim, sermone comprehendit, quo successio significetur. Quid enim? Non erat Dominus nominatim alloquutus Mosem, Exodi 3. vt educeret Israelitas de Ægypto: & immolaret; cuius tamen nulla fuit successio? Ergo successum fuit Aaroni, non eam ob caussam, quod nominatim ad eum loquutus sit Deus, sed quia disertè in Filios eius continuatur institutio sacerdotij: & quidem addita prohibitione, ne quisquam alienigena, id est, non de tribu Leui, ea officia vsurparet. At de Petro nihil tale obseruari potest: nec in Christi ad eum sermonibus, quicquã indicari, quo successio promittatur: sed duntaxat in eum personaliter collata autoritas.

XXVII. Tertium argumentum: Ecclesia est vna, & eadem omni tempore: non debet igitur mutari forma regiminis, quæ est forma etiam Resp. & ciuitatis. Quare si Apostolorum tempore vnus erat supremus rector & caput Ecclesiæ, hoc etiam tempore esse debet.

XXVIII. Respondeo: primò Apostolorum tempore non fuisse vnum supremum rectorem & [illegible] Ecclesiæ: sed plures, nempe duodecim Apostolos. Itaque retorqueretur argumentũ: Si non debet mutari

tari forma regiminis, quæ fuit à principio: & à principio hæc fuit forma, vt plures essēt summi rectores: ergo & hodie plures esse oportet summos rectores: ideoque nullum Oecumenicum Pontificem.

XXIX. Deinde etsi vna sit Ecclesia, tamen non esse necesse, vt eadē permaneat forma regiminis; atque adeo re vera mutatam esse: cùm enim ab initio Apostoli essent summi rectores vniuersæ Ecclesiæ, etiam singuli in solidum, deinceps tamen is ordo non perseuerauit, sed mutatus est in Episcoporum ordinem, qui inde vulgò appellantur Apostolorum successores.

XXX. Tertiò, cùm dicitur regiminis ratio, forma esse ciuitatis & Reip. luditur ambiguo. Regiminis enim ratio vel summa est, vel subalterna. De summo regimine, verum dixit Bellarminus: nam Monarchia ipsa forma est regni: ita vt si vnus desinat eā remp. summo iure administrare, nullum sit regnum. Sic plurium autoritas forma est Aristocratiæ: sic populi Imperiū forma Democratiæ. De subalterno autem regimine falsum est, in eo cōstitui formam Reip. & Ciuitatis, eóve mutato, mutari Remp. Nam Romæ post reges exactos, & ante Imperatores inductos, sæpiusculè mutata est regiminis ratio: primùm institutis Consulibus, deinde Decemuiris, tum Tribunis militum: sæpe etiam creatis Dictatoribus: & tamen eadem semper erat Democratia, quia penes populum manebat summū Imperium, & maiestas. In Ecclesia summum Imperium est Christi, qua durante regiminis ratione, eadem perdurabit etiam Ecclesia, etsi eius ministrorum ratio mutetur, prout ipsi visum est Imperatori.

XXXI. Quartò, Rempublicam nominari materialiter, pro hominum multitudine, vnum quasi corpus efficientium, iureque sociatorum. Sed Monarchiā, Aristocratiam, Democratiam, esse eius reip. regundæ varias rationes. Itaq; Remp. propriè non significare regiminis rationem: atque adeo eādem Remp. posse modò Monarchiam esse, modò Democratiam: modò Aristocratiam. Sic enim Resp. Romanorum erat sub regibus: & pòst sub Consulibus: & denique sub Imperatoribus. Iam verò Ecclesia, nomen est σύστημα Reipublicę: significat enim nō regiminis rationē, quomodo Monarchia, aut Aristocratia: sed cōmunionē sanctorū, id est, id corpus, quod debet gubernari. Quare quēadmodū non sequitur: Est Resp. ergo est Monarchia: sic imprudēter dicas, est Ecclesia, ergo Monarchia.

XXXII. Gretserus in distinctione mea regiminis summi & subalterni nugatur. Primò supponit à me summam regiminis formam appellari simplicē: subalternam verò mixtā seu cōpositam. Tum negat elidi argumentum Bellarmini. Primò, quia Chamierus fateatur mutata forma summa mutari rempublicam. At Bellarminus probarit ab initio hanc institutā. Secundò negat esse absolutè verum, non mutari vnitatem Reip. si mutetur forma mixta, siue subalterna. Quia si forma prius fuerit Aristocratica admixta Democratia: & postea transeat in Democratiam, quamuis nonnihil cum Aristocratica temperatam, tum mutari vnitatem æquè ac si ex simplici & pura Aristocratia transisset in puram Democratiam.

XXXIII. Ast ego quid Gretsero fuisse dicam cerebri cùm mea sic interpretaretur? Me summam formā appellasse simplicem: subalternā verò mixtā? At mihi non idem cerebrum quod Iesuitis: qui in humani corporis similitudine possunt caput imaginari primarium & secundariū. Sunto sanè hæc illis mōstra familiaria: à me verò absint, quā longissimè. Et sanè mētem meā adeo perspicuè putabā expositam, vt ne infantes quidem possent tam pueriliter alucinari. Quod spero lectores facile animaduersuros. Breuiter summam regiminis rationem appellaui, eam quam vulgò maiestatem: quæ est penes vnum in Monarchia, penes optimates in Aristocratia: penes populū in Democratia. Itaque mutari vnitatem reip. cùm quæ maiestas erat penes populū, vsurpatur à paucis, aut ab vno. Vicissim forma regiminis subalterna esse alia nō potest, quam ratio Rempub. administrandi à Magistratibus, penes quos tamē nō sit maiestas. Vt in regno, plures cōstitui solent proreges, puta pro numero prouinciarum. Et in Democratia, Consules erant, vel Tribuni, vel Decemuiri. Hac ergo administrandæ Reip. ratione mutata, negaui mutari vnitatem Reip. & docui exemplo Romanæ Democratiæ.

XXXIV. Hæc cùm ita sint, iam cuilibet manifestū fit, elisum esse atque afflictū Bellarm. argumētum. Nā si ille regiminis rationem intelligat summu: tum negatur eam mutatā esse in Ecclesia: quia sit eius monarcha perpetuus Christus, qui nūquā mutetur. Sin autē regiminis subalterni formā potius intelligat: tum verò negatur, mutari vnitatē Reip. hac mutata. Nec potuit refutare Gretserus: & ostendit nō potuisse, cùm vt saltem videretur refutare, [illegible]. Certè ego non negarim mutari vnitatem Reip. si ex Aristocratia temperata fiat Democratia temperata. Sed rursus dico hæc mihi somnia in mentē non venisse. Ille autē nullo exēplo, nulla ratione docere potuit: imò ne vllus quidem poterit, mutari vnitatem Reip. cùm mutatur ratio regiminis subalterni: hoc est, nō permanere Democratiā eā, in qua, maiestate sēper manēte penes populū, aliàs cōsules fiunt, aliàs Decēuiri, aliàs Dictatores.

XXXV. Quartū argumentū. Ecclesia est vnū corpus, & suū quoddā caput in terris habet præter Christum, vt patet ex prioris ad Corinthios 12. *Non potest dicere caput pedibus, non estis mihi necessarij*: quod non conuenit Christo: nec vllum potest assignari caput præter Petrū: nec debet moriēte Petro corp⁹ Ecclesię manere sine capite. Oportet igitur aliquē Petro succedere.

XXXVI. Respondeo: primò has argutiarū ineptias abūdè satis esse cōfutatas cap. 3. lib. 5. & ostēsum id caput, non vnicū esse. Sed significare omnes, quibus distributa sunt præstantiora charismata. Secūdò, implicari contradictionem, cùm asseritur, non posse vllum assignari caput Ecclesiæ præter Petrū: & tamē non debuisse moriente Petro, Ecclesiam esse sine capite. Id enim significat per mortem desiisse Petrū esse caput Ecclesiæ: vnde quis nō videt effici, aut debuisse Ecclesiam esse sine capite, contra quàm assumitur: aut aliū dari quempiam præter Petrum, qui caput esset, contra quàm proponitur? Tertiò, falsum nullum caput assignari posse præter Petrum. Non tantùm, quia caput est Christus: sed etiam quia, teste Ambrosio, Paulus *Caput in Ecclesia posuit Apostolos*.

XXXVII. Gretserus ad illam à me notatā contradictionem distinguit tempora. Et non posse esse plura capita, vno tēpore: sed variis nihil obstare. Atqui Bellarminus de tēpore nihil monuerat. Neque argumenti ea vis vlla erat. Liceat verò per me quidem Gretsero sive explicare suā mentē Bellarmini, vt balbo balbus solet esse optimus interpres, siue potius emendare paulo inconsideratiùs dicta. Sed videat quomodo cæteris capitibus medeatur.

XXXVIII. Quintum argumentū. Dominus omnes oues suas Petro commisit, non solùm ratione loci, sed etiā ratione tēporis, cùm non minus nobis, quā antiquis prospicere debuerit. Sed Petrus non semper victor erat in carne: igitur, cùm ei Dominus dixit, *Pasce oues meas*, in illo omnes successores eius alloquutus est: Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio, *Quanam de causa ille sanguinem effudit suum? Certè vt posides eas acquireret;*

quarū curam tum Petro tum Petri successoribus committebat:

XXXIX. Respondeo, consequentiā esse omnino nullā, hanc sc. Christus voluit nobis prouisū, ergo nos cōmendauit Petro. Quid enim? Nullo-ne alio modo nobis potuit prouidere? Cōtrà potius: Ergo nō cōmēdauit nos Petro: Ratio: quia sic nō esset prouisū nobis: quos Petrus, (iampridē in seculo nullus) pascere non potest. Itaq; implicatur contradictio: cùm dicūtur Petro cōmendari, qui multis post Petrū seculis erāt futuri. Et quod addit Bellarm. fuisse ob eam causā necessarios successores, argumētū infirmat: cui⁹ fundamētū illud est, ęquè nobis cōsultū esse debere, ac primis: vnde, aut nihil, aut hoc cōcludit, ipsū Petrū debuisse permanere. Quis.n. san⁹ credat, æquè bene cōsultū fuisse Ecclesiæ, cùm Ioānes XII. sedit, quē Platina sceleratissimū, & mōstrū appellat, Bellarminus omniū Pōtificū ferè deterrimū? Sedit etiā Alexāder VI. quē Guicciardin⁹ eorū tēporū historic⁹ nobilis, testatur caruisse fide, virtute, pudore, alijsq; laudib⁹? Quis inquā, dicat, æquè cōsultū Ecclesię cùm illi sederūt, quā cū Petrus?

XL. Deinde, si valet ea conclusio: quid obstat quominus hæc sit firma, Christus Apostolis omnibus dixit, *Docete omnes Gētes*: Ergo cōmisit illis omnes gentes, nō solū ratione loci, sed etiā ratione tēporis? Certè enim ea pēdet ab eodē principio: quia nō minus nobis, quàm illis gētibus, quę tum erāt, Christus prospectum voluit. Atque hinc altera sequitur, Apostolis singulis successū oportuisse. Quę cùm absurda sint, cōsequentia ostendunt antecedens esse ineptum. Quare id potius tenendum, cùm Petrum Christus sic est alloquutus, *Pasce oues meas*, hoc voluisse, vt ipse Petrus personaliter ius haberet pascēdi omnes oues Christi, æquè cum reliquis Apostolis, vt antè latiùs exposuimus.

XLI. Ridet Chamierum Gretserus, clamitātem Christum alio modo Ecclesiæ potuisse prouidere, quàm dando successores Petro. Et negantē æquè consultum Ecclesiæ per Alexandrum sextum, ac olim per Petrum. Ad prius respōdet potuisse quidem alio modo Christum prouidere, sed re ipsa alio modo prouidisse, non probaturum Chamieriū. Ad posterius: si infallibilitatem Cathedræ & definitionis spectes, vt par sit, æquè prouisum per Alexandrū, ac per Petrum.

XLII. At Gretserum, quem virum indicaturi sunt docti? Nā in priori, certè ille mihi amandandus infra pueros: qui norunt infirmari consequentiā, cū docetur non necessariò, si hoc sit illud esse: posse enim aliud. Chamierus igitur cùm audiret Bellarminū asserentē: Si nō constitutus fuerit Petro successor, nō fuisse bene à Christo prouisum Ecclesiæ: Negauit esse necessariū: quia potuerit aliter prouidere, quā per successorē Petri. Et hoc adeo verum, vt ne Gretserus quidē sit ausus negare, quantūuis Iesuita. Quid ergo peccauit? Non docuit, aliter prouidisse. Quasi eius hæ partes fuerint. Et non satis, consequentiam infirmare. Quanquam quod hîc factum non est, fit alibi, cùm probo Aristocraticum esse Ecclesiæ regimen.

XLIII. De Infallibilitate Cathedræ, nō est necesse quicquam dicere: sed ridere Sophistàs, qui nihil nō audēt. Quāquam, quid ille ad hanc solā confugit? An quia hæc sola pars est necessaria ei qui Ecclesiæ præsidet? Atqui ipse Petrus cōtradicit: prioris quinto, *Pascite Dei gregem, non turpiter affectantes lucrum: sed vt qui sitis exemplaria gregis*. En tibi, vt alia mittā, duo capita necessaria bene Ecclesiam gubernaturo. His si capitibus inferior est Petro Alexander sextus (& inferiorem esse ne Gretserus quidem ambigit, quantumuis adulator Papæ maximus) nego tam bene prouisum Ecclesiæ intruso Alexandro, quàm olim Petro constituto. Adhuc-ne rides Gretsere? Credo: sed Sardonium.

XLIV. Quod ad Chrysostomū attinet, vindicādus hic mihi est ab immani Sophistice. Sic enim eo Iesuitæ abutuntur, quasi loquutus esset de Petri successorib⁹, id est, iis qui Petro in idē munus, eādēq; dignitatē successissēt. Quod est falsissimū: Imò verò apud eū Successorū nomē nullū est, quos Gręcè διαδόχους appellāt: sed interpretis licētia vsurpauit. Διὰ τί τὸ αἷμα ἐξέχεεν, ἵνα τὰ πρόβατα κτήσηται, ἃ τῷ Πέτρῳ, καὶ τοῖς μετ᾽ ἐκεῖνον ἐνεχείρισεν. Id Germanus Brixius vertit, vt recitat Bellarm. τοὺς μετ᾽ ἐκεῖνον reddens Petri successores: nō malè: quia successores sunt etiā tēporis ratione. Sed malè Sophistæ, successores intelligūt potestatis, quod est alienū prorsus à Chrysostomi mēte, cui οἱ μετ᾽ ἐκεῖνον, sunt ij qui Petrū sequuti sunt: qui post Petrum vixerūt, non Romæ tātùm, sed etiā vbiuis gentiū. Itaq; non magis Petri, quā Pauli, Ioannis, Iacobi successores intellexit. Sic habes apud Theodoretū extremo capite Dialogi primi post recitatos plurimos ex patribus locos, οἱ προφῆται καὶ οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοὺς χειροτονηθέντες τῆς οἰκουμένης διδάσκαλοι, *Prophetæ Apostoliq; & qui post ipsos designati sunt orbis doctores*. Habes eandem phrasin, nec tamē vllos successores, nisi temporis. Et sic paulò antè descripsimus ex Halicarnasseo, οἱ μετ᾽ ἐκείνους dictum & consulibus succedentibus primis Regibus.

XLV. Sextum argumentum: In Veteri Testamento successio erat summorū Pontificum. At sacerdotium Testamenti Veteris, figura fuit Sacerdotij Testamēti Noui: igitur & nunc successio in sede Petri, primi ac summi Christianorum Pontificis, conseruari debet.

XLVI. Respōdeo: Primò peti principiū, cùm Petrus dicitur primus & summus Christianorū Pontifex. Secundò, argumētū non magis valere de Petro, quàm de reliquis Apostolis. Nā etiā in Veteri Testamēto, non solùm fuit successio Aaronis, sed etiā omniū Sacerdotū. At cæterorū Apostolorū cōcedimr nulla fuisse successio. Ergo nō est legitima, aut certè necessaria cōsequētia à Veteri ad Nouū. Tertiò, ἀδιάφορον esse, quod dicitur Sacerdotiū vetus fuisse figuram sacerdotij noui, nisi sacerdotium nouū intelligatur de Christo, quē solū ἱερέα Scripturæ nomināt. Quod verò sic argumentū emēdāt Posnaniēses, & Stapletonus, vt dicāt nō esse à typo: sed à minori ad maius, primò est falsū. Nā disertè Bellarmin⁹ argumētatus est à typo. Deinde causam nō iuuat. Quia eiusmodi comparationes à minori ad maius tū valēt, cùm eadē ratio vtrinq; subest: quæ hîc deficit: nimirum institutio diuina. Itaq; dicendū, etsi apud Iudæos vnius sūmi Sacerdotis successio fuerit, propterea quod erat à Deo instituta: tamen apud Christianos nullā esse; quia nō sit à Deo instituta. Deniq; Apostolus ad Hebræos, hāc cōsequētiā refellit, cùm docet in Veteri lege factos esse plures sacerdotes successiuè: at nō in Ecclesia, vbi vnicus est Sacerdos perpetu⁹. Vtrolibet ergo modo accipias, perinde est. Nā cōstat Aaronē fuisse typū Christi Sacerdotis. Ergo non sequitur, in typo erat successio, ergo & in re significata. Quod si à minori ad maius malis: quis credat potiorem esse consequentiæ rationem in ea re, propter quam non fuit Vetus Sacerdotium institutum, quàm in ea propter quam institutum fuit?

XLVII. Septimū argumētū: Ecclesia semper est ædificāda. Est antè super Petri personā in fide roboratā ædificāda. Ergo debet sēper aliquis talis Petr⁹ esse super quē ædificetur, id est, cui⁹ autoritate propagetur & regatur Ecclesia. Sed is non est, nisi qui Petri loco sedet.

XLVIII. Respondeo: concedi semper Ecclesiā ædificādā. Sed esse super Petri personā ædificādā sēper, hoc verò falsissimum. Nam Paulus docet datos Apostolos. Prophetas & Euangelistas, & Pastores, & Doctores ad ędificatiunē Ecclesię. Deinde quod dicitur,

opor-

oportere esse aliquẽ talẽ Petrũ, est ambiguũ: vel enim personaliter dici, vel ex officio. Si personaliter, omnino & falsũ & impossibile. Quia persona Petri debuit per mortẽ cessare. Sin ex officio, tum multi tales Petri sunt: nimirum, primò omnes Apostoli, super quibus, teste Hieronymo, ex æquo fundatur Ecclesia: tum, post Petrum & Apostolos, omnes Apostolorum successores, idest, per totum orbem Ecclesiæ pastores & Episcopi.

XLIX. Octauũ argumentũ: Paulus ad Ephesios docet, Christũ dedisse, præter cæteros Ecclesiæ ministros, pastores & doctores, ad cõsummationẽ sanctorũ, in op⁹ ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, hoc est, vsq; ad cõsummationẽ seculi. In his autẽ pastoribus, quo iure principi pastorũ tẽpus certũ & determinatũ, cęteris autẽ perpetuitatem præscribent? cùm ille sit Ecclesię fũdamẽtum, quod reliquam Ecclesiæ partem sustinet & sustentat?

L. Respõdeo, cõstare inter omnes, eos ordines, partim esse extraordinarios, partim ordinarios. In illis Apostolos esse, & Prophetas, & Euãgelistas. In his Pastores, & doctores. His ita positis, reliqua sunt facilia. Nam ille princeps pastorũ, si Bellarmino credimus, in Apostolis cõtinetur. Hoc autẽ significat, primò nõ esse vnicũ, quia Apostoli erãt plures. Deinde nõ ordinariũ, itaq; non inferẽs successionẽ. Quod si Bellarmino nõ credant Posnanienses, & cõtineri dicant in Pastoribus: Ergo non erit princeps Pastorum, qui primo loco esse debet, cùm pastores tantùm quarto constituantur. Eligant vtrum velint. Si primo loco constituunt, ergo successionem eripiunt, & vnitatem. Sin quarto, ergo principatum. Imò etiã rursus vnitatẽ: nõ enim pastorẽ Paulus nominauit, sed Pastores: vt antè non Apostolum, sed Apostolos.

CAP. IV.

Vtrum Petrus fuerit Episcopus Romanus.

I. ITaque nullo argumento probatur necesse fuisse, vt Petro aliquis succederet. Sequitur altera quæstio de Episcopo Romano, an possit dici successor Petri, tamen muneris, potius quã tẽporis: quod nos negam⁹: hoc argumẽto: quia necesse esset Petrũ fuisse Episcopũ Romanũ: Hoc autẽ falsũ esse. Ergo quęstio fit, vtrũ Petr⁹ fuerit Episcop⁹ Roman⁹: quod omnes asserũt Papistę vno ore.

II. Hic disputari solet vtrũ Romę Petr⁹ fuerit. Ac sane nõ tantùm de eo nihil Scriptura testatur: sed nonnulla sufficiunt contrariũ argumẽta. Imò in ipsa Ecclesiastica historia multa sunt quæ scrupulũ moueãt. Verũtamen omnes Patres magno cõsẽsu asseruerũt Petrũ Romam esse profectũ, eamq; Ecclesiã administrasse. Et mihi quidẽ nõ facile vellicãdus videtur tãtus cõsensus: maximè cùm, quę è Scriptura ducũtur argumẽta, coniecturę sint potius, quã demõstrationes: & res ipsa nõ pertineat ad Ecclesiastica dogmata: sed ad historiam. Itaque non tractabo hanc quæstionem: quamuis meo isto iudicio præiudicare nolim viris doctis quibus aliter visum. Sed fuisse Petrum Romanum Episcopum, quomodo Linum, Cletum, Clementem, hoc verò pernego; & Papistarum asserentium argumenta solidè confuto.

III. Primùm ex Bellarmino: Petrum Episcopum Romanum fuisse, suadere videtur summa dignitas Romanæ Ecclesiæ. Semper enim omnium consensu habita est prima, & præcipua omnium. Non potest autẽ vlla ratio reddi huius excellẽtiæ, nisi quia princeps Apostolorũ, illius Ecclesiæ præcipuus pastor, & Episcopus fuit.

IV. At primùm, hæc tantùm est coniectura: vel hoc indicio quod à Bellarmino titubanter profertur. *Videtur* (inquit) *suadere*. Secundò, falsum est aliam nullam reddi caussam posse. Imò verò caussa germana est eius vrbis amplitudo. Et Theodoretus, cùm varias in Epistola ad Leonem caussas colligat præstantiæ Romanæ, tamen nullo loco Episcopatum Petri numerat. *Multis* (inquit) *prærogatiuis sedes ornatur vestra. Alias enim vrbes ornat, vel magnitudo, vel pulcritudo, vel multitudo eorum qui inhabitant: nonullas autẽ ius primatus, dona quadã illustrãt spiritualia. Vestra autẽ redũdantẽ bonorũ copiã dedit is, qui est bonorũ largitor. Ea est omnium maxima, & præclarißima, & quæ præest orbi terrarũ, & eorũ qui inhabitãt abundat multitudine. Accedit his, quod hoc quoq; quod rerũ potitur, peperit imperiũ, & propria sua appellatione eos quibus imperat, impertiit. Præcipuè autẽ, & insigniter eã exornat fides, & fide dign⁹ testis Apostolus, qui clamat, Fides vestra annunciatur in toto mundo.* Et paulò pòst, *Habet autẽ cõmuniũ quoque Patrũ, & veritatis doctorũ, Petri & Pauli sepulcra, quæ fideliũ animas illuminãt. Horũ autẽ beatißimum par, & planè diuinũ, exortũ quidẽ est in Oriente, & radios omnẽ in partẽ emisit: in Occidentẽ autẽ prõpto & alacri animo vitæ suscepit occasum, & nũc illinc orbem terrarum suis radiis illustrat.* Hęc Theodoretus: qui cũ in eo tot⁹ sit, vt aduletur Romano Põtifici, collectis prærogatiuis, quis credat omissum Episcopatum Petri, si ea sola esset caussa dignitatis Romanę? Tertiò, nõ valet cõsequẽtia. Dignitas Ecclesię Romanę est summa: eiusq; in Petro caussa est, nõ aliubi: Ergo Petrus fuit Episcopus Romanus. Potuit enim sufficere Petri Apostolatus, fundãtis eã Ecclesiã: quemadmodũ perspicuũ est eximias fuisse Ecclesias illas, quę Apostolicę appellabantur: non ex eo quòd earum aliqui Apostoli fuissent Episcopi: sed quòd eas aliqui Apostoli aut fundassent, aut certè docuissent.

V. Secundum argumentum. Si non fuit Petrus Episcopus Romæ, exponant aduersarij, vbi sederit ab eo tempore quo reliquit Antiochiam. Etenim non mansisse perpetuo Antiochiæ, ipsi confitentur Antiocheni: tum nulla est Ecclesia quæ assereret Episcopum suum fuisse Petrum, excepta Antiochena & Romana.

VI. Imò quid est sedere? An simpliciter docere? an verò Episcopũ esse huius vllius-ve loci? Nã vbi sederit, idest, docuerit Petrus, facile responsu: Hierosolymis, Antiochiæ, Babylone: quod constat ex Scripturis: adde Alexandriæ, & Romæ: ex traditione. Atqui hoc, quid ad rẽ? Neq; enim quia docuit Hierosolymis, ideo dicitur Episcop⁹ Hierosolymitanus: sic neq; Babylonius.

VII. Quod si dicas, Episcopum esse, respondeo, primò non fuisse necesse sedere alicubi Petrũ, magis quàm Paulũ: quia Apostolorũ esset discurrere in varias orbis partes: & de ipso Petro liquet veterũ testimonio. Atque adeo Epiphanius in hæresi vicesima septima, *Apostoli* (inquit) *sæpe ad alias terras ablegabantur propter Christi prædicationẽ. Nõ potuit autem vrbs Roma sine Episcopo esse.* Quibus verbis idcirco Linũ & Cletum, à Paulo & Petro Episcopos vrbi datos significat, quod ipsi nõ possẽt eo fungi munere, idque propter varias peregrinationes. Et sanè Petrũ cõstat in Oriẽte fuisse septẽ annis dũtaxat ante suã mortẽ: nisi fallunt veteres historici. Nam à Christo passo ad decimũ quartũ Neronis annum, numerãtur anni tantùm triginta sex cũ mẽsibus aliquot. Paulũ conuersũ dicũt anno altero à Christo passo: post eã cõuersionem anno tertio fuisse Hierosolymis idẽ Paulus testis est, & rursus postea anno decimo quarto, ac ibi Petrũ se vidisse. Scilicet annis iã octo postquã Romã venisset: si tamẽ tũ venit, cùm plerique putant. Præterea Antiochiæ fuit etiã post id tẽpus, si verè Baronius conijcit, eã reprehensionẽ Petri à Paulo post iter Hierosolymitanũ accidisse. Adde Põtũ, Galatiã, Cappadociã, in quibus volũt prædicasse annos quinque: & facile videbis paucos tantùm annos Petrũ Romæ sedisse, si sedit. Imò potius nusquã sedisse: sed vbiq; functum Apostolatu. Nõ est igitur necesse, vt Petrum ostẽdamus alicubi sedisse vsq; ad extremum vitę diẽ. Imò falsum, quod addit Bellarminus, nos eum velle fuisse Episcopum alicuius Ecclesiæ, vt Ioãnẽ Ephesinæ, Iacobum Hierosolymitanę. Omnes potius credimus, & Petrum, & Ioannẽ, & Iacobum, ad extremum vsq; diẽ perseuerasse Apostolos. Et si sedit Romæ

Petrus, haud aliter sedisse, quàm illos suis locis: imò quàm Paulum Corinthi, & Philippis, & alibi.

VIII. Secūdò respōdeo, etsi Petrū Romę sedisse cōcedamus vsq; ad obitū, tamē nō sequi fuisse eius vrbis Episcopū: Cur enim nō potuerit sedere vt Apostolus, Episcopi munere alteri demādato? Sic enim Tertullianus Paulo Cathedrā assignat apud Corinthios, nō quod eorum fuerit Episc. sed tātùm, quia eā Eccles. docuerit vt Apostolus.

IX. Gretserus: Vnde ergo in Ecclesia Episcopi, si Petrus nō fuit Episcopus? Nā si hic nō fuit, multo minus alij Apostoli: quis enim primus in Ecclesia Episcopus fuit? Quis primus Episcopū creauit? Quasi verò, inquā, necesse sit nullū fuisse Episcopū, si Petrus nō fuit: si Apostoli reliqui nō fuere. Quid si aliquis similiter dicat nullū esse Diaconū, cùm nec Petrus, nec vllus Apostolus fuerit? Nū colleēt Iesuitę: Quid tū autē, si nō possimus primū Episcopū nominare? aut ne eū quidē, qui primus Episcopū creauit? An propterea necesse est Petrū fuisse Episcopum? Mōstra hęc sūt, nō argumēta. Quāquā quod interrogāt, facile est ex Patrū vsu. Nā præterquā quod obseruāt primos in singulis Ecclesiis constitutos Episcopos, vt Ignatius ad Antiochenos, *Mementote Euodij beatissimi pastoris vestri cui primo traditus est ab Apostolis apud vos primatus*. Etiā Iacobū solēt omniū primū Episcopū dicere. Chrysostomus in Matthæū hom. 5. *Tā fuit ille mirabilis vt Episcopatū primus acceperit*. Epiphanius Collyridianis. *Ille Iacobus, primus Cathedrā Episcopatus obtinuit: cui primo Dominus in terris suā sedē credidit.*

X. Tertiū argumētū: à cōsensu omniū veterū, qui dicūt Petrū Romę fuisse Episcopū. Sed distinguenda Episcopi significatio. Aliàs enim latè nominatur, pro functione cum autoritate regēdæ Ecclesiæ. Quomodo Petrus Christū appellat, *Episcopū animarū nostrarū*, 1. *cap.* 2. Et Apostolatū, Episcopatū, Act. 2. Et Epiphanius hęresi 27. *Romæ fuerūt primi Petrus & Paulus, iidē Apostoli, & Episcopi.* Aliàs verò strictius, pro certa fūctione Ecclesiastica, infra Apostolos: vt cùm dixit Paulus: *si quis Episcopatū desiderat*, 1. Tim. 3. Et cùm dicitur Romæ Episcupus primus Linus, secundus Cletus, tertius Clemēs. Hoc posito, dico, primò negari omnes veteres Petrū appellasse Episcopū Romanum: cōtra potius & vetustissimos, & eius rei maximè idoneos testes, vt pote magis accedētes ad Apostolica tēpora, aliter sēsisse. Secūdò, si qui sic loquuti sūt, eos Episcopi nomine esse abusos lata significatione.

XI. Quod vt fiat manifestū, distinguo ea, quæ citātur veterū testimonia. Quædā enim successionē Episcoporū Rom. sic texunt, vt initiū faciāt à Petro. Irenæi lib. 3. ca. 3. Epiphanij, hæ. 27. August. epi. 65. Optati lib. 2. Dorothei in Synopsi. Quib. addi potest Tertullianus de præscriptionibus, *Euoluāt ordinē Episcoporū suorū, ita per successiones decurrentē, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris fuerit.* Et infra, *Sicut Romanorū Ecclesia, Clementē à Petro ordinatum refert.* Et hic primus ordo. Alia plurima, Ecclesiā Romanā sedē appellāt, & Cathedrā Petri: Cypriani multa: Athanasij ad solitariā vitā agētes: Sozomeni lib. 4. cap. 14. Hieronymi ad Damasū: Augustini lib. 2. cōtra literas Petiliani cap. 51. Prudentij. Prosperi. Theodoreti ad Leonē, & aliorū. Tertius ordo eorū esto, qui Petrū Ecclesiæ Romanæ sacerdotē, & Episcopū nominarūt. Eusebius in Chronico anni 44. *Petrus 25. annis eius vrbis Episcopus perseuerat.* Optatus lib. 2. *Negare nō potes scire te, in vrbe Petro primū Cathedrā Episcopalē esse collocatā.* Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 1. *Petrus Apostolus Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ.* Hieronymus de viris illustribus dicit eū 25. annos sacerdotalem Cathedram tenuisse. Sulpitius lib. 2. *Petro Episcopatum gerente.* Isidorus in vita Petri: & recentiores omnes. Ad hæc tria capita, omnia, opinor, referuntur, quæ corradunt, Veterum testimonia.

XII. Ad primi ordinis locos, dico, primos ita facere Romanos Episcopos Petri successores, vt ipsum Petrū Episcopum nō faciāt: posteriores autē, vel nō esse aliter intelligēdos, vel nō posse priorum autoritati derogare. Illud ita esse, sic ostendo. Primū, quia qui eius successionis originē altius repetūt: nō Petrū solū, sed cū eo Paulū nominēt: cū tamē nemo vnquam hunc dixerit fuisse Romanum Episcopū. Irenæus, *Fundātes igitur & instruentes beati Apostoli, Lino Episcopatū administrandæ Ecclesiæ tradiderunt.* Epiphanius, *Episcoporū in Roma successio hāc cōsequentiam habuit, Petrus & Paulus: Linus Cletus*: & sic deinceps. Eusebius hist. lib. 3. cap. 2. *Post Petri & Pauli martyriū, primus Rom. Ecclesiæ Episcopatum Linus, sortito capit.* Quæ cùm ita sint, qui volēt, Petrū fuisse Episcopū Romanū, quod primus nominetur in ea serie, iidē cogētur admittere Paulū pro Episcopo eiusdē Ecclesię: quod nūquā aduersarij cōcedāt. Nā Oecumenicū Pōtificē, tā esse vnicū volūt quā solē.

XIII. Secundò, neq; Irenæus, neq; Eusebius Petrū cōprehēdunt in Episcoporū numero. Irenæus successionē recēset in hunc modum, *Petrus & Paulus: Linus, Anacletus, Clemens, Euaristus, Alexander Sixtus, Thelesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius.* In ea nomēclatura, si personas numeres, hēt à Petro ad Clementem quatuor, ad Eleutherium tredecim, cōputans extremis. Atqui in his Irenæus Episcopos numerat duntaxat à Petro ad Clemēte tres: ad Eleutherium duodecim. Sūt enim diserta verba eodē 3. cap. lib. 3. *Fūdantes & instruentes beati Apostoli Ecclesiā, Lino Episcopatū administrādæ Ecclesiæ tradiderūt. Succedit ei Anacletus: post eū tertio loco ab Apostolis, Episcopatū sortitur Clemēs.* Et paulò pòst, *Huic autē Clemēti succedit Euaristus: & Euaristo Alexāder: ac deinceps sextus ab Apostolis cōstitutus est Sixtus.* Et iterum, *Cùm autem successisset Aniceto Soter, nūc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius.* Consentit Tertui. Breuiar. Toletan. S. Isidori in hymno aduersus Marc. quo laudes S. Clementis canuntur: apud Baronium anno 69. paragra. 42. *Romanæ sedis tertium Antistitem. Quem Christus sibi consecrauit martyrum.*

XIV. Nec ab iis discedit Eusebius hist. Eccl. lib. 3. Nam is nō tātùm cap. 2. Linū ait primū post martyrium Petri & Pauli Episcopatū accepisse, sed etiā 4. *Linū, cuius Paulus meminit in posteriori ad Timotheū, vt cum quo vna esset cū eo Romæ, primum post Petrū accepisse Romanæ Ecclesiæ Episcopatum antea ostensum est. Sed & Clemēs qui & ipse tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus cōstitutus est, ab ipso Paulo testimoniū habet, fuisse ei sociū & commilitonem.* Et 16. disertius, *Clemens Romanā adhuc gubernabat Ecclesiā, qui tertius sedē obtinebat inter eos qui post Paulū & Petrū Romæ Episcopi fuerūt. Linus primus fuerāt, Anacletus secundus.* Et lib. 4. cap. 1. *Eodē tēpore, postquā septimū annum complesset Euaristus, quinto gradu successionem à Petro & Paulo deducens, Episcopatum suscepit.* Et cap. 5. *Septimus ab Apostolis successit Telesphorus.* Atque hac ratione semper ille calculum inchoat à Lino. Quomodo & Gregorius Turonensis lib. 1. cap. 27. *Tertius post Neronem* (inquit) *persecutionem in Christianos Traianus mouet, sub quo beatus Clemens tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus passus est.*

XV. Ne quid autē scrupuli moueat hæc eiusdē loquēdi ratio, *Primus post Petrū, Tertius post Petrū*, quasi sēsus sit, absolutè quidē Petrū fuisse primū Episcopū Romanū, Linū verò primū, non absolutè, sed eorū qui post Petrū, respōdeo dupliciter hac phrasi Eusebiū vti. Nā quoties eum ipsum, à quo seriē incipit, nō cēset fuisse Episcopū, tū excludit à numero: quoties verò cēset fuisse Episcopū tū, includit: quod etiā quilibet animaduertet, qui nō negligenter eius libros leget. lib. 3. cap. 30. *Ignatius post Euodiū successione secundus Episcopatum Antiochiæ sortito capit.* Atqui dixerat cap. 16. *Euodius primus Antiochiæ fuit Episcopus, secundus Ignatius.* Rursus lib. 4. cap. 1. *Quidā nomine Primus, ab Apostolis successione quartus, ministerium Ecclesiæ illius (Alexādriæ erat) sortito capit*: cùm tamē antecessores nominasset, Anianū, Abiliū, Cerdonē: imò etiā Anianū dixisset primū Alexādrinę Ecclesię præfuisse. Deniq; lib. 3. c. 21. *Serapio octauus ab Apostolis Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus.*

XVI. Iam verò secundi modi hæc exempla notaui-

notauimus. Quum cap. 12. lib. 3. scripsisset, *Quarto anno Domitiani Anianus primus Ecclesiæ Alexandrinæ præfuit, in cuius locum suffectus est Abilius*: postea cap. 16. ita loquitur: *Abilius tredecim annos Ecclesiæ Alexandrinæ præfuisset, Cerdo ea dignitatis gradu potitus est. Hic tertius post Anianum primum Episcopum, eam rexit Ecclesiam*, [Greek] Numera: Anianus primus, Abilius secūdus, Cerdo tertius: tertius igitur, non post Anianū, nā secundus esset, sed ab Aniano. Rursus eodem capite, *Simeon secundus post Seruatoris nostri fratrem Iacobum Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfectus*: & lucidius capite quinto libri quarti, *Primus erat Iacobus frater Domini appellatus: Secundus Simeon: tertius Iustus*. Et sic deinceps. His exemplis id fit manifestum Eusebium, quos verè censuit fuisse Episcopos, comprehendisse in computandis successionis gradibus, non verò nominè. Quare, quum in Romanorum Episcoporum serie, nullo loco Petrum numeret, manifestum quid de eo senserit.

XVII. Tertiò Irenæus sic loquitur. *Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt.* Græcè apud Eusebium libro quinto historiæ capite sexto. [Greek] Quæ verba aut nihil significant, & sunt inepta: aut distinguunt luce clarius Petri & Pauli functionem, ab Episcopatu Lini: vt fundamenta quidem illi iecerint Ecclesiæ eius, sicut & aliarum plurimarum, Episcopatum verò commiserint Lino. Quæ mens illorum est, qui viuo Petro Linum & Cletum volunt Episcopatu functos: è quibus Epiphaniū paulò ante citauimus, & expendimus. Ruffini verò in eam rem verba hæc sunt, præfatione ad libros Recognitionum, *Linus & Cletus, fuerunt quidem ante Clementem Episcopi in vrbe Roma, sed superstite Petro: videlicet, vt illi Episcopatus curam gererent, ipse verò Apostolatus impleret officium. Sicut inuenitur etiam apud Cæsaream fecisse, vbi quum ipse esset præsens, Zachæum tamen a se ordinatum habebat Episcopum.* Quæ quidem disertiora sunt, quàm vt obscurari queant vllo artificio. Nam asserunt Petrum functum esse Apostolatu, Linum autem & Cletum Episcopatu. Negant igitur Petrū fuisse Episcopum. Deinde sic Petro additos fuisse Linum & Cletum Romæ, vt Zacchæum Cæsareæ. Quum igitur fundaret Ecclesiam Cæsariensem Petrus, Zacchæo Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradidit. Scio non probari hanc sententiam Baronio. Sed quid tum? Nam primò, probatur alijs, Onufrio, Sandero, Feuardentio. Deinde nostra nihil interest. Nam Irenæus facile intelligi potest de successione: vt quandiu Petrus Romæ fuit, eam Ecclesiam fundarit, & ædificarit tanquam Apostolus: tum proximus morti Linū reliquerit Episcopū. Imò verò non debet aliter intelligi. Nam si ex fundandæ & ædificandæ Ecclesiæ partes intelligerentur de Episcopatu, tum Paulum etiam oporteret fuisse Episcopum, & quidem vnà cum Petro: quod nunquam aduersarij concedent.

XVIII. Quartò, ne ipse quidem Tertullianus Petrum facit Episcopum Romanum: locum noluit integrum Bellarminus recitare: ego describam, è libro de Præscriptionibus capite 32. iuxta Pamelij diuisionem, *Euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit autorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. Sic Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum, ab Ioanne collocatum refert: sicut* (lego sic &) *Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit.* Attende verba: quod aut non faciunt, aut negligenter faciunt aduersarij. Tertullianus igitur non facit (inquam) Petrum Episcopū Romanum, sed tantùm primi Episcopi autorem & antecessorem. Quærebat enim ab hæreticis eiusmodi successionis enumerationem, quæ primum Episcopum ostenderet aliquem, cui autor & antecessor esset aut Apostolus, aut vir Apostolicus. Id fieri ab Ecclesijs Apostolicis confidenter tradit: & illustrat exemplo Smyrnæorum, quorum primus Episcopus erat Polycarpus: cuius autor & antecessor Ioannes: non ipse tamen eius vrbis Episcopus. Quare aut imperite Tertullianus interrogauit, aut ineptè respondit: aut necesse est dicamus, eum numerasse Clementem in ordine Romanorum Episcoporum primum: non verò Petrum, quem potius autorem sciebat & antecessorem primi Episcopi. Idem in carminibus contra Marcionem libro tertio, Clementi præposuit Linum, & Cletum: sed tamen Petrum extra Episcoporum ordinem constituit.

Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum, primum considere iussit,
Post quem Cletus & ipse gregem suscepit ouilis.
Huius Anacletus successor sorte locatus:
Quem sequitur Clemens: is Apostolicis bene notus.
Euaristus ab hoc rexit sine crimine legem.
Sextus Alexander Sixto commendat ouile.

Et nominato post Sixtum Telesphoro:

Iámque loco nono Cathedram suscepit Higinus.

Atqui, si primus Petrus est, tum vel digiti indicabūt, Alexandrum esse Septimum, Higinum decimum. Quanquam, quid hoc opus est, quum disertè Linum audiamus primum?

XIX. Gretserus hoc quicquid est exactioris inquisitionis, inamloquētiam appellat. Facile. Sed de re ipsa quid habet solidius? Ista, inquit, formula denotatur ordo & numerus primo institutori succedentium: ad quem ordinem & numerum primus institutor non pertineat, cùm ipse nemini succedat: licet pertineat ad numerum & ordinem Episcoporum. Itaque non absolutè: sed post Petrū. Quomodo Gretserus diceret, Augustum fuisse primum à Iulio, Tiberium secundum. Id autem me in Eusebio obseruasse, quod factum velim.

XX. Intelligo, inquam, denotari ordinem succedentium. Quis enim neget, tam perspicuis locis? Sed primum esse in ordine Episcoporum, hoc verò non debuit Gretserus, tanquam Prætor ediceret sed tanquam disputator confirmare. Nam posse Gretserum & de Iulio, & de Augusto, & de Tiberio loqui ex animi sui sensu nō eam inficias. Sed caueat ille, ne viros non Iesuitas, viros, inquam, bonos, suo metiatur modulo. Sed de Eusebio, quid grūnit? An me vellet ipsum mihi oculos eruere, vt in gratiā sui Tarpeij, non viderem solem meridie lucentē? Absit hoc à me: nec me sirit vnquam Deus esse Iesuitam. Quod si falsò quicquam notaui: cur nō explanauit, quos ego locos non citaui tantùm: sed etiam recitaui? Dicat mihi verò aliquis pro Gretsero Iesuita, cur dicat Eusebius Cerdonem tertium post Abilium rexisse Ecclesiam Alexandrinam: cùm series hæc esset, Anianus, Abilius, Cerdo. Et tamen dixerit, *Septimus ab Apostolis successit Telesphorus*, cùm ordo esset Petrus Linus, Anacletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus. Hoc dum nemo faciet, frustra occinent: frustra dabunt verba.

XXI. Ad Epiphanium Augustinumq; facilis responsio, quorum vtrique propositum, successionem Episcoporum Romanorum à Petro accersere, non, vt Petrum docerent fuisse Episcopum: sed tantùm vt ostenderent idipsum quod volebat Tertullianus, primum Episcopum Romanum habuisse aliquem Apostolum autorem & antecessorem. Nec Dorothei Synopsis difficilior. Nam, *Linus post Coryphæum Petrum Romæ Episcopus fuit*: id verò verè dici potuit, etiamsi Petrus nunquam fuerit Episcopus.

XXII. Atque ita expeditum est primum genus testium. Venio ad alterum, quo continentur eorum Patrum loci, qui Ecclesiam Romanam, sedem appellant & Cathedrā Petri. Atqui, inquam, id non est Petrum asserere Episcopum Romanum: sed duntaxat Romanam Ecclesiam fundasse, vt loquitur Irenæus: hoc est, in ea docuisse primum. Sic enim visus erat appellandæ Cathedræ: quod patet ex Tertulliano, capite tricesimo sexto de Præscriptionibus, *Age iam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur: apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proximè est tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam*. En tibi, autore Tertulliano, Cathedras Apostolicas, Corinthum, Philippos, Thessalonicam, quarum tamen vrbium nullus Apostolus fuit Episcopus: sed eas solùm Paulus fundauit & docuit. Eæ autem cathedræ adhuc (inquit) suis locis præsidentur, hoc est, perpetuam habent successionem ab Apostolis decurrentem. Quare quemadmodum non sequitur, Paulus Cathedram habuit Corinthi, Philippis, Thessalonicæ, ergo earum fuit vrbium Episcopus: sic non est necesse propterea Petrum dici Episcopum Romanum, quia ei sedem in ea vrbe antiqui constituūt. Ideo magis patet, quòd Theodoretus ad Leonem, in ea ipsa sede non solùm collocat Petrum, sed & Paulum cum eo; *Is* (inquit) *vestram sedem effecere magis illustrem*. Quanquam ea verba non significant necessariò eam sedem fuisse Petri aut Pauli.

XXIII. Sequitur tertium genus. Et primum de Eusebio, respondeo, vt aliàs, locum illum ex Chronico anni quadragesimi quarti, fuisse interpolatum, partim ab Hieronymo, partim à posteris. Nam Eusebius non dixit, Petrum eius vrbis Episcopum perseuerasse: sed tantùm, *εἰς Ῥώμην ἄπεισι κηρύττων τὸ Εὐαγγέλιον, Romam proficiscitur prædicans Euangelium*. Enimuerò, quis credat dissensisse Eusebium Chronologiam scribentem, à seipso historiam cōponente? Quinetiam in ipsa Chronologia, Petrus nunquam computatur in Episcopis. Linus enim dicitur primus. Verba sunt anno Christi sexagesimo nono. *Τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας μετὰ Πέτρον πρῶτος κληροῦται Λῖνος, Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus*. Eodem sensu, quo in historia. Nam similiter, *Τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μετὰ Μάρκον τὸν Εὐαγγελιστὴν πρῶτος Ἀννιανὸς*, *Post Marcum Euangelistam primus Alexandrinæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus Annianus*. Et postea anno octogesimo primo. *Ῥωμαίων δεύτερος Ἀνέγκλητος, Anacletus secundus Romanæ Ecclesiæ constituitur Episcopus*. Quomodo, *Ἀλεξανδρείας δεύτερος ἐπίσκοπος Ἀβίλιος, Secundus Alexandrinæ Ecclesiæ constituitur Episcopus Abilius*. Et anno nonagesimo tertio, *Τρίτος Ῥωμαίων ἐπίσκοπος Κλήμης, Tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus præfuit Clemens*. Similiter: *Τῆς Ἀλεξανδρείας Ἐκκλησίας τρίτος ἐπίσκοπος Κέρδων, Alexandrinæ Ecclesiæ tertius Episcopus præfuit Cerdo*. Anno centesimo *Ῥωμαίων Ἐκκλησίας ἐπίσκοπος τέταρτος Εὐάρεστος, Romanæ Ecclesiæ Episcopatum quartum suscepit Euaristus*. Et sic deinceps.

XXIV. Sic igitur de Eusebio. Reliquos dico esse recentiores: proinde Irenæum, Tertullianum, Eusebium, testes esse locupletiores, vtpote antiquiores. Vt tamen eorum verba piè excusemus, posse sumi Episcopi sacerdotisque nomen καταχρηστικῶς, (vt antè dictum) lata significatione, pro eo, qui in Ecclesia facit, quæ faciunt ij qui propriè Episcopi & sacerdotes solent appellari: quemadmodum se Petrus καταχρηστικῶς vocat aliorum συμπρεσβύτερον: etsi ne esset quidem πρεσβύτερος, quo sensu ij erant, quos alloquebatur: sed Apostolus, qui gradus erat presbytero superior. Sic igitur potuit dici Petrus Episcopus Romanus: Petrus Corinthius Thessalonicensis, Philippensis: nempe, quatenus eas Ecclesias administrarunt, cùm docendo, tum instituendo presbyteros, & Diaconos: Sacramenta administrando: excommunicando, absoluendo: & si qua sunt alia. Nec sequitur tamen fuisse Episcopos, propriè sumpto vocabulo.

XXV. Nihil igitur Papistæ afferunt, quo probent necesse esse Petrum appellari Episcopum Romanum. Sed nos contrà proferimus, non tantùm Apostolatus gradum, vnde non est verisimile descendisse, ad vnius vrbis Episcopatum multo inferiorem. Sed etiam pacta conuenta, datisque dextris firmata, inter Petrum & Paulum, etiam post id tempus, quum dicitur profectus Romam: vt hic quidem inter gentes, ille verò inter Iudæos prædicaret Euangelium: quemadmodum constat ex secundo capite ad Galatas. Nam, quod hæc pacta sic explicat Bellarminus capite septimo libri secundi de Pontifice, eiusmodi fuisse, vt Petrus prædicaret quidem omnibus, sed principaliter Iudæis: Paulus verò etiam omnibus, sed principaliter Gentibus: *ἄλλο πρὸς ἔπος*. Nam si Petrus se fecit Episcopum Romanum, tum hæc ipsa pacta violata sunt. Quia Episcopi Romani partes eæ sunt, vt gentibus principaliter prædicet. Constabat enim Ecclesia Romana præcipuè ex Gentibus: Iudæis autem aut nullis, aut admodum paucis. Quis credat autem à viro sanctissimo sic violatas dextras?

CAP. IV.

An Petri successor sit Episcopus Romanus.

I. Constat ergo, nec Petro succedi debuisse, nec Petrum fuisse Episcopum Romanum. Vnde legitima, ideoque necessaria conclusio, Romanum Episcopum non esse Petri successorem ratione muneris: Sed tantùm ratione temporis: qua ratione omnes Episcopi omnium fune Apostolorum successores. Contrà tamen Bellarminus vnico pugnat argumento capite duodecimo libri secundi; de Pontifice. Nullus est (inquit) nec fuit vnquam, qui se Petri successorem vllo modo affirmauerit, vel pro tali fit habitus præter Romanum, & Antiochenum Episcopum. At Antiochenus, non successit Petro in pontificatu Ecclesiæ totius.

Ergo

Ergo solus Romanus. Probat assumptum. Quia nō succeditur nisi cedenti locum, vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, id est, depositionem, vel renunciationem. Petrus autem adhuc viuens, & Pontificatum gerens, Antiochenam Ecclesiam reliquit, & Romæ suam sedem fixit. Et hic multas subijcit obseruationes, quas longum valere iubemus, quia ad rem hanc nostram sunt inutiles.

II. Respondeo, primùm ex iis quæ iam disputata sunt hactenus, demonstratum esse, neque Antiochenum, neque Romanum successisse Petro, nisi successione temporis: non autem officij. Itaque Eusebius in Chronico ad annum quadragesimū quartum, *τῆς Ἀντιοχείας ἐκκλησίας πρῶτος ἐπίσκοπος Εὐόδιος ἐχειροτονεῖτο. Primus Antiochiæ Episcopus ordinatur Euodius.* Qui tamen secundus dici debuit, si in eadem dignitate Petro successisset. Quare, quæcunque hîc à Bellarmino disputantur, vt Romanus præferatur Antiocheno, nihil probant.

III. Secundò, nego bonam esse consequentiam, Romanus præfertur Antiocheno, Ergo ille successit Petro in Oecumenico Pontificatu, non hic. Euertitur enim ex iis quæ iam probata sunt, nempe, nec vllum fuisse à Christo institutum Oecumenicum Pontificem: nec Petrum fuisse Episcopum Romanum.

IV. Tertiò, si ambo, Romanus, & Antiochenus fuerunt successores Petri, rationem quæro, quare Romanus fuerit successor in Oecumenico Pontificatu, potiùs quàm Antiochenus. Nam illud de morte naturali, & legitima est infirmum. Quia consequentia non valet. Petrus Romæ mortuus est: ergo Episcopus Romanus in tota ipsius dignitate, & potestate successit. Quid enim? An quia Iacobus Hierosolymis mortuus, ideò in tota eius dignitate, & potestate successit Simeon? Minimè verò: sed tantum in Episcopatu Antiocheno. Imò ne ipse quidem Romanus Petro, in Apostolatu. Ratio: quia quæ dignitas est personalis, ea neque morte naturali, neque morte legitima, transit ad successores. Itaq; tum Antiochenus, tum Romanus, aut non sunt successores Petri, aut sunt alia ratione, quàm potestatis in vniuersam Ecclesiam: nempe in potestate administrandæ suæ quisque Ecclesiæ.

V. Sed instat. Si Antiochenus Episcopus Petro successisset in summo Pontificatu, fuisset primus Episcoporum. At non fuit: ergo non successit. Respondeo concedendo vniuersum syllogismum. Eo enim probatur Antiochenum non fuisse Episcopum Oecumenicum. Sed quid ad rem? Nam id nos prolixè concedimus. Sed non probatur Romanum potiùs fuisse, quod est in quæstione. Neque æquum est, vt quod Antiocheno negatur, statim Romano concedatur.

CAP. VI.

De Controuersiis iudicandis.

HActenus primum argumentum fuit à successione. Nunc secundum, à decisione controuersiarum. Si sedes Romana solita fuit consuli in omnibus quæstionibus, & controuersiis ad fidem, & religionem pertinentibus, eiusque sententiæ, & arbitrio commissa fuit, omnium difficilium, & ancipitum definitio: Ergo ea autoritatem habuit summam in omnes Ecclesias. Sic Hardingus contra Iuellum articulo quarto, sectione vigesima nona. Antecedens probant Posnanienses thesi centesima vigesima sexta, & septima. Polycarpus Romam venit, vt cum Aniceto in congressum, colloquiumque de Paschæ celebratione veniret. Irenæus ob quasdam Ecclesiæ quæstiones Legatus Romam missus est à martyribus Lugdunensibus. Dionysius Alexādriæ Episcopus à Xysto consilium quærit, veritus ne in errorem laberetur. Patres Concilij Carthaginensis Romanum Pontificem orant, vt statutis suis de Cœlestio, Apostolicæ sedis adhibeatur autoritas. Augustinus libros suos Bonifacij subiecit examini: & gloriatur se, sensum & fidem suam contra Pelagianos, ex Apostolicæ sedis autoritate defendere. Hieronymus petit à Damaso, vt sibi, siue dicēdarū, siue tacendarum hypostaseon detur autoritas. Tarraconenses Episcopi ad fidem Apostolicam recurrunt, Cœlestinus Papa, Cyrillum Alexandrinum, Ioannem Antiochenum, Rufum Thessalonicensem docuit, vnius ciuitatis Episcopum, ad alias transferri posse.

II. Respondeo, in antecedente contineri tria capita: vnum, consultum esse Romanum Episcopum in omnibus, & vndique, alterum, solum fuisse consultum: tertium, eius arbitrio commissam esse definitionem omnium difficilium, id est, non licuisse discedere ab eius definitione. Hæc ego tria capita, pronuntio esse falsa: ac proinde totum antecedens: vt consequens non possit esse verum. Seorsim singula.

III. Non fuisse consultum vndique, & in omnibus quæstionibus, doceo variis exemplis. Primò, Ioannes Apostolus, vt damnaret Nicolaitas, & Cerinthum, nunquam legitur exspectasse vllius Episcopi Romani sententiam. Cyprianus, cùm agitaretur quæstio de iteratione baptismi ab hæreticis collati, sedem Romanam non consuluit: sed tum ipse plurima disputauit: tum Concilium Africanum conuocauit: & quæstionem definiuit. Idem negotium illud de pace à martyribus data, sua & cleri sui autoritate definiuit: nec ab Episcopo Romano decisionem vnquam postulauit, etsi ad eum ipsa illa de re semel, bis, tèrve scripserit. Quum Alexandriæ Arius primū hæreseos suæ virus effunderet, & confutatus est & dānatus ab Alexādro, tum Episcopo, nunquā, quod constet, admonito Episcopo Romano, aut exspectato eius consilio. Ipsi Africani in Concilio Carthaginensi Pelagium securè damnarunt: nec à Iulio postularunt, quid facto opus esset: tantùm latæ damnationis sententiæ petiuerunt, vt consentiret.

IV. Non fuisse solum consultum, ita fit manifestum. Ambrosius Epistola octogesima tertia, *Necesse fuit, quia etiam post Aegyptiorum supputationes, & Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem, Episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ, meam adhuc exspectant sententiam, quid existimē, scribere de die Paschæ.* Nota: in quæstione de legitimo die celebrandi Pascha consulitur, non solùm Romanus Episcopus: sed etiam Ægyptiorum Episcopi, cum Alexandrino. Imò, quod grauissimum est, post Alexandrini & Romani definitionem, adhuc Ambrosius. Iouinianus Imperator apud Theodoretum libro quarto historiæ, capite secundo, scripsit literas ad Athanasium, ab eoque flagitauit, *vt accuratam de fide doctrinam sibi conscriberet.* De Episcopo Romano summum silentium. Euagrius libri quarti

capite trigesimo octauo, cùm Iustinianus edictum scripsisset, in quo asserit corpus Domini non fuisse obnoxium internecioni, velletque ei edicto Sacerdotes, & Episcopos vbique consentire: testatur omnes eius conatum depulisse, respondentes, *Expectare Athanasij Episcopi Antiochiæ sententiam*. Basilius Epistola quinquagesima secunda ad Athanasiũ, sic scribit, ἐνομίσαμεν δὲ ἐπιτηδειότατον ἀρχὴν πρὸς ταῦτα σὲ, ὥσπερ ὑπὸ κορυφὴν τῶν ὅλων, τὴν σὴν ἀναδραμεῖν τελειότητα, καὶ σοι συμβούλῳ τε χρήσασθαι, καὶ ἡγεμόνι τῶν πράξεων, *Existimauimus commodissimũ nos huic negotio initium daturos, si tanquam ad caput omnium, ad tuam perfectionem accurramus, téque vtamur, & consiliario, & duce*. Nazianzenus in controuersiis de Trinitate Basilium consuluit, inter Epistolas Basilij trigesima secunda, σὺ δὲ δίδαξον ἡμᾶς, ὦ θεία, καὶ ἱερὰ κεφαλὴ, μέχρι τίνος προϊτέον ἡμῖν τῆς περὶ τοῦ πνεύματος θεολογίας, καὶ τίσι χρηστέον φωναῖς, καὶ μέχρι τίνος οἰκονομητέα, *Tu verò doce nos, vir sancte, quo vsq; nobis sit progrediendũ in quæstione, vtrum Spiritus sit Deus: quibúsque vocibus vtendum: & quoasque prudẽter nobis cauendum*. Poterit studiosus lector historiam Ecclesiasticam percurrere, & his exemplis alia non pauca addere: ex quibus colligi queat, nec mirum esse, cõsultum sæpè fuisse Romanum Episcopum, cùm alij etiam plurimi consulti fuerint: & non sequi, si quis in rebus Ecclesiasticis consulatur, statim habendum esse pro Oecumenico Pontifice.

V. Iam non fuisse statum arbitrio Romani Pontificis respondentis, non minùs constat. Certè Polycarpus is, quem Hieronymus totius Asiæ principẽ appellat, cùm Romam esset profectus, disputauit cum Aniceto de Paschate, nec magis ab Aniceto persuaderi se passus est, quàm se ab eo Anicetus, οὔτε ὁ Ἀνίκητος τὸν Πολύκαρπον πείθειν ἐδύνατο μὴ τηρεῖν, ἅτε μετὰ Ἰωάννου τοῦ μαθητοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, καὶ τῶν λοιπῶν ἀποστόλων, οἷς συνδιέτριψεν, ἀεὶ τετηρηκότα, οὔτε μὴν ὁ Πολύκαρπος τὸν Ἀνίκητον ἔπεισε, τηρεῖν, λέγοντα τὴν συνήθειαν τῶν πρὸ αὐτοῦ πρεσβυτέρων ὀφείλειν κατέχειν, *Neque Anicetus, Polycarpo persuadere potuit ne obseruaret* (videlicet quartam decimam diem Lunæ) *vtpote qui semper sic obseruauerat olim vna cum Ioanne discipulo Domini nostri, & reliquis Apostolis, quibuscum familiariter erat versatus. Neque tamen Polycarpus Aniceto persuasit, vt obseruaret, dicenti conseruandam esse consuetudinem Presbyterorum, qui ante se fuerant*. Et durauit eiusmodi dissensio aliquot seculis, etiamsi Victor furore armatus totum Orientem excommunicare tentaret. Tandem sopita, non ab Episcopo Romano, sed à Concilio Niceno, & Imperatore Constantino. Sed & Cyprianum, etsi non sequuti sunt Patres in iteratione baptismi, tamen valde laudant à modestia, & conseruata vnitate Ecclesię: Nihilominus haud dubitauit opponere se definitioni Stephani Romani: atque eius sententiam acri scripto refutare, quod scriptum Pamelius optare se dicit nunquam editum, in argumento Epistolæ sexagesimæ quintæ. Quinetiam in assignanda dignitate Constantinopolitani Episcopi, non tantum Constantinopolitanũ Concilium, sed etiam postea Chalcedonense, non admisit intercessionem legatorum Romani Episcopi, etiamsi se meminisset cõuocatum eius maximè labore, & precibus: eiúsque in Dioscorum latam sententiam amplecterentur, & confirmaret.

VI. Hæc perspicua sunt. Ad exempla in contrariã partem respondeo, primò, non esse probationem vniuersalem. Non enim docetur ab omnibus cõsultum fuisse Episcopum Romanum: sed saltem ab illis, qui hic nominantur, id est, à quibusdam. Non sequitur verò, si à quibusdam sit consultus, etiam ab omnibus fuisse. Secundò, non probatur ab omnibus consulentibus delatum esse summum, atque vltimum iudicium, à quo non licuerit discedere. At isti si non euincunt, aerem verberãt. Iam verò Polycarpi exemplum contrà est: etsi enim demus consuluisse: etsi ea disceptatio potiùs fuit, quàm cõsultatio: sed si demus tamen cõsuluisse, exitus ipse docet, id factum salua libertate: non enim assensit, vt antè diximus. Adde exemplum ex Hispania. Consuluerant enim Episcopum Romanum Hispani, in negotio Basilidis Episcopi: & rescripserat, vt admitteretur. At Cyprianus contrà autor est, ne recipiatur, quantumuis ita sentiret Episcopus Romanus.

Cap. VII.

Vtrum licuerit vndique appellare ad Romanum Episcopum.

I. TErtium argumentũ erit ab appellationibus. Is ad quem ab omnibus vndique legitimè appellatur, & à quo non licet appellare, est Oecumenicus Pontifex. At Episcopus Romanus est huiusmodi. Ergo est Oecumenicus Põtifex. Bellarminus, capite vigesimo primo libri secundi. At Catholici negant assumptum. Illi probant, docentes primò licuisse appellare: deinde fuisse appellatum. Itaque gemina fit quæstio. Priorem hîc excutiamus.

II. Probant ergo licuisse appellare. Primò, autoritate Niceni Concilij, cuius hic sit Canon, *Vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, vt ab ea (sicut semper fuit) pie suffulciãtur, defendantur, & liberentur. Cuius dispositioni, omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorúmque successorum, atque Canonum autoritas reseruauit.* Hunc Canonem recitat Hardingus contra Iuellum articulo quarto, paragrapho sexto. Et Canus locorum Theologicorũ lib. sexto, capit. quarto, & sexto.

III. Secundò, ex autoritate Concilij Chalcedonensis: cuius Canonem laudat Canus, capite sexto libri sexti Locorum Theologicorum, *Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad beatissimum Episcopum antiquæ Romæ: quia habemus Petrum, petram refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi, secundùm claues à Domino sibi datas: & omnia ab eo definita teneantur, tanquam a vicario Apostolici throni.* Ex Thomæ opusculo contra errores Græcorum. At Turrianus, capite quarto libri tertij pro Epistolis Decretalibus, eiusdem Concilij nonũ Canonem profert, *Si clericus aduersus suum, vel alium Episcopum habeat causam, apud audientiam Synodi prouinciæ conqueratur. Si verò contra ipsius prouinciæ Metropolitanum Episcopum Episcopus, siue clericus habeat controuersiam, pergant ad diœceseon Primatẽ, vel ad Constantinopolitanæ regiæ ciuitatis sedẽ, vt eorũ ibi negotium terminetur.*

IV. Tertiò, ex autoritate Concilij Sardicensis, cuius Canonem quartum & septimum Bellarminus describit, *Quum aliquis Episcopus depositus fuerit eorũ Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum sibi negotium in vrbe Roma, alter episcopus in eius cathedra, post appellationem eius qui videtur esse depositum, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata*. Is quartus Canon est. Iam septimus, *Placuit, vt si episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint,*

lecerunt, si appellauerit, qui deiectus est, vt confugerit ad Episcopū Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustū putauerit, vt renouetur iudiciū, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnino requirant, & iuxta fidē veritatis definiant. Quod si is qui rogat causā suā iterū audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanū, vt è latere suo presbyterū mittat erit in potestate Episcopi quid velit, & quid æstimet. Et si decreuerit mittēdos esse, qui præsentes cum Episcopis iudicent, habentes eius autoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.

V. Quarto ex Gelasij Epist. ad Faustū, *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluêre deferri: ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerūt.* Et ad Episcopos Dardaniæ, *Ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo est appellare permissus.*

VI. His illi pugnāt: ego respondebo [illegible]. Gelasij autoritas neminē mouere debet. Erat is Episc. Rom. Et hoc genus hominū cœperat nimia ambitione laborare: Ecclesiisq; negotium facessere. Nā ante Gelasiū annis plus minus 80. vixerat Zozimus ille, qui malis artibus hoc ipsum appellationis priuilegiū ab Afris extorquere conatus est. Et quidē iactâs Nicæni Cōcil. Canones: in quo falsi deprehēsus est. Quid mirū, si eius successor, nihilo doctior, aut sanctior, Canones etiā, ipse inflato ore crepet? Quā quā Zozimus postulabat, tātū vt ad se appellare liceret. Hic verò addit mantissā, ne à se cuiquā liceat appellare: quod in veteribus Canon. nusquā reperitur. Atq; adeò aduersarij ipsi, cū omnē mouent lapidem, tum nōnihil proferunt de appellationibus permissis ad sedem Romanam: sed prorsus nihil de prohibitis appellationibus ab ipsa.

VII. In Sardicēsi Cōcilio, disputo, primùm de eius autoritate, tū de ipsis Canonibus. Ergo id Cōcilium nego fuisse Oecumenicum, seu vniuersale. Fuit enim particulare Episcoporū Occidentis. Itaq; vt maximè hoc tātū euinceret (si quid euincit) appellari ad Romanū, ab Occidētalibus Ecclesiis. Nō verò ab Orientalibus. Fuisse particulare docet Sozomenus lib. 3. cap. 10. scribēs Episcopos Occidētis, & Episcopos Orientis, nō potuisse in vnū cōuenire: itaq; vtrosq; seorsim sua decreta edidisse. Itaque nō solet in Generalibus cōciliis cōputari: quorū primū Nicænū, secundum Constantinopolitanū: & deinceps. Hoc autē Sardicēse, si esset vniuersale, secūdū locū obtineret: vtpote celebratum annis 11. post Constantini mortem.

VIII. Et tamē Bellarminus cōtrà disputat fuisse generale: quia Sulpitius lib. 2. sacræ historiæ, ex toto orbē conuocatū scribat: & Socrates lib. 2. cap. 16. generale appellet. At ego propterea, nego fuisse vniuersale. Reuera enim Cōstantius Cōstantini filius Imperator, cōuocauerat Concilium vniuersale, vt testantur Socrates, Theodoretus, Sozomenus: verū euētus nō respōdit. *Edicitur*, inquit Socrates, *Concilium generale, vt omnes Sardicā conueniant.* Tū paulò pòst, *Episcopi circiter trecenti, qui versus Occidētē habitabant, vt ait Athanasius, eò conueniunt. Ex Episcopis autē, qui Orientē incolebāt (vt Sabinus narrat) solū 76. Sardicā aduenerūt.* Et tamē ne hi quidē interfuerūt Cōcilio. *Postquā enim Sardicā conuenerāt Episcopi Orientis, in cōspectū Episcoporū Occidentē incolentiū venire abnuerunt, dixerūtq;, se nō alia cōditione cū illis in colloquiū venturos, nisi Athanasiū, & Paulū e cōuentu expellerēt. Verū vbi Protogenes Sardicēsis episcopus, & Osius Episcopus Cordubæ æquo animo ferebāt, vt Paulus, & Athanasius adessent, episcopi Orientales cōfestim discedunt: cūq; ventū esset ad vrbē Philippi, quæ est in Thracia, priuatum inter ipsos Concilium constituunt.* Hæc Socrates: vnde cōstat, in eo Concilio solos Occidentales remansisse, qui Oecumenicum Concilium non poterant efficere.

IX. Fuisse autē semper in Ecclesia receptū id Conciliū, nō verè dicitur à Bellarmino, si intelligat, singula eius decreta fuisse vbiq; tentatū obseruata. Nam hi Canones de quibus nūc agimus, nō tantū in Oriente nō fuerūt in vsu: sed ne quidē in toto Occidēte. Nam ab Africanis explosi sunt, cū eis obtruderētur fucati nomine Cōcilij Nicæni. Fuisse Orthodoxorū aduersus Arianos, nō inuus inficias: etsi in hypostaseos nomine discedat à Græcis omnibus, cū eā definit esse vnicā Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Etsi itē dicat neminē esse, qui neget aliquādo Patrē Filio maiorē: nēpe ipso Patris nomine. Sed, vt dixi, fatentur fuisse Orthodoxū: at id nō sufficit, vt appelletur Oecumenicum: aut vt probādi sint hi Canones. Nam Chalcedonense ipsi agnoscunt Papistę fuisse Orthodoxum, qui tamen admittere nequeunt eius Canonem de æqualitate Romani, & Constantinopolitani.

X. Itaq; Balsamō ad hāc Synodum, *Quæ de Papa definita sunt, assumenda sunt etiā ad Patriarchā Constantinopolitanum: quod is similiter, ac Papa à diuersis Canonibus sit honoratus.* Sed & Zonaras, quē habeo manuscriptum, [illegible] *Hic Canon manifestè de solis Occidentalibus pronunciatus est. Quia Hosius, quique cum eo Canones condebant, ex iis erant partibus. Etenim in Oriente nullomodo huc vsque ea consuetudo valuit.*

XI. Atq; hęc de autoritate eius Cōcilij. Iam de Canonibus istis, primò, dico esse cōtrarios Synodo Nicęnæ: cuius Canone 5. definitur, vt huiusmodi causæ terminentur in Cōcilio prouinciali, [illegible] *Sic quos in confesso fuerit episcopum offendisse, meritò apud omnes excommunicati censeantur.* Imò postea etiam antiquati sunt in Chalcedonensi Concilio, cùm æquatus est Romano Constantinopolitanus.

XII. Secundò, hoc ius nego esse meræ appellationis, aut summæ in iis iudiciis, potestatis, aut tam latè patere, quā postea produxit Episc. Rom. Nolebant enim Patres Sardicenses, Episc. Rom. ad se causā trahere, siue ipsū de ea iudicare: sed tria tantū permittebāt: primū vt deliberaret vtrū renouādum esset iudiciū: deinde videret, num à suo latere mitteret, qui interforēt renouatę cognitioni: tertiò, vt si videretur, daret etiā iudices; qui tamē essēt è proxima prouincia. Sunt enim diserta verba, [illegible], *Per vicinos prouinciæ episcopos.* Si iudicauerit renouādum esse iudiciū, renouetur. Et rursus scribere dignetur, [illegible], vt ipsi diligenter requirant. Itē si decreuerit mittēdos esse, qui præsētes cū Episcopis iudicent, erit in suo arbitrio. Ex his cōstat nō euocatā fuisse litē Romā vsq;: non esse itē eius litis iudicium delatum Episcopo Romano: sed tātum permissum, vt ex eius sententia iudicium renouaretur. Quod autē est in Can. 4. Latino, *Si proclamauerit agendū sibi negotiū in vrbe Roma,* suppositiutium est, nec habetur in Gręco textu, cuius hęc sunt verba, [illegible] *Et dixerit sibi rursus defensionis negotiū concedēdum.* Porrò hoc quicquid est iuris cōcilium Antiochenum postea detulit Metropolitano, cùm prouinciales Episcopi diffiderent, Canone 14. Sed obseruandum, hoc ipsum iis Canonibus ita tributū Rom. Episcopo, vt indicetur nō antè obseruatum fuisse: nec suo iure, id eum exigere potuisse: sed ita placere Petri memoriā honorari. Sic enim Hosios proponit, [illegible] *Si videtur vobis, charis-*

tate Petri memoriam honoremus.

XIII. Sequitur Concilium Chalcedonēse, in quo Canonē illum Cati à Thoma repetitū, nego inueniri: ideoq́; esse supposititiū. Enimuerò sua habet falsitatis manifesta argumēta. Primò, quid illud est, *Vicarius Apostolici throni*, aut quis vnquam sic loquutus est? Et Petro soli liberā esse datā potestatē cognoscēdi, phrasis est insolens, neq; illius æui. Secundò, quis credat ita decreuisse eos Patres, qui Constantinopolitanū Romano æquarūt, etiā inuitis Legatis Leonis? Tantūq; ordine secundū esse iusserunt, cæterum in negotiis Ecclesiasticis æquè μεγαλύνεσθαι? Tertiò, Can. 9. contrariū statuitur, *Si cū ipsius prouinciæ Metropolitano Episcopus, vel Clericus, controuersiam habeāt, diœcesis exarchum adeat, vel Imperatoriæ vrbis Constantinopolis thronum, & apud eum litiget.*

XIV. Sed enim, vide, quid sit Papistam nasci: imò Iesuitā fieri! Hunc ipsum nonum Canonē Turrianus citat, ad has ipsas appellationes ad Romanū Episcopū probandas. Scilicet, iungētur iā gryphes equis: æuoq; sequenti, Cū canibus timidi venient ad pocula damæ. Sed audite mirum artificiū. Is Canō inquit, *Diœcesis exarchū adeat, vel Imperatoriæ vrbis Cōstantinopolis thronū.* En tibi purū putū Episcopum Romanū. Nisi fortè nos susceptū veritatis patrocinium tardiores efficit: nec sinit videre, quod nusquam est. Sed acutè tamē τὸ τῆς διοικήσεως ἔξαρχον, *Prouinciæ primatē*, sic intelligi vult diuinū illud Iesuitarū ingeniū. Plaudite: hoc enim superest vnū. Verumenimuerò nimis quā impotenter abutūtur nostra patientia, qui τὸ τῆς διοικήσεως ἔξαρχον, volunt significare primatē omniū diœceseū: cùm necessariò intelligendus sit is, qui in ea diœcesi, vbi degunt Episcopi contendentes, autoritatem habet. Cuiusmodi Primates solebant olim esse: vt in Africa, cùm multi essent Metropolitæ, tamen Carthaginensis erat primas.

XV. Sed audiamus acumē, quo efficere se posse cōfidit, vt Romanus sit intelligēdus: nec Patres ambiguè, aut obscurè loqui. Si nominatim de Episcopo, siue Clerico Constātinopolitanæ diœceseos Canon cauet, cōstat principem diœceseos, nō posse esse Patriarchā Alexādrinū, neq; Antiochenū: quia diœcesis Cōstātinopolitana nō est eis subiecta. Relinquitur ergo, vt necessariò intelligatur alius princeps diœceseos, cui subiectus sit Metropolitanus prouinciæ Cōstantinopolitanæ diœceseos: vt idē quoq; subiectus est Patriarchæ Cōstantinopolitano. Is autē alius esse nequit, quā princeps diœcesis vniuersalis, qui est Episcopus Romanus. Atqui cōtrà, primò, conclusio petit principiū: cùm & vnū nominat primatē diœcesis vniuersalis: & nominatim Romanū. Secundò, eadē cōsequentia valet cōtra Romanū, quę cōtra Alexandrinū, & Antiochenum. Diœcesis enim Cōstantinopolitana, nō magis subiiciebatur Romano, quā illis: imò verò idē Cōcilium decernit, Constantinopolitanā nō secus, ac Romanā sedē, in Ecclesiasticis negotiis extolli, ac magnificari. Tertiò, quis indicauit Turrianu eum Canonē nominatim de Clerico Cōstātinopolitanę diœceseos cauere? Nā verba sunt indefinita, *Si quis Clericus, si quis Episcopus.* Itaque videtur sensus esse, concedi hoc priuilegium Constantinopolitano, vt iudicet (si appellatus sit) etiam de Clericis, & Episcopis, qui non pertinent ad suam diœcesin: & in quos ei inspectio aliàs nulla erat.

Cap. VIII.

De Canonibus Nicænis.

I. Restat lōgè maior cōtrouersia de Cōcilio Nicęno, ad quod negamus pertinere citatū Canonē: & probamus tribus argumentis. Primò, Quia Nicænæ Synodi editi sunt Canones 20. nec plures: inter quos hic de Appellationibus non habetur. Secūdo, quia si nō esset supposititius, nunquā coactus fuisset Zozimus Episcopus Romanus alios citare Canones è Cōcilio Sardicēsi, sub nomine tamen Nicęni, vnde falsi conuictus est, & explosus. Tertio, quia pugnat hic Canon cum 5. & 6. qui agnoscuntur pro genuinis. Nā quintus appellationes permittit ab Episcopo, non ad Episcopum, sed ad Cōcilium, quod eā ob causam iubet bis quotannis celebrari. Sextus autem iurisdictionem Ecclesiasticā partitur inter Patriarchas, Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum: atque hos posteriores exæquat Romano. Qua de re disputabitur in proximo libro.

II. Sed aduersarij contrà disputant: & primò, Canonē illum suum fulciunt autoritate, tū Athanasij, & Episcoporū Ægypti, tum Iulij Romani Pontificis. Illi ue scribunt ad Felicē Romanū, *Similiter a supradictis patribus est definitū cōsonanter, vt si quisquā Episcoporum, aut Metropolitanū, aut cōprouinciales vel iudices suspectos habuerit, vestrā sanctam Romanā interpellet sedē, cui ab ipso Domino potestas ligandi, ac soluendi, speciali est priuilegio, super alios cōcessa.* Iulius autem in longa Epistola ad Orientales Arianos Episcopos, cùm alios plurimos, tū hūc nominatim, & quidē primo loco Canonē recitat. De numero autem Nicęnorum Canonū, quod diximus diligenter impugnant, & longè plures editos fuisse cōtendunt, sed exemplaria periisse.

III. Respondeo, Athanasij, & Iulij literas nihil probare: quia sint supposititę. Athanasij certè ad Felicem Epistola, si nō est cōficta, nihil fuerit Athanasii ineptius, nugacius, infantius. Scripta fuit Latinè: quod ex festiua collusione verticis, & vertuntur, apparet, *Ipsa est*, inquit, *sacer vertex, in quo omnes vertuntur.* At Athanasius Græcè scribebat. Phrasis etiam Latina est spurcissima, atq; adeò barbara. Stylus minimè cohęrens, & dissolutus: vt facilè garrulum agnoscas, multa loqui conantem, nec præ imperitia tamen orationi contexendę parem. Plena est ineptæ adulationis: atq; adeò vox ferè perpetuò corda aberrat, autoritatem Romanę sedis subinde ingeminans, atq; eadem sæpius repetens. Falsa etiā profert: vt cùm ex Romana Ecclesia aliàs omnes dicit sumpsisse prædicationis exordium: etsi cōstet antè prædicatum fuisse Euangeliū, quā vllus esset (vt ita dicā) Romę Christianus. Sed & se Athanasius asserit Romæ factum Episcopum, *Quibus premissis* (inquit, atq; hoc ipsum insulsissimè, quasi præcedētia quicquā ad hoc mendaciū facerēt) *significamus Deo placita paternitati vestræ.* (Et tamen eo seculo Episcopi Episcopos nunquam Patres appellabāt: etiā Romanum fratrē, & collegā) *Die 7. Cal. August. Indictionis quarta, nostram humilitatem diuina gratia, suo (vt precepit) munere praeueniente, vestris sanctis ac Deo dignis precibus, in sancta Romana Ecclesia Pontificalis honoris accepisse consecrationem, & stolam.* Vbi non locus tantùm falsò notatus, nam constat Alexandrię consecratum Athanasium, inscio inconsultoque Rom. Pōt. sed etiā tēpus falsò putatū. Nam quinq; post Synodū Nicęnā mēsib. mortuo Alexandro; substituitur Athanasius: ergo anno Cūstantini 21. atqui ea nō potest esse Indictio 4. Nā constat ex magno Scaligero in Emendatione temporum; imò etiam ex Baronio, Indictiones cœptas numerari anno Christi 312. anno Cōstantini 7. Quare annus Cōstantini 21. erit 15. Indictio non 4. Ad hæc quî potuit Episcopus fieri precibus Felicis, qui iam Liberij tēpore esset Episcopus, hoc est annos circiter 40. ante Felicem. Vide Binium annotatione in hanc Epistolā.

IV. De

IV. De Iulio simile iudicium. Nam Epistolas illas decretales docti omnes iampridē habent suspectas multis argumentis. Et in hac ipsa adscripti sunt Consules Felicianus, & Maximianus, qui toto Iulij tempore nulli fuerunt, tantùm primo eius anno Felicianus cum Triano. Quid artificium dico citandę Scripturæ, perpetuumque eius contextum adhibitum, vt in aliis? Quid? quod de Athanasij causa scriptæ cùm sint, tamē neq; Athanasij nomen habent, neq; quicquam eius causę proprium? sed generalem thesin de non molestandis Episcopis? Et quidē stupiditatem videte. Duę sunt ad eosdē Orientales scriptę Epistolę, prior diem habet adscriptam Kal. Oct. posterior Kal. Nouemb. Et eosdem Consules. Quis credat, tantulo tempore, Roma in extremū Orientem deferri potuisse literas Iulij: indeq; Romam literas Orientalium, quibus hæ respondent? Maximè cùm primæ primam citationem contineant: cuius etsi nulla dies sit adscripta: tamē vix breuius interuallum esse potuit, quā annuum: quemadmodū in secūda citatione à Kal. Nou. ad XV. Kalen. eiusdem mensis. Præterea recitat multos canones Nicænos; qui neque in viginti editis sunt: neque conueniunt cum Arabicis editionibus Pisani, & Turriani. Denique Binius agnoscit secundam Epistolam esse suppositiam, quam qui huic primæ compararit, inueniet tam similem, vt vix ouum ouo magis.

V. Ergo testes nō sunt locupletes. Nunc de numero videamus. Asserunt igitur longè plures editos fuisse, sed post ab Arrianis igni traditos, præter hos viginti: integrum verò numerum Romæ diligenter custoditum. Sic enim Hardingus loquitur. Probant primùm autoritate Athanasij ad Marcum scribentis, *Sanè præsentibus nobis octoginta capitula in memorata tractata sunt Synodo: quadraginta à Græcis Græca lingua edita: & quadraginta à Latinis similiter Latina edita lingua: Sed visum est trecentis decem, & octo patribus, in prædicto Sancto Spiritu repletis concilio congregatis, & maxime iam dicto Alexandro, & Apostolicæ sedis apocrisariis, vt decem capitula adunarentur, aliis atque congruis in locis insererentur, & ad formam septuaginta discipulorum, vel totius orbis terræ linguarum, septuaginta tanti, & tam excellentis concilij fierent capitula.* Deinde idipsum confirmant testimonio Isidori: & Ioannis cuiusdam in Concilio Florentino.

VI. Sed contrà, nos testimonium habemus Theodoreti libro primo, capite octauo historiæ, [illegible] *De administratione Ecclesiastica leges viginti conscripsere.* Et Nicephori libro octaui, capite decimo nono, *Moribus conformandis Concilium leges postremo tulit viginti.* Sed & Stephani Papę Romani apud Gratianum distinctione decima sexta, *Viginti tantū capitula Nicænæ Synodi in Sancta Romana Ecclesia habentur.* Item Concilij Carthaginensis sexti, in quo recitantur ij Canones, quales à Cęciliano Carthaginensi ab eadem Synodo in Africā delati sunt: quibus consonabant exemplaria ad Synodum Carthaginensem septimam missa Alexandria, & Constantinopoli: à viris magnis Cyrillo, & Attico.

VII. Iam Athanasij illa ad Marcum Epistola, est suppositia: quod ipse Bellarminus agnouit: rectè nota Actorum Nicænorum combustionem ab Arrianis accidisse post eius Marci mortem: adeò fœdè rerum obitus est ille, quisquis est nugator: in quē etiam valdè inuehitur Baronius ad annum trecentesimum vigesimum sextum, paragrapho quinquagesimo, & sexagesimo. Tum verò, quā insulsum, fa-ctos Canones dimidiatum à Latinis, & Græcis: imò dimidiatum Latinè, & Græcè. Hoc ferat quisquam, non imperitissimus totius antiquitatis? non planè hospes in Ecclesiastica historia? Adde magnum mysterium septuaginta discipulorum. Immane quàm dignum Spiritu Sācto! Sed illud de linguis Septuaginta, per totum orbem, omne superat acumen: & habetur à quadam extraordinaria reuelatione, in quam, si curiosiùs inquiras, pecces in Spiritum Sanctum. Et quicquid iactant monachi, reliqui omnes, qui prophani locū locū implēt, adorare tenētur.

VIII. Et verò ignem passa exemplaria Synodica, verisimile est: quæ tum erat Arriomanitarum rabies. Sed Romæ tantùm conseruata integra, id verò falsissimum. Primum enim in Africa extabat Cæciliani exemplar: sed & Alexandria, & Constantinopolis sua habebant. Cyrillus certè sic scribebat ad Africanos, [illegible] *Necessarium existimaui, fidelissima exemplaria authentica Synodi, quæ apud Nicæam Bithyniæ habentur, mittere charitati vestræ.* Atticus autem, [illegible] *Itaque per eundem filium nostrum Marcellum hypodiaconū vestrum valde festinantem, Canones sicut constituti sunt à Patribus Nicææ, integros, sicut iussistis, misi.* Enimuerò hos Episcopos grauiter oportet tulisse impudentes, qui se asserecent mittere, ille quidem, τὰ πιστότατα ἴσα, iste verò, ἐν ὁλοκλήρῳ, si nusquam in Græcia exstarent. Quomodo enim πιστότατα, imò quomodo ὁλόκληρα, quæ Canonum, ne trientem quidem continerent? Et quidē in iis exemplaribus, & fidelissimis, & integris, non esse repertum vllum Canonem de appellationibus, testātur Patres Afri, literis scriptis ad Cœlestinum, *Illud (inquiunt) quod pridem per coepiscopū nostrum Faustinum, tanquā ex parte Nicæni Concilij exinde transmisistis,* [illegible] *In verioribus exemplaribus Nicænæ Synodi, quæ accepimus à sanctissimo Cyrillo Alexandrinæ Ecclesiæ coepiscopo nostro, & à venerabili Attico Constantinopolis Episcopo, ex authenticis missa, quicquam eiusmodi reperire nequiuimus.*

IX. Et quid tum, si Romæ diligenter asseruata sunt? Núnne iam audiuimus ex Stephano in iis esse tantùm viginti Canones? Et quis vni Athanasio? imò nō Athanasio, sed laruato nebuloni maiorem adhibent fidem, quàm Theodoreto, Stephano, Attico, Cyrillo, Africanis omnibus? Adde, nunquā vlli visa esse ea exemplaria, quæ Romæ volunt tanta cura conseruata. Nam his temporibus, cùm omnes rimati sunt angulos Bibliothecarum varij, Turrianus, Pisanus, Baronius, tum exemplaria tātùm duo reperta sunt, non Græca, non Latina, sed Arabica, & alterum quidem à Iesuita quopiam recens allatū à Patriarcha Alexandrino. Et hæc ipsa adhuc variè edita à Pisano, & Turriano. Ne ipsa quidem consentientia cum iis Canonibus, quos Iulius enumerat. Nam iste saltem de appellationibus, nosquā est.

X. Venio ad Isidorum, & Ioannem. Isidorus in præfatione ad Concilium Nicænum ita scribit, *Nobis quidam è consortio fratrum nostrorum Orientales testati sunt, se vidisse Concilium Nicænum, habens potiorē quatuor Euāgeliorū magnitudinē, cùm inēs in se sessiones Episcoporū, & introductiones, iudiciaq; quæstionum earū, atq; defi-*

nitiones, & constitutiones, nec non & subscriptiones eorum. At iste Isidorus non est ille Hispalēsis: sed alius cognomine Mercator, homo vanissimus, & mendacissimus: cuius colores depinxit Baronius ad annū trecētesimum trigesimum sextum, & suspicatur autorem Epistolę Athanasij ad Marcum, & Marci ad Athanasium, de numero Canonum Nicænorum: Epistolæque Bonifacij secundi ad Eulalium de reconciliatione Carthaginēsis Ecclesiæ. Tum autem non sibi cōperta, sed auditu tantùm accepta, refert: itaque nullius momenti potest esse testimonium testis vanissimi, & quidem non oculati. Ad hæc, Concilij illa magnitudo intelligenda est de toto actorū corpore, non de Canonibus: vt non mirum sit, & tātam fuisse codicis crassitiē, & tamen viginti tantùm Canones. Nam edita sunt hodie τὰ πρακτικὰ Synodi Ephesinæ Oecumenicæ Græcè, ter tanto maiora, quàm sit Nouum Testamentum integrum: cuius tamen Canones sunt pauciores Nicænis, id est, tredecim Latinè: imò Græcè octo.

XI. Sed Ioannes quidam (inquit Bellarminus) vir doctissimus, in Concilio Florentino asserit, se posse multis Sanctorū testimoniis ostendere, Concilij sexti Carthaginensis Patres, tandē agnouisse, corruptos, & falsatos Canones Nicæni Concilij ad se ex Alexandria, & Constantinopoli missos fuisse. At in isto Ioanne, si fortè laudari possit eruditio, certè desiderari debet indicium, quandoquidem eas ipsas Epistolas Athanasij ad Marcum, Iulium, Liberium, Felicem citet, quas constat esse fictas, non nobis tātū, sed & Bellarmino, Baronioque. Secundò, ostētauit quidē se posse probare: at non fecit: nulla enim protulit Veterū testimonia, præter eas literas: quod indicium est, vel summæ in tanta re, negligentiæ: vel fidei sublestæ. Et sanè mirari quis non immerito possit ea testimonia ab eo tempore, haud ita longo, adeò periisse omnia, vt ex multis, ne vnicum quidē exstet, quod hodie, quisquam vsquā legerit. Denique si id probare potuit, eadem opera ostenderit, ipsum Cæcilianū Carthaginēsē, qui interfuit Synodo Nicænæ, inde ad suos Aphros detulisse exēplaria falsata: quod quis credat sanus? vt præterea summam illam obseruantiā Cyrilli in Romanum Pontificē: quæ profectò non esset passa hunc virum quicquā detrahere de illius priuilegiis, vt ne quisquam suspicetur habuisse quidem integra exemplaria, at noluisse fideliter describere.

XII. Et hæc quidē testimonia sunt. Iam verò disputant cōstare plura esse decreta, quā quæ continētur iis viginti Canonibus: & probant enumeratis multis capitibus. Bellarminus enim octo colligit: Sanderus septemdecim, Baronius etiam nonnulla prętereа. Sed antequā de singulis dico, obseruandū est, nō esse relata in Canones, quæcūque in ea Synodo fuerunt aut agitata, aut sancita. Quod facilè colligas ex Theodoreti testimonio antè recitato, qui hos Canones, dicit editos, περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πολιτείας, Et Nicephoro, qui moribus conformandis leges latas. Quæ igitur ad eam politiam non pertinebunt, etsi non sint in eo numero, tamen non facient fidem, plures Canones editos quā viginti. Præterea etsi euincerent, quod disputant, tamen nostra parū interesset: cùm aliis argumētis constet, hunc de appellationibus Canonē, non esse genuinū. Itaque non plenè disputant, omissa hac parte, qua probare debebāt, hunc Canonē verè esse Nicænū. Quid enim, si disputem ego, hoc supposito, quod plures fuerint Canones quàm viginti. Ergo eum Canonem, quo æquatus est Romano Constantinopolitanus, esse Nicænum? Quas ego, non ab iis sannas auferrem?

XIII. Sed primū caput hoc est. Socrates lib. 1. cap. 5. refert Concilium, nō solùm Ario, & eius fautoribus anathema denūciasse, verùm etiam vetuisse ne Alexadriā Arius aduentaret. Respondeo, id nō pertinere ad Canones de Ecclesiastica Politia: quæ propriè ea continet, quæ in posterum, & quidem ab omnibus seruāda iubētur. Exponebatur ergo seorsim in reliquo actorum corpore: nominatim verò in Epistola Concilij ad Ecclesiam Alexādrinam: cuius partē aliquam idem Sozomenus recitat, capite proximè sequenti, vbi disertè anathema denunciatur Ario, eiusque fautoribus: integrā autē legas apud Gelasium Cyzicenū parte tertia. In qua etiam notandum, quod absoluta narratione eorum, quæ gesta erāt circa Arium, & Meletiū, ac cōsortes, tandē, ταῦτα ἐστι τὰ ἐξαίρετα, καὶ διαφέροντα Αἰγύπτῳ, καὶ τῇ ἁγιωτάτῃ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ· εἰ δέ τι ἄλλο ἐκανονίσθη, ἢ ἐδογματίσθη, συμπαρόντος τοῦ κυρίου, καὶ τιμιωτάτου συλλειτουργοῦ, καὶ ἀδελφοῦ ἡμῶν Ἀλεξάνδρου, αὐτὸς παρὼν ἀκριβέστερον ἀνοίσει ταῦτα πρὸς ὑμᾶς. *Hæc sunt quæ ad Aegyptum, & sanctissimam Ecclesiam Alexandrinam propriè, & separatim pertinent. Si præterea, vel Canones constituti sunt, vel dogmata sancita, præsente domino, & venerabili collega, ac fratre nostro Alexandro, ipse præsens ea vobis exactius referet.* Vbi vides id quod Arium peculiariter spectat, distingui à generali Politia Ecclesiæ, tanquam Alexandrinis peculiare: tum etiam (vt priùs dixi) dogmata distingui à Canonibus.

XIV. Secundum caput de celebratione Paschatis: qui quidē vnus erat è præcipuis Canonibus. Sed hoc caput cōtinetur in literis, quas tum Cōcilium, tum Imperator scripsit ad Ecclesias Oriētales. Epiphanius autē disertè distinguit hoc decretum à Canonibus, hæresi 69. ἅμα δὲ καὶ ἐν τῷ αὐτῷ κανόνας τινὰς ἐξέθεντο ἐν τῇ συνόδῳ ἐκκλησιαστικούς. ἅμα δὲ καὶ περὶ τοῦ Πάσχα ὥρισαν μίαν ἕνωσιν, καὶ ὁμόνοιαν τῆς ἁγίας Θεοῦ, καὶ πανεντίμου ἡμέρας γίνεσθαι. *Eadem opera Canones quosdam sanciuerunt Ecclesiasticos in ea Synodo: simul etiam de Paschate statuerunt circa sanctam illam, & venerandam Dei diem, vnionē esse, & concordiam.* Sed & Nicephorus, qui capite 11. libri octaui, statutū de Paschate, & de Meletio, seorsim recenset: ac denique, *His ita peractis, moribus cōformandis Concilium leges postremo tulit viginti.* Non est igitur verum hoc de Paschate statutum, annumeratum esse Canonibus.

XV. Tertium, colligitur ex oratione Constantini Magni apud Eusebium, de eius Imperatoris vita libro 3. cap. 17. Nicęnam Synodum vsque à prima passionis die, recoluisse Paschatis celebrandi tempus. At hîc nullus Canon esse debuit: sed significat diligentem supputationem temporum, repetitam ab ipso passionis Dominicæ anno, vt certus colligeretur dies, quo Pascha esset celebrandum. Quæ supputatio suum, tum temporis vsum habuit: verum ad Ecclesiasticę Politię Canones non pertinuit magis, quàm omnia argumenta, quę Synodum mouerunt, vt reliqua omnia decerneret, aut singulæ inquisitiones, quibus Arius est conuictus.

XVI. Quartum, de iis quæ decreta fuerunt aduersus Meletium. Respondeo, vt de primo capite, non pertinere ad Canones Ecclesiasticæ politię; ac propterea significata esse duntaxat per literas scriptas Alexandrinę Ecclesiæ.

XVII. Quintum, De Sabellio, & Photino, quos constat à Synodo damnatos, tū ex Damaso, tum ex Epilogo Synodi Romanę sub Siluestro. Respōdeo, Damasum nō esse autorē eius libri de Pontificibus, sed

sed longè recentiorem Anastasium bibliothecarium, sub cuius nomine tandem editus est. Synodus autem Romana, sine dubio, est supposititia, vt aliàs dicetur. Itaque, nisi quis vetustior laudetur autor, nihil promouetur. Et tamen, cùm ne Arij quidem ipsius (qui causam dedit conuocationi) damnatio contineatur in Canonibus, quis putauerit debuisse comprehendi Sabellium, Photinumque?

XVIII. Sextum. In Concilio Constantinopolitano apud Theodoretum libro 5. historiæ, capite nono, sic habetur, *Sanctorum Patrum in Concilio Niceno decisio est, vt singularum Ecclesiarum Antistites, vna cum finitimis Episcopis (modo ipsis ita visum fuerit) ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum prouinciis ordinent.* Quod decretum non est in viginti canonibus qui extant. Respondeo; primum à Sandero falsatum esse locum Theodoreti, à quo non singulæ Ecclesiæ, sed singulæ prouinciæ nominantur. Græcè enim est καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν. Secundò, quòd Christophorsonus reddidit, *ministros ordinare.* Græcè Theodoretus dixit ποιεῖσθαι χειροτονίας. Quin etiam totius locus sic habet: [illegible] *Quod attinet ad administrationes sigillatim per Ecclesias, tum antiqua, vt scitis, consuetudo inualuit, & sanctorum in Nicæa Patrum definitio, per singulas prouincias eos qui in ea sunt prouincia, ascitis, si velint, finitimis, consecrationes facere prout erit commodum.* Porrò τὸ χειροτονίας ποιεῖσθαι, non generaliter de ministris eligendis, sed specialiter de constituendis consecrandisque Episcopis vsurpari, tum sciunt, qui in veteri Ecclesia non sunt hospites: tum in hoc loco duo euincunt argumenta: & quod de finitimis accersendis dicitur: quod nunquam fiebat in creatione presbyterorum, Diaconorum, inferiorumve: & ex sequentibus. Nam iidem, qui hæc scribunt, testantur, se ex præscripto eius consuetudinis ordinasse Episcopum Constantinopolitanum Nectarium, & Flauianum Antiochiæ; Hierosolymis Cyrillum. Quæ cùm ita sint, dico hunc canonem vnum esse ex illis viginti. Sunt enim verba Canonis quarti. *Episcopum oportet ab omnibus Episcopis si fieri potest, qui sunt in prouincia eius, ordinari.* Reliquum de vicinis assumptis, pertinet ad παλαιὸν θεσμὸν, qui æquè citatur cum Canone Niceno.

XIX. Septimum. Arelatense Concilium secundum, affirmat magnam Synodum, antè constituisse, vt qui fratres falsò accusasse conuicti essent, vsque ad exitum non communicarent: nisi digna satisfactione pœnituissent. Respondeo magnam Synodum, non Nicænam intelligi (quæ alio canone suo nomine citatur) sed Arelatensem primam, quam canon decimus octauus dicit congregatam ex omnibus mundi partibus. In ea Synodo decimus canon est. *De his qui falsò accusant fratres suos, placuit eos vsque ad exitum non communicare: sed falsum testem iuxta scripturam, impunitum non licere esse.*

XX. Octauum. In Concilio Africano dicitur, in Niceno sacrificia post prandium inhibita, vt ab ieiunis sicuti dignum est, offerantur. Respondeo, Zonaram, & Balsamonem censere id confirmatum esse in tractatu de fide: quod si esset, nihil mirum, non extare in Canonibus. Sed certè falsus est Zonaras, falsus Balsamō, falsi Papistæ Nā hîc nihil est, quo significetur id decretum in Concilio Niceno. Locus quidē miserè corruptus est Græcè, cap. quadragesimo octauo editionis anni quinquagesimi secūdi. Imò & in Parisiēsi nupera anni millesimi sexcētesimi decimi octaui; Zonaræ. Περὶ τῆς πίστεως [illegible] Ex iis verbis, quis quæso possit sanum constantémque sensum eruere? Latina editio in primo Conciliorum tomo, post decimum quartum Canonem Concilij Carthaginensis; videtur sincerior. *De fide cum Nicæni tractatus audiuimus. Verum & de sacrificiis inhibendis post prandium, vt ab ieiunis, sicuti dignum est, offerantur, & tunc & nunc firmatum est.* Est autem relatio Honorati & Vrbani. Ὀνωρᾶτος καὶ Οὐρβανὸς [illegible] *Honoratus & Vrbanus Episcopi, legati prouinciæ Mauritaniæ Sitiphensis, dixerunt: Iamdudum, quum apud sanctitatem vestram allegaremus scripta, dilati sumus ea contemplatione, quousque fratres nostri aduenire possent de Numidia legati. Sed quia non pauci dies sunt, quibus exspectati minimè venerunt, vltra prætermittere, quæ nobis mandata sunt à nostris coepiscopis, non oportet: atque ideò, fratres, suggestionem nostram libenter admittite.* Est igitur, vt dicebam, relatio: & quidem (nisi fallit Latina editio, nam Græcè non sic) à Concilio Mauritaniæ Sitiphensis. Itaque narrantur acta eius Concilij, non autem Niceni. Eius narrationis primum caput de tractatu fidei Nicænæ: quæ etiam in aliis pluribus Synodis tū temporis lecta fuit, & confirmata. Sed reliqua capita non est necesse ad eandem Synodum Nicænam pertinere. Itaque, in editione Latina, disertè distinguitur ea fides Nicæna, ab hoc decreto de ieiunis. *De fide Nicæna tractatus audiuimus*: nimirum in ea Synodo, à qua delegati cuiusque acta referebant. *Verum & de sacrificiis inhibendis post prandium*: scilicet rursus audiuimus, nimirum in eadē Synodo. Ergo vtrumque: & de fide Nicæna, & de ieiunis. Stupidus sit, qui hęc capita non agnoscat non tantùm distincta: sed etiam diuisa. Porrò in Canonibus eiusdem Carthaginensis Synodi octauus est. *Vt sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur.* Nullo nominato Concilio Niceno. Qua causa in ea relatione legimus: *Et tunc & nunc firmatum est*: nempe quia congruebat definitio Sitiphensis illius Synodi, cum huius Africanæ definitione. Itaque nullus hîc arguitur defectus Nicęnorum Canonum. Atque adeò Baronius in appendice tomi decimi ad annum trecentesimum vigesimum quintum iubet hanc obseruationem deleri: nempe re melius perpensa, vidit nullo iure hinc Canonem procudi Nicænum.

XXI. Nonum. Ambrosius Epistola 82. asserit in Nicęno statutum, eum qui secunda coniugia sortitus sit, clericum esse non debere.

XXII. Respondeo; primùm non videri Epistolā esse Ambrosij, quòd Venetiarū meminerit, quę tamē Ambrosij tēpore nullæ fuerunt. Nam quod Bellarminus regionem interpretatur, facit solita audacia. Nunquā enim id nomē auditū est, nisi post vrbē eā cōditam: neq; verò Latinitatis vsus est, vt huius formę nomina pluraliter regionē designēt. Deinde non cōstare quam verè sit loquutus, quisq; ille autor est. Primū certè clerici nomē ad ostiarios vsq; extēditur

quibus non legitur quod secum, hoc interdictum A fuisse commune. Deinde, etsi quod ad altiores gradus attinet, crebra sit eius moris mentio, tamen isto excepto, nemo eius autoritatem reperit à Niceno Concilio: atque adeò in nulla eius canonum editione, quicquam est tale: cùm tamen ille disertè testetur in eo Concilio id additum fuisse. Denique non dictum illi, hunc vnum aliquem fuisse canonem: Sed *Patres in Concilio Niceno tractatus addidisse.* At nos antè diximus, multa comprehensa fuisse in Actorum corpore, quæ tamen non relata in Canones.

XXIII. Decimum. Hieronymus præfatione in Iudith, scribit, eum librum numeratum esse in Sanctis libris à Synodo Nicena. Et Baronius disertè. Quis neget in eadem magna Synodo de S. Scripturis authenticis editum esse Canonem? Imò potiùs quis ausit affirmare, in tanto, tam profundo totius antiquitatis silentio? Nec Hieronymus autem quicquam habet, quod eò inducat. *Librum hunc*, inquit, *Synodus Nicæna in numero sanctarum literarum legitur cõputasse.* Et quis tam stupidus sit, vt Baronio concedat idem esse, librum aliquẽ in Canonicis cõputare, & de libris Canonicis Canonẽ edere? Potest is dici cõputare, qui vel tanquam sacrũ librum semel citauerit. Quid? quod ipse nihil asserit? Tantùm exiliter, *legitur computasse*: tantùm non dicens nolle se eius rei præstare fidem: tamen alicubi sic legi. Itaque Baronius mutauit sententiam in appendice tomi decimi ad anni trecentesimi vigesimi quinti paragraphum centesimum quinquagesimum septimum: & censet ita scripsisse Hieronymum, quòd in actis eius Concilij legisset obiter citatum librum.

XXIV. Vndecimum. Hieronymus in Epistola ad Oceanum: In Nicena Synodo decretum, ne de alia ad aliam Ecclesiam Episcopus transferatur. Respondeo primò, huic capiti satisfacere canonem decimum sextum. Imò (inquit Sanderus) non satisfacit: quia non loquitur de Episcopis. Sanè, inquam, si fortè Sandero tam sana mens sit, vt Episcopos in nullo cõstituat Ecclesiastico ordine. Sunt enim hæc canonis verba, [illegible]. Latina versio: *siue presbyter, siue diaconus, vel in quocumque Ecclesiastico ordine fuerint.* Secundò, vbi habuit oculos Sanderus, vt legere non potuerit, canonem decimum quintum? [illegible]. *Propter plurimum tumultum & seditiones quæ exoriuntur, placuit prorsus consuetudinem tollere quæ contra canonem in quibusdam partibus comperta est, vt nemo ex ciuitate vna in aliam migret, neque Episcopus, neque presbyter, neque Diaconus.* Apud Rufinum: *Ne de ciuitate inferiori ad maiorem Ecclesiam transire quis ambiat, siue Episcopus, siue etiam alius clericus.*

XXV. Duodecimum. Augustinus Epistola centesima decima: *Sedi cum patre meo & Episcopo meo sene, Valerio: quod in Concilio Niceno prohibitum fuisse nesciebã.* Respondeo, prodigiosam esse Sanderi & Bellarmini negligentiam in legendis his canonibus: in quibus octauus sic habet, [illegible]. Id est, interprete Rufino, *Ne in vna ciuitate duo sint Episcopi.* Et citantur hęc verba à Photio in nono canone ad hanc ipsam quæstionem.

XXVI. Decimum tertium. Augustinus de Baptismo contra Donatistas capite nono libri secundi, dicit in plenario Concilio definitum esse, ne semel ab B hæreticis baptisati, rebaptisentur. Respondeo id definitum in Niceno Concilio: at non relatum in canones: verùm in symbolo comprehensum, his verbis, [illegible]. *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.* Quæ Alphonsus de Castro huic ipsi negotio accommodat, libro de Hæresib. tertio, capite de Baptismo, hęresi quinta. Rursus Canõ decimus nonus, etsi iam tum multi extarent hæretici, tamen solos Paulianistas iubet rebaptizari: vnde, inquit Bellarminus de Sacramentis lib. primi, cap. vigesimo sexto, *apertè deducitur cæterorum hæreticorum baptisma approbatum à Concilio fuisse.*

XXVII. Decimum quartum. Leo Epistola sexagesima octaua. *Quod nostris temporibus apud Chalcedonem de Domini nostri Iesu Christi incarnatione firmatum est, hoc etiam apud Nicæam mysticus ille Patrum numerus definiuit.* At hæc fides est, non politia: propterea non debuit quæri inter canones. Est autem Leonis mens, nihil in Symbolo Chalcedonensi definitum, non consentiens optimè, cum iis quæ apud Nicæam. Atque adeò locus est huiusmodi: nam integrum recitabo, quem Sanderus trũcauit. *Hoc etiam apud Nicæã mysticus ille Patrum numerus definiuit, ne Catholicorum confessio, aut vnigenitum Dei filium in aliquo crederet Patri imparem: aut eundem, quum factus est Filius hominis, non vera carnis nostra, atque animæ habuisse naturam.* At hæc, aut disertè continentur in Symbolo Niceno, aut ex disertis necessario eruuntur.

XXVIII. Decimum quintum. Rationem literarũ, quæ formatæ dicuntur, conceptam esse in eo Concilio, testatur Atticus Constantinopolitanus. At hęc fabula est mera: vt antè docui. Deinde nõ posset venire in numerum Canonũ: si verum quod Baronius obseruauit, non esse cum cæteris editum: sed penes Episcopos Catholicos retentum secretum: ad annum 325. paragrapho 167.

XXIX. Decimum sextum. Duplex Canon, alter de Baptismo, alter de Eucharistia, citatur Græcè à Cuthberto Tonstallo in libro de Eucharistia. Respondeo, contineri etiam in Gestis Nicęnis Gelasij Cyziceni: sed non pertinere ad politiam Ecclesiasticã: verùm ad fidẽ. Necesse Canones: itaque à Gelasio numeratus inter [illegible], quę sunt sine dubio fragmenta quædam, ob id à continuæ orationis corpore auulsa, quòd essent notatu digna: itaque excerptę sunt in formam disputationis.

XXX. Decimum septimum. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos docet acta quædam fuisse Nicęnæ Synodi, in quibus legi posset, quòd octo Episcopi Ariani à Synodo suscepti fuerint. Et sanè negari non potest Synodi eius acta ad nos integra non peruenisse: tantùm veluti [illegible] quædam colligi è variis autoribus: in quo labore laudabiliter olim sudauit Gelasius Cyzicenus: Nostro seculo Camerarius. Poterant & laudem mereri Alphõsus Pisanus, Cæsarque Baronius, si non ostenderent eum sibi scopum esse, vt omnia inflecterent in commodum tyrannidis Romanæ potius quàm vt veritati seruirent. Sed nos in tota hac quæstione de Actis non disputamus: tantùm de numero Canonum. Hoc autem de Episcopis receptis, vt potuit legi inter acta, sic non debuit referri inter Canones; quibus [illegible], leges sanciuntur Ecclesiasticæ administrationis.

XXXI. Decimum octauum caput est, apud Bellarminum de permissis coniugiis Sacerdotum: quod à nobis citatur, & vrgetur aduersus cælibatum.

liberum. At hic nullus est canon: sed est historia apud Socratem libro primo, capite octauo: & Sozomenum libro primo, capite vigesimo secundo, indéque apud Gelasium Cyzicenum. Porrò certum, ea de re nullum editum Canonem. ἐπῄνεσε δὲ καὶ ἡ σύνοδος τὴν βουλὴν, καὶ περὶ τούτου οὐδὲν ἐνομοθέτησεν· ἀλλὰ τῇ ἑκάστου γνώμῃ τὸ πρᾶγμα, οὐκ ἀνάγκῃ ἔδωκε· περὶ δὲ τῶν ἄλλων, ὡς ᾤετο αὐτῇ καλῶς ἔχειν ἔθετο κανόνας ἀναγράψασα. *Laudauit Synodus consilium: & ea de re nullam legem tulit: verum cuiusque arbitrio, non vlli necessitati permisit. At de aliis, prout maximè expedire visum, leges conscripsit.* Et ne hanc saltem libertatem putet quis in Canones relatam, Gelasius: τοσοῦτος δὲ τῶν ἐπισκόπων ὁ σύλλογος τῇ τοῦ ἀνδρὸς συμβουλῇ ἀπεσιώπησε περὶ τοῦ ζητήματος τούτου. *Viri consilio persuasus Episcoporum cœtus, de ea quæstione tacuit.* Nicephorus. *De hac re, quam arbitrio cuiusque reliquit, nihil sanxit.*

XXXII. Decimum nonum: Baronius obseruauit à Patribus sancitum Canonem, quo cautum fuit, vt res cognitæ in minore Synodo, in maiori iterum examinari possent. Eius canonis meminisse Iulium in Epistola ad Arianos, apud Athanasium Apologia secunda: *Episcopi in magna Synodo Nicæa congregata, non sine Dei consilio permiserunt priorum Synodi acta, in alia Synodo examinari.* Et paulo post. *Quod si istiusmodi consuetudo olim fuit, eiúsque memoria renouata est, & scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis.* Respondeo. Ne hîc quidem vllius canonis mentio. Nam illud *permiserant* [illegible], negotium gestum, potius quàm canonem conditum significat. Et verisimile est, quia Arij caussa iam agitata fuerat, & iudicata in Synodo Alexandrina: statim ab initio Nicæni conuentus disputatum esse, an conueniret iterum ventilari. Decretum autem nihil esse incommodi. Sed id in actorum corpore contineri potuit: in canonibus tamen editis nemo vnquam lectum dixit. Itaque Baronius appendice tomi decimi, non putat asserendum.

XXXIII. Nihil est igitur caussæ, quominus numerus 20 sit legitimus eorũ canonum, quos edidit Synodus plenaria prima: debeántque in eo inueniri, quicumque citabuntur, tanquam eius [illegible]. Qui non inuenientur, meritò erunt suspecti, maximè hoc tempore, quo videmus nullum non moueri lapidem, vt, quum veris non possit, saltem falsis monumẽtis Pontificia caussa fulciatur. Finxit iam olim Isidorus Mercator Epistolas Athanasij, Marci, Iulij, Liberij, Felicis; vt excusaret (inquit Baronius) Zozimi mendacium in Concilio Carthaginensi. Nostro seculo ab Occidente decursum in Orientem, vt inde Baptista Romanus Iesuita Arabicam deferret farraginem: & Turrianus aliam erueret è nescio qua Marcelli Bibliotheca: in quibus quantum sit autoritatis videtur Baronius agnouisse, *Quoniam has* (inquit anno trecentesimo vigesimo quinto, paragrapho centesimo octogesimo) *ignorasse maiores visi sunt, quando oborta controuersia in Ecclesia Africana, de iis mentio necessaria incubuisset: has libentius aliis differenda relinquimus.* Quæ tamen ratio communis est, & æquè potens ad refutandum eum Canonem, de quo propriè disputamus. Sed his tamen non contenti; quid non præterea cógerunt? Adeo vt si tantũ valeret in literis, quantũ in illis audacia, iã non viginti, vt Veteres, non septuaginta, aut octoginta, vt commentitius Athanasius, & Arabes; sed æquè magnum canonum Nicænorum corpus habituri simus, quanta est Gratiani farrago. Adeo nihil est frontis.

Cap. IX.

De exemplis appellationum.

I. Atque hactenus quidem de iure appellationum. Nunc de facto. Habent enim, quæ proferant exempla, à variis variè enumerata, à Bellarmino, opinor, omnia. Anno centesimo quadragesimo secundo à Christo, Marcion excommunicatus ab Episcopo suo in Ponto, venit Romam, vt à Romana Ecclesia absolueretur; vt refert Epiphanius hæresi quadragesima secunda. Anno ducentesimo quinquagesimo secundo, Fortunatus & Felix in Aphrica, à Cypriano depositi, Romam nauigarunt, atque ad Cornelium appellarunt, Cyprianus Epistola 55. Nec diu post Basilides in Hispania depositus ad Stephanum appellauit, Cyprianus Epistola sexagesima octaua. Anno trecentesimo quinquagesimo, Athanasius ab Orientalibus depositus ad Põtificem appellauit, & ab eo restitutus est. Sozomenus libri tertij capite septimo. Post annum quadringentesimum, Chrysostomus à Theophilo depositus, ad Põtificem appellauit, vt patet ex Epistolis eius duabus ad Innocentium. Eodem seculo, ad Leonem appellauit Flauianus Constantinopolis Episcopus: & Theodoretus, vt ex epistola eius ad Leonem apparet.

II. Sed hæc exempla nullam probant appellationem. Distribuenda sunt autem in duo genera: vel enim viri erant mali; vel boni & pij. De illis dicã prius, Marcione, Fortunato, Felice, Basilide. Ergo, quum quis pro suis meritis tractabatur apud suos, vel depositus ab Episcopatu & Sacerdotio; vel etiam excommunicatus; sæpe eueniebat, vt auxilij gratia aliò confugeret, vbi vel fautores [illegible] sibi speraret inueniendos; vel [illegible] confideret posse iis imponere, quibus non [illegible] cognitus. Hoc Cyprianus appellat *circumcursare*, in caussa Fortunati & Felicissimi. Porrò itum fuisse etiam aliò, quàm Romã, ipse Cyprianus ostendit epistola quinquagesima quinta. *Quia*, inquit, *conscientiam suam norunt, nec nos audent adire, aut ad Ecclesiæ limen accedere: sed foris per prouinciam circumuenendis fratribus, & spoliandis pererrant: & omnibus iam satis noti, atque vndique pro suis facinoribus exclusi, illuc etiam ad vos nauigant.* Ergo Fortunatus & Felicissimus, ante quàm irent Romam, profecti erãt ad reliquas per Africã Ecclesias: apud quas, quum obtinere nihil possent, Romam tandem iter arripuerũt. Idipsum ergo quærebant in Africa, & Romæ. Ad Africanas tamen Ecclesias appellasse, quis dicat, iam damnatos ab Africæ primate? Ergo ne Romam quidem. Simili modo eadem Epistola, narratur, Priuatum veterem hæreticum, ante multos annos non tantùm à nonaginta Episcopis, sed etiam ab ipsis Cornelij Romani, & Cypriani Antecessoribus (sic enim Pamelius intelligit hæc verba, *Antecessorum nostrorum*, & rectè) damnatum, voluisse caussam agere in Concilio Africano. Rursus Epistola quadragesima nona, Euaristus dicitur, *per alias prouincias oberrare, & veritatis ac fidei naufragus factus, circa quosdam sui similes paria naufragia cõcitare.* Breuiter, nõ erãt illæ prouocationes, sed hominũ malè feriatorũ intẽperies, Ecclesias inter se cõmittere tentantiũ & satagentiũ ali

solui apud quosdam à censuris, quas apud alios incurrerant: nec querentem iudicij legitimam innouationem: sed pœnitentiæ, & communionis testimonium: nimirum postquam pœnitentiam suam acceptam reddidissent huic illive Episcopo, ab eo in communionem reciperentur, indéque ad suos literas adferrent. Atque hæc in genere.

III. Sigillatim autem nego quicquam esse in Marcione, Fortunato, Basilide, quod appellationem redoleat. Marcionem certè nusquam significat Epiphanius appellasse. [illegible], inquit, [illegible], sic enim lego, [illegible]. *Vulgi sannas non ferens fugit à sua ciuitate, peruenitque Romam, post obitum Hygini Episcopi* [illegible]. *Postulabat admitti in cœtum: at nemo permittebat.* Hæc Epiphanius. At qui hæc appellant, ij non solent dicere [illegible], fugere à patria. Et rursus, postulare admitti in cœtum; quis idem dicat esse, legitimo iudicio experiri cum accusatoribus? Ergo nusquam significatur appellasse.

IV. Imò verò, vt, quid iuris fuerit ipsi Romanæ Ecclesiæ scias; quum à Clero Romano Marcion ita quæreret, [illegible]. *Quanam me noluistis admittere?* Responsum hoc tulit: [illegible]. *Quia non possumus absque permissu venerabilis patris tui id facere.* Et nota caussam, [illegible]. *Est enim vna fides, vnaque consensio: nec possumus obsistere bono collega, tuo patri.* Fatetur ergo Clerus Romanus (& in hunc mortuo Pontifice Pontificij volunt deuolui vniuersam autoritatem) nullum sibi ius esse cognoscendi de caussa Marcionis. Videlicet, quia iam damnatus esset ab Episcopo: cuius illi collegæ erant, non domini. Quasi disertè dicerent. Nobis nulla est in collegas nostros autoritas, vt possimus eorum facta irrita reddere nisi forte illi consentiant: nam illud [illegible] id sonat. Si igitur permisisset bonus ille Sinopensis Episcopus; tum potuisset Clerus Romanus Marcioni communionem restituere. Sed illo non permittente, non poterant. At si fuisset appellationis ius in vsu, quorsum permissio exspectaretur? Nam si immeritò reus comperitur fuisse damnatus, velit nolitve primus iudex, in integrum restituitur. Sin contrà, tum velit nolitve iudex sententia confirmatur.

V. De Fortunato & Felicissimo æquè verum, nusquam Cyprianum dicere eos appellasse: sed tantum Romam nauigasse, cum mendaciorum suorum merce. Imò certum prolixè docere, non posse aut debere caussam eorum Romæ agitari, nisi contra canonem, atque ipsam rationem: qua de re sequenti libro plura. Res autem ita cecidit. Felicissimus multa sua ob crimina, non tantùm Cypriani, sed & plurimorum Episcoporum sententia abstentus, Romam proficiscitur. Cornelius Cypriano scribit à se primùm reiectum: sed secundis literis suam quandam remissi animi mollitiem testatur, ob quasdam eius hostis Christi minas. Tum verò Cyprianus prolixè rescribit, vt ne ita Cornelius commoueri se patiatur. Hæc verò quænam habent appellationis vestigia? Reijcitur primo Felicissimus: non iudicatur. Atqui constat, inquies, iudicatum? Nimirum, ab ipso Cypriano: *Quum venisset, inquit, stipatus caterua & factione desperatorum, pulsum de Ecclesia esse.* Obseruo, primò quum veniret pulsum de Ecclesia esse. Atqui pendente appellatione debuit pro non iudicato haberi; atque non denegari ei communio. Deinde vbi de se cum [illegible] & factione desperatorum, vbi accusatores? vbi testes? Non igitur vllum iudicium: non igitur appellatio.

VI. Basilidem Cyprianus idem testatur, profectum ad Stephanum longè positum, & gestarum, ac tacitæ veritatis ignarum, exambiuisse reponi se iniustè in Episcopatum, de quo fuerat iustè depositus. At his ego verbis nego vllam significari appellationem. Ratio, quia appellatio coniunctam habet legitimam caussæ cognitionem; vt, vtraque parte audita, cognoscatur quid sit statuendum. At hic solus Basilides Romam venit: non, aut cum eo, aut post eum, vllus ex Hispania, vbi depositus fuerat. Restituitur à Stephano, non tantùm longè posito (quod non abs re notat Cyprianus, vt hunc concursandi morem vellicet) sed etiam ignaro rei gestæ, & tacitæ veritatis. Ergo, inquiram, nullum fuit legitimum iudicium, nulla caussæ cognitio: ergo igitur appellatio? Imò circumcursatio tantùm erat, qui post iustam depositionem Romam fugiens, opem atque fauorem quærebat aduersus suos & legitimos iudices. Itaque negat Cyprianus legitimè secutum: neque recipiendum ab Hispanis. Quid quæso tandem fronte diceret, si hæc appellatio fuisset? Nam tum necesse fuisset sententiam dictam esse, vel auditis partibus, vel per contumaciam eorum quibuscum Basilidi res erat. At neutro modo fuisset Stephani sententia irrita. Denique nota hæc verba: *Quare etsi aliqui de Collegis nostris extiterint, qui deificam disciplinam negligendam putant, & cum Basilide, & Martiale temerè communicant, conturbare fidem nostram res ista non debet.* Hæc quicunque legerit, ponderarit, facilè agnorit Cypriani iudicium de Stephano, Basilidem, Martialemque restituente.

VII. Venio ad viros bonos & pios, Athanasium, Chrysostomum, Flauianum, eósque nego appellasse ad sedem Romanam: tantùm confugisse auxilij gratia: quod auxilium positum esset, non in aliqua iurisdicendi autoritate, sed in amica communionis eiusdem societate: nempe quum Episcopi Romani eos, tanquam orthodoxos, eiusdémque fidei confessores in communionem suam admitterent: indéque eorum partes tuendas susciperent. Quod probo, primùm ex Gregorio Nazianzeno in oratione de laudibus Heronis, sic loquente de Petro Athanasij successore, Romam confugiente & ostentante vestes cruentas eorum, quos Georgius trucidarat. [illegible]. *Tum vt calamitatis magnitudinem ob oculos poneret: tum, vt in aduersis qui auxilium ferret, inueniretur: sicut & inuenimus.* Et addit caussam: [illegible]. *Fit enim fere, vt quo opibus ac potentia præcellit, ad infirmi afflictique hominis miseriam sublevandam inflectatur, spontanéoque beneuolentiæ affectu, ad illius qui dignitatis gradu lapsus est,* (Bilij versionem recito) *partes attrahat.* Non [illegible]

lium, non iudicium: nota non de eo, qui se iudicem præstet, sed qui ad partes accedat: nota denique non vllum priuilegium, iurisdictionisque prærogatiuam: sed spontaneum affectum; quo fit, vt quibus res suoi secundæ, afflictorum misereantur. Accedit Nazianzeno Sozomenus, de eodem Petro sic loquens libri sexti capite decimonono, Πέτρος δὲ λαθὼν ἀποδρὰς ἐκ τῆς δεσμωτηρίας, ὡς πρὸς ὁμόδοξον τὸν Ῥωμαίων ἐπίσκοπον, νηὸς ἐπιτυχὼν ἀπέπλευσεν. *Petrus Episcopus elapsus è carcere, nauis compos ad Romanum tanquam eiusdem fidei Episcopum nauigauit.* Non igitur, vt ad iudicem, sed vt ad eiusdem fidei fautorem: nam sic τὸν ὁμόδοξον Christophorsonus expressit. Deinde probatur idem ex testimonio Celestini Romani Pontificis scribentis ad Constantinopolitanos, in Actis Ephesinæ Synodi, de Athanasio. ἐν τούτῳ τῷ θρόνῳ τῆς κοινωνίας ἀπήλαυσεν, ἀφ' οὗ ἐν τοῖς κινδύνοις οὐδέποτε βοήθεια ἔλειψεν. *In hoc throno* (Romanū intellige) *communionis solatium meruit; à quo nunquam Catholicæ auxilium defuit*. Nota κοινωνίας ἀπήλαυσεν, quæ promptum significat animum Romani Episcopi ad Athanasium admittendum in suam communionē. Sed & βοήθεια, partium susceptionem significat. Tertiò probatur ex eo, quod id quicquid erat auxilij, conficiebatur audita tantum altera parte; quod in singulis exemplis apparebit.

VIII. Sed non Romam tantùm, quia etiam aliò solitos confugere, qui in suis Ecclesiis iniusta paterentur, probant exempla. Sic apud Sozomenum libro octauo, capite decimo tertio, Ammonius, & Isidorus, Cōstantinopolin traiecerunt, quū eis Theophilus Alexandriæ molestus esset: eúsque Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanus antistes comiter excepit, & in Ecclesia preces fundere non prohibuit: ad mysteriorū verò communionem admittendos non censuit, quòd id, ante caussam cognitam, fieri fas non esset. Confugerunt autem hac spe: ἐνόμιζον γὰρ ἐν δίκαιος παῤῥησίας αὐτὸν ἐπιμελούμενον, δυνατὸν ἔσεσθαι βοηθὸν αὐτοῖς: *putarunt eum cui iusta libertas in loquendo cordi esset, sibi in iusta caussa futurum auxilio.* Quid verò præstiterit Ioannes, quæris? Scripsit ad Theophilum, vt communionis ius illis redderet, quoniam de Deo rectè sentirēt: vel, si putaret in iudicio caussam examinandam, mitteret quem vellet actorem. Hæc apud Soxomenum. Et tamen, quis ignorat Episcopo Constantinopolitano nullam fuisse iurisdictionem in Alexandrinum? Sed hæc nimirum nulla erant iurisdictionis alterius in alterum signa. Nec tamen de Romano quicquam profertur disertus. Sed ex hac igitur cōsuetudine, ij quos Bellarminus recēset, Romam profugerunt: non appellantes ad iudicis superioris thronum, sed opem, auxiliumque ab eiusdem fidei consorte postulantes.

IX. Sed percurramus exempla singula. Primum est Athanasij ex Sozomeno. Et tamen apud Sozomenū nihil est quod appellationem significet. Sic enim ille capite 7. libri 3. *Athanasius fugiens Alexandria, Romā aduentauit. Eodem tempore Paulus etiam Constantinopolitanus fortè illò accessit, & Marcellus quoque Episcopus Ancyræ, & Asclepas Gazæ Episcopus.* Audis fugisse Alexādria: audis Romam peruenisse, non audis appellasse. Sed quid actum? Μαθὼν δὲ ὁ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος τὰ ἐγκλήματα, ἐπειδὴ πάντας ὁμοφρονοῦντας εὗρε περὶ τῶν ἐν Νικαίᾳ συνόδου, ὡς ὁμοδόξους αὐτοὺς εἰς κοινωνίαν ἐδέξατο. *Quarum singulorum criminationes quum Episcopus Romanus intellexisset, comperissetque omnes fidei Nicænæ consentientes, admisit ad communionem, vt qui secum idem de fide sentientes.* Videlicet, vt paulò ante idem Sozomenus testatur. ὁ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπος, καὶ οἱ ἀμφὶ τὴν δύσιν ἱερεῖς, ὕβριν οἰκείαν ταύτην ἡγοῦντο, ἐπεὶ ἀπαρχῆς τοῖς ἐν Νικαίᾳ συνελθοῦσι συνθέμενοι τὴν ψῆφον, ἐπῄνεσαν, καὶ εἰς τὸ νῦν οὐκ ἐπαύσαντο ὁμοίως φρονοῦντες. *Præsul Ecclesiæ Romanæ, sacerdotesque Occidentales, hanc suam iniuriam existimabant. Nam in omnibus eorum qui Nicæam conuenerant, sententiam probabant, neque hactenus desierant ita sentire.* Et hæc appellatio est? Hæc iudicij legitimi forma?

X. Verum enimuerò Sozomenus addit. οἷα δὲ τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης, διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου, ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκε· καὶ τοῖς ἀνὰ τὴν ἕω ἐπισκόποις ἔγραψε μεμφόμενος, ὡς οὐκ ὀρθῶς δικάσαντας περὶ τοὺς ἄνδρας, καὶ τὰς ἐκκλησίας ταράττοντας, τῷ μὴ ἐμμένειν τοῖς ἐν Νικαίᾳ δόξασιν. ὀλίγους δὲ ἐκ πάντων εἰς ῥητὴν ἡμέραν παρεῖναι ἐκέλευσεν, ἀποδείξοντας δικαίαν ἐν αὐτοῖς ἐξενηνέχθαι τὴν ψῆφον. *Et quum propter sedis dignitatem cura omnium spectaret, singulis suas Ecclesias restituit. Scripsitque Episcopis Orientalibus; increpans, quod de his viris perperam iudicassent, Ecclesiasque perturbarent, non insistendo iis quæ Nicææ erant decreta. Sed & paucos ex eorum numero ad certam diem præsto esse iussit, demonstraturos iustam in illos latam fuisse sententiam.* Hæc Sozomenus: vbi quatuor notantur, opinor. Sedis dignitas: omnium cura: sedes restitutæ: mandatum, vt quidam venirent omnium nomine.

XI. At hîc tamen nullum est iudicium. Audis enim restitutas sedes, auditis tantùm Episcopis spoliatis. Audis præterea reprehensos Occidentales, quòd malè iudicassent: quòd Ecclesias turbarent: quòd non permanerent statutis Nicænis. Et tamen vides nondum auditos. Sunt-ne istæ legitimi iudicis partes? Minimè verò: imò eius qui in partes transibat spoliatorum: & vt rectè Sozomenus dixit, qui in eos iniuriam illatam, suam esse propriam duceret.

XII. Nec illæ obseruationes concludunt. Nam sedis dignitas, primatum illum significat ordinis, quo fiebat, vt omnibus sedibus Romana præferretur. Itaque Socrates hanc ipsam recitans historiam libro secundo, capite vndecimo, τὰ πρεσβεῖα appellat. Cura omnium, non ea est, quam Papistæ putant; sed ea potius quam describit Leo, Epistola ad Marcianum & Faustum presbyteros, quæ ordine est trigesima secunda. *Vt quantam curam totius Ecclesiæ habeamus, appareat, hortando scilicet omnium fidelium mentes, & clementissimorum principum præsidia ad defensionem fidei postulando.* Et Celestinus ad Cōstantinopolitanos in Actis Synodi Ephesinæ, facto initio epistulæ, ab illo loco Pauli, quo sibi dicit omnium curam incumbere, ὅτι καὶ ἡμᾶς, inquit, οἱ καὶ πόῤῥω ὄντες, ὡς ἐγγύτατα τυγχάνοντας, διὰ τρεπῆ διδασκαλίας τὰ ἡμέτερα μέλη διασπασθέντα, πατρικῶς φροντίδος ἡμᾶς ὑπὲρ ὑμῶν κινούσης ἀλλοτρίῳ περικαιόμεθα ἐμπρησμῷ. *Similiter & nos, quamuis procul desiti, vt cognitum hic habuimus, peruersitate doctrinæ nostra membra distrahi, paterna cura nos pro vobis amburente, alieno igni ardemus.* Sic igitur Romanus Episcopus testatur se curare res Constantinopolitanas, quomodo, qui alieno incendio afficiuntur: hoc est, non ex iure potestatis: sed ex communione charitatis. Quid? quod curam omnium Ecclesiarum Sidonius tribuit etiam Lupo? libri sexti Epistola prima. *Benedictus Spiritus Sanctus, & Pater Dei Omnipotentis, quod eu pater patrum, & Episcopus Episcoporum, & alter seculi tui Iacobus, de quadam specula charitatis, nec de inferiore Hierusalem,*

tota Ecclesia Dei nostri membra superinspicis: dignus qui omnes consoleris infirmos, quique merito consulatur ab omnibus. Et tamen non erat Oecumenicus. Significat igitur Sozomenus Episcopum Romanum decuisse curam gerere, vtpote primum omnium Episcoporum. Etsi enim communis sit omnibus Episcopis Ecclesiæ cura: tamen eorum qui inter Episcopos dignitate sunt illustriores, in eadem cura partes sunt maiores.

XIII. Sedes restitutæ significant à Romano nihilominus Athanasium, & cæteros agnitos fuisse pro veris Episcopis, quamuis essent ab aduersariis depositi: quo sensu suo postea loco ostēdemus sibi vicissim Episcopos solitos olim sedes restituere. Denique mādatum, vt quidam venirent, sic intelligendum, vt vidimus Ioannem Chrysostomum scribere ad Theophilum Alexandrinum, vt quem vellet actorem mitteret; licet ad eum nō fuisset appellatū.

XIV. Sequitur Chrysostomus, quem Romam prouocasse, vnde tandem colligunt? Videlicet ex Epistolis duabus ad Innocentium. Confidenter id quidem: sed non satis pudenter. In iis enim ne verbulo quidem Chrysostomus quicquam indicauit eiusmodi: quin potius apertè contestatur, se appellasse ad legitimam Synodum. *Licet absentes essemus,* inquit, *& ad Synodum appellaremus, & iudicium inquireremus, & non auditorium, sed manifestas inimicitias fugeremus, ipse tamen accusatores suscepit.* Rursus. *Tractus igitur vi, & abductus à magistratu ciuitatis, in media ciuitate, & in nauim coniectus per noctem nauigaui, eo quod ad Synodū, & iustum iudicium prouocaram.* Præter hæc verba, nusquam in iis Epistolis appellatio nominatur. Abi nunc, & Sophistis fidem habeto.

XV. Verùm Hardingus totum hoc negotium fusius tractat: nam Bellarminus tantùm indicat. Notat ergo Pansophum Pisidiæ, Pappum Syriæ, Demetriū secundæ Galatiæ, Eugeniū Phrygiæ Episcopos, profectos esse Romam, supplicésque fuisse pro Chrysostomo. Sed hic mentitur Hardingus. Profecti enim sunt illi, non vt supplices essent, sed vt de omnibus, quæ Constantinopoli acciderāt, Innocentiū admonerent, quo quamocius rebus succurreretur. Sunt enim ea Chrysostomi verba. Et tamen, etsi cōcederemus supplices fuisse, quid inde conficeretur? Non enim iis solis supplicari solet, ad quos prouocatur: sed omnibus, à quibus auxilium postulatur.

XVI. Recitat postea Hardingus locum ex prima Epistola ad Innocentium: sed deprauatum, quod Iuellus obseruauit: ego describam integrū. *Ne cōfusio hæc omnem, quæ sub cœlo est, nationē inuadat, obsecro, vt scribas, quod hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & nō declinantibus iudicium, non habeant robur, sicut neque sua natura habent: illi autem qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant: nobis verò, qui nos nec conuicti, nec redarguti, nec habiti vt rei, literis vestris, & charitate vestra, aliorúmque omnium, quorum scilicet antea societate fruebamur, frui concedite.*

XVII. Hîc rursus quæro, quid sit, quod appellationem redoleat ad Romanam Ecclesiā. Audio petētem, vt scribat literas Innocētius. Sed quas? An vt aduersarios citet apud se caussam acturos: quo tandem vtraque parte audita, decretū interponat? Hoc verò nusquā. Imò rogat, vt postquam negotium cognouerit ex iis quos mittebat, id est, ex relatione vnius saltem partis, tandem scribat. Quæ iam nō sunt iudicis partes. Quid autem scribat? Quod hæc tam iniquè facta nō habeant robur. Id est, admoneat eos à quibus facta erat depositio; non debuisse Ioannē deponi: & factā depositionem irritam esse, quia cōtra ius, fasque. Ridiculè enim intelligas. Scribe quod non habeant robur; id est, tua autoritate sic definito, tanquā solidè caussa cognita. Quod probo duplici argumento. Primò, ab euentu: literis, in quā, Innocentij, quas scripsit ad Cōstantinopolitanos: quibus nihil prorsus aut præcipit aut decernit: tātū admonet, quid faciendum. *Nos,* inquit, *quantum ad canonum obseruantiā attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt, quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere Ecclesia Catholica debet.* Hæc ille, & alia in eam rem nonnulla: quæ præ se ferunt virum liberè suam sententiam proferentem, nulla verò autoritate aliis imperantem.

XVIII. Secundò ex hoc ipso huius Epistolæ loco. Nam inter caussas, cur non habeāt robur acta Constantinopoli, hæc est, quòd non declinaret iudiciū. Hoc verò nihil aliud est, quàm quod iā audiuimus: *Licet absentes essemus, & ad Synodum appellaremus, & iudicium inquireremus, & non auditorium, sed manifestas inimicitias fugeremus.* Itaq; rogat Innocentium, vt scribat ea acta irrita esse hanc ob caussam, quia Chrysostomus, non refugeret iudicium: sed tantùm ab eo sibi suspecto, appellaret ad legitimū Conciliū. Quanquam ne hoc quidem omittendum; non ad Innocentium solum scriptam Epistolam primā; sed ad Occidentales Episcopos: quod vel hæc testantur. *Igitur, Domini maximè venerandi, & pij, quum hæc ita se habere didiceritis, studium vestrum, & magnam diligentiam adhibete:* Quia tota eodē stylo concepta est, vt plures simul alloquatur. Itaque nihil inde potest peculiare concludi in gratiam Episcopi Romani. Si igitur appellatio vlla esset; profectò appellatum fuisset ad Occidentales Episcopos: quod nihil iuuat aduersariorum caussam.

XIX. Flauianū etiā prouocasse ad Episcopum Romanū, sumitur, non probatur. Nā, quod Leonē testē citāt; imponunt minus attētis. Leo sic habet Epistola 23. ad Theodosium. *Omnes partium Ecclesiæ nostrarū, omnes māsuetudini vestræ cum gemitibus, & lachrymis supplicant Sacerdotes, vt quia & nostri fideliter reclamarunt: & eisdem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit, generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari.* Et vide, quantulū Sophistis fundamētum sufficiat, vt in eo Babylonem ædificent. Audiuerunt libellum appellationis: & audiuerūt datum legatis Leonis: inde subito confecerunt, appellatum fuisse ad Leonem. Ridiculè. Nam si ad Romanū, cur postulatur cogi Synodus? Aut quis ita ferat arguentem Leonē, Flauianus appellauit ad me à Synodo: ergo oportet Synodum cogi? Deinde, idem Leo ad Pulcheriam Augustam Epistola 24. *Flauianus,* inquit, *Episcopus in nostra communione persistit.* Hæccine verò sunt iudicis appellati? vt ante contestatā litem eum absoluat, qui appellauit? Est enim in hoc negotio recipere in communionem, nihil aliud quàm absoluere. Sed nimirum appellabat Flauianus ad Synodum legitimam: eiusque appellationis libellum suis legatis datum Leo significat.

XX. De Theodoreto, paulò difficilius negotium. Nam ad Leonem sic scribit: *Vestra sedis expecto sententiam: & supplico & obsecro vestram sanctitatem, vt mihi opem ferat, iustum vestrum & rectum appellanti iudicium: & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem.* Vbi dilertè legimus Romani Episcopi iudicium appellatum. Sed solitarius testis non facit fidem, in re præsertim tan-

um tanta, tantique momenti. Quanquam appellatio vera nulla fuit, aut iuridica caussæ cognitio. Quia eius accusatores nunquam sunt euocati Romam: sed ex eius sola confessione, quam Leo comperit esse Orthodoxam, admissus est in communionem. Itaque sola phrasis, insolita est; res ipsa nihil habet noui.

CAP. XI.

De Conuocatione Conciliorum.

I. QVartum argumentum à Conuocatione Conciliorum. Is penes quem ius est conuocandi Concilia, est Oecumenicus Pontifex. At penes Romanum Episcopum id iuris est. Ergo is est Oecumenicus pontifex. Hardingus contra Iuellum articulo quarto, sectione vigesima sexta, Hayus Disputationum libro primo, capite septimo, hoc argumentum leuiter attingunt, confundentes cum iure confirmandi, & irritum faciendi Concilium. Ego verò separatim et re vera distinctam tractationem mereri. Assumptionem Bellarminus prolixè confirmare conatur capite duodecimo libri primi de Conciliis.

II. Respondeo; vtramque partem Antecedentis esse falsam. Itaque primò negatur maior. Quia ex Historia Ecclesiastica constat, nullum Oecumenicū Concilium non conuocatum fuisse ab Imperatore: Nicenum, Ariminense, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Ephesinum secundum, Chalcedonēse, reliquā, vt probatum fuimus libro proximo. Et accedit testis locuples, Socrates in proœmio libri quinti historiæ Ecclesiasticæ. [illegible] *Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore, quo Christiani esse ceperint, Ecclesiæ negotia ab iis dependerunt: atque adeo maxima Concilia de eorundē sententia & conuocata fuerunt, & adhuc conuocantur.* Testis Hieronymus apologia secunda aduersus Ruffinum, *Responde, quæso, Synodus, à qua excommunicatus est, in qua vrbe fuit? Dic Episcoporum vocabula: profer sententias subscriptionum, vel diuersitatem, vel consonantiam: doce, qui eo anno consules fuerint, quis Imperator hanc Synodum iusserit congregari.* Ergo, si necesse est eum esse Oecumenicum Pontificem, penes quē ius sit conuocandorum Conciliorum: tum verò fatendum, Imperatores esse Oecumenicos Pontifices. Quod, quum omnem longè superet absurditatem, illud potius verum, non esse hanc necessariam Oecumenici Pontificatus notam.

III. Secundò, negatur etiam Assumptio. Sunt enim Concilia, vel Oecumenica, vel particularia. Hæc à Metropolitanis cogi solere, tum perpetuus vsus probat; tum vltro Bellarminus concedit; vt nihil necesse sit hac parte diutius immorari. Ad Oecumenica quod attinet, si fuisset eorum conuocandorum ius peculiare Romano, ergo nec vllus præter eum conuocasset; & ipse omnia conuocasset. Nam quis credat, in ipsis Ecclesiæ initiis, subitò contra ius fasque tantam rem attentatam: & quidem nemine reclamante: ne ipso quidem Romano? Quin potius proximo libro constabit, non tantùm conuocata ab Imperatoribus (quod tam notum) sed etiam ipsa Concilia semper id plurimè sæ-ptè testata: Romanos etiam Episcopos non semel summis precibus contendisse ab Imperatore, vt fieret conuocatio: nec semper obtinuisse: imò aliquando & locum & tempus assignata esse contra eorum voluntatem. Quæ si non euincant huius conuocationis iura non pertinuisse ad Romanum Episcopum, quid iam firmum, ratúmque sperari possit?

IV. Contrà tamen Bellarminus disputat: sed primo statu quæstionis interpolato. Nam olim Iulius secundus in Lateranensi Concilio, Sessione prima, atque in bulla indictionis, *Videbunt*, inquit, *huiusmodi Concilia à solis Romanis Pontificibus esse indicta: & aliter indicta rata non fuisse*: Confidentissimè. Sed Bellarminus longè modestius: *Catholici*, inquit, *munus conuocandi Concilia generalia ad Romanum proprie pertinere volunt.* At hoc si nude dixisset, videbat se peccaturum contra omnium primorum Conciliorum autoritatem: itaque addidit: *Sic tamen vt posset etiam alius, Pontifice consentiente, indicere.* Nimirum, quia Imperatores olim indicebant: non dissentientibus Episcopis Romanis. Non enim is consensus ita intelligendus, quasi ante conuocationem ab Imperatore Pontifex consuleretur, ac tum, si consentiret, conuocatio fieret: sed, quia Imperator suo arbitrio conuocabat: & conuocationi iam factæ Pontifex assensum præbebat. Itaque tutius addit: *Quin etiam satis sit, si indictionē factam, ipse postea ratam habeat, & confirmet.* Satis cautè, vt Iesuitam decuit. Sed videtur ne prudenter suæ caussæ consuluisse? Imò videbunt omnes, in Ecclesiastica historia non hospites, Lesbiam esse regulam, quæ non actiones iustitiæ accommodet; sed iustitiam potius actionibus attemperet: hoc est, non id factum esse concludat, quia iustum esset: sed iustum esse potius, quia factum sit. Apage ab Ecclesia non iam sophisticen, sed tyrannidem. At hodie, si quis Imperator id sibi sumeret, vt suo nomine Concilium conuocaret; quas non pœnas ab eo sumeret Papa? Exemplo est Concilium Mediolanense, à Maximiliano Imperatore, & Ludouico Rege Galliæ conuocatum. Imò & quæcunque conuocata sunt, iam ab aliquot seculis: quæ oportuit multis laboribus à Papa extorqueri, eiúsque solo nomine datis literis conuocari: quod olim nunquam factum. Denique Cusanus, Concordantiæ libro secundo, capite sexto, *Vniuersalia Concilia de consensu Romani Pontificis, ac aliorum Patriarcharum per Imperatores sub articulis fidei congregabantur.* Ergo, inquam, vel in eo consensu nullum indicium Oecumenicatus, vel non est solius Romani. Sed esto tamen. Videamus potius, quibus argumentis probet, quod instituit.

V. Primum argumentum: Concilium Ecclesiæ non est legitimum, nisi congregetur in nomine Christi; vt dicitur Matthæi decimo octauo. congregari autem in nomine Christi, hoc est, ab eo, qui à Christo habet congregandi autoritatem. At non Imperatori, sed Petro commisit Ecclesiam gubernandam Christus. Et hic refutatur Caluinus qui dicat, illud esse, ita congregari, vt solus Christus præsideat, & nullum collegam habeat, sed omnes subiectos. Negatúrque id esse secundum Scripturas: Quia illud *in Nomine*, vbique ferè accipitur, pro, ex autoritate. Vt Marci vltimo, *In nomine meo dæmonia eiicient.* Ioannis quinto, *Ego veni in nomine Patris mei.* Matthæi septimo, *Nonne in nomine tuo prophetauimus?* Actorum quarto, *In qua virtute, aut in quo nomine hoc fecistis*.

VI. Sed primò Bellarminus calumniatur. Non enim dixit Caluinus, in nomine Christi congregari, esse præsidem Christum habere absque collega. Fateor assertum ab eo id Christi priuilegium esse: quod ne Bellarminus quidem negat: sed iis verbis hæc Matthæi verba exponi, hoc dico apud Caluinum nō occurrere. Nam, quum dixit: *Videndum in Concilio, vt Christo nihil derogetur: Esse autem ius Christi, vt Conciliis omnibus præsideat*: tum horū Christi verborum mentio nulla. Sed proximo paragrapho negat in Christi nomine eos congregari, qui abiecto Dei mandato, quo vetat quicquā addi verbo suo, aut detrahi, proprio arbitrio quiduis statuunt. Quod cur non diceret? quum Cyprianus de vnitate Ecclesiæ dixerit; *Quomodo possunt duo aut tres, in nomine Christi colligi, quos cōstat à Christo, & ab eius Euāgelio separari?* Porrò viri docti facilè animaduertēt eo loco Caluinum, docere, non quid sit, sed quid non sit, congregati in nomine Christi. At idem in Commentariis in eum locum; *Sciendum*, inquit, *in primis quid valeat hæc loquutio: nempe vt qui simul congregantur, reiectis omnibus impedimentis, quæ nos ad Christum accedere non sinunt, sincere ad eum adspirent, eius verbo se in obsequium eius addicant, ac spiritu gubernari permittant.*

VII. Et tamen idipsum, quo iure reprehendit? Non est, inquit, secundùm Scripturas. At primùm, quorsum hæc animaduersio? Nam ipsemet ipse inquam Bellarminus disertè totidémque verbis, *Verum quidem est in legitimo Concilio oportere Christum ita præsidere, vt nullus sit ei collega.* Cur igitur negat esse secundùm Scripturas? Deinde, cur non secundùm Scripturas? Quiane hæc phrasis eo sensu, nullo fortasse loco occurrit? At ei ῥητὸν argumentum non est demonstratiuum. Et ea assertio satis inualidatur, si hic solus locus obiiciatur. Ad hæc nō comparat locos similes. Nam in iis, quos colligit, constanter legitur, ἐν τῷ ὀνόματι, vel τῷ ὀνόματι. Io eo autem de quo agimus, εἰς τὸ ὄνομα. Nemo est autem Græcè sciens, qui non deprehendat τὸ διάφορον. Sanè hæc phrasis non significat id quod vult potius Bellarminus. Matthæi decimo. Qui recipit Prophetam *εἰς ὄνομα προφήτου in nomine Prophetæ*. Et vigesimo octauo, *Baptizantes εἰς τὸ ὄνομα, in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* Ioannis primo: *iis qui credunt εἰς τὸ ὄνομα, in nomine eius.* Sed neque illa altera ἐν ὀνόματι semper. Marci 9. *Quisquis potum dederit vobis poculum aquæ ἐν τῷ ὀνόματί μου in nomine meo.* Nā Matthæus capite decimo, istud *In nomine meo*, interpretatur *in nomine discipuli.*

VIII. Sed enim, quid est in nomine Christi congregari? hoc est (inquit Bellarminus) ab eo, qui à Christo habeat congregandi autoritatem. Ergo si Iesuitæ credimus, hæc verba significabunt efficientem caussam cœtuum, non autem formam: hoc est vnde sit potestas congregandi, non verò, quæ sit natura legitimæ congregationis. At hoc est absurdum. Ratio, quia sequeretur, nullum Concilium cōuocatum ab eo, cuius conuocandi ius sit, errare posse. Nam sic congregatis Christus pollicetur se adfuturum. At ipsi Papistæ concedunt multa Concilia sic congregata posse errare: saltem particularia; quorum conuocandorum autoritatem Bellarminus concedit esse penes Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas. Præterea locus ipse, non est propriè de Conciliis: sed de quibuslibet etiam minimis cœtibus, puta duorum, aut trium: qui facile congregari possunt nullo iubente, nullo vocante: sed ipsi sua sponte. Salmero ipse etiam Iesuita sic censet, tractatu decimo partis tertiæ, tomi quarti in Euangelicam historiam, *Nihil*, inquit, *de Conciliis celebrandis hic Christus præscripsit: sed pium Christianæ vnitatis consensum, & communem fidelium orationis efficaciam nobis commendat.* Quod si est, profectò ea verba intelligi non debent de aliquo conuocante. Tertiò, alij exponunt de forma potius, quàm de conuocante: tum veteres, tum recentes. Chrysostomus homilia sexagesima prima in Matthæum, ὃ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν. εἴ τις ἐμὲ ὡς αἴτιον προηγούμενον ἔχει τῆς πρὸς τὸν πλησίον φιλίας, μετ᾽ αὐτοῦ ἔσομαι, *Tale quippe est, quod dicitur. Si quis me habeat caussam præcipuam amoris in proximum, cum eo ero.* Lyranus illud *in nomine meo* exponit, *caritate vnita.*

IX. Sed audiamus Horantium locorum Catholicorum libro secūdo, capite decimo septimo, *Definiamus quid sit iuxta sanctorum Patrum doctrinam, in Christi nomine congregari.* Tum statim, *Hieronymus hic verbis Christi, ad concordiam nos prouocari, proposito tam magno præmio euidenter interpretatur. Origenes similiter in Christi nomine congregari dicit, quotquot animorum & fidei vnitate sibi mutuo consentiunt. Chrysostomus addit, parum esse congregari, nisi in Christi nomine, hoc est, ob Christi, tum gloriam & honorem, tum amorem conuentus celebretur. Hilarius item, nomen Christi pacem & charitatem interpretatur.* Hæc Horātius à Patribus: & alia nonnulla. Sed ipse tandem, *Habes igitur Christiane Lector, nihil esse aliud in Christi nomine congregari, quam vna fide, vno redemptore, vnóque consensu, quæ ad æternam vitam pertinent, mutuo conferre.* Quid multa? Salmero Iesuita, & quidem maiorum gentium, tractatu decimo partis tertiæ tomi quarti in Euangelia, *Vide, quales velit esse illos duos, vel tres, qui deprecaturi sunt: nimirum in nomine eius congregatos, hoc est in fide nominis Iesu vnitos, & gloriam nominis Iesu quærentes, & necessaria ad salutem, quæ in nomine Iesu designantur, postulantes.* Lucas Brugensis, *In nomine meo id est propter me, mea causa quia res facit ad honorem meum.* Iansenius: *id est propter me, & causam aliquā ad me pertinentem.* Vide quàm sit infelix Theologus Bellarminus, qui tum à veteribus, tum à recentiobus, & quidem suis vapulet.

X. Et tamen, vt hoc ipsum concedamus, quod sibi sumit, nihilo magis probatur, solū Oecumenicū Pōtificem, id est, Episcopum Romanū habere à Deo autoritatem cogendi Concilij. Quod si quisquam aggrediatur, videat, quibus viribus sustinere possit veterum Conciliorum impetum, quæ omnia se ab Imperatoribus agnouerūt congregata ex voluntate diuina. Apud Socratem libro primo, capite sexto Nicæni Patres dicunt se *Dei gratia & mandato sanctissimi Imperatoris Constantini ex variis ciuitatibus, & prouinciis esse congregatos.* Ephesini etiam, ἡ ἁγία σύνοδος (aiunt) ἡ χάριτι Θεοῦ κατὰ τὸ δέσπισμα τῶν εὐσεβεστάτων καὶ φιλοχρίστων ἡμῶν βασιλέων συγκροτηθεῖσα, *Sancta Synodus gratia Dei iuxta decretum piissimorū Christique amantissimorum Imperatorum nostrorum coacta.* Nimirum, ibi indicabatur gratia Dei, caussa prima: Imperatoris autem mandatum seu decretum, caussa instrumentalis: vt constaret eos gratia Dei coactos, quos Imperator conuocasset. Quid ergo? an dicet quis gratia quidem Dei coactos, non vero in nomine Christi?

XI. Verum Tiberio (inquit Bellarminus) non est commissum regimen Ecclesiæ: sed Petro: & Imperatores oues sunt, non pastores Ecclesiæ. Non est autem ouium congregare pastores, sed pastorum potius congregare oues.

XII. Respondeo, Esaiæ quadragesimo nono sic pro-

suppeditet Ecclesiæ. *Erunt reges nutricij tui: & reginæ nutrices tuæ.* Esaiæ nutriciorum, nutricumque etiam reges alumnos. Itaque possunt Reges, imò debent operam suam conferre ad Ecclesiam conseruandam; imò & aliquo modo regendam. Propterea iam olim Dauid distribuit officia iis qui templo ministrabant; & Socratem non ita diu audiuimus testem, maxima Ecclesiæ negotia pependisse ex nutu Imperatorum: & re vera multa extant tum Constantini, tum aliorum Imperatorum edicta de rebus Ecclesiasticis, id est, tum de doctrina, tum de rebus ad disciplinam, atque ἀταξίαν pertinentibus: quæ nemo pius culpauit. Et tamen successores erant Tiberij. Quid ergo? Scilicet duo erant, Imperium ad posteros deuolutum; & Idololatria peccatum personale. Hæc Ecclesiastica negotia exigunt ab Imperatoris autoritate. Et quid ni, cùm etiam Episcopus, quod munus est propriè Ecclesiasticum, propter hæresin amouetur ab Ecclesiæ gubernaculis? Verum ablata Idololatria, non mirum restitui etiam Ecclesiæ. Itaque tum Esaias non dixit: Sunt reges nutricij: sed erunt: vt in melius mutationem indicaret: quasi diceret: Nunc quidem Reges à pietate alieni, etiam hostes Ecclesiæ, in eam grassantur: verùm erit aliquando, quum conuersi ad Deum, Ecclesiæ curam suscipient. Et Socrates non dixit semper ab Imperatoribus Ecclesiastica negotia pependisse, sed ἐξ οὗ χριστιανίζειν ἤρξαντο: *ex quo Christiani esse coeperunt.*

XIII. Itaque non sunt simpliciter oues, sed nutricij Ecclesiæ, ac proinde etiam Pastorum Ecclesiasticorum, ideóque ne redigendi quidem in eundem ordinem cum iis qui tantum sunt oues: Nam hos nunquam quisquam appellauit Ecclesiæ nutricios. Quo iure autem Ecclesiam nutriunt, eodem etiam pastores Ecclesiæ congregare possunt. Nec tamen ingerunt se in munus pastorum: quia congregare pastores, non est pascere Ecclesiam: sed prouidere vt Ecclesia rectè pascatur. Quemadmodum eligere pastores, ad nō pastores pertinet, id est, ad plebem. Vbi si quis dicat; Non esse ouium eligere pastores, sed pastorum potius eligere oues: ergo neque plebis Episcopum: quis non rideat? Sunt enim in administranda Ecclesia quædam, quæ propriè & proximè pertinent ad officium pastoris, neque cuiquam præterea permittenda: vt prædicatio Verbi, administratio Sacramentorum; & si quæ sunt similia. In eis non plebis tantùm infimæ, sed etiam Imperatorum & Regum, nullum ius est: sunt enim oues: & hac ratione pasci debent, non pascere. Sed sunt alia, quæ non per se, neque proximè, sed κατ᾽ ἄλλο & remotè pertinent ad regimen Ecclesiæ: nempe omnia, quæ necessaria, ad ea prima vel instituenda, vel restituenda, & continenda. Sic electio pastorum non est prædicatio, non est etiam administratio Sacramentorum, sed est aliquid necessarium, vt prædicatio, administratióque Sacramentorum peragatur. Itaque electionis ius non est eximium pastoribus, sed commune cum plebe. Similiter congregatio Concilij, neque prædicatio est, neque administratio Sacramentorum; sed quiddam vtile, imò etiam necessarium ad eam prædicationem, eámque administrationem restituendam in integrum. Quid mirum igitur, si ad alios pertineat quàm pastores?

XIIII. Hinc ista iam olim, & apud pios Patres, *Pro integritate fidei Catholicæ, Christianissimum principem conuenit esse sollicitum:* inquit Leo ad Theodosium Augustum, Epistola nona. Et alterius Epistola 12. *Quantum rebus humanis adesse prouidentia diuina dignatur, sollicitudo clementiæ vestræ spiritu Dei incitata demonstrat, quæ in Catholica Ecclesia nihil vult turbatum, nihil vult esse diuersum: quoniam fidei, quæ vnica est, in nullo patitur esse dissensionem.* Audin' ab Episcopo, & quidem Romano laudari Imperatorem, quod sollicitum esset de veritate fidei conseruanda in Ecclesia? Atqui hoc ipsum Cyprianus dicebat ad Episcopos pertinere, epistola sexagesima prima, quæ est ad Stephanum Romanum, *Idcirco copiosum corpus est sacerdotum concordiæ mutuæ glutino, atque vnitatis vinculo copulatum, vt si quis ex collegio nostro, hæresin facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentauerit, subueniant cæteri.* Sed & ante Leonē, Theodosiumque Imperator Constantinus magnus eandem suam esse curam testabatur literis ad Ecclesias scriptis, apud Eusebium de eius vita libro tertio, capite decimo sexto. Quum ex florenti & prospero Reip. statu, quanta sit diuini numinis erga nos benignitas, compertum haberem, τοῦτον πρὸ γε πάντων ἐμαυτῷ προσήκειν ἔκρινα σκοπὸν, *Hunc mihi præ omnibus finem propositum esse debere iudicaui vt in sanctissima Ecclesiæ Catholicæ multitudine, vna fides sincera charitas, & consentiens erga Deum omnipotentem religionis cultus conseruaretur.* Habes duorum laudatissimorum Imperatorum exempla: quorum vterque Synodum Oecumenicam congregauit, ille Chalcedonensem, hic Nicænam: qui tamen, si Episcopi munus assumpsissent, laudandi profectò nō fuissent. Nimirum, aliud est fidem Catholicam prædicare: aliud, prouidere vt prædicetur. Hoc possunt Imperatores, Reges, Principes: illud soli pastores.

XV. Pergo ad argumentum secundum. Concilium generale ab eo indici debet ex autoritate, qui potest omnes cogere. At nullus vnquam Imperator totam Ecclesiam subiectam habuit, quoad actiones ciuiles, vt eam habet Pontifex, quoad actiones spirituales. Nam Imperatores latissimè dominabantur tempore Leonis & Prosperi: & tamen tunc maior erat orbis Christianus subiectus Papæ, quàm orbis Romanus subiectus Imperatori, testibus ipsis Leone & Prospero.

XVI. Sed primò Bellarminus suo more principium petit, dum asserit orbem Christianum subiectum fuisse Romano Pontifici. Neque id probant testimonia Leonis, & Prosperi. Leo enim tantùm dixit Romam factam caput orbis per religionē Christianam, & latiùs præsidere religione diuina, quàm dominatione terrena. Vbi hæc præsidentia exponit illud caput: hoc est, significat, quomodo intelligendum sit Romam esse caput orbis: nimirum ob præsidentiam. Deinde hæc præsidentia, distinguitur, imò separatur à dominatione; quia consistit in religione. Itaque intelligenda duntaxat de primatus honore, quo fiebat, vt, quum vnica esset toto orbe Ecclesia Catholica, in ea primo loco esset Romana Cathedra. Nec alia mens Prosperi, distinguentis considerate, possidere armis, & tenere religione. Tenebat igitur Roma, etiam quod non possidebat: id est, gentes sibi subditas. Et tenebat: quia enim Ecclesiarum omnium vnum est corpus, in Christo charitate inuicem cohærentium: his omnibus Roma vnita erat: etsi à nonnullis imperij finibus distrahebatur. Itaque nihil illi de subiectione agunt.

XVII. Secundò, ad cogendum Concilium, non est opus autoritate coactiua. Nam in Concilio Niceno interfuerunt Scythæ & Persæ, in quos Constantino nulla erat autoritas: & tamen eius Concilij congregati laus in solidum Constantino tribuitur. Euse-

bius capite septimo libri tertij de vita eius, post enumerationem omnium prouinciarum, è quibus euocati venerant Episcopi, *Talem coronam solum ex omni præterita ætatis memoria vnus Imperator Constantinus, pacis vinculo ad Christi gloriā deuinxit: & quo Seruatori suo gratias ageret, istud eximium victoriæ ab hostibus & inimicis partæ monumentum obtulit, effigie chori Apostolici pulcrè in hoc nostro commentu expressa.*

XVIII. Tertiò, Papa nullam habet in omnes coactiuam autoritatem. Non debet igitur indicere Concilia. Probatur antecedens: quia is non maiorē habet autoritatem quàm Apostoli: at his dominatio fuit interdicta à Christo, vt aliàs docuimus. Deinde ipsa experientia. Nam Theodoretus historiæ libro quinto, capite 8. refert Episcopos Orientis Constantinopoli congregatos, accepisse literas à Concilio Episcoporum in Occidente coactorum, quæ illos hortabantur, vt Romam, vbi iam maximus Episcoporum cœtus congregatus erat, accederent. Quid inde factum? Audite, videte, quāta tum temporis esset Damasi (nam is tum Papa erat, & scripserat) autoritas in cogēdis Episcopis, τὴν ἀποδημίαν παραίτησαντο, ὡς οὐδὲν ἔχουσαν κέρδος, *Tam longum iter suscipere, quum nihil inde lucri se facturos putarent, omnino recusarunt.* Et erant tamen non hæretici, non schismatici, sed viri magni & sancti. Ex his duo constant: primum, Episcopum Romanum non mandasse ex autoritate sua, vt venirent, sed tantùm hortatum esse: secundum, vocatos noluisse proficisci: & contra illū iudicasse id inceptis nulli vsui esse. Quid? quod etiā hoc nostro seculo ostensum est, non posse Episcopū Romanum cogere omnes Episcopos? Nam ad Tridentinum Conciliabulum, non accesserunt Episcopi Galli, quandiu vixit Henricus secundus: & Franciscus secundus: tandem, & vix tandem permisit Carolus nonus.

XIX. Quartò, vt certum est, nunquam Imperatori subiectum fuisse totum orbem Christianū: sic ad Concilia Oecumenica, nō accessisse eos Episcopos, qui erant extra orbem Romanum, certo certius est, si vnum excipias Nicænum, in quo recensendo, Eusebius vnum Persidis Episcopum nominat, & alterum Scytham. Libet autem quærere, si Romanus Episcopus, Concilia congregauit autoritate sua; & ei fuerunt omnes Ecclesiæ toto orbe subditæ, quî factum sit, vt ad eius mandatum nullus vnquam accesserit Episcopus ex iis Ecclesiis, quæ non erant in orbe Romano? Quæro rursus, quare post distractionem Imperij, nullum est factum verè Oecumenicū Concilium. Nam quotquot facta fuere, solos habuere Latinos Episcopos: præter vnum Florentinum; quò tamen Græci venere sequuti Imperatorem suum, & Patriarcham, non autem ex mandato Papæ. Et quidem, non vt vnius Concilij corpus: in quo suffragiorum numerus vincit: sed vt partes diuersæ, quæ communi collatione conciliarent dissidia.

XX. Tertium argumentum: Concilia prouincialia indicūtur à Metropolitano, & Nationalia, à Primate, vel Patriarcha. Igitur Concilia generalia non ab Imperatore, sed à summo Pontifice indicenda sunt. Nam si Imperator indicere deberet generalia Concilia, deberet Rex, aut Dux, aut Magistratus ciuilis indicere Concilia Prouincialia, vel nationalia.

XXI. Respondeo: primò cōtra vsum antiquæ Ecclesiæ, distingui Concilia prouincialia à nationalibus; & Archiepiscopos à Patriarchis. Certè antiqui Canones meminerunt tantùm Conciliorū τῶν ἐπαρχίων ἐπαρχιῶν. Sed is error aliò pertinet.

XXII. Secundò, dicimus non tantùm Generalia conuocata esse ab Imperatore, sed etiā plurima particularia à Regibus: qui singuli in suis regnis videbāntur exprimere velle Imperij imaginem. Sic Carolus magnus anno septingentesimo nonagesimo quarto, apud Rheginonē, *Congregauit Synodū magnā Episcoporum Gallorum, Germanorum, & Italorum, vbi fuerunt missi Apostolici, Theophilus, & Stephanus Episcopi.* Et annis viginti postea, *Concilia iussu eius super statum Ecclesiarum per totā Galliā ab Episcopis celebrata sunt: quorū vnum Moguntiæ, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartū Caballonis, quintum Arelate congregatum est: & constitutiones, quæ in singulis factæ sunt, ab Imperatore confirmatæ sunt.* Et in Gallia sæpe. Aurelianensis Concilij secūdi initium, *Quum ex præceptione gloriosissimorum regum in Aurelianēsem vrbem de obseruatione legis Catholicæ tractaturi, Deo auxiliante sancti Patres conuenirent.* Auernēsis, *Apud Ecclesiam Auernam quum in Dei nomine, congregāte Sancto Spiritu, consentiente Domino gloriosissimo piōq; rege Theodorico, in Auernam vrbem Sancta Synodus conuenisset.* Aurelianensis quinti, *Clementissimus princeps triūphorū titulis inclytissimus Dominus Childebertus, quum pro amore sacræ fidei studio religionis in Aurelianensium vrbem congregasset in vnum dominos Sacerdotes.* Et in Synodo Francica sub Zacharia Papa, *In nomine Domini nostri Iesu Christi, Ego Carlomannus dux & princeps Francorū, anno ab incarnatione Christi septingentesimo quadragesimo secūdo, vndecimo videlicet Calendas Martij, cum cōsilio seruorū Dei, & optimatū meorum, Episcopos, qui in regno meo sunt, cum presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Christi congregaui.*

XXIII. In Hispania haud aliter. Concilium Toletanum tertium, *Quum pro fidei suæ sinceritate gloriosissimus princeps* (Richardus) *omnes regiminis sui Pontifices in vnum conuenire mandasset.* Toletanum quartum, *Dum studio amoris Christi, ac diligentia religiosissimi Sisenandi regis Hispaniæ, atq; Galliciæ, sacerdotes apud Toletanā vrbē in nomine Domini conuenissemus, vt eius imperiis atq; iussis commoniti, à nobis agitaretur de quibusdā ecclesiæ disciplinis tractatus.* Sic Bracarense primum & secundum ex præcepto Ariamiri: Toletanum octauum Recesuinthi congregatum. Sic Toletanum XI. postquā deflerut, quod ante id tempus non fuisset adunandorum pontificum vlla præceptio: tādem exultat, quod sui aggregādi hortatu principis Wābani facultas data esset: Episcopiq; tādem, diuinæ voluntatis imperio, & religiosi principis iussu, conuocati in Toletanam vrbem conuenissent. Quid multa? Toletanum duodecimum, Eringij iussu celebratum sese profitetur. Possunt alia exempla conquiri. Vide Cusanum de Concordantia Catholica capite nono.

XXIV. Quin ipse Gregorius Romanus agnouit id iuris, qui Theodoricum regem adhortatus est, vt Synodum cogeret, Epistola 54. libri 9. *Itaq;*, inquit, *excellentia vestra Dei nostri mandatis inhærens, studiū ad congregandam Synodum pro sua mercede adhibere dignetur, vt omne à Sacerdotibus corporale vitium, & Simoniaca hæresis, quæ prima in Ecclesiis iniqua ambitione surrexit, potestatis vestræ imminente censura Concilij definitione tollatur, & abscissa à radicibus amputetur.* Et disertiùs Epistola præcedente: *Iterata vos pro vestra magna mercede adhortatione pulsamus, vt congregari Synodum iubeatis.*

XXV. Tertiò, in argumento nulla vis est consequentiæ. Etsi enim Metropolitani & Patriarchæ cōuocarent cōcilia particularia; tamen nō est propterea Episcopi Romani conuocare Oecumenica. Ro-

[illegible] ipsi, etiam ex iis Patriarchæ: atque proinde autoritate prædit[i] conuocandi particularia Concilia, vt reliqui. Quomodo etiam nonnulla canonibus leguntur. Et quum Canones caueant de conuocatione particularium, eamque curam velint spectare ad Metropolitanũ, tum nulla vnquam leguntur, quibus Romano tribuat in vniuersalia. Nec vnquã Romanus fuit omnibus Episcopis prælatus, vt Metropolitanus suæ prouinciæ.

XXVI. Iam quod Bellarminus addit: quod, etiãsi non esset Romanus pontifex verus princeps & Monarcha Ecclesiasticus, sed solùm primæ sedis Episcopus, seu primus inter primarios Patriarchas, adhuc ad eum pertineret ius indicendi Cõcilia generalia: quia primates non imperant propriè aliis Episcopis, & tamen iure suo indicere possunt Concilia, quia primum locum tenẽt inter Episcopos nationis suæ. Respondeo: primates non suo iure, id est, quia primates sunt, conuocare Concilia, sed quia ita statutum politiæ gratia. Aliis, præter eos nemo ea conuocaret: quum tamen probatum sit, sæpe a regibus congregata: At verò nihil est huiusmodi statutũ de Romano Pontifice. Itaque, nec suo iure, nec ex constitutione, eam sibi autoritatem vindicare debet. Præterea Patriarchæ & Metropolitani, non tantùm primi sunt inter Episcopos, sed iis etiam cura est totius Prouinciæ commissa: vt non magis absque eius sententia comprouinciales quicquam aggrediãtur, quam ipse absque reliquorũ. At Episcopus Romanus, tantùm primus est inter Patriarchas, nec illi commissa est reliquorum Patriarcharum, aut totius mundi cura. Quum igitur comparentur dissimilia, non potest legitimè concludi.

XXVII. Ad hæc Bellarminus hac ipsa assertione, argumenti propositi vim eneruat: quo concludebatur ex conuocatione Conciliorum Oecumenicorũ, Oecumenicus Pontificatus. Quasi hoc substrato fundamento: Quicunque ius habet cõuocandi Oecumenica concilia, is est Oecumenicus põtifex. At hoc axioma Bellarminus nunc negat esse necessarium, quia dicit sufficere, vt sit Patriarcharum primus.

XXVIII. Argumentum quartum: ex antiquissimo Canone, quo statuitur præter sententiam Romani Pontificis non posse Cõcilia celebrari. Quẽ Canonem Apostolicum esse scribit Marcellus Papa in Epistola ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ: Eundemq. renouauit Concilium Nicænum, vt testatur Synodus Alexandrina ad Felicẽ. Et Iulius I. in ea Epistola ad Episcopos Orientales, cuius meminerunt Socrates lib. 2. cap. 13. Sozomenus lib. 3. cap. 9. & Nicephorus libro 9. capite 5. Quod si absque Romani Pontificis consensu non licet Concilia celebrare: sequitur, eius potissimum esse illa conuocare.

XXIX. At nos primum negamus rectè concludi. Nam Cusanus dicebat. Vniuersalia Concilia de cõsensu Romani Pontificis, & reliquorum Patriarcharum per Imperatores congreganda. Vbi vides primò adfuisse nõ solius Romani Episcopi: deinde cõsensum quidem Romanum, sed Imperatorem cõuocare. Cur non ergo ineptissimè dicatur eiusdem esse conuocationem & consensum? Nihil ergo confici potest, quàm non debuisse eum, qui conuocaret Concilium, puta Imperatorem, omittere cõsensum Romani Episcopi, aut etiam ne hoc quidem. Nõ enim agunt de conuocatione, sed de celebratione. Itaque non tenebatur postulare consensum eius in conuocando, sed in celebrando: id est, oportuisse eũ vocari, vt interesset Concilio, dum celebraretur.

XXX. Sed secundò negamus, vllũ vnquam eiusmodi fuisse canonem. Et sanè testes, vel fictitij sunt, vel aliud dicunt. Nam Marcelli Epistola talis quæ fucum facere pueris, quibus perinde est aurum cum aurichalco. Prolixa satis: sed dimidia sui parte, merus cento, in quo describitur ferè totum caput tertium Epistolæ Iacobi: cui subiicitur ex priore Petri, magna pars capitis primi: tum ex 4. ad Ephesios non pauci versus. Et tandem redditur ad primã Petri, cap. 4. quomodo sanus quisquam nũquam scripsit. Ad extremum, Consules adduntur Maxentius & Maximus: qui nulli fuerunt. De Epistola Synodi Alexandrinæ ad Felicem aliàs dictum. Sed & de Iulij Epistolis.

XXXI. At verò, quæ apud Socratem verba Iulij leguntur, sic habẽt Græcè, [Greek illegible] (sic enim lego, non [Greek illegible]) [Greek illegible], *Iulius iis qui apud Antiochiã congregati erãt respondens, accusabat primũ quidem literarum ab iis scriptarum insolentiã deinde quod præter Canones facerent, non vocantes eum ad Synodum, cùm Ecclesiasticus Canon præcipiat, præter Romani Episcopi sententiam, non oportere* [Greek illegible]. Quid autem sit illud [Greek illegible] quæritur. Nam Cassiodorus in Tripartita lib. 4. cap. 9. reddidit, *Non oportere præter sententiam Romani pontificis Concilia celebrari.* At Magdeburgenses Centuriæ 4. capite 7. titulo de Politia Ecclesiastica, interpretantur, *Ne qua canonica diceretur Ecclesia.* Idem verò Cassiodorus, cap. 19. *Præter Romanum nihil decernis pontificem.* Et ab hoc nõ procul discedens Christophorsonus, apud Socratẽ cap. 5. *Non oportere absque sententia Episcopi Romani decreta Ecclesiis sancire.* Et cap. 13. *Ne decreta absq; sententia Episcopi Romani sanciantur.* Porrò manifestum est, valde allucinatos esse Magdeburgẽses: & id nos Bellarmino cõcedimus. Sed quid Cassiodoro venerit in mentem vt [Greek illegible] diceret, *celebrare concilia,* videre non possumus: etsi non miremur Iesuitas ab eo peccato non posse absterreri. Sunt enim ex eo genere hominum, qui vel è flamma victum quæritent.

XXXII. At facilè fuerat ex ipso cõtextu sensum verum elicere. Nam queritur Iulius se non fuisse vocatũ ad Synodum. Quænã verò hæc esset indicij infirmitas, vt nihil grauius dicã, propterea se queri nõ vocatum, quia canon prohibeat ab alio quàm à se Concilia conuocari? Deinde, agitur de Concilio Antiocheno: hoc est, non Oecumenico, sed particulari, Episcoporum Ægypti. At hoc genus Conciliorum Bellarminus ipse concedit posse conuocari à quolibet Patriarcha, & Metropolitano: adeóq; etiã celebrari: & ipse visus fidem facit: nisi vna litura velimus infinita Concilia inducere in omnibus orbis partibus celebrata; vbi neque visus, neque auditus Romanus Pontifex.

XXXIII. Itaque omnino melius Christophorsonus: & habet consentientem Sozomenũ cap. 9. lib. 3. [Greek illegible] *Legem esse ad sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronunciat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur.* Consentientem etiam Ioannem Langium, qui eundẽ locum in Nicephoro lib. 9. cap. 5. sic reddidit, *Non oportere Ecclesias contra Romani Episcopi sententiam in Synodo quicquam statuere:* & cap. 12. *Extare Ecclesiasticũ Canonem, autoritatẽ omnem ea abrogantẽ, quæ præter Romã-*

ut antistitis sententia peracta esset.

XXXIV. Itaq; non aberrauit à vera sententia Caluinus, cùm dixit, ea lege id solú effici, debuisse vocari ad Synodú, etiam Romanum Pontificem, qui erat vnus ex præcipuis Patriarchis. Quod sanè cōfirmari potest ex Synodo Nicæna secunda, quæ actione sexta asserit non fuisse veram Synodum illam sub Leone celebratam, quoniam non habuit cooperatorium Romanum Papam, nec illius Sacerdotes, nec per Vicarios, nec per prouinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet. At si ita esset, inquit Bellarminus, tunc etiam potuisset fieri Canon, ne præter consensum Episcopi Alexandrini, vel Antiocheni cogeretur Concilium. Respondeo, de his Canonibus nihil haberi, nisi ex literis Romani Pontificis, qui facile potuit ius alienum dissimulare, suum venditare. Nos autem credere nullum eiusmodi Canonem exstitisse: sed in consuetudine fuisse: Eam autem consuetudinem etiam reliquis Patriarchis fauisse. Itaq; Cusanus de Concordantia Catholica libro 2. cap. 3. disputat, ex quinque patriarchalibus sedibus plenum vniuersale Concilium colligi. Et sane Synodus Sardicensis nó numeratur inter Oecumenicas, etsi conuocatio facta sit in eú finem: nec caussa alia reddi potest, nisi quod soli Episcopi Occidétis conuenissent, absentibus Orientalibus, hoc est iis qui pertinebant ad curam Alexandrini, & Antiocheni. Deniq; quicquid sit de aliis Patriarchis, tamé verba Iulij nihil aliud significare possunt, quá quod dictum est: propterea valde est importunum ea aliò detorquere, hoc prætextu, quia quodnam fuerit ius reliquorum non constet totidem verbis.

XXXV. Quintum argumentum. In Cócilio Chalcedonensi actione 1. Dioscorus Alexandrinus iubetur nó sedere inter Episcopos, eo quòd Synodú facere ausus fuisset sine autoritate Apostolicæ sedis, *Quod nunquã licuit, nunquam factum est.* Et simile quiddam habetur in Concilio septimo generali, actione sexta; vbi irritum iudicatum est Concilium quoddam Constantinopolitanum, quia sine consensu Romani Pontificis coactum fuisset ab Imperatore.

XXXVI. Respondeo, in Concilio Chalcedonensi ea verba non esse Synodi vllum decretum, sed Pascasini & Lucentij legatorum Episcopi Romani sententiam. Rectè autem Iustinianus Imperator in edicto de fide Orthodoxa. Πολλάκις τινὰ ἐν ταῖς συνόδοις παρά τινων ἐν αὐταῖς εὑρισκομένων λέγεται, ἢ κατὰ χαριζομένων, ἢ κατ' ἐναντίωσιν, ἢ κατ' ἄγνοιαν. *Sæpe quædam in Synodis dicuntur à quibusdam præsentibus, vel per fauorem, vel per odium, vel per imprudentiam.* οὐδεὶς δὲ προσέχει τοῖς κατὰ μέρος παρά τινων λεγομένοις· ἀλλὰ μόνοις τοῖς κατὰ κοινὴν συναίρεσιν παρὰ πάντων ὁριζομένοις. *Nemo autem attendit ea, quæ particulatim à quibusdam dicuntur: sed sola illa quæ ab omnibus communi consensu definiuntur.* Quis dubitat autem eos legatos fauisse Romanæ sedi? Aduersatos etiam fuisse Dioscoro? vt ergo αὐτοῖς cōdonemus; tamen illæ satis legitimæ causæ sunt, vt ne, aut sancti iudices, aut locupletes testes sint in hac caussa. Itaque in eadem Synodo, non obtinuerunt quod volebant; vt non sederat Dioscorus inter Episcopos.

XXXVII. Secundò, quid est, absque consensu Episcopi Romani Synodum facere? Nam aut illi métiti sunt, aut Bellarmini sententia est falsa. Docuit enim nos Bellarminus, Synodi cōuocationem ratam esse si conuocationi consentiat: imò si iam factam postea approbet. At agebant illi legati de Synodo Ephesina 2. quæ λῃστρικὴ dicta est: quæ nec conuocata est à Dioscoro, sed ab Imperatore, & habuit consentientem Romanum Episcopum: imò verò autoré: multis enim precibus ab Imperatore eam extorserat: denique approbatorem, missis legatis.

XXXVIII. Quod de septimo Concilio citat, id est Niceno secundo, primò est etiá dictum particulare Ioannis Cancellarij contra Gregoriú Neocæsariensem. Deinde non fideliter recitatur, *Quomodo*, inquit, *magna & vniuersalis, in quam neq; omnes consenserunt, & reliquarum Ecclesiarum præfecti nō admiserunt, sed anathemate eam deuouerunt? Non habuit cooperarium, vt hæc quæ nunc celebratur, Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per prouinciales literas: quemadmodum fieri in Synodis debet. Quinetiam neque concordãtes sibi habuit Orientis Patriarchas, Alexandrinum, inquã, Antiochenum, & vrbis sanctæ summos Pontifices, neque cũ illis etiam mystas, & Sacerdotes.* Aduerte geminum Bellarmini peccatum. Primò, Ioannis sermo non est de cōuocatione eius Concilij, factáne sit, an nó absq; autoritate Romani Pontificis: sed potius de eius Concilij, quomodocunque cōuocati autoritate: hoc est vtrum plenarium & vniuersale dici debeat, an verò particulare: negat autem vniuersale, & negat hoc argumento, quia non habuit cooperarium Romanú Papam, nec per literas, nec per vicarios. Itaq; sensus est, ei Concilio conuocato ab Imperatore, nó interfuisse Romanum Episcopum, non assensum suum præbuisse. Quod eo magis patet, quia nominantur vicarij: non solet auté Concilium conuocari per vicarios. Secundò, solum Episcopum Romanum Bellarminus nominat: quum tamen ei Ioánes ille addat primum eius Sacerdotes, id est, omnes Latinos Episcopos; deinde reliquos Patriarchas: vt sciamus æque eorum ac Romani consensum desiderari in Oecumenica Synodo.

XXXIX. Sextum argumentum: Ex Cócilio Romano quarto sub Symmacho: in quo, quum rex Theodoricus diceret se Synodú conuocasse, respóderunt Episcopi omnes, à Papa, non à Rege debuisse vocari. Rex verò ait, se ex voluntate, & consensu Pontificis Synodum conuocasse: Episcopi nó prius acquieuerunt, quàm Rex literas Pontificis proferret, & Pontifex ipse præsens testaretur ita esse.

XL. Atqui, hoc Concilium erat particulare ex Liguria, Æmilia, & Venetiis: nobis autem de Vniuersali negotium est. Sed & exemplum est particulare: cui cur non alia plurima opponátur? Nam antea ostendimus licuisse principibus cōuocare Episcopos suarum ditionum, id est, ad Synodum particularem. Et verum quidem à Rege dictum, ipsum Papam in colligenda Synodo volútatem suam declarasse: sed nihilominus, tum Synodus ipsa dicitur in actis, *ex præcepto gloriosissimi regis Theodorici diuersis è regionibus congregata*, & ipse Symmachus ingressus, gratias egit regi pro conuocatione Synodi, & testatus est se eam desiderasse. Vnde facile est coniicere, autoritatem conuocationis fuisse penes regem, & tantum cōsensum penes Papam. Quid? quod Concilium maxima ex parte cōpositum fuit Episcopis ab ipso Symmacho inuitatis perfrictæ frōtis adulatoribus? Nam inuitatus à Symmacho cōqueruntur Clerici Romani, nec crimen bene purgat Euodius. Adulatores auté fuisse, quis non coniciat? primò, quia ipsius accusati autoritate contendunt debuisse Synodum cōuocari. Deinde ex euentu. Nam absolutus fuit Symmachus absque vlla caussæ cognitione: ne Sacraméto quidem interueniente. Quod factum, tum aliis rationibus, tum hac sunt excusare conati, quia etsi fortè aliquid esset in Symmacho imbecillitatis, ea tamen

[illegible] beati Petri meritis cōpensaretur. Quid igitur [illegible] hos egregios viros, statim ab initio Concilij [illegible] adulationis signa edidisse? Aut cur nos horum magis moueamur autoritate, quàm Orientaliū, qui apud Socratem lib. 2. cap. 11. testantur, non debere, si quos Ecclesia illi eiecissent, de iis à Romano decerni. Nisi hi peccarūt odio, (si tamē peccarūt eam re) certe [illegible] non permisit [illegible].

X[illegible] Septimum argumentum, ex testimonio antiquorum Pontificum. Nā Leo ad Turbium Epist. 93. *De[illegible] literas (inquit) ad fratres & Coëpiscopos nostros, eisq; Conciliū Synodi generalis indiximus.* Pelagius II. epist. ad Orientales: *Generaliū Synodorum conuocandi autoritas Apostolica sedi B. Petri singulari priuilegio tradita est.* Sixtus III. epistola ad Orientales, *Valentinianus Augustus nostra autoritate Synodū conuocauit.* Adrianus II. ad [illegible]um Imperat. quę Epistola lecta est in octaua Synodo, actione prima: *Volumus per tua pietatis industriam Constantinopoli numerosum conuocari Conciliū.*

XLII. Respondemus, primò Pontificum Rom. & quidē non vetustissimorum, non esse authenticum [illegible] nostrū in propria caussa. Nā hos sibi impensius [illegible], qui nescit, hunc necesse est historiā nescire. De[illegible] ad singula testimonia: Leo non loquitur de [illegible] vniuersali: sed tantùm de particulari ex [illegible] Tarraconen. Carthaginēsib. Lusitanis & Gal[illegible] quod generalē nominat, intelligendum de [illegible] prouinciis; vt ne singulę seorsim suas facerēt [illegible]dos, sed omnes simul vnicam. Pelagius II. tum [illegible] quū vigeret illud ambitiosum certamē inter [illegible]num, ac Constantinop. atq; adeò hoc ipsum, [illegible] æmulatione: *Relatū est,* inquit, *ad Apostolicā sedē, Cōstantinop. Episcopū, vniuersalē se subscribere, vósq; [illegible] sua præsumptione ad Synodū cōuocare generalē: quū generalium Synodorū conuocādarum* (sic enim lego) *autoritas Apostolica sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita.* At nos minimè decet ambitiosorum hominum [illegible]bitio huc illuc ferri, aut ex eorū audacia pronun[illegible]are: sed ex rerum veritate. Sixtus III. loquitur etiā de Synodo particulari quadam; quæ coacta est, ad ipsius caussam cognoscendā. Adrianus III. his omnibus est recentior: Itaque exiguam autoritatē meretur. Et tamen nihil habet quod valde vigeat: [illegible] (sic enim edidit Raderus) [illegible] *per vestra pietatis industriam Constantinopoli [illegible]rosum celebrari Concilium.* Quid hinc aliud, quā [illegible] conuocandæ Synodo, conficitur, non conuocare?

[illegible] Octauum argum. Valentinianus Impera[illegible] Episcopis rogaretur, vt permitteret eis [illegible] celebrare, respondit, *Mihi, qui sum in sorte [illegible] est talia curiosius perscrutari: Sacerdotes qui[illegible]nt, quocunque voluerint loco cōueniant.* Re[illegible]enus libri sexti, capite septimo.

[illegible] Respondeo, detorqueri Valentiniani dictum. [illegible]m is, quum dixit se non debere talia curiosius [illegible] scrutari, nō intellexit sui iuris nō esse Cōcilia cogere. sed tantùm non debere decisionē doctrinæ sibi arrogare. Nam de doctrina illi loquuti erant, postulantes: [illegible], *vt potestatē faceret in vnum conueniendi, ad cō[illegible] doctrina.* Proinde non simpliciter respondet, *quocunque voluerint cōueniāt.* Sed [illegible]: *Seorsim vbi voluerint cōueniant:* vt testare[illegible] se non interfuturum: interea tamen, quam petebant, [illegible]eniam concedere. Quare hinc constat; non [illegible] esse Episcopos conuenire, non postulata venia ab Imperatore. Et tamen de Concilio particulari agebatur: quod statim post congregatum est Lāpsaci. Deniq; quid hoc ad caussā Rom. Episcopi? An si noluit Imperator interesse Cōcilio Lāpsaceno, statim sequitur, non posse vllū Cōciliū cogi, nisi autoritate Romani? At hoc ipsum Lampsacenum coactū est ita, vt autoritatis Romanæ nulla fiat mentio.

XLV. Nonum deniq; argumentum, ex multis canonibus, qui habentur apud Gratianū, distinctione 17. Item ex multis rationibus, quas colligit Ioannes de Turrecremata, in summa de Ecclesia lib. 3. cap. 6. & ex Concilio Lateranensi vltimo sub Leone decimo, sessione vndecima; vbi asseritur, Romani Pōtificis esse generalia Concilia indicere.

XLVI. At Gratianus suos omnes canones sumpsit à Pontificibus Rom. In quibus sunt Iulius, Pelagius, Symmachus, de quibus quid opus est iterū dicere? Et est Marcellus: at quis Deus bone! Is qui fingitur scripsisse ad Maxentium tyrannum, epistolam insulsam, ineptā, ridiculā. Et quidē Maxētio & Maximo consulibus: de quibus antè dictū. Habeāt sanè sibi similes labra lactucas. Est & Damasus, asserens nulli licerē ea vsurpare, quæ soli Romanæ sedi sunt concessa: quod quidē insanus sit qui neget: sed inter ea numerari Synodorum conuocationē, erat inauditū ante inuectā Oecumenicā tyrānidem. Est deniq; Gregorius nescio quis; quanquā editio noua Gregoriana cēset esse Pelagium. Sed is quicunq; sit, magno fastu magnum mendacium pronunciat. *Nec licuit alicui aliquando, nec licebit particularem Synodū cōgregare.* En tibi Pontifices Romanos! Ecclesię, si credere fas est, columina!

XLVII. Quod ad Ioannē attinet de Turrecremata; eū fateor nōnullis argumentis conari hoc ipsum conficere, quod vult Bellarminus: sed eorū quædā ipse Bellarminus produxit in mediū: & nos iā refutauimus. Reliqua pauca sunt: nihilóq; saniora. Capite 14. primi Maccabæorum, populus concedit Simoni Sacerdoti magno, vt conuentus sine ipso nō fieret in regione. Vbi nō aduertit cōcessum id fuisse à populo, multis annis post institutū summū Sacerdotium: itaq; non esse de iure diuino: & cōcessū nō Sacerdotio, sed Simoni: itaq; esse personale priuilegium: & deniq; non posse communicari Rom. Pōtifici: quia constat aliquos conuentus, saltē particulares Synodos, celebrari posse absq; eo. Tū sequuntur aliquot petitiones principij, id est, argumenta, quæ ponunt pro certo & probato, Rom. Episcopū esse Oecum. Pōtificē: quod iterum, & prolixius refutare, nihil aliud sit quā meras nugas agere. Postrema ratio est, quod si nō soli Romano hæc autoritas permittitur, facillimè schisma oriri posset. At primò contra cōstat, Synodos cōuocatas ab Imperatorib. extinxisse multa schismata: & constat Synodos cōuocatas à Rom. Pōtificib. excitasse, aut certè nō extinxisse. Et deniq; obiectio incōmodi, nō est legitima argumenti solutio. Nā quid si cōtra dicā, periculum esse tyrannidis, si soli Romano permittatur?

XLVIII. De Lateranensi Concilio, non est quòd multa dicam. Totum fuit Antichristianum: fuit nouissimum: at nobis, nunquam, nunquam Ecclesiæ nouissima tempora legem præscribent. Nam mendacium de posteritate præscribitur.

CAP. XI.

De Cōfirmatione & Infirmatione Cōciliorū.

I. ERgo cōuocatio Conciliorum nullum priuilegium est Rom. Pōtificis. Quid cōfirma-

tio? quid infirmatio? Nam hinc quin[illegible] argumentum petunt Papistæ, vt tyrannidem [illegible]ant: quasi dicant: Is penes quem ius est confirmandi, & infirmandi Concilia, tam Oecumenica; quàm particularia, est Oecum. Pōtifex. At id ius est penes Episcopum Romanum. Ergo is est Oecumenicus Pontifex. Hoc argumento pugnat Hardingus art. 4. contra Iuellum sectione 20. & 26. Hayus Disputationū libro primo, capite septimo. Stapletonus in Relectione, controuersia 3. quæstione 6. Et minorem probant inductione: Concilium Nic. confirmationem postulauit à Siluestro scriptis literis, in quibus, *Quicquid constituimus in Niceno Concilio, precamur vestri oris consortio confirmetur.* Constantinopolitan. ad Damasum scribit: *His rebus omnibus tanquā legitimè secundùm Ecclesiæ canones constitutis obsecramus vestram Sanctitatē vt consentiat.* De Ephesino Cyrillus Alex. scribit Cœlestinū Papā scripsisse consona Sanctæ Synodo, & omnia illius gesta cōfirmasse. Chalcedonēsis à Leone confirmationē efflagitauit: *Rogamus* (inquiunt) *& tuis decretis nostrum honora iudicium; & firmitas tua filiis, quod decet, adimpleat:* Et ipse Leo ad Pulcheriā, se, quæ illic de fidei erant regula definita firmâsse. Constantius deniq; Imp. importunè & vehementer à Liberio contendit, vt Concilij Antiocheni acta confirmaret: existimans aliàs irrita fore.

II. Respondeo, Concilia olim dupliciter esse cōfirmata, vel edicto, vel assensu. Edicto, quū lege facta iubebantur Ecclesiæ Conciliorū acta suscipere, atq; obseruare: etiam sancita pœna contra rebelles. Assensu verò, quū quis testabatur se assentiri definitis, suúq. suffragiū addere. Et de hoc vtroq; modo, nunc diligentiùs agendum, vt solutio fiat illustrior.

III. Si igitur de priori, qui erat per edictū, intelligatur argumentū; tū negatur vtraq; pars antecedētis. Quia nec P. Romanus hoc modo Concilia confirmabat: nec is qui confirmabat, erat Oecumenicus. Prius patet, quia nulla possunt proferri Pōtificum edicta, (bullas hodie appellant) quibus acta vlla Conciliorum confirmarint, quemadmodum postea factum, quum inualuit eorum tyrannis.

IV. Quis ergo edicto confirmabat? Imperator. Quod probo. Nam Cōstantini literis ea quæ in Nicæna Synodo cōstituta sunt, tū de fide, tum de Paschate, perscripta sunt ad Ecclesias: & apud Theodoretū historiæ lib. 2. cap. 4. Græcæ editionis, Athanasius accedēs Constantē Imp. [illegible] *tum patrem eo reuocauit in memoriam, tum Synodum maximā ab eo congregatā; & quomodo, quæ ab eius Synodi patribus scripta erant, idē pater, qui Concilij fuerat particeps, lege confirmarat.* Concilium Constantin. primum, sic scribit ad Theodosium: [illegible] *Rogamus tuam clementiā, vt scripto tua pietatis ratum fiat Synodi decretum: quo quemadmodum conuocationis literis Ecclesiā honorasti, sic & decretorum finem sigillo tuo munias.* Et aliquāto post tempore, Euagrius lib. 3. cap. 8. recitat à Felice Rom. Episcopo, missos ad Zenonē Imp. Vitaliū, & Misinū Episcopos, vt eius autoritate Cōciliū Chalced. confirmaretur: [illegible]. Ipse etiā Imperator eiusdem Concilij sessione sexta pollicetur se operā daturū, vt quæcunq; piè ac decētèr constituta essent, in perpe[illegible] rata manerent. Atq; in vltima sessione ipsum Synodus alloquēs, decretū pro fidei expositæ confirmatione postulauit. Et habetur in eius Concil[ij] parte tertia Ed[ictum] [illegible] M[arcia]ni *Sacro nostræ serenitatis edicto venerandā Synodum confirmantes* [illegible] *admonuimus vniuersos, vt de religione disputare desinerent.* Synod. T[illegible] ad [Iustini]anum, [illegible] *Tuā clementiam rogamus, referentes patrum (qui in hac à Deo custodita ciuitate conuenerunt sub Imperatore nostro piæ memoriæ) voces, vt quēadmodum conuocationis literis Ecclesiā honorasti, sic decretorum finem per sacros apices confirmes* Iustinianus in literis conuocationis eiusdē Synodi: *Prædicti piæ recordationis nostri Patres* (Imperatores) *quæ in vnoquoque Concilio iudicata sunt, legibus suis corroborauerunt, & confirmarunt.* In sexta itidē Cōstantinopolim coacta. Flauius Constantinus, scribit ad omnes Occidentales: & : *Nos* (inquit) *quæ ab iis definita sunt, corroborare atque firmare cupientes, præsens pium edictum edidimus.* Extat [illegible] Iustiniani, in cōfirmationē actorum contra Petrū & Zooram in Concilio Cōstantin. sub Mena. In ea hæc: [illegible] *Propter hæc igitur omnia, sententiam depositionis in ipsum à Sancta Synodo factā, firmam nostrum reddit imperium* Et aliquāto pōst: [illegible] *Et quod verò aliud in sententia sanctissimorum Episcoporum continetur, quæ prædictos deponit & anathematizat, hoc firmius reddimus, & diuinis ac Imperialibus nostris legibus ipsum corroboramus, ac si ab Imperio nostro prouenisset.* Solebant igitur Imperatores. [illegible] *roborare, cōfirmare,* Synodorū acta. Quare propositi Syllogismi maior est falsa: nūquā enim vllus Imperator fuit Oecum. Pontifex.

V. Nam quod Stapletonus, Imperatores confirmasse potestate facti, nō iuris, id est per modū executionis, non iurisdictionis; quoad cōseruationem, non quoad institutionem: quia illorum edicta faciant seruari talia decreta, sed non faciant vim legis habere, aut fideles obligare: hoc, inquā frustra est.

VI. Nā primò, sic indicatur imprudenter cōcipi argumentum, in quo simpliciter confirmatio nominatur, non specialiter hoc illúdve confirmationis genus. Erat autem concipienda: Quicunque cōfirmat Concilia per modū iurisdictionis, est Oecum. Pontifex. At verò nullus est eorū, qui hoc argumēto sunt vsi, cui huius strophæ in mentē venerit: non Hayus, nō Hardingus, non Posnaniēses, nō reliqui.

VII. Secundò, negatur tantū facto, nō iure confirmasse Concilia. Nam si potestas iuris, est per modum iurisdictionis, vt explicat ipse Stapletonus: tū profectò Imperatoribus ea negari non potest. Nam iurisdictio ipsa non potest negari: quia falsum est, quod Stapletonus asserit, edicta Imperatorum facere, vt seruentur decreta Synodorū, sed nō, vt vim legis habeant. Nam contra ea edicta vtrumq; efficiebant. Nisi enim obseruarentur, vim nullam legis haberent: eò enim lex est, vt obseruetur. Quare, qui decreta sancit, vt populus teneatur ea obseruare, intelligitur eo ipso, ex iis decretis legem facere, efficeréque vt ea decreta vim legis habeant. Et sanè ob eā caussam Athanasius dicebat Concilium Nicænum

[illegible]

[illegible], lege confirmatum à magno Constantino. In Concilio Constantinop. sub Menna, statim initio, supplicatur Iustinianus decretum Rom. Episcopi confirmare lege lata: [illegible]. Et verò [illegible] quod à confirmatione Conciliorum petitur argumentū ad Oecum. Pontificatū; hinc eo peti oportere; quæcunq; potestas dicatur, iuris, facti: quicunq; modus, executionis, iurisdictionis. Quod quia viderunt Rom. Pontifices, ideò has etiā partes, quæ Imperatorū erant, sibi tandē sumpsere. Pius IV. in bulla pro confirmatione. Trid. Concilij habuit: *Mādamus in virtute sanctæ obediētiæ, & sub pœnis à sacris canonibus constitutis, alijsque grauioribus, etiā priuationis, arbitrio nostro infligendis, vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiep. Episc. & alijs quibusvis Ecclesiarū prælatis, cuiuscunq; status, gradus, ordinis, & dignitatis sint, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, vt eadem decreta, & statuta in Ecclesijs suis, ciuitatibus, & diœcesibus, in iudicio, & extra iudicium diligēter obseruent.* Et sub finem: *Decernentes nihilominus irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Sic agunt hodie Romani Pontifices: quibus similia in antiquorū Conciliorū confirmatione nusquā reperias.

VIII. Atqui (inquit Stapletonus) quædam Concilia cōfirmata ab Imperatoribus, nullā vim habuerunt contradicente Episcopo Romano: vt Ephesinum prædatorium, quod Theodosius II. acerrimè defendit. Respondeo: ea ipsa Concilia vim legis habuisse: sed legis iniustæ: & habuisse, quandiu non fuerunt ab Imperatoribus irrita facta. Sic Leo nunquam efficere potuit sola sua autoritate, vt Ephesinum illud [illegible] antiquaretur. Quam ob causam Theodosium suppliciter rogabat, vt res in eo statu esse pateretur, donec plenior Synodus cogeretur: quod tamen ab eo nunquam potuit obtinere. Sed obtinuit à Marciano tandem; à quo indicta Synodus Chalcedonensis; eiúsque acta confirmata atque ita desiit Ephesina pro lege haberi.

IX. Alterū confirmationis genus fuit per assensum: quo si intelligatur argumentum, maior erit falsa. Nam assentiri iis quæ decreta sunt, nullam significat potestatē eius, qui consentit in eos qui decernunt. Et sic confirmabant Concilia suo assensu omnes Episcopi. Apud Sozom. lib. 2. cap. 15. Eusebius Nicomediæ, & Theognis Nicææ. Interprete Christophorsono. *Si sanctū Concilium nostrum verbum volumus adhibere, illa, quæ vestro iudicio decreta sunt, nō contradicendo impugnare, sed consentientibus animis cōfirmare decreuimus & hoc libello consensum illum roboramus.* Apud Eusebium de Vita Constantini lib. 3. cap. 18. Constantinus Imp. scribit ad omnes Ecclesias. *Ipse in me recepi vestram sapientiam facile assensuram: vos videlicet, quod in vrbe Roma, in Italia, in Africa, in Aegypto, in Hispania, Gallia & Britannia, in Libya, & vniuersa Græcia, diœcesi Asiatica & Pōtica, in Cilicia denique vna & consentiente sententia cōseruatur, hoc etiam vestra prudētia libenter approbaturos.* Apud Nicephorū lib. 11. cap. 40. *Concilio Antiochiæ Synodus coacto Nicænā fidem, vt [illegible] controuersiam [illegible] consubstantialis Patri [illegible] stabiliunt atque confirmant.* Et cap. 42. Acta Synodi Alexandrinæ acta scribens Imperatori: *Atque etiā [illegible] (inquit) suffragiis suis, eam* (fidem Nicænā) *cōprobare omnes quæ passim sunt in Hispania, & Britannia, & Gallia, & Germania, & Italia omni.* Apud Sozom. lib. 4. cap. 1. Athanasius Concilium Episcoporum Ægypti cogendū curauit: [illegible]. *Et suffragiis con-*

A *firmari, quæ de ipso decreta fuerant tum Sardicæ, tum in Palæstina.* Et eiusdē libri cap. 10. Liberius postulauit à Cōstātio, vt fides Nicœæ tradita, subscriptionibus omnium vbiq; Episcoporū cōfirmaretur: [illegible]. Apud Socratē lib. 4. cap. 11. legati Macedonianorū, *Concilia Episcoporum* (inquiunt) *rectè de religione sentientiū, quæ Lampsaci, Smyrnæ, aliisque variis locis aliquando habita fuerunt, nostro approbamus assensu.* Cedrenus ad tertiū annum Leonis Imp. *Imperator scribit ad omnium prouinciarū Episcopos,*

B *petitque vt suam quisque de Chalcedonensi Conc. & Timotheo ad Episcopatum progressi sententiā perscribāt.* [illegible] *omnes vno suffragio & sensu Chalced. Concilium probant.* Et vtitur verbo κυροῦν, quomodo etiā Basilius Epist. 72. de quibusdā à Synodo Constantinop. damnatis, [illegible]. *Nō ferētes eos Episcopos* (qui ad Cōcilium conuenerant) *loqui, ne contra se latā sententiam confirmarent.* Quid Hispani in Concilio Toletano

C 13. apud Baronium anno 683. de actis sextæ Synodi ad se missis à Rom. Pōtifice. *Vt prædicta Synodalia instituta, nostri etiam vigoris maneant autoritati suffulta.* In Concilio sub Menna Ioannes Constantinop. Actione 5. scribens ad Archiep. Hierosolymitanum: *Necessariū putauit tuæ significare charitati, vt cùm hæc Spiritus Sancti operatione cognouerimus* [illegible] *verbo veritatis confirmet.* Et verò etiam in seculari politia eū vsum fuisse disce ex Polybij quarto vbi Achæi facto decreto in bellum contra Ætolos.

D [illegible] *Legatos ad vrbes socias mittunt, vt firmato vbique populi suffragiis decreto, quod factum fuerat, omnes in sua quoque regione bellum Aetolis indicerent.*

X Quod ergo faciebant omnes Episcopi, quid mirum, si fecit Romanus? Et fecit sanè: nec aliter. Inspiciātur ipsa, quibus aduersarij pugnant, exēpla. Primū est Nicænæ Synodi. Quid ergo? Confirmationē postulauit à Syluestro: Syluester annuit. Intelligo sumptum ex binis literis, quæ in tomis Con-

E ciliorum, subnectuntur Nicæno. Sed etsi olent fucum, illæ quidem: tamen non aliā confirmationem dignant, *Quicquid constituimus in Conc. Nicæno* (inquiūt ne ipsi Patres, sed Hosius, Macarius, Victor, & Vincentius) *precamur vt vestri oris consortio cōfirmetur.* Syluester respondet, *Meum chirographum, & meorū discipulorū offero, in vestro sancto Concilio, quicquid cōstituistis vnā parem dare consensum.* Quid hæc verba aliud sonant, quā consensum? quid aliud quàm quòd quilibet Episcoporum poterat? Cōstantinopolitani Pa-

F tres citante Haio rogant à Damaso: *His rebus omnibus tanquā legitimè secundùm Ecclesiæ canones constitutis obsecramus vestrā sanctitatē, vt consentiat.* En ergo iterū cōsensū: quāquā Græcè etiā dilutiùs apud Theodoretū Histor. lib. 5. ca. 9. [illegible] *Rogamus vestrā pietatē vt cōgratuletur.* Quid potuit minus requiri à quoquam Christiano, nedū Episcopo? Chalcedonense, quomodo confirmarit Leo, ipso Leone nemo explicet melius: Epist. 57. ad

G Martianū. *Constit. Synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt, libens adieci sententiā meā.* Et 59. ad Iuuenalē Hierosolym. ac cæteros Episc. in S. Chalced. Synodo cōgregatos, *Omnē fraternitatē vestrā nosse nō ambigo, definitionē S. Synodi, quæ ob cōfirmationē fidei in Chalcedone ciuitate celebrata est, toto corde me fuisse cōplexum.* Et paulò pòst: *Fraterna vniuersitas, & omnia fidelium corda cognoscant,*

me non solùm per fratres, qui vicem meam exsecuti sunt: sed etiam per approbationem gestorum Synodalium, propriâ vobiscum iunxisse sententiam. Hæc Leo: in quibus nihil est, quod non quilibet Episcopus de se dicat: imò & in iis quæ collegimus, facile inuenias ὁμοφωνότερα. Extat autē apud Theodoretum lib. 2 Historię cap. 16. Dialogus Liberij & Cōstātij; ex quo patet, quā petierit Imperator cōfirmationem Concilij Antioch: *Vnum est quod quæritur: Volo vt ea Ecclesiarum cōmuniōnē amplectaris; & deinde Romam redeas: proinde consule paci: subscribo, vt Romam reuertaris.* Audin' subscriptionem? Atque ex his facile intellegas, quomodo Cyrillus dixerit, Celestinum scripsisse consona Synodo, & omnia illius gesta confirmasse.

XI Et tamen negat Stapletonus Pontificis confirmationē fuisse simplicē cōsensum: Cōsensum autē aliorū asserit fuisse obedientiæ; nō autoritatis necessariæ. Et hoc quidē probat, quia alioqui regimē Ecclesiæ esset regnū ranarum. Illud verò, quia Leo Epistolā 69. *Quod Imperator ad omnes Episcopos Concilij Chalced. me scripta dirigere voluit, vt quæ sunt de fidei regula definita firmarē, libenter impleui, ne fallax cuiusquam simulatio meam sententiam habere vellet incertam.* Vbi tria iubet notari: Quod suam sententiam scribat ad Concilium iussu Imperatoris. Quod sic scribat, vt decreta confirmet: Quod sic confirmet, vt nemo postea dubitare de re debeat.

XII. Sed vtrūq; illud falsū esse ex iā citatis apparet. Romanus enim testabatur se approbare decreta, consentiendo. Idipsum reliqui testabātur: eáque testificatio, nō tātū Romani, sed & aliorū cōfirmatio dicebatur. In iisdē verbis, si discrimen rerū velit Stapletonus, demōstret: Et quidem de reliquis habuimus, nō tantū ὁμολογεῖν, sed & τὸ κυροῦν; quod hactenus de Episc. Romano nō audiuimus. Et sunt illa tamē ὁμοφωνότερα, quā cōsentire, sententiā adiicere, etiā cōfirmare. Quæ, malū! hæc intemperies est, quę vult illis nihilominus tribui aliquid lōgè infra istū? Et quis vnquam audiuit, ab eo decreta cōfirmari, à quo nihil exspectatur præter obedientiā? Nec mouet nos scomma infiretū de regno ranarū. Nō enim veremur si inter collegas ἰσονομίαν defēdamus, & tyrānidi nos opponamus, ne ἀναρχίαν inducamus. Cur enim nos magis, quàm Cyprianus, quum dicit: *Quæ res cum omnium nostrum consilium & sententiam spectet, præiudicare ego, & solus mihi rem communem vindicare non audeo?*

XIII. In verbis porrò Leonis, nihil est, quod abducat nos à sententia. Scribit ad Conciliū. Quid tū? Quasi ad Conciliū nullus vnquam scripserit, præter Leonē. Decreta cōfirmat. Sed hoc quo sensu dicatur, nunc quærimus: an per assensum, an per potestatē. Sic confirmat, vt nemo postea de re dubitare debeat. At hoc falsum: Non enim sic ille loquitur: sed vt suam sententiam nemo habeat incertam. Hoc est, ne si tacuisset, aliquis suspicaretur alienam esse eius sententiam à sententia Synodi.

XIV. Huc refer, quod Harto Iesuitæ, qui obiiciebat Episcopos nouiter electos ad Romanum literas mittere solitos, in quibus fidē, quā tenerent, exprimerent, vt Proterius Patriarcha Alexandrinus ad Leonē, Sophronius Hierosolymitanus ad Honorium, aliiq; recentiores; respondit Rainoldus, cuius verba hæc: Vt alij Patriarchę ad Pōtificē cuiusmodi literas Synodicas scribebant, quibus fidē suā exprimerent, & se cum Romana Ecclesia cōuenire ostēderent: eodem modo Pontifex solebat suā illis fidē exponere, & suū aut eorū Ecclesiis consensum declarare. Ita enim scripsit Gregorius Magnus ad Ioannem Patriarchā Constantinopolitanum, ad Eulogium Patriarchā Alexandrinum, ad Gregorium & Athanasium Patriarchas Antiochenos, ad Ioannē Patriarcham Hierosolymitanum l. 1. cp. 4. & 24. & 25. & hoc illi, ait Ioh. Diac. in vita Greg. l. 2. c. 3. & 5. *secundùm priscum prædecessorum suorum morem præstitit*, in quibus erat Leo. Quare non maior erat Leonis in Patriarchis Constātinopolitanis, Alexandrinisque cōfirmandis, quàm eorum in ipso confirmādo prerogatiua. Nam vt illos non pro legitimis Episcopis habuit (vt cōstat ex epistola trigesima tertia, & trigesima octaua, de Anastasio, epistola sexagesima septima, de Proterio) donec per Synodicas eorū literas in fide sanos eos comperisset: ita neque illi illos pro legitimis habebant, de quorum fide non fuissent eundem in modum facti certiores. Hactenus Rainoldus.

XV. Quia verò Sophronij meminerat Hartus ad Romanum Pontificem scribentis: eiusdem epistola ad Sergium Constantinop. Archiepiscopum Synod. VI. Actione XI. inspicienda est. Eadē enim ratione Constantinopolitano fidem suam exponit, vt eius consensu & ipse, qui altero non erat inferior confirmaretur. Epistolę verba sunt: *Hanc proinde & nos consuetudinem (quæ scilicet qui ad Pontificatum ducuntur iis qui præ eis Pontificatum regunt, exponant qualiter fidem detineant) sequentes, & legem optimam arbitrati eamque quod olim effectum est maximè Apostolico roboratum instructo, qualiter de fide tenemus scribimus, & à Deo instructu vobis ad probandum dirigimus, ne fortè terminos æternos transgredi, quos Patres nostri posuerunt, æstimemur* &c. Atque eadem fermè legūtur in Epistola Synodica Tharasij Archiepiscopi Constantinopolitani ad summos Sacerdotes & Episcopos Antiochię, Alexandriæ, & Hierosolym: quę extat in Actis Synodi Nicenæ secundæ, Actione tertia, & refertur à Baronio in Annal. an. Christi 785. *Quia prisca quedā, & (vt verius fateamur) Apostolica traditio in omnibus Ecclesiis inoleuit, vt illi qui recens assumpti fuissent ad summi altiusue Sacerdotij gradus* (Pontificiū scribit Baronius) *illis qui & ante eos, & multis temporibus summi Sacerdotij gradum obtinuissent, fidem suam exponerent: visum est mihi hoc sequuto, & me submittere vobis* (Baron. inclinare) *& manifestè meæ fidei confessionem apud vos exponere*, &c. Addit Baron. eandē, etsi nō extat, ad Rom. quā ad tres Oriētal. Patr. dederat, missā. Vnde liquet nullā ex eis literis Romano cōciliari prerogatiuam.

XVI. Atq; hactenus de Confirmatione: vnde facile apparet, quomodo altera pars, quæ est de Infirmatione sit intelligēda. Acta igitur Cōciliorum firmabant, autoritate quidē Imperatores; Episcopi verò, interq; eos Romanus, dissensu. Sic Synodus Ephesina prior, cùm videret à Cōcilio Ioannis Antiocheni depositum esse Cyrillum & Memnonem adiit Imperatorem; vt est in eius actis Græcè editis cap. 109. & petiit reuocari [illegible] *Obsecramus, ea quæ latrocinantium more gesta sunt contra sanctos & Deo amātissimos Episcopos Cyrillū & Memnonem quum nullam à canonibus vim habeant, irrita fieri.* Similiter & disertius Leo Theodosiū orat, ne acta Synodi ληστρικῆς valere permittat. *Obsecramus coram vnita Deitate inseparabili Trinitate, vt omnia in eo statu manere iubeatis, in quo fuerūt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe Sacerdotū numerus congregetur.* Epistola est 2. Et ad Martianū, Epist. 43. *Sequēs verò in prædicta ciuitate* (Eph

ri, Ephesinū intelligit) *nō potest vocari Concilium, quod in eo nec fidei fuisse causas agitatas, quodq; vestra clementia amore veritatis Catholicæ asserere aliud statuēdo quæ fides, gloriosissime Imperator.* Testatur ergo Leo Imperatoris in hoc negotio partes fuisse, vt iuberet, vt statueret.

XVII. At Romani, reliquorumq; Episcoporū Dissentiendi. Concilium Romanum sub Damaso apud Sozomenum lib. 6. cap. 23. *Numerum Episcoporum qui erāt Arimini in vnū congregati, præiudicij vim habere nō debet, præsertim quū formula illa cōposita sit, neque Episcopo Rom. cuius sententiā præ cæteris omnib. expectādā erat, neq; Vincentio qui tot annos Episcopatū integrè gesserat, neq; aliis idē consentientibus.* Sic paulò antè, Ioannē Cancellarium audiuimus in Concilio Niceno 2. refutantē Concilium Constantinop. quod in id nō omnes cōsenserāt: nec cooperatū habuisset Romanū, nec cōcordātes Alexandrinum & Antiochenum. Sic apud Socratē lib. 3. cap. 7. Lucifer Calaritanorū Episcopus, reiecit decreta Concilij Alexandrini: Τὰ τῶν κατ' ... [illegible] ... Sic Basilius Epistola 73. quodā dicit, ... [illegible] ...: *non approbare, quæ lata erant suffragia depositionis contra ipsos.* Itaq; dissensus omnibus erat Episcopis communis. Illud tamen in Patriarchis eximium notabatur, quod eorum plerumq; sententiā sequebantur Episcopi, quibus præerant: quo fiebat, vt horum longè maximum esset, siue in confirmando, siue in infirmando pondus.

XVIII. Nec omitto tamē volo; dissensisse aliquādo Romanū, vt tamen non minus rata fuerint decreta. Sic Leo, etsi clamaret se nō probare Chalcedonense decretum, quo Cōstantinopolitanus præferebatur Alexandrino & Antioch.: tamē nō, propterea fuit antiquatus canō: imò verò postea cōfirmatus in Trullēsi. Non est igitur vsquequaq; verū, quod Stapletonus asseruit, Cōcilia prouincialia, sed generalia maximè, quæ à Romano Pontifice cōfirmata nō fuerint, omnī postea autoritate & fide caruisse. Imò ex ipso etiā Leone patet, non potuisse secūdū Ephesinū irritū fieri, nisi indicto altero Cōcilio Imperatoris autoritate. Et in caussa Chrysostomi depositi à Synodo Cōstantinop. particulari, Innocētius apud Sozomenū lib. 8 cap. 26. negabat vllum esse remedium, præter Synodi cognitionem.

CAP. XII.

De præsidentia in Conciliis.

I. ARgumētum sextum ducunt à præsidentia in Cōciliis: Quicunq; ius habet præsidēdi omnibus Conciliis, est Oecum. Pōtifex. At Episcopus Rom. id iuris habet: est igitur Oecum. Pōtifex. Hosius lib. 6. locorum Catholicorū cap. 23. Possheuius Controuersiæ 2. thesi 133. & 4. & 5.

II. At nos primò negamus maiorē. Nā qui præest cœtui, nō statim est eius cœtus Dominus. Iacobus Apostolus præfuit Concilio Hierosol. præsentibus aliquot Apostolis, etiam ipso Petro: is tamen nullum habuit dominium in Petrum, aut reliquos. Cæterùm quia erat Romanus Patriarcharum primus, potuisset ei deferri is honor præsidentiæ; non ex priuilegio Oecumenici Pontificatus.

III. Secundò, negatur assumptū. Primò, quia nullus potest canon proferri vllius Concilij, aut Oecumenici, aut particularis: quo id sit sancitum. Itaq; qui affirmant, absque lege disputant. Deinde, quia ne ex reliquis quidem antiquitate vllum extat eius rei luculentum testimonium. Quis autem verisimile credat, seculis iam sexdecim id iuris viguisse, & tamen à nemine obseruatum, commendatum, ante hāc seculorū seriem? Tertiò, quia proferuntur exempla in cōtrarium. Niceno enim, Sardicensi, Constantinop. 1. Ephesino, alij præsederūt, vt postea patebit.

IV. Itaq; noua oritur controuersia; verū Episcopi Romani ius sit præsidentiæ in omnibus Conciliis. Qua de re disputat ex professo Bellarminus cap. 19. & 20. lib. 1. de Conciliis. Et contra Whitakerus de Conciliis quæst. 4. Sibrandus de Cōciliis lib. 2. cap. 4. Iunius & Salomo Gesnerus in refutatione disputationis Bellarminianæ.

V. Primum Bellarmini argumentū: quia summus Pontifex est pastor, & pater vniuersalis Ecclesiæ: adeò vt Episcopi & principes omnes, respectu summi Pontificis, oues & filij dicantur. Probatur; quia Ioānis vltimo dicitur, *Pasce oues meas.* Et quia Concilia vocant Pontificē, Patrē; & ipse, Episcopos cōgregatos, filios: apud Theodoretum historiæ libro quinto, capite decimo. Item in Epistola Concilij Antiocheni ad Iulium: & Stephani Carthaginensis ad Damasum: & Chalcedonensis ad Leonem.

VI. Respōdeo: Primò, petitur ergo principiū ab Horantio, & Posnaniēsib. & aliis. Verè enim circulatio est: Papa debet præsidere, quia est summus Pontifex, & pastor, paterq; omniū: & Papa est summus Pontifex, pastor, paterq; omnium, quia præsidet Conciliis. Secundò, saluis omnes negao à nobis vllum esse omnium Ecclesiarum pastorum. Nec probationes valent: Nam illud *Pasce oues meas*, quoties explicabimus? quoties ridiculam sophisticen exsibilabimus? Patrē appellatum fuisse; non est perpetuū. Nam Constantinopolitanum Conciliū primum: *Dominis honorabilibus* (inquit) *atque venerando fratribus, & comministris, Damaso, Ambrosio.* Carthaginense Concilium Epist. 90. inter Augustini Epistolas: *Domino beatissimo & honoratissimo fratri Innocētio Papæ.* Similiter Bonifacio, & Cœlestino. Sed & Episcopi Romani nō semper filios appellant. Certè Cœlestinus Cyrillo in Ephesina Synodo: τῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ Κυρίλλῳ. *Dilecto fratri Cyrillo.* Leo Epist. 45. quæ est ad Synodum Chalcedonensem: *Vnde, fratres charissimi, reiecta penitus audacia.* Non ergo semper, aut Cōcilia Romanos appellauêre Patres: aut Romani Episcopos in Concilio filios. Quid tum autem, si aliquando, dum nunquam ob Oecumenicum Pontificatum? Nam potuit propter ætatem; potuit & humilitatis ciuilitatisque caussa.

VII. Secundū argumentū: In Concilio Apostolico, Actor. 15. Petrus præsedit: Probatur, primò ex Hieronymo in Epistola ad Augustinū, quæ est 11. in Epistolis Augustini: Secundò, quia Petrus primus surgit, primus loquitur, primus quęstionem definit; & omnes sententiam eius sequuntur.

VIII. Respondeo, primùm non esse consequēs, si Petrus præsederit Concilio Apostolico, ideò Romanum præsidere omnibus: tum, quia infinita est à Petro ad eum Episcopum distantia, siue personam spectes, siue munus: tum, quia doceri nequit, Petrū suo iure præsedisse: nec, si semel præsedit: ideò semper debuit; ac nullus præter eum potuit. Secūdò, sumitur pro certo, quod est incertissimū. Nullo enim argumento demōstrari potest; Concilij Apostolici Petrū fuisse præsidem. Atq; adeò Hieronymū Bellarminus euertitur. Is enim non dixit Petrū præsidē fuisse eius Concilij: sed duntaxat eius decreti principem: quæ si nescit distinguere Iesuita, quid iam quæso scire potest? Primum autem fuisse,

primùmque esse loquutum, nec Lucas dixit, & cōtrà videtur innuere: & denique non significat præsidentiam. Primum quæstionem dedisse, facile concesserim: sed id nihil est aliud, quàm quod Hieronymus voluit, dum decreti principem appellauit: hoc est, eum, qui primus eam sententiam dixit, in quam decretum est conceptum: quod nullum est signum præsidentiæ: imò verò, non potest fieri, vt idem sit præses, & princeps sententiæ. Nec magis ad rem facit, quòd eum omnes sint sequuti. Nam Paphnutium Nicææ omnes sunt etiam sequuti, qui tamen, an fuerit Episcopus dubitatur, nedum fuerit præses. Sed de hac Petri præsidentia nos aliàs fusè diximus.

IX. Tertium argumentum prolixius erit, ex actis octo generalium Conciliorum: Nicæni primi, Constantinopolitani primi, Ephesini primi, Chalcedonensis, Constantinopolitani secundi & tertij, Nicæni secundi, Constātinopolitani quarti: ac deinceps reliquorum omnium. Respondeo, quibusdam Concilijs non negari Episcopum Romanum præsedisse per legatos: sed omnibus, id verò falsum esse. Prius autem distinguendum: Nam præesse Concilio dicuntur aliquando ij, quorum erat supra reliquos spectata dignitas: ac tum quinque Patriarchæ Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, quoties aderant, dicuntur saltem à recentioribus historicis præfuisse. Cedrenus de Constantinopolitana prima (quæ est secūda vniuersalis) Synodo. Τιμόθεος Ἀλεξανδρείας, Μελέτιος Ἀντιοχείας, Κύριλλος Ἱεροσολύμων· *Præfuerūt Timotheus Alexādriæ, Meletius Antiochiæ, Cyrillus Hierosolymorū*: Atque his addit, Καὶ Γρηγόριος ὁ Θεολόγος. *Et Gregorius Theologus*, id est, Nazianzenus qui tum erat Constantinopolitanus Antistes. In Ephesina: ἧς ἦρχον: *Cui præfuerunt Cyrillus Alexandriæ, qui locum tenuit Cælestini Papæ Romani, & Iuuenalis Hierosolymorum*. In Chalcedonensi: ἡγοῦντο δὲ τῆς συνόδου; *Præfuerunt Concilio, Leonis Papæ Romani vicarij Paschasius. & Lucinsius Episcopi, Bonifaciusque presbyter: Anatolius Constantinopolitanus, Iuuenalis Hierosolymorum*. In Constantinopolitana secunda, quæ est quinta vniuersalis: ἧς ἡγοῦντο, *Cui præfuerunt Eutychius Constantinopolis, Apollinarius Alexandriæ, Domnus Antiochiæ Episcopi, & vicarius Hierosolymitani*. In sexta deinceps etiam Constantinopolitana; *principes fuerunt, Agathonis Papæ Romani locum tenentes, Theodorus ac Georgius presbyteri, & Ioannes Diaconus: Georgius Archiepiscopus Constantinopolis, Theophanes Antiochiæ*. Quem morem loquendi si seruamus, dicere possumus Nicænæ primę pręfuisse: Siluestri Romani legatos Vitum & Vincentium, Alexandrum Alexandriæ, Macarium Hierosolymorum, & Eustathium Antiochiæ. Saltem Nicetas Thesauri libro quinto capite sexto, ex iis duos numerat. *Iis* (inquit) *qui ad concilium conuenerunt, præfuere Macarius Hierosolymorum, & Eustathius Antiochenorum Pontifices*. Verum ex hac significatione nullum peti potest argumentum, quandoquidem id iuris commune erat omnibus illis Patriarchis: quos tamen omnes nunquam Papistæ admittent fuisse Pontifices Oecumenicos.

X. Aliud est genus præsidentiæ, quum ad ordinem conseruandum in singulis Synodis necesse erat vnum aliquem esse, qui actiones moderaretur, suffragia colligeret: etiam decretum pronunciaret: quod in omnibus cœtibus non ἀτάκτοις fieri solet. Has partes obseruamus in Synodis non semper vni cuipiā Episcopo demandatas: Imò aliquando nulli Episcopo: sed vel Imperatorem sibi sumpsisse, vel demādasse delegatis suis. Et quia de Episcopo Romano nunc quæstio est. Hæc Concilia sunt quibus eum præsedisse negamus, Nicænum primum, Sardicense, Constantinopolitanum primum, Ephesinum vtrumque, Constantinopolitanum secundum: de quibus sigillatim agendum.

XI. Et quidem de Nicæni conuentus pręside, quatuor sententias Bellarminus examinat. Brentius Imperatorem dixit: Magdeburgenses Eustathium Antiochenum: Caluinus Athanasium: Papistæ Hosium, Vitum & Vincētium legatos Romani. E quibus primam, secundam, ac tertiam ille reiicit, quartam amplectitur. At nos memoriæ lapsum Caluinū fatemur: quum Athanasium nominauit, quem certum est interfuisse quidem ei Concilio; sed nondū Episcopum: tantùm diaconum, & comitem Alexandri Alexandrini. Quartam sententiam penitus falsam asserimus: Secundam verisimilem: veram autem primam. Sic enim statuimus, ipsum sibi Cōstantinum pręsidis partes sumpsisse absolutè: sed inter Episcopos videri primum sedisse Eustathium.

XII. Et de Eustathio primùm testem habemus Romanum Pontificem Felicem, Epistola ad Zenonem Augustum de Depositione Petri Antiocheni: καὶ Εὐσταθίου τοῦ ὁμολογητοῦ, καὶ προέδρου τῶν τιη΄ ἁγίων πατέρων ἐν Νικαίᾳ ἀθροισθέντων: *Eustathiique confessoris, ac præsidentis trecentorum decem & octo Patrum qui in Nicæa conuenerunt*. Deinde non difficilis est coniectura. Nam Eusebius libro de vita Constantini tertio, capite vndecimo scripsit, eum, qui in dextro ordine primam sedem occupabat, perbreui oratione Imperatorem esse affatum, statim vt sessum est: At hunc Theodoretus, libro primo historiæ, capite septimo, Eustathium nominat Antiochenum. Itaque duo habemus; primò Eustathium occupasse primam sedem ad dexteram: alterum; omnium primum esse alloquutum Imperatorem; laudibúsq; insignibus ornasse, & ei pro singulari suo studio erga res sacras eximia glorię præconia tribuisse. Quis inde non coniiciat pręsidem?

XIII. At cōtrà Bellarminus: primò, quia in subscriptione non inuenitur primus, nec secundus, nec tertius, sed inter alios: secundò, quia quum esset in Concilio Alexander Alexandrinus, Antiocheno maior & dignior, nulla ratio sinebat Eustathium præcedere. Tertiò, illum ad dextram primum locū sic intelligit, vt tres subselliorum ordines imaginetur: dextrum vnum: sinistrum alterum; tertiū transuersum in capite aulę totius, in quo sederet Imperator medius inter Hosium & Alexandrum Alexandrinum: tū in ordine dextro primus Eustathius, in sinistro Macarius. Vel certè Eustathio concedit locum digniorem ob antiquitatis & sanctitatis meritum; at non præsidentiam.

XIV. Sed ad primum dico; nulla lege caueri, vt præses primo loco subscribat: deinde haberi nego subscriptiones eius Synodi, sicut sunt factæ: itaque in tomis Conciliorum excusatur collector, sicubi in assignatione Episcoporum errauerit: quia vsus sit in colligendo quatuor exemplaribus, vetustissimis illis quidem, sed deprauatissimis. Ad secundum; nulla rursus lege Concilijs imperatum, vt præsidentiam, de qua loquimur, deferrent Episcopo sedis illustrioris: alioquin faterentur Romanum, semper debuisse pręsidere. Tum Alexandrinus iam iudicauerat de Ario: itaque non videbatur congruum, vt iterato iudicio pręesset. Tres

autem

autem ordines non admittimus; etsi Baronio placuerit: sed duos tantùm, dextrum & sinistrum. [illegible] (inquit Theodoretus) [illegible]. *Erāt enim parata multa subsellia vtrinque ad muros palatij.* Sed ad summū aulæ, solū Imperatorē progressum dicunt Eusebius & Theodoretus: & sedisse nō in subselliis, sed in cathedra aurea. Antiquitatis & sanctitatis merita, si habuit Eustathius præter alios, nullo modo fuisset obscuratū, si post præsides sedisset. Interea tamē notetur Bellarmini contradictio: negantis paulò antè, vllam rationem ferre posse, vt Alexandrum Eustathius præcederet: & nunc tamen concedentis primum eidem locum potuisse assignari, ob antiquitatem, & sanctitatem.

XV. De Imperatore res certior. Nam hunc Eusebius asserit progressum ad summum locum. Tum præsidis partes egisse colligitur primò; quia, vbi cōsessum est, hortatoriam orationem habuit, qua illos ad consensionem animorum & concordiam commoueret: Secundò, quum sese mutuò accusarent Episcopi et libellos obtulerant: tertiò oblatos illos libellos comburi iussit, & vt se totos ad propositum negotium converterent: quartò, habita oratione, de religionis dogmatis disquirendi Episcoporum arbitrio permisit potestatem. Quæ sic singula Socrates enumerat libro primo, capite quinto. Denique: *Quum multa essent ex vtraq; parte proposita* (inquit Eusebius, de Vita Constantini libro tertio, capite decimo tertio) *magnaque controuersia inipso disputationis congressu concitata, Imperator tolerantèr ac placidè omnibus animum attendere, studio acri prolatas sententias excipere, vicissim ferre opem vtrique disputantium parti, eos magna cum contentione digladiantes paulatim reconciliare, conferre cum singulis comiter & benignè sermonem, Græcè quòd ipse sciret, loqui.* At hæc, si non sunt præsidis partes, quænam esse poterant?

XVI. Et tamen hanc opinionem falsissimam Bellarminus appellat: Primò, quia Constantinus post omnes Episcopos subscripsit, vt testatur Basilius Imperator in fine octauę Synodi: Præses autem primo loco subscripsit. Secundò, quia non sit ausus sedere, nisi in sede humiliori, quam essent Episcoporum (infra Episcopos Binius dicit) & annuentibus Episcopis; vt colligitur ex Theodoreto libro primo, capite septimo historię: & Eusebio de Vita Cōstantini. Tertiò, quia ipse professus est, se debere ab Episcopis iudicari, eisque subiectum esse, non præpositum, vt scribit Ruffinus libro decimo, capite secundo. Quartò, quia Ambrosius Epistola trigesima secunda dicit, Constantinum in Concilio Nicęno non se fecisse iudicem, sed liberum reliquisse iudicium Sacerdotibus. Athanasius Apologia secunda, non posse haberi Synodum, in qua non Episcopus, sed Comes aliquis præsederit: & in Epistola ad solitariam vitam agentes, arguit vehementer Constantium; quòd in Concilio primas partes tenere vellet.

XVII. Sed ad primum: Vnde habetur præsidē semper primo loco debere subscribere? Præsidem, inquam, de quo nunc loquimur: nam illum alterū, cuius nomen debebatur Patriarchis, haud inuitus concessero. Sed huic, de quo nunc loquimur, videtur potiùs postremò subscribendum, ad actorum, quorum pars sunt ipsæ subscriptiones, certitudinem.

XVIII. In secundo, non ausum sedere nisi in humiliori sella, nec ausum nisi annuentibus Episcopis, quàm ridiculè, quàm impudenter affirmatur? Nunquam id aut Eusebius dixit, aut Theodoretus, vterque nimis audacter à Bellarmino laudatus testis. Geminum igitur mendacium: Vnum, sedem eā humiliorem fuisse, quàm essent Episcoporum sedes. Nam tum Eusebius, tum Theodoretus tantùm [illegible] dicunt; *paruam sedem*; nimirum ad fugiendum Imperatoriæ dignitatis fastum; quem in eo consessu ostentare nollet; vnde se alibi scribit affuisse, vt vnum è cœtu. Et tamen Eusebius cū thronum testatur aureum fuisse.

XIX. Alterum mendacium, non ausum sedere, nisi tum quum Episcopi annuissent. At Eusebius dixit, [illegible]. *Non prius quàm annuissent Episcopi, sedit.* Quæ verba non veniam impetratam ab Imperatore sedendi, significant (nam aliàs in summum locum transisse nō debuit, nisi præfata venia:) sed quasi signum exspectatum considendi, vt ne ipso sedente starent Episcopi: quos postea sedisse testatur Eusebius, [illegible]; *Idem fecerunt omnes post Imperatorem.* Imò Sozomenus disertè, omnibus, qui aderant mandatum dedisse sedendi, scripsit libro primo, capite decimo octauo: [illegible]. *Transiens ad supremam partem conuentus, in sella quadam sibi apparata sedit: tum Synodus sedere iussa est.* Theodoretus tamen dicit sedisse [illegible], *cum eo*, id est, simul eodémque tempore. Sanè verò idem dixit ipsum Episcopis [illegible]: *permisisse ingressum*: quod quis de eo diceret qui non esset ausus assidere? Imò qua fronte cōnsessum concederent, qui ingressum non habebant nisi precario?

XX. Ab Episcopis debere se iudicari professus est Constantinus. Sanè quidem: Quid tum autem? Ergo non potuit præesse Concilio? Ridicula conclusio. Quid enim? Non debebant ipsi Episcopi, qui reliquis præerant, Memnonem dico Ephesinū, & siue Menam, siue quē Bellarminus mauult, Eutychium? Non præsidem dicas, sed tyrannum. Tum hoc Imperator dicit, quum sibi libelli offerrentur, ante quàm Synodus inchoata esset: ac proinde, quum se adirent contendentes Episcopi, vt iudicarentur non Ecclesiastico: sed Imperatorio iudicio. Verùm ille non propterea voluit excludi à cœtu Synodico; quem post concrematos eos libellos, aperuit.

XXI. Ambrosius immeritò in hanc caussam producitur. Is enim Epistola trigesima secunda, nihil agit de pręsidentia Concilij: tantùm disputat non licere de rebus fidei iudicium fieri in Consistorio Imperatoris, & coram laicis iudicibus: in eāque sententiam asserit Constantinum nullam, antè legem præmisisse, sed liberum dedisse iudicium sacerdotibus. An verò præsidere Concilio, significat non dare liberum Sacerdotibus iudicium? Minimè verò: aliàs nullus omnino constituendus esset pręses.

XXII. Scio prolixè Athanasium conqueri, Apologia secunda de Cōcilio Tyrio, vbi omnia acta alio more, quā in Ecclesiasticis iudiciis: id est, vi, terroréque politici magistratus: vbi, quod communiter placebat Episcopis, à Comite impediebatur: ille imperio vtebatur. Hoc certè præsidē.ię genus procul abesse debet à Synodo, at de eo nullus hīc sermo. Nam Constātinus nihil agebat pro sua authoritate: sed attentè suffragia Episcoporum audiebat,

excipiebat,inque ea decretum fieri sinebat. Hæc legitima: at præsidentia. In Epistola autem ad Solitariam vitam degentes, de nulla Synodo scribit Athanasius: sed queritur Constantium iudicia Ecclesiastica præsidere: hoc est, in Consistorio aulico Ecclesiasticas controuersias decernere. [illegible] *Obtendit in speciem Episcoporum iudicium: sed interim facit, quod illi volupe est.* Itaque meritò potuit exclamare: *Quando à condito æuo auditum est? quando iudicium Ecclesiæ autoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum est?* Hæc inquam meritò Athanasius. Sed immeritò Bellarminus detorquet, ad probādum, non posse Imperatorem, eo quo diximus modo, Synodis præesse.

XXIII. Superest tertius Bellarmini labor, vt probet legatos Romani Episcopi, Hosium, Vitum & Vincentium præsides fuisse. Probat ergo tribus argumentis. Primo, ex subscriptionibus: Hi enim primi omnium subscripserunt. Secundo, ex Cedreno in Compendio historiarum, & Photio in libro de septem Synodis, qui dicunt Syluestrum per suos legatos Concilio autoritatem contulisse. Tertio, ex Athanasio ad solitariam vitā agentes; dicente, Hosium principem fuisse in eo Concilio. Fuit autem simplex Episcopus, inferior omnibus Patriarchis: itaque nunquam habuisset primum locum, nisi vicem gessisset Romani Pontificis. Idem testatur præfatio Sardicensis Concilij, cuius autor est fortasse Dionysius exiguus: & intelligi potest ex Codice Græco Vaticano, cuius testimonium descripsit Alphonsus Pisanus.

XXIV. Sed hæc nihil probant. Primi subscripserunt; ergo fuerunt præsides. Consequentia non conceditur. Sed ne antecedens quidem. Nam subscriptiones, quas habemus, eæ secūdùm prouincias disponuntur: in quibus, quis miretur Romanam omnium primam propter sedē Imperij? Sed & Hosius primus scripsit, & ante Romani legatos. Nam ipse legatus non fuit; vt postea dicam. Apud Cedrenum non potui legere, autoritatem Concilio contulisse: sed legi, præsedisse Legatos Romani, & Metrophanē, & Alexandrum, & Eustathiū, & Macariū. Quod Bellarmino non fauet. Apud Photium legi: [illegible] *Præcipui erant Alexander Constantinopolitanus antistes:* [illegible] *: Sed & Syluester, laudisque illustres ac famosi Romanæ Ecclesiæ præsides: neuter præsens, sed missis Bitone & Vincentio.* Præterea nihil. Viderit Bellarminus, vnde suum illud habeat. Certè neque solus Syluester nominatur, neque τὴν [illegible] præsidentiam notat, nisi quam priore loco designauimus. Athanasius scripsit ab Arianis de Hosio dictum: [illegible] *Hic princeps est Synodorum: & si quid scribit, vbique auditur: hic formulam fidei in Nicena Synodo concepit.* Ergo, non Synodi Nicenæ dicitur princeps: sed Synodorum, quæ tum temporis multæ sunt cōgregatæ. Tum disertè discernuntur duo; princeps Synodorum: &, concepit formulam Nicenam: vt coniicias Nicænam Synodum discernendam ab eo principatu.

XXV. Et tamen, quid tum si præfuit Nicænæ Synodo Hosius? Nam & ita censet noster Iunius. Quid hoc, inquam, ad Romanum Episcopum? Legatus erat (inquiunt) eius. At hoc falsum. Nemo est enim Veterum, qui vnquam plures in Niceno Concilio legatos Romani Pontificis obseruauerit, quā Vitum & Vincentium. Non Eusebius, qui capite septimo tertij de Vita Constantini: *Eius presbyteri, qui aderant, illius locum suppleuerunt.* Nota, presbyteri. At Hosius Episcopus. Nō Theodoretus, qui libro primo historiæ capite septimo, [illegible] Nota rursum *presbyteros*: sed & notaduos, non tres. Non Sozomenus: qui libro primo, capite decimo sexto: *Vitus & Vincentius, eiusdem Ecclesiæ presbyteri, pro illo adfuere.* Hosium nullum audis. Non deinceps vllus alius. Nicephorus, Zonaras, Cedrenus; quid omnes nominem? vnum è Veteribus proferāt, & vicerint. Imò ne ipse quidē seipsum legati titulo appellat. Nam subscriptio, quam habemus, ita est: *Hosius Episcopus ciuitatis Cordubēsis prouinciæ Hispaniæ dixit, Ita credo sicut superius scriptum est.* Quū tamen nec taceāt, nec debeant legati, suæ legationis non meminisse: atque adeò: *Vitus & Vincentius presbyteri vrbis Romæ, pro venerabili viro Papa & Episcopo nostro Syluestro subscripsimus.* Et quidem obiter notandum: nondum tantū sese fastum extulisse Romanos Episcopos, et legatos suos auderent mittere Episcopos, sed tantū presbyteros aut Diaconos. Sic ad Arelatense, Claudianum & Auitum presbyteros, Eugeniū, & Quiriacum Diaconos. Ad hoc Nicenum, Vitū & Vincentium. Ad Sardicense, Archidamum, & Philoxenum. Quod postea non sic obseruatum.

XXVI. Mirum verò contra argumentū: Princeps fuit Concilij. Imò, inquam, Conciliorum. Nā & apud Theodoretum historiæ lib. 2. cap. 15. [illegible] *in quo Concilio ille non primas tulit?* Ante omnibus Conciliis fuit etiā Romani legatus? Quæquam, quid interrogo? Nam ipse Athanasius contextus (Athanasij enim verba recitabat Theodoretus) indicat id Hosium habuisse suo iure: *Qui præsidis* (inquit) *senex est non obscurus: sed antiquum fuctis illustrissimus: nam, in quo Concilio ille non primas tulit? Cui non persuasit eius de recta fide instituta oratio? In qua Ecclesia non præclarissima exstant illius gubernationis monumenta?* Itaque appellat [illegible] Deinde, quod genus hoc argumenti? Voluit enim Bellarminus probare, Romanum Episcopum Synodo præsedisse, quia Hosius præses erat eius legatus: nunc autem Hosium probat fuisse eius legatum, quia præsedit Synodo. Et hæ demōstrationes erunt?

XXVII. Sed erat simplex Episcopus: & infra Patriarchas. At, quid si nondum Patriarcharum eiat (?) arserat ambitio? Sed, quid mihi simpliciem Episcopum appellat, quem ipsi Patriarchæ, patrem agnoscebant? Athanasius Apologia ad Constantiū: [illegible] *plenam eius rei historiam pater Hosius dicere posset.* Et paulò pòst: [illegible] *eo pater Osius concesserat.* Ad solitariam vitam agentes de Sardicensi Concilio: [illegible] *Qui ab Occidente, erant Episcopi, patrem habentes Hosium.* Et post multa, de Arianis in Hosium tandem connexis: [illegible] quū tot ac talia inopij perpetrassēt, nihil se egisse putabāt, quādiu magnus Hosius experserat eorū nequitię. Sed enim [illegible], contra tantum senem, suum furorem intendere in animum induxerunt: [illegible] *neque quod pater esset Episcoporum, reueriti sunt.* Et tertiò: [illegible] *Pater Episcoporum magnus Hosius.* Et huic, huic, inquā, miretur Bellarminus locum primum concessum: & quidem à Patriarchis, quorum nullus eo quidem tempore

tempore aliter audiebat, quàm Episcopus: Nam magnificentiores tituli recentiores illo æuo: vt nā cui absurdum videatur: & ab Athanasio, ipso Episcopo Alexandriæ, cur non etiam à reliquis? agnitum esse pro patre. Dicam aliquid amplius. Non tantùm in subscriptionibus Nicænis, eius nomē nomina præcedit Viti & Vincentij legatorum Romanorū: sed etiam in Sardicensibus apud Athanasium, apologia secunda: & quidem tam distinctè, vt appareat de industria factum, & tantùm, vt cognosci posset Hosium suo nomine subscribere. [illegible] (an potiùs [illegible]) [illegible]. *Eorum qui in Synodo subscripserunt, aliorúmque Episcoporum ista sunt nomina: Hosius ab Hispania: Iulius Romæ per Archidamum, & Philoxenum presbyteros.* Mirum, ni exclamet Iesuita: Pro scelus, ante Iulij Romani nomen, nomen Hosij Hispani! Ita est, ô boni: non enim sic erant tempora, vt nunc sunt.

XXVIII. Iam verò præfatio illa Concilij Sardicensis, quæ asserit Hosium fuisse ab Apostolica sede, cum Vito & Vincentio, destinatum ad Synodum, nullius est autoritatis. Nam cur Dionysio illi Exiguo-magis credamus, rem narranti ante se gestam duobus minimum seculis; quàm iis ipsis qui eodem vixere tempore? In quibus, quæso, ipsum Iulium Romanum numerem? At hic in prolixa illa Epistola ad Orientales; quam recitat Athanasius Apologia secunda: [illegible] : *Nostri* (inquit) *presbyteri, qui interfuerant in Synodo Nicæna.* Vbi vides tantùm presbyteros nominari. De Pisano ille viderit. Ego certè apud eum ex illo codice Vaticano nihil obseruare potui, quo Hosius asseratur fuisse legatus Romani Episcopi: quin potiùs, cùm sæpè nominetur in eo secundo Pisani libro, tum nullo alio titulo insignitum vidi, quàm Episcopi Cordubēsis. Nec id quod Baronius in appendice tomi duodecimi testimonium attexit Adriani Papæ, ex epitome Canonum, quæ edita est tomo sexto Antiquæ lectionis: maius momentum habet, quàm Dionysius Exiguus: quo recentior est, nempe pertinens ad seculi octaui finem.

XXIX. Ergo nulla est caussa, cur in Concilio Nicæno primas demus Episcopo Romano. Ad Sardicense veniamus. Et Sardicense quidem gratis, opinor, nobis conceditur. Cur præsedisse Hosium constat ex actis: eique collegam Sozomenus addit Protogenem libro tertio, capite vndecimo: appellans ambos [illegible], *principes eorum qui ex Occidente Sardicam conuenerant.* Et hoc eò magis notandum: quòd aderant legati Romani Episcopi Iulij: à quibus, vt paulò antè monui, in subscribendo separatur. Et erat tamē Concilium eo conuocatum consilio, vt esset Oecumenicum: etsi successus non responderit.

XXX. Sequitur Constantinopolitanum primum, id est, Oecumenicum secundum: cui fatetur Bellarminus ne interfuisse quidem Romanum: imò ne legatos quidem misisse. Præfuisse autem Nectarium Constantinopolitanum. Sed excipit, si adfuisset Damasus, sine dubio præsedisset: quia scribentes Episcopi tum congregati, eum, vt caput suū agnoscant: ille verò respondens filios appellet. Addunt Posnanienses, quoniam Romano Pontifici primatum detulerunt.

XXXI. Sed res est non parui momenti. Nam eodem tempore Occidentales Episcopi Romæ Concilium celebrabant: quæ caussa fuit, vt eorum nemo Constantinopolim profectus sit. Verum Damasus inuitauit Orientales, vt Constantinopoli Romam venirent, quo vnum fieret Concilium, illi renuunt. Et tamen Oecumenicum appellatum est non Romanum, cui præerat Damasus, sed Constantinopolitanum. Et habet Romanus semper conuocare Concilium Oecumenicum? Et habet semper conuocato præsidere? Imò magnificè illusum est supercilio Romano. Exceptio autem futilis: Nam diuinare, non est demonstrare. Si adfuisset, præfuisset. Cur, inquam? potiùs quàm Nicæno, quàm Sardicensi: addo, quàm Arelatensi? quàm in quinto Oecumenico, vbi præsente Vigilio, præsidentia tamen est delata Constantinopolitano.

XXXII. At agnouerint Damasum pro capite. Falsum, inquam; Non enim ad Damasum solùm scribunt: sed cum eo, ad Ambrosium, Britonem, Valerianum, Acholium, Anemium, Basilium, & cæteros in vrbe Roma conuocatos. An singulos illos dicimus fuisse Orientalium capita? An, si non singulos, cur Damasum? Quid, quod hoc ipsum falsum est? Falsum, inquam, est, siue Damasum, siue Occidentales agnosci ab Orientalibus pro capite? Recito verba: *Iam verò, quoniam vos, quo fraternam vestram erga nos charitatem declararetis Concilio Dei voluntate ac nutu Roma coacto,* [illegible] *, nos velut membra propria accersiuistis per Imperatoris sanctissimi literas.* Hæc verò non magis caput nominant, quàm illa Pauli ad Romanos duodecimo, *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alteri alterius membra.* Enimuerò non semper membra relata sunt ad caput: sed aliquando ipsa inter se: itaque Orientales non ita se dixerunt membra, vt Occidētales caput agnoscerent: sed se eiusdem corporis membra, cum Occidentalibus: & eatenus Occidentalium membra: quomodo & Occidentales sese Orientalium membra debebant confiteri.

XXXIII. Quod Episcopos Orientis filios Damasus appellarit, respōdeo, primū eas literas nō esse scriptas ad Concilium Constantinop. neq; rescriptū esse ad eas, quas ab eo Concilio Damasus acceperat. Nā nec inscriptio est, quæ esse solet ad Cōcilium: nec Theodoretus significauit; imò recitauit tanquam separatam historiam: nec quicquam est in iis, quo respondeatur ad ea quæ scripta erant à Cōcilio: & denique respondēt ad quædam postulata, quę in iis Cōcilij non cōtinentur. *Quid est* (inquiūt) *cur abdicationem Timothei à me rursus requiratis?* Et tamen Timotheum ne nominarant quidem Orientales. Itaque referenda potiùs hæc epistola videtur ad eam historiam, quā Liberatus narrat Breuiarij decimo quinto capite. Secūdò, quid sibi Romanus arrogarit, nostra non refert: sed quid ei detulerint reliqui. At hi iis ipsis verbis, quæ paulò antè recitauimus, fraternam laudant charitatem, non paternam pietatem.

XXXIV. Primatum Rom. Pontifici delatū in eo Concilio catenus verum esse potest; quatenus sanxerunt Constantinop. Episcopum honorem habere debere post eum. Sed ab eo primatu, ad præsidentiam i[illegible] de qua loquimur, nulla est consequentia: Nam & in Chalcedonensi, similiter delatus ille primatus, cui tamen præsedit Marcianus Imperator.

XXXV. Ephesinæ priori Synodo præsedisse Cyrillũ & Memnonem testãtur acta, quę eos subinde ἐξάρχους [illegible] appellãt. In scripto ad Theodosium & Valentinianũ ter, ἐξάρχους [illegible] *principes nostræ Synodi.* In mandato dato legatis Constantinopolim proficiscentibus. *Si noluerint prædicti* (ij erant Ioannes Antiochenus, & qui cum eo) *subscribere depositioni Nestorij, & per libellos veniam petere à Sancta Synodo super iis quæ temerè in nostros præsides admiserunt.* In relatione per Iuuenalium, Firmum, Flauianum & reliquos, capite centesimo nono editionis Græcæ rogatur Imperator, vt irrita fiant, quæ contra eos attentata erant. [illegible] *Ne* (inquiunt) *capite trunca sit nostra Synodus.* Veruntamen Cyrillo erat aliquid eximium: itaque aliàs solus nominatur. In relatione quæ est capite sexagesimo: [illegible] Κυρίλλου [illegible] Μέμνονος [illegible]. *Ausi sunt præter omnem Ecclesiasticum ordinem, & canones, contra sanctam Synodum, & caput congregatorum Episcoporum, Cyrillum, inquam, sanctissimum Archiepiscopum, præterea contra Dei amantissimum Episcopum Memnonem, blasphemias proferre.* Itaque aliàs solus præses appellatur. Leo Epistola quadragesima septima, ad Synodum Chalcedonẽsem. *Prioris Ephesinæ Synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episc. præsedit, in Nestorium specialiter statuta permaneant.*

XXXVI. Et tamen Bellarminus: Certum est præsedisse Romanum Põtificem per Legatos suos. Et citat testes: Euagrium libro primo, capite quarto: Photium in libro de septem Synodis: Prosperum in Chronico: Nicephorum libro decimo quarto, capite trigesimo quarto: Liberatum breuiarij capite quinto: Iustinianum in edicto: Nicolaum primum in Epistola ad Michaelem: Celestinum, epistola ad Cyrillum, quę est in Actis Synodi. Pugnat etiam sex argumentis. Primo, quia Prosper dicit, Nestorio præcipuè restitisse Cyrilli industriam, & Celestini autoritatem. Secundo: quia Celestinus vices suas Cyrillo mãdet, multò antequã legati cæteri mitterentur. Tertio, quia Nicephorus dicat adeò magni fecisse Oriẽtales hoc legationis priuilegium, vt deinceps Cyrillus mitrã, & nomẽ Papæ acceperit, atque vt iudex vniuersi orbis appellaretur: & ea ornamenta ad successores transmiserit. Quarto, quia Cyrillus in Epistola ad Constantinopolitanos scribat, si Nestorius intra terminum à S. Celestino pręscriptum nõ resipuerit, communione Ecclesiæ priuandum. Quinto, quia ipsa Synodus, apud Euagrium lib. 1. cap. 4. & in ipsa sentẽtia, quæ est in actis, dixerit, se cùm aliis canonibus, tum præcipuè literis Celestini necessariò compulsam ad sententiam cõtra Nestorium. Denique, quia ipsa Synodus scribẽs ad Celestinum, referuet iudicio Celestini caussam: Ioannis Antiocheni, vt ipse in eum sententiam ferat. Quæ omnia (inquit) certa sunt argumenta, Celestinum reipsa fuisse præsidem ac principem.

XXXVII. At cõtrà: Synodus ipsa de Celestino quũ sæpe mentionem facit, tum nunquã honorat præsidis titulo. Imò in relatione quæ est cap. 109. [illegible] (sic enim lego, non [illegible]) Ῥώμης [illegible] Κελεστῖνος, [illegible]. *Sancta & Oecumenica Synodus, cui assidet magna vestra Romæ sanctissimus & Dei amantissimus Archiepiscopus Celestinus, totáque Occidentalis Synodus per sanctos Episcopos ad nos missos: assidet & tota Aphrica, Illyricúmque.* En tibi Celestinũ nõ προεδρεύοντα *præsidentem*: sed συνεδρεύοντα *assidentem* per legatos: & quidẽm assidentem, vt Africanos, & Illyricos.

XXXVIII. Et, quid tamen testes laudati? Nihil prorsus quod Bellarmino faueãt. Nemo enim est eorum, qui Celestino præsidendi partes deferat: præter Nicolaum primum. si fortè, *qui magnæ Synodi Ephesinæ præsulem,* vocat. Sed, vt taceam Synodi præsulem esse vnum ex præsulibus, qui Synodo acquieuerunt, vel etiam ab eius partibus fuerunt: certè cur ei fidem habeamus maiorem quàm aliis, nihil est caussæ. Imò, quis dubitet longè certius de eadem re iudicari ex actis ipsis, quàm ex relatione eius qui post rem gestã vixit seculis integrè exactis quatuor? Reliqui, Euagrius, Nicephorus, Liberatus, Celestinus, tantùm docent Cyrillum fuisse legatum Romani Episcopi: Sed præsidentiã alij tacẽt vt Euagrius, Nicephorus, alij separant; Photius de septem Synodis. [illegible] Κύριλλος [illegible]. *Ex quibus erant præsides, Cyrillus ille celeberrimus inter Patres, qui propter virtutem sapientiaeque diuitias, magnæ ciuitatis Alexandriæ sedẽ obtinebat,* [illegible] *Et Celestini Romani Pontificis implebat sedem, atque personam gerebat.* Quomodo & apud Zonarã in id Cõcilium legas. [illegible] Κυρίλλου Πάπα Ἀλεξανδρείας, [illegible] Κελεστίνου. Quæ verba perfidè reddita Latinè in Editione Parisiensi: *Præsidente Orthodoxis Patribus pro Celestino Romano Pontifice Alexandrino Papa Cyrillo.*

XXXIX. Res autem ita se habet: Ante Synodum coactam, quum multa mouisset contra Nestorium Cyrillus, admonuit etiam Celestinum, à quo literas accipit, probantes quicquid egerat & denũciantes excommunicandũ Nestorium; quod, vt faceret Cyrillus maiori cum pondere, atque autoritate, suas ei partes concedit: [illegible]. *Addita tibi autoritate nostræ sedis, nostráque loci successione cum dignitate vtens, hanc sententiam cum exacta constantia exequaris.* Cogitur deinceps Cõcilium. Abest initio Celestinus: nec scribit. Tum verò ea legatione Cyrillus vtitur: itaque initia Actorum ita sunt, vt inter sedentes Episcopos, ipse nominetur in hunc modum: Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας, [illegible] Ῥωμαίων [illegible]. *Cyrillo* (sedente) *Alexandriæ, qui etiã locum tenebat sanctissimi piissimique Archiepiscopi Ecclesiæ Romanæ.* Qua verborum serie significatur, duplici nomine Cyrillum Synodo interesse, tum suo, tum Celestini. Quemadmodum in iis de actis: [illegible] Θεσσαλονίκης. *Flauiano Philipporum: obtinente etiam locum Rufi venerabilis Episcopi Thessalonicensium.* Postea verò mittit legatos suos Celestinus, Arcadium & Proiectum Episcopos, Philippũmque presbyterum nusquam nominato Cyrillo. Imò ante id tempus Cyrillus depositioni Nestorij ita subscripsit, Κύριλλος ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας [illegible]. *Cyrillus Episcopus Antiochiæ subscripsi:* omissa legatione. Sed hoc vtcunque sit: tamen Cyrillus duplicem personam tuebatur: suam, & hanc quidem primam: tum Celestini. Si tantùm hanc, tunc posset fortè dici, præsidem fuisse non suo, sed Cyrilli iure.

Atnunc

[illegible] sequentia est nulla, si dicas, Legatus [illegible] ergo pro Celestino præsedit. [illegible] ipse in Concilio Ephesino, nihil aut de [illegible] aut de Cyrillo, aut vlla legatione dixit. [illegible] quot annis antè; quum de exortu Nestorij a[illegible] *impietati inquit, præcipua Cyrilli Alexandrini* [illegible] *industria, & Papæ Celestini repugnabat autoritas.* [illegible] ad præsidentiam: nihil ad legatio-ne [illegible] in Edicto: *Ephesina Synodus, cuius au-ctores erant Celestinus, & Cyrillus sanctæ memoriæ:* signifi-ca[illegible] pulsu & cura eam Synodum esse [illegible]ocatam, vel principes fuisse latæ in Nestorium [illegible]: siue præcipuas eorum partes fuisse in eo Cō[illegible]: quemadmodum in Epist. Synodi Nicæ-[illegible] prios apud Socratem cap. 6. lib. 1. Alexandriæ dicitur [illegible] *& particeps aliorum:* quem tamen satis cō[illegible] præsidem. Quod si Cyrillus præsedit [illegible] legatus, & autor hic præsidem significat, [illegible] quis fuerit Imperator, qui au-[illegible]: nam tum non duo fuissent præsides, Ce-le[illegible] & Cyrillus: sed vnus tātùm Celestinus per C[illegible]; ut quod idem est, Cyrillus nomine Ce-[illegible]. Præterea, si legationis iure præsedit, cur Ar-[illegible]ppus, & Proiectus, nunquam dicuntur [illegible] solus Cyrillus? Nam in Chalcedonēsi: *præsidebant* (inquit Cedrenus) *Leonis Papæ Romani vi-carij Paschasinus & Lucensius Episcopi; Bonifaciúsque presby-ter,* [illegible] Constantinopolitano sexto.

XLI. Iam de argumentis quid dicam? Primū q[illegible] & secundū tractatum est. In tertio Nicepho-[illegible] testis est non maior omni exceptione. Itaque e-[illegible] tus autoritas à Baronio ad annū 430. pa-rag[illegible] 2. & quoad Papæ nomen, quod erat cō-[illegible] quoad iudicem vniuersalem: quod non ita [illegible] legatis concedi: & quoad propagationē ad posteros; cuius nullum sit exemplum. Cæterùm Ba[illegible] non dē mitra non consentit: nam phrygium [illegible]us appellat. Ita nihil certi. Ac sanè Nicephorus vide[illegible] noluisse hanc rem præstare: cùm originem [illegible] m reserti, id est, fabulam.

XLII. In quarto argumento, terminus ille resi-p[illegible] de Nestorio præfixus est à Celestino, ante-[illegible] Concilium esset congregatum: itaque nihil ad [illegible] facit. In quarto, geminū falsi crimē: & quod, cum alios canones dixit, quasi inter canones nume-[illegible] Celestini literæ: & quod his literis præci-pue motum Concilium Bellarminus dicat. Ita se lo-cus habet: [illegible] *Necessariò com-pulsi, tum à Canonibus, tum ab Epistola sanctissimi Patris nostri Celestini.* Vbi canones separantur à literis Ce-lestini: neq; præcipuum quicquam his literis tribui-tur. Itaque nulla hinc licitur præsidentia: maximè [illegible]quum ex literæ Celestini Synodi omnia acta præ-cesserunt, vt diximus.

XLIII. De reseruato Ioanne Celestini iudicio, [illegible] sic habet: [illegible] *Vehementer autem similiter idem de eo & alios de-cernere quod ipse de iis qui nullum crimenis erant conuicti.* [illegible] *insolentiam patientia vinceremus, etsi maxi-me [illegible] iure id esset passurus, reseruauimus iudicio tua* [illegible]. *Et quidem interea, eos communione priuantes, & abdicantes omni autoritate Sacerdotali.* Vnde apparet & quid sit reseruatum, & cui reseruatum. Testatur enim Synodus se interim excōmunicare, ac depo-nere: quæ quidem, si nō est damnatio, quid esse po-test? Quo difficilius intelligas quid sit reseruatum Celestini iudicio. Nisi fortè, vel exsequutionem di-cas sententiæ, tum quidem conceptæ, sed ita tamen vt videret Celestinus, quando exsequutioni man-danda esset: vnde hæc, [illegible]: Vel certè restitutionis spē: vt si Ioan-nes ad bonam mentem veniret, absolueretur quidē ab ea sententia: sed suam pœnitentiam prius Cele-stino probare deberet. Vtrumuis dicat, nihil ad præsidentiam: quia ij actus erant futuri post Syno-di dissolutionem.

XLIV. Secūdo Ephesino, quod ab exitu [illegible] dictum est, præsedisse Dioscorum Alexandrinum, etiam præsentibus Leonis legatis, certum. Erat ta-men Oecumenicum, legitiméque conuocatum ab Imperatore, ad preces Leonis. Bellarminus duplici-ter respondet: primò Liberatum cap. 12. scribere, Romanos legatos noluisse in Concilio sedere, quū viderent præsidere Dioscorum; Secundò, Dioscorū extorsisse contra fas ab Imperatore præsidentiam; testibus Zonara in vita Theodosij, Euagrio lib. 1. cap. 10. Et Leone, qui epist. 24. 25. & 26. frequenter repetit Dioscorum sibi vindicasse principatum: & docet ad Apostolicam sedem appellatum fuisse ab eo Concilio à Flauiano.

XLV. Sed hę nugę sunt. Nam, nec Leo Roma-nus vnquam questus est sibi summ locum non esse tributum. Neque in Concilio Chalcedonensi, quū legerentur acta Ephesini huius, exclamarentq; ad singula falsa Episcopi; quicquam de loco Romani legati actum. Hoc potius clamatum, eiectum fuisse legatum Leonis; neque eius susceptum nomen. Et nihilominus postea querela fuit de aliorum loco: *Flauianus in proprio loco quare non sedit? Constantinopoli-tanum Episcopum, quare quintum posuerunt.* De Roma-no nihil simile: etsi eius legati, Hilarius Diaconus, & Dulcitius notarius omnium postremi nominaren-tur. Quid ergo est, quo Liberato magis credamus? Dioscorum præsidentiam extorsisse primus omniū Bellarminus commentus est: non dixit Zonaras: non Euagrius. Ille tantùm, Eutychem Chrysaphij opera exorasse Imperatorem, vt coram Dioscoro & reliquis Episcopis Ephesū coactis iudicaretur. Hic verò, Dioscorum eius Concilij præsidem esse desi-gnatum: sed designatum ab Imperatore, aut contra ius fasque, neuter scriptum reliquit. Deinde si desi-gnatus fuisset ab Imperatore, argumento id ipsum esse posset, non fuisse id iuris eximium Romano: a-lioquin, qui potuisset alius designari?

XLVI. Ad Leonem quod attinet: videtur ille quidem ægrè tulisse Dioscori præsidentiam: dolo-rem tamen suum magis indicasse, quàm explicasse: quod solent ij qui sibi præreptum dolent, quod nul-la lege debitum est, sed priuata tantùm arrogan-tia exambitum. Nec enim vllo loco conqueren-tem audias ius suum sibi ablatum: nec clamantem non licuisse Dioscoro præsidem agere: tan-tùm notantem obiter: locum sibi primum vindi-casse: quod sanè vt [illegible] dictum videri queat, sic exilius est, quàm pro tanta iniuria, si esset in-iuria. Nec verisimile fit: Leonem ingentis animi virum, non fuisse tonaturum, si persuasum Ecclesiæ vidisset; imò si ipse persuasū habuisset soli sibi pre-sidētiā deberi. At non tonat; imò vix mussat: vix an-

det quibus illa tanquam vestigiis dolorem prodere. Quin hæc audi: *Cepertimus conuenisse ad Synodum plurimos Sacerdotes, quorum vtique frequentia collationi & iudicio profuisset, si in qui sibi locum principalem vendicabat* (tangit Dioscorum) *sacerdotalem moderationem custodire voluisset: vt sicut moris est, omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo constitueretur examine, quod & fidei congrueret, & errantibus subueniret.* Quæ verba non præsidentiam improbant, tanquam contra fas extortam: sed in ea præsidentia moderationem sacerdotalem & consuetam desiderant: ac proinde indicant, cetera quidem nō fuisse illegitimam, hoc verò peccasse, quod sententiæ dicendæ libertatem ademerit. Postremò appellatum fuisse ab eo Concilio ad Leonem, aliàs refutauimus.

XLVII. Sequitur Concilium Constantinopolitanum, quod numeratur Oecumenicum quintum. Huic præsedisse, non Menam, sed Eutychium Menæ successorem, Bellarminus asserit: huncque agnouisse præsidentiam Romano deberi: ideoque Zonaram scripsisse, *centum sexaginta quinque Episcoporum principi fuit Vigilius Papa Romanus.*

XLVIII. At hic mirum est, potuisse quenquam sperare se impositurum cordatis viris. Acta sanè sic incipiunt: *ὑπερκαθημένου ... præsidente Domino nostro sanctissimo ac Beatissimo Archiepiscopo ac Patriarcha Menna.* Et post: *ἐκ τῶν δεξιῶν μερῶν ... Et à dextera quidem parte considentibus et, & coadsidentibus, iuxta pium iussum Christo amantissimi, & à Deo custoditi Imperatoris nostri Iustiniani, sanctissimis ac Deo amantissimis Episcopis, Sabino Canusino, Epiphanio Aesculano, Asterio Salernitano, Rustico Fesulano, Leone Nolano, omnibus ex Italia regione primo quidem missis à sede Apostolica: deinde verò vnanimiter consentientibus aduenientibus hac sancta memoria Agapeto Papæ antiquæ Romæ.* Etsi autem nihil admodum interfit Menásne, an Eutychius præfes fuerit, tamen ex Nicephoro capite vigesimo septimo libri decimi septimi, constat vtrunque præfuisse. Quia enim sub initium eius Concilij Menas excessit è viuis, Imperator successorem destinauit Eutychium, quem aduertisset prudenter sententiam dixisse in prima actione. Sed id, vt dixi, ad hanc rem exiguum momentum habet. Cæterùm ex actis constat Vigilium Romanum tum adfuisse Constantinopoli, & semel atque iterum rogatum, vt interesset, communémque deliberationem de tribus capitibus ab Imperatore propositis adiuuaret. Primò autem, prætexentem aduersam valetudinem, pollicitum se postridie responsurum: deinde negasse adfuturum; quia pauci præ Orientalibus Occidentales essent: quam caussam quum refutarent Patres, probantes aliis Conciliis adhuc pauciores adfuisse, tamé in proposito mansisse. Nicephorus autem testatur factum, quòd nollet propter Eutychium sedere, etsi testaretur alioqui se cum eo de fide sentire. Ita videlicet iā tum suas res agebat Romanus. Sed luculentum tamen inde ducitur argumentum ad hanc quæstionem: quum inde constet, adeò nullo iure sibi potuisse præsidentiam vindicare Vigilium, vt quia alteri delatam videret, maluerit abesse. Porrò Zonaram truncatum suo more Bellarminus citat: is enim non Vigilium solum principem dixit Episcoporum qui aderat: sed cum eo Eutychium Constantinopolitanum, & Apollinarium Alexandrinū: vnde patet agere de primo præsidētiæ genere, quod erat commune omnibus Patriarchis.

XLIX. Quare iam tandem, quum nec vllas proferant scriptas tabulas, quibus fidem faciāt Romani Episcopi, ius suum esse præsidendi omnibus Conciliis: & nos exēpla habeamus illustria in contrariū, quid obstat, quominus concludamus, propositi argumenti minorem esse falsam: ac proinde non posse inde probari Oecumenicum Pontificatum?

Cap. XIII.

De Institutione & Confirmatione Episcoporum.

I. SEquitur argumentum septimum: Quicunque Episcopus toto orbe instituit, & confirmauit Episcopos, is fuit Oecumenicus Pontifex. At Episcopus Romanus toto orbe instituit, confirmauitque Episcopos: ergo fuit Oecumenicus Pontifex. Eprobant assumptum, exemplorum inductione. Maximum Antiochenum Leo confirmasse dicitur: actione septima Concilij Chalcedonensis. Anatolium Constantinopolitanum Leo ipse scribit suspectatoris auxilio & sui fauoris assensu, adeptum esse Episcopatum; Epistola quinquagesima quarta. Nonaginta Arianos, Antiochiæ contra Athanasium coactos, postulantes à Iulio, vt eos comprobaret & confirmare dignaretur, quos pro Athanasio, Paulo, Marcello & aliis substituerāt. Gregorium magnum Epistula trigesima quarta libri quinti, quendam Salonitanum Episcopum ordinatum se nescio. Leonem ad Anastasium scribentem, velle se, vt electionem confirmaret Episcoporum, tanquam Romanæ sedis vicarius.

II. Respondeo, diuersas esse Institutionem & Confirmationem Episcoporum; ideoque distinctè examinādas. Et Institutionē quidem Nicæna Synodus prouincialibus tribuit: vel omnibus maximè, vel tribus saltem, sic tamen vt reliqui per literas consentiant. Is quartus est eius Synodi Canon, ad cuius finem additur, *τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ: alterum verò confirmatio concedatur per singulas prouincias metropolitano.* Itaque nihil Romano Pontifici permittebatur vltra fines suæ diœceseos: vt nec Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, cæteris.

III. Excurrit ille quidē aliquando vltra suos limites, & in variis orbis terrarum prouinciis Episcopos instituit. Sed primò de facto, nō de iure. In Ecclesiæ autem politia constituenda, nunquam attendendū quid sibi quis permiserit: sed quid permittere debuerit. Itaque cùm habeamus disertas iuris tabulas, frustrà facti quasdam calumnias colligas. Secūdò, quæ sibi sic Romanus arrogauit, non sunt ab initio, sed longo post initium tempore: adeò, vt primum exēplum repetatur à Leone, qui vixit annis quadringentis quadraginta post initium Ecclesiæ. Quare integra sunt quatuor secula, quibus nulla eiusmodi fuit eius auctoritas. Quis autem dubitat id esse verius, quod prius?

IV. Sed ne reliquos quidē Episcopos sese intra suas diœceses continuisse, facile doceo, allatis tudē exēplis ab Historia Ecclesiastica. Athanasius Frumentio sanctum Episcopatus munus imperut, mittitque ad animos Indorum pietatis doctrina excolēdos: apud Theodoretum historiæ lib. 1. cap. 23. Idem apud Sozomenum libro tertio, capite vigesimo, non tantùm in Ægypto, sed etiam per alias nationes iter faciés, quotquot secte Arianæ deditos agnoscebat, eos abdicabat: quorum vero fidem habebat exploratè cognitā, & probatam, illis Eccle-

siarum

suã credebat administrationẽ. Epiphanius in Meletianis, testatur Meletium, qui tantũ erat Episcopus, multos ordinasse, Eleutheropoli, Gazæ, atque etiam Æliæ, id est, Hierosolymis. Lucifer Calaritanũ in Sardinia Episcopus, Paulinum Antiochiæ Episcopũ cõstituit, apud Sozomenum libr. 3. cap. 4. Acacius Cæsariensis Eudoxiũ Constantinopolis Episcopum renunciat, apud Socratẽ lib. 2. cap. 33. Apud eundẽ libr. 4. cap. 16. Euzoius Cõstantinopolitanus Lucium Alexandriæ collocat. Theophilus Alexãdrinus Ioannem Chrysostomum Constantinopolitanum designat, apud Socratem lib. 6. cap. 2. Sozomenus libr. 3. cap. 6. scribit à Theognis Nicæno, & Theodoro Heracleoti, Macedonium Ecclesiæ Constantinopolitanæ designatũ Episcopum. Idem lib. 7. cap. 9. Maximum Cynicum, in eadem Ecclesia constitutum ab Ægyptus. Deniq; Moses, cùm nollet à Lucio Alexãdrino ordinari, deducitur ad Episcopos exulantes, à quibus constituitur Episcopus Saracenorum: apud Sozomenum libro 6. capite 38. Quid plura? Longè antè omnia hæc exempla, Ignatius ad Philadelphios; [illegible] *Nunciatum est mihi pacem habere Antiochenam Ecclesiam, quæ in Syria est. Decet itaque vos, vt Dei Ecclesiam, eligere Episcopum, vt obeat [illegible] legationem Dei.*

V. Hæc omnia viam patefaciunt ad argumenti solutionẽ. Primum enim nullo antiquo Canone plus iuris conceditur Romano in Episcoporum creatione, quã cuilibet è reliquis: quandoquidẽ singuli Episcopi iubentur ordinari à prouincialibus. Quare minor est falsa, quæ asserit Romano ius fuisse Episcoporum constituendorũ vbiq; Gentium. Secundò, si neglectis canonibus ad vsum deueniamus, is docet etiam alios Episcopos sæpè ordinationes fecisse extra suam prouinciam: quare negabitur, vel id quod necesse est sumi ad probationem minoris, scilicet, idem esse, extra suam prouinciam constituere varios Episcopos, & ius habere vbiq; gentium constituendi Episcopos: vel certè maior, vt ne sit verum, eũ qui ius habeat constituendi Episcopos vbiq; gentiũ, esse Oecumenicum. Nam si hæc non possunt ita negari, sequetur, & Athanasium, & Luciferum, & alios iam nominatos, fuisse Oecumenicos, quod est falsissimũ.

VI. Quod autem Sanderus asserit libr. 7. Monarchiæ Visibilis, Luciferum, tum cùm Paulinum ordinauit, fuisse legatum Romani Episcopi, ac proinde id fecisse ex illius autoritate, facilius refellitur, quàm [illegible] asseritur. Socrates enim, Sozomenus, & Theodoretus, à quibus eam habemus historiã, eius autoritatis ne meminerunt quidem. Et quis Sandero credet, vt iis melius eam rem, vt gesta est, norit? Sed Nazianzenus (inquit) Luciferum, & Eusebiũ dicit ex vrbe Roma missos Cæsaream: & Hieronymus, à Liberio ad Imperatorẽ legatum fuisse. Respõdeo, eã non pertinere ad eam historiam. Nam historici diserte notant, ea Luciferum gessisse, cùm rediret ab exilio, non autem cùm legatione fungeretur.

VII. Porrò, quod Gregorius querebatur de Salonitano, Sempronius ipse solutionem sufficit. Episcopi [illegible] Occidentales à Romano, tanquã proprio Patriarcha, antequã ordinarentur, confirmari soliti sunt. Faciebat igitur suo iure Gregorius. Nam Salonitana ciuitas erat in Illyrico. Et Illyricum vna erat [illegible] Romani Episcopi curæ subiectis. Nam etiam Macedonia, quæ est vltra Illyricum, cuiusque Metropolis erat Thessalonica, ad eundem pertinebat, vt sumus paulò pòst ostensuri: proinde nihil est mirum, Leonem voluisse eius prouinciæ Episcopos ordinari à suo vicario.

VIII. Venio ad alterã partem argumenti, quæ est de Confirmatione. Et respondeo, Romanum Episcopum confirmasse, vel suos, id est, qui sibi essent cõmissi, vel alienos. Suos confirmasse nemo debet aut negare, aut mirari: cùm, vt dixi, Canon Nicænus quartus, [illegible] tribuerit cuilibet Metropolitano. Quod tamẽ ille produxit paulatim longè latius, quã fiebat ab initio. Nam, cùm in Occidente plurimæ essent præter Romã Metropoles, nõ dubiũ est, per singulas prouincias valuisse autoritatẽ Metropolitanorũ: quæ tamẽ nulla est iampridẽ. Itaq; sic Krantzius Saxoniæ lib 6. cap. 16. *Nec dũ Romana Ecclesia tantũ sibi iuris in omnes omniũ prouinciarũ Ecclesias vẽdicabat, vt nisi cõfirmatione Apostolica, Episcopus non haberetur legitimus. Id enim posteriora tempora ademerunt. Nec ibi quieuit Ecclesia Romana, donec annatas quoque sibi ex omni Christianismo aduocaret.* Et Metropolis libr. 7. cap. 45. *Nihil tũ opus erat Apostolica cõfirmatione. Satis erat electionẽ ab Archiepiscopo cõprobari. Nunc ad se omnia Ecclesiarum iura traxit Romana Ecclesia.* Et lib. 8. cap. postremo, *Redit Ecclesia Mindensis in possessionẽ libertatis suæ, vt iuxta prima tẽpora, vacãtibus Ecclesiis prouiderent per electionẽ capitula. Sed eam libertatem coangustarunt Romani Pontifices per multas reseruationes: per confirmationes, quas sibi solis attraxerant cùm antè permitterentur Metropolitanis, cuique in sua prouincia.*

IX. De alienis, non est etiã difficilis responsio. Nõ enim solius Romani consuetudo fuit, vt extra suam ditionẽ Episcopos confirmaret, sed etiã aliorũ. Mutuò enim sese confirmabant Episcopi, quod his exẽplis demonstratur factum. Ambrosius Mediolanẽsis, cuius electio paulò fuerat insolentior, vtpote è Catechumeno subitò facti Episcopi, 82. Epistol. *Ordinationẽ meã,* inquit, *Occidentales Episcopi iudicio, Orientales etiam exẽplo comprobarunt.* Theodosius Imperator apud Theodoretum lib. 5. cap. 23. testatur omnes Ecclesias Orientis, item Asianas, Ponticas, Threicias, cũ Flauiano communicare, eiq; se addixisse. Gregorius Presbyter in vita Nazianzeni testatur, [illegible] *Petrum Episcopũ Alexãdrinũ scripsisse ad Gregoriũ magnum, confirmando ei Constãtinopolitanũ principatum:* quæ verba torquent Billium in luce clara cæcutientẽ. Augurratur enim id ideò factum, quia ex decretis Nicænis, sedes Alexandrina post Romanã secundi honoris priuilegium teneret. Modestè tamẽ: dubitãs, non affirmans. Et sanè nemo hactenus adeò fuit oculatus, vt suspicaretur hac [illegible] ius confirmationis inferri. Sed & Meletius, teste Theodoreto libr. 5. cap. 8. eundem Nazianzenum confirmauit, [illegible] *confirmauit diuinissimo Gregorio Constantinopolis præsidentiam.* An erat Meletius post Romanum secundus? Sed est illustrissimum testimonium Cypriani epistola 45. ad Cornelium, qua docet ipsam Cornelij ordinationẽ confirmatã ab omnibus Episcopis Africanis. Verba sunt, *Placuit, vt per Episcopos, retenta nobis rei veritate, & ad comprobãdam ordinationem tuam, facta autoritate maiore, tum demũ scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso, per omnes omnino isthic positos literæ fierent, sicuti fiunt, vt te vniuersi collegæ nostri, & communicationem tuam, id est, Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, pariter, & charitatem probarent firmiter, ac tenerent. Quod diuinitus euenisse, & consiliũ nostrum prouidenter profecisse, gaudemus. Sic enim nunc epi-*

scopatus tui, & veritas pariter, & dignitas apertissima luce, & manifestissima, & firmissima comprobatione fundata est. Hinc apparet, non magis à confirmatione, quàm ab institutione Episcoporum, sumi posse argumentum ad confirmandum Oecumenicum Pontificatum.

X. Sed hæc confirmatio Romani Pontificis (inquit Stapletonus) non erat solũ consensus aliquis de congruo: sed erat approbatio necessaria, sine qua verus, & pacificus esse non poterat, qui ea carebat. Imò, inquam, erat duntaxat assensus, quo electio facta significabatur placere: sic enim Leo Anatolium testatur factum Episcopum, *sui fauoris assensu*, hoc est, quia ei electo fauorabiliter assensus sit. Atque hunc consensum ipse latius describit ad eundem Anatolium Epistola 38. *Vt per totum mũdum vna nobis sit vnius communionis integritas, in qua societatem tua dilectionis amplectimur, & gestorum quæ sumpsimus seriem, necessarijs munitam subscriptionibus, approbamus.*

X. Iam quod ait Stapletonus, non potuisse Episcopos esse securos de sua dignitate, quandiu carerent ea confirmatione: primò falsum est de primis Ecclesiæ seculis: in quibus nullum tale exstat exemplũ. Nam, cùm infiniti dicantur Episcopi ordinati, tum nemo vnquam legitur Romã vsque, aut profectus, aut misisse quenquam, vt inde confirmationem referret: qui tamen suas Ecclesias in multa pace administrarent. Secundò, posterioribus seculis factum est verum. Quia, qui Episcopum nõ probabant electũ, satagebant vt Concilium cogeretur, quo is deponeretur. Et quidem ita factum, vt ne ij quidem quorũ Romanus partes fouebat, securi essent in suo throno. Sic enim Chrysostomus à Theophilo depositus est. Sed ne Romanus quidẽ deponere semper, quos voluit, potuit: vt patet in Flauiano Antiocheno apud Theodoretum lib. 5. cap. 23. Flauiano enim Episcopo ordinato, opposuerunt se tres continua serie sibi succedentes Romani, Damasus, Syricius, Anastasius: apud Imperatorem importunè instantes, vt ne eum pateretur esse Episcopũ. At auditum Imperator in patriam reuerti, & Ecclesiam sibi commissam sedulo pascere iubet: contradicentibúsque Romanis opponit consensum Ecclesiarum Orientis, Asiæ, Ponti, Thraciæ, quæ cum eo communicabant. Atque ita tandem impetratum, vt Episcopi Occidẽtis simultatem deponerent, & legatos à Flauiano admitterent.

XII. Ex quibus, & quæ sit confirmatio, apparet, & quanta in ea fuerit Romani autoritas. Primò enim, quod Imperator iactat cõsensum Orientaliũ, Thracum, Põticorum, Asiaticorum: ita significabat ab iis Anatolium cõfirmatum. Deinde quod eum consensum opponit Romanorũ oppositioni, siue, vt Theodoretus mauult, simultati: ostendit non esse tantam horum autoritatem, vt aut sola debeat attendi, aut reliquis omnibus opponi: quod scelerate fieret, si omnia confirmationẽ soli Romano iura permitterẽt. Tertiò, ea ipsa confirmatio Romani, non aliter describitur, quã ex simultate deposita, id est, consensu præstito, & legatorũ admissione, quæ testis erat integræ communionis. Quartò, apparet multos annos Flauianũ in Episcopatu suo perseuerasse, inuitis Romanis. Nam Syricius, qui medi⁹ est inter Damasum, & Anastasium, sedem tenuit annis 15. Photius etiam docet id dissidium durasse annos 20. Quo tamen tempore, & erat, & habebatur verus Episcopus, quãquam non confirmatus. Imò tandem oportuit Romanum iram remittere: & quod tollere non poterat, suo consensu approbare.

XIII. Nec diuersum Anatolij exemplum. Quid enim dicit aliud Leo epistolis illis 33. & 34. quã se nihil voluisse de eius ordinatione temerè scribere in alterutrã partem? Hoc verò non significat Anatolium nõ esse Episcopum, donec eum Leo confirmaret. Nã quorsum ordinatio? Aut quis nescit differentiam inter electionem, & ordinationẽ? Aut quis ignorat cõfirmari id quod iam est, non autẽ quod non est? Imò ipse Leo haud aliter suam cõfirmationem describit, quàm fraternæ charitatis præstatione. Sanè ad eum ipsum Anatolium scribentis hac de re hæc verba sunt, *Vt per totum mundum vna nobis sit vnius communionis integritas, in qua societatem tua dilectionis amplectimur.*

XIV. Nulla igitur esse potest in hac, siue institutione, siue confirmatione Episcoporum, Oecumenici Pontificatus prærogatiua.

Cap. XIV.

De depositione, & restitutione Episcoporum.

I. Octauum argumẽtũ. Quẽ penes est ius Episcopos in qualibet orbis parte destituere, & destitutos restituere, is est Oecumenicus Põtifex. At penes Romanũ id iuris fuit. Ergo is est Oecumenicus. Assumptum probatur exemplis, Marciani Arelatensis ex Cypriano: Anthymi Constantinopolitani ex Liberato, & Zonara, Dioscori: & Petri Alexandrinorũ ex Damaso: Flauiani Antiocheni ex Theodoreto: Polychronij Hierosolymitani ex tomo primo Conciliorum. Destituti illi fuêre. Restituti autẽ Basilides à Stephano apud Cyprianum Epistola 78. Athanasius à Iulio primo, itemque Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, apud Sozomenum libri tertij capite septimo. Theodoretus à Leone, Actione prima Concilij Chalcedonensis.

II. Respondeo, argumentum esse præcedenti simile. Sed agamus prius de destitutione. Primò, in exemplis valdè peccatur. Marcianum Arelatensem nusquam cõstat à Romano depositum. Sic quidem Cyprianus Epistola sexagesima septima ad Stephanum, *Dirigantur in prouinciam, & plebem Arelate consistẽtem à te litera, quibus abstento Marciano, alius in locum eius substituatur.* Sed hæc perperam intelliguntur, quasi iis literis contineretur depositio Marciani, & alterius substitutio: cùm sint potius ex his præcedentibus exponenda, *Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad coepiscopos nostros in Gallia constitutos, ne vltra Marcianum peruicacem, & superbum, & diuinæ pietatis, ac fraternæ salutis inimicum, collegio nostro insultare patiantur.* Sensus erat igitur Cypriani, non vt Stephanus scriberet se Marcianum deposuisse: sed Episcopos potius eius prouinciæ admoneret, esse deponendum.

III. In Flauiani historia etiam dupliciter mentitur Bellarminus: primò, depositum fuisse: quod nusquam Theodoretus dixit: sed contrà potius, vt paulò antè explicuimus. Secundò, non potuisse suum Episcopatum tenere, antequam Romanus placatus consensisset. Contrà enim Theodoretus testatur Imperatorẽ, postquã is ei liberè suum animum aperuisset, admiratum sapientiã, animiq; magnitudinẽ, iussisse in patriã reuerti, & Ecclesiã sibi commissam sedulo pascere. Cæterũ eius causam suscepisse contra Romanum. Euẽtum autem hunc fuisse, vt Flauianus

qui-

quidem ipse nulla re cederet, sed Romanus deponeret simultatem: quam etiam nō leuiter suggillarat Imperator: ostendēs nulla iusta causa Romanum iram concepisse. Gretserus tamen contrà cōtendit: & depositum fuisse Flauianum: & ita dictum à Theodoreto, hoc tamen sensu, vt depositus dicatur, quia ante confirmationem fuerit eius improbata electio. Sed verum à Theodoreto nusquam dici depositū Flauianū: & contrà contendentis Gretseriana est ἐπινοία. Deponi eum, cuius electio improbatur, nunquam dictum: neq; Sophistis ita permittendum pro arbitrio ludere. Tum enim quilibet alium dici posset deponere. Quis enim nō potest alterius electionem improbare? Cæterùm nemo cordatus Flauianum concedet depositū, qui sciet eum pacificè suam Ecclesiam rexisse ad obitum vsque.

IV. Polychronij Hierosolymitani historiam iterum falsauit Bellarminus, cùm dixit à Sixto fuisse missis legatis destitutum. At constat, primò Sixtum coegisse Synodum Romæ, ex cuius decreto missi sunt octo legati Hierosolymam: non ergo ipsum solùm propria sua autoritate id negotij esse aggressū. Deinde hos legatos, non ipsos, aut sua, aut Sixti autoritate, Polychronium destituisse: sed collectam fuisse Synodum septuaginta, aut eo amplius Episcoporum vicinorum, horumq; suffragiis negotium confectum. Dioscorum à Synodo Chalcedonensi depositum ipsa testantur acta: etsi illud etiam verū, quod ex Gelasio citatur ad Episcopos Dardaniæ, autoritate sedis Apostolicæ fuisse damnatū. Enimuerò aliud est damnare, aliud deponere. Præterea ipsa depositio in Synodo facta est præsentibus legatis Romanis: ac proinde autoritate Leonis, vt, & reliquorum qui Concilio intererant.

V. Secundò: constat ex Ecclesiastica historia Episcopos ab Episcopis vltro citroq; deponi solitos esse, atq; etiam Patriarchas à Patriarchis. Apud Socratem libri primi cap. 25. Εὐσέβιος ὁ Νικομηδείας πολλὰ [illegible] Alexandro Constantinopolitano, [illegible] *Sæpè, & grauiter interminatus est Alexandro, se quàm primum eum Episcopatu abdicaturum, si non Arium ad communionem reciperet.* Libro itē secundo, cap. 33. Acacius Cæsariensis Macedonium Constantinopolitanum de Episcopatus dignitate deiecit. Lib. 6. cap. 9. Theophilus Alexandrinus omnes nctuos contēdit, vt Ioannem de Episcopatus gradu deturbaret: lib. 7. cap 33. Cyrillus adiuncto sibi Iuuenali, Ioannem Antiochenum abdicat. Apud Theodoretum lib. 2. cap. 10. Imperator mandat Episcopis, qui tum aderāt Constantinopoli, vt Stephanum abdicent Episcopatu: cap. 27. Acacius Cæsariensis Cyrillum Hierosolymitanum & abdicauit, & Hierosolymis expulit. Apud Sozomenum libr. 3. cap. 11. Episcopi Orientis Iulium Romanum, Osium Cordubensem, & Maximum Treuirensem abdicarunt, cap. 20. Athanasius quoscunq; sectæ Arianæ deditos agnoscebat, abdicabat, non in Ægypto tantùm, sed & per alias nationes, etiā ad se non pertinentes.

VI. Quid mirū ergo, si Romanus, qui sibi semper vigilabat, ausus est aliquid huiusmodi? Et ausus, inquam: Nullus enim omnino proferri potest Canon, quo id ei probetur licuisse: quemadmodum nec reliquis quidē. Quid est ergo, quo magis illum quā reliquos dicamus esse Oecumenicum? Sunt enim vtrinque pares. Neutri Canonem vllum habent: vtrinque de facto id sibi arrogarunt. Sed & hoc notādum: nulla illa exempla esse ex prima antiquitate: sed omnia post Nicænam Synodum: cùm contentiones, & schismata, & partium studia inter Christianos, nimium nimiumque valere cœperunt.

VII. De restitutione idem prorsus iudicium. Quemadmodum enim nun solus Romanus Episcopos instituebat, confirmabat, destituebat: sicneque restituebat solus. Socrates libro secundo, capite decimo octauo, testatur, Asclepā à Concilio Sardicensi esse admissum, quia commentarius ostenderet, ex quibus constabat Eusebium Pamphilum cū aliis nonnullis, tum eius causam diligenter cognouisse, tum ei proprium dignitatis gradum reddidisse. Capite decimonono, Maximum Hierosolymitanum conuentu acto, Athanasio, & communionē detulisse, & dignitatem tribuisse. Libro septimo, capite trigesimo tertio, Cyrillum Alexandrinum, & Ioannem Antiochenum, depositis inimicitiis, & amicitia reconciliata, sedes Episcopales alternm alteri restituisse. Quid mirum, si quid simile Romanus ausus est?

VIII. Erat autem ea restituendæ sedis ratio aliud nihil, quàm testari se pro Episcopo agnoscere eum, qui esset destitutus: non verò realis, vt ita dicā, introductio in ipsam sedem, hoc est, in administrationē eius Ecclesiæ, vnde erat deturbatus. Quod ab exemplis iam allatis facilè intelligitur. Nec enim Maximus Hierosolymitanus quicquam habebat iurisdictionis in Episcopatum Alexandrinum, vt sua autoritate ei sedi Athanasium restitueret. Nec Cyrillus Ioannem, aut Ioannes Cyrillum reali restitutione potuit suæ sedi reddere: cùm certum sit, nullam fuisse alteri in alterum autoritatem: sed & neutrum vnquam, aut expulsum fuisse à sua Ecclesia, aut etiam intermisisse functiones Episcopales. Erat igitur Ioannes semper Episcopus, sed Antiochenis, non Cyrillo. Cyrillus etiam semper Episcopus: sed Alexandrinis, non Ioanni. Depositis verò inimicitiis, alter alteri sedem restituisse dicitur, id est, Cyrillus testatus se Ioannem agnoscere pro Episcopo: & vicissim Ioannes Cyrillum.

IX. Sed & Athanasij à Iulio restituti exemplum huc facit. Nam Sozomenus Athanasium dicit à Iulio primum in communionem receptum vnà cum Paulo Constantinopolitano, Marcello Ancyrano, Asclepa Gazæ, Lucio Adrianopolitano: & restitutas eis Ecclesias, literasque scriptas ad Orientales, quibus accusabantur, quòd non rectè iudicassent, Ecclesiasque perturbassent. Non fuisse autem restitutionem realem, inde apparet, quod non sint admissi ab Orientalibus, qui potius grauiter increparunt Iulium: atque adeò Athanasium necesse fuit Romam regredi: ac tandem, cùm videret se Iulius literis apud Episcopos Orientales nihil promouere, causam detulit ad Constantem Imperatorem, teste Sozomeno libro tertio, capite nono. Constans autem scriptis ad Constantium fratrem literis, quibus ei bellum minabatur, nisi eos reciperet, effecit, vt restitueretur Athanasius Alexandrinus. Addo apud Cyprianum non legi, Basilidem esse restiturum suæ Ecclesiæ: contrarium potius colligi ex eo, quod hortatur Cyprianus Hispanos, ne acquiescerent Stephani iudicio, laudans quòd pro Basilide alium ordinassent.

X. Quare hoc, quicquid est, siue iuris (quod tamen nullo Canone nititur) siue facti, in quo quis neget facilè peccari potuisse? id nihil Oecumenicum Pontificem iuuat.

Cap. XV.

De Consensu cum Romano Episcopo.

I. NOnum argumentum: Si, qui Romano Episcopo consentiunt, sunt Catholici; qui dissentiũt, hæretici: Ergo Romanus Episcopus est Oecumenicus Põtifex. At verum prius: ergo, & posterius. Bellarminus lib. 2. de Pontifice, cap. 16. Antecedens probatur ex Ambrosio, oratione in Satyrũ, *Percõtatus Episcopum est, si cum Episcopis Catholicis, hoc est, si cum Romana Ecclesia conueniret.* Cur, quæso, Episcopi Catholici non sunt, nisi, qui cum Romana Ecclesia cõueniunt: nisi, quia Romana Ecclesia caput est Catholicæ Ecclesiæ? Ex Hieronymo ad Damasum, *Quicunque tecũ non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Et rursus, *Ego interim clamito, si quis cathedræ Petri iungitur, meus est.* Item, *Ego nullũ primum, nisi Christum sequens beatitudini tuæ communione consocior.*

II. Respondeo, negari consequentiam. Prima ratio: Quia antecedens nõ est perpetuum: nempe sic, vt quicunq; cõsentit cum quocunq; Episcopo Romano is sit Catholicus: hæreticus, qui contrà. Nam Sergius Constantinopolitanus Patriarcha, communicauit, quamdiu vixit cũ Honorio Romano, & tamẽ damnatus est post mortẽ, tanquam Monothelita: nec tantùm ipse, sed & cum eo Honorius. Et quamuis strenuè pugnẽt Papistæ, non fuisse Honorium, aut hæreticum, aut etiam damnatũ, tamen fatẽtur Sergium, & dãnatum, & hæreticum. Nec possunt tamẽ negare, cõmunicasse cum Honorio. Itaq; saltem, tunc tẽporis non erat Catholicus, quicunq; cõmunicabat cum Romano. Liberius post exilium cõmunicauit cum Arianis: cõmunicauit etiam Felix: nec tamen Ariani sunt vnquã habiti Catholici. Contrà, Cyprianus acriter dissensit à Stephano, & tamẽ teste Augustino, vnitatem seruauit Ecclesiæ. Flauiano Antiocheno noluerunt cõmunicare plurimis annis Damasus, Syricius, Anastasius: & tamen fuit Catholicus. Quare, si aliquando non cõmunicarunt aliqui cum Romano, tamen Catholici: & rursus communicarunt cum eodem aliqui, tamen hæretici: sequitur Episcopum Romanum, non esse caput Ecclesiæ: non esse Oecumenicum.

III. Secunda ratio: quia quæ producuntur, exempla sunt particularia. Nullo enim loco apud antiquos Patres hoc reperitur positũ Canonis loco, vt ij omnes semper habeantur Catholici, qui consentiẽt cũ Romano, aut hæretici, qui dissentient. Quare, quę apud Ambrosiũ leguntur, & Hieronymum, atq; alios, intelligẽda sunt ex hypothesi. Habent enim pro fundamento circunstantiam personarum: nempe; quia tunc Episcopi, qui præerant Romæ, erãt Catholici: ac proinde qui cum iis cõmunicabãt eos saltẽ verisimile erat, nõ esse hęreticos: quia non solent hostilli in suam communionem admittere.

IV. Tertia ratio: quia horũ particularium exemplorum magnum numerũ inuenire licet apud antiquos. Augustinus in primã Ioãnis tractatu secũdo, *Si Christiani Catholici estis, cõmunicate cum illis Ecclesiis, vnde Euãgeliũ toto orbe diffunditur.* Et in breuiculo collationis tertij diei, cap. 4. *Testimonia ex lege, Prophetis, & Psalmis, & Apostolicis atq; Euangelicis literis deprõpta sunt, quibus ostenditur Ecclesia Catholica per totum mundũ diffunde, incipiens ab Hierusalẽ, vnde in propinqua, & longinqua crescendo, etiã in Africã venit, & in alia loca, & ciuitates, per quas primum dilatata est: in quibus multa Ecclesia ad ipsam vnicã pertinẽtes Apostolico labore fundata sũt, quibus Donatistas non cõmunicare manifestũ est.* Ergo tẽpore Augustini, qui cõmunicabãt cũ Hierosolymitana Ecclesia, erant Catholici: qui non cõmunicabant, hęretici. Apud Eusebiũ libr. 7. histor. Ecclesiasticæ, cap. 24. Aurelianus Imperator præcipit, vt dom⁹ Ecclesię illis tribuerẽtur, quibus Christiani Italię, & vrbis Romę Episcopi tribuẽdas præscriberẽt. Apud Sozomenũ lib. 7. cap. 9. Theodosius Imperator lege sanxit, vt Ecclesię vbiuis Gentium collectę illis cõmitterentur, qui in substantiis triũ personarum eadẽ dignitate, eademq; potentia præditarũ, vnam, & eandẽ confitentur diuinitatẽ Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Hos porrò esse, qui cõgruerent in fide cum Nectario Constantinopoli: in Ægypto cum Timotheo Alexandriæ: in Orientalibus Ecclesiis cũ Diodoro Tarsensi, & Pelagio Laodicensi in Syria: apud Asianos, cũ Amphilochio Iconiẽsi: in Põto, à Bithynia ad Armeniã, cum Helladio Cæsariensi: in Cappadocia, & Gregorio Nyssæ, & Otreino Melitę. In Thracia, & Scythia, cum Terẽtio Tomorum, & Martyrio Marcianopolis. En ubi decẽ Episcopos per vniuersum orbẽ, quorum communicatio erat argumentũ Christiani. Et vt mirere, in iis decem, nusquã Romanus est: & hoc in edicto Imperatorio. Quid? quod legis apud Basiliũ Epistola 75. ὁ τὴν πρὸς ἡμᾶς κοινωνίαν ἀποδιδράσκων, μὴ λανθανέτω ὑμῶν τὴν ἀκρίβειαν, πάσης ἑαυτὸν τῆς ἐκκλησίας ἀπορρηγνύς. *Qui fugit meam communionem, hunc scitote se ipsum abscindere ab vniuersa Ecclesia.* Nunquam quicquam fuit magnificentius dictum de Romano.

V. Liberius ad Orientales Episcopos scribens, apud Socratem lib. 4. cap. 11. *Vestra,* inquit, *literæ nobis maximã lætitiam attulerunt: id adeò in primis, quòd vestras sententias, & opiniones, tũ cùm mea qui infimus omniũ sum; tum tũ aliorũ Episcoporum Italiæ, cæterarũq; omniũ regionum versus Occidentẽ sententiis consentire, concordareq; ostenderunt, atq; adeò confirmarũt.* Cyrillus ad Nestoriũ, ἀκόλουθον ἐγγράφως καὶ ἐνωμότως ὁμολογῆσαι, ὅτι καὶ ἀναθεματίζεις μὲν τὰ σαυτοῦ μιαρὰ καὶ βέβηλα δόγματα· φρονήσεις δὲ καὶ διδάξεις, ἃ καὶ ἡμεῖς πάντες, οἵ τε κατὰ τὴν ἑσπέραν καὶ τὴν ἑῴαν ἐπίσκοποι, καὶ διδάσκαλοι, καὶ λαῶν ἡγούμενοι. *Consequens est, vt scripto, & cum Sacramento confitearis te anathematizare tua peruersa, prophanaq; dogmata. Sensurũ autẽ, & docturum eadẽ quæ & nos, tum ad Occidentem, tum ad Orientem Episcopi, doctores, & populorum præfecti.* Celestinus ad Cyrillũ præscribit Nestorio, vt intra decẽ dies, non solũ sua damnet: sed & testetur, ταύτην κατέχειν τὴν πίστιν περὶ τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ, τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ἣν καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων, καὶ ἡ τῆς σῆς ἁγιότητος ἐκκλησία, καὶ ἡ καθ' ὅλου θρησκεία κηρύττει. *Se eãdem fidem habere de natiuitate Christi Dei nostri, quã tum Romana, tum sanctitatis tuæ Ecclesia Catholicaq; religio prædicat.* Ergo, teste Celestino ipso Romano Episcopo, tum temporis, nõ tantùm Romana Ecclesia, sed etiam Alexandrina, erat norma (vt ita dicã) fidei. In Actis Synodi Chalcedonensis, Sacra est Marciani, contra eos, qui non credunt, *vt trecenti decem, & octo sancti Patres tradiderunt, Catholicam sanctam fidem in Nicæa fundantes: vel ita, vt centum quinquaginta, alij venerabiles episcopi, qui in hac alma vrbe Constantinopolitana postea conuenerunt: & sicut Athanasius, & Theophylus, & Cyrillus sanctæ recordationis episcopi Alexandrinæ ciuitatis crediderunt.* Denique, ne omnia colligam, Tertullianus in lib. de Pręscriptionib⁹, cap. 37. *Proximè est tibi Achaia: habes Corinthũ. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: Si autem Italiæ adiaces, habes Romam: vnde nobis quoque autoritas præsto est.*

VI. Hæc, cùm ita sint omnia, non fuit igitur, aut

solùm

sola Ecclesia Romana, aut solus eius Episcopus, cum eius consensus, & communio, indicium fuerit Catholicæ fidei: quare propositi argumenti consequentia est fallax.

CAP. XVI.

De Vicariis Episcopi Romani.

I. VNdecimum argumentum: Si Vicarios suos habuit Romanus Episcopus, habuit in variis regionibus, aut ordinariè, aut ad tempus, cū reseruatione tamē maiorum causarum: ergo fuit Oecumenicus Pontifex. At verum antecedens: ergo & consequens. Probant consequentiam, exemplo regis mittentis proreges in prouincias: quia inde intelligitur eas prouincias ei subiectas. Antecedens autem: quia Anastasius Thessalonicensis, Vicarius fuit Leonis per Orientem: ex Leonis Epistola octogesima quarta. Potentius in Africa, Epistola octogesima septima: Cyrillus Celestini, in causa Nestorij, & Ecclesia Constantinopolitana regenda, ex Epistola Celestini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Clerum, & populum Constantinopolitanum. Acacio Constantinopolitano curam Ægypti mandatam dicat Gelasius ad Episcopos Dardaniæ. Hormisda Vicarium suum per Beticam, & Lusitaniā fecerit Salustiū, ex eius Epistola ad eundem. Iustinianus nouella centesima trigesima prima Episcopum Iustinianæ primæ Vicarium Vigilij dicat. Gregorius Epistola 52. libri 4. Vigilium Arelatensem Vicarium suū constituit per Gallias. Hæc Bellarminus, capite 20. libri 2. Hardingus segmento vigesimo tertio, articuli quarti contra Hardingum: tres tantùm obseruare voluit: vnum Episcopum Constantinopolitanum ex Epistola Simplicij ad Acacium: alterum Episcopum Alexandrinum, ex Bonifacij secundi ad Eulalium Epistola: tertium Thessalonicensem; quem & Bellarminus.

II. Respondeo: primò, omnia illa exempla esse recentia. Nam antiquissimum non excedere tēpora Leonis Papæ, id est, seculum quintum. Quod indicat est, antiquitus, haud ita factum, & nobis argumentū certum, quandoquidem posteritas falsitati deputanda sit, non esse legitimam in Ecclesia demonstrationem. Deinde, nullus Canon profertur ius nullum indicatur: tantùm profertur factum. At nō quicquid aliquis sibi vsurpat, id in Ecclesia vim legis habere debet.

III. Porrò distinguo Vicarium, ne sophisticè ludificetur ambiguitate vocabuli. Appellantur Vicarij seu Legati, qui aliquò mittuntur, vt partes agant eius à quo mittuntur ad certum tempus, atq; in certo negotio. Hoc modo nullos in Historia Ecclesiastica, quod sciam legatos nouimus Romani Pontificis, ad vsque Melchiadem in Concilio Arelatensi, cui interfuerunt Claudianus, & Auitus presbyteri, cūq; iis Eugenius, & Quiriacus Diaconi. Sed ab eo tēpore crebrum nomen in Concilijs: quocū, aut non possent Romani, aut vt Papistæ dicūt, nollent proficisci, mittebant saltem quosdam cum potestate, vt suum locum tuerentur. Quod & alijs licebat: non tantùm Patriarchis: sed etiam Episcopis. Nam in Chalcedonensi subscriptiones leguntur Philotesi Alexandrini in Cilicia per Alpium presbyterum Cappadociæ: Montani Claudiopolitani, per Paulum presbyterum. Longiani Sozopolis per Simplicium presbyterum: & aliorum. In Ephesina Flauianus Philippensis dicere dicitur, ἐπέχων τὸν τόπον τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Ῥούφου Θεσσαλονίκης, tenuisse locū Rufi venerandi Episcopi Thessalonicēsis. In Chalcedonēsi, Quintillus Heracleæ Macedoniæ, agens vices Anastasij Thessalonicensis: Lucianus Byziæ, Cyriaci Heracleæ Thraciæ: Eusebius, & Constantius presbyteri, Anastasij Nicææ: & alij nonnulli aliorum.

IV. His affines, alij fuere, quos Apocrisarios dixere, barbaro nomine, ἀπὸ τῶν ἀποκρίσεων, à responsionibus: qui videbantur in varia loca distributi, vt ad Episcopum Romanū scriberēt, quæcunq; oportebat illum scire, & ab eo responsa acciperent eorum, quę erant acturi. Latinè responsales dicebant. Sic Gregorius Epistola 36. & 8. lib. 4. de responsali loquitur suo, qui esset ad pedes Dominorum, hoc est, Imperatorum missus. Nēpe, quia quotidie occurrebāt in aula Imperatoria plurima negotia, quorum oportebat Gregorium non esse ignarū: & contrà Romano multa erant in aula peragenda, quæ non poterant transigi, absq; certo procuratore. Qui mos tamen nullus erat, cùm sese intra simplicitatis limites Episcopi coercebant. Sed tum inuectus, cùm cœperunt πολυπραγμονεῖν. Atq; adeò in immensum tandē auctus. Nam hinc origo Legatorum, qui iampridem Regum aulas circumuolitant: imò regum antes circumsident: idque sæpiùs ad ferenda bella, quàm ad promouendam Christianorum salutem.

V. Tertium genus tandem innectum est Legatorum, eorum scilicet qui Episcopi Romani nomine certis in locis iurisdictionē exercebant: atq; hęc hodie significatio solennis est. Horum tres species distinguit Lælius Zecchius de Republ. Ecclesiastica, capite de statu illustrissimi Legati. Alios appellat Constitutos, quod genus Nuntij sunt, quorū minima est potestas: alios Natos, quorum dignitati id officium est annexum, & constitutis maiores sunt: tertios Laterales omnium maximos, qui de latere Papæ mittuntur, etiamsi non sint Cardinales: sed tātùm officiales, capellani, familiares, vel etiam extranei, dummodo ab eo viuæ vocis oraculo mandatum susceperint, & tetigerint fimbriam vestimenti eius, ad hoc, vt sint priuilegiati.

VI. His ita constitutis facilis responsio. Nam, si de primo, & secundo Legatorum genere intelligimus, consequētia est nulla. Nam in primo quidē genere, multi habebant legatos in Synodis, quorum tamen nulla fuit autoritas Oecumenica. In secundo autem, quis nescit reges huiusmodi legatos, quaqua versum mittere. Certè Rex Galliæ suos habet Romæ, & in Hispania, & Constantinopoli, & in Germania, & apud Heluetios: & in Anglia: qui tamen Galliæ rex est dūtaxat, nō etiā earū regionū omniū.

VII. In tertio genere, potest admitti cōsequentia: sed antecedēs est falsum. Quod vt fiat perspicuum, distinguo Orientales ab Occidentalibus: quomodo iam olim factum: quorū intergerini limites apud Sozomenum lib. 3. cap. 12. Thracia, & Illyricum. In Oriente ergo fuisse vllus vnquam eiusmodi Vicarios pernego. Et de Cōstantinopolitano quidē, quis nō miretur affirmatum? Eo, inquam, quia duabus, tribùsve Synodis, id habuit, vt in Ecclesiasticis negotiis, æquè magnus esset, ac Romanus: hoc tātū excepto, quòd post eum numeraretur? Eo, inquā, qui idē iuris habebat in suos subditos, quod Papa habet in suos: in Glossa decreti distinctione 22. capite *Renouantes*. Nec verò quicquam Simplicij Epistolium habet, quod eò accedat: tantùm enim conqueritur, quòd se de rebus Alexandrinis certiorem non fecerit. In Eulalio Alexandrino, haud

minor impudentia. Scribit ad eum Bonifacius, conciliatam esse Romanæ sedi Carthaginensem Ecclesiam. Vicarium verò tam facilè inuenerìs in his literis, quàm in syluis delphinum. Quanquam eas ipsas literas Cæsar Baronius fictas esse contendit, tum in Annalibus ad annum trecentesimum trigesimum sextum, paragrapho sexagesimo, tum in Martyrologio ad decimum sextum Octobris.

VIII. Quid de Bellarmino dicam? Anastasium Thessalonicensem, vt illi credam fuisse Leonis Vicarium per Orientem? At vnde habet? Nam Epistola Leonis nihil tradidit eiusmodi. Cyrillum fuisse legatum in Concilio Ephesino in causa Nestoriana antea dictum: sed quid id ad Occumenicum Pontificatum? De administranda Ecclesia Constantinopolitana, quod dicitur, falsum est. Nihil hac de re Celestinus in literis: nihil ipse Cyrillus. Gelasij verba relegi ad Episcopos Dardaniæ, *Cur non ad sedem Apostolicam, à qua sibi curam illarum regionum nouerat delegatam, referre curauit Acacius?* Sed animaduerto in eadem Epistola, multa mentitum Gelasium, ad suæ sedis autoritatem extollendam. Itaque, ne hoc quidem mihi fit verisimile.

IX. Iam ad Occidentem pertinet Thessalonicensis. Erat enim Thessalonica Macedoniæ Metropolis: & Macedonia in Occidente computabatur, vt patet ex ea quam paulò antè diximus, distributione apud Sozomenum. Tum ex dispositione Leonis Imperatoris cognomine Philosophi, quam Leunclauius edidit in corpore Iuris Græco-Romani. In qua titulus est, [illegible], *Metropolitæ qui abstracti fuerunt à diœcesi Romana, & nunc degunt sub sede Constantinopolitana.* Tum in iis omnium primus Thessalonicensis occurrit. In eodem Occidente fuisse Gallias, & Hispanias, non est necesse, vt moneam. Porrò in hoc Occidente nemo miretur Romanos suam autoritatem pro viribus amplificasse, & certatim confirmasse. Obseruemus potius, quibus artibus sensim, ac labentibus annis sese insinuarint. Ante Leonem eiusmodi Vicariorum ne nomen quidem erat auditum: duntaxat in Sardicensi Concilio, si quis damnatus ab eo postularet renouari iudicium, id ei permissum, vt si videretur, quosdam mitteret, qui cum prouincialibus iudicarent. Inde sumptam huius consuetudinis occasionem, nullus dubito. Sed primùm, si ea autoritate vsus est in Occidente Romanus, non tamen per totum orbem terrarum, itaque non potest inde conficere suum Occumenicum Pontificatum. Contrà potiùs, si verum est, nunquam in Oriente, sed tantùm in Occidente hos fuisse Vicarios: certò concludimus, non fuisse ergo Oecumenicum. Denique in ipso Occidente, quandoquidem tam sero id cœptum est, dicimus non esse à bono.

X. Restat Africa, in quam Leo legitur misisse Potentium, eiq; vicem suæ curæ iniunxisse. Quæ verba vix enim significare credam vicarium, de quo agimus, nimirum generis tertij. Nisi enim me iudiciũ fallit, videtur potius in secundo ordine esse: cùm enim eam vicem explicat, tum nullam iudicialẽ autoritatem tribuit. Verba sunt, *Qui secundùm scripta, quæ per ipsum ad vos direximus de Episcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet, inquireret, nobisque omnia fideliter indicaret.* Sed id quid sit parum refert. Perspicuum est diu laborasse Romanos, vt Africam, quæ sub nullo alio Patriarcha erat, sui iuris facerent. Sed id constat etiam, tum cùm in eadem erant viri magni Aurelius, Augustinus, alij, seuerè coercitã intẽpestiuam ambitionem. Hinc decretũ, [illegible] *Legatos clericos, nostrum quibusdam postulantibus, nolite mittere: neque permittere, vt fumosum seculi fastum in Christi Ecclesiam videamur inducere.* Laudo sinceritatem. Vtinam ita omnibus mundi partibus parem: vtinam in eorum successoribus constantem.

CAP. XVII.

De legibus, dispensationibus & pœnis.

I. ARgumentum duodecimum: Si Romanus Episcopus autoritatem exercuit leges ferendi, dispensandi, & puniendi, in Ecclesię filios, quamuis maximos, & nobilissimos: Ergo fuit Oecumenicus. At verum antecedens. Verũ igitur consequens. Bellarminus, capite decimo nono libri secundi de Pontifice. Posnanienses thesi centesima trigesima prima, probant antecedens. De legibus. Quadragesimale ieiunium à Telesphoro institutum. Eusebius in Chronico notauit, & à Pio primo, vt resurrectio Christi die Dominica celebraretur. Tum, Leo Epistola prima, quibuscunque violantibus sedis Apostolicæ statuta, depositionem minatur. Et Epistola octogesima prima, Dioscoro Alexandrino duas leges præscribens, *Id quoque* (inquit) *à vobis volumus custodiri.* Hilarius in Cõcilio Romano sancit, nulli fas esse, *sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare.* Anastasius iunior ad Anastasium Augustum: obediendum iussis Romanæ Ecclesiæ, *Si* (inquit) *eiusdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ caput est vestrum, communionem habere desideratis.* Gregorius in priuilegio sancti Medardi, si quis violarit eius statutum, priuationẽ honoris minatur. De dispensationibus, Gelasius Epistola prima, sibi Canonum decreta esse temperãda scripsit. Et Gregorius Epistola trigesima prima libri duodecimi, se cum Anglis dispensasse in gradibus matrimonij prohibitis: & cum Siculis, vt semel tantum in anno Concilium celebrent. De censuris: Innocentius primus Imperatorem Arcadium excommunicauit, & vxorem eius, apud Nicephorum libri decimi tertij, capite trigesimo quarto. Nicolaus primus Lotharium regem Galliæ. Gregorius tertius Leonem Imperatorem Græcum apud Zonaram, in vita Leonis Isauri. Et longè antè, Victor Orientales ob celebrationem Paschæ.

II. Respondeo, Leges, vel sunt vniuersales, vel particulares: illæ, quæ vniuersæ Ecclesię ponuntur: hæ, quæ tantùm quibusdam. De his, negatur consequentia. Nam suę quilibet Episcopus potest leges Ecclesię dare. Sic Ambrosius Mediolanensi diœcesi Canonem cõposuit: Sic Nectarius Constantinopoli Confessionarios sustulit. Nec desunt alia exempla infinita: nisi in re perspicua superfluus labor esset. De vniuersalibus autem, negatur antecedens. Reuera enim Episcopo Romano licuit nunquam Ecclesias omnes suis legibus subiicere: sed tantùm intra suam diœcesin.

III. Ad exempla respondeo, illa de Thelesphoro, & Pio, primo esse falsa. Itaque, neq; ab Eusebio scripta, neq; ab Hieronymo addita: teste magni

Scali-

Scaligeri editione: sed ab otiosis quibusdam non bono studio inserta. Et sanè, quomodo annotasset Eusebius, quadragesimam à Thelesphoro institutam, qui ab Apollonio didicerat Montanum illum esse, qui nouas ieiuniorum leges sanxerat: capite decimo septimo libri quinti: & ab Irenæo Victoris tempore variam fuisse seruandi Paschalis ieiunij rationem: aliis vnum diem: aliis duos: non paucis plures: aliis quadraginta: capite trigesimo quarto: De Resurrectione Dominica idē testis est capite vigesimo secundo, variis Conciliis celebratis decretum factum, vt nō, alio die quàm Dominico, mysterium Domini resurrectionis à mortuis celebraretur. Quanquam ne id quidem omnes Ecclesias obligauit, donec confirmatum est à Concilio Nicæno.

IV. Leonis Epistola prima scripta est ad Episcopos Campaniæ, Piceni, & Thusciæ: quæ prouinciæ erant suburbanæ, ac proinde Romano subiectæ. Quod verò in inscriptione additur, *& per omnes prouincias constitutis*: vel intelligendum de vicinis: vel est supposititium. Quis enim credat Leonem scribentem ad omnes totius orbis Christiani prouincias, obscurissimas duntaxat nominasse: illas famosissimas omisisse, per totum Oriētem? Itaque, quæcunque in ea Epistola decernuntur, leges sunt particulares, non vniuersales canones. Epistola etiam ad Dioscorum nihil habet, quod legem latam significet: sed amicam admonitionem, ex Christianæ charitatis ardore. Statim initio, *Quantum dilectioni tuæ charitatis impendamus affectum, ex hoc poteris approbare, quod tua firmius desideramus fundare initia, ne quid charitati tuæ ad perfectionem deesse videatur, cùm tibi spiritualis gratiæ merita, vt probauimus, suffragentur. Paterna igitur & fraterna collatio debet sanctitati tuæ esse gratissima, & à te taliter suscipi, quemadmodum à nobis eam intelligas profectam. Vnum enim nos sentire oportet, & agere, (sicut legimus) in nobis quoque vnum esse cor, & animam comprobetur.* Hæc ille: quæ quidem verba sunt, non imperiosè præcipientis, siue legem ferentis, sed amicè & ex iure Ecclesiasticæ communionis admonentis: quod etiam magis arguunt sequentia de Marco Petri discipulo, quem negat esse verisimile, *alia regula traditionum suarum decreta formasse: cùm sine dubio de eodem fonte gratiæ vnus spiritus fuerit & discipuli & magistri.* Hæc igitur Leo ad initium Epistolæ: quæ, quæ postmodum habentur, *Id à vobis volumus custodiri*, intelligenda, non de præcipientis autoritate, sed de monentis affectu: Nam vult, non tantùm, qui imperat sua decreta: sed etiam qui monet, sua monita seruari.

V. Hilarius sedebat in Concilio Romano, particulari, & suffragia rogabat, *Si placet, fratres, ea, quæ ad ordinationum tenorem pertinent, iuxta diuinæ legis præcepta, & Nicænorum canonum constituta, ita adiuuante Domino in omne æuum mansura solidemus, vt nulli sit fas sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis temerare decreta.* Ergo obserua, primò non ipsum Hilarium statuere, sed rogare Synodū, vt statuat: secundò Synodum esse particularem. Nam inde conficitur, non esse eorum vim verborum producendam ad eos Episcopos, qui erant per vniuersum orbem: & obligari etiam illos, qui erant intra fines, vnde collecta erat Synodus, non ex autoritate Hilarij decernentis, sed Synodi ita censentis. Anastasij illa verba non reperis in ea Epistola ad Anastasium Imperatorem: neque in primo tomo Conciliorum editionis Coloniensis primæ, neque apud Iouerium. Præterea notandum, quod subijcitur, *Si eiusdem sancta Dei Ecclesia* (hoc est Romanæ) *quæ est caput vestrum communionem habere desideratis.* Quo alluditur ad eius temporis mores, quo solebant Episcop. suam communionem denegare iis, qui aliter sentiebant: propterea non dixit, communionem omnium Ecclesiarum, sed Romanæ tantùm Ecclesiæ.

VI. Quod ar[illegible] et ad Gregorium, primò, Monasterium illud Medardi est in Gallia, quæ pertinebat ad Occidentem, vt facile potuerit à Gregorio confirmari, quanquam non Oecumenico. Deinde, ipsa eius confirmationis, quæ continetur libro duodecimo Registri, valde fides nutat. Deprehendit Baronius nonnulla argumenta ad annum quingentesimum nonagesimum tertium, paragrapho octogesimo quinto: scilicet subscriptionem Episcoporū, & Regis Theodorici, non congruere iis temporibus. Siquidem complures Episcopi, qui subscripsisse leguntur, post aliquot annos creati inueniantur, vt Augustinus Cantuariensis, & Mellitus Londoniensis: Theodoricus etiam tum in Galliis nullus rex erat. Sed nos alia. Nam neque tum solebat adscribi annus Christi: cùm ibi notetur quingentesimus nonagesimus tertius: neque aut poterat, aut solebat Gregorius Regibus, & Antistitibus, & Iudicibus minari honoris priuationem: cùm constet tum temporis, ac ne postea quidem, in Reges vllum habuisse imperium Episcopos Romanos. Ad hæc Medardus iam defunctus in sanctis habitus, Dominus subinde vocatur: quod recentiorem superstitionem pleno ore redolet. Et ad finem, hæc additur elegantiæ scilicet plena phrasis, in inferno inferiore damnandus. Mitto ea priuilegia concedi huic monasterio, quæ temporum rationi non satis videntur congruere: vt nullius dominio locus subesset: vt quicunque eum locum adiret, priuaretur dominio alterius: & hoc ipsum ineptè, pro in libertatem plenam vindicaretur. Quibus argumentis, non tantùm cum Baronio, subscriptionem postea adiectam concludo, sed potius totum priuilegium falsum.

VII. Porrò in legibus ferendis, soli, quibus incognita est historia, ignorant quantum sibi Romani Pontifices indulserint. Nam è primis seculis nullas habemus Decretales Epistolas: quæcunque enim hoc nomine feruntur, constat esse impudenter fictas. Circa Damasi, & Syricij tempora nonnullas legimus: inde profectum in deterius, donec tandem in omnes partes tyrannis grassaretur. Nec solis tamen Romanis id accidit. Nam & Græci nonnihil tentarunt huiusmodi, vt videre est in Corpore iuris Græco-Romani: quanquam longè modestiùs. Sed quomodocunque hæc acciderent, lex nullis vnquā profertur, qua constet hanc legum ferendarum potestatem Episcopo cōcessam. Exempla etiam nulla colliguntur primæ purissimæque antiquitatis. Quod postea factum, cùm ambitio exsultauit, Catholici non patiuntur sibi pro lege obtrudi.

VIII. De dispensationibus haud dissimile iudicium. Dispensatio nulla potest esse vniuersalis. Particulariter autem in rebus Ecclesiasticis, quæ sunt duntaxat politiæ gratia institutæ, dispensare possunt quilibet Episcopi in suis Ecclesiis. Itaque non inueniuntur Romani dispensasse in Oriente: Gelasij epistola est ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam, vicinas prouincias, ac, vt ita dicam, vrbis pomeria. Gregorius item de Siculis agit & Anglis: qui omnes ad Occidentem sunt.

IX. Ne censurarum quidem difficile negotium

est. Semper enim Episcopis, maximè autem Patriarchis licuit excommunicare eos, qui peccarent contra leges Ecclesiæ. Sic Ambrosius apud Theodoretum libro quarto, capite decimo septimo, Theodosium Imperatorem excommunicauit: & Maximum Tyrannum, apud Sigebertum in Chronico anni trecentesimi nonagesimi. Anastasius Antiochenus quotidie anathema pronunciabat in Iustinianum, apud Euagrium libro quarto, capite trigesimo nono. Cyrillum excommunicauit Cyrillus Antiochenus, patriarcham patriarcha. Etsi, vt ferè fit, abutentes nonnunquam sua potestate, ex opinionum præiudiciis. Nemo miretur ergo etiam Romanum eodem iure vsum: etsi non Oecumenicum. Miretur magis, si, quæ grassatur pestis est ambitionis, intra suos se iurisdictionis limites continuerit: & qui initio tantùm excommunicabat, tandem non etiam regna permutarit pro arbitrio. Qui Arcadium contentus fuit [illegible], *arcere communione sanctorum viuificorúmque mysteriorum*: tandem non bella suscitauit cruentissima in Imperatores Germanos, etiam irritato filio contra patrem. Hoc mirarer, si factum non esset: illud nec mirer, nec recipiam pro argumento ad ædificandam Oecumenici Pontificatus Babelem.

X. Nam quod ad Ambrosij exemplum Bellarminus excipit, Theodosium ab eo excommunicatum tantùm in sua Ecclesia, cùm Imperator Mediolani sedem haberet: Est id quidem verum. Sed illum vicissim iubeo meminisse, primò: cùm vna sit omnium Ecclesiarum communio, qui ab vna sit excommunicatus, aut non iure esse excommunicatum: aut esse ab omnibus pariter excommunicandum: vnde antiquus canon vetat ab aliis excommunicatos apud alios admitti. Secundò, ipsam excommunicationis exsequutionem nullam fuisse extra excommunicantis diœcesin: nisi alij etiam consentirent: Itaque neque Anastasium, neque Leonem Isaurum, ab Innocentio & Gregorio tertio excommunicatos, apud suos fuisse priuatos cõmunione: vt neque Orientales, cùm ab Occidentalibus: aut Occidentales, cùm ab Orientalibus. Qui autem latæ excommunicationis sententiæ consentiebant, ij etiam dicebantur excommunicare: hoc est, priuare, quantum in se erat, & in sua diœcesi, Ecclesiæ communione. Sic in Concilio Constantinopolitano quinto, Anthymus dicitur excommunicatus ab omnibus Patriarchis. Sic Ambrosius epistola octogesima prima ad Syricium Papam, *Italo Iouinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Protinum, Genialem, Martianum, Ianuarium, & Ingeniosum, quos sanctitas tua damnauit, scias apud nos quoque secundum iudicium tuum esse damnatos.* Denique Cyprianus epistola sexagesima septima, Nouatianum dicit per totum orbem à Sacerdotibus Dei abstentum.

XI. Et quidem, vt scias, ab initio non fuisse tantam Romani potentiam, quantam postea, cùm Victor, [illegible] *simul omnes totius Asiæ cum vicinis Ecclesiis, diœceses tanquam alterius fidei, abscindere conaretur à communi vnione*, [illegible]: non placuit id omnibus Episcopis: Et quidem scripserunt [illegible] *vehementius insurgentes in Victorem*: In quibus vnus fuit Irenæus, non suo proprio, sed Gallorum Episcoporum nomine. Quæ [illegible] si posteris secu- lis integra mansisset, non inuasisset tanta tyrannis Ecclesiam: Nam & tunc Victor coactus est gladium in vaginam recondere. Sed maiorum peccata facilius posteri deplorant, quàm emendant.

XII. Historiam narrat Eusebius libro quinto, capite vigesimo quarto. In qua, quæ Bellarminus considerat, nihil habent momenti: primò Victorem non mutasse sententiam: secundò, si mutauit, tum eadem potestate soluisse, qua ligauerat. Tertiò, reprehensum fuisse, quia fecerit, non quòd non posset, sed quòd non deberet. Quartò, prudentissimè Victorem egisse, quamuis contrà Episcopi sentirent: quia vnus ex præcipuis autoribus illius sententiæ Blastus erat, qui paulatim Iudaismum volebat introducere: Romæque hæresin seminare cœpit Victoris tempore. Denique Victoris sententiam probarunt Patres Nicæni.

XIII. Nam, quid tum, si nunquam mutauit sententiam Victor? Tum verò eo infirmior eius autoritas, qui nequit efficere, vt Orientales essent [illegible]. At cur potior Victoris pertinacia, quam Episcoporum constantia? Nam ne ipsi quidem leguntur retractasse suas increpationes. Si mutauit, etsi non videtur: cùm nemo annotarit Veterum: imò ne flagitarit quidem reuocationem: nimirum, quia sufficeret increpatio, quæ nullo iure latam doceret: ac proinde per se nullam, vt reuocatione opus non fuerit: & satis fuerit, ad eam infirmandam, reliquorum Episcoporum dissensus. Sed si mutauit tamen: tum etsi fuerit eadem in reuocando potestas, quæ fuerat in decernendo: tamen prudentiùs reuocauit, quàm decreuit: & agnouit, sibi soli cedendum vnanimi reliquorum consensui: neque æquum esse suâ vnius sententiam omnium sententiæ præualere. Iam, quid opus erat admonere idipsum fecisse, quod non poterat? Nam certè poterat (si reliqua concurrerent quæ debebat) non ille tantùm, sed & alij plurimi idipsum, vt antè diximus: sed temerè, ac proinde frustratoriè ea vsus est potentia. De prudentia autem, mirum si melius iudicet Bellarminus, & post mille quadringentos annos ab eo tempore natus, & Iesuita: quam Irenæus [illegible]: & Catholicus: & quantus vir, Deus bone! quàm omnes Galliarum Episcopi. Nam illi nec Blastum ignorabant, nec eius hæresin habebant incognitam. Iam verò Nicæna Synodus, sententiam Victoris non probarit, qua excommunicabantur Orientales: sed tantùm statuit Pascha celebrandum die Dominica: quod neque Irenæus, & qui cum eo sentiebant, non probabant. Nam [illegible] (inquit Eusebius) [illegible], *confirmat sola Dominica die celebrandum esse Dominicæ resurrectionis sacramentum.* Si igitur Niceni probarunt, quid mirum? Nam ij ipsi qui Victoris [illegible] improbabant, in hoc capite cum eo sentiebant.

XIV. Ergo neque leges vllas Romanus tulit, neque dispensationes indulsit, neque censuras exercuit, quas non potuerit non Oecumenicus ferre, indulgere, exercere. Neque omnes, quas tulit, indulsit, exercuit, probare quisquam potest iure tulisse, indulsisse, exercuisse. Factum autem nullo iure fultum, Ecclesiæ pro lege obtrudere, tyrannicum est.

Cap. XVIII.

Cap. XVII.

Utrum à nemine debeat iudicari Romanus.

I. Decimum tertium argumentum, Quicunque à nemine in terris iudicari potest, est Oecumenicus Pontifex. At Papa Romanus à nemine in terris iudicari potest: Ergo Papa est Oecumenicus Pontifex. Bellarminus capite vigesimo sexto libri secundi de Pontifice: Nec potest, inquit, ostendi principatus eius, quàm si ostendatur omnibus prælatus, vt nemini sit subiectus. Minorem probat, primò ratione à priori: secundò à Concilijs: tertiò ab ipsis Pontificibus Romanis: quartò ab Imperatoribus: quintò à Doctoribus.

II. Respondeo, vtramque antecedentis partem esse falsam. Et primò maiorem. Nam omnes seculares Monarchæ id sibi tribuunt, vt à nemine iudicari possint: ideoque se summos appellant. Et tamen Monarcharum nemo est Oecumenicus Pontifex. Quod si contrahat maiorem, & dicat: Quicunque Episcopus à nemine in terris iudicari potest, est Oecumenicus Pontifex: ne sic quidem vera erit. Nam, vt dixi, Monarchæ omnes eam sibi prærogatiuam arrogant: & ipse Bellarminus suo Papæ, quatenus est princeps temporalis: Et tamē, neque reliqui principes sese singuli dicunt Oecumenicos principes: neque Romanum Bellarminus, credo. Sin minus, videat, quo modo transigat cum Catholico; Ita enim appellat, Hispaniarum; & cum Christianissimo Galliarum Rege. Nam de Britāno, non est quod quicquam moneam. Iam verò, si nihil est absurdi, cùm sint per totum orbem multi reges, qui à nemine se iudicari patiuntur: cur fieri non; oportet in Ecclesia Catholica esse multos Episcopos, qui nemini sint subiecti?

III. Sed minor longè est falsissima: nec vnquam Ecclesiæ persuasa: imò nunquam in orbe audita, donec cumulum impleuit scelerum homo peccati: qui à minimis initiis paulatim in altissimum fastigium euectus, id experimento verum probauit, quod olim dictum, *Deterius nihil est humili cùm surgit in altū.* Enimuerò hoc vnum deerat, vt sese ille Satanæ primogenitus verè Antichristum proderet, ostentans se in Ecclesia, tanquam esset Deus. Sed nos igitur minorem negamus: & asserimus, nullo iure, id est, nulla scriptura, nullo canone probari posse Episcopum Romanum eximi ab omni iudiciorum alea. Et examinamus Bellarmini rationes.

IV. Ratio præcipua (inquit) est, quia Papa princeps est Ecclesiæ totius, ac proinde superiorem in terris non habet. Nam si iudicatur, vel ab Ecclesiastico, vel à seculari iudice. At non ab Ecclesiastico: quia ipse summus est princeps Ecclesiæ. Non à seculari, quia Resp. Ecclesiastica spiritualis est: ac proinde maior & sublimior quauis temporali: itaque dirigere & iudicare summus Ecclesiæ princeps potest summum principem temporalem: non autem ab eo dirigi, aut iudicari. Et hæc ratio est primaria.

V. At hæc, inquam, siue præcipua siue primaria ratio, quauis est gluma futilior. Primò enim fœda est principij petitio: quia id pro argumento sumitur, quod est in quæstione positum: quod ipse Bellarminus agnoscit: ideo facile prætermittit. Sed Hieronymus Albanus, nihil aliud habet, quod vrgeat in eo opere, quo disputat de autoritate Papę & Concilij. Secundò, etiam si concedatur esse summus princeps Ecclesiæ totius, non tamen necessariò concluditur. Ratio multiplex: prima, quia non omnis principatus, etiā summus, excludit superiorem: sed duntaxat Monarchicus, cuiusmodi nullus est in Ecclesia: nam summus princeps Aristocraticus aut Democraticus, sine dubio potest iudicari: Et sic olim in Ecclesia Patriarchæ iudicabantur in Concilijs: quibus tamē nullus erat Ecclesiasticus princeps superior. Secunda, quia etiam si summus esset princeps Monarchicus in Ecclesia, tamen hoc tantùm sequeretur, nullum habere superiorem in Ecclesia, hoc est, in rebus Ecclesiasticis. Quemadmodū, etsi Rex Galliæ, summus sit monarcha Galliæ, tamen non sequitur, non habere iudicem in rebus Ecclesiasticis. Nihil igitur obstaret, quominus etiam Papa, in rebus politicis haberet politicum iudicem.

VI. Ad dilemma dico, iudicari & à seculari iudice, & ab Ecclesiastico posse. Hoc quidem non vno quopiam homine. Nam negant Catholici, vllum omnino Episcopum; ab alio Episcopo iudicari posse ex iure diuino: sed à pluribus, nempe in Concilio: quomodo sæpissimè factum. Distinguo autem summum principem, vt antè, nempe vel sic dici, vt nullus vnus eo sit maior, etsi non sit ipse maior reliquis omnibus: vel, vt sit superior omnibus, nullo excepto, ac vno verbo, penes eum sit Maiestas. Priori sensu fatemur Episcopum Romanum, sed & quemlibet, esse, vt olim appellatus est, summum: sed, qui ita summus est, hunc negamus habere non posse iudicem. Habet enim eos ipsos, qui æquè cum eo summi sunt. At posteriori sensu negamus, aut Romanum, aut vllum alium esse summum.

VII. Quod attinet ad secularem: negamus eo sublimiorem esse Ecclesiasticum principem absolutè: sed in rebus Ecclesiasticis. Nam in politicis sine dubio secularis sublimior est. Propterea Paulus ad Romanos decimotertio, vocat ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις & vult ei subijci πᾶσαν ψυχὴν: id est, authore Chrysostomo, non tantùm seculares, sed etiam sacerdotes & monachos. Itaque, etsi Sozomeni testimonio libri quarti capite vltimo, dignitas sacerdotalis, id est, in quolibet sacerdote, Imperij dignitati par sit: imò verò in locis sacris primas partes obtineat: atque ex Nazianzeno, quem postea Bellarminus citat, Episcopi imperent, imperio maiori & perfectiori: nihil obstat tamen, quominus singuli Episcopi sint longe infra Imperatores aut Reges. Possunt ergo mutuas sibi præstare operas: id est, à Sacerdotibus reges iudicari in rebus sacris: à regibus Sacerdotes in rebus seculi.

VIII. Secunda ratio, ab autoritate Conciliorum. In Sinuessano, *Prima sedes à nemine iudicabitur:* refert Nicolaus in Epistola ad Michaelem. In Romano, sub Syluestro, *Neque ab Augusto, neque à regibus, neque ab omni Clero, neque à populo iudicabitur prima sedes:* & meminit iterum Nicolaus. In Romano sub Sixto tertio, *Non licet in Pontificem sententiam dicere:* ad quę Sixtus respōdit *Etsi in meo arbitrio sit, iudicer, an nō iudicer, tamen non abscondatur veritas.* In Concilio Chalcedonēsi damnatus est Dioscorus ob multas caussas: sed præcipuè, quod in primā sedē sententiā ferre præsumpsisset. In Concilio quinto sub Symmacho, *Aliorum hominum caussas Deus voluit per homines terminari. Sed sedis istius præsulem, suo sine quæstione reseruauit arbitrio:* ex Ennodij libro. In Romano sub A-

driano secundo: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quenquam iudicasse non legimus.* Et refertur in octauo Concilio, actione septima. Et ipsum octauum, actione decima, canone vigesimo primo, asserit non licere vlli terreno principi iudicare Patriarchas, & in primis Romanum. In Concilio Mileuitano, canone decimo nono, puniuntur grauissimè Clerici, qui ab Imperatore iudicari volunt. Si ergo Imperator Clericos iudicare non poterat, quanto minus Pontificem?

IX. Sed hæc nihil habent firmi. Concilia, Sinuessanum, Romanum sub Syluestro, & alterum sub Sixto tertio, & tertium sub Symmacho, & quartum sub Adriano secundo, primum particularia sunt: cōstantq; solis Episcopis qui Romano suberāt. Itaq; nullū generale decretum condere: tātū constituere potuerunt à se, in Synodo particulari congregatis, non esse Romanum iudicandum: quod de vniuersali profectò aut non dixissent, aut falsum dixissent. Secundò, trium primorum ita sunt depraauata acta, vt vix vlla sit periodus, è qua sensum constantem possis elicere: itaque ex duabus editionibus tertiam vtcunque conatus est struere compilator Conciliorum.

X. Tertiò, supposititia testimonia sunt Concilij Sinuessani: Romanique sub Syluestro, & sub Sixto tertio. Sinuessanum illud congregatum fingitur, Marcellino sedente; id est, vrgente immani persecutione Diocletiani: & tamen non infrequens conuentus trecentorum Episcoporum. Satin' hæc temporibus distincta? Diocletianus ipse fingitur Romæ fuisse cùm Marcellinus thurificaret: atque suis ipsum verbis impulisse: quod falsum cùm constet tum temporis Diocletianum Nicomediæ fuisse. Fingitur iterum Diocletianus audisse Marcellini damnationem in expeditione aduersus Persas. Quod Binnius pronunciat falsum esse, nisi corrigatur, & restituatur, *Cùm reuersus esset è bello Persarum:* nouo quodam Crisices genere. Denique hæc acta conscripta fuisse post aliquot annos colligit Binnius ex *libra Occidua*: quos ego sanè multos fuisse facilè conicio ex ignoratione historiæ; item ex stylo barbaro & inepto.

XI. Sed & contra Romanum illud sub Syluestro non inepta sunt argumenta. Quia eo confirmatur fabula de baptizato Cōstantino à Syluestro: cui tota refragatur antiquitas. Tum ridiculè reliquis annumerātur quinquaginta septē Episcopi de parti b^Rinocoruticis: quasi magna esset aliqua prouincia: quod erat tātùm oppidum, nec magni nominis, in Ægypto. Cui autem fiat verisimile, prætermissis tot intermediis nominatissimis prouinciis, collectū fuisse Concilium, ex Italicis, & Rinocoruticis Episcopis? Quid? quod nouo & omnibus Conciliis inusitato more, Syluester fingitur decreta tātùm pronunciasse, nullis rogatis suffragiis? Et quidem, *Respōderunt omnes Episcopi, & dixerunt, clamantes cum vniuersis presbyteris Clericisque: In te iustitia, & pietas à te non discedat: quoniam à nobis nihil iudicabitur in opinione dictorum tuorum.* En seruæ pecora, non Episcoporum Concilium. Quid? quod Victorino anathema dicitur, eo quod negaret Pascha venire die suo: id est, computum Paschalem non esse certum? Et tamen tum Pascha computabant per octueterida: cuius erat non certa ratio: ob quam caussam Hippolytus excogitauit [illegible]. Denique, quod adscriptum est, *Domino Constantino Augusto III. & Prisco Con*sule III. non quadrat: nam tertius Consulatus Constantini incidit in annum antequam Syluester fieret Episcopus: Nec Priscus tum fuit collega Constantini. Itaque Baronius mauult Constantino consule, & Crispo III. Viderit qua autoritate. Concilij rursus sub Sixto tertio Baronius ad annum quadringentesimum trigesimum tertium, acta non veretur Spuria appellare, paragrapho trigesimo octauo. Denique apparet impostorem aliquem in his tribus Conciliis lusisse, & papistis illusisse.

XII. De Synodo altera Romana non dissimile iudicium, quandoquidem tam similis stylus. Sed & argumenta colligas ex Binio. Consules ascribit Valentinianum & Anatolium. Item Bassi sepulturā assignatam sexto Kal. Septembres, quam Sixtus ipse Epistola tertia refert in Kal. Apr. Quāquam ne hāc quidem Epistolām genuinam esse concedent, quibus emunctæ sunt nares.

XIII. Synodus Romana sub Adriano secundo, habita est post annum octingentesimum sexagesimum septimum, & confirmat eam iam nimium Tyrannidem Romanam. Quin falsò citatur à Bellarmino: quæ enim ille verba protulit ex septima actione octauæ vniuersalis, ea non sunt Concilij Romani, sed in Concilio Romano Adriani suam sedem extollentis. Ipsius porrò Synodi octauæ hunc canonem vigesimum primum actionis decimæ nullum lego in editione Græca Matthæi Raderi: sed apud Carranzam, & Iouerium, sic lego, *Definimus neminem prorsus mundipotentium, quemquam eorum qui Patriarchalibus sedibus præsunt inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare: sed omni reuerentia, & honore dignos iudicare: præcipuè quidem sanctissimum Papam senioris Romæ, deinde autem Constantinopoleos Patriarcham: deinde Alexandriæ ac Antiochiæ, atque Hierosolymorum.* Quæ quid ad rem faciant, videre nequeo. Primum enim de quinque agitur Patriarchis: itaque, quicquid hinc concludatur, Romano proprium esse non poterit, sed commune cum aliis: quare, aut alij concedendi erunt esse Oecumenici, aut eo quod conceditur, negandū inferri Oecumenicum. Deinde, agitur de mundipotentibus, id est, seculi principibus, vt pote Imperatoribus: at non sequitur nullius iudicio subditos, qui à seculi iudicio eximuntur: nam saltem quatuor Patriarchas ipsi concedunt aduersarij posse iudicari deponique à Synodis. Quod idem Catholici de Romano asserunt. Tertiò, definitio nona est: sic enim testatur Canon, *Definimus*. Ergo annis omnino octingentis hoc priuilegium Ecclesia ignorauit. Sed ne deinceps quidem: quia, vt proximo libro docebimus, Episcopi quidam Romani fuerunt ab Imperatore depositi.

XIV. Mileuitanum Concilium valde est alienum, *Placuit vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur: si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.* Canon est decimus nonus: è quo si concluditur Oecumenicus Pontificatus, quot erunt, quæso, Ecclesiæ capita? Deinde, quis hîc aliquem videt ab omni iudicio liberatum? Nam vt te in omnes agas partes, hoc tantùm verisimile dicas, eximi clericos à seculari iudicio: non tamen ab Ecclesiastico. Imò ne hoc quidem, vt statim dicam. Sed cur, quod omnibus clericis est commune, contrahitur ad Romanum? Quia, inquit Bellarminus, si Imperator clericos iudicare non poterat, quanto minus Pontificē? Acutè. Quasi Pontifex non esset inter clericos. Sed ad rem. Nō habetur ex eo canone, nō posse clericos iudicari

iudicari ab Imperatore: tantùm non postulanda clericis ab eo iudicia secularia: sed Ecclesiastica dûtaxat. Similiter Paulus priore ad Corinthios prohibet Christianis ne litigent sub iudicibus iniustis: nec tamen sequitur, non potuisse, aut non posse Christianos iudicari à iudicibus iniustis.

XV. Superest Concilium Chalcedonense: in quo Dioscorus depositus est, cùm ob alias causas, tũ præcipuè quòd in sedem Romanam tulisset sententiam. At illud *præcipuè*, à Bellarmino est, non à Synodo: quæ Epistola ad Imperatores, post enumerata priora Dioscori peccata, addit potuisse illi veniam concedi, si pœnitentiam egisset, *Sed quoniam super alias suas nequitias, & aduersus ipsam Apostolicam sedem latrauit, & excommunicationis literas, aduersus sanctissimum & beatissimum Papam Leonem facere conatus est, & in prioribus arroganter persistit iniquitatibus, & aduersus præsentem sanctam vniuersalem & magnam Synodum procax existens, atque diuersis contra se factis accusationibus, omnino contemnens respondere non passus est, semel quoque, ac secundò, & tertiò, secundùm sanctas regulas euocatus, despexit occurrere: decretor ab vniuersali Concilio, sacerdotio est nudatus.* Auditis Dioscori quinque crimina ob quæ depositus est: quodnam fuerit præcipuum, Synodus non dixit, sed pro arbitrio Bellarminus diuinauit. Nec disertius quicquam inuenias in relatione ad Leonem. Itaque qui sani sunt, tantùm colligent, malè latam à Dioscoro sententiam contra Leonem: non enim ij tantùm damnantur, qui sentẽtiam dicunt in eos, quos non possunt iudicare, vt sibi non subditos: sed etiam qui iniustè sententiam dicũt. Itaque in ea Relatione additur, *Excommunicationem meditatus est cõtra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas.* Quasi diceret, inutilè illũ ea cõmunicari, qui laborat in vniẽdis Ecclesiæ mẽbris. Aut si mauis, & vt plurimũ cõcedã, sequitur nõ debuisse Leonẽ à Dioscoro iudicari. Sed quis legitimè cõcludat, debuisse igitur à nemine?

XVI. Tertia ratio continet testimonia Pontificũ Romanorum. Gelasius ad Anastasium Imperatorem duo docet esse, quibus mundus regitur, autoritatem Pontificum, & regiam potestatẽ: hac illã esse grauiorẽ: atq; Imperatorẽ à sacerdotum pendere iudicio, non illos ad eius voluntatẽ redigi. Gregorius lib. 9. Epist. 39. ad Theodistam, *Si Beatus Petrus, cùm à fidelibus culparetur, autoritatẽ quam in sanctam Ecclesiã acceperat, attendisset: respondere poterat, vt pastorẽ suũ oues reprehẽdere non auderent.* Nicolaus primus ad Michaelem, *Satis euidenter ostenditur à seculari potestate, nec ligari prorsus, nec solui posse Pontificem, id est, nec damnari, nec absolui.* Innocentius tertius capite *Solita*: titulo de maioritate, idipsum ex professo docet: & sermone secundo de cõsecratione Pontificis. Bonifacius octauus in extrauaganti, *Vnam Sanctam.* Ioannes vigesimus secundus in extrauaganti, *Licet iuxta doctrinam Apostoli.*

XVII. Respondeo, multa iampridem sibi Romanos Pontifices, imprudẽnter dicã, an impudenter asumpsisse, vt suã sedẽ in immẽsum attollerent: quare non esse eorum in propria caussa legitimum testimonium. Nã ne ipsi quidem Iesuitæ Constantinopolitanos testes agnoscant exceptione maiores, si de eius sedis priuilegiis disputẽt. Tum notãdum, cùm omnia inquisierint, nihil esse repertum in veteribus scriptis, ne ipsorum quidẽ Põtificum, quod sit antiquius sexto Ecclesiæ seculo. Nã Gelasius vixit sub finẽ quinti: mortuus anno 497. Gregorius post eum annis centũ præterpropter. Nicolaus seculo nono: Innocentius sub finem duodecimi: Bonifacius extremo decimotertio: Ioannes ad initium decimi quinti. Hæc nimirum est iuris Romani antiquitas.

XVIII. Et tamen Gelasius Iesuitica citatur fide: maxima sui parte truncatus. Recito integrum, *Duo sunt, Imperator Auguste quibus principaliter hic regitur mundus: autoritas sacra Pontificum, & regalis potestas: in quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum, quanto etiã pro ipsis regibus, vel legibus hominum in diuino sunt examine rationem reddituri. Licet enim præsideas humano generi dignitate, rerũ tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab iis caussas tuæ salutis expectas, inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque, (vt cõpetit) disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine, potius quam præesse. Nosti itaque inter hæc, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Hæc Gelasius, & quidem prorsus rectè. Nõ enim particulariter agit causã Romani Pontificis, sed generaliter sacerdotum. Sic enim & Pontifices nominantur numero multitudinis: sed & sacerdotes, & præsules rerum diuinarum: tum de sumẽdis agit disponendisq; sacramẽtis: quorum nihil est proprium Romano: tum denique vt omnis dubitatio tollatur, cõcludit à minori ad maius, *Et si cunctis generaliter sacerdotibus, & rectè diuina tractãntibus, fidelium conuenit corda submitti: quanto potius sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus, & diuinitas summa voluit præeminere, & subsequẽs Ecclesiæ generalis iugiter pietas celebrauit?* Rectè constituto antecedente, sed in consequentia papisticè peccans. Secundò, disertè agnoscit distinctos fines potestatis ciuilis. & Ecclesiasticæ, *Si quantũ ad ordinẽ pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parẽt religionis antistites, ne vel in rebus humanis exclusæ videantur obuiare sententiæ, quo (rogo) te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis?* Ergo, Gelasio iudice, religionis antistites, id est, Põtifices, Sacerdotes, præsules rerum diuinarum: ij, inquam, quibus in sacramentis disponendis Imperatorem subdi oportet, legibus tamen imperatoris parere debent: ideoque Imperatori colla subiicere, in rebus scilicet seculi. At inter eos Romanus.

XIX. Gregorius etiã scribens ad Theodistã, non in eo est, vt doceat quid Põtifici Romano debeatur: sed quomodo ij ipsi, qui autoritate & dignitate pręstant, suorum actorum rationẽ reddere debeãt, etiã minoribus, ad scandalum vitandum: prolato Petri exẽplo, qui cùm accusaretur, quòd ad gentes esset ingressus, facti rationẽ reddidit. Nõ sequitur autẽ, si Petrus potuit respõdere suis accusatoribus, non esse ab ouibus pastorẽ reprehendẽdum, propterea Romanũ Põtificẽ à nemine iudicãdũ. Nã nec Roman⁹ Pontifex idẽ est Petrus: nec si ab ouib. suis iudicari nõ debet, ideò & à nemine prorsus. Quãquã Gregorius illud de Pastoribus nõ accusandis ab ouib. incõsideratè asserit.

XX. A seculari potestate nec ligari posse nec solui Pontificem, concedamus sanè gratis Nicolao, cuius autoritate alioquin teneri nõ possumus. Quid enim noceat? Nã ligare & soluere, vocabula sunt, non forẽsia, sed Ecclesiastica: itaque significant potestatem non secularem, sed Ecclesiasticam: verum autem, non posse secularem potestatem Ecclesiasticè iudicare quenquam, nedum Pontificem.

XXI. Quarta ratio ab Imperatorum cõfessione; Nã Constãtinus apud Rufinum libro decimo historiæ capite secundo, noluit Episcopos iudicare, sed agnouit ab iis potius iudicari debere. Cui similis confessio Basilij Imperatoris in fine octauæ Synodi: admonentis etiã laicos, in quorum se ordine posuerat, ne velint iudicare iudices, aut pascere suos pastores. Prętetea Nicolaus epistola ad Michaelẽ, probat pios Imperatores Põtificib. nũquã imperasse, sed obseruasse,

XXII. Respondeo: Primùm, hoc quicquid tandem sit, aut quomodocunque intelligendum, ad solū Romanum Episcopum non pertinet, sed ad omnes Episcopos. Constantinus enim detrectauit iudicare, non de Romano, sed de quolibet Episcopo. Quare quo iure inde conficietur Romanum à nemine iudicādum, eodē etiam omnes reliqui eximētur ab omni iudicio, quod absurdum esse quis nō videt? Et si inde concludatur Oecumenicus, iam nobis μυριοκέφαλον nascetur tyrannidis Ecclesiasticæ mōstrum. Secundò factum est extraordinarium, & apophthegma, quod nunquā in decretum abijt. Itaque & aliàs ipse Imperator de Episcopis iudicauit: vt de Cæcilio Carthaginēsi ante id tēporis, cùm accusaret Donatus à Casis Nigris: Et postea de Athanasio, quē in exilium tandē pepulit: de Eusebio, & Theogni, quos, literarum ab Imperatore scriptarum autoritate, Ecclesiis suis eiectos esse testatur Sozomenus lib. 1. cap. 20. Denique longè magis moueat me tot Episcoporum iudicium, quàm vnius Imperatoris dictum. Nam si vt Episcopi (quorum in æternum nomē erit magnum) ex quibus composita fuit Synodus Nicæna, sua priuilegia ignorarunt: quis credat ea Constantinum melius cognouisse? Quid? quod ipse Bellarminus libro de Conciliis cap. 13. sic loquitur? *Eo tempore Pontifex, etsi in spiritualib. esset caput omniū, etiā Imperatorū, tamē in tēporalib. subiiciebat se Imperatorib.* Ergo, inquā, etiā post Cōciliū Nicænū, iudicari potuerunt ab Imperatore Episcopi.

XXIII. Quinta ratio, ex testimoniis sanctorū doctorū. Quotū primus Ambrosius in oratione de tradendis Basilicis, *Bonus* (inquit) *Imperator intra Ecclesiā est, non supra Ecclesiam.* Respondeo, Ecclesiam intelligi corpus omniū fidelium, in quo esse debet Imperator tanquam vnū mēbrum: nō verò Episcopum Romanum. Imò (inquit Bellarminus) si non est supra Ecclesiam, multo minus supra Ecclesiæ patrem & pastorem. Hoc est, inquam, supra Oecumenicum Pontificem. Ridiculum: nam ipse paulò antè confessus est, hanc esse petitionem principij. Cur igitur reponit? Vt liberè ar nos, vt meretur, derideamus.

XXIV. Secundus testis Gregorius Nazianzenus, in oratione, qua se excusat, cur tandiu ab Ecclesiastica functione abstinuerit. *Vos oues* (inquit) *nolite pascere pastores, neque super terminos eorum elatemini. Satis enim est vobis, si rectè pascamini, nolite iudicare iudices, nec leges ferate legislatorib.* Et oratione ad Ciues timore perculsos, *Num vocem suscipitis liberam? Et quod lex Christi vos mea potestati, meóque subiecit tribunali? Imperamus enim & ipsi: addo, & imperio maiori, & perfectiori. Suscipe igitur vocem liberam, sic in confessionem gregis mei.* Sed respondeo, ne hîc quidem agi de priuilegiis Romani Episcopi: sed de iure cuiuslibet Episcopi. Et sanè quis nescit hūc Gregoriū nūquam fuisse Episcopum Romanū? Ex mente igitur Gregorij, nulli Episcopi debent iudicari ab ouibus suis: omnibus Episcopis subiecti sunt Imperatores. Quid ergo? exspectem-ne à Bellarmino, vt cōcludat, omnes Episcopos esse Oecumenicos? Præclarè. At nos ne quidē concludamus Episcopos à nemine iudicandos. Nam supererant Concilia, hoc est, Episcopi congregati, à quibus & Nazianzenus, & Alexandrinus, & Antiochenus, & Constantinopolitanus iudicari debebāt? Cur Romanum subtrahamus? Amplius dico: absit vt inde cōcludamus nō posse iudicari ab Imperatore: (quanuis de Imperatore nō agi apud Nazianzenum, agnouerit tandem Bellarminus in Recognitionibus) cui⁹ distincta sunt munia, à muniis Sacerdotum. Nam, vt antè dixi, nunc iterum repeto, in rebus sacris Imperatores subesse cuilibet sacerdoti. In politia verò Imperatores longè esse supra Episcopos. Neque verò hæc duo sese mutuo perimunt, quia ratio est diuersa. Gregorius Magnus Epistola trigesima prima libri quarti ad Mauricium, *Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur: sed excellenti consideratione, propter eum cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat.* Et rursus Epistola sexagesima prima libri secundi ad eundem Augustum, se & Episcopum, & ei seruum iure Reipublicæ profitetur.

XXV. Tertius testis Bernardus epistolà ad Conradum Imperatorem, quem hortatur ad exhibēdam reuerentiam Petri Vicario. Quartus, Bonifacius apud Gratianū distinctione quadragesima, *Si Papa.* Quintus, Hugo de Sancto Victore parte secunda de Sacramentis. Sed hos nos contemnimus facile: vt recentissimos, ita maximè addictos Romano Pontifici. Bernardus vixit seculo post Christum duodecimo. Vt & Hugo ille de Sancto Victore. Bonifacius, in editione Gregoriana Iuris Canonici, appellatur Archiepiscopus Moguntinus, & legatus sedis Apostolicæ. Ætatē ignoro: sed eius blasphemias quis non horrescat? Sanctorum Canonum disciplinam, & antiquam Christianę religionis institutionem, magis ab ore sessoris Romanæ sedis, quàm à sacris paginis, & paternis traditionibus experi: illius velle, illius nolle tantùm explorari: ad eius arbitrium conuersationem omnium remitti aut intendi: deniquc, etiamsi cateruatim ducat animas in gehennam, tamen à nemine reprehendi. Has blasphemias, quænam alia decebat corona, præter hanc, cunctos iudicaturus, à nemine iudicandus? Anathema tibi, Bonifaci: anathema vobis, Papistæ, qui hæc Christianitatis monstra fouetis: & tantùm non adoratis.

Cap. XIX.

De Nominibus Episcopi Romani.

I. DEcimum quartum Argumentum Bellarminus sumit à quindecim nominibus Episcopi Romani: quæ sunt, Papa, Pater patrum, Christianorum Pontifex, summus sacerdos, Princeps sacerdotum, Vicarius Christi, Caput corporis Ecclesiæ, Fundamentum ædificij Ecclesiæ, Pastor ouilis Domini, Pater, & Doctor omnium fidelium, Rector domus Dei, Custos vineę Dei, Sponsus Ecclesiæ, Apostolicę sedis præsul, Episcopus vniuersalis. Atque ex his non omnibus tantum, sed etiam singulis apertè colligi vult primatum, id est, Oecumenicum Pontificatum.

II. Respondeo, primò non esse illa omnia appellāda nomina Episcopi Romani, vt sigillatim patebit. Si hæc duo prius sint posita. Vnum, Nomen alicuius id appellari non posse, quod ei semel tantùm legitur attributum: sed id quod aut semper, aut vt plurimum. Nam, exempli gratia, Petrū Christus semel Satanam appellauit: nec tamē quisquam est, qui Sathanā Petri nomē esse dixerit. Romam Babylonē Ioannes in Apocalypsi, & vt cōtendunt Papistæ, Petrus in prima, vocauit: nec tamē Babylon dicitur esse nomē Romę. Et Bellarmin⁹ ipse voluit eneruare nomē Boanerges, hac ratione, quòd iis quibus inditū fuit à Christo, deinceps nusquam tributū legatur. Alterum: quæ vocabula nō propria sunt, sed cōmunia, ea dicuntur abusiuè alicuius nomina. Sic Episcopus non potuit dici nomen Athanasij: nec Apostolus Pauli: nec Theologus Ioannis, aut Gregorij Nazianzeni. Secūdò, nego vllum esse nomē, quod apud antiquos soli tribuatur Romano Episcopo, ita vt non communicetur aliis,

aut

[illegible] Episcopis, vt primum & ante inuectam ambitio-[illegible] alluosámque & secularem inæqualitatem: vel [illegible] c Patriarchis. Tertiò, nullum esse nomen vnde [illegible] at Pontificatus ille Oecumenicus concludi. Q[illegible] à nullo, ne ab omnibus quidem. Id si non [illegible] ex singulorum consideratione, nihil est quod deprecer.

III. Primum nomen, PAPA, communissimum, atque antiquissimum. Apud Ignatium, Epistola ad Mariam Cassebolitem: Inde colligitur primatus tribus modis. Primo, quia per Antonomasiam, quum absolutè pronunciatur Papa, solus Romanus intel-[illegible] in Concilio Chalcedonensi actione decima [illegible], *Beatissimus & Apostolicus vir Papa.* Secundo, quia [illegible] dicitur totius Ecclesiæ Papa: in eodem Cōcilio [illegible] in actione, Leo dicitur Vniuersalis Ecclesię Papa. In Liberati breuiario cap. 22. legimus, nullum esse Papam, super Ecclesiam mũdi totius, nisi Romanum Pontificem. Tertio, quia Romanus vocatur Papa, à toto mundo, & à generalibus Conciliis, ab ipso verò nemo: patet ex Epistola ad Concilium secundum apud Theodoretum libr. 5. cap. 12. & Con[illegible] Chalcedonensis ad Leonem.

IV. Respondeo, Papæ nomen primo, multísque seculis proprium non fuisse Romano Episcopo, sed promiscuum omnibus Episcopis, aut certè multis, quorum erat præter reliquos eximia quædam dignitas, siue propter sedem, siue propter personales virtutes, fortasse etiam propter ætatem. Clerus Romanus Cyprianum vocat Papam, Epistola 3. inter Epistolas Cypriani. Alexander Alexandrinus in Synodo Seleuciæ, apud Athanasiũ: *[Greek illegible]*. Ipse Athanasius Epistola ad Antiochenses, *[Greek illegible]*. Ruffinus Symboli expositionem sic inchoat, *Mihi quidem, fidelissime Papa Laurenti.* Hieronymus in Epistolis Augustinum, Papam vocat: & Augustinus Ambrosium Epistola 24. itémque Aurelium Epistola sexagesima septima. Athanasium Pachymeres in inscriptione paraphraseos in Dionysium. Eulogium Alexandrinum Photius Bibliothecæ capite ducentesimo vigesimo sexto. Et ne omnes colligam curiosiùs in re admodum certa & perspicua. Sidonius in Epistolis nullum Episcopum non Papam vocat. Plura exempla collegit Sauaro in primam Sidonij Epistolam libri sexti: docēs Papæ nomen Veteribus vsitatissimum esse pro Episcopo. Valafridus Strabo etiam diffusius cap. 7. de rebus Ecclesiasticis; Papa, *cuiusdam paternitatis nomen [illegible], & Clericorum congruit dignitati.* Quod suo suffragio Lindanus confirmat Panopliæ libro quarto, capite octogesimo, *Nomen Papa, tametsi hodie apud Latinos vni Romano tribuebatur Pontifici, apud priscos tamen vniuerso Presbyterorum ordini fuisse commune, non leues extant coniectura.* Non significat igitur id nomen Oecumenicum Pontificatum: nisi omnes Episcopi sint Oecumenici.

V. Iam quod de Antonomasia Bellarminus obseruauit, primò apud Gregorium Turonēsem libro secundo, capite vigesimo septimo, inuenio quēdam sic Papam nominatum Antonomasticè, Nuncius Episcopi cuiusdam poscit à Rege Clodoueo sibi reddi vrceum quendam. Hunc nuncium Rex se sequi iubet, *Quúmque mihi*, inquit, *vas illud sors dederit, quæ Papa poscit impleam.* Secundò, dico Episcopum Romanum appellatum Papam antonomasticè; tantùm ab Occidentalibus, inquam, qui ei subeant. In Concilio Chalcedonensi, quæ verba Bellarminus recitat, ea sunt Bonifacij presbyteri, Vicarij Leonis: *Beatus & Apostolicus vir Papa, inter cætera hoc nobis mandauit.* Quanquam Græcè aliter, *[Greek illegible]*. Sed in eodem Concilio, eadémque sessione, *Eusebius reuerendus Episcopus Dorylei, dixit, Sponte subscripsi: quoniam & hanc regulam sanctissimo Papæ in vrbe Roma, ego relegi præsentibus Clericis Constantinopolitanis, eámque suscepit.* Imò in Actis Conciliorum, vt Constantinopolitani quinti actione prima, *Consentientibus Agapeto Papa antiquæ Romæ.* Et aliàs sæpe, vbi nota non absolutè Papam, sed Romæ Papam. Nam quod Gretserus, *Quid tum,* inquit? *An ideo verum non est Romanum Pontificem à Concilio appellatum fuisse Papam?* Hoc inquam, quid habet sionis? Quasi perinde esset, si quis patrem Abrahamum diceret, & patrem Isaaci.

VI. Non tamen nego inualuisse tandem, vt solus Romanus appellaretur Papa: sed dico admodum serò factum. Et quidem velim gradus obseruari. Nam primò titulus is omnium fuit Episcoporum, vt dixi. Deinceps tamen eximius factus Patriarchis. Theodorus Balsamon de Patriarcharum priuilegiis, *[Greek illegible]*: quærit quamobrem non fiat iniuria Antiochenæ Ecclesiæ, cuius Antistes Patriarcha tantùm dicatur: quum & diuinæ literæ, (sic existimo appellari literas Imperatorias, quæ passim *[Greek illegible]* audiebant) & patrum traditiones Papam appellent Romanum, Alexandrinum, Hierosolymitanum. Denique tamen omnibus ablatus est, & reseruatus soli Romano. Onufrius, Additionibus ad Platinam in vita Bonifacij tertij, *Additum, vt Papæ nomen, quod omnium vocabulorum Episcopalium excellentius esse statutum est, solus Romanus pontifex, quum antè omnibus commune esset Episcopis, retineret: quo vno & illi tantùm particulari nomine, potestatis eius dignitas, & supra cæteras Ecclesias vetus prærogatiua designetur.* Quò spectat illa in Gregorij septimi sententiis breuioribus, *Quod vnicum nomen est in mundo, Papa videlicet*, apud Baronium tomo 11. ad annum 1076. Hîc verò qui non obseruat, nimis quam lōgè discessum esse à prima simplicitate, quid illum dicam cor habere, & non potius peponē pro corde? & hāc adeo degenerē innouationem obtrudēt nobis pro argumēto veritatis? Apage impostores.

VII. Mitto, quod possum vrgere, etsi verè ac legitimè per Antonomasiam Romanus Papa diceretur, nō sequi tamē habere primatum: primatum, inquā, potestatis. Nā dignitatis primatum nihil moramur. Etenim Paulus per Antonomasiā solet Apostolus audire absolutè, qui tamē reliquis nō præerat. Et Homerum apud Græcos, Virgilium apud Latinos, quotusquisque non appellat Poetam? Qui tamen reliquis nunquam quicquam poëtis imperarunt.

VIII. Porrò vniuersalis Ecclesiæ Papa, nihil habet insolens, & quod nō possit cuilibet Catholico Episcopo tribui. Nā quia, vt vidimus, idē est Episcopus & Papa: porrò apud Veteres plurimi appellabantur vniuersalis Ecclesiæ Episcopi; nihil est, quo dura videri possit phrasis, quæ dicit vniuersalis Ecclesiæ Papam: hoc est, eum, qui Papa sit, in Ecclesia non hæretica, sed Catholica, id est, vniuersali, vt Nazianzenus in Testamēto appellat se, qua de re aliàs. Illud ex Liberati Patarensis Episcopi, durius, *Multos esse in hoc mundo reges, & nō esse vnum, sicut ille Papa est super*

Ecclesiam mundi totius. Quod si eam potest interpretationem admittere, quam adfert Iunius, Siluerium non habere parem in mundo sibi Episcopum, vt *ille Papa*, non sit Papa Romanus, sed Siluerius eo fungens munere, & super Ecclesiam mundi totius sit ἐξαίρετος: & qui emineat supra omnes omnium Ecclesiarum Episcopos: feratur sanè. Sed si non potest aliam explicationem admittere, præter eam qua Bellarminus nititur, non video quid nos mouere debeat solitarius testis, nec inter antiquissimos.

IX. Appellatum fuisse Romanum à toto mundo, & à generalibus Conciliis, Papam: primò non est verum. Non enim à primis Synodis. Nam Nicænum Canone sexto Romanum appellat. Sardicense in literis Synodalibus apud Theodoretum historiæ libro secundo, capite octauo, collegam nostrum Iulium, Ecclesiæ Romanæ Episcopum. Constantinopolitanum apud eûdem libro quinto, capite nono. *Dominis honoratissimis, & cum primis reuerendis fratribus & collegis Damaso, Ambrosio*, & reliquis. Ephesinum. τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ ὁσιωτάτῳ συλλειτουργῷ Κελεστίνῳ. Carthaginense inter Epistolas Augustini. *Domino beatissimo & honoratissimo fratri sancto Innocentio*. &c, *Hoc itaque gestum, Domine frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus*. Et quomodo Papam appellassent Concilia, quum ipsi singuli Episcopi, fratrem, collegam, coëpiscopum? Porrò à Chalcedonensi Romanum esse eo nomine compellatû, falsum est. Salutatio in literis sic habet: *Sancta, & magna, & vniuersalis Synodus, quæ per gratiam Dei, & sanctionem piissimorum, & amatorum Christi Imperatorum, collecta est in Chalcedonensium Metropoli prouinciæ Bithyniæ, sanctissimo & beatissimo Romanorum Archiepiscopo Leoni*. Sed nimirum fidem habuit Bellarminus Collectori eorum actorum, à quo his literis titulus præfixus, *Relatio Sanctæ Synodi, Chalcedonensis ad B. Papam Leonem*, sed huic titulo fides nulla est.

X. Deinde, quid tû, si appellatus est Papa? An propterea agnitus pro Oecumenico? Minimè verò. Nã Papa nullius nomen est Ecclesiastici gradus; sed tãtum honoris delati: itaque nemo se ipse Papam appellauit vnquam, aut scripsit, sed tantùm alij alios: quemadmodum etiam dominum sese nemo, sed alij alios honoris caussa. Cùm tamẽ singuli se Episcopos, & Patriarchas, & Archiepiscopos non vererentur dicere.

XI. Secundum nomen est *Pater Patrum*: tributum Damaso à Stephano Carthaginensi, literis scriptis nomine trium Synodorum, *Beatissimo Domino, & Apostolico culmine sublimato, Sancto Patri patrum, Damaso Papæ*. Nec vlli alteri vnquam id nomen communicatum legimus, & in Recognitionibus addit Tertullianum, qui initio libri de Pudicitia, vocat Episcopum Episcoporum.

XII. Respõdeo, primò nihil probari: quia illa Stephani Epistola ad Damasum est impudentissimè cõficta: tota scatens meris mendaciis: stylo sic inuoluto, vt vix binæ coëant periodi, imò vix ac ne vix quidem sensum efficiant commodum. Et quis credat tantam fuisse ab Africanis agnitam Romani autoritatem in vniuersum orbem, & tamen ad eius mentionem, factam à Zozimo, omnes obstupuisse? A Tertulliano Episcopum Episcoporum fuisse appellatum: sed εἰρωνικῶς, appellatum si quis non videt, quid videt? *Pontifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum dicit*, vt prorsus ridiculi sint Papistæ, qui inde tantum non demonstrationem eruant.

XIII. Secundò, falsum est id nomen nulli præter Romanum fuisse communicatum. Nam in quinta Synodo Oecumenica Episcopi secundæ Syriæ Ioãnem Constantinopolitanum sic salutant, *Domino nostro per omnia sanctissimo & beatissimo patri patrũ, Archiepiscopo, & Oecumenico Patriarchæ Ioanni*. Imò, quod magis miteris, neque vnquã factum aduertas Romano; ab ipsa Synodo in Relatione. *Domino nostro sanctissimo & beatissimo patri patrũ, Archiepiscopo & Oecumenico Patriarchæ Ioanni, Synodus*. Similiter Sidonius lib. sexti Epistola 1. ad Lupum. *Benedictus Spiritus Sanctus & pater Dei Omnipotentis, quod tu pater patrum, & Episcopus Episcoporum, & alter seculi tui Iacobus, de quadam specula charitatis, nec de inferiore Hierusalem tota Ecclesiæ Dei nostri membra superinspicis*. Theodorus Balsamõ in responsis ad interrogata Marci Alexãdrini, Κύριος Μάρκος πατὴρ πατέρων ὑπάρχων τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, καὶ πρεσβυτέρων πρεσβύτερος: *Dominus Marcus, est Pater patrũ Dei gratia, & presbyterorũ presbyter*. Theodorus Critopulus Heracliensis Metropolitanus, in sua παραιτήσει *Renunciatione*, quæ est in iure Græco-Romano Leunclauij, suũ successorem sic salutat, χαῖρε ὦ ποιμενάρχα, καὶ πατὴρ πατέρων. *Salue, pastorum princeps, & pater patrum*. Nõ ergo solus Romanus sic nuncupatus. Et sanè videtur circũloquutio nominis Archiepiscopi, & Patriarchæ. Nam quis nescit, Episcopos esse Patres? Qui his igitur præsunt, sunt patres patrum. Itaque nulla significatio est Oecumenici Pontificatus.

XIV. Tertium nomẽ, *Pontifex Christianorum*, apud Eusebium in Chronico anni 44. Sed nos iã antè docuimus, non ita scripsisse Eusebium. Deinde non sequitur à Petro ad alium vllum: itaq; non potest proferre vllum locũ, quo ita appellatus sit vllus Romanus. Tertiò, hic pontificatus eodem loco distinctè nominatur, atq; etiam prius quàm pontificatus Romanus. *Petrus Apostolus, natione Galilæus, Christianorum pontifex primus, quum primum Antiochenam Ecclesiã fundasset, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans viginti quinque annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat*. Ergo pontifex dicitur Christianorum Petrus, sed vrbis Romæ Episcopus. Non est igitur Romanus Episcopatus, Christianorum Pontificatus; huic saltem autori, quisquis sit tandẽ. Nam cæterũ nihil in hoc est titulo magni momenti. Nam pontifex Christianorũ quilibet potest dici, qui inter Christianos põtifex, id est, Episcopus, quod aliàs memini dicere. Sic Photius Bibliothecæ capite 48. Caium quendam dicit χειροτονηθῆναι καὶ ἐθνῶν ἐπίσκοπον, *Ordinatum esse etiam gentium Episcopum*. Certè non solum.

XV. Quartum nomen, *Summus Pontifex*, quod rursus in eadẽ Stephani legitur Epistola: & apud Gregorium Dialogorum libro 1. cap. 4. & apud Anselmum, præfatione in librum de Incarnatione Verbi: & apud Bernardum in Epistolas ad Romanos Pontifices: & Hieronymum præfatione in Euangelia. Et in sexta Synodo, actione decima octaua, Agatho vocatur Summus Papa.

XVI. Sed primò, Summi Pontificis nomen, cuius frequentissimus vsus est apud Veteres, non significat Oecumenicum, sed ἀρχιερέα, hoc est, Episcopum: quia inferiores habet presbyteros, ἱερεῖς *pontifices*: atq; id nos plurimis exemplis demonstrauimus aliàs. Etsi non negem labentibus annis, & sensim pereunte prima puráque Ecclesiæ simplicitate, abiisse hoc etiam nomen in abusum, quemadmodum & Papæ. Nam inuenio de Patriarchis vsurpatum in Nicæna Synodo secunda actione sexta, *Neque concordantes sibi habuit Orientis Patriarchis*,

Ale-

Alexandrinum inquam, Antiochenum, & vrbis sanctæ summos pontifices. Atque ita gradatim huc peruentum, vt solus Romanus, & Papa, & summus pontifex dicatur. Quidni? Quum etiam Pontifex solus iam audiat. Nec dubito Anselmum & Bernardum hoc abusu abreptos: vixerunt enim exacto seculo decimo.

XVII. Quintum nomen, *Princeps Sacerdotum*: in Epistola Valentiniani ad Theodosium, ante Concilium Chalcedonense, *Beatissimus Romanæ vrbis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit.* Prosper libro secundo de Vocatione Gentium, capite sexto: *Roma, propter Sacerdotij principatum, amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.*

XVIII. Respondeo: principatum Sacerdotij tripliciter significare: vel ipsum Episcopatū, qui est principatus, propterea que vocatur ἀρχιερεὺς Episcopus, & Summus Sacerdos. Sic Augustinus epistola 62. dixit in Ecclesia Romana viguisse semper Apostolicæ Cathedræ principatum: id est, nūquam intermissum Episcopatum. Et secundo de peccatorum meritis & remissione, capite decimo tertio, *Tāti Apostolatus meritus principatum*, de Paulo loquens, itidem ac de Petro, libro secundo de Baptismo, capite primo, *Quis nesciat illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum?* Denique quomodo Canone Trullano quadragesimo octauo dicitur, ὁ πρὸς ἀρχιερατικὴν ἀναβιβαζόμενος, *Qui ad Episcopatus principatum promouetur*, id est, ad Episcopatū. Vel ordinem dignitatis: quomodo Latini principem dicunt pro primo: & is ordo sancitus est in Cōstātinopolitano primo, id est, secūdo Oecumenico Cōcilio, & in quarto Chalcedonensi, & in Trullo; vt Romanus primus esset, id est, princeps. Constantinopolitanus secundus, deinceps reliqui. Vel denique autoritatem, & potestatē, siue dominationem in reliquos Episcopos: quomodo, postea aƈtā Democratiam, Romæ Imperatores sæpe principes sunt appellati: vt apud Plinium secūdum, in Panegyrico, Traianus. Primus sensus laudabilis, & à Scriptura: quia nerae Episcopatus est ἀρχή, vt apud Nazianzenum ad ciues metu perculsos: vel potius ἡγεμονία ad Hebræos decimo tertio. Et ita poteſt intelligi Prosper. Secūdus est tolerabilis, propter institutam politiam à Conciliis: etsi nimis recedens à prima simplicitate: & sic intelligendus Valentinianus: nam verè Romano, non Scriptura, sed antiquitas hunc principatum cōncessit. Potest etiā huc referri dictum Prosperi, si quis velit. Verùm vterque hic sensus longè abest ab Oecumenico: nam prior communis est omnibus Episcopis, qui singuli sunt in suis Ecclesiis principes. Secundus, peculiaris quidē Romano, sed ita vt assignet ei collegas: propterea iubent eadem Concilia, illi Constantinopolitanū æquari in Ecclesiasticis, id est, vt legitur in Chalcedonensi, actione decima sexta, in Ecclesiasticis sicut illum maiestatem habere. Qui autem collegas habet, & quidem maiestate pares, etsi ordine posteriores, is Oecumenicus esse nequit: cui successores tantùm conceduntur, & decessores, sed collegæ nulli.

XIX. At qui superest sensus, non potest non esse à malo: nec sanè vnquam vsurpatus, nisi post inceptam tyrannidem. Itaque tum damnatum ipsum fuit nomen ab Africanis, quum eos suæ iurisdictioni Romanus primum conatus est subiicere. In Concilio Carthaginensi tertio Canon vigesimus sextus; *Primæ sedis Episcopus non appelletur princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi: sed tantùm primæ sedis Episcopus.* Nam quid tum, si fuit Concilium particulare? dummodo Catholicum? Non poterat (inquit Bellarminus) alienarum prouinciarum Episcopos obligare. Ita est sanè, inquam, vi legis: sed vi rationis quidni potuit? Ibidem Canon sextus, *Placuit, vt corporibus defunctorū Eucharistia nō detur.* Quis dubitat, partes Africanos sua autoritate non potuisse id imperare Italis, Hispanis, Græcis? An minus legitimum? Imò apud Italos, Hispanos, Græcos valere debuit: quia sanctio iusta est & rationabilis. Nobis similiter hic de principe Canon probatur: imò omnibus probandus est. Ideóque Aurelij Carthaginensis, Augustini Hipponensis sententia, non potest non magni præiudicij vim habere.

XX. Cæterùm in oratione de laudibus Heronis Nazianzenus, Athanasium ἀρχιερέα vocat ἀρχιερέων, id est, principem Sacerdotum: Billio, Sacerdotum antistitem. Ne sibi solus eo nomine blandiatur Romanus, & tamen nunquam fuit Athanasius Oecumenicus.

XXI. Sextum nomen, *Vicarius Christi*: apud Bernardum libro 2. de Consideratione: & in sexto titulo de Electione, capite *vbi periculum*, ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio decimo.

XXII. Respondeo, primùm testes esse recentissimos; ac proinde non locupletes. Bernardus vixit 12. seculo. Gregorius decimus autem tertio post decimum: ac tum iampridem longè latéque tyrannis Romana vagabatur. Secundò, Cyprianus appellat seipsum ad tempus iudicem in Ecclesia vice Christi. Ignatius Epistola 2. quæ est ad Trallianos, postquam de Episcopo, Presbyteris, & Diaconis, loquutus est, subdit, αὐτοὶ μὲν οὖν ὄντες τοιοῦτοι. ὑμεῖς δὲ ἐντρέπεσθε αὐτοὺς ὡς Χριστὸν οὗ φύλακές εἰσι τοῦ τόπου: *Illi igitur tales sunto. At vos, reuerentemini illos, tāquam Christū, cuius locum obtinent.* Sed & Paulus posterioris ad Corinthios quinto, ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύομεν, *pro Christo*, id est, *nomine Christi legatione fungimur.* Autor operis imperfecti in Matthæum Homilia 6. *Qui ventri suo contradicere potest, qui seculi huius bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet Christi vicarius factus, iustitiam Christi prædicare.* Non ergo solus Romanus Christi vicarius est.

XXIII. Septimum nomen, *Caput Ecclesiæ*. Concilium Chalcedonense epistola ad Leonem, *Quibus tu velut mēbris caput præeras.* Et actione prima, Ecclesiam Romanam dicit caput omnium Ecclesiarum.

XXIV. Respondeo: primùm Chalcedonense Concilium agere de Episcopis tantùm congregatis, quibus Leo præfuit per legatos suos. Quia autem iam probauimus, neque suo iure, neque omnibus Conciliis Romanum præfuisse: non possunt hæc intelligi verba, vt significent Leonem præfuisse Chalcedonensi, eam ob caussam, quòd esset caput omnium. Sed potius è re nata: quia omnis præses capiti comparatur, habita ratione eorum quibus præest: ideo eorum Episcoporum, qui tum in Concilio erant, & quandiu in eo fuerunt, Leonem fuisse tanquam caput, quia eis præsidebat. Non bene concluditur autem ab iis Episcopis ad vniuersam Ecclesiam. Neque enim qui præsedit Ephesino Concilio Cyrillus, propterea caput fuit omnium Christianorum. Et quis id credat de Synodo Chalcedonensi, in qua decretum constanter fuit, frustra ringentibus legatis Romanis, vt Romano Constantinopolitanus æquaretur maiestate? *Et nos eadem definimus de priuilegiis eiusdem Constantinopolitanæ Ecclesiæ nouæ Romæ. Etenim sedi senioris Romæ*

Propter Imperium ciuitatis illius, patres consequenter priuilegia reddiderunt. Et eadem intentione permoti centum quinquaginta Deo amantissimi Episcopi aqua sedis noua Roma priuilegia tribuerũt, rationabiliter iudicantes Imperio & Senatu vrbem ornatam, aquis senioris Roma priuilegiis frui, & in Ecclesiasticis, sicut illa, maiestatem habere, negotiis, & secundam post illam existere. Quod si idcirco Romanum appellauit caput, quod omnibus imperaret, quomodo potuit fieri, vt ei Constantinopolitanum, etsi ordine postponeret, maiestate tamen æquaret? Porrò *caput omnium Ecclesiarum*, statim initio Concilij, verba sunt non Concilij, sed Legati Romani Paschasini. At nemo reclamauit, inquit Gretserus. At nemo laudauit, inquam ego.

XXV. Octauum nomen, *fundamentum*. Hieronymus epistola prima ad Damasum de nomine hypostasis, *Super hanc Petram ædificatam Ecclesiam scio*: vbi Damasum petrã Ecclesiæ vocat. Respondeo, Bellarminum falli. Non enim Damasum, sed Christum petram ab Hieronymo dici. Atq; adeo locus, quem non sine caussa mutilauit Iesuita, ita se habet, *Ego nullum primum, nisi Christũ sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedra Petri, communione consocior: super illam Petrã ædificatam Ecclesiam scio.* Illam, id est, Christum: nam alias *hanc* dictum oportuit; quomodo & Bellarminus ausus est reponere.

XXVI. Nonum nomen, *Pastor ouilis Dominici*. Ambrosius Epistola 81. ad Syricium. *Recognouimus literis sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, quã fideliter tibi cõmissam ianuã seruas, & pia sollicitudine Christi ouile custodias.*

XXVII. Respondeo, primò omnes Episcopos esse pastores ouilis Dominici: quia eis singulis commissũ est τὸ ποίμνιον τοῦ Θεοῦ: idque non tantùm ea ratione, qua singulæ Ecclesiæ sic vocantur, vt apud Petrum, quinto prioris, τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ: sed etiã, quia verum, quod Cyprianus dixit de vnitate Ecclesię, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Et epistola 67. *Etsi pastores multi sumus, vnum tamen gregem pascimus, & oues vniuersas, quas Christus sanguine suo ac passione quæsiuit colligere & fouere debemus.* Itaque Innocentius in excommunicatione Arcadij: ἐν καιρῷ εἰρήνης διωγμὸν κατὰ τῆς ἐκκλησίας Θεοῦ ἐξήγειρας, ἐξώσας μὲν τὸν ἀληθινὸν ταύτης ποιμένα, συνεξώσας δὲ τὸν Χριστὸν καὶ Θεόν. μισθωτοῖς δὲ, καὶ οὐ ποιμέσι τὸ τούτου ἐγχειρισάμενος ποίμνιον. *Tempore pacis persecutionem aduersus Ecclesiam Dei cõcitasti, qui verum quidem eius pastorem expuleris; & cum eo expuleris ipsum quoque Christum ac Deum: mercenariis autem, non pastoribus, gregem eius commiseris.* Aduerte Chrysostomũ verum pastorem Ecclesiæ: aduerte τὸ ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ *gregem Christi* commissum mercenariis. Nam ita concidit Gretseri cauillum: qui obiicienti Sutliuio id nomen esse piorum Episcoporum. *At num*, inquit, *sine restrictione?* Nam hic certè sine restrictione Chrysostomus sic appellatur.

XXVIII. Secundò, nõ loquitur Ambrosius de Ecclesia Catholica: sed de ea particulari, quæ erat Syricio attributa. Qui, inquit, *fideliter tibi commissam ianuam seruas*: nõ totam domum, sed eam ianuam, quæ erat ei commissa. Et addit, *Nec miramur si luporum rabiem grex Dominus perhorruit, in quibus Christi vocem non cognouit.* Quæ verba nullo modo intelligi queunt de Ecclesia vniuersali: sed tantùm de Romana: suntq; referenda ad ea, quæ habentur in Epistola ipsius Syricij, cui tum respondebatur, *Omnium nostrûm, tam presbyterorum, & Diaconorum, quàm totius etiã cleri vna suscitata fuit sententia.* Hoc igitur ouile Christi appellat Ambrosius, quod in mercenariis non agnouit vocẽ Christi, illud, inquam, cuius vnam sententiam Syricius excitatam fuisse laudat. Illius ouilis Christi, ergo Syricium Pastorem dicit Ambrosius, non vniuersorum. Itaque illud rursus Gretseri, *num sine restrictione*, concidit.

XXIX. Decimũ nomen, *Rector domus Dei*. Ambrosius in tertium prioris ad Timotheum, *Domus Dei est Ecclesia, cuius hodie rector est Damasus.* Sed hîc nihil aliud Ambrosius vult, quàm Damasum vnũ esse è rectoribus domus Dei: quemadmodum Ciceronem Consulem Romanum, dicat quis, id est, alterum è Consulibus. Apud Baronium anno 301 *Dicebatur ille etiã dux exercitus, qui vel vni tantùm ab Imperatore legioni præfectus erat.* Non verò vult esse vnum solúmque vniuersæ domus rectorem. Quid enim reliquis fieret Episcopis? Certè Paulus prioris ad Corinthios 4. *Sic nos reputet homo*, inquit, *vt ministros Christi*, οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ. Quid est Oeconomus, si non est domus rector? Primo ad Colossenses, *Pro corpore eius, quod est Ecclesia: cuius factus sum* διάκονος *minister.* An solus? In breuiario Romano, Andreas Apostolus eo nomine cẽsetur, *Maiestatem tuam Domine, suppliciter exoramus, vt sicut Ecclesiæ tuæ beatus Andreas Apostolus exstitit prædicator & rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor.* Audis Ecclesiæ rectorem? Ergo & domus Dei. Nã quæ est alia domus Dei, quàm Ecclesia? Apud Athanasium Apologia secunda legas epistolã Arsenij Hypselitani ad Athanasiũ, καὶ ἡμεῖς ἀσπαζόμεθα τὴν εἰρήνην καὶ ἑνότητα πρὸς τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν, ἧς σὺ κατὰ χάριν Θεοῦ προΐστασαι, *Etiam nos diligimus pacem, & vnionem cum Catholica Ecclesia, cui tu nunc præes per Dei gratiam.* Basilius epistola quinquagesima sexta de Ambrosio, τοὺς οἴακας ἐπιστεύθη τῆς μεγάλης καὶ διαβοήτου νεὼς, τῆς τῇ εἰς Χριστὸν πίστει τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, *Clauum accepit magnæ famosissimæq; nauis (fidei caussa) Ecclesiæ Dei.* Regebat ergo Ecclesiam Ambrosius. Audiuisti de Ecclesiasticis viris, nec es miratus: Audi de laico, de seculari principe, & de Romano Episcopo mirari desine. Ambrosius, Epistola quadragesima quarta, Constantium dicat in puppe Ecclesiæ sedere, nauímque aduersus fluctus gubernare, & ei neges rectoris nomen?

XXX. Vndecimum nomen, *Custos vineæ*. In Cõcilio Chalcedonensi, Epistola ad Leonem, *Insuper contra te ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, id est, contra tuam Apostolicam sanctitatem, extendit insaniam.* Respondeo, vt priùs: Vinea est Ecclesia. Itaque cui Ecclesia commissa est, cur non dicatur & vineæ? Rursus eadem vinea est ouile. Ergo cui ouilis, eidem vineæ tradita custodia est. At cuilibet, ouilis: ergo cuilibet Episcopo, vineæ.

XXXI. Duodecimum nomen. *Pater & doctor omnium Christianorum.* In Concilio Florentino sessione vltima. Ipsa etiam Romana Ecclesia vocatur mater & magistra omnium Ecclesiarum, in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio capite quinto.

XXXII. Atqui primùm hæ sunt autoritates recẽtissimæ: & Cõcilia celebrata vigente maximè Romana tyrannide. Florentinum seculo 15. Lateranense decimo tertio. Quale autem est, vt à recentissimis, corruptissimísque temporibus mutuetur suum ius Ecclesia? Et verò, nõ dabis ex vera antiquitate vllum eiusmodi testimonium de Ecclesia Romana. Ipsum Episcopum patrẽ & doctorem omnium Christianorum, non admodum mirer dictum, qui Oecumenicus audiebat. Eo vin' ostendam non esse ad hanc rem? Ignatium illum Antiochenum appellat, capite decimo septimo primi Dialogi, περιώνυμον τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλον, *Celeberrimum Ecclesiæ doctorem.*

XXXIII. De-

XXXIII. Decimumtertium nomen, *Sponsus Ecclesiæ*, ex Concilio Lugdunensi generali, vt habetur in sexto, de Electione, capite *Vbi periculum*. Non diffiteor sic legi in eo Cōcilio, quod est celebratum seculo decimo tertio. Quin scio in Concilio Lateranensi sub Leone decimo, easdem voces auditas. Sed à blasphemiis abhorruit semper Ecclesia: nec veniores vllas agnouit blasphemias, quàm quum superbissimo bipedum ea tribuuntur, quæ soli Filio Dei conueniunt. Quanquam ab isto si libeat discedere, quid erit, quo, tanquam eximio, insolescat Romanus? Certè Ambrosius omnes Episcopos eodem honorat titulo: de Dignitate Sacerdotali, capite quarto, allegoricôs explicans Pauli locum de vnius vxoris viro: *Monet ne post catholicum dogma, sensum inueniatur Episcopus habere hæreticum: sed Christianam tantùm Orthodoxam & Catholicam sibi associet fidem, vt vnius tantummodo vxoris, & Catholicæ Ecclesiæ vir Episcopus vocitetur.*

XXXIIII. Decimum quartum nomen, *Apostolicæ sedis præsul*. Sed hoc nomine negamus significari Oecumenicum Pontificem: sed eum qui præsidet in ea Ecclesia, quam aliquis Apostolus primum fundauit. Nam is olim vsus erat, vt Apostolicæ dicerentur Ecclesiæ illæ omnes, quas viua voce Apostoli docuissent, vt Romana, Hierosolymitana, Antiochena, Ephesina, Corinthia: vt videre licet apud Tertullianum libro de Præscriptionibus, & Irenæum, capite tertio libri tertij. Itaque Hieronymus ad Theophilum de Ioanne Hierosolymitano, *Apostolicam cathedram habere se iactat.* Nec id negare Bellarminus antaudet, aut etiam potest. Quid ergo? Nimirum, vt puluerem iniiciat oculis, in tribus Romanum hîc notat excellere. Quod etsi concedam, tamen non sequitur esse Oecumenicum. Quicunque enim in aliquo excellit, non est propterea dominus eorum quibus præfertur. Sed hæc tamen tria cuiusmodi sint videamus.

XXXV. Primum, quia quum dicitur absolutè Sedes Apostolica, semper intelligitur Ecclesia Romana. Augustinus Epistola 106. *Missæ sunt de hac re ex duobus Conciliis Carthaginensi, & Mileuitano, relationes ad Apostolicam sedem.* Respondeo, primò nihil sequi: nā loco tam citato Hieronymus Apostolicam cathedram simpliciter nominauit, quū Hierosolymitanam intelligeret. Neq; antonomasia, vt aliàs dixi, dominatum vllum, aut etiam singularitatē significat. Deinde is antonomasiæ vsus inualuit non in omnibus Ecclesiis, sed tantùm in Latinis, apud quas præter Romanam, nulla sedes erat Apostolica: quū apud Græcos plures numerarentur. Sic sæpe accidit, vt quæ vnica sunt in singulis regionibus, eo generali nomine significentur tanquam proprio. Sic Galli, etiāsi sciāt multos esse in orbe reges, tamen suum non nisi Regis nomine denotant absolutè: quum alii addāt regnum, vt Regi Hispaniæ, Regi Angliç, Regi Daniç. Nec vnquam aliter. Ex quo iure ille vsus est Hispaniæ Regis, qui suis scriptis nihil aliud sua manu addit præter *Io el Rey*. Deniq; quis nescit nō tantū vnica, sed etiā omniū notissima solere nominari antonomasticè? Apud Græcos Antiochus absolutè Rex audiebat. Plutarch⁹ in Camillo Darium *βασιλέα* sic nominauit, *Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Γρανικῷ τοὺς βασιλέως στρατηγοὺς Θαργηλιῶνος ἐνίκησεν, Alexāder regis militia duces mēse Thargelione ad Granicum deuicit*. Apud Nicetam in Historia, rex Siciliæ, qui bello Græciā affligebat, vix aliò venit quàm τοῦ ῥηγὸς nomine. Sic Sultanum absolutè appellatum sciunt omnes, Ægypti regem. Non est igitur mirū in Occidēte, id est, Ecclesia Latina, non tantū sedem Apostolicā dictam pro Romana, sed etiā Apostolicum, pro eius Episcopo; quod frequentissimum est apud recentiores historicos. Hoc iure vsus Synesius Epistola 67. de Alexandrino loquens Episcopo, *αὐτὸ δὲ τοῦτό ἐστι τὸ ζήτημα, πρὸς ὃ δεῖ τὴν αὐθεντίαν τῆς ἀποστολικῆς διαδοχῆς ἀπαντῆσαι. Hæc illa quæstio est, cui oportet autoritatem Apostolicæ successionis respondere.*

XXXVI. Secundum Bellarminus obseruat, quòd Romanus pontifex dicatur tenere non solùm Apostolicam sedem, sed etiam principatum Apostolicæ sedis, apud Augustinum Epistola sexagesima secunda. Sed principatus Apostolicæ sedis non est dominium in reliquas sedes: verùm ipsius Cathedræ administratio: & hunc esse sensum Augustini, aliàs dictum nobis: *In Ecclesia Romana*, inquit, *semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus*: hoc est, semper continuata est dignitas Episcopalis in administratione sedis Apostolicæ. Sic, quod Sozomenus libro septimo, capite sexto, Græcè dixit, de Nazianzeno non ambiente Episcopatum Constantinopolitanum, *ὅτι ὑπὸ κενῆς δόξης εἰς ἐπιθυμίαν ἦλθεν ἡγεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας ἧς παρέλαβε*: *neque præ inani gloria optauit Ecclesiam regere, quæ sibi obtigit*: Christophorsonus vertit: *Neque inanis gloriæ caussa principatum affectauit eius Ecclesiæ, quam ipse susceperat.* Et rursus, quam idem libro septimo, capite primo, *προεδρίαν* dicit, hic *primatum* vertit: loquitur autem de quibusdam, qui concordiam præferebant Episcopali dignitati: libro verò secundo, capite vigesimo, *προστασίαν ἐκκλησιῶν*, idem Sozomenus appellabat. Nec aliter apud Theodoretum libro secundo, capite vigesimo septimo, *τῶν δὲ Ἱεροσολύμων μετὰ Μακάριον Μάξιμος τὴν προεδρίαν παρέλαβεν*, *Primatum Hierosolymorum, post Macarium, obtinuit Maximus.* Nec alio sensu Cyprianus epistola sexagesima sexta scripsit Nouatianos cathedram sibi construere, & primatum assumere. Augustino igitur principatus cathedræ Apostolicæ, nihil aliud est, quàm Episcopatus in successione Petri.

XXXVII. Tertiò Bellarminus obseruat, munus Episcopi Romani dici Apostolatū in Concilio Chalcedonensi actione prima: apud Honorium Imperatorem epistola ad Bonifaciū: in Epistola Episcoporū Galliæ, quę est inter Leonis epistolas 51. & in epistola Bernardi 90. Quod nomen de nullo alio legatur.

XXXVIII. At ego Bellarmini audaciā miror: nā, vt verum sit Apostolatum tributū Romano: certè posterius, nulli alij tributum, falsū est. Ruricius Lemonicensis libri secundi Epistola 8. ad Aenium, quem & Apostolicum salutat, & Papam, *Ad Apostolatum vestrum commendatitias postulanti libenter indulsi.* Similiter ad Aprunculum Epistola quadragesima octaua, *Has ad Apostolatum vestrum literas dedi.* Item post ad Censurium, & aliàs sæpe. Sidonius libri sexti Epistola quarta ad Lupum, *Præter officium, quod incomparabiliter eminenti Apostolatus tuo sine fine debetur.* Et Epistola septima ad Fontellum, *Ego quoque ad Apostolatus tui notitiam plenorem, cum prærogatiua domesticæ familiaritatis accedo.* Et libri septimi Epistola quarta ad eundem, *Apostolatus vestri patrocinium copiosum, verissimis dominis anima mea Simplicio & Apollinari intermina intercessione, conferre vos comperi.* In renunciatione Heracliensis Metropolitani Theodori Critopuli, *παραιτοῦμαι δὲ καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν ἀρχήν, καὶ τὴν ἱερωσύνην, καὶ προσκαλῶ τοῦτον τὸν παράκλητον, καὶ ὃ ὁ παράκλητος εἰς τὴν ἀποστολὴν αὐτοῦ ἀφορίσει, Deprecor & thronum, & principatum, & Sacerdotium, adhortórque eum qui vocatur, & quem Paracletus ad Apostolatum suum*

separabit. Pacianus Epistola prima: *Denique Episcopi Apostoli nominantur.* Vide Sauaronem in illam Apullinaris Epistolam quartam libri sexti. Quid igitur habet Bellarminus proprium Romano? Et si nihil non commune, cur ei proprium fabricat Oecumenicum Pontificatum?

XXXIX. Decimum nonum nomen, *Episcopus Vniuersalis*: in Concilio Chalcedonensi actione tertia, leguntur tres Epistolæ [illegible]sorum Græcorum ad Leonem Papam, quæ omnes ita incipiunt, *Sanctißimo & beatißimo vniuersali Archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni.* Adde, Actione secunda nomen *Dominus noster & sanctißimus Papa*, prolatum ab Aëtio Nicopolis.

XL. Respondeo, primùm non esse ea testimonia ex prima puráq; antiquitate: sed ex quinto seculo, quum iam [illegible] contentio nasceretur inter Romanum & Constantinopolitanum. Secundò, non esse ipsius Synodi Chalcedonensis, sed particulare aliquorum suo nomine, propriòque motu vel scribentium ad Leoné, vel loquentium de Leone. Tertiò, dico ea ipsa nomina aliis delata, præter Romanum. Primum à Clericis & Monachis Antiochensibus Ioanni Constantinopolitano in quinta Oecumenica Synodo, *Sanctißimo ac beatißimo Archiepiscopo Oecumenico Patriarchæ Ioanni.* Et ab Episcopis, *Domino nostro per omnia sanctißimo & beatißimo patri patrum Archiepiscopo & Oecumenico Patriarchæ Ioanni, ac Sanctæ & Deo venerabili Synodo in regia ciuitatum vrbe congregatæ, minimi Episcopi secundæ Syriæ.* Adde iam ipsam illam Synodum in Relatione, *Domino nostro sanctißimo & beatißimo patri patrum, Archiepiscopo, & Oecumenico Patriarchæ Ioanni, Synodus in hac Imperiali ciuitate congregata.* Quid tale pro Romano profert Bellarminus?

XLI. Nec facile post ea tempora Constantinopolitanum inuenias absque ea honoris prærogatiua. In Nicæno secundo, *Beatißimo ac sanctißimo Domino Tharasio Archiepiscopo Constantinopoleos vniuersali Patriarchæ, Orientales Pontifices & sacerdotes in Domino gaudere.* Ipse etiam Romanus Adrianus, *Dilecto fratri Tharasio generali Patriarchæ, Adrianus seruus seruorū Dei.* Adrianus, inquam, Constantinopolitanum prædicat generalem Patriarcham; quem tamen idem Constantinopolitanus salutat collegam, *In omnibus sanctißimo & beatißimo fratri & comministro, Domino Adriano Papæ Veteris Romæ, Tharasius.* Non exclamat Bellarminus, ô tempora! ô mores!

XLII. De Domino nostro & sanctissimo Papa, vnius Episcopi verba sunt: Græcè ita, *ὁ τοῦ δεσπότου ἡμῶν καὶ ἁγίου πατρὸς, καὶ ἀρχιεπισκόπου Λέοντος ἐπιστολὴ: Domini nostri, & sancti Patris, & Archiepiscopi Leonis Epistola.* Priuatum ergo effatum vnius Episcopi, non publicum totius Concilij. Deinde quid habet virium? Nam Domini nomen etiam aliis pluribus communicatum. Certè in eadem actione paulo prius habes, *Domino meo dilectißimo fratri & consacerdoti Ioanni Grillus:* Sancti autem epithetó nemini ferme negabatur Episcopo. Actione prima, *Sanctißime & beatißime Archiepiscope Flauiane.*

Cap. XX.

De Conciliis.

I. ATque hactenus Papistarum argumenta: nūc examinemus Antiquitatis testimonia, quorum classes quatuor Bellarminus distribuit: Cōciliorum, Romanorum Episcoporum; Patrum Græcorum; denique Patrum Latinorum. Sed libet protestari, quæ variis iam locis explicata fuêre, ea me non repetiturum; etsi sint non pauca.

II. Concilia colligunt Bellarminus capite decimo tertio secundi libri de Pontifice: & Agricola capite decimo nono de Primatu Petri: & hæc nominant Nicænum primum, Sardicense, Constantinopolitanum primum, id est, Oecumenicum secundum Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum quintum, Nicęnum secundum Lateranense, Lugdunense, Florentinum. Ex quibus tria postrema frustra offeruntur: omnia post confirmatam Romani tyrannidem atque recentissima, Lateranense sub Innocentio tertio, seculo decimo tertio: Lugdunense sub Innocentio quarto, annis post illud triginta: Florentinum sub Eugenio quarto, seculo decimo quinto. Atque hæc pro arbitrio Romanus disposuit: itaque particularia fuerunt, ex solo Occidente, Ecclesiáque Latina: nisi quod ad Florentinam venit Imperator, & Patriarcha Constantinopolitanus; spe vnionis, quæ tamen non successit. Hæc ne nominata quidem oportuit. At Sardicense decretum de renouandis iudiciis; Ephesinam Nestorij condemnationem ex mandato Celestini, & reseruationem caussæ Ioannis: item in Chalcedonensi vniuersalis Ecclesiæ pontificem, & custodem vineæ, tractauimus: nisi quòd hîc Bellarmini nouum mendacium est, Synodum Ephesinā nō esse ausam iudicare caussam Ioannis: quod nunquam dictum fuit hactenus: imò ipsa Synodus testatur se eum excommunicasse, & deposuisse: quicquid autem reseruauit iudicio Celestini, eò fecisse, vt nequitiam hominis patientia vinceret. De secūdo Oecumenico testante se conuocatum ex mandato Damasi, proximo agetur libro, quum de autoritate conuocandorum Conciliorum quæstio agitabitur. Ita supersunt tantùm tria, Nicænum primum, Constantinopolitanum quintum, Nicænum secundum.

III. Et quidem duorum posteriorum facilius negotium. Constātinopolitanum, *Nos, inquit, Apostolicā sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores, cōmunicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.* Iam (inquit Bellarminus) si totum Concilium Apostolicæ sedi obedire se profitetur, certè Apostolica sedes toti Ecclesiæ cū autoritate præest.

IV. Sed huius Concilij quum Græca exēplaria nō habeamus, ego quidem interpretis Latini verba nolim vrgeri. Quanquā consequentia non est necessaria, Synodus se profitetur obedire Apostolicæ sedi: ergo tota Ecclesia subdita est Romano Pontifici: nā primò illud *obedire*, significare potest potius eius Synodi modestiam, quàm autoritatem Romani. Tū exemplum est singulare: & quidē vnius nō Oecumenici, sed particularis Concilij: non enim illud est quintum vniuersale: sed aliud cōuocatum in caussa Anthymi, paulo ante vniuersale. Denique ipsa eius Cōcilij historia, probat non fuisse eum tēporis Romanum agnitū ab Ecclesia pro Oecumenico. Quū enim Agapetus Anthymum Cōstantinopolitanum deposuisset, isque conquereretur sibi factam iniuriam, tunc ab Imperatore fuit hoc congregatum Concilium, nēpe vt iudicaretur de Agapeti iudicio. At hoc quàm fuisset absurdum, si nihil reliqui fuisset factum Synodo, præter meram obedientiam? Sensus igitur est horum verborum, ab eo Concilio probari, & confirmari sententiam latam in Anthymum: quia tamen Agapetus erat Patriar-

cha, &

cha, & quidem patriarcharum primus, ideò modestè dictum, obediri, tanquam de eo qui gradu honoris reliquos præcederet.

V. In Niceno secundo recepta est & probata Epistola Adriani ad Tarasium. In ea autem hæc leguntur. *Petri sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniúmque Ecclesiarum Dei caput existit. Vnde & ipse beatus Petrus Apostolus, Dei iussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit: sed vbique principatum obtinuit, & obtinet.*

VI. Respondeo; primò, Niceni istius Concilij autoritatem, aut nullam esse, aut exiguam: fuit enim idololatricum: & propterea damnatum in magna Synodo conuocata à Carolo magno ex Germania, & Gallia, Francofurtum. Præterea nullum profertur huius Concilij dictum factúmve; tantùm obliquè deducitur argumentatio; ex eo quia probarunt literas Adriani: & in his literis continentur laudes sedis Romanæ. At potest non esse necessaria consequentia. Nam agebant eæ literæ etiam de cultu imaginum; quæ caussa erat factæ congregationis. Huius capitis gratia testati sunt Episcopi se ita credere. Nā neque hoc dictum immediatè post earum recitationem. Sed postquā Tarasius, interrogatus verum iis consentiret, spondisset, ita, vt satis ostenderet, se de hoc imaginum cultu loqui: in eóque Adrianum rectè scripsisse, constabilíssēque antiquam traditionem, sic enim appellabat: concludens, *Imaginum pictaram secundum priscam patrum nostrorum traditionem recipimus, & has desiderio nostro adoramus.* His auditis dictum est, *Vniuersa Sācta Synodus sic credit, & sic docet.* Itaque huc referēdum quod statim post annectitur de receptis & probatis iis literis. Alia res fuisset, si disertè hoc caput testati fuissent Episcopi se admittere & probare. Quod nō est factum. Denique Adrianus iste, vixit seculo integro post Phocam, id est, post confirmatam Romani Tyrannidem. Itaque nihil hic est virium.

VII. In Niceno primo longè maior controuersia. Agricola ex eius præfatione recitat, *Sancta Ecclesia Romana nullis Synodicis decretis prælata est: sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit.* Et post pauca: *Prima ergo sedes cælesti beneficio Romana Ecclesia.* Sed hæc præfatio non est ipsius Concilij, verum longo post tempore assuta, siue à Dionysio exiguo, siue ab Isidoro Mercatore, siue ab alio quopiam. Itaque nullius momenti. Tum quid habet? Primatum. At primatus potest esse, vt tamen non sit Oecumenicus Pontifex: vt aliàs dictum.

VIII. Hardingus contra Iuellum articulo quarto, segmento sexto, profert canonem quadragesimum quartū, *Vt cunctis dominis sua nationibus Patriarcha præsit, & leges illis præscribat: vtque Petrus Christi vicarius principio præpositus Religionis, Ecclesiis cæterísque omnibus ad Christum pertinentibus, magister fuit, & rector Christianorum principum, prouinciarum, omniúmque nationum: sic is, cuius principatus est Romæ similis Petro & æqualis autoritate, imperium ac dominium obtinet in omnes patriarchas. Huic sanctioni si quis repugnauerit, & obsistere ausus fuerit, totius Synodi decreto anathemati subiiciatur.* Hunc eundem ex Alphonso Pisano recitat Agricola, sed numerat vigesimum quartum: qui tamen apud Pisanum, & Turrianum est trigesimus nonus.

IX. Respondeo, hunc canonem esse suppositium: primò, quia constet non fuisse editos plures quàm viginti; vt aliàs disputatum. Secundò, quia cōtradicat Canoni sexto, quem constat esse genuinum: is enim æquiore prouincias distribuit patriarchis, quas iste omnes Romano attribuit. Tertiò, manifesta suæ falsitatis hæc indicia: primum, quia dicit Petrum rectorem fuisse omnium Christianorum principum: quum tamen nulli principes fuerint Christiani, ne quidem multis annis post Petrum. Secundum; quia asserat Patriarchas suis nationibus leges præscribere: quod est contra eorum temporum consuetudinem: nihil enim Metropolitanus siue patriarcha poterat (nam vterque idem erat, vt aliàs diximus) absque Episcoporum suorum consilio. Tertium; quia autoritatem Romani appellet Imperium & Dominium in omnes patriarchas: quibus prophanis vocibus nunquam in Ecclesiastica politia vsa est antiquitas. Quartum: quia addit ad finem, *Huic sanctioni*, & quæ sequuntur: hæc enim clausula in primis Conciliis vsurpata nunquam legitur; sed duntaxat in postremis.

X. Agricola alium describit ex noua editione, vigesimum tertium. *Placuit, vt accusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus liceniter appellet, & adeat Apostolicæ sedis Pontificem; qui aut per se, aut per Vicarios suos, eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex caussam suam audit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Episcopus: quoniam, quanquam à prouincialibus Episcopis accusati caussam Pontificis scrutari liceat, non tamen definiri inconsulto Romano Pontifice permissum est: quum beato Petro Apostolo, & non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino, Quæcumque ligaueris super terram, &c.* Ego verò hanc editionem nouam non vidi. Certè hic canon nullus est apud Pisanum: nullus apud Turrianum. Ne in noua quidem collectione Seuerini Binij. Et quandiu abutentur Papistæ patientia nostra? Testantur antiqui viginti fuisse Canones Nicænos. Ineptus nescio quis fabulam finxit de octoginta primùm; tum septuaginta. Huic fides habita est. Nullum non mouere lapidem Papistæ, vt hoc quicquid esset, nobis obtruderent. Tandem ex vltimo Oriente Arabici prodeunt Canones: & quidem octoginta: quum tamen ille Isidorus testaretur editos esse tantùm septuaginta; idque ab ipsa Synodo, contrahente primum numerum. Atque hos aliter Pisanus edidit, aliter Turrianus. Quid ergo? Iamne satisfactum? Imò nouas editiones cudunt, quæ neque cum primis editionibus, neque cum Arabicis conueniunt. Tantæ molis erat Romanam extollere sedem, & tamen hic Canon Apostolicam sedem absolutè nominat pro Romana; & Pontifici Vicarios tribuit: quod ea factum ætate nunquam quisquam legat.

XI. Verùm in genuinis viginti Canonibus, sextus est. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει· ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. *Mos antiquus perduret in Aegypto, & Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterásque prouincias honor suus vnicuique seruetur Ecclesiæ.* Hunc canonem mirum quibus artificiis suum facere conētur, Bellarminus, & Turrianus de Epistolis Pontificum libro tertio, capite tertio: & Posseuinus in Refutatione responsionis Chytræi sectione sexta: & Baronius ad annū trecentesimum vigesimum quintum. Bellarminus

agi distinctius: & indigere Canonem primò Consideratione; deinde Interpretatione. Et consideratio quidem illi gemina.

XII. Prima consideratio: Nihil Concilium Nicænum statuisse circa Romanam Ecclesiam: quoniã potestas eius non ab hominibus, sed à Deo est: sed tantùm ex forma Romanæ Ecclesiæ constituisse statum aliarum Ecclesiarum: vbi sit Romana Ecclesia regula aliarũ. Itaque, peccant qui dicunt certos fines assignatos Romano.

XIII. Respondeo, primò peti principium, & falsò asseri Romanæ Ecclesiæ principatum esse à Deo, non ab hominibus. Nunquam enim probari quicquam potest huiusmodi è Scriptura sacra. Tum Concilium testatur esse ab hominibus, quum eum assignat consuetudini: *Romano*, inquit, *parilis mos est*. Nam certè reliquarum sedium non arcessuntur priuilegia ab ipsa Scriptura: sed duntaxat à consuetudine. Ergo Romanæ Ecclesiæ parilis mos, vnde erit, nisi à consuetudine? Secundò, *statuere*, dico sumi dupliciter: vel, vt tum primum aliquid instituatur, sanciatùrque: vel, vt quæ iam olim cœperunt vsurpari, confirmentur. Illo modo concedo nihil hîc statui non tantùm de Romano Episcopo; sed ne de aliis quidem. Disertè enim *τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω*: *mos antiquus perduret*. Hoc autem, dico esse statutum aliquid. Nam, dum reliquis Patriarchis fines assignantur, extra eos fines, quos sibi iam Romanus sumpserat, & longa possessione obtinebat, nemo cum ratione neget, aliquid statui: nempe vt & iidem fines ei firmarentur, & illi interdiceretur in aliorum fines iurisdictio. Nam aliàs omnino nulli fines essent constituti. Sic amat fieri in quacumque distributione. Nam, exempli gratia, si quis Regi Hispaniæ Pyrenæos montes & Oceanum præscribat terminos: non tantùm dicet, eius regis in eas regiones iis terminis comprehensas autoritatem esse: sed etiã in nullas præterea. Similiter quum Alexandrino assignantur Ægyptus, Libya & Pentapolis: eo ipso non tantùm statuitur eas prouincias ei subesse: sed etiam non subesse Antiocheno, Hierosolymitano, Romano. Quin etiam Higmarus paulo pòst dicet Nicænos Canones voluisse Romani priuilegium ratum esse.

XIV. Præterea, quodnam hoc conclusionis monstrum est? Quia reliquis fines assignentur ad instar Romani, ergo Ecclesiam Romanam constitui regulam aliarum. Verbi gratia: In illa fabulosa Constantini donatione, hæc habentur: *Quemadmodum Imperialis potentia, officiis diuersis, cubiculariorum nempe, ostiariorum, atque omnium excubiarum ornatu, ita & sanctam Romanam Ecclesiam decorari volumus.* Hæccine verò Imperialem dignitatem constituunt regulam Ecclesiæ Romanæ, quæ instar illius componatur? Imò hæc ventosæ sunt imaginationis portenta. Quin potius, quia eorum, qui artificiosè scilicet eam donationem contexebant, ea mens erat, vt his verbis æquatum Imperatori Papam persuaderent; quia ei æqualia concederentur: sic indubitata mens est Nicænorum Patrum, æquandum esse Alexandrinum Romano: quia similia illi iura tribuuntur, iis quibus iste vtebatur. Higmarus Rhemensis apud Turrianũ tertio capite tertij pro Epistolis, *Nicæni canones Romani Pontificis priuilegium ratum esse voluerunt, quum ad exemplum eius etiam omnium priuilegia prouinciarum iudicarent obseruanda.* Et Nicolaus primus ad Michaelem: Ex *eius forma* (id est, Romanæ Ecclesiæ) *quod Alexandrina Ecclesia tribueret sumpsit exemplum.*

XV. Secunda consideratio. In libris vulgaris deest huius canonis initium: quod tale est, *Ecclesia Romana semper habuit primatum*: Et citatur in Concilio Chalcedonensi, actione decima sexta: versùmque est ex Græco à Dionysio Exiguo. Indéq; post ita lectum canonem, iudices Chalcedone dixerunt, *Perpendimus omnem primatum & honorem præcipuum secundum canones, antiqua Roma Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.*

XVI. Respondeo, nullos codices hoc principium agnoscere: non tomos Conciliorum: non Canones editos Parisiis anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto: nõ Græcos in Germania anno eiusdem seculi quinquagesimo nono. Non Gelasium Cyzicænum editum Lutetiæ anno eiusdem seculi postremo. Non Decreti veteres editiones: ne nouam quidem Gregorij decimi tertij. Non etiam exemplaria ad Aphricanos missa olim Constantinopoli, & Alexandria. Non editio Arabica apud Turrianum. Non vterque Codex Canonum Græcus & Latinus à Iustello editus. Non codex Zonaræ. Non Arabica editio. Quę verò ex Concilio Chalcedonensi argumenta desumuntur, leuia sunt. Nam ea recitatio est Paschasini legati Romani, non ex vllo authentico exemplari, sed ex sua chartula, siue commonitorio: eadem fide fortasse, qua antè in Aphrica legati Zozimi erant vsi. Sed Codex Constantinopolitanus: is sine dubio ex quo Atticus Canones *ἐν ἀκριβείᾳ* descripserat, *ὡς ἐν Νικαίᾳ ὑπὸ τῶν πατέρων ἐξετέθησαν*: integros prout sanciti erãt à Patribus: is, inquam, Codex hoc principium non agnoscebat, tum statim in medium prolatus post Paschasini recitationem. Quis verò non miretur ea verba esse *γνήσια*, & tamen nunquam reperta, numquam lecta, nisi in vno Commonitorio?

XVII. Quod attinet ad sententiam iudicum; primò mentitur Bellarminus sic fuisse pronunciatum post eum ita lectum canonem: multo magis Baronius, asserens ex ea sententia cõstare, iudicibus probatam eam lectionem. Sic enim locus habet, *Gloriosissimi iudices dixerunt. Ex his quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque deposita, perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum, secundum canones, Antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari: oportere autem sanctissimum Archiepiscopum regiæ Constantinopolis nouæ Romæ, eisdem primatibus honoris & ipsum dignum esse.* Aduerte nihil pronunciatum ex sola lectione Paschasini: sed ex vtriusque partis documentis. Protulerat autem Aëtius Diaconus Constantinopolitanus, non tantùm Canonem Nicænum, sed etiam Constantinopolitanum, in quo primatus diserta mentio. *Episcopum Constantinopolitanum habere primatus honorem, post Romanum Episcopum.* Vnde quis non videt facilè nasci illam iudicis sententiam? Tum ex eo quod subijcitur de iisdẽ primatus honoribus, quódque subticuerunt æquè Bellarminus, & Baronius; quis non videt iudices attendisse potiùs Constantinopolitanum Canonem?

XVIII. Apparet autem id initium; non esse Canonis textum; sed annotationem exscribentium, & vt vocant *ἐπίγραμμα*. Sic enim concipitur. *Quod Romana Ecclesia semper habuit primatum.* Vnde Dionysius ille Exiguus, quantum ex Baronio intelligo, sumpsit animos, vt audacius quàm sincerius scriberet id, quod Bellarminus recitat; ablata particula *Quod* indice parauctiorum: & quia videbat male coha-

ad coherere sententiam; texui inseruit voculam *autem*, dixitque, *Romana Ecclesia semper habuit primatum. Mos autem perduret.* Itaq; ineptit Baronius, contrà tantum non peierans ipsius sexti canonis esse verba. Quianam verò? Nempe (si credimus) absque eo exordio redditur sensus obscurus, ac mutilatus. Ita est: credite: *αὐτὸς ἔφα*: quasi pretoriam autoritatem in re lucrata obtineat; ita confidens pronunciat. Sed si ille [illegible], at nos lolio non victitamus.

XIX. Et tamen, quum maximè probaritur, esse ipsissima Concilij verba; quid lucri factũ? Nam certè primatum quum audimus, non statim Oecumenicum pontificatum videmus. Nos, inquam, quibus nullum obiectum est *γλαύκωμα*. Nam istos, quid mirer, qui iampridem nullum andierunt, non dico primatum, aut principatum, sed ne quidem vniuersalem pontificem, aut summum pontificem, aut omnino pontificem; quin statim Romanum se credant ambabus tenere? At enim nos scimus ita significari primas honorificentiæ partes. Et ne procul abeamus, scimus ab ipsis tã nominatis gloriosissimis iudicibus. Nam illi eosdem primatus honoris Constantinopolitano assignant, quos Romano concedi observabant à Canonibus, & Constantinopolitani Patres definiebant, vt haberet primatus honorem post Romanum. Quid ergo? Certè, si primatus Oecumenicum Pontificatum significat, Constantinopolitanus erit Oecumenicus Pontifex, cui idem primatus debetur: etsi debeatur post Romanum. Sed hoc absurdum. Nam Oecumenicus is intelligitur, cui nihil sit in toto orbe non subiectum. Quomodo ergo primatum haberet Constantinopolitanus, si Romano subiiceretur? Aut, quomodo Romanus, si non ei Constantinopolitanus? Cæterùm enim, illud *post Romanum*, subiectionem non significat. Etsi enim Rex Hispaniæ, locum habeat post regem Galliæ, tamen huic ille non subiicitur.

XX. Venio ad Canonis interpretationem. Horum igitur verborũ *ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν. Quoniam Episcopo Romano parilis mos est.* Bellarminus quatuor colligit expositiones. Prima est Ruffini, qui libro primo historiæ capite sexto decretum dicit, vt Alexandrinus Ægypti, Romanus suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. Eadem sententia est Arabici Canonis, quem vt pleniorem laudat Posseuinus in refutatione Chytræi sectione sexta. *Integrior*, inquit, *est Canon in Arabica versione, qui est octauus numero, & ita habet: Constitutum est vt Episcopus Ægypti, id est, Patriarcha Alexandrinus præsideat & habeat potestatem totius Ægypti, & omnium locorum, ciuitatum, & castellorum, quæ sunt circa eam, quia sic consueuit. Siquidem similiter Episcopus Romæ, id est successor Petri Apostoli, potestatem habet omnium ciuitatum, ac locorum, quæ sunt circa eam.* Altera, Balsamonis, adde & Zonaræ, item Nili in libro contra Primatum, assignatum fuisse Romano Occidentem. *καθὼς καὶ τὸν ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ προεδρεύοντα τῶν ἑσπερίων ἄρχειν ἔθος ἐκράτησεν.* Tertia Carranzæ autoris summæ Conciliorum, qui ex editione quadam vetustissima Latina, quam habebat à Marcello Cardinali Sanctæ crucis, restituendum putauit; *Quoniam quidem metropolitano idem mos est.* Quarta denique ipsius Bellarmini & Baronij: sed & Bozij libro de Signis Ecclesiæ decimo octauo, cap. tertio, Alexandrinum debere gubernare illas suas prouincias, quia Romanus Episcopus ita consueuit, id est, permisit Alexandrino regimen earum: siue; quia Romanus eas per Alexandrinum solet gubernare. Harum expositionum tres primas exsibilat: in quarta acquiescit.

XXI. At nos tertiam, id est, Carranzæ emendationem, consentimus esse absurdam: tum, quod iniquum sit vnicum exemplar, idque nullius, aut certè obscuræ fidei, omnibus alijs præferri: etiam verissimis testibus, vt Attico Constantinopolitano, Cyrillo Alexandrino, Aphricanis, ipsi denique Concilio Chalcedonẽsi: tum, quod omnino ea hoc Chalcedonensi constat in eo canone actum de Romano Episcopo: pro quo, si substituatur Metropolitanus, nihil erit quod de eo possimus interpretari. Ratio etiam est absurda, concedi Alexandrino in eas omnes prouincias autoritatem, quia id Metropolitano moris sit: non enim verum, omnem Metropolitanum præesse multis prouinciis.

XXII. Sed postremæ cur acquiescant, haud facilè dictu: nisi quia pro ratione voluntas. Nam nec vllis fulciunt argumentis. Tantùm Bellarminus dixit, non apparere aliam probabiliorem: quæ quidẽ non cõfirmatio est, sed vecordia. Nã contrà, hãc esse dico omnium, quæ potuerunt excogitari, absurdissimam. Primò, quia ex quo conditus canon, à nemine fuerit sic intellectus: ac ne hodie quidem, nisi ab iis, qui Romanum Pontificem habent [illegible]. Est autem vehementer absurdum, vel imaginari duodecim integris seculis nunquam quemquam intellexisse, quid hæc sibi verba vellent: maximè in vsu quotidiano.

XXIII. Deinde, refutatur abundè ex historia Ecclesiastica: ex qua facilè colligas nunquam se Episcopum Alexandrinum gessisse tanquam Vicarium Romani: imò potius suas Ecclesias, siue parœcias suo iure gubernasse, vt & suo Romanum suas. Adeóque collegas ambos fuisse, vsósque eodem Patriarchæ titulo: atque eo ordine sedisse in Concilijs. Imò in consequentibus decretum, Constantinopolitanum *ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι πράγμασιν* æquè cum Romano magnum esse in negotiis Ecclesiasticis.

XXIV. Tertiò, hunc Alexandrini primatum in eas prouincias Synodus adscribit, non autoritati Episcopi Romani, sed antiquæ consuetudini. *Ἀρχαῖα*, inquit, *ἔθη κρατείτω.* Et verò, cur non liceat illud quærere, quod aliàs apud Papistas solẽne est: si contulit Romanus Cõstãtinopolitano id, quicquid autoritatis erat, quãdo factũ? à quo factũ? Porrò illis verbis, *Mos antiquus perduret in Aegypto*, ista sunt *ἐν παραλλήλῳ* posita, *Eadem est Romæ consuetudo*, vt comparetur consuetudo consuetudini. Sensus igitur est, consueuisse iampridem has prouincias administrari ab Alexandrino: quemadmodum alias à Romano: vnde Zonaras: *Τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον θεσπίζει, τῶν ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει προέχειν, καὶ τὸν Ἀντιοχείας τῶν αὐτῷ ὑποκειμένων ἐπαρχιῶν, Συρίας δηλαδή, καὶ κοίλης Συρίας καὶ Κιλικίας ἀμφοτέρας, καὶ Μεσοποταμίας. καὶ τοὺς ἄλλους ἐπισκόπους τῶν ὑπ' αὐτοὺς ἐξουσιάζειν χωρῶν, καθὼς καὶ τὸν ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ προεδρεύοντα, τῶν ἑσπερίων ἄρχειν ἔθος ἐκράτησεν. Alexandrinum, Episcopum, iis qui in Ægypto, Libya, ac Pentapoli sũt, præsidere: Antiochenũ subiectis sibi prouinciis, Syriæ, nimirũ Cœlesyria, Cilicia vtriq, Mesopotamia: ac alios Episcopos suis quenque regionibus: quemadmodũ & Ecclesiæ Romanæ præses, in Occidentales prouincias principatum diuturna consuetudine obtinet, præesse iubet.* Sed & Balsamõ, *Quoniam & Romanus Episcopus præest occidentalibus prouinciis.* Ergo Niceni Concilij patres voluerunt, tum Romanum, tum Alexandrinum niti antiqua consuetudine. Hanc autem, vel in Romano improbandam, vel in Alexandrino confirmandam.

XXV. Denique contradicunt Sophistæ veteribus huius Canonis interpretibus, non Balsamoni tantùm, & Zonaræ: sed etiam Rufino: in quo fines designantur non solùm per suburbicarias Ecclesias: sed etiam per parilem morem: qui nulla potest arte inflecti in Bellarminianum sensum. Præterea Nicolao primo, & Hincmaro; quos testes paulo antè nominauimus: quique ex iis verbis non causam efficientem collegerunt, sed exemplū dumtaxat. Nam quod eum Nicolaum Bellarminus laudat autorem suæ sententiæ, suo more facit, id est, mentiens.

XXVI. Supersunt duæ sententiæ, quarum altera suburbicarias Ecclesias, altera totū Occidentē largitur Episcopo Romano: inter quas longum discrimen. Nam quia constat in huiusmodi distributionibus solitum obseruari politicum ordinem; videntur regiones distinctæ, prout erant prouinciæ. Itaque Rufinum suburbicarias nominasse, vt solebat Roma suburbicarias regiones, intra centesimum miliarium, Tusciam, Picenum, Latium vetus, & nouum; de quibus eruditè Ia. Gothofredus Iurisconsultus, magni Gothofredi filius. Qui fines quanto minores sint toto Occidente nemo ignorat; qui ipsam intra Italiam erant.

XXVII. Porrò certum fuisse Romano suos fines, non verò liberam in omnes totius orbis Ecclesias iurisdictionem. Hinc in Apostolicis constitutionibus, vulgo Clementis, libri octaui capite decimo. *Oremus*, inquit, ὑπὲρ πάσης ἐπισκοπῆς τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, *pro omni Episcopatu totius orbis*, eorum qui rectè tractant τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ὀρθοτομούντων *verbum tuæ veritatis: & pro Episcopo nostro Iacobo*, Hierosolymitano, καὶ τῶν παροικιῶν αὐτοῦ, *& pro parœciis eius*, ὑπὲρ τοῦ ἐπισκόπου ἡμῶν Κλήμεντος; *pro Episcopo nostro Clemente Romano*; καὶ τῶν παροικιῶν αὐτοῦ, *& pro parœciis eius: Item pro Episcopo nostro Euodio* Antiocheno, *& pro parœciis eius*. Basilius Epistola quadragesima octaua, quæ ad Athanasium. *Vnum inueni auxilium* τῶν καθ' ἡμᾶς ἐκκλησιῶν, *Ecclesiis nostris, consensum Occidentalium*. Septuagesima ad Episcopos Occidentales. Δεδοίκαμεν μὴ ταῖς ἡμετέραις ἐκκλησίαις κατανεμηθὲν, ἕρψῃ λοιπὸν καὶ ἐπὶ τὸ ὑγιαῖνον μέρος τῆς καθ' ὑμᾶς παροικίας. *Verendum, ne postquam exederit nostras Ecclesias, serpat in partem sanā, id est, vestram parœciam*. En tibi parœcias disparatas. Et in iis suas tributas Episcopo Romano, itidem vt Hierosolymitano, & Antiocheno.

XXVIII. Sed totus-ne Occidens Romano? πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Aphricanos certè non putasse, notū omnibus; qui negabant permitti debere transmarinas appellationes. In Romana Synodo quarta sub Symmacho, legimus ei Papæ concessum, purgato scilicet calumniis; *vt Christianorum plebs in omnibus Ecclesiis suis, ad ius sedis suæ pertinentibus, tradat diuina mysteria*. Qua limitatione quid opus erat, si non tantùm in vniuerso orbe, sed saltem in Occidente, imò in Italia, vnde erat Synodos congregata, id ei iuris esset? Tarraconenses ad Hilarium scribunt. *Quam curam Apostolatus vester de prouinciarum suarum sacerdotibus gerat, filio nostro illustri, Vincentio, duce prouinciæ nostræ referente, cognouimus*. Nota, *prouinciarum vestrarum*, &, *prouinciæ nostræ*. Non ergo Tarraconenses in prouinciis Romani Episcopi. In excerptis Flor. editis ad finem Agobardi. *In Romana Ecclesia neque in præsentem diem cernimus absque interrogatione principis, sed solo dispositionis iudicio, & fidelium suffragio, legitimè pontifices consecrari: qui etiam omnium regionum & ciuitatum quæ illi subiectæ sunt, iuxta antiquum morem, eadem libertate ordinant, atque constituunt sacerdotes*. Quod in Gallis aliter factū conqueritur. Ergo Gallias oportuit non numeratas in prouinciis & ciuitatibus, Romanæ Ecclesiæ subditis. Episcopi Galli in annalibus incerti autoris, editis à Petro Pithœo, ad annum octingentesimum sexagesimū tertium, indignantur, quòd Episcopus Romanus in tantum se iactaret, & extolleret, vt eos appellaret suos clericos. *Scies*, inquiunt, *nos non tuos esse, vt te iactas & extollis, clericos; quos vt fratres & coepiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras*. Glaber libri secundi capite quarto, negat Ioanni Romano licuisse in aliena diœcesi, id est, Turonensi, consecrare Ecclesiam, inuito Turonensi Episcopo: notátque hanc præsumptionem detestatos esse Galliarum præsules.

XXIX. Fuit sanè Romani Episcopi nomen magnum in vniuerso Occidente. Sed verisimile est, cùm ab initio vigeret ἰσοτιμία, tamen hac paulatim pessundata, idipsum passas Ecclesias Occidentales à Romano, quod Orientales à Constantinopolitano. Imò verò etiam durius: cùm iste semper fuerit Imperatore minor: hic verò tandem formidabilis. Itaque distinguenda sunt tempora. Ab initio suburbicarias Ecclesias solas habuit sub se Romanus: postea demum totum Occidētem. Ruffinus sic interpretatus est, vt tunc res erant, quando conceptus est Canon. Zonaras autem, & Balsamo, prout erant suis temporibus, distributo iam orbe vniuerso in quatuor Patriarchas, ipso etiam titulo Oecumenicos.

XXX. Sed vtramque tamen interpretationem Bellarminus oppugnat. Contra Balsamonis Occidentem obiicit: Primò Concilium, neque Orientis meminisse, neque Occidentis. Secundò, hac clausula causam reddi, cur permanere debeat antiquus mos. At non sequi, Episcopus Romanus habet curam Occidentis: igitur Alexandrinus debet habere, Ægypti, Libyæ, & Pentapolis. Nam cur non totius Africæ? Cur non potius Carthaginensis Episcopus?

XXXI. Respondeo ad prius, non interesse, vtrum ea verba sint, an potius ἡ διάνοια. Sed Balsamoni magnam rationem fuisse, vsum sibi experimento cognitum. Videbat enim tum suis temporibus, tum multis antè se annis, sic Orienti præesse Antiochenum: Alexandrinum, Libyæ, Ægypto, Pentapoli: quemadmodum Romanum Occidenti. Nec verò habuit Bellarminus, quod succenseret, qui ex vsu sui temporis ausus sit interpretari ea verba, ἐπειδὴ συνήθες ἐστι, Episcopus Romanus permisit Alexandrino regimen illud: cùm tamen de permissione ea, nè apex quidem in toto Canone. Certè si sui æui præiudicia Bellarminus potuit sectari: potuit similiter Balsamo suorum temporum vsurpationem habere pro lege. Nisi fortè Bellarmino soli liceat, quod libeat.

XXXII. Ad alterum. Reddi causam, potest concedi: dummodò meminerimus, alias esse causas efficientes rem de qua agitur: alias verò mouentes moraliter eos qui de re proposita consultent. Etenim prioris generis causam negamus hîc vllā esse, aut designari. Sed alterius tantùm: in quo plerumque non necessitas inquiritur demonstrationis; sed probabilitas attenditur similitudinis: nimirum, vt in rebus similibus, non sint contraria iudicia. Hoc autem modo ratiocinatio nihil habuit illegitimum. Antiquæ consuetudines sunt retinendæ. At Alexādrinum præesse Ægypto, Libyæ, Pentapoli, antiqua est consuetudo. Ergo retinenda. Maior patet exemplo Romani Episcopi, qui eo iure retinebat autoritatem suam in Occidentem, si fides Balsamo-

ni. Mi-

rum Maior constabat experientia. Nam quod ille interrogat, cur nō Carthaginensis? Cur non in totam Africam? In promptu responsio; quoniam falsa fuisset assumptio: nam aut Carthaginensem præesse Ægypto: aut Alexandrinum toti Africæ, nulla consuetudo erat. Patres autem non quicquam noui statuere, sed vetera stabilire habebant in animo. Sed habuit consuetudo Carthaginensem præesse Africæ. Hæc igitur fuit confirmata: nempe generali hac clausula: *ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. Similiter apud Antiochiam, cæterasque prouincias, honor suus vnicuique seruetur Ecclesiæ.*

XXXIII. Contra Rufinum obiicit. Primò, non esse credibile Romano assignatam angustissimam regionem: aliis Patriarchis latissimam: Antiocheno totum Orientem: Alexandrino Ægyptum, Lybiam, Pentapolim: at Romano sex Episcopatus vicinissimos Secundò: particulam *Quoniam* esse rationalem: At non esse bonam rationem, vt Episcopus Alexandrinus curam gerat trium prouinciarum, quia Romanus curam gerat suburbanarum. Tertiò; cùm citatur hic Canon, siue in Carthaginensi sexto, siue in Chalcedonensi, siue in tomis Conciliorum, siue apud Dionysium Exiguum, nusquam Ecclesiæ suburbanæ nominantur.

XXXIV. Respondeo, ad primum, nondum inter se contendisse Patriarchas, siue de dignitate, siue de finium amplitudine. Syluestrum, è cryptis recens egressum, vixdum vt aërem carperet liberum, vix cogitasse, tanto se in Ecclesia fore maiorem, quanto latius proferret nomē suum. Posteriorum eā fuisse maniā; qui longo otio, nimiis diuitiis perditi, non potuerunt ambitioni, superbię, tyrannidi modū ponere. Deinde, quandoquidem aliunde cōstet Ecclesiasticas huiusmodi dignitates dimēsas ad modulum typhi secularis; cur minus verisimile Romanæ Ecclesię, quam vrbi, satis fuisse suburbicarias prouincias? Cur, inquam, non querebatur Roma, sibi factā iniuriam, cum per totum Orientē vagaretur Antiochia, ipsa intra centenarium miliare concluderetur? Aut si hæc non debuit: cur debuit Ecclesia? Nimirum hæc hodie Iniurias habet: illa non habuit.

XXXV. Ad secundum; primò, quis nescit particulam rationalē non magis ex se inseruire bonæ rationi, quàm malæ? Multò magis, tam necessariæ, quàm probabili. Itaq; vtcunque ratio hęc non valeret: tamen fungeretur ea particula suo officio. Nec sequeretur: si patres non bona ratione essent vsi, ergo non determinasse suos fines Episcopo Romano. Deinde, rationem esse petitam ab exemplo: Vnde Arabicè supra ex Posseuino, *Siquidem similiter Episcopus Romæ*: Et in eandē rationem Zonaras, & Balsamo, paulò antè. At huiusmodi rationes non sunt semper necessariæ, siue demōstratiuæ. Satis est enim probabiliter concludere. Sic in Synodis duabus iudicatum Constantinopolitanam sedē dignā esse honore primatus, ob sedem Imperij: ratióque est reddita, quoniam ob eandē sedem Imperij Romana eūdem primatum meruerat. Expēde ex legibus exactæ demōstrationis, futilis erit. Sed verisimilitudinem Patres secuti sunt. Similiter hic sensus est: quandoquidem consuetudo inualuit, vt Ecclesias Romanus curet in vicinis regionibus: cōcedantur etiam Alexandrino, quas iampridem habet. Facessebant enim negotium Meletiani (vt obseruat Baronius) & probabiliter disputare poterant ab initiis Ecclesiæ: vicissentque, vt apparet, si eo iure solus Alexandrinus vsus esset. Sed occurrit etiam vsus Romani, Antiocheniq; & aliorum: atque decretum factum secundùm Alexandrinum, vt nihil innouaretur.

XXXVI. Ad tertium: his omnibus locis recitari Canonem *αὐτολεξεί*. At Rufinum non recitare, sed contrahere in pauciora. Quid ergo mirum, si suis vocabulis sensum hîc expresserit, vt in aliis etiam canonibus? Monstri simile, id peccatum, si peccatum, accusari à Bellarmino, à quo tamen tertio quoque verbo, vt ita dicam, peccetur, & quidem impudentius. Atque adeo in hoc ipso Canone permisit sibi Carranza, Metropolitanum pro Romano; Bellarminus, permissionem pro consuetudine: Baronius paragrapho centesimo vicesimo octauo anni trecentesimi vicesimi quinti, primatum Romanæ Ecclesiæ. Et, vt statim dicam, Turrianus potestatem maiorem Romani, quàm Alexandrini. Vnde habent? Ex Carthaginensi sexto, scilicet; aut Chalcedonensi: aut tomis Conciliorum, aut Dionysio Exiguo. Quin tacent impostores! Et qui suæ nihil non permittunt impudentiæ, abstinent aliorum conscientia temerè exagitanda.

XXXVII. Nec plura Bellarminus. At Turrianus haud paulo aliter; affectata procul dubio subtilitatis laude. Sensum ponit; Quia hoc consuetum Episcopo Romano, scilicet habere potestatē in suos Episcopos: vt integra sit sentētia: Episcopus Alexandrinus, & reliqui, autoritatē habeant in suos Episcopos, quandoquidē & Romanus autoritatē habet in suos. Esto, inquā: Nā & nos consentimus. Sed quid hoc ad Oecumenicū Pontificatū? Nā videtur quidem potius contrà. Sic enim distinguuntur diserrissimè iurisdictiones: vt suos habeat Antiochenus, suos Alexandrinus, suos Romanus. Et quemadmodū quum suos Antiochenus dicit, intelligit eos qui Alexandrino non subsint: & vicissim: eadem ratione intelligendi sunt comparari Alexandrinus & Antiochenus, cum Romano: vt quos illi suos dicent; Romanus suos ne dicat: Quod si est, tum profectò perit Oecumenicus.

XXXVIII. Audiamus ergo Turriani argutias: & quidē è media Philosophia: Si potestas, quā Romanus in Episcopos habere cōsueuit, caussa est, cur primates Alexandrinus, & Antiochenus, in Episcopos suarum prouinciarum *ἐκ τῶν ἀρχαίων* potestatem habere consueuerint: igitur potestas Episcopi Romani in Episcopos maior est, quàm primatus Alexandrini & Antiocheni. Nam propter quod vnumquodque est, & illud magis est.

XXXIX. Respondeo variè. Primò sumi falsum: eā autoritatē Romani caussam fuisse quod ab antiquis diebus Alexandrinus, & Antiochenus autoritatem habuerint in suos: sed cur Synodus censuerit *τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω*, retinendum esse veterem morem in Ægypto & Libya & Pentapoli. Hæc autē longè diuersa sunt. Deinde non bene etiam nominari autoritatem Romani in Episcopos: quæ debuit, ex positis, dici in suos Episcopos. Nam potuisset autoritas Romani in Episcopos caussa esse, vt Alexandrinus haberet etiam in suos: quomodo postea Romanus præstitit in suis Vicariis. Sed non potuit autoritas, quam Romanus habebat in suos, id est, Occidentales, caussa esse, vt Antiochenus autoritatem haberet in Orientales.

XL. Secundò, quum caussam hîc reddi dicimus, intelligendam, non physicè de caussis rē constituentibus: sed Dialecticè: quomodo sæpe *αἰτία* & caussa sumitur pro quolibet argumento, quo nobis hoc, il-

illudve persuaderet. De hoc verò caussarum genere falsum est axioma propositum. Nam quum aliqua Resp. instituitur ad instar alterius Reipub. non est necesse illam, vnde sumitur exemplar, magis esse Remp. quàm alteram, quæ sic instituitur.

XLI. Tertiò, sophisticè Turrianus transit à quali ad quantũ. Nam eo axiomate significatur id, propter quod quidq; est, multo maiori ratione esse tale; quale est id quod est propter ipsum. Vt si paries niger sit propter atramentum; multo maiori ratione fatendum ipsum atramentum esse nigrum. At nõ intelligitur, id propter quod quid est, esse maius, quàm id quod est propter ipsum: non enim efficio atramentum magis esse nigrum, quàm parietem: sic quia omnes homines peccatores sunt propter Adamum: efficitur quidem multo maiori ratione concedendum Adamum fuisse peccatorem: sed non tamen magis peccatorem. Sic propter Petrum Romani contendunt se esse Oecumenicos Pontifices: nec tamen concedant vnquam Petrum fuisse magis Oecumenicum: nec ipsum credo Turrianum affirmaturum Petri fuisse multo maiorẽ autoritatem, quàm Clementis. Sic in Regno filius rex est propter patrem: nec tamen magis rex pater quàm filius. Infinita sunt huiusmodi. Itaque etsi verum esset propter autoritatem Romani in suos; Alexandrinum habuisse autoritatem in suos, tamen non esset verum, Romanum habere maiorem autoritatem in suos: quàm Alexandrinum in suos.

XLII. Quartò: etiam concessis iis, quę sibi Turrianus sumit, non sequitur Oecumenicus Pontificatus. Quia, etsi Romanus maiori autoritate vteretur in suos, quàm Alexandrinus in suos: tamen non sequeretur non distinctas esse prouincias; aut Alexandrinum esse Romano subiectum. Nam etsi maiori autoritate Rex vtatur in Galliâ, quàm Dux Venetiis; tamen nõ sequitur, Regem imperare Duci Venetorum, aut omnibus Venetis. Si sunt autem distinctæ prouinciæ Romani & Alexandrini; tum necessaria argumenti consequentia, Romanus non potest esse Oecumenicus. Is enim est Oecumenicus (vt sæpe admonui) qui in omnes prouincias habet autoritatem, nihilque relinquit [Greek].

Cap. XXI.

De Episcoporum Romanorum autoritatibus.

I. POntifices Romanos in vnum aceruum congerit omnes Coccius: plurimos Agricola: Sed prudentior Bellarminus distribuit in tres classes: vnã eorum, qui vixerunt ab initio vsque ad annum trecentesimum: alteram eorum, qui inde ad sexcentesimum: tertiã, qui ab eo seculo ad nostra tẽpora. Tũ primæ tertiæq; classis testimonia pauca tantum cõtẽtus indicasse, in secunda consistit. Et meritò. Nam primam quidem habuisse fatemur põtifices plerosque omnes pios: & qui variis exagitari periculis feruente persecutione, rarò excurrebant ab humilitate Christiana ad fastum secularem. Verùm recẽs posteritas adeò fuit impudens, vt eorum nominibus abuteretur ad sui temporis peruersissimos mores commendandos: itaque affinxit illis Epistolas, à quibus si viuerent, vix minus abhorrerent, quàm ab hæresibus, quas nũquam cogitarant. Quod quidẽ tam certum est, vt Bellarminus ipse profiteatur se eas non audere indubitatas asserere: etsi magnum volumen in earum commendationem Turrianus scripserit.

II. Et sanè, quos nominet attendamus. Clementẽ Epistola prima: Anacletum Epistola tertia: Euaristũ epistola prima: Alexandrum epistola prima: Pium Epistola prima, & secunda: Anicetum epistola prima: Victorem epistola 1. Zephyrinum epistola 1. Calixtũ epistola 2. Lucium epistola 1. Marcellum epistola 1. Eusebium epistola 3. Melchiadem epistola 1. Marcum epistola 1.

III. At harum omnium, primò vnus stylus est: qui quomodo idem esse potuit in variis personis, variis etiam temporibus? Quum experientia doceat eodẽ tempore vix duos esse, quorum stylus idem sit. Tum stylus ille, cuiusmodi, Deus bone? Inficetus, infunditus, inhonestus, spurcus, barbarus: minimè latinus. Et ita scripsisse credamus illos primos, & quidẽ Romæ? Quum multo posteriores Damasum, Syricium, Celestinum: imò verò etiam postremos, longè purius scripsisse videamus. Isidorum Mercatorẽ, impostorem Baronius accusat autorem earum Epistolarum, quæ feruntur Ægyptiorum ad Marcum & Marci ad Ægyprios de Canonibus Nicenis. Compara stylum, videbis aut eiusdem hominis bipedum ineptissimi: aut certè eiusdem esse ætatis omnes. Nã quod quidam dicunt versas è Græco, promouerent aliquid, si probare possent olim aliquando alicui visas, lectas Græcè. Imò, si omnes eę Epistolę essent ad Græcos scriptæ, aut saltem à viris Græcis. Sed quis credat viros Romæ incolas, ad Latinos scribentes, Græcum stylum delegisse? Euaristum ad Africanos? Soterum ad Cãpanos: Antherum, & Eutychianum ad Hispanos per Beticam & Toletanam prouincias? Marcellũ ad Maxentium tyrannum Eusebium ad Gallos: ad Thuscos, & Campanos? Quid, quod non tantùm stylus infamis: sed etiam orationis filũ puerile? Hoccine etiam imputetur versioni? Minimè verò: nam quis nescit Græcos disertos fuisse? Aut quis in Athanasij scriptis versatus admittat pro germano eius fœtu, epistolas illas ad Marcum, & Liberium? imò non statim clamet imposturam? Et has sordes Turrianus se purgaturum speret exemplo Pauli, cuius sermo nõ erat in persuasibilibus humanę sapiẽtiæ verbis? scriptorum noui testamenti, in quibus solœcismi sint & verba rudia? Quasi nihil sit medium inter humanam eloquentiam, & feram barbariem. Quasi idem sit iis quorum vernacula fuit Hebraica lingua, nonnunquam peccare in leges grammaticas Græcorum, & iis, qui ipsa origine Latini erant, nihil nisi barbarismos in ore habere.

IV. Quid centones memorem? Nam plurimas ex iis epistolis legas, in quibus nihil legas præter nudũ scripturæ textum, malè contextum. Lege Soteri epistolam ad episcopos Campaniæ: & Pontiani secundam: & Antheri ad Episcopos prouinciarum Beticę & Toletanæ, & Stephani ad Hilarium & alias olim à nobis alibi notatas. Quid, quod in iis videas paginas integras & sæpe multas ad verbum descriptas aliunde? In Alexandri prima, tota illa disputatio de Trinitate satis prolixa, est Idacij Clari contra Varimadum. In Eutychiani prima, pars prior & potior, ex Hilarij de Trinitate altero. Describuntur autem vt plurimum decreta hinc inde: quorum exemplorum syluam cuilibet colligere promptum, maximè ex editione Sanctionum ecclesiasticarum Iouerij: vbi ad marginem notantur loci sic mutuo sumpti.

V. Denique, quid res commemorem ab iis seculis remotissimas? Templa, altaria, bona Ecclesiæ,

Archiepi-

Archiepiscopos, Patriarchas, Primates. Quæ nomina ne legi quidē possint in vllo autore fide digno ante tertium seculum, & quidē prouectū. Nam ne Romanus quidē, & Alexādrin⁹, & Antiochenus, alio quàm Episcoporum nomine ornabantur. Quid? quod Zephyrinus ad Ægyptios, *Nunciatum est (inquit) nobis per Apocrisiarios vestros quosdam fratrum nostrorum, Episcoporum videlicet, ab Ecclesiis & sedibus propriis pelli, suisque ab eis auferri supellectilia, & sic nudos & expoliatos, ad iudicia vocari: quod omni ratione caret: quum statuta Apostolorum, eorúmque successorum, & præcepta Imperatorum, ac constitutiones legum, idipsum prohibeant.* Similiter Eusebius ad Ægyptios, *Et alibi in Synodalibus Patrum decretis & Regum edictis, legitur statutum. Redintegranda sunt omnia expoliatis vel eiectis Episcopis.* Audin' agnoscin' vocem eius qui vixit post Constantinos? Imò Theodosios, Iustinianos? Possum infinita eius farinæ colligere. Sed hæc satis sunto. Ergo nos meritò primam illam classem Episcoporum Romanorum reiicimus. Imò non eos Episcopos, sed eorum nomine fucatas decretales Epistolas.

VI. Sed & tertiæ classis absit, vt iudicium subeamus: absit, vt testimonium agnoscamus. Nam hi certè, & seriò & ex professo docent Romanum esse Oecumenicum Pontificem. Sed scin quomodo? Ita, vt post Constantinopolitanum victum: vicerunt enim, quum secundum eos Phocas pronunciauit: sed post eum victum nihil non attentarint, vt hanc sibi semel acquisitam dignitatem, non retinerent tantùm, sed etiam augerent. Adeo quidem, vt senserint, sed nimium serò, seculares monarchæ, à quibus fouebantur, se aspidem in sinu aluisse. Ita non Episcopos tantùm pro arbitrio ponere, deponere & transferre, sui iuris esse dixerunt: Sed in reges ipsos correxerunt, vt sibi in eos plenam autoritatem potestatemque vindicarint. Itaque sic habeant Papistæ, nos horum omnium Pontificum impotentem audaciam vocare in iudicium: tantum abest, vt velimus eorum dicta, tanquam iudicum decreta, aut testium etiam responsa, contra nos audiri. Quapropter rectè modestéque Bellarminus abstinuit ab eorum locis recitandis.

VII. Superest intermediorum classis: de qua ipsa est etiam quod antestemur. Primò, etiam hanc classem passam esse imposturam. Iulij illas ad Arianos literas indicauimus, quum de appellationibus sermo esset. Item Marci, & Liberij ad Ægyptios: Felicis de oppressione Arianorum: Damasi ad Concilia Africæ. His adde Bonifacij secundi ad Eulalium de Reconciliatione Africanorum; quam Isidoro Mercatori Baronius tribuit ad annum trecentesimum trigesimum sextum, paragrapho sexagesimo. Idem Leonis secundi quoque continuas disputat suppositas, anno sexcentesimo octogesimo tertio, paragrapho quinto, & deinceps. Nec magis legitima videbitur emunctis naribus Melciadis ad Hispanos, cuius pars non exigua cento est è locis Scripturæ. Item Anastasij ad omnes Germaniæ ac Burgundiæ Episcopos; cuius bona pars ad verbum transcribitur ex Leonis secunda Epistola: vt taceam consules absurdissimè notatos.

VIII. Secundò; quis credat esse legitima Episcoporum Romanorum de suo ipsorum iure testimonia? Et quidem historia; etsi nullum tam impotentis ambitionis tradat exemplum, quàm in tertia classe: tamen docet non defuisse plerisque animos nimium altos; & longè discedentes à Christianorum modestia. Itaque cum Iulio Orientales expostularunt. In Concilio Carthaginensi sexto, quid non ausi sunt Zozimus, Bonifacius, Celestinus? Quàm molesti fuerunt Patribus eorum legati, tum in caussa Apiarij, tum in Appellationibus? In Concilio Chalcedonensi, quàm se animosè rursum legati gesserunt, quum viderunt Constantinopolitanum exæquatum Romano? Denique, eorum Epistolas puerilibus videas eadem semper oberrantes corda: tam sollicitè Petri autoritatem iactant; Sedis suæ reuerentiam commendant; autoritatem extollunt. Si quis ad eos scribit de suarum Ecclesiarum negotiis, statim factum interpretantur ex officio: quia ad eam sedem omnia referri debent. Si quis honorificis verbis eos compellet; tum verò delatam primæ sedi reuerentiam laudant. Denique, quid non? Itaque hoc tandem certum est iudicium: fuisse eius classis Episcopos Romanos plerosque (nam omnes concedere non possumus) Orthodoxos: sed iam tamen elatiores quàm oportebat. Potuerat igitur ab his numerandis supersedere Bellarminus, æquè ac reliquis. Sed & eorum non paucos iam antè excussimus. Reliquos igitur tantùm examinabimus.

IX. Iulius primus in Epistolà ad Orientales apud Athanasium Apologia secunda, *An ignari estis, hanc esse consuetudinem, vt primum nobis scribatur, vt hinc quod iustum est, definiri possit? Quapropter, si istic eiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.* Et post, *Quæ accepimus à B. Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror nisi facta ipsa nos conturbassent.* His verbis, inquit Bellarminus, Iulius affirmat ad se pertinere officium diiudicandi caussas Episcoporum, etiam Orientalium, imò Patriarcharum: & hoc ius à Petro acceptum: & id omnibus notum.

X. Respondeo primò, nullius iuris Iulium meminisse: sed tantùm consuetudinis: [illegible]. Longè autem differt ius à consuetudine. Secundò, Iulium neque de se ipso loqui, neque nostram Ecclesiam nominasse, vt est in Nannij versione. Sed [illegible], *Ecclesiam quæ hic est*, id est, in his regionibus. Id autem vel de toto Occidentalium Ecclesiarum corpore intelligendum: vel si de Romana, sic, vt directio tantùm intelligatur. Nam tota illa Epistola nihil Iulius agit de particulari Ecclesiæ Romanæ iudicio, sed de Concilio Occidentalium. Nam & literæ ipsæ scriptæ sunt nomine Synodi, [illegible] (aiebat Athanasius) [illegible], *Iulium rescribere iusserunt.* Tum paulo ante locum citatum, hæc legas [illegible] *Oportuit, secundùm regulam Ecclesiasticam, & non hoc modo, iudicium fieri: oportuit ad omnes nos scribere, atque ita ab omnibus ius dici.* Ergo non sibi Iulius, itaque non Papæ: non suæ etiam Ecclesiæ id quicquid iuris est, adscribit: sed omnibus iis, quorum iussu scribebat. Et si quid tamen sibi tribuit, id verò explicandum ex his verbis, quæ non multò

antè præcedunt, σημάνατε οὖν ἡμῖν ἐγγράφως περὶ τούτου, ἵνα καὶ οὕτως γράψωμεν, καὶ τοῖς ὀφείλουσι πάλιν συνελθεῖν ἐπισκόποις, ὅπως τῶν πάντων παρόντων τοὺς ὑπευθύνους καταγνωσθῶσι. *Certiores igitur nos de ea re facite, dilectissimi, quo & illis scribamus, & cæteris Episcopis qui debent rursus conuenire, vt, præsentibus omnibus, ij condemnentur, qui in culpa fuerint.* Quæ verba eam directionem describunt, quam paulò antè nominaui: nimirum dirigi solitas literas de negotiis Orientalium, ad Episcopum Romanum: non vt ipse ea negotia definiret, sed vt communicaret reliquis suis per Occidentem collegis: atque ita ius diceretur. Ineptè autem hoc, quicquid est, detorquetur ad Oecumenicum Pontificatum.

X I. Deinde non scribit Iulius id quicquid est iuris se à Petro accepisse. Qui enim potuit, cùm consuetudini adscripserit? Et sanè hæc, *quæ accepi à beato Petro, significo vobis*: malè referuntur ad ea quæ iam considerauimus: quorum referenda sunt potius, vel ad totum corpus Epistolæ, vbi multa legas de legitima iudiciorum Ecclesiasticorum forma: vel etiam ad proxima, vbi disertè negant æquum, vt Actis Orientalium cogantur Occidentales consentire, non cognita causa, νῦν δὲ οἱ ἡμᾶς μὴ πληροφορήσαντες, πράξαντες δὲ αὐτοὶ ὡς ἠθέλησαν, λοιπὸν, καὶ ἡμᾶς οὐ παρατυχόντας, βούλονται συμψήφους εἶναι. *Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, postquam iam egerint quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt*, οὐχ οὕτως αἱ Παύλου διατάξεις· οὐχ οὕτως οἱ πατέρες παραδεδώκασιν. *Non ita se habent Pauli ordinationes: non ita Patres docuerunt.* Et tamen, vt concedamus, non malè referri, quid ad Oecumenicum, quum agatur de Synodo, nō de Romano Episcopo, vt probatū?

X I I. Denique, de hac ipsa consuetudine meritò quis ambigat, cuius etiam nulla testimonia proferuntur: cùm tamen contrà certum sit, multa Episcoporum negotia in Oriente definita absque Occidentalium consensu: vt testatur Epistola Synodi Alexandrinæ, quam eidem Apologiæ totam inseruit Athanasius: in qua Synodo iudicatum primò fuit de criminibus Athanasio imputatis, eiusque accusatoribus. Et postea videbimus Africanos Patres testari æquum esse vniuscuiusque causam in iis locis cognosci debere, vbi crimen admissum est, & testes haberi possint: à quorum sententia, non procul abfuerunt Orientales, ad quos hæc Iulij Epistola scripta est. Nam hi scripserunt Iulio, apud Socratem libro secundo, capite decimo quinto editionis Græcæ, δηλοῦντες μὴ δεῖν πολυπραγμονεῖσθαι παρ' αὐτοῦ εἰ βούλοιντο ἐξελαύνειν τινὰς τῶν ἐκκλησιῶν. *Significantes non debere ab eo decerni, de iis quos volent Ecclesiis eiicere.* Itaque coërcenda videntur Iulij verba, ad ea negotia, de quibus iudicium delatum fuerit ex communi partium consensu ad Episcopos Occidentales: vt in hoc Athanasij negotio contigit. Non enim proprio suo motu Iulius ingessit se in eius causę cognitionem: sed rogatus. Testatur ipse Iulius eadem Epistola, ὡς ὑμῶν αὐτοὶ οἱ περὶ Εὐσέβιον ἀξιώσαντες ἔγραψαν, καὶ αὐτοὶ ἠξίωσαν ἡμᾶς συγκαλέσαι. *Ij ipsi qui apud vos, qui ab Eusebij partibus estis, autoritate pollent, autores mihi fuerunt vestri conuocandi.* Hoc igitur supposito: nimirum fuisse, siue Episcopo Romano, siue Occidentalibus eius collegis cognoscēdum de ea causa, ex mutuo partium consensu: tum potuit Iulius dicere, sibi à Petro traditā rationē legitimæ cognitionis: qui tamē dicere nō potuit, à Petro se accepisse priuilegiū de eadem causa cognoscēdi.

X I I I. Iulium Damasus sequitur, qui in Epistola ad omnes Episcopos Orientales, apud Theodoretum libro quinto historiæ, capite decimo, *Quoniam*, inquit, *Apostolicæ sedi reuerentiam debitam charitas vestra distribuit, vobis quàm plurimum, charissimi filij, præstitistis.* Vbi notanda, & debita reuerentia, & filiorum appellatio. Idem Epistola quarta ad Episcopos Numidiæ, *Cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, tanquam ad caput, vt semper fuit consuetudo, deferre non desinatis.*

X I V. Atqui in priori loco, debita reuerentia, nihil ad rem, ὀφειλομένην αἰδῶ, dixit Damasus. Quis autem nescit, eam reuerentiam, non semper esse subiectorum in præpositos: sed etiam aliquando posteriorum in priores: etiam æqualium in æquales. Itaque, nemo miretur Orientales ita scripsisse ad Romanum, vt ad eum, qui Patriarcharum primus esset: etiamsi alioquin nulla ei subiectione obnoxij essent. De filiorum nomine, non est quod plura dicam: aliàs enim, & obiectum, & examinatum est. Alteram illam Epistolam esse fictam: & quidem à sciolo quopiam, tam ridiculè erudito, vt doceat vocem *Episcoporum* esse pluralis numeri, casus genitiui. Dignum enimuerò acumen tanta sede: imò tanto viro. Quid? quod Petro traditas asserit omnes creaturas? Quid? quod ex eo loco, *Fundamentum aliud nemo potest ponere*, infert, *Quum prædicta fundamenta in Ecclesia tantùm inueniamus posita.* (Et fundamenta appellat Episcopos, & presbyteros) *quicquid amplius positum in his inuenitur, stare nullatenus poterit.* Quis non miretur ingenij subtilitatem? Tota constat ex ineptis tautologiis: quas ad finem ridiculè sic excusat, *Non ergo generet, & non faciat vobis, fratres, totiens repetita loquutio fastidium: quia summa necessitas est sæpius, prohiberi, quod totiens à vobis, vt cognouimus, illicitè vsurpatur.* Quid plura? Consules adscriptos habet Liuium, & Theodosium, qui nulli fuerunt. Itaque hanc Epistolam Iouerius omisit, ac ne nominauit quidem: nec Baronius dignam putauit, cuius memoriam suis inferret annalibus.

X V. Damasum Syricius excipit, epistola ad Himerium, & sibi maiorem cunctis Christianæ religionis zelum incumbere: & se portare onera omnium, qui grauantur, significat, concludens, *Explicauimus vniuersa, quæ digesta sunt in querelam, & ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Basianum presbyterum, ad Romanam Ecclesiam, vtpote ad caput tui corporis, retulisti.* Denique præcipit, vt hæc sua decreta dirigat Himerius ad alios Episcopos omnes.

X V I. Respondeo, homicillum esse impurum Syricium, qui de matrimonio desperatissimè blasphemauit in eadem epistola. Itaque eius autoritatem apud Catholicos non esse magnam. Deinde scripsisse ad Episcopum Hispanum: Scimus autem iam tum Romanos affectasse dominationem in Occidentales. Itaque vocat Romanam Ecclesiam, *Caput tui corporis*, id est, Occidentis, Ecclesiarumque ibi consistentium. Non sequitur verò fuisse Oecumenicum Pontificem. Maior autem zelus quid hîc vtilis sit Bellarmino non video: neque enim zelus imperium significat. Onera autem aliorum portari, quis nescit ex charitate, & zelo? Nam quod de omnibus Episco-

[...]mis est ad finem Epistolæ, caue sic intelligas, vt nulla limitatione coërceas: quis enim putet verisimile, electum Tarraconensem Episcopum, qui hæc decreta per vniuersum orbem publicaret? Quin ipse Syricius explicat statim, non eos tantùm, qui erant in Tarraconensi diœcesi, sed etiam Carthaginenses, Bæticos, Lusitanos, Gallicos: qui omnes [...]nt in Occidente.

XVII. Zozimus epistola ad Hesychium Salonitanum, *Ad te potissimum scripta direximus, quæ in omnium fratrum & Episcoporum nostrorum facias ire notitiam.* Et infra, *Sciet, quisquis hoc, postposita patrum, & Apostolicæ sedis autoritate, neglexerit à nobis districtius vindicandum, vt loci sui minimè dubitet sibi non constare rationem, si hæc putat post tot prohibitiones posse tentari.*

XVIII. At hic Zozimus est, qui vt suæ sedis ambitioni deseruiret, non dubitauit Africanis patribus impudenter illudere, suppositis canonibus Nicænis: qua de re prolixè disputabitur libro proximo. Quis non videt, quantulum ei deferendum sit? Deinde falsò citatur. Non enim ille, *Episcoporum nostrorum* scripsit, vt in Bellarmino legitur: sed *Coëpiscoporum*. Nec absolutè, *In omnium fratrum & Coëpiscoporum nostrorum*: sed cum limitatione, *non tantùm eorum, qui in ea prouincia sunt, sed etiam qui vicinis dilectionis tuæ prouinciis adiunguntur.* Quam limitationem non imprudens Bellarminus omisit. Iam verò quid habet, quod vrgeat? An illud quod iubetur Hesychius eas literas communicare vicinis omnibus Coëpiscopis? An, quod malum minatur iis, qui ea decreta neglexerint? At vtrumque pertinet duntaxat ad Occidentales Episcopos: in quos iam diximus sibi nimium tribuisse Romanos: nec esse tamen propterea Oecumenicos.

XIX. Innocentius, Epistola vigesima secunda ad Episcopos Macedoniæ, *Aduerti sedi Apostolicæ, ad quam relatio, quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, fieri iniuriam.* Item ad Concilium Mileuitanum apud Augustinum, *Diligenter & congruè Apostolico consulitis honori. Honori, inquam, illius quem præter illa, quæ extrinsecus sunt, solicitudo manet omnium Ecclesiarum: antiquæ scilicet regulæ formam sequuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam.* Idem ad Concilium Carthaginense apud eundem Augustinum, Romanam sedem dicit esse fontem & caput omnium Ecclesiarum.

XX. Sed de capite Ecclesiarum, quid opus est sæpius idem dicere? Pridem ostensum, potuisse sic appellari Ecclesiam Romanam, vt tamen eius præsul non esset Oecumenicus. Reliquæ duæ Epistolæ ad Concilia Mileuitanum, & Carthaginense, sunt ambiguæ fidei, & nescio quid oboluerunt Erasmo, vt eas non dignas censeret Innocentio. Certè, qui conferet cum aliis Epistolis eiusdem autoris, nisi sit naris obesissimæ, mirabitur styli immanem distantiam. Nam Innocentius facilis est, & fluens, nec affectatus: at hic perplexus, argutulus, affectatus. Præterea varia est lectio. Nam in primo tomo Conciliorum legimus, non vt apud Augustinum, *Consulitis honori*: sed potius, *consulitis honoris arcana*, siue vt in margine, *arcam*. Qui sensus longè alius: sed & magis congruus. Nam aliàs imperfecta est oratio, non enim exprimitur, quomodo consulitur honori. Quanquam, quid nocet illud consulere Apostolico honori? De solicitudine omnium Ecclesiarum, aliàs actum. Fontem ac caput Ecclesiarum, non nominat Romanam Ecclesiam: sed similitudine tantùm illustrat, *Vbi tota, inquit, huius autoritate iusta quæ fuerit pronunciatio firmaretur: indéque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorrupta manerent*: vel potius manarent, vt ego quidem legendum censeo, & est in tomis Conciliorum. Vbi illa natali suo fonte non ad Ecclesias referenda, sed ad aquas sic: aquæ de natali suo fonte procederent. Illud autem *puri capitis*, otiosum videtur: nisi caput appellent, quem priùs fontem dixit. Et denique si fontem Ecclesiarum Romam appellasset, iniustè fecisset, & ex nimia ambitione: nam falsò id constat dici. De capite alia ratio, quam aliàs explicuimus.

XXI. Sequitur Leo eius nominis primus, è quo plures loci proferuntur, quàm ab vllo alio, vt probetur Pontifex Romanus iurisdictionem exercuisse in Græciam, Asiam, Ægyptum, & Africam. Sic Epistola octogesima quarta se dicit Anastasio Thessalonicensi vices sui moderaminis delegare, sequutum exempla prædecessorum suorum: sic tamen, vt in partem vocaret solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Præterea asserit, magna prouidentia constitutos Episcopos, Archiepiscopos, Primates, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vnquam à suo capite dissideret. Hæc de Græcia. Epistola quadragesima sexta, se Anatolio Constantinopolitano executionem suæ dispositionis iniunxisse. Et sexagesima secunda, Maximum Antiochenum monet, vt frequenter ad se scribat, quid agatur circa Ecclesias. Et Cyrillum Alexandrinum solicita prece multum poposcisse, vt Iuuenalis Palæstinæ principatum ambientis conatibus nullam præberet assensionem. Hæc ad Asiam pertinent. Epistola octogesima prima, ad Dioscorum Alexandrinum, *Quod à patribus nostris propensiore cura nouimus esse seruatum, à vobis quoque volumus custodiri.* Hoc ad Ægyptum pertinet, cuius Patriarchæ Leo sic imperauit. Iam ad Africam. Epistola octogesima septima, Episcopis Africæ sic minatur, *Quod vtcumque patimur esse veniale, multum postmodum esse non poterit, si quisquam, quod omnino interdicimus, vsurpare præsumpserit.* Et infra, *Caussam Lupicini illis iubemus audiri.* Extant præterea eiusdem Epistolæ ad Episcopos Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, in quibus apertè se eorum iudicem & caput agnoscit. Denique sermone primo de natali Apostolorum, Romanam vrbem alloquens: *Per sacram B. Petri sedem*, inquit, *caput orbis effecta, latius præsides religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis ius imperii tui terra marique protuleris: minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.*

XXII. Respondeo, Leonem successisse Zozimo, Bonifacio, Cœlestino, intermedio tantùm Sixto tertio. Illorum autem facto constare iam tum Romanos nolle reliquorum collegas esse, sed Dominos: quàm ambitionem in eis & cœpisse, & desiisse, vtinam verè dici posset. Deinde, quod Græciam Bellarminus nominat, nimis indistinctè facit. Nam vel vniuersam intelligit, vel partem vniuersæ. In v-

niuersam falsum est iurisdictionem exercuisse Leonem: nec id Sophista probat. In partem Græciæ, concedimus, & Thessalonica ad eam partem pertinet: vt nihil sit mirum Anastasio commissas fuisse à Leone sui vices moderaminis. Etsi eius moris antiquiora nulla vestigia extent. Et sine dubio nulla fuerunt, nisi post Nicęnam Synodum, quum paulatim erexit se, confirmauitque ambitio. De Anatolio Constantinopolitano ita res habet: Leo post Synodum prædatoriam, cùm diu egisset apud Marcianum, tandem peruicit, vt Catholicæ fidei faueret, & eius Synodi acta irrita fieri consentiret. Leo, qui nec sibi, nec Ecclesiæ deesse volebat, occasionem vrget: & legatos mittit Constantinopolim, qui contra Eutychem agant. Et reliqua componant: iisque in eam rem dat mandata: inter quæ, hoc, vt sibi Anatolium adiungant. Epistola quadragesima quarta ad Marcianum, *Ne igitur vel resipiscentium desideria mora longior fatigaret, vel incuriosa facilitas temere aliquos & sine discretione susciperet, iniunctum est ab Apostolica sede directis, vt in consortium sita deliberationis accito Constantinopolitana vrbis antistite, & pestilentia contagia non admittantur, & sanitatis remedia non negentur.* Et quadragesima quinta ad Pulcheriam, *Lucentium Episcopum, & Basilium Presbyterum fratres meos dirigere praparaui, qui dispositiones meas, fratris mei Anatolij deuotione sacrata, secundum eas quas acceperunt regulas, exsequantur.* Non erat igitur Anatolius Leonis legatus: Sed tantùm id optabat Leo, vt se ille Legatis adiungeret, *vt nihil in his* (inquit quadragesima sexta) *qua ad vniuersalis Ecclesia statum pertinent, aut dubiè agatur, aut segniter.* Videbat enim sibi ad ea peragenda negotia necessariam esse & Imperatoris autoritatem, & Anatolij societatem. Itaque quod legimus, *residentibus vobis, quibus exsequutionem nostra dispositionis iniunximus*, ex præcedentibus sunt interpretanda. Nam ad Pulcheriam, sic disertè distinguit legatos ab Anatolio, vt eis tribuat exsequutionem dispositionum suarum. Et sanè, si Patriarchæ Constantinopolitano imperasset, primò caruisset exemplo: secundò quis Anatolium putet toleraturum; quum & iam autoritatem haberet secundi Concilij: Et postea curarit in Chalcedonensi, sibi æqua priuilegia cum Romano. Denique quid tum, si paulo audacius de se loquutus est Leo? Id potius videndum, vtrum verè sibi quicquam tribuerit, an potius insolenter arrogarit.

XXIII. Quod à Maximo Antiocheno postulauit epistola sexagesima secunda, *se instrui frequenti relatione de profectu Ecclesiarum*, mirer multum, si quicquam faciat ad Oecumenicum. Nondum enim didici, non posse aliquem certiorem fieri de iis, quæ alibi geruntur, nisi statim agnoscatur Dominus. Quin vide Leonis verba, *Summa itaque vigilantia cautum te esse conuenit, ne quid sibi haretica prauitas audeat vindicare: quum te deceat his Sacerdotali autoritate resistere, nósque sapius de profectu Ecclesiarum tuis relationibus, quid agatur instruere. Dignum est enim, te Apostolica sedis in hac solicitudine consortem, & ad augendam fidem priuilegia tertia sedis agnoscere, vt in nullo cuiusquam ambitione minuantur.* Audin' Leonem tribuere Maximo consortium in sollicitudine Ecclesiarum cum Apostolica, id est, Romana sede? Et quidem, non vt vicario, aut Legato, sed vt tertio Patriarchæ. Porrò Patriarcha Alexandrinus, à Leone petebat, vt ne Iuuenali quærenti sibi Palæstinam subiicere, præberet assensum: non autem, vt sua autoritate definiret. Itaque falsò Bellarminus, supplicasse dicit, vt ne permitteret. Recito locum ex eadem Epistola, *Quod sancta memoria Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens, scriptis suis mihi quid pradicta cupiditas ausa sit, indicauit, & sollicita prece multum poposcit, vt nulla illicitis conatibus praberetur assensio.* Quid ergo? Rogare aliquem, ne cuipiam præbeat assensum, hoccine est eius imperium agnoscere, & quidem solius? At, cur non petiit hoc (inquiunt) potius ab Antiocheno Patriarcha, ad quem ea prouincia pertinebat? Imò (inquam) vnde constat non postulatum? Deinde, quid si non postulatum? Dic, caussam fuisse propriam ipsius Antiocheni: à cuius iurisdictione volebat eam prouinciam Iuuenalis subducere: rogasse igitur Cyrillum, vt ne Iuuenali contra Antiochenum faueret.

XXIV. Alexandrino Patriarchæ Leonem imperasse, quum dixit, *A vobis volumus custodiri*, falsò dixit Bellarminus: & nos alibi discussimus: & negauimus illud *velle*, idem esse ac iubere: quum tota epistola nihil aliud spiret, quàm fraternam charitatem. Epistolam octogesimam primam ad Episcopos Mauritaniæ, agnosco totam turgidam, & impotenti fastu plenam. Quid mirum? Imò mirum potius, si tam subitò Romana sedes renuntiasset typho illi seculari, quem Zozimus, Bonifacius, & Celestinus inducere erant conati. Sed, vt non crediderim potuisse vnius Concilij Carthaginensis decreto eam audaciam cohiberi, quominus negotium successores instaurarent: Sic verisimile non fit, Episcopos Africanos, mortuo Celestino, tam subito sui oblitos esse, vt quæ olim denegarant, Leonem vsurpare permitterent.

XXV. De ampliori præsidentia Romæ ex Episcopatu, quàm ex armis, alias iam diximus: longè distare præsidentiam ab Imperio, ideoque ab Oecumenico Pontificatu. Verùm, *constitutos esse Episcopos, Archiepiscopos, & Primates, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesia cura conflueret*: hoc ille contra manifestam veritatem dixit. Qui enim extant ea de re canones, omnino nihil habent simile. Imò contrà, eorum quæ in singulis prouinciis gerebantur τὸ κῦρος tribuebatur Metropolitano, primùm: deinde excogitati sunt reliqui superiores gradus. Et tandem ad quinque Patriarchas deuentum, quorum erant æqualia iura: Ideo paulo antè vidimus Leonem Patriarchæ Antiocheno tribuere consortium sollicitudinis Ecclesiarum: & notum quid de Constantinopolitano sit definitum, tum in secundo, tum in quarto Concilio.

XXVI. Restant Gelasius primus, Anastasius secundus, Felix quartus, Pelagius secundus, Gregorius primus. De quibus quid dicam? Nisi Augiæ stabulum, quo magis durabat, eo magis stercoribus abundasse? Certè id mirum de hoc typho seculari nullum quicquam detraxisse. Detraxisse autem? quin addidisse potius semper aliquid accessio. Mentiar, si non Gelasius longè imperiosius scripsisse conuincatur, quam vlli vnquam eius prædecessores.

cessores. Nametsi Leo nonnihil addiderat suis maioribus, tamen nihil vnquam Leo dixit, quod non infra Gelasium consisteret, *Cuncta*, inquit, *per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, sedes beati Petri Apostoli, ius habet resoluendi: vt pote quæ de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.* Itane? Cuncta per mundum Ecclesia? Vbi erat igitur Romana, tum quum se negabat posse absoluere Marcionem? Vbi Irenæus, eiusque collegæ, qui grauiter increpuerunt Victorem? Vbi Occidentales, qui Innocentium negarunt definire debere, quos illi ab Ecclesia eiectum essent? Vbi denique Africani, qui negarunt appellandum Romam? Nimirum, sicut fures in medio furo ne deprehendantur, præcipitant se in mediam turbam, sic iste ne mendacij queat conuinci, si iubetetur suos autores, suos saltem testes exhibere, cunctam per mundum nominat Ecclesiam. Egregiè, si strepitu verborum constaret, non momento rationum. Sed, inquit, Bellarminus, constat virum bonum fuisse, & sedisse ante annos mille. Imò, de annis puerilis obseruatio: non enim nihil contra fas inuectum est in Ecclesiam, nisi intra annos ab hinc mille. Virum bonum concedo, sed πρὸ τί: nec enim repente fiunt homines nequissimi. Et vitiis nemo sine nascitur: Optimus ille est, qui minimis vrgetur. Fuerit ergo dignus laude Gelasius, in negotio contra Eutychen, contra Acacium, in aliis: at non sequitur non fuisse nimium in extollenda sua sede. Iam si hic deterior suis præcessoribus, quid de posteris speremus? Ætas parentum peior auis tulit illos nequiores, progeniem datura vitiosiorem.

Cap. XXII.

De Patribus Græcis.

I. TErtia testium papisticorum Classis assignatur Patribus Græcis. Et in ea primus nominatur Ignatius: Epistola ad Romanos, *Ignatius Ecclesiæ sanctificatæ, quæ præsidet in regione Romanorum.* Cur verò, inquit Bellarminus, dicitur præsidens, nisi quia caput est omnium aliarum? Sed Bozio plenius gaudium fuit. Sic recitat, *Ecclesiæ sanctificatæ & illuminatæ, in voluntate Dei, qui fecit omnia quæ sunt secundum fidem & dilectionem Iesu Christi Dei, & Saluatoris nostri: quæ & præsidet in loco regionis Romanorum, Deo digna, eminentia digna, memoria digna, beatitudine digna, laude digna, fundata in dilectione & fide Christi, paternũ nomẽ habens, spiritifera, quã & saluto.* Eius textus hæc glossa est. At ille aliam nullam Ecclesiam vocat illuminatam in voluntate Dei: nullam dicit præsidere: nullã eminentia dignam, nullam paternum nomẽ habere: soli hæc humanæ tribuit Ecclesiæ: illa igitur sola. Si Ignatio credimus, præsidet, eminet, paternum nomen obtinet. Si illa præsidet, ergo aliæ subiectæ: si eminet, subsunt: si paternum nomen habet, filiæ sunt. Imò, pro, *eminentia digna*, in Græco est ἀξιοεπί-τευκτος, quod melius reddi potest, *digna super quam ædificetur*: nimirum, *Super hanc Petram.*

II. En tibi victorias! en tibi triumphos! Profectò sic vincunt: sic triumphant & crebrò: Iuxta illud, *Dolus an virtus.* Græcè in hunc modum scripsit Ignatius: Ἐκκλησίᾳ ἠγαπημένῃ καὶ πεφωτισμένῃ ἐν θελήματι τοῦ Θεοῦ [illegible] (sic Vaislemius edidit: ego malim cum Brunneru [illegible]) [illegible] Vaislemiũ dabo interpretem ne Brunnerus Bozio nõ satisfaciat, *Ecclesia sanctificata, & illuminata per voluntatem Dei operati omnia, quæ pertinent ad fidem & caritatẽ Iesu Christi:* Mallem ex editione Brunneri: *Quæ Ecclesia, est secundùm fidem & dilectionem Iesu Christi, Dei & Saluatoris nostri. quæ præsidet in loco Romanæ regionis: Deo digna decentissima, beatificanda, laudanda, digna, quæ quis potiatur, castissima, & extima caritatis Christi, & Patris nomen ferens, spirituque plena, quam & saluto.* Hactenus Ignatius. Sed Ignatium quis dixerit à Bozio lectum? Cætera mitto: quod viget, hoc ago.

III. Nullam aliam sic vocat. Lynceum hominem: & cuius ne tenuissima quidem aranearum fila, aciem fugiant. Atqui, ò bone, mihi, vt non Lynceo, tamen non luscioso itidem obseruatum. Solam Tarsensem salutari, [illegible] ἐν Χριστῷ, *Stratam in Christo*, solam Philadelphensem [illegible] Θεοῦ, *in Dei concordia firmatam*: Solam Smyrnensem, [illegible], *plene instructam in fide & caritate*: solam Antiochenensem, [illegible] Χριστοῦ, *electam à Christo*: solam Ephesinam, [illegible], *prædestinatam ante secula, vt esset semper ad stabilem gloriam.* Quid ergo? licebit-ne, bona Bozij venia, inferre, illa sic illis propria esse Epitheta, vt aliis nullis, (taceo alias) vt Romæ nihil sit commune? At, si Bozius patitur: non ferent vlli viri graues.

IV. Illuminatam vocat in voluntate Dei. Imò mauult Vaislemius, per voluntatem Dei. Sed quid tum? Aut cur tam subitò Bozius hoc [illegible] omittit è manibus? Ei non infert, si illa illuminata, ergo reliquas omnes cæcas esse? An quia non ausus? An quia vidit nihil ad rem?

V. Si eminet, reliquæ subsunt. Ita oportet, inquam, & sensus communis dictat: vt vniuersaliter verum sit, ea omnia subesse, inter quæ aliquid eminet. Sic ille, *colloque tenus supereminet omnes*, apud Ouidium, Sed non quæcunque subsunt, propterea imperio aut dominio eminentis obnoxia sunt. Et tamen vnde hoc? Nam interpres ille vetus nugatus est, quum Bozio hanc suggessit eminentiam: quam nullam Ignatius nominauit. Rectè, inquit, Bozius: Græcè enim est ἀξιοεπίτευκτος, id est, *digna super quo ædificetur.* O Græcis columen! O Athenarum deliciæ! At tibi profectò, si res esset cum [illegible], illis mulieribus, æquè cum Theophrasto ξένος audires & potiori iure: hic enim, quum accentu tantùm peccaret, tu monstrum nominis effers in Attide nunquam auditum. Quanquam longè grauius peccatum in interpretando: ἀξιοεπίτευκτος, quo iure, quo vsu, eum super quo ædificetur? Dixisset, *dignam qua ædificetur*, vel *superædificetur*, ferri posset: quanquam durum. Sed bene Vaislemius, *dignam qua quis potiatur*, [illegible].

VI. At certè, si paternum nomen obtinet: ergo reliquæ filiæ. Cur non filios dixisti potius? Horruisti solœcismũ, scilicet, vir latinè purus. Sed quomodo ergo potuisti Ecclesiam Romanam patrẽ imaginari? Verùm neque Græcè [illegible], neque Latinè,

paternum nomen habens: ita enim expressit vetus Ignatij interpretes: eum significat, qui aut sit, aut appelletur pater: sed eum, cui à patre denominano est: quomodo χριστώνυμος: non ipsum Christum, sed Christianum: itaque Vairlemius vtrumque, *Christi & Patris nomen ferens*.

VII. Si præsidet, ergo reliquæ subditæ. Nihil verius: quibus saltem illa præsidet. Quanquam, quid sit προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων quæri potest. Scio τὸ προκαθῆσθαι esse *præsidere*. Sed turbat phrasis. Nam ea significatio aliter id verbi construit. Apud Basilium epistula octaua. *Ἰκόνιον πόλις ἐστὶ τῆς Πισιδίας, τὸ μὲν παλαιὸν μετὰ τὴν μεγίστην ἡ πρώτη· νυνὶ δὲ καὶ αὐτὴ προκάθηται μέρους· Iconium vrbs est Pisidiæ: olim quidem post maximam prima: at nunc ipsa præsidet parti Pisidiæ*. Itaque huc inclinarem potius, vt redderem, *quæ præsidetur in loco regionis Romanorum*. Quomodo Tertullianus in Præscriptionibus dixit, Apostolorum cathedras *suis locis præsideri*, id est, habere Episcopos suos rectores. Iudicent docti: nam ego quidem ἐκ σκεπτικῆς conicio.

VIII. Sed, vt meæ quiequid est coniecturæ, missum faciam, iubeo notari nondictum præsidere omnibus in vniuerso orbe Ecclesiis: sed tantùm, ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων: Bellarminus expressit *in regione Romanorum*: quid debuit potius, *in loco regionis Romanorum*: quanquam τὸ χωρίον multo adhuc minus Græcis significet, quàm Latinis regio, quam illi χώραν potius dicunt. Cur dixit in regione Romanorum? Cur in loco regionis Romanorum? Prætervolauit Bellarminus: nec miror: sed neque Bozio, cui tam diligenter excussum est illud admirandum vocabulum, ἀξιόπιστος, otium fuit attendere. An potiùs non commodum? Ego non tam aut supinus, aut negotiosus, sic dictum credo, quomodo Basilio, Iconium præsidere parti Pisidiæ: nempe τῆς Πισιδίας τῶν λοιπῶν locorum. Præsidebat Iconium parti Pisidiæ: ergo non toti Pisidiæ: ergo non toti Asiæ: ergo non vniuerso orbi.

IX. Scio aduersarios, interque eos Baronium ad annum quadragesimum quintum paragrapho decimo, obseruare iam olim Romanum & Catholicum dici solitum pro eodem. Sed vicissim iubeo attendere, eum morem primum non fuisse ab initio. Argumento sunt exempla, quorum quod antiquissimum, repetitur à Theodosio Iuniore, & Victore Vticensi, & Gregorio Turonensi, tribus circiter seculis post Ignatium: id est, post quartum à Christo. Secundò, cœptum vsurpari, non à Catholicis, sed à Gottis, id est, Arianis. Gregorius Turonensis de Gloria martyrum capite vicesimo quinto, de Ariano principe, *Cogitauit intra se dicens, Quia ingenium est Romanorum (Romanos enim vocitant homines nostræ religionis) vt ita accidat, & nō sit virtus Dei*. Petrus Siculus in historia Manichæorum dixit Manichæos seipsos appellasse Christianos, *ἡμᾶς δὲ τοὺς ἀληθῶς ἐπωνύμους Θεοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, Ῥωμαίους ὀνομάζοντας: verè Christianis Romanorum nomen assignantes*.

X. Et fuit à ratione politica initium. Videlicet Gotti, Alani, Vandali, Romanis bellum inferebant. Illi omnes Ariani: hi Catholici. Itaque factum, vt Romanorum nomine omnes Christiani venirent. Exemplum habes recentius: Turcæ, quibus vehementissimum olim bellum fuit cum Francis, Francorum nomine Christianos comprehendunt. Hine est, quod Saluianus de gubernatione Dei libro quinto, Romanus semper discriminet à Barbaris, id est, Gottis, Vandalis. Neque alio sensu ab Epiphanio in Ariomanitis, & Petro Siculo, *Ῥωμαῖοι* nominatur.

XI. Denique, vt cœlum terræ misceas, absurdissimum fuerit aut χωρίον, aut etiam χώραν, vniuersum orbem interpretari: nec passuri sunt Geographi, qui quanto distent Cosmographia, & χωρογραφία, pridem discreuerunt. Itaque nulla potest commodior iniri ratio, quam vt τόπον χωρίου Ῥωμαίων intelligas ipsam vrbem Romam, in qua erat Ecclesia. Esto igitur Ecclesia, quæ προκάθηται Romæ, quomodo de qualibet alia dici potest, *ἐκκλησία ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ἐφεσίων, Θεσσαλονικέων, Φιλιππησίων*. Quid hoc ad Oecumenicum?

XII. Irenæus libro tertio, capite tertio, *Maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam omnibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentiam malam, vel vanā gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam præter quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam; hoc est, eos qui sunt vndique fideles: in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ ab Apostolis est traditio*. Hactenus Irenæus: cuius locum, mirum quanto fastu ostentent aduersarij: dicas singula verba totidē esse oracula pro Oecumenico Pontificatu. In eum commentarius est omnium diligentissimè Feuardentius, in sua Irenæi editione: quare nos eius vestigiis insistemus præcipuè, non neglecturi tamen Bellarminum, si quid habet peculiare. Hæc igitur inde argumenta eruuntur.

XIII. Primum: prætermissis omnibus ad Orientem & Meridiem, imò in vniuerso orbe Ecclesiis, tantùm Romanorum Episcoporum Catalogum texit. Quid tum, inquam? Nam id se Irenæus fecisse dicit, geminam ob caussam: primam, *quoniam valde longum esset in hoc tali volumine, omnium Ecclesiarum enumerare successiones*. Et hæc quidem caussa est cur omissæ sint aliæ. Cur autem, cùm omnes non posset, hāc potissimum elegerit, ratio est, quia maxima erat, & antiquissima, & omnibus cognita. Quid autem mirum ita sibi Irenæum temperasse: quum ipsi historici, quorum ea erat propria diligentia, non potuerint aliter? Eusebius capite primo libri primi historiæ: *ἀπαιτοῦντες τί ἂν ἀπὸ τῶν τοῦ γῆς μνήμης διαπρεπόντων τῶν ἐκκλησιῶν ...* In lucro ponentes, si successiones conseruauerimus, si minus omnium, at certè præstantissimorum Seruatoris nostri Apostolorum in Ecclesiis illustrioribus etiam nunc, & memoria celebratissimis. Et libro tertio, capite trigesimo secundo, *Quum fieri nequeat, vt omnes, quotquot tandem in Ecclesiis per orbem dispersis proximè & secundum Apostolos, pastores aut Euangelistæ successerunt, nominatim recenseamus, eorum solum nomina scriptis & memoriæ mandare caussa prodimus, quorum doctrina Apostolica ad hoc vsque tempus per commentarios & monumenta ab ipsis edita reseruata est*. Excusat ergo historicos multarum prætermissionem, eadem ratione, quòd longum, & impossibile esset omnes recensere. Non ergo earum vllo contemptu. Sed recensitarum Ecclesiarum caussam, primo quidem loco eādem Eusebius cum Irenæo; nimirum dignitatem, & illustrem famam. Quid autem mirum, si in vno libello, & quidem non historico, contraxit se magis Irenæus? Quemadmodum

modū autem Eusebius in diffuso opere ex infinitis paucas selegit, easq; illustriores: sic Irenæus in opusculo ex paucis illustrissimam. Et quemadmodum apud Eusebium illæ paucæ nullum imperium propterea habebant in multas, etsi essent illustriores: sic nec hæc quidem in omnes, quòd fuerit illustrissima.

XIV. Secundò, Ecclesia Romana vocatur maxima, vt quæ omnem sacrorum potestatem sibi iure vendicet: cæterasque omnes sibi inferiores habeat, quas sua autoritate regat. Et hîc ego sperem neminem agniturum desperatam Fenardētij audaciam, qui hæc interpretationum monstra propinare non veretur: Enimuerò hæc etymologia, aut ab autoris mente est, aut à vi vocabuli. Autoris mentem quî probabit hanc esse? Quanquam omnem sacrorum sibi potestatem iure vendicare Romanam (si vera est Ecclesia) quis eat inficias? Nā id cuilibet Ecclesiæ commune est: quæ intra se ipsa, illam plenam habet potestatē, & exercet. Sed cæteras inferiores habere, cęteras regere, hoc verò nunquā Irenęo venit in mentem. Vim vocabuli, nulli eam, Grammatici agnoscent vnquam, qui scient magnam Ecclesiā dici amplam, & populosam, puta Alexandrinam, Constantinopolitanam, Romanam. Quemadmodum autem lōgè maior Lutetia, quàm Neapolis: & tamen in Neapolim nullum habet imperium Lutetia nostra: sic, etsi maior fuerit Ecclesia Romana, quàm Salimensis, tamen Romanæ in Salimensem nulla erat autoritas.

XV. Tertiò, Ecclesia Romana dicitur antiquissima: non propter tempus, nisi de Latinis, & Occidētalibus intelligas: sed propter dignitatem, & quod alijs potior sit, ipsamque omnes, vt matrem suscipiant. At nos propriam, & vsitatissimam vocis significationem retinere malumus, vt durationem significet: vel absolutē, vt antiquissima dicatur; nō comparatē, omnium antiquissima: sed simpliciter antiquissima: quia ex earum numero erat, quæ pauco post Christum tempore fundatæ fuerant: quomodo frequens est eorum superlatiuorum vsus: vel etiam comparatē, si ita magis placet: quia quæ laudes erant vrbis Romæ, eæ communicabātur Ecclesiæ, quæ in ea vrbe erat: quemadmodum Theodoretus Epistola ad Leonem, multa colligit eiusmodi, *Multis, quibus superiores estis, ornatur vestra sedes. Ea enim est omnium maxima, & præclarissima, & quæ præest orbi terrarum: & eorum qui inhabitant abundat multitudine. Accedit his, quod hoc quoq;, quod rerū potitur, peperit imperiū, & propria sua appellatione eos, quibus imperat, impertiit.* Quis neget, has esse proprias vrbis dotes? Nō enim opinor, vt cætera mittā, sedes ipsa Petri peperit imperium, quod iam esse cœperat, antequam vllus esset Petrus. Et tamen iis dotibus ornari Theodoretus docet eam sedem. Præterea, quæ Concilia Cōstantinopolitanæ sedis dignitatem æquarunt dignitati Romanæ, satis abundè testantur ex vrbis dignitate augeri Ecclesiæ gradum.

XVI. Quartò, *omnibus cognita*: vt quæ inter omnes caput eatolleret, & cuius rectores velut in altissima pharo, & clarissima specula collocati aliarum nauigationes inter tot naufragia dirigerent. Hæc verò somnus quidem pro imperio. At quænā ista sunt verborum portenta? Aut rectorem nauis in altissima pharo, siue specula constitutū, vt inde cursum nauigationis dirigat, quis viderat, quis audierat vnquā? Sed non sufficiebat violētas interpretationes obtrudere, nisi etiam ridiculas? Omnibus cognitam dicit Irenæus, hoc est, non obscuri nominis, aut quæ in suo tantū solo esset nota, vt erāt aliæ plurimæ. Nam earum, quę in vltimo Oriente erant, vix nomen audierant Occidentales, & contrà. At Romam, æquè Orientales norant, & Occidentales. Hoc sibi voluit Irenæus: præterea nihil.

XVII. Quintò: ad hanc Ecclesiam necesse est omnem cōuenire Ecclesiam. Hoc est (inquit Bellarminus) ab ea tanquā à capite, & fonte pendere. Hoc est (inquit Feuardētius) membra cum capite conuenire, nec latum vnguē ab eius communione discedere. Atq; id duplici de causa, primò propter potentiorem principalitatem, seu locū, gradumq; principem in iurisdictione, & autoritate: deinde, quia hactenus omnes semper conseruarunt fidem in hac Ecclesia, id est, in vnione, & adhæsione ad hanc Ecclesiam, vt caput, & matrem.

XVIII. Respondeo, primùm, inquirendum, quid sit potentior principalitas. Iunius noster intelligit, *ἱκανωτάτην ἀρχὴν*, quomodo postea dicitur Ecclesia Romana scripsisse potentissimas literas, *ἱκανωτάτην γραφὴν*, & explicat, principium dignius: referens, ad eius Ecclesiæ initia cōstituta ab Apostolis: vt sensus sit, magnam esse dignitatem eius Ecclesię, quòd esset ab Apostolis fundata. Sed mihi non videtur aptum. Nam quomodo necesse fuit ad eam conuenire omnes vndique fideles? Nam ea ratio aliis cōpetebat Ecclesiis, vt probè docet Tertullianus, ad quas tamen non erat necesse omnes conuenire. Ego igitur potius *ἰσχυροτέραν ἀρχὴν*, censeo, *potentiorem principalitatem*: Quæ phrasis nullo vnquam vsu dicta sit de Ecclesiastica Politia: itaque dictam accipio de seculari potestate vrbis Romæ, quæ longè, lateque dominabatur. Deinde illud, *Conuenire*, esse pro Græco *συνέρχεσθαι*, nullus dubito: non autem pro communione, aut consensione, quam aduersarij fingūt: pro qua dicas quidem, *Conuenit mihi tecum*, non autem, *Ego conuenio ad te.* Et quodnam, quæso, Græcū vocabulum esse potuit, quod ita interpres exprimeret? Is, inquam, interpres quē scimus non liberē (quod docti solent) sed *κατὰ πόδας*, vertere omnia: vnde Latinitas etiam peruersa. Vt eodem hoc capite, *Adest perspicere: habemus annumerare: præterquam oportet colligunt*: Et infinita alia.

XIX. Præterea, obseruari iubeo, *omnem Ecclesiam* statim explicari ab ipso Irenæo, eos qui sunt vndique fideles, *τοὺς πανταχόθεν πιστούς*, vt ne totas Ecclesias intellexisse quis putaret, cùm intelligeret suos fideles mēbra Ecclesię. Quare Irenęum hoc velle certum. Illustre esse Romanę Ecclesię exemplū: tum, quia vrbs ipsa esset in toto orbe notissima: tum quia non auditione sola, quęnam esset intelligeretur: sed ipsis testibus oculis: quia vndique necesse esset Romam plurimos confluere, propter Imperij dignitatem. Cùm autem ita ad vrbem cōfluerent, non poterant, qui erant fideles, non agnoscere Ecclesiam, quę inibi erat. Antiocheni Concilij Canon nonus: cùm decernit Metropolitanū esse à reliquis agnoscendum, rationem subdit, *διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας. Propterea quod ad Metropolim omnes vndique concurrant, quibus sunt negotia.* Sed Leo ad rem propius, sermone de Sanctis Petro, & Paulo, de Petro Romam venienre, *Cuius nationis homines in hac tunc vrbe non essent? aut quæ vsquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset?*

XX. Sed eorum quæ sequuntur, sensum haud

facilè exactum elicias, *In qua semper ab his qui sunt vndique conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Nam Bellarmini expositioné, *Semper omnes conseruarunt fidem in hac Ecclesia, id est, in vnione, & adhæsione ad hanc Ecclesiam, vt ad caput, & matrē:* multa absurda satis refutant. Primū, non tantum noua est, sed etiam insolens: quis enim vnquam audiuit, conseruare traditionem in aliqua Ecclesia, aliud significare, quā efficere, vt ea ipsa Ecclesia conseruet apud se eam traditioné? Deinde, illa, *caput, & mater,* importunè inferciuntur, & in fraudem disputationis. Quę enim Irenæi verba designabuntur, quibus illa significentur, aut quibus inserantur? An verò censeor, nos tam stupidos, vt cuicunque rei tandem adhæreamus, eam concedamus esse matrem, esse caput? Tertiò, non prouidit Bellarminus, vt cohærerent inter se suę expositionis membra. Paulò antè exponebat hæc verba, *Necesse est conuenire,* id est, ab ea Ecclesia, omnes Ecclesias, tanquam a capite, & fonte pendere. Nunc eius necessitatis rationē hanc ab Irenæo proferri dissetit, quòd in ea ab his, qui sunt vndique, conseruata est Apostolorum traditio: hoc autem esse, ac si dixisset, omnes ei Ecclesias adhæsisse, tanquam capiti, ac matri. Hæc si cōponas, quantum conficient orationis monstrum? Probauerit enim Irenæus pependisse ab Ecclesia Romana, tanquam capite, & fonte omnes: quia omnes ei adhæserint, tanquam capiti, & matri. Hæcine verò sana? Hæccine digna Irenæo?

XXI. Quod verò Feuardentius exponit simpliciter, veræ fidei, & sinceræ pietatis traditionem in ea Ecclesia esse conseruatam: primum, hæc omittit, *ab his qui sunt vndique,* quæ otiosa esse, frustraque ab Irenæo addita, non facilè cuiquam sano persuadebit. Deinde ne cōstabit quidem contextus: quā est enim absurda conclusio: necesse est omnes Ecclesias cum Romana conuenire (etsi Irenæus non dixit *conuenire cum Romana,* sed *ad Romanam*) vt membra cum capite, quia in ea conseruata erat traditio veræ fidei? An enim oportebat omnes Ecclesias pro capite agnosci, in quibus hæc traditio erat conseruata? Aut illud potius verū, in sola Romana fuisse cōseruatam? Imò vtrunque vehementer falsum. Nam ibidem Irenæus nominat Ephesinam, & Smyrnensem eius traditionis testes: quomodo testes, si non conseruassent? Et eas tamen aduersarij nunquam admittant, vt capita, vt matres, aut fontes. Quare neutra expositio consistit.

XXII. Ego, mihi multi emerim Græca dari: nam interpretem, quicunque tandem is fuerit, pessimè plurimis locis functum officio, non aliunde facilius probatur, quā ex Feuardentio, & Billio. Quod si liceat meas cōiecturas in medium proferre, cum bona literatorum venia, dixerim illud *Conseruata,* esse pro *obseruata,* vt sit Irenæi sensus, omnes fideles ex variis orbis terrarū partibus Romam confluentes, facilè obseruasse traditionem Apostolicam in ea Ecclesia conseruatam. Atque hactenus Irenæus.

XXIII. Epiphanius hæresi 68. quæ est Meletianorum, *Vrsacius, & Valens pœnitentiam agentes, vna cum libellis profecti sunt ad beatum Iulium Romanum Episcopum pro ratione reddenda de suo errore, ac delicto.* Erant autem Episcopi. Cur igitur à Romano Pontifice veniam petebant, si non est Episcoporum iudex, & caput?

XXIV. Epiphanij verba, vt probet aduersus Athanasium cōfictas esse calumnias, [illegible] *Vt postea ostenderūt pœnitentes Vrsacius, & Valens, cum libellis accedentes ad beatum Iulium Episcopum Romanum, vt rationem redderēt sui erroris. Calumniati sumus (inquiebāt) Athanasium Papam: verum admitte nos ad communionem, & pœnitētiam.* Hîc verò, quid est quod euincat Oecumenicū Pontificatum? Imò quid non ordinarium, ac penè dixerim quotidianum? Illud [illegible] norunt omnes dici, non tantùm de legitimo iudicio, sed etiam de quacunque purgatione, etiam amica.

XXV. Libellos pœnitētiæ, non soli Romano oblatos, sed etiam aliis, disce à Sozomeno, qui libri secundi cap. 15. dixit Eusebium, Amphioné, & Theognim oblato Episcopis pœnitentiæ libello fuisse reuocatos, [illegible]. Sed illi, cur potius Iulio? Respondeo: imò Eusebius, Amphion, Theognis, cur potius aliis Episcopis? Sic enim semper quæri potest: & si Ambrosio dedissent libellum, tum aliquis Bellarminus quæreret, cur potius Ambrosio? Quanquam ratio non est obscura. Illi erant Occidentales: & Occidentalium, Romanus illustrissimus. Cęterū libellum Pœnitétiæ oblatum ab iis Iulio transcripsit Athanasius in suam secundam Apologiam: in eo nihil est non vulgare: ne honoris quidem tituli, qui non possint cuilibet Episcopo tribui: nunquam illi quicquam deferunt præter [illegible] *humanitatem.*

XXVI. Athanasius ad Felicem Papam, *Ob id vos prædecessoresq. vestros, Apostolicos videlicet præsules, in summitatis arce constituit, omniúmque Ecclesiarum curam habere præcepit, vt nobis succurratis.* Idem in libro de sententia Dionysij Alexandrini Episcopi, *Quidam ex Ecclesia rectè quidem sentientes, sed ignari eius causa, cur ita ab eo scriptum esset, Romam ascenderunt, ibiq; eum apud Dionysium Romanum præsulem accusarunt.* Cur apud Romanum Pontificem, Pontifex Alexandrinus accusatur: nisi Romanus est omnium communis iudex?

XXVII. Sed Epistola illa ad Felicem, mera est impostura, vt aliàs docuimus. Et sanè, quis credat Athanasium ei se, suamque causam commendasse, quem sciebat in locum Liberij substitutum, & Arianis cōmunicantem, à quibus se meminerat condemnatum? In Epistola ad solitariam vitam agentes, [illegible] *Hoc ministro vtens* (scilicet Epicteto iuuētute feroci audaci) *Incredibile facinus designauit Romæ, & quod verè referat imaginem Antichristi. Nam in locum Ecclesiæ Palatium cōstituens, etiam vice populi, tres Eunuchos suos adesse iussit: tū tres nequam insidiatores (neque enim quisquam eos Episcopos appellarit) coegit Episcopum constituere in Palatio, quēdam Felicem iis dignum.* En tibi veri Athanasij de Felice illo iudicium. Et huic sese Athanasius commēdarit? huic Athanasius suæ causæ iudicium permiserit? Credant Papistæ. Nam Catholici nunquam credent.

XXVIII. De Dionysij negotio Athanasij verba hæc sunt, [illegible] verbum: nam Interpres Latinus sibi nonnihil indulsit, *Quidam ex Ecclesia fratribus, rectè quidem sentientes,*

ro. qui tamen non interrogauerant eum (Dionysium) *vt ab eo scirent quomodo scripsisset, Romam ascendunt, & detulerunt de eo apud ei cognominem Dionysium Episcopũ Romanum*. Quid hæc ad Oecumenicum? quid ad communem indicem? Nam certè καταλαλεῖν τινα non est aliquem iudicialiter accusare: sed aliquẽ infamare: de eius fama detrahere: quod fieri potest apud quemlibet. Phauorinus καταλαλεῖν τὸ εἰς ἀπόντα κακολογεῖν. Atque ita explicandus idem Athanasius in libro de Synodis, quem Baronius citat, vbi vsus est verbo κατάλαλεῖσθαι. Nam ne κατηγορεῖσθαι quidem significat semper iudiciariam accusationem. Quinetiam Magdeburgenses in Synodo Constantinopolitana prima sub Iustino, annotarunt clerum, & monachos Antiochenos, Seuerum suum Episcopum accusasse apud Ioannem Constantinopolitanum. Et Theodoretus libro 2. capit. 29. historiæ nomen Eunomij delatum ad Eudoxium Cõstantinopolitanum, καίτοι τοῦ ζήλῳ τὰς ψυχὰς θήξαντες εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν ἔδραμον, καὶ πρῶτον μὲν παρ' Εὐδοξίῳ ἐγράψαντο τὸν Εὐνόμιον. *Illi*, qui sacris literis erant educati, instituique, *Zelo animos exacuentes Constantinopolim accurrunt, & primum Eunomio dicam scribunt apud Eudoxium*. An, quia Eudoxius esset summus omnium iudex? Ita exclament Sophistæ σπερμολόγοι, & Catholici rideant.

XXIX. Basilius Epistol. 52. ad Athanasium, *Visum est consentaneum scribere ad Episcopum Romanum, vt videat res nostras, & iudicij sui decretum interponat: vt quia difficile est, aliquos inde de Concilij sententia mitti, ipse autoritatem rei tribuat delectis viris, qui laborem quidem itineris perferre possint: lenitate verò, ac facilitate morum tum commoda, & prudenti oratione eos, qui à recta via deflexerunt, monere: quique acta Ariminensis Concilij secum ferant, ad ea rescindenda, quæ illic violenter acta sunt.* Hic Basilius Romano tribuit Episcopo autoritatem visitandi Ecclesias Orientis, & ex autoritate decreta faciendi, ac rescindendi Concilia generalia, quale erat Ariminense.

XXX. Imò nugæ. Nihil eorum Basilio dictum. Consului Græca, ἔδοξε δὲ ἡμῖν ἀκόλουθον ἐπιστεῖλαι τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ἐπισκέψασθαι τὰ ἐνταῦθα, καὶ δοῦναι γνώμην, ἵνα ἐπειδὴ ἀπ' ἐκεῖ, καὶ συνοδικῷ δόγματι ἀποσταλῆναί τινας δυσχερὲς, αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα, ἐκλεξάμενον ἄνδρας ἱκανοὺς μὲν ὁδοιπορίας πόνους ἐνεγκεῖν, ἱκανοὺς δὲ πραότητι καὶ εὐτονίᾳ ἤθους τοὺς διεστραμμένους τῶν παρ' ἡμῖν νουθετῆσαι, οἰκονομικῶς καὶ εὐκαίρως κεχρημένους τῷ λόγῳ, καὶ πάντα ἐπιφερομένους τὰ μετὰ Ἀρίμηνον πεπραγμένα, ἐπὶ διάλυσιν τῶν κατ' ἀνάγκην ἐκεῖ γενομένων. Horũ interpretationẽ aliã, & diuersam ab interpretatione Bellarmini, inuenio apud Baroniũ anno trecẽtesimo septuagesimo primo, paragrapho decimo. Sed & ipsam peruersam: itaque sic ipse reddidi, postea obseruaturus aliorum peccata, *Visum est nobis consentaneum scribere Episcopo Romano, vt animum aduertat ad ea, quæ hic fiunt: & consilium dare, vt, quandoquidem communi, & Synodico decreto difficile est, inde huc aliquos mitti, ipse proprio motu negotium aggrediatur, electis viris, qui itineris laboribus ferendis satis esse queant: & lenitate, facilitatéque morum iis, qui aliquos obliquos exhibent, admonendis: sed & orationẽ componant ad vtilitatem, & prudentiam: omniaque habeant secum Arimini gesta, ad dissolutionem eorum, quæ ibi per vim gesta sunt.* Hæc Basilius.

XXXI. Primum peccatum in Bellarmini versione: quod illud γνώμην δοῦναι, redditum sit, *iudicij sui decretum interponat*. Et quidem hoc geminum. Nam primò γνώμην δοῦναι, nõ significat interponere iudicij decretum: quæ verba eorum autoritatem significant, penes quos est potestas plena iudicij. Itaque apud Baronium inuenio, *détque consilium*. In postrema editione Parisiensi, *sententiam suam expromat*. Et sanè eandem phrasin comperias Epistola octaua ad Eusebium Samosatensem. Nullus, inquit, est, qui æquè, ac tu possit, δοῦναι γνώμην ἡμῖν περὶ τῶν προκειμένων, *cõsilium nobis dare de negotiis propositis*. Deinde, mutatur persona, tum à Bellarmino, tum à Baronio: qui illud *dare consilium*, referunt ad Episcopum Romanum: cùm sit referendum ad eos, qui ei scriberent. Censet enim Basilius debere Orientales scribere Romano Episcopo, & eidem consilium dare, quid agendum sit: quod statim subiicitur. Itaque sic construẽdum: Visum est cõsentaneum ἐπιστεῖλαι, καὶ δοῦναι γνώμην, *scribere, & dare consilium*. Vbi igitur illud Bellarmini, *ex autoritate decreta faciendi?* οὐχ ἔστι.

XXXII. Alterũ peccatum, αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα, *autoritatem rei tribuere*. Cùm contextus necessariò aliter requirat. Quia enim mentio fit Synodi, intelligendum est, potuisse mitti aliquos ex decreto eius, & id quidem optabilius fore: sed, quia difficile esset, saltem optandum, vt mitterentur à Romano Episcopo: nempe, nõ cũ publica autoritate, qualis erat futura synodica, sed priuata Romani. Quo sẽsu, αὐθεντεῖν, & αὐθεντία, passim occurrunt. Athanasius Epistola ad Rufinianum, τοὺς μὴ αὐθεντήσαντας τῆς ἀσεβείας, vocat eos, qui impietatis autores non fuerint, & disputatione contra Arium in Niceno Concilio, Ἄρειος εἶπεν, μὴ γὰρ ἐγὼ ἐξ οἰκείας αὐθεντίας ταῦτα φημί; Nũ ex mea autoritate ita loquor? Diodorus Siculus libro 7. τιμωρούμενοι τὸν αὐθέντην τῶν ἀσεβημάτων, *pœnas sumes ab autore scelerum*.

XXXIII. Tertium, hæreo, interpretisne peccatũ appellem, an Bellarmini vafritiem. Interpres, διάλυσιν τῶν κατ' ἀνάγκην ἐκεῖ γενομένων, vertit, *ad rescindenda quæ illic violenter acta sunt*, non omnino quidem malè: sed ambiguè: potest enim intelligi, vt vel ipsi legati missi rescinderẽt acta: vel ferrent acta, vt postea prouiderent dissolutioni eorum quæ erant gesta. Bellarmin' in hac ambiguitate id sumpsit, quod suæ causæ fauebat: nempe vt ipsi legati ex autoritate Romani acta Ariminensia dissoluerent. Quæ tamẽ Basilij mens non est: sed hæc potius. Habeant secum acta Ariminẽsia, vt cùm ex eorum lectione constiterit violẽta fuisse, possint apud nos rescindi, & antiquari. Non igitur defert Romano eam potestatẽ. Denique quantum in eo sit momenti in rem Pontificiam, disce ex Epistola sexagesima quarta, *Sin verò perseuerauerint*, ἀνάγκη καὶ πρὸς ἄλλας ἐκκλησίας ἐκβοῆσαι ὑμᾶς, *cogemur, & ad alias Ecclesias declamare vestrum infortunium, efficeréque, vt à pluribus ad vos Episcopis mittantur literæ*, τὸ μέγεθος τοῦτο τῆς ἐπιτεχνευομένης ἀσεβείας καταρρηγνύντα, *quibus impij huius figmenti magnitudo destruatur*.

XXXIV. At quartum peccatum ipsius est Bellarmini totum: cùm Romano Basilium tribuere dixit autoritatem visitandi Ecclesias Oriẽtales. Nam τὸ ἐπισκέψασθαι Basilij, & illud *videre* interpretis, id tantùm significant, vt aliquando animum aduerteret ad Orientalium negotia, ex fraterna sollicitudine. Quomodo Epi. septuagesima ad Episcopos Galliæ, & Italiæ, *Nam, & hoc potissimum est, quod requirimus, vt ipsi quoque Imperatori orbis vestri, per vestram pietatem innotescat nostra perturbatio, confusióque. Hoc si factu difficile fuerit*, ἀλλ' ἐκ δεῖν τινας παρ' ὑμῶν εἰς ἐπίσκεψιν, καὶ παραμυθίαν τῶν θλιβομένων, *vt vel aliqui vestrûm, ad visendum, & consolandum afflictos veniant*. Epistola septuagesima quarta ad Occidentales idem Basilius, πάλαι ὑμᾶς

... *Rursus hortamur, & rogamus vos, si dederit vobis Deus securitatem ad nos veniendi, ne tardet vestra visitatio. Est enim in primis mandata infirmorum visitatio.* Idem Epistola septuagesima septima ad Episcopos maritimos, ... *Multo tempore expectamus, an vestra nos charitas visitaret.* Et Epistol. octaua, ... *Ipsa vrbs Iconiũ, vocat nos ad visitationem.* Erat tamẽ Iconium extra ditionem Basilij, vt ipse statim testatur, cùm creationem Episcopi in ea vrbe sibi vocat ... Quid igitur? Exclamemus ne cum Bellarmino, authoritatem fuisse visitandi, aut omnibus Occidentalibus Orientales, aut maritimis mediterraneos, aut Basilio Iconium? Minimè verò: quin potius rideam? Bellarmini oculatem audaciam. Quinetiam, vt appareat nullum inibi esse Romani Episcopi priuilegiũ in Epistola 57. legas, ... *Decretum est, hunc eundem fratrem Dorotheum, Romam pergere, ad excitandos nonnullos ex Italia, ad nostri visitationem maritimo itinere.* Audin' ... Ergo perinde erat, siue Romanus, id onens suscepisset, siue eo cessante, alij quilibet. En tibi Oecumenicum!

XXXV. Porrò, quod attinet ad missionem illam aliquorum virorum, qui turbulenta negotia componerent: Cyprianus testatur Epistola quadragesima secũda, se Romam misisse Caldonium, & Fortunatum, vt componerent schismata Romę suscitata. Quis tamen huic Episcopo Carthaginensi audiit vllam esse tributam iurisdictionem in Ecclesiã Romanam? Imò id se ipse testatur fecisse statim initio Epistolæ, quod serius Dei, & maximè Sacerdotibus iustis, & pacificis congruebat. Quare, si est officium omnium Episcoporum curare aliarum Ecclesiarum negotia: ergo id esse nequit signum Oecumenici Pontificatus.

XXXVI. Sed neque illud in Basilio temerè prætereundum. Quandoquidem ex communi, & Synodico decreto fieri non potest, ipse saltem proprio motu rem aggrediatur. Quæ comparatio ostendit, magis optandum fuisse Orientalibus, vt ij viri mitterentur communiter ab Episcopis Occidentalibus in Synodo, quàm ab vno Episcopo Romano: vnde sequitur, Basiliũ agnouisse maiorem esse autoritatem in Concilio, etiam particulari, quàm in Episcopo Romano: quod ipsum indicio est, non agnitum Romanum pro Oecumenico. Deinde illud etiam constat, putasse Basilium, Synodum Occidentalem particularem, quę iure nullam haberet autoritatem in exteras prouincias, legatos potuisse in Orientem mittere, ad eadem efficienda negotia: quare ea missio nullum fuit signum Oecumenici Pontificatus.

XXXVII. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua, dicit Romanam Ecclesiam, semper conseruasse veram de Deo sententiam, vt decet vrbem, quæ toti orbi præsidet. Nec loquitur de imperio temporali: nam eo tempore imperij Romani, sedes Constantinopoli erat, non Romæ.

XXXVIII. Imò de imperio temporali nihil vetat intelligi, ... Quis enim nescit, etsi Imperator commoraretur Constantinopoli, tamen dignitatem imperij non fuisse ablatam ab vrbe Roma? Sed duntaxat sic communicatam Constantinopoli, vt tamen illa præcederet, esset que augustior, ac penes eam remaneret præcipua dignitas? Proptereà non tantùm Eusebius libro tertio de vita Constantini, capite septimo, *Vrbs illius*, inquit, *penes quam imperium est, Episcopus ingrauescente aetate præpeditus abfuit.* Sed, & Socrates aliquãto post tempore, libro secũdo, capite vndecimo, ... appellat. Et recentius adhuc apud Theodoretum historiæ libro quarto, capite octauo, literæ Synodales Illyrici Concilij, Romam vocant caput imperij. Ipse Theodoretus ad Leonem, vrbem Romam dicit esse omnium maximam, & præclarissimam, & quæ præest orbi terrarum. Quid? nonne ipse Bellarminus aliàs citauit ex Prospero, *Quicquid non possidet armis, Religione tenet?* Ergo post sedem Imperatorum constitutam Constantinopoli, & post Gregorium annis multis, vrbs Roma ob temporale imperium, dicebatur caput orbis: dicebatur tenere orbem armis: cur non etiam præsidere? Et tamen, si de Ecclesiastica politia malis intelligere, quis nescit præsidentiam competere primæ sedi, quæ reliquis omnibus præferebatur dignitate, etsi non potestate, aut imperio? Ita mens esset Gregorij, decuisse Romam conseruare sinceram doctrinam Christianæ fidei, vel ob hoc, quòd omnium Patriarchalium sedium esset prima.

XXXIX. Chrysostomus Epist. 1. ad Innocentiũ Papam, *Obsecro, vt scribas, quod hæc tam iniquè facta non habeant robur. illi autem, qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarũ legum subiaceãt.* His verbis Chrysostomus Romanum Pontificem rogat, vt ipse sua autoritate decernat, irritam esse sententiam Theophili: & Theophilum ipsum puniat. Agnoscit ergo summum iudicem, etiam Græcorum. Rursus idem Epist. 2. *Perpetuas vobis gratias agimus, quod paternam erga nos beneuolentiam declarastis.* Agnoscit igitur Innocentiũ patrem, cùm tamen senior esset Innocentio. Denique eadem Epistola postulat, ne inimicos suos excommunicet, quanquam meritos, *Vestram oro vigilantiam, vt licet omnia tumultibus impleuerint, si tamen curari morbo voluerint, ne affligantur, neque à cœtu eiiciantur.*

XL. Sed primũ caput scatet mendacijs: neq; enim Chrysostomus orat Innocentium, vt decernat: neque autoritatis meminit: nec vt puniat Theophilũ. Sed hæc omnia de suo excogitat Bellarminus, summa audaciæ. Scribere, quod non habeant robur, nulla ratione significare potest sententiam decernentis, aut statuentis autoritate iudiciali: sed tãtùm admonitionem eius qui docet, iniquum esse contra leges aliquid fieri: & factum, esse irritum: quin eos potius quid egerit, esse pœnis Ecclesiasticis subiiciẽdos. At hæc admonitio nihil habet, quo Oecumenicus stabiliatur. Confirmatur: quia idem qui hæc scribit Chrysostomus, testatur se appellare ad Synodum: à qua igitur oportuit eum sententiam expectare: non ab Innocentio, ad quem non erat appellatum.

XLI. Quod attinet ad paternam beneuolẽtiam, respondeo, primùm, hæc scribi à Chrysostomo, non iam amplius Episcopo, sed exule, & deturbato à sua sede: id est, deposito ab officio, idque in Concilio: adeo vt in eius locum alius esset cõstitutus Episcopus. Quid mirum ergo, si paulò demissiùs Episcopũ est alloquutus? Secundò, etsi esset Constantinopolis vrbs regia, tamen erat inferior vrbe Roma: itaq; Romanus habebat, ... Potuisse ergo, se dignitorem Episcopum patris nomine compellare. Tertiò, etsi patris sit in libertos autoritas: tamen pater-

ternus affectus, & beneuolentiæ, non solent autoritatem significare: sed animorum in amorem propensissimum. Itaque non posse argumentum esse stabiliendo Oecumenico. De excommunicatione, nihil est necesse multa dicere. Olim enim docui Episcopos alios ab aliis promiscuè excommunicatos.

XLII. Cyrillus Epistola 10. ad Nestorium, & vndecima ad Clerum, & populum Constantinopolitanum, scribit Nestorium, nisi intra terminum à Celestino Papa Romano præscriptum, hæreses suas reuocet, ab omnibus, vt excommunicatum, & depositum, debere vitari. Et decima octaua, Celestinum sanctissimum Patrem inscribit: & petit, num velit cũ Nestorio ad tempus adhuc communicari, an verò deinceps ab omnibus vitari. Quæ omnia satis declarant, quo loco Romanum Pôtificem habuerit, cùm in damnatione, ac depositione Nestorij, nihil se aliud, quàm executorem, & administrum Romani Pontificis exhibuerit. Idem in libro Thesauri, *Petro omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi, tanquam ipsi Domino Iesu, obediunt.* Item, *debemus nos, vt qui membra sumus, capiti nostro Romano Pontifici, & Apostolicæ sedi adhærere.*

XLIII. De excommunicato Nestorio, actũ aliàs. Hic paucis. Primò, non fuisse Celestini sententiam, sed Synodi Romanæ, *ἰδοὺ τοίνυν ἅμα τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, τῇ κατὰ τὴν μεγάλην τῶν Ῥωμαίων συνειλεγμένῃ, προεδρεύοντος τοῦ εὐλαβεστάτου ἀδελφοῦ, καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Κελεστίνου τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τρίτῳ σοι τούτῳ διαμαρτυρόμεθα γράμματι συμβουλεύοντες ἀποσχέσθαι τῶν οὕτω σκαιῶν, καὶ διεστραμμένων δογμάτων.* *Ecce vna cum sancta Synodo Romæ collecta, præsidente religiosissimo fratre, & collega nostro Celestino Episcopo, tertiò, hoc te contestamur scripto, consulentes, vt discedas à tam sinistris distortisque dogmatibus*, *καὶ εἰ μὴ τοῦτο δράσῃ ἡ σὴ εὐλάβεια, κατὰ τὴν ὁρισθεῖσαν προθεσμίαν ἐν τοῖς γράμμασι τοῦ ὁσιωτάτου, καὶ θεοσεβεστάτου ἐπισκόπου Κελεστίνου τοῦ συλλειτουργοῦ ἡμῶν, γίνωσκε σαυτὸν μηδένα κλῆρον ἔχοντα μεθ' ἡμῶν.* *Quod si id non feceris pietas tua, intra terminum præfixum literis piissimi, religiosissimique Episcopi Celestini, collegæ nostri, scito tibi nullam esse partem nobiscum.* Nihil igitur Celestinus dicitur decreuisse: sed præfuisse Synodo decernenti, cuius etiam nomine literas scribebat. Secundò, seipsum Cyrillus ei Synodo coniungit, *ἅμα τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ*, inquit: quod nunquam fecisset, si se tantùm executorem eius sententiæ putasset. Tertiò, eandem sententiam testatur, se tum tertiò pronunciare: ergo antequam quicquã, siue à Romano Pontifice, siue ab eius Synodo accepisset, eandem sentẽtiam pronunciarat: an vt summus iudex? Quartò, ea sententia Celestini nunquam valuit, aut executioni mandata est, donec accessit autoritas Synodi Ephesinæ: ante cuius congregationem eæ literæ à Cyrillo fuerãt scriptę. Agnoscin' veteris *ἰσοτιμίας* vestigia?

XLIV. Epistola verò 18. quidni Celestinũ sanctissimum Patrem appellet? Nam Patrẽ appellare moris erat, eum qui vel ętate, vel certè dignitate sedis pollebat. Sanctissimum autẽ, quem Episcoporum non nominabant olim? Id ignoret, quisquis in Veterum scriptis est peregrinus. De excõmunicatione Nestorij, postulat à Celestino Cyrillus non publicum decretũ, sed priuatam sentẽtiã: scilicet, vt quid sibi videretur, exprimeret. Nam initio quidem suam ipse disertè sententiam his verbis concipit, *Ego hoc affirmo, paratus etiam Synodicis id literis manifestum reddere, quod talia dicenti, ac sentienti communicare non poterimus.* Et ne videretur non posse absq; aliena autoritate, *Hoc quidem* (inquit) *nondum feci*: quasi in posterum se facturum minitans. Sed quare nondum? An quia Romanus nondum permisisset? nondum pronunciasset? Imò, *arbitratus manũ esse labẽtibus porrigendã, & cadentes tanquam fratres erigendos, hortatus sum eũ literis, vt se à tã praua opinione cohibeat.* Viden' iam innes? Viden' in iis nusquã defectũ autoritatis? Quid igitur quærebat à Celestino: *Nos ipsi ab illius cõmunione cum fiducia non exemimus, donec ista pietati tuæ cõmunicemus. Quapropter quid videatur, exprimere digṅare: an aliquando debeamus illi cõmunicare, aut in posterum confidenter edicere, quod talia, & sentienti & docenti nemo vestrûm cõmunicet.* Audin' quærere, vt exprimat, quid videatur? Et quid minùs à quoquam postulare queat? Non igitur se nihil significauit, nisi exsequutorem sententiæ Celestini: sed eius potius fratrem, & collegam disertè nominauit: quod nemo audeat hodie Papisticorum mancipiorum: non ipse Bellarminus nunc Cardinalis, olim Iesuitulus.

XLV. De Thesauro, respondeo, nunquam verisimile esse, ea scripta à Cyrillo: adeò redolent recentissimã adulatorũ Pôtificiorũ nequitiam: adeò abhorrent à veteri *παῤῥησίᾳ*, & *ἰσοτιμίᾳ*. Itaque desumuntur duntaxat è Thomæ Aquinatis opere aduersus Græcos. Quis autẽ Thomas fuerit, quis ignorat? Ipse tyrannidi Romanę addictissimus: in eaq; dilatus tẽpora, quę & ignorantia scaterẽt, & imposturis abũdarent. Thoma autem isto longè recentior est Gennadius Scholarius, autor Græcus quidem origine, sed ingenio Latinus: qui contra Græcos pro Papistis scripsit post Florentinam Synodum. Atque horum neutro præstantior Andreas Colossensis, in eadem Florentina Synodo præsens. Quare nos hunc locum confidenter nullo loco habemus.

XLVI. De Theodoreto, & Sozomeno, aliàs actũ: nec placet repetere. Acacius Constantinopolitanus ad Simplicium Papam, *Sollicitudinẽ omniũ Ecclesiarum, secundũ Apostolum circũferentes, nos indefinenter hortamini, quamuis sponte vigilantes, ac præcurrentes.* Hîc verò quidnã est quod sit vlli Rom. Pôntifici? Quanquã enim Acacius is sit, cui quã minimũ tribuendum sit, homini versipelli: & nunc Catholicorum partes fouenti, nunc in hęreticos propensiori: quid tamen in his verbis sit, quo suã causam stabiliat, non facilè video. Nam quid vrget, prætor sollicitudinẽ omnium Ecclesiarum? Atqui illud, *secundùm Apostolum*, satis ostendit cogitasse Acaciũ de ea cura, quę nõ sit proprium munus Oecumenici: sed eius cui cordi sunt omnes Ecclesiæ: qua de re aliàs dictum.

XLVII. Quod Episcopus Pataiensis apud Liberatũ de Silucrio dixit, *Multos esse in hoc mundo reges: & nõ esse vnũ, sicut ille Papa est, super Ecclesiam mundi totius*, hoc, inquã, si significat Episco. Rom. eminere supra omnes alios Episcopos dignitate, nihil haberet non verũ, & sanum. Sin verò significat dominationem in omnes Ecclesias: tum prorsus falsum est: & repugnant non tantùm rationi, sed etiam historię Ecclesiasticæ. Nec, credo, illius Pataiẽsis tantùm nomen est, vt pręferendus videatur omnibus, qui ante eum floruerunt, viris magnis, Catholicis, sanctis.

XLVIII. Iustinianus senior Augustus Epistola ad Ioannem secundũ in Codice titul. 1. *Nec enim patimur quicquã, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quod non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.* Sed hîc Imperator in ea deuenit tẽpora, cùm non procul abesset Phocas ille, qui autoritatẽ Romani stabiliuit. Itaque nihil mirum, iam eum incommodiùs loquutum. Sic enim protestatur eadẽ illa Epistol. *Omnes sacerdotes vniuersi Orientalis tractus, & subiicere, & vnire sedi vestræ sãctitatis properauimus*,

Sic enim iam tum conficiebatur mysterium iniquitatis. Itaque supersedeo de eo plura dicere, quàquam verba, à Bellarmino recitata, nihil habeant difficile. Nam & caput Ecclesiarum dici potuisse, nulla habita ratione Oecumenici Pontificatus, aliàs docuimus, & referre se omnia, quæ ad Ecclesiarum statū pertinent, non ad Romanum tantùm, sed etiam ad Epiphanium Constantinopolitanum, eodem titulo, *Cùm velsuum tuam sanctitatem omnia cognoscere, quæ ad Ecclesiasticum statum spectant, necessarium duximus hu ad eam vti diuinu apicibus.* Et sanè non dicit se ei soli communicare: sed ei *etiam*, id est, cum aliis, nec dixit referre ad eius iudicium, vt statuat pro arbitrio: sed dare operam, vt ei innotescant: nempe, vt quę Imperator statueret pertinentia ad statum Ecclesiæ, ea Romano intimarentur, vt & reliquis: imò etiam magis quàm reliquis.

Cap. XXIII.

De Patribus Latinis.

I. SVpersunt Latini Patres. Tertullianus de Præscriptionibus, *Si Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoq; autoritas præsto est.* Quæ verba ex Quintino sic explicat Pamelius, vt etiam extra Italiam Romano Episcopo fuerit iurisdictio. Illud enim *nobis*, aut Catholicos omnes, aut certè Africanos significare.

II. Respondeo, illud *nobis*, intelligendum non de Catholicis omnibus, sed tantùm de Africanis: eam verò autoritatem nequaquā significare iurisdictionem. Est autem hic sensus. Tertullianus inter præscriptiones aduersus hæreticos, hanc etiam numerauit, nempe testimonium Ecclesiarum Apostolicarum: & sic quidem, vt facilitatis gratia, pro vicinitatis ratione, singulis suas assignet. Iis quibus vicina erat Achaia, Corinthum: illis, qui non longè erant à Macedonia, Philippos, & Thessalonicam: his qui in Asiam tendere poterant, Ephesum: denique illis, qui Italiæ adiacent, Romam. Iam illa consideratio subiit de Africanis: apud quos nulla erat Ecclesia Apostolica. Quid igitur? Nempe his etiam Romam indicat, *vnde* (inquit) *nobis quoque autoritas præsto est.* Nobis, inquā, Afris, qui procul distamus ab Achaia, Macedonia, Asia, & nobis quoque, hoc est, non tātùm iis, qui Italiæ adiacent, puta Gallis: sed etiam nobis Afris, qui non ita magno maris interstitio ab ea separamur, vt non possit esse præsto statuta autoritas eius. Quam sententiam aliis verbis expressam habes libro quarto aduersus Marcionem, *Quid etiā Romani de proximo sonent.* Autoritatem igitur appellat, non iurisdictionem in alias Ecclesias, sed ipsam testimonij certitudinem, quomodo solemus iam quasi propriè autoritatem Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, aliorum, hoc est, ab iis desumpta de aliqua re controuersa, testimonia. Hic igitur Tertulliani locus nihil prorsus facit ad probādum Oecumenicum Pōtificatum: alioquin, diuidendum in eas omnes Ecclesias, quæ nominantur eodem loco. Nam Asianis præsto erat statura autoritas Ephesina: & reliquis reliquarum: æquè ac Africanis Romana.

III. Cyprianus Epistola quadragesima secunda ad Cornelium, (nam de libro de Vnitate Ecclesiæ aliàs actum) sic ait, *Miseramus nuper collegas nostros, vt ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem scissi corporis membra componerent: sed diuersa partis obstinata, & inflexibilis pertinacia, non tantùm radicis, & matricis sinum, atque complexum recusauit, sed etiam adulterum, & contrarium caput extra Ecclesiam fecit.* Vnde sic argutatur Bellarminus. Sicut Nouatianus fuit caput omnium Nouatianorum: ita Cornelius omnium Catholicorum.

IV. Sed hæc argutia est ineptissima. Primò enim, non est eadem ratio hæreticorum, & Catholicorum. Nam illi sibi pro arbitrio capita constituūt: hi verò vnum propriè agnoscunt, cuius membra nō sunt hæretici. Itaque non sequitur, si Arium Ariani, Nestorium Nestoriani, alios alij habuerunt pro capite: Catholicos etiam simili insania sibi nescio quos imposuisse, quibus capitis partes assignarent. Itaque ne Cyprianus quidem hîc voluit vllum nominare. Secundò, quid si Nouatianorum caput fecit, non omnium, sed eorum duntaxat qui Romæ erant? idque propter Episcopatum, ab eis illi delatum? Sic autem Gregorius Epistola trigesima octaua libri quarti, Petrum, Andream, Ioannem, singularum plebium appellat capita. Imò, inquit Bellarminus, apertè apud Cyprianum de Ecclesia Catholica sermo est. Ita, inquam. Sed quæ erat in vrbe Roma: quamque Nouatiani scindebant: sicut epistola præcedente, id est, quadragesima prima, loquebatur de Ecclesia Catholica, quæ erat Carthagine, *Ac ne eorum furens audacia vnquam desisteret, hic quoque in schismatis partes Christi membra distrahere, & Catholicæ Ecclesiæ corpus vnum scindere ac laniare nituntur.*

V. Rursus Cyprianus epistola quadragesima quinta ad Cornelium, vocat Romanam Ecclesiam radicem, & matricem Ecclesiæ Catholicæ. Sic Pamelius.

VI. Sed ea nulla mens est Cypriani: qui potius dixit Ecclesiæ Catholicæ radicem, & matricem, pro ipsa Ecclesia Catholica, quæ radix sit, & matrix omnium fidelium. Locus est huiusmodi, *Nos singulis nauigantibus, ne cum scandalo vllo nauigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, vt Ecclesiæ Catholicæ radicem, & matricem agnoscerent, ac tenerent.* Est verò eius Epistolę institutum, vt testetur Cyprian', se, audito schismate, quod erat factum in Ecclesia Romana, facto Nouatiano Episcopo, Cornelio iam eum locum occupāte, se, inquam, & Africanos, suspendisse iudicium suum, dum quid certi de toto eo negotio compertum sent: itaque non scripsisse ad Cornelium, sed ad presbyteros, & diaconos: nimirum quia, non compertis omnibus, nollent se alterutri parti addicere, siue cōmunicare Cornelio, aut Nouatiano. Sed & simile consilium dedisse iis qui nauigabant, nimirum vt viderent, ne se à Catholica Ecclesia separarēt: sed ei parti communicarent, quā in ipsis locis comperirent nō discessisse ab Ecclesiæ Catholicæ corpore. Quare perspicuum est Cyprianum, matricem ac radicem Ecclesiæ, opposuisse, nō reliquis Ecclesiis, quæ extra Romam erant, sed parti Nouatianorum. Aliàs inutile fuisset cōsilium. Nā sensus esset: vt ne tenerent Ecclesiam Romanam: atqui hoc non quęrebatur: sed quia ea Ecclesia scissa erat: & vtraque pars sibi, vt Episcopatum, sic Ecclesiam vindicabat: necdum Afri quicquam certi habebāt: ideò sic consilium temperabant, quasi dicerent: Nō possumus vobis certò indicare, in quam partem propendendum sit: sed autores sumus, vt hæreatis Catholicæ Ecclesiæ. Sic Epist. 42. cū dixisset missos Caldoniū, & Fortunatū, vt ad Catholicæ Ecclesię vnitatē scissi corporis mēbra componerēt: subdit

subdit statim, diuersæ partis obstinatam & inflexibilem pertinaciam, radicis & matris suum, atque complexum recusasse. Vbi quis non videt, *radicem & matrem suam*, idem esse, cum Catholicæ Ecclesiæ vnitate? Sic item in Epistola 43. *Vt ad matrem suam, id est, Catholicam reuertantur*. Et 44. *Ad matrem reuertimini, vnde prodistis*.

VII. Ambrosius libro 3. de Sacramentis capite 1. *Non ignoramus, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinē non habeat, cuius typum in omnibus sequimur & formam.* Et rursus. *In omnibus sequi cupio Ecclesiam Romanam: sed tamen & nos homines sensum habemus. Ideò quod alibi rectius seruatur, & nos rectè custodimus.*

VIII. Respondeo: primùm non satis constare inter doctos, vtrum hi libri de Sacramentis sint Ambrosij; propter styli distantiam. Sed quid tum? Aut quis est adeò perspicax, vt in eo loco vllum videat Oecumenicum? Erat Latinus, quicunque tandem is autor fuerit: imò in diœcesi Romana: quid igitur mirum, si Romani Episcopi hærere vestigiis voluerit? Sed & sequi alicuius formam & typum, non significat esse subditum: sed duntaxat ad eius exemplar se gerere. Denique libertatem suam is, quisquis est, non obscurè asserit: quum ait, cupere se quidem eā Ecclesiam imitari, sed habere tamē etiam suum sensum, vt sequatur quæ alibi rectius se habent. Quo significat, nō sibi pro lege Romanam Ecclesiam esse, sed tantùm pro typo & exemplo, à quo liberum sit discedere. Quod autem Bellarminus, illud, *In omnibus*, interpretatur de necessariis ad salutem, ridiculū est: nemo enim non videt eodem vtraque hæc referenda, *in omnibus sequimur*, &c. *in omnibus sequi cupio*. At quis non videt, quā foret absurdum, sequi cupio Ecclesiam Romanam, in omnibus quæ necessaria sunt ad salutem: quasi, quę sic sunt necessaria, nō propter se potius sequenda sint. Tum multò magis, cupio sequi, sed tamen si quid alibi melius sit, id rectè custodimus. Hoc verò quid esset? Nam satis ipsa verba perspicuum faciunt, hæc ipsa ab aliis melius obseruata intelligi de iisdem rebus, quas Romana quidē obseruat, sed non æque benè ac aliæ. Quare de iisdē necesse est Ambrosium dixisse se recedere ab Ecclesia Romana, in quibus tamen eam cuperet imitari. At quis feret fidelis, ea deseri quæ necessaria sunt ad salutem, quocumque id tandem prætextu fiat? Sed absurdum potius est Bellarmini glossema: & Ambrosius non cogitauit de Oecumenico.

IX. Hieronymus ad Gerontiam de monogamia. *Ante annos plurimos, quum in Chartis Ecclesiasticis iuuarem Damasum, Romanæ vrbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem.* Viden', vt ex vniuersa Ecclesia, & toto terrarum orbe responsa tunc petebantur à sede Apostolica? Mirum argumentum! Nos verò facilè concedimus Episcopum Romanum solitum esse consuli cùm ab Oriente, tum ab Occidente: tum à Synodis, tum ab Episcopis. Sed strenuè negamus, quicumque consulitur, eum esse Oecumenicum Pontificem: donec solidis argumentis contrarium euicerit Bellarminus.

X. Idem Hieronymus epistola ad Damasum de nomine hypostasis. *Quanquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à pastore præsidium ouis posco. Cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequēs, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnū comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.* Et infra. *Non noui Vitalem: Meletium respuo: ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Hinc colliguntur. Primùm, quòd se Damasi ouem dixerit, qui tamen erat presbyter Antiochenus. Secundò, quòd neminem Damaso præponeret, nisi Christum. Tertiò, quòd Romanam sedem agnouerit fundamentum Ecclesiæ vniuersalis: ac proinde Episcoporum caput. Quartò, quòd maluerit Damaso adhærere, quàm Paulino proprio Episcopo.

XI. Respondeo ad primum: nec se Damasi ouem dicere: & si diceret, nihil ad Oecumenicum. Nō dixit: quia tantùm se ouem profitetur; Damasum pastorem: sed non ouem Damasi: aut Damasum suum pastorem. Potest autē sensus esse saluus sic, ego sum vna ex ouibus Christi: & tu vnus è pastoribus gregis. Sed vt inde decedamus, quid conficitur? An quia Damasus erat pastor Hieronymi, ideo Damasus omnium Christianorum fuit pastor? Mirum genus Dialecticæ! At erat presbyter Antiochenus. Esto: etsi aliter censet Erasmus. Sed idem Romæ baptizatus fuerat: Vnde eadem Epistola, *Inde nunc meæ animæ postulans cibum* (audin' ouem) *vnde olim Christi vestimenta suscepi.* Deinde, ita susceperat presbyterium, vt tamē noluerit vlli clero adscribi: vt obseruat Baronius ad annum 378. Non potuit ergo dici presbyter Antiochenus.

XII. Ad secundum: primò, argumentum est nihili. Potuit enim Damaso nullum hominem præponere: & tamen non agnoscere pro Oecumenico Pōtifice. Ratio, quia erat Damasus Episcop⁹: & Episcopi sunt summi Pontifices: quibus in Ecclesiasticis rebus nemo præponi debet, præter Christum, cuius sunt vicarij: tum, quia vnus erat è Patriarchis: quod genus hominum, contra fas primámque institutionem, tandem extulit se supra Episcopos. Et quidem inter Patriarchas primus Romanus. Porrò nostra quæstio est, non vtrū sit aliquis præferēdus Romano, sed vtrū Romanus omnes suis sub pedib⁹ videat. Deinde dico vim fieri verbis Hieronymi. Neque enim illud *primum*, referri debet ad Damasum; quasi diceret, nullum ante te præter Christum: nam nec satis cōcinna esset oratio, aut Latina: debuisset enim potius priorem dicere. Sed absolutè sumendum; vt dicat, se neminem sequi præter Christum; ne ipsum quidem Romanum: sed reliquis omnibus communionem tantùm debere, atque adeo ipsi Damaso. Sensus igitur: se Christum agnoscere solum, omniū primum, quem sequi velit: ideo verò quia Christum sequatur, velle Damaso communione sociari.

XIII. Tertium est falsum. Nam, *super illam petram*, referendum, non ad Cathedram Petri: sed remotius ad Christum: quē eodē orationis spiritu nominabat.

XIV. In quarto nulla vis est. Quod enim maluit Damaso hærere, quàm Paulino; factum ob doctrinam, non ob iurisdictionem. Sic passim obserues in historia Ecclesiastica exempla similia, cùm orthodoxorum, tum hæreticorum. Semper enim ab eorū se vtrique communione separabant, à quibus in doctrina dissentiebant: iis autem communicabant, quibus eadem fides: etsi longè positis.

XV. Augustinus epistola 162. *In Romana Ecclesia, semper Apostolica cathedra viguit principatus.* Hoc verò quid est? inquam. Itáne nudum oportuit locum recitari, vt incertus lector dimitteretur? Nisi fortè abuti velit principatus nomine. At qui scient principatum appellari Episcopatum, ridebunt sophistam: Leo primus epistola 85. ad Episcopos Africanos. *Principatum, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupa-*

tit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initij sui est perniciosus exemplo. Ergo sensus est Augustini, in Ecclesia Romana semper continuatam fuisse Episcoporum successionem in Cathedra Apostolica sedentium. Denique principatus hic dicitur, non ratione habita aliorum Episcoporum; quasi sit principatus in omnes Episcopos: sed ipsius Ecclesiæ Romanæ, cui præficiebatur Episcopus. Atque eo sensu similiter dici potuit Cathedræ Apostolicæ principatus in Ecclesia, Antiochena, Alexandrina, Ephesina, Hierosolymitana, Smyrnensi, reliquis, in quibus erant Cathedræ Apostolicæ.

XVI. Idem Augustinus epistola 92. ad Innocentium. *Magnu periculu infirmorum membrorum Christi, pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris.* Sensit igitur Augustinus Innocentium etiam Palæstinæ, & Africę esse pastorem, quas prouincias pręcipuè infestabant Pelagiani.

XVII. Respondeo, negari consequentiam. Quia constat ex Cyptiano, quemlibet Episcopum, eo ipso quod sit Episcopus, id est, alicuius Ecclesiæ pastor, teneri quantum in eo est, pastoralem curam omnibus adhibere Christi ouibus. *Etsi* (inquit epistola 67. ad Stephanum) *pastores multi sumus, vnum tamen gregē pascimus, & oues vniuersas, quas Christus sāguine suo & passione quæsiuit, colligere, & fouere debemus.* Hinc de se ipso Augustinus capite 1. libri 1. ad Bonifacium. *Ausus sum aliquid ad tuam beatitudinem scribere de his rebus, quæ hoc tempore Episcopalem curam, si qua in nobis est, ad vigilantiam pro grege Dominico, stimulo recentiore sollicitant.* En tibi in Augustino pastoralem curam: & quidem pro grege Dominico. Cur ea in Episcopo Romano Oecumenicum significet, potius quàm in Augustino?

XVIII. At (inquit Bellarminus) cur non scribitur Patriarchæ Hierosolymitano, vel Metropolitano Palæstinæ, aut primari Africæ Episcopo Carthaginensi? Facilis responsio. Primum enim, quid tum si nos eius facti ratio lateat? Nam, quis te speret eā redditurum de omnibus, quæ exstant, epistolis? Deinde, quid mirum, si quod cuilibet potuit scribi, huic scriptum est? Potuit Basilius solitariæ vitæ laudes ad quencumque scribere: is tamen prætermissis omnibus alijs, ad solum Nazianzenum scripsit. Redde rationem: nullam inuenies: nisi quia sic libuit. Tertiò: ad primatem Africæ nihil opus erat scribere; qui iam idem negotium tractarat in Synodo: atque etiam literas scripserat inde ad Episcopum Romanū: quod ipse testatur Augustinus eadem epistola. *Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensis Ecclesiæ, & Carthaginensis prouinciæ coepiscopos nostros, quos ad sedem Apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus.* Ergo nihil opus erat apud eos sollicitatione: qui iam præuenerāt sua diligentia, & suis partibus erant perfuncti.

XIX. Quod attinet ad Patriarcham Hierosolymitanum, & Metropolitanum Palæstinæ, tripliciter respondeo, primò abfuisse longius, eóque difficilius & ad illos scribi: & ab illis rescribi: quod probatur ex literis mutuis Augustini & Hieronymi. Secundò: etiam Palæstini non erant in eo negotio negligentes: quin potius ex eorum literis, Africani, quid Pelagius ageret, compertum habebant. Eadem Epistola. *Pelagius, sicut à quibusdam fratribus nostris missa loquuntur epistola, Hierosolymis constitutus, nonnullos fallere asseritur.* Tertiò ipse Augustinus rationem reddit. *Arbitramur adiuuante misericordia Domini Dei nostri Iesu Christi, qui te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, autoritati sanctitatis tuæ de sanctarum Scripturarum autoritate deprompta, facilius eos qui tam peruersa & perniciosa sentiūt, esse cessuros, vt de correctione potius eorum gratulemur, quàm contristemur interitu.* Quid igitur coniecturas quæramus, qui habeamus disertissimum testem Augustinum? Illa verò autoritas, non iurisdictionis erat, sed dignitatis, vel potius testimonij: vt sit sensus: dedent autoritati tuę de Scripturarum autoritate depromptæ, hoc est, tibi veram doctrinam è Scripturis exprommenti, & confirmanti. Paulò aliter Basilius Epistola 48. rationē reddit Athanasio, quare nonnihil exspectet auxilij ab Occidentalibus. Τάχα ἄν τι [illegible]. *Fortè aliquid vtile publicis rebus contingat: quum & qui rerum potiuntur, autoritatem multitudinis reuerebuntur, & populi vbique sequentur absque hesitatione.*

XX. Idem epistola 58. ad Donatum. *Me apud Cæsaream præsente venerant, quo nos iniuncta nobis à venerabili Papa Zozimo Apostolicæ sedis Episcopo, Ecclesiastica necessitas traxerat.* Nimirum (inquit Bellarminus) iusserat Zozimus, vt Episcopi Africę apud Cæsaream Concilium celebrarent: & sanctus Augustinus parendū esse, & necessariò parendum existimauit.

XXI. Sed ea ex Augustino non debent sic colligi, non possunt elici necessariò. Necessitas Ecclesiastica, significat negotia quędam Ecclesiastica necessariò peragenda: ideò postulantia Synodi congregationem: quorum negotiorū potuit Zozimus caussa esse. Quod eò fit verisimilius, si attendatur Zozimū eum esse, qui in Africam legatos miserit ad extorquendas appellationes, quæ tamen denegatæ fuerunt. Ac fortasse, hoc illud negotium fuerit. hæc illa Ecclesiastica necessitas à Zozimo iniuncta; quæ Augustinum Cęsaream pertraxerit, vrbem illam vnde nomen Mauritaniæ Cæsariensi: Comminiscitur quidem Baronius, pro sua solita audacia, quandam legationem Romani Episcopi. Sed nihil est caussæ cur ei deferamus. Possidius nihil habet, vnde id concludas. Tantùm Cæsaream dicit, *eum venire cum alijs eius coepiscopis, sedis Apostolicæ literæ compulerant; ob terminandas videlicet alias Ecclesiæ necessitates.* Sed ea verba legationem nullam significant: nisi fortè legatorum, vt ita dicam *exercitum comminiscamur.* Interea ex eo Possidonij loco, patet necessitatem Ecclesiasticam apud Augustinum, non esse intelligendam iussionē Papæ, cui necessariò parendum fuerit, quomodo somniauit Bellarminus, sed negotia quędam necessariò componenda, siue terminanda. Denique epistola 168. *In alijs ciuitatibus tantum agimus, quod ad Ecclesiam Dei pertinet, quantum vel nos permittunt, vel nobis imponunt earum ciuitatum Episcopi fratres consacerdotes nostri.* En imponi sibi: quantum id distat ab iniungendo? Et tamen non ab Oecumenico; sed à fratribus & consacerdotibus.

XXII. Idem contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium libri 1. capite 1. *Non dedignaris, qui non alta sapis, quamuis altius præsideas, esse amicus humiliū.* Et post. *Commune est omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quāuis ipse in eo præemineas celsiore fastigio, specula pastoralis.* Ergo ab Augustino, omnes Episcopi subijciuntur fastigio celsiori Romani Pontificis.

XXIII. Sed Augustinus nihil aliud significat, quàm in eodem dignitatis genere, id est Episcopatus munere communi omnibus Episcopis, Romanum Pontificem præstantiorem esse. Quod illustrat festiua comparatione specularum, quæ omnes quidem eiusdem sunt muneris, aliæ tamen alijs celsiores.

Quare

Quare, quod Bellarminus dicit, subiici reliquos huic, verum est quidem, si intelligas duntaxat inæqualitatem dignitatis: quomodo Constantinopolitano subiiciebatur etiam Hipponensis, Eugubinus, Hostiensis: quia Constantinopolitana erat altior ipsis specula; vt & aliæ plurimæ, aliis minorum, & obscuriorum ciuitatum: sed falsum, si de inæqualitate iurisdictionis, vt Romano subiiceretur Hipponensis, quemadmodum Imperatori præfectus cuiuslibet ciuitatis, aut prouinciæ. Nam, vt non verum humiliores speculas, in potestate esse aut dominio celsiorum: nihil enim imperant speculatores, in altioribus turribus constituti, iis qui sunt in minoribus; sed duntaxat longius prospiciunt & latius: sic non est necesse, vt si illustrior sit sedes Romana sede Hipponensi; propterea huic illa dominetur.

XXIV. Iterum Augustinus de vtilitate credendi capite 17. *Dubitabimus nos in eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani, ab Apostolica sede, per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen autoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summa profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Non citat Bellarminus, sed alij.

XXV. Sed hic Augustinus de Ecclesia Romana non magis cogitauit, quàm de alia qualibet. Loquitur enim de Ecclesia Catholica, ad quã Manichæos inuitabat. Nam hæc est quæstio disertis concepta verbis, capite 7. *Fac nos nunc primum quærere, cuinam religioni animas nostras purgandas instruendasque tradamus: procul dubio à Catholica Ecclesia sumendum exordium.* Deinde, quum disputasset vtrum in religione credulitas sit vitium, ostendissetque non esse: ostendisset item quibusnam modis ad credendum Deus soleat homines inuitare, nimirum miraculis, & sequacium multitudine: ad eam tandem rediens ad id quod erat propositum, iis vtitur verbis quæ iam sunt recitata: concludens, quandoquidem in religione credulitas maximè requiritur, quæ ab autoritate aliqua pendet, merito quiescere omnes debere in eius Ecclesiæ autoritate, quæ sic describitur, neglectis quorumlibet hæreticorum sectis. Quare non Ecclesia Romana comparatur reliquis Ecclesiis Christianis, quasi [illegible] soli, repudiatis omnibus aliis, adhæ[illegible] Chr[illegible] debeant: sed Ecclesia Catholica omnibus hæreticis opponitur. Ac proinde *culmen* illud *autoritatis*, & illud, *primas dare*, non de alicuius vnius autoritate, siue potius imperio, dictum; sed de Ecclesia Catholica, cuius autoritas, non imperij quidem, sed testimonij vnde credulitas pendet, quam Augustinus commẽdat tanquam necessariam in rebus fidei, longè certior sit, omnium hæreseon (quæ sese itidem pro Ecclesiis venditant) ostentatione. Apostolica autem sedes, ipsa significat Apostolorum docentium tempore: alio sensu, quàm quum dici solet de Ecclesia Romana, Alexandrina, Antiochena: ideò non dicit Augustinus in Apostolica sede, vt erat necesse, quẽadmodum dicitur Damasus sedere in Apostolica sede: sed ab Apostolica sede, hoc est, ab eo tempore, quo sederunt Apostoli, Ecclesiam Catholicam habe[illegible] continua serie sibi succedentes Episcopos: quos [illegible]sis habet.

XXVI. Victor Vticensis libro secundo de persecutione Vandalica Ecclesiam Romanam *caput* appellat *omnium Ecclesiarum*. Et Vincentius Lyrinensis in Commonitorio *caput orbis*.

XXVII. Sed quid necesse est toties idem respõdere? Aut nónne satis iam probatum caput dici, non imperij caussa, sed præstantiæ dignitatisque? Quanquam apud Lyrinensem *caput orbis*, non est caput Ecclesiæ. Et Bellarminus parum agit sincerè, qui ab eo Romanum pontificem dicat hoc appellari nomine, quum potius vrbẽ dicere debuerit. Verba sunt, *Lecta sunt ibi quædam ad quosdam epistolæ sancti Felicis Martyris, & sancti Iulij vrbis Romæ Episcoporum. Et vt non solum caput orbis, verùm etiam latera illi iudicio testimonium perhiberent, adhibitus est à meridie beatus Cyprianus Episcopus Carthaginensis & martyr: à Septentrione Sanctus Ambrosius Mediolanensis Episcopus.* Hæc verò per se plana sunt & perspicua. Vrbi enim comparantur Meridies, & Septentrio; non Ecclesiæ, sed ipsius orbis latera: proinde Roma, hoc est, non Ecclesia, quæ inibi erat, non Episcopus, qui ei Ecclesiæ præsidebat, sed ipsa vrbs, in qua Ecclesia, & Episcopus, vocatur caput orbis: scilicet ex Imperij iure.

FINIS LIBRI DECIMITERTII.

LIBER DECIMVS QVARTVS.

DE

OECVMENICO PONTIFICE.

Caput Primum.

DE PATRIARCHIS.

SIc examinauimus omnia Papistarum argumenta, quibus Romanæ Ecclesiæ, eiúsve Pontificis in omnes Ecclesias, Pōtificésque iurisdictionem animosè tuentur. Nunc contrà Catholicorum enumeremus demonstrationes, quæ eius Ecclesiæ, eiúsque Pontificis immensam, ambitionem contrahunt, & cogunt in ordinem. & quidem prima hæc esto: Si Episcopus Romanus fuit vnus è numero Patriarcharum: & sic quidem, vt essent alij æquales, etsi ordine posteriores: Ergo is non fuit Oecumenicus Pontifex. At verum antecedens. Non potest igitur falsum esse consequens. Consequentia per se est perspicua: nam & Oecumenicum omnino oportet proprium ordinem tenere, vt regem in regno: & æquari illi aliquem, tam est absurdum, quàm dari alterum Solem.

II. At antecedens probatur ex Conciliorum decretis. Nicæni Canonem sextum libro præcedenti ab aduersariorum calumniis vindicatum, hic iterum repeto αὐτολεξεὶ, cui lucem reliqua Concilia adferēt. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. *Antiqua consuetudo valeat in Ægypto, & Libya, & Pentapoli: vt in has omnes authoritatem Alexandrinus Episcopus habeat: quandoquidem ipsi Romano Episcopo idem mos est. Similiter & Antiochiæ, & in aliis prouinciis sua Ecclesiis prærogatiua honoris conseruetur.* Huiusmodi decretum est primæ celeberrimæque Synodi. Nec contradixerim Baronio scribenti caussam edicti (vt ita loquar) dedisse turbas à Meletianis apud Alexandriam concitatas: quas vt sopirent Patres, confirmandam censuerunt autoritatem Alexandri Alexandrini, ad instar Romani Episcopi.

III. Sequuta Synodus est secunda Constantinopolitana: quæ ob rerum præsentem statum, nonnihil immutandum putauit in politia Ecclesiastica & inflectendam Nicænam determinationem. Nam postquam Constantinus Imperij sedē Roma abstulit: Constantinopolimque trāstulit: mirū quantum incrementum vrbs ista ceperit. Itaque visa mereri suum locum inter Patriarchas: quandoquidem iam certū erat, dignitatem omnem, quæ erat supra Episcopos, distribui cœpisse secūdùm vrbium dignitatem. Itaque in secunda Synodo, factus in hæc verba Canon tertius. Τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. *Vt Constantinopolitanus Episcopus honoris prærogatiuas obtineat secundùm Romanum Episcopū: quia sit noua Roma.* Nicephorus lib. duodecimi capite decimo tertio. *Constituerunt præterea, vt secundum Romæ vrbis Episcopum, Constantinopolitanus Antistes primum ac præcipuum obtineret honorem, vt quæ noua Roma cognominata sit. Non enim vrbs ea tantum ita nominata est, ex populi honoribus magistratibúsque externis, verū etiā signis, moribúsque &*

que & legibus cum Romana in Italia iisdem gloriatur atque vsque ex aequo paria sunt & dignitatis praemia, & honorum iura.

IV. T[illegible]ia dehinc Synodus congregata est Ephe-si [illegible] Constantinopolitanum Episcopum, tum [illegible] hæreticum, videlicet Nestorium. Ideò de [illegible] dignitate nihil actum. Sed deinceps [illegible] in qua Canon perscriptus vigesimus o[illegible], & quidem auditis Romanis legatis cont[illegible]tibus. ὁρίζομέν τε καὶ ψηφιζόμεθα περὶ τῶν πρεσβείων τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας τῆς αὐτῆς (malim ταύτης) Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης. καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, εὐλόγως κρίναντες, τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν. *Definimus & communi calculo sancimus, quod attinet ad prærogatiuas honoris sanctissimæ Ecclesiæ huius Constantinopoleos nouæ Romæ. Etenim Patres, sedi antiquioris Romæ, ob eã caussam quia imperium obtineret vrbs illa, meritò primatum honoris detulere. Sed & eadem ratione moti centum quinquaginta religiosissimi Episcopi, æqualem primatum honoris assignarunt sanctissimæ sedi nouæ Romæ. Rectè iudicantes, eam vrbem quæ Imperio & Senatu honestatur: & iisdẽ priuilegiis fruentem cum antiqua Roma & regia; etiam in Ecclesiasticis negotiis æquè cum illa extollendam, sic tamen vt post eam secundum locum obtineat.*

V. Denique in sexta Synodo, quæ etiam Constantinopoli congregata est, & Trullensis cognominata à secretario palatij, rursus canon conceptus est trigesimus sextus: quem Gratianus descripsit, aut potius contraxit distinctione vigesima secunda. Ἀνανεοῦντες τὰ τῷ ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίων πατέρων ἐν τῇ θεοφυλάκτῳ ταύτῃ καὶ βασιλίδι πόλει συνελθόντων, καὶ τῶν ἑξακοσίων τριάκοντα τῶν ἐν Χαλκηδόνι συναθροισθέντων, ὁρίζομεν, ὥστε τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον τῶν ἴσων ἀπολαύειν πρεσβείων τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θρόνου, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δεύτερον μετ' ἐκεῖνον ὑπάρχοντα· μεθ' ὃν ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως, καὶ μετ' τοῦτον ὁ τῆς Ἱεροσολυμιτῶν πόλεως. *Renouantes ea quæ statuta fuerunt à centum quinquaginta sanctis patribus, qui in hac regia, Deóque chara vrbe conuenerunt, tum à sexcentis triginta, qui Chalcedone: definimus vt Constantinopolitana sedes æquis fruatur honoris prærogatiuis cum Romana, inque negotiis Ecclesiasticis exaltetur vt illa: sic tamen, vt secunda sit post eam: tum Alexandrina: póstque eas Hierosolymitana.*

VI. Atque hi sunt Canones ad hanc rem pertinentes. Nam deinceps in Synodis Oecumenicis magnum ea de re silentium. Particulares autem nũquam sibi tantum iudicium assumpsere. Iis canonibus in Patriarchæ numerantur Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus. Nisi quòd Nicænus Constantinopolitanum, vt dixi, non agnoscit. Trullensis Antiochenum omittit; quod, qui factum, me latet. Cæterum hic numerus non sic accipiendus, quasi hi soli toto orbe eo nomine cẽserentur. Nam alios etiam fuisse satis constat; & nos aliàs docuimus: saltem ab initio, id est, Constantini temporibus: vnde illa in Niceno de aliis prouinciis: ὁμοίως καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. *prærogatiuas honoris seruari Ecclesiis per singulas prouincias*: nam Metropolitani iidem erat Archiepiscopi, quod suis Episcopis præessent. Episcopi autem erant Patres: itaque Archiepiscopus & Patriarcha eiusdem rei duo sunt nomina. Enumerari igitur illi, tanquam præcipui: Sozomenus libri tertij capite sexto μητροπολίτας θρόνους appellat: Christophorsonus reddit *primarias sedes*.

VII. Iam ex iis Canonibus hæc colliguntur argumenta contra Oecumenici Pontificis caussam. Primum: Quòd Romanus haud aliter designetur, quàm reliqui: singuli de nomine eius vrbis, in qua sedebant Episcopi. Quemadmodum enim dicitur Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus: sic etiam Romanus: quæ nominum analogia, quinam sit, cur tanta sit rerum significatarum anomalia, vt huic reliqui subiiciantur? Secundum: Romano disertè Constantinopolitanus æquatur in rebus Ecclesiasticis: quare, aut necesse est duos constitui Oecumenicos, quod est absurdum: aut ne Romanum quidem; quod est verius. Tertium: Ij Patriarchæ distinguuntur non ex iurisdictionis inæqualitate; sed tantùm ab ordine; vt primus sit Romanus, secundus Constantinopolitanus, tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus, quintus Hierosolymitanus. Quàm absurdum, si prorsus diuersa sint genera dignitatis? Hoc autem necesse est; si solus Romanus sit Oecumenicus. Præterea hinc datur intelligi, non Constantinopolitanum solùm: sed & reliquos, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum æquari Romano, quandoquidem solo numero, siue ordine distinguantur à Romano æquè ac Constantinopolitanus. Denique ex decretis trium Synodorum possumus securè interpretari Nicænam, quam variè varij conati sunt detorquere: vt intelligenda sit de autoritate Alexandrini in suos tanta, quanta esset Romani in suos.

VIII. Quid ad ista Papistæ? De Nicæno Canone satis prolixè disputatum libro præcedente. Sed reliquos respondent, nunquam probatos à Romano Pontifice.

IX. Enimuerò digna responsio iis hominibus, qui se vnius homunculi meminerunt imò gloriantur esse serua pecora. Nam quid mirum, si apud eos pendeant omnia ab eius nutu? Sed apud Catholicos longè plus potest Concilij nomen, quàm Episcopi Romani fastus.

X. Quanquam de Constantinopolitano Canone, quid dicunt? Non adfuit enim Romanus ei Synodo, quæ secunda numeratur, neque per se, neque per legatos: itaque reclamare non potuit, vt in Synodo Chalcedonensi postea. Quis verò putet non esse delatos ad eum canones? Et tamen nulla legitur improbatio ante Synodum Chalcedonensem; Hem tam serò? Hoccine verò æquum est, post annos tam multos (septuaginta enim minimum colliguntur. Nam Synodus secunda sub Damaso fuit anno trecentesimo octogesimo primo: Chalcedonensis autem sub Leone anno quadringentesimo quinquagesimo primo, si benè supputat Baronius) sed post tam multos annos; quis æquum credat intercedi tandem Synodi vniuersalis decreto: & quidem ab vno, & solo homine? Aut quam autoritatem habitura sunt Concilia, si sic licet omnia fasque deque

haberet? Sed nullum tantum est malum, quod isti nō admittant, dum sibi placeant. Et quidem notandum; intercessum fuisse ab eo cuius sarta tecta iura conseruabantur: neque enim quicquam minuebatur de eius diœcesi: neque de honoris prærogatiuis. Alij autem, qui etsi diœceses integras retinerent, tamen postponebantur Constantinopolitano: sic vt secundus fieret tertius, & deinceps tertius quartus: & quartus quintus: ij, inquam, tacent.

XI. Quid? quod falsum est eos Canones numquam fuisse probatos à Romanis Pontificibus? A postremu saltem consensum est, vt Constantinopolitanus secundum locum obtineret: quamuis Leo contradixisset, & Gelasius. Nam in editione Decreti Gregoriana, ad caput *Constantinopolitana*, distinctione vigesima secunda; ista legas, *Constantinopolitani Episcopi, Imperatorum potentia freti, secundum locū Patriarchalium sedium sibi vsurparunt: idque tādem pacis & tranquillitatis caussa fuit ipsis concessum, sicut in ea antiqua de priuilegiis, Innocentius Papa tertius declarauit.* Et habes Decretum in Concilio Lateranensi Innocentij tertij capite quinto, *Antiqua Patriarchalium sedium priuilegia renouantes, sancta vniuersali Synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant; seruata cuilibet propria dignitate.* Consensit ergo Romanus tandem, tum scilicet, quum sibi cauit: atque ita docuit non se aliorum iura, quod fingebat, tutari: sed suo fastui metuere: adeo securè, quum de suo fastu securus fuit, aliorum, quæ iactabat, iura susque deque habuit.

XII. Sed de singulis Synodis Baronius distinctè. De secunda, tomo quarto, anno trecentesimo octogesimo primo, paragrapho trigesimo quinto. Hic verò imposturam vociferatur, imposturam. Argumentum primum: quod in Concilio Chalcedonensi, eum dignitatis gradum, quum vsurpare conaretur Anatolius, aduersarium acerrimum Leonem expertus est: quem facilè fuisset Anatolio compescere hoc obiecto canone: si vllus fuisset. Alterum: Hæc pars Canonis secundi aduersari videtur reliquo canoni; quo cauetur ex præscripto Nicænę Synodi, sua quibusque prouinciis integra iura seruari: ad autem, quomodo, si in præiudicium aliarum, vni Constantinopolitanæ tanta sunt collata? Itaque censet, Baronius sancitum non ab ipsa Synodo, sed post eam ab Orientalibus, qui Constantinopoli remanserunt.

XIII. Enimuerò videant Catholici, quodnam hoc genus sit hominum quàm importunum, quàm audax, quàm temerarium! qui pro arbitrio sibi permittunt quiduis addere, quiduis detrahere: & quidem non priuatis scriptis, sed publicis & authenticis. Præcedenti libro volebant Niceno Canoni addi nescio quid de primatu Romano; ex commonitorio legati. Nunc è Canone Constantinopolitano eximi iubent particulam de priuilegiis Constantinopolitanis. Enimuerò, hoc regnare quidem est, non Annales scribere.

XIV. Verùm non tantùm omnes eius Concilij editiones, cùm Græcè, tum Latinè, eam partem constanter habent; & Gratianus ipse non omisit distinctione vigesima secunda: sed etiam Historici obseruarunt: Socrates libro quinto capite octauo; *Eodem tempore decretum fuit, vt Constantinopolitanus proximè, & secundum Episcopum Romanum primas propterea obtineret, quòd illa ciuitas noua Roma esset appellata.* Sozomenos libro septimo, capite nono, *addebat, vt post Romanum Episcopum Constantinopolitanus prærogatiuam dignitatis obtineret, vtpote qui noua Romæ sedem gubernet. Insa enim non modò eam appellationem vrbs ea erat adepta, senatúque & ordinibus ac magistratibus consimiliter vtebatur: verum & insignia quoque eadem Romano ritu præferebat, & iura pariter atque honores vtrinque in omnibus congruebant.* Hæc illi, quorum tamen authoritatem tam parui facit Baronius; vt dicat apud se plus valere, quod Episcopi Orientales vno anno pòst reuersi Constantinopolim, scribentes ad Damasum de rebus in ea Synodo gestis, nullam fecere mentionem huius Canonis. Expendite, & miramini Cardinalis ingenium: illi Orientales non meminerunt huius canonis: ergo Socrates & Sozomenos mentiti sunt. Quid? quod ne reliqui quidem Canonis, quo sua iura singulis Ecclesiis conseruari dicebat Baronius. Ergo-ne Baronius mentitus, qui eum canonem integrum descripsit?

XV. Sed Leoni nunquam obiectus ille Canon. Falsum, inquam. Nam quum eius legati Synodo negotium facesserent, recitassentque solum Nicænum Canonem: contrà pro Constantinopolitano recitatus est non tantùm Nicænus, sed etiam hic ipse, de quo nunc agimus: atque exinde decretum, prius factum, cuique intercedebant legati Romani, confirmatum. Neque ausi sunt imposturam obiicere Legati; etsi decreto, decretique confirmationi sese opposuerint. Quis autem dubitet non fuisse statim clamaturos, si Annales Baronij legissent? Sed tum scilicet, nondum erant Cardinales; inter quos Baronius nimium serò natus, vt cornicum oculos configat.

XVI. Sed & contradicit reliquo canoni, atque falsum. Nihil enim derogatur aliorum priuilegiis. Nam si derogatur, vel in diœcesis assignatione: vel in ordinis. At neutrum. Non enim committitur Constantinopolitano aliena diœcesis. Nam, ne quis erret, in Concilio Niceno, non erat totus orbis distributus (vt quidam putant) quatuor Patriarchis: sed tantùm suæ prouinciæ confirmatæ iis quatuor, reliquæ autem non nominatæ. Itaque, quum Constantinopolitano sua tributa: mansit tamen sua Romano, sua etiam Alexandrino, & Antiocheno, illibata. Quid? nī quum eodem ipso canone, diœceses distinguantur Alexandrina, Antiochena: item Asiana, Pontica, Thracia? Ordinem autem nullum sanciuerant trecenti octodecim Patres: tantùm fines assignarant. Hic verò non tantùm fines assignati, sed etiam ordo designatus. Non poterant ergo antiqua priuilegia prætexere, quæ nulla erant. Præferri autem sibi Constantinopolitanum non ægrè tulerunt, qui aduerterunt, eam distributionem factam iuxta secularem dignitatem. Nam videbant Alexandrinus, & Antiochenus, vrbem Constantinopolim, tum propter Imperium, suis vrbibus præferri. Itaque nulla est contradictio: Et illud de Orientalibus remanentibus, merum est Baronij somnium: cui plus deferre iniquum est, quàm veteribus, & sanioribus historicis: ipsis etiam Canonum editionibus.

XVII. Iam de Chalcedonensi prolixius agere nos contrahimus in summam. Duodecima actione soluta fuisse comitia: abiisse iudices, legatos Romanos

egressos esse: remansisse callida arte Orientales, & Canones confinxisse, Anatolio assentientes, dolo malo agentes, & subripere clam conantes iura sua Alexandrinæ & Antiochenæ Ecclesiæ, sibique vendicare. Ergo tum Anatolium, occasionem nactum, absentibus legatis Romanis, Decretum à se conscriptum, recitari curasse: Postridie legatos cum rescissent, postulasse iterum cogi Concilium, conquestos esse decretum fuisse se absentibus: postulasse recitari acta: ea confirmata esse: legatos contrà protestatos. Tum Baronius exclamat, strophas, vafritiem, proditionem, satis commotè. Conscenditur enim Capitolium: & nisi anser strepat, actum de se Romanis. Sed quænam tanti clamoris caussa? Prima, legatorum absentia. Altera, Alexandrini defectus, nondum delecti. Tertia, quòd noluerint Ægyptios esse præsentes, hoc prætexentes, quòd non liceret iis absque Alexandrino Episcopo Synodicis decretis subscribere.

XVIII. Audistis tragicos clamores: sed ineptos lusus. Sanè decretum de priuilegiis Constantinopolitani sit egressis iudicibus, Legatisq; Romanis. At cur caussam tacet? Discamus igitur ab Aëtio Constantinopolitano Archidiacono in decima sexta sessione, *Consitendum est, quia formam, eaque de fide sunt, congruam susceperunt. Consuetudo autem est in Synodis, postquam ea, quæ sunt omnium præcipua, fuerint deputata, & alia quædam necessaria exercere, atque formari. Habuimus, hoc est, Constantinopolitana sanctissima Ecclesia, certa quædam quæ agere deberemus. Rogauimus dominos Episcopos de Roma, vt communicarent in gestis. Recusauerunt, dicentes, Non. Sed alia se suscepisse mandata. Retulimus, & ad vestram magnificentiam, & iussistis vt præsens sanctum Concilium hoc ipsum susciperet. Procedente vestra magnificentia, sanctissimi Episcopi, qui hic sunt, tanquam de communi caussa, surgentes proposuerunt hæc fieri gesta. Et adsunt hic, neque in occulto gestum est; neque modo furtiuo sunt gesta: consequenter atque canonicè facta.* Hæc ibi totidem literis. Obserua primò, non fuisse soluta comitia, non Synodum dissolutam: sed tantùm eam partem Synodi confectam, quæ erat de rebus ad fidem spectantibus: restare alteram, quæ de politia, & ordine Ecclesiastico: ad quam hoc, quicquid erat de priuilegiis Constantinopolitanis, pertinebat. Secundò, nihil furtim actum: Non enim captatam, vt Baronius fingit, absentiam legatorum Romanorum: aut cuiusquam patrocinia: sed dilertè pronunciatum, restare hoc agendum: rogatos legatos, vt interessent; postulatum à iudicibus, vt ea de re agi liceret, pronunciatum à iudicibus, licere. Hæc omnia vafrè, versutè, callidè, Baronius dissimulauit: imò perfidè omisit; Atque id iterum facit. Nemo est enim illo vno præter magis historia depravanda: quoties commodum Romano idolo. Quid tum autem, si rogati præsentiam suam denegarunt? Iniquum erat, res maximi momenti, propterea infectas deseri. Agnoscebant iam tum exserentem se paulatim tyrannidem, quæ vellet à suo nutu cuncta pendere. Sed agnoscebat vicissim aliorum constantiam: qui pergunt necessariis rebus pro autoritate Synodica prouidere.

XIX. Gretserus abstulisse fatetur sua voluntate, sed falsiss, quæ consilia Constantinopolitanæ sedis fautores coquerent: itaque sese prudenter subduxisse, sperantes Græcos ita à suo proposito destituros: quod cum non fieret, iure optimo sententiam sedis Apostolicæ palam exposuisse.

XX. Sed primùm coniectura est Gretseri: hominis scilicet nihil ignorantis; & vt sunt Papistæ omnium maximè Lynceas, ea peruidentis, quæ numquam facta. Enimuerò, cur non conquerebantur legati Romani? Cur suæ absentiæ non profitebantur eam caussam? Aut si tacuerunt: cur nunc audacior Gretserus? Deinde, vt demus non esse de nihilo suspicionem; & scisse legatos hoc ipsum caput in propositum: quis non vitilitigatores abominetur? Itane decet simplicitatem professos nihil omittere cautelarũ, vt caussæ cognitioné impediant? Cur displicuerunt, inquã, in Synodo legitima, in Synodo, abs se ipsis probata: in Synodo, quæ ipsis audiẽ iam nõ negabat, hanc rẽ cognosci: In ea, inquã, Synodo, in qua nõ erãt indignati fidei res lõgè maiores, cõstitui? Aut quis vnquam vir sanus hãc rationem dixit, vnquam esse legitimam sui iuris defendendi, vt subducat se quis legitimæ cognitioni? Tum verò iis præsentiam suam negantibus, pronunciatum à cognitoribus nihilominus agi licere. Cur huic edicto non intercessum? Et quidem ab iis cognitoribus, à quibus ipsi: ipsi, inquam, legati Romani potestatem rogabant loquendi? *Si imperat magnificentia vestra*, inquiunt, *habemus quædam referre rebus*. Abiuerunt ergo sanè legati Romani: tamen ne tantillo quidem deterior caussa erit. Nam quis nescit aduersus artes huiusmodi *impudentiæ* esse? Scilicet hoc superetat, vt in vnius homunculi refractarij gratiam, iura tollerentur.

XXI. Iam, quod attinet ad Ægyptios, ne eorum quidem affectatam fuisse absentiam, testis actio quarta. Tum enim, quum subscribendum esset damnationi Eutychis, & tomo Leonis, decem qui aderant Legati Ægyptij, testati sunt non posse subscribere: quia nullum haberent Archiepiscopum, cuius absque autoritate nihil poterant. Ibi diu altercatum: tandem pronunciatum à iudicibus, non vrgendos ad subscriptionem: sed ita, vt satisdarent se exspectaturos creationem sui Patriarchæ. Nota ergo iam quum ageretur caussa fidei, nullum fuisse Patriarcham Alexandrinum. Cur non igitur Baronius refigit acta illa omnia, æquè ac illum Canonẽ? Aut quæ ratio? quæ lex iubet hunc potius irritum Canonem fieri propter absentiam siue Alexandrini Patriarchæ, siue Ægyptiorum, quàm reliqua omnia de fide? Cæterum non affectatam fuisse absentiam Alexandrini, hinc facile scias: quia Actio illa quarta habita est decimo sexto Kal. Nou. hæc autem decima sexta, quinto Kal. Nou. Qui potuit autem tantulo spatio perfici apud Alexandriam, indéque Chalcedonem nunciari creatio Archiepiscopi: imò ipse aut venire, aut legatos mittere? Omnino totam Synodum ex composito indictam oportuit, tum quum vacauit ea sedes, aut hæc actio liberari debet ea suspicione. Sed calumniatores nodum in scirpo quærunt.

XXII. Et hic, mihi tu quæso Romanam *vafritiem* considera. Primùm lecto canone, quem se absentibus & clanculum querebantur factum, *Lucentius reuerendus Episcopus sedis Apostolicæ vicarius, dixit, Primò gloria vestra perpendat, qua circumuentione cum sanctis Episcopis gestum sit, vt non constricti canonibus, quorum mentionem fecerunt, subscribere sint coacti.* Vafrè: quia cum viderant in eodem Concilio, damnatum Ephesinum *latrocinium*, in quo qui aderant, cogebantur subscribere in pura charta: magnum quid se putauit Lucentius adinuenisse, ad inuidiam facienda acta illa, si calumniaretur similiter facta. Sed eo audito *Episcopi exclamauerunt, Nemo coactus est.* Et postea sigillatim, *Dio-*

genes reuerendus Episcopus Cyzici, dixit, coram Deo, cum voluntate subscripsi. Florentius reuerendus Episcopus Sardeorum, dixit, Nulla mihi illata est necessitas, sed sponte subscripsi. Et sic deinceps ad vnum omnes: magnificè refutata Lucentij impudentia.

XXIII. Præterea, factum illud decretum quum quererentur, *Poscimus*, inquiunt, *vt vestra magnificentia releg: hæc præcipiat, vt omnis fraternitas inspiciat, vtrum iusta, an iniusta sint ea, quæ gesta sunt.* Dicentes nihil agere, nisi quomodo inter bonos oportet bene: adeò videntur spem facere, se acquieturos iudicio Synodi, si iterum, & se præsentibus rem discuteret. Et tamen post cognitionem, omniùmque suffragia, quum iudices confirmassent acta, tum statim Lucentius, *Sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari non debet, & ideo quæcunque in præiudicium canonum vel regularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, vt circumduci iubeatis: sin aliàs, contradictio nostra his gestis inhæreat, vt nouerimus, quid Apostolico viro vniuersalis Ecclesiæ Papa referre debeamus, vt ipse, aut de suæ sedis iniuria, aut de canonum euersione possit ferre sententiam.* En reuerentiam Synodo delatam! En potestatem prius factam, vt inspiceret, iusta, an iniusta essent acta! Imò, en meram tyrannidem! cùm vni Romano defertur, vt sententiam pronunciet, & contra Synodum; & in suo negotio. Sed audita protestatione. *Ioannes reuerendissimus Episcopus Sebastiæ dixit: Omnes in sententia vestræ magnificentiæ permanemus. Viri illustrissimi iudices dixerunt. Quod interlocuti sumus, tota Synodus approbauit.*

XXIV. Superest Trullensis Canon; in quem longè prolixius, & verisimilius declamat autor Annalium, ad annum sexcentesimum nonagesimum secundum. Nam ita se res habet. Quum anno sexcentesimo octogesimo primo congregata esset sexta Synodus Oecumenica Constantinopolim contra Monothelitas, nihil actum est præter negotium illud fidei. Itaque post annos decem, conueniunt rursus iidem Episcopi Græci in eundem locum, & quum obseruassent nullos haberi Canones politicos non tantùm sextæ, sed ne quintæ quidem Synodi; ipsi edunt aliquos, vtriusque nomine: vnde apud Græcos hæc Synodus vocari consueuit πενθέκτη, *Quinisexta*. De cuius autoritate variè in vtramque partem disputatum fuit. Nam Græci quidem habent pro legitima & Oecumenica. Latini verò minimè. Eam nos controuersiam susque deque habemus. Quid tum enim, si hæc legitima non fuit? Sufficiunt secunda, & quarta, quarum vestigiis hæc insistit. Illæ, inquam, quas Gregorius ausus est æquare Euangeliis. Nam quod sibi Romanus eam autoritatem tribuit, vt partim probet, partim improbet, indignũ est Ecclesiastico viro: nec magis nos mouet, quàm si Nestorium quis dicat non probasse Ephesinum contra se decretum.

Cap. II.

De appellationibus ad Episcopum Romanum.

I. SI Episcopus Romanus esset Oecumenicus, ergo iure vndique appellaretur ab omnibus. At non licet iure ad eum appellare vndique. Ergo non est Oecumenicus. Consequentia sua luce patet. Nunquam enim vllus fuit Monarcha, qui non sic fuerit summus iudex, vt ad eum ex omnibus suæ monarchiæ partibus licuerit appellare. Ergo antecedens confirmandum. Id fit duplici demonstratione.

II. Prima probatio ex autoritate eorum Conciliorum, quæ Ecclesiasticas caussas intra suam prouinciam iudicari & finiri, siue terminari voluerunt. Nam si appellatio fuisset concessa ad Romanum Episcopum, tum ea negotia non potuissent terminari in ipsa prouincia. Canon quintus Nicænus, quum statuisset non licere ab aliis excommunicatos, ab aliis in communionem recipi: sed esse tamen inquirendum in Episcopi iudicium, ne forte ex aliqua indignatione non iustè iudicarit, statim subdit: ἵνα οὖν τοῦτο τὴν πρέπουσαν ἐξέτασιν λαμβάνοι, καλῶς ἔχειν ἔδοξεν ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι, ἵνα κοινῇ πάντων τῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένων, τὰ τοιαῦτα ζητήματα ἐξετάζοιτο, καὶ οὕτως οἱ ὁμολογουμένως προσκεκρουκότες τῷ ἐπισκόπῳ κατὰ λόγον ἀκοινώνητοι παρὰ πᾶσιν εἶναι δόξωσι· μέχρις ἂν τῷ κοινῷ τῶν ἐπισκόπων δόξῃ τὴν φιλανθρωποτέραν ὑπὲρ αὐτῶν ἐκθέσθαι ψῆφον. *Vt hoc igitur conuenienter examinetur, consultum videtur, singulis annis in eadem prouincia bis cogi Synodum: vt omnibus eius prouinciæ Episcopis in vnum conuenientibus, huius generis quæstiones examinentur. Ac tum, qui conuicti fuerint peccasse in suum Episcopum, iure ab omnibus communione indigni iudicentur: donec de communi Episcoporum consilio, visum sit humaniorem sententiam ferre.* Quod si habendus est pro excommunicato, quicunque damnatus est in Concilio prouinciali, tum necesse est penes id Concilium, id summum esse iudicium: quod sanè consistere non potest cum appellationis iure: quia appellans habetur pro non condemnato. Non licuit ergo ei, qui primùm appellasset, à proprij Episcopi iudicio, ad iudicium Synodi prouincialis, secundò appellare à iudicio Synodi, ad iudicium Episcopi Romani.

III. Idipsum tum confirmatur, tum illustratur Concilij Antiocheni Canonibus sexto & decimo quinto. Sextus est, εἴ τις ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου ἀκοινώνητος γέγονε, μὴ πρότερον αὐτὸν παρ' ἑτέρων δεχθῆναι (εἰ μὴ ὑπ' αὐτοῦ παραδεχθείη τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου) ἢ συνόδου γενομένης ἀπαντήσας ἀπολογήσηται· πείσας δὲ τὴν σύνοδον μεταλάβοι ἑτέρας ἀποφάσεως. ὁ αὐτὸς δὲ ὅρος ἐπὶ λαϊκῶν καὶ πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων, καὶ πάντων τῶν ἐν τῷ κανόνι. *Si quis à suo Episcopo excommunicatus fuerit: ne prius ab aliis recipiatur (nisi ab ipso proprio Episcopo admissus sit) quàm Synodo congregata stiterit se, & defenderit ius suum, ac, si probare potuerit Synodo, aliam susceperit sententiam. Valeat autem hoc statutum in laicis, & presbyteris, & diaconis, & omnibus clericis.* Decimus quintus, εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπί τισιν ἐγκλήμασι κατηγορηθεὶς, κριθείη ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, πάντες τε σύμφωνοι μίαν κατ' αὐτοῦ ἐξενέγκοιεν ψῆφον, τοῦτον μηκέτι παρ' ἑτέροις δικάζεσθαι· ἀλλὰ μένειν βεβαίαν τὴν σύμφωνον τῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας ἀπόφασιν. *Si quis Episcopus, quorundam criminum accusatus, iudicatus sit ab omnibus in ea prouincia Episcopis, atque omnes vnanimiter eundem suffragium tulerint: his ne amplius ab aliis iudicetur, sed firmũ maneat concors Episcoporum in ea prouincia, decretum.* Firmum decretum reuocari non potest. Quorsum igitur appellatio?

IV. Eodem spectat Iustiniani nouella centesima vigesima tertia. Εἴ ποτε ἐπισκόπους συμβαίη τινὰς ἀμφισβήτησιν πρὸς ἀλλήλους ἔχειν, εἴτε ὑπὲρ ἐκκλησιαστικῶν δικαίων, εἴτε ὑπὲρ ἄλλων τινῶν πραγμάτων· ὁ μητροπολίτης αὐτῶν, μεθ' ἑτέρων δύο ἐκ τῆς ἰδίας συνόδου ἐπισκόπων τὸ πρᾶγμα κρινέτω· καὶ εἰ μὴ ἑκάτερον μέρος ἐμμείνῃ τοῖς κεκριμένοις, τηνικαῦτα ὁ μακαριώτατος πατριάρχης ἐκ

[illegible] *Si quid sanctissimus Episcopus eiusdem Synodi litem quampiam inter se habeant, siue de Ecclesiastico iure, siue de aliis rebus: primum eam Metropolita cum aliis duobus ex eadem Synodo Episcopis caussam iudicet: quod si vtraque pars non habeat ratum id iudicium, tum beatissimus Patriarcha eius diœcesis sedeat iudex vtramque audiens, pronunciétque secundùm Ecclesiasticos canones, & leges: nec possit alterutra pars contradicere. Sin autem à clerico, aliòve quopiam Episcopus impetatur, ob quamcumque caussam, primùm eam caussam Metropolita religiosissimus iuxta sanctos Canones, nostrasq; leges iudicet. Tum si quis iudicatis contradicat, ad beatissimum Patriarcham eius diœcesis caussa deferatur: atque is iuxta Canones, legésque ei finem imponat.* Vbi notandum diu post Nicænam, Antiochenámque Synodum vixisse Iustinianum, quum iam Patriarcharum autoritas confirmatior esset, atque clarior. Hinc illud est, quòd quas partes illa Concilia Synodis assignabant, hic tribuit Metropolitano. Nisi forte ipse Iustinianus etiam Metropolitanum intellexerit vnà cum Synodo: vt Canone Apostolico trigesimo quarto, vetatur is quicquam facere sine omnium consilio. Sed nihilominus, appellationibus ad Romanam sedem ipse etiam Iustinianus viam præcidit, quum negat integrum esse vlli parti contradicere sententiæ latæ à Patriarcha.

V. Altera probatio: quia disertè ab antiquis improbatur appellationes ad Romanorum pontificẽ, quod constat grauissimis testibus. Cypriano epistola quinquagesima quinta, ad Cornelium, de Fortunato & Felicissimo, qui in Africa damnati Romam confugerant. *Quæ caussa veniendi & pseudoepiscopum, contra Episcopos factum nuntiandi? Aut enim placet illis quod fecerunt, & in suo scelere perseuerant: aut si displicet & recedunt, sciunt quò reuertantur. Nam quum statutum sit ab omnibus nobis, & æquum sit pariter ac iustum, vt vniuscuiusque caussa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet vtique eos quibus præsumus non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere: sed agere illic caussam suam, vbi & accusatores habere & testes sui criminis possunt: nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur esse autoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicauerunt.* Hæc Cyprianus; acriter reprehendens Fortunatum & Felicissimum, quod post Africanum iudicium Romam essent profecti. Pugnat autem his argumentis. Primò; quia vniuscuiusque caussa illic sit audienda, vbi crimen admissum: vnde sequitur nullos alios Romæ iudicandos, quàm qui Romæ crimen admiserint: & tam non posse Romæ eos iudicari, qui in Africa; quàm in Africa eos, qui Romæ deliquerunt. Secundò: quia singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regant, actus sui rationem Deo reddituri: vt non magis possit Romanus iudicium retractare Episcopi Carthaginensis, quàm hic illius: aut non magis liceat Cornelio in eam portionem, quæ est assignata Cypriano, quàm huic in eam quæ est adscripta Cornelio. Tertiò: quia non oporteat eos, qui reguntur, Episcoporum concordiam collidere: quo significatur, hanc iudiciorum variorum comparationem, vel oppositionem potius, eò vtilem fore, vt discordiæ semina iaciantur: nempe exempli gratia; vt dissiderent Africani à Romano, si quos illi damnarant, iste absolueret: quod quidem magnum est æqualitatis argumentum: nec enim inferior iudex concordiam denegare potest superiori, qui legitimè appellatus priorem sententiam improbarit, & irritam fecerit. Quartò: quia non sit minor autoritas Africanorum quàm aliorũ ad quos illi Fortunatus & Felicissimus profugissent. Atque ita, non sola Cypriani autoritate, sed etiam argumentis constat non licere vndique Romam appellare.

VI. Sed hunc locum disertiorem, quàm vt eludi quolibet fuco possit, Bellarminus & Pamelius mirum quanto sudore amoliri conentur. Ille capite vigesimo tertio libri secundi de Pontifice, Cyprianum dicit ægrè tulisse appellationes eorum, qui de manifestissimis criminibus conuicti, & iudicati fuerant: sed non omnino appellationes sustulisse: idque colligi ex Epistola sexagesima octaua.

VII. Respondeo: Primùm, illud de manifestissimis criminibus, nihil facere ad rem: Quia appellationis priuilegium non habet pro fundamento obscuritatem, aut perspicuitatem criminum: sed iurisdictionis gradus. Nam enim appellari duntaxat in obscuris, sed etiam in manifestissimis criminibus: nec propterea debet inferior iudex appellationem irritam facere, quòd sibi putet crimina esse compertissima: sed admittere potius, ea tantùm ratione, quod eam leges permittunt. Ac sanè, quum Cyprianus enumerat argumenta sua, tum manifestorum criminum meminit nunquam: sed testium, & accusatorum, quibus crimina possunt fieri manifesta. Et verò dicat ingenuè Bellarminus: censet-ne veram & iustam esse Cypriani eam sententiam, vt in manifestissimis nõ appelletur? Nam si censet: & crimina Fortunati & Felicissimi manifestissima fuere, & Basilidis; cur hæc exempla citat aliàs, vt probet appellari posse ad Pontificem? Nam id non debuit: si non malè sensit Cyprianus. Sin minus probat: & censet potius etiam in manifestissimis appellari posse; quorsum hæc exceptio? Aut cur non potius Cypriani autoritatem respuit?

VIII. Secundò: concedo Cyprianum non sustulisse funditus omnes appellationes: sed quid tum? Nam ne nos quidem, Pontifici Romano infestissimi, omnes tollimus. Sunt enim iuris communis: atque absque iis vix, ac ne vix quidem, subsistat Ecclesiæ disciplina. Quid igitur? Nimirum sustulit omnes appellationes ab Africanis Ecclesiis, ad Romanum pontificem. Non autem aliquas permittit in certis quibusdam casibus, quod videtur Bellarminus velle. Id inde paret, quia argumenta, quibus pugnat, vniuersaliter concludunt.

IX. Porrò de Epistola sexagesima octaua respondeo tripliciter. Primò, ex ea non elici, Cypriano non improbari omnes appellationes ad Romanum põtificem: quin contrà potiùs hæc verba: *Nec rescindere ordinationem iure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens Stephanum collegam nostrum lõgè positum, & gesta rei, ac tacita veritatis ignarum fefellit.* Hæc, inquam, verba produnt credidisse prorsus Cyprianum nullo iure Basilidem esse Romam profectum: tum quia falsum dixisset: nam absque vllo dubio, eius, ad quem iure appellatur, sententia re-

scindit iudicium, à quo appellatur: quum tamen in hac caussa hoc à Cypriano negetur. Tum, quia hæc verba, *Longè positum, & gesta rei, ac tacitæ veritatis ignarum*, alludunt ad argumentum, quo inter reliqua vtitur in caussa Fortunati & Felicissimi, ibi esse cuiuslibet caussam tractandam, vbi & accusatores & testes haberi possunt. Non potest enim alius sensus esse. Atqui, inquit Bellarminus, si non licuisset appellationes admittere, valde culpandus esset Stephanus, quod non reiecisset. At Cyprianus, *Nec enim tam culpandus est ille*, scilicet Stephanus, *cui negligenter obreptum est, quàm hic*, Basilides, *exsecrandus, qui fraudulenter obrepsit*. At hæc, inquam, Cornelium non absoluunt: tantùm Basilidem magis condemnant. Imò si non tam culpandus: ergo culpandus: aliàs quorsum illud, *negligenter*, additum?

X. Secundò. Non videtur Bellarminus meminisse eorum quæ iamiam dicebat, quum concedebat Cyprianum ægrè tulisse appellationes in manifestissimis criminibus. Nam hæc etiam Basilidis crimina manifesta fuisse describuntur, *Post crimina sua detecta, & conscientiam propria confessione nudatam*. At si verum, ægrè Cyprianum tulisse in criminibus manifestis appellationes, quod asserit Bellarminus, quomodo eas in Basilide probauisse, verisimile efficiet?

XI. Denique, etsi verum esset Cyprianum credidisse legitimè potuisse Basilidem appellare ad Romanum Pontificem; eo tamen non efficitur, non improbasse appellationes ab Africanis iudicibus. Non enim erat eadem Hispana, & Africana prouincia.

XII. Sed iterum Bellarminus asserit, hoc decreto, quod à Cypriano allegatur, vt illic caussa audiatur, vbi crimen est admissum, constitui, vt caussa primùm iudicetur: sed non prohiberi quominus secundò alibi iudicetur.

XIII. Atqui Cyprianus non disputat de primo iudicio, sed de secundo: atque adeò hinc probat non posse Fortunatum & Felicissimum, primò in Africa iudicatos, denuò Romæ iudicari. Et hoc quidem Bellarminus agnoscit: sed instat hoc modo, Cyprianum non ex hoc solo decreto argumentari: sed ex hoc decreto adiunctis manifestissimis criminibus reorum. Sicque ratiocinari: Debet vniuscuiusque caussa illic audiri, vbi est crimen admissum: Horum caussa iam audita est, & manifestè crimina eorum detecta sunt. Cur igitur Romam appellant, nisi forte vt imponant Pontifici, vel saltem Episcopos vexent, qui de eis iudicauerunt?

XIV. Hic verò multa reprehendo. Primum, ratiocinationis huius nullam esse partium ἀκολουθίαν, nullam consequentiam. Non assumptionem oriri ex propositione: conclusionem neque ex antecedente elici, neque quæstionem concludere. Neque enim Cyprianus caussam inquirit, cur Romam profecti sint: sed omnino negat fuisse proficiscendum, *Oportet*, inquit, *eos, quibus præsumus, non circumcursare*. Secundò, hæc verba, *vt imponant Pontifici, & Episcopos vexent, qui iudicarunt*, Bellarmini sunt; non Cypriani. Nam Cyprianus potius querebatur scindi Episcoporum concordiam: quod longè aliud est, quàm Episcopos qui iudicarant vexare: sed hoc, quia egregiè oppugnat Episcopum Oecumenicum, ideo strenuè dissimulatum est. Tertiò, Cyprianum non arguere ex eo solo decreto, amphibolia est. Nam significat, vel nullum aliud argumentum proponere præter id argumentum: quod vtique falsum esse nos concedimus: quin ipsi enumerauimus alia: vel, eo argumento solo, nõ posse concludi quæstionem, nisi ei addatur crimina esse manifesta. Quod falsò asserunt. Nam varia Cyprianus argumenta coaceruat, ex quibus singulis solis, & seorsim per se sumptis, concluditur quæstio. Imò illud de manifestis criminibus nusquam est in ea Epistola, eáque caussa. Atque adeo ineptè excogitatur. Nam aliàs hoc verum esset, nemo reus criminum manifestorum, appellare debet eò, vbi neque accusatores, neque testes habere potest. At id si est; tum & hoc verum est: Nemo iure appellans eò, vbi neque accusatores, neque testes habere potest, reus est criminum manifestorum. Euge: quasi in criminibus dubiis & obscuris, accusatores essent vitandi, vitandi testes. Egregia iuris dicundi ratio. Ergo sic potius: Omnis caussa ibi agi debet, vbi & accusatores, & testes haberi possunt. At nullæ caussæ Africanæ, Romæ, aut accusatores, aut testes habere possunt: Ergo nullæ caussæ Africanæ Romæ agi debent.

XV. Tertiò Bellarminus excipit: Si hoc decreto prohiberentur appellationes, non solùm prohiberentur ad Romanum, sed etiam ad quemlibet alium iudicem: vt Magdeburgenses obseruarunt Centuriæ tertiæ capite septimo. At hoc absurdum.

XVI. Supponitur falsum. Non enim si reorum caussa ibi tantùm discutienda, vbi crimen est admissum, sequitur nusquam appellandum. Non enim tam seuerè verbis hærendum, vt illud *vbi*, nihil aliud significet, quàm oppidum, aut villam, aut agrum. Itaque seipsum postea Cyprianus interpretatur. *Oportet eos agere illic caussam suam, vbi, & accusatores habere, & testes sui criminis possint*. Quæ verba indicant locum intelligi non præcisè proprium illum, in quo crimen patratum: sed communiorem eum, qui propter viciniam, & commoditatem cùm accusatorum, tum testium, pro eodem censeri possit, puta prouinciam integram. Proinde, qui Hippone peccauerit, potest ibi à suo Episcopo iudicari: sin autem appellet, poterit secundò audiri Carthagine in Synodo. Nam etsi non sit idem oppidum, est tamen eadem prouincia: & testes, accusatorésque facile est inde huc venire. Itaque Magdeburgenses alucinati sunt: etsi hanc nostram non citent: sed aliam de Basilide & Martiale.

XVII. Quartò & vltimò, ad id quod Cyprianus notauit, non esse minoris autoritatis Episcopos Africæ, respondet Bellarminus, illud, *Minoris*, nõ referre comparationem ad Romanos Pontifices, sed ad caussam, de qua tunc agebatur, & esse sensum Episcopos Africæ nõ fuisse minoris autoritatis, quàm sufficeret ad eam caussam iudicandam.

XVIII. Sed cõtrà, vident omnes multo facilius intelligi, cõparatos Episcopos Africæ, Episcopis iis ad quos Fortunatus & Felicissimus aufugissent: etsi modestiæ caussa noluerit eam cõparationẽ Cyprianus perficere. Nam eorũ à quibus appellatur, necesse est autoritatem esse minorẽ, quàm eius ad quem appellatur. Deinde, agit Cyprianus non simpliciter de iudicanda caussa; sed de terminanda: nec de primo iudicio faciendo, sed de secundo non admittendo ab alienis iudicibus. Itaque non elabitur Bellarminus. Nam si tanta est autoritas Africanorum, quanta satis erat terminandæ caussæ Fortunati & Felicissimi, tum non debuit Romam appellari. Omnino ergo verum, à Cypriano improbatas eas appellationes. Et iure improbatas. Vnde ad reliquas prouincias facilis consequentia. Nam neque Asianorum minor erat authoritas quàm Africanorum: neque ex Africa Romam facilius depor-

tabantur

tabantur accusatores & testes, quàm ex Africa.

XIX. Hactenus Bellarminus. Pamelius, primò hęc Cypriani verba alludere obseruat ad tertiam Epistolam Fabiani Pontificis. *Peregrina iudicia, salua in omnibus Apostolica autoritate, generali sanctione prohibemus: quia indignum est ab externis vt iudicetur, qui prouinciales & à se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatum. Vnde oportet, si aliquis Episcoporum super certis accusetur criminibus, vt ab omnibus audiatur, qui sunt in prouincia, Episcopis: quia non oportet accusatum alicubi, quàm in suo foro audiri.* Et paulò post. *Re vera semper ibi caussa agatur, vbi crimen admittitur.* Hoc igitur decretum reuocat Cyprianus Cornelio in memoriam: modestè petens, vt ab illo obseruetur in hac caussa. Secundò post primum iudicium, noua crimina reis intentari. Tertiò appellationis interiectæ nullam fieri mentionem: nec aliud illos egisse videri apud Cornelium, quàm nunciasse Fortunatum Episcopum factum, & accusasse Cyprianum, de criminibus quibusdam.

XX. Sed falsa sumuntur hìc multa. Non est verum à Cypriano alludi ad Epistolam Fabiani, quę nulla erat. Est enim supposititia. Nam primò adscribuntur Consules Africanus & Decius, qui nulli fuere. Deinde tota describitur ex Sixti III. Epistola 3. ad Orientales, exceptis paucis ab initio literis. Tum in ea describuntur vigesimum septimum & octauum caput Ecclesiastici. Ad hęc loci non sunt similes. Nam in ea Epistola agitur de primo iudicio. Inde illud, *nisi fuerit appellatum:* & post. *Si quis verò iudicem aduersum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat.* At Cyprianus agit de secundo iudicio: nam erant Fortunatus & Felicissimus iam antè damnati. Denique à Fabiano excipitur Ecclesia Romana: his verbis, *Salua in omnibus Apostolica autoritate,* quibus indicat se peregrina iudicia improbare quidem, sed aliarum duntaxat prouinciarum: non autem Romanæ Ecclesiæ: hoc est, vt disertius loquar; ab hoc decreto, quo prohibentur peregrina iudicia, excipi sedem Apostolicam. Atqui Cyprianus ex professo agit de sede Apostolica, id est, Romana. Præterea, falsum est Cyprianum à Cornelio modestè petere, vt id decretum obseruetur. Non enim petit, nedum modestè: sed constanter, vehementérque disputat indignam rem esse: neque ferendam.

XXI. Rursus falsum, intentata fuisse Fortunato, & Felicissimo noua crimina. Nam vnde id Pamelius didicit? Non à Cypriano saltem, qui eorum nusquam meminit. Quis autem Pamelio concesserit, vt nobis sua narret somnia pro certis argumentis? At ne verisimile quidem est. Nam illi non accusabantur à Cypriano, sed ipsi ob ea ipsa, propter quę iam fuerant iudicati Romam, fugerant. Ad hæc, etsi daremus noua crimina intentata, tamen quum iis nusquam Cyprianus vtatur pro argumento, sed aliis, quę generaliter negant ius esse Cornelio iudicandi de iudicio Africano; quis non videt hanc exceptionem esse inutilem?

XXII. Iam de non interiecta appellatione quid dicam? Primò; errauit igitur Bellarminus, qui capite vigesimo primo libri secundi de Pontifice, hoc ipsum Fortunati & Felicissimi factum protulit, tanquam exemplum appellationis à Cypriano ad Cornelium. Secundò; fateor ego quidem nullius appellationis Cyprianum meminisse: fateor verò amplius nullam appellationem fuisse, vt docui præcedente libro. Sed certum

immedia

tamen agi de secundo iudicio. Hoc enim reos quæsiuisse, vt, qui damnati erant in Africa, Romæ absoluerentur: quomodo postea Basilides, & Martialis Hispani. Itaque valet argumentum. Nam si licuisset appellare à Cypriano ad Cornelium, tum quis dubitet illos, qui nihil non satagebant, vt in integrum restituerentur, appellaturos fuisse? Nulla autem fuisset Cypriano caussa recusandi iudicium Cornelij: adeóque acriter inuehendi in eos qui in Africa damnati, vellent iterum Romæ iudicari. Et quomodocunque ij fuerint Romam profecti; tamen aut falsò & temere reprehenduntur, aut certè verum est non potuisse Romam appellari. Denique ne in caussa quidem Basilidis & Martialis, Cyprianus vnquam meminit appellationis interiectæ.

XXIII. Atque is primus nobis testis fuit. Secundo loco sunto Orientales Episcopi, qui apud Socratem libro secundo, capite vndecimo, Iulio, qui ad eos scripserat de Athanasij restitutione, respondent, *Si qui eorum arbitrio Ecclesia fortè exacti essent, rem ab eo non debere decerni. Nam quando ille Nouatam Ecclesia exturbarat, ipsos minimè contradixisse.* Hęc illi, quos excusare quidem nemo queat in Athanasij damnatione: sed hanc saltem aduersus Iulium querelam, nemo vllis certis ex antiquitate argumentis improbare possit. Nec fit verisimile, si tã certum fuisset iis temporibus, quàm habetur hodie, vndique licere Romam appellare, eos Episcopos tam apertè ausos, tantæ autoritati, iámque aperto iuri contradicere: & verò qua fronte Iulium dixissent facere contra Canones Ecclesiasticos, quod Sozomenus libri tertij, capite septimo eos obiecisse testatur? Imò, quis ipsum Iulium crediderit in re adeo clara & certa fuisse elinguem? Nam in prolixa illa Epistola, quæ est apud Athanasium, in qua adeo conqueritur serió de Orientalium immodestia, de hoc appellationum iure, ne γρ quidem. Quod non omisit Isidorus ille Mercator, qui hac Epistola neglecta, tanquam indigna Romano fastu, aliam finxit commodiorem.

XXIV. Tertius testis Damasus erit Episcopus Romanus, qui scribens Theophylo & Anysio (est autem ea inter Epistolas Ambrosij septuagesima nona) sic habet, *Quum huiusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, vt finitimis Bonoso, atque eius accusatoribus iudices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi, de eius factu cognoscerent, aduertimus quod nobis iudicandi forma competere non posset.* Quibus se verbis Damasus agnoscit non posse iudicare de Bonoso, post Synodi, & quidem non Oecumenicæ, sed particularis decretum: committentis alios iudices, quod sic est: tum certè multo minus appellari potuit ab eius Synodi iudicio ad Damasum.

XXV. Respondet Bellarminus: primò Epistolam non esse Damasi: quanquam non sit Ambrosij, cui vulgò tribuitur: sed incerti autoris. Secundò, Damasum, (si Damasi sit) non dicere, se non posse iudicare, sed non conuenire, vt iudicet, & rectè. Etsi enim pontifex est summus index, tamen non conuenit, vt quando Concilium prouinciale aliquid statuit, ipse sine caussa aliter iudicet.

XXVI. Ad prius, fateor in editis operibus Ambrosij, eam Epistolam inscribi nomine Damasi: Sed eius non esse, & rectè concedit Bellarminus, & res ipsa clamat: quum in ea legamus, *misisset ad fratrem nostrum Ambrosium.* Damaso à multis tribui, agnoscit Bellarminus. Ego tamen non contenderim:

Nam in ea fit mentio Synodi Capuanæ. At hanc Baronius refert in annum quintum Syricij, qui Damaso successit. Sed Cardinalis Cusanus, de Concordia Catholica libro secundo, capite decimo octauo, quibusdam coniecturis motus, affirmat esse Romani Pontificis, cuius nomen se negat inuenisse: & diuinat Damasum. Coniecturæ certè non sunt nullæ. Itaque ego non dubitem Syricio tribuere. Nã Epistola precedente autor est Ambrosius Theophilo, vt postuletur sententia Romani Episcopi, de eo ipso negotio cuius ex decreto Synodi iudex esse debebat. Hac autem Epistola is, quisquis est, respõdet, se de eo negotio iudicare non posse. Quis ergo non dicat scripsisse Theophylum Romano: eìque Romanum respondere: misisse eam responsionem Theophylum Ambrosio: indéque inter eius *κειμήλια* repertam, inter eius epistolas relatam?

XXVII. Ad secundũ. Dico, illum, quisquis est, disertè dicere, *aduertimus quod nobis iudicandi forma competere non potest*: hoc autem perinde esse, ac si diceret, se non posse iudicare legitimè. Nam illam formam, si interpretor, vt sit, seruatis formalitatibus, vt vocant, inter quas nulla maior quàm defectus potestatis. Illud autem *non competere*, quis tam imperitus est, vt nesciat significare iudicem, ad quem de iure cognitio non pertinet? Ergo idem est ac si diceret, se iudicare non posse. Fateor postea dicere, *Nos quasi ex Synodi autoritate iudicare non conuenit*. Sed primùm ergo vtrumque dixit, & non competere; & nõ conuenire. At Bellarminus alterum tantùm dictum contendit. Dixit igitur mendacium. Deinde sensus est, indecẽs fore, si se inferret numero iudicum delegatorum à Synodo, ipse non delegatus.

XXVIII. Quartum testimonium ea vigesimo secundo canone Concilij Mileuitani, *Placuit, vt Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores clerici, in caussis quas habuerint, si de iudiciis Episcoporum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quicquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates prouinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putauerint appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiantur.* Verba perspicua: mens in promptu. Nam transmarinæ omnes appellationes damnantur. Erat autem Roma Afris transmarina. Itaque non obscurè hoc canone prohibetur ne Africanorum quisquam Romam appellet.

XXIX. Quidam respondent, eidem Canoni additum esse, *Nisi fortè ad Apostolicam sedem appelletur*, vt legitur apud Gratianum caussa secunda, quæstione sexta. Itaque ab ea generali transmarinarum appellationum improbatione, excipi Romanas. Sed Bellarminus fatetur, hanc exceptionem non quadrare: & præcipuè propter Romam statutum fuisse in Africa, vt non liceret appellare vltra mare. Et sanè nouissima Editio Decreti, facta iussu Gregorij decimi tertij, notat ea verba in antiquis codicibus scribi tanquam Gratiani verba: quæ postea probantur ex Concilio Sardicensi: quod tamen ignorarunt Africani patres: adeo vt verè dici possit, eos hoc iure nunquam vsos esse. Qua de re paulo post fusius.

XXX. Ipse autem Bellarminus respondet, agi hoc canone tantum de appellationibus presbyterorum, & minorum clericorum: & in hac controuersia agi de appellationibus Episcoporum. At has fuisse permissas à Sardicensi Concilio, illas verò prohibitas.

XXXI. At contrà: etiam presbyterorum appellationes ad Romanam sedem, tum aduersarij nostri probant, ipséque adeo Bellarminus: tum Romani admiserunt. Nam capite vigesimo primo libri secundi de Pontifice, vt ostenderet vndique appellatum fuisse, citauit Bellarminus exemplum Marcionis, qui erat tantùm presbyter. Et Romanus Põtifex Apiarium presbyterum in Africa damnatum, voluit restitui. Nam quod Bellarminus excipit prohibitum quidem presbyteris ne appellarent, at non prohibitum Romano, ne eos admitteret: quis non videt meras esse prestigias, & fucum legi factum? Nimirũ ex Italico prouerbio, *Fatta la legge trouato l'inganno*. Sed vident cordati, si malè appelletur, ergo sceleratè appellationem suscipi. Sed nimirum omnia susque deque habent Papistæ, dum sui Iouis iurisdictionem amplificent. Tanta us est religio! Sed addit remissum fuisse in Africam: itaque non admissam appellationem. Nugæ. Nam remissus in Africam fuit Apiarius, non iudicandus, sed ex præscripto Romani admittendus in communionem. Vnde rescribentes Africani monent, ne ex Africa venientes facilius admitterentur, & ad communionem exciperentur.

XXXII. Deinde, attende, hunc Canonem editum ab Episcopis Africanis: iis, inquam, à quibus ad Romanum appellari posse prohibetur: hoc est (si verum id sit) ab inferioribus iudicibus. At quis vnquam vidit, inferiores iudices ius habere coërcendæ superioris iurisdictionis, sanciendíque, ne hoc, illúdve reorum genus appellet? Et ita statuerunt tamen Africani. Ergo hoc ipso facto ostenderunt non esse se inferiores Romano.

XXXIII. Sed, hic Canõ, vt ea Latinis codicib' descriptus à Bellarmino, truncatus est. Græcè enim ita habet, *Nõ appellẽt, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates prouinciarum suarum*, ὡς ϰ̀ περὶ τῶν ἐπισϰόπων πολλάϰις ὥρισται, *Vt etiam de Episcopis sæpe sancitum est*. Quare ex eo Canone non tantùm presbyterorum, & inferiorum clericorum, sed ipsorum etiam Episcoporum appellationes prohibentur ad transmarinos Episcopos, id est, Romanum, sub pœna excommunicationis. Itaque Carthaginensis sexti Concilij Patres, *Nam et si de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaueri* (id est in Niceno) *quanto magis hoc de Episcopis voluit obseruari, ne in sua prouincia communione suspensi, à tua sanctitate, vel festinato, vel præproperè, vel indebite, videantur communioni restitui?*

XXXIV. Sed instat Bellarminus. Primò, hunc Canonem, de Episcopis non loqui: clarum ex Augustino, qui huic Concilio interfuit, vt scribit Epistola centesima sexagesima secunda, licere Episcopis Africanis appellare vltra mare; Clericis minoribus non licere. Deinde, hoc Mileuitanum Concilium probatum fuisse ab Innocentio primo in Epistola ad ipsum Concilium, quæ est nonagesima tertia inter Epistolas Augustini: quod certè non fecisset, si in eo Apostolicæ sedi derogatum fuisset.

XXXV. Verùm Augustinus de appellationibus ea tota Epistola ne verbum quidem facit: sed simpliciter de conseruanda caussa integra iudicio collegarum, & quidem non significatis nominatim transmarinis, sed generaliter aliis. Significat autem priuilegium fuisse Episcoporum, vt coram Episcopis iudicarentur: non his aut illis, sed quibuslibet, aut electis, aut datis: dabantur autem vel à Canonibus, vel à principe. Canones assignabant eos qui in eadem prouincia, non alienos. Principes dabãt pro arbitrio

bitror: quomodo Cæciliani caussa acta fuerat primo A cilium, fit decretum, ne liceat appellare: & scribitur
coram Romano; deinde coram Arelatensi, alijsque ad Cœlestinum, *Præfato debita salutationis officio, im-*
ab Imperatore designatis. At ius appellandi aliud *pendio deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc ve-*
est inferre eum certum & proprium iudicem, quem *nientes non facile admittatis, nec à nobis excommunica-*
non liberum fit eligere, sed iam designatū, & certis *tos in communionem vltra velitis excipere: quia hoc et-*
legibus constitutū appellare. Nemo autem negabit *iam Nicæno Concilio definitum facile aduertit venerabili-*
vnquam ex qualibet orbis parte eligi posse iudices, *tas tua: nam etsi de inferioribus clericis vel laicis vide-*
qui accusati Episcopi caussam cognoscant. Sicex *tur ibi præcaueri, quanto magis hoc de Episcopis voluit ob-*
decreto Capuani Concilij, Bonosi, & Flauiani iudi- *seruari? ne in sua prouincia communione suspensi à tua*
ces constituti fuere Theophilus, & Anysius. *sanctitate vel festinanter & præproperè, vel indebitè vi-*

XXXVI. Quid autem facturus fuisset an non B *deantur communioni restitui. Presbyterorum quoque &*
Innocentius, non magni interest, quum constet, *sequentium clericorum improba refugia (sicuti dignum*
quid Africani fecerint. Sed tamen negamus quic- *est) repellat Sanctitas tua: quia nulla, & Patrum defini-*
quam derogatum fuisse sedi Apostolicæ. Nihil e- *tione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ: & decreta*
nim derogatur, quum prohibetur, quod iure nun- *Nicæna siue inferioris gradus clericos, siue ipsos Episcopos,*
quam fuit concessum, sed quorundam inconside- *suis metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentis-*
ratorum præsumptione vsurpatum. Itaque po- *simè enim iustissiméque viderunt quæcunque negotia in suis*
tuit securè Innocentius eius Concilij acta confir- *locis vbi orta sunt finienda, nec vnicuique prouinciæ gratiā*
mare, id est, suo assensu rata habere. Quanquam in *Sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Christi Sacerdo-*
ea epistola, non de omnibus actis agatur: sed tan- *tibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur:*
tùm de decretis aduersus Pelagium: nec enim eius C *maximè, quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fue-*
Concilij Patres in literis ei aliud quicquam com- *rit cognitorum, ad Concilia suæ prouinciæ, vel etiam v-*
municasse leguntur. *niuersale Concilium prouocare.* Hæc tum Africani Pa-

tres, post caussam diligentissimè diutissiméque tra-
ctatam: & postquam satis testatum reliquissent
interloqutorio illo suo decreto, quo permittebant
iuxta Zozimi commonitorium, Romam appel-
lari, se adeo propriæ libertatis amore non tene-
ri, vt non parati essent subucere se ea in re Ro-
manæ sedi, si ita competeretur Nicæ definitum.

CAP. III.

De Impostura Episcopi Romani in Concilio Carthaginensi sexto.

D Quo magis constat Romani audaciam pontificis,
non leuiter, non ex præiudicio, non ex inuidia op-
pugnatam, sed maturo iudicio damnatam, necessa-
riáque constantia cohibitam. Sed enim si non li-
cuit Africanis appellare Romam, illud etiam cer-
tum, non licuisse vndique ad eam sedem prouo-
care.

I. NOn licere vndique appellare ad Roma-
P. I. num pontificem, illustre est testimonium
trū Africanorum in Cōcilio Carthaginensi 6. cu-
ius ita habet historia: Cælestium primò Episco-
pum, deinde & Apiarium presbyterum Patres A-
fricani damnauerant. Vterque ad Romanum pro-
fectus, obtinet sui restitutionem. Sed in Cæle-
stio quidem iam Romanus expertus erat non faci-
les Africanos. Itaque Zozimus cum Apiario mittit E
legatos; qui & eum restituendum curarent: quod
quidem strenuè conati sunt, adeo vt de eorum im-
portunitate Patres conquesti sint: & præterea obti-
nerent, vt ne posthac tam se difficiles præberent A-
fricani admittendis his qui à Romano restitueban-
tur: sed potius cognoscerent ius esse vndique ap-
pellandi ad eam sedem. Vt persuaderet, profert Sy-
nodi Nicænæ duos Canones, ea de re. Tum Patres
mirari in ea Synodo quicquam definitum, quod ip- F
si tandiu fugisset. Consulunt exemplaria cano-
num, quæ ab ipsa Synodo in Africam Cæcilianus
attulerat. Nihil tale comperiunt. Quid agant? Nam
tenet eos reuerentia Episcopi Romani: nec putant
de nihilo esse, quòd tam confidenter Synodum no-
minaret. Huc eunt, vt è Græcia postulent sibi veris-
sima exemplaria mitti. Interim moritur Zozimus:
succedit Bonifacius: scribunt, quod reserat, se in nul-
la Synodo inuenire definitum, vt vndique liceat
appellari Romam: misisse ergo in Græciam: & inter- F
ea obtemperaturos, nec passuros sic appellari, donec
certi quid compertum habeant de iis canonibus.
Moritur Bonifacius, postquam sedisset annos quin-
que: succedit Cœlestinus. Tandem Constantinopo-
li & Alexandria adferuntur ἀκριβέστατα ἴσα *verissima*
exemplaria: in quibus nihilo magis inueniuntur à
Zozimo laudati canones.

II. Itaque indicitur Carthagini generale Con-

III. Immane! quantam crucem Papistis no-
stris fixerit hæc sincera bonorum Patrum con-
stantia: inter quos magni viri Aurelius Carthagi-
E nensis, & Augustinus Hipponensis fuere. Itaque,
quas non rimas quærunt? quid non moliuntur?
quid non audent, vt tantum tantæ autoritatis pon-
dus eleuent? Vix est, vt se contineant intra men-
tis non emotæ terminos. Stapletonus in Relectio-
ne principiorum controuersia tertia, quæstione se-
ptima breuiter. Fusiùs Bellarminus, capite vigesimo
quinto secundi de Pontifice. Sanderus de Visibili
F Monarchia libro septimo. Baronius tomo quinto,
anno quadringentesimo decimo nono. Coffetæus
responsione ad Mysterium Iniquitatis, in Zozimo,
Bonifacio & Cœlestino. Lōga disputatio: sed gemi-
na: tum qua Romanus perperam agit: tum qua Afri
tirè decernunt.

IV. In priore geminum caput. Vnum: Si iure di-
uino Romanus Episcopus est iudex Ecclesiæ totius,
quare Zozimus, tum quum maximè ea res in iudi-
cium vocabatur, non ex iure diuino, sed ex autori-
tate Conciliorum appellationes ad suam sedē con-
firmare nituntur? Alterum, si hoc ipsum est ab auto-
ritate legitima Concilij Niceni, cur nominati Cano-
nes Nicæni, qui tamen non erant?

V. Bellarminus respondet, iure diuino ad Roma-
num semper appellari potuisse: tamen an expedi-
ret, ea potestate vti, & in omnibus locis, du-
bitatum: nec sine caussa fuisse. Ratio dubitandi: si
passim omnibus cōcedatur appellatio, multa effu-
giēt legitima iudicia: inimerito vexabitur Episcopi

qui primò iudicarunt: & caussæ alioqui faciles in longum tempus protrahentur. Contrà si nulli, dabitur occasio particularibus Episcopis, vt facilè & temerè iudicent: tyrannicè populos opprimant: necnon vti existiment se nullum habere superiorem, nullique rationem esse redituros. Itaque Zozimus Concilium Nicænum proferebat, vt probaret, non quidem posse ab omnibus appellari, sed potius expedire. At Africani contrà putabant non expedire Ecclesiæ suæ.

VI. Fœdam imposturam! Primò ridiculè sumitur pro concesso, licuisse iure appellare ad Romanum: idque certum fuisse Africanis. Quod ab eius Synodi actis non habuit profectò. A se si habet, quis dubitet falsum? Deinde, illud, *Vtrum expediret vti hoc iure*, sophisticum. Vel enim generaliter, vt negatio sit nunquam expedire, nullique Ecclesiæ, vel contractius, tum temporis expedire, & Ecclesiis tantùm Africanis. Priori modo, concedimus controuersiæ illum statum fuisse inter Africanos & Romanos. Sed is status, omnino idem est cum altero de iure. Nam perinde est si dicat, nunquam expedit Christianis, vel nunquam expedit Africanis appellare ad Romanum, ac si dicas, non licet. At altero modo, concedimus diuersas quidem esse quæstiones, an liceat, & an expediat: sed negamus hunc fuisse statum controuersiæ Africanæ. Fateor actum specialiter de Africanis appellationibus: quia fuerat ea thesis proposita à Zozimo, tum autē Concilium erat particulare, quod suæ tantùm prouinciæ prouidere poterat, & nihil obstat, quo minus quod ius est generale, id particulariter applicetur. Denique nostro argumento, hoc sufficit: Nam si ex Africa non licet ita appellare, ergo non est Africæ summus iudex Romanus: itaque non Oecumenicus.

VII. Negari autem vnquam expedire, aut quod idem est, omnino licere ab Africa Romam appellare, argumenta ostendunt, quæ non nituntur circunstantia vlla loci aut temporis, sed generaliter concluduut. Primùm ab autoritate Nicæni Concilij. At hoc nihil specialiter de Africa, aut vllo tempore definierat, sed generaliter, non esse ab aliis excommunicatos, ab aliis in communionem admittendos. Secundò, omnia negotia in locis vnde orta, finienda. Nota *in locis vnde orta*: nimirum non tantùm in Africa; sed etiam in Ægypto, in Asia, in Thracia, alibi. Tertiò, non tantùm Africæ, sed ne quidem vlli prouinciæ defuturam gratiam Spiritus Sancti. Quartò, non posse transmarinum iudicium esse ratum, ob defectum personarum necessariarum, videlicet accusatorum & testium. At hæ personæ non tantùm ex Africa, sed ne quidem ex multis aliis prouinciis Romam poterant proficisci. Quintò, eum fumosum seculi fastum [Greek], non esse inuehendum in Ecclesiam (nota, non in Ecclesiam Africanam, sed *in Ecclesiam*) quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert.

VIII. Quid plura? Eas dubitādi rationes, quas quasi vtrinq; Bellarminus enumerat, nūquā protulit, nūquā nouit antiquitas, sed recēs inuenit contendendi libido: tantum abest, vt iis vsus sit aut Zozimus, qui postulabat, vt liceret appellare: aut Africani, qui noluerūt. Imò verò rationes non sunt. Nam nec appellationes ansam præbent effugiendi legitima iudicia: nec eo modo vexari poterant Episcopi primi iudices; quod ipsa experientia docet quotidie: & præstaret caussas in longum tempus produci, quàm iniusta iudicia non retractari. Deinde si non essent eæ caussæ futiles, generaliter omnes appellationes auferrent, non tantùm ad Romanum: quum tamen antiquitas, & disertè hoc ipsum Concilium, agnouerit appellari posse ad Concilia: impugnauerit autem duntaxat appellationes ad Romanum.

IX. Non probauit igitur Zozimus iure diuino Romanum esse iudicem summum Ecclesiarum. *Diuino* autem dico? Quid quod, ne humano quidem? Nam si iure humano essent appellationes ad Romanum concessæ ex omnibus orbis prouinciis, oportuit id probari tabulis authenticis. At id non factum. Sed ex inopia earum, ad improbum, imò impium artificium confugere oportuit Zozimum: nempe vt ementiretur Concilij Nicæni autoritatem; non corrigentibus eam falsitatem Bonifacio, & Cœlestino, quantumuis admonitis. Nam in Concilio Africano Legati Romani protulerunt Commonitorium sui Papæ; in quo erat scriptum, Nicænam Synodum ius appellationum concessisse Romano Pontifici. Quod falsum esse suspicati primùm sunt Patres Africani: quia nihil huiusmodi comperissent in suis exemplaribus: deinde etiam compererunt, acceptis Alexandria & Constantinopoli verissimis exemplaribus.

X. Hoc verò falsi crimen grauissimum, vel omnino amoliri, vel extenuare saltem aduersarij serio conantur. Amoliuntur quidem hac ratione. Bellarminus dicit ignorantia deceptos esse Patres Africanos: quum dixerint, in nulla Patrum definitione, & in nulla Synodo se inuenisse eos Canones: ex quo apparet, non habuisse Canones Sardicenses.

XI. Solutio. Primò non respondetur: nam etsi ignorauerint Africani Concilium Sardicense: tamen non sequitur Zozimum non ementitum esse Concilium Nicænum: quod nunquam esset factum; si aliunde sui iuris tabulas authenticas proferre potuisset. In quo tam crassum est peccatum, vt etiamsi non id deprehendissent Africani, tamen nos possimus hodie & deprehendere, & detestari. Quid enim? Nónne ipsi Papistæ sibi permittunt ignorantiæ accusare eos Africanos, qui id dicerent in nulla Synodo definitum: etsi tum neque Zozimus, aut Bonifacius, aut Cœlestinus, neque eorum legati contrà contenderint: tantùm quia hodie eos canones legunt in Sardicensi Concilio? Cur nos ergo minus etiam hodie, & arguamus, & detestemur Zozimi audaciam desperatam, qui gesta Nicæna videmus, legimus? Quid ergo? Scilicet hoc agit Bellarminus, vt crimen aliò deriuet: & quum nos Zozimum impudentiæ arguimus, ille Afrorum traducat ignorantiam. Hoc est, dum nos Papæ caput conterimus, ille Africanum pungat calcaneum. Atqui potuit vterque peccare? Sed Zozimus sine dubio longè sceleratior: & venia indigníor. Deinde sic intelligenda Africanorum verba sunt, vt non vniuersa Concilia comprehendant, aut omnes Patrum definitiones: sed quibus Ecclesiæ cunctæ, atque adeo omnes Ecclesiæ tenerentur. Nam particularium Synodorum Canones, eos tantùm ligant, qui consenserunt. Itaque sensus est, nullo in Concilio definitum esse, vt ex Africa Romam appelletur. Atque adeo Epistolæ ad Cœlestinum verba, *Nulla Patrum definitione Ecclesia Africana. hoc derogatum fuisse vt de presbyteris & clericis ipsimet iudicarent.*

XII. Rur-

XII. Rursus negat Bellarminus Canones missos Alexandria & Constantinopoli, fuisse omnes Nicænos: ac proinde probabile hos, quos, Zozimus citarat, re vera in eo Concilio fuisse. Baronius rem etiam exaggerat: & Romanos codices, fuisse longè maioris fidei. Nam Africanam Ecclesiam multa passam esse à Donatistis, qui cum Arianis fœdus inierant: & Ecclesiæ Orientales plurimos annos magnis fluctibus iactatas fuisse, Arianis Episcopis præsidentibus, pulsisque Catholicis. Addit Bellarminus, & Stapletonus, alios multos canones citatos à varijs authoribus.

XIII. Sed hæc frustra. Nam, aut nihil vnquam certò cognosci potuit in vlla Synodo, aut in hac cognitum est, hos Zozimi canones, non esse Nicænos. Nam quid quæso defuit ad plenam perfectámque cognitionem? Zozimus commonitorium misit. Cùm primùm lectum, statim reclamarunt. Nec tamen statim decretum. Dubitandi ratio legatis insinuata, id est, parti postulanti: ijsque præsentibus statuta legatio Constantinopolim, Alexandriam, & Antiochiam: præsentibus, in quam imò verò etiam intercedentibus. Nam instabant, vt ne quisquam eò mitteretur, sed tantùm Romam: vt ea de re ipse Romanus Pontifex solus statueret. Satis cautè, sed non satis candidè. Itaque pergunt Patres: & tempus [illegible] tunt: moritur Zozimus: succedit Bonifacius annos quinque: hunc excipit Celestinus: itaque anni septem fuerunt ampliationis, aut paulò minus. Canonum Nicænorum exemplar habebant Carthaginenses allatum à Cæciliano, qui ei Concilio interfuerat: alterum mittitur à Cyrillo Alexandrino: tertium ab Attico Constantinopolitano.

XIV. Obserua: primò tres Episcopos Romanos, quorum valde intererat, nunquam tamen suæ assertionis vllum argumentum, vel minimum protulisse. Nota secundò, tam sincera fide vsos Africanos, vt cum Zozimo, eiúsque successoribus incumberet probatio suorum Canonum: ipsi tamen & sumptus & laborem, in se ipsos admiserint. Nota tertiò, tria exemplaria ex varijs longissiméque dissitis orbis regionibus inter se conspirare. Vult ratio iustitiæ anima. vult Verbum Dei, duobus, tribúsve testibus confirmari quodlibet negotium. Quid igitur amplius postulant? Non enim coniectura est: sed testimonium: & non solitarius testis: sed tres testes: ijque non è vulgo: sed locupletissimi, & quidem alter (si Papistis credimus) legatus à latere.

XV. Et exemplaria Romana, maioris erunt fidei? Quo iure? quo priuilegio? Proditor ergo Cæcilianus, qui è Concilio redux, falsa pro veris acta retulerit? Sceleratissimus Atticus, qui rogatus vt [illegible] mitteret: misit deprauatos: & misit cum hac attestatione: [illegible], *sicut Nicææ à sanctis Patribus constituti sunt, nulla parte mutilati.* Desperatissimus Cyrillus, qui rogatus mittere [illegible], miserit mendacissima? Credant Romanenses: quando illis solemne, præ illo suo Vejoue, omnia non contemnere tantùm, sed etiam si libido ferat diris omnibus deuouere. Sed verè Catholicis alia mens. Nam, quid mihi Arianos, quid Donatistas obgannunt? Quid canones alios? At nos alias satisfecimus. Quid? quod conspirat etiam Romana Ecclesia? Nam apud Gratianum, Stephanus Papa, testatur viginti tantùm Canones Nicænos in Ecclesia Romana conseruatos: vt mittam etiam historicos. Sed hæc Sophistæ pro nihilo habent. Et suo, vt putant, iure, quibus nihil placet: nisi quod Romanus Papa rutus auerit. Bonam mentem.

XVI. Sed bene est: fatetur tandem Bellarminus, hos Canones fuisse non Nicænos, sed Sardicenses. Itaque proximus labor est in extenuando crimine. Et primò, nihil à Zozimo actum per imposturam. Ratio Stapletoni: quia non probatur ab eo ipso eum canonem confictum, & quidem dolo malo. Baronij: quia fouebat optimam caussam; neque quicquam alieni iuris vsurpare conabatur: sed quo omnes prædecessores eius absque vlla controuersia potiti essent. Sanderi, quia alij Patres inueniuntur citare alios Canones tanquam Nicænos, qui tamen falsatores non appellantur.

XVII. Quænam igitur tandem impostura esse potest, si hæc non est? Actio est solennis: vtpote in Concilio: & sacra, vtpote Ecclesiastica: negotium maximi momenti: Probatio falsa. Quis igitur neget Zozimum conatum fuisse imponere Africanis? impositurum etiam fuisse, si credulos, ac faciles inuenisset? At non confinxit hunc ipse Canonem. Quid tum? at finxit fuisse Nicænum, qui erat Sardicensis: id est Oecumenicam Synodum supposuit pro particulari. In quo magnum momentum est. Sciebat enim Zozimus, absque vlla controuersia admittendos Nicænos canones: non item Sardicenses. Quod Patres Africani satis docuerunt, qui lecto commonitorio, atque in eo nomine Nicæno, etsi fraudem subolerent, tamen protestati sunt se ita facturos salua diligentiori inquisitione.

XVIII. Quis autem dolo malo factum negare potest, qui rei gestæ historiam non ignoret? Primùm, quum Africani attoniti, quod eos canones non inuenirent in suis exemplaribus, quæ habebant à Cæciliano viro pio, decernerent legationem Constantinupolim, & Alexandriam, bis intercesserunt legati Romani, *Hæc ipsa ad sanctum & beatum Papam nostrum scribere dignemini: vt & ipse integros canones inquirens cum vestra sanctitate de omnibus constitutis tractare possit. Sufficit enim, vt sicut vestra sanctitas apud se tractat, ita & ipse ex se ipso inquirat, ne contentio inter Ecclesias nasci videatur: sed magis charitate fraterna deliberare possitis ipso rescribente, quid melius obseruari debeat.* Potuit-ne hæc intercessio aliunde proficisci, quàm ex metu, ne, falsitate comperta, ipsi re infecta redirent, vnde venerant? Imò cuius æquitatis iudicium est, quum volunt Africanos pendere à iudicio Zozimi; cuius fraus subolebat? Deinde annos sex, aut amplius hæc caussa agitata est. Quis credat, si non fuit malitiosè peccatum, & suis potius [illegible], tanto tempore non potuisse corrigi? Maximè, quum res ageretur non arcana: sed publicè, præsentibus legatis, qui ipsi suis oculis videbant eos Canones non legi in codicibus Africanis: tum viuente Bonifacio, cui id ipsum literis erat significatum. Quæ malum hæc tanta erat, támque supina negligentia horum Pontificum, vt, quæ prædecessor peccarat, ne admoniti quidem dignarentur emendare?

XVIIII. Sumit, non probat Baronius eam fuisse optimam caussam. Imò quæ hæc audacia est, asserere eo appellationum iure semper vsum Romanum Pontificem: & quidem absque controuersia? Quid? malum! nulla-ne hæc erat controuersia, quum Cyprianus Cornelium eo nomine reprehenderit?

Cùm Stephani sententiam negaret in Hispania nullius esse momenti? Quum Iulium Orientales negarent debere decernere de iis, quos ipsi remouebant ab Ecclesia? Aut cur nos Baronio credamus potiùs, quàm Aurelio, quàm Augustino, quàm reliquis, negantibus id iuris vnquam fuisse?

XX. Quod ad eos attinet, quos Sanderus dicit, citasse quosdam canones tanquam Nicænos, primùm exempla à nobis considerata sunt singula in præcedente libro. Deinde facilius excusari possunt, quam Romani isti pontifices: primò, quia id in priuatis scriptis factum, non in actione solenni: non in Synodo: deinde, quia verisimile est, eos, si admoniti essent, fuisse retractaturos: quum isti contra omnia.

XXI. Bellarminus aliter. Sibi enim admodum probabile videri Concilium Nicænum, & Sardicense pro vno & eodem habita fuisse, & vtriusque canones simul coniunctos in Bibliotheca Romana. Ratio. Quoniam in Concilio Nicæno à Dionysio ante mille annos conuerso ex Græco. quod exstat in monasterio sancti Vedasti Atrebatensi, habentur simul, tanquam eiusdem Concilij canones omnes Concilij Sardicensis. Et quoniam alioqui non potest reddi ratio, cur Sardicense Concilium non numeretur inter vniuersalia: in quibus secundo loco esse deberet. Denique, quia iidem Patres magna ex parte vtrique Concilio interfuerint: & nihil noui, quoad fidem, Sardicæ definitum.

XXII. Respondeo, nullam hîc verisimilitudinem esse: non enim minus differt à Nicæno Sardicense, quàm Antiochenum. Itaque, si nunquam Antiochenum confunditur cum Nicæno: ne Sardicense quidem. Propterea omnes autores cùm Theologi, tum Historici, diligenter distinguunt. Neque in Bibliotheca Romana magnum est momentum: primò id Bellarminus à se ipso comminiscitur: nec est probabile: nam Vitus & Vincentius Nicæa sua exemplaria detulerant: sua item Sardica Archidamus & Philoxenus. Erant ergo distincta. Deinde, cur Bibliothecæ Romanæ non opponeremus Constantinopolitanam, & Alexandrinam?

XXIII. Rationes autem Bellarminianæ faciles sunt refutatu. Nam codex ille Attrebatensis, testis est incognitus: imò ne testis quidem: quia id totum testimonium pendet ex Bellarmini fide. Et Dionysio illi, cur non opponamus Atticum Constantinopolitanum, Cyrillum Alexandrinum, denique Carthaginenses? Aut quid tum, si lusit aliquis falsarius? an proinde impostura non est impostura? Quid? quod contra testimonium habemus ipsius Dionysij Exigui? Qui epistola ad Stephanum, quæ præfatio est versionis Conciliorum, disertè testatur se primo vertisse Canones centum sexaginta quinque, nimirum Apostolicos, Nicænos, aliorúmque Conciliorum, vsque ad Chalcedonensem. *Et ne quid*, inquit, *præterea notitiæ vestræ credar velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilij, atque Africani, quæ Latine sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta.* Ergo, inquam, non vno contextu continuauerat Concilia Nicænum & Sardicense. Sardicense autem nô fuisse Oecumenicum aliàs probauimus. Sed eosdem Patres interfuisse: primò absurdum, quia paucissimi Orientales adfuere, illi duceuti octoginta isti, septuaginta sex, numerante Binio: quum Nicænis subscriptionibus vix Hosium videas, Hispanum, Vitum & Vincentium Romanos, Marcum Calabrum, Cæcilianum Carthaginensem, Nicasium Dimensem Gallum. Deinde non verum: apparet ex collatione subscribentium, qui habentur in Concilio Nicæno, & apud Athanasium Apologia secunda. Tertiò inutile est, etiamsi verum esset. Nam cùm in Trullo conuenissent post annos aliquot iidem, qui antè in sexto Oecumenico, neque de fide quicquam noui decreuissent, tamen pertinaciter negant aduersarij idem esse Concilium: interque eos præcipuè Baronius. In re tam simili, cur tam dissimile iudicium? Nempe interest Romæ, vt Sardicense habeatur Oecumenicum: interest Romæ, vt Trullense non sit Oecumenicum. Hæc vna regula discriminis.

XXIV. Rursus aliter: non interesse vtrum nominetur: quum vtriusque æqua sit authoritas. Itaque non esse maiorem errorem, quàm quum Matthæus citatur pro Ioanne, vel Hieremias pro Zacharia, vt apud Matthæum. Quomodo autem non licet Matthæum falsarium appellare, quia idem Spiritus in Hieremia & Zacharia loquutus est: ita nec Zozimum.

XXV. Imò negamus esse eandem authoritatem Oecumenici & particularis Concilij: negamus vnquam Sardicense agnitum pro Oecumenico. Itaque non est exemplum simile Matthæi. Nam verè Canonica, id est, diuina autoritas in Hieremia & Zacharia: vt pluris non intersit vtrum nomines. Itaque σφάλμα tantùm μνημονικὸν possis obscurare: præterea nihil, quod quidem sit magni momenti: vt taceam non constare vtrum id Matthæi sit peccatum, an verò scribarum: quum omnino dubitare nemo possit quin Zozimus verè alterū pro altero nominauerit.

XXVI. Sanderus: Poterat fieri, vt Patres antiqui hoc in more habuerint, vt quicquid ab vlla Synodo antiqua, quæ cum Nicæna consentiret, statutum aut vbique receptum fuerat, id Nicænæ Synodi canonē appellarent. Et rursus: fortè in vtraque olim ita fuit constitutum. At ego vicissim diuinans: fieri potuit, vt Sanderus, grauissima febri perculsus, ita somniaret. Nam ita plerumque solent papistici doctores. Sed fieri vicissim potest: vt somnia Catholici ne curent. Illud certè verè somnium, cōsentientia statuta Sardicæ & Nicææ de appellationibus: quod nunquam credet, qui sextum Canonem Nicænum expenderit: vt nos aliàs.

XXVII. Sed audiamus nouum commentum Sanderi: ex his verbis Faustini legati: *Iniuncta nobis sunt à Sede Apostolica aliqua tractanda de Nicænis canonibus, vt conseruentur & constitutio eorū, & consuetudo: quia aliqua ordine & canone tenentur: aliqua consuetudine firmata sunt.* Faustinus igitur, non tantùm constitutionum, sed etiam consuetudinis apud Nicæam approbatæ mentionem facit. Atqui consuetudo erat, vt appellaretur ad Romanum. Igitur hæ appellationes approbatæ sunt apud Nicæam: nimirum per hæc verba τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω: *Antiqua consuetudines obseruentur.* Itaque, hac consuetudinis autoritate, Faustinus ab omni vitio falsitatis Zozimum immunem declarat.

XXVIII. Sed hæc primum frustra dicuntur. Quia Faustinus non continuit se intra hæc ita generaliter cōcepta verba, *Canonū, & Consuetudinis*: sed ex Cōmonitorio suo ipsissima verba Canonū finxit recitare. Itaq; suas illas appellationes, nō cōsuetudinis esse volebat intelligi: sed canonis. Quod tamen erat impudenter cōfictū. Fallax igitur Zozimus. Præterea,

quis

quis non videt Sanderum ipsum etiam imposturam facere? Nam certè Patres Nicæni, non vniuersaliter omnes probarunt consuetudines Ecclesiarum: ne præcipuarum quidem: sed hanc duntaxat quæ Romano ἐξουσίαν, siue τὰ πρεσβεῖα tribueret in sua prouinciatémque Alexandrino, Antiochenóque, in suis. Est autem infinita audacia, quum ita concluditur, Hæc consuetudo probatur: ergo omnes. Tertiò, si consuetudo esset, non verò Canon citatus: cur non admoniti Patres Carthaginenses? aut à legatis præsentibus, cùm viderent legationem decerni Constantinopolim, & Alexandriam, aut ab Episcopis Romanis? Denique falsum, ante Concilium Nicænum inualuisse consuetudinem appellandi ad Romanum ex qualibet orbis parte: qua de re aliàs disputatum.

CAP. IV.

De iure decreti in Concilio Carthaginensi.

I. Atque hactenus de facto Episcopi Romani. Nunc de ipso Africanorũ decreto. Stapletonus disertè temerè fecisse pronunciat, tũ quia caussa allegata non erat satis iusta: tũ quia à maiorũ suorũ obedientia recedebant. Nã paucis antè annis Stephanus Archiepiscopus Numidiæ, & alij Africani ad Damasum scripserant, neminem Episcopum, quantumuis disiunctum, nisi consulto Romano Episcopo, damnari debere: omnésque grauiores caussas ad illius sedem referendas. At paucis post, sub Eulalio Carthaginensi, Romanæ sedi reconciliati sunt, à schismate, quod pepererat ista contentio: vnde Bonifacius meritò scripsit, *Africanos Episcopos, instigante Diabolo, contra Romanam Ecclesiam sub Aurelio, superbire cœpisse.*

II. Sic solent hi viri, in nobis exagitandis tantopere antiquitatis venerationem commendare, hoc verò suis sibi permittere, vt pro arbitrio, eius gesta probent, vel improbent. Venia fortè non indigni, si id sibi non arrogarent solis. Sed vt reliquos omnes pecudum loco habeant, hoc verò intolerabile. Sed temerè factum, quis dicat, id, quod tanta, tótque annorum consideratione tractatum est? Nimirum temerarios illos non alij appellant, quàm qui suam imposturam detectam dolent. Et iidem nullam appellant imposturam: qua tamen si quis vsus esset contra Romanam tyrannidem, nullæ satis essent tragœdiæ ad exagitandum. Ita enim sibi amat, vt nemo in alios sit durior, quàm qui sibi omnia indulget.

III. Discessisse istos Africanos à suis patribus, falsum: nunquam enim Afri appellationes istas tolerarant, quod vel ex Cypriano clarum: atque etiam proximè ex historia Celestij, & Apiarij. Stephani autem illa Epistola est supposititia: quod vel stylus indicat. Vocat se Stephanus *Archiepiscopum Concilij Mauritaniæ*, phrasi prorsus inaudita. Damasum, *summum omnium pontificem*, eadem affectatione. Ad extremum, *Vos pastorem bonum*: qui solœcismus, quis ignorat, quam ætatem redoleat? Decreta nominat, quæ nunquam fuerunt: mentitur nunquam licuisse aliquem Episcopum deiicere de suo gradu, inconsulto Romano. Reconciliatos fuisse Romanæ sedi Afros sub Eulalio, mera fabula: quam prolixè refutat Baronius ad annum quatercentesimum decimum nonum, paragrapho nonagesimo secundo & sequentibus.

IV. Sed & Africanorum rationes audet refutare. Illud de excommunicatis, apud alios non recipiendis, ex quinto Canone Nicæno, intelligendum de inferiori clero, non de Episcopis: & de alienis diœcesibus, non de Episcopo Romano. Illud de legatis à latere mittẽdis, nulla Synodo definitũ, falso dici: quia Sardicensis Synodus ita constituerat. Fumosum autem typhum seculi, falsis fundamentis niti: nempe prioribus rationibus: itaque temere esse prolatum.

V. Sed in primo patres præuerterant Stapletoni sophisticen. Nam fatebantur illi quidem Canonem loqui de inferiore clero: sed argumento à minori, idem concludendum de Episcopis. *Nam etsi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaueri, quanto magis hoc de Episcopis voluit præcaueri?* De alienis autem diœcesibus fateor accipiendum, sed Romanus inde excipitur importunè: nam ille suam habebat etiam diœcesin, vt reliqui, quod aliàs docuimus. Legatos à latere negarunt permissos ab vlla Synodo, cuius fuerit vbique rata autoritas: & rectè. Nam Sardicensis non fuit huiusmodi. Fumosum typhum seculi, melius poterant illi patres agnoscere, qui non tam procul distabant à prima simplicitate, quam hodierni papistæ: quibus semper oculos perstringit tyrannidis Romanæ μαρμαρυγή. Itaque, ne ægrè ferat Stapletonus, si iis nos maiorem fidem deferamus.

VI. Alij sunt Stapletono modestiores erga Africanos, quos tam [illegible] damnare non audent: sed in sui seculi homines insolentissimi: quos tam faciles putant [illegible], vt sperent persuadẽdos ab Africanis longè aliter decretum, ac verba sonant. Primò Sanderus obliquè. Quia enim Africani vna voce omnes responderunt se seruaturos, quod in Nicæno Concilio constitutum esset. Est autem idem, siue in Nicæno, siue in alio, quod Nicæno par sit, aliquid decernatur: Et Sardicense par fuit Nicæno: atque in eo decretum, vt appelletur ad Romanum: Ergo hi Patres hac mente fuerunt, vt concederent Episcopo Romano iudicium appellationum, & facultatem mittendi presbyterum è latere.

VII. Sed hoc verè est πρὸς κέντρα λακτίζειν. Imò mera insania contra experientiam rationibus pugnare. Constat omnium manifestissimè ex disertis verbis Africanos noluisse Romam appellari, noluisse inde mitti legatum à latere. Ergo quicquid contra disputatur, necessariò sophisticum est; etiamsi nullo alio argumento refutari posset quàm euentu. Sed retexamus quæso ratiocinationem. Quisquis cõcedit, quæ Nicææ decreta sunt, concedet etiam, quicquid in alio Concilio æquali decretum est. Primò, hoc axioma docuerunt ipsi Romani non esse necesse. Nam etsi paria sint Nicæno Constantinopolitanum, & Chalcedonense: tamen Romani, qui omnis sese profitentur Nicæna acta probare, adduci nõ poterant, vt probarent decretum de prærogatiua Constantinopolitani. Sed pergamus tamen. Atqui Sardicense par fuit Nicæno: & in Sardicensi appellationes decretæ. Imò, inquam, hæc ignorarunt: hæc non crediderunt Africani: quorum hæc est testificatio, *Nulla patrum definitione, hoc Ecclesia derogatum est Africanæ.* Nimirum, assumit Sanderus, quæ ipse sibi finxit: vt

temeritatis suæ pœnas sumat ab Afris. Ego contrà, & rectiùs: Africani admissuri erant omnia decreta in Synodo, cuius par esset autoritas Nicænæ. At id decretum de appellationibus, & legato à latere, non admiserunt: Ergo id decretum non fuit Synodi vllius, cuius esset par autoritas cum Nicæna.

VIII. Sed Augustinus (inquit Sanderus) in eo Concilio voluit rem de minoribus clericis ad Pontificis Romani arbitrium referri. Probatur, *Faustinus Episcopus, legatus Ecclesiæ Romanæ, dixit: Ad sanctum & venerabilem Ecclesiæ Romanæ Bonifacium, vestra scribere dignetur sanctitas, vt & ipse, quod sanctus Augustinus statuere dignatus est, deliberare possit: vtrumnam & hoc concedendum sit, an reticendum, hoc est, de appellationibus inferiorum graduum.*

IX. Imò Sanderus suo more imponit suis lectoribus. Nihil enim proponebatur ab Episcopo Romano de appellationibus minorum graduum: erat enim tertium Commonitorij caput, de tractandis Presbyterorum & Diaconorum caussis apud finitimos Episcopos, de quo quum recitaretur canon Sardicensis, Augustinus dixit, *Et hoc nos seruaturos profitemur, salua diligentiori inquisitione Nicæni Concilij.* Quibus verbis, nihil omnino defertur iudicio Romani Episcopi. Atque adeo Faustini verba falsata sunt Latinè. Nam Græcè, *ἵνα καὶ αὐτὸς, ὅπερ καὶ ὁ ἁγιώτατος Αὐγουστῖνος ὁρίσαι κατηξίωσεν, σκέψασθαι δυνηθῇ ἑκάτερον: vt & ipse,* Romanus, *quod etiam sanctissimus Augustinus definire dignatus est, vtrumque considerare possit.* Hoc autem significat, vt vtrumque caput, scilicet, tum hoc de presbyteris, tum illud de appellationibus Episcoporum, Romanus considerare possit: quandoquidem & Augustinus de illo censuit inquirendam veritatem. Omnino Faustini verba sic intelligenda, nisi malis mentitum in referenda Augustini sententia.

X. Baronius negat prohibere appellationes ad Romanam sedem: sed tantùm admonere Romanum, ne, vt aiunt, faciliùs quàm par est, nec festinato, vel præproperè, aut indebitè agat: nam maturum quidem exposcunt iudicium, non autem recusant. Et hoc probat exemplo Antonij Fussalensis, qui ab Africanis condemnatus, eo ipso tempore, quo hæc controuersia agitabatur, appellauit ad Bonifacium: vt constat ex Epistola Augustini ducentesima sexagesima prima, à Louaniensibus edita. Quid igitur? Perspicuè cernere est (inquit) de modo prosequendæ appellationis obortum esse dissidium: non autem de iure. Probat. Quia si de iure; ergo citandus erat à Zozimo quartus & quintus Canon Sardicensis, at citatur septimus, nó de iure, sed de prosequendæ appellationis modo, vel per literas Romani scribentis ad Episcopos finitimæ regionis, vt de caussa cognoscant, vel legatis à latere missis in Africam. Patres autem in literis ad Celestinum priorem modum acceptant, qui est per literas: sed ægrè ferunt, vel Romæ iudicium fieri, vel legatos mitti.

XI. Verùm ista facilè refelluntur, vel ex sola lectione Actorum, & eius Epistolæ ad Celestinum: quæ ostendent hæc omnia inuita Minerua fuisse conquisita. Et primò quidem vt constet, quid supersit agendum, agnoscit verè Baronius, noluisse Africanos, aut Romam euocari vllam caussam, aut inde mitti legatos in Africam. Superest ergo tantùm cõsiderandum, an permiserint prosequutionem illam per literas: quod si ne hanc quidem admiserint, nihil est credo, iam caussæ, quominus fateatur funditus sublatam appellationem. Nam sine prosequutione, opinor, appellatio esset inutilis: & nullus apparet prosequutionis modus, præter hos tres: vt vel Romę iudicium fiat: vel in Africa: & si in Africa, vel per literas, vel per legatos.

XII. Ego igitur de literis negotium eadem opera confectum esse dico, cum reliquis. Primò: non enim excipitur vllo locu aut Actorũ, aut Epistolæ. Debebat autem excipi disertè: ne Baronius hodie videretur comminisci de suo. Deinde, quum hæc per literas prosequutio contineatur iisdem canonibus, cum reliquis: qui canones ob eam caussam reijciuntur, quod falsò dicantur Niceni: & cum iis etiã exsibilatur, tum translatio iudicij Romam vsque tum missio legatorũ: certè necesse est eadem ratione, eadémq; opera non acceptari literas. Neq; enim eas Niceni patres magis decreuerunt, quàm reliqua. Tertiò, nullius appellationis illi mẽtionem faciunt, quàm ad Synodum particularem: indéque ad vniuersalem: ergo omiserunt istam per literas prosequendam. *Maximè*, inquiunt, *quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ prouinciæ; vel etiam vniuersale Concilium prouocare.*

XIII. Quid tum autem, si peccauit Zozimus citando? Aut quid si astutè peccauit? vt videretur tanquam indubitatum supponere ius appellandi: quod alij plurimi eiusdem sedis antistites vel fecerunt, vel fecisse finguntur! Nam quid constitutum sit in Africano Concilio debemus, non ex Zozimi commonitorio discere, sed ex actis obseruare. Quemadmodum autem vulsis omnibus sigillatim pilis, ipsa tota cauda equina consumitur: sic reiectis omnibus prosequutionis modis, ipsa appellatio omnino reprobatur.

XIV. Antonij autem Fussalensis caussa incidit in Bonifacij tempus, qui Zozimo successit, cui adhuc in viuis Africani scripserant, se permissuros ius illud appellationum, tantisper dum è Græcia aduenissent authentica Canonum exemplaria. Quid igitur mirum, eo tempore, & appellasse sceleratissimũ hominem (nam & id notandum, ex Africa nullum virum bonum legi Romã accurrisse) & Bonifacium appellationem admisisse, & Augustinum non restitisse? Itaque nihil erat, quo exclamaret Baronius, ô miram Dei prouidentiam! Quanquam nos eã quidẽ in hoc ipso facto libenter agnoscimus prouidentiã: vtpote, quum non tantùm ex falsatione Actorum Nicænorum audaciam Romanam deprehẽdere Africanis datum est: sed etiam quũ viderẽtur paulo faciliores, & nimis leuiter commoti, tum fastu Romano, tũ augusto nomine Nicæno, tam penè dixerim inconsideratè suo iuri tantùm non renunciasse, ipso experimento caussæ Antonij illius, ac Apiarij certissimè moniti fuerint, quanta illis ingrueret moles tyrannidis, à qua eadem populi inciperent timere, quæ ab infensissimis hostibus: id enim Augustinus queritur.

XV. Itaq; quum sic loquuntur, *non facilius admittatis*: & vetant, *festinato, præproperè, indebito restitui* excommunicatos: nõ is sensus est quẽ fingit Baronius: abusus etiam peccato interpretis Latini, qui facilius dixit, pro facile ἀχυρῶς. Non, inquam, volunt, vt admittat quidem, sed cum difficultate, appellantes. Sed ne se tam facilem præbeat, vt vllum admittat. Malunt enim pro sua modestia, quæ antea peccata erant in hoc genere, nimiæ facilitati imputare, quàm immodicæ ambitioni. Similiter significant non posse ab eo admitti excommunicatos in Africa, absque nota nimiæ festinationis,

nionis, immaturique iudicij: hoc est, si posthac admittat, futurum, vt omnes videant Afris Episcopis longè grauius solidiúsque esse iudicium. Præcesserat enim, *Nec à nobis excommunicatos in communionem vltra velitis recipere*: id est, omnino ne recipite. Itaque non moderationem optant; sed omnino appellationes respuunt. Et sanè si moderationem tantùm optassent, quid erat opus tam longa cognitione? Quasi non id ipsum ius naturale dictet: aut quasi vel ipse Romanus denegare ausus esset.

Cap. V.

De appellationibus ab Episcopo Romano.

I. SI appellari potuit ab Episcopi Romani iudicio: ergo is non fuit Oecumenicus Pontifex. At verum prius: Ergo & posterius. Consequentia patet per se. Nam summus iudex ita pronunciat, vt non patiatur suam sententiam ab aliis retractari. Et quidem multò faciliùs tolerent ad se non appellari, quá abs se. Nam etiam re vera in singulis monarchiis, ita distributi sunt magistratus, vt in quibusdam casibus ne à minoribus quidem liceat appellare: à summis autem nunquam: itaque patiuntur reges ad se non appellari. Sed qui passus sit à se appellari ad alium, is verò nemo vnquam fuit.

II. Antecedens probatur: quia Donatus à Casis nigris appellauit à Melchiade Romano; ac fuit secundò iudicatus ab Arelatensi Episcopo: vnde rursus prouocans, iudicatur ab Imperatore. Historiam multis locis Augustinus citat, sed fusè exsequitur epistola centesima sexagesima secunda ad Donatistas. Itē Optatus Mileuitanus primo libro: & Baronius tomo tertio, anno trecentesimo decimo tertio, ac sequentibus. Habet se autem in hunc modum: Donatus apud Imperatorem Constantinum accusat Cæcilianum Carthaginensem Episcopum, multis obiectis criminibus. Imperator, iam tum Christianus (vnde apparet mentiri eos qui sub Syluestro dicūt conuersum ab Idololatria) noluit rem in palatio iudicari, sed Episcopali iudicio finiri: itaque delegat iudices, Melchiadem, Rheticium, Maternum, Marinum. Hi Romam conueniunt, Donatum damnant, Cæcilianum absoluunt. Huic sententiæ Donatus non acquieuit: appellauit Imperatorem. Imperator congregari iubet magnam Synodū Arelate, ibique caussam retractari. Rursus cadit caussa Donatus, vincit Cæcilianus. Tertiò appellatur ad Imperatorem: quò postquam ventum, vtraque parte assistente, innocens fuit Cæcilianus iudicatus, eiúsque accusatores superati. Et manserunt illi quidem in eadem peruersitate: sed nullo tamen iudicio deinceps experiri sunt ausi.

III. Hinc notanda sunt ista: primò, appellatum esse à iudicio Episcopi Romani, æquè ac à iudicio Synodi Arelatensis. Secundò; de Romani iudicio iudicatum fuisse à Synodo Arelatensi: non contrà. Vnde fit meridie liquidius, non esse suo iure summū iudicem Episcopum Romanum. Tertiò: delegatum fuisse ab Imperatore Melchiadem: quod quis dubitet argumentum esse, quo probetur Melchiades obnoxius fuisse mandatis Imperatoris? Imò conficitur etiam hanc eius ordinariam prouinciam non fuisse; nimirum vt iudicaret Cæcilianum Africanum: nam si fuisset, non fuisset opus delegatione Imperatoria. Quartò: additos Melchiadi fuisse collegas in eo iudicio, qui collegę erant in Episcopatu. Et hos quidem ab ipso Imperatore sigillatim designatos, euocatósque. Quare non est ea Melchiadis arbitrio caussa illa acta. Quæ omnia si Oecumenicum Pontificem non euertunt, age, negemus solem meridie lucere.

IV. Bellarminus tamen, & Sanderus, contrà nituntur. Baronium quidem ego miratus sum, sui esse penitus oblitum. Nam qui solet aliàs omnia vertere in vtilitatem Episcopi Romani, plerumque etiam immutata veritate: at certè si quid paulo durius occurrat, prolixam apologiam texere: hîc non tantùm historiam recitauit, satis bene: sed etiam quasi nihil officeret autoritati Romanæ ab apologiis abstinuit. Vnum obseruaui: dictum ὡς ἐν παρόδῳ quomodo solet ille sæpissimè, non quasi ex professo disputare: sed leuissima inclinatione totam historiæ faciem immutare. Quod nisi aduertat Lector attentus, mirabitur se subitò ò via abductum procul à veritate. Hoc igitur artificium hîc obseruare iuuat, & detegere. Narrat Optatus primò iudices ab Imperatore Donatistis datos, Maternum ex Agrippina ciuitate: Rheticium ex Augustoduno: Marinum Arelatensem. Melchiades omittitur. Hinc Baronio subtilitatis occasio. In fide rudem adhuc Constantinum, iudiciorum Ecclesiasticorum rationem ignorasse: itaque tres illos iudices elegisse. Verum postea, sentientem ex diuinæ legis præscripto absque primariæ sedis antistite, nefas esse cognosci, caussam detulisse ad Melchiadem: qui, præsentibus illis tribus aliisq; comprouincialibus, caussam cognosceret. Id autem si roges vnde habeat, indicabit Epistolam Imperatoris ad Melchiadem.

V. Mitto, quòd Imperatorem dicat rudem in fide, in qua tamen institutus erat à prima ætate, à matre Helena: duo certè deinceps mendacia non debent omitti. Vnum, à diuina lege sese Constantinum dicere didicisse, absque primariæ sedis Episcopo, id est, Romano, nefas esse caussam cognosci. Nam hoc nunquam Constantinus aut dixit, aut indicauit: neque in Epistola ad Melchiadem quicquam legitur huiusmodi. Quin videte hominis ridiculam calliditatem. Legit in ea Epistola ad hunc modum. *Vt ibi coram vobis, & Rheticio etiam, & Materno, & Marino, Collegis vestris, quos ea de caussa Romam maturare iusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex (vt nostis) postulat.* Neque in tota epistola diuina lex nominatur, præter hunc locum: adeò vt necesse sit, hæc eum verba habuisse in animo: Quæ tamen Græcè paulo aliter legas apud Eusebium libro decimo historiæ capite quinto. ἵνα ἐκεῖ, ὑμῶν παρόντων ἀλλὰ μὴν καὶ Ῥετικίου, καὶ Ματέρνου, καὶ Μαρίνου τῶν κολληγῶν ὑμῶν, οὓς τούτου ἕνεκεν εἰς τὴν Ῥώμην προσέταξα ἐπισπεῦσαι, δυνηθῇ ἀκουσθῆναι, ὡς ἂν καταμάθοιτε τῷ σεβασμιωτάτῳ νόμῳ ἁρμόττειν. *Vt illic, vobis præsentibus, sed & Rheticio, & Materno, & Marino Collegis vestris, quos propterea Romam iussi properare, possit audiri, prout cōperietis venerandissimæ legi congruere.* Porrò, quis tam cæcus est, vt non videat primò, nihil agi de primariæ sedis antistite, nisi quomodo de aliis? Deinde, illud *de lege*, referri, non ad id quod statuit Imperator apud se de legendis iudicibus: sed ad id officium quo lecti iudices perfuncturi erant: nimirum, vt non temerè, neque secundùm Imperatorias leges iudicarent; sed secundum diuinam. Hæc verò ad præ-

rogatiuam Romanę sedis transferre, ridicula est impudentia.

VI. Alterum mendacium: quum vult constitutum à Constantino, vt Melchiades præsentibus reliquis caussam cognosceret: quasi iudicis partes propriæ fuerint Melchiadis: reliquis tantùm nominatis, vt ei assisterent; quomodo solent nonnunquam iudices sibi consiliarios & *παρέδρους* adsciscere. At Constantini verba secus habent: *Vt possit, præsentibus vobis, & Rheticio, & Materno, & Marino, collegis vestris, audiri.* Ergo nullum locum Melchiadi assignat, quem non reliquis. Imò reliqui disertè eius collegæ appellantur. Et apud Augustinum *iudicante Melchiade, tunc Romanæ vrbis Episcopo, cum collegis suis.* Itaque præsentia tribuitur non tribus, sed cum iis Romano. Vt facilè quilibet videat, illud *præsentibus*, idem esse ac *coram*, vt apud Ruffinum & Christophorsonum: quæ phrasis de iudicibus vulgo vsurpatur. Itaque nullus dubitet, æquo iure, eadémque autoritate cum Melchiade, iudices constitutos esse Rheticium, Maternum, & Marinum.

VII. Sed Bellarminus ad quatuor nostras obseruationes, sigillatim respondet, capite vigesimo quarto secundi de Pontifice. Ad primam & secundam. Post Pontificem Romanum Arelatensem iudicasse, & post hunc ipsum Imperatorem, non quia oportebat, vt ibidem Augustinus ait, sed vt omnino obstrueretur os Donatistarũ. Imò Imperator, veniam petiturus ab Episcopis, ait Augustinus, caussam inuitus cognouit.

VIII. Verum hæc *ματαιολογία* est. Loquitur enim Augustinus, non de iurisdictione, de qua nobis nũc quæstio est, sed de caussæ euidentia. Negat igitur necesse fuisse appellare: quia prima statim cognitione, satis abundè & cognita caussa, & iudicata erat. Et id Augustinum in animo habuisse probo: primò, quòd æquè postea negat fuisse necesse eandem caussam cognosci post Arelatense iudicium: non ergo, quòd appellari non posset: nam ne aduersarij quidem hoc dicant. Præterea, constat ex eadem Epistola Augustinum credidisse, licere appellare ab Episcopi Romani iudicio. Sunt enim hæc eius verba. *Ecce, putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuisse: restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersæ Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus caussa posset agitari: vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.*

IX. Porrò, quòd eam caussam inuitus Imperator cognouit; his verbis Augustinus exprimit. *Iudices Ecclesiasticos tantæ autoritatis Episcopos, quorum iudicio & Caciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod malè iudicarint. Dedit ille aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia iam necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam peruersitatem cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator, sic eorum tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse iudicaret: sed alios, vt dixi, Episcopos dedit: à quibus tamen ad illum ipsum rursum Imperatorem prouocare maluerunt. Qua in re illos quemadmodum detestetur, audistis. Atque vtinam, saltem ipsius iudicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, atque vt eis ipse cessit, vt de illa caussa post Episcopos iudicaret, à sanctis antistitibus postea veniam petiturus, dum tamen illi quod vlterius dicerent, non haberent, si eius sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi prouocarunt, sic & illi aliquando cederent veritati.* Hactenus Augustinus. Obserua. Primò, id in Donatistis rẽprehẽdi: quòd Romanum iudicium accusare ausi sint non apud Collegas, id est, alios Episcopos: sed apud Imperatorẽ. Ergo censere Augustinũ in eo peccasse, quòd ad Imperatorẽ appellarint. At si appellassent ad alios Episcopos, nõ fuisse peccaturos. Secũdò, ægrè tulisse Imperatorem sibi iudicandum esse de ea caussa, post iudicium secundum Arelate factum. Itaque nihil hoc ad Romanum Episcopum: de cuius iudicio iam cognitum erat Arelate. Denique id certum, ægrè tulisse Constantinum, quòd appellaretur à iudiciis Ecclesiasticis ad secularia. Quod etiam sæpius inculcatur in Epistola ad Episcopos Catholicos, quam descripsit Baronius paragrapho trigesimo primo anni trecentesimi decimi tertij. *Meum iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi expecto. Perquirunt secularia, relinquentes cælestia.*

X. Quanquam videtur hîc Baronius suum aliquid passus, vt, quod dicebam, leui inclinatione, peruerteret historiam. Nam has Imperatoris literas recenset statim post iudicium Romæ habitum: quum videatur commodior locus post Arelatensem Synodum. Primò, ex Augustini autoritate: qui tum dixit eos illum detestatum esse: alludens sine dubio ad illa: *O rabida furoris audacia!* & reliqua: quibus acriter admodum Donatistæ agitantur. Dixit etiam cessisse illis, vt post Episcopos iudicaret, petiturus veniam: dum tamen illi, quod vlterius dicerent, non haberent. Quò hæc Constantini pertinere videntur. *Equidem, fratres carissimi, licet hæc in ipsis videantur deprehensa, nihilominus vos, qui Domini saluatoris sequimini viam, patientiam adhibete, datâ his adhuc optione, quid putent deligendum: ac si eos in iisdem videritis perseuerare, protinus cum his, quos Dominus dignos cultu suo iudicauit, proficiscimini, & redite ad proprias sedes, meique mementote, vt mei Saluator noster semper misereatur.* Vbi etiam ipsa licentia domum eundi, quàm bene conueniat Synodo Arelatensi magnæ, quis non videt? Denique hæc etiam leguntur. *Cæterum direxi meos homines, qui eosdem infandos deceptores religionis protinus ad comitatum meum perducant, vt ibi degant, ibi sibi mortem pe.... videant.* Atqui, post Romanum iudicium, non Donatistas, sed Cęcilianum in comitatu retentum aliquandiu ipse Baronius obseruauit. Itaque verisimile est, post Arelatensem Synodum, audita appellatione, Imperatorem qui decerneret vltimo iudicare, appellantes apud se detinuisse. Nam quod Optati autoritatem Baronius sequitur, eam exclamationem, *O rabida furoris audacia*, recitantis post Romanum iudicium: non est magni momenti. Quum sciat, imò obseruet Baronius apud Optatum nihil haberi de Arelatensi iudicio, siue quia mutilus sit codex: siue aliam ob caussam.

XI. Cæterum ad tertiam nostram obseruationem Bellarminus regerit: Pontificem Romanum non iudicasse, nisi tum quum Imperator iniunxit: quia Donatistæ, caussam illam non detulerant ad eum primò, vt debebant, sed ad Imperatorem. In quo eos malè fecisse docuit Augustinus, dixitque Constantinum longè ordinatius egisse, qui caussam ad se delatam non sit ausus iudicare, sed eam ad Pontificem miserit.

XII. Rursus non satisfit argumento. Nam etsi primò caussa fuisset delata ad Imperatorem, tamen si Melchiades esset Oecumenicus, hoc est, non tantùm summus iudex omnium Ecclesiasticarum controuer-

trouerfiarum, fed etiam maior ipfo Imperatore, quod vtrumque tandem vfurparunt impudentiffimi [illegible] otes: nec debuiffet, nec potuiffet delegari. Delegatum tamen conftat: ergo & non Oecumenicum. Deinde, illud, *vt debebant*, quo fignificatur debui[illegible] Donatum defette cauffam ad Melchiadem, merum e[illegible] Bellarmini commentum: in eâ autem hiftoria nullum habet fundamentum. Denique falfum, ab Auguftino propterea reprehendi Donatiftas, quòd non retuliffent ad Romanum: fed duntaxat, quòd appellaffent ab Epifcopali iudicio ad Imperatorem: falfum item, cauffam ab Imperatore remiffam ad eum Pontificem: fed verum, ad Epifcopos.

XIII. Ad quartam obferuationem refpondet, Pontificem permififfe fecum federe alios ab Imperatore affignatos, vt fatis fieret Donatiftis, quibus Romanus Pontifex fufpectus erat.

XIV. Permififfe autem? Certè, inquam. Nam & reliqui, Reticius, Maternus, Marinus permiferunt Melchiadem fecum federe. Nempe fi *κατα-χρηστικῶς* dicas eos id permittere fieri, quod iubentur ipfi facere. Certè collegas Imperator eadem nominauit opera, qua Melchiadem: atque etiam ante quàm Melchiadem certiorem faceret; vt conftat ex Imperatoris Epiftola. Deinde, vnde habuit Melchiadem Donatiftis fuiffe fufpectum? Nam apud Optatum, aut Auguftinum, ne tenue quidem veftigium. Baronius tantùm indicat, poft illud iudicium, ei à Donatiftis negotium faceffitum. Deinde, fi fufpectus fuiffet, cur non omnino abftinuit à iudicio? Nam ita folet. Et fortè eâ cauffâ non interfuit Siluefter Arelatenfi Synodo. Mitto, quod vulgo fertur, fummum iudicem non poffe recufari. Sed hæc videlicet leuiufcula ij coacti funt inquirere, quibus folidiora defunt.

XV. Sandero nihil vnquam audacius. Tanta eft hominis confidentia, vt fperet vel è pumice aquam. Sic, tantum abeft, vt ex hac hiftoria minui agnofcat autoritatem Epifcopi Romani fummam, vt contra potius valdè confirmari contendat. Sed vt fcias quanta fide nobifcum agat, diffimulat omnia quæ fequuta funt poft Melchiadis iudicium: id eft, præcipuam eius geftæ rei partem. Egregiè! fic enim, atque haud aliter oportuit Oecumenicum Pontificem defendi. Primò igitur, iudicium à Melchiade claufum afferit, his verbis, *Cæcilianum fua communione Ecclefiaftica integro ftatu retinendum merito effe cenfeo.*

XVI. Refpondeo, claufum effe à Melchiade iudicium illud primum, quo primo cauffa eft cognita: at non ita terminatum, vt poftea de eodem negotio non quæreretur aut iudicaretur. Propterea Auguftinus (à quo fophifmatis occafionem Sanderus videtur fumpfiffe) non fimpliciter vltimam eam fententiam appellauit (geminam enim poftea fequutam defcribit) fed Melchiadis vltimam. *Qualis*, inquit, *ipfius Melchiadis vltima eft prolata fententia?* Significans vltimum actum eius iudicij, cui Melchiades præfuit: non autem totius negotij poft illam fententiam.

XVII. Rurfus notat Auguftinum conferre & præferre octodecim Epifcopos cum Melchiade fedentes, aliis Septuaginta Epifcopis, qui Cæcilianum abfentem temerè damnauerant. Verùm locus eft ab eo truncatus. *Conferte nunc iftā paucitatem, tam illa multitudine Epifcoporum, neque numerum numero, fed pondus ponderi comparate: hinc modeftiam, inde temeritatem: hinc vigilantiam, inde cæcitatem. Hic nec manfuetudo integritatem corrupit: nec integritas manfuetudini repugnauit: ibi autem & furore timor tegebatur, & timore furor incitabatur.* Hæc Auguftinus. Et quis iam non fentiat mentitum Sanderum, fcribentem Epifcopos Epifcopis prælatos? Nam iudicium iudicio potius prælatum eft: quod fieri folet, quoties fuffragia non numerantur, fed ponderantur. Et quid ad fummam autoritatem Romani, fi modeftia paucorum, multorum temeritati præfertur? fi vigilantia cæcitati?

XVIII. Tertiò obferuat, Melchiadem paratum fuiffe cæteris Epifcopis Africæ communicatorias literas mittere: eámque benignitatem ab Auguftino ita laudari, vt eum virum optimum, & filium Chriftianæ pacis, patrémque Chriftianæ plebis appellet. Atqui literas communicatorias à quibuslibet Epifcopis dari, quis nefcit? Ipfe Auguftinus eadem illa Epiftola ftatim initio, fcribere fe quidem fatetur ad Donatiftas: verùm non communicatorias literas. Deinde, hoc ipfum Melchiadi videtur tribui, non tanquam foli, fed tanquam præfidi: ficut ipfa fententia dicitur fuiffe Melchiadis, etfi non effet folus iudex. Non igitur folus Melchiades communicatorias obtulit: fed omnes illi octodecim, pronunciante tamen Melchiade, tanquam præfide.

XIX. Itaque vana funt quæ fubiicit Sanderus, interrogans, non tam difputans. Nónne tam Melchiades, quàm Auguftinus conteftantur in Romani Pontificis manu pofitum effe, vt Donatiftæ non haberentur amplius Schifmatici? Poterat-ne alius quifpiam in orbe terrarum Epifcopus, communicatorias literas illis mittendo, eofdem in Ecclefiæ corpus colligere? Imò verò, inquit, fi quifquam conatus effet, eius feipfum in illorum fchifmate implicaffet.

XX. Refpondeo: Romanus tum cognitor fedebat eius cauffæ, non ex iure Pontificatus Romani: vt neque alij, ex iure fui quifque Epifcopatus: fed quatenus ab Imperatore delegatus erat iudex. Itaque has Communicatorias Melchiades quum pollicebatur, non priuato id agebat, fed communi collegarum iudicum confilio ac nomine. Itaque, fi quid in manu erat cuiufquam, id in manu erat omnium, non vnius Melchiadis. Deinde, vt non haberentur Schifmatici, id non pendebat à iudicibus, fed ab ipfis Donatiftis. A iudicibus tamen, quatenus Donatiftarum pœnitentiam poterant admittere, atque aliis fignificare: quod quilibet iudex Ecclefiafticus poterat. Imò quilibet Epifcopus. Quis enim ignorat iis omnibus datam poteftatem ligandi, foluendíque? Quis ignorat varios effe conftitutos canones de recipiendis tum hæreticis, tum fchifmaticis venientibus ad Ecclefiam, cùm in Synodo Nicæna, tum in aliis? Atque vt fcias, Africani Patres, in Concilio habito poft Confulatum Flauij Stiliconis, eam receptionem ita defcribunt. *Ad Ecclefiam Dei Catholicam per vniuerfum mundum diffufam, ordine antiquo per manus impofitionem recepti funt.* En tibi, quod quilibet Epifcopus poterat: non tantùm Romanus. Quod fi igitur quilibet admittere poterat ad vnitatem Catholicæ per totum mundum Ecclefiæ: cur non & communicatorias dare? Nam eæ fignum erant communionis fiue continuatæ, fiue reftitutæ.

XXI. Quartò obferuat, Auguftinum dixiffe, Cæcilianum potuiffe non curare confpirantem multitudinem inimicorum, quum fe videret, & Romanæ Ecclefiæ, in qua femper Apoftolicæ Ca-

thedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum. Et vnde, inquit, hæc libertas Cæciliano tributa, vt posset septuaginta Episcopos Africæ, hoc est, prouinciæ suæ non curare, modò cum Ecclesia Romana, & cum cæteris Episcopis in Romani pontificis communione permanentibus communicaret? nisi quia Romanus Pōtifex propius est cū Carthaginensi Episcopo cōiunctus, quā ipsi Africæ & Numidiæ Episcopi erant? Etenim, si ad originem præsidendi aspicimus caput, pedibus est vicinius, quàm femur, & tibia: nam caput ægris pedibus consulere, atque medicinam facere potest, tibia verò & femur non item.

XXII. Respondeo: primò addi Augustino, quæ apud illum nulla sunt. Quum enim Romano addidit cæteras terras, id est, cæteros orbis Episcopos (neque enim repugnarim Sandero sic interpretanti) non subiunxit illud, *In Romani, Episcopi communione permanentes*: sed Sanderus commodum sibi excogitauit: quasi puluerem, quo iniecto in lectorum oculos, aciem turbaret. Et quæso, quam ille poterit mihi rationem reddere, cur sic potius interpretetur, Romanus Episcopus, & ceteri in eius communione perseuerantes: quàm ego hoc modo, Romanus Episcopus, & cæteri, in quorum communione is perseuerat? Nam vtrumque æquè additum est Augustino; eadémque necessitate, hoc est, nulla. Quod si caussam dicat, Capitis dignitatem, quam adscribit Romano: cui membra oportet coniungi: ego contrà, qui *isonomias* tueor, & tyrannidem impugno, dixero, membrum debere censeri in communione corporis totius: non corpus totum in communione membri. Atque ita sic vterque tuebitur se ex præiudicio caussæ.

XXIII. Cæterum, securitas Ceciliani non erat ab autoritate Romani Pontificis solius: sed à maximo numero Episcoporum Catholicorum, quibuscum communione coniunctus erat: quibus septuaginta illi Africani, nullo modo erant siue numero, siue pondere comparandi. Nota autem Romano cæteros addi ab Augustino; pari iure: nempe, vt eadem ratione cæteris communione coniunctus Cæcilianus intelligatur, qua Romano.

XXIV. Illud autem quàm puerile: Romanum propius Carthaginensi coniunctum, quàm reliquos septuaginta! Aut illud quis dixit vnquam, caput esse vicinius pedibus, quàm tibias, & femora? Hoc inquam, quis audiuit, à quoquam prolatum? Sed ita ludunt Sophistæ: ita omnia miscent, vertunt, peruertunt. Et quorsum Origo præsidendi? Nam eam sanè Augustinus nec nominat, nec indicat. Porrò; Carthaginensi dicuntur communione sociati non Romanus solus, sed etiam reliqui terrarum Episcopi. Quid igitur? Placet-ne Sandero, vt dicamus cæteros illos Episcopos, quoad originem præsidendi propius coniunctos Carthaginensi, quàm Afros? Probet-ne hoc inquam? Nam nos quidem probare non possumus, quod istos à Romano separet: quia ius nullum autoritatémve habet, eos in hoc sermone separare, quos bonus ille pater coniunxit. Breuiter hoc Augustinus voluit, plus Cæciliano sperandum fuisse præsidij in communione omnium extra Africam Episcoporum, quorum vnus esset Romanus, magni nominis, quàm damni metuendum à schismate septuaginta Africanorum.

CAP. VI.

De Conuocatione Conciliorum.

I. SI Episcopus Romanus fuisset Oecumenicus Pontifex, ergo conuocata essent eius autoritate ac mandato omnia Concilia. At hoc falsum: ergo & illud. Necessitas consequentiæ patet: quia Monarcha in sua Monarchia, nullos conuentus patitur, absque sua autoritate conuocatos: conuocantur enim, ob publica negotia: quibus tum ipse prouidere debet: tum nemo alius, eo non conscio, imò iubente: alias tantundem decedit de eius maiestate.

II. Assumptum autem probatur ex historia Ecclesiastica. Duplicis enim generis quum essent Concilia, Merica, & Oecumenica: illa, quæ in singulis prouinciis: ista, quæ ex orbe vniuerso: certum est Merica ab Episcopo Romano nulla conuocata, nisi in sua prouincia: Oecumenica autem omninò nulla: nisi post Imperij diminutionem: & Antichristi confirmatam tyrannidem.

III. Ac de Mericis quidem conuenire testatur Bellarminus, Diocæsana ab Episcopo: Prouincialia ab Archiepiscopo: Nationalia à Patriarcha vel Primate cōuocari debere. Et sanè ita videtur: saltem ex quo Nicææ, non tantùm iussum est singulis annis binas Synodos conuocari: sed etiam penes Metropolitanum esse τὸ κῦρος eorum quæ gererentur. Verumtamen eius consuetudinis exempla nulla diserta comperi, præter Romam, & Africam. Nam Romæ quidem coacta esse multa Concilia, conuocante eius vrbis Episcopo, nemo ignorat. Saltem, si vera omnia sunt quæ sparsim leguntur, & non interpolata plurima à posteris scriptoribus. In Africa autem iis partibus functos Primates, perspicuum, vel ex Augustini Epistola ducentesima decima septima: vbi se dicit tractorias literas accepisse à Victorino. Nam alibi non lego autoritatem Episcopi alicuius conuocantis. Sed Imperatoris sæpissimè. Apud Eusebium de Vita Constantini libro quarto, capite quadragesimo primo: quum Ægyptiæ Ecclesiæ controuersiis quibusdam turbarentur, Imperator Constantinus magnus *omni cogitatione & cura in Deum defixa collegit ex omni Ægypto, Africa, Asia, Europa, frequentem Episcoporum cœtum*. Locus dictus, Tyros. Alexander de Inuentione crucis. [illegible] *Imperator ad Ecclesiarum dedicationem etiam Athanasium aduocari antequam censuit: primúmque imperat Tyri Synodum cogi.* At ante eum similiter Epiphanius in Meletianis. De Arelatensi prima ad iudicium de Cæciliano, dictum proximo capite. Theodoretus historiæ libro secundo, capite vigesimo septimo. *Constantius ab Eudoxii accusatoribus impulsus, Seleuciæ Concilium conuocari mandat.* Socrates libro secundo, cap. vigesimo quarto. *Photinus dogma quoddam, quod ille ipse separatum excogitauerat, palam diuulgare conatur. Et quoniam tumultus ex hoc oriebatur, Imperator Concilium Episcoporum Syrmij conuocari iubet.* Idem libro eodem capite trigesimo primo, Synodum Seleuciæ Imperatoris edicto conuocatam scripsit. Plurima potiunt-

sunt eiusmodi exempla colligi: quibus constat etiam Synodos non Oecumenicas, ab Imperatoribus fuisse congregatas.

IV. Iam de Oecumenicis non difficilius negotium. Constat enim primò nullas fictas, pictas, auditas, visas, siue bullas, siue Epistolas, cuiusmodi postremis hisce seculis fuerunt, & diligenter magnáque pompa initio Conciliorum præfixa sunt. Vt mirum sit in tam multis aliis suppositiriis decretalibus, non potuisse vel ab impudentissimis vnicam confieri. Dicam amplius; nullam in iisdem Concilus vel Actionem, vel Actionis partem esse, qua constet Episcopi Romani autoritate mandatóve conuocationem esse factam. Deum immortalem! quàm altè oportuit Patres stertisse, qui quod vnum erat suæ autoritatis fundamentum, id omitterent. Aut quàm nauiter hodierni Papæ sunt impudentes, qui suum vnicum nomen volunt esse Conciliorum fundamentum.

V. Secundò constat Imperatores eas conuocasse suis literis, siue mandatis: nullum autem Romanum Episcopum: cùm tamen contrà, his temporibus, soli eas conuocent Pontifices: nulli Imperatores. Tertiò: Synodos ipsas semper testatas, se conuocatas autoritate ipsius Imperatoris, nunquam autem Romani Pontificis. Quartò; Romanos Pontifices non semel summis precibus contendisse ab Imperatore eam Synodi conuocationem. Quintò, aliquando, eis sic petentibus, negatam fuisse conuocationem. Denique, & locũ & tempus designata esse aliquando contra eorum Pontificum voluntatem. Quæ omnia capita manifesta fient ex nuda historiæ consideratione.

VI. Primum ergo Oecumenicum Concilium Nicænum fuit. Id verò ab Imperatore Constantino conuocatum, tam notum omnibus; tam veteribus testatum, vt mirum sit quemquam contra hiscere posse. Sed tamen, quia nihil non audent huius infelicissimi seculi sophistæ oati in perniciem Ecclesiæ: age solem meridie lucere doceamus. Eusebius, testis oculatus, de vita eius Imperatoris libro tertio, capite sexto. *Deinceps igitur Concilium generale vnum in locum cogit: & Episcopos vndique per literas honorifice scriptas, vt eò maturarent, acciuit.* Consentit Socrates libro primo, capite quinto: & Theodoretus libro primo, capite septimo. Ipsa eadem Synodus, Epistola ad Ecclesiam Alexandrinam apud Socratem capite sexto eius libri; & Theodoretum nono. *Quoniam gratia Dei, & mandato sanctissimi Imperatoris Constantini, qui nos ex variis ciuitatibus & prouinciis in vnum congregauit, magnum & sanctum Concilium Nicænum coactum est.* Ipse Constantinus Imperator ad eandem Ecclesiam scribens: *magnam Episcoporum turbam ad vrbem Nicæam accersiui*: apud Eusebium de eius vita libri primi capite sexto. Nicetas in Thesauro, libri quinti capite quinto. *Publico programmate Imperator edixit, vt omnes Episcopi Nicæam Bithyniæ metropolim conuenirent.* Alexander Monachus de Inuentione crucis: *ὡς οὖν αἰσθάνεται [illegible] τὸ κακὸν, [illegible] ἐν τῇ Νικαιέων πόλει. Vbi animaduertit malum omni medicina superius esse, Synodum Oecumenicam in vrbe Nicæna fieri præcepit.* Et hoc Alexandro longè antiquior ac grauior Epiphanius in Arianis. [illegible Greek] hic ego sim restituo luxata periodi membra, [illegible Greek]

A *Imperator de Ecclesia sollicitus, & quod iam multi sæpè inter se dissensissent, & secta multa essent, conuocauit vniuersalem Synodum, trecentorum decem & octo Episcoporum, quorum etiam nomina vsque in hunc diem seruantur.* Denique ne sim prolixior, nemo vnquam ex iis qui hæc postrema tempora præcesserunt, aliter est loquutus.

VII. Nec habent aduersarij quod opponant: Et tamen nolunt obmutescere. Quid igitur? Mentiuntur strenuè, quia apud suos impunè: tum, mendaciis vt fucum faciant, [Greek]. Et quæso B liceat mihi paulò fusiùs Baronij primùm strophas percurrere. Is igitur paragrapho decimo [illegible]tio anni trecentesimi vigesimi quinti. *Quum interpellaret Arianorum potissimum caussa Siluestro Papa ab Alexandro Episcopo Alexãdrino, ab eodem Hosius Cordubensis legatus missus esset in Aegyptum, ac postea in Orientem eodem munere functus, vt qui discesserant populi ab Ecclesia ob caussam Paschatis, reuocaret: vtroque labore ob repugnantium pertinaciam casso reddito, opus esse, ad tot tantáque Ecclesiæ dissidia componenda, vniuersali Synodo, eidem Romano C Pontifici visum est: quod & ab eodem Imperatori Constantino tum Romæ agenti fuit facilè persuasum.* Hæc Baronius: quibus persuadere vult in toto Ariano negotio, maximè verò in Concilio Nicæno, primas partes Syluestri fuisse. Artificio minimè ferendo: quia impudentissimo. Retexamus quæso singula.

VIII. Ergo Syluestrum vult potissimum ab Alexandro in ea caussa interpellatum. At hoc ipse diuinat: à nullo habet Veterum. Et quæ hæc audaD cia est? tam liberè quidlibet fingere? idque in historia Ecclesiastica? Nam hoc quidem longè magis quàm in profana: in qua tamen similia commenta ferri nequeant. Hoc verò, quum quæsiui, quo saltem prætextu excogitasset, tum legi paragrapho quinquagesimo anni trecentesimi decimi octaui, Liberium scripsisse ad Constantium Imperatorem. *Manent literæ Alexandri Episcopi olim ad Syluestrum sanctæ memoriæ destinatæ: quibus significat ante orE dinationem Athanasij, vndecim tam presbyteros, quàm etiam diaconos, quod Arij hæresim sequerentur, se Ecclesia eiecisse.* Tum postea paragrapho octogesimo octauo. *Haud par est credere, Syluestrum Romanum Pontificem, literis (vt diximus) Alexandri de cunctis rebus gestis certiorem redditum, quieuisse.* En tibi tanti ædificij dignum fundamentum! scripsit Alexander de his presbyteris, & Diaconis. Ergo Syluestrum monuit de cunctis rebus gestis circa Arium. Quis admittat? Imò non satis est: admonuit de cunctis rebus F gestis: ergo potissimum interpellauit. Hoc verò, quàm perfidum! Nam illud quidem poterat tolerari. Sed hoc, fines excedit religiosæ mentis.

IX. Scimus Alexandrum, quum primum Arius cœpit virus euomere, rem apud se, hoc est, in sua sede tractasse, nullo præterea admonito Episcopo præter suos. Epiphanius in Meletianis. *Postquam deprehendit Arium Alexander conuocatis illico Episcopis ac Synodo, quærebat de fide, & exigebat ab Ario de conceptis in ipso falsæ opinionis pernicie responsionem. Arius verò non negauit: sed quum perfricta fronte, veluti res haG bebat, ita respondit. Et expellit ipsum Alexander ex Ecclesia: expulsitque cum ipso magna multitudo.* Scimus præterea quum ne sic quidem Arius desisteret, Alexandrum scripsisse ad alios Episcopos. Theodoretus libri primi capite tertio. *Alexander Alexandriæ Episcopus, quum videret Arium ambitionis æstu incensum furere, & eos quos pestifera in Deum blasphemia irretierat, in vnum cogere: conuentus præterea separa-*

tum celebrare, tum impiã blasphemiam Ecclesiarum præsidibus per Epistolas significauit. Et quidem earum Epistolarum vnam Theodoretus recenset integram: nec eam ad Romanum Episcopum, sed ad Alexandrum Constantinopolitanum. Quis miretur ergo, si ad omnes scripsit Episcopos, scripsisse ad Romanum? Aut quid hoc maioris habet prærogatiuæ, quàm quod ad Philogonium Antiochenum, Eustathium Berœensem, & alios? Imò quis non miretur, si potissimum Syluester sit interpellatus, eius interpellationis ne tenuissimum quidem vestigium exstare apud veteres illos, quibus omnia penè diuitim explorata, relata fuere, & extare tamen eorum interpellationes, qui, si credimus Baronio, laruæ erant præ Syluestro? Certè si coniecturis locus, multo probabilior illa, quæ Alexandrum Constantinopolitanum dixerit præcipuè consultum: non illa quidem certa fateor, sed longè verisimilior eâ quæ Siluestrum dicit, quem nusquam omnino consultum notauit historia.

X. Sed haud par est Syluestrum quieuisse. Admitto: nam ne Constantinopolitanum quidem, aut Antiochenum, aut Berœensem, mihi omnes Baronij persuaserint in vtramque aurem dormisse. Sed quid igitur egisse? Osium misisse legatum in Ægyptum, & in Orientem; vt populos reuocaret in Ecclesiam. Et paragrapho octogesimo octauo anni trecentesimi decimi octaui. *Misit tunc Osium Episcopum Cordubensem Siluester Papa legatum in Orientem, qui primum omnium Constantinum agentem in Bithynia conueniret: cuius quoque auxilio, acceptis ab eo literis, tum illis in ÆGyptum proficiscens, vel aliò, vbi opus esset, excitatum per Arium incendium posset extinguere.* Propudium hominis! Nam quis finis comminiscendi, fingendi, mentiendi, tandem futurus est? Hosius vt legatus fuerit Romani Episcopi? Nondum: nondum ille in tantum fastum exiuerat, vt è collegis suis, suos legatos faceret. Postremò: da testem: vel vnum: & viceris. Sed non potest: itaque vertit se ad coniecturas: id est, ad meras nugas.

XI. A quo ergo missum dicemus, virum tanti nominis; legatum ad Imperatorem? & Alexandriam ad Alexandrum? & cum tanta autoritate; vt Synodum habuerit generalem? Atqui nullius legatum agebat Osius apud Imperatorem: sed erat gratissimus, vir alioqui magnus, & pater honoris gratia ab Athanasio subinde cognominatus. Hunc Imperator suo propriòque motu misit in Orientem, vt turbas compesceret. Nicephorus libro octauo capite duodecimo. *Eius rei gratia, virum & vita & doctrina insignem praeditum, qui quum aliis in rebus praeclarus esset, tum in tuenda fidei professione paulo ante magnam sibi gloriam comparasset, quique in maxima apud Imperatorem veneratione & honore præcipue esset, nemine Osium, ciuitatis Cordubæ in Hispania Episcopum, ex omnibus familiaribus suis delectum, cum literis ad eos, qui in Ægypto inter se dissidebant, conciliandos, & ad concordiam reducendos: & item ad eos, qui in Oriente, Ecclesiis aliis se Paschalis die celebrando nõ accommodabant, ad consentientes nobiscum ceremonias pertrahendos, misit.* Habuit Nicephorus ab Eusebij libro secundo de vita Constantini capite sexagesimo secundo: Socrate libri primi capite quarto: Sozomeno libri primi capite decimoquinto. Et miretur Baronius Osij tantam autoritatem, vt Synodum conuocaret? Quasi non & suo nomine, in Ecclesiis magno, & autoritate Imperatoris fretus id potuisset? Audito Binium in historia Concilij Niceni: *Alexander* (nempe Alexandrinus) *datis ad Constantinum Imperatorem literis, pium principem etiam atque etiam obtestatus est, vt Arianæ incendij flammas, quæ plus nimio grassabatur, sua autoritate restingueret. Qui misso in Aegyptum Hosio Cordubensi Episcopo, cum res æquissimè componere conatus esset.*

XII. Sed hæc παρέργως: nunc αὐτὰ τὰ ἔργα. Visum est Episcopo Romano opus esse Concilio: & persuadet Imperatori. Fabulæ, vt reliqua. & somnia Baroniana. Nam hoc sollemne quæro, vnde habeat. Nam etsi Cardinalis sit, imò si Papa esset, numquam à me obtineret, nunquam à quoquã sanæ mentis; vt quidlibet in historia diuinaret. Nemo vnquam dixit apud veteres, primos Concilij cogendi motus fuisse à Siluestro. Eos Epiphanius Alexandro Alexandrino tribuit, in Meletianis: τοῦ αὐτοῦ Ἀλεξάνδρου τοῦ ἀγίου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας ὑπομνησθέντος, καὶ κινήσαντος τὸν μακάριον Κωνσταντῖνον, συνεκροτήθη σύνοδος ἐν τῇ Νικαίᾳ. *Idem Alexander sanctus, Alexandriæ Episcopus, rei Christianæ curam gerens, & beatum Constantinum commouit, & Synodum in vrbe Nicæa conuocauit.* Si vertit Cornarius, non omnino rectè: sed ne textus quidem Græcus mendo carere videtur: facilè restituendus, si legas, συνεκροτήθη σύνοδος, *coacta est Synodus.* Sed primos illos eius cogendæ motus nemo vnquã tribuit Siluestro præter Baroniũ, & qui hunc sequuti præeuntem: in quibus Binius non tantũ consilium, sed autoritatem Siluestro tribuit.

XIII. Bellarminus de Conciliis capite decimo tertio libri primi notat in sexta Synodo, actione decima octaua legi Constantinum & Syluestrum magnam Synodum apud Nicæam congregasse. Et in Pontificali Damasi, cum Siluestri consensu habitũ esse in Nicæa Concilium. Et apud Ruffinum historiæ libr. primo, capite primo, Constantinum ex sententia Sacerdotum Concilium indixisse. Verùm sexta illa Synodus, annis post Nicænam trecentis, & quod excurrit, celebrata, non videtur opponenda tanto consensui omnium, qui eam præcesserunt: imò ne comparanda quidem testibus αὐτόπταις. Damasi siue Anastasij potius verba, & Prosperi, nihil ad rem. Neque enim dubitem Siluestri consensu conuocatam Synodum: ac ne aliorum quidem: Vnde Ruffinus Sacerdotum sententiam dixit, non Sacerdotis. Sed nos de autoritate congregandi disserimus. Non est autem consequens: si Syluestri consilio, consensu, sententia Synodus sit facta, etiam congregatam esse eius autoritate.

XIV. Post Nicænam longo tempore nulla celebrata est verè Oecumenica. Nihilominus sæpe tentata, ob vehementissimas tempestates, quæ continuo Ecclesiam concutiebant. Itaque quamuis non successerit, tamen institutum id erat, vt conuocaretur Oecumenica Synodus. Debebat ergo sese illa Oecumenica autoritas exserere. Quid igitur actũ? Auditæ-ne Põtificis de indictione Bullæ? Bullę. Ne nomen quidem. Sardicensis in literis Synodicis, apud Theodoretum libro secundo, capite octauo, à quo sit conuocata, ipsa testatur. *Diuinissimi illi Imperatores, iuuante Dei gratiâ, nos ex variis prouinciis, & ciuitatibus congregarunt, & hoc sanctum Concilium Sardicæ cogi statuerũt.* Socrates libro 2. capite 16. Κηρύττεται αὖθις οἰκουμενικὴ σύνοδος, ὡς ἐπὶ τὴν Σαρδικήν, πόλις δὲ αὕτη Ἰλλυριῶν, γνώμῃ τῶν δυοῖν βασιλέων. *Indicitur iterum Oecumenica Synodus Sardica, (vrbs ea est Illyricorũ) decreto duorũ Imperatorũ.* Nicephorus lib. 9. cap. 12. *De duorum Imperatorum illorum sententia statutum, vt vtriusque Imperij Episcopi ad diem*

ad hi certum Sardicam, quæ Illyrica ciuitas est, conuenirent.

XV. Contrà tamen Bellarminus. Sardicense Cócilium à Iulio Romano indictū fuisse, potest intelligi ex Socrate lib. 2. cap. 16. vbi Oriētales culpam absentiæ suæ in Iulium conferunt, eo quod nimis angustum tempus præscriptum esset.

XVI. Respódeo, leuissimū esse argumentū. Quid enim? an quia Orientales cóqueruntur de temporis breuitate, eiusq; in Iuliū culpá cóferunt, ideò necesse est Iuliū indixisse Cócilium? Hoc quidē quib' pertinaciter argumētis nó video. Primū, tam falsò potuerūt Oriētales culpā cóferre in Iuliū, quàm falsò cóquesti sunt de tēporis breuitate, idē Socrates docet, & Theodoretus. Secūdò, potuit alio modo breuitatis eius causa esse, quā cóuocando: videlicet instando, vt Imperator ad eam dicendi certe quemadmodū Marcianū Leo rogabat, vt in aliud tēpus differret: cum si Marcianus obrēperasset, potuisset merò dierū eo causa dilationis: etsi Concilium nó conuocasset. Deniq; hęc tenuis est coniectura: vtilis fortasse, si cóntrà desint certa argumenta. Sed cóntra multa diserta; testimonia, qui tenues coniecturas aucupatur, is profectò abest à bona mente.

XVII. Paulò póst, apud Socratē lib. 2. cap. 29. [illegible] In Italia cógregati sūt Episcopi Oriētales haud ita multi. Occidentales verò vltra trecentos. Erat autē mandatū Imperatoris, vt Mediolani fieret Synodus. Iam, cū hæc nó successisset, non destitit tamen Imperator ab incepto: imò [illegible] Voluit Oecumenicā Synodum cogere: vt Oriētales in Occidétē pertractos, omnes, si posset, in cōsensū adduceret. Verū, cùm cōsideraret itinerum difficultates, [illegible] imperauit vt in partes duas Synodus diuideretur, [illegible] Arimini quidē in Italia, eos qui iā aderant, conuenire permisit: eos autem qui in Oriente, per literas iussit cóferre se Nicomediā Bithyniæ. Iubet ergo Imperator congregari Synodū, & quidem intra Italiā: ac penè dixerim, tantùm non Romæ. Mirum, nullam rationem haberi Oecumenici Pontificis! si quisquam erat. Sed profectò non erat.

XVIII. Deinceps cogitur secundū Conciliū Oecumenicū, Cōstantinopolitanum. Sozomenus lib. 7. cap. 7. *Breui: Conciliū Episcoporū sibi consententiū cóuocauit,* [illegible]cet Imperator Theodosius. Socrates lib. 5. cap. 8. *Imperator, nulla mora interposita, conciliū Episcoporum ipsius fidem amplectētiū, conuocat.* Nec aliter Nicephorus lib. 12. ca. 10. Ipsi Episcopi ad eūdē Imperatorem scribunt, [illegible] *Congregati Constantinopoli, iuxta rescriptum tuæ pietatis.*

XIX. Intertator Bellarminus, *Cócilia Episcoporū, iussu quidē interdū Imperatorū congregata fuisse, sed in executionē mandati summi Pōtificis.* Verba sunt ex Responsione ad Apologiá pro iuramento fidelitatis. Et hīc refert ad Theodoretū, Theodosium nō tam id Concilium indixisse, quā literas Damasi, quibus indicebatur, ad Episcopos misisse. Sic enim scribere Episcopos congregatos ad Damasū: *Mādato literarū, superiore anno à reuerētia vestra ad sanctissimum Imperatorē Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim vsque nos præparauimus.* Ergo Theodosius indixit mandato Damasi. Extāt literæ apud Theodoretum lib. 5. capite nono.

XX. Imò, inquā, Theodoretus disertè asserit Cōcilium ab Imperatore esse cóuocatum, lib. 5. cap. 7. [illegible] Quorū verborū cùm sensum peruerterit Christophorsonus, ego sic verto, *Hanc ob causā*, nimirum quod ea pars Imperij quę ad Oriētē spectabat, Ariana peste valde laboraret: hāc, inquā, ob causam Theodosius, *proprij sui Imperij duntaxat Episcopos Cōstantinopolim cóuenire mandauit.* Quæ autem citantur à Bellarmino: primò, nō pertinent ad hoc Oecumenicū Conciliū: sed ad alterū anno sequente cógregatum ibidē. Sic enim disertè monet Theodoretus, *Sequēti æstate* (inquit) *quū plerique eorum ad eandē vrbē denuo regressi (necessaria enim Ecclesiæ negotia eos illo reuocauerāt) Epistolā à Cócilio Episcoporū in Occidēte coactorū accepere.* Non erat igitur eadē, quæ priùs, cōuocatio: nō idem numerus. Deinde iis verbis non significatur id, quod cēset Bellarminus. Apponā Græca: à quibus aliquantulū Christophorsonus discessit, & Bellarmino imposuit: si tamen imposuit: & nō potius Bellarminus, sciēs volēs, quālibet ansam arripuit lectores decipiendi: [illegible] *Cōuenimus Cōstantinopolim, ex literā anno præterito à reuerentia vestra post Concilium Aquileiense datā ad piissimū Imperatorē Theodosium.* Hīc mihi nota: primò, eas literas esse datas à Damaso: imò non à Damaso, sed ab Episcopis Occidētalibus: nā ad eos scribuntur hæ literæ Orientalium. Itaq; si quod mādatum esset, si quę conuocatio: cur Damaso soli tribuatur? An est, vt in prouerbio, *Leonina societas?* Ergo esse datas, nō ad Episcopos, quomodo solent tractoriæ: sed ad ipsum Imperatorē. In iis potuit sanè Imperator rogari, vt alias sæpè, vt Episcopos cōuocaret: sed mandatū fuisse cōuocandi, id verò persuadeant Sophistæ iis qui victitant lolio. Secundò, iuxta eas literas accurrisse Cōstantinopolim eos Episcopos, hoc altero anno, cū eò redirent: non cùm conuocaretur Oecumenica illa Synodus. Tertiò, peccatum aduerte Christophorsoni, qui illud [illegible], vertit, *mandato literarum.*

XXI. Proximū est Ephesinum Oecumenicū. Euagrius lib. 1. cap. 3. Cyrillus, cùm dogmata Nestorij refutasset, Nestoriusq; eius scriptis reluctaretur, [illegible] *meritò postulauit, mandato Iunioris Theodosij, qui Oriēti imperabat, primā Ephesinā Synodū cōgregari.* Sed quid alios testes corrogē: Instar sit omniū ipsa illa Synodus, quę in actis, quoties se congregatā meminit, toties Imperatoris autoritatē agnoscit: nusquā verò, nusquā, inquam, Romani Episcopi. Editio Græca Canonū, [illegible] *Sancta Synodus, cōgregata decreto piissimorū Imperatorum, Episcopis per singulas prouincias, atq; vrbes.* Ad Imperatores ipsos, [illegible] *Sancta Synodus, quæ Dei gratia, vestrique Imperij decreto, coacta est in Ephesiaa Metropoli.* Et rursus ad eosdē per Eutychen diaconū, [illegible] *Et nunc, & iterum alijs literis, eadem certò cognita sunt sanctæ Synodo, quam cogi vestrum iussit Imperium.* In relatione ad eosdem, de depositione Nestorij, [illegible] *Non sprerent vestrum Imperium Ecclesias perturbatas, adulteratamque fidem,*

veraq; religionis dogmata. Verum ex omni Metropoli vestra misit pietas congregari plurimos Episcopos Metropolitanos.

XXII. At Bellarminus. Prosper in Chronico indicat Synodū Ephesinam factam esse Cyrilli industria, & Celestini autoritate. Constat etiam ex Euagrio, libri primi cap. 4. & ex epistol. Celestini ad Cyrillum, & ex Photio in libro de septem Synodis, Cyrillum profectum esse ad Synodum, tanquam legatum Apostolicæ sedis: quod argumentum est certum, eam Synodum, non sine consensu Pontificis coactam esse.

XXIII. Sed quorsum ista? Non enim thesis est, vtrum Celestinus consenserit cōuocando, aut potius cōuocato Cōcilio. Sed vtrum ipse conuocauit. Nisi fortè ita ἀναιδεῖς sunt Papistæ, vt nolint persuaderi, nō conuocata Cōcilia à suis Pontificibus: nisi ostēdamus non tantū ab Imperatoribus conuocata: sed etiam cōuocata, inuitis, reluctantibusq; Pontificib⁹. Cæterū enim in actis notatur Flauianus Philippēsis locum tenuisse Rufi Thessalonicēsis. Quid-ni ergo similiter dicam, id argumentum certum esse, non sine consensu Rufi Concilium conuocatū? Quid igitur? voluntne vt concludam, conuocatum à Rufo μὴ πω τι νενοήθ' ἦλιν κακίς.

XXIV. Sed in Prospero, quāta est impostura? Nā is de Concilio sic agit, *Basso, & Antiocho Cōsulibus, cōgregata apud Ephesum plus ducentorum Synodo sacerdotū, Nestorius cū hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum sibi dogma iuuabant, damnatur.* Hic nullā audis Celestini autoritatē. Quid igitur? Vide κακοήθειαν. In anno 431. hæc Prosper annotauit, *Huic impietati* (Nestorianā intelligit, de cuius origine dixerat) *præcipua Cyrilli Alexādrini Episcopi industria, & Papæ Celestini repugnat autoritas.* En Bellarminianam fidē! Atqui, resistere improbitati Nestorianæ, non est conuocare conciliū. Nam restitit etiā Cyrillus: qui tamē non conuocauit: tantū, vt diximus, rogauit connocati: & rogauit ab Imperatore, non à Celestino, cuius locum tenebat. Itaque obserua, Prosperum cùm agit de conuocato Concilio, Celestini autoritatem nullo loco nominare: cùm autem nominat autoritatem Celestini, tūnō agere de conuocato Cōcilio.

XXV. Post Ephesinum istud Conciliū, Eutyches, haud ita multo tū annorum interiecto spano, nouas turbas mouet, facessit Catholicis negotium. Vidit Leo Romanus necessariū esse Conciliū. Quid igitur ille? Indixitne? Minimè verò: etsi non deesset animi elatio, & sedis exaltandæ cupiditas. Sed non indixit. Imò postulat, & multa precibus postulat ab Imperatore. Quomodo ante eum Liberius scripserat Constantio, *Non Athanasij tantū negotiū, sed multa alia in mediū venerant, propter quæ Conciliū fieri, mansuetudinē tuam fueram deprecatus.* Et iterum, *Ad exorandā mansuetudinem tuam, vt beneuolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem, & coepiscopum meum sanctū virum Luciferum, cū Pancratio cōpresbytero meo, & Hilario diacono placuit proficisci: quos credimus, declementia tua, ad pacē omnium Ecclesiarum Catholicarum, non difficulter posse Concilium impetrare.* In epistola ad Hosium apud Baronium anni 353. paragrap. 19. *Qui meciū religiosissimū Imp. Cōstantium fuerant deprecati, vt iuberent, sicuti ipsi placuerat dudum, Cōcilium Aquileiense congregari.* Ergo similiter Leo, non ipse Episcopos conuocat: sed rem defert ad Imperatorē, & quantis potest precibus contendit, vt ipse iubeat Conciliū fieri. Quantò distans spatio à postremis Pōtificibus Romanis: qui neque ipsi in animum primi inducunt suum cōuocandum Conciliū: & Imperatores, quibus hanc voluntatem Deus instillat, multis instantissimisq; precibus patiuntur apud se id agere. Et tandem, imò vix tandem, extorquere? Sed ergo Leo Epistola nona ad Theodosium, *Vnde si pietas vestra suggestioni, ac supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam haberi iubeatis Episcopale Concilium, citò, auxiliante Deo, poterunt omnia scandala resecari.* Hæc Leonis erant illius, quāto spatio distātis à Paulo tertio, apud quē oportuit Carolum quintum imperatorem, vel sanguine sudare, vt Tridentinū obtineret? Alphonsus de Castro aduersus hæreses lib. 7. hæresi 3. de Gratia, *Paulus huius nominis tertius, summus totius Ecclesiæ Pontifex, procurante Carolo Cæsare, huius nominis quinto, generale Concilium congregauit Tridenti.* En terùm vices!

XXVI. Leonis suggestionibus, sine precibus, quæris quantum detulerit Imperator? Hoc tantū, vt cogeretur Concilium. Sed vt in Italia, minimè. Indixit enim Ephesi. Ipse Leo epistola 12. ad eundē Theodosium, *Pietas vestra, ut in honorem Dei religiosissima, Catholicam diligit veritatem, apud Ephesum cōstituit Synodale Concilium.* Nicephorus libro 14. capite 47. *Hi ambo,* Chrysaphius Eunuchus, & Dioscorus Episcopus, *Theodosium permouent, vt alteram Ephesi Synodum, quæ Eutychetis, & Flauiani causam disceptaret, celebrari iubeat.* Et in actis, quæ interuntur Concilio Chalcedonensi, actione prima. Theodosius, & Valentinianus ad Dioscorum, *Sancimus in vnum sanctissimos, & Deo placitos conuenire viros.* Iidem ad Elpidiū comitē sacri consistorij: atq; ad Procliū proconsulē Asiæ, *Secundam hanc in Ephesso fieri Synodum sancimus.* Acta ipsa, *Synodo congregata in Ephesso Metropoli, ex præceptione religiosissimorum, & Christianissimorum, Deo amicissimorum, & amantium Christum imperatorum.* Ex his liquet, quàm parum Romano Episcopo liceret in hoc negotio: cùm ex duobus petitionis capitibus, nimirum vt indiceretur Concilium, & indiceretur intra Italiam: illud tanmm impetratū sit, alterum denegatum: nominata Ephesō, immane quantā terrarum mariumque intercapedine discreta ab Italia. Erat enim non tantùm extra Italiam, sed ne in Europa quidem: quia potius ferè in extrema Asia. Atque hīc tu tibi ob oculos pone, nostrorum temporum historiam. Postulauit Carolus Quintus ab Episcopo Romano Synodum indici intra Germaniam. Agnoscin' παλινῳδίαν, vt quod olim ab Imperatore Papa: hoc nunc à Papa postulet Imperator? Et tamen indicta est Tridenti Synodus. Tridentum autem in Italia. Iam sunt ergo pares: postulauit olim Papa: nunc postulauit Imperator: repulsam tulit olim Papa, repulsam tulit nunc Imperator. En vices rerum!

XXVII. Non benè successit hæc Synodus Ephesi secundò congregata: omnibus miserè in ea perturbatis, & per vim gestis: impotenter dominante Dioscoro: hæreticis, latronū in morem, grassantibus: vnde ληστρικὴ nomen. Denique fides grauiter læsa, probato Eutyche, Dioscoro damnato? Quid hic Leo? ille, si credimus, Oecumenicus Pontifex ille, de cuius nutu pendere debebant omnia Ecclesiastica? Rursus ad preces. Et preces quidem hoc humiliores, quo intentiores: epistola vigesima tertia ad Clerum, & plebem Constantinopolitanæ vrbis, *Et quoniam oportet vos, post diuinum auxilium, etiam Catholicorū principū gratiā promouere, humiliter, ac sapienter exposcite, vt petitioni nostræ, qua plenariā indici Synodū postulami⁹, clementissim⁹ Imperator dignetur annuere.* Et 24. ad ipsum Theodosium, *Omnes partium Ecclesiæ nostrarum, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus, & lacrymis supplicant sacerdotes, vt generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari.* Et vigesima sexta ad Pulcheriā Augu-

Augustam, postquam dixisset se ad Imperatorem scripsisse, vt Synodus in Italia haberetur, *Quod vt obtinere mereamur*, inquit, *probatissima nobis fidei pietas tua, quæ labores Ecclesiæ semper adiuuat, supplicationem nostram apud clementissimum principem dignetur asserere.* Deniq; Liberatus Breuiarij capite duodecimo, *Leo audiens legatorum suorū suggestionē* (eorum scilicet, qui Ephesi adfuerāt) *& Theodoreti querelas suscipiens, literis Theodosium Imperatorem, & Pulcheriā Augustam rogat, vt fieret intra Italiam generale Concilium, vt aboleretur error fidei per violentiam Dioscori factus. Valentinianū autē Imperatorem, & Eudoxiam vxorē eius, ad memoriam beati Petri cum multis Episcoporum, genibus prouolutus, Romanus Pontifex deprecatus est, vt Imperatorem Theodosium hortarentur, aliam fieri Synodum.*

XXVIII. Quid factum? Nam, quem nō moueret tantæ fidei, tanta deiectio? Sed frustrà fuit, quandiu Theodosius fuit: qui nullo pacto voluit consentire, vt aliud Conciliū fieret præter Ephesinum illud, [illegible] vt testatur Antoninus historiæ parte 3. titul. 22. capite 13. Leontius de Sectis Actione quarta, [illegible Greek] Valētinianus, cui Leo Papa molestus esset, *Theodosio minori scribit, Synodum haberi iuberet, in qua agnosceretur, recténe Dioscorus, an male iudicasset. Rescribit Theodosium autorem se alterius Synodi nequaquam futurum.* En tibi summam Oecumenici Pontificis autoritatē! Imò, en temporum miram mutationē! Is ipse, qui ab Imperatore supplex Conciliū postulabat, tum ipse per se, tum per intermedios Valētinianum principem, & Pulcheriam Augustam, nec impetrabat: is, inquam, hoc nostro seculo vix exorari potuit ab Imperatore, vt saltem Concilij conuocaret: & cùm promisit, vir scilicet bonus, tamen, & locum, & tempus suo reseruauit arbitrio. Ita hodie Imperatores deiecti sunt in ordinem Episcoporum: Episcopi Romani elati in solium Imperatorum. Et non sufficient hæc sceleratæ audaciæ indicia? Imò non indicia, sed plenæ demonstrationes?

XXIX. Obijt diē Theodosius: Marcianus imperat. Tandem, siue Leo instaret, siue ipse à se Imperator moueretur: indicitur Synodus Oecumenica. A quo? Ab Imperatore. Vbi? Primū Nicææ: sed deinde mutato consilio Chalcedone, non in Italia. Quando? die dicta ab ipso Imperatore, etiam si deprecaretur Papa. Liberatus cap. 13. *Cùm Marcianus Imperij culmen fuisset adeptus, pro illa pace, & principum Romanorū petitione, vniuersale Conciliū in Nicæa congregari iussit: vbi occurrentibus sexcentis triginta Episcopis, & eis sedentibus, legati Papæ Leonis Marcianū petierunt, vt suam præsentiā præstaret Cōcilio: alioquin ipso absente, ipsi ad Conciliū non occurrerēt. Et ita iussit Imperator Synodum trāsferri Chalcedonā.* Leontius, [illegible Greek] *Theodosio mortuo, Marcianus imperio potitur, statimq; generale Conciliū Chalcedone haberi mādat.* Sed testetur ipse Leo, vnus instar omniū. Epist. 43. ad Marcianū, *Poposceram quidē à gloriosa clementia vestra vt Synodū quam ad reparandam Orientalis Ecclesiæ pacē, à nobis etiam petitam, necessariam iudicastis, aliquantisper differri, ad tēpus opportunius iuberetis, vt liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoq; Episcopi, quos hostilitatis metus detinet cōuenirent. Sed quia pro studio humanis negotijs diuinā præponitis, ego etiam vestris dispositionibus nō renitor.* Chalcedonensis ergo Synodus, adeò nō est ab Episcopo Romano dicta: vt ne id quidē, quod erat in tanto negotio leuissimū, eius fuerit, aut arbitrio permissum, aut precibus concessum: nempe locus, & pauci tēporis dilatio. Porrò acta sic habent, *In ciuitate Chalcedonensi metropoli prouinciæ Bithyniæ facta est Synodus, ex decreto piissimorū Imperatorū Valentiniani, & Marciani.* Lege Farraginem Conciliorum editā Lutetiæ anno 18. supra seculum decimum sextum: & mirare, *Sancta, & magna, & vniuersalis Synodus, quæ per gratiam Dei,* [illegible Greek]*, & præceptum piissimorū, & Christianissimorū Imperatorū, Valentiniani, & Marciani Augustorū congregata est in Chalcedone metropoli prouinciæ Bithynorū, in Ecclesia sanctæ & Victricis martyris Euphemiæ, hæc definiuit.* Quid opus multis? Valentiniani, & Marciani literæ ad omnes Episcopos sic habent, *Quia dubitationes quædam circa Orthodoxam fidē motæ sunt, sicut indicant, & literæ sanctissimi Archiepiscopi,* [illegible Greek] *felicissimæ Romæ Leonis,* [illegible Greek]*, Placuit nobis proprio sanctum Concilium fieri in Nicæa Bithyniæ ciuitate.*

XXX. Hæc etsi sunt luce meridiana magis perspicua, tamē nō desperauit Bellarminus infuscari posse. Marcianus Imperator epistola ad Leonem, præfixa actis eius Synodi, scribit, vt ipse veniat, & Concilium faciat: vel, si nolit venire, per literas significet, quid agi velit: & concludit, se scripturum ad Episcopos omnes, vt ad certum locum conueniāt. Episcopi secundæ Mœsiæ ad Leonem Imperatorē, *In Chalcedonensium ciuitate multi sancti Episcopi cōuenerunt per iussionem Leonis Romani Pōtificis, qui verè est caput Episcoporum.* Gelasius ad Episcopos Dardaniæ, dicit solā Apostolicam sedem, vt Synodus Chalcedonēsis fieret, sua autoritate decreuisse: per eam vocem *solam*, excludens alias sedes Episcopales. Non enim sedes Alexandrina, vel Antiochena, vel Hierosolymitana, sed sola Romana, eam Synodum fieri voluit.

XXXI. Atqui nemo tam nullius cerebri repetiatur, qui his tā leuiculis coniecturis cōmoueri queat, vt fidē iis deroget, quæ protulimus. Scribit Marcianus ad Leonē, vt veniat, & Conciliū faciat. Imò, inquā, vt Concilium celebret, *Superest, vt si placuerit tuæ beatitudini in his partibus aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur.* Atqui venire, & celebrare, non significant indicere, cōuocare Conciliū: sed potius ad indictū, cōuocatūmq; se trāsferre: quomodo omnes Episcopi cū præsentes sunt, celebrant Concilium. Sed enim Græcè, [illegible Greek]. Nimirum, ne sua absentia Synodus imperfectior esset. Quid hoc ad rem? Poscit, si nolit venire, vt significet quid agi velit. Imò hoc falsū, *Si verò hoc onerosum est, vt in ad has partes aduenias: hoc ipsum nobis propriis literis tua sanctitas manifestet: quatenus in omnē Orientem, & in ipsam Thraciā, & Illyricū sacra nostra literæ dirigantur, vt ad quendam definitum locū, vbi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant cōuenire.* Hoccine verò est, vt Leo significet, quid agi velit? Credo, Iesuitis, at non cuiquam bonæ mentis.

XXXII. Ex literis Episcoporum secundæ Mœsiæ descripsit Bellarminus, quod libuit. Ego amplius, *Multi sancti Episcopi cōuenerunt per iussionē Leonis Roman. Pont. qui verè caput est Episcoporum, & venerabilis sacerdotis, & Patriarchæ Anatolij, Concilio celebrato.* Vbi vides iussionē, nō solius Leonis, sed etiā Anatolij. Itaq; si, iussio significat cōuocationē: tam Anatolius cōuocauit, quàm Leo. Atqui falsū Anatoliū conuocasse. Ergo iussio nō id significabit. Quid ergo? nempe eos Patriarchas acceptis literis ab imperatore, scripsisse ad omnes Episcopos suæ ditionis, vt se in vnum darent. Nam & hoc fieri iubebat Imperator. Ita legis in Sacris missis quacunque, *Vnde tua sanctitas cū quātis approbaueris venerandissimis Episcopis sub suo sacerdotio*

et institutis sanctarum Ecclesiarum: expertis habentibus diuinas Scripturas, & in scientia, & doctrina Orthodoxa & vera fide præ cunctis eminentibus, aduenire festinet. Sensus est igitur ad Synodum indictam ab Imperatore, venisse Episcopos ex omnibus prouinciis iussos à suis Patriarchis.

XXXIII Gelasij verba sunt, *Dioscorum secundæ sedis præsulē sua autoritate dānauit: & impiam Synodū, non cōsentiendo submouit sola: & autoritate, vt synodus Chalcedonensis fieret, sola decreuit.* Quorū verborū autorē rectè Magdeburgēses mendacij arguunt. Certè enim tripliciter mentitus est. Nam neq; autoritate Romana sola, Dioscorus damnatus est; sed Synodi Chalcedonensis. Neq; Synodus [illegible] facta, aut eius autoritate sola: aut etiā omnino autoritate. Nā quomodo: cùm præter lacrymas nihil attulerit? Lacrymas, inquam. Testis Galla Placidia ad Theodosiū, *Verbis permiscēs lacrymas ad communionē sui fletus, nostros quoq; gemitus prouocauit.* Denique, vt Chalcedonensis Synodus conuocaretur, effecit quidē: at non autoritate: sed precibus: & quidē multum diu etiam irritus. Nam, quod excusat mendacium Bellarminus, quasi se à reliquis Patriarchis tantū voluerit separare: quid ad me? Nam etsi non collaborarint ei reliqui: tamē sua id ipse autoritate non perfecit. Sed nihil mirum: nam tota illa epistola ad Dardanos, & altera ad Anastasium, impotentissimæ arrogantiæ sunt plenissimæ: ac vix habent quicquam, quod Christianam redoleat modestiam, aut sinceritatem.

XXXIV. Sic igitur Bellarminus. At Baronius suo more deprauat historiam, paragrapho 5. anni 451. Agi (inquit) cœptum de Synodo vniuersali cogenda: quod quidem magna industria, summaque diligentia à Leone Romano Pontifice Marcianus Imperator expetiit. Miram verò, subitamq; rerum mutationem, vt id à Leone Marcianus exambiret, ob quod idē ipse Leo supplex factus sit Theodosio, & frustrà. Quis Baronio accredat nullis nixo testib.? Scilicet nihil aliàs mentitus est, nihil audacter, aut etiam impudenter cōmentus. Habemus literas Valentiniani, & Marciani Imperatorum ad Leonem, in tomis Conciliorū: & hæc in iis, *Inuitantes, atque rogātes, vt pro firmitate, & statu nostri Imperij, æternam diuinitatē, tua sanctitas deprecetur, vt & tale propositum, atq; desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum, te autore maxima pax circa omnes Episcopos fides Catholica fiat.* Ad hæc verba, vti si respexerit Baronius, non facilè dixerim: sed possunt tamē quibusdam videri in eam partem inclinare, vt autor dicatur Leo faciendæ Synodi.

XXXV. Sed nō est ita. Nā Græca phrasis sic habet, [illegible], *Per hanc congregatā Synodū, te autore maxima pax circa omnes Episcopos fides Catholica fiat.* Vbi, vt mittam incertam Syntaxin: Cōgregatā Synodū te autore, vel te autore pax fiat, admoneo, τῷ αὐθεντεῖν, non significare autoritatem vllā in Concilium, siue conuocandum, siue temperandum: sed autoritatē in Concilio conuocatò, nimirū ius suffragij ferendi, & sic determinādi proposita negotia, cuius quidem iuris fundamentum erat ab Imperatoris permissu. Mentiar, nisi doceam Certè in prima Actione einsdem Chalcedonensis Concilij, post recitatas literas Theodosij, & Valentiniani ad Dioscorum Alexandrinum quibus subiicitur querela præsentium, de non recitatis in Ephesino Lestrico literis Leonis, Gloriosissimi *Iudices, & amplissimus Senatus dixerunt, Reuerendissimi Episcopi*, [illegible], *quibus autoritas tunc eorum quæ agebantur, ab imperiali data est clementia, dicant pro qua re Epistola sanctissimi Archiepiscopi Leonis non est recitata.* Et aliquanto ante in ipsis Actis Chalcedonensibus, *Dioscorus dixit, Comperit vestra clementia, quia non mihi soli sacratissimus Imperator commisit iudicium: sed & beatissimo Iuuenali, & sanctissimo Episcopo Thalassio*; [illegible], *autoritatem Synodi dedit.* Et sanè sic Theodosius scribebat ad ipsum Dioscorum, [illegible], *autoritatem, & primatum tuæ præbemus beatitudini*: quæ formula communis erat literis ad Iuuenalem Episcopum Hierosolymitanum: itaque apparet illud [illegible], in literis ad Leonem nihil aliud esse, quàm hanc ipsam [illegible] ei per literas Imperatoris concessam, iudicandi in Synodo de eadem causa: adeò vt nihil pertineat ad conuocationem Synodi, multò minùs ad Oecumenicarum.

XXXVI. Elapsum est à Chalcedonensi seculum integrum, antequam cogeretur quintum Oecumenicum, cui locus assignatus Constantinopolis. Qua autoritate? Euagrius libri quarti capite tricesimo octauo, *Iustinianus quintum Concilium conuocauit*, [illegible]. Nicephorus libri decimi septimi capite vicesimo septimo, *Imperator Iustinianus sanctam quintam Oecumenicam Synodum Episcopis Ecclesiarum omnium conuocatis, cogit.* Ipsa Synodus libello ad Imperatorem: *Piissimo, Christique amantissimo Imperatori Iustiniano sancta, & vniuersalis Synodus*, [illegible], *diuino nutu, decretóque piissima vestra autoritatis congregata.* Actione prima statim post nomenclaturam, [illegible], *eius Imperium sanciendum dignè iudicauit præsentes sanctissimos Episcopos de Italia, insuper etiam, & Deo amantissimos Archidiaconos sedis Apostolicæ, ac venerabiles Notarios, ac defensores ipsius Apostolicæ sedis antiquæ Romæ, qui huc venerant, & qui simul erant cum Agapeto, qui factus fuit Papa Apostolicæ sedis antiquæ Romæ, ac alios etiam omnes Deo amantissimos Episcopos congregatos ad vestram beatitudinem conuenire*, [illegible]. In sententia contra Anthymum, [illegible], *piissimus Imperator noster*, [illegible], *vestram beatitudinem, & nos omnes in vnum super ipso conuenire rectè faciens decreuit.* Notandum in fragmentis eius Synodi collectis à Binnio, statim initio, ex sexta Synodo, malè legi in Latina versione, *Sancta Synodus, quæ sub Augustæ memoriæ Iustiniano principe in Constantinopoli congregata est*: cùm Græcè sit, [illegible], quod sonat congregatam, non sub Iustiniano, sed à Iustiniano.

XXXVII. Quid plura? aut quorsum? Nihil enim disertius est literis ipsius Iustiniani Imperatoris positis statim initio eius Synodi, quo loco solent hodie poni bullæ Paparum conuocantium. In iis literis non tantùm decernitur conuocatio, sed etiam ius suum Imperator fulcit exemplis præcedentibus, vt nossent omnes nihil à se vsurpatum, non olim factum,

ctum non semper factum. Recito, *Semper studium fuit Orthodoxis, & piis Imperatoribus Patribus nostris pro tempore exortas hæreses per congregationem religiosissimorum Episcoporum amputare, & rectæ fidei sincerè prædicata, in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire. Quapropter, & Constantinus piæ recordationis, Ario blasphemante, & dicente: Non esse Filium consubstantialem Patri, sed creaturam: & ex non extantibus factum esse, congregauit Nicææ ex diuersis diœcesibus trecentum decem & octo sanctos Patres.* Paulò pòst, *Sed, & Theodosius senior piæ recordationis, Macedonio negante Deitatem Sancti Spiritus: & Apollinario, vel magno eius discipulo in dispensatione incarnati Dei Verbi blasphemantibus, & dicentibus sensum humanum non recepisse Dei Verbum, sed carni vnitum esse animam irrationalem habenti, congregatis in regia vrbe centum quinquaginta sanctis Patribus, cùm, & ipse particeps fuisset Concilij, damnatis prædictis hæreticis vna cum impiis eorum dogmatibus, fecit rectam prædicare fidem.* Postea, *Iterum Nestorio impio alium dicente Deum Verbum, & alium Christum, & hunc quidem natura Filium Dei Patris, illum autem gratia Filium impiè introducente, & sanctam gloriosam semper virginem Dei genitricem esse negante, cùm penè omnes Orientales partes sua impietate adimplesset idem Nestorius, Theodosius iunior piæ recordationis congregauit priorem Ephesinam sanctam Synodum, cui præsidebant Cælestinus, & Cyrillus sancti Patres.* Rursus, *Et post hæc iterum cùm Eutyches demens emersisset, negando consubstantialem esse nobis carnem Domini, multis interea motis, tàm Constantinopoli, quàm Ephesi, tanta pro illo facta est hæreticorum circumuentio, vt etiam occideretur propter eum Flauianus religiosæ memoriæ regiæ vrbis Episcopus. Piæ autem recordationis Marcianus congregauit Chalcedone sanctos Patres.* Habes historiam quatuor primarum vniuersalium Synodorum: à quibus exemplis ipse sibi animos factos testatur ad hanc, de qua loquebamur, quintam congregandam, *Cùm autem, ait, secundùm suam misericordiam Dominus Deus Reipublicæ gubernationem nobis credidit, initium, & fundamentum nostri imperij fecimus, coniungere diuisos sacerdotes sanctarum Dei Ecclesiarum ab Oriente vsque Occidentem.* Et aliquanto pòst, *Vocauimus vos ad regiam vrbem, hortantes communiter conuenientes, quam habetis probis voluntatem iterum manifestare.*

XXXVIII. Non possent Episcopi Romani magnificentius suam hodie causam orare. Atque adeò si possent, nunquam omitterent. Sed non habent tàm altè sua iura repetere. Et tantùm audias ad taoim inculcantes, quod non oblitus est Pelagius, si tamen is Pelagius est prædecessor Gregorij Magni, Epist. 8. *Generalium Synodorum conuocandi autoritas Apostolicæ sedi B. Petri, singulari priuilegio est tradita, & nulla vnquam Synodus rata legitur, quæ Apostolica autoritate non fuerit fulta.* Quanquam huius edicti, neque Canonem habeant, neque exemplum, nisi recentissimum.

XXXIX. Et hæc quidem hactenus Concilia celebrata intra sex prima secula: quibus necesse est viguisse disciplinæ ordinem, si quis vnquam ille viguit. Deinceps ambitio, quæ paulò priùs occultè fouebatur, in apertam prorupit æmulationem, summum locum æquè ambientibus, Romano, Constantinopolitanoque. Et illo quidem primo, saltem in specie modestius, vt videre est ex Epistolis Pelagij, & Gregorij primi, contra Ioannem. Sed tunc tamen cœpium vsurpari Oecumenici Patriarchæ nomen, primò quidem detestatum Pelagio, & Gregorio: sed his mortuis, & sibi procuratum diligenter à Bonifacio apud Phocam, & libentissimè acceptatum. Nam etsi primi Patriarchæ sedem iàm olim Romanus tenuisset vrbis merito: tamen sperabat Constantinopolitanus, quemadmodum ob Imperij sedem fuerat in Patriarcharum dignitatem euectus, sic Oecumenici titulum se assequuturum. Sed, vt dixi, vicit Romanus, declaratus non tantùm primæ sedis Episcopus, vt antea, sed etiam omnium caput, vt loquitur Sabellicus: siue vt ei omnes orbis Ecclesiæ obedirent, vt Naucletus. Quid ergo? Nunc saltem videri poterant vniuersalia Concilia, ex eius vnius decreto conuocanda, factùmne? Nondum.

XL. Nam in sexto Oecumenico Trullano. Actio. 1. hæc legas, *Conueniente sancta, & vniuersali Synodo, quæ secundùm imperialem sanctionem congregata est.* Rursus in eadem Theodorus, & Gregorius Presbyteri, & Ioannes diaconus vicarij Apostolicæ sedis antiquæ Romæ, nec non, & ij, qui ex persona Synodi eius erant, dixerunt Constantino Imperatori præsidenti, *Benignissime domine, secundùm directam sacram ab à Deo instructa vestra fortitudine ad sanctissimum Papam, demandati sumus ad pristina vestigia à Deo confirmata vestra serenitatis.* Et deinceps singulis Actionibus mentio repetitur Imperialis sanctionis. Action. 10. offertur libellus à quibusdam Episcopis, clericis, & monachis, *Sanctæ, & vniuersali Synodo, quæ per iussionem piissimi, & à Deo decreti domini nostri, & magni Victoris Imperatoris Constantini, nunc conuenit.* Actione 17. in definitione Orthodoxæ fidei, *Mansuetissimus noster Imperator, hoc sanctum vniuersale nostrum congregans collegium, totius Ecclesiæ adunauit compaginem.* Sed, & Leonis secundi testimonium habemus, epistola ad Constantinum Augustum insertæ actioni decimæ octauæ Synodi sextæ, *Cognouimus, quòd sancta, & vniuersalis, & magna sexta Synodus, per Dei gratiam, Imperiali decreto in regia vrbe congregata est.*

XLI. Sequitur septimum, id est, Nicænum secundum: cuius statim initio, *Conueniente sancta, & Oecumenica, hoc est, vniuersali Synodo, quæ per gratiam diuinam, piimque illorum Imperatorum sanctè orbem terrarum gubernantium decretum congregata est, in clarissima Nicensium Metropoli.* Item literæ Imperatoris, *Constantinus, & Irene fideles Romanorum Imperatores, diuina voluntate, & nostra gratia, iussuque sacrati nostri Imperij congregatis sanctissimis Episcopis in Nicæna Synodo.* Tum initio singularum actionum, disertè nominatur decretum Imperatorum.

XLII. Octauum superest, ordine quartum eorum, quæ Constantinopoli celebrata sunt, nono iam seculo, eoque plus quàm dimidio peracto. Rebus valdè inclinatis, labefactatisque mirum in modum Imperio Constantinopolitano: cùm iamdiu institutum esset aliud apud Gallos. Itaque in Epistola Adriani Romani ad Basilium Imperatorem legimus, [illegible] *Volumus per vestræ pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari concilium.* Quomodo apud præcedentes Imperatores nunquam actum fuisse comperias. Et tamen non à Papa, sed ab Imperatore coactum dicitur Concilium. In procemio actorum. [illegible] *Obsecundante, inseruientéque diuino consilio, ac decreto, magno Imperatore Christi amante, & diuino gubernatore Basilio. Qui Oecumenicam Synodum congregans, quæ visa sunt Spiritui Sancto piè adimpleuit.*

XLIII. Atque hactenus Oecumenicæ Synodi. Nam deinceps nullæ. Quæ enim à Papistis numerantur ab Episcopo Romano conuocatæ, ab hoc sunt albo expungendæ: cùm fuerint compositæ duntaxat ea Episcopis Latinis, excepta fortè Florentina, cui interfuerunt pauci Græci. Itaque confidenter prædicamus, nullam vnquam Oecumenicam Synodum esse conuocatam ab Episco-

Romano: vt erat nobis ab initio propositum. Vnde meritò Socrates in proœmio libri quinti historiæ Ecclesiasticæ, scripsit: Se Imperatorum propterea mentionem fecisse, *quòd ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt: atque adeò maxima Concilia de eorum sententia, & conuocata sunt, & adhuc conuocantur.* Cardinalis Cusanus haud absimiliter, capite vigesimo quinto libri secundi de Concordia Catholica, *Autoritas Concilij, non ita dependet à congregante, vt nisi à Papa congregetur, non sit Concilium: quia tunc omnia octo vniuersalia Concilia non fuissent firma, quoniam per Imperatores conuocata leguntur & Romanus Pontifex, sicut aliorum Patriarcharum, Diuales sacras iussiones, de veniendo, aut mittendo ad Concilium, recipit.*

X LIV. Atque adeò inde Hieronymus secundo Apologetico contra Ruffinum, cùm aduersarius in quadam Synodo damnatum dixisset Hilarium, *Responde, quæso,* inquit, *Synodum, à qua excommunicatus est in qua vrbe fuit. dic Episcoporum vocabula: profer sententias subscriptionum, vel diuersitatem, vel consonantiam doce, qui eo anno consules fuerint: quis imperator hanc Synodum iusserit congregari.* Negamus vllam fuisse Synodum varijs argumentis: inter quæ vnum est, quòd à nullo Imperatore fuerit conuocata. Papista Papā dixisset. Sed Hieronymus nō erat Papista: Ad cuius verba Erasmus obseruauit, vt debuit, Imperatoris iussu solitas esse olim Synodos cōuocari: quā ob causā inuehitur in eum seuerissimè Reatinus Episcopus, qui voluisset additum, Imperatores fuisse exsequutores Apostolicæ sedis, non autores talis rei. Impudéter: qui crediderit, tam nullam esse Erasmo religionem quàm sibi. Verùm hoc ingenium est hodiernorum Papistarum omnium.

X LV. Sed enim, quæ sic sigillatim à nobis demōstrantur, Bellarminus ἰδού, soluere conatur dupliciter. Prima solutio: posse hæc argumenta contemni: quia nos nolimus argumenta peti efficacia, ex traditione, aut consuetudine Ecclesiæ: sed solùm ex diuinis literis: cū tamē ista petantur ex mera traditione, & praxi Ecclesiæ, sine vllo Scripturæ testimonio.

X L V I. Atqui primò sumitur falsum: nos enim, absit, vt dicamus nunquam peti efficacia argumenta à traditione, siue praxi Ecclesiæ; sed duntaxat, cū agitur de dogmatis fidei. At conuocatio Conciliorū, non est dogma fidei; sed pars politiæ Ecclesiasticæ, in qua sufficit non conuelli articulos fidei, Scripturæve autoritatem. Secundò: etsi nos ita doceremos, tamen ea argumenta ex traditione minimè omnium ab iis essent reiicienda, aut contemnenda, qui traditionem exæquant Scripturæ. Quin potius etiam si nobis sint tantùm probabilia, illis, tamē necessaria esse debent, nempe ex eorum doctrinæ fundamēto. Deniq rectè Augustinus Epist. octogesima sexta ad Casulanum, *in his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt.*

X LVII. Secunda solutio: posse opponi consuetudinem consuetudini. Si enim quatuor, aut quinque Concilia Imperatores indixerunt, plura, quàm duodecim, Romanos Pontifices indixisse.

X LVIII. Respondeo, consuetudinem consuetudini præiudicare, antiquissimam nouissimæ: Itaque eam, cui nos innitimur, longè præferendam. Citauimus enim primorum, atque antiquissimorū Conciliorum conuocationem: cùm illi nulla habeant, nisi postrema. Deinde falsū est, nos quatuor, aut quinque tantùm Concilia enumerare: progressi enim sumus ad octauum vsque; quo nullum est Oecumenicum recētius. Etsi vix concedamus septimum, & octauum: digna eo nomine: certè, septimo oppositū fuit eodem ferè tempore Conciliū magnum in Occidente, à Carolo magno conuocatum, ex Gallia, Italia, & Germania, vbi Pseudosynodus Græcorum ista septima reiecta est. Verum, vtut sit, habētur pro Oecumenicis: & nostra quidem nihil interest λογομαχεῖν. Sed enim, quæ deinceps sequuntur, quinque Laterancnsia, Lugdunensia duo, Viennense, Florentinum, & Tridentinum pro Oecumenicis nunquam habebuntur ab iis, qui quid sit Oecumenicum didicerint.

X LIX. Post eas solutiones Bellarminus causas inquirit, cur non solus Pontifex Romanus indixerit Concilia. Et primam notat, quia vigebat adhuc lex Imperialis antiqua, quę prohibebat omnia collegia, & frequentes conuentus sine Imperatoris autoritate, ob metum seditionis. Secundam, quia non poterat fieri Conciliū, nisi in aliqua vrbe Imperiali: nulla autem ratio sinit, vt in aliquo loco ex toto orbe conuentus fiat, sine licentia domini eius loci. Tertiam: quia tum Concilia generalia fiebant sumptibus publicis, præsertim, quoad transuectiones Episcoporum. Quartam: quia eo tempore Pontifex in temporalibus subiiciebat se Imperatoribus: & ideò non poterat inuito Imperatore quicquam agere: & cùm tantùm debuisset petere auxilium ad conuocandam Synodum, vel permissionem: tamen, quia dominum suum temporalem agnoscebat, supplicabat, vt iuberet conuocari Synodum.

L. Respondeo, primò statim peccari in statu constituendo. Quærit enim, quare non solus Pontifex indixerit. Cùm omnino quærendum esset, cur non indixerit. Est enim demonstratum, Imperatorū literis factam indictionem: non verò Pontificum. Atque adeò non meminit Bellarminus se ipsum asseruisse, satis fuisse, si non dissensisset Pontifex, etiamsi consultus antè non fuisset. Secundò, omisit verissimam, certissimamque causam: nimirum, quia præter Imperatorem, nemo habebat autoritatem in omnes vniuersi orbis Episcopos. Nā Patriarchę suos fines habebant distinctos, intra quos multum poterant. Itaque conuocabant concilia particularia. Nec verisimile est, toties consultum fuisse Imperatorem, quoties Carthaginensis Concilia celebrauit. Ipse etiam Romanus liberè intra Italiam suos conuocabat.

L I. Quæ autem assignantur quatuor causæ, sunt ineptæ. Nam prima, & secunda, & quarta, si concedantur, necesse fuisset etiam particulares Synodos omnes conuocari ab Imperatoribus: quia & conuentus erant frequentes: & necesse erat fieri in aliqua vrbe Imperatoria, puta Romæ, Aquileiæ: Carthagini, Antiochiæ: & denique non solus Romanus, sed etiam reliqui omnes Episcopi dominū in temporalibus agnoscebant Imperatorem. Et tamen vius contrà est: nam pleræque eiusmodi Synodi conuocabantur à solo Patriarcha, aliquando etiam inscio Imperatore. Præterea hæ causæ tantùm id efficerent, vt postularetur consensus Imperatoris: non autem, vt ipse conuocaret. Nisi fortè debuit Concilium Lugdunense conuocari à Rege Galliæ: Constantiense, & Basiliense, ab Imperatore: quia eę vrbes erāt in eorū ditione. Sed tertia causa etiā ridicula est: nulla enim lex prohibebat Conciliū fieri, nisi sumptibus Imperatoris: cur enim tum magis quàm deinceps? Itaque Liberius apud Theodoretū histo-

historiæ libro secundo, capite vigesimo sexto, *Negotia Ecclesiastica publicam vecturam non desiderant: quandoquidem Ecclesia ad Episcopos suos ad mare vsque deducendos satis habent facultatum.*

Cap. VII.

Episcopi Romani controuersias detulerunt ad Concilium.

I. SI Episcopi Romani, cùm sibi obsisteretur, iudicium detulerunt ad Synodum: ergo non fuerunt summi iudices, hoc est, Oecumenici Pontifices. At prius verum. Ergo, & posterius. Consequentia patet, tum ex ratione, quia quod ipse posset sua autoritate definire, quorsum deferret ad alios iudices? Et quidem inferiores? Nam hos de iudicio eius iudicium esset iudicare. Tum ab vsu omnium, qui Oecumenici Pontificatus iura sibi postremis temporibus vsurparunt.

II. Antecedens probatur variis exemplis. Primùm, Liberius, cùm sibi Cōstantius Imperator obsisteret in Athanasij causa, nusquam iactauit vllam suā Oecumenicam autoritatem: sed Concilium indici postulauit: apud Theodoretum historiæ libro secundo, capite decimo sexto, *Si tuæ clementiæ ita visum fit, iudicium haberi iubeto.* Et paulò pòst, *Omnes contendamus Alexandriam, vbi reus, vbi accusatores, & causa eorum patronus sunt: atque litigantium causa diligenter cognita, sententiam de ea pariter feramus.* Hæc Liberius.

III. Secundò, Innocentius in causa Chrysostomi apud Sozomenum libro octauo, capite vigesimo sexto, *Quodnam remedium his rebus in præsenti afferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio: quam etiā multò iam antea congregandam diximus. Ea quippe sola est, quæ huiusmodi procellarum impetus retundere potest. Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatum harum committere voluntati magni Dei.* Nota solam Synodum potuisse prouidere. Simile habes apud Hermannū Mutium Chronico vicesimò septimo, *Pontifex Romanus, duos Cardinales mittit legatos, qui cum Sigismundo Imperatore agerent communi consilio de Ecclesia labefacta in omnibus suis partibus statu reformando. Cùm autem multa in varias partes disputatum esset, quomodo, & quo remediorum genere subueniri in extremo periculo confirmo possit, tandem vna concordi omnium sententia indicarunt fieri non posse quàm generali Concilio.*

IV. Tertiò, Leo in causa Anatolij, eius qui post Flauianum factus erat Episcopus Constantinopolitanus: à quo petebat sibi dari confessionem fidei, eo fine, quem ipse exponit, scribens ad Theodosiū Augustum Epistola trigesima tertia, *Vt si Constantinopolitanus Antistes in eandem confessionem toto corde consentit, securi, vt dignum est, de Ecclesiastica pace lætemur: neque aliquid residere videatur ambiguum, vt de superfluis forsitan suspicionibus laboremus. Sin verò aliquis à puritate nostra fidei, atq; Patrum autoritate dissentiunt, Concilium vniuersale intra Italiam, sicut Synodus, quæ ob hanc causam Romæ conuenerat, mecum petit, clementia vestra concedat, vt in vnum conuenientibus his, qui, aut ignorantia, aut timore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur.*

V. Hi omnes Episcopi Romani, atque ij non exigui nominis, & præter eos fortasse alij nonnulli, cùm sibi suæque diffiderent autoritati, ad Concilium prouocarunt aduersarios: probè conscij eius longè maiorem in Ecclesia autoritatem esse quàm vllius, siue Episcopi, siue Patriarchæ.

Cap. VIII.

De iis qui salua vnitate Ecclesiæ, dissenserunt ab Episcopo Romano.

I. SI potuit ab Episcopo Romano dissentiri seruata vnitate Ecclesiæ: Ergo is non fuit Oecumenicus Pontifex, aut caput Ecclesiæ. At potuit ita dissentiri. Ergo non fuit Oecumenicus. Consequentiam non est opus vt probemus.

II. Antecedens verò exemplis demonstratur. Primum exemplum ex Eusebij historiæ libro quinto, capite vigesimo quarto. Victor Romanus, ob Paschatis dissidium, vniuersæ Asiæ Ecclesias omnes cum finitimis à communi vnitate Ecclesiæ amputare est conatus. Verùm id cæteris parum placuit Episcopis: Victorque acriter atque acerbè fuit reprehēsus. In iis autem Episcopis Irenæus erat Lugdunensis, vir magnus. Hoc verò exemplum est geminum. Nam primò, constat Asianos Episcopos discrepantes à Victore, & quidem in re magni (sic enim putabatur) momenti, non fuisse tamen priuandos communione Ecclesiæ. Deinde, etiam Occidentales Episcopos, adeò sibi putasse licere ab Episcopo Romano dissentire, vt ausi sint reprehendere: imò verò acerius increpare: quod hodie si quis faceret, os ille non ferret impunè.

III. Verum Sanderus libro septimo de visibili Monarchia, *Quo pluribus* (inquit) *hoc Victoris decretum displicuit, eo manifestior sit, & illustrior Episcopi Romani primatus.* Itáne tandem? inquam. At tu Deus æterne, ita placare huic nostro seculo, vt hunc Romano Episcopo primatum prolixissimè concedas: nempe vt ei ab omnibus contrà dicatur, vt ab omnibus reprehendatur, ab omnibus acriter, acerbè, vt meritus est, increpetur. Tum nos libentissimis animis, Sandero suam subtilitatem gratificaremur: imò, tum nos, qui nunc Oecumenico primatui tam sumus molesti: Oecumenicum illū Pontificatum libenter admitteremus. Sed acumen audiamus. Nam si Episcopus Romanus, nihil erat, quàm vnus Episcopus: qui factum, vt omnibus penè aliis contradicentibus, vnius tamen autoritas, & sententia vinceret, ac præualeret? Nam Episcopi Catholici omnes in vniuerso terrarum orbe, Victoris Decreto, etiam si parū ab initio placuisset, re ipsa tamē obedierunt. Nam ab eo die pro hæreticis, & schismaticis habiti sunt; atque τεσσαρεσκαιδεκατῖται apud Græcos, apud Latinos *quartadecimani* appellati.

IV. Respondeo: Vicisse, & præualuisse Victoris decretum, falsò assertum à Sandero. Neque enim quēquam illum ex antiquis nominare posse, qui Asianos propterea pro excommunicatis habitos dicat: Imò verò cùm testetur Eusebius improbatā fuisse à plerisque omnibus hanc Victoris excommunicationem, id argumentum certum est, non præualuisse. Nā quod inter hæreticos relati fuerint Quartadecimani, primò id factum, nemo dixit vnquam, ex decreto Victoris: sed ea fuit sententia omnium, qui aliter sentiebant, quàm Asiani: qui tamen nunquam adduci potuerunt, vt à suo more discederent, donec celebratum est Nicænum Concilium, cum

auctoritati cesserunt tandem, non Romano Pontifici. Deinde, non tantùm damnabat Victor illam de Paschatis celebratione sententiam: sed etiam Ecclesias Asiaticas excommunicabat: nam id disertè notabat Eusebius. Imò videtur hoc præcipuum caput fuisse eius decreti. At huic capiti obtemperatum non fuit. Nã Irenæus contradicebat: in eumq; finem Polycarpi exemplum citabat, cui Anicetus communionem non denegarat. Imò diserta sunt Irenæi admonentis verba, qui, quanquam Pascha Dominico die celebrandum doceret, hoc est, improbaret Asianos, tamen Victorem monet, *Ne tam multas Ecclesias omnino propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illos vsurpata obseruationẽ, à corpore vniuersæ Ecclesiæ Christi amputaret.* Erat igitur Irenæi fides, & omnium, quorum nomine scribebat, relinquendos in vnitate corporis Ecclesiæ Asianos, etiam si non cederent sententiæ Victoris.

V. Rursus Sanderus. Synodus Nicæna scripsit ad Alexandrinam Ecclesiam, *Scitote controuersiam de Paschate susceptam prudẽter sedatam esse: ita vt omnes fratres, qui Orientem incolũt, iam Romanos, nos, & omnes vos sint consentiẽtibus animis in eodẽ celebrãdo deinceps sequuturi.* Ex his ille notat, Orientales velle sequi Romanos: tum Nicænos Patres, tum Alexandrinam Ecclesiam: prælati scilicet omnibus Eclesiâ Romanâ.

VI. Respondeo: primò aliter scripsisse Theodoretum, ὥστε πάντας τοὺς τῆς ἑῴας ἀδελφοὺς τοὺς πρότερον μὴ συμφωνοῦντας Ῥωμαίοις καὶ ὑμῖν καὶ πᾶσι τοῖς ἐξ ἀρχῆς φυλάττουσι τὸ πάσχα, ἐκ τοῦ δεῦρο μεθ' ὑμῶν ἄγειν. *Ita vt omnes fratres Orientales, qui prius non consentiebant Romanis, aut vobis, aut omnibus iis, qui ab initio obseruant, Pascha in posterum vobiscum acturi sint.* Hîc, primò *sequendi* verbum nullum est: sed pro eo μεθ' ὑμῶν *vobiscum*. Deinde non nominantur Romani, *nos*, & *vos*, id est, Romani, Nicæni, Alexãdrini: sed tantùm Romani, *vos*, id est, Alexandrini, & omnes alij. Itaque, etsi in eo esset aliquid dignitatis, tamen non possent dici Romani prælati Nicænis, sed tantùm Alexandrinis, & aliis. Bis ergo ludit in re seria pueriliter Bellarminus: & cùm vrget verbum *sequendi*, & cùm hæret ei distinctioni: quæ tamen sunt interpretis peccata.

VII. Secundò, concedamus, si placet, hæc peccata: & ponamus ita scriptum, vt est apud Christophorsonum: quæ tamen illa ineptia est, vt *sequendi* verbo, quod manifestè imitationem significat, abutatur ad primatum? An eos omnes necesse est primatum, autoritatémque obtinere in nos, quos ipsi nobis proponimus ad imitandum? Deinde, cur per illud *nos*, intelligit Nicænos: id est, Patres illos, tum congregatos, & concilium componentes: Cur non potius, Patres quidem illos: at non quatenus congregatos: sed quatenus ipsos etiam in suis Ecclesiis, tũc Pascha celebrantes? Sic Orientales ita receperũt se Pascha celebraturos: vt Romani solent, & nos in nostris Ecclesiis solemus: & vos etiam in vestra soletis. Quæ interpretatio confirmatur ex Epistola Constantini, hac ipsa de re apud eundem Theodoretum libri primi, capite decimo, *Itaque, quandoquidẽ hoc negotium ita constituendum erat, vt nihil nobis cum illis parricidis, Dominique interfectoribus esset commune: & is ordo optimus est, quem omnes Occidentales, Meridionales, Septentrionalẽ, que obseruant Ecclesiæ: imò quædam etiam Orientales. Propterea in præsentia æquum esse omnes censuerunt ipséque ego pollicitus sum vestræ prudentiæ gratum fore, vt quod in vrbe Roma, Italia, omni Africa, Aegypto, Hispania, Gallia, Britannia, Libya, vniuersa Græcia, diœcesique Asiana, Pontica, Cilicia, vno eodémque obseruatur animo, idipsum vestra amplexetur alacriter sapientia.* Vbi vides singulas prouincias enumeratas, ex quibus componebatur Synodus.

VIII. Denique, quænam hæc, malum, audacia est interpretandi, vt quæ coniunctè dicta sunt, *Romanos, nos & vos sint sequuturi*, in hunc modum discerpantur: sequuturi sint primò Romanos, tum secundò sequuturi sint nos: denique tertiò sequuturi sint vos? Id verò, quo visu Sanderus docebit esse rectum? An placet, vt etiam in literis Constantini totidem gradus distinguamus? primò Occidentales: secundò Meridionales: tertiò Septentrionales? Imò primò Romam, secundò Italiam, tertiò Africam, quartò Ægyptum, & cætera? Quasi verò, quoties accidit, vt nobis multa sint nomina proferenda, non ea sit necesse certo ordine prosequi, atq; ab vno incipere. Nego igitur eorum verborum sensum esse, vt Orientales sequi debuerint Romanos, magis quàm reliquos. Et quidem obiter moneo, in hoc componendo Schismate, nũquam aut Concilium, aut Imperatorem vsos esse, aut decreto Episcopi Romani, aut exemplo solius vrbis: sed omniũ Ecclesiarum, apud quas is mos erat. Et eas quidem enumeratas esse, vt significaretur pauciores pluribus cedere debere: quod si vnius Romæ is mos fuisset, confidenter dicam futurum non fuisse, vt reliquæ omnes ad eius exemplar emendarentur.

IX. Transeo ad alterum exemplum. Id erit ex Irenæo, apud Eusebium eodem loco, *Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiæ, cui tu iam præes, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum, neque ipsi hoc festum eo die, quo Episcopi Asiæ obseruarunt, neque aliis post se ita obseruare permiserunt. Et nihilominus ipsi non sic obseruãtes, pacem colebant cum iis qui ab iis Ecclesiis vbi sic obseruabatur, veniebant, quantumuis contrarii sint obseruantes, non obseruantibus. Neque vnquam quisquam tam ob caussam fuit eiectus. Verum & prædecessores tui presbyteri qui non obseruabant, iis, qui erant ex illis Ecclesiis, vbi obseruabatur, mittebant Eucharistiam. Quin, quum beatus Polycarpus venisset Romam sub Aniceto, & de quibusdã aliis capitibus nõnihil inter se disceptassent, statim conciliati sunt. Cùm tamẽ de hoc capite inter se contendere pergerẽt* (sic enim lego locum alioqui corruptum περὶ τούτου τοῦ κεφαλαίου [illegible] πρὸς ἑαυτοὺς) *Nec enim Anicetus Polycarpo persuadere potuit ne obseruaret: vt pote qui ita semper seruasset vna cum Ioanne discipulo Domini nostri, reliquisque Apostolis, quibus vsus erat familiariter. Nec verò Polycarpus Aniceto persuasit, vt obseruaret, dicenti retinendam esse consuetudinem presbyterorum suorum prædecessorum. Et his tamen sic se habentibus, communicarunt inter se, & intra Ecclesiam concessit Polycarpo Eucharistiam Anicetus, honoris ergò scilicet, atque ita pacifice separati sunt, Vniuersalis Ecclesiæ pacem retinentibus tum iis, qui obseruarent, tum iis qui non obseruarent.*

X. Hæc apud Eusebium Irenæus. Putarunt igitur Asiani licere sibi aliam rationem sequi, quàm sequeretur Ecclesia Romana. Imò Polycarpus tam credidit licere sibi ab Aniceto discrepare, quàm Aniceto à se: nec sibi plus passus est ab Aniceti autoritate persuaderi, quam rationibus probaret. Quẽ ferret hodie, quæso, Polycarpi similem is, qui sibi voluntatem iactat esse pro ratione? is, inquam, qui esse sibi in pectore omnia iura gloriatur? Tantam nimirum mutationem passa est res Christiana. Agebat Polycarpus cum Aniceto familiariter, atque ex æquo, tanquam cum collega suo: At hodie nisi Aniceti successores, Polycarpi successores, tanquam Deum aliquem cœlo delapsum suspicerent, quas

non

non tragœdias excitaret? Breuiter, neque Aniceto Polycarpus persuadet: neque Polycarpum Anicetus trahit in suam sententiam: & tamen perseuerat Communis communio.

XI. Sanderus tamen suo more audacissimè. Cùm Pius Pontifex Romanus, velut diuinæ voluntatis supremus in Ecclesia minister, & exsequutor de Paschate decreuisset, Polycarpus probè sciens decreta summi Pastoris contemni absque graui peccato non posse, propter istas super die Paschæ quæstiones, ad eum Romam venit, vbi Pio defuncto, cum Aniceto colloquutus impetrauit, vt liceret ipsius Ecclesiis in veteri consuetudine perseuerare.

XII. Atqui multa, aut fingit, aut mentitur Sanderus. Primò, non est certum à Pio quicquam decretum fuisse de Paschate: nam, quod apud Gratianum extat fragmentum de Consecratione, distinctione tertia, falsum ore pleno sapit: maximè, quia narratur ibi Apocrypha Hermetis, cui Angelus apparuit specie pastoris: Tùm clauditur hac phrasi, quæ solennis est Decretalibus fictitiis, *Quia non debetis à quoquomodo discedere.* Secundò, si quicquam pro... fuit Pius, non tamen vt supremus minister: sed vt Episcopus. Tertiò venisse Romam Polycarpum ob id dissidium, nemo Veterum narrat: sed duntaxat, cùm venisset Romam, ea de re colloquutum esse, ... autem alias ob caussas venisse. Denique id sine dubio impudentissimè mentitur Sanderus, impetrasse, vt liceret suis Ecclesiis sua consuetudine vti. Nam contrà Irenæus docet, nec à Polycarpo Anicetum, neque ab Aniceto Polycarpum impetrare potuisse, vt à sententia discederet. Sed id ingenium est Papistarum, vt vetera omnia metiantur ex suis temporibus: tam religiosi antiquitatis cultores, vt putent, non ex primæua sinceritate suum fastum corrigendum: sed contrà ex suo fastu veterem illam sinceritatem corrumpendam.

XIII. Tertium exemplum Cypriani. Is enim anabaptismi tuebatur errorem contra Stephanum Episcopum Romanum: scripta nominatim aduersus eum Epistola ad Pompeium, quam Pamelius optaret nusquam extare: qua ex professo Epistolam Stephani refutabat stylo acri & obiurgatorio. De eo tamen sic Augustinus contra Donatistas libro quinto, capite vigesimo quinto, *Iam illa quæ contra Stephanum iratus effudit, retractare nolo: quia & opus non est, eadem quippe ipsa dicuntur, quæ iam satis discussa sunt: & præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt. Stephanus autem, & abstinendos putauerat, qui de susceptis hæreticis priscam consuetudinem conuellere conarentur. Iste autem quæstionis istius difficultate permotus & sanctæ charitatis visceribus largissimè præditus, in vnitate manendum, qui diuersa sentirent. Ita quamuis commotus, sed tamen fraternè indignatus. Vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, vt in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.*

XIV. Hæc Augustinus: vbi audis commotionem, sed tamen fraternam indignationem. Id significat Cyprianum ita egisse cum Stephano, vt cum fratre, non cum principe, aut domino, aut denique Oecumenico: itaque putasse nihil à se absurdi committi, si non tantùm ab eo dissentiret, sed etiā vehementer dissentiret: imò non id tātùm, sed etiam indignaretur. Audis in tanta re Augustini sententiam: & quidem in libro, quem Pontifici Romano infestum, cuius fuisse obseruantissimum negari non debet. Credidit ergo Cyprianum, etsi discreparet à Romano Episcopo, imò verò Romanum acriter ac publicè increparet, tamen non discessisse ab vnitate Ecclesiæ, quantumuis Romanus decreuisset abstinendos, qui cum Cypriano facerent. Certè si summum extitisset Episcopi Romani iudicium, vt eius arbitrio componendæ essent omnes in religione controuersiæ, quis credat eum non fuisse excommunicatum, & ab Ecclesia alienum, in quem ille eam tulisset sententiam? Sed nimirum nondum erat nata tyrannis.

XV. Ad hanc historiam Bellarminus respondet, libro quarto de Pontifice, capite septimo, sine dubio Stephanum non definiuisse tanquam de fide, hæreticos non rebaptizandos, licet iussisset non rebaptizari: vt patet ex eo, quod non excommunicauit Cyprianum, & alios contrarium sentientes.

XVI. Contrà: Imò quod sine dubio esse Bellarminus asserit, contrarium, suam enim definitionem excommunicatione sanciuit: *abstinendos putauerat,* inquit Augustinus. Et apud Eusebium libri septimi capite quarto Dionysius narrat Stephanum scripsisse, [illegible], *se nullo modo cum iis communicaturum,* [illegible], *quandoquidem hæreticos rebaptizarent.* Si est igitur definire quæstionem, eam excommunicatione sancire, tum profectò hanc Stephanus definiuit. Sed fuit ea tantùm comminatio, inquit Bellarminus. Primò, qui scit an vidit Stephani literas? Deinde quid tum? Comminatus est excommunicationem, ergo non definiuit: imò contrà comminatus est excommunicationem, ergo definiuit. Nam quis incertis rebus, obscuro nec definito dogmate, audeat minari cuiquam separationem ab Ecclesia? Denique, cùm publicetur damnatio cuiuspiam opinionis, pœnæ vis solet vix esse pronunciatio, sed tantùm comminatio. Quia ipsa pronunciatio pœnæ, partes audiri postulat, quas iudicari oportet ex præscripto damnationis, quæ est vice legis. Itaque sine dubio Stephanus definiuit. Et definitionem suam excommunicatione denunciata sanciuit. At Cyprianus definitionem non admisit: nec tamen à posteris (nam Stephanus quid facturus fuisset, cui tam breuis Episcopatus fuit, nemo dixerit) pro excommunicato habitus: imò pro sancto Ecclesiæ membro.

XVII. Quartum exemplum Athanasij: qui semper & fuit, & habitus est verè Catholicus à Catholicis: & tamen Communione Romana priuatus à Syluestro Pontifice. Ita legis in Epistola ad Vrsacium, Valentem, Germinium, quam habes apud Baronium anno quinquagesimi, septimi, post tertium seculum, paragrapho quadragesimo quarto, *Cognoscat prudentia vestra, Athanasium, qui Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus fuit, priusquam ad Comitatum sancti Imperatoris perueniissem, secundum literas orientalium Episcoporum, ab Ecclesia Romana communione separatum esse: sicut testis est omne presbyterium Ecclesiæ Romanæ.* Et post, *Et hoc etiam scire vos volo, quod fratrem Fortunatianum petij, vt literas meas ad clementissimum Imperatorem perferat, quas ad Orientales Episcopos feci, vt sciant & ipsi vnà secum Athanasij communione me esse separatum.*

CAP. IX.

De Episcopis inuito Romano constitutis, & iudicatis.

I. Si etiam inuito Episcopo Romano, Episcopi & fungebantur ministerio suo, & depone-

bant : Ergo is non erat Episcopus Oecumenicus. Verum autem prius. Quare posterius falsum esse nequit. Antecedens probatur exemplis.

II. Apud Cyprianum in epistola sexagesima octaua Basilides, & Martialis Hispani, idololatriæ libellis commaculati, deponuntur ab Hispanis Episcopis. Basilides Romam proficiscitur: à Stephano restituitur. Sed scribit ad Hispanos Cyprianus, ne sic quidem illos recipiendos, *Nec rescindere ordinationem iure perfectam potest* (nam deposito Basilide ordinatus erat Sabinus) *quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romã pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, & gestæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum, fefellit, vt exambiret reponi se iniustè in Episcopatum, de quo fuerat iustè depositus.* Hinc habes, etsi Stephanus definisset Basilidem restituendum, eademque opera Sabinum destituendum, tamen credidisse Cyprianum, contrà faciendum: nempe Sabinum confirmandum: Basilidi verò obsistendum.

III. Secundum exemplum ex Sozomeno, libro tertio, capite septimo. Orientales Athanasium deposuerant. Iniustè id quidem: Catholicum Ariani: sed deposuerant tamen. Is obtinet à Iulio literas, quibus fretus redit ad Ecclesiam suam: vnde tamen rursus expellitur, scribentibus ad Iulium Orientalibus ex Concilio, non debere eum suscipere, quos ipsi deposuissent: sicut neque eorum prædecessores erant refragati, cùm ab eius prædecessoribus Nouatus eiiceretur ab Ecclesia.

IV. Tertium exemplum ex Theodoreto historiæ lib. 5. cap. 23. Flauianus Episcopus Antiochenus, cùm esset constitutus post Meletium, ea res Orienti, tum à Romanis, tum ab Ægyptiis odium valde diuturnum peperit. Contra Flauianum constitutus est, primùm Paulinus, deinde Euagrius, violatis Ecclesiæ legibus. Huius tamen communionem amplexati, vna cum Occidentalibus, Damasus, Syricius, Anastasius, tres sibi continuo succedentes Episcopi Romani, Imperatoris animum contra Flauianum concitare obnixissimè studuerunt: quorum intermedius Syricius annos quindecim Ecclesiam administrauit, vnde conici potest, quàm longo tempore hæc durarit contentio. Photius sane in Bibliotheca cap. 96. viginti numerat. Flauianum igitur Imperator iubebat Romam proficisci. Ille respondit, si de fide accusaretur, aut vita, subiturum iudicium: sin oppugnaretur propter sedem & præsulatum, libenter cessurum, seque ipsum abdicaturum. Quibus auditis, iubet Imperator in patriam reuerti, Ecclesiã sibi commissam sedulo pascere. Rursus Episcopus Romanus ardere, Imperatorem accusare, tanquam tyrannorum in Ecclesia fautorem, quos tamen à Republica diligenter expelleret. Imperator iubet exponere, quodnam tyrannidis genus in Flauiano animaduersum esset, se enim eius partes suscepturũ, & causam acturum in iudicio: cumque respondisset Romanus, non posse se cum Imperatore disceptare, hortatur eum Imperator ad concordiam : maximè cùm omnes Orientis Ecclesiæ Flauiano adhærerent, itemque Asianæ, Ponticæ Thraciçæ, Illyricæ. Huic adhortationi acquiescunt tandem Occidentales, polliciti se simultatem deposituros. Flauianus igitur, inuitis, & contradicentibus tribus Romanis Episcopis, ac frustra annitentibus eum de solio deturbare, fruitur Episcopatu suo: & illi tãdem coacti sunt eius electioni, quam, tot annis, tanta pertinacia, oppugnarant, consentire. Episcoporum autem Romanorum voluntati obstiterunt, non Imperatoris solius autoritas, sed etiam infinitus Episcoporum numerus: atque horum constantia vicit tandem illorum pertinaciam.

V. Quartum exemplum Ioannis Chrysostomi, qui, cùm factionibus Theophili & Epiphanij deponeretur de Episcopatu, Romam scripsit ad Innocẽtium, vt sibi auxilium ferret. Et eius quidem depositionem ægrè, vt fieri debuit, tulerunt Occidentales; atque Innocentius Romanus ante alios, diligentissimè laborauit. Sed quo successu? Audi Photiũ Bibliothecę cap. 96. [illegible Greek] *Romanus Innocentius multum pro eo laborauit: quamuis frustra fuerit eius studium.* Itaque rescripsit nullam spem reliquam esse auxilij, nisi in Concilio, cuius conuocationem iampridem necessariam censebat. Ioannes autem ei gratias sic egit, *Perpetuas vobis gratias agimus, quòd paternam erga nos beneuolentiam declarastis. Nam, quantũ in vestra pietate situm fuit, iam res omnes sedata, & emendata, & sublata omnia scandala fuissent. gauderéntque Ecclesiæ tranquilla, & sincera pace: & essent planè secunda omnia, neque contempta leges, neque violata Patrum constitutiones forent.* Hæc ille, qui cùm Innocentiũ agnoscit fecisse quod erat in eo, non tamen perfecisse, quid aliud ostendit, quàm non fuisse tantam Romani Episcopi autoritatem, vt ea sola restitui posset Constantinopolitana Ecclesia in bonum statum?

CAP. X.

An iudicari potuerit de Episcopo Romano, in ordine Ecclesiastico.

I. NVllus Oecumenicus Pontifex ab alio iudicari potest. At Episcopus Romanus ab alio iudicari potest. Ergo Romanus Episcopus non est Oecumenicus Pontifex. Maior propositio patet ex ipsa aduersariorum confessione, imò professione constanti. Ad minorem autem probandam multa congeruntur argumenta à Nilo, & Caluino, item apud Ioannem de Turrecremata: quæ Bellarminus excutit cap. 27. 28. 29. & 30. lib. 2. de Pontifice. Ea nos argumenta non omnia quidem assumemus, sed tantùm quæ legitima videbuntur. Nam ex iis, quæ sumit Bellarminus à Ioanne de Turrecremata, nõnulla mihi quidem probari non possunt varias ob causas, quas enumerare nihil est necesse. Et solidius ni fallor, refutari queãt, quam à Bellarmino. Cæterũ reuoco ad duo capita : primum de Ecclesiastico ordine: alterum de Politico. Et de illo prius.

II. Primum igitur argomentum: Si Paulus confert suam doctrinam cum Apostolis: seque Petrus acriter obiurgari passus est à Paulo, quo iure Papa Romanus nulli mortalium de factis, vitâque suæ rationem reddere vult?

III. Bellarminus respondet. Primò: Pauli exemplum pro se facere. Ideo siquidem ad Petrum accurrisse, & cum eo contulisse Euangelium, quia Petrum maiorem se agnosceret. Et exemplum posteris dare vellet, vt ad Petri sedem in eiusmodi rebus accurrerent. Hieronymus epistola vndecima inter Epistolas Augustini. Theodoretus ad Leonem. Secundò Petrum passum esse se obiurgari à Paulo, quòd esset non iudicialis, sed fraterna correptio. Non enim reprehendit Paulus, quomodo maiores de minoribus ex autoritate iudicant: sed quomodo

minores

minores, interdum maiores suos ex caritate corri- A piunt. Augustinus Epistola decima nona ad Hieronymum: Gregorius homilia 18. in Ezechielem.

IV. Contrà. In priori falsum sumitur. Nam nec Paulus se minorem agnouit Petro: cùm contrà tesstetur [illegible], *nullà re inferiorē fuisse summis Apostolis*. In quibus non potuit non esse Petrus. Nec ad Petrum accurrit: sed Hierosolyma, vbi non Petrus solus erat, sed & alij: maximè Iacobus, & Ioannes, cumque iis omnibus contulit de Euangelio, quod prædicabat inter gentes. Itaque hoc B exemplum non potest facere pro Oecumenico Pontifice: alioquin, si ex eo quòd Petrum consuluit, minor esset agnoscendus: tum profectò esset etiam minor Iacobo & Ioanne, quos æquè consuluit ac Petrum. Et similiter æquè exemplum dedisset accedendi ad sedem Hierosolymitanam, & Ephesinam: quod quidem Catholici concedent. Quis enim neget debere mutuā inter Euangelij prædicatores cōmunicationem vigere? Quāquam, cur sedibus hæreamus non video. Quia enim & sedes non semper C ab eiusdem meriti personis occupantur: & si occupantur, tamē non solæ: lōgè melius dicamus exemplum nobis à Paulo datum, vt quoties opus erit, accurramus ad eos, in quibus Spiritus Diuini [illegible], tota agnoscet Ecclesia. Sic quis dubitet cùm Romæ sederet Felix, substitutus in locum Liberij, non libentius accurrisse Catholicos ad Alexandrinam sedem, cui Athanasius præerat? Aut diu post ea tempora, cùm Romæ præessent Pontifices adeo imperiti stupidique, vt vix literas nossent, vt testatur Al- D phonsus de Castro; quis neget longè sibi melius consuluisse eos, qui in rebus dubiis aliunde consiliū sibi expeterent? Et quidem nihil Hieronymus loco citato dixit, quod Bellarmino faueat: nam neque de exemplo quicquam: neque de inæqualitate: tantū dixit, tantæ autoritatis Petrū fuisse, vt ad eum Paulus ascenderet. At id comparationem nullam præfert: potuit enim magnæ, imò maximæ autoritatis esse, vt tamen non maioris. Theodoretus autē quid? Si Paulus ad Petrum cucurrit, multo magis ego ad E Apostolicam sedem. Hæc summa: Egregium verò fundamentum Oecumenici Pontificatus! Denique ad vim argumenti nihil respondetur: quæ est eiusmodi: Si Paulus Apostolus, hoc est, omnibus Episcopis maior, non agnouit se [illegible]: multo minus id sibi arrogare debet Romanus Pontifex, longè minor Paulo.

V. In altero, dico fuisse quidem fraternam correptionem, sed acerbam. Ideoque non admonuisse, sed [illegible], dixit Paulus, *in faciè restitisse*, quod certè longè est aliud, quàm simpliciter admonere. Sed & addit, [illegible], *quia condemnandus esset*: absurdè dictum, si Paulus Petrū agnouisset [illegible]. Porrò Papæ non adeò subtiliter distinguunt, cùm de sua autoritate agūt. Non enim tantùm legas, *Nemini de sedis Apostolicæ iudicio licet iudicare*. Sed etiam, *huius culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus*. Audin'? *mortalium nullus*. Esto, distinguat Bellarminus, fraternè reprehendentes, ab iis qui iudicialiter. Separētur ij qui reprehēdūt tanquā G maiores, ab iis, qui tanquam minores. Sed respondeat Sophista: sunt-ne fraternè reprehendentes: sunt-ne ij qui reprehendunt tanquā minores: suntne, inquam, illi, in mortalibus? Stupor erit negare. Audi igitur: quod vtiliter repeto: *huius culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus*. Ergo neque fraternè reprehendentes: neque ij qui tanquam minores ex caritate corripiunt.

VI. Secundum argumentum: Romanus Pontifex Honorius à sexta Synodo non solùm iudicatus, sed etiam damnatus, tanquam Monothelita. Ergo Episcopus Romanus potest iudicari.

VII. Bellarminus: Honorium in causa fidei iudicatum atque damnatum esse. Neque se negare, quin Pontificem hæreticum Ecclesia iudicare possit. Neque id contradicere alteri propositioni, Papam à nullo iudicari posse, idque aliàs se ostensurū.

VIII. At nos de huius historiæ veritate aliàs prolixè egimus, contra Bellarminum, Sanderum, Baronium: vt nunc nihil sit opus eandem telam retexere. Reliqua igitur videamus. Certè, si à nemine prorsus iudicari potest Papa: nulla ratio relinquitur, qua cohiberi possit, cùm incidit in hæresin. Imò potius, omnis via præcluditur cognoscēdi, an sit hæreticus, quia inquirere in doctrinam Papæ, iam est de eo iudicare. Tum verò, *omnes sanctiones Apostolicæ sedis accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuina voce Petri firmatæ*. C Et contra ipsam diuinam Petri vocem quisquam Christianus audeat hiscere? Deinde, absurdum est concedere Papam hæreticum condemnari posse: & interim negare Papam posse in hæresin incidere. Sed hoc quandoquidem in aliud tempus Bellarminus differt, & nos pergamus ad alia.

IX. Tertium argumentum: Multæ sunt leges latæ de Episcopis, cùm ab Apostolis, tum à Conciliis: quæ certè omnes Episcopos ligant. Papa autem nihil est quàm Episcopus. Ergo tenetur iis legibus: D proindeque iudicari potest.

X. Bellarminus: Papam teneri Ecclesiasticis legibus, quoad directionem, nō quoad coactionem, vt Iurisconsulti de principe loqui solent. Deinde, quamuis Concilia, tam generalia, quàm particularia, interdum de Episcopis vniuersè loquātur, cùm leges ferunt: tamen de iis solùm intelligi debent, qui subiecti sunt legislatori: quod ex Conciliis particularibus planum fieri potest: quę sæpe dicunt: Si quis Clericus: si quis Episcopus: & tamē cōstat legib. illis E nō ligari nisi clericos, aut Episcopos eius prouincię.

XI. Hæc est vis argumenti: Omnes Episcopi tenentur legibus latis de Episcopis: Romanus Pontifex est Episcopus: Ergo tenetur iis legibus. Respondetur per distinctionem, dupliciter legibus teneri Episcopos: vel quoad directionem: vel quoad coactionem. De directione admitti conclusionem: de coactione, maiorem negari. Sed hæc directionis & coactionis disparatio impudens est adulatorum cōmentum, qui Episcopum Romanum voluerunt æ- F quare, aut potius anteferre politico magistratui, & quidem summo. Verùm, quàm intempestiuè, sic cognoscas. Ij dicūtur teneri legibus, quoad directionem tantùm, qui summi sunt in Republica magistratus: id est, qui ipsi eas leges condunt, suaque autoritate sanciunt. At nos loquimur de legibus latis non ab Episcopo Romano: sed vel ab Apostolis, vel à Conciliis. Deinde, ij qui tenentur tantùm ad directionem, leges nullas ferunt de seipsis, sed de aliis: ita Rex nullam legem fert de Regis officiis: sed de suorum subditorum. Itaque iis legibus ipse non tenetur, quia non est subditus, sed Rex. At nos loquimur de legibus latis de Episcoporum officio. Et addimus Romanum ipsum esse Episcopum: itaque eas leges necesse est latas de eius officio: latas autem nō ab ipso, sed ab aliis. Itaque valere non debet ea distinctio: & dicendum, quandoquidem ab aliis, siue Apostolis, siue Conciliis, latæ sunt leges de officio

Episcopi Romani, ideo teneri Episcopum iis legibus, non tantùm quoad directionē, sed etiā quoad coactiónem. Atque hoc eos necesse est fateri, qui agnoscunt Papam hæreticum posse iudicari, & deponi. Nam ea lege, quæ prohibet Papam esse hæreticum, necesse est quemlibet Papam teneri, quoad coactionem.

XII. Quod attinet ad alterā responsionis partem, dico argumentum peti, non à ratione loquendi, sed ab ipsa legum & Episcopatus natura: nā quæ leges feruntur de Episcopatu, iis omnes Episcopatu fungentes, teneri oportet. Itaque, vel negandū Romanum esse Episcopū, vel omnino cedendū. Deinde, non omnes leges latæ sunt à particularibus Synodis, sed multæ etiam ab vniuersalibus. Quemadmodum autem particulares Synodi, omnes obligāt suæ ditionis Episcopos, sic vniuersales vim habent in omnes totius orbis Pontifices. Deinde, quia particulares suis legibus ligant omnes suæ prouinciæ Episcopos Ergo & Romanus tenebatur legibus Synodi, non tantùm vniuersalis, sed etiam particularis suæ.

XIII. Quartum argumentum: Sexta Synodus nominatim Romanę Ecclesię legem pręscribit. Canone decimo tertio, vt permittat presbyteris, diaconis, & subdiaconis, vxores. Canone quinquagesimo quinto, ne ieiunet Sabbatho in quadragesima.

XIV. Respōdet Bellarminus: primò, de Concilio, postea de Canonibus. Eam Synodum non fuisse sextam Oecumenicam: sed aliam quandam aliquot annis serius celebratam, & à Romanis Pontificibus nūquam probatā. Et sanè verum, annis aliquot post sextam Synodum hanc esse celebratam. Sed, vt habetur in actis, conuenientibus rursum iisdem patribus, qui sextam fecerant. Et non proprio quidem motu, sed eadem autoritate, qua reliquæ solebant Synodi cōuocari: nimirum Imperatoria Iustiniani, Synodus testis: quæ alloquens Imperatorem, enarratis incommodis orientibus ex defectu Canonum quintæ sextæque Synodi *τὴν ἁγίαν ταύτην καὶ θεόλεκτον οἰκουμενικὴν συναθροισθῆναι* (fortè *συναθροῖσαι*) *σύνοδον ὥρισας*, *Sanctam hanc & à Deo collectam generalem Synodū conuenire definiisti.* Nam quod negat Bellarminus dici posse Sextam instauratam: primò quidem nihil nos mouet. Quid tum enim, si fuit ipsa per se Synodus Oecumenica? Deinde, non rectè probatur non fuisse. Quid enim? Non fuerunt iidem præsides, nō idem Imperator, non idem numerus Episcoporum. Valeant ista, si nō similia possumus obiicere Synodo Tridentinæ: quæ duos vidit Imperatores Carolum quintum, ac Ferdinandum: Pontifices Romanos, primò Paulum tertiū, & Iulium tertium: deinde, omissis intermediis, Marcello secundo, & Paulo quarto, Instauratum est à Pio quarto: non iisdē præsidibus; non etiam eodem Episcoporū numero: imò ne iisdem quidem Episcopis. Quæ si nō obstāt quominus anno eius seculi sexagesimo secundo instaurata sit eadem Synodus, quæ desierat anno quinquagesimo secundo: cur vim habebunt maiorem contra hanc Trullanam?

XV. At hanc Synodum Papæ non probarunt. Esto, inquam. At id Papæ licere, nos negamus, vt de eius solius sententia, iudicentur Oecumenicæ Synodi. Improbabat Leo Ephesinam *δευτέραν*: nec tamen obtinere potuit, vt vim suam non haberet: donec ita iudicatum, decretumque est in altera Oecumenica Synodo. At hanc Trullensem nulla vnquā alia Synodus Oecumenica reprobauit. Tulit Constantinopolitana prima legem de priuilegiis Pontificis Constantinopolitani, quam etsi non probarent Romani, tamen tollere nunquam potuerunt: imò tandem oportuit consentire.

XVI. Et hactenus de Synodo. Iam de Canone decimo tertio, & quinquagesimo quinto. Ille dicit Apostolorum & vetustatis doctrinam se proponere, cùm vxorum contubernium clericis permittit. At id falsissimum. Nam Carthaginense secundum canone secundo, vult Episcopos, Presbyteros, Diaconos, vxoribus abstinere, *vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Epiphanius hæresi decimanona, negat Ecclesiam non suscipere vnius vxoris virum adhuc gignentem: & si qui recipiunt, id esse contra Canonem. Porrò Canon sexagesimus quintus, agit de re indifferenti: de qua nec potuit nec debuit legem ponere Latinis.

XVII. At primùm, etsi in re ipsa peccatum concederetur, tamen non infirmatur argumentū. Nam similiter Romani Pontifices multa absurda præceperunt, quibus tamen omnes volunt teneri. Imò *ὁμοφώνως* clamant, *Licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus: & pia deuotione toleremus.* Quid Concilia? Vt omittam plurima, nónne censuit Ecclesia Romana iniquum esse canonem de priuilegiis Constantinopolitani Antistitis? Et tamen legis vim habuit. Potuerit ergo errare in iudicando Synodus Trullana: at verum est, eam existimasse suæ esse dignitatis, imò etiam iuris, leges ferre Romanæ Ecclesiæ.

XVIII. Secundò, de Sacerdotum vxoribus, nō mentitur Canon, se proponere Apostolicam & antiquam doctrinam. Paulus enim Episcopum describit vxoratum, tertio capite prioris ad Timotheum. Et constat fuisse multos Presbyteros, atque Episcopos, vxoratos. Quin Apostolicus canon sextus. *Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας, ἐὰν δὲ ἐκβάλῃ, ἀφοριζέσθω, ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω.* *Episcopus Presbyter, Diaconus, suam vxorem ne dimittat, prætextu religionis. Si dimiserit, destituatur. si perseuerauerit, excommunicetur.* Synodus Gangrensis, Eustathianos perstringens, quòd presbyteros vxoratos contemnerent, canonem condidit. *εἴτις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω.* *Si quis discernat se à sacerdote vxorato, tanquam non liceret eo ministrante Oblationem sumere, anathema esto.* Quæ cùm ita sint, cur non potuit Synodus & Apostolicam, & antiquam doctrinam iactare?

XIX. Nam quod Carthaginensem attinet Synodum, & Epiphanium, respondeo quod res est: falsò Apostolos iactari, falsò Antiquitatem laudari, falsò Canonem ostentari. Nam Apostoli ipsi vxorati magnam partem, descripserunt nobis Episcopos vxoratos, nunquam vel indicio nuptias clericis prohibuerunt. Antiquitatis, tum vsus, tum doctrina, idem confirmat. Denique cuius ante Epiphanium Concilij is canon est? Sed hac de re alias suo loco.

XX. At habet Bellarminus quod opponat sexto illi canoni Apostolico. Eo præcipi vt vxoribus Clerici prouideant, quæ ad victum sunt necessaria: non verò vt iis cohabitent commercio maritali. Nā primò sic interpretatur canon in Trullanis quadragesimus octauus: deinde, aliàs pugnaret cū Trullanis canoni-

Canonibus: quia non tantùm Clericis minoribus, sed etiam Episcopis præcipitur, ne vxores abiiciant: Quum Trullani, minoribus Clericis, at non Episcopis vxorem permittant.

XXI. At ea interpretatio non est Canonis Apostolici, verùm impostura: nam τὸ ἐκβάλλειν significat *remouere à se, amouere*: quare μὴ ἐκβαλλέτω non potest fideliter exponi, *prouideat quæ ad victum pertineat*: sed *ne eiiciat à se*, siue, vt loquitur Christus Matthæi quinto, [illegible], *ne dimiserit*, μὴ ἀναχωρείτω, *ne diuortium fecerit*, *ne secesserit*. Et vtroque Synodus Gangrensis vtitur. Itaque Zonaras hoc ipsum ἐκβάλλειν, exprimit per [illegible] *dimittere*: & opponit τὸ [illegible] *assumere*. [illegible] *Si prætextu religionis quisquam in sacris, suam vxorem dimittat, deponatur: donec nimirum persuaderi poterit, vt eam assumat.*

XXII. Iam quod audis de explicatione Canonis quadragesimi octaui; merum est mendacium. Recito: *Vxor eius, qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi sui viri consensu priùs separata, postquam in Episcopatum ordinatus est ac consecratus, monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione exstructum, & Episcopi prouidentia fruatur.* At hæc profectò Canonis Apostolici nullo modo meminerunt; sed rem potius recèns sancitam significant. Itaq; longè verisimilior alia responsio; pugnare Trullanos Canones, cum illo Apostolico. Nam, cui sano contraria non erunt, τὸ μὴ ἐκβάλλειν, & τὸ διαζευχθῆναι. Præterea, τὸ [illegible], quis non idem esse censeat cum ἀναχωρεῖν, quod Gangrenses dicunt? Illud autem, Episcopi prouidentia fruatur, quid est? quandoquidem amandatur in Monasterium vxor? An quia in Monasterio ei non prouidebantur quæ ad victum? Ipsi viderint.

XXIII. Sed contradicere Canoni Apostolico Canonē Trullensem, quâ de Episcopis, ego eis dubitem concedere, quum disertè Græci asserant? sic Balsamô ad quintum Apostolicū. *Ante sextam Synodum, quæ fuit in Trullo palatij, licebat Episcopis habere vxores, etiā post dignitatē Episcopalem.* Et ad quadragesimū octauū Trullensem. *Sancti quidē Apostoli in quinto Canone, definientes, Episcopus, vel presbyter, vel Diaconus, suā vxorem ne eiiciat pietatis prætextu, concesserunt Episcopis post ordinationem habere proprias vxores. Præsentis autē Synodi sancti Patres in duodecimo quidem Canone definierunt, quæcunque illic definita sunt. Nunc autem iubent eum qui electus est Episcopus ab ea quā habet vxore, communi cōsensu separari.* Et primo tomo iuris Græco-Romani, capite de Clericis vxores suas prætextu religionis eiicientibus: [illegible], *Hunc Canonis Apostolici decimus tertius sextæ Synodi ipsissimis verbis meminit, absque tamen Episcopi additione. Hæc enim Synodus prima fuit, quæ sanciuit, vt vxoribus suis Episcopi renūciarēt.* Zonaras in 5. Apostolicū: [illegible] *Meminit Canon hic Apostolicus, etiam Episcoporum habentiū vxores: quia tunc temporis Episcopi nō prohibebantur legitima cum vxoribus copula. Nam Synodus in Trullo, quæ sexta dicitur, hoc prohibuit duodecimo Canone.*

XXIV. Est igitur reuera statutum in ea Synodo aliquid noui, & cōtra Canonem Apostolicum; quà scilicet agit de Episcopis. Nisi fortè commoda adhibeatur interpretatio; quam ipsa vocabula non difficulter admittunt: à quibus videtur hactenus discessum. Textus enim sic habet: [illegible] Vulgò ita vertunt: *Vxor eius qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi sui viri consensu priùs separata, postquam in Episcopum ordinatus est ac consecratus, monasterium ingrediatur.* Malè & imperitè: Sic potiùs oportuit, *Vxor eius qui ad Episcopalem dignitatem prouehitur, communi consensu priùs à viro separata; post eius in Episcopum consecrationem, monasterium ingrediatur.* ἡ προδιαζευχθεῖσα γυνὴ, significare potest tum eam, quæ separata sit ante electionem: tum eā quę post electionem. Itaque inuestigandum, vtrum certius. Sic ego quidem existimo significari; si eius vxor ante eam electionem fuerit separata, vt non quidem iubeatur separari: sed si sit separata, includi monasterio. Ratio, quia sic cōstructio facilior: deinde quia requiratur κατὰ συμφωνίαν, hoc est, *communis consensus vtriusque partis*: nam quod vulgo est, *communi sui viri consensu*, ridiculum est. Sed is igitur consensus communis, suspenderet electionem: imò verò irritam faceret, si fortè non consentiret vxor quod creberrimè accideret. At id nunquam, vel fando auditum est.

XXV. Sed hactenus de re ipsa: cuius prolixior tractatio in aliud tempus differenda est. Nunc autem; quid tum, si, quà de Episcopis, contradictum est? At quà de minoribus clericis, non est contradictum. Et hac parte Canon latus est, qua agitur de Ecclesia Romana. Itaque Synodus Trullensis verè potuit dicere, se quatenus statuebat, vt ne Romana Ecclesia Presbyteris, & Diaconis interdiceret vxorum vsu, sequi doctrinam Apostolicam & Antiquam.

XXVI. Ieiunium Sabbathi velim seriò à Papistis agnosci tam indifferentem. Non enim tamseuerè exigerent. Sed quid tum? Si est indifferens: An nullæ possunt ferri leges de rebus indifferentibus? An ipsa Ecclesia Romana nullas vnquam tulit? Imò in ea, siue lex erat, siue consuetudo ieiunandi Sabbathis quadragesimæ. Ergo simili libertate vsa Synodus, ausa est eadem de re statuere. Vtra melius, quæri potest. Nos quidem, vtramque malè: nam si res est indifferens, vt Bellarminus fatetur; tum neque præcipi debuit, neque prohiberi. Sed factum tamen, vt quod Romani peccabant præcipiendo; Synodus correxerit: etiam ipsa peccans prohibendo. Sed tamen correxit: aut certè reprehendit. Nam neque iam tum ea erat Ecclesia Romana, quæ se corrigi pateretur; quantumuis peccantem.

XXVII. Quintum argumentum: Intolerabile est; nolle Papam sanctorum Patrum Canonibus subiici: quum tamen habuerit ipse à Patribus suam dignitatem, quancunque vnquam habuit supra reliquos Episcopos. Bellarminus negat à Patribus; sed potiùs à Christo Papam accepisse hanc suā autoritatē: proinde Christo, non Patribus subiici debere. Sed hæc natiua est Paparū ingratitudo: vt non tantùm negent se à quoquā quicquā accepisse: sed etiā in eos ipsos à quibus acceperunt, si quid habēt, audacter insurgant. Sic in temporalibus. Testantur historiæ, quicquid Romanus habet diuitiarum, à principum seculi liberalitate manasse: hodie contra, satagunt persuadere nihil principes possidere, nisi ab iis acceptum. Hoc certè prolixè Bozius,

Quid hoc? Nempe, qui sordescit, sordescat adhuc. Et, qui volunt decipi, decipiantur.

CAP. XI.

Romanum Episcopum fuisse subditum Imperatori.

I. Atque hactenus de ordine Ecclesiastico: sequitur, vt de politico. Et hic obnoxium fuisse Romanum Episcopum Imperatoris autoritati probo.

II. Primum argumentum: Olim Romanus Episcopus Imperatorem agnouit Dominum suum. Ergo eius autoritati fuit obnoxius. Probatur antecedens: nam consequentia est manifesta. Gregorius eius nominis primus libri tertij Epistola sexagesima prima, serenissimum Dominum suum appellat, se verò indignum eius seruum; eique fatetur debere obedientiam. Libri quarti Epistola tricesima prima, *Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster citiùs indignetur.* Tricesima quarta: *In omnipotente Deo confido, quod longam piis Domini vitam tribuet, & nos sub manu vestra secundum suam misericordiam disponet.* Hanc obiectionem Bellarminus sumit à Caluino, ex Institutionis libro quarto, capite vndecimo, paragrapho duodecimo.

III. Respondet autem: Primò, Ioannem Diaconum libro quarto vitæ ipsius, capite quinquagesimo octauo, referre, Gregorium vocasse omnes Sacerdotes fratres, omnes clericos filios, omnes laicos Dominos. Inde tamen non colligi ab omnibus laicis iudicatum. Qua autem humilitate seruum se Imperatoris dicebat, eadem petitiones eius tanquam mandata & imperia accepisse. Adde eodem tempore Imperatorem obtinuisse temporale dominium in vrbem; Gregoriumque eius ope & amicitia valde indiguisse. Secundò: si personam cum persona compares, absolutè Imperatorem esse ouem, Pontificem pastorem: iudicari ergo illum ab isto, non contra debuisse: itaque pios Imperatores sæpè à Pontificibus iudicatos fuisse, nunquam contrà Pontifices pios ab Imperatoribus piis. Imò ne imperatum quidem iis esse. Tertiò, Gregorium eadem Epistola trigesima prima libri quarti, etsi se seruum Imperatoris dicat, tamen addere, *debere Imperatorem Sacerdotibus reuerentiam exhibere*: quod certè inferioris est, nō superioris. Quartò, non tacuisse Gregoriū, quū ab Imperatore simplex appellatus esset; eo verbo sibi factā iniuriā: Et tamen, quantula esset iniuria, si Dominus seruum, iudex reum simplicē appellaret.

IV. Verùm, obseruemus Bellarmini vafritiē. Hoc enim argumento Caluinus vtitur, non ad hanc de Episcopo Romano iudicando controuersiam: verū ad aliam, nempe vtrum donatio, quæ iactatur Constantini, sit vera an falsa: qua donatum Syluestro ferunt dominium temporale vrbis Romæ, atque insignia Imperialia. Esse verò impudenter ementitam hi loci abundè euincunt: ipso etiam teste Bellarmino, qui fatetur hæc ita dicta à Gregorio, quod tum Imperator haberet Dominiū tēporale in eam vrbē, quod si est, ergo Constantinus, qui ante Gregorium mortuus est, annis plus minus 250. id dominium non transtulit in Episcopum Romanum.

V. Et tamen nō soluitur argumentum. Nā, quod si seruum Imperatoris dicat Gregorius propter modestiam, nō abnuerim. Est enim quædam modestia: imò est ea vera modestia, quę suū gradum & nouit, & fatetur. Quod si intelligat Iesuita simulationē illam, qua nos aliis subiicimus, quibus nihilo sumus inferiores, vt quum se Dominus Dominorum ille Gregorij successor, vocat seruum seruorum: tum asseram sumi falsum: refellique Bellarminum, tum ex eo loco, quum Imperatorē Gregorius hortatur, vt sic dominetur Sacerdotibus (in quibus seipsum numerabat: nam suum negotium tum agebat) vt tamē eis debitam reuerentiā impendat: sed etiā ex Epist. 61. lib. 2. in qua se seruum Imperatoris appellat *iure Republicæ*: pauló q; pôst, Deum sic introducit loquētem ad Imperatorē, *Sacerdotes meos tuæ manui commisi.* Etsi igitur omnes laicos solitus esset Gregorius Dominos appellare; tamen necesse est id alia ratione esse factum, quā quum Imperatorem. Nam personarum erat immensum discrimē, quod facile discas ex actione quinta Cōcilij Constantinop. sub Menna; vbi, in libello Episcoporū ad Imperatorē leges: καὶ ἀξιωθέντα τῶν συνθηκῶν ὑμῶν ἰχνῶν; *Et qui vestra vestigia meruit*: quæ verba significāt Agapetum Papam Romanum venisse in aulam Imperatoriam: sed ita, vt phrasis mirè exprimat magnam inęqualitatē; quantam hodie neq; facta neque verba referant vlla. Est etiam falsum appellasse mādata, quæ erant tantùm petitiones Imperatoris. Nā eadē epistola 61. quum ad eum legem misisset Imperator, ne milites in monasteria reciperentur: etsi eam serio improbaret; dixit tamē se in diuersas terrarum partes transmisisse, quia subiectus esset eius iussionibus.

VI. Habuisse tum temporis Imperatores dominium in vrbem Romam verum est: quo sceleratiores Gregorij posteros fuisse fatendum; qui id iuris sibi vsurparunt. Sed hoc ipso prodit causā suā Bellarminus. Nam si propterea Dominus fuit Imperator Episcopi Romani: nō ergo ex eius Episcopi modestia tantùm: deinde, est igitur verum, verè obnoxium fuisse dominio temporali Imperatoris; indeq; eius iussionibus, non tantùm petitionibus.

VII. Indiguisse eius ope & amicitia Gregorium, non est incertum. Sed primùm, perfidum oportet fuisse Gregorium, qui Pontificatus dignitatem tanto maiorem imperatoria, quanto Sol Lunam superat, subiicere imperatori non sit conatus, quia eius ope indigeret, ad bona sua temporalia conseruanda; vt Bellarminus asserit. Erat id hamo, quod dicunt, aureo piscari: imò erat Simoniacum quiddā: quia spe commodi temporalis cedebatur de dignitate spirituali. Aut, si non fuit perfidus; quid nō sunt eum secuti Episcopi, qui, etsi videāt sibi eandem ob caussam, tum Imperatorum, tum Regum amicitiam atq; opem necessariam, eorum tamen nullus dignatur Dominum appellare? Imò adigunt ad oscula pedum? Næ isti sunt; illo si non magis sancti, at magis Papæ.

VIII. Vsum esse Imperatorem Gregorij opera in administranda Republica, etsi vix sit verisimile: tamen concessum, nihil ad hanc rem facit. Nam etiam in rebus Ecclesiasticis agnoscit Imperatoris iussiones & imperia: vt, quod iam dixi, quum ageretur de militibus non admittendis ad vitam monasticam. Item, quum de conciliatione cum Ioanne Constantinopolitano: de qua sic loqui inuenias epistola trigesima prima, libri quarti, *Serenissimis iussionibus tuis obedientiam præbeo.*

IX. In secundo responso; Imperatores oues esse fateor: sed primùm in iis rebus, quæ propriè sunt religio-

religionis: quásq; ipsi pariter obeunt cum singulis fidelibus: at non in negotiis politicis, quæque ad Rempublicam spectant. Deinde, non tantùm Pontificis Romani: sed etiam cuiuslibet Episcopi intra cuius ditionem versantur: vt Ambrosij, apud Mediolanenses: Gregorij Nazianzeni, apud Constantinopolitanos. Itaque, quemadmodum non sequitur, Theodosius erat ouis Ambrosij; ergo Ambrosius non fuit minor Theodosio: simile iudicium est de Romano. Tertio, falsum est piis pontificibus nūquam Imperatores quicquam imperasse, aut eosdem iudicasse. Nam Constantinus, pius Imperator, Cæcilianum pium Pontificem Carthaginensem iudicauit. Et Gregorius pius agnoscit Imperia pij Imperatoris. Quarto, quid interesset nostra, si pios Pontifices pij Imperatores unquam iudicassent? quum constet ex historia sæpe animaduertisse in eos qui ab officio discederent.

X. In tertio responso patet Gregorium sic exigere ab Imperatore reuerentiam in Sacerdotes, vt tamen eum agnoscat dominari: quod certè superioris est, non inferioris. Esse verò reuerentiam nullam maioris in minorem, falsum est: nam apud Ethnicos absque vllo dubio sacerdotes regibus erant minores: & tamen censebant Achiui apud Homerum debere Agamemnonem *αἰδεῖσθαι θ' ἱερῆα*. Et sanè nō illos tantùm veneramur, quorum ex munere aliquo publico maior est autoritas, aut potentia; sed eos etiam qui ætate, prudentia, pietate excellunt: eos etiam, qui rebus sacris sunt destinati. Quid? nónne olim Episcopi sese inuicem reuerendissimos, *αἰδεσιμωτάτους* appellabant? In actis Synodorum millies reperias: & in Epistolis familiaribus.

XI. In quarto responso; dico, sic queri Gregorium de Imperatore, vt tamen suam obseruantiam solicitè testetur. Nihil autem obstare, quominùs modestè inferior conqueratur de iniuria sibi facta à maiori. Porrò non rectè hîc à Bellarmino seruus opponitur domino, reus iudici. Etsi enim primaria sit ea vocabulorum vsurpatio; tamen posteà inde deflexum est: vt dominus is significetur, qui imperat, siue dominatur iure Reipublicæ, aliis qui tamen ipsi liberi sint, non serui. Et Reos iampridem illos Latini appellarunt, non simpliciter qui iudicem agnoscunt quempiam, sub cuius degunt autoritate; sed qui coram eo accusantur. Quare his vocabulis nihil promouit Bellarminus, nisi vt ostenderet, se odiosis vocabulis inuidiam conflare conari et cassè, quam solidis argumentis nequit oppugnare.

XII. Secundum argumentum. Dominus noster Iesus Christus Imperatoriam potestatem suprà se agnouit. Multò igitur magis Papa Romanus: qui se Christi vicarium ostentat. Antecedens probatur decimo nono Ioannis: quum Pilato Dominus dixit, *Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper.*

XIII. Respondet: Christum de iure nulli homini subiectum fuisse: sed sponte propter nos sese Pilato subiecisse, non committendo ei aliquam suprà se autoritatem, sed tolerando humiliter eam quam habuit de facto, non de iure. Ob eam causam docuisse Matthæi decimo septimo, se non teneri tributum reddere: & tamen iussit dari propter scandalum tollendum. Locum Ioannis intelligi vel de permissione diuina, iuxta Cyrillum, & Chrysostomum: vel de potestate iurisdictionis, iuxta Augustinum, & Bernardum. Priori sensu, sic dictum, vt Lucæ vigesimo secundo: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Posteriori; (qui tamen non tam est literalis quàm prior) Pilatum habuisse potestatem in omnes quidem Iudæos, Imperio Romano subiectos, per se: at per accidens in Christum, sibi oblatum, vt aliquem de vulgo Iudæorum. Quemadmodum si clericum, mutato habitu, prætor iudicaret.

XV. Sed hæc responsio sophistica est; quia aliò sermonem auertit. Non enim quærendum, quomodo id Christus fecerit, sponte ne an necessariò, sed an ea submissio possit in exemplum trahi. Quis neget sponte Christum pedem lauisse suis Discipulis? & tamen, *Exemplum prabui vobis, vt prout ego feci vobis, ita & vos faciatis*: Ioannis decimo tertio. Sponte passum, quis negabit? & tamen: *relinquens vobis exemplar vt insequeremini vestigia eius*: Petrus capite secūdo prioris. Quare nihil obstat, quominus, etsi sponte seipsum Pilato Christus submisit, exemplum tamen dederit Episcopo Romano obtemperandi Magistratui. Quanquam illud *sponte*, dupliciter sumi potest: vel, vt non fuerit subditus magistratui, si noluisset: imò potius, quum non esset subditus, subdiderit se tamen: vel, vt quum ea esset eius vocatio, idipsum non coactè, sed sponte, alacrique animo subiret: quomodo Petrus quinto prioris iubet pasci gregem non coactè, *ἀλλ' ἑκουσίως* *sed spontaneè*. Priori modo nulli subditus fuit magistratui, nisi sponte, quatenus Filius Dei. Ideò Matthæi decimo septimo indicauit se esse filium regis. *Per hoc* (inquit Dionysius Carthusianus) *Christus intendebat concludere se liberum esse à dando tributa, tanquam filium regis regum, nulli legi humanæ de necessitate subiectum.* Chrysostomus. *εἰ γὰρ οἱ τῆς γῆς βασιλεῖς ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν οὐ λαμβάνουσι, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων. πολλῷ μᾶλλον ἐμὲ ἀπηλλάχθαι δεῖ τῆς ἀπαιτήσεως ταύτης, οὐκ ἐπιγείου βασιλέως, ἀλλὰ τοῦ οὐρανοῦ ὄντα υἱὸν καὶ βασιλέα. Nam si reges terræ, non à suis filiis accipiunt, sed ab alienis: multò magis me liberum esse oportet huius exactionis, vtpote non terreni regis, sed cœlestis, filium, ipsúmque etiam regem.* Altero sensu, quilibet non tantùm Christiani, sed etiam viri in seculo boni subiecti sunt magistratibus. Iam verò, prior sensus non potest in Romanum pontificem cadere: quia filium esse regis cœlestis; vel per naturam intelligitur, vel per gratiam. At hic non per gratiam, quę est communis omnibus fidelibus: Ergo per naturam. At hic modus filiationis nullo modo ad Episcopum Romanum pertinet. Non est igitur liber à magistratibus sponte, hoc sensu; vt si nolit, non sit subiectus. Restat ergo tantùm alter; vt sponte sit subditus: id est, vt ad quod tenetur, id non coactè, sed sponte subeat. Quomodo omnes fideles debent, siue Episcopi, siue non Episcopi.

XV. De loco Ioannis, quid attinet sophisticari? Vtraque expositio coniungi potest. Prior ipsum illud factum peculiare attendit, nempe Christum traditum in manus Pilati: hoc enim rectè factum dicitur, permittente Deo, non verò iubente: eóque respexerunt Chrysostomus, & Cyrillus. Sed quia illa permissio Dei non tantùm in ipso indiuiduo actu consideranda est, sed etiam in mediis ad actum pertinentibus: & traditus erat Pilato Christus, non tanquam vni alicui ex plebe, sed vt ei personæ, quæ tunc magistratum gerebat: ideò optimè Augustinus & Bernardus *ἐξουσίαν* exposuerunt de ipso magistratu. Sed ineptè Bellarminus opposuit permissioni diuinæ, potestatem iurisdictionis: quum enim subordinata non repugnent, illa hâc non tollit. Itaque debent potiùs sic intelligi

verba Christi: Pater permisit tibi, vt in me vtaris potestate, iurisdictionis tuæ. Nam quoties quid Deus permittit, toties etiam permittit media, quibus idipsum perficiatur: hîc verò, medium quo perfecta est à Pilato condemnatio Christi, fuit potestas iurisdictionis. Quare eam quoque à Deo permissam oportuit. Non respõdet igitur aptè Bellarminus: quia ea permissio posset quidem fortè exponere *potestatem*: at non illud *datum esset*. Nam hæc phrasis plus significat, quàm simplicem permissionem, vt in his locis: Matthæi 13. *Vobis datum est nosse mysteria*. Decimo nono, *Non omnes capiunt hunc sermonem, sed quibus datum est*. Ioannis tertio, *Homo non potest recipere quicquam, nisi ei datum fit è cælo*. Vbi, si *datum*, permissum dicas; quis non rideat?

XVI. Sed quid illud est? Pilatus potestatem habuit in omnes Iudæos per se, in Christum autem per accidens? Nouum commentum: nouum portentum. Imò verò Christus factus est sub lege, hoc est, natus Iudæus, & verè Iudæus: non autem *δοκήσει*. Itaque, si per se Pilatus habuit autoritatem in omnes Iudęos: & Christus Iudæus fuit: tum sanè Pilatus autoritatem habuit per se in Christum: Dionysius Carthusianus, *Nescis quia potestatem habeo, tanquam præses, & Iudex ritè institutus*.

XVII. Tertium Argumentum, Actorum vigesimo quinto, Paulus Cęsarem appellauit. *Ad tribunal Cæsaris sto: ibi me oportet iudicari. Cæsarem appello*. Si Paulus Cæsarem iudicem agnouit, cur non Petrus? Si Petrus, cur non Romanus Episcopus? si est Petri successor.

XVIII. Respondet. Primò Paulum appellasse; quia Cæsar esset eius iudex de facto, etsi nõ de iure. Secundò, & meliùs, discrimen esse inter principes Ethnicos & Christianos. Illorum Pontificem non fuisse iudicem: ex sexto prioris ad Corinthios, *Quid ad me de his qui foris sunt iudicare?* contrà autem Pontificem eis subiectum in ciuilibus: quia lex Christiana neminem priuat suo iure, & dominio. At isti spõte leges Euangelij susceperunt, seque tanquam oues Pastori, & membra capiti, subiecerunt præsidi Hierarchiæ Ecclesiasticæ: & proinde ab illo iudicari, non illum iudicare debent.

XIX. Ad primum. Cæsar fuit iudex, tum de facto, tum de iure: quandoquidem non est potestas nisi à Deo: & Christus ipse iussit reddere Cęsari, quę sunt Cæsaris: & quidem monetam: quæ signum est summi imperij. Tunc temporis igitur Cæsar, iudex erat omnium Iudęorum; inter quos Paulus erat. Sed non est opus pluribus. Nam ipse Bellarminus videtur non multum tribuere huic solutioni, vtpote qui alteram meliorem dicat: disertè etiam paucis interpositis asserat Paulum subiectum fuisse Imperatori ciuiliter, de iure.

XX. Ad alterum. Primò, quęstio est; vtrum Episcopus Romanus sit caput Ecclesiæ: & præses Hierarchię Ecclesiasticę. Secundò: fidei Christianę professio non minuit politicam magistratus autoritatẽ: propterea, etsi, quoad fidẽ, magistratus sit subditus Episcopo: tamen quoad politiam, hoc est, vt loquebatur Gregorius, Reipublicæ iure, Episcopus subditus est Magistratui. Et hoc quidem in Ethnicis fatetur Bellarminus. Videat ergo, quàm sit indignum, vt Imperatores Christiani suo potiùs iure priuentur, quàm Ethnici. Quid? quod Gregorium audiuimus dicere, Deum commisisse Sacerdotes manui Imperatoris Christiani? Tertiò, eo quòd leges Ecclesiasticas susceperunt Imperatores, non vni cuipiã subdiderunt se Episcopo, sed cuilibet: vnde, nõ tantùm Innocentio subditus erat Arcadius, sed etiam Theodosius Ambrosio. Quid ergo? concludámne, quia se cuilibet Episcopo Imperator subiecit, omnes Episcopos eximi à iurisdictione Imperatoris? Denique sophisma est, τοῦ κατά τι ὡς ἁπλῶς. Subiecerũt se Imperatores, sed tãtùm in merè Ecclesiasticis: at nõ absolutè, tã in his, quã in politicis. Alioquin cedo tabulas.

XXI. Quartum Argumentum. Paulus ad Romanos, capite decimo tertio. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Petrus, secundo capite priori, *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; siue regi, tanquam præcellenti*. Ergo omnes Ecclesiastici, ac proinde Episcopus Romanus, debent subijci magistratibus.

XXII. Respondet: tam Paulum, quàm Petrum loqui generaliter, hortarique omnes subditos, vt suis superioribus pareant, tam spiritualibus, quàm temporalibus. Probatur: primò, Paulus non restringit sermonem ad potestatem sęcularem: sed de omni potestate loquitur. Secundò, Petrus nominat omnem creaturam humanam; id est, omnem creaturam potestatem habentem. Itaque, non potest inde deduci Papam subiectum esse Regi, vel Regem Papæ: sed solùm eum qui subiectus est, debere suo superiori obedientiam.

XXIII. Sed falsum est, sententias esse generales, tam de Ecclesiastica, quàm de politica potestate. Ad primum Argumentum respondeo, ἐξουσίας quam Paulus nominat, non significare dignitatem Ecclesiasticam, sed politicam tantùm. Lucæ vigesimo secundo: οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν. καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, εὐεργέται καλοῦνται. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως. *Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non sic*. Vbi vides separari ab Apostolis, id est, prælatis Ecclesiasticis, tam τοὺς ἐξουσιάζοντας, quàm Reges. Itaque Glossa interlinearis in eum locum Pauli: *Potestatibus secularibus, bonis, vel malis*. Oecumenius etiam τὰς ἐξουσίας exponit τοὺς ἄρχοντας. Atque adeò Paulus ipse quid velit, satis indicat posteà, quum addit, οἱ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων: *Principes non sunt terror bonorum operum*: Et rursus, *non temerè gladium gestat*: vnde quis non aduertat ἐξουσίας intelligi eos, qui dicuntur ἄρχοντες: qui gladium gestant? quæ de dignitate Ecclesiastica dici nõ possunt. Itaque Syrus reddidit שולטנא דרבותא: *potestates, dominatus*: interprete Tremellio; *potestates dominantes*, Boderiano. Chrysostomus, *Interea eas rationes, quas commemoraui, non monet: sed eas quæ potestatibus ex debito obedire iubent: ostendens quòd ista imperentur omnibus, & sacerdotibus, & monachis, non solùm secularibus: id quod statim in ipso exordio declarat quum dicit, omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit: etiamsi Apostolus sis, si Euangelista, si Propheta; siue quisquis tandem fueris. neque enim pietatem subuertit ista subiectio*. Basilius Constitutionum Monasticarum, capite vigesimo secũdo. Παῦλος ὁ Ἀπόστολος Ῥωμαίοις ἐπιστέλλων προστάττει πάσαις ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτάσσεσθαι. ἐξουσίαις τοῖς τοῦ κόσμου, οὐ ταῖς πνευματικαῖς. *Paulus scribens ad Romanos, iubet subijci Potestatibus sublimioribus. Potestatibus mundi, non spiritualibus*. καὶ τοῦτο ἐκ τῶν ἐπαγομένων ἐδήλωσεν περὶ φόρων καὶ τελῶν. *Atque hoc ex sequentibus ostendit loquutus de tributis & vectigalibus*.

XXIV. Ad locum Petri quod attinet: ὁ κτίσις in eo non significat creaturam, sed ordinationem, siue dispositionem. Oecumenius, εἰδὼς γὰρ ὁ γραφεὺς καὶ τὴν θείαν κτίσιν καλῶν, ὡς ἐν τῷ ἵνα τινὰ διὰ κτίσεις ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων. ἀντὶ γὰρ τοῦ δῶτε, ὅτι κατάλεξη.

Nouit

Nouit enim Scriptura etiam positionem creaturam dicere: vt ibi, vt duos creet in vnum hominem nouum. Est enim pro ponat, siue ordinet. Propterea paulò antè mentem Apostoli sic exposuit. κτίσιν ἀνθρωπίνην, καὶ ἀρχαὶ λέγει καὶ χειροτονίας [illegible] βασιλέων, [illegible] αὐτοὺς τοὺς βασιλεῖς, [illegible] αὐτοὶ [illegible] ἀνθρώπων [illegible]. *Creaturam humanam, principatum appellat, quæ in regum electione sunt: vel etiam reges ipsos: nam & ipsi ab hominibus ordinati sunt, & constituti.* Didymus: *Ordinationem verò humanam dixit potestatem, quæ hominum dispositione consistit:* Atq; adeò ipse Petrus dilucidè, quid velit, indicat, nominatis statim regibus, & præsidibus: quæ sic Didymus connectit cum præcedentibus. *Scribit itaque Petrus omni ordinationi humanæ subiiciendos: regibus quidem tanquam egregium culmen habentibus: ducibus autem tanquam missis ab eo* (potius ab iis) *ad comprobationem bonorum, & malorum scilicet vltionem.* Accedit Caietanus: *Nō dicit, Subiecti estote omni homini: nec dicit omni tyranno; sed omni creaturæ humanæ: officium regiminis humanam creaturam appellat, eò quod humanis suffragiis creatur: & dicit omni, non distinguendo, inter Ethnicos & fideles.* Et paulò pòst, ad ea, siue regi. *Quod dixerat in genere, omni humanæ creaturæ, explicat per partes, regi, & duci.* Ergo his testibus, hi ambo loci sunt intelligendi de seculari potestate: non autem de Ecclesiastica.

XXV. Quintum argumentum: In Veteri Testamento Rex fuit maior quibuslibet Pontificibus, etiam summo. Ergo & in Nouo Testamento Imperator debet esse superior omnibus Episcopis; etiam iis, qui sunt reliquis superiores, vt erāt olim Metropolitani, & Patriarchæ. Probatur antecedens: quia prioris Regum secundo Salomon deposuit Abiatharem; constituto Sadocho in eius locum.

XXVI. Respondet: Primò, negari consequentiā: nam quum in Veteri Testamento promissiones fuerint tantùm temporales; in Nouo verò spirituales & æternæ; teste Hieronymo, libro primo contra Pelagianos; & ad Dardanum de terra promissionis: Augustino, quæstione trigesima tertia in librū Numerorum: & libri decimi noni, contra Faustum, capite trigesimo primo; non mirum esset, si in Testamento Veteri summa potestas fuisset temporalis; in Nouo spiritualis. Secundò; negat in Veteri Testamento Pontificem fuisse inferiorem Rege. Contrà enim docere, Philonem libro de victimis; Theodoretum, quæstione prima in Leuiticum. Procopiū in quartum Leuitici. Et probat ea vigesimo septimo Numerorum: vbi dicitur, quod ad verbum Pontificis Eleazari, tam princeps Iosue, quā omnis populus ingredi, & egredi deberet. Et Leuitici quarto, quatuor sacrificia instituuntur, ex quorum ordine & magnitudine colligitur ordo & dignitas personarum, pro quibus fiebant. Primò vitulus pro Pontifice: Secundò vituli pro toto populo: Tertiò hirci pro rege: quartò capræ, pro priuato. Ad argumentum de Abiathare, respōdet depositum fuisse à Salomone, non vt Rege, sed vt Propheta: quia dicitur ibidem, *vt impleretur sermo Domini.*

XXVII. At non debuit negari consequentia, quia ipsi sibi similes permittunt, à Veteri Testamento ad Nouum. Imò aliàs pertinacissimè contendunt, legali Pontifici ad vnguem respondere, Christianum istum quem fingunt. Ratio autem non valet: primò, quia etsi vera esset suppositio; ea tamen caussa esse non posset maioris autoritatis in magistratu, quàm in Pontifice: itaque refellitur consequentia; à proxima solutione; quæ statuit Pontificem fuisse maiorem: quod si est verum; tum omnino, vel in antecedente peccatum est, vel in consequentia. Deinde, si promissiones veteres tantùm fuerunt temporales; nihilque amplius eis sibi religio proponebat; tum oportuit in iisdem temporalibus præferri Pontifices Regibus; quia sunt Religionis moderatores: vt in Nouo; quia subiectum Ministerij sunt promissiones spirituales; omnino in spiritualibus maior dignitas est Pontificum, quàm vllorum principum. Quare iugulabitur Bellarminus suo argumento, tanquam proprio gladio.

XXVIII. Sed omnino negandum in Veteri Testamento promissiones fuisse tantùm temporales. Nam promissiones sunt fructus pietatis: pietas autem aut tota, aut certè præcipua est in animo. Egregiam verò mercedem animi in Deum elati temporalia bona; cum porcis, & canibus communia. Sed vt omittam alia; illud quo totum nititur Vetus Testamentum, *Ego Deus tuus, & seminis tui post te*, quis tam ἀδιάνοος, imò quis est tam [illegible], vt dicat esse promissionem temporalem, & non spiritualem & æternam? Quid remissionem peccatorum dicam? Quid ea[m] expectationem Messiæ? Denique pietas ad omnia est vtilis, habens promissiones huius vitæ, & futuræ. Quo posito, necessariò vel Veterum neganda pietas est, vel concedenda bona vltra hanc vitam.

XXIX. Et immeritò, ac Iesuitica fide in eius caussæ societatem aduocantur Hieronymus, & Augustinus. Longè illis mens sanior. Describo locos: Hieronymi primum. *Addis præterea regnum cælorum etiam in Veteri Testamento repromitti: ponisque testimonia de Apocryphis: quum perspicuum sit regnum cælorum, primum in Euangelio prædicari, per Ioannem Baptistam, & Dominum Saluatorem.* Secundum: *Mihi in Euangelio promittuntur regna cælorum, quæ instrumentum vetus omnino non nominat.* His similem Augustini posteriorem: *Nescio vtrum quisquam in illis libris inueniat nomen regni cælorum, quod tam crebrò nominat Dominus.* Hæc illi nullomodo negantes vllas esse in Veteri Testamento promissiones spirituales: sed dontaxat regnum cœlorum nominari: id est, nomen ipsum in veteribus libris inueniri. Quod quidem perspicuum in duobus postremis: sed ea vis interpretandum illud *prædicari*. Nam ridet Hieronymus Pelagium, qui citauerat librum tanquā ex Veteri Testamento: quem indicat esse Apocryphum, quia in eo legatur regnum cœlorum, quod tantùm in Euangelio prædicatum est, scilicet ipso nomine.

XXX. Sed in eo, si quid est obscurius, illustrabit Augustini locus è quæstione trigesima tertia in librum Numerorum, *Eadem sunt in Veteri & Nouo: ibi obumbrata, hic reuelata, ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solùm sacramenta diuersa sunt: verùm etiam promissa ibi videntur temporalia proponi, quibus spirituale præmium occultè significetur.* Audi eadem vtrobique esse, id est promitti: nam quomodo aliter? Sed diuersa ratione modoque. Ergo & spiritualia. Nam neque forent eadem vbique, sed diuersa: & significatas ratione diuersa res tam diuersas, quis miraretur? Deinde, audin' temporalia proposita: vt non sola? imò verò proposita in significationem spiritualium? nempe vt scirent per illa sibi promitti ista. At hoc qui asserit: quam procul abit à Bellarmino?

XXXI. Ne antecedens quidē negandū erat. Nā argumēta sunt leuissima. Numerorū vigesimo septi-

mo sic habetur: *Stabit coram sacerdote, ac interrogabit eum,* במשפט האורים *in iudicio Vrim* (ego malim *in consuetudine Vrim, hoc est sicut preceptū, & cōsuetudo erat interrogādi Deū per Vrim,* & Tummim) *coram Iehoua: ad verbum eius egredientur, & ad verbum eius ingredientur ipse & omnes filij Israel cum eo, & tota cōgregatio.* Constat igitur de cōsulendo Dei oraculo per summum Sacerdotem, cuius erat Vrim tractare. Propterea illud, *ad verbum eius,* refertur à quibusdam ad Deum proximè nominatum: vt hęc sit constructio, coram Iehoua, iuxta cuius verbum, nimirum quod Sacerdos didicerit per Vrim, Iosue ingredietur, & egredietur. Sed tamen etsi referatur ad Eleazarum, quæ mollior est constructio, significabitur consulendum eum de voluntate Dei, quam ipse inquisiturus esset per Vrim. Porrò qui consulitur, & respondet, non est propterea maior eo qui cōnsulit.

XXXII. In sacrificiis mira Dialectice. Hircus vilior est vitulo: ergo Rex inferior Sacerdote. At primò, quis docuit sacrificia censenda ex pretio: vt quanti constēt in foro pecuario, tanti sit is, pro quo fit oblatio? Secundò, vitulus non tantùm pro Sacerdote; sed etiam pro populo instituitur offerri. Ergo si valet consequentia Bellarmini, rex erit inferior populo: & populus æqualis Sacerdoti: id est, vt interpretatur, summo Pontifici: cur ergo negat Romanus se iudicandum vel ab omnibus? Denique respondeo, agi de rebus sanctis, déq; ipsius Religionis partibus: in quibus maiorem fuisse quemlibet Sacerdotem quolibet etiam rege, rationi consentaneum est: & nos profitemur quemuis Episcopū, imò presbyterum in mysteriis longè antecte regibus, & Imperatoribus: qui tamen iisdem subiiciuntur reipublicæ iure. Nec mens alia Theodoreto, & Philoni; ac ne Procopio quidem: laudatis à Bellarmino.

XXXIII. Philo, Theodoretus, Procopius; iisdem propemodum omnes vsi verbis, primò Principē constituunt infra popolū. Certè Philo scripsit *τὸ ἀρχόμενον τὸ ἔθνος δεῖν πάντα φέρεσθαι, debere potiores partes esse populi quàm principis, ἐπειδὴ τὸ ὅλον τοῦ μέρους ἀεὶ κρεῖττον [illegible], quandoquidem totum parte semper potius videatur.* Procopius: *Hinc colligere licet sacerdotem esse honoratiorem principe, etiam populum maiore dignitate, quàm principem splendere.* Hoc verò sit-ne probaturus Bellarminus viderit: Mihi certè nōn placent, nisi quum maiestas est penes populum. Vtilius sanè concluderes Regibus apud Deum, & semper, & maximè cùm peccata sua confitētur deponendum esse fastū regium, deiiciendúmq; supercilium; vt se homines esse cognoscant. Felicius Pelusiota, Epistola centesima vicesima secunda libri secundi, grauitatem indicari peccatorum; nempe tantundem esse si Sacerdos peccet, quantum si totus populus: *εἰ δὲ μὴ ἴση ἀντίρροπος ἡ ἁμαρτία, οὐκ ἂν τὴν αὐτὴν θυσίαν ἀνάγκη ἐδίδασκεν. Quòd si par non esset peccatum, neutiquam precepisset tandem hostiam offerri.* Denique hoc quicquid est argumenti, mera nititur verisimilitudine, quæ potest multipliciter variari.

XXXIV. A Salomone, tanquam Prophera nō tanquam rege destitutum Abiatarem finxit Bellarminus. Vbi legitur Prophetam autoritatē habuisse in summum Pontificem? maximè deponendum? Ratio autem ridicula: quia legitur factum, vt impleretur verbum Domini. Item, seriòne Bellarminus, an ioco? Nam si seriò: en tibi igitur Prophetas eos milites, qui partiti sunt inter se vestimenta Christi iactis sortibus. Nam id ab iis factum testatur Euangelista Matthæus, capite vigesimo septimo, *vt impleretur quod dictum est à Propheta.* An placet? Imò verò significatur, eo Solomonis facto, hoc est, tum, quū Solomō id fecit, impletum esse id quod antè Deus prædixerat de domo Heli remouenda; secundo capite primi Samuelis.

XXXV. Sextum argumentum: Christiani Imperatores sæpe iudicauerunt ac deposuerunt Pontifices Romanos. Constantius Liberium misit in exilium: Iustinianus Siluerium: Theodoricus Rex Ioannem coniecit in carcerem: Otho primus Ioannem duodecimum deposuit: Henricus tertius Gregorium sextum.

XXXVI. Respondeo: primò: hæc quidem facta sunt: sed quo iure alij viderint. Secūdò: Liberius, & Siluerius, & Ioannes, iniustè pulsi sunt ab Imperatoribus hæreticis. Tertiò: constat bono zelo: sed non secundùm scientiam depositum ab Othone Ioannem duodecimum omnium Pontificum deterrimum. Quartò: Henricus Gregorium non deposuit: sed persuasit, vt cederet: Otho Frisingensis libro sexto, capite trigesimo secundo.

XXXVII. Sed hæc eo iure facta sunt, quo Imperatores præerant Pontificibus: hodie enim, quū contrà factum, vt Episcopus Romanus maior sit Imperatore, non posset Imperator, etiam si vellet maximè, Episcopum Romanum coërcere: vt probatum, quum Maximiliani Imperatoris, & Lodouici Regis Galliæ conatus irritus fuit. Vix vnicus inuentus est nostro sęculo Carolus quintus: qui tamē gessit se, non vt magistratus in subditum, sed vt hostis victor, in hostem debellatum. Eodem, inquam, iure facta, quo olim Constātinus magnus iussit Arium exulare: & Eusebium, & Theognin apud Socratem libro primo, capite quinto: & postea Athanasium, capite vigesimo tertio: item Constantius ter Paulum electum Episcopum Constantinopolitanum; libro secundo, capite quinto, duodecimo, vigesimo primo. Denique, quod Gratianus Demophilo Ariano dixit, libro quinto, capite septimo: *εἰ τὴν εἰρήνην καὶ τὴν ὁμόνοιαν φεύγεις, φεύγειν σε καὶ τῶν εὐκτηρίων τόπων κελεύω. Si pacem & concordiam fugis, fugere te iubeo ab oratoriis locis.* Ne alia colligam infinita exempla; quibus fit manifestum tum temporis sua autoritate vsos palam, & promiscuè in quosvis Episcopos, & abdicandos & in exilium pellendos.

XXXVIII. Itaque nihil est noui, quom dicitur Liberius, Siluerius, Ioannes, iniustè pulsi. Nam quis nescit Imperatores sæpe abuso autoritate? Nemo sanus neget iniustè etiam Athanasium factum exsulem à Constantino, primùm: deinde à Constātio: alios etiam Episcopos Catholicos, cùm ab hoc tum ab aliis, sed non sequitur, ex eo quod quis quid iniustè facit, propterea non habere autoritatem faciendi: hoc enim sequitur duntaxat, abusū eum sua autoritate. Quid enim? Nōnne iniustè Romani Pōtifices absoluerunt Basilidem; Cœlestium, Apiarium? Et tamen non propterea Papistæ ab iis exemplis, argumenta quærunt fulciendo Oecumenico Pontifici: Cur nobis non e inuidentes, si post alia argumenta de iure; nunc à facto ratiocinamur? Solent autem in facto variç esse ipsarum actionum circunstantiæ, aliàs bonę, aliàs malę: sed eas circunstantias non decet attendi. Eiecit, vt dixi, Constantinus Arium, Eusebium, Theognin; hæreticos: eiecit & Athanasium. Confer vtrinque eiiciendi autoritatem potestatémque eandem inuenias: & tamen iustè ille, hic contrà eiectus est. Qui fit? Non sanè quia in

Atha-

Athanasio deficeret potestas: quæ in reliquis sufficiebat. Sed quia, quum æquè Athanasij iudex esset Imperator, ac reliquorum: tamen Athanasij nullum crimen erat: & erat magnum aliorum. Sic de his respondeo: malè eiectos Liberium, Siluerium, Ioannem: sed malè; quia caussa in iis nulla erat exilij: at non, quia in Imperatoribus nulla esset autoritas.

XXXIX. In Othone, zelus ille, qui dicitur ex secundùm scientiam, petitio est principij: quia significat, non licuisse. Verùm habuit Otho satis multa prædecessorum exempla; vnde suum zelum posset scienna confirmare. Nec id solùm: sed etiam sui temporis Ecclesiasticorum iudicium. Apud Luitprandum libro sexto, capite decimo: *Petimus magnitudinem Imperij vestri, monstrum istud nulla virtute redemptum à vitiis, à sancta Romana Ecclesia pelli.*

XL. De Gregorio, viderit Otho Frisingensis. Certè Platina sic scripsit: *Henricus secundus in Italiam cum magno exercitu veniens, habita Synodo, quum Benedictum nonum, Siluestrum tertium, Gregorium sextum, tanquã tria teterrima mõstra abdicare se magistratu coegisset, Suidgerum Bambergensem Episcopum, cui Clementis secundo appellatio fuit, Pontificem creat.* At illud cogere, diuersum est à persuasione. A Platinæ verbis Sabellicus non multum discedit, Enneadis nonæ libro secundo. *Ad hæc verum monstra è medio tollenda, Henricus cum exercitu transit in Italiam: celebri inde Antistitum conuentu, quem Roma habuit, Benedictum, qui Pontificatum vendidit, Gregorium, qui emit, & Siluestrum, qui largitione in paucos dies incessauit, tanquam tria mõstra auersatus, coegit se dignitate abdicare.* Et fortasse vtrumque verum. Nam & consentiunt aliquãdo quidam coacti: nempe quum faciunt de necessitate virtutem, vt loquitur Hieronymus: scilicet, quum vident non posse obsistere, etsi maximè vellent. Quomodo latronum non pauci, quum aguntur in furcas, testantur se ita commeruisse; & sponte scalam conscendunt. Sic potuit Gregorius sextus, qui & Imperatorem cum exercitu videret, & Synodum eius autoritate coactam, cedere Henrico persuadenti, vt sponte cederet, de Magistratu, quem sibi inuito eripiendum sentiret. At hic consensus de argumento nihil minuit.

Cap. XII.

De Canonibus conditis refragante Episcopo Romano.

I. SI Episcopus Romanus esset Oecumenicus Pontifex: ergo non potuissent condi Canones Ecclesiastici, eo refragante. At sunt conditi. Ergo non est Oecumenicus Pontifex.

II. Probatur assumptum: Primò, ex Conciliis Africanis, vbi denegatum est, Zozimo, Bonifacio, Celestino Romam appellari: qua de re antè disputatum est. Secundò, ex historia Canonis eius, quo Episcopus Constantinopolitanus, factus secundus in Patriarcharum ordine, æquatus est, in Ecclesiasticis rebus, Romano. Qui Canon primò conceptus in secundo Oecumenico Constantinopolitano Cõcilio; deinceps cõfirmatus est, in Chalcedonẽsi: obnixè contra laborantibus legatis Romanis: qui Actione vltima, quum quererentur quædam se absentibus constituta, postulauerunt sibi acta recitari. Nam pridie eius diei abfuerant, ex composito, nã alioquin rogati fuerant, vt vellent adesse. Lectus est igitur Canon; quo confirmabantur quæ statuta erant à centum quinquaginta Patribus Constantinopolitanis, de priuilegiis eius throni.

III. Audito Canone, Lucentius Episcopus Romanę sedis vicarius, primum conqueritur Episcopos non sponte, sed coactos subscripsisse. Reclamãt omnes: testãtur neminem fuisse coactum. Iussi sunt vtrique, id est, Legati Romani, & Constantinopolitanus Diaconus Aëtius Canones proferre, hoc est caussam suam tueri. Vtrisque auditis iudices pronũciant in hæc verba: *Ex his, quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque deposita perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum, secũdùm Canones, Antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari. Oportere autem Archiepiscopum Constãtinopolitanum, eisdem primatibus honoris & ipsum dignum esse.* Quibus auditis Episcopi dixerunt: *Hæc iusta sententia: hæc omnes dicimus: hæc omnibus placent: hæc omnes dicimus: hoc iustum decretum.* Intercedunt tamen Legati Romani: *Sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari non debet. Et ideò, quæcunque in præiudicium Canonum, vel regularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, vt circumduci iubeatis: sin aliàs, contradictio nostra his gestis inhæreat: vt nouerimus quid Apostolico viro vniuersalis Ecclesiæ Papæ deferre debeamus: vt ipse, aut de sua sedis iniuria, aut de Canonum euersione possit ferre sententiam.* At hac tamen intercessione non obstãte Episcopus Sebastiæ dixit, *Omnes in sententia vestra magnificentia permanemus.* Denique conclusio: *Viri illustrissimi iudices dixerunt. Quod interloquuti sumus, tota Synodus approbauit.*

IV. Hæc totidem verbis legas in actis Chalcedonensibus. At contrà Leo magnis insurgit animis, vt quilibet aduertere potest in eius Epistolis. Sed astutè: ne suam solam caussam: imò verò, ne suam omnino caussam agere videretur. Nõ enim conqueritur suam dignitatem esse, aut violatam, aut imminutam: sed iniuriam factam Episcopo Alexandrino & Antiocheno, qui facti essent posteriores Constãtinopolitano. Vide Epistolam quinquagesimam tertiam & quartam, atque alias. Parum aut memor, aut peritus gestorum in eo Concilio à suis legatis: nã ij nunquam de Alexandrini, Antiochenisve iniuria, vel verbum fecerant: tantùm cõceptis syllabis Romani dignitatem minui erant conquesti. Quam historiam, quis credat artificio suo carere? Sanè verò plausibilior prætextus erat, quòd doleret suis collegis, quempiam prælatum: quàm sibi aliquem æquatum: maximè, quum primæ ei relinquerentur. Itaque hunc querelæ prætextum Leo putauit sibi potiùs amplectendum.

V. Sed enim hæc Leonis, fortè etiam successorũ eius contradictio pertinax, effecit, vt rursum in Cõcilio Trullensi sanciretur idem Canon. Atque ex eo semper vsus obtinuit, vt Constantinopolitanus secundo post Romanũ loco positus, reliquos præcederet; quod minimè Romanus, aut volebat aut, quod verius, velle simulabat. Nam simulasse, quis non facile coniiciat, qui sciat post iudicatam à Phoca litem inter Romanum & Constantinopolitanum, illúmque huic prælatum, altum deinceps silẽtium fuisse: & Romanos æquo animo tulisse reliquis Constãtinopolitanum præferri, dum sibi postponeretur? Nam in Synodo Nicæna secunda numerantur omnium primi, Petrus Archipresbyter, & Petrus Monachus Legati Romani: proximéque

post eos Tharasius Constantinopolitanus: tū Ioannes & Thomas presbyteri legati Apostolicarum sedium eius, quæ in Oriente est diœceseos. In octaua similiter, quæ Constātinopoli coacta est, Donatus, Stephanus, Marinus legati Romani. Ignatius Constantinopolitanus: Thomas legatus Antiochenus: Helias legatus Hierosolymitanus. Imò ante vtramque in Sexta; quā tamen Photius præcesserat, Theodorus, Georgius, Ioannes legati Romani, Georgius Constantinopolitanus, Petrus legatus Alexandrinus: Macarius legatus Antiochenus, Georgius legatus Hierosolymitanus. Iterum ergo repeto: etsi Leo volebat videri non suam caussam agere, sed aliorum Patriarcharum: tamen eius successores, ex quo suæ sedi consultum viderunt, de reliquis Patriarchis in vtramque autem dormientes securi fuerunt.

V I. Ad ista, quid habent Papistę quod respondeant? Baronius rodit acta Synodi secundæ Oecumenicæ: quibus suppositū illum Canonem de Cōstantinopolitanis priuilegiis audet asserere: homo cui nihil inausum, intactumve, quod cōmodo fieri potuit Romanæ tyrannidis. Argumenta habet: anno trecentesimo octogesimo primo, paragrapho trigesimo quinto. Et anno quadringentesimo tertio, paragrapho decimo quinto. Primum, quòd post Synodum Chalcedonensem Anatolius in hoc negotio Leonem habuerit acerrimum aduersarium: cui tamen nunquam hunc Canonem secūdę Synodi legatur obiecisse. Secundum, quòd Episcopi, qui post hanc secundam Synodum, anno proximo, eodem conuenerunt, quum literas ad Damasum scriberent, de rebus in ea Synodo secunda gestis, huius Canonis mentionem nullam fecerunt. Tertiū, quia aduersatur hic Canon Canoni Nicæno sexto, confirmato in hac ipsa Synodo. Nam, quomodo singulis prouinciis sua iura integra essent seruata, si in præiudicium aliarum vni Constantinupolitanæ tāta sunt collata? Quartum, quia Ioannes Chrysostomus, quum ad Synodum citaretur à Theophilo contra se coactam, ab eóque plures caussæ ferrentur, quare non teneretur sese illi iudicio sistere; tamen hunc Canonem protulit nunquam: sed Nicænum, quo limites Ecclesiarum fuerant definiti.

V I I. Ita quem nodum soluere non possunt, ab Alexandro secare didicerunt. Sed contra, præter ipsorum Canonum editionem; præter acta Chalcedonensia, ac Trullana, testes habemus, Socratem libro quinto, capite septimo: τότε δὲ, ὅρον ἐνομοθέτησαν, ὥστε τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον τὰ πρεσβεῖα ἔχειν τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. Christophorsonus vertit: *Eodem tempore decretum fuit, vt Episcopus Constantinopolitanus proximè & secundum Episcopum Romanum primas propterea obtineret, quòd illa ciuitas noua Roma esset appellata.* Sozomenum libro septimo, cap. 9. qui inter alia decreta hoc numerat: μετὰ τὸν Ῥώμης, τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον τὰ πρεσβεῖα ἔχειν, ὡς νέας Ῥώμης θρόνον ἐπιτροπεύοντα: *Vt post Romanum Episcopum, Constantinopolitanus prærogatiuam dignitatis obtineret, vtpote qui noua Roma sedem gubernet.* Meminit eiusdem decreti Leo, epistolis duabus ad Anatolium, & Pulcheriam, quæ numerantur quinquagesima tertia & quinta. Et meminit quidem Papisticè: hoc est, ita vt fidem minuere teneret: sed meminit tamen, tanquam obiecti ab Anatolio.

V I I I. Ad primum argumentum respondeo, sumi falsū. Nam ex Actis Chalcedonensis Synodi, cōstat Leonis legatis hunc Canonem obiectum fuisse: item ex Leonis Epistolis duabus, iam citatis, constat Anatolium eius Canonis crebram mentionem fecisse. Ad secundum; in ea Epistola Orientales ne aliorum quidem Canonum meminisse; quos tamē editos nullus negat. Itaque loquuntur tantùm de doctrina, & de Episcopis è solio ob hæresin deturbatis, aliísque in eorum locum suffectis. Ad tertiū: nego vllam esse contradictionem: quia si est, vel erit quoad attributum Cōstantinopolitano Patriarchatus gradum; vel quoad honoris locum secundum. At neutro modo vlla est contradictio. Nam Canon Nicænus non numerum definierat Patriarcharum: sed tantùm quattuor nominauerat, quorū Metropoles essent maximè conspicuę: itaque non inter eos diuisus est orbis vniuersus: sed tantùm iis confirmati sui fines, vti iam possidebant. Nihil igitur vetuit nouum Patriarcham adsci. Præterea Canon Nicænus de prærogatiuis honoris nihil constituerat: itaq; non obstabat, quominus sequēs Synodus ea de re decerneret. Ob eā caussam præter Romanum (qui ipse sibi fieri iniuriā non est ausus conqueri) nemo Patriarcharum questus est. Nihil enim Constantinopolitano videbāt tribui, quod sibi derogaretur. Nam fines iurisdictionis salui manebant singulis. Nunquā enim Thracia, finitimęq; prouinciæ subiectæ fuerant Alexandrino; longè dissito: multò minus Antiocheno constituto in vltimo Oriente. Nam, quod ad prærogatiuam honoris, ea pēdebat à sede; id est, à dignitate vrbis: quę, quum sedes esset Imperij, necessaria consequentia præferebatur Alexandriæ, Antiochiæ, reliquis. Ad quartū: Ioannes Constantinopolitanus frustra citasset hūc Canonem: quia hic primatus non obstabat, ne iudicari posset, etiam à Theophilo: qui enim minus, quā vt constitutus esset in throno? Dummodò in Synodo. Itaque vidit vtendum Canone Nicæno potiùs, quo constabat Theophilo nihil licere intra alienam diœcesin. Quanquam etiam, idipsum, quod sibi diœcesin tribuebat, vnde habere poterat, nisi à secundo Concilio? Nam in primo nondum erat Constantinopolis: nedum esset eius Episcopus inter Patriarchas.

Cap. XIII.

Romanus Episcopus subiectus Imperatori, etiam in rebus Ecclesiasticis.

I. NVllus Pontifex Oecumenicus subiicitur Imperatori. At Romanus Episcopus olim subditus erat Imperatori. Ergo Romanus Episcopus non erat olim Oecumenicus Pontifex. Maiorem propositionem necessariam efficit Papistarum doctrina, asserentium tanto maiorem Imperatore Romanum Episcopum esse, quanto Solem Luna.

I I. In assumptione, mitto quod illi contendūt, Imperatorem ipsum subesse Papæ: cùm cōtrà olim creditum sit à Christianis, supra Imperatorē nō esse nisi Deum; quod disertè scriptum reliquit Optatus libro tertio. Sed id mitto tractare. Assumptum igitur probo peculiariter in rebus Ecclesiasticis: nam de aliis actum paulò antè. Primò, quia, quum par in parem nullum habeat imperium, multo minus in maiorem minor. Delegare autem maioris est; aut

certè

certè non inferioris. Fuit igitur Constantinus Imperator non inferior, imò etiam maior Melchiade Romano Pontifice; qui delegatus fuit vnà cum aliis, iudex in caussa Cæciliani contra Donatum à Casis nigris; vt aliàs nobis dictum.

III. Secundò: quia quum non soleat appellari ad minorem; vix etiam ad parem: necesse est Constantinum magnum, non inferiorem, imò potius superiorē fuisse Melchiade Romano Episcopo. Nam postquàm Melchiades cum collegis suis caussa cognita, atque omnibus vtrinque ponderatis rationum momentis, pronunciasset Cæcilianum innocentem, prouocauit Donatus ad Imperatorem: & Imperator admisit prouocationem: deditque iudices, Arelatense Concilium. A quo, quum rursus absolutus esset Cæcilianus, prouocatum est iterum ad Imperatorem: qui tandem iudicauit.

IV. Tertiò: Imperatores quum Concilia conuocabant Oecumenica, solebant ipsum Episcopum Romanum vocare, æquè ac reliquos per totum orbem Episcopos. Vocasse autem ex autoritate, non tantùm precibus inuitasse; constat ex verbis Imperatorum Theodosij & Valentiniani ad Cyrillum de Conuocatione Synodi Ephesinæ: *ἡμεῖς δὲ τούτων πολλὴν ποιούμενοι φροντίδα ἀπαραιτήτως ἠβουλήθημεν. οὐδεμίαν γὰρ πρός τε Θεὸν καὶ πρὸς ἡμᾶς ἀπολογίαν ἕξει, ὁ μὴ πρὸ τοῦ εἰρημένου καιροῦ εἰς τὸν ἀφορισθέντα τόπον σπουδαίως παραγενόμενος, καὶ γὰρ ὁ καλούμενος εἰς ἱερατικὴν σύνοδον, καὶ μὴ προθύμως συντρέχων, οὐκ ἀγαθῆς ἐστι συνειδήσεως δῆλον.* *Ac nos horum negotiorum multam habentes curam, neminem absentem ferre poterimus neque vllam excusationem habebit apud Deum, aut apud nos, qui non statim, condicto tempore, assignatóque loco studiosè adfuerit. Vocatus enim ad Sacerdotalem Synodum, nec alacriter accurrens, conuincitur non benè sibi conscius.* Propterea Leo Epistola decima tertia, ad Pulcheriam Augustam, diligenter & humiliter purgat se, quòd iuxta Imperatoris literas non posset interesse Ephesinæ Synodo. *Nam illud quod pietas eius, etiam me credidit debere interesse Concilio, etiamsi secundum præcedens aliquod exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri: quia rerum præsentium nimis incerta conditio, à tanta vrbis populo, me abesse non fineret; & in desperationem quandam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem caussæ Ecclesiasticæ viderer patriam, & Apostolicam sedem velle deserere. Quia igitur ad publicam vtilitatem pertinuisse cognoscitis, vt salua clementia vestra venia, charitati me & precibus ciuium non negarem, in his fratribus meis, quos vice mea misi, me quoque adesse cum cæteris qui affuerint, æstimate.*

V. Quartò: Quia quum agerent apud Imperatorem Episcopi Romani, etiam de rebus Ecclesiasticis, humiliter supplicabant. Leo ad Theodosium Augustum Epistola vigesima quarta, *Ecce ego, Christianissime & Venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis, implens erga reuerentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiénsque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio iudicemur, obsecramus, coram vnius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, quum ipsa vestri sit custos & auctor Imperij, & coram sanctis Angelis Christi; vt omnia in eo statu manere iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur.* Et ad Pulcheriam Augustam Epistola vigesima sexta, *Quod vt obtinere mereamur* (petebat autem indici ab Imperatore Concilium) *probatissima nobis fidei pietas tua, quæ labores Ecclesiæ semper adiuuat, supplicationem nostram apud clementissimum principem sibi specialiter à Petro Apostolo legationem commissam dignetur asserere.* Et ad Clerum ac plebem Constantinopolitanam, epistola vigesima tertia, *Quoniam oportet vos post diuinum auxilium, etiam Catholicorum principum gratiam promereri, humiliter ac sapienter exposcite, vt petitioni nostræ, qua plenariam indici Synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere.* Adrianus Epistola ad Constantinum & Irenem, quæ est Actione secunda Concilij Niceni secundi, *Vestram mansuetudinem obsecrando, & veluti præsentes genibus aduoluti, & coram vestigia pedum volutando, ego cum fratribus meis, coram Deo supplico, obtestor, adiuro.* Et Epistola ad Tharasium, *Ad vos misi Petrum dilectum nostrum protopresbyterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ: necnon Petrum Abbatem & præsidem, vt ad pedes serenissimorum & piissimorum Imperatorum adducantur, & per Principem Apostolorum Petrum supplicamus, vt cum humanitate, & singulari beneuolentia ab eis recipiantur.* Hæc us temporibus sic Leo: Leo ille non infimus nomine, aut postremus ambitione inter successores Petri. Quæ quis audiat hodie ex eorum ore, qui se eodem fungi munere tam insolenter iactant?

VI. Quintò: Imperator Episcopum Romanum ad se, quum libebat, accersere solebat. Sic Constantius Liberium, teste Sozomeno, libro quarto, capite decimo: *μεταπεμψάμενος Λιβέριον τὸν Ῥώμης ἐπίσκοπον.* *Liberio Episcopo Romano ad se accersito.* Eúmque præsentem sic alloquutus est, apud Theodoretum historiæ libro secundo, capite decimo sexto: *ὑμᾶς καὶ διὰ τὸ χριστιανὸν εἶναι καὶ ἐπίσκοπον ἡμετέρας πόλεως, ἔδοξεν ἐκπέμψαι, καὶ τοῦτο μεταπεμψάμενοι παραινοῦμεν, τῆς ἀπορρήτου ἀπονοίας τοῦ ἀσεβοῦς Ἀθανασίου τὴν κοινωνίαν ἀρνήσασθαι.* Christophorsonus vertit paulò liberiùs. *Nos, quoniam es Christianus, & nostræ ciuitatis Episcopus, ideircò duximus operæpretium te accersere, hortarique vt communionem nefariæ empij Athanasij dementiæ repudies.* Notandum *μεταστείλας* non esse simpliciter *accersere*, sed cum autoritate.

VII. Sextò: quia Imperatores autoritate sua confirmabant, vel infirmabant electum Romanum Pontificem. Platina in Pelagio secundo, *Nihil à Clero in eligendo Pontifice actum erat; nisi eius electionem Imperator approbasset.* Sabellicus Enneadis octauæ libro quinto, *Miserat Gregorium Pelagius Byzantium, vt se apud Principem purgaret, ne sibi noxæ daretur, quòd sine illius assensu passus esset se Pontificem renunciari. Enimuerò irrita erat tunc Pontificis declaratio, nisi eam Imperator suo probasset assensu.* Blondus, Decadis secundæ, libro secundo, *Stephanus quartus Romam ab Imperatore reuersus, breui obiit: eíque successit Paschalis primus: qui quod à clero, populóque Romano absque Imperatoris autoritate, præter obseruatam diu ante consuetudinem, electus esset, ad illum scribens suam innocentiam, à cleri, populíque violentia purgauit.* Krantz, Metropoleos libro secundo, capite vigesimo nono, *Neque mireris, Lector, ab Imperatore constitutum Episcopum. Ferebant hoc illa tempora: quando etiam summorum Pontificum constituendorum, destituendorúmque habebant arbitrium: quod temporum necessitas ferebat.* Eheu immutata tempora! Nunc enim contrà Pontifex irritam credit Imperatoris electionem, quum ipse non confirmarit: & obtinuit, vt dicatur tantùm Electus Imperator; siue Cæsar: non Imperator.

Cap. XIV.

Episcopus Romanus reliquorum collega.

I. SI Episcopus Romanus fuit frater, collega, coepiscopus cæterorum Episcoporum: Ergo non fuit Oecumenicus Pontifex. Est autem verum illud: ergo neque hoc improbari potest.

II. Antecedens tam perspicuum est; quàm notũ meridie solem lucere. Et quidem non tantùm ipse Romanus vocauit reliquos collegas, fratres, coepiscopos suos: nam solent aliquando sic seipsos demittere, qui reliquis præsunt: vt Imperator, suos milites commilitones appellat. Sed, quod non temerè moneo, reliqui Episcopi haud aliter ab initio Romanum salutabant: quod omnino æqualitatis signum est: quum milites nunquam ausi sint Imperatorem suum, tanquam commilitonem salutare.

III. Scribit sæpe Cyprianus ad Cornelium, Lucium, Stephanũ, Romanos. Inscriptio est; *Cyprianus Cornelio fratri salutem. Cyprianus cum Collegis Lucio fratri salutem. Cyprianus Stephano fratri salutem.* Et in cõtextu Epistolarum. Epistola quadragesima prima. *Venerunt ad nos, frater carissime.* Quinquagesima octaua. *Et nuper quidem, frater carissime, gratulati sumus.* Sexagesima septima. *Faustinum collega noster Lugduni consistens, frater carissime, semel atque iterum ad me scripsit.* Sic Cyprianus: nũquam magnificis illis titulis vsus, qui postea inualuerunt. Ad alios etiam de iisdem scribens, collegas itidem nominat. Sexagesima octaua. *Nec rescindere ordinationem iure perfectam potest, quod Basilides Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longè positũ fefellit.* Et paulò post. *Maximè quum iampridem nobiscũ, & cum omnibus Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster sacerdos pacificus & iustus.* Ita semper Cyprianus. Et vicissim. *Cornelius Cypriano fratri salutem.* Et Epistola quadragesima sexta Cornelij ad Cyprianum. *Multa præcesserant ab eis designata, quæ tu quoque à coepiscopis nostris, & literis meis cognouisti.* Optatus libro secundo, *Successit Damaso Siricius hodie, qui noster est socius.* Augustinus Epistola nonagesima. *Domino beatissimo, & honoratissimo fratri S. Innocentio Papæ.*

IV. Et Concilia cùm prouincialia, tum œcumenica. Arelatense in caussa Cæciliani ad Syluestrũ, apud Baronium anno trecentesimo decimoquarto. *Vtinam, frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesses.* Constantinopolitanum apud Theodoretum libro quinto historiæ, capite nono. *Κυρίοις τιμιωτάτοις, ἢ ἀδελφοτάτοις, καὶ συλλειτουργοῖς, Δαμάσῳ, Ἀμβροσίῳ, Βρίτωνι. Dominis obseruandissimis, piissimisque, & collegis, Damaso, Ambrosio, Britoni.* In Carthaginẽsi, Syricius Roman⁹, & Simplicianus Mediolanẽsis, editionis Græcæ, canone quadragesimo octauo, *ἀδελφοὶ καὶ συνιερεῖς, fratres & consacerdotes.* In Concilio post consulatum Flauij Stiliconis, Anastasius Romanus, & Venericus Mediolanensis *ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοί, fratres & collegæ.* In Actis Ephesinis Cyrillus vnà cum Alexandrina Synodo scribens ad Nestorium, *ἰδοὺ τοίνυν ἅμα τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ. Ecce vnà cum Romana Synodo congregata. Κατὰ τὴν μεγάλην Ῥώμην, in magna Roma, προεδρεύοντος τοῦ ὁσιωτάτου ἀδελφοῦ καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Κελεστίνου τοῦ ἐπισκόπου, præside piissimo fratre, & collega nostro Celestino Episcopo, obtestamur te tertio hoc scripto.* Non est opus omnia colligere: nam res est non controuersa. Vnum addam ex annalibus incerti autoris, editis à Pithœo in Scriptoribus coætaneis historiæ Francorum: Synodus Gallica circa annum octingentesimum sexagesimum ad Nicolaum Pontificem. *Scisque nos, non tuos esse, vt iactas, & extollis, clericos, quos vt fratres & coepiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras.*

V. Est ergo certissimum antecedens. Verùm in consequentia hærent Papistæ: inter quos prolixus Pamelius, annotationibus in quartam Epistolam Cypriani. Et respondet variè. Primò: vsos fuisse Veteres Episcopos eo dicendi genere, quòd esset magis comitatis, lenitatis, beneuolentiæ, quàm prophanæ dominationis.

VI. Admitto omen, inquam: ore animóque fauens. Ergo quæ post id tempus inuenta, inuectáque sunt nomina, & in vsu iam plurimis annis; imò aliquot seculis; magis sunt prophanæ dominationis, quàm comitatis, lenitatis, beneuolentiæ. *Sanctissimo ac beatissimo patri, & domino nostro Sixto quinto:* inquit Baronius tomo primo annalium, in Epistola dedicatoria. *Beatissimo in Christo patri, Paulo, Ecclesiasticæ hierarchiæ præsidi:* Pighius in dedicatoria Hierarchiæ Ecclesiasticæ. *Beatissimo patri, ac summo Christianæ religionis antistiti, Pio quinto Pontifici Optimo Maximo:* Sixtus Senensis in dedicatoria Bibliothecæ. *Sanctissimo Domino nostro, Domino Pio, huius nominis quarto, Pontifici maximo, Christique vicario:* Antonius Munchiacenus Demochares in dedicatoria propugnationis historiæ Christianæ religionis. *S.D.N. Paulo V. Pontifici Optimo Maximo; D. Archangelus Rubeus Cremonensis.* Etiam à Regibus. *Sanctissimo Domino nostro, Domino Leoni decimo pontifici maximo:* Henricus Rex Angliæ in dedicatoria assertionis septem Sacramentorum. Et paulò altius repetita memoria. *Reuerendissimo Patri patrum Vrbano:* In Epistola duodecima: *Domino & patri vniuersæ Ecclesiæ in terra peregrinantis, summo Pontifici Vrbano:* Anselmus initio de Incarnatione Verbi Dei.

VII. Hi tituli: hi, inquam, tituli; prophanæ sunt dominationis tituli, quam inuexit in Ecclesiam quo iure, qua iniuria malus ille genius, qui Antichristi negotium agebat. Certè tituli non sunt comitatis, lenitatis, beneuolentiæ. Nam si essent, tum certè maximè in vsu fuissent; quum maximè viguit comitas, lenitas, beneuolentia. Quid igitur? quid agant boni, Christianíque viri? nisi defleant miserandam sortem Ecclesiæ (si tamen Ecclesiæ) quæ à priscorum illorum temporum comitate, lenitate, beneuolentia, subitò sese in prophanam dominationem detrusam videt? Etiam veni, Domine Iesu. Sed si fratris, si collegæ, si coepiscopi nomina, tituli sunt modestiæ Christianam redolentia; non propterea falsa sunt. Itaque dicamus audacter: tum quum reliquum nonnihil apud Romanos erat Christianæ comitatis, lenitatis, beneuolentiæ; tum Episcopi eius vrbis, reliquorum episcoporum erant verè fratres, verè collegæ, verè coepiscopi. At ex quo immanissima illa Oecumenici pontificatus ambitione siuerunt se sollicitari: tũ qui facti sunt patres patrum, Domini Episcoporum, & regum; summi Pontifices, Pontifices Optimi Maximi: desierunt esse Episcoporum Christianorum fratres; & collegæ. Itaque eo nomine nemo illos deinceps iis titulis ausus est salutare. Et tantam mutationem sermo cepetit, vt res ipsæ nihilò sint mutatæ? Credant Papistæ: Catholici nunquam credent.

VIII. Secundò respondet: Si ex nominibus ratiocinandum sit de dignitate cuiuspiam, eodem argumento dicendum erit, negare Cyprianum Episcopos esse, quos fratres tantùm appellare solet, ad Episcopos scribens. Fratris enim nomen ad Christianos omnes pertinere, manifestum est ex Euangeliis, & Paulinis Epistolis.

IX. Ineptissimam

IX. Ineptissimam consequentiam! Nam si omnes Christiani sunt fratres: & inter Christianos Episcopi certè quidam fratres Episcopi: ac proinde, qui frater nominatur, nō statim negatur Episcopus. Nostra autem cōsequentia ex vsu communi desumpta est; quo similiter alij alios compellare solemus. Hic vsus huiusmodi est; vt se maiores quidē quodámodo libenter demittant; & cum inferioribus agentes, æqualitatis nomina non dedignentur. At cōtra vix minores sese maioribus æquent: Sic Imperatores, vt duci, facilè vocent milites suos cōmilitones: sed, qui milites imperatorem suum commilitonem reciproca appellatione vocitarit, nōdum repertus est quisquā. Sic laicos ab Episcopis fratres appellatos, quis nescit? Qui tamen laicus Episcopum fratrem dixerit, nōdum mihi quidem vllus occurrit. Augustinus Epistola octaua: *Domino dilectissimo, & cultu sincerissimo charitatis obsequendo atque amplectendo fratri, & compresbytero Hieronymo.* At contrà; Epistola vndecima: *Domino verè sancto & beatissimo Papæ Augustino, Hieronymus.* Quare, si Episcopo Romano tāto interuallo impares essent reliqui Episcopi: potuisset quidem exempli gratia, Cornelius Cyprianum fratris nomine honorare: sed ineptissimè Cyprianus, hoc ipso nomine Cornelium resalutasset.

X. Et hactenus quidem de fratris vocabulo. Nā de collega res est lōgè manifestior. Nego enim vnquam factum, vt qui in altiori gradu esset; aut ab inferioribus collega appellaretur: aut ipse inferiores sic appellaret. Scio ab Episcopis aliquando presbyteros appellatos συμπρεσβυτέρους, compresbyteros. Cur nō quum ne id quidem Petrus dedignetur? Sed id factum, quia verè vtrique essent presbyteri. At non tantū Episcopos, nemo vnquā presbyter, aut Diaconus collegas appellauit: sed ne Episcopus quidē presbyterum, aut Diaconum. Itaque nec verisimile esset à Papa Romano Episcopos reliquos appellandos fuisse collegas, coëpiscopos: sed omnino absurdum, si eum sit.

XI. Tertiò respondet: Collegas dici, non illos duntaxat, qui eiusdem potestatis sunt; vt duos Cōsules, duos Tribunos: sed & qui eiusdem sunt collegij. Itaque presbyteros Episcoporum collegas dici Concilij Carthaginensis quarti, Canone trigesimoquinto. Et in Concilio Africano, dicuntur omnes Episcopi collegæ Aurelij Carthaginensis: quo tamen inconsulto nihil illis agere licuerit. Ergo potest quis esse collega sui superioris: etsi non ea ratione qua superior.

XII. Sed omnes norūt Latinè collegas eos esse, qui sunt in eodem munere, funguntúrque eodem officio. Possunt quidem in eodem muneris genere varij esse gradus dignitatis, vt duorum Consulum alter erat illustrior; & inter Prætores, vrbanus eminebat. Sed in eodem munere non potest alter alteri subiici. Itaque, quoties alter alteri subiicitur, collegium esse nequit. Nam quod presbyteros Episcoporum collegas appellari notat in Concilio Carthaginensi; primò dico Latinum contextum mihi esse suspectum: quia non is erat tum vsus Ecclesiasticæ politiæ. Sed verè tamen sic appellari potuerūt; qui humana magis cōsuetudine, quā dominica dispositione Episcopis subiicerētur. Itaq; Canon distinguit, quum Episcopus est in Ecclesia; consessūque presbyterorum: tūm enim sublimiorē vult Episcopum sedere: & quum est inter priuatos parietes: tum enim præcipit, vt meminerit Episcopus se esse collegam reliquorum; id est, compresbyterum. Potuit igitur alludi ad primam primigeniámque institutionem; quam inductus vsus corrupisset. De Episcopis collegis Aurelij non est, quod quisquam hæsitet: Nam reuera eius reliqui collegæ erant. Quemadmodum enim, illo inconsulto, reliqui nihil gerere poterant, puta, quod commune esset: sic neque ille reliquis consentientibus: qua de re exstant diserti Canones prisci: & Cyprianus ipse Carthaginensis primas, protestabatur in Concilio: *Neque quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit: aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit: quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium, támque iudicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum iudicare.* Hoc, igitur modo appellati sunt collegæ Aurelij: hoc etiam modo appellantur collegæ Episcopi Romani. Hoc si ille à nobis flecti potest, vt patiatur, non erit nulla emendationis spes.

CAP. XV.

De Creatione Episcoporum.

I. SI Episcopus Romanus esset Oecumenicus Episcopus, ergo omnes Episcopi crearentur ab illo. At falsum posterius: Ergo & prius. Consequentiæ necessitas eadem quæ libro sexto, capite decimo.

II. Assumptionem probant Canones, & exempla. Nam Canones, vt aliàs docui, iubent in singulis prouinciis Episcopos eligi communibus suffragiis Cleri & plebis: tum consecrari à vicinis tribus Episcopis! quorum rituum apud Papistas sola reliqua est consecrationis imitatio: nam electionis ne vmbra quidem. Sed neque consecratio perficitur nisi sua Episcopus diplomata ab Episcopo Romano vel emendicarit, vel emerit. Vide Canonem quartum Nicænum: quo iubetur Episcopum constitui, vel ab omnibus prouincialibus; vel à tribus præsentibus, reliquis tamen per literis consensum testantibus. Vbi non de electione agitur: sed de constitutione, siue inthronisatione: nam id significat καθίστασθαι. Porrò non tantùm Episcopi Romani mentio nulla est; vnde satis liquet ne desideratam quidem eius fuisse aut præsentiam, siue autoritatem: sed etiam hæc adiicitur clausula: τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ: *Eorum gestorum confirmationem pertinere ad Metropolitam.* Vide etiam Antiochenum Canonem decimum nonum: Laodicenum vndecimum, & multos alios.

III. Et hæc de Episcopis in vniuersum. Et fortè non difficulter probabitur aduersariis. Venio ad Metropolitas; quorum, vtpore reliquis tandem prælatorum, dignitas videtur efficere, vt, si quid vnquam Romano iuris fuit, horum saltem ei & eligendorum & consecrandorum deferatur autoritas; vt ab eo pendeat. Sed ne hoc quidē factū. Canō Aurelianēsis Cōcilij tertij tertius: *De Metropolitanorū verò ordinationibus id placuit, vt Metropolitani à Metropolitanis omnibus (si fieri potest) præsentibus comprouincialibus ordinentur, ita vt ipsi Metropolitano ordinandi priuilegium maneat, quem ordinationis consuetudo requirit. Ipse tamen Metropolitanus, à comprouincialibus Episcopis (sicut decreta sedis Apostolicæ continent) cum consensu cleri vel ciuium eligatur.* Habes definitam tum electionem, tum consecrationem. In neutra Romani Episcopi vllum momentum. Itáne fit hodie?

IV. Hactenus Canones. Exemplorum verò finis nullus, aut numerus. Excurrisse semel comperimos Agapetum primum Constantinopolim vsque, atque ibi ordinasse Menam deposito Anthimo: Quod quidem (vt sunt ἀλάζονες Romani, atque φιλοτιμότατοι) non est oblitus iactare; quasi magnum quid suis temporibus accidisset. *Et hoc (inquit) dignitati suæ addere credimus, quod à temporibus Petri Apostoli, nullum alium vnquam Orientalis Ecclesia susceperit Episcopum manibus nostræ sedis ordinatum.* Apud Baronium anno quingentesimo trigesimo sexto. Et quid mirū in tot seculis vnum hoc exemplum dari? Illud magis mirum tātùm vnicum dari: & quidem sexto demum seculo; quum maximè inclinatę essent res Ecclesiasticæ: pristináque sinceritas primò, occultè tētata, postea apertè impugnata; tandem expugnari cœpisset. Sed, vt dixi, vnum hoc habēt exēplum aduersarij: cui nos infinita possimus opponere. Quis enim neget, à Christo, ad illud Agapeti tēpus, fuisse propè infinitos factos Episcopos in Ecclesia Orientali, vt Agapetus loquitur, hoc est, Constantinopoli, Alexandriæ, Antiochiæ, Hierosolymis; inq; Ecclesiis, quę eorum Patriarcharum autoritati suberant? Itaque non est, quod nos ipsos & lectorem fatigemus exemplorum farragine. Sufficiat Krantzij locus ex Metropolis libro secundo: capite vigesimo sexto: *Necdum sedes Apostolica Roma, cuncta sibi Ecclesiarum, vt nunc, iura vendicauit. Metropolitanus cuncta gerebat in prouincia sua.*

V. Sed, quid Episcopos dico, inscio Romano, electos? Plus dico. Episcopatus nouos institutos constat eo non consulto. Imò, non Episcopatus duntaxat, sed etiam Metropolitanos, & primates. Basilius factus Episcopus Cæsariensis Gregorium Nazianzenum creauit Episcopum Sasimorum; qui nullus antea fuerat. Similiter Augustinus Antonium Fussalensem. Et in Concilio Africano legitur Canon, in quo prohibetur dari Episcopum ei ciuitati, quæ nullum vnquam habuerat, absque consensu eius cui suberat: Tam nominato Romano, quàm si nusquam terrarum exstitisset.

VI. Basilio facto Episcopo Cæsariensi diœcesis diuisa est in duas Metropoles. Gregorius in vita Nazianzeni: Βασίλειος ἄρχει τῆς Καισαρέων τοῖς ὕστερον φθόνου δὲ καὶ φιλαρχίας ἐπαυξηθέντων, διαιρεῖται εἰς δύο ἡ Καππαδοκῶν, μέχρι τότε μία γνωριζομένη καὶ ἀντιδιαιρεῖται τῇ Καισαρείᾳ τὰ Τύανα. *Basilius Cæsariensis Ecclesiæ clauum tenebat. Crescentibus autem inuidia & ambitione, diuiditur in duas Cappadocum diœcesis, quæ huc vsque vnica fuerat: & Cæsareæ opponūtur Tyana.* In Conciliorū Carthaginensiū Græcè editorū Canonibus, Canon decimus septimus: Ἤρεσεν, ἵνα ἡ Μαυριτανία Σιτιφένσις, ὡς ᾐτήσατο ἀπὸ τοῦ πρωτεύοντος τῆς Νουμιδικῆς χώρας, ἧς τῇ συνόδῳ ἐχωρίσθη, ἴδιον ἔχῃ πρωτεύοντα συναινούντων πάντων τῶν πρωτευόντων τῶν Ἀφρικανῶν ἐπαρχιῶν, καὶ πάντων ἐπισκόπων διὰ τὸ μακρόθεν ἔχειν ἰδίαν. *Placuit vt Mauritania Sitiphensis, quēadmodū petiit à Primate Numidicæ regionis, à qua separata est autoritate Synodi, proprium habeat Primatem, consentientibus omnibus Primatibus Aphricanarum prouinciarum, & omnibus Episcopis. Et habere conceditur, propterea quod longè dissita est.*

FINIS LIBRI DECIMIQVARTI.

LIBER

LIBER DECIMUS QVINTUS.

DE

TEMPORALI PAPAE POTESTATE.

Caput Primum.

STATVS QVAESTIONIS.

HACTENVS disputatum esto de ea autoritate, quam sibi Romanus Episcopus vendicat in Ecclesiam. Nunc & altera, quam idem sibi arrogat in statum politicum, discutienda. Arrogat autem, tanquam prioris appendicem: sed vt facilè sit videre esse illi [illegible], aut certè [illegible]. Enimuerò vilis esset Oecumenicus Pontificatus, non stipatus hoc satellitio. Nec eis credo posse quicquam quemquam peius optare, quàm vt res rediret, nõ dico ad Petros, Linos, Clemētes, Melchiades, & Syluestros; quibus nihil tutius speluncis, nihil certius catacumbis: sed etiam istis iam securiores clarioresque Damasos, Iulios, Liberios, Leones: qui quanquam extulissent sese tantùm supra omnes Episcopos, *Quantum lęta solent inter viburna cupressi*: tamen & Dominos suos Imperatores agnoscebãt, & ad horum nutum agebantur, ferebantur. Næ isti nostri, illustrem illam seruitutem, quantibvis Sanctitatis nomine decoratã, nemini inuideãt. Sic enim Romę, nõ minus, quã alibi, pietas laudatur & alget.

II. Lucæ 22. dixerunt Apostoli, *Ecce duo gladij hic.* Eo dicto, qui in allegorias totam Scripturam penè transformarunt; induxere sibi in animum, sed & aliis persuasére intelligendas duas potestates, vnam spiritualem, regendæ Ecclesiæ: alteram secularem, siue temporalem administrandæ Reipublicę. Quęsitum autem, vtrum cadat vtraque in vnum eundémque hominem: an verò sint ita non tantùm distinctæ, sed etiam separatæ, vt cui temporalis commissa sit, nihil habeat iuris in spiritualẽ: & contrà, qui spiritualẽ administret, ad eũ tẽporalis non pertineat. Quarũ tamẽ quæstionum illa alterius erit loci. Hæc autem huius.

III. Papistæ plerique decreuerunt vtrumque in suo Papa copulari. Quanquam Salmero latiùs, tomo 13. disputatione 12. de Ecclesia. Non enim soli Papæ hoc quicquid est iuris tribuit: sed communicat omnibus Episcopis. *Tam sacerdotalis*, inquit, *quàm regia potestas collata est Ecclesiæ pastoribus; vt sic regnet Christus in æternum.* Atque hoc ipsum seriò disputat: qua de re aliàs viderimus, Deo dante. Sed quia temporalis etiam in Imperatoribus est & Regibus: ideò rursus quæri cœptum: primò, quomodo sit in Papa, directéne, an verò indirectè; id est, vt aliis verbis idem exprimam, per se, an per accidens: secundò, in vtro maior, an in Papa, an verò in Imperatore, ac rege. Estque pro variis sententiis variè pronunciatum, prout alij aliis plus minúsve aut indulsere, aut adulati sunt Romano Pontifici. Itaque triplicia facta castra Theologorum, Canonistarum, Politicorum.

IV. Priores Theologi, ac Canonistæ consentiunt; Papæ autoritatem in rebus politicis summam esse: ac proinde longè longéque maiorem quàm in vllo principe. Omnes igitur Principes, ei subesse: non tantùm vt admoneri, aut etiam coërceri possint Ecclesiasticis censuris: sed etiam cogi pœnis temporalibus: nempe instituendo, destituendóque, & transferendo regna prout expedire iudicarit.

V. At Theologi, Pontificem negant, vt Pontificem habere directè & immediatè vllam temporalem potestatem: sed duntaxat spiritualem. Indirectè tamen, id est, ratione spiritualis, habere summam autoritatem in temporalibus. Et sensus est; Papam eo ipso quod est Papa, non esse regem, non esse Imperatorem: vt possit eadem gerere, quæ regis sunt aut Imperatoris, in eo regno, eóque imperio: sed posse tamen & regibus, & Imperatoribus

vti pro autoritate sua; si ita commodum existimet Ecclesiæ suæ. Quomodo Imperator ipse non est singularum familiarum δεσπότης, eo ipso quod est Imperator: quare non potest Titij, aut Mæuij fundos vendere pro arbitrio, quomodo ipse Titius & Mæuius, quibus de suo agere licet, quod libet. Nihilominus, si ex vsu sit Reipublicæ, cui præest, non tantùm iubebit vendere: sed & ipse addicet: non tanquam δεσπότης, sed tanquam Imperator. Similiter Papa, eo ipso quod est Papa, non potest de Imperio Germanorum, aut Gallorum regno, statuere pro arbitrio: hoc est, tributa imponere, bella indicere, pacem facere: quæ Monarcharum partes sunt. Sed si quando necessitas postulet Ecclesiæ, iubebit bellum suscipere contra Turcas: imò reges à suo culmine deturbabit, si vel inutiles sint, vel noxij Ecclesiæ.

VI. Canonistarum longè seuerior sententia. Primò, Potestatem iurisdictionis spiritualium & temporalium, immediatam à Deo esse in solo Papa: potestatem verò secularem in Principibus, ad ministerium. Verba sunt Augustini Triumphi. Secundò, Papam vt Papam iure diuino habere plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, in rebus tū Ecclesiasticis, tum politicis. Tertiò, dominium principum translatum esse ad Ecclesiam, & residere in summo Pontifice, vt Vicario summi & veri regis Christi: & ideò posse Pontificem regna iure suo dare quibus voluerit fidelium.

VII. At politici (hoc enim illis nomen paucis his annis datum siue à Theologis, siue à Canonistis, siue ab vtrisque & quidem hæresis facta: sic enim Baronius anno millesimo septuagesimo tertio, paragrapho decimotertio: & Bellarminus in postrema editione suorum operum) neutram sententiam probant: sed docent Romanum Pontificem Iure Diuino; siue Christi institutione nullum prorsus habere rerum temporalium dominium, potestatémve, aut iurisdictionem, siue directè dicas, siue indirectè: siue absolutè, siue respectiuè ad bonum spirituale: neque posse supremos principes ob quantumuis crimen suis dominiis temporalibus spoliare. Itaque his nihil commune est cum Theologis & Canonistis, præterquam quod diligenter protestantur se Pontificem agnoscere caput Ecclesiæ: atque in ea re nolle imminutam eius autoritatem in vniuersam Ecclesiam.

VIII. Hæc illi sic disputant in vmbra. Quid verò Papæ? Audiunt libentissimis patientissimisque auribus, in tantum culmen suam extolli Cathedram. Sic Leo decimus in Concilio Lateranensi sessione octaua, concionantem Balthasarem Delrio audiuit. *Ac ceu Leo rex quadrupedum, tu alter Leo hominum non alter Rex tantùm, sed rex regum, & orbis terrarum monarcha effectus, alias oues quas habes, quæ non sunt de hoc ouili, ad tuum ouile reduceres, allicceres, reuocares. Accingere ergo gladio super femur tuum potentissimè. Nam & tu duos gladios habes, spiritualem scilicet & temporalem.* Nec audiunt tantùm, ab aliis: sed definiunt ipsi. Nō tam accuratè tamen, vt scias, in quam sententiam abeat Canonistarum, an Theologorum: sed tantùm recedere à Politicis. Neglectis enim distinctionibus istis, directè, indirectè, absolutè, respectiuè, vnū pronunciant suum esse vtrumque gladium. Et meritò: nam primò, quomodo habeat, quid interest, dum habeat? Deinde non est tantùm inter eas sententias discrimen, vt tantos Principes (nam & principes appellantur) moueat. Et videntur Theologi, verbis potius amoliri voluisse inuidiam, quàm re potentiam minuere. Nam siue indirectè, siue respectiuè dicant: tamen iudicium totius rei penes Papam relinquunt. Itaque ipse sibi arbiter est, & quando sua illa potestate vtatur, & quousque producat. Quare hoc, vt dicebam, neglecto discrimine pronunciant. Gregorius nonus Epistola ad Archiepiscopum Græcorum apud Matthæum Paris in Henrico tertio. *Illud tantum adiicimus, quod vtrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem ex Euangelica lectione tenemus.* Nicolaus secundus apud Gratianum distinctione vigesima secunda capite primo. Romanam Ecclesiam, *solus ille fundauit, & super Petram fidei mox nascentis erexit, qui beato æterna vitæ clauigero terreni simul & cœlestis imperij iura commisit.* Bonifacius octauus in Extrauagante, *Vnam sanctam*, de maioritate & obedientia, *in hac eiúsque potestate duos esse gladios, spiritualē videlicet & temporalem, Euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis, Ecce gladij duo hic, in Ecclesia scilicet, cùm Apostolis loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis, Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritalis scilicet gladius & materialis.*

IX. Definierunt ergo: nec definierunt solùm: sed & re implere conati sunt. Nam Bonifacius ille octauus in sui Celebratione iciunij, publica pompa ostentauit se primò Papam, secundò Imperatorem. Recitat Krantzius Saxoniæ libro octauo, capite trigesimo sexto. *Vtriusque penes se vnum gladij potestatem manere affirmabat: quod ipso apparatu, in eo qui, vt diximus, tum agebatur in vrbe Iubilæo solenniter fertur ostentasse. Primo quidem solemni die in Pontificalibus apparens populo, Apostolicam illis benedictionem impartitur. Postera autem die Imperiali habitu, insula nihilominus Cæsarea insignis, gladium ante se nudatum iussit deferri, & sedens alta voce testatur, Ecce duo gladij hic.* Eundem scripsisse ferunt ad Philippum quartum Francorum Regem in hæc verba, *Deum time, & mandata eius obserua. Scire te volumus, quod in spiritualibus & temporalibus nobis subes.* Augustinus Triumphus articulo septimo quæstionis primæ de potestate Ecclesiastica, testatur Papam consecrari vt Sacerdotem: & coronari vt regem: festúmque coronationis nunciare omnibus regibus.

X. Hinc toties repetitę Imperatorum Regúmque, non tantùm excommunicationes, sed etiam exauctorationes: etiam nostro seculo Regum nostrorum. Denique autore Barclaio capite decimo tertio de Potestate Papæ, Bellarminus, licet quantum verecundè potuit, & plus etiam quàm debuit Papæ autoritati in temporalibus tribuit: satisfacere tamen non potuit ambitioni imperiosissimi hominis, Sixti quinti, qui se supremam in omnes Reges & principes vniuersæ terræ, cunctósque populos, gentes, & nationes, non humana, sed diuina institutione sibi traditam potestatem obtinere affirmabat in Bulla contra Henricum tertium Franciæ regem. Itaq. parum abfuit, quin omnia eius Bellarmini opera, pontificia censura aboleret. Nimirum indignabatur Sixtus disputari adhuc pro Theologorum sententia, qui sibi vtiliorem credebat Canonistarum.

XI. Hæc igitur cùm inter se pugnantes variè Papistæ disputent, tum verò Catholici omnes vno ore, quamcumque potestatem in Politicis Papa exercet, non dicam in Reges, sed & in priuatum quemlibet; meram esse tyrannidem eius, cuius ambitioni, ne multi quidem orbes satisfacerent: quique religionis nomine immaniter abutitur ad hanc

exatu-

exsaturandam ambitionem: credo sic interpretatus illud Prudentij, *quicquid non possidet armis, religione tenet.* Itaque à Politicis illis, hoc tantùm Catholici differunt, quod attinet ad Ecclesiasticam potestatem, de qua iam satis disputatum.

XII. Scripsere de vtroque Papæ gladio, mihi non sine Theologi, siue Canonistæ, nunc enim vno fasciculo vtrosque comprehendam, Augustinus Triumphus de potestate Ecclesiastica, quæstione prima. Ioannes de Turrecremata, Summæ de Ecclesia libro secundo, capite centesimo decimo tertio, & sequentibus. Thomas Valdensis, Doctrinalis fidei, tomo primo libri secundi, articulo tertio, capite septuagesimo quarto. Albertus Pighius Hierarchiæ Ecclesiasticæ libro quinto. Nicolaus Sanderus de Visibili Monarchia libro secundo, capite quarto. Bellarminus de Romano Pontifice libro quinto. Et contra Barclaium, tractatu de potestate summi pontificis in temporalibus. Thomas Bozius de Signis Ecclesiæ libro decimo, capite duodecimo. Iacobus Gretserus Apologiæ Bellarminianæ tomo secundo, defensione libri quinti. Alexander Carerius de Potestate Romani Pontificis, aduersus impios politicos.

XIII. Contrà autem ex Politicis Papistis habui, Marsilij Patauini Defensorem pacis. Guillelmi Barclai Iurisconsulti, de potestate Papæ, an & quatenus in Reges & principes seculares ius & imperium habeat. Rogeri Vuidringtoni Apologiam Cardinalis Bellarmini pro iure Principum. Item Tractatum de Delicto communi, Iurisconsulti cuiusdam anonymi: quem audio esse Senatorem in Parlamento Diuionensi. Ex Catholicis Caluinum, Institutionis libri quarti, capite vndecimo. Iunium cōtra Bellarmini librum quintum de Romano Pontifice. Sibrandum Lubbertum, de Papa Romano libr. 9. Matthæum Sutliuium de Pontifice Romano lib. 4. Vuitakerum de Pontifice Romano. Petrum Molinæum de Monarchia temporali Pontificis Romani. Ioannem Bedam Iurisconsultum Parisiensem de iure Regum.

Cap. II.

Loci Scripturæ pro vtroque gladio.

I. PVgnant Scripturis, ratione, autoritate. Scripturas videamus. Primus locus Lucæ vigesimo secundo, *Ecce duo gladij hic:* inquiunt Apostoli. Christus respondet, *Satis est.* Hinc Bonifacius octauus concludit vtrumque gladium in Ecclesia esse, id est, in Romano Pontifice. Quod probat tum ipsa professione Apostolorum: *hic sunt duo gladij*: tum Christi responsione, *Satis est*: non enim nimis est.

II. Hic verò specimen est Papisticæ solertiæ: atque id tanto illustrius, quanto pertinacius asseritur à Papa pendere Scripturæ interpretationem. Quid enim reliqui facient; cùm ipse ille promus condus iuris diuini tam fœdè Scripturas torquet? Respondeo, neque gladios hîc vllos esse iurisdictionis vllius: neque hic iudicare Ecclesiam: neque *satis est*, vocem esse approbantis. Gladios enim ambos fuisse materiales. Caietanus. *Fortè demonstrabant gladios patrisfamilias illius domus, qui ibidem erant.* Lyranus. *Dicit autem Chrysostomus, quod illi duo gladij erant duo magni cultelli ad scindendum carnes agni.* Maldonatus. *Existimandum non est militares fuisse gladios: sed rusticos potius, ad secandas res necessarias, gladios secum gestasse, quales latrij, & homines rustici solent. Atque eiusmodi gladio Petrus Malchi auriculam abscidit.* Et confirmatur à mente Apostolorum: qui cùm audissent à Domino, vendendam tunicam & emendum gladium; crediderunt se ad prælium vocari. Lyranus. *Non curarunt Apostoli loqui de sacculo vel pera: sed tantùm de gladiis, quia erant animati ad defensionem sui magistri, licet postea fugerint timore humano percussi*: Imò & à mente Christi. Theophylactus. [illegible] *Inuasionem latrocinantium innuere volens, gladij meminit.* Salmero tractatu quadragesimo septimo tomi noni. *Sicut de sacculo, & pera corporea loquitur, ita etiam de materiali gladio.*

III. Quòd si verum, de materiali gladio vtroque loquutos Apostolos, qui fit verisimile per eos intelligendum in Ecclesia? Et non potius illum ipsū locum vbi numerant? Nam mēs erat, iudicare Domino, se non prorsus imparatos esse ad excipiendam [illegible] illam [illegible]. Caietanus. *Nec dixerunt, Ecce duo gladij nobis: sed in hoc loco: fortè demonstrabant gladios patrisfamilias illius domus, qui ibidem erant.* Brugensis. *Apostoli, intelligentes Iesu præceptoris verba propriè, responderunt præstò sibi esse duos gladios, vt intelligerent, an iudicaret eos sufficere ad resistendum præsenti periculo, nec-ne.*

IV. Illud verò Christi *Satis est*, dupliciter intellectum. Iansenius Concordiæ capite centesimo trigesimo quarto. *Respondit Dominus, Satis est, aut ironicè loquutus, quasi dicat, quia duo sūt, multi sunt, & omnino sufficiūt nobis contra multitudinem quæ veniet contra nos. Aut simpliciter amputans sermonis progressum, quòd videret eos non assequi intentum sensum, quem ob caussas dictas, necdum eis explicandum censuit: vt sic iam responderit Dominus, satis est, quomodo & nos, si quando cum quodam conuersantes, videmus eum non intellexisse, quod dictum est, dicimus, Benè, dimitte.* In posteriori sensu acquiescit Theophylactus, à quo sumpsit, & Caietanus, & Maldonatus, & Salmero, & Lucas Brugensis.

V. Quis ergo Christianus æquo ferat animo ita illudentem Christianis Episcopum? Sed diuertebat scilicet ad allegorias. Cur ergo, inquam, tam secure, Euangelicis nos dictis instruit? Quomodo Gregorius nonus, *Euangelica*, inquit, *lectione tenemus*: quasi totidem syllabis ita legisset. Atqui Euangelica dicta, Euangelicæ lectiones, non sunt allegoriæ: & hæ sunt potius, magnam certè partem, febricitantium somniationes. Sed nimirum Bonifacius ille hunc tantū volebat suæ caussæ prætextum: nam fundamentum in armorum furore potius quærebat: cui tamen Deus maledixit.

VI. Et verò cùm rem paulò diligentius repeto, si allegoriis indulgendum, nihil ego quidem caussę video, cur non illam præferamus, qua contra Hildebrandum, id est, Gregorium septimum in hac ipsa caussa, Henricus quartus vtitur Imperator. Locus est epistola ad Annonem Coloniēsem Archiepiscopū, *Regnum, ac Sacerdotium*, inquit, *Deo nesciente sibi vsurpauit.* (Hildebrādus.) *in quo piam Dei ordinationem conspsit, qui non in vno, sed in duobus duo, id est, regnum & Sacerdotium principaliter consistere voluit: sicut ipse Dominus Saluator in passione sua de duorū gladiorum sufficiētia typica intelligi innuit. Cui cùm diceretur, Ecce, Domine, duo gladij hic: respondit, Satis est, significans hac sufficiente dualitate spiritualem & carnalem gladium in Ecclesia esse gerendum: quibus omne nociuum foret amputandum, videlicet* (hinc iam locus est corruptus) *sacerdotale ad obedientiam regis pro Deo, regali verò gladio ad expellendos*

Christi inimicos Christi exterius: & ad obedientiam Sacerdotij interius, omnem hominem docens fore castigandum, vt ita de alia in aliam caritate tenderetur: dum nec regnum Sacerdotij: nec Sacerdotium regni honore priuaretur. Hactenus ille. Qui & si peccet, cùm gladios mysticos inquirit, pro materialibus, æquè ac Bonifacius: nulla Scripturæ nixus authoritate, nullo etiam ductus purioris Ecclesiæ exemplo: tamen hoc magis Papa delirat, quòd vtrumque gladium supponat in Petri fuisse dominio: quod neque Scriptura docet: nec interpres vllus aduertit: nec fit verisimile. Is enim mos est, vt singuli milites singulis gladiis accingantur. Ideóque & Petrus postea vno tantùm, non duobus vsus est: eique dictum, *mitte in vaginam* non gladios, sed *gladium tuum.* Itaque Carthusianus in decimum octauum Ioannis. *Horum duorum gladiorum, vnum detulit Petrus.* Quod si est, cum quis neget longè esse Imperatoris commodiorem allegoriam: qui vt materialium, sic & allegoricorum gladiorum non vnum, sed duos dominos agnoscit?

VII. Quid? quod Ambrosio incognita hæc politici Ecclesiasticiq; gladij consideratio? Nam ille lõgè aliter philosophatur. *Lex referire non vetat: & ideò fortasse Petro duos gladios offerenti: satis est, dicit: quasi licuerit vsque ad Euangelium: vt sit in lege æquitatis eruditio: in Euangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur: sed non iniquus Dominus: qui cum se posset vlcisci, maluit immolari. Est enim gladius spiritalis, vt vendas patrimonium, emas Verbum, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, vt exuas corpus, & immolatæ carnis exuuiis ematur tibi sacra corona martyrij.* Potuit fortasse alius aliter. Et sanè vix modum aut mensuram habet hoc allegoriarum studium. Quare, quum mihi Bonifacius, gladios suos ingeminat; cur non ego contra clamem, aliam mentem fuisse Christo? Quod si non à Christi mente, sed à suo furore Bonifacius argumentatur, quis me iubebit illi hærere?

VIII. Secundus locus est, illi similis, Ioannis decimo octauo, cùm Petrus percussisset seruum Pontificis maximi: *Reconde,* inquit Christus, *gladium tuum in vaginam.* Ergo, inquit Ioannes de Turrecremata, pertinet dispositio autoritatiua gladij materialis aduersus infideles, hæreticos, schismaticos, & tyrannos, maximè ad Romanum Pontificem, qui dux & pastor, & pugil est populi Christiani. Consequentiam probat Bernardi, & Bonifacij octaui autoritate. Nam hi obseruant Dominum dixisse, gladium tuum. Hinc conficiunt gladium temporalem esse Petri & successoris.

IX. Respondeo negari consequentiam. Nam gladius hic Petri, nulla erat politica potestas: sed temerarius Petri priuati ardor, ad vindicandum Dominum. Carthusianus. *Eduxit eum de vagina, & percussit Pontifica seruum, ex magno amoris feruore, quo Iesum dilexit præ cæteris, volens vlcisci Filium Dei bono zelo, sed indiscreto.* Caietanus in Matthæi vigesimum sextum; & accipere gladium interpretatur propria temeritate vsurpare sibi gladij vsum: & paulo post Petrum dicit non expectata magistri responsione præcipitem vsum esse gladio. Lucas Brugensis in Matthæi vigesimum sextum. *Fecit hoc Petrus, eodem mentis ardore quo cætera, inquit Hieronymus, eodémque zelo quo aliàs Dominum de sua morte loquutum increparat.* Itaque meruit à Domino reprehendi: Matthæi vigesimo sexto. *Quicumque acceperit gladium, gladio peribit.* Quod quidem nunquã diceret Christus de magistratu, qui suo iure gladiũ gestasset. Lucas Brugensis. *Accipere gladiũ dicuntur, qui accipiunt autoritate propria non datum aut commissum legitimè. Vt autem legitimè sit commissus, & legitimè quis eo vtatur ad occidẽdos alios, tria necessaria sunt: autoritas publica: caussa iusta: & iuris ordo. Petro deerat autoritas: nemo ipsi vsum gladij concesserat: non Respublica: non Deus: non Christus filius Dei.* Salmero tractatu decimo septimo tomi vndecimi. *Alij probabilius sentiunt, quod nonnihil in eo facto, peccati commiserit Petrus. Primò, quia à Christo verbis, & facto sanandi, fuit reprehensus. Deinde quia nec iudex erat, nec à iudice potestatem habebat: ideò propria autoritate assumpsit gladium.*

X. Quid ergo? placet-ne hunc gladium esse potestatem politicam? Esto sanè: Sed quo artificio tu mihi hanc probes pertinere ad Romanum Põtificem? Hoc ex specto, vt dicat, siue Bernardus, siue Bonifacius, siue Cardinalis de Turrecremata. Qui inquam possit gladius à Petro temerariè, inconsideratè, nulla autoritate legitima, sed priuato motu vsurpatus, significare potestatem temporalem legitimè, iuréque pertinere ad Episcopum Romanum. Et quidem leuabo onere probandæ consequentiæ à Petro, ad Episcopum Romanum, quam aliàs nullã diximus: Non exigam etiam rationem allegoriæ gladij ferrei, ad autoritatem magistratus. Sed hoc saltem vrgebo, quomodo possit qui gladius nullo iure à Petro euaginatus est: sed temerè, sed inconsideratè: sed neque autore Republica, aut Deo, aut Christo, euincere gladium iure, legitimo siue humano, siue Diuino in manibus Romani Episcopi.

XI. Itaque inexcusabilis est audacia Bernardi, & Bonifacij, qui *gladium tuum,* vrgent: & interpretantur, cuius tu educendi potestatem habes legitimam. Cùm debuerint potius possessiuè exponere: quem tu nunc habes, siue proprium, siue commodatum. Incertum enim vtrum. Lucas Brugensis in Matthæi vigesimum sextum. *Suum, quem ferebat, manu brachióve sinistro: Neque enim verisimile est, gladio accinctum fuisse: quod eorum est, qui magistratum, aut militiam profitentur. Quod gladium habuerit Petrus Chrysostomus cum suis, fuisse putat ex eo, quod mactauerat agnum Paschalem. Cyrillus verò in Ioannem scribens, fuisse putat ex consuetudine regionis, ad abigendas feras aliáque nocumenta: si quæ inuaderent noctu sub dio cubantes.* At hos gladios qui nescit, vt liberè emi à Machætopola, & ideò à quolibet suos dici: ita educendi ius non esse nisi à Magistratu? Tanti interest non quis dicat, sed quid dicat attendere: vt ne facilè præcipites feramur in deuia. De duce, & pastore, & pugile populi Christiani, nihil dico: non enim est necesse nunc denuo in controuersiam reuocare Episcopi Romani potentiam in omnes Christianos.

XII. Tertius locus Ioannis vltimo: *Pasce oues meas.* Cardinalis de Turrecremata exponit pascere, ex Glossa, terrena subsidia, si necesse est subditis prouidendo: aduersariis resistendo, & errantes corrigẽdo. Id autem exigere in Pastore, non tantùm spiritualem potestatem: sed etiã temporalem. Item ex Innocentio 3. capite, *Solita* de Maioritate & obediẽtia: qui se potuisse Imperatorem increpare asserit ex hoc loco. Conclusio. Ergo ex cura pastorali, quam Romanus Episcopus habet super omnes fideles cuiuscumq; status, dignitatis, vel cõditionis, statim datur intelligi, quod apicẽ nõ tantũ spiritualis potestatis: sed etiã temporalis aliquomodo habere dicẽdus est.

XIII. Respondeo, illud *Pasce oues meas.* Primò nihil ad Papam. Esse enim dictum Petro Apostolo. Secundò, nihil ad potestatem secularem. Et hoc proba-

probatur: tum quia his verbis significatur Apostolica dignitas teste Cyrillo in eum locum, *Apostolatus*, inquit, *est renouans dignitatem*: at hæc nihil habet temporale. Tum quia ipsi Papistæ dicunt his verbis datum fuisse Petro, idipsum, quod fuerat ante promissum Matthæi decimo sexto, *Tibi dabo claues regni cælorum*: At claues regni cœlorum, non sunt claues regni terrarum. Denique si hoc quicquam faceret, ad eam potestatem, tum omnino directè, & absolutè hæc promitteretur, non autem aliquomodo; vt loquitur Cardinalis Salmeto in Acta tractatu vigesimo octauo. Negat ex hoc loco, & aliis locis concludi hanc quæstionē. *Quia*, inquit, *illa verba, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et confirma fratres tuos. Et pasce oues meas: Et fiet vnum ouile & vnus pastor, in spiritualibus tantum locum habent.*

XIV. Tertiò; illud de prouidendis terrenis subsidiis, alienum esse ab hoc loco: nisi fortè intelligas de officiis charitatis; quam etiam pastor debet singulis suis ouibus. Ast id proprium non est pastoralis curæ, sed commune Christianæ caritatis. Itaque facilè vident consequentiam esse nullam: Nam si non sint hæc humana subsidia, curæ pastoralis: ergo propterea, nulla est necessaria iurisdictio temporalis: Imò etsi pertineret ad eam curam, tamen non inferret iurisdictionem: alioquin hæc ipsa communicanda esset omnibus Christianis. Rursus, cùm de terrenis subsidiis suppeditandis agitur, non tantùm illud addendum erat, si necesse est, verùm etiā aliud si fieri potest. Nam necessitatē metiri solemus ex parte rei, cui suppeditanda erūt, at hanc potentiam ex parte rei, quæ suppeditatura esset. Ac tum necesse erit vnumquemque respicere suæ vocationis modulum. Sic in primitiua Ecclesia fortè dicat quis, necesse fuisse aliquam autoritatem, quæ coerceret Imperatores, ne in eam sæuirent, sicut tandem factum Constantini tempore: At si Apostolos, si Apostolicos viros respicias, tum id fieri non potuisse: statim dicent ipsi Papistæ. Quid ergo, inquam? illud, *Pasce oues meas*, nónne erat iam dictum Petro? Aut erátne frustra dictum? Imò aliter intellectum. Sic nos hodie, constare his iisdem verbis suum sensum dicimus, etsi nulla sit pastoribus iurisdictio secularis.

XV. Quartò: admitto, ex hac pascendi autoritate, ius esse Episcopo increpandi etiam Imperatoris. Nam Pastorum etiam hæ partes sunt: quomodo Paulus quarto posterioris ad Timotheum: *Increpa in omni patientia & doctrina.* Et primo ad Titum: *Increpa illos durè.* Sed negatur hæc consequentia. Nam neque Timotheus aut Titus vllam habebant iurisdictionem temporale: ac ne Paulus quidem, qui tamen Pontificem tam seuerè increpauit, *Actorum vigesimo tertio.* Cur non etiam Innocentius potuisset Imperatorem durius tractare, si merebatur, vsus sancta seueritate Ecclesiastica?

XVI. Sed hunc eundem locum Bellarminus tractat aliter. Per ea verba data est Petro facultas omnis, pastori necessaria ad gregem tuendum. Est autem ea triplex. Circa lupos; vt arceat quacumque ratione potest: Circa arietes, vt si quando gregem lædant cornibus, possit recludere, ac prohibere ne gregem vlterius præcedant. Circa oues reliquas, vt singulis tribuat conuenientia pabula. Hinc tria conficit argumenta: Primum: Ergo si Princeps aliquis ex oue; aut ariete fiat lupus, id est, hæreticus, poterit eum pastor arcere per excommunicationem: & simul iubere populo nē eum sequatur, ideóque priuare eum dominio. Secundum, si potest pastor arietes furiosos ouile destruentes secludere: Princeps autem est aries furiosus: Ergo poterit eum pastor secludere ab Ecclesia, vel redigere in ordinem ouium. Tertium: Potest pastor ac debet omnes oues ita pascere, vt eis conuenit: Ergo omnibus Christianis ea iubere, atque eosdem ad ea cogere, ad quę quilibet eorum secundùm statum suum tenetur: debent autem Reges seruire defendendo Ecclesiam, puniendóque hæreticos & schismaticos. Ergo potest Pontifex iubere, vt id faciant: ac cogere etiam; per excommunicationem, aliásque commodas rationes.

XVII. Mitto iocularia: Arietes ita petulcos, vt destruant gregem: & vel secludere arietes, vel redigere in ordinem ouium. Quę Bellarminum vix fuisse apud se, significant. Mitto, à Domino, cùm hæc Petro diceret, nullos arietes distinctos ab ouibus. Hæc, inquam, missa facio, & Bellarmino condono. Concedo etiam pastori concessam facultatem omnem necessariam pascendis ouibus, & lupis arcendis, & arietibus coercendis. Sed addo, hanc potestatem, quæcumque tandem est, limitandam ipsa officij pastoralis natura. Sic in iis gregibus, vnde hanc metaphoram sumpsit Spiritus Sanctus, paterfamilias omnem dat potestatem pastori suarum ouium pascendarum, & ab omni iniuria tuendarum: sed quæ pastori competunt: non item quæ pastoris facultatem excedit. Exempli gratia, obnoxiæ sunt oues militum latrocinio, quibus nisi æquali militum numero resistatur, sine dubio pereunt oues suo domino: & tamen non dat Dominus pastori facultatem conscribendorum militum, vt suum gregem tueatur. Item ad aëris iniuriam arcendam; necessariæ sunt caulæ: nec tamen pastori potestatem dat caularum ædificandarum, sed ipse sibi hanc curam reseruat. Et si conseruos Pastor habeat, non concedit ei potestatem Dominus vendendi, abdicandíve illos. Multa possunt similiter considerari. Sic in Repub. etsi Rex proregi omnem concedat potestatem necessariam conseruandæ prouinciæ: tamen excipit impositionem tributorum: institutionem destitutionémque officiariorum, & similia nonnulla, quę excedunt proregis mensuram.

XVIII. His positis, dico, necessariam Pastori potestatem metiendam ex eius officij fine. Et dico, duos esse fines, qui politiam distinguant ab Ecclesia. Vnus est, viuere sobriè, iustè, piè. Alter, tranquillam ac quietam vitam degere. Et hunc quidem Paulus adscribit authoritati Politicę prioris ad Timotheum secundo: illum verò, gratiæ Dei salutari; secundo ad Titum: ac proinde Ecclesię, in qua sola illuxit illa gratia. Nisi manis illud ex quarto ad Ephesios, datos Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores, id est, potestatem Ecclesiasticam, siue spiritualem, *ad coagmentationem Sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi: donec euadamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi: vt ne simus amplius pueri, qui fluctuemus, & circumferamur quouis vento doctrinæ, in hominum alea, veteratoria ad insidiosè fallendū versutia. Sed veritatem sectantes cum charitate, prorsus adolescamus in eum per omnia, qui est caput, nempe Christus.* Cùm igitur sint ita suis finibus distinctæ potestates; dico, non esse eadem vtrique necessaria.

Et quemadmodum potestati politicæ non sunt ea data, quæ necessaria sunt ad coagmentationem Sanctorum: sic neque potestati Ecclesiasticæ, quæ necessaria ad tranquillam & quietam vitam.

XIX. Itaque ad primum argumentum respondeo: primò lupos, non esse tantum hæreticos, sed etiam infideles: & inter hos maximè tyrannos, qui Ecclesiam armis funestis persequuntur: Et generaliter omnes qui gregem vastant, siue vi aperta; vt Matthæi decimo; *Ecce mitto vos, vt oues in medio luporum*: siue falsa doctrina: Matthæi septimo; *Cauete vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.* Iam verò pastoribus concessa esse, quæ necessaria sunt ad lupos arcendos, intelligendum primò, vel vniuersaliter de omni luporum genere: vel specialiter de quibusdam. Illud negatur. Nam tyrannos vi aperta agentes, nulla sua potestate arcere possunt pastores: sic Neroni, sic Maxentio, sic Iuliano, sic ne Constantio quidem vlla in vllo pastore potestas erat resistendi. Quin potius disertè Dominus ad Apostolos: *Ecce mitto vos, vt oues in medio luporum.* Vt oues, inquit, hoc est, primò, vt destitutos omni ratione vestri tuendi. *ὡς γὰρ ἀδύνατον ἐν μέσῳ λύκων ἐμβληθὲν μὴ πάσχειν, οὕτω καὶ ὑμεῖς μεταξὺ τῶν Ἰουδαίων.* *Quemadmodum*, inquit Theophylactus, *fieri non potest vt nihil patiantur oues in medio luporum, sic & vos inter Iudæos.* Euthymius. *Ego qui omnia possum, mitto vos vt mordeamini, ac dilaniemini, neque vlciscamini, aut manus repugnantes obiiciatis.* Secundò, non vt pastores. Nam etsi intra Ecclesiam, ac reliquis fidelibus comparati Apostoli, pastorum locum teneant: tamen quando contra infideles, ac tyrannos negotium, tum oues sunt, hoc est, non magis armati quàm oues. Nullam ergo eis Christus concesserat politicam potestatem.

XX. Quod si specialiter quoddam luporum genus intelligas, puta hæreticos: respondeo, omnem pastoribus concessam potestatem eos arcendi, non quacumque ratione, sed tantùm Ecclesiastica: sic Petrus compescens Simonem Magum, Actorum octauo, *Argentum tuum pereat, qui donum Dei existimasti pecunia acquiri: non est tibi pars, neque sors in hoc negotio: cor enim tuum non est rectum in Dei conspectu.* Et Paulus ad Titum tertio. *Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem deuita.*

XXI. Quare illud Bellarmini: *Poterit pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo ne eum sequantur, ac proinde priuare eum dominio in subditos.* Partim concedo, partim nego. Nam in Principem infidelem, nego vibrari posse excommunicationem: sed tantùm in hæreticum, tum cùm declaratur hæreticus. Secundò, concedo posse iuberi populum, ne principem sequatur. Sed nego posse priuari dominio in subditos principem. Nam illud *sequi*, intelligendum Ecclesiasticè: nempe ne populus Principi iubenti discedere à vera fide, obtemperet: vnde nullam sequi priuationem dominij, certum: Tum exemplo: Nam olim cùm maximè suas plebes Episcopi monerent, ne sequerentur, Constantium Arianum, aut Iulianum Apostatam, nemo tamen illis dominium abrogauit. Tum verò etiam præcepto. Nam Paulus, etsi sciret suo tempore Imperatores esse lupos, tamen iussit orari pro eis: imò & obediri: & quidem hac caussa, quia illi gladium gestant ad terrorem malorum, *ad Romanos duodecimo*, & instituti sunt ad pacem & tranquillitatem vitæ fouendam.

XXII. In secundo argumento, posse à pastore Ecclesiæ arietem gregi noxium secludi, & redigi in ordinem ouium: hoc etiam concedo, sed ratione Ecclesiastica. Ergo secludi per excommunicationem: ergo redigi in ordinem ouium, per seriam pœnitentiam, & absolutionem. Sed redigi in ouium ordinem, nullam infert priuationem dominij. Quin etsi dominus sit iure sui principatus, tamen non ideò non est in ouibus. Nazianzenus oratione decima septima, ad Præfectū. *οἶδ' ὅτι πρόβατον εἶ τῆς ἐμῆς ποίμνης.* *Scio te esse ouem mei gregis.* Sic nimirum Ambrosius Theodosium seclusit: apud Theodoretum historiæ libro quinto, capite decimo octauo Græci codicis: *δέξαι τὸν δεσμὸν ᾧ ὁ Θεὸς, ὁ τῶν ὅλων δεσπότης, ἄνωθεν γίνεται σύμψηφος.* *Subito vinculum: cui Deus ille omnium dominus, supernè calculum suum addit.* Sic Innocentius tertius, Arcadium Imperatorem, vltus est, *ὅτι ἐν καιρῷ εἰρήνης διωγμὸν κατὰ τῆς ἐκκλησίας Θεοῦ ἐξήγειρε*, *quòd pacis tempore persecutionem suscitasset contra Ecclesiam Dei*, deturbato Chrysostomo, substitutóque Arsacio. *Σέ τε κἀκείνην τῆς θείας καὶ ζωοποιοῦ μυστηρίων θείας μεταλήψεως ἀπείργω.* *Te atque illam, vxorem, nimirum, à communione diuina sacrorum mysteriorum arceo: εἰ δέ γε καὶ βίαν τινὰ ἐπιχειρήσετε ποιεῖν, ἐπὶ τῷ λῦσαι τὴν ἀποστολικὴν ταύτην διάταξιν, ἔσεσθε λοιπὸν παντὶ τῷ ἱερῷ συλλόγῳ ὡς οἱ τελῶναι καὶ οἱ ἐθνικοί. Sin autem, quod deprecor, vim cuiquam inferre tentetis ad dissoluendam hanc Apostolicam constitutionem, eritis in posterum vniuerso sacro cœtui tanquam publicani, & pagani.* Sic legas libro octauo Iuris Græco-Romani. Nec aliter Synesius Andronicū, Epistola quinquagesima sexta. *Ἀνδρόνικον τὸν Βερενικέα τὸν κακῇ Πενταπόλεως μοίρᾳ καὶ φύντα καὶ τραφέντα, καὶ αὐξηθέντα, καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς πατρίδος αὐτῆς ὠνησάμενον, μήτε ἡγείσθω τις, μήτε καλείτω Χριστιανόν.* *Andronicum Beronicensem, malo Pentapoleos fato & natum, & educatum, & elatum, atque etiam patriæ magistratum mercatum, ne quis aut censeat, aut dicat Christianum.* Possunt & alia exempla colligi.

XXIII. Nam quod contra Barclaium capite trigesimo tertio, vrget similitudinem Bellarminus: non solùm excludi à grege arietem furiosum, sed alligari, recludi, vt ne possit esse dux gregis: ideóque & principem Christianum destruentem Ecclesiam, alligari vinculis excommunicationis, & includi in angulum dum non finitur regere amplius populos Christianos: primò est ridiculum, cùm ponatur pro fundamento similitudinis, id quod nunquam accidit: imò & dux gregis appelletur, qui nullus est. Non enim nisi per metaphoram: alioquin nullum illius tale: quod tanquam suum venditare possit. Secundò, cùm quæ similia sunt, non vndiquaque sint similia, tum consequentia nulla est necessaria, quæ ἀπὸ τῆς μεταφορᾶς, ad ἀπόδειξιν ducitur, nisi aliunde constet eam esse naturam, quæ est subiectum ἀποδείξεως.

XXIV. In tertio argumento, concedimus, eum, qui præditus est potestate Ecclesiastica, posse singulis Christianis iubere ea quæ secundùm suum statum tenentur præstare: nec tantùm iubere, sed etiam cogere: si modò & iussionem & coactionem intelligamus Ecclesiasticam. Sin autem politicam, negamus vlli omnino pastori id licere. Exempli gratia: negamus licuisse Paulo cogere incestuosum apud Corinthios, ad dimittendam nouercam, aut mulcta pecuniaria, aut carcere, aut exilio, aut mortis pœna: sed tantùm excommunicatione. Quod & factum. Non enim credendum suis vllis partibus Paulum defuisse.

Cap. III.

De capite Ecclesiæ.

I. NEc plura habent è Scriptura. Sequuntur Rationes. Prima Pighij: sed apud eum inuolutissima. Ego bona fide explicabo. Si vnum esse oportet totius Ecclesiæ caput. Ergo laici omnes, id est, Imperatores, Reges, Principes, regna, imperia, ciuiles communitates, & respublicæ etiam, debent ei capiti subesse. Probatur consequentia: primò, quia sunt membra eius corporis, nempe Ecclesiæ. At omnia membra debent subesse capiti. Secundò, quia vt necesse est membra Ecclesiæ omnia communicare inuicem in his, quæ ad fidem religionémque Christi, & finem salutis æternæ, & cœlestis patriæ assequendæ pertinent: ita necesse est omnia regi vnius capitis habenis & imperio, quod singula membra in hac communione contineat, singulis sua præscribat officia, eorundem rationem possit exigere, excessus corrigere, turbas sedare, & pacem tranquillitatémque conseruare.

II. Probatur autem antecedens. Quia nulla potest in vnum multitudo contineri, nisi colligatur vinculo ordinis ad vnum, & per vnũ aliquod principans: quod suum cuique officium præscribat ac moderetur. At Ecclesia est multitudo quæ debet in vnum contineri. Ergo necesse est vt per ordinem ad vnum contineatur. Tum autem, confirmatur argumentum à minori ad maius. Nam si id verum est, etiam in exigua multitudine, vnius ciuitatis, viciniæ, domus: multò magis in infinita multitudine totius Ecclesiæ, ex nullis non gentibus, nationibus, & populis diffusis in orbem terrarum vniuersum, atque alioquin nullo vinculo colligatis. Rursus si verum est in multitudine vnita ad exiguum tempus, multò magis in Ecclesia, quam necesse est conseruari à sui initio ad finem vsque seculi.

III. Respondeo: quia per vnum caput, vnum aliquem hominem intelligunt, non Christum. Primò negari antecedens, vt capite septimo libri decimi huius tomi. Ad probationem primam: concedo multitudinem colligandam vinculo ordinis ad vnum: sed non tamen necessariò vnum hominem: sed vnum finem, vnum bonum, aut quid simile. Quomodo fidelium per vniuersum orbem multitudo colligatur ad vnum finem, vitam æternam: imò vno ordine: nempe fide, spe, charitate. Quid? quod & vnum habet caput; Christum, cuius spiritu animatur, legibus dirigitur? Porrò argumentationes à maiori ad minus, per se non sunt difficiles, & ex dictis solutionem accipiunt.

IV. Secundò in consequentia ambiguum est. Nam subesse ei capiti Imperatores, Reges, Principes, intelligas vel eos qui Reges sunt, & Principes, & Imperatores, quia etiã fideles sint, subesse debere, quatenus fideles; vel eosdem subesse quatenus tales sunt, nempe Imperatores, Reges, Principes. Priori sensu concedi potest argumentum, si vnicum caput supponitur. Nam & nos sic credimus ab obedientia Sacerdotibus præstanda, in rebus sacris, neminem excusari, quæcunque vllius dignitatis prætexto. Sed hoc Papistis non sufficit. At altero sensu, negatur consequentia: nam ne ciuis quidem priuatus, quatenus ciuis, subest Sacerdoti; sed tantum quatenus Christianus, hoc est, in rebus sacris.

V. Ad primam probationem facilis responsio eadem distinctione. Idcóque apparet fallacia accidentis. Quomodo cùm & Aspasiæ, & Conno Socrates operam dabat, sine dubio suberat Aspasiæ, quà studiosus rhetoricę: & Conno, quà musices. Et accidebat eundẽ eloquẽtiæ & musicæ esse studiosũ. Nec erat consequens, quia idem rhetor erat ei musicus, idem etiam discipulus Aspasiæ: ab Aspasiâ vtrumque discere. Sic nulla cogit ratio, vt qui fidelis est & Imperator, idem Episcopo subsit, & quatenus fidelis: & quatenus Imperator. Sicut etsi ægrotans subest medico, & idem est Imperator, non tamen quatenus Imperator subest medico.

VI. Secundę probationi, distinctione etiam satisfit. Nam & in communione continere, & singulis siue præscribere officia, & eorundem rationem exigere, & excessus corrigere, & turbas sedare, & pacem tranquillitatémque conseruare, quis potest legibus Ecclesiasticis: potest & alius legibus politicis. Et hæc distinctio Episcoporum, magistratuúmque officia discernit. Nec potest Magistratus has omnes partes exsequi, vsus autoritate Ecclesiastica: nec contrà Episcopus, assumpta politica persona.

Cap. IV.

De Christi regno temporali argumenta Papistarum.

I. RAtio secunda est Augustini Triumphi articulo septimo quæstionis primæ: Omnis Vicarius Christi habet potestatem regalem & sacerdotalem. At Papa est Vicarius Christi. Ergo habet potestatem regalem & sacerdotalem. Probat maiorem, quia Vicarius Christi habet omnẽ Christi potestatem. Hæc autem fuit non sacerdotalis tantùm, sed etiam regalis.

II. Respondeo, primò negari minorem: neque enim posse esse Christi Vicarium, qui in se nihil habeat Christi: imò qui sit Antichristus, vt Secunda hinc controuersia demonstrabit.

III. Secundò negatur maior. Nimirum, quia falsum est in Vicario omnem esse potestatem, quæ in eo est cuius sit Vicarius: neque id vnquam visum: nunquam auditum. Franciscus à Victoria Relectione quarta, quæ est de Potestate Papæ & Concilij, cùm sibi obiectum esset, Vicarium posse quicquid potest principalis, *Ad quintum*, inquit, *respondetur, quod verum est, quod Papa est Vicarius & Legatus Christi, & nego consequentiam. Non enim infertur, est Vicarius Christi, ergo potest quicquid potest Christus, nec vnquam aliquis tribuit hanc licentiam Papæ.* Est enim proprium hæredis, siue successoris. At Christo nullus fuit vnquam aut hæres, aut successor: nedum Papa. Et probatur non esse in Vicario omnem potestatem, quia omnes Episcopi sunt Vicarij Christi: & tamen non habent omnem Christi potestatem: nam, vt reliqua taceam, saltem non sunt totidem Papæ. Nec verò iis vindicatur vel à Papistis potestas regia.

IV. Tertiò quod subsumitur de Christi regia potestate, distinguendus necessariò Christus est, qua Deus, & qua Mediator. Nam qua Deus est, cæ-

tum protsus est fuisse semper, & futurum in æternum summum absolutúmque Dominium in vniuersas creaturas; id est, perfectè regiam potestatem. Sed nihil id ad præsens institutum: Christi enim sic, quâ Deus est tantùm, nemo vllum vnquam finxit esse Vicarium vnum: & reapse falsum est in quenquam vnquam hominem translatum fuisse id vniuersale dominium: neque adeò ipsi Papistæ sunt ausi suum Papam hoc titulo decorare.

V. At Christum, quâ Mediator est, habuisse regiam potestatem controuersia est, in quâ ne ipsi quidem Papistæ consentiunt inter se, nedum cum Catholicis. Disputarunt Armacanus in quæstionibus Armeniorum libri secundi capite decimoquinto & decimo sexto. Thomas Valdensis Doctrinalis fidei, tomo primo, libri secundi, articulo tertio, capite septuagesimo sexto & septimo. Ioannes de Turrecremata summæ de Ecclesia libro secundo, capite centesimo decimo sexto. Almainus de potestate Ecclesiastica, capite octauo. Gregorius de Valentia in tertiam Thomæ disputationis primæ quæstione vicesima secunda, puncto sexto. Vasques in tertiam Thomæ disputatione octuagesima septima.

VI. Regnum non eadem notione semper vsurpatur: alias enim spirituale est, siue cœleste; nimirũ quod non tantùm est à cœlo tanquam causa, sed etiam in cœlestem modum, alienum à terrena ratione regum: habens scilicet subditos, quorum conuersatio sit in cœlis. Et hoc modo regem esse Christum, etiam in quantum est mediator, prolixè concedũt, quicunque sani sunt in fide. Verùm ne hæc quidem pars attinet ad hanc controuersiam.

VII. Superest itaque regnum temporale, siue terrenum: non tam ab origine, nam hoc etiam cœlitus institutum est, quàm à forma regiminis, quæ tota est in obiecto, & subiecto tẽporali, terrestrique: rationem eorum gubernandi remotam ab illa cœlesti: & in homines exercitur, quatenus sunt habitatores terræ, & in terra cœtus societate copulati. Et hæc ipsa iam quæstio est, vtrum Christus quatenus Mediator habuerit penes se potestatem regiam terrestrem. Asserunt alij: alij distinguunt, negant alij: Catholici sunt in negantibus. Qui affirmant, disputant in hunc modum.

VIII. Caretius capite quinto libri secundi ab vnione hypostatica deducit argumentum: Sicut ea quæ sunt hominis, necessariò propter eam vnionem diuinitati tribuuntur: ita necessariò quæ sunt diuinitatis humanitati adscribi. Itaque dominium, quod est diuinitatis tribui eoam humanæ naturæ, adeo vt dominium illud diuinum, etiam dicatur humanum.

IX. Respondeo hunc Iurisconsultum ridiculè Theologum agere: & ineptè balbutire de communicatione Idiomatum. Nec enim verum, ea quæ sunt diuinitatis, tribui humanitati, aut contra quæ humanitatis, Deitati. Sic nunquam legas Deitatem Christi crucifixam; aut humanitatem infinitam. Nunquam legas, inquam, neque in Scripturis, neque in Patribus. Imò Patres contra Eutychianos constanter disputarunt manere, vt naturas sic proprietates distinctas. Quid ergo? Nempe istud verum. Quæ sunt vnius naturæ, dici de toto Christo ab altera natura denominato. Deus est crucifixus: Ille homo est ab æterno. Ratio satis manifesta. Quia per nomina, hominis, & Dei in cõcreto, vt loquuntur, tota persona significatur, cui aliquid competit. At per nomina humanitatis, diuinitatis, quæ abstracta dicunt, indicantur respectus secundùm quos id competit, vt qui hominem immortalem dicit, aliud dicit, quàm qui hominis corpus immortale. Nam illud verum: hoc falsum; illud significat suppositum, in quo inuenitur aliquid secundùm quod dicatur immortale: At hoc significaret illud aliquid. Falsum autem hominem dici immortalem secundùm corpus, sed tantùm secundùm animam.

X. Iam vero in hac distinctione; illa quâ Deus, quâ homo; ita personam Christi significant, vt simul connotẽt respectus varios in eadem persona, id est, diuersas naturas, secundùm quas aliquid de Christo dicimus. Itaque est quidem verum, hominem illum esse dominum totius mundi: sed non est verum, quâ est homo. Hoc est, vt retineam ipsam Caretij phrasin, non est verum dominium illud tribui humanæ naturæ, quod est proprium diuinæ. Quanquam ego maledicere, Christum, quâ incarnatus, quàm quâ homo est: quia non tantùm alteram eius naturam volui: sed potius ipsum Mediatoris officium, propter quod incarnatus est: & secundùm quod nego vllum esse illi regnum temporale. Quanquam, non esse πάλιν τὸ διὰ μέσον, libens concedo.

XI. Triumphus arguit à Natiuitate, à Conuersatione, à Passione, à Resurrectione. Caretius etiam aliis argumentis. Illa videamus. In Incarnatione apparuisse ait hanc temporalem potestatem: quia natus sit ex Tribu Iuda secũdùm carnem, ea autem erat regalis. In Conuersatione, quia Matthæi decimo septimo, dixit, filios regni, esse liberos à tributo: Hieronymus autem eodem loco dicat, Dominum, & secundùm Spiritum, & secundùm carnem fuisse filium Regis. In Passione; quia intrans Hierusalem, regalem reuerentiam suscepit ab Apostolis sternẽtibus vestimenta, & ramos arborum in via. Vnde Zachariæ nono, *Ecce Rex tuus venit tibi, mansuetus, sedens super asinam, & pullum eius.* In Resurrectione, denique potestatem regalem exeruit, in Diaboli expoliatione, quando multa corpora sanctorum surrexerunt cum eo.

XII. Verùm nego quicquam ostentatum à Christo fuisse, quod redoleret regnum temporale. Natũ ex Tribu regia non imus inficias. Sed natum ne negent etiam ex ea Tribu, vnde sceptrũ erat ablatum. Geneseos quadragesimo nono, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Siloh.* Ideóq; non tantùm iussisse reddi Cęsari, quæ essent Cæsaris: & fugisse, cùm videret futurum, vt in regem eligeretur, & recusasse iudicium herciscundæ familiæ: sed etiam negasse regnum suum esse ex hoc mundo. Imò & assumpsisse formam non hominis tantũ, sed etiam serui. Nempe vt omnibus modis ostenderet, se regiam suam originem non trahere in argumentum regiæ potestatis in seculo.

XIII. Quod autem dixit, filios regum esse liberos à tributo, quod nec Caretius omisit, vt à se probaret, non debere solui didrachmum: ne longius abeam, ipsi Papistæ sic exponunt, vt nihil habeat commune cum regno temporali. Caietanus, *Appellatione regis, non solum proximus rex, puta Herodes: sed supremus potius, puta Cæsar, intelligitur: ita quod liberi sunt filij regis, absque vlla contradictione habetur, quod filij supremi regis sunt liberi: ac per hoc, ego qui sum naturalis Filius æterni regis, qui vniuersum regit, sum liber.* Maldonatus, Christum, *à minori ad maius argumentari: quasi dicat, si filij regis terreni, illi tributum non debent: ego qui Dei Regis regum, Filius sum, nulli regi debeo.* Nec aliter Iansenius: non aliter Lucas Brugensis: non

non aliter Salmero. Præterea non qui se filium dixisse regis, ideo statim regem esse pronuntiat, sed tantùm se iure debere esse regem, si nihil noui accidisset. Atqui hoc noui acciderat, quod prædecessores Christi, ius regnum amiserant, vt diximus. Itaque vt ostenderet reapse se regem non esse, tributum soluit.

XIV. Honorem autem exhibitum Christo ingredienti Hierosolyma, cur nolunt delatum, vt regi Spirituali? Iansenius, capite centesimo decimo Concordiæ, *Summa humilitatis, & plus quàm plebeia fuit, quod alieno, & commodatitio iumento vsus est: quod asello insederit, nihil minus quàm regio vectore, quod pauperum discipulorum vestimentis, non aureis vestibus insederit: stipatus inermibus comitibus, qui pro hastis ac gladiis, arborum ramusculos manibus gestabant. Quo vtique declarabat, aliã esse conditionem regni sui, quàm regnorum huius mundi.* Ergo, inquam, etiam tum, id est, in hac ipsa solẽnitate, discretum erat regnum Christi à regnis mundi. Hoc verò posito, non potest intelligi, quomodo ab hoc ingressu argumentum ducatur ad temporalem potestatem, vt Triumphus voluit. In illud autẽ prophetæ audi Chrysostomum Homilia quadragesima prima in Ioannem. [illegible] *Quare ergo dicit Propheta: Ecce rex tuus venit, mansuetus, sedens super iumento? Quia illud regnum dicit, quod est in cælis: non verò istud.* Præterea Maldonatus in Matthæi vicesimum primum, *Videtur Christus regni sui speciem quòd in humilitate consistebat, ob oculos ponere voluisse.*

XV. Sed illud certè de Diabolo expoliato, & illa multa resurgentium corpora cùm proferret Triumphus, quid cogitabat? Nõn enim pertinent ad regni secularis potestatem. Cui enim vnquam regi seculari datum est, vt suis viribus Diabolum spoliaret? Sed est spiritualis imperij culmen, quod Christo negari non potest. Itaque Triumphus hoc argumento non triumphum meruit, sed [illegible]: Quomodo ille olim, qui conchas in littore colligens subactum iactauit Oceanum.

XVI. At nunc Caterium audiamus, ex Matthæi secundo. Reges sapientes Orientales interrogabãt, vbi esset, qui natus erat, Rex Iudæorum. Ergo Regem confitebantur: imò vt Regem muneribus honorabant.

XVII. Respondeo, non posse negari, fuisse à Magis Regem appellatum Christum. Sed vtrum regem temporalem? Hæc verò quæstio est, nec probatur à Caterio: cõtrà Chrysostomus Homilia sexta in Matthæum, restatur eos accessisse tanquam ad Deum. [illegible] *Propterea sensibile ibi nihil magnum: verùm præsepe, tugurium, mater mendica: vt nudam videas Magorum philosophiam, & scias non tanquam ad purum hominem, sed Deum & beneficum accessisse.* Autor operis imperfecti disertius Homilia secunda, *Si regem terrenum quærentes sic inuenissent, magis confundendi fuerant quàm gaudere: quia tanti itineris laborem sine caussa suscepissent: nunc autem quia cælestem regem quærebant, etsi nihil regale videbant in eo, tamen solius stellæ testimonio contenti gaudebant.* Salmero tractatu trigesimo octauo, tomi tertij: *Quia verò Christus constitutus est Rex, à tempore conceptionis, & post resurrectionem declaratum est regnum ipsius esse planè spirituale & diuinum: sicut ipse dixit, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Propterea volentes eũ regem facere, fugit & latuit, quia regnum eius non erat de hoc mundo, id est, non pendebat ex electione, & voluntate hominum. Erat tamen rex Iudæorum, scilicet credentium, & confitentium eum regem Spiritualem.*

XVIII. Nec ratio deest. Nam si nihil in Christo agnouissent, nisi Iudæorum Regem terrenum, id est, vnius exigui populi, nihil fuisset caussæ, cur ad eum venissent. Imò caussa erat, cur non venirent. Quid enim ad illos attinebat? Imò peccassent in suos reges (Nam reges quod appellet Magos, habet Caterius, ex inepta superstitione) à quibus ad alium transtulissent obedientiam suam, quod crimen est læsæ Maiestatis. Et quidem tanto maius, quia si credimus Chrysostomo, non tantùm exemplo, sed etiam prædicatione suis præiuerint ciuibus, [illegible], inquit, [illegible] *Videntur isti etiam in regione propria facti esse postea ciuium suorum magistri. Qui enim hic nequaquam ista dicere timuerunt, multo hæc ipsa liberius patriæ suæ hominibus prædicarunt.*

XIX. Quinetiam addita adoratio, idem arguit: quia etsi soleant reges terreni adorari; tamen non nisi qui actu reges sunt. Itaque interpretes intelligunt Christum hîc adoratum tanquam Deum. Anselmus, *Et procidentes adorauerunt eum. Non fecerunt Herodi, quod fecerunt puero, quia credunt Verbum in carne.* Autor Sermonis de Stella & Magis apud Cyprianũ, *In loco humili, & supellectile vili Rex regum, & Dominus dominantium inuenitur, cognoscitur, & ab aliis* (an potius ab illis) *adoratur.* Sermone vigesimo nono de tẽpore apud Augustinum, *Illud verò quale est: quod Magi veniũt ad Deum natum: imò ducuntur: positum in præsepio vident, nec apud sensus eorum humilitas natiuitatis reuerentiam diuinitatis imminuit: adorant corporibus, honorant muneribus, venerantur officiis: oculis hominem vident, & Deum obsequiis confitentur.* Et paulo pòst, *Et ideo se magi humiliabant, quia famulari astra cernebant. Deum enim esse cognouerant, cui cælestia seruiebant.* Maldonatus, *Qui hoc loco non aliam quàm vrbanitatis adorationem intelligunt, nimio mihi videntur vrbani. Cur enim tot alios Iudæorũ natos reges nemo peregrè adoraturus venit? Quomodo in stabulo & in præsepi iacentẽ adorant, si nihil nisi hominem cogitũt? Quomodo Herodes se quoque adoraturum dicit? frustrà profectò Deus tam inusitato eos miraculo docuisset, vt solum hominem non etiam Deum adorassent.*

XX. Instat Caterius. Non posse hanc solutionem accommodari historiæ Euangelicæ. Quamobrem verò? Quia Herodes turbatus fuerit, & tota ciuitas. At non propter regem cælestem: ergo propter terrestrem: nempe ex colloquio Magorum, qui talem agnoscebant.

XXI. Sed hoc est ridiculum. Non enim ab Herode ad Magos legitima est consequentia. Fatemur Herodem, omnẽsque Iudæos subitò sibi finxisse regem temporalem; eámque turbationis caussam fuisse. Verùm si illi talem sibi fingere potuerunt: non tamen propterea aut Magi etiam crediderunt: aut res ipsa non habebat aliter. Quomodo etsi cùm Christus loquebatur de carne sua comedenda, Capharnaitæ perperam intellexerunt: non tamen Christus carnem suam voluit ita visui esse, quomodo in macello venditur. Neque si illud de templo destruendo, diéque tertia restituendo Iudæi calumniati sunt, ideò Dominus non intellexit de corpore suo. Barradas. *Cæcus Herodes celsitudinem Christi cælestem esse non videbat: ideò timebat regnum terrenum eis*

putabat, ideò terra sitae metuebat.

XXII. Ratio Caterij secunda ab vsu pulli asinæ, Matthæi vigesimo primo. Nam de didrachmo, & ingressu solenni, nihil est noui, præter ea quæ iam vidimus. Caterius igitur hoc habet proprij. Saluatori noster, mittens discipulos ad accipiendam asinam, & pullum eius, *Ite*, inquit, *in castellum, quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite & adducite mihi: & si quis aliquid vobis dixerit, dicite, Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos.* Hoc verò dominium est, & regia potestas.

XXIII. Respondeo. Lucas Brugensis aliter censet. *Non iubentur nominare Iesum*, inquit, *nec dicere Dominus noster, aut Dominus vester: sed simpliciter, Dominus, vniuersi videlicet, & iumentorum istorum, & dominorum ipsorū, & absolutè omnium: cui proinde non facilè quid negandū est. Dominus appellari voluit, qui sese mox regem, ex diuino decreto, exhibiturus erat expectantibus redemptionem Israel. Visum itaque est Iesu, autoritatem hic exercere regiam, adeòque diuinam, iumentis his duobus ad breuem vsum postulatis.* Fateamur ergo dominium fuisse: sed diuinum: fateamur regiam autoritatem, sed qualem demonstraturus erat paulo post, id est, opinor, in solenni ingressu vrbis: nec demonstraturus omnibus, sed expectantibus redemptionem Israel. Hæc enim describunt, non temporalem potestatem. Nam ea non demonstratur paucis quibusdam: sed ostentatur indifferenter omnibus eius regni incolis.

XXIIII. Ratio tertia, ex Ioannis octauo. Mulier adultera deducitur ad Dominū: vt interrogaretur quid eā esset agendū. Ille respondet, vt qui inter eos esset sine peccato primus, in eā lapides iaceret. Illis omnibus dilapsis, mulieri, *Nemo te*, inquit, *te condemnauit?* Cùmque illa negasset: tum ille, *Neque ego te condemnabo.* Hunc actum Caterius vult esse iudiciarium: nec spiritualem, sed temporalem. Iudicium esse prolatum à Domino, cùm iussisset in eam coniici lapides. Denique non fuisse dicturum, *Neque ego te condemnabo*, nisi in eo fuisset autoritas iniicandi.

XXV. Imò perperam omnia. Nego fuisse actum iudiciarium. Nego prolatum vllum iudicium à Christo. Nego dicturum fuisse Christum, neque ego te condemnabo, si vllam habuisset iudicis secularis potestatem. Certè omnia sumit, sua vnius autoritate fretus Caterius: quasi totidem leges promulgaret. Atqui nemo omnium minus autoritatis agnouit in Christo, quàm Scribæ, & Pharisæi, qui hanc adulteram deduxerunt. Quis igitur credat deduxisse seriò tanquam ad legitimum iudicem? Tum autem, quis credat actus iudiciarios haberi solitos in templo? Nam solebant potius in portis ciuitatis, cùm sui iuris erant Iudæi: tum temporis autem cùm erant sub Romanis, in prætorio. Denique, quis credat ausos deferre Christo iudicium mortis, quod pertineret ad Romanos, tum rerum dominos? Fiat argumentum, ex ipsius Christi condemnatione, & duorum latronum: & ex liberatione Barabbæ: & postea ex Pauli captiuitate, & aliis exemplis. Est ergo certum potius, voluisse Scribas & Pharisæos priuatam Christi sententiam extorquere, ex eâque ansam captare calumniæ.

XXVI. Prolatam iudicij sententiam à Domino, quis vnquam dixit? quis vnquam credat? Nunquam enim iudex auertit cogitationem suam à crimine rei, ad crimina siue accusatorum, siue testium. Neque vllo pacto iustum, illam aut damnari, si alij iusti fuissēt: aut absolui, si ipsi peccatores: quæ suo potius merito censenda erat. Id verò Caterium Iuriconsultum latere non debuit.

XXVII. Sed non dicturum fuisse Christum, *Ego te non condemnabo*, nisi habuisset autoritatem condemnandi, quo argumento docebit? Nam ego contra potius: Si verè iudex fuisset: nunquam fuisse dicturum, Ego te non condemnabo. Debuit enim eo nomine adulteram legitimè conuictam, omnino condemnare. Nam, *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Prouerbiorum decimo septimo.

XXVIII. Ratio quarta: Pilatus regem agnouit, Ioannis decimo nono, *Regem vestrum crucifigam*, inquit: audiitque ob eam caussam à Iudæis, *Non habemus regem nisi Cæsarem*: vnde constat regem intelligi dum temporalē. Item in titulo, quem ne flagitantibus quidem Iudæis voluit mutare.

XXIX. Sed hæc ratio similis est primæ. Nā hic, vt prius, non est verum fuisse Christum regem eo dē sensu, quo aut Pilatus, aut Iudæi regem dixerunt. Atq; ita Deus per homines, nec cogitantes, mysteria sua perficit: *Expedit vt vnus homo moriatur pro omnibus*, ioquiebat Caiaphas, suo quodam sensu prorsus miquo: quod tamen alio sensu diuinum erat opus. Itaque, etsi tam à Pilato, quàm à Iudæis rex sit nominatus, non nisi secularī sensu, qui id tanquam crimen obiicerent (non enim credebant esse regem: sed credi volebant affectatam tyrannidem) tamen verum est Christum fuisse Regem Iudæorum: sed spiritualem.

XXX. Ratio quinta posita est, capite quinto: Si puri homines, morti æternæ addicti, plenam à Deo super hæc inferiora iurisdictionem receperunt, veluti Tiberius, Pilatus, & alij: cur tale dominium illi deo egandum est, quem Pater per se sanctificauit, & misit in mundum?

XXXI. Egregiè. Sic enim Sophistæ è quolibet quidlibet concludunt. Vide ineptiam. Quomodo si diceret: Si puri homines & nequam, vt ille Epulo, diuitias à Deo consequuti sunt, cur non & Christus? Et ne ab hoc ipso discedam argumento: Si Tiberius & Pilatus acceperunt à Deo non tantùm Imperium potentiā, sed etiam actu: cur non & Christus? Nam certè si actu Christus Imperium accepisset, nunquā à Iudæis ita tractatus fuisset. Itaq; ipse Christus, *Regnū meum non est ex hoc mundo: Si ex hoc mundo esset regnū meum, ministri mei, certarent, vt traderer Iudæis: nunc autem regnū meū non est hinc.* Ioannis decimo octauo. Quod si igitur hæ consequentiæ sunt ineptæ, tum profectò Caterius suam doctis nunquam probaturus est. Audiat Christum Lucæ nono, *Vulpes lustra habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.*

CAP. V.

De Regno Christi, argumenta Catholicorum.

I. Contrà arguunt Catholici. Primò, ex Ioannis decimo octauo. Christus, *Regnum meum*, inquit, *non est ex hoc mundo.* Chrysostomus. *τὴν ἐπὶ ... τοῦ Πιλάτου ... τὰς ... ὑποψίας ... Quod conscius Pilatus timuerat, purgat, nempe tyrannidis suspicionem.*

nem. Cyrillus, *Liberauit à formidine Pilatum, qui dignitatem Cæsaris in Iudæa seruare debebat.* Et hoc tam vehemens argomentum. Si enim fuisset temporale regnum Christi, non potuisset purgare. Res enim ipsa clamasset cum Iudæis Ioannis decimo nono, *Quicunque se regem facit, contradicit Cæsari.*

II. Sed rursus Chrysostomus, *εἶτα ἐκ τῶν ὅτι τοῦ κόσμου τούτου ἡ βασιλεία αὐτοῦ οὐκ ἔστιν μὲν οὔ. πῶς οὖν φησιν, ἐκ τοῦ, οὐχ ὅτι ἐνταῦθα οὐ κρατεῖ καὶ ἐπιτάττει· ἀλλ' ὅτι καὶ ἄνωθεν ἔχει τὴν ἀρχὴν, καὶ οὐκ ἔστιν ἀνθρωπίνη· ἀλλὰ πολλῷ μείζων ταύτης καὶ λαμπροτέρα, Nónne est ex hoc mundo regnum eius? Est verò. Quomodo ergo dixit non esse: Non quod non hic imperet: sed quia supernè habet imperium, neque humanum, sed humano longè maius & magnificentius.* Distinguit ambiguitatem. Non esse de hoc mundo dici, vel quasi non regnaret in hoc mundo: vel quasi non regnaret, vt est solitum in mundo. Illo modo non dixisse Christum: sed isto. Paulo aliter Augustinus, sed in eundem sensum: *Hic non ait, regnum meum non est in hoc mundo: sed non est de hoc mundo.* Quid ergo est, non esse de hoc mondo? Chrysostomus diuinum esse. Augustinus, *Quod est enim eius regnum nisi credentes in eum, quibus dicit, De mundo non estis sicut & ego non sum de mundo.* Tractatu quinquagesimo primo in Ioannem, *Non enim rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, vel hostes visibiliter debellandos: sed rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantésque perducat.*

III. Caietanus, *Regna reliqua sunt de hoc mundo, vt partibus eorũ: constãt enim ex dominiis gradibus, statibus, affectibus & effectibus transitorij mundi. Regnũ verò Messiæ non constat ex his, & ideo dicitur non esse de hoc mundo. Nam neque per fidem regnum eius est de hoc mundo: neque quod verè & propriè regnum eius est (quod scilicet in fine mundi manifestabitur) constat ex his transitoriis.* Villagudus, ita ἐργοποιῶν Christum facit loquentem, *Audio, Pilate, Iudæorum clamores, & falsam accusationem, agnoscóque me affectare regnum: sed non tale, quale carnales isti somniant, nec quale calumniatores illi me affectare criminantur. Nam regnum meum non est de hoc mundo: hoc est, regnum meum non est Cæsareum & terrestre, sed cœleste & spiritale. Nihil ergo quod affecto, Cæsarem lædere potest. Nam huius mundi regnum subsistit manu militari, ferreo gladio, seruis ac subditis corporalibus, castris, oppidis, propugnaculis, arcibus, vicis, villis ac prædiis: at spiritale regnum subsistit, stultis huius mundi, carnis impotentia, afflictionibus, iustitia, æquitate, bonitate, gaudio, spiritu, & vita æterna. Regnum mundi exercitu instructo & gladiis defenditur. cœleste verò defenditur verbo, veritate, & sanguinis effusione. Milites enim regis cœlestis suo sanguine veritatem ipsam obsignant, pro qua mortem oppetunt & quo plures sanguinem effundunt, eo illustrius & amplius redditur regnum spiritale. Huius regni cœlestis rex, pro oppidis & habitaculis corda credentiũ habet: quæ non armorum machinis, sed verbo Dei, remissione peccatorum, vna fide, iustitia, bonitate, atque adeo vita æterna reguntur ac defenduntur.* Vide Iansenium Concordiæ capite cẽtesimo duodecimo. Salmeronem tomi decimi tractatu vigesimo sexto. Lucam Brugensem in decimum octauum Ioannis.

IV. Caterius *non dixit,* inquit, *regnum meum non est in hoc mundo, sed de hoc mundo, electione scilicet mundana, aut successione in regno.* Salmero etiam disputatione duodecima de Ecclesia, tomo decimo tertio, *Verus & germanus sensus est: Regnum meum non trahit originem de hoc mundo, sed de cœlo & in cœlum tendit.*

V. Consideremus ergo, quoniam placet, regni originem, & eiusdem naturam seorsum. Quæro igitur verum credant hîc ita negari regnum Christi esse ex hoc mundo quoad originem, vt tamen naturâ esset mundanum: an verò ita esse non ex hoc mondo, vt neque mundanum. Nam hoc quidem nos contendimus: nempe regnum Christi sic totum esse è cœlo, vt sit etiam totum spiritale, siue cœleste. Illud autem esse è cœlo mundanum, negamus. Ratio certa: quia hoc modo non purgasset suspicionem affectatæ tyrannidis. Nam regnum mundanum de cœlis esse dicitur: quum eius constitutio à Deo est immediatè. Atqui Principes perinde habent quoquomodo sibi principatus eripiatur. Sic etsi Dauid electus esset à Deo, erat tamen Sauli inuisus. Item Iehu regno spoliauit Ioram filium Achab. Vt ergo ritè purgaretur suspicio, oportuit Dominum docere, non tantùm se non esse ab hominibus electum: sed etiam non esse à Deo electum ad regnum temporale. Confirmatur authoritate interpretum, qui disertè non originem tantùm describunt, sed etiam naturam huius regni, longè longéque alienam à temporali. Prætereà Christus, vt probaret suum regnum non esse de hoc mundo, vsus est argumento sumpto à natura regni, non ab origine. *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certarent pro me, ne traderer Iudæis.* Hoc, inquam, non est aut ab electione, successionéve, aut aduersus eam: sed est ab natura: nã enim comparata sunt regna huius mundi, vt armis vtantur, & vim vi repellant. Cùm ergo negat suum regnum ita esse, vt vim sibi illatam, sui subditi opposita vi propulsent: eo ipsó ostendit prorsus alterius naturæ esse suum regnum à regnis huius mundi. Itaq; Cateri⁹, Salmeróq; infeliciter agũt Theologos.

VI. Secundum argumentum Catholicorum: Nullum regnum temporale, siue huius mundi est æternum. At regnum Christi est æternum. Ergo regnum Christi non est temporale, siue mundanum. Maior per se nota: nam tempus & æternitas opponuntur. Assumptio probatur, Lucæ primo, *Regnabitque super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Psalmo octogesimo nono, *Et ponam in seculum seculi semen eius: & thronum eius sicut dies cœli.* Danielis septimo, *Et potestas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur.*

VII. Tertium argumentum, Psalmo secundo, *Ego autem ordinatus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.* Sic Augustinus interpretatur Ecclesiam: *quam montem appellat propter eminentiam & firmitatem.* Concordat author Commentariorum in Psalmos, qui Hieronymo tribuuntur. Item Arnobius, Lombardus, *Id est, super Ecclesiam de Iudæis: quæ dicitur mons sanctus, quia prius recepit radios fidei, vt montes prius suscipiunt radios solis.*

VIII. Respondet Caterius: Primi vtriusque regni factam in eo Psalmo mentionem. Spiritualis quidem verbis iam citatis: at temporalis cùm dictum, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Secundò: etsi in eo Psalmo non esset facta mentio nisi vnius spiritalis: tamen non sequi nullum esse temporale: quia sufficit istud ex aliis locis colligi.

IX. At ego, ad primum omnibus illis verbis idem regnum significari spiritale. Augustinus, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Hoc iam temporaliter secundum susceptum hominem, qui sacrificium se se obtulit pro omnibus sacrificiis, qui etiam interpellat pro nobis, vt ad totam ipsam dispensationem temporalem quæ pro genere humano facta est, referatur quod dictum est, postulà*

me, vt scilicet gentes nomine Christiano copulentur, atque ita à morte redimantur, & possideantur à Deo. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam: quas possideas ad earum salutem, & quæ tibi fructificeat spiritalia. Et possessionem tuam terminos terræ. Idem repetitum est. Didymus in Glossa ordinaria. *Mandatorum obseruatione, & in Deum fide, Dei hæreditas efficitur aliquis.* Hesychius ibidem. *Postulat ob carnis submissionem gentes: quia per fidem dominatus est in vniuersa terra.* Tertullianus contra Marcionem libri quinti capite decimo septimo. *Apud illum sunt & diuitiæ hæreditatis in sanctis, qui eam hæreditatem ex vocatione nationum repromisit. Postula de me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

X. In secundo responso, sumit suo periculo nimium securus, ex aliis colligi regnum Christi temporale, etsi non ex isto Psalmo. At nos contrà constanter, neque ex hoc Psalmo, neque ex vllo alio Scripturæ loco.

XI. Quartum argumentum: Si aliquod fuit Christo regnum temporale: Ergo aut Iudaicum, aut Gétile. At non Gentile: neque Iudaicum. Ergo nullum. Non Gentile: nam neq; bello partum, neque electione delatum, neque hæreditate traditum. Nullũ autem regnũ temporale acquiritur, nisi his modis. Non Iudaicũ: nam primò etsi esset Christus ex stirpe regia: tamen ab ea regnum erat ablatum iampridem: deinde, si esset: ergo nihil illud ad Gentes, id est ad Ecclesiam pertineret. Deniq; huc peculiariter illud referendũ, *Regnum meũ non est ex hoc mundo.* Quia trahebatur in suspicionem Christus affectati regni, non Romanorum, sed Iudæorũ, quod erat sub Romanis. Cùm igitur meus sit Christo purgare hãc calumniam, necesse est intelligi, nullum eius esse inter Iudæos regnum temporale. Hoc argumẽtum vrget Gregorius de Valentia puncto sexto quæstionis vicesimæ secundæ disputationis 1. in tertiam Thomæ.

Cap. VI.

De Subalternatione potestatum politicæ, & Ecclesiasticæ.

I. TErtia ratio apud Bellarminum. Omnis superior potestas imperare potest inferiori. At potestas Ecclesiastica est superior, ciuilis autẽ inferior, quando vtraq; est pars eiusdem Reip. Ergo potestas Ecclesiastica potest imperare potestati ciuili. Maiorẽ supponit per se manifestam: itaq; nõ probat.

II. Minorem verò argumentis confirmat tribus. Primum est à subordinatione finium: Quæcunque potestas finem habet subordinatum fini alterius potestatis ea est inferior. At potestas ciuilis habet finẽ subordinatum fini Ecclesiasticæ potestatis. Ergo ciuilis potestas, est inferior Ecclesiastica. Probatur assumptum: Quia felicitas tẽporalis, est finis potestatis ciuilis. At felicitas spiritualis, finis est potestatis Ecclesiasticæ. Ille autem non est absolutè vltimus finis: & ideo referri debet ad felicitatem æternã. Probatur autem maior ex Aristotele, *cap. 1. primi Ethicorũ:* quia ita subordinantur facultates, vt subordinantur fines. Est verò hoc argumentum etiam apud Cardinalem de Turrecremata.

III. Secundum: Eiusdem corporis membra omnia sunt connexa, & dependentia vnum ab alio. At Reges & Pontifices: Clerici & laici sunt vnius corporis mẽbra, nẽpe vnius Ecclesiæ. Ergo sunt alij aliis cõnexi: & alij ab aliis depẽdentes, vel igitur Reges & laici dependent à Põtificibus & Clericis, vel contrà Põtifices & Clerici, à Regibus & laicis. At hoc non: quia non rectè asseritur spiritualia pendere à temporalibus. Ergo illud potius verum: nempe Reges & laicos pendere à Pontificibus & Clericis.

IV. Tertium. Quæcunque potestas tenetur administrationem suam mutare ad alterius commodum, ea inferior est. At terrena potestas suam administrationem, si impediat spirituale bonum, tenetur mutare ad Ecclesiæ commodum, etiam cum detrimento temporalis boni. Ergo potestas ciuilis est potestati Ecclesiasticæ subiecta.

V. Respondeo, superiora inferioráque dici, cùm aliis rationibus, tum præcipuè duabus ad hanc materiam pertinentibus. Dignitate, & subiectione. Dignitate, vt cùm in Republica superiores sunt literati homines, hominibus βαναύσοις, vt cùm in rerum natura Leones superiores sunt Tauris. Subiectione, vt Princeps superior subditis: Medicus ægrotis: Vir vxore: Pater liberis. Itaque priori sensu conceditur præcipui Syllogismi minor: Nam re vera potestas spiritualis longè superior est potestate seculari. Quia certum, spiritualia præferẽda semper corporalibus. Sed negatur maior. Neque enim quæcunque sic est superior potestas imperat inferiori. Neque medicus sutori: neque Iurisconsultus sartori. Neque Imperator Regi, & similia plurima. Imò hac ratione quilibet presbyter superior est quolibet magistratu. Nec tamen quilibet Sacerdos magistratui imperat.

VI. Est autem nugatoria illa Bellarmini limitatio, quãdo vtraque est pars eiusdem Reip. Nam aut vniuersaliter, aut nunquam potestas Ecclesiæ dignior est potestate ciuili. Quia ea dignitas pendet ab vtriusque natura: quæ non variatur pro locorum diuersitate. Sic superior, hoc est, dignior est quicunque Presbyter, etiam Imperatore Turcarum. Ratio, quia quæcunque spiritalia sunt, digniora sunt carnalibus: & Presbyterium spiritale est semper: at Imperium Turcæ numquam non carnale. Alioqnin non esset ea dignitas Sacerdotij nisi per accidens. Huc referenda finium diuersitas: nam finis Ecclesiæ semper est cœlestis: at finis Turcici imperij terrestris. Nec finis cœlestis tantùm præstantior est fine tẽporali inter Christianos: sed absolutè, & sua natura; ideóque etiam fine temporali Imperij Turcici.

VII. Altero sensu, conceditur maior: sed negatur minor. Non est enim verum dignitatem politicam subijci dignitati Ecclesiasticę. Absurditas patet: quia alioquin quilibet Presbyter esset supra Imperatorẽ, quod credo nondum audere Papistas. Et tamen certum non esse plus vitium in hoc argumento pro Pontifice Romano, quâm pro Presbytero: si tamen Pontifex ille conceditur esse in potestatibus Ecclesiasticis. Nisi fortè à minori ad maius. Sed si minus est absurdum, non potest maius esse verum.

VIII. Ad primum argumentum, quo confirmatur minor, respondeo primò, maiorem non esse vniuersalem. Quia quædam subordinantur ἁπλῶς, quædam κατά τι, ἁπλῶς, cùm id quod subordinatur, non est nisi in gratiam eius cui subordinatur: vt ἡ χαλινοποιητικὴ, non est nisi τῆς ἱππικῆς χάριν, & φαρμακεία, τῆς ἰατρικῆς: & Aratio Oeconomiæ: & multa alia. At κατά τι, quum id quod subordinatur, ab eo cui subordinatur, seorsum esse potest: vt Arithmetica, & Geometria sic subordinantur Astrologiæ, vt tamen consistere possint, etiamsi nulla hæc esset. Iam quæ subordi-

ordinantur ἀπλῶς, hæc fateor inferiora esse, & dignitate & subiectione. Itaque ἱππικὴ potest, pro arbitrio imperare τῇ χαλινοποιητικῇ. Hoc autem modo argumentū esset præter Thesin. Iustitiam enim Bellarminus potestatē ciuilem subiectam esse Ecclesiasticæ, non ἀπλῶς, sed tantùm, quatenus vtraque est pars vnius Reip. At hæc subordinatio ἀπλῶς etiā probaret ciuilem potestatem subiici Ecclesiasticæ semper & vbique. Nempe quia est naturalis: & proinde inferret subiectionem καθ᾽ αὑτό. Ea autem quæ subordinantur κατά τι, etsi fortè sint inferiora dignitate, tamen nego esse semper inferiora subiectione. Sic enim Astrologus nihil habet quod imperet aut Logistæ, aut Geometræ. Nec verò Aristoteles dixit ea, quæ subordinantur, subiici iis quibus subordinantur: sed τὰ τῶν ἀρχιτεκτονικῶν τέλη πάντων εἶναι αἱρετώτερα τῶν ὑπ᾽ αὐτά, hoc est, Lambino Interprete, *fines earum artium, quæ principem locum obtinent, earum quæ eis subiectæ sunt finibus, esse optabiliores.*

IX. Ad minorem autem, nego finem potestatis ciuilis subordinari fini potestatis Ecclesiasticæ. Ratio, quia quæ subordinantur, sunt huiusmodi, vt eorum saltem alterutrum non sit absque altero. Sic ἱππικὴ non erit, si τὴν ἱππικὴν auferas. Quia huic illa subordinatur ἀπλῶς. At contrà si auferas Arithmeticam, & Geometriam, Astrologia nulla erit. Atqui non ita finis spiritualis, & finis ciuilis. Quia vt diximus, finis ciuilis est pacatè tranquilleque vitam degere. Spiritualis autem, vniri Christo. Atqui & qui non vniuntur Christo, non tamen non pacatè tranquilleque viuunt: vt Ethnici olim, nunc Turcæ. Et qui nec pacatè, nec tranquillè vitam degunt, non tamen non vniuntur Christo, vt Christiani in mediis persecutionum ardoribus.

X. Enimverò, quod contra Barclaiū Bellarminus ex Paulo arguit, fallit. Paulus preces vult fieri pro Regibus, vt tranquillam vitam agamus. Et addit, in pietate & honestate: vt ostendat, inquit Bellarminus, tranquillitatem vitæ subordinari pietati & honestati, qui finis est potestatis spiritualis. Non est enim ea mens Apostoli. Sed quomodo si mercatores precentur pro regibus, vt tranquillè & pacatè mercaturam possint exercere: & sic singuli bonorum status pro se ipsis. Non id significant subordinari politicam potestatem mercaturæ: sed tantùm velle esse ad mercaturæ securitatem, quæ alter latrociniis fit obnoxia. Similiter in tanto hostium Euangelij furore, non poterant Christiani suæ pietati incumbere pacatè & tranquillè. Oecumenius: [illegible], *Vult pro regibus fieri preces, vt vincant, & permaneant: scientes pacem cum barbaris, valde conferre paci, quam in nobis ipsis habere debemus.* Probatur autem facile non agi hic de subordinatione. Nam Bellarminus tum demum subiectam esse ciuilem potestatem spirituali vult, cùm vtraque est pars eiusdem Reip. Christianæ. At tum hoc non erat: nam Reges erant Ethnici: itaque non erant subiecti, ac proinde neque subordinati pietati.

XI. Concedo, felicitatem temporalem, non esse absolutè finem hominis vltimum. Concedo etiam referri debere ad felicitatem æternam. Sed nego sequi subordinatū esse hunc illi. Nam quis dicat vltimum finem esse τῆς μαγειρικῆς [illegible], & non pnous, τὴν τῆς ψυχῆς [illegible]? Quis neget etiā illam referri debere ad hanc? Et tamen absurdus sit qui dicat coquinariam subordinari eruditioni. Sūt enim non tantùm distinctæ, sed etiam separatæ. Ita tamen, vt optima sit culinæ ratio, quæ maximè se eruditioni accommodet.

XII. Præter hæc omnia, respondeo, hoc argumentum non cōcludere Thesin propositam. Nam ea est, Papam habere temporalem potestatem indirectè: quæ Theologorum est sententia, quam Bellarminus suam facit. At hoc argumentum concludit: Potestatem Ecclesiasticam posse imperare potestati ciuili. Peccatum geminum. Primum, quia imperare potestati ciuili, non est idem quod habere potestatem ciuilem. Quomodo autem Eques imperare potest τῷ χαλινοποιῷ etiam si non sit ipse χαλινοποιός: Et Medicus coquo, etiam si non sit coquus. Sic non sequitur, Papam esse magistratum ciuilem: etiam si posset imperare magistratui ciuili.

XIII. Alterum peccatum, quod ab abstractis concluditur ad Concreta, à potestate, inquam, Ecclesiastica ad Papam: & à potestate ciuili ad Reges. Atqui consequentia non est legitima. Nam etsi Equestris disciplina imperet arti, quæ versatur in frænis conficiendis: tamen non omnis eques imperat cuilibet artifici frænorum: Sic nec quilibet medicus, cuilibet coquo, sed iis tantùm qui sibi subiciuntur: vt coquis regis, solus Medicus regius. Et eques quilibet, ei duntaxat artifici cuius opera vtitur. Quare vt procedat argumentum Bellarmini, probandum est, non tantùm potestatem spiritualem, quæ est in Papa, si est in Papa, imperare posse potestati ciuili, quæ est in Rege: sed etiam hunc regem Papæ, id est, Episcopo Romano subesse. Exempli gratia, Episcopo vrbis Romæ, subesse Regem Galliæ. Nam Ambrosium audio imperasse Theodosio: sed tum duntaxat cū ei fuit subditus: nempe intra Ecclesiæ Mediolanensis terminos: & autoritate tantùm spirituali, non etiam temporali.

XIV. Ad secundum argumentum pro minore: respondeo eiusdem Reipublicæ membra dici, vel καθ᾽ αὑτό vel κατὰ συμβεβηκός. Illa, quæ sui natura, & quatenus hoc sunt, quod sunt, membra sunt eius Reip. vt Consules, Prætores, plebs, Romanæ. Hæc verò, quæ non quà hoc sunt, sed quà aliud, vt Plato Aspasiæ discipulus, non quà ciuis Atheniensis, sed quà Philosophiæ studiosus. Et idem Medicus est ac Geometres: at non Geometres καθ᾽ αὑτό, quod est Medicus: sed κατ᾽ ἄλλο, ac proinde per accidens.

XV. Iam verò Reges, non sunt Ecclesiæ membra καθ᾽ αὑτό, sed κατὰ συμβεβηκός: hoc est, non quatenus Reges, alioquin omnes reges essent membra Ecclesiæ: sed quatenus fideles. Quomodo vicissim fideles sunt vnius Reipublicæ membra, non quatenus fideles, sed quatenus Ciues. Qua ratione autem membra sunt, eadem etiam connectuntur & dependent. In rebus ergo Ecclesiasticis, Imperatores, Reges, Laici dependent à Presbyteris, quia Presbyteri ij sunt, quibus commissa est autoritas regendæ Ecclesiæ. At in rebus politicis, Episcopi, Presbyteri, Laici, pendent à Magistratibus, quibus Reip. cura est commissa. Quomodo Cato, qui senex Græcas literas didicit, quatenus discipulus suo magistro erat auscultans: at quatenus Senator, sibi habebat auscultantem magistrum.

XVI. Itaque, cùm dicit Bellarminus nō rectè as-

sciri, spiritualia pēdere à temporalibus, negatur. Nā spiritualia dicuntur quatenus spiritualia sunt: nempe abstractè: alia, qua homines spirituales. Nec sequitur, si ij, quibus spiritualia sunt commissa, depēdent ab iis quibus temporalia credita: ideo & temporalibus spiritualia subiici. Alioqui, nullus esset Presbyter, qui se non subduceret à magistratu. Enimuerò quis nescit ipsum Dominum nostrum Iesum Christum subiectum fuisse parentibus? Lucæ secundo, *Descendit cum eis, venitque Nazareth: & erat eis subiectus.* Atisti nullam habebant potestatem spiritualem. Quid ergo? dicat-ne aliquis fuisse illis subiectam Christi potestatem spiritualem? Imò cùm de hac agitur, *Quid mihi tecum mulier*, ait Christus ad matrem Ioannis secundo. Quid parentes dico? Imò agnouit ipse Christus Pilatum superiorem. Ioannes decimo nono, *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset superne.* Itaque nihil est absurdi, si quis affirmet spiritualia pendere à temporalibus, si hoc sensu, vt significet eos qui spiritualia tractant, id est, Ecclesiasticas personas, sic enim vocant.

XVII. Ad tertium argumentum pro minore: Teneri aliquem aliquid facere, vel proprio officio, vel alieno imperio. Ex officio, quum meliora doctus & ita persuasus ipse sibi opus imperat. Ex imperio verò, cùm velit nolit, id est, nec doctus, nec persuasus, vi externa impellitur. Teneri Principem temporalem ex proprio officio, nempe meliora edoctū mutare modum administrationis, obstantem pietati, concedunt omnes. Sic enim Constantinus Romanas Aquilas mutauit in Labarum. Et ante eum Alexander Magnus cùm infestis armis Hierosolymam peteret, mentem mutauit viso Iaddo Sacerdote, apud Iosephum libro vndecimo Antiquitatū. Sed hinc elici potestatem temporalem, subiici potestati spirituali, hoc verò nugatorium. Nam nec Cōstantinus vnquam subiectus fuit Episcopis, quatenus Imperator: nec Alexander Iaddo. Teneri verò principem temporalem mutare suū imperandi morem ex alieno imperio, id est, ad mandatum Episcoporum, hoc verò si probetur, inferet subiectionem. Sed falsum est: nec vnquam auditum, ante inuectam Romanam Tyrannidem.

XVIII. Instat Bellarminus: teneri Principem ad hanc mutationem non propter suam Rempublicam, id est, amore maioris boni: sed propter alienā: scilicet vel Ecclesiam: vel etiam aliud regnum. Argumentum ita concipio: Quicumque Princeps tenetur mutare regiminis sui rationem, non propter suum ipsius regnum, sed propter Ecclesiam, vel etiā aliud regnum, si noceat aut Ecclesiæ, aut alterius regni pietati, is est subiectus spirituali potestati. At omnis Princeps secularis, ita tenetur. Ergo subiectus est spirituali potestati.

XIX. Respondeo, primò ineptè dici Ecclesiam aliam esse Rempublicam. Nam hoc prorsus falsum: & ab iis inuectum, qui intenti semper Romanę Tyrannidi, crediderunt, cùm Ecclesia ædificaretur alicubi, in eo regno statui alterum regnum: in ea Republica alteram Rempublicam. Atqui verissimum est vnumquemq; Principem cui obtigit ea Reipublicæ ratio quæ officit Ecclesiæ in suo regno, eam rationem mutare debere, eo ipso quòd suum regnū debet quā optimè instituere, & administrare. Quomodo tenetur eādē rationē mutare si officit mercaturę, si agriculturę: si militiæ. Neq; dari potest cōtrà, aut instantia, aut ratio. Id autem fit non ex cuiusquā superioris mandato: sed proprio officio. Sic omnino Constantinus libertatem concessit Christianis, testatus suo se motu id facere. Exstant literę apud Eusebium libro historiæ decimo, Constantini ac Licinij nomine, ἤδη μὲν πάλαι σκοποῦντες τὴν ἐλευθερίαν τῆς θρησκείας οὐκ ἀρνητέαν εἶναι, ἀλλ' ἑνὸς ἑκάστου τῇ διανοίᾳ καὶ βουλήσει ἐξουσίαν δοτέον τοῦ τὰ θεῖα πράγματα τιμᾶν κατὰ τὴν αὐτοῦ προαίρεσιν, &c. *Cùm iampridem religionis libertatē nemini denegandam esse, sed cuiusque menti & voluntati potestatem permittendam, ritus & instituta diuina, pro sua animi voluntate & arbitrio excolendi, consideraremus: mādatum dedimus, vt cùm singuli alij, tum Christiani, sua sectæ & religionis fidem integrè obseruarent. Sed quoniam in eo rescripto, in quo eiusmodi illis concedebatur facultas, multa sententia dubia & controuersa inesse videbantur, quidam illorum propterea fortasse paulo post præ metu ab illius obseruatione repulsi sunt. Quapropter cùm ego Constantinus Augustus, & ego Licinius Augustus, prospero itinere Mediolanum, perueniremus*, καὶ πάντα ὅσα πρὸς τὸ λυσιτελὲς καὶ τὸ χρήσιμον τῷ κοινῷ διέφερεν, ἐν ζητήσει ἔχοιμεν, *Et omnia quæ ad vtilitatē & commodum Reip. pertinebant, accuratè disquireremus*: ταῦτα μεταξὺ τῶν λοιπῶν, ἅτινα ἐδόκει ἐν πολλοῖς ἅπασιν ἐπωφελῆ εἶναι, μᾶλλον δὲ ἐν πρώτοις διατάξαι ἐδογματίσαμεν, *ista inter cætera, quæ plebi vniuersa perutilia videbantur, maximè omnium decernenda existimauimus.*

XX. Sic in suo quisque regno. Quod autem addit Bellarminus, teneri ad huiusmodi mutationē etiam propter alienum regnum: hoc verò ridiculū est. Nulla enim Respub. officere potest pietati alterius Reip. nisi fortè vi aperta, ac tum pax turbatur. Quo casu Paulus preces vult concipi ad Deum, secundo prioris ad Timotheum, testibus Chrysostomo, & Oecumenio.

CAP. VII.

De Perfectione Ecclesiæ.

I. ARgumentatur postea Bellarminus à Perfectione Ecclesię: idque dupliciter. Itaque quarta ratio esto: Quicquid est necessarium Ecclesiæ ad finem suum obtinendum, id esse debet in Ecclesia. At potestas vtendi, & disponendi de temporalibus rebus est necessaria ad obtinendum Ecclesię finem. Ergo potestas vtendi, & disponendi de temporalibus rebus esse debet in Ecclesia. Probatur maior. Quia omnis Respublica bene ordinata, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum habet omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum. At Ecclesia, est Respublica bene ordinata, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum obtinendum. Ergo Ecclesia habet omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum. Probatur minor: quia alioqui possent mali Principes impune fouere hæreticos, & euertere religionem.

II. Respondeo primò in genere hoc argumentū non esse ad Thesin. Quęritur enim, vtrum Papa habeat vtrumque gladium. Hîc autem concluditur de Ecclesia. Atqui Papa, nō habet quicquā commune cum Ecclesia. Deinde etsi esset in Ecclesia tanquam Episcopus Romanus, tamē nihil ad eum magis pertineret quàm ad quemlibet Episcopum, puta Eugubinum: cùm Episcopatus vnus sit, cuius in solidum à singulis pars tenetur.

III. Ad

III. Ad Syllogismum respondeo negari minorem. Nam si potestas vtendi, disponendique res terrenas est necessaria Ecclesiæ ad obtinendum suum finem. Ergo absque ea potestate Ecclesia nunquam obtineret finem suum. At hoc falsum. Nam Ecclesia tempore Christi obtinuit suum finem: quis enim contra dicat, quin in iunctus sit in Christum? Tum autem patet: nam finis Ecclesię est salus animarum: Itaque si habuit in se quicquid est necessarium ad animas perducendas ad salutem: ergo habet quicquid est necesse ad finem suum. Habuit autem: nam exempli gratia, Iosephus, Virginis maritus, qui obiit ante Dominum, saluatus est. Eadem ratio Ecclesiæ post Christum, quamdiu fuit sub Imperatoribus Ethnicis: sub quibus omnes concedunt, & re ipsa manifestum est, non habuisse facultatem disponendi res temporales: alioquin non fuisset passa tot tantasque persequutiones. Eadem rursus ratio Ecclesiæ post Ethnicos Imperatores. Nõ enim habuisse eam facultatem patet primò à postremis annis Constantini, cùm inclinauit non nihil in Arrianos, ac Athanasium malè tractauit. Sed sub Constantio, & Iuliano res est manifesta.

IV. Opposuerat Barclaius illum statum primitiuę Ecclesię sub Ethnicis. Bellarminus instat. Primò fuisse tum in Ecclesia non multos quidem, sed tamen aliquos Principes, puta Philippum Imperatorem, Reges Lucium, & Donaldum. Secúdò, etiamsi nulli fuissent, tamen non defuisse potestatem disponendi de bonis temporalibus principum, & dirigendi potestatem eorum politicam, quando illi Ecclesiæ membra, vel filij effici vellent. Tertiò in ipso principio, cùm Apostoli ipsi administrarent Ecclesiam, fuisse multos diuites, deque eorum diuitiis Apostolos disposuisse, statuentes vt ex iis ministros Ecclesiæ sustentarent.

V. Verum hoc tergiuersari est, non disputare. Nam quid sibi voluerit Bellarminus, cùm diceret necessariam esse potestatem vtendi rebus temporalibus, satis apparet ex confirmatione: Quia, inquit, Principes alioquin hæreses fouerent, & religionem euerterent. Vnde necesse est, eam potestatem huiusmodi intelligi; quæ impediat ne principes hæresin foueant, vel religionem pessundent. Et hanc si non habet Ecclesia: non habebit ex mente Bellarmini omnem potentiam necessariam ad suum finem obtinendum. At ego dico nihil à Bellarmino proferri, quo probetur hæc potestas fuisse in Ecclesia.

VI. Ad primum ergo licet fuerint aliqui principes in Ecclesia, tamen primò non ostendit suâ ipsos potestatem subiecisse Ecclesię. Quod erat faciendũ. Nam cùm thesis in cõtrouersiam venerit, oportuit docere Philippum, Luciũ, Donaldum de facto præbuisse sese ponendos deponendos ex autoritate Episcoporum: vel saltem Episcopi Romani. Nam alioquin, si ex eo vult id concludi quod Christiani fuerint: debeant antè Christiani principes hoc modo subiecere se: petit principium. Secũdò, etsi id supponeremus ita factum: non tamen satisfieret argumento. Nam si est Ecclesia, respublica bene ordinata, & perfecta, & sibi sufficiens ad suum finem; tũ id oportet intelligi & semper quamdiu fuit Ecclesia & vbicunque locorum fuit. Alioquin, partim fuisset perfecta, & sufficiens, partim imperfecta & insufficiens. Quis autem non absurdissimum iudicet, fuisse Ecclesiam perfectam & sufficientem in Britannia regnante Lucio, & imperfectam Romæ sub Marco Aurelio, & Commodo, quos Imperatores vidit Eleutherius Romanus Episcopus cuius temporibus exstitisse fertur Lucius? Rursus quis admittat Ecclesiam fuisse perfectam & sufficientem sub Philippo, & imperfectam, aut insufficientem sibi sub Constantino, Constantio, Iuliano?

VII. Ad secundũ: primò mera est petitio principij, supponens quod est in controuersia: neque de facto ostenditur. Deinde nihil ad rem. Nam [illegible] partium argumenti, vt dixi, ostendit Bellarminum existimare tum demum perfectam, sibique sufficientem Ecclesiam esse, cùm potest impedire principes, ne hæresin foueant, aut religionem pessundent. Atqui tum temporis, etsi haberet Ecclesia potestatem Principum temporalia disponendi, si fierent sui filij: tamen quia re vera nulli erant eius filij: Ergo actu eam potestatem non habebat. Et ideo non poterat impedire, quominus Principes non hæresin, sed Idololatriam fouerent, & religionem pessundarent. Non erat ergo tunc temporis perfecta, sibique sufficiens. Aut si erat, certè non est ea perfectio, & sufficientia metienda Bellarminiano modulo. Tertiò, quid si ad Constantini, & Constantij tempora recurramus? Nam erant hi Imperatores Christiani: Et tamen ne tum quidem potuit impedire Ecclesia, ne hæreticos fouerent, ac religionẽ pessundarent. An etiam tunc non actu habebat eam potestatem? Enimuerò, quò mihi diuitiæ, si non conceditur vti? An verò non erat sibi sufficiens? An potius sufficientia aliter censenda? Hoc certè potius.

VIII. Ad tertium. Fateor fuisse diuites in prima Ecclesia. Sed de eorum diuitiis Apostolos disposuisse, concedere non possum. Nam neque do statuisse, vt ex iis ministros Ecclesiæ sustẽtarẽt. Scio docuisse, hortatos etiam esse, vt qui acciperent spiritualia, ne grauarentur dare temporalia. Sed hoc statuti nomine donari nõ facile patior. Alioquin quilibet hodie prædicans ad populum diceretur statuere de bonis eorũ quos docet liberales esse siue in pastores, siue in pauperes. Quæ certè nimia esset [illegible]. Deinde, vt de eo non contendamus: quid tamẽ ad Thesin? Nam ea concepta est de autoritate Romani Pontificis supra Reges: At ij diuites erant, non reges, non magistratus, sed priuati. Quid rursus ad argumentum, in quo ponitur perfectio, & sufficientia Ecclesiæ: Et quidem ad occurrendum principibus fouentibus hæreticos, aut pessundantibus religionem? Nam certè etsi docerẽt Apostoli debere à suo grege Pastorem sustentari: tamen nulla illis erat potestas cohibendi aut Iudæos tum furentes aduersum Christianos, aut Neronem primæ persecutionis autorem.

IX. Ad minoris Confirmationem, respondeo; primò cur putet Bellarminus magis esse contra perfectionem Ecclesię, si non possit comprimere Principes: quàm si non possit compescere Episcopum Romanum. Nam huius autoritatem cùm sic extollunt, & supra principes, & supra vniuersam Ecclesiam: & supra Conciliũ, tum certè nihil omnino relinquunt, quo obuiam eatur ei malum Ecclesiæ inferenti. Nunc maximè cùm abiit inventos illa quorundam; quasi constantia; qui saltem in casu hæreseos subiiciebant cõcilio. Nec enim satisfacit Gretserus, confugiens ad infallibilitatem Papæ, primò, quia hæc chimæra est, non aliquid in rerum natura: qua de re actum libro tertio Tomi primi. Secundò quia hanc infallibilitatem illi tantùm ad doctri-

nam coercent. Nam in cæteris rebus, maximè quæ A sunt facti, concedunt posse errare. Atqui Bellarminus in principe id culpat, etiam cum Episcopatus vendit, Ecclesias diripit. Quæ mala à Papis timenda nemo negauerit: & experientia iam docuit in non paucis. Esse autem facti, nemo non videt: nam iidem tamen in Thesi Simoniam damnant.

X. Secundò: Etiamsi principes foueant hæreticos, & euertere conentur religionem, tamen non deesse Ecclesiæ, quicquid ad eius finem consequẽdum est necesse. Nam & Ethnici Imperatores reli- B gionem euertere conati sunt, annos ferme trecentos, idque omnibus modis. Tum etiam Christianorum nonnulli hæreticos fouerunt, vt Constantinus extrema ætate Arianis nonnihil fauere visus est: & post eum Constantius apertè, totoque conatu. Atque illud factum, tum cùm Ecclesia esset sanctissima: hoc verò etiam, cùm florentissima. Denique ne Papa quidem habet quo suam tueatur Ecclesiam, aut Hierosolymis, aduersus Turcam: aut in Moscouia, aut apud Sinas, aut alibi: ne quidem ad portas C suas, in Britannia, in Germania.

XI. Ratio manifesta. Quia etsi Ecclesiæ finis sit salus animarum: non tamen hoc sensu, quasi non assequatur finem suum, nisi omnes animæ saluentur: alioqui nunquam factum esset, vt obtineret finem suum: quod est absurdissimum. Sed vt saluentur per eius ministerium, quæcunque saluandæ sunt. Habere ergo in se quicquid necesse est ad animas saluandas, intelligendum ex parte eius: quomodo sol habet quicquid necesse est ad illuminandum D orbem. Alioquin certum nonnulla requiri extrinsecus, ad salutem eorum quos Ecclesia vellet saluari, quæ non sunt in eius potestate. Vt, exempli gratia, securitas à persecutionibus. Etsi enim multas animas persecutio quasi eripit Ecclesiæ, quæ verisimiliter saluarentur, si ea nulla esset: nulla autem esset, si id esset in potestate situm Ecclesiæ: tamen nũquã in Ecclesia positum fuit, vt liberaret ipsa sese ab externis persecutionibus. Imò ne quidem, vt nullæ essent hæreses, vnde magna semper fuit animarum E strages. Et habuit nihilominus Ecclesia in mediis persecutionum furoribus, in hæreseon grassantium impudentia: habuit, inquam, quæcumque animas ad salutem perducere possunt, veritatem Fidei, Spei constantiam, Charitatis sinceritatem: &, vt verbis vtar Apostoli, sexto ad Ephesios, πανοπλίαν illam, qua possint fideles *ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι, resistere in die mala, atque omnibus confectis stare.* Hanc potestatem verè habet Ecclesia: & dum habet, non est verendum, ne non assequa- F tur finem suum.

XII. Et hactenus quidem de minore. Sed est etiam fallacia in maioris confirmatione. Nam Respublica, vel πολιτεία dicitur status ille temporalis, qui est in hominum societate gubernanda, vt pacatè tranquilleque vitam degant: quomodo αὐτοδιαρκῶς vt ita dicam, τῇ ἐκκλησίᾳ. Et hac ratione verum est, Reipubl. necessariam esse potestatem vtendi rebus temporalibus. Sed aliquando κοινῶς Respublica G sumitur pro quacunque hominum societate: & sic etiam Ecclesiam comprehendit. Verùm esse omni Reipublicæ, sic nominatæ, necessariam potestatem vtendi rebus temporalibus: hoc verò falsum. Et hactenus ratio quarta.

XIII. Ratio quinta sumitur ab eadem perfectione. Si potest quælibet Resp. quia perfecta & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri Reip. non A sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, imò etiam deponere eius principem, & alium instituere, quando aliter non potest se defendere ab eius iniuriis. Ergo, multo magis potest spiritalis Resp. imperare temporali Reip. sibi subiectæ: & cogere ad mutandam administrationem, & deponere principes, atque alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.

XIV. Respondeo ad antecedens. Imperari dupliciter, vel vi aperta, vel iure. Porrò nullam Rẽ- B publicam posse alteri Reip. imperare iure. Itaque nunquam factum. Sed factum sæpe tractatu, id est, mutuis conuentionibus & pactis, vt inter se Resp. sua negotia componerent, & accommodarent sese aliæ aliis. Aliàs autem nullus Rex vnquam ab alio rege audacius quicquam postulauit, quin eadem opera vim pararet apertam. Hæc autem vis, tam est aliena ab Ecclesia, quàm nox à die: tenebræ à luce.

XV. In consequente autem est petitio prin- C cipij. Nondum enim probatum, temporalem Rempublicam spirituali esse subiectam. Nec debuit tamen tam facile supponi. Itaque consequentia nulla. Nam si Respub. Reipublicæ alienæ, nullo iure imperare potest: multo minus Ecclesia Reipublicæ. Nam hæc Respublica, vel aliena est, vel Christiana. Si aliena, fatetur Bellarminus non subordinari, ideoque neque subesse Ecclesiæ. Sin autem Christiana, huic Ecclesia subest, vt suo loco docebimus: & disertè Optatus Ecclesiam esse in Repu- D blica docet, non contra Rempublicam in Ecclesia. De vi autem aperta, quid opus est quicquam monere?

CAP. VIII.

An tolerari debeat à Christianis Rex infidelis, aut hæreticus.

E

I. SExta ratio. Non licet Christianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, si conetur pertrahere subditos ad suam hæresin, vel infidelitatem: At iudicare, an rex pertrahat ad hæresin, necne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura religionis. Ergo Pontificis est iudicare, Regem esse deponendum, vel non deponendum.

II. Probat primam propositionem, his argumentis. Primo, si non licet eligere, neque tolerare: F Probat antecedẽs, quia Deuteronomij decimo septimo prohibetur populus Israeliticus eligere Regẽ qui non sit de fratribus. Probat consequentiam, quia eiusdem periculi & damni est eligere nõ Christianum, & non deponere. Secundo. Non tenentur Christiani, imò non debent, cum euidenti periculo religionis, tolerare regem infidelem. Probatur esse periculum euidens: quia plebs componit se ad exemplum regis. Probatur non debere tolerare. Quia G quando ius diuinum, & ius humanum pugnant, debet seruari ius diuinum, omisso humano. At seruare verã fidem & religionem, ius est diuinũ: vt autẽ hũc illũmve regẽ habeamus, iuris est humani. Tertio, Si vxor fidelis libera est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando iste non vult manere cum coniuge Christiana, sine iniuria fidei, prioris ad Corinthios 7. Ergo potest liberari populus Christianus à iugo regis infidelis, & pertrahentis ad infidelitatem

tem. Ratio consequentiæ. Non enim minor est potestas coniugis in coniugem: quàm Regis in subditos: sed aliquanto maior.

III. Hæc verò fax est seditionum, scaturigo parricidiorū, lerna malorū, quib⁹ hisce multis annis Anglia tentata est: sed tentata tantùm, Deo protegente, regiaque capita præsentibus periculis eripiente. At nostræ Galliæ theatrum iam ter miserè cruentatum duorum proximè regum nostrorum sanguine. Sic enim ratiocinati sunt parricidæ, aut qui parricidis ficas tradiderunt. Non esse tolerandum Christianis regem incommodum Ecclesiæ. Itaque deponendum. Quod si non possit iudicio solenni: tamen ipso facto qui dignum se exhibuerit depositione, censeri depositum: ac proinde non amplius regem, sed tyrannum. Ideoque iure occidi: id est, tolli quacunque possit ratione. Quos furores si nulla alia retunderet ratio, certè tam immania coram hoc sole patrata scelera abundè debent hominum animos abominatione replesse. Viderint homines. Deus certè non dormit. Ego ad argumentum redeo.

IV. Formam reprehendebat Sibrandus, ob terminorum multitudinem. Gretserus negat esse quatuor terminos: eo modo, quo Dialectici de terminis loquuntur, quando argumentum quatuor vel pluribus terminis constare dicunt. Imò, inquam, verum illud Polybij libro quarto. [Greek] Amentia est cum maltia coniuncta, si quis putet cùm ipse oculos mutaverit, ne alios quidem oculis vti. Quis enim nō numerat terminos quinque? Primæ propositionis duos. Totidem secundę: neque enim idem est Papa, & Catholici: non idem iudicare, an rex pertrahat ad hæresin: & non tolerare regem infidelem aut hæreticum. Denique in tertia, quæ est vice conclusionis, non est idem iudicare regem deponendum, quod prius, iudicare vtrum inducat in hæresin. Et non [Greek]

V. Sed ad rem. Tres nobis propositiones exhibentur: & secundæ ac tertiæ facilius negotium. Itaque priores expediam. Secunda ponit, pertinere ad Pontificem, cui est commissa religionis cura, iudicare, vtrum princeps populum attrahat in hæresin. Distinguendum dico: primò, vtrum solum Pontificem dicat, an hunc inter alios. Deinde, vtrum Pontificem Romanum, an quemlibet. Nā si vel quemlibet Pontificem (nam Pontifices sunt omnes Episcopi) aut etiam non solos Pontifices, dicat, nihil agit: alioquin sequeretur, aut cuiuslibet Christiani, aut certè cuiuslibet Episcopi, ius esse Imperatoris Regisve deponendi: quod credo Bellarminum noluisse. Nec sanè est in Thesi. Sin autem solum dicat Romanum: hoc verò nos negamus: qui scimus non esse huic soli religionis commissam curam.

VI. Tertia propositio concludit, Pontificis esse iudicare regem deponendum, vel non deponendū. At hoc nos negamus vel esse verum, vel sequi ex præcedentibus. Nam apud ipsos Papistas in vsu est, Ecclesiasticos iudicare de priuatis, vtrum sint hæretici, nec-ne: qui tamen negant suum esse bosita iudicatos hæreticos, morte mulctare: tum enim solēt amandare ad brachium seculare, vt loquuntur. Cur non similiter, si maximè concederemus Romani Episcopi, aut etiam eius vnius esse pronunciare de hæresi regis, tamen negemus eiusdem esse pronunciare deponendum principem? Nihil enim vetat alium de reatu pronunciare, alium de pœna. Quomodo medicorum est pronunciare de lepra in singulis personis: at non Medici, leprosos segregare à communi societate: sed magistratus.

VII. Venio ad primam propositionem, quæ negat licere Catholicis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, si conetur subditos trahere ad suam hæresin, vel infidelitatem. At hoc ego dico valde inconsideratè prolatum. Primò enim distinguenda fuerunt regna, siue Respublicæ. Nam aliæ sunt simpliciter monarchicæ; aliæ verò non simpliciter. In illis tota Maiestas est penes vnum, à quo regitur, vt ita dicam [Greek], adeo vt non possit aut institui aut destitui à subditis. Cuiusmodi Regnum est Galliæ, & fortasse alia. In istis vero Maiestas ita est penes vnum, vt tamen & poni & deponi possit, vt in Polonia: vt etiā Venetiis: in qua Ducē vocant: & si quę alia exempla dari possunt. Deinde ipsi Catholici distinguendi: vel enim totum corpus Reipublicæ in iis est, vel pars duntaxat. Quod si Respublica sit non absolutè monarchica, & penes Catholicos autoritas ponendi deponendique magistratum, etiam summum: tum verò nolim contendere: imò crediderim non licere tolerare magistratum vllum infidelem, aut hæreticum. Ratio manifesta, quia deponi debet magistratus qui non suo pleno iure eam dignitatem possidet, cùm est Reip. noxius. Non potest autem magis, quàm cùm est infidelis, aut hæreticus, & populum pellicit in suas partes. Sed id cùm fit, nullum in eam rem ius est Ecclesiasticum, aut Ecclesiæ, sed merè politicum: eatenus tamen Ecclesiæ, quatenus [Greek] in vnum coaluerunt Respublica, & Ecclesia.

VIII. At si Catholici non habeant apud se maiestatem Reipublicæ, id est, efficiant partem tantùm, & quidem minorem: vel si ea Respublica sit merè monarchica: tum verò necesse est tolerari summum magistratum infidelem, vel hæreticum, etiam pellicientem populum in suas partes. Ratio certa: quia nullus maior defectus quàm potestatis. At nulla potestas plebi in suum magistratum absolutè Monarcham: nulla item minori parti populi in totam Rempublicam. Itaque sola restat patientia: solæ ad Deum preces.

IX. Hoc vsus ipse docet. Nam quia Israelitæ nullum ius habebant ponendi deponēdive regem, nunquam etiam apud eos quicquam attētatum est eiusmodi: ne tum quidem, cùm religioni Rex erat perniciosus. Sic Ieroboam, etsi decem totas tribus auertisset, non tantùm à domo Dauid, sed etiam à cultu Dei: quia tamen Rex fuit constitutus, non est deinceps deturbatus: etsi non defuerint Prophetę, qui eius Idololatriam vehementissimè damnarent, primi Regum decimo tertio, & decimo quarto. Nec actum aliter cum eius successoribus. Imò nec Salomon, cùm auersus est ad Idololatriam, non est toleratus. Filius etiam Roboam, & Roboami Abiā: & alij non pauci. Nec aliter Christiani: qui & Ethnicos manifestè furentes tolerarunt. Et pòst Ethnicos, etiam hæreticos, Constantinum, Constantium, Valentem, alios: imò & Iulianum Apostatam. Neque audimus vllum contrà exemplum, nisi cùm aut tyrannidem suam prouexit Romanus Episcopus, aut populus etiam Christianus in Iconomaniam degenerauit.

X. Occurrit Bellarminus: & de Christianis tolerantibus Ethnicos respondet, primò tolerasse, quia deerant vires temporales ad eos deponendos. Secundò, licuisse non tolerare: & probat, quia prio-

ris ad Corinthios sexto iubet Paulus constitui à A Christianis nouos iudices caussarum temporalium, ne cogerentur caussam dicere coram iudice persequutore. Sicut autem potuerunt iudices noui cõstitui: sic & noui Principes, Regesque, si vires adfuissent.

XI. Sed prior responsio magnam iniuriam facit Christianis, quasi eorum patientia similis esset patientiæ, quæ hodie in prouerbium abiit, Lombardorum: qui patiuntur, cùm obniti nequeunt. At illi contrà protestabãtur. Tertullianus ad Scapulam, *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciẽs à Deo suo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit, cum toto Romano Imperio.* Apologetici capite trigesimo, *Nos pro salute Imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum, Deum viuum.* Et post, *Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt.* Iustinus Apologia secunda, Θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν· ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν, βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας ἀνθρώπων ὁμολογοῦντες, καὶ εὐχόμενοι μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας ὑμᾶς εὑρεθῆναι, *Nos solum Deum adoramus: at vobis rebus in aliis læti inseruimus: quos Imperatores ac principes hominum esse profitemur: precamurque vt cum imperatoria potestate etiam temperantem mentem habeatis.* Audin' tu Christianos fauentes cupientesque Imperio, Imperatorique: Audin' diligere? Audin' lætos seruire? Quod qui potest esse, si non est ex animo? Sed & preces pro iis ad Deum concipere? Et hoc non ex animo. Aut qui ex animo, si non tolerabant, nisi ex defectu virium? At si deerant vires, ad rebellionem, ad seditiones, ad excutiendum iugum: certè non deerant ad non orandum: ad non sollicitandum precibus Deum, pro bono non Imperij tantùm, sed etiam Imperatorum, id est, persequutorum.

XII. Secundò: quomodo deerant vires? Nam & numerus erat immensus. Tertullianus ad Scapulam, *Tanta hominum multitudo, pars pene maior ciuitatis cuiusque, in silentio & modestia agimus.* Quasi diceret, si vellemus, possemus tumultuari. Nam & alij longè pauciores non fuere modesti. At nostra modestia eo magis commendatur, quod nostrûm sit numerus tantus. Idem in Apologetico & quidem disertiùs capite trigesimo septimo, *Si & hostes exertos, non tantum vindices occultos, agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantæcumque, vnius tamen loci & suorum finium gentes, quam totius orbis. Externi sumus, & vestra omnia repleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere. Potuimus & inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius diuortij inuidia aduersus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis, suffudisset vtique dominationem vestram tot qualiumcunque amissio ciuium. Imò etiam & ipsa destitutione punisset. Proculdubio expauissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, & stuporem quendam quasi mortuæ vrbis. Quæsissetis quibus imperaretis. Plures hostes quàm ciues vobis remansissent: nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum pene omnium ciuium, pene omnes ciues Christianos habendo.*

XIII. Præterea quomodo, quóve iure virium defectum illi causari possunt, qui arcendos lupos, id est, principes infideles vel hæreticos docent, quacunque ratione poterunt? Nam si vis aperta deerat, poterant-ne fraudes ac doli non superesse? Poterant-ne Apostoli, poterant-ne Episcopi non aliquem parricidam confessionibus armare in Neronem, in alios? Nam, qui aliâ ratione non poterant Angli Papistæ suos reges tollere, huc sibi licitum putarunt deuenire. Denique, B quid defectum virium caussantur, cùm hoc seculo nihil non tentarit in Anglia, in Gallia, Pontifex Romanus ad deturbandos Reges legitimos, etsi vires nullas habuerit sufficientes? Nimirum nullus adhuc prodierat Iesuita. Proh Dei atque hominum fidem, in quæ nos tempora reseruati sumus! Deerant olim Christianis, nunc abundant Papistis, Clementes, Chastelli, Raualliaci. Et miretur quisquam nullos olim ne tyrannos quidẽ vulneratos, nunc etiam Reges cæsos? Certè Tertulliani cũ est, C *Quid de tam conspiratis vnquam denotatis, de tã animatis ad mortem vsque pro iniuria repensatis? quando vel vna nox pauculis faculis largitatem vltionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret?* Apologetici tricesimo septimo.

XIV. Tertiò, si nullæ vires fuere Christianis contra Ethnicos: at certè fuere Iudæis contra Solomonem, & similes. Nam Iudæi omnes abhorrentes ab Idololatria: & poterant torpentes incitari à D Prophetis. Cur non etiam poterant Christiani sub Constantio, sub Valente? Cur non sub Iuliano? Iuliano, inquam, cuius totus exercitus erat Christianus? Lege apud Theodoretum initio libri quarti. Mortuo Apostata, destinat Iouianum Imperio totus exercitus: ille detrectat, negans velle imperare exercitui Iuliani, Christianus cùm esset. At illi κοινῇ ἀφῆκαν φωνῇ, *vna eadémque omnes voce:* μὴ ἐνδοιάσῃς ὦ βασιλεῦ. *Ne cunctare, ô Imperator:* Χριστιανῶν γὰρ βασιλεύσεις, *Christianis imperabis imbutisque pietatis institutis.* Et his nullæ vires erant ad deturbandum E Iulianum? Imò deerat institutio Iesuitica. At abundabant τὰ εὐσεβῆ μαθήματα.

XV. Venio ad Paulum. Et primùm si hortetur Corinthios constituere nouos iudices, nego tamen sequi licuisse non tolerare iudices Ethnicos. Nam omnes expositores consentiunt hæc iis dicta de litibus voluntariis, hoc est, in quibus non cogerentur ire ad Ethnicos. Nam alioquin si vocarentur, tum obtemperandum. Thomas in eum locum, *Dicendum quod Apostolus non prohibet, quin fideles, sub infidelibus principibus constituti, eorum iudicio compareant si vocentur: hoc enim esset contra subiectionem, quæ debetur* F *principibus: sed prohibet quod fideles non eligant voluntariè infidelium iudicium.* Aut hoc falsum est: aut si verum, tum certè licebat Christianis tolerare. Licebat autem? Imò necesse erat: si verè dicit Thomas eam detractionem iudicij futuram contra subiectionem quæ debetur principibus. Quare, quæcunque tandem fuerit iudicum constitutio, tamen illa nihil ad eorum excusationem, qui ne licere quidem volunt G Ethnicos tolerari.

XVI. Denique, dico iudices posse intelligi dupliciter: vel magistratum gerentes, vt exempli gratia, Prætores, qui publica autoritate ius dicunt: vel arbitros, qui priuato contendentium consensu electi, priuata autoritate lites diiudicant, & componunt potius, quàm decidunt. De prioribus non fit verisimile Paulum esse loquutum: non enim id illa

ferebant

ferebant tempora. Tum autem nusquam vllum reperies exemplum iudicis, ita à populo Christiano constituti. Atque adeò ipsi dant aduersarij. *Ego verò fateor* (inquit Bellarminus contra Barclaium, capite vigesimo primo) *non habuisse iudices illos Christianos, iussu apostoli constitutos, vim coactiuam in foro exteriore.* Quod si de secundis sermo sit, tum verò nihil cõtra autoritatem Ethnicorum iudicum. Nam, & hodie, quilibet priuati inter se contendentes possunt quoslibet sibi arbitros, id est, iudices cõstituere: quos tamen, & tolerant, & probant politici magistratus autoritatem. Iustinianus, *Facilè quis intelligit non loqui Apostolum de legitimis iudicijs, quæ à Magistratibus, publicisque iudicibus autoritate publica exercentur: sed de ijs, qui communi consensu designati essent simul litium controuersiarum disceptatores.* Guillaudus, *Non hic agit, quis constituantur in Ecclesia iudices, sed ne Christiani litigent apud impios, seu infideles, & quemuis potius, vel contemptissimum, modò Christianum, arbitrum sua causa faciant.*

XVII. Sed Bellarminus videtur tertium quoddã iudicum genus somniare: qui, neque potestatem coactiuam habuerint in foro exteriori, neque tamen priuata contendentium autoritate constituti sint. Contendit enim potius fuisse autoritate publica multitudinis constitutos. Argumenta illi hęc. Primũ. Quia cùm ostendit Paulus bonum non esse adire tribunalia iudicum Gẽtilium, loquitur de vero iudicio, non de solo arbitrio: ideoque etiam cùm iubet iudicari apud sanctos. Secundum: Quia demonstrat autoritatem Ecclesiæ, quæ iure suo possit de secularibus rebus iudicare, cùm sit iudicatura D totum mundum, & Angelos ipsos. Tertium in his verbis, *Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum:* concludere Paulum ex dictis: quoniam malum est iudicari apud iniquos Gentiles, & Ecclesia autoritatem habeat iudicandi, vt communi consensu constituant aliquos de Ecclesia, qui sint iudices. Nec dicere, vnusquisque eligat sibi arbitros, sed vos congregati in vnum constituite iudices.

XVIII. Ast ego primi argumenti antecedens cõcedo, nego cõsequentiam. Nihil enim obstat, quominus, qui dehortatur à iudicijs Ethnicorum, idem hortetur ad priuatos arbitros. Itaque, etsi in priori parte sermo sit de iudicio vero, tamen in posteriori potest de iudicio arbitrario. Alioquin si non potest, nisi de eodem iudicij genere in vtraq; parte sermo esse, cur non ego dicam, sicut in priori sermo est de iudicio coactiuo in foro exteriori, ita & in altera? Aut qui potest desilire à iudicio coactiuo, ad non coactiuum, qui me reprehendat transeuntem à vero iudicio (vt eius verbis vtar) ad arbitrium amicabile? Maximè, cùm paulò pòst, Apostolus transeat ab vno extremo ad aliud longè magis dissitum? Nempe, tum cùm iubet eos potius iniuriam pati, quàm litigare.

XIX. Ad secundum nego demonstrari autoritatẽ Ecclesiæ, quæ suo iure possit de secularibus iudicare. Non enim Ecclesiæ, sed eorum, qui sunt in Ecclesia: deinde non autoritatem, sed *ἱκανότητα*, id est, priuatam sufficientiam, quomodo prudentiores, G dicimus harum rerum capaciores. Illud facilè. Nam si totius Ecclesiæ vult esse eam autoritatẽ, cur postea iubet aliquos iudices constitui? Certè aliqui, nõ sunt ipsa Ecclesia. Neque hoc difficile. Nam si autoritas iam integra fuisset, cur postea iuberet quosdam constitui iudices? Imò nominauit, *τοὺς ἐξουθενημένους*, quasi concederet apud eos *ἀνάξιοι κριτῶν*. At non A possunt hic, *οἱ σοφοὶ τοῖς ἐξουθενημένοις* comparari, nisi propter priuatam *ἱκανότητα*. Nam, & *οἱ σοφοί*, non sunt *οἱ ἐν τέλει*.

XX. In tertio, concedo primum membrum: non probari à Paulo, quæri iudicium Gentilium à Christianis. Secundum nego, vt paulò antè, nempe efferri autoritatem Ecclesiæ ad huiusmodi iudicia. Tertium de communi consensu distinguendum. Vel enim intelligit commune, quasi decretum Ecclesiæ publicis suffragiis designantis certos homines ad hoc B munus: vel communem consensum singulorum litigantium, arbitros sibi designantium. Nam hunc communem consensum facilè concedo: cui nihil est commune, cum illa autoritate Ecclesię. Alterum autem constanter nego: & dico, quomodo cùm dicit, *διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε*, non significat commune aliquod decretum, quo decernatur hunc, illumve debere iniuriam pati: sed priuatum consilium Christiani, qui potius quàm litiget cum fratre, debeat iniuriam pati: sic etiam, cùm dicit, *τούτους καθίζετε*, velle fratres litigantes inter se priuatim consentire in C arbitros.

XXI. Quid tum enim, si non dicat, Vnusquisque eligat sibi arbitros? Atqui ne dicit quidem, Vos cõgregati in vnũ constituite vobis iudices: quod Bellarminus vult. Et hoc quidem longè alienius, longè magis coactũ, quàm illud. Nam, quis nescit infinitos similes locos occurrere sic interpretãdos? Matthæi sexto, *Cõgerite vobis thesauros*: id est, vnusquisque vestrûm sibi congerat. *Quærite primùm regnum Dei*, hoc est, vnusquisque quærat. Lucæ octauo, *Videte quomodo audiatis*, hoc est, vnusquisque vestrûm videat. Et quid opus est pluribus? In hoc ipso loco, *Secularia iudicia si habueritis*: quod quis sanus intelligat, Si vos congregati in vnum habueritis iudicia secularia: & non potius, si vnusquisque vestrûm habeat?

XXII. Transeo ad eiusdem propositionis probationes. Ad primam ergo, negatur consequentia: nõ enim eiusdem iuris est eligere regem, & non tolerare. Itaque Iudæi ipsi, qui nũquam sine dubio assumpsissent Herodem ad regnum: tamẽ constitutum in solio tolerarunt, seseque illi plerumque obsequentes. Deinde frater intelligendus de semine Abrahã secundùm carnem: non autem fidelis. Itaque, qui non debuerunt alienigenam admittere, tamen non debuerunt Roboamum recusare, etsi, neq; moderatum principem, neque etiam pium. Ratio euidẽs: quia in eligendo plenum ius est, plenaq; libertas. At cũ electio facta est, quæ libertas erat in populo, transit in electum. Quomodo contractus Iurisconsulti dicunt, ab initio quam fiant, esse voluntarios: sed factos esse necessarios.

XXIII. Atqui, inquit, idem periculum est in tolerando, & in eligendo: nempe ne plebs abducatur à religione. Fateor, inquam, at non idem iuris. Videndum autem, non tantùm, vt bonum fiat sed etiam vt benè. Et nos sanè, cùm ius deficit, multo rationabilius volumus regem tolerari, quàm Bellarminus, cùm vires deficiunt. Dicam clariùs: admittit Bellarminus excusari veteres Christianos, qui tolerarunt Ethnicos, & hæreticos imperatores: hãc vnam ob causam, quod non possent vi aperta deponere. At nos multò iustius laudamus eos qui tolerarunt, cùm scirent non debere se in tantam audaciam extolli, vt principes suos deturbarent. Quod si idem periculum coniunctum esset cum eodem iure, tum nos non cõtradiceremus. Et æquè laudaremus Ve-

netos, si non tolerarent Ducem hæreticum, ac si nollent eligere.

XXIV. Præterea, etsi concederé æquè nõ tolerãdos, ac nõ eligẽdos principes infideles, tamé negarem sequi autoritatem hanc esse Pontificis. Quia eiusdem deponere, cuius est eligere: quia & eiusdẽ iuris. At nulla vnquam Imperatoris, Regisve electio pertinuit ad Põtificem, siue ad Ecclesiam, quatenus est Ecclesia: sed tantùm per accidens, hoc est, quatenus iidem, qui Ecclesiam componunt, etiam Rempublicam constituunt. Ergo, neque depositio.

XXV. In secunda confirmatione, falsum est, non debere Christianos tolerare Principẽ, cum euidenti periculo religionis. Contrà enim, vt diximus, factitatum olim, cùm Christiani lõgè essent sanctiores, quàm vnquam postea. Non quod non horreãt Christiani omnes periculum suę religionis: sed quia cùm sibi, siue vires, vt vult Bellarminus, siue potius iustitiam deesse vident, rem totam Deo commendant: cui sua Ecclesia curæ est. Quomodo Sozomenus, capite secundo libri sexti, narrat Didymum supra modum doluisse, Iulianum cæco errore vagari, & Ecclesias contemnere, ideoq́ue ieiunasse, Deumq́ue supplicem orare cepisse. Quod neque ille solus fecit. Nam oratione secunda contra Iulianum Naziãzenus, ἐκείνας ἐβοῶμεν πρὸς τὸν Θεὸν τὰς φωνάς. τὰς μὲν ὡς δεσπότην ἐπικαλούμενοι· τὰς δ' ὡς πρὸς πατέρα χρηστὸν ποτνιώμενοι. τὰς δ' οἷον ἐνδικάζοντες, καὶ διαμεμφόμενοι πρὸς αὐτόν, οἷα τὰ τῶν ἀλγούντων. ἵνα τί ἀπώσω, ὁ Θεός, εἰς τέλος, ὠργίσθη ὁ θυμός σου ἐπὶ πρόβατα νομῆς σου, καὶ μνήσθητι τῆς συναγωγῆς σου ἧς ἐκτήσω ἀπ' ἀρχῆς· *Has ad eum voces emittebamus, partim, vt Dominum inuocantes: partim, vt apud benignum, & facilem patrem conquerentes: partim velut exprobrantes, & cum eo expostulantes: vt solent, qui in dolore versantur. Vt quid Deus repulisti in finem? iratus est furor tuus super oues pascua tua? Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.* Et alia multa.

XXVI. Atqui, inquit, cùm pugnant ius diuinum, & humanum, tum potius seruandum diuinum. Fateor, inquam. Verumtamé ita significatur, non esse à nobis ius diuinum violandum prætextu iuris humani. Non autem, vt à nobis compescantur omnes qui ius diuinum violant. Illud omnes tenẽtur facere: hoc verò tantùm ij quibus ius est coercendi. Ita Apostoli intrepidè, Actorum quarto, *An apud Deum iustum est vobis potius auscultare, quàm Deo, iudicate.* Imò, & apud Danielem tertio, tres adolescentes, *Notum sit tibi, Rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream quam erexisti, nõ adoramus.* Tum enim, pugnante hinc mandato hominum, id est, iure humano, inde mandato Dei, id est, iure diuino, magnanimes viri, huic adhæserunt, illud neglexerunt. At nemo pios vnquam ita intellexit, vt putaret sibi necesse esse Magistratum violare, vt impediat quominus suis mandatis ipse Dei ius violet. Soli Papistæ putarunt confodiendos duos, Henricos tertium, & quartum, ne quid eorum religio, siue superstitio potius, detrimenti caperet.

XXVII. Præterea, nullum ius diuinum fideles violant, cùm tolerant Reges infideles. Imò ius diuinum obseruant: de quo dictum, *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris.* Verè enim iuris est diuini, obedientia principibus debita. Atqui, inquit, iuris est humani, húncne an illum regem habeamus. Esto, inquam. Verum iuris est diuini, obedientia huic quem habemus regi debita. Itaque non ego iam prætextu iuris humani, diuinum negligo: sed tu potius, vtrumque pedibus conculcas: nam & personam deturbas, quam fateris te habere iure humano: & obediendam, quam ei debes iure diuino, nihili facis.

XXVIII. Tertia confirmatio non est sanioris mẽtis. Primò antecedens falsum. Nunquam enim Paulus coniugi permisit discedere à coniuge, si nolit manere absque fidei detrimento. Sed si nolit manere, id est, si velit infidelis discedere, sine matrimonij vinculum soluere. Verba diserta, *Si incredulus discedit, discedat: non est seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi rebus.* Audin'? *Si discedit*, id est, interprete Caietano, *non vult perseuerare in coniugio.* Quod si infidelis velit manere, tum iubet, & fidelem Paulus nõ discedere: *Si quis frater habet vxorem infidelem, quæ consentiat ad habitãdum cum eo, ne eam dimittito. Et vxor quæ habet virum infidelem, qui consentiat ad habitandum cum ea, ne eũ dimittito.* Quare Paulus fideli nullam dat liberam optionem manendi, abeundíve: sed vult teneri quantum ex ipso, ad cohabitationem. Si tamen pars infidelis discedere velit, hoc est, ita vt & initium, & decretum discessionis ab ea sit, tum verò liberam esse fidelem.

XXIX. Secundò, consequẽtia est vitiosa. Primò, quia non ex mente Apostoli. Nam Paulus supponit virum volentem discedere, id est, renunciantem iuri suo quod habebat in vxoré. Itaque, potuisset locus applicari Diocletiano, & Maximiano, si Imperiũ renunciassent religionis odio, vt habetur in Actis Mennæ martyris apud Baronium anno trecentesimo quarto, paragrapho septimo. Sed Bellarminus eos dicit principes, quorum etsi sit in religionem Christianam odium ardentissimum, nihil sibi tamẽ de suo iure diminutum volunt. Itaque altera pars melius quadraret, Si quæ vxor habet virum infidelem, qui consentiat ad habitandũ cum ea, ne eũ dimittito: id est, si quæ Ecclesia principem infidelem habeat, qui non nolit esse princeps, ne eum deponito.

XXX. Deinde non comparantur similia. Nam vir, & vxor relata sunt inter se, & mutuo coniugij vinculo copulantur. At Rex, & Ecclesia, non item relata sunt: sed rex, & regnum: Pontifex, & Ecclesia. Itaque legitima concludendi ratio erat, vt diceret, non minorem esse potestatem coniugis in coniugẽ, quàm Regis in Regnum: Põtificis in Ecclesiam. Ac tum nonnihil esset tolerabilius dictum. Nam si ius est aliquod deponendi Regis, id ad regnum pertinere debet, non ad Ecclesiam: quomodo si ius est dimittendi mariti, id vxoris est, non vicinæ. Atqui hæc nulla nunc nobis quæstio est: sed de iure Ecclesiæ in Regem. Imò non Ecclesiæ, sed Pontificis Romani: vnde aliud peccatum in argumento, quia non concludit Thesin.

XXXI. Præterea, noua occurrit dissimilitudinis ratio. Nam Paulus loquitur de iis, quorum matrimonium contractum est ante fidem: ac proinde de infideli, manente qualis erat cùm contraheretur id matrimonium. Imò, si vtraque pars tũ fuisset Christiana, deinde altera incideret, vel in hæresin, vel in infidelitatem, tum fatentur Papistæ, non posse dissolui matrimonium. Certè Bellarmini ea sententia est: & verba contra Barclaium, capit. xo. *Qui duxit vxorem more Christiano, siue prudens, siue imprudẽs id faciat, nõ potest post matrimonium cõsummatũ, vlla ratione ab eo vinculo solui.* Et vigesimo tertio, *Fingit me loqui de coniugio inter fideles contracto, quorum alter postea in hæresin labitur: quod matrimonium omnino insolubile est: sed mihi nunquam venit in mentem de matrimonio eiusmodi loqui.*

XXXII. Hinc

XXXII. Hinc ego miror non potuisse à Bellarmino deprehendi sui argumenti ineptiam. Non enim ille vult reges Ethnicos deponi posse ab Ecclesia: quia non agnoscat subditos Ecclesiæ. Et vult reges, qui è Christianis fiunt hæretici, posse deponi. Hæc ego sanè non video quomodo probari possint exemplo matrimonij. Quæ enim ratio fert, vt dimitti potuerit, exempli gratia, Maxentius ab vxore sua (nam hanc Christianam commenti sunt in fabula Catharinæ) at non potuerit idem deponi ab Ecclesia? Aut rursus dimitti non potuerit Valens ab vxore sua (demus eam perseuerasse in fide cùm defecit Valens) & potuerit tamen deponi ab Ecclesia? Certè oportet, aut rationem esse diuersam terminorum, id est, non comparari similia: aut directè concludi, & posse deponi principem infidelem; manentem in infidelitate: & non posse deponi principem, qui ex fideli fiat infidelis, vel hæreticus.

Cap. IX.

De Regibus subditis Christo: De cognitione peccatorum: De iudicandis dubiis, & ambiguis.

I. SEptima ratio adhuc Bellarmini est, sed & Sanderi. Quicunque reges subditi sunt Christo, & debent eius fidem seruare, ac defendere, etiam sub pœna regni perdendi: ij possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam deponi à principatu, quando fiunt hæretici, aut religioni obsunt. At omnes reges Christiani, subditi sunt Christo, & debent eius fidem seruare, ac defendere, etiam sub pœna regni perdendi. Ergo, possunt ab Ecclesia iudicari, & deponi, si fiunt hæretici, aut religioni obsunt. Probatur Minor, quia in Ecclesiam recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, vt sceptra sua subiiciant Christo. Et Lucæ 14. *Quisquis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Deinde Ecclesia nimis grauiter erraret, si admitteret aliquem regem, qui vellet impunè fouere quamlibet sectam; & defendere hæreticos, ac euertere religionem.

II. Respondeo: primò, non concludi quæstionē, quæ est de Papa, non de Ecclesia, vt sæpè dictum. Secūdò, negari maiorem. Atque adeò hunc esse nodum controuersiæ: itaque mirum tā esse negligenter tractatum à Bellarmino, vt nullo argumēto, imò nulla vel coniectura, confirmare conatus sit. Enimuerò nos fatemur, omnem Christianum, ac proinde regem, si sit Christianus, subiici Christo: fatemur etiā debere fidem seruare, ac defendere, etiam regem cō periculo regni amittendi. Sed negamus ideò debere ab Ecclesia iudicari, ac deponi. Nec difficile hoc est intellectu. Nam, & singulos fideles fatemur, & subesse Christo, & debere fidem seruare, ac defendere, etiam sub pœna amittēdorum bonorum, imò ipsius vitæ profundendæ. Sed negamus penes Ecclesiam esse, hæc bona cuiquam auferre: aut quenquam morti adiudicare. Nam si debet fieri, à Magistratu faciendum est: cuius ea cognitio.

III. Secūdò, respondeo: Illud, *Sub pœna regni amittendi*, significat, vel pœnam, quæ infligitur, quando non satisfit officio: vt sit sensus, debere eum, qui non seruabit, aut defendet fidem, puniri hac pœna, vt amittat regnum. Vel periculum amittendi regni, hoc est, vt teneatur fidē in se seruare, & in aliis tueri: etiamsi videat sibi ob eam constantiam regnum eripiēdum. Posteriori sensu conceditur Minor: & exēpli gratia, dicimus in nostro Henrico quarto hanc inesse debuisse constantiam, vt cùm vidit, sibi à Papistis conditionem proponi, aut deficiendi ad Papismum, aut discedendi à spe regni: hoc potius eligeret, quod & antè erat protestatus scribens, ad Ordines Blesenses. Sed negamus tamen maiorē. Quia propriè ea nulla est pœna ab Ecclesia infligenda: sed est officium, ad quod singulorum conscientia obligatur coram Deo, & pro amore salutis æternæ. Hoc autem officium debet Ecclesia seriò, & proponere, & inculcare omnibus Christianis: imò etiam neglectum vindicare: sed suis pœnis; id est, Ecclesiasticis.

IV. Priori autem sensu, Minor est prorsus falsa, atque hactenus numquam audita. Nec valent rationes ad eam confirmandam. Nam in prima, subiicere Christo sua sceptra, non id significat: nam neque subiicere Christo regnum, aut pœna est, sed officium: aut est amissio regni: vt mittam, nihil hoc ad iudicium Ecclesiæ: cùm Ecclesia non sit Christus. In secunda rursus, odisse patrem, matrem, filios, vitam; nego esse pœnam, sed officium. Ideoque ab Ecclesia non infligendum, sed commendandum, & prædicandum. Et si contra peccetur, tum Ecclesiæ gladio vindicandum.

V. In tertia, si illud impunè, sic intelligat Bellarminus, vt contineat pœnas temporales ab Ecclesia infligendas, tum verò hæc ratio negatur: nihil enim à quoquam debet exigere Ecclesia, quod sibi non debeatur. Exempli gratia, non debet exigere à quoquam, veniente ad fidem, hanc subiectionem, vt si quando deficiat à fide, possit ab Episcopo occidi. Eademque ratione non debuit Syluester à Constantino baptisma petente (si tamen à Syluestro Constantinus petiit) hoc exigere, vt se sineret ab eo priuari Imperio, si fortè deficeret ad hæresin. Sin autem intelligat pœnas Ecclesiasticas, tum verò non negatur, nulli esse debere impunè fouenti hæresin: Sed hoc nihil ad depositionem ab Imperio.

VI. Et tamen illud etiam *fouere* distinguendum. Potest enim princeps fouere sectam aliquam; vel politicè, tāquam princeps communis omnium, & prouidens, vt omnes pacificè viuant: vel, suo in eam hæresin affectu, adiuuando etiam contra Ecclesiam. Hoc posteriori sensu, concedo nulli principi, qui sit membrum Ecclesiæ, debere esse impunè ab Ecclesiasticis censuris. Sed illo priori, nego debere in eum principem has ipsas censuras exseri. Nam, vt ne longè abeamus, nonne ipse Papa politicè fouet in suis terris Iudæos? & Veneti in suis etiam Græcos? Nec primi Imperatores Christiani, Ethnicos suo imperio abegerunt: imò promouerunt etiam ad honores, ac Magistratus.

VII. Ratio octaua est Ioannis de Turrecremata. Quicunque cognoscit de omnibus peccatis, non solum contra articulos fidei, & Sacramenta: sed etiam de quibuscunq; mortalibus circa quascumq; actiones personales seculares; is habet iurisdictionē secularē. At Papa ita cognoscit de omnib' peccatis. Ergo habet iurisdictionem secularem. Probat minorem: primò, quia cuius est finem considerare, eius est iudicare de his quæ debent ad finem ordinari. At omnes actiones fidelium, debent ordinari ad consequendum vitam æternam. Ergo, cuius est con-

siderare de salute animarum: eius est iudicare de actionibus hominum, per quas possunt deuiare à salute. Secundò, Matthæi decimo octauo, *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: Si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes: vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum: quod si non audierit, dic Ecclesiæ: Si verò Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, & Publicanus.*

VIII. Respondeo, cognosci de peccatis, non vno modo propter varios fines. Aliàs enim vt cõsulatur animæ saluti, singulorũ peccantium: alias vt conseruetur societas hominum inter se. Priori modo, negatur maior. Nam ij tantùm habent iurisdictionem temporalem, qui ita cognoscunt de peccatis, vt finem habeant societatis humanæ conseruationem. Alij autem, qui spectant salutem peccantium, habent duntaxat iurisdictionem spiritualem: quæ appellatur nomine clauium cœlorum. Itaque Paulus sic cognouit de Incesto, vt præter excommunicationem, nihil aduersus eum egerit. At Magistratus Christianus non excommunicasset, sed corporaliter puniuisset. Imò, & Christus eo ipso Matthæi loco, cùm iubet ad Ecclesiam vocari fratrem peccantem, non concludit, si Ecclesiam non audit, suspendatur, aut decolletur, aut fustigetur, aut quid eiusmodi: sed esto tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus, id est, interprete ipso de Turrecremata, excommunicatus.

IX. Altero autem modo, conceditur quidem maior: sed negatur minor. Nam hoc genus cognitionis, totum pertinet ad Magistratum ciuilem: in cuius messem Papa, suam non debet falcem mittere. Nec verò minorem probat Sophista. Nam prima probatio concludit, duntaxat cuius sit considerare de salute animarum: eius esse iudicare de actionibus hominum, quibus possunt deuiare à salute, quod nos concedimus, sed non probat eiusdem esse iudicare de iis actionibus more politico, & tamé si hoc non probat, nihil agit. Tum autem eo peccat, quòd cùm disputetur de Papa, ille arguit de eo, cuius sit considerare de salute animarum: quod non tantùm iampridem nihil ad Papam, qui Episcopum non agit, sed tyrannum: verùm etiam si pertineret, tamen non solum, sed cum omnibus Episcopis, & Presbyteris. Itaque si argumentum concluderet aliquam iurisdictionem temporalem: ea non esset solius Papæ: sed omnium Episcoporum, quæ nunc nulla est thesis. Altera autem probatio manifestè agit de peccatorum cognitione Ecclesiastica, non autem ciuili.

X. Ratio nona eiusdem: (Sed quę numeratur etiã à Bellarmino inter argumẽta Canonistarum:) est eiusmodi: Is ad quem spectat declarare, definire, & iudicare dubia, & ambigua circa quascunque actiones hominum personales, quæ inter iudices inferiores, siue clericos, siue seculares variantur, is habere videtur iurisdictionem temporalem, modo nobiliori, & excellentiori, quàm potestates seculares. At Papa is est. Ergo habet iurisdictionem temporalem. Probat assumptum de Turrecremata, autoritate Innocentij tertij, capite *Per venerabilem*, extra, *qui filij sint legitimi*. Vbi citatur ex Deuteronomij decimo septimo, illud de iudicio dubio inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram. Apud Bellarminum additur Canon, *Quecũque litem:* Et Canon, *Quacunque contentiones* apud Gratianum, causa vndecima, quæstione prima.

XI. Responsio facilis negata minore: cuius nulla probatio vllius momenti. Nam Innocentius tertius, & Papa est suspectus testis, & inter postremos: tunc sedens cùm iam elatissima esset Pontificum ambitio. Itaque fœdè abutitur loco illo Deuteronomij. Nam quid ille ad summum Pontificem, qui de Leuitis est, quorum erat infra quoslibet Sacerdotes dignitas? Aut quomodo cum eo consistere potest, quod in eodem argumento idem de Turrecremata asserit ad Papam spectare eam potestatem iure summi Sacerdotij? Nam id summum Sacerdotium non erat in Leuitis. Canonem illum priorem, monuit Bellarminus esse antiquatum: quod etiam per partes docet Glossator. Alterum autem incerti esse autoris: & nullius momenti, vtpote prænotatum titulo, *Palea*. Quanquam in editione Gregoriana tribuitur Marcellino eius nominis primo: & reuera legitur in eius decretali secunda ad Episcopos Orientis. Sed hanc esse suppotititiam ipsa lectio testatur. Atque hac causa, credo Baronium has Marcellini decretales, ne nomine quidem esse dignatum.

Cap. X.

Argumenta Caretij.

I. Caretij rationes placet seorsim examinare, antequam venio ad exempla, quæ enumerari solent autoritatis Pontificum Romanorum in Principes. Prima hæc est, nam sequar eius ordinem. Felicitas est Reipublicæ finis. Felicitas pendet à virtutibus veris. Virtutes veræ à Religione. Religionis caput est summus Pontifex. Ergo Pontificem, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in politicis plenissimam in vniuersum terrarum orbem, potestatem hab:re fatendum est.

II. Respondeo, multa peccati. Primò: Felicitatem esse Reipublicæ finem, falsum est vniuersaliter sumptum. Nam felicitas alia secularis, alia æterna: Illam finem esse Reipublicæ fatemur. Hanc negamus. Rursus felicitatem pendere à virtutibus veris, non est vniuersaliter verum. Nam virtutes aliæ morales, aliæ Theologicæ. A Theologicis pendet æterna felicitas. Ast à moralibus illa altera. Tertiò virtutes veras à Religione, Theologicas, fateor: morales non item. Itaque etsi concederemus Papam esse caput Religionis, tamen non sequitur eum habere potestatem temporalem.

III. Præterea, falsum Papam esse caput Religionis: nisi fortè quomodo omnes Episcopos: quod nihil ad rem. Et si concederetur esse, tamen nulla est consequentia. Non enim sequitur, si Papa sit caput Religionis: & à religione virtutes pendeant: & à virtutibus felicitas: & hæc sit finis Reipublicę. Ergo Papam habere potestatem secularem. Nam hęc potestas in antecedentibus nullo loco fuit nominata.

IV. Secunda Caretij ratio ex vnitate primi principij. Sicut enim in supernis vnus est Deus: ita & in terris debet esse vnus Dei Vicarius ad eius similitudinem. At Cæsar non est is Vicarius: Ergo Pontifex, cui cuncta temporalia, & spiritualia subsint. Probatur prima propositio: primò, quia inferiora regulari debent ad instar superiorum: cùm ad imaginem Dei creati simus. Secundò, quia

prin-

principum pluralitas non sit bona, teste Aristotele Metaphysicorum 12. textu quinquagesimo quinto. Tertiò, quia sicut monstrosum est in corpore esse plura capita: ita naturæ repugnat plures in orbe dominos esse. Assumptio probatur, quia Petrus solus supra mare ad Christum venire visus sit, vt mysticè daretur intelligi, quòd totum orbem per mare designatum, sub sua ditione habiturus esset.

V. Respondeo: primò negari id quod de Pontifice dicitur in minore. Non enim Papa Vicarius Christi est, qui nihil ad Christum pertinet: & si concederetur ad Christum pertinere, certè non esset solus Vicarius, vt aliàs docuimus: & habemus adstipulatores Gallicos Episcopos in Concilio Compendiensi, in quo ausi sunt destituere imperio Ludouicum primum, hoc ipso Vicariatus prætextu, *Omnibus in Christiana religione constitutis*, inquiunt, *scire conuenit, quale sit ministerium Episcoporum, qualisque vigilantia, ac solicitudo eis circa salutem cunctorum adhibenda sit, quos constat esse Vicarios Christi, & clauigeros regni cælorum.* Recenset Baronius anno noni seculi vigesimo tertio: & ante eum Pithoeus ediderat.

VI. De Petro ambulante solo super aquas, actum aliàs. Sed hoc tamen nondum erat auditum, hoc facto significari totum mundum sub eius ditione futurum. Alij alia excogitarant: vt est fertilissimus campus τῆς ἀλληγορίας. At Catholici nihil admittunt vllo hoc artificio probatum: nisi idipsum perspicuis Scripturæ testimoniis confirmetur: solumque literalem sensum esse argumentatiuum, vt loquuntur Scholæ. Poterit ergo Caretius, cùm volet his sibi subtilitatibus delicias facere, sed in solidis controuersiarum disputationibus, sciat se apud prudentes cachinnum excitaturum.

VII. Secundò, negatur prima propositio. Nam Vicarij institutio pendet, non à natura: sed ab instituentis voluntate. Itaque tot sunt Vicarij, quot eos iste vult esse. Ita in regno Galliæ, plures sunt proreges: nec eodem semper numero: imò aliàs plures, aliàs pauciores. Tum verò alius iuri dicendo præest Cancellarius: alius bellicis rebus, Conestabilis: Nec est alteri in alterum vllum imperium. Similiter Deus suos Vicarios voluit esse plures vno: sed vniuersaliter duorum generum: alios politicos, alios Ecclesiasticos: distinctis muneribus: vt ne politici sint Ecclesiastici: vt ne etiam Ecclesiastici sint politici. Itaque nullius momenti est comparatio vnius Dei, cum vno Vicario: est enim suppositicia.

VIII. Ad primam confirmationem: Nego vnquam in Scriptura dictum, inferiora omnia regulari debere instar superiorum. Et si dictum esset, tum oporteret doceri in superioribus vnum esse Dei Vicarium: quod nunquam fiet. Quid tum autem, si facti sumus ad imaginem Dei? Aut quæ Dialectica docet inde concludi inferiora debere regulari instar superiorum?

IX. Non esse bonam multitudinem principum, concedimus: sed in eadem Republica. Atqui negamus vniuersum orbem esse vnam Rempublicam. Ideoque necesse est, si plures sunt Respublicæ, plures esse item principes. Neque vnquam Aristoteli in mentem venit, vt non essent in toto orbe terrarum plures vno principes. Rursus etiam non est vna eademque Respublica, id est, administrationis ratio, Ecclesia, & Regnum. Itaque nihil vetat esse in vtraque diuersos principes.

X. In tertia confirmatione, primò, non est vnicum corpus formaliter Respublica, & Ecclesia, sed tantùm materialiter. Itaque sunt, quasi duo corpora, quorum non sit eadem definitio. Cur igitur non sua habeant capita? Nam vnum caput, non nisi vnius est corporis. Sed illa profectò monstrosa est consequentia: quia vnius corporis vnum sit caput: ergo totius orbis non esse plures dominos.

XI. Tertia ratio, ab vnitate Ecclesiæ. Ecclesia est vna: Ergo habet vnum caput. At id caput non est Cæsar: sed Papa. Ecclesia est summi Dei filia: igitur vnum patrem habet, non plures. Ecclesia est vnica Christi sponsa. Ergo vnicum virum, & non plures habere debet. Ex quibus concluditur in orbe Pontificem esse summum Patrem, & orbis virum, & orbis vniuersalem Vicarium, atque dominum: & cæteros ab ipso, vt ab Architectore dependere.

XII. Proh Dei, atque hominum fidem! tantúmne ab humana ratione prodigiorum? Nam hæc quidem in argumentando prodigia sunt. Caput Ecclesiæ Cæsarem non esse, concedo: sed esse ergo Papam, ἀνακόλουθον. Nam cur non Christum potius? An verò ille [illegible] Quid hæc tam deinceps? Ecclesia est Dei filia. Ergo habet Papam vnicum patrem. Est Christi sponsa: ergo eius vir est Papa solus. Siccine? Et hoc apud Papistas fert natura? hoc ratio dictat? vt patrem alium habeat, præter eum cuius sit filia? vt filia sit alterius quàm patris? Vt sponsa non sit viri, vt vir non sit sponsæ? Næ benè Nazianzenus [illegible] dixit [illegible], oratione contra Iulianum priore. Nam aliàs ne Choræbus quidem tam monstrosè ratiocinando desipiat. Quid hoc rursus? Papa est caput, est pater, est vir Ecclesiæ: ergo vniuersalis orbis vicarius, & dominus? *Currente rota, cur vrceus exit?*

XIII. Ratio quarta. Cuicunque inferiores homines tanquam vni, præfixo principio respondent, is est Monarcha. At Papæ inferiores omnes homines tanquam vni præfixo principio respondent. Ergo Papa est Monarcha. Confirmatur Minor. Primò, Is cui tanquam principio vni præfixo respondent homines inferiores, vel Papa est, vel princeps. At non princeps. Ergo Papa. Probatur assumptum: quia principi, non omnes parere debent: Excipiuntur enim Clerici, quos ipse non iudicat: Excipitur etiam Papa, qui à nemine etiam in temporalibus iudicari potest: apud Gratianum causa nona, quæstione tertia, capite *Nemo*. Secundò, Papa de tota Ecclesia iudicare potest: ergo, & de Imperatore: Item de omnibus Clericis.

XIV. Respondeo, Concedo maiorem: sed addo, Monarcham neminem dici absolutè: sed tantùm relatiuè suorum subditorum. Puta Gallorum, Hispanorum, Germanorum. Quia Monarchia dicitur ad differentiam Aristocratiæ, & Democratiæ, vbi non vnus, sed plures imperant. Quare etsi Cæsar, vt hunc exempli gratia nominem, non omnibus toto orbe hominibus imperet, tamen est verè Monarcha: quia vnus suis Germanis imperat,

XV. Verùm negatur minor. Primò enim non omnes homines Papæ respondent: sed soli Papistæ: nemo Catholicorum. Deinde non quærendum tantùm vtrum respondeant: sed multò magis, vtrum iure, & non potius tyrannicè. At ne Papistæ quidem Papæ respondent omnes, nisi per vim, aut fraudem. Quicunque autem sibi potestatem parat in homines, non legitimis artibus, sed, aut vi, aut fraude is est tyrannus. Cùm ergo Monarchia sit, non tantùm vnius dominatus, sed legitimus: Ergo, Papa non est Monarcha. Sed est tyrannus oppositus Monarchię, vt oligarchia Aristocratię: & Ochlocratia Democratiæ. Tertiò, vt sit quis Monarcha, non tantùm ei respondere homines oportet: sed respondere in temporalibus. At Papæ non respondent omnes in temporalibus. Non enim Rex Francorum: nec fortasse alij: Ergo non est Monarcha.

XVI. Ad primam confirmationem minoris: nego maiorem: restat enim tertium membrum. Nullus. Reuera enim nullus vnquam homo, aut habuit, aut habebit imperium in omnes alios homines absque vlla exceptione. Imò, ne in vniuersum quidem orbem, quanquam aliàs distinctis hominibus, in varios ordines: vt Papam Papistæ faciunt Monarcham totius orbis, etsi infideles ab eius dominio excipiant. Quod si in singulis potius monarchiis, monarcham consideremus: tum verò, & dicimus Cæsarem, id est, quemcumque regem, esse in suo regno Monarcham. Nam exceptio Clericorum falsa est, vt aliàs disputabimus Deo dante. Et Papa, nisi tyrannus esset, subesset Romano Imperatori. Itaque, & iudicaretur in temporalibus. Negamus autem etiam, à Papa iudicari vniuersam Ecclesiam: aut iudicari Cæsarem in temporalibus: imò etiam in spiritalibus, si sit Imperator extra vrbem Romam. Quomodo Ambrosius Theodosium iudicauit, tum cùm fuit Mediolani: non cùm Constantinopoli, aut Romæ.

XVII. Ratio quinta. Is à quo principes suam potestatem recipiunt, est monarcha orbis. At Papa is est. Ergo est orbis monarcha. Probatur assumptum. Primò, quia Romani principes, saltem post Christi incarnationem, & principis mundi eiectionem, suam potestatem à Papa recipere consueuerunt, vt apparet in coronatione, & consecratione: item in fidelitatis iuramento apud Gratianum, distinctione sexagesima tertia, *can. Tibi Domino*. Secundò, Ecclesia de imperio ad libitum disponit: cùm ipsum à Græcis in Germanos transtulerit: capite *Per venerabilem*, de Electione, & Electi potestate. Tertiò, Reges, & Imperatores, Papa deponit: causa decima quinta, quæstione sexta, capite *Alius*. Quartò: Episcopus, vel ab eo delecti, confirmatiue, ipsos Reges creant, & eligunt: aut ius regnandi eis dant legitimum, & plenum: in Germania, Gallia, Anglia, Scotia, Hungaria, Bohemia, Polonia.

XVIII. Respondeo, negari minorem. Nam Reges, vel Christiani sunt, vel infideles. Infideles perspicuum est, nullos à Romano Episcopo quicquam iuris accipere. Et hi tamen debent in argumento comprehendi, nam & horum dominus constituitur Papa à Caretio: est enim iste inter Canonistas. Christiani autem, sese omnes Dei gratia regnare dicunt, hoc est, potestatem suam habere à solo Deo. Quod si neque Christiani, neque infideles à Papa autoritatem suam recipiant: Ergo falsum Caretius sumit.

XIX. Ad confirmationem, primò dico, Caretum solos Christianos principes enumerasse, Itaque non plenè concludere. Secundò, qui vel à Romano, vel ab aliis Episcopis consecrantur: hos falsum est, ab iisdem, aut constitui, aut eligi: aut suam potestatem accipere. Patet: quia etiam sine ea consecratione funguntur eadem pleno suo iure. Sic in Germania, iampridem solus Carolus quintus consecratus est: & tamen alij Imperatores, plenè omnia exsequuntur munia, quæ Carolus quintus. In Gallia, Henricus quartus, annis non paucis verè Rex fuit, antequam sacraretur: itaque semper annos suos computauit. Nec verum consecrari ab Episcopis, quos Romanus delegerit. Nam qui Episcopus Reges nostros vngit, is à Romano id iuris non habet.

XX. Quod attinet ad iuramentum fidelitatis, respondeo: fidelitatis iuramentum solere intelligi subditi ad dominum, id est, eius, qui ius aliquod recipit, ad eum à quo recipit: & exprimi hanc ipsam causam. Itaque nego vllos Imperatores hoc sensu iuramentum fidelitatis præstitisse Romano Episcopo: atque adeo in illo Ottonis iuramento, nihil simile: tantùm enim pollicetur se defensurum Ioannem, eiusque iura conseruaturum. Itaque id non præstitum in vlla auguratione, consecrationeve: sed in expeditione Romana: cùm sibi Ioannes cautum vellet.

XXI. Deinde, hæc omnia consecrationis, coronationis, iura esse recentia: nunquam obseruata, non dico ab Ethnicis Imperatoribus: sed ne à Christianis quidem ante Pipinum, & Carolum Magnum. Quis autem credat, aut Episcopos Romanos, aut etiam Imperatores, qui optimi ab initio, si vnquam optimi, ea iura fuisse non obseruaturos? Imò iuramentum nullum ante Ottonem secundum, anno sexagesimo decimi seculi. Et quidem notatu dignum, Ioannem hunc, Pontificem illum esse, qui puer inuasit sedem malis artibus: illum, inquam, esse cui excusando nulla Papistarum sophisticè sufficit. Itaque Baronius anno nongentesimo sexagesimo, de hoc ipso iuramento agens paragrapho quinto, *Ioannes*, inquit, *malè conscius de sua in sedem Apostolicam intrusione, sic liberationem Romana Ecclesia ab Ottone, quem vocat, exoptat, vt tamen antea voluerit sibi esse consultum, ne sui Pontificatus quoquomodo iacturam pateretur. Innatum est à natura latronibus, vt omnes semper timeant, etiam socios, atque adiutoribus non se credant*. En tibi originem horum Sacramentorum.

XXII. Disponi regna pro arbitrio Papæ, & reges deponi: hoc verò non est vniuersale: tum etiam iniustum. Non vniuersale, quia nunquam factum in Gallia, in Anglia, fortasse alibi. Attentatum quidem in Gallia, tum aliàs, tum nostro æuo: cùm Henricum tertium, eiusque successorem quartum, Pontifex voluit pro sua libidine destituere, & regnum aliò deferre. Sed non ita faciles Galli. Nam & Parlamenta, bullas iussêre per carnificem in cineres redigi. Et Galli omnium ordinum, exceptis paucis perfidis, sui principis autoritatem constantissimè tutati sunt, adeò vt Pontificis minæ omnes in fumum abierint: nisi succurrissent sicarij: qui tamen nisi in corpora principum sæui-

seuierunt: de maiestate imperij nihil dum detraxerunt. Imò recenti sententia damnatus in Parlamento Parisiensi Bellarminus, qui suum illud indirectum ius vendicans suo Ioui Vaticano, iudicatus est seditiones mouere. Quanto tu dignius, Careri? Viderunt alij principes. At nostros saltē nunquam adeo dementauit pocillatrix illa Babylonia, vt se non meminissent Reges.

Cap. XI.

Bozij argumenta de Dominio Occidentis.

I. VT Careri proximo capite, ita Bozij placet isto rationes expendere de Dominio in vniuersum orbem. Nam is seuerè disputat, Occidentalis Imperij iura omnia, & regiones pertinere ad Pontificem Romanum, & Cardinales. Indéque nullum Regem, & Principem, in Occidente quicquam possidere iure, nisi ex eorum liberalitate: libri decimi de Signis Ecclesiæ, capite duodecimo.

II. Illud probat. Quia totius orbis dominium fuit penes Romanos: & quidem ita, vt nullum vnquam imperium fuerit iustioribus armis, ac sanctiori iure, partum. Probat primò, quia nulla vnquam ab eis mota bella, non missis prius legatis, ac fecialibus, qui res raptas repeterent. Secundò, quia pactorum fuerint obseruantissimi, teste Regulo. Tertiò, quia Christus dixit, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: quod non dixisset, nisi imperium approbasset. Quartò, quia pro eo Christiani militabant: quod non licuisset, nisi iure stetisset. Iam verò, post exactos Reges, fuit magna ex parte rerum summa penes Senatum. Imò Octauianus, cùm vellet Imperium deponere, Senatúsque contradiceret: ita retinuit, vt profiteretur se de Senatorum consilio, grauissima quæque transacturum: & quidem in decennium: vndè mos remansit successoribus decennalium. At cùm à Constantino Constantinopolis ædificata esset, cœpit distingui Imperium: & vt plurimum alius Orienti præfuit, Occidenti alius. Tandem, etsi Theodoricus Italia, Romáque occupata, Senatum non sustulerit: tamen cùm Attilas postea vrbem vel diruit, vel deformauit, nullus videtur Senatus reliquus factus. Itaque deinceps vrbis gubernatio, finitimarúmque ciuitatum, relicta est Romano Pontifici: cui fuit Clerus Romanus pro Senatu. Atque en tibi, exclamat] Bozius, vt mirabiliter, diuina sapientia disponente, tota authoritas illius antiqui Senatus in Clerum Romanum, Pontificémque deuenerit.

III. Atque hæc de Pontifice. De Regibus autem & Principibus. Ponit non licere bello aliena occupare. Itaque Visigotos, Francos, Anglos, nullo iure sua regna tenuisse. Nulla etiam temporis præscriptione eorum successores potuisse eadem sua facere. Quare iniustè possidere: nisi ad liberalitatem Pontificis confugiant; qui possit ea iustis de caussis transferre.

IV. Lepidum commentum! ita mihi sint omnes Papistæ propitij, quod vix sperare possum. Sed enim, primò alienum à præsenti controuersia: imò oppositum tam Canonistis, quàm Theologis. Nam Canonici disputant iurisdictionem temporalem esse propriam Papæ, eo quòd Papa sit. Quod si est, tum verò omnium Paparum oportet fuisse communem à primo ad vltimum. At hoc falsum: quia si totius orbis dominium fuit penes Romanos; nec penes Papam, nisi postquam, illis desinentibus, in Papam facta translatio est: tum certè quum nondum illi desissent, ac proinde non esset facta translatio; nihil erat Papæ iuris in id dominium: ac proinde quicumque Papæ fuerunt ab ipso Petro adusque Attilam, id est, ad Leonis primi tempora, exclusi fuerunt ab eo dominio. Non igitur Papæ fuit, quatenus is Papa erat: quod Canonistæ dictum non patientur æquo animo. At Canonistæ docent, si quod ius sit Papæ in dominium temporale, id esse indirectum. At si Romani Senatus transiit ius ad Papam; tum verò Romanus Papa ius habet directè in dominium temporale: non enim per accidens Senatus administrabat Rempublicam. Caueat sibi Bozius, ne vtrosque in se crabrones prouocet.

V. Verumtamen, primò fuisse iustum Imperium Romanum, hoc est, non nisi iure partum; hoc verò non videtur. Nam quæ non scelera inuenias in ea historia? Pauciora fateor sub Consulibus: sed non tamen nulla. At deinceps sub Imperatoribus nihil frequentius. Nam profectò vnius Imperium non nisi magno parium scelere: nempe bello ciuili. Non enim aliter aut Iulius, aut post eum Octauius rerum potiri. Præcipuè verò Octauius, à quo successio Cæsarum computatur: etsi enim Iulij contra Pompeium motus nihil habuerit sani: tamen Triumuiratus omnem inhumanitatis modum excessit.

VI. Quid? non ponit ipse Bozius, non licere bello aliena occupare? At nihil est, quod non bellis continuis Romani occuparint: aut si quid fuit, vnum fortè, aut alterum populum numeres. Itaque apud Danielem, capite septimo, describitur sub specie bestiæ terribilis, atque mirabilis; dentibus ferreis & magnis: omnia comedentis, comminuentis, conculcantis. Quæ descriptio, quàm est ab humanitate, iustitiáque aliena?

VII. Fuerit sanè nullum aliud iustius partum; vt vult Bozius. At non tamen iustè. Socrate nullus Atheniensium religiosior: nec tamen ille absolutè religiosus. Platonicis nulli Philosophi magis Christiani: nec tamen Platonici Christiani. Aquila nulla auis maior: nec tamen Aquila magna. Breuiter hoc dicimus, partim iustitiæ prætextu creuisse Romanum Imperium: sed multo magis aperta vi, & iniusta violentia.

VII. Quid tum autem, si fecialibus vsi sunt? Primò nullum inde ius acquiritur sibi aliena vindicandi: sed tantum sua auferendi ab iniustis occupatoribus. Quæ enim lex permittit, vt qui mea conqueror mihi esse ablata, idem aliena vsurpem omnia? Atqui Deus furem tantum quadruplo, quintuplóve dánabat, Exodi vigesimo secundo. Deinde, Feciales ab initio fuere: pòst in desuetudinem venere: adeo vt Varro de iis loquatur tanquam iam antè desitis: de lingua Latina libro quarto, *Feciales, quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat, vt iustum conciperetur bellum: & inde desitum.* Certè sub Cæsaribus ne nominantur quidem. Atque adeo hoc

verissimè potest dici, tum feciales in vsu fuisse, A quum Sora & Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculũ, prouinciæ, quum de Veijs & Bouillis triumphatum est. Sed longius progressis, nullos. Itaque longè maximam partem Imperij partam, hoc iure neglecto.

IX. Pactorum fuisse obseruantissimos, concedi fortè queat, ante Imperatores: etsi non desunt, ne tunc quidem in alteram partem exempla. Nam quæ ad Furcas Caudinas fuere conuenta, ea constat Senatum neglexisse. Sed post Iulium longè B plurima. Tum autem, quid tum, si pacta conuenta seruarunt: qui alioquin cùm nulla intercederent tam multis exemplis suam insatiabilem regnandi cupiditatem traduxerunt? Cùm Galli Clusinum obsiderent, legati Roma ad eos missi, ante quàm redirēt infectis rebus, Clusiniis opem tulerunt armati. Galli ad Senatum iniuriam detulerunt: Feciales pronunciabant dedendos. At populus saluos maluit. Plutarchus Numa. C

X. Enimuerò quum iussit Christus reddi Cæsari quæ essent Cæsaris, non tamen voluit asserere iure partum Imperium Cæsaris, quod tanto constitisset ciuili sanguine, quà sub Iulio, quà sub Augusto. Alioquin etiam ciuilia arma approbasse dicendus esset. Sed voluit de ipsa autoritate loqui, qua pollebant tum temporis Cæsares. Id fit manifestum è re ipsa. Nam voluit Christus ipsos Iudæos censum dare Cæsari. Atqui Peterius Iesuita libro octauo in Danielem, testatur iniustè D coactam Iudæam Romanis seruire, & tributa pendere.

XI. Milites Christiani quòd seruierint Imperatoribus Romanis non magis mirum, quàm quòd censum soluerint. Id enim æquè debetur iis qui summa rerum potiuntur. Nam & Francorum regibus, quos tamen Bozius tanquam vsurpatores, & iniustos possessores taxat, militasse certum, antequam Pontificum liberalitate possent suam autoritatem defendere: fuere enim in Galliis nostris reges Christiani, antequam aut Theodoricus, aut At- E tila Senatum extinxisset: ac proinde, antequam ad Pontificem & Clerum deuoluta essent Imperij Occidentalis iura. Quod si hæc Christianorum militia nullum ius detulit Francis regibus, cur potius Romanis Imperatoribus?

XII. Sed prosequamur reliqua. Post exactos reges fuit rerum summa penes Senatum. Ita, inquam, aliquandiu: id est, quandiu populus magistratus creauit Consules, Tribunos, Prætores. Sed non fuit, postquam res ad vnum rediit Imperato- F rem. Nam deinceps penes istum summa fuit: quomodo in omnibus regnis, penes regem. Itaque apud Græcos βασιλεὺς appellatus, quantumlibet apud Romanos inuisum esset Regis nomen: quo solo abstinuisse Cæsares certum: quum re ipsa nemo vnquam regnarit superbiùs. Itaque Consules, Prætores, Senatores, atque omne genus magistratus, penes Imperatorem fuere. Ab eo tempore nũquam fuit penes Senatum Maiestas: tantùm aliquando G per interualla quædam Imperatoris electio: sed præterea aut nihil, aut ferè nihil.

XIII. Cogitauit Augustus aliquando de deponendo imperio: sed semper retinuit. Suetonius libri secundi capite vigesimo octauo, *De reddenda Rep. bis cogitauit: primò post oppressum statim Antonium: memor obiectum ab eo sæpius, quasi per ipsum staret, ne redderetur: ac rursus tædio diuturnæ valetudinis: cùm etiam Magistratibus ac Senatu domum accitis, rationarium imperij tradidit. Sed reputans & se priuatum non sine periculo fore: & illam plurium arbitrio temere committi, in retinenda perseuerauit.* Audin' tu retinuisse? Et verò cùm secundo hanc fabulam ageret, Xiphilinus post Dionem arguit τὸ πεπλασμένον καὶ μὴ ἐκλείψειν τῆς προστασίας. καὶ γὰρ ἀδυνάτως καὶ κατὰ βίον ἔχοντά τινας μοναρχεῖν, καὶ ἑκόντων τῶν πολιτῶν δεῖν ἔχειν ἐθέλοντες, ὡς καὶ τοιαύτης ἀρχῆς ἐπιτηδείας καὶ ἀναγκαίας χρῄζοντ. Euentus probauit. Nam B fingens se coactum retinere imperium, ita prouincias inter se diuisit & Senatum, vt huic traderet τὰ ἀσθενέστερα τῶν ἐθνῶν, sibi autem reseruaret τὰ ἰσχυρότερα. Hoc prætextu, vt Senatus optima parte imperij frueretur, ipse verò labores subiret & pericula: sed re vera vt ille inermis esset, & alienus a bello: ipse verò solus & arma haberet, & milites. Nec alia arte pollicitus se, exacto decennio, etiam suas prouincias redditurum; atque adeo Imperium, ὡς μὲν ἐν λεγο- C μένοις ἦν. Imò τῷ ἔργῳ, inquit Dio Cassius libro quinquagesimo tertio, καὶ πάντων καὶ διὰ παντὸς αὐτὸς ὁ Καῖσαρ, ἅτε καὶ τῶν χρημάτων κύριος ὢν, καὶ τῶν στρατιωτῶν κρατῶν, αὐταρχήσειν ἔμελλε: *Re ipsa vnus in omnibus rebus & perpetuo habiturus erat imperium, cum & pecuniam, & milites in sua haberet potestate.* Quare certum, nunquam post Iulium fuisse Remp. penes Senatum: quicquid Bozius garriat.

XIV. Quid verò prodest extinctum fuisse siue à Theodorico, siue ab Attila Senatum? Primò D enim, quo iure occuparunt Cardinales Senatus locum? Aut cur non potius curarunt nouum Senatum eligi: quomodo tandem in Imperij partem occidentalem vocatus est Carolus Magnus? Nam ita oportuit potius, quàm homines vocatos ad Ecclesiæ curam, affectare dominium Reipublicæ. Imò quis constituit? vbi tabulæ? Aut, si fingit Bozius, quanta hæc audacia est?

XV. Secundò, ex ipso facto arguuntur non successisse Senatui Cardinales. Nam quæ prouinciæ erant ab Augusto relictæ Senatui, has Dionu- E merat Africam, Numidiam, Asiam, Græciam, Epirum, Dalmatiam, Macedoniam, Siciliam, Cretam, Africam Cyrenaicam, Bithyniam, cum Ponto finitima, Sardiniam, Hispaniam Bæticam: postea tamen Dalmatiam permutatam Cypro & Gallia Narbonẽsi. Atqui ex his omnibus prouinciis nulla est, qua, post illud Senatus excidium, Cardinales potiti sint. Nam Galliam Narbonensem Rex noster sibi summo iure vendicat. In Sicilia ius idem ob- F tinet Hispanus: ob id infensior Baronio: nec, credo, facilè cessurus Bætica. Reliquas partim Gotti occupauerant: partim Imperatores Græci tenuere.

XVI. Tertiò, quid tum si defecit Senatus? At Imperator supererat cuius erat Imperium, etsi in Oriente sederet. Iam ergo, etsi concederemus verisimiliter Cardinales substitutos Senatui: quæ tamen ratio fert Papam successisse Imperatori? Nam hoc G necesse est: maximè quum agatur de Imperio Occidentis: quem pene totum sibi Augustus reseruauerat: nimirum, excepta Sardinia, Hispania Bætica, & Gallia Narbonensi. Vnde illo Senatus iure, Papa, si non successit Imperatori, nihil habet dominij in Germaniam vniuersam, in Hispaniam, in Galliam, in Britanniam, in Italiam, quas sibi tamen in primis arrogat.

XVII. Iam

XVII. Iam illud, relictam deinceps Romano Pontifici gubernationem vrbis, finitimarumque ciuitatum: etsi videtur non verum, tamen quid ad rem? Immane enim quantum intersit inter dominium, & gubernationem. Deinde inter Romam, ciuitatésque finitimas, & totum occidentem. Imò, si relicta est illi gubernatio: Ergo dominium non erat eius. Neque enim quisquam dicat Imperatori relinqui ab alio gubernationem sui Imperij: aut etiam partis. Nam illud *relinqui*, significat autoritatem non suam, propriámque haberi, sed aliunde deferri.

Cap. XII.

Exempla autoritatis Pontificum in Principes ex Veteri Testamento.

I. SEd validissimum Papistis argumentum est ab exemplis, quibus docent Sacerdotum autoritatem aliquam fuisse temporalem in Principes, etiam summos. Ea colligit Bellarminus libri quinti capite octauo de Pontifice: & Carerius decimo nono libri secundi. Ego distribuo in duos ordines: vt alia sint ex Veteri Testamento: alij ex Ecclesia Christiana. Illa sunt duo tantùm, vnum Oziæ regis, alterum Athaliæ, apud Bellarminum. Sandetus tamen addit alia.

II. In primo exemplo sic Bellarminus argumentatur: Si propter lepram corporalem poterat olim Sacerdos regē iudicare, & regno priuare. Ergo propter lepram spiritualem; id est, hæresin modò poterit idem Papa. Probatur antecedens ex quinto capite posterioris Paralipomenon. Ozias lepra percussus, à Pontifice est de templo eiectus, & coactus ab vrbe discedere, & regnum filio renunciare. Probat primò fuisse coactum à Pontifice, ex Leuitici decimo tertio, *Quicunque maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, solus habitabit extra castra.* Probat renunciasse regno, quia eodem capite dicitur habitasse extra vrbem in domo solitaria: filius autem eius in vrbe iudicasse populum terræ.

III. Respondeo, primò negari consequentiam: tum quia non est inter Christianos Papa, quod erat Pontifex apud Iudæos: tum quia non legitimè concluditur à lepra corporali ad spiritalem. Est enim allegoricum argumentum; ac proinde non necessarium. Apparet è re ipsa. Nā Rex leprosus necessariò cogebatur seorsum habitare: at non hæreticus. Hoc probatur, quia olim Constans, Constantius, Valens, aliique Imperatores hæretici, nihilominus habitarunt in medijs vrbibus: imò non destiterunt ab administratione Imperij. Præterea, si bona esset consequentia, sequeretur absurdum: videlicet à quolibet Episcopo iudicari, deponíque posse Imperatorem. Rano, quia ius iudicandi de lepra pertinebat non solum ad Iudæorum Pontificem: sed etiam ad quemlibet Sacerdotem. Leuitici decimo tertio. *Homo, in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron Sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius, & ad arbitrium eius separabitur.*

IV. Denique, si fuit ad allegoriam recurrendum, cur ex parte tantùm? Nam pro Pontifice Iudæo, Papam, pro lepra hæresin, cùm substituit, tum verò regem, & depositionem, retinet ad literam Bellarminus. Quæ istæc audacia est, aut cur non rex aliquid aliud significauit, puta quemlibet Christianum, cui promissum est regnum cœlorum? Cur non etiam depositio, aliquid aliud, puta eiectionem in tenebras, vbi erit fletus & stridor dentium. Tum enim toleraremus allegoriam, quæ inferret quemlibet Christianum, cùm in hæresin incidit, ab Episcopo priuari regno cœlorum.

V. Hîc Bellarminus dupliciter opponit contra Barclaium. Primò. Quomodo figura cum re figurata concordat, si in figura ponitur Rex coactus habitare in domo solitaria, & negotia regni nulla tractare: in re figurata ponitur rex liberè in vrbe Regia residere, & ius dicere, vt antea faciebat? Secundò, veritas figuræ requirit, vt nihil minus, sed potius aliquid amplius in re figurata reperiatur, quàm in ipsa figura.

VI. Respondeo ad prius, optimè figuram conuenire rei figuratæ, cùm figuræ partes omnes exponuntur ἀναγωγικῶς. Ita enim & solere, & debere fieri: ne monstrum sit ἐκ μερῶν ἑτερογενῶν conflatum: nempe partim allegoricum, partim literale, id est, figura obiiciatur partim figura, partim non figura: hoc est, humano capiti ceruicem pictor equinam iungere velit. Enimuerò quicquid ad literam sumitur, id verò figura non est: nam figuratus sensus alienus est à literali. Quare in hoc exemplo, illud de separatione, & depositione, quod ad literam retinetur, nullo modo esse poterit figura.

VII. Ad secundum: nihil minus, sed aliquid magis esse in re quàm in figura: dupliciter potest intelligi, vel vt quæcunque capita sunt in figura, eadem omnia ad literam, vel etiam plura sint in re: vel vt figuræ singulis capitibus propositis, alia respondeant similia totidem capita rei figuratæ, & capitibus figuræ grauiora. Hoc sensu concedimus quod Bellarminus dixit: & pulcrè conuenire defendimus nostræ allegoriæ: quia in figura hæc sunt capita, Rex, lepra, Sacerdos Iudaicus, separatio, depositio. At in re figurata, Christianus, peccatum, Episcopus, excommunicatio, priuatio regni cœlorum. Ergo totidem capita capitibus respondent: & quidem grauiora leuioribus. Itaque non est hac parte, quod nostram suggillet allegoriam. Alter sensus negatur. Nam, vt exactè figura respondeat, non debent eadem esse capita ad literam: aliàs nihil figuratum esset: non etiam plura, aliàs non esset similitudo.

VIII. Secundò, respondeo negari antecedens. Bis enim falsum sumi. Primò, Regem eiectum de templo à Pontifice. At hoc nusquam Scriptura dicit: sed potius Regem territum plaga sua, exisse, quum ante plagam non tantùm nollet exire, sed etiam Sacerdotibus minaretur, *Obstiterunt regi Sacerdotes, atque dixerunt: Non est tuum, Ozia, adolere Domino: sed Sacerdotum filiorum Aaronis, qui consecrati sunt ad adolendum: Exi è sanctuario, nam præuaricatus es: neque futurum est tibi gloriæ à Domino Deo. Tum indignatus est Ozias, habens in manu sua suffimentum ad adolendum: quumque indignaretur contra Sacerdotes, lepra exorta est in fronte eius coram ipsis Sacerdotibus Domini ab altari suffitus. Et respexit ad eum Azarias Sacerdos summus, tum omnibus reliquis sacerdotibus, & ecce leprosus erat in fronte sua. Itaq. instabāt vt abiret inde: & ipse impellebatur ad egrediendū: quia plaga afficiebat eū Dominus.* Ergo instabāt quidem Sacerdotes, vt exiret: sed vi non extruserunt. Hebraicè legitur ויבהילוהו משם: Vetus

Intepretes, *festinatò expulerunt eum*: Munsterus. Tremellius, *deturbarunt*. Sed melius Paghinus, *Festinanter egredi fecerunt*. Nam certè verbum Hebræum nullam significat vim illatam. Hebræi quidam exponunt *terrere, terrore afficere*. Sed non videtur. Nã Esteræ sexto ויבהילו להביא את המן *Et festinarunt adducere Haman*: vbi quæ terroris significatio esse potest? Melius Chimki in radicibus ענין מהירות וחפזון

IX. Nam quod probat Bellarminus non sponte exisse; ex illo loco Leuitici; respondeo; primò spontanea illa negari, quæ non tantùm non fiunt vi aperta, & violentia: sed etiam quæ contra animi motus primos. Sic crediderim non sponte Regem egressum: non quod violenter expulsus à Sacerdotibus: sed quia ipse se inde proripuerit, dolens, & inuitus: atque adeo instantibus Sacerdotibus. Sed secundò nego id ipsum probari ex eo Leuitici loco. Nam primò illud, *Separatus est ad arbitrium Sacerdotis*, non est exactum ad veritatem Hebraicam. Moses dixit, *Omnis leprosus, immundus est: Contaminando contaminabit eum Sacerdos: in capite eius, plaga eius*: vbi nihil de separatione: sed tantùm de contaminatione; cuius denunciatio ad Sacerdotem pertinebat. Secundò, Bellarminus duos versus non tantùm distinctos, sed etiam separatos, copulauit: nam illud, *Solus habitabit extra castra*, postea legitur, vbi nihil de Sacerdote aut eius iudicio arbitrióve. Nam post sententiam Sacerdotis, qua declaratur, quis est leprosus, tum quid eo faciendum, declaratur, *Quandiu plaga erit in eo immundus erit: solus habitabit: extra castra erit habitatis eius.* Non sequitur autem hoc fieri arbitrio Sacerdotis, hoc est, sacerdote sic decernente: etsi fiat post Sacerdotis sententiam de lepra. Quomodo inter Papistas, etsi exurantur hæretici, post hæreticationem, ita enim loquebantur olim: tamen ipsi Theologi, quorum est pronunciare de hæresi, non adiudicant igni: sed amandant ad brachium seculare. Et hodie de lepra pronunciant Medici: at separationem Magistratus decernit.

X. Secundò, sumitur falsò Oziam solio suo deturbatum, id est, priuatum fuisse authoritate regia. Res non est difficilis. Primò punitus est Ozias lepra propter attentatum Sacerdotium. At separatus à consortio populi, non propter Sacerdotium attentatum, sed propter lepram: itaque secundùm legem Mosis. Atque lex Mosis neminem leprosum, vllo suo iure priuat: sed tantùm communi societate. Ergo & Oziam similiter. Secundò, hæc ipsa separationis pœna, non erat ex sua natura perpetua: sed tandiu duratura, quandiu lepra. Poterat autem lepra sanari: ac tum ille restituebatur in integrum. Depositio autem regni, non potest esse temporalis. Itaque Sacerdos modum excessisset.

XI. Præterea Scriptura nihil habet huiusmodi. Imò contrà dicit. Ita enim legimus, *Fuit igitur Ozias rex, leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini. Porrò Ioatham filius eius rexit domum regis: & iudicabat populum terræ. Dormiuitque Ozias cum patribus suis: & sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod esset leprosus: regnauitque Ioatham filius eius pro eo. Viginti quinque annorum erat Ioatham cùm regnare cœpisset: & sedecim annis regnauit in Hierusalem.* En tibi rem gestam. Nota: separato Ozia, Ioatham rexisse domum eius. Hebraicè, ויותם בנו על בית המלך *Et Ioatham filius eius super domum regis.* At hoc certè non est regem esse. Nam eadem phrasis vsurpatur de Eliakim posterioris Regum decimo: & de Sobnà Esaiæ vigesimo secundo. Deinde initium regni Ioatham computatur à morte Patris. Patet ex supputatione annorum posterioris Regum decimo quinto. Nam quum quinquaginta duos annos regnasse dicatur Ozias, qui & Azarias, tum verò annus quinquagesimus secundus notatur primus regis Phacee in Israele. At secundus Phacee primus Iotami. Ergo pater ad mortem vsque rex fuit, non autem eo viuo filius. Vnde oportet sensum esse, Iotam, dum pater leprosus fuit, præfectum fuisse rebus gerendis, seruata tamen patri maiestate regni.

XII. Hìc Bellarminus respondet contra Barclaium, Oziæ relictum solum nomen regium, at non autoritatem. Probat ex Iosephi nono Antiquitatum, capite vndecimo: priuatum vixisse in domo solitaria, & filium Remp. administrasse. Ex Scriptura: quæ filium ait iudicasse populum terræ, non addito iussu patris.

XIII. Imò, inquam, ius regium Oziæ reseruatum, sed functiones mandatæ filio, quibus pater non sufficiebat. Quomodo aliâs sæpe fit, vel propter ætatem, vel propter morbum, vel propter absentiam. Nã, etsi hodie Rex noster Ludouicus decimus tertius, nullam partem tractet Reip. tamen non nomine tantum, sed etiam reipsa rex est Gallorum. Sic Carolo sexto suffecti auunculi ob phrenesin: sic Ioanne in Anglia captiuo, Carolus filius regnum administrauit. Nec tamen aut Carolo, aut Ioanni dignitas regia abrogata. Omnino ita accidit Oziæ. Cùm enim ab omni Iudæorum commercio segregatus esset, manifestum est, non potuisse ab eo rebus prouideri publicis. Itaque eius partes filius obiuit. Sed vt notaretur ipse Rex non esse; præfectus dicitur domui regis, non suæ, inquam, sed regis.

XIV. Nec contrà probat Bellarminus. Nam quis est Iosephus, cui plus defetamus, quàm Scripturis? Scripturæ autem dicunt quidem Iotam iudicasse populum terræ. Sed quis nescit שפט *iudicare*, non de regibus tantùm dici: verùm etiam de iis qui à regibus præficiuntur litibus discernendis? Quanquam Iosephus dixit tantùm [illegible] *privatam vitam duxisse*, nimirum sequestratam à negotiis. Filium verò [illegible]: quod cur non significet curam regni, etiã sine nomine? Quid tum autẽ, si non additum, iussu patris? Aut cur non sufficit loco patris? Hoc autem satis clarum: cùm præfuisse dicatur palatio. Non enim id potuit, nisi precaria autoritate.

XV. Sequitur alterum exemplum secundi Paralipomenon vigesimo tertio. Athaliam Ioiadas Pontifex occidi iussit, quæ tyrannicè regnum occupauerat, & fouebat cultum Baal. Próque ea Ioas regem creauit.

XVI. Nihil est difficile. Athalia, mulier scelestissima, ad quam nulla pars regni pertinebat, cædibus grassata in genus regium, solium inuasit: vnus Ioas crudelitati muliebri eripitur solertia Iosabetæ, vxoris Ioiadæ summi Pontificis: quæ eadem soror erat patris pueri: quem Pontifex apud se clam habet annos quinque: tandémque sexto restituit in solium, occisa Athalia. Et quidem communi consilio Centurionum, Leuitarum, Ciuitatum, & Principum populi. Itaque primò, negatur depositum fuisse regem: sed expulsam mulierem nefariam, ex solio quod illa inuaserat. Secundò, nego factum autoritate pontificia: sed communi consilio.

Te-

Tertiò nego factum ob idololatriam.

XVII. Instat Bellarminus: & primò Athaliæ regnum tyrannicum fuisse concedens initio, tamen fuisse approbatum consensu populi, cùm annos sex regnauit. Sic autem sæpe fieri, vt in Augusto, Ottone, Vitellio, Philippo, aliis. Secundò, ita scriptum: *Et fecerūt Centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos.* Conuocatos autem Centuriones, & principes, quia solus non posset Sacerdos opus perficere. Tertiò, scriptum, *Ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam: & altaria, & simulacra illius confregerunt. Matan quoque, Sacerdotem Baal, interfecerunt ante aras.*

XVIII. Respondeo ad primum, suppositi consensum populi, nō ostendi. At contra verisimile est populum, destitutum regia stirpe, nihil esse ausum cōtra vim Athaliæ: itaq; passum tyrannidem: nūquam autem probasse. Id adeo apparet ex euentu, quum tam facile fœdus ineunt, cum primum audierunt sibi relictum hæredem regni. Nam & Pontifex, *Ecce,* inquit, *filius regis regnabit, sicut loquutus est Dominus super filios Dauid.*

XIX. Ad secundum: non nego gestam hanc rem esse autoritate Ioiadæ Pontificis: nam id Scriptura satis testatur: sed negaui autoritate Pontificia. Fuit enim in Ioiada tum temporis alia ratio præter Sacerdotium: eáque gemina. Primò ciuis fuit eius regni. At ciues omnes, ius habent insurgendi contra tyrannos, qui vi aperta regnum occupant. Cùm Papa Romanus contra eos reges armet se, in quorum regno nullum ius ciuitatis habeat. Et hoc quidem ius in Ioiada eo fortius, quo plures secum adsciuit Centuriones, ciuitates, principes: tum enim publicum fuit, & legitimum consilium. Secundò, fuit etiam Ioiadas, & auunculus, & tutor regis pupilli: vnde & regnum administrauit, quandiu Ioas impar fuit, vt facilè colligitur ex capite vigesimo quarto. Potuit ergo vtraque hac ratione laudabile hoc facinus patrare, vt tamen non autoritate Pontificia.

XX. Ad tertium: etsi non est in eo magnum momentum, tamen nusquam Scriptura docet idololatriā caussam esse huius facinoris. Neque Ioiadas eā vel verbo nominauit, contentus vnico iure regio, *Filius*, inquit, *regis regnabit.* Itaque fingit Bellarminus hoc idololatriæ crimen propositum Iudæis ab eo congregatis. Et sanè non in Athalia cœperat hæc caussa: sed antè in Ochosia, & Ioram: qui tamen, quia reges erant legitimi, nunquam sunt violati, etsi viuente vidente eodem Ioiada. Porrò illud de templo Baal, & Sacerdote, narratur contigisse, post occisam Athaliam: & quidem nouo consilio, *Pepigit autem Ioiada fœdus inter se, vniuersúmque populum & regem, vt esset populus Domini. Itaque ingressus est omnis populus domum Baal.* Nimirum, quum vidit Pontifex regnum securum, occisa Athalia, tum aggressus est alterum hoc opus se dignum, & nouum pactum proposuit, cui assensere omnes: & ita factum, vt idola exterminarentur: at non inde factum, vt Athalia occideretur.

XXI. Hæc erant exempla Bellarmini. Sanderus addidit, Saulis reprobati, Dauidisque in eius locum vnctā à Samuele. Et Ieroboami, cui ab Ahia prædictum, viuo Solomone, regem futurum decem tribuum: & Azaelis, & Iehu, ab Elia vnctorum in reges super Syriam, & Israelem.

XXII. Respondeo, primò à Prophetis ad Romanum Pontificem esse nimium quam immanem hiatum: vt non possit de isto concludi, idem quod de illis proponitur. Nam ne Pontifices quidem Iudæi simile aliquid vnquam ausi sunt. Deinde, nulli Prophetæ vllum regem solio deturbarunt: sed tantùm prænunciarunt quæ futura essent, Deo sic decernente. Loci diserti. Priore Samuelis libro, capite decimo quinto, *abiecit te Dominus ne sis rex.* Et prioris Regum vndecimo, Ahias *ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Similiter decimo nono, mandatum exprimitur disertum Dei, imperantis vngi Hazael, & Iehu. Quis autem docuit Sanderum Prophetas earum rerum autores, imò patratores dicere, quas Dei iussu denunciabant? Quasi Hieremias Iudæos in captiuitatem duxerit, quia ducendos prædixerit. Quasi Esaias Christum occiderit, quia occidendum prænuntiarit. Quasi deniq. Paulus, Antichristum inuexerit in Ecclesiam; qui eius aduentum tanto antè designarit. Sed hoc est ingenium Sanderi, Scripturas perpetuò torquere, quo iure, quâve iniuria; adeo vt ausim dicere vix alium quenquam posse dari magis iniurium in Sanctas literas.

CAP. XIII.

Exempla autoritatis Pontificum in Principes ex Historia Ecclesiæ Christianæ.

I. VEnio ad alterum ordinem exemplorum, ex Historia Ecclesiæ Christianæ. Esto hoc primū. Ambrosius Episcopus Mediolanensis, propter cædem Thessalonicensiū excómunicauit Theodosium Imperatorem: nec excommunicauit tantū, sed etiam præcepit, vt legem ferret, ne sententiæ latę de cæde, vel bonorū publicatione, ratę essent, nisi post triginta dies. Autor Theodoretus lib. 5. historiæ, cap. decimo septimo. Non potuit (inquit Bellarminus) excommunicare, nisi caussa cognita: neque cognoscere, nisi fuerit iudex legitimus in foro externo. Rursus, non potuit cogere Imperatorem ad legē ferendam, aut præscribere formam legis, nisi vteretur temporali potestate. Quod si Episcopus potuit, quanto magis Papa?

II. Respondeo, non Ambrosium tantùm, sed etiam posse nominari Babylam Antiochenum, qui ipse etiam, si Chrysostomo fides, libro contra Gentiles, Imperatorem τῆς ἐκκλησίας ἐξέβαλε, μετὰ τοσαύτης ἀταραξίας καὶ ἀδείας, μεθ' ὅσης ἂν ποιμὴν πρόβατον ψώρας ἐμπεπλησμένον, καὶ νοσοῦν τῆς ποίμνης ἀπείρξειε: *exegit Ecclesia tanta constantia, & securitate, quanta opilio scabie plenam morbidámque ouem mandra excluderet.* Verùm hæc exempla sunt ἀπροσδιόνυσα. Primò, quia vterque erat Episcopus, non autem Papa. At nostra quæstio est de iure non Episcoporum, sed Papæ. Imò, inquit, si Episcopus potuit, quanto magis Papa? Nimirum, inquam, quia præsupponitur Papa, Episcopus Episcoporum. At hoc falsum. Et tamen esto. Enimuerò potuit id, quicquid factum est, Episcopus Mediolanensis, & Antiochenus facere: & proinde quilibet Episcopus, in cuius Ecclesia

moraretur Imperator. Nam & Chrysostomus ex Babylæ exemplo cuiuslibet Episcopi officium præscribit, Τῆς γῆς καὶ τῶν ἐν τῇ γῇ περιβεβλημένους κυριότητος ἐπιτρέπουσι τὴν ἱερωσύνην λαχὼν τοῦ τὴν ἁλουργίδα ἔχοντος δεῖ καὶ χρὴ τῆς ἐξουσίας ταύτης τὸ μέγεθος μὴ ἐλαττοῦν, ἀλλὰ τῆς ψυχῆς ἐξέτασιν ποιεῖσθαι τῆς αὐθεντίας. *Orbis eorúmque quæ in orbe sunt magis præfectus est is cui sacerdotum obtigit, quam qui purpuram gestat: Neque minuenda est autoritatis magnitudo: quin vita potius quam dignitati cedendum.* Audin' ὁ τὴν ἱερωσύνην λαχών? Ergo, inquã, nullum id ius eximiũ est Papæ. Quare exemplum non pertinet ad hanc quæstionem. Secundò, si quilibet Episcopus potuit: Ergo poterit etiam Episcopus Parisiensis: in cuius Ecclesia moratur Rex Francorum. At Episcopus Parisiensis nihil temporaliter potest in Regem Francorum. Ergo nulla Ambrosij erat potestas temporalis in Imperatorem. Quare rursus exemplum non pertinet ad hanc quæstionem.

III. Rursus, res ipsa docet Ambrosium nullo vsum gladio temporali: sed tantùm spirituali: Doceo duplici argumento. Primo, quia nihil Ambrosius fecit, quod excederet censuras Ecclesiasticas. ὑπαντήσας ἔξω τῶν προθύρων, ἐπιβῆναι τῶν ἱερῶν προπυλαίων ἐκώλυσεν: *Occurrens ei extra vestibulum, prohibuit, ingredi sacra limina.* Tum exposita grauitate peccati: ποίοις τοίνυν ὀφθαλμοῖς ὄψει τὸν τοῦ κοινοῦ δεσπότου νεών; ποίοις δὲ ποσὶ τὸ δάπεδον ἐκεῖνο πατήσεις; &c. *Quibus oculis aspicies communis Domini templum? Quibus pedibus solum illud calcabis? Quomodo manus extendere stillantes iniusto credis sanguine?* πῶς δὲ τοιαύταις ὑποδέξῃ χερσὶ τοῦ δεσπότου τὸ πανάγιον σῶμα; πῶς δὲ τῷ στόματι προσοίσεις τὸ αἷμα τὸ τίμιον; &c. *Quomodo hisce manibus excipies Domini sacrosanctum corpus? Quomodo ori venerandum sanguinem admouebis, qui tantum sanguinem iratus effuderis? Abi ergo, neque conare noua audacia, præcedens scelus augere:* καὶ δέχου τὸν δεσμὸν ᾧ ὁ Θεός, ὁ τῶν ὅλων δεσπότης ἄνωθεν γίνεται σύμψηφος. *Et admitte vinculum, cui Deus è cœlis suum addit calculum.* Audisne aliquid de sceptro, de throno, de corona, de Imperio? Minimè verò.

IV. Ad hæc in eadem historia audio semper distincta iura Regis, & Episcopi. Paruit Theodosius, quia ᾔδει σαφῶς τίνα μὲν τῆς ἱερωσύνης, τίνα δὲ τῆς βασιλείας ἴδια: *sciebat perspicuè quænam essent partes sacerdotum, & quæ regum.* Ideóque ipse Ambrosius: κωλύσω τῶν ἱερῶν αὐτὸν ἐπιβῆναι προθύρων. εἰ δὲ τὴν τυραννίδα τὴν βασιλείαν μεταθεῖναι, δέξομαι κἀγὼ καθ' ἡδονὴν τὴν σφαγήν, *Prohibebo ab ingressu sacrorum liminum: quod si in tyrannidem vertat regnum, excipiam alacris etiam ego cædem.* En tibi igitur duplicem gladium, non re duntaxat, sed etiam personis distinctum. En tibi ab Ambrosio spiritualem constantissimè exsertum: sed temporalem Theodosio relictum. Imò in Babyla audi non tantùm iura disparata: sed etiam Episcopum subiectum, τὸν ἄρχοντα διέταξεν ὁ ἀρχόμενος, καὶ τῷ κρατοῦντι πάντων ἔκρινεν ὁ ὑπήκοος, καὶ τὴν καταδικάζουσαν αὐτὸν ψῆφον ἤνεγκε, *Ipsum Imperatorem is qui illius imperio parebat, rexit: & ei qui omnium dominator erat subditus iura dedit, atque adeo aduersus eum damnationis calculum tulit.* Tum statim τὸν βασιλέα τῆς οἰκουμένης προθύρων ἐξήλασεν τῶν ἱερῶν τὴν ἀρχὴν ὄντων τις τῶν αὐτοῦ, *Imperatorem à templo vestibulo exegit vnus ex eius subditis.*

V. Quid hoc exemplum ad insolentiam immanis belluæ Gregorij septimi, qui ob cædem vnius hominis, Boleslaum, & Poloniæ regnum omni honore, dignitate, & excellentia regali priuauit: & omnes principes, Barones, Vassallos, & subditos ab eius ditione absoluens, obedientiam, & subiectionem solitam ipsi exhibere vetuit? vt est apud Baronium paragrapho quadragesimo primo anni millesimi septuagesimi noni. Et anno sequente de Henrico Imperatore: *Henricum, quem regem dicunt, omnésque fautores eius excommunicationi subiicio, & anathematis vinculis alligo: Et iterum regnum Teutonicorum & Italiæ, ex parte omnipotentis Dei, & vestra interdicens ei, omnem potestatem, & dignitatem illi regiam tollo: & vt nullus Christianorum ei sicut regi obediat, interdico.* Hæc Papa: at profectò non hæc Ambrosius.

VI. Atqui, inquit Bellarminus, non potuit excommunicare, nisi cognita caussa. Esto, inquam. Quid tum? Caussam cognoscere non potuit, nisi fuerit Theodosij iudex in foro externo. Atqui forum externum est geminum, Ecclesiasticum & temporale. Theodosij iudicem fuisse in foro Ecclesiastico, non debet negari: Sed hoc forum vltra excommunicationem nihil habet quod faciat. In foro autem temporali, negatur vllam Ambrosij autoritatem fuisse in Theodosium. Enimuerò cognoscit Episcopus de eodem crimine, de quo & Magistratus: sed aliter ille, iste aliter: indéque fori distinctio.

VII. At coëgit legem publicam ferre? Hoc verò negatur: autor fuit ferendi: sed non coëgit. Rogauit Imperator sibi non claudi ianuam, ἣν πᾶσι τοῖς μεταμελομένοις ἤνοιξεν ὁ δεσπότης αὐτὸς: *quam omnibus pœnitentibus Dominus aperuit.* Ambrosius ποίαν οὖν μεταμέλειαν ἔδειξας, *quam ergo pœnitentiam ostendisti, inquit, post patratum tantum facinus: quibus remediis hæc sanatu difficilia vulnera curasti?* Imperator iussit ipsum indicare remedia: ac tum Episcopus, γράψον νόμον τῷ θυμῷ τὰς ψήφους ἀργὰς ποιοῦντα καὶ ἀκύρους: *Scribe legem, quæ iracundiæ decreta irrita reddat & inutilia.* Hæc verò nulla coactio est: sed tantùm legitimus occasionis vsus, vt Imperatori per pœnitentiam parato ad omnia sana consilia, legem suaderet vtilem.

VIII. Agnouit tandem monente Barclaio hæc rationum momenta Bellarminus: itaque confessus est à se hoc exemplum prolatum aduersus eos, qui negant Principem supremum excommunicari posse à Pontifice summo: siue summum Pontificem vllam habere in supremos principes iurisdictionem vel potestatem. Accedit ad nos nonnihil, vt agnoscat non esse in hoc argumento pondus. Sed idem iudicium suum traducit. Nam primò quæstio non est de omni iurisdictione, aut potestate: sed specialiter de temporali, & quidem indirecta, sic enim ipse posuerat, capite sexto. Deinde non de quolibet Episcopo, sed de Romano. Itaque nihil probauit. Nam quos ille Caluinistas vocat, non negãt ab Episcopo suo posse excommunicari principem: sed negant Papam, vel esse Episcopum, vel si esset, esse omniũ Principum. Itaq; quomodo Bellarminus posuit Theodosium, tum cum excommunicatus est, moratum fecisse Mediolani, cuius Ecclesiæ Ambrosius erat Episcopus: sic quos principes Romanus excommunicare volet, eos oportet Romæ agere: non in Germania, aut in Gallia, aut in Anglia, aut alibi gentium.

IX. Ambrosium Gregorius eius nominis primus sequitur. Is in priuilegio, quod cõcessit monasterio S. Medardi, & habetur in fine Epistolarum: *Si quis,* inquit, *Regũ, Antistitũ, Iudicũ, vel quarumcunq; secularium perso-*

personarum, huius Apostolicæ autoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscumque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo priuetur.

X. Euge! Ita enim oportuit tyrannidem impostura fulciri. Nam hoc priuilegij diploma, mera est fabula. Falsitatis argumenta accipe. Primum, annus Christi adscriptus, quingentesimus nonagesimus tertius, vt Baronius mauult, siue quingentesimus nonagesimus quartus. Nondum enim vsitata hæc erat temporis ἐποχὴ: sed recens inuenta ante annos plus minus sexaginta à Dionysio Exiguo, needum in vsu vllo publico. Itaque nullas ne ipsius quidem Gregorij Epistolas, ne Decretales quidem, ita videas signatas.

XI. Secundò; testatur hoc priuilegium concessum, *iuxta Filiorum nostrorum* (ipsa verba describo) *præcellentissimorum Scripta regum, Brunechildæ ac nepotis eius Theodorici.* Quare hoc scriptum oportuit post mortem Childeberti patris; quæ tamen accidit, anno eius seculi nonagesimo nono: quæ ratio annorum non congruit. Præterea Theodoricus Rex erat Burgundionum. Quid ergo ad eum Suessiones? Aut qui fit verisimile Regem curasse ea quæ ad suum regnum non pertinebãt? Curasse autem dico? Imò autoritate vsum sua? Nam in eo priuilegio quædam concessa dicuntur à Brunechilde, quæ non potuerunt esse nisi ab autoritate regia.

XII. Tertiò, ibidem hæc leguntur. *Caueant præfati Monachi Simoniacam hæresin, ne potentia regũ vel antistitum cõnixi, loco pastoris suscipiant tyrannũ?* Hæc verò verba quis non aduertit redolere ea tempora, quibus tantæ sunt excitatæ contentiones contra Imperatores, ob inuestituras? Quæ tamen multo sunt recentiora, quàm vt ascendant vsque ad Gregorium eius nominis primum. Et cur prohibeat id ipsum quod ipse admisit? Est enim confirmatus ab Imperatore.

XIII. Quartò testium adscripta nomina, fabulam indicant. Primò, quia ambitiosè affectatus est numerus ex omnibus, vt ita dicam, occidentis partibus: ex Italia multis: ex Sicilia, Syracusano: ex Gallia, Arelatensi, Burdigalensi, Vesunteusi, Augustodunensi, Rhemensi, Suessensi. Ex Aphrica, Carthaginensi. Ex Anglia, Canthuariensi, Lundoniensi: Diceres rem magnam agi, & fidei aliquem articulum vindicandum contra hæreticos, vt Synodo Oecumenica opus esset. Secundò: sunt etiam nomina absurdè conquisita: quod iam obseruauit Baronius. *Siquidem*, inquit, *complures Episcopi, post aliquot ab hinc annos creati noscuntur: velut inter alios Augustinus Episcopus Cantuariensis, & Mellitus Lundoniensis: quos constat neque hoc tempore profectos esse in Angliam.* Adde Marinianum Rauennatensem, electum biennio post, apud Baronium anno quinquagesimo nonagesimo quinto. Adde Ioannem Syracusanum, cuius prædecessor Maximianus obijt anno nonagesimo quarto. Adde rursus Theodoricum ipsum regem: qui eo tempore vix potuit excessisse infantiæ annos: relictus pupillus à patre annis sex minimũ post hæc gesta, si gesta. Hęc testiũ absurditas Baroniũ coëgit, acutum scilicet commentum excogitare: vt sunt hoc genus homines tricis nectendis exercitatissimi. Nempe igitur cẽset subscriptiones post additas. Egregiè: vix potuit certiùs acu rem tangere. Omnino ita est: longè post ea tempora hoc quidquid est, conflatum est: & additi testes pro arbitrio, ab eo qui verisimilitudine sola voluit posteris imponere. Iudicent Triboniani.

XIV. Hactenus de Gregorio. Sequuntur alij. Gregorius secundus prohibuit Leoni Iconomacho solui vectigalia ab Italis: itaque priuauit eum parte Imperij. Zacharias, deposuit Childericum, suffecto in eius locum Pipino. Leo tertius, Imperium transtulit à Græcis ad Germanos. Gregorius quintus, sanctionem edidit de Imperatore eligendo per septem principes. Gregorius septimus, Hẽricum quartum deposuit, & alium eligi iussit. Innocentius tertius Ottonem quartum. Innocentius quartus, Fridericum secundum. Clemens sextus, Ludouicum sextum.

XV. En tibi profectum Ecclesiæ Romanæ! Sedit Gregorius secundus anno septingentesimo decimo quinto. Clemens sextus anno millesimo trecentesimo quadragesimo secundo. Sicque seculis septem integris ne vnum quidem Papam nominare potuit, qui sua sit vsus potestate seculari in Imperatores, aut Reges: deinceps turmatim recenset. Neque eos tantùm, quos Bellarminus ostẽtauit: sed recentiores multos: Iulius secundus, Ludouicum nostrum duodecimum aggressus est, & Ioannem Nauarrenum. Tum verò Sixtus quintus, insurrexit in Henricum tertium & quartum. Sed hos credo consultum duxit Sophista silentio inuoluere: quia eorum conatus in neruum euasit.

XVI. Sed hæc & quingenta similia facilè discutiuntur. Sunt enim exempla Pontificum, qui longè excedentes primorum humilitatem, nihil iam animo concipiebant minus vniuersali tyrannide, temporibus insigniter abusi, vt ne sibi deessent. Tum enim hæc sunt ausi, cùm viderunt Imperatorum autoritatem pessundatam, adeo vt impunè posset eis insultari. Sub Gregorio secundo vix erat Imperatorum nomen cognitum in Germania & Gallia. In Italia Longobardi omnia miserè vastabant. Facilè ergo fuit id Gregorio, quod si Siluestro, si Iulio primo, si Liberio venisset in mentem, luissent pœnas. Itaque vide astutiam: priuauit Leonem non imperio, sed parte Imperij. Qua autem parte? Italia. At cur non Græcia? Nimirum fuit curta supellex. Non tam infirmus iis in partibus Leo. Similiter cùm in Galliis Childerici numen esset apud omnes odiosum, tum precibus Gallorum Zacharias facilè flexus est: & effecit vt Pipino locus esset vacuus. At non ita Iulio successit in Ludouicum duodecimum, non Sixto in Henricum tertium, & quartum. Et Clemens ille septimus, idem non est ausus in Carolum quintum, quod Gregorius septimus in Henricum quartum. Nempe sic latrones, viatorem solitarium & armis destitutum spoliant: at bene comitatum, armatúmque, etiam salutant. Videte, quanti vestra intersit, Principes.

CAP. XIV.

Papa authoritatem temporalem num habeat iure humano.

I. HActenus Theologorum Papisticorum, & Canonistarum fuere argumenta. At nos contrà. Si Papa haberet summam potestatem temporalem in reges, vel omnes, vt volunt Canonistæ; vel Christianos, vt Theologi: Ergo haberet iure vel humano, vel diuino. At neque humano, neque di-

uino. Ergo non habet. Dilemma est necessarium: nisi fortè nullo iure habere se dicat: quod nos facilè concesserimus. Sed si iure: ergo omnino alterutro, vel diuino vel humano: non datur enim tertium.

II. Assumptum probandum per partes. Primò igitur: si iure humano; Ergo, vel ab iis, in quos est ea summa potestas: vel vi, id est, bello. At neutrum. Ergo omnino non iure humano. Non bello. Nam si bello: oportuit à Papa victos omnes reges: aut aliquos tantùm. At non omnes, vt manifestum est ipsa rei veritate. Nam, exempli gratia, Papa nunquam vicit Turcarum Imperatorem, aut Sophin Persicum: Itaque hoc saltem iure non habet potestatem in omnes reges terræ. Non vicit etiam Reges Angliæ, Galliæ, Hispaniæ. Ergo ne in omnes quidem reges Christianos. Quod si vicit tantùm aliquos: primò essent hi nominandi: secundò ergo falsò iactat se habere hoc iuris in omnes. Haberet enim tantùm in eos paucos, qui essent victi.

III. Deinde, si haberet eam autoritatem solo belli titulo: ergo haberet iniustè. Non quia non possint iustè possideri ea quæ bello parta sunt, sed quia id bellum oportet esse iustum. Est autem iniustum bellum, quod geritur pro ambitione tantùm. Deinde illud etiam iniustum est, quod geritur ab eo cui belli gerendi nulla est legitima potestas. At persona Ecclesiastica, (talem autem sese Papa vult videri) nullam habet legitimam potestatem belli gerendi. Nam & apud ipsos Papistas prouerbium est, Ecclesia non nouit sanguinem.

IV. Tum verò altera saltem opinio, id est, Theologorum, esset absurda, & illa Canonistarum verior. Nam qui bello vincunt, summam autoritatem habent in victos directè. Sic enim constitutæ sunt iam olim Monarchiæ. Sic Iudæi bello victi, fuerunt redacti in Prouinciã, factique tributarij, amissa etiam potestate in vitam ciuium: Ioannis decimo octauo, *Nobis non licet interficere quenquam.*

V. Superest ergo, vt habeat ab iisdem in quos est ea summa potestas. Quod fieret, tũ vel à populis, vel à dominantibus. At non à populis: quia hi vel sunt domini, vel subiecti: Domini, vt in Democratia: Subiecti, vt in Aristocratia, & Monarchia. At non habuit à populo dominante. Primò, quia tum non esset autoritas nisi in paucos. Raræ enim sunt iampridem Democratiæ, eæque tenuissimæ. Itaque nihil esset, quo se tantum extolleret Romanus. Deinde, nulla apparet Democratia subiecta autoritati Pontificis in temporalibus. Multo autem minus à populis subiectis: horum enim non est, maiestate Reipublicæ vti pro arbitrio: sed subesse iis penes quos illa est.

VI. An igitur habet à dominantibus? Minimè verò. Non enim à dominis Aristocraticis. Primò enim non esset vniuersalis potestas: quia iampridem paucissimæ sunt Aristocratiæ, eæque exiguæ, vna excepta Veneta. Secundò, ipsius Venetæ exemplo apparet falsum. Nam ea his annis proximis, satis declarauit se in temporalibus nullam agnoscere Romani Pontificis autoritatem. Quantumuis & Baronius, ac Bellarminus scripta multiplicarent: & Episcopus Romanus, cumque eo Hispanus arma ostentarent.

VII. Supersunt Monarchæ. Ab his verò quis credat trãslatum vltrò à se in Papam imperij Maiestatem? Primò de infidelibus non est dubium. Itaque in eos nullam habebit autoritatem: aut si habet, vt volunt Canonistæ, necesse est habere alio titulo. Et puto suæ ipsum potius ab illis timere autoritati, quàm illos ab eo. Certè Turcam non valde mouent Vaticana fulmina.

VIII. Fortè ergo Christiani. An Galli? Nimirum Philippus ille Pulcher cessit Bonifacio: cùm scripsit, *Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse: secus credentes fatuos reputamus ac dementes.* Aut eius successores, qui etiam hodie constanter suam maiestatem tuentur nullius arbitrio suppositam. Nec patiuntur aut vlla diplomata Curiæ Romanæ publicari, nisi prius visa, & examinata: addítóque suo consensu. Imò neque Legatos à Latere, vlla autoritate sua rem gerere, nisi accepta venia, mandatis prius communicatis cum Procuratore fisci, confirmatísque à Senatu. Hoc vide prolixius apud Vignierum in Epitome historiæ Ecclesiasticæ, circa annum millesimum quadringentesimum octogesimum.

IX. Imò Ludouicus duodecimus, cùm sibi à Iulio videret exhiberi negotia; Concilium Ecclesiæ Gallicanæ conuocauit apud Turones: ibique audiit pronunciatum: Non licere Pontifici Romano armis persequi principes temporales, extra dominium Ecclesiæ. Et si quem vexare attentet: licere ei principi, ad hanc propulsandam iniuriam, inuadere terras Ecclesiæ. Vide Ioannis Serrani inuentarium historiæ Gallicæ in Ludouico duodecimo.

X. Anno decimi sexti seculi sexagesimo primo, cùm, Theologorum quorumdam malè consultorum impulsu, quidam, Ioannes Tanquerellus nomine, studij Theologici candidatus, capita quædam ad periculum industriæ faciendum disceptanda proposuisset, intérque alia, hoc adscripsisset, Pontificem, tanquam solum Christi vicarium, & Ecclesiæ Monarcham, potestati spirituali, & seculari omnes fideles subiectos continere principes, suísque præceptis rebelles regno ac dignitatibus exuere posse. Hoc ad regem delatum (is erat Carolus nonus) cùm ad seditionem, & legitimi obsequij, quod Regi ac magistratibus debetur, fidem labefactandam spectare videretur, Senatus decreuit, vt Tanquerellus multa honoraria puniretur: pronunciarétque, quia absens, per apparitorem facultatis Theologicæ, temerè & inconsideratè eam quæstionem agitatam fuisse: ac denique veniam admissi peteret à Rege. Inhibitum ne eiusmodi quæstiones in posterum à Theologis mouerentur. Atque adeo reipsa factum, vt Petrus Bustus Tanquerelli nomine errorem à Bonifacio octauo inuectum, & post eius mortem passim damnatum, stans nudo capite ignominiosa confessione recantauerit. Recitat Augustus Thuanus historiarum libro vigesimo octauo.

XI. Quid plura? Ne quis fortè improbari tantùm Canonistarum sententiam putet, hoc ipso anno, cùm hæc scribebã, damnatus est ab eodẽ Senatu Bellarmini contra Barclaium tractatus de Potestate summi Pontificis in rebus temporalibus, grauissimo edicto, quod etiã typis est excusum: quo edicto hæc ipsa Theologorum sententia, quæ eam potestatem non agnoscit nisi indirectè, damnata est, tanquam fax seditionis, scaturigo rebellionis.

XII. Et, vt videas, quàm sit natura insitus Gallis amor in Principes, quàm carus Maiestatis amor, anno eiusdem seculi nonagesimo quinto, quum omnia arderent bello illo ciuili, quo penè in gratiam Pontificis regnum est in cineres versum, tamen Cardinalis de Pelleue, ipse vnus ex coniuratis

& qui-

& quidem præcipuis, in ordinum confitratorum conuentu, Parisiis, articulum illum Tridentinum sessionis vigesimæ quintæ capite decimo nono, quo statuitur priuari Regem ciuitate illa, locóue, in quo permiserit duellum, pronunciauit esse contra autoritatem regis, *qui non potest priuari suo dominio temporali, respectu cuius nullum omnino superiorem agnoscit.* Recitat Rogerus Vuidringtonus in Apologia Bellarmini paragrapho trigesimo primo. Ergo, inquam, nihil hac quidem parte habet Papa de consensu Regum nostrorum.

XIII. An igitur Imperatorum? Non certè Friderici primi, cognomento Barbarossę: ad quem cùm Adrianus quartus legatos misisset, Imperium exprobrantes beneficio acceptum Romanæ Ecclesiæ: tum, qui cum eo principes, fremere, indignari, tumultuari, nec ferendum ducere: ab ipsis legatis vix manus abstinere. Ipse autem Imperator per vniuersum Imperium literis circularibus testari diuina potentia, à quo omnis potestas in cœlo & in terra, sibi & christo eius, regnum & Imperium regendum esse commissum: item à solo Deo per electionem Principum Imperium suum esse. Ac tandem: *Quicumque nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, diuinæ institutioni, & doctrinæ Petri contrarius est & mendacij reus erit.* Hæc constantia mouit Papam, imò terruit iam sibi paratum bellum cernentem: quare scripsit ad Episcopos Germaniæ de mitigando Imperatore. Illi rescribunt; *Verbis illis quæ in literis vestris continebantur, commota est vniuersa Resp. Imperij nostri: aures imperialis potentiæ ea patienter audire non potuerunt, neque aures principum sustinere: omnes ita continuerunt aures suas, quod nos salua gratia vestra sanctissimæ paternitatis, ea tueri propter sinistram ambiguitatis interpretationem, vel consensu aliquo approbare, nec audemus, nec possumus: eo quod insolita, & inaudita fuerunt vsque ad hæc tempora.* Tandem autores sunt, vt Imperatoris iram nouis literis deliniat. Factum: & beneficium, expositum, non feudum, sed bonum factum: & conferre coronam, imponere: quasi dixisset, benè esse factum, quòd coronam imposuisset Friderico. Quinetiam legati, eas literas deferentes, salutant *tanquam Dominum & Imperatorem vrbis, & orbis.* Historiã habes apud Ottonem de sancto Blasio, capite septimo & octauo Appendicis: Radeuicum de gestis Friderici primi libro primo: Baronium anno duodecimi seculi quinquagesimo septimo.

XIV. Nec puto Henrici quarti consensum posse obijci, qui si quis fuit, tot bellis, tantísque sceleribus extorquendus fuit. Ne Henrici quidem quinti: qui etsi contra Patrem Pontifici militauit, tamen ipse etiam tandem sua iura armis tueri coactus fuit: Quanquam de Imperij maiestate nondum agebatur: sed de inuestitura Clericorum. Quid omnia colligam? Carolum certè quintum non apparet gessisse se erga Clementem, pro subdito.

CAP. XV.

Non constare ex Scripturis autoritatem Papæ temporalem.

I. VErùm non videntur de iure humano contendere: sed potius diuino. At nos hoc potissimum negamus: nam humani iuris speciem aliquam scimus obtẽdi posse, saltem in aliquot regnis. Itaque de diuino securius disputamus: quia hoc, quicquid est, Papistæ vendicant prætextu Ecclesiæ: hanc autem non regi nisi iure diuino certum. Hic verò veniã posco pios viros & Catholicos, si de iure Episcoporum disputem. Non enim fit, quod Romanum agnoscam verè Episcopum: sed quia ita necesse est omnem prætextum amputari. Nam laruam detrahi alius est operæ.

II. Primò tabulas postulamus. Est enim indignum tantam rem, tam necessariam in Ecclesia, nullo Scripturæ testimonio firmari. Certè, si voluisset Christus Petrum temporalem potestatem obtinere, vnà cum spirituali: quomodo hanc ille diligenter, & disertè, & ἰματισμένα, & non semel expressit: expressisset & illam. At non expressit. Ergo hanc illum habere noluit. Facilis consequentia, & per se nota. Confirmatur autem ab ipsis aduersariis, qui hoc medium necessarium asserunt regendæ, conseruandæque Ecclesiæ: imò caussam assignant, quare primis Ecclesię seculis, Imperatores etiam Ecclesiæ incommodos, tolerari oportuerit, defectum huius potentiæ. *Quoniam enim potentissimi erant* (inquit Bellarminus contra Barclaium capite tertio, paragrapho nono) *sinceritatem ostendere nihil profuisset: ideò patientia potius adhibenda fuit quàm autoritas.* Confirmatur item exemplo Bellarmini, qui hac ipsa consequentia impugnat Papæ dominium totius orbis Christiani, capite tertio, libri quinti de Romano Pontifice.

III. At assumptum ipsa constat experientia. Nam si hanc potestatem æquè Christus expressisset, ac alteram; certè quomodo de altera loci sunt diserti, *Quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis,* Matthæi decimo sexto: & decimo octauo, *Quæcumq; ligaueritis in terra, erũt ligata in cœlo.* Ioãnis vigesimo, *Pasce oues meas*: ita etiam de temporali posset saltem vnus aliquis legi. At hoc minimè. Nam illa de duobus gladiis: & de gladio mittendo in vaginam: tam sunt aliena, tam ridiculè detorta, vt nihil magis.

IV. Nam quod Bellarminus contra Barclaium capite quinto, illud de clauibus non desinit vrgere, primò, excussum est capite secundo: deinde, quid est quæso? *Intelligitur,* inquit, *potestas disponendi de temporalibus, quatenus ea iuuant ad aperiendum fidelibus regnum cœlorum, vel impediunt atque obstant, ne aperiatur.*

V. Sed interrogo, qua id intelligat ratione: vtrum-ne ex vi ipsorum verborum, an potius ex rei consequentia? Quanquam de vi verborum, non est opinor, quod interrogem: Claues enim, spirituales sonare consentiunt omnes: & ipse Bellarminus hoc ipso loco negat intelligi claues regni terrarum. Ergo restat consequentia, & huius vim totã Bellarminus collocat in vtilitate ad aperiendũ, claudendũmve fidelibus regnum. Hoc autem ad id redire videtur, quod vulgo dicunt, eum, qui vult finem, velle & subordinata ad finem. At ego dico hæc subordinata esse in duplici differentia, vt sint quædam necessaria, quædam vtilia duntaxat. Necessaria ea sunt, sine quibus finis esse non potest, vt sine fundamento tectum: sine cibo vita corporis: sine armis regnum. Tãtum vtilia, quę ita sunt, vt sine iis finis esse possit, sed non aut eo modo, aut æquè commodè: vt vita absque lautitiis: respublica absque palatiis: tectum absque laquearibus. De necessariis conceditur consequentia: sed de vtilibus negatur. Non enim necesse Deum, quum Lazarum voluit viuere, etiam lau-

titias ei concedere quomodo diuiti. Nec Nomadibus palatia fuere, quomodo Romanis.

VI. Iam verò potestatem secularem, vtilem esse regno cœlorum aperiendo, non negem. Paulus enim docuit precandum pro regibus, *vt tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate*: secundo prioris ad Timotheum. Et ipsa docet experientia, longè fuisse commodius Ecclesiæ sub Constantino, quàm sub Diocletiano. Sed esse necessariam, ita vt esse nulla possit Ecclesia absque potestate seculari, hoc verò negatur. Fuit enim Ecclesia, & fuit sanctà iis temporibus, cùm extra eam prorsus esset potestas secularis: nec extra eam tantùm: sed etiam contra eam. Quod non est necesse multis docere. Est enim omnibus notum: aut nemini notum est esse Ecclesiam.

VII. Quare, quemadmodum non est necesse patremfamilias, cùm sibi vult ædificare domum, vnà cum fabris, etiam pictores locare: ita nec Deum, ad Ecclesiam in orbe colligendam, vnà Episcopos & Imperatores, Regésve conuocare. Alioquin Ecclesia non fuisset illa, de qua dictum, Lucæ decimo. *Confiteor tibi, Pater Domine cœli & terræ, quòd hæc absconderis à sapientibus & intelligentibus.*

VIII. Quod si necesse non est, vt sit Ecclesia, conuocari & Episcopos, & reges: certè multò minus necessarium, eosdem fieri & Episcopos & reges. Nam eum, qui finem sibi aliquem proponit, fatemur posse non tantùm necessaria, sed etiam vtilia sibi animo proponere: vt patremfamilias in ædificanda domo, & fabros, & pictores conducere: sed vt sint iidem numero & fabri & pictores, hoc verò nihil est necesse. Quare, non tantùm non fuit necesse Deum & Episcopos & reges conuocare ad Ecclesiam constituendam: sed etiam cùm constitutam Ecclesiam voluit etiam commodè in mundo degere, proptereáque in eam induci regiam potestatem, negamus fuisse necesse, vt hanc ille tribueret Episcopis. Sed, quomodo in domo, non tantùm ædificāda, sed etiam ornanda, alij sunt fabri, alij pictores, & personis, & muneribus discreti: sic in Ecclesia constituenda, & quidem commodè constituendæ, nihil obstat alios esse Episcopos alios principes, non personis, sed etiam functionibus separatos.

IX. Quare, etsi per claues, intelligatur potestas aperiendi claudendíque regni cœlestis: & potestas secularis, disponendi de temporalibus, iuuet ad aperiendum fidelibus regnum cœlorum: tamen negamus inde concludi, concessis clauibus, concessam fuisse etiam iisdem personis potestatem disponendi de temporalibus.

X. Quod quidem vel cæcus videat. Nam potestas illa disponendi de temporalibus, vtilis aperiendo regno cœlorum, quæro quomodo sit intelligenda. Remota ne, an propinqua? Hoc verò clarum. Nam ornandæ domui vtilis est pictor: non is qui potest acquirere facultatem pingendi: imò ne is quidem qui habens in se habitum pingendi, tamen manibus orbatus est, aut oculis, quibus necesse est picturam fieri. Similiter, si is vtilis est aperiendo cœlo, qui potestatem habeat disponendi de temporalibus: tum non is intelligendus qui possit quidem ea vti potestate, si habeat: sed is qui re ipsa habeat, & vtatur. Quomodo vtilis olim fuit Ecclesiæ Constantinus, non quum obses Romæ detineretur: sed cùm post mortem patris, ipse potitus est imperio. Quod si ita est, quid obstaret quominus illusum diceremus fuisse Ecclesiæ, quando Apostolis claues concessæ, cùm tamen potestas illa propinqua disponendi de temporalibus non fuit concessa? sed duntaxat remota aliqua? si tamen & hæc: & ita remota, vt actus eius nullus esset futurus, nisi multis post eos denatos seculis? Imò etiam multò melius ædificatam fuisse Ecclesiam à Gregorio septimo fatendum esset, qui Henricum quartum de solio deiecit: nec mortuum permisit humari: quàm à Petro, qui sub Nerone pependit in cruce. Aut à Pio quinto, quum duos nostros Henricos hoc suæ autoritatis fulmine, quanquam bruto, deiicere voluit: præstantiorem operam nauatam Ecclesiæ Gallicanæ, quam à Liberio Romanæ, quum abiit in exilium iussus ab Imperatore. Viderint Papistæ. Nam Catholici non disputant quid sentiendum.

CAP. XVI.

Non habere Episcopos aliam autoritatem quàm habuit Christus, dum esset in terris: quam etiam habuerunt Apostoli.

I. ATqui non tantùm non constare è Scripturis, hanc temporalem Papæ potestatem: sed hoc amplius dicimus, esse etiam contra Scripturas. Ratio prima: Quæcumque Episcopis est commissa autoritas, eadem est, quam Christus in terris viuens habuit. At Christus nullam habuit temporalem. Ergo neque Episcopi.

II. Maior, etsi per se est perspicua, tamen probatur Ioannis vigesimo. *Sicut misit me Pater: ita & ego mitto vos.* Hîc Maldonatus arbitratur, *quam potestatem ipse Christus missus à Patre accepisset, eam Apostolis dare, quos suo loco mitteret, quos vicarios suos faceret.* Iansenius, Concordiæ capite centesimo quadragesimo septimo. *Apostolorum indicat excellentiam, dum illos in delegato sibi officio pares facit: & vicarios tradita sibi olim functionis.* Salmero tomi vndecimi tractatu decimo octauo. *Post resurrectionis suæ veritatem confirmatam, suam illis functionem, & officium iniungit: quasi diceret: Ego perfunctus legatione mea, redeo ad Patrem meum, à quo missus sum in mundum: ita & ego mitto vos, vt legatione Euangelica perfungamini.*

III. Minor autem probatur. Primò, quia Christus coram Pilato, negauit suum regnum esse de hoc mundo: qua de re disputatum capite quinto. Secundò, quia idem agnouit Pilato datam supernè potestatem in se: itaque passus est sub eo: quo ostendit se magistratum non esse: multo minus imperare magistratibus: sed esse in subditorum ordine: quorum non bona tantùm, sed etiam vita est in magistratuū potestate. Tertiò, quia Ioannis sexto, quum nosset futurū, vt venirent Iudæi, séque abreptum facerent regem, secessit in montem solus. Quartò, quia Lucæ duodecimo, fratribus eum consulentibus de herciscunda hæreditate, *Quis*, inquit, *me vobis iudicem aut partitorem præfecit?* Quintò, quia Matthæi octauo, *Vulpes lustra habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis, non habet vbi caput reclinet.*

IV. Pighius capite tertio libri quinti Hierarchię Ecclesiasticæ, concedit minorem. Nam, *quis*, inquit, *hoc vnquam Christianus affirmauit, quod nemo ignorat & verbo & opere negasse Christum? Neque enim venit, vt esset*

præses

præses prouinciæ, proconsul, prætor, Rex, Imperator: aut vt eiusmodi aliquem magistratum inter homines gereret. Potetamus ergo, inquam, supersedere minoris probatione, quam nobis tam liberaliter Pighius concedit contra Canonistas, à quibus fuit vi argumentorum extorquenda.

V. Vt tamen argumentum eludat, primò maiorem videtur negare. *Quid deinde?* inquit. *Non venit Christus vt hic inter nos huius seculi more esset Prætor, Proconsul, Rex, Imperator: ergo discipulis suis omnibus interdixit huiusmodi magistratuum officia?* Et ad finem capitis. *Per hoc tamen, constituto iam suo regno, noluit suis inter Vicarius, Ecclesiastica Hierarchia præfectis interdictam autoritatem præcipiendi Ecclesiæ filiis, si qui ob diuidendam aut hæreditatem, aut quamcumque rem aliam inter se dissiderent, & turbarent pacem Ecclesiasticam, vt suo iudicio ad rationem iustitia controuersiam inter se componerent: præsertim quando nullam supra se potestatem ciuilem recognoscerent.* Quasi diceret: Christus, etsi nullam habuerit autoritatem secularem, tamen non inhibuisse omnibus discipulis, vt vllam haberent. Secundò, Regnum spirituale fuisse Petro traditum: & in illud voluisse Christum introduci etiam mundi principatus, & magistratus, eorúmque officia ordinari ad dirigi ad illius regni bonum: ipsósque adeo subesse pastori ac præsidi, eique omnes sine exceptione obedire.

VI. Ast ego contra primum: discipulos Christi dico esse omnes fideles cuiuscumque conditionis: & de his nostra nunc nulla quæstio est. Nam scimus nihil esse absurdi, quominus aliqui ex his sint magistratus seculares, vt Constantinus, Valentinianus, Theodosius, Carolus Magnus, alij. Sed de iis quæritur discipulis, quos Ecclesiæ Christus voluit præficere: & quidem ita præficere, vt non præessent, nisi suo nomine, id est, tanquam vicarij, qui potestatem nullam haberent nisi à se. De his ergo in argumento agitur. De his si non agit Pighius, nugatur strenuè.

VII. In secundo rursus nugæ. Traditur Petro regnum spirituale. Fateor: quia Petrus fuit Apostolus: & Apostolis omnibus id traditum. In id regnum introducendi erant reges: fateor hoc quoque: sed qui alij essent ab Apostolis, ab Episcopis: non enim Constantinus fuit Melchiades: non Liberius Constantius. Ei hoc ad thesin nostram pertinet; illud nonitem. His regibus obediendum est pastori ac præsidi. Nullus negat: sed & sartoribus, & sutoribus, & cerdonibus sic eidem est obediendum pastori: nec tamen hic pastor, aut cerdo, aut sutor, aut sartor. Ita ne rex quidem.

VIII. Hactenus de argumento. Sed postea etiam arrodit minoris probationes. In secunda, negat Pilatum vllam habuisse aut in Iudæam aut in Christum ordinariam, & legitimam iurisdictionis autoritatem. In Iudæam quidem: quia non nisi ex commissione Cæsaris. Ast Cæsari nulla autoritas nisi iniusta: quia iniustè parta: tum in Romanum Imperium, quia iniusto bello: tum in Iudæam: quia dissidentibus Aristobulo, & Hircano, Pompeius contra ius, fas, & publicam fidem, Iudæam Romanis subiecerit. In Christum: quia hic vere Deus & homo, Rex sit regum, & Dominus dominantium.

IX. Atqui primò nihil interest, quo iure, aut vnde Pilatus autoritatem habuerit: non enim inde argumentum ducitur: dummodo nulla in Christus habuerit tem: quod assumptio ponit. Itaque merito est ἀπροσδιόνυσον, dum expatiatur Pighius in Imperatorum Romanorum, aut etiam populi scelera, quibus sibi tantam autoritatem compararunt: quo nihil opus est: nec enim astruit aliquem fuisse Christo gladium secularem: quod si non facit, nihil facit. Deinde habet Bozius quod conqueratur de Pighio: nam quantùm ille in asserēda Romani Imperij iustitia laborauit, tantum iste in eius iniustitia traducenda. Et quidem vide ingeniū: vterque enim, vt ne Pontifici suo gladius eripiatur. Vt meritò mirentur viri iudiciosi, quomodo tam non varijs, sed contrarijs atque oppositis viis in eundem finem peruenire possint. Denique, quid tum, si à malis & iniustis principiis ea autoritas fuit? An propterea falsò Christus dixit, eam esse ἄνωθεν? An propterea perperam docuit Cæsari censum persoluendum? An verò nulla potestas ab initio iniusta, potest postea iusta esse? Hoc verò si est, tum sanè aut nulla, aut paucissima regna erunt iusta.

X. Quod ad Christum attinet; hunc verò non fuisse sub Pilato, temerè dicitur: ipso contrà Christo testante, habere illum in se ἐξουσίαν ἄνωθεν. Fateor esse verum Deum: sed eundem contendo esse verè hominem. Concedo esse Dominum dominantium; sed & factum in forma serui, quis ausit negare? Itaque, etsi longè supra Pilatum fuerit illa ratione: tamen hac fuit sub Pilato. Et quidem hoc à se ipso Pighius discere potuit: Hæc enim totidem verba ille scripsit hoc ipso capite. Pastori *omnes sine exceptione, magistratus, Reges, & Imperatores, obedire præcepit Christus: eos tamen qui sui illius regni vellent esse participes. aut eidem vltro se subiecissent. Vltroneos enim & spontaneos tantum seruos admittit Christus.* Hæc ille, quorum quæ vis sit aduerte. Nam Dominus dominantium Christus esse non potest temporaliter: alioquin etiam nolentes, & inuitos seruos haberet: nam id est de natura temporalis potestatis, vt ipsa testatur experientia. Quod si nullos habet nisi spontaneos: Ergo non poteit esse Dominus dominantium, seculari potestate, de qua nunc quæritur: sed tantùm spirituali. Hæc autem non concludit Dominum nostrum non fuisse sub Pilato temporaliter.

XI. In tertia confirmatione: fugisse Christum Iudæos volentes se regem constituere, negat mirandum esse: cum peragendo, ad quod vnum venerat, humanæ redemptionis mysterio non congrueret. At nos non quærimus vtrum sit mirum, necne: sed vtrum verum. Et si verum: tum nobis id sufficit: abundè enim docet in Christo nullam fuisse potestatem temporalem: quam ille tam curiosè refugerit.

XII. De Iesu negante se iudicem constitutum respondet, primò, eum significare se non venisse, vt ciuiles lites dirimeret: sed vt sua obedientia genus humanum redimeret. Secundò, non potuisse Christum illam sibi præcipiendi autoritatem vsurpare super eos, qui ad suum regnum nondum pertinebant.

XIII. Contrà. Ergo ex vtroque responso constat Christum, quandiu vixit in terris, nulla vsum esse autoritate temporali: itaque non impugnatur argumentum. Et quidem in primo etiam ratio necessaria est, quæ concludat non habuisse. Si enim non venit Christus vt lites dirimeret ciuiles: Ergo ne autoritatem quidem habere voluit dirimendi: nisi fortè tam simus blasphemi, vt dicamus frustra eum aliquid habuisse, & præter officium suum, vocationisque limites. In secundo; cur non poterat vsurpare vltro sibi delatum munus? Non enim ipse ingerebat seipsum. At non erant ei subditi. Quomodo

te seu Episcopus, seu Sacerdos, seu Monachus, seu Prætor, seu Consul, seu Rex, aut Imperator, tibi superiorem potestati obedientiam dependas, si quo modo illi potestas supereminent.

IV. Reno huius expositionis: prima apud Pighium. Ipsa, inquit, ratio Apostoli conuincit illum ita vniuersaliter eloqui. Quoniam à Deo hæc ita ordinata sunt: cuius ordinationi qui resistunt, sibi ipsis damnationem acquirent. Altera apud eundem, & Bellarminum, quia alibi docet Paulus filios parentibus obedire: vxores viris, seruos dominis, populum præpositis Ecclesiasticis. Tertia apud Bellarminum: quia Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, ita exponunt de potestate in genere: & Anselmus de Potestate Ecclesiastica, & temporali, & Bernardus Epistola quadragesima secunda, & centesima octogesima tertia.

V. Sed consequentia nimis est manifesta, quam vt possit ab vlla sana mente negari. Antecedens negandum, omnem animam subiici debere magistratibus, id est, Paulum esse verè loquutum, aut negandum Episcopos, & Pontifices esse inanimabus. At hoc non potest. Nam omnis anima, id est, omnis homo, ex illo ... Lyrano, Thomà, Caietano, G ... , Salmerone: omnibus ibi ... , *Et dicendo omnis*, ait Caietanus, *nemine excepit*. [illegible] (verba Chrysostomi) [illegible] *Ostendunt ista se imperare etiam sacerdotibus, & monachis, non tantùm secularibus: quod & ab exordio declarauit, cùm dixit, omnis anima, potestatibus eminentibus subiecta esto: quamuis Apostolus sis, quamuis Euangelista, quamuis Propheta, aut quicunque alius.*

VI. Ad rationem priorem negatæ consequentiæ, respondeo distinguendum corpus politicum, à corpore Ecclesiastico. Principes esse membra Ecclesiastici: itaque obedire, hac ratione, capiti corporis Ecclesiastici, id est, Episcopo, in cuius diœcesi degunt: vt Theodosium Ambrosio. Sed eam obediendi rationem totam esse spiritualem: de qua nunc nulla quæstio est. At corporis politici, qua politicum est, principes esse non membra: sed capita. Episcopos autem non capita: sed membra. Itaque, si verum hoc loco, Paulum loqui de potestatibus secularibus: tum certum iis subiici omnes alios, absque exceptione, qui non sunt capita corporis politici. Non enim plura duobus membris in textu leguntur Apostolico, vnum designatum per [illegible], aliud per [illegible]: vnde facile, etiam stolidissimi coniiciunt, qui non sunt [illegible] esse in altero ordine.

VII. Ad secundam, primò nihil ad rem, quid à principibus sacerdotes acceperint, nècne: Possunt enim principes multa facere, & re ipsa multa fecerunt, præter, imò contra verbum Dei. Itaque, si hic nonnihil indulserunt sacerdotibus principes: non sequitur tamen eam indulgentiam conformem esse Scripturæ sacræ, quæ est nostra quæstio. Secundò, nego vidisse me adhuc vllum principem, qui à sua temporali iurisdictione immunes fecerit Ecclesiasticos: nam immunitates onerum ciuilium, non negem, & exempla, & fortè leges intercessit. Sed hæc nihil ad nos. Ne quidem ille singularis honor, & reuerentia, non item annona ex publicis. Nam possunt consistere cum illa subiectione, de qua Paulus. Et, vt scias, vide in Ægypto sacerdotibus quidem hanc tributariam immunitatem, Geneseos quadragesimo septimo: & tamen Asenech, filiam Putipharis sacerdotis Heliopoleos, Iosepho traditam in vxorem à Rege Pharaone, capite quadragesimo primo.

VIII. Porrò Paulum agere de qualibet potestate, siue politica, siue Ecclesiastica. Hoc verò falsum. Atque adeò aliter Interpretes. Basilius in Constitutionibus Monasticis, capite vigesimo secundo, [illegible] Paulus ad Romanos scribens, *iubet omnibus dignitatibus subiici. dignitatibus*, inquam, *mundi, non spiritualibus: quod indicat ex iis quæ subiicit, dum loquitur de pensionibus, & tributo.* Ambrosius, *Quoniam cælestis iustitiæ legem sequendam mandauit, ne ab hac præsentis dissimulare videatur* (intra plures ... ne ciuilem iustitiam nullo loco habere) *hanc commendat: quippe cùm nisi hæc fuerit obseruata illa custodiri non possit. hæc enim quasi pædagogus est, qua paruulos imbuit, vt possint potioris iustitiæ viam sequi. Nemini enim potest imputari misericordia, nisi habuerit iustitiam. Vt ergo ... & timorem legis naturalis confirmet, Deum autorem eius testatur & ministrantes eam Dei ordinationem habere.* Ideò adiecit: *Quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. vt nemo putet quasi humana commenta contemnenda. Vident enim ius diuinum humanis autoritatibus deputatum.* Et pòst, *Principes hos reges, dicit qui propter corrigendam vitam, & prohibenda aduersa, creantur, Dei habentes imaginem: vt sub vno sint cæteri.* Neç secus sentiunt Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Salmero. *Patres Veteres, & præsertim Augustinus Epistola quinquagesima quarta ad Macedonium & Chrysostomus præsenti loco. Apostolum interpretantur de potestate seculari tantùm: quod & ipse textus subindicat.* Lombardus, *Omnis ergo anima subdita sit, vt etiam voluntate seruiat homo, potestatibus secularibus bonis, vel malis, scilicet, regibus, principibus, tribunis, centurionibus, & aliis huiusmodi.* Et Haimo, *Sit ergo omnis anima subiecta potestatibus sublimioribus, id est, in hoc quod sublimes sunt, id est, in mundanis.*

IX. Adde eos qui causam reddunt, quare in hunc sermonem Paulus deuenerit: nimirum, quòd non deessent, qui ægrè ferrent Christianos subiici magistratibus. In his est Thomas, *Considerandum est*, inquit, *quod quidam fideles in primitiua Ecclesia dicebant, terrenis potestatibus se subiici non debere, propter libertatem, quam consequuti erant à Christo.* Et pòst, *Et hoc est, quod hic Apostolus dicit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et ante Thomam, Sedulius, *Omnis hæc causa aduersus illos prolata est, qui se putabant ita debere libertate Christiana vti, vt nulli honorem deferrent, aut tributa dependerent.* Nec alienus Salmero, qui putat hæresin suggillari Gaulonitarum, negantium censum, & obedientiam deberi Cæsari, profanisue vllis principibus, propter libertatem legis, à Deo susceptæ, cui soli sese subiectos asserebant. Quomodo tertiò Epistolæ ad Titum, vbi constat agi de politi-

cis magistratibus, idem Salmero notat, multum negotij habuisse olim Apostolos, vt persuaderent plebi, vt se sub magistratus, & principis imperio continerent: cùm ob alias causas, tum quia Iudæi imitarentur Iudam Galilæum, & Theudam, homines seditiosos.

X. Verùm quibuslibet Interpretibus longè potentiùs, atque efficacius probat ipse contextus agi de Magistratu ciuili. Primò, etsi τὰς ἐξουσίας, inuenias aliquando dici de autoritate Pastorum in Ecclesia, vt posterioris ad Corinthios decimo, & decimo tertio: tamen αἱ ἐξουσίαι, nunquam de Pastoribus: sed de Principibus Politicis sæpè: vt Lucæ duodecimo: ad Titum tertio: prioris Petri tertio.

XI. Deinde sequentia perspicua. Nam constituto præcepto: Omnis anima potestatibus subdita esto. Tum rationes subiiciuntur. Prima, quia potestas est à Deo: secunda, quia, *magistratus οἱ ἄρχοντες, non sunt terrori bonis operibus: sed malis*: Et post hoc ipsum, vt explicetur, *Quod si feceris quod malum est, metue: non enim temerè gladium gestat.* Ergo, inquam, *αἱ ἀρχαὶ, καὶ αἱ ἐξουσίαι* sunt *οἱ ἄρχοντες*. Atqui Pastores nunquam *ἄρχοντες* sunt appellati. Rursus. Ergo, *αἱ ἀρχαὶ καὶ αἱ ἐξουσίαι*, gladium gestant. Hoc verò de autoritate Ecclesiastica, quis vnquam dixit? Quid ista tandem? *Necesse est subiici, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: propter hoc enim etiam tributa soluimus.* Nam certè tributa nunquam soluta sunt Pastoribus Ecclesiæ: quod argumentum notauit Basilius.

XII. Hoc à sequentibus tam euidens argumentum, vt eneruent, quasi aliud agentes, dicunt generalem doctrinam initio positam, applicari postea ciuili magistratui: ideoque esse sententias quasdam generales: quasdam particulares. Sic enim Bellarminus contra Barclaium, capite tertio. Sed hoc sophisma ab eo ingenio est, quo peruertuntur omnia. Nam ea, quæ apud Paulum leguntur post prima verba, non applicationem continent: sed *αἰτιολογίαν*. Thomas, *Primò ponit documentum: secundò rationem assignat, ibi. Non enim est potestas.* Et postea, *Cùm dicit, Qui autem resistunt: ostendit huiusmodi subiectionem, non solùm esse honestam, sed necessariam: & primò proponit quod intendit: secundò probat propositū, ibi: Nam principes.* Rursus, *Dicit ergo: dictū est, quod qui resistit potestati, sibi damnationem acquirunt: Nam principes, qui hic potestates dicuntur, non sunt timori.* Lombardus non aliter, *Nam principes: quasi dicat, meritò acquirunt damnationem, qui potestati resistunt: nam principes boni, vel mali non sunt timori boni operis, sed mali.* Caietanus paulò secus: sed tamen in eundem finem, *Nam principes. Occurrit tacitæ obiectioni: Qua ratione tu dicis, anima potestatibus præcellentibus subiiciatur, ingerendo nobis timorem secularium potestatum: cùm lex Euangelica sit lex amoris, & Christianis solus Deus timendus sit? Huic, tanquam obiectioni obuiat Paulus dicendo in substantia, quod principes seculares, non sunt ad timorem boni, sed mali: ac per hoc non sunt timendi veris Christianis.*

XIII. Verùm audiamus Sophistarum rationes. Probat ergo Pighius agi in vniuersum de potestatibus, siue secularibus, siue Ecclesiasticis: quia ratio est vniuersalis: nempe à Dei ordinatione. At hoc commentum est puerile. Non enim debet ratio nunquam magis latè patere, quàm Thesis, quæ disputatur. Imò tum optimè argumentatio procedit, cùm ratio est generalis. Ita optimè Syllogismus conficitur: Nulli diuinæ ordinationi Christianus debet resistere. At magistratus ciuilis, est ordinatio diuina. Ergo magistratui ciuili, nemo Christianus resistere debet.

XIV. Quid tum autem, si alibi docetur obediendum parentibus, maritis, dominis? Aut quis inde concludat etiam hoc decimo tertio ad Romanos capite? Quasi verò omnia vbique tradantur. Imò Petrus capite tertio prioris, disertè iubet mulieres subiectas esse suis viris: & tamen nemo hactenus illud secundi, *Subiecti estote omni humanæ ordinationi*, interpretatus est, tam generaliter, vt comprehendat etiam obedientiam maritis præstandam. Quid? Illis-ne aliis locis Pighius contendat agi de Magistratibus, quia hoc loco? Similis enim argumentatio. Hoc loco agitur de Potestatibus generaliter, quia aliis locis de parentibus. Et, his locis, vbi de parentibus, agitur generaliter: quia isto, de Magistratibus.

XV. Porrò Chrysostomum interpretatum esse de potestate in genere, falsò Bellarminus asserit: & in eo contrarium sibi testem habet Salmeronem, qui vt antea ostensum est, tum Chrysostomum, tum Veteres dixit Paulum intellexisse de potestate ciuili: quanquam ipse Chrysostomi contextus per se sufficiat, ταῦτα δὲ εἶπε, inquit, δεικνὺς, ὡς οὐκ ἐπ' ἀνατροπῇ τῆς κοινῆς πολιτείας ὁ Χριστὸς τοὺς παρ' αὐτοῦ νόμους εἰσήγαγεν. ἀλλ' ἐπὶ διορθώσει βελτίονι, καὶ παιδεύων μὴ περιττοὺς ἀναδέχεσθαι πολέμους, καὶ ἀνονήτους. *Hoc facit docens, non ad communis politiæ destructionem à Christo leges inductas: sed potius, vt in melius repararet: simul & erudiens non esse superflua bella, atque inutilia suscipienda.* En tibi rationes duas, quarum vtraque abundè docet Chrysostomum, τὰς ἐξουσίας, non alias intelligere, quàm ciuiles. Primò enim ἡ κοινὴ πολιτεία, non pertinet ad ordinem Ecclesiasticum: non est enim communis omnibus: sed propria Christianis: cùm ciuilis ordo, æquè communis esset Christianis, atque Ethnicis: inter quos Christiani habitabant. Et hoc melius patet, cùm dicuntur leges Christianæ inductæ, οὐκ ἐπ' ἀνατροπῇ, ἀλλ' ἐπὶ διορθώσει. Nam de ἀνατροπῇ, quid opus erat monere? aut quis vnquam suspicari poterat, voluisse Christum suæ Ecclesiæ politiam euertere? Tum autem ἐπιγίγνεσθαι βελτίω, qui potuit in eundem ordinem competere? Quasi non ab initio optimè constitutus esset. Sed altera ratio à bellis non suscipiendis, quid relinquit ambiguum? Nam bella profectò, non sunt à neglectu ordinis Ecclesiastici.

XVI. Iam quod de Chrysostomo certum: non potest in Theodoreto, & Theophylacto incertum esse. Nam hi, illius sunt abbreuiatores. Et quidem hoc loco, penè verba ipsa mutuati. *Siue Sacerdos aliquis, siue Antistes, siue monasticam vitam professus iis cedat, quibus sunt mandati magistratus.* Ita Theodoretus. Theophylactus, *Vniuersos erudit, siue sacerdos sit ille, siue monachus, siue Apostolus, vt se principibus subdant.* Chrysostomus, ταῦτα διατάττεται, καὶ ἱερεῦσι καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς, μόνον. Et post, κἂν ἀπόστολος ᾖς, κἂν εὐαγγελιστὴς, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν. De Anselmo, & Bernardo facilis nodus. Tam pauci, tam recentes, quid contra tam multos, tam antiquos? Tum etiam maximè, quid contra ipsum Pauli contextum?

XVII. Su-

XVII. Superest Salmero, Disputatione quarta libri quarti in Epistolam ad Romanos. Qui vrgent, inquit, hunc locum Pauli, nequaquam vident, ex his verbis non posse deduci quod volunt. Oportet enim eos prius probare, quod respectu clericorum, illi sint potestates, & tùc eorum subiectionem concludere. Nam alioqui si omnis anima debet subdi, cuicunque potestatem habenti, cur ergo Rex Galliæ, non imperat Angliæ, Hispaniæ, aut Germaniæ: nisi, quia non est potestas vniuersalis, vel locorum, vel personarum? Ergo quod dicitur, Omnis anima subdita sit potestatibus: sensus est, vt quæuis anima illi obediat, quem sibi agnoscit, vel agnoscere debet habere super se legitimam potestatem.

XVIII. Egregium verò acumen! Atqui primò, quid fiet ergo Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio, qui vno ore Apostolos, Episcopos, Monachos, docent contineri in omnibus animabus, quas Apostolus vult subiici τοῖς ἐξουσίαις? Nam si nemo subiici debet, nisi potestatibus, quas agnoscit, vel agnoscere debet habere super se legitimam potestatem, vt rectè Sophista dixit: tum, vel Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium oportet absurdissimè esse loquutos: vel necesse est ex eorum sententia colligi in Apostolos, Episcopos, Monachos, esse principum Politicorum legitimam potestatem. Deinde, cùm ipse Salmero, agnoscat eadem disputatione, Turcarum principem esse super Episcopos, qui in iis locis resident: mirum, cur absurdum putet Christianorum principes, esse super Episcopos, qui in eorum locis resident, aut cur sibi postulet probari. Nam hæc ipsa limitatio ostendit dissimilia esse exempla Galliæ, Angliæ, & Germaniæ. Nam rex Galliæ, his regibus non imperat, quia sunt in locis extra eius iurisdictionem: alioquin si sint intra iurisdictionem, vt fit sæpè, cùm habent, aut Ducatus, aut Comitatus aliquos: tum verò ille illis imperat hoc nomine. Nos autem loquimur de Episcopis, qui sunt in Gallia, vt hos potius nominem: & eos subiicimus regi, non Hispaniæ, non Angliæ, sed Galliæ. Eadem que ratione Episcopum Romanum, Romano Imperatori: à cuius sese subiectione impiè subduxisse dicimus.

FINIS LIBRI DECIMIQVINTI.

LIBER DECIMVS SEXTVS.

DE ANTICHRISTO.

Caput Primum.

DE STATV QVAESTIONIS.

SVPEREST controuersia de Antichristo. Appendix Oecumenici. De qua sic conceptus in Synodo Vapincẽsi est articulus trigesimus primus Confessionis Ecclesiarum in Gallia reformatarum, *Cùm Episcopus Romanus, erecta sibi in orbe Christiano Monarchia dominationem vsurpet in omnes Ecclesias, ac Pastores, in tantam erectus superbiam, vt Deum se dicat, velitque adorari, omnémque tribui sibi potestatem in cælo & in terra: res Ecclesiasticas omnes disponat, articulos fidei definiat, Scripturarum autoritatem, atque interpretationem à se esse dicat: animarum mercaturam exerceat: vota, iuramentáque dispenset: nouos Dei cultus instituat. Tum in ciuilibus, legitimam magistratuum autoritatem pedibus subigat, datu, ablatu, translatu imperiis: Credimus, atque asserimus esse verum illũ, ac germanũ Antichristũ, perditionis filium, prænunciatum in Verbo Dei: meretricem purpuratam insidentem septem montibus in magna ciuitate, quæ regnum obtinebat in reges terræ. Exspectamúsque dum Dominus, prout promisit, ac iam cœpit conficiens eum spiritu oris sui, tandem illustri aduentu suo aboleat.*

II. Ei disputarunt Danæus de Antichristo. Witakerus ad demonstrationem Sanderi: & de Papa Romano, quæstione quinta. Franciscus Iunius contra Bellarmini tertium de Pontifice. Gabriel Pouelus Britannus disputationibus de Antichristo, & eius Ecclesia. Daniel Tilenus in Academia Sedanensi Theologiæ professor in Analysi Exegetica articuli Confessionis Gallicæ iam recitati. Philippus Mornæus, capite nono de Ecclesia. Georgius Pacardus in Descriptione Antichristi. Nicolaus Vignierus in Theatro Antichristi. Riuetus tractatus secundi quæstione quinta Summæ Controuersiarũ. Alij etiam plurimi commentariis in Epistolam secundam ad Thessalonicenses & Apocalypsin.

III. Verum quicquid est Papistarum contrà pugnat, tanquam pro aris, & focis. Ex iis, istos habuimus. Alios ex professo. Bellarminum libro tertio de Pontifice. Sanderum de visibili Monarchia libro octauo. Stápletonum in Relectione Controuersiæ tertię quæstione tertia. Gasparem Scióppium Epistola ad illustrissimum quendam Germaniæ principem. Cotonum de Missa tractatu sexto paragrapho nono. Siluestrum Vallensem Capuccinum libro de Iustis magnitudinibus Ecclesiæ Romanæ. Andręam Endæmono-Ioannem contra Robertum Abbatum. Ieremiam Ferrarium. Gregorium de Valentia Commentariorum Theologicorum parte quarta, disputatione decima, quæstione secunda, puncto secundo. Iosephum à Costa secundo de nouissimis temporibus. Vidi, & obiter Florimũdi Raimondi Antichristum, librum, ita me omnes ament boni, inficetũ, ineptum, indignum, quem vix quisquam legat sensatus: adeò siue Richeomus (vt creditur) siue quantum est Iesuitarum Burdigalensium de eius hominis imperitissimi fama, tanquam corio, luserunt, supposito frustra parturienti hoc monstro. Alios obiter, Ioannem Arboreum Theosophię libro primo, capite trigesimo quarto. Boziũ de Signis Ecclesiæ libro vigesimo quarto, capite nono. Feuardentium in Irenæum libro quinto, capite vigesimo quinto, & trigesimo. Iodocum Lorichium in Fortalitio fidei. Salmeronem disputatione secunda, & tertia in posteriorem ad Thessalonicenses.

IV. Priusquam disputo, vocis homonymia discutienda est. Antichristum ipsa nominis originatione significari aliquem Christo oppositum: sciunt vel pueri. Sed nominatur tamen aliàs generaliter, aliàs

bus propriè. Nonnunquam enim tribuitur cuilibet Christum oppugnanti. Sic primæ Ioannis secundo, *Etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse.* Et in secundo, *Multi impostores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in mundum: Qui est eiusmodi, impostor est, & Antichristus.* Oecumenius Corinthum, & reliquos intelligi notat. At aliàs magis propriè vsurpatur pro insigni quodam, & inter omnes Antichristos, insigniter notabili Antichristo: quique omnibus aliis magis sit Antichristus. Quemadmodum Imperatoris nomen apud Romanos omnes olim significabat, qui exercitum suis auspiciis ductarent: postea tamen coarctatum est, vt eos solos designaret, penes quos erat Reipu. maiestas. Itaque dicitur non Ἀντίχριστος indefinitè: sed determinatè, ὁ Ἀντίχριστος. Primæ Ioannis secundo, ἠκούσατε ὅτι ὁ Ἀντίχριστος ἔρχεται, *Audistis quòd ille Antichristus veniet.*

V. Huius Antichristi, sic propriè dicti aduentum, παρουσίαν, Ecclesiæ prædictum, consentimus vtrique, tum à Paulo posterioris ad Thessalonicenses secundo, paucis, iisque ἐμφαντικωτέροις verbis. A Ioanne in Apocalypsi, sub specie modò meretricis, modò bestiæ. Imò, & à Daniele iam olim ante Christũ sed sub typo: nam propriè, & primò prophetasse de Antiocho Epiphane certum habetur, cuius in Ecclesiam Iudaicam tyrannidi, Antichristi grassatio in Ecclesiam Christianam sit παράλληλος.

VI. Atque ex iis Scripturæ locis eruendæ notæ sunt, è quibus Antichristum cognoscamus. Sic tamẽ vt sciamus ex iis notis sigillatim nihil concludi, sed tantùm ex omnibus consertim: adhibita tamen distinctione. Sunt enim notæ quædam, quę pręcedũt, aliæ quæ sequuntur. Quæ præcedunt, eas intelligo, quæ primæ erunt in eo iniquitatis mysterio, vt tempus aduentus, locus vbi sedebit, tum quæcunque ad personam, vel eius effecta pertinent. Atque has necesse est inueniri in eo, quẽ designabimus pro Antichristo. Quæ sequuntur verò, eæ sunt, quæ ad finem eius, potestatisq; interitum pertinent. Atq; has nihil necesse est. Nam secus, necesse esset nunquam cognosci Antichristum, nisi post interitum, id est, post vltimum mundi diem. Quod est absurdissimum.

VII. Itaque vnum est Catholicorum in hac controuersia argumentum: cuius tamen plurimæ particulæ. Nempe. Quicunque homo omnes capit notas Antichristi, quas Scriptura delineauit, is est Antichristus. At Episcopus ille Oecumenicus, quem appellant, capit eas omnes notas. Ergo Episcopus ille Oecumenicus est Antichristus. In maiore consensus est. At in minore controuersia. Itaque probanda, Primus labor esto, de Tempore, ac loco. Tum de persona, & effectis.

Cap. II.

An Romanum imperium desierit.

I. PRima quæstio, vtrum iam venerit Antichristus. Nondum venisse contendunt Papistæ. Nam Scioppius venturum confidenter asserit, tantùm mille trecentis triginta quinque diebus ante postremum Christi aduentum: vt postea videbimus. At Catholici docent iampridem elapsum esse tempus illud, quod Scriptura designauit, tum cùm prædixit aduentũ Antichristi. Itaque nihil vltra expectandum, quominus Antichristum venisse asseramus.

II. Secundo posterioris ad Thessalonicenses, ita Paulus, *Nunc verò quid obstet nostis, vt is suo tempore retegatur. Iam enim peragitur mysterium iniquitatis: tantum qui nunc obstat, obstabit, vsque dum e medio sublatus fuerit: Et tunc retegetur impius ille.* Quibus verbis significatur tum fore tempus reuelandi Antichristi, cùm Romanum imperium disturbatum fuerit, dissipatumque. Ea interpretatio est plerorumque omnium, qui in hoc explicando loco versati sunt. Cyrillus Catechesi decima quinta, ἔρχεται δὲ ὁ προειρημένος Ἀντίχριστος οὗτος, ὅταν πληρωθῶσιν οἱ καιροὶ τῆς Ῥωμαίων βασιλείας, *Veniet autem hic prædictus Antichristus, cùm impleta fuerint tempora imperij romani.* Chrysostomus, οἱ μὲν τὴν τοῦ πνεύματος χάριν, οἱ δὲ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχήν. *Alij spiritus gratiam, alij Romanum imperium, interpretantur*, id scilicet, quod detinebat, id est, obstabat, quominus Antichristus reuelaretur. Sed illos refutat: quia nihil esset causæ, cur obscurè loqueretur Apostolus: & quia iam oportuisset reuelatum, cùm iam cessassent χαρίσματα. Ergo imperium Romanum potius: obscurè nominatum, quia οὐκ ἐβούλετο περιττὰς ἔχθρας ἀναδέξασθαι, καὶ ἀνωφελεῖς κινδύνους, *Nollet frustra inimicitias suscipere, & inutilia pericula.* Ergo, ὅταν ἡ ἀρχὴ ἡ Ῥωμαϊκὴ ὅταν ἀρθῇ ἐκ μέσου, τότε ἐκεῖνος ἥξει, *Quum romanum imperium de medio sublatum fuerit, tum ille veniet*, καὶ εἰκότως, ἕως μὲν γὰρ ἂν ᾖ ὁ φόβος τῆς ἀρχῆς ταύτης, οὐδεὶς ταχέως ὑποταγήσεται. ὅταν δὲ αὕτη καταλυθῇ, ἐπιθήσεται τῇ ἀναρχίᾳ, καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὴν τοῦ Θεοῦ ἐπιχειρήσει ἁρπάσαι ἀρχήν. *Et meritò. Quandiu enim superest huius imperij metus, nemo facilè subiicietur. At cum dissolutum fuerit imperium, irruet in vacuum imperium, hominúmq; ac Dei imperium rapere tentabit.* Similiter ante eum Tertullianus libro de Resurrectione, *Donec de medio fiat. quis? nisi romanus status.*

III. Consentiunt Chrysostomo, suo more Oecumenius, ac Theophylactus. Sed, & Latini, non recedunt. Ambrosius, *Post defectum regni romani appariturum Antichristum dicit.* Hieronymus, *Donec regnum quod nunc tenet, de medio auferatur, prius quàm Antichristus reueletur.* Idem ad Algasiam quæstione vndecima, *Nisi, inquit, venerit discessio primùm quod Græcè dicitur ἀποστασία, vt omnes gentes, quæ romano imperio subiacent, recedant ab eo.* Et pòst, *Nisi, inquit, fuerit romanum imperium desolatum.* Iterum, *Nec vult apertè dicere romanum imperium destruendum.* Primasius, & Sedulius similiter. Anselmus: Glossa interlinearis, Lyranus: & Thomas Aquinas. Denique, ne aduersarij quidem dissentiunt. Vide Iosephum à Costa, capite secundo secundi de Nouissimis temporibus.

IV. Et confirmatur ex Apocalypsi, in qua describitur dissipatio Romani imperij in decem reges significatos per decem cornua. Et post eam dissipationem, exortus Antichristi, capite decimo tertio, & decimo septimo. Vnde Tertullianus, *Quis: nisi romanus status, cuius abscessio in decem reges dispersa Antichristum superducet?* Et consentiunt, qui in Apocalypsin scripserunt.

V. Quid ergo superest? Nimirum vt probemus distractum esse, imò nullum esse Romanum imperium. Hoc verò vix credat quisquam negari posse: quod vsus atque experientia certissimè docet. Nec enim certum magis desisse Atheniensium, aut Lacedemoniorum Rempublicam. Sed testibus agam tamen. Iam olim Hieronymus ad Ageruchiam, *Qui tenebat, de medio fit: & non intelligimus Antichristum appropinquare, quem Dominus Iesus Christus conficiet spiritu oris sui?* Indeque per-

currit clades iam tum temporis acceptas in variis prouinciis ad Septentrionem, & Occidentem. Non dixit tamē, de medio factus est: sed tantùm, de medio fit: diuinans illas esse clades, vniuersæ ruinæ, paulò pòst futuræ prælusidia. Nec falsus vates. Nam ea subsequuta sunt tempora, quæ Saluianum impulerint, de Gubernatione Dei libro quarto, vt diceret, *Romanam Rempubl. vel iam mortuam, vel certè extremum spiritum agentem.* Et Episcopi Galli in Synodo Rhemensi sub Hugone, & Roberto Francorum Regibus, capite vigesimo octauo, imperij occasum nominare non verentur.

VI. Deinceps etiam durius. Andreas Cretensis in Apocalypsin commentariorum, capite quinquagesimo tertio, ὁ παλαιὰ Ῥώμη ἐκ πολλοῦ τὸ τῆς βασιλείας κράτος ἀπέβαλεν *Vetus Roma pridem imperij maiestatem amisit.* Et recentior, ac Patrum nostrorum temporibus Paulus Iouius, & quidem Episcopus, statim initio suarum historiarum, *Postquam Cæsarum potentia fato cessit: quæ quondam sublatis vndique regibus cuncta vni parere coegerat, cùm ferocissimi quique populi pristinæ libertatis memoria rebellarint, nobilissimum imperium, alio atque alio Barbarorum impetu conuulsum, atque dilaceratum, in minora regna, & multorum ditionem abiisse manifestum est.* Et libr. decimo septimo, *Aegyptum post interitum Romani nominis Constantinopolitanis Imperatoribus cessit.* Niemensis libri tertij capite quadragesimo primo de Schismate, *Roma iamdiu amisit imperium.*

VII. Quin etiam Salmero Iesuita, in posteriorem ad Thessalonicenses disputatione secunda, *Imperium illud Romanum iamdiu euersum est, & in multa regna dissipatum, & quasi extinctū. Nam qui nunc est, & vocatur Imperator Romanus, tenuissima quædam vmbra est imperij antiqui: vsque adeò, vt nec ipsam quidem vrbem Romam, vnde nominatur, possideat: & per multos annos defecerant Imperatores Romani.* Iustinianus ibidem, *Pridem Romanum imperium in tas angustias redactum est, vt vix tenuem quandam vmbram imperij retineat.* Stapulensis ibidem, *Vbi nunc, quæso, monarchia? vbi qui in ea mundi regit habenas? Cùm & videamus monarchiæ caput, etiam ab ea desiuere. Quam obsecro Roma suo regi, suo monarchæ præbet obedientiam? Et nescio quibus temporibus potuit maior defectio apparere.* Sed & Baronius anno quadringentesimo septuagesimo sexto, paragrapho primo, cùm videret non tantùm Imperatorem esse Græcum, sed ne Consules quidem Romanos, *Sic*, inquit, *Occidentale imperium* (atqui id erat Romanū) *penitus collapsum est, & deuolutum ad Barbaros.* Barradius in Concordiam tomo primo, libro quarto, capite quarto, Iudæis negantibus Christum venisse, quia imperium Romanum adhuc stet, *Respondetur*, inquit, *non extare Romanorum monarchiam, vt est compertum.*

VIII. Hi testes, quanquam quid opus testibus? Res enim clamat ipsa. Primò ex tanto prouinciarum numero, ne vna quidem superest, quæ Romæ subiiciatur: omnes ad Orientem, Occidentemque, Meridiem, & Septentrionem sese in libertatem asseruerunt, constitutis sibi forma propriâ rebus publicis: vnde tam multæ monarchiæ: paucæ Aristocratiæ, & Democratiæ. Imò ne ipsa quidem Roma, vel monarchia est, vel pars vllius monarchiæ. Deinde, nomen, quo nihil minus, aut magis tenue fingi potest: nomen, inquam, ipsum imperij Romani, Romanis ablatum transiit ad exteros, Germanos Imperatores, quorum nemo est, qui sibi quicquam Romæ vindicare audeat. Quid est igitur, quo quis possit credere, non interisse imperium? Nunquam profectò magis, aut Babylonicum, aut Persicum, aut Græcum. Certè Persici hodie longè maius nomen, maior autoritas in Oriente, quàm Romani.

CAP. III.

Romam esse Antichristi sedem.

I. Sic igitur Catholici docent impletum esse id tempus, quo detineri debebat Antichristus, ne manifestaretur. Nunc de eiusdem sede agendum. Eam duplicem proponunt Scripturæ: alteram Ioannes in Apocalypsi: alteram Paulus. Apocalypsis decimo septimo, *Cùm me per spiritum in desertum transtulisset, vidi mulierem insidentem bestiæ coccinæ, plenæ nominibus blasphemiarum, habenti capita septem, & cornua decem.* Et pòst, *Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet.* Et rursus, *Et mulier, quam vidisti, est vrbs illa magna, quæ habet regnum super reges terræ.*

II. Hæc verba significant Antichristum quem mulier illa meretrix significat, sessurum in vrbe Roma. Argumentum geminum: prius à montibus septem, à quibus Romam vocatam esse septicollem, lippis notum, & tonsoribus. Vnde Poeta, *Septem quæ vna sibi muro circumdedit arces.* Alterum. Non enim solum mulier sedere dicitur super montibus septem: sed etiam ipsa esse vrbs illa magna, quæ haberet regnum super reges terræ. Hæc autem tum temporis Roma erat: nec præter Romam, vlla alia.

III. Primasius, *Propterea autem septem capita, septem montes, per sapientiæ sensum monet consequenter intelligi, vt Romam, quæ super septem mōtes præsidet, significans, omni quod orbe monarchia præfuit dominatu, ad istorum regum similitudinem adduxisset, & in Roma nomine totius regni potentiam figuraret.* Ambrosius, *Hoc manifestum est. Scimus enim Romanos, eo tempore cunctis regibus terræ dominari.* Ioannes Gagnæus, *Hanc Babylonem magnam, & meretricem, Græci veterem Romam interpretantur: aquas, in quibus sedet, populos, quibus quondam imperabat: septem montes, colles illos septem, quibus vetus Roma insignis erat.*

IV. Præterea, cùm de Babylone Ioannes loquitur, veteres interpretati sunt Romam. Tertullianus, aduersus Iudæos, & libro tertio contra Marcionem, *Sic & Babylon apud Ioannem nostrum, Romanæ vrbis figuram portat, proinde, & magnæ, & regno superbæ: & sanctorum debellatricis.* Eucherius in formulis spiritalibus, capite decimo, *Babylon, aut mundus, aut Roma. In Apocalypsi: & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare ei calicem vini indignationis iræ eius.* Et ante Eucherium, Hieronymus Epistola decima septima, *Lege Apocalypsin Ioannis, & quid de muliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere.* Quæ de Roma ab Hieronymo dici agnoscit Victorius: & ipsa series ostendit, ad Tarpeiam rupem referenda, paulò antè nominatam. Idem ad Algasiam quæstione vndecima, *Secundùm Apocalypsin Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis scriptum est, nomen blasphemiæ, id est, Roma æterna.*

V. Hinc factum, vt non desint, etiam in medio Papatu, qui prædixerint Antichristum futurum Romanum. Rogerius Houveden Annalium parte poste-

posteriore, *De isto Antichristo idem dicit Ioachim: quod iam natus est in ciuitate Romana, & in sede Apostolica sublimabitur.* Ioannes Episcopus Chemensis in Onere Ecclesiæ, etsi magnum aliquem Antichristum venturum dicat, & distinctum à mixto nescio quo Antichristo, quem fingit, atque in magno non discedat à vulgi opinione: tamen hunc mixtum Romanum futurum asserit, capite quadragesimo secūdo, *In hoc Idolo (inquit) figuratur Pontifex abominabilis ob defectum vitæ: & dicitur desolationis ob Ecclesiam à statu debito per eum desolandam. Qui Pontifex Diaboli procuratione Ecclesiam Dei ponet in præsenti quinto statu.* Et iterum, *Is mixtus Antichristus per abyssalem malitiam, & procurationem dæmonum, ac per suiipsius ambitiosam astutiam papatum tyrannicè vsurpabit.*

VI. Sanè per hanc quidem notam, nihil obstat, quominus Papa sit Antichristus. Is enim Romę sedem suam fixit: quod omnes & sciunt & vident: Atque inde nomen Episcopi Romani: Pontificis Romani: Papæ Romani. Imò ab ea sede ius suum ducit: Cur enim non Antiochenus, non Alexandrinus, dicitur Oecumenicus? Ratio est, quia neque Antiochiæ, neque Alexandriæ mortuus Petrus: sed Romæ.

VII. Hîc disputant Stapletonus & Bellarminus. Primò meretricem esse vniuersam Diaboli ciuitatem. Secundò esse Romam Ethnicam. Et quidem non satis concordes. Nam Bellarminus censet melius intelligi Romam, quàm ciuitatem vniuersam Diaboli. At Stapletonus contrà, multo probabiliorem & veriorem sensum illorum, qui mulierē purpuratam, bestiam, Babylonem, ciuitatem magnam, accipiunt, non pro Roma, aut pro vna aliqua vel ciuitate, vel imperio, sed pro toto imperio impiorum hominum, Ecclesiam Dei ab initio persequentium. Sed hanc *διαφωνίαν* illi sanè curent. Nos rem ipsam potius dispiciamus.

VIII. Prima igitur quæstio est, vtrum meretrix intelligenda sit vniuersa impiorum ciuitas. Affirmandi argumēta illis sunt, primò autoritas Veterum. Augustini in Psalmū sexagesimum primum: & de Ciuitate Dei libro vigesimo, capite nono. Et commentatorum, Aretæ, Ambrosij, Augustini. Deinde ipse contextus. Nam septem capita, septem montes, septem reges, omnia idem significare: & esse septem regna ac status, quæ populum Dei ab initio persecuta sunt, Ægyptiorum, Chananæorū, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Romanorum; Antichristi: quorum quinque primi non erant amplius, Romani autem erant: Antichristus nondum venerat, sed erat venturus: & non erat tota illa bestia, sed pars extrema illius, & vnus de septem sine cornibus, siue montibus, siue regibus. Denique, *Et bestia quæ erat* (inquit Ioannes) *& non est, & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitū vadit*: hoc est, Antichristus breui interiturus, vna est bestia de septem, quatenus bestia pro parte non pro toto accipitur: & est octaua propter magnitudinem, & enormem persecutionem, quam contra sanctos gesturus est. Hactenus Stapletonus.

IX. Sed negandi nobis certæ caussę. Non Veterum duntaxat, quos recensui autoritas: verùm etiam & quidem multo magis Prophetiæ contextus. Primò enim dicitur meretrix sedere super bestiam, quæ ascensura esset ex abysso. Ergo in futurum Ioannes eam meretricem prævidebat. Quomodo autem in futurum, si intelligas totum imperium impiorum hominum, Ecclesiam Dei ab initio persequentium? Et verò bestiam istam quid intelligas? Nam si Diabolum, vt nonnulli ex iis quibus hæc placet impiorum ciuitas: tum illud sedere super Diabolum, non poterit intelligi, nisi eam ciuitatem à Diabolo sustentari. At id semper fuit, semper factum est: quomodo igitur in futurum?

X. Secundò, dicitur meretrix sedere super aquas multas, id est, populos, & turbas, & gentes, & linguas. Hoc verò qui conuenire potest, cum vniuersa illa ciuitate? Nam si ea mulier est vniuersa ciuitas impiorum: Ergo vniuersa ciuitas impiorum dicenda est sedere super aquas multas. Ciuitas autem impiorum, quid esse potest præter multitudinem impiorum? Ergo multitudo impiorum sedebit super aquas multas. Iam verò aquæ multæ, populi multi: & gentes & linguæ. Hoc ergo deuentum tandem, vt audiamus multitudinem impiorum sedere super populos multos. Et quia multitudinem impiorum necesse est esse populos multos: ergo id fit, vt populi multi sedeant super populos multos. En tibi pro visione prophetica somnia humana.

XI. Tertiò, Mulier est, *Ciuitas magna, quæ habet regnū super reges terræ*, Græcè, *ἡ πόλις ἡ μεγάλη* [illegible]. Rectè Beza, *vrbs illa magna*: Primò hæc interpretatio est. Itaque mulieris quidem nomen metaphoricum, & non intelligendum ad literam. Sed vrbs, ipsum illud est, quod per mulierem significatur: quomodo autem vrbem vnam intelligas vniuersitatem impiorum? Nam hæc sanè non interpretatio est, sed nouum ænigma. Tum disertè, non *πόλις μεγάλη*: sed *ἡ πόλις ἡ μεγάλη*: vt certa quædam vrbs designetur. Et demum, quo sensu dicas, multitudinem impiorum regnum habere super reges terræ? Nam contra reges terræ regnum habent super multitudinem impiorum.

XII. Affirmantium autem argumenta friuola. Veteres quidem nonnullos scio huc inclinare: sed non omnes tamen: itaque neutri pro lege esse debent. Et quid mirum si in obscurissimis prophetiis nonnunquam cæcutiant etiam pij? Non enim omnibus omnia Dominus reuelat. Sed enim qui Romam intellexerunt, primæ sunt antiquitatis: qui autem Ciuitatem illam improborum, ij longè recentiores. Cur non ergo his illos præferamus? Et quidem Bellarminus, vt dixi, Romam significari magis probauit. Sed & Salmero præludio quinto in Apocalypsin, satis rectè, & innoluté de vrbe Roma, quæ septem montibus nititur, loqui horat. Non sunt illi moti veterum illorum autoritate, quominus ab eorum sententia discederent. Ne speret igitur Stapletonus nobis fucum facere.

XIII. Sed neque contextus bene expenditur. Nam primum, quis concedet Stapletono septem capita, septem montes, septem reges, vnum esse idemque? Imò distinxit disertè Ioannes montes à regibus: vtrosque quidem per montes significatos: at non tamen vtrosque eosdem, *septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet. Et reges quinque sunt.* Hoc est, hęc septem capita significant septem montes: & significant etiam septem reges. At horum regum quinque ceciderant: vnus erat, & alius nondum venerat. Ergo non erant illi quinque, non erat etiam ille qui nondum venerat. Et tamen super montes septem mulier illa sedebat. Quomodo autem poterat sedere super reges, qui non erant? Non igitur iidem montes, & reges: sed diuersi.

XIV. Hi autem montes reges, quinam sunt? Nimirum, Ægyptij, Chananæi, Chaldæi, Persæ,

Græci, Romani, Antichristus. Satis concinnè. Sed occlamat Rupertus, qui secundo loco non Chananæos ponit, verùm Regnum Israelitarum carnalium. Quid? quod ne sic quidem vniuersa illa impiorum ciuitas continetur? Nam Persæ etiam post Christum persecuti sunt Ecclesiam, eorumque florentissimum fuit regnum: at Stapletonus illos Persas dicit, quorum rex Darius, & Cyrus. Quid? quod omittitur omnium longè sæuissimum Turcarum regnum? vt prætermittam, Gottorum, Vandalorum, atque alia. Denique Aretas longè aliter numerat. Niniueo, Chaldæos, Persas, Medos, Macedonas, Romam, Constantinopolim.

XV. Itaque non interpretatur, sed eludit, qui vniuersam impiorum ciuitatem intelligit. Quid? qui Romam Ethnicam? Bellarminus quidem sic probat. Si Roma Christiana intelligitur, ergo iam tunc, id est, Ioannis tempore Romana Ecclesia degenerauerat. Etiam tunc regnabat Antichristus. At hoc falsum, ergo & illud. Præterea, si Roma Christiana tunc erat, Babylon: cur Tertullianus de Præscriptionibus dixit, *Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt.* Et Hieronymus libro secundo contra Iouinianum, *Ad te loquar* (Romam scilicet) *quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti.* Denique Ioannes testatur se loqui de Roma, quæ tenebat Imperium super reges terræ. Et quæ erat ebria de sanguine Sanctorum: & de sanguine Martyrum Iesu. At hæc non habent locum, nisi in ea Roma, quæ regnantibus Nerone & Domitiano, martyres trucidabat. Atque hoc argumentum latius exsequitur Sanderus: qui à Tertulliano, ob vrbis magnitudinem, Imperij superbiam, & Sanctorum sanguinem notat Romam dici Babylonem: has autem tres caussas, iam diu cessasse. Esse enim alias vrbes Roma maiores, vt Mediolanum, Lutetiam, Coloniam Agrippinæ, Constantinopolim, Cairum: & ab ea prorsus recessisse Imperium: desiisse etiam sanctos persequi.

XVI. At contrà. Primùm dicit Ioannes: *Decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges vna hora accipient vnà cum bestia.* At hoc de Roma Ethnica intelligi nequit: quia tantum abest, vt cum Imperio Romano alij reges regnum acceperint: vt contrà potius aliis regibus Imperium Romanum regna eripuerit. Itaque intelligitur de dissipatione Imperij Romani, cuius tempore Antichristus suam autoritatem exserturus erat. At hæc dissipatio accidit multis annis, imò seculis, post quàm Roma desiit esse Ethnica. Secundò, describit Ioannes capite decimo octauo, huius Babylonis excidium: & ita describit, vt non possit intelligi de Roma Ethnica, *Cecidit Babylon illa magna, & facta est domicilium dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi.* At primò Roma dum esset Ethnica, non est excisa: sed si excisa est, tum est excisa, quum facta est Christiana. Secundò, quum cessauit esse Ethnica, tum non est facta domicilium dæmoniorum: Sed potius Christianorum, atque Ecclesiæ.

XVII. Aduersariorum argumenti primi fallit consequentia. Primò, nondum erat Roma Christiana, quum Ioannes hæc scriberet, sed Ethnicæ Idololatriæ tenebris immersa. Deinde, etsi de Christiana loquatur, tamen non est necesse, statim quum facta est Christiana, factam esse etiam meretricem. Nam quis nescit Prophetas non scribere Chronologiam, quæ distinctè successus distribuat in secula, in annos, in menses? Ipse Ioannes testis: qui Babylonis interitum statim describit: & sic describit, non quasi futurum, sed quasi præsentem: qui tamen multis pòst seculis euenturus erat. Sufficit ergo, si dicamus, eam Romam, quæ primò Ethnica erat, deinde facta Christiana, tandem futuram sedem Antichristi, sub demum tempore reuelandi.

XVIII. In secundo; primò negamus ea Tertulliani verba esse de Roma specialiter: sunt enim de Ecclesia Christiana in vniuersum: quam ob eam caussam felicem pronunciat, quod in eam Apostoli effuderint totam doctrinam. Secundò, negamus Romam Christianam tunc temporis fuisse Babylonem, quum hæc Ioannes scriberet: sed futuram tum cùm Antichristus in ea sedem occupaturus esset. Itaque tam verè potuit Tertulliani tempore felix appellari (si tamen appellata est) quàm reliquæ Ecclesiæ, quibus Euangelium erat traditum. Potuit etiam dici delesse blasphemiam scriptam in fronte, Christum confitendo: quia, quamuis Ioannes non loquatur de blasphemia Ethnica, tamen ea erat blasphemia re vera: ac proinde potuit Hieronymus ad hunc locum alludere: etsi non propriè interpretari: Et sanè non prædixit Ioannes Romam deleturam eam blasphemiam, sed prorsus perituram in ea blasphemia.

XIX. Ad tertium, verum est Ioannem testari se loqui de ea Roma, quæ & magna vrbs esset, & imperaret reliquis, & persequeretur sanctos. Verùm non sunt illa omnia eodem modo intelligenda. Magnitudinem, & Imperium, oportet intelligi vt erant initio, id est, tum quum Ioannes prophetabat, quo discretius notaretur vrbs, nullaque esset ambiguitas: non verò vt erat futura tum, quum Antichristus in ea sedem occuparet. Nam capite præcedenti probatum est, ante reuelationem Antichristi, Imperium fuisse pessundandum. Itaque sensus est prophetiæ, eam ipsam vrbem, quæ tum temporis & maxima erat, & imperatrix, postquam & diminuta esset, & imperium amisisset, futuram sedem Antichristi. De persequutione Sanctorum alia ratio. Nam ea tribuitur mulieri sedenti super bestiam septicipitem, id est, super Romam septicollem. Hæc igitur persecutio ad Antichristum referenda: non ad Ethnicos Imperatores, Neronem, Domitianum, alios. Hanc autem notam etiam suam fecisse Romam Antichristianam, suo loco probabimus.

XX. Itaque nihil est, quod cogat intelligi Romam Ethnicam: aut non intelligi Romam Christianam, id est, hanc prophetiam exponendam de vrbe Roma, postquam eiurato Ethnicismo, professa est Christianitatem. Itaque Bellarminus aliam euadendi rimam quæsiuit. Etiamsi, inquit, illa mulier esset Roma Christiana, non tamen concludet argumentum. Nam Antichristus odio habebit Romam, eamque desolabit, & incendet. Ex quo manifestè sequitur non fore eius sedem. Et probat ex ipso Ioanne, qui prædicit, decem Reges, qui sibi diuident Imperium Romanum, & quibus regnantibus veniet Antichristus, odio habituros purpuratam meretricem, & eam desolatam facturos, atque etiam igne crematuros.

XXI. Imò Bellarminus suo more, id maximè asse-

mèasserit, quod maximè est falsum: Nusquam enim constat Antichristum odio habiturum vrbem Romam. Truncat autem manifestè prophetiam Ioannis: sed & peruertit. Hæc ita habet, *Decem autem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt: sed potestatem tanquam reges vna hora accipient cum bestia. Hi vnum consilium habent, & vires ac potestatem suam bestiæ tradent. Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet eos: quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum: & qui cum eo sunt vocati, & electi, & fideles. Deinde dixit mihi: Aquæ, quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & turbæ, & gentes: & linguæ. Et decem cornua, quæ vidisti in bestia, hi odio persequentur meretricem, & solam reddent illam, & nudam, & carnes eius comedent, & ipsam igne exurent: Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum est ei, & vt consentiant, dénque regnum suum bestiæ, donec compleantur verba Dei.*

XXII. Hic ille locus est, in quem vide quàm fœdè peccet Bellarminus. Primò Antichristo tribuit odium illud. At Ioannes decem regibus. Secundò, odium illud dicit futurum in Romam: at Ioannes in meretricem, quæ insidebat bestiæ, id est, Romæ. Tertiò, si pro eodem sumit meretricem & Romam: vt ad finem capitis, confundit tempora: quæ Ioannes diligenter distinguit. Nam reges illos docet, primò quidem non habituros odio bestiam, sed potius tradituros vires ac potestatem suam: adeo quidem, vt Scioppius vno contextu legendum putet: μετὰ τοῦ θηρίου ὥραν μίαν [illegible] *Illi cum bestia, vnum habent consilium.* Deinde rursus docet eosdem persequuturos meretricem. Quis non videt distinguenda esse tempora? Sed vt vt sit, illud perspicuum, Antichristum, id est, Meretricem illam, non esse ex numero decem illorum regum, id est, cornuum. Itaque Ioannes oon prædixit, Antichristum igni exusturum Romam.

Cap. IV.

De Templo Dei.

I. ACtum de sede Antichristi ex Ioanne: Nūc ex Paolo: nam ita distinximus. Paulus ergo posterioris ad Thessalonicenses secundo, disertè ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ ὡς Θεὸν καθίσαι, *adeo vt in templo Dei tanquam Deus sedeat.* Per Templnm autem Dei, Ecclesiam intelligi dicimus. Dicit & Paulus secondo ad Ephesios, *In quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, vt sit templum sanctum Domino.* Et prioris ad Corinthios tertio, *An nescitis vos esse templum Dei? Nam templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Facilis ergo explicatio.

II. Sic Patres iotellexerunt in eum locum commentantes. Chrysostomus. καθεδεῖται εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ, οὐ τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐκκλησίας, *Sedebit in templo Dei, non quod est Hierosolymis: sed in templo Ecclesiæ:* vel ad verbum, *Sed & in Ecclesiis.* Nam etiam Græcè melius Oecumenius, ἀλλ᾽ εἰς τὰς ἐκκλησίας. Theophylactus, *Non in Hierosolymorum dumtaxat templo, sed in omnibus passim Ecclesiis, & Dei templis consessurus est ille.* Theodoretus, *Dei autem templum appellauit Ecclesias, in quibus primam sedem arripiet.* Ambrosius, *Vt in domo Domini, in sede sedeat Christi.* Primasius, *Vt in templo Dei sedeat: ostendens se, quod ipse sit Deus: id est, quod ipse sit Ecclesia: quale est si diceret, in templum Dei sedeat, ostendens quod ipse sit Dei templum.* Anselmus, *Et ita erigetur, vt sedeat, & se adorari iubeat in templo Dei, fortasse quod est in Hierusalem: Vel potius in templo Dei sedebit, id est, in mentibus Christianorum, quos seducet, qui fecerant templum Dei.* Caietanus, *Nec aliquod determinatum templum significatur: sed in quocunque templo Deo dicato, sedebit tanquam sibi dicato.* Hugo Heterianus de regressu animarum ab inferis capite vigesimo tertio, *Sedebit in templo Dei, in Ecclesia.*

III. Est ergo templum Dei Ecclesia: & ideò debuit sedere Antichristus: id est: vt loquitur Thomas, principari, & dominari: siue vt Theodoretus primam sedem arripere. Vt summa sit, Antichristum dominatiooem suam exserturum: non quemadmodum olim tyranni in Ecclesiam Dei, hoc est, contra eos qui fidem Dei profitebantur, ipsi interea in infidelitate perseuerantes: imò ob id ipsum Ecclesiam persequentes, quod infidelitatem profiterentur: sed potius in Ecclesia Dei: hoc est, intra Ecclesiam: vt non externum sit bellum, sed intestinum, ac quasi ciuile: quomodo omnes hæreses, quæ sic apostatabant à Christo, & orthodoxos insectabantur, vt tamen de Ecclesia ipsæ exisse nollent videri. Itaque autor operis imperfecti in Matthæum homilia quadragesima nona, *Antichristus venire speratur, & obtinere loca Ecclesiarum sancta sub specie Christi & multos fidelium desolare.*

IV. Iam verò hanc notam Romano Episcopo conuenire, quis dubitet? Nam & se ipse Christianum profitetur: imò suum corpus, appellat Ecclesiam Christianam, Catholicam, Apostolicam: adeo vt nullus vnquam titulus fuerit, veræ Ecclesiæ tam genuinus, atque, vt ita dicam, naturalis, quem sibi iste non arroget. Est quidem Tneca, Antichristus generali nomine, quia Christum in membris crudelissimè persequitur, eiusque doctrinam odit cane peius & angue. Sed hic Antichristus esse non potest: quia neque est Romæ: neque se Christianum dici vult. Erat olim etiam Nero Antichristus, eandem ob crudelitatem, idemque odiom: & Romæ sedebat: verùm non sedebat io Ecclesia: imò extorris erat ab ea. Itaque non potuit esse hic Antichristus. At Romano Pontifici vtrumque conuenit, & vt sit Romæ, & vt Christi fidem profiteatur: Ergo si reliquæ notæ similiter respondent, hunc oportet esse verum illum Antichristum.

V. Nam quid de dominatione dicam? Caput Ecclesiæ non eò pertinet? Non Episcopus Episcoporum? Non vniuersalis Episcopus? Non iudex summus omnium controuersiarum? Non regula fidei? Denique nonne asseritur esse de necessitate salutis omni creaturæ, vt ei subsit? Nonne ille ipse se sponsum dicit Ecclesiæ? Innocentius tertius sermone tertio in consecratione Pontificis, *Ergò qui habet sponsam sponsus est. Annon ego sponsus sum? Et quilibet vestrûm amicus sponsi? Vtique sponsus, quia habeo nobilem, diuitem & sublimem: decoram, castam, gratiosam, sacrosanctam Romanam Ecclesiam: quæ, disponente Deo, cunctorum fidelium mater est, & magistra.* Cum hac

mihi sacramentale coniugium: cum hac mihi commercium nuptiale.

VI. Quid hîc opponunt Sophistæ? Primò audiamus Bellarmini ineptias, præter controuersiam quidem: sed tamen ex huius argumenti occasione suo idolo delicias facientis. Nam etsi non admitto libenter, vt excurram à quæstione, tamen meretur festiuum Iesuitæ ingenium, vt ne omnino neglectum prætereatur. Statim verò redibimus ad id vnde digredimur. Antichristus, inquit, in Ecclesia Christi sedebit, eiusque Ecclesiæ princeps & caput habebitur, & in ea magistratum, & officia geret. Est autem Papa Romanus Antichristus: igitur Papa Romanus in vera Ecclesia Christi sedet. Hæc autem vna est: Igitur, quotquot ab Ecclesia quæ sub Papa est, alieni sunt, extra veram Ecclesiam Christi sunt.

VII. Θεοῦ τῆς ἀγχινοίας! Et placuit aliis etiam. Adeo vel è flamma victum petant. Ἀλλ' ἐγὼ πολλοὺς ἀκούσας, οἶδα θρίων τὸν ψόφον. Argumentum ita procedit. Sedes Antichristi est Ecclesia. At Ecclesia Romana est sedes Antichristi: ergo Ecclesia Romana est Ecclesia vera. At primò plus est in conclusione quàm in præmissis. Nam quum poneretur, Antichristum in Ecclesia Christi sedere, tum concluditur, Papam Romanum in vera Ecclesia Christi sedere. Etsi autem reapse nulla sit Ecclesia Christi, non vera Ecclesia: tamen ita vsus inualuit, vt etiam falsæ quædam dicantur Ecclesiæ Christi, hæreticorum puta, quæ id sibi nominis vendicant.

VIII. Deinde fallacia est compositionis. Nam sedes Antichristi est Ecclesia, in sensu composito falsò dicitur: non enim potest esse simul sedes Antichristi, & Ecclesia Christi: sed in sensu diuiso, verum est: quæ enim fuit olim Ecclesia Christi: postea facta est sedes Antichristi. Quomodo apud Prophetam: Esaiæ primo, *Quomodo fuit meretrix ciuitas fidelis?* Coniunge, vt eadem sit eodem tempore meretrix, & ciuitas fidelis: absurdum. Disiunge, vt quæ olim fuit fidelis, tandem euaserit meretrix: certum. Sic cæci vident: muti loquuntur: surdi audiunt: & similia multa. Eudæmono Ioannes libro primo contra Abbatum, *Ex ipsis Apostoli verbis satis colligi posse* ait, *non ideo vocari templum, vel Ecclesiam, quia tunc diuino cultui deseruiat: sed quia templum id quod erat à Deo dicatum, ad prophanos ipse vsus conuertet: Si enim sacrilegus ille sedebit in templo Dei, ostendens seipsum quasi sit Deus profectò à diuina religione ad prophanos ipse vsus conuertet.*

IX. Fatemur igitur Ecclesiam Romanam, olim fuisse veram Ecclesiam Christi: vt ab initio, quum eius fidem Paulus laudabat annuntiatam toto mundo: & deinceps, aliquot seculis, quum & veram doctrinam retinebat: & hæreses impugnabat: & martyres etiam dabat. Ac tum temporis, negamus fuisse sedem Antichristi: Felicem si eum statum retinuisset. Sed non retinuit: quin potius ita se corrumpi passa est, vt de pristina illa integritate seruauerit, ferme nihil: adeo & mores indignos Christianitate assumpsit, & doctrinam alienam à veritate Christiana induxit. Ac tum factam agnoscimus Antichristi sedem: sed desiisse esse Ecclesiam Christi: nisi Ecclesiam dicas ὁμωνύμως. Quanquam hanc ita mutationem factam dicimus: vt non omnino omnem Ecclesiæ faciem exuerit, aut deleerit: quod accidit Turciæ: sic enim non sederet Antichristus in Ecclesia: sed seruata agnoscimus, quædam vestigia: & quasi rudera dirutæ Ecclesiæ, cuiusmodi est ipsum nomen: & professio externa: & si quid est præterea. Vt rectè Caluinus dixerit, *Quemadmodum ita sæpe diruuntur ædificia, vt fundamenta & ruinæ maneant: ita non est passus Deus Ecclesiam suam ab Antichristo, vel à fundamento subuerti, vel solo æquari, sed ab ipsa quoque vastatione semirutum ædificium esse voluit,* Quarto Institutionis capite secundo, paragrapho vndecimo.

X. Sic retusum acumen: nisi aciem reficeret. Si Ecclesiæ Christi solum ruinæ supersunt (inquit) igitur Christi ruit Ecclesia: & mentita est veritas, quæ dixit, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Præterea: si ruit Ecclesia, & ruinas eius, ac fundamentum, quinetiam ædificium ipsum semirutum Papistæ tenent: igitur Lutherani, & Caluinistæ nullam Ecclesiam habent.

XI. Respondeo ad primum: Ecclesiam Christi ruere, scilicet αἰεὶ τινας: id est, particulares Ecclesias: vt iam olim Ephesinam, Alexandrinam Corinthiam, Constantinopolitanam: denique Romanam. Quod si aliàs fuit incertum, hæc saltem controuersia debuit certum efficere. Quid enim? nónne certum est, Antichristum venturum fuisse? Nónne & Apostasiam prædixit Paulus? Itaque quod Christus dixit, portas inferorum non præualituras, non potest eum habere sensum, vt de statu exteriori Ecclesiæ nihil vnquam diminuatur. Nam & ipse Christus testatur se, cùm veniet, vix fidem inuenturum. Non perit quidem Ecclesia ἀληθῶς, vnquam: sed ea tamen incidunt tempora, quum periisse videtur: atque adeo certis quibusdam locis prorsus perit: vt nihilominus sua constet promissioni diuinæ veritas. Ad secundum. Papistæ ruinas Ecclesiæ tenent suis locis: at Catholici integram Ecclesiam: quæ non locis, non personis æstimatur: sed fidei, sacramentorumque sinceritate. Hanc qui habent, illi totam Ecclesiam possident: reliqui tantùm laruam. Sed hæc quæstio aliàs suum proprium locum sortietur.

XII. Ad rem ipsam veniamus. Primò igitur Bellarminus negat in Scriptura Noui Testamenti per Templum Dei vnquam intelligi Ecclesias Christianorum: imò quod maius est, etiam Patres Græcos & Latinos per aliquot secula, vnquam, Ecclesias Christianorum templa appellasse, id est, ναοὺς: sed vel οἴκους, vel basilicas, vel martyria.

XIII. Verùm hic puerilis lusus est, non seria solutio. Ecclesias nominat Iesuita, cum vulgo, locos ipsos manu factos, in quibus conueniunt suæ religionis exercendæ gratia, quæ propriè templa dici solebant: quo sensu Ecclesiam in Nouo Testamento nominatam, nunquam inuenias. At argumentum nostrum, non de his agit Ecclesiis, sed intelligit ipsum σύστημα hominum, quod sese profitetur esse Ecclesiam Dei: siue ij in vnum locum sint congregati: siue per suas singuli domos dispersi. At hoc sensu Templum Dei in Scripturis nominari Ecclesiam, probatum est. Eodem sensu & domus Dei nominatur: nam phrasis est mutuata à Veteri Ecclesia, quæ suum templum appellabat בית יהוה

domum

Domum Dei: neque aliud erat nomen. Itaque illud prioris ad Timotheum tertio, *in domo Dei conuersari*, perinde est, quasi in templo Dei, id est, Ecclesia, non loco aliquo siue magno siue paruo: sed inter homines, qui profitentur se Deum ritè colere.

XIV. Sed rursus. Quasi verò (inquit Saluiano, disputatione secunda in posteriorem ad Thessalonicenses) quisquis in Ecclesia Dei sedet, sit templum Dei. Ergo etiam Apostoli, & Patres Veteris Testamenti, Antichristi forent, quia super Cathedras Ecclesiarum sederunt, & non extra Ecclesiam. Et Stapletonus. Non magis sequitur, Papam esse Antichristum, quia in Ecclesia sedet, & sibi suisque Ecclesiæ nomen vendicat, quàm vel Caluinistas, vel Lutheranos, vel quamuis aliam sectam, imò quàm quamlibet veram Christi Ecclesiam esse Antichristum. Hoc enim omnis Ecclesia, tam vera quam falsa sibi vendicat, se & omnes sibi communicantes, esse veram Ecclesiam.

XV. Respondeo: primò de Ecclesia vera, id dici non posse: non enim Ecclesia Dei vera, sedet in Ecclesia Dei: quod non dicatur, nisi absurdè: oportet enim diuersum esse id quod sedet, ab eo in quo sedet. Secundò, fatemur hanc consequentiam: Sedet in templo Dei, ergo est Antichristus, non esse necessariam. Nec verò ea nos vtimur: qui primo capite protestati sumus, vnicum nobis in hac concludenda controuersia argumentum esse, ab omnibus Antichristi notis simul sumptis: vt fit, quoties non exacta definitio cuiuspiam rei datur, sed earum prolixa descriptio instituitur sigillatim. Ergo de singulis notis agimus tantùm, vt per partes probemus assumptionem, quæ asserebat Pontificem Oecumenicum capere omnes notas Antichristi. Itaque non id in respondendo satagere debent aduersarij, vt doceant inde non sequi primam præcipuamque conclusionem, sed vt ostendant singulas notas seorsim & per se, non competere suo Oecumenico.

Cap. V.

De Doctrina Antichristi.

I. ACtum de tempore aduentus Antichristi. Actum item de eiusdem sede, id est, primò de loco, vbi suam sedem fixurus erat: deinde de Ecclesia, à qua se discedere nolet putari. Nunc ad reliquas progrediendum notas, quæ eundem propius describunt. Has refero, doctrinam, docendi rationem, vitam, autoritatem.

II. Et quod ad doctrinam quidem pertinet, vocatur à Paulo ὁ ἀντικείμενος, *is qui opponit se*: quæ vis est nominis ἀντίχριστος. Quod si Christo aduersatur tum sanè oportet ei doctrinam esse aduersam Christi doctrinæ: aliàs enim, hoc est, si in doctrina cum Christo consentiret, aduersarius esse non posset. Propterea & Ioannes Antichristos notabat à doctrina, secundo capite primæ, *Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Hic est Antichristus, negans Patrem & Filium.* Et quarto, *Quicunque Spiritus non confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est. Et hic est ille spiritus Antichristi, de quo audistis, eum venturum fuisse, & iam in mundo esse.* Sed & veteres ob eam caussam, hæreses appellarunt exercitum Antichristi. Rursus Ioannes Apocalypsos duodecimo, *Vidi aliam bestiam ascendentem è terra, habentem cornua duo similia agni: sed loquebatur vt Draco*: id est, inquit Haimo: *sicut olim diabolus per serpentem mala persuasione loquutus est mulieri, per quam decepit virum: ita & isti sua praua doctrina omnes quoscunque possunt, seducunt, & à fide Christi separant.*

III. Paulus etiam, *nisi venerit Apostasia prius.* Atque hanc Apostasiam sunt quidem qui de defectione interpretarentur ab Imperio Romano: vt Ambrosius, Hieronymus, Tertullianus. Verùm alij & quidem plures de defectione à fide. Chrysostomus, αὐτὸν καλεῖ τὴν ἀποστασίαν, ὡς πολλοὺς μέλλοντα ἀπολλύναι καὶ ἀφιστᾶν, ὥστε, φησὶ, σκανδαλισθῆναι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς, *Defectionem illum vocat: quia multos perditurus erat, & ad defectionem inducturus: adeo vt scandalizentur, inquit, si fieri posset, etiam electi.* Similiter Oecumenius, ἀποστασίαν αὐτὸν λέγει τὸν ἀντίχριστον, ὡς ἀφιστᾶν μέλλοντα πολλοὺς ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ ἀποστασίαν αὐτὴν τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀναχώρησιν, *Apostasiam ipsum antichristum vocat, vt pote qui multos à Christo abducturus esset: siue, illam ipsam à Deo secessionem.* Nec aliter Theophylactus. Et Theodoretus, *Defectionem ipsum vocauit Antichristum à re ipsa ei nomine imposito: conatur enim à veritate abducere, & efficere, vt deficiant.* Augustinus de Ciuitate Dei, libro vigesimo, capite decimo nono, *Quem refugam vocat: vtique à Domino Deo.* Et alij recentiores. Atque hoc quidem verisimilius: sic enim Paulus solet vti eo vocabulo: tertio ad Hebræos: ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ζῶντος, *Deficiendo à Deo viuo.* Et disertiùs prioris ad Timotheum quarto, *Spiritus disertè dicit, quia in nouissimis temporibus ἀποστήσονται discedent quidam à fide.*

IV. Verùm disputant nonnulli: vtrum Apostasiam intelligant ipsum Antichristum: an verò quid ab eo distinctum: nempe, vt & à Deo Apostasiam futuram Paulus dicatur prædixisse: & insuper ipsum Antichristum. Et sanè vtrumque sensum verba Apostoli admittunt. Potest enim vel esse ἓν διὰ δυοῖν, vt loquuntur Scholæ: vel etiam singula membra distinctum quid, imò diuersum significare. Et mihi quidem verisimilius videatur hoc posterius, si quid ab euentu possumus iudicare. Non Latina tantùm Ecclesia discessit à puritate fidei Christianæ: sed etiam Græca, atque Orientalis, defecit, quæ tamen Romano Episcopo non subiicitur. Itaque, si sit hic Antichristus, tum oportet, Apostasiam illam, futuram ante aduentum Christi, latiùs patere, quàm Antichristi regnum. Verùm nullus hic scrupulus est non facilis. Constat enim Antichristum futurum apostatam, siue, vt loquitur Augustinus, refugam, id est, propositurum doctrinam alienam à doctrina Christi: propositurum autem non quomodo Ethnicus proponit, aut Turca, sed quomodo qui prius Christiani, ab ea fide desciscentes docent, vel amplectuntur contrariam, quæ vera est apostasia:

V. Et tamen, quia Apostasiam simpliciter Paulus nominauit, quod quidem multo plus est, quàm si apostatam dixisset: ideo non tantùm falsam doctrinam intelligimus: sed etiam σύστημα quoddam doctrinæ, quod ὅλον sumptum contrarium sit fidei: hoc est, non quemadmodum veteribus accidit hæreticis: qui ipsi quidam Antichristi fuere, à quibus quædam tantùm fidei capita peruertebantur: vt ab Arianis ὁμοούσιον, à Samosatenis Trinitas: ab Eutychianis, dualitas naturarum Christi, à Nestorianis vnitas personæ: sed longè aliter: vt si non omnia, certè longè plurima, eaque præcipua fidei capita euertantur.

VI. Verùm, ne id quidem satis. Rectè enim Veteres notant, Apostasiam appellari, quia non ipse tantum discedet à fide: sed etiam multos secum ab eadem abducet. Quod Ioannes significauit capite decimo tertio, *Et seducit incolas terræ.* Et decimoseptimo, *Cum qua scortati sunt reges terræ. Et cuius scortationis vino inebriati sunt incolæ terræ.* Rursus, *Habens poculum aureum in manu sua plenum abominationibus, & immunditia scortationis suæ. Et in fronte sua scriptum Mysterium, Babylon magna, mater scortationum, & abominationum terræ.*

VII. Hæc igitur omnia oportet inueniri in eo quem Antichristi nomine dignum asseremus. & si absunt à Romano Pontifice, caussam nullam dicimus: quo minus blasphemi simus, qui eum Antichristum vocitemus: Enimuerò, de regibus, & incolis terræ, nemo, opinor, mouebit litem. Nam hoc iampridem orbi persuasum, subiici debere Episcopo omnem animam de salutis necessitate. Atque adeo hoc vno suam Catholicitatem Papistæ metiuntur, scilicet multitudine populorum. Bellarminus de Ecclesia militante libro quarto, capite septimo, *Nostro tempore Ecclesia Romana præter Italiam & Hispaniam totam, præter Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Bohemiam, Hungariam, Græciam, Syriam, Aethiopiam, Aegyptum, in quibus multi inueniuntur Catholici, in ipso nouo orbe habet Ecclesias sine admistione hæreticorum, in omnibus quatuor partibus mundi, ad Orientem in Indis, ad Occidentē in America, ad Septentrionem in Iaponia: ad Meridiem in Brasilia, & exteriore parte Africæ.* Vide Posnanienses de Ecclesia, thesi vigesima quarta. Panigarollam Disceptatione tertia: & alios multos. Erit igitur, non tantum Papa Apostata: sed etiam Papismus Apostasia, si hoc quantumcumque est regum populorumque ei adhærentium, abductum est à fide Christi.

VIII. Hoc igitur restat probandum, nimirum discessisse à fide Christi: &, quanquam hoc operæ pretium sit vniuersi huius nostri operis, quo disputantur omnes controuersiæ, quas habent Catholici cum Papistis: meritoque possim lectores eò ablegare: vt taceam tot viros magnos, ac, tum pietate, tum doctrina insignes, qui suis laudatissimis laboribus nobis facem prætulerunt: à quibus, si non sunt detectæ, demonstratæque Romanistarum hæreses: tum certè nihil est, quod vnquam cuiquam possit videri demonstratum. Tamen Synopsin hic quandam iuuat lectoribus obiicere, omnium capitum, in quibus sigillatim Scripturas violauit audacia Papistarum. Probationes verò petet diligens lector ex singularum controuersiarum tractatione.

IX. Primus est locus communis de Canone Fidei: in quo non est vna Papistarum hæresis: primò Scripturam negant esse ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ κανόνα ἁπάντων, id est, *certam, exactamque regulam omnium*, quæ ad Religionem pertinent. Secundò, Ecclesiam regulare Scripturas, non regulari à Scripturis: id est, Ecclesiam esse normam fidei. Tertiò, Papam esse summum iudicem omnium controuersiarum. Quartò, negant Scripturis autoritatem vllam esse, quoad nos, nisi precariam, gratisque concessam ab Ecclesia. Quintò, Ecclesiam posse nouos libros in canonem adscribere contendunt. Sextò, quosdam non canonicos ab inimo addunt ad Canonem. Septimò, Scripturarum Canonem imperfectum esse, & continere minimam partem veritatis diuinitus reuelatæ. Octauò, traditiones, id est, dogmata fidei, quæ nullum habent in Scripturis fundamentum, æqua fide amplectendas cum Scriptura; parémque cum ea autoritatem obtinere. Nonò, Scripturas plebi proponendas, vt legat, & meditetur, neque necessarium, neque consentaneum, neque vtile: imò verò periculosum esse & noxium. Decimò, Scripturas in vulgares linguas conuerti, vnam esse hæreseon originem, quique id faciant, malè mereri de Religione Christiana. Vndecimò, negant editionem Hebræam, Veteris Testamenti, & Græcam Noui, esse authenticam. Duodecimò, Græcam editionem Septuaginta Interpretum: & Latinam Hieronymi, esse volunt authenticam. Decimotertiò, Scripturæ simul plures esse sensus, in iisdem verbis. Decimoquartò, Scripturas esse obscurissimas. Decimoquintò non esse omnium fidelium Scripturas interpretari, id est, Scripturarum sensum inquirere. Decimosextò, non esse certam Scripturæ interpretationem petendam è Scriptura.

X. Secundus communis locus est de Deo, tum trino, tum incarnato. Hîc Papistæ, negant primò Filium, & Spiritum Sanctum esse Deum αὐτόθεον. Secundò, Dei vllam esse in operibus malis ἐνέργειαν. Tertiò, omnium rerum prouidentiam, certissimam esse atque immotam. Quartò, prædestinationem esse actum voluntatis diuinæ. Quintò, vllos esse prædestinatos ad damnationem. Sextò, animam Christi creuisse sapientia apud Deum & homines. Septimò, Christi animam vllos pro nobis cruciatus passam, nisi ex compassione sui corporis. Octauò, Christum esse mediatorem, quatenus est Deus incarnatus. Nonò, esse solum mediatorem. Decimò, esse solum caput Ecclesiæ. Vndecimò, solum Deum esse adorandum: & non tantùm δουλείαν religiosam, sed etiam λατρείαν communicant quibusdam creaturis.

XI. Tertius locus communis de Homine. Hîc negant primò, quicquid est contra legem Dei esse peccatum. Secundò, Concupiscentiam esse peccatum. Tertiò, omnia peccata esse per se mortalia. Quartò, virginem Mariam fuisse peccatricem. Quintò, Liberum hominis arbitrium in vtramque partem asserunt æquè propendere. Sextò, Vitam æternam, meritis operum retribui. Septimò, non iustificari hominem sola fide. Octauò,

Octauo; fidem aliquam esse implicitam, id est, quæ nesciat quid credat. Nono, fidem negant esse certam assensionem. Decimo; asserunt satisfieri posse pro peccatis, tum propriis meritis, tum alienis suffragiis. Vndecimo; posse ab homine regenito hic posito, totam legem Dei impleri. Duodecimo; posse etiam præstare opera supererogatoria, id est, quæ per Legem facere non teneatur. Decimo tertio; post hanc vitam non statim ingredi omnes redemptos in vitam æternam; sed multo tempore cruciari in Purgatorio. Decimo quarto; olim Patres, ne plenè quidem purgatos, admissos in Paradisum post mortem; sed inclusos in Limbo. Decimo quinto; Fidelium filios morientes ante Baptismum, non posse saluari, & detrudi in nescio quem locum, cui Limbo nomen datum.

XII. Quartus locus communis est, de Sacramentis. Hic primo; Sacramentis affingunt opus operatum. Secundo; Veteri Sacramenta inania salutis; vtpote tantùm promittentia iactant. Tertio; Sacramentorum numerum augent, sua propria autoritate, additis quinque. Quarto; Baptismum faciunt absolutè necessarium ad salutem. Quinto; Baptizandi autoritatem, non viris tantùm quibuslibet, sed etiam fœminis concedunt, in casu, vt aiunt, necessitatis. Sexto; Baptismum infinitis ceremoniarum nugis onerarunt. Septimo; Baptismi effectum hunc docent, vt non tantùm remittantur peccata, sed etiam omnino nihil relinquat in homine, quod rationem peccati habeat. Octauo; Eucharistię ne nomen quidem relinquunt, quo significata est in Scriptura, nempe Cœna Domini. Nono; signa auferunt ex Eucharistia, scilicet panem, & vinum. Decimo; Corpus Christi, realiter in infinitis locis constituunt. Vndecimo; in Corpus Christi transsubstantiari docent panem & vinum. Duodecimo; alterius speciei vsum Laicis eripiunt. Decimotertio; fingunt speciem panis esse communionem Sanguinis Christi, & calicem esse communionem Corporis: contra Paulum. Decimo quarto; communionem in Eucharistia celebranda, vt plurimùm omittunt: quia solus Sacerdos oblata deglubit, reliquis tantùm spectantibus. Decimo quinto; Sacramentum considerant etiam extra verum propriúmque vsum, ad quem fuit institutum. Decimo sexto; Sacramentum adorant. Decimo septimo; Corpus Christi oraliter, corporaliter, sensualiter comedi putant, & sanguinem bibi. Decimo octauo; eam communionem Corporis Christi quæ fit in Eucharistia, momentaneam faciunt, & metiuntur ea bonitate stomachi; cuius calore speciebus corruptis, dissolui censent. Decimo nono; Corpus & Sanguinem Christi, non à fidelibus tantùm, sed etiam ab infidelibus, & hypocritis; imò etiam à brutis, comedi pertendunt. Vigesimo; damnari aliquos, qui realiter communicarint Christo. Vigesimo primo; Missam ex opere operato esse Sacrificium pro peccatis. Vigesimo secundo; Missam celebrari pro mortuis.

XIII. Quintus locus de Ecclesia. Primo; Ecclesiam Catholicam, semper esse visibilem. Secundo; eius notas non esse Verbum, & Sacramenta. Tertio; Ecclesiam Catholicam, esse Romanam, ab eáque reliquas ἀπερρωγυίας. Quarto; Ecclesiam visibilem non posse errare. Quinto; Ecclesiæ autoritatem certiorem esse autoritate Scripturæ. Hæc in genere: iam de partibus Ecclesiæ, nempe Laicis, & Clericis. Hic igitur Sexto docent Matrimonium esse opus carnis, & qui in carne sunt, non posse placere Deo. Septimo; ob adulterium, non solui coniugium. Octauo; Clericos saltem maiorum ordinum magis peccare contrahentes matrimonium, quàm scortantes. Nono; Clericos non subesse autoritati Politicæ. Decimo; non esse eundem Episcopum & Presbyterum. Vndecimo; Electionem Ministrorum non pertinere ad plebem. Duodecimo; Electionem Episcoporum pendere à Romano Pontifice. Decimo tertio, ob fornicationem neminem deponendum. Decimo quarto; Reges non regnare, nisi ex voluntate Romani Episcopi. Decimo quinto, ius esse Romano Episcopo dare, auferre, transferre Regna. Decimo sexto; Christianos posse variis nominibus distingui, separarique in varias variarum religionum professiones. Decimo septimo; eas professiones esse statum perfectionis. Iam de exercitiis pietatis. Decimo octauo; Exercitia publica, facienda lingua incognita, putà vel Hebræa, vel Græca, vel Latina: non autem aliqua vulgo cognita. Decimo nono; etiam exercitia priuata, sic fieri sanctius. Vigesimo; ieiunia esse opera meritoria. Vigesimo primo; non quouis cibo, quouis tempore vtendum, propter Religionem. Vigesimo secundo; Festa multa ritè dicari Sanctis. Vigesimo tertio; Templa etiam iisdem religiosè consecrari. Vigesimo quarto; eosdem ritè, non tantùm laudari, sed etiam inuocari.

XIV. Viden' errorum quanta sit strues? Et tamen, non sum particulatim omnes esse quutus. Nam de quinque commentitiis Sacramentis, nihil dixi: nihil de variis idololatriæ capitibus: nihil de Votis: nihil de Conciliis: nihil de Suffragiis: nihil de variis articulis pertinentibus ad Papæ autoritatem. Denique, multa prætermisi: quæ si Deus dederit, poterunt in hac Controuersiarum Bibliotheca tractari: & tamen vides, quantus factus sit cumulus. Nunquam tantus in vlla hæresi: & hæreses tamen omnes ab Ecclesia pronunciarunt æstores antiqui. Quid hodie dicamus de Papismo? Hoc sanè possumus bona conscientia pronunciare, in tota Christiana fide; vix quicquam esse sani, apud Papistas. Non quod omnia in vniuersum sic improbemus; vt quæcunque ab iis docentur, repudiemus: quod peruersè factum à Trinitariis, & aliis fortè nonnullis. Sed quod exiguus sit numerus eorum dogmatum, quæ non sunt peruersa: & quòd hæc ipsa mirum in modum obscurata sint variis strophis, figmentisque.

XV. Et quidem illud in primis notandum, quod non tantùm de dogmatis peruersa tradant: sed etiam de ipso dogmatum Canone, magnam litem moueant. Quò fit, vt desperatissima sit eorum salus. Nam, quemadmodum vix est, vt de vita hominis desperetur, dum vitales, nobilésque partes sanæ sunt: sic, si de principiis veris constet, haud temerè speremus, eos, qui aberrarunt, in viam reducendos. At quod ad Papistas attinet; nisi omnia sciremus Deum posse, etiam quæ ne homo quidem potest cogitare; vix

ſpem vllam de iis habeamus. Nam & hodie ita ſuos inſtituunt Ieſuitæ, vt quum primùm Scripturarum autoritate cum eis agis, ſtatim obiiciant; Et qui ſcis illam Scripturam eſſe Verbum Dei? Quam vocem ab Ethnico ore profectam, nemo miretur: etſi exhorreat. Nam Ethnici olim Chriſtianis negotium faceſſerunt, cogentes idipſum probare. Sed à Chriſtianis quis vnquam audiuit? Non alius profectò, quàm qui à Mathematicis ſuorum αἰτημάτων inficiationem: aut, κατὰ τῶν ἀρχῶν impugnationem.

XVI. Secundò obſeruandum, impugnatis primùm principiis, deinceps vix vllam eſſe partem Eccleſiaſticæ doctrinæ, quam non aggrediantur; vt qui ſemel verecundiæ fines transgreſſus eſt, eum aiunt nauiter oportere eſſe impudentem. Trinitatis quidem locum hactenus eum eſſe, qui magis quàm reliqui, ſanus manſerit. Ac ſanè nullam nobis quidem initio cum Papiſtis hac de re putabamus rixam futuram: & Lorichius Ieſuita, in Fortalitio fidei, quum de Deo egit: *Omiſſa*, inquit, *hæreſi Trinitariorum nouorum, & iam olim à toto orbe Chriſtiano damnata, & profligata; cæteri horum temporum hæretici, nullam hæreſim contra fidem Chriſtianam de vnitate, & Trinitate Dei, & quæ eò pertinent, apertè profitentur.* Sed primùm Sanctesius, inde Genebrardus, poſtea Ieſuitæ plurimi; tum Feuardentius, aliique ſine numero, περὶ τοῦ αὐτοθέου tragœdias, mirum quantas, excitarunt: & dum in Caluino omnia rodere ſatagunt; ſe ipſos produnt nouos hæreticos; qui negent, eam eſſentiam, quâ Filius eſt (non perſona, ſed Deus) eſſe à ſeipſa: qua in re à Caluino nihil peccatum Bellarminus ingenuè agnoſcit; niſi fortè quoad modum loquendi.

XVII. Sed reliquæ deinceps Chriſtianitatis partes omnes, quà plus, quà minus, infectæ ſunt. Non hominis corruptio illis non iuſtuſtata: non peccatum probè cognitum. Non inſtauratio, redemptióque non variis fucis illita: non media, quibus ea fit illibata: non denique, aut de mercede fidei, aut de pœnis peccatorum, quicquam eſt ſani. Quid? quod ne diſciplina quidem, aut ſingulorum fidelium priuatim, aut Eccleſiæ conſertim, non aut corrupta eſt; aut pedibus conculcata? Romam olim Romæ neſcio quis quærebat: certè & Chriſtianitatem in media Chriſtianitate vix quiſquam poterat agnoſcere: donec poſt tenebras, lucem Deus ſuam immiſit in orbem.

XVIII. Itaque, quod ad doctrinam quidem attinet, nihil ſanè eſt cauſſæ, quominus Epiſcopus Romanus agnoſcatur ipſiſſimus Antichriſtus. Neque eſt, quod opponatur; præter pertinaciam illam, qua fit, vt ſingula capita tueantur eſſe Catholica, & Orthodoxa: qui labor, vt dixi, perpetuus eſt huic noſtræ Bibliothecæ, præterquam quòd alij iam ſunt eo laudatiſſimè defuncti.

Cap. VI.

Rationes Papiſtarum, contra Apoſtaſiam.

I. Nihil hîc habebamus ab aduerſariis: niſi Ferrarius impotens ſui, à nobis abiſſet expectaturus Dei iudicium. Is igitur variis pugnat argumentis, nullo modo prætermittendis. Et primò, nos queritur hanc Apoſtaſiam ipſi Eccleſiæ imputare: cùm tamen, & Scriptura, & Patres hanc in iis futuram deſcribant, qui deſerturi eſſent Eccleſiam, & diſceſſuri ab eius communione. Sed ille, nil niſi nugatur. Eccleſiam enim, quo ſenſu nominat? An formaliter, an verò materialiter? Nam ſi formaliter, ille verò vbi animum habuit, cùm diceret nos Eccleſiam accuſare defectionis? Nunquam nos adeò mens bona deſeruit: vt, cùm Apoſtaſiam ſciamus eſſe diſceſſionem ab Eccleſia, ipſam Eccleſiam dicamus à ſe ipſa diſceſſiſſe: quod ne Corœbus quidem caperet.

II. Sin autem Eccleſiam intelligit materialiter; tum verò hunc Sophiſtam negem apud ſe fuiſſe. Neque enim cogitari poteſt vlla Apoſtaſia, niſi Eccleſiæ materialiter nominatæ: id eſt, eorum qui erant Eccleſia: ſiue potius, dicebantur Eccleſia: quomodo negari non poteſt Eccleſias Orientis apoſtataſſe a fide. Et falſum eſt, aut à Patribus, aut à Scriptura, vllum fuiſſe contra dictum ſcriptúmve Verbum. Nos igitur hoc ſenſu dicimus diſceſſionem factam, vt quæ Chriſtianitas dicebatur, imò etiamnum dicitur, & dicitur Eccleſia, diſceſſerit à fide: vt in Græcia adhuc Eccleſiæ dicuntur, & Chriſtiani, qui tamen à fide dicuntur receſſiſſe: quanquam longè propinquius, quàm in Latio. Et hoc oppugnare Ferrarius debuit, aut tacere.

III. Sed diſputat ille, Romanenſes non eſſe reos huius Apoſtaſiæ: nouem argumentis. Horum primum eſt: Antichriſti Apoſtaſia ſupprimet omnes alias: & ſubiiciet ſibi conuerſum orbem: neque poſt eam vlla excitanda eſt alia: & erit omnium deterrima. At nihil dum tale factum eſt. Ergo, neque Antichriſtus venit: neque Papiſtica Eccleſia rea eſt Apoſtaſiæ Antichriſti. Probat maiorem per partes. Primam: quia omnes hæreſes fuere præludia eius Apoſtaſiæ. Secundam; quia vniuerſum orbem ſibi Antichriſtus ſubiecturus eſt, & inebriaturus populos vino ſuæ ſcortationis. Tertiam: quia hæc perſecutio Eccleſiæ poſtrema eſt futura. Quartam: tum quia hoc iniquitatis myſterium conſtet ex omnibus hæreſibus, aduerſus diuinam, humanámque Chriſti naturam: ipſam etiam Dei naturam, præcipuáque Euangelij fundamenta: tum, quia ipſam Apoſtaſiam oporteat eſſe ipſo illo myſterio deteriorem: propterea quòd malum in peius abeat inſtar carcinomatis.

IV. Probat minorem, tum quia multæ ſint hæreſes, etiam hodie, Arianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Iudæorum, Mahometanorum: neque vlla omnium nomen extinxerit. Tum quia ſi Papiſmus eſſet Apoſtaſia Antichriſti: Ergo Papiſtica fides eſſet omnium deterrima, quæ vnquam fuerint.

V. Reſpondeo, in maiori eſſe quędam ambigua, quædam falſa. Primo ſupprimendas alias hęreſes, quo ſenſu dixit? Hæreſes ne lato nomine, pro

sectis in genere quibuslibet: an hęreses pro ijs quę Christianitatis nomen retinent? Deinde supprimi, an absolutè, vt omnino alię non exstent? an comparatè, vt, etsi exstent, tamen pręut vna sint exigui momenti? Nam, hęreses si dixit prima notione; negamus maiorem: aut quicquam esse prædictum, vnde constet Antichristo regnante, nihil aut futurum in vniuerso orbe dissentiens ab eo: aut etiam non conferendum. Nam quod subiicit, hæreses fuisse Antichristi præludia: de hæresibus dictum fuit secunda notione: non autem de omnibus omnino opinionibus hominum circa religionem. Sin autem hæreses hac secunda notione intelligat, & supprimi, pro non extare, rursus negamus maiorem: fuerint sanè hæreses præludia Antichristi: sed, Antichristo regnante non debere propterea extare, nulla necessitate argumenti conficitur. Nam & Papistæ agnoscunt in Oriente varias hæreses Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum fuisse Mahumetismi præludia: & tamen has ipsas Ferrarius agnoscit etiamnum extare, cum Mahumetismo. Quòd si supprimendas dicat comparatè; etsi ne hîc quidem vlla sit necessitas, tamen à nobis potest admitti: & sanè verum est, præ Papismi Apostasia, alias omnes hæreses, quæ retineant Christianitatis nomen, esse pene nihili, ac vix numerari. Itaque, nullum hinc impedimentum, quominùs Papa sit Antichristus.

VI. Antichristum sibi subiecturum vniuersum orbem, nos negamus esse prædictum: sed sessurum in templo Dei: vnde sequitur, futurum, vt non porrigat se latiùs, quàm Christianitatis nomen pateat. Concedimus inebriaturum populos vino suo: sed omnes, non dicit Scriptura. Vt autem inebriet populos, satis est, dum multos. Et ita factum constat. Vt ne hinc quidem vllum sit argumento nostro obstaculum.

VII. Post Antichristi hæresin, nullam aliam excitandam, non dixit Scriptura. Quanquam id dupliciter intelligi queat. Nempe post Antichristum; id est, post destructum Antichristum. Et hoc possimus concedere: quia ea destructio futura sit sub finem mundi: ideóque, nondum impleta: vnde nihil ad rem. Vel post Antichristum, id est, post excitatam eius hæresin, siue Apostasiam. Et hoc nos negamus vnquā prędictum. Nam quod constat, futuram Antichristi persecutionem postremam, aliud est longè: non enim omnes hæreses persequuntur Ecclesiam. Quia persecutio significat vim externam, & tyrannidem, non autem ... mendacij. Deinde, etiamsi persequerentur, nihil obstaret, dummodò ne post desitam Antichristi tyrannidem. Nam, si antequàm Antichristus desinat persequi, illæ cessarent; etiamsi antea essent persequutæ: tamen Antichristi persequutio non minus esset postrema.

VIII. Futuram Antichristi Apostasiam omnium deterrimam, non dixit Scriptura: sed tantùm iis descripsit notis; quibus describi potest quæcunque deterrima. Itaque, etsi concedatur Turcismus esse non minus detestandus; tamen, non propterea Papa desinet esse Antichristus. Neque verum, fore vt constet Antichristianismus ex omnibus hæresibus. Qui enim possit, quum hæ tollant se mutuò? Itaque, satis si quibusdam, si multis. Et ita factum: nam & præcipua Euangelij fundamenta dicimus convulsa in Papismo; & probamus toto hoc opere satis prolixè.

IX. Ad minoris confirmationem, eámque partem quæ ponit multas hæreses extare, aut nullam omnium aliarum nomen extinxisse: non est necesse nouum quid opponere. Sed in reliquis festiuus est ille sanè; qui, quod opponit tanquam absurdum, nullo argumento probet esse absurdum. Quid enim? an ille putauit tam certum esse, quàm meridie solem lucere, Papismum non esse deterrimam Apostasiam? Aut si credidit, ambiguum, imò si sciuit asseri; cur tam nullus hac parte? Placeat ille sibi in sua Apostasia: at non si ei ira mentem excæcauit, alij propterea sunt talpæ.

X. Secundum Argumentum, puerilis est declamatio. Si Papismus est Apostasia Antichristi: Ergo, nullum erat Verbi ministerium, nulla administratio Sacramentorum: nulla Pastorum legitima vocatio.

XI. Sed Catholici negant consequentiam. Et sciunt posse illa omnia extare in media hæresi, & inter Apostatas. Quod si nostri negare recipiunt Apostatæ, cur Ferrarius, aut eius Mecœnas Iacobus Dauius, nunc Cardinalis, non renunciarunt Baptismo apud nos (quos iste disputat Apostasiam fecisse) accepto; & non iusserunt se denuò tingi? Illi viderint. Author operis imperfecti, in Matthæum homilia quadragesima nona. *Omnia hæc, quæ sunt propriè Christi in veritate, habent & hæreses illa in schismate: similiter Ecclesias, similiter & ipsas Scripturas diuinas: similiter Episcopos, cæterósque ordines Clericorum: similiter Baptismum: similiter Eucharistiam, & cætera omnia: denique, ipsum Christum.*

XII. Tertium Argumentum. Eius Apostasiæ, vel autor est Papa, vel non est. Si prius, ergo Papæ autoritas eadem quæ nunc est, fuit ante annos mille ducentos, in Ecclesiam Catholicam vniuersam, supra Patriarchas, & Concilia, vniuersúmque orbem: hoc probatur ex eo, quòd effecerit, vt omnes suam doctrinam admitterent contra quàm aduersarij disputent. Rursus, si Papa eius Apostasiæ est autor: illa igitur non est Antichristi. Ratio consequentiæ, quia non fuerit eo prior, contra quàm aduersarij censeant. Quòd si non sit ab eo, sed à priscis seculis, & à Communione vniuersæ Ecclesiæ ad Orientem, Occidentem, & Meridiem. Ergo, esset hæc Apostasia Ecclesiæ priscæ, non Ecclesię Romanę.

XIII. Respondeo, ridiculum esse dilemma, cuius pars vna quęstioni sit inutilis: non enim concludit Papam non esse Antichristum: sed duntaxat eius autoritatem esse à multo tempore. Secundò, huius ipsius partis consequentia est inepta: nec ratio sanet: quia potuit alijs artibus orbem pellicere, non autoritate: quomodo Ariana hæresis longè latéque peruagata est. Quanquam ne illud quidem verum: effecisse, vt omnes admitterent suam doctrinam: sed tantùm qui ad Occidentem: ac ne illi quidem omnes. Secunda consequentia est etiam importuna. Nam quid illud est quęso? Si non fuit prior Antichristo Apostasia, Ergo non futuram Antichristi? Imò hoc magis illius futura esset, si esset posterior, & ab eo autore.

XIV. Sed nos, primò, distinguimus ipsam Apostasiam, ab Apostasię dogmatibus. Et hęc oportere negamus omnia ab eo esse: sed posse ab alijs inuenta ab eo assumi in vsus suos: quomodo

Mahometes assumpsisse dicitur à variis sectis ante se, varia placita: & vius esse pro suis. Et ita agnoscunt quicunque Antichristi fuisse prælu- dia dicunt hæreses varias: siue, vt loquitur Ferrarius, recepisse in se Antichristum omnes hæreses, quomodo Oceanum omnia flumina. Deinde, Apostasiam concipimus, ipsam discessionem, iam, vt aiunt, formatam: & Antichristi dicimus esse, quomodo regnum est regis: nempe, quòd is ei præsideat suo summo iure: siue ille instituerit, siue aliunde acceperit. Neque aliter Scriptura describit Antichristum. Itaque, nullam caussam esse, quominus Papæ Romani hanc esse dicamus Apostasiam, cui illum præsidere scimus, & videmus, tanquam suæ: & adeò suæ, vt suo de nomine non indignetur appellari: nam & Romanam vocat Ecclesiam: nec Papistas inuitus audit.

XV. Sed omnino ridiculè illud: *Si non fit ab Episcopo Romano Apostasia: sed à priscis seculis, & à communione vniuersæ Ecclesiæ.* Quasi verò hæc *ἀμέσως* opponerentur: adeò vt necesse sit, Si non sit à Papa, esse à priscis seculis; esse à communione vniuersæ Ecclesiæ. At verò hæc nos negamus, & dicimus posse neutrum, posse optime constare. Videlicet & discessiones erant ante Papæ tyrannidem formatam; quibus abusus est: & non erant tamen à priscis seculis: minimè autem omnium à communione vniuersæ Ecclesiæ.

XVI. Quartum Argumentum: Si hæc Apostasia iam accidisset, & pertinetet ad Ecclesiam Romanam. Ergo Ecclesia Catholica iam duodecim secula nulla fuisset. At hoc absurdum. Ergo & illud. Probatur consequentia: quia dicitur hæc Apostasia esse vniuersalis à Caluino, Beza, Piscatore, Vignieto, Iacobo Rege Britanniæ, Molinęo, & aliis. Probatur assumptum, autoritate Melanchthonis; Confessionis Heluelicæ, Anglicæ, Belgicæ, Augustanæ, Saxonicæ, Virtembergensis.

XVII. Respondeo, negari consequentiam. Re vera enim constat, & pro Atticulo fidei tenendum, Ecclesiam Catholicam nunquam interitte. Hoc enim nomen, Ecclesiam significat formaliter, hoc est, qua Ecclesia est; vt prolixius dicturi sumus suo loco, si Deus nos eò vsque peruenire concesserit. At Ecclesiam perire, alterutrum significat, vel esse aliquando, cùm nullos habeat Deus electos: vel cùm hi electi fiant reprobi. At, vtrumque est impossibile, propter certitudinem diuinæ electionis, & misericordiæ.

XVIII. Ad probationem consequentiæ; Vniuersalem dici Apostasiam, non absolutè, sed comparatè: nimirum, vt innuatur dissimilis reliquis Apostasiis, quæ inuaserunt membra quædam sigillatim, hac illac: cùm hæc totum ipsum corpus tentet: non in Oriente tantùm, sed simul in Occidente, & Meridie: etsi alioquin sui remaneant Deo electi, & certi, & cogniti. Hoc autem modo non sequitur ipsam Ecclesiam Catholicam extinctam iri: sed tantùm particulares, quæ pertinebant ad Ecclesiam Catholicam; id est, eos homines, ex quibus constabant Ecclesiæ Christianæ. Itaque, Caluinus, cuius nomine ille abutitur disertè, *Apostasiam vocat Paulus, perfidam à Deo defectionem: nec eam vnius hominis, vel paucorum; sed qua longè, latéque in maiori hominum multitudine grassetur: nam cùm Apostasia sine adiectione nominatur, non potest restringi ad paucos. Iam non alij possunt intelligi Apostatæ, quàm qui prius nomen Christo, & Euangelio dederunt. Prædicit ergo Paulus generalem quandam visibilis Ecclesiæ defectionem.* Neque est reliquorum ioens alia.

XIX. Quintum Argumentum: Papa non est Caput Turcarum: Ergo nihil ad eum hæc Apostasia Antichristi. Probatur consequentia. Quia ea dicitur Apostasia vniuersalis: at talis esse non potest, nisi Turcas sub se comprehendat. Ratio: Quia Paulus vnam Apostasiam nominat, non duas: & talem cui nihil sit oppositum, præter Ecclesiam Catholicam.

XX. Respondeo; negari consequentiam. Quia Turcismus non pertineat ad Apostasiā Antichristi: propterea quòd Mahumetes, id est, Ecclesia, titulos atq; argumenta Diuinæ præsentiæ iactante, non sedeat in Templo Dei; quod disertè de Antichristo pronuntiatur. De vniuersali Apostasia, quod obiicitur, satisfactum est. De oppositione nihil difficilius. Opposita dicuntur, vel tanquam vera falsis: vel tanquam falsa falsis. Si primo sensu; asserimus nihil esse oppositum Papismo, præter Ecclesiam Catholicam; in qua sola veritas est doctrinę. Si secundo: negamus vnquam prædictum, nihil futurum Antichristo oppositum, præter Ecclesiam Catholicam.

XXI. Sextum Argumentum: Si facta esset Apostasia Antichristi. Ergo constaret eius initium, At non constat. Ergo non est facta. Probatur assumptum; quia alij aliud tempus assignant. Nam Caluinus & Beza, Antichristum personaliter iam extitisse volunt Apostolorum tempore: alij, cœpisse sub Constantino Magno: Lutherus, post annum ab incarnatione millesimum: alij accessunt ab anno sexcentesimo sexagesimo sexto. Probatur consequentia. Quia necesse est ostendi aliquam in mundo tum fuisse Ecclesiam.

XXII. Respondeo, negari consequentiam. Non est enim verum, ea non extare, quorum indicare certum initium nemo potest hominum. Et indicari solet, earum rerum, quę ab ipso sui initio manifestè produnt se: at, quę paulatim emergunt; eorum non solent primordia esse in numerato. Sic linguarum mutationem omnes agnoscimus; qui tamen non possumus notare, exempli gratia, quando primum degenerauit lingua Latina in Italicam hodiernam. Einsmodi sunt exempla infinita. Iam verò Antichristi primordia obscura, & incognita, describit Scriptura: tum vocabulo mysterij, & quidem, quod iam tum peragererur Apostolorum tempore: tum emblemate exigui cornu crescentis inter reliqua cornua. Sic olim Esaias, capite primo, clamabat, *Quomodo facta est meretrix Ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicida.* Sic Sodomitarum, & Gomorręorum describit Moses vltimum gradum nequitię, tacuit initia. Neque opus est omnia conquiri. Itaque extremę est importunitatis, ne impudentiam dicam, nolle præsentia agnoscere, quia præterita non omnia habeantur cognita. Omnino hæc erat Ethnicorum plerorum-

plerorumque ratiocinatio ; nullum fuisse mundo initium: quia primum eius diem nemo poterat assignare.

XXIII. De Caluino & Beza manifestarium mendacium est: nam illi nunquam docuerunt personaliter Antichristum extitisse Apostolorum tempore: Sciebant enim illi & explicabant; quid illud esset, quod mysterij nomine Paulus significabat. Reliquos item falsum assignare voluisse tempus apostasiæ:sed tantùm reuelati Antichristi: quod ab Apostasiæ tempore manifestè Spiritus discreuit. Hanc igitur manifestationem varij variè designarunt, prout varij variè obseruarunt authoritates, & dominationis progressus. Quomodo Gallicum regnum, sunt qui à Pharamundo repetant: sunt qui arcessant altius: nec tamen cuiquam dictum, ob eam initij incertitudinem, nullam esse Gallorum monarchiam.

XXIV. Sed oportuit, inquit, demonstrari tum fuisse aliquam Ecclesiam. Ridiculè: tum fuisse, inquit: non simpliciter fuisse, sed tum fuisse. Atqui hoc non potest ; quin demonstretur ipsum illud tum cùm cœpit apostasia. Itaque hoc ipsum negamus. Et quomodo ad agnoscendam Italicæ linguæ corruptionem, sufficit docere ante hanc quæ in vsu est fuisse aliam longè diuersam. Et quomodo Esras satis habuit dicere in ciuitate sancta olim fuisse iustitiam; post autem latrones, vt ostenderet immanem esse mutationem factam. Ita omnino sufficit comparare hodierna Papismi tempora, temporibus priscæ Christianitatis ; vt demonstratio sit firmissima, magnam factam esse apostasiam; nec vlla arte excusandam.

XXV. Septimum Argumentum. Apostasia Antichristi, nec desinet ante aduentum Christi: & à suis initiis crescet semper adusque mundi finem; tum futurum, cùm ipsa vigebit maximè. At qui Papam dicunt esse Antichristum; docent ab aduentu Lutheri esse confectum; non est igitur Papismus Apostasia Antichristi.

XXVI. Respondeo, implicari quæ distinguenda sunt. Pauli verba sunt, *Quem Dominus conficiet Spiritu oris sui: & illustri suo aduentu abolebit.* Duo vides distincta: conficere, & abolere: & istud assignatum illustri aduentui. Itaque, sensus est, Antichristi ruinam futuram quidem sub finem mundi : sed per gradus: non autem vno momento. Prius ergo conficiendum Spiritu oris, id est, prædicatione verbi, cuius efficacia sit lethaliter vulnerandus: sed denique prorsus abolendum, vltimo illo aduentu. Itaque nos credimus tyrannidi papisticæ finem postremum nullum futurum ante postremum diem. Vnde concepta verba articuli Gallicæ confessionis; *Expectamúsque, dum Dominus, prout promisit, ac iam cœpit, conficiens eum Spiritu oris sui, tandem illustri aduentu suo aboleat.* Quæ non potuit ignorare Ferrarius.

XXVII. Itaque, conceditur Argumenti pars prior, non desituram ante aduentum Christi apostasiam: nam minui, non est desinere. Etsi ergo à tempore Lutheri valde imminuta tyrannis est Romani Pontificis: tamen non eo minus est Antichristus. Altera autem negatur. Nam qui conficiendus est antequàm abolendus, & abolendus ipso illo aduentu: non poterit tum maximè vigere, cùm erit aduentus ille. Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ.

XXVIII. Octauum Argumentum. Antichristi Apostasia erit omnimoda defectio à fide, abnegatio publica Christianismi, atque alterius cuiuslibet religionis, excepta illa ipsa Antichristi. At eiusmodi abnegatio nulla est in Papismo. Ergo neque Antichristi Apostasia. Probatur maior: quia extollet se super omne quod dicitur Deus, & numen: præ se feret esse se Deum: posterioris ad Thessal. secundo, negabit Patrem, negabit filium venisse in carnem, primæ Ioannis secundo : profitebitur se esse Christum, negabit Dominum, Matthæi vigesimo quarto. Probatur minor: tum quià nunquam Papistæ negarunt Patrem ; nunquam negarunt Christum venisse in carnem : nunquam negarunt verum Deum; nunquam Dominum. Tum quia ipsi qui discesserunt à papismo, fatentur in eo esse reliquias & rudera Ecclesiæ: tum denique consentiunt olim illustrem fuisse, pietate & doctrina, Ecclesiam Romanam Augustini tempore, teste Vigniero. Atqui nihil illa nunc credit, quòd tum non crederet: quod quidem absolutè sit ad salutem necessarium.

XXIX. Negatur maior. Contrà enim Antichristus non prædicitur ita, vt abolere debeat, aut omnem religionem excepta sua : aut etiam nomen Christianæ: imò contrà, sessurus in templo Dei, id est, Ecclesia Christiana : in media ergo Ecclesia Christiana exerciturus tyrannidem suam ; eóque nomine fucaturus detestandam suam apostasiam. Probationes quid possint examinabimus, libro proximo. Nihil igitur mirum, si nec Papistæ Patrem negant, aut Filium : & nostri agnoscunt esse in medio Papatu reliquias Ecclesiæ.

XXX. Postremum Argumentum. Si Apostasia illa iam accidisset, ergo defecisset Ecclesia Catholica. At hæc nunquam debet deficere. Ergo nondum illa venit Apostasia. Probatur assumptum, quia prædictum est regnum Christi æternum.

XXXI. Respondeo, ineptissimum esse Argumentum. Debuit enim concludi: Si Apostasia illa aliquando futura esset; ergo deficeret Ecclesia : at Ecclesia nunquam deficiet, quia est regnum æternum. Ergo Apostasia illa nunquam est futura. Patet consequentia: quia nunquam deficere, non magis excludit præteritum, quàm futurum. Et qui mundum tuentur esse æternum; non tantùm negant habuisse initium, sed etiam finem. Atqui conclusio est impia; quia contra disertam Scripturam: quæ certò prædixit illam Apostasiam futuram. Oportet igitur propositionis consequentiam non esse necessariam. Nos ergo concedimus Ecclesiam Catholicam nunquam defuisse, nunquam esse defuturam. Sed negamus, æquè tamen Apostasiam nondum venisse, vel nunquam venturam. Nam hæc æternitas non magis præteritæ defectioni opponitur, quàm futuræ. Quid igitur? Nempe non tum deficit Ecclesia Catholica, cùm videtur defecisse: quia, *Nouit Dominus qui sunt sui.* Apostasia autem non ipsius est Ecclesię: sed eorum qui videbantur in ea esse.

XXXII. Imò, inquit, Ecclesia æterna intelligitur ea, in qua sunt peccatores. Et probat ex posterioris Samuelis, capite septimo, *Stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum: Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium : qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. misericordiam autem meam non auferam ab eo.*

XXXIII. Imò, quis vnquam hominem vidit tam nullius cerebri? Nam quis negat peccatores pertinere ad Ecclesiam Catholicam? Nisi fortè solos Angelos, aut spiritus beatos eo comprehendat nomine. Sed nos non nescimus, quoscunque fideles

dum sunt in via, esse peccatores: & tamen pertinere ad Ecclesiam Catholicam. Sed nihil ad argumentum: neque enim peccatores omnes sunt Apostatæ: etsi omnes Apostatæ sint peccatores.

CAP. VII.

De mysterio iniquitatis.

I. Eiusmodi ergo est doctrina Antichristi: eiusmodi doctrina Papæ. Nunc, eam doctrinam docendi, rationem geminam Scriptura indicat. Primam Paulus; alteram Ioannes. Paulus, *Iam peragitur mysterium iniquitatis.* Et pòst, *Cuius aduentus est ex efficacia Satanæ, cum omni potentia, & signis, ac prodigiis mendacibus: & cum omni fraude iniustitiæ, in iis qui pereunt: pro eo quòd amorem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio.* Vbi tria notanda: & quod iam tunc peragi dicatur mysterium iniquitatis: & quod de fraude iniustitiæ dicitur ac efficacia deceptionis: & denique, quod de potentia, signis, ac prodigiis.

II. Quod attinet ad primum: mysterium quidem esse rem arcanam, quæque non percipiatur ab omnibus, conceditur. Sed quid Paulus intellexerit, quum dixit iam suo tempore ἐνεργεῖσθαι τὸ μυστήριον, gemina est sententia. Quidam sentiunt de Nerone dictum, qui typus esset Antichristi. Sic Chrysostomus: pòstque eum Theophylactus, Oecumenius: sed & Ambrosius, atque alij. Qui non videntur satis considerasse loci contextum. Nam vox ἐνεργεῖται, non videtur congruere typo: nam ἐνέργεια est vis certa operandi: non autem significandi: neque quæ significantur ventura, ea possunt dici ἐνεργεῖσθαι. Certè Syrus interpres reddidit, *Mysterium iniqui iam incipit efficax esse.* Turrianus pro Epistolis, libri quarti capite quinto, *fides*, δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, *id est*, inquit, *quæ per dilectionem viget, & exercetur, sicut corpus viget, & exercetur per animam.* Tum autem præcedit, *Quid obstet nostis, vt is suo tempore retegatur.* Et statim sequitur: *tantum qui nunc obstat, vsque dum è medio sublatus fuerit.* Quæ perinde sunt, ac si dicatur, iam tum quasi conari eum hominem perditionis erumpere in lucem: verùm detineri iis obstaculis. Itaque illud ἐνεργεῖται τὸ μυστήριον, non videtur aliò commodè referri posse, quàm ad eos conatus erumpendi in lucem. Et quidem confirmatur hac phrasi: *tantùm, vt qui tenet, teneat*: nam hæc tantùm non clamat, hoc vnum saltem obstare, quominus ij conatus erumpant. Quod omnino frigidum est, si τὸ μυστήριον typum intelligas. Nam etsi Antiochus ille Epiphanes, ab omnibus concedatur fuisse typus Antichristi: tamen non tantùm nemo dixit iam tum ἐνεργεῖσθαι τὸ μυστήριον: sed multò minus, vnum aliquid obstare, dum reuelaretur: quod multis pòst seculis demum erat futurum. Nam Caietani distractio legentis: *nam mysterium iam operatur iniquitatis tantùm: vt qui tenet, nunc teneat*: audacior est, quàm verisimilior: & vt in Latini interpretis contextu nonnihil habeat plausibile: tamen in Græco ferri nequit.

III. Ergo alij aliter sunt interpretati: *quòd ipse Antichristus* (inquit Gagnæus) *qui futurus est mysterium iniquitatis, iam operatur, &, vt Græci dicunt, ἐνεργεῖται, id est, vim suam profert, & exserit in sui similibus, & præcursoribus hæreticis, & seductoribus.* Olim Theodoretus, *Ego existimo Apostolum significare hæreses quæ exortæ sunt. Per illas enim multis à veritate abductis, præparat diabolus exitium deceptionis.* Hieronymus, si is autor est eorum commentariorum, *Mysterium operatur. In his qui falsis doctrinis eius, prauum faciunt iter: quos beatus Ioannes in mundum dicit exisse.* Sedulius, *Antichristus per sua membra agit: vt Ioannes dicit, Multi Antichristi facti sunt. In his ergo mysterium iniquitatis operatur, qui falsis doctrinis, eius peruium faciunt iter, quos beatus Ioannes in mundum dixit exisse.* Et hæc quidem expositio in ipso textu nihil habet prorsus, quod dissentiat; imò non aptè quadret. Et iam olim autor operis imperfecti in Matthæum, homilia quadragesima nona, dixit, *Exercitus Antichristi, sunt omnes hæreses.*

IV. Porrò hinc duæ notæ eliciuntur. Primò enim indicat Paulus, Antichristum non subitò aliunde emersurum tanquam fungum, sed paulatim promouendum; nec nisi post aliquot elapsa secula perficiendum: sic tamen, vt eius conficiatur negotium, etiamsi nondum existentis. Nam id haud aliter esse potest: quandoquidem iam suo tempore Paulus testetur eius mysterium peragi. Certè enim, tum nondum prodierat Antichristus, nec erat proditurus ante dissolutionem Imperij Romani: hæc autem dissolutio, quatuor pòst seculis demum cœpit, aut paulo pòst. Itaq; tanto tempore peractum est id mysteriũ.

V. Atque hæc nota in Mahumete (quem quidã pro Antichristo obtrudunt) nulla est. Nam venit ille quidem circa seculum sextum, aut septimum. Sed ita vt nullum eius mysterium præcessisse iam inde ab Apostolis dici queat: imò ne quidem ante cum natum anno proximo. At Romanæ Tyrannidis progressus, qui non obseruat in historia Ecclesiastica; hunc ego talpa cæciorem dixerim, & meritò. Docebo aliquot experimẽtis. Nam omnia complecti nimis longum foret: Et docti paucis erunt contenti: tum quia ipsi reliqua addent facile: tum quia hîc certaiu illud valet, *Et crimine ab vno disce omnes.* Agam de Imaginibus: de Communione vnius speciei: de autoritate Episcopi Romani: de Monachatu.

VI. Primo Christianæ Ecclesiæ seculo, de imaginibus merum silentium inter fideles: adeóque ne ipsi quidem Papistæ quicquam inde pro se citant: ne ex secundo quidem. Denique tertio, apud Tertullianum inuenerunt Pastoris effigiem portantis ouẽ errantem: sed in calice formatam. Hinc ad Constantinum desiliunt; à quo primùm crux facta; non tamẽ in templo vllo: sed in labaro: & galea. Pòst, Hieronymi tempore Epiphanius offendit alicubi velum pendens in Ecclesia, in quo erat hominis effigies: & discidit, vt indignum Christianitate. Non ita multo pòst, Paulinus Nolanus, suam Ecclesiam exornauit picturis historias repræsentantibus Veteris Testamenti. Augustinus meminit Apostolorum alicubi ad parietes depictorum. Deinceps ergo increbruit vsus: & quæri cœptum cui bono. Itaque, Gregorij seculo Serenus Massiliæ, cùm videret degeneratum in idololatriã, confregit imagines: quod non probauit Gregorius; qui retinendas dicebat, ad vsum historicum, non ad adorationem. Denique Nicæna Synodus secunda, non tãtùm retinendas, sed etiam adorandas definiuit: cui sese opposuit quidem Synodus magna, apud Occidentem Francofurti: sed frustra. Atque ita, qui primò nullus erat, paulatim irrepsit, inualuit, obtinuit vsus imaginum apud Christianos.

VII. Altera specie diminutam communionem Eucharistiæ, qui hodie vehementissimè tuentur; eius

eius initia quærunt hinc inde in leuissimis obscurissimisque vestigiis: Christum in Emaus, post panem distributum disparuisse obseruant. Paulum in naui tantùm panem edendum proposuisse. Nullum tamen, aut præceptum, aut publici cœtus exemplum habent: imò ne vllum quidem omnino: etiam in iis locis certum est nullam esse Eucharistiæ celebrationem. Et cõtrà disertissima præcepta sunt, tum apud Euangelistas, tum apud Paulum: luculentissima etiam exempla deinceps sequutæ Ecclesiæ. Itaque miserè quodlibet, vel tenuissimum indicium, quasi ex flamma rapiunt. E tertio seculo Serapioni datã Eucharistiæ particulã intinctam. Ex Cypriano, mulierẽ quandam Domini sanctum habentẽ in arca. Ex Basilio, Monachos communionem domi seruantes; & deficiente sacerdote à seipsis communicantes. Ex Ambrosio, Satyrum naufragum sudario Sacramentum inuoluentem. Ex Euagrio, pueros consumentes reliquias immaculati corporis. Et quædam similiter minuta singulis ætatibus quanta possunt curiositate, rimantur. Quæ etsi diminutæ cõmunionis essent exempla, tamen, tam pauca, tam priuata, nõ debuerunt opponi tam multis, tã publicis, quæ contrà, cõtinua, perpetua, solennisq; Ecclesia cõsuetudo suffecit. Et tamen ita factum nescio quomodo, vt tãdem Thomas Aquinas in sextum Ioannis notet, quũ olim omnes communicarent vtriq; speciei, suo tamẽ tempore paucas aliquot Ecclesias eum morem retinuisse. Denique, in Concilio Constantiensi, hæc diminutionis consuetudo dicta est laudabilis, & approbata; exinde facta solennis.

VIII. Autoritas Episcopi Romani, quàm tenuibus ab initiis profecta est? Certè, quum in Scriptura non pauci nominentur Ecclesiarum pastores; tamẽ huius mẽtio nulla est. Huius inquam, super quo, tãquam fundamento, totam volunt Ecclesiam inniti: nam Petrum quidem sępissimè audias nominatum, verùm semper Apostolum; nunquam Episcopum, multo minus Episcopum Romanum: multo minus Oecumenicum: deinceps tamen innotuit orbi Ecclesia Romana: innotuit eius etiam Episcopus: quomodo & aliarũ plurimarũ. Verũ delatũ ei non nihil honoris, siue ob dignitatẽ vrbis, siue ob virorũ sanctitatẽ. Mediocriter tamẽ; & vt aliis plurimis. Tandẽ cœpit inter Patriarchas numerari, quorum ne nomẽ quidẽ auditum ab initio: & inseruit se in eũdem numerum Constantinopolitanus. Exinde ambitiosa contentio miscuit omnia: eáq; tantum profectum; vt, qui prius reliquorum Episcoporum frater & collega audiebat, Episcopus Oecumenicus, Episcopus Episcoporum, Caput Ecclesiæ diceretur. Multum iam vides promotũ: sed tamen continebat se adhuc ambitio intra Ecclesiam: & erant Episcopi Romani subiecti autoritati Imperatoriæ. Sed & hoc tandem repagulum effractum; & qui se tantùm dicebat Episcopũ Episcoporum, nunc etiam ostentat regem regum; vsurpato vtroque gladio: & qui à Constantio audiuit, *nostram vrbem*, id est, Romanã, quam suã dicebat Imperator; postmodum hanc sibi totã arrogauit; & patienter audit à suis asseclis, non regnare reges, nisi quantum ipse permittit.

IX. Quid de Monachatu dicam? Circa tempora Constantini obseruantur Eremiticę vitę autores, Paulus, & hunc sequutus Antonius. Neque ante illa tempora Christiani Eremitarum nomẽ inaudierãt: inde paulatim auctus est ordo, in quẽ sese coniiciebant viri magni nominis. Is mos ad Orientem innatuit. In Occidentẽ verò, Benedictus primus induxit: inde sequutus Frãciscus, aliiq; innumeri: adeò vt tot ferè numeres istius superstitionis homines inter Christianos, quot alios. Imò factum, vt quũ olim & Eremitæ, & Monachi, diuersa tãtùm essent nomina; nũc sint ordines diuersi. Imò, qui Monachi saltẽ syluas incolerent; nũc vrbes opulẽtissimas impleãt. Et qui inter laicos numerabãtur; nũc tertiã partẽ Christianorũ faciãt; quę priùs erãt tãtùm duę Laicorũ, & Clericorũ. Denique, vt qui sibi viuebãt, abditi, & in otio; nũc pręcipua sint columina Ecclesię Romanę.

X. Quid si inquiam in Transubstantiationis historiam? Et Sacrificij pro viuis ac mortuis? Et inuocationis Sanctorum? Et operum meriti? Et Purgatorij? Et Indulgentiarum? Et Cœlibatus? Et multorum aliorum? Iliada cõficiam. Atque adeò ita est: Nemo repente fuit turpissimus. Non statim desilitur à bonis initiis ad malum finem: sed per gradus pedetentim descenditur. Non potuit Roma, cuius fidem laudauit Paulus, cui sine dubio tota erat tradita fidei doctrina; pauco annorum spatio in abyssum corruptionis præcipitari: sensim ergo deducenda fuit. Hinc mysterium. At non sic Ecclesia Christiana: Ecclesia, inquam, Catholica: quæ statim ab initio sua omnia dogmata habuit. Sibique hunc profectum optauit; qui verè profectus esset, non permutatio; vt Lyrinensis vtar verbis, *Crescat enim oportet, & multùm, vehementérque proficiat, tam singulorum, quàm omnium: tam vnius hominis, quàm totius Ecclesiæ ætatum, ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eadémque sententia. Christi enim Ecclesia sedula, & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit; non amputat necessaria; non apponit superflua: non amittit sua, non vsurpat aliena.* Enimverò, quis non ingentem permutationem factam videat dogmatum in Ecclesia Romana? Aut quis potest tueri idem dogma esse eorũ, qui omnibus calicem administrabant, æquè ac panem: eorùmque, qui calicem nulli laicorum? Certè (vt dixi) Thomas mutationem agnouit, in sextum Ioannis, lectione septima, *Secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem, omnes sicut communicabant corpori; ita communicabant & sanguini.* Quanto melius antiquatam dixisset, quàm antiquam? Nam, reuera, antiquata est apud Papistas. Quid Gregorius, qui tamen longè distabat ab initio; nónne probabat imagines non adorari? At deinceps disertè adorandas, definitum est. Ergo inquam, non profectus est, sed permutatio.

XI. Verùm nihil illustrius, insana illa infinitarum ceremoniarum congerie: quam à minimis initiis, in tantam molem excreuisse, ipsi credo mirantur, qui adorant. Augustinus, Epistola 118. & 119. testatur Deum leui iugo nos subdidisse, & sarcinæ leui: id est, voluisse religionem esse paucissimis, & manifestissimis celebrationum Sacramentis liberam: idque ipsum non benè conuenire cum ceremoniarum multitudine, ab Episcopis institutarum; quamuis non esset contra fidem. Hæ autem in Papatu, & quàm multiplices sint, & quanta cum seueritate exigantur: quis non videt? Certè, non tam iure de suo seculo conquerebatur Augustinus, quàm de suo possunt iampridem Papistæ: quia multa quæ in diuinis libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur: & tam multis præsumptionibus plena sunt omnia, vt grauius corripiatur, qui per quadragesimam laridum comederit: quàm qui mentem vinolentia

sepeliret. Historiam autem quicunque attigit, videt, non simul & semel omnes inuasisse Ecclesiam: sed variis autoribus, variis temporibus institutas. Et quidem Episcopos Romanos maximè in id incubuisse studium.

XII. Apostoli ieiuniorum leges nullas tradiderunt. Montanus posteà, *[illegible] ieiunij leges sanxit*, inquit Apollonius apud Eusebium, historiæ libro quinto, capite decimo septimo, sed Catholici libertatem suam conseruarunt aliquandiu. Irenæus apud Eusebium, libro quinto, capite vigesimo quinto, *Quidam vnum diem se ieiunare oportere existimant: alij duos: non pauci plures, multi quadraginta: atque diurnis, nocturnisque horis, numeratis omnibus, diem suum metiuntur, ac statuunt. Atque huiusmodi eorum qui hæc obseruabant ieiunia, varietas ac discrepantia, non iam nostra ætate cœpta est: verùm etiam longè antè, apud maiores nostros: qui, vt coniectura assequi licet, non accuratè consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel priuata autoritate aliquid in posterum tempus statuissent, obseruarunt.* Socrates, libro quinto, capite vigesimo primo, testis est, Romæ tres tantùm septimanas ante Pascha fuisse ieiunatum, & quidem exceptis Sabbatis, & Dominicis. Apud Illyricos, Græcos, & Alexandrinos, sex septimanas, alios septem. Hæc igitur, quum varia esset obseruatio, tandem effectum, vt quadraginta dies rati essent. Deinceps verò, ieiuniorum ratio neglecta est; inductáque carnium prohibitio: quam sic seruant hodie; quasi in ea consisteret totius Christianismi summa.

XIII. Ordinationem Episcoporum in Ecclesia præcedebat electio quæ fiebat à plebe; præsentibus clericis: tum consecratio per preces & impositionem manuum; vnde nomen χειροθεσία. Neque alias vllas ceremonias inuenire est multis post Apostolos seculis. At hanc Papistæ ita transformarunt; vt mimicam potius scenam agnoscas, quàm priscam ordinationem. Primò *Ecclesiarum Cathedralium, siue metropolitanarum, ac patriarchalium prouisiones* (verba sunt Pontificalis Romani) *ad sedem Apostolicam pleno iure pertinent*: Consecratio demandatur tribus Episcopis. Apparatus autem, duæ capellæ, variè ornatæ: mensa, quam credentiam appellant: mappa: candelabra: vasa ad manus abluẽdas: vrceolus: aspersorium: thuribulum: ampullæ cum vino & aqua: sandalia: amictus, Alba, cingulum, crux, pectoralis, stola: tunicellæ, dalmatica, chirothecæ: planeta: mitra auriphrygiata: anulus pontificalis; baculus pastoralis: manipulus: candelæ octolibrales: anulus cum gemma: pecten eburneus: panes duo magni: barilia vini duo: & quidem singuli panes, singuláque barilia deargentata, alia deaurata. Hæc omnia suos vsus habent singula: quos olim obseruatos; ne ipsi quidem credo monachi audacissimi dixerint. Sed quantum temporis in iis excogitandis, poliendis, ornandis, perficiendis, necesse fuit excurrere.

XIV. Benedictionum autem quantus quæso numerus est? Primarij lapidis pro Ecclesia ædificanda: salis, aquæ, cinerum, vini, cementi, altaris fixi, altaris portatilis; mapparum, vasorum, ornamentorum, cemeterij, patenæ, calicis, indumentorum sacerdotalium, corporalium, nouæ crucis, imaginum, vasculi pro Eucharistia conseruanda, capsarum pro reliquiis, campanæ, armorum, ensis, vexilli. Tempus me deficiat, si omnes enumerem, & omnes ab vno excogitatas, quis credat? & non potius à multis, & variis, non annis, sed seculis?

Cap. VIII.

De variis hæresibus Antichristo seruientibus.

I. Ergo ita pedetentim à minimis initiis, ad paulo maiores progressus: inde ad sui perfectionem prouectus est Antichristus: ita ex latente mysterio, factus reuelatus homo peccati. Verum ex iisdem Pauli verbis, aliam notam suggerunt veteres: quæ etsi leuis coniectura potuit videri: tamen neque contemnendam habuit verisimilitudinem: & ipso exitu, si non necessitatem, certè maiorem probabilitatem adepta est. Significant igitur Veteres, Antichristo inseruisse hæreses, iam tum ab initio irruentes in Ecclesiam: atque in iis illum vim suam exseruisse.

II. Potest autem id dupliciter intelligi. Primò, quia tam variæ, támque multiplices hæreses, orbem assuefecerunt admittendis, accipiendisque variis dogmatibus, etiam quę non erant ab initio Ecclesiæ proposita. Et ita ferè fit, vt diu crebróque instauratis quasi prælijs fatigatum ingenium, primo labascat; deinde sese postremis totum permittat: quasi ex obsistendi desperatione. Denique fieri amat, vt qui intentissimi sunt ad vim apertam propellendam, iidem minus cauti sint ad occultas proditiones. Itaque nihil mirum, si post tot, tantáque, támque aperta certamina, cum Gnosticis, Manichæis, Arrianis, Nestorianis, Eutychianis, Pelagianis, cæterísque hæreticis veteribus, latenter subrepens Antichristus vigiles & in statione positos milites fefellerit: ac tandem tota castra ceperit.

III. Secundò, quia etiam præteritas hæreses Antichristus vertit in suum commodum; ne repudiatis quidem eorum dogmatis, quantumlibet explosis. Vt enim impostores, eundem falsum nummum sæpius reponentes, tandem diribunt: sic & falsam doctrinam secundo, tertióve obtrudentes Sathanæ administri, efficiunt, vt ne à cunctis, vt ne semper reiiciatur. Et addunt artificia: Quæ enim nimis aperta absurditate terrent; eadem interpolata faciliùs fallunt.

IV. Hæc verò si aliqua est Antichristi nota: dicam audacter; aut nullum esse Antichristum, aut Episcopum Romanum eum esse. Nam prętérquàm quod in tanto dogmatum corpore, fieri aliter non potuit; res ipsa etiam docet, plurima esse retenta à veteribus hæreticis: quæ tum quidem, quum primum obtrusa sunt, suos aduersarios inuenerunt; sed vel senescente segnescentéque Ecclesiasticorum virorum zelo, profligari non potuerunt: vel si præiudicium veritatis effugere nequiuerunt, insederunt tamen: atque ita mutato paululum colore insinuauerunt sese. Denique desit fides dictis, si non & facta probent.

V. Imagines, vt dixi, primùm nullæ erant; paulo pòst Simon hæreticus, imò hæreticorum pater, suas obtrusit, suæque Helenæ, [illegible]: *Et adorabant eas, quæ ab eo erant seducti*; teste Epiphanio. Carpocratianos notant Irenæus, & Epiphanius, & Augustinus: [illegible] id est habuisse imagines

nec depictas coloribus : quosdam etiam ex auro & argento, aliaque materia : hasque effigies esse dicebant Iesu. His Marcellina addebat, Pauli, Homeri, Pythagoræ repræsentationes. Longo tempore coercitum est hoc principale crimen generis humani: Deinde susceptum sed ornamenti, historiæve gratia : protestabaturque Gregorius Magnus non esse adorandas. Sed Concilium Nicęnum secundum disertè proposuit, sanciuitque, adorandas. Ita claustra refracta, nec deinceps modus vllus. Nam, etsi strenuè contradiceret Synodus magna Francofurtensis, sub Carolo Magno; tamen eius erupit in neruum conatus denique. Quin, quæ religio adhuc erat Deum lineamentis effigiare; pulsa est tandem. Nam idipsum Papistæ permiserunt, vsurparunt. Iesuitæ etiam nuè fieri tuentur. Similes Armenis, quos Nicephorus, libro decimo octauo, capite quinquagesimo tertio, testatur imagines habuisse Patris, & Spiritus Sancti. Et Euthymius Panopliæ parte secunda, titulo vigesimo, Trinitans imaginem confecisse.

VI. Coniugium Manichæi damnabant : maximè in suis electis. Posteà Eustathius *ἐμέμφετο τὸν γάμον nuptias detrahebat, καὶ ὑπετίθετο ὅτι οὐδεὶς τῶν ἐν γάμῳ ὄντων ἐλπίδα παρὰ τῷ Θεῷ ἔχει, asserebátque neminem in coniugali statu spem habere apud Deum.* Coercuit hunc Gangrensis Synodus, damnauitque eos qui à Presbytero vxorato communionem sumere detrectarent. Et in Nicęno Concilio, paulò antè, nonnulli Sacerdotibus interdictum volebant vsum vxorum : seuerè à Paphnutio reprehensi; cuius autoritate mota Synodus, nullum voluit laqueum conscientiis inicere. Res fuit nihilominus variè variisque agitata iudiciis, his permittentibus: aliis inhibentibus. Tandem Siricij Romani furor inclinauit in deteriorem partem : exindéque factum, Pontificum Romanorum æmulatione; vt ne ea quidem libertas remaneret Sacerdotibus Latinis, quæ Græcis, vt saltem vterentur matrimonio ante Clericatum contracto : nimirum, vt species appareat Electorum, apud Manichæos.

VII. Multa perperam Manichæi de cibis nugabantur. Eustathiani *[illegible], Comedentem carnes damnabant* : eique ob eam caussam à Gangrensi Concilio dictum anathema. Notum enim erat Pauli præceptum, iubentis edere quod in macello venditur, absque vlla inquisitione, conscientiæ quidem caussa. Paulatim tamen corrupta sinceritas est : & quamuis non simpliciter damnatum sit vllum cibi genus, tamen tanta superstitione illaqueatus est populus Christianus, vt qui sexta feria, aut Sabbatho, (quanquam de Sabbatho nonnihil vsus remisit) aut tota quadragesima carnes ederit, hæreticissimus appelletur. Quin etiam Carthusiani in perpetuum sibi earum vsu interdixerunt. Ergo Eustathianorum hæresis viget interpolata. Sed & qui Minimi dicuntur, instar Manichæorum, vitant esum omnium animantium, etiam piscium, arborum fructibus vescentes, & leguminibus, oleribúsque, ac lacte.

VIII. Meritis bonorum operum iustificari hominem, statim ab initio docuerunt nonnulli: aduersus quos serió Paulus stylum strinxit: Epistolis, tum ad Romanos, tum ad Galatas. Hanc hæresin Papistæ recoctam, interpolatámque, obtrudunt. Etsi enim solam iustificationis caussam in iis non constituunt; tamen volunt necessariò esse aliquam caussam : vt verè dici possit, hominem sibi suis meritis acquirere vitam æternam. Nec hoc tantùm : sed etiam pro aliis mereri : id est, tantum esse in sanctis bonorum operum aceruum, vt non sibi tantùm habeant, quo saluari possint; sed etiam, quod aliorum defectus supplere possit.

IX. Cultum Angelorum *καὶ τὴν ἀγγέλων θρησκείαν* damnabat Paulus, secundo capite Epistolæ ad Colossenses. Posteà tamen multi hæretici eos mundi conditores asseruerunt; itaque, sine dubio adorarunt. Et Laodicena Synodus necesse habuit ea de re canonem condere. At, Papistæ etiam Catholicis imputant errori, quòd Angelorum adorationem prohibent. Esto igitur hęc interpolatio; quum ablata Angelis creatione, adoratio est relicta.

X. Nec leuiter exagitauit eos Paulus, qui Corinthi vsum introducebant incognitæ linguæ. Ac deinceps Ecclesia, Syris Syriacè, Græcis Græcè, Latinis Latinè, aliis aliter celebrandum Dei cultum tradidit. Nonnulli tantùm è Gnosticorum numero, barbaras voces vsurparunt, quasi *μυστικωτέρας*. Hinc Abraxas, & Caulaucan, & Ialdabaot, & alia nonnulla. At Papistæ nullum habent officium publicum, quod non conficiatur lingua plebi incognita.

XI. De liberi arbitrij facultatibus, quis nescit Pelagianorum Tragœdias? Primò, simpliciter vrgebant solis illius viribus posse quemlibet hominem sibi parare salutem; posse etiam sanctum esse, ac carere peccato. Sed à Catholicis, cùm euinceretur, gratiam Dei esse necessariam : hoc ipsum concessere, sed fraudulenter: gratiam enim intelligebant ipsam naturam, quam sic homini Deus gratis contulerat. Sed obstiterunt Patres, & gratiam docuerunt intelligi debere, eam vim Spiritus Sancti, quam à Deo gratis accipiunt fideles, vt conuersi ab infidelitate, & credant, & agant benè. Concesserunt & hîc nonnihil : sed generalem quandam gratiam semel datam. At Patres per singulos actus dari gratiam docuerunt. Quid Papistæ? Homo est liberi arbitrij in moralibus : quippe, qui potest peccare, & non peccare. Bellarminus, libro quinto de Gratia, & Libero Arbitrio, capite decimo quarto, & libro sexto, capite decimo quinto. Ad opera, quæ sequuntur actum conuersionis, tam interna, quàm externa, id est, ad opera pœnitentiæ, quibus ad iustificationem præparamur, non videtur requiri noua aliqua gratia; sed solùm continua directio, & protectio, & conseruatio diuini seminis iam concepti, & formati. At hæc, nisi rectè intellecta, vt vix intelligit vulgus Papistarum, si non Pelagiana : certè semipelagiana sunt.

XII. Virginis beatæ adorationem primi Collyridiani instituerunt : eósque ob hanc caussam vehementissimè Epiphanius exagitat, appellátque *[illegible] αἵρεσιν, [illegible] ἐγχείρημα.* Et Cedrenus ad annum Constantij vigesimum tertium, testatur Petrum Gnapheum primum instituisse, vt ad singulas preces nominatim Dei genitrix cieretur. Negent Papistæ se ab istis habere quicquam : negent se Virginem adorare : se Virginem inuocare. Imò negent se eximium quid illi tribuere, præter omnes Sanctos; quòd *ὑπερδουλείας* nomine significét.

XIII. Leo Magnus, hac nota sese significat

hæreticos multos Romæ deprehendisse, quòd in Communione, accepto corpore Christi, à calice abstinerent. Quis hac nota negare possit omnea hodie Papistas esse hæreticos? Paulatim ergo inualuit, ac tandem sancitus hic mos est hæreticorum, apud Papistas.

XIV. Marcus apud Irenæum capite nono libri primi, in consectanda Eucharistia, iactabat sese Christi sanguinem elicere in poculum suum. Quantulum id abest à Transubstantiatione? Imò quàm germanum exemplum, exemplo ampullæ sanctæ, quam vicini nostri in Prouincia apud Sanctum Maximinum ostentant, & Feria sexta ante Pascha, persuadent ipsissimo sanguine Christi rubere? Eustachius olim damnatus, quòd in vestium discrimine nonnihil sanctitatis constitueret. Quid dicas de Clericis? quid de Monachis hodiernis? Nam certè Sacerdoti absque sacris vestibus celebranti, peccatum est mortale. Monachum absque suo habitu si inueniant, apostatam appellant. Apostolici *ὀνομάζοντες ἀποστολικοὺς*, inquit Irenæus: Et *φυλάττονται παρ' αὐτοῖς τὸ μηδὲν κεκτῆσθαι*. *Obseruant diligenter nequid possideant*: & eam inopiam venditant. Nomen mutato, Monachos dixeris; apud quos status est perfectionis nihil habere proprium. Idem error Messalianorum etiam: sed & insuper *ἐκτείνουσι χεῖρας μεταιτεῖν, ὡς ἀκτήμονες καὶ ἀκτήμονες*, inquit Epiphanius, *porrigunt manus ad mendicandum, vt inopes, & nihil possidentes, ἀναγκαζόμενοι διὰ τὸ ἐνδεὲς τῆς ἀπορίας γευμάτων πλουσίων μετέχειν, coacti propter inopiam fragmentis, ad mensas diuitum accedere*. Quis nescit eandem esse rationem mendicitatis Papisticæ?

XV. Quid? non permittunt mulieres baptizare? Hoc verò Marcionitæ primi induxerunt. Heracleon mortuos suos *ἐλύτρου* redimebat nouo modo, aqua & vnguento adhibito. Quis non agnoscit vestigia extremæ vnctionis, & aquæ benedictæ? Nam etsi vnctionem non adhibent mortuis; tamen non adhibent, nisi cùm desperata est vita: nec nisi in exspectationem mortis. Postquàm autem conclamatum est; & iam funus paratur, lusus est, videre sarcophagum publicè expositum, multa aqua à prætereuntibus rigatum. Vnde autem perpetuum vsum aspergendi aquam illam benedictam habent; si non habent ex affectata *τῶν ἡμεροβαπτιστῶν* imitatione? Ne Excalceatos quidem omittere voluerunt. Adde *τὴν ἀνυποδησίαν*. Et quid erunt Carthusiani, nisi Pattalorenchitæ, silentium semper exercentes, nec rei alij, nisi taciturnitati studium suum commodantes? Mirum, si non à Prodianitis habent vsum apocryphi libri Sapientiæ, Iesu Syrac. Et est hæresis, inquit Philastrius, quæ dicit nasci Paganos naturaliter, non Christianos. Papistæ etiam ne à Christianis quidem natos infantes, sine Baptismo, dignantur Christianorum nomine: & vulgò dicunt facere Christianos, quum baptizant.

XVI. Pelagiani, tertium quendam locum statuebant *μέσον κολάσεως καὶ παραδείσου*, *medium inter supplicia, & paradisum*: eóque suos infantes relegabant, qui non fuissent Baptismi participes. Testis Augustinus sermone decimo quarto, de verbis Apostoli, & aliàs sæpe. Hic verò quis non agnoscit Lymbum puerorum? Nam, etsi non omnes Papistæ concedunt non esse illis nihil pœnarũ: tamen & non sunt nulli; qui beatitatem assignent absque vlla pœna sensus: & hi ipsi liberè ita opinantur, nec contra suorum Conciliorum Canones: & reliqui, quibus non est tantum audaciæ, ita contendunt de lenitate: vt saltem leuiter interpolatos Pelagianos non difficile sit agnoscere.

XVII. Quid? quod etiam ex inferis, damnatos transferunt in regnum cœlorum? Nihilne hac parte Origenicum? Transferri autem docent fabulæ de Traiano, Falconilla, Dinocrate, atque aliis multis; pro quibus disputat Salmero, in priorem ad Corinthios, disputatione vigesima septima.

XVIII. Eustathianos Gangrensis Synodus damnauit, ob vestes insolitas institutæ obseruantia, & mulierum tonsuram: carnes reiectas. Atqui Monachis omnibus vestes aliæ si non sint ab vsu communi, nulla religionis esse putatur sanctitas. Monachas tonderi solemne. A carnibus abstinere solitum, non in Quadragesima duntaxat, & certis feriis, ac vigiliis; sed etiam tota vita, in claustris Carthusianorum, & Minimorum.

XIX. Phylastrius, Abstinentes in Galliis, atque Hispaniis obseruauit hæreticos, *Separantes persuasionibus coniugia hominum, & escarum abstinentiam promittentes*. Nihilne hi ad Papistas? Nisi, inquam, docerent Papistæ per Votum solui matrimonia: nisi infinitis ieiuniorum superstitionibus implicarentur.

Cap. IX.

De Impostura Papistarum in falsandis autoribus.

I. Atque hactenus mysterium iniquitatis. Sed nominabat etiam Paulus *πᾶσαν ἀπάτην τῆς ἀδικίας*, *omnem fraudem iniustitiæ*, siue omne genus imposturæ, quo vtuntur ij, quibus perinde est fas, & nefas. Est enim impostura, fraus, deceptio, genus iniustitiæ. Neque Primasium laudem, qui hoc loco annotauit esse quandam veritatis seductionem. Quod vnde hauserit, ipse viderit. Certè *τὸ ἀπατᾷν* nusquam obseruaui dictum in bonam partem: minimè autem omnium in Scripturis. Etsi semel Paulus dixerit duodecimo posterioris ad Corinthios; *δόλῳ ὑμᾶς ἔλαβον*, *dolo vos cepi*: in bonam quidem partem, sed ironicè.

II. Est verò *ἀπάτη* apud Aristotelem, tertio de anima, capite tertio, opposita *τῷ ἀληθεῖ*: & Physicorum quinto, capite quinto, *τὸ μανθάνειν τῷ ἀπατᾶσθαι*. Significat verò *τὸ ἀπατᾷν*, non simpliciter abducere à veritate; sed specie veri. Aristoteles Ethicorum ad Nicomachum tertio, capite quarto, *τοῖς πολλοῖς ἡ ἀπάτη διὰ τὴν ἡδονὴν ἔοικε γίνεσθαι· οὐ γὰρ οὖσα, ἀγαθὸν φαίνεται. αἱροῦνται οὖν τὸ ἡδύ, ὡς ἀγαθόν*, *In vulgo deceptio videtur fieri per voluptatem: bona enim videtur, quum non sit: Itaque, voluptatem eligunt, tanquam bonum.* Sic Poëta, *Decipimur specie recti.* Paulus secundo prioris ad Timotheum, *ἡ γυνὴ ἀπατηθεῖσα, ἐν παραβάσει γέγονε*: *mulier decepta in prævaricatione fuit.* Nimirum, quia serpens asseruit vsum arboris esse optimum, & persuasit.

III. Itaque, deceptionis duæ sunt partes: vna, vt pro bono id obtrudatur, quod non est bonum: qui effectus est, siue finis: altera, consistit in medijs, quibus ad eum finem peruenitur. Nam quia

quia verum falso nunquam consentit: si ἀπάτη sibi τὸ ψεῦδος finem statuit, omnino necesse est, & media, quibus eò peruenitur, non esse veracia: sed tantùm εἰκότα, id est, speciem tantùm veri habētia. Sic serpens non tantùm eo fuit impostor, quòd persuasit Euæ, vt ederet de arbore prohibita: sed etiam quòd vt persuaderet, finxit se eius amore moueri, vt eam admoneret: Deum autem inuidia, prohibuisse. Et, quum Christum ipsum tentaret, obiecit Scripturam: quo argumento nihil est potentius ad conscientiam persuadendam. Etsi autem nunquam excusantur, qui malum faciunt, vt eueniat bonum; tamen tolerabiliter videntur peccare, qui mediis quibusdam vtuntur, quæ accedunt ad deceptionem, bonum tamen effectum eliciunt: sic solemus & pueros, & ægros variis pollicitationibus, etiam falsis, mouere ad id quod nolunt; & tamen est vtile. Sic ego quidem absit vt ἀπατεῶνας appellem, ex Veteribus plurimos, qui in defendenda veritate dogmatum Christianorum, haud rarò abusi sunt multis Scripturæ locis. Sed tum perfecta est ἀπάτη, quum vtrumque concurrit: hoc est, & finis malus, & media non bona.

IV. Horum si quicquam est, quod Papæ, & Papismo imputari non possit, sanè verò ne esto impostor: & quia Antichristi nota est impostura: ne esto Antichristus: & ei potius Catholici faciant iniuriam, tam tetro compellantes nomine. At si contra, aut nullum est: aut via vllum est imposturarum genus, quo non sit impiè, importunéque hominibus illusum: tum sanè nulla erit hac saltem parte mora, quominus is verè sit, quem esse dicimus.

V. Enimuerò finem esse pessimum quis neget; quum pro vera Ecclesia, hæreseon colluuies amplectenda obiicitur? Traditiones humanæ, pro diuinis, pro Apostolicis: libri apocryphi pro canonicis: mortalis homuncio, pro capite Ecclesiæ: insignis apostata, pro eo qui nequeat errare: Sanctorum, reliquiarum, imaginum, religiosa seruitus: imò & quarundam creaturarum λατρεία, pro maxima pietatis Christiana parte? Quum pro fide crassam ignorantiam, id est, fidem implicitam commendari audierit: neque id omne esse peccatum, quod repugnat legi Dei: & operum meritis deberi vitam æternam: & per sanctorum merita atque intercessionem, accedi ad Deum: nec posse in legitimo matrimonio castè viuere Sacerdotem: imò eundē vxoratū longè grauius peccare, quàm scortantem: Lupanaria permittenda inter Christianos. Qui, inquam, hæc omnia pro veris, certis, piis dogmatis in Ecclesia tradi scierit, videritis, quomodo dubitet inter Papistas imposturam regnare?

VI. Sed de mediis quid dicam? Esto sanè id huius capitis operæpretium. Et primò, quid videtur, quod Ecclesiæ autoritatem suæ plebi solam inculcant? eámque deterrent, ne quicquam inquirat vlterius: & contenta sit fide implicita, siue carbonaria; quum quis id æquè credit, quod Ecclesia credit: ac Ecclesia credit, quod ipse credit? Nam hæc sanè omnium imposturarum, impostura est maxima. Iubent omnia etiam inexplorata admittere: quasi digni sint, qui cum in tenebris mices: & tamen, si Ecclesia ipsa per se audiretur, minus esset incommodi. Verùm statim pro Ecclesia, curionem substituunt, aut certè prædicatorem: qui sua plebi somnia confidentissimè narret, speciosissimo Ecclesiæ prætexto nomine. Vnde fit, vt ea fides, quæ paulo antè in Ecclesiam, nunc in Curionem resoluatur: & multi profiteantur se credere, quod suus credit Curio. Arqui in re longè minoris momenti; si velit Trapesires in mutuanda pecunia sibi soli credi, à séque solo omnia inexplorata sumi, nemo ferat.

VII. Prætetea, id ipsum de principiis fidei; quod tam contendunt pertinaciter, imposturam olet pleno ore. Ab Scriptura Christianos absterrent. Verti non permittunt, aut vix permittunt. Legi à vulgo; hoc verò tantùm non abominantur. Tum incertitudinis calumniantur: obscuritatis accusant: imperfectionis damnant. Quasi, qui in explorando suo auro nolit adhiberi lapidem lydium: eúmque propterea, aut curet anxiè, ne producatur: aut productum clamet, inutilem esse: & damnosum. Non hunc seruet, quantum est hominum, ne pro impostore habeatur. Hem quanta est ingenij peruersitas! Nam quum hic damnetur, illi pro magnis habentur viris.

VIII Progrediamur ad dogmatum confirmandorum rationem. Ea est in testibus, vel ratiocinatione. In testibus, dico Papistas, dupliciter esse impostores, τῷ πραγματικῷ, τῷ παρερμηνευτικῷ. Primò enim plurima quę citant, Scripturæ testimonia: alia corrupta sunt à Latina versione: alia autem ipsi falsant. Et exempla quidem eorum, quæ malè conuersa sunt ab interprete, quibusque hærent Papistæ, habes non pauca tomi primi libro decimo quinto, capite vndecimo, & decimo quinto. Paucos nunc addo. Costerus Enchiridij capite decimo quarto, vt probet; in Deo Sanctos cognoscere omnia: *Dominus, inquit, Moysi exhibiturus essentiam suam contemplandam. Ego, inquit, ostendam tibi omne bonum, id est, quicquid aliquo modo nomen & rationem boni habere potest, id omne in mea essentia quam es visurus, ostendam tibi.* Atqui Exodi trigesimo tertio, non legitur *omne bonum*: sed כל־טובי *omne bonum meum*: id est, *gloriam meam.* Turrianus pro Epistolis Pontificum, libri quinti capite septimo, *Licuit Sanctis Apostolis Patribus nostris multa alia in S. Catholica Ecclesia disponere, atque ordinare iuxta Prophetiam Dauid, cùm de illis ait, Qui ordinant testamentum eius super Sacrificia.* Vbi manifestum intelligi *ordinare*, pro *instituere*, aliquid anteà non institutum. Atqui hæc mens nulla Psalmi quinquagesimi, vnde autoritas desumpta. Nam Hebraicè habet, *Congregate mihi sanctos meos qui pepigerunt pactum meum super sacrificio.* Quæ descriptio est fidelis cuiuslibet, tam fœminæ, quàm maris. Omnes enim dicuntur pacisci fœdus cum Deo, cùm gratiæ subiiciunt sese: etsi nihil noui instituant. Ex Psalmo centesimo trigesimo nono: Alphonsus de Castro contra omnes hæreses, libro decimo tertio, capite de Sanctis, *Sanctos esse adorandos apertè docet Propheta regius dicens, Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Et Coronus ad me scribens; Si nullam habent rerum humanarum administrationem Sancti, cur eorum dicitur, nimis confortatus esse principatus? At hæc in eo Psalmo nulla sunt: sed in versione Latina, pro illis posita, *Et mihi quàm pretiosæ facrunt cogitationes tuæ, Deus! quàm inualuerunt capita earum!* Panigarolla disceptatione duodecima: citat ex Psalmo 32. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei:* vnde eruit Dauidem orasse pro quodam peccato,

cuius obtinuerit remissionem ex sola confessione. Sed fuisse peccatum veniale, concludit: quia statim sequitur, *pro hac orabit ad te omnis Sanctus*. Ratio consequentiæ: quia quum iustus mortali peccato careat, & *pro hac* oret: necessariò sequitur, vt hæc venialis sit. Ergo vis tota huius Argumenti est, in *pro hac*, id est, iniquitate. Atqui ea non est mens Prophetæ. Nam על זאת significat, *propterea*, non igitur pro hac iniquitate: sed propterea quòd eam iniquitatem rogatus à Dauide Dominus dimisisset. Mitto id quod dicitur iustum esse absque peccato mortali: nun enim huius est, aut loci, aut temporis. Costerus, vt probet Scripturam passim testari incertitudinem iustificationis, capite quarto Enchiridij, citat: ex Ecclesiaste, *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit*. Ex Ecclesiastici quinto, *De propitiato peccato, noli esse sine metu*. Ex Iobi nono, *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*. Quorum locorum nullus sanus est. De primo, & secundo actum, libro decimo quinto, capite decimo Tomi primi. Tertius, Hebraicè habet: *Integer sum non noscam animam meam*. Bozius, de Signis Ecclesiæ, libro quinto, capite septimo: *Oracula*, inquit, *sunt specialia antiquorum Prophetarum, quibus aperitur fore, vt vniuersi Episcopi Ecclesiæ Christianæ, non possint errare. Sic enim David. Psalmo quadragesimo quarto* (quinto secundùm Hebraicam veritatem) *loquens ad Ecclesiam: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos Principes, super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine, in omni generatione, & generatione*. Quo eodem loco abutitur rursus, libro decimo septimo, capite quinto: ad probandam perpetuam Apostolorum successionem. At Hebraicè: *non memores erunt*: quod vrget Bozius, *David ait futurum, vt hi Principes memores sint semper nominis Dei*: Sed potius, *Memor ero*: quod etsi plerique Codices habent: iique integritate spectatiores, inquit Franciscus Lucas, notationibus in Sacra Biblia: atque adeò non tantùm in Roberti Stephani Editionibus: sed etiam in Antuerpiensi Regia: sed & in Interpretatione Chaldaica, & Græca: tamen non arrisit Cardinalibus, in Editione Sixti Quinti.

IX. Nec tantùm alienis vtuntur: sed etiam ipsi sua propria peccant peccata. Costerus, Enchiridij capite decimo quarto probat, Sanctis post hanc vitam absentia reuelari, contemplatione Diuinæ essentiæ: in qua, veluti in speculo, res omnes, & ab iis videntur, & sunt longè perfectius, quàm in semetipsis existant. Ex primo capite Ioannis, *Quod factum est, in ipso vita erat*. Idem, capite decimo septimo, *Apostolus vult coniuges ad tempus à congressu abstinere, vt vacent orationi*. Truncatè: nam Paulus connectit ieiunium, septimo prioris ad Corinthios. Bellarminus de Clericis, capite decimo nono, ex libri primi Paralipomenon, capite vigesimo quarto: & Lucæ primo colligit, Sacerdotes Veteris Testamenti per vices suas ministrare solitos, & toto eo tempore, quo ministrabant in tabernaculo, à domo, & vxore abfuisse. At hoc falsum. Quanquam Costerus etiam impudentior, asserens in Lege Veteri, Sacerdotes tempore vicis suæ, ad quos Sacrificij offerendi munus ordine deuolueretur, non modò ab vxorum complexu: sed à vino quoque, in quo est luxuria, Diuino mandato arceri: tam confidenter, quàm si vtrunque legeretur totidem literis. At posterius de vino extstat, decimo Leuitici: prius autem de complexu vxoris, nusquam. Rursus Bellarminus de Imaginibus capite octauo, probat licere pingere imaginem Dei Patris in forma hominis senis: quia Geneseos tertio, Deus Adæ apparuit tanquam homo deambulans in paradiso, ad auram post meridiem. At illud, *tanquam homo*, Moses nunquam dicit: imò satis significat, non apparuisse vllam figuram, sed tantùm auditam vocem. Idem de Clericis capite septimo, docet ius eligendi summum Pontificem, cæterósque Ecclesiæ Pastores & Ministros non conuenire populo, iure diuino: exemplo Aaronis, qui à solo Mose electus est in Pontificem: quod certè falsum: electus enim Aaron est à Deo, non à Mose. Alphonsus de Castro, contra hæreses libro nono, capite de Libertate: locum illum ex Geneseos quarto, *Sub te erit appetitus eius*, quo etiam alij abutuntur, corrumpit, *In sub te erit appetitus tuus*. Idem libro octauo, capite de Ieiunio. Tres pueri, intra fornacem mittuntur, Ieiuni tamen ingredientes, illæsi egressi sunt. Daniel, quum per tres hebdomadas ieiunasset, leones, in quorum lacum missus est, ieiunare fecit. At ieiunij ne nomen quidem est tertio & sexto Danielis, vbi eæ recitantur historiæ. Rursus ibidem. Helias ieiunus erat, & ad eius orationem tribus annis, & sex mensibus ros pluuiæ non cecidit super terram: ieiunus iterum orat, & pluuias à Deo impetrat. At rursus de ieiunio mentio nulla in ea Historia, decimo septimo, & decimo nono primi Regum. Baronius, vt flagrorum in Romanis pœnitentibus vsum aliquo fuco plausibilem reddat: ex Pauli nono prioris ad Corinthios recitat, *Liuidam facio carnem meam, & in seruitutem redigo*: quum & Græce sit, ὑπωπιάζω, & Latinè, *castigo*: meliùs, *subigo*: Annalium Tomo vndecimo, anni millesimi quinquagesimi quinti, paragrapho vndecimo. Nimius sim, si percurram omnia. Sed Tonstallus, de veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, libro primo: *Neque infrequens cuiquam videri debet, pleraque patribus ante aduentum Christi, per tropos & figuras declarata fuisse, quibus omnia in figura contigisse Paulus docet*. Locus est ex prioris ad Corinthios decimo: nec aliter recitatus à Bozio, de Signis Ecclesiæ, libro decimo tertio, capite septimo: Etiam ab aliis, alibi. At Paulus, non *omnia* dixit, sed, *hæc omnia*.

X. Hæc in Scripturis. Nec in Patribus religiosiores. Bellarminus de Imaginibus, capite nono: *Eusebius libro tertio & quarto de vita Constantini, dicit in Templis à Constantino exstructis in Palæstina, fuisse maximam copiam Imaginum aurearum, & argentearum*. Et conspirat Richeomus, de Imaginibus, capite vndecimo. Et Bulengerus contra Plessiæi caput tertium libri secundi. At id Eusebius nusquam dixit. Hæresin eorum qui negarent colendos Sanctos, Richeomus de Sanctis, capite quarto, asserit ab Eustathio primùm inuentam, eam ipsam ob caussam damnato in Concilio Gangrensi: & autorem laudat Socratem, libro secundo, capite vigesimo tertio: vbi tamen de cultu Sanctorum, οὐδὲ γρύ, οὐδὲ μύ. Et capite sexto, ab Augustino contra Faustum, libro secundo, capite vigesimo primo, asseri adorari à populo memoriam martyrum, religiosa solennitate. At ille non *adorari*, dixit, sed, *celebrari*. Bellarminus de Clericis, cap. 19. Concilium Nicænum primum, canone tertio, interdicit Episcopo, Presbytero, & Diacono, ne domi vllã mulierẽ habeat, præter matrẽ, sororẽ, amitam: neque alij dissenserunt. Et tamẽ Concilium loquitur

[illegible] non in vniuersum de muliere. Vxor autem legitima, non potest censeri [illegible]. Alphonsus de Castro, de Sacerdotio, hæresi quarta: *Hæc consuetudo, iuxta quam matrimonio alligatus promouebatur ad Sacerdotium, inualuit vsque ad tempora Nicæni Concilij, in quo (vt fertur) generali decreto statutum est, ne aliquis vxorem habens, consecretur Sacerdos.* Atqui hoc falsum: neque potuit Alphonsus vllum testem citare. Et Cotonus vnde habuit, quæso, tertium illum canonem huius Concilij, quem describit in libro de Missa, tractatu septimo, paragrapho decimo quarto, in hæc verba, *Decretum est propter repetitas mysteria et necessitates, vt presbyter & Diaconus, & Episcopus Deo dedicatus sit: si enim populo præcepit, vt ad tempus vacet orationi, quanto magis sacerdoti idem præcepit?* Nam hæc quidem nulla editio habet Nicænorum Canonum. Stapletonus in Relectione, Controuersia tertia, quæstione prima, articulo primo, conclusione tertia. *Hoc est, quod Chrysostomus scripsit, quoddam hic esse Filij donum proprium Petro datum: sicut Patris quoddam donum erat eidem concessum. Pater enim reuelauit Petro Christum esse Filium Dei viui: Filius tribuit Petro, vt sic fieret ipse Petra*: ex homilia quinquagesima quinta in Matthæum: sed Chrysostomus donum Filij exponit, Claues regni cœlorum, non Petram Ecclesiæ. Rursus Stapletonus in solutione argumentorum eius conclusionis, ex eadem homilia recitat. *Tu ex his omnibus, quanta sit Petri potestas intellige.* At Chrysostomus non Petri dixit, sed eius, & Christum significauit. Idem ex Gregorio Romano, Epistola trigesima octaua libri quarti; Apostolos vocari sub vno capite Petro omnes membra Ecclesiæ, & singularum plebium capita. At caput ille non Petrum dixit, sed Christum intellexit, sub quo & Petrus & reliqui Apostoli membra sint.

XI. Bozius de signis Ecclesiæ, lib. 18. cap. 3. ex Ignatij Epistola ad Romanos. *Ecclesia sanctificata & illuminata in voluntate Dei, qui fecit omnia quæ sunt secundum fidem, & dilectionem Iesu Christi Dei, & saluatoris nostri, quæ & præsidet in loco regionis Romanorum Deo digna, memoria digna, beatitudine digna, laude digna, fundata in dilectione, & fide Christi, paternum nomen habenti, spiritifera, quam & saluto.* Ergo, inquit, sola Ecclesia Romana præsidet, eminet, ac paternum nomen habet. Si præsidet, ergo aliæ subiectæ: si eminet, subsunt: si paternũ nomen habet, filiæ sunt. Atqui nihil hic sani. Non dixit Ignatius præsidere Romanam Ecclesiam: sed [illegible] ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, *præsidere*: vel, si active mauis, *præsidere in loco Romanæ regionis*: ergo, non vbique [illegible]m. Non dixit eminentem: sed [illegible] Vairlemius reddidit, *dignam qua quis potiatur.* Nam quod Bozius mallet: *Dignam super quā ædificetur*, puerile est, & ineptum & ridiculum: imò linguæ Græcæ redolet crassam ignorantiam: neque enim potest id verbi ab [illegible] uari, quo ædificia appellantur. Sed de paterno nomine quum cogitabat, vbi animum habebat? [illegible] & [illegible] Ignatius dixit. Vairlemius reddidit [illegible] *Christi, & Patris nomen ferens.* Significat ergo, denominatam à Christo, & Deo Patre. Cotonus de M[illegible] tractatu 5. paragrapho 5 *D. Augustinus epistola 49. Constituuntur imagines in Ecclesiis sculptæ, vt precantium animæ externa illa similitudine, atque analogia ad partes corporis nostri, fiant attentiores, quasi in eo ipsos viderent [illegible] viuentes spirantesque.* Ita Cotonus: sed Gallicè: [illegible] quanta impudentia est? Nam Augustinus lo[illegible] quidem de efficacia idolorum ad deci[illegible] [illegible] ōro Ducæus in Catalogo errorū Plessiqi capite 3. ex Epiphanij Collyridianis citat de Mariaj

[illegible] *Veneranda est & mente & sensibus exterioribus, tanquam corpora sanctorum: imò amplius dicere possim, ad laudem maiorem.* Irrideris, miditores, imperitiā an temeritatem horretis? impudentiam exsecramini? Primò locū truncauit. deinde non vertit, sed peruertit. Recito [illegible] Ἠλίας ἐκ μητρός (sic enim lego potius quàm [illegible]) [illegible]. Hoc est, *Est quidem vas electum: verùm mulier, neque natura quicquam differens; ab aliis at verò sententia sensúque honore honorata, vt corpora sanctorum: & si quid excellentius dicam in eius honorem, vt Helias ab vtero virgo, & sic in æternum permanēs, assumptúsque, ita vt mortem non videret.* Quis non iam statim falsarium agnoscit? quanquam de hoc locoalibi agemus distinctius.

XII. Sed admonet me hic locus, vt ne prætercam immanē, ac propè dixerim [illegible] in vertēdis Græcis autoribus audaciā. Eusebij libros de Euangelica præparatione, sic vertit Georgius Trapezuntius, vt videatur voluisse de industria orbi illudere: ita omnia peruertit. Inde tamen Bellarminus lib. 3. de Sanctis, capite 9. citat, *Nos veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes ad monumenta illorum accedimus, votáque illis facimus, tāquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deū non parum iuuari profitemur.* Vix vestigia agnoscas Eusebij. Locus est è libro 13. capite 7. Scripsit Eusebius, [illegible]. *Hæc autem*, ea nimirum quæ ex Platone recitata erant de honorandis defunctis in bello fortibus viris: *hæc congruunt piorum morti: quos milites veræ religionis assumi si dixeris, non peccabis: quocircà & nobis consuetudo est ad eorum conditoria accedere iuxtáque ea preces fundere, honorareque eorum beatas animas: vtē hæc ritè à nobis fiunt.* Cornarius etiam infeliciter manū admouit Basilio, Epiphanióq; vertendo: inde sumebāt Bellarminus locum ex Basilij Epistola 52. qui à nobis est reprehensus, capite 20. libri 9. huius tomi. Synodi Gangrensis canō 4. Latinè sic legitor: *Si quis discernit à presbytero qui vxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit.* At Græcè [illegible], *à presbytero qui vxorē duxit*: id est, coniugato: quísque vxorem habet: nā conceptus est cōtra Eustathium, qui improbat τοὺς ἐν γάμῳ ὄντας, *eos qui in coniugij statu essent*: non verò eos qui aliquando coniuges habuerant: tunc autem nō haberent. Et tamen Bellarminus de Clericis, capite 21. ex illa versione eludit vim huius canonis.

XIII. Christophorsonus vertit historicos rerum Ecclesiasticarum ex Græco in Latinum: satis cū laude: nisi quod cespitauit locis nō paucis. Aliquādo etiam de industria inflexit aliquid. Sic libro 4. Eusebij capite 14. quum Christiani ostenderent sibi fieri iniuriam ab Ethnicis, quod eos putarent adoraturos Polycarpum, [illegible], inquiunt, [illegible]. *Ignorantes, nos neque vnquam Christum relicturos, qui pro hominum in mundo, qui seruantur, salute passus est: neque alium posse quenquam adorare.* Pupugit hominem Papistam, quòd sese Christiani negarent præter

Christum, quemquam adorare, siue colere religiosè: atque molliuit addens, *et Deum*. Idē apud Theodoretum libro primo, capite octauo, *Quapropter ex non scriptis vocibus, piè tamen excogitatis condemnati sunt?* Videlicet Ariani in Concilio Niceno. Et hunc locum varij citant ad confirmandas Traditiones. Atqui Græcè contra est. *διὰ τοῦτο καὶ ἐγγράφων μετ' ἀσεβείας ἐπινοηθέντων λέξεων κατεγνώσθησαν. Itaque ex Scriptis piè intellectis vocibus damnati sunt.* In Cyrilli Hierosolymitani Catechesi mystagogica quarta: *ἐν τύπῳ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα. καὶ ἐν τύπῳ οἴνου, δίδοταί σοι τὸ αἷμα.* Grodecius vertit, *Sub specie panis datur tibi corpus: & sub specie vini datur sanguis.* Hinc omnes Cyrillum iurant papistam, & Transsubstantiatorem. Atqui verè; *In figura panis, in figura vini*, dicendum erat.

XIV. Hactenus ψευδογραφία. Nunc παρερμηνεῖαι. quæ quæ testimonia proferuntur; longè abducuntur à suo sensu, recenti vafritia, infinita audacia. Bellarminus, præfatione in libros de summo Pontifice, illud ex Esaiæ vigesimo octauo, *Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem preciosum, in fundamento fundatum*: de Papa interpretatur: quod tamen pertinet ad Christum. Et libro primo de Cōcilijs capite duodecimo, illud ex Matthæi decimo octauo, *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, exponit de mandato eius, quià Deo accepit autoritatem congregandi. Quum legit ex quinto Matthæi, *Nolite iurare per cælum, neque per terram*, ita interpretatur, de Sanctis libro secundo, capite duodecimo, vt primum non prohibeatur iurari per cœlum & terrā, sed tantū sine debitis circūstantiis: Secundò, vt prohibeatur, ne fiat cōtumelia eiusmodi creaturis. Costerus Enchiridij capite sexto. *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu*, octauo ad Romanos, id est, inquit, nullum peccatum, quod damnationem mereatur? Illud è Psalmo vigesimo secundo. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum: edent pauperes, & saturabuntur*, interpretatur capite nono, non tantùm de Christo dictum; sed etiam de Sacrificio Missæ. Bozius de Signis Ecclesiæ libr. 15. cap. 6. Illud Christi, *Capillus de capite vestro non peribit: & omnes capilli capitis vestri numerati sunt; nolite timere*: illud item Prophetæ, *Custodit Dominus omnia ossa eorum; vnum ex his non conteretur*, refert ad reliquias sanctorum. Et libro 13. capite 2. interpretatur de sumptione corporis in Eucharistia; tum illud ex secundo ad Ephesios; *Vt duos condat in semet ipso in vnum hominem nouum, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo*; omittens etiam *per crucem*: tum hoc è tertio eiusdem epistolæ; *Gentes esse coheredes, & concorpores.* Panigarolla disceptationis secundæ parte prima, *Demonstratum est Ecclesiam esse visibilem: oportet igitur præter suum caput præcipuum Christum, qui inuisibilis est, caput præterea habeat vicarium in terris, qui sit visibilis. Atque is est, de quo Paulus Apostolus loquitur, Vnus Dominus*, ad Ephesios 4.

XV. Hæc in Scripturis. In Patribus deinceps. Minuti⁹. *Cruces*, inquit, *nec colimus, nec optamus.* Bellarminus hunc ait loqui de adoratione Deo propria; de Sanctis libro secundo capite duodecimo. Bolengerus contra Plessæum libr. primo, capite sexto, & Cotonus in Epistolis ad Chamierum malunt loqui de patibulis. Fronto Ducæus in Catalogo errorū Plessæi capite quarto; refert ad ipsam materiā, qua crux constat. Nazianzenus dicit sororem suam seruasse apud se ἀντίτυπα corporis & sanguinis Christi: Hunc Bellarminus de Eucharistia libro quarto, capite 24. contendit loqui de specie panis, non vini. Quasi vnum antitypum, sit multa antitypa: & panis posset appellari antitypum sanguinis. Aliàs, quum obiiciuntur Patres, qui sæpe dicūt signum, figuram, typum, antitypum corporis & sanguinis; respondent, ita appellari ante consecrationem, Bellarminus de Eucharistia libro quarto, capite decimo quarto: at Costerus Enchiridij capite octauo mauult intelligi de speciebus, id est, accidentibus sine subiecto. Eliberitino Concilio prohibetur in parietibus pingi, quod adoratur. Costerus interpretatur de non pingenda Trinitate, Enchiridij capite vndecimo. Bolengerus contra Plessæum libri secundi capite secundo, dicit veteres Patres, ne his picturis plebs recens conuersa, in idololatriam iterum inciraretur. Richeomus de Imaginibus capite 12. factum id decretum asserit metu Ethnicorum, & assentitur Bellarminus de Sanctis lib. 2. cap. 9. Ita ludunt in Patribus, vt illudant suis auditoribus. Quid plura? Audiamus confitentes. In Indice expurgatorio Belgico, ad Bertramū, cùm permittitur extare eius liber, Papistis admodum incommodus. *Quum in catholicis veteribus*, inquiunt, *alios plurimos feramus errores, & extenuemus, excusemus, excogitato commento persæpe negemus, & commodum iis sensum affingamus, dum opponuntur in disputationibus, aut in conflictionibus cum aduersariis: non videmus, cur non eandem æquitatem, & diligentem recognitionem mereatur Bertramus.* En tibi documentum religiosi pectoris! En sinceritatem Papistarum! Et præstiterunt statim reipsa. Nam eum Bertrami librum scriptum fingunt, contra nescio quos, qui assererent adeò verè Christi corpus exhiberi in Eucharistia, vt ipsam speciem panis & vini negarent reliquam; affirmarentque id quod appareret, esse speciem, seu superficiem, seu pellem carnis Dominicæ, & nihil creatū esse reliquum. En tibi meram Theologiam!

Cap. X.

De Impostutis sophismatum.

I. Atque hæc de Papistarum fide in citandis testibus. Nunc de vitiis in ratiocinando. Nam & Salmero tractatu 3. in posteriorem ad Thessalonicenses Sophisticam sapiētiam Antichristo tribuit. At hic nihil sani apud Papistas. Nullum est genus vitiosæ argumentationis, quod non capient diligentissimè. Diceres pueros in scholastico puluere vires suas experiētes: ideòque captiones omne genus intentantes. Referam in locos communes: & de singulis paucas; meo more.

II. Παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Ordines duo. Prior; quum quod figuratum est, sumitur ἐν τῷ ῥητῷ. *Cauendum est* (inquit Augustinus de Doctrina Christiana libr. tertio, capite quinto) *ne figuratam locutionem ad literam accipias.* Hic verò sæpe peccant. Eucharistiæ communionem sub vnā tantum specie arcessunt ab Actibus Apostolorum capite secundo. *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis*: ita Lorichius in Fortalitio: sed & Bellarminus de Eucharistia libro quarto, capite vigesimoquarto: nec non alij συνεκδοχὴν nullam agnoscētes partis pro toto. quamuis non omnes consentiant vgi de Eucharistia. Iam olim tam disertè monuit Augustinus mādūcare carnē Christi, & bibere eius sanguinem, phrasin esse figuratam, & tamen non desīnt vrgere boni isti doctores, adeò vt si quequam depereat de eo sensu, quem primo & per se verè significans, actum sit de præcipuo Christianitatis mysterio.

sterio. Quid dicam de verbis, *Hoc est corpus meum*? Testantur Patres iis significari figuram, signum, typum, antitypum. At surdis canunt: non minus propterea vrgent isti τὸ ἐστὶν, & quicumque figuratum quid vel cogitauerit, diris omnibus deuouent: sunt enim præ nimia charitate Seraphici. Eucharistiam appellatam esse immolationem Christi, Thomas iampridem docuit duobus modis; tum quia imagines solent earum rerum nomine quarum sunt imagines appellari: tum quia per id Sacramentum participes efficimur fructus Dominicæ passionis: Summæ parte tertia quæstione octogesima tertia, articulo primo. Et tamen hodierni, quoties legunt apud Veteres Sacrificij nomen, toties contendũt probari, Missam esse tã verè, tam propriè sacrificium propitiatorium, vt nullum magis.

III. Alter ordo, priori contrarius, quum τὸ ῥητὸν sumitur figuratè, & derelicto sensu literali mysticus quæritur. οὐ γὰρ πάντα ἀλληγορίας δεῖται, inquit Epiphanius, ἀλλ' ὡς ἔχουσι: *non omnia indigent allegoria: sed vt posita sunt*. Neque verò hîc sibi temperare potuerunt, quominus velis, remísque allegorias sectarentur, easque Catholicis obiicerent. Tanto id quidem importunius, ne sceleratius dicam; quanto apertius confitentur in allegoriis nullam esse vim argumentandi. Nam sic Alphonsus de Castro contra hæreses libro primo, capite tertio: De capite Fontium, actione prima in Sacramentarios capite tertio: Bellarminus de Verbo Dei libro tertio, capite tertio, & alij nonnulli.

IV. Iubent Angeli Lothum fugere Sodomis, & saluare se in montem, Geneseos decimo nono? Hieronymus Platus capite 7. libri 1. de bono status religiosi, Sodoma seculum intelligit variis libidinibus, & desideriis inflammatum, à cuius periculis laqueis, & insidiis fugiendum sit. Sed quid montem? Perfectionis culmen, statum religiosum. Religiosum autem? Non à religione Christiana sic dictum: non enim censet iampridem hoc hominum genus, satis vitari seculum, si ab Ethnico fias Christianus: si ab infideli, fidelis: Nam apud eos ita profecit religio Christiana, vt qui olim audiebant se non esse de hoc mundo, iam vulgò dicantur seculares. Intelligit igitur statum religiosum, monasticum, aut quid simile, in quo salus est tantum, dum Ecclesiam suam illam Catholicam, quam, cùm libet, Sanctam appellant, populatur ignis è cœlo. Eleganter: nec aliud, credo, cogitauit Moses: & iam tum exultabat, quum prævidebat bonos illos fraterculos, omnes in istum montem anhelantes, altissimum, & supra terras, résque terrenas eminentem, cœlo ac cœlestibus proximum: in quo nullum omnino locum habent (sic iurati Plato credere fas est) illa tam multa seculi mala. Pergo ad alia. Multum disputatur vtrum Petrus Romæ fuerit aliquando: & hinc subtiliores quidam Catholici Papistis facessunt negotium. At id quam bene ostenditur (inquit Panigarolla disceptationis sextæ parte secunda) per ea quæ gesta sunt apud Lucam capite quinto: quum Christus Petro iubet, *vt reducat à terra pusillum*: deinde *ducat in altum*: id est, suam ponat sedem haud longius à terra, à promissa terra, id est, Antiochiæ: ibique maneat *pusillum*, id est, annis septem: *postea ducat in altum*, vastissima maria transeat, pergat ad Gentium regionem, & super septem colles sedem suã constituat. Non plauditis? non exclamatis cum Monacho, *Felix Roma, Felix Roma*? Verũ obstrepit Stapletonus in Relectione Principiorũ Controuersia tertia, quæstione prima, articulo secundo: qui ad illud, *Duc in altum, hoc est*, inquit, *in profundum disputationũ*. Egregiè. Sed pergit Stapletonus, & ambulationem super aquas Matthæi 14. in hunc modũ explicat. Primò calcauit aquas Petrus, id est, omnes hæreseon, & persecutionum fluctus sola Petri sedes calcabit. Secundò, ambulatio super aquas designat vniuersam Ecclesiam Petri potestati subiectam fore: qui non in certa nauicula, ac particulari, vt cæteri Episcopi in certa diœcesi, sed super aquas ipsas indeterminatè venit ad Christum. Quid certius? Aut cur non eędẽ aquę simul semélque hęreses significẽt, & Ecclesiam? Sed hoc dolendum valdè: adeo immutatam esse rerum faciem, vt quum Petrus calcauerit hæreses, & præfuerit Ecclesiæ, hodie Romani Episcopi, qui sese eius successores appellant, contrà calcant Ecclesiam, & præsunt hæreticis.

V. Cultum Mariæ Bozius acutissimè probat. Primò ex Numerorum 24. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel*: & mox, *Israel verò fortiter aget*, siue, *acquiret diuitias*. Non significatur Christus, quem scimus non esse ortum ex Iacob, neque surrexisse ex Israel, sed ex Maria ex Iacob & Israel prognata. Ergo per Israel Maria intelligenda. Itaque sicubi Mariæ vires erunt exiguæ in amplificando Christi suique cultu non ibi erit stella ex Iacob, & virga Israel. Secundò, ex Genesi, quum Adamo & Euæ dictum est, *Crescite, & multiplicamini, & replete terrã*. Nã & Adã est Christ⁹: Eua, virgo: *Crescite & multiplicamini*, quid est? oblitus est disertè explicare: sed facilè apparet referri voluisse ad cultum Christi, & Virginis. Tertiò, super arcam fœderis duo Cherubini sedebant, à quibus propitiatorium tenebatur: erat autem effigies alterius maris, alterius fœminæ. Hic acutissimis oculis vidit Bozius Christum & Mariam, per quos Deus est propitius, ac votis respondet. Hem! quis non cedat tantæ, tam certæ, tam perspicuæ demonstrationi? Miseros Collyridianos: quibus nondum erat natus Bozius, quem opponerent Epiphanio tam hęreticè clamanti: τὴν Μαρίαν μηδεὶς προσκυνείτω. *Mariam nemo adoret*. Exodi decimo nono dicit Deus ad Mosen: *Veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Descende & contestare populum, ne fortè velit transcendere terminos, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, & ascendes tu, & Aaron tecum*. Vbi manifestè apparet, inquit Panigarolla disceptationis sextæ parte priore, ad montem Conciliorum, in quibus sermones habentur cum Deo, solos Sacerdotes ascendere. Lucæ decimo tertio. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. Matthæi octauo. *Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus*. Ex iis probatur auricularis confessio, à Bellarmino, Panigarolla, Eckio, aliis: tamen Alphonsus de Castro negat satis efficaciter reuinci hæreticum. Dixit Paulus secunda posterioris ad Timotheum, *Nemo militans implicatur vitæ negotiis, vt ei placeat, à quo delectus est miles* similitudinem deducens à re militari. At isti non nisi metaphoricè audiũt & legũt distortissimè, *Nemo militãs Deo implicet se negotiis secularibus vt ei placeat, cui se probauit*. Citátq; vt doceát nõ esse clericis permittẽdũ matrimoniũ: à Lorichio etiã, vt probet, quod semel sit dicatũ Deo, nõ esse ad humanos vsus vlterius trãsferendũ, id est, Sacramentum ordinis imprimere characterem. Nam hæc eius est admiranda Logica.

VI. Hactenus τὸ χεῖμα τῶν λέξεων. Trãseo ad Sophisma περὶ τὴν ἀμφιβολίαν. Cap. 1. posterioris Petri: *Dabo autẽ operã & frequẽter habere vos post obitũ meũ, vt horũ memoriã faciatis*. Sic barbatè, & κατὰ πόδας vertit Latinus in-

terpres. Sūt autē ita construenda; vt illud, *habere vos*, connectatur cū *vt horū memoriam faciatis*: ac proinde non vt ego habeā, sed vt vos habeatis, id est, possitis, ex idiomate Græco. Et rursus illud *post obitum meum*, cum *habere vos*. Sensus: Dabo operam, vt vos possitis post mortem meam horum meminisse. At contrà Sophistæ connectunt, Dabo operam habere vos post obitum meum: id est, vt ego habeam vos post obitum meum: vel certè, *Dabo operam post obitum meum habere vos*, id est, ego post obitum meum curabo, vt vos habeatis. Atque inde probant Sanctorum intercessionem. Richeomus de Sāctis, capite decimo, & Bellarminus de Sanctis libro primo, capite decimo octauo: & Costerus Enchiridij capite duodecimo. At Bozius de Signis Eccl. siæ libro decimo octauo, indidem probat successores Petri, idem ius habere cum eo. Ad Philippenses quarto. *Etiam rogo & te, germane compar, adiuua illas quæ mecum laborarunt in Euangelio, cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis*. Quid erat (inquit Bozius de Signis Ecclesiæ lib. decimo octauo, capite tertio) quod Clemens adiuuaret eas mulieres, quæ Philippis erant longè ab vrbe positæ? nisi quòd Clemens non modò erat Episcopus vrbis designatus, sed & ad eum pertinebat iam habere curam omnium? Ergo sic construit: Rogo te, germane compar, cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, adiuua illas quę mecum laborauerunt in Euangelio. Atqui omnes hactenus lōgè mollius, faciliúsque, & vitata molestissima traiectione, copulauerant ita, mecum laborarunt, cum Clemente, Geneseos quarto. *Sed sub te erit appetitus eius: & tu dominaberis illius*. Hinc Bellarminus de Gratia & libero Arbitrio libr. quinto, capite octauo, probat concupiscentiæ rationalem animam naturaliter dominari. Nimirum, quia præcessit: *in foribus peccatum aderit*, ideo, *eius*, referunt ad peccatum: Quum tamen valdè impropriè dicatur משוקת החטאת quo fit, vt longè aptius intelligatur de Abele, qui minor natu, fratri iure naturæ subijciebatur. Tertullianus contra Marcionem libro quarto. *Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei*. Perculit Transubstantiatores tam perspicua ἔμφασις: itaque ad artes suas conuersi. Coniungitur (verba sunt Bellarmini capite septimo libri secundi de Eucharistia) illud *figura corporis mei*, non cum voce proximè præcedente, *corpus meum*, sed cum pronomine hoc, vt sit hic sensus: Hoc, id est, panis qui olim fuit figura corporis mei, nunc est corpus meum. Atque ita fiet, vt Tertullianus in hoc enunciato, *Hoc est corpus meum*, intelligat Hoc, dictum de pane, non quem Christus in manibus acceperat, sed de illo quitam olim, tēpore Prophetarum, exstiterat in rerum natura. Quo nihil absurdius dici, cogitarive potuit. Nam primò Tertullianus disertè, acceptum *Panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit*. Deinde de pane veteri figura loquitur tantùm aliquot lineis post.

VII. Longè frequentissimum Sophisma τὸ ἀπὸ τῆς ὁμωνυμίας. Hic verò regnant. Ecclesiam Christi esse in terris visibilem Lorichius in Fortalitio probat, ex Numerorum vigesimo, *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?* Ex primi Regum octauo: *Rex benedixit omni Ecclesiæ Israel: omnis enim Ecclesia Israel stabat*. Matthæi 18. *Dic Ecclesiæ*. Atqui quum quæritur de Ecclesia, visibilisne sit an inuisibilis? Catholica est intelligenda, quæ significet vnum corpus, compositum ex omnibus fidelibus ab initio ad finem mundi, ne exclusis quidem Angelis. At Ecclesiæ vocabulum est πολύσημον. Aliàs enim significat cœtum simpliciter, vt in Numeris, & Regum primo. Aliàs, quamlibet Ecclesiam particularem, puta Romanam, Alexandrinam, Corinthiam: vt Matthæi decimo octauo. Et hoc gemino sensu nemo negauit Ecclesiam esse visibilem. Quotiesc de Sanctis disputatur, plurimos coradunt è Scripturis locos, vbi Sancti nominantur. Costerus è Psalmo centesimo quadragesimo nono, *Exultabūt Sancti in gloria*: capite Enchiridij decimo quarto. Bellarminus de Sanctis libro primo, capite decimo nono, Panigarolla Disceptatione decima tertia, ex Jobi quinto, *Ad aliquem Sāctorum conuertere*. Eckius Enchiridij capite decimo quinto ex Psalmo trigesimo secundo: *Pro hoc orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno*. Bellarminus de Sanctis libro primo, capite decimo nono, & Richeomus de Sanctis capite duodecimo, ex Dionysij Areopagitæ capite septimo de Ecclesiastica Hierarchia. *Impossibilium supersluæ spe illi susceptasunt est, qui Sanctorum flagitat preces, & natura ipsorum consentaneas sacras operationes abijcit*. Atqui his omnibus locis Sancti intelliguntur in hac vita positi: Papistæ verò disputant de Sanctis translatis in alteram, beatámque vitam. De Cruce. Richeomus de Imaginibus cap. trigesimo sexto & nono; item Lorichius in Fortalitio de Cruce hæresi prima ex sexto ad Galatas. *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi*. Costerus Enchiridij capite decimo tertio ex tertio ad Philippenses. *Inimici crucis Christi*. Vbi tamen non signum vllum crucis significatur: sed quicquid in cruce Christus est passus.

VIII. Bolengerus contra Plessæi librum primum capite septimo. Martyres sunt viui: Licet autem precari bonos viros viuos: ergo & Martyres. Quasi eodem sensu eodémque modo viui Martyres dicantur, & viri boni. Bellarminus de Pontifice libro 4. capite 3. illud ex Lucæ 22. *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*, audet referre, nō ad pœnitentiam Petri, quomodo omnes hactenus, quum Veteres, tum Noui: sed ad reliquos Apostolos: vt sensus sit, quando videris aliquos nutantes, & vacillantes, tu ad eos conuersus illos confirma. Bellarminus de Clericis capite decimo nono, illud ex primo ad Titum, *oportet Episcopum esse continentem*: & Turrianus pro Canonibus Apostolicis libro 1. capite 1. illud ex Actorum 24. quum dicitur Paulus disseruisse coram Felice & Drusilla *de iustitia, continentia, & iudicio futuro*: vtroque hoc loco interpretantur continentiam, de virtute speciali etiam vxorem propriam non tangendi. Nimirum, quia sic iampridem mos est, continentiam nominari apud Papistas. Ex quinto ad Ephesios, quotusquisque est, qui non recitet, *Sacramentum hoc magnum est*, vt probet Matrimonium esse Sacramentum? Atqui Paulus μυστήριον non ita intelligit, sed generaliter arcanum: quomodo eiusdem epistolæ primo γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ: *vt notum faceret vobis Sacramentum voluntatis suæ*. Et illud Actorum decimo tertio, λειτουργούντων δὲ αὐτῶν, quis non interpretatur de Sacrificio Missæ, quia τὸ λειτουργεῖν aliquando sumitur pro *Sacrificare*? Displicet enim illis Chrysostomus, qui interpretatur, κηρυττόντων. Stapletonus in Relectione Principiorum Controuersia 3. quest. 2. articulo 1. successionem Cathedræ Petri agnoscens Chrysostomus, ait libro secundo de Sacerdotio, Christū ouium suarum curam tum Petro, tum Petri successoribus commisisse. Quasi numquam successores nominentur, nisi qui in eadem sedent Cathedra. Ludit ergo in ambiguo vocabulo successorē: & quidē nō vsurpato à Chrysostomo,

sostomo, qui non τινὰ πάλιν διαδοχὴν nominauit, sed A homines sibi plusculum indulgere, contendentes ὧν μετ' αὐτὸν, quicumque post eum erant venturi.

IX. Τὸ πᾶν τί ἐστιν non rarus etiam vsus est. Costerus capite decimo quarto Enchiridij: Sancti in cœlo, *sunt sicut Angeli Dei*, Matthæi vigesimo secundo: ergo non ignorabunt, quid apud nos agant. Et Richeomus de Sanctis capite decimoquinto: Disertum est in Scriptura Angelos audire preces nostras: sed & disertum, Sanctos esse sicut Angelos Dei: ergo, Sancti audiunt preces nostras. Sed Christus non simpliciter Sanctos dicebat esse sicut Angelos: sed B quum loqueretur de Coniugio. Ad Transsubstantiationem probandam, Lorichius in Fortalitio hæreti secunda de Eucharistia, sed & alij, citant quæcumque apud Patres occurrunt de mutatione signorum. Quasi legitima esset consequentia, Mutantur signa: ergo mutantur οὐσίᾳ. Catholici concedunt mutari ἐν τινι: sed negant transsubstantiari. Idem Lorichius in Confessione, vt doceat confessionem peccatorum secretam esse ad salutem necessariam, recitat ea Psalmo trigesimo secundo, *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino*. Ea Proverbiorum vigesimo octauo. *Qui abscondit scelera sua, non diriget: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Ex primo primæ Ioannis, *Si confiteamur peccata nostra*. Iacobi quinto, *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Quasi confiteri peccata, idem sit quod confiteri in aurem. Et rursus confiteri, sit omnia sigillatim confiteri. Ad probandum Purgatorium, vtile illis est, vbicumque legunt ignem, ardorem, vri, purgare, mundare, & similia. Panigarolla disceptatione duodecima, Geneseos quarto Purgatorij ædificationem reperit: quia *Collocauit Dominus ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*. Alphonsus de Castroea Esaiæ quarto: *abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauabit de medio eius, in spiritu iudicij, & spiritu ardoris*. Ex Malachiæ tertio. *Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui*. Bellarminus de Purgatorio libro primo capite tertio è Psalmo sexagesimo sexto, *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Ex Esaiæ nono, *Succensa est quasi ignis impietas, vepres, & spinas deuorabit*. Vigor sermone de Purgatorio è Matthæi tertio, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*. Eodem artificio Missa probatur, vbicumque altare legitur, aut oblatio, aut sacrificium: è decimo tertio ad Hebræos, *Habemus altare*: & quinto, *Omnis Pontifex ex hominibus assumitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*. E primo Malachiæ, *in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. E decimo quarto Geneseos, *Melchisedec obtulit panem & vinum*. Bozius de Signis Ecclesiæ libro decimo septimo, capite sexto: probat principatum Ecclesiæ Romanæ è Psalmo centesimo decimo: *Dominare in medio inimicorum tuorum*. Nam Romani erant inimici Dei. Ita sanè, inquam: atque vtinam non essent hodie. Sed si Romæ sunt inimici Dei: at omnes inimici Dei non sunt Romæ.

X. Perficient studiosi catalogum. Nam mihi quidem iam onerosum est. Tum enim labor non est exiguus: tum præcipuè horror est infinitus. Quis enim tam duri stomachi, vt concoquere queat tantam molem, ineptiarum dico, an potius nequitiarum, & si quid durius? Nam hæc sanè nomina longè sublimiora sunt infra meritum rei. Appellentur sanè ineptiæ in rebus seculi: in humanioribus scientiis, vbi solent de acumine ingenij. At in tanto negotio? In religione? vbi nemo non potest quisquam decipere, non suo magno malo: hîc, inquam, vel ludere, blasphemare est. Sed quis igitur neget Papatum totum constare ea meris imposturis? Nā id erat initio propositū.

Cap. XI.

De imposturis circa Sanctos.

I. Libet subiicere alterum genus imposturarū, ab his, quas iam enumerauimus paulò remotius: sed certè tanto impudentius: quo testatum sit apud omnes, quanto ludibrio sint in Papatu hominum animæ: quam nihil deferant religionis honori, qui præsunt religioni. Eæ sunt circa sanctos, & reliquias: quibus ea maximam partem constat religio. Mirum quantum hîc sit horroris! quantum desperatæ impudentiæ! Adeò nihil réu·riti sunt homi- C nes: nihil Deum vereri. Nam ea quo semel in hominum animos radices egit idololatria, inde superstitio emersit, quæ paulatim degenerauit in stupiditatem: adeò vt nihil proponeretur tam nouum, tam ridiculum, tam falsum, quod non statim admitteretur, consecraretur, coleretur. Et quidem ita, vt ab semel concepta superstitione abduci nemo vlla ratione posset. Inde tot Sancti ementiti: inde tot legendæ impudentissimæ: inde tot reliquiæ suppositiæ.

II. De Sanctis specimen exhibuimus libro secundo tomi primi, in Catharina, Christophoro, D Georgio: quorum & recentia sunt & supposita, nomina dicā, an numina? vtrumque potius: adeò nullum habent ex antiquitate Ecclesiæ testimonium. Addo alios. Trium Regum incipit pudere Papistas, saltem si qui sunt paulò cordatiores. Canus locorū libro vndecimo, capite quinto, relinquit in medio, fuerint-ne verè reges, an nō fuerint: negans eos qui asserunt, nisi historiæ autoritate, quam nullam pro- E batam habuerint, sed probabilibus tātùm coniecturis nonnullis. Sic Maldonatus, in Matthæi secundum. Iansenius Concordiæ capite nono, negat constare. Contrà. Iam olim Gobelinus Persona Cosmodromij ætate sexta, capite sexagesimo, scripsit reuelata fuisse nouo Archiepiscopo Coloniensi, corpora sanctorum trium Regum: ea que quum obtinuisset ab Imperatore, perduxisse Coloniam anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quinto. Et ne dubites vulgo & prædicatum & persuasum, legen- F dariorum præsto est autoritas. Imò & Pictorum, quos non putauit Salmero indignos, quorum nomine vtereur: tractatu trigesimo octauo tomi tertij, quum hanc sententiam, vt probabiliorē amplectitur. Assentitur & Genebrardus in Chronographia. Baronius ad annum Christi primum, etsi eos procetto haberet rasse, qui Persarum reges appellarunt: fuisse tamen Reges, haberi ea pia fidelium traditione: quam ille sic explicat, vt Reges intelligantur, singulorum oppidorum Domini, quomodo Maldonatus. Feuardentius verò, vt totus igneus, Theomachiæ libro nono, capite vndecimo, in hæresibus numerat contrariam sententiam: contra quam disputat etiā Stapletonus prōptuario in festū Epiphaniæ.

III. Et quidem vt notis ingenium, serio disputatur. Magi Persis in honore, precio, veneratione quæ fuerūt, vt nec publica sine eorum cōsilio administrarentur: Ergo, hi Magi reges fuere. Rursus. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent. Reges Arabum & Saba, dona adducent*.

Psalmo septuagesimo secundo. At hi Magi obtulerunt munera: ergo sunt Reges. Tertiò, *Magos Reges ferè habet Oriens:* inquit Tertullianus, consentientibus aliis. Ergo hi Magi Reges fuerunt. Quartò, Isaiæ sexagesimo: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Ergo hi Magi reges fuerunt. Denique Iustinum Martyrem citant testem, in Colloquio cum Tryphone: & Cyprianum sermone de Baptismo Christi. Hieronymum in Psalmum septuagesimum primum: Theophylactum in Matthæi secundum. Addit Genebrardus Augustinum libro tertio de mirabilibus Scripturæ, capite quarto: & ad fratres in Eremo sermone quadragesimo tertio. Hilarium libro quarto de Trinitate. Idacium Clarum ad Varimadum. Athanasium quæstionibus ad Antiochum, & Cantacuzenum apologia prima.

IV. En argumenta! Argumenta autem? monstra potius insaniæ. Nam nec probabilium coniecturarum nomen merentur. Quid tum verò, si apud Persas Reges fuerunt Magi? At non contrà Magi reges: non, inquam, omnes magi reges. Mitte de aliis: de istis dicitur: verum, inquam, hi siue tres, siue plures sceptrum gestarint. Fuerunt in honore, pretio, veneratione. Ita esto sanè. Sed nónne apud Indos Gymnosophistæ? apud Gallos Druydæ? Et tamen non reges? Non ergo qui in pretio, iidem omnes etiam reges. At publica administrabant: nimirum vt consiliarii regum: nec omnes tamen. Reges Tharsis & Arabum, quid hic agunt? Nam primò, quis illis populis Magos assignauit vnquam? Tum autem Magi ab Oriente in Iudæam. At Tharsos ad Septentrionem potius, quia in Cilicia, & supra tricesimum sextum latitudinis gradum. Cum Iudæa ad Septentrionem vix excedat tricesimum tertium. Arabia autem ad Meridiem: non enim deserta illa; sed Petræa. Nam quod Salmero hanc ponit ad Orientem hybernum, quid nisi nugatur? Contrà enim stant tabulæ Geographicæ. Certè Ptolemæus in eam rem disertus, *Petræa Arabia terminatur ab occasu parte Ægypti exposita: à Septentrionibus Palæstina Iudæa, & parte Syria.* Sed & Christus Matthæi duodecimo, Reginam Austri vocat, eam quæ ex Saba (hæc in Arabia) venerat. Theophylactus in Matthæi secundum. *Τὴν Βαβυλῶνα διὰ τῶν μάγων προσκυνοῦσαν ἐδέξατο.* *Babylonem per Magos suscepit adorantem.* Ex Babylonia igitur Magi. At hæc Iudææ directè Orientalis, teste Ptolomæo, statuente Hierosolyma ad sexagesimum sextum longitudinis, tricesimum latitudinis: Babyloniam verò ad septuagesimum nonum longitudinis, tricesimum quintum latitudinis.

V. Quod ad testes attinet, falsò Iustinus nominatur: etsi enim de Magis agat in Colloquio cum Tryphone, nunquam tamen reges nominat. Tantùm ex Arabia venisse significat, contra Euangelistam: eáque occasione locum illum ex Psalmis eis applicat. Sermo de Christi Baptismo apud Cyprianum, cuius sit non constat: in eo legitur, *apparuit stella regibus.* Verùm in Sermone præcedēti de Natiuitate, quum plurimus sit de Magis sermo, tum de regibus ne tenuissima quidem suspicio. Commentarios in Psalmos Hieronymi non esse, certum fecit Sixtus Senensis. Apud Theophylactum nihil legi quod ad reges accedat: itaque miratus non Feuardentium solum, sed etiam Stapletonum, eius nomine esse abusum. Neque in Augustini de Mirabilibus: quanquam is liber non est eius. Autorem sermonum ad fratres in Eremo, Baronius appellat impostorem: & tamen is sermo nihil de regibus: neque Idacius Clarus: neque quæstiones illæ ad Antiochū Athanasio suppositæ: ne Hilarius quidem. Solus Cantacuzenus, vocat *αὐθέντας καὶ τοπάρχας*, iam infra regiam dignitatem. Sed Cantacuzenus recentissimus, & intra trecentos à nobis annos. Quare quum & coniecturæ illæ meræ sint *ἀστοχίαι*, & testimonia aut ementita, aut leuia: quid in hac sententia esse potest momenti? Magnum verò indicium est stolidæ superstitionis, quæ sese præbeat agendam ferendam pro paucorum arbitrio, qui sibi ierentes, vt sibi metant, adunco plebem suspendunt naso.

VI. Longinum dicunt esse militem, qui lancea Christi latus forarit: à quo vulnere sanguinem Christi per eam lanceam in Longini oculos peruenisse, atque ita sanatos; caligabant enim vel senio, vel morbo: non enim certo sciunt vtro. Et fortasse potius istis commentatoribus bromio. Hoc miraculo factum Christianum, renunciasse militiæ, vitámque monasticam excoluisse annos viginti octo: denique capto ab Octauiano præside, dentes excussos, linguam abscissam: nec minus tamen prædicasse: imò accepta securi idola omnia confregisse, è quibus dæmones, egressos vlulantes, intrasse in præsidem, eique adstantes; qui insanientes Longino se ad pedes prostrauerunt, liberatique sunt. Sed postmodum Octauianus cæcatus est. Persuasit autem ei Longinus, liberari non posse, nisi se occiso, eum martyrem factum oraturum pro ipso. Itaque iussit præses amputari caput: deinde ad corpus accessit, prostratus cum lacrymis pœnitētiam egit, vsum recepit oculorum. Hæc Iacobus de Voragine, & Petrus de Natalibus. At Metaphrastes longè aliter: vnde redarguuntur (inquit Baronius, anno trigesimo quarto paragrapho centesimo primo) *qui ex Apocryphis quibusdam scriptis tradiderunt, Longinum nomine, eundémque cæcum, fuisse militem illum qui lancea latus Domini aperuit.* Et tamen, inquam, militem fuisse illum ipsum, iampridem persuasum Papistis, & ita traditum in Martyrologio Romano, & Adonis, & Vsuardi, & Rhabani, & Notkeri. Fuit igitur impostura vniuersalis, saltem apud Romanos.

VII. Subiiciamus Petronillam. Ea Petri erat filia, si verum: quæ quum nimis speciosa esset, ex voluntate patris febribus laborauit. Titus nescio quis interrogauit, cùm omnes alios sanaret, cur hanc omitteret. Respondit Petrus, sic expedire: verùm ne defectum potentiæ quisquam suspicaretur, iussit surgere, sanam ministrare: statimque redire in lectum, ægram vt prius. Tandem sanitati restitutam, amauit Flaccus Comes, voluitque vxorem: illa finxit velle: postulauit virgines, quæ se in domum Flacci deducerent: trium dierum induciis impetratis. Interim ieiuniis vacans & orationibus intra triduum expirauit. Sic Iacobus de Voragine, Petrus de Natalibus, Rhabanus, Notkerus; Martyrologium Romanum, & Haræus. Fabulam oboluit Baronius anno sexagesimo nono, paragrapho trigesimo tertio. Et sanè Nicomedem Vsuardus scribit mortuum sub Domitiano: at in legenda Petronillæ, ab eodem Flacco Comite, statim post obitum virginis, cui Sacramentum administrauerat, dicitur accersitus, plumbatis cæsus, tum eius cadauer in Tiberim proiectum. Itaque eam oportuit esse ferè sexagenariam: adde continuum morbum: atque en tibi virginem quam aulici ambiant. Præterea, quia non aliàs [illegible] nescio quid aduertit in narratione morum [illegible] imò potius in momentanea illa sanatione. Quid

ludiones essent Apostuli: qui delectandis adstantibus miracula pararent. Nam quis erat Titus? Domesticusne Petri, id est, Christianus: an Ethnicus, & qui Petrum teotaret? Si domesticus, non tentauit: si Ethnicus, quomodo admissus ad cōmunem? Et comes ille vnde? Nam si erant comites (vt vult Baronius in Martyrologio) qui Proconsules, Præsidésque prouinciarum comitabantur, eorúmque etiam in negotijs publicis obeundis administri: quis comitibus locis erat Romæ? Nam ea neque prouincia erat, neque per procōsules, aut præsides prouinciarum administrabatur. Alia autem eius nominis notio, non est illorum temporum, sed ab æuo Constantini. Augustinus decimo septimo contra Adimantum capite, nonnihil iam suo tempore Apocryphum legi consueuisse de filia Petri paralytica ostendit. Huic ego filiæ postea nomen affictum crediderim Petronillam, quod ore pleno barbarorum redolet æui posterioris. Nam à Petro dictam voluerunt: nulla tamen analogia aut Græca, aut Latina, aut Hebraica esse profectò non potest. Quinetiam, quam natam dicant ante Apostolatum Petri, id est, ante quàm ad Christum veniret: nam tum reliquisse volunt omnia, ac propterea vxorem: quomodo Petronillā à patre vocatā dicemus, cui nondum erat nomē Petro? Nisi fortè in confirmationem indītum, id est, multis post Petri æuum seculis: quod ego quidem certissimum puto, & argumentum non postremum fabulositatis.

VIII. Longa est fabula Lazari, Mariæ Magdalenæ, Marthæ, & Maximini. Horum tres primi iisdem parentibus; quorum ditionis essent Magdalon, & vtraque Bethania, & magna pars Hierosolymorum. Stirps etiam regia: Cunctos post Stephani Martyrium, Iudæi imposuerunt naui absque remis, clauo, velis: qua delata in Prouinciam, Magdalena prædicans plurimos conuertit; principi prouinciæ impetrat prolem. Is vxorem grauidam secum imponit naui, vt Romam irent ad Petrum, oritur tempestas sæua: mulier parit, & moritur. Vir quid ageret nihil habens aliud, cadauer exponit in colle; filio ad vbera applicato, chlamydéque operto. Pergit Romam: post Hierosólyma cum Petro: inde omnibus locis sacris visitatis Romam redijt: atque in patriam. In eo colle ad ripam, calculis offendit puerulum ludentem: qui visis nautis, fugit trepidus ad mammas matris: quæ redit ipsa in vitam: agitque gratias quòd sibi Magdalene vice obstetricis ministrasset in partu. Post hæc, Lazarus fit Episcopus Massiliēsis. Magdalena abit in eremū, vbi annos triginta vixit, nullo humano cibo sumpto; sed quotidie in multā altitudinem ab Angelis eleuata supra terrā. Martha in nemore iuxta Rhodanum Draconem immanem, (qui transeuntes perimebat, nauésque mergebat) cruce aquâque benedicta reddidit agno quouis placidiorem. Maximinus factus est Episcopus Aquensis. Hæc Petrus de Natalibus, & Iacobus de Voragine: In quæ, quid attinet seuerius inquirere? Nam stirpe regia, & dominium in ipsam vrbem sanctam, cui non detegant dolum? Oblitus eram Martillam pedissequam, ingeniosè profectò à Martha denominatam, vt Petronillam à Petro. Et visitabátur scilicet eo tempore loca sancta Hierosolymis, quæ ne nominantur quidem nisi aliquot post seculis. Nam obstetricatam esse virgineo parturiente, quis pudor? Cùm hæc ante mortem peperisse dicitur, præsente viro, alijsque vectoribus. Tum quid attinebat Magdalenam eleuari in aerem ab Angelis? aut cui bono? Quasi propior inde fieret Deo. De reliquis miraculis nihil dico. Ea superant omnem stuporem. De Martha vix possum me continere; quin arcessam originem superstitionis à Mario, quem Plutarchus tradit circunduxisse mulierem Syram, Martham nomine, veneficam. Fuisse autem Marium in iis regionibus, nec paucum tempus, testes sunt fossæ Marianæ: quarum initium paulo infra Tarascum oppidū. Sed dracones eiusmodi visos in Rhodano, Monachus aliquis somniauit; quomodo Poëtæ Hippocentauros, & Pegasos.

IX. Vrsulæ, id est, vndecim millè virginum fabula sic narratur: imò sic narrabatur: filia erat regis Britanniæ elegantissima: hanc Rex Angliæ, nondum Christianus, in vxorem filio suo Etherio postulauit. Patri anxio Vrsula persuadet, vt spondeat, hac lege, vt baptizetur Etherius, sibi concedantur decem virgines; quibuscum ipsa vndecimam efficeret: tum singulis mille aliæ virgines traderentur, & differrentur nuptiæ in triennium. Fiunt ista. Accurrit Gerasina regina Siciliæ soror Dariæ matris Vrsulæ. Gerasina præest delectus virginum: quibus se socium addit Pantulus, siue Pantolus Basiliensis Episcopus: multique insuper Episcopi, & Barones, tum ex Anglia, tum ex Scotia. Ita collectus, coactúsque exercitus, toto triennio exercetur ludicris belli imaginibus: concurrunt, pugnant, fugiunt; & quæ tum fieri solent omnia. Omnes interea Virgines Vrsula conuertit ad fidem. Sub triennij finem, conscensis nauibus itur Coloniam: inde Basileam: hinc Romam. Tanto exercitui obuiam eunt Cyriacus Papa decimus nonus post Petrum; & cum eo Clerus vniuersus. Inde redeunt, assumptus socius ipsis Cyriaco Papa, qui quia inuito clero discessit, ex albo Paparum deletus est: Vincentio Cardinali presbytero, Iacobo Antiocheno Archiepiscopo, Mauritio, Leuicanæ vrbis, Follario Lucense, Sulpitio Rauennense, Marculo è Græcia; Episcopis: item Constantia, filia Dorothei regis Constantinopolitani. Dant se igitur itineri. Redeunt Coloniam assumpto prius Etherio sponso, qui monitu Angeli eis obuiam venerat. Incidunt in Hunnos, quorum princeps Iulius, à cognatis, Maximo & Africano, principibus Romanæ militiæ, admonitus, eas expectabat. Ab his tanta virorum & mulierum multitudo cæsa est, vno die, excepta Cordula, quæ in naui latibulum: postero tamē obtulit se ipsa martyrio. Sic legas apud Petrum de Natalibus: & Iacobum de Voragine: & Dionysium Carthusianum. Nec alio nomine Coloniæ adorantur.

X. Iacobus de Voragine, nonnihil scrupuli mouit de tempore: quia Sicilia nondum erat regnum: nondum etiam Constantinopolis. Itaque verisimilius arbitratur referendam historiam ad Marcianum Imperatorem, circa annum quadringentesimum quinquagesimum secundum. Quasi aut tunc iam Sicilia esset regnum; aut Constantinopoli vllus Dorotheus regnaret, & non potius ipse Marcianus. Gobelinus Persona in Cosmodromio ætate sexta, capite decimo quarto multo seuerius: & nullum fuisse Cyriacum: & Hunnos nondum cognitos, aut egressos Mæotides paludes: Britanniæ nullum regnum, Angliæ nullum: nullum Siciliæ: Constantinopolim nullam. Non potuisse Christianos eo tempore ita publicè tantóque comitatu Romam visitare: imò nondum mortis fuisse; quum paucas Ecclesias vrbs haberet. Denique originem erroris indicat: quandam fœminam (inclusámne an Mona-

cham non desinit) in Sconvvgia temporibus Friderici primi circa annum Domini millesimum centesimum sextum, quæ asseruit talia & multa alia sibi diuinis reuelationibus patefacta. Eas reuelationes sese legisse, comperisseque in multis contradicere Historię. Et tamen tanta argumentorum mole quid opus erat? Nulla enim pars est, quæ non appareat ridiculè conficta: & numerus immanis virginum, & concursus, ex omnibus orbis, vt ita dicam, partibus: & ludicra exercitia, & Barones: denique omnia.

XI. Puduit Baronium tantarum ineptiarum: Itaque questus est, deperditâ verâ, germanaque earum virginum historia, quemlibet, vt libuit, siue quæ suo ingenio commentus erat, siue quæ ab aliis leui quodam vulgi rumore acceperat, Scripturæ monumentis commendasse, non sine magno veritatis detrimento. Et est qui nos adhuc accuset? Est adhuc qui exprobret, à Caluino istas appellari Papisticorum sanctorum plerosque? Verum Baronius, idem qui hoc vlcus siue fecit, siue detexit, idem sanat: aliter narrans in Martyrologio, ex quodam manuscripto Vaticano, Gaufridi cuiusdam Asiphensis Episcopi, cuius nullam ætatem notat. Et Coronus Institutionis libri I. capite vigesimo nono negat quicquam haberi certius hac quidem parte, quã quod iste reliquit. Fabulam igitur refert Baronius ad Imperatoris Gratiani tempora. Maximum Tyrãnum, quum Gallias inuasisset, Armoricósque sedibus expulisset, agrum Britannicis militibus distribuisse; indéque nomen inditum Britannię minori: tũ eisdem vxores singulis singulas virgines è Britannia postulasse: nominatim Vrsulam filiam Dionoci reguli Cornubiæ, Conano Britanniæ regulo. Eas Londini nauibus impositas: tempestate in Germanicum litus delatas. In eas Melgam Pictorum, & Gaunum Hunnorum piratas, à Gratiano contra Maximinum excitos, irruisse: violandarum consilium cepisse: obnitentes obtruncasse. En tibi perpolitam fabulam! Et sic perpolitã fabulam amant hodie, amplectuntur hodie qui sunt paulo nasutiores: atque adeo annalibus suis insertam voluit Baronius, anno trecentesimo octogesimo tertio. Et video Vuestmonasteriensem in paucis dissentire. Polydorum Virgilium Anglicæ historiæ libro tertio, sic ferè narrare. Nec hos tantùm, sed etiam Ioannem Trithemium in Compendio Annalium, desumere ab eodem Galfredo, sic enim nominat.

XII. Sed ista non purgant imposturam. Primum Gaufridus author est fabulosus]: teste ipso Baronio, tum in Martyrologio, tum in Annalibus: Alanus Copus Dialogi quinti, capite decimo nono, *Iste poetica quadam facilitate, ea primus (ni fallor) Latinè de rebus Britannorum scripsit, quæ merito inter Ouidy, ac Luciani fabulas referri debeant. Incidit in librum quendam Britannicum, ab homine cuius adhuc nomen ignoratur, conscriptum, ac spurcißimis mendaciis scatentem, quem ille Latinum fecit.* Denique non historicum, non hominem, sed portentum appellat: notát que annis trecentis Beda recentiorem. Itaque ipse Baronius hanc narrationem nõ vt certam, sed vt priori verisimiliorem, id est, minus absurdam, admittit. Trithemius fidem videtur vellicare: negans ab Hunibaldo notatam, sed à Galfredo tantùm. Ab isto quum reliqui habeant, habẽt omnes à fabuloso scriptore: itaque nihil certi. Vuestmonasteriensis ipse etiam, quàm sit ridiculus, ij soli non norunt, qui non legerunt.

XIII. Adde *diaphonias*. Baronij Gaufridus virgines narrat euocatas à Maximo. At Trithemij Galfredus, consentiente Vuestmonasteriensi, à Connano, post Maximi è Britannia Armorica discessum. Rursum Baronius, siue Baronij Gaufridus, vndecim millia virginum numerat solum. At Trithemij Galfredus & Vuestmonasteriensis addũt mulierum sexaginta millia. Papæ! Ex vnica insula, septuaginta millia fœminei sexus, vno die exisse? Credant anus decrepitæ: Credant Papistæ: Nam quis cordatus? Tum autem perisse omnes ad vnam. Quid igitur factum militibus in Armorica? Militibus, inquam, qui & Ethnicis copulari horrebant, omnes Christiani: nec Gallis consentire poterant, hostibus? Nã ita notat Trithemius. An igitur rursus ex eadem insula accersita septuaginta mulierum millia? Hoc restat, vt his autoribus idem iuris fuerit cũ Pompeio: ille se si terram pede pulsasset, militum legiones suscitaturum iactabat. Istis mulierum myriadas facilius est in scenam producere, quàm arenæ ἄμμα vẽti ludibria excitare. Denique quum nesciant, quæ facta sunt dicere, quicquid ipsis dictum factum volunt. Beati sua hac noua omnipotentia.

XIV. Mitto sigillatim imposturæ capita numerare Connanum inspiratione conuersum, postea martyrem. Vndecim nullæ virgines Ethnicas ab Vrsula factas Christianas. Cyriacum Papam, tot Episcopos: Reginam Siciliæ, reliquum omnem comitatum; tantum, tam magnificum: omnes accurrentes ad certum, prædictũmque martyrium. Mitto multa eiusmodi, quæ nasutior Baronius, nasutioresque Iesuitæ vna litura inducunt: disertissimum nobis argumentum sufficientes, quo Papisticorum Prædicatorum imposturam conuincamus. Explicent mihi saltem, primum quid ad has virgines Colonia. Deinde, quo iure adorentur. Nam Colonia procul abest à mari. Itaque non potuerunt eò tempestate deferri. Vnde, Legendarij finxerunt aduerso Rheno nauigasse. Quid ergo? Est ne iam tandem Coloniensibus hodie magni scilicet viri, Cardinalis Baronij, aut certè eorum qui apud eos regnum obtinent, Iesuitarum autoritate persuasum, non obisse apud eos martyrium? Ergo postea plaustris delata cadauera oportuit. Quo autore? Quo anno? Quibus testibus? An potius hic etiam mera impostura?

XV. De adoratione quid dicã? Adorãtur, inquiunt, tanquam martyres. Non inquirã, vtrum sit hæc latus legitima caussa: esto id alterius Cõtrouersiæ. Hoc quæro; quo iure martyres. Imò quo iure duplici auctas corona, martyrij, & virginitatis, nam tertiam omitto, doctoris, quam Carthusianus defert Vrsulæ, ob sociarum conuersionem. Martyres ergo, inquam, quo iure? Mortem enim passæ non dicuntur ob vllam Christi confessionem: sed iure belli: quia Hunni Gratiano militabant contra Maximinum; à cuius partibus stabat Connanus, imò tota Britannia; cuius eum regem Trithemius appellat. Quod si quicunque Christiani ab Ethnicis bello sunt cæsi, totidem sunt martyres; quid obstat quominus Legendis, & Calendariis totæ legiones; imò toti exercitus adscribantur? Quid? poterántne esse martyres, si non essent Christianæ? Vnde autem tantus Christianarum numerus in Anglia, quam ad Christum conuersam iactitant demum ab Augustino illo, quem Gregorius eius nominis primus ei negotio destinauit? Seculis aliquot post id temporis: si id temporis vnquam fuit? Quam ob caussam apparet Legendarios finxisse conuersas ab Vrsula: vt quadam verisimilitudine fallerent. Etsi fateor fuisse, tum in Anglia

Chri-

Christianos: sed à verisimili procul abest tantū numerum Christianarum fœminarum excepti potuisse. Et si potuerunt, certè falsa erit Gregorio tributa laus Angliæ ad Christum conuersæ.

XVI. Virginitatis saltem coronam meritæ sunt, inquies. Fortasse, inquam. Sed primum, vnde habes, adorandas ob virginitatem? quis Scripturæ locus docuit? quod veteris Ecclesiæ exemplum sanciuit? quæ ratio probat? Deinde, vnde illis virginitatis corona? Non enim ex voto. Quia properabant ad nuptias. Bellarminus Mariam negat vnquam habuisse explicitum animum consummandi matrimonium: quia alioqui nō fuisset virgo animo, sed carne. Atqui hæ consummandi habebant explicitum animum. Cur virgines potius, quàm Maria? Molliter Trithemius, *Nec defuerunt aliquæ forsan, quæ castitatem nuptiis præferentes, in qualibet terra maluissent vitam amittere, quàm maritari.* Vuestmonasteriensis, *Erant quædam ex iis, quæ castitatem nuptiis præferentes maluissent vitam amittere, quàm hoc modo, maritis etiam nobilibus copulari.* Ergo non omnes: sed tantùm quædam, & tamen adorantur omnes. Nisi fortè ita discreuisse tempestatem dicant, vt omnes interierint, quæ nuptiis studebant. Hunnis solæ seruatæ sint, quæ virginitatem affectabant. Quod quis credat? Et contrà tenet fabula, omnes occisas promiscuè. Tum vero, si mortem præferebant, cur non in ipsa Britannia? Cur naues ascendebant? Imò necesse est eorum non fuisse Christianos, assuefactos ei voto: Nam quomodo Christiani parentes ei se opposuissent? Imò quis credat, Cononanum Christianum, inuitam vxorem habere voluisse? Dionotum inuitam filiam nuptùs dedisse? An omnia potiùs fabulosa? Id solum verisimile: obstitisse stupro illato: fortè etiam occisas. Verùm hæc laus illis est communis cum aliis etiam Ethnicis. Non enim id agebatur, vt ne essent virgines: contrà enim consenserant, eòque consilio naues conscenderant: sed vt essent scorta; saturarèntque militum libidinem: quod nulla pudica possit ferre: nedum Christiana. Quanquam ipsa cædes & fœminarum, & tam numerosa, exēplo caret, etiam apud barbaras gentes. Itaque fingunt non fuisse otium Hunnis properantibus, hanc mulierum perniciem delinire. Satis astutè. Scilicet properabant Hunni. Quò autem? Nam nihil aliud illi dicuntur, nisi infestasse ea maria. Nimirum longè tutius fuerit in vniuersum tam absurdam, ineptam, malè consutam fabulam negare: cuius qui meminerit, vetus autor nullus est: imò nullus nisi à Gaufrido, siue Galfredo fabuloso scriptore: id est, dignissimo qui Papistis segetem prouideret Sanctorum, siue potius idolorum.

XVII. Nec prætereunda Septem dormientium fabula, ita mihi sint Iesuitæ propitij. Christianos Decius crudeliter infestabat: tū septem fratres Ephesini fugiunt in montem Celion, abdont se in spelunca. Hanc Decius iubet claudi obiecto muro, qui cùm ædificaretur, duo Christiani lapidibus subulites inserunt acta huius martyrij. Fratres obdormiscunt. Annis deinde paulo minus ducentis, regnante Theodosio iuniore, excitatur hæresis quorundam negantium resurrectionem. Accidit, vt ciuis quidam Ephesinus, destinans caulam ex ea spelunca facere, murum dirueret, fratres excitantur, putantes vnam tantùm noctem dormisse: mittunt seruum (vt solebant) in vrbem ad emendos panes. Is Episcopo præsentatur, qui eo audito pergit ad speluncam: adstat perit forte fortuna inter lapides: fratres venerantur. Accersitur Imperator: citus accurrit, audiuit ab eis fidem resurrectionis: qua exposita, obdormiunt iterum. Atque is finis, sed hodie antrum adhuc ostentatur, teste autoptа Henrico de Beauvan in Itinerario, sed in Cypro insula: quasi in Cypro Ephesus esset. Baronius non potuit sibi temperare; quominus falsitatis argumenta colligeret in Martyrologio ad vigesimam septimam diem Iulij; quæ illis Ephesinis dicitur sacra. Primò, nulla hæresis fuit Theodosij tempore, quę resurrectionem impugnaret. Secundò, nemo omnium scriptorum eius temporis, rem tantam, tam miram, tam extra ordinem, scripsit, quum tamē tot aliæ minutiores longè non sint omissæ. Tertiò, Theodosij tēpore fuit Episcopus Ephesinus Stephanus, vir nequam, qui armis eam sedem occupauit, communicauitque Eutycheti, & Dioscoro in Ephesina Synodo λῃστρικῇ. Et concludit in hæc verba, *Quid in hac re sentiendum sit, ego minimè decerno: nec mihi tantum sumo vt hæc audeam definire: quamuis in priorem sententiam sim proclinior.* Mollia verba mollissimi Papistæ: qui etiam instanti veritati lubens reluctetur. Adde nouam, inusitatam, dogmatum probandorum rationem. Quid hæc sapit narratio, præter fabulam? Atque ita est: mera est fabula. Itaque tandem rigidior Baronius anno quinquagesimo tertio seculi noni, numerat inter fabulas orbi Christiano persuasas, cum templo Pacis collapso: anima Traiani ab inferis reuocata: Cyriaco Papa, & aliis.

CAP. XII.

De Imposturis reliquiarum.

I. QVi in Sanctis impudētes, in reliquiis Sanctorum fuere prostitutæ frontis. Nam ex quo audita illa vox est, *Adoramus non solùm crucem, sed & omnia quæ sunt Christi*, apud Thomam tertiæ partis quæstione vicesima quarta, articulo quarto: &, *qui habet affectum ad aliquem, etiam ea quæ de ipso relinquuntur post mortem veneratur*, articulo sexto Et *πάντα τὰ Θεῷ ἀνακείμενα προσκυνοῦμεν, quæcunque Deo adhæserunt, adoramus*, apud Damascenum Thesauri libro quarto, capite duodecimo. Ab eo, inquā, tempore, laxata sunt fræna non idololatriæ tantùm: sed etiam indiuiduæ comiti imposturæ: vt deinceps neutra cohiberi potuerit. Hinc immensus ille quisquiliarum numerus, quibus iampridem orbis oneratur, stupida fatigantur ingenia. Certè enim reliquiarum plus est ferè, quàm muscarum est, cùm calet maximè.

II. Et illas quis dubitet esse commentitias, quæ repetitæ à primis seculis, nullam tamen meruere mentionem, non dico in Scriptura; sed ne in tota quidem Ecclesia; nisi post inuectas imagines, id est, post elapsa secula minimum octo. Magna scilicet fides Gunthero, qui in historia Constantinopolitana testatur Martinum abbatem retulisse in Germaniam nonnihil de lapide super quo Iacob dormiuit. An stupidissima credulitas fuit idololatrarum, apud Iudæos eum lapidem conseruatum? Quid? quod esse in Corsica apud Sanctæ Catharinæ de Sisco, exiguū quid terræ ex qua formatus fuit Adam, didicimus ab Antōpetro Philippino, Archidiacono Marianæ, lib. 12. historiæ Corsicæ? Ex tractatu rerum mirabilium quæ Romæ sunt, Arcam ostentari fœderis, & Virgam Aaronis, ac Mosis; quas tamen constat nul-

quam visas aliquot ante Christum seculis.

III. Ragusini ostentant linteum à Pastoribus allatum ad Christum infantē, teste Henrico de Beauuao in Itinerario Hierosolymitano. Martinus ille Guntheri detulit aliquid de lapide, vbi Ioannes steterat, quando Dominum baptizauit: de lapide super quem Christus fuit templo præsentatus, de illo vbi ieiunauit. In Corsica apud eundem Antompetrum, aliquid ex lapide in quo idem alloquutus Samaritanam: aliquid de cereo, cum quo inducta Virgo in templum ad purificationē. In tractatu de Mirabilibus Romę altare, quo Baptistes vtebatur in deserto. Proh fidem, & religionem! Quid hoc est imposturarum? Adeon' stupidos fuisse vllos, vt ritus Iudaicos veteres metirentur ex recentibus Papisticis?

IV. Christi vnam lacrymulam apud se extare Vendoeini habent pro certo; ex iis lacrymis quæ exciderunt cùm Lazarum defleret. Vidi ipse ego thecam; cum inscriptis versibus, Ἔξω Λάζαρι ἴδες, ἐς ἴδιον αὐτὸς ἑταίρου ὄμμασιν ἀκλαίζοντ᾽ ἔδωκε δάκρυα λείβων. Christi præputium tum Romæ ad Ioannis Lateranensis, tū Charrouij apud Pictones adoratur. Quod ni cœlos ascendisset integer, id passus esset absque dubio quod à canibus suis Actæō, in infinita discerptus frustula. Sed sanguinis tamen vestigia Martinus ille asportauit & nescio quantum meruere apud Salyes, qui ad Sancti Maximini habitant.

V. Sed quæ non potuit in ipso corpore sese superstitio exercere, vertit ad ea vel quæ illi adiacuerunt, vel quibus ipsum adiacuit. Martinus ille aliquid de Natiuitatis loco, de loco Caluariæ, de sepulcro, de lapide reuoluto, de loco ascensionis, de loco vbi Lazarum suscitauit, de tabula super qua cœnauit, de loco vbi est captus. Antompetrus in Corsica laudat frustillum lapidis sancti sepulcri, lapidem ex monte Caluariæ, ex præsepe, ex loco vbi quadragesimam perfecit. Præsepe non Romæ est tantùm, sed etiam alicubi in Hispania, apud quos item fabucula est. Nam de cruce quid dicam? Aut vbi non est illa terrarum, per partes, & particulas? Nam persuasum distrahi, nec minui.

VI. In infinitis sanctorum myriadibus habuit stupiditas Idololatriæ quo se abundè exerceret. Nicolaus Thuanus Carnotēsis Episcopus in Explicatione Missæ, testis est religiosè seruari à Carnutibus, illustrem camisiam, quam induta erat Virgo tum cùm obumbraretur à Spiritu Sancto. donatam à Carolo Caluo rege Galliæ. Aliam ostentant Aquenses in Germania. Pepla, cingulum, calceos, pectines, zonam, capillos, & quid non præterea? varij loci vendicant. Etiam Virginei lactis vasculum miro candore haberi in Ecclesia Lateranensi Blondus scripsit Instauratæ Romæ tertio. Antompetrus retulit crumenam Virginis, & Mariæ Magdalenæ, & Catharinæ.

VII. Pisanus nescio quis Papæ legatus in Palæstina, vel scripsit, vel scripsisse fingitur ad Paschalē secundum; pro satisfactione tribulationum lanceam Christi (sic enim appellat, pro ea, qua fuit ei apertū latus) Antiochiæ fuisse repertam, quam ab ipso crucifixi die, Christianorum nemo viderat, audierat. Literas tamen eas Baronius Annalibus suis dignas existimauit, & inseruit anno millesimo centesimo. Robertus eiusdem æui Monachus editus à Iusto Reubero, autor sanè inficetus, insulsúsque, addit reuelatam in somnis à Sancto Andrea, indicatúmq; ipsissimum locum in quo lateret. Sed ludicram oportet fuisse, nullo armatam ferro si verum narrāt historiæ. Nam Bajazetes Turcarum Imperator id ferrum Innocentio octauo misit magnum munus teste Panuinio in Innocentio.

VIII. Alia lancea est (quanquam Franciscus Moschus tractatu de reliquiis, vult esse eandem, nec nostra interest, vtrum verius) quàm quum esse apud Rudolphum Burgūdum acceptam à Samsone Comite, Henricus Saxo inaudisset Ottonis filius, primo amicè postulauit: deinde renocati minas addidit se igne ferróque eius prouinciam vastaturum. Quum ne ita quidem moueret factum diuinitus, vt flecteretur Rudolphus, consentiretque ad Imperatorem trāsire hoc tantùm [illegible], acceptis tamen multisque magnísque auri argenti muneribus, sed & Sueuiæ parte non minima. Miræ pietatis historiam! Mirum & in Henrico zelum, exeuntem in ferrum flammásque: & in Rudolpho Spiritus Sancti testimoniū, tam difficile mutanti [illegible]. Ne leuem fabulam putes, descripta est à Baronio ex actis S. Gerardi, anno nongentesimo vicesimo nono.

IX. Vin scire cuiusmodi lancea fuerit? Variant Poetæ. Krantsius Saxoniæ libro tertio, capite sexto, aspectu mirabilem: iuxta mediam spinam fenestellis intercisam, crucibus de dominico ligno insignitam. Luitprandus verò libro quarto, capite duodecimo, habuisse iuxta limbum vtrobique fenestras, in iisque cruces ex clauis quibus affixus olim Dominus. Sigebertus ex clauis ipsis factam: quod quia monstrosum, Baronius mulsitur, ex aliqua parte claui alij ferro permixta elaboratam censens. Nimirum labor maximus, consentire mendaces. Quid ergo Daniel pronunciaret si viueret? Proculdubio idem quod qui viuunt Catholici, imposturam fecisse idololatras; Imposturam passos esse idololatras. Hanc tamen audacter asserunt fuisse Constantini Magni. Papæ! innotuisse Monachis post annos sexcentos lanceam Constantini, quam οἱ [illegible] non magis viderint quàm Bellerophontes clypeum poetæ.

X. Enimuerò de clauis quid statuendum? Quanquam ne de ligno quidem verisimile. Testatur enim Theodoretus in duas partes sectum: vnam relictam Hierosolymis, alteram translatam Constantinopolim, & in Imperatoris palatio repositam. Etsi igitur fieri potuerit, vt postea comminuerentur in infinita frusta (quibus hodie comportandis vix sufficiat nauis oneraria, nedum Arimathæus) tamen hæc lancea, si est de iis frustis, frustillisve, nihil attinuit ad Constantinum Imperatorem, cui tamen primo omnes assignant.

XI. Sed de clauis (vt dicebam) quid agas? Primùm, quot illi fuerint, Papistis incertum. Tres nonnulli singulos singulis manibus, vnum ambobus simul pedibus: alij quatuor defendunt tondem pedibus, quot manibus. Sed nemo tamen plures. Inuentos ab Helena qui tradunt, iidem tradunt vnum additum coronæ Constantini: è duobus factum frenum. Quartum Gregorius Toronensis autor est ab Helena proiectum in mare sedandæ tempestati. Quis locus lanceæ? Imò quis locus Baronianæ coniecturæ de frusto alij ferro addito? Quanquam quid hîc mirum, si non mirum apud Mediolanenses vnum esse, Romæ alium ad diuæ Helenæ, tertium ibidem ad Sanctæ crucis; quartum Senis: quintum Venetiis: sextum Coloniæ ad trium Mariarum: septimum ad Sancti Dionysij in Francia: octauum Lutetiæ in Sancto sacello: nonum ibidem apud Carmelitas: decimum apud Bituriges: vndecimum

in

in Abbatia cui à forcipibus nomen: duodecimum Diaguiniani. Quid? quod Carpentoractenses vicini nostri frenum habent factum ex duobus, vulgo dictum *La Sancte Bride*? Ergo quatuordecim omnino claui sunt, si tamen nullum ignoremus. Et dicet aliquis nullam factam imposturam? Pudentiùs olim Ethnici, Iphigeniæ gladium duabus assignarunt vrbibus, apud Dionem Cassium lib. tricesimo quinto. Comana duas vrbes Cappadociæ homonymas, ait, *μυθολογοῦσι καὶ ἀμφότεραι τά τε ἄλλα πάντα ἐκ τοῦ ὁμοίου, καὶ τὸ ξίφος ὡς αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ τῆς Ἰφιγενείας ἐν, ἀμφότεραι ἔχειν. fabulari ostentaréque se vtramque habere cum alia omnia, tum eundem ipsum gladium, qui fuit Iphigeniæ.*

XII. Imposturam non purgat Baronius, sed excusat. Fortasse accidit (inquit anno trecentesimo vicesimo sexto) vt ex aliquo clauorum Christi modica singulis accesserit ferri portio: vel potius deperditis antiquioribus monumentis, claui illi, quibus compacta sunt ligna crucis, crediti ipsi fuerint, quibus Christi membra fixa: & forte alicubi, vt clauus inter sacras reliquias asseruatus martyris cuiusdam, ipsius Christi fuerit existimatus. En tibi mentem reprobam: quæ cùm omnia rimetur, nihil tamen inuenit, quo tantam imposturam queat incrustare. Sed cur hæc potius, aut omnia, aut singula, quàm illusum fuisse orbi idololatrico? Itaque ad extremum. Quicquid sit, inquit, fides purgat facinus. Sic: sic iampridem Papistæ, quauis stupiditate stupidiorem insaniam nouerunt fidem appellare. At cur non potius cæcam obedientiam, quam his demum temporibus Iesuitæ indigetarunt? O verè cæci cæcorum duces! O verè cæci cæcorum sequaces! Sed enim ego Ethnicum putabam apophthegma: *ὡς ἀκριβῶς ἐξετάζειν χρὴ τὰ ὑπὲρ τοῦ Θείου ἐκ παλαιοῦ μεμυθολογημένα, Non debere quenquam curiosius scrutari veteres de rebus religiosis fabulas*: quæ verba sunt Arriani quinto de Alexandri expeditione.

XIII. Adiuro, obtestórque omnes Christianos, vt apud se reputent ab vna eadémque officina hanc *ἀνθρωπαρεσκίαν* prodisse, quæ nobis nobiles cudit fabulas, quas nunc dicam. Agnetem virginem abnuentem nuptias nescio cuius vrbis præfecti, dixisse Christum se sibi dato annulo despondisse. Hunc annulum fidei Petrus de Natalibus dixit: sed non est passa superstitio. Blondum lege Instauratæ Romæ tertio, eóque extremo, *Agnetis virgunculæ annulus Dei sponsi sui dono de cælo missus apud celebrem, pulcherrimámque illius in via Numentana Ecclesiam seruatur.* Merum Christianitatis iecur. Similis lusus in Catharina apud Petrum de Natalibus, Iacobum de Voragine, Dionysium Carthusianum. Ei noctu Christum apparuisse, eam cœlesti annulo subarrasse: hunc illam excitatam in digito repperisse, matríque ostendisse. Simile de altera Catharina Senensi prodidit Antoninus historiæ Titulo vicesimo tertio, capite decimo quarto, paragrapho sexto. Visa dicitur Christum ei apparuisse, visibiliter sibi eam desponsasse, adstantibus (ne nihil deesset pompæ) virgine, Ioanne, Paulo, Dominico paranymphis: addito annulo aureo habente in circulo quatuor margarita, cum adamante: Credin' imaginarium, aut metaphoricum? At disparente cætera visione, hic remansit in annulari digito dextro: adeo exquisitè Antoninus explorauerat. Sed ò somnolentiam! O negligentiam! O sacratum rerum contemptum! O facinus! Neuter neutrius Catharinæ annulus legitur in reliquias relatus. Nisi ego non omnia legerim.

XIV. Apud Krantzium tum Metropolis libro quarto, capite nono, tum Saxoniæ libro quarto, capite tricesimo quinto, legas in Ecclesia Mersburgensi ostentari calicem aureum, reliquias Henrici secundi Imperatoris. Audite fabulam elegantem: fabulam verè papisticam: quandoquidem Papistæ hominum ingeniosissimi in his nugis excogitandis. Henricus moritur: Sistitur examinandus vtro dignior sit cœlóne an Tartaro. Nam apud Papistas nemo potitur cœlo per gratiam: omnes oportet vi meritorum diripere. In eo iudicio præbet se aduersarium Diabolus, pro more, Vt sit exactissimum iudicium, affertur statera appendendis operibus bonis, malísque; vt secundùm ea, quæ lancem deprimerent, sententia esset, vt fieri amat in tabernis mercatorum: Nam quem ignem Paulus olim dicebat, eum credo mutasse naturam, & deputatum solis malis purgandis. Ei, appendendi opera, muneri legisse memini præfectum Michaelem Archangelum. Ac sanè mirum alicubi inter reliquias non ostentari alterutram lancem: nisi, ne simul & in terris adorari, & in cœlis officio suo fungi nequeat. Quanquam, quid vetaret esse Angelo, vt mercatoribus, trutinas? Sed quum examen fieret, prægrauabant mala. Perierat Henricus, nisi Laurentius succurrisset. Hic, vt bonorum lanx præualeret, iniecit. Quid? Aliquídne de cruce Christi? aliquid de clauis? aliquid de sanguine? Nugæ: hæc enim Christianos faciunt: non faciunt Sanctos apud Papistas. Quid ergo? Calicem ab Henrico sibi donatum; credo, vt nectar potaret, cratis suæ oblitus. Tanto addito pondere vicerunt bona: Henricus absoluitur. Hoc tam inexpectato euentu obstupefactus Diabolus, inque iram totus conuersus calicem deiecit: in terram, dico, an in cœlum? an in Tartarum? Vt libet: sed tanta ea vis fuit, vt altera frangeretur ansa. In tantæ rei perpetuam memoriam Mesburgenses calicem sic mutilum adorant: nec tam deuotè adorarent, non mutilum. Quæris tu, quomodo redemptum à Laurentio, Michaélevé? Dicant qui omnia sciunt: *καὶ ὡς ζῶσι ὄγκον τὸ ὄφλημα.* At Krantzius breuiori compendio, & sanctiori, negat fabulam credere.

XV. Apud Parisios ostentatur dens Christophori: alterum sibi in Hispania ostentatum, pugno maiorem Viues notauit in nonum caput decimi quinti de ciuitate Dei. Genua tertium seruat, teste Itinerario Stunicæ. Commentariis Carthusiani in Genesin præfixum est fragmentum ex Chronica Felicis Coloniæ Agrippinæ. In eo, inter reliquias numeratur Georgij non brachium tantùm, sed etiam gladius, quo Draconem occidit. Et tamen, tum Christophorum, tum Georgij pugnam, quis hodie non dixit allegoricè proponi? Similis lusus apud Theodorum Studitem in dogmatica de honore imaginum, asseruari Romæ claues Petri Apostoli. Fertilis, ita me Papismus amplexetur, reliquiarum ager. Allegoria. Possunt ludere Pontifices, securi numquam defuturam ab hoc agro opulentissimam messem.

XVI. Audi rursus pueriles lusus, quibus orbis vniuersus est dementatus. Lauretanum sacellum est in extrema Italia, ad eam, quam vocant, Marcam Anconitanam. Cameram tradunt fuisse Virginis, in qua sit nata (quanquam id priuilegij cuidam speluncæ Hierosolymis vendicet Henricus de Beau. in Itinerario) in qua educata, sed & ab An-

gelo salutata: in qua filium nutriuit ad vsque annos duodecim. Hanc fuisse partem domus Virginis in ciuitate Galileæ, cui nomē Nazareth. Hem, tam longè ab Italia! vnde ergo Anconæ? Arrige aures. Post ascensionem Domini, communi Virginis Apostolorùmque consilio consecratam in Ecclesiam: illustratam imagine Virginis, ab ipso Luca pictæ: Nam credo Lucam adscitum in numerum discipulorum; vt solent hodie Iesuitæ in suum ordinem omne genus ferme artificum intrudere, ne alienis indigeant. Magno itaque honore habitam, & honoratam deinceps à Christianis earum regionum: nondum enim puto peregrinationes inualuerant, quæ aliarum regionum Christianos eò deferrent. Sed inualescente Mahometismo ablatam inde ab Angelis in Sclauoniam, locatámque in castro, cui nomen Flumen: secundò, quia non honorabatur pro virginis desiderio, delatam in agrum Recanatensem, depositámque in media sylua, quam possidebat matrona Loreta, vnde nomen deinceps Cameræ impositum, permanet ad hodiernam diem Magnum huc vndique confluentium numerum, latrociniis infamē saltum fecisse. Itaque tertiò translatam in montem quendam duorum fratrum iuri subditum, qui non potuerunt inter se tanto lucro oblato concordes esse. Quare postremò depositam, vbi nunc est, loco feliciori. Quæris, vnde constent hæc omnia? Anno millesimo ducentesimo nonagesimo, cuidam viro sancto & deuoto apparuit Maria ipsa (nam res tanta non patiebatur internuncios) elegantémque fabulam reuelauit. Creditum viro: non tamen leuiter. Missi sedecim viri in Iudæam, vbi ibémque ipsam Nazareth: qui palpatis omnibus, fundamentorum mensuram constare compererunt. Coronus vir minimè malus, calcem addit, cementúmque comparatum. Quis neget esse veritatis argumenta certissima, demonstrationes oculares? Quid? quod scriptum in muro inuentum, quod testabatur eo loci fuisse Ecclesiam, & recessisse: & puto regiis notariis signatum, testibus etiam præsentibus confirmatum; quanquam addere neglexit poeta. Tertiò Paulus quidam in sylua degens, die dicata Natiuitati Virginis, altera ante lucem hora, cœlo sereno, vidit lumen de cœlo in eam Ecclesiam descendere. Quartò, alius quidam testatus est triauum suum vidisse Angelos deferentes in syluam: agnitos credo sibi ea aliis picturatis instar papilionum. Et iam contradicat quisquam?

XVII. Καλὸ μὲν χαρακὰ, ἀλλ' ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει, inquiebat apud Æsopum vulpecula. Quid-ni de Papistis Catholici? Apud quos hæc tam insana narratio fidem inuenit? Ortam è Nazareth Virginem, scio dictum: & verisimiliter: atque esto sanè. At in matris domo filium nutritum, videtur alienius. Nam in viri domum vxores transire quis nescit? Sed Apostolos consecrasse Ecclesiam lapideam, éstne qui possit pro certo habere? Tursellinus capite primo libri primi Lauretanæ historiæ: sed dixit tam breuiter, tam præcipiti festinatione, vt vix dixisse videatur. Atqui lapideæ Ecclesiæ in Christiana historia nulla mentio, nisi aliquot seculis exactis. Magno honore cultam, si opus est fateri, quî factum vt Veterum nemo: prorsus, inquam, Veterum nemo antiquus Pater eius meminerit? Vt Tursellinus coactus sit Nicephorum testem laudare, à quo habet ab Helena peramœnum excitatum templum. Qui iestus, cùm scripserit post secula tredecim, quid potest fidei mereri, in rebus tam remoti æui: & quidem in tanto aliorum silentio? Addo eidem dictum, *Et salutationis Angelica domo reperta, Dei genitrici peramœnum excitauit templum.* Vbi nota repertam domum: nempe quomodo repertam crucem. Ignotam ergo ante id temporis. Vbi ergo perpetua veneratio? Mirum autem toties mutato loco opus fuisse: & tam sæpe frustra Angelorum operam, imò Virginis consilium. Et verò notat Tursellinus, nemus illud fuisse non amplius passus distare Laureto: collem fratrum, intra ipsam vrbem esse. Quod certè non est tantum spatium, vt non potuerint latrocinia inhiberi. Quanquam hodie magnus numerus est locorum in desertis, vt ita dicam, locis, à quibus tamen non exulat superstitio: & mirum est, tunc temporis tam frigidos fuisse Christianos, cùm hodie nulla possit Turcarum duritie inhibere peregrinos à locis, quos appellant terræ sanctæ. Denique valde velim apud Papistas definitum, cur potius interfuerit Virginis transferri hanc domunculam: quàm Christi, suum sepulcrum.

XVIII. Ab vno exemplo facilis coniectura multorum. Nam, quid non fuerint ausi, qui vbique plebem tam facilem, tam opportunam fraudibus offendêre? Scripserunt nonnulli, teste Mutio Chronicorum Germanicorum libro octauo, Carolum Magnum profectum Hierusalem, multas inde secum reliquias asportasse; quæ ad hunc vsque diem in quibusdam Germaniæ, Galliæque Ecclesiis maioribus ostententur: Gobelinus Cosmodromij ætate sexta, capite quadragesimo disertè notat partem de Corona Domini, camisiam beatæ Virginis, brachium Sancti Simeonis, Aquisgrani recondita in Ecclesia Sanctæ Mariæ Virginis. At Vuestmonasteriensis ad annum nongentesimum decimum, significat eandem camisiam apud Carnutes depositam, eáque vsos Carnutenses pro militari vexillo, indéque obsidione liberatos. Vtris credendum? An potius neutris? Nam falsum est Carolum Hierosolyma adiisse, & aduersarium omnibus historiis.

XIX. Quanquam non soli Aquisgranenses & Carnutenses occasionem habent contentionum. Nam hodie Viennenses nostri sibi asserunt Antonij corpus integrum: ast Arelatenses apud se caput esse dejerant, iubéntque adorari: quæ magnæ olim contentionis causa fuit, quam vide in Arrestis Paponi, subtilitatem mirantis Iudicum, qui ausi Dionysios distinguere, Areopagitam à Corinthio, ni me fallit memoria. Similis lusus in Iacobo, quem integrum non esse apud Compostellanos nondum legeram. Verùm Tholosates nostri, teste Nicolao Bertrando in Tholosanorum gestis, Iacobum maiorem totum sibi vendicant, minoris autem truncum: nam caput profitentur gratis dedisse Compostellanis.

XX. Otho secundus Imperator, capto Beneuento Romam transtulit ossa Sancti Bartholomæi, collocauítque in insula. Et tamen Beneuentani asserunt apud se esse: & illusum fuisse Imperatori ab æditvo suppositis alterius cuiusdam ossibus. Ita narrant Gobelinus ætate sexta, capite quadragesimo nono: & Krantzius Metropolis libro tertio,

rio, capite tricesimo quinto. Reliquias Mariæ Magdalenæ in Prouincia Narbonensi conditas primum Aquis Sextiis, inde translatas in Cœnobium Vicelineum Legenda habet, & populis ita persuasum. Lazari quoque corpus Massilienses iurant apud se esse. Verùm obsistunt Orientales, siue Ephesini, teste Sigeberto ad annum septingentesimum quadragesimum quintum, siue potius Constantinopolitani, qui ad se Epheso migrasse gloriantur, translatum à Leone sexto Imperatore, testibus Zonara, & Cedreno in eius Imperatoris vita: & Menologio Græcorum ad decimum septimum Octobris.

XXI. Iam verò Francis nostris, quid sanctius Dionysio Areopagita, Apostolo suo? Illo apud Parisios secuti percussò: illo, qui caput recisum propriis manibus gestasse dicitur ad duo millia passuum, apud Haræum nono Octobris? At Ratisbonenses huius reliquias esse suas parati sunt quouis sacramento contendere, translatas apud se ab Arnulpho Imperatore, teste Krantzio Metropolis libro secundo, capite octauo. Quinetiam lite mota secundùm se iudicatum ostendunt à Papa (quanto, quàm certo Iudice?) Leone nono, teste eodem Krantzio Saxoniæ libro quarto, capite tricesimo quinto: sed & Baronio, anno millesimo quinquagesimo secundo: describente diligentissimè Papæ literas in eam rem: in quibus videas infinitum veritatis inquirendæ studium: inspecta scripta, scrinia, capsas, thecas, titulos, epigrammata, picturas, sculpturas, & quid non? Addita portenta, prodigiaque dextra, quæ dubium omne penitus abigerent. His omnibus visis, palpatis, ponderatis, tandem, de scrinio illo iuris humani diuinique, pronunciatur magnificè, Dionysij ossa venerabilia, excepta particula vnica; eaque minima, manus dexteræ, Ratisponæ esse ad Diui Emeranni. Hoc tanquam fulgure prostratus tantus Apostolus, relicto suo in Galliis magnifico *θανάτῳ*, cogitur exul alieno tecto vti: fortè nec sua quadra viuere. Sed repugnant tamen magnis animis Parisienses, pro suo iure, quo soliti sunt Romanorum Episcoporum decreta non putare omni exceptione maiora. Rigordus enim de gestis Philippi Augusti, testatur tum cum hæc inquisitio fieret à Papa in Germania, fuisse in Galliâ diligenter ab Hěrico primo Rege vestigatum præsentibus Imperatoris legatis, inuentumque & agnitum eius Dionysij corpus integrum, exceptis duobus ossibus de collo, quæ essent in Ecclesia Vergiacensi, & osse quodam brachij, quod Stephanus Papa tertius Romam deportasset. Quanquam Krantzius Saxoniæ tertio capite sexto, recitet à Carolo Simplice missam fuisse manum eius corporis ad Henricum in Germaniam, quam qui primus amulserat, tactus fuerit perpetua amentia. Addidit verba, *Pridem translato beati Viti corpore sub Pio Ludouico in Corbeiam, omnis Francorum fortuna ad Saxones demigrauit: nunc quod reliquum fuit Franciæ regibus, apud te nouerit collocatum.* In tanta rerum & animorum discrepantia, magno se iudice quisque tuetur. Hoc scio non magis Francos de suo Dionysio cessuros Germanis, quicquid Baronius, magnus Annalium helluo, testatum relinquat, quàm Hispanum regem Papæ de Regalibus Siciliæ.

XXII. Nouit *διαφωνίας* Baronius: & meminit similis quæstionem fuisse de corpore Benedicti, & quidem aliquot per secula inter Cassinenses & Floriacenses. [illegible] *αἰσχυνόμενος*, magno, imoque educto suspirio, vt virum nouis pietatis famosæ: *Deo*, inquit, *ista permittente omnia ad maiorem gloriam sanctorum suorum*: quasi diceret, Deo probari imposturas, vt confirmetur idololatria.

XXIII. Ita est sanè: permittuntur illa à Deo: quis neget, qui etiam immanem manifestamque idololatriam permisit Ethnicorum? Qui nihil non permisit scelerum vagari per vniuersum orbem, variis & temporibus & locis, si minus in sanctorum, certè in suam gloriam? Quin vlterius non possumus non admirari arcana eius iudicia, immittentis efficaciam deceptionis, vt credant mendacio, & damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieuerunt in iniustitia.

XXIV. Itaque non mirum in tantam abyssum deuenisse idololatras: quos, qui historias voluitant, non poterit non obseruasse: ita fuisse dementes, vt huic vni reliquiarum multiplicationi studiosè incubuerint: vix vt vllus fuerit paulo longius peregrinatus, qui non sacri aliquid domum reueheret: quod si habere gratis non posset, vel ingratis auferret. Sic olim in Prouincia dicuntur Massilienses conati surripere ampullam sacram, quæ est ad Sancti Maximini, quo factum, vt quoties illa magnificè ostentatur, clament ciues eius oppidi magno boatu, *Fore Marsellés, Fore Marsellés*, id est, *Massilienses exeste, exeste Massilienses* quasi quæ religionis sunt Christianæ Schismatis occasioné adferant. Conradus Abbas Vrspergensis ad annũ millesimũ centesimũ nonagesimum octauũ: *Quidam Abbas Cisterciensis ordinis de loco, qui vocatur Parisius, in nemore Vosego constitutus* (id Cœnobium Guntherus in Historia Constantinopolitana docet esse in Episcopio Basiliensi) *plurimas reliquias ad monasterium detulit qua adhuc retinentur ibidem. An furtiua fint iudicet qui legit. An videlicet dominus Papa talem rapinam in populo Christiano factam potuerit iustificare, sicut furtum Israelitici populi in Aegypto iustificatur autoritate diuina.* Magna verò, & ardua quæstio, cui miror non prouidisse saltem sanctissimam illam Synodum Tridentinam.

XXV. Quanquam præiudicatum videatur autoritate Leonis noni Arnulphum raptorem reliquiarum Dionysij adeo non improbante, vt vix absit à laudante, *Pretiosum thesaurum vos perdidisse fatemur*, inquit scribens ad Gallos, quam Epistolam suis dignam reputauit Baronius annalibus, *Sed ablatoris attendite dignitatem, simulque Patris & Apostoli vestri gloria congaudete, qui cum vos meritorum atque doctrina sua gaza ditauerit, & reliquiarum saltem suarum *** & apothecas, tam deuotum furem sui corporis habet, quam insignem auro vtique & topazio meliorem, qui sui valore ad ossa sanctissima subtrahenda Cæsarum etiam verticem inclinauit. Nec maiestas imperialis, nec regia celsitudo pij furis hoc nomen aut nomen erubuit in Arnulpho, dummodo beati corporis opibus, vel doli vel furti, vel sacrilegij modo, sacrari atque ditesiore mereretur.* Qui fures atque sacrilegos erat solitus condemnare, dummodo macarij Dionysij pretioso corpore frueretur, fur ipse tunc fieri & sacrilegus non cõtempsit: En zelum! en pietatem! Egregiam verò laudem! spolia ampla! dignissimum scelus, quod Imperator admitteret: quod Papa sanctificaret, & in perpetuum religionis exemplum propagaret: & adstrueret, non tantùm furto, sed etiam sacrilegio quosdam sacrari. Nam ditescere nemo miratur.

* * *

Cap. XIII.

De Imposturis Reuelationum.

I. ADdam aliud imposturæ genus Reuelationes, cùm siue ea somnijs, siue ea visionibus extraordinarijs, si nō veris, at lepidis, lepidè adornatis, confirmari sunt, quæ plebi obtrudeteretur nugæ: quid nugas dico? etiam sacrilegia. Quarum reuelationum fabulas, si vel relegerit quispiam, non ipse sideratus, mirum ni absque monitore statim imposturam olfecerit. Adscribam exempla pauca.

II. Baronius ad annum vicesimum quartum seculi vndecimi obseruat, Benedictum octauum post obitum apparuisse per speciem nocturnæ visionis Ioanni Portuensi Episcopo, atque alijs duobus, quorum nomina nulla sunt, magno Papisticæ dignitatis præiudicio, cuius sanctitas iam non potuit duobus aut tribus testibus stabiliri. Sed his tamen significasse se à purgatorio liberandum beati Odilonis venerabilibus meritis: ita enim esse decretum in superna censura. Itaque Odilonem iussisse in vniuerso ordine Cluniacensi fieri Psalmodias, & orationes ab omnibus cùm publicè tum priuatim, eleemosinas erogari, sacrificium offerri. Ecclesiæ nimirum intererat rem tantam prædici: sed nihil actum videbatur tamen, nisi eatius fieret certus. Itaque huic etiam parti prouisum. Hildebertus quidam Monachus per soporem vidit (nam tum, puto, maximè diuinis illustrantur radijs, cùm maximè stertunt Monachi) vidit, inquam, quod quidam pulcher & serenus aspectu, & solenni quodam nitore conspicuus (& rident isti Nouatores purgatorij vim, vnde tam nitidæ exeunt animæ?) claustrum monasterij magno candidatorum agmine constipatus, (& oblitus est somniator dicere virum essent ex purgatorio cum eo liberati, vt æmulus Christi etiam ipse captiuam duceret captiuitatem: an potius è cœlo beati obuiam iuissent tam recens purgato capiti Ecclesiæ) ingrederetur in capitulum, vbi tum Odilo cum fratribus residebat, intraret, ad eius genua caput humiliter flecteret, & gratias ageret (mirum ni etiam mutuum polliceretur mox futurus sanctus, ac proinde Mediator saltem intercessionis, cur non enim mutuo muli?) Cùm autem quæreret, quis hic esset tam nouus, tam splendidus hospes, responsum fuisse, Benedictum summæ sedis Episcopum, qui & Tartarei cruciatus (En quàm subito ab extremo in extremum, è Tartaro in cœlum! Et hoc negent hæretici? Et impugnent hæretici suffragiorum vim infinitam!) euasisset interitum (tunc enim, puto, nondum fides certa Purgatorianos ciues certos esse de salute sua) & cum beatis ciuibus quieturus supernæ Hierusalem meruisset ingressum. Plaudite. Acta est fabula. Non erubescunt obtrectatores summorum Pontificum? Gentem duram!

III. Anno eiusdem seculi trigesimo octauo, cùm Pythagoras Seruus nescio cuius Sergij magistri militum (miramini nouum dignitatis genus: sic enim oportuit somniantes monachos res habere cognitas militares) iussus esset retia colligere sub vesperam (credo, tunc temporibus pugnatum esse cum hostibus, non enim frustra somniatores monachi retia tribuissent seruo magistri militum) obuiam habuit monachos reuerendo vultu, atque habitu, quos iussus sequi in interiorem syluam, peruenit ad lacum cœnosum, ac fœtidum, aspectuque terribilem: ibique Pandulphum Capuensem principem ferreis nexibus vinctum, coenoque ad guttur demersum (in loco refrigerij ergo, non in inferno, aut Purgatorio, vbi nullum cœnum, sed ignis est) vidit, duosque nigerrimos spiritus (ita dicunt pingi apud Septentrionales, cum Æthiopes malint albos) retortas ex agrestibus viribus facientes, eumque per guttur ligatum in profundum demergentes rursusque extrahentes (vide spirituum sagacitatem, qui ne cogerentur ipsi intra cœnum esse, retortis vtebantur: laudo.) Hunc interrogatum, respondisse ea pati, tum propter alia scelera, tum verò propter aureum calicem ablatum à Monasterio Benedictinorum. Egregiam pœnarum proportionem: & valde dignam iudicio diuino.

IV. Anno dein quadragesimo primo. Conimbricam obsessam à Mauris, conseruatam ab Apostolo Iacobo, constitit argumento euidenti. Nam, credo, intererat multum, ne Deus crederetur conseruasse. Sed id constitit, cuidam Græco dubitanti, dicentique Iacobum piscatorem fuisse, non militem. Immanem sanè blasphemiam, & dignam ira monastica! Is ergo Græcus: & attendite, quæso, argumentum euidentissimum, & supra omnes Mathematicas demonstrationes. Is ergo Græcus in somnis (& crede obdormisse sobrium: ne crapula officeret somnij veritati, quanquam omisit autor dicere) visus est videre Iacobum armati hominis specie pugnare pro Christianis, quo tempore Ferdinandus Rex Castiliæ potitus est ea ciuitate. Egregiè: visus est in somnis: visus est pugnare: ergo is ipsus fuit, qui Conimbricam tutatus est. Nemo iam mutiat.

V. Anno quinquagesimo quinto, quidam religiosus vir (nomen petis mihi: imò non mihi, sed Baronio: factum malè) per spiritum ad inferiora descendit. O sortem iniquam! Nam hic vir religiosus si per eum spiritum ascendisset ad superiora, enarrasset illa arcana, quæ olim Paulus inuidit Ecclesiæ. Eò ergo cum descendisset, vidit Comitem nescio quem ex Teutonicis partibus (credo tum temporis nulla fuisse hominibus nomina: alioquin & viri religiosi, & Comitis Teutonici, non tacuissent diligentes historiographi) qui credebatur laudabiliter vixisse. Et vidit in summo gradu scalæ: non ludicræ illius ne extres, apud Aristophanem, in qua Socrates erat ἀεροβατῶ, καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον. sed alterius, quæ inter stridentes & crepitantes vltrices incendij flammas (sic enim oportuit [illegible]) videbatur erecta, ad suscipiendum omnes ex eo comitum genere, ita vt nouissimus quisque decedens primum gradum occuparet (an quia nouis hospitibus ita gratificatur Tartarus?) atque ita singulis suo ordine decedentibus priores imo gradu descenderent in tetrum Chaos (detrudi enim quemquam repente in profundum fabula est, puto) immane barathrum

barathrum, infinitè parens, atque in profunda demersum. Cùm ille quidam religiosus, ab hoc quodam comite caussam quæreret, responsum est, ob quandam Metensis Ecclesiæ possessionem, quam Beato Stephano abstulerat ex manibus eius Comitis decimus ab eo. Et neget quisquam conseruandos esse suos Ecclesiæ reditus: quorum ablatio punitur in decimam generationem, cùm Idololatriæ lex diserta tantùm quartam assignauit?

VI. Anno septuagesimo (nam fertilissimum hoc seculum fuit huiusmodi imposturarum) Andreas nescio quis diues, tota vita corruptus, adeo vt animam oneri, corpus haberet voluptati, & præter nomen Christianitatis, & emortuam fidem, religionis nihil ei videretur inesse, excepto quod beato Cęsario martyri deuotus, Ecclesiam eius frequentaret. Huius Andreæ mortui cadauer cùm in terram deferretur, subitò surgit in feretro (an quia solutis membris solerent homines sepeliri?) declarauit se, cùm duceretur ad terribile Christi solium iam iam damnandus, Cæsarium procidisse ad pedes Domini, ostentasse suorum stigmata vulnerum: dixisse, O Clementissime Domine, tremendi nominis tui caussa hæc quondam libenter excepi: nec erat vlla reluctatio mentis, dummodo temporalium tormentorum asperitate corpus semel enecatum, nullis deinceps tristitiæ stimulis vel animam, vel carnem, te præside, afficeret. Quid itaque te, qui pius es, inspiciente, nouis in corde doloribus denuo premor? (Nota beatos spiritus, esse etiam in beatitate nouis doloribus obnoxios. Vigilent Theologi, dum Monachi narrant somnia.) Ecce, qui meo credulus patrocinio vitam suam mihi commisit, ex integro præceps impellitur ad inferos: iamque meritò stultitiæ arguitur, qui vana spe seductus me coluerit, vt vitæ suæ gubernatorem, quem in alleuandis saltem suppliciis habere non possit intercessorem. Hac tam elegante, tam eloquente, tam vehemente, tam Tulliana oratione, perculsus Dominus, Andreæ veniam concessit, redire iussit in corpus, vt quisque monitus salutis suæ curam maiorem susciperet. Vt Deum ludos faciunt scelerati, quo illudant hominibus. Enimuerò, quantum scelus est huius Cæsarij, sua stigmata tam audacter exprobrantis? Videlicet ex claustro prodit; vbi nunquam illud sonat, *Sumus serui inutiles*. Se frustra cultum dolet: non dolet Deum omnino non cultum. Siccine beati? Itáne in cœlis sancti se coli amant, piè coli sibique deque habent? Et tamen qui sic profitentur Deum colere, iis Scriptura docuit illud fore certum, *Non noui vos*. Denique vnde factum dicemus, non meminisse Dominum illius olim Apophthegmatis, *Mosem habent & Prophetas*? An ei annorum mille interstitium memoriam obliterarat? En tibi Monachos pios!

VII. Seculi noni anno quinquagesimo quinto, longa texitur fabula ex Ioanne Diacono, de Ioanne presbytero, & Andrea Medico: quorum ille quum scorto fœdè abusus incidisset in podagram: & medicorum manu cauteriatus (sic enim tum temporis cauterio curabatur forte podagra: nunc enim alij mores obtinuerunt) calcem multam (nota miraculi nouum genus) effudisset, tandem anno vertente sanitati restitutus, scortum rursus noctem rogauit: somno tamen impeditus, loco & tempori adesse non potuit. Tum verò Gregorius Magnus iam olim vita functus, in somnis apparens cuidam presbytero iussit hunc Ioannem admoneri, vt sua disponeret, moriturus die tertio. Dictum, factum. Ioannem vehementissima febris inuadit, in agoniam venit, (deliquium, opinor, dictum oportuit, sed fetuldus zelus narratoris mentem, linguamque turbabat) Respirans post paulò, mira narrauit de Christo, de Angelis, de Diabolo, de Iudicio: de purgatione sua per omnia accusationis capita, excepto vno, à quo nequiret absolui. Hoc tantum, tam grande, tam immane peccatum cùm nollet fratribus quærentibus confiteri: Andreas medicus incidit ipse etiam in grauem morbum: & fatetur se cum illo Ioanne surripuisse quasdam Monasterij Chartulas, extraneisque certo pretio tradidisse.

VIII. Petrus Damianus, Epistola decima, libri primi, narrat Beneuenti presbyterum quendam sanctæ conuersationis virum, cùm Missarum solemnia celebraret habuisse Angelum ex consuetudine assistentem. Tandem aliquando cum esset lapsus in luxuriæ peccatum, à Principe Beneuentano visum hunc Angelum, spongiam aqua tumidam super presbyteri caput exprimentem, totum eius corpus tergendo purgare: expletis autem mysteriis eadem spongia rursus compressa, omnes sordes, quæ prius erant abstersæ, refundere. Eleganter: venustè: mirificè. Vos eratis ridiculi olim boni Patres, qui nihil tale somniantes, tantùm docebatis è Scripturis, virtuti Sacramentorum non obstare nequitiam ministrorum.

IX. Carolo Martello odium cleri conciliauit distractio bonorum Ecclesiasticorum. Hanc iniuriam illi vlturi, simulque vt deterrerent alios, ne quid simile auderent, commenti sunt, eius Caroli damnationem æternam, vt daret pœnas in igne, tum anima, tum corpore: longum enim nimis erat resurrectionem exspectare. Qui scitum? Nempe reuelatum Euchetio Aurelianensi Episcopo in oratione posito, cui interroganti caussam responsum ab Angelo, *Quia sanctorum iudicatione qui in futuro iudicio cum Domino iudicabunt, quorumcumque (puto legendum. quorumque) res abstulit ac diuisit, ante illud iudicium anima & corpore sempiternis pœnis est deputatus, & recepit simul cum peccatis suis pœnas propter peccata omnium qui res suas & facultates in honore & amore Domini ad sanctorum loca luminaribus diuini cultus, & alimoniis seruorum Christi, ac pauperum, pro animarum suarum redemptione tradiderunt.* Elegantissimè: quod enim non elegans Monachorum inuentum? Sed vnum improuidè: quod qui non esse, sed futuri dicuntur iudices in futuro iudicio: tamen ante futurum iudicium iudicare dicantur.

X. Sed me vide. Idem ille Baronius, qui superiores nobis recensuit, & pro veris obtrusit, huic vni pondus detraxit anno septingentesimo quadragesimo primo, paragrapho decimo octauo: docens esse fabulam, hoc maximè argumento, quòd Euchetio superstes fuerit Carolus annos minimum decem. Viderit zelus Patrum, annon eorum interfit Baronij audaciam coercere. Nam si locum obtinuerit, dicent non hæretici tantùm, sed etiam

Principes, illud solemne, *Ex vna disce omnes*: & sic A nemo abstinebit à dilapidatione bonorum Ecclesiasticorum: magno incommodo luminarium, & pauperum, & seruorum Dei: adde, & canum, scortorumque Episcopalium.

X I. Petrus Cluniacensis libro primo, de Miraculis, capite vigesimo quarto, Guidonem tertium Episcopum Gebennensem apparuisse cuidam presbytero, proficiscenti ad Synodum, significasse precibus eius Concilij se eruendum à tormentis quæ multa post obitum suum passus esset, &, *Nouerint autem*, inquit, *me ad agendam pœnitentiam Cluniacum iturum, & inde ad eandem peragendam Hierosolymam transiturum.* Obstupui. Post mortem pœnitentiam agi? Post mortem peregrinationes suscipi? Nonus Theologis scrupulus. Viderint. Post, capite vigesimo octauo, cuidam Engelberti Hispano narratur apparuisse Sancius famulus, diuertens aliquantulum ab itinere (nam cum aliis plurimis Castellam ibat datum pœnas meritas: An quia Castellam erat translatum purgatorium?) rogasse vt sibi laboranti subueniret: roganti aperuisse nonnulla de Petro de Iaca & Bernetio: sed pergentem interrogare etiam de Alfonso rege, alius quidam ex eius itineris comitibus interturbauit &, *Noli, ait, hoc ab isto quærere quod ignorat: quoniam recens enim ad partes nostras adueniens hoc ei notum fieri nondum permisit: mihi verò, cui à die obitus mei quinquennalis cum huiusmodi spiritibus mora, plura quam isti nouiter nota fecit, quod de rege quæris, ignotum esse non potuit.* En tibi aliud mysterium: in purgatorio itidem vt in hac D vita, pro ætate alios spiritus esse aliis peritiores.

Cap. XIV.

De Miraculis.

I. Aliam Antichristi notam Miracula constituunt. Paulus. οὗ ἐστιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, *Cuius aduentus est ex efficacia Satanæ, cum omni potentia, & signis, ac prodigiis mendacij.* Ioannes Apocalypsis decimo tertio, *Edit signa magna, adeo vt etiam ignem faciat è cælo descendere in terra in conspectu hominum. Et seducit incolas terræ, propter signa quæ datum est ei, vt faciat in conspectu bestiæ.* Et Dominus noster F Matthæi vigesimo quarto, *Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & edent signa magna, & miracula, adeo vt seducant, si fieri posset, etiam electos.*

I I. Est igitur & certum & perspicuum Antichristum autoritatem suis imposturis conciliaturum, additis prodigiis & miraculis: quibus iamdudum experientia docuit mirum in modum percelli hominum animos, atque in omnes partes impelli. Sic non tantùm multæ turbæ Dominum assectabantur vera edentem miracula, eiusq; Apostolos: sed etiã varij seculis variis impostores operibus patratis, quæ etsi non essent miracula, tamen erant mira, non priuatis tantùm hominibus, sed vniuersis populis imposuerunt: atque adeo hinc Simoni magno Deo statua Romæ posita. Hoc igitur prædictum valde nostra intererat, vt ne nisi nostra A culpa perire nos dicamus, si perimus ab Antichristo, vt potè probè admoniti. Non enim semel dictum. Et quidem Christus veris suis miraculis tum sibi, tum suis Apostolis, vt dixi, autoritatem conciliauit: sed ab initio: quum oporteret refractarios hominum animos magna vi concuti ad nouam excipiendam doctrinam, imò & in multis contrariam ei quam imbiberant. Sed ita confirmato satis Euangelio paulatim subtraxit id donum, adeo vt aut nullum aut rarissimum sit. At B Antichristus, quasi de integro concionandum esset, & nunquam religionis nomen auditum, ad miracula confugiet.

I I I. Porrò duo dicit Paulus. Primò aduentum Antichristi futurum ex efficacia Satanæ. Nimirum, quia solet Scriptura, vt omnis boni originem referre ad Deum, sic omnis mali ad Satanam. Hic verò maximè quum describitur rerum is status, qui maximè sit Ecclesiæ Christianæ contrarius, quemadmodum Deus per Apostolos & re- C liquos ministros operatus est, vocandis hominibus ad veram salutem: sic per Antichristum, eiusque satellites Satanas omnes suas vires exseret, iisdem seducendis à salute ad æternum interitum. Διὰ μέσου γὰρ αὐτοῦ, inquit Oecumenius, πάντα πράξει ὁ διάβολος, *In medio enim omnia faciet Diabolus*: vel potius, per eum tanquam medium, & instrumentum. Nam Diabolum fore incarnatum in Antichristo vetus quidem fabula est: sed fabula. Itaque rectè Anselmus: *Faciet omnia Diabolo instigante.* Quomodo D dicitur Ioannis decimo tertio, Diabolus immisisse in cor Iudæ, vt proderet Dominum, & Lucæ vigesimo secundo, Satanas ingressus in Iudam. Et Actorum quinto, impleuisse cor Ananiæ, vt mentiretur in Spiritum Sanctum. Quanquam τὸ κατ' ἐνέργειαν non tantùm significat incentiuum, siue tentationem, qua cuiuspiam mouetur voluntas ad malè agendum: sed etiam efficaciam, quæ adest agenti: ita vt non tantùm autorem, sed etiam συνεργὸν Antichristus Satanam habiturus sit in ope- E ribus suis pessimis.

I V. Deinde dixit Paulus non simpliciter δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι, vt Lucas de Christo Actorum secundo, & de Apostolis. Sed δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, *virtutem, signa, & prodigia mendacij.* Nam Christi & Apostolorum, erant veritatis. Quanquam Matthæi vigesimo secundo, hæc particula non additur. Porrò signa illa vocari mendacia docent omnes, geminam ob causam, vel quia ipsa falsa sint, non autem vera miracula, qualia sunt (inquit) Theodoretus ψευδόχρυσα, qui F ostendunt aurum, quod verè aurum non est, ἐν τῇ φαντασίᾳ μᾶλλον ποιῶν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀπατῶν, *quia per illusionem operabitur, & oculos decipiet*, inquit Oecumenius. Vel, quia seruiant mendacio, ὡς εἰς τὸ ψεῦδος ἄγοντα, *inducant in mendacium.* Vide Augustinum, decimo nono, capite vigesimo, de Ciuitate Dei.

V. Quorum capitum potest quidem vtrumque G esse verum. Nam & doctrinam Antichristi, cui si nó probandæ, certè commendandæ ista omnia miracula inseruient, oppositam Christi doctrinæ, necesse est esse falsam: & vera miracula perficiuntur sola diuina potestate: qui, vt primũ creare, sic deinceps naturam immutare solus potest. Vnde neque Angeli, neque Apostoli, miracula vlla effecerunt nisi ex vi illa Diuinæ potentiæ: quod & protestabantur Aposto-

Apostoli Actorum secundo, *In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula*. Et post, *Viri Israelitæ, quid miramini super hoc, aut quid intentos oculos in nos habetis, quasi propria vi, aut pietate, effecerimus vt hic ambularet?* Quæ cùm ita sint, sine dubio nulla Antichristus vera edet miracula. Non enim sua, non Diaboli virtute, quæ tanta non est: non etiam Dei virtute. Nam quis vel cogitet absque blasphemia, Deum commodaturum suam propriam vim virtutemque mendacio?

VI. Verùm, quæ falsa sunt, non statim pro falsis agnosci possunt. Nam Pharao Magorum suorú opera, æquè miracula esse putabat, ac ea quæ Moses operabatur. Et sanè videbat omnia paria: atque adeo ipse Moses testatur eos fecisse similiter. Solét enim homines in iudicando suis inniti sensibus, iisdemque adhibere fidem: quare deceptis sensibus omnino falsum iudicium necesse est sequi. Si igitur sensus delusi, referant miraculum, omnino & miraculum vulgus credet. Adde procliuem lapsum è propinquitate. Nã quia omnia miracula mira sunt: ideo frequentissimè, mira pro miraculis sumuntur. Sic vulgo vix persuadeas τὸν κυβευτήν, καὶ τὸν χειρισοφόν non patrare miracula. Denique Augustinus, de Ciuitate Dei, libro decimo, capite decimosexto, hęc, ex historiis Ethnicorum decerpta, effigies deorum penatium de loco in locum migrantes: Tarquinij cotem nouacula diuidentem: Epidauri serpentem Romanorum legatorum comitem: nauem à muliercula motã, tractamque: aquam cribro haustam: hæc, inquam, Augustinus appellat miracula Deorum gentilium, quæ vi ac potestate eorum fieri satis appareat. Atque hac sine dubio causa dixit Christus Pseudoprophetas facturos miracula: & tanta quidem miracula, vt tantùm non seducant electos. Quod qui posset accidere, si agnosci possent falsa: aut certè facile agnosci?

VII. Itaque hoc consultissimum est, vt, omissa priori quæstione, vtrum in sese vera sint an falsa miracula: alteri capiti potius hæreamus: atque ea omnia iudicare aggrediamur ex doctrina, cui commendandæ adhibentur. Sic Moses Deuteronomij decimo tertio, *Cùm surgens in medio tui propheta, aut somnians somnium, ediderit tibi signum aut prodigium: quamuis euenıat signum illud aut prodigium, quod prædixerat tibi, dicendo, sequamur Deos alienos, quos nõ noueras, & colamus eos: Ne auscultato verbis prophetæ istius, aut istius somniantis somnium.* Et Paulus primo ad Galatas, *Si nos, aut Angelus de Cælo, euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto.* Hæc igitur nobis esse debet nota, vna instar omnium, secundùm quã securè falsa pronũciemus omnia miracula, quæ abducunt nos à Christi doctrina, iam olim ab Apostolis prædicata. Nam & Augustinus ita vsus est: capite decimo libri vigesimi de Ciuitate Dei, comparans deorum miracula, Martyrum miraculis: quod Dęmones illa faciebant, vt dij haberentur: Martyres autem, vt non ipsi dij, sed vnus Deus haberetur. Itaque statim Ethnici illis suis templa ædificabant, statuebant aras, sacerdotes instituebant, sacrificia faciebant: at Christiani non templa, sed memorias martyribus erigebant: atque iis in memoriis non martyribus, verùm Deo sacrificabant.

VIII. Iam Papistæ ita subinde miracula intonant, vt nulla prorsus dubitatio cuiquam possit obuenire, vtrum hæc nota Papam constituat Antichristum. Et quidem adeo, vt præter eum neminé. Nulla enim vnquam fuit Religio, siue vera, siue falsa, quæ tantam miraculorum messem obiecerit orbi. Simon Magus omnium primus, nefandis suis artibus, mira quædam vel effecit, vel ostentauit: sed vix vnum aut alterum à veteribus proditum. Marcus postea hac arte imposuit populo. Verùm in sanguine eliciẽdo in vinum à se consecratum vires totas expertus Mahumetes, finxit tantùm exstasim, qui morbus erat. At hi puerulı sunt garrientes, præ nostris Papistis. Moses confirmauit vocationem suam multis prodigiis. Virgam mutauit, percussit Ægyptum sæpius: diuisit mare: eduxit aquam è rupe: populum pauit pane cœlesti, & coturnicibus: ducem habuit noctu ignem, nubem interdiu: & pauca præterea. Post eum, Gedeon, Samson, & pauci iudices, nonnulla. Prophetæ, nisi quod prophetabant, paucissima, Elias, Eliseus, & alij. Christus plurima, Apostoli etiam. Sed hæc si congerantur in aceruum omnia, vix centesimam partem efficient, eorum quæ à Papistis iactantur, vno tantùm seculo, post inuectam iconolatriam.

IX. Quid? quod etiam disputant ex professo de miraculis: & hanc partem esse volunt nostrarum controuersiarum? Richeomus tractatum integrum scripsit Gallicè, vt probet perpetuo patrari miracula in Ecclesia. Bristous in Motiuis suis locum huic dedit decimum. Costerus capite secundo Enchiridij, ex iis probari vult Ecclesiæ suæ sanctitatem. At Bellarminus de Ecclesia, libro quarto, capite decimo quarto, ipsa per se & seorsim vult constituere notá Ecclesiæ vndecimam: & Bozius libri quinti de Signis Ecclesiæ, capite primo. Denique vix concionatorem inuenias, cuius loquentis ad populum non sint hæ partes præcipuæ, vt magno miraculorum numero patulas simplicium aures verberet, atque attonitas dimittat. Quin nobis subinde obiiciunt eorum defectum, vt statim concludant, non tantùm non esse authenticam pastorum nostrorum vocationem: sed ne Ecclesiam quidem omnino apud nos esse.

X. Hæc eiusmodi sunt, vt nemo legat, quin statim cogitet magnam Papistarum esse in suis miraculis confidentiam. Sed hanc cogitationem superabit lõgè, ipsa obseruatio. Quis enim nescit sanctorum legendas in iis totas occupari? Quis historicorum libros legit, & non aduertit, postremos quosque in iis colligendis esse superstitiosissimos, curiosissimosque? Et quidem adeo morosos, vt ipsis etiam superstitionum patronis cœperint displicere. Canus Locorum libro vndecimo, capite sexto, *Negare non possumus, viros aliquando grauissimos in diuorum præsertim prodigiis describendis, sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse. Qua in re, vt mihi quidem videtur aut nimium illi sibi, aut fidelium certè vulgo indulserunt: quod vulgus sentiebant, non tantùm ea facile miracula credere, sed impensè etiam flagitare. Itaque signa nonnulla & prodigia, sancti quoque memoriæ prodiderunt, non quod ea libenter credidissent, sed ne deesse fidelium votis videremur.* Et paulò post, *Nec ego hic libri illius autorem excuso, qui speculum exemplorum inscribitur: nec historiæ etiam eius, quæ Legẽda aurea nominatur. In illa enim miraculorum monstra, sæpius quàm vera miracula legas: hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parum seueri & prudentis.* Liberam vocem audis: quæ si omnium esset Papistarum, laudarem: Et vellem latiùs proferri. Neque enim magis laudari possunt, Petrus de Natalibus, Conformitates Francisci: & similia librorum portenta. Quanquam hæc nimis sera videretur pœnitentia. Nam quis nescit, non tantùm non improbatos olim, sed etiam

magno applausu acceptos? Quis nescit eam fuisse Sermonariorum segetem? Quo euincitur, non delectandis tantùm ineptis quibusdam homunculis, sed seriò pascendæ plebi destinatos. Quin hodie, pauci tantùm audent non tam suum iudicium constanter proferre, quàm suas suspiciones timidè indicare. Et hodie tantùm, id est, postquam Papistis cœperunt esse molesti Catholici. Adeo vt possimus securè dicere, *Nisi arassetis vitulâ meâ, non inuenissetis ænigma meum.* Interea, quid prosunt hæc siue indicia, siue suspiciones paucorum? Non enim libri abolentur propterea. Nec superstitio quæ iis fabulis confirmata est & aucta, vel infirmatur, vel minuitur.

XI. Sed ne aut frustra aut leuem ob caussam Papistas accusare videar in re tanti momenti, excerpam eorum miraculorum nonnulla exempla breuiter meo more, & distinctè per locos communes. Primùm igitur occurrit Trāsubstantiatio, siue realis corporalisque præsentia Christi in Eucharistia. Hanc Antonius de Padua cuidam neganti probauit teste iumento famelico, cui cùm obiectum esset hinc ordeum, inde hostia consecrata, *In virtute & nomine creatoris tui*, inquit Antonius, *quem in manibus, licet indignus veraciter teneo, tibi dico animal, & præcipio, vt confestim venias humiliter modo tuo, & ei reuerentiam exhibeas.* Dictum factum: iumentum hordeo neglecto, ad Antonium accurrit, caput inclinat, curuat genua. Plaudite. Bellarminus recensuit capite octauo libri tertij de Eucharistia, & modum quendam esse bestiis approbauit adorandi. Christianus Massæus Chronicorum libro vigesimo, Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, *Iudæi in Sternebarch oppido Germaniæ vigesima secunda Octobris obtinuerunt à Petro Presbytero sacram hostiam, quæ puncta cultris, & consputa, multum sanguinis fudit.* Nec ibi tantùm. Nam aliam Diuionenses seruant: & tertiam Parisienses: tres Bruxellenses teste Bristo. Fortasse alij alias. Idem Massæus sex annis prius, *Cameraci vigesima die Maij in profesto Sacramenti ipsum palam descendit de loco suo super altare.* Apud Baronium anno millesimo centesimo nonagesimo secundo leges ex nescio quo Helmoldo Abbate, Sacerdotē nescio quem visitantē puellam nescio quā Hersordiensem dato ei viatico ablutionem digitorum fecisse in bicario mundo: eam aquam reliquisse bibendam. Illam mentis compotem iussisse aquam operiri, quia animaduertisset particulam Eucharistiæ in eam decidisse è digitis Sacerdotis. Hinc aqua tota mutatur in sanguinem: ea portiuncula Eucharistiæ in carnem cruentam. Columba aduenit, insidet bicario, nec euertit, quo signo deprehenditur non corporalis, sed spiritualis. Quorsum hæc? Ad euacuandum errorem infidelium, siue ad corroborandam fidem fidelium, diuina clementia Sacramentum, quod sub specie panis & vini benedicitur, sanctificatur, sumitur, verè suam carnem & sanguinem euidentissimis indiciis demonstrauit. Paruum-ne hoc miraculum? Sed heu, quod factum fuit, infectum est redditum. Nam Archiepiscopus magna indicta processione preces fundit, vt hæc ita iam mutata, rursus in priorem substantiam panis & vini transformarentur. Ægrè factum, sed factum tamen. Et Archiepiscopus eum suis hortatus est omnes ad gratiarum actionem: & exclamauit, *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Et ita confutata hæresis illo seculo oborta, negantium aquam vino mixtā mutari in sanguinē.

XII. Sanctorum intercessio, adoratio, inuoca-rio plurima peperit. Martinus Polonus ad annum quadringentesimum, *Donatus Epiri Episcopus, virtutibus insignis est habitus, qui ingentem Draconem expuens in ore eius, necauit, quem octo iuga boum ad locum incendij vix trahere potuerunt, ne aerem putredo eius corrūperet.* Idem post annos quadraginta quatuor, Leonem primum Episcopum Romanum narrat, magnam in carne tentationem sensisse, postquam manum in festo Paschæ mulieri osculandam præbuisset: amputasse igitur eam manum: eoque non potuisse missam celebrare: quod cùm plebs grauiter ferret, propiorque esset tumultuāri, commisisse Leonem se beatæ Virgini: hanc autem apparuisse visibiliter manum deferentem, & restituentem. Sigebertus anno quingentesimo quinquagesimo secundo recitat, puerum quendam Iudæum ob sumptum corpus & sanguinē Domini, à patre iniectum in ardentem fornacē, illæsum exisse, & dixisse, mulierem quæ picta erat cum puello in vlnis in ea Ecclesia quò deductus fuerat, pallio suo flammas ventilasse, atque excussisse. Idem legas apud Naclerum, sed annis duodecim serius. Rursum Polonus in Stephano quinto Papa. Corpus Martini Turonensis cùm esset deportatum Altisiodorum, atque in Ecclesia sancti Germani collocatum, monachi propter oblationes litigare cœperunt: suoque sancto miracula quæ fiebant, adscripserunt. Res in hunc modum iudicata est. Adductus leprosus constitutusq; inter vtrumq; Martinum & Germanum. Sanatus est tantùm ea parte, quę ad Martinū vergebat. Reditum proxima nocte: latus non sanatum obuersum est, Martino, ac continuò sanatum. Magnum experimentum: *non tamen* (inquit Polonus) *propter impotentiam Germani: sed quia hospitantem honorauit.* Et hanc fabulam non indignam putauit suis Annalibus Baronius anno quinquagesimo tertio seculi noni. Seria hæc. Nunc ludicrum. Idem ad annum septingētesimum quinquagesimum sextum. Cùm Gingolphus ab vxoris adultero esset interfectus, vxor eius miraculis detrahens dixit, Si Gingolphus miracula facit, anus meus cantet. Id mox completur: quia semper cùm loquebatur, anus eius cantabat. Phui! nec naribus honorem præstantur.

XIII. Nec Imagines nullam vim habuerunt: Enimuerò Richeomus tertium inde sumit argumentum, vt probet honorandas capite trigesimo quinto. Sic crucifixus ille, cuius narrationem Athanasio tribuunt, quem tamen Sigebertus longè recentiorem obseruat, à Iudæis malè tractatus sanguinem fudit. Damascenus abscissam manum dormiens restitutam vidit, quum orasset coram Virginis imagine. Addit impudentissimum commentum de puero quodam, qui quum se non ita pridē vouisset Virgini, quæ in imagine quadam colitur apud Mondeuisum, pedes, quos nullos habebat, sibi è somno vigilans videt enatos. Et notat locum in nostro Delphinatu oppidum, cui Mura nomen est: testesque duos, *ἀνωνύμους* tamen. Qui si sunt aliqui, profectò impostores sunt. Nam eiusmodi nihil vnquam factum, visum, auditum, in eo loco, à quo vix distamus, quum hæc scribimus, duorum itinere dierum. Sed pergo. Rigordus de gestis Philippi Augusti anno millesimo centesimo octogesimo septimo in castro Radulphi scripsit imaginem beatæ Virginis à quodam milite percussam lapide, id ita vt frangeretur brachium pueri quem habebat in sinu: statimque inde fluxisse multum sanguinem: militem à Dæmone agitatum subitò expirasse. Idē

de gestis

de gestis Ludouici Francorum Regis ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum septimum. Vrsus leuato crure super crucem minxit, statimque omnibus videntibus expirauit. Sed hi tantùm lusus sunt præ Virginis imagine, quam Matthæus Paris recenset ad annum millesimum ducentesimum quartum. Contraham in pauca: Damascena quædam matrona, cùm sese contulisset in vicum Sardenai, extruxit sacellum in nomine virginis: monachum Constantinopolitanum illac euntem Hierosolymam, rogat, vt inde sibi imaginem (Iconiam appellat elegans autor) Virginis deferret. Pollicetur. Abit: visitat loca: redit oblitus imaginis. Verùm de cœlo monitus reuertitur: emit fortuitò quandã ex iis, quæ apud institores prostabant. Rursus dat sese itineri: occurrit leoni feroci, hominumque voratori, à quo sibi videt pedes lingi humiliter. Rursus in latrones incurrit: at hi angeli voce territi, vix mouebant se. Hęc monachus, cui deferret accepta, nisi ei quam gestabat virginis imagini? Nimirum nouus Isidis asinus, non Deus erat, sed Deam gestabat. Itaque statuit tantum thesaurum sibi seruare: nemini concedere. Nauim ingressus, tempestateque seuiente, cùm omnes iactum facerent: prohibitus est ipse ab Angelo, iussusque imaguneulam vehementer leuare ad Dominum: quo facto mare quieuit. Tum venit ad matronam: quæ, & ipsa oblita, de imagine nihil interrogat. Ille cùm abire vellet cum imagine, ostium sacelli non potuit videre: deposita imagine in altari, videt ostium: egreditur, historiam matronæ narrat, discedit ad suos. Imago sudat oleum limpidissimum, quo varij languores sanabantur. Imò mammas emittit, indeque ad pedes carne vestitur. Miles quidam, quum haberet in vasculo aliquantum eius olei, miratus est mutatum in carnem: sed diuisam. Ille cultro voluit coniungere. Res mira! quanquam quid hîc non mirum? Sed cũ primum aciem cultelli sensit oleum incarnatum, videntibus cunctis, mirantibusque, guttas emisit sanguinis. Et quis non numen Iunonis adoret. Propterea?

XIV. Nec reliquiæ ingloriæ. Martinus Polonus in Petro, *Tempore Cornelij Papa Graci furati corpora Apostolorum, vt ea in Graciam deferrent, asportabant. Sed Damones in idolis habitantes diuina coacti virtute clamabant, Viri Romani, succurrite: quia dij vestri auferuntur. Fideles autem hac audientes, intelligebant de Apostolis: infideles verò de diis suis. Sic multitudo adunata est fidelium, & infidelium, persequentes illos. Quod videntes Graci, apud Catacübas Apostolorum corpora in puteum proiecerunt. Sed à beato Cornelio Papa, sunt inde extracta. Sed cùm in dubium verterentur, qua essent ossa beati Petri, vel Pauli, orantibus fidelibus, diuinitus responsum habuerunt, quod maiora ossa sunt pradicatoris, minora verò piscatoris. Qua tamen postea Syluester cum laude aqualiter ponderasse dicitur, & consecrando vtriusque Ecclesiam, in vtraque vtriusque ossa collocasse.* In recapitulatione de origine Regum Frãcorum subiecta Philippidi Guillelmi Britonis in editione Pithœi, notatur reliquias Richarij, & Valarici translatas ad beati Bertini apud sanctum Audomarum in Flandria, præ timore Normanorum, tandem repertas non potuisse obtineri à monachis sancti Bertini. Apparuisse igitur Valaricum Hugoni Caputio comiti Parisiensi, patricius, qui postea regnum intrasit, eiusque iussu Hugonem repetiisse ab Arnulpho comite Flandriæ. Ob id meritum Valericum Hugoni in somnis dixisse, *Quoniam fecisti studiosè, qua pracepta sunt tibi, & nos ad loca nostra retulisti, successores tui in regno Francorum vsque in septimam generationem regnabunt.* Et tanta proposita mercede recuset aliquis reliquias colere? In legenda aurea, capite centesimo quinquagesimo tertio, Abbas quidã ab Abbatissa Coloniæ impetrauit corpus vnius ex vndecim mille virginibus, pollicitus inclusurum in capsa aurea. Neglexit tamen. Itaque anno vertente cùm cantarentur matutinæ, adstantibus, vidẽtibus, mirantibus omnibus, id eius virginis corpus surgit è capsâ ligneâ, descendit ab altari, tum corãm eò inclinata, penetratoque choro rediit Coloniam ad suas. Non enim puto somnum capere poterat in ligno.

XV. Periisset iam pridem Paparum dignitas, nisi miraculis fuisset commendata. Leonem quartum, inquit Platina, *tanta sanctitatis fuisse constat, vt & basiliscum serpentem (quem Latini regulum appellare possunt) suis orationibus è fornice sancta Lucia virginis in Orthea expulerit, cuius halitu, & veneno multi mortalium peribant: & incendium illud signo crucis extinxit, quod diu per domos Saxonum, & Longobardorum vagatum, diui Petri basilica appropinquabat.* Formosum Sergius tertius pessimè tractauerat mortuum. Nam, & eius acta resciderat: & corpus sepulchro detractum, capiteq; truncatum in Tiberim proiecerat. Hîc verò succurrunt miracula, *Quanta autoritatis, quantaque religionis Papa Formosus fuerit*, inquit Luitprandus librò primo, capite octauo, *hinc colligere possumus, quoniam dum à piscatoribus postmodum esset inuentus, atque ad beati Apostolorum principis Ecclesiam deportatus, sanctorum quadam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque à religiosissimis Romana vrbis viris persape audiui.* Ioannem vigesimum ægrotãtem multi Cardinales negabant dignum, qui in Ecclesia sancti Petri sepeliretur, ob multas cædes, quibus sacerdotium fœdasset. Ille audiens, *Quùm mortuus fuerò* (inquit) *corpus meum ante fores Ecclesia sistite, ianuas quoque Ecclesia seris, & vectibus benè obfirmate, & si voluntate diuina porta aperta fuerint, corpus meum inferte: alioquin, de ipso facite vt vultis.* Factum, vt iussit. Turbo diuinitus, portas non solùm aperuit, sed etiam magnò fragore vsque ad parietem deportauit. Narrat Polonus: & narrat Syluestrum secundum, cùm sese videret morti proximum, pœnitentem iussisse amputari sibi membra omnia, quibus Diabolo obsequiũ præstiterat: truncũm bigæ imponi, sepelirique, quocunque loco constitisset. Itaque sepultum in Lateranensi Ecclesia: & in signum misericordiæ consequutæ, signum dare morituri Papæ, è sepulcro, tum ossium tumultu, tum sudore.

XVI. Hæc erunt promiscua. Benedictus octauus Papa post mortem apparuit Episcopo cuidam, nigro equo vectus. Interrogatus dixit se malè torqueri: nec desperare tamen de misericordia Dei, si sibi adiutorium præberetur. Itaque rogare Ioannẽ suum successorem, vt pauperibus distribueret certã pecuniam à se relictam in quadam theca. Autorem laudat Petrum Damascenum Martinus Polonus. Item Vincentius Bellouacensis speculi libro vigesimo sexto, capite vigesimo primo. Robertus Rex Galliæ, tantæ sanctitatis erat, vt in festis semper in aliquo monasterio interesset officiò diuino: non solùm cantans cum monachis, verum etiam chorum regens, indutus cappa serica. Cùm ergo aliquando quoddam castrum obsedisset, discessit ab exercitu ob festum sancti Amani: at dum cantaret, flexis genibus *Agnus Dei*, tum castri obsessi mœnia funditus corruere. Idem Polonus autor. Otto Frisingen-

sis Chronicorum libro septimo, capite trigesimo secundo, narrat legatos Armeniorum, cùm adessent Papæ, Missam celebranti in dedicatione Ecclesiæ beati Petri, vidisse splendido fulgore radium solis super caput Papę coruscare, & in eo duas columbas ascendentes, descendentesque: respicientes autem quaquauersum non vidisse, vnde tanta lux veniret: itaque diuinam reputasse, eò promptiùs in sedi Romanæ obsequium iuisse. Franciscus de Paula, quum mare Siculū vellet transfretare, nec esset soluendo naulo, pallium aquis, seque & socium, pallio imposuit: atque ita nauigauit. Recitat Richeomus. Denique Massæus anno millesimo quingentesimo vigesimo octauo, Hēricum Lutheranum Tornaci combustum, sequenti nocte sociis in carcere constitutis, ardentem apparuisse, dixisseque, nisi ab errore cessetis, mecum peribitis in æternum.

XVII. Nec vetera tantùm commemorant, sed etiam recentia, ac pene quotidiana. Vbi enim non iactantur Dæmoniaci liberati? Vbi nō cæci, claudi, sanati? Quid? nō suas singulis Sāctis partes assignarunt? Sic alius præest pecori: alius armentis: hic curat oculorum morbos, ille lepram: alius morbum Herculeum: pestem quartus, febrem nescio quis. Nec quisquam otiosus: statim inuocatus præsto est. Sed, & illustrius, & crebrius miracula fiunt in recens erectis fanis, vt apud Mondeuisum, & Salmutenses, atque alibi. Intra annos hos decē Gratianopoli vidimus mulierculam, fingentem sibi Virginem apparuisse, iussisseque sibi sacellum erigi, in conducticia domo, supra mensam constituisse tintinnabulum, & persuasisse ciuibus, omne genus curari morborum, si nouies mensa circumiretur, pulsareturque tintinnabulum. Nihil eo rumore solennius. Et, iam multi sanari ferebantur, multi claudorum scipiones ostendebantur, vitæ infirmitatis magnifica spolia. Perstrepebat vrbs tota processionibus: domus donariis erat referta. Nihil certius. Tandem compertum est vile scortum, vrbeque exactum, postquam vnum aut alterum mensem eam imposturam fecisset. Henricus Iesuita ante paucos annos Nemausi, mulierem quandam ostentabat dæmoniacam: produxeratque non ad populum suum tantū, sed & coram magistratibus, quorum bona pars, Papisticis superstitionibus abdicatis, Deo seruitiaque expresserat ab ea, quæ certò omnibus persuaderent à Diabolo obsessam. Itaque pollicebatur sibi magnos triumphos. Sed mulier tandem magistratus adit, imposturam prodit. Episcopus prouocat ad Parlamentum Tholosanum: eò mulier deducitur: causa cognita, pronunciant Senatores, non esse dæmoniacam: magna pœna Episcopo interdicunt, aliisque Ecclesiasticis, ne in posterum tale quid audeant, attenténtve.

XVIII. Et tamen longè infrequentiora sunt in hoc orbe miracula, quàm in altero illo, quem nouum appellant. Ibi verò Iesuitæ vix vnquā excreant, aut tussiunt, aut ructant, aut etiam stertunt, sine insigni aliquo miraculo. Credo, quia dictum illud, *Nemo Propheta in patria*, sic interpretantur, vt significet pauca narranda miracula præsentia, ne facilius mendacium deprehendatur: sed ex longissime dissitis regionibus. Itaque hæc miracula valdè celebrātur à Bellarmino, capite decimo quarto libri quarti de Ecclesia: Bozio, capite secundo libri quinti de Signis Ecclesiæ. Richeomo, capite trigesimo quinto de miraculis. Costero, Enchiridij capite secundo: atque aliis. Præcipuum verò nomen est Xauerius, cuius vitā descripsit Horatius Tursellinus, librique sexti quatuor prima capita miraculis dicauit: quorum minimum, prophetia est.

XIX. Sed quorsum orbem vniuersum percurro? Possum breuius, faciliusque demonstrare, totam quantacunque est, religio Papistica, esse δεινὴν τερατώδη ἐνδείξιν, miraculorum perpetuam ostentationem. Ab ipsa eius religionis natura. Quid enim? Nō est portentum portentosissimū, quod asserunt Papam, eo ipso quod Papa est, esse fontem iuris, fideique Christianæ? Papam, inquam, quantumuis imperitum, stolidum, asinum? Hunc ita regi à Spiritu Sancto, vt errare non possit, in decretis fidei: non possit errare in decretis de moribus: nullo, inquam, casu errare posse, vt Pontificem: vix etiam, vt particularem personam. Nam hæc omnia disertè disputat Bellarminus, libro quarto de Pontifice. Et Panigarolla in tantam confidentiam erupit, vt pro certo assereret, si Papa cubitum iret cum hoc animo, vt postridie confirmaret aliquid contra fidem, aut mutaturum sententiam ea ipsa nocte, aut ante lucem animam efflaturum.

XX. Sed & ritus, aut omnes, aut penè omnes sunt mirifici. Primò, Richeomus, capite trigesimo de Miraculis, negat posse negari Sacramēta esse miracula. Quod tamen est disertè contra Augustinum de Trinitate libro tertio, capite decimo, qui panem Sacramenti, in iis signis numerat, *quæ honorem, tanquam religiosa, possunt habere, stuporem, tanquā mira, non possunt*. Nisi fortè ego fallor: & hoc potius verum, Augustinum loqui de Sacramento à Christo Ecclesiæ mandato. Richeomum verò de Sacramentis Papisticis, non Christianis. Sed, vt reliqua missa faciam, Eucharistia Papistica, non tantùm miraculum est, sed etiam miraculorum Ilias: Transubstantiatio, Accidentia sine subiecto, subiectum sine accidentibus, Corpus in pluribus locis, Corpus sine loco, plura corpora in vno loco, Corpus non quantum, Corpus organicum, non distinctis, aut separatis membris, idem Corpus corporaliter in toto totum, & corporaliter totum in singulis partibus, Corpus intra stomachum exspectans dum vis concoctrix species peremerit: iisque peremptis euolans instar auiculæ laqueo solutæ. Quid vim memorem potentium verborum, quibus susurratis; & crucium, quibus artificiosè, atque ad numerum signatis, tanta perficiuntur mysteria? Vnde apud eos prouerbium, *Virtute crucis, & signorum, fit transubstantiatio naturarum.*

XXI. Sed audite alia. Libuit Papistis plurima consecrare, quibus ex ea consecratione, vim infinitam credunt mirarum: & concipiunt in consecrando preces in quibus exprimunt omnia, ad quæ valere putant consecrata: quas preces exhibet nobis, tum Pontificale Romanum, tum Ceremoniarum libri. E quibus excerpsimus ista. Pro sale orant, vt sit omnibus eum sumentibus salus mentis, & corporis, & quicquid tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. De aqua, vt ad eiiciendos dæmones, morbosque pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum: vt, quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc vnda asperserit, non illic resideat spiritus pestilens, nō aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod, aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat. Possem multa congerere, de Oleo infirmorum, de Balsamo, de Chrismate, de Oleo Catechumenorum,

menorum, campanæ, noua cruce. Sed omnia excellunt Agni Dei, qui solent consecrari à quolibet Papa primo suo anno, deinde septimo quoque, ex cera alba. Pro his precariò concipitur, vt per eorum tactum, & visum, fideles inuitentur ad laudes: frigor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, ventorum rabies, infesta tonitrua temperentur, atque tremiscant maligni spiritus. Sed omnes tandem eorum vires, his versibus comprehendunt: quos Vrbanus quintus misit ad Imperatorem,

Balsamus, & munda cera cum chrismatis vnda
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum;
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum depellit, omne malignum
Peccatum frangit, vt Christi sanguis, & angit.
Pregnans seruatur, simul, & partus liberatur:
Munera fert dignis: virtutem destruet ignis:
Portatus munda de fluctibus eripit vnda.

Horum autem quanta est, quæso, copia? Maximè hodie, cùm diuinissimè commendantur à Iesuitis: distribuentibus quibuscunque eius ordinis studiosis, qui pro amuletis gestant è collo pendentes: sed diligenter inuolutos, implicatosque, ne fortè vis euanescat, si liberum aerem sentiat.

XXII. His adde interulas plumbeas, quæ apud Camutenses distribuuntur, & annulos, qui apud Tauscenses: quorum illæ militibus præsidio esse dicuntur contra vim sclopetorum: hi verò tuentur ab igne & aqua. Quid superest, quominus dicamus in regno Papistico quotidiana esse miracula? Imò nihil, aut propemodum nihil esse absq; miraculo? Quod verum dico, nunquam factum, auditùmve est, in vlla alia religione, siue vera, siue falsa. Et neget quis Papæ παρουσίαν esse ἐν σημείοις καὶ τέρασιν. Nisi fortè expectet dum disputemus esse σημεῖα καὶ τέρατα ψεύδους. Aut quisquam tam est stupidus, vt ex sola eorum recitatione non olfaciat mendacium. Sed senserunt infelices illi, qui muros Geneuenses transilierunt, quàm vana fuerint amuleta sibi ab Alexandro Iesuita data, liberationem ab omni periculo pollicentia.

XXIII. Et tamen argumenta falsitatis apparet, primo intuitu. Quid enim de fine dicam? Referuntur omnia ad confirmanda capita doctrinæ Papisticæ. Hæc ergo, cùm sit falsa: non possunt vera esse miracula: quæuis reuera aliquid gestum esset, quod homines in admirationem sui raperet. Nunquam enim Deus suam Omnipotentiam commodat doctrinæ à se improbatæ. Itaque quicquid, vel omnes homines dicant, vel omnes Angeli faciãt, constanter præiudicandum est ex Scripturis: non contrà. Deinde plurima fiunt tantùm ad commendandum nomen, honoremque humanum: quod nunquam factum à Prophetis, ab Apostolis, ab Apostolicis viris. Tertiò in narrando quanta est, quàm affectata μαγγανεία? Nam producunt fabulam, quam possunt longissimè: atque ita fingunt, pingunt suam imaginem, vt manum de tabula nequeant. Quartò, autores narrationis obscuri sunt, aut nullius, aut exiguæ fidei: superstitiosissimi, atque adeò mendacissimi. Quibus quis possit fidem habere, mẽdacij compertis in Christophoro, Gregorio, tribus regibus, Vrsula, aliis, quorum omnium, vel ipsos iam pudet Iesuitas, hominies nullius frontis?

XXIV. Denique res ipsæ cuiusmodi sunt? Occidit Donatus draconẽ: Eius corpus quanti? Tantum, vt quatuor iuga boum vix traherent. Hoc vllus credet sanus? Primò, quis miraculum illud fecerat? Non enim natura tantos dracones gignit. De Deo, nihil fabula ausa asserere. Et huic portẽto germana sunt, tum illud Marthæ, de Tarasco domito, tum illud Siluestri de dracone, qui suo solo afflatu pestilentia excitata Romam vexabat. Nam neque halitu dracones nocent: neque hæ regiones, Gallia, inquã, & Italia, dracones habent. Multò immanius mentitur ille, quisquis est, qui feram illam Georgij commentus est, eique vorandos homines publico decreto quotidie duos: postmodum autem singulos, cum singulis arietibus, obiectos.

XXV. Denique vis' tu ex vngue leonem? Permisit Deus imposturas non rarò deprehendi. In Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ, habes Ioannem Vunschelburgensem libro de Signis, & miraculis falsis, recensentem, Imaginem Christi sudantem, rubiginem in manubrio crystallino pro sanguine Christi Cracouiæ adoratam, resinam ex lignea imagine defluentem rursus pro Christi sanguine habitam: sacerdotem Bohemicum suo sanguine tingentem hostiam: & ementitum eundẽ sanguinem in Vulsnag. Quibus cur non addas patrum nostrorum memoria lacrymas Crucifixi Mureti in agro Tholosano, cuius exstat historia in Arrestis Papinij? Cur nõ celebres illos Dominicanos Bernenses, & Franciscanos Aurelianenses patrum nostrorum memoria? Hæc enim etsi pauca sunt detecta, tamen probant immanem confidentiam impostorum. Lyranum adde in historiam Draconis, *Decepti erant à sacerdotibus colentibus illum draconem propter quæstum temporalem, quem inde reportabant. Et similiter aliquando fit in Ecclesia maxima deceptio populi in miraculis fictis à sacerdotibus, vel eis adhærentibus propter lucrum temporale.*

CAP. XV.

De Antichristi crudelitate.

I. Atque ita exsequuti sumus ex Paulo, quæ ad Antichristi pertinẽt, vel doctrinam, vel docendi rationem, in mysterio, in imposturis, in miraculis. Nunc ex Ioãne Crudelitas sequitur. Nam, capite decimò septimo Apocalypsis, *εἶδον τὴν γυναῖκα μεθύουσαν ἐκ τοῦ αἵματος τῶν ἁγίων, καὶ ἐκ τοῦ αἵματος τῶν μαρτύρων Ἰησοῦ. Vidi mulierem illam ebriam sanguine sanctorum, & sanguine martyrum Iesu.* Quibus verbis constat apud omnes significari immanem Antichristi rabiem aduersus Ecclesiam, in qua sola Sancti sunt, quæ etiam sola Martyres nouit, nec martyres alios, quàm Sanctos.

II. Sed prolixius, capite duodecimo, describitur mulier parturiens, & pariens masculum: Draco autem expectans vt partum deuoret: Tum mulier fugiens in solitudinem: quò tamen eam Draco persequutus est: postque eam eiecit ex ore suo magnam vim aquarum, quæ eam absorberent. Quod cũ non successisset, cõuersus, gessit bellum, cum reliquis ex semine mulieris, custodientibus mandata Dei, & habentibus testimonium Iesu Christi. Nam pertinere hæc ad Antichristum duo indicant argumenta. Primũ, quia is draco describitur habens septẽ capita, & decẽ cornua, similiter vt bestia super quam mulier sedet, capite 17. Alterum, quia mulieri in de-

serto profugæ assignarunt, tempus, & tempora, & dimidium temporis: quod idẽ tempus est durationis Antichristi. Et verò mulierẽ sunt, qui interpretentur beatam Virginem, partum verò ipsum Christum. At Methodius negat, apud Andreã Cæsariensem: motus hoc argumento, quia Natiuitas Christi iam antè esset impleta: Ioannes autem loquatur, vel de præsentibus, vel de futuris. Quæ ratio nõ est necessaria: sed alia est longè certior: quòd quæ de ea muliere, eoq; partu dicũtur, non possunt exponi de ipsa Virginis, & Christi persona. Itaq; Haimo cogitur dicere, Virginem hîc gerere figuram Ecclesiæ, *Neque enim*, inquit, *omnia quæ hic narrantur, iuxta literam beatæ Virgini specialiter congruere possunt: sed electorum Ecclesiæ.*

III. Mulierẽ igitur interpretantur Ecclesiam, Methodius, Andreas, Primasius, quæ quotidie, quasi parturit Christũ in singulis fidelibus: in quibus etiã ipsum hostes Ecclesiæ persequuntur. Iuxta illud, *Saule, Saule, cur me persequeris?* Itaq; Sathanas in Antichristo, siue per Antichristũ, Ecclesiam tot tantisq; vexabit persequutionibus, vt redigat in solitudinẽ, cõpellatq; in desertum: hoc est, in eum statũ cogat vt ab iis locis exulet populosissimis, in quibus erat, pri⁹ splẽdida, & magnifica. Nam Apocalypseos 11. *Bestia ascendens ex abysso geret aduersus Sanctos bellum, & vincet eos, & occidet eos.* Et 13. *Datum est ei, vt faciat, vt quicunque non adorarint imaginem bestiæ, occidantur.*

IV. Verùm vt sint omnia plana, distinguenda sunt tẽpora. Primũ enim non tantùm persecuturus est fideles Antichristus, sed etiã ita persecuturus, vt vincat. Nimirũ, tum temporis, cùm ei concessum erit, donec inuadat, confirmetq; dominationẽ in omnes. Deinde verò, cũ id tẽpus aduenerit, quo necesse est eum cõfici, retinebit quidem suam sæuitiã, & quantum poterit exseret: verùm non licebit vincere, id est, Ecclesiam rursus in solitudinẽ, & desertum abigere. Quia benedicturus est Deus martyrio suorum fidelium: adeò vt quanto magis in eos suam Antichristus exserturus est crudelitatẽ, tanto ardẽtius, & illi nomen diuinũ inuocaturi sint, & aliis suo exẽplo præituri: vt verum sit etiã tum, cineres martyrum esse Ecclesiæ seminarium. Itaq; Apocalypsis cap. 15. canitur triumphus eorũ, qui victoriã reportarunt ex bestia, & imagine eius. Quinetiam capit. 17. laudantur reges, qui odio persequuturi sunt meretricem, & carnes eius comesturi, ipsamq; igne exusturi. Vnde satis constat, non perpetuò felicem futuram eius crudelitatem, fore tamen perpetuã quis dubitet? Aut quis non facilè videat conaturum hominem peccati iisdem artibus autoritatem tueri, quibus pararerit?

V. Sed in iis nihil est difficile. Mirum verò potius, quantum crudelitati iampridem Romana tyrannis indulserit in eos, qui vel tantillum mouerent se cõtra suas fraudes. Mirum quanto seipsam interuallo superauerit postremis his temporibus. Quis enim nescit nullum crudelitatis genus omissum? Nullum fraudis immanis prętermissum? Nec enim obliterata est, aut vnquam obliterari poterit rerum gestarũ memoria: sed ne frustra declamare videamur, eius crudelitatis exempla selecta videamus. Et quidẽ omissis tragœdiis Græcis in Imaginum negotio: quas cur non imputemus Latinæ tyrannidi, tu temporis strenuè agenti negotium idololatriæ: ac proinde Græcis fauenti? Sciunt omnes laudari Irenem, quæ proprio filio oculos excæcauit, sceptrumq; eripuit. Omissis item sæuissimis bellis, susceptis, gestisq; cõtra Imperatores Latinos: quæ non pertinent ad Sãctorum sanguinem: etsi pertinent ad huius bestiæ crudelitatem, nec suo loco nullum nobis vsum sui præbebunt. Ea potius videamus, quæ ipsam Ecclesiam propius attingunt.

VI. Vndecimo seculo excitati sunt Valdenses, qui & deprauatissimos Cleri Romani mores, & in plurimis capitibus fallacissimam doctrinam deprehendentes liberè publicéque reprehendebant. In eos (Albigenses dictos in Occitania) Classicum cecinit Romanus Episcopus, bon⁹ pastor scilicet. Paulus Æmylius de Gestis Francorum libro sexto, *Innocentius Pontifex, belli aduersus eos sacri suscipiendi autor fuit: legatósque circummisit ad excitandos in nefariam sectam animos.* Gaguinus in Philippo Augusto, *Pontifex Innocentius tertius, misso Gallone Cardinali Legato, Philippum, Pontificia autoritate monet in hæreticos armari: peccatorum remissione concessa, his qui insigne crucis ad id bellum desumerent.* Nimirum ita Christus iusserat Apostolis ire in vniuersum orbem, & exercitus conscribere. Scilicet, & sic olim Catholici in Arianos armati, in Nestorianos, in Eutychianos, in hæreticos. Quanquam Albigenses in hæreticorum sene, eadem sola numerauit nequitia, quæ ne hodie quidem veritatem cœlestem calumniis onerare nõ potest. Itaque multa in eos impudentissima mendacia congessit: vt iniusto odio grauaret eos, contra quos nulla erat verorum criminum accusatio. Sed ita factum, vt spiritu vertiginis acti, qui se Christianos dicerent, obliuiscerentur esse Christianos, moresq; induerent, non tam inhumanos, quàm ferinos. Prima expeditio in Biterrensem vrbem. Gilielmus Brito Philippidos libro octauo,

Quam virtus modico sub tempore Catholicorum
Frangit, & ingressi sexus vtriusque trucidant
Millia bis triplicata decem.

Inde Carcassonem itum, quò confugerant totius regionis incolæ territi Biterrensium excidio. Tandẽ abire nudi omnino compelluntur, *vt qui pudenda membra* (inquit Gaguinus) *per summum nefas abusi fuerant, ea ad ignominiam videnda exhiberent.* Dignum sanè Legatis Apostolicis spectaculum: mansuetudinisque Romanæ illustre documentum! Tamẽ Paulus Æmylius scribit eis concessa singula vestimenta: velans credo Legati infamiam, *Vaurum & ipsum vi captum*, subiicit idem Æmylius, *ibi quoque impii igni traditi, cùm in amentia perstarent, ne mulieribus quidem temperatum. Girarda eius oppidi princeps fœmina in patentem puteum coniecta, & saxis insuper obruta.* Descripsit huius historiam belli, Ioannes Chassanionus, ex manuscriptis: & docet capta Minerbia, tum viros, tum fœminas in ignem coniectos, cùm Vallensi Abbati, hortanti, vt ad Romanam Ecclesiam redirent, obtemperare noluissent. Hæc fuerunt, tum temporis Romanæ lenitatis rudimenta.

VII. Aliquãto post interuallo, suscitatus est Wiclef: quem viuum texit Deus, securumque præstitit ab aduersariorum conatibus: quorum sæuitia exseruit se in eius ossa, tumulo eruta, crematáque. Sed ab eo tempore vix vnquam cessatum: imò profectum in deterius. Nota est vniuerso orbi horrenda perfidia, immanisque sæuitia Concilij Constantiensis, in eximios viros Ioannem Hus, & Hieronymum Pragẽsem, quorum spiritui efficacissimo, cùm non possent, quotquot erant Papistarum rationibus obsistere, eò deuenerunt, quò non potest absque extrema desperatorum hominum nequitia deueniri, vt contra fidem publicè datam, igne consumerent. Horum mortem magni motus exceperunt in Bohemia,

hemia, apertaq; bella. Iam tum Deo manifestum faciente, non semper impositam fore satellitum Romanorum immanitatem.

VIII. Longè maior secuta deinceps mutatio: maior lux orta veritatis: Luthero prodeunte: cuius intrepidus animus, zelus ardentissimus, eruditio maxima, multos excitauit, qui contra errores, superstitionesque vulgò receptas armarent sese, in quibus Zuinglius, Oecolampadius, Melanchthon, Bucerus, Caluinus, atque alij infiniti, quorum nullus Deus frustraneos esse conatus, laboresve irritos. Ita magna discessio facta à Romana hæresi, non priuatim tantùm, sed etiam publicè: vt nullus in Christianitate angulus esset, vbi non essent multi reformationis cupidi: multi Papisticas superstitiones detestantes, multi eiurantes. Mouit hæc res Papam, eiusque asseclas. Principes variè sollicitantur: Imperator, Reges, Magnates, vt quo iure, quàve iniuria nascentem hæresin (sic enim appellabant) extinguerent: hæreticos ipsos tollerent. His artibus infinitum concitatum est odium, laxatæ odio habenæ, deuentumque in extremum furorem, sæuitum in omnes, cuiuscunque sexus, ætatis, conditionis, vt nihil aliud esse videretur Christianitas, quàm vniuersalis carnificina. Nihil iusti, nihil æqui, nihil sancti. Non tantùm humanitatis promiscuæ sensus suffocatus, sed & *φυσικῆς στοργῆς* vis illata, vt nihil deesse ad immanitatis cumulum. Qui laquei? Quæ cruces? quæ vndæ? qui ignes suffecerunt sanctorum cruciatibus? In tota Germania? in Anglia? in Belgio? in Gallia? in Hispania? in Italia? Longum esset singulorum martyrum nomina exsequi, singulorum omnium martyria describere, quod alij fecere, & vtiliter fecere, vt extent in sempiternum, & Sanctorum inuictæ constantiæ, & Papistarum infinitæ crudelitatis exempla. Vnum non omittam ab alijs omissum: eo luculentius, quod Auenioni gestum in ditione Papæ. In ea vrbe ad hunc vsque diem turris nominatur Guilloti, quia patrum nostrorum memoria ad eius fastigium extructa est cauea, instar earum quibus feræ includuntur: in eam detrusus est Guillotus quidam reprehensus à Papistis dissentire, & aliquot menses detentus, asseré tantùm vno concesso, quo ad omnes aëris iniurias propulsandas vteretur, huc illuc translato. Atque ab ea cauea demum ad ignem ductus est.

IX. Sed quid strages promiscuæ? Nec enim abusus tantùm est Romanensium furor sanctissimo iustitiæ nomine in sumendis de singulorum capitibus, pœnis. Sed etiam furiosæ plebi laxauit habenas, promiscuas cædes permisit. Permisit, autem? Mentiar, si non instigauit, incendit. Erant in Salyis Merindolani, Caprariensesque Valdensium reliquiæ: qui iam secula aliquot vixerant modestè, in montibus, syluisque, & ita vixerant, vt suam vitam vicinis omnibus probarent. Tantùm superstitiones, & quidem apud se taciti, detestabantur. Hanc ob causam vnicam, regnante Rege Francisco eius nominis primo hæreseos postulati, damnati in suprema Curia apud Aquas Sextias. Tragœdiam prolixè descripserunt, tum ex nostris nonnulli: tum è medio Papismo Thomas Cormerius Alenconius rerum gestarum Henrici secundi libro secundo, & Augustus Thuanus historiarum sui temporis libro sexto, *Horrenda* (inquit Thuanus) *& supra modum atroci sententia* *XIV. KAL. XCEMBR. ante decennium damnati fuerant, præsidente tum Senatus Bartholomæo Cassanæo, magni nominis iurisconsulto. Senatusconsultis illius sententia in patresfamilias igne vindicatur, damnatorum bona, coniuges, liberique, & cætera familia fisco addicuntur: & quia Merindolium hactenus hac peste infectorum spelunca, ac receptaculum fuerit, edicitur, vt ædificia omnia à fundamentis euertantur, antra cauerna, ac fornices subterranei, quibus laterent, diruantur, & obturentur, silua circum cædatur, & arbores etiam hortorum euellantur: possessiones verò eorum, qui Merindolij domicilium habuerint eiusdem, vel stirpis, vel etiam nominis cum prioribus dominis, nemini colendæ elocentur.* En Scæuolas! En Papinianos! En Tribonianos! An potius Caiaphas? *Paucis diebus interiectis* (inquit Cormerius) *Arelatensis, Aquensisque Archiepiscopi conuocatis alijs ex vicinia Præsulibus exsequi Senatus decretum constituunt: sumptúsque in eam rem de suo decernunt, atque Senatui persuadent, vti militum delectum ab eis haberi patiatur.* Et tamen varijs rationibus negotium differtur in annum decimum. Tum verò præsid: Oppeda furor erupit. Pupis, Mota, Martiniacum vici ad Druentiam, capiuntur, diripiuntur, inflammantur. Villalaurea, Lantomarinum, Gensonium, Trexeminæ, Rupes, vici, vnde multitudo profugerat, crudeliter incenduntur, pecore omni abacto. Oppeda Valdensibus aqua & igni interdixerat, & capite sanxerat, ne quis re vlla illos iuuaret: sed quocunque loco deprehensi, nullo sexus, aut ætatis discrimine habito, omnes occiderentur. Merindolium incolis vacuum ingreditur, & vnico adolescente reperto, cui Mauritio Candido nomen erat, furorem, quem in vniuersos non poterat, in eum effudit, statimque oleæ alligatum sclopetis crudeliter necari iussit. Incenso deinde, & diruto vico rectà Caprariam ducit. Quum oppidani initio, qui vix sexaginta, cum triginta circiter fœminis remanserant, portas venienti clausissent, tormenta admouentur: sed mox vitam pacti deditionem faciunt: verum intromisso præsidio omnes capti, etiam, qui in castelli cauea latebant, aut templi religione se tutos credebant, inde extracti, & in pratum subiectum deducti, nullo ætatis, aut fidei datæ respectu, iugulantur. Cæsos tam intra quàm extra oppidum mille trecentorum numerum expleuisse memorant. Fœminæ iussu Oppedæ in horreum straminis plenum coniectæ, & subiecto igne, cùm per fenestram se saltu deijcere molirentur, contis & hastis repulsæ, fumoque suffocatæ, ac flāmis postremò omnes cōsumptæ sunt. Costam inde petunt, cuius dominus, cùm incolumitatem oppidanis pollicitus esset, modò arma in castellum comportarent, & muros quatuor locis demolirentur, creduli illi imperata faciunt: & nihilominus aduentante Oppeda incolis suburbijs, & capto oppido, qui reliqui in eo reperti sunt, omnes ad vnum trucidantur. Fœminæ, quæ in hortum castello vicinum secesserant, vt primam militis rabiem euaderent, à furentibus violatæ, & satiata libidine, tam crudeliter habitæ, vt pleræque quæ vterum gestabant, nec non etiam virgines, siue ex animi mœrore, siue fame, & cruciatibus perierint. Viginti duo omnino vici numerantur, de quibus summum ab Oppeda sumptum supplicium est. Hoc specimine consecrata sunt earum, quę postea secutę sunt publicarum persecutionum initia.

X. Confœderat eorundem Valdensium pars in

Vallibus Alpinis, eandem religionem constantissimè retinent. Itaque, *Pontifici, ac cæteris Italiæ principibus, ac ciuitatibus firmum, ac ratum fuit, Valdensium gentem ad internecionem delere.* Quæ verba sunt Trinitensis et negotio à S bando præfecti, apud Augustum Thuanum, historiarum libro vigesimo septimo. Et certè tentatum: imò nihil omissum, quò tam Catholico Romanum decretum ad finem perduceretur: bellumque adeò gestum anno millesimo quingentesimo sexagesimo. Primo statim impetu sæuitum in Meanenses, Arquenses, Meronenses, ac Susionenses, direptis eorum bonis: pars extremo supplicio affecti: amplius sexaginta ad triremes damnati sunt: alij supplicij metu, eierata, quam profitebantur, religione, periculum euaserunt. Truchesius, explicans signis, & tympanis adhibitis, Reuelaretum vicum sibi subditum nec opinato aggreditur: quo viso vicani, cum vxoribus, ac puerili sexu in montem vicinum niuibus opertum per auia enituntur, maiorem partem nudi, vbi per tres continuas noctes manere coacti, frigore penè exanimati fuerunt. Pastor eorum, cum Sanmartineo quodam vicano ignibus traditus: direptæ vicanorum ædes: nec prius discessum, quàm miseri homines se Romanæ Ecclesiæ in posterum obedientes fore promitterent. Anno sequenti Hispani Tagliaretum ineunt, & occupato loco, viros, ac mulieres cum infantibus in cubilibus deprehensos ad internecionem delent. Quid alia infinita memorem? Certè hoc non omittendum in Angrunia factum. Hominis sexaginta circiter annos nati, manibus post tergum reuinctis, ad scamnum alligati, vmbilico scarabeus admotus est tectus testa, qui fodicare, ac rodere nunquam desiit, donec in aluum penetrauit: & ita miserum captiuum truculento, & inaudito mortis genere enecauit.

XI. Quid stragem Vassiacenam commemorem? Quum duce Guisio, præsente, videnteque Cardinali Lotaringo, eius fratre, armata cohors irruit in inermē concionem, promiscuamque fecit cædem virorum, mulierum, infantium? Quid bella narrem exinde cōsequuta? Corporum, bonorumque proscriptiones? Non hæc sunt, aut adeò in angulis gesta, aut à nostris annis remota, vt non ab omnibus agnoscantur. Quid promiscuas cædes enumerem? At harum summam nemo colligat vnquam. Quid anni sexagesimi secundi supra mille quingentos, frequentissimas seditiones, apud Senonēses, Cenomanos, Meldenses, Trecenses, Vindocinos, Andegauos, Turonenses? Quid anno septuagesimo primo, Arausionensem lanienam? Quid septuagesimi secundi noctem illam infandam? Vesperas, inquam, illas plusquam Siculas, Matutinas Bartholomeanas Genebrardus vocat, quarum ne nomē quidem nunc auditur non præ horrore stantibus comis? Quid inde sequuta, quacunque per Galliam vniuersam similia facinora? Apud Meldenses, Trecenses, Aurelios, Lugdunenses, Andegauos, Rotomagenses, Tolosates. Et apud Burdegalēses, instigante, inflammante Edmundo Augeno Iesuita? Triginta hominum millia intra paucos dies sic cæsa, virorum, mulierum infantium. Certè sanguineos torrentes huc illuc in subiectum Sequanam dimanātes, Lutetiani viderent quod aliàs nunquā. & Iubilæum indictum est: supplicationes frequentissimo populo à rege, & numerosa aula habitæ, ad gratias Deo agendas, pro tam feliciter, & ex voto re administrata. Romæ sexta Septembris, lectis literis Legati Pontificij in Gallia, decretum in Senatu: Vt inde rectà Pontifex cum Cardinalibus in ædem D. Marci concederet, Deoq; Opt. Max. pro tanto beneficio sedi Romanę, orbiq; Christiano collato, gratias solemni more ageret: atq; die Lunę proxima, eodem numine Missa solēnis in æde Mineruæ celebraretur: eique Pontifex, & Cardinales interessent: inde Iubilæum toto orbe Christiano publicaretur. Vespere ex Mole Adriani summæ lætitiæ signa, tormentis maioribus data: ignes hinc inde per vrbem suscitari, nihil denique rerum prætermissum, quæ nunciatis maximis quibusque pro Ecclesia Romana victoriis, adhiberi solent.

XII. Supersedeo plura dicere. Quis enim finis, si omnia colligam? Si quæ ἄλλοι indicaui, exsequar ὁ μῦθος. Si perfidiæ, feritatis, ausitię, insolentię colligam circumstantias? Sufficiant ergo quę dixi, atque ex iis concludant pij, meritò ab Spiritu Sancto describi meretricem, non tantū fundērem humanum sanguinem: sed piorum sanguine ebriam. Meritò ergo à nobis hac nota, vt reliquis insignitam Romanam hęresin, Antichristi sedem ipsissimam appellari. Certè fatebuntur omnes, nusquam, & nunquam tot, tantęque immanitatis exempla exstare. Nihil ab insanissimis, immanissimisque Ethnicis, cogitatum, auditum, visum, quod sit cum sceleribus Romanis comparandum.

CAP. XVI.

De sceleribus Antichristi.

I. ORdine nunc suo sequitur Antichristi vita. Et in ea scelera, & luxus. Primò igitur Paulus appellat, τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας, *Hominem illum peccati*, id est, hominem illum sceleratum, vel potius, vt annotat Beza, merum scelus, ex vi phraseos Hebraicæ, μυρία γὰρ ἐργάσεται, καὶ παρασκευάσει ἑτέρους ἐργάζεσθαι δεινά, *Infinita enim, tum ipse faciet, tum alijs autor erit, vt faciant infanda*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius, ὅτι καὶ αὐτὸς πολλὰ ἔσται ἁμαρτάνων, καὶ ἄλλους εἰς τοῦτο ἀναγκάσει. *Et ipse multa peccabit, & alios ad ipsum coget.* Theophylactus, *Scelerum omnium patrator: seductorque aliorum ad peccandum.* Nec alio fine vocarunt ἄνομον, *iniquum* vertit Vetus interpres, vt & Syrus עולא. Beza optimè *exlegem*: videlicet, quia sese Diuinæ legi nō sit subiecturus. Et sanè eo vocabulo solet ille significari, cui perinde est quicquid agat: nulla sibi lege imposita, præter proprias concupiscentias, adeò vt quicquid libeat, liceat. Qui etiam Ioannes appellat *meretricem*. Cur non? ob impurissimam vitam? etsi ob falsam religionem etiam: & quidem præcipuè? Tum autem ita amat fieri, vt qui veritatem non amplectuntur, tradantur à Domino in reprobum sensum, vt faciant, quę minimè conuenit.

II. Facilis nota. Sed pertinétne ad Papam? Nulla magis. Tum ad statum, tum ad personam. De statu testes, nuperi, medij, veteres. Iampridem enim declamatum in corruptos mores Ecclesiæ. Et Ecclesiam cùm dicebant, eos habebant in antichristo, qui

qui quasi proprio iure sibi post clericorum titulum, etiam Ecclesiæ nomen arrogabant: id est, *Iam* Papam, Cardinales, Archiepiscopos: denique Prælatos omnes. Iam olim Petrus Damiani librum scripsit *Gomorrænum*, ad Leonem nonum, *contra quadrimodam carnalis contagionis pollutionem*, inquit ipse Leo in Epistola ad eum, apud Baronium, anno quadragesimo nono supra millesimum. Fuisse autem nominatim contra Clericos, hæc Leonis indicant, *Clerici verò, de quorum vita spurcissima flebiliter, pariterque rationabiliter tua prudentia disputauit: verè & omnino verè ad funiculum hæreditatis eius non pertinent, de quo ipsi voluptuosis se oblectationibus submouent.* Et laudauit quidem librum Leo: sed Alexander secundus, qui quinto post Alexandrum loco sedit, suppressit: ita vt hactenus in puluere iacuerit Vaticano. Prætexit caussam Baronius, verborum obscœnitatem: sui tamen oblitus, qui paragrapho decimo contrà testatus erat. Verba tacito, *Quadripertita vitia carnis, quibus obrueretur Ecclesia, vt decuit, quàm potuit honestè, insinuauit.* Si tum honestè: vnde nunc tam repentè verborum tanta obscœnitas? Sed si vera est tamen, vnde laudes Leonis? Aut cur castior Alexander? Aut, quæ spes fuit, suppressum iri fœditatem morum, suppressa verborum obscœnitate? Nimirum, hoc illud est, solliciti sunt magis boni illi viri de comprimendis satyris, quàm de purgandis moribus. Vt hodie Index Expurgatorius Hispanus ex Alberti Argentinensis Chronico delet, *De potentia, & superbia sedis Apostolicæ, ac Prædicatorum, & Minorum.* Idem, cum Belgico, ex editione Augustini ab Erasmo factæ, *Quam probitatem hodie, non temerè reperias in Sacerdotibus, & Abbatibus.* Et infinita alia, quæ deprauatos clericorum mores lancinabant.

III. Papyrius Masso in vita Clementis sexti, *Benedictum* (eius scilicet nominis nonum) *vt nimis durum & asperum aulici fermè oderant: quia huic hominum generi ne boni quidem placent.* Platina in Marcellino, *Nostra ætate vitia adeo creuere, vt vix apud Deum misericordiæ locum nobis reliquerint. Quanta sit auaritia Sacerdotum, & eorum maximè, qui rerum potiuntur: quanta libido vndique conquisita: quanta ambitio, & pompa: quanta superbia & desidia: quanta ignoratio tum sui ipsius, tum doctrinæ Christianæ, quàm parua religio, & simulata potius quàm vera, quàm corrupti mores, vel in prophanis etiam hominibus, quos seculares vocant, detestandi: non attinet dicere, cùm ipsi ita apertè & palam peccent, ac si inde laudem quærerent.* In Stephano tertio, *Nunc verò, adeo refrixit pietas; & religio, non dico nudis pedibus: sed caligatis & cothurnatis vix supplicare dignantur. Non flent inter eundum: vel dum sacrificatur; vt illi sancti Patres: sed rident; & quidem impudenter: De his etiam loquor, quos purpura insigniores facit. non hymnos canunt: id enim seruile videtur. Sed iocos & fabulas ad risum concitandum inter se narrant. Quid plura? Quo quis dicatior est, & petulantior, eo maiorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Seueros & graues viros reformidat hic noster clerus. Quid ita? quia in tanta licentia malunt viuere, quàm bene monenti, aut cogenti obtemperare: & ob eam rem Christiana religio quotidie in peius labitur.*

IV. Petrarcha, quid vehementius? Librum integrum edidit Epistolarum sine titulo: quibus vna materia est Aueniò; vbi tum Papa, annos iam multos: vt videretur Babylonem à Tyberi proA cul ad Rhodanum: & à Septem montibus ad vnicum collem voluisse transferre. Petrarcha igitur & Babylonem semper appellat: & speluncam latronum, & multa alia. Epistola duodecima, *Noui expertus, vt nulla ibi pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reuerentia, nullus timor, nihil sancti, nihil iusti, nihil æqui, nihil pensi, nihil denique vel humani. Amor, pudor, decor, candor inde exulant. De veritate quidem sileo: nam quis vsquam vero locus, vbi omnia mendaciis plena sunt: aer, terra, domus, turres, vici, atria, plateæ, porticus, vestibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diuersoria ædium, penetralia templorum, iudicum subsellia, pontificum sedes? Ad postremum ora hominum, nutus, gestus, voces, frontes, animi? Quid ais? an mentior? an verò de mendaciis verum loquor? Si illic fuisti, & nullo tuo maiore negotio distractus, in nefariam illam scelerum scenam acumen ingenij, atque oculos intendisti, alium iudicem non optabo, quàm scilicet omnia ibi virtute, veróque sine vacua, plena criminibus plena fallaciis plena fucis, plena blanditiis plena pessimis artibus. ambitionis. auaritiæ, superbia, liuoris. Vidisti fictè & inaniter fieri omnia: non tantùm hominibus, sed Deo.* Decima septima. *Ecce iam oculis vides, iam manibus palpas. qualis est Babylon illa nouissima, feruens. æstuans, obscæna, terribilis, quam nec Cambysis opus. Babylon Niliaca: nec illa vetustior regia Semiramidis, Babylon æquet Assyria. Nilum, & Euphratem Rhodanus vincit: nempe quis tartarea flumina, Cocytum vincit, & Acherontem. Quicquid vspiam perfidiæ, & doli: quicquid inclementiæ, superbiæque: quicquid impudicitiæ, effrenatæque libidinis, audiuisti aut legisti: quicquid denique impietatis. & morum pessimorum sparsim habet, aut habuit orbis terræ, totum istuc cumulatum videas, aceruatimque reperias. Nam de auaritia, déque ambitione superuacuum est loqui: quarum alteram ibi regni sui solium posuisse, vnde orbem totum populetur ac spoliet: alteram verò alibi nusquam habitare compertum est. Vides populum, non modò Christi aduersarium: sed, quod est grauius sub Christi vexillo rebellantem Christo, militantem Sathanæ: & Christi sanguine tumidum, atque lasciuientem.* Sed Epistola decima octaua magis ad Antichristum, *Bonorum hostis, & malorum hospes, atque asylum. Pessima rerum Babylon. feris Rhodani ripis imposita: famosa dicam, an infamis meretrix, fornicata cum regibus terræ. Illa quidem ipsa es, quam in spiritu sacer vidit Euangelista. Illa eadem, inquam, es, non alia, sedens super aquas multas, siue ad litora, tribus cincta fluminibus, siue rerum atque diuitiarum turba mortalium, quibus lasciuiens, ac secura insides, opum immemor æternarum: siue, vt idem, qui vidit, exposuit, populi, & gentes, & linguæ, aquæ sunt, super quas meretrix sedet. Recognosce habitum. Mulier circumdata purpura, & coccino & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione; & immunditia fornicationis eius.* Sequuntur alia non pauca, tum in eadem, tum in aliis Epistolis.

V. In Concilio Lateranensi postremo, sub Iulio decimo, orationem habuit Simon Begnius Episcopus Modrusiensis, sessione sexta. In ea hæc legas, *Tadet verò pigétque, fidem, pietatem, religionem nostris temporibus, ita tepuisse, & pene dixerim, contabuisse videre, vt vix earum vlla vestigia sint reliqua. Et in nobis, quo tempore Ecclesia ab hæreticorum persecutionibus vacua, summa pace, & libertate fruatur, tantopere fidem ac feruorem maiorum nostrorum animis insitum refrixisse, vt cum Hieremia verè dicere possimus;*

Egressus est à filia Sion omnis decor eius, innocentiæ scilicet & castitatis. Principes eius facti sunt vt arietes: hostes ingressi sunt sanctuaria eius; Ecclesias polluerunt: virgines eius & iuuenes in captiuitatem abierunt. Sacerdotes & senes spreuerunt Deum. Non est lex: non est mandatum: iudicia peruertuntur. Hæccine est illa filia Sion, Sponsa Christi, quæ vna esse debet? In sessione nona Antonius Puccius singulos ordines prolixè exagitauit: & de Clericis, quum dixisset eos olim vel deponi, vel saltem suspendi solitos ab officio, qui non rectè se gererent, *Quod si,* inquit, *Ecclesiæ matris nostra benignitas, prouidu suo consilio, à canta priscorum canonum seueritate aliquantulum non temperasset, quonam eiusmodi clerici tempestate nostra confugerent? quo conscientiam sibi tot scelerum faciem obuoluerent?* Seueriùs etiam sessione decima Stephanus Archiepiscopus Patracensis, *Magnum ipse Dominus, vitia, scelera, & peccata, ac blasphemias contra Deum, virginem, & sanctos, turpissimas, quæ in Romana & vniuersali Ecclesia, ac populo suo Christiano, & orbe vniuerso perpetrantur, pro sua iustitia amplius tolerare non valet.* Et pòst, *Si cardines orbis, si reges tum cæli Ecclesiæ, tum terræ: si quatuor rotarum Patres & religiosi; si magistri, & doctores: si aduocati, & procuratores: si iudices & Romanæ curiæ officiales, Ecclesiarúmque rectores, tantam magnitudinem magni Domini, & inuiolabilis iustitiæ suæ sceptrum, recta, simplici, ac pura mente, iuxta legis Dei, & regularum diuinum intellectum, suscipere vellent, tot enormia & legi immaculatæ contraria, fracto iugo Christi, sine charitate ac Dei timore, plebem Christi, quasi panem deuorantes, non perpetrarent.* Rursus, *Sancti Apostoli, & illi qui nostram Ecclesiam suo sanguine ædificarunt, cælestia, & bona immortalia, nos verò caduca, & mortalia, & terrena quærimus: illi miracula & virtutes: nos piacula, & scelera: illi summis virtutibus gratiam nos vitiis iram consequuti sumus.* Denique in Concilio Delectorum Cardinalium agnoscuntur abusus, id est, grauissimi morbi, *quibus,* inquiunt, *iampridem Ecclesia Dei laborat ac præsertim hæc Romana curia, quibus effectum prope est, vt paulatim ac sensim ingrauescentibus pestiferis his morbis, magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus.* Apud Matthæum Paris in Henrico tertio, Hugo Cardinalis, cùm nomine Papæ valediceret Lugdunensibus, *Amici,* inquit, *magnam fecimus, postquam in hanc vrbem venimus, vtilitatem & eleemosynam. Quando enim primo huc venimus, tria vel quatuor prostibula inuenimus: sed nunc recedentes vnum solum relinquimus. Verùm ipsum durat continuatum ab Orientali porta Ciuitatis, vsque ad Occidentalem.* Adde Nicolaum de Clemangis: Adde Marsilium Patauinum in defensore pacis, adde alios; quid supererit ad indicandam, euincendámque *[illegible]*.

VI. Adde recentiores? nondum tamen effœtitos hoc pertinaci in veritatem iam plenè reuelatã odio, & quid dubij supererit? Ioannes Episcopus Chemensis in Onere Ecclesiæ, quas partes reliquit intactas Ecclesiæ Romanæ, in cuius medio viuebat *[illegible]*, quidem Luthero: sed minimè tamen Lutheranus: imò, qui Lutheri nihil nosset præter famam. *Militantis Ecclesiæ* (ait capite decimo nono) *imminet plaga diuinæ iræ cum ob clericorum, tum ob laicorum cæcitatem & malitiam.* Et hanc cæcitatem, hanc malitiam, latius exsequitur deinceps. *In primis sedes bestiæ, id est, Ecclesia peruersa, est in curia Romana, cuius regnum est tenebrosum. Heu sicut olim in Romano Imperio, sic hodie in Romana curia, est vorago diuitiarum turpissima: Creuit auaritia: perijt lex à sacerdote, ac visio de Propheta, & consilium à senioribus. Claues Ecclesiæ sunt in abusu & seruiunte simoniæ & ambitionis. Vitia enim ferè Curialium celari, negaríque vix possunt. Roma quasi gurges flagitiorum. Ecce Roma nunc est vorago & mammon inferni: vbi Diabolus totius auaritiæ Capitaneus residet, vendens patrimonium Christi. Cardinales extenti & effusi sunt ad omnem superbiam, cupiditatem, & delectamentum carnis.* Capite vigesimo, *In ore Episcoporum est lex vanitatis pro lege veritatis, & labia Sacerdotis custodiunt scientiam secularem, non spiritualem. Nunc temporis Episcoporum status & dignitas perpenditur in terrenis opibus, in sordidis ac plebeis curis, in bellorum procellis, in imperiis mundialibus.* Capite vigesimo primo, *Tria facinora exercent Ecclesiæ promisores. In carne vitam meretricalem habent: Secundò sunt insatiabiles: similes voragini maris ad cupiditatem pecuniæ. Tertiò bona irrationabiliter & prodigaliter, sicut torrens in impetu suo aquam fundens, pro superbia largiuntur: Quorum horribilia peccata ascendunt ante conspectum Dei.* Longus sim, si omnia exserpam ex eo autore.

VII. Ioannes à Bononia, libro de Aeterna Dei Prædestinatione, in digressione de flagitiis quorundam statuum, *Reliquit Deus Apostolos, Episcopos, Pastores, & Sacerdotes in terris: deditque illis potestatem suum pascendi gregem, suúmque consecrandi corpus & sanguinem, & absoluendi quemlibet à quocunque peccato: ac ratum se habiturum in cælis est pollicitum, quicquid ab illis per hanc potestatem agitetur in terris. Sed si Clerum hoc tempore respicias, in aliquibus videbis, bestia portentum, Dei seruitium aut ignorant aut negligunt: turbatis lucris inhiant, sacerdotium per immunditiam polluunt. Alij beneficiis acceptis, nonnulli fœdis adulationibus, quidam muneribus, plerique precibus sacerdotia, aut emunt, aut conferunt. Vnde in hoc tempore, horum scilicet causa, non honoratur sponsa Ecclesia Christi, sed spoliatur: non custoditur, sed perditur, non defenditur, sed exponitur: non instruitur, sed prostituitur: non pascitur grex, sed mactatur, & deuoratur.* Hæc ille. Et quidem leuiter: imò leuiter. Sed quæ ille vitia in quibusdam: quis non videt in omnibus?

VIII. Hactenus de toto statu. Nunc de ipsis personis Papistarum. Certè Adrianus sextus anno vigesimo tertio supra mille & quingentos, legatione missa ad Principes Germaniæ Protestantes, confessus est plurimis annis grauiter, multisque modis, peccatum esse Romæ: & inde à pontificio culmine malum, atque luem ad inferiores omnes Ecclesiarum præfectos defluxisse. Quam confessionem non est quod facile speres ab iis qui *[illegible]* faciunt bonos illos viros. Ioannes Chemensis in onere Ecclesiæ, capite decimo nono, *Sol, qui est spiritualis potestatis, factus est niger, quia non serenum cœlum, sed terram inferiorem aperit. propterea per versum Pontifex nominatur angelus abyssi.* Agamus distinctius. Formosus iam olim eandem sedem occupauit, anno scilicet seculi noni octogesimo primo. Vir sanctus, si Baronio credas, & laudatissimus. Et tamen Imperatores, Vidonem, Lambertum patrẽ & filium coronauit: tertiúmq; cõtra eos, Arnulphum, vnde bella in Imperio nõ parua. Quin etiam plebis Romanæ inuitus, Arnulphum accersiuit, qui vlciscens eius iniuriam, multos Romanorum principes obuiam sibi properantes decollari præcepit, teste Luitprando. Tam mite ingenium erat Formosi: tam laudabile. Bonus vir tamen, si cum successoribus comparetur: quorum sceleribus velandis nihil excogitare Baronius potuit, aliàs solertissimus, imò impudentissimus in dissimulandis sedis eius, quibúsque criminibus. Itaque lugubriter

tes deplorat calamitatem Ecclesiæ: miraculùmque in, o cumminiscitur, quòd tantis fluctibus non sit obruta. Nimirum illis semper constat sarta tecta Ecclesia, quandiu tyrannis eam occupat: tum demum perditam confessuri, si redigatur in ordinem, id est, ad primam simplicitatem. Tam sunt illis sanæ mentes.

IX. Formoso successit Bonifacius: homo ... inquit Baronius, sedent inuasit. Quanquam Platina legitimè rectéque creatum dicat. Verùm die quintadecima pulsus à Stephano, ipso etiam malis artibus intrudente seipsum. Conuocato Concilio, Formosi acta rescidit omnia: imò corpus ipsum sepulchro erutum, constituit in sede Pontificali indutum sacerdotalibus indumentis: tum verò eadem indumenta detrahi iussit, tres digitos abscindi, quibus etiat vsus in consecrationibus: corpus in Tiberim proiici. Infelicissima tempora, Baronius exclamat, atque omnium luctuosissima: quorum occasione Lectorem putauit monendum, ne quid scandali patiatur, si quando videre contigerit, *abominationem desolationis in templo*. Quantulum distans à Lutheranis? Nam quod hi factum agnoscunt, ille contingere posse fatetur: nimirum vt Romæ sit abominatio desolationis. Sed vide astutiam. Non vult quenquam scandalum pati, etiamsi viderit abominationem desolationis in templo: hoc verò quidest? Nimirum etiamsi Antichristum ipsum contigerit Romæ sedere; tamen ne quisquam recedat ab eius obedientia. Itaque valdè laudat Episcopos Gallicos, qui ne hæc quidem monstra non coluerunt. Et tamen Christus Matthæi vigesimo quarto. *Tunc qui in Iudaa sunt, fugiant in montes*. Cæterùm sunt qui dicant duos tantùm digitos abscissos: eósque in Tiberim proiectos: corpus autem mandatum sepulturæ laicorum. Nimirum, vt Sergio postea non deesset crudelitatis subiectum: qui è sepulcro eductum cadauer, capitali supplicio affecit, haud secus ac viuum: sepulturáque indignum proiecit in Tiberim. Ita Luitprandus: Ita Platina. Baronius saltem agnoscit Sergium fuisse Stephano autorem eius sceleris: imò in patrando antesignanum. At Onuphrius, in additionibus ad Platinam, mauolt hæc omnia esse fabulosa: nimirum præ zelo eius sedis. Sed Baronius acta habet Synodalia sub Ioanne ... ibus Synodus à Stephano ad id coacta damnatu...

X. In Benedicto quarto, ita scripsit Platina, *Sanctitate & doctrina, qua nonnisi magnis laboribus, consummatáque virtute comparantur, Pontificum decus fine ... opibus primò quidem auctum est inter tot hostes, & obstinatos persecutores Christiani nominis: mox verò vbi cum ipsis opibus lasciuire cœpit Ecclesia Dei, versis eius cultoribus à seueritate ad lasciuiam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo principe flagitia hominum tum coercente, hac portenta: ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potius, quàm possessa*. Monstra vocat: an mollius quàm Paulus hominem peccati? Sergium tertium nefandum Baronius nominat: & vt ab ipso Paulo doctus videatur. Hominem, vitiorum omnium seruum, facinorosissimum omnium: assignans ei, malum ingressum, deteriorem progressum, pessimum egressum. Is impotenter indulgens impudentissimo scortò Maroziæ, genuit Ioannem duodecimum postea Papam. Sed eius mater Theodora deperibat Ioannem Rauennatensem Episcopum: quo vt facilius potiretur, Romam effecit, vt veniret, Landone sedente: hócque post paucos dies moriente, illum in eandem sedem intrusit, eius nominis decimum, sessurum annos sedecim; id est, donec à Marozia Theodoræ filia, in carcerem missus animam efflaret, dignum, inquit Baronius, suis sceleribus finem accipiens. Successit Leo sextus: Tum Stephanus octauus, obscuri nominis: quibus defunctis Marozia Ioannem suum ex Sergio filium obtrudit. Et talia (inquit Baronius) *Pati coactum est sancta Dei Romana Ecclesia, vt sic deformiter à tanto monstro inuasa conculcaretur*. Platina dixit, eum gessisse spiritus militares, magis quàm religioni deditos: & tamen huiuscemodi Pontifice indiguisse tunc Ecclesiam, atque Italiam. Quis neget? Imò quis non miretur eius Ecclesiæ sanctitatem, cui monstra sint hominum vitia, imò necessaria?

XI. Paulò pòst extitit Ioannes duodecimus, siue decimus tertius, puer annorum octodecim ad summum, vt docet Baronius, *Homo* (inquit Platina) *ab adolescentia omnibus probris ac turpitudine contaminatus: venationibus magis, si quid temporis à libidinibus supererat, quàm orationi deditus*. Addens, *hunc sceleratissimum hominem, vel hoc monstrum potius in adulterio deprehensum, & confossum interiisse*. Multa de eo Luitprandus sex postremis capitibus libri sexti: recitans actis contra eum in Synodo, à qua depositus est, electo Leone octauo. Vbi tu mihi vide Papisticum, & quidem Cardinalitium ingenium. Nam Baronius, etsi impurissimum appellet, quémque omnes detestentur boni, tamen longè acrius, vehementiùs, prolixiúsque debacchatur in eam Synodum: cuius iudicium, spurium appellat, & sacrilegum: propterea&que Leonem Pseudopapam: imò omnino inter Papas non numerandum. Quam ob caussam? Scilicet hanc vnam, quòd inuito Ioanne, Ioannem deposuerint. O scelus! O portentum! O sacrilegium! Sed apud Romanos: apud quos longè consultius est monstra hominum, imò monstra scelerum adorari. Et mihi tu rursus vide τὸ ... gnathonicum ingenium. Postquam multis debacchatus est contra id Concilium, tandem vertitur in laudes Othonis Frisingensis, sanctum appellans. Quam ob caussam? Hanc vnam: quia magnificè sensit de successoribus Petri. Hoc autem quid est? Primò subdubitare visus est de actis eius Synodi, vtrum essent iusta. Secundò negauit verisimile esse Ioannem fuisse impium, *Inuenis tu quibusdam Chronicis*, inquit, *sed Teutonicorum, præfatum Ioannem reprehensibiliter vixisse: sed frequenter super hoc ab Episcopis, aliisque fiditis suis conuentum fuisse. Cui rei durum videtur fidem accommodare: quia Romana Ecclesia hoc speciale priuilegium Sacerdotibus suis adscribere solet, quòd meritis Petri super firmam Petram fundata, nulla eos porta inferorum, vel turbo tempestatum ad exitialem ruinam inuoluat*. Egregiam verò sanctitatem? Quid nu? Nam accedit quàm proximè ad Iesuitatum nostrorum cæcam obedientiam, virtutem sanè eximiè Papisticam, vt videntes nolint videre: & si ita commodum sit sanctæ sedi, vel meridie negent solem lucere. Inde est proculdubio, quod in Actis Synodi Romanæ contra Leonem institutum ab Imperatore, idem Ioannes vocatur piissimus, mitissimus, coangelicus, sanctissimus.

XII. Ioannes decimus tertius, aliàs decimus

quartus, insigne crudelitatis documentum dedit, si verum est, quod scribunt quidam. Nam Petrum vrbis præfectum, à quo in carcerem coniectus erat, sibi ab Imperatore traditum, sic excarnificauit, vt abrasa barba, capillis suspensus ad caput equi Constantiniani, aliquandiu steterit: indéque ablatus, asino impositus, verso ad clunes vultu, & manibus sub cauda ligatis, per vrbem ductus, & virgis cæsus ferè vsque ad interitum; denique in Germaniam ablegatus sit. Benedictus eius successor à Cinthio præfecto Romano in carcerem missos laqueo vitam finiuit: nemine eam iniuriam vlciscente. Itaque veretur Platina, ne talia fuerint eius merita, quale præmium consequutus est. Eo mortuo Papatum vsurpauit malis artibus Bonifacius, quèm Baronius scelestissimum virum appellat: & à Benedicto primo Roma pulsum; basilica Vaticana prius spoliata Constantinopolim nauigasse, constituto in eius locum Benedicto: secundúmque eum, Ioanne decimo quarto, quem crudelissimum Papyrius Masso dicit fuisse. Hunc Bonifacius Constantinopoli rediens, in carcerem detrusit miserè periturum. Verisimile est Ioannis mores odium ei conflasse, & desiderium Bonifacij in Romanis excitauisse. Successit Ioannes decimus quintus, quem Platina notat, miro odio in clericos exarsisse; atque Clero contrà merito exosum, maximè quod diuina humanáque omnia cognatis & affinibus suis largiretur, posthabito Dei honore, & Romanæ sedis dignitate: exemplo in posteros continuato.

XIII. Succedit Syluester secundus, de quo actum lib. tertio tomi primi. Inde continua serie. Ioannes cognomine Siccus: alter etiam Ioannes, non bonis artibus adepti dignitatem, factione Comitum Tusculanorum, eodem anno vterque. Ambo indigni Baronio visi, qui inter Papas numerarentur. Exinde Sergius quartus sedit: tum Benedictus octauus: inde Ioannes Benedicti frater: nam vtriusque pater erat Georgius Comes Tusculanus. Et quidem de Benedicto iampridè actum erat, nisi succurrisset impostura: finxerunt enim bis post mortem apparuisse Episcopo Portuensi, declarasséque se à purgatorii pœnis liberandum intercessione Odilonis. Rursus Episcopo, siue Capuæ, siue Capreæ, incertum vtri: an potius certum neutri? Sed fingunt saltem apparuisse vectum equo atro, iussisséque rogari fratrem, vt in pauperes erogaret thesaurum à se certo loco reconditum: ita enim posse redimi: nam quæ viuens erogarat, nihil prodesse: quia ex rapinis. Ita solemne est apud Papistas, eos qui viui nequam fuerunt, post mortem in viros frugi transubstantiare. Sed aduertite acumen. Quæ viuus erogarat, nihil profuerant. Iam hoc Papisticè. Condonetur tamen. At cur non profuerant? Quia ex rapinis. Esto. At is thesaurus, qui iubetur erogari, vnde? Quasi non totam Georgij Comitis Tusculani familiam, multis infamatam sceleribus traducat Baronius. Sed Ioannes non legitimè vocatus: imò malis artibus ascendit in sedem, & quidem neophytus, id est nullis ante sacris initiatus. Nefas dictu, inquit Baronius: quasi qui legisset nunquam Ambrosium etiam Catechumenum fuisse, cùm eligeretur. Sed ad rem, succurri oportuit tantæ sedi. Itaque ex Petri Damiani lepida narratione secundæ apparitionis, concluditur, Ioannem abdicasse seipsum: tum legitimè confirmatum annos decem legitimè præfuisse. Quom tamen, neque quisquam abdicationis eius meminerit, præter autorem fabulosæ narrationis: & ipse autor fabulosus scribat, exuto Episcopalis sarcinæ pondere, monachum induisse, hoc est, deinceps Papam non fuisse.

XIV. Quæ successerunt, longè grauiorem Baronio lacrymarum occasionem dederunt. Defuncto Ioanni subrogatur Benedictus nonus, ex eadem Comitum Tusculanorum familia: puer annorum decem, probrosissimæ vitæ: quem Petrus Damiani testatur ab initio suæ creationis ad finem vsque semper luxuriis inquinatum. Quem ignauum, nulliúsque pretij (vt ait Platina) tandem, hoc est, anno vndecimo Romani destituunt: substituto Siluestro tertio: eo, qui etiam ipse multa pecunia Romanorum suffragia redemerat. Et tamen die quadragesimo nono, Syluestro pulso, Benedictus restituitur: qui suæ securitati consulens, Pontificatum vendidit Ioanni, cui nomen Gregorio sexto. Verùm Imperator Henricus secundus, habita Synodo; Benedictum, Syluestrum, Gregorium, tanquā tria teterrima monstra, abdicare se magistratu coëgit: constituto Clemente secundo. Hanc historiæ seriem variè Baronius pro suo tractauit ingenio: leuissimis, vt semper, coniectutis nixus. Nam & Gregorium legitimè, canonicéque electum asserit: & quam alij venditionem appellant; ille prudentissimum, aptissimúmque remedium, curandis tantis malis: nēpe vt, quemadmodum Cerberus esca obiecta sopitus est; sic istis monstris satisfieret, diuisis Ecclesiæ redditibus. Cæterum Imperatoris detestandam audaciam fuisse, qui negotium facessere ausus sit Gregorio: & tamen Clementis subrogationem approbatam ab omnibus Romanis, hoc est, populo, atque Clero. Sed moritur paucos post menses Clemens: & Benedictus iterum sedem inuadit. Eiso nono mense crearetur Damasus secundus; paucis diebus pòst mortuus; & quidem vt cēsent nonnulli; veneno. Quem tamen ipsum Platina, Pontificatum per vim occupasse scribit, nullo cleri, populique consensu. Adeò enim inoleuisse, hunc morem, vt iam cuique ambitioso liceret eam sedem inuadere: & vt idem in Syluestro tertio: qui plus, non sanctitate vitæ, & doctrina, sed largitione, & ambitione valeret, is tantum dignitatis gradum bonis oppressis, & reiectis obtinere. *Quem morem*, inquit, *vtinam aliquando non retinuerint nostra tempora.* Vincentius speculi libr. vigesimo sexto, capite vigesimo primo autor est Benedictum illum, Ioannis successorem post obitum apparuisse in specie monstrosi animalis, professúmque se ita damnatum, vt inde vsque ad diem iudicij per dumosa, squalentia, & sulphurea loca, fœdáque & bullientia raptaretur: postea verò, vt suum corpus suámque animam irremediabilis cruciatus, & irreuocabilis olla gehennalis barathri glutiret: adeò vt nulla spes foret restitutionis.

XV. Hæc rerum Romanarum series inde ab exitu Formosi, qui contigit anno Christi octingentesimo nonagesimo quinto, ad obitum vsque Damasi secundi, id est, annum millesimum quadragesimum octauum. Spatium est annorum centū quinquaginta trium: quibus tot scelerati sederunt Papæ: imò aut nullus, aut vix vllus: quem fuisse bonū virū consentiant omnes. Quod si quidā fuerunt, in quorum laudem multi consentiant; quis non facile coniiciat, factum, partim ex adulatione, partim ex deteriorum comparatione? Certè Leonem nonum

laudant

laudans horum successorem. At quem virum? Qui oblitus Pontificem, maluit agere Imperatorem, conscripto, ductóque exercitu contra Normannos, tum nescio quid occupantes, quod sibi Romana sedes vindicabat. Seuerè eam ob caussam reprehensus à Petro Damiani: à bono autem Baronio strenuè excusatus, asserente non esse militiam indignam Pontifice; dum ipse per se eam non exerceat, sed procul à telorum iactu subductus, alios acriter instiget. Credo ita doctus à Paulo & Petro: an potius, ab eodem spiritu, à quo nuper Clemens octauus didicit, ad occupandam Ferrariam, bellum sanctificare, sacerdotalibúsque tubis more maiorum indicere, vt in promptu haberet omnem vlcisci inobedientiam: vt impurissimè nugatur Baronius, epistola præfixa tomo octauo: quasi ex professo irridens Paulum, qui arma sua negabat esse carnalia? Ergo laudabatur Leo, non iisdem laudibus cum Petro, & Paulo, aut cum longè inferioribus; qui Petrum & Paulum multis annis sequuti: quid enim simile? Sed quomodo Tiberium laudare potuerunt, qui Neronis rabiem erant experti, aut Domitianum etiam, qui Neronis meminerant?

XVI. Attendite tamen acumen Baronij, annò millesimo trigesimo tertio, ægrè ferentis hæc Paparum monstra obijci Romanæ Ecclesiæ, tanquam Antichristi vestigia: eámque ob caussam in Nouatores, quos appellat stylum acuentis. Summa est, non facere ista Romanam Ecclesiam: sed pati. Itaque debere nos potius ei condolere: & in autores malorum iacula probrorum intorquere. At ego: quorsum, inquam, ista? Nam primò: quo iure dicitur Ecclesiam Romanam ista pati tantùm, non etiam facere? At contrà: Romani plerunque ista fecerunt: ipso ipso, inquam, teste Baronio. Quid ergo? an nulla est in Romanis Ecclesia Romana? An est absque Romanis Ecclesia Romana? Aut, quid aliud exspectes, ab initio; quum nondum idola Ethnica Romani deseruerant? Tum enim fateor distinctam fuisse à Romanis Ecclesiam Romanam. Verè enim Paulum, & Petrum Romani occiderunt: quos non occidit Ecclesia Romana, quæ erat & sancta, & pia. Sed nimirum recenti Papisticorum more Baronius loquitur: qui Ecclesiam non agnoscunt, nisi in rasis, & vnctis: plebem, eo nomine indignã censent. Quid ad nos, si ille vocabulis abutitur? Deinde, quid tum, si passa est? Nemo enim dubitat, tum quum sedet Antichristus in templo Dei: id Ecclesiam pati; non facere. Vult-ne igitur Baronius, non agnosci, imò non esse vllum Antichristum? Præterea quanto cum scelere, hæc illi, hominum monstra, se tantum pati dicunt, qui tamen eadem obtrudunt, pro capite Ecclesiæ? pro Vicario Petri: imò pro vicario Christi? pro ipso Christo: pro norma fidei: pro summo controuersiarum iudice? Denique, cur non hæc illi omnia probra obijciamus, quæ non vult se meminisse qualis fuerit: sed impotentissimo arrogantiæ furore, alias omnes, non contemnens tantùm, sed conculcans, effert se supra cœlos?

XVII. Sed fortè deinceps in melius res mutatæ: & desiit hominum ἀταξία, imò *μανία*, grassari Romæ. Vtinam verò ita esset! Non enim tanto odio Romam prosequimur Catholici, vt non mallemus monstris orbem caruisse. Sed eum nobis Scriptura describit Babylonis statum, qui duraturus sit, ad vsque eius interitum. Nec frustra votum fuit, Apocalypseos vigesimo secundo, *Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc.* Itaque Romanos furores oportuit abire in deterius. Non est enim homo peccati, qui recedit à peccato. Nemo igitur speret meliora tempora. Contrà potius deteriora, & sanè, quanquam sunt horrenda, quæ excerpsimus: præ iis tamen, quæ sequuntur, tolerabilia. Vix enim extra vrbem Romam: certè non vltra vicina Romæ loca porrigebat se furor. At deinceps, vniuersa penè Christianitas est concussa: Papis, iam apertè, vi atque armis grassantibus; haud aliter, quàm latrones solent, imò tyranni immanissimi: qui omnia sibi subiici voluêre, quo iure, quáve iniuria. Et quidem hactenus magnos motus vidimus, ab ambitione Paparũ: Sed tamen ita, vt Imperatoriis sese viribus Papæ defenderent; ad cuius tutelam confugiebant, opem implorantes. At deinceps videbimus ipsos suis exercitibus pugnantes, cui rei: imò, cui sceleri (nam certè scelus est in iis, qui sese Ecclesiasticos dicunt: & successores Petri) initium dederat Leo nonus. Videbimus insurgentes in Imperatores, in Reges: eósque pro arbitrio, non excommunicationibus tantùm, suis armis, sed etiam perfidia, proditionibus, parricidiis, impetere armis: & his quidem non suis, adeo nihil illis sancti, nihil iusti præ oculis.

XVIII. Paucis ergo pòst annis Alexander secundus fit Papa à Romanis: eique ab aliis opponitur Cadolus: qui armis decernendum putans, arma opposita sensit Mathildis, eiúsque mariti: quibus armis Alexander tutus fuit. Successit Gregorius septimus, priori nomine Hildebrandus, fax orbis: qui primus violentissimè Imperatores vexauit. Vexationis, siue caussa, siue prætextus, Simoniaca hæresis: ita tum appellabant ij, qui nesciebant Deo reddere, quæ Dei erat: & Cæsari, quæ Cæsaris. Nam quum, siue liberalitate principum, siue rationibus non licitis, Ecclesiastici magnas sibi opes comparassent: mos inualuerat, vt ad Ecclesiæ cuiuspiam Episcopatum electi, ab Imperatore inuestituram acciperent: qua testabantur se suas opes beneficij loco habere ab Imperatore: eique in temporalibus subesse. Eum morem verisimile est, in abusum vertisse, vt sæpe fit. Et quid mirum in aulis principum? Quum ipsas (quæ vocabantur) Ecclesias, lues inualerit? Nihilo enim Romæ mitius actum; quàm in aula. Accedebat, & hoc: quòd sibi Imperatores authoritatem vendicarent confirmandi Pontificis Romani. Atque adeo, quia Alexander inscio Imperatore electus erat, Cadolus, quem diximus, oppositus fuerat. Vtrumque ægerrimè ferebant Pontifices: sed vix progressi vltra querelas. Donec in eam sedem exaltatur Gregorius septimus: cuius altiores spiritus fuere; conatus audaciores: Itaque, quem Alexander præcessor tantùm citauerat, de consilio principum Saxonum rebellium, excommunicauit, regnúmque abrogauit. Excommunicationis, atque abrogationis formulam contraxit Platina: integram Baronius descripsit, ad annum septuagesimum sextum supra mille. Ea formulâ nihil vnquam vidit Christianus orbis insolentius: nihil timidius: nihil alienius ab Ecclesiastica modestia. *Hac itaque fiducia fretus pro Ecclesia tua* (Petrum alloquitur, nouo inauditóq; exemplo) *honore & defensione, ex parte omnipo-*

tentu Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, per tuam potestatem, & autoritatem Henrico regi, filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum, & Italiæ gubernacula contradico: & omnes Christianos à vinculo iuramenti, quod sibi fecere & facient, absoluo: & vt nullus ei sicut regi seruiat, interdico. Et pòst, *Vinculo eum anathematis vice tua alligo: & sic eum ex fiducia tua alligo, vt sciant gentes, & comprobent, quia tu es Petrus.* In eam rem conuocata est Synodus Romana, in qua cùm alia multa, ante id tempus inaudita, tum hoc decretum, ex re præsenti, *Quod Papæ liceat Imperatores deponere. Quod à fidelitate iniquorum subiectos potest absoluere.*

XIX. Ottho Frisingensis nobilis eorum annorum historicus, *Lego & relego Romanorum regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quenquam eorum antè hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum. Quanta autem mala, quot bella, bellorumq; discrimina inde subsecuta sint: quoties misera Roma obsessa, capta, vastata: quod Papa super Papam, sicut rex super regem positus fuerit: tædet memorare. Denique tot mala, tot schismata, tot tam animarum, quàm corporum pericula, huius tempestatis turbo inuoluit, vt solus ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanæ miseriæ infelicitatem, sufficeret comprobandam. Vnde à quodam Ecclesiastico scriptore, densissimis Aegypti tenebris comparatur.* Hæc Ottho Frisingensis: & quidem in caussam Papæ, id est Ecclesiæ (sic enim tum temporis loquebantur) propensior: eámque ob caussam silentio inuoluens, quæcunq; acciderunt Gregorij tempore: statímque desiliens ad eius successores. Sed quæ subticuit Ottho, alij fusè prosequuti sunt. Bertholdus Constantiensis, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, Sigebertus, Paulus Langius, Gobelinus, Gotfridus Viterbiensis, atque alij: nouissimus Baronius. Ex quibus ista sunt excerpta.

XX. Animos Gregorio faciebant Saxones Imperatori rebelles: ab eóque graui prælio victi anno eius seculi septuagesimo quinto. Imò teste Langio, fuit id bellum excommunicationis non parua occasio. Et sanè apud Alexandrum Saxones Imperatorem erant criminati, & variis præliis infaustis iratiores facti, Romæ calumniis suum negotium promouebant, quod armis non poterant. Henricus attonitus hoc fulmine autoribus etiam principibus, pollicetur se Papæ satisfacturum: Itaque abit in Italiã, media hyeme eáq; sæuissima: ita aduersis omnibus, qui Papæ fauebant, vt etsi cum vix regio comitatu, tamen redimendus ei fuerit transitus: etiam ab iis qui eum sanguinis affinitate contingebant. Et Baronius, non potuit non obseruare, ita apparuisse sinistram mentem eorum, qui Papæ fauebant. Papa Canusium se confert, in arcem munitissimam, videlicet sibi veritus. Rogatus ab Imperatore per legatos, vt sibi veniam daret, primò resistebat, tum quasi inclinatus postulabat, vt prius sibi traderet coronam, cæteráque regni insignia. Quod cùm durius omnes iudicarent: vix tandem ægréque consensit, vt veniret. Venit ergo ad arcem triplici muro circumdatam: & receptus intra secundum murorum ambitum, foris derelicto omni comitatu suo, depositóque cultu regio, nudis pedibus, ieiunus ad vesperam vsque triduo perseuerat. Quarto demum die admissus, & veniam impetrat his durissimis conditionibus: vt ad certam diem, certúmque locum ad arbitrium Papæ sisteret se iudicandum, & vel confirmandum in Regem si probaret suam causam, vel destituendum. Interea neque cultum, insigniáve, aut opera Imperatoris vsurparet, liberatis etiam omnibus à sacramento, quo ei sese obstrinxerant.

XXI. Tam indignè, imò tam crudeliter tractatum Imperatorem, omnes Itali ægerrimè tulerunt: Quis autem tulerit ipsum indignatũ? Interea Germani rebelles, vrgent Papam, vt rei consulat publicæ: Rogant ad se veniat, conuenturos intra paucos dies. Gregorius Henricum admonet, vt ei conuentui sistat sese. Ille negat posse, propter tum breuitatem temporis: tum Italicarum rerum statum, cui necesse esset prouidere. Iratus Papa ad Germanos scribit: negat posse ad eos ire, ob pericula itineris: iubet suis rebus ipsos consulere. Itaque Rudolphum eligunt in Imperatorem, Henrico destituto. Gregorius tandem excommunicationem renouat: quam describit Baronius anno eius seculi octogesimo. *Henricum, quem regem dicunt, omnésque fautores eius excommunicationi subiicio: & anathematis vinculis alligo: & iterum regnum Teutonicorum & Italiæ ex parte omnipotentis Dei, & vestra* (Petrum & Paulum alloquitur, quum in priori formula tantum Petrum) *interdicens ei omnem potestatem, & dignitatem illi regiam tollo: & vt nullus Christianorum ei sicut Regi obediat, interdico: omnésque qui ei iurauerunt vel iurabunt de regni dominatione, à iuramenti promissione absoluo. Ipse Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires, nullámque in vita sua victoriam obtineat. Vt autem Rudolphus regnum Teutonicorum regat, & defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra dono, largior, & concedo: omnibus sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum, vestrámque benedictionem in hac vita, & in futura, vestra fretus fiducia largior.* Hæc in bulla, & statim misit ad Rudolphum coronam, cum versu inscripto.

Petra dedit Petro: Petrus Diadema Rudolpho.

XXII. His conatibus suos conatus Henricus opposuit: itaque curat Gregorium exauctorandum: sufficiendúmque Gibertum Rauennatem dictum Clementem tertium. Deinde mouet in Rudolphum: cum quo sæpius congressus, tandem victor euasit: postremóque prælio Rudolphus dextera abscissa, quam agnouisse dicitur eandem, qua fidelitatem iureiurando promisisset Henrico, moritur. Dicitur etiam Gregorio paulo antè reuelatum, eo anno falsum regem moriturum: quod ille interpretabatur de Henrico: sed euentus in Rudolphum vertit: Rodolpho substituitur Hermannus Saxo Comes Lucelburgensis: Huic à muliere, sic enim multi tradunt, saxo deiecto, peremti Egbertus Marchio: qui ipse in fortuito prælio periit. Atque ita Henrici res in meliorem statum restituuntur. Gregorius itidem nouo antipapæ obuiam it, armata manu. Et inflatus spe auxilij à Normannis, publicis literis, *post Kalendas Septembris,* inquit, *postquam tempus frigescere cœperit, cupientes sanctam Rauennatem Ecclesiam de manibus impij eripere, & Patri suo beato Petro restituere, paratâ illam armata manu (sicut de Domino speramus) petemus, at per ipsius auxilium nos eam liberaturos haud dubiè credimus.* Verùm refrigdit, teste Baronio, impetus. Hẽricus in Italiam varias expeditiones suscipit: Romam ipsam vi aggreditur, capitque. Gregorius tandem Salerni in exilio moritur.

XXIII. Succedit Victor: non multo pòst extinctus siue veneno, siue aliter. Cui Vrbanus sufficitur in annos duodecim: nihil remittente furore. Quin potius Henrici filius Conradus exsurgit in

patter:

patrem: quo facto, inquit Baronius, anno millesimo nonagesimo tertio, schismaticorum (ij erant qui Henrico fauebant) vires mirum in modum labefactatæ, minui cœperunt, Catholicorum verò inualescere. Itaque exceptus est à Papa: cui etiam stratoris munus exhibuit primus omnium: & vicissim pollicitus ei Vrbanus consilium, & adiutorium ad obtinendum regnum, & ad coronam Imperij acquirendam: teste Baronio, anno millesimo nonagesimo quinto. Sed is non diu vixit. Vrbanus etiam moritur: succedit Paschalis secundus: qui non tantùm excommunicationem Henrici renouat: sed etiam Henricum eius filium, recipit, fouet, iuuat, vix quicquam sceleris, proditionisque omittentem, quo patrem senem de solio detruderet. Quod & factum. Excusatur autem à Baronio, anno millesimo centesimo sexto, exemplo phrenetici, quem pius filius cõiicit in vincula. *Quibus si ad hoc vsus est*, inquit, *vt patrem ad sanitatem sensum conuerteret; solusque curaret tenacioribus vinculis anathematis arctius frequenti iteratione constrictum: quis negare poterit summum fuisse hoc pietatis genus, in hoc se exhibuisse crudelem?* Sic nimirum [illegible]. Sed illud certum: [illegible]. Ita tandem eiectus Henricus est; & mortuus. Ac ne mortuus quidem Papistici furoris expers. Multos enim annos insepultum fuit eius cadauer.

XXIV. Nec finis tamen Antichristiani furoris. Idem Filius qui in Papæ gratiam armatus est contra patrem: cogitur contra Papam arma sumere. Quum enim veniret in Italiam, Paschalis nonnihil ab eo timens, siue propria agitatus nequitia, siue aliam ob caussam, prætendens, cum Principibus Apuliæ paciscitur, vt si opus esset, contra Imperatorẽ Henricũ dimicarent; Romanorum itidem proceres simili sacramento constrinxit. Id factum anno millesimo centesimo decimo. Quo Imperator venit in Italiam, cum exercitu, prædecessorum suorum dignitates, & iura; simul & Imperij coronam à Paschale postulans, pollicitus fidelem futurum, & filium Sancti Petri. Tandem pactum conuentum, vt Rex inuestituras Episcoporum remitteret: & Papa resignaret regalia. Sic admissus Imperator ad osculum pedis. Quumque pactis conuentis postularet stari, obstitisse Episcopos dicunt Ortho Frisingẽsis, & Gotfridus Viterbiensis: ne Papa impleret, quæ pollicitus erat. Petrus autem Diaconus apud Baronium, postulasse Imperatorem coronam, eodem iure, quo olim accepissent Carolus, Ludouicus, Pipinus: idque Põtificem negasse fieri posse. Itaque iratus Imperator Papam detinuit: Romani seditionem mouent: Imperator abducit Paschalem: eandémque iurare cogit, sibíque etiam inuestituras concedere. Paschalis liberatus vocato Concilio, iusiurandum reuocat. Hinc noui motus: excommunicatus Imperator, armis rem gerit: constituitque Antipapam. Paschalis moritur: Gelasius successor in Galliis decedit. Tandem Calisto electo, pax componitur, Imperatorẽ verito, ne se idem exitus maneret, cum Patre. Id factum anno millesimo centesimo vigesimo secundo: quum ab Alexandri secundi initiis, anni fluxissent sexaginta paulóque amplius.

XXV. In his tantis motibus, aduerte Paparum scelera. Primò, fautores sunt seditiosorum, Saxonũ: qui contra legitimum suum principem arma ceperant: atque ab iis sollicitari se patiuntur: imò persuadent, vt consiliis communicatis in eum fiat impetus. Secundò, excommunicant Imperatores, tanquam impios. Quam ob caussam verò? Fidem ne Ecclesiæ violatam? Minimè verò: quanquam ne propterea quidem Liberius simile quicquam ausus erat: eiúsve [illegible] Episcopi. An propter sacramenta Ecclesiastica violata? ne id quidem. Quid igitur? ob inuestituras: quarum recentissimum nomen, recentissimam originem arguit: ideóque nullum ius Diuinum aut Apostolicum: aut etiam Ecclesiasticum. Quid? quod certum est ad Imperatorem pertinuisse? Nam quando erat auditum ab Episcopis Romanis datas inuestituras? Imò quum Henrico quintò coronam postulanti, eodem iure quo eam Carolus magnus habuerat, & successores, negaret Pontifex posse: quis non videt negari non potuisse, solitos esse Carolum & successores concedere eiusmodi inuestituras? Et tamen Carolum, Ludouicum, Pipinum, quis legit excommunicatos? Videlicet nondũ satis erat confirmata Pontificum temeritas. Tertiò, non excommunicant tantùm, sed etiam priuant Imperio. Et ad Episcopos spectare potest regni iurisdictio? Hoc aliquis sanctorum vnquam cogitauit: nedum dixerit? Et tamen sic vulgò reges terrebat: & quidem multò magis, quàm excommunicatione. Itaque idem Gregorius ad Hugonem Cluniacensem, de Alphonso Hispaniæ rege. *Significare te sibi dignum duximus, nos eum si culpam suam non correxerit, esse excommunicaturos, & quotquot in partibus Hispaniæ fideles sancti Petri, ad confusionem suam sollicitaturos. Qui si minus præceptionibus nostris obedirent, non grauem existimaremus laborem, nos ad Hispaniam proficisci, & aduersum eum, quemadmodum Christianæ religionis inimicum, dura & aspera moliri.* Nimirum hoc illud est, quod in literis ad ipsum Alphonsum appellabat, *Petri gladium euaginare*: non enim sufficiebant claues. Recitat Baronius anno millesimo octogesimo. Et anno præcedente. *Regem Boleslaum, & Poloniæ regnum omni honore, dignitate, & excellentia regali priuauit: & omnes principes Barones, Vassallos, & subditos ab eius ditione absoluens, obedientiam, & subiectionem solitam ipsi exhibere vetuit.* Quartum scelus, quòd bella mouerint secularia: & iam suos exercitus, sua castra habere didicerint: & vt loquitur Platina, in Paschali, à religione ad arma conuersi sint. Quintum, idque immanissimum, quòd etiam arctissima naturæ vincula violarint. Quantum enim id monstrum fuit, quum duorum filiorum aduersus proprium patrem arma sollicitarint, probarint, fouerint? Aut quid illos putas sancti, æquique in terris inuiolatum reliquisse: qui sanctissimum illud ius naturæ tam perfricta fronte pedibus conculcarint? Ius, inquam, naturæ, tam sanctè confirmatum legibus diuinis, vt Paulus obseruet, primum id præceptum esse, certa promissione sancitum. Placet addere eiusdem facinoris aliud exemplum, etsi recentius: quod legas apud Theodoricum Niemensem de schismate libro secundo capite vigesimo septimo. Capti sunt circiter triginta milites Nicolai, ex Columnensium familia, tum Papæ Bonifacio infesti: damnatique fuere ad furcas, permittente Bonifacio. *Vbi contigit res horribilis* (inquit Niemensis:) *quia tunc iudices qui eos ad mortem condemnarunt non habentes suspensorem, cuidam iuueni adolescentulo, etiam tunc inter alios capto, cuius pater & frater etiam tunc illic captiuati erant suspendendi promiserunt ei immunitatem, si secum captiuatos suspenderet: qui aliquamdiu super hoc deliberando, tandem omnes ipsos, ac etiam patrem & fratrem suos, tamen acriter flendo, suspendit.* Nihil addo: satis superque horroris est. Et quis pro dignitate declamet? Sed ingeret nunc aliquis papisticum regnum esse regnum

τῆς ἐλπίδος: regnum *τοῦ ἀνθρώπου τῆς ἁμαρτίας.*

XXVI. Porrò vt lupi magis efferantur gustatis semel humanis carnibus: Sic Papæ, ab hac semel incœpta scelerata audacia, non quieuerũt. Nam deinceps eundem furorem exercuerunt in succedentes Imperatores. In Fridericum primum Alexander tertius. Caussa fuit: quòd sollicitatus ab ipso Concilium indixisset ad compescendum schisma, (erat enim Octauianus Antipapa,) vtrumque Papam citasset. Friderico successit Henricus filius: Henrico Philippus, quem Innocentius tertius vexauit: eiusque successorem Othonem quartum: & deinceps Fridericum secundum Honorius tertius, & Gregorius nonus, & Innocentius quartus. Nec minus habitus ab eodem Innocentio Conradus Friderici filius. Quin etiam in his motibus historici notant Fridericum primum eò redactum, vt à Papa, pacem præsens peteret; siue ad redimendum filium captiuum, siue aliam ob caussam. Venisse igitur Venetias; prostrauisse sese, Papam eius ceruici pedes imposuisse; dicentem, *super Aspidem & Basiliscum ambulabis.* Respondisse Imperatorem. *Non tibi, sed Petro.* Excepisse Papam, *& mihi & Petro.* Hæc tamen Baronius negat, fretus quibusdam scriptis codicibus: quibus non video, cur non tot historicorum autoritatem opponamus. Certè Gennadius, capite quinto pro Concilio Florentino, ex eo fulcit autoritatem Romani Pôtificis. Quomodo *ὁ βασιλεὺς τῆς Ἀλαμανίας, Rex Alamaniæ, Alexandro Papa inclinata ceruice, τὸν πόδα αὐτοῦ τῷ τραχήλῳ ἐδέξατο, pedem ipso collo excepit, dicente, super Aspidem, & Basiliscum incedes, & conculcabis Leonem & Draconem. Ille autem respondit, non tibi subiectionem defero, sed Petro.* At Papa: *Et mihi & Petro.* Vnde ergo tam noua Papistæ religio est? Nec dissimile factum Clementis quinti: qui Franciscum Dandulum Venetorum nomine passus est catena ferrea collo iniecta, ad suam mensam iacere prostratum: vnde ei postea nomen Canis inditum. Autor est Sabellicus libro septimo Enneadis nonæ. Quid? quæ Gregorius nonus egit? Quum multis eius minis Imperator Fridericus in Asiã profectus esset ad bellum contra Sarracenos; bonus ille vir Christianos monet, vt ab Imperatoris sibi caueant insidiis. *Et captata occasione,* inquit [illegible]pergensis, *de absentia Imperatoris, copiosum exercitum destinauit in Apuliam, & terras Imperatoris, in seruitio Christi demorantis, quod nefandissimum est dicere, abstulit, & sibi subegit, & cruce signatos ne transfretarent, omni studio prohibuit, tam in Apulia, quàm in Lombardia. Quis talia facta rectè considerans, non deploret & detestetur, quæ indicium videntur, & quoddam portentum & prodigium, ruentis Ecclesiæ?*

XXVII. Atque ita perstrinximus historiam Romanorum scelerum, annorum haud pauciorum, trecentorum quinquaginta. In quibus, quid vestigiorum est Petri, Paulique? Nam nomina nihil moror, quæ his portentis non sine magno scelere semper erant in ore: & tum quidem maximè, cùm maximè ab Apostolis discederent. Quid si, succedentium seculorum res gestas vestigem? Quanquam quid opus? Nemo enim nescit perpetua bella Papas aut excitasse ipsos, aut excitata fouisse inter Christianos; nunc in Germania: aliàs in Gallia, sæpe in Italia. Certè Papyrius Massonus in Paulo secundo. *Optimi,* inquit, *Pontifices sunt iudicandi, qui nullum inter principes bellum serunt.* At hoc potuit-ne fieri sine scelere? Imò potuit ne sine infinitis sceleribus? Quamuis ipsum illud simpliciter infinitum scelus est. Adde Schismata: & quis erit finis? Theodoricus Niemensis, & Gobelinus testes oculati scripserunt historiam eius schismatis, cuius initium ab Vrbano sexto & Clemente. Quæ illi non expresserunt scelera? Quid Concilium Basiliense de Eugenij quarti vita suis actis inseruerit, neminem latere potest.

XXVIII. Quid cæteros deinceps dicam? Quorum qui optimus, eum merito dicas nequitia decessores superasse. Exempla pauca describo. Lipsius Monitorum libri secundi capite vndecimo. *Certissimum habetur, quod Clementi quinto Pontifici maximo euenit: qui cùm Templarios cætum religiosum, & diu bono inatque vtilem, Viennæ in Concilio damnasset, & in sodales ferro atque igne passim vel animaduertisset, vel, vt alij, sinisset: à pluribus eorum citatus ad tribunal superum, paulò plus anno post obiit, quasi ad vadimonium obeundum à supremo pratore accersitus.* Gobelinus ætate sexta, capite octogesimo quarto de Bonifacio nono. *Comitem Fondorum, qui principium schismatis stabiliuit penitus exterminauit: & ipse Romanus non solum vt Papa, sed tanquam rigidus Imperator dominabatur: multos quidem eorum sibi suspectos de infidelitate per suos satellites suos fecerat occidi: capitolium & palatium suum fortius muniuit: nec fuit ante eum quisquam Romanorum Pontificum, qui talem potestatem temporalem Romæ & in Patrimonio sancti Petri exercuisse legatur.* Onufrius in Xysto quarto. *Simultas inter Xystum & Mediceos adeo creuerat, vt Pontifex ab aduersa Mediceorum factione, cuius princeps Franciscus Pactius nobilis trapezita erat, sollicitatus clam egerit, vt conspiratione facta, fratribúsque Mediceis Laurentio & Iuliano interfectis, respublica sui ipsius arbitrio restitueretur. Xystus tamen ne tam atrox scelestũmque consilium sanctis auribus admisisse videretur, rem totam occultè tractandam, perficiendámque Hieronymo Riario demandauit.* Vt coniurati rem tutius aggrederentur, Florentiam missus Raphael Riarius Cardinalis, vt si qui dubij ac timidiores forent, eius præsentia & autoritate, maiore fiducia ad maturandam cædem inducerentur. Quid fit? Adoriuntur Mediceos in templo inter audiendum Missam: Iulianum interficiunt: Laurentium non possunt. Pòst, animaduersum in sontes: in sontibus fuere Archiepiscopus Pisanus, & (qui Laurentium aggressi) Antonius Volaterranus, Stephanúsque Sacerdotes. Tum verò bonus ille vir, qui noluit videri ad aures admittere tam tetrum facinus, totus in iras versus, ob hanc vindicatam cædem, grauissimum Florentinis bellum intulit, prius tamen sacris omnibus interdictis.

XXIX. Quid Alexandrum sextum memorem? Hominem, an monstrum? Perfidia plusquam Punica, sæuitia immani, auaritia immensa, rapacitate inexplebili. Cuius scelera si enumerem, totam vitam descripsero: nihil in vita habuit præter scelera. Præcipua quædam ex Onufrio. Vrsinorum, Vitellozorum, aliorúmque Principum perfidia trucidatio. Cardinales pecunia creati: Opulentissimus quisque in aula sacerdotes veneno sublati, vt eorum opibus fiscus ditaretur. *Mulieribus* (verba iam Onufrij) *maximè addictus, ex quibus quatuor filios, & duas filias tulit, Omnium præcipua fuit Vannocia Romana, quã à forma vensuste, & morũ illecebris, utraq, demum facunditate* (sic legendum puto, non *fœcunditate*) *in minori fortuna legitimæ propè vxoris loco habuit.* Lucretiam filiam, quam, ante Pôtificatum, Hispano cuidam in matrimonium dederat, eidem ablatam Ioanni Sfortiæ Pisaurensi principi primum: deinde abdicatam Aloysio Aragonio Alphonsi regis filio notho: eóque demum interfecto: Alfonso Estensi Ferrariæ duci locauit. Quid quem tomo primo obseruauimus ex Guicciardino, & Samea-

Sinazario incestum cum eadem Lucretia repetam? Vnum laudes: quod se ipse tandem vita priuarit, hausto per imprudentiam veneno, quod aliis conuiuis parari iusserat.

XXX. Non exsequar plura. Sufficiunt tot tantáque crimina, tot seculis Romæ regnantia, vt affirmemus nullam vspiam vnquam extitisse regum, tyrannorúmve successionem, tot pollutam probris; tot sceleribus onustam, quàm eam, cuius initium nō pudet à Petro repetere; imò ab ipso Christo arcessere. Quid igitur dubitemus agnoscere τὸν ἄνομον, τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας? Non est enim infirmanda alterius Caiaphæ, id est, Pij quinti Prophetia, quæ est apud Papyrum Massonum in eius vita, *Tam corruptis temporibus támque peruersis, vix fieri posse, vt summus Pontifex ad æternam cum Deo tranquillitatem, & gloriam perueniat.*

XXXI. Et inuenit tamen Ferrarius, quæ exciperet ad hanc tantam tantorum scelerum colluuiem. Exsequar ordine sex distincta capita. Primum. Non sufficere hæc omnia, vt sit Papa homo peccati. Oportere enim omnes esse Papas eiusmodi: At hoc falsum: fuisse enim multo plures bonos; puta Martyres, Sanctos, Confessores. Et hos sufficere, vt ne sit Papa homo peccati.

XXXII. Respondeo, aut nihil vnquam futurum satis; aut satis esse multorum seculorum continuationem, ad euincendum Papam esse hominem peccati. Quid enim, per Deum, exspectamus, amplius? aut quibus tandem finibus circumscribemus bonorum virorum existimationem? An exspectamus, vt nihil residui sit apud inferos sceleris, impietatis, & si quid vltra dici potest? Imò, vt non hominem peccati videamus, sed ipsissimum Satanam, & ne incarnatum quidem, quod quidam diuinarunt?

XXXIII. Sed omnes oporteret esse eiusmodi. Quos, malum, omnes? An quoscumque tibi nunc Pappolatræ, libet Papas appellare? ne excepto quidem ipso Petro? At hæc meretricis Romanæ est impudentia, vt, quibuscum nihil habet omnino commune, cum iis saltem affectet nominis communitatem. Sed nos negamus primorum Ecclesię Romanę Episcoporum sanctitatem posse posteris prodesse. Fuere illi primi Sancti, fuere confessores, fuere martyres? Sed qui istis, loco, temporéque successere, non munere, ne pilum quidem habuere eius sanctitatis: Itaque neque illi primi, propter postremos non sancti: neque hi profectò postremi, propter illos primos non Antichristi.

XXXIV. Secundum. Etsi concederetur fuisse Papas adhuc sceleratiores: non sequi tamen, vel Ecclesiam Dei perisse: vel ab ea recedendum fuisse: vt olim definitum aduersus Donatistas.

XXXV. Imò, inquam, etsi concedamus numquam perisse Ecclesiam Dei; nunquam recedēdum fuisse ab Ecclesia Dei; tamen optimè sequitur, id genus hominum, quod totum est, fuit, in sceleribus: adeo vt nihil ei possit comparari, nedum æquari; esse ἄνομον, esse ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας. Hoc age: illud nos aliàs.

XXXVI. Tertium. Inde constare bonam fidem Papistarum, quòd hæc omnia scelera non habeamus nisi ab iis descripta. Non esse autem prædictum in Scriptura, ipsos Antichristo subditos, eius scelera reprehensuros: imò credituros esse Messiam, ipsissimum Christum.

XXXVII. Imò primò nego inde constare bonā fidem Papistarū: sed duntaxat quorundam, eorúmq; paucorum Papistarum, quibus gratia habenda est, quòd non pro totidem dns habeamus sceleratissimos omnium hominum homines. Nā reliqui, quid non agunt, vt horum paucorum fidem eleuent? Tu ipse Apostata, proximo statim argumento, suspectam conaris reddere. Et Baronius ille, quem tu nobis repræsentas, tonantem Romæ contra Paparum scelera; quasi ille obuia quæque carperet: quid non tentat, vt cornicum oculos configat, quò se non vertit, vt crimine plerosque omnes absoluat? Quem non mouet lapidem; vt quæ prorsus tegere non potest, saltem excuset, saltem minuat? Et hanc tu appelles bonam fidem? bonam fidem Papistarum?

XXXVIII. Secundò, vt bonam fidem tibi prolixè largiar: tamen hæc illa ipsa bona fides, Antichristum nobis demonstraret. Sed non prædixit Scriptura. Imò non prædixit Scriptura; omnes tanta scelera dissimulaturos. Et tu illud de Messia, de Christo, non sana mente inculcas.

XXXIX. Quartum caput totum est in eleuanda fide eorum testium, à quibus illa crimina habemus scriptis consignata: tum à partium studiis tum à sorte principum calumniis obnoxia.

XL. Respondeo, facilem esse in huiusmodi locos communes excursum: nec minus cuique promptum, quodcunque suspicari. Sed ita plerumque accidere; vt studia partium, nemo damnet audacius, quàm qui totus est in partibus. Baronium mihi vide. Ille verò has partes, hæc studia diligenter obiicit omnibus qui libere de Papis scripserunt: sed qui de Imperatoribus procaciter: hi verò illi omnes sunt grauissimi viri, locupletissimi testes: vix, non Canonici: saltem eo loco, vt iis fidem derogare non liceat. Sed aliud est profectò, vela obtendere, aliud solem obscurare.

XLI. Quintum, id agit, vt missis factis sceleribus Paparum, in Turcas orationem conuertamus: aut alios, qui etiam ipsi grauissimè aut peccarunt, aut etiamnum peccant.

XLII. Nos verò & Mahometem quàm maximè improbamus: nec vllos alios dissimulamus, aut æquè, aut etiam minus peccantes. Sed nunc de Antichristo agimus; præsente malo, & ad ostium: Non debet ergo mirari Apostata, si à nostris rebus non sit nobis otij tantum, vt nihil nisi longè posita mala loquamur. Olim Prophetę non ignorabant longè magis peccare gentes idololatras: & tamen assidui erāt in reprehendendis Iudæis. Nos, etsi odimus Turcas: tamen ferre non possumus Antichristum, sese Christiani nomine efferentē, & Catholici titulo commēdantem. Hanc nos ei laruam si detraxerimus, tum videbimus, quid promoueri poterit aduersus Turcam. Et scimus quidem hoc modo nos posse gratificari & Ferrario nunc apostatæ: & eius Mecœnati, & Ioui Vaticano: sed scimus vicissim, quæ nobis sit imposita necessitas.

XLIII. Sextum. In Petro ipso multa, notari peccata: Et à veteribus obseruari permissa, vt qui in magnis sunt dignitatibus, discāt esse mites & faciles.

XLIV. Ain' tu, Ferrari? At in Petro infirmitates quasdā video, in Papistis scelera multa. In Petro etiā seriam pœnitentiam; in Papis desperatam malitiam. In Petro humani nonnihil: in Papis diabolicum ingenium. Et tu mihi prætendas Petrum, vt Papas excuses? Tu mihi putes multorum seculorum crimina, aliquot vnius hominis culpis compēsata? Non facis officium boni viri. Sed fallor. Nam neque hoc quisquam à te exspectabat, neque tu ipse pollicebare.

CAP. XVII.

De diuitiis Antichristi.

I. VEnio ad luxum Antichristi, descriptum à Ioanne: Nam Paulus non attigit. Apocalypseos decimo septimo. *Erat autem mulier illa amicta purpura & cocco: & inaurata auro, & lapidibus pretiosis, & margaritis.* Nimirũ, quia meretrix. Solẽt enim meretrices, vel maximè confidere externo cultui: cui impendunt quicquid habent rerum, & temporis. propterea capite decimo octauo; quæcumque luxus, instrumenta sunt, appellantur fructus desiderij animæ Babylonis. Contrà autem Ecclesiæ ornatus omnis interior, consistens in fide, spe, charitate: quæ in mundo nihili habentur: adeo vt qui iis maximè abundat, infimus habeatur. Propterea non tantùm Petrus negabat se auri, argentíque quicquam habere, Actorum tertio: sed etiam Paulus prioris ad Corinthios primo, Corinthiis ob oculos ponebat suam vocationem: videlicet, quòd non essent multi potentes, multi nobiles. Testatur etiam historia, à Christo ad Constantinum vsque, vix quicquam esse à diuitiis magis alienum, quàm Ecclesiam. Inde paulò opulentiorem factam esse. Maximè à Caroli Magni temporibus. Ille enim videtur exemplo suo, nõ tantùm posteris præiuisse in ditanda Ecclesia (sic enim loquuntur) sed etiam ipsos Ecclesiasticos inuitasse ad opes captandas. Quo factum, vt tandem prælatorum ij censerentur optimi, qui suæ Ecclesiæ opes maximè augerent.

II. Et quanquam omnes in eo strenuè laborarunt: tamen præ vno Episcopo Romano inertes reliquos meritò dixeris. Vt enim omnium solertiam, artes, dolos, in vnum conferas: longo tamen interuallo distabunt ab huius solertia: quæ tandem Petro amplum acquisiuit Patrimonium: sic enim appellant, quidquid secularium bonorum possidet Ecclesia Romana. In quo quantum est miraculum? Nam qui viuus possidebat omnino nihil, successores suos ita ditauit; vt iis comparati Reges, atque Imperatores, vilia mendicabula dici queant. Sed numquam Petrus aut suum fatebitur patrimonium, quod & ab Ecclesiæ, quam habuit sibi creditam, natura alienum est; & nullis non sceleribus partum: nec pro suis successoribus, si viueret, agnosceret, qui præter vnam hominis formam, commune cum eo nihil habent. Eos, inquam, quorum ex diuitiis luxus natus, longè excedit omnes Sardanapalos, & Heliogabalos. Eos denique, qui Regibus terrori sunt, omnibus odio, & oneri. Enimuerò non potest Patrimonium Petri nominari, quin eadem operâ, detestãdo Sarcasmo, exprobretur sancta inopia, cui Sanctus Apostolus est immortuus. Sed videamus, quæ, quantæque sint Paparum diuitiæ: eadémque operâ, quibus artibus, id est, quibus sacrilegiis quæsitæ sint.

III. Diuitiæ nunquam melius æstimentur quàm à luxu. Is verò tantus est in Romanensibus, vt nusquam maior: rarò æqualis: etiam in prophanis. Certè fictitia Constantini donatio, supponit sedem Romanam gloriosius exaltandam, quàm sedem Imperatoris: atque adeò omnia ei concedũtur, quibus ad maximam pompam vti solent Imperatores. Et donatio quidem illa tot tantisque scatet nugis, vt cordatioribus fastidium sui ingenerarit: quamuis, vt habent semper similes labra lactucas, non desint Steuchi, eius patroni. Baronium saltem eius puduit, aut ego vehementer fallor: qui quum soleat etiam leuissima quæque, in quibus quid saltem verisimile potuit inuenire, tanquam aras & focos oratione tueri, hoc tamen loco stylo temperauit, ad alios lectoribus ablegatis. Diceres modestum esse, religiosumque autorem. At, cur non æquè contrà declamauit, vt tomo vndecimo contra iura Hispaniarum regis in Sicilia? Vt contra Bennonem Cardinalem? vt aliàs sæpe, quoties honor minuitur, aut reditus suæ Ecclesiæ? Nimirum, non ille sibi veritatem pro scopo ponebat, sed commodum Antichristianæ sedis. Sed ad rem. Quid tum, si donationem non habent pro authentica? Nam saltem eam ipsam opere exprimunt. Et quum exprimunt, nihil est, quod in vlla Regis, Imperatorisve pompa, obseruari possit magnificentius. Videat qui volet, caput duodecimum libri primi Ceremoniarum Romanarum: & reputet apud se, quantum à Christo, quantum à Petro distet, solennis illa equitantis pompa, quæ numerat Valisarios, familiásque Cardinalium, reliquorúmque prælatorum. Tonsorem, Sartorem, familiares, scutiferos Papæ: inde nobiles, Barones: post scalã Papæ, id est, anabatram, qua vtitur ascensurus in equum, descensurúsque: sedeam opertam rubro, impositámque equo phalerato: Duodecim cursores, cum vexillis rubris: nobiles ferentes vexilla ciuitatis, Papæ, Ecclesiæ, Crucis: equos duodecim albos sessoribus vacuos: quatuor scutiferos honoris: procuratores regum, & principum: & fiscalem, aduocatos, secretarios, cubicularios, acolythos, clericos Cameræ, auditores Rotæ: proceres, barones, oratores regum: subdiaconos Apostolicos. Atque hæc omnia initia pompæ duntaxat: quibus succedit Crux Papæ, cum ostiariis duobus: & duodecim pedites clerici, laicive, cum funalibus accensis, id est, facibus ardentibus: duo clerici capellæ, cum laternis argenteis, intra quas candelæ sunt ardentes: Tum sequitur equus albus appenso ad collum tintinnabulo, Sacramentum gerens, sub vmbella (baldacchinum dicũt) quam portant nobiles ciues, additis multis Cereis. Cardinales proximi sunt: Papa tandem progreditur, cum mitra, vel cum regno, sic appellant triplicem coronam: equo vectus candido: quem freno ducit princeps aliquis: nisi malit ille commodius gestari humeris principum in sella, sub vmbella, siue baldacchino. Papæ præsto adsunt Cubicularij secreti, Decanus Rotæ, duo Medici, secretarius, Eleemosynarius, spargens pecunias in turbam: seruientes armorum, quorum vnus toto corpore armatus est, excepta galea: custodes corporis. Agmen claudunt Patriarchæ, Oratores, Prælati, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarij, Abbates, Curialésque omnes. Et expressit nuper hanc pompam Clemens octauus, qui Ferrariam occupaturus venit. En simplicitatem Euangelicam! En modestiam Christianam! En denique Apostolicam humilitatem!

IV. Platina in Gregorio quarto. *In omnem luxum, & libidinem sese effundit Ecclesiasticus ordo. Coccinatos, & trabeatos nunc inspiceres, non homines, quod leue fortasse videretur, sed equos & iumenta: præcedẽte, dum incedunt, magno adolescentum, & altero presbyterorum agmine subsequente: non in asinis, vt Christus nostri dogmatis autor, & bene viuendi vnicum in terris exemplar: sed in equis præferocibus, & phaleratis: ac si ex hoste deuicto triumphum da-*

cerent

terent. De argenteis vasis, & egregia eorum supellectile, de cibariis non attinet dicere: cùm & Siculæ dapes, & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius pretij dici possint. Quid verò ex hac intemperantia nascatur, prætermittam, ne os (vt ipsi aiunt) in cœlum ponam. Onus Ecclesiæ capite decimo nono, *Quid? quod Papa incedit deauratus, gemmatus, vario ornatu decoratus, uel super equo albo vectus; aut à ministris in altum portatus? Hæc sunt magis dæmonum, quàm ouium pascua: vbi non est pastor ouium sed fastus hominum; & non Petro, sed Constantino succeditur.* Bernardus de Consideratione libro quinto, capite secundo, *Inter hæc tu pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oues quid capiunt? Si auderem dicere; dæmonum magis quàm ouium pascua.* Hinc transit morbus à capite in membra. Quis enim non videt vitam Prælatorum? Nam ij paupertatem, id est, sordes, permittunt monachis, sacrificulisque, qui vel mendicando, vel missas in angulis decantando, tenuiter victitant. Sibi autem, quid non splendoris in dies addunt? *Nostra* (inquiebat Krantzius Metropolis libro secundo, capite vigesimo sexto) *feliciora videntur tempora*, comparata videlicet prioribus temporibus, quum non vocabantur ad præsulatum, nisi religione, & sanctimonia præstantes, Vt non modo præesse, sed etiam prodesse possent. *Nostra feliciora videntur tempora: ubi pontifices euangelizandi ministerium relegarunt in sacerdotes. Ipsi superintendentes (sic enim sonat episcopi nomen) meliora sibi desumunt in decimis, primitiis, & oblationibus, equis, armaturis, expeditionibus magnificis intenti, curam gregis abiecerunt.*

V. Leo quartus iussit fieri crucem illam, quæ ante Pontificem à subdiacono fertur, ex auro, gemmisque ornatam, dum nullum (inquit Platina) *genus ornamenti relinqueret, quod ad dignitatem Saluatoris nostri pertineret.* Nam ita iampridem persuasum Pontificibus, pontificiisque, non bene honorari Deum, si non omnia scatent gemmis: si non omnia sunt aurea. Itaque Anastasius Bibliothecarius describens vitas Pontificum, in enumerandis magnificis donariis plurimus est. In Paralipomenis Vrspergensis, Amedeo Sabaudiæ duci electo Basileæ in Pontificem, vocatóque Felici quinto, Ludouicus Cardinalis Hostiensis infulam Pontificalem imposuit, æstimatam aureis triginta millibus. Clemens quintus, is, qui sedem transtulit Roma Auenionem, quum Lugduni coronaretur, in tumultu, equo deturbatus ex tiara carbunculum amisit pretij aureorum sex millium, apud Platinam: qui idem Pauli secundi describendo luxui vix putauit stylum suum sufficere. In eius vita: *Fuere qui dicerent, eum, dum in publicum prodiret, faciem sibi fucis concinnare. De apparatu Pontificio non est, cur ambigas maiores ab hoc vno superatos, Regno præsertim, siue mitram velis appellare, in quam multas opes contulit, coemptis vndique ac magno pretio, adamantibus, sapphiris, smaragdis, chrysolithis, iaspidibus, vnionibus, & quicquid gemmarum in pretio est, quibus ornatus tanquam alter Aaron, in publicum forma humana augustiore prodibat. Inspici tum ab omnibus volebat, & admirari.* Et in Hadriano primo, eundem Paulum adeò his muliebribus oblimentis scribit esse delectatum, conquisitis vndique magno pretio gemmis, & exhausto pene Ecclesiæ Romanæ ærario, vt quoties cumque in publicum prodiret, Cybele quædam Phrygia, ac turrita, non mitrata videretur. Nec

mirum: in homine, cui sua forma adeò placeret, vt electus nomen Formosi sumpturus fuerit, nisi deterritus fuisset à Cardinalibus, opponentibus ea quæ Formoso post mortem acciderant olim. Matthæus Palmerius in Chronologia ad annum millesimum trecentesimum trigesimum quartum. *Ioannes Pontifex ætatis suæ anno nonagesimo, pridie nonas Decembris Auenione moritur: relinquens in thesauris suis ingentem vim auri atque argenti: cuius recta comparatio fuit aurearum drachmarum quindecim millia:* (legendum puto milliones) *hoc est, millies quindecim millia: quod scripsisse ordinem quippe videtur: nec legitur aliis temporibus Ecclesia Romana fuisse locupletior.* Quid mirum ergo doluisse Xisto quarto, qui post Paulum secundum ærarium inuenit inane, repertis, teste Onuphrio, tantùm quinque aureorum millibus? Cordatè! Nam longè locupletius credo traditum Lino, Clementique. Sed mutata erant tempora.

VI. Iuuat autem videre, quibus tandem artibus à tam paruis initiis, ad tantum diuitiarum culmen deuentum sit. Id verò quis non videt fieri nequisse, nisi corrasis vndique, quo iure, quáve iniuria pecuniis? nisi expilatis populis, afflictis regnis, subactis regibus? Sed nihil opus est coniecturis, quum in promptu sint historiæ: in quibus frequentiora sunt (vt ita dicam) Paparum Simoniæ, quàm Imperatorum expeditionum, exempla. Huius primum caput esto Ecclesiasticarum dignitatum venalitas, quam suis contra Imperatores bellis prætexebant: nimirum indignati tantam prædam ad alios peruenire. Gobelinus ætatis sextæ capite octogesimo quarto: *Anno Pontificatus Bonifacij primo, multi pauperes clerici curiam Romanam pro gratiis obtinendis satagebant visitare. Et cùm examinabantur, modus examinandi inauditus tunc ortus, exitus sinistri earundem gratiarum certum præbebat indicium. Nam ministri examinatorum; ipsis dominis suis non insciis, ab examinandis pecuniam exegerunt.* Et capite sequenti, *Episcopatus plurimi, & per Alemaniam ferè omnes, istius Papæ temporibus, vacauerunt: multisque Ecclesiis personæ indignæ, vel inutiles præfectæ sunt: & qui plus soluit Papæ, Episcopatum obtinuit: vnde pro expeditione circa talia opportuna multi expenderunt decies tantum, quantum soluerunt Cameræ Apostolicæ prædecessores eorum: nam quidam impetrantes Archiepiscopatus quadraginta millia, alij sexaginta millia: nonnulli octoginta millia florenorum Papæ soluerunt.* Vuestmonasteriensis anno millesimo ducentesimo quarto. *Gotfridus Vintoniensis Episcopus, diem clausit extremum: cui successit Petrus de Rupibus, qui procurante rege Ioanne, Romam profectus est, vbi xenijs liberaliter collatis ad summum Vintoniensis Ecclesiæ meruit prouehi sacerdotium.* Onuphrius Xistum quartum, & Innocentium octauum notat officiorum institores: illum, qui primus noua collegia excogitauit, venalia: hunc, qui eius exemplum strenuè sequutus sit. *Atque hac ratione*, inquit, *Romanæ aulæ libertas in compedes quasi coniecta, omni industriæ ac laboriosi ingenij diligentia sublata, quum non nisi pecunia hæc munera parentur, quæ antea, gratuito doctis & probis viris, tribui solebant.* Quanquam, quid opus est exemplis, quum in promptu sit taxa Cancellariæ? Sic autem appellant commentarios, in quibus describuntur reditus Pontificij: & nominatim ex vacatione beneficiorum, siue annatis. Et in Germania, frustulum laneum pallij nomine, vendi solet Archiepiscopis, paucisque

Episcopis triginta ferè aureorum millibus; vt est apud Sleidanum libro decimo tertio.

VII. Proxima est litium contestatio; de qua Vispergensis in Philippo Imperatore. *Vix remansit aliquis Episcopatus, siue dignitas Ecclesiastica, vel etiam parochialis Ecclesia, quæ non fieret litigiosa: & Romam deduceretur ipsa causa: sed non manu vacua. Gaude, mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataracta thesaurorum in terra, vt ad te confluant riui, & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum malorum, datur tibi pretium. Iocundare super adiutrice tua discordia: quia erupit de puteo infernalis abyssi, vt accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod semper sitisti: decanta canticum: quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti.* Nec absunt ab hoc ordine omnis generis dispensationes: quarum etiam rationes diligenter referuntur in taxam Cancellariæ. Et huc pertinent votorum commutationes: vt anno millesimo ducentesimo quadragesimo Matthæus Paris obseruat magnam fuisse confectam pecuniam ex relaxatione voti cruce signatorum. *Eisdem temporibus*, inquit, *inceperunt ipsi prædicatores fratres, & Minores, & alij viri literati, præcipuè Theologi, crucesignatos absoluere à voto suo, accepta tamen pecunia, quanta sufficere videbatur vnicuique ad viaticum vltramarinum. Et factum est in populo scandalum cum schismate. Absurdum enim videbatur etiam simplicibus, quod diuersis muscipulis simplicem Dei populum substantia sua moliebatur Romana curia priuare, nihil petens nisi aurum & argentum.* Nauclerus generatione quadragesima sexta, anno millesimo ducentesimo vigesimo nono. *Magistrum Teutonicorum, vnà cum Messanensi Episcopo, Fridericus ad Gregorium misit, & veniam supplex orauit. Ad quod Pontifex prius assensum præstare noluit, quàm vncias auri centum & viginti millia Ecclesiæ Romanæ, ob illata damna persoluisset.* Quid pœnitentiæ redemptionem commemorem? Aut de hac ipsa, quid possim dicere luculentius, quàm quæ legat quilibet apud Baronium, anno quinquagesimo quinto supra millesimum, paragrapho nono? Quia contingeret ob frequentata peccata mortalia, quibus assignabantur multi anni pœnitentiæ, homines ad desperationem, redigi aperta est ianua redimendæ pœnitentiæ: vt qui diuitiis affluerent, erogando eas in vsum pauperum, pro quantitate persoluti pretij, tot redimeret annos, quot lex Ecclesiastica concessit. Verumtamen, pauperes quos Baronius intelligat, tu ex istis intellige. *Hoc est*, inquit, *quod Petrus Damiani ait, Non ignoras, quia cùm à pœnitentibus terras, possessiones agrorum videlicet accipimus, iuxta mensuram muneris, eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus. Quibus planè ostendit bona Ecclesiastica eiusmodi fieri solita redemptione, aucta creuisse.* Audin' illas paulò antè in vsum pauperum erogatas diuitias, tandem factas bona Ecclesiastica? Ergo ille prætextus erat tantùm, occultandæ Romani cleri auaritiæ.

VIII. Iubilæi solennitatem primus excogitauit Bonifacius octauus. Caussam nonnulli dicunt, studium colligendæ pecuniæ. Et sanè vix est, vt tam sceleratus Pontifex, pietate sola motus quicquam egerit: Is enim fuit, quem ingressum dicunt, vt vulpem; regnasse vt Leonem; mortuum esse vt canem. Sed de ea Iubilæi instituti caussa, si quid erat ambiguitatis, tum certè successores abstulerunt. Clementem sextum iussisse celebrari anno quinquagesimo (cùm Gregorius iussisset tantùm centesimo) ob quæstum & emolumentum Romanorum Massonus testatur in eius vita: sed, & vt ipse quæstum faceret; in Bonifacio nono. Vrbanus tamen credidit iterum contrahendum tempus. Et prætereaeus Christum vixisse annis tribus & triginta, sanciuit, vt deinceps Iubilæorum tantum esset interstitium: mortuus tamen citius, quàm vt suo commento frui posset: quod Bonifacio nono recens electo, commodum euenit. Tum enim, inquit Theodoricus à Niem libri primi capite sexagesimo octauo, innumerabiles peregrini ad vrbem venerunt: *Vnde & maxima offertoria Ecclesiis & Basilicis vrbis per visitatores data fuerunt: ex quibus aliquæ reparationes ipsarum Ecclesiarum factæ fuerunt: sed residua & maior pars ad manus Bonifacij, & quorundam aliorum deuenit. Ipse etiam Bonifacius huiusmodi offertoriis non contentus, licet ad maximas summas ascenderent (erat enim insatiabilis vorago, & in auaritia nullus ei similis) ad diuersa regna misit quæstuarios, vendendo dictam indulgentiam tantum, quantum expensuri essent in via, si propterea venissent ad vrbem. Et huiusmodi exactores, seu quæstuarij etiam maximas summas pecuniarum à simplicibus, seu barbaris subtiliter extorserunt: ita quod aliquando in vno regno, seu in vna prouincia huiusmodi venditionibus, vltra centum millia florenorum reportarunt.* Eandem rapacitatem eiusdem ætatis Gobelinus describit, ætatis sextæ capite octogesimo sexto. *Postquam*, inquit, *annus Iubilæus iuxta constitutionem Vrbani, & approbationem Bonifacij transijt: ipse dominus Bonifacius vnum annum, sub anni Iubilæi vrbis Romæ indulgentiarum forma, Coloniensi ciuitati concessit: Quo anno elapso similis annus concessus ab eodem Bonifacio sub eadem forma ciuitati Magdeburgensi. Et ad vtramque harum ciuitatum missus est collector domini Papæ, qui certam quotam recepit oblatorum. Deinde consimiles indulgentias concessit visitantibus quasdam alias ciuitates Germaniæ, ad certos menses*: Et multis aliis locis, vrbibus, villis, monasteriis, Ecclesiis campestribus. In omnibus autem priuilegiis earum concessionum apponebatur clausula, *porrigentibus manus adiutrices.* Denique *tam prodiga indulgentiarum facta est, vt nemini eas petenti denegaret: sed absque pecunia super eis literas expedire, vel eas consequi, impossibile, vel difficillimum visum est. Vnde quidam concessiones huiusmodi magis deceptiones, quàm indulgentiarum concessiones interpretantes, quum eas intuitu lucri temporalis fieri iudicabant, dicentes non timebant, anima nostra nauseat super isto cibo leuissimo.*

IX. Quæ ipsissima est imago nostrorum temporum. Nam quum anno millesimo sexcentesimo Romæ celebratus esset Iubilæus, infinita vndique aduentantium multitudine, sequentibus annis effusus vagatus est per Europam: Galliæ certè non paucas ciuitates. Quinetiam anno quingentesimo, *agebatur Iubilæus Romæ* (verba sunt Polydori Virgilij historiæ Anglicæ libro vigesimo sexto) *& vt longinqui populi proficiscendi labore leuarentur, pius Pontifex* (is erat Alexander sextus, bonus vir scilicet) *quoquouersum legatos misit, qui eam cœlestem gratiam impartirentur Christianis, quibus per bella, per itinera, per inimicitias, minus Romam petere liceret. Verumtamen, non fuit gratuita liberalitas. Alexander enim saluti hominum prospiciendo, honesta præscriptione suis quoque commodis seruiendum statuerat: quare precium sua gratiæ fecit: & vt rex id fieri non impediret, partem*

rem gratia offerebat, ac vt populus libentius iuuaret, prædicabat se primo quoque tempore bellum aduersus Turcas suscepturum. Ita pecunia non mediocris confecta est: at bellum nondum inchoatum in Turcas.

X. Quid ergo est Iubilæus? Romæ quidem plena vindemia: deinceps verò per totam Europam mercimonio. De qua, quia paulò liberiùs scripsit Polydorus Virgilius de Inuentoribus rerum libri octaui capite primo, ideò Belgicus Index expurgatorius totum locum iubet deleri, & sequentia sic castigari, vt ne quisquam legat Alexandrum sextum vbique Iubilæum promulgari curasse, tam sui, quàm populi Christiani commodo: sed tantùm Christiani populi commodo. Euge! non potuit melius consuli Sanctorum virorum famæ, Ecclesiæque Romanæ sanctitati.

XI. Conuerto me ad alias pecuniarum exactiones. Westmonasteriensis anno millesimo ducentesimo vigesimonono, *Stephanus, domini Papæ Capellanus, ad restaurandum Papæ thesaurum perditum, & ad ductum Imperatorem Fredericum deuincendum, omnes decimas rerum Ecclesiasticarum, non deductis expensis, in tota Anglia, Hibernia, & Vvallia exegit, & per minacias reportauit. Vnde Anglia, tam multipliciter bonis spoliata, miserabiliter cœpit ad egestatem inclinari, impotens postea respirare.* Sed Matthæus Paris, eas decimas dicit fuisse omnium rerum mobilium: & postulatas quidem ab omnibus, tam laicis, quàm clericis: verum Comites, Barones, ac laicos omnes, rogationem antiquasse. At Episcopos, Abbates, Priores, & alios Ecclesiarum Prælatos, post trium dierum deliberationem, & murmurationem non modicam, tandem consensisse metu excommunicationis: voluisse autem certa pecuniæ summa redimere: sed Legatum voluisse omnino, exactèque exigi.

XII. Iterum verò anno quinto post, id est, eiusdem seculi trigesimo quarto, Papa *argumentosas extorsiones,* (verba sunt Matthæi Paris) *præcipue in Anglia excogitans, & multiplicans, Legatos sub specie simplicium nunciorum, potestatem tamen habentes Legatorum, vndique destinauit, qui multifariam exegerunt pecuniam, nunc prædicando, nunc supplicando, nunc præcipiendo, nunc comminando, nunc excommunicando, nunc procurationes exigendo.* Et post recitatas Papæ literas, *Nec sciri poterat in quam abyssum tanta pecunia, quæ per Papales procuratores colligebatur, est demersa.* Anno quadragesimo sexto, *misit dominus Papa manum ad vlteriora* (sic Westmonasteriensis) *vt scilicet bona sine testamento decedentium, non sine principum iniuria, & iactura, in gremio suæ auaritiæ amplecteretur.* Prolixius, suo more, Matthæus Paris scripsit Papam, cùm didicisset quosdam opulentos clericos, morientes reliquisse opes magnas, statutum fecisse nouum, & inauditum, vt clericorū, qui deinceps intestati decederent, bona in vsus Papæ cederent. Eodemque anno iterum, *solito importunius* (verba Westmonasteriensis) *Prælatis Angliæ significauit, vt in Anglia omnes beneficiati, in suis beneficiis residentes, tertiam partem bonorum suorum domino Papæ per triennium conferrent: non residentes dimidiam.* Multa alia inuenias apud vtrumque; Westmonasteriensem, inquam, & Matthæum Paris, de immani Paparum auaritia.

XIII. Centuriatores, & post eos Sethus Caluisius in Chronologia, notant petiuisse in tota Europa quintam partem redituum Ecclesiasticorum, & vicissim redegisse ieiunium Septuagesimale ad Quadragesimale, resectis diebus sedecim. Gobelinus ætatis sextæ capite nonagesimo, *Papa Bononiæ residens, rigorem, quo Bononiensibus prius dominabatur, relaxans, maximam pecuniarum summam, ex gabellis contractu, etiam per eum augmentatis recepit per singulos menses: ita vt etiam meretrices de statu suo circa florenos trecentos soluere viderentur in mense.* I nunc, & Vespasiano situm illud obiice, Odor lucri bonus è re qualibet! & manet hodiéque infame tributum, mediaque in Roma erectum lupanar, vt ne desit vnde exigant. Imò vt ne desit, vnde agnoscatur mater fornicationum.

XIV. Anno millesimo ducentesimo quadragesimo octauo Innocentius quartus Noruegiæ principem Haconem regem fecit, acceptis quindecim millibus pondo Sterlingorum, ab ipso rege, & facultate exigendorum ex clero quingentorum. Obseruauit Vignierus in Epitome historiæ Ecclesiasticæ. Anno millesimo quadragesimo primo, Benedictus nonus, cuius turpitudinem, vbique decantatam, & à bonis omnibus deploratam, Baronius dicit anno millesimo quadragesimo quarto. Is Benedictus Polonis concessit, vt Casimirum Monachum Benedictinum, è claustro eductum, sibi regem crearent, hac tamen lege, vt Polonorum regiones, ac regnum, in signum accepti beneficij, beato Petro, & successoribus Romanis Pontificibus de quolibet capite nobilium, vsualem nummum annis singulis soluerent. Notauit Baronius. Anno millesimo sexagesimo octauo, teste Baronio, Alexander secundus vsum mitræ petenti concessit Vratislao Duci Bohemiæ, indeque confecit censum centum marcharum argenti, quem exegit Gregorius septimus anno quinto post.

XV. Anno millesimo ducentesimo decimo tertio, Innocentius, Ioannem Angliæ regem excommunicauit, & vniuersis in remissionem peccatorum iniunxit, vt ad Angliam accedentes, eum è regni solio deponerent, aliumque substituerent. Vt pacem rex obtineret (persuasit autem ei Pandulphus, nisi confugeret sub alas Papæ, amissurum omnia) resignauit Papæ coronam Angliæ, *& ei fecit homagium* (sic Westmonasteriensis loquitur) *& fecit de liberrima regione ancillam, vt princeps prouinciarum fieret sub tributo.* Fuit autem id tributum eiusmodi: vt rex, & hæredes *darent singulis annis Ecclesiæ Romanæ mille marcas sterlingorum, scilicet pro regno Angliæ septingentas marcas, & pro Hibernia trecentas.* Præterea in eodem regno habebant Papæ tributum, quod vocabant *Denarium Sancti Petri*, de quo Houedenus posteriore annalium parte in legibus Guillelmi senioris, *Omnis qui habuerit triginta denariatas viuæ pecuniæ in domo sua de proprio suo, Anglorum lege dabit denarium Sancti Petri, & lege Danorum, dimidiam marcam.* Magdeburgenses Centuria vndecima, capite decimo de Benedicto octauo, *Rogatus ab Henrico Imperatore, vt templum, quod Bamberga struxerat, in Cathedralem consecraret Ecclesiam: ea lege annuit postulatis, vt quotannis ea Ecclesia Romano Pontifici, census loco, numeraret centum argenti marcas, cum equo albo, ac phalerato.*

XVI. Innocentium octauum Onuphrius scribit fouisse Neapolitanos rebelles contra Ferdinādum regem, vt opulentam vrbem Ecclesiæ imperio adiiceret: itaque bellum susceptum, quod in pacem desiit, cuius inter leges hæc erat, vt Rex Romanæ sedi annuum vectigal penderet. Et quis non videt longè, latéque grassatum latronem per omnes prouincias Christiani nominis, vt suas diuitias augeret, suoque luxui indulgeret? Adde nunc Patrimonium Sancti Petri, quod appellat impurissimè, quid fiet reliqui, nisi vt agnoscamus auarissimam meretricem,

ſtatim omnia effuſuri ſint in Laicos, ſibi nihil reſeruaturi præter aerem communem. Et quis non credat magna aliqua violentia opus fuiſſe, vt cogeretur nuper Papa, & diris deuouere, & bello petere Venetam Rempublicam, quæ noluit Eccleſiaſticos fundum vllum ſibi acquirere? Contrà autem ſponte paci acquieuiſſe, quæ eam legem ratam faceret? ita cognita eſt iam multis ſeculis Romanæ ſedis probitas, ſcilicet.

Cap. XVIII.

Antichriſtus gerit ſe pro Deo.

I. SVpereſt poſtrema nota. Autoritas, quam ſibi vſurpaturus prædicebatur Antichriſtus, Paulus ad Theſſalonicenſes, τὸν ὑπεραιρόμενον ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν, *elatum* dicit, *ſiue efferentem ſe aduerſus, ſeu ſupra quicquid dicitur Deus*, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ Θεός, *præ ſe ferentem, ſiue oſtentantem ſe eſſe Deum.* Horum intelligentiam magnificè aperit Optatus Mileuitanus libro tertio, exagitans Donati Carthaginenſis temeritatem, *Hoc modo exaltatum eſt cor eius, vt ſibi iam non homo, ſed Deus fuiſſe videretur.* Et paucis interiectis, *Ad quem Deus ſequitur, dicens, Dixi ſis, Ego ſum Deus. Ideò, quamuis non ſit vſus hac voce, tamen aut fecit, aut paſſus eſt, quod defectum huius vocis impleret. Extulit cor ſuum, vt nullum hominem ſibi comparandum arbitraretur; & de tumore mentis ſuæ altior ſibi viſus eſt eſſe: quia quicquid eſt ſupra homines, iam quaſi Deus eſt. Deinde cum Epiſcopi Deo debeant famulari, tantum ſibi de Epiſcopis exegit, vt eum non minori metu omnes venerarentur, quàm Deum: hoc eſt, quod ſibi Deus viſus eſt.* Rurſus, *Quum ante ipſius ſuperbiam, omnes qui in Chriſto crediderant, Chriſtiani vocarentur, auſus eſt populum cum Deo diuidere: & qui illum ſequuti ſunt, iam non Chriſtiani vocarentur, ſed Donatiſtæ.* Denique, *Dum Epiſcopus inter Coepiſcopos ſuos non fuit, nec homo inter homines eſſe voluit, conſtat, quod extulit cor ſuum, & Deus ſibi fuiſſe videbatur.*

II. Hinc colligo. Diſtinctas quæſtiones eſſe, de ipſo vocabulorum ſono, & de re per ea vocabula ſignificata. Itaque poſſe aliquem, qui ſe non iiſdem ſyllabis dicat eſſe Deum, tamen ita ſe gerere, quaſi ſit Deus. Itaque Chryſoſtomus homilia tertia in poſteriorem ad Corinthios, exponens illud, Oſtentabit ſe tanquã Deum, οὐκ εἶπε λέγοντα, ἀλλὰ πειρώμενον ἀποδεικνύναι, *Non dixit dicentem: ſed tentantem oſtendere.* Deinde, eum, qui ſeſe ſuperiorem conſtituat, & Eccleſiæ, & Imperio, gerere ſe pro Deo: Eſto igitur futura diſputatio tripertita. Prima pars vtrum ſeſe Romanus Epiſcopus gerat pro Deo. Secunda, quamnam autoritatem vſurpet in Eccleſia. Tertia, quomodo ſibi ſubiciat Rempublicam.

III. Quanquam præoccupare reliqua poſſumus, & de ipſis ſyllabis accuſationem intentare. Certè apud Froſſardum tomo quarto, capite decimo, diſertè legas, *St, comme il n'eſt qu'vn ſeul Dieu és Cieux, il ne peut, ne doit eſtre de droit qu'vn ſeul Dieu en terre. Sicut vnicus eſt in cœlis Deus, ſic nullo iure poteſt, aut debet non eſſe vnicus in terris Deus.* Et ita ſcriptum fuiſſe à Cardinalibus Auenionenſibus ad Regem Galliæ. Nec multum diſcrepat Lælius Zecchius de Republica Eccleſiaſtica, capite de ſtatu Papæ, articulo vigeſimo octauo, *Eſt & dicitur Chriſti Vicarius, & quaſi Deus in terris, & quod ipſe facit, non humanus princeps, ſed Deus facere videtur.* Poterunt hæc eludi, fateor, prætextu illius, Ego dixi, dij eſtis: ſed præterquam quod non hoc dictum vnquam de dignitate Eccleſiaſtica, ſed ſeculari: vident omnes alia mente Papis tribui, vel hoc ſaltem argumento, quod conſortes nullos admittant. Alioquin cùm dictum ſit, *dij eſtis*, ſi nullo id ſibi alio iure vendicaret, deberent quicunque in Eccleſiaſtica ſunt dignitate, etiam dici *dij in terris.* At Froſſardus diſertè, vnicum dixit. Deniq; Stapletonus in dedicatoria operis de Principiis, Gregorium decimum tertium ſalutat, *planè ſupremum in terris numen.* Sed de re ipſa præcipuè dicamus. Ergo Papa, quamuis non ſit vſus hac voce, tamen, aut fecit, aut paſſus eſt, quod abundè defectum eius vocis impleat. Quorſum enim hæc referimus, quæ Gloſſator Decretalium, titulo de Tranſlatione Epiſcopi, capite *Quanto perſonam*, conquiſiuit vndique tanta diligentia? Nam cùm Innocentius tertius dixiſſet, *Romanus Pontifex, non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris*, Gloſſator addidit, hinc ſequi, Habere cœleſte arbitrium, naturam rerum immutare, ſubſtantialia vnius rei applicando alij, de nullo poſſe aliquid facere ſententiam, quæ nulla eſt facere aliquam: in his, quæ vult, eſſe ei pro ratione voluntatem: nec eſſe qui ei dicat, Cur ita facis? ipſum poſſe ſupra ius diſpenſare, de iniuſtitia poſſe facere iuſtitiam corrigendo iura, & mutando: plenitudinem obtinere poteſtatis: & hæc ſingula capita ſuis confirmat citatis locis, tum ex Decretis, tum ex Decretalibus. Similiter Delecti Cardinales, in ſuo Concilio notant extitiſſe doctores, qui dicerent voluntatem Pontificis qualiſcunque ea fuerit, eſſe regulam, quâ eius operationes, & actiones dirigantur: vnde procul dubio efficiatur, vt quicquid libeat, id etiam liceat. Et Paulus ſecundus, teſte Platina, *Ita nos ad iudices reuocas, ac ſi neſcires omnia iura in ſcrinio pectoris noſtri collocata eſſe. Sic ſtat ſententia, loco cedant omnes, eant quò volunt, nihil eos moror, Pontifex ſum, mihique licet pro arbitrio animi mei aliorum facta, & reſcindere, & approbare.*

IV. Quid autoritatem dicam diſpenſandi? Petrus de Monte in Monarchia diſertiſſimè, *Papa tollit ius diuinum diſpenſando contra Euangelium. Papa diſpenſat contra vniuerſalem ſtatum Eccleſiæ. Diſpenſat contra Vetus Teſtamentum. Diſpenſat contra multa capitula quatuor conciliorum.* Gobelinus Perſona Coſmodromij ætate ſexta, capite octuageſimo ſeptimo, *Bonifacius non ſolum contra Apoſtolum, ſed etiam contra Euangelium diſpenſauit. Nam Ladislao Regi Siciliæ, ſeu Neapolis, indulſit, quod ipſe abdicata à ſe vxore ſua legitima, iam multis annis cum eo commemorante, aliam ſuperinduxit vxorem.* Krantzius Saxoniæ libro quinto, capite decimo tertio ſuum ſeculum præcedentibus comparans, quibus, aut raræ, aut nullæ erant diſpenſationes, *Noſtra*, inquit, *tempora liberaliora: neſcio ſi meliora, quando vna puella tertium, vt dicitur, experitur maritum, primis duobus ſuperexſtantibus.* Et erat hæc puella Lucretia filia Alexandri ſexti. Ergo diſpenſat Papa etiam contra ius diuinum. Et hoc quid ni, poteſt-ne vlli eſſe dubium? *Diſpenſare in lege poteſt, qui eã tulit, vel qui eſt ſupra id ius*, inquit Zecchius de ſtatu Pontificis, articulo x. Ergo Papa eſt

supra ius diuinum, Et neget aliquis Papam se pro Deo gerere?

V. Quid iam supererat, præter adorationem? Et hanc scelestus vsurpauit. Blondus Instauratæ Romæ libro tertio, *Dictatorem nunc perpetuum, non Cæsarem, sed piscatoris Petri successorem, & imperatoris prædicti vicarium, Pontificem summum principes orbis adorant, & colunt.* Iouius historiarum libro secundo, *Carolus ad ea respondit, se priusquam Galliæ fines exiret, voto pro salute, felicitatéque suscepto, decreuisse Romana templa inuisere, sanctissimas Petri aras venerari: ipsúmque Pontificem, qui pietatis religionisque fastigium obtineret, suppliciter adorare.* Is erat eius nominis octauus rex nostræ Galliæ reditum parans ex Neapolitano regno, quo etiam cùm proficisceretur, eodem Iouio teste, *adorauit Pontificem proiectus, omnisque demum turba procerum & ducum.* Et libro vigesimo septimo de Imperatore Carolo quinto, *Ille piè inflexo genu, pronus exosculato pede Pontificem adorauit.* Denique nemo nescit solennem ritum osculandi pedes Papæ, porrigentis intrepidè, non infimis duntaxat, sed etiam summis: quibus, vt splendidius illudat, induit soccum auratum, insignitumque cruce multis pretiosis lapidibus illustri, vt apud Paulum Iouium, libro secundo paulò antè citato, de turba procerum, ac ducum, *obsignatos aureis crucibus pedes osculata est.* Denique audio hanc esse in vsu quotidiano Romæ phrasin, *Adorare Papam.*

VI. Potuitne altius? Nec tamen multi sunt Pappolatræ. Imò loquacissimus pro more Ferrarius, nouo domino nouum præstat officium. Et primò adorationem distinguit in eam, quæ debetur soli Deo: & eam, quæ non soli Deo. An se, inquit, ille cogit adorari, tanquam Deum? an solum, prout Antichristus facturus est? Quin adoratur propter excellentiam muneris, tanquam Episcoporum maximus, & caput reliquorum, tanquam Oecumenicus Patriarcha, eodem penè modo, quo olim quicunque Episcopus. Tum sex capitibus differre hanc adorationem docet ab adoratione Antichristi, denique disputat licitam esse. Hæc ego duo capita pòst videro.

VII. Sed in primo, cur illud tam præcisè exigit addi, *tanquam Deus?* Atqui hoc ipsum Scriptura non addit. Non leges, inquam, in Scriptura, Antichristo delatum iri adorationem tanquam Deo. Legis tantùm, sessurum esse in templo Dei, tanquam Deum: ostentaturum etiam esse Deum: sese oppositurum aduersus πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα. Sed non legis adorandum tanquam Deum. Cur ergo nobis non liceat sic loqui?

VIII. Præterea similis hic lusus est verborum, quem pòst visuri sumus in quæstione de Adoratione: verborum, inquam, præstigiæ: rerum autem mera confusio: quomodo quis latronem absolueret, quòd se profiteretur esse bonum virum, aut pudicam pronuntiaret, quæ se adulteram non pateretur dici. Nam sic omnino Papistæ rem dissimulant, contenti externo verborum crepitu. Nam cùm reapse creaturis exhibeant cultum diuinum, tamen idololatriam negant, si summis modo labris addant, non tanquam Deo. At nos cordatiores, non oportet hoc εὐαύγισμῷ transuersos ferri: rei potius hærentes, vt in capite de Sanctis fœdam idololatriam, ita nunc detestandum Antichristianismum agnoscere, & traducere, quo reapse præstat quæcunque de perditionis filio prædicuntur à Paulo secunda ad Thessalonicenses, capite secundo.

IX. Sed adoratur, inquit, haud aliter quàm quiuis olim Episcopus. Quid hîc? Condemnemne imperitiam hominis recens Papistæ, cui intra vnum, aut alterum annum, non potuerint cognita esse omnia mysteria Antichristiana? an damnem potius impudentiam, tam serò disputantis de rebus non compertis? Viderint alij. Ego certò scio, hunc nihil nisi mentiri. Nam primò adoratorum Episcoporum primis seculis, exemplum nullum, vel nugacissimus Ferrarius obseruare potuit. Serò tandem, aliquid inuectum simile, & cum intrauit in Ecclesiam typhus seculi.

X. Deinde, quorsum promiscua Episcoporum adoratio? Nego enim Papæ, Papistarumve mentem esse, Papam adorari, quomodo Episcopi adorantur, vel potiùs adorabantur. Vin probem? Primò, nemo Episcoporum sic adoratus est vnquam, ex quo Papa extulit se supra omnes. Sentisne vim argumenti? Olim omnes Episcopos, Papas appellari solitos, notum lippis, & tonsoribus. At, cùm sese Romanus omnibus prætulit, tum factum eximium nomen, & vnum in mundo appellatum. Itaque Papam se etsi Papa appellet eodem nomine, quod erat omnibus promiscuum, tamen notionem mutauit. Concludo similiter adorari non eodem modo, cum Episcopis: quandoquidem Episcopi omnes desierint adorari, cùm ille suam obtinuit.

XI. Sed quid coniecturas capto? Quasi coniecturis opus, vbi manifestaria professio est. Augustinus Triumphus de Potestate Ecclesiastica quæstione nona, articulo tertio disputat, Papæ honorem exhibendum eundem cum Sanctis: imò articulo quarto maiorem quàm Angelis. Est-ne hic promiscuus Episcoporum honos? Antoninus parte tertia historiæ, titulo vigesimo tertio, capitulo decimo septimo orationem descripsit Florentinorum Legatorum (& horum princeps erat Archiepiscopus) in qua oratione hæc diserta, *Beatitudinem tuam ipsa ciuitas præcelsa, & inclyta Florentina Romana Ecclesiæ filia, tibique deditissima, per nos oratores suos sanctitatis tuæ famulos, veneratur: de tua magnifica exaltatione gratulatur quàm plurimum, & sanctitatem hyperdulia adorat, reuerenter tibi genua flectit.* Quid audio? Est-ne apud Papistas Episcopis promiscua hyperdulia?

XII. Parùmne est? Audi quid amplius. In Lateranensi Concilio sub Leone decimo, sessione nona, hæc totidem verba Antoninus Puccius eructauit, *Factum est, vt quorum truculenta vulnera timebantur, libentia oscula tui exceperint pedes, quasi in te vno vero, atque legitimo Christi, & Dei vicario propheticum illud debuerit rursus impleri, Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Baronius tomo duodecimo recitat ex Neubrigense ingressum Alexandri tertij in vrbem Montempessulanum: in eoque hanc historiam, *Inter Christianos nobiles, qui accedebant ad eius vestigia, quidam Saracenorum industrius princeps cum sociis suis reuerenter accessit, & deosculatis pedibus eius, fixit genua corā eo, & inclinato capite, tāquam sanctum, & piū Christianorū Deū ipsū Pontificem adorauit. Videntes autem hæc vniuersi, qui aderant*

aderant in conspectu eiusdem Pontificis, valdè mirabantur, & dicebant ad inuicem illud propheticum, Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Deus bone! Huccine impudentiæ quenquam progressum, vt hanc dicat adorationem Episcoporum promiscuam! Et quisquam sibi fucum fieri patiatur illa exceptione inanium verborum, *Tanquam Deus?* Nihil me necesse est amplius addere.

XIII. Sed reliqua Ferrarij capita videamus. Et hoc prius posse adorari Papam licitè, quo in argumento ante eum Scioppius versatus est, sed exilius, Summam perstringo. Status quæstionis sic est apud Scioppium: Nom eum, qui sit verus pastor Ecclesiæ, & summus à Deo Pontifex constitutus, adorare liceat, hoc est, in terram procidendo honorare, ante eum incuruari, & pedes eius osculari. Licere ergo probatur. Quia *adorandi* Verbum, tum de Deo dicatur, tum de creaturis, & quidem hominum manu factis: omnium enim haberi exempla è Scripturis: Angelorum, Geneseos decimo octauo, decimo nono. Hominum, Geneseos trigesimo tertio, quadragesimo secundo: & alibi sæpè. Ecclesiæ, Apocalypsis tertio. Manufactorum, ad Hebræos vndecimo, Psalmo nonagesimo nono.

X I V. Hîc ego ante omnia, illud postremum de manufactis, nego. Nam, neque Iacob adorauit caput virgæ, ad Hebræos vndecimo: neque Deus iussit adorari pedum scabellum, Psalmo nonagesimo nono. Quid ergo? Nempe interpretes Latinus peruersè, vt aliàs sæpè, eos locos reddidit, & ex eius peccatis triumphos Papistæ faciunt. Sed de his prolixius in controuersia proxima de Idololatria: tum enim iidem loci reponentur, & sanè eò pertinent.

X V. Ad rem quod attinet: Fateor verbum apud Hebræos promiscuum fuisse: & hinc crebrum in Veteri Testamento, de honore delato creaturis rationalibus, Angelis, & hominibus. Sed, primò tantùm apud Orientales, ex quorum vsu illa sunt, quæ legimus in Scripturis. Occidentales fuêre parciores harum ceremoniarum: itaq; *προσκυνήσεις* non vsitata, nisi in Sacris, neque aut admissa, nisi ab iis quibus tyrannidis insolentia mentem, mutasset aut delata, nisi ab iis qui seruilem in modū potentiorib. adulati. Sed enim quod ita promiscuum erat in Veteri Testamento, eximium factum est inter Christianos cultui religioso: adeò nunquam legas in Nouo Testamento aliter: & improbatum, cùm delatum Apostolo, delatum Angelo. Ne apud Veteres quidem Theologos aliter legas. Sed apud eos, qui iam fascinati postremorum seculorum idololatriâ. Quanquam hodie, qui modestiores videri volunt inter Papistas, adorari negant imagines, adorari sanctos: sed tantùm honorari.

X V I. Sed de vocabulo facilius negotium. Res ipsa potior. In hac statum quæstionis, & vafrè dissimulauit Ferrarius, & perfidè posuit Scioppius. Mitto, verum pastorem Scioppij, & summum Pontificem, & constitutum à Deo, ambitiosè quæsitum, cùm de Papa disputatio sit, quem neque pastorem, neque summum Pontificem, neque constitutum à Deo, certum est. Sed illud vtrum adorare liceat, captiosum. Id potius, vtrum hoc modo adorare: putà solum, & hyperdulia, & tanquam Christianorum Deum, & ex vi Illius Prophetiæ. Nam hæc sunt in hoc negotio præcipua, & ab aduersariis non frustra dissimulata.

X V I I. Quid enim? nónne illis omnia argumenta sunt communia? Dicam apertiùs. Quam adorationem illi deferunt, imò deferri volunt Papæ, ea vel est ipsi propria, & peculiaris, vel communis cum aliis. Si est propria, quare nullis probatur, aut argumentis, aut exemplis, nisi communibus? Si est communis, cur nemini hominum defertur præter solùm Papam. Et cur non Ferrarius suum illum quotidianum Mecœnatem adorat similiter quotidie? Breuiter. Nego sequi: Si reges adorati sunt, si Angeli, si Esau, si Iacob. Ergo esse solum Papam adorandum, aut si illis exemplis iste probatur legitimè adorandus: sequitur multos alios præter Papam esse adorandos: & quia adorationis pars est osculum pedum, etiam plurimis per totum orbem pedes osculandos. Hoc verum Papistæ sunt in posterum admissuri, ipsi viderint. Certè, cui rei initium dedit, teste Lipsio Electorum libro secundo, capite sexto, Caius Imperator, monstrum hominis, eam rem multis iam seculis solus vsurpauit Papa, neque præter eum quisquam pedem porrigit.

X V I I I. Nunc videamus, quanto spatio adorationem Papæ Ferrarius disterminet ab adoratione Antichristi. Primò, inquit, quicunque populi in eum credent, adorabunt etiam per vniuersum orbem. At nemo Papistarum incuruat se Papæ, nisi videat, vel saltem caput aperiat. Et qui vident, eorum numerus est valde exiguus.

X I X. O impostorem! ô sine fronte hominem! Ergo tu totam adorationem contineri putas his externis testimoniis? Imò negas postea: etiam tuus nunc Coronus, ad me scribens. Et res est manifesta. Itaque primùm, nego Antichristum ita adorandum, vt vbique gentium, qui in eum credent, corpus flectant, aut pedes osculentur ab extremo Oriente, positi in vltimo Occidente. Scio prædictum, adorandum illi ab omnibus gentibus terræ: sed nego prædictum osculandos ei pedes, flectenda genua, etiam absenti. Deinde eadem ratione, qua adorandus ille prædicitur per totum orbem: adorari dico Papam, etiam ab iis quibus Papa nunquam visus. A te, te, inquam, Ferrari, Papam adorari, quem nondum oculis vsurparis, etsi non eodem gestu cum patrono tuo, cùm procumbens humi cecinit, *Miserere mei, vsque ad vitulos.*

X X. Iterum, Antichristum adoraturi sunt, tanquam solum dignum adorari, dicentes, *Quis similis Bestiæ?* Nam, & credent esse verum Deum, qualem se demonstrabit: & adorabunt tanquam verum Christum: ideóque manifestè abnegata religione Christiana.

X X I. Imò, nihil horum, inquam, Scriptura docet. Non docet existimandum solum dignum adoratione, & contrà, iussurum adorare priorem bestiam. Non docet credendum verum Deum, sed tantùm Deum. Non docet adorandum, tanquam verum Christum. Ab negatio autem Christianitatis, vel verbo censetur, vel re. Si verbo, negatur prædicta. Si, re, asseritur impleta: nemo enim Papista, te Christianus. Nec tu ignorare potes Ferrari, qui ad Papistas discedere non potuisti, nisi Apostata factus. Porrò solum Papam à Papistis censeri di-

gnum adorari eo modo, quis non videat: qui videat neminem eo modo adorari? Et quis illud, *Nemo similis bestiæ*, non obseruat, qui sciat neminem æquari: & omne genus hominum infra eius pedes subiici? Qui meminerit maiori honore donari, quàm Angelos?

XXII. Tertiò: Qui adorabunt Antichristum, Diabolum adorabunt ei coniunctum. At Papistæ adorant Papam propter Christum.

XXIII. Rectè, adorabunt Diabolum coniunctum Antichristo. Id est, non directè, quasi hoc ipsum habentes in animo, sed per consequentiam, siue, vt phrasi vtar Papistica, per concomitantiam. Omnino ita Papistas necesse est. Nam, quia Antichristus Papa: ergo habet adiunctum Diabolum, cuius operatione potens est. Nec contraria sunt adorare Papam propter Christum, & adorare cum Antichristo Diabolum. Quia illud, propter Christum, hoc loco nihil significat, nisi immanem imposturam, quæ nomen Christi prætexit: quomodo reuera osculum datur pedi Papæ, etsi prætextu crucis attextæ sandalio.

XXIV. Quartò, quicunque adoraturi sunt Antichristum, etiam damnandi sunt: vtpote omnes reprobi. Atqui non sunt omnes Papistæ reprobi.

XXV. Imò illud falsum, neque vnquam prædictum. Imò contrarium ipsi Papistarum doctrinæ, qui exspectant Enochum, & Elizæum reduces, vt conuertant corda hominum: quod non potest cōsistere cum tuo hoc oraculo, Ferrari. Fateor in æternum damnandos, qui Antichristi sectabuntur religionem: sed quomodo dictum Ioannis tertio, *Qui credit in eum, non condemnatur, qui verò non credit, iam condemnatus est*: Cùm tamen verissimum sit, multos qui non crediderunt olim, postea credentes saluos fieri.

XXVI. Quintò, Antichristus iussurus est occidi, quicunque non adorabunt. At Papa non iubet occidi eos, qui non eunt ipsum adoratum.

XXVII. Vide astutum Sophistam, quàm parua vocum declinatione speret se illusurum cordatis viris. Non iubet occidi Papa, qui nō eunt adoratum. Esto. Sed vbi tu legisti iussurum Antichristum, eos occidi, qui se non ibunt adoratum? Nam tu in eundi verbo ludis, Sophista. Nos verò agimus seriò, & scimus Papam iussisse omnes occidi, qui non adorent se. Nam vnde ergo persecutio tam immanis? aut in ea persecutione, quis numerare possit hominum occisorum millia? Plutarchus in Alexandro de Callisthene, *τοὺς μὲν Ἕλληνας αἰσχύνης ἀπήλλαξε μεγάλης, ἀπωσάμενος τὴν προσκύνησιν, αὑτὸν δὲ ἀπώλεσεν, Græcos magna liberauit infamia, dum adorare detrectat Alexandrum, at seipsum sit perditum.* Nos similiter: Christianitatis immane quantum dedecus sustulimus, qui soli negauimus Papam adorandum: sed ipsi nos immane quantis periculis induimus. Deus prouidebit.

XXVIII. Sextò. Nunquam ita fuit, vt cùm apertè grassatus est Diabolus, Deum adorari iusserit, & Christum.

XXIX. Fortè, inquam. Sed in Antichristo apertè regnaturum Diabolum, id est, sublato omni nequitiæ velo, & pietatis prætextu. Hoc verò non probat Ferrarius: nos falsum esse scimus. Quanquam apertè grassari inter Turcas, fortè non neget Ferrarius, vbi tamen iubetur Deus adorari, nec Christus omni vacat honore, saltem magni Prophetæ.

CAP. XIX.

De Antichristi autoritate in Templo Dei.

I. NVnc videndum de autoritate quam Romanus Episcopus vsurpat in Ecclesia, in qua eum sessurum Paulus prædixit, id est, imperaturum, summamque autoritatem exerciturum. Et hic vix opus probationibus, quoniam hoc ipsum apertè profitetur. Verumtamen, vt quid hîc monstri alatur, facilius intelligant omnes, dicam de ea autoritate, primùm quà ipsum caput Ecclesiæ Christum, attingit: deinde quà ad eius membra porrigit sese. Dico igitur Episcopum Romanum vsurpare sibi honorem Christo eximium, propriumque.

II. Nam *Christi* nomen vsurpat. Itaque Bernardus de Considaratione libro secundo capite nono, Eugenium appellat *vnctione Christum*. Gregorius septimus in secunda bulla excommunicationis contra Henricum Imperatorem, *Astiterunt reges terræ, & principes seculares, & Ecclesiastici, aulici, & vulgares conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & vos Christos eius, dicentes, Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum.* Et poterat tamen hoc ipsum excusari lata significatione sumpto vocabulo, quomodo Scriptura Christos vocat reges, sacerdotesque. Verùm non hæc mens est. Primò enim de seipsis hæc ita dici volunt, vt de aliis minimè. Nam & Bernardus eximium quid de Eugenio prædicabat, vt patet ex toto loco. Et Gregorius abutitur Psalmo secundo, vbi Christus, non pro quolibet vncto vsurpatur, sed pro vnctorum capite Filio Dei. Secundò, non contenti ipso vocabulo, id sibi Papæ tribuunt, quod eam vocabuli vim exprimat, quæ nulli vncto præter Filium Dei tribuitur.

III. Bellarminus præfatione in Tertiam generalem Controuersiam libri primi, Papæ tribuit vaticinium Esaiæ, *Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidē, lapidē probatum, angularē, pretiosum, in fundamento fundatum.* Hæc Esaias capite vigesimo octauo. Qui idem lapis octauo vocatur, *lapis offensionis, petra scandali.* Quem vtrunque locum, & Paulus nono ad Romanos: & Petrus secundo prioris, de Christo interpretantur. Et tamen, *non ineptè* (inquit Sophista) *in Christi vicarium quadrare censemus.* Imò in vicarium solum, non in Christum: si verum est, in fundamento fundatum, nihil esse nisi fundamentum post fundamentum, fundamentum secundariū, non primarium. Nam certè Christum non esse fundamentum huiusmodi constat ipsis confitentibus Sophistis. Non posset igitur is locus intelligi de Christo: & mentitus erit Paulus, mentitus Petrus. Sed est potius impostura. Nam Esaias non dixit in fundamento fundatum. Sed lapidem *fundamenti fundati*, id est, lapidem, qui sit fundamentum fundatissimum, id est, firmissimum.

IV. Quid *sponsum Ecclesiæ* dicam? Hoc certè nomen nulli vnquam Scriptura tribuit præter τῷ νυμφίῳ. Et tamen disputat ex professo Augustinus Triumphus Papam esse sponsum Ecclesiæ: & quidem solum, id est, sic vt præter eum nullus Episcopus eius honoris sit particeps, articulo 1. quæstione 19. de Potestate Ecclesiastica. Innocentius tertius sermone tertio in Consideratione Pontificis,

Qui

Qui habet sponsam, sponsus est. Annon ego sponsus sum: & quilibet vestrum: amicus sponsi? vtique sponsus: quia habeo nobilem, diuitem, & sublimem, decoram, castam, gratiosam, sacrosanctam Romanam Ecclesiam: quæ, disponente Deo, cunctorum fidelium mater est & magistra. Antonius Puccius oratione habita ad Leonem decimum, sessione nona Concilij Lateranensis, *Conciiare atque exsurge: Sion matrem nostram, sponsámque tuam circunda: ipsam complectere.* Et ipse Leo decimus in bulla Concordatorum cum Francisco primo Rege Galliæ, *Nos siquidem, vt Ecclesiæ sponsæ nostræ in sancta vnione conseruatione.* Et blasphemiam tamen hanc quisquam potest? Quid ergo Paulo fiet? *Ambio vos Dei zelotypia. Præparaui enim vos, quos vni viro (vt virginem puram) sistam, nempe Christo.* Audin' Ecclesiæ vnum virum? Audin' eum virum, Christum? at Papa vir Ecclesiæ? Infandum. Et tamen inquiebat Innocentius, *Quisquis habet sponsam, est sponsus.* Itáne? Etiam Eunuchi sponsi sunt? Nugæ. Sponsam is habere dicitur, non qui eam fouat, custodit, ornat, curat: sed cui illa nupsit. Itaque nemo Episcoporum Ecclesiam habet sponsam; nedum Romanus.

V. Christus sibi datam asseruit à Patre omnem potestatem in cœlo & in terra. Et hoc ipsum vilis homuncio non veritus est sibi vendicare. Antonius Puccius sessione nona Concilij Lateranensis sub Iulio, *Non ignaris, omnem tibi vt in cælo & in terra traditam à Domino potestatem: vt nō spiritalibus tantum viris, sed terrenis quoque huius seculi potestatibus in causa communem bonum dicere non pertimescas.* In eodem Concilio sessione decima, Stephanus Patracensis, *Reges incompedibus magnitudine magni regis liga: & nobiles in manicis ferreis censurarum constringe: quoniam tibi data est omnis potestas in cælo & in terra.* Et multo ante, *Bernardus ad Eugenium tanquam ad summum hierarchicum in cælo Ecclesiæ virum, in quo erat omnis potestas supra omnes potestates tam cæli quàm terræ, rectè scripserat, Tibi data est omnis potestas in quæ quis totum dicat, nihil excludit.* Libro primo Ceremoniarum, Titulo septimo in benedictione ensis, *Figurat denique Pontificalis hic gladius potestatem summam temporalem à Christo Pontifici eius in terris Vicario collatam, iuxta illud, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: & aliàs, Dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine, vsque ad terminos orbis terrarum.*

VI. Denique Simon Begnius sessione sexta Lateranensis Concilij sub Leone nono: *Ecce venit Leo de tribu Iuda, radix Dauid. Ecce suscitauit tibi Deus saluatorem.* Apud Ottonem Frisingensem, libro primo de Vita Friderici, capite quinquagesimo septimo Cardinalis de sede Romana, *Hæc est, inquiunt, sola quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit.* Nec dum finis blasphemiæ. Paulus Iouius in Philippo tertio narrat à Panormitanis missos ad Papam Martinum quartum, *oratores viros sanctos, qui ad pedes illius strati, velut pro ara hostiáque Christum agnum Dei salutantes, illa etiam ex altaris mysteriis verba supplices efferentur, Qui tollis peccata mundi miserere nostri. Iterum, qui tollis peccata mundi, miserere nostri: tertium. Qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Et quid iam quæso superest Christo? Ita iste omnes eius autoritatis partes sibi vsurpauit. Adeo nihil iam certè, manifestéque de eo Spiritus Sanctus prædixit, quod non iste sibi sceleratè vel assumat, vel tribui patiatur. Et non erit Antichristus? Ne ergo Antipapas appellent eos, qui sibi eandem vsurpant cum iis autoritatem. Sed ita fit profectò, vt qui audacissimè inuadunt aliena, iidem obstinatissimè pugnent pro suis vsurpationibus.

VII. Insurrexit ergo Papa in ipsum Christum. Quid in eius membra? Atqui id etiam profitetur: quum caput fastuosè nominat seipsum: quum Pontificem summum: quum Oecumenicum Pontificem. Quorum vocabulorum vim attende. Bonifacius nonus in Extrauagante, *Vnam sanctam*, de maioritate & obedientia, *Subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus omnino esse de necessitate salutis.* Et inde ista consectaria. *Papa est immediatus prælatus, & iudex omnium fidelium, vt in toto orbe terrarum facere possit quicquid inferiores prælati facere possunt.* Sic Ioannes de Turrecremata in summa de Ecclesia libro secundo, capite sexagesimo quinto, & capite octogesimo, *Romanus Pontifex iurisdictionis autoritate ac potestate superior ac maior existit tota vniuersali Ecclesia.* Et apud Triumphum de potestate Ecclesiastica quæstione prima, articulo tertio, *Potestas Papæ omnem aliam excellit potestatem.* Glossator Gratiani, caussa nona, quæstione tertia, Canone *Nemo. Concilium non potest Papam iudicare: vnde si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, videtur quòd sententiæ Papæ standum esset.* Idque eruit ex vi verborum eius Canonis: in quo distinctè legas, *Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur.* Hinc etiam sceleratissima illa quidlibet audendi libido, Distinctione quadragesima, Canone, *Si Papa. Huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus.* Et Petrus de Monte in Monarchia, *Papa accusatus de crimine non tenetur se purgare.* Sed hæc omnia longè superat immensum id crimen, quum se haberi vult regulam fidei: quod asserit Carranza Prolegomenis in summum Conciliorum, controuersia tertia: asseruerunt etiam Iesuitæ in nouissimo Colloquio Ratisbonensi.

VIII. Quæ quum ita sint, nihil est, quod quisquam miretur deinceps aut vsurpata ab eo omnia Ecclesiarum iura. Krantzius Saxoniæ libro sexto, capite decimo sexto, *Nondum Romana Ecclesia tantum sibi iuris in omnes omnium prouinciarum Ecclesias vendicabat, vt nisi confirmatione apostolica Episcopus non haberetur legitimus. Id enim posteriora tempora adinuenerunt. Nec ibi quieuit Romana Ecclesia, donec annatas quoque sibi ex omni Christianismo aduocaret.* Idem Metropoleos libro secundo, capite vigesimo sexto, *Necdum sedes apostolica Roma, cuncta sibi Ecclesiarum (vt nunc) iura vendicauit. Metropolitanus cuncta gerebat in prouincia sua.* Et libro septimo, capite quadragesimo quinto, *Ragenburgensi tum Ecclesia, mortuo Henrico, vacabat: & se ingerebat non electus à fratribus Lambertus quidam Hamburgensis & Bremensis canonicus, qui Ecclesiam alienigena à summo Pontifice ad se nihil pertinentem impetrauit. Vide in quantum licentia tum processit, post Imperatorum destitutionem Romana Ecclesia: vt se inciperet intromittere de Ecclesiis vacantibus. Solebant Imperatores de Romana aliquando disponere Ecclesia: peruentum est eò, vt de solis Germaniæ Ecclesiis & Abbatiis disponerent: idque extortum est manibus eorum tempore Henrici quinti Imperatoris: tum Ecclesiis prouenit libera electio: in eam quoque Papa manus iniecit per hæc tempora: & creuit illa facultas in immensum, vt satis sit per Germaniam res tolerabilis: sed in Francia & Anglia immoderata.* Paulò pòst, *Nihil tum opus erat Apostolica confirmatione satis erat electionem ab Archiepiscopo comprobari: nunc ad se omnia Ecclesiarum iura*

traxit Romana Ecclesia. Et libro nono, capite vigesimo tertio, *Iam inoleuerat, vt Apostolica prouisione darentur Episcopi, posthabita capitulorum legitima electione.* Denique in Pontificali de Consecratione Episcoporum, *Ecclesiarum cathedralium, siue metropolitanarum, ac patriarchalium prouisiones, seu electionum ad illas confirmationes, ad sedem Apostolicam pleno iure pertinent.*

IX. Hine verò factum, vt omnes Episcopi appellentur ministri Papæ. In Concilio delectorum Cardinalium, *Hu castigatu, quæ pertinent ad constituendos tibi ministros, quibus veluti instrumentis, & cultus Dei bene administrari, & populus Christianus in vita Christiana bene institui & regi possit.* Et postea, *Post hac quæ ad instituendos ministros tuos in hac vniuersali Ecclesiæ cura.* En quò deuenerit orbis Christianus! Quanquam est aliquid etiam passus indignius: scilicet, quorum summa dignitas erat præfici Ecclesiis Dei, nunc adeo demittuntur, vt sint officiarij Papæ domestici. Sic Onuphrius, Innocentium octauum ante quàm fieret Papa, fuisse Episcopum Sauonensem: factum à Paulo secondo, à Xisto quarto mutato Episcopatu illo in Melfitensem, constitutum datarium. Alexandrum sextum, quum esset Archiepiscopus Valentinus, Cancellarium esse creatum Ecclesiæ Romanæ: eoque rursus munere functum Clementem septimum, dum esset Archiepiscopus Florentinus. Iulium secundum, dum Episcopus erat Sabinus, fuisse maiorem pœnitentiarium. Paulum tertium ab Alexandro sexto, ærarij præfectura, & Episcopatu Montis Faleonis Cornetique ornatum. Pium quartum à Paulo tertio Archiepiscopum Epidaurensem creatum. Et primò Quæstorem factum, deinde Perusiæ, Vmbriæque prætorem. Apud Paulum Iouium libro historiarum vigesimo septimo, Hieronymus Vasionensis Antistes, dicitur Pontificiæ familiæ dispensator. Denique Cardinales, qui aliis in Ecclesiis Archiepiscopi sūt, & Episcopi: Romę presbyteri sunt, & Diaconi. In Actis Cōcilij Tridētini: Carolus à Lotharingia S. R. E. Presbyter, Cardinalis: qui tamen in Gallia erat Archiepiscopus Rhemensis. Ludouicus Madrusius S. R. E. Diaconus Cardinalis, electus Episcopus Tridentinus.

Cap. XX.

De quæsita Romanis Episcopis seculari potentia.

I. Actum de Ecclesia: agendum de Republica. Constat enim etiam hanc sibi Antichristum subiecturum. Nam Apocalypseos vndecimo, cùm duæ bestiæ describantur, quarum prima sit Romanum Imperium, altera Antichristus: tum de hac disertè, *Ea verò potestatem prioris bestiæ omnem exercet in conspectu eius.* Et Daniel, capite septimo, eum regibus annumerat, quum dicit post decem reges alium surrecturum. Quid? quod putabit se posse mutare tempora & leges? Potest ne ita intelligi, vt nullam arroget sibi politicam autoritatem?

II. Itaque Chrysostomus conceptis verbis in posteriorem ad Thessalonicenses. ἡ ἀρχὴ ἡ Ῥωμαϊκὴ ὅταν ἀρθῇ ἐκ μέσου, τότε ἐκεῖνος ἥξει, καὶ εἰκότως. ἕως μὲν γὰρ ἂν ᾖ ὁ ταύτης τῆς ἀρχῆς φόβος, οὐδεὶς ταχέως ὑποταγήσεται τῷ ἀντιχρίστῳ· ὅταν δὲ αὕτη καταλυθῇ, τὴν ἀναρχίαν ἐπιθήσεται, καὶ τὴν ἀρχὴν ἐπιχειρήσει ἁρπάσαι καὶ τὴν ἀνθρώπων καὶ τὴν τοῦ Θεοῦ. ὥσπερ γὰρ αἱ πρὸ τούτου βασιλεῖαι κατελύθησαν, οἷον ἡ Μήδων ὑπὸ Βαβυλωνίων, ἡ Βαβυλωνίων ὑπὸ Περσῶν, ἡ Περσῶν ὑπὸ Μακεδόνων, ἡ Μακεδόνων ὑπὸ Ῥωμαίων· οὕτω καὶ αὕτη ὑπὸ τοῦ ἀντιχρίστου, κἀκεῖνος ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ. *Quum Romanum Imperium è medio sublatum fuerit, tum ille veniet: & meritò. Quandiu enim fuerit metus ab hoc imperio, nemo facilè subijcietur. Eo verò sublato, tum ille vacuum Imperium inuadet: & diuinum humanúmque imperium ad se rapiet. Sicut enim præcedentia imperia euersa sunt, Medorum à Babyloniis: Babyloniorum à Persis: Persarum à Macedonibus: Macedonum à Romanis: sic & Romanorum ab Antichristo: hic autem à Christo.*

III. Hæc verò si Romanum Pontificem non attingunt, ne esto sanè Antichristus. At contrà, si ad literam impleta: patiantur quotquot Papistæ sunt, eum à Catholicis suo nomine honestari. Rapiet, inquit Chrysostomus, diuinum humanúmque imperium, τὴν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀρχήν: Nempe in Ecclesia, & Republica: nam illa Dei regnum est: hæc autem hominum. At Papa vtrumque iam sibi vendicauit: nam de Ecclesia abunde iam demonstratum. De Republica, ipsi profitentur. Et quidem soli profitentur. Neque scimus in vniuerso orbe vnum alium esse, qui vtramque hanc potestatem sibi arroget. Ergo necessaria est conclusio, Papam esse Antichristum.

IV. De Reipublicæ imperio, nemini dubium esse potest, qui meminerit, quæ dicta sunt de sententia Canonistarum, ac Theologorum apud Papistas: qui vtrique nouam hæresin constituunt impiorum Politicorum, qui Principes seculares volūt in suis populis esse supremos: ac contra eos disputant strenuè, vtrumque gladium pertinere ad Papam, vel directè, vt Canonistæ, vel indirectè vt Theologi definiunt. Et, dum hæc inter se, & contra Politicos pro suo Domino pugnant mancipia: tum verò ipse in solio suo sedens, parum sollicitus quid sibi distinctiones velint, vtrosque gremio souet. Quid enim interest, siue directè habeat, siue indirectè, dum habeat: & habeat ita, vt plenitudine vtatur, id est, plenitudine potestatis, cui nemo dicere possit, *Cur ita facis?*

V. Et sanè non sunt huiusmodi disputationes, mera ociosorum hominum in vmbris nugamenta. Tum enim tam facile esset Papas tolerare, sibi magnificis titulis delicias facientes, quàm facile Regum audimus, alios sibi Franciam adscribentes, alios Cyprum, & Hierosolyma, qui tamen in iis ne glebam quidem possideant. Esset enim is verborū lusus duntaxat. Sed hæc verba nimium, ô nimium, sæpe in rem præsentem deducta sunt. Quid enim omisit Episcopus Romanus? imò quid non admisit, vt & sese longè præferret regibus: & sibi quàm amplissimum dominium pararet? Demonstrabo. Et agam prius de summis opibus quæsitis: tum de Imperatore conculcato.

VI. Ergo quod ad opes attinet, Taboëtius Ephemeridum tomo secundo, *Magistratus,* inquit, *Pontificius variè iactatus fuit: aliquando sublimis: interdum infimus: sæpicule redactus ad nihilum. Sacrosanctus fuit trecentis circiter annis, à diebus Petri vsque ad tempora Syluestri: quandiu fuit expositus assiduo martyrio: pauper, sine lare, sine territorio, iurisdictione caduca, temporali, & sanguinaria.* En tibi primorum

Pontifi-

Pontificum statum: alienissimum ab omni pompa: destitutum opibus: vacuum dominio. Vbi tum Sancti Petri Patrimonium? Pauper: sine lare: sine censu: sine territorio. Vbi vterque gladius? Sine iurisdictione caduca, temporali, sanguinaria. Et tamē Magistratus sacrosanctus. Verè. Sed quàm procul discessum ab iis temporibus! Pauper fuit, inquit Taboëtius. Quando? Quandiu? annis primis trecentis. Ergo deinceps non fuit. Sanè: diues enim factus. At vicissim. Sacrosanctus. Quando? quamdiu? Trecentis circiter annis. Ergo deinceps nō fuit. Abi nunc, & initiorum, si potes, agnosce vestigia. Olim sacrosanctus, non diues. Nunc verò diues, non sacrosanctus.

VII. Sed recognoscamus tantæ mutationis gradus. Dominium Episcopi Romani acquisiuisse dicuntur, liberalitate principum secularium. Primum liberalitatis documentum historiæ obseruant in Aristperto Longobardorum Rege, Alpes Coctias donante. Blondus, Decadis primæ libro decimo, *Habuerunt Ioannes istius* (Sextum Baronius dicit, alij Septimum) *Pontificis tempora futuræ amplitudinis Romanæ Ecclesiæ initia atque arras: quod Aristpertus Longobardorum Rex zelo religionis Christianæ ductus, Alpes Coctias, in quibus Genua, vrbs nunc præclara, & quicquid ab ea ad Alpes vsque Galliarum fines censebatur, beato Petro donauit.* Hermannus contractus, editus ab Vrstitio notat annum septingentesimum septimum: at Baronius triennio prius.

VIII. Paulo pòst tamen, quum non conueniret Papæ cum Longobardis, confugit ille ad Pipinum Francorum regem, qui secunda expeditione suscepta in Italiam, multa ei concessit vi ereptis Longobardis: Rauennatensem exarchatum; &, vt ait Leo Ostiensis, Chronici Casinensis libro primo, capite nono, viginti alias ciuitates, multaque præterea, etiam Corsicam, prouinciasque Venetiarum, & Histriæ: ducatum Spoletinum, & Beneuentanum: quod contigisse dicitur anno septingentesimo quinquagesimo quinto. Carolus Pipini Filius, eandem postea donationē cōfirmasse fertur, atque amplificasse, anno septingētesimo septuagesimo quarto. Secutus est lōgo post interuallo Otto primus Imperator, qui easdē donationes ratas habuit, anno nongentesimo sexagesimo secundo, & auxit Reate, Amiterno, Furcone, Nursia, Balua, Marsis, Interamni. Rursusque Henricus eius nominis primus anno millesimo decimo quarto, ad verbum fere descripsit eius formulam, & confirmauit.

IX. Ab eo tempore nihil, quod sciam, Papæ donatum præter ea, quę à Mathilde Comitissa: hæc cū multos annos in Curia Romana vixisset perpetua comes Paparū, etiā contra Imperatores, quibus erat affinis, siue mota deuotione in religionē suam, siue (vt multi suspicabantur, teste Lamberto Schafnaburgensi) amore saucia, quo factum, vt neque marito viuo hæreret, neque eo defuncto à viduitate discederet: tandem Ecclesiam Romanam sibi hæredem fecit. Tabulas descripsit Baronius, anno millesimo centesimo secundo.

X. Hæc liberalitatis exempla: in quibus multa sese notanda obiiciunt. Et primùm quidem earum donationum nullum superesse archetypum: præterquam ab Ottone, quod Baronius testatur aureis scriptum literis, seruari in castello Sancti Angeli. Item à Mathilde. Sed si est verum; qui factum, vt collatione opus fuerit integrando? At Pipini, & Caroli magni nulla. Nam quis credat, si extitissent, omissa à Baronio? Henrici autem diploma describitur quidem, verùm non ex originalibus: sed ex collatione quatuor diuersorum manuscriptorum. In quibus tamen vnum autographum vocat molis Adriani: quod si verè esset autographum, rursus, quid opus fuit aliorū collatione? Adde nullam adscriptam diem: nullum annum: quod in actis solennibus nunquam factum. Quid? quod tum Ottho, anno nongentesimo sexagesimo secundo: tum Henricus, anno millesimo decimo quarto donant, *cunctum Spoletanum Ducatum, seu Beneuentanum*: Et tamen anno millesimo decimonono dicitur Beneuentum ab Henrico iuniore Papæ traditum in locum Bambergæ ciuitatis. Hæc qui constant?

XI. Secundò, quomodo ista consentiunt cum Donatione Constantini? Vel potius hæc donatio cum istis? Nam, si Constantinus dedit vrbem Romam, omnésque Italiæ, imò Occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates: quid opus erat dari aut ab Aristperto Alpes Coctias, aut à Pipino, & Carolo Magno, magnam Italię partem: aut ab Ottone, Henricóve conferri Reate, Amiternum, Furconem, Nursiam, Baluam, Marsos, Interamnem? Imò respondeat eorum aliquis, quare, vt in diplomate Henrici, confirmatur nominatim donatio Ottonis: & Caroli in Ottone, non etiam Constantini in Carolo? Nimirum Constantini diploma, non tantùm in Decreto Gratiani Palea est: sed etiam in rerum natura fabula impudens: vt merito Cusanus testatus sit se ei aureis characteribus scriptæ, adscriptum legisse, *Hanc fabulam quis credit?*

XII. Baronius nonnihil visus est erubuisse, anno trecentesimo vigesimo quarto. Nam nec ad pompam Annalium suorum existimauit facere eius descriptionem: cùm istas longè recentiores non omiserit. Et supersedendum putauit (noua quadam religione) prolixa disputatione in tanta controuersia, qui tamen aliàs, quoties offert se aliquid sedi Romanæ fructuosum, nulli aut tædio lectorum, aut proprio labori parcit, deniq; Græcis irascitur, quorū vafritie factū sit, vt Ecclesię Romanæ dignitas pendere videatur ab statuto Imperatoris. Magnam enimuerò gratiam habemus bruto illi, quicumque tandem fuit, tam ineptæ fabulæ consarcinatori: qui ridicula sua affectatione Cardinalis conscientiam mouerit. Nam huius ineptiæ stuporem quis non credat esse infinitum, qui eum mouerit, quem non mouit nihilo sanius figmentum de Constantino à Syluestro baptisato? Cui, vt fidem adstrueret, inuitis omnibus veteribus, nouam Constantino apostasiam affingere ausus est, & asserere eum, qui se scriptis ad Miltiadem literis, totoque in negotio Donati Christianissimum probarat, rediisse ad vomitum, & Christianos crudeliter esse persequutum.

XIII. Sed cùm Paleam istam non valde probet, tum donationem ipsam, vt videas magno emptum, si esset authentica, suis coniecturis fulcire laborat, & quidem obiter, inquit, quomodo illa olim, *& fugit ad salices, & se cupit ante videri.* Constantinum primum Imperatorem Christianum, maximè pium, munificentissimum: itaque religionem Christianam cunctis quibus valuit officiis coluisse, atq; muneribus frequentasse. Quod ego quidem tolerare possim. Nam eius in Christianos Episcopos liberalitatem scio à veteribus historicis celebratam. Quid tum autem? Ergo non tantùm paria Gentium sacerdotum priuilegiis priuilegia concessisse

Christianis Antistitibus, sed maioribus donariis templa auxisse. At hoc profectò falsum. Nam & Ambrosius oratione contra Symmachum de Priuilegiis contrà habet. Et donaria quæ fuerunt vnquā Christianis tanta, quanta Delphis? Et tamen quid hæc ad Donationē hanc fabulosam? Attēdo. Maximè, inquit, Romanā Ecclesiam, religionis principē. En: hoc scilicet testabatur: vt Constantinum Christianum, suo modulo Cardinalis metiretur. Atqui Cōstantini seculo nondum auditus erat Oecumenicus Pontificatus. Mittamus hoc tamen. Principem religionis auxerit donariis magnis? Ergo-ne etiam totum orbem Latinum Imperio eripuerit, Episcopo tribuerit? Credunt Papistæ: Catholici rident.

XIV. At magnum planè est de collatis illis Romanæ Ecclesiæ à Constantino muneribus argumentum, quod Francorum Christianissimi Principes, suis ipsorum diplomatibus, ea à Longobardis ablata, se Romanæ Ecclesiæ restituere professi sunt. Atqui, inquam, ea diplomata nulla Bellarminus protulit. Cur credamus? Deinde: imò magnum est argumentum non collata illa donaria à Constantino, quia in iis siue dandis, siue reddendis nulla vnquam mentio Constantini. Quin ergo potius dicimus vsurpationem Romanorum Pontificum traductam? Neque enim mirum, si, vt mutuo muli scabunt, noluerint Pipinus, & Carolus in Episcopi Romani audaciam diligentius inquirere. Tum verò; quid me illis credere vis, quorum stultitia tam facile abusi sunt, vt persuaserint id patrimonium ad Petrum delatum esse à prædecessoribus? Verba vtriusque diplomatis. *Tibi beato Petro principi Apostolorum, & clauigero regni cælorum. & per te Vicario tuo Domino Ioanni summo Pontifice, & vniuersali duodecimo Papæ, sicut à prædecessoribus vestris vsque nunc in vestra potestate atque ditione tenuistis & disposuistis.*

XV. Tertiò, obseruanda est impudentia Bozij. Quum enim constet Dominium temporale ad Papas peruenisse ex mera principum liberalitate, sese suosque stultè spoliantium, vt hunc vestirent: Bozius tamē contrà statuit, nihil principes habere, nisi ex mera Paparum indulgentia. Et non vident Principes qualem in sinu viperam foueriint, foueantque? Quanquam, vtinam sola hæc Bozij verba essent: & non longè disertius effecta loquerentur. Nam certè ante quam hac præpostera liberalitate ditatus esset Episcopus Romanus, nunquam cuiquam legitur negotium fecisse de sua in Rempub. autoritate. At deinceps nemo fuit Christianorum principum, quem non fatigarit.

XVI. Quartò, post tantas partas opes suos etiam titulos mutauit Romanus Episcopus. Certè primorum Episcoporum ad vsque Caroli magni tempora, nemo inuenire potest, cui sint tituli cooncessi principum secularium. At iste audit Princeps, audit Dominus: & sibi garrire tribui Imperium: tribui maiestatem. Iouius libro historiarum trigesimo quarto, *Paulus in administranda Rep. illustri quodam in speciem diuersarum virtutum temperamento Pontificis simul & principis nomen tuebatur.* Et libro vigesimo septimo, de Clemente, & Carolo quinto, *Omnium acule in duos longè maximos terrarum orbis dominos sunt conuersi.* Libro trigesimo, *Erat ærarium Pontificij Imperij penitus exhaustum superiorum temporum calamitate, præcedentibúsque sacris ac impendiis: nam Etrusco bello decies centena millia aureorum nummûm expendisse ferebatur.* Libro vigesimo quinto, narrans quæ Clemens à Florentinis vellet: *Quantum ad Pontificiam maiestatem pertineret, hoc obnixè petebat, vt nullas, nisi ex Pontificia autoritate sacerdotijs decumas imponerent.* In Concilio Lateranensi Leo decimus à Balthasare del Rio, dicitur Rex regum, & orbis terrarum monarcha, sessione septima. Et nona ab Antonio Puccio, *in regale Romanorum Pontificum genus consentientibus omnium suffragiis adscitus.*

Cap. XXI.

De Conculcato Imperio.

I. ITa Papis quæsitæ opes. Sed deinceps conculcati Imperatores cæterique reges. Verè enim conculcati, vt pore destinati vilissimis quibusque officiis: etiam deiecti ad pedes vsque. Quæ nobis iam docenda.

II. Primùm ergo apertè sese maiores profitentur Papæ Imperatoribus. Et Imperatores cùm dicunt, quem excipiunt? In Decretalibus capite, *Solitæ benignitatis*, de Maioritate & Obedientia, *Non negamus quin præcellat Imperator in temporalibus, illos duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia: sed Pontifex in spiritualibus antecellit: quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori.* Non prorsus malè: si distinctos fines intellexisset: & spiritualium excellentiam non carnaliter, sed spiritualiter æstimasset. Sed pergendo, *Potueras prærogatiuam sacerdotij euidentius intelligere, quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo: non regi, sed Sacerdoti, non de regia stirpe, sed de Sacerdotali prosapia descēdenti, de Sacerdotibus videlicet qui erant in Anathoth: Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & dissipes, ædifices & plantes.* Quasi idem munus esset propheticum: & sacerdotale. Atqui de Hieremia ita dictum est: quod nunquam de vllo Sacerdote alio. Itaque ineptit Innocentius. Deinde si concedatur, quid hinc proprium inferri potest pro Romano Pontifice: & non commune omnibus sacerdotibus? Pergit Innocentius, *Nosse debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare maius vt præesset diei: & luminare minus vt præesset nocti: vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, vniuersalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria id est, duas instituit dignitates quæ sunt Pontificalis autoritas, & regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est: spiritualibus maior est: quæ verò carnalibus, minor: vt quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & reges differentia dignoscatur.* Nugæ nugacissimæ. Nam quis docuit sic ἀλληγορίζειν? Et tamen inepientem glossator sequitur tam malus Theologus, quàm ineptus Logistes, *Cùm terra sit septies maior luna, sol autem octies maior est terra: restat ergo vt Pontificalis dignitas quadragies septies sit maior regali dignitate.*

III. Ex his suppositis consectanea consideremus. In appendice ad Radeuicum edito à Christiano Vrstisio Adrianus Papa scriptis ad Fridericum literis conqueritur Imperatoris nomen suo nomini præpositum, *In literis ad nos missis nomen tuum nostro preponis: in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ notam incurris.* Modeste-ne? Ita: si non noue. Sed rectè Imperator respondit, *Cùm Romano Pontifici scribimus, iure antiquo nomen præponimus.* Et sanè is mos Antiquus. Apud Eusebium libro decimo historiæ. [illegible] Μιλτιάδῃ ἐπισκόπῳ Ῥωμαίων. Neque conquestus Miltiades: & longo post tempore, *Victores Valentinianus & Marcianus gloriosi triumphatores semper Augusti,*

Leoni

Leoni reuerendissimo archiepiscopo gloriosa ciuitatis Romæ. Nec tamen conquestus Leo: quantumuis magnus. Nimirum & illi longè aberant ab Innocentij opibus fastuque: & Innocentius longissimè ab eorum modestia.

IV. Nec de solo nomine ambitio est. Innocentius quartus, apud Matthæum Paris, *Nonne Rex Anglorum noster est Vassallus, & vt plus dicam, mancipium?* Apud Ottonem de Sancto Blasio, capite octauo, Imperator, *imperium de manu Pontificis se recepisse admonetur. Quo audito Imperator & omnes præsentes Principes maxima indignatione accensi, quod, quasi iure beneficij sub homagio Cæsarem imperium à se suscepisse gloriaretur, & tum clamoris maximo strepitu ita legatos omnes inuectis, vix manibus temperabant, indignum ducentes tali contemptu Romanos gloriari. Vnus autem legatorum, quasi pro Apostolico loquens, stolidissimè huiita respondit. Si ergo à Domino Apostolico non habet, à quo habet?* Radeuicus, libri primi, de gestis Federici, capite decimo, eandem recitans historiam, addit, *à nonnullis Romanorum temere affirmari, Imperium vrbis, & regnum Italicum donatione Pontificum reges nostros hactenus possedisse. Idque non solum dictis, sed & scriptis atque picturis repræsentare, & ad posteros transmittere. Vnde de Imperatore Lothario, in palatio Lateranensi super huiusmodi picturam scriptum est,*

Rex venit ante fores: iurans prius vrbis honores:
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Huc pertinet Ottonis iuramentum fidelitatis insertum Decreto Gratiani distinctione tertia, capite, *Tibi Domino.* Vbi notat Glossator, & Ioannes de Turrecremata, *Quod qui feudum recipit ab Ecclesia, iuramentum fidelitatis non solum Ecclesiæ, sed etiam prælatis præstare debet.* Apertè feudum appellantes Imperium, & quidem acceptum ab Ecclesia. Et hinc illa persuasio neminem esse Romanum Imperatorem, nisi quem Papa coronauerit.

V. Sed quò non deiecit Imperatorem & Reges tantus fastus? Primò ad genuflexionem: deinde ad osculum pedum. Nam cùm accedunt ad Papam: cùm primùm vident, detecto capite illum genu terram tangentes venerantur: & iterum, cùm appropinquant ad gradus sedis: sedet enim ille expectans. Demum, cùm ad pedes perueniunt, illos deuotè osculantur. Sic enim scribitur, tum in Pontificali Romano: tum in libro Ceremoniarum sacrarum, cùm describitur Imperatoris coronatio. Imò Vignierus in Epitom. hist. Ecclesiast. ad annū millesimum centesimū nonagesimum primum, ex quodam manuscripto annotat, Papam sedentem in Pontificali Cathedra tenere coronam Imperialem inter pedes suos: eamque ab Imperatore inclinato capite de pedibus eius suscipi: tum Papam pede eam coronā percutere, proiicereque in terram, *in signum, quod habet potestatem eum, si merita sua exigant, deponendi.* En factum non ferendum. Et, quanquam id non obseruetur in Pōtificali, aut in libris Ceremoniarum: tamen legas Papam sibi tantum arrogare, vt examinet electionem Imperatoris: inquiratque, tam in electionis formam, quàm in ipsam Imperatoris personam. Et hoc tamen non altius repetita consuetudine, quàm à Clemente sexto: qui in viuis fuit post seculum decimum tertium: vt scias recentissimam esse tyrannidem.

VI. Neque id satis. Nam cogitur Imperator Papæ ad cœnam eunti aquam fundere lauandis manibus. In Sacris Ceremoniis, titulo tertio libri primi, describitur solenne conuiuium Papæ, in eoque mysterium ablutionis manuum. Iubetur laicorum nobilissimus, Rex, Imperatórve, aquam adferre, atque fundere: & dum lauatur, omnes laici genu flectere: clerici autem stare capite aperto. Præterea Imperator, siue Rex primum ferculum debet inferre mensæ, idque ipse sumere de manibus cuiusdam ministri, extra vestibulum aulæ, in qua fit conuiuium: quod si absente Imperatore, aut rege, minor aliquis fungatur eo munere, ipse petere debet è culina. Sed de potu ita legas apud Theodoricum à Niem libri primi, capite septimo. Cùm Otto Imperator sumpto prandio cum Vrbano Papa, *vt moris est, et quadam die potum præberet in collatione, in præsentia quorundam Cardinalium, & aliorum magnæ autoritatis virorum, dictus Vrbanus, ex fastu, scyphum de manibus tanti principis flexu genu eum recipere tardauit, donec ad eum quidam ex iisdem Cardinalibus diceret hæc verba, Pater sancte, tempus est vt bibatis. Nec fefellit in eo illud prouerbium, Asperius nihil est misero dum surgit in altum.*

VII. Neque is tamē vltimus deiectionis gradus. In processione cum eo Papa peruenit, vbi in equum ascensurus est, Imperator traditis sceptro & pomo (ea insignia sunt eius dignitatis) *procedit ad equum Pontificis, & in honorem Seruatoris nostri Iesu Christi, cuius vices Pontifex in terris gerit, tenet Staphani, quoad Pontifex equum ascenderit: & deinde accepto equi freno per aliquos passus ducit equum Pontificis.* Sic apud Robertum de Monte, ad annum millesimum centesimum sexagesimum tertium, Ludouicus Rex Francorum, & Henricus Rex Anglorum super Ligerim apud Tuciacum conuenientes, Alexandrum Papam Romanum honore congruo susceperunt, & vsi officio stratoris pedites dextra læuaque frenum equi ipsius tenentes, eum vsque ad præparatum papilionem perduxerunt. Et apud Iouium libro vigesimo septimo historiarum, *Conscendenti equum Pontifici Cæsar ad læuam pedes adstitit, vti benignè auratam staffam sacrato pedi protinus inducturus.* Et quidem mirari, nec vsitatā modestiam obseruet licet, *Pium, inquit, Cæsaris obsequium Pontificis humanitas, religiosáque modestia superauit.* At non sic olim Adrianus, cùm in castra venienti, Fridericus primus concitus occurrit, & ab iumento descendenti, strepam fertur tenuisse sellæ, acceptumq; reuerenter per manum in sua tentoria perduxisse: cumq; per Episcopum Bambergēsem honestam orationem habuisset, tum Papa, *Audiuimus, frater Episcope, quæ loqueris, speciosa quidem dicta, sed non opere exhibita. Friuolum potest videri quod dicimus: & tamen in minimo commissa negligentia, facit argumentum de maximis. Ab iumento descendentibus nobis, strepam tenuit sellæ sinistram: nescimus ad terrificum, an aliorsum, quum dextera fuisset obsequenti contrectanda.* Paulo tamen aliter historia recitatur à Baronio, ad annū millesimū centesimum quinquagesimum quintum. Nō fuisse Imperatorem admissum ad osculum pacis, donec stratoris officio functus fuerit.

VIII. Repetamus summam. Papa est maior Imperatore. Ergo Imperatoris nomen non præponendum nomini Papæ. Imperatores, Reges, sunt Papæ Vassalli. Iidem Papam debent adorare flexo genu in terram vsque: debent eius pedes osculo venerari. Debent ei poculum porrigere, & quidem de geniculis; debent aquam fundere lauandis manibus: debent fercula ferre: debent freno equum ducere: debent denique descendenti staffam tenere. Et non est hæc Imperij conculcatio? Et non est immanissimæ tyrannidis occupatio? Proh Dei, atque hominum fidem! tantum-ne ansum vnum sacerdotem: Et ansum, non in quemuis è vulgo, sed in eum,

quem Optatus olim negabat habere supra se quenquam nisi Deum?

IX. Hem! quam mutatus ab illo qui fuerat? Nam illum sanè oportet hospitem esse in historia Ecclesiastica, qui nesciat Episcopum Romanum olim subditum Imperatoriæ maiestati. Itaque Taboëtius Ephemeridum parte secunda, *Octingentis annis fuit sub mancipio Cæsarum Christianorum, à quibus Pontifex petebat inaugurationem, atque confirmationem: quamuis à clero & populo legitimis fuisset comitiis electus.* Krantzius Saxoniæ libro primo, capite trigesimo quarto, *Iuuat intueri quibus se inuicem obsequiis extulerunt Domus Franciæ, & summus Pontifex. Nam Franci detulerunt Pontifici arbitrium declarandi regis: quasi is sit per quem reges regnant: qui pridem in vrbe consistere vix potuit, quominus arbitrio Constantinopolitanorum Imperatorum aut captus, aut relegatus abiret.*

X. Et sanè consentiunt Historiæ in confirmatione Pontificum electorum: eiusque initium Onufrius, ad Platinæ Pelagium secundum, reperit ab Episcopatu Vigilij: in quo tamen nihil eiusmodi Baronius obseruauit, neque alius, quem quidem viderim. Nihilominus Pelagium secundum omnes obseruant promotum absque iussione principis, propter vrbis obsidionem, misisse Gregorium ad Imperatorem, vt se purgaret, *Nihil enim* (inquit Platina) *à clero in eligendo Pontifice actum erat, nisi eius electionem Imperator approbasset.* Nec aliter ipse Gregorius eius successor. Et in Seuerino Platina, *Ab Isaacio totius Italiæ Exarcho in Pontificatu confirmatur. Vana tūc enim habebatur cleri ac populi electio, nisi id Imperatores, aut eorum Exarchi, confirmassent.* Vurstisij Contractus anno sexcentesimo septuagesimo octauo, in Agathone, *Hic Papa apud Imperatorem effecit, vt quantitas reuelaretur, quæ pro ordinatione Pontificis solita erat dari: ita tamen, vt decretum generale de electione Papæ prius ad Imperatorem mitteretur, quàm ille consecraretur.* At Platina in Benedicto secundo obseruat hunc confirmandi morem penitus sublatum ab Imperatore: *Ad hunc* (inquit) *Constantinus Imperator, hominis sanctitate permotus sanctionem misit, vt deinceps, quem clerus, populus, exercitúsque Romanus in Pontificem delegisset, eundem statim verum Christi vicarium esse omnes crederent: nulla aut Constantinopolitani principis, aut Italiæ Exarchi, expectata autoritate, vt antea fieri consueuerat.*

XI. Et tamen inuenitur eiusdem confirmationis vsus in Imperatoribus Germanis. Krantzius Metropolis libro secundo, capite vigesimo nono, *Nec miteris, Lector, ab Imperatore constitutum Episcopum. Ferebant hoc illa tempora: quando etiam summorum Pontificū constituendorum, destituendorúmque, habebant arbitrium: quod temporum necessitas ferebat.* Et Vrspergensis anno octingentesimo vigesimo septimo, *Gregorius, presbyter tituli sancti Marci, Papa centesimus primus electus est: Sed antè non est ordinatus, quàm Imperatoris legatus Romam veniens, electionem populi, qualis esset, examinauit.*

XII. Quid? quòd fidelitatis sacramentum Imperatoribus Papæ præstiterunt? Vignerius in Epitome historiæ Ecclesiasticæ anno octingentesimo nonagesimo sexto, *Imperator Arnulphus, secundò in Italiam venit, coronam Imperialem de manibus Formosi Papæ accepturus, & fidelitatis sacramentum, cùm à Romanis, tum à Papa: quis, teste Sigonio, id præstitit hac forma: Testor Deum, & omnes Sanctos, & per diuina mysteria iuro, me per omnē vitam fore fidelem, & obsequentem Imperatori Arnulpho: neque vllo modo fauturum Lamberto, eiúsve matri: imò totis viribus obstaturum, ne quid habeant autoritatis in vrbe.*

FINIS LIBRI DECIMISEXTI.

LIB. XVII.

LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

DE

ANTICHRISTO.

Caput Primum.

AN ANTICHRISTVS SIT INDIVIDVVS..

SVAM de Antichristo disputationem Bellarminus partitur in nouem capita: De nomine: De vno homine: De tempore aduentus, & mortis: De nomine proprio: De gente: De sede: De doctrina, & moribus: De miraculis: De regno, & præliis. Nobis primum caput leuiculum videtur, de originatione τῦ Ἀντιχρίστου videlicet, vtrum dicatur, quomodo Ἀντίθεος, significatione cōtrarij: an verò quomodo Ἀντιστρατηγὸς, significatione Vicarij. Etsi autem non benè Bellarminus de voce ἀντὶ grammaticatur: tamen concedimus Antichristum ea notione dici, qua significatur, ὁ ἀντικείμενος, is, qui Christo opponitur. Viderit Musculus, viderint Magdeburgenses, si quid aliter sunt opinati: Nos priuatas omnes sententias præstare, nec debemus, nec possumus.

II. Secundum caput, est de vno homine. Status est: Vtrum Antichristus sit vnus homo singularis: hoc est, Syluestro Vallensi interprete; vnus, non sicut Phœnix, sed sicut Sol, & Christus. Nam si est: conclusio in promptu: non esse igitur Romanum Pontificem: quum hic non sit vnicus, & indiuiduus homo; sed hominum series sibi continuè succedentium. Ergo affirmant Papistæ. At negant Catholici. Illi sic disputant.

III. Primum Argumentum, ex quinto Ioannis, *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si alius venerit, in nomine suo illum recipietis.* Hic contendunt Christum loqui de Antichristo, & quidem vnico: Primò, ab autoritatibus Veterum, Chrysostomi, & Cyrilli, in eum locum: Ambrosij in secundum posterioris ad Thessalonicenses: Hieronymi ad Algasiam, quæstione vndecima: Augustini tractatu vigesimo nono in Ioannem: Irenæi libro quinto: Theodoreti in epitome diuinorum decretorum, capite de Antichristo. Secundo, quia Dominus opponit sibi alium hominem, hoc est, personæ personam: non regnum regno: neque sectam sectæ: vt patet ex illis vocibus, *Ego, Alius: in nomine meo, in nomine suo: me, illum.* Sicut ergo Christus vnus, & singularis homo fuit: ita & Antichristus, vnus & singularis homo erit. Tertiò, Christus dicit, Antichristum à Iudæis pro Messia recipiendum. Constat autem Iudæos vnum certum & singularem hominem exspectare. Quartò: omnes falsi Prophetæ venerunt in nomine alterius, non in nomine suo. Hieremiæ decimo quarto: *Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos.* At hîc Dominus loquitur de vno quodam, qui veniet in nomine suo; id est, qui non agnoscet Deum aliquem, sed extollet se suprà omne quod dicitur Deus. Quintò: falsi Prophetæ permulti venerant ante Christi aduentum: permulti etiam postea venturi erant: non igitur Dominus dixisset, *Si alius venerit*: sed multi venient, si de falsis Prophetis loqui voluisset.

IV. Respondeo, locum ex Euangelio Ioannis nihil probare: quia non sibi Christus quemquam opponat vnum, & indiuiduum: sed indefinitè quemlibet: quæ ratio vsitatior est: quàm vt quisquam reuocare possit in dubium. Itaque, Iansenius Concordantiæ capite trigesimo sexto notat, hoc quod hîc Dominus dixit, frequēter impletum esse: & nominatim in gemino Ben Chusiba. Maldonatus, *Quod autem dicit*, si quis, *non est dubitantis, sed generaliter potius affirmantis: quasi dicat, Quisquis alius nomine suo venerit, eū recipietis: adeò peruersi estis iudicij.* Salmero, tomi

septimi, tractatu decimo tertio, *Etsi hoc verbum de Antichristo accipi soleat: potest tamen intelligi de quocumque suo nomine Messiæ dignitatem vsurpante.* Pererius, *Ita planè illis contigit, vt à Domino prædictum eis fuerat. Nam qui verum Christum accipere noluerunt, plures posteà Pseudochristos ingenti cum ipsorum exitio receperunt.*

V. Quod ad Patres attinet, illi locum hunc accõmodant Antichristo; fateor. Sed primùm nõ necessariò: est enim pronunciatum indefinitum. Quod etsi possit variè applicari: tamen non necesse est eũ à quo primum manauit, ipsa indiuidua singula habuisse in animo. Secundò, etiamsi de Antichristo Veteres interpretentur, tamen vnum aut indiuiduum Antichristum non significant. Chrysostomus, *ποῖόν φησιν ἔρχεσθαι ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ; τὸν Ἀντίχριστον ἐνταῦθα αἰνίττεται. Quemnam dicit venturum suo nomine? Antichristum hoc loco designat.* Cyrillus, *Accipietis autem eum, qui non Deo patri gloriam referet: sed ad se transferre conabitur, & nomine suo cuncta tribuet.* Similiter reliqui, de Antichristo interpretantur, at de vno Antichristo prorsus tacent. Tantùm Theodoretus somniauit Antichristum futurum Dæmonem incarnatum: quo quidẽ supposito, fatendum est intellexisse vnum indiuiduumque futurum Antichristum: sed id tamen non confecit ex vi verborum Christi.

VI. Sed, neque antithesis concludit: etsi enim opponantur, Ego, & Alius. Et Ego, significet vnam, certam, & indiuiduam personam: tamen non est necesse per Alium, intelligi similiter vnam & indiuiduam personam. Sic Ioannis vigesimo primo; *Quum esses iunior, cingebas te: quum autem senueris, alius te cinget.* Manifesta oppositio inter Petrum & alium. Et tamen, quamuis Petrus significet indiuiduã, certámque personam; at Alius, tantùm indefinitam. Similiter prioris ad Corinthios tertio: *vt peritus architectus fundamentum posui: alius autem superædificat.* Posterioris vndecimo, etsi non eadem verba, similis tamẽ oppositio. *Si is qui venit, alium Iesum prædicet, quem non prædicauimus*: nec tamen significatur vnus veniens, sed quicumque, etiam multi. Similia colligi posũt plurima passim apud autores. Breuiter dico, ἄλλος, *Alius*, nunquam indiuiduum denotat certum; nisi vel addito articulo: vel ex diserta circumscriptione. Primi generis exempla: Matthæi quinto: *στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην. Obuerte ei aliam*; id est, alteram. Ioannis vigesimo; *καὶ ὁ ἄλλος μαθητής; & alius ille discipulus.* Apocalypsis decimo septimo, *ὁ ἄλλος οὔπω ἦλθε; ille alter nondum venit.* Secundi generis exempla: Matthęi quarto, *εἶδεν ἄλλους δύο ἀδελφούς; vidit alios duos fratres.* Ioannis decimo nono, *καὶ τοῦ ἄλλου τοῦ συσταυρωθέντος; & alius qui vnà crucifixus erat.* Apocalypsis sexto: *καὶ ἐξῆλθεν ἄλλος ἵππος πυῤῥός; & egressus est alius equus rufus.* Tertium genus adderem ex subaudita præcedentium repetitione, si exempla occurrissent. Sed hoc loco nihil est illorum.

VII. Nec verum, à Iudęis Antichristũ recipiendum pro Messia, quem exspectant. Nõ enim Christus dixit: sed tantùm recipiẽdum, si quis suo veniat nomine. Sed & verisimilitudo contrà. Nam ipsis assertẽtibus Papistis, Antichristus, & idola colet, & ritus Iudaicos abolebit. Quorũ neutrum Iudæis vnquam persuaderi potuit: nec maior spes in posterum. Quid? quod Paulus prędixit Iudęos tandem conuertendos ad Christum? Quomodo ergo acceptiuros dicas Antichristum?

VIII. In venientibus in nomine suo, non video quæ vis sit demonstrandi. Primò, quis docuit omnes falsos Prophetas venisse in nomine alterius? Non certè Scriptura. Nam Hieremias, non de omnibus loquitur; sed de quibusdam. Deinde, quid appellant venire in suo nomine, venire in nomine alterius? An verbis tantùm profiteri? Ergo, quicunque dicent se à Deo missos venient in nomine Dei? At contrà Hieremias: *Falsi Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos.* Obserua tria. Primò, eos Prophetas professos esse se prophetare in nomine Domini. Secundò, falsò professos esse. Ideóque non prophetasse in nomine Domini. Vnde fit aliquem qui prophetare se profitetur in nomine Domini: nõ tamen prophetare in nomine Domini. Tertiò, quicunque prophetat in nomine Domini, eum missum esse à Domino. Ac proinde neminem non missum à Domino, prophetare in nomine Domini. Itaque, nihil obstat, quominùs Antichristus, & prophetet in suo nomine; & tamen profiteatur contrà. Denique, si, vt Bellarminus ait, omnes falsi Prophetæ veniunt in nomine alterius: necesse erit, vel Antichristum venturum in nomine alterius, vel non esse falsum Prophetam.

IX. Venerant ante Christum multi falsi Prophetæ. Fateor. Et multi posteà venturi erant. Fateor hoc quoque. Ergo debuit Christus dicere; *Multi veniunt*: non autem, *Si alius venerit.* At hoc, inquam, ex quo Logicæ penu? Nisi fortè habet aliquod Iesuitæ penu Logicum, nemini hactenus cognitum. Nam quid vrget? An particula *Si*? An nomen *Alius*? Atqui & *Alius* indefinitè de pluribus dicitur: vt Paulus, *Ego fundamentum ieci: alius ædificat.* Actorum secundo, *ἄλλος πρὸς ἄλλον λέγοντες, Dicentes alius ad alium.* Et *Si* non rarò dicitur de re certa. Prioris ad Corinthios decimo quinto, *Si Christus prædicatur ex mortuis excitatum esse, quomodo dicunt inter vos quidam non esse resurrectionem mortuorum?*

X. Secundum Argumentum est ex secundo posterioris ad Thessalonicenses, *Reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis: reuelabitur ille iniquus.* Loquitur Paulus de vero Antichristo. Sed & de certa quadam particulari persona. Illud est certum. Hoc probatur ex vi articulorum Græcorum, *ὁ ἄνθρωπος, ὁ υἱός, ὁ ἄνομος.* Nam, teste Epiphanio hæresi nona, articuli Græci contrahunt significationem ad vnam rem certam: ita vt *ἄνθρωπος* significet hominem: at *ὁ ἄνθρωπος* hominem singularem. Addit Sanderus Chrysostomum in caput septimum Isaiæ. Cyrillum in Iohannem libro primo, capite quarto.

XI. Atqui primùm ea obseruatio non est vniuersalis, aut perpetua. Sæpissimè enim inuenies articulum otiosum: ita vt nihil distinctius, proptereà significetur, quàm si articulus omnino deesset. Matthæi quinto, *καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, Et conculcari ab hominibus*: nimirum indefinitè, non autem, *ab illis hominibus*; quasi certi aliqui designarentur: nam quilibet potius homines significantur. Duodecimò, *ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος*; & *ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος*, *Vir bonus*: & *vir malus*: nimirum quicunque; non autem vnus aliquis: Et phrasin retinuit Lucas, sexto capite. Idem Matthæus, decimo quinto: *κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, polluit hominem.* Marci secundo, *οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σάββατον, Non homo propter Sabbatum.* Lucæ quarto, *ζήσεται ὁ ἄνθρωπος; viuet homo.* Paulus quarto ad ad Romanos, *τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου; beatitudinem hominis.* Matthæi septimo, *ὃν ἐὰν αἰτήσῃ ὁ υἱὸς αὐτοῦ, à quo si petierit filius eius.* Duodecimo, *οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι; Filij vestri in quo eiiciunt?*

XII. Secundò, neque Epiphanius, asserit additus articulis significari vnam, indiuiduàmque personam

personā. ὅταν γὰρ ἄρθρον προκείμενον ᾖ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ διασαφοῦντα, πάντως ἐστὶν ἐμφαίνοντα διὰ τὸ ἄρθρον. ὅταν δὲ τοῦ ἄρθρου δίχα ᾖ, ἐπὶ τοῦ τυχόντος ἀορίστως δεῖ νοεῖν. *Vbi articulus additur, de vno quopiam definito, & eximio, omnino asseueratio est, propter articulum: At sine articulo, de vno quolibet, indefinitè sumendum est.* Non igitur de indiuiduo: nam ὁ ἄνθρωπος non ita sumendum, apparet ex altero membro: quia etiam sine articulo dicitur sumendum ἄνθρωπος, & ita vtrinque indiuiduum significaretur, quod est falsum. Dicendum ergo illud ὁ ἄνθρωπος quod commune est vtrinque, non pendere ab articulo, siue addito, siue subtracto: sed ab ipsa sermonis circunstantia; sed tum, τὸ ἀσημαίνειν, tum τὸ διασημαίνειν, vim esse articuli. Videlicet, vt additus significet id, quod designatur, siue indiuiduum sit, siue non sit, esse tamen ἀναμφίβολον, esse etiam διασημαινόμενον. Epiphanij exempla illustrant. ἐὰν εἴπωμεν, βασιλεύς, ἆρα οὐκ ἐσημάναμεν; ἀλλ' οὐ πλαγιασμὸς τὴν σημασίαν ἐδήλωσε. βασιλέα γὰρ λέγομεν καὶ Περσῶν, καὶ Μήδων, καὶ Ἐλαμιτῶν. ἐὰν δὲ μετὰ προσθήκης τοῦ ἄρθρου εἴπω ὁ βασιλεύς, ἀναμφίβολόν ἐστι τὸ σημαινόμενον, ὁ γὰρ βασιλεὺς ὁ ζητούμενος, ἢ ὁ λεγόμενος, ἢ ὁ γνωριζόμενος, ἢ ὁ τινὰ βασιλεύων, διὰ τοῦ ἄρθρου σημαίνεται. *Si dixerimus, Rex, nomen quidem protulimus, at non perspicuè definitum, aliquid ostendimus. Regem enim diximus, & Persarum, & Medorum, & Elamitarum. At si addito articulo dixerimus, ὁ βασιλεύς, minimè ambiguum est significatum. Nam rex, de quo quaeritur, aut de quo sermo habetur, aut qui cognoscitur, aut qui aliquem regit, per articulum significatur.* Sic Matthaei decimo quarto, quum prius Herodes esset nominatus; postea, ἐλυπήθη ὁ βασιλεύς, *contristatus est rex*: nimirum ille qui paulò antè erat nominatus, & quia Herodes erat vnicus, ac indiuiduus, propterea Rex etiam vnicus atque indiuiduus. At capite vigesimo secundo, *Simile est regnum caelorum* ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, *homini regi*: non τῷ βασιλεῖ, sed indefinitè: itaque Beza vertit, *cuidam regi*. At statim post: Ἀκούσας δὲ ὁ βασιλεὺς ὠργίσθη, *Rex quum haec audisset, iratus est*. εἰσελθὼν ὁ βασιλεύς, *ingressus rex*: τότε εἶπεν ὁ βασιλεύς, *tunc dixit rex*: semper cum articulo: non vt vnum, certum, indiuiduumque regem Christus significaret, putà Herodem: nam sermo est parabolicus: sed, vt de eodem se loqui ostenderet, qui priùs indefinitè erat nominatus.

XIII. Cyrillum fateor videri seorsim abire. Nam ita lego: *Quando Diuina Scriptura nominibus secundùm Graecae linguae vsum, articulos proponit* (an potius praeponit) *tunc, & vnum, & quod solum propriè atque verè tale quid dicitur, significat.* Et paulò post: *Sic cùm homo quispiam designatur: quando autem articulus accedit, vnicum, atque singularem hominem denotat.* Haec ille: si tamen ille. Vix enim mihi fit verisimile, haec de Graecis expressa fideliter. Nam, Cyrillum virum doctissimum tam apertè repugnasse, & Graecae linguae consuetudini: & ipsius Scripturae phrasi, monstro mihi est proximum. Itaque, crediderim interpretem in illis, *Vnicum, & singularem*, sibi nonnihil indulsisse. Nam reliqua facilia sunt. Fides esto penes exemplaria Graeca: quorum, vtinam nobis fieret copia. Quanquam Chrysostomus nonnihil habet eiusmodi, τῇ προσθήκῃ τοῦ ἄρθρου ἐπίσημόν τινα καὶ μόνην τοιαύτην γεγενημένην ὑμῖν αἰνίττονται, *Appositione articuli insignem aliquam, & solam eiusmodi indicant.* Sed tamen, quae ita Latinè exprimuntur, nemo est tam parum Graecè peritus, si modò peritus, qui non possit infinitis exemplis refutare. Nisi fortè, *Vnum, singularémque*, contra proprietatem vocum, concipiamus, non indiuiduam personam, sed vnicam speciem, per se distinctam, imò separatam ab aliis. Quomodo Leuitici quarto, ὁ ἀρχιερεύς, ὁ ἱερεύς, ὁ ἄρχων significat, non singularia capita, sed ἀνείσαν summum sacerdotem, quicunque tandem ille sit futurus.

XIIII. Denique, vt prolixiori labore supersedeamus aduersarios habemus concedentes, non semper eo articulo designari aliquid numero vnum, siue indiuiduum. Quid ergo? Nimirum necesse fuit aliquid cōminisci, quo sustētaretur Sophistice. Audiamus Syluestrum Vallensem primum, capite penultimo libri quarti. *Saltem, inquit, si in eodē subiecto articuli sint isti frequentes: tum sanè regula erit infallibilis, & absque exceptione.*

XV. Euge verò, magnum linguae Graecae columen. Quid ni enim sic appellem virum hunc magnum, tanto graecitatis zelo feruentem, vt indignetur in Antichristo Gallicè nominando vnam peccati literulam? Sed quantus, quantus Syluester sit in Attica: nos tamen, si fortè, Boeoti; non facile fidem habemus: imò Capucinis (quae seculi calamitas est) ne iuratis quidem quicquam credimus. Hîc etiam obiicimus, non in eodem subiecto tātùm, sed etiam in eodem nomine hanc regulam fallere. Nam illo ipso quod non ita pridem citauimus, capite quarto Leuitici, occurrit ὁ ἱερεύς ter, & decies ὁ ἀρχιερεύς, ter bis ὁ ἀρχιερεὺς ὁ Χριστός. Quid si alios omnes locos congeras? Sexcentos puto, numerabis,

XVI. Vallensi succedat Ferrarius; ille olim inter nos: ille nunc, contra nos: & qui ex vtrinsque partis experientia (nisi ille potiùs neutram expertus) eximiam eruditionem debuit comparasse: tum autem si nihil sciret, non tanto stipendio apud nunc suos auctorandus. Sed hic ergo doceat nos tres conditiones, quae hanc vim iis praestent articulis. Primam; quoties additur series quarundam circunstantiarum, actionúmque peculiarium, quae non possint, nisi in vnum solum hominem cadere. Secundam; cùm de eo fit sermo, qui aliis Scripturae locis non describitur, vt corpus societatis cuiusdam. Tertiam; non seruiat articulus indefinitis propositionibus: qualis illa: Non viuet ex solo pane ὁ ἄνθρωπος. Optimè. Sed pergito, accommodans rei, qua de agitur. Ergo circunstantias has; sedere in Templo Dei: efferri supra Deum; miracula patrare; mendacem esse, & insignem peccatorem; damnatum, & filium perditionis; destruendum etiam aduentu Christi: has, inquam, circunstantias negat Ferrarius, vnquam simul omnes esse potuisse, nisi vnius hominis. Negat rursus Apostolum loqui de eo, quem alibi Scriptura describat tanquam statum, cui sint successores. Denique, negat hîc esse propositionem generalem: sed describi eximiam persecutionem aduersus Ecclesiam concitatam ab vno Tyranno.

XVII. Haec ille, & quidem longè prolixius. Sed vide, & mirare τὴν ἄδειαν, vt dicam mollissimè. Concedit non eam esse articuli naturam, vt vnicam personam designet. Sed hîc: haec, inquam, controuersia, hoc Pauli loco; id verò disputat. Quomodo autem disputat? Quia omnes circunstantiae vnam designent personam: Ὢ τῆς πολλῆς εὐηθείας. Atqui nobis de ipsa persona controuersia est: non de grammatica nescio qua obseruatione; quam nos libentes puerulis in schola permittimus ludentibus. Imò nemo eo vsq; insanit, vt negaret articulū cùm vsurpatur in oratione, quae agat de indiuidua

quapiã persona; designare indiuiduam personam. Quid articulum dico? Insanus sit qui neget nomen sine illo articulo vsurpatum de singulari persona, singularẽ personam designare. Puta, Actorum septimo, *ἀνέστη ἕτερος βασιλεὺς ὃς οὐκ ᾔδει*. Et pòst, *οὗτος βασιλεὺς ἕτερος*, Audin' bis *βασιλεὺς* nominatum absque articulo? Spondeo, Ferrari, neminem futurum ea nobis, qui neget tamen indicare vnam singularem, & indiuiduam personam. Agnoscis-ne tandem tuam *ἀνοιαν*, qui velis persuadere tum demum articulo designari indiuiduam personam, cùm designat indiuiduam personam? Næ, si sic omnes sapiunt nostri Apostatæ, magnum factum est caussæ Papisticæ compendium.

XVIII. Verùm has tres conditiones in hac materia concurrere, hoc verò maluit sumere quàm demonstrare Ferrarius. Sed quis vel deieranti credat? Nos verò illa omnia, quæ in prima lege descripsit, asserimus & vni conuenire, & plurimis; nec singula tantùm, sed etiam omnia. Dicimus hunc ipsum quem Antichristum prędicit Scriptura, describi tanquam *σῶμα* quoddam impietatis, & apostasię; non verò homuncionis vnius caput. Dicimus denique esse indefinitam enuntiationem, si personas attendas: nec vnum tyrannum prędici, sed vnam tyrannidem. Hæc nos dicimus, contradicentes contradicenti Ferrario: nec veremur vt nos argumentis superet.

XIX. Cùm igitur hæc frustrà sint omnia, quid iam superest? Nimirum Stapletonus palmam feret: cuius audite ex tripode oraculum. In Sacris Libris, quando non otiosè, non emphaticè, sed prorsus demonstratiuè ponatur articulus, est magistrorum in sacra disciplina discernere, & iudicare: alioquin omnes disputationes doctissimorum circa vim huius articuli possent eludi.

XX. Taceant ergo reliqui *πάντες σοφοῦντες*, vt soluant quod tam facile secuit Stapletonus: vnum tantùm oblitus addere, vt rem sibi penitus in vado constitueret, hos videlicet magistros esse Louanienses, aut certè Sorbonicos. Nam his columinibus incolumibus, nihil est periculi Pontificiæ dignitati.

XXI. Hæc cùm ita sint, concludimus, & Paulum meritò vsum esse articulo: & non significasse tamen vnum indiuiduum hominem futurum Antichristum; sed tantùm inter multos Antichristos, eum, cui, *κατ' ἐξοχὴν*, id nominis sit proprium; quique iam ex præcedentibus prædictionibus esset Christianis cognitus. Neque vllam aliam esse caussam. Quanquam, quidni vnum Antichristum dicamus; quomodo vnum Imperatorem Germaniæ, vnum Regem Galliæ? Quomodo denique vnum Papam? Et, vt Syluestri Vallensis verbis vtar, vnum Phœnicem? Sic enim solet etiam articulus vsurpari. Primi Samuelis octauo, *Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis*. Quis hic tam nullius est cerebri, vt non intelligat Samuelem loqui de quolibet rege Iudæorum? Et tamen expressus est articulus: cum Hebraicè, משפט המלך tum Græcè *δικαίωμα τοῦ βασιλέως*.

XXII. Tertium argumentum ex septimo Danielis, & vndecimo, & duodecimo, vbi sermo est de Antichristo; testibus Hieronymo, Theodoreto, Irenæo, Augustino, Caluino, Magdeburgensibus, Beza. Vocatur autem, non vnum regnum, sed vnus quidam Rex. Adde, quod ea prophetia sit de Antichristo, sub figura Antiochi, testibus Caluino, Cypriano, Hieronymo. Sed Antiochus illustris certa quædam, & singularis persona fuit: Igitur & Antichristus. Similis locus Apocalypsis decimo tertio: & decimo septimo.

XXIII. Respondeo, primò, nominari vnum Regem, quomodo & reliquas Monarchias; in quibus tamen certum est, non regnasse vnum numero hominem. Bellarminum autem, qui paulò antè miratus est à nobis, quos dicit iactare linguarum peritiam, non animaduersam vim articuli; non est quòd miremur deceptum à sua Latina versione, cum qua & solens, & libens errat, non vidisse quatuor Monarchias appellari quatuor Reges. Nam qui Chaldaicè sunt, ארבעה מלכין Græcè leguntur, *τέσσαρες βασιλεῖαι*, Latinè, *quatuor regna*: qui sunt *quatuor Reges*. Non tamen malè regna, ad sensum: sed malè Bellarminus anceps syllabarum, ex Rege, indiuiduum concludit. De Antiochi figura, negatur consequentia: etiamsi enim figura Antichristi vnus est Antiochus; tamen non potest concludi, Antichristum vnicum esse homunculum. Nam & Reges quatuor Monarchiarum, singulæ bestiæ, singularum significabant; qui tamen non fuerunt singuli. Et cur ab vnitate figuræ, ad vnitatem figurati potius concludas, quàm à multitudine, ad multitudinem: vt, quia plurimi agni Paschales fuerunt; ideò multos Christos ab iis figuratos contendamus? Nugæ.

XXIV. Quartum argumentum apud Sanderum, & Salmeronem: quia Apocalypsis decimotertio exprimitur numerus, quo constabit nomen bestiæ. At nomina propria, non nisi certis hominibus, & personis induuntur.

XXV. Quid verò, aut quo sensu nomen proprium appellatur? An quomodo Platonem, Socratem, Ciceronem? reliqua quibus solemus, nihil nisi indiuidua significare? At eiusmodi nomen, nullum Ioannes nominauit. Dixit enim *Nomen bestiæ: Numerum nominis eius*. Quis hoc dedit, siue Salmeroni, siue Sandero, vt ex nomine Bestiæ; nomen faciant indiuidui alicuius? Non sic Irenæus, qui Latinum putauit id fore; nomen non vnius hominis, sed eius populi, penes quem erat summa rerum. Quòd si nomen proprium, non aliter appellant, quàm vt id significent, quod propriè vni cuipiam rei significandæ tribuitur; tum verò consequentia est ridicula. Nam ea notione Gallus nomen est proprium, & Papa; & infinita alia: nec tamen, nullus est Gallus præter vnum homuncionem: nec Papa nullus, præter Gregorium septimum. De numero nominis aliàs.

XXVI. Quintũ argumentũ: Antichristus est *ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας*. Ergo vnicus vir. Probatur consequentia, quia Christus sic appellauit Iudam vnicum virum, Ioannis 17. *Et nemo ex iis periit nisi filius ille perditionis*.

XXVII. Respondeo. Negatur consequentia: eam ipsam ob caussam, quia Christus sic appellarit Iudam: est enim id argumento; eo vocabulo comprehendi multos homines. Sic, quia & de Aarone, & de Eleazare & de Caipha, & de Anna, in vsu erat *ὁ ἀρχιερεύς*, necesse fuit hoc ipso nomine, non significari vnum indiuiduum. Sed tantùm dici de multis indiuiduis: etsi non de omnibus.

XXVIII. Sextum argumentum: Ioannes manifestè distinguit hunc Antichristum, ab aliis promiscuis Antichristis, & Pseudoprophetis, tanquam vnum indiuiduum. Sed hoc simpliciter negatur. Nam quod subiicit Ferrarius; Sicut Christus distinctus ab aliis Regibus & Prophetis,

vnicus fuit: sic vnicum futurum Antichristum: puerile est & nugatorium. Nam omnia singularia, distinguuntur quidem inter se: sed non quæcunque distinguuntur, sunt indiuidua. Itaque fallit παρὰ τὸ συμβεβηκός, qui dicit, Christus distinctus ab aliis est vnicus: ergo ὁ ἀρχιερεὺς apud Iudæos, distinctus à reliquis, est vnicus. Ergo Rex Galliæ, distinctus à regibus Hispaniæ, Angliæ, Daniæ, est vnicus.

XXIX. Septimum argumentum: Si Antichristus esset successiuè vnus, ergo non posset efferri supra quicquid dicitur Deus. Ratio consequentiæ prior; quia non posset efferri supra prædecessores suos sibi æquales. Altera, quia cùm constaret obnoxius esse morti, non posset vniuersus orbis ei deferre honores diuinos.

XXX. Respondeo negari consequentiam. Quæ enim maior vis est in morte, quàm in natiuitate? Aut in perpetuis vitæ necessitatibus? Testabatur sibi olim Alexander constare se hominem esse, & mortalē, duobus experimētis, somno, & coitu: & tamen audiuit filius Iouis: etiam post mortem, diuinis cultus honoribus? Quid? Romani poterántne ipsius mortis experimento abhorrere suorum Imperatorum ἀποθέωσιν, & speret aliquis vlla posse ratione cohiberi τὴν ἐπιγύιαν τῶν πλάνων, his Antichristi temporibus? Quanquam detorquetur etiam illud esse supra Deum: de quo aliàs.

XXXI. At non posset efferre se supra æquales suos. Nugæ. Sic enim considerantur singula capita Antichristorum; de quibus id nusquam dictum: sed de tota ipsa Antichristi successione. Sic Romani ipsi Episcopi decreuerunt, vnum esse nomen in mundo, Papam: nec tamen singulorum Paparum vnicum nomen est: sed omnium.

XXXII. Octauum argumentum: Si Antichristus esset vnum regnum: Ergo non omnes alij, aliis succedentes, essent æqualiter Antichristi. At hoc absurdum. Ergo illud. Probatur consequentia: quia non essent omnes æqualiter scelerati: nec posset fieri, vt non aliqui in tanto numero essent electi. Rursus, Si Antichristus esset vnum regnum: ergo essent multi Antichristi. Ratio consequentiæ, quia in Schismatibus, multi fuerunt contendentes de Papatu. Tertiò; Ergo aliquando nullus esset Antichristus: quia interdum vacat sedes.

XXXIII. Respondeo, in his omnibus negari consequentiam. Non possunt enim alij aliis minus esse Antichristi, quandoquidem in omnibus eadem definitio Antichristi. At non sunt æqualiter omnes scelerati. Respondeo id intelligendum de sceleribus, quatenus actiones sunt indiuiduorum: sed inde nulla consequentia. Quomodo in Regibus Galliæ, etsi alij aliis fuerunt fortiores; tamen alij aliis non fuerunt minus Reges. Et mirer ego hoc si sit iis captu difficile: qui etsi non possint negare Papas esse alios aliis nequiores: tamen omnes appellant Sanctissimos: & rationem reddunt, quia is titulus sit dignitatis. Fieri posse vt in serie Antichristiana sit aliquis de numero electorum ad salutē, ne verisimile quidem est: quandoquidem Antichristus, est filius perditionis. Nego propter Schismata multos simul fieri Antichristos: ratio gemina. Prior, quia nō propterea multiplicatur status Antichristi: sed in eo duntaxat statu, multi contendunt de summo gradu. Altera, quia ne ipsi quidem Papistæ omnes in Schismate agnoscunt esse Papas: Hoc constat cùm aliunde, tum ex Annalibus Baronij. Negatur etiam nullum esse Antichristum, vacante sede: quia sedes ipsa, est Antichristus; id est, status ille, cui sedes illa præest: Nam, neque ipsi Papistæ, suam tum Ecclesiam concedunt esse ἀκέφαλον.

XXXIIII. Nonum argumentum: Si Circumstātiæ Antichristum omnes simul constituunt; non singulæ seorsim: Ergo Antichristus est vnus vir. At prius verum: Ergo posterius. Probatur consequentia: quia alioquin, non esset vnus quisque Antichristus: quandoquidem in eum non concurrerent omnes circumstantiæ. Exempli gratia: non omnes essent manifestati à Luthero: non omnes confecti spiritu oris Dei: non omnes destructi aduentu Christi.

XXXV. Respondeo: primò omnes quidem circunstantias concurrere in Antichristum: sed non omnes tamen constituere Antichristum. Nam quæ constituunt Antichristum, eas necesse est inesse, non tantùm singulis indiuiduis: sed etiam singulis eorum indiuiduorum momentis: quomodo quæ constituunt hominē, ea oportet reperiri in Socrate vno: sed nec tantùm in vno Socrate: sed etiam in eodem Socrate semper, ab eius primo existendi momento, ad vsque vltimum: aliàs, aliquando esset, cùm non esset Socrates, homo. At quæcunque homini sunt propria, ea non necesse est semper inesse Socrati: vt in corpore dentes, & barbam, & canos: in anima vsum liberi arbitrij. Similiter in Antichristo, quæcunque Antichristum constituunt, ita vt sine iis non sit Antichristus, ea oportet esse in eo, ab ipso statim initio, cùm cœpit esse Antichristus. Atqui in circunstantiis Antichristi, quas descripsit Scriptura, quædam sunt, quæ non possunt in hoc ordine censeri: exempli gratia, manifestatio, & ruina. Oportet enim esse Antichristum, antequam manifestetur: antequam, aut conficiatur, aut destruatur.

XXXVI. Hoc cùm ita sit, manifesta est argumenti futilitas. Nam etsi Hildebrandus non fuerit à Luthero iudicatus, tanquam esset Antichristus: non etiam potenter conuictus Verbo Dei: tamen non minus fuit Antichristus. Sic, etsi qui hodie sedent in eo impietatis throno, non sint destructi ab illo illustri aduentu Christi: tamen non propterea non sunt, homo ille perditionis.

XXXVII. Decimum argumentum: In longa serie multorum sibi succedentium alij aliis sunt meliores. At Antichristus nunquam melior esse potest. Ergo Antichristus non est series sibi succedentium. Probatur maior: quia sæpe, & vt plurimùm quæ ab initio tyrannis fuit, iustitia temperari potest. Sic Cyrus seruus & vnctus Dei, etsi successerit iis à quibus Ierusalem fuerat in cineres redacta. Sic Constantinus Domitianorum, Neronumque arma conuertit in protectionem Christianitatis. Probatur assumptum. Quia Antichristus æquè damnatus est cum diabolo. At hoc non posset, si non æquè omnes scelerati: nisi fortè, Deus alium pro alio damnaret.

XXXVIII. Respondeo, ex antecedente contingente non posse educi conclusionem necessariam. At non esse argumentum necessarium, patet ex ipsis verbis. Non enim asseritur semper ita esse, vt successores sint decessoribus meliores: sed vt plurimùm. Agnouit ergo Ferrarius admitti exceptiones, & hoc sufficit. Nam quid si hîc Antichristi status excipiatur? Satis id nobis.

XXXIX. Prætereà, quod alij aliis sint meliores, potest concedi: sed ita vt personalis sit consideratio: quomodo in eadem successione Romanorum Antistitum; non omnes incestu polluerunt

natas proprias, quomodo Alexander Sextus: neque omnes Magi, vt Syluester Secundus: tamen omnes Antichristi. Et possint sanè alij alijs esse minus mali, siue mores priuatos consideres: siue etiam temporalem gladium, quem sibi assumpserunt. Sed in ratione Apostasiæ, nemo fuit omnino, qui quicquam detraxerit sceleribus præcedentium. Omnes, omnes, inquam, cumulo addiderunt sui aliquid. Itaq; omnes ex æquo Antichristi: vt hac parte nihil sit, vnde nobis timeamus. Neq; verò Deo necessarium alios damnare pro alijs: quando singuli nimium nimiùmque habuerint, vnde meritò damnarentur, æquè cum Diabolo. Quid? quod falsum æquè damnatum cum Diabolo Antichristum? Sed damnandus duntaxat. Nam in hac vita nemo damnatus: hoc enim verbi præsentes iam pœnas significat, vt in Diabolo: itaque necessariò differtur in alteram vitam. Itaque, si omnes æquè damnatos cum Diabolo, oportet esse æquè malos: at profectò nihil necesse est Antichristos esse æquè malos: quia nemo Antichristus, nisi in hac vita.

XL. Vndecimum argumentum ab authoritate Patrum, qui communi consensu docent Antichristum, primò fore instrumentum Diaboli electissimum, vt in eo habitet omnis plenitudo Diabolicæ malitiæ corporaliter: sicut in homine Christo, omnis plenitudo Deitatis. Secundò, non regnaturum, nisi tres annos cum dimidio: tertiò, futurum tantùm vnum hominem.

XLI. Respondeo: primò, non esse certissima quæcunque Patres dixere de Antichristo. Ratio facilis: quia in Scripturis quę dicuntur de Antichristo, ea prophetica: quandoquidem multo post futura. At prophetiarum intelligendarum est quidem ratio aliqua ex coniecturis: sed ea obscurissima, & plerunque incerta. Certò autem intelligi possunt duobus tantùm modis: scilicet, vel per extraordinariam reuelationem, id est, per donum prophetiæ: vel per ipsius prophetiæ complementum. At neutrius Patres fuêre compotes. Non complementi: quia nondum Antichristum habebant reuelatum. Non prophetiæ: nemo enim illorum testatur sibi quicquam hac de re inspiratum fuisse à Deo. Quid mirum ergo si suæ eos fefellerint coniecturæ? Multò verisimilius est his temporibus eandem prophetiam melius intelligi. Quia etsi nulla nobis facta sit extraordinaria reuelatio: tamen si non omnia, saltem multa impleta sunt; quæ olim futura erant. De Imperij Romani ruina nemo amplius dubitare potest. Itaque sumus intra tempus illud, quo certissimum est reuelandum esse Antichristum. Præterea, Episcopus Romanus in tantum se fastum, tantámq; potentiam extulit, quantam Patres ne suspicari quidem poterant. Quicunque enim citantur à Bellarmino, ij floruerunt, stante florentéque Imperio Romano: ex cuius dissipatione, & crescere debuit Antichristus: & creuit Romanus Episcopus. Eiusmodi multa nos præcedente libro collegimus euenta, historiis testatissima; quæ boni illi Patres habuêre incognita.

XLII. Secundò plurima sibi Patres in hoc indulsere negotio, quorú ne vestigia quidem in Scripturis. Lactantius scripsit Christianos omnes confugituros in montem quendam; ibíque obsessum iri ab Antichristo: tum verò descensurum è cœlis Christum, pugnaturúmque, ac quarto prælio victoriam de Antichristo reportaturum, tanta cum cæde, vt riui fluant sanguinis. Hæc quisquam credat? Quum Paulus testetur Antichristum spiritu oris Christi confectum iri? Alij adhuc audacius futurum dixerunt Diabolum incarnatum; instar Christi Dei incarnati: & id significat Theodoreti phrasis de omni plenitudine Diabolicæ malitiæ habitantis in eo corporaliter: quemadmodum in Christo plenitudo Deitatis. Nam hac phrasi Paulus vnionem hypostaticam descripsit. At hanc sententiam ne Papistæ quidem admittunt.

XLIII. Tertiò, non omnes consensêrunt apud Veteres Antichristum significare vnam indiuiduámq; personam. Nam Augustinus contrà testatur libro vigesimo de Ciuitate Dei, capite decimonono. *Nonnulli non ipsum principem, sed vniuersum quodammodo corpus eius, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem, simul cum ipso suo principe hoc loco intelligi Antichristum volunt.*

XLIV. Itaque liceat nobis bona cum Patrum venia ab eorum vestigiis discedere, vt & Scripturis magis hæreamus: & rerum euentu persuadeamur imò ex rerum euentu prophetias, quæ ante complementum solent esse obscurissimæ, intelligamus. Et quidem fore Antichristum organum Diaboli electissimum, nemo ambigat; disertè docente Paulo: sed in eo habitaturum Diabolum corporaliter; id verò concedere non possumus. Incarnatio miraculum est longè maximum: ideóque Deo eximium: vt is solus naturas duas perfectas in vnum [illegible] vnire queat: diabolus æquè non possit; vt non potuit creare. De regni Antichristiani tempore paulo post dicturi sumus. Postremum caput de vno homine negamus verè dictum à Patribus. Quamquam vnum hominem nemo quod sciam dixerit, præter eos, qui incarnationem comminiscuntur. Nam reliqui tantùm vsurpant Scripturæ phrasin; quæ singulari numero vtitur: in quo nihil est incommodi.

CAP. II.

Antichristum non esse vnicam personam hominis indiuidui.

I. NVllis igitur Papistæ probant argumentis Antichristum futurum indiuiduam personam. Contrà Catholici disputant duobus argumentis. Eorum primum est: Si Antichristi mysterium operabatur iam tempore Apostolorum; Ergo Antichristus non est indiuidua vnius hominis persona. At prius verum: si enim Paulus secundo posterioris ad Thessalonicenses: *τὸ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας. Mysterium iam operatur iniquitatis*: & quidem ita, vt opus fuerit retineri, ne reuelaretur: *μόνον ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται. tantum qui nunc tenet, tenebit vsque dum è medio sublatus fuerit.* Ergo verum est consequens. Ratio consequentiæ, quia non potest vllus homo dari, qui victurus sit inde ab Apostolorum temporibus, ad finem vsque mundi.

II. Respondet Bellarminus tempore Apostolorum occultè grassari cœpisse Antichristum, non in sua persona, sed in suis præcursoribus. Quomodò Christus venire cœpit ab origine mundi in Patriarchis, & Prophetis, qui eum præcurrebant, & significabant: ita vt ab initio mundi dici possit cœpisse operari mysterium pietatis. Confirmatur expositio istiusmodi dupliciter. Primò, quia omnes Interpretes mysteriũ iniquitatis intelligũt, vel Neronis persecutioné: vel hæreticos, qui clã decipiũt. Secũdò, quia si Antichristus natus est Apostolorũ tẽpore: & Antichristus propriè est sedes Romani Pontificis: ergo Pe-

go Petrus & Paulus fuerint Antichristi, licet occulti: quia ij soli erant Romani Episcopi: disertè affirmāte Irenæo libri tertij capite tertio, à Petro & Paulo sedē Romanā fūdatā, & primos in ea Episcopos sedisse. At Petrum & Paulum fuisse Antichristos falsum. Ergo falsum etiam Antichristū fuisse ab eo tēpore.

III. Sed negatur interpretatio: nulla enim ratio ferre potest, vt τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας, à Paulo diceretur, ἤδη ἐνεργεῖσθαι, si intellexisset de nudis figuris. Nam primum τὸ ἐνεργεῖν, contradicit: nunquam enim id vocabulū vsurpatum inuenitur, de figuris: quæ sunt tantùm species quædam δυνάμεως, aut etiam minus aliquid, quàm δύναμις; quæ ἐνέργεια, dici nequit. Quod autem de Christo dicitur, non est simile: nam re vera, ab initio Christi mysterium peragebatur: non tantùm in figura, sed energia: nam & promissio facta Adamo; & cultus mandatus Abrahamo; & Legis ceremoniæ per Mosem institutæ; re vera erant mysterium Christi, ἐνεργὲν. Quod de nulla Antichristi figura dici potest. Quanquam Scriptura quidem eius nullam figurām proponat, præter Antiochum; qui tamen nulla ratione dici potest ἐνεργὲν mysterium eius, quem significabat. Deinde, non tantùm dixit Apostolus, mysterium peragitur; sed, ἤδη ἐνεργεῖται, iam nunc peragitur. Et Victorinus, in Apocalypsin reddidit, *Arcanum malitiæ iam vritur*. Ridiculè: si de figuris. Quis enim vnquam audiuit aliquod esse temporis momentum in figuris? Et cur iam diceret; quum longè ante præcessisset Antigonus?

IV. Quod de Nerone dicitur, proculdubiò est nugatorium. Nam Paulus, si hanc Epistolam scripsit Athenis: Et eò venit anno quinquagesimosecundo, vt notat Baronius; quomodo potuit dicere; Iam peragi mysterium Antichristi: id est, Neronem iam regnare: qui tamen annis quinque posteà cœpit? Quod si potior est Bezæ sententia scriptam asserentis Corintho; vix aliud iudicium. Nam idem Baronius hunc Pauli aduentum ad Corinthios eodem anno contigisse notat. Atque adeò hanc ipsam Epistolam scriptam anno sequenti. Quid? quòd Neroniana persecutio excitata est sub finem eius Imperij; id est, annis circiter octodecim post hanc scriptam Epistolam? Et eam tamen persecutionem norant, quicunque Neronem asserunt figuram Antichristi. Itaque, oporteret eam persecutionem iam tum viguisse, quum Paulus ita loqueretur.

V. De hæreticis, facilius negotium. Nam eos autor operis imperfecti in Matthæum, appellat exercitum Antichristi: quod quidem longè aliud est, quàm figura. Sedulius in hunc Pauli locum. *Antichristus per sua membra agit vt Ioannes dicit: multi Antichristi facti sunt. In his ergo mysterium iniquitatis operatur, qui falsis doctrinis eius peraium faciant iter.* Theodoretus, *Ego existimo Apostolum significare hæreses quæ exortæ sunt. Per illas enim multis à veritate abductis, præparat Diabolus exitium deceptionis*. Sic igitur mysterium peragebatur; non verò significabatur. Ergo iam tum Antichristus efficaciter, quanquam mysticè, id est, occultè incipiebat. Non est igitur Antichristus, vnus homo.

VI. De Petro, & Paulo; nugatur Sophista: & quidem ridiculè. Primùm, sumit eos fuisse Episcopos Romæ; quod aliàs ostendimus esse falsum: nec hanc dictum Irenæo: qui tantùm ab iis fundatam fuisse Romanam Ecclesiam; constituto Lino Episcopo. Deinde, illud, Antichristus propriè est sedes Romani Pontificis, quo sensu nobis tribuitur? Non enim id nos vnquam absolutè: sed tantùm Antichristi reuelari, sedem eam esse: at non mysticè operātis. Itaq; quādiu Petrus & Paulus Romæ erant docentes Euangelium; non potest ea sedes appellari Antichristus: itaque, ne Petrus quidem & Paulus, Antichristi. Sed deinceps paulatim, mutata sunt tempora: mutati homines; & factum, vt in eadem sede, sederet Antichristus; id est, is qui regni Antichristiani caput est.

VII. Secundum argumentum Catholicorum. Apostolus dixit: ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον. *Nisi primus venerit illa defectio*. At apostasia, siue defectio, non potest dici de vnico & indiuiduo homine; sed de plurimis à Christo recedentibus. Non potest enim commodè intelligi, nisi per generalem quandam defectionem à fide: quæ non sit paucorum annorum, vt sub vno Rege possit compleri.

VIII. Respondet Bellarminus: primò, per Apostasiam ipsum intelligi Antichristum; apud Veteres; communi consensu: per metonymiam, quia multis caussa erit recedendi à Deo: & per excellentiam: quia sit insignis Apostata. Secundò, per Apostasiam posse intelligi defectionem à Romano Imperio. Tertiò, non esse necesse Apostolum loqui de apostasia multorum seculorum: sed de quadam maxima, & singulari, quæ erit solùm breuissimo illo tempore. Quartò, eam Apostasiam non necessariò ad vnum corpus, aut ad regnum Antichristi pertinere; sed in variis locis, sub variis Regibus, variis occasionibus fieri. Quintò, non sequi Papam esse Antichristum: quia prius disputandum, vtrum defecerit.

IX. At Catholici primam responsionem admittunt; consentientes ipsum Antichristum vocari apostasiam illam: & vocari per excellentiam: quia certum sit multas alias apostasias esse, aut fuisse: sed inter omnes, hanc insignem. Vocari autē per metonymiam, quid opus est? Quum certum, & multos descituros à Christo; & ita solere homines loqui. Seditionem appellant, quum multi homines Rempublicam in partes diuidunt. Coniurationem, quum multi homines contra Rempublicam coniurant: & multa similia. Quanquam fateor esse quandam metonymiam, quum apostasia nominatur, pro multis apostatis: sed hic tropus adeò est vsitatus; vt vix tropus videri queat. Sed seditionem, pro vno insigni seditioso: & coniurationem, pro vnico homine coniurato; nondum inueni dictam. Esto igitur Antichristus, κατ' ἐξοχὴν Apostasia: dum constet esse multitudinem apostatarum.

X. Apostasiam defectionem ab Imperio Romano, pauci exposuerunt: plerique omnes, à Christo: vt præcedenti libro obseruatum. Et sanè, quum sæpiusculè vsurpata hæc vox, cognatæve inueniantur in Nouo Testamento: tum verò semper, pro defectione à fide. Quid igitur procul discedamus à stylo Spiritus Sancti, ad prophanum? Longè consultius, διδασκαλ…, … exponere.

XI. Non esse necesse loqui Apostolum de Apostasia multorum seculorum: concedent Catholici, si Bellarminus docuerit; aut τὴν ἀποστασίαν, id est, defectionem aliquam singularem, & eximiam præ cæteris intelligi posse de minima aliqua hominum parte deficientium à Christo. Aut posse totum orbem, qui Christianus factus erat, subitò ab vno homine seduci, & quidem μυστικῶς, vt deficiat à Christo. At illud Catholici absurdum existimant: nec credunt

finis, consummationis Hierosolymorum. *Quod enim ita dixerit, & ante euersionem Hierosolymorum Euangelium sit prædicatum, audi Paulum dicentem: In totam terram exiuit sonus eorum: & rursum: Euangelij prædicati in vniuersa creatura quæ est sub cœlo. Quem vides cum ex Hierusalem in Hispaniam currentem. Quod si vnus tantam partem orbis occupauit, reputato quid cæteri fecerint. Imò & ad alios scribens rursus Paulus dicebat de Euangelio; fructum ferre, & augescere in vniuersa creatura quæ est sub cœlo.* Contra Iudæos, libro tertio. εἰ μὴ γὰρ οὐκ ἐπέγνω τὰ δεινὰ, ὅτε ἐρριζώθη καὶ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης κατεφυτεύθη τὸ κήρυγμα; *Si enim inducta essent hæc mala, cùm radices egit, & per omnes mundi partes plantata est prædicatio.* Post paulò ὁ Χριστὸς οὐκ ἐχάραξε πολιτείας τύπους. ἀλλὰ καὶ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης αὐτὴν κατεφύτευσεν. *Christus non tantùm descripsit vitæ formam: sed etiam vbique terrarum plantauit.* Et multis interpositis, τίς πλάνος τοσαύτας πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἐκκλησίας ἐπήξατο, ἀπὸ περάτων τῆς οἰκουμένης εἰς πέρατα τὴν τε αὐτοῦ θρησκείαν ἐξέτεινε, καὶ πάντας [illegible] ἄρα οὖν [illegible] ὅτι ὁ Χριστὸς οὐχὶ πλάνος ἦν; *Quis impostor tot Ecclesias, toto terrarum orbe parauit? Quis ab extremis ad extrema mundi cultum suum protulit? Quis omnes subiectos habuit? Idque, cùm essent innumera obstacula? Nemo sanè. Annon igitur perspicuum est, Christum non esse impostorem?* Ad populum Antiochenum, homilia decima nona, οἱ τοῦ Χριστοῦ μαθηταὶ, οἱ ἁλιεῖς, οἱ τελῶναι, οἱ σκηνοποιοὶ ἐν ὀλίγοις ἔτεσι τὴν οἰκουμένην ἅπασαν πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐπανήγαγον. *Christi discipuli piscatores, & publicani, & tentoriorum opifices, paucis annis, totum mundum ad veritatem conuerterunt.* Chrysostomi breuiator Theophylactus subscribit, καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος, οὐχὶ τοῦ κόσμου, ἀλλὰ τῆς Ἱερουσαλήμ· πρὸ γὰρ τοῦ ἁλῶναι τὴν Ἱερουσαλὴμ ἐκηρύχθη τὸ Εὐαγγέλιον, ὥσπερ καὶ ὁ Παῦλος λέγει· τοῦ Εὐαγγελίου κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν. *Et tunc veniet finis: non mundi, sed Hierusalem. Nam ante destructionem Hierusalem, prædicatum est Euangelium, sicut & Paulus dicit: Euangelij prædicati in omni creatura, quæ est sub cœlo.* ὅτι γὰρ περὶ τοῦ τέλους τῶν Ἱεροσολύμων λέγει, δῆλον ἀπὸ τῶν ἑξῆς. *Quod enim loquatur de fine Hierosolymorum, manifestum est, ex subiectis.* Anselmus, *Quia nouerat corda discipulorum Dominus, de excidio suæ gentis contristanda, hoc solatio voluit; vt scirent multò plures socios æterni gaudij, de toto orbe colligendos; & hoc, antequam destructio ciuitatis eueniat.* *Quod innuit Marcus, quia ponit primum: dicens ita, Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Euangelium. Refert etiam historia Ecclesiastica, quòd omnes Apostoli ante vastationem Iudææ, ad prædicandum Euangelium, toto orbe fuerunt dispersi.* Lyranus, *Quòd ante destructionem ciuitatis, per Titum & Vespasianum, in tribus partibus orbis, scilicet Asia, Africa, & Europa, prædicatum sit Euangelium Christi, patet.* Eadem Euthymij sententia: & Zachariæ Chrysopolitani: & Victoris Antiocheni, in decimum tertium Marci.

VI. Et sic autor Quæstionum ad Antiochum, quæ Athanasio tribuuntur, quæstione centesima trigesima sexta; hoc ipsum de prædicatione Euangelij toto orbe, numerat inter ea, quę impleta erant. ὥσπερ ὅτι ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι. τοὺς δὲ λόγους προσεχῶς ἀκούσωμεν. εἶπε περὶ τοῦ ναοῦ ὑμῶν, ὅτι ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ μείνῃ λίθος ἐπὶ λίθον ὃς οὐ μὴ καταλυθῇ· ἆρα γέγονεν οὗτος ὁ λόγος, ἢ οὐ γέγονεν; *Dixit, Cælum & terra præteribunt: at sermones mei non præteribunt. Quos sermones attentè audiamus. Dixit de vestro templo: Amen dico vobis, non manebit lapis super lapidem; qui non destruatur. Impletus-ne is sermo est, an non?* Subiicit vnum aut alterum exemplum. Deinde: εἶπε πάλιν ὁ αὐτὸς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἀληθινὸς Θεὸς ἡμῶν, ὅτι κηρυχθήσεται τὸ Εὐαγγέλιον ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ· ἆρα γέγονε τοῦτο, ἢ οὐ γέγονεν;

Rursum dixit idem Dominus Iesus Christus verus Deus noster, Prædicabitur Euangelium in vniuerso mundo. Factum-ne id est, an non? Autor operis imperfecti in Matthæum, homilia quadragesima nona: etsi non refert ad bella contra Hierusalem; tamen, suis temporibus designat impletum. *Quando autem illa bella corporalia mouebantur contra Hierusalem, adhuc initiabatur Euangelium: nondum prædicatum erat in toto orbe: ante hæreses antè consummatū est Euangelium. Nam vsque ad tempus Christiani regis prædicantibus quibusdam, aut de gente in gentem notitia Christi currente, peruenit ad omnes.* Ipse Chrysostomus, homilia contra Anomæos, Ἀπὸ τῶν δώδεκα ἐκείνων, ἑκατὸν εἴκοσι ἐγένοντο, ἀπὸ τῶν ἑκατὸν εἴκοσι, τρισχίλιοι, πεντακισχίλιοι, καὶ ἐκ τούτων ἐπλήρωσαν εἶτα τὴν οἰκουμένην ἅπασαν τῆς τοῦ Θεοῦ γνώσεως. *Ab illis duodecim, fuerunt centum viginti. Ab his, centum & viginti, ter mille: tum quinquies mille: post vniuersum orbem impleuerunt cognitione Dei.* Contra Iudæos primo, Δώδεκα ἦσαν οἱ ἀπόστολοι, καὶ τὴν οἰκουμένην ἐπεσπάσαντο. *Duodecim erant Apostoli, & vniuersum mundum allexerunt.* Gregorius Nyssenus, contra Eunomium primo, οἵ τε ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου, καὶ οἱ μετ' ἐκείνους πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τῆς Εὐαγγελικῆς διδασκαλίας καταπληρώσαντες, *Qui ab initio oculati testes & ministri sermonis fuerunt, & qui post illos terrarum orbem Euangelica doctrina compleuerunt.* Denique, ne omnes colligam; Hieronymus, etsi censeat esse signum Dominici aduentus; tamen, *aut iam completum* (inquit) *aut in breui cernimus esse complendum. Non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et quanquam non habuerit Christi prædicatorem: tamen ex vicinis nationibus, opinionem fidei non potest ignorare.*

VII. His Veteribus, adde recentiorem, atque adeò Papistam, Iansenium, qui concordiæ, capite centesimo vigesimo secundo, cùm eorum sententiam retulisset, qui occasione horum verborum putant Christum loquutum, de fine mundi: eo quòd nondum est Euangelium vbiq; terrarum prędicatū: *His non obstantibus, magis videtur cum Chrysostomo intelligendum istud impletum temporibus Apostolorum fuisse, sicut & omnia præcedentia: Et quod dicitur de consummatione, accipiendum non de consummatione generali, sed de fine gentis Iudaicæ, vrbisque ac templi:* Et additis rationibus ex ipso contextu petitis; docet impletum hoc ipsum vaticinium, ante euersionem Hierusalem.

VIII. Quum igitur, & ex serie contextus, & ex aliis Scripturæ locis, & ipsa experientia, & tot testibus, perspicuum sit, illam prædicationem, & pertinere ad præcedentia excidium Hierosolymitanum, & impletam esse; non est, quod nos moueant Papistæ, hoc argumento, quominus credamus Antichristum venisse.

IX. Nec Bellarmini rationes, contrà sunt efficaces. Prima erat: quia aduentus Antichristi impediturus est omnia exercitia publica pietatis. At huius rationis vis aliqua esse possit, si quis doceat eam prædicationem futuram post Antichristum: aut certam cum Antichristo, aut saltem immediatè, ante Antichristum: quod nos negamus, & Patres, vt vidimus, negant: concedimus autem præcessurum esse Antichristum: sed multo tempore: nimirum, quia eundem debeat etiam præcedere destructio Hierosolymæ; quæ ipsa sequuta est eam prædicationem. Ergo aduersus nos ea ratio est inutilis.

X. Secunda ratio ab Hilarij, Cyrilli, Theodoreti, Damasceni autoritate. At de Hilario, mentitur: is enim disertè eam prædicationem præmittit excidio Hierosolymitano, vt audiuimus. Reliqui, primò

verisimile, Paulum tanta vehementia loquutum de Apostasia quapiā; quæ futura esset in aliquo orbis angulo. Tum autem obseruant, Ioannem prędicere meretricem sedere super aquas multas. Posterius autem non vident, quomodo fieri possit, nisi maximo miraculo: videlicet, vt vnus homuncio subitò, id est, intra paucos annos, omnes Christianos; aut certè tam multos, vt propemodum omnes, auertat à sana fide. Et obseruant Patres, pro insigni potestatis diuinæ argumento sumpsisse, Euangelij propagationem per totum orbem, intra annos paucos quidem, sed plures tamen, quam Papistæ concedant Antichristo. Itaque, non putant verisimile paucis annis illam futuram defectionem.

XII. Sed & *τὴν ἀποστασίαν* si quis neget pertinere ad vnum regnum (regnum autem *μυστικόν*, id est, vnum corpus) id contradicit iis omnibus quos Bellarminus in prima responsione citauit testes: à quibus cur discedamus, sola Iesuituli autoritate moti? Quin etiam idem eneruat phrasin, *ἡ ἀποστασία*, æquè ponderandam, cum altera *ὁ ἄνθρωπος*. Pertineat ergo sanè defectio illa ad multa regna, multásque orbis partes; dum sit vna defectio; hoc est, vnum deficientium corpus: id sufficit Catholicis.

XIII. De Papa, quorsum? Non sequitur (inquit) Papam esse Antichristum, etiamsi defectio sit generalis, & multorum annorum. Atqui non ita Caluinus argumentabatur: non id probabat: tantùm eos impugnabat, qui credebant vnum certum hominem futurum Antichristum. Hos si probet delirare, sponteque errare; tum verò ille sibi satisfacit: satisfacit & Catholicis. Papam esse Antichristum non hoc argumentum docet: sed alia euincunt. Quanquam discessisse Papam à Christo, nulli iam dubium, vno excepto Antichristo; id est, Papa, ciúsque membris. Nam quod addit, facilè se probaturum Catholicos esse apostatas: quia certum eos discessisse à Papistis: tum persuadebit, si euicerit eos qui exeunt Babylone, esse apostatas; eósve qui in ea manent, participes futuri plagarum eius, esse Christianos. Intereà certò credunt Catholici, Papistas discessisse à Christo, ad Antichristum: se autem discessisse ab Antichristo, vt redirent ad Christum: moniros hac seuera denunciatione, *Exite ex eo, popule mi, ne participes sitis peccatorum eius, & ex plagis eius accipiatis.* Apocalypsis decimo octauo.

CAP. III.

De Prædicatione Euangelij, per vniuersum orbem.

I. TErtia pars sequitur Bellarminianæ partitionis; de tempore Antichristi. In ea probare conatur Antichristum nondum venisse; sex argumentis; p. tiris à totidem signis; quorum duo debent Antichristum præcedere: duo comitari; duo sequi: hæc argumenta, demonstrationes appellat.

II. Primum argumentum: Scripturæ testantur in toto mundo prædicandum Euangelium antequam veniat vltima persecutio, quæ excitabitur ab Antichristo. Matthæi vigesimo quarto, *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus.* Et hunc locum ita intelligendum, probatur primò, quia tempore Antichristi, crudelitas persecutionis illius nouissimæ impediet omnia publica exercitia veræ religionis. Secundò, ex testimoniis Patrum, Hilarij, canone vigesimo-quinto in Matthæum. Cyrilli, catechesi decima-quinta: Theodoreti, in secundum posterioris ad Thessalonicenses: Damasceni, libro quarto, capite vigesimo octauo. Tertiò ex textu. Nam dicitur prædicandum Euangelium, antequam veniat illa maxima & nouissima tribulatio: quā significari Antichristum docet Augustinus vigesimo de Ciuitate Dei, capitibus octauo, & decimo nono. At nondum prædicatum est Euangelium in toto mundo: Ergo non venit Antichristus.

III. Respondeo, id quod dicitur, Euangelij prædicationem illam per totum mundum præcessuram Antichristi aduentum, dupliciter intelligi posse: vel indefinitè, quomodo omnia quæ tempore sunt priora, præcedunt illa quæ sunt posteriora; & sic Abraham præcessit Christum: vel immediatè, quomodo Ioannes Baptista præcessit Christum paucolo tempore; & erat signum statim venturi Christi. Priori sensu, conceditur illam prædicationem præcessuram aduentum Antichristi: altero autem negamus: ac proinde, negamus nondum euenisse. Christus enim eam prædicationem dixit præcessuram excidium Hierosolymitanum: quod quum iamdiu euenerit, necesse est ipsam illam prędicationem reipsa esse impletam.

IV. Id ipsa contextus series docet, si quis attendat. Quum enim Apostoli quæsissent, *Dic nobis quando hæc erunt, & quod erit signum aduentus tui, & consummationis seculi*: tria quidem capita videbantur, vt etiam obseruauit Hilarius. sed reuera erant duo, quia aduentus Christi, & consummatio seculi concurrunt. Itaque, Christus prolixè de primo capite disserit; id est, de excidio Hierosolymitano: quo pertinent vno spiritu, quæcunque de bellis, & persecutione, & Pseudoprophetis; & Euangelio prædicato: & abominatione desolationis. Probatur, quia statim additur, *Tunc qui in Iudæa fuerint, fugiant ad montes.* Posteà autem, de suo aduentu loqui incipit, *Tunc, si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus, aut hic, ne credite.* Et reliqua, quorum manifesta series.

V. Probatur idipsum autoritate Veterum. Hilarius ipse, quem Bellarminus pro se citat, canone vigesimo quinto in Matthæum, *At tum per omnes orbis partes, viris Apostolicis dispersis, Euangelij veritas prædicabitur. Et cùm vniuersis fuerit cognitio Sacramenti cælestis inuecta, tum Hierusalem occasus, & finis incumbet.* Eusebius, historiæ secundo libro, capite tertio, *Οὐρανίῳ δυνάμει καὶ συνεργίᾳ ἀθρόως οἷά τις ἡλίου βολὴ, τὴν σύμπασαν οἰκουμένην ὁ σωτήριος κατηύγαζε λόγος, Cælesti, diuinaque virtute & præsidio, repente nulla ferè mora interposita, tanquam quoddam solis iubar, salutare Dei verbum, vniuersum terrarum orbem sua splendore collustrauit.* Chrysostomus, prolixè in eum Euangelij locum, *ἐπάγει· καὶ κηρυχθήσεται τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι· καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος, τῆς καταστροφῆς τῶν Ἱεροσολύμων. ὅτι γὰρ πρὸ τούτου ὁ λόγος, καὶ πρὸ τῆς ἁλώσεως τὸ εὐαγγέλιον ἐκηρύχθη, ἄκουσον τί φησιν ὁ Παῦλος· εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν. καὶ πάλιν· τοῦ εὐαγγελίου τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν. καὶ ὁρᾷς αὐτὸν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ἱσπανίας τρέχοντα. εἰ δὲ εἷς τοσοῦτον μέρος τῆς οἰκουμένης κατέλαβεν, ἐννόησον ὅσα καὶ οἱ λοιποὶ εἰργάσαντο. καὶ γὰρ καὶ ἑτέροις γράφων πάλιν ὁ Παῦλος ἔλεγε περὶ τοῦ εὐαγγελίου, ὅτι ἐστὶ καρποφορούμενον καὶ αὐξανόμενον ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν.* Subiecit: *Et prædicabitur Euangelium istud in toto mundo, in testimonium omnibus gentibus: ac tunc veniet finis,*

finis, consummationis Hierosolymorum. Quod enim ita *deserit, & ante euersionem Hierosolymorum Euangelium sit prædicatum, audi Paulum dicentem: In totam terram exiuit sonus eorum: & rursus: Euangely prædicati in vniuersa creatura quæ est sub cælo. Quia vides eum ex Hierusalem in Hispaniam currentem. Quod si vnus tantam partem orbis occupauit, reputato quid cæteri fecerunt. Imò & ad alios scribens rursus Paulus dicebat de Euangelio; fructum ferre, & augescere in vniuersa creatura quæ est sub cælo.* Contra Iudæos, libro tertio [illegible] *Si enim inducta essent hæc mala, cùm radices egit, & per omnes mundi partes plantata est prædicatio.* Post paulò [illegible] *Christus non tantùm descripsit vitæ formam: sed etiam vbique terrarum plantauit.* Et multis interpositis, [illegible] *Quis impostor tot Ecclesias, toto terrarum orbe parauit? Quis ab extremis ad extrema mundi cultum suum protulit: Quis omnes subtestos habuit? Idque, cùm essent innumera obstacula? Nemo sane. Ante igitur perspicuum est, Christum non esse impostorem?* Ad populum Antiochenum, homilia decima nona, [illegible] *Christi discipuli piscatores, & publicani, & tentoriorum opifices, paucis annis, totum mundum ad veritatem conuerterunt.* Chrysostomi breuiator Theophylactus subscribit, [illegible] *Et tunc veniet finis: non mundi, sed Hierusalem. Nam ante destructionem Hierusalem, prædicatum est Euangelium; sicut & Paulus dicit; Euangelij prædicati in omni creatura, quæ est sub cælo.* [illegible] *Quòd enim loquatur de fine Hierosolymorum, manifestum est, ex subiectis.* Anselmus, *Quia nouerat corda discipulorum Dominus, de excidio suæ gentis contristanda, hoc solatio releuat; vt scirent multò plures socios æterni gaudij, de toto orbe colligendos; & hoc, antequam destructio ciuitatis ueniat. Quod innuit Marcus, quia ponit primum: dicens ita, Et in omnes gentes primum oportet prædicari Euangelium. Refert etiam historia Ecclesiastica, quòd omnes Apostoli ante vastationem Iudææ, ad prædicandum Euangelium, toto orbe fuerunt dispersi.* Lyranus, *Quòd ante destructionem ciuitatis, per Titum & Vespasianum, in tribus partibus orbis, scilicet Asia, Africa, & Europa, prædicatum sit Euangelium Christi, patet.* Eadem Euthymij sententia: & Zachariæ Chrysopolitani: & Victoris Antiocheni, in decimum tertium Marci.

VI. Et sic autor Quæstionum ad Antiochum, quæ Athanasio tribuuntur, quæstione centesima trigesima sexta, hoc ipsum de prædicatione Euangelij toto orbe, numerat inter ea, quę impleta erant. [illegible] *Dixit, Cælum & terra præteribunt: at sermones mei non præteribunt. Qui sermones? attentè audiamus. Dixit de vestro templo: Amen dico vobis, non manebit lapis super lapidem; qui non destruatur. Impletus ne is sermo est, an non?* Subiicit vnum aut alterum exemplum. Deinde: [illegible] *Rursus dixit idem Dominus Iesus Christus verus Deus noster, Prædicabitur Euangelium in vniuerso mundo. Factumne id est, an non?* Autor operis imperfecti in Matthæum, homilia quadragesima nona: etsi non refertat ad bella contra Hierusalem; tamen, suis temporibus designat impletum. *Quando autem illa bella corporalia mouebantur contra Hierusalem, adhuc initiabatur Euangelium: nondum prædicatum erat in toto orbe: ante hæreses autem consummatum est Euangelium. Nam vsque ad tempus Christiani regis prædicantibus quibusdam, aut de gente in gentem notitia Christi currente, peruenit ad omnes.* Ipse Chrysostomus, homilia contra Anomœos, [illegible] *Ab illis duodecim, fuerunt centum viginti. Ab his, centum & viginti; ter mille: tum quinquies mille: post vniuersum orbem impleuerunt cognitione Dei.* Contra Iudæos primo, [illegible] *Duodecim erant Apostoli, & vniuersum mundum allexerunt.* Gregorius Nyssenus, contra Eunomium primo, [illegible] *Qui ab initio oculati testes & ministri sermonis fuerunt, & qui post illos terrarum orbem Euangelica doctrina compleuerunt.* Denique, ne omnes colligam; Hieronymus, etsi censeat esse signum Dominici aduentus; tamen, *aut iam completum* (loquit) *aut in breui cernimus esse complendum. Non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et quanquam non habuerit Christi prædicatorem: tamen ex vicinis nationibus, opinionem fidei non potest ignorare.*

VII. His Veteribus, adde recentiorem, atque adeò Papistam, Iansenium; qui concordiæ, capite centesimo vigesimo secundo, cùm eorum sententiam retulisset, qui occasione horum verborum putant Christum loquutum, de fine mundi: eo quòd nondum est Euangelium vbiq; terrarum prædicatū: *His non obstantibus, magis videtur cum Chrysostomo intelligendum istud impletum temporibus Apostolorum fuisse, sicut & omnia præcedentia: Et quod dicitur de consummatione, accipiendum non de consummatione generali, sed de fine gentis Iudaicæ, vrbisque ac templi:* Et additis rationibus ex ipso contextu petitis; docet impletum hoc ipsum vaticinium, ante euersionem Hierusalem.

VIII. Cùm igitur, & ex serie contextus, & ex aliis Scripturæ locis, & ipsa experientia, & tot testibus, perspicuum sit, illam prædicationem, & pertinere ad præcedentia excidium Hierosolymitanum, & impletam esse; non est, quod nos moueant Papistæ, hoc argumento, quominus credamus Antichristum venisse.

IX. Nec Bellarmini rationes, contrà sunt efficaces. Prima erat: quia aduentus Antichristi impediturus est omnia exercitia publica pietatis. At huius rationis vis aliqua esse possit, si quis doceat eam prædicationem futuram post Antichristum: aut etiam cum Antichristo, aut saltem immediatè, ante Antichristum: quod nos negamus, & Patres, vt vidimus, negant: concedimus autem præcessurum esse Antichristum: sed multo tempore: nimirum, quia eundem debeat etiam præcedere destructio Hierosolymæ; quæ ipsa sequuta est eam prædicationem. Ergo aduersus nos ea ratio est inutilis.

X. Secunda ratio ab Hilarij, Cyrilli, Theodoreti, Damasceni autoritate. At de Hilario, mentitur: is enim disertè eam prædicationem præmittit excidio Hierosolymitano, vt audiuimus. Reliqui, primò

pauciores sunt præ iis, quos citauimus: itaque meritò à nobis plurium sententia præfertur. Secundò, textus ipse contra eos paucos, non est obscurus. Denique, ij ipsi tantùm docent eam prædicationem præcessurum Antichristum: at non docent, nondum esse impletam, qui tamen nodus est quæstionis.

XI. Tertia ratio erat, ab illa maxima, & noua tribulatione, qualis nec antea fuit, nec postea erit: quam Augustinus docet futuram sub Antichristo: At reliqui eãdẽ interpretãtur de excidio Hierosolymitano, nõ autem de Antichristo. Chrysostomus, ὁρᾷς ὅτι πρὸς Ἰουδαίους ὁ λόγος αὐτῷ, καὶ περὶ τῶν συμβαινόντων αὐτοῖς κακῶν διαλέγεται; οὐ γὰρ δὴ οἱ ἀπόστολοι ἔμελλον σάββατον τηρεῖν, ἢ ἐκεῖ εἶναι, ἡνίκα Οὐεσπασιανὸς ταῦτα ἔπραξε. καὶ γὰρ ἐτελεύτησαν προαπελθόντες οἱ πλείους· εἰ δὲ τις ἀπελείφθη, ἐν ἄλλοις τῆς οἰκουμένης διέτριβε μέρεσι τότε. *Vides' ad Iudæos ipsi esse sermonẽ, & de calamitatibus illis impendẽtibus disserere? Nec enim Apostoli obseruaturi erant Sabbatum: aut iis locis futuri, tum quũ Vespasianus ea patraret: plerique enim mortui fuere: & si qui superstes, in aliis erat orbis partibus.* Et Zacharias, & Victor; & alij: Imò ne ipse quidem Augustinus, quicquam contra. Tantùm enim octauo capite libri vigesimi de Ciuitate, alludit ad illa verba, *refrigescet charitas, & abundabit iniquitas*: sed locum ex professo neque citat, neque explicat.

XII. Non esse autem impletam prædicationem Bellarminus probabat, primò ex Origene homilia vigesima octaua in Matthæum: negante suo tempore fuisse adhuc vbique prædicatum Euangelium: ex Ruffino, testante libro primo historię, capite nono, tempore Constantini Imperatoris, Indis vlterioribus prædicatum fuisse Euangelium. Ex Augustino, qui epistola octogesima dicit experientia certissima se comperisse suo tempore adhuc fuisse multas gentes, quæ nihil de Christo audierant. Ex conuersione Vandalorum, Polonorum, Morauorum, quos constat non audiuisse prædicationem Euangelij, nisi post annum octingentesimũ: ex Bernardo, qui testatur adhuc suo tempore fuisse Gentes, quę non audiuerant Euangelium, libro tertio de Consideratione. Denique ex regionibus vastissimis nuper in Oriente, & Occidente repertis, in quibus nulla exstet Euangelij memoria.

XIII. Respondeo, primùm; esse in verbis Christi Synecdochen. Iansenius Concordiæ capite centesimo vigesimo secundo. *Quod si quis obiiciat multas adhuc fuisse terras & gentes, in quibus Euangelium non fuerat prædicatum: is scire debet multa in Scripturis dici per Synecdochen.* Paulò post. *Certè quo schemate diuus Paulus suo adhuc tempore prædicatum in toto mundo dicit Euangelium: eodem & hic rectè intelligitur Dominum illud prædixisse futurũ ante vastationem & finem Hierusalem.* Maldonatus non Synecdochen, sed hyperbolen dixit. *Vera ista sunt*: nempe multas fuisse gentes, quæ nondum Euangelium acceperant. *Sed facilè à multis respondetur hyperbolicam esse diui Pauli correctionem, qua dicit Euangelium in toto orbe prædicatum; quia in plerisque locis prædicatum erat: eodémque modo Christum hoc loco loquutum esse. Nam quum Hierosolyma vastata est, vix vlla erat regio, ex iis quæ ad illud vsque tempus repertæ fuerant, vbi Euangelium non insonuisset.*

XIV. Deinde, respondeo πᾶσαν τὴν οἰκουμένην significare non absolutè vniuersum orbem terrarum; sed eam partem orbis, quæ tum temporis erat cognita, & habitata. Strabo libro primo, καλοῦμεν γὰρ οἰκουμένην ἣν οἰκοῦμεν, καὶ γνωρίζομεν vocamus οἰκουμένην, *eam quam habitamus & cognitam habemus*. Et cósentit vsus, tũ Scripturæ, tũ aliorum. Polybius libro tertio. Ῥωμαῖοι πᾶσαν ὑπεποιήσαντο τὴν οἰκουμένην ὑπήκοον αὐτοῖς, *Romani vniuersum orbem imperio suo subiecerũt*. Legatione vicesima quarta, ἡ τύχη παρέδωκεν αὐτοῖς τὴν τῆς οἰκουμένης ἀρχὴν καὶ δυναστείαν, *Iam illis Romanis fortuna Imperium & dominatum orbis terrarum tradidit*. Lucæ 2. ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, *vt describeretur tota terra*. Actorum vndecimo, ἐσήμανε λιμὸν μέγαν μέλλειν ἔσεσθαι ἐφ᾽ ὅλην τὴν οἰκουμένην: *significauit famem magnã futuram in toto terrarum orbe*. Alexãder Monachus de Inuentione Crucis apud Græcorum, tomo secundo, τῶν τυράννων ἐκποδὼν γενομένων, καὶ μονοκράτορος γενομένου τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου ἐν βασιλείᾳ, εἰρήνη ἐπεκράτει ἡ οἰκουμένη. *Tyrannis de medio sublatis, solóque Constantino Magno iam rerum potiente, profunda statim pace atque otio vniuersus orbis frui cœpit*. Et rursus, τάραχος οὐκ ὀλίγος ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ ὤρθωτο, *ortúsq; est per vniuersum mundum, tumultus non minimus*. Andreas Cretensis, de exaltatione Crucis. σταυροῦ πανήγυριν ἄγομεν, καὶ χαρᾶς μαρμαρυγαῖς τὰ τῆς οἰκουμένης καταλάμπεται πέρατα. *Crucis festum celebramus & lætitiæ splendore orbis fines refulget*. Ideóque in Apologia secunda Athanasij, de Arsenio ab Arianis occultato sic legis: καὶ εἰ οἷόν τε ἦν εἰς ἄλλην οἰκουμένην ἂν μετετέθειντο, *Et si fieri potuisset, in alium orbem detulissent*.

XV. Id ita quum sit, nihil est in Christi verbis difficile. Nam verè iampridem Euangelium prædicatum est in vniuerso orbe. Quod testatur Paulus ad Colossenses primo, *Audistis per sermonem veritatis, Euangelij: quod peruenit ad vos sicut & in totum mundum*. Quid tum enim, si nuper inuentę terrarũ plagę non erant vsæ tanto beneficio? Non enim pertinent ad τὴν οἰκουμένην, de qua Christus loquebatur. Quamquam ne id quidẽ nisi ex coniectura dicitur: & quidem ridicula. Nulla (inquit) in iis exstat Euangelij memoria: nulla vel in Scripturis, vestigia. Nam si inde concludas necessariò, nunquam ad eos Euangelium peruenisse: similiter etiam inferas eodem nunquam peruenisse Adami posteritatem: quod est absurdissimum. Et tamen tradũt qui eò accessere, nõ nihil ab iis narrari de quodam barbato, qui multis antè lunæ reuolutionibus ad eos accedẽs nonnihil prædicarit non alienum ab eis quæ audiebant à nostris. Id enim testatur Lerius αὐτόπτης.

XVI. De iis verò, quos Origenes, Rufinus, Augustinus testãtur suis tẽporib. nõdũ audisse Christianitatis verbũ; primũ dico, nõ intelligẽdũ Matthęi locũ de singulis gentibus, multísq; exceptis. Id enim vsus fert, vt totũ mundũ nominemus; pro maxima parte. Et sanè quũ Lucas dixit descriptã πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, certũ est tamẽ neque Indos illos Rufini, neque Vãdalos, Polonos, Morauos in eo fuisse numero: vpote nõ subditos iugo Aug. Cesaris: nec minus tamen πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. Quid? q; Hieronymus, atq; alij, illã prędicationẽ latè accipiũt: nõ tantũ pro Pastorũ laborib. sed etiã pro auditione famę? Quod si est: quis verisimiliter neget, aut Indos illos: quos Parthiæ pximos, Rufin' obseruat, in quã pfectũ esse Thomã tradũt historię: nihil inaudisse de Christo à vicinis? Aut Polonos, Vandalos, Morauos, à Germanis?

XVII. Verũ instat Bellarmin. sine dubio, nõ per figurã, sed propriè, & simpliciter, in toto mũdo; id est, in omni gẽte prędicari debere Euangeliũ, & Ecclesias cõstitui: & probat ab autoritate Augustini, epistola 80. & Origenis, ac Hilarij, in eũ locũ Matthęi. Secundò; quia Christus dicat prædicationẽ in vniuerso mũdo esse signũ cõsummationis seculi: quod nihil valeret, si per Synecdochen esset intelligendum. Tertiò, quia omnes gentes sunt Christo promissæ: & ipse generaliter pro omnibus mortuus est: igitur

igitur prædicatio debet esse generalis. Quartò; dicitur Euangelium prædicandum in testimonium omnibus gentibus; id est, ne vlla gens in die iudicij possit excusare infidelitatem suam prætextu ignorãtiæ.

XVIII. Ad Patres quod attinet: quidam inuiti citantur testes: Nam Augustinus non ita exposuit ea verba, quomodo Bellarminus, non, inquam, docuit intelligenda absque synecdochæ tropo: tantùm eadem Christi verba repetit, Epistola 78. *Opportunitas illius temporis profectò non erit, antequam prædicetur Euangelium in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus.* Et octogesima, *Nescio vtrum inueniri aliquid certius in hac quæstione possemus, quàm illud quod in epistola priore iam posui, quando Euangelio mundus vniuersus impleatur.* Hilarius tantùm, *Per omnes partes viris Apostolicis dispersis, Euangelij veritas prædicabitur:* quod quidem nihil habet disertius, quàm πάσιν ὁ οἰκουμένῃ. Solus Origenes, *Tunc autem prædicabitur, vt omnis gens Euangelicam audiat prædicationem, & nemo derelinquatur, qui nõ audiuit.* At Origeni cur non opponã multo plures, qui, quum hunc locum intellexerint de præcedentibus excidium Hierosolymitanum, necessariò coguntur intelligere per tropum?

XIX. In secunda ratione sumitur falsum: Christus enim non dixit prædicationem illam esse signum consummationis seculi. Matthæi verba sunt, ἢ τότε ἥξει τὸ τέλος; *Et tunc veniet finis.* Et id Chrysostomus, aliíque à nobis antè citati, intelligunt de excidio Hierosolymitano. Sed neque, hoc concesso, consequentia est necessaria: Cur enim, non esset, & vtile, & efficax signum, quum prędicatũ erit Euangelium in maxima orbis parte?

XX. In tertia; rursus consequentia non est necessaria. Nam Psalmum septuagesimum secundum, quis docebit ad literam implendum in hoc mundo ? Et si mortuus est pro omnibus, cur potius inde concludas quicquam de singulis gentibus absque exceptione; quàm de singulis hominibus? Denique, nihil hoc ad locum Matthæi: quem euicimus pertinere ad excidium Hierosolymitanum. Etsi autem omnes gentes debeãt seruire Christo; & Christus mortuus sit pro omnibus; tamen non erat necesse Euangelium prædicari omnibus gentibus, ante excidium Hierosolymitanum. Itaque non necessariò concluditur, πάσαν οἰκουμένην intelligendam absque tropo: eámve Christi prophetiam non fuisse impletam.

XXI. In quarta ratione; oportet necessariò supponere hoc axioma, Quisquis non audiuit prædicatum Euangelium, potest prætextu ignorantiæ excusare infidelitatem suam. Quod si est, quid ergo fiet illis Indis, qui ante Constantini tempora perierunt? Quid Polonis, Morauis, Vandalis, ante illam conuersionem? Itaque, dicẽdum potius in testimonium omnibus gentibus immensæ Dei bonitatis: quod quidem certissimum erit, etiã eis quibus nunquam fuerit prædicatum. Quamquam ne hæc quidem sunt ad rem: vt enim concedamus prædicandum Euangelium toto orbe, absque tropo, ante cõsummationem seculi: non tamen sequitur prædicandum ante exortum Antichristi: nec sequitur hanc prædicationẽ, de qua Christus loquitur, nõ esse impletã: nec sequitur Antichristũ nondũ venisse.

CAP. IV.

De Romani Imperij desolatione.

I. Secundum Argumentum est, Desolatio omnimoda Romani Imperij: Sanderus: Oportet vt Imperium Romanum de medio fiat, antequam Antichristus reueletur. At hodie Romanum Imperium nõn est adhuc è medio sublatum: nondum igitur reuelatus est Antichristus: nedum Pontifex Romanus poterit Antichristus esse. In quo argumento nos quidem primam propositionem negare non possumus: quam etiam pro argumento posuimus libri præcedentis capite secundo. Atque adeò ita est: etiam si ex Paulo necesse sit Antichristi mysterium agi cœptum stante, florentéque Imperio Romano: tamen eiusdem Antichristi reuelationem idem status florentis Imperij remorabatur: vt non tantùm ex Paulo colligitur, sed etiam ex Ioanne demonstratur: & à Patribus confirmatur. Itaque nihil opus erat Bellarmino, aut Sandero, aut Scioppio, de hac propositione disputare prolixiùs.

II. Quid igitur? Nempe in assumptionẽ tota versabitur cõtrouersia. Et quidem de medio sublatum esse Imperium iam à nobis demonstratum. At Papistæ nunc contrà disputant: statuentes intelligi debere omnimodam desolationem; id est, cui neque res, neque rei nomen sit superstes; adeò vt nemo, non tantùm sit, sed ne nominetur quidem Imperator Romanus. Hoc Bellarminus probat; quia Romanum Imperium diuidẽdum sit in decem Reges, quorum nullus erit vel dicetur Rex Romanorum: etsi omnes occupent prouincias aliquas Romani Imperij. Ita docere Irenæum libro quinto ex Danielis capite secundo, & septimo: atque ex Apocalypsis capitẽ decimo quinto.

III. Nam Danielem describere successionẽ præcipuorũ regnorum, vsq; ad finem mundi, per statuam cuius caput aureum, sit primũ regnum Assyriorum: pectus argenteum, regnum secundum Persarum: Venter æneus, regnum tertium Græcorum: tibiæ ferreæ, regnum quartum, diuisissimè bipertitum. Ex iis tibiis oriri decem digitos, in eisque statuam desinere: hos digitos significare decem reges, in quos id Imperium diuidendum esset. Eorum autem nullum aut esse, aut dici Regem Romanorum; quomodo nullus digitus, aut est, aut dicitur tibia. Rursus Daniel eadem quatuor regna designat per quatuor bestias: ex quarum quarta prodeunt decem cornua; quæ eosdem vltimos decem Reges significant, orientes quidem ex Romano Imperio: Sed non Imperatores; quia cornua non sunt ipsa bestia.

IV. Ioannem verò describere bestiam cum septẽ capitibus, & decẽ cornibus, super qua sedebat mulier. Explicare autem mulierem vrbem magnam super collibus septem, nempe Romam: capita, totidẽ montes, totidémque Reges; id est, omnes Imperatores Romanos. Cornua, totidem Reges, simul regnaturos, & odio habituros mulierem; id est, vrbem, eámque desolaturos: vnde constat non fore Romanos Reges.

V. His statutis; negat Bellarminus eam prophetiam esse impletam, quia maneat successio & nomen Imperatorum Romanorum: mirabilique prouidentia Dei deficiente Imperio in Occidente, manserit incolume in Oriente: & quia hoc ipsum per Turcas erat destruendum, erectum est in Occidente Imperium per Carolum Magnum, durátque hactenus. Hoc probatur primò, quia hac sola de caussa Imperator, præcedit omnes Christianos Reges, etiam maiores & potentiores. Secundò, quia constat Carolum Magnum creatum Imperatorem consentientibus Romanis; & à Græco Imperatore per Legatos Imperatorem salutatũ,

Deniq; in Germania sūt Electores Romani Imperatoris.

VI. Hæc Papistæ. Sed contrà. Primò negatur in Scripturis prædici hanc omnimodam Imperij destructionem, quæ non tantùm rem ipsam euertat: sed ne nomen quidem relinquat. Et contrà patet exemplo: quia à Daniele prædicebatur tollendum Imperium Persicum; cuius tamen fuit semper nomen non paruum, ad hæc vsque tempora. Tum nemo id Patrum dixit hactenus: atque adeò nemo eorum quos Bellarminus citat autores. Irenæus enim tantùm *de decem regibus in quos diuidetur, quod nunc regnat Imperium*, capite vigesimo sexto libri quinti. Cyrillus Catechesi decimaquinta: *Veniet prædictus Antichristus, quum impleta fuerint tēpora Romani Imperij.* Chrysostomus in secundum posteriorus ad Corinthios. *Quando è medio sublatum fuerit Imperium Romanum.* Denique omnes, de desolatione loquuntur: sed omnimodam illam desolationem ignorant.

VII. In Daniele variè peccat Sophista. Primò, quòd tibias duas dicat significare diuisionē Romani Imperij in Occidentale, & Orientale. Atqui non quadrat allegoria: nā si ita esset, quia venter tribuitur Græcis, & ventrem statim excipiunt crura bina; ergo Imperium Romanum statim ab initio diuisum esset in duo: quod est falsum. Ea enim diuisio cœpit demum in Carolo Magno anno post Christum octingentesimo. Ad hæc decem illi digiti nusquam à Propheta numerantur: sed tantùm digiti nominātur. Imò tibię vnà cū pedibus, & digitis sumuntur pro vno eodémque regno; sic disertissimè interpretante Daniele; partim robusto, partim infirmo.

VIII. Præterea, à Daniele describi successionē præcipuorū regnorū vsq; ad finē mundi: non est certū, nō est verisimile. Nā statua illa significat potius successionem regnorū vsque ad Christi primum aduētum: videlicet, Babylonici, Persici, Græci: quibus tribus successerunt duo, nimirum Seleucidarum & Ptolomæorum instar crurum. Nullum autem in ijs locum esse Romano Imperio, validissimum argumentum est; quod illa statua dicatur comminuta à lapide exciso sine manibus, qui abiit in magnum montem. Hic lapis nihil aliud est, quàm Christus: itaque eius aduentu primò oportet ea omnia regna quæ repræsentabantur in statua, fuisse excisa. Quod de Romano falsum esse quis non videt? Nam primò annis circiter trecentis durauit Romanum Imperium Ethnicum, vsque ad Constantinum: deinde in Constantino tantum fuit, quantum nunquam, aut antea, aut post, vt videatur, Christus non tantùm non excidisse, sed potius confirmasse Romanum Imperium. Secundò, constat potius ruinam eius Imperij præcessuram aduentum Antichristi: Ergo non Christi. Itaq; Danielis ista statua nō potest intelligi de Imperio Romano, de q; eius destructione.

IX. Denique, etsi concedamus ita significari diuisionem Imperij; quid est tamen, quod cogat fateri, ne nomen quidem retinendum? Quod ipsum in Apocalypsi valet. Ac sanè Feuardentius in illum locum Irenęi, scribit, eam distractionem iampridem euenisse. *Dissipationem vnius Imperij Romani in decem regna, per decem articulos pedum statuæ, decémque cornua bestiæ significata, aduentum Christi præuenturam, post Irenæum ex Daniele, & Apocalypsi colligit Theodoretus: &, vt Hieronymus fatetur, omnes Scriptores Ecclesiastici. Quæ sint autem illa haud difficile deprehendent, qui historias Romanorum à temporibus Arcadij, Honorij, & Theodosij, ad hanc vsque ætatem percurrerint. Ab illis enim secutis cōperient in Europa Hispanos, Gallos, Anglos, Germanos: in Africa Carthaginenses, Numidas, Aegyptios: in Asia, Syros, Armenos, aliósque multos, varijs licet modis Romani imperij iugum excussisse. Atque etiam nunc in sola Europa conspicimus, Poloniam, Sueciam, Norvegiam, Daciā, Britanniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Siciliam, Hungariam, decem clarissima & potētissima regna ab Imperij Romani obedientia ita se subduxisse. imò & illud attriuisse, vt vix quoddam illius inane supersit simulacrum.*

X. Si igitur iā facta dissipatio est: & remanet tamen Imperij nomen: Ergo Bellarminū fefellit coniectura, asserentē ne nomen quidē futurū superstes. Et sanè, Daniel quatuor Monarchias describēs capite septimo, tertiam, nempe Macedonicā descripsit, proposito animali cui essēt quatuor capita: Et octauo capite; hirco, cui agnato cornu magno suffecta sūt quatuor. Ita significabatur finis eius Monarchię: quam exceperūt reges quatuor, in quibus erat Philippus Andæus, Rex Macedonum, iteruato nomine quo insignis erat Alexander. Nec obstat Ioannes. Nam quos reges asserit odio habituros mulierē: eosdem docet potestatem suam bestię tradituros: Itaq; necessariò distinguenda tempora: vt primò quidem subiiciant sese Antichristo: deinde autem insurgant aduersus eum: nimirū, tum quum erit destruendus. Quanquam odio habere mulierē, & comedere carnes eius; non significat necessariò vrbem desolare; nam, mulier illa, etsi sit in vrbe: tamen non est vrbs ipsa. Denique, quid hoc est: destruēt Romam: Ergo non erunt reges Romani? Nam regem Romanum Bellarminus intelligit nomine tenus. An igitur docet, neminem Regem nomine tenus Romanum, odio habere posse Romam? Atqui iam sæpius Roma vi capta est ab Regibus, nomine tenus Romanis: & nouissimè à Carolo quinto. Ergo non est absurdū, eundem esse Regem nomine tenus Romanū, & tamē odio habere Romā: imò eius carnes comedere.

XI. Secundò, dicimus eam Prophetiam de Imperij Romani desolatione esse impletam. Nec est quod dicat Bellarminus, nos in eo decipi, quòd putemus inclinationem sufficere: nam desolationē dicimus: hoc est, asserimus planè, penitúsque extinctū esse Romanum Imperium. Primò, quia omnes prouinciæ defecerunt ab eo: quomodo extincta erat Alexandri Monarchia; quāuis superstite regno Macedonico. Secundò, quia Romanum Imperium reuera nullum est. Nam quum Roma iampridē nulla pars sit vllius Imperij: illud inane simulacrū Imperij quod Feuardentius residuū esse dicebat, non magis ad Romam pertinet, quàm ad Constantinopolim, aut Alexandriam: imò non magis, quàm ad Macedonium, aut Babylonem,

XII. Nam nomen, quid moramur? Quasi non nominibus nimium lasciuivariè ludant mortales. Sertorius in vltima Lusitania, [illegible] Pompeius, Romā Cęsari relicta, nihil erat tamen Romani nominis, quod non vsurparet. Quid? quod inter Christianos audimus, reges Cypri: reges Hierusalem? Tanta est ambitionis pertinacia: vt pro rebus, quum res non dātur, amet somnia: & cum Ixione, pro Iunone, nubes amplexetur. Certè enim qui hodie rex Cypri dicitur, nō eò dicitur, quòd sit: sed quod fuerit: & multo magis, quòd fuisse doleat. Omninò ita est. Romanū Imperiū ij sibi vendicāt hodie, qui meminerunt olim ad se delati: iique eius postea erepti, vel solum nomē conseruant: si qua spes olim recuperandi. Ne illi nimis quàm seriò insaniunt, qui Deum suo modulo

dulo metiuntur: & æternæ sapientiæ oracula, ex humanæ ἀλαζονείας stultitia interpretantur. Prædixit Deus quid esset futurum. Nos quid sit factum decet attendere: non quid homunculi dicant φαντασιῶντες, καὶ στοχαζόμενοι, καὶ μαντευόμενοι.

XIII. Instauratum esse in Occidente Imperium à Carolo magno, potest concedi. Nam ei tum Romæ, tum tota Italia fuit obnoxia; eiúsque successoribus nonnullis: quanquam eadem analogia, quis dicat à Turca instauratum Constantinopoli Orientale Imperium. Sed deinceps tamen maxima facta mutatio. Nam qui Imperatores toti Italiæ leges dabant; postea tota pulsi Italia: ne minimum quidem oppidulum in ea possident. Tum autem, qui maiestatem suam etiam Pontificibus verendam, imò tremendam retinebant, eò deuenerunt, vt Pontificum pedibus colla subiiciant: nec nisi eius nutu sese Imperatores dicât. Itaque tam ineptum à Carolo magno, ad postremos Imperatores argumentum: quàm à Constantino magno ad Ioannem Palæologum, qui Synodo Ferrariensi interfuit.

XIV. Nam quod negant quicquam momenti esse in eo, quòd Roma ceciderit, Imperiúmque amiserit, quis concedat? Quanquam non tantùm illa Imperium amisit, quod factum erat iam olim sub Cæsaribus: postea etiam multo magis sub Carolo magno: sed etiam ipsa amissa est ab Imperio: non minus quàm Lutetia, Venetiæ, Neapolis, aliæ plurimæ. Itaq; non magis Imperium Germanicum, quantumcunque hodie superest, Romanum appellari potest, quàm Neapolitanum, aut Parisinum, aut quid simile.

XV. Atqui, inquiunt, Valens, Arcadius, Theodosius iunior, eorúmve successores ad Iustinianũ vsq;, Roma caruerunt omnes. Et fuere tamen Imperatores Romani. Itaque, vt sit aliquis Imperator Romanus etiamsi Roma careat: sufficit dum succedat alteri Romano Imperatori in eadem dignitate, & potestate, siue plures, siue pauciores prouincias sub Imperio suo habeat.

XVI. Respondeo, aut ignorari aut dissimulari historiam eorum temporum. Valentinianus electus Imperator, triginta post diebus fratrem Valentẽ socium sibi adiunxit Imperij. Distribuentibus inter se prouincias, Occidens Valentiniano, Valenti Oriens obtigit. Ille moriens Gratianum, & Valentinianum filios itidem instituit, durante prouinciarum distributione. Gratianus, mortuo Valente, Theodosiũ adsciscit. Et hic mortuo Gratiano, in Occidentem profectus est vlturus Gratiani cædem: Romámque ingressus triumphans, Rempublicam constituit. Denique moriens, Arcadium, atque Honorium filios, nondum adultos, Imperatores reliquit, tutorésque addidit Ruffinum, & Stiliconem, distribuens etiam prouincias, vt prius, Honorio Occidentalem, Arcadio Orientalem. Similiter Arcadius filium Theodosium iuniorem heredem relinquens: Roma interea à Barbaris capta: quam denique Bellisarius, deinde Narses Iustiniano restituunt.

XVII. His ita repertis ex historiarum serie facilè est Bellarmini instantiam soluere. Quos enim ille nominauit, re vera Imperatores fuere Romani, tantùm dispertitis prouinciis: id est, eius Imperij κατανομῇ, cuius sedes propria erat vrbs Roma. Habuisse ius imperij in ipsam vrbem, apparet ex Theodosio, qui quum esset Imperator in Oriente, Romam venit, Romæ plurima constituit. Hoc verò quàm alienum exemplum est à têporibus postea consequutis? Nam sic Imperatores dicuntur Romani, vt tamen ad eos, neq; facto, neque iure Roma pertineat. Quum autẽ à Gottis Roma capta est, occupatio fuit violenta, cui sese interea Imperatores opponebant, quantũ patiebatur status rerũ: & perfecerũt deniq;, vt ad se rediret. Itaq; quemadmodũ aut olim Carolus Septimus, occupata ab Anglis: aut nuper Henricus quartus ab Hispanis Lutetia; nõ desierũt esse veri reges Francorum, nec desiit eorum iuris esse Lutetia: sic ne illi quidem desierunt esse Romani Imperatores. At longè alia iampridem ratio, vt dixi. Itaque nullus iam Romanus Imperator.

XVIII. Quod autem de successione dicunt, quale est? Aut illud potius de eadẽ potestate, & dignitate, quomodo intelligũt? Nã si ad literã eadem est potestas, & dignitas, quomodo in Constantino, & filiis: quomodo in iam nominatis Valẽtiniano, & Valẽte: Gratiano & Theodosio: fatebimur. At quis ausit asserere eandẽ esse potestatẽ, autoritatémq; Imperatoribus iampridem multis, cum eorũ prędecessoribus? Quòd si non est eadem: ergo frustra Bellarminus sophisticatur. Quòd si eandem intelligat, tantũ nominis ratione habita; negamus satis esse. Nã nec si hodie nescio quis prædecessoribus suis succedat in titulũ Regis Cypri; ideò verũ esse illũ Regem Cypri: similiter negamus Rudolphũ esse verè Imperatorẽ Romanum, etsi iis se dicat succedere, qui verè erant Imperatores Romani. Multò ij verius succedunt qui rem habent sine nomine.

XIX. Nam de honore Imperatori delato ab aliis regibus, quid dicam? Huccine sufficere, vt Imperium ipsum stare dicamus? Minimè verò. Nõ enim is erat honor Romani Imperatoris, vt ei reges deferrẽt primã sedẽ: vt ei assurgerent: sed vt vel omnino nulli essent, vt in Hispania, Gallia, Anglia: vel si essent, vt in Ægypto, & Iudæa, suũ sceptrũ submitterẽt. Nam sic verè Imperator Romanus. Hoc autẽ qui nunc restat honore, tantũ primus regũ. Regum dico, nõ frustra. Nã etsi id moris est, vt nomina distinguamus Imperatorũ & Regũ: tamẽ res nõ sunt propterea diuersæ. Itaque Imperator ille Romanorum verè Rex: quomodo etiã Græci τὸ βασιλεία dicebant: Hebræi מלך nec poterant aliter: etiam eius Imperium apud Danielem prædicitur nomine מלכות. Itaque non est vnicus Imperator, vt olim: sed Regũ vnus, eorũ scilicet in quos diuidendum erat Romanum Imperium, siue decẽ præcisè numeres: siue numerum certũ pro incerto ponas, quod videtur longè certissimũ. Nã sanè dissipatum est Imperium iampridem, quod omnes fatentur. Itaque, vel falsi arguendę prophetię, vel concedendum non exactè hærendum numero.

XX. Præterea illud obseruandũ valde, quod notat Bellarminus: Imperatori primas deferri etiam à regibus, qui sunt eo maiores, & potentiores. Nã id sufficit ad illustranda Pauli verba: *Qui tenet, teneat.* Obseruabat enim Chrysostomus, neminẽ facilè subditum iri Antichristo, quãdiu duraret terror Imperij. Nõ ergo nomen nudum tenebat. At, vnde terror, nisi quia omniũ potẽtissimus, omniũ maximus esset Imperator? Ergo quũ cœpit esse minor, quũ cœpit esse infirmior aliis, tũ terror abiit. Atq; inde locus Antichristo. Quod si historia non comprobet reipsa euenisse, nihil est quod deprecemur. Certè ab Imperatore Græco numquam subduxit sese Episcopus Romanus, donec in Occidente Gallos vidit, quos ei opponeret. Cedrenus, in Leone Iconomacho. ἐν τῷ [illegible] Ῥώμης Γρηγόριος [illegible] αὐτῷ, καὶ Πά[illegible] τοῦ [illegible], ὃν διὰ τὰ ὑπ' αὐτοῦ [illegible], Διάκονος [illegible] ἦν [illegible] διὰ τοὺς [illegible]

[illegible] *Romæ Gregorius Apostolicus vir, & in eadem sedens sede cum Petro principe, quique ob suas lucubrationes Dialogus est appellatus: is, inquam, sanctus vir, ob Leonis scelera, desciuit, & pacto cum Francusclo, tributa denegauit, Anastasiumque & socios anathemate percussit.* A Launis autem Imperatoribus, quomodo? Krantzius Metropolis libro quinto, capite primo. *Quum virtus in Imperio elanguit, ausi sunt Pontifices eos contemnere.* Loquitur de Adriano tertio, qui primus sanciuit, ne in Pontifice creando exspectaretur Imperatoris consensus: Imperabat autem Carolus Crassus. Nec postea Gregorius septimus ausus esset contra Imperatorem insurgere, nisi fretus Saxonibus.

XXI. Quæ supersunt, sunt ridicula. Carolus Magnus, inquit, creatus est Imperator Romanus: & ita salutatus ab Imperatore Græco. Quasi id non pertineret ad Imperij dissipationem. Quasi non Carolus vsus sit Imperio tum in ipsa vrbe, tum in tota Italia. Quasi idem nunc sit rerum status, qui erat sub Carolo. Rursus in Germania, inquit, Electores sunt Imperij Romani. Ita sanè: sed eius quod dicitur: non verò, quod est Imperium Romanum. Itaque nihil obstat, quominus desolatum sit Imperium Romanum; ac proinde tempus impletum reuelationis Antichristi.

CAP. V.

De Henoc & Helia.

I. TErtium argumentum ab aduentu Henoc & Heliæ. Si Antichristus est reuelatus, ergo Henoc & Helias venerunt. At non venerunt. Ergo Antichristus non est reuelatus. Probatur consequentia. Quia illi adhuc viuunt, vt venienti Antichristo se opponant, & conseruent electos in fide Christi, & tandem Iudæos conuertant. Malachiæ quarto. Ecclesiastici quadragesimo octauo: & quadragesimo quarto. Matthæi decimo septimo. Apocalypsis vndecimo. Testantur idipsum Patres. De Helia quidem Hilarius, Hieronymus, Origenes, Chrysostomus, alij, in Matthæi decimum septimum. De vtroque Beda, Richardus, Aretas in Apocalypsin. Damascenus libri quarti capite vigesimo octauo. Hippolytus de mundi consummatione: Gregorius libro vigesimo primo moralium, capite trigesimo sexto. Et libro nono, capite quarto: Augustinus libri nono de Genesi ad literam capite sexto. Ratione etiam confirmatur. Quia alioquin non potest reddi ratio, cur ij duo rapti fuerint ante mortem; viuántque adhuc in carne mortali, aliquando morituri.

II. Respondeo: aduentum illum Henoci & Heliæ temporibus Antichristi, meram esse fabulam: multis quidem & magnis viris persuasam: sed fabulã tamen. Argumentum certissimum, quia nulli Scripturæ loci de eo aduentu loquuntur. Itaque, quum quid id sibi persuaserunt, manifestum sit abuti Scriptura, non potest non esse inane, quicquid ita diuinarunt: quantumcunque eorum nomen sit. Agam priùs de Ecclesiastico, tum de reliquis locis.

III. Ergo ex Ecclesiastici capite quadragesimo quarto. *Henoc placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det Gentibus pœnitentiam.* Ex 48. de Helia. *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorũ igneorũ. Qui inscriptus es in iudicijs temporũ, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.*

IV. Ex huius quidem libri leuior autoritas, quippe extra Canonem; quam vt ex eo quicquam cõfirmari possit [illegible]. Sed tamen, Græcè habetaliter, quàm Latinè. [illegible] *Enoch placuit Domino, & translatus est, exemplum pœnitentiæ generationibus.* In vertẽdo præter quàm quod additum est *in paradisum*, peccata fuerunt duo magna. Primum [illegible], *vt det pœnitentiam.* Nam quid significat dare pœnitentiam? aut quis ita loquutus vnquam autor fuit? Sed [illegible] *exemplum pœnitentiæ* fac [illegible] intel[illegible], interprete Iansenio, *vt scilicet ex eius translatione omnes intelligerent Deo curæ esse, qui illi student placere, etiam ipsi à mala sua vita conuertantur, & pœnitentiam agant. Deo se commendare studentes.* Vel etiam aliter: *quòd cum viueret, erat omnibus exemplum pœnitentiæ: nimirum, quia sua sancta vita hominibus sui seculi docebat pœnitentiam, & ad eam trahebat.* Pererius in Genesis caput quintum. *Videtur esse lectionis Græcæ sententia, Deum idcirco transtulisse Henoc virum sanctissimum, vt eo intelligeretur viros innocentes & pios cordi & curæ esse Deo, & improbi tam mirabili exemplo permouerentur ad pœnitentiam agendam: vel significatur Henoc esse translatum, quia dum viueret, omnibus erat eximium pœnitentiæ exemplum.* Atqui hoc ad Antichristum cur pertinet magis, quam ad omnem humanæ vitæ cursum? Alterum peccatum, [illegible], *populis.* Atqui generationes significantur: & hæ significant humani generis longam ætatem. At si venturus est Enoch contra Antichristum, tum non poterit dici dare pœnitentiam; multo minus exemplum esse pœnitentiæ generationibus. Sed tantùm vni generationi. Iidem, qui venturum volunt, docent prædicaturum duntaxat annos tres cum dimidio. Manifestum est autoris mentem fuisse, exemplum Enochi profuturum ad pœnitentiam futuris post eum generationibus. Addiderunt interpretes tertium peccatum: Nam, quum autor senserit translatum, vt esset exemplum pœnitentiæ: hoc est, vt eius siue vita translacta, siue post eam vitam ipsa translatio: vel denique, vt ipse sic translatus, sit exemplum pœnitentiæ: isti sic interpretati sunt, vt pœnitentiam referrent ad alterum magnatum aduentum: hoc est, non translatum crediderunt, vt sic translatus esset exemplum pœnitentiæ: sed vt ab ea translatione deductus iterum in terras, prædicaret pœnitentiam. Mera [illegible].

V. In altero loco ex capite quadragesimo octauo; cùm Græcè tum Latinè locus est perplexissimus. [illegible] *Qui descriptus es correptionibus in tempora, ad leniendam iram iudicij domini ad furorem.* Sic ad verbum. Vulgatus interpres. *Qui inscriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini.* Enimuerò quid est [illegible]? Quid, *inscriptus in iudicijs temporum?* Aut cur [illegible], redditur, *inscriptus in iudicijs?* Quodnam adferre potest idioma? Oedipus diuinet. Iansenius legit [illegible]: Vnde? non enim indicauit. Quanquam nihilo clarior sensus. Sed *lenire iracundiam Domini*, quomodo ad tempora pertinet Antichristi? Denique ex obscurissimo, perplexissimo, apocrypho loco, quænam esse potest Demonstratio?

VI. Ex Malachiæ quarto. *Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & conuertet corda patrum ad filios: & corda filiorum ad patres eorum.*

VII. Re-

VII. Respondeo, Malachiam nihil prædicere de Antichristo, nihil de ipso Elia Thesbita: sed de Christo, & Ioanne Baptista eius præcursore. Probatur ex Lucæ primo. *Ipse præcedet in conspectu eius, cum spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam iustorum.* Probatur etiam manifestius ex Matthæi decimo septimo. *Interrogarunt eum discipuli sui, dicentes: Quid igitur Scribæ dicunt, oportere vt Elias primùm veniat? Iesus autem respondens dixit eis, Elias quidem veniet primùm, & restituet omnia. Sed dico vobis Eliam iam venisse: quem non agnouerunt: sed fecerunt ei quæcunque voluerunt.* Et Matthæi vndecimo. *Et si vultis recipere, ipse est Helias ille, qui venturus erat.* Itaque, teste Domino nostro Iesu Christo, tenemus iampridem illam Malachiæ prophetiam de aduentu Heliæ esse impletam. Nos autem, qui sumus, qui opponamus nos Christo? Imò qui sunt Papistę, qui meliùs intelligant prophetias?

VIII. Instat Bellarminus. Et primò negat posse intelligi Malachiam nisi de secundo aduentu Domini. Dixit enim, *Ante quàm veniat dies Domini, magnus, & horribilis.* Primus autem aduentus vocatur potius tempus acceptabile, & dies salutis. Et subdit, *Ne fortè veniens, feriam terram anathemate*; id est, ne veniens ad iudicium, & inueniens omnes iniquos, omnem terram condemnem; ideo mittam Heliam, vt habeam aliquos, quos saluem. Atqui in primo aduentu, Dominus non venit iudicare, sed iudicari. Secundò, ad verba Domini respondet, eum dicere, *Elias venturus est*, quum tamen Ioannes iam venisset: itaque Dominum loqui de vero Helia, non de Ioanne. Cæterùm Ioannem fuisse Heliam, non ad literam, sed allegoricè. Ideóque dictum, *Si vultis eum recipere*: id est, Helias quidem in sua persona promissus venturus est in vltimo aduentu: tamen, si vultis etiã aliquem Heliam in primo aduentu, Ioannẽ recipite. Et addit, *Qui habet aures audiendi, audiat*: indicans mysterium fuisse, quod dixerat Ioannẽ fuisse Heliam.

IX. At hæc frustra. Nã quod ad diem attinet, Malachias dixit לפני בוא יום יהוה הגדול הנורא Quæ constructio ambigua est. Potest enim verti: *antequam veniat dies Domini magni, & terribilis.* Et sic Chaldæus paraphrastes. *Deinde* הנורא non significat propriè *horribilem*: sed *timendum*. Timor autem vel est à terrore, vel à reuerentia. Sic Geneseos 28. quum Iacobo in somnis Deus apparuisset, expergefactus dixit, מה-נורא המקום הזה Et vertit quidẽ Latinus interpres, *Quàm terribilis locus iste*: Verùm quis non videt, sensum alium nullum esse, nisi eũ locum reuerendũ ob diuinæ præsentiæ signa? Et Ezechielis primo. כעין הקרח הנורא *Sicut aspectus crystalli terribilis.* Ergo ne hic quidem necessariò terror ille intelligẽdus, quem scimus fore in postremo aduentu Christi. Ad hæc, quis nescit hunc ipsum prophetam initio 3. capitis loqui de priore aduẽtu Christi? Et tamen, *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: Et quis poterit cogitare diẽ aduẽtus eius? Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans.* Hæc verba terrorem significant. Erit igitur aliquis terror in primo aduentu Domini: cur non igitur dici queat terribilis?

X. Nec sequentia sunt difficiliora. *Ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Quæ verba nihil prohibet intelligi de die iudicij. Quid enim? nónne scimus Christi priorem aduentum eum finem habere, vt ne in secundo vniuersa terra percutiatur anathemate? Primum autem aduentum non tantùm præcedere debuit Ioannes, sed etiam iter pręparare, atque adeò inchoare opus illud recõciliationis Dei cum hominibus in Christo. Rectè igitur Ioannes dici potuit conuertisse homines, ne in die iudicij omnes damnarentur. Nec tamen sequitur, Ioannem, siue Heliam, venturum paucis diebus ante eum diem.

XI. Iam in Christi verbis, quàm sophistica pertinacia est? Primò enim illa diserta sunt: αὐτός ἐστιν Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι. *Ipse est Helias ille qui venturus erat*: nempe addito articulo; vt significaret, se de eo loqui, quẽ Iudæi ex Malachiæ prophetia, venturum exspectabant. Quid clarius? Tum: *Elias quidem veniet, sed dico vobis Heliam venisse.* Quorsum oppositio: Ἠλίας μὲν, λέγω δὲ? Aut quis nescit ea significari, verè didicisse Iudæos ex Malachia Heliam venturum: sed perperam exspectari eum qui iam venerat?

XII. Nam quid tum, si dixit, *Helias quidem venturus est*? Imò Græcè; ὁ μέλλων ἔρχεσθαι: quam hic Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον. Quid habet, quęso, subtilissimus Sophista, quo concludat, illo vndecimo capite intelligendum Heliam, qui nondum venisset, sed adhuc exspectandus esset venturus ad diem iudicij? Et sanè concedit ea verba esse de Helia, qui iam venerat, id est, de Ioanne Baptista. Aut ergo dissimilitudinem proferat: aut si intelligat in priore, *Qui venturus est*, de eo qui iam venerat: patiatur Catholicos in posteriore intelligere. *Venturus est*, de eodem qui iam venerat. Maximè quum similia suppetant exempla. Matthæi secundo, Herodes, conuocatis principibus sacerdotum, percontatus est, ποῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται, eadem prorsus phrasi, id est, verbo præsenti pro re præterita. Latinus vertit, *Vbi Christus nasceretur*: æquè potuit, *vbi Christus nasciturus esset*.

XIII. Ioannem fuisse Heliam allegoricè, nõ ad literam, quomodo dictum? Nam dupliciter potuit. Primò ad literam, id est, ex proprio genuinóque sensu Malachiæ: secundò ad literam, id est, ex propria, primáque & genuina significatione, ipsius nominis Heliæ. Nam hoc quidem sensu, fatemur Ioannem esse Heliam allegoricè: sed vicissim asserimus, priori sensu Ioannem esse Heliam ad literam: id est, non illum quidem Heliam, qui Thesbites fuit, habuítque successorem Elisæum: sed illum tamen ipsum Heliam, de quo Malachias loquebatur. At Bellarminus intelligens Ioannem esse priori modo Heliam non ad literam: & prophetam loquutum esse de Helia secundo modo, apud cordatos πολὺ γέλωτα ὀφλισκάνει. Quia igitur Ioannes non erat Helias ad literam secundo modo, quæ tamen erat halucinatio Scribarum, ideo opportunè Christus monuit, *Qui habet aures ad audiendum, audiat.*

XIV. Superest Apocalypsis, capite vndecimo: *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* Et post iidem dicuntur ab Antichristo interficiendi, eorúmque corpora per tres dies mansura insepulta in platea Hierusalem: iidem post tres dies resurrecturi, & in cœlum ascensuri.

XV. Respondeo, ne hic quidem agi quicquam de Henocho & Helia. Nam primò, ne nomen quidem exprimitur. Secundò, nulla circumstantia indicatur, quæ iis conueniat, eorúmve vitæ. Tertiò, ad Hebræos vndecimo, dicitur πίστει Ἐνὼχ μετετέθη, τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον. *Enoch fide translatus est, ne videret mortem*, hoc est, ne moreretur. Atqui à Ioanne dicuntur hi duo testes occidendi: ergo neuter eo-

nus, necdum mortem gustasse, Henuchum candidatum æternitatis. Epiphanius, ambos permanere in corpore & anima propter spem: Hieronymus, Henochum translatum in carne: Heliam carneum raptum in cœlos: necdum mortuos, & Paradisi colonos. At rursus morituros ea verba non significant. Itaque ratio nulla est.

Cap. VI.

De persecutione Antichristiana.

I. Qvartum argumentum à persecutione, quã suscitaturus est Antechristus: Hanc fore grauissimam & notissimam, ita vt cessent omnes publicæ religionis cerimoniæ, & sacrificia, cartum esse. Futuram grauissimam ex Matthæi vigesimo quarto, *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque erit*. Apocalypsis vigesimo, legimus tunc Satanam soluendum, qui ad id vsque temporis fuerat ligatus. De quo loco Augustinus de Ciuitate Dei libri vigesimo, capitibus octauo & nono disserens, dicit, Antechristi tempore Diabolum soluendum: proinde tanto futuram illam persecutionem grauiorem, quanto crudelius potest sæuire Diabolus solutus, quàm ligatus. Hippolytus oratione de mundi consummatione, & Cyrillus Catechesi 15. dicunt Martyres tum futuros illustriores omnibus præteritis: quia contra ipsum Diabolum personaliter grassantem pugnabunt. At nihil tale adhuc accidit.

II. Notissimam & manifestissimam ex Augustini capite vndecimo libri vigesimi de Ciuitate Dei, ex Apocalypsis vigesimo, *& cinxerunt castra Sanctorũ, & dilectam ciuitatem*: quibus significatur omnes impios simul futuros in exercitu Antichristi, & aperto marte oppugnaturos omnem Sanctorum Ecclesiam. *Tunc erumpent omnes in apertam persequutionem ex latebris odiorum*. At id nondum impletum.

III. De cessatione publicarum ceremoniarum propter atrocitatem persecutionis, scripsisse Danielem capite duodecimo. *A tempore quum ablatum fuerit iuge sacrificium dies mille ducenti nonaginta*. Vbi omnium consensu loquitur de tempore Antichristi, & exponũt Irenæus, Hieronymus, Theodoretus, Hippolytus, Primasius, Antichristũ interdicturũ omnem diuinum cultum, qui in Ecclesiis Christianis exercetur, præsertim sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium. At id nondum impletum est.

IV. Respondeo, primo ad locos citatos: deinde ad argumentum. Ille ex Matthæi vigesimo quarto non pertinet ad Antichristum. Primò, quia Antichristi persecutio futura est postrema, ipsis confitentibus Papistis. At illa, de qua loquitur Christus non est futura postrema. Probatur, quia Christus dixit eam futuram talem, non tantùm qualis nulla fuerit ante eam, sed qualis nulla futura sit postea. Ridiculè, si omnino nulla esset futura. Secundò, *Orate*, inquit Christus, *ne fuga vestra fiat hyeme*. Ergo de breui quadam persecutione loquitur, quæ potest intra tẽpus absolui breuius anno, nimirum in quo non cõprehendatur hyems. At persequutio Antichristi lõgè erit prolixior: & saltem confitentibus papistis triũ annorum cum dimidio, vbi necessario tres erunt aut quatuor hyemes. Denique ex totius contextus serie apparet loqui Christum de excidio Hierosolymitano. Chrysostomus, [illegible Greek] *Videri sermonem illi esse ad Iudæos*: Et paulo post: [illegible Greek] *Erit enim talis tribulatio, qualis numquam fuit, aut futura est. Ac ne putet quisquam verba fidem excessisse: qui legens Iosephi libros, discat huius dicti veritatem*. Lucas Brugensis, *Erit in Ierusalem & vniuersa Iudæa, idque certo certius*. Et post, *Credo cum aliis absolutè veram esse Christi sententiam, intellectam de particularibus gentium ac regionum tribulationibus; nullam vnquam regionem, nullam gentem passam fuisse aut passuram tantam tribulationem, cladem, & calamitatem, quantam gens & natio Iudæorum*.

V. Locus autem Apocalypsis longè difficillimus est. Describitur enim Satanas ligatus in annos mille, vt postea solueretur ad tempus breue. *Deinde*, inquit Ioannes, *vidi sedes, & sederũt super eas, & iudicium datum est eis: & animas eorum, qui securi percussi sunt propter testimonium Iesu, & propter sermonẽ Dei, quique non adorarunt bestiam, neque imaginem eius, neque acceperunt characterem eius in frontibus suis, aut in manibus: vixéreque & regnabunt cum Christo mille annis*. Et paulò post: *Quum verò expleti fuerint mille anni, soluetur Satanas è carcere suo*. Hæc, aut omnes, aut plerique omnes ita explicarunt, vt intellexerint damnationem Satanæ tum factam quum Christus venit in mundum. Mille autem annos vniuersum tẽpus à Christo ad Antichristi aduentum, quo tempore soluendus sit Satanas: & videtur Bellarminus consentire. Sed hoc si ita est: quomodo, ante illam solutionem Satanæ visæ sunt animæ martyrum, qui non adorauerant bestiam, neque acceperant eius signum aut in frontibus, aut in manibus: martyrum, inquam, qui debebant, cum Christo regnare annis illis mille, quibus completis soluendus erat Satanas? Nam ego quidem videre non possum, quĩnã ista cohæreãt. Neque nodum explicant, sed dissimulant potius, Andreas, Aretas, Primasius, Haimo, reliqui.

VI. Locus etiam Danielis, ad literã si sumatur, valdè alienus est ab Antichristo: est enim propheria de Antiocho Epiphane, & Ecclesia Iudæorum: quæ ab illo crudelissimè vexata, coactáque est omittere iuge sacrificium. Itaque, si applicatur ad Antichristi tempora; omnino discedendum à litera; & mysticus sensus amplectendus.

VII. Nunc ad argumentum. Concedimus persequutionẽ sub Antichristo prædici & vehementissimam, & manifestissimã. Sed nihil huiusmodi accidisse, constanter negamus: nec sperabamus hoc, sole lucẽte, quenquã futurũ, qui assereret. Nã cõtra nullum vnquã fuit tempus, quo tam diu, támq; crudeliter sæuitum sit ob solam religionis caussam; quã ab annis, imò seculis multis. Et obseruant, qui historias legũt iã inde ab Hildebrando, id est, Gregorio septimo, numquã nõ sanguine Christiano distillasse manus Põtificum. Nã atrocissima illa bella inter Papas & Imperatores, gesta sunt prætextu pietatis: &, vt loquebantur, extirpandæ hæresis Simoniacæ: quũ ne fando quidẽ auditũ esset vnquã antea hæreses apertis bellis esse, aut prohibitas, aut prohibendas. Deinceps autẽ domitis Imperatoribus, quũ ventũ esset ad culmẽ tyrannidis Antichristianę, suscitauit variis tẽporibus Deus varios heroas qui bestiã mũdo indicarent: Valdẽses primò, inde Vuiclefum, tũ Hussum, deniq; Lutherũ, & qui aut cũ eo, aut post eum fuêre: Atque hæc fuit apta materia Papæ, sæuiendi. Nónne enim classicum quacumque auditum in Albigenses? Ioannes Hus, Hieronymus Pragensis,

quid non sunt passi? In eos autem quos modò Lutheranos, modò Zuinglianos, modò Caluinistas, modò Huguenotos vocitarunt, quæ non sunt tentata crudelitatis immanis genera? Et neget aliquis hanc esse persecutionem? & persecutionem vehementissimam? & persecutionem apertissimam?

VIII. At, quæ comparatio (inquit Bellarminus) cũ persequutione Neronis? & dissimilitudinẽ duob⁹ cõcipit capitibus. Primum caput, Numerus. Nã pro vno qui cõburitur, mille olim Christiani interficiebãtur: idque in toto orbe Romano: non in vna tantùm prouincia. Damasus obseruauit in vita Marcellini, supra septendecim millia Christianorum à Diocletiano interfecta: Eusebius, adeò fuisse carceres martyribus plenos, vt non relinqueretur locus facinorosis. Alterum caput, Supplicia. Nunc, inquit, summa pœna est comburi hominem: tum verò incredibilia & diuersissima tormentorum genera exercebantur.

IX. Respondeo: nullam re vera comparationem esse, inter Ethnicorum persecutiones, & Papisticas: Nam has illis esse longè superiores. Primò enim Ethnicæ erant tantùm corporales: at hæ vexant in primis animas; in quas longè tristior est carnificina. Secundò, illæ breuiores fuerunt: annorum trecentum: hæ diuturniores, annorum iam sexcentum: Tertiò, illæ, cruciatuum genere, molliores: illæ immaniores.

X. At numerus impar. Falsum. Septendecim millia vno die martyrum olim fuisse sub Diocletiano cæsa retulit, tanquam aliquid magnum. At nostro tempore in Gallia vna. Nam illa septendecim millia fuere ex vniuerso Imperio Romano. Sed in vnica Gallia anno septuagesimo secundo decimi septimi seculi cæsa sunt, hominum cuiusuis ætatis, vtriusque sexus, intra paucissimos dies, triginta millia. Et si res gestas altius repetamus; ipse; ipse, inquã, Bellarminus libri de Notis Ecclesiæ capite postremo, narrat vno die cæsa fuisse Albigensium centum millia. Exclamem cum illo, Quæ comparatio Rursus nostra ætate, solenne fuit Ducis Albani, Belgium administrantis nomine Regio, apophthegma; paucis annis à se per carnificem perempta animarum millia triginta sex.

XI. Saltem supplicia olim duriora. Et hoc itidem falsum. Ethnicorum vsitatissima supplicia, cruces, gladius, lapicidinæ, catasta. At Papistæ à crucibus abstinuere illi quidem: sed ignes adhibuere: gladios strinxere: triremes armauere: Quid vndas dicam, & laqueos? Etiam viuentes fœminæ defossæ sunt: multi inedia consumpti. Quid carceris pedorem loquar? Et sunt ista sanè etiam Ethnicis communia. At certè lentos ignes Papistæ habuerunt eximios: quibus vix comparem nocturnas faces Ethnicorum. Et quo loco recensent Hispanicam Inquisitionem; cuius nomen solum vix audiri potest absque horrore? Denique, quid promiscuas cædes censemus? Vidit-ne vnquam antiquitas Christiani sanguinis riuos fluentes? At nostra videre tempora. Quod si hęc ipsa suis circumstantiis vestire velim; quis non toto corpore cohorresceret? Et Ethnici seueriores? duriores? crudeliores? Non fuere: non fuere.

XII. Acumen Sanderi. At Papa hæc non facit: sed ciuilis magistratus. Nam Ioannem Hus, & Hieronymum Pragensem, tũ Papa, tũ Concilium, brachio seculari tradidit. Et Papa vitę ac necis potestatẽ non habet in eos, qui extra eius territorium degunt.

XIII. O scelus! non sæuiunt tantùm: sed etiam insultant. Sed, quid si Æsupicum tubicinem obiiciã? Non interterat lanienę Parisinę Papa: at idem lætos ignes, eius lanienæ caussa, vidit; lætus non Romæ tantùm; sed etiam in Vaticano: & processioni interfuit. Ab eòque missus Fabius Vrsinus Cardinalis legatus, qui Lugduni, Bordonũ lanienę antesignanum palam laudauit; & potestatis plenitudine gratis beneficio impertiuit; regisque in ea laniena prudentiam, patientiam, animi magnitudinem, publicè & priuatim apud omnes, etiam cũ verborum delectu commendauit. Quid plura? Hunc tam fœdum, tam immanem casum Pontifex ipse in sacri sui magistratus auspiciis maximè, inter prospera ducebat; teste Thuano historiarum libro quinquagesimo quarto. Hunc excuset absentia? Anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, scimus non interfuisse bellis nostris ciuilibus: sed eundem scimus eadem bella pace composita, tam ægrè tulisse, vt vix à rege nostro Anathemate feriendo abstinuerit in prælatos Gallicos, & Nauarræam reginam ita exonerata. Et hunc negemus facere, quæ & facta gaudet, & infecta dolet? Præterea, quis nescit hæc omnia facta, sollicitantibus, hortantibúsque Ecclesiasticis, quos vocant? Quis nescit Episcopos Auenionẽsem, Arelatensem, Aquẽsem, reliquos vicinos, & sępius consultasse, & tandem etiam pecunias suppeditasse, vt cædem Merindolensium, & Caprarensium promouerent? Quis nescit instigatum à Papa Carolum quintum in Protestantes: etiam adiutum copiis Italis? Quas etiam ciuilibus nostris tumultibus interfuisse, quis ignorat? Copias, inquam, missas à Papa? Et nihil horum facit Papa? Et nihil hęc crudelitatis ignominia ad eum pertinet?

XIV. Pergamus ad alia. Ad Antichristi persecutionem referunt cessationem cultus diuini. Nec ægrè nobis faciunt, si modò verè cultus intelligatur. Nam omnem omnino cultum diuinum tollendum: vt neque verè, neque fictè Deus colatur, neque ipsi, opinor, Papistę contendant: neque vllus erit vincat. Dicimus ergo hoc ipsum contigisse; vt sub Papæ tyrannide verus Dei cultus cessarit. Nullum enim cultum Papa tolerat pręter suum: totum conflatum ex superstitione, & idololatria: quas nunquam Deus agnouit, aut approbauit. Itaque negamus in Papistica religione Deum verè coli. Et quia non colitur Deus nisi verè: Ergo negamus Deũ coli. Et sanè, quis non nouit, maximam Romani cultus partem referri ad creaturas? Angelos, puta, Sanctos, reliquias. Hic autem cultus vt vigeat, prohibent alios omnes. Imò non omnes. Nam Iudęi in medio Papatu liberè blasphemant: sed solum eum, qui conformatus est ad Scripturæ pręscriptum, primæque Ecclesiæ exemplum. Ita bello mi in Germania motum à Carolo quinto, vt nullibi liceret Protestantibus sua sacra exercere. Ita in Belgio. Et in Gallia, quoties bellum indicebatur Catholicis, toties exterminatæ sacræ conciones, sacræque preces. Et hodie, etiam compositis rebus, aliquot duntaxat locis libertas est: Lutetiæ, Lugduni, Tholosæ, multisque aliis vrbibus, si vel Psalmus decantatus est, vel preces conceptę, carceribus nihil certius. In Hispania, in Italia, quis locus est vero Dei cultui? Ergo hoc etiam argumento Papa est Antichristus.

XV. Verùm duo huius cultus prohibiti præcipua capita obseruamus, Baptismi, & Eucharistiæ prohibitionem. Quanquam Bellarminus so-

iam

iam Euchari[illegible]iam notat. At Sanderus demonstratione trigesima quinta, *Ad persecutionem Antichristi, inquit, hoc vel maximè pertinet, vt non patiatur Baptismum Christi, vel paruulis, vel adultis administrari.* Vnde hoc habet? Quia Hippolytus putat, Antichristi sigillum tale fore, vt quisque cogatur dicere, Nego Baptismum. Et Augustinus de Ciuitate Dei libro vigesimo, capite octauo, manifestissimè significet, Antichristum omni studio curaturum, vt Baptismus Christi nullis omnino detur. At id non facit Papa: Ergo non est Antichristus.

XVI. Atqui Hippolytus autor est nihili: qui postquam magno hiatu pollicitus est se nulla mysteria à Daniele dicta celaturum eos, qui mente sana erunt præditi, meris diuinationibus, imò absurdissimis fabulis suos illos, sana mente præditos, scilicet, pascit ac delectat. Antichristum futurum ipsissimum Diabolū, &, vt loquitur, in propria persona, assumpturum carnem ex Christi æmulatione, nasciturū ex virgine, quanquam falsò nimirum assumpta, non vera, sed phantastica carne. Futurum initio humanū, & religiosum; donec à Iudæis in regem eligatur: tum etiam proditurum seipsum. Venturum non Henochum tantùm & Heliam, sed etiam Ioannem Baptistam, & alia eiusmodi: quæ Margarinum subinde coëgerunt ad marginem cautelas addere. Hos autores sanè habeat Sanderus in deliciis. Catholici irrideant. Et tamen hoc ipsum de sigillo, diuinando eloquitur, *At dicemus fortasse scripturam illius sigilli esse [illegible], id est, nego.* Et postea, *Nego creatōrem cœli & terræ, nego baptisma, nego adorationem à me Deo præstari solitam, tibi adhæresco, in te credo.* Ita ea fortuita opinione, Sanderus nouas demonstrationes conficere: Neque Augustinus securius loquitur, *Potius est credendum quod tam fortes erunt & parentes pro baptizandis paruulis suis, & hi qui tunc primitus credituri sunt, vt illum fortem vincant etiam non ligatum.* Potius, inquit, credendum: ergo quum variæ proponerentur sententiæ, hanc ille potius elegit. Sed an ea demonstratio est? Quanquam ignoscendum bonis olim viris; qui longè remoti ab Antichristi temporibus, non poterant in rem ipsam digitum ferre: nec præuidebant immanem baptismi adulterationem; quæ ipsum non tollit quidem, sed tamen adeò immutat; vt omnium minimè in baptismo, baptismus appareat.

XVII. Sed in Eucharistiæ Sacrificio consentiunt omnes Papistæ; magnásque tragœdias excitant. Eucharistiam esse sacrificium nouum Euangelij. Antichristum autem sublaturum iuge sacrificium. Ergo sublaturum Sacrificium Eucharistiæ. Nihil solidi. Certum est, Eucharistiam esse sacrificium Euangelij: at non propriè dictum, sed metaphoricè. Nam sacrificium externū propriè dictum, omnino nullum habent Christiani. Itaque non magis Eucharistia ab Antichristo extinguenda, quàm aliæ partes diuini cultus. Imò verius Antichristum præcipuè laboraturum in tollēdo vero sacrificio Christiano, nimirum interno: quo ablato, quid sunt, aut quam vim habent externæ cæremoniæ? Deinde dico ab Papa sublatum esse Eucharisticum sacrificium. Quia funditus apud Papistas Eucharistiæ Sacramentum periit: substituta in eius locum Missarum fœdissima nundinatione, quæ præter sola verba, nihil Eucharistiæ retinuit: Qua de re aliàs, Deo dante, sumus disputaturi.

Cap. VII.

De duratione Antichristi.

I. SEquuntur argumenta quintum, & sextum; quorum, quum sit vnum, idémque fundamentum, duratio Antichristi, vna etiam eadémque fidelia debét dealbari. Supponitur ergo primò, Antichristum regnaturum duntaxat annos tres cum dimidio. Secundò, statim post eos tres annos, pauculis interiectis diebus, Christum venturum ad iudicium: atque ita futuram mundi consummationem. At Papam regnasse iam annos mille sexcentos, atque eo amplius. Necdum tamen venisse sæculi consummationem. Ergo Papam concludunt non esse Antichristum.

II. Primum colligunt ex septimo & duodecimo Danielis, & Apocalypsis duodecimo: vbi legimus duraturum Antichristi regnum per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, annum, duos annos, & semi annum, siue menses quadraginta duos, siue dies mille ducentos sexaginta. Deinde probant ex Patribus, quorum ea communis sententia. Et quia Apocalypsis duodecimo & vigesimo, dicitur Antichristi soluti tempus fore breuissimum. Et quia, nisi illa persecutio esset breuissima, multi perirent, qui non sunt perituri, teste Augustino, & Gregorio. Et quia, Christus tribus annis duntaxat cum dimidio prædicauit: ergo decet non diutius Antichristum regnare.

III. Secundum verò inde concludunt, quia aduentus Antichristi futurus sit paulo ante finem mūdi. Et quia Daniel capite septimo dicitur, post Antichristum, statim futurum iudicium: itémque Apocalypsis vigesimo. Item Matthæi vigesimo quarto, *Prædicabitur Euangelium in vniuerso mundo, & tunc erit consummatio.* Item, *Statim post tribulationem illorum dierum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & tunc apparebit signum Filij hominis.* Secundo secundæ ad Thessalonicenses, *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Et secundo primæ Ioannis, *Filioli, nouissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus quia nouissima hora est.* Denique idipsum probant ex communi consensu Patrum.

IV. Respondeo, primum de Papæ duratione sumi falsum. Non enim regnauit Episcopus Romanus annos mille sexcentos. Nam sic regnasset iam inde ab initio Christianitatis; quod est falsissimum: quum vniuersalis Episcopus inter Christianos nullus auditus sit, multis post Christum seculis: qua de re multa disputata sunt in præcedentibus libris. Sed ita solent Papistæ sumere pro certis, quæ sunt maximè controuersa? Sic libet in re seria nugas agere: imò sic libet in religionis negotio orbi illudere.

V. De Antichristo, respondeo nihil certius esse, quàm eum abolendum illustri Christi aduentu. Docet enim Paulus, *Quem*, inquit, *Dominus conficiet, spiritu oris sui: & illustri aduentu suo abolebit.* Quibus verbis putamus duos gradus distingui destructionis Antichristi: nimirum inchoatæ, & perfectæ. Hæc tum erit demum, quum Dominus illustris apparebit, nempe secundò, & ad orbem vniuersum iudicandum. Illa autem hanc præcedet, quum verbo

eius, id est spiritu oris, ita cōficietur Antichristus, vt A sentire incipiat vim illam infinitam eius, à quo tandem abolendus est. Itaque seriò gaudemus, quum non nostris tantùm temporibus, concessum à Deo est, vim illius spiritus videre: sed etiam nobis concessum illius esse spiritus administris. Quis enim nō videt, quantam Papæ plagam inflixerit verbum Dei prædicatum? Quot gentes ab eo se subduxerint? quam aliæ discessionem meditentur? Denique quis non videt, nusquam Papæ suam autoritatem constare, nisi mera defensam tyrannide? Nam quātumuis laborent prædicationibus, confessionibus, B fictis miraculis, tum alij, tum omnium nequissimi Iesuitæ: tamen in Hispania, in Italia, quæ solæ prouinciæ residuæ sūt [illegible], nisi horror Inquisitionis obstaret, iampridem omnes veram profiterentur religionem. Et sentiunt tamen ne ipsam quidem Inquisitionem obstare, quominus multi & anhelent ad Euangelium, & mintentur aliquid non satis gratum Pontifici. Tu incœpisti, Domine, opus tuum: tu C perfice. Et tuos exaudi, tam ardenter optantes postremum illum diem, quandoquidem & periit Romanum Imperium, & reuelatus est Antichristus; quàm olim vehementer precabantur pro mora finis, vt & diutissimum esset Imperium Romanum, & serò veniret Antichristus, Ναὶ ἔρχου, Κύριε Ἰησοῦ.

VI. Sed de temporibus, vel potius temporum calculo, respondemus, non esse nostrum nosse tempora, & repetimus, quod iam diximus. Prophetias ante euentum esse obscurissimas, neque à quoquam D intelligi, nisi Propheta, hoc est, per reuelationem extraordinariam. Itaque quum Antichristi finis nōdum venerit, ideóque prophetia de eius duratione nondum sit impleta: nihil mirum, si annorum computatio nondum sit perspicua: remaneántque in eo argumento gryphi, quibus soluendis non Oedipo opus sit, sed Daniele, sed Euangelista Ioanne. Expectet potius Ecclesia, possidens animum suum in patientia, donec, impletis omnibus, patefiant quæ nunc ignoramus. Et discant Papistæ se neque Prophetas esse, neque filios prophetarum: ac proinde E suas nobis coniecturas ne pro oraculis vendítent.

VII. Ioannis admonitionem toto pectore amplectimur. Mouebat enim ille iam tum suos, vt cogitarent nouissimam horam esse, quum auditum est Antichristum venturum: Hoc est, post Christi primum aduentum inchoata esse postrema tempora, quibus expectanda reuelatio Antichristi, tum postea omnium instauratio. Quum ergo iam tunc hora esset nouissima, hoc est, tot ante nostra tempora se- F culis: quo iure eandem ad pauculorum dierum summam contrahat quisquam? Quanquam futurum breue tempus, nemo nostrûm negat. Sed breuitatē huiusmodi certorū cognitorūmq; dierum numero putare, solum Deum posse credimus. Matthæi verba de consummatione, post prædicatum Euangelium, antea docuimus, non pertinere, aut ad Antichristum, aut ad finem mundi. Paulus destruendum dixit Antichristum, sed neque annorum numerum, neque adeo tempus designauit, à reuelatione ad interitum.

VIII. Daniel de Antichristo propriè nihil prædixit: sed tantum sub Antiochi figura. Itaque illud de cessatione continui, propriè ad Iudæos pertinet, quorum etiam erat תמיד hoc est, iuge illud sacrificium, quod singulis diebus, & quidem bis, celebrabatur. Quódque Antiochi Epiphanis tyrannide cessauit in Iudæa prorsus, & quidem ad literam A expleto numero: vt docuit Scaliger libro sexto de Emendatione Temporum. Et sanè primi Maccabæorum, capite primo, Antiochus dicitur anno Græci Imperij centesimo quadragesimo tertio spoliasse tēplum, ablatis omnibus vasis sacrificiorū, atque post annos duos eodē misisse præfectum ærarij sui, ac tū desertum fuisse sanctuarium; nempe anno centesimo quadragesimo quinto: posteáque die decimaquinta noni mensis, cui nomen Casleu, idolum cō- B structum, prophanatúmque templum. Denique anno centesimo quadragesimo octauo describitur, capite quarto, purificatio templi, vigesima quinta mensis Casleu. Id spatium facile colligitur æquare tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, annos tres cum dimidio.

IX. Superest Apocalypsis, in qua primum, quid vetat de tribus annis & dimidio respondere, quod Andreas de annis mille? [illegible] C [illegible] *Vtrum igitur, vt iam exposuimus, an verò decies centena intelligendi sunt mille anni, an etiam pauciores, Deus nouit, qui nouit quatenus vtilem nobis patientiam, huiusque vitæ durationem decreuerit.* Certè idem prophetiæ corpus. Nec mille anni, tribus annis cum dimidio, aut contextu sunt, aut verbis obscuriores. Si ergo annorum mille putationem licet ignorare: profectò annos tres cum dimidio vix est vt intelligamus. Maxi- D mè, quum hos omnino necesse sit fateri nōdum expletos: sint autem, vt diximus, ante euentum prophetiæ obscuræ.

X. Et sanè, quid afferunt causæ, cur ad literam tres anni cum dimidio intelligantur, & non potius pro annis annorum, vt nonnulli volunt? Id est annis mille ducentis sexaginta, qui numerus est dierum alibi expressus? Nam dies pro annis propheticè computari, quis nescit? Et in hac ipsa prophetia Ioannis, nónne testes dicuntur prostaturi dies tres cum di- E midio? Adde Antichristi persecutionem debere esse generalem contra vniuersam Ecclesiam, quod ne ipsi quidem Papistæ diffitentur: tribus autem annis solis cum dimidio, per totum orbem posse subitò Antichristum dilatare sæuitiam suam, qui fit verisimile? Maximè, quum à paruis initiis ad magnum culmen progressurus sit: quod sine dubio, non annorum paucorum, sed seculorum aliquot spatium postulat. Nam neque Antiochus Antichristi typus subito in immensum creuit: nec Alexander ipse, nisi F nixus paternis & opibus & victoriis, in tantam gloriam progressus est. Monarchia autem Romana multis seculis vix tandem maxima fuit. Et verò vanitatem cogitationum papisticarum aduertite. Volunt enim à Iudæis regem eligendum: inde Ægyptū inuasurum, & Æthiopiam, & Libyam, tum conuersum in Occidentem occupaturum prouincias olim Romano Imperio subiectas. Et his tantis rebus tantulum tempus concedi? Omnino enim minimum G esse oportet. Nam priusquam iubeat cultum Dei vbique cessare, necesse erit eum vbique imperare. At non imperabit in prouinciis septem Romanis (sic Scioppius) antequam deuicerit Ægyptum, Æthiopiam, Libyam. Concilient ista si possunt. Nam cessationem iugis sacrificij volunt esse præcisè trium annorum cum dimidio. Quid ergo? iubebitne cessare sacrificia, ante quàm sit Rex? Aut igitur non cessabit sacrificium tres annos, aut vno ictu oculi, instar fulguris

guris, totum orbem occupabit. Hoc verè quis credat? Longè igitur præstat annorum calculum differre in tempus euentuum.

XI. Verùm negat Bellarminus intelligi posse annos per dies. Quia non, vt Hebdomas, sic mensis, vel annus denominatur à numero dierum. Rectè igitur dici Hebdomadem annorum: at non rectè mensem annorum, & annum annorum.

XII. At id nihil obstat. Nam quia mensis numerus est certus dierum, vndecunque nomen accipit, vt dies intelliguntur, sic etiam menses. Id enim analogia cogit. Nam si sint triginta dies, mensis vnus, & ... annus: Ergo triginta dies, annorum efficient mensem annorum. Nec alia anni ratio: neque enim in vlla nominis ratio, sed tantùm analogiæ obseruatio. Alioqui, quandoquidem diei nomen à nullo est numero, non posset dies annum significare, quod est falsum. Denique Ieremiæ vigesimo octauo, annos legimus dierum, & quidem bis: ridiculè, si anni non sunt dierum.

Cap. IIX.

De Nomine & charactere Antichristi.

I. ACcedit Bellarminus ad Nomen, & characterem Antichristi: quorum quia nondum vlla est cognitio, concludit Antichristum non venisse. Ratio consequentiæ. Nam si Antychristus venisset, atque esset Romanus Pontifex, certò constaret de nomine, déque charactere eius, à Ioanne prædicto. Siquidem omnia vaticinia, quum impleta sunt, clarissima efficiuntur. At de Nomine & charactere Antichristi adhuc maxima controuersia est. Igitur Ioannis vaticinium nondum est impletum. Antichristus nondum venit: Papa non est Antichristus. Vt autem doceat ignotari vtrumque, multas, variasque enumerat sententias, easque refutat, sed de his postea. Nunc ad argumentum.

II. Primò negatur consequentia. Occurrunt enim in Prophetiis enunciationes obscurissimæ, quæ etiam tum quum implentur, vix intelliguntur. Sic in Daniele, statua illa tam variè explicatur, quàm aliud quicquam: quam tamen oportet sortitam esse complementum suum: quandoquidem dicitur delecta à lapide, qui creuit in montem magnum: quem esse Christum nemo dubitat. Quum igitur impletum sit de Christo quod dicitur, qui possunt illa, quæ cùm præcessisse notantur, non esse completa? Et tamen, vt dixi, maximè variant doctorum sententiæ. Quid de septuaginta Hebdomadibus dicam? Nam omnino necesse est eas pertinere ad primum Christi aduentum: itaque impletas iam ante multa secula. Et tamen nondum inuentus vllus est, cuius supputationi omnes acquiescant. Non est igitur verum omnes Prophetiarum particulas post complementum dilucidè intelligi. Itaque quemadmodum inter insanos computaretur, qui ex obscuritate vel statuæ, vel hebdomadum [...] concluderet nondum venisse Christum: sic qui Antichristum neget reuelatum ob obscuritatem numeri aut characteris, næ ille meras nugas agat. Nam in Christo certissimè apparent impletæ tot aliæ circunstantiæ, quibus à Prophetis depingitur eius persona, vt tenues numerorum subtilitates nihil contra possint. Similiter in Papa docuimus certissimè apparere plerasque omnes notas. Frustra ergo in vna aut altera calumniam faciunt Papistæ.

III. Sed de Numero nominis, déque charactere disputatur propter hunc locum Ioannis decimo tertio Apocalypsis, *Et facit vt omnes paruis, & magni diuites, & pauperes: liberi, & serui, accipiant characterem in manu sua dextra, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est, Qui intelligentia præditus est, computet numerum bestiæ: numerus enim hominis est, & numerus eius, sexcenta sexaginta sex.*

IV. Qui hærent literæ, numerum nominis intelligunt summam factam ex literis alicuius nominis, pro more Hebræorum, Græcorúmque, quibus alphabeti literæ, fuerunt pro notis numerorum. Itaque laborarunt in inueniendis huiusmodi nominibus: olim Irenæus duos exhibuit, λατεῖνος, τειτάν. Alij addiderunt λαμπετὴς, ἀρνοῦμε. Præterea ὁ νικητής, κακὸς ὁδηγός, ἀληθὴς βλαβερός, πάλαι βάσκανος, ἀμνὸς ἄδικος, ... Nonnulli ἀρνοῦμαι, quo vocabulo tamen exceditur numerus; itaque apud Primasium est ἀρνούμε vocabulum nihili. Ambrosius Ansbertus Latine, *Dic lux.* Nostris temporibus studia partium, se ipsa variè exercuere. Papistæ, nugaces, Lindanus, *Martin, Lauter.* Genebrardus לולתר, ineptè vterque quasi nouum num deprauatio prophetias explicet: nã quis ille siue Lauter, siue Luter? Bellarminus רביר כיתרין: quasi Ioanni in mentem venisset in Cardinalé, siue & כיתרין qua forma, qua Analogia Chytræus est? Hebraismi ignorantia, siue iocularis peruersitas: quid enim est רביר aut quis ita appellatus? At Catholici certè ingeniosius רומיית, ἐκκλησία ἰταλικὴ, ... & fortè quædam alia.

V. Verũ hæc ratio, vt liberè dicã quod sentio, alienior videtur à Spiritu Sancto: & ad Cabalistarum somnia nimium accedens. Atque adeo aliàs aut nũquam prædixit cuiusquam nomen Deus, aut ipsissimum prædixit. Sic Cyrus, sic Ioannes. Nam quod in Sibyllinis versibus legitur Iesus designatus per octingenta octoginta octo, nugatorium est, non à Spiritu Sancto. Secundò proprium saltem nomen esse non potest vnius hominis, quandoquidem antea docuimus eos alucinari, qui indiuiduam personam existimant Antichristum. Ergo necessariò erit vel commune, vel proprium vni alicui statui. At cõmune, quo iure appelletur nomen bestiæ? Nomen status cuiuspiam, nemo adhuc protulit. Tertiò non tantùm dicitur futurus is numerus eius nominis, sed etiam prohibendi emere & vendere, quicunque nõ habebunt numerum eius nominis. Quomodo autem id intelligi possit de cabalistica illa literarum supputatione, ego quidem non video; quomodo, inquam, alij possint eius nominis eum numerum habere.

VI. Deinde, quænam supputandi ratio? Hebraicáne, an Græca, an Latina? At Latini per literas numeros non solent notare; pauculis exceptis, vt M, D, C, L, X, V, I. Ex quibus primo vix vllum nomen confici potest: imò prorsus Latinè nihil præter illud *Dic lux,* Ansberti. Quinetiam & M, & D, docti vitio factas literas docent pro CIↃ IↃ: ita supersunt duntaxat C, L, X, V, I: ex quibus nullum nomẽ. Non potest ergo Latina supputatio iniri. Græca possit aut Hebræa. Sed primùm, si datur pro nota Anti-

christi non debet esse aut incognita, aut pauculis duntaxat cognita. Nam si incognita, omnino nota non erit. Si autem pauculis cognita, vix iuuabit Ecclesiam. Erit autem pauculis saltem cognita: quia iampridem solis scholis eæ linguæ, eáque numerandi ratio cognita est. Denique, quandoquidem mutatæ sunt linguæ, adeo vt neque Hebraica, neque Latina vsquam vernacula sit; quis credat, tum quum Antichristus venturus est, eum assumpturum nomen aut Hebraicum, aut Græcum? Quod si aliud, ergo ex linguis vernaculis. At eæ nullæ numerant per literas: nisi fortè in Oriente: itaque solis Orientalibus hanc notam perspicuam fore dicendum esset: quod est absurdum.

VII. Si quid tamen in hac supputatione verisimilitudinis inest, prætulerim ego quidem λατεῖνος omnibus aliis: de quo etiam Irenæus suam sententiam protulit, *Valde verisimile est*, inquit. Nec caussæ obscuræ, non tantùm, quia (vt idem) *verissimum regnum hoc habet vocabulum*. Sed multo magis, quia Roma sedes ostenditur Antichristi. Itaque sine dubio debuit occupare Ecclesiam Latinam. Et respondet euentus. Quis enim nescit iampridem Christianos diuisos in duas classes, Græcorum, & Latinorum? Quis nescit Romanam, nunquam in Græcis numeratam? Quis nescit denique in omnibus Ecclesiis, quæ Romano Pontifici subsunt, nihil agi, quod ad religionem attinet, nisi Latinè? Itaque, si hæc literarum adnumeratio admittenda est, huic ego nomini primas deferendas censeam.

VIII. Contrà tamen Bellarminus hanc sententiam arguit esse temerariam. Rationes illi. Prima: Irenæum præferre τειτάν. Secunda: Coniecturam Irenæi tum quidem probabilem fuisse, at nūc nullam. Quia Latini non regnant amplius in toto orbe terrarum. Tertia: quia λατεῖνος perperam scribitur, pro λατῖνος. Quarta: quia nemo Romanorum pontificum id nomen habuit.

IX. At hæ nihil obstant ratiunculæ. Nam ad primam & secundam, facilè respondemus, non tā moueri debere quemquam autoritate coniecturáve Irenæi, quàm re ipsa. Rursus ad secundam, fuisse illam quidem olim coniecturam, at nunc certum argumentum: nam etsi Latini non regnent amplius, tamen olim regnarunt: & regnarunt, quo tempore Ioanni hæc reuelabantur. Itaque, quomodo dixit Antichristum sessurum in vrbe, quæ & sita erat super septem montibus, & longè latéque, imperabat, Romam significans, quæ tamen hodie non regnat, neque est super septem montibus: ita potest regnum Latinum designari ex veteri amplitudine. Deinde, quid si nullo apud nos loco sit Irenæi coniectura? Neque enim necesse est nomen Antichristi sumi ab aliquo regno, quod ille inuadat: nec id Ioannes significauit. Ad tertiam: nimirum ignorauit Bellarminus quartam vocalem, quum erat longa, & à Latinis pronunciatam sono gemino, & à Græcis repræsentatam per ει, diphthongum. Νεῖλος, Δαβεῖδος, & multa alia. Agit hac de re Lipsius in libro de pronunciatione linguæ Latinæ. Quarta autem futilis est, quandoquidem proprium vnius indiuidui nomen, iam exsibilatum sit: & constet commune, Latini, Romanum sibi vindicasse: regnat enim in Ecclesia Latina duntaxat: nihil obtinens autoritatis in Græcam, aut Syriacam.

X. De charactere facilior quæstio. Ex textu, inquit, habemus characterem vnum futurum, non multos. Ratio, quia Scriptura loquitur in numero singulari. Secundò, character ille omnibus communis erit in Antichristi regno. Tertiò, character erit eiusmodi, vt sine discrimine in manu dextera, vel in fronte geri possit. Quartò, nemo permittetur emere, & vendere, nisi characterem habeat, aut nomen, aut nominis numerum. At Papa nullum eiusmodi characterem habet. Ergo, non est Antichristus.

XI. Respondeo, in primo sumi falsum: nihil enim esse in verbis Ioannis quod cogat intelligere vnicum signum. Nec ratio concludit; loquitur in singulari: ergo vnum intelligit. Imò ne hæc quidem, loquitur de charactere in singulari, æquè ac de nomine: Ergo vt vnum erit nomen proprium, sic vnus character. Nam nec consequentia est necessaria. Etenim ipsi Papistæ, etsi videant vnam bestiam, & vnam mulierem insidentem; tamen non concludunt per vnam bestiam, vnum hominem indiuiduū significari, vt per vnā mulierē. Et falsum sumitur de nomine proprio; vt diximus. Et sanè etsi varios characteres Antichristi dicamus, nihil est in tota Ioannis propheria, quod contradicat. Haberi autem characteres varios, pro variis hominum ordinibus, quid habet absurdi? Nam & nostris Regibus vsus est. Habent suum characterem Consiliarij Parlamenti: suum item præfecti ærario: suum rursus Equites, quos ordinis appellant: suum item vulgus militum. Et hæc tamen singula, sunt characteres regij. Et huc facit, quod ita scriptum, *δώσωσιν αὐτοῖς χάραγμα*, non autem *τὸ χάραγμα*. Itaque intelligitur dandus aliquis character indefinitè, non autem definitè vnus. Nam quod postea, *εἰ μὴ ὁ ἔχων τὸ χάραγμα*, cum articulo, nihil vrget: id enim fit, quia antè id charagma erat nominatum: itaque explicandum, *nisi qui habeat illud charagma*. Vt Matthæi vigesimo secundo, *ὁ βασιλεὺς* dicitur, qui antè *βασιλεὺς* indefinitè: vt aliàs obseruauimus.

XII. In secundo, antequam quicquam concludatur, probandum erit frontem & manum ad literam dici, & non allegoricè. At Haimo, *Quid autem per dexteram manū reproborum intelligitur, nisi operatio illorum? Et quid per frontem, nisi fides exprimitur? Habent ergo characterem in dextra manu & in frontibus suis, quia vbi debuerunt habere pura opera virtutum & fidei, ibi inueniuntur maculæ criminis deturpati. In manu habent Iudaeum characterem, quia opera Diaboli faciunt: in fronte, quia in eum credunt.* Primasius, *In manu significat opera: in dextra simulationem veri: in fronte fidei professionem.* Nec alieni sunt Andreas Cæsariensis, & Aretas, & Ansbertus.

XIII. Iam verò nullum esse Papistis eiusmodi characterem, falsò sumitur: habent enim omnes propriam notam, ipsam papisticam perfidiam: tum in fronte per professionem publicam: tum in dextra per operationem. Nam & publicè profitentur verbis se esse papistas, & re ipsa exercent omnes partes eius perfidiæ. Et hæc nota omnibus communis est, tum magnis, tum paruis, tum diuitibus, tum pauperibus, tum liberis, tum seruis.

XIV. Nam, quod excipit ista signa esse ab initio in Ecclesia Christiana, falsum est. Romanæ Ecclesiæ adhærere, inquit, signum fuit, & character hominis verè Catholici. Respondeo, verum esse *κατά τι*, vt aliàs exposuimus: nimirum, sicut & aliis per orbem Christianum Catholicis Ecclesiis adhærere, signum erat catholici. Itaque Augustinus Epistola centesima sexagesima secunda, Romæ addit cæteras terras,

Quum se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, & ceteris terris, unde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum. Et huoc locum Bellarminus citabat. At hodie longè aliter: itaque Catholici se quum nominant, statim cognominant Romanos, quod olim nūquam factum. Nam, quod citat ex Victore Vticensi, *Si peremeris eum gladio, incipiunt Romani eum martyrem prædicare:* dictum est Arianis, non autem vllius Catholici. Et Arriani quidem cum Romano Imperio bellum gerentis, quod tum erat Catholicum: proindeque Catholicos appellant Romanos, non ob religionem, sed ob partes, idque ratione politica.

XV. At emunt, & vendunt in ditione Romani Pontificis, multi Iudæi, qui nullum characterem habent Papæ. Imò, inquam, ad literam impletum istud de prohibitione emptionum, venditionumque. Nam neque Iudæis permittitur patrimonium vllum acquirere sed tantùm mobilia quædam. Quanquam Antichristi nulla persequutio prædicta est in Iudæos: sed duntaxat in Christianos. Deinde in Catholicos longè omnē seueritatem excedit crudelitas. Quis enim nescit in iis regionibus, in quibus Inquisitio regnat, id est, neruus Papæ, nullum omnino aditum patere Catholicis? In reliquis autem, si quid supersit libertatis, id inuito esse Papa, eiúsque asseclis? Et quis non audiuit proscripta eorum, non bona tantùm, sed etiam corpora? Scilicet, hæc libertas appellari potest emendi, vendendique.

Cap. IX.

De generatione Antichristi.

I. DE gente & generatione Antichristi multa multi. Eas sententias Bellarminus distinguit in tres ordines: primum assignans erroneis: secundum verisimilibus: tertium veris. Erroneas quatuor enumerat. Prima est, Antichristum nasciturum ex virgine, instar Christi. Ita docere autorem opusculi de Antichristo, inter Augustini opera. Id absurdum credo omollitum ab Hippolyto, qui dixit falsò nasciturum ex virgine: licet non lego in editione Bibliothecæ Sanctorum Patrum: quanquam Bellarminus videtur legisse, falsa ex virgine. Altera: Antichristum docet esse ipsum Diabolum. Ita sensisse Hippolytum illum eundem: cuius exstat insulsissima oratio de consummatione mundi. Tertia, eum Diabolum futurum incarnatum; quam sententiam à præcedente, cur discreuerit, non assequor: neque adhuc quenquam videram, qui discerneret. Ille Hippolytus fabulatur, incarnandum κατ' δόκησιν, opinione tantùm. Quartam Neronem ipsum asseruisse esse Antichristum, & adhuc viuere, seruatique occultè eodem ætatis vigore, quo erat, quum putatus est occidi. Sed hos errores, quia ipse damnat Bellarminus, nobis indicasse satis sit.

II. Ad verisimilitudines transeamus. Duas Bellarminus numerat. Primam, Antichristum nasciturum ex muliere fornicaria: non autem ex legitimo matrimonio. Damascenus libro quarto, capite vigesimo octauo. Et nonnulli ita exceperunt, vt adderent nasciturum ex coitu Monachi, & Monachæ. Sed hanc rectè Bellarminus negat ex Scripturis ostendi: ideóque incertam. Addo etiam refutari ex eo, quòd certum sit Antichristum non futurum vnum hominem indiuiduum, vt alias docuimus.

III. Altera habet, Antichristum nasciturum ex tribu Dan. Et ita multi olim veteres sibi persuaserunt. Laudatissimi quidem Irenæus, Ambrosius, Augustinus, Prosper, Theodoretus. Inferiores, Gregorius, Beda, Rupertus, Aretas, Richardus, Anselmus, alij. Sanderus hinc construit demonstrationem suam octauam. Scioppius etiam pro indubitato ponit. Bellarminus valdè probabile dicit: & tantùm, propter tantorum Patrum autoritatem: ostendit tamen locos Scripturæ, qui in eum sensum citantur, manifestè torqueri.

IV. Denique igitur vertit se ad duo quædam axiomata certissima: vnum, Antichristum præcipuè propter Iudæos venturum, & ab eis tanquam Messiam recipiendum. Alterum, ex Gente Iudæorum nasciturum, & circumcidendum, & Sabbatum obseruaturum, saltem ad tempus. Ex his certò concludit Papam non esse Antichristum: eámque appellat demonstrationem euidentissimam: quia nullus Pontifex Romanus fuerit Iudæus, siue gente, siue religione, aliáve vllo modo. Item, quia nunquam fuerit à Iudæis pro Messia acceptus: sed contra pro hoste, & persequutore. Atque hic ridiculum quid ei excidit, incogitantiáne, an potius imperitia, alij viderint. Quid autem est? Nempe à Iudæis Episcopum vocari הגמון per contumeliam. Quia-nam autem? Nimirum, quia הגמון Syriacè *caudam* significet. Optimè: sic ille aliquando docebit nos cucurbitam Arabicè dici Cardinalem, aut peponem Britannicè, Iesuitam. Tantam omnium linguarum peritiam consequutus est. Sed ad rem: nam id peccatum Grammaticis vindicandum relinquo. Videat studiosus Eliæ Tisbi: & Dauidis de Pomis Dictionarium: imò & Bodeniani Syro-chaldaicum: & fabulam de cauda rideat.

V. Hanc ego disputationem distinguo in tria capita: primum, vtrum Antichristus præcipuè propter Iudæos venturus sit: alterum, vtrum ex Iudæis nasciturus, & specialiter ex tribu Dan, vt contendunt Sanderus, & Scioppius: tertium, vtrum obseruaturus ritus Iudaicos. Primum Bellarminus affirmat, & quidem his argumentis. Primò, Ioannis quinto, *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Et hunc locum pertinere ad Antichristum aliàs se docuisse obseruat. Secundò, Posterioris ad Thessalonicenses secundo, *Eo quod caritatem veritatis non receperunt, vt salui fiant, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* De Iudæis agi probat, quia dicat Paulus, Antichristum mittendum ad eos, qui Christum recipere noluerunt. Qui sunt autem, qui magis debuerunt, & noluerunt, quàm Iudæi? Notandum etiam Apostolum dixisse, non quia non recipient: sed, quia non receperunt: itaque loqui de illis, qui, prædicante Christo & Apostolis, credere noluerunt: constat autem Gentiles cupidissimè recepisse Euangelium: Iudæos verò noluisse. Tertiò, quia Antichristus sine dubio sese illis adiunget imprimis, qui parati sunt eum recipere. At Iudæi sunt eiusmodi: quia exspectant Messiam regem temporalem, qualis erit Antichristus. Quare, sicut Christus primùm ad Iudæos venit, quibus erat promissus, & à quibus

expectabatur, deinde adiunxit sibi Gentes: itaquoque Antichristus.

VI. Sed contrà Scriptura nusquam Antichristum nobis proponit, nisi aduersantem Ecclesiæ, & sedentem in templo Dei: item in vrbe Roma, & in populis, & Gentibus. Itaque, qui de Iudæis tam audacter loquuntur, nihil aliud quàm nugantur. Quanquam venia danda est veteribus illis, qui procul à re positi, de futuris diuinabant, vt poterant. Sed eorum autoritati, cur nos volt in hoc articulo obnoxios esse: quum ipse in altero, de tribu Dan, nolit eisdem subiici? Enimuerò hæc illi ratio constabat suæ libertatis, quia earum Scripturarum, quas illi in eam rem citabant, nulla conuincat. Quid habet caussæ, cur hæc eadem ratio, aut sibi prosit, nobis sit inutilis: aut in eo articulo valeat, hic verò sit otiosa? Ille viderit: at Catholici, cum bona tantorum virorum venia, humani ingenij coniectatiunculas declinantes, nihil pro certo admittent, quod nulla scriptura docebit.

VII. Nam locum illum ex Ioannis quinto, vt iam ante Bellarminus protulit: ita nos iam ante ostendimus non esse peculiariter de Antichristo. Quod attinet ad alterum: is verò nimis quàm violenter detorquetur. Contextus. *Cuius aduentus est ex efficacia Satanæ, cum omni potentia, & signis, ac prodigiis mendacibus: & cum omni fraude iniustitia in iis qui pereunt: pro eo quod amorem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio: vt damnentur omnes qui non crediderunt veritati, sed acquieuerunt in iniustitia.* Qui sunt igitur illi, qui amorem veritatis non receperunt? Nimirum ij, qui pereunt. Sic enim connectuntur orationis membra: *in iis qui pereunt, pro eo quod non receperunt.* An soli Iudæi pereunt? Rursus, qui illi, qui pereunt? Respondet quidem Thomas, præscitos ad perditionem: quos solos Iudæos, quis interpretetur? Sed Paulus, eos in quos sese exseret illa fraus iniustitiæ. Quum ergo hæc ita sint connexa, cur qui non receperunt amorem veritatis, intelliguntur Iudæi specialiter? Nam quid tum si lego, *non receperunt?* Aut quid obstat, quominus ἐκ ἐδέξαντο interpreter, *non receperint*: id est cum non receperint, quum oblatum eis fuerit: Vt sexto ad Ephesios, ὅ,τι ἐάν τι ἕκαστος ποιήσῃ ἀγαθὸν, τοῦτο κομιεῖται: *Vnusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet.* Imò statim, vt damnentur πάντες οἱ μὴ πιστεύσαντες, *Omnes qui non crediderunt*: hoc est, qui non crediderint.

VIII. At Iudæi paratissimi sunt Antichristum recipere. Imò si quis hoc neget, vnde probabitur? Quia exspectant Messiam Regem temporalem. Intelligo. Sed primùm absurda consequentia est: & æquè in Mahometum procliuis: is enim fuit rex temporalis. Et tamen non receperunt Mahometum Iudæi. Nimirum: quia etsi Messiam sibi pollicentur regem temporalem: tamen non habent omnes reges temporales pro Messia. Cur Antichristum potius? Secundò ipsi Papistæ docent, Iudæos Antichristum constituturos regem. Non igitur Antichristum recipient, quia rex erit: sed contrà potius rex erit Antichristus, quia eum Iudæi recipient.

IX. Comparatio Christi & Antichristi, ridicula est. Venit Christus primum ad Iudæos, quibus erat promissus: indéque ad gentes. Ergo & Antichristus. Quæ ratio consequentiæ? Nam, si de hoc dicimus omnia similiter, vt de Christo: Ergo sicut Iudæi Christum non receperunt venientem: ne Antichristum quidem. Et hæc si absurda est consequentia: quanto illa melior? Contrà potius. Christus venit ad Iudæos, quia erat iis promissus: At Antichristus non est iis promissus: non ergo ad eos veniet primùm. Deinde Antichristus Christo est oppositus: Ergo contrariam viam ingredietur. Itaque à Gentibus potius ad Iudæos. Denique Antichristus potius Ecclesiæ promissus est (liceat hoc vocabulo abuti cum bona lectorum venia:) At Ecclesia constat tantùm ex Gentibus: quia Iudæi noluerunt in eam congregari. Ergo Gentibus est promissus. Itaque veniet primùm ad Gentes.

X. Sequitur secundum caput, vtrum futurus sit Antichristus Iudæus, & quidem ex tribu Dan. Futurum Bellarminus probat. Quia Iudæi nunquam reciperent hominem non Iudæum: deinde idipsum docent omnes Veteres. Sed ratio illa futilis. Quid tum enim si non recipient? Non enim prædictum à Spiritu Sancto, vt docuimus: sed diuinatum humanis coniecturis. Deinde, quid si recipiant? Ergo-ne futurus Iudæus? Consequentia nulla. Atqui non reciperent non Iudæum Iudæi. Quis autoritate Scripturæ id firmatum? Si enim diuinant Iesuitæ, quis tenetur credere? Aut cur non aduertunt Herodem ab iisdem regem acceptatum? Cur non meminerunt clamantium, nullum se regem habere præter Cæsarem? Enimuerò aduentus huius scelerati prædicitur futurus cum omni fraude iniustitiæ. Non ergo consilio certo, rebúsque omnibus exactè cognitis, ritéque perpensis, eum recipient, qui recepturi sunt: sed decepti. Quis autem non videt, & eadem fraude, posse Iudæis persuadere, se esse Iudæum, etiam si non sit? Et posse iterum persuadere, vt se recipiant etiam non Iudæum? Quod ad Veteres attinet: sinamus in pace sua quiescere: & meminerimus infirmitatis humanæ, quæ non potest omnia scire: maximè autem futura ignorat, & in iis diuinandis, coniectura fallitur.

XI. Sed nasciturum ex tribu Dan, probat Scioppius: ex quadragesimo nono Geneseos, *Fiat Dan coluber in via: cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Salutare tuum exspectabo, Domine.* Nam eum locum existimandum est ex Apostolica traditione Veteres interpretatos esse de Antichristo. Et postrema verba ingentis alicuius mali suspicionem præbent, quum se Patriarcha erigit, & comparat ad aduentum Christi præstolandum. Secundò ex Numerorum secundo, *Ad Aquilonis partem castrametati sunt filij Dan*: vbi ille designatur, qui apud Esaiam, capite decimo quarto, *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*: Et Daniel capite vndecimo, regem Aquilonis vocat Antichristum. Tertiò. Apocalypsis septimo, quum numerantur Iudæorum, Eliæ prædicationibus conuertendorum, ex singulis tribubus duodena millia, tribus Dan omittitur. Quartò, Ieremiæ octauo, *A Dan auditus est fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra: & venerunt, & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius: vrbem & habitatores eius.* Quæ allegoricè de Antichristo intelligi possunt, cuius typus fuit Nabuchodonosor.

XII. Respondeo, omnes istos locos nimium audacter torqueri. Primò, Geneseos quadragesimo nono Iacob prædicit, quid futura sit ipsa tribus Dan: non autem quid futurum sit vni cuipiam ex ea tribu oriundo: nam similiter reliquas tribus nomi-

[illegible] Itaque Arias in Caleb, interpretatur de situatione eius tribus, quæ alios locos occuparit, præter eos qui sibi erant in terræ distributione assignati. *Huiusmodi transfusionem*, inquit, *à filiis Dan efficiendam antiquus omnium tribuum pater in prædictionibus significauerat: Fiat Dan coluber in via.* Mercerus etiam astutiam in bello notari, & hostibus superandis. Vatablus in maioribus annotationibus, *Sensus est non fore tam animosum, vt strenuè & ingenue in apertum certamen descendat: sed astu & insidiis pugnaturum.* At paraphrastes Chaldæus, eumque secuti Rabbini, interpretantur de Samsone: & Bellarminus probauit. Probauit etiam Pererius; *Prouidens*, inquit, *Iacob tribum Dan, quamuis aliàs obscura & ignobilis* [illegible] *erat, illustrem in modum à Samsone, qui ex* [illegible] *tribu fuit, illustratum ac nobilitatum iri, propterea vaticinium hoc de tribu Dan, ut ueritatem id Samsonem.* Quid autem hæc omnia ad Antichristum? Nam illud de exspectatione salutaris, dictum est. Primò non est necesse præuideri aliquod certum periculum. Sufficit enim cogitatio, siue vniuersalis humanæ fortis, siue specialis bellorum, quibus ea tribus præuidebatur exposita: vt suo motu doceret eam patriarcha confidere in Domino. Denique, frei Samsonem concedimus fuisse in animo, sensus est expeditus: quia verè dici potuit salutare Domini; vel potius *Salus Domini*, liberatio illa per Samsonem. Denique, etsi præuideri concedamus aliquod periculum: tamen non necesse est id ad Antichristum pertinere.

XIII. Numerorum autem secundo capite, filij Dan castrametati sunt ad Aquilonem. Ergo ex tribu Dan nascetur Antichristus. Mira ratio. Sed similes lemniæ infirmas habent. Atqui non solus Dan, sed cum eo Aser, & Nephthali. Describitur enim situs castrorum Israëliticorum, iuxta quatuor orbis plagas. Ad Orientem, Iudas, Issachar, Zabulon. Ad Meridiem, Ruben, Simeon, Gad. Ad Occidentem, Ephraim, Manasse, Beniamin. Ad Septentrionem, vt dixi, Dan, Aser, Nephthali. Eo tibi nouam rationum chymicen, qua calcinando ex quolibet quidlibet concluditur. Nimirum id satis erat, vt Dan conferretur cum rege Aquilonis. Scilicet, ita triumphabit Romani Pontificis caussa. Quanquam neque Esaias de Antichristo loquitur, neque Daniel, vt diximus.

XIIII. De septimo Apocalypseos, vix difficile iudicium. Non numeratur tribus Dan inter reliquas. Ergo ex ea nascetur Antichristus. Bellarminus negat constare cur omittatur: & docet simul, quia omittitur etiam Ephraim. Et omittitur quidem Ephraim verum, si nomen attenditur: sed eius loco positum esse Ioseph, quis non aduertat? Nam alioqui Ioseph nulla tribus erat. Est tamen verum non esse certam caussam omissionis: ideoque nullam inde confici posse demonstrationem. Nabuchodonosorem apud Ieremiam fuisse typum Antichristi, somniauit Scioppius. Allegorias, qui in Demonstrationes transformant, digni sunt [illegible]

XV. Superest quæstionis caput quartum. An sit Antichristus vsurpaturus Iudaicos ritus. Probat Sanderus demonstratione nona. Quia Iudæi nunquam eum pro Messia suscepturi sint, qui non obseruet eorum legem. Tum quia Patres sic docent.

XVI. At contrà. Si id conceditur, ergo Antichristus non sederet in Ecclesia Christiana: sed sederet in Ecclesia Iudaica. Nec sese Christianum fingeret: quod tamen Veteres docent, & habent non tantùm ab iis Pauli verbis: sed etiam à Ioanne, qui testatur eum habere cornua duo similia cornibus agni: quæ quibusdam sunt duo testamenta. Deinde, constat Antichristum recipiendum à Christianis: & quidem non vi, sed fraude. Quid autem est, cur dicamus potius, Iudæos non admissuros eum qui sese Christianum profitebitur, quàm Christianos, eum, qui Iudaicam religionem amplexabitur? Denique Iudæos hunc pro Messia accepturos, Scriptura nusquam docuit. De Patribus aliàs respondimus. Addimus hoc ipso loco eorum authoritatem infringi à Bellarmino, qui eum non simpliciter dicit obseruaturum Sabbathum: sed saltem ad tempus, quod Veterum nullus dixit.

CAP. X.

De sede Antichristi.

I. SEdem Antichristi vno omnes ore definiunt fore Hierusalem, templúmque Salomonis: indéque petunt insigne argumentum, quòd Papa non sit Antichristus. Quandoquidem non tantùm Papæ sedes non sit Hierusalem: sed etiam verisimile sit inde ab anno Christi sexcentesimo nullum Romanum Pontificem inuisisse eam vrbem.

II. Sed enim sedem eam futuram probat Bellarminus primò ex vndecimo Apocalypsis: vbi Ioannes dicit Henoch & Heliam pugnaturos cum Antichristo in Hierusalem, & ibi occidendos ab eodem: *Et corpora*, inquit, *eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & AEgyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Eam vrbem Aretas interpretatur Hierusalem: & similiter omnes alij interpretes. Et probatur, quia nulla alia ciuitas est, vbi Dominus crucifixus sit. Secundò ex posterioris ad Thessalonicenses secundo, *Ita vt in templo Dei sedeat*: quorum verborum expositio communior, probabilior, & literalior, est eorum qui docent per templum Dei intelligi templum Salomonis, vtcumque reparatum. Ratio, quia in Scriptura noui Testamenti per templum Dei nunquam intelliguntur Ecclesiæ Christianorum, sed perpetuo templum Hierosolymitanum: neque adeo apud Veteres aliquot seculis. Adduntur Patrum testimonia. Tum Scioppius ex vndecimo Danielis. *Et figet tabernaculum suum Apadno inter Maria super montem inclytum & sanctum, & veniet vsque ad summitatem eius, & nemo auxiliabitur ei.* Nempe montem illum sanctum interpretatur montem Oliueti, ex quo Christus in cœlos ascendit: & in quo tandem peribit Antichristus, & ad inferos descendet, & nemo auxiliabitur ei. Sanderus pugnat etiam ratione. Quod in Templo Hierosolymitano sæpius velut in figuram Antichristi, posita est abominatio quædam, vt Cæsaris imago, item altera posita ab eo qui vrbem expugnauit: item Hadriani. Denique ipsa Mahometis secta. Itaque non sine graui caussa in eodem exspectari Antichristum.

III. At nos negamus Hierusalem, aut eius templum futurum sedem Antichristi. Primùm, quia Scriptura non prædicit duas eius sedes: sed vnicam, & hanc disertè, vrbem positam super septem montibus, quod de Hierusalem nemo dixit vnquam, & vrbem regnantem super Gentes: quod Hierusalem nunquam conuenit. Secundò, quia templum Hierosolymitanum, sic est excisum, vt nullo loco prædictum inueniatur fore, vt iterum construatur. Imò Danielis nono, destructio illa vrbis, *finis eius* appellatur: & נחרצת שממות *acumen*, siue *præcisio desolationis*, siue *vastationis*. Et vigesimo quarto Matthæi hanc desolationem describens, negat relictum iri lapidem super lapide: connectitque cum prædictione consummationis seculi. Quid ergo? Nempe aut nouas fingant prophetias restituendæ vrbis, restituendi templi istius contrarias, aut cessent eam asserere Antichristi sedem.

IV. Argumentum ex Apocalypsis vndecimo corruit ex præcedentibus. Quum enim nitatur somnio illo de aduentu Enochi & Heliæ: tum certè hoc somnio refutato, reliqua, quæ inde sequuntur, euanescere necesse est. Ac sanè falsum, omnes interpretes ei sensui fauere. Autor Homiliarum in Apocalypsin, quæ Augustino tribuuntur, Homilia octaua, *In plateis ciuitatis magnæ, id est, in medio Ecclesiæ.* Ambrosius, *Si per ciuitatem magnam, Hierusalem terrestrem voluerimus intelligere, propter hoc quod dixit, vbi & Dominus eorum crucifixus est, à veritate aberrabimus: eo quod illa Hierusalem vsque ad solum destructa sit: & ista quæ pro ea ædificata est, non in eo loco, sed in alio sita esse dicatur? Neque Sodoma & Ægyptus dicenda est, eo quod à Christianis incolatur.* Rupertus, *Porro ciuitas magna in cuius plateis iacuerunt, vel iacebunt testium istorum corpora, ciuitas est sanctæ ciuitati contraria, ciuitas Diaboli, contraria ciuitati vel Ecclesiæ Dei, cuius primus ciuis & opifex fuit fratricida Cain, & exinde omnes filij superbiæ.*

V. De Christo crucifixo, non difficilis scrupulus est. Non enim semper κατὰ τὸ ῥητόν: sed aliquando tropicè. Sic tertio ad Galatas, dicitur ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος, *inter vos crucifixus.* Sic Petro dixisse ferunt: *Vado rursum crucifigi*: & quidem de vrbe Roma. Hic autem patet non ad literam. Quia neque duo testes, vt alias obseruauimus: neque tres dies & dimidium. Imò neque ipsæ eius vrbis plateæ. Nam quomodo intelligas: *Et videbunt homines ex tribubus & populis, & linguis, & gentibus, cadauera eorum?* Ergo quum eiusdem loci reliqua omnia intelligantur metaphoricè, apparet etiam hoc membrum similiter. Metaphoricè autem Christus vbique crucifixus est, vbi respuitur eius Euangelium, & multò magis vbicunque eius fideles persecutionem patiuntur.

VI. In secunda ad Thessalonicenses negatur per templum Dei, intelligendum Solomonis templum. Nam hoc, vt diximus, nunquam instaurandum est. Quod addit in Nouo Testamento nunquam intelligi hoc nomine Ecclesias Christianorum: Primò nullam vim habet. Quid enim si hunc vnicum locum excipiamus? Tum quis nescit, multas esse Apocalypsi phrases peculiares; multas etiam mutuo sumptas à Veteri Testamento? Nam neque alibi in Nouo Testamento, aut reges significantur per cornua, siue per capita bestiæ vllius: neque Antichristus per mulierem fornicatricem: neque populi, per aquas: & multa alia. Quid igitur mirum, si ex Veteri Testamento sumpsit templum Dei similiter. Secundò luditur homonymia. Nam Ecclesias Christianorum quid appellat? Nempe ex vulgata iampridem ἀκυρολογίᾳ ipsa ædificia, in quibus Christiani sua sacra procurant. At nos potius: imò Patres potius, Ecclesias Christianas dicebant: imò absolutè Ecclesiam: qua de re actum, capite quarto libri præcedentis. De Patribus non est necesse dicere. Ij & diuinarunt de rebus futuris, & non idem omnes senserunt: itaque non habent momentum.

VII. Daniel vndecimo capite, prophetiam suam terminat morte Antiochi Epiphanis. Notandum autem *Apadno*, quid sit non esse certum: aliis censentibus esse nomen proprium loci, qui tamen vbi sit nemo significat: alij appellatiuum, & tentorium, siue tabernaculum significare, alij etiam cingulum. Scioppius locum censet iuxta Nicopolim siue Emaus: qua ratione viderit ipse. Nam Hieronymus, à quo sumpsit, non tanquam suam protulit sententiam: sed aliorum. At Pererius manifestè tabernaculum: quanquam in originatione discedit à Grammatica analogia: dum secat in אפד & ן quasi duas voces: illam significantem *solium*, *thronum*, *palatium*, quod est falsum: hanc verò, quæ sit, *sui*, quod mirum si quis Hebraicè non imperitus legens possit risum continere. Nec ita Hieronymus, etsi sit interpretatus *Spheruam*. Enimuerò is quidem sensus esse potest: sed alia originationis ratio: nempe ex אפדן & ו. Præterea discessit ab Hebræis vetus interpres reddens *tabernaculum suum*: debuit enim *tabernacula Apadno*; si id nomen est proprium: vel *tabernacula tentorij sui*: si est appellatiuum. Rursus *super montem inclitum & sanctum*: Hebraicè est *Ad*, siue, *Versus montem decoris sanctitatis.* Notatur enim Antiochi profectio ad vrbem Hierosolymæ, quò tamen non peruenerit. Tertiò: *& veniet vsque ad summitatem eius*: multò melius: *& veniet ad suum finem.* Nam si reddis *eius*, referásque ad *montem*; omnino postea: *& nemo auxiliabitur ei*, referendum erit ad eundem montem: quum tamen Scioppius referat ad suum Antichristum. Sensus erit loci, Antiochum, audito nuncio de Bacchide occiso, eiúsque exercitu conciso, expeditionem suscepturum aduersus Hierusalem: verùm in itinere moriturum. Vide Iunium in hunc locum. At Scioppius, vt suo seruiat Antichristo; cogitur prophetiæ ordinem inuertere; atque omnia peruertere. Nimirum nouus illum spiritus afflauit propheticus: qui spiritum Danielis redigat in ordinem. An potius spiritus Cameræ meditationum, temerarium effecit?

VIII. Ratio Sanderi similis est. Abominatio sæpius posita est in templo Hierosolymitano. Ergo Antichristus in eo sedebit. Optimè: solens enim suo more facit: vt ex quolibet, concludat quidlibet. Sic potuit, quia Nabuchodonosor rex computatus fuit inter bestias, concludere Papam esse principem omnium Episcoporum. Atqui nihil mirum abominationem in eo templo constitutam, quod exstabat. Sed mirum, præuideri posse à Papistis Antichristum in ea sessurum vrbe, eóque templo, quæ & diruta sunt, vt non sit lapis super lapidem; nec vnquam restauranda prædicta. Denique non est nostrum, non est Sanderi sibi pro arbitrio figuras Antichristi fingere. Nunquam Scriptura docuit abominationem in templo constitutam, esse eiusquam rei figuram.

CAP. XI.

De Doctrina Antichristi.

I. Doctrinam Antichristi in quatuor capita distribuit. Primum, Iesum non esse Christum. Secundum, se esse verum Christum. Tertium, se Deum esse, colendumque vt Deum. Quartum, se solum esse Deum. At Papæ doctrinam negat hæc capita continere. Itaque Papam non esse Antichristum Bellarminus concludit.

II. Respondeo, doctrinā vulgò significare id, quod diserte & ex professo docetur, totidemq; vt ita dicā, verbis: sic doctrinam Christianorum, sic doctrinam hæreticorum: sic etiam doctrinam Ethnicorū. Hoc sensu, nego in Scriptura quicquam agi de doctrina Antichristi: nisi capite decimo tertio Apocalypsis, *Habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco.* Vnde constat quidem eius doctrinam futuram blasphemam: sed eius doctrinæ capita singula, quæ futura sint, non potest inde sciri. Quòd si doctrinam Papistæ intelligāt *μυστικῶς*, pro ea persuasione, ad quam Antichristus referet sua omnia, id est, non id, quod verbis docebit, sed id, quo re vera referri debent omnia eius mysteria, tum verò fateor ex iis quatuor capitibus tria futura doctrinæ Antichristi, quanquam paulo aliter explicata, quàm à Bellarmino. & eadem quatuor esse capita doctrinæ papisticæ. Itaque Papam esse Antichristum. Agam de singulis.

III. Primum caput est, Antichristum negaturum Iesum esse Christum. Probat Bellarminus. Primò, quasi natione & religione futurus est Iudæus, atq; à Iudæis pro Messia admittendus; ergo non prædicabit Christum. Deinde, ex secundo prioris Epistolæ Ioannis, *Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Et hic est Antichristus.* At omnes Antichristi negant aliquo modo Iesum esse Christum: ergo verus Antichristus simpliciter, & omnibus modis negabit. Rursus, per hæreticos Diabolus operari dicitur mysterium iniquitatis, quia illi occultè negant Christum: & Antichristi aduentus dicitur reuelatio: ergo ille palam Christum negabit. Tertiò, ab autoritatibus Veterum. Quartò, quia tempore Antichristi ob vehementiam persecutionis cessabunt publica officia, & sacrificia diuina: ergo manifestum, eum non deprauaturum doctrinam Christi, sed apertissimè oppugnaturum.

IV. Respondeo, negari Iesum esse Christum dupliciter: aliàs disertis verbis, quomodo apud Iudæos: aliàs verò per consequentiam: nimirum quomodo Paulus dixit quosdam verbis cōfiteri Deum, operibus autem negare. Priori modo, nego Antichristum negaturum Iesum esse Christum. Nam de natione, & religione Antichristi, iam ante Bellarminum refutauimus prolixè: negauimus etiā admittendū à Iudæis pro Messia. Itaque non sequitur eum non prædicaturum Christum. De loco Ioannis etiā facile negotium. Antichristus negat Iesum esse Christum. Id & nos cōcedimus: sed quomodo? verbisne an factis? Id verò Ioannes nō definit: cur Bellarminus? Imò plus concludit quàm probet: probat negaturum, concludit negaturum disertis verbis. At hoc Ioannes non dixit. At omnes Antichristi negāt aliquo modo. Verbis hoc verò falsum: plurimi enim tam clarè professi sunt Iesum esse Christum, quàm vllus Catholicorum: si sola verba attendas. Ariani, Nestoriani, Eutychiani, alij. Vix excipias Simonem, & paucos præterea. Sed esto, tamen aliquo modo negarunt, nimirum siue verbis, siue factis. Ergo magnus ille Antichristus negabit omnibus modis, videlicet & verbis & factis. Hæc verò conclusio; vnde est, aut à qua Dialectica? non enim ab Aristotelica.

V. Per hæreticos non dixit Paulus Diabolum operari mysterium iniquitatis: sed ipsum mysterium Antichristi, quod est mysterium iniquitatis, iam tum, & ab initio, opere ipso exercerі: id est, iam tum occultè agi ipsissimum Antichristi negotium. Neque Antichristi aduentum appellauit reuelationem: sed eius Antichristi, qui iam prius venisset, reuelationem nominat: significans primum ita promouendum esse Antichristi negotium; vt animaduerti nequeat, hoc ipsum agere, donec peregerit, & suum quasi corpus formarit, proque Ecclesia Christi vera, suam Ecclesiam constituerit. Itaque hæc non pertinent ad prædicationem Antichristi.

VI. Patres, vt priùs, bona cum venia missos facimus. Quanquam quod de Baptismo Augustinus dixit, velle quidem Antichristum id prohibere: fore tamen nescio quos fortes pro paruulis suis baptizandis: etiamsi quicquam haberet momenti, tamen non admodum noceret. Significat enim, etiamsi velit Christianas ceremonias abolere, tamen futurum, vt non possit. Itaque falsum erit, eius tempore cessatura omnia publica officia. Verisimile est ergo, quum videbit se non posse ab hominibus extorquere omnimodam, apertamque Christianæ religionis abnegationem, fore, vt suis rationibus arte prouideat. Et fortasse inde factum, vt, quum Eucharistiam penitus extinxerit, tamen Baptismum retinuerit, multis tamen prophanis additionibus violatum. Porrò cessationem publicorum officiorum, aliàs diximus nullam prædici à Scriptura, si externis ceremoniis hæreas.

VII. Ergo non potest probari Antichristum palam, & ex professo negaturum Iesum esse Christum. At nos vltro concedimus eundem re vera negaturum. Nimirum, quomodo olim Epicurus verbis Deos ponebat, sed eisdem nihil neque sui, neque alieni concedens negotij, circuitione quadam tollebat. Quia igitur, qui negat Christum saluare populum suum à peccatis eius, negat esse Iesum. Et rursus, qui et mediationis honorem minuit, negat esse Christum: ideo audacter asserimus, Papam, etsi verbo tenus ponat Iesum, ponat Christum, tamen circuitione sua negare. Qui enim concedere potest Christum saluare populum à peccatis suis, qui maximam partem redemptionis tribuit meritis, suffragiis, purgatorio? Qui potest Mediationis officium illibatum Christo relinquere, qui eandem communicat Sanctis, & Angelis? Imò, qui potest Iesum agnoscere, qui non agnoscit Immanuelem? Et qui potest Immanuelem, qui non verum hominem? Et qui verum hominem, qui & ab infantia fuisse omniscium: & post resurrectionem corpus eius in infinitis locis? Infinita possunt alia similiter colligi. Ergo ex hoc saltem capite Papa est Antichristus.

VIII. Secundum erat, Antichristum sese pa-

lam,& nominatim dicturum esse Christum: non verò eius ministrum, aut vicarium. Probatur primum ex illis verbis, *Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis*. Secundò, ex Patribus. At hoc Romanus Pontifex non facit: Ergo non est Antichristus.

IX. Respondeo, præsupposita præcedente distinctione, nihil probari de ipso nomine. Nam neque locus ille de Antichristo est magis, quàm de quoquam pseudopropheta, vt aliàs docuimus: neque illud *in nomine suo*, significare potest, appellabit se Christum. Alioquin, quum Christus dixit, *Ego veni in nomine Patris mei*, significaret, ego vocaui me Patrem: quod est falsissimum. Significat autem Christum sibi ipsi non sumpsisse hoc munus à se ipso (vt loquitur Paulus ad Hebræos) sed ad id missum esse à Patre: ac proinde, veniet in nomine suo, significat eum qui non missus à Deo, sed ipse ingerens sese, autoritatem vsurpat in Ecclesia. De Patribus respondeo, vt priùs.

X. Iam verò Papam manifestum est dicere se esse Christum: quia sibi assumit omnem honorem Christi in Ecclesia. Quid enim? nónne sese appellat Caput Ecclesiæ? nónne Sponsum Ecclesiæ & quidem disertissimis verbis? Non sese audiuit appellari Leonem de tribu Iuda? Non omnem accepisse potestatem in cœlo & in terra? Quid vltra expectamus? Bellarminum ipsum ipse patitur scribere, esse fundamentum illud de quo Iesaias scripsit. Et poterit vnquam quisquam eius nominis vim sibi audacius assumere?

XI. Tertium caput, Antichristum sese Deum nominaturum, foréque vt velit pro Deo coli: non solùm vsurpando aliquam Dei autoritatem: sed ipsum nomen Dei. Probatur: ex his verbis, *Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*. Deinde ex Patribus.

XII. Respondeo, de ipso nomine nihil probari. Nam Paulus non dixit illum hominem peccati nominaturum sese Deum: sed ostentaturum se esse Deum: id autem refertur non ad nomen, sed ad vim nominis. *Sedebit*, inquit, *in templo Dei, vt Deus*: hoc est, quia Dei sit sedere in templo Dei; quomodo Regis in throno. Deinde ἀποδεικνύντα *ostentantem*, & quasi rebus ipsis præ se ferentem. Sic Christus Actorum secundo, dicitur ἀποδεδειγμένος, non verbis, sed δυνάμεσι καὶ τέρασι, καὶ σημείοις, *virtutibus, & prodigiis, & signis*. Ergo dixit Paulus non quidem Thrasonicè proclamaturum, *Ego sum Deus*: sed sceleratè rapturum ea quæ haberi non possunt nisi à Deo. Nec alia mens Irenæo, *Quasi Deus vult adorari*. Non Chrysostomo, κελεύσει προσκυνεῖσθαι αὐτὸν ἀντὶ τοῦ Θεοῦ: *iubebit se adorari pro Deo*. Quanquam aliquin Patres vt in aliis capitibus de Antichristo: sic & in hoc potuerunt ἁμαρτάνειν. Iam verò Papam gerere sese pro Deo, aliàs docuimus.

XIII. Quartum erat, Antichristum non passurum vllum præter se Deum, nec verum, nec falsum: vllave idola. Ex his, *Extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*, in posteriore ad Thessalonicenses. Item Danielis vndecimo, *Nec quenquam Deorum curabit, sed contra vniuersa consurget*. Item ex Patribus, qui docent eum non admissurum idola. Iam verò Papa agnoscit Deum Patrem, Filium, & Spiritum. Imò verò adorat imagines. Ergo non est Antichristus.

XIV. Respondeo, hoc caput absolutè esse falsum; quod attinet ad primam partem de Deo. Nam in Paulo Græcè est, ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν, ἢ σέβασμα: *Efferens se aduersus omnem qui dicitur Deus, vel numen*. Itaque non satis castè vulgatus interpres reddidit *supra omne*. Secundò, etiamsi demus intelligendum supra, tamen τὸν λεγόμενον Θεὸν, non significat verum Deum; sed putatiuum: quomodo octauo prioris ad Corinthios: *Etiamsi multi sint qui dicantur Dij, & in cœlo & in terra*. Irenæus libri tertij capite sexto, *Etenim Pater omnium Deus dicitur & est. Et non super hunc extolletur Antichristus, sed super eos qui dicuntur quidem, non sunt autem dij*. Denique, efferre se suprà omnem Deum, non est id quod Bellarminus dixit: sed pertinet ad ipsa effecta: nempe, quia Antichristus ita se geret, vt opponat sese Deo, etiamsi aliòquin verbis Deum agnoscat.

XV. Danielis locus nihil ad rem. Primò prophetia tota est de Antiocho, vt tamen Deos coluit. Secundò Hebraicè est, *Et super Deo patrum suorum non cogitabit: & super desiderio mulierum: & super omni Deo non cogitabit*. Vel potius non intelliget, sine intelligentia præditus fuit. Denique non curare Deos, non est necessariò, nullum Deum agnoscere, sed eos ipsos, qui pro Diis agnoscuntur, non curare: quomodo solent perfrictissimæ frontis homines, nullo duci Dei timore. Et hic videtur eius loci sensus commodissimus: nam præcessit: *Et faciet rex ille iuxta voluntatem suam: & exaltabitur, extolletque aduersus omnem Deum*.

XVI. Quid, quòd Propheta disertissimè dicit ipsum eundem regem adoraturum Deum aliquem? Quanquam locus variè exponitur. Vetus interpres. *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur: & Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebúsque preciosis*. Et Maozim quidem hic interpres accepit tanquam idoli proprium nomen: alij malunt Deum robustum, id est, eum cui acceptum feret suum omne robur. At Tremellius & Iunius malunt ipsum verum Deum: atque longè aliū sensum reddūt: cuius hæc esto paraphrasis. Et quod attinet ad Deum fortem: in eius loco, id est, in templo Hierosolymitano adorabit Deum, quem ignorauerūt patres sui: adorabit, inquam, auro, argento, lapidibus pretiosis. Quæ interpretatio exactè obseruat distinctionū puncta, quæ sunt in Hebraico contextu. Sed hanc litem nihilominus non facio nunc meam. Sufficit à Propheta prædici hunc regem, siue Antiochum intelligas, siue Antichristum, adoraturum aliquem Deum, contrà quam Papistæ asserunt.

XVII. Bellarminus tamen excipit: primùm per Deum Maozim intelligi posse ipsum Antichristum. Probat, quia illud *venerabitur*, Hebraicè non est ישתחוה vt aliàs: sed יכבד id est, *glorificabit*, vt Psalmo 91. *Glorificabo eum* eodem Hebraico verbo: non subiiciendo nimirum, sed exaltando. Ergo Antichristus seipsum exaltabit, quum sese adorari faciet: qui sensus arrisit Theodoreto. Secundò, magis probat dici Antichristum futurum magum: & occultè Diabolum adoraturum. Probatur autem vel Antichristū esse ipsum Maozim; vel certè in occultò culturū Maozim; quia alioquin Daniel sibi contradiceret: quum antea asseruerit, nullum Deorum curaturum.

XVIII. Sed hæc pertinaciam redolent, non eruditionem. Prima responsio futilis est. Primò, quia id verbum non tantùm significat honorare aliquem exaltando, sed sæpiùs honorare aliquem superiorem. Sic in quinto præcepto: כבד את אביך *Honora patrem tuum*. Iudicum decimo tertio ונכבדנך, *Vt honoremus te*. Et aliis locis infinitis. Etiam de honore, qui exhibetur Deo. Psal. vigesi-

vigesimo nono labiis suis כבדוני honorauerunt me. Prouerbiorum tertio כבד יהוה *Honora Dominum*, Iesaiæ vigesimo quarto כבדו יהוה *Honorate Dominum*. Denique vix semel occurrat eo sensu, quem Bellarminus amplectitur: nec nisi de Deo exaltante humiles. Quæ igitur istbæc insania est, relicto communi, vsitato, faciliquc sensu, ad alium confugere, nec communem, nec vsitatum: ac proinde, nec facilem? Quanquam, quid hoc ipsum iuuat? Glorificauerit sanè Deum Maozim. Ergo, inquam, aliquem Deum agnouit. Imò, inquit Bellarminus, seipsum. Imo, inquam ego, somnium. Quis enim sensus? Glorificabit se auro, argento, lapidibus preciosis? Nec apposite Theodoretus *in loco suo*, id est, *seipsum*: quod non fert linguæ sacræ vsus.

XIX. Altera autem responsio, ab Antichristo occultè adoratum iri Diabolum. Ergo, inquam, non sese solum Deum dicet: nam etiam Diabolum. Deinde, illud occultè, vnde est? Non certè à Daniele: contrà potiùs, colet auro, argento, lapidibus preciosis. Illa verò, quorsum in secreto, nulloque conscio? Non is mos est, aut fuit vnquam. At, si hoc non est, Daniel contradicit sibi. Imò falsum hoc est; non enim antè docuit nullum Deum curaturum, vt ostendimus: tum etsi docuisset, nulla esset contradictio: Impij enim ne ipsum quidem Deum, quem colunt, curant: sed, seposito eius timore, quidlibet agunt pro arbitrio.

XX. Concludimus, inutili præiudicio decipi, qui negant ab Antichristo vllum Deum adorandum, colendúmque. Sed, verè Paulus dixit, eundem elaturum sese aduersus quicquid dicitur Deus. Et hoc quis neget Papam facere? Primùm enim opponit se omnibus diis, quos aliquando Gentes adorarunt. Deinde opponit se Deo vero, quanquam non verbis, atque ex professo, tamen reipsa, & ipsis operibus: quia sanctum eius verbum, plerosque omnes eius locos fidei peruertens: vt de gratuita redemptione: de imaginibus; ac similibus multis: etiam sacramenta adulterans: denique totam Ecclesiam redemptam sanguine Dei miserè pessundans. Rursus sanctissimum quodque iusiurandum soluens: ab obedientia, principibus, autore Deo, debita, subditos absoluens: regna transferens, & similia. Hoc est verè sese Deo opponere: sese aduersus Deum exaltare.

XXI. Nam quòd de Idololatria Bellarminus nugatur, quid est? Primò, nusquam id dixit Scriptura: tantùm quidam Patres diuinarunt. An ideo certum? Deinde, quid-ni idololatriam Gentium intelligamus? Nam illi sanè Patres aliam non nouerant. Et hanc quid tum, si concedamus ab Antichristo respuendam? Nam & id Papa clarissima voce contestatur. Quanquam inducerit aliam: quæ eius est impudentia; tanta, vt, etsi imagines promiscuè colat, tamen esse se neget idololatram: vt qui ἐπ' αὐτῷ φώρῳ deprehenduntur, solent obfirmare se, vt quando negatione facti nequeunt euadere, audacia fiant superiores, dum ius negant. Hæc autem, tam certa est idololatria, vt qui eam vsurpant, & diuinos honores appellent, & ipsos illos, quibus deferuntur honores, non diuos tantùm, sed & deos. Paulus Æmylius in Dagoberto secundo, *Lamberto iam enitescente multa diuinitatis signis pro aris eius nominis dicatis Grimoaldus occiditur*. Serarius, ode præfixa Mineruali: *Rinaldus antistes beatis additus agminibus Deorum*. Denique, ne omnes colligam, Melchior Nunezius epistola ad Ignatium de rebus Indicis, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, Francisci Xauerij mortui ἀποθέωσιν nominat.

Cap. XII.

De Miraculis Antichristi.

I. Obseruat Bellarminus, primò Antichristum miracula editurum multa. Deinde, eadem miracula futura mendacia. In quibus consentit cum Catholicis, qui ea ipsa iampridem ex Scripturis obseruauere. Sed tertiò, obseruat, educturum ignem de cœlo: effecturum, vt imago bestiæ loquatur: ficturum se mori, ac resurgere. De iisdem miraculis paulò aliter Sanderus, de quo postea.

II. Sed hîc mirè sui dissimilis Bellarminus: qui de tribus his miraculis nihil dicat amplius: Nos autem in singulis eum immanè decipi, si non aliter accipiat, quàm ad literam. De primo lego Apocalypsis decimo tertio, *Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret, de cœlo descendere in terram, in conspectu hominum*. Verum quid est, quod cogat κατὰ τὸ ῥητὸν interpretari? Ansbertus, *Bestia cum duobus cornibus ignem de cælo descendere faciet in terram: quia prædicatores Antichristi, falsa imitatione Ecclesiæ per impositionem manus dare se suis spiritum sanctum sequacibus fingunt*. Primasius, *Ita vt ignem faciat de cælo descendere: id est de Ecclesia ad terrenos: cùm siue ex varietate Gentium, siue ex immissi fallentis astutia, linguis nouis ac plurimis suos faciat loqui ministros, vt hoc quasi indicio donum Sancti Spiritus se garriant percepisse*. Potest igitur hic locus intelligi, non ad literam: itaque literalis sensus non est certus.

III. De imagine bestiæ eodem capite, *Dicet incolis terræ, vt faciant imaginem bestiæ, quæ gladio vulnerata fuit, sed reuixit: datúmque est ei, vt animaret imaginem bestiæ, vt etiam loquatur imago bestiæ*. Primasius exponit de imagine non materiali aliqua, sed in corde hominum, *Quale si diceret: Hæc simulatio eo vsque præualuit, vt terreni seducti propter signa bestiæ ipsi bestiæ miserabili assensu fauentes, mutua se deuotione corroborentur bestiæ in corde phantasmate imaginem formare*. Haimo, *Imaginem bestiæ facient, hoc est, fidem illius tenebunt, & simulationem eius imitabuntur. Neque enim hoc pueriliter intelligere debemus, quòd facturi sint aliquam imaginem, quam secum ferant: sed imaginem illius facient, id est fidem eius habebunt, & simulationem eius imitabuntur*. Ansbertus, *Quæ est autem imago eiusdem bestiæ nisi illa simulatio, quâ putatur Antichristus verè esse Dei Filius, quum sit eo Diabolus, idémque malignus in illa simulatione spiritus? Qui verò sunt qui faciunt imaginem huius bestiæ, nisi qui illam imitantur simulationem?* Iam verò, si imago tropicè sumitur, non potest illud de imagine loquente, consistere iuxta literam, quod Bellarminus contendit.

IV. De Antichristi morte & resurrectione nihil legi. Legi tamen eodem capite, *Vidi vnum de capitibus eius quasi lethaliter cæsum: sed ipsius plaga letha-*

lis curata est, & admirans vniuersa terra sequuta est bestiam. Verùm hæc nihil ad rem. Primò enim non dicitur caput illud occisum, sed ὡς ἐσφαγμένην εἰς θάνατον, *tanquam lethaliter cæsum*: quod quidem non significat mortuum. Secundò, id caput lethaliter cæsum, pertinet non ad bestiam Antichristum, sed ad primam bestiam, Romanum videlicet Imperium. Describuntur enim à Ioanne duæ bestiæ: ad priorem illud pertinet de capite cæso: ad posteriorem, illud de imagine. Tamen instat temerario ausu Bellarminus: vnum illud caput cæsum significare Antichristum, qui futurus sit supremum, & vltimum caput impiorum. Sed hoc est falsum. Nam secunda bestia est Antichristus: describitur autem diuersa à priore: & sanasse id caput, quod erat cæsum: non autem sanasse seipsam. Deinde, vnum illud caput, non describitur supremum; sed tantùm vnum è septem.

V. Hactenus Bellarminus, laxè satis suo perpetuo more. At Sanderus diligentius, demonstrationibus, decima nona, vigesima, vigesima prima, vigesima secunda, vigesima tertia, vigesima quarta: ita fiunt omnino quinque argumenta ex vno eodémque loco miraculorum. Primum sic habet: Antichristus edet miracula, vt diuinitatis suæ opinionem confirmet. At nullus Pontifex Romanus in eum finem edit miracula, vt se Deum credi velit. Ergo Pontifex Romanus non est Antichristus.

VI. Respondeo, de ipsa nominis professione nihil hic quæri: quia, vt ostendimus, prædictum nusquam est, Antichristum sese conceptis verbis appellaturum Deum. Quod autem ad rei efficaciam attinet; probauimus Romanum Pontificem ostentare se tanquam Deum. Iam verò primùm in Papismo infinita iactari miracula, & nos præcedenti libro docuimus; & res ipsa manifestum facit. Ea autem omnia huc referuntur, vt detineantur homines in fide papistica. Ergo ea miracula, siue ficta sint, siue non, nihil enim nunc interest, in eum finem fiunt, vt confirmetur autoritas illa, id est, diuinitas Papæ. Secundò, quia vt paulò antè docuimus, in sanctis Papistæ agnoscunt diuinitatem, adeo vt nonnunquam Deos appellent. Ergo miracula, quæ fiunt ad Sanctorum cultum stabiliendum, fiunt in eum finem, vt eorum diuinitas statuatur. At in Papismo multa miracula iactantur facta, ad ostendendam Paparum sanctitatem: Ergo & ad eorum confirmandam Deitatem. Itaque ritè concludi potest, Papæ sunt Antichristi.

VII. Secundum argumentum Sanderi: Antichristus nulla miracula edet in nomine Christi. At Papa edit miracula in nomine Christi. Ergo Papa non est Antichristus.

VIII. Respondeo, illud *in nomine Christi* distinguendum. Ex vsu enim Scripturæ significat ipsam virtutem Christi, siue authoritatem à Christo acceptam. Sic Apostoli edebant miracula in nomine Christi; quia eos Christus miserat, eósque armauerat ea virtute. Et hoc modo concedimus Antichristum nulla editurum miracula in nomine Christi. Sed negamus assumptionem: Nam quæ dicuntur & passim iactantur Papæ iampridem, id est, ex quo deflexerunt in statum Antichristianismi, patrasse miracula, ea non esse facta in nomine Christi. Primò, quia sunt commentitia: secundò, quia seruiunt confirmandæ Oecumenicæ autoritati: tertiò, quia pleraque omnia facta dicuntur ad idololatriam Sanctorum & imaginum corroborandam. At Christus, neque eam autoritatem, neque eam virtutem cuiquam contulit.

IX. Aliàs verò in nomine Christi edere dicuntur signa, ij, qui duntaxat vsurpant ipsum nomen Christi: vt illi olim *in nomine tuo eiecimus dæmonia*: quos tamen Christus negauit se agnoscere. Hoc autem modo propositio argumenti falsa est. Imò, inquit Sanderus, quomodo faceret, quum negaturus sit Iesum esse Christum? Atqui hoc antehac satis superque docuimus esse commentitium.

X. Tertium argumentum: Antichristus miracula edet arte magica. At Papæ non edunt miracula arte magica. Ergo Papa non est Antichristus. Probatur assumptum, quia Papa condemnat artem magicam.

XI. Respondeo, maiorem non esse veram: quamuis nonnulli è Patribus nonnihil simile asseruerint. Deinde non omnes Papas odisse magiam historiæ testantur: & plurimæ, quosdam illi fuisse addictissimos. Tertiò, multa fieri in Papismo, non valde distantia à magia, ij ignorant soli, qui totam religionem ignorant. Nam & verbis vim quandam tribuunt mutandi naturas: & signis, & halitu, & variis gestibus.

XII. Quartum argumentum: Antichristus intelliget ænigmata: At Papa non intelligit ænigmata. Ergo non est Antichristus. Maior probatur ex octauo Danielis. Minor verò, quia constat Papam non æquare, nedum excellere vel mediocres Grammatistas, aut Philosophastros.

XIII. Respondeo, primùm Danielem non loqui de Antichristo: sed de Antiocho Epiphane. Secundò חידות, quo verbo Daniel vtitur, est דבר סתום *res obscura*; cuius intellectus non est facilis, & obuius. Non est autem proprium illi seculari scientiæ, quam curiosissimi quique viri maximè admirantur, vt putat Sanderus; alioquin multa è Scripturis pertinerent ad illam scientiam: vt Psalmus septuagesimus octauus, quo Propheta præfatur se eructaturum חידות *ænigmata*. Et Ezechielis caput decimum septimum. Ergo is intelligit ænigmata, cuius pectus munitum est intelligentia rerum difficilium: & in quibus alij laborant. Quæ nota, si in hoc argumento quicquam habet momenti: næ nullus vnquam magis Antichristus erit, quàm is qui se iactat habere omnia iura in scrinio pectoris: quàm is, quem in definiendis articulis fidei, aut condendis morum præceptis, aut canonizandis Sanctis, negant errare posse: quantumuis sit infra mediocres grammaticos, & philosophastros.

XIV. Quintum argumentum: Antichristus habebit ministros & tortores miracula operantes. At Papa nullos eiusmodi ministros habet, aut tortores. Ergo non est Antichristus. Maior probatur, quoad ministros; quia Apocalypsis decimo tertio, dicitur secunda bestia, id est, multitudo impiorum, editura signa: & quia Matthæi vigesimo quarto, Pseudochristi, & Pseudoprophetæ prædicuntur daturi signa magna.

Altera

Altera pars de tortoribus probatur ex Gregorio, capite duodecimo libri trigesimi secundi in Iob.

X V. Respondeo; concedi maiorem: saltem de ministris: nam de tortoribus (nisi fortè generaliter sumpto vocabulo, non pro iis qui fidibus corpora torquent, sed pro iis, qui animas suis deceptionibus) non est tantus Propheta Gregorius, vt mouere nos debeat. Nunc autem minor negatur. Nam in regno Papistico sunt adeo miraculorum plena omnia, vt vix quisquam sit clericulus, qui non miracula toties patret, quoties hiet. Quid enim non agunt, aspersa aqua illa lustrali? Imperium obtinent in tempestates, malignósque spiritus. Quid? transubstantiatio, nónne est miraculum, imò miraculorum seges? Et dæmonum expulsio, quo loco ponitur? Ergo ministri Papæ miraculum etiam ipsi aut faciunt, aut credi volunt facere. Vin' etiam tortores? Dominicum vide; cuius opera, tanta facta est Albigensium strages. Illum Coryphеum, imò Architectum sæuissimæ torturæ Inquisitionis. Non is tortor? An verò miracula nulla narrat eius Legenda? Ergo Papa Romanus est Antichristus.

Cap. XIII.

De regno & prælijs Antichristi.

I. PRomouet Bellarminus nouam argumentorum aciem: & de regno & prælijs Antichristi, quatuor obseruat capita. Primò Antichristum ex humillimo loco prodeuntem, per fraudes & dolos regnum Iudæorum adepturum. Secundò, pugnaturum cum regibus Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ: iisque victis, regna occupaturum. Tertiò, subacturum septem alios reges: atque ita euasurum in Monarcham totius mundi. Quartò, toto orbe persequuturum Christianos; idque fore prælium Gog & Magog. Horum autem omnium nihil in Pontificem Romanum quadrare posse; itaque non esse dicendum Antichristum.

I I. In primo capite probat, primo Antichristum ex humili futurum excelsum: quia Danielis vndecimo. *Stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* Quem in locum Hieronymus scripsit, intelligi quidem de Antiocho: tamen longè perfectius impleri in Antichristo: sicut quæ dicuntur Psalmo septuagesimo secundo de Salomone; perfectius in Christo impleta sunt. Et capite septimo eundem Antichristum Daniel comparat cornu paruulo; propter vile & obscurum principium. Secundò, probat Romanum Pontificem nunquam obscurum fuisse. Quia Augustinus dixit in Romana Ecclesia semper viguisse Apostolicæ Cathedræ principatum: Prosper; Romam per Sacerdotij principatum factam ampliorem arce religionis; quàm solio potestatis. Concilium Chalcedonense in epistola ad Leonem, Romæ lucere Apostolicos radios; qui inde se ad omnes

A expanderent, & bona sua cum cæteris communicarent. Marcellinus libro decimo septimo scripsit, non mirum si homines contenderent de Romano Pontificatu, cum tantæ essent eius opes, & amplitudo.

I I I. Respondeo; primùm, id quod est de regno Iudæorum, prorsus negari, vt antea sæpius à nobis fortiter est demonstrata vanitas hæc & temeritas. Secundò, etsi qui adferuntur loci Danielis, nō pertinent ad Antichristum, ac proinde probatio B hæc claudicet: tamen fateri nos ex minimis initiis Antichristum erupturum in immanem potentiam. Atque id ipsum asserimus impletum in Papa Romano: siue singulas personas attendas, quod tamen in hoc argumento non est necesse: siue ὅλως totam illam tyrannidis molem. Nam de singulis personis, quid dicam? Primò enim plurimas ex obscurissimis familiis prodiisse, & quidem longè obscurioribus quàm Antiochum, perspicuum est ex historiis. Secundò, non tan-C tùm multi ex obscuris familiis, sed etiam nulli ex tantis familiis, quæ non essent longè infra hanc potestatem. Atque adeò id eis significat sella illa stercoraria, cui statim electus imponitur, vt audiat illud è Psalmo centesimo decimotertio, *De stercore erigens pauperem.*

I V. Sed præstat totam tyrannidis molem attendere. Illa se nunc porrigit in omnes Christianos, nullo excepto in spiritualibus: quum tamen olim & ex prima institutione solius vrbis cu-D ra ad Episcopum Romanum pertineret: postea Metropolitani iure produxit sese longius, ad Suburbanas: exinde, quatuor formatorum Patriarcharum primus numeratus est: denique reliquis etiam Patriarchis celsior factus, audit Oecumenicus Pontifex. Et non erant illa initia tenuia? Et non est hic progressus immanis? Negent si audeant solem meridie lucere. Rursus primis vrbis Episcopis quàm tenues opes fuere? Ditandorum i-E nitium factum ab Alpibus Cottiis, vt præcedente libro obseruatum: accesserunt deinceps alia multa, ex principum stulta largitione aliquando: aliquando ex fraudibus: aliquando ab armis. Atque ita factus princeps secularis. Quid dissimilius primis illis Episcopis? Tertiò: qui primùm homunciones solas preces, solas lachrymas habebant, quas pro armis opponerent Imperatorum F iræ: quique ad horum nutum agerentur, ferrentur: abirent, manerent: tandem ipsis Imperatoribus formidabiles facti sunt: Iouis Capitolini imaginem fulminibus suis brutis referentes. Et non est hic finis dissimilimus suo principio? Et non est hoc cornu paruum origine, successu factum maximum?

V. Sed in Ecclesia Romana semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus. O scelus! etiam illudunt mundo? Apostolicam Cathedram Romæ fateor illustrem fuisse. Sed nónne is erat principatus in Melchiade, qui iussus ab Impe-G ratore cognouit causam Cæciliani? Non erat in Liberio, qui iussus abiit in exilium? Non erat in aliis, qui suberant politico magistratui? Quibus aduersum Ethnicam crudelitatem nihil erat opis, exceptis, si fortè, cryptis? Ergo is principatus longè alius erat, quàm hic, quem hodie iactant. Quin taceant igitur? Quin erubescant pro hac tyrannide; dum illas sanctorum virorum in

Ecclesiastica functione laudes, mutuò sumptas ab Augustino, à Prospero, à Concilio Chalcedonensi, transferunt ad istam tyrannidem, tam alienam? Si non erubescunt; saltem odio sunto apud omnes cordatos.

VI. Nisi forté remoretur Sanderus hoc Sophismate, demonstrationis vigesimæ octauæ. Antichristus est rex terrenus: at Papa non est rex terrenus: ergo Papa non est Antichristus. Probans assumptum, quia Papa, etsi temporale quoddam dominiũ habet: tamen neque ab origine Papatus sui terrenus est princeps: neque vnquam sibi regis nomen vindicauit: nec territorium sibi subiectum regnum vocat, sed Patrimonium Diui Petri: nec merum Imperium in seipso exercet, velut Papa; verùm per alios exerceri iubet.

VII. Sed oculati fraudem deprehendunt: Antichristum futurum regem temporalem admittunt: sed, eundem sessurum in templo Dei, sciunt disertè prædictum, id est futurum tyrannum spiritualem. Eóque magis Papam agnoscunt Antichristum: quia ille vtrumque est; & rex temporalis: & tyrannus spiritualis: dum vtrumque gladium sibi vendicat. Negant igitur, quod adeò audacter Sanderus profert, Papam non esse regem temporalem. Quid tum enim, si non est ab origine sui Papatus, Rex terrenus? Quanquam originem Papatus quid appellat? Nam si eum ipsum gradum, quo fit, vt appelletur Oecumenicus Pontifex: certè aut neget Sanderus, vtrumque gladium eius esse eo ipso, quod est Papa: aut concedat oportet, esse etiam regem terrenum. Quid tum, si non vindicauit sibi regis nomen? Quasi & scorta, non sese negent esse scorta: & Cæsar quum Regem ageret, ab ipso tamen Regis nomine abstinuerit. Aut ipse, ipse inquam, Antichristus, id Antichristi nomen assumpturus sit. Quanquam, qui potest non esse Rex terrenus, qui Reges terrenos vocat suos vassallos? Non vocat regnum, sed Patrimonium Diui Petri. Nempe, vt vtroque modo mentiatur impudentissimè; & asserendo, & negando. Nam nec territorium illud, patrimonium est Diui Petri: & ipse in eo patrimonio merum exercet regnum. Et tamen quis nescit ei coronam esse, cui regno nomen est? Augustinus Triumphus disertè dicit coronari, vt regem; festúmque suæ coronationis nunciare omnibus regibus. Quomodo autem non exercet per se ipsum merum Imperium; qui & proscribit reges: & bella indicit: & exercitus colligit: suóque sacramento auctorat; de suis stipendiis alit? Qui, denique ipse præsens Mirandulam obsidet; Ferrariam occupat?

VIII. Pergit. At Antichristus per vim, dolúmque sua regna obtinebit. Papa autem, neque per vim, neque per dolum, suum territorium: sed liberalitate principum. Ergo non est Antichristus. Imò falsa est assumptio. Aliquando enim vi vsus est, sæpe seculari, id est, aperto bello; vt nuper in Ferraria occupanda: olim in occupandis Imperij locis: quin etiam, quæ se habuisse iactat à Pipino, & Carolo Magno, ea vi aperta sunt comparata. Nam Pipinum, & Carolum, quorum in eos locos nullum ius erat, Papæ euocarunt, vt armis rem gererent. Sæpius autem violentia Ecclesiastica. Sed longè frequentissimum aucupium, dolus. Quis autem? Prætextus pietatis. Potuit enim maior aliqua impostura excogitari, quàm quæ persuasit Petro dari, quæ dabantur Papæ? In Donatione Othonum: *Spondemus, atque promittimus tibi Beato Petro principi Apostolorum, & clauigero regni cælorum, & per te Vicario tuo domino Ioanni summo Pontifici.* Quod exemplum posteriores imitati. Quid illud de remedio animæ? In eadem: *Insuper offerimus tibi, Beate Petre Apostole, Vicarióque tuo domino Ioanni Papæ; & successoribus eius pro nostra animæ remedio, nostrique, & nostrorum parentum, de proprio nostro regno.* Et multò pòst: *Ego Mathildis, Dei gratia Comitissa; pro remedio animæ meæ, & parentum meorum; dedi, & obtuli Ecclesiæ Sancti Petri.* Mitto alia fraudum exempla: nam hæc superant omnia. Ergo Papa est Antichristus.

IX. Nunc ad secundum caput. Probat pugnaturum Antichristum cum regibus Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ, debellaturumque. Ex Danielis septimo: *tres reges humiliabit.* Et vndecimo; *Terra Ægypti non effugiet: per Libyam quoque, & Aethiopiam transibit.* Eos locos Hieronymus, interpretatur de Antichristo; itemque Irenæus, Lactantius, Theodoretus.

X. Verùm, primò Ægyptus solùm dicitur debellata, non etiam Libya & Æthiopia; de quibus Hebraicè est ולבים וכשים במצעדיו Vetus interpres reddidit, *Per Libyam quoque & Æthiopiam transibit.* Græca editio, [illegible]: construens cum [illegible] perperam. At Pagninus ad verbum, *Lubbim & Cuschim in gressibus eius erunt.* Mutauit igitur Daniel subitò phrasin: & Ægypti quidem plenam victoriam significauit; etiam verbis exaggeratam. At de Libya, & Æthiopia longè mollius: *in gressibus eius erit.* Itaque Iunius interpretatur Libyes & Æthiopas sequuturos eum, id est, affuturos ei in occupanda Ægypto.

XI. Secundò: hæc Daniel prædixit de Antiocho: non verò de Antichristo: vt iam sæpius dictum: nec Bellarminus dissentit: verùm, inquit, vt Psalmus septuagesimus secundus de Salomone loquitur, & in Christo impletur: sic ista dicuntur de Antiocho, sed & de Antichristo. Primò nihil est necesse: quia nullus Scripturæ locus docuit: nec hominum est, quicquam in rebus tam obscuris, sibi permittere. Secundò, nulla vis est argumenti. Nam, si pertinet ad Antiochum locus hic; profectò pertinet ad literam: si autem ad Antichristum, per typum. Quæ autem ratio permittit idem ad literam dici de vtroque, vt æquè vterque Ægyptum, Libyam, Æthiopiam debellet? Itaque Patres mittamus, cum bona eorum venia.

XII. Tertium caput asserebat, Antichristum futurum Monarcham totius mundi. Hoc verò probatur ex apertissimis veterum testimoniis. Lactantij, Irenæi, Hieronymi, Chrysostomi, Cyrilli. Verùm solus Hieronymus de totius orbis Monarchia nonnihil innuit. *Nullus Iudæorum*, inquit, *absque Antichristo in toto vnquam orbe regnauit.* Reliqui non sic. Lactantius, decem reges futuros dicit. *Tum repentè aduersus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagæ Septentrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Asiam obtinebunt, assumetur in societatem à cæteris, ac princeps*

omnium constituetur. Hæc Lactantius: nihil autem de Monarchia totius orbis. Irenæus etiam de illa vniuersali Monarchia nihil: sed tantum de victis regibus decem. Chrysostomus & Cyrillus asserunt Antichristum occupaturum Monarchiam Romanorum. Id verò vel intelligitur de ea Monarchia, qualis erat olim in magnam orbis partem: & id euentus docet esse falsum: quia iampridem ea Monarchia dissipata est in plures: nec tamen eam Antichristus occupauit. Vel intelligitur de Monarchia, cuius caput sit ipsa Roma: & verè.

X I I I. Iam verò hæc etiam nota, qui non agnoscet Romanum Pontificem esse ipsissimum Antichristum, eum necesse est sponte esse cæcum. Primò, ille sibi vendicat vniuersalem Monarchiam: asserens esse de necessitate salutis, vt omnis creatura sibi subsit: eámque ob caussam assumpsit Oecumenici nomen. Secundò, ipsissimam Romanam Monarchiam suam esse iactat. Vidimus enim libro præcedenti Bozium disputantem, ius omne Senatus Romani, ad eum peruenisse: ideóque nullos reges quicquam iure possidere, nisi eius beneficio. Tertiò, quicquid ille autoritatis siue habet, siue vsurpat, eius sedes est ipsa Roma. Itaque Papa est Antichristus.

X I V. Superest caput quartum de Gog & Magog: ex vigesimo Apocalypsis. *Et quum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circumierunt castra Sanctorum, & ciuitatem dilectam. Et descendit ignis de cælo, & deuorauit eos: & Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Quibus similia habentur Ezechielis trigesimo octauo, & trigesimo nono. Censet ergo Bellarminus hoc prælium Gog & Magog esse Antichristi contra Ecclesiam; & quidem postremum. Secundò, probabiliter Gog esse Antichristum; Magog exercitum eius: quia Ezechiel perpetuò Gog vocat principem; & Magog terram siue nationem.

X V. Respondeo; ex hoc capite nullum, sicut ex reliquis, à Bellarmino argumentum confici posse. Si est enim hæc vltima persecutio contra Ecclesiam, quámque statim consequatur Ecclesiæ solida liberatio; ergo ea pertinet, non ad aduentum, sed ad destructionem Antichristi: quam neutri ponimus aduenisse. Concludat ergo hoc fine qui volet. Sed non venisse, qui potest, quum omnino antè venisse oporteat, quàm nouissimam illam persecutionem moueat? Secundò, hunc ipsum locum scit ipse variè exponi: & quanquam laboret in aliorum refellendis sententiis; tamen ipse suam tantùm vt probabilem profert: non vt certam. Et tamen hanc ipsam non benè probat. Nam Gog Antichristum cur appellet? Ioannes enim dicit, Diabolum seducturum ipsum Gog: quod qui de Antichristo ausit dicere, nondum vidi: certè Scriptura non ita loquitur. At Ezechiel, eum vocat principem. Imò primò non est certum eundem esse Gog apud Ezechielem, & Ioannem; quamuis loquutiones non paucæ sint similes. Secundò, Ezechiel vocat non principem simpliciter, sed principem Mesek & Thobal, qui titulus quid ad Antichristum? Deinde, an omnis princeps est Antichristus?

X V I. Porrò, quum ex tota serie pateat hoc Gogi & Magogi bellum produci vsque ad plenam & vltimam liberationem Ecclesiæ, atque adeo ad diem iudicij, à quo quantum absimus, Deus nouit: ideò non possumus asserere hanc prophetiæ partem impletam. Quid igitur mirum, si in ea sit aliquid obscuritatis? Nam, vt sæpe dictum; prophetias intelligendi gemina ratio; vel à spiritu prophetico; vel ab euentu. Itaque, quum Prophetæ desint; nec hac parte euentus sit impletus, sine dubio non possunt omnia esse perspicua. Si quid tamen coniectura potest assequi videtur significari postrema Ecclesiæ persequutio ab Antichristo, vt Augustinus dixit: sed ita tamen, vt [illegible] tota Antichristi reuelati duratio pro vna persequutione sumatur. Ratio non difficilis: quia dixit Ioannes: *Quum expleti fuerint mille anni*, illi scilicet, quibus ligandus erat Diabolus: illi, inquam, quibus exactis, & idem soluendus, & Antichristus proditurus in medium: solutus Satanas *exibit, vt seducat gentes quæ sunt in quatuor angulis terræ, Gog, & Magog*: & quæ sequuntur. Itaque per hæc nomina videntur intelligendi omnes, qui Antichristo operam nauabunt in Ecclesia persequenda. Qui sensus vtrum pertineat ad Papam, [illegible]

CAP. XIV.

De mutatione temporum, legúmque: & de mercatoribus.

I. Nihil iam residui est præter argumenta Sanderi duo, à quibus Bellarminus abstinuit. Ea sunt in demonstrationibus trigesima septima, & trigesima octaua. Prius ergo. Antichristus mutabit tempora & leges. Papa non mutauit tempora & leges. Ergo non est Antichristus. Probatur maior, ex Danielis septimo. *Putabit quod possit mutare tempora, & leges.* Minor autem probatur: quia Tempora sunt festa Christianorum: leges autem sunt eorundem ceremoniæ. At Papa neque festos dies mutauit, neque ceremonias.

I I. Alterum argumentum: Antichristus erit Regibus malis, & mercatoribus impiis, gratus. At Papa non est huiusmodi: ergo non est Antichristus. Probatur maior, quia Apocalypsis decimo octauo, dicitur *Reges terræ cum Babylone fornicatos esse: & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites factos esse.* Et paulò post describitur eorundem fletus ob interitum eius. Ergo reges & mercatores primi omnium adorabunt Antichristum; partim, quia videnr eum obtinere diuitias & potentiam seculi: partim, quia timent ne ab eo spolientur opibus suis. Iam verò minor probatur. Primò, quia Reges omnium postremi ad fidem Christi accesserunt. Secundò, iidem omnium grauissimè oppresserunt Ecclesiam Romanam: non modò Ethnici; sed etiam Con-

stantius, Iulianus, Valens, Anastasius, Theodoricus, Longobardorum Reges, Imperatores Constantinopolitani, Henrici, Friderici, & alij Germani. Tertiò, quia vetat Pontifex, ne quis Christianorum Principum noua & iniqua tributa suis subditis imponat: non permittit illis dona Spiritus Sancti pecunia vendere, bona Ecclesiastica diripere, legitimas vxores repudiare, iisdémque viuentibus nouas ducere: prohibet vsuras, & monopolia. Ob quas causas nec tyranni, nec iniusti mercatores amant Papam.

III. Respondeo ad primum: illam Danielis prophetiam propriè pertinere ad Antiochum: non verò ad Antichristum: nisi fortè per allegoriam: à qua nullum esse potest argumentum solidum. Deinde si per allegoriam, ergo non ad literam, sed ἀναλόγως. Enimuerò non vt Iudæis, sic Christianis vlla pars pietatis est obseruatio temporum. Itaque hoc tantùm inde colligi queat, Antichristum religionem Christianam immutaturum. Leges autem; quid ni vltra religionem producamus etiam ad iura quælibet constituta?

IV. Itaque negatur minor. Nam hæc prophetia, si allegoricè Antichristum significauit, verè impleta est in Papa: qui totam religionem Christianam ita immutauit, vt iam cuilibet appareat longè diuersam esse à suis initiis. Immutauit autem, tum, quæ ab initio erant, irrita faciens; tum addens multa, recenter excogitata. Nam primò communionem vtriusque speciei, & à Domino sancitam, & à Paulo commendatam, & ab Ecclesia frequentatam, sustulit. Et vsum linguæ cognitæ ab Apostolis vsurpatum, à Paulo etiam commendatum, ab Ecclesia vsitatum, antiquauit. Et sacerdotum coniugium nónne est abominatus? Addidit autem infinitas cæremoniarum, obseruationúmque myriades, in quibus longè scrupulosiores sunt Papistæ, quàm in iis quæ habent à Christo. Tempora etiam, an is negari potest mutare, quo iubente, tot festa instituta, quæ dies ex communibus faciunt religiosos? Non mutat autem leges is, cui auctoritas de iure dispensandi? Ergo Papa est Antichristus.

V. In secundo negatur minor: nam re vera regibus & mercatoribus Papa est gratus: imò quæstuosus. Nam quid impios addere erat necesse? Quasi pij possint esse, qui Antichristo sunt grati? Imò verò, eo ipso quòd Antichristum amabunt, impij erunt. Itaque, si Papa est Antichristus, quicunque, siue reges, siue mercatores, eum amabunt, eo ipso erunt impij. Porrò causarum, quas Sanderus adfert, vtraque concurrit hodie ad efficiendum, vt Papam ament, Papæ hæreant, & reges, & mercatores. Primò, quia eum tribuere vident diuitias, vt libro præcedente probauimus: secundò, quia verentur ne ab eo spolientur. Nam quid Papæ solemnius, quàm Reges de suo solio deturbare?

VI. Quod ad mercatores attinet, quid non negent, qui negant iis religionem Romanam esse quæstuosissimam? Itaque vix vllum est vllius sancti festum, non destinatum nundinis. Et quis non videt ad Votiuos dies concursum hominum id genus omnium? Certè Lauretani Idoli vestibula sciunt omnes non peregrinis magis trita, quàm mercatoribus quisquilias vendentibus. Nec de reliquis aliud, aut experimentum est, aut iudicium esse potest. Nec verò tantùm templorum potius quàm Papæ, Cardinaliúmque magnificentia, cæterùm denique totius aulæ luxus, aliter constare potest, quàm maximo vendentium commodo.

VII. Quid, si mercatores intelligantur μεταφορικῶς, pro iis, quibus pietatis prætextus est quæstui? Non erit hæc Papæ nota? Cuius autoritate ita omnia prostant, vt nihil sacri non vendatur. Nam, & Missarum certum est pretium. & Confessiones vix soli Iesuitæ audiunt absque pretio. Et sepultura redimenda est: & campanarum sonitus non auditur gratis: & bullarum magnus est prouentus. Tum autem dispensationes in Camera Apostolica suo loco computantur. Quid singula exsequar? Notum est in tota Gallia: & hanc ego potiùs nomino, quia regiones externæ mihi non sunt ita cognitæ. In Gallia, inquam, Sacerdotes publicè lucant, non suos tantùm ex fundis reditus: sed illud etiam, quod appellant *Le dedans de l'Eglise*, publicè licitatum addicunt: id autem est, quicquid corradunt ex oblationibus, quæ fiunt intra septa templorum. Atque hæc insignis est, imò immanis mercatura.

VIII. Contrà tamen Sanderus. Prohibet, inquit, iniusta tributa. Ergo tyrannis infensus. Primò, de tyrannis cur loquitur? Ioannes enim de Regibus. Nec impij omnes iidem tyranni. Secundò, antecedens est falsum. Nam nec prohibet is, qui verbo improbat: nisi etiam facto impediat: aut saltem reipsa obstet. At hoc falsum. Nam qui Papam agnoscunt reges, multa quotidie noua tributa imponunt suis populis, ne hiscente quidem Pontifice. Præterea, non tantùm non prohibet, sed etiam permittit: testibus Matthæo Paris, & Westmonasteriensi. Itaque non prohibet absolutè, ne imponantur tributa: sed tantùm se inconsulto. Denique, ipse Papa suos subditos quotidie grauat nouis exactionibus. Et Regibus in suis regnis quoties permisit decimas? quoties cruciatas? & similia. Dum tamen ad ipsum pars aliqua rediret: vt verè, vtrinque mercatores agnoscas.

IX. Non permittit vendere spiritualia. Primò id fit, non vt ne vendantur spiritualia: sed, vt ne quisquam vendat, præter se. Deinde etiam aliquando permittit, vt nostro seculo regibus Galliæ, & Hispaniæ sæpius concessum non decimas tantùm ab Ecclesiasticis sumere: sed etiam ad certam summam distrahere fundos.

X. Non permittit vxores repudiare, aliásque inducere. Falsum: prohibet enim lege vniuersali: vt specialiter postea dispenset. Sic Alexander Lucretiæ permisit etiam tertium maritum. Et quum Henricus Rex Anglorum suam vxorem vt repudiaret, à Papa bullam postulasset, ille hærens inter sacrum & saxum, vt loquuntur, quum & Carolum Imperatorem metueret: & non auderet Henrico denegare, rem in longum tempus differebat: tandem victus importunitate, Cardinali Polo bullam tradit, mandans vt pro rerum, temporúmque necessitate, vteretur. Hic rex, quum rescisset, putauit sufficere, quòd esset scripta bulla: itaque nodum, quem non poterat soluere, scidit. Et quid eum in hoc negotio speremus non facturum, qui Regi Hispaniarum concessit sorores germa-

germanas sibi copulare?

X I. Sed reges omnium postremi ad fidem Christi venere. Quasi nos de fide Christi loquamur: & non de perfidia Antichristi. Imperatores Romam vexarunt. Sanè inquam, Christianam Romam Ethnici. Quid hoc ad Papam? Imò, inquit, etiam Constantius, Iulianus, Valens, Anastasius. Imò Romanam non magis quam reliquas. Imò reliquas magis quàm Romanam. Et tamen nondum Roma Antichristi reuelati sedes. Nec verò Romanam sedem Theodoricus afflixit: sed Romanum Imperium, in cuius ditione tum erat Roma. Et in Romæ ruina, passus est Papa: sed per accidens. Alioquin Theodorico contra Papam nullum propriè bellum erat. Longobardos Reges multo magis afflixit Papa: quàm hunc illi: suscitatis Francis, in eorum ruinam. Nam quod de Germanicis Imperatoribus dixit, certum est indicium Antichristianæ tyrannidis; vt docuimus præcedente libro: quum non illi in Papæ ruinam armarent se: sed contrà Papæ in eos classicum canerent; vt omnibus modis pessundarent id, quodcumque reliqui erat Imperatoriæ potestatis: quod etsi longè minus esset, quàm olim, tamen multa adhuc vindicabat sibi in Italia: etiam in vrbe Roma: Papa autem sibi tantumdem eripi credebat. Itaque non quieuit, donec votorum compos factus est: vt plenè Antichristianismum exerceret.

***

FINIS LIBRI DECIMI SEPTIMI.

LIBER DECIMVS OCTAVVS DE CVLTV.

Caput Primum.

DE CVLTV.

ABSOLVTAE sunt controuersię pertinentes ad Trinitatem, & Incarnationem. Sequuntur, quæ ad Dei Cultum. Sic enim polliciti sumus. Et quidem Cultum, generaliter appellare consuetudo est omnem honorem ab inferiori persona debitum, præstitúmve superiori. *τίμιον ἄνευ τὸ ὑπερέχον ἡγεῖται κατὰ τὴν ἀξίαν καὶ τιμητέον*, inquit Clemens Stromateon septimo: *Honorabile existimatur quicquid est præstantius, & pro dignitate honorandum.* Sunt eius tres, siue actus siue gradus. Primus ad intellectum pertinet; quum concipitur animo cuiuspiam præcellentia, siue dignitas maior. Secundus ad voluntatem, quam ei cuius dignitatem animo concepimus, inclinamus, & subiicimus, comparantes nos iámque cōponentes ad restandam rebus ipsis obseruantiam. Tertius exterior; quum per actiones quasdam corporis quempiam colimus. Horum graduum, primus consistere potest absque reliquis. Si enim vel Diaboli intelligunt Dei infinitam maiestatem, cui tamē honorem non deferunt. Secundus absque primo esse non potest: sed absque eo Cultus non consistit: itaque hic gradus & essentialis est, & maximè proprius cultui. Nam eo ipso, quòd cuipiam voluntas subiicitur, & colitur: nec colitur, nisi id fiat. Tertius autem adeo non est aut essentialis, aut proprius cultui: vt & absque eo cultus esse possit: & possit ipse non tantùm sine cultu, quomodo dictum, *Labiis me adorant, cor autem eorum procul est a me*: sed etiam cum irrisione, vt quum illi genuflectentes, Christum alapis cædebant. Atque hæc non sunt controuersa: nam & Bellarminus sic docet: & Gregorius de Valentia. Sed & Cotonus.

B

II. Iam verò præcellentia, siue dignitas gemina est, increata, & creata. Illa, qua Deus ipse præcellit omnia, quæcunque sunt, quęcunque cogitari possunt: éstque vna & simplicissima, nec potest diuidi aut distingui in gradus, speciésve. Itaque, cùm Deus distinguatur in tres personas, tamen honor personis debitus nō distinguitur: sed ęquali honore, Pater colitur, & Filius, & Spiritus sanctus: Nam τῷ ὁμοουσίῳ, τὸ ὁμόδοξον, consequens est.

III. Dignitas creata, ea est, quę in Creaturis cōsideratur, comparatis inter se, nō autē cum Deo. Nā Deo quidē omnes sunt inferiores: & quidē ita vt nulla sit *συνωνυμία*, sed tantùm *ἀναλογία*, vt loquuntur in scholis: hoc est, vt dignitas cuiuscunque creaturæ, neque numero, neque genere eadem sit cum Dei dignitate. Nam finitum nullum sub eandem definitionem cadere potest cum infinito. Sed fit duntaxat per similitudinem quandam quasi affinis.

C

Inter sese igitur creaturæ comparatæ, aliæ sunt aliis digniores: idque vel per naturam, vel per gratiam. Per naturam, Angeli hominibus. Per gratiam, ij qui cùm per naturam æquales essent, tamen aliquid præter illam acceperūt, quo cæteris præferūtur: vt in politia, magistratus præferuntur populo: vt in Ecclesia, fideles infidelibus: in cœlis etiam Angeli beati, Angelis Apostatis.

IV. Tum autem creatæ dignitatis gradus esse varios nihil prohibet. In politia magistratuum alij aliis superiores sunt.

D

Petrus secundo capite prioris: *Subiecti estote cuiuis humanæ ordinationi propter Dominum: siue regi, vt qui supereminet: siue præsidibus, vt qui per eum mittuntur.* In Ecclesia non tātum, primo Apostoli: deinde Prophetæ: Tertiò, Doctores, duodecimo prioris ad Corinthios: sed etiam varia charismata, vt in vno corpore varia membra: atque adeo alius honoratio-

notariora. Quid? quod inter duodecim illos Paulus agno[illegible] [illegible]? agn[illegible] [illegible]? agn[illegible] d[illegible] [illegible]?

V. His p[illegible]s, quis non videt sequi necessariò, varios e[illegible] gradus h[illegible]? Nam colendus Deus est: nec id quisqu[illegible] negat, nisi qui idem Deum funditus [illegible]get. Colendus autem honore eximio, ex[illegible] que honor[illegible] lon[illegible] sup[illegible] rante: sic exigente eius dignitate. Et quia post Deum, suæ sunt inter Creaturas differentiæ, primò Angelorum, quos naturæ prærogatiua præculit hominibus: tum etiam hominum, quos Deus variis distinxit inæqualitatibus: consentitur item in hoc, esse quendam cultum à creaturis inferioribus debitum præcellentibus. Nec desunt aut Angelorum ab hominibus, aut hominum ab aliis cultorum cùm exempla, tum præcepta sacra.

VI. Atque hactenus consentiunt Catholicis Papistæ. Deinceps contentio erit. Et primò de calumniis: deinde de ipsa doctrina.

CAP. II.

De Conuitiis in Sanctos generatim.

I. Calumniis grauant ergo Papistæ Catholicos suo solemni more: & quòd negent Sanctos vllo honore afficiendos: Et quòd eosdem contumeliis afficiant. Honorem omnem Sanctis denegari Bellarminus à Caluino queritur de Sanctorum beatitudine, capite vndecimo, *Caluinus* (inquit) *libri primi Institutionis, capitisque vndecimi paragrapho primo & secundo, non patitur vllum cultum exhiberi sanctis Angelis, vel hominibus defunctis, neque paruum, neque magnum.* Addit sese calumniæ comitem Feuardentius Theomachiæ libro nono, capite vigesimo tertio. Caluinus & fraterculi eius, inquit, negant fas esse Angelos honorare, nedum inuocare: Et citat libri Institutionis primi caput decimum quartum. Similiter Lonchius hæresi prima de Sanctis Dei in Fortalitio, *Sanctos*, inquit, *Deo non esse peculiari honore colendos, docent omnes hodierni heretici.*

II. Respondeo, nihil hic esse præter monachalem impudentiam. Respondeo, inquam, nihil horum à Caluino, à nobis dictum, cogitatúmve. Et quidem de Angelis, quid habent excusationis? Nam decimumquartum illud caput libri primi Institutionis, hoc habet disertè, *Neque enim æquum est sine honore præteriri ea instrumenta, quibus suæ manus sui præsentiam specialiter Deus exhibet.* Ita, inquam, Caluinus de Angelis. Et asserat quisquam omnem honorem ab eo Angelis denegari? Bellarminus autem impudentior, qui eos locos citat, in quibus nullum est verborum vestigium, vnde colligas nullum honorem, neque magnum, neque paruum, quem ille sic, tam sollicitè nominauit.

III. Quid ergo? Nimirum locis à Bellarmi-

[illegible] ingenuitatis disputat contra Papisticam [illegible] distinctionem, tum à vocabulis tum à re ipsa. Nam vocabulorum eam vim esse, vt [illegible] pl[illegible] q[illegible] m [illegible] it que illam absurdè creaturis tribu[illegible] hanc Deo. cùm contrà potiùs debitè [illegible]. Deinde, *In re, inquit, ostendant discrimen, vt habeantur vtrobique idololatriæ dispariles.* Significans ridiculam impostùram eorum, qui in re pari variorum vocabulorum præstigiis ludunt. *Aliquos retro seculis* (inquit) *sancti qui hac vita excesserant, in Dei societatem euectis sunt, vt pro illo & colerentur, & inuocarentur, & celebrarentur.* Neque aliter capite decimo quarto, paragrapho decimo, occurrere satagit superstitioni, quæ obrepere plerumque solet, vbi dicitur, Angelos nobis omnium bonorum ministros esse ac præbitores: nimium, vt concludatur, nihil non honoris illis deferendum. Hæc Caluinus & asserit & disputat. Videant Papistæ, quantam sibi Idololatriæ notam inurant, qùum eos, qui nolunt honores Angelis, Sanctisque tribui, qui debentur Deo, accusant quasi omnem cultum Angelis, Sanctisque denegantes. Non possunt enim ipsi effugere, quin eo ipso conuincantur argumento, aut nullum nullum cultum deferre: aut certè eundem illum deferre, qui Deo debetur. Sed hos calumniatores, si res ipsa accusat: at Caluinum veritas plus satis tuebitur.

IV. S[illegible] quuntur contumeliæ: quarum argumenta comperio esse duo, vnum generalius, alterum magis particulare. Bellarminus præfatione in septimam controuersiam tomi primi, De Sanctis hominibus Testamenti Noui, primum scurriliter nugatur, eos, si preces mortalium exaudire debeant, tam longis aures habere oportere, vt à cœlo vsque ad terram porrigantur. Deinde eosdem per contemptum, nunc homines mortuos, nunc vmbras, nunc laruas, nunc etiam cothurne nominat, in Institutione libro tertio, capite vigesimo, paragrapho vigesimo septimo. In libro autem, quem inscripsit de Vera Ecclesiæ reformandæ ratione, etiam monstra, cardifices, & bestias appellauit. Et hanc eandem crambem recoquit capite decimo sexto, & vigesimo libri de Beatitudine sanctorum. Plurimi etiam alij idem exprobrant, siue ab iis ille, siue ab hoc illi sumpserint.

V. Verùm hic aliud est nihil præter meram maledicendi [illegible], Nunquam Caluinus, aut quisquam sanus, de Sanctis viuis, nedum de vita functis, loquutus est insolenter, aut indecorè. Institutionis libro tertio, capite vigesimo, paragrapho vigesimo quarto, qùum ageret contra Papisticam sanctorum inuocationem, *Quid eo vsque longas illis esse aures reuelaunt, qua ad voces nostras porrigantur?* Hæc Caluinus, irridens ineptissimam superstitionem stultissimorum hominum. Enimverò quis sanciuit, scommata nulla iaci posse in eos, qui temere de rebus sanctis garriunt, quin violentur res ipsæ sanctæ? In summa negate voluit Caluinus Sanctus audire preces nostras. Longas autem nominauit aures, ex prouerbiali tropo: quo sicut reges longas habere manus dicimus, quoniam autoritas longè lateque producitur. Nec tamè Reges omnes Lógimanos Artaxerxes facimus: sic aures illógas, qui lōgos à se lōgissimè dissitus capiunt. Sunt igitur nequissimi Papistæ

qui id quo suam hæresin lancinari sentiunt, in sanctos velint torqueri: non autem blasphemus Caluinus, qui mordaci sale perstrinxit, quod tam procul abit, ab omni non pietate solùm, sed etiam ratione.

VI. Mortuos homines, sanctos appellauit. Ita sane: & cur non vocarit, qui re vera mortui sunt? Quos & Scriptura, & Patres, & Papistæ ipsi sic appellant? At per contemptum Caluinus? Ita-ne? Locos oportuit notatos: non absque vlla probatione nudam calumniam effutire. Nam ego quidem contrà inuenio. Eodem Institutionis capite paragrapho vigesimo primo, *Quod ad sanctos attinet*, inquit, *qui carne mortui in Christo viuunt*. En tibi mortuorum nomen: Quis tam est Sycophanta, vt detorqueat in contemptum? Neque vllus contrà locus à quoquam proferri potest. Fateor verò sanctos mortuos, sæpissimè appellatos: & hoc fortasse istis dolet: non absolutè sanctos nominari. Sed Caluino cognita erat Scripturæ phrasis, quæ sanctos, vt plurimum eos qui sunt in viuis nominat, vix qui denati: & sciebat statum controuersiæ cum Papistis esse, non vtrum sancti sint orandi: quod de viuis prolixe conceditur: vixque habet periculum superstitionis: sed vtrum sancti, qui carne mortui sunt: quod nunquam factum absque idololatria: atque eo, quum vrgeri se videant boni isti viri, huc deueniunt, vt disertè negent sanctos dicendos mortuos: quòd aliàs videbimus. Sed non si Papistæ in suis ineptiis luxuriantur, ideo Caluinus blasphemus est.

VII. De vmbris quid dicam? Hîc verò cæcam stupiditatem mirer, an horream? Hoc potiùs. Nam quid mirum in tanta mentis διαφθορᾷ, At vmbras Caluinus sanctos nunquam appellauit. Quid ergo? Quum quæreret: qui rescirent sancti, quæ hic geruntur, *Nugantur*, inquit, *in suis vmbris nescio quid de fulgore diuini vultus ipsos irradiante, in quo ceu in speculo, res hominum ex alto despiciant*. En tibi occasionem calumniæ: quia vmbras legerunt: sanctos putarunt ita significatos: digni ycoSphantæ non suis vmbris, sed perpetua nocte, quandoquidem sibi sponte oculos excauant. Nam alioqnin si sanctos vmbras intellexisset, cur ipsos postea dixisset? Sed non opus est argumentis. Saltem legissent Gallicam eius loci versionem, autore ipso Caluino, *Les Sophistes babillent ie ne scay quoy en leurs Escoles*. En tibi quid vmbras appellarit: non ipsos sanctos: sed otiosissimas illas scholas, in quibus Papistæ inconsideratè blaterant. Sic isti noui Nicharchi φαίνειν διὰ σκιαμαχίας.

VIII. Reliqua deinceps paulò plus habent coloris. Colluuiem, laruas, monstra, carnifices, bestias nominauit; fateor: nomina dura, dira. Quid tum? Blasphemus igitur in Sanctos. Sanè, inquam, si in sanctos. At hoc falsum. Nam dixit in Papistica Idola. Paragrapho vigesimo quinto eiusdem capitis, indignatur eos, qui, prætextu Abrahami, patronos sibi adsciscunt sanctos, in suis tamen patronis nunquam Abrahamum nominare, sed infinitos alios minutulos, cum Abrahamo ne comparandos quidem. *Ex qua*, inquit, *colluuie sibi aduocatos sumant, minime ignotum est. Abraham, quem Deus aliis omnibus prætulit, & quem euexit in summum honoris gradum, negligi ac supprimi, quam consentaneum sit, mihi respondeant.* Sensus est, apud Papistas intercessorum numerum augeri etiam magno hominum numero, qui Abrahamo comparati, mera sint colluuies. Nimirum Franciscos, Dominicos, & recentiores omnes intelligens: maximè illos minorum gentium. Nam quis nescit abundare Calendarium Romanum minutulis nominibus, vix extra parœcias suas cognitis? Quis nescit multos induci ἀνωνύμως? Quis ignorat multos hîc illic coli nullo in Calendario notatos? Certè in ripa Rhodani, Valentia Cauarum paucis miliaribus abest Iosserandus, quem sui fatentur non esse in catalogo. Denique, quis non legit apud Bellarminum, Sanctos non canonizatos priuatim posse coli? Et non ista sufficiunt Caluino, vt merito dicat, etiam ex colluuie hominum sibi idololatras petere patronos? Quid? si Gaignefortum nominem apud Anicienses superstitiosorum aniculis diuitem? Quid Genesium cœlorum tympanistam: ita enim vulgus appellat. Quid si Gingolfum addam, nulla re nobilem nisi, excitatis aui crepitibus? Dubitem-ne dicere, si Papistæ stolidissimi sunt, non tamen Caluinum in sanctos esse iniurium?

IX. Venio ad laruas. *Colligimus* (inquit Caluinus paragrapho vigesimo septimo) *nihil eos Christo reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius intercessionem nisi accedant Georgius, & Hippolytus, aut similes laruæ.* Non ergo sanctos: sed Georgium verè laruam: atque ita laruam, vt non possint Iesuitæ, non possit Baronius, non refugere ad allegoriam: de qua diximus libro secundo tomi primi. Additur Hippolytus: ille scilicet, quem fingunt ab equis discerptum, solo teste Prudentio, qui sibi in poëseos gratiam nonnulla permittit, &, vt loquitur Bellarminus capite decimo octauo, libri secundi de Purgatorio, ludit more poëtico. Atque adeo Baronius in Martyrologio tum trigesimo Ianuarij, tum decimo tertio Augusti, notat eum ex triplici Hippolyto vnum facere. Quum ergo tam incerta sit Legenda, credidit Caluinus Hippolytum æquè cum Georgio laruam esse: & est fortasse. Itaque non propterea in sanctos iniurius.

X. Sed de monstris, carnificibus, & bestiis, quid dicimus? *Dominicum* (inquit Bellarminus) *carnificem, Medardum & quosdam alios bestias: Sanctos verò generatim monstra appellat.* Atqui de monstris mentitur pro sua sinceritate Cardinalis. Recito Caluini locum, ex libro de ratione reformandæ Ecclesiæ, *Si solos Prophetas, & Apostolos eueherent ad hunc honorem, acriter intercedere deceret, ne ex sanctis Dei monstra idola fierent: nunc ad hanc impietatem accedit nimis insulsa absurditas: quibuslibet enim patronis suos dies festos assignant. Multa porrò sunt templa Catharinæ dicata, vel Christophoro, vel aliis fictitiis nominibus. Catharinæ aut Christophori precibus, vt tueatur plebs huius loci, à Domino postulabit. Itáne tum Deo luditur, vt, qui nulli vnquam fuerunt, obtrudantur ad Deum exorandum patroni? Talibus monstris qui fomenta suppeditant, gustum-ne aliquem vnquam habuisse credendi sunt veræ, sinceræque Dei inuocationis? Omitto Dominicum, & similes carnifices: Omitto Medardum, Lubinum, & similes eius bestias. Quæ enim finis esset, si singulos labyrinthi ambages excutere vel-*

ni vellem: Hactenus Caluinus: declamans in Interimisticos Mediatores, qui sic reformare volebant Ecclesiam, vt tamen retinerent, cùm alia plurima, tum dies festos cultui defunctorum dicatos. Vrget igitur argumento à maiori. Sine Apostolis quidem dicari festi dies ad eos inuocandos tolerandi sunt: multo minus qui dicati sunt iis qui cum Apostolis nulla parte sunt comparandi. Antecedens probat, à periculo Idololatriæ. Consequentia per se nota est. Restabat ergo probandum consequens: nempe dies festos papisticos iis dicari, qui cum Apostolis nulla parte conferendi sunt. Id fit dupliciter. Primò, quia festi illi dies dicati sunt quibusdam, qui nunquam exstiterant: vt Catharinæ, vt Christophoro. Atque hic monstri nomen. Et quidem non de Catharina, aut Christophoro: sed de ea prodigiosa stupiditate, quæ sanctis fictitiis dicat dies festos in Ecclesia. Quod certè instar monstri est. Quanquam etsi diceret de Catharina, & Christophoro, quid peccaret? Non certè in sanctos: quia illi sancti nulli sunt. Et tamen, Sanctos generatim monstra appellat, inquit, bonus Bellarminus. Quàm religiosè! Cardinalem facile agnoscas: agnoscas Iesuitam.

XI. Carnificem Dominicum cur non vocet? Authorem: aut si non autorem, certè instigatorem, incensoremque nefandissimi illius in Albigenses belli, quo extincta sunt tot hominum millia: vt ab aliis docemus? Enimuerò non tantam stragem Alexandriæ olim edidit Georgius ille Cappadox, quem tamen Baronius capite decimo de Martyrologio exsecrandum carnificem appellat. Lubinum, Medardumque bestias cur appellet, fateor ignorare: nisi fortè ea caussa est, quod nostri Galli vtrumque nomen derisiculo habent, in prouerbialibus dicteriis: quod indicio est: minutulos aliquos Sanctos esse: cùm eorum ridicula aut fuerint, aut facta sint nomina.

Cap. III.

De Conuitiis in Angelos.

I. Atque hactenus de contumeliis generalioribus. Nunc de aliis quas particulatim colligunt. Nam Caluinus non contentus (inquit Bellarminus) iis conuiciis, quibus Sanctos omnes vexat, qui post Christi aduentum floruerunt, etiam ad eos linguæ suæ flagellum extendit, qui multis seculis eiusdem Saluatoris aduentum præcesserunt. Et Feuardentius capite primo, libri noni Theomachiæ. Autores vestri quum de veteribus Patriarchis atque Prophetis verba faciunt, omne genus contumeliarum & opprobriorum congerunt in eos, quæ vix in ergastulo crucis candidatus pateretur. Stringunt etiam suæ maledicentiæ tela in Ioannem Baptistam: non immunes habent beatos Angelos: non beatissimam Deiparam Virginem. Graue crimen: si est admissum. Itaque necessariò aut purgandum, aut damnandum. Sed tantam, tamque atrocem accusationem, qui probant? Videlicet collectis variis locis vbi notantur, aut notari finguntur quædam eorum sanctorum peccata. Quasi hoc argumento vsi: Quicumque Sanctorum peccata obseruent, ij de sanctis contumeliosè loquantur. At vos Sanctorum peccata obseruatis: Ergo loquimini de Sanctis contumeliosè.

II. Respondeo, peccata illa, vel falsò obiici, vel verè obseruari. Si falsò obiiciuntur, concedi potest esse contumelias. Quanquam poterit etiam interdum venia dari infirmitati humanæ, quam suum iudicium non rarò decipit, vt pro peccatis ea obseruet, quæ re vera peccata non sint. Sed hoc tamen nihil ad nos. Sin autem verè obseruantur, rursus distinguo. Si enim malo animo, charitateque Christiana vacuo obseruantur, fateor esse contumeliam. Sin autem sincerè, & animo candido ac Christiano, soliusque veritatis, & iustitiæ amore, tum verò calumnia nulla esse potest. Alioqnin ipse Spiritus Dei dicendus esset contumeliosus, quod est horrendum cogitatu, qui non tantùm improborum hominum scelera descripsit: sed etiam piorum lapsus notauit: Noachi ebrietatem: Lothi incestum: Dauidis homicidium, & adulterium: Solomonis idololatriam: Petri abnegationem: similia plurima.

III. Neque verò dicat quisquam, Spiritui Sancto id licuisse, nobis non licere? Nam Chrysostomus homilia vigesima septima in Matthæum, non tantùm recenset, sed etiam exaggerat Dauidis peccatum, quàm potest maximè. οὐκ ἐσμὲν ἀκριβέστεροι τοῦ Δαβίδ, ὃς μικρὸν ἀμελήσας πρὸς αὐτὸ κατεκρημνίσθη τῆς ἁμαρτίας τὸ βάραθρον, *Non sumus perfectiores nos quàm Dauid, qui parua negligentia in profundum peccati detrusus fuit.* Hem Chrysostomi παρρησίαν! Prob quantis excipiendam probris, si nobis excidisset! Profectò si Caluino accidisset vsquam scribere Dauidem, aut quemcunque sanctum decidisse in profundum peccatorum: ne salus quidem ipsa eum seruaret, Papistis iudicibus. Τίς οὖν ὁ ἀρρωστίας ὁ νοσῶν; ὁ ἐμοίχευσε καὶ ἐφόνευσεν; *Quo igitur morbo detentus fuit? Adulterium patrauit, & homicidium.* οὐ γὰρ ἐγκαλύπτομαι λαμπρᾷ ταῦτα ἀνακηρύττειν φωνῇ, *Non enim vereor magna hæc voce publicare.* εἰ γὰρ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐνόμισεν αἰσχύνην ταύτην αἰωνίως [illegible] ἱστορίαν, πολλῷ μᾶλλον ἡμᾶς συσκιάζειν χρή; διόπερ οὐ μόνον αὐτὴν ἀνακηρύττω, ἀλλὰ καὶ ἕτερον προσθήσομαι, *Nam si Spiritus sanctus non putauit in eo dedecus vllum esse, si tota historia hæc proponatur, multo minus nos vllis vmbris velare oportet. Propterea hæc non tantùm prædico, sed etiam aliud addam.* τί οὖν ἐστιν ὃ προστίθημι; τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρός, ὃ μεῖζον ποιεῖ τὸ ἔγκλημα. *Quid addam igitur? Virtutem viri: quæ longè grauius peccatum efficit.* Et pergit multis verbis peccatum Dauidis exaggerans atque amplificans.

IV. Cùm possint igitur obseruari à nobis peccata magnorum olim virorum, constat non necessariò de sanctis contumeliosè loqui, quicunque ea peccata non prætereunt aure surda. Itaque distincta in eum modum syllogismi Maiore: tota deinceps controuersia erit in minore: In cuius examine duo erunt attendenda, vnum, sit-ne id quod in sanctis consideratur, peccatum aliquod. Nam si sit, constat non dissimulandum: alterum, quo id ipsum animo consideretur. Nam si, vt sancti probro afficiantur, nemo non damnabit. Sed posse etiam pertinere ad eorum laudem, ipse testis Chrysostomus eadem homilia. ὅσοι ταῦτα κρύπτουσιν, οὗτοι μάλιστα τὴν ἀρετὴν συσκιάζουσι τὴν ἐκείνου, *Quicunque hæc peccata occulunt, ij maximè obscurant virtutem Dauidis.* His positis incipiam ab Angelis: inde ad Sanctos veniam Testamenti Veteris: tum ad Noui.

V. De Angelis igitur. Mirarer, (inquit Feuardentius Theomachiæ libro nono, capite decimo nono) si spiritus Angelici, qui semper vident faciē Patris, qui in cœlis est, aculeos Caluinianæ, Bezanæque mordacitatis non persentiscerent. At Catholici mirentur potius, si Caluinum, & Bezam pias animas Papistæ calumniis non vexarent. Verùm hæc mittamus: rem ipsam videamus potius. Ergo Caluinus Institutionis libro tertio, capite decimo quarto, paragrapho decimo sexto, negat Angelos posse satisfacere iustitiæ Dei. Et in Iobum sermone decimo sexto, *Si Deus summo iure cum Angelis agat, inueniet quod in eis desideret: non exstabit in ipsis constans & perpetua firmitas: sed vana debilésque creatura deprehendentur. Angeli ipsi Deo satisfacere nequeunt. Deus non reperit solidam veritatem in Angelis suis, sed stultitiam & vanitatem. Est in ipsis vanitas, & inconstantia, Angeli nihil in se habent, vnde possint gloriari. Deus in eis offendit stultitiam & vanitatem. Deus pronunciat stultitiam & vanitatem exstare in Angelis, hoc est contagionem & labem peccati. nec subsistere possent in iudicio Dei, si rigidè cum ipsis experiretur, Deus in Angelis deprehendit quod requirat. Angeli qui faciem eius intuentur, non ad eum perfectionis gradum peruenerunt, vt nihil in eis desideretur, si Deus stricto iure cum illis ageret.* Et in caput vigesimum tertium Matthæi, tradit, *Angelos cœlestes turpitudine libidinum humanarum posse corrumpi ac deprauari.* Denique in primum ad Colossenses, *obedientiam quam præstant Deo non esse tam perfectam, quin venia indigeat.*

VI. Hem! tam multa Caluinum contra Angelos? Moueāt ista sanè pueros crepitacula. At viri irridebunt. Quid enim accusant quæso? An quòd non possint Angeli satisfacere iustitiæ Dei? An quòd in eis Deus inuenit stultitiam & vanitatem? An denique, quod turpitudine libidinum humanarum possint corrumpi? Nam his tribus capitibus comprehendi posse puto totam hanc accusationem. Iam igitur examino singula, vt conuincam, nullam esse à Caluino contumeliam: sed maximam à Monacho impudentiam. In tertio certè merum mendacium. En locum. Exponens verba Christi dicentis Scribas & Pharisæos circuire mare & aridam, vt proselytum faciant duplo nequiorem, *Tale*, inquit, *hodie exemplum in Monachis spectare licet: sedulo enim ipsi vndeque proselytos corradunt: sed quos ex lasciuis & impura vita hominibus reddant prorsus Diabolos. Nam ea est lustrorum, in quibus bacchantur corruptio, qua vel cœlestes Angelos deprauet.* Ea Caluini verba sunt. Refutem-ne vlterius impudentissimi monachi desperatissimam calumniam? An indicasse sufficiat? Vident enim sani (in quibus vix scio an vllus Monachus) non propriè, sed [illegible] Angelos nominatos: vt significaret tantam esse claustrorum corruptionem, vt sufficiat corrumpendis non lasciuis tantùm hominibus: sed etiam Angelis, si ea claustra ingrederentur. Quis autem non solet his excessibus indulgere? Pronunciauit Paulus anathema etiam Angelis è cœlo, si doceant præter Euangelium. Exspecto vos Sycophantas, vt concludatis Paulum blasphemum, qui docuerit posse Angelos vel docere contra Euangelium, vel anathemate feriri. Hoc si non docetis: frustra Caluini nomen rabidissimi canes allatratis.

VII. In reliquis capitibus, quæ tanta est iræ materia? Non posse satisfacere Angelos iustitiæ Dei. At primum Caluinus dixit non posse respondere. Deinde quomodo intelligit Sophista? An de ea Dei iustitia qua iudicat creaturas suas, ex earum modulo? Hoc, opinor, volunt esse blasphemum. Sed Caluinus non induxit in animum. Relegantur verba, *Vbi Iob dicit: Si impiè egi, væ mihi: Si autem iustè, nec sic erigam caput: quanquam respicit ad summam illam Dei iustitiam, cui ne Angeli quidem respondent simul tamen ostendit, vbi ad Dei iudicium venitur, nihil restare cunctis mortalibus nisi vt obmutescant.* Distinxit igitur Caluinus in Deo summam iustitiam, à iudicio ad quod hominibus veniendum. Et illi, non autem huic negat Angelos respondere posse: hoc est, et iustitiæ summæ, qua Deus iustus est, pares esse non posse. De hoc autē est-ne quisquam qui dubitet? Monachi fortasse: & inter Monachos Franciscani. At sani nunquam. Itaque non blasphemat hac parte Caluinus.

VIII. In secundo capite non potest tenellus Monachus in Angelis audire stultitiam, vanitatem. Cur non? An quia contagio est, & labes peccati? At hoc falsum: & Caluinus nunquam ita cogitauit, nedum sic loquutus: quamuis inter eius verba Feuardentius ista expressetit: vitio-ne typographico, an proprio scelere, non facile dixerim. Imò contra: commentariis in caput primum ad Colossenses, disertè, *Illis*, id est, in Angelis, *nulla defectio: nullum peccatum. ideóque nullum diuortium.* Et non optat Monachus sibi terram dehiscere? Tantæ molis est cucullatum erubescere! Cæterum Caluinus Iobi versum hunc exponit Quem sic legimus in Vulgata editione, *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit prauitatem.* Quum Hebraicè sit ad verbum, *Ecce seruis suis non credidit: & in angelis suis posuit* תהלה. Cuius duæ partes sunt in priori, *Seruis suis non credidit*, Caluinus interpretatus est, *Non inuenit firmitatem in seruis suis.* Non verba numerans: sed sensa ponderans: quod enim cuipiam non creditur, id fit ob instabile eius ingenium: aut certè deprauatum. At in Angelis deprauatio nulla: Ergo instabilitas tantùm.

IX. In altera autem parte vox תהלה variè redditur, à quibusdam, *lux*. Ab aliis valde contrario sensu. Et quidem vulgatus interpres durissimè *prauitatem*. Caluinus mollius, *Vanitatem*: non enim prauitatem potuit agnoscere, qui testatur alibi nullum esse peccatum in Angelis. Ergo alterutrum tantùm dubitari potest: vtrum scilicet de Angelis bonis dictum sit, an potius de malis: deinde vtrum lux sit dicēnda, an contra. Et de primo quidem scio nonnullos dubitasse: sed quid causæ est? Vult enim Eliphas à maiori arguere hominum vanitatē. Quæ autem vis ea arguēdi esset: Deus reperit prauitatem in Diabolis: ergo multo magis in hominibus? Nam hæc comparatio falsa est: quia multo maior corruptio est in Diabolis. Deinde, Angelos copulauit cum seruis Dei: at hi non possunt esse homines, de quibus agitur in apodosi: Ergo angeli sunt boni. Quî autem verisimile est copulatos Angelos bonos, Angelis malis? Multo verius, idem bis expressum. Denique Angelos Dei, appellatos Diabolos quis putet? Nam etiam proximo capite distinguuntur Filij Dei, id est, Angeli, à Satana. De luce autem, iam non est integrum Papistis dubitare, post canonizatam vulgatem editionem. Deinde qui sic putāt, repetunt negationem ex membro præcedenti, vt sit, *Non posuit in Angelis suis lucem*: & interpretantur de defectu perfectionis. Sed si ambiguum est vocabulum, quid peccat Caluinus, in aliam partem propensior: Et si peccat, longè leuius peccat, quàm autor editionis Latinæ, cuius longè durius est vocabulum

hum, vt diximus: Denique nihil Caluinus, præter mentem eius Scripturæ. Ergo aut scripturam reprehendant Monachi: aut Caluinum absoluant.

Cap. IV.

De Conuitiis in Sanctos Veteris Testamenti.

I. Transeo ad Sanctos Veteris Testamenti, de quibus nonnulla perstringit Bellarminus: at plura & fusius Feuardentius exsequitur. Exordiũ à Noacho, quem horrendæ & abominandæ desperationis argui notant, commentariis in Geneseos sextum. *Necesse erat vt desperatione cõfusus, salutem suam in arcam includeret.* Deinde summæ imprudentiæ, in caput septimum, *Omni consilio destitutus, in arcam se inclusit.* Tertiò: in caput nonum, *In turpem ac pudendũ modum sui oblitus est.* Quartò ibidem, *Fœdam mentis alienationem contraxit.* Quintò, *Deus æternam probri maculam ei inussit.* Sextò, *Non satis modeste, grauiterque se gessit, quum diras maledictiones in triuforem filium, velut fulmen iaculatus est.* Septimò, *Nec Moses recitare sustinuit, quas contumelias, ira & atra bile percitus, in eum despumauit.*

II. In primo merum mendacium, cum impudenti falsatione. Caluini verba, *Necesse erat vt desperatione alibi confusus, salutem suam fide in arcam includeret.* En cucullati sinceritatem. Duas voculas eratit, vt locum faceret imposturæ. Non enim dictum Caluino, Noachum desperatione confusum simpliciter: sed alibi: id est, extra hanc vnam arcam nihil fuisse vnde aliquid salutis sperare posset. Quod quis neget? Quum quicquid extra arcam fuit, perierit. Deinde dictum: *Fide inclusisse salutem in arcam:* hoc est, etsi omnia ei certam perniciem minarentur, tamen fidem retinuisse constanter: vt in ea arcula se speraret conseruandum. At certè hæc spes, imò hæc fides procul abest à desperatione. Destitutum consilio, nescio vbi legerit Feuardentius: ego certè apud Caluinum non potui. Et tamen quid in eo duri? quid conuitij? Quis enim non videt, fabricationem arcæ, nullum fuisse eius viri consilium, sed Dei monitum? Aufer hoc monitum, tum profectò necesse erit eum efficias tam inopem consilij, quàm quemquam eorum, qui aquis resistere, nulla vi, nulla potuerunt industria. Itaque somniant monachi tragelaphos, qui nusquam sunt.

III. Ad reliqua quod attinet, sic Caluinus, *Sanctus Patriarcha, insignis frugalitatis & temperantiæ exemplar, turpem ac pudendum in modum sui oblitus, nudum se in terram proiicit, vt pateat omnium ludibrio.* Quid hic rodit Sycophanta? An quod sui oblitum legit? Neget ergo fuisse ebrium. Nam enim aliter ebrij solẽt. Imò neget, discooperuisse se in medio tabernaculi sui. Nisi fortè malit, illibata mente, & certo consilio factum: nouo apologiæ modo, vt quem sui oblitum dici non patitur, eum impudentem faciat. An quod turpem ac pudendum in modum? Euge: nobis monachi honestatem etiam inuenient in illo Noachi statu: nihil, inquam, pudẽdum agnoscent in eo, qui pudenda oculis hominum exhibuerit: tam habent cor modestum: imò que eis oculorum castitas, sustinerent immotis luminibus hoc spectaculum, à quo Sem & Iaphet auerterunt sese. Æquè etiam negabunt eam fœdam esse mentis alienationem. Atqui de fœditate, iam dictũ. Alienationem mentis, quis negat perpetuum esse ebrietatis comitem? Pererius in nonum Geneseos negat ab ebrietate vnquam abesse, cõfusionem animi, perturbationem mentis, & quasi breuem quandam insaniam. Et post, *tali Noe fuisse oppressum ebrietate, vt mentis compos non esset.* Verè autem dixit Caluinus, Deum illi æternam probri maculam inurere. Quid enim est aliud, hæc ipsa eius peccati testificatio? Nam hæc ipsa Scriptura, quamdiu orbis erit, tamdiu Ecclesiæ testabitur, Noachum fuisse ebrium: quæ quidem laus nulla esse potest. Verè ergo Caluinus obiectauit. Sed quo animo? An vt conuitiũ faceret tanto viro? Imò contrà, vocat, *insigne frugalitatis & temperantiæ exemplar.* Solent-ne ita cõuitiatores? Deinde nunquam dissimulasset vir quisquam bonus, ex eo Noachi peccato, Caluinum ducere seriam admonitionem de vitanda ebrietate. *Quanto*, inquit, *studio colenda nobis sobrietas, ne quid simile, vel etiam deterius contingat? Sciamus Dei iudicio Noach productum fuisse in theatrum, vt aliis omnibus documento esset, ne se largiore potu inebrient. Poterat certe venia vtcumque dari sancto viro, qui labore defunctus, vini potu se exhilarans, iustam se mercedem capere putat. Atqui Deus æternam illi probri maculam inurit. Quid igitur otiosis ventribus, & gurgitibus inexhaustis futurum putamus, quibus hoc vnum propositum est certamen, quomodo quàm plurimum vini absumãt?* Hęc Caluinus, & pius in Noachum, quem sancti nomine, etiam post ebrietatem honestat: & peccati hostis etiam in viris magnis: & vehemens in exhortando. Tantus ille Caluinus fuit: rumpantur vt ilia Franciscanis.

IV. Reliqua pertinent ad iustam improbissimi filij increpationem: in qua si Franciscano credimus nihil est, quod nõ Caluino displicuerit: ita nec grauiter modesteque se gessisse: nec Mosem sustinuisse recitare, quas ille contumelias despumarit. Ac ego mirer, si quid adhuc supersit mẽdaciorum apud inferos, cùm tantùm exhalatum sit apud superos: si superi Franciscani: & non ipsi iam vestibula inferorum. Saltẽ eiusmodi nihil est apud Caluinum. Imò contra totus est in refellendis iis, qui hinc occasionem cupidè arripiunt eius viri traducendi. Horum primò censuram ponit, *Videri posset Noach quamuis iustam excandescendi causam habeat, parum tamen modestè, & grauiter se gerere.* Atque hinc nonnihil decerpsit Monachus, quasi ea verba Caluinus de suo protulisset: & non tanquam aliorum obiectionem: quam soluens statim, *Atqui*, inquit, *non refert hic Moses conuitia quæ bile & iracundia percitus euomuerit: sed loquentem potius inducit prophetico spiritu. Quare non est quod dubitemus, sanctum virum verè (vt par erat) culpa sua sensu humiliatum esse, & probè reputasse, quid meritus esset: nunc verò venia donatum, & aboliso reatu prodire diuini iudicij præconem.* Os durum Franciscani! Non sustinuisse Mosem recitare contumelias: & hoc scripsisse Caluinum! Quæ nequitia vnquam huic nequitiæ par sit, aut etiam similis? Nam Caluinus potius, eo quòd nulla conuitia recitantur à Mose, sed potius sermones prophetici, concludit Noachum gessisse se & grauiter, & modestè. Quid his facias, omnia tam malitiosè peruertentibus?

V. Noachum Abrahamus sequitur, & Sara. Hos ægrè fert Feuardentius à Caluino appellari, *mendaces, peruersos, fallaces, stultos, simulatos, ingratos, crudeles, sophistas, adulteros, lenones, idololatras desperatos, peccantes contra naturam, & infideles aduersus Deum.* Hem criminationem atrocem! Sed examino particulatim. De

idololatria nihil probauit: Sed Bellarminus indicauit Institutionis libri tertij caput decimum quartum, paragraphum vndecimum. Eo loco, *Dominus*, inquit *se fidem imputasse Abrahamo in iustitiam pronunciat, non eo tempore quo idolis adhuc seruiebat, sed quum multis iam annis vita sanctitate excelluisset.* Videte imposturam. Abrahamum, inquiebat Bellarminus, idolorum cultorem facit. Abrahamum & Saram, inquiebat Feuardentius, idololatras vocat. Quis non sic intelligat, hanc accusationem ad id temporis pertinere, quum sanctus fuit, & Deo acceptus? At id ne cogitauit quidem Caluinus: duo enim distinguit tempora Abrahami, alterum, quum fuit idololatra: alterum, quum multos annos vitæ sanctitate excelluit. Quid hîc est conuitij magis, quàm, quum Paulus dicitur fuisse blasphemus? Quum Ephesij dicuntur fuisse athei? Quum Cyprianus dicitur fuisse Magus? Nisi fortè de Abrahamo falsum. Atqui Iosue vigesimo quarto, *Dixit Iosue toti populo, Sic dicit Iehoua Deus Israelis, vltra flumen habitabant patres vestri olim: Thara pater Abraham, & pater Nachoris: colebántque Deos alienos. Sed assumpsi patrem vestrum Abrahamũ.* Satis perspicuè: patres vestri seruierũt dijs alienis: Ergo idololatræ. Et quis nõ videt, à patre idololatra, haud aliter institutum fuisse filium? *Qualis autem potuit esse Abrahæ & Nachoris educatio apud patrem suum Thare idolis seruientem, &, vt plurimi tradunt, simulacrorum artificem?* Verba sunt Cosmæ Magalliani in eum Iosue locum. Itaque Laban Geneseos trigesimo primo, *Dij Abraham, & Dij Nachor iudicent inter nos, Dij patris eorum.* Nam etsi nonnulli vertant *Deus Abraham*, tamen apparet Labanum idololatram iurasse aliter, quàm per Deum verum. Deinde, dicuntur dij prius nominati fuisse Dij patris eorum, id est, Thare. At Deus Abrahami, non fuit Deus Thare. Itaque non malè Caluinus obseruauit gratiam factam Abrahamo, vt ex idololatra fieret fidelis: quam etiam indicat Iosue eodem loco: *coluerunt*, inquit, *deos alienos: verùm ego Abrahamum inde assumpsi.* Ergo nullum hîc conuitium: nullum Caluini flagitium est.

VI. Nec venit in mentem soli Caluino. Præuios habuit veteres: assentientes etiam recentes. Philonem libro de Abraham: *Ταύτῃ τοι τῇ δόξῃ συντραφεὶς, καὶ χαλδαΐσας μακρόν τινα χρόνον, ὥσπερ ἐκ βαθέος ὕπνου διοίξας τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα, καὶ καθαρὰν αὐγὴν ἀντὶ σκότους βαθέος βλέπειν ἀρξάμενος, ἠκολούθησε τῷ φέγγει, Huic opinioni* (nimirum quæ astris imputat omnia) *innutritus, cùm multo tempore Chaldæum egisset, & tanquam ex profundo somno, aperto mentis oculo puram lucem pro altis tenebris cœpisset contueri, assectatus est lumen.* Cyrillum Alexandrinum sermone Paschali quarto, *Χαλδαῖος κατὰ γένος ὑπάρχων ὁ μακάριος Ἀβραάμ, καὶ ὑπὸ πατρὶ τεθραμμένος οὐκ εἰδότι τὸν κατ' ἀλήθειαν ὄντα Θεὸν, μέχρι μὲν τινὸς χρόνου τοῖς τοῦ φύσαντος νόμοις ἀκολουθῶν, ἐν τοῖς ἀγνοίας ἐτύγχανε, καὶ συνεψηφίζετό ποτε τοῖς τὰ εἴδωλα προσκυνοῦσι, Genere Chaldæus fuit beatus Abraham, & sub parente educatus qui verum Deum ignorabat, ad certum tempus, dum præscriptis à genitore legibus vitam instituit, in eadem & ipse ignoratione versatus est: annumeratus aliquando iis, qui idola venerabantur.* Lindanum Panopliæ libri primi, capite vndecimo, *Ille credentium omnium pater Chaldæus, quum esset idololatra, Mitra Persica atque Vesta cultor, ex paganismo, veri Dei ignorantia liberatus, atque ex idololatria ad veram vnius Dei latriam est cõuersus.* Et paulo pòst, *Quod si cuipiam insolens atque paradoxum videatur, quod Abrahamum Patriarcham ex paganismo, ad veram Dei cognitionem, cultúmque, dixerim conuersum, is si Græco homini Græci diligentissimi probatissimiq; testimonio, Suidam dico, in suo Abrahamo, non est contentus: certè non potest nobiscum non sentire, Latini autoris testimonio locupletissimè instructus. D. namque Augustinus libro decimo de Ciuitate Dei, capite vltimo, in hunc modum scribit: Abraham, inquit, vt promissionem de semine illo, quod omnibus gentibus salutem pareret, acciperet, iussus est de terra sua & cognatione sua, & domo patris sui discedere. Tunc ipse primitus à Chaldæorum superstitionibus liberatus, vnum verum Deum sequendo coluit, cui hoc etiam promittenti fideliter credidit.* En tibi scilicet blasphemum Caluinum! Sed post Philonem: post Cyrillum, post Suidam, post Augustinum: Cum Lindano. Quorsum det pœnas solus?

VII. Reliqua referuntur ad tria capita. Primum pertinet ad id consilium, quo dissimulare decreuit Abraham, sibi vxorem esse Saram: quod ei bis accidit, semel in Ægypto, Geneseos duodecimo: iterum in Gerari apud Abimelechũ, capite vigesimo. Hîc ergo insimulatum volunt, mendacij, simulationis, magni inexcusabilisque vitij, stultitiæ, prostitutionis, impudicitiæ, corruptionis, lenocinij, diffidentiæ in Deum, & quid non? At hæc quædam vera: magnam autem partem falsa sunt. Singula videamus: *Vxorem suam in adulterij periculum cõiecit.* Hoc ipse testatur euentus. Nam & sublata est in domum Pharaonis: & eandem Abimelech accepit: oportuitque & illum multis plagis: & hunc somnio moneri, vt eã redderet viro. Qui prætextus adferri potest, vt nullum id sit adulterij periculum? Imò confidenter Chrysostomus in Genesin, homilia tricesima secunda, *ὁ μέντοι δίκαιος καὶ σπουδάζει καὶ πάντα ποιεῖ ὥστε εἰς ἔργον τὴν μοιχείαν ἐκβῆναι, Veruntamen hic iustus & contendit, & omnem lapidem mouet, vt adulterium opere compleatur.* Et rursus, *καὶ τῇ μοιχείᾳ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ κοινωνεῖ ὁ δίκαιος, καὶ μονονουχὶ ὑπηρετεῖται τῷ μοιχῷ εἰς τὴν τῆς γυναικὸς ὕβριν, ἵνα τὸν θάνατον διαφύγῃ, In adulterium vxoris consentit iustus & quasi seruit adultero in mulieris contumeliam, vt mortem effugiat.* Quid Caluinus durius? Imò, *In via aberrat Abraham.* Scilicet ita loquutus est Caluinus, *Hinc sequitur rectum fuisse Abrahami finem, sed in ipsa via aberrasse.* Sensus est, bonum finem fuisse Abrahamo propositũ, nimirum, vt suam cõseruaret vitam, à qua Ecclesiæ quodammodo pendebat incolumitas: nam sic Caluinus, disertè, docet non humano quodam amore huius aëris impulsum fuisse. Verùm ad hunc finem assequendum, vsum esse medijs non bonis: nam hoc est aberrare in via. Magnum scilicet crimen! An longè maius eorum, qui nihil hîc vellent obseruari non exactè rectum? Sed Caluini iudicium non erat adeo deprauatum: norat enim & sanctos non fraudare sua laude: & eorum tamen infirmitatibus non adulari. Itaque statim, *Quamuis ergo temerarij sint iudices, qui præcisè damnant hoc factum Abrahæ: particularis tamen lapsus non negandus est: quod ob mortem propinquã trepidans, discrimini euentum non commisit Deo, ne vxoris pudicitiam malè proderet.* Rodat, vt volet Monachus, hæc verba, tamen non monachi, id est, boni sanique viri laudabunt. Saltem veniet in societatem criminis, si crimen est vllum, Pelusiota, qui libri tertij epistola centesima sexagesima, disertè *προὔδωκε τὴν γυναῖκα, vxorem prodidit.*

VIII. Sed paulo pòst inquit, castitatem pudicissimæ fœminæ probri insimulat. Grande crimen. Sed quo argumento? Quia notauit multos putare à rege violatam, quum est abducta. Ergo, inquam, id aliorum peccatum est, non Caluini. Imò, inquit,

se ipsum

se ipsum in eorum numero esse declarat. Itáne? Sed vnde scis? Quia ait. Neque verisimile esse regem percepisse eius pudicitię, quam haberet in manu, & Abrahamum ita meruisse. Os impudens! sed reprimo me: locum recito, *Quum abducta fuerit, & in aula habitauerit ad tempus aliquod, multi à rege corruptam putant.* Ergo aliorum recitat sententiam: deque ea disputat, vt sit quæstio: vtrum Sara fuerit violata. Addit aduersariorum rationem à verisimili, & libidine regis. Verum statim, quæstionem soluens, siue, vt loquuntur, determinans, *Id quidem promeritus fuerat Abraham*: nimirum, qui adeò inconsultè constituerat non profiteri se eius maritum: quo obuiam itum esset huic periculo, vt ex euentu apparet, *Sed*, addit, *plaga, quæ mox secuta est, satis ostendit habitam esse curam pudicitiæ à Domino: & hinc colligere licet intactam stetisse.* Ergo hæc contraria affirmatio est. Etsi, inquit, ita Abrahamus meritus erat: tamē Sara fuit intacta. Quomodo autem? Certa Dei prouidentia. Et in hanc partem disputat prolixiùs. Itaque contra quàm blaterat Monachus, ab eorum sententia Caluinus discessit, qui dixêre corruptam: vt nullum sit hac parte Caluini conuitium, sed magnum cucullati monstri mendacium.

IX. Ad reliquum caput venio, quod est de consilio Saræ ancillam suam Abrahamo tradentis. Hic verò, & rationem alienam à Dei verbo: & in progressu non leue peccatum: & impatientiam ortam, & coniugij legem peruersam, & lectum cōiugalem pollutum. Et Abrahamum non vacantem culpa: & stultum, ac præposterum consilium: & nimiam facilitatem: & claudicantem fidem, vacillantemque: & Dei virtutem alligatam ordini naturæ: & concubinam instar pellicis: & remedium prohibitum. Hæc, inquam, omnia, & nōnulla præterea Caluinus dixit, cucullatus traduxit. Sed quanto maior est, laudabiliorque Caluini sinceritas: tanto monachi impudentior loquacitas, qui recitat tantùm, nō etiam arguit. Quasi omnes lectores sui spectaret similes fore. Auertat Deus omen! & habeat adhuc mundus aliquos, à quorum neque fronte pudorem cucullus excusserit, neque capite cerebrum exhauserit idololatria. Saram Caluinus partim laudat: partim reprehendit. Laudes Momus iste omittit: in sola reprehensione hæret, vt musca in scabie. Laudat ergo Saram Caluinus, quòd tota defixa in prole à Deo promissa, nolit suam sterilitatem obstaculo esse, suúmque iure ius negligat, *Memorabile exemplum*, inquit, *ex quo non exiguus fructus ad nos redit.* Audin' Mome, laudari, & quidem seriò, sanctam fœminam?

X. Sed eandem tamen in ipso progressu non leuiter peccasse obseruat. In progressu, hoc est, in via, vt antea de Abrahamo, siue in mediis deligendis. Et quis potest negare? Nam ratio sanè aliena erat à Verbo Dei. Non enim Deus polygamiam sanxerat: sed vnam potius, vni viro, coniugem creatat: & edixerat duos futuros in carne vna. Ergo Sara ab eo verbo recedebat, cùm Abrahamo suaderet vxorem secundam priori addere: quo ipso mirum, si quis neget lectum coniugalem pollutum; Dei virtutem alligatam ordini naturæ, inde Caluinus coniecit, cùm dixit Sara, *Conclusit me Iehoua, ne parerem: ingredere ad ancillam meam.* Id enim est, ac si diceret: quia ego sum sterilis, atque propterea à me liberos tollere non potes, quære tibi ex ancilla. Itaque oportet ei non venisse in mentem, Deum posse etiam ex sterili prolem educere. Reliqua omnia sunt facilia. Nec tantùm Momo concedendum, vt si is neget Solem lucere meridie: ego id demonstrare coner.

XI. Superest caput tertium, de risu Saræ, ex Geneseos decimo octauo. Dolet Feuardentio, quòd eam Caluinus accuset, quod loquenti Deo fidem abrogauerit: eamque incredulitatem dicat non excusandam: quòd Dei potentiam intra sensus sui metas incluserit, eoque iniuriam Deo fecerit. Verū nihil est difficile. Constat Saram promissioni Angelicæ, opposuisse suam ætatem. Et, *Hæc verba*, inquit Procopius, *excutiebat consideratio, tum sua, tum viri senectutis, quæ præterierat, ad procreationi liberorum dandam operam.* Lyranus illic dixit, quia reputaret Angeli dictum friuolum: quod si Caluinus dixisset, nemo cucullatorum non ignem posceret. Augustinus, quæstionibus in Genesin, *Arguitur Sara, quia risit: & non Abraham, cùm similiter riserit: quia illius risus admirationis, huius dubitationis, quod diiudicare potuit, qui corda nouit.* Quantulo spatio distant hæc Augustini verba, à Caluini scriptis?

XII. Pergit Momus ad Isaacum, & Rebecam: Isaacum Moses Geneseos vigesimo sexto scripsit, simili cum patre consilio, dissimulasse apud Philistęos, Rebecam esse vxorem sibi: eoque nomine à Rege Abimeleco reprehensum. Obseruauit Caluinus, simulationem mendacio non absimilem. Id Momo displicet. Quid tum? at veritati placet. Verè enim dissimulatio fuit. Sed, an proxima mendacio? Docuit Abimelec, *Verè vxor tua est: & quomodo dixisti, Soror mea est?* Quasi diceret eum persuasisse Philistęis non esse vxorem suam: cùm tamen esset. Quid amplius? Vxorem à fide cōiugij absoluens, alienis prostituit. Ne hoc quidem in Caluino ferre Momus potest. At ipse Isaac audiuit ab Abimeleco, *Quid hoc fecisti nobis? paulum abfuit, quin dormierit vnus è populo cū vxore tua, & venire fecisses super nos delictum.* Hæc cùm ita sint, qui vel illicitum hoc remedium negat, vel vacillasse Isaaci fidem: næ ille haud procul abest à similibus peccatis: vtinam etiam ne à grauioribus. Ita enim fit, vt in aliis quisque tantum excuset, quantum sibi ipsi indulget.

XIII. Sed dixit item Caluinus, *Loquitur Moses de aliquo liberiore gestu Isaac, qui vel dissolutæ lasciuiæ, vel coniugalis amoris testis esset.* Nimirum in ea verba Mosis, *Aspexit Abimelec rex Philistim per fenestram, & vidit: & ecce Isaac ludebat cum Rebeca vxore sua.* Ex eo autem lusu constat Abimelecum coniecisse, Rebeçam esse Isaaci coniugem. Quid igitur? Nempe quidam exponunt longè duriùs quàm Caluinus. Certè Lyranus de debito coniugali: quod Caluinus negat disertè: reputans indignum tanto viro. Et tamen admissum aliquid constat, quod ad id accederet. Itaq; interpretatur de liberiore aliquo gestu. At eum gestum, inquiet Momus, dixit esse testem, vel dissolutæ lasciuiæ, vel coniugalis amoris. Ita sanè: at non vtriusque: sed vel huius, vel illius. Itaque sensus est, si non fuisset Isaacus Rebeçę maritus, eum lusum indicare potuisse dissolutam lasciuiam. Quis enim nescit, non esse cuiuslibet ita se cum muliere gerere, quasi maritus esset? At Isaacus verè maritus erat: Ergo is lusus, qui in alio fuisset indicium intemperātiæ lasciuiæ in eo fuit testis amoris coniugalis. Et ita Abimelecus interpretatus est. Quid ergo Momus todit?

XIV. Superest-ne aliquid? Imò. Nam de eodem Caluinus, *Cæcus rapitur in amorem primogeniti filij: vt eum alteri præferat: atque ita cum oraculo Dei luctetur. Peruersus Filij amor, quædam fuit cæcitatis species, qua illi ...*

quo obstitit, quàm externa oculorum caligo. Nimirum volebat Esaū, Iacobo præferri Isaacus. Id Caluinus nō probat. Prædictum enim fuerat Geneseos vigesimo quarto, contrà fore. Et quidem prædictum ab ipso Iehoua, *Maior seruiet minori.* At Isaacus id nolebat. Nam in benedictione quam dedit Iacobo, putans esse Esaum, diserta verba sunt, *Seruiant tibi populi, & incuruēt se tibi populi: esto dominus fratribus tuis, & incuruent se tibi filij matris tuæ.* Quid hoc erat, si non mira ratione prouidisset Dominus: nisi vt vel irritum redderetur oraculum, vel nugatoria ipsa benedictio Isaaci? Si, inquā, is, cui benedicebatur, fuisset Esau, quem se credebat? Itaque non potuit probare Caluinus. Si nesciisset Isaacus, facilis venia. Sed quis credat nunquam admonitum fuisse eius oraculi? Si sciuit igitur: imò, quia sciuit, debuit στοργῇ suis renūciare, vt obsequeretur voluntati diuinæ. Enimuerò mirum, Monachos, qui tantam faciunt obedientiam, vt homines transforment in pecora: sic enim claustrorum præfecti suis imperant, tanquam pecudibus: mirum, inquam, non videre: imò nolle videre, carnalem illum affectum fuisse Isaaco deponendum: quo solet præferri liberis reliquis primogenitus: quandoquidem innotuerat illi, contra decretum esse à Deo. Nimirum culicem colant, qui Camelum glutiunt.

XV. Iterum, *In sanctissimam matronam Rebecam cōtumeliosè inuadit, vocans eam, Astutam, dolosam, fallacem, damnabilem, mendacem, præstigiis in re sacra ludentem, cœleste oraculum suo mendacio obscurantem: hostile inter fratres odium accendentem, totam domum turbantem.* Verba ea Momi, Caluinum rodentis, & exclamantis demum. Hæc planè est intolerabilis impudentia. Estne hæc moderatio Euangelica? Et nescio quid præterea. Ast ego securior, hanc esse dico claustralem impudentiam, monachicam immodestiam. Caluini hæc sunt, *Friuolum sanè hoc videtur, quod senex muliebri astutia deceptus, per inscitiam, & errorem effutiuerit quod nolebat. Et certè vitio non caruit Rebecca dolus, quanuis maritum sano consilio regere non posset; non tamen hæc legitima fuit agendi ratio, vt eum circumueniret tali fallacia. Iam, cùm per se damnabile sit mēdacium, in eo grauius peccauit, quod talibus præstigiis in re sacra ludere ausa est.* Et paulò pòst, *Ergo cœleste oraculum suo mendacio obscurans, quantum in se est promissam filio gratiam abolet.* Hîc verò astutiam muliebrem lego: lego dolum, lego fallaciam, & mendacium. At Rebecam astutam, dolosam, fallacem, non lego. Aliud est enim de reipsa iudicium ferre: aliud de persona statuere. Et huiusmodi vocabula habitum significant: ea autem quibus Caluinus vtitur, duntaxat actum. Longè autem grauius est in aliquo habitum peccandi notare, quàm actum peccati singularem. Itaque Momus impudenter calumniatur.

XVI. Nam de re ipsa, quid habet quod Caluino obstrepat? An falsò dixit, astutiam fuisse, & dolum, & fallaciam, & mendacium? Prodeat, & liberè eloquatur, quod habet in pectore, vt agnoscant omnes audaciam Monachicam. Quàm tamen ipsius Isaaci facilè retundet autoritas, *Venit frater tuus dolosè.* Damnabilem verò vbi, aut quando Caluinus Rebecam dixit? Nam ego duntaxat lego, Mendacium esse per se damnabile. Et tun' id dictum damnes, Monache? Præstigias appellauit, tam accuratè compositam fallaciam, & quidem in re sacra, id est, benedictione, quæ circumstantia peccatum grauat. De cæteris quid dicam? Caluinus, *Nam quod maritum in se prouocare, hostiliter inter fratres odium accendere, dilectum filium Iacob obiicere præsenti mortis periculo, totamque domum turbare non dubitat: hæc certè non aliunde quam ex fide manant. Animo eius penitus infixa erat hæreditas a Deo promissa: eam sciebat filio Iacob decretam esse. Ergo in fidem Dei recumbens, & memor accepti oraculi, mundum obliuiscitur.* En tibi laudes Rebecæ, quas Momus pro conuitiis excerpsit. Magnam enim constantiam Caluinus exprimit eius mulieris, cui animo poterant obuersari tot pericula. Quis enim non videat obiecisse sese Rebecam iræ mariti? Nam vt scosit sibi impositum, *Expauit pauore magno vehementissimè*, de hostili odio inter fratres, de mortis periculo, de tota domo turbata, quid opus est dicere? Quasi ea non sint luculenter à Mose descripta. Itaque mulierem oportuit fuisse magnæ constantiæ, magnæque fidei (agebatur enim de permissione diuina) vt illa contemneret, nihiloque minus in proposito perstaret. Hoc Caluinus laudat. Hoc Momus rodit.

XVII. Pergit. Notat Caluinus, Rebecam securè se maledictionis ream facere: & improbat supinam confidentiam, cùm nullo Dei mandato instructa esset: consilio tantùm capto de suo capite. Quid opportunum hîc denti tuo, Zoile? An quod ream se maledictionis faciat? Atqui textus disertus, *Super me sit maledictio tua fili mi*: quia Iacob verebatur, ne ita imponendo patri, in maledictionem incurreret. Ergo hac parte verum Caluinus dicit. An non potuit Zoilus, supinam confidentiam audire? Atqui ita Caluinus significauit, eam confidentiam, cui nulla subesset legitima causa. Itaque statim de Dei mandato. Innuens non posse quenquam in suis actionibus securum esse de Maledictione, nisi habeat mādatum Dei pro fundamento: nimirum ex quo certus fiat, se non malè agere. At id mandatum, vel ordinarium est, vel extraordinarium. Rebeca nullum habuit ordinarium: nam contrà, Deus ordinario mandato, seuerè mendacium prohibet. Non habuit extraordinarium: neque enim Moses testatur. Ergo nullū. Cùm igitur ageret contra legem, & sese mendacio implicaret, quid erat quod non timeret maledictionem?

XVIII. Sed de Iacobo, non minor tragœdia: quia impositum Isaaco, quia ductæ vxores. Illum Caluinus omni fide spoliat, quæ cunctarum virtutum basis est. Malè factum, inquam, si certò factum. Audiamus, *Quod Iacob non sponte se patri offert, fidei valde contrarium est. Secum disceptans, se fide destitui ostendit. Dubitatione obtenebratam fuisse videmus eius fidem.* Et hæc significant Iacobum earn omni fide? Atqui non ita est, per fide. Contrà enim Caluinus, disertè, eodem ipso loco, *Et certè quamquam ea non prorsus vacuus erat, hac tamen in parte coarguitur eius defectus.* Potest ne is exui omni fide, qui negatur ea prorsus vacuus? Quid igitur? Nimirum hac parte negat Iacobo cōstare fidem, id est, hoc in actu. Et quid clarius? Primò enim actus erat non bonus: potest-ne autem in actu non bono, ea ratione, qua est non bonus, fides esse? Deinde ipse prodit. Restitat enim, cùm mater iubet: & testatur se vereri ne maledictionem sibi pro benedictione procuret. Tantam incertitudinem non patitur fides.

XIX. At non simpliciter deflectit ab eo, quod rectum est in matris obsequium. Et hoc Caluinus dicit. Dicit enimuerò, inquam: sed Momus impudenter truncat, *Iacob*, inquit, *non simpliciter ab eo quod rectum est, deflectit in matris obsequium, sed potius Dei verbo obtemperat.* Sensus est, non solo obsequio matris deductum fuisse à recto: sed potius vt obtemperaret

rat Verbo Dei: nimirum, quo dictum erat, *Maior seruiet minori*. Itaque cùm obseruet Caluinus id quod in hoc opere laudari poterat: id Momus torquet in conuitium. Miramini sinceritatem. Cæterùm enim deflexisse à recto, solus, opinor, Sycophāta dubitat. Rectè igitur notauit Caluinus errorem particularē: hoc est, esse in hac eadem actione admistum aliquid boni: sed & aliquid mali: & hoc aliquid mali, particularem errorem vocat. Quid ergo: irascatúrne Momus, quòd hunc errorem vitio carere neget? Ipse viderit. Sed hoc vitiū in eo Caluinus obseruat, quod non sit talibus fallaciis adiuuanda Dei veritas. Nimirum, quia non est faciendum malum, vt eueniat bonum. Et hac ergo parte, meritò dixit, eum temeritatis culpam sustinere: quod Dei prouidentiæ diffidens ad benedictionem patris occupandam fraude obrepsit.

XX. Iam fortè duriùs. Deposito metu, audacter, & securè mentitur. Benedictionem fraude petit, séque mendaciter insinuat. Sacrum Dei nomen suis mendaciis permiscet. Periurij culpa non caret. Hæc omnia de Iacobo Caluinus. Examinemus. Obseruat mutationem. Quia, primò cùm ageret cum matre, timidum sese Iacob ostendebat: neque audere sese patri sistere, pro Esau: nunc autem conceptis verbis, quærenti patri, *Quis es mi fili?* fidenter respondet, *Ego sum Esau primogenitus tuus: feci quemadmodum loquutus es ad me*. Ergo in hac mutationis obseruatione nullum peccatum. Quid ergo? nempe Momo dolet accusatio mendacij. Atqui res ipsa loquitur. Dixit enim se esse Esaum, se esse primogenitum. Siccine res erat? Minimè omnium. Et non est, id mendacium? Itaque Rabbinorum nonnulli distorquent verba: quasi dictum, *Ego sum is qui tibi adfero: & Esau est primogenitus tuus*. Sic enim Iarki. Sed id Rabbinicū somnium est, satis refutatum ex sequentibus, *Feci quemadmodum loquutus es ad me*. Necesse igitur est agnoscere mendacium. Vnde Chrysostomus, vt Iacobum, quem tantùm actum simulasse dicit, excuset, iubet non attendere factum, in quo mendacium erat. Probè: vt & in re ipsa, quæ gerebatur, agnoscamus defectus humanos: & tamen prouidentiam diuinam admiremur. Sed maius, hoc est, quod mendaciis Dei nomen admisceatur. Et tamen tam clarū in contextu, vt dissimulari nequeat. Quærit Isaac, *Quid hoc? quod festinasti ad inueniendum fili mi?* Nimirū; quia coniiciebat, non ita diu esse, cùm iussisset parari sibi venationem: itaque miratur tam subitum reditum. Respondet Iacob, *Quia occurrere fecit Iehouā Deus tuus coram me*. Hoc verò, quid aliud erat ad mentem Isaaci, quàm asserere sibi venationem occurrisse solito citiùs, idque factum certa Dei prouidentia? Atqui nulla occurrerat: nā mater omnia parauerat, *παρασκευάσασα τὰ ἐδέσματα*, vt eleganter loquitur Isidorus Pelusiotes libri secundi, Epistola quinquagesima octaua. Ergo hoc quoque mendacium erat: & ei mēdacio admistum Dei nomen. Itaque Caluinus carere periurij culpa, negat, & quidem carens conuitij culpa.

XXI. Iam de Iacobi nuptiis, Momo dolet non probari Caluino germanas sorores, vni eidémque vir locatas: & quidem eodem tempore, eamq; ob causam appellatam alteram alterius pellicem: dictum, præter naturam misceri vno in lecto duas sorores belluino more. Leam non fuisse legitimam vxorem: retentam tamen, & additam polygamiam: imò incestum. Leam patri consciam abduxisse sororis maritum: nec propterea excusari Iacobi libidinē:

Hæc, inquam, improbat omnia Cucullio. Quid tū? Deo laus sit in æternum, quòd istiusmodi hominum portentis non simus obnoxij. Quid enim non improbarent in nobis, qui ipsissimam Dei veritatem improbant? Si Deo, si sani hominibus cerebri probemus nos ipsos, tum verò Cucullionibus longum flere. A Labano deceptum fuisse Iacobum, ipse Iacobus conqueritur: & re ipsa constat. Et quia Coniugium non concubitus, sed consensus facit, procul dubio non erat Lea vxor Iacobi, quia fraudulentè substituta: nisi ipse Iacobus postea consensisset. Itaque hactenus Caluinus non peccat. De bigamia dictum paulò antè. Peccauit igitur Iacob, consentiens vt alteram vxorem duceret. Neget-ne autem Monachus incestum esse, cùm duabus germanis sororibus, vnus idémque copulatur? Bene ergo Caluinus, & quidem exaggerans belluinum morem: nam inter belluas id nullum discrimen est, inter homines esse debet.

XXII. Deus bone! quanta hæc iam peruersitas est: ne in sororum quidem contentionibus, quicquam peccati agnoscere Cucullionis spiritum? Id verò omnem impudentiam transcendit. Stringit calamum Caluinus, inquit, in beatam Rachelē. Beatā sanè, & spero esse, & credo. Sed nihil vnquam peccasse, tenebriones volent? Aut si peccarit, dissimulandum? Illud, qui plenè consutatum volet, legat caput Geneseos trigesimum: & obseruet: Commotum fuisse Iacobi furorem aduersus Rachelem. An nullum ob peccatum? Ergo ipse Iacob peccasset; quem tamen etiam non pauuotur accusari. An verò ob leue peccatum? Itane? qui Rachelem amabat tenerrimè: & plus quàm Leam? Hic ob leue peccatum, & iram & furorem conceperit? Peccauit ergo & grauiter peccauit. Nec in Iacobum tantùm, verū in Deum: proindeque castigata à marito, *An pro Deo ego sum?* Adde reliqua: æmulationem aduersus sororem, substitutionem ancillæ, & reliqua, quæ Moses haud abs re exsequitur: & qui non agnoscet iustum, etsi lene iudicium Dei in incesta polygamia vindicanda, hunc ego quem virum dicam? Imò an virum dicam? Si non patitur ergo vel communis sensus, quemquam negare grauiter peccatum à Rachele: certè pia conscientia, non patietur dissimulari, etiam si iubeat tolerari, & quidem cum gemitu.

XXIII. Iiob sequitur: quem Caluinus dixit, excedere omnes modestiæ terminos; enormia, & exorbitantia verba proferre, vt videatur planè desperatus: murmurare aduersus Deum: ingratus fuisse contra Deum: videri velle insurgere aduersus Deum. Omnia Dei beneficia vno fasce inuoluere, ingratissiméque interpretari: loqui vt Ethnicum, qui nullam habeat spem vitæ secundæ, futuræque resurrectionis: loqui tanquam incredulum, qui nec Deum, nec religionem vllam norit.

XXIV. Atqui Iiobum peccasse, ipsa docet Scriptura, quæ varios, quasi Actus distinguens: in primo, post omnium suorum amissionem, pronunciat, *In hoc toto non peccauit Iiob, neque attribuit insulsitatem Deo*, capite primo. Deinde in secundo Actu, post ipsius personalis plagæ initia, *In toto hoc non peccauit Iiob labiis suis*, capite secundo. At, cùm perseueraret plaga, *Post hæc, aperiens os suum, maledixit diei suo*. Hic verò quis tam stupidus est, vt non videat primos duos illos actus distingui, imò separari à sequentibus? Et sensum esse, non similiter gessisse sese Iiobū in reliquis? id est, & peccasse labiis suis, & tribuisse insulsitatem Deo? Et quidem luculentum id est, ex

comparatione verborum. Illis enim verbis quę laudata sunt, quid sãctius? quid modestius, quid magis pium? At reliquorũ maledictiones perperò quàm distant? Itaque quicũque hactenus Iobum excusarunt, coacti sunt ad allegorias confugere, & quidem variè: non enim omnibus eædem placuerunt. Sed cur ad allegorias? Nimirum, *Si superficietenus historia attenditur, quid his verbis reprehẽsibilius inuenitur?* inquit Gregorius, capite libri quarti in Iob: & capite quarto de re simili, *Hoc nimirum tanto intrinsecus maiori mysterio plenum est, quanto extrinsecus humana ratione vacuum. Nam si quid exterius rationabile fortaße sonuißet, nequaquam nos ad studium interioris intellectus accenderet. Eo ergo nobis plenius aliquid intus innuit, quo foris rationabile nihil ostendit.* Constat ergo hos Iobi sermones ad literam esse irrationabiles: esse reprehensibiles. Quid iam affertur, quo necesse sit ad allegoriã diuertere: & quidem neglecto prorsus literali sensu? Quanquam ipse contextus ita est, vt quancumque allegoriam sumas, non possis ad eam omnes partes aptare. Itaque certum habuit Caluinus non discedendum à litera.

XXV. De Monacho autem quod dicam nõ occurrit, saltem pro meritis, Sycophãtam egit apertissimè discerpẽs Caluini dicta, vt nihil appareat, nisi terrum, atque horrendum. Ille autem ita se gessit, vt verborum peccata seriò exagitans, quicquid tamen potuit piè cogitari ad virum sanctum excusandum, id expresserit. Quàm diabolici ingenij Monachum oportuit esse, qui hæc omnia dissimularit? Caluinus igitur, cum alia multa, tum hæc, sermone vndecimo, *Sunt qui Iobum excusent, prorsus, quasi ita à malis agitatum, vt tamen contra Deum non blasphemaret. Alij imaginantur, oblitum prioris patientia, prorsus excessisse limites, nec amplius meminisse Dei glorificandi: sed affectibus suis abreptum, loquutum quasi amentem: Quicunque prius vxorem stultitia arguisset, nunc sese duplo stultiorem ostendere, maledicendo diei natiuitatis suæ.* Hæc Caluinus ex aliorum mente, discedentium in alterutrũ extremum. Nunc ex sua, *At certum est Iobum non deuenisse in hoc extremum: semper enim scopum habuit, Deo obedientiam præstare, vt videbimus. Interea tamen non potuit pugnando, non vulnerari: non titubare, non flecti. Hoc igitur medium teneamus: In Iobo non fuisse priorem perfectionem: & quanquam malis pressus videretur in medio itinere defecturus, nihilominus perstitisse in cursu suo, voluisséque Deo obedire: nec tamen, vt de se Paulus loquitur, perfecisse bonum, quod volebat.* Infinita reperias istis similia. Atque adeò sermone duodecimo, *Primo intuitu videtur, Iobum hîc loqui, tanquam Ethnicus, cui nulla superfit spes alterius vitæ, nulla resurrectionis.* Et hæc Momus lancinat: at statim Caluinus, *Atqui nunquam deleta spes illa fuit ex eius corde.* Quid hoc est? Nimirum, Gregorius dixit: si attendãmos ad historiam, id est, ad ipsorum verborum recitationem, nihil esse reprehensibilius.

XXVI. Supersunt Moses, eiusque vxor Sephora: Elias, Daniel, Esaias. De Mose quid? *Non fuit* (inquit Caluinus) *ea constantia, & magnitudine animi, qua decebat, sed hæsitauit in fide.* Imò hæc non sunt Caluini verba: neque Latinè, neque Gallicè. Hæc potius, *Videmus nõ omni ex parte fuiße magnanimum, vt decebat, sed cum sua timiditate luctatum esse.* Timiditatem non fidem audis. Cæterùm explicat, id quod textus notat, Mosen, cùm accingeret se ad Israelitam vindicandum ab iniuria Ægyptij, circumspexisse prius, an quisquam esse posset conscius. Ex eo nonnihil timiditatis Caluinus arguit. Quid enim posset aliud? Et tamen agnoscit fortem, *Quanuis*, inquit, *ad hoc facinus edendum instructus fuerit rara fortitudine spiritus: simul tamen coniuncta fuit infirmitas, qua arguit, non absque hæsitatione fuiße aggreßum, quod tamen suæ vocationis esse nouerat.* Hoc ne Momus quidem carperet: at Monachus rodit. Quanto iste deterior illo?

XXVII. Nondum satis. Fidem Mosis Caluinus dixit penè suffocatam: non fuisse illi præsentem animum: iniuriam inflixisse Deo, propter homines detrectasse obtemperare Deo, fuisse diffidentem, & ingratum aduersus Deum. Furiosiùs insanuisse, quàm vniuersum populum: maiorem eius fuisse insaniã, quàm totius populi: pœnituisse vocationis suæ: Deum tarditatis arguisse. Et hæc omnia, colligit Cucullio, ex commentariis in quartum & quintum caput Exodi. At ego in caput quartum lego, *Recitat hoc capite Moses, quàm cunctanter Deo paruerit, nõ peruicacia, sed timiditate. Neque enim, vt solent refractaria bestia, iugum excutit: sed huc, & illuc declinat, ne sibi aptetur. Atque hinc melius prospicere licet, quanta infirmitate laborauerit, vt fides eius propè esset suffocata.* Nimirum, quia Moses, primò, rationes suas opponit mandato Dei, non credituros sibi Israelitas: tum se esse balbum. Et his cùm esset satisfactum, tum denique, *Obsecro Domine, mitte per manum, per quam mittes.* Hoc est tandem, atque vt vt sit, tamen sese mitti non vult, sed alium. Itaque, *iratus est furor Iehoua, contra Mosen.* At nullum ob peccatum? Dicant Monachi, pij certè non dicent. Ergo id peccatum Caluinus obseruat, & primò fidem quasi suffocatam. Qui enim potuit aliter? Nam sese fides Deo statim subijcit, nec obloquitur Deo. Non fuisse ei præsentem animum, totidem verbis non lego: sed rem ipsam, *Omnes tergiuersandi modos captat Moses, vt onus sibi impositum auertat: non quod imperium detrectare in animo sit: sed quia grauitatẽ formidat. Verum igitur suarum diffidentia, eum ita lentum, ac tepidum reddit.* Hæc lego, in quibus conuitium inueniri credo: sed à temerariis Monachis, qui audacter quidlibet aggrediuntur: Sed modestis viris, aliud iudicium.

XXVIII. Addit Caluinus, *Modestia quidem fuisset hunc quem obtendit defectum reputare, modo tantum suppetias à Deo rogasset: sed quum vltrà progreditur, vt immunitatem impetret, Deo facit iniuriam, ac si seruis suis plus imponeret oneris, quàm sint ferendo, vel inconsideratè quidquam mandaret.* Hîc verè quid conuitij sit, possitne quisquam scire à Monacho? Nam detrectasse onus Mosen certissimum: & quidem cum pertinacia, quo iure, quo prætextu? Moses ipse ostendit, quum suos defectus prætexit. Tolerabilis caussa iudice ipso Caluino; si simpliciter, & absque contumacia. Sed quum obfirmat se Moses: & quoquomodo alium mitti postulat: quid id erat? Excusandum, si ei cum homine, quantumuis magno negotium fuisset. At erat cum Deo. Itaque, tantundem erat, ac si dictum, nescire Deum cui id onus committeret, aut etiam committendum esset. Et hîc Monachuli, vbi obmutescunt Sancti? Et quidem magno se iudice Caluinus tuetur, *Iratus est enim furor Iehoua cõtra Mosen.* Ergo Moses peccauit: & in Deum. Cætera non potui apud Caluinum legere: itaque omitto.

XXIX. Sed Bellarminus eundem ægrè fert arrogantiæ, atque superbiæ insimulari: quod imperiosè legem Deo præscripserit, suaque eum iustitia exuerit. At hæc aliter habent. Et licet mirari Papistarum ingenium, ferè dicam perpetuum: qui id Caluino solent pro magno peccato imputare, & quidem

quidem proprio: quòd ille tamen non attingit, nisi vt refutet. Sic aliàs sæpè: Sic nunc. Nā exponēs Caluinus illa Mosis verba, quibus postulat, aut dimitti peccata populo, aut se deleri de libro vitæ, Exodi trigesimo secundo: *Quod mox sequitur* (inquit) *multis modis videri posset absurdum.* Primùm, quis sic loquitur vnquam, qui disertè asserat? Ergo Caluinus nō scripsit id multis modis esse absurdum: sed videri posse. Tum subiicit argumenta, quibus ea quæ prætenditur absurditas exaggerari potest, *Quia, & imperiosè legem Deo præscribit Moses: & præcipiti impetu quantum in se est, labefactat æternum eius consilium, & inconsideratè sua ipsum iustitia exuit.* Dein his tribus capitibus, paucis verbis declaratis, *Ego verò*, inquit, quasi separans se ab iis, qui adeò seuerè Mosis dictum exagitabant: & seorsim ab illis suam exponens sententiam, *Ego verò non inficior tanta vehementia Mosen fuisse abreptum, vt loquatur, quasi ecstaticus. Verum tenendum est, dum suas curas in Dei sinum fideles exonerant, non semper distinctè agere: nec verbis compositis: Sed nunc balbutire, nunc fundere gemitus inenarrabiles, nunc aliis omnibus præteritis vnum aliquid votum arripere, & vrgere.* His positis, ad tria illa capita respondet disertè, negando: quo maior est Bellarmini non incogitantia, sed nequitia: *Certè*, inquit, *nihil minus in animo habuit Moses, quàm Deo legem ferre: nec rogatus dixisset, euerti posse, quod Deus ante mundi creationem, de electis suis decreuit. Sciebat denique, nihil à mundi iudice esse magis alienum, quàm perdere insontes vnà cum reprobis.* Falsa igitur illa obiectio erat contra Mosen: & quidem iudice Caluino. Quid ergo Bellarminus? Insignis Sycophanta.

XXX. Conqueritur Sephoram duriùs tractatam. Duobus locis, præfatione in septimam controuersiam: & capite septimo de Baptismi Sacramento. Quid ergo? Nempe Caluinum arguere Sephoram stultitiæ, temeritatis, impotentiæ, & grauis peccati, quòd filium circunciderit. Negat ergo Bellarminus peccasse Sephoram in circuncidendo filio, viro præsēte: quia fecerit coacta, siue à Mose, siue à Deo: & Mose quidem, cui circuncidendi nulla facultas erat, siue ob morbum, vt quidam putant, siue ob Angelum cum gladio nudato. Cæterum, Sephoram circuncidisse filium sine proposito obsequēdi Deo, & proiecisse præputium in terram, & obmurmurasse contra Deum, & contra maritum: hæc verò esse mera mendacia, sine vllo fundamento: Scripturam nihil tale dicere.

XXXI. Coactam Sephoram admitto: admittit etiam Caluinus: sed non peccasse, qui conficitur? Imò peccasse iam eo ipso constat, quod cogi debuerit vt circuncideret: quod cùm mandatum esset à Deo, debuit sponte fieri. Quanquam illud cogi sophisticè Bellarminus vrget. Non enim Caluinus coactam dicit à Deo: sed simpliciter coactam: nimirum, vt solemus loqui, cogi nos ad id; quod facimus non sponte, sed vitandi maioris periculi gratia: vt nautæ iacturā faciūt coacti: vt medici coacti membra secant. Sic Sephora coacta non vllo Dei mandato: non etiam mariti imperio: sed vehementi illo timore amittendi mariti: quo extra se facta, partes assumpsit non suas. Non potuisse Mosen, diuinatio est. Nam illud de morbo, Iudaicum est somnium: hoc autem de gladio, cuius? Certè vtrunque æquè præter Scripturā. Textus, *Accidit in itinere, in hospitio, vt occurreret ei Iehoua, & quæreret occidere eum:* quomodo occurrerit, quomodo ostenderit occidere velle, textus nō significat: quis diuinet? Abeunt in diuersa interpretes: alij ad morbum, alij ad gladium, alij ad suffocationem, nonnulli ad draconem: nihil certi statuente Pererio. Caluinus suo more religiosissimè, *Qua forma apparuerit nescitur: nisi quòd verba satis clarè indicant, Mosen de eius ira certiorem fuisse factum, vt mortem sibi propinquam esse cognosceret.* Itaque non constat Mosen non potuisse his fungi partibus.

XXXII. Præputium in terram fuisse abiectum, Caluino significarunt hæc verba, ותגע לרגליו. Imò aliis præter Caluinum. Salomoni Iarchi: Paraphrastæ Chaldæo. Et aliis quibusdam. Neque est in textu quicquam non aptè cohærens. Itaque vertit Caluinus, *& proiecit ad pedes eius.* Arias Montanus, *Tangere fecit pedes eius.* Vatablus in minoribus annotationibus, *Proiecit præputiū filij sui ad pedes Mosis.* Non mentitur ergo Caluinus, nisi mentiatur Iesuita Pererius in Exodi quartū disputatione septima, *Mihi*, inquit, *veriùs, & aptiùs, atque congruentiùs narrationi Scripturæ sentire, atque interpretari videntur, qui pronomen illud eius, referunt ad Mosen: ad cuius pedes abiecit Sephora præputium amputatum filio.* Nisi mentiatur Sa, sic annotās, *Tetigitq;: quasi dicat, proiecit præputium ad pedes Mosis.* Obmurmurasse Sephoram contra Deum, & maritum, quis non coniiciat ex his verbis? *Proiecit ad pedes eius, & dixit, Certè sponsus sanguinum tu mihi es,* id est, teste Sa, *Causa mihi es fundendi sanguinis.* Et hoc ipsum explicatiùs Pererio, *Sephora post circuncisum filium, atque præputio eius sanguinolento ad pedes Mosis proiecto, dixit Mosi. Sponsus sanguinum tu mihi es: quasi diceret, Nisi ego sanguinolentam filij mei circuncisionem fecissem, tu ab Angelo interfectore periisses: te igitur ego mihi denuò sponsum acquisiui: non quidem dote pecuniaria, sed profusione sanguinis filij mei.* Porrò ipsa phrasi, *Sponsus sanguinum*, non sonat in bonam partem: & abiectio præputij, nónne indignationis signum erat? Obmurmurauit ergo viro: & qui potuit viro, vt non etiam Deo, siue mandanti, siue cogenti? Quæ cùm ita sunt, quis asserat, hoc sibi Sephoram proposuisse, vt obsequeretur Deo? Mirum in Iesuita, cui non obedientia tantùm placet, sed etiam obedientia cæca. Nisi fortè, vt amat cæca superstitio, hominibus magis quàm Deo obediri velint. Sed his positis, nemo pius mirabitur stultitiam Sephoræ taxari à Caluino.

XXXIII. Eliam dici hominem depràuatum: nimis vehementi zelo correptum: turpiter vocationem suam deseruisse, vitam prætulisse diuinæ vocationi: nec simpliciter, nec rectè Deo respondisse; cùm interrogaretur: peccauisse, quiritando se solùm è clade superstitem esse: raptum fuisse spiritu seruitutis, & vindictæ. Hæc, inquam, omnia Feuardentius ferre non potest. At quis dixit? Ex Gallico Caluini scripto, Latina facta asserit, impudentissimus Cucullio. Enimuerò horum nihil est prorsus, cuius vel apicem legas in Caluino: sed duntaxat alucinatum esse Eliam, cùm voluit suo iudicio recensere Dei populum commentariis in vndecimum ad Romanos. Vermilius tamē in decimum nonū prioris Regum, primò, Eliæ fugam reprehendit, *Peccauit* (inquit) *suam relinquendo stationem, in qua fuerat à Deo collocatus.* Et paulò antè, *Id considero, viros Dei, quantumcunque sanctos, alternis vicibus esse modo fortes, plus quàm credi posset, modo humana laborare infirmitate: & cùm ita debilitantur, id eorum magno bono, & commodo accidere: Reprimitur enim fastus, & elatio, quæ sanctis facilè solet obrepere: Elias præclara, & fortissima gesserat: quare tentari fortè cœperat elatione, ac superbia stimulis, vt Romanus Gregorius, hæc tractando, scripsit. Ideò in bonum ei cessit infirmitas, qua est perturbatus.* Et iterum, *Elias interrogationi simpliciter, ac rectè, minimè respondet, nec veram sui discessionis*

sui causam refert Oportuit quippe illum dicere: *Sum redditus admodum infirmus: Iezabelis minas ferre non potui. & propterea concessi hunc ne ab ea interficerer ac vitam meam plus feci, quam vocationem abs te mihi collatam.* Hæc omnia ad verbum Petrus Martyr. Et quid peccat, quæso? Fugisse Eliam constat: & fugisse auditis Iezabelis minis. Atqui non ad fugam missus erat, sed ad prophetiam: & paulò antè audiuerat sibi eundum ad Achabum, à quo quærebatur ad mortem. Et qui regem non debuit timere, hunc laudet quis quam perterritum vnius mulierculæ minis? Fugiendo quid factum, si non deserta statio? Non enim vocatus erat, vt prophetaret in deserto. Quid? quod cùm Scriptura dixit abiisse, *secundùm animam suam*: non dixit fugisse in Spiritu Domini? Peccauit ergo Elias: & peccauit deserendo vocationem suam. Quid tum? Quæsiuit Deus, quænam illi causa esset aduentus in desertum, *Quid tibi hic Elia?* Elias respondet, zelo factum, vt huc diuerteret: atqui contrà Scriptura causam adfert minas Reginæ. Ea fuit Vermilio causa, vt negaret, rectè, & simpliciter responsum. Magnum verò crimen! De spiritu seruitutis, & vindictæ, nihil lego: tantùm lego, fortè tentatum fuisse elatione, ac superbiæ stimulis. Quod, præter calumniosissimum Monachum, quis rodat?

XXXIV. De Daniele rursus mentitur spiritus monachicus: accusari à Caluino, quòd superstitione, & molesto fastidio laboraret, cùm cibos Ethnicos gustare nollet. Quòd zelo inconsiderato deditus esset: homo leuis, & inconstans: & quòd eius sobrietas, & abstinentia simpliciter, & absolutè non sit laudanda. Quòd per Chaldæam pergens promiscuè cùm aliis cibos communes, lege diuina prohibitos, edere consueuit. Quòd aulica vitia contraxerit: socium se præbuerit sacrilegij, & impietatis Nabuchodonosoris: quòd ambitionis fuerit, sociisque suis dignitates, & munera per ambitum quæsierit. En accusationem! Imò en [illegible]

XXXV. Tria sunt capita distincta. Nam prima pertinent ad eam ciborum abstinentiam, cui sese Daniel dicitur assuefecisse, capite primo. Hîc verò tantum abest, vt quicquam Caluinus in Daniele reprehendat: vt potiùs contrò laudet. Quid ergo? Nimirum suo more solers Sycophanta, id Caluino imputat, quod Caluinus refutat, *Quæritur*, inquit, *an fuerit tantum momenti in cibo, & potu, vt debuerit Daniel ab illis abhorrere.* Hæc quæstio est: tum in alteram partem. *Videtur enim hæc quædam fuisse species superstitionis: vel saltem videtur nimis fuisse morosus Daniel, qui ita recusaret cibum, & potum regis. Scimus enim omnia esse pura puris: & regula hæc valuit seculis omnibus.* Atque id primum argumentum, *Deinde nihil simile de Iosepho legimus.* Id secundum, *Et postea verisimile est, Danielem vsum fuisse promiscuè cibis quibuslibet, cùm polleret magno honore apud Regem.* Hoc tertium, ex quibus concludit, *Posset ergo videri fuisse quidam inconsideratus zelus: vel posset adscribi nimiæ morositati. Si Daniel tantùm ad tempus repudiauit cibum regium, fuit leuitatis, & inconstantiæ, postea sibi permittere libertatem, à qua abstinuerat ad tempus. Si autem iudicio, & ratione hoc fecit, cur non perstitit in suo proposito?* Hæc, hæc sunt, quæ crimini dat Cucullio, quasi à se, suoque sensu ea Caluinus diceret: cùm tamen non proponat, nisi vt obiecta ab aliis. Deus bone! quid nos similiter non possemus contra bonos scholasticos? Nam illi similiter disputant aduersus omnes fidei articulos. Videtur, inquit Caluinus. Audin' ipsissimam scholasticorum phrasin? Thomas. Videtur quòd Deus non sit. Videtur quòd Deus sit corpus. Videtur quòd in Deo sit compositio materiæ, & formæ. Videtur quòd non sit idem Deus, quod sua essentia, & natura: & infinita eiusmodi. Aut hi ergo grauissimè peccat: aut cur non Caluinus immunis à peccato? Nam postea, *Respondeo*, rursus idem scholasticorum stylus. Quid ergo respondet? *Danielem abstinuisse principio à lautitiis aulæ, ne inescaretur.* Et paulò pòst, *Noluit tantum sibi temperare à nimia ciborum copia vel à deliciis, sed voluit deflectere à laqueis Sathanæ, quos videbat sibi effecti [illegible]. Nec dubium est, quin sibi con[illegible] fuerit propria in [illegible] tu. Et hæc [illegible] magna laude ponendum est.* Sycophantæ, *quod sibi [illegible] voluit procul fugere [illegible] illecebras, & captationes.* Caluinus ergo non [illegible] Danielem, Monachus, sed laudat.

XXXVI. At negat eius sobrietatem, & abstinentiam simpliciter, & absolutè esse laudandam. O impudens! An sic Caluinum, *Neque tamen hæc [illegible] spectanda fuit à Daniele,* [illegible] *à cibo, & potu. Non igitur hic simpliciter laudanda eius sobrietas, & continentia: quemadmodum multi torquent hunc locum ad laudes ieiunii & dicunt hanc summam fuisse virtutem in Daniele, quòd prætulerit legumina aulicis lautitiis.* Ita Caluinus, vnde ansam calumniæ Cucullus sumpsit; quasi hoc sensu Caluinus negaret simpliciter laudandam Danielis continentiam, vt indicaret in ea aliquid fuisse reprehendendum: itaque [illegible] effrons Monachus addidit, absolutè, & quod Caluinus se ipse, non esse simpliciter laudandam; ille dixit non esse simpliciter, & absolutè laudandam: quod Caluino nunquam venit in mentem. Quid igitur? Nempe in hoc vno eodemque facto Caluinus geminam laudis causam agnoscit, [illegible] ipsam abstinentiam à lautitiis aulicis: *Rarissima [illegible] hæc virtus, vt quis sibi temperet, cum cibo, & potu abundat.* Alteram longe maiorem, pietatem: *Nam Daniel*, inquit, *non modò sibi voluit cauere à lautitiis cibi, & potus, sed quoniam videbat certum periculum instare, ne inescaretur talibus illecebris, ideò simpliciter statuit in corde suo non gustare cibum aulicum, nempe, vt in ipsa mensa perpetuò reuocaret memoriam gentis suæ.* Hanc causam Caluinus expendit: & ob eam multò magis laudandum censet Danielem quàm si nihil cogitasset præter abstinentiam à cibis: quam tamen ipsam rarissimam virtutem esse concedit. Incipit me pudet [illegible] Sycophantæ.

XXXVII. At idem dixit Danielem per Chaldæam pergentem promiscuè cùm aliis cibos communes, lege diuina prohibitos, esitasse. At hoc rursus mendacium est. In argumentis aduersariis hoc vnum est, *Et postea verisimile est, Danielem vsum fuisse promiscuè cibis quibuslibet.* Et postea: negat esse dubium, eosdem quatuor adolescentes ante id tempus, & in Iudæa, & in Chaldæa, cibum sumpsisse communi more, sibique permisisse edere quicquid oblatum erat, *Non ergo*, inquit, *legumina petebant cùm essent in diuersorio, & in toto itinere. sed iam cœperunt legumina petere, cùm rex vellet eos insuere suis deliciis.* Hæc Caluinus. Sed nihil Caluinus de cibis, lege diuina prohibitis. Nihil, inquam, de iis Caluinus. Sed impurus Sycophanta de suo addidit, audacissimus calumniator. Enimuerò non abstinebant adolescentes duntaxat à cibis in lege prohibitis: sed etiam à plurimis permissis. Quis enim audiuit Deum iussisse, vt solis leguminibus Iudæi vescerentur, neque præter aquam quicquam biberent: Hoc [illegible] ait Caluinus: quî factum sit, vt tum ab omnibus, & vino: ac verisimile statuit, quod nemo e-

geret

get, ante id tempus haud ita vixisse. Sed de cibis vetitis, iterum testor Caluino in mentem non venisse.

XXXVIII. Secundum accusationis caput erat de contractis vitiis aulicis. Caluinum audiamus in caput secundum, cùm describitur Nabuchodonozor prostratus, adorare Danielem, & iubere eidem sacrificari, *Exoritur quæstio de ipso Propheta, quòd passus fuerit ita coli.* Hanc quæstionem ita tractat, vt supponat ex Scriptura non apparere, vtrum hoc regis factum Daniel improbarit. Quo in medio constituto, dupliciter id putat: primò supponés non improbasse, *Si hoc silentio præterit, fateri necesse est ipsum aliquid tanquam contraxisse ex aulicis corruptelis.* Quid enim aliud diceret? Aut quis credat potuisse Danielem non peccare in religionem, si passus est non se adorari tantùm: sed etiam sibi sacrificari? Quòd si ita peccauit, vnde nisi ab aulico contagio? Verùm nihil Caluinus pro certo asserit. Secundò ergo, perspicuè ostendit se procliuiorem esse ad Prophetam excusandum, *Fieri quidem potest, vt recusauerit Daniel, & ita compescuerit stultitiam regis Babylonij: sed hoc relinquo in medio, quoniam tacetur: quanquam certè vix mihi probabile est tacuisse, cùm videret ad se transferri Dei honorem aliqua ex parte. Fuisset enim tunc socius sacrilegij, & impietatis. Vix potuit hoc cadere in tam sanctum Dei Prophetam.* Hic Caluini sensus est: illa ergo Monachi mera calumnia.

XXXIX. Superest tertiũ criminis caput, de ambitiose postulatis muneribus. Atque en rursum spiritum vertiginis, idipsum Caluino imputantis, quod seriò Caluinus refutat, eodem Danielis capite, *Posset* (inquit) *hic notari aliqua ambitio in Propheta, quòd honores venatus sit suis sociis.* Et rursus, *Posset hic Daniel esse suspectus ambitionis: posset etiam obijci aliud crimen, quòd quæstum fecerit ex doctrina sibi diuinitus patefacta.* Atque ea est Danielis accusatio. Vbi primùm quis tam stupidus est, qui nesciat quid indicet illud, *posset notari, posset esse?* Neque sanè opus erat, vt admonerem, nisi hæc monachorum dementia importuna esset. Caluinus ergo sic indicauit, ex eo loco posse à quibusdam occasionem sumi calumniandi Danielis: neque ex suo sensu eas promi calumnias: sed ex aliorum. Itaque statim refutans, *Sed potius respexit populum suum: voluit oppressis aliquid solatij afferre. Cùm ergo Daniel, tactus misericordia, quærit aliquod leuamen populo Dei, non est cur illum insimulemus vllius vitij: quia neque priuatis commodis addictus est, neque etiam honores appetit, vel sibi vel sociis: sed intentus est in scopum illum, vt scilicet possint socij suppetias ferre Iudæis laborantibus.* Et pòst, *Deinde ex re colligere promptum est, quia pius, & humanus fuit affectus Danielis, nihil fuisse ab ipso peccatum.* Quis credidisset vnquam in vllo homine tam desperatam esse posse calumniandi rabiem? Disertè Caluinus nihil à Daniele peccatum fuisse testatur: & Sycophantæ sperent adhuc probari posse Caluinum in eo ipso fuisse Danieli iniurium?

XL. Ad Esaiam venio, qui Caluino insolita visione ita consternatus est, vt Prophetam se esse obliuisceretur. Nullum fuisse idem scripsit in eo sensum, qui non obstupesceret præsentia Dei: vt quasi lymphatus se in tenebras abdidisset: imò iam desperans de vita, sponte mortem aduocasset. Idem eidem communem totius corporis pollutionem resipuit: obliuiscitur puritatis, quam à Deo acceperat: non tantùm labiis, sed & aliis partibus corporis pollutus erat. In tanta vitiorum colluuie immunis esse non potuit, quin vt reliquæ corporis partes, sic ipse contagione quadam inficeretur.

XLI. Vt sui semper similis spiritus Sycophantæ! Hæc procul dubio Caluinus obseruauit, scripsitque. Quid ergo peccat Monachus? Quod Iudæi contra Christum. Christus enim verè loquutus erat de templo soluendo: quod illi criminabantur. Æquum est è re ipsa iudicium fieri. Statim initio Commentariorum in sextum Esaiæ, *Respondeo, nouum videri non debere, quòd insolita hac visione sit consternatus, vt Prophetam se esse obliuisceretur. Nullus enim fuit in eo sensus, qui non obstupesceret præsentia Dei, vt quasi lymphatus libenter se in tenebras abdidisset. Imò iam desperans de vita, sponte mortem aduocasset.* Nimirum legebat in textu diserta Prophetæ verba, *Væ mihi, quia excisus sum.* Et hæc quid aliud sonant, quàm subitam consternationem? Sed eámne vitiosam? Imò, *Ita necesse est affici pios, cùm Dominus præbet signa præsentiæ suæ, vt deiiciantur è statu, & extra se rapiantur.* Perpetuum quod piis est, id in vitium quisquam rapiat? Nondum auditum. Sed Monachi cucullo induto, sensum communem exuunt.

XLII. De pollutione, ita Caluinus eodem capite, *Cur pollutionem restringit ad labia? an mente, an aliis partibus purus erat?* Et respondet, *Prophetam id notare, quod omnium pretiosissimum in ipso erat: linguam scilicet consecratam Deo. Erat enim Propheta à Deo constitutus. Etiamsi aliàs peccator esset, tamen ob sanctam muneris functionem, hac parte sacer erat. Quod tamen diuinæ sanctitati non respondeat, fatetur se etiam ea parte, qua in ipso sanctior est, esse pollutum.* Nimirum clamabat ipse, *Homo sum pollutus labiis.* Expectabatne Monachus ipsi Prophetæ contradiceret Caluinus? Aut quid dixit, non quotidianum in sanctissimis? Vt, etsi puri sint: diuinæ tamen sanctitati non respondeant? Facile autem Caluini argumentum. Esaias erat Propheta: Ergo eius lingua peculiariter erat Deo consecrata: Et tamen ea ipsa polluta: quid de cæteris partibus censendum? Hoc argumentum, aut refutet, Sycophanta, aut ne sancti viri sanctis meditationibus obtrectet. Eodem ista pertinent, *Vnum è vulgi numero se facit, qui communem totius corporis pollutionem resipiat.* Nimirum, quia dicebat se non tantùm esse pollutum labiis: sed etiam habitare in medio populi labiis polluti. Ergo, faciebat se vnum è vulgo, id est, non exemptum ab aliorum conditione, aut eò distinctum, quod reliqui toto corpore polluti: ipse verò sola esset pollutus lingua: sed cõmunem in seipso morbũ agnosci, pollutioné linguæ. Atqui Propheta erat, ideoque à Deo consecratus. Rursus ergo, *Obliuiscitur*, inquit Caluinus, *puritatis quam à Deo acceperat, eo quòd subsistere coram ipso non posset.* Obliuiscitur, quomodo autem? Nimirum, vt subito illo in motu, tantaque consternatione, non veniret in mentem.

XLIII. At contagione infectum non patitur dici Franciscanus tantum Prophetam. Egregiè: quasi melius de Propheta sentiret, quàm ipse Propheta: qui cùm dixisset, *Eo quod peccauerimus*, subito mutata persona, fit accusator populi, *nec voluerunt ambulare in viis eius, nec audierunt legem eius:* quam mutationem prudenter Caluinus perpendens, *Personam mutat*, inquit, *quia prius secum illos annumerabat: quòd membrum illius corporis esset, & reatum suũ fatebatur: non quòd similis esset vulgo hominũ, aut eorũ scelera probaret: sed quòd in tanta vitiorum colluuie immunis esse non posset, quin, vt reliquæ corporis partes, sic ipse contagione quadam inficeretur.* Et hæc inuidiæ oppo-

tuna iudicauit Monachus: tacitis sequentibus, *Cùm ergo longè dissimilis esset vulgo hominum, personam mutat, atque subnicit, Noluerunt: quo significat tantam contumaciam sibi displicere, nec vllo modo, aut eo contuere, aut assensus significationem præbere potuisse.* Laudat ergo Caluinus eum ipsum, in quem iniurium illum fuisse audacissimi volunt Cuculliones.

Cap. V.

De Conuitiis in Sanctos Noui Testamenti, Baptistam, & Iosephum.

I. IN Sanctis Noui Testamenti, Ioannem Baptistam, Iosephum Virginis virum, Simeonem, Annam, Centurionem, Martham, Magdalenam, denique Mariam ipsam Virginem Feuardentius nominat.

II. In *Baptista* tamen iræ conceptæ partem maximam in Brentium exonerat: de quo viderit ipse. Caluino obiectat, dixisse, *Ioannem* alucinatum non expendisse aliorum causa fuisse Baptismum à Christo postulatum: atque hanc alucinationem errorem appellasse.

III. Magnum crimen scilicet, & dignum ira Franciscana! Non fert alucinatum dici Ioannem. Quid ergo tanti criminis est in vna vocula, vt intolerandum blasphemaret Caluinus? Nam alucinatur, ni fallor, qui quoquomodo suo iudicio fallitur, siue de rebus nō rectè iudicat. Quid ergo Baptistes? Rectène iudicauit de baptizando Christo? Non credidit Caluinus, nec debuit, ne iniuriam Christo faceret ipsi. Nam Christum nolebat ille baptizare: & putabat à se non baptizandum. At Christus volebat ab eo baptizari, & se ab eo baptizandum, *Sic enim*, aiebat, *decet me implere omnem iustitiam.* Quî potuit in eadem re tanta esse discrepantia, vt tamen neuter sit alucinatus? De Christo, impium cogitare. Ergo de Ioanne certum.

IV. Scio ratione pugnasse admodum plausibili: quod non ipse baptizare Christum deberet, sed à Christo potius baptizari. Piè sanè, tum de se sentiēs, tū de Christo: quis enim neget? Sed in hoc alucinatum Caluinus dicit, quod non causam sumeret pro causa. Itaque notauit non perpendisse Christum, nō sua causa postulasse baptismum, tunc enim valida fuisset consequētia, & Christus ipse fuisset alucinatus: sed aliorū potius: hoc, quia non attenderet, ideò dixit alucinatum. Itaque monitus à Christo obiiciente suum officium, acquieuit, & impleuit, quod iubebatur, & ab eo iubebatur quem nosset iam se longè maiorem esse, vtpote à quo expeteret baptizari.

V. Nec errorē seueriùs dixit. Nam id etiam leue nomen est, & longè leuius, quàm peccatum. Nempe, quoniam omne peccatum voluntatis sit: at error etiam iudicij. Itaque negauit hoc errore quicquam fuisse minutum de Ioānis dignitate, *Non obstitit* (ait) *particularis error, quin ritè, & legitimè officio functus sit.* Quanquam etiam si peccatum dixisset, nihil fuisset, quod quisquam vir pius damnaret. Nam & Ioannes non ἀναμάρτητος, quia non Deus. Et Christo iubenti contradici siue vllo peccato, dicant, qui homines sanctos transformant in idola. Ego nunquam crediderim.

VI. In *Iosepho* Caluinus notauit, quòd Virginem suspectam habuerit adulterij, imò vltra suspicionē procedēs adulteram esse persuasus fuerit. Non negamus sic Caluinum loquutū. Sed, si quid in eo peccati fuit, cur Caluinus solus plectitur, qui post alios, & tot, & tantos peccauit? Narrauit Matthæus Iosephum postquam comperisset Mariam pregnātem noluisse παραδειγματίσαι, *traducere*, sed λάθρα ἀπολῦσαι, *clanculum dimittere*. Caluinus hinc colligit persuasum fuisse grauidam. Peccauitne? Inquiramus.

VII. Tres eius loci notantur expositiones, quas Salmero collegit, & examinauit: ego post eum. Prima asserit Iosephum dubitasse de Virginis castitate, valdeque excruciatum fuisse, quod eam prægnantē videret, quam sciret se non attigisse: adde, neq; cuiquam præter se ius fuisse attingere. Secunda, nihil mali fuisse suspicatum, sed tantùm ignorasse Incarnationis mysterium peractum. Tertia, quæ negat ignorasse hoc mysterium, sed se tanto honore præ modestia, tantæque Virginis consortio indignū existimasse. Harum trium, primam Salmero communiorem, & quam prima facie textus Euangelij videatur porrigere, non dubitat fateri: etsi in tertiam totus propendeat. Ego inquiram diligenter.

VIII. Authores habet prima sententia, quam amplexus Caluinus, Veteres. In quibus Iustinus est in colloquio cum Tryphone, καὶ Ἰωσὴφ δὲ ὁ τὴν Μαρίαν [illegible], *Iosephum etiam Mariæ sponsum, cōsiliū primū cepisse, Mariam sponsam repudiandi existimans eam grauidam ex consuetudine viri, hoc est, è stupro: sed per visionem iussum est, non reiicere vxorem suam.* Chrysostomus homilia in Matthæum quarta, vehementer Iosephum cōmendat, quòd zelotypiæ nō cederet, [illegible], *Et nos quidem plerosque nouimus velle animam potius amittere, quam in tormentum zeli, atque huiusmodi suspicionis incidere. Quāquā hic, quæ tandē diceretur esse suspicio, vbi ipse vteri tumor videbatur factum arguere? Sed tamen ita erat ille vir ab huiusmodi passione mundus, ac liber, vt ne in minimo quidem Virgini vellet inferre molestiam.* Theodoretus Dialogi primi capite nono, ὁ Ἰωσὴφ ἀγνοῶν τὸ μυστήριον [illegible], *Ioseph, cùm ignarus esset mysterij, suspicabatur adulterium.*

IX. Augustinus sermone decimosexto de Verbis Domini, *Attendite quemadmodum vir iustus Ioseph tanto flagitio, quod de vxore fuerat suspicatus tanta benignitate pepercit, antequam sciret vnde illa conceperat, quia grauidam senserat, & se ad illam non accessisse nouerat: restabat itaque certa adulterij suspicio.* Et pòst, *Mariti dolor nō vindictam quæsiuit: Voluit prodesse peccāti, non punire peccantem.* Epistola quinquagesima quarta, *Ioseph, cui Virgo Domini mater fuerat desponsata, cùm eam comperisset esse pragnantem, cui se nouerat non esse commixtum, & ob hoc nihil aliud quàm adulteram esse credidisset, puniri tamen eam noluit.* Sermo decimus quartus in Natali Domini, decimus octauus de Tempore, etsi neque Augustini sit, neque hominis grauis, aut eruditi, tamen hunc locum impleto, *Turbatur Ioseph homo iustus, quòd Mariam nunquam* (lego *quam*) *de templo Domini acceperat, & nondum cognouerat, & grauidam sentiebat, & quam non meruerat in coniugij honorem,*

[illegible], *iam haberet in confusionem: secúmque diu æstuās* A *putat, dicens: Vnde hoc contigit, quod euenit? Non cognoui, [illegible] non tetigi, non videlam gravidam. Heu, heu, quid contigit? Quid putas auctor? Per quem Maria sic cecidit? quem sibi [illegible] adulterum inuenit?* Paulò [illegible]: *Quid ergo faciam, quid agam? Anxior, gemo, doleo, [illegible] quæro, nec penitus inuenio. Prodo adulteram, [illegible] propter opprobrium. Si prodidero, adulterium quidem [illegible], sed necem crudelitati inquiro, quia scriptum [illegible] in libris Moysi sententiam, lapidandam esse cognosco. Si autem celauero, consentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere peius est [illegible] dimittam eam coniugio. Cogitauit, inquit, sicut Euangelista dicit, occultè dimittere Mariam coniugem suam. Cogitabat, quod esset reatus adulterae, [illegible] suspicione [illegible].*

X. Rupertus, [illegible], *verū etiam [illegible], quod [illegible] peccatum [illegible] & inde abhorrebat [illegible] legis dicentis: Quod si non est in puella inuenta virginitas, eiicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri ciuitatis eius, & morietur, quoniam fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui, & auferes malum de medio tui.* Euthymius, *Traducere [illegible], quando vir ad [illegible] ducebat vxorem, de qua suspicionem habebat.* Eusebius Emissenus ille quisquis est, homilia, in vigilia Natalis Domini, *Intellexit hoc tandem, & Ioseph, & sponsam suam grauidam esse cognouit. Mirabatur igitur, & [illegible] sponsam suam zelotypia mouebatur.*

XI. Hi Veteres: sed & Papistæ non pauci. Caietanus, *Significatur tanta iustitia Ioseph, vt [illegible] [illegible] vt duo valles, [illegible] & consulere [illegible] adultera, & consulere coniugi [illegible].* Iansenius Concordiæ cap. 7. *Ostendit [illegible] ob adulterij suspicionē iam diuortium meditatum fuisse. [illegible] Deum fluctuare [illegible], ac de Virginis pudicitia dubitare [illegible].* Lucas Brugensis, *Cùm comperisset vxorem esse prægnantem, cui se nouerat nō esse commixtum, & ob hoc quā [illegible] nihil aliud quam adulteram credebat, nolebat tamen cō [illegible] suam, honestis parentibus, & sibi amantibus [illegible]; in exemplum statuere ignominiæ famulitaræ:* Et post, *Hæc eo cogitante. Hæc, de dimittenda ob compertum, quod existimabat adulterium, vxore.* Barradius Commentariorum in Concordiam, tomo 1. libri 8. cap. 6. *[illegible] sensu germanum, Ne timeas accipere coniugem, quod sit adultera, quia grauidā cernis: [illegible] grauidam, [illegible] homine, sed à Spiritu Sancto opera est. At quid timebat Ioseph, si Virginem acciperet? Respondeo: timebat adulterium: vel, vt Chrysostomus respondet, timebat ne Deum offenderet, si eam [illegible] habitatione, quam adulteram suspicabatur.*

XII. Et ergo, non Caluini vnius, sed multorum [illegible], & quidem tam multorum, vt communionem nominauit Salmero. Quid ergo Monachus solum delegit Caluinū, quem roderet? Num quæ legitima vlla causa est, & non potius sceleratissimum odium? [illegible] & [illegible] Monachorum plerique [illegible] patiuntur, vt quos [illegible] non possunt [illegible] traducant.

XIII. Sed Salmero: Doctoribus, inquit, Doctores illustres, Veteres, & Orthodoxos opponimus, fortibus fortassis rationibus instructos, atque munitos. At ego, rationes, inquā, iam iam visum imus: [illegible] doctores plures in eam ite partem habemus ab Salmerone contestum. Plures autē paucioribus præponderare certum, si cætera sint æqualia. Quanquā [illegible] æqualia. Nā ex Veteribus nullū habet præter Origenē, & Theophylactum, & autorem operis imperfecti in Matthæum. Deinde recentes Richardum de Sancto Victore, Bernardū Gerlooem, Eckium, Catharinum: omnes nec nomine quidem comparandos cum iis quos laudauimus. Et Theophylactum quidem etiam in iisdem nominatum ab ipso Salmerone: seuera ambiguum in vtramque sententiam.

XIV. Vnicū Basilium, magnum nomen, visus est habere: sed certè tantū visus. Aut enim ego nihil intelligo; aut nihil Basilius habet in eam partem. Locus est ex homilia de humana Christi generatione, B Ἀμφότερα εὗρεν ὁ Ἰωσὴφ, καὶ τὴν κύησιν, καὶ τὴν αἰτίαν, ὅτι ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Μαρίαν [illegible] C [illegible] *Ambo inuenit Ioseph, & conceptionem, & causam, quod è Spiritu Sancto. Quapropter timens eiusmodi mulieris vir nominari, clanculum ipsam dimittere voluit, non ausus publicare, quomodo res ipsius haberent. Cùm autem esset iustus, assecutus est mysteriorum reuelationem. Nam dum hæc ipse animo versaret, Angelus Domini apparuit ipsi per somnium, dicens, Ne timeas accipere Mariam vxorem tuam: nec illud cogita, quod suspicionibus absurdis obumbrabis peccatum: Iustus enim appellatus es: non est viri iusti, iniquitates silentio contegere. Ne timeas accipere Mariam vxorem tuam. Ostendit, quod non molestè tulit, neque fastidiuit, sed timuit ipsam velut Spiritu Sancto repletam.* D

XV. Hæc Basilius, quæ quo magis verso, hoc minus colligo eius mentis quàm Salmero concepit. Neque ignorasse Iosephum mysterium huius conceptionis: Et se sanctæ Virginis consortio indignum existimasse. Quæquidē oportuit sic fuisse ante Angeli apparitionem: ad id enim temporis pertinet quicquid hoc est suspicionis, & zelotypiæ. Primum ergo falsum est Basilio dictum, fuisse cognitum mysterium ante eam reuelationem. Nam contrà quicquid cognitionis meminit, id refert ad Angelum magistrum. *Assecutus est*, inquit, *mysteriorum reuelationem: nam dum hæc ipse animo versaret, Angelus Domini apparuit ipsi.* Hæc causa cognitionis. Itaque ante eam causam cognitio nulla. E

XVI. Deinde si existimauit se Ioseph indignum hac coniuge: Ergo nihil in ea peccati suspicatus esse potuit. At Basilius contrà ostendit. Nam hæc verba eò pertinent, *Nec illud cogita, quod suspicionibus absurdis obumbrabis peccatum.* Nam hoc quomodo poterat cogitare Ioseph, si nihil nisi sanctum, ac diuinum de Virgine cogitaret? Sensus est Basilij: Angelum occurrisse obiectioni, quam opponere poterat ille iubētus assumi vxorē, etiam grauidā. Atqui si assumam, peccatum obtecturus sum. Non est id autem iusti, qualis ego dicor: Respondet Angelus, non debere eo moueri: quoniam nihil sit præter [illegible], non autem vllum peccatum: quandoquidem conceptio fuerit ex Spiritu Sancto. Certè non potuit solui obiectio absurda: si nulla fuit absurda obiectio. F G

XVII. Titillarunt Salmeronem postrema verba; *Ostendit, quod non molestè tulit, neque fastidiuit, sed timuit ipsam veluti Spiritu Sancto repletam.* Sed hoc leuiculum est: quia consequutū reuelationem mysterij, vt

sensus sit, tunc cùm audiit Ioseph, rem, vt se haberet: ostendisse, vxorem sibi, neque molestam, neque fastiditam, id est, neque odio, neque fastidio eius venisse in eas cogitationes, sed tantùm ob suspicionem peccati. Tunc autem non tantùm libentem admittere, sed etiam timere tanquam plenam Spiritu Sancto. Omnino eũ oportet esse se-ousum Basilij.

XVIII. Sed suos autores à rationibus instructiores existimauit Salmero: itaque, & suas eis affinxit, & nostras conatus est refellere. Vtrunque videamus. Nostrę desumuntur ab ipso textu. Et prima quidem à verbo *traducendi*, *Cùm esset iustus, & nollet eam traducere*. Respondet Iesuita: Traducturum fuisse, vel ante tempus rem euulgando, detegendoque, vel quod si mansisset cum ea, existimanda esset, necessariò corrupta, & à se cognita.

XIX. Sed τῷ παραδειγματίζειν, longè est alia vis: quã obseruare coacti sunt recentiores Interpretes, propter nonnullos Græcè imperitos, qui traducendi Latina voce decepti longè aberrarant. Titelmannus in Elucidatione, *Caue intelligas, in domum ad secum cohabitandum adducere. Nam, qui ita sunt interpretati* (Et in his ille Eusebius Emissenus) *ex lingua Græca ignorantia lapsi sunt*. Vim ergo eius verbi Maldonatus expressit, *Ignominiose accusare*. Brugensis, *Exemplũ statuere, publicare, infamare, in ius trahere, legum exemplũ in eam edere, populi fabulam reddere, probrum inferre, & crimine diuulgato, ipsam ignominia afficere. Hæc enim Græca vocis significato cõprehenduntur*. Vide Iansenium, Barradium, & omnibus præeuntem Erasmũ. Itaq; negatur traducturum fuisse, veronis modo, quem Salmero designauit. Imò, contrà Maldonatus, *Id autem fecisset, si in iudicium vocasset, & omnium oculis, tanquam adulterij ream, proposuisset*.

XX. Et sanè oppositio obseruanda: cùm nollet traducere, voluit dimittere: vnde certum est, si dimisisset non fuisse traducturum. Atqui hoc falsum, si ad traducendum satis fuisset rem euulgare. Nam, præterquàm quòd ipse tumor vteri ad euulgationem sufficiebat, etiam dimissio erat confirmatura diuulgationem, & additura manifestam adulterij coniecturam. Itaque, oportuisset Iosephum potius, cùm nollet eam traducere, cogitasse etiam non dimittere: sic enim adulterij suspicio nulla fuisset apud alios.

XXI. Sed si retinuisset, ait, necessariò fuisset existimata corrupta, vel ab ipso Iosepho cognita. Egregiè. Quasi qui grauidã viderẽt, & dimissam, necessariò credituri essent virginẽ intactam. Tum autem à Iosepho cognitã, quid habebat suspicionis? Itáne apud Iudæos suos mos erat, vt opprobrio esset nuptas à viris cognosci? Sed nimirum ille habuit præ oculis fabulam illam, quæ apud superstitiosos inualuit, datam fuisse publico consilio virginem huic viro, vt intactam seruaret. Sic est μῦθον ὕφαινε.

XXII. Altera nobis ratio à lege Iudaica, quæ iubebat adulteras lapidari, publico damnatas iudicio: vt facilè appareat Iosephum hanc habuisse prę oculis, cũ nollet eam παραδειγματίσαι sed, & dimittere, & λάθρα, clanculum dimittere: nimirũ, quia videbat, si apertè ageret aduersus eã, futurũ, vt non posset liberare ab extremo supplicio. Euthymius, *Quod nolẽt facere Ioseph, voluit clam dimittere eam, vt, & ipse nullo obnoxius criminis secundum legem maneret, eam iubentem dimittere, quæ aliunde in vtero haberẽt, & illam à malorũ perpessione seruaret, qui id quod factũ erat, non manifestabat*. Ferus, *Vt, & saluti, & famæ Virginis cõsuleret, cuius inculpatissimos mores habebat compertos. Palam enim diuortium fieri non poterat citra periculum vitæ, & infamiam Virginis*. Hanc rationem Salmero dissimulauit.

XXIII. In tertia laborauit, quæ est ex verbis Angeli. Etenim si ob reuerentiam cõceptus existimauit se Iosephus indignum, eo cõiugio: Ergo necesse est ei cognitissimũ fuisse conceptus mysteriũ. At nõ fuisse constat ex verbis Angeli, iubentis ne timeret assumere, & rationem reddentis sumptam ab hoc ipso conceptus mysterio: quo audito, qui antea meditabatur diuortium nunc tandem acquiescit.

XXIV. Respõdet Salmero, id nõ euinci ex textu. Primũ, quia Hebraicus quidam codex Matthæi habeat, *Ne timeas, vt accipias Mariam coniugem tuã: quia id quod natũ est intra eam, de Spiritu est*: id est, ne timeas eã accipere ob hanc causam, quia quod natum est in ea, sit de Spiritu Sancto: sed cognosce hac in re esse operã tuam necessariã, vt ei officia patris exhibeas. Et ita Theophylactum explicare. Deinde particulam γὰρ Græcè interdum esse asserentis, & valere, equidem certè, vt sensus sit: Certè, quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

XXV. Ast ego insto, idipsum euinci ex texto. Et ita obseruaui pridem. Nam Basiliũ iam dixisse: Cùm esset iustus, assequutum esse mysteriorũ cognitionẽ, quoniã hęc eo cogitante Angelus ei apparuerit. Sermo ille apud Augustinum duodeuicesimus de Tempore Angeli verba ἀπαρρησιῶν, exponens, *Aufer Zelotypia animum ex ea. Ipse enim est Dominus, qui impregnauit eam. Ideò tristis est anima tua, quia quæcunque legisti in prophetia, non intellexisti in Maria. Hinc est omnis tristitia tua quoniã sponsam tuã nondũ cognoueris, & grauidã senseris nec aliud in ea, nisi adulterium suspicaris*. Iansenius, *Deus, qui passus est virum iustum ad tempus, falsa de Virgine suspicari, ac secum cogitare de diuortio, nõ diutius permisit eum in hac suspicione, & cogitatione detineri, ne iustus ignorans iniustã rem faceret ex intentione, & voluntate iusta*. Maldonatus. *Ex consequentibus manifestum est, eum ignorasse, vnde Virgo sacra cõcepisset: propterea enim voluit dimittere: propterea ab Angelo docetur*. Mitto alios: sed Barradiũ describo, *Libentissimè huic sententia subscriberem* (quæ videlicet Salmeronẽ titillauit) *si cũ Euangelistæ verbis rectè cohæreret. At ex illis, si rectà expendantur trutina* (attende Salmero) *apparet Iosephũ ante Angeli apparitionẽ, planè ignorasse D. Virginẽ diuinitus ex Spiritu Sãcto cõcepisse. Ea enim ab Angelo causa redditur, cur dimittenda nõ sit*. Paulò pòst, *Dicendũ ergo est. Iosephum conceptus ex Spiritu Sãcto ignarũ fuisse, & ex vteri tumore mali aliquid de Virgine existimasse*. Hæc ille. Sed priorem tamen omnibus Ambrosiũ peccatũ sit omittere: Eius hæc verba sunt, cap. 5. de Institutione Virginis, *Quid præiudicat Mariæ: si cœlestis cõsilij mysteriũ Ioseph non intellexit, & putauit Virginẽ non esse, quã pregnantẽ videret?* Et paulò pòst, *Quomodo homo potuit diuinum scire secretum, quod Angeli nesciebãt?* Itẽ, *Hoc autẽ opinatus est, quod traduceret eam, quasi reã, antequã ab Angelo moneretur: postea autem, quasi fidelis, nec dubius, virginitatis eius seruauit oraculum*. Vide Chrystophorum à Castro cap. 6. hist. Deiparæ, notat. 10. vbi tractatur hæc res ex professo.

XXVI. Sed Hebræus cõtextus, vnde, aut cur obiicitur? Is, ni fallor, codex est, Munsteri: quanquã Tilij codex nõ discrepat hac saltẽ parte: sed quod illud *intra eam*, בתוכה dixerit *ex ea* ממנה. Verũtamen ineptit Salmero, qui existimet, illud כי rationẽ reddere cur timuerit Ioseph: & nõ potiùs, cur non debuerit timere. Nã, vt cõcedã ambiguã esse Hebraicã syntaxin: quia tamẽ cõstat Græcè excludi ambiguitatem: cuius proprietatem secutus sit etiam Syrus, profectò plus oportuit deferri Græco textui, quàm

Hebrai-

Hebraico ἀνοχέου, atque huic quidem tepégeauris A peccanti. Enimuero quis nostra Hebraicam illam particulam substituit pro Græca γὰρ, Latina enim, vel nam? Non certe ex probati exemplaris petenda: sed ab corpore contextu, καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν. αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ, Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum. Sic Græcè, & Latinè. At Hebraicè in eodem Munstero, ותקרא את־שמו ישוע כי־הוא יושיע את־עמו, Et vocabis nomen eius Iesum, quia ipse saluabit populum suum. Sic Matthæi octauo, cùm legimus, Ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγῳ, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου, καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας, Sed tantùm, Dic verbum, & sanabitur filius meus. Etenim ego etiam homo sum, habens sub potestate mea milites, Nemo intelligit sanandum eius filium, quia parer habet sibi obnoxios milites: sed potius sufficere Domino verbum proferre. Brugensis, Argumentatur à minori. Ego homo, cùm sim alterius subditus potestati, quia aliquibus præsum, in quos mihi autoritas est, multa solo verbo, solo iussu facere valeo, illis nimirum mandatis meis obtemperantibus: quanto tu magis, qui nulli creaturæ subditus, præes omnibus, necesséque est, vt tuæ omnes pareant voluntati? Et tamen eadem prorsus particula est apud Munsterum, כי גם אני אדם, Siquidem, & ego sum homo. Sic ludit Iesuita, sperans in re nihili certos triumphos.

XXVII. Itaque verissimum est, reddi ab Angelo rationem, quare accipienda esset Iosepho vxor. Iansenius, Reddit rationem, quare metuere non debeat: Quod enim, inquit, in ea natum est, de Spiritu Sancto est, quasi dicat: Tu quidem metuis eam tibi adiungere, quod cùm concepisse eam, & tamen nõ ex te sciat, ex alio viro per adulterium concepisse putes: verum ego tibi affirmo eum conceptum sicut non est ex te, ita nec ex alio esse viro, sed de Spiritu Sancto. Barradius, Apparet Iosephum planè ignorasse D. Virginem diuinitus ex Spiritu Sancto concepisse. Ea enim ab Angelo causa redditur, cur dimittenda non sit. Noli timere, ait Angelus, accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est. Quasi dicat: Times accipere quod tumescentem vterum, ab homine genitum fœtum gerere suspiceris, ne metuas: vteri integerrimi conceptus, non ex homine, vt suspicaris, sed ex Spiritu Sancto est. Ferum omitto, & Tuelmannum, & alios.

XXVIII. Quid igitur? Nempe lusit in argumenta nostra Salmero: vt imponeret iis, quibus solenne obseruare, non quid quis dicat, sed quid quis non taceat. Nunc opponit nobis argumẽta tredecim, vt solet, cùm ad aliquid, quicquid sit, tandem animum adiecerit, abundare ἀνεξετάστως sed vt perinde sit solidorum, an futilium: certorum, an incertorum. Tros Rutulusve fuat nullo discrimine habetur. Deuoremus hanc molestiam.

XXIX. Prima ratio. Quia, Inuenta est habens de Spiritu Sancto. simul, & coniunctim lege, ait, inuentam de Spiritu Sancto: alioqui diuidendo, vis manifesta literæ fieret: quemadmodum Basilius, & Theophylactus exponunt.

XXX. Rectè, inquam, inuenta est habere de Spiritu sancto: & quidem inuenta viro. Si quis repugnet, manifestam vim faciat textui. Sed quid illud est coniunctim legere? Non explicasti Sophista, vt lateret dolus. At nos non patimur, tam fœdè imponi viris bonis. Itaque dicimus Euangelistæ propositionem esse, Compertam Mariam esse prægnantem ex Spiritu Sancto. Sed simul eodemque momento compertam à viro suo, aut etiã hominum quoquã, & prægnantem, & à Spiritu Sancto: negamus strenuè. Sed ordine consideramus Euangelistam docere, primò compertam fuisse grauidam, atque id do- A lutiis marito: deinde huic marito dolorem exemptam, docto in somnis conceptum à Spiritu Sancto. Neque aliter Basilio visum, qui duo disparat capita, τὴν κύησιν καὶ τὴν αἰτίαν: atque hanc cognitam, non nisi Angelo reuelante Theophylacto, si aliter visum; malè sanè nus, Ne verò quispiam turbetur eo quod dixerit Reperta est esse grauida, si hoc solùm audiat adeò adiecit, è Spiritu Sancto. Quæ tamen oratio non potest coniungi cum toto illo præcedenti, inuenta est, habens in vtero: cum Ioseph, qui reperit eam esse grauidam, non intellexerit eam grauidã B esse ex Spiritu Sancto: sed coniungi tantùm debet cum participio habens, vt sit sensus inuenta est habens in vtero, habens, inquam, non ex viro quidem, sed de Spiritu Sancto.

XXXI. Secunda ratio. Debile argumentum erat, paruus ventris tumor, qui ex aliis causis poterat prouenire. Nam si verum quorundam dictum post Angeli annunciationem, & cognitam Messiæ in ea conceptionem, statim voluisse dimittere, certè nullus tunc fuisset ventris tumor. Tum cur non potiùs ab illa flagitasset, quid rei esset? Reuelasset enim illa, & ille credidisset. C

XXXII. Paruus, inquit, ventris tumor. Quasi spectasset ipse, & esset dimensus. Sed quid si magnus? puta quatuor mensium? Nam mox, vt Angelus discessit ab ea salutata, illa profecta est cum festinatione in montanam regionem ad Elisabetam consobrinam suam, apud quam mansit tres circiter menses, reuersa tandem Nazaretam, quò & Iosephus venit, vt nuptias celebraret: & cùm eã sæpius, ac familiarius intueretur, ex vteri tumore grauidã deprehendit. Hæc historiæ textura est apud Christophorũ de D Castro Iesuitam, historia Deiparæ cap. 6. A quo nec Iansenius recedit: nec Barradius. Et vt magis mireris, ne ipse quidem Salmero aliter suos tractatus ordinauit: qui tamen nunc exiguum tumorẽ comminiscitur, credo, oblitus: etiam aliquando functus, & quidem paulò aliter quàm Socrates. Sed vt sit, tamen Matthæus testatus est, cõpertam fuisse vterũ gerere: paulo certior testis, quam Salmero coniector. Dato sanè quantũ volet, quantulumve tumorem: tamẽ is E certus fuit index vteri: non vllius alterius rei. Quare, & vos tacete Vtopici doctores, nec nominati, nec nominandi, qui diuinastis statim post salutationẽ Angelicã, hoc cogitatum fuisse diuortium. Iidẽ, credo, qui acceptũ à paucis primis somnium de indignitate mariti, putastis excolendum: vt verum esset, nihil tam absurdè dictum vnquam, quod non suos nanciscatur fautores.

XXXIII. Reuelaturam fuisse Virginem, crediturumque etiam maritum respõdenti cautam, fit verisimile: sed tu nescimus, cur non interrogarit maritus, ideo nos oportet tuis deferre coniecturis? Sed redibit hæc subtilitas iterum in vndecima ratione: F quare, & nobis differatur examen.

XXXIV. Tertia ratio variis pugnat capitibus, cõiecturas autor appellat. Prima est ab ipsa Mariæ persona, cuius natiuitas fuit admiranda, non sine miraculis, & quidem maioribus, quàm fuit illa Baptistæ: tum verò etiam admiranda præsentatio in templo, & ibidem mansio, sed & desponsatio miraculosa.

XXXV. Imò, inquã, fabulæ fabulã nunquam cõ- G firmant. Neque nobis persuadebit vnquam, quantumuis acerrimus Sophista, Iosephũ tunc tẽporis, aut sciisse, aut inquisiisse, quid aliquot post se denatum seculis somniaturi essent otiosiores homines, quã religiosiores. Itaq; gemina respõsio est: prior has fabulas nõ potuisse re impedire ipsam, id est, efficere, vt non aliunde cõciperet, quàm à S. Sancto: deinde

ne id quidem, vt hoc non conciperet Iosephus: nam etsi interdum fabulæ persuadent multa, & plerunque etiam maxima, quod ipsorum Papistarum constat experimento, tamen nunquam persuadent, nisi auditæ, & creditæ. At Iosephũ, qui has audiuit nunquam, ne credidisse quidem apparet: atq; non si potentissimæ sunt in Iesuitarum animis, ideò mouerunt sanctum virum.

XXXVI. Altera coniectura: Ioseph inuenit tumidum vterum, vel ante salutationem Elizabetæ, vel post. At non ante, quia nullus. Ergo pòst: nã poterat exactis tribus mẽsibus intumuisse. Sed enim in eo itinere fuit Virgini comes Iosephus: Itaq; audiuit Elizabetę verba, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus vẽtris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Et his auditis, quomodo potuit sinistri quicquam suspicari? Fuisse autẽ comitem probat, ex eo quòd diuino consilio fuisset vir assignatus, vt esset perpetuus, ac indiuiduus comes, ac minister, & inuiolatæ pudicitiæ testis.

XXXVII. Respondeo, negari fuisse comitem. Barradius, *Cardinalis Caietanus, Viguerius, Bonauẽtura, Soares, & alij arbitrantur Ioseph simul cum Deipara Virgine, Elizabetæ domum iuisse. Sed si iuit, mysterium sanè cognouit: quod tamen non cognouisse, ex Matthæo colligimus. Respondendum ergo obiectioni, Iosephum intemeratam Virginem nõ fuisse comitatum.* Salmeroni-ne potius deferendum? Nam nec quisquam dixit Euãgelistarum. Nec videtur. Fuerat ille vir assignatus, & quidem diuino consilio: sed nec solẽt viri ante celebratas nuptias perpetui indiuulsique comites esse despõsatarum: nec verò etiã post illas celebratas, ac verò etiã si velis consummatas, nunquam nõ discedere ab earum latere. Erat delectus testis pudicitiæ: ita est, inquam: sed vt re potius, quàm instituto: id est, vt tamen nesciret hoc ipsum: quomodo plurima Deus perficit per homines nescios, & non cogitantes.

XXXVIII. Tertia coniectura. Non tantùm fuit illi comes: sed etiam mansit cum illa, ne, cùm mansisset apud consobrinam tres menses, parum honori, tum eius, tum Christi foret consultum, & existimatum ex alio quàm ex viro concepisse.

XXXIX. Nugæ. Nam si non fuit comes, ergo nõ mansit cum illa. Neque verò ea ratio bona consulendi honori Virginis, si ab ea nec noctu, nec die diuelleretur, cui nondum plenum ius erat viri, nondũ celebratis nuptiis. Tum autem hic nũquam diuulsus comes, sciisset ab aliis intactam fuisse: quod tamẽ contrà suspicatus est: vnde illa verba Sermonis decimi noni de Tempore, *Heu, heu, quid contigit? Quid, putas, euenit? Per quem Maria sic cecidit? quem sibi plusquã me adulantem inuenit?* Porrò conseruandi honoris rationes Deo suę constiterunt, vltra quàm Iesuitę potuerunt concipere, vt iis coniectoribus nunc nihil sit opus.

XL. Quarta Cõiectura. Vbi, quæso, tantum facinus patratum? In templo-ne, an in domo paterna, an in Zachariæ?

XLI. Tu quæris, vbi à Virgine sit patratum adulterium, ô scelus? Tu id interrogas? Respondet Catholicus: Nusquam, nusquam, Sophista, patratum. Neque id quisquam disputat. De suspicione Iosephi quæstio est tota. Neque consequens est, si nusquam patratum sit facinus, etiam nunquam suspicatum fuisse Iosephum. Quis enim nescit, ea etiam in suspicionem venire posse, quæ nunquam sint admissa?

XLII. Exhaustis coniecturis, redimus ad rationes: hæc ergo, quarta est. Si sciebat Ioseph Mariam, voto virginitatis addictam, quomodo tam citò, tam leuiter, tanti sceleris ream voluit suspicari? & sacrilegam ex fracto voto, perfidam, & inconsideratam, quæ, quod viro erat negatura, soli stupratori concederet? Si item nihil audierat, nihil viderat, ex ore, nutu, gestu Virginis non summè sanctum, non summè pudicum, & venerandum, quo pacto in talem cogitationem venire potuit? Certe bona opinio, atque amor, nunquam illum sineret ad tumorem ventris respicere.

XLIII. Rursus, inquam, nesciebat Iosephus somnia futura post se aliquot seculis, de quibus nobis aliàs disputandum erit. Deinde, quid tu quæris, quod habes signanter indicatum? Non tumorem ventris, qui potuit esse ex hydropisi, aut alia causa: sed tumorem vteri. Nam inuenta est ἐν γαστρὶ ἔχουσα, id est, *vterum ferre*. Et tu nullam hanc causam putas suspicionis? Nihil ille quidem videbat in ore, vultu, gestu Virginis, non sanctum, non pudicum, non venerandum: sed videbat vterum tumidum: comperiebat, inquam, esse prægnantem: neque ex se. Nesciebat à Spiritu Sancto. Et nulla hæc erat suspicionis occasio? Imò tanta, vt nullo ore, vultu, gestu possit tolli. Itaque Angelo opus fuit, qui discuteret: cùm ratio ordinaria nulla esset.

XLIV. Quinta ratio. Si cùm esset iustus, comperto scelere à turgido ventre, voluit eam dimittere, & nolebat traducere: Quæ iustitia est ista, quæ iudicat re non comperta, & explorata: sed ex coniectura facile expugnabili? Quæ hæc iustitia, quæ antequam expostulet, damnat? Imò etiam quod damnat, non punit, nec puniri vult? Imò impunem censet dimittendam sacrilegam?

XLV. Imò, tu inconsultè peccas Sophista: qui semper ventrem turgidum in ore habes, quem nullus nominauit Euangelista: remoues semper, compertam in vtero habere. Brugensis, *In vtero habens, subaudi fetum, ἐν γαστρὶ ἔχουσα, Græca phrasis, pro reperta est vterũ ferre.* Iansenius, *In vtero habere, Græco more est grauidam esse, & concepisse. Sensus ergo est: Reperta est, esse grauida, & concepisse. Quemadmodum enim Latinis elegans est gestare vterum, pro grauidam esse: ita & Græcis habere in vtero.* Maldonatus, *In vtero habens. Prægnans, grauida, vterum gerens: Illa enim est Græca: hæc Latina est phrasis.* Quid moror amplius? Ipse se audiat Salmero tractatu vicesimo nono, *Erasmus non tam fideliter vertit, deprehensa est grauida de Spiritu Sancto. Sed præstat verba Spiritu Sancto dictante conscripta habere, quia significantissima sunt: & familiare est Græcis medicinæ scriptoribus, præsertim Hippocrati. vti ea forma loquendi, in vtero habere, pro eo quod est grauidam esse, siue gestare vterum.* Brugensis denique iterum, *Voluebat secum ipse animo suo, nunquam se eiusmodi comperisse Virginis mores, in quos caderet adulterij suspicio: sed vincebant probitatis opinionem indubitata conceptus indicia.* Quid tu mihi nunc obiicis, ventris tumorem, eleuandæ rei causa? Quid tu in ambiguo ludis, vt eludas conceptus suspicionem?

XLVI. Sed quænam hæc iustitia fuit? Nulla, inquam. Neque vnquam Euangelistę dictum, eo iustum fuisse, quòd Mariam suspicaretur ex adulterio prægnãtem. Absit blasphemia. Sed quod quam suspectam haberet, nollet, aut traducere, aut retinere. Ex Ruperto audiuimus, *Reuera hoc erat iusti hominis, nec tantùm iusti, verùm etiam pij, quod hinc timebat consentire peccato alieno, & inde abhorrebat vti permisso, vel seueritate legis.* Iansenius ita habet, *Intelligendum explicari causam,*

causam, quare traducere eam noluerit: nempe quia iustus erat: vt sit sensus. Cùm esset iustus, hoc est, bonus, & ob id nollet eam traducere, hoc est, infamare, & in publicum proferre. Iam verò quis neget etiam iustissimis viris ex hypothesi falsa, sed quæ pro vera habeatur, frequentes esse consequentias secundùm iustitiam? Alioquin quis iudicem absoluat damnantem reum conuictũ testimonijs falsis? Geneseos vicesimo dicitur, etiam teste Deo, Abimelec accepisse Saram in vxorem in perfectione cordis sui, siue, vt in Editione Vulgata, simplici corde: cùm tamen Abrahami vxor esset. Exclama, Salmero, quænã hæc sine perfectio, siue simplicitas cordis? ducere alienam vxorem? Insanos clamores modesta responsio compescet: non in eo simplicitatem esse cordis, quòd alienam vxorem duceret: sed quòd alienam esse ignorans duci posse concluderet. Eadem ratio hîc Iosephi.

XLVII. Instat. Prodigiosa est, & importuna pietas, quæ contra prudentiam militat, atque iustitiam. Ita est, inquam. Sed quid appellas, contra prudentiam, iustitiamque militare? An ita, vt effectus sit reapse non iustus? Ergo prodigiosa, monstrosaque fuit simplicitas Abimelechi, qui, quicquid prætenderet, tamen iniustè ducebat alienam vxorem: vnde à Deo tam seueris minis correptus. Sin autem neges Abimelechum militasse contra simplicitatem, quid habes quo in Iosephum magis declames? Infixum est in humana mente, vt, posito crimine, concludatur aliqua eius pœna. Crimen ignorare, non est contra iustitiam, aut prudentiam militare: sed infirmitatem testari humani iudicij, cui non possunt semper omnia esse cognita.

XLVIII. Atqui, si constabat crimen, non erat iustitiæ dimittere, sed illi quodammodo consentire. Imò falsum sumis. Nam Christus aliter docuit, licere vxorem dimittere propter fornicationem. Vnde facilis conclusio, fuisse quoddam adulterij suppliciũ dimissionem. Cur non ergo iustum? Et fortasse ita distinguendum, vt priuatum suppliciũ fuerit, atque in potestate cuiusque mariti: cùm lapidatio magistratus esset, & publica. Eoque pertinere illud λάθρα, vt non opponatur clancularia dimissio, publicæ: sed τὸ ἀπολῦσαι, τῷ παραδειγματισμῷ, vt vtrumque sit pœna adulterij, sed hæc publica, illa priuata. Iansenius, *Notandum in Veteri lege non fuisse præceptum, quemadmodum videtur putare Theophylactus, maritis adulteras vxores traducere, sed permissum.*

XLVIIII. Pergit Sophista. Cùm Euangelista affirmet Ioseph fuisse iustum, atque ob id Mariam non traduxisse, innuit quòd de calumnia vxoris nõ dubitauerit. Imò hæc corruptio est. Non enim dixit Matthæus noluisse traducere, quia iustus esset: verũ animi in Iosepho geminum motum indicauit, quòd iustus esset, & quòd nollet traducere: sic enim verba sonant, *Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere*, videlicet vt priore designaretur odiũ adulterij, altero amor coniugis, vnde inclinatio in mitiorem partem, vt neque retineretur propter odium adulterij, neque traduceretur propter amorẽ. Sic Interpretes. Brugensis, *Nolebat consanguineam suã, honestis parentibus, & sui amantibus ortam, in exemplum statuere ignominiæ familiaris: quippe res occulta adhuc erat, & puella ob virtutum, quibus fulgebat, insignia, miseratione digna si fortè lapsa fuisset.* Post, *Dimittere, quia iustus erat, occultè, quia traducere nolebat dimittere, vt conscientiæ suæ satisfaceret: occultè, vt vxoris famæ consuleret: dimittere, denique, ne adulteram fouens criminis particeps fieret, & adulterini partus stultè patiens, obsequutor: occultè, ne* *ia progeniem suam crudelis, & in puella, moribus hactenus inculpatissimis pro ætate ac sexu, fragilitatem, durus esset.* Barradius, *Præmisit Euangelista Ioseph fuisse iustum: quoniam propterea voluit vxorem dimittere, quòd esset iustus: nolebat enim cum ea, quam crimen commisisse arbitrabatur, habitare vir optimus, & ab omni crimine abhorrens.*

L. Sexta ratio. Impiè, ac sine vlla misericordia ageret, dimittẽdo vxorem absque libello repudij, contra legis mandatum, in quo si causam exponeret, vt lege tenebatur: & coram testibus, vt mos erat, ne confictus liber posset existimari: quomodo verum est, eum ipsum noluisse traducere, & publicare? Si causam tacebat, quomodo non semet ipsum traducendum exponebat, qui sine causa, & propria temeritate adolescentulam, de ipso grauidam existimatam, repudiasset?

LI. Respõdeo, non cogitasse Iosephum dimittere absque libello, quem dari iubebat lex. Sed in eo causam exponi nulla lex iubebat: nullus ferebat vsus. Vide exemplum repudij apud Fagium annotationibus in Targum Deuteronomij capite vicesimo quarto, & apud Munsterum in idem caput. Itaque nulla erat traductio, ne si quidem mille testes fuissent adhibiti: quanquam ne horum quidem vlla mentio aut in lege, aut in exemplis. Non tenebatur ergo causam addere: atque inde ratio consilij fuit: quia non publicaretur crimen, neque Maria diffamaretur.

LII. Sed ipse seipsum traduxisset? Quomodo, inquam? Si ita moris esset? Nisi fortè omnes se ipsos amabant traducere. Sed si sine causa, & propria temeritate repudiasset. Ita est sanè, hoc inquam modo seipsum traduxisset. Verùm, ô Sophista, cur tam impudenter mutas terminos? Nisi fortè, quicunq; causam nullam exprimit, idem nullam causam habet. Sed importuni sunt potius Iesuitæ, & contra sensum communem crebro peccare soliti.

LIII. Septima ratio. Non poterat Ioseph iure facere, vt B. Virgo lapidibus petita interiret: quod tamen contendunt, qui oppositum sentiunt: quia nesciretur an ante matrimonium fuisset grauida, an verò post. Nam lex solùm loquitur, quando puella in domo paterna flagitiũ admisisset. Nec testes producere potuisset, vt probaret, quòd eam ipse non cognouisset, illa hoc negante: ipsaque suæ virginitatis signa potuisset ostendere, quibus probaret se à nullo homine cognitam fuisse. Etsi ergo accusare ei minimè liceret, habebat tamen potestatem adducendi ad Sacerdotem pro sacrificio Zelotypiæ: quanquam ex præcepto id facere nequaquam cogeretur: & satis erat dare libellum repudij.

LIV. Respondeo Zelotypiæ sacrificio nullum locum fuisse, vbi de vtero cõstaret, instituto potius ad probationem rei incertæ, &, vt loquitur Moses absconditæ ab oculis viri. Ast hic erant indubitata conceptus indicia, vt loquebatur Brugensis: & norat Ioseph sibi nihil rei cum ea fuisse. Et verò lex nullum tale sacrificium instituit in desponsatam: cùm comperta fuerit non virgo. Itaque hoc nonnisi ad ζηλοτυπίας pertinet.

LV. Sed nõ poterat iure lapidibus occidi. Quid tum, inquã? At poterat παραδειγματίσαι. Et est quidem verum, quicunque lapidibus obruatur iussu magistratus, eundem παραδειγματίζεσθαι. Sed non reciprocè. Nam Maldonatus interpretatur *ignominiosè accusare*. En ne hoc quidem poterat? Sed lapidari potius volũt, qui in eam partẽ eũt. Omnes-ne? Nam si quidam, quid tum? Quanquam omnes etiã

potuerint, ex præscripto legis admodum seuerè, secundùm quam iudicatam, futurum plus quàm coniectura erat.

LVI. Atqui lex loquitur de puella, quæ in domo paterna flagitium admisisset. Ita est, inquam: sed domus paterna non significat locum aliquem designatum, vt si quę in agro idem flagitium admisisset, non teneretur rea: aut in vicini domo, si quando domum vicini frequentasset. Significat potius conditionem: nempe quandiu non mutasset familiam: ac proinde nondum in familiam mariti transisset. Atqui hoc concurrebat in Mariam. Nam desponsata ante nuptias manebat apud patrem: itaque nullo modo reatum effugitura.

LVII. Non potuisset testes producere Iosephus à se non fuisse cognitam. Esto sanè. Quæ enim lex iussit? Sed res tamen ita habebat. Tum autem, quid testibus opus? Nam virgo ipsa fuisset confessa. An tu dubitas, Sophista, qui tantam pietatem toties exaggeras?

LVIII. Signa virginitatis potuisset ostendere? Ita esto, inquam: sed quæ in lege nulla sunt. Nam Deuteronomij vicesimo secundo, longè alia nominantur: quę obstetricem magis, quàm Theologum deceat inquirere. Vno verbo tamen, signa virginitatis non quæ inesset tum cùm accusaretur: nã quomodo? cùm supponatur vir ingressus? Sed quæ fuisset tum cùm primum cognosceretur. At huiusmodi nulla poterat proferre Virgo Maria. Deinde, quid si ne admissa quidem foret ad proferẽda? Nam quis admisisset, cui tum re, tum confessione conceptus esset certus? Re quidem, propter vterum: sed & cõfessione: quis enim dubitat confessuram fuisse Mariam, statim atque interrogatam? Scimus enim non eruditam æquiuocationibus Iesuiticis, vt apertè se grauidam negans, occultè subaudiret, Ex adulterio. Nisi fortè etiam tunc vulgo dicas distinctionem inualuisse, vt quæ non à viro cõcepisset, aliàs ab adultero, aliàs à Spiritu Sancto: quod tamen ipsa Virgo ignorabat: vt edoceri oportuerit ab Angelo interrogato.

LIX. Octaua ratio Angelus dixit, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: at non dixit, Noli suspicari. Quod profectò dixisset, si animo suo adulterij suspicio aliqua insedisset. Ergo timor reuerentiæ plenus, non autem adulterij suspicio causa erat vxorem non accipiendi suam.

LX. Vix altius stertere Sophista potuit. Dixisset, ait, Noli suspicari. Cur hoc potius, quàm illud? Quis iussit? Aut si nemo prior, quis est Salmero, qui tam nouus, tam nouas leges condat: & quidem valere velit in antecessum? ... qui non est insequens medeti consequenti, & distinctè rationem reddere inconsequentiæ. Matthæi decimo quarto: *Eo viso super mare ambulante discipuli turbati sunt, dicentes, spectrum est: & præ metu clamarunt.* Hîc Iesus statim, *Confidite: Ego sum, Nolite timere.* Debuit dicere, Salmerone consulente, Nolite suspicari me non esse: nam hæc causa timoris erat. Sed non si socius Christi dici Salmero, etiam magister potuit. Iosephi argumẽtatio erat, Maria concepit ex adulterio. Ergo mihi non est admittenda in vxorem. Soluit Angelus, Noli timere accipere: id est, nego consequẽs: tum rationem subiicit, quia non ex adulterio.

LXI. Nona ratio. Sciebant Iudæi vaticinia de Virgine Messiã paritura breui fore complẽda: ergo & Ioseph nouerat, cùm esset filius Dauid, & fidelis non tantùm carne, sed multo magis fide ac spiritu.

LXII. Fortè, inquam, norant Iudæi: sed pauci tamen, si norant. Nam cur Simeoni opus fuisset nũtiari diuinitus à Spiritu Sancto, Lucæ secũdo, ipsum non visurum mortem, priusquam vidisset Christũ Domini? Sed esto tamen. At nemini erat cognitum hanc ad se prophetiam spectare, vt domi suæ nasceretur Messias. Longè paucioribus, vt ex Virgine nasceretur. Nam etsi prædixisset Propheta, tamen non æquè intellectu facile erat: & absque controuersia. Denique ne ipse quidem Salmero ausus consequentiam texere: & nudum antecedens profari, putauit suo pudori consultius.

LXIII. Decima ratio. Non repugnabat vllo modo æquitati habitare cum vxore adultera: modò id fieret ad corrigendum errantem, eamque a scelere ad meliorem frugem reuocandam. Et nulla lex sacra (vt existimat Augustinus sermone vicesimo sexto de Verbis Domini) cogebat virum ad deferendam coniugis impudicitiam.

LXIV. Quorsum hæc? Non cogebatur à lege. Ergo ne non potuit? Quis dixit? Aut quid mirum si libertatis datæ optione vsus est vir Iosephus? Cum maximè viris, quãto sunt iustiores, tanto soleat maiori odio peccatum esse? Non erat sanè peccatum non dimittere vxorem adulteram: sed neque peccatum fuit dimittere. Itaque vtrumque potuit Iosephus. Cur ergo in alterum duntaxat propendent Iesuitæ? Nulla lex sacra cogebat deferre. Ita sanè. Nam alioquin non potuisset non deferre Iosephus, quod tamen dicitur noluisse. Sed ergo, quę non deferebatur, non propterea non erat iure electa, vt hæc, aut conuicta, vt fortasse aliæ nonnullæ. Solemne est. *Quos indulgentia liberat, notat.*

LXV. Vndecima ratio. Non videtur verisimile, quod si Ioseph ignorasset mysterium incarnationis, Maria Virgo, etiam non quæsita, ei non patefecisset. Tum quia sponsa secreta sua cum sponso cõmunicare debeat, maximè vt vitet omnem Zelotypiam, atque suspicionem: tum quia Elizabetæ à se visitatæ mysterium omne apertis verbis explicauerat, cui tamen minus debebat, quàm proprio sponso: tum quia virgo non putasset Ioseph fore incredulum.

LXVI. Respondeo, primò non esse rationem certam, sed leuem coniecturam. Nam quicquid est verisimile, imò quicquid videtur verisimile, non statim verum est. Imò quod non certo verum est, non debet opponi manifestis Euangelistę verbis: & quidem eiusmodi Euangelistæ, de cuius sinceritate, ac veritate non sit dubitandi locus. Non certè magis quàm dicenti compertam esse vterum gerere, opposueris non fieri verisimile, quoniam nulla virgo gerat vterum, aut simile aliquid.

LXVII. Deinde concedo si fuerit interrogata, verisimile esse non negasse responsum. Sed interrogatam, hoc verò nemo asseruit eorum à quibus aut habemus, aut habere possumus hanc historiam. Quid mihi nunc post tot secula diuinare sobrij potuit Iesuita? Maximè cùm ab ipsa narratione habeamus certum argumẽtum. Nam si rogauit ille Mariam, exposuit sine dubio. Si hæc exposuit, ille mysterium sciuit. Si sciuit, neque timuit: neque opus habuit reuelante Angelo, quod vtrumque est contra fidem historiæ. Nam Barradius, *Euangelista affirmat Iosephũ, quia vir iustus erat, noluisse virginem traducere, id est, infamia nota afficere, sed voluisse tantummodo dimittere. Ergo suspicatur conceptum illum non laude esse, sed ignominia dignum.*

LXVII. Sed

LXVIII. Sed cur non reuelauit Maria? Quasi nos oporteat omnes omnium causas non ignorare. Et tamen tuos audi. Iansenium, *Non conueniebat, vt à virgine deceretur. Illa enim cùm sciret sibi non habendam à marito fidem, negotium totum Deo commisit, nihil dubitans ab illo maritum edocendum, à quo cognatam Elizabet edoctam esse iam experta fuerat.* Audi Barradium. *Cur Virgo Iosephū cælestis conceptus certiorem non fecit? Respondeo, quia se honorem; suum Deo magna cura futurum sciebat.* Maldonatus, *Mirum etiā videri potest, cur sanctissima Virgo, quid sibi Angelus de Christo concipiendo nuntiasset, sponso suo nō dixerit, vt & se infamiæ periculo, & illum sinistra suspicione liberaret. Verosimiliter etiam ad hoc idem Chrysostomus respondit Iosephum maritum de sponsæ castitate solicitum, virgini quantumuis sanctæ pro se loquenti non fuisse crediturum. Et verò quis maritum, nisi à Deo monitum, credidisset?*

L[illegible]. Quanquam ego sanè malim tacere, atque ig[illegible]tionem confiteri: Vel potius acquiescere diuinæ prouidentiæ, quæ omnia singulaque momenta m[illegible] per omnes circunstantias. Itaque placet hoc Mald[illegible] in [illegible] ipsa re, *Diuina est prouidentia, quæ ægrotare vnum permittit hominem, vt multis ex eius morbo medicinam faciat. Ea fuit quæ Petrum, & Thomam permisit circa fidem cadere, ne nos caderemus. Ea expectauit donec Ioseph de Maria virginitate dubitaret, ne ipsi dubitaremus.*

LXX. Duodecima ratio. Adeo solicitus fuit de Mariæ pudore & pudicitia Dominus, vt Ioseph ab Angelo non fuerit reprehensus: quēadmodùm Thomas Apostolus dubius de resurrectione reprehēditur, cui dictum est à Domino, *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Et vt Abrahā de risu in Sara reprehensus, & Apostoli de tarditate fidei, in resurrectione Domini increpati, *Quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Iosepho enim Angelus non dixit, *Noli esse incredulus.*

LXXI. Non capio vim argumenti. Nam si quid bene iudico, videbatur increpatio potius fuisse necessaria testandæ huic solicitudini. Sed enim res est facilis. Non dixit Angelus, Noli esse incredulus. Ergo Angelus non reprehendit Iosephum. Vnde hæc cōsequentia est? Quasi nemo possit alio vllo modo reprehendi. Imò dico reprehensum iis verbis, *Ne timeto accipere vxorem tuam.* Nam eo significatum fuit, haud bonum, iustúmve fuisse consilium dimittendi. Illud autem, *Noli esse incredulus:* non omnibus competit, qui non credunt: sed iis qui admoniti non assentiunt. Sic Thomas qui audiuerat Dominum apparuisse, fuit incredulus: sic Apostoli. Sed & sic Sara. Atqui Iosepho nemo id arcani manifestum fecerat.

LXXII. Postrema ratio. Prima sententia facit iniuriā Virgini, quod tali ab sponso adultera existimetur. Cedit etiam in dedecus Iosephi viri iusti, & prudentis. Et in ignominiam Christi: cuius gloria est habere matrem gloriosam, & patrem putatiuum piom; prudentem, gloriosum. Secunda verò sententia, non peruenit ad meditandam in sponso tam profundam humilitatem. Quare cùm hæc opinio cæteris præstare videatur, proculdubio anteferenda est.

LXIII. Respondeo, primò nullam contumeliam fieri sponso: cùm eius infirmitates fiunt testatæ. Neq; enim Petri abnegatio tam seriò narrata ab Euangelista, cedit in eius ignominiam: sed in gloriam gratiæ in cū collatæ. Profectò enim sancti non sunt in Deos ἀπαθεῖς transformandi. Falsum est quoque quicquam esse cōtumeliæ in Christum. Neque enim verum eius gloriam à matre aut patre putatiuo pendere. Alioqui multo magis sequeretur vtrumq; nunquam fuisse peccatorem: quod est absurdum. De Maria respōdeo, sine dubio factam esse iniuriam sanctissimæ Virgini: sed non propterea falsam esse sententiā. Porrò autem vnius homunculi per imprudentiam suspicantis opinionem nihil derogare vero Mariæ honori, iniuriam ei factam non negauerim. Sed nego ab iniuriis externis pendere verum honorem: qui piis solidus est apud Deum: qui autem apud homines tātùm obiter. De Christo ipso Apostoli & pij, & non prorsus prudentia vacui, nonnihil sunt sinistri suspicati, Lucæ 24. *Sperabamus, illum esse qui redempturus esset Israel.* quasi dicerēt, nūc dubitam⁹. Et tamē hæc nulla fuit Christi ignominia. Cur ergo Virgini? Sed lesinæ cùm telis deficiunt, pugnāt peniculo aut stramine.

CAP. VI.

De Conuitiis in Simeonem, Annam, Centurionem, Martham, Magdalenam, denique Beatam Virginem.

I. DEtinuit nos plusculum Iosephi historia. Persequamur reliquos. Simeonē queritur Feuardentius dici plebeium, & obscuræ famæ: nullo nec diuitiarum, nec dignitatis, nec officij nomine clarum: in oculis hominum delirare, & mentis inopem visum: nullo denique honore publico excelluisse. Contrà enim prophetam fuisse, imò Sacerdotem.

II. Sed hic impetus non est diuersus ab aliis. Caluinus certè de huius pijssimi viri conditione nihil in alterutram partem definiuit, *Qualis fuerit eius conditio,* inquit, *non legimus: & fieri potest, vt fuerit plebeius quispiam homo, & obscura fama.* Magnum verò conuitium, & dignum cucullione irato. Sed qui magis probrosa fuerit Simeoni conditio plebeia, & obscura fama, quàm Apostolis, videre ego quidē non possum. Certè nullo eum loco Scriptura descripsit altiorem famosiorémve quocunque ex vltima plebe: quæ tamen aliis non solet suos titulos detrahere. Certè Sacerdotem fuisse Iansenius & Maldonatus pronuntiant nullo argumento esse à nonnullis assertum. At Iudæi tradūt fuisse discipulum Hillelis, & quidem nobilem fuisse etiam de genere Aaronico. Intelligo: sed non idem Scriptura tradit: itaque tam facile reiicitur, quàm admittitur: Non semper mentiuntur Iudæi: admitto Sed ne semper quidem veraces sunt. Itaque non absurdè Caluinus rem in medio reliquit.

III. Nec Bucerus magis hærere videtur huic coniecturæ, *Puerum in templum oblatum nondum Sacerdotes agnoscunt, nondum Pontifices salutant, nondum reges honorant: sed senex quispiam, nomine Simeon, ciuis Hierosolymitanus, nullo nec diuitiarum, nec dignitatis, nec officij nomine clarus, ad salutandum, & complectendum puerum accurrit, qui fortassis in oculis hominū delirare & mētis sua inops visus est: At qualis qualis hominum iudicio habitus sit, certè Scriptura magnis laudibus eum ornat.* Quid non piè Bucerus? & iuxta Christum ipsum negantem se reuelatum esse magnis & sapientibus, sed paruulis? Nec tamen est, quòd opponat prophetiam. Enimuerò, & Caluinus, & Bucerus haud aliter de eo censent, quā fuisse prophetam: atque ita interpretantur illud, *Spiritus Sāctus erat super eum:* itaq; non debuit sophisticē Monachus ineptire, id probans, quod non est dubium. Sed debuit probare Simeonem agnitum à Iudæis prophetam: & propterea in honore fuisse: id si non facit, nugas agit: quanquam non hîc tantùm.

IV. De Anna lepidulum est, quod Momus rodit Dei cultum non propriè reposuisse in ieiunio: imò retulisse potius ad lugendam, quæ tunc erat Ecclesiæ,

calamitatem. Nam hoc quicquid est: non vllum probrum est, quo lædatur nomen Annæ, sed est controuersia suo loco tractanda, de natura, vsu, ac fine ieiunij. Quid autem peccat Caluinus, si qui veras est ieiunij vsus, eum Annæ sanctæ fœminæ tribuit? Nimirum ægrè ferût Monachi, non omnes detineri in crassa superstitione. Non igitur Annæ nomini consulunt, *sed sua φιλαυτία*, vt mollissimè dicam, palpû quærût.

V. Centurionē ægrè fert, spoliari omni vera fide, & reuerentia erga Dominum. Sed nos miramur contra tantum impudentiæ fuisse sub cucullo. Nam qui locum leget in Commentariis super cap. 8. Matth. xl. videbit à Caluino hunc Centurionem à pietate festò laudari, & proponi imitandum. Quid ergo? Quæstionem mouet, qui factum fuerit vt de Christo tam magnificè senserit: hoc est, cognitum-ne Christum habuerit, an minus: cognitum, inquam, tanquam verè Dei Filium. Hanc quæstionem tractat in vtramque partem. Et primò affirmatiuè, *Nisi Christum agnouisset Dei Filium, superstitio fuisset Dei gloriam ad hominem transferre*: scilicet illud, *Dic verbo, & sanabitur*. Non fuisse autem superstitionem; postea docet; quia Christus errori non imputet eius verba, sed ex fide profecta esse testetur. Deinde negatiuè. *Atqui vix credibile est de Christi diuinitate, qua adhuc fere omnibus ignota erat, rite fuisse edoctum.* Hæc cùm in vtramque partem dicta sunt, tū, *Probabilius est*, inquit, *pium hunc virum, cùm deuctus ad planè diuinis Christi operibus certior factus esset, simpliciter Dei potentiam in ipso apprehendisse. Aliquid etiam haud dubie de promisso Redemptore audierat. Luce ergo nondum distinctè intelligat Christum esse Deum manifestatum in carne, sic tamen persuasus est in eo manifestari Dei virtutem, illiq. impositum hoc fuisse, vt Dei præsentiam miraculis demōstret.* Et q̄ sic de Centurione loquitur, spoliet eum vera fide, & reuerentia erga Dominū? Imò vident sensati, dist ngui cognitionis gradus, quam quotusquisque est, qui vno momento perfectam habuerit? Imò quis credat eum virum, qui non esset inter Christi discipulos, tam benè edoctum fuisse fidem Christi in nam, quam ipsus Apostolos? Itaque ridiculus Sophista est, non iniuriosus Caluinus.

VI. In *Martha* paulo plus h bet coloris: reuera enim notat Caluinus, quod in satagendo modū excederet: quòd seipsam distrahens, & superfluis laboribus occupans, inutilem sibi redderet Christi aduentum: quod in turbulentis operibus sibi placens, piùm discendi studium in sorore contemneret: quod vitio sa esset eius hospitalitas, quia omitteret, quod erat præcipuum. Sed hæc si Caluinus obseruans iniuriosus fuit, nemo excuset Euangelistam narrantem: imò ne Christum quidem primum omnium reprehendentē. Appendamus singula. Excessit modum in satagēdo. Nunirum περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν, *distrahebatur circa frequens ministerium*. Id Christus sic exprèssit, τυρβάζῃ περὶ πολλά, *turbaris circa multa*. Non erat illud, modum excedere? Scilicet ita Christus esset locutus de honesta modestaque suscipiendi cura? At non ita aliàs: qui etiam reprehendit, quod sibi non essent lōti pedes. Sed hoc ipso turbulento affectu, discedebat à Christi sermonibus: & ideo inutilem sibi reddidisse Christi illum aduentum Caluinus dixit. Qui enim magistri verba ducentis non attendit, qui potest dici non efficere sibi inutilem magistri operam? Itaque Christus admonuit, vnum illud esse necessarium: insinuans debere huic potius vacare.

VII. De contemptu sororis, quid necesse est dicere? Ipsa enim conqueritur apud Dominum, *Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me vt sola ministrem? Dic ergo vt mihi vicissim opituletur.* Atque hæc ipsa docent quartum, vitiosam fuisse hospitalitatem, id est, non ipsam quidem per se damnandam, sed quibusdā vitijs quasi detemperatam, nimirum & nimia illa affectatione, & negligentia potioris officij: & sororis contemptu. Itaque nihil Caluinus non rectè.

VIII. At idem tandem alibi notat conatam esse impedire, quo minus Dominus Lazarum à mortuis suscitaret. At hæc calumnia est. Iubebat Christus amoueri lapidem comparans se ad Lazarum suscitandum, illa dissuadebat, quòd quatriduanum cadauer fœteret. Hic Caluinus, *Non stetit per Martham, quin frater perpetuò iaceret in sepulcro: quia spem vitæ eius subpraecidens, quam poterat eum suscitandum obstruere Christo nitebatur: & tamen nihil minus habebat in animo.* Non ergo accusat Caluinus, tanquam conatam impedire Christum; quomodo enim conantem, quæ nihil minus haberet in animo? Sed solenne est calumniatoribus, particulam orationis auellere à textu, vt obnoxiam reddant canino denti.

IX. At Martham amabat Christus. Fateor: quid tum autem? Ergo non esset passus eam coram se tot pudendis vitijs circumueniri. Quasi non amarit Petrum; aut non sit passus eum circumueniri pudendo abnegationis vitio. Quanquam pudenda vitia cur nominantur? Si tanquam perpetuo epitheto, quomodo omne vitium etiam si nullum pudendum est, potest appellari: sed qui hoc sensu absurdū putet eos quos Christus amat incidere in vlla pudenda vitia, quàm malè conscius est humanæ infirmitatis? Sin autem per indignationem dictum, quid habet, quo cum eat magis hos errores pudendos, quàm multos alios?

X. Ioannis duodecimo dicitur Martha ministrasse: quod ei non vitupeiio, sed gloriæ deputatur. Ita certo sanè. Sed eodem loco non dicitur distracta fuisse, aut turbata circa multa. Neque hoc loco Christus reprehendit eius ministerium: ac ne Caluinus quidem; sed distractionem, turbationemque: itaque loci non sunt similes. At matrona sedula laudatur à Salomone: & à Paulo iubetur habere curam domus. Ita sanè inquam; nec verò ob sedulitatem, aut curam domus Martha reprehenditur: sed ob intempestiuam sedulitatem, nimiamque curam: Μὴ γὰρ ... Hactenus laudanda hospitalitas: quatenus non abducit nos, aut auertit à rebus magis necessariis. At tum erat quiddam huiusmodi: nempe auditio verborum Christi, à qua Martham abducebat hæc sedulitas.

XI. Ioannis vigesimo *Maria Magdalene* describitur stetisse ad monumentum plorans: id Caluinus cùm dixit, verisimile eidem factum ab alijs annotat, *tam quod discipulis in vrbem redeuntibus, manent ad sepulcrum mulieres, non est quod magnopere præ illis laudentur: consolationem enim & gaudium illi secum referunt: hæ vero in fletu inani & superuacuo se occupant: denique sola eas superstitio cum affectu carnali ad sepulcrum detinet.* Monachus malè habet, & illud de inani superuacuoque fletu, & hoc de superstitione, & affectu carnali; inquit & Euangelium & Chrysostomus ostendunt, Magdalenam à Deo lacrymis impetrasse, quæ quid post illam. Imò vtrumque falsum. Euāgelium certè tacet. Chrysostomus, quod impetrauit Martha, assignat non lacrymis, sed studio. ... *Multi huius studij mercedem reportauit.* Cuius autem studij? quo ad leniendum dolorem, & inclinauerat se, & voluerat locum videre.

XII. Porrò Caluinus inutiles lacrymas dicebat, quæ nulli tum tēporis vsui essent, ad eū sed ipsi credi ... quem

quem amissum putabant. De superstitione autem & affectu carnali, quid habet quod dicat? Nimirum illa charitas & dilectio, qua Filium Dei persequebantur, triste desiderium ob ademptum, constãs fiducia eius breui videndi rediuiui, iuxta promissiones, quarum exspectatio eas detinebat iuxta sepulcrum, non merentur vocari superstitio & affectus carnalis. Imò increpet te Deus Sathanas, qui tam audacter conculcato omni metu, & pudore, omnia susque deq; habes.

XIII. De dilectione, de tristitia, Caluinus non cogitat, sed de affectu illo, quo detinebantur in sepulcro vnde discipuli læti discesserant. De spe autem certa resurrectionis, impostura est. Contrà Caluinus hoc etiam in eis reprehendit, quod tam probe & exactè doctæ, tam malè profecerant; nimirum vt nondum nossent Christo à mortuis resurgendum. Chrysostomus, [illegible], *Natura erat infirma: & de resurrectione nondum norat*. Et rursus, [illegible], *Non erat sublime harum mulieris ingenium, vt ex sudariis resurrectionem comectarent*. En Monachi ingenium! Quod si non exspectabat resurrecturum: ergo frustra hærebat sepulcro, nec nisi affectu carnali: quod Caluinus voluit, Monachus carpit immeritò.

XIV. Superest *Maria* mater Domini, in quam reos facit quàm maximè Lutheranos: qua de re ipsi viderint. Quæ ad nos pertinent, nostrosque, ea mei sunt instituti. Hic verò longa disputatio de Controuersia, vtrum peccato siue originali, siue actuali fuerit obnoxia, sed pertinet ad tomum proximum, vbi Deo dante tractabitur.

XV. Prima calumnia nobis excutietur, de conditione Virginis: magno enim crimini imputat Monachus, verba Caluini, *Non tam fuit in gloria, quàm omnium ludibrio exposita: Pannosam & pauperculam respexit Dominus*. Et contrà disputat Abrahami, Dauidisque semen fuisse illustrissimum, nobilissimumque: vnde manifestè colligi, virginem non fuisse conditione vilem, natalibus obscuram, gente plebeiam. Quasi vel per somnium in mentem venerit Caluino, hanc Mariæ nobilitatẽ negare. Contrà in caput primum Lucæ, *Virgo hæc desponsa erat viro nulla re nobili iuxta mundi æstimationem, sed animi virtutibus Deo commendabili: arte fabro, cui nomen erat Ioseph, genus ducenti à stirpe Dauid, è qua genus traxerat sponsa.*

XVI. Hæc Caluinus de virginis nobilitate vera. Quibus quid habent oppositum pannosæ pauperculæque tituli? Certè Chrysostomus in Matthæum homilia octaua. [illegible], *Neque virgo ipsa erat nobilis*. Et post, [illegible], *Nihil ibi de sensibilibus istis grãde conspicitur, sed angustum tugurium, ac vile præsepium, & inops* (mendica) *mater*. Homilia vicesima quarta in priorem ad Corinthios. Christus [illegible], *Natus positus est in præsepi. & matrẽ accepit tenuem*: siue tenuis conditionis. Theodoretus Therapeuticon octauo [illegible] appellauit. Et [illegible], inquit Etymologus, [illegible], *quod propriis manibus victum quærat*. Origenes in Leuiticum homilia octaua, *Christus Iesus cum diues esset, factus est pauper: ideo ergo & matrem, de qua nasceretur, elegit pauperem.*

XVII. Pannosam Caluinus, quod sciam, non dixit sed dixit Bucerus, à quo Marloratus excerpsit, exponẽs illud apud Matthæũ, *Respexit ad humilitatẽ ancillæ suæ*, virginem inducit loquẽtem hoc modo, *Duxi quidem genus è progenie Dauidis regis clarissimi: sed tanto miserior & calamitosior sum, quanto maiores mei celebriores fuerunt. Potuisset ipsi aliarum copia esse, quæ me nobilitate & opibus longè vincebant: verum nullam ex iis voluit, me pannosam & pauperculam respexit.* Non sim sanus, si pluribus coner hanc calumniam purgare: quæ sese vt sorex suo satis prodit indicio: maximè cùm ipse Sycophanta se ipsum iugulans subiiciat ex Patribus, non esse nouum aut inusitatum eos, qui opibus & honoribus claruerunt, ad inopiam & abiectam conditionem deprimi: nec mirum videri cuiquam debere, si posteritas edita genere & sanguine regali, tandem ad paucos, & iudicio mundi despectos redigatur. Non esse autem id vitio vertendum Mariæ virgini, disputet sanè Fenardentius contra Celsum. At contra Caluinum, quo iure? An quia vt latronum violentia in syluis, sic in claustris Monachorum regnat impudentia?

XVIII. Secundum Sycophantiæ caput, ex primo Lucæ, *Videtur* (inquit Caluinus) *non minus aliquid restringere potentiam Dei, quàm prius Zacharias*. Nimirum, cùm Angelo promittenti responderet, *Quomodo fiet istud, quoniam virũ non cognosco?* vbi videtur opponere promissioni, rationem suam. Hac posita quæstione, geminam subiicit responsionem. Prima est, *Nec verò magnopere laborãdum est, vt eam purgemus ab omni vitio*: cui hoc momentum inest, posse verum esse Mariam tunc temporis non tam considerasse omnipotentiam Dei, quàm oportuit. Quod si ponitur, ponendum est peccasse. Et posse hanc sententiam verisimiliter defendi: Altera sequitur, quia id quicquid est peccati, extenuatur: *Quanquam sciendum est, non ita dubitare vel sciscitari, vt sensibus suis Dei potentiam, vel subiicere, vel æquare velit, tantùm subita admiratione perculsa ad mouendam hanc quæstionem rapitur*. Hanc strennè dissimulat Sycophanta: nimirũ totus calumniæ intẽtus.

XIX. Etsi autem commodior videtur Bezæ interpretatio, quæ Virginem dicit intellexisse iam olim ex prophetis, Messiam nasciturum ex virgine, ideoq; quæsitisse modum tanti mysterij: vt sensus sit, quandoquidem certum est, Messiam, quem tu dicis ex me nasciturum, non concipiendum ex coniunctione viri & mulieris, quomodo id peragetur: Etsi, inquam, verisimilior est hæc interpretatio: tamen in Caluino nihil est quod merito damnet pietas, quæ humanam imbecillitatem etiam in sanctis secernere nouit à gratia Dei: & in omnib. verè agnoscit, quòd in sese Paulus, *Quod nolo malum, facio: non facio bonum quod volo*. Secunda autem responsio, probat, quàm fuerit procliue tanti viri ingenium, ad concipiendas laudes Virginis, eamque purgandam à peccato, quantum fieri poterat: contra quam persuasum volunt Sycophãtæ.

XX. Coronus Institutionis, lib. 1. cap. 8. instat cõtra. Primò ex Elisabethæ testimonio, *Beata quæ credidit: nam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Domino*: Secundò ab autoritate Veterum. Cyrillum Catechesi duodecima; agnoscere ea verba Mariæ ab admiratione prodiisse, præ magnitudine ac nouitate rei. Ambrosiũ in primum Lucæ negare, Virginem vllo modo dubitasse de effectu: sed de qualitate quæsisse, & circunstantiis: quia legisset Esaiæ septimo virginem parituram: sed non quomodo. Augustinum quæstione 19. in Numeros: Modum quæsisse non de virtute dubitasse. Et in homiliis 50. homilia 44. inquirendo dixisse, non desperando. Theophylactum, non quasi discredentem, sed vt prudentem & intelligentem: vt disceret modum. Denique Bezam, admittere eorum sententiam, qui Virginis verba admirationi tribuũt: vel simplici inquisitioni. Tertiò etiamsi nouitas magnitudoq; mysterij, in hæsitationem impulisset Vir-

ginem, non esse tamen peccati taxandam. Ab exemplo. Quin, teste Gregorio Nysseno, & Chrysostomo, Elizabetha & Zacharias, incredulitate peccarunt, quòd haberent exempla Saræ, & Rachelis, & Annæ vtriusque. Virginem vero nullum.

XXI. Respondeo, Testatur Elizabetha Mariam credidisse. Nec negat Caluinus. Imò ad ea Elizabethæ verba, *Fœlix Maria, quæ Dei promißionem amplexa, sibi totique mundo salutem concepit, ac peperit*. Quid ergo? Videlicet, non sequitur: Credidit: ergo non est visa malignè restringere potentiam Dei. Nam primò, etiã fides sæpe in credentibus habet admixtum nescio quid dubitationis: vnde Marci nono, *Credo, Domine, succurre incredulitati meæ*. Et Lucæ decimo septimo, *Adauge nobis fidem*. Secundò: si credere intelligas non aliter, quàm remota omni dubitatione: ex ipsa narratione apparet, tum deniqne Mariam plenè acquieuisse, cùm Angelus eius dubitationi opposuit omnipotẽtiam. Lucæ primo, *Dixit Maria ad Angelum. Quomodo erit istud, quandoquidem virum non sum cognitura?* Respondit Angelus primò, futurum vt ab Spiritu obumbraretur: secundò etiam Elizabetham concepisse: tertiò, nihil esse impossibile apud Deum. His auditis, illa acquiescens, *Ecce*, inquit, *ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum*. Nihil ergo absurdum, si dicat Caluinus primò dubitasse Mariam: deinde credidisse.

XXII. Quid autem Cyrillus dicit, quod nõ Caluinus? [illegible Greek], inquit ille. At iste, *Subita admiratione perculsa, ad mouendam hanc quæstionem rapitur*. Negant dubitasse, Ambrosius de effectu, Augustinus de virtute: tantùm quæsisse de qualitate effectus. Et possunt ista ferri: ideoque à Beza probantur. Sed necessitatis nihil habent. Nam ipsa phrasis, etsi possit commoda interpretatione molliri, tamen solet in vsu esse, cùm dubitamus, num quid possit fieri. Deuteronomij septimo, *Quomodo potero delere eas?* Decimo octano, *Quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est loquutus?* Prioris Samuelis decimo sexto, *Quomodo vadam?* Et vigesimo nono, *Quomodo aliter poterit placare Dominum suum?* Priora Chronicorum decimo tertio, *Quomodo possum ad me introducere Arcã Dei?* Matthæi duodecimo, *Quomodo stabit regnum eius? Quomodo potest aliquis ingredi domum validi?* Sexcenta sunt huiusmodi, si colligam. Quid autem Caluinus peccauit, si communem tritumque sensum retinuit? Quanquam non retinuit. Non enim ipse exponit in eum sensum: vt neget credidisse posse fieri. Sed tantùm, non valde pugnando mea de re: sibi autem potius videri interrogationem natam ex admiratione.

XXIII. At non erat propterea peccati accusanda. Quis accusat autem? Nam, etsi neget Caluinus valde laborandum in excusanda, ab omni prorsus vitio, tamẽ eò potius inclinat, vt admirationi id, quicquid est, tribuat: quod Cotonus improbare non potuit. Tum verò, etsi Virginei partus nullum haberet exemplum, habebat tamen omnipotẽtiã, & dogma, & exempla plurima: quæ tum recoleret.

XXIV. Tertium caput ea Matthæi duodecimo. Quùm Christo, intento sacræ Concioni, nunciantur, Mater & fratres ad fores stare, quærentes eum alloqui, ille respondit, *Quæ est mater mea? Et qui sunt fratres mei?* Hic Caluinus notari docet importunitatem quæ præposterè cursum doctrinæ abrumpere tentabat. Exclamat Monachos, mortalia peccata, & sanctissimæ Virginis infamationem: & studium deterrendi pios ab honorandis dotibus, quas in eam Deus effuderat: & quædam præterea quæ splendida bilis suggessit.

XXV. Quid ergo, inquam, meritus Chrysostomus, quid Theophylactus, qui longè acerbius & Virginem exagitant, & fratres? Quorum sententiæ negat se Caluinus accedere, *Quod Ambrosius & Chrysostomus Mariam ambitionis insimulant, nihil habet coloris: quid enim hac diuinatione opus est, cùm vbique summa eius pietas & modestia, Spiritus testimonio commendatur?* Et de Ambrosio quidem agnosco [illegible Greek]: cùm apud eum nihil tale legerim. Sed Chrysostomi certè hæc sunt. [illegible Greek] *Quod aggrediebatur (nimirum ipsa mater Christi) ambitionis erat superflua. Voluit enim ostentare plebi, in sua se potestate, autoritateque habere filium, nihil dũ de eo magni cogitans: propterea enim intempestiuè accedit*. Et statim subicit, [illegible Greek]: *Considera igitur tum illius, tum illorum impudentiam*. Et paulo pòst, [illegible Greek], *Ostentantes ambitionem superfluam: quod magna cum autoritate ei imperarent*. Hæc Chrysostomus: & alia in eam sententiam non pauca: quorum ne Theophylactum quidem puduit. Caluinus autem auersatus est.

XXVI. Enimuerò constat displicuisse Christo aliquid: non tantùm quia non obtemperauit: sed etiã quia ea verba protulit, quæ non possunt non esse [illegible Greek]. Atque adeo Monachus non potest dissiteri, qui Mariã prorsus non à culpa tantùm, sed etiam à cœtu eximit: fratres enim fuisse cognatos Christi ex Iosepho: hos non credidisse in Christum: & prauo æstu ambitionis & auaritiæ correptos, popularem auram aucupatos esse: de his intelligenda esse Euangelij verba. Quæ primum confessio est peccati in hac interpellatione admissi. Itaque sola quæstio superest ad quem ea pertineat interpellatio: nam eum peccati alicuius futurum reum in confesso est. Et Feuardentius quidem magna confidentia, solos cognatos ex Iosepho peragit reos: quasi prætor, cognita caussa, perisculatisque omnibus. Verùm quanta nebulonis huius autoritas est, vt affirmanti simpliciter credamus? Imò Euangelista contrà disertissimè, *Cùm adhuc loqueretur turba, ecce mater, & fratres eius stabant foris, quærentes eum colloquium*. Itaque Chrysostomus disertè ipsam Virginem eadem accusatione complectitur. Et ante eum Tertullianus de Carne Christi.

FINIS LIBRI DECIMI OCTAVI.

LIBER

LIBER DECIMVS NONVS: DE CVLTV CREATVRARVM

Caput Primum.

DE STATV CONTROVERSIAE IN Cultu Creaturarum.

PVRGATIS calumniis, transeundum ad caput alterum, de doctrina, in hoc capite de Cultu Dei, propriè controuersa. Magna quæstio, in qua Catholici seuerè peragunt reos Papistas Insanissimę Idololatriæ: eò quòd promiscuè cultum religiosum, vni Deo eximium, deferant Creaturis; deferant creaturarum reliquiis; deferant etiam imaginibus.

II. Verumenimuerò; quum antea constitutum sit aliquas honorandas, colendásq; creaturas: deinceps inquirendum id, in quo controuersia consistit. Et quidem, cùm omnes adorandas, colendasque creaturas; ne ipsi quidem Papistæ dicant; prima cura est in distinctione creaturarum, quæ adorari, colique debeant. Qua in re non multus labor; Non enim disputant illi, nisi de Angelis, & Sanctis: ac de rebus iis, quæ ad Angelos, Sanctósve pertinent; reliquiis & imaginibus. Quanquam Sanctos propria nomine appellent, eos duntaxat, qui excesserunt è vita: atque in patria apud Deum triumphant: quibus certò distinguendis suam instituere, quam vocãt Canonisationem; cuius plenum ius Papæ reseruant: qui pro sua autoritate definiat; A qui sint inter defunctos, qui à Christianis coli debeant. Quanquam Bellarminus disputauit, & quidem solus, quod sciam, Sanctos non canonisatos posse priuatim coli. Sed enim hac de Canonisatione, disputant sedulò; quam nos tamen negligemus: quòd per se ipsa ruat: si ruit eius fundamentum, quod est in Cultu Sanctorum.

III. Verùm hæc esto prima distinctio: vnde constet, in disputationem venire; non absurdissimam illam Idololatriam, quæ posita olim erat in Cultu Dęmonum; aut etiam hominum nequam. B Nam huius sese Papistæ profitentur esse hostes acerrimos. Sed aliam longè subtiliorem; quæ etsi reipsa, aut nihil, aut prope nihil differat ab illa: tamen sanctis Angelorum, Sanctorúmque nominibus ludens, potenter illudit: adeò vt sese plenè perfectéque purgatos credant; si profiteantur se colere; non Mercurium, sed Michaelem: non Martem, sed Georgium: non Palladem, sed Catharinam: non Neptunum, sed Nicolaum: & infinitos alios. Quasi bonis abuti nominibus, non sit frequentissimum: & C non ipsi Ethnici inter idola sua numerarint Fidem, & Spem, & Virtutem: ex bonis nominibus fœda sibi idola fabricantes. Quasi non æneum serpentem Iudęi impiè colentes, bonum regem coegerint, ad eum piè confringendum.

IIII. Altera cura maior; in distinguendo cultu: vbi constat apud vtrosq; Dei cultũ separandum à cultu cuiuslibet creaturæ. Sed hîc aduertendum, ei distinctioni nulla esse propriè affectata nomina apud Hebræos: quod Bellarminus agnoscit capite

duodecimo, de Sanctorum Beatitudine. Nullum enim vocabulum habent, quod de honore Dei propriè dicatur. Sunt enim tria, omnino quæ huc referri possint, כבד עבד השתחוה; quæ *honorare, seruire, adorare*, significāt. Dixit Salomo Prouerbiorū 3. כבד את יהוה מהונך: *Honora Dominum, de tua substantia*. Et Deus ipse in Lege: כבד את אביך ואת אמך; *Honora patrem tuum, & matrem tuam*. Similiter Deuteronomij vigesimo octauo, תחת אשר לא עבדת את יהוה אלהיך: *Quia non seruiuisti Iehouæ Deo tuo*. Et statim, ועבדת את איביך, *Et seruies hostibus tuis*. Item, Psalmo nonagesimo sexto, השתחוו ליהוה, *Adorate Iehouam*. Et prioris Regum primo, וישתחו למלך, *Et adorauit Regem*: nimirum, Nathan Propheta. Latinè itidem, teste Augustino, capite primo libri decimi, de Ciuitate Dei; agnoscente etiam Bellarmino, nullum est vocabulum, quod dicatur de solo cultu diuino. Nisi Theologi Adorationem ei reseruassent eximiam: nam etiam Papistas propemodum pudet, dicere adorari sanctos, adorari imagines. Sed ea tamen nulla est propria vocabuli notio.

V. Græcis præcipua sunt honoris vocabula *προσκυνεῖν, λατρεύειν, δουλεύειν*. Quorum postremum promiscuum esse cultui diuino, cultuíque humano, notius, quàm vt argumentis indigeat. Certè exempla passim obuia. Ad Romanos nono: *μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι, Maior seruiet minori*. Ad Galatas 5. *δουλεύετε ἀλλήλοις, Seruite alij aliis*. Prioris ad Timotheum sexto; *Qui fideles habent heros, ne despiciant, eò quòd fratres sint: ἀλλὰ μᾶλλον δουλευέτωσαν, sed tantò magis seruiant*. Hæc de seruitute humana. Nunc de diuina. Actorum vicesimo. *Δουλεύων τῷ Κυρίῳ, Seruiens Domino*. Ad Romanos 16. *Qui sunt huiusmodi Domino nostro Iesu Christo, οὐ δουλεύουσι, Non seruiunt*. Ad Ephesios sexto. *Cum beneuolentia δουλεύοντες, seruientes Domino*.

VI. At primum τὸ *προσκυνεῖν*, vsurparunt itidem septuaginta promiscuè: vtpote, qui sic expressum voluerunt Hebræorum illud השתחוה, de quo iam dictum: non de Deo tantùm. Geneseos vigesimo secundo: *καὶ προσκυνήσαντες ἀναστρέψωμεν, Et postquam adorauerimus, reuertemur*. Vicesimo quarto, *προσεκύνησεν τῷ Κυρίῳ, adorauit Dominum*. Verùm etiam de hominibus. Geneseos vigesimo tertio, *προσεκύνησεν τῷ λαῷ τῆς γῆς, adorauit populum terræ*. Vicesimo septimo, *καὶ προσκυνήσουσί σοι υἱοὶ τοῦ πατρός, Et adorabunt te filij Patris tui*. Sic aliis plurimis locis: ne frustra rei notę immoremur. Veruntamen hic abusus fuit horum virorum; quos constat ex aliis plurimis locis, siue de industria, siue aliam ob causam non fuisse Græcitatis castissimos obseruatores.

VII. Sed enim qui verè Græci fuêre, hos nego vsos eo verbo, alia notione, quàm religiosa: aut vnquam hominibus communicasse, nisi qui ipsi inuolarent in honores diuinos. Sic de Persarum regibus; habes testimonium Cleonis Siculi apud Curtium libro octauo, *Persas non piè solùm, sed etiam prudenter Reges suos inter Deos colere*. Nec verò in se eum morem Alcaander ausus transferre, nisi se & Deum haberi iuberet; eodem teste Curtio. Et verò apud Arrianum libro quarto habes verba Callisthenis hoc de honore disputātis aduersum Anaxarchum. *Διακεκρίσθαι τοῖς ἀνθρώποις ὅσαι τε ἀνθρώπιναι τιμαὶ, καὶ ὅσαι θεῖαι, πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις, ναοῖς τε οἰκοδομουμένοις, καὶ ἀγάλμασιν ἀνισταμένοις καὶ τεμένη, ὅτι τοῖς θεοῖς ἐξαιροῦνται, καὶ θύεται ἐκείνοις, καὶ σπένδεται· καὶ ὕμνοι μὲν ἐς τοὺς θεοὺς ποιοῦνται, ἔπαινοι δὲ ἐς ἀνθρώπους· οὐχ ἥκιστα δὲ τῷ τῆς προσκυνήσεως νόμῳ. τοὺς μὲν γὰρ ἀνθρώπους φιλεῖσθαι πρὸς τῶν ἀσπαζομένων· τὸ θεῖον δὲ ἄνω που ἱδρυμένον, καὶ οὐδὲ ψαύειν αὐτοῦ θέμις,* διὰ τοῦτο ἄρα τῇ προσκυνήσει γεραίρεσθαι. *Distinctos esse apud homines honores humanos, diuinósque, tum aliis rebus, putà, templis, statuis, aris, quæ Diis eximia sunt, quibus sacrificatur, & libatur: quin & hymni diis fiunt, hominibus verò laudes; veruntamen haud esse minimum adorandi morem: Homines siquidem osculo salutari: at numen sublime positum, vt nefas sit tangere, adoratione honorari.*

VIII. Neque verò Christianorum alia mens. Etenim in Nouo Testamento nūquam τὸ *προσκυνεῖν* inuenias vsurpatum, non de Deo: vnico excepto loco Matthæi 18. vbi seruus dicitur *προσεκύνει τῷ δεσπότῃ, adorasse Dominum*: quanquam id ipsum parabolicè. Sed Actorum decimo, Cornelius reprehēditur: Et Ioannes ipse, Apocalypsis 19. ob eum honorem delatum creaturis, Petro, & Angelo. Itaque, deinceps Christianis solenne, vt soli Deo τὴν *προσκύνησιν* assignarent. Epiphanius, hæresi sexagesima quarta, *οὐδὲν τὸ κτιστὸν, οὐ προσκυνητὸν, Nihil creatum adorandū*. Nec dubito hoc eodem vsum verbo Cyrillum, Thesauri libri secundi capite primo, cùm dicit, *Nemo autem ignorat, nulli prorsus naturæ, præterquàm Dei, adorationem à Scriptura contribui*. Et quinti, primo: *Creatura nulla se patitur apud Scripturam adorari, nisi quæ seipsam ignorat*. Sed hanc constantiam infregit tandem idololatria, in Sanctos, Sanctorum tum reliquias, tum imagines effusa.

IX. Τὸ *λατρεύειν* fuit etiam initio promiscuum, æquè ac τὸ *δουλεύειν*. Nam, & sunt significatione vicina. Glossarium. *λατρεύω, seruio*. Phauorinus. *λατρεύειν κυρίως τὸ δουλεύειν*. Nec verò occurrit mihi hactenus locus vllus; quo vsurpatum sit alterutrum pro honore diuino apud Ethnicos. Septuaginta Interpretes, etsi aliquādo τὸ *λατρεύειν* de humana seruitute vsurparint; vt Deute. 28. *λατρεύσεις ἐκεῖ τοῖς ἐχθροῖς σου, Illic seruies hostibus tuis*: tamen vt plurimum transtulerunt ad cultum diuinum. In nouo certè Testamento nunquam aliter. Vnde factum, vt ne postea quidem inter Christianos. Vnde Augustino tandem ansa disparandi Latriam à Dulia tanquam proprijs vocibus: quod ante eum nemo obseruarat. Non improbando consilio: nisi quod duliam etiam Deo scimus attributam: quod tamen leniusculum erat incommodum: & facile excusandum in viro pio, & vtcunque satagente consulere humani ingenij imbecillitati, cui alioquin incommodæ sunt vocabulorum homonymiæ; sæpe etiam in rebus momenti, haud leuiter periculosę. Sed hanc non improbandi viri boni *ἀκρίβειαν* corruperunt scholæ sophisticæ, quæ seruatis sonis, à sententia immane quantum recesserunt: quod nos suo loco imus demonstratum.

X. Apud Latinos, *adorare*, idem passum, quod τὸ *προσκυνεῖν*. Cùm enim nullus occurrat exoticus autor, qui vsurparit pro honore non religioso: tamen Latinus interpres Veteris testamenti promiscuum fecit: Sed in Matthæi decimo octauo tamen reddidit *προσεκύνει, orare*. Ecclesiastici constanter deinceps Deo voluerunt eximium: donec discederetur in superstitionem; quæ & res miscuit & confudit vocabula.

XI. Sed de vocabulis Theologi non libenter contendunt. Rem ergo videamus potius. Catholicorum hæc sententia est, Cultum Dei à cultu hominum religione distingui essentialiter. Hoc est, duplicem esse cultum: alium religiosum; alium ciuilem. illum, religionis, actum elicitum: hunc verò, eiusdem actum imperatum; vt verbis vtar in scholis tritis. Nam colere Deum est ipsa Religio: quomodo amare est ipse amor: & Religio est colere Deum:

quomodo

quomodo amor, eſt amare. At verò cultus ciuilis fluit à Religione, id eſt, cultu Dei; quomodo in Samaritano vulnera lauare, & obligare, fluxit ab amore. Nimirum vt ſit effectus Religionis; non autem ipſa Religio; quomodo effectus non eſt cauſſa. Habent igitur pro certo Catholici, cultum Religioſum, ſolidum Deo concedendum: Ciuilem ad creaturas pertinere: cui rei ſignificandæ, non inuiti vtamur vocabulis λατρείας καὶ δουλείας: dummodo ſciamus non eſſe ea nomina diuerſorum graduum, quaſi ſecundum plus & minus: ſed diuerſorum generum: vt omnino diuerſi ſit generis cultus religioſus, & cultus ciuilis; neque [illegible] neque [illegible] ambo inter ſe comparari. Cùm enim honor ſit excellentiæ proportionatus; omnino eadem ratio erit cultus diuini ad cultum humanum, quæ Dei ad hominem. At hæc Dei ad hominem abuſiuè ratio dicitur: cùm nulla ſit. Itaque, non poteſt cultus diuini ad humanū cultū vlla eſſe vel ἰσοτιμία vel ἀναλογία. Denique, antiqua, veráque ſententia eſt Lactantij libri ſexti capite decimo. *Primum officium iuſtitiæ eſt coniungi cum Deo: ſecundum cum homine. Sed illud primum Religio dicitur, hoc ſecundum miſericordia vel humanitas nominatur.* Optimè: nec tantùm vera eſt ſententia; ſed etiam apta vocabula: genus ſummum Iuſtitia: ſub hoc duo ſubalternata, Religio, & Humanitas, ſiue miſericordia. Scilicet, vt neque religio ſit miſericordia; neque ipſa miſericordia religio.

XII. Hîc Papiſtæ miri ſunt, vt ſemper. Franciſcus Sales præfatione in Defēſione Crucis, negat ciuilem cultum à Deo abiudicandum. Deo enim deberi omnem cultum, iure Creationis: ſicut dictum Apocalypſeos quarto. *Dignus es, Domine, qui accipias gloriam & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam ſunt, & creata ſunt.* Redditur (inquit) omnis honor Deo: quia creauit omnia: at creauit etiam ordinem politicum: Ergo honor politicus eidem debetur.

XIII. Atqui idem poſtea, docet impium eſſe ſi quis Deo deferat honorem ſubalternum, qui habet pro obiecto excellentiam ſubalternam. Quid ergo ſi ſophiſtam agat quis, & dicat, omnem honorem deberi Deo: Ergo ſubalternum. Et quidem creaſſe Deum excellentiam ſubalternam? Quid agat Sales: aut quo pacto ſeſe ſuis retibus exſoluat? Aut ſi ſperat ſibi fore fragilia; quid eſt quod iis nos terreat? Enimuerò nūquam dictum omnem honorem deberi Deo: Aut ſi dictum cuiquam: certè non dictum hoc ſenſu; vt quicunque honor cuiquam creaturæ debetur, eo Deus ipſe coli debeat. Nam quia honoris ciuilis, ſiue ſubalterni, varij gradus ſunt, remiſſiores, intentioréſque: ſequeretur Deum aut debere, aut certè poſſe magis & minus coli. Quod eſt abſurdiſſimum: cùm ſit præceptum diſertè, vt Deū amemus toto corde, tota mente, tota cogitatione: Matthæi vigeſimo ſecundo. Admittamus tamen facile, quod poſtea idem Sales. Supremum honorem, id eſt, Religioſum; Deo deferendum: At ſubalternum, id eſt, ciuilem, ad Deum referendum: tanquam ad originem. Sed hoc nihil ad noſtram Controuerſiam: quæ diſputat de honore qui deferendus ſit, non referendus. Itaque poterat hoc ſophiſmate Sales abſtinere.

XIIII. Lōgè maius negotium inſtat: Nam Papiſtæ etiam cultum religioſum diſtinguunt in Latriā, & Duliam. Non, inquam, diſtinguunt cultum generaliter: ſed ſpecialiter Cultum religioſum. Nam quantumuis proteſtentur ſe Deo relinquere cultum ſuum eximium: & Sanctis alium, longè alium deferre: tamen hos religioſè colunt: id eſt, horum cultum religioſum faciunt; & contendunt eſſe religionis non tantùm effectum, vt Catholici; ſed etiam partem. Itaq;, cùm delicatulus Cotonus in Epiſtolis ad Chamierum, non valde contendit, vtrum Duliam appellemus Religioſum cultum: tū Sales diſertè deberi pronunciat creaturis cultum alium quàm ciuilem: & quidem ex profeſſo diſputans contra noſtram diſtinctionem. Imò Maldonatus in Matthæi quintum. *Impius & imperitus Lutheranorum & Caluiniſtarum error eſt nullū niſi Deo religionis honorem tribuentium.* Tum autem non tantum Sannazarius Elegia ad Diuum Iacobum Picenū. *Pectoribus noſtris non leue numen eris*: Et Hymno ad Diuum Nazarium: *Datur ecce amicum cernere numen.* Sed etiam Hieronymus Vida, Epiſcopus Albanus, Hymno diuis cœleſtibus: poſt inuocatam Virginem, & Angelos: *Tum vos caduci corporis, Cen nos onuſti pōdere, Quondam mares aut virgines, Nunc dij beati cælites.* In hiſtoriis Pauli Iouij memini legere, *Deos tutelares.* Serarius Ieſuita. *Rinaldus antiſtes beatis additus agminibus Deorum.* Lipſius in Virgine Aſpricolli capite trigeſimo. *Magni magna Dei parens, De qua ſacra profantur, Hanc fore qua ſerpētis Cōtereres caput improbi. Feciſti ô Dea.* Poſtremò, *Tunc tibi laudes, Dea, dicet omnis ſexus & ætas.*

XV. Concordant & hæ phraſes. Idem Vida in hymno magnæ Matris Virginis. *Nos quoque diuinos, vt cuique eſt copia, honores Largimur: tibi centum aræ, tibi maxima centum Thure calent delubra.* Et Diui Laurentij. *Romana propago, Centum aras, centum magnis penetralia templis Eriget, & tumulo diuinum imponet honorem.* Et Diui Andreæ. *Illa Deum te poſt vnum veneratur, & omnē, In te ſpē locat.* Diui Laurentij. *Spes ſuas in te locat aduocato.* Sannazarius ad Diuū Nazariū. *Salue Io magni noua lux Olympi, Cui per extētas operoſa terras, Tēpla tot ſurgunt calidiſque fumant Ignibus aræ.* Satin' diſertè? Nam diuinos honores totidem ſyllabis audis, Et ſi non audires: tamen audis templa: aras audis, quæ diis eximia, paulò ante ſignificabat Calliſthenes apud Arrianum. Denique ſpem locare: & quidem omnem ſpem locare, apud Chriſtianos, quid eſt?

XVI. Papiſtæ igitur non cultum in genere; ſed ſpecialiter cultum religioſum; diſtinguunt in Latriam, Duliam, Hyperduliam. Eſſe enim tot ſpecies cultus, quot excellentiæ. Eſſe autem tres huius ſpecies. Primam diuinam, & infinitam. Secundam humanam, & naturalem, in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus. Tertiam mediā inter diuinam & humanā; videlicet, gratiam & gloriam Sanctorū. His cōſtitutis; primæ excellentię tribuunt Latriam. Secundæ reuerentiam Ciuilē aſſignant. Tertię Duliam admetiuntur: ſed hanc dupliciter. Nam vulgo Sanctorum, Duliæ nomen generale permittunt. At carni Chriſti, per ſe cōſideratæ, quanquam in vnione: item Virgini Mariæ; eximiam reſeruant Hyperduliam: minorem quidem Latria, ſed longè maiorem promiſcua illa Dulia.

XVII. Sic fabricata tria nomina Latriæ, Dulię, Hyperduliæ: quorum duo priora, vt mutuata concedam ab Auguſtino: tertium tamen vnde eſt? Nunquam enim quiſquam Veterum hyperduliam dixit, aut etiam ſomniauit: imò Græcorum nullus vnquā. Sed Latinorum audaciſſimi Scholaſtici, quibus ſolenne eſt cornicum oculos configere; qui, inquā, ſi nihil inuexiſſent noui in religionē, mortui eſſent: hi, inquam, Latini Scholaſtici hoc

vocabuli; imò hoc rei monstrum & posuerunt, & fouerunt. Quanquam in Latria & Dulia longè discessum etiam ab Augustini mente. Adeo non imitatores sunt Papistæ, sed simiæ.

XVIII. Maiorum tamen Peresium nonnihil habuit malè in Dulia, de Traditionib. parte tertia, capite de cultu Sanctorum. *Quanquam nescio an propriè dulia huiusmodi officium debuisset appellari, cùm veneratio illa, quæ communiter Sanctis debetur minimè in signum seruitutis exhibeatur: omnes enim serui Dei sumus, quanquam meritis & Sanctitate multum dispares: id quod significabat Angelus ille, cui se Ioannes Apostolus prostrabat dicens, Vide ne feceris: conseruus enim tuus ego sum, & fratrum tuorum.* Addere poterat ex Ambrosio libri tertij de Spiritu Sancto capite duodecimo, *Qui seruit, adorat.*

XIX. Necdum tamen confectum negotium: Nam rursus honorem distribuunt in Absolutum, & Respectiuum. Illum, qui rei cuipiam tribuatur, qua talis est; vt Deo, Latria, quia infinita, Angelis, Sanctis; Dulia, quia Sanctis, Mariæ: hyperdulia, quia supra Sanctos. Hunc autem, qui cuipiam rei tribuitur non propter eam, sed propter aliam. Vt, pectini, interulæ, zonæ Virginis; imaginibus etiam tribui volunt cultum quendam; non quia pecten est, aut interula, aut zona, aut imago; sed quia pecten, interula, zona, imago Virginis; ita vt is cultus non terminetur in pectine, interula, zona, imagine, sed inde transeat ad ipsam vsque Virginem, propter quam illa coluntur.

XX. Hæc est in vniuersum Papistarum Sententia: quam his capitibus distinguo. Deus solus colendus latriâ absolutâ. Creaturæ quædam adorandæ adoratione religiosa: idest, Dulia Reliquiæ & Imagines creaturarum, possunt etiam adorari adoratione respectiua. Quorum capitum primum de Deo non est controuersum. Reliqua autem de Creaturis in disputationem veniunt. Itaque prima Quæstio nobis erit; vtrum quibusdam creaturis competere possit cultus religiosus, siue, vt Vasques loquitur, adoratio sacra. Et quia religiosi cultus pars præcipua, Inuocatio; secunda quæstio: Vtrum inuocatione religiosa inuocare liceat vllam creaturam. Tertia quæstio, erit de Reliquiis. Quarta de Imaginibus.

XXI. In prima quæstione disertus hic status: An vllæ creaturæ coli possint à Christianis cultu religioso. Papistæ asserunt. Et quidem non quasdam solùm: sed omnes: sic enim definit, & disputat Vasques, nulla addita exceptione, nisi si fortè periculum sit: Catholici negant. Disputarunt Papistæ quidem hi, quos viderim. Peresius consideratione septima de Traditionibus. Rubenus de Idololatria libro secundo à capite decimo quarto, ad vigesimum. Slotanus Disputationibus aduersus hæreticos, articulo vigesimo septimo. Petrus Auratus Paradoxo octogesimo quarto. Eckius Enchiridij capite decimo quinto. Franciscus Polygranus in Assertionibus, capite de Communione Sanctorum. Franciscus Sonnius in Demõstrationibus, Tractatu secundo de Præceptis. Franciscus Horantius Locorum Catholicorum libro tertio, capite decimo tertio, & sequentibus. Costerus Enchiridij capite decimo quarto. Bellarminus de Sanctorum beatitudine, capite decimo tertio, & sequentibus. Gregorius de Valentia, libris de Idololatria. Alphõsus de Castro contra hæreses libro decimo tertio, capite de Sanctis: Ioannes Dauyus Perronus duorum tractatuũ priore. Vasques in tertiam Thomæ disputatione nonagesima septima: & centesima decima.

XXII. Catholici autem Chemnitius Examinis parte tertia. Musculus in locis communibus, titulo de Cultu Angelorum. Rainoldus de Idololatria. Riuetus summæ Controuersiarum tractatus secundi qæstione quadragesima quarta & quadragesima octaua.

CAP. II.

De locis Scripturæ pro Sanctorum cultu.

I. Audiamus arguentes Papistas: ac primò: à Scripturis. Alphonsus de Castro cõtra hæreses libro decimo tertio: Sanctos esse honorandos apertè docet Propheta regius dicẽs, Psalmo centesimo tricesimo octauo. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Amicos Dei vocat Apostolos, & reliquos Sanctos, qui Deum sincero quodam amore diligunt. Nam ipsemet Christus promisit illis vt post hanc transactam vitam in suam reciperet amicitiam, dicens. *Iam non dicam vos seruos, sed, amicos.* Qui ergo à Dauid honorati esse perhibentur, non est dignum vt à nobis sine vllo honore relinquantur. Locus est ex Psalmo centesimo trigesimo nono, quo vtitur etiã Eckius in Enchiridio, & alij.

II. Dicã primò de ipso loco: deinde de argumento. Locus ita habet Hebraicè. ולי מה יקרו רעיך אל. Vulgata editio Latina, sic reddidit, quomodo citatur ab aduersarius. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Et tamen, nihil est in iis verbis quo significari possit *nimis.* Nec illud *honorificati sunt*, propriè dictum, sed longissimè petitum. Debuit dici, *Mihi autem quàm pretiosi sunt?* Sed רעיך certum quidem est alias amicos & familiares esse; quo sensu redditũ & à paraphraste Chaldæo, à Græca, Latinaque editione. Sed obseruatur etiam significari eodem vocabulo, *cogitationes.* Itaque ab Abben Ezra, & Kimchi exponitur מחשבות. Quomodo in eiusdem Psalmi initio בנתה לרעי: non tãtum Kimchi מחשבי, sed etiam Græca editio, *οἱ διαλογισμοί μου.* Et Latina. *Tu intellexisti cogitationes meas.*

III. Cùm igitur πολύσημον sit vocabulum: tum certè ex circunstantiis diiudicandum, vtra notio huic loco commodior. At quæ *amicos* vertit, quid habet commodi? Nulla cum præcedentibus cohærentia: in quibus laudatur Deus ab infinita prouidentia quæ elucet in eo maximè, quòd nihil sit tam absconditum, quod ille non perfectissimè intuetur. Hinc quãtus saltus est statim ad Sanctos? In sequentibus autem quid cohæret? *Nimis confortatus est principatus eorum*: absurdè: Nam quis potest mihi ראשים vllo loco legere pro *principatus?* quanquã pro *principibus* non eo inficias. Sed pro *summa* sæpissimè: itaque multo rectius. *Quàm multiplicata sunt summa earum?* id est, quantus est earum cogitationũ numerus? vnde statim: *Dinumerabo eos: & super arenam multiplicabuntur*: hoc est, si coner earum numerum inire, tam possim, quàm ipsius arenæ maris. At id de amicis Dei, quis dicat? Itaque non illi tantùm Hebræi quos nominaui: sed etiam Christiani, Pagninus, Vatablus, Arias, *cogitationes* maluerunt.

IV. Argumentũ autem quàm dissolutũ est? Nã

primò

primò, qui sunt illi amici? Nam nostra controuersia non est de quibuslibet amicis Dei. Sed de iis duntaxat, qui sunt in altera vita. Nam eos qui in ista; nondum vidimus tam stupidos Papistas; vt asserant religiosè colendos. Nos autem ne quidem illos: Ergò de his solis controuersia est. Quod si igitur non designauit Propheta amicos Dei iam hinc ereptos; potest quisquam dubitare, hunc locum nihil ad rem pertinere? Hic verò aduersariis onus incumbit probandi, Sanctos intelligi defunctos. Nam eodem vocabulo significari etiam viuentes, nemo nobis negabit. At illi suum illud probare non poterunt. Certè Theodoretus interpretatur de Sacerdotibus; quos Dauid impensè coluerit.

V. Deinde, quid tum, si honorauit Sanctos? Nam neque nos negamus honorandos. Quid ergo? Nempe hoc sciendum, quo genere honoris illos coluerit. Ciuili-ne, an religioso. Et potest quisquam hoc loco hæsitare, quum nullũ omnino vestigium extet, quo appareat adoratos, inuocatósve à Iudæis fuisse defũctos? Quid Iudæos dico, cùm ne illi quidem Christiani, qui insaniunt in adoratione mortuorum, nullo adhuc loco habuerint Sanctos Veteris Testamenti? Est igitur argumentum futile.

VI. Addit Richeomus ex postremo Psalmo. *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Nam quamuis (inquit) vocabulum Hebraicum significet loca dicta *Sancta*, id est, cælos: siue locum tabernaculi Mosis: aut etiam templi Salomonis, tamen multi Veteres, inque iis Augustinus: de Sanctis interpretati sunt.

VII. Respondeo: Hebraicè legi; *Laudate Deum in Sanctitate eius*, vbi primò Sanctitas Dei; quanto distat spatio à Sanctis? Secundò phrasis in Sanctitate; Hebraicè significat *ob Sanctitatem*: vt sit Sanctitas, illa laudum materia: quemadmodum statim, *in firmamento, in virtutibus eius.* Quid tum ergo, si Patres intellexerunt de Sanctis? Delusi sunt ab interpretibus. Deinde Euthymius; *in Sanctis* interpretatur *propter Sanctos.* Denique etiam si sit laudandus Deus in Sanctis: tamen Sancti non sunt colendi cultu religioso: nam lõgè aliud est laudare Deum, quàm Sanctos adorare.

VIII. Nunc docere conantur ex Scriptura honorem hunc religiosum re vera delatum quibusdam creaturis. Nam Geneseos decimo octauo, Abraham pronus in terram adorauit Angelum. Et Lot, Geneseos decimo nono. Numerorum vigesimo secundo, Balaam. Iosue quinto, ipse Iosue. Similiter: primo Samuelis, capite vigesimo octauo, Saul adorat animam Samuelis. Secundi Regum capite decimo octauo Abdias vir Sanctus adorauit Heliam pronus in terram. Et secundi Regum capite secundo filij Prophetarũ adorant Elisæum. Danielis secundo, Nabuchodonozor adorat Danielẽ. Iosephus libri vndecimi capite octauo Antiquitatum refert Alexandrum adorasse Pontificem Iaddum.

VIIII. Respondeo, nullis istis locis effici religiosum cultum deberi vlli creaturæ. Et primò de Balaami, Nabuchodonozoris, & Alexandri exẽplis non est, quod simus valdè sollicitì: Nam cur homines impij præiudicent veræ religioni? Quãquam ab Alexandro adoratum Iaddum Iosephus negat, προσελθὼν αὐτὸς προσεκύνησε τὸ ὄνομα, καὶ τὸν ἀρχιερέα πρῶτος ἠσπάσατο. *Solus accedens, adorauit nomen*, Dei scilicet, quod erat inscriptum laminæ in fronte Pontificis: *ipsum autem Pontificem primus osculatus est*; siue amplexus est. Et Parmenioni Alexander ipse, οὐ τοῦτον, ἔφη, προσεκύνησα, τὸν δὲ Θεὸν οὗ τὴν ἀρχιερωσύνην οὗτος τετίμηται. *Non hunc, inquit, adoraui, sed Deum, cuius sacerdotio honoratus est.*

X. Verumenimverò, cùm in constituendo statu quæstionis definitum sit, quærendum, non quidem vtrum sint colendæ creaturæ quædam, quod omnes prolixè fatemur; sed vtrum is cultus sit religiosus: iam facile est cuilibet animaduertere, frustra hæc esse exempla. Nam cùm, ipso asserente Bellarmino, & adorare, & prosterni in terram, media sint vocabula: nihil ille promouet, qui iis vtitur. Non enim sequitur *Adorauit*: Ergo religiosè: Alioquin quis absoluat Iacobum adorantem fratrem suum non solum φιλὸν ἄνθρωπον, sed nec virum bonum? Nimirum asserunt Catholici his omnibus locis significari cultum illum, quem ciuilem à nobis appellatum esse meminimus.

XI. Verùm Bellarminus instat; & negat fuisse ciuilem. Primò, quia Angelis deberi cultum ciuilem ridiculum sit. Secundò, quia Iosue Angelum non priùs adorarit, quàm intellexit esse Dei legatum. Tertiò, quia certum non conuenire ciuilem honorem animabus defunctorum. Quartò, quia honor delatus Eliæ ab Abdia non potest esse ciuilis: nam quantum ad humanam excellentiam Abdias maior erat, quàm Helias. Et quis crederet à rege summo ciuiliter adoratum, vnum è captiuis?

XII. At nihil hîc solidi est. Nam primò, quare ridiculum est dicere, Angelis deferendum cultum ciuilem: hoc est, alium à religioso? Nam in vocabulo ipso *ciuilis*, nos quidem vim non facimus, ne erret: nec pugnemus si melius aliquod aut ipse obtrudat, aut alius inueniat. Quomodo aliqui nõnunquam Officiosum dixere; non absurdè. Sed seu Officiosum dicas, seu Ciuile; perinde est, dum distinguas à religioso, & sic distinguas, vt non graduum sola sit differentia; sed etiam generũ. Nam ne nos quidem δουλείας vocabulo abstineremus; nisi sophisticè occupassent aduersarij: & necessitatem imponerent distinguendæ ipsius δουλείας. Non adorasse Iosuam, donec intellexerit esse Angelum Dei legatum: verum, sed inutile. Nam ex interrogatione constat addubitasse quisnam esset; amicus, an hostis. In ea addubitatione, quî potuit adorare? Sed non sequitur, inde cultum fuisse religiosum. Rursus, vnde certum non conuenire cultum ciuilem animabus defunctorum? Aut quandiu abutetur Bellarminus lectorum patientiâ; identidem peccans petitione principij? Maior erat Abdias Helia; fateor, honoribus mundanis: sed vicissim maior Helias Abdia dignitate Ecclesiastica. Itaque & Abdiam Helias debuit suo loco, & tempore adorare: Et suo item Abdias Heliam: sed neuter adoratione religiosa.

XIII. At Nabuchodonozoris alia ratio. Quum enim fuerit idololatra, pios multum mouere non debet. Quid enim? Nónne idem legitur non simpliciter adorasse Danielem; sed iussisse eidem sacrificari hostias & incensum? Locus disertus. *Tunc rex Nabuchodonozor cecidit in faciẽ suam, & Danielem adorauit: & hostias, & incensum præcepit vt sacrificarent ei.* Hoccine inceptum est pium? Hoccine Bellarmin⁹ probet? Detulerit ergo sanè Nabuchodonozor religiosum cultum Danieli: sed tanquam idololatra. Ac sanè nondum quisquam illum docuerat pietatem: alioquin qui postea rursus idololatra?

XIV. Habet tamẽ patronũ Bellarminũ; vt solet,

mulus mulum fricare. Is docet nos, oblata fuisse non זבחים *sacrificia* illa, quæ Deus Exodi vigesimo secundo prohibet cuiquam immolari præterquam sibi, sed מנחה & ניחוחין quæ non Deo tantùm, sed etiam hominibus offeruntur. Nam prioris Samuelis decimo, negantur quidem voluisse offerre Sauli מנחה, *munus*. Porrò Papistæ imaginibus & reliquiis odores, id est, ניחוחין offerre solent. Et Areopagita capite tertio partis secundæ de Hierarchia ecclesiasti, dicit Pontificem suffire aram, & totius Ecclesiæ ambitum. Vel si hæc non placent, accedit ad Hieronymum & Theodoretum, vt intelligatur Nabuchodonozor sacrificium obtulisse Danieli, id est, Deo Danielis.

XV. Atqui, vt concedam, quod certè negari non potest, nomen מנחה latiùs patere, quàm *sacrificia* quæ Deo offeruntur, at saltem sacrificare munera, numquam Bellarminus inueniet dictum nisi Deo. Nam & de Saule dicitur, improbos quosdam non attulisse ei munera: at non, sacrificasse. Hîc autem dicitur non iussum fuisse, vt afferrent; sed vt sacrificarēt munera. Itaq; prima solutio nulla. De suffitu quid dicam? Primò nusquam in tota Scriptura reperire potuit Bellarminus, suffitum offerri, nisi Deo. Quid ergo? recurrit ad Papistas: optimè: expedita victoriæ ratio, sic sanè latrones à latronibus iustificabuntur. Sed in Areopagita, quàm ridiculè! Quasi *suffire* θυμιᾶν sit: idem *sacrificare incensum*. Mirum ingenium: *suffire aram*; id est, aræ suffitum sacrificare. Hoc qui admittat, quid nō admittat? Iungentur iā gryphes equis. Hieronymus autem & Theodoretus non iuuant. Neuter enim negat Danieli sacrificatū: imò vterq; asserit disertè. Quid ergo? Nempe putasse Nabuchodonozorem adorari Deum Danielis in ipso Daniele. Quod etsi non dixissent, tamen constare potuit ex sequentibus. Verùm ita solebant Ethnici, & lapides adorare, & in lapidibus Deum: quomodo Papistæ. Itaque nulla est peccati excusatio.

XVI. Addamus argumentum Costeri. Cùm Sancti in cœlis summa gloria à Deo afficiantur, cōsortes quodammodo diuinæ naturæ, secundæ Petri primo: similes Deo, quia clarè vident, Apocalypsis tertio: Christi coheredes: meritò à viuentibus omnem honorem accipere merentur & debent, qui alicui creaturæ in hoc mundo sine reprehensione defertur. Proinde quicquid exhibetur principibus, parentibus, aut quibusvis hominibus: quicquid etiam Angelis, id meritò deferri potest, ac debet, Sanctis cum Christo viuentibus.

XVII. Respondeo, primò, etsi argumentum concederemus totum, tamen quæstionem non concludi: quæ est non de honore, sed de honore religioso. At nulli creaturæ in hoc mundo, nullis principibus, nullis parentibus, nullis hominibus, debetur honor religiosus: nec careat reprehensione qui eum eis deferat. Itaque Costerus disputauit inutiliter.

XIIX. Secundò, consequentia est absurdissima: Nā omnis honor, qui in hoc mundo debetur creaturæ; vel sic nominatur, vt speciem honoris significet; vel sic, vt eius honoris actiones singulas. At neutrū potest consistere. Nam Bellarm. docet tres tidem esse species honoris, quot & excellentiæ. Tū tres species excellentiæ: Increatā naturalem, mediam. Species autem cultus; latriam, cultum ciuilem, Duliam: & has singulas singulis illis assignati: Latriam Increatæ: Ciuilem naturali: Duliā Mediæ. Quòd si sunt species variæ: Ergo differunt formaliter, ac proinde essentialiter. Et si ea relatio est necessaria; tum profectò neque Latria naturali debebitur excellentiæ, aut Mediæ: Neque Ciuilis; Increatæ, aut Mediæ. Neque Dulia Increatæ, aut naturali. At si Costeri consequentia legitima est, tum quæ species debetur naturali excellentiæ, eadem debebitur Mediæ: ac proinde relationes illæ tā accuratè apud Bellarminum distinctæ, confundentur. Quòd si manet distinctio Bellarmini inconcussa, tum profectò falsum, deberi Sanctis honorem ciuilem: ac proinde falsum, deberi Sanctis omnem honorem, qui debetur creaturis in hoc mundo: qui debetur, inquam, principibus, parentibus, quibusvis hominibus.

XIX. Quòd si actiones mauult Costerus intelligere, tum non tantùm absurda consequentia est; sed etiam ridicula: quis enim ferat, omnia illa deferri Angelis, deferri Sanctis; quæ nos vel principibus, vel parentibus, deferimus honoris caussa? Certè quicquid filij debent parentibus, id Scriptura comprehendit honoris nomine, cùm ita præcipit, *Honora patrem & matrem*. Mirum, si in animum inducat Costerus eadem omnia Sanctis præstanda; quæ filij præstant parentibus ad varios huius vitæ vsus. Sed de principibus, quid dicam? Regibus nostris in Gallia is honor habetur, vt quadraginta dies postquam expirarunt, omnes officiorum partes iisdem præstentur, quæ viuentibus solebant. Ita-ne ergo Sanctis faciamus? Et pincernæ vinum gustant: & scutiferi cibos delibant, & omnia, vt semel dicam. Sanctis-ne igitur eadem officia præstanda dicamus post mortem, quæ in vita? Quid? Papæ, honoris caussa, Reges aquam fundunt lauandis manibus: & fercula ferunt: & strepam tenent: hæccine omnia Sanctis? Quamquam frustra hæc, opinor, Papistis obiiciam: quorum tam stupidum est ingenium, vt eorum statuas diebus festis ornent vestibus magnificis: quia sic solent homunculi non quotidianis vti. Sed si stupidissimi Papistæ sunt; at non propterea non horret sensus humanus has ineptias, vt mollissimè loquar.

XX. At Catholici de specie sic sentiunt: Eum honorem, qui Sanctis deferendus sit, esse eundem specie; cū eo quem viuis deferri oportet; id est, ciuilem: vt postea latiùs dicemus: tantùm ergo differre intentione & remissione; quæ vt varios gradus efficiant: at non varias species. Quod autem attinet ad actus, distinguunt. Quosdam enim Sanctis deberi: vt quos deferri posse agnoscunt quibuslibet hominibus absentibus: cuiusmodi sunt laus, imitatio, & pauca alia. At quæcunque præsentibus tantùm deferuntur, vt genuflexiones, salutationes, inclinationes, similiaque multa, ea negant deberi Sanctis: multo magis quæ indigentibus, vt vestes, lumina, panem, vinum.

* *
*

CAP. III.

De Calumniis olim contra Catholicos in cultu Sanctorum.

I. Con-

I. Constat ex præcedentibus religiosum Sanctorum cultum nulla Scriptura niti. An saltem testimonio Antiquitatis? Ergo hoc videamus. Apud Bellarminum duo sunt testimoniorum genera; vnum ab aduersariis fidei, alterū à Catholicis. Illud petitur ex eo quod semper Ethnici, Iudæi, hæretici, accusarunt Christianos idololatriæ, propter cultum Sanctorum: quod certè non fecissent, nisi vidissent à Christianis Sanctos passim religiosè coli. Confirmatur antecedēs: ex Eusebij libro octauo, capite sexto historiæ: Et libro quarto capite decimo quinto. Ex Cyrillo libro sexto, & decimo contra Iulianum. Augustino libro vigesimo contra Faustum, capite vigesimo primo. Ex Hieronymo contra Vigilantium.

II. Atqui importunum, imò iniquum est Christianos æstimare ex aduersariorum calumniis, omnia in deterius rapientium. Quid enim? nónne infanticidia Christianis obiecta? Nónne mulierum promiscuus vsus, extinctis lucernis? Non fecissent scilicet, nisi vidissent à Christianis infantes occidi, promiscuā venerē exerceri. Et ab horū testimonio Bellarminus volet iudicari de Christianorū ritibus? Absit: absit: μηδὲ γένοιτο. Sed Iesuita, vel ex igne victum capiat. Itaque etiamsi illi Ethnici, Iudæi, Hæretici, clament, adorari à Christianis homines: nos constanter defendemus nunquā factum à vere Christianis, & [illegible] sed à nouissimis, & ψευδωνύμοις, qui sese tam sancto nomine non minùs falsò commendant, quàm insolenter.

III. Et quis sanus nō censeat herendum potiùs purgationi, qua sese tamque innocentiā Christiani tuebantur? Itaque expendamus eos locos, quos enumerauit Bellarminus. In primo igitur accusatio est Ethnicorum, qui martyrum ossa refodientes in mare proiecerunt. *ὡς ἂν μὴ ἐν μνήμασιν ἀποκειμένους προσκυνοῖέν τινες θεοὺς αὐτούς, ὥς γε ᾤοντο, λογιζόμενοι, Ne qui eos in monumentis repositos adorarent, pro Dis habentes: nam ita putabant.* Hæc Eusebius. Sed in his quid visum commodum Bellarmino? Nam illud ὥς γε ᾤοντο, Eusebius addidit, vt vanitatem calumniæ perstringeret. Ita est, inquiet Bellarminus: sed Ethnici videbāt nonnihil eiusmodi fieri. Quid? religiosè coli martyres? Prorsus falsum. Sed videbant in honore esse: & quidem multo: inde fingebant apud se cultum religiosum: & id expressit Eusebius: nam illud θεοὺς λογιζόμενοι, eò pertinet: vt sensus sit: putabant fore vt eos aliquis coleret religiosè; quomodo solet Deus coli.

IV. Sed reliqui loci sunt illustriores: quia statim subiectam habent purgationem disertam. In secundo loco. Negatum fuit Christianis martyris corpus: suggerentibus Iudæis: *μὴ ἀφέντες τὸν ἐσταυρωμένον, τοῦτον ἄρξωνται σέβειν, ne omisso crucifixo, istum colere incipiant.* Quid ergo? viderant-ne aliquando à Christianis omissum crucifixum? Minimè verò: sed quia in Polycarpo miram viderant in tormentis constantiam: nec crederent Christum propterea coli, quòd esset Deus: suspicati sunt ad hunc martyrem nouo quodam pruritu Christianos sese cōuersuros. Sed quicunque tandem illis sensus fuerit: certè luculenta est Christianorum purgatio; non tantùm negantium se vnquam à Christo discessuros: sed etiam testantium suum genuinum in Sanctos affectum. *Ἀγνοοῦντες*, inquiunt, *ὅτι οὔτε τὸν Χριστόν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα: nescientes nos neque vnquam posse Christum deserere, οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν, neque vllum alium colere.* Christophorsonus addidit *vt Deum*, otiosè, ne quid dicam duriùs. Simpliciter enim negant Christiani se quenquam σέβειν, *colere*, cultu scilicet religioso. Ideo statim, *τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ, προσκυνοῦμεν. Hunc enim Dei Filium adoramus: τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μαθητὰς τοῦ Κυρίου καὶ μιμητάς, ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον, ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ συμμαθητὰς γενέσθαι. At martyres, tanquam Domini discipulos, imitatorésque, amamus vt æquum est; ob summam in suum regem ac magistrum beneuolentiam: quorum vtinam simus socij, ac discipuli.* En tibi. Quum antea dixissent se neminem σέβειν; postea autem se Filium Dei *προσκυνεῖν adorare.* Nunc de Martyribus; neque σέβειν vsurpant; neque προσκυνεῖν, (quod vtrumque tamen posteriores Græci, in idololatriam deflectentes, vsurparunt) sed duntaxat *ἀγαπᾶν, amare.* Optimè: neque iis alius cultus debetur; vt postea videbimus ex Augustino.

V. Iulianus apud Cyrillum, nonnihil Christianis exprobrat de cultu miserorum hominum; duobus locis. Audiamus respondentem Cyrillum: quanquam magno emerim contextum Græcum: qui multis experimentis didici, quàm sit non tutum interpretibus confidere. Sed vt possumus saltem: quando non vt volumus. Ergo Cyrillus respondet, libro sexto. *At Sanctos martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consueuimus.* Nota. Vtrumque negatur. Quid ergo? *Laudamus autem eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenuè certarunt; & fidei sinceritatē seruarunt: ita vt & suam animam contempserint, & mortis terroribus valedicentes, præualuerint in summis periculis, tantæque fuerint fortitudinis, quasi statuas suæ vitæ excitaturi. Proinde non est indignum; imò etiam necessarium, eos, qui tam claris operibus gloriosi sunt, perpetuis honorari laudibus.* Negat adorari martyres: concedit laudari. Hoccine satis ad cultum religiosum? Certè Callisthenes hominibus concedebat τὰς ἐπαίνους, etiam tum, quum discerneret diuinum cultum ab humano.

VI. Iam Fausto Christianis sic obiicienti: *Idola vertistis in martyres, quos votis similib. colitis.* Quid Augustinus? *Colimus martyres, eo cultu dilectionis & societatis.* Aduerte animum: cultu dilectionis & societatis. Rectè: nam priores apud Eusebium Christiani Lugdunenses: ἀγαπῶμεν ἀξίως. Sed, *Colimus martyres, eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus.* Quid vltra volumus? quid quærimus amplius? Multum erat dicere cultum dilectionis, & societatis: si haberēt idololatræ aures ad audiendum. Nam vt dici possit cultus ille religiosus, cultus dilectionis: tamen non potest cultus societatis. Nemo, nemo, inquam, illi se socium dicit, quem adorat. Sed hoc amplius: is cultus, idem cultus est, quo sancti, dum sunt in hac vita, coluntur. I nunc Papistę: & Antiquis Catholicis Sanctorum religiosum cultum affricate! Sed de his etiam plura aliàs.

VII. Vigilantius adorationem martyrum Catholicis exprobrabat. Atrocem calumniam, atrocibus verbis Hieronymus repellit. Et vt erat impatiens; statim à limine, *Quis, ô insanum caput, martyres adorauit?* En stylum eius æui inter Christianos. Etsi

enim scirent, *adorare* medium esse vocabulum; & in Scripturis tribui etiam creaturis: tamē negabant se adorare martyres. Vtinam sola vocabula mutata essent: & non in re ipsa peccarent, qui non verentur testari, se adorare Sanctos.

VIII. Ecce iam audiuimus Ethnicos, Iudæos, Hæreticos: testes Bellarminianos: idoneos scilicet, ex quorum calumniis, Iesuitæ discant antiquam fidem. Sed audiuimus contrà, ipsos Catholicos: qui quid ipsi crederent, quid facerent, longè habebant melius cognitum, quàm omnes Ethnici, Iudæi, Hæretici: hos, inquam, audiuimus ab importuna, imò impudenti calumnia suam innocentiam vindicantes. Quid igitur moramur? Quid non irridemus Papistarum sophisticen? *At illi* (inquit Bellarminus) *nunquam id fecissent nisi vidissent Sanctos passim religiosè coli.* Quanto nos meliùs? Nunquam ita sese purgassent Catholici, nisi scissent apud se Sanctos non coli religiosè. Sed viderunt tamen aliquid calumniatores. Ita est sanè. Viderunt coli martyres: neque negabant Christiani: imò profitebantur Christiani: *Colimus martyres*, clamabat Augustinus. Attende Bellarmine: Non illi videbant Sanctos religiosè coli: sed videbant coli: calumniabantur autem religiosè coli. Quomodo non videbant promiscuè abuti mulieribus: sed audiebant sorores appellari, quod illis nefariæ nomen erat. Itaque à suis moribus mores Christianos æstimarunt.

CAP. IV.

De Veterum testimoniis in cultu Sanctorum.

I. RESTAT alterum genus testimoniorum, ex Catholicorū libris. Primo Græcorum; Iustini, Origenis, Eusebij, Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Nysseni, Epiphanij, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Theodoreti, Damasceni. Tum Latinorum, Tertulliani, Cypriani, Ambrosij, Maximi, Prudentij, Paulini, Hieronymi, Augustini, Gregorij, Bernardi.

II. Hic primùm respondeo, Damascenum, Gregorium, Bernardum, non esse testes omni exceptione maiores: vtpote recentissimos: & florentes post inclinatam, imò corruptam Ecclesiæ sinceritatem. Sic Damascenus [illegible] acerrimum sese defensorē præbuit. Sic Gregorius infinitas collegit nænias, in suis Dialogis. Bernardus longè post confirmatam idololatriam, imò & Papisticam tyrannidem, vixit, scripsit. Itaque hi nullo loco à nobis numerantur.

III. Secūdò libri sunt quidā eorū Patrū nō legitimi fœtus: vt Ambrosij Sermones: Augustini Sermones de Tēpore. Ne liber quidē de Virginitate Athanasij: adeò nihil habet simile reliquis eius viri scriptis. Et quis credat tātum virū in hæc verba erupisse: [illegible]. *Omnia pura sunt, quæcunque inanimata.* Quid? quod coniugatam negat esse corpore, animáque puram: Mitto minutiuscula plurima, quæ Virginibus præcipiuntur, quibus tum temporis locum fuisse, vix mihi quisquā persuadeat, vt de cucullo, de colore fusco, & tamen narium: de genis non lauandis vtraque manu: & similia pleraq;.

IV. Tertiò nonnulli loci proferuntur falsati. Iustinus ex Apologia secunda citatur in hæc verba. *Sed & illum* (Deum Patrem); *& eius Filium, qui venit, nósque hæc docuit, & aliorum sequentium similiúmque bonorum angelorum exercitum, & spiritum propheticum colimus atque adoramus, verbóque & re seu veritate veneramur, idque omnibus qui discere volunt, vt docti, institutique sumus, copiosè tradimus.* Quæ verba horrendum quid continent: quod nunquam ferant aures Christianæ: in enumeratione earum rerum, quæ adorantur; postremum locum dari Spiritui Sancto; eique præponi angelos. Quis tam sit patiens, vt non exclamet anathema? Certè Bellarminus capite decimotertio libri primi de Christo, *Dominus non copularet cum Patre & Filio Spiritum Sanctum, si creatura esset.* Idem nos de Iustino æquum esse putamus coniicere. Et addimus ex Basilij epistolæ centesima octuagesima octaua, vbi de Spiritu Sancto agitur nuncupato in Baptismi formula. [illegible] *Non enim quod natura peregrina esset eodem cultu & honore gauderet.* Sed Græcè. [illegible] *Verùm hunc ipsum, & qui ab eo venit, atque ista nos & aliorum obsequentium, exæquatorúmque bonorum angelorum exercitum docuit, Filium, & Spiritū propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes: atque vnicuique discere, atque nosse volenti, pro eo atque edocti sumus, candidè hæc tradentes.* At hæc de adoratione, aut Angelorum aut Sanctorum, neque γρ̄, neq; [illegible]

V. Ex Eusebij decimotertio libro de Præparatione Euangelica, capite septimo. *Nos quotidie id factitamus: nam veræ pietatis milites, vt Dei amicissimos honoramus.* Hoc verò locō immane, quantum scelus admissum à Georgio Trapezuntio! Quanquam totum ille librum sic vertit, vt posteris voluisse videatur illudere: adeo multa omittit, multa immutat. Quod hic monuisse satis sit; plura dictum proxima controuersia, de Inuocatione Sanctorum, vbi idem iste locus prolixiùs obiicietur, cùm à Bellarmino, tum ab aliis.

VI. Ad reliquos locos fidenter dico, nihil omnino in iis legi de adoratione, siue cultu Sanctorum religioso. Quid enim (vt omnes percurramus) dixit Origenes homilia tertia in diuersos: *Horum memoria semper vt dignum est, in Ecclesia celebratur.* Optimè: sermo est de pueris ab Herode occisis. *Qui paruuli*, inquit, *& ad memoriam æternæ laudis à beato Euangelista in Sancto Euangelio conscribuntur, horum & memoria semper, vt dignum est, in Ecclesia celebratur secundum integrum ordinem Sanctorum.* En tibi celebrari memoriam. Hoccine religiosè coli? Ergo abutuntur fœdè aduersarij Patrum nominibus venerandis, tanquam puluere, quo iniecto in oculos, simplicibus [illegible]. At Catholici constanter negant, omnes eos cultu religioso coli, quorum memoria celebratur, & ipsi, qui omnino neminem admittunt colendum cultu religioso; quotidie tamen memoriam celebrant piorum virorum.

VII. Eusebius quid? cùm Gentiles metueret, ne Christiani, relicto Christo, Polycarpum adorarent, Christianos respondisse, se non posse vllo modo martyres pro Christo colere; sed tamen eos diligere & venerari. Atqui non ita legas apud Eusebium. Nō inquam legas, *diligere & venerari*, sed tantùm *diligere*; [illegible]: prout à nobis capite præcedenti descriptus est locus. Deinde *Venerari*, non significat religioso cultu venerari.

VIII. Athanasius libro de Virginitate; [illegible]

men illum vix credunt docti autorem esse: sed tamen; quid ille quisquis est? [illegible] *Si vir iustus ades tuas ingreditur, cum timore & tremore occurres illi: & adorabis ad pedes illius.* Intelligo: Sed cur non intelligunt Iesuitæ, loqui eum autorem de viro iusto viuo? Et addunt; nunquam auditum apud Christianos, etiam viuentes nobiscum homines esse colendos cultu religioso? Itaque cultum illum adorationem illam necesse est esse eam, quam ciuilem appellamus. Imò religiosam, inquit Bellarminus. Quianam autem? quia additur, *Non enim eum, sed Deum adorabis, qui illum misit: Dominus enim ait, qui recipit iustum me recipit.* Imo nihil hic vitium. Nam testatur Dominus sibi fieri, quæcunque suis fiunt, etiam eleemosynam dari. An eleemosyna, an calix aquæ frigidæ, inter cultus religiosos? Rectè Bellarminus hoc loco; adorari Deum in iustis; quia ratio, cur iustus adoretur est, Deus. Nimirum; vt calicem frigidæ damus Deo, quia ratio, cur sitienti damus calicem frigidæ, est Deus: & vestimus Deum: quia ratio, cur vestiamus pauperem, Deus est. Et similiter omnia: nec tamen eos quibus frigidam porrigimos aut vestes, religiosè propterea adoramus: & tamen vrgere possum phrasin [illegible] *adorare coram eius pedibus*: quæ non obiectum designat adorationis, sed circumstantiam, vt *adorare coram altari* non significat, ipsum altare adorari, & respondent sequentia, *Non eum, sed Deum adorabis.*

IX. In Basilio nihil noui. Homilia in Mamantem, [illegible] *Delato prioribus honore, posterioribus addit Ecclesia animũ.* Et in quadraginta martyres. [illegible] *Honor delatus bonis conseruis, signum est beneuolentiæ erga communem dominum.* Nihil verius. Sed vbi audis cultum religiosum? Aut quid in iis verbis est, quod non promiscuè dici queat de bonis viuentibus? Nazianzenus itidem. Maccabæos dicit [illegible], dignos qui ab omnibus honorentur: & oratione prima in Iulianum: negat martyres admisisse, honorem eius, qui reliquos martyres erat despectui habiturus: [illegible]. Epiphanios hæresi septuagesima nona. [illegible] *In honore esto Maria.* Ambrosius sermone sexto. *Quisquis honorat martyres, honorat & Christum.* Hieronymus ad Riparium. *Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum.* Hi verò omnes; nihil nisi honorem dicunt: itaque proferri non debet aduersus eos, qui Sanctos concedunt honorandos: non debent etiam aduersus eos qui negant religioso cultu colendos. Nisi fortè prius doceant, nullum honorem esse nisi religiosum.

X. Nyssenus in Theodorum martyrem multa dicit de cultu, qui Sanctis martyribus ab Ecclesia exhibetur. Ita sanè, inquam: sed nihil de religioso cultu: etsi non pauca nimium affectata: sed quorum summa sit; gratiosum, amabile, iucundum, à multis desideratum. At adoratum nusquam. Imò potiùs discretè, [illegible] *coegimus tibi publicum cõuentum sacrum, inquam, cœtum martyras amantium.* Quid ergo actum? *Communem Dominum adorantes, & tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragentes;* [illegible]. Nihil prudentius. Ad Deum adoratio refertur: ad martyrem sola commemoratio.

Quam procul à Iesuitis. At ibidem. *Cui regũ talis honor habetur? Quis ex iis qui supra modum inter homines excellere visi sunt, talis memoria celebratur? Quis Imperatorum adeo decantatus, & fama celebratus est, vt hic miles pauper, modò conscriptus tyro, quem Paulus armauit, quem Angeli vnxerunt, quem Christus coronauit?* Imò quid hîc noui? Nã celebrari memoria; & fama decantari; diuersũ est ab adoratione, diuersum à cultu religioso.

XI. Sic Chrysostomus homilia de Sanctis Iuuentino, & Maximo, negat aliter priscos, aliter recẽtiores coli: [illegible] generale verbum, quod interpres *honorari* vertisset melius: quàm *coli*, nisi affectasset papismum, quàm potuit maximè: vnde paulo post, *Martyres* dixit, *quos hodie colimus*; quum Chrysostomus dixerit [illegible] *qui nos hodie conuocarunt*, id est, in quorum gratiam huoc celebramus huius diei cœtum. Imò illud dubius, *Tumulos adoremus*, nusquam dictum Chrysostomo; Tantùm, [illegible] *quo & visis Sanctorum monumentis, & consideratis eorum præmiis, inde varios thesauros vndiquaque colligamus.* En pudorem! en fidem interpretis! Imò en Bellarmini religionẽ! Visos tumulos, maluit adoratos dicere, nimirum ita opus fuit.

XII. Cyrillus libro sexto contra Iulianum, *Nos non Deos factos esse dicimus Sanctos martyres, sed omni honore dignari consueuimus.* At locus sic habet potius; vt capite præcedenti recitatus est. *Sanctos martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consueuimus: Laudamus autem eos potius summis honoribus.* Quod equidem mirer, si quisquam citet pro cultu religioso. Imò illud, *neq; Deos dicimus, neq; adorare cõsueuimus*, diserte eo additũ est, vt excludatur cultus religiosus.

XIII. Nimium dixisse Theodoretus, etiam Bellarmino visus est, octauo libro Therapeuticon. *Suos mortuos Dominus Deus nos ter in templa pro Diis vestris induxit: ac illos quidem cassos gloria, vanósq; reddidit, suis autem martyribus honorem illorum dedit.* Quanquam non leguntur Græcè *templa.* [illegible] *Suos mortuos Dominus loco Deorum vestrorum induxit. & hos quidem dimisit inanes: illis verò eorum honores tribuit.* Nuoquam enim martyribus Templa assignat: sed [illegible] duntaxat. Veruntamẽ, vt dixi, duriusculum id visum Bellarmino; & molliendum; his eiusdem libri verbis, *Nos nec hostias martyribus, nec libamina vlla deferimus, sed vt Sanctos homines Deóq; amicissimos honoramus.* Nec nos sanè aliter censemus: nam *honorare*, [illegible], siue τιμᾶν vocabulum est generale: nec infert necessariò cultum religiosum. Itaque non habet ex eo loco Iesuita, quod debuit aduersus Catholicos concludere.

XIIII. At Tertullianus de Corona militis, meminit celebrationis festorũ in natalitiis martyrum. Atqui primùm hoc nihil ad rem. Neque enim sequitur religioso cultu adoratos martyres; etsi in eorum natalitiis festa fuerint celebrata: sed hoc tantùm, eorum martyrum dies fuisse solemnes adorãdo Deo. Sic Theodoretus illo ipso octauo libro Therapeuticon, testatur [illegible] *ad tumulos martyrum factas* [illegible]; & [illegible] inquit, [illegible] *sæpè diebus singulis, horum domino Hymnos cantamus.* Non autem martyribus, ad quorum loculos id fiebat. Et paulo ante Nyssenus Theodoro dixit *coëgimus tibi* [illegible] *solennem cœtũ adorãtes cõmunẽ Deũ.*

Eodem sensu Augustinus, de quo mox, dixit memorias religiosa solennitate celebrari.

XV. Secundò, dico à Bellarmino Tertullianum falsò citari: neque illum festorum meminisse; sed tantùm oblationum. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus*. Quis auté nescit aliud esse oblationes, aliud festa? Sed & illud *pro natalitiis*, perperam vulgò intelligitur; nimirum vt sensus sit, fieri oblationes pro defunctis, & pro natalitiis. At ego contrà accipio, quasi Græcè dictum, *ἀντὶ τῶν γενεθλίων*; non verò *ὑπὲρ τῶν γενεθλίων*: quasi protestaretur, Christianos non esse imitatos Paganorum morem, in celebrandis natalitiis: sed contrà potius, memoriam facere mortis. Nam certum posteà inualuisse morem appellãdi natalitia, festũ passionis Martyrũ.

XVI. Maximi homilias videre non licuit: nihil me tamen verba terrent à Bellarmino recitata, *Cuncti Martyres deuotissimè percolendi sunt: sed specialiter ij venerandi, quorum reliquias possidemus*. Nam, neque deuotio religiosum cultum significat; sed animi sinceritatem, motúmq; vehementem, cuiusmodi esse solet in iis, ad quæ nos religio monet: nec quisquam peccet, qui à se dicat, patrem deuotissimè honorari: nimirũ sic iubente religione. Venerari, & coli, quoties dicam vocabula esse lariora, quàm vt Papistarũ thesin concludant? At Prudentius, stratum se dicit orauisse in æde Hippolyti. Rectè, inquã, sic enim solebant Christiani, in ædibus, idest, in memoriis Martyrum, inuocare Deum. Paulinus Natali secundo, longè inconsideratius Felicem vocauit Deũ: qua excepta Catachresi, nihil est quòd honoris nomine offendamur: quod sæpiùs dictum, non videtur singulis versibus repetendum.

XVII. Hieronymus ad Riparium. *Honoramus seruos, vt honor redũdet ad Dominum*. Quod quidem, cum bona Catholicorũ venia, potuit dicere: nec fauere idololatris. Sed idem: *Vale, ô Paula, & cultorem tuum orationibus iuua*. Quæ verba quid habent, quominus cultorem intelligamus viuẽtis? Sensus: orationibus tuis adiuua eum qui dum viueres, coluit te. Et quãquam Paulę ad pedes Sanctorum, quos viuẽtes inuisebat, prouolutæ, superstitiosæ mulierculæ, nõ authenticum sit exemplum; tamen id ad religiosam adorationem non pertinet. Nam, quod negat ad cultum ciuilem Bellarminus; quia nobilissima fœmina nunquam rusticanos homines ciuiliter honorasset tãta subiectionis significatione; friuolum est; vt anteà de Regibus annotatum. Fallit enim homonymo: quasi ciuilis cultus is sit duntaxat, qui est à caussis merè ciuilibus. Quum nos ciuilem dicamus formaliter, potius: qui potest esse à caussis religiosis; vt honos parentum, & eleemosyna in pauperem, à timore Dei.

XVIII. Augustinus superest, epistola 44. *Ostendatur mihi Romæ in tanto honore templum Romuli, in quãto ibi ostendo memoriam Petri*. Atqui hîc mihi morari contigit, & quidem seriò: quòd cùm ita citetur hic locus constanter: non à Bellarmino tantùm, sed etiã à Richeomo, à Lorichio, à Coccio, à Cotono, ab aliis: tamen nihil eiusmodi potuerim legere in ea epistola 44. neque ex editione Frobeniana, anni in superiore seculo 69. neque in Veneta, anni 84. ac ne in nouissima quidem Parisiensi, aut Lugdunẽsi; sed non vrgeo. Nam apud Nyssenũ pro Theodoreto, similiter lego. *τίς τῶν βασιλέων τοσαύτης τιμῆς τετίμηται; τίς τῶν κατ' ὑπεροχὴν ἐν ἀνθρώποις φανέντων τοσαύτῃ μνήμῃ δοξάζεται; τίς τῶν στρατηγῶν τῶν πόλεις τειχήρεις ἑλόντων, καὶ ἔθνη δουλωσαμένων μυρία, οὕτως ἐστὶν ἀοίδιμος; Cuius Regum talis honor habetur? Quis eorum, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis Imperatorum, qui vrbes munitas ceperunt, nationes innumeras subegerunt, adeò decantatus, & fama celebratus est?* Et sanè, nihil est in eo loco momẽti: Nam, nec templum Petri dicit, sed tantùm memoriam: nec adoratum, aut religioso cultu adoratum; sed tantùm in honore esse. In eadẽ tamẽ epistola disertè legas. *Ad summã, ne te hoc lateat, & in sacrilega conuitia imprudentẽ trahat: scias à Christianis Catholicis, nullum coli mortuorum: nihil denique, vt numen adorari, quod sit factum, & conditum à Deo: sed vnum ipsum Deum, qui fecit & condidit omnia*. Et alioqui constans est Augustini sententia, religione colẽdum nihil esse præter Deũ, vt altàs prolixè docebimus. Itaq; si dixit in maiori esse honore memoriã Petri, quàm Romuli templum; ea mẽte dixit, quã ante obseruauimus in Theodoreto, dicente in locum Deorũ substitutos esse Martyres. Ac sanè epistola 42. idẽ Augustinus, *Imperij nobilissimũ eminentissimum culmen, ad sepulcrũ piscatoris Petri submisso diademate, supplicare*: nimirum, quia Imperatores, tũ Christiani, preces suas funderent, non ad Petrum, sed ad Deum, in memoria Petri: id est; eo loco vbi erat sepulcrum Petri. At certè, quod libro 20. contra Faustum, diligenter duliam distinguit idem à latria; à nobis est. Duliã enim nihil aliud intelligit, quàm cultũ illũ, quem nos, doctrinæ gratia, ciuilẽ appellamus; prorsus distinctũ à religioso: q; nos, Deo dante, paulò post docebimus.

XIX. Veruntamen idẽ in Psalmum 96. obiicientibus Ethnicis, quòd Christiani colerent Angelos, respondet similiter: & addit, *Vtinam & vos illos colere velletis: facilè enim ab ipsis disceretis, non illos colere, id est, nõ colere vt Deos, sed vt Sãctos*. Imò variè Bellarminus peccat. Primò, falsum refutari ab Augustino Ethnicos obiicientes à Christianis coli Angelos. Nam, instat potius contra eorum responsionem, factã Christianis increpantibus, quòd dæmonia colerent, *Respondet, non colimus mala dæmonia: Angelos, quos dicitis, ipsi & nos colimus, virtutes Dei magni: & ministeria Dei magni*. Quid hoc Bellarminianæ somniationis est, mutantis Ethnicos confitentes se adorare Angelos; in accusantes Christianorum factum? Secundò; quid illud est, *Similiter respondet*? An illud de latria, & dulia? Falsum; nihil enim hoc loco de iis Augustinus. Tertiò, hęc verba; *id est, nõ colere vt Deos, sed vt Sanctos*, Augustini non sunt; sed Bellarmini: etsi continuentur Augustini verbis, tũ in editione Sartoriana anni 92. in superiori seculo; tum in Lugdunẽsibus anno 1. & 16. huius seculi. Quod moneo, ne cuiquã imponatur quomodo impositũ est Richeomo; qui hunc eundem locum in eandem sentẽtiam citat capite septimo de Sanctis, ridiculè deceptus à Bellarmino.

XX. Cæterũ, Augustinus non simpliciter optat Ethnicos fieri cultores Angelorũ; vt Bellarmin. cẽset, & Richeomus expressit Gallicè: sed *κατὰ τι*, nimirum vt minus malum: vnde sperari posset sanitas. Nam, Ethnici negabant se adorare malos angelos: imò potius bonos. At hoc Augustinus Rhetorico voto eludit: vtinã verùm esset vos colere Angelos vel potius: vtinam vos à vestris dæmoniis recedentes, velletis colere Angelos bonos. Quam ob caussam, quæris? *Facilè ab illis disceretis, non illos colere*. Nimirum hæc vis est argumenti: Si coleretis Angelos bonos, ij docerent vos non colere se. At non docent vos: Ergo ij quos colitis, non sunt Angeli boni. Itaque, hoc votum conuincit non esse colendos Angelos bonos: quod statim fit manifestum, subiecto exemplo ex Apocalypsi.

CAP. V.

Cap. V.

De aliis argumentis pro adoratione Sanctorum.

I. NEc plura Papistæ; aut ea Scriptura, aut ex Patribus, sequuntur argotiolæ quædam. Primò, Si honor ciuilis debetur virtuti, sapientiæ, potentiæ, & nobilitati: Ergo honor plusquam ciuilis debetur supernaturali virtuti, sapientiæ, potestati, nobilitati. Sed Sancti quoad virtutes supernaturales, excellunt omnino, cùm ferueāt diuina charitate, & peccare non possint: & vident ipsam sapientiam increatam: & sunt Reges cœlorum, & participes ipsius throni diuini: & sunt filij Dei, re ipsa adoptione confirmata per gloriam. Igitur meritò, iuréque optimo, religioso cultu prosequendi sunt. Verba sunt Bellarmini.

II. Respondeo, Ciuilis cultus dupliciter intelligi potest: vel formaliter, vel causaliter. Ciuilis cultus formaliter, is est, qui in se re vera ciuilis est, & distinctus, imò separatus à religioso. Ciuilis cultus causaliter, qui quicunque tandem in se ipso sit; est tamen à causis merè ciuilibus. Potest enim cultus ciuilis formaliter, esse à causis supernaturalibus. Nam, exempli gratia, Regibus Christiani obtemperant: obtemperant etiam infideles. Sed hi tantum politiæ gratia: neque quicquam habentes præ oculis, præter potentiam illam regiam, cui ciuiliter subsunt: & ea iure municipali. At illi propter conscientiam: quæ longè transcendens potentiam regiam, iusque illud municipale, acquiescit in Dei ordinatione; à qua scit esse reges institutos. Sic amant parentes Christiani, amant & Pagani. At hi ex vi sola τῆς φυσικῆς στοργῆς, quæ etiam in belluis vires suas exserit. Christiani verò ex vi diuini mandati.

III. Quum autem honor sit ciuilis vterque; negatur ea consequentia, quæ adstruit, si dignitati ciuili debeatur honor ciuilis: Ergo dignitati supernaturali deberi honorem religiosum. Nam certum est, etiam dignitati supernaturali, deberi honorem ciuilem: id est, penitus distinctum, imò separatum ab honore religioso. Probatur; quia fideles honorant inuicem; non vt homines tantùm; sed vt fideles; ac propterea, ob dignitatem supernaturalem. Exempli gratia, Lucas Theophilum; quem κράτιστον vocat. Et quilibet Christianus suos Presbyteros memores mandati Paulini quinto prioris ad Timotheum, *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habentor*. Et tamen neque Theophilum Lucas, neque presbyteros Christiani, religioso cultu adorant, sed ciuili, siue officioso: nam vocabulis quibuscunque vtaris, perinde est nobis, dummodo distinctio intelligatur à cultu religioso. Denique Augustinus, vt postea plenius videbimus, eodem cultu coli dicit Sanctos defunctos, cum viuis. Ast honor viuorum non est plusquam ciuilis. Ergo ne defunctorũ quidẽ.

IV. Secunda argutia: Deus Sanctis honorem & gloriam promisit. Primi Samuelis secundo. *Qui honorificauerit me, glorificabo eum*. Ioannis duodecimo, *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus*. Ad Romanos secundo, *Gloria & honor omni operanti bonum*. Ergo debetur eis honor: & certè non ab aliis, quàm à nobis, qui illis inferiores sumus. Non conuenit autem mortuis honor ciuilis: Ergo religiosus illis debetur.

V. Respondeo: primùm, cùm dicuntur Sancti à Deo gloriam habere, id intelligendũ de statu illo in quẽ transferuntur essentialiter glorioso: propter quem similes dicuntur ei. Itaque honorificari à Deo, non est, effici vt ab aliis honorentur: sed in illo statu à Deo constitui: qui quidem eis constet, etsi à nemine colantur. Exempli gratia: Glorificati sunt Abraham, Isaac, Iacob, Moses, Dauid, reliqui; atque adeò honorificati à Deo: quos tamen nemo colit apud Papistas; qui se solos dicunt Catholicos. Secundò, negatur, vt prius, mortuis non conuenire, cultum ciuilem. Nam ipsa Virgo Maria sibi eum vendicat Lucæ 2. *Beatam me prædicabunt omnes ætates*.

VI. Tertia argutia: Si Sancti administrant hunc mundum, ergo sunt religiosè colendi. At prius verum: Ergo & posterius. Sic argumentum formauit, quo mihi Cotonus olim persuadere voluit colendos Sanctos. Probabat assumptum. Primò, à comparatione domus regiæ: in qua rex ipse non omnia per se ipsum procuret. Non est, inquiebat, domus ista nostri Solomonis adeò parum magnifica, regiáve. Non est, vt in ea rex ipse vnus ardelio sit: per se omnia curans, administránsque: famuli confusi, sine ordine vllo, sine vi efficientiáve, semisomni & inertes, consertísque manibus, proximè à rege expectent sibi aliísque omnia. Secundò, Si nullam habent rerum humanarum procurationẽ sancti aut administrationem demandatam, cur eorum dicitur nimis confortatus esse principatus? Psalmo centesimo trigesimo nono. Si neminem tuentur, cur gladij ancipites in manibus eorum? Psalmo centesimo nono. *Si stupidi sunt futuri, cur alius supra quinque ciuitates constituetur?* Lucæ decimo nono.

VII. Respondeo: primò simile argumentum fuisse Celsi olim contra Christianos: apud Origenem, contra eundem, libro septimo. *Διὰ τί δαίμονας οὐ θεραπευτέον; οὐ πάντα μὲν τοι κατὰ γνώμην διοικεῖται τοῦ Θεοῦ, καὶ πᾶσα ἐκ τῆς ἐκείνου πρόνοια; καὶ ὅ τι περ ἂν ᾖ ἐν τοῖς ὅλοις εἴτε Θεοῦ ἔργον, εἴτ᾽ ἀγγέλων, εἴτ᾽ ἄλλων δαιμόνων, εἴτε ἡρώων, ταῦτα πάντα ἔχει νόμον ἐκ τοῦ μεγίστου Θεοῦ; τέτακται δ᾽ ἐφ᾽ ἑκάστῳ δύναμιν λαχὼν, ὅσων ἠξίωται; τοῦτον δὴ τὸν ἐκεῖθεν ἐξουσίας τετυχηκότα οὐ θεραπεύσει δικαίως ὁ σέβων τὸν Θεόν; Cur non sunt colenda dæmones? Annon cuncta arbitrio Dei dispensantur, & pendent ab eius prouidentia? Et quodcunque fit in secundis, siue Dei opus, siue angelorum siue aliorum dæmonum, siue Heroum: omnia legem habent à maximo Deo? Et singuli, prout illi visum potentiam adepti, singulis operibus præfecti sunt? Ergo eum qui à Deo potestatem accepit, cultor Dei non iustè venerabitur?* Sic olim Celsus importunè garriebat. Muta dæmones, in sanctos; habebis Cotonum purum, putum. Quàm iucundum hodie similem causam Papistarum, iisdem armis propugnari!

VIII. Secundò nego consequentiã. Nã certũ est per causas naturales; etiã per cœlestes influẽtias; per hominũ viuẽtiũ ministeriũ, à Deo mũdũ hũc administrari; & tamen non debere aut causas naturales, aut cœlestes influẽtias, aut homines viuos religiosè adorari. Nec Israelitæ vnquam eò dementiæ præcipitarũt; vt muscas, & ciniphes, & ranas adorarint; quãquã per muscas, ciniphes; & ranas suã viderint procuratã ex Ægypto liberationẽ. Nec memini vllos diuinos honores Gedeoni concessos, per quẽ Madianitarũ tyrãnis cõpressa fuit. Et quis nescit multa maximáq; per Angelos procurari ad salutẽ fidelium? Et tamẽ eorũ θρησκείαν Paulus improbat secũdo ad Colossenses. Paulus quantumuis sedulus in promouẽda salute hominũ, tamẽ sibi diuinos honores deferri indignatus est. Denique Augustinum audi capite 55. de Vera Religione. *Non sit nobis religio, vel ipsa perfecta & sapiens anima rationalis, siue in ministerio vniuersitatis, siue in ministerio partium stabilita.*

ginem, non esse tamen ob peccati taxandam. Ab exemplo. Quia, teste Gregorio Nysseno, & Chrysostomo, Elizabetha & Zacharias, incredulitate peccarunt, quòd haberent exempla Saræ, & Rachelis, & Annæ vtriusque. Virginem vero nullum.

XXI. Respondeo, Testatur Elizabetha Mariam credidisse. Nec negat Caluinus. Imò ad ea Elizabethæ verba, *Fœlix Maria, quæ Dei promissionem amplexa, sibi totique mundo salutem concepit, ac peperit.* Quid ergo? Videlicet, non sequitur: Credidit: ergo non est visa malignè restringere potentiam Dei. Nam primò, etiã fides sæpe in credentibus habet admixtum nescio quid dubitationis: vnde Marci nono, *Credo, Domine, succurre incredulitati meæ.* Et Lucæ decimo septimo, *Adauge nobis fidem.* Secundò: si credere intelligas non aliter, quàm remota omni dubitatione: ex ipsa narratione apparet, tum denique Mariam plenè acquieuisse, cùm Angelus eius dubitationi opposuit omnipotẽtiam. Lucæ primo, *Dixit Maria ad Angelum. Quomodo erit istud, quandoquidem virum non sum cognitura?* Respondit Angelus primò, futurum vt ab Spiritu obumbraretur: secundò etiam Elizabetham concepisse: tertiò, nihil esse impossibile apud Deum. His auditis, illa acquiescens, *Ecce*, inquit, *ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum.* Nihil ergo absurdum, si dicat Caluinus primò dubitasse Mariam: deinde credidisse.

XXII. Quid autem Cyrillus dicit, quod nõ Caluinus? [illegible], inquit ille. At iste, *Subita admiratione perculsa, ad mouendam hanc quæstionem rapitur.* Negant dubitasse, Ambrosius de effectu, Augustinus de virtute: tantùm quæsisse de qualitate effectus. Et possunt ista ferri: ideoque à Beza probantur. Sed necessitatis nihil habent. Nam ipsa phrasis, etsi possit commoda interpretatione molliri, tamen solet in vsu esse, cùm dubitamus, num quid possit fieri. Deuteronomij septimo, *Quomodo potero delere eas?* Decimo octano, *Quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est loquutus?* Prioris Samuelis decimo sexto, *Quomodo vadam?* Et vigesimo nono, *Quomodo aliter poterit placare Dominum suum?* Prioris Chronicorum decimo tertio, *Quomodo possum ad me introducere Arcã Dei?* Matthæi duodecimo, *Quomodo stabit regnum eius? Quomodo potest aliquis ingredi domum valids?* Sexcenta sunt huiusmodi, si colligam. Quid autem Caluinus peccauit, si communem tritumque sensum retinuit? Quanquam non retinuit. Non enim ipse exponit in eum sensum: vt neget credidisse posse fieri. Sed tantùm, non valde pugnandum ea de re: sibi autem potius videri interrogationem natam ex admiratione.

XXIII. At non erat propterea peccati accusanda. Quis accusat autem? Nam, etsi neget Caluinus valde laborandum in excusanda, ab omni prorsus vitio, tamẽ eò potius inclinat, vt admirationi id, quicquid est, tribuat: quod Cotonus improbare non potuit. Tum verò, etsi Virginei partus nullum haberet exemplum, habebat tamen omnipotẽtiã, & dogma, & exempla plurima: quæ tum recoleret.

XXIV. Tertium caput ex Matthæi duodecimo. Quum Christo, intento sacræ Concioni, nunciantur, Mater & fratres ad fores stare, quærentes eum alloqui, ille respondit, *Quæ est mater mea? Et qui sunt fratres mei?* Hic Caluinus notat docet importunitatem quæ præposterè cursum doctrinæ abrumpere tentabat. Exclamat Monachus, mortalia peccata, & sanctissimæ Virginis infamationem: & studium deterrendi pios ab honorandis dotibus, quas in illam Deus effuderat: & quædam præterea quæ splendida bilis suggessit.

XXV. Quid ergo, inquam, meritus Chrysostomus, quid Theophylactus, qui longè acerbius & Virginem exagitant, & fratres? Quorum sententiæ negat se Caluinus accedere, *Quod Ambrosius & Chrysostomus Mariam ambitionis insimulant, nihil habet coloris: quid enim hac diuinatione opus est, cùm vbique summa eius pietas, & modestia, Spiritus testimonio commendatur?* Et de Ambrosio quidem agnosco [illegible]: cùm apud eum nihil tale legerim. Sed Chrysostomi certè hæc sunt. [illegible] *Quod aggrediebatur* (nimirum ipsa mater Christi) *ambitionis erat superflua. Voluit enim ostentare plebi, in sua se potestate, autoritateq́; habere filium, nihil dũ de eo magni cogitans propterea enim intempestiuè accedit.* Et statim subijcit, [illegible]: *Considera igitur tum illius, tum illorum impudentiam.* Et paulo pòst, [illegible], *Ostentantes ambitionem superfluam: quod magna cum autoritate ei imperarent.* Hæc Chrysostomus: & alia in eam sententiam non pauca: quorum & Theophylactum quidem puduit. Caluinus autem auersatus est.

XXVI. Enimuerò constat displicuisse Christo aliquid: non tantùm quia non obtemperauit: sed etiã quia ea verba protulit, quæ non possunt non esse [illegible]. Atque adeo Monachus non potest diffiteri, qui Mariã prorsus non à culpa tantùm, sed etiam à cœtu eximit: fratres enim fuisse cognatos Christi ex Iosepho: hos non credidisse in Christum: & prauo æstu ambitionis & auaritiæ correptos, popularem auram aucupatos esse: de his intelligenda esse Euangelij verba. Quæ primum confessio est peccati in hac interpellatione admissi. Itaque sola quæstio superest ad quem ea pertineat interpellatio: nam eum peccati alicuius futurum reum in confesso est. Et Feuardentius quidem magna confidentia, solos cognatos ex Iosepho peragit reos: quasi prætor, cognita caussa, periculatisque omnibus. Verùm quanta nebulonis huius autoritas est, vt affirmanti simpliciter credamus? Imò Euangelista contrà disertissimè, *Cùm adhuc loqueretur turbæ, ecce mater, & fratres eius stabant foris, quærentes eum colloquium.* Itaque Chrysostomus disertè ipsam Virginem eadem accusatione complectitur. Et ante eum Tertullianus de Carne Christi.

FINIS LIBRI DECIMI OCTAVI.

LIBER

LIBER DECIMVS NONVS.

DE

CVLTV CREATVRARVM.

Caput Primum.

DE STATV CONTROVERSIAE IN Cultu Creaturarum.

PVRGATIS calumniis, transeundum ad caput alterum, de doctrina, in hoc capite de Cultu Dei, propriè controuersia. Magna quæstio, in qua Catholici seuerè peragunt reos Papistas insanissimę Idololatriæ: eò quòd promiscuè cultum religiosum, vni Deo eximium, deferant Creaturis; deferant creaturarum reliquiis; deferant etiam imaginibus.

II. Verumenimuerò; quum antea constitutum sit aliquas honorandas, colendásq; creaturas; deinceps anquirendum id, in quo controuersia consistit. Et quidem, cùm omnes adorandas, colendasque creaturas; ne ipsi quidem Papistæ dicant; prima cura est in distinctione creaturarum, quæ adorari, colique debeant. Qua in re non multus labor; Non enim disputant illi, nisi de Angelis, & Sanctis: ac de rebus iis, quæ ad Angelos, Sanctósve pertinent; reliquiis & imaginibus. Quanquam Sanctos propria notione appellent, eos duntaxat, qui excesserunt è vita: atque in patria apud Deum triumphant: quibus certò distinguendis suam instituere, quam vocăt Canonisationem; cuius plenum ius Papæ reseruant: qui pro sua autoritate definiat; A qui sint inter defunctos, qui à Christianis coli debeant. Quanquam Bellarminus disputauit, & quidem solus, quod sciam, Sanctos non canonisatos posse priuatim coli. Sed enim hae de Canonisatione, disputant sedulò; quam nos tamen negligemus; quòd per se ipsa ruat: si ruit eius fundamentum, quod est in Cultu Sanctorum.

III. Verùm hæc esto prima distinctio: vndè constet, in disputationem venire; non absurdissimam illam Idololatriam, quæ posita olim erat in Cultu Dęmonum; aut etiam hominum nequam. B Nam huius sese Papistæ profitentur esse hostes acerrimos. Sed aliam longè subtiliorem; quæ etsi reipsa, aut nihil, aut prope nihil differat ab illa: tamen sanctis Angelorum, Sanctorúmque nominibus ludens, potenter illudit: adeò vt sese plenè perfecteque purgatos credant; si profiteantur se colere; non Mercurium, sed Michaelem: non Martem, sed Georgium: non Palladem, sed Catharinam: non Neptunum, sed Nicolaum: & infinitos alios. Quasi bonis abuti nominibus, non sit frequentissimum: & C non ipsi Ethnici inter idola sua numerarint Fidem, & Spem, & Virtutem: ex bonis nominibus fœda sibi idola fabricantes. Quasi non æneum serpentem Iudęi impiè colentes, bonum regem coegerint, ad eum piè confringendum.

IIII. Altera cura maior, in distinguendo cultu: vbi constat apud vtrosq; Dei cultū separandum à cultu cuiuslibet creaturæ. Sed hic aduertendum, ei distinctioni nulla esse propriè affectata nomina apud Hebræos: quod Bellarminus agnoscit capite

duodecimo, de Sanctorum Beatitudine. Nullum enim vocabulum habent, quod de honore Dei propriè dicatur. Sunt enim tria, omnino quæ huc referri possint, כבר עבר השתחוה; quæ *honorare, seruire, adorare*, significat. Dixit Salomo Prouerbiorū 3. כבר את יהוה מהונך: *Honora Dominum, de tua substantia.* Et Deus ipse in Lege: כבר את אביך ואת אמך; *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Similiter Deuteronomij vigesimo octauo, תחת אשר לא עבדת את יהוה אלהיך: *Quia non seruiuisti Iehoua Deo tuo.* Et statim, ועבדת את איביך, *Et seruies hostibus tuis.* Item, Psalmo nonagesimo sexto, השתחוו ליהוה, *Adorate Iehouam.* Et prioris Regum primo, וישתחו למלך, *Et adorauit Regem*: nimirum, Nathan Propheta. Latriæ itidem, teste Augustino, capite primo libri decimi, de Ciuitate Dei; agnoscente etiam Bellarmino, nullum est vocabulum, quod dicatur de solo cultu diuino. Nisi Theologi Adorationem ei reseruassent eximiam: nam etiam Papistas propemodum pudet, dicere adorari sanctos, adorari imagines. Sed ea tamen nulla est propria vocabuli notio.

V. Græcis præcipua sunt honoris vocabula *προσκυνεῖν, λατρεύειν, δουλεύειν.* Quorum postremum promiscuum esse cultui diuino, cultuique humano, notius, quàm vt argumentis indigeat. Certè exempla passim obuia. Ad Romanos nono: *μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι, Maior seruiet minori.* Ad Galatas 5. *δουλεύετε ἀλλήλοις, Seruite alij aliis.* Prioris ad Timotheum sexto, *Qui fideles habent heros, ne despiciant, eò quòd fratres sint: ἀλλὰ μᾶλλον δουλευέτωσαν, sed tantò magis seruiant.* Hæc de seruitute humana. Nunc de diuina. Actorum vicesimo, *δουλεύων τῷ Κυρίῳ, Seruiens Domino.* Ad Romanos 16. *Qui sunt huiusmodi Domino nostro Iesu Christo. οὐ δουλεύουσι, Non seruiunt.* Ad Ephesios sexto. *Cum beneuolentia δουλεύοντες, seruientes Domino.*[1].

VI. At primum *τὸ προσκυνεῖν*, vsurparunt itidem septuaginta promiscuè: vtpote, qui sic expressum voluerunt Hebræorum illud השתחוה, de quo iam dictum: non de Deo tantùm. Geneseos vigesimo secundo: *καὶ προσκυνήσαντες ἀναστρέψωμεν; Et postquam adorauerimus, reuertemur.* Vicesimo quarto, *προσεκύνησε τῷ Κυρίῳ, adorauit Dominum.* Verùm etiam de hominibus. Geneseos vigesimo tertio, *προσεκύνησε τῷ λαῷ τῆς γῆς, adorauit populum terræ.* Vicesimo septimo, *καὶ προσκυνήσουσί σοι υἱοὶ τοῦ πατρός, Et adorabunt te filij Patris tui.* Sic aliis plurimis locis: ne frustra rei notæ immoremur. Veruntamen hic abusus fuit horum virorum; quos constat ex aliis plurimis locis, siue de industria, siue aliam ob causam non fuisse Græcitatis castissimos obseruatores.

VII. Sed enim qui verè Græci fuêre, hos nego vsos eo verbo, alia notione, quàm religiosa: aut vnquam hominibus communicasse, nisi qui ipsi inuolarent in honores diuinos. Sic de Persarum regibus; habes testimonium Cleonis Siculi apud Curtium libro octauo, *Persas non piè solùm, sed etiam prudenter Reges suos inter Deos colere.* Nec verò in se eum morem Alexander ausus transferre, nisi se & Deum haberi iuberet; eodem teste Curtio. Et verò apud Arianum libro quarto habes verba Callisthenis hoc de honore disputantis aduersum Anaxarchum. *διακεκρίσθαι τοῖς ἀνθρώποις ὅσαι τε ἀνθρώπιναι τιμαί, καὶ ὅσαι θεῖαι· πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις, ναῶν τε οἰκοδομήσει, καὶ ἀγαλμάτων ἀναστάσει καὶ τεμένεσι. ὅτι τοῖς θεοῖς τε ἐξαιρεῖται, καὶ θύεται ἐκείνοις, καὶ σπένδεται· καὶ ὕμνοι μὲν ἐς τοὺς θεοὺς ποιοῦνται, ἔπαινοι δὲ ἐς ἀνθρώπους. οὐ τῷ ἥκιστα τῷ τῆς προσκυνήσεως νόμῳ. τοὺς μὲν γὰρ ἀνθρώπους φιλήματι πρὸς τὸ ἀσπάζεσθαι· τὸ θεῖον δὲ, ὅτι ἄνω που ἱδρυμένον, καὶ οὐδὲ θέμις αὐτοῦ ἅπτεσθαι, ἐπὶ πᾶσι δὲ τῷ προσκυνήματι γεραίρεται. Distinctos esse apud homines honores humanos, diuinósque, tum aliis rebus, putà, templis, statuis, aris, quæ Diis eximia sunt, quibus sacrificatur, & libatur: quin & hymni diis fiunt, hominibus verò laudes: veruntamen haud esse minimum adorandi morem: Homines siquidem osculo salutari: at numen sublimè positum, vt nefas sit tangere, adoratione honorari.*

VIII. Neque verò Christianorum alia mens. Etenim in Nouo Testamento nusquam *τὸ προσκυνεῖν* inuenias vsurpatum, non de Deo: vnico excepto loco Matthæi 18. vbi seruus dicitur *προσκυνεῖν τῷ δεσπότῃ adorasse Dominum*: quanquam id ipsum parabolicè. Sed Actorum decimo, Cornelius reprehēditur: Et Ioannes ipse, Apocalypsis 19. ob eum honorem delatum creaturis, Petro, & Angelo. Itaque, deinceps Christianis solenne, vt soli Deo *τὴν προσκύνησιν* assignarent. Epiphanius, hæresi sexagesima quarta, *οὐδὲν τὸ κτιστὸν, οὐ προσκυνητόν, Nihil creatum adorandū.* Nec dubito hoc eodem vsum verbo Cyrillum, Thesauri libri secundi capite primo, cùm dixit, *Nemo autem ignorat, nulli prorsus naturæ, præterquàm Dei, adorationem à Scriptura contribui.* Et quinti, primo: *Creatura nulla se patitur apud Scripturam adorari, nisi quæ seipsam ignorat.* Sed hanc constantiam infregit tandem idololatria, in Sanctos, Sanctorum tum reliquias, tum imagines effusa.

IX. *Τὸ λατρεύειν* fuit etiam initio promiscuum, æquè ac *τὸ δουλεύειν*. Nam, & sunt significatione vicina. Glossarium. *λατρεύω, seruio.* Phauorinus. *λατρεύειν κυρίως τὸ δουλεύειν.* Nec verò occurrit mihi hactenus locus vllus; quo vsurpatum sit alterutrum pro honore diuino apud Ethnicos. Septuaginta Interpretes, etsi aliquando *τὸ λατρεύειν* de humana seruitute vsurparint; vt Deute. 28 *λατρεύσεις ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς σου, Illic seruies hostibus tuis*: tamen vt plurimum transtulerunt ad cultum diuinum. In nouo certè Testamento nunquam aliter. Vnde factum, vt ne postea quidem inter Christianos. Vnde Augustino tandem ansa disparandi Latriam à Dulia tanquam proprijs vocibus: quod ante eum nemo obseruarat. Non improbando consilio: nisi quod duliam etiam Deo scimus attributam: quod tamen leuiusculum erat incommodum: & facile excusandum in viro pio, & vtcunque satagente consulere humani ingenij imbecillitati, cui alioquin incommodæ sunt vocabulorum homonymiæ; sæpe etiam in rebus momenti, haud leuiter periculosæ. Sed hanc non improbam viri boni *ἀκρίβειαν* corruperunt scholæ sophisticæ, quæ seruatis sonis, à sententia immane quantum recesserunt: quod nos suo loco imus demonstratum.

X. Apud Latinos, *adorare*, idem passum, quod *τὸ προσκυνεῖν*. Cùm enim nullus occurrat exoticus autor, qui vsurparit pro honore non religioso: tamen Latinus interpres Veteris testamenti promiscuum fecit: Sed in Matthæi decimo octauo tamen reddidit *προσκυνεῖν, orare.* Ecclesiastici constanter deinceps Deo voluerunt eximium: donec discederetur in superstitionem; quæ & res miscuit & confudit vocabula.

XI. Sed de vocabulis Theologi non libenter contendunt. Rem ergo videamus potius. Catholicorum hæc sententia est, Cultum Dei à cultu hominum religione distingui essentialiter. Hoc est, duplicem esse cultum: alium religiosum; alium ciuilem. Illum, religionis, actum elicitum: hunc verò eiusdem actum imperatum; vt verbis vtar in schola tritis. Nam colere Deum est ipsa Religio: quomodo amare est ipse amor: & Religio est colere Deum: quomodo

quomodo amor, est amare. At verò cultus ciuilis fluit à Religione, id est, cultu Dei; quomodo in Samaritano vulnera lauare, & obligare, fluxit ab amore. Nimirum vt sit effectus Religionis; non autem ipsa Religio; quomodo effectus non est caussa. Habent igitur pro certo Catholici, cultum Religiosum, solidum Deo concedendum: Ciuilem ad creaturas pertinere: cui rei significandæ, non inuiti vtamur vocabulis *λατρείας καὶ δουλείας*: dummodo sciamus non esse ea nomina diuersorum graduum, quasi secundum plus & minus: sed diuersorum generum: vt omnino diuersi sit generis cultus religiosus, & cultus ciuilis: neque *συνωνύμως* neque *ἀναλόγως* ambo inter se comparari. Cùm enim honor sit excellentiæ proportionatus; omnino eadem ratio erit cultus diuini ad cultum humanum, quæ Dei ad hominem. At hæc Dei ad hominem abusiuè ratio dicitur: cùm nulla sit. Itaque, non potest cultus diuini ad humanũ cultũ vlla esse vel *ὁμωνυμία* vel *ἀναλογία*. Denique, antiqua, veráque sententia est Lactantij libri sexti capite decimo. *Primum officium iustitiæ est coniungi cum Deo: secundum cum homine. Sed illud primum Religio dicitur, hoc secundum misericordia vel humanitas nominatur.* Optimè: nec tantùm vera est sententia; sed etiam apta vocabula: genus summum Iustitia: sub hoc duo subalternata, Religio, & Humanitas, siue misericordia. Scilicet, vt neque religio sit misericordia; neque ipsa misericordia religio.

XII. Hîc Papistæ miri sunt, vt semper. Franciscus Sales præfatione in Defensione Crucis, negat ciuilem cultum à Deo abiudicandum. Deo enim deberi omnem cultum, iure Creationis: sicut dictum Apocalypseos quarto. *Dignus es, Domine, qui accipias gloriam & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* Redditur (inquit) omnis honor Deo: quia creauit omnia: at creauit etiam ordinem politicum: Ergo honor politicus eidem debetur.

XIII. Atqui idem postea, docet impium esse si quis Deo deferat honorem subalternum, qui habet pro obiecto excellentiam subalternam. Quid ergo si sophistam agat quis, & dicat, omnem honorem deberi Deo: Ergo subalternum. Et quidem creasse Deum excellentiam subalternam? Quid agat Sales: aut quo pacto sese suis retibus exsoluat? An si sperat sibi fore fragilia; quid est quod iis nos terreat? Enimuerò nũquam dictum omnem honorem deberi Deo: Aut si dictum cuiquam: certè non dictum hoc sensu; vt quicunque honor cuiquam creaturæ debetur, eo Deus ipse coli debeat. Nam quia honoris ciuilis, siue subalterni, varij gradus sunt, remissiores, intentioresque: sequeretur Deum aut debere, aut certè posse magis & minus coli. Quod est absurdissimum: cùm sit præceptum disertè, vt Deũ amemus toto corde, tota mente, tota cogitatione: Matthæi vigesimo secundo. Admittamus tamen facile, quod postea idem Sales. Supremum honorem, id est, Religiosum; Deo deferendum: At subalternum, id est, ciuilem, ad Deum referendum: tanquam ad originem. Sed hoc nihil ad nostram Controuersiam: quæ disputat de honore qui deferendus sit, non referendus. Itaque poterat hoc sophismate Sales abstinere.

XIIII. Lõgè maius negotium instat: Nam Papistæ etiam cultum religiosum distinguunt in Latriã, & Duliam. Non, inquam, distinguunt cultum generaliter: sed specialiter Cultum religiosum. Nam quantumuis protestentur se Deo relinquere cultum suum eximium: & Sanctis alium, longè alium deferre: tamen hos religiosè colunt: id est, horum cultum religiosum faciunt; & contendunt esse religionis non tantùm effectum, vt Catholici; sed etiam partem. Itaq;, cùm delicatulus Coronus in Epistolis ad Chamierum, non valde contendit, vtrum Duliam appellemus Religiosum cultum: tũ Sales disertè deberi pronunciat creaturis cultum alium quàm ciuilem: & quidem ex professo disputans contra nostram distinctionem. Imò Maldonatus in Matthæi quintum. *Impius & imperitus Lutheranorum & Caluinistarum error est nullũ nisi Deo religionis honorem tribuentium.* Tum autem non tantum Sannazarius Elegia ad Diuum Iacobum Picenũ. *Pectoribus nostris non leue numen eris:* Et Hymno ad Diuum Nazarium: *Datur ecce amicum cernere numen.* Sed etiam Hieronymus Vida, Episcopus Albanus, Hymno diuis cœlestibus: post inuocatam Virginem, & Angelos: *Tum vos caduci corporis, Cen nos onusti põdere, Quondam mares aut virgines, Nunc dij beati cælites.* In historiis Pauli Iouij memini legere, *Deos tutelares.* Serarius Iesuita, *Rinaldus antistes beatis additus agminibus Deorum.* Lipsius in Virgine Aspricolli capite trigesimo. *Magni magna Dei parens, De qua sacra profantur, Hanc fore quæ serpẽtis Cõtereret caput improbi. Fecisti ô Dea.* Postremò, *Tunc tibi laudes, Dea, dicet omnis sexus & ætas.*

XV. Concordant & hæ phrases. Idem Vida in hymno magnæ Matris Virginis. *Nos quoque diuinos, vt cuique est copia, honores Largimur: tibi centum aræ, tibi maxima centum Thure calent delubra.* Et Diui Laurentij. *Romana propago, Centum aras, centum magnis penetralia templis Eriget, & tumulo diuinum imponet honorem.* Et Diui Andreæ. *Illa Deum te post vnum veneratur, & omnẽ, In te spẽ locat.* Diui Laurentij. *Spes suas in te locat aduocato.* Sannazarius ad Diuũ Nazariũ. *Salue Io magni noua lux Olympi, Cui per extẽtas operosa terras, Tẽpla tot surgunt calidisque fumant Ignibus aræ.* Satin' disertè? Nam diuinos honores totidem syllabis audis, Et si non audires: tamen audis templa: aras audis, quæ diis eximia, paulò ante significabat Callisthenes apud Arrianum. Denique spem locare: & quidem omnem spem locare, apud Christianos, quid est?

XVI. Papistæ igitur non cultum in genere; sed specialiter cultum religiosum; distinguunt in Latriam, Duliam, Hyperduliam. Esse enim tot species cultus, quot excellentiæ. Esse autem tres huius species. Primam diuinam, & infinitam. Secundam humanam, & naturalem, in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus. Tertiam mediã inter diuinam & humanã; videlicet, gratiam & gloriam Sanctorũ. His cõstitutis; primæ excellentię tribuunt Latriam. Secundæ reuerentiam Ciuilẽ assignant. Tertię Duliam admetiuntur: sed hanc dupliciter. Nam vulgo Sanctorum, Duliæ nomen generale permittunt. At carni Christi, per se cõsideratæ, quanquam in vnione: item Virgini Mariæ; eximiam reseruant Hyperduliam: minorem quidem Latria, sed longè maiorem promiscua illa Dulia.

XVII. Sic fabricata tria nomina Latriæ, Dulię, Hyperduliæ: quorum duo priora, vt mutuata concedam ab Augustino: tertium tamen vnde est? Nunquam enim quisquam Veterum hyperduliam dixit, aut etiam somniauit: imò Græcorum nullus vnquã. Sed Latinorum audacissimi Scholastici, quibus solenne est cornicum oculos configere; qui, inquã, si nihil inuexissent noui in religionẽ, mortui essent: hi, inquam, Latini Scholastici hoc

vocabuli; imò hoc rei monstrum & posuerunt, & fouerunt. Quanquam in Latria & Dulia longè discessum etiam ab Augustini mente. Adeo non imitatores sunt Papistæ, sed simiæ.

XVIII. Martinum tamen Peresium nonnihil habuit malè in Dulia, de Traditionib. parte tertia, capite de cultu Sanctorum. *Quanquam nescio an propriè dulia huiusmodi officium debuisset appellari: cùm veneratio illa, quæ communiter Sanctis debetur minimè in signum seruitutis exhibeatur: omnes enim serui Dei sumus, quanquam meritis & Sanctitate multum dispares: id quod significabat Angelus ille, cui se Ioannes Apostolus prosternabat dicens. Vide ne feceris: conseruus enim tuus ego sum, & fratrum tuorum.* Addere poterat ex Ambrosio libri tertij de Spiritu Sancto capite duodecimo, *Qui seruit, adorat.*

XIX. Necdum tamen confectum negotium. Nam rursus honorem distribuunt in Absolutum, & Respectiuum. Illum, qui rei cuipiam tribuatur, qua talis est; vt Deo, Latria, quia infinita, Angelis, Sanctis; Dulia, quia Sanctis, Mariæ: hyperdulia, quia supra Sanctos. Hunc autem, qui cuipiam rei tribuitur non propter eam, sed propter aliam. Vt, pectini, interulæ, zonæ Virginis; imaginibus etiam tribui volunt cultum quendam; non quia pecten est, aut interula, aut zona, aut imago; sed quia pecten, interula, zona, imago Virginis; ita vt is cultus non terminetur in pectine, interula, zona, imagine, sed inde transeat ad ipsam vsque Virginem, propter quam illa coluntur.

XX. Hæc est in vniuersum Papistarum Sententia: quam his capitibus distinguo. Deus solus colendus latriâ absolutâ. Creaturæ quædam adorandæ adoratione religiosâ: id est, Dulia Reliquiæ & Imagines creaturarum, possunt etiam adorari adoratione respectiua. Quorum capitum primum de Deo non est controuersum. Reliqua autem de Creaturis in disputationem veniunt. Itaque prima Quæstio nobis erit; vtrum quibusdam creaturis competere possit cultus religiosus, siue, vt Vasquez loquitur, adoratio sacra. Et quia religiosi cultus pars præcipua, Inuocatio; secunda quæstio: Vtrum inuocatione religiosa inuocare liceat vllam creaturam. Tertia quæstio, erit de Reliquiis. Quarta de Imaginibus.

XXI. In prima quæstione disertus hic status: An vllæ creaturæ coli possint à Christianis cultu religioso. Papistæ asserunt. Et quidem non quasdam solùm: sed omnes: sic enim definit, & disputat Vasques, nulla addita exceptione, nisi si fortè periculum sit: Catholici negant. Disputarunt Papistæ quidem hi, quos viderim. Peresius consideratione septima de Traditionibus. Rubenus de Idololatria libro secundo à capite decimo quarto, ad vigesimum. Slotanus Disputationibus aduersus hæreticos, articulo vigesimo septimo. Petrus Auratus Paradoxo octogesimo quarto. Eckius Enchiridij capite decimo quinto. Franciscus Polygranus in Assertionibus, capite de Communione Sanctorum. Franciscus Sonnius in Demóstrationibus, Tractatu secundo de Præceptis. Franciscus Horantius Locorum Catholicorum libro tertio, capite decimo tertio, & sequentibus. Costerus Enchiridij capite decimo quarto. Bellarminus de Sanctorum beatitudine, capite decimo tertio, & sequentibus. Gregorius de Valentia, libris de Idololatria. Alphósus de Castro contra hæreses libro decimo tertio, capite de Sanctis: Ioannes Dauyus Perronus duorum tractatuũ priore. Vasques in tertiam Thomæ disputatione nonagesima septima: & centesima decima.

XXII. Catholici autem Chemnitius Examinis parte tertia. Musculus in locis communibus, titulo de Cultu Angelorum. Rainoldus de Idololatria. Riuetus summæ Controuersiarum tractatus secundi quæstione quadragesima quarta & quadragesima octaua.

Cap. II.

De locis Scripturæ pro Sanctorum cultu.

I. AVdiamus arguentes Papistas: ac primò: è Scripturis. Alphonsus de Castro cõtra hæreses libro decimo tertio: Sanctos esse honorandos apertè docet Propheta regius dicẽs, Psalmo centesimo tricesimo octauo. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Amicos Dei vocat Apostolos, & reliquos Sanctos, qui Deum sincero quodam amore diligunt. Nam ipsemet Christus promisit illis vt post hanc transactam vitam in suam reciperet amicitiam, dicens. *Iam non dicam vos seruos, sed, amicos.* Qui ergo à Dauid honorati esse perhibentur, non est dignum vt à nobis sine vllo honore relinquantur. Locus est ex Psalmo centesimo trigesimo nono, quo vtitur eõ Eckius in Enchiridio; & alij.

II. Dicã primò de ipso loco: deinde de argumento. Locus ita habet Hebraicè. ולי מה יקרו רעיך אל. Vulgata editio Latina, sic reddidit, quomodo citatur ab aduersariis. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Et tamen, nihil est in iis verbis, quo significari possit *nimis*. Nec illud *honorificati sunt*, propriè dictum, sed longissimè petitum. Debuit dici, *Mihi autem quàm pretiosi sunt?* Sed רעיך certum quidem est alias amicos & familiares esse; quo sensu redditũ & à paraphraste Chaldæo, à Græca, Latináque editione. Sed obseruatur etiam significari eodem vocabulo, *cogitationes*. Itaque ab Abben Ezra, & Kimchi exponitur במחשבות. Quomodo in eiusdem Psalmi initio בנתה לרעי: non tãtum Kimchi מחשבי, sed etiam Græca editio; *σὺ συνῆκας διαλογισμούς μου*. Et Latina. *Tu intellexisti cogitationes meas.*

III. Cùm igitur *πολύσημον* sit vocabulum: tum certè ex circunstantiis diiudicandum, vtra notio huic loco commodior. At quæ *amicos* vertit, quid habet commodi? Nulla cum præcedentibus cohærentia: in quibus laudatur Deus ab infinita prouidentia quæ elucet in eo maximè, quòd nihil sit tam absconditum, quod ille non perfectissimè rimetur. Hinc quãtus saltus est statim ad Sanctos? In sequentibus autem quid cohæret? *Nimis confortatus est principatus eorum*: absurdè: Nam quis potest mihi ראשים vllo loco legere pro *principatu?* quanquã pro *principibus* non eo inficias. Sed pro *summa* sæpissimè: itaque multo rectius. *Quàm multiplicata sunt summa earum?* id est, quantus est earum cogitationũ numerus? vnde statim: *Dinumerabo eos: & super arenam multiplicabuntur*: hoc est, si coner earum numerum inire, iam possim, quàm ipsius arenæ maris. At id de amicis Dei, quis dicat? Itaque non illi tantùm Hebræi quos nominaui: sed etiam Christiani, Pagninus, Vatablus, Arias, *cogitationes* maluerunt.

IV. Argumentũ autem quàm dissolutũ est? Nã

primò

primò, qui sunt illi amici? Nam nostra controuersia non est de quibuslibet amicis Dei. Sed de iis duntaxat, qui sunt in altera vita. Nam eos qui in ista; nondum vidimus tam stupidos Papistas; vt asserant religiosè colendos. Nos autem ne quidem illos: Etgi de his solis controuersia est. Quod si igitur non designauit Propheta amicos Dei iam hinc ereptos; potest quisquam dubitare, hunc locum nihil ad rem pertinere? Hic verò aduersariis onus incumbit probandi, Sanctos intelligi defunctos. Nam eodem vocabulo significari etiam viuentes, nemo nobis negabit. At illi suum illud probare non poterunt. Certè Theodoretus interpretatur de Sacerdotibus; quos Dauid impensè coluerit.

V. Deinde, quid tum, si honorauit Sanctos? Nam neque nos negamus honorandos. Quid ergo? Nempe hoc sciendum, quo genere honoris illos coluerit. Ciuili-ne, an religioso. Et potest quisquam hoc loco hæsitare, quum nullū omnino vestigium extet, quo appareat adoratos, inno carōsve à Iudæis fuisse defūctos? Quid Iudeos dico, cùm ne illi quidem Christiani, qui insaniunt in adoratione mortuorum, nullo adhuc loco habuerint Sanctos Veteris Testamenti? Est igitur argumentum futile.

VI. Addit Richeomus ex postremo Psalmo. *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Nam quamuis (inquit) vocabulum Hebraicum significet loca dicta *Sancta*, id est, cœlos: siue locum tabernaculi Mosis: aut etiam templi Salomonis, tamen multi Veteres, inque iis Augustinus: de Sanctis interpretati sunt.

VII. Respondeo: Hebraicè legi; *Laudate Deum in Sanctitate eius*, vbi primò Sanctitas Dei; quanto distat spatio à Sanctis? Secundò phrasis in Sanctitate; Hebraicè significat *ob Sanctitatem*: vt sit Sanctitas, illa laudum materia: quemadmodum statim, *in firmamento, in virtutibus eius*. Quid tum ergo, si Patres intellexerunt de Sanctis? Delusi sunt ab interpretibus. Deinde Euthymius; *in Sanctis* interpretatur *propter Sanctos*. Denique etiam si sit laudandus Deus in Sanctis: tamen Sancti non sunt colendi cultu religioso: nam lōgè aliud est laudare Deum, quàm Sanctos adorare.

VIII. Nunc docere conantur ex Scriptura honorem hunc religiosum re vera delatum quibusdam creaturis. Nam Geneseos decimo octauo, Abraham pronus in terram adorauit Angelum. Et Lot Geneseos decimo nono. Numerorum vigesimo secundo, Balaam. Iosue quinto, ipse Iosue. Similiter: primo Samuelis, capite vigesimo octauo, Saul adorat animam Samuelis. Secundi Regum capite decimo octauo Abdias vir Sanctus adorauit Heliam pronus in terram. Et secundi Regum capite secundo filij Prophetarū adorant Elisæum. Danielis secundo, Nabuchodonozor adorat Daniele. Iosephus libri vndecimi capite octauo Antiquitatum refert Alexandrum adorasse Pontificem Iaddum.

VIIII. Respondeo, nullis istis locis effici religiosum cultum deberi vlli creaturæ. Et primò de Balaami, Nabuchodonozoris, & Alexandri exēplis non est, quod simus valdè solliciti: Nam cur homines impij præiudicent veræ religioni? Quāquam ab Alexandro adoratum Iaddum Iosephus negat, προσελθὼν μόνος προσεκύνησε τὸ ὄνομα, ἐν ᾧ τὰ ἀρχιερεῖα προσ... *Solus accedens, adorauit nomen*, Dei scilicet, quod erat inscriptum laminæ in fronte Pontificis: *Ipsum autem Pontificem primus osculatus est*; siue amplexus est. Et Parmenioni Alexander ipse, οὐ τοῦτον, ἔφη, προσεκύνησα, ἀλλὰ τὸν Θεὸν, οὗ τὴν ἀρχιερωσύνην αὐτὸς τετίμηται. *Non hunc, inquit, adoraui, sed Deum, cuius sacerdotio honoratus est.*

X. Verumenimverò, cùm in constituendo statu quæstionis definitum sit, quærendum, non quidem vtrum sint colendæ creaturæ quædam, quod omnes prolixè fatemur; sed vtrum is cultus sit religiosus: iam facile est cuilibet animaduertere, frustra hæc esse exempla. Nam cùm, ipso asserente Bellarmino, & adorare, & prosterni in terram, media sint vocabula: nihil ille promouet, qui iis vtitur. Non enim sequitur *Adorauit*: Ergo religiosè: Alioquin quis absoluat Iacobum adorantem fratrem suum non solum φαύλῳ ἀνθρώπῳ, sed nec virum bonum? Nimirum asserunt Catholici his omnibus locis significari cultum illum, quem ciuilem à nobis appellatum esse meminimus.

XI. Verùm Bellarminus instat; & negat fuisse ciuilem. Primò, quia Angelis deberi cultum ciuilem ridiculum sit. Secundò, quia Iosue Angelum non priùs adorarit, quàm intellexit esse Dei legatum. Tertiò, quia certum non conuenire ciuilem honorem animabus defunctorum. Quartò, quia honor delatus Eliæ ab Abdia non potest esse ciuilis: nam quantum ad humanam excellentiam Abdias maior erat, quàm Helias. Et quis crederet à rege summo ciuiliter adoratum, vnum è captiuis?

XII. At nihil hic solidi est. Nam primò, quare ridiculum est dicere, Angelis deferendum cultum ciuilem: hoc est, alium à religioso? Nam in vocabulo ipso *ciuilis*, nos quidem vim non facimus, ne erret: ne pugnemus si melius aliquod aut ipse obtrudat, aut alius inueniat. Quomodo aliqui nōnunquam Officiosum dixere; non absurdè. Sed seu Officiosum dicas, seu Ciuile; perinde est, dum distinguas à religioso, & sic distinguas, vt non gradeum sola sit differentia; sed etiam generū. Nam ne nos quidem πολιτικῆς vocabulo abstineremus; nisi sophisticè occupassent aduersarij: & necessitatem imponerent distinguendæ ipsius πολιτικῆς. Non adorasse Iosuam, donec intellexerit esse Angelum Dei legatum: verum, sed inutile. Nam ex interrogatione constat addubitasse quisnam esset; amicus, an hostis. In ea addubitatione, quî potuit adorare? Sed non sequitur, inde cultum fuisse religiosum. Rursus, vnde certum non conuenire cultum ciuilem animabus defunctorum? Aut quandiu abutetur Bellarminus lectorum patientiā; identidem peccans petitione principij? Maior erat Abdias Helia; fateor, honoribus mundanis: sed vicissim maior Helias Abdia dignitate Ecclesiastica. Itaque & Abdiam Helias debuit suo loco, & tempore adorare: Et suo item Abdias Heliam: sed neuter adoratione religiosa.

XIII. At Nabuchodonozoris alta ratio. Quum enim fuerit idololatra, pios multum mouere non debet. Quid enim? Nónne idem legitur non simpliciter adorasse Danielem; sed iussisse eidem sacrificari hostias & incensum? Locus disertus. *Tunc rex Nabuchodonozor cecidit in faciē suam, & Danielem adorauit: & hostias, & incensum præcepit vt sacrificarent ei.* Hoccine inceptum est pium? Hoccine Bellarmin' probet? Detulerit ergo sanè Nabuchodonozor religiosum cultum Danieli: sed tanquam idololatra. Ac sanè nondum quisquam illum docuerat pietatem: alioquin quî postea rursus idololatra?

XIV. Habet tamē patronū Bellarminū; vt solet,

mulus mulum fricare. Is docet nos, oblata fuisse non זבחים *sacrificia* illa, quæ Deus Exodi vigesimo secundo prohibet cuiquam immolari præterquam sibi, sed מנחה & ניחוחין quæ non Deo tantùm, sed etiam hominibus offeruntur. Nam prioris Samuelis decimo, negantur quidem voluisse offerre Sauli מנחה, *munus*. Porrò Papistæ imaginibus & reliquiis odores, id est, ניחוחין offerre solent. Et Areopagita capite tertio partis secundæ de Hierarchia cœlesti, dicit Pontificem suffire aram, & totius Ecclesiæ ambitum. Vel si hæc non placent, accedit ad Hieronymum & Theodoretum, vt intelligatur Nabuchodonozor sacrificium obtulisse Danieli, id est, Deo Danielis.

XV. Atqui, vt concedam, quod certè negari non potest, nomen מנחה latiùs patere, quàm *sacrificia* quæ Deo offeruntur, at saltem sacrificare munera, numquam Bellarminus inueniet dictum nisi Deo. Nam & de Saule dicitur, improbos quosdam non attulisse ei munera: at non, sacrificasse. Hîc autem dicitur non iussum fuisse, vt afferrent; sed vt sacrificarēt munera. Itaq; prima solutio nulla. De suffitu quid dicam? Primò nusquam in tota Scriptura reperire potuit Bellarminus, suffitum offerri, nisi Deo. Quid ergo? recurrit ad Papistas: optimè: expedita victoriæ ratio, sic sanè latrones à latronibus iustificabuntur. Sed in Areopagita, quàm ridiculè! Quasi *suffire* θυμιᾶν sit, idem *sacrificare incensum*. Mirum ingenium: *suffire aram*; id est, aræ suffitum sacrificare. Hoc qui admittat, quid nō admittat? Inueniet iā gryphes equis. Hieronymus autem & Theodoretus non iuuant. Neuter enim negat Danieli sacrificatū: imò vterq; asserit disertè. Quid ergo? Nempe putasse Nabuchodonozorem adorari Deum Danielis in ipso Daniele. Quod etsi non dixissent, tamen constare potuit ex sequentibus. Verùm ita solebant Ethnici, & lapides adorare, & in lapidibus Deum: quomodo Papistæ. Itaque nulla est peccati excusatio.

XVI. Addamus argumentum Costeri. Cùm Sancti in cœlis summa gloria à Deo afficiantur, cōsortes quodammodo diuinæ naturæ, secundæ Petri primo: similes Deo, quia clarè vident, Apocalypsis tertio: Christi coheredes: meritò à viuentibus omnem honorem accipere merentur & debent, qui alicui creaturæ in hoc mundo sine reprehensione defertur. Proinde quicquid exhibetur principibus, parentibus, aut quibusvis hominibus: quicquid etiam Angelis, id meritò deferri potest, ac debet, Sanctis cum Christo viuentibus.

XVII. Respondeo, primò, etsi argumentum concederemus totum, tamen quæstionem non concludi: quæ est non de honore, sed de honore religioso. At nulli creaturæ in hoc mundo, nullis principibus, nullis parentibus, nullis hominibus, debetur honor religiosus: nec careat reprehensione qui eum eis deferat. Itaque Costerus disputauit inutiliter.

XIIX. Secundò, consequentia est absurdissima: Nā omnis honor, qui in hoc mundo debetur creaturæ; vel sic nominatur, vt speciem honoris significet; vel sic, vt eius honoris actiones singulas. At neutrū potest consistere. Nam Bellarm. docet totidem esse species honoris, quot & excellentiæ. Tū tres species excellentiæ: Increatā naturalem, mediam. Species autem cultus; latriam, cultum ciuilem, Duliam: & has singulas singulis illis assignasi: Latriam Increatæ: Ciuilem naturali: Duliā Mediæ. Quòd si sunt species variæ: Ergo differunt formaliter, ac proinde essentialiter. Et si ea relatio est necessaria; tum profectò neque Latria naturali debebitur excellentiæ, aut Mediæ: Neque Ciuilis, Increatæ, aut Mediæ. Neque Dulia Increatæ, aut naturali. At si Costeri consequentia legitima est, tum quæ species debetur naturali excellentiæ, eadem debebitur Mediæ: ac proinde relationes illæ tā accuratè apud Bellarminum distinctæ, confundentur. Quòd si manet distinctio Bellarmini inconcussa, tum profectò falsum, deberi Sanctis honorem ciuilem: ac proinde falsum, deberi Sanctis omnem honorem, qui debetur creaturis in hoc mundo: qui debetur, inquam, principibus, parentibus, quibusvis hominibus.

XIX. Quòd si actiones mauult Costerus intelligere, tum non tantùm absurda consequentia est; sed etiam ridicula: quis enim ferat, omnia illa deferri Angelis, deferri Sanctis; quæ nos vel principibus, vel parentibus, deferimus honoris causa? Certè quicquid filij debent parentibus, id Scriptura comprehendit honoris nomine, cùm ita præcipit, *Honora patrem & matrem*. Mirum, si in animum inducat Costerus eadem omnia Sanctis præstanda; quæ filij præstant parentibus ad varios huius vitæ vsus. Sed de principibus, quid dicam? Regibus nostris in Gallia is honor habetur, vt quadraginta dies postquam expirarunt, omnes officiorum partes iisdem præstentur, quæ viuentibus solebant. Ita ne ergo Sanctis faciamus? Et pincernæ vinum gustant: & scutiferi cibos delibant, & omnia, vt semel dicam. Sanctis-ne igitur eadem officia præstandā dicamus post mortem, quæ in vita? Quid? Papæ, honoris caussa, Reges aquam fundunt lauandis manibus: & fercula ferunt: & strepam tenent: hæccine omnia Sanctis? Quamquam frustra hæc, opinor, Papistis obiiciam: quorum tam stupidum est ingenium, vt eorum statuas diebus festis ornent vestibus magnificis: quia sic solent homunculi non quotidianis vti. Sed si stupidissimi Papistæ sunt; at non propterea non horret sensus humanus has ineptias, vt mollissimè loquar.

XX. At Catholici de specie sic sentiunt: Eum honorem, qui Sanctis deferendus sit, esse eundem specie; cū eo qui etiam viuis deferri oportet, id est, ciuilem: vt postea latiùs dicemus: tantùm ergo differre intentione & remissione; quæ vt varios gradus efficiant: at non varias species. Quod autem attinet ad actus, distinguunt. Quosdam enim Sanctis deberi: vt quos deferri posse agnoscunt quibuslibet hominibus absentibus: cuiusmodi sunt laus, imitatio, & pauca alia. At quæcunque præsentibus tantùm deferuntur, vt genuflexiones, salutationes, inclinationes, similiaque multa, ea negant deberi Sanctis: multo magis quæ indigentibus, vt vestes, lumina, panem, vinum.

* * *

Cap. III.

De Calumniis olim contra Catholicos in cultu Sanctorum.

I. Con-

I. Constat ex praecedentibus religiosum Sanctorum cultum nulla Scriptura niti. An saltem testimonio Antiquitatis? Ergo hoc videamus. Apud Bellarminum duo sunt testimoniorum genera; vnum ab aduersariis fidei, alterū à Catholicis. Illud petitur ex eo quod semper Ethnici, Iudæi, hæretici, accusarunt Christianos idololatriæ, propter cultum Sanctorum: quod certè non fecissent, nisi vidissent à Christianis Sanctos passim religiosè coli. Confirmatur antecedēs: ex Eusebij libro octauo, capite sexto historiæ: Et libro quarto capite decimo quinto. Ex Cyrillo libro sexto, & decimo contra Iulianum. Augustino libro vigesimo contra Faustum, capite vigesimo primo. Ex Hieronymo contra Vigilantium.

II. Atqui importunum, imò iniquum est Christianos æstimare ex aduersariorum calumniis, omnia in deterius rapientium. Quid enim? nónne infanticidia Christianis obiecta? Nónne mulierum promiscuus vsus, extinctis lucernis? Non fecissent scilicet, nisi vidissent à Christianis infantes occidi, promiscuá venerē exerceri. Et ab horū testimonio Bellarminus volet iudicari de Christianorū ritibus? Absit: absit: μηδὲ τῇ νοήσει ἀνεκτόν. Sed Iesuita, vel ex igne victum capiat. Itaque etiamsi millies Ethnici, Iudæi, Hæretici, clament, adorari à Christianis homines: nos constanter defendemus nunquā factum à vere Christianis, & melioris æui: sed à nouissimis, & ψευδωνύμοις, qui sese tam sancto nomine non minùs falsò commendant, quàm insolenter.

III. Et quis sanus nō censeat herendum potiùs purgationi, qua sese suámque innocentiā Christiani tuebantur? Itaque expendamus eos locos, quos enumerauit Bellarminus. In primo igitur accusatio est Ethnicorum, qui martyrum ossa refodientes in mare proiecerunt. *ὡς ἂν μή τινες ἐν μνήμασιν ἀποκειμένους προσκυνοῖεν, θεοὺς αὐτοὺς, ὡς γε ᾤοντο, λογιζόμενοι, Ne quis eos in monumentis repositos adorarent, pro Diis habentes: nam ita putabant.* Hæc Eusebius. Sed in his quid visum commodum Bellarmino? Nam illud *ὡς ᾤοντο*, Eusebius addidit, vt vanitatem calumniæ perstringeret. Ita est, inquiet Bellarminus: sed Ethnici videbāt nonnihil eiusmodi fieri. Quid? religiosè coli martyres? Prorsus falsum. Sed videbant in honore esse: & quidem multo: inde fingebant apud se cultum religiosum: & id expressit Eusebius: nam illud *θεοὺς λογιζόμενοι*, eò pertinet: vt sensus sit: putabant fore vt eos aliquis coleret religiosè; quomodo solet Deus coli.

IV. Sed reliqui loci sunt illustriores: quia statim subiectam habent purgationem disertam. In secundo loco. Negatum fuit Christianis martyris corpus: suggerentibus Iudæis: *μὴ ἀφέντες τὸν ἐσταυρωμένον, τοῦτον ἄρξωνται σέβειν, ne omisso crucifixo, istum colere incipiant.* Quid ergo? viderant-ne aliquando à Christianis omissum crucifixum? Minimè verò: sed quia in Polycarpo miram viderant in tormentis constantiam: nec crederent Christum propterea coli, quòd esset Deus: suspicati sunt ad hunc martyrem nouo quodam ritu Christianos sese cōuersuros. Sed quicunque tandem illis sensus fuerit: certè luculenta est Christianorum purgatio; non tantùm negantium se vnquam à Christo discessuros: sed etiam testantium suum genuinum in Sanctos affectum. *Ἀγνοοῦντες*, inquiunt, *ὅτι οὔτε τὸν Χριστόν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα: nescientes nos neque vnquam posse Christum deserere, οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν, neque vllum alium colere.* Christophorsonus addidit *vt Deum*, otiosè, ne quid dicam duriùs. Simpliciter enim negant Christiani se quenquam *σέβειν, colere*, cultu scilicet religioso Ideo statim, *τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ, προσκυνοῦμεν. Hunc enim Dei Filium adoramus: τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μαθητὰς τοῦ Κυρίου καὶ μιμητὰς, ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα, καὶ διδάσκαλον, ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ συμμαθητὰς γενέσθαι. At martyres, tanquam Domini discipulos, imitatoresque, amamus vt æquum est; ob summam in suum regem ac magistrum beneuolentiam: quorum vtinam simus socij, ac discipuli.* En tibi. Quum antea dixissent se neminem *σέβειν*, postea autem se Filium Dei *προσκυνεῖν adorare*. Nunc de Martyribus, neque *σέβειν* vsurpant; neque *προσκυνεῖν*, (quod vtrumque tamen posteriores Græci, in idololatriam deflectentes, vsurparunt) sed duntaxat *ἀγαπᾶν, amare.* Optimè: neque iis alius cultus debetur; vt postea videbimus ex Augustino.

V. Iulianus apud Cyrillum, nonnihil Christianis exprobrat de cultu miserorum hominum; duobus locis. Audiamus respondentem Cyrillum: quanquam magno emerim contextum Græcum: qui multis experimentis didici, quàm sit non tutum interpretibus confidere. Sed vt possumus saltem: quando non vt volumus. Ergo Cyrillus respondet, libro sexto. *At Sanctos martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consueuimus.* Nota. Vtrumque negatur. Quid ergo? *Laudamus autem eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenuè certarunt; & fidei sinceritatē seruarunt: ita vt & suam animam contempserint, & mortis terroribus valedicentes, præualuerint in summis periculis, tantæque fuerint fortitudinis. quasi statuas suæ vitæ excitaturi. Proinde non est indignum; imò etiam necessarium, eos, qui tam claris operibus gloriosi sunt, perpetuis honorari laudibus.* Negat adorari martyres: concedit laudari. Hoccine satis ad cultum religiosum? Certè Callisthenes hominibus concedebat *τοὺς ἐπαίνους*, etiam rum, quum discerneret diuinum cultum ab humano.

VI. Iam Fausto Christianis sic obiicienti: *Idola vertistis in martyres, quos votis similib. colitis.* Quid Augustinus? *Colimus martyres, eo cultu dilectionis & societatis.* Aduerte animum: cultu dilectionis & societatis. Rectè: nam priores apud Eusebium Christiani Lugdunenses: *ἀγαπῶμεν ἀξίως*. Sed, *Colimus martyres, eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus.* Quid vltra volumus? quid quærimus amplius? Multum erat dicere cultum dilectionis, & societatis: si haberēt idololatræ aures ad audiendum. Nam vt dici possit cultus ille religiosus, cultus dilectionis: tamen non potest cultus societatis. Nemo, nemo, inquam, illi se socium dicit, quem adorat. Sed hoc amplius: is cultus, idem cultus est, quo sancti, dum sunt in hac vita, coluntur. Ite nunc Papistæ: & Antiquis Catholicis Sanctorum religiosum cultum affricate! Sed de his etiam plura aliàs.

VII. Vigilantius adorationem martyrum Catholicis exprobrabat. Atrocem calumniam, atrocibus verbis Hieronymus repellit. Et vt erat impatiens; statim à limine, *Quis, ò insanum caput, martyres adorauit?* En stylum eius æui inter Christianos. Etsi

men illum vix credunt docti autorem esse : sed tamen; quid ille quisquis est? [illegible Greek] *Si vir iustus ades tuas ingreditur, cum timore & tremore occurres illi: & adorabis ad pedes illius.* Intelligo: Sed cur non intelligunt Iesuitæ, loqui eum autorem de viro iusto viuo? Et addunt; nunquam auditum apud Christianos, etiam viuentes nobiscum homines esse colendos cultu religioso? Itaque cultum illum adorationem illam necesse est esse eam, quam ciuilem appellamus. Imò religiosam, inquit Bellarminus. Quianam autem? quia additur, *Non enim eum, sed Deum adorabis, qui illum misit: Dominus enim ait, qui recipit iustum me recipit.* Imo nihil hic virium. Nam testatur Dominus sibi fieri, quæcunque suis fiunt, etiam eleemosynam dari. An eleemosyna, an calix aquæ frigidæ, inter cultus religiosos? Rectè Bellarminus hoc loco; adorari Deum in iustis; quia ratio, cur iustus adoretur est, Deus. Nimirum; vt calicem frigidæ damus Deo, quia ratio, cur sitienti damus calicem frigidæ, est Deus: & vestimus Deum: quia ratio, cur vestiamus pauperem, Deus est. Et similiter omnia: nec tamen eos quibus frigidam porrigimus aut vestes, religiosè propterea adoramus: & tamen vrgere possum phrasin [illegible Greek], *adorare coram eius pedibus*: quæ non obiectum designat adorationis; sed circumstantiam, vt *adorare coram altari* non significat, ipsum altare adorari, & respondent sequentia, *Non eum, sed Deum adorabis.*

IX. In Basilio nihil noui. Homilia in Mamantem, [illegible Greek] *Delato prioribus honore, posterioribus addit Ecclesia animũ.* Et in quadraginta martyres, [illegible Greek] *Honor delatus bonis conseruis, signum est beneuolentiæ erga communem dominum.* Nihil verius. Sed vbi audis cultum religiosum? Aut quid in iis verbis est, quod non promiscuè dici queat de bonis viuentibus? Nazianzenus itidem. Maccabæos dicit [illegible Greek], dignos qui ab omnibus honorentur: & oratione prima in Iulianum: negat martyres admisisse, honorem eius, qui reliquos martyres erat despectui habiturus: [illegible Greek]. Epiphanius hæresi septuagesima nona. [illegible Greek]; *In honore esto Maria.* Ambrosius sermone sexto. *Quisquis honorat martyres, honorat & Christum.* Hieronymus ad Riparium. *Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum.* Hi verò omnes; nihil nisi honorem dicunt: itaque proferri non debet aduersus eos, qui Sanctos concedunt honorandos: non debent etiam aduersus eos qui negant religioso cultu colendos. Nisi fortè prius doceant, nullum honorem esse nisi religiosum.

X. Nyssenus in Theodorum martyrem multa dicit de cultu, qui Sanctis martyribus ab Ecclesia exhibetur. Ita sanè, inquam: sed nihil de religioso cultu: etsi non pauca nimium affectata: sed quorum summa sit; gratiosum, amabile, iucundum, à multis desideratum. At adoratum nusquam. Imò potiùs discretè, [illegible Greek] *coegimus tibi publicum cõuentum sacrum, inquam, cœtum martyres amantium.* Quid ergo actum? *Communem Dominum adorantes, & tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragentes*; [illegible Greek]. Nihil prudentius. Ad Deum adoratio refertur: ad martyrem sola commemoratio.

Quam procul à Iesuitis. At ibidem. *Cuius regii talis honor habetur? Quis ex iis qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis Imperatorum adeo decantatus, & fama celebratus est, vt hic miles pauper, modò conscriptus tyro, quem Paulus armauit, quem Angeli vnxerunt, quem Christus coronauit?* Imò quid hic noui? Nã celebrari memoria; & fama decantari; diuersũ est ab adoratione: diuersum à cultu religioso.

XI. Sic Chrysostomus homilia de Sanctis Iuuentino, & Maximo, negat aliter priscos, aliter recẽtiores coli: [illegible Greek] generale verbum, quod interpres *honorari* vertisset melius: quàm *coli*, nisi affectasset papismum, quàm potuit maximè: vnde paulo post, *Martyres* dixit, *quos hodie colimus*; quum Chrysostomus dixerit [illegible Greek], *qui nos hodie conuocarunt*, id est, in quorum gratiam hunc celebramus huius diei cœtum. Imò illud dictum, *Tumulos adoremus*, nusquam dictum Chrysostomo; Tantùm, [illegible Greek]; *quo & visu Sanctorum monumenta, & considerata eorum præmia, inde varios thesauros vndiquaque colligamus.* En pudorem! en fidem interpretis! Imò en Bellarmini religionẽ! Visos tumulos, maluit adoratos dicere, nimirum ita opus fuit.

XII. Cyrillus libro sexto contra Iulianum, *Nos non Deos factos esse dicimus Sanctos martyres, sed omni honore dignari consueuimus.* At locus sic habet potius, vt capite præcedenti recitatus est. *Sanctos martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consueuimus: laudamus autem eos potius summis honoribus.* Quod equidem mirer, si quisquam citet pro cultu religioso. Imò illud, *neq; Deos dicimus, neq; adorare cõsueuimus*; diserte eo additũ est, vt excludatur cultus religiosus.

XIII. Nimium dixisse Theodoretus, etiam Bellarmino visus est; octauo libro Therapeuticon. *Suos mortuos Dominus Deus nos ter in templa pro Diis vestris induxit: ac illos quidem cassos gloria, vanósq; reddidit, suis autem martyribus honorem illorum dedit.* Quanquam non leguntur Græcè *templa*. [illegible Greek] *Suos mortuos Dominus loco Deorum vestrorum induxit. & hos quidem dimisit manes: illis verò eorum honores tribuit.* Nunquam enim martyribus Templa assignat: sed [illegible Greek] duntaxat. Veruntamẽ, vt dixi, duriusculum id visum Bellarmino, & molliendum; bis eiusdem libri verbis, *Nos nec hostias martyribus, nec libamina vllã deferimus, sed vt Sanctos homines Deóq; amicissimos honoramus.* Nec nos sanè aliter censemus: nam *honorare*, [illegible Greek], siue [illegible Greek] vocabulum est generale: nec infert necessariò cultum religiosum. Itaque non habet ex eo loco Iesuita, quod debuit aduersus Catholicos concludere.

XIIII. At Tertullianus de Corona militis, meminit celebrationis festorũ in nataliciis martyrum. Atqui primùm hoc nihil ad rem. Neque enim sequitur religioso cultu adoratos martyres; etsi in eorum natalitiis festa fuerint celebrata: sed hoc tantùm, eorum martyrum dies fuisse solemnes adorãdo Deo. Sic Theodoretus illo ipso octauo libro Therapeuticon, testatur [illegible Greek] *ad tumulos martyrum factas* [illegible Greek]; & [illegible Greek] inquit, [illegible Greek] *sæpè diebus singulis, horum domino Hymnos cantamus*; Non autem martyribus, ad quorum loculos id fiebat. Et paulo ante Nyssenus Theodoro dixit *coëgimus tibi* [illegible Greek] *solennem cœtũ adorãtes cõmunẽ Deũ*,

Eodem sensu Augustinus, de quo mox, dixit memorias religiosa solennitate celebrari.

XV. Secundò, dico à Bellarmino Tertullianum falsò citari: neque illum festorum meminisse; sed tantùm oblationum. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus*. Quis autẽ nescit aliud esse oblationes, aliud festa? Sed & illud *pro natalitiis*, perperam vulgò intelligitur; nimirum vt sensus sit, fieri oblationes pro defunctis, & pro natalitiis. At ego contrà accipio, quasi Græcè dictum, *ἀντὶ τῶν γενεθλίων*, non verò *ὑπὲρ τῶν γενεθλίων*: quasi protestaretur, Christianos non esse imitatos Paganorum morem, in celebrandis natalitiis: sed contrà potius, memoriam facere mortis. Nam certum posteà inualuisse morem appellãdi natalitia, festũ passionis Martyrũ.

XVI. Maximi homilias videre non licuit: nihil me tamen verba terrent à Bellarmino recitata, *Cunctis Martyres deuotissimè percolendi sunt: sed specialiter ij venerandi, quorum reliquias possidemus*. Nam, neque deuotio religiosum cultum significat; sed animi sinceritatem, motumq; vehementem, cuiusmodi esse solet in iis, ad quæ nos religio mouet: nec quisquam peccet, qui à se dicat, patrem deuotissimè honorari: nimirũ sic iubente religione. Venerari, & coli, quoties dicam vocabula esse latiora, quàm vt Papistarũ thesin concludant? At Prudentius, stratum se dicit orauisse in æde Hippolyti. Rectè, inquã, sic enim solebant Christiani, in ædibus, id est, in memoriis Martyrum, inuocare Deum. Paulinus Natali secundo, longè inconsideratius Felicem vocauit Deũ: qua excepta Catachtesi, nihil est quòd honoris nomine offendamur: quod sæpiùs dictum, non videtur singulis versibus repetendum.

XVII. Hieronymus ad Riparium. *Honoramus seruos, vt honor redũdet ad Dominum*. Quod quidem, cum bona Catholicorũ venia, potuit dicere: nec fauere Idololatris. Sed idem: *Vale, ô Paula, & cultorem tuum orationibus iuua*. Quæ verba quid habent, quominus cultorem intelligamus vinĉtis? Sensus: orationibus tuis adiuua eum qui dum viueres, coluit te. Et quãquam Paulę ad pedes Sanctorum, quos viuẽtes inuisebat, prouolutæ, superstitiosæ mulierculæ, nõ authenticum sit exemplum; tamen id ad religiosam adorationem non pertinet. Nam, quod negat ad cultum ciuilem Bellarminus; quia nobilissima fœmina nunquam rusticanos homines ciuiliter honorasset tãta subiectionis significatione; friuolum est; vt anteà de Regibus annotauim. Fallit enim homonymo: quasi ciuilis cultus is sit duntaxat, qui est à caussis merè ciuilibus. Quum nos ciuilem dicamus formaliter, potius: qui potest esse à caussis religiosis; vt honos parentum, & eleemosyna in pauperem, à timore Dei.

XVIII. Augustinus superest, epistola 44. *Ostendatur mihi Romæ in tanto honore templum Romuli, in quãto ibi ostendo memoriam Petri*. Atqui hîc mihi morari contigit, & quidem seriò: quòd cùm ita citetur hic locus constanter: non à Bellarmino tantùm, sed etiã à Richeomo, à Lorichio, à Coccio, à Cotono, ab aliis: tamen nihil eiusmodi potuerim legere in ea epistola 44. neque ex editione Frobeniana, anni in superiore seculo 69. neque in Veneta, anni 84. ac ne in nouissima quidem Parisiensi, aut Lugdunẽsi; sed nou vrgeo. Nam apud Nyssenũ pro Theodoreto, similiter lego. *τίς τῶν βασιλέων τοσαύτης τιμᾶται τιμῆς; τίς τῶν καθ᾽ ὑπερβολὴν ἐν ἀνθρώποις φανέντων τοσαύτῃ μνήμῃ δοξάζεται; τίς τῶν στρατηγῶν τῶν πόλεις τειχήρεις ἑλόντων, καὶ ἔθνη δουλωσάμενος μυρία, οὕτως ἐστὶν ἀοίδιμος*; *Cui Regum talis honor habetur? Quis eorum, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis Imperatorum, qui vrbes munitas ceperunt, nationes innumeras subegerunt, adeò decantatus, & fama celebratus est?* Et sanè, nihil est in eo loco momẽti: Nam, nec templum Petri dicit, sed tantùm memoriam: nec adoratum, aut religioso cultu adoratum; sed tantùm in honore esse. In eadẽ tamẽ epistola disertè legas. *Ad summã, ne te hoc lateat, & in sacrilega conuiuia imprudentẽ trahat scias à Christianis Catholicis, nullum coli mortuorum: nihil denique, vt numen adorari, quod sit factum, & conditum à Deo: sed vnum ipsum Deum, qui fecit & condidit omnia*. Et alioqui constans est Augustini sententia, religione colẽdum nihil esse præter Deũ, vt aliàs prolixè docebimus. Itaq; si dixit in maiori esse honore memoriã Petri, quàm Romuli templum; ea mẽte dixit, quâ ante obseruauimus in Theodoreto, dicente in locum Deorũ substitutos esse Martyres. Ac sanè epistola 42. idẽ Augustinus, *Imperij nobilissimi eminentissimum culmen, ad sepulcrũ piscatoris Petri submisso diademate, supplicare*: nimirum, quia Imperatores, tũ Christiani, preces suas funderent, non ad Petrum, sed ad Deum, in memoria Petri: id est; eo loco vbi erat sepulcrum Petri. At certè, quod libro 20. contra Faustum, diligenter duliam distinguit idem à latria; à nobis est. Duliã enim nihil aliud intelligit, quàm cultũ illũ, quem nos, doctrinæ gratia, ciuilẽ appellamus; prorsus distinctũ à religioso: q; nos, Deo dante, paulò post docebimus.

XIX. Veruntamen idẽ in Psalmum 96. obiicientibus Ethnicis, quòd Christiani colerent Angelos, respondet similiter: & addit, *Vtinam & vos illos colere velletis: facilè enim ab ipsis disceretis, non illos colere, id est, nõ colere vt Deos, sed vt Sãctos*. Imò variè Bellarminus peccat. Primò, falsum refutari ab Augustino Ethnicos obiicientes à Christianis coli Angelos. Nam, instat potius contra eorum responsionem, factã Christianis increpantibus, quòd dæmonia colerent, *Respondet, non colimus mala dæmonia: Angelos, quos dicitis, ipsos & nos colimus, virtutes Dei magni: & ministeria Dei magni*. Quid hoc Bellarminianæ somniationis est, mutantis Ethnicos confitentes se adorare Angelos; in accusantes Christianorum factum? Secundò; quid illud est, *Similiter respondet?* An illud de latria, & dulia? Falsum; nihil enim hoc loco de iis Augustinus. Tertiò, hęc verba; *id est, nõ colere vt Deos, sed vt Sanctos*, Augustini non sunt; sed Bellarmini: etsi contiuuentur Augustini verbis, tũ in editione Sartoriana anni 92. in superiori seculo; tum in Lugdunẽsibus anno 1. & 16. huius seculi. Quod moneo, ne cuiquã imponatur quomodo impositũ est Richeomo; qui hunc eundem locum in eandem sententiam citat capite septimo de Sanctis, ridiculè deceptus à Bellarmino.

XX. Cæterũ, Augustinus non simpliciter optat Ethnicos fieri cultores Angelorũ; vt Bellarmin. cẽset, & Richeomus expressit Gallicè: sed *κατά τι*, nimirum vt minus malum: vnde sperari posset sanitas. Nam, Ethnici negabant se adorare malos angelos: imò potius bonos. At hoc Augustinus Rhetorico voto eludit: vtinã verum esset vos colere Angelos vel potius: vtinam vos à vestris dæmoniis recedentes, velletis colere Angelos bonos. Quam ob caussam, quæris? *Facilè ab illis disceretis, non illos colere*. Nimirum hæc vis est argumenti: Si coleretis Angelos bonos, ij docerent vos non colere se. At non docent vos: Ergo ij quos colitis, non sunt Angeli boni. Itaque, hoc votum conuincit non esse colendos Angelos bonos: quod statim fit manifestum, subiecto exemplo ex Apocalypsi.

CAP. V.

De aliis argumentis pro adoratione Sanctorum.

I. NEc plura Papistæ; aut ex Scriptura, aut ex Patribus, sequuntur argutiolæ quædam. Primò, Si honor ciuilis debetur virtuti, sapientiæ, potentiæ, & nobilitati: Ergo honor plusquam ciuilis debetur supernaturali virtuti, sapientiæ, potestati, nobilitati. Sed Sancti quoad virtutes supernaturales, excellunt omnino, cùm ferueant diuina charitate, & peccare non possint: & vident ipsam sapientiam increatam: & sunt Reges cœlorum, & participes ipsius throni diuini: & sunt filij Dei, re ipsa adoptione confirmata per gloriam. Igitur meritò, iuréque optimo, religioso cultu prosequendi sunt. Verba sunt Bellarmini.

II. Respondeo, Ciuilis cultus dupliciter intelligi potest: vel formaliter, vel causaliter. Ciuilis cultus formaliter, is est, qui in se re vera ciuilis est, & distinctus, imò separatus à religioso. Ciuilis cultus causaliter, qui quicunque tandem in se ipso sit; est tamen à causis merè ciuilibus. Potest enim cultus ciuilis formaliter, esse à causis supernaturalibus; Nam, exempli gratia, Regibus Christiani obtemperant: obtemperant etiam infideles. Sed hi tantùm politiæ gratia: neque quicquam habentes præ oculis, præter potentiam illam regiam, cui ciuiliter subsunt: & ex iure municipali. At illi propter conscientiam: quæ longè transcendens potentiam regiam, iusque illud municipale, acquiescit in Dei ordinatione; à qua scit esse reges institutos. Sic amant parentes Christiani; amant & Pagani. At hi ex vi sola τῆς φυσικῆς στοργῆς, quæ etiam in belluis vires suas exserit. Christiani verò ex vi diuini mandati.

III. Quum autem honor sit ciuilis vterque; negatur ea consequentia, quæ adstruit, si dignitati ciuili debeatur honor ciuilis: Ergo dignitati supernaturali deberi honorem religiosum. Nam certum est, etiam dignitati supernaturali, deberi honorem ciuilem: id est, penitus distinctum, imò separatum ab honore religioso. Probatur; quia fideles honorant inuicem; non vt homines tantùm; sed vt fideles; ac propterea, ob dignitatem supernaturalem. Exempli gratia, Lucas Theophilum; quem κράτιστον vocat. Et quilibet Christianus suos Presbyteros memores mandati Paulini quinto prioris ad Timotheum, *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habentor*. Et tamen neque Theophilum Lucas, neque presbyteros Christiani, religioso cultu adorant, sed ciuili, siue officioso: nam vocabulis quibuscunque vtaris, perinde est nobis, dummodo distinctio intelligatur à cultu religioso. Denique Augustinus, vt postea plenius videbimus, eodem cultu coli dicit Sanctos defunctos, cum viuis. Ast honor viuorum non est plusquam ciuilis. Ergo ne defunctorũ quidẽ.

IV. Secunda argutia: Deus Sanctis honorem & gloriam promisit. Primi Samuelis secundo. *Qui honorificauerit me, glorificabo eum*. Ioannis duodecimo, *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus*. Ad Romanos secundo, *Gloria & honor omni operanti bonum*. Ergo debetur eis honor: & certè non ab aliis, quàm à nobis, qui illis inferiores sumus. Non conuenit autem mortuis honor ciuilis: Ergo religiosus illis debetur.

V. Respondeo: primùm, cùm dicuntur Sancti à Deo gloriam habere, id intelligendũ de statu illo in quẽ transferuntur essentialiter glorioso: propter quem similes dicuntur ei. Itaque honorificari à Deo, non est, effici vt ab aliis honorentur: sed in illo statu à Deo constitui: qui quidem eis constet, etsi à nemine colantur. Exempli gratia: Glorificati sunt Abraham, Isaac, Iacob, Moses, Dauid, reliqui; atque adeò honorificati à Deo: quos tamen nemo colit apud Papistas; qui se solos dicunt Catholicos. Secundò, negatur, vt prius, mortuis non conuenire, cultum ciuilem. Nam ipsa Virgo Maria sibi eum vendicat Lucæ 2. *Beatam me prædicabunt omnes ætates*.

VI. Tertia argutia: Si Sancti administrant hunc mundum, ergo sunt religiosè colendi. At prius verum: Ergo & posterius. Sic argumentum formaui, quo mihi Cotonus olim persuadere voluit colendos Sanctos. Probabat assumptum. Primò, à comparatione domus regiæ: in qua rex ipse non omnia per se ipsum procuret. Non est, inquiebat, domus ista nostri Solomonis adeò parum magnifica, regiáve. Non est, vt in ea rex ipse vnus ardelio sit: per se omnia curans, administránsque: famuli confusi, sine ordine vllo, sine vi efficientiáve, semisomni & inertes, consertísque manibus, proximè à rege expectent sibi aliísque omnia. Secundò, Si nullam habent rerum humanarum procurationẽ sancti aut administrationem demandatam, cur eorum dicitur nimis confortatus esse principatus? Psalmo centesimo trigesimo nono. Si neminem tuentur, cur gladij ancipites in manibus eorum? Psalmo centesimo nono. *Si stupidi sunt futuri, cur alius supra quinque ciuitates constituitur?* Lucæ decimo nono.

VII. Respondeo: primò simile argumentum fuisse Celsi olim contra Christianos: apud Origenem, contra eundem, libro septimo. *Διὰ τί δαίμονας οὐ θεραπευτέον; οὐ πάντα μέν τοι κατὰ γνώμην διοικεῖται τοῦ Θεοῦ, καὶ πᾶσα ἐξ ἐκείνου πρόνοια; καὶ ὅ τι περ ἂν ᾖ ἐν τοῖς ὅλοις, εἴτε Θεοῦ ἔργον, εἴτ' ἀγγέλων, εἴτ' ἄλλων δαιμόνων, εἴτε ἡρώων, ταῦτα πάντα ἔχει νόμον ἐκ τοῦ μεγίστου Θεοῦ; ἐπιτέτακται δ' ἐφ' ἑκάστῳ δύναμιν λαχὼν, ὧν ἠξιώθη; οὐκοῦν ὁ τὴν ἐκεῖθεν ἐξουσίαν τυχὼν εἰκότως ἂν θεραπεύοι δικαίως ὁ σέβων τὸν Θεόν;* *Cur non sunt colendi dæmones? Annon cuncta arbitrio Dei dispensantur, & pendent ab eius prouidentia? Et quodcunque fit in secundo, siue Dei opus, siue angelorum siue aliorum dæmonum, siue Heroum: omnia legem habent à maximo Deo? Et singuli, prout illi visum potentiam adepti, singulis operibus præfecti sunt? Ergo eum qui à Deo potestatem accepit, cultor Dei non iustè venerabitur?* Sic olim Celsus importunè garriebat. Muta dæmones, in sanctos, habebis Cotonum purum, putum. Quàm iucundum hodie similem caussam Papistarum, iisdem armis propugnari!

VIII. Secundò nego consequentiã. Nã certũ est per caussas naturales; etiã per cœlestes influẽtias; per hominũ viuẽtiũ ministeriũ, à Deo mũdũ hũc administrari; & tamen non debere aut caussas naturales, aut cœlestes influẽtias, aut homines viuos religiosè adorari. Nec Israelitæ vnquam eò demẽtiæ præcipitarũt; vt muscas, & ciniphes, & ranas adorarint; quãquã per muscas, ciniphes, & ranas suã viderint procuratã ex Ægypto liberationẽ. Nec memini vllos diuinos honores Gedeoni concessos, per quẽ Madianitarũ tyrãnis cõpressa fuit. Et quis nescit multa maximáq; per Angelos procurari ad salutẽ fidelium? Et tamẽ eorũ θρησκείαν Paulus improbat secũdo ad Colossenses. Paulus quantumuis sedulus in promouẽda salute hominũ, tamẽ sibi diuinos honores deferri indignatus est. Denique Augustinum audi capite 55. de Vera Religione. *Non sit nobis religio, vel ipsa perfecta & sapiens anima rationalis, siue in ministerio vniuersitatis, siue in ministerio partium stabilita.*

VIIII. Tertiò, negatur assumptum; quia de Sanctis sermo sit vita functis. Per hos enim nego mundum administrari à Deo. Et primò, quàm importuna illa comparatio domus regiæ? Quasi nobis liceat pro arbitrio quidlibet imaginari; tum Diuinæ maiestati imputare! Quasi non sit hoc inductum à regibus ad supplendum propriæ infirmitatis defectum! Quia enim omnibus rebus adesse non possunt, ideò ministros habent plurimos. Hoc verò, quàm Deo indignum? Quasi denique, si quicquam tribuendum huic analogiæ, non satisfaciant Angelorum ministeria! Non sequitur ergo, si omnia sunt in cœlis, id est, in domo Dei, ordinatissima; Sanctorum animas hunc mundum curare. Atque hæc consequentia tantò seueriùs ableganda est ab Ecclesia, quantò certiùs constat, fontem esse immanis illius superstitionis, quæ Sanctis defunctis singulis sua munia distribuit: vt Eligius fabris præsit: carminatoribus, Blasius: sartoribus, Lucia: aurigis, tres Reges: fabris lignariis, Iosephus: nauigantibus, Nicolaus: parturientibus, Margareta: hydropibus, Eutropius: ophthalmicis, Clarus: furentibus, Maturinus: scabiosis, Lazarus: peste afflictis, Rocus: renouata omnino, aucta etiam, veterum Idololatrarum insania.

X. Quorsum autem *principatus confortatus*, ex Psalmo centesimo trigesimo nono? Nam is locus corruptissimus. Nunquam Hebræi ראש *principatum* dixère. Itaque, saniores *summam* interpretantur. Et aduertunt, non de Sanctis Prophetam loqui, sed de Dei cogitationibus, vt aliàs obseruatum. In centesimo quadragesimo nono; primò, de Sanctis vita functis nulla mentio: Secundò, gladios ancipites Augustinus interpretatur *Verbum Dei, in ore fidelium*: quem pleriq; sequuti sunt interpretes, teste Lorino. Theodoretus mauult esse prophetiam de victoriis Macabæorum. Bellarminus, futurum in nouissimo die vniuersale iudicium; in quo orbem iudicaturi sint Sancti. Non accommodatè ad institutum Cotoni.

XI. At pollicetur Deus se constituturum Sanctos; super decem, super quinque ciuitates. Intelligo. Sed eo significari administrationem rerum humanarum; negatur: quantumuis audacter asserat Salmero. Nam, id futurum Christus dicit, tum demum cùm redierit ex eo regno, quod possessum abiit. Atque eum reditum constanter omnes Veteres interpretantur de postremo iudicio. Augustinus, Quæstionum Euangelicarum libro secundo, capite quadragesimo sexto: *Redit*, inquit, *accepto regno: quia in manifestissima & eminentissima claritate venturus est, qui eis humilis apparuit*. Sic Athanasius in Explicatione Parabolarum: Theophylactus, Euthymius, Zacharias. Maldonatus in Matthæi vicesimũ quintum, *Non est in specie, sed in genere, ad rem significatam accommodandum. Nec enim sensus est, fore, vt in cælo homines aut ciuitatibus, aut vlli omnino officio præficiantur: sed hoc tantùm fore, vt pro suis meritis præmia alij maiora accipiãt, alij minora: sed ex consuetudine aut Christus, aut Euangelista, non verba, sed sensum Christi exprimens, dixit, esto super decem ciuitates, quia de rege loquebatur & regum consuetudo est benemeritos viros gubernandis præficere ciuitatibus.*

XII. Postremò asserunt Papistæ, de non colendis Sanctis veterem fuisse hæresin; Eustathij apud Socratem libro secundo historiæ, capite trigesimo tertio: Eunomij & Vigilantij apud Hieronymum: Claudij Taurinensis apud Ionam Aurelianensem: Viclefi apud Thomam Waldensem, tomo tertio de Sacramentalibus, titulo decimo tertio.

XIII. Verùm hîc præter mendacia & calumnias, nihil est. Nam Eustathio quidẽ cùm Socrates, tum Augustinus, tum Concilium Gangrense multa imputant in consuetudine Ecclesiæ mutata; vt nuptiarum prohibitionem, abstinentiam à cibis, peregrinarum vestium vsum; & similia: sed de cultu Sanctorum altum silentium. Atque adeò Prateolus in Elencho, hunc ei articulum imputans, nullum laudat authorem.

XIV. Eunomium Hieronymus contra Vigilantium, autorem taxat eorum, qui reliquias martyrum riderent. Id autem præter Hieronymum, sæpe iratum magis, quàm religiosum, nemo vnquã dixit. Sed quid ad nos? Nam, si non sint ridendæ martyrum reliquiæ, non sequitur tamen esse religioso cultu prosequendas. Quod si ic, siue Eunomius, siue Vigilantius intra hos terminos continuissent; damnassentque duntaxat eorum amentiam, qui honorem Sanctis debitum, conuertebant in idololatriam; tum illi sanè Hieronymum aduersarium non habuissent. Si autem eò processerunt; vt etiam contemnendos Sanctos docuerint; meritò damnati fuere. Sed quid id ad nos?

XV. De Claudio Taurinensi; non est quod valde pugnemus. Immanis Christianorum lapsus in Creaturarum venerationem, potuit eius atque aliorum etiam pietatem commouere; vt ne tantùm in Ecclesia dissimularet errorem. Certè Ionas Aurelianensis, fatetur ei occasionem datam, ex superstitiosa, ac perniciosa imaginum adoratione, quæ in plebe inualuerat: cui quis credat nõ additum nimium ipsorum Sanctorum cultum? Itaque apparet Claudium piè docuisse: sed eos, in quibus nimia erat erroris efficacia, cõtrà insanisse, & hæreseos damnasse, cui potius bene monenti parere debuerant. De Viclefo non dissimile iudicium.

Cap. VI.

Catholicorum argumenta è Scripturis.

I. Atque hactenus Papistarum argumenta. Catholici contrà disputant, sed eorum priusquam demonstrationes colligo, Bellarmini calumniam detegere me oportet, qui Caluino hoc argumentum impingit. Duplex est honor: vnus ciuilis, alter religionis. At neuter Angelis, aut Sanctis competit. Ergo nullus. Atqui nunquam Caluinus, aut Catholicorum quisquam, inuenietur ita argumentatus. Quod monuisse satis esto: vt Bellarmini, vt Iesuitarum religionem agnoscamus.

II. Prima, potissimáque, vt semper, Catholicorum argumenta à Scripturis sunt. Deuteronomij sexto: *Iehouam Deum tuum timebis: & ei seruies: & in nomine eius iurabis.* Quem locum Dominus noster Matthæi quarto, non simpliciter recitat, sed cum pondere, *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Si solus Deus adorandus, eique seruiendum soli. Quid Angelis? quid Sanctis superest?

III. Respondent locos intelligendos de latria: non autem de dulia. Ratio prima: quia Græcè habetur λατρεύσεις. Secunda, quia Augustinus, quæstione sexagesima prima super Genesi, annotauit ideò non esse dictum, solum Deum adorabis, & illi soli seruies: sed *Deum adorabis, & illi soli seruies*: quia adoratio conuenit etiã creaturis: at non seruitus latriæ.

IV. Sed non euadunt vim argumenti. Probamus distinctionem latriæ, & duliæ: consentimúsq; locos intelligendos de latria. Sed ita, vt latria sit cultus

cultus religiosus, dubia autem cultus siue ciuilis, siue officiosus, siue aliter nominare malis: dummodo alienus generis à religione. Itaque Augustinus libri primi de Trinitate capite sexto, eum modum, quo iubemur per charitatem seruire inuicem, distinguit à latria: & secundùm hanc dictum observat *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Huic sententiæ libenter acquiescunt Catholici: totquéntque in Papistas.

V. Quod in vocabulo λατρεία vim faciunt, inepti sunt: cùm iam conuenerit vocabulum esse medium. Adde Hebraicè legi verbum עבד; quo significatur tum δουλεία, tum λατρεία. Ad Augustinum quod attinet: etsi non improbatur eius sententia; Tamen subtilius ille sanè Grammaticatur. Nam in Deuteronomio; quomodo dictum, *Dominum tuum adorabis.* sic dictum: *& ei seruies*, neutrobi addita vocula *soli*. Quid ergo? Ante Christum, quisquam inferret neque solum adorandum, neque soli seruiendum? Minimè verò. Sed priorum intellectus est, deberi soli Deo vtrumque. Itaque quando quidé Christo doctore scimus, *Ei seruies*, intelligendum *soli seruies*: necesse est etiam, *eum adorabis*, intelligi *solum adorabis*. Non ex vi vocabuli: sed quia in eodem genere cultus intelligenda est adoratio cum seruitute.

VI. Cyprianus in exhortatione Martyrum, *Quòd Deus solus colendus sit, scriptum est in Deuterono mio Dominum Deum tuum adorabis: & illi soli seruies.* Similiter Iustinus Apologia secunda: ὡς ἡ τὸν Θεὸν μόνον δεῖ προσκυνεῖν, ... *Quòd Deus solus sit adorandus sic docuit: dicens, Maximum praeceptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Athanasius Dialogo tertio de Trinitate. ... *Neque adorantes eum, alienum Deum adoramus; neq; duos Deos: scriptū est enim: Dominū Deū tuum adorabis: & illi soli seruies.* Quid ineptius, si nō intelligēdus Deus solus adorādus, eque ac solus seruiēdus?

VII. Paulus ad Romanos primo Gentes reprehendit, quod ἐσεβάσθησαν, καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. *Præter Deum, coluerunt & seruierunt creaturæ.* Vbi magnum est verborum pondus: primò quòd non tantùm ἐλάτρευσαν sed etiam generalius ἐσεβάσθησαν *coluerunt*: Deinde quòd παρὰ τὸν κτίσαντα, quæ phrasis, etsi potest verti, supra creatorem, siue magis quàm creatorem, vt Lucæ decimotertio, παρὰ πάντας ἀνθρώπους *plus omnibus hominibus*; potest etiam reddi & quidem facilius *præter creatorem*, hoc est, vt coluerint non creatorem tantùm, sed creaturas insuper: quomodo prioris ad Corinthios tertio, παρ' ὃ κεῖται, *præter id quod positum est*. Et ad Galatas primo παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα, *præter id quod euangelizauimus*. Et quāquā illa notio magis placuerit Syro interpreti: & Latino: & Bezæ, & aliis quibusdam: quorum autoritati non est nihil deferendum: nihilominus liberum est ab us discedere: salua eorum dignitate. Viderur autem longè plus futurum ponderis Apostolicæ reprehensioni, quæ aliàs non omnes attingeret, sed eos tantùm, quibus nulla omnino Creatoris cognitio. Non est enim verisimile, quosdam eò prorupisse, vt quem putarent conditorem, eum colere nollent: imò ne quidem in animum induci potest.

VIII. Et esto quidem sanè cuilibet suum liberum iudicium: Veruntamen Origenes non aliter, quàm nos: contra Celsum libro septimo cùm diceret Persas adorare Solem, & Dei creaturas: ... inquit, ... *Quod nobis prohibitum est, edocti non seruire creaturæ, præter creatorem.* Athanasius, oratione breui contra Arianos, eos, qui Christum purum hominem adorabant reprehendi à Paulo. Et contra Arianos oratione quarta. Cur se Ariomanitæ *non annumerant gentibus? Illi enim vt & isti* τῇ κτίσει λατρεύουσι παρὰ τὸν κτίσαντα τὸν πάντων Θεόν.

IX. Paulus secundo ad Colossenses, *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione angelorum* ἐν ... θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, *religionem Angelorum*, à Paulo numeratam inter seductiones. Religionem autem eam scilicet, qua coluntur Angeli. Itaque Syrus Interpres, *vt subyciamini cultui Angelorum.*

X. Bellarminus soluit argumentum capite vigesimo de Sāctorum Beatitudine. Et Costerus in Enchiridio. Paulū damnare heresin Simonis Magi, qui Platonicos sequutus docuit, quosdā Angelos adorādos, quasi minores Deos, qui & mundū fabricarūt, & per Prophetas loquuti sunt, nec posse vllum placare summum Deū, nisi per hos Angelos. Testibus, Irenæo, lib. primo capite vigesimo. Tertulliano de Præscriptionibus: Epiphanio in Simonianis. Et ita locum explicatum à Chrysostomo, Oecumenio, Theophylacto. Ambrosium autem ad eos retulisse qui adorant stellas. Hieronymum, quæstione decima ad Algasiam putasse reprehendi eos qui sacrificabant Angelis.

XI. At primò falsum est, quicquam eiusmodi traditum à Simone Mago: vt docet Baronius tomo primo ad annum sexagesimum paragrapho decimo septimo. Nec sanè quisquam Veterum id ei impingit. Atque adeò falsò citantur Irenæus, Tertullianus, Epiphanius. Quo factum, vt Baronius malit verba Pauli de Cerintho interpretari: quem ait extulisse Angelos supra Christum. Sed ne hunc quidem dixit quisquam docuisse angelos adorandos, aut eis sacrificandum. Et Baronius, quàm ridiculum se præbet, quum illud *in humilitate*, interpretatur de dogmate Cerinthi, qui de Christo sensit abiectissimè, scilicet acumine magno fuerit opus ad hoc commentum traducendum. Sed verè nesciunt Papistæ quò se vertant: itaque suis somniis indulgent: leuissimísque, adde, ineptissimis cōiecturis, huc illuc vertiginosi rapiuntur.

XII. Nihilominus siue Simon, siue Cerinthus, siue alius quispiam ita docuerit, concedimus eam hæresin damnari. Quid-ni enim? quum omnis Angelorum θρησκεία damnetur? Sed nullam aliam damnari hæresin; præter Simonis: hoc verò quis ausit dicere? Imò quis Paulum credat adeò infantem; vt si quandam Angelorum θρησκείαν putasset non tantùm permittendam, sed etiam (quod Papistæ faciunt) commendandam; vniuersaliter tamen θρησκείαν damnaret? Itaque Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, non malè: non malè etiam Ambrosius: non malè Hieronymus. Tantùm non plenè singuli. Imò quia Simoniani non sacrificabant Angelis: Ergo ex Hieronymo constat, non solos Simonianos à Paulo reprehensos: & ex aliis, non solos eos qui sacrificabant. Ideóque omnino θρησκείαν intelligendā generaliter pro cultu religioso, quo Angelos aliquis volet colere; quicūque tandē ille sit.

XIII. Ideo Theodoretus in eum locum sic commentatur, *Qui legem defendebāt, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes eis fuisse legem per eos datam.*

Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia, & Pisidia. Quocirca Synodus quoque quæ conuenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit ne precarentur Angelos. Et in hodiernum vsque diem, licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria sancti Michaelis. Quibus verbis nihil disertius. Constat enim eos ab Apostolo improbatos: qui dicerent Angelos colendos: atque hos legem defendisse: quod de Simonianis, & Gnosticis dici nequit. Itaque variè Theodoretum Papistæ conantur eludere.

XIV. Bellarminus, sensisse dicit de Simonianis, qui dicebant Deum apprehendi non posse; sed per Angelos esse placandum: quod confirmat ex Concilio Laodiceno; quo non damnatur quælibet veneratio angelorum; sed ea quæ Deo propria est. *Ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes, facere.* Quod autem Theodoretus de oratoriis dicit S. Michaelis: duobus modis intelligi posse. Vel hæreticos ædificasse ea oratoria, vt eum colerent secundum hæresin Simonis, sacrificando: Vel, templa ab hæreticis exstructa ad sacrificandum malis Angelis, esse à Catholicis conuersa in oratoria S. Michaelis: vt aliàs factum apparet ex Theodoreti libro octauo de Martyribus: & Romæ in templo omnium Sanctorum: & Cosmæ ac Damiani.

XV. At Baronius Theodoretum negat feliciter assequutum esse Pauli sensum; quum dixit scripsisse aduersus quosdam hinc grassantes hæreticos, qui Angelos colendos assererent. Et adhuc grauius, quum dixit Laodicenum Concilium sensisse eosdem erexisse S. Michaeli Archangelo oratoria: ac incautè nimis, quæ à Catholicis essent antiquitus constituta, hæreticis tribuisse. Argumenta. Quia à Cherinthianis nullum fuisse eiusmodi erectum oratorium constet: ratio. Nam is Deum Iudæorum dixit esse Angelum. Quod non potuit dicere, nisi de Michaele. At eundem Deum, malum asseruit. Ergo ei oratorium nullum struxit. Præterea, Angelos venerari non hæreticorum fuit, sed Catholicorum, qui præsertim in honorem Sancti Michaëlis, memorias erigere, illúmque precari, vt & cæteros consueuerunt. Tertiò, certum est Colossis, sub Laodicensi Metropoli, antiquum viguisse cultum Michaëlis: testibus Menologio Græcorum: Emmanuele in constitutione de Feriis: Metaphraste.

XVI. Sed contra Bellarminum. Non potuit Theodoretus de Simonianis sentire; qui nullam docebant Angelorum θρησκείαν, vt iam dictum. Et insuper à Iustiniano disputatum. Certum autem non quamlibet Angelorum venerationem prohibitam: sed tantùm eam, quæ Deo propria est: sed id significat quum Angelus adoratur cultu religioso. Hunc autem errorem eundem esse quem Papistæ admittunt: quem nos reprehendimus; docet statim, id quod de oratoriis sancti Michaëlis annectitur. De quibus quam frustra laborat Sophista? Vel enim constructa dicit ab hæreticis; ad sacrificandum Angelis, iuxta Simonianos. Quasi id de Simonianis somnium, repetendo sæpius mutandum sit in rem gestam. Vel constructa ab hæreticis, dicatóque malis Angelis; postea à Catholicis consecrata Sancto Michaëli. Quasi paulum quid inter cuculum distaret & aquilam. Quasi, inquam, non essent Theodoreti verba perspicua. *Licet videre*, inquit, *apud illos oratoria sancti Michaelis.* Quos illos? Catholicos-ne? Imò eos, apud quos in Phrygia & Pisidia *mansit hoc vitium*. Quid igitur iuuat strophas nectere? Atqui indignum est Christiano abuti aliorum patientiâ.

XVII. Sed erat nimirum aliquid sublimius, subtiliúsque à Baronio exspectandum: magno illo totius antiquitatis belluone. Quid igitur? Alucinatum Theodoretum. Optimè: sic enim cornicum oculos libet configere. Quasi quæ Theodoreti tempore fiebant, nec procul ab eius sedibus; hodie Baronius nouerit melius. Si nos id peccatum peccaremus, Deus bone, quis ferret? At non tantùm hæretici sunt Papistæ, sed etiam περισσοκακόντας atque adeo αὐθάδεις. Atqui primò non dixit Theodoretus Synodum Laodiceam intelligendam de iis oratoriis. Sed tantùm vt doceret non otiosè eam de Angelorum idololatria loquutam, ostendit, non olim tantùm, id est, quum Synodus illa congregata est: sed etiam postea, id est, tum temporis, quum hi Commentarij scriberentur, eam inuocationem Angelorum viguisse. Secundò; falsum ea oratoria à Catholicis erecta fuisse. Nam quid tum, si Cherinthus, non erexit, aut Cherinthiani? Nulli-ne ergo alij potuere? ridiculum. Angelos venerari, concedo Catholicorum esse: sed eisdem oratoria construere, vicissim dico non esse nisi hæreticorum. Quod si aliquando apud Colossenses factum: næ illi negligentissimi fuerunt Apostolicæ doctrinæ. Et credo factum: sed serò: itaque testes Baronius habet recentissimos: Menologium, Immanuelem, Metaphrastem: nullos antiquos. Qui autem eorum relatione venabitur ritus Apostolicorum temporum, næ ille strenuè insaniat.

XVIII. Apocalypseos decimo nono. *Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum, sed dixit mihi, Vide ne feceris: conseruus tuus sum, vnus ex fratribus tuis, qui habent testimonium Iesu. Deum adora.* Idem repetitur vigesimo secundo. Adorabat ergo ... Ioannes Angelum. Angelus negat faciendum: & quidem reddita ratione, quia conseruus esset. Quasi diceret: Nullus seruus Christi est adorandus. At Angelus est seruus Christi, Itaque non adorandus. Similis locus Actorum decimo: *Cùm introiret Petrus, occurrens ei Cornelius, & accidens ad eius pedes, adorauit: Petrus verò erexit eum dicens, Surge: & ego ipse homo sum.* Itidem vt Angelus, etiam Petrus adorationem sibi oblatam respuit: addita simili ratione, quia homo esset. Nullus homo debet adorari. Petrus est homo, Ergo Petrus non adorandus.

XIX. De Angelo, variè respondent. Costerus, negat sequi, venerationem non esse exhibendam Angelis: sed tantùm eo pacto, quomodo Ioannes adorare statuerat, nempe diuino honore: autoribus Athanasio oratione tertia contra Arianos. Et Augustino, de Pastoribus capite octauo. Ast alij diligentius. Distinguunt Angelum à Ioanne adoratum esse, vel quia putaret Deum, vel quia Angelum agnosceret. De priori membro Bellarminus pronuntiat, rectè fuisse Ioannem reprehensum. At Rubenus, rectè adorasse secundùm suam æstimationem. Richeomus, non malè fecisse quod Angelum adoraret vt Deum: & tamen rectè prohibitum ab Angelo, qui ostendere voluerit se non esse Deum. In altero membro consentiunt Bellarminus,

minus, Richeomus, Rubenus. Si Angelum Ioannes adorauit: ergo Angelos adorare licet. Probant consequentiam ab autoritate personæ. Erat Ioannes Apostolus: & tantus: tam charus Domino, tanta Spiritus Sancti gratia perfusus: & multa in hanc partem.

XX. Nos instamus: & primò ad Costerum: Fatemur diuinum tantùm honorem prohiberi Angelis deferendum. Sed hunc honorem religiosum esse contendimus: ac proinde certam consequentiam esse, ex hoc loco, non deferendum esse Angelis; ac proinde ne Sanctis quidem, honorem religiosum. Et sic Augustinus, quem Iesuitica fraude Iesuita citauit: *Angelus mo... diuina, & mira ostendens homini, ab homine adorabatur, tanquam leuante oculos in montem. At ille à se reuocans ad Dominum: Noli,* inquit, *facere: Illum adora.* Sed multò luculentiùs Athanasius contra Arianos Oratione tertia: quem nos locum postea pleniùs recitabimus. Non enim distinguit Athanasius, vt videri vult Costerus; sed cùm ἀνωτέρω pronunciasset creaturam à creatura non adorandam; ne quidem superiorem gloria: inducit exempla Centurionis, & Ioannis, ac tum infert: ὥστε Θεοῦ ἐστι μόνου τὸ προσκυνεῖσθαι: *Itaque solius Dei est adorari.* καὶ τοῦτο ἴσασι καὶ αὐτοὶ ἄγγελοι· ὅτι κἂν ἄλλων ἄλλοι δόξῃ ὑπερέχωσιν, ἀλλὰ κτίσματα πάντα εἰσὶ καὶ οὐκ εἰσὶ τῶν προσκυνουμένων ἀλλὰ τῶν προσκυνούντων τὸν δεσπότην: *Hoc sciunt & ipsi Angeli. Nam etsi alij alios* (Nannius tamen legisse videtur ἄλλως, non ἀλλήλους) *gloria superent; sunt tamen omnes creatura: neque sunt inter eos qui adorantur: sed inter eos qui adorant Dominum.* Consentit Cyrillus Thesauri libro quinto, capite primo, *Creatura nulla se patitur apud Scripturam adorari, nisi qua seipsam ignorat. Beatus enim Petrus, cùm vidisset ad adorandum se Cornelium parari, Noli facere,* inquit, *nam ego quoque homo sum. Similiter Angelus in Apocalypsi, ad Ioannem dixit: Caue ne facias: conseruus enim tuus sum.*

XXI. Quod ad distinctionem attinet, negamus primum membrum, hoc est, Ioannem putasse illum Angelum fuisse Deum. Nihil enim est in Apocalypsi, vnde id euincatur. Quin potius ipse Ioannes eum disertè, constanterque Angelum appellat. Proinde consentit etiam Richeomus alteram partem esse verisimiliorem. Tum, etsi ita Ioannes putaret: tamen ineptissimè Rubenus, Richeomúsque pronunciant, rectè ab eo factum. Quem enim vnquam error in religione absoluit? Disertum autem mandatum: *Non habebis Deos alios coram me:* id est, neminem alium, quàm me pro Deo habebis. Et quo iure ergo reprehensus fuisset ab Angelo? Nimirum, inquit Richeomus, vt se Angelus ostenderet non esse Deum. Imò contrà disertus locus. Non enim reiecit adorationem; vt se ostenderet Angelum: sed potius, ostendit se esse Angelum, id est, seruum Christi, vt reiiceret adorationem. Nam conclusio est: *Deum adora.* Augustinus vigesimo contra Faustum capite vigesimo primo. *In Apocalypsi legimus Angelum se adorari prohibentem: & dicentem adoratori suo, Conseruus tuus sum & fratrum tuorum.*

XXII. In altero membro, mira est ingenij peruersitas. Adorauit Angelum Ioannes. Ergo Angelos licet adorare. Quasi quis diceret: Abnegauit Christum Petrus. Ergo Christum licet abnegare. Petrus subduxit se à Gentibus in Iudæorum gratiam: ergo idem licet. Quo prætextu; quæ non peccata queant excusari? Incestuosi Lotum cur non obtendant? Ebriosi, Noachum: Adulteri, Dauidem? Idololatræ, Solomonem? Ità scilicet Papistæ sapiunt! At magnus vir Ioannes. Esto sanè. At Ioannes ab Angelo reprehensus. Ergo etiam magni viri possunt interdum reprehendi. Et si possunt reprehendi: certè non semper sunt imitandi. Nulla igitur consequentia est. Ioannes adorauit Angelum: ergo Angeli sunt adorandi.

XXIII. Sed de reprehensione, quid habent quod dicant? Primò: quia fortè Angelus sic apparuit, vt potuerit existimari Christus: nam dixerat capite primo, *Ego sum primus, & nouissimus: & fui mortuus, & ecce sum viuus.* Ideo corrigendum fuisse adoratorem: non propter errorem adorationis: sed propter errorem personæ. Atque ita docere Augustinum, quæstione sexagesima prima in Genesim. Secundò, Angelum prohibuisse, ob reuerentiam humanitatis Christi. Nam ante aduentum Christi, Angelos se adorari passos: at postquam Deus homo factus est; hominem in Christo adorare cœpisse, neque voluisse ab hominibus adorari præcipuè Apostolis, aliísque summis viris. Ita Bedam docere, & Anselmum, & Ricardum, & Rupertum; & Gregorium.

XXIV. At prior solutio saltem incerta est: titubanter enim proponitur. Quod in tanto negotio ridiculum non esse non potest. Deinde nititur argumento leuissimo. Quid tum enim, si primo capite legitur, *Ego sum primus & nouissimus?* At non eadem visio describitur capitibus decimonono, & vigesimo secundo. Atque adeò in his, dicitur is qui apparet, Angelus. In primo autem capite, nusquam: & consentiunt Veteres fuisse ipsum Christum. Deinde, quid iuuat extra carceres currere? Nam disertè Angelus addit, non tantùm se cõseruum esse: sed etiam, *Deum adora:* quo non error personæ indicatur: sed error adorationis, contrà quàm isti putant. Nec Augustinus dixit ita apparuisse, vt posset existimari Christus: sed *vt pro Deo posset adorari:* hoc est, religioso cultu.

XXV. In altera solutione, mitto Gregorij, Bedæ, Anselmi, Ricardi, Ruperti autoritatem; recentiorum, quàm vt in re tanta nominari debeant, cùm omnes vixerint, partim circa idololatriæ Christianorum initia, partim post eam confirmatam. Rem ipsam potiùs consideremus. Primò falsum, Angelos permisisse se adorari antè aduentum Christi: nisi quomodo homines adorari dicebantur, id est, ciuiliter. Sic enim adorati sunt ab Abrahamo, & Lotho, putantibus esse homines. Quò refertur illud ex decimo tertio ad Hebræos, *quidam inscij exceperunt Angelos hospitio.* Quanquam hac de re plura sunt disputata capite quinto. Origenes contra Celsum libro quarto, τοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ ἀγγέλους οὐδεὶς τῶν διακονούντων τῷ Μωσέως νόμῳ προσκυνεῖ. *Angelos cælestes nemo eorum qui seruiunt legi Mosaica, adorat:* ὁμοίως δὲ τῷ μὴ προσκυνεῖν ἥλιον ἢ σελήνην, καὶ τοὺς ἀστέρας, τὸν κόσμον τοῦ οὐρανοῦ, ἀπέχονται τοῦ προσκυνεῖν οὐρανὸν καὶ τοὺς ἐν αὐτῷ ἀγγέλους. *Atque auersantur cælos adorare, & cælestes Angelos, ac Solem, Lunam, Astra, ornatum cæli.*

XXVI. De Centurione, dicunt cum S. Hieronymo contra Vigilantium: Cornelium aliquid diuinum in Petro inesse putauisse: & ideò iure correctum: Vel cum Chrysostomo, Cornelium piè Petrum veneratum: sed Petrum ex modestia eum honorem, qui alioqui sibi debebatur, recusasse.

XXVII. Nihil istis futilius, qui quocunque prætextu, quantumlibet tenui, putant se veritati illusuros. Atqui, primò, mentiuntur de Hieronymo: non enim is dixit, Cornelium putauisse inesse aliquid diuinum Petro: Sed quum docuisset Paulum & Barnabam noluisse sibi, sub gentilitatis errore honorem Deo debitum deferri: *Quod & de Petro legimus*, inquit, *qui Cornelium se adorare cupientem, manu subleuauit & dixit: Surge: nam & ego homo sum.* Non igitur de personæ qualitate Hieronymus agit; vt vult Bellarminus: sed agit de ipso cultu, qui ei deferebatur. Et tamen, quid sibi vult Bellarminus? Censet-ne absolui Idololatriæ crimine, quicunque adorat quempiam cultu religioso; dummodo in eo nihil diuini inesse cogitet? Monstrum imaginationis. Non enim potest quicquam adorari cultu religioso; nisi in eo aliquid diuini cogitetur. Et quid sunt, quæso, dotes illæ supernaturales, quibus respondere contendebat ipse Bellarminus duliam; si non sunt aliquid diuini? Aut vis ipsa miraculorum, ob quam maximè Sancti canonizantur apud Papistas; quid est, si non est diuina?

XXVIII. De Chrysostomo simile mendacium. Cum Chrysostomo, inquit, dicimus Cornelium piè Petrum veneratū. [C]um Chrysostomo? At hoc Chrysostomus nullus dixit. Tantùm dixit. [illegible]. *Hoc facit suam humilitatem ostentans: & alios erudiens.* Intelligam libens quodnam sit in his verbis solutionis pondus. Sed enim non nego modestè Petrum fecisse. Imò insolenter dico fuisse facturum, si adorationem admisisset. Quod si modestiam appellant, dissimulationem aulicam: quæ & simulat [illegible] & dissimulat [illegible]: næ illi nobis Petrum, sic pingunt, quomodo solent Virginem Mariam, castitatis, pudorisque exemplar, in templis suis ornare eodem apparatu, quo vtuntur prostitutissimi pudoris scorta. Egregium confirmandæ idololatriæ compendium! At quanto præstaret sanam mentem induere? Sed enim, etsi Petri modestiam laudauit Chrysostomus, tamen Centurionis pietatem in adorando Petro non laudauit Chrysostomus.

Cap. VII.

De Testimoniis Veterum.

I. SCripturæ subseruiunt Veteres: quorum vnum, aut alterum, vel certè tertium, Bellarminus vafrè finxit à nobis testes nominari: magno sui laboris compendio: at non causæ emolumento. Quid enim iuuat dissimulare, quum non sis soluendo? Nos igitur, disertissima enumerabimus Veterum testimonia. Et primò, quę docent solum Deum adorandum.

II. Iustinus apologia secunda, [illegible]. *Deum solum colendum esse, ita suasit, dicens: Maximum mandatum est: Dominum Deum tuum adorabis: atque illum solum coles.* Et post. [illegible]. *Proinde nos*, Christiani, *solum Deum adoramus, & vobis, Imperatoribus, in rebus aliis læti seruimus.* Et in simili opere similiter Tertullianus, Apologetici capite decimo septimo: *Quod colimus nos, Deus vnus est.*

III. Origenes, contra Celsum libro primo, [illegible]. *Quomodo non credendum potius summo Deo, atque qui docet, hunc solum adorandum: reliqua, vel quia nō sunt, vel quia sint quidem, ac proinde honore digna, at non adoratione & cultu, prætermittenda?* Idem libro quinto prolixè vindicat, tum Iudæos, tum Christianos à cultu creaturarum. Iudæos, primùm: [illegible]. *Manifestum est Iudæorum res inquirentibus, iisque res Christianorum comparantibus: Iudæos hærentes legi, (dicenti ex persona Dei, Non erunt tibi Dii alii præter me. Non facies tibi simulacrum, neque cuiusquam similitudinem, eorūquæ sunt, siue in cœlo sursum, siue in terra deorsum, siue in aquis sub terra: non adorabis ea, neque seruies iis) nihil aliud colere, præter summum Deum, qui cœlum fecit & reliqua omnia. Manifestum porrò eos, qui iuxta legem viuunt, colentes factorem cœli, non vnà cum eo colere cœlum. Imò ne angelos quidem, qui in cœlis sunt, adorat quisquam eorum, qui seruit legi Mosis. Quin potius æquè denegant adorationem cœlo, & Angelis in eo, ac Soli, & Lunæ, & astris, qui ornatus est cœli.* Et multis interiectis, Christianorum apologiam aggrediens: [illegible]. *Quod si pro nobis dicendum, qui æqualiter neque angelos colimus, neque Solem, neque Lunam, neque astra.* Et quum obiecisset Celsus, à Sole, Luna, & astris prædici tempestates: [illegible], inquit, [illegible]. *At non propterea adorabimus eos qui adorant: sicut neque Mosem, neque eos qui post eum prophetarunt longè potiora.* Idem libro septimo extremo, Christianos dicit [illegible]: *verentes quicquam colere præter summum Deum.* Idem libro primo in Epistolam ad Romanos, *Vt breuiter, & omnia in vnum collecta definitione dicamus, adorare alium quempiam præter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, impietatis est crimen.* Quæ verba Sedulius transcripsit, suis in eandem Epistolam annotatiunculis. Sed idem rursus Origenes eodem libro, nec multò pòst: *Nos nullam creaturam, sed Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum colimus & adoramus.*

IV. Lactantius libri primi capite vicesimo: *Religio & veneratio nulla, nisi vnius Dei tenenda est.* Basilius oratione Morali decima quinta, quæ est de principatu & potestate: [illegible]. *Quemadmodum aliud quippiam præter Deum colere, sic neque in alio spem reponere, quàm in Deo omnium Domino, haud fuerit consentaneum.*

Grego-

Gregorius Nazianzenus de Pace, oratione tertia. A ἕως ἂν ἐφ' ἑνὸς ὅρου τῆς εὐσεβείας ἱστάμενοι προσκυνῶμεν πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, τὴν μίαν ἐν τρισὶ θεότητά τε καὶ δύναμιν, μηδὲν ὑπεραίροντες, μηδὲ ὑποβαίνοντες· ἵνα μικρόν τι καὶ αὐτὸς μιμήσωμαι τοὺς περὶ ταῦτα σοφούς· τὸ μὲν γὰρ ἀδύνατον, τὸ δὲ ἀσεβές. *Quousque non constituimus vnum esse pietatis modum adorare Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, vnam in tribus Deitatem & potentiam? Nihil neque supercolentes, neque subcolentes, vt etiam ipse nonnihil imitando delibem ex iis, qui sese in his rebus magistros venditant. Nam illud quidem fieri non potest; hoc verò impium.* Nyssenus apud autorem Melissæ capite primo. B Πᾶν κτιστὸν ἔξω τῆς θείας φύσεως εἶναι πιστεύομεν· μόνην δὲ τὴν ἄκτιστον φύσιν προσκυνεῖν καὶ σέβεσθαι. ἧς χαρακτήρ ἐστι καὶ γνώρισμα, τὸ μήτε ἀρχὴν τοῦ εἶναί ποτε, μήτε παύσασθαι. *Sic instituti sumus, vt quicquid creatum est, intelligamus alienum esse à diuina natura: Et solam naturam increatam adorandam atque colendam: cuius nota est, & differentia, neque initium habere, neque finem existendi.* Theodoretus Therapeuticon secundo. Deus προσμένοντας τῇ δουλείᾳ παρεκελεύετο, καὶ μὴ μερίζειν τὸ σέβας, ἀλλ' ὃ τῷ ὄντι μόνῳ προσήκει, *iussit in seruitio manere (potes, Dulia insistere) nec cultum partiri, verum ei soli quod est, tribuere.* C

V. Ambrosius de Spiritu Sancto libri tertij capite duodecimo. *Neque adorandum quicquam præter Deum legimus: quia scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies.* In primum ad Colossenses. *Si quis alicui elementorum, aut angelorum, vel potestatum deuotum se debere esse putet, errare se sciat.* Theodoretus Therapeutico secundo. ἡμεῖς δὲ μηδὲν τῶν ὁρωμένων θεοποιοῦντες, τοὺς ἐν ἀρετῇ διαπρέψαντας, ὡς ἀνθρώπους ἀρίστους γεραίρομεν· μόνον δὲ τὸν ὅλων προσκυνοῦμεν Θεὸν καὶ πατέρα, καὶ τὸν ἐκείνου λόγον, καὶ τὸ πανάγιον Πνεῦμα. D *Nos nihil eorum quæ oculis cerni possunt, Deum esse affirmamus. Homines autem virtute eximios, tanquam viros optimos honoramus: at solum omnium Deum* (vel ex omnibus Deum) *adoramus, Patrem, eiusque Verbum, & Sanctum Spiritum.* Historiæ libro primo, capite secundo describens Felicem illum Ecclesiæ statum sub Constantino, obseruat indignatum fuisse dæmonem; quòd videret τὴν μὲν κτίσιν παρὰ τῶν πάλαι προσκυνουμένην· τὸν δὲ ποιητὴν ἀντ' ἐκείνης ὑμνούμενον. *Creaturam* (interprete Christophorsono) *à quamplurimis nulla amplius dignatam veneratione: sed pro illa Creatorem laude & præconiis celebratum.* E Hieronymus ad Riparium. *Nos non dico martyrum reliquias, sed nec Solem quidem & Lunam: non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur in præsenti seculo & in futuro colimus & adoramus: ne seruiamus creaturæ potius, quàm Creatori, qui est benedictus in secula. Honoramus autem reliquias martyrum, vt eum, cuius sunt martyres, adoremus.*

VI. Atque hæc quidem tam certo Christianis persuasa fides fuit; vt inde certissima nasceretur ἀπόδειξις gemina. Vna, adoratur: ergo Deus est. Altera, non est Deus: ergo non adorandus. F Quarum neutra quicquam efficeret, si distinctionibus papisticis delumbaretur. Cur non enim diceret hæreticus: Illud solenne distinguo? Certè Plato, qui vnum agnoscebat summum Deum, non poterat reliquos adorare suprema adoratione. Cur non ipsis saltem Catholicis aliquando venisset in mentem, in tam frequenti asseueratione nullam creaturam colendam, se aliquas creaturas adorare? G An quia Papistis stupidiores non sentirent ipsos sibi suas vineas cædere? An potius quòd esset altissima eius strophæ ignoratio: natæ duntaxat postremis temporibus adulterandæ veritati, interpolandæ impietati?

VII. Ad priorem demonstrationem hi loci pertinent. Ambrosius de Spiritu sancto libri secundi capite sexto. *Quoniam Creatorem Spiritum monstrat, docet eidem seruiendum.* Et post. *Ergo cùm seruiendum dicat Spiritui idem Apostolus, qui non creaturæ, sed creatori asserit seruiendum: euidenter vtique & ipse sanctum ostendit Spiritum esse creatorem, & in æterna diuinitatis honore venerandum: quia scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Athanasius contra Macedonium Dialogo primo. εἰ μὲν εὑρεθείη καὶ τὸ πνεῦμα τῆς αὐτῆς οὐσίας, προσκυνεῖτε· εἰ δὲ μὴ εὑρεθείη, χωρεῖτε. B *Si compertum sit Spiritum esse eiusdem naturæ cum Patre, adorate: si non comperiatur, absiste.* Chrysostomus in Ioannem homilia tricesima tertia. ὅτι δὲ προσκυνηθῆναι δεῖ αὐτὸν παντί που δῆλον· τὸ μὲν γὰρ προσκυνεῖν τῆς κτίσεως, τὸ δὲ προσκυνεῖσθαι τοῦ τῆς κτίσεως δεσπότου. *Esse eum in iis quibus debetur adoratio, cuilibet notum. Nam adorare creaturæ est, adorari verò creaturarum Domini.* Naziãzenus oratione tricesima septima, quæ est de Spiritu Sãcto. εἰ μὲν γὰρ οὐ προσκυνητὸν, πῶς ἐμὲ θεοῖ διὰ τοῦ βαπτίσματος; εἰ δὲ προσκυνητὸν, C πῶς οὐ σεπτόν; εἰ δὲ σεπτόν, πῶς οὐ Θεός; ἓν ἤρτηται τοῦ ἑνὸς, ὁ χρυσοῦς ὄντως σειρὰ καὶ σωτήριος. *Si quidem Spiritus adorandus non est, quomodo me deificat per baptismum? Si autem adorandus, an non colendus? Si colendus, an non Deus? Vnum vni cohæret. Verè aurea salutarisque cathena.*

VIII. Ad alteram. Tatianus ad Græcos. δημιουργίαν τὴν ὑπ' αὐτοῦ γεγενημένην χάριν ἡμῶν προσκυνεῖν οὐ θέλω. *Opificium ab eo conditum nostri gratia, adorare nolo.* Et paulò post. στοιχείων δὲ ὑπόστασιν τὴν προσκυνεῖν οὐκ ἂν πεισθείην, οὐκ ἂν πείσαιμι τὸν πλησίον. *Adorare elementorum subsistentiam, neque quisquam mihi persuaserit: neque ipse cuiquam persuadere velim.* D Hilarius de Trinitate libro octauo. *Non ignoras, quam in maledicto sit religio creaturæ.* Ambrosius de Spiritu Sancto libro tertio, capite duodecimo. *Haud dubiè etiam Spiritus Sanctus adorandus est: quando adoratur ille, qui secundum carnem natus ex Spiritu est. Ac ne quis deriuet in Mariam virginem: Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideò ille solus adorandus, qui operabatur in templo.* Epiphanius in Ariomanitis. εἰ γὰρ μὴ ἔστιν ἀληθινὸς ὁ Θεὸς, οὔτε προσκυνητός ἐστι. καὶ εἰ ἔστι κτιστὸς, οὐ Θεός, καὶ εἰ μὴ ἔστι προσκυνητὸς, πῶς ἄρα Θεὸς λέγεται; E *Nam si Christus non est Deus verus neque adorandus est. Et si creatus est, non est Deus: Quod si non est adorandus, quomodo Deus asseritur?*

IX. Atque hæc fuit Epiphanio sonnica causa declamandi contra Collyridianos, à queis primus impetus adorandæ Virginis Matris. Ναὶ μὴν ἅγιον ἦν τὸ σῶμα τῆς Μαρίας, οὐ μὴν Θεός. Ναὶ δὴ παρθένος ἦν ἡ παρθένος καὶ τετιμημένη· ἀλλ' οὐκ εἰς προσκύνησιν ἡμῖν δοθεῖσα, ἀλλὰ προσκυνοῦσα τὸν ἐξ αὐτῆς σαρκὶ γεγεννημένον. *Sanè verò sanctum fuit corpus Mariæ: at non Deus. Sanè* F *verò virgo fuit illa Virgo & honorata: at non ad adorationem concessa: imò adorans eum qui ex ipsa natus est secundùm carnem.* Ποία δὲ τις γραφὴ διηγήσατο περὶ τούτου; ποῖος προφητῶν ἐπέτρεψεν ἄνθρωπον προσκυνεῖσθαι, μὴ μόνον γυναῖκα λέγω; *Quænam Scriptura loquuta est hac de re? Quis prophetarum concessit hominem adorari, ne mulierem dicam?* Ἐξαίρετον μὲν γάρ ἐστι τὸ σκεῦος· ἀλλὰ γυνὴ, καὶ οὐδὲν τῇ φύσει παρηλλαγμένη, τὴν δὲ γνώμην καὶ τὴν αἴσθησιν ἐν τιμῇ τετιμημένη. *Enimuerò eximium vas est: sed mulier, neque vlla parte naturam diuersam sortita: at verò* G *mente sensúque honore cumulata:* ὡς ἄρα τὰ σώματα τῶν ἁγίων; καὶ ἔτι πλείονα ... εὐλογίας εἴπω, ὡς Ἡλίας ἐκ μήτρας παρθένος, καὶ αὐτοὶ ... εἰς τὸ διηνεκὲς, καὶ ἀναλαμβανόμενος, θάνατον δὲ οὐχ ἑωρακώς, ὡς ὁ Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Κυρίου ἀναπεσὼν, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς. ὡς Θέκλα ἡ ἁγία καὶ Μαρία ὁ δὲ τούτων τιμιωτέρα (lego potius: καὶ Μαρία δὲ τούτων τιμιωτέρα) ...

[illegible] ἀλλ' ὅτι ἄλλος προσκυνοῦντος, [illegible] ζῶντα ἦν· ὅτι Ἰωάννης προσκυνοῦντος, καί τοι γε διὰ ἰδίας [illegible] τὴν κοίμησιν [illegible] ἀπεργασάμενος, μᾶλλον δὲ ἐκ Θεοῦ λαβὼν τὴν χάριν. ἀλλ' ὅτι Θέκλα, ὅτι τις τῶν ἁγίων [illegible]. Sicut sanctorum corpora: & si quid amplius ad laudem dixero, sicut Helias ab vtero virgo, salúsque in perpetuum manens, & assumptus non gustata morte. Sicut Ioannes, qui recubuit ad pectus Domini, quem amabat Iesus. Sicut Thecla sancta: quanquam Mariæ honor maior est propter dispensationem, qua est honorata. Verùm neque Helias adorandus, quantumuis sit in viris, neque Ioannes adorandus, quantumuis precibus suam dormitionem miram effecerit, vel potius à Deo gratis acceperit. Neque Thecla adoranda, neque vllus sanctorum. οὐ γὰρ [illegible] ἡ ἀρχαία πλάνη, καταλιμπάνειν τὸν ζῶντα, καὶ προσκυνεῖν τὰ [illegible] αὐτοῦ γεγονότα· ἐλάτρευσαν γὰρ καὶ ἐσεβάσθησαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, καὶ ἐμωράνθησαν. εἰ γὰρ ἀγγέλους προσκυνεῖσθαι οὐ θέλει, πόσῳ μᾶλλον τὴν [illegible] γεγεννημένην; Non enim dominabitur nobis antiquus error: relinquere viuentem & adorare ea, quæ ab eo sunt facta. Seruierunt enim, & honorarunt creaturam, præter creatorem, & stulti facti sunt. Nam si Angelos adorari noluit, quanto minus Annæ genitam? ἐν τιμῇ ἔστω Μαρία· ὁ δὲ Πατὴρ, ὁ Υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα προσκυνείσθω. τὴν Μαρίαν μηδεὶς προσκυνείτω. In honore esto Maria. at Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus adoretur, Mariam ne quis adoret.

X. Indidem disputantibus de Christi Deitate arma fuere aduersus hæreticos, etiam accusatos idololatriæ, propter cultum delatum ei quem ψιλὸν ἄνθρωπον dicerent. Athanasius contra Arianos oratione tertia. Δουλεύουσιν αὐτῷ οἱ ἄγγελοι, ὡς ἄλλῳ παρ' αὐτοὺς ὄντι· καὶ προσκυνεῖται παρ' αὐτῶν οὐχ ὡς τῇ δόξῃ μείζων, ἀλλ' ὡς ἄλλος παρὰ πάντα τὰ κτίσματα, καὶ παρ' ἐκείνους ὤν. Seruiebant illi Angeli, vt diuerso aliendque ab eorum natura: & adoratur ab illis, non vt gloria maior, sed vt alius, discretus seiunctúsque à conditione tum creaturarum reliquarum: tum etiam ipsorum Angelorum, Patri tantummodo æqualis secundùm rationem substantiæ. Si enim ideo quia gloria sublimior est adoratur, par erat, vt omnia inferiora superioribus se in adorando inclinarent. Sed ita non est κτίσμα γὰρ κτίσμα, οὐ προσκυνεῖ· ἀλλὰ δοῦλος δεσπότην, καὶ κτίσμα Θεόν. Creatura si quidem creaturam non adorat: sed seruus dominum & creatura Deum. Πέτρος μὲν οὖν ὁ ἀπόστολος προσκυνῆσαι θέλοντα τὸν Κορνήλιον κωλύει λέγων, ὅτι κἀγὼ ἄνθρωπος εἰμί· ἄγγελος δὲ θέλοντα προσκυνῆσαι τὸν Ἰωάννην ἐν τῇ ἀποκαλύψει κωλύει λέγων· ὅρα μή· σύνδουλός σου εἰμί, καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν προφητῶν καὶ τῶν τηρούντων τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου· τῷ Θεῷ προσκύνησον. Petrus sanè Apostolus adorare volentem Cornelium inhibuit, dicens, Quoniam & ego homo sum. Angelus quoque Ioannem in Apocalypsi se adorare volentem, non admisit, dicens, Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & seruantium verba codicis huius. Deum adora. ὥστε Θεοῦ ἐστι μόνου τὸ προσκυνεῖσθαι. Quocirca solius numinis est adorari.

XI. Nyssenus in funebri Placillæ. Τὸ τῶν εἰδώλων μῖσος κοινὸν πάντων ἐστὶ τῶν μετεχόντων τῆς πίστεως· ἀλλ' ἐκείνης ἐξαίρετον τὸ τὴν Ἀρειανὴν ἀσέβειαν ὁμοίως τῇ εἰδωλολατρείᾳ βδελύττεσθαι. Simulacrorum odium commune est omnium qui fidei participes sunt: sed eius præcipuum, quod Arianam infidelitatem æquè ac simulacrorum cultum abominabatur: [illegible] ὁ γὰρ τὸ κτίσμα προσκυνῶν, κἂν ἐπ' ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ οὕτω ποιῇ, εἰδωλολάτρης ἐστι, Χριστοῦ ὄνομα τῷ εἰδώλῳ θέμενος. Rectè piéque sentiens. Nam qui creaturam adorat, etiamsi in Christi nomine id faciat, simulacrorum cultor est, Christi nomen simulacro imponens. Cyrillus Thesauri libro decimo, capite decimo. Quomodo non erimus idololatræ creaturam colentes, & spem in ipsa habentes? Nimirum si Christus non sit Deus. De recta fide ad Reginas. [illegible] ὁ λόγος [illegible] προσκυνητὸς, [illegible]. Non esset aliàs adorandus, nisi crederemus Verbum illud ex Deo, ab omni creatura adorandum, factum esse carnem.

XII. Sic olim docuere Catholici. Obserua Angelis, Sanctísque tribui τιμὴν, τιμᾶν, γεραίρειν; Honorem, honorare, venerari; quibus vocabulis generalissima est obseruantiæ significatio: adeò vt etiam viuentibus competant, etiam iis, quos propter solam excellentiam, quam Iesuitæ humanam appellant, suspicimus. At verò non tantùm τὸ λατρεύειν, quod Papistæ, facilè erant passuri; sed etiam τὸ προσκυνεῖν, τὸ σέβεσθαι, itque adeo etiam τὸ δουλεύειν, adorare, colere, seruire, siue duliam deferre, adeo ἐξαιρέτως Deo reseruari, vt omni prorsus creaturæ denegetur; Cœlo, Angelis, Sanctis, Mariæ, Heliæ, Ioanni, Theclæ. Et quidem constanter. Non enim alij aliter; sed omnes vno ore. Quod eo factum, quia iampridem Ecclesia iis vocabulis significabat honorem religiosum.

XIII. Bellarminus respondet breuiter, Patres loqui contra errores Gentilium, qui ex hominibus sceleratis veros Deos faciebant, eísque sacrificia offerebant.

XIV. Quàm facilè! An quia hic fuit indiligentior Sophista, & quidem tantus? Nam profectò subtilissimus. Primò nō est vniuersaliter verum, Patres agere contra Gentiles. Nam quidam agebant contra quosdam nomine Christianos: nempe Arianos, Ennomianósque: & in eo erant vt Filium, atque Spiritum assererent esse Deum: argumento ducto ab adoratione. Si adoratur, Deus est. Si non Deus, non adorandus. Quomodo quid nos prohibet concludere aduersus Papistas? Alij Scripturæ locos explicabant, vt Origenes ex primo ad Romanos: Ambrosius ex Epistola ad Colossenses. Alij Christianos purgabant calumniis vel Gentilium, vel hæreticorum, Origenes contra Celsum, Hieronymus ad Riparium.

XV. Deinde neque tantùm loquebantur de hominibus nefariis in Deos relatis: sed etiam de Angelis, de Sanctis, de Maria Virgine, & quidem disertissimè. Non tantùm negant, inquam, dæmonas, hoc est, malos Angelos, adorandos, sed etiam bonos, τὰς ἐν οὐρανῷ. Denique non homines tantùm queruntur habitos Deos, sed etiam indignantur Christum & Spiritum, non habitum Deum, & tamen adoratum.

CAP. VIII.

De distinctione Latriæ & Duliæ ex Augustino.

I. AVgustinum à reliquis seiunximus: non quòd eius doctrina seorsim esset à reliquis: sed quòd eius nomine abutantur audacissimè nostri hagiolatræ, prætexentes Latriæ & Duliæ distinctionem; quam ille omnium primus posuit: non malo consilio: vtinam bono euentu. Sed cùm pia fuerit tanti viri cogitatio, imò & ἀκριβής: tum nihil magis impium iis, qui eius nomine abutuntur hodie, Augustini verbis, Augustini doctrinam corrumpentes; ne quid dicam durius.

II. Pri-

II. Primò igitur Augustinus, itidem vt reliqui, docet solum Deum colendum & adorandum. De Quantitate animæ capite trigesimo quarto, *Diuinè ac singulariter in Ecclesia Catholica traditur, nullam creaturam colendam esse animæ: sed ipsum tantummodo rerum quæ sunt omnium creatorem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* Contra Faustum libro vicesimo, capite quinto, *Cum quibus, id est*, Ethnicis colentibus quæ in cœlo sunt, *quando agimus, vt ea non colant, non eis dicimus quòd nulla sint: sed quòd colenda non sint: eúmque colendum horum omnium conditorem, Deum inuisibilem, suademus, cuius solius participatione beatus homo fieri potest, quod omnes velle nemo ambigit. Sed quia nonnulli eorum inuisibilem, & incorpoream creaturam colunt, quod est anima mensque humana: tamen quia nec eiusmodi creaturæ participatione fit homo beatus: ille non solùm inuisibilis, verùm etiam incommutabilis Deus, id est, Deus verus colendus est, quo solo fruens, beatus fit cultor eius: & quo solo non fruens, omnis mens misera est, qualibet re alia perfruatur.* Epistola quadragesima quarta, *Ad summam tamen ne te hoc lateat, & in sacrilega conuitia imprudentem trahat, scias à Christianis Catholicis, nullum coli mortuorum: nihil denique vt numen adorari, quod sit factum & conditum à Deo: sed vnum ipsum Deum, qui fecit & condidit omnia.*

III. Secundò, distinctius Religionem negat cuiquam deferendam præter Deum. De Vera Religione, capite quinquagesimo quinto, *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si piè vixerunt, non sic habentur vt tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerint, vbicunque sint, non sunt colendi.* Et nonnullis interpositis, *Non sit nobis religio, vel ipsa perfecta, & sapiens anima rationalis, siue in ministerio, vniuersitatis, siue in ministerio partium stabilita, siue quæ in summis hominibus exspectant commutationem reformationémque portionis suæ.*

IV. Et ne nesciuit tamen homonymiam. De Ciuitate Dei, libro decimo, capite primo, *Si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione vel præsentia frequentamus. Ac per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo, propria quadam notione verbi huius verissimum est. Sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, ideo Latinè vno verbo significari cultus Deo debitus non potest. Nam & ipsa religio, quamuis distinctius, non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur, vnde isto nomine interpretati sunt nostri eam, quæ Græcè* θρησκεία *dicitur, tamen quia Latina loquendi consuetudine, non solum imperitorum, verùm etiam doctissimorum, & cognationibus humanis atque affinitatibus, & quibusdam necessitudinibus dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, cùm de cultu Deitatis vertitur quæstio vt fidenter dicere valeamus, religionem non esse nisi Dei cultum: quoniam videtur hoc verbum à significanda obseruantia propinquitatis humanæ insolenter auferri.* Quanquam idem aliàs confidentiùs. In octoginta tribus quæstionibus, quæstione trigesima prima, *Religio est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam ceremoniámque affert.*

V. Effecit huius homonymiæ cauendæ prudens cura, vt Augustinus vsus sit libenter δουλείας, & λατρείας distinctione. Quod pluribus locis significauit: ex quorũ cõparatione, necesse est nos tanti viri mentem venari. De Ciuitate Dei libro decimo, capite primo, postquam dixisset se libro octauo tractasse hanc quæstionem: vtrum ad beatam vitam, *Vni Deo vero, qui est Deorum effector, an plurimis diis religione sacrísque seruiendo peruenire possimus*: dixisset item Philosophorum quosdam multos Deos ita colendos putasse, vt dæmonibus *diuinos honores sacrorum, & sacrificiorum* deferendos esse censerent: *Nunc*, inquit, *videndum est, ac differendum est, quantum Deus donat: immortales ac beati in cælestibus sedibus, dominationibus, principatibus, potestatibus, constituti, quos isti deos, & ex quibus quosdam vel bonos dæmones, vel nobiscum Angelos nominant, quomodo credendi sint velle à nobis religionem, pietatémque seruari: hoc est, vt apertius dicam, vtrum etiam sibi, an tantùm Deo suo, qui etiam noster est, placeat eis, vt sacra faciamus, & sacrificemus: vel aliqua nostra, seu nos ipsos religionis ritibus consecremus. Hic est enim diuinitati, vel si expressius dicendum est Deitati debitus cultus: propter quem vno verbo significandum, quoniam satis idoneum non occurrit Latinum Græco, vbi necesse est insinuo quid velim dicere. Latriam, quippe nostri vbicunque Sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt seruitutem. Sed ea seruitus, quæ debetur hominibus, secundùm quam præcipit Apostolus, seruos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò secundùm consuetudinem, quæ locuti sunt, qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter vt pene semper, ea dicitur seruitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Eodem opere, libro quinto, capite decimo quinto, *Pietas non exhibet seruitutem religionis, quam latriam Græci vocant, nisi vni vero Deo.* Libro septimo, capite trigesimo secundo, *Omnes non solùm prophetiæ, quæ in verbis sunt: nec tantùm præcepta vitæ, quæ mores pietatémque conformant, atque illis literis continentur, verùm etiam sacra, sacerdotia, tabernaculum, siue templum, altaria, sacrificia, ceremoniæ: dies festi, & quicquid aliud ad eam seruitutem pertinet, quæ Deo debetur, & Græcè propriè latria dicitur, ea significata, & prænunciata sunt.* Libro decimo, capite quarto, *Huic nos seruitutem, quæ latria Græcè dicitur, siue in quibusque sacramentis, siue in nobis ipsis debemus. Huius enim templum simul omnes, & singuli templa sumus: quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus quàm singulis maior: quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cùm ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum, eius vnigenito eum sacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando vsque ad sanguinem pro eius veritate certamus, ei suauissimum adolemus incensum, cum eius in conspectu, pio sanctóque amore flagramus, ei dona eius in nobis, nósque ipsos vouemus, & reddimus, ei beneficiorum eius solemnitatibus, festis, & diebus statutis dicamus sacramúsque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio: ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne feruida charitatis.*

VI. De Trinitate libro primo, capite sexto, *Maximè verò illo loco satis claret, quòd Spiritus Sanctus non sit creatura: vbi iubemur non seruire creaturæ, sed creatori. Non eo modo quo iubemur per charitatem seruire inuicem, quod est Græcè* δουλεύειν: *sed eo modo, quo tantum Deo seruitur, quod est Græcè* λατρεύειν. Et paulò pòst, *Porrò si tali seruitute, creaturæ seruire prohibemur, quandoquidem dictum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: vnde & Apostolus detestatur eos, qui coluerunt & seruierunt creaturæ potius, quàm creatori, non est vtique creatura Spiritus Sanctus, cui ab omnibus Sanctis talis seruitus exhibetur.* Epistola quadragesima nona, quæstione tertia, *Creatori vni debetur seruitus religionis, illa quæ vno nomine latria Græcè appellatur.* Epistola sexagesima sexta, *Et præcipimus & rogamus, vt eos quod didicisti, docere non differas: vnum scilicet Deum esse solum, cui seruitus illa debetur, quæ latria Græcò vocabulo nuncupatur.* Et paucis interpositis, *Quem Deum, nisi Spiritum Sanctum, cuius corpora nostra dixerat esse templum? Debetur ergo latria Spiritui*

Sancto. Nam si templum ei facere, sicut Salomon fecit, de lignis, & lapidibus iuberemur, vtique faciendo templum, latriam exhibere conuinceremur: quanto magis latriam debemus, cui non templum facimus, sed sumus? Contra Faustum libro vicesimo, capite vicesimo primo. *Populus Christianus, memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamuis in memorias* (memoriis potius) *constituamus altaria.* Et post. *Colimus ergo martyres, eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto deuotius, quanto securius post incerta omnia superata: quanto etiam fidentiore laude praedicamus, iam in vita feliciore victores, quàm in ista adhuc vsque pugnantes. At illo cultu, qua Graecè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cum sit quaedam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus nisi vnum Deum.*

VII. Hactenus ex Augustino satis multa: vt si non possit ex singulis, saltem ex omnibus indubitatam eius mentem vestigemus. Itaque sigillatim haec notanda. Primò verborum λατρείας καὶ δουλείας eam distinctionem non esse ex vsu Scripturae. Nimirum, quia neque in Nouo Testamento vsquam λατρείαν legas, nisi pro cultu diuino: neque in Veteris Testamenti interpretibus Graecis, nisi semel. Nam alioquin ea non est verborum propria vulgarísque notio. Imò Glossarium λατρεύω, *Seruio*. Etymologus, λάτρις ὁ ἐπὶ μισθῷ δουλεύων, λατρεία, ἐκ τοῦ λατρεύω. τοῦτο ἐκ τοῦ λάτρις, ὁ σημαίνει ἐπιμίσθιον δοῦλον. Phauorinus, λατρεύειν κυρίως τὸ δουλεύειν. λάτρις ὁ μισθῷ δουλεύων. λάτρον γὰρ ὁ μισθός. Et haec probantur multis autorum classicorum locis. Sophoclis Trachyniis. Τοιοῦτος αὐτὸν εἰς δόμους τε τοὺς δόμων αἰεὶ τὸν ἄνδρ' ἔπεμψε λατρεύσοντά μοι. Æschylus Prometheo, κρεῖσσον γὰρ οἶμαι τῇδε λατρεύειν πέτρᾳ. Theodectus apud Aristotelem politicôn primi, capite sexto: θείων δ' ἀπ' ἀμφοῖν ἔκγονον ῥιζωμάτων τίς ἂν προσειπεῖν ἀξιώσειεν λάτριν, Euripides Helena, ἐγὼ μὲν εἴην καὶ πένης ὅμως λάτρις ἐν τοῖσι γενναίοισιν ἠριθμημένος.

VIII. Quin & inter Theologos Chrysostomus Homilia secunda in Epistolam ad Romanos, τὸ λατρεύειν, καὶ τὸ διακονεῖν: vtrumque, inquam, vsurpat non pro ipso cultu diuino: sed pro vocatione in qua Deus singulorum opera variè vtitur: hoc est, vt scholarum idiomate vtar, non pro actibus elicitis, sed pro imperatis, πολλοὶ τῆς διακονίας οἱ τρόποι, καὶ διάφοροι, καὶ τῆς λατρείας δὲ ὁμοίως, *Multi sunt variique modi ministeria: itidémque latria.* Et illustrat comparatione regum, quibus ministrant duces exercituum, politici magistratus Quaestores, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν πνευματικῶν, ὁ μὲν λατρεύει τῷ Θεῷ, καὶ δουλεύει ἐν τῷ πιστεύειν, καὶ τὸν βίον αὐτοῦ καλῶς οἰκονομεῖν. ὁ δὲ ἐν τῷ ξένους θεραπεύειν ἀναδέξασθαι. ὁ δὲ ἐν τῷ τῶν προστασίαν τῶν δεομένων μεταχειρίζεσθαι, *Similiter in spiritualibus. Alius latriam & duliam exhibet Deo credendo, suámque vitam rectè componendo: alius suscipiendo hospitum curam: alius suscipiendo primatum in eos à quibus rogatur,* καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἀποστόλων αὐτῶν, οἱ περὶ τὸν Στέφανον ἐν τῇ τῶν χηρῶν προστασίᾳ, ἐδούλευον τῷ Θεῷ· ἄλλος ἐν τῇ τοῦ λόγου διδασκαλίᾳ· ὧν καὶ ὁ Παῦλος ἦν ἐν τῷ τὸ κήρυγμα εὐαγγελίζεσθαι λατρεύων· καὶ οὗτος ἦν ὁ τῆς δουλείας αὐτοῦ τρόπος, *Vt ipsorum Apostolorum tempore Stephanus Deo seruiebat viduis praefectus: alius in docendo verbum Dei: in his Paulus erat latriam impendens in Euangelio praedicando: eáque erat eius dulia ratio.*

IX. Quum igitur nullum sit proprium his vocabulis momentum, res ipsa potius inuenda, ac videndum, quam constituat differentiam λατρείας & δουλείας Augustinus, primus huius subtilis grammaticationis obseruator. Primò igitur meminerimus ab ipso Augustino Latriam dici seruitutem: quae propria est τῆς δουλείας significatio. Nam & λατρείαν sic reddi docuit ab iis qui interpretati sunt Scripturas: & dici eam seruitutem, quae pertinet ad colendum Deum. Secundò, cùm id habeat λατρεία commune cum δουλείᾳ, vt sit seruitus: tum verò illa distinguitur ab ista, religione. Disertè. Nam & quaestionem esse cum Gentibus vtrum pluribus diis sit religione sacrísque seruiendum: & thesin, quomodo boni Angeli velint à nobis religionem pietatémque seruari. Denique seruitutem religionis vno nomine latriam appellari. Tertiò ritus etiam latriae describi, primò sacra: secundò sacrificia: tertiò oblationes, tum nostri, tum rerum nostrarum ritibus religiosis: deinde templa, aras, festa, dies statutos, solemnitates.

X. At verò duliam describit primò eam seruitutem, secundum quam praecipit Apostolus seruos suis dominis subditos esse debere. Secundò, eum cultum dilectionis & societatis, quo & in hac vita colantur sancti homines, quanquam alioquin securiorem & intentiorem.

XI. Haec Papistas nunquam considerasse, iam cuiuis, puto, manifestum. Quomodo enim seruitutem, siue cultum religionis distinxissent in latriam, & duliam? Non enim ita Augustinus. Sed seruitutem in seruitutem religionis, id est, latriam: & seruitutem charitatis, societatísque, id est, duliam. Deinde, si dulia esset pars religionis, non oportuerat tam seuerè pronunciare, & seruitutẽ religionis soli Deo deberi, & non debere esse nobis religioni cultum mortuorum.

XII. Ad haec Papistae latriam, duliam, & cultum ciuilem, distinguunt tanquam tres species diuersas. At Augustinus longè aliter, duas tantùm. Nam duliam, id est, cultum defunctorum eundem facit cum cultu Sanctorum viuentium, *Colimus martyres,* inquit, *eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei.* At iidem numero esse non possunt: iidem ergo specie, & separandi tantùm gradu: quomodo cùm honoro Regem, & honoro Regis Legatum: est quidem honor, & honor: sed tantùm gradu: at non honor & honor specie: quia eadem est vtrinque honoris & natura & definitio. Itaque differunt secundùm magis & minus: vt reuera honor est Regis maior, quàm Legati. Et ita Augustinus, securiorem & deuotiorem dixit cultum mortuorum: nimirum, quia etiam viuentium cultum & securum, & deuotum agnoscit: sed minus, quàm mortuorum. At verò si viuorum cultus esset duntaxat ciuilis: & cultus mortuorum, religiosus, non tantùm graduum esset differentia, sed speciei; vt reuera Papistae agnoscunt.

XIII. Quid? quod idem cultus dicitur charitatis & societatis? Idem, inquam, cultus charitatis & societatis? Hoc verò significat sic à Christianis viuis coli Christianos mortuos, vt socios: & quidem sic socios, vt quum erant in viuis: itaque cultum esse charitatis eiusdem qua inter se Christiani deuinciuntur, vt sunt eiusdem corporis membra. At cultum illum societatis & charitatis, quo viui viuos colunt, quis vnquam audiuit religiosum appellari? Oportet igitur, cultum illum, quo colendi sunt defuncti, non esse cultum religiosum, quod est contra Papistas, vel

non

non esse eundem cum cultu, qui exhibetur viuis; quod est contra Augustinum, cuius tamen autoritate sese munitos iactant. Et quia non tantum mortuis delatum cultum, dixit esse cultum charitatis, sed etiam, capite sexto libri primi de Trinitate, *attribuit* eum modum, quo per charitatem iubemur seruire inuicem, & eum modum, quo tantum Deo seruitur, eadem ratione, qua opponit latriam duliæ. Ergo duliam cum Augustino definire oportet eum cultum, quo iubemur per charitatem seruire inuicem, siue cultum charitatis. Et quia non tantum mortui Sancti, sed etiam Angeli colendi sunt dulia, non autem latria: Ergo, non tantum cultus martyrum: sed etiam cultus Angelorum, erit cultus charitatis: ac proinde etiam societatis: ideóque idem cum eo, quo colimus inuicem viui viuos: ac proinde non religiosus.

XIV. Sed de ritibus illustris est Augustini sententia. Et longè dissidens à Papistarum commentis. Eos ritus enumerat, primum in genere sacra: deinde distinctè, sacrificia, altaria, templa, dies festos: & vno verbo, cum nos nostráque religiosis ritibus consecramus. Et hæc omnia ad latriam pertinere & disertè docet, & sæpius repetit. At Papistæ vnicum sacrificium latriæ faciunt eximium; sic Cotonus Epistolis ad Chamierum: & quanquam Bellarminus mollius, nō omnes simpliciter: sed omnes ferè actus exteriores communes esse omni adorationi: tamen idem solum sacrificium excipit. Et capite quarto vidimus templa, delubra, aras, altaria erigi sanctis: festa autem, quis nescit eisdem consecrari? At Augustinus contrà, constans est, ea ad latriam pertinere. Et ex templis disertè colligit Spiritus Sancti Deitatem. Et contra Maximinum libro tertio, capite tertio, *Templum non est factum ab hominibus, nisi aut vero Deo, sicut Salomon fecit: aut eis qui pro diis habentur, sicut Gentes quæ ignorant Deum.* Et contra Sermonem Arianorum, capite vigesimo nono, *Si aliquibus terræ molibus Spiritus Sancto templum fabricaremus quis dubitaret ei nos latria, id est, illa, de qua nunc loquor, seruitute seruire?* Itaque de Ciuitate Dei libro octauo, capite vicesimo septimo, *Nec nos eisdem martyribus, templa, Sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus.*

XV. Nunc perspicua est mens Augustini: Nisi fortè illud obiiciant. Et obiiciunt sanè, *Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat.* Sed nihil facilius. Memorias enim appellabat locos ædificatos in sepulcris martyrum: ad quos plebs Christiana cōueniebat, religionis caussa: hoc est, vt inibi suæ religionis exercitia celebraret: sic vt religio, non ad ipsos pertineret martyres: sed tantùm ad Deum. Fiebant tamen hoc religioso conuentu, celebres eiusmodi memoriæ. Quomodo contra Faustum libro vicesimo, capite vicesimo primo, negat Christianos sacrificare martyribus: sed concedit sæpissime sacrificare in memoriis martyrum. Quomodo item Nyssenus oratione de S. Theodoro Martyre, *Nos quidem, ô beate, benignitate Creatoris anniuersariam circuli vicissitudinem assequuti, cogimus tibi publicum conuentum, sacrum inquam, martyribus addictum & communem Dominum adorantes, & tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragētes.* Vbi nota, diligenter duo distingui, adorationem, & victoriæ commemorationem: hanc martyri tribui, illam Deo. Et in cōuentu publico illo addicto martyri, Deum adorari, non martyrem. Hoc erat, hoc scilicet, illud erat quod Augustinus dicebat, memorias martyrum religiosa solemnitate celebrari: nimirum, quia in ea solemnitate Deus solemniter adorabatur, quæ est religio. Quomodo si dicam, apud Papistas festa Sanctorum nundinis & mercatu celebrari: quod verissimum: non tamen puto, confici nundinas & mercatum ad Sanctos ab eis referri.

FINIS LIBRI DECIMI NONI.

LIBER VIGESIMVS DE CVLTV CREATVRARVM.

Caput Primum.

STATVS CONTROVERSIAE DE Inuocatione Sanctorum.

QVAESTIONEM de Inuocatione Sāctorum: & alteram de eorundē Reliquiis hoc libro, σὺν Θεῷ, pertractabimus. Illam de inuocandis Sanctis plerique confundunt cum generali de Sanctis adorandis, quę superiori proximo libro disputatur. At distinxit nō tantùm Lorichius in suo Fortalitio; sed etiam Bellarminus: hac ratione motus, quòd in ea sit peculiaris difficultas. Et mihi quidem probatur consilium. Distinxit & Bailius, tractauitque separatim, quæstionibus quadragesima quarta, & septima partis secundæ Catechismi.

II. Inuocandos ergo Sanctos, Papistarum sententia est. Bellarmini diserta verba, *Sancti, siue Angeli, siue homines, piè, atque vtiliter à viuentibus inuocantur.* Coloniense tamē Enchiridion, explanans primum Decalogi mandatum, distinctione vtitur. Verbum *inuocare*, inquit, si propriè & secundùm magis communem Scripturæ intellectum, accipias, pro eo quod est, aliquem, tanquam suæ salutis primum ac solum autorem appellare, & pro ope aut auxilio sua virtute impartiendo interpellare, constat Sanctos inuocandos non esse, ne quod solius Dei est, Sanctis tribuamus. Verùm, si latè, & propemodū impropriè accipias, pro eo, quod est, simpliciter *interpellare*, seu ministerium alicuius aut officium *expetere*, certe hac ratione non videmus; cur quispiam impium esse putet, inuocare Sanctos.

III. At Catholici negant Angelos, Sanctósque inuocandos: Esse enim inuocationem vel religiosam, vel ciuilē. Religiosam deferri vlli creaturæ blasphemum esse, & idololatricum. Ciuilem autem Angelis ac Sanctis tribui ineptum, & stolidū, quandoquidem nobiscum Angeli, Sanctíve defuncti nullum habeant ciuile commercium, quod omnino requiritur in inuocatione: cuius alia ratio est, quàm honoris, qui deferri potest ciuiliter, etiam iis hominibus, quibuscum nihil intercedit communicationis; sed inuocatio longè se habet aliter. Itaque Papistas dicimus vel stolidos, si ciuiliter inuocent, vel idololatras, si religiosè. Quanquam vtrum sint, facile est discernere: quandoquidem hanc illi habent suæ religionis partem non postremam: ideóque nō Nouatores tantùm, sed & hæreticos indigetant, qui suam audent hanc sententiam non probare.

IIII. Et conqueritur tamen sibi iniuriam fieri Bellarminus triplicem. Primò, quòd eos dicat Caluinus inuocare Sanctos planè vt Deos, Institutionis libro tertio, capite vigesimo, paragrapho vigesimo secundo. Calumniam esse probat, ex Litaniis, in quibus oratur, *S. Paule ora pro nobis.* Cùm nemo tamen audeat dicere, *Sancte Deus ora pro nobis.*

V. Respondeo Bellarminum ipsum calumniari: Verba hæc sunt Caluini, *Postquam captum fuerat in Sanctorum intercessionem respicere, sensim sua cuique procuratio est attributa, vt pro negotij diuersitate nunc hic, nunc ille aduocaretur intercessor: tum singuli peculiares sibi diuos adsciuerunt, in quorum, non secus atque tutelarium deorum, fidem se contulerunt. Neque modo (quod olim Israeli exprobrabat Propheta) secundùm vrbium numerum dij sunt erecti, sed secundum capitum multitudinem.* Hæc Caluinus. Hîc autem, vbi illud est Bellarmini, inuocari planè

tanquam

tanquam deos: sed tanquam intercessores. Quia tamen nonnunc tenus modesti, reapse Christianæ moderationis limitea longè prætervolant; hanc eorum superstitionem comparat Ethnicorum superstitioni: & apud Papistas observat esse Sanctos, pro diis tutelaribus apud Ethnicos. Nam certè & libro præcedenti observaui me legere in Iouio hanc ipsam tutelarium deorum nuncupationem Sanctis tributam: Tutfellinum, capite decimo quarto libri primi, dicentes, ipsam Dei parentem enixius orant, vt se in suam sedem tutelámque reciperet. Nemóque ignorat à Papistarum vulgo Sanctos dici Patronos. Sic Eligius fabrorum ferrariorum patronus: Blasius carminatorum; Antonius porcorum: Blandina apud Viennenses lanificij: Lucia sartorum, Crispinus sutorum, Aurigarum tres reges, Iosephus fabrorum lignariorum, Lucas pictorum, Georgius militum, Nicolaus nauigantium. Quid de vrbibus dicam? Imò quid de singulis vrbium parœciis? Hoc Caluinus reprehendit, & meritò reprehendit: meritò, inquam, in Papistis.

VI. Secundò Bellarminus queritur Caluinum dicere à Papistis rogari Virginem, vt Filium iubeat facere quod petunt. Hic ille primò, Quis nostrûm hoc dicit? Cur non probat vllo exemplo? Et Hayus Disputationum libro secundo, capite sexto, *Impudentissimè hoc nobis imponis. Nullus enim nostrûm est qui hoc carmen vnquam cecinerit.* Secundò, Præterea si Iosue decimo dicitur, *Obediente Deo voci hominis*, &c.

VII. At ego testor habere Missale ad vsum Ecclesiæ Tullensis: in quo sunt hi versus, *O Felix puerpera, Nostra pians scelera, iure matris impera Redemptori.* In prosa cuius initium, *Mariæ præconio*: in officio de beata Maria. Sed quid opus testibus? Si eam precandi formam probant, cur dissimulant? Imò cur queruntur sibi obiici? Si improbant, cur non apertè? Et vide mihi Papistarum ingenium. Bellarminus semihulcis labris, nescio quid susurrat, vt ostendat non impiè rogari Mariam, vt natum iubeat. Noluit prorsus *ἀναπολόγητον* deseri; tam pium zeli papistici documentum: & tamen apologiam perficere erubuit. Sic fugit ad salices: & se cupit ante videri. Satin' Theologicè? Verùm quod tam catè cautè Bellarminus solo indicauit digito, Cotonus plenius exsequutus est, & probauit non impiè potuisse sic orari Mariam. Examinemus argutias.

VIII. Si Iosue decimo dictum est, Deum obediuisse voci hominis: Ergo & nunc rogari potest Maria, vt imperet Christo iure Matris. Miram Bellarmini securitatem! Quasi sibi cum fungis sciret esse negotium. Atqui nunquam Scriptura dicit, Deum obedite voci hominis. Nunquam Spiritus Sãctus adeo depressit infinitam illam maiestatem. Solis, solis reliquit Papistis, tantam blasphemiam. Quid tum autem si peccauit Latinus interpres? An satis id solidum fundamentum tantæ blasphemiæ? Certè non magis hoc loco vlla est Dei obedientia, quàm Geneseos vigesimo primo, *Exaudiuit Dominus vocem pueri*. Et trigesimo, *Exaudiuit vocem meam*. Et similibus locis infinitis. Quærant quibus nimium est otij; cur Interpres ille eandem vocem, quam aliàs semper in eadem phrasi vertit *exaudire*: hoc loco maluerit exprimere per obedientiam. Sed si non fuit vnus homuncio satis cautus, non est æquum tamen Papistarum insaniam, pro lege haberi.

IX. At Cotonus longè acutior Apologetici pro Matre Dei, capite decimo octauo. Lucæ secundo dicitur Christus subditus fuisse parentibus. Si subditus, inquit: Ergo iussionibus obnoxius: Nam imperare & subiici, relata sunt. Et Marci decimo, Lucæque vigesimo negat sese Christus venisse, vt sibi ministraretur, sed vt ministraret potius.

X. Miram Theologiam! Itáne verò? vt nihil sit discriminis inter aduentum Christi primum, & sessionem ad dextram? Vt seruum adhuc Dominus agat, etiam nunc, cùm venit in gloriam suam? in regnum suum? Ergo nunc etiam sistatur coram Pilato: Ergo cædatur virgis; Ergo crucifigatur: Ergo sepeliatur. Nam quis neget ad ea omnia experiunda venisse primo? Quid? quòd non Mariæ tantùm subditus fuisse dicitur: sed etiam Iosepho? Non enim *ὑποτασσόμενος αὐτῇ*: sed *ὑποτασσόμενος αὐτοῖς*: nimirum antè nominatis, patri & matri. Quid ergo? An Iosephum ita orari probèt Iesuitæ, *Sancte Ioseph iube Christum: iure patris impera*? Similiter venit ministrare, non vni virgini Mariæ, sed suis discipulis. Ergo-ne etiam Petrus imperabit Christo? Nam hoc quidem consequens necessarium: æquè ac illud Cotoni. Nimirum solemne est Cotono, cum magis ineptire, cùm magis serio ratiocinatur. Longè sanctior Chrysostomus homilia vigesima in Ioannem, [illegible Greek]. *Quia illum pepererat, existimabat Maria, se ex more matrum aliarum omnia imperaturam: cùm deberet tanquam Dominum colere & adorare.* Sic in terris: quanto magis in cœlis. Nyssenus in illud, quando sibi subiecerit omnia, [illegible Greek] *Illa ipsum hortante in Cana Galilea, vt suam ostenderet potentiam in nuptiali epulo, & vsum vini largiretur conuiuio, egentibus quidem non recusauit gratificari, maternum autem consilium, vt quod minimè in tempore adhiberetur, reiecit,* [illegible Greek] *Si ergo in vita, quæ est in carne, iustus & competens ætatis modus genetricis excussit subiectionem, quem locum habeat subiectio in vita illius, quæ in virtute sua seculo dominatur, nemo dicere possit.*

XI. At Catholici obseruant Christum in aduentu illo primo, quum exinaniuit se sumpta serui forma, ita subditum fuisse Mariæ, vt tamen in rebus regni cœlestis, ostenderit nihil illi iuris esse. Lucæ secundo, *Quid est quod quærebatis me? an nesciebatis quòd in iis quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Ioannis secundo, *Quid mihi tecum mulier?* Matthæi 10. *Quis est mater mea? Et qui sunt fratres mei?* Et quisquã credat nunc in cœlis positum, nũc elatũ super omnia, nunc sedentẽ ad dextrã Patris, vt illi flectatur omne genu etiam cœlestium, in quibus Maria: hoc, inquam, statu quisquam eum credat obnoxium mandatis Mariæ? Et subditum in rebus pertinentibus ad suum cœleste regnum? Nam quid pertinet ad regnum cœleste, si non ea pertinent, quæ postulantur à Papistis inuocantibus: remissa peccatorum, augmentum gratiæ, vita æterna, alia plurima?

XII. Instat Cotonus, & ne illud, *venit vt ministraret*, quis intelligat de statu peregrinationis Christi, obiicit ex Lucæ duodecimo Christum loquentem de vita futura, eadem vti phrasi, *Transiens ministrabit illis.*

XIII. At hoc argumentum est allegoricum, id est, nihili, si non habet locos perspicuos, ex quibus constet re vera Christum ministraturum omnibus Sanctis. Et omnibus inquam: vt possit quilibet nunc orari eodem modo quo oratur Maria, vt impere-

Christo. Hoc nisi doceat, frustra est, quum disputat. Nam Catholici, vt nuptias, vt discubitum allegoricè intelligunt, id est, non nuptias, non discubitum: sic etiam ministerium allegoricè, id est non ministerium. Zacharias Chrysopolitanus. *Transiens ministrabit, quia rediens de iudicio ad regnum, post ipsum iudicium nos lucis sua illustratione, satiabit. Vel certè transiens dicitur ministrare, quia suos feliciter transire faciet, cùm de speculatione humanitatis ad contēplationem diuinæ claritatis eleuabit.* Euthymius. *Præcinget se instituta retributionis: & faciet illos discumbere, ad requiem sempiternam, tanquam eos qui propter ipsum laborauerunt: at ministrabit illis distributionem dignarum retributionum.* At huiusmodi ministerium, non eius est qui iussionibus paret: sed eius potius, qui iis ipsis imperat, quibus ita ministrat. Maldonatus, *Qua ratione hoc sit ad Christum accommodandū, nō est nimis ingeniosè quærendū. Nihil enim aliud significatur, quàm illum nobiscum gloriam, quam habet, communicaturum.* Et paulò pòst, *Non quòd ipse nobis ministraturus sit: in eo enim non est parabola ad rem, de qua agitur, accommodanda.* Postea eo sensu dicit ad Christum applicandum, quod nobis in cœlo inusitatum & incredibilem honorem, gloriámque sit exhibiturus, & pares nos sibi quodammodo facturus.

XIV. Rursus instat. Autor naturæ perficit, at non destruit opus manuum suarum. Ergo subiectio naturalis filij ad matrem, & matris ad filium, nunquam amittitur: sed potius in cœlis perficitur. Ergo postquam semel Æterno Verbo placitum est Mariam agnoscere pro vera matre, ita etiam in cœlis, quandiu verus erit Deus & homo.

XV. Pulchrè. Nam exinanitio, & status ille humanitatis scilicet perficietur, & non potius abolebitur? Nisi fortè Iesuita neget eum statum esse opus manuum Dei. Cæterum agnosci etiamnum pro matre Christi Mariam, nemo dubitat. Sed omnia quæ in hac vita materni iuris sunt; hæc item in cœlis permanere, hoc verò incertum est. Nam ne in hac quidem vita ita fit. Reges quandiu pueri sunt, matrum imperiis sunt obnoxij: non item postquam ætate viri, regnum per se administrant. Tum enim contrà matribus filij imperant. Denique eadem erit argumenti vis in Iosepho. Nam etsi non fuit naturalis Christi pater Iosephus: tamen ei se subdidit, quasi patri. Quod si id perficitur in cœlis: Ergo hodie multo magis subditus est Christus Iosepho, quàm olim quum puer esset. Quid Coronus respondebit?

VI. Pergit argumentando. Geneseos trigesimo secundo, *Dimitte me*, inquit Deus Iacobo. Et Iacobus contrà, *Non dimittam, nisi benedixeris mihi.* Et Exodi trigesimo secundo, *Dimitte me, vt irascatur furor meus.*

XVII. Quorsum hæc? An illud *sine me*, significabit, desine imperare mihi? Atqui falsum. Nam Moses Exodi trigesimo secundo, Deo non imperabat: quis enim credat? Imò statim ipse Moses, *Deprecatus est faciem Iehouæ Dei sui*, id est, orabat Dominum. Non imperabat igitur: non iubebat. Et tamen si hoc ipsum concederetur, ex vi argumenti, non sola Maria iuberet natum, non sola imperaret. Nam cur non etiam Moses? Cur non reliqui sancti? Sed ludunt: profectò ludunt Papistæ, non disputant, & sibi persuadent, aliis etiam persuasum velint, non interesse quid dicant, graue an leue: solidum an inane: verum an falsum: dum dicant. Quasi non hominum religio, sed stipitum esset negotium.

XVIII. Tertiò Bellarminus queritur à Caluino Papistas argui, quòd ante statuas Barbaræ, vel Catharinæ, demurmurent *Pater noster*: & pastores eorum suo plausu hunc vsum approbent. Respondet autem etiam simplicissimos si interrogentur, respondere se orationem Dominicam dirigere ad Deum: sed coram imaginibus, sperantes per auxilium Sanctorum suam orationē ad Deum melius, & facilius peruenturam. Secundò, etiam si aliqui tam stupidi essent, vt Sanctæ Barbaræ dicerent, *Pater noster*, imperitiam aliquorum traduci non debere, quasi esset dogma Ecclesiasticum: nec Pastores huiuc abusum probare.

XIX. De facto constat, & quotidie mille fiunt experimenta. Nam Papistæ vix alias preces [illegible], præter, *Pater noster*, & *Aue Maria*. Eas preces aduoluti genibus demurmurant coram imaginibus, quas deligunt pro suo arbitrio. Quo nihil cogitari potest absurdius, nihil ineptius, nihil Christiana fide indignius. Neque vnquam factum, nisi tum quum linguæ incognitæ peruasit vsus Ecclesiam. Nam quis tam stupidus fingi possit inter homines, qui [illegible] intelligat quid sit, *Pater noster*, iis verbis, oret Blasium, Eligium, Gingolphum, Gignefortum, & quod omnem superat stuporē, Barbaram, Catharinam, Margaretam, Mariā? Quis, si salutet Annam, Magdalenam, Thaidem, aut etiam Adulphum: Andeolum, Baldomerum, Basolum, declamitat *Aue Maria*? Et tamen ita fit, omnino ita fit apud Papistas.

XX. At sciunt se orationem Dominicam dirigere ad Deum. Qui, inquam, id sciūt, Iesuitæ fortasse: & pauci cum iis, aut pauci post eos doctorculi. Nonnulli etiam, si fortè, in plebe nasutiores. Plebs ipsa nescit: nescit, inquam, plebs humilior, quam sua ignorantia detinet: imò quam in ignorantia detinent versutissimi prælati; qui se illis pascendos norunt. Sed si sciunt, cur coram Chrysogono, Iuone, Rocho, Berardo? Sperantes, inquiunt, per auxilium Sanctorum, suam orationem ad Deum melius & facilius peruenturam. Optimè, inquam, non enim secreta cordium Deus nouit: nimiùsque à summis cœlis terra distat, vt hinc oratores illinc subitò possit audire. At hæc spes, hæretica est, papistica est: non est Catholica: non est Christiana.

XXI. At non oportet imperitiam aliquorum traduci, quasi dogma Ecclesiasticum. Rectè, inquā: sed potest imperitia, plerumque omnium Papistarum, reprehendi tanquam dogma Papisticum. Nam Ecclesia tantam stupiditatem, neque propinat, neque tolerat: At Papistæ, si non propinant, certè tolerant. At Pastores non probant. Quid tum, inquam, si tolerant, si fouent? Et hoc Caluinus reprehendebat, *Hunc furorem*, aiebat, *tantum abest vt Pastores sanandum vel cohibendum curent: vt quæstus odore allecti, plausu suo comprobent.* Rectè, & piè. Nam quid tum si Iesuitarum, si Papistarum ingratiis?

Cap. II.

An Scriptura doceat inuocationem Angelorum.

I. Ex Scripturis Papistæ probant Angelos fuisse inuocatos. Becanus disertè in Analogia

Vet-

Veteris ac Noui Testamenti, capitis tertij quęstione 6. disputat ex professo, etsi non sanctos homines, tamen Angelos fuisse inuocatos in Veteri Testamēto. Et citat primum, ex Geneseos cap. 48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hic apertè Sanctus Iacob Aogelnm innocauit. Nā idem est (inquit Lorichius) ac si dixisset, Angele Dei, benedic pueris istis. Et Beccanus notauit disertè Iacobū primū quidē inuocasse Deū, deinde Angelū custodē.

II. Respondeo, primò nullam esse inuocationem: sed duntaxat expressum desiderium, quo Iacob ita fieri cupiebat. Quemadmodum aliàs sæpe. Geneseos 27. cum Isaac Iacobo benediceret, *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus.* Quis credat innocatos ab Isaaco fuisse populos, & tribus? Geneseos 17. *Vtinam Ismael viuat:* nec tamen Ismaelem credo; innocabat Abraham. Imò statim eodē loco, *Inuocetur in eis nomen meū,* eadem phrasi. Itaq; sophistæ nimium sunt audaces, qui sua tantùm freti autoritate exponant, *Angele Dei, benedic,* cùm potius debuerint simpliciter dicere, Abrahamum seriò optare, vt Angelus benediceret: quod quidem fieri potuit, etiam si nunquam vel in animo habuerit Angelū inuocare, sicut potuit dicere, *Inuocetur nomen meum in iis,* etiā si dicerē nō potuerit: ô nomen meum, innoco te, vt tu inuoceris in iis.

III. Secundò, Angelum hunc à Iacobo nominatum, non certum est esse creatum. Nonnulli enim Patres, iique noo postremi ordinis contrà senserunt, imò disputarunt. Est autem contextus huiusmodi, *Deus, in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei Abraham, & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescētia mea vsque in præsentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Vbi non tantùm coniungitur Deo Angelus, quod iam valde est præter morem Scripturę, si is Angelus creatus est: sed etiam vnum idémq; beneficium à Deo postulatur, & ab Angelo: quod ferre non possint facilè aures piæ.

IV. Itaque Athanasius contra Arianos oratione quarta probans ex Paulo ad Thessalonicenses, *Ipse autem Deus Pater noster, & Dominus Iesus Christus dirigat viam nostram,* ex iis, inquam, verbis probans Athanasius τὴν ἑνότητα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, vnitatem Patris & Filij, nimirum quod in eodem voto vterque esset cōiunctus: ὁ τοιαύτην εὐχὴν, inquit, δείκνυσι τὴν ἑνότητα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. *Hac eadem donatio probat Vnitatem Patris & Filij.* Cur non ergo in Genesi probaret Vnitatem Dei & Angeli? οὐκ ἂν γὰρ εὔξαιτό τις λαβεῖν παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἀγγέλων, ἢ παρά τινος τῶν ἄλλων κτισμάτων· οὐδ᾽ αὖ οὕτως, δῴη σοι ὁ Θεὸς καὶ ἄγγελος, *Nunquam enim quisquam precaretur accipere à Deo, & ab Angelis, aut ab vllis rebus creatis. Neq; quisquam hanc verborum formam concepit, Det tibi Deus & Angelus.* Satin' id ex ingenio Iesuitarū? Sed statim ad hunc ex Genesi locum, εἰ δὲ ὁ Πατριάρχης Ἰακὼβ εὐλογῶν τοὺς ἐγγόνους Ἐφραὶμ καὶ Μανασσῆ ἔλεγεν· ὁ Θεὸς, ὁ τρέφων με ἐκ νεότητός μου ἕως ἡμέρας ταύτης· ὁ ἄγγελος ὁ ῥυόμενός με ἐκ πάντων τῶν κακῶν, εὐλογήσαι τὰ παιδία ταῦτα, *Quod si Patriarcha Iacob benedicens nepotibus Ephraim & Manasse dixit, Deus qui aluit me à iuuentute mea ad hanc diem: Angelus qui eruit me ab omnibus malis, benedicat pueris istis,* οὐ τῶν κτισθέντων, καὶ τὴν φύσιν ἀγγέλων ὄντων ἕνα συνῆπτε τῷ κτίσαντι αὐτοὺς Θεῷ· οὐδ᾽ ἀφεὶς τὸν τρέφοντα αὐτὸν Θεὸν, παρ᾽ ἀγγέλου τὴν εὐλογίαν ᾔτει τοῖς ἐγγόνοις· ἀλλ᾽ εἰρηκὼς ὁ ῥυόμενός με ἐκ πάντων τῶν κακῶν, ἔδειξε μὴ τῶν κτισθέντων τινὰ ἄγγελον, ἀλλὰ τὸν λόγον εἶναι τοῦ Θεοῦ, ὃν τῷ πατρὶ συνάπτων ηὔχετο· δι᾽ οὗ καὶ οὓς ἐὰν βούληται ὁ Θεὸς ῥύεται· τοῦτον γὰρ καὶ μεγάλης βουλῆς ἄγγελον τοῦ πατρὸς εἰδὼς καλούμενον, οὐκ ἄλλον, ἀλλ᾽ ἢ αὐτὸν εἶναι τὸν εὐλογοῦντα, καὶ ῥυόμενον ἐκ τῶν κακῶν ἔλεγε: *Non vnum creatorum, & natura Angelorum copulauit Deo, qui eos creauit: neque omisso nutritio suo Deo, ab Angelo postulauit benedictionem suis nepotibus: sed dicens, is qui liberauit me ab omnibus malis, non vnum indicauit creatum Angelum: sed esse Verbum Dei, quem Patri in suis precibus sociauit: per quem quos vult Deus liberat. Hunc enim magni consilij Patris Angelum nouerat: nec alium, nisi illum ipsum qui benedicit, & liberat ex malis, suis verbis expreßit.*

V. Idem argumentum eodem modo tractat, iisdémque propemodum verbis Cyrillus Thesauri libro tertio, capite primo, *Nemo certè audire patietur dicentem aliquem, Vtinam Deus Pater & Angelus, verbi gratia, quispiam dirigat viam tuam.* Et obiiciens sibi hunc ipsum Geneseos locum, paolò pòst, *Sed si nulla, inquiunt, creatura cum Deo simul in faciendo, dandóve aliquid accipitur, quamobrem Patriarcha Iacob nepotes filios Ioseph benedicens ait, Deus, qui me alit ex infantia, vsque ad hunc diem, & Angelus qui liberat me ex omnibus malis, benedicat pueros istos? Ecce Deus nominatur: & Angelus vnà cum eo: & quidem in singulari numero benedicere dicitur.* Audisti obiectionem? audi solutionem. *Si prophetico spiritu decoratum hæretici fatentur, & Sanctum Iacob fuisse virum non negant, cuius gratia ita ipsum errasse contendunt, vt Angelum Deo coniunxerit, & vnà cum Deo posse benedicere putauerit? Nolint, quæso, ita Sanctum virum illum vituperare: sed verum suorum verborum sensum inquirant, si Sanctum fuisse illum arbitrantur. Sin verò minimè id putant, cur autoritate ipsius ad confirmanda dogmata vtuntur?* Omnino his verbis Cyrillus asserit hæreticum, & impium sensum esse eorum, qui Angelum à Iacobo cum Deo copulatum putant. Et statim, *Sed nos nugis hæreticorum contemptis, Patriarchæ verba breuiter exponamus. Spiritu ergo ille sancto ad veritatem dogmatum ductus: primò Deum orat, vt pueros benedicat: & simul etiam Angelum, qui liberabat eum ex omnibus malis: vt per Deum Patrem ipsum significaret, per Angelum autem Verbum Patris. Non enim ignorabat, quia nomen eius, magni consilij angelus est.* Istis alia subiicit, quibus probet Deum non Angelum, liberasse Iacobum ex omnibus periculis.

VI. Vtriusque ergo; Athanasij & Cyrilli sentētia est, Angelum, hoc loco nullū intelligi creatū: sed illum increatum, qui est Angelus magni consilij. Et iis calculum suum addit Procopius, *Iacobus cùm benediceret adolescentulos, nominauit Deum, qui ipsum aluit, & Angelū, qui ipsum in omnibus periculis seruauit: semper coniungens Deo Patri & Filium, qui apud Prophetam magni consilij Angelus vocatus est.*

VII. Antiquior etiam Nouatianus, ille quidē hæreticus tandem, sed tum Catholicus, cap. 15. de Trinitate, *Nemo Christum, sicut Angelum non dubitat dicere; ita etiam Deum hæsitet pronunciare tùm hunc eundem, & puerorum horum benedictionem per sacramentum paßionis digestum in figura manuum, & Deum & Angelum intelligat inuocatum fuisse.*

VIII. Sic illi, Chrysostomus haud lōgè ab iis abit Homilia 66. in Genesin, non distinguens tamen Patrem & Filium: sed Angelum eundem intelligens & Deū, *Et nunc iterum aliis verbis dicit:* exposuerat enim illa priora: *Deus qui pascit me à iuuentute mea.* Sequentia igitur ita accipit, vt sint alia quidē verba: sed vsurpata ad idem significandū. Iis igitur recitatis verbis, *Grata,* inquit, *anima ac pia, & bene memoris beneficiorum Dei verba. Ille inquit, cui patres mei benè placuerunt: qui me à iuuentute mea vsq; in præsentem diem educauit: qui me ab initio ab omnibus malis liberauit: qui tantam ergà me declarauit prouidentiam, ipse benedicat hos pueros.*

IX. Sic boni illi Patres. Frōto tamē Ducęus de Nouatiano noonihil habet quod admoneat. Non esse hunc eius scopum; vt ostendat hunc Angelum

esse Filium Dei : sed potius Iesum Christum esse Deum verum. Idque eum colligere ex hoc loco; siue illum Angelum quis dicat esse [illegible] Dei; siue quis Angelum putet duntaxat. Nam [illegible] Dei sit; ergo inuocatur [illegible]quam Deus in be[illegible]one precatorum. Sin Angelus: E[illegible] Angeli in Scriptura Dij dicantur, multò magis Christus. Deinde fateri Angelum posse inuocari, cùm dicat Christum inuocari tanquam Deum; & tanquam Angelum. Itaque Nouatianum Papistis fauere.

X. Sed hoc specimen est Iesuitici ingenij in malè tractādis Veterum libris. Tam enim procul à verbis Nouatiani discedit: quam qui maximè. Rectè obseruauit Pamellus initium huius capitis esse mutilū. Ego certè censeo multa deesse, in quibus loci multi citabantur, vbi Angeli nomen pro Deo erat; aut Angeli dicebantur Dij. Id facilè colligas ex his verbis, *At si aliquis haereticus pertinaciter obluctans aduersus veritatem, voluerit in his omnibus exemplis propriè Angelum intelligere, aut intelligendum esse contenderit, in hoc quoque viribus veritatis frangatur necesse est.* En audis, *in his omnibus exemplis*: cùm tamen in edito codice, vnicus iste locus legatur, de cuius explicatione contendimus. Interea ex ipsis verbis patet Nouatianum probare ex Iacobi verbis Filium Dei esse Deum: nimirū, quia inuocetur cum Patre. Id ea quæ excerpsimus tā manifestum faciunt, quàm quod manifestissimum est. Cætera, quę Fronto profert, falsò profert: non enim ille ex vtroque sensu argumetatur: sed opposita sibi hæretici obiectione, negantis iis locis Angelos esse propriè; tum alia tela conquirit, quibus ipsos conficiat. Et sanè, quis caput aut pedes agnoscat in hac argumentatione, quæ Nouatiano imputatur? Hoc in loco Geneseos Angelus vel Christus est, vel Angelus propriè: si Christus, ergo Deus est. Si Angelus, ergo multò magis Christus Deus est, quā Angelus. Hoc, inquā, quo artificio extundi potest, ex eo loco? Nā Angelus ille non appellatur etiam Deus: sed distinguitur à Deo. Id verò ne Oedipus quidē cōcipiat. Quid illud, Angelū posse inuocari: vnde habet? non enim dixit Nouatianus. At dixit Christum inuocari tanquā Deū, & tanquam Angelū. Imò Nouatianus non dixit: sed perfidiosissimè Fronto commētus est. Dixit Nouatianus Christū esse Deum, quia & Deus & Angelus inuocatus sit: Nempe quia eundem intellexit Deum, & Angelum, id est, Filium Dei.

XI. Interea certum, primò ab iis Patribus hoc loco Angelum intelligi nullum creatū: ideóq; non posse hinc probari Angelorum inuocationē. Secūdò, alienū à Christianis fuisse, imò piis auribus intolerabile, creaturā inuocatione Deo copulari. At hoc apud Papistas, tā tritum, tā vulgatum est, tā quotidianum, vt nihil magis. Vix aliter precantur, Deo addunt Sāctorum aliquē, eum nēpe cui deuoti sunt. Si sternutet quis, iuuet te, inquiunt, Deus, & beata Virgo. Si stipē petat mendicus: Prouideat tibi Deus, & dominus Sanctus Petrus. Si morbo quis laboret, præsto erit ei morbo Sanctus aliquis præsidens: vt si peste: sanet tē Deus & dominus Sanctus Rochus. Si hydropisi: sanet te Deus & domin[us] Sāctus Eutropi[us]. Si epilepsia: sanet te Deus & dominus Sanctus Ioannes. Quid omnia percurram? Atque [illegible] *Sufficeret*, inquit Athanasius, *Patrē ista solum dare, nulla ex creaturis in ratione dādi in societatem admissa*. Et illi [sc]ilicet Christiani, & illi Catholici, scilicet.

XII. [S]ed obiicit rursus Fronto, alios hunc eundem locum de Angelo propriè interpretantes. Augustinum in capite v[illegible] L[illegible] qu[illegible] [illegible]sin, concludentem inuoc[ari] posse nō [illegible], sed etiam aliud. Chrysostomum hom[ilia] vigesi[ma] quarta in Ge[nesin], & se[r]mone de Ascensione. Basilium libro te[rtio] c[o]ntra Eunomium. Athanasium ad Serapio[nem]. Vo[l]fgangum Musculum in Genesin. Biblia Tigurina. Melanchthonem in articulis Bauaricis. Caluinum Institutionis libro primo, capite decimo quarto, paragrapho sexto.

XIII. Respondeo primò, Augustinum falsò citari: & Chrysostomi homiliam vigesimam quartam in Genesin: Et Athanasium ad Serapionem. Nam in Chrysostomo, nihil habetur de Angelis Iacobū alloquentibus: in Athanasio nihil de hoc Geneseos loco. Augustini verba sunt, *Iacob benedicens nepotes suos filios Ioseph, ait inter cætera, Et inuocabitur in his nomē meū, & nomen patrum meorum: vnde notandum est, non solum exauditionem, sed etiam inuocationem dici aliquando, quæ non Dei, sed hominum sint.* Vbi nihil de Angelo: de quo nos nunc agimus: sed de Inuocatione hominis, de quo suo loco nobis erit agendum. Inuocationē autem, cur non diceret etiam hominum? Potest enim esse ciuilis quædam inuocatio. Caluinus, etsi in Institutione locū hunc citauit inter alios, quibus probet Angelis hominum curā esse demandatā: tamen in Commentariis in Genesin, disertè transit in Athanasij, Cyrilliq; sententiā, *Si Angelū adiungit Deo, inquit, vt eum parē faciat. Certè diuinum illi cultū tribuit eadē ab eo quæ à Deo petens. Si de Angelo quolibet indifferenter accipias, absurda erit loquutio: quum potius Dei nomen ac personā sustinens in benedicendo filio, hac parte Angelus est superior. Quare necesse est Christū intelligi.* De Bibliis Tigurinis nulla est difficultas. Aliud enim est vertere singula vocabula, aliud singulorum vocabulorum sensum interpretari.

XIV. Superest Chrysostomus de Ascensione. Basilius cōtra Eunomiū: quos agnosco citasse hunc locū, vt probēt Angelis homines esse curę. Chrysostom[us], *Vt scias quod Angeli vbiq; versantur, audi quod Paulus femineo pudori prospiciens ait: Debent mulieres velamē habere supra caput, propter Angelos. Et iterū Iacob: Angelus, ait, qui liberauit me à iuuentute mea: & illi qui cum Apostolis erant, aiunt ad Herodem, Angelus ipsius est. Et Iacob. Vidi, inquit, castra Angelorū.* Basilius, [illegible] *Singulis autem fidelibus Angelum adesse, qui veluti pædagogus & moderator vitam eius regat, nemo infitiabitur, qui memor sit horum Domini verborum: Ne quenquam aspernamini ex minimis istis. Angeli enim ipsorum assiduè vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Et Psaltes ait: Castrametatur est Angelus Domini circa timentes ipsum: & illud, Angelus qui me liberauit iam inde à iuuentute mea.* Verū quàm disparilis est eorum autoritas qui obiter & in turma locū citāt: & eorum qui ex professo de eius sensu disputant? Nam ita Athanasius: ita Cyrillus. Itaque in Chrysostomo, Basilio, Musculo, sola est nominis autoritas, rationis nullum additū pondus. At in Athanasio & Cyrillo, cū nomen est nulla parte minus: tum ratio est certa. Quis ergo neget huc propendendum potius?

XV. Deniq; arguatur Frōto: Quū Scriptura quosdam appellat Angelos simpliciter, veri Angeli censendi sunt, beati illi spiritus, quorū natura est supra hominē, quibus nomen est ab officio. Geneseos 9.

Veni-

Venerunt duo Angeli. Sed quum quid præterea ad-[illegible], vt E[illegible] iæ nono, *μεγάλης βουλῆς ἄγγελος*: eiusdem [illegible] *Angeli pacis.* Malachiæ 3. *Angelus testamenti*: tum id nomen sumendum pro legato, aut nuncio.

XVI. Sed hæc obseruatio est nugatoria. Nam contrà Athanasius, Cyrillus, Procopius, hoc Geneseos loco Angelum absolutè nominatum intelligunt de Angelo magni Consilij, quem Septuaginta interpretes legunt Esaiæ nono. Itaque senserunt non semper Angelum absolutè nominatum, intelligendum creatum. His si suum nomen opponat Fronto; quis non rideat? Augustinus oratione de quinque Hæresibus: quem locú describam ex meo manuscripto codice, paulo aliter quàm in editis, & rectiùs, *Dixit Dominus ad Moysen: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Obserua eum, & audi vocem eius, ne contemnendum putes. Audisti Angelum: agnosce Dominum. Ne contemnendum putes. Adhuc audi: audi quod metuas: ne, inquit, contemnendum putes. Quare? Quia non dimittet quum peccaueris: & est nomen meum in illo. Quis est ille tam magnus, cui Deus & potestatem suam dedit & nomen? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Et vnde probamus, quòd quū dicitur Angelus, debeat intelligi Deus? Habes hoc in libro qui appellatur Genesis. Venerunt, inquit, duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth pro foribus.* Et nonnulla præterea. Augustinus ergo duobus locis manifestè Angelum simpliciter nominatum, non alium quam Deum intelligit. Et quidē de posteriore, ex Geneseos 19. cōtra Frontonem, nec solus. Nam assentitur Athanasius Dialogo tertio de Trinitate. Fallit igitur Frontonis axioma.

XVII. Sed redeo ad Bellarminum, Iob 5. *Voca si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Vbi nomine Sanctorum Angelos intelligit, vt exponit Augustinus annotationibus in Iob, qui etiam illud ex capite decimo nono, *Miseremini mei amici mei*, ad Angelos dici existimat.

XVIII. Respondeo, locum esse incertum, ac variè cùm olim, tum hodie expositum. Olympiodorus in Cathena, quam edidit, Latinámq; fecit Paulus Comitolus Iesuita, *Quid, inquit, præter dignitatem loqueris? idq, homo, quū sis? vsq, eo est enim homo inferior Deo, vt non solùm, nec videre illū, nec comprehendere queas: sed etiam vt nec à te millies inclamatus sis responsurus. Quid loquor Deū? quādoquidē nec eius Angeli in nostrū possūt aspectū incurrere?* Philippus Presbyter, *Voca ergo, si potes inuenire, qui tibi aliter dicat, &, vt iuxta hāc visionē perspexi* (nimirū capite præcedēti Eliphas visionē sibi oblatam narrauerat) *ad aliquē te Sanctorum hominum vel Angelorum conuerte. Non enim quisquam eorum tibi aliter est dicturus: præsertim quum hic sensus meus sensibus eorum conueniat.* Nec ab istis longè abit is, quisquis est, autor annotationū in Iob, quæ Augustino tribuuntur. *Idcirco Angelos non audire, non videre potest stultus, quia ira interemptus est, & à zelo occisus.* Recentiores: Varablus, minoribus annotationibus, *& ad quem Sanctorum, subaudi Angelorū, te conuertes? qui te scilicet dignetur sua responsione: quasi dicat nullus est Angelorum, quālibet paruus, qui non sit te superior, quiq, te dignetur alloqui. Ostendit hominē esse Angelis multo inferiorē, quanto magis Deo?* Mercerus, *Cohæret cum eo quod supra de Angelis dixerat. Nā per Sanctos, Angelos Dei hic intelligit, post nonnulla de hominū infima conditione interiecta, eodē rediens. Voca Angelorū aliquem, & eum inclama: an verò eorum vel minimus tibi respondebit? te suo sermone & alloquio dignabitur? nullū sanè reperies. Vides quantum à Deo distes: cùm ne Angeli quidē, longè Deo inferiores, te sint alloquuturi, si ad eos clames, ob distantiam quæ inter te est & illos. Alij ad Sanctos homines qui in terra sunt vel fuerūt referunt, hoc sensu, Age verò, voca & profer sanctorum virorum aliquem, qui tibi respondeat, & tuam probet sententiam, tui similem, qui vel talia vnquam, & tam grauia patiatur, aut passus sit quàm tu.*

XIX. Isti verò de Inuocatione, de Intercessione Angelorum cogitarunt nihil. Sed Gregorius, Lyranus, Dionysius Carthusianus, & reliqui Papistæ. Nōnihil etiam fortè Polychronius in Cathena: nisi Comitolus in vertendo Iesuitica fide vsus sit, & *inuocares*, dixerit pro *vocare*: qua de re nihil pronuncio, tātū suspicor; consuluisset ille melius suæ fidei, si Græcum contextum edidisset. Cæterum Polychronius videtur accedere ad Philippi sententiam, *Quod si recta ea esse putes quæ disseruisti, agesis, sententiæ tuæ comitem mihi profer aliquem. Sed nimirum ea vsus es orationis asperitate, vt nec Angeli cōspectu dignandus sis, si eum inuocaris.* Certè *inuocare* (nisi sit pro simplici *vocare*) non videtur valde facere ad conspectum Angeli.

XX. Cæterum, id saltem obtinemus, hunc locum non esse necessariò intelligendum, primò de Angelis: quia potest etiā de hominibus Sanctis: & his quidem non defunctis tantùm, sed etiam viuis. Secundò, etiam si de Angelis, vel Sanctis, tamē non de Inuocatione. Itaq; infirmā esse Papistarum ex eo argumentationē. Iam verò, quæ tāta autoritas est in Gregorio, Lyrano, Dionysio, vt præponderent reliquis antiquioribus? Quibus etiā accedit Iudæorū cōsensus, vt Mercerus notat. Quanquam mirādum sit, in tota Scriptura hūc vnicū extare locū de Inuocatione Angelorum: nullū etiam exēplum posse proferri ex tota Ecclesia Iudaica. Quod qui attentè cōsiderarit, facilè inducet in animū, torqueri à Papistis verba Eliphazi. Itaq; non tantùm eam ob caussam nō persuadet locus iste, quā Bellarmin⁹ attigit, nēpe, quòd verba sint Eliphazi: sed etiā, quòd verum non sit, indicari consuetudinem inuocandi patrociniū Angelorum. Multo audacius Eckij illud est, fuisse hoc à Iobo sanum amici consilium acceptatum, inuocandi scilicet Angelos. Quod vnde probabit?

XXI. De capite 19. *Miseremini mei, amici mei*, vix necesse est dicere: quum à Bellarmino proferatur dicis caussa, & tantùm, quia autor annotationum in Iob, inter opera Augustini, iis censet verbis, Angelos videri postulare, vt pro eo deprecentur: aut certè Sanctos, vt pro pœnitente orent. Sed alij longè aliter: & quidē obseruato orationis cōtextu. In Cathena quā edidit Comitolus, *Postquam ab amicis, à cognatis, à filiis, ab vxore; necnon ab iis, quibus antea ipse prospiciebat ac prouidebat suam dixit despici calamitatem: nunc ab orationis consequutione nihil recedens, amicos, qui aderant, eiusq, calamitates sine miseratione aliqua contuebantur, pene compellat his verbis, Si me iusta proferentem non veremini, saltē humanitatis miserationisq, sensum suscipite.* Nec aliter Philippus Presbyter. Gregorius, *Ecce, eos, à quibus se per contumelias affligi considerat, amicos vocat.* Atq; ita omnino necesse est: nam statim sequitur, *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Neque enim Iobum Angeli persequebantur: sed præsentes amici suis importunis reprehensionibus irritabant.

CAP. III.

An Scriptura defunctos doceat inuocandos.

I. SAnctos defunctos inuocari debere disputant his è Scriptura argumentis. Exodi trigesimo

secundo, *Recordare, Domine, Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum.* In quem locum Theodoretus, quæstione sexagesima sexta in Exodum, dicit Sanctum Mosen, quum se nō existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse etiam patrocinium Patriarcharum.

II. Respondeo primò: Nullam hîc esse formā, nullum exemplum sancti vllius inuocati: sed Dei solius. Et quamuis verum esset, quod Papistæ contendunt, proponi Deo merita Patriarcharum: tamen id tantū concludi posset, orandum esse Deum per merita Sāctorum, quod pertinet ad quæstionē de vnico Mediatore, alias disputatam: non autem orandos esse ipsos Patriarchas, quam quæstionem nūc agitamus. Et qui citantur loci ex Augustino & Chrysostomo, ita intelligēdi sunt: nihil enim habēt de inuocatione.

III. Instat Bellarminus: Sanctos ante aduentum Christi, quum moriebantur, nō esse ingressos in cœlum, nec Deum vidisse: nec ordinariè cognoscere potuisse preces supplicantium: ideo non fuisse consuetum in Testamento Veteri, dici, Sancte Abraham, ora pro me. Sed solùm oratum fuisse Deum, allegatis meritis Sanctorum, qui iam obierant, vt illis orationes inniterentur.

IV. Respondeo, ergo plenam esse & perfectam solutionem nostram, constare enim non fuisse inuocatos: imò ne potuisse quidem inuocari Sanctos vita functos, nisi suis placitis renuncient Papistæ. Itaque iam nos securos negare posse consequentiā, ab eo loco ad inuocationem Sanctorum. Quanquā illud de ingressu in cœlum cōmentum est, de quo suo loco, si Deus dederit, disputaturi sumus. Illud verius, non posse Sanctos post hanc vitam ordinariè cognoscere preces viuentium. Quæ si caussa fuit legitima non inuocandi Patriarchas, eadem legitima erit non inuocandi Sanctos? Nam ne hodie quidem Sancti denati, scire possunt ordinariè preces nostras, quod latiùs exsequuti sumus lib. 4. huius tomi.

V. Secundò respondeo, non orari Deum per merita Patriarcharum: sed orari per fœdus ab eo initum cum Patriarchis, id est, per gratiam suam, & misericordiam eius: Id patet ex ipso loco, *Recordare Abraham Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens, Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli.* Cui loco similis Psalmus trigesimus secundus, vbi rogatur Deus, *Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.* Et statim, *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Sunt & alij. Quin ipse Deus viā præiuerat. Exodi sexto, *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai, non indicaui eis: pepigique fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaam, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitū filiorum Israel, quo Ægyptij oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei.* Leuitici vigesimo sexto, *Tunc orabunt pro impietatibus suis, & recordabor fœderis mei quod pepigi cum Iacobo, Isaac, & Abraham.*

VI. Instat Bellarminus, negans hanc solutionem satisfacere: quia & pactū Dei, & iustitia Sanctorum simul commemorabantur: vt Psalmo 132. *Memento Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Et pòst, *Propter Dauid seruū tuum, non auertas faciem Christi tui.* Quæ verba sunt Salomonis orantis per merita Dauidis iā defuncti: & prioris Regum 15. *Propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem; vt suscitaret filium eius post eum: eo quod fecisset Dauid rectū in oculis Domini.* Danielis 3. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* Et Moses Exodi 34. Hieremias 2. cùm orabant Deum, initio dicere solebant, *Deus qui facis misericordiam in millibus his qui diligunt te,* id est, qui propter iustitiam patrum misereris sæpe aliorum: & id erat implorare merita Veterum iustorum. Vnde beatus Augustinus quæstione 149. in Exodum, *Admonemur, cùm merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.* Quod etiā Chrysostomus docet Homilia 42. in Genesin, & vigesima septima in Matthæum.

VII. Respondeo in hoc argumento, duo aduersariis esse supponenda: vnum, iustitiam Deo proponi defunctorum: alterum proponi pro aliis. His notatis, ad locos citatos dico, primùm in Psalmo centesimo trigesimo secundo nullam iustitiam proponi Deo: sed tantùm Dauidis afflictionem. Nam quid tum, si *mansuetudinem* Latina editio habet? At Propheta ipse *afflictionem* dixit. *Memento Domine Dauidis, omnis afflictionis eius.* Itaque hic locus nihil ad rem: falsumque orari à Salomone Deum per merita patris sui: quod Bellarminus affirmauit. Locus etiam ex Danielis tertio, describit tantùm Abrahamum, dilectum Dei: Isaacum seruum Dei: Israelem sanctum Dei: At id meritorum nullam significationem habet. Quanquam hic locus sit Apocryphus ex Cantico trium adolescentium in fornacem coniectorum.

VIII. Locus ex decimoquinto capite prioris Regum, explicatur facilè ex ea formula, *Deus qui facis misericordiam in millibus, his qui diligunt te.* Vnde satis constat, dilectionem illam non tanquam meritum proferri, sed tanquam differentiam. Vt sensus sit à Deo misericordiam fieri, non omnibus, sed iis tantùm à quibus diligitur: iis tamen ipsis facere misericordiam: itaque non meritis retribuere. Sed hoc alterius est loci. Interea hæc ipsa formula, non est meritorum iactatio, sed pacti commemoratio, quod nos contendimus. Itaque locus ille, in quo asseritur, propter Dauidem Deus constituisse hæredem Abiamo impio, nihil habet difficultatis: significat enim Dauidem eiusmodi hominem pium fuisse Deique amantem, ad quem pertineret fœdus illud quod propter filios nequam Deus irritum non faciat: itaque hîc nulla est aut Dauidis intercessio pro Abiamo, aut cuiusquam inuocatio Dauidis.

IX. Denique Theodoreti quæstio sexagesima sexta, qua frontē proferatur non facile est diuinare. Nam neque in ea quicquam est eiusmodi, neque in proxima: quæ ambæ ad eundē locum pertinent. In illa hoc duntaxat, *Clementiam diuinam obsecrauit, ne pœnas daret (Aaron) quod per diuinum Mosen in Deuteronomio patefecit: Deprecatus sum enim,* inquit, *Dominum pro Aarone fratre meo, & non est mortuus:* neque quicquam addit præterea. In sexagesima septima, *Moses, quamuis hoc Deus sufficere dixisset, quantum ad legationem pro populo obeundam, non tamen se idoneum existimauit ad placandam iram Dei: sed preces etiam obtulit, faciens Patriarcharū mentionem, & iurisiurandi illis præstiti, & ne pacta dirimerentur, supplicauit.* Nec plura. Vbi ergo illud Bellarmini, adhibuisse patrocinium Patriarcharum? Vbi hoc, inquam, in quo quæstionis nodus est? Nam Theodoretus sanè ad nos accedit, qui asserimus hac formula in memoriam reuocari fœdus initum cum Patriarchis.

X. Rursus citant ex quadragesimo octauo Genesis, *Inuocetur nomen meum super pueros hos, & nomina*

Patrum

Patrum meorum. Obseruandum, inquit Alphōsus de Castro, quod Iacob pręcipit inuocari super filios Ioseph nomina Patrum iam defunctorum: quoniam etsi mortui sint corpore, & mundo, tamen viuunt corā Deo. Et ex hoc loco, inquit Bellarminus, capite vigesimo de Sanctis, Augustinus libro Loquutionum de Genesi, docet inuocationem non solùm Dei, sed etiam hominum esse.

XI. Respondeo, primò ad Augustinum, nihil esse momenti in eius verbis: non tantùm, quia ex vitiosæ versionis occasione, sed etiam, quia non expressit quo sensu hominum inuocationem intelligeret. Nā inuocari homines, vt & coli, nemo dubitauit. Sed ab initio testati sumus nos agere de Inuocatione religiosa, siue de precibus religiosis. Potuit autem facile Augustinus, eodem modo hîc obseruare, nō Deum tantum inuocari, sed etiam homines: quomodo aliàs vidimus obseruasse non Deum tantùm, sed etiā homines adorari. Quare possumus cum bona Bellarmini venia Augustini locum præterire.

XII. Sed locus ex Geneseos quadragesimo octauo, immane quàm sit detortus. Nam eo significatur adoptatio duorū filiorum Iosephi Ephraim & Manasse; qui censendi erāt eodem loco, quo reliqui naturales Iacobi filij, quasi nō eos Iosephus genuisset. Itaque inuocetur super eos nomen meum, idem est ác si diceret, appellentur de nomine meo: quomodo Esaiæ quarto, *Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos*. Hoc est, inquit Arias Montanus in Idiotismis Hebraicis, *Dicamur vxores tuæ*: nec aliter Lyranus. Cyrillus: *Nomine tuo vocemur*. Similiter hoc Geneseos loco Lyranus. *Quia vocati sunt filij adoptiui Iacob, & facti sunt capita duarum tribuum*. Vatablus. *Dicantur posthac filij mei: & filij Abrahæ & Isaac*. Mercerus. *Vocentur de nomine meo & patrum meorum: dicantur filij, & patrum meorum, non tui filij*. Nec Iudæi aliter. Et sanè miror Bellarminum, qui paulò antè confessus est Patriarchas non esse solitos inuocari, quia non essent admissi in cœlos, nec possent ordinariè intelligere orationes supplicantium, tam subito mutatum, nobis Iacobum haud aliter pinxisse, quàm Legendarij solent suorum Sanctorum nōnullos morti proximos, desiderio sollicitatos, vt in posterum à Christianis inuocarentur. Apud Petrum de Natalibus in Sanctis nuperrimè canonizatis, Rochus, *Dominum orans, vt inuocantes nomen suum à saeuissima pestilentia protegerentur, in pace obdormiuit*. Et in Legenda aurea Margareta, *pro se & suis persecutoribus, nec non & pro eius memoriam agentibus, & se inuocantibus deuotè orauit, addens, vt quæcunque in partu periclitans se inuocaret, illæsam prolem emitteret*.

XIII. Citat Eckius ex Psalmo trigesimo secundo, *Pro hoc orabit ad te omnis sanctus tempore opportuno*. Et Hebræi, inquit, legunt, *omnis misericors*: beati autem sunt sancti & misericordes.

XIV. At primò nihil in verbis Propheta de inuocandis Sanctis: tantùm enim Deum inuocari docet à Sanctis, quod quis reuocat in dubium? Secundò, cur *pro hoc*, legit Eckius? Nam vulgata versio habet *pro hac*: & sic veritas Hebraica ad verbum: & phrasis significat *propterea*, siue *ob eam caussam*. Sancti autem siue misericordes, sunt fideles dum sunt in viuis. Rickel, *Pro hac re, id est, pro remissione peccati, orabit ad te omnis Sanctus, id est, omnis viator quantumcunque perfectus*. Euthymius, *Id est, ab hac iniquitate mihi remissa pius ac religiosus vir quilibet instinctu rogabit te. Vbi enim innotuerit remissum mihi esse peccatum, statim vt confessus sum, imitabuntur me deinceps pij omnes*. Remigius, *Omnis Sanctus, id est omnis qui vult fieri Sanctus. Nullus enim sanctificabitur, nisi cui tu dimiseris peccata*.

CAP. IV.

De inuocandis viuis, & de miraculis.

I. NEc habent, quod sciam, plura Scripturarum testimonia. Sed præterea argutiolas Bellarminus. In vtroque testamento sæpe legimus viuentes à viuentibus inuocatos. Prioris Samuelis, capite septimo, dicunt filij Israel ad Samuelem, *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum*. Iob vltimo, *Ite ad seruum meum Iob, ille orabit pro vobis*. Ad Romanos decimo quinto, *Obsecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum*. Item ad Ephesios sexto, prioris ad Thessalonicenses septimo, posterioris tertio. Quartò ad Colossenses, decimo tertio ad Hebræos. Ergo licebit etiam nunc inuocare eosdem Sanctos cum Christo regnantes. Et confirmat consequentiam. Si enim non licet, vel quia nolunt, vel quia non possunt, vel quia nesciunt, quod oremus: vel quia iniuriosum sit Deo. At non primum: quia maiori nunc sunt charitate prædití, quàm antea. Non secundum: quia si poterant, cùm essent peregrini, quanto magis nunc in patria? Non tertiū: quia vnde Angeli sciunt conuersionem peccatorum; inde Sancti sciunt viuētium preces. Non quartum: quia si iniuria fiat Deo aut Christo, quum alius inuocatur: Ergo non licetet viuentes inuocare.

II. Respondeo, inuocationem aliam esse religiosam, aliam ciuilem. Illā, quæ fit precibus sacris, siue, vt Augustinus loquebatur, ritibus religiosis. Hanc quæ ex solo charitatis vinculo: quum alij alios rogamus: alij ab aliis postulamus quippiam: ita mutuum societatis commercium exercentes: vt Iudicum vigesimo primo, *Rogātibus, vt acciperent non dedistis*. Ruth secundo: *Rogauit vt spicas colligeret remanentes*. Ad Philippenses quarto, *Rogo & te Germane compar, adiuua illas*. Et aliàs sæpissime. Nihil enim est in vita hominum frequentius hoc commercio, rogandi, petendi, postulandi, orandi.

III. Itaque si inuocatio intelligatur religiosa, negatur antecedens, id est, vnquam à piis viuentibus religiosas preces oblatas esse cuiquam viuentium. Nam preces religiosæ, sunt adoratio religiosa. At nunquam adoratus est quisquam viuentium adoratione religiosa: nam ne mortuorum quidem; imò neque Angelorum, vt disputatum est libro præcedente: Ergo neque cuiquam oblatæ preces religiosæ. Nec loci citati contrà eniuncunt. Nam in primo Samuel rogatur à populo, tanquam Sacerdos. Nunquam autem auditum est Sacerdotem inuocatum fuisse religiosè: sed tantum aditum ab iis qui eius ministerio indigebant. Atque adeo hoc ipso loco, non dicuntur inuocasse, aut orasse Samuelem Israelitæ: sed tantùm dixisse ei, *Dixerūntque ad Samuelem: ne cesses pro nobis clamare*. Quis autem est, qui inde extundat inuocatum fuisse Samuelem? In Iobo, *Ite ad seruum meum Iob*: non autem, Inuocate seruum meū Iob. Nisi fortè cū Christus Matthęi 8. dixit: *Abi, ostende te Sacerdoti*, credimus iussisse vt inuocaretur ille Sacerdos. De Paulo facilius est negotium. Nam quis credat innocatos ab eo fuisse Romanos, Ephésios, Thessalonicēses, Colossenses, Hebræos? Atquī

inuocatio religiosa est adoratio: adoratio autem est ipsis Papistis definientibus, agnitio superioritatis. Nulla autem parte erant illi superiores Paulo. Itaque non sunt adorati: ac proinde neque inuocati religiosè.

IV. Sin autem inuocatio ciuilis in antecedente ponitur, vt est necesse: conceditur inuocari viuentes à viuentibus: quanquam id vocabuli, iampridem fere, vt adorare, sacratum est religioni. Sed si intelligitur, inquam, inuocatio ciuilis; negatur consequentia, siue ea loquatur de inuocatione ciuili, siue de religiosa. Nam de religiosa quidem manifesta res est. Nemo enim tam sensu communi vacuus inuenietur, cui hoc placeat axioma: Omnes, qui ciuiliter inuocantur; posse etiam religiosè inuocari. Nam ciuiliter inuocari possunt, primò minores à maioribus, vt diximus sic inuocatos à Paulo Romanos, Colossenses: & reliquos: Imò à Christo certum est inuocatam ciuiliter Samaritanam, Ioannis quarto. *Dicit ei Iesus, Da mihi potum.* Et illa subiungens: *Quomodo tu Iudaus cùm sis, potum à me poscis?* Secundò, inuocari possunt ciuiliter etiam impij. Lucæ decimo octauo. *Iudex quidam erat in quadam vrbe, qui Deum non timebat, nec quemquam reuerebatur: Erat autem in illa vrbe quadam vidua, qua venit ad eum, dicens, Vindica me ab aduersario meo.*

V. De ciuili autem, non maior est difficultas. Nam neque quisquam sanus asserêt, eos, qui in vita ciuiliter adorantur, adorari etiam ciuiliter post mortem. Nam ratio est manifesta: quia ea ciuilis inuocatio, non tantùm fit, ad honorandum eum qui inuocatur, sed etiã ad conseruandũ illud quod diximus, mutuæ societatis commerciũ; quod iã nullum nobis est cum mortuis; quos Deus subduxit negotiis huius vitæ. Itaque quanquam ab iudice illo iniquo mulier illa postularet se vindicari: tamen nemo vnquam ita iudicem vllum post mortem rogauit. Et quanquam Israelitæ viuenti Samueli dicerent, Ne cesses clamare pro nobis: tamen nunquam idem mortuo dictum est.

VI. Ad confirmationem respondeo: Si de religiosa inuocatione loquaris; primùm nolle Sanctos sic inuocari: etsi maiore prædiri sint charitate: quia nemo propter charitatem sic inuocatur: sed propter omnipotentiam. Secundò, non posse sic inuocari, absque impietate: quia non propter maiorem potentiam quisquam sic inuocatur, sed propter infinitam. Tertiò, nescire quid otemus; vt probatum est libro quarto huius tomi. Quartò, iniuriosum esse Deo & Christo; quibus solis debetur inuocatio religiosa. In argumento autem: Ergo ne viui quidem inuocandi essent: conceditur consequentia de adoratione religiosa, negatur autem de adoratione ciuili. Legitimè enim cõcluditur, Mortui non debent inuocari religiosè: Ergo neque viui. At vitiosissimè: Mortui non sunt inuocandi ciuiliter: Ergo neque viui.

VII. Iam verò si de Ciuili inuocatione sermo est: negamus Sanctos primũ velle sic inuocari: quia quæ sunt supra sortem suam, sine dubio illi nolunt. Secundò, non posse: & ideo non posse; quia, tertiò, nesciunt se à nobis inuocari, nullum habentes nobiscum ciuile commercium. Nam ciuiles huiusmodi preces, vel præsentibus fiunt, vel absentibus quidẽ, sed vel per literas, vel per nuncios. Sancti autem neque præsentes sunt nobis, in hac vita constitutis. Neque per literas, aut nuncios à nobis moneri possunt: itaque nullo ciuili modo rogari queunt.

VIII. Aliud argumentum habent Papistæ, à miraculis infinitis, quibus Sancti testati sunt, se audire preces viuentium, & posse ac velle eos iuuare. Cuiusmodi miracula leguntur in Epistola Nili, quæ recitatur in Synodo Nicena secunda, actione quarta, & apud Theodoretum in historia libri quinti, capite vigesimo quarto, & libro octauo ad Græcos: Ambrosium sermone nonagesimo de Sancta Agnete: Augustinum libro vigesimo secundo de Ciuitate Dei, capite octauo: Gregoriũ Turonensem in libris de Gloria Martyrum, & Confessorum. Gregorium Romanum libro tertio Dialogorum. Bonauenturam in vita Francisci.

IX. Respondeo, primò hanc probationem à miraculis per se nullã esse, hoc est, nisi res ipsa aliàs cõstet è Scripturis. Primò, quia ipsa per se nihil docẽt, sed per accidens. Itaque facilè possunt in varios vsus ab hominibus transferri. Sic Actorum tertio, Iudæi cùm claudum viderent sanatum, tota bereba[n]t Petro & Ioanni: ideóque reprehensi: *Quid intentos oculos in nos habetis, quasi propria vi, aut pietate effecerimus, vt hic ambularet?* Similiter Actorũ 14. Lystrenses Paulo sacrificaturi erant ob simile miraculũ. Itaq; nesciebãt aut Iudæi, aut Lystrenses, ea miracula eum in finem facta, vt crederent in Christũ: nisi ab Apostolis moniti fuissent. Similiter ergo facile possunt miracula à suo fine in alienũ detorqueri, ab iis qui sibi persuadẽt Sanctos innocandos. Vt autem certum quidnãde concludatur, oportet idipsum constare ex Scripturis. At verò Sanctorum inuocatio, nullis omnino scripturis nititur: quin potius ab iisdem refutatur. Ita frustra miracula decantantur.

X. Secundò, miraculorum fingendorum vix vllus est modus, & in iis multi semper fuere ij qui in idololatriã, aut certè in superstitionem proni fuere. Sic Gregorius ille Romanus, ridicula multa, & vix fungis digna, collegit. Itaque à Cano libro 11. locorum cap. 6. inter eos scriptores numeratur, qui indulserit ingeniorum suorũ voluptati, imò & vulgo. Gregorium Turonensem Baronius anno 109. nimiæ simplicitatis arguit, multa facile admittentem. Et verò, vt plurima omittam, quantæ stupiditatis illud est de puteo in quo stella apparet, quæ Magis dux fuerat: illud de sanguine Ioãnis Baptistæ excepto à muliercula Galla? Bonauentura longè recentior, & ex Frãciscanorum familia, quid mirum si totus ineptus est? Nemo enim nescit Franciscanos stupidissimè in id intentos semper fuisse, vt suum Frãciscum, Christo verbo quidem exæquarẽt, re ipsa præferrẽt, per omnes fere partes: in miraculis autem patrandis maximè. Ambrosij de Agnete sermonem cuius esset nescire se professus est Erasmus: sed ex appendice indicari artificem. Enimuerò hi flores, *Ornauit me inæstimabili dextrocherio: Sisti eam sibi tribulationibus vsque. Scortaberis in contubernio lupanari. Apolum tuæ artis magicæ demonstrare.* Enimuerò, inquam, hi flores Ambrosium redolent, an potius recentissimum impostorem?

XI. Tertiò, nulla vnquam miracula facta sunt, vt confirmaretur Sanctorum inuocatio. Apparet ex Theodoreto, & Augustino. Et re vera Theodoretus priori loco visionem recitat oblatam Theodosio, quæ ei victoriam pollicita est, à Ioanne & Philippo: At de iis inuocatis ne verbum quidem. Imò potius, [illegible] *quum reperisset aditulum quemdam fuerant, ad summum montis in quo castra erant, perpetem*

noctem egit obsecrans vniuersitatis dominum. Et contrà Græcos libro octauo, etsi Sanctis multum virtutis tribuat; tamen eorum inuocandorum meminit nunquã. De vigesimo octauo libro de Ciuitate Dei; possum ex Viue dicere, multum in eo lusisse sciolorum lasciuiam, aut potius superstitiosorum audaciam. Sed hoc potius, in eo toto ne literam quidem esse de inuocandis Sanctis. Nam quod legas sæpius, ad memoriam martyrum; ad martyres orasse; significat iuxta martyrum memoriam oratum fuisse Deum: non autem ipsos martyres. Nam alioquin quis in Augustino hanc ferret barbariem, orare ad martyres?

CAP. V.

De Veterum testimoniis pro inuocatione Sanctorum.

I. REstant Veterum testimonia, in quibus multi sunt Papistæ: quæ, vt attentiùs considerentur; distinguentur à nobis in ætates varias. Non enim in idẽ omnia consentire sæcula, docebit Perefius tertia parte de Traditionibus, quo loco de Inuocatione agit Sanctorum. Fatetur enim à tempore Cornelij, intercessiones Sanctorum scriptis fuisse commendatas: & à tempore Basilij inuocationes. Et caussas addit, modestiam & humilitatem Apostolicam. Quod omen à Catholicis facilè admittitur; certò statuentibus tum procul discessum fuisse ab ea modestia, eáque humilitate, cum induci cœptum est id dogma. *Quid dicerent,* inquit, *qui eos has docentes audirent, nisi quod de se magna præsumerent, & se quasi Deos facerent?* Optimè: nam certè à creaturis auxilium in omnibus rebus exspectare; nihil aliud est, quàm de creatura nimium præsumere. Et Sanctos eam ob caussam religiosè inuocare, id profectò est, Sanctos quasi Deos facere. Quod si non est, cur Apostolis vitio datum esset? Et si datum: quid de Papisticis illis sanctis cogitandum, qui morituri, pollicebantur sibi futurum vt à superstitibus inuocarentur? Sed notata obiter hac ingenua confessione, dico, certum esse primæ Ecclesiæ ætate, quam ego nunc equidem finio temporibus Niceni Concilij primi, nihil auditum esse de inuocatione, aut Angelorum, aut Sanctorum. Quod vt fiat manifestum, examino testimonia, quę à Papistis obiiciuntur.

II. Primum est ex Areopagita, capite septimo Ecclesiasticæ Hierarchiæ. *Nam profectò, idem fit, ac si quis sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet. Sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit.*

III. Respondeo primò, non esse hunc autorem huius ætatis: Nam multis argumentis apparere posteriorem fuisse Nicæna Synodo: itaque suppositiuium esse fœtum, qua de re aliàs fusè disputatum est. Secundò, hunc ipsum locum, nego pertinere ad præsentem controuersiam. Loquitur enim de precibus Sanctorum ad Deum pro aliis: non autem de precibus aliorum ad Sanctos. Nam de intercessione aliàs disputatum, quantum fuit satis. Nunc autem distinctè de eorum inuocatione.

IV. Denique, ne de precibus quidem defunctorum sanctorum iste quisquis est Dionysius agit: sed tantùm de precibus sanctorum viuentium pro viuentibus, próque defunctis. Agit enim toto capite de officio defunctorũ, id est, de ritu quo sepeliebantur sanctorum, id est, fidelium corpora. Tum enim concipi solitas preces, vt defuncto Deus peccata dimittat. [illegible] *Precatio postulat à diuina bonitate, vt defuncto dimittat quæcumque peccata fuere ex humana infirmitate: eúmque constituat in luce, & regione viuentium.* Quibus positis, proponit ipse sibi obiicientem quempiam, videri id absurdum: propterea quod vnusquisque accepturus sit prout gesserit in corpore, siue benè siue malè. Itaque non videri, posse per preces iuuari. Ad hæc ille respondet: iustorum preces, neque in hac, neque in altera vita prodesse cuiquam, nisi digno. Locus totus ita est, [illegible] *Preces Sanctorum pro iis qui in hac vita, ne dicam post mortem, solis iis prodesse qui digni sunt sacris precibus, docent nos veræ traditiones oraculorum.* Et citat statim Samuelem pro Saule frustra precantem: prophetas alios pro populo. Actum subnectit locum à Bellarmino iam prolatum. [illegible] *Nam, quemadmodum si quis luminis cælestis velit fieri particeps, excæcatis sibi oculis, quum tamen Sol suos radios communicet integris oculis: sic frustra sperat, qui sanctorum preces postulans, earum verò naturalem efficientiam cohibet, dum diuina dona negligit, & discedit à lucidissimis, & beneficis mandatis.* Obiectio erat, non precandum pro defunctis: quia ij recepturi iuxtà ea, quæ gesserint viuentes. Responsio, eandem ob caussam non fore precandum pro viuis. Aut si ea ratio nihil obstat quominus pro viuis, ne quidem obstabit quominus pro mortuis.

V. Manifestum igitur quid sibi Dionysius velit: nempe viuentium preces siue pro defunctis, siue pro viuis, non esse efficaces, nisi in iis qui digni sunt. Itaque hæc verba [illegible] non benè Perionius vertit *iustorum bonorumque preces in hac vita, nedum post mortem:* debuit potius, preces, quas iusti fundunt pro iis qui in hac vita sunt, & qui in altera. Argumentum geminum: tum à serie totius disputationis, quæ erat de precibus sacerdotum, in sepultura mortuorum: Tum maximè, quia absurdum sit imaginari sanctos cœlites specialiter orare pro indignis. Adde tertium ab incõsequentia: Ineptè enim dicat quis, Sanctorum preces viuentium non sunt efficaces, ergo multò minus Sanctorum post mortem. Possumus & quartum, quia si de Sanctis intelligas post suam mortem precantibus: Ergo non soluerit Dionysius obiectionem, quæ erat de iis mortuis, pro quibus preces fiebant. Itaque certissimum est Dionysium non agere de precibus Sanctorum defunctorum: multò minus de precibus ad Sanctos defunctos.

VI. De Virgine aduocata apud Irenæum, vide quæ scripsimus libro huius tomi nono capite quinto. Et adde, non tamen ab Irenæo vsquam doceri

Mariam ab Eua, aut quocumque alio fuisse inuocatam.

VII. Venio ad Eusebium: cuius caput septimum libri decimi tertij de Præparatione, ita citant Bellarminus, & Richeomus. *Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votáque ipsis facimus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.*

VIII. Portentosum crimen! Non Bellarmini quidem, & Richeomi: etsi, eorum etiam, qui sibi ab audaci interprete Latino tam fœdè passi sunt verba dari, in tanta Græcorum exemplarium copia, tum editorum vbique, tum Romæ manuscriptorum. Sed portentosum tamen Georgij Trapezuntij crimen; qui Græca fide, præclarum hoc de Euangelica præparatione opus miserè lacerans, sine dubio malè meritus est de Ecclesia. Hoc certè loco immane quàm procul discesserit ab Eusebio, inflectens verba ad præsentem Ecclesiæ Romanæ sensum. Nam Eusebius; postquam ex Platone docuit viros virtute insignes esse post mortem honorandos: καὶ ταῦτα [illegible] *Et hæc quidem ad obitum piorum, accommodari possunt quos verè pietatis milites si dicas, non aberres. Itaque ad eorum monumenta accedere solemus, ad eáque preces facere, honoraréque eorum beatas animas certi id à nobis rectè fieri.* Hæc Eusebius: hæc tu cum Trapezuntianis compara; & mirare distantiam. *Illis*, inquit, *vota facimus*, scilicet militibus pietatis. At Eusebius, *ad eorum monumenta preces facimus*, nihil-ne interest? Nam solebant Christiani ad martyrum thecas Deum precari: ipsos autem martyres precari non solebant. Rursus; *quorum intercessione apud Deum non parum iuuari profitemur.* At Græcè hæc nulla sunt. En Græculi hominis Græcam fidem! En Papistarum solertiam!

IX. Ad eandem pertinet ætatem Cornelius; ex cuius Epistola prima quæ fertur de Translatione corporum Petri & Pauli, Bellarminus recitat *orantes Deũ, & Dominum nostrum Iesum Christum, vt intercedentibus suis Apostolis maculas nostrorum purget peccatorum.*

X. Respondeo, primò nihil hîc de inuocatis Sanctis, sed tantùm de intercessione. Secundò Epistolam esse suppositam. Argumenta. Primò, scripta dicitur Decio & Maximo Consulibus; qui nulli fuerunt sedente Cornelio: nam hic electus anno ducentesimo quinquagesimo quarto, si Baronio credimus, Decio & Grato consulibus; sequenti passus est sub Gallo & Volusiano. Secundò, habet, Nouatum Episcopos creasse Romæ Nouatianum; quod verum est: sed & in Aphrica Nicostratum, quod falsum: Nam Nicostratum Cornelius Nouato Roma redeunti in Africam comitem addidit: & Cyprianus nusquam queritur à Nouato ordinatum quemquam præter vnum Diaconum. Tertiò, illud ipsum de Translatione corporum mera est fabula: nec sanè locum reperit in annalibus Baronij: & Anastasius testatur Petrum sepultum iuxta locum vbi passus erat, quo eum iste Cornelius translatum vult, cùm prius sepultus esset vnà cum Paulo. Adde stylum, omnino diuersum à stylo literarum Cornelij, quæ extant inter Epistolas Cypriani: & mirabere, si quisquam sanus possit non olfacere imposturam.

XI. Athanasius claudit hanc ætatem. Citat Bellarminus ex libro de Sanctissima Deipara, siue de Annunciatione. *Inclina aurem tuam, Maria, ad preces nostras: & ne obliuiscaris populi tui.* Item. *Ad te clamamus recordare nostri Sanctissima Virgo.* Item. *Intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis.*

XII. Sed hic etiam Athanasius est suppositius. Testatur Baroni' anno quadragesimo octauo, paragrapho decimonono & vicesimo, imò serió disputat vixisse post Nestorij tempora, & quidem vigentibus Monothelitis: argumento non inutili: quia tum Nestorianam, tum Monotheliticam hæresin ex professo refutet: & quidem non quomodo fit aliquando tractata generaliter doctrina, sed disertè indicans tum extare hæreticos, qui eos errores profiterentur. Addit sibi Baronius socium Antonium quendam Agnellum, cui pro argumento est ineptissima [illegible] etymologia. Nã [illegible] deducit [illegible] [illegible] Audistin' Apollinẽ ex tripode? Quid de hypostasi [illegible] Satin' Theologicè, vt grãmaticam missam faciam? Quid ergo? Nimirum illud Baronij eadẽ in disputatione nobis oraculum esto. *Existimamus Catholicam veritatem labefactari potius, quàm hisce falsis allegationibus adiuuari.* eodem anno, paragrapho vigesimo tertio.

XIII. Athanasio antiquior Origenes. Eius nomine Coccius, Thesauri libro quinto, articulo sexto, profert primo ex Lamentationibus. *Incipiam me genibus prosternere, & deprecari vniuersos sanctos, vt mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, succurrant. O sancti Dei, vos lacrymis & fletu pleno dolore deprecor, vt procidatis misericordiæ eius pro me misero. Heu mihi pater Abraham deprecare pro me, vt de sinibus tuis aliener, quos valde cupiui, nec condignè quidem propter ingens peccatum meum.* Item ex libro secundo in Iob. *O beate Iob viuens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conspectu regis Domini, ora pro nobis miseris.*

XIV. Sed Origenis non fuit, quàm Athanasij, aut Cornelij sors melior: neque ab eius nomine impostores abstinuerunt. Lamentum Origenis iampridem Erasmus ostendit figmentum esse alicuius indocti, qui studuerit huiusmodi colore Origenem infamare. Et quis non miretur? imò quis non potius indignetur in tanto luctu, tam seria pœnitentia, nusquam nominari Christum intercessorem? Nusquam Christi preces: nusquam Christi merita? Cùm tamen à Sanctis initium sit, in Sanctos finis? Hoccine dignum Christiano? Hoccine illo dignum seculo, quo, teste Peresio, nulla mentio erat intercessionis Sanctorum: nulla inuocationis? Adde Gelasium, qui apud Gratianum, distinctione decima quinta, librum de Pœnitentia Origenis inter Apocrypha numerat, quæ Catholicis vitanda sunt. De Libris eidem adscriptis in Iobum, consentiunt Erasmus, & Sixtus Senensis, Origenis non esse. Argumenta, cùm à stylo, alienissimo ab Origene, tum à rebus Lucianum martyrem laudat, Manichæos nominat & refellit, qui longè post Origenis tempora exorti. Homousion, & homousianos perstringit, vnde agnoscitur fuisse autor Arianus. His laruis Catholicum quemquam moueri iniquum esset.

XV. Itaque omnino nullo certo testimonio proba-

re quisquam potest annis post Christum trecentis vlla fuisse inuocationis Sanctorum vestigia. Magno veritatis compendio. Nam quis credat ab ipso Ecclesiæ initio tantam rem ignoratam? Aut si non ignoratam, saltem non traditam ab Apostolis? non conseruatam ab Apostolicis viris? Nam quod Peresius caussatur, veritos, ne putarentur de se nimium præsumere, & sese quasi Deos facere ineptissimum. Nam primò, quid interest, vtrum se ipsi quasi Deos faciant, an ab aliis fiant? Quasi verò eo minor fuerit circa Romulum idololatria, quòd non ipse se Deum fecerit, sed Senatus consecrarit. Deinde, nunquàm tanti fuerunt apud Apostolos humanæ suspiciones, vt propterea abstinuerint à prædicanda veritate. Itaque etsi Christus esset homo verus: ideóque videri posset ad Ethnicos aliquantulum accedere, qui eum dicerent Deum: tamen non destiterunt inculcare Christum esse verè Deum. Quid? ipsum Trinitatis dogma, nónne videri poterat accedere ad *πολυθεΐαν*? Et pater & filius; nihil-ne habere videbantur cum Ioue & Mercurio? Sed quia re vera nihil erat aut Incarnationi Filij, aut Trinitati personarum, aut Generationi Filij, commune cum Ethnicis fabulis: eam ob caussam Apostoli instabant iis docendis, inculcandísque nihil veriti vanorum hominum rumusculos. Similiter, si dogma fuisset Christianum inuocari mortuos; absque vllo dubio numquam Stephanum omisissent: aut, si in eo nonnihil essent veriti, quid poterant in Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Dauide, reliquis ad Vetus Testamētum pertinentibus? Denique solenne est Pauli mandatum: posterioris ad Timotheum quarto. *Prædica sermonem: insta tempestiuè, & intempestiuè.*

XVI. Multò ridiculum magis: Expectabant (inquit Peresius) circa hæc apertam Dei voluntatem, frequentiam miraculorum non multo post declaratam: quam fortè Deus vsque ad illa tempora distulit manifestare, in quibus post explosam idololatriam, hæretici erant, qui carnis resurrectionem negabant, quo magis fides resurrectionis adstrueretur: cùm viderent ab ipso tanti fieri cineres suorum sanctorum, vt dæmonia & infirmitates per intercessionem eorum expelleret. Et huius ratiunculæ fundamentum si exigas, en tibi: Nec enim omnia simul omnibus voluit Deus esse manifesta: nec cuncta dogmata statim prædicarunt & docuerunt Apostoli: sed paulatim, & successiuè.

XVII. Euge rem acu. Ergo Marcionem liberanda veritas exspectabat: & penitius arcana diuina nouit Gregorius Romanus; quam Paulus Tarsensis. Fabulæ. Sed nimirum ita opus est, eos, qui tam procul ab Apostolis deerrarunt, in accusationem conuerti ipsorum Apostolorum. Confirmanda erat mortuorum resurrectio. Intelligo: & hunc eundem fontem video fabulæ de septem dormientibus. Sed quando, & quibus confirmanda? Cypriani-ne tempore, an Basilij? Cur tum temporis duntaxat? cur non ante? Nam dubitatum fuisse de eo ipso dogmate Apostolorum temporibus quis nescit; nisi quibus nunquam lectum decimum quintum caput prioris ad Corinthios: nunquam audiri Hymenæus & Philetus, ex secundo posterioris ad Timotheum: nunquam Athenienses Philosophi ex Actorum decimo septimo: aut denique Ethnici ex Athenagoræ oratione. Aut quid erat denique opus istoc probationis genere, post testimonia Scripturæ: post adeo solidam Apostoli disputationem? Denique nemo vnquam inuentus est omnium Christianorum, qui ex mortuorum siue inuocatione siue intercessione, resurrectionem erueret.

XVIII. Longè illud falsissimum, non omnia simul omnibus fuisse manifestata: nisi fortè de indiuiduis hominibus intelligatur, quorum singuli per momenta, gradúsque promouentur à paruis initiis ad maiorem cognitionem. Sed nobis sermo de integris Ecclesiis: imò de omnibus. Atqui integras Ecclesias singulas Paulus profitetur se docuisse omnia, Actorum vigesimo. Et Tertullianus, *Felix Ecclesia* exclamat, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Quis audet ergo negare omnia omnibus tradita? Quanquam si non simul & semel, sed saltem paulatim, & successiuè Apostoli tradiderunt, dummodo ipsi Apostoli tradiderint, nihil interest. Nam intra annos centum seriem illam totam contineri oportet. Nullus enim, opinor, Apostolorum tandiu superstes fuit. Itaque si omnia Apostoli tradiderunt, siue semel, siue successiuè: non tradiderunt autem intercessionem inuocationémve Sanctorum, has oportet non esse intra doctrinam Christianam: quod nos quidem confectum, demonstratúmque volumus.

XIX. Longè plura Papistæ citant ex Patribus succedentibus primo Concilio Niceno. Ac sanè erupit primò in Ecclesiam opinio de precibus apud Deum defunctorum martyrum, viresque acquisiuit eundo: Tandem etiam inde nata ipsa martyrum inuocatio: sed serò tamen seria. Itaque ne hæc quidem ætas, sine distinctione, aut nominanda, aut admittenda. Certè tempora Nicenæ Synodi secundæ, in qua confirmata est Iconolatria, quæque eam præcesserunt proxima; inflatis iam buccis inuocationem Sanctorum crepuerunt. Quorum autoritate qui commouebitur, næ ille prodet cerebri infirmitatem. Catholici certè omnes susque déque habebunt. Quid enim momenti in rebus fidei merentur, qui tam procul à fide recesserunt ad creaturarum adorationem?

XX. Reliqui, qui proximi primis, purissimi: adeò manifestò obseruabit pius & diligens lector, quotidie magis ac magis inclinatam rem Christianam. Et eos, qui quarto vixere seculo, quintóque tum paucos huc, tum leuiter declinasse: at deinceps toto, vt ita dicam, pondere proruisse: vnde à Peresio animaduersum, cœptam Sanctorum inuocationem nominari circa Basilij tempora. Porrò, quis nescit in Ecclesia prima tempora postremis præiudicare, non contrà? Nisi fortè retractent Papistæ, non tantùm illud Tertulliani, posteritatem mendacio deputandam, sed etiam illud Christi, *ab initio non erat sic.*

XXI. Quarti sunt & quinti seculi Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Nyssenus, Ephrem, Cyrillus, Theodoretus, Græci: Latini Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Rufinus, Paulinus, Prudentius, Augustinus, Fulgentius, Leo Magnus: & pauci prætera. Ex his pauci citantur loci: & quidem nonnulli suppositi: nonnulli detorti: alij vt se habent. Laurentium ab Augustino inuocatum legis: sed in sermonibus de Sanctis: Mariam item: sed in Meditationibus: quæ opera nemo sanus adscribit Augustino.

XXII. Ex Basilij homilia in quadraginta Martyres. *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursum lætatur, hos oret: ille, vt à malis liberetur: hic, vt duret in rebus lætis.* Falsò. Nam Græcè. ὁ θλιβόμενος ἐπὶ τοὺς τεσσαράκοντα καταφεύγει, ὁ εὐφραινόμενος ἐπ' αὐτοὺς ἀποτρέχει. *Qui aliqua premitur angustia ad quadraginta confugit: qui lætatur ad eos accurrit.* Geminum erat peccatum. Primum, quod imperandi modo redditum, id quod scriptum est indicandi. Non enim καταφευγέτω dixit, aut ἀποτρεχέτω: sed καταφεύγει καὶ ἀποτρέχει. Ex quanuis non sit fortasse hoc maximum peccatum, tamen non est nullum. Alterum grauius: *Hos oret*: at Basilius, *ad hos accurrit*. Alio sensu. Nam Basilius martyres ipsos nominauit pro memoria martyrum: vt apparet ex iis quæ statim sequuntur: ἐνταῦθα γυνὴ φιλότεκνος ὑπὲρ τέκνων εὐχομένη καταλαμβάνεται: *Hoc loco mulier pia pro natis precans deprehenditur.* Ergo memoriam ipsam designauit. Itaque sensus est; Christianos accurrisse ad quadraginta martyrum thecas; vt eo loco orarent. Non est autem necesse orasse ipsos martyres; Nam aliàs docuimus ad eas thecas non ipsos Sanctos, sed Deum potiùs inuocatum. Ex eiusdem homilia in Psalmum trigesimum tertium, *Sanctæ Spirituales virtutes, aliquæ oculi dicuntur*, τῷ τὴν ἐπισκοπὴν ὑμῶν πεπιστεῦσθαι ὁ προσεδρεύειν, *ob susceptam, sibique creditam nostri curam: nonnullæ aures, vt quæ nostras excipiunt preces.* Sed eas preces quis non videt intelligendas, quas ad Deum fundimus: Sic enim plerisque olim persuasum, ab Angelis suscipi, tanquam nunciis.

XXIII. Nec videtur aliter Rufinus, capite trigesimo tertio libri secundi historiæ, dicere Theodosium Imperatorem proficiscentem ad bellum contra Eugenium tyrannum: *ante martyrum & Apostolorum thecas iacuisse, cilicio prostratum, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poposcisse.* Non enim ipsos martyres inuocatos scripsit; sed ante martyrum thecas poposcisse auxilium intercessione martyrum. Nam etsi illud de intercessione, inclinationem olet Ecclesiæ: tamen non est necessariò coniunctum cum eorundem inuocatione. Facit mecum Theodoretus libri quinti capite vigesimo quarto: qui eundem Imperatorem dixit in sacra æde totam noctē vniuersitatis gubernatorem precibus sollicitasse. Imò Sozomenus historiæ libro septimo capite vigesimo quarto: *Fertur*, inquit, *cùm egressus Constantinopoli ad septimum miliare peruenisset* προσεύξασθαι τῷ Θεῷ, *orasse Deum*; καὶ σύμμαχον αὐτῷ ἐπικαλέσασθαι τὸν Βαπτιστήν. *Et auxiliarem sibi aduocasse Baptistam*: Nota προσεύξασθαι Deo assignari: Ioanni autem ἐπικαλέσασθαι longè minus: quanquam hoc ipsum ex ea inclinatione, quam diximus: & tamen facilè intelligendum aduocasse, fusis non ad ipsum Baptistam, sed ad Deum precibus.

XXIV. Chrysostomi oratione sexagesima sexta ad Populum Antiochenum, siue potius in posteriorem ad Corinthios homilia vigesima sexta. *Ipse, qui purpuram indutus est, accedit ad illa complexurus sepulchra: & fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant: & scenarum fabrum, & piscatorem vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit.* Ast ego versionem accuso. Nam Græcè habes δεόμενος τῶν ἁγίων: & postea τοῦ σκηνοποιοῦ, καὶ τοῦ ἁλιέως προστάται καὶ τετελευτηκότων δέεται. Ast id verbum, norunt omnes non tantùm esse *orare*, *precari*: sed etiam *indigere*. Itaque longè melius reddideris: *Fastu deposito stat indigens Sanctis, vt sibi ad Deum precant. Et quidem tentoriorum opifice, ac piscatore patronis etiam defunctis indiget is, qui diadema gestat.* Et sic pertinebit ad intercessionem, at non ad inuocationem.

XXV. Huic loco Bellarminus addendos indicat alios, ex homilia quinta & octaua in Matthæum, & prima in priorem ad Thessalonicenses; & in Genesim quadragesima tertia: & in martyres Iuuentinum & Maximum, sed sua fide facit, hoc est, Iesuitica. Nihil enim in vllis locis legas de inuocandis Sanctis defunctis. Certè octaua illa in Matthæum nihil habet, quod vel procul accedat. Quinta prolixè disputat viuentium preces indignis nihil prodesse mortuis. Primam priorem ad Thessalonicenses vtiles esse, si ipsi dignè viuamus. Τί δὲ ταῦτα λέγεις ὅτι αἱ χρηστότητες ... ὠφέλεια τῶν ἑτέρων βοηθείας. αἱ δὲ καθεύδωμεν οὐδὲ ἀπὸ ἑτέρων βοήθεια (deest ὠφέλεια, aut quid simile) ἀλλὰ καὶ μετ' ἐκείνων ἀπολούμεθα. καλὸν δι' εὐχῆς ἀπολαύειν τῶν ἁγίων. ἀλλ' ὅταν καὶ αὐτοὶ ἐν τάξει ὦμεν. *Ad quid hæc dicis? Quia si vigilamus, non indigebimus alieno auxilio, sin autem dormiamus, nihil iuuabit, quin potius cum eo peribimus. Pulchrum est frui sanctorum precibus: sed quum ipsi operamur.* Illa in Iuuentinum & Maximum, eadem alacritate veteres Sanctos coli & recentes: qua de re actum libro præcedente. Item eorum reliquias curatas: de quo proxima controuersia disputabit. Denique *sæpe eos inuisamus, tumulos adornemus, magnáque fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur.* At de inuocandis ne apicem quidem reperias.

XXVI. Iam verò ex gliscente illa persuasione de Intercessione Sanctorum, frequentes videas in orationibus apostrophas ad Sanctos; quos viri pij tanquam præsentes alloquebantur, vt oratoribus moris est, quum incaluit dicendi studium; mouendique auditoris. Sic Nazianzenus Athanasium, *Tu autem è superne propitius nos respice: & populum hunc sanctum dirige: & suscipe: & cum te ipso stans, & iis qui tales sunt vt tu.* Etiam Basilium, *Tu verò sacrum & diuinum caput, nos cœlitus inspicias: carnisque stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis sistas, aut persuadeas, vt fortis animo feramus.* Nyssenus Sanctum Theodorum, *Intercede, ac deprecare pro patria apud communem regem ac Dominum.* Hieronymus Paulam: *Vale ô Paula: & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua.* Sic alij alios. Eodem modo Nazianzenus conuertit se ad omnes populos, tribus, linguas, ætates præsentes & futuras, oratione prima in Iulianum: & ad Pascha; oratione secunda de eo. Eiusmodi ῥητορείας, qui pro solidis argumentis admittunt, næ illi sibi malè consulunt, nec de Ecclesia benè merentur.

XXVII. Sunt tamen, fateor, duriores loci: Apud Nazianzenum, in Cypriano, virgo Iustina, virginem Mariam rogat, vt sibi opem ferat. Apud Ambrosium, obsecrandi sunt Angeli: obsecrandi martyres, qui proprio sanguine peccata, si quæ habuerunt, lauerunt. Apud Fulgentium: apud Leonem similia. Sed ea tam pauca: tam noua: tam præter Scripturam, prætérque priorem traditionem: tam denique contraria solenni in Ecclesia doctrinæ de Inuocatione, quam postea videbimus: rectiùs dissimulantur, quàm affectantur: religiosius condonantur viris alioqui magnis, quàm imitanda proponuntur.

XXVIII. Sed insurgens Lindanus Panopliæ libro tertio, capite vigesimo septimo, pollicetur, se demon-

... fuit in vsu Sanctorum Inuo- ... Apostolorum tempore. Quod si ... næ illi multum debere tota Papistarum ... Quid ergo? Sanctorum, vtique festa ... Apostolorum æuo celebrata. Quare & Sanctorum inuocatio fuit ab Apostolis tradita. Hem! quàm paruo conatu, quantam rem confic[illegible]?

XXIX. Verùm odiosissimi Papistis Catholici, huiusce Epichærematis vtramque partem negant. Primò antecedentem. Nullos enim dies festos Sanctis ab Ecclesiæ initio constitutos: paucissimos ipsi Deo, vt Resurrectionis, Paschatis, Pentecostes: quamuis hos etiam destitutos Apostolorum testimonio: imò & Apostolicis viris vix satis testatos. Qua de re aliud erit disputandi tempus, si Deus dederit. Quinetiam primum testem Lindanus habet, de festo Innocentium, Origenem, qui vixit duntaxat secundo seculo, eóque prouecto: nec festi facit vllam mentionem, sed tantùm Memoriæ. Et denique vix ipsius Origenis est testimonium. Nam qui vertit Interpres, sic lusit, vt in suo, addens pro arbitrio quidlibet: quod tum Erasmus testatur: tum quilibet non obesissimæ naris, singulis propemodum paginis deprehendet.

XXX. Consequentem etiam negant: qui sciunt Memorias festáque Martyrum celebrata, vt in iis Deus adoraretur & inuocaretur. Sed Lindanus confirmat alio epichæremate. Prisca Christi Ecclesia clarissimorum Apostolorum discipulis illustrata, martyrúmque qui illorum discipulos audierant, auditoribus florens, festa Sanctorum, cum eorundem inuocatione celebrauit. Ergo non nisi ab Apostolis Sanctorum inuocatio est exorta. Antecedentem probat solo Origenis testimonio de festo Innocentium.

XXXI. Sed negatur antecedens. Nam, vt testatur Peresius de Intercessione Sanctorum, vltra Cyprianum nihil legitur: Inuocatio autem longè recentior, non transcendens ætatem Basilij. Itaque, etsi verum sit, ante Basilium instituta esse Martyribus festa, tamen ea nihil habebant commune cum Inuocatione Sanctorum. Imò, ipse Origenes de inuocatis Innocentibus, neque γρ̄ neque μῦ. Tantùm de Intercessione. Quamuis, vt dixi, incertum sit, an ita scripserit Origenes: an potius audax interpres de suo inferserit. Nam huius festi, nemo alius vsquam meminit, non Origenem multis annis sequutus. Sed festis sua debetur Controuersia.

CAP. VI.

Scripturæ contra inuocationem Sanctorum.

I. CAtholici nunc contrà disputant. Primum argumentum: Paulus ad Romanos, decimo, *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Vnde constat, neminem inuocandum, nisi in quem credimus. At constat non esse credendum in Sanctos. Conficitur ergo non esse inuocandos Sanctos. Nisi quis malit potius Paulo contradicere, & inuocationem sine fide imaginari. Quod quidem de inuocatione ciuili, verum fuerit: sed de religiosa ne cogitari quidem potest.

II. Bellarminus respondet: primò Paulum agere de Inuocatione, qua aliquis inuocatur vt Deus, & primus autor bonorum. Probat, quia præcedat, *omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Et addit Costerus, quia aliàs sequeretur non esse inuocandos aut rogandos viuentes. Secundò: Neminem posse inuocare Deum, qui non credit in eum, id est, qui non credit esse Deum, & ei credendo in eo non sperat, nec eum diligit. Non posse etiam Sanctos inuocari, vt Sanctos, & amicos Dei nisi, ab eo qui suo modo in eos credit, id est, credit esse Sanctos, nec in eis sperát, vt in patronis, nec vt tales diligit.

III. In primo facile negotium. Inuocationem religiosam nullam esse, nisi, qua quis inuocatur vt Deus: itaque nihil non reipsa verè Bellarminum dicere. Nihilominus Paulum non id expressisse: sed ipsum vocabulum. Quomodo, cùm dicunt Papistæ, Latriam vni Deo deberi: si quis dicat eos agere de Latria, qua aliquis colitur vt Deus, & primus autor bonorum, quid promoueat? Nimirum irrideant Papistæ, quia non credant ita distinctam Latriam. Similiter Catholici, qui inuocationem religiosam nullam agnoscunt aliam, præter eam, qua Deus inuocatur, Sophisticem detestabuntur, quæ pro distinctione opponat non distinctionem. Intelligo præcedere nonnihil de inuocatione nominis Domini: sed id nihil ad hanc distinctionem: imò significabit posse quidem inuocationem deferri pluribus præter Deum: prout proni semper homines fuere ad idololatriam, siue simpliciter diis propositis: siue distinctis in Deos summos & subalternos, quod Platonicorum somnium erat: sed solam illam esse salutificam, solam legitimam, quæ ad Deum referatur. Tum autem sine dubio, & viuentes quidem inuocandi fuerint. Sed quominus rogentur, hoc est inuocentur promiscuè, & ciuiliter, nihil obstabit.

IV. In secundo supponitur credi in Deum aliter, & in Sanctos aliter. Sed id recens est Papistarum commentum. Nam contrà Catholici iampridem credere in Deum dixere, nec in quemquã præterea. Eusebius Emissenus, siue Cæsarius Arelatensis, siue potius Eucherius Lugdunensis, de Symbolo, homilia secunda: *Credere & Paulo & Petro iure debemus: in Petrum verò ac Paulum credere, id est, in seruos conferre honorem Domini non debemus. Credere illi quilibet potest homini: credere verò in illum soli te debere noueris maiestati.* Gregorius Nazianzenus oratione tricesima septima, *οὐ ταὐτὸν δέ ἐστι πιστεύειν εἴς τι καὶ περὶ αὐτοῦ πιστεύειν· τὸ μὲν γὰρ θεότητος, τὸ δὲ παντὸς πράγματος.* *Non idem est credere in aliquid, & credere de aliquo. Illud Deitatis est: hoc cuiuscumque rei. Hac præpositionis syllaba,* inquit Rufinus in Symbolum, *creator à creaturis secernitur, & diuina separantur ab humanis. Itaque vbi de diuinitate fides ordinatur, in Deum Patrem dicitur, & in Iesum Christum Filium eius, & in Spiritum Sanctum, in cæteris verò vbi non de diuinitate, sed de creaturis ac mysteriis sermo est, in præpositio non additur, vt dicatur in Sanctam Ecclesiam, sed Sanctam Ecclesiam credendam esse.* Autor sermonis de tempore centesimi trigesimi primi in operibus Augustini, *Sciendum est, quod Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debeamus: quia Ecclesia nõ est Deus, sed domus Dei est.* Aqui-

nas in Ioannis decimum quartum. *In hoc, quod dicit & in me credite, contestatur, se verum esse Deum: nam si hominis alicui creaturæ credere liceat, in nullum tamen nisi in Deum credere debemus.* Ac sanè illud *credere in Deum*, non benè Bellarminus, quia non plenè definit. Non est enim duntaxat credendo Deum esse, in eo sperare, illúmque diligere, sed aliquid longè augustius. Lombardus libri tertij distinctione vigesima tertia, *Credere in Deum, est credendo amare: credendo in eum ire: credendo ei adhærere, & eius membris incorporari.* Est igitur hæc noua nouorum Papistarum, id est, Iesuitarum Theologia; quam hactenus omnes ignorauerant. Sed non debet nouellis adinuentionibus veritati præiudicium fieri.

V. Stapletonus in Antidotis Apostolicis, In promptu, inquit, solutio est; quæ apud Scholasticos trita, inuocationem cum fide côiunctam, eam esse, quæ, quod petit, ab eo implendum petit quem inuocat: quæ soli Deo propria est bonorum omnium autori & largitori. Sanctorum verò inuocationem huiusmodi esse, vt non per eos impleri roget quæ petimus: sed tantùm per eos impetrari velit quæ desideramus.

VI. Sed viderit Stapletonus, quibus ille Scholasticis suam distinctioné tritam esse velit: certè Bellarminus ignorauit: Costerus ignorauit. Sed hanc distinctionem si benè assequor, ea erit huiusmodi; vt alia sit inuocatio autoris largitorísque omnium bonorum: alia eorum, qui non ipsi implent quod postulatur: sed tantùm impetrant. Illam non esse absque fide: hanc verò contrà. Et rursus, illâ Deum à Papistis inuocari, hac sanctos. Atqui primùm ea distinctio est ridicula: non enim ipsam rem distinguit de qua agitur: sed duntaxat eos ad quos refertur. Est autem certum posse illam inuocationem transferri ad eos, à quibus nô possit impleri id quod postulatur alioqui nunquam quisquam in inuocando idololatra esset. Nimirum, quomodo sacrificium etsi sit oblatio, quæ Deo offertur in agnitionem summi principij, tamen potest deferri ei qui neque sit, neque agnoscatur summum principium, quomodo Plato Gallum iubebat sacrificari Æsculapio, quomodo Lystrenses Paulo sacrificabant, quem tamen Mercurium putabant, eóque superiorem Iouem Barnabam. Nec minus tamé peccabant, quòd Paulo, quàm quòd Barnabæ: nimirum, quia res debuit distingui in seipsa, si distinguenda erat, non autem ex personis illis.

VII. Præterea, Papistæ Sanctos ita inuocant, vt postulent ab iis non tantùm impetrari, sed etiam impleri quæ postulant. Mariam Virginem his verbis inuocat author ille quisquis est orationis de Sanctissima Deipara, quæ Athanasio supponitur. *Μνήσθητι ἡμῶν, καὶ ἀντίδος ἡμῖν ἀντὶ τῶν μικρῶν τούτων λογίων μεγάλας τὰς δωρεὰς ἀπὸ τοῦ πλούτου τῶν χαρισμάτων σου, κεχαριτωμένη. Recordare nostri, & retribue nobis pro exiguis istis eloquiis magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum; tu quæ gratia plena es.* Germanus Patriarcha Constantinopolitanus apud Coccium, Thesauri tomo primo, lib. tertio, articulo quarto, *Ne quæso tenuis & indigna lingua supplicationem reiicias: sed animum remittens peccatorum nostrorum remissionem nobis concedas.* Et paulò post: *valida illa manu tua ab æterno igne nos eripiens.* Ibidem Damascenus, *O Ioachim & Annæ filia, ac Domina, peccatoris orationem accipe, ardenter tamen amantis, ac colentis, téque solam gaudij spem habentis, vitæ antistitem, in gratia cum Filio me reducentem, firmámque salutis arrham, peccatorum sarcinam discute: idque quod menti meæ tenebras offundit, ac terrenam crassitiem dissipa.* Idem eiusdem virginis auxilium appellat omnipotens. *Persequar inimicos meos, & in fugam vertam solam habens vt thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum.* Idem oratione prima in dormitione Mariæ, *Tu verò, bona domina, bonique Verbi parens, vt etiam nos inspicias, ac res nostras arbitrio tuo regas, & moderere.* Nicephorus Gregoras libro nono, quum seniorem Andronicum recitasset ad Virginem confugientem: *καὶ μὴν καὶ ἐπήκοος ὤφθη τῶν δεήσεων αὐτίκα, καὶ ταχεῖαν ἐχαρίσατο τὴν βοήθειαν ἡ πάντα ὅσα βούλεται δυναμένη ἄχραντος Θεομήτωρ. Enimuerò exaudiuit preces eius, festinámque tulit auxilium illa, quæ quicquid vult potest, intemerata Dei genitrix.* Ludolphus Saxo Carthusianus apud eundem Coccium: *Deprecor bonitatem tuam immensam, vt tu, summum meum solatium, dirigas vitam meam, méque tuas virtutes & exempla pro posse imitari facias, & gratiam tuā mihi semper adesse concedas.* Adrianus Papa ad Constantinum & Irenen in Concilio Nicæno secundo actione secunda: *Ipsi scilicet, Petrus & Paulus, regni vestri propugnatores erunt, cunctásque barbaras nationes pedibus vestris subiicient, vt quocumque iter porrexeritis, victores vos declarent.* Quid plura? Ille bipedum insolentissimus Gregorius septimus in secunda excommunicatione Imperatoris Henrici, apud Baronium anno millesimo octogesimo: *Beate Petre, princeps Apostolorum, & tu beate Paule doctor gentium, dignamini quæso aures vestras ad me inclinare, méque clementer exaudire.* Et ad extremum: *Agite nunc, quæso, Patres principésque sanctissimi, vt omnis mundus intelligat, quia si potestis in cælo ligare & absoluere: potestis in terra, Imperia, regna, principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum possessiones pro meritis tollere vnicuique, & concedere. Addiscant nunc reges & omnes seculi principes, quanti vos estis, quid potestis: & timeant paruipendere iussionem Ecclesiæ vestræ, & in prædicto Henrico tam cito iudicium vestrum exercete, vt omnes sciant, quia non fortuitu, sed vestra potestate cadet.* Infinita sunt huius generis exempla: quibus constat à Papistis inuocari Sanctos; vt ipsi sua potestate impleant; quæ rogantur. Ac proinde inuocari ea inuocatione, quam Stapletonus videri vult eximiam Deo relinquere.

VIII. Et tamen Bellarminus disertè, *Non licet à Sanctis petere, vt nobis, tanquam autores diuinorum beneficiorū, gloriam, vel gratiam, aliáque ad beatitudinem media concedant.* Ergo, inquam, illę, quas iam vidimus preces non sunt licitæ: sunt potius idololatricæ. Sed audire *σοφὸν φάρμακον*. Idem vt hoc vulnus curet. *Notandum,* inquit, *cùm dicimus non debere peti è Sanctis nisi vt orent pro nobis, nos non agere de verbis, sed de sensu verborum. Nam quantū ad verba licet dicere, S. Petre miserere mei, salua me, aperi mihi aditū cæli, item, da mihi sanitatē corporis & reliqua, dummodo intelligamus salua me & miserere mei, orando pro me.*

IX. Nimirum ita mulier illa adultera *comedit, & tergens os suum dicit, non sum operata malum,* Prouerbiorū trigesimo. Quando enim desunt impiis blandi sermones? quando impietatis excusationes? At Deus *οὐ μυκτηρίζεται*. Videāt cordati, iudicent sani, verum qui se testantur habere pro thorace solam protectioné Mariæ, eiúsque omnipotens auxilium, ij significent nihil aliud, nisi impetrari sibi ab ea protectionem & auxilium. Qui optant regi res suas eius arbitrio, solam intercessionem habuerint in animo. Ad hæc, si nihil aliud in méte Gregorius habuit, nisi adiuuari se precibus Petri & Pauli, quomodo ipsi Petrus & Paulus postulabant seruari à fidelibus: vnde illi est

magnitu-

magnificæ phrasis, *vos potestis in terra imperia tollere, & concedere? Iudicium vestrum exercete.* Et illud, *vestra potestate cadet?* Quid illud, sicut in cœlo ligare potestis & absoluere? Nam hoc certè non intercessionis Papistæ dicunt esse, sed iurisdictionis, & potestatis. Denique, si hæc non est excusatio nulla: certè non omnium est Papistarum: sed paucorum, qui reliquis nō pietate, sed calliditate præstant. Quomodo apud Ethnicos, vulgus ita idola adorabat, vt putaret Deos: at nasutiores testabantur esse Deorum repræsentationes: Vulgus item infinitos Deos, nominabat: at pauci subtiliores allegorias quæritabant, & vnius Dei varia effecta gnoscebant. Quæ tamen artes non purgabant idololatriam. Qui magis istæ Papistas absoluant crimine?

X. Transeo ad aliud argumentum. Lucæ vndecimo *Et factum est, cùm Christus precaretur quodam loco, vt cessauit, dixit ei quidam ex discipulis, Domine doce nos precari. prout & Ioannes docuit discipulos suos. Dixit autem eis, Cùm precamini dicite, Pater noster qui es in cælis.* Nota. Primò ab Apostolis rogari Christum, vt se orare doceret, generaliter: non autem vt se orare doceret Deum, hoc enim si additum esset, poterant videri preces distinctæ, vt aliæ ad Deum, aliæ ad Sanctos spectarent: & Apostolos non harum, sed illarum tantùm formulam postulasse. At nunc, cùm simpliciter dicunt orare, nullus locus est huic sophisticæ. Secunda: Christum dixisse, *Cùm oratis*: nimirum respondendo generali interrogationi: ac proinde idē esse ac, Quoties oratis. His positis reliqua plana sunt. Nam si formulam generalem precandi Christus præbuit, ac tum iussit orare *Patrem qui est in cælis*, certè qui non dicunt, *Pater noster qui es in cælis*, eos necesse est non orare. Atqui inuocant Mariam, aut Paulum, ausint ne dicere, *Pater noster qui es in cælis?* Ergo docuit Christus non alium innocandum: præter Patrem qui est in cœlis.

XI. Respondet Bellarminus, orationem Dominicam ad solum Patrem referri. Et tamen licere inuocari Filium & Spiritum Sanctum. Ergo non concludit argumentum, Christus solum Patrem inuocari docuit: Ergo Angeli, & Sancti non sunt inuocandi. Nam si hoc concluderet, etiam illud Ergo Filius & Spiritus inuocandi non sunt. Secundò: Christum, cùm Apostolos docuit orare, non de eo qui orandus est, sed de iis rebus, quæ petēdæ sunt, admonere voluisse discipulos. Satis enim constabat Deum esse orandum, & solum etiam Deum, cùm autor donorum quæritur: sed de modo orandi, siue de petendis rebus, Apostoli ambigebant, cùm dicerent, *Doce nos orare.*

XII. Sed ad prius. Primò, nihil est necesse de Deo Patre personaliter intelligi. Nam neque Pater dicitur simpliciter neque *Pater noster*, infert personalem differentiā. Neque esse in cœlis non est commune tribus. Itaque nihil obstat, quominus tota Deitas intelligatur. Certè Maldonatus, *Magis aliorum probo sententiam, qui totam hic Trinitatem Patrem à nobis vocari dicunt.* Et disputat ita esse. Sunt tamen fateor, cùm antiquiorum recentes, qui Patrem personaliter accipiant. Itaque nego similia esse argumenta: solus Pater inuocandus, non igitur Filius, nō Spiritus: & solus Pater inuocandus: non ergo Angeli non Sancti. Ratio, quia inter Patrem, Filium, & Spiritum, nulla differentia naturalis. Est enim naturâ idem Pater, qui Filius: & vterque idem qui Spiritus, nempe idem Deus: itaque eorum quæ sunt ad extra (vt loquuntur) nihil Patri sic proprium, vt nō sit Filio commune & Spiritui. Ac proinde obseruant Veteres sæpè, cùm solus Pater dicitur, id esse, οὐχ ἀποδιαστέλλειν τῆς θεότητος, non verò vt separetur Pater à Filio & Spiritu. Angeli, Sanctique natura alij sunt à Deo prorsus, neque interna tantùm differentia, sed & externa.

XIII. In secundo sumitur falsum. Docuit enim Christus Apostolos precari non tantùm materialiter & formaliter: vt ex ipsa apparet formula. Imò ex Apostolorum postulatione: *Doce nos orare.* Ea verò interrogatio fuit generalis tam de rebus quàm de forma. Nam si de rebus tātùm dixissent, Docē nos quid orare oporteat: vt ad Romanos octauo: τί προσευξώμεθα καθὸ δεῖ οὐκ οἴδαμεν: *Quid precemur non nouimus.* At constabat (inquit) Deum esse orandum. Concedo: sed non constabat eis, quomodo orandus. Itaque formam præscripta est, vt scirent quomodo is esset inuocandus, quem iam sciebant esse inuocandum. Id autem, quomodo, vtrumque complectitur, & materiam, & formam precum: vtrumque igitur Christus complexus est suo responso.

CAP. VII.

Argumenta & autoritates Veterum contra inuocationem Sanctorum.

I. PRæter Scripturam, argumenta Catholicis non desunt. Primò, λατρεία soli Deo deferenda est: At Oratio siue Inuocatio est λατρεία. Ergo Oratio soli Deo deferenda est. Maior patet per se, consentientibus etiam Papistis: quibus ergo nulla potest superesse exceptio, si probetur assumptio.

II. Hanc igitur probo. Tertullianus de Oratione capite primo, *Et modestiam fidei desiderabat, vt quem vbique audire & videre sciret, ei soli religionem suā offerret:* hoc est orationem. Capite nono, *Ab ipso ordinata religio orationis.* Origenes in Epistolam ad Romanos libro octauo in caput decimum, *Inuocare Domini nomē, & adorare Deum, vnum atque idem est.* Chrysostomus tum ambas copulat εὐχὴν καὶ λατρείαν: tum disertè hanc pro illa ponit, libro primo de Oratione. Primò igitur ὅταν ἴδω τινὰ τῆς τοῦ Θεοῦ λατρείας ἀκορέστως ἐχόμενον, καὶ τὸ μὴ συνεχῶς εὔχεσθαι ἐν ταῖς μεγίσταις ἀεὶ ζημίαις τιθέμενον, τηνικαῦτα τοῦτον ... *Vbi quem conspexero insatiabiliter adhærentem latria Dei, & si non continenter orauerit, id in maximis detrimentis deputantem, hunc ego conuicio omnes virtutes solidè exercere, Deique esse templum. Nam si vestitus hominis, si pedum incessus, si risus dētium declarat qualis homo sit, iuxta sapientem Solomonem, multo magis Oratio & Latria Dei signum est omnigenæ iustitiæ.* Et rursus, ... τῇ τοῦ Θεοῦ λατρείᾳ ... *Oportet & strata relicta Dei latria præuenire solis exortum, & cùm ad mensam accedimus, & cùm nos ad nocturnam quietem recipimus:* ... τοῦ Θεοῦ ... *quin potius singulis horis vnam precationem offerre Deo.* Libro secundo, *Angeli docent nos, vt tantisper dum orationis humanæ naturæ obliuiscamur: & occupati mentis alacritate simul & tremore, nihil respiciamus rerum præsentium sed existimemus nos in angelorum medio consistere,*

καὶ τὴν αὐτὴν ἐκείνοις λατρείαν ἐπιτελεῖν, *eidémque cum ipsis latria vacare. Nam in reliquis multum discrimen est inter conditionem illorum, & nostram: siue naturam expendas, siue viuendi genus, siue sapientiam, siue intelligentiam, siue quicquid aliquis recensere poßit*, προσευχὴ δὲ κοινὸν ἔργον ἀγγέλων ἐστὶ καὶ ἀνθρώπων, *Cæterùm orare commune est opus Angelorum pariter & hominum: neque quicquam interest inter nostram naturam & illorum*, τὸ γε εἰς προσευχὴν, *duntaxat quod attinet ad deprecationem.* Hæc te separat à mutis animantibus, hæc te sociat Angelis. Quin facile fiet, vt quis ad illorum institutum transferatur in illorum vitam & consortium, ad illorum honorem, nobilitatem, sapientiam, & intelligentiam, παρὰ τὸν βίον ἐν προσευχαῖς καὶ τῇ τοῦ Θεοῦ λατρείᾳ σπουδάζων ἐγκαλεῖσθαι, *qui per omnem vitam precibus & Dei latria vacare studuerit.* Idem in secundum prioris ad Timotheum, cùm iubet Paulus, in primis fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, τί δὲ ἐστι τὸ πρῶτον πάντων; τουτέστιν, ἐν τῇ λατρείᾳ τῇ καθημερινῇ, *Quid est illud primum omnium? Hoc est in latria quotidiana.*

III. Idem probatur ex orationis Definitione. Quam inuenio geminam. Vnam προσευχῆς aliam ἀναβάσεως. Priori modo, Oratio definitur, colloquium cum Deo. Chrysostomus de Oratione libro secundo, πᾶς προσευχόμενος τῷ Θεῷ διαλέγεται: *quicunque orat, cum Deo colloquitur.* Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis, *Semper tecum sponsus* (Christus) *ludat intrinsecus. Oras, loqueris ad sponsum: legis, ille tibi loquitur.* Bernardus in Cantica, sermone quinquagesimo, *Orantem hominem cum Deo loqui quis dubitet?* Nilus de Oratione capite secundo, *Est oratio colloquium mentis cum Deo.* Gilbertus in Cantica sermone septimo, *Cùm legis, eruditis de Christo: orans verò familiare cum ipso seris colloquium.* At hoc falsum est, si oratio fiat ad Angelos, vel Sanctos. Tum enim orans colloquitur cum iis, non cum Deo.

IV. Altero modo Basilius oratione in Iulittam. Προσευχή ἐστιν αἴτησις ἀγαθοῦ παρὰ τῶν εὐσεβῶν εἰς Θεὸν γινομένη, *Oratio est postulatio boni à piis ad Deum facta.* Bernardus de scala claustrali, *Oratio est deuota cordis intentio in Deum pro malis amouendis, & bonis adipiscendis.* Damascenus Orthodoxæ fidei libro tertio, capite vigesimo quarto, προσευχή ἐστιν ἀνάβασις νοῦ πρὸς Θεόν, ἢ αἴτησις τῶν προσηκόντων παρὰ Θεοῦ. *Oratio est ascensio mentis ad Deum, vel decentium à Deo petitio.* Altenstaig in Dictionario, verbo, *Orare, Oratio dupliciter potest accipi. Vno modo pro desiderio obtinendi aliquid à Deo, quo desiderans ordinetur in ipsum: & sic oratio est quidam ascensus animæ intellectiuæ ad Deum. Alio modo, Orare idem est, quod prædictum desiderium loquendo Deo proponere, non per modum indicatiuum, sed supplicatiuum.*

V. Ita semper oratio in definitione sua includit relationem directam ad Deum. Quod quidem adeo verum est, vt cùm secundo capite prioris ad Timotheum legamus, *Adhortor ante omnia, vt fiant deprecationes preces, postulationes, gratiarum actiones pro quibusuis hominibus*: etiam si non addatur totidem literis, *ad Deum*: tamen nullus est Veterum, qui non hoc intellexerit. Ambrosius in Institutione virginis capite secundo, *Immolem in Deo sacrificium laudis: vt & Apostolus dicit*: & citat statim locum. Chrysostomus homilia sexta in eam Epistolã, δεήσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας. δεῖ γὰρ εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ, *Deprecationes*, inquit, *orationes, interpellationes, gratiarum actiones. Deo quippe oportet agere gratias.* Nec dissimilis locus cap. 6. ad Ephesios, *Omni prece, & supplicatione precãtes omni tempore.* His tandè, aut nusquã, locus erat concipiendarum precum ad Angelos, ad Sanctos, si quę Christianis preces essent ad Angelos, ad sanctos. Disertè enim, *Omni prece.* At Chrysostomus, καθοπλίσας αὐτοὺς μετὰ πάσης ἀσφαλείας, *Armauit eos tutissimè. Quid insuper opus est?* Τὸν βασιλέα καλεῖν καὶ παρακαλεῖν, ὥστε ὀρέξαι χεῖρα. διὰ ταύτης προσευχῆς, φησὶ, καὶ δεήσεως, *Regem inuocare, & orare vt manum porrigat. Omni prece,* inquit, *& supplicatione.*

VI. Hinc fit, vt denegetur inuocatio iis, qui non sunt Dij: & contrà ex concessa inuocatione concludatur Deus. Nouatianus de Trinitate, capite decimo quarto, *Si homo tantummodo Christus, cur homo in orationibus mediator inuocatur, cùm inuocatio hominis ad præstandam salutem inefficax iudicetur?* Origenes in decimum ad Romanos, *In principio Epistolæ quam ad Corinthios scribit, vbi dicit, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini Iesu Christi in omni loco ipsorum & nostro: eum cuius nomen inuocatur, Deum Iesum Christum esse pronunciat.* Athanasius oratione secunda contra Arianos extrema, *Scriptum est, Fiat mihi in Deum protectorem, & in munitionem refugij vt serues me: & factus est Dominus refugium pauperis & quæcunque istius generis in Sacris Scripturis reperiuntur. Quod si ista de Filio dicta esse asseuerent, quod fortasse verius fuerit,* Γνωρισάτωσαν ὅτι οὐκ ἔστιν ἄξιον αὐτὸν ἀξιοῦν βοηθὸν ἑαυτοῖς καὶ οἶκον καταφυγῆς οἱ ἅγιοι, *agnoscant non dignari sanctos sibi auxiliatorem & domum refugij inuocare eum qui esset factus.* Et oratione quarta, *Nunquam quisquam precaretur accipere à Deo, & ab Angelis, aut ab vllis rebus creatis.* Theophilus Alexandrinus Paschali secundo, *Quomodo* inquit, *inuocabunt, in quem non crediderunt? Oportet primùm credere, quòd Filius Dei sit, vt recta & consequens fiat eius inuocatio. Et quomodo adorandus non est, qui non est Deus, sic è contrario, quem Deum esse constiterit, adorandus.* Cyrillus in Ioannem libro nono, capite quadragesimo secundo, *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam: Liquidò hic Deum se verum esse ostendit: suscepturum enim orationes suorum se dicit, omniáque concessurum eis quæ petant.* Arnobius libro sexto, *Hoc est proprium Deorum, complere omnia vi sua, non partiliter vsquam sed vbique esse totos: non adesse, non abesse, non cenatum ad Aethiopas pergere, & post dies bissenos priuatum ad domicilium redire. Quod si ita non erit, tollitur omnis spes opis: & erit in dubio, audiamur ab diis, nec ne.*

VII. Enimuerò, *illa potißimum est deprecatio*, inquit Chrysostomus sermone de Fide Annæ, *quum ab intimis voces sursum feruntur*: At neque Angeli, neque Sancti, sed solus Deus cognoscit abscondita mentis humanæ. Prioris Regum octauo, *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominis.* Ambrosius de obitu Theodosij, *Occultorum solus cognitor Deus.* Itaque rectè Nouatianus de Trinitate capite decimo tertio, Christum concludit esse Deum, *Quod cùm nullius sit nisi Dei, cordis nosse secreta, Christus secreta conspicit cordis.* Respondet hoc loco Bellarminus: Deum nosse secreta cordium primò omnium, secundò naturaliter, & propria virtute: At sanctos, quorundam tãtùm. Et per reuelationem. Frustra. Nam quis fecit Papistas certos huius reuelationis? A quo eam habent Dei verbo? Imò à mero somnio suo. Itaque tam facile negatur, quàm asseritur. Ioannes Dauus negat posse Sanctos, vllumve, excepto Deo, nosse omnia corda: sed nosse tamen, quæ conducant ad promouendam salutẽ nostram. Atqui omnibus inuocãdi proponitur. Ergo omniũ oportet eis corda patere. Aut si quorundam tantùm? Ergo ab iis solis innoca-

inuocari, hos verè quis distinguet? Aut, si nemo distinguit, qui poterit esse non incerta, non friuola, non ridicula inuocatio?

VIII. Quid? quòd non possit inuocari nisi is in quem confiditur? At prohibentur Christiani cõfidere in homine. Nouatianus de Trinitate capite decimo quarto, *Si homo tantummodo Christus, cur spes in illum ponitur, cum spes in homine maledicta referatur?* Origenes homilia quarta in Ezechielem, *Ad eos qui in sanctis fiduciam habent non incongruè proferimus exemplum, Maledictus homo qui spem habet in homine: & illud, Nolite confidere in hominibus. Sed & aliud. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in principibus. Quod si necesse est in aliquo sperare, omnibus derelictis speremus in Domino.* Itaque Ambrosius optimè, in quartum ad Colossenses, *Idcirco omnipotentia magnitudinis quanta sit Christi, & quam infinita, ab initio declarauit, vt doceret in ipso solo spem ponendam, quia ipsius sunt omnia: & quia nihil sine ipso potest venire, neque in cælum, neque in terras. Ante omnes enim est, & cuncta ipsi constant, quia in omnibus ipse primatum tenet: vt si quis alicui elementorum aut Angelorum, vel potestatum deuotum se debere esse putet, errare se sciat.* Optimè item Augustinus de Tempore capite octauo, *Sunt & montes boni. Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi. Et vide quia non tibi in montibus spes est: Auxilium, inquit, meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Noli putare iniuriam facere te montibus sanctis quando dixeris, Auxilium meum non à montibus, sed à Domino qui fecit cælum & terram. Ipsi montes hoc tibi clamant.*

IX. Quid plura? Nullum in Scriptura mandatum, nulla promissio, nullum exemplum, vnde cõfirmari possit inuocatio aut Angelorum, aut Sanctorum de vita functorum. Et in re tanta, tantum sibi quenquam permittere, vt de suo inueheret, quod nunquam mãdatum fuit, quod nunquã vsurpatum legit: cui nullã Dei benedictionẽ sperare potuit? Non enim Deus hominum arbitrio sua dispensat bona. Grande argumentum, apud pias mentes.

X. Bellarminus respondet primò, ita posse concludi, Sanctos non orare pro Ecclesia, nec in genere nec in particulari. Et fortasse, inquam, verè concluderetur. Nam orare defunctos saltem in genere, concedimus, non vt certissimum, sed vt verisimile: & quod neque negatum, neque affirmatum quicquam pietati officiat Christianæ. At hæc pars de Inuocandis mortuis, si non habeat [illegible], omnino aut in idololatriam abit, aut certè in superstitionem: quo vtroque magnum infertur pietati damnum.

XI. Secundò respondet nullum mandatum requiri, quando ipsa necessitas impellit. Promissionem æquè nullam desiderari: cùm innumerabilibus signis & prodigiis testatum sit, Deum audire eos qui Sanctos inuocent. Exempla denique plurima esse in vtroque Testamento. Sed hæ nugæ sunt. Nam quæ potest esse necessitas, cùm à Deo per Christum habeant fideles omnia? Nulla enim hic necessitas fingi potest, nisi aut Deus non possit omnia tribuere, quod est blasphemum: aut per Christum solum non possimus exaudiri, quod æquè alienum est à fide Christiana. Atque adeò constat exauditos, qui nunquam aut sanctos precati sunt, aut per sanctos, sed [illegible] tum Deum, & per Christum. Miracula autem negamus vlla vnquam facta ad inuocationem Sanctorum; etsi plurima finxerit ætas, tam superstitiosa quã postera. At in Scripturis certè nulla, neque facta, neque ficta. Exẽpla item, nulla colligi potuerũt, neque in Veteri, neque in Nouo Testamento.

XII. Tertiò respondet haberi particulare mandatum, & exemplum: & promissionem Iobi capite vltimo. Mandatum, *Ite ad seruum meum Iob.* Exemplum, *Et ipse orabit pro vobis:* promissionem: *Et ego suscipiam faciem eius, vt non vobis imputetur stultitia.* At hoc nullum est mandatum, ac proinde nullum exemplum, nulla promissio de inuocandis siue Angelis, siue Sanctis mortuis: sed tantùm de adsciscendis viuentium precibus: quod quidem nemo negat constare ex Scripturis.

XIII. Instat, Sanctos enim nunc maximè viuere, ea parte sui, qua preces audire, & pro supplicibus interpellare Deum possunt: nec esse absentes quoad exauditionem, licet loco absentes videãtur. Mera Sophistice. Nihilominus enim verum est, nullum dari mandatum, exemplum, promissum inuocandi eos qui illa sui parte viuunt. Etsi autem viuãt quoad animam, tamen re vera functi sunt hac vita, quam nobiscum habebant communem: imò, quam habebat communem cum suis amicis Iob ille, tum cùm adiri iubebatur. Deinde falsum, posse ea parte audire, posse interpellare. Tertiò, etsi possent, tamen non propterea essent inuocandi. Nam Iob, etsi posset audire, etsi posset interpellare, tamen non erat inuocandus.

XIV. Rursus, qui ab omnibus inuocatur, eum oportet esse vbique. At neque Angeli, neque Sancti sunt vbique: Ergo non sunt ab omnibus inuocãdi. Nouatianus de Trinitate capite decimo quarto, *Si homo tantummodo Christus, quomodo adest vbique inuocatus: cùm hæc hominis natura non sit, sed Dei, vt adesse omni loco possit?* Tertullianus de Oratione capite primo, *Modestum fides desiderabat, vt, quem vbique audire & videre fideret, ei soli religionem suam offerret.*

XV. His omnibus rationibus vetustissimi Patres more hac tota de re ita olim pronunciarunt. Irenæus libri secundi capite quinquagesimo septimo, *Non est numerum dicere gratiarũ, quas per vniuersum mundum Ecclesia à Deo accipiens in nomine Christi Iesu crucifixi sub Pontio Pilato per singulos dies in opitulationem gentium perficit.* Et post pauca, *Nec inuocationibus Angelicis facit aliquid, nec incantationibus, nec aliqua praua curiositate: sed mundè & purè, & manifestè orationes dirigentes ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Iesu Christi inuocans, virtutes secundum vtilitates hominum, sed non ad seductionem perficit.* En negat ab Ecclesia Angelos inuocatos. Nam, quod Feuardentius malignos spiritus interpretatur, ipse maligno spiritu facit. Nam primò non solent maligni spiritus Angeli dici absolutè. Secundò antithesis manifesta est: non tantùm enim notauit Irenæus Angelorum nomen non inuocari; sed statim expressit, inuocari Patris & Filij: non autem bonorum Angelorum. Tertullianus Apologetici capite trigesimo, *Nos pro salute Imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum, Deum viuum:* Et paulo pòst, *Hæc ab alio orare non possum, quàm à quo me scio consequuturum; quoniam & ipse est qui solus præstat: & ego sum cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solum obseruo, qui propter disciplinam eius occidor.*

XVI. Origenes contra Celsum lib. 5. [illegible] *Hos spiritus angelos ex officio suo nominari docti, inuenimus propter diuinitatẽ quandã interdũ Deos vocari a Sacra Scriptura:* [illegible]

[illegible] καὶ [illegible], καὶ [illegible] καὶ [illegible] [illegible] τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως ἐμψύχου λόγου καὶ Θεοῦ, [illegible] δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ λόγου, καὶ [illegible] αὐτῷ, καὶ εὐχαριστήσομεν· καὶ [illegible] δὲ, [illegible] [illegible] [illegible]. ἀγγέλους γὰρ καλεῖν μὴ ἀναλαβόντας τὴν ὑπὲρ ἀνθρώπους περὶ αὐτῶν ἐπιστήμην, οὐκ εὔλογον. *At non sic vt iubeamur eos adorare, aut colere pro Deo, quamuis dona Dei ad nos deferant. Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones destinanda sunt ad Deum rerum omnium Dominum, per maiorem omnibus angelis summum Pontificem, viuum verbum & Deum. Gratias agemus etiam ipsi verbo, interpellabimus, vota & preces ei offeremus: modò intelligamus quomodo hæc accipiantur vel abusiue vel propriè. Angelos enim inuocare qui eorum scientiam non acceperunt supra hominem, absurdum est.* Idem libro octauo. [illegible] τοῦ Κέλσου συμβουλὴν λέγοντος [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Μόνῳ γὰρ προσκυνητέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ. καὶ [illegible] [illegible] καὶ [illegible] πάσης κτίσεως λόγῳ Θεοῦ, καὶ ἀξιωτέον αὐτὸν ὡς ἀρχιερέα [illegible] [illegible] ἡμῶν [illegible] [illegible] ἐπὶ τὸν Θεὸν αὐτοῦ καὶ Θεὸν ἡμῶν, καὶ πατέρα αὐτοῦ καὶ πατέρα τῶν [illegible] [illegible] τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *Apage hoc Celsi consilium iubentis adorari Dæmonas, qui ne tantillum quidem audiendus est. Solus enim adorandus est Deus summus. Orandum etiam Verbum Dei vnigenitum & primogenitum omnis creaturæ. Et rogandum, vt, tanquam Pontifex precationem nostram deferat ad Deum suum & nostrum, patrémque omnium qui viuunt iuxta verbum Dei.* Et rursus, ᾧ τὰς ἀπαρχὰς ἀποδίδομεν, τούτῳ καὶ τὰς εὐχὰς ἀναπέμπομεν, *Cui primitias reddimus, eidem preces offerimus.*

XVIII. Hac de causa in hæreticis olim Angelici deputati, teste Augustino, capite de Hæresibus, *Angelorum cultu inclinati*, Id est, *Angelos adorabant*, inquit Prateolus in Elencho. Inde Synodus Laodicena, canone trigesimo quinto, *Non oportet Christianos, derelicta Ecclesia Dei, abire*, καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν, *Et Angelos appellare.* Theodoretus in secundum ad Colossenses, *Synodus quæ conuenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos.* Antiquissimus Irenæus libri secundi capite quinquagesimo septimo hunc errorem docet alienum ab Ecclesia, *Non est numerum dicere gratiarum, quas per vniuersum mundum Ecclesia à Deo recipiens in nomine Christi Iesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratis accepit à Deo, gratis & ministrat. Nec inuocationibus Angelicis faciat aliquid, nec incantationibus, nec aliqua praua curiositate: sed mundè & purè, & manifestè orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit.*

CAP. VIII.

Status controuersiæ de Reliquiis.

I. DE Reliquiis non erit prolixum negotium: vt pote iam confectum. Enimuerò, si nulla creatura adoranda religioso cultu, multo minus creaturarum reliquiæ. Nazianzeni hoc est in Sententiis distichis, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] λείψανα [illegible] [illegible], *Sacrificare graue est nō pura mente: sed omnis Defuncti peccat, qui colit ossa magis.*

II. Disputant tamen contiá. Vasques disputatione centesima duodecima in tertiam Thomæ. Bellarminus. Bailius Catechismi parte secunda, quæstione quinquagesima secunda. Bellarminus De Sanctis libro secundo, capite primo, & sequentibus. Peresius de Traditionibus parte tertia. Ioannes Arboreus Theosophiæ libro primo, capite trigesimo septimo. Costerus Enchiridij capite decimo tertio. Rubenus de Idololatria libro secundo capite vigesimo primo. Lorichius in Fontalino. Franciscus Agricola tractatu de Sanctorum SS. Reliquiis. Franciscus Moschus, Defensione Catholica de Veneratione reliquiarum Gallicè edita. Baronius Annalium tomo primo ad annum quinquagesimum quintum. Auratus in Paradoxis. Ex Catholicis autem Ioannes Caluinus Tractatu de Reliquiis. Riuetus Summæ Controuersiarum tractatu secundo, quæstione quinquagesima secunda.

III. Reliquiarum nomine, videntur olim solita intelligi corpora ipsa martyrum: quæ à Christianis solebant diligenter conquiri, & sepeliri honestè vt apparet ex Eusebij libro quarto, capite decimo quarto: ἡμεῖς [illegible] τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν καὶ δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον ὀστᾶ αὐτοῦ, ἀπεθέμεθα ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν, *Nos, inquiunt Smyrnenses, ossa Polycarpi, potiora lapillis pretiosis, auróque puriora auferentes, loco digno deposuimus.* Eunapius in Ædesio, de Christianis, ὀστᾶ καὶ κεφαλὰς [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], Θεούς τε [illegible], καὶ [illegible] (fortè τούτοις) καὶ κρείττους [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], Quæ sic verto: *Ossa & capita collecta, eorum quos ream multorum criminum politici magistratus supplicio affecerant, Deos pronunciabant. Et in aduoluebantur, séque eum meliores putabant, quum ad eorum sepulcra polluebantur.* Nam quid in mentem veniebat Hadriano Iunio, vt ὀστᾶ καὶ κεφαλὰς [illegible] redderet, *condita & salita capita?* Xenophon Cyropædiæ primo. [illegible] πολλοὺς καὶ ἱππέας [illegible]. An sanus dicat *pedites atque equites conditos, salitósque?* Simile eiusdem Eunapij de legationibus, τὸ δὲ [illegible] καὶ [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], *Congregata, atque in fugam versa multitudo, haud multum infra ducenta millia.*

IV. Ea corpora appellabantur λείψανα, *reliquiæ.* In Constitutionibus Apostolicis libro sexto, capite postremo: τῶν παρὰ Θεῷ ζώντων [illegible] τὰ λείψανα ἄτιμα, *Eorum qui apud Deum viuunt, ne reliquiæ quidem sunt inhonoratæ.* Apud Nazianzenum oratione in Cyprianum τὸ σῶμα ἀφανὲς ἦν: *Corpus nusquam apparebat, Deo desiderium nostrum exercentes* [illegible] [illegible] [illegible], καὶ τῶν ἁγίων λειψάνων [illegible], *an patienter ferremus mulctari, priuarique sacris reliquiis?* Ambrosius Epistola octogesima quinta, si tamen ea est Ambrosij, *Si martyrum reliquias inuenero.* Sic apud Hieronymum ad Riparium: sic aliàs sæpè.

V. Verùm à corporibus deinceps ad alia ventum. Damascenus Orthodoxæ fidei libro quarto capite duodecimo ait, πάντα τὰ Θεῷ ἀνακείμενα [illegible]: *Adoramus quæcunque Deo adhæserunt*: & præmiserat enumerationem: lignum crucis, clauos, lanceam, indumenta, præsepe, speluncam, Golgotha, sepulcrum, Sionem, & similia: quæ tamen omnia ad Christum solum pertinebant.

VI. Sed non continuit se intra eos terminos superstitio. Nam hodie reliquias sic definiût Papistæ, vt nullus earum numerus iniri queat. Rubenus & Moschus ita appellari notant, Sanctorum corpora, ossa, cineres, vestimenta, & similia, quæ illi, animabus in cœlum excitis, his in terris reliquerunt. Peresius,

relios, quæcunque ipsorum propria fuisse videntur. Et illustratur hæc definitio, ipso maximè vsu Ecclesiæ Papisticæ, quæ nihil vidit tam exiguum, tam vile in sanctis, eorumque rebus, quod non sua cura dignum æstimauerit. Sic Mariæ virginis, non tantùm particulæ corporis; vt crines, & lac, mirum si non etiam alicubi vngues: sed etiam totus mundus muliebris in *κειμηλίοις* relatus: Interulæ, pepla, cingula, pectines, crepidæ, calcei, anuli. Iosephi eius mariti, etiam caligæ.

VII. Harum igitur reliquiarum de vsu nunc disputandum. Nam Damascenus dicebat [illegible] *adorari*. Nostri Papistæ nec aliter sentiunt, nec aliter faciunt. Bellarminus tamen in loquendo cautior, earum cultum duntaxat nominat generalissimo vocabulo. Costerus, Sanctorum reliquias non abiiciendas, sed magno honore & pretio habendas. Peresius Christiana quadam modestia venerandas, & honorandas. Sed Agricola, non tantùm honestè, & religiosè asseruandas, sed etiam adorandas, seu venerandas. Rubenus honorãdas, & adorandas. Coccius, religiosè colendas, & seruandas. Sententia manifesta. Eas reliquias, non tantùm honorandas: sed etiam eo cultu, qui religiosus sit.

VIII. At Catholici reliquias distinguunt, qua corpora significant, & qua res alias extra corpus. Illas negant abiiciendas, aut ludibrio habendas: sed honestè condendas. Non tantùm, quia sint hominum reliquiæ: homines autem ii, qui quodam naturæ priuilegio, sepulturæ honorem sortiti: sed etiã quia Sanctorum. Itaque laudant primitiuæ Ecclesiæ piam diligentiam, tum in Stephano, tum in Polycarpo, tum in aliis. Reliquas autem quisquilias omnino ponunt in medio: vt neque impius sit qui pectines Mariæ non habeat: neque pius qui collegerit, aut contrà. Omnino autem vllas reliquias, siue priori notione, siue posteriori, negant colendas religioso cultu. Aliquando etiam proiiciendas credũt, si adhæserit superstitio, aut etiam idololatria. Denique, quia hoc quicquid est, siue honoris, siue officij, præter Scripturam est, præstare omnino omitti: quandoquidem experimento constet, vix ac ne vix quidem vsurpari posse, absque magno Ecclesiæ periculo.

Cap. IX.

An sint adorandæ reliquiæ.

I. Sic Papistæ disputant. Moses discessurus cum populo ex Ægypto in Palæstinam, noluit ibi relinquere ossa sancti Iosephi, iamdudum mortui: sed ea honorificè secum asportauit, & transtulit in terram promissionis. Ergo transferre ossa Sanctorum, neque nouum, neque superstitiosum.

II. Verùm repetenda est altiùs historia. Geneseos quadragesimo nono, post absolutum propheticum suum testamentum Iacob, *Ego*, inquit, *congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi, contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo possessionem sepulcri. Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi sepultus est Isaac, cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet.* Secundum id mandatum, Exodi decimo tertio, *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum, eo quòd adiurasset filios Israel dicens, Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum.* En causam, ipsius Iacobi mandatum: & finem, sepulturam cum patribus. Emerat Abraham sibi suisque agrum: in eo sepulcrum sibi suisque: hæres Abrahami Iacobus voluit cum Abrahamo auo, cum Isaaco patre sepeliri, suis nepotibus mandatum voluit, vt cùm ex Ægypto discederent, quod spiritu præuidebat multis post annis futurum, futurum tamen, sua deferrent ossa in id sepulcrum. Quid hoc ad rem? Nam hoc modo reliquias transferri, nemo est sanus qui improbet.

III. At Papistis nihil simile. Primò, nullum mandatum, aut Dei, aut eorum, quorum sunt reliquiæ. Nunquam enim credo, aut à Deo, aut à Petro & Paulo dictum, non bene ea corpora, primùm fuisse condita, itaque eruenda transferendaque. Secundò: sepulturę, aut nulla, aut certè minima cura. Nam si esset, primò, quorsum refoderent? Terræ enim nulla nunc prærogatiua. Nec melius, credo, iacet Iacobi corpus Compostellæ, si iacet, quàm olim Hierosolymis. Denique apud Papistas translationis nulla caussa, præter superstitiosè de intercessione inuocationeque Sanctorum conceptam opinionem: quæ nulla fuit Mosi. Itaque eius exemplum ad hanc controuersiam est *ἀπροσδιόνυσον*.

IV. At Deuteronomij vltimo, Deus ipse (vt Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) corpus Moysi honorauit, dum illud propriis manibus sepeliuit. Esto, inquam: Ergo adoranda Sanctorum corpora? Nunquam id vlla Sophistice persuadebit cordatis viris. Tantùm illud, esse ergo Sanctorum corpora sepelienda: Quod quis negauit? Nisi fortè Cynicum illum Diogenem excipias. Sed Christianis alia mens fuit semper: & nos ipsi sepulturas nõ negligimus: hoc teste sole: hac teste humo.

V. Posterioris Regum vigesimo tertio, cùm Iosias delubra idolorum euerteret, & omnem idololatriam delere vellet, tantum abest, vt reliquias Sanctorum delendas esse existimaret, vt cùm aliorum ossa mortuorum effodisset, & in cineres redegisset, ossa tamen Sancti Prophetæ ibidem reperta asseruari iussetit. Imò, inquam, tantùm prohibuit sepulcrũm moueri, *Dimittite eum*, inquit, *nemo commoueat ossa eius.* Nimirum id tãtùm docemur hoc exemplo, non esse refodienda Sanctorum sepulcra. Sed adorandas eorundem reliquias, nunquam Iosias cogitauit: non debet etiam Christianus cogitare.

VI. Verùm de sepulcro Domini legimus Isaiæ vndecimo, *In eum*, Messiam, *gentes sperabunt: & erit sepulcrum eius gloriosum.* Et intelligi hæc verba de sepulcro Christi, certũ est, ex Apostoli decimo quinto ad Romanos. Nec de sepulcro tantùm, quamdiu Christi corpus in eo iacuit, sed etiã deinceps, docet Hieronymus ad Marcellam in Epistola, vt migret Bethlehem. Ergo reliquiæ sunt honorandæ.

VII. Respondeo primò, nullam esse consequentiam, à sepulcro Christi, ad omnes reliquias. Nullam item à gloria, ad adorationem: neque enim quæcunque gloriosa, ea adoranda. Nam ipsa Ecclesia dicitur gloriosa, Psalmo octogesimo septimo, & ad Ephesios quinto: quam tamen adorandam esse nemo hactenus dixit. Atque adeo ei sepulcro, vt esset gloriosum, sufficeret id ipsum, quod continuit corpus Filij Dei: quod nulli vnquam contigit. Eam igitur ob caussam, quamuis à nemine vnquam adoraretur, dici tamen posset, & meritò dici gloriosum.

VIII. Secundò, nego in Esaia quicquam esse de sepulcro Domini. Hebraicè est מנוחתו: quod vocabulum significat *requiem eius*, vt Græcè *ἀνάπαυσις*: atque adeo testatur Hieronymus ab omnibus expressum per *requiem*. Quid est, quod nos tantopere moueat solus Hieronymus? Et quidem nullo adiutus argumento necessario. Nam quod Bellarminus primum ipsa verba citat, deinde Paulum, leuiculè facit. Nam in ipsis verbis nihil est, si hoc demas Hieronymi factum nimium audax. A Paulo hæc verba nusquam citantur: sed ea tantùm quæ præcedunt, *Erit radix Iesse, & qui exsurgat ad imperandum gentibus: in ipso gentes sperabunt*. Itaque ex Paulo concludi potest Esaiam prophetasse de Christo: sed de sepulcro Christi, non potest.

IX. Ex Psalmo trigesimo quarto Rubenus mutuatur, *Custodit Dominus ossa eorum: vnum ex his non conteretur*. Et ex Matthæi decimo, Sanctorum *capilli capitis numerati sunt, qui de eorum capite non peribunt*. Cum tamen Psalmo trigesimo septimo scriptum sit, *Reliquiæ impiorum interibunt*.

X. Sed hæc insignem oscitantiam significant eorum, qui Scripturam legentes, Scripturam verè negligunt: non enim intelligunt. Nam hi omnes loci de hominibus agunt, dum sunt in viuis. Duo quidem primi de Prouidentia Dei, cuius absque decreto nihil homini accidere potest. Tertius de eiusdem Iustitia in perdendis impiis. Itaque in primo, hæc est series, *Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus: custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur*. Hæc senes docet illud de ossibus dici κατ' ἐξοχὴν præcedentis membri de liberatione à tribulationibus. Lombardus in eum locum, *Impletum est in Domino nostro Iesu Christo, cuius crura non sunt fracta in cruce: & impletur in Sanctis suis, quorum patientia in tribulationibus exercetur, sed non vincitur*. Nam *ossa* patientiam Lombardus exponit: & omnes antiqui discesserunt à sensu literæ, ad mysticum: ossaq́; intelligunt interioris hominis, id est, virtutes. Bellarminus seruari maluit ad beatam resurrectionem, restituenda in integrum. Itaque nihil ad reliquias hic locus.

XI. In secundum Hieronymus, *Quod ait, Vestri omnes capilli numerati sunt, immensam Dei erga homines ostendit prouidentiam, & ineffabilem signat affectum: quod nihil nostrum lateat Deum: etiam parua & otiosè dicta, eius scientiam non fugiunt*. Doctrina igitur generalis est, & non particulariter ad Sanctos pertinens. Non est igitur verum, reliquias intelligi. De tertio vix est, vt quicquam dicendum sit. Nam quod genus hoc argumenti est? *Reliquiæ impiorum interibunt*: ergo reliquiæ sanctorum sunt adorandæ? Quanquam Hebraice אחרית *posteritatem* significat potius quàm *reliquias*.

XII. Hæmorrhoissa solam fimbriam Christi fideliter tetigit: & sanata est, Matthæi nono: & Actorum quinto, non reprehenduntur populi, qui certatim ad vmbram Petri attingendam occurrebant: sed potius fidei suæ præmium tulisse dicuntur. Neque Actorum decimonono, habiti sunt superstitiosi, qui Pauli sudaria, & semicinctia deferebant ad ægrotos: sed potius eorum religionem miraculis confirmabat Deus.

XIII. Et tamen, inquam, nunquam fimbria Christi, nunquam vmbra Petri: nunquam sudaria Pauli, leguntur adorata: qua de re quæstio est. Enimuerò, quis docuit non vtendum iis mediis, per quæ bona sua nobis Deus largitur? Fontes plurimi sunt penè miraculosi, ad quos magnus fit populorum concursus, vtentium iis aquis: nec aquæ tamen adorantur. Quid? oleo nónne Apostoli vtebantur ad sanationes? Legat mihi aliquis oleum adoratum, ante stupidissima illa tempora, quæ clamarunt, *Aue sanctum oleum*. Ita olim Hæmorrhoissa, fimbriam non adorare, sed tangere voluit, vt sanaretur: sic alij vmbra, sudariisque vti ad morbos pellendos, nunquã adorare. At nunc stupidissimi Papistæ, non tangunt tantùm reliquias: sed adorare profitentur. Quanquam etiam, quorsum tangant? Non enim iugem voluit Christus esse miraculorum patrationem: sed initiis Christianismi proprium. Itaque fimbriam Christi præter vnam hæmorroissam nemo tetigit. Nec vmbra Petri in æternum sanat morbos: nec sudaria Pauli, quod quidem sciam, conseruata fuere.

XIV. Nec habent è Scripturis plura. Ratiunculas ergo colligunt. Et Patrum autoritates. Prima ratio, à miraculis. Nam secundi Regum decimo tertio, ossa Elizæi, mortuum ad vitam reuocarunt. Et apud Patres multa miraculorum commendatio ad Martyrũ memorias patratorum. Multa etiã in ipsis Martyrũ corporibus: sic Iuuentij & Maximi vultus teste Chrysostomo, post mortem splenduerunt: sic Hilarionis corpus post menses decem compertum integrum, teste Hieronymo. Sancti Vincentij corpus expositum feris à coruo defensum, teste Augustino. Sic alia multa. Ergo Deus non contemnit ossa Sanctorum, sed ea honorat, & honorari cupit. Et Epiphanius in vita Esaiæ, Ezechielis & Hieremiæ, scribit à plurimis coli solita sepulcra eorum ob multa beneficia, quæ in iis locis propter merita eorundem Deus conferebat.

XV. Respondeo, de primo genere miraculorum, non negari aliquando Deum, mira effecisse per huiusmodi Sanctorum reliquias: quanquam inde occasionem superstitiosi sumpserunt fingendi longè plura. Sed dico non sequi, ergo adorandas esse eas reliquias. Nam si de viuis non valebat: quanto minus de mortuis? Certè de viuis habes Actorum tertio, *Viri Israelitæ, quid miramini super hoc, aut quid intentos oculos in nos habetis: quasi propria vi ac pietate effecerimus, vt hic ambularet?*

XVI. De altero miraculorum genere primò hac etiam parte examen esse fictarum narrationũ, quibus alij Rhetorico more encomia sua cumularunt: alij etiam superstitiosè abusi sunt ad hebetiores dementandos. Secundò posse etiam accidere nonnulla huiusmodi, nec tamen inde cócludi adorationem. Nam viuentis Stephani visa est facies, vt Angeli, Actorum sexto: & tamen nemo Apostolorum dixit Stephanum adorandum. Nostro etiam æuo inuenta sunt corpora longo post mortem tempore integra. Romonij certè in hoc nostro Delphinatu, ante annos aliquot, cùm ibidem esset summus Parlamenti Senatus, propter pestem Gratianopoli grassantem, refossum fuit cadauer, cui nihil deerat præter particulam barbæ. Id multos dies omnium oculis expositum fuit, deinde iterum conditum. Superstitiosi dicebant esse quendam iuuenem, cui à patre maledictum fuerat. Sed nemo adorandum dicebat.

XVII. De Epiphanio facile negotium. Primò id opusculum de Prophetarũ vita & interitu, totus fabulis constat puerilibus, quibus ego quidem Epiphanio fieri puto iniuriam: Etsi eum solet ille nonnunquam ad traditiones diuertere, & quidem non solidas: tamen vix est vt putem tam indul-

indulsisse fabulis. Horum Prophetarum ita vita describunt, & exitus, vt aut nunquam, aut vix vnquam ea Scriptura. In Esaia multa de Siloa ridiculè. In Hieremia de Aspidibus, & Crocodilis, & de Arca in die resurrectionis, prima omnium suscitandi. In Ezechiele de vberrimo piscium commeatu filiis Israel impetrato. Et alia plurima: quæ quantam fidem mereantur, iudicent sani. Id saltem concedent, non debuisse narrari omissis tam multis, quorum certissima veritas constat è Scripturis.

XVIII. Secundò, quid est in eo autore, quicunque sit, de adorandis reliquiis? In Hieremia, *Iacet in eo loco sepultus, quo dudum Pharao rex habitauerat: quamobrem Aegyptij postea magna cum religione colebant.* Et paulò post, *Qui vel hodie adhuc fideles comperiuntur, eodem in loco supplicare consueuerunt.* Nota, distingui Ægyptios à fidelibus. Ægyptiis autem tribui cultum Prophetæ: non autem fidelibus. His verò, tantùm supplicationes in eo loco: nimirum vt Christiani solebant in memoriis martyrum Deo supplicare, non ipsis martyribus: Deum adorare non ipsos martyres. Similiter in Ezechiele, *Multi ad monumentum eius confluunt ad precationem, & obsequium.* In Esaia tamen durius, *Populus Prophetam solo cum gloria, & honore reddidit, vt per easdem intercessiones in cōsummationem vsque seculi, aqua eiusmodi* (nempe è fonte Siloa) *fructus impetretur.* Sed hoc quis credat? Sermo est enim de populo Iudæo: nam is Esaiam cōdidit: neque Christiani leguntur vnquam postulasse aquas è fonte Siloa. Quis ergo audiit à Iudæis creditam intercessionem Sanctorum?

XIX. Secunda ratio, à reuelatione diuinitus facta sanctorum corporum. S. Ambrosio reuelata sūt Geruasij, & Protasij ipso teste: & Augustino. Luciano, Stephani, & Nicodemi. Cuidam fœminæ Nestabi, & Eusebij, teste Sozomeno libri quinti, capite octauo, Episcopo cuidam, Abacuc, & Michææ, teste eodem libri quinti, capite vltimo. Et libri noni, capite secundo, quadraginta martyrum. Ioannis Baptistæ caput duobus Monachis reuelatum testatur Beda in Martiano: & Barnabæ corpus in Zenone.

XX. Respondeo, primò mirum esse eas reuelationes tam seras fuisse. Nam omnium prima legitur illa Ambrosio facta corporum Geruasij, & Protasij, cui nisi testis accederet Augustinus, vix quisquam est quod fidem faciat. Nam illa Ambrosij ad sororem ea de re Epistola, mirum si vnquam sano probari queat. Illud etiam mirum, has reuelationes eo crebriores factas, quo longiùs itum à primordiis Ecclesiæ: & quo magis accessum ad ea tempora, quibus imaginum cultus vsurpatus est, & confirmatus. Primis autem purissimisque temporibus, ne fando quidem auditas vllas. Denique quid tum si reuelata corpora? At non adorata. Hoc autem est quod quæritur.

XXI. Tertia ratio à translatione reliquiarum, honoris gratia. Prima ossium Iosephi ex Ægypto in Palæstinam, Exodi decimo tertio. Deinde Petri, & Pauli, ad catacumbas apud Gregorium libri tertij Epistola trigesima: & à Catacumbis ad Vaticanum Petri ad prædium Lucinæ in via Hostiensi, epistola prima Cornelij Papæ. Ioannis Baptistæ, Alexandriam ex Palæstina apud Rufinum libro secundo, capite octauo, & vigesimo. Et aliorum apud Hieronymum, Augustinum, Sozomenum, Theodoretum, Euagrium.

XXII. Respondeo, primò de trāslatione Iosephi, idem esse iudicium cum translatione Iacobi: de qua iam actum. Ad Reliquias quod attinet, eadem ratio est earum, & reuelationis. Nam quo magis instabat cultus imaginum eo crebriores fuêre translationes, adeò vt tandem furta reliquiarum trāsierint in pietatem. At primis Ecclesiæ seculis, aut nullæ fuerunt, aut rarissimæ. Enimuerò Gregorius ex sexto demum seculo, tacentibus reliquis omnibus non satis habet autoritatis, vt persuadeat translatos Paulum & Petrum. Multò minùs Cornelij Epistola, à Catacumbis in Vaticanum. Nam sepultos fuisse statim post martyrium, alterum in Vaticano, alterum ad viam Hostiensem, Veteres testantur: & ita docet Baroni⁹ anno Christi sexagesimo nono. Certè apud Eusebium libri secundi, capite vigesimo quarto id disertè testatur Caius autor in viuis sub Zephyrino, qui Cornelium præcessit annis plus quinquaginta. Vnde insignis impostura patet eius Epistolæ, in qua Cornelius suo tempore refert in Vaticanum fuisse Petrum translatum, & Paulum in viam Hostiensem. Quanquam eadem Epistola tota inepta est, & ex centunibus malè cōsutis: Consules etiam adscriptos habet, Decium, & Maximum, qui Cornelio sedente nulli fuerunt.

XXIII. Translatio Ioannis Baptistæ, refertur à Ruffino ad tempora Iuliani Apostatæ. Et ipsa tamē non spontanea, sed coacta. Nam cùm apud Sebastem Pagani Ioannis sepulchrum mente rabida, & funestis manibus inuasissent, ossaque dispergerent, imò cremarent igni, quidam Hierosolymitani furtim, quæ potuere, subduxere, detulereque ad Athanasium, à quo sunt condita. Factum probè. Quis enim tam ferinam immanitaté non exhorreat? Quis, non ossa in eum modum dispersa colligat, vel solo humanitatis sensu inductus? Itaque laudandi, qui ossa hominis, & quidem sancti, ita sepulcro suo eruta, condiderunt.

XXIV. Sed legantur sanè aliquot olim reliquiarum translationes: at non etiam adorationes: quæ nostra causa est. Atqui negari non potest, inquit Bellarminus, quin ad honorem pertineant sacrorū ossium trāslationes. Fateor, inquam, at non ad adorationem. Solent enim hominum corpora honestè sepeliri: Eoque magis, quo illi fuêre præstantes. Nihil igitur mirum, si cùm, aut primò, aut etiam secundò corpora martyrum erant condenda, id non sit factum absque honore: & quidem magno: sed non alio, quàm ciuili.

XXV. Quarta ratio, à reliquiis conditis sub altaribus, ex Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Concilio Carthaginensi quinto. Et videtur, inquit Bellarminus, ista consuetudo Apostolorum tempore cœpisse: quia Apocalypsis sexto, ostensæ sunt Ioanni in cœlo animæ martyrum sub altari: propterea quòd corpora eorum in terris sub altaribus quiescerent, vt Augustinus insinuat sermone vndecimo de Sanctis. Hunc autem reliquiis assignatum locum, ad magnum honorem pertinere, res ipsa docet. Semper enim altaria in magno honore fuerunt, ita vt etiam suo modo adorarentur: nam Tertullianus libro de Pœnitentia, inter ritus Christianorum ponit, aris Dei adgeniculari.

XXVI. Respondeo, huius moris nullum exemplum reperiri antiquius Ambrosio. Nam etiam Athanasium Rufinus dicit reliquias Ioannis Baptistæ sub cauato sacrarij pariete inclusisse. Nec dubitari potest illud de altari deinceps fuisse frequentissimum. Sed quid tum, si non ab initio? Nam quod de Apocalypsi recitat, frustrà est: nec satis solide

fundamento nixum, sermone illo vndecimo de Sanctis, quod Augustino tribuitur immeritò. Quis enim nescit Apostolorum tempore, multóque post nulla fuisse Christianis altaria?

XXVII. Sed esto sanè is locus tandem delectus in honorem Sanctorum. At primò, longè ab adoratione distat. Secundò, quod fit, non semper est argumentum eius quod est faciendum. Itaque longè præstare censemus primam simplicitatem, quæ nunc potuit, nisi malo Ecclesiæ, degenerare in superstitionem. Adoratas suo modo aras, Christiani ignorarunt: neque illud Tertulliani, aris adgeniculari, eò pertinet: sed tantùm ad denotandum ritum eorum, qui precarentur Deum.

XXVIII. Quinta ratio, ex vsu cereorum, & lampadum: quibus honorantur sacræ reliquiæ. Fuisse enim vsum accēdendi cereos coram reliquiis, patet ex obiectione Vigilantij apud Hieronymum, *Videmus moles cereorum sole fulgente accendi*. Et ex ipso Hieronymo ad Riparium, *Ergo accensi ante tumulos eorum cerei idololatriæ insignia sunt?* Patet ex Constātino, qui inter alia dona, quæ obtulit sacris reliquiis Petri, Pauli, Laurentij, Sanctæ Crucis, multa numerauit candelabra, multas lucernas, quæ perpetuò ardere deberent. Theodoretus historiæ libro quinto, capite trigesimo sexto, testatur in translatione reliquiarum S. Chrysostomi, plurima prælata fuisse lumina. Paulinus natali tertio, describens cultum, qui Sancto Felici habebatur, *Clara coronantur densis altaria lychnis, Lumina ceratis adolentur, odora papyris Nocte, diéque micant: sic nox splendórque diei, Fulget, & ipsa dies cœlesti illustris honore Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.*

XXIX. Respondeo, ita me legere apud Hieronymum contra Vigilantium, *Cereos non clara luce accendimus, sicut frustrà calumniaris: Sed vt noctis tenebras hoc solatio temperemus. & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum, de quibus verè possumus dicere, Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis?* Hinc nota duo. Primum olim in vsu fuisse lucernas, non in honorem Sanctorum, sed in solatium noctis. Nimirum: quia noctu sæpissimè coibant cœtus, vnde dictæ vigiliæ. Et Paulinus eodem tertio Natali, *Properant in lucem à noctem: diémque Expectare piget: votis auidis mora noctis Rumpitur. & noctē flammis funalia vincūt.* Secundò ea initia in abusum venisse apud plebem, siue seculares, mulierculásque deuotas, à quibus in honorem Sanctorum cerei cœperunt incendi. Tertiò hunc abusum fuisse ab imperitia, simplicitatéque, & à zelo sine scientia. Id sufficit ad certum hoc de toto negotio iudicium. Illa autem Syluestri vita, vnde illa sunt de candelabris, & lucernis à Constantino donatis, mera est fabula.

XXX. Sexta ratio est ab vtili. Deus enim, vt Chrysostomus ait in libro de Sancto Babyla, nihil ferè vtilius nobis reliquit ad salutem, Sanctorum reliquiis. Nihil enim efficacius repræsentat, & infigit in animo memoriam Sanctorum, quàm sepulchrum ipsorum. Statim enim atque videmus sepulcrum Sancti alicuius, recordamur illius, & virtutum eius, patientiæ, charitatis, castitatis, pietatis: & simul cogitamus, quanta gloria fruatur in cœlis pro labore breuissimo huius vitæ.

XXXI. Respondeo, non quicquid vtile est, idem adorandum. Dicebat Alcibiades se excitari trophęis Miltiadis. Alexander ad sepulcrum Hectoris lacrymas fudit. Et possunt infinita eiusmodi colligi. Ex quibus nemo id conficiat, quod Papistæ contendunt. Quid? quod hæ reliquiæ neminem afficiunt per se? Sed tantùm ex præsumptis opinionibus? Sic Alcibiadem Miltiades commouebat, qui tamen ipse alios post se non mouit. Sic ad Cæsaris omnium fortissimi tumulum nullus fudit lacrymas. Nec huius ipsius reliquiæ cruentæ, populum Romanū mouissent, nisi adiunctæ seditiosa Antonij oratione. Nec martyrū sepulcra in animas vllā vim habēt, nisi occupatas ardēntibus concionatorū homilus. Præterea, Papistæ quod in martyrum monumentis quærunt, id minimum est, quod de pietate, castitate, patiētia, constantia dicunt. Ne vnciam quidem ceræ sacrificuli haberent, si non adderent miracula, & intercessionem apud Deum, & temporalia beneficia. Antonio vix quisquam offert pernam, nisi vt porcos tueatur. Blandinæ Viennenses nostri ne libram quidem lanæ dederint, nisi in spem bonam lanificij.

XXXII. Iam verò Chrysostomus, nec nihil vtilius nobis relictum esse ad salutem dixit: nec nihil efficacius repræsentare memoriam Sanctorum. Hæ sunt Bellarmini ὑπερβολαὶ, & προσθῆκαι. Contrà disertè monumenta postponit sermoni. *Post sermonis facultatem, inquit, ipsa certè Sanctorum sepulcra proximum locum obtinent, ad animas hominum in ipsos Sanctos intuentium ad virtutum earumdem æmulationem excitandas.* Ergo, inquam, iis reliquiis est quiddam adhuc vtilius, ad eum ipsum finem, quem præ se ferunt Papistæ. Quid igitur? placét me sermonem adorare?

XXXIII. Septima ratio est ab honesto. Primò, corpora Sanctorum fuerunt organa animarum ad omne opus bonum. Secūdò, fuerunt, & sunt instrumenta Dei ad miracula. Tertiò, sunt pignora patronorum. Quartò, sunt exuuię carissimorum. Quintò, sunt trophæa triumphantium. Sextò, designata sunt ad gloriam incredibilē, vt sint post resurrectionem corpora sole clariora. His, aliísque de causis Sanctorum reliquiæ à fidelibus magni fiunt, & debito cultu honorantur.

XXXIV. Respondeo, primò non esse causas generales omnibus reliquiis: sed tantùm corporibus. Neque enim credo, zona, pectines, crepidæ Virginis, fuerunt eius organa ad opera bona, aut trophęa triumphantis, aut designata ad gloriam incredibilem. Deinde nulla hinc conclusio ad honorem religiosum. Honorentur sanè: id est, habeantur in pretio: sed adorari, non est æquum: imò ne honorari quidem, quatenus honor denotat officium ab inferiore pręstitum excellentiori. Nam etsi corpora fuerint organa virtutum, & reliqua, quæ vult Bellarminus: tamen cùm destituuntur animâ, sunt longè infrà viuentes, animatosque fideles: ac proinde non debent honorari ab iis. Sed quatenus absolutè honorem quis appellabit, rei alicuius pretium, ita vt pręferatur aliis rebus eiusdem generis, vt aurum metallis: ita reliquię illæ rebus omnibus inanimatis, sunto per nos sanè honorandę reliquiæ. Sed id ad cultum religiosum, quid facit?

XXXV. Restant Patres: in quibus nihil esse iam potest difficile. Nam primò, eorum nihil est antiquius Constantino Magno, hoc est, trecentis post Christum annis: excepto illo de sede lignea Iacobi Apostoli, ex Eusebij septimo historię libro, capite decimo quarto editionis Christophorsonianę: perperam tamen expresso Gręco contextu, quem ecce

[illegible] θρόνον εἰς δεῦρο πεφυλαγμένον, οἱ τῇδε κατὰ διαδοχὴν περιέποντες ἀδελφοί, σαφῶς τοῖς πᾶσιν ἐπιδεικνύουσιν· οἷα περὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας διὰ θεοφιλίαν οἵ τε πάλαι, καὶ εἰς ἡμᾶς ἔσωζόν τε, καὶ σώζουσιν ἀξιόχρεων σέβας. Cui vertendo loco emphasin addiderunt de suo, tum Rufinus, à quo Bellarminus maluit, tum Christophorsonus. Sed ita habet, *Iacobi Apostoli sedem huc vsque seruatam, qui in locu ordine successerunt fratres, perspicuè cunctis ostendunt: adeò circa Sanctos viros propter pietatem retinebant olim, retinéntque hodie condignum honorem.* At Rufinus, & ingens studium addidit, & à maioribus memoriam sanctitatis traditam, & cum magna veneratione haberi. Christophorsonus, *permagno æstimant*: Et sic solent plerunque, qui vertunt, ad sua præiudicia veteres autores inflectere. Sed redeo. Ergo trecentis post Christum annis, nullum omnino vestigium exstat adoratarum reliquiarum: vix etiam conseruatarum, nisi in sepulcris. Ergo ea veritas non est Christiana. Nam deinceps antea confessus sum, & inuectum id studium, & auctum.

XXXVI. Secundò in omnibus iis Patribus, nemo est, qui reliquiarum meminerit vllarum, nisi corporum. Excepto eo, quem dixi, Eusebio: Excepto item Athanasio in vita B. Antonij, qui ab eo sibi legatum pallium scribit tritum, & Antonium se in Antonij muneribus amplecti, recordaríque per vestimentum imaginem sanctitatis. In quo non video quid sit momenti. Nam amicorum dona magni facere, maximè absentium, aut defunctorum, id verò est promiscui affectus, non cultus vllius religiosi: de quo instituta est disputatio hæc. Nec mihi legas itasse Christianos, & supplices esse factos illi sedi, illive pallio, aut coram iis plebem pronolutam preces suas demurmurasse, vota etiam exsoluisse: quæ si absint, tum nullum suis reliquiis honorem deferri queruntur nostri Papistæ.

XXXVII. Sed Bellarminus bis falsò Chrysostomum citat ex Oratione in Iuuentium, & Maximum. Semel, capite decimo tertio libri primi de Sanctis: Et iterum in hac controuersia, *Sapius eos inuisamus, tumulos adoremus*. Nimirum falsata editione Latina incerti Interpretis, apud quem est, non *adoremus*, sed *adornemus*: quod ipsum tamen à Græco recedit, τῆς λάρνακος ἁπτώμεθα, *Capsulam attingamus*: sic enim repositum in editione postrema Parisiensi Græco-Latina.

FINIS LIBRI VIGESIMI.

LIBER VIGESIMVS PRIMVS.

DE IMAGINIBVS.

Caput Primum.

STATVS QVAESTIONIS DE Imaginibus Dei.

PERVENIMVS ad Imagines, de quibus, qui erit tractatus, duas habet partes: vnam de Imaginum cultu, alteram de earumdem positu in templis. Et illa primùm de Imaginibus, deinde de Cruce.

II. De Imaginibus disputarunt Papistæ. Petesius de Traditionibus parte tertia. Lindanus Panopliæ libri tertij capite vicesimo tertio. Alanus Copus contra Magdeburgenses dialogis, quarto, & quinto. Croquetius Catechesi quinquagesima, & sequentibus. Clingius Locorum libro quarto, capite quadragesimo septimo, Sonnius tractatu secundo in Decalogum. Polygranus in Assertionibus. Panigarolla disputatione decima quarta. Alphonsus de Castro aduersus omnes hæreses libro octauo. Bellarminus de Sanctis libro secundo. Vasques in tertiam Thomæ disputatione centesima prima, & octo sequentibus. Andradius libro nono Orthodoxarum Explicationum. Costerus Enchiridij capite vndecimo. Ioannes Hayus disputationū libro secundo. Richeomus tractatu tertio. Gregorius de Valentia, de Idololatria libri primi capite quinto. Bailius Catechismi parte secunda, quæstione tricesima tertia. Rubeous de Idololatria libro tertio, capite vicesimo sexto.

III. Contra imagines, Zuinglius in Responsione Senatus Tigurini ad Constantiensem Episcopū: & Responsiones ad Valentinum Comparem articulo tertio: & in Isagoge. Caluinus Institutionis libri primi capite vndecimo, & duodecimo. Petrus Martyr in Prioris Regum caput septimum, & in primum ad Romanos: Beza, responsione ad duos Apostatas. Bulingerus Decadis secundæ sermone secūdo. Musculus in locis Communibus, ad secundum Decalogi præceptum, Iuellus contra Hardingum articulo decimo quarto. Sadeel ad Abiurationis Burdegalensis articulum quinquagesimum nonum. Vrsinus, locis Communibus in secundum præceptum. Chemnitius tomo quarto Examinis. Hospinianus de Templis libro secundo. Plessæus de Eucharistia secundi capite secundo, & deinceps: & contra Ebroicensem Episcopum ad locum nonum. Rainoldus de Idololatria libro secundo. Iunius contra Bellarminum. Petrus Molinæus in Clypeo Fidei, sectione centesima decima tertia, & sequentibus quinque. Riuetus Summæ Controuersiarum tractatus secundi, quæstione tricesima tertia.

IV. Imaginem Costerus definit, quæ, aliud cùm sit, aliud quippiam animis nostris denunciat. Quæ definitio generalissima est, atque adeò ab Augustino Signis tribuitur, de Principiis Dialecticæ, capite quinto, *Signum est, quod & seipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit*. Et de Doctrina Christiana libro secūdo, capite primo, *Signum est res præter speciem quā ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire*. Et sanè fateor, non rarò Imaginis nomen ab eruditis autoribus, hac notione vsurpari. Imò etiam latiùs pro iis rebus, quę sub sensus non cadūt, vnde à Philosophis sic censentur etiam illæ rerum species, quæ animo concipiuntur. Sed hæc notio aliena est à nostro proposito. Nam & res sacras non possumus absque illa intellectus imaginatione cōcipere:

cipere: & Deus ipse commendauit Ecclesiæ primum typos multos in Veteri Testamento, tum etiam Sacramenta in Nouo, quæ passim à Veteribus appellantur Imagines.

V. Prætermitto alias Imaginis definitiones. Illud certum, primò Imaginibus omnibus, de quibus cũ Papistis contendunt Catholici, commune esse, vt sint χειροποίητα, id est, *humanis facta manibus*: quo non tantùm excluduntur illi animi conceptus: sed etiam veteres typi, nouaque Sacramenta. Nam etsi nonnullis accedit industria humana: tamen, vt sint signa, id inde non habent: exempli gratia, Panis Eucharistiæ, sine dubio panis fit humanis manibus: at non itidem corpus Christi: sed hoc fit omnipotentia Dei.

VI. Deinde illud etiam commune omnibus imaginibus iisdem, vt per dimensiones suas agant in sensus humanos, & repræsentent id, cuius sunt imagines. Quo rursus distinguuntur, tum ab illis conceptibus, quorum dimensiones nullæ sunt: tum ab omnibus similitudinibus ductis ex vi naturæ: vt panis refert carnem Christi; non vllis suis dimensionibus: sed vi illa, proprietateque, quam habet à sua natura, vt corpus nostrum pascat, sicut caro Christi animam. Similiter Aqua Sanguinem repræsentat, quia sicut aqua corporeas abluit sordes: sic Sanguis Christi peccata. Itaq; plenè definiam Imagines, materiam huius controuersiæ, quicquid ab homine fit, vt per dimensiones suas aliquid repræsentet. Qua definitione includũtur imagines pictæ, fictæ, fusæ, sculptæ, cælatæ: & si quæ sunt aliæ. Quanquam videntur aliàs distingui posse in Imagines, & Statuas: vt Imagines sint tantùm in superficiei lineamentis, Statuæ verò solidæ, habentes ὄγκον. Quod si fit, tum videtur simulacri nomen, vel effigiei, vel aliquod aliud sumendum pro genere: cuius illæ sint species. Sed non adeò λεπτομερῶς grammaticantur Theologi, ac ne vsus quidem quotidianus.

VII. Iam verò Imagines huiusmodi, vel Dei sunt, vel Creaturarum. Hinc partes duæ disputationis. Nam, primò de Imaginibus Dei quæritur, vtrũ sint licitæ: hoc est, vtrum homini liceat quicquam pingere, fingere, fundere, cęlare, quo Deus repræsentetur. Hanc quæstionem tractant Bellarminus, Richeomus, & Vasques. Docent tribus modis posse pingi aliquid, vel ad exprimendam perfectam similitudinem formæ, & naturæ rei ipsius: quomodo solas res corporeas pingi. Vel ad historiam aliquam oculis exhibendam: vel ad explicandam naturam rei, non per immediatam, & propriam similitudinem, sed per analogiam, siue metaphoricas, mysticasque significationes. Non posse autem primo modo pingi Deum: sed posse secundo, & tertio.

VIII. At Catholici primum illum modum, dicunt esse Iesuitarum figmentum: nunquam autem ab alio vllo cogitatum. Imò nullam vnquam picturam repræsentasse perfectam figuram, & naturam vllius rei, siue corporeæ, siue incorporeæ: sed tãtùm lineamenta in oculos incurrentia, & ad summum, colorem. Et quidem nõ perfectè, sed ἀναλόγως. Nam vnus idemque homo, & in parua tabella pingitur, & in magna. Cœlum ipsum, & orbis terrarum in globulo exprimitur pugni ad instar. Enimuerò magnum quid concedunt Papistæ Deo, cùm eum negant pingi posse, quo modo nulla res omnino pingitur. Plena veritas habet, Deum nullo modo pingi debere.

CAP. II.

De Deo pingendo, argumenta Papistarum.

I. SVam sententiam Papistæ sic probant. Primò, Si Angeli, licet incorporei, pingi possunt: Ergo & Deus, quamuis incorporeus. At verum prius, Exodi vigesimo quinto. Et prioris Regum sexto. Ergo & posterius.

II. Respondeo, primò negari consequentiam. Nam præter quàm quod incorporeus est, etiam infinitus Deus. Angeli verò tantùm sunt incorporei, non etiam infiniti. Est autem rei corporeæ ad incorpoream, quædam proportio: quandoquidem vtraque finita. At rei finitæ ad infinitam omnino nulla, ac proinde nulla similitudo. Est autem omnis imago ipsa sui definitione finita, quia constat lineamentis. Deinde non est tantum incommodi in pingendis Angelis, quantum in Deo: quia non est tantum momentum in gloria Angelorum, quantum in gloria Dei. Ad hæc nunquam prohibitum est Angelos pingere: vt prohibitum est Deum pingere.

III. Certè in Concilio Nicæno secundo, Actione quinta recitatur locus ex Ioanne Thessalonicẽsi in quo hoc ipsum argumentum ab Ethnico obiectum diluitur. Et approbatur quidem à Synodo locus: etsi aliàs non Catholicè doceat de Angelis. Cũ enim sibi Ethnicus diceret, æquè licere Deum pingere, vt Christiano Angelos: Ioannes negauit: posse enim pingi Angelos, vtpote non expertes corporis, quamuis tenuissimi. At Deum esse incorporeum, & informabilẽ, *Solummodo Deus incorporeus, & informabilis*, inquit, *Intelligibiles autem creaturæ, nequaquam ex toto sunt incorporeæ, & imitabiles picturæ existunt, & circumferentiam habent. Quanquam autem non sunt, vt nos corporei vtpote ex quatuor elementis, & crassa illa materia, nemo tamen, vel Angelos, vel dæmonas, vel animas dixerit incorporeas: multoties enim in proprio corpore visi sunt: sed ab illis quibus Dominus oculos aperuit.* Sic ille: malè quidem de Angelis: sed negans tamen consequentiam ab Angelis pictis ad Deum pingendum: quæ nostrorum est Papistarum.

IV. Secundò, antecedens non est certum. Nam in Exodo, & in Regum, dicuntur factæ statuæ Cherubim: nunquam autem Angelorum. Scio nominari aliquando Angelos, Cherubim, etiam in Scriptura: sed idem scio non semper Cherubim esse Angelos. Certè Rabbini, quorum ea lingua est, dicunt כרוב esse כולל לכל צורה, nomen generale cuiuslibet effigiei: in lege tamen specialiter esse figuram hominis. Sic Kimchi in radicibus, ex Ben-ezra. Dauid de Pomis in suo Dictionario: exponit *imagines habentes formam hominis*, nisi quòd sunt alatæ: sumi etiam in Exodo, pro quibuslibet figuris, præsertim hominis, leonis, bouis, & aquilæ, in cortinis: itemq; apud Ezechielem. Quare præter tertium Geneseos vix vllus est locus in Veteri Testamento, vbi necessariò intelligendi sint Angeli: si tamen hîc etiam intelligendi necessariò. Itaque Franciscus Georgius Venetus, hos ipsos Cherubim in propitiatorio, exponit modò Sacerdotes sacrificantes: modò duplicem naturam illius, qui factus est propitiatio, pro nostris peccatis.

V. Secundum argumentum: Si Deus visus est corporea specie. Ergo etiam pingi potest. At verum prius. Ergo, & posterius. Probatur assumptum. Geneseos tertio, Deus apparuit Adæ tanquam homo

deambulans in Paradiso ad auram post meridiem. Gen. seos vigesimo octauo, Iacob eundem vidit innixum summitati scalæ, ac proinde forma corporea. Exodi trigesimo tertio, Moses vidit posteriora Dei, id est, terga, & humeros. Isaias 6. & Micheas prioris Regum vltimo viderunt Dominum sedentem in solio, ad formam hominis regis. Amos 9. vidit stantem super altare. Daniel 7. sedentem in throno, describens etiam caput, capillos canos, vestimenta alba. Spiritus Sanctus apparuit in forma columbæ, Matthæi tertio.

VI. Respondeo, primò negari consequentiam, Quia etsi illa omnia essent vera, quæ in assumpto ponuntur, tamen disertè prohibitum est vllam fieri imaginem Deo: & quidem postquã apparuerat Adæ, Iacobo, Mosi. Quemadmodum autem, quę pręcedebant legem exempla, non infringebant legem: sic neque, quæ sequuta sunt. Imò certũ argumentũ. Quamuis Deus apparuerit Adæ, Iacobo, Mosi, tamẽ prohibitus est pingi. Ergo, etsi apparuerit Esaię, Micheæ, Amoso, Danieli, non erit pingendus.

VII. Secundò, negatur inferri Deum apparuisse forma humana, ex locis Veteris Testamenti. Atque adeò in Genesi non legitur apparuisse instar hominis ambulantis, Tantũ audisse Adam, & Euam vocem Domini stantis, siue ambulãtis in Paradiso. Atqui audire vocem, non significat videre. Nam Samuel tertio prioris, audiuit vocem, nec tamen vidit quẽquam. Porrò ambulare, stare, sedere, & similia, cùm de Deo dicuntur, notum est dici ἀνθρωποπαθῶς, ac proinde metaphoricè. Columba autem profectò nulla fuit figura apparentis Spiritus, sed duntaxat tessera, aut signum præsentis: quomodo olim nubes, & columna ignis pręsentem Deum significabat, nõ figurabat. Posteriora Dei, Exodi trigesimo tertio, non significant terga, & humeros: neque ita vnquam quisquam interpretatus est: sed significant quæcunque erant post Deum, tum temporis apparentem.

VIII. Quod attinet ad reliqua exempla, visiones fuere, vel in somnis, vel in spiritu: à quibus ad picturas nulla vis est consequentiæ: neq; enim Deum licet pingere, quomodo suas operationes mentibus nostris repræsentat, quarum capaces non sumus, nisi secundum modulum nostrum. Sic Augustinus negat constituendam in templo imaginem Dei sedentis.

IX. Tertium argumentum. Si Scriptura tribuit Deo omnia mẽbra humana: Ergo, & poterit Deus tanquam homo pingi. At verum posterius: quia dicitur stare, sedere, ambulare: nominantur etiam eius caput, pedes, brachia: tribuitur ei sedes, thronus, scabellum. Cur ergo non poterit pictura exhiberi, qualis depingitur in Scriptura?

X. Iterum, negatur consequentia. Primò, quia etiam si ita loquatur Scriptura, tamen disertè prohibitum, ne pingatur Deus hominis figura. Hoc verò idem est, ac si disertè dictum esset. Quanquam dicatur Deus habere caput, brachia, pedes, stare, sedere, ire, & similia: tamen non est eo modo pingendus. Secundò, non quicquid, aut de Deo, aut etiam de homine dicitur, ita aut Deus, aut homo pingendus. Nam Augustinus de Fide, & Symbolo, cap. 7. etsi videret Deo assignatam dexteram, tamen pronuntiauit, *Tale simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare.* Et Richeomus cap. 9. negat pingendũ quicquid de Deo dicitur in Scriptura: Deum enim appellari ignẽ, Solem: nec tamen licere Deum pingi ignis, Solisve formâ: Ergo, inquã, non est necessaria argumenti consequentia: alioquin certa esset etiã in Sole, in igne. Atqui (inquit Richeomus) Ignis, Solisve figura fauerer Paganorum, Vulcano, & Phœbo, siue Apollini. Enimuerò, inquam, hominis figura etiam faueret omnibus diis Paganorum: qui omnes pingebantur humano corpore, faueret Anthropomorphitis, quorũ non erat caussa melior, quã Ethnicorum. Deinde hæc ipsa ratio solutionem nostram confirmat, cùm docet plus esse periculi in pingẽdo, quàm in loquendo. Neque enim dixit Richeomus eam Scripturam, quæ Deum appellat Solem, & Ignem fauere Paganis: sed tantùm eam picturam, quæ id quod Scriptura dixit, coloribus, siue lineis exprimat. Itaque, inquam, non est consequentia à phrasibus Scripturæ, ad penicullum pictorum.

XI. Quartum argumentum: Si ea pinguntur, quæ minus videntur posse pingi: Ergo, & Deus poterit. At prius verum. Nam pinguntur virtutes, quæ non solùm spirituales sunt, sed etiam accidentia: Ergo verum posterius.

XII. Respondeo negari, primò consequentiam: secundò assumptum. Consequentiam, quia non tãtùm Deus non potest pingi: sed etiam prohibetur pingi. At virtutes & similia, etiã si non possent pingi, tamen nullo vnquam præcepto prohibitæ sunt pingi. Posse autem facilius Deum pingi, quàm virtutes, quàm accidentia, hoc verò Bellarminus non docet. Nam etsi difficilius pingi possent, quàm corpora: tamen facilius pingantur quàm Deus: quia hic est essentia infinita, quæ nullo genere concurrit cum rebus finitis, in quibus sunt accidentia: sunt virtutes.

XIII. Quintum argumentum: Si hominis imago potest pingi: Ergo & Dei. At verum prius, quia homo potest pingi. Certa etiam consequentia: quia homo est imago Dei: Ergo verum consequens.

XIV. Respondeo, negari consequentiam: nam etsi ab initio mundi homo fuerit imago Dei: & homo potuerit pingi: tamen prohibitum fuit fieri vllã imaginem Dei. Deinde homo non pingitur, qua est imago Dei: sed qua est corpus. Hîc instat Bellarminus: Ergo hominem non posse pingi. Quia homo non sit homo ratione figurę, & colorum, sed substãtiæ, & animæ, quæ pingi non possunt. At dicitur homo verè, & propriè pingi: quia figura, & colores imaginis, non solùm figuram, & colores hominis repræsentant: sed ipsum totum hominem: alioqui nũquam fieret, vt res ipsa picta videretur res ipsa vera: quod tamen accidit vuis, quas pinxerat Zeuxis. Sed hæc portentosa sunt. Sanè nunquam totus homo pictus est, qua constat corpore, & anima: sed tãtùm qua est corpus. Nec quidem totus, qua corpus est: sed tantùm qua lineamentis, & coloribus proportionatis. Nã ipsa corporis substãtia nõ potest pingi. Neque id obstat, quominus imago videri possit res ipsa. Deluduntur enim oculi: quibus id offertur ipsum, quod in rebus ipsis vsurpant: non tantùm enim oculi animam hominis non vident, sed ne quidem substantiam corporis. Cùm igitur, quæ vident in tabella, similia sunt iis quæ vident in rebus, tum ab eo signo ad rem ipsam progrediuntur. Ita factũ, non tantùm deceptæ aues, bruta animalia in vuis Zeuxis: sed etiam Zeuxis ipse in velo Parrhasij. Quis enim nescit à sensibus decipi animæ facultates?

XV. Postremum argumentum: ex vsu Ecclesiæ. Iam enim receptæ sunt vbique ferè imagines Dei. Et Concilij septimi actione quinta approbantur

bantur imago Spiritus Sancti in forma columbæ Concilij Tridentini sessione vigesima quinta, admittuntur imagines Dei, præcipuè in picturis historiarum.

XVI. Respondeo vsum Ecclesiæ nullum proferri, sed tantùm vsum hæreticorum in Ecclesia. Nã Côcilium Nicænum secundum, & Concilium Tridentinum nunquam fuêre Catholica. Quanquam illud etiam prohibuit imagines Deo fieri; vt postea videbimus. Nec sanè habent hoc quidem loco, vllum siue ex scriptis, siue ex consuetudine vsum, quem proferant ante sexcentos à Christo annos. Itaq; secun possumus concludere, nullo argumento probatum esse à Papistis licere Deum apud Christianos pingi.

Cap. III.

Deum non esse pingendum.

I. AT Catholici contrà. Primò ex Scriptura: Secundò ex ratione. Tertiò ex antiquitate. Deut. 4. *Custodite sollicitè animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem, in die qua loquutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ:* & quæ sequuntur. Esaiæ quadragesimo. *Cui assimilabitis Deum fortem; & quam similitudinem* siue *imaginem ponetis ei?* Similiter quadragesimo sexto. Actorum decimo septimo. *Genus cùm simus Dei, non est existimandũ auro vel argento, aut lapidis artis sculpturæ, & cogitationis hominum diuinum esse simile.* Paulus ad Romanos primo. *Mutarunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.*

II. Respondent Bellarminus & Richeomus, primò iis omnibus locis prohiberi imaginem Dei eiusmodi, qua Dei essentia perfectè repræsentari putetur. Secundò non agi quidem apud Esaiam de imagine facta ad repræsentandum Deum verũ: nec enim tales à Iudæis fiebant, sed de quibuscunque simulacris, quæ haberentur pro Diis. Quasi Deus diceret: Si vobis simulacrum ligneum Deus est; cùm ego etiam sim Deus, sequitur me similem esse Deo ligneo secundùm vos: nam Deus Deo non potest esse dissimilis.

III. Verùm hæc sunt nihili, nec probari potuerunt à Vasque. *Non solùm puto*, inquit, *prohiberi imaginem Dei primo illo modo, ne scilicet populus errore deceptus vellet ei effigiem aliquam exprimere, qua putaret ad viuum deitatem repræsentari, sed etiam quamcunque imaginem ipsius Dei.* Et verò primùm quid opus erat vetare quod à nemine vnquam cogitatum fuit? Ne in Ethnicos quidem tanta cecidit dementia: vt totam naturam Dei repræsentare se putarent. Itaque quomodo nunquam prohibuit Deus, ne homo mundum crearet; sic neque opus habuit, vt vetaret hoc modo suam naturam pingi. De secundo, quid est necesse dicere: Nam primò id Bellarminus refert ad duos locos duntaxat Esaiæ. Quid igitur reliquis futurum? Præterea mens illa nulla est Prophetæ. Non reprehendit, inquam, Propheta Israelitas, quòd Dei imagines fecissent. Atque adeò non benè Vetus Interpres reddidit, *Cui similem fecistis*, præteritum pro futuro: quod imposuit Bellarmino, sed non nolenti. Monet ergo potius, quid faciendum non sit. Vno verbo, negat Esaias vllam imaginem faciendam Deo: qui nulli rei possit esse similis. Ideo præcedentia prædicant immensitatem Dei: quasi pro fundamento, vnde id consequens educatur, Deus est infinitus: ergo nulli similis: ideóque imagine vlla exprimi non potest: esset enim ei similis, ac proinde non infinitus.

IV. Deinde, dico, si quid vnquam pingi possit primo modo, primo modo Trinitatẽ à Papistis pingi. Ratio. Quia enim illi soli tres sunt modi pingendi: ergo si non pingitur secundo & tertio; necesse erit pingi primo. Doceo autem non pingi secundo & tertio. Quia pingitur senex cum iuuene & colũba. At ea primùm nulla est historia: nunquam enim sic Trinitas cuiquam vsquam apparuit. Côcedatur apparuisse. Patrem Danieli (etsi hoc falsum: nam Deus apparuit, non tantùm Pater) tanquam senem: at non apparuit eidem iuuenis, non columba. Ioanni autem apparuit. Iuuenis nempe Christus annorum triginta, cum columba: at nullus senex. Itaque non potest hæc vlla esse historia. Estne igitur saltem analogia? Rectè: si Trinitas tantùm esset in tribus personis. Sed eadem est in vnitate essentiæ: quæ si desit, omnino Trinitas nec esse, nec dici potest. Ast ea pictura, nulla sui parte vnitatem significat: sed eæ quæ tres separatas substantias, ac tres separatas personas. Quæ igitur analogia esse potest? Maior esset in corpore tricipiti: nam & tria quædam exprimerentur; & vnitas non omitteretur. Sed peccaret tamen; quia non tres personæ denotarentur: nam tria capita non sunt totidem personæ. Si Iano vnam adderes faciem; saltem pueris imponeret [illegible]. Sed paulo nasutiores vnam potius personam colligerent, quia Ianus iste vt bifrons, sic ne trifrons quidem scindi posset in totidem personas. Quid? quod in sene, iuuene columba; primum columba, vtpote irrationalis, non est persona, teste Boethio? Quid? quod eadem colũba nullo sensu potest esse ὅμοιον, imò ne [illegible] quidem? Ergo neque historia est, neque analogia? Quid ergo? Nempe vel primus pingendi modus; quod negant aduersarij: vel monstrum in religione: quod nos vltro dabimus.

V. Redeo ad locos Scripturæ. Vasques, improbata illa Bellarmini subtilitate, respondet; prohiberi quidem non solùm imaginem Dei primo illo modo, sed etiam quancunque. Sed negat sequi, ex natura rei illicitum esse Deum pingere: sed iustis de causis fuisse in veteri lege prohibitum.

VI. Sed Vasques, vt sincerior est in agnoscendo antecedente, sic ineptius in nouo illo effugio. Nam primò, quorsum illud de natura rei? Nam nos quidem vim facimus in prohibitione: quæ piis & timentibus Deum sufficere debeat: vt ne sibi permittant, vllius subtilitatis specie, irritum facere mandatum diuinum. Quid? fatentur Papistæ, indispensabilem esse, aut certè dispensari non debere prohibitionem matrimonij in suis Clericis: quam tamen negant institutam ex natura rei: sed iustis quibusdam de causis: & institutam non autoritate diuina. Et ausint iidem hanc pingendi Dei prohibitionem, factam autoritate diuina, infirmare, quia non à natura rei, sed iustis de causis sit facta? Quanquam non intelligo, cur iustas causas opponant naturæ rei, quasi ipsa non sit iusta causa.

VII. Sed; falsum est, non factam ex natura rei: ipsa Prophetæ verba contrarium sonant. Non enim ille vnquã protulit eã causã, quã indicat Vasques, propensitatem eius populi ad Idololatriã.

Nullo, inquam, verbo, hanc causam indicatam inuenies. Sed aliam; quia similis esse non possit Deus vlli rei. Hæccine causa non est à natura rei? Concedam; si aliquando falsum sit axioma. Sed si certum, perpetuum, necessarium; neque aliàs aliter habens se: omnino definient sani, eam esse ab ipsa natura rei petitam causam. Et verò, vt non esset, tamen quia ratio est anima legis: & tandiu lex valet, quandiu ratio: profectò aut hodie dicendus est Deus similis imaginibus Papisticis: aut concedendum, æquè prohiberi hodie imagines Papisticas, ac olim Iudaicas, siue Ethnicas. Exspecto videre frontem Iesuitarum, asserentium magis assimilari Deum imaginibus hodie, quàm olim.

VIII. Ratio in primis illa ipsa est, quam mox audiuimus apud Prophetam. Nullum infinitum, vlla imagine repræsentari potest. At Deus est infinitus: Ergo Deus nulla imagine repræsentari potest. Assumptum per se manifestum est. Propositum probatur, quia, vt dictum est, imagines repræsentant per lineamenta, & colores. Lineamenta autem termini sunt corporum: colores autem sine corporibus nulli sunt. At nullum infinitum est corporeum. Itaque nullum infinitum habet vlla lineamenta, vllósue colores: quicquámve quod per lineamenta, & colores exprimi possit.

VIIII. Respondent Papistæ, per distinctionem illam suam triplicis picturæ: Non posse igitur pingi infinitum ad exprimendam perfectam similitudinem formæ & naturæ. Sed pingi posse primò historicè, ad repræsentandam aliquam rem gestam: vt in expulsione Adami de paradiso pingẽda, Deus adhibendus esset figura hominis ambulantis. Secundò, ad explicandam naturam Dei per analogiam. Sic pingi Deum Patrem humana forma.

X. Sed, vt prius dixi, ridicula est distinctio, quæ primum membrum ponit chimericum. Idem enim est ac si dicas, eo modo non posse Deum pingi, quomodo nihil vnquam pictum est; imò nihil omnino pingi potest. Deinde ille historicus modus, nihil ad rem: non enim tum pingitur Deus, sed historia quæpiam: actúsque transiens, qui Deus esse non potest. Sic, si verum esset Abrahamo sub quercu Trinitatem apparuisse: nõ eam ego quidem inficias pingi posse hanc historiam; tabulam, inquam, fieri, quæ tres illos adumbret Abrahamo apparentes, & conuiuantes etiam: sed eam constanter negem esse imaginem Dei, aut Trinitatis.

XI. Superest analogicus modus, magis ad nostram quæstionem; & quem tolerandum negamus à Christianis. Non potest enim hîc aliter intelligi, quàm vt nonnulla pingantur nobis cognita, per quæ adumbretur natura Dei: quod si permittitur, Ergo & ignis, & sol pingendus erit: nam vterque ἀναλογικῶς eam naturã adumbrat. At ipsi aduersarij vltro concedunt, non ita debere Deum pingi. Similiter, licebit ergo Trinitatem pingere instar Iani τριπροσώπου, aut hominis τρικεφάλου. Nam in illo Iano erunt τρία πρόσωπα, quæ tamen vnum Ianum conficient: & in altero tria capita; quæ non totidem homines: vt in Deo tres personę sunt vnus Deus. At Bellarminus eiusmodi imagines Dei negat tolerandas. Quod si in his verentur incommoda: ego nulla alia dico posse dari exempla, à quibus non aut eadem, aut similia timenda sint.

XII. Deinde dico, in nulla pictura reperiri posse ἀναλογίας, quæ efficiat, vt ea pictura sit imago Dei. Ac sanè nullam Bellarminus proferre potuit. Nam illa Patris, non ἰδέα Dei est, sed tantùm Patris. Tum etiam ineptissima. Quid enim? Pingitur homo prolixè barbatus, & canus; in manibus habens globum. Quænam hic analogia est, quæso? Num nam vt Patrem in Diuinis putemus esse ætatis beneficium? Blasphemum. Non est enim Pater Deus, antiquior suo Filio, quocunque tandem modo intelligas. Imò qui potest hæc pictura referre nobis Patrem, quę ne inter homines quidem possit paternitatem? Neque enim eo pater est quisquam, quo barbatus, aut etiam canus. Quid rursus globus ille in manu? An quia solus Pater cęlos palmo ponderat? Imò æquè Filius, æquè Spiritus Sanctus. Oculo Ægyptij Deum πανεπίσκοπον denotabant. Et habebant in promptu analogiam; quia prouidens sit. Quid ergo? admittat-ne huiusmodi imaginem Bellarminus? Atqui, quem Deum concipimus Christiani, non prouidentem duntaxat; sed etiam iustum: nec iustum duntaxat; sed etiam potentem: nec vtrumque tantùm, sed etiam misericordem. At oculus neque iustitiam significat, neque potentiã, neque misericordiam: sed tãtùm prouidentiam: atque hanc ipsam vix: aut certè vix benè. Videt enim oculus: non prouidet; quod est consilij, ac proinde animæ. Itaque confidenter dico, nullam omnino picturam inuentum iri analogam Deo: ac proinde nullam quæ eius naturam exprimat.

XIII. Alia ratio à periculo maximo; ne eiusmodi imaginibus ingenerentur animis opiniones indignæ Deo. Exempli gratia: Pingitur Trinitas apud Papistas; vt senex sit barbatus; & iuuenis vnà cum eo; & columba ad pectus senis. In quo primò neque historia est vlla: neque analogia, vt antè dictum. Sed grauissima pericula. Primò, quia, cùm nihil sit, quo vnitas repræsentetur trium personarum; periculum est ne destruatur τὸ ὁμοούσιον, & inducatur τὸ ὁμοιούσιον. Secundò, quia Pater senior pingitur, verendum ne in illud quis incidat Arianũ, ἦν ὅτε οὐκ ἦν atque ita Filius recentior inducatur Patre. Tertiò, quia appingitur columba: quod animal est alterius generis ab homine, siue sene, siue iuuene, quis non videt magnam inferri posse blasphemiam in Spiritum Sanctum? Quartò, vt concedam designari generationem Filij à Patre, vbi tamẽ docetur processio Spiritus ab vtroque; imò vbi saltem processio ab alterutro? Denique, quis non videt præsentissimum periculum τῆς ἀνθρωπομορφίας? Auentinus Annalium septimo: *Quosdam qui in finibus Boemia, atque Austria, supremam illam maiestatem, senis, adolescentis, columba imagine, vt adhuc fieri solet, pingebant, lasa religionis accersitos.* Ioannes vicesimus secundus, *Anthropomorphitas esse renuntiat, quosdam ad ignem condemnauit.*

XIV. Simile iudicium de ea eiusdem Trinitatis pictura, quam Richeomus adfert ex Paulino; Vox erat, & riuus, & columba. Atqui, ne sic quidem Trinitas apparuit vnquam: Nam riuus ille vnde? Sed incommoda; quia nullo modo τὸ ὁμοούσιον exprimitur; imò longè minus quàm in præcedenti; quæ saltem Patrem & Filium eiusdem naturæ exhibet. At hîc vox, riuus, columba, toto genere inter se differunt. Et rursus per riuum, quomodo designabitur generatio Filij? Processionem etiam Spiritus, quid est quod adumbret? Hæc & eiusmodi multa qui attendit, addat & illud ex Gregorio Nysseno de professione Christiana. οἷον δεῖ τὸν εἰκόνα τοῦ θεοῦ ἀναφαίνεσθαι, τοιαύτην ἀνάγκη καὶ τὴν ἀρχέτυπον νοεῖσθαι μορφήν. *Qualis ostentatur in imagine, talem concipiendam est esse*

formam

formam exemplaris. Et longè grauiorem hîc caussam agnoscet doloris, quàm in eo pictore qui regis formam pollicitus, [illegible] *Tanto*, inquam, grauiorem, quanto periculosius est Deum, quàm Regem malè riosse.

XV. Superest Ecclesiæ testimonium. Hoc verò quid clarius? Primò enim, ne tenue quidem vestigium vllius testimonij ex antiquitate proferri potuit à Papistis. Quod si habuissent; quis omissuros credat fuisse? Nam aliàs quàm curiosè inquirunt: quàm diligenter rimantur vel minima? Quàm non negligunt ne ea quidem, quæ remotissima? Dum habeant homonymum aliquid: simile quippiam, tenuem allusionem. Denique, dum vel interpretari, vel torquere, vel falsare: vel etiam coactè argumentari: tum illic triumphant. At hîc nihil huiusmodi. Enimuerò tantum, tam altum silentium, quis non miretur? Imò quis ex eo non concludat, omnino incognitam fuisse Ecclesię, pingendi Dei rationem, ante hæc postrema tempora? Sanè verò ita est: Christianis antiquis insolitum dogma, oculis insolitum spectaculum fuit, Deus pictus. Atqui, id verissimum, quod primum. Videant Papistæ, quomodo sibi consulant.

XVI. Sed non agam præiudiciis: quin potius perspicuis testimoniis rem ipsam docebo. Ac primò ex Ethnicorum obiectionibus. Solebant enim obiicere, Christianos nulla habere simulacra. Reuocandum est verò in memoriam, aliàs obiectum fuisse nobis argumentum, ad probandum Sanctorum cultum, huic simile; nimirum exprobrasse Ethnicos Christianis: quòd ipsi sibi legem posuerunt, vt ne nunc possint idem à nobis propositum argumentum contemnere. Quanquam non pugnabimus nos quidem sola Ethnicorum obiectione: sed multo magis Christianorum ad eam obiectionem perspicua liberáque confessione: qua nos quidem longè superiores erimus. Nam Sanctorum cultum, obiectum Papistæ vsurpabant; quanquam certa institutione purgatum, vt ostendimus. At nos nunc docemus: non tantùm Ethnicos culpasse in Christianis defectum simulacrorum Dei: sed etiam Christianos liberè professos esse eorum apud se non solùm defectum, sed etiam neglectum, imò odium.

XVII. Origenes contra Celsum libro septimo, recitat obiectionem Celsi, [illegible Greek] *Non sustinent videre templa, altaria, statuas. Nam neque Scytha, neque Libys Nomades, neq; Seres athei, neque aliæ gentes impia & exleges.* Respondet Origenes, distinguendas caussas. Ergo iam effectum fatetur: quasi diceret, Verum obiicis Celse: at nobis alia caussa abhorrendi statuas, alia illis gentibus. [illegible Greek] *Si auersatur propter sana dogmata, laudandus qui auersatur. Sin autem propter falsa; vituperandus.* Paulò pòst ipsas caussas distinguens, [illegible Greek] *Nos autem eorum auersatur altaria & simulacra, ob hanc caussam, quia metiuent, & auertant, & deriuent cultum Dei in huiusmodi materiam sic effigiatam.* Quænam contrà Christianis? [illegible Greek] *Christiani verò & Iudæi,* imagines Dei: *Christiani verò & Iudæi, quia dictum est, Deum tuum timebis, & ei soli seruies.* Et rursus, [illegible Greek] *Propter hanc etiam caussam non honoramus simulacra, ne in eam opinionem incidamus, reputemus simulacra esse alios Deos.*

Et notandum in eadem caussa copulari Christianos Iudæis; quibus, pro certo, nullæ omnino erant

XVIII. Arnobius libro sexto: *Consuestis crimen nobis maxima impietatis affigere; quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non Deorum alicuius simulacrum constituamus, aut formam: non altaria fabricemus, non aras.* En tibi iterum, iudicibus Ethnicis, magnum Christianorum crimen, nullius Dei simulacrum constituere. Quid Arnobius? Negauit-ne crimen? Possent hodie Papistæ: & suas Trinitatis imagines ostentare. Sed nihil huiusmodi Arnobius. Imò, substrato fundamento, vera Dei natura, prolixè disputat neque templa diis construenda, neque constituenda simulacra. Similiter apud Minutium: *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra?* Respondet Octauius, *Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra & aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cùm, si rectè existimes, sit Dei homo ipse simulacrum?*

XIX. Sed neque Ethnicis aliud respondebatur, quàm quod seuerè Christianis inculcabatur in Ecclesia. Clemens Alexandrinus, Protreptico: [illegible Greek] *Nobis nullum est sensilis materiæ sensile: sed intellectilis intellectile simulacrum. Non est Deus, qui verè Deus est, sensile simulacrum.* Sic enim, & lego, & interpretor locum, quem non est assequutus Gentianus. Rursus idem, [illegible Greek] *Nos, nos, inquam, ij sumus, qui imaginem Dei circumgestamus in hoc viuente, mouentéque simulacro, id est, homine.* Idem Stromatum quinto: Moses olim disertè legem tulit, non esse faciendum sculptum, aut fusum, aut fictum, aut pictum simulacrum, siue imaginem. Ne sensilibus hæreamus, verùm ad intellectilia transeamus. [illegible Greek] *Nam Dei maiestatem vilem efficit, videndi consuetudo facilis: & intellectilem essentiam venerari per materiam, idem est, quod eandem per sensum dedecore afficere.*

XX. Origenes contra Celsum libro octauo, Celsus dicit, [illegible Greek] *Nos nolle constituere altaria, statuas, templa:* [illegible Greek] *Non aduertens nobis altare esse cuiusque iusti mentem:* [illegible Greek] *Simulacra autem, & Deum decentia anathemata, non quæ illiberalium artificum opera sunt fabricata: sed quæ ratione dedolata, formatáque in nobis.* [illegible Greek] *In omnibus ergo sunt simulacra, quibus credimus decere honorari primogenitum omnium simulacrorum, imaginem Dei inuisibilis, vnigenitum Deum.*

XXI. Lactantius libri secundi capite secundo, *Si dij absentes esse non possunt, qui, quoniam diuini sunt, in quacunque mundi parte fuerint, vident & audiunt vniuersa: superuacua ergo sunt simulacra, illis vbique præsentibus; cùm satis sit audientium nomina precibus aduocare.*

Et paulò post, *Etenim hominis imago necessaria tum videtur, cùm procul abest: supervacua futura cùm præsto est. Dei autem, cum Spiritus ac numen vbique diffusum, abesse numquam potest; semper vtique imago supervacua est.* Concurrit Arnobius libro sexto. *Si certum est apud vos Deos esse quos reminì, atque in summis cæli regionibus degere, quæ causa, quæ ratio est, vt simulacra ista fingantur à vobis, quum habeatis res certas, quibus preces possitis effundere, & auxilium rebus exigentibus postulare?*

XXII. Augustinus Epistola ducentesima vigesima secunda. *Si Trinitas sic est inuisibilis, vt nec mente videatur: multo minùs de illa huiusmodi opinionem habere debemus, vt eam rebus corporalibus, vel corporalium rerum imaginibus similẽ esse credamus.* Idem de Fide & Symbolo. *Credimus etiam quod sedet ad dextram Dei Patris. Nec ideò tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, vt de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus omnino occurrat: aut ipsum quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegiũ quo exsecratur Apostolus eos, qui commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare: multò magis in corde nefarium est, vbi verè est templum Dei.*

XXIII. Theodoretus secundo Therapeuticon disertissimus, [illegible] Θεῦ. *Luculenter docet, eorum quæ videntur nihil sibi esse simile: & omnino prohibet fieri vllam imaginem ad imitationem eorum quæ videntur, existimarique imaginem, aut statuam inuisibilis Dei.* Præclarè. Nihil, inquit, fieri ad imitationem eorum quæ videntur: Ergo non tantùm imagines quæ putentur repræsentare naturam Dei perfectè. Nam quis eas diceret factas ad imitationem eorum quæ videntur? Ergo eas, quas solent fingere pictores, quæ referunt ea quæ oculis vsurpari possunt; tum postea dicuntur esse Dei imagines. Imò amplius: quas Papistæ faciunt ad imitationem eorum quæ visa olim sunt, vt senex, vt columba, vt adolescens, ac dicunt esse imagines Trinitatis, quia Danieli senex visus est: Baptistæ autem adolescens, & columba.

XXIV. Quid plura? Ipso etiam tempore quo insanitum est strenuè in imaginibus Sanctorum, tamen constanter adhuc retinebatur hic Christianæ fidei sensus, vt ne Deus pingeretur. Damascenus Orthodoxæ fidei libro quarto capite decimosexto. [illegible] *Inuisibilis, incorporei, incircumscripti, cuique nulla figura est, quis potest repræsentationem facere? Summi igitur furoris, impietatisque fuerit figurare numen.*

XXV. Hinc grauis Armenorum accusatio. Nicephorus libri decimi octaui capite quinquagesimo tertio. *Tres cruces connectentes sanctam Trinitatem cognominant: eo pacto fortè insinuantes, Sanctam Trinitatem crucifixam esse. Imagines etiam Patris & Spiritus Sancti effigiant; quod perquam est absurdum. Imagines enim corporum eorum sunt, quæ videri & circumscribi possunt: non eorum quæ inuisibilia sunt, & intelligentia comprehendi nequeunt.* Euthymius Panopliæ parte secunda, titulo vigesimo. *Nec exhorrescunt, beatæ Trinitatis imaginem conficere, quæ sola increata est, & infinita, & indefinita, & prorsus incognita. Rerum enim, quæ finita sunt, imagines conficiuntur. Cuius autem rei exemplar sub aspectum cognitionémque prorsus non cadit, eius rei quomodo quis imaginem conficiat?*

XXVI. Exstat libellus Græcus anonymus, [illegible]: cuius tamen initium penè ad verbum lego in Euthymij Panoplia, quo loco de Imaginibus agitur. In eo libello est fragmentum disputationis dialogisticæ cum Imperatore quodam Iconomacho. Vbi hæc legas, ad obiectum Decalogi præceptum responsa: [illegible] *Neque imagine pingendum id quod non potest cerni. Numen enim specie caret & figura; neque videri potest, neque est eorum quæ videntur, atque oculis humanis cognoscuntur, quicquam: verùm mente sola contemplandum; si tamen & hoc quisquam possit.* Et iterum [illegible] *Vna hæc via est optimi consilij capiendi, ô Rex, sistamus soli Deo imagines facere, à legislatore nobis prohibetur.* Et rursus, [illegible] *Sic statutum est; atque hæc disputatio definienda; dudumque tanquam limites ponenda, quos vel euertere, vel disturbare non liceat.* [illegible] *Quomodo?* [illegible] *Non esse faciendam imagines Dei: imò si quis quid simile attentauerit, hunc extrema supplicio obijcere: At homines Sanctos pingendos.* Et post, [illegible] sic enim legendum, non [illegible]. *Annon hoc est quod disputabas; de solo Deo accipiendũ legislatoris sermonẽ, eiusque prohibitũ esse imagines pingi:* [illegible] *Hoc quidẽ dicebas neq; vnquã dicere desistam* [illegible] *Quid ergo? Deum verum prædicas Christum? Ego quidem. At Christi imaginem nónne pingis? Sanè.* [illegible] *Quomodo ergo, si Deum verum prædicas Christum, Christi imagines pingis, si Dei pingere legislator prohibuit imagines?* His subijcitur confessio Christiana de vtraque in Christo natura: Tandem. [illegible] *Atqui non quâ Deus est, Christum pingimus: neque eo respectu imagines ei constituimus. Sed quâ idẽ homo est, & in terra visus est: eum ornamus imaginibus. Neque id quod est visibile, & circumscriptum: inuisibilitatis & incircunscriptionis aptamus mensuræ: ne salutem excidamus. Neque id quod tangi nequit, aut videri, aut circumscribi, tactibus, circumscriptionis, visus rationi aptantes, furiosè forma quapiam exprimere aggredimur.*

XXVII. Et in ipsa Synodo Nicæna secunda, in qua insolentissimè triomphauit [illegible]. Tamen actione quinta, legitur ex Ioanne Thessalonicensi, respondente cuidam, qui obijciebat imagines Christi Christianis. *Dei imaginem (dico Iesu Christi, Seruatoris nostri) quemadmodum ipse super terram cum hominibus conuersatus est, pingimus: non vt ipsa natura Deus est. Quæ enim posset esse Dei similitudo, aut quæ figura incorporei, non effigiabilisque Verbi Patris? Deus enim, vt scriptum est, spi-*

vitus est. Sed & Gregorius secundus Papa Græcis Dialogus dictus Epistola prima ad Leonem Isaurum apud Baronium anno septingentesimo vicesimo sexto. *Διὰ τί δὲ πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οὐχ ἱστοροῦμεν, καὶ ζωγραφοῦμεν; ὅτι οὐκ οἴδαμεν τίς ἐστι. καὶ θεοῦ φύσιν οὐ δυνάμεθα ἱστορῆσαι, καὶ ζωγραφῆσαι. Cur tandem Patrem Domini nostri Iesu Christi non oculis subiicimus, ac pingimus? Quoniam quis sit non nouimus, Deique natura spectanda proponi non potest ac pingi.*

XXVIII. Denique in mediis Papisticæ *εἰδωλολατρείας* tenebris; quidam hunc lucis radium vsurparunt. Teste Bellarmino, qui primò negat esse tam certum in Ecclesia an sint faciendæ imagines Dei, siue Trinitatis, quàm Christi & Sanctorum. Secundò fatetur eandem Caluini sententiam quæ negat Deum vllo modo pingendum, esse etiam aliquorum Papistarum; nominat Abulensis, Durandi, Peresij. Abulensis mihi nulla est copia. Durandi locus est ex quæstione secunda in distinctionem nonam libri tertij Sententiarum, *Imago aut repræsentat Christum secundùm quod homo est; aut est facta ad repræsentandum Patrem vel Spiritum Sanctum, quoad Deitatem* (locus corruptus, & legendus, *vel Filium quoad Deitatem*) *sicut pinguntur quædam imagines quarum vna repræsentat Deum Patrem, & alia filium crucifixum, & tertia Spiritum Sanctum quasi columbam procedentem à Patre in Christum.* Tum postquam concessit priori modo deberi eundem honorem imagini, & Christo: *Secundo autem modo*, inquit, *fatuum est imagines facere, vel eas venerari: vnde Damascenus dicit libro quarto: Quod insipientia summa est & impietatis figurare quod est diuinum.* Quod attinet ad Peresium, is quod quidem viderim, nihil habet, quod ad hanc controuersiam pertineat; sed multa quæ ad aliam, vtrum eadem adoratio debeatur imagini & prototypo; de qua suo loco dicetur.

XXIX. Hic erat igitur sensus Christianorum in hac controuersia. Itaque non mirabitur iam lector, id quod paulo antè obseruauimus; omnino nullum prolatum esse testimonium, quo constaret pingendum esse Deum. Et quidem vide, quanti sit deflectere à prima sinceritate. Nullus olim vsus erat imaginum apud Christianos, quibus Sancti repræsentarentur. Tandem, vt postea docebimus, inualuit apud pauculos amor earum, quæ referrent vultus Sanctorum: inde intruduntur in templa: paulo pòst adorantur: Denique à Sanctis, deuentum ad Deum. Adeò certum, quod olim dixit quidam, non ibi consistere exempla vnde cœperunt. Certè Baronius ad illam Epistolam Gregorij Dialogi notauit in margine, *Postea vsu venit, vt pingatur in Ecclesia Deus Pater, & Spiritus Sanctus.*

XXX. Hic verò iuuat attendere Bellarmini *ἀκρίβειαν*. Is ex Caluino sibi obiicit: Eusebium de Præparatione capite sexto libri primi: Et octauo secundi: item Lactantium decimo quinto primi, asserentes, omnes, quorum simulacra videmus, fuisse homines mortales: itaque nullum fuisse simulacrum Dei Immortalis. Rursus Augustinum, negantem fas esse Deo simulacra collocare; libro de Fide & Symbolo: & laudantem Varronem, qui dixerat, qui primi simulacra eorum induxerant, eos timorem dempsisse, errorem auxisse; de Ciuitate libri quarti capitibus decimo nono, & trigesimo primo: & Senecam libri sexti capite decimo, querentem, inuiolabiles Deos in materia vilissima dedicari. Et vt videatur etiam aduersario arma commodare; addit Origenem contra Celsum: Damascenum libro quarto. Docentes Christianos nullam Dei imaginem habere: & denique Patres Synodi septimæ, negantes Christum rectè pingi, quà Deum.

XXXI. Respondet mirè: Eusebium & Lactantium loqui de Idolis Gentium. Augustinum de Fide & Symbolo, loqui de imagine Dei primi generis. Varronem ita loqui, quia quidam crediderunt ipsa simulacra esse Deos: atque ita cœperunt contemnere: quod non erat futurum, si imagines Deorum credidissent; & quidem non proprias, sed analogicas. Senecam questum esse eadem de caussa. Origenem, Damascenum, Nicænos loqui de imagine primi generis. Quis crederet tam leui corporis declinatione opus fuisse?

XXXII. Atqui primò, affingitur Caluino alienum argumentum. Nunquam ille sic probauit nullum esse simulacrum Dei, quia Ethnicorum idola fuerint imagines hominum. Viderit Bellarminus vnde habeat: & vereatur ne sibi nimium merito præuaricatoris nomen quæsiuerit. Sed Augustinum, Origenem, Damascenum, Nicænos loqui de imagine primi generis, id est, ad exprimendam perfectam similitudinem formæ: quàm est vltra pudoris limites? Nam primò id genus imaginum nullum est, vt diximus. Secundò, Augustinus distinguit templum à corde: Et asserit multo minùs in corde, credendum Deum sedere in throno; quàm in templo ita pingendum. Atqui si imagines illæ perfectæ non possunt esse nisi in corde. Ergo quæ non erunt in corde, non erunt perfectæ. Itaque nihil ad istas. Nam Augustinus non tantùm hanc imaginem in corde reprehendit, sed etiam illam in templo. Ergo non hanc, quatenus concurrit cum alia, sed vtramque reprehendit seorsim; non autem alterutram. Tertiò, Nicæni illi simpliciter docent, quid censeant: sed soluunt obiectionem aduersariorum: qui opponebant pingi Christum à Christianis: qui Deus est: itaque pingi posse Deum. Hoc argumentum sic diluunt, vt distinguant non imaginum varia genera; sed Christi varias naturas. Itaque hæc solutio tota est Bellarminiana. Quartò nusquam inuenias, Origenem, Damascenum, Nicænos, admisisse vllam imaginem Dei: itaque si distinguit Bellarminus, certè distinguit ex vsu sui temporis; non ex vsu Patrum: quod est importunissimum.

XXXIII. De Varrone, & Seneca; primò non habet Bellarminus assentientem Peresium. *Non ignorabat Augustinus*, inquit, *paucos aut nullos esse inter gentes, qui maceriæ idolorum sic sculptas, Deos, aut Deum esse putarent.* Secundò; Clemens Alexandrinus rationem præcepti diuini reddens, asserit Dei maiestatem vilem effici, videndi consuetudine: Ergo ea ratio non ad paucos pertinet; sed est ab ipsa imaginum natura: ac proinde incommodum omnibus cauendum; non tantùm Ethnicis. Est enim videndi consuetudo innata quodammodo ipsis imaginibus: atque adeò dixerunt nonnulli Patres inde ortum idolorum vsum, quòd vellent homines videre suos Deos. Certè Iudæi ab Aarone postularunt Deos qui coram se ambularent.

XXXIV. Porrò Lactantius vtitur hac ratione, Præsentium rerum imagines sunt superfluæ: At Deus est vbique præsens. Ergo Dei imagines sunt superfluæ. Hoc argumentum soluendo, primum

Abbreuiator Bellarmini negat maiorem: quia multi homines habent suas imagines domi. Secundò, Bellarminus non absentia simpliciter pingi solere: sed quæ uideri nequeunt. Deum autem non uideri, quantumuis præsentem.

XXXV. Sed illi primum non nos oppugnant, sed Lactantium impetunt: qui hoc argumento impugnabat Ethnicorum idola. Nobis quidem satis est, id olim Christianis fuisse persuasum, vt confiteamus longè ab illis discessisse eos, qui eodem se nomine dissimulant hodie. Secundò, Lactantius non dixit nullas esse præsentium picturas: sed esse superuacuas. Id autē eo vsu non infirmatur. Nam illi tot homines, qui suas habent imagines; habent sine dubio superfluas. In religione autem vix patitur homo pius aliquid superuacuum. Tertiò, falsum est pingi quicquam, quia non videtur. Nam contrà docebant Veteres τὸ ἀχώρητον, τὸ ἀόρατον, pingi non debere. Tum hac ratione ostendunt Papistæ sibi suarum imaginum eandem caussam esse, quæ Ethnicis erat, nempe vt, quod adorabant, viderent: cùm contrà veri adoratores, adorent in Spiritu.

Cap. IV.

Status controuersiæ de Veneratione Imaginum.

I. Actum de Dei: nunc de Creaturarum imaginibus. Prima quæstio, Vtrum liceat pingere Creaturas. Secunda, Vtrum earum imagines colere. Tertia, Vtrum in Templis constituere. De prima non est difficile negotium. Consentiunt Catholici posse pingi Creaturas; neque id aut à Deo prohibitum inueniri; aut esse contra fidem. Imò Scriptura nobis imagines exhibet Cherubinorū; id est, hominum, boum, aquilarum, leonum: malogranatorum: & similium. Cōsentiunt itaque Christum posse pingi, & eius Matrem, & Apostolos, & omnes Sanctos.

II. Fiunt autem imagines dupliciter: vel ad viuum: vel *κατ' ἀναλογίαν*. Ad viuum; quum vultus ipse per lineamenta sic exprimitur, qualis erat eius qui pingitur. Sicut olim solebant viris magnis poni statuæ: & Reges suas imagines insculpunt nummis. Et aliàs sæpe. Sic etiam bruta animalia repræsentātur, imò sic omnia corporea. Nam & cœlum, & orbem terrarum, in paruulis globis contemplamur. *Ex ἀναλογίας* appello imagines, quæ vultus non referunt, neque ipsam lineamentorum proportionem; sed indicia tantùm quædam, quibus discerni queat quodammodò id quod pingitur, etsi non certò. Vt Dauidem qui pingunt, exprimunt hominem habitu regio cum fidibus. Christum per hominem affixum cruci, cum corona spinea. Matrem Dei, per mulierem mammas porrigentem infantulo. Sic & *ἀλληγορικῶς* multa pinguntur; annus, ver, æstas, autumnus, hyēs; Virtutes, vitia; & similia. Aerem pictores exprimunt, & ignem, terram, aquam; elementa quatuor: sic regiones, prouincias, vrbes; flumina: imitat virorum, & mulierum: pro ingenij humani luxuria; maximè autem pictorum priuilegio, & poëtarum: quibus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

III. Harum imaginum, illas sensus communis dictat esse veras imagines: alias remotiores à vero. & quanquam hæ in vsu suo sint; tamen illæ requiruntur maximè in personis. Nam Cæsaris imaginem antiquarij vestigant, nō quancunq;, sed eam quæ sit ad viuū. Reliquas, quæ eum exprimunt tantū ex gestis rebus, haud sanè magni faciunt. Nec nos negligamus aut Christi, aut Sāctorum veras illas imagines, si fortè dentur. Sed in Papistis miramur præposterum judicium; qui nullo discrimine omnes admittant. Neque enim illis quisquam obiicit ... vllam imaginem. Caput ... vulgo appellant, quod sibi quisque pictor pro arbitrio fingit, dum barbam flauam habeat, & crines promissos, & radios circa se. Paulum vocant hominem tenentem magnum gladium; quasi Heluetium militem, cuiusmodi gerere fuit, cùm non fuit Apostolus: at nunquam fuit, cùm fuit Apostolus. Petrum caluastrum, gestantem insignis magnitudinis claues: Andream prætertentem crucē decussatam in angulos obliquos. Antonij nota est porcus: Ægidij cerua: Rochi, canis: Marthæ, Tarasca; ita enim appellant draconem, quem occidisse fingitur. Lazari scabies: Georgij equus cum lancea, ac dracone. Christophori arbor in manibus, cum puerulo in humeris. Quomodo apud Ethnicos Saturnus falcem habet: Iupiter sceptrum: Mars arma: Venus speculum: Iuno pauum: Hercules clauam: Pallas hastam: Neptunus tridentem. Has accidentarias notas si detraxeris, tum & Ethnicis idem Mars erit, qui Iupiter: idem Hercules qui Saturnus: eadem Pallas quæ Iuno & Venus. Similiter apud Christianos, non habeas quo Petrum dignoscas à Paulo, si claues amoueas & ensem. Ni addat pictor canem, & ceruam, & porcum: nimi idem Ægidius erit, & Rochus, & Antonius. Has sanè imagines Catholici non magni faciunt: etsi non damnent simpliciter. Viderit Bellarminus, quid cum Iudæis agat; quid cum Turcis.

IV. Sed in reliquis quæstionibus, non conuenit Catholicis & Papistis. Prior est, Vtrum venerandæ sint imagines. Et respondent omnes Papistæ affirmatiuè. Quin honorem etiam describunt; eundem, qui debetur prototypo. Sic enim definitum iam olim. Euthymius, *Imaginis honor in exemplar recidit: & vna est vtriusque adoratio: quoniam vna est effigies vtriusque.* Atque id est, credo, quod nonnulli debitum, siue conuenientem cultum appellant. Lorichius, *Imagines sacræ debita veneratione sunt dignæ, & tali à fidelibus colendæ.*

V. Sed recentiores, ac Iesuitæ maxime, distinguendum putauere diligentiùs. Itaque adorari quippiam dicunt primò, per se, vel per accidens; Secundò propter se, vel propter aliud. Tertiò, propriè, vel impropriè. Per se id, in quo inest ratio adorationis. Propter se, quod habet in se rationem venerationis non dependentem aliunde. Propriè; quod verè ratione sui ipsius honoratur. Per accidens, quod est coniunctum rei quæ adoratur, nec est ipsa ratio adorationis. Propter aliud, quod habet quidem in se caussam honoris: sed totam pendentem ab alio. Impropriè, quod honoratur loco alterius. Rex per se, propter se, & propriè, Legatus per se quidem, & propriè, sed non propter se, quia propter regem, à quo est legatus. Purpura regis per accidens; tantùm, quia hæret regi dum rex honoratur. Signa omnia, propter aliud, nempe propter prototypum. Vicarius impropriè, quatenus vicem gerit eius, qui honoratur, sicut Traianus post mortem triumphauit in statua sua.

VI. His positis; quū veteres Imaginarij, tantū dixissent

xisset Imagines adorari propter prototypũ; id est, nõ propter se, sed propter aliud; Bellarmin* lõgè diligẽtiùs. Primò, Imagines Christi & Sãctorũ, venerãdas esse, non solùm per accidens, vel impropriè; sed etiã per se & propriè: ita vt ipsæ terminent venerationem, vt in se considerantur, & non solùm vt vicem gerunt exemplaris. Secundò; quantum, ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum, non esse dicendum imagines vllas adorari debere latria: sed è contrario, non debere sic adorari. Quo vtroque capite aduersarium habet Vasquem. Tertiò; Si de re ipsa agitur, admitti posse, imagines coli impropriè, vel per accidẽs, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur. Quartò, Imaginem per se & propriè non esse adorandam eodem cultu, quo ipsum exemplar: ac proinde nullam esse imaginem adorandam cultu latriæ per se, & propriè. Quintò, Cultum, qui per se, & propriè debetur imaginibus, esse cultum quendam imperfectum, qui analogicè & reductiuè pertinet ad speciem eius cultus, qui debetur exemplari.

VII. Hinc disce quid frontis fuerit apostatis Lannæo, & Pennetario, qui capite tertio libri primi suæ Declarationis, iam secùsè affirmant à suis Catholicis, id est, Papistis, neque in Templis, neque vspiam alibi, imagines proponi ad adorandum, seruiendum, colendum, cultu & honore diuino: sed pro historiis & monumentis rerum præteritarum. Quanquam non illi tantùm; sed etiam vulgus Papistarum, negat statim à se adorari imagines: & hanc habet semper in ore purgationem sui, si quando à nobis admonentur. Crediderim ego, erubescere eorum doctores, apud discipulos: nec audere palam profiteri id, quod in scriptis non verentur asserere. Verisimilitudinis indicium à Bellarmino: qui, etsi concedat imagines adorari eodem cultu cum prototypo: tamen non patitur ad plebem dici vllas adorandas latria. Nec dubito hanc cautelam latiùs produci, vt multi in suis homiliis negent adorandas imagines. Illi viderint. Certè Tarasius, ille magnus iconolatra, in Niceno Concilio secundo, actione quarta hunc in modum definiit, *Omnes qui sacras imagines se venerari confitentur, adorationem autem recusant, à sancto Patre tanquam hypocritæ redarguuntur. Nam cùm verè adorationem, quod est honoris symbolum recusant, contrarium facere cognoscuntur, nimirum sanctæ communicta dicere.*

VIII. At Catholici longè faciliùs. Primò, si quem honorem imaginibus permittunt, longè longèque separant à religione; vt nihil cum ea commune habeat. Secundò, honorem illum, potiùs pretium appellant: nec honorem nisi abusiuè. Quia honorem sciunt non deferendum, nisi excellentioribus: & nulla omnino imago est homine, quãtumlibet tenui, non inferior. Pretium autem imagines habere possũt, vel per se, ac propter se, vel per accidẽs. Per se, & propter se, ob artem; vt olim ab Apelle, Phidia, aut Zeuxi: & hodie à Michaele Angelo, aut ex Flãdria. Per accidẽs, vel propter materiam; vt aurea sunt argenteis: hæc ligneis, aut lapideis pretiosiora. Vel propter archetypum; vt cùm amici absentis picturam habemus caram: & Imperatorum veterum numismata, ob Antiquarios magni fiunt. Nec dubitemus hoc modo præferre Christi Domini imaginem, & Sanctorum: omnibus omnium Imperatorum numismatis. Verùm hic honor, siue potiùs hoc pretium propter archetypum, iis duntaxat imaginibus conuenit, quæ ad viuum sunt. Nam cæ-
teræ aliquæ impropriè dicuntur imagines: nec habent prototypum vllum, præter pictoris audacem φαντασίαν, quæ neminem mouet, nisi qui artem amat. Nam mea quidem quid interest, Christophorus ille dicatur, an Polyphemus, quẽ nõ scipioni, sed arbori fingunt innitentem? Et ille alter cum Dracone pro puella committẽs prœliũ, Perseus, an Georgius? Malim quidem Christophorum, & Georgium, si Christophorus sanctus fuit, & Georgius: sed vt ludant me vafri homines pietatis prætextu, hoc verò non tolerabile.

IX. Semel ergo & in vniuersum Catholica sententia definit, Nullas imagines χειροποιήτους, adorandas esse religiosè, siue per se, siue per accidens, siue propter se, siue propter aliud: siue propriè, siue impropriè.

CAP. V.

An Scripturæ doceant adorandas Imagines.

I. SCripturis abutuntur Papistæ: & Bellarminus triplicem distinguit locorum aciem. Primò, in quibus expressè agitur de Imaginibus. Exodi vigesimo quinto de Cherubinis: & Numerorũ vigesimo primo de Serpẽte æneo. Si Cherubini, & serpens æneus honorabantur: ergo, & imagines Christi & Sãctorum. Probatur antecedens: quia Cherubini erant super Arca: ergo necessariò adorabantur ab iis, qui Arcam adorabãt. Hieronymus ad Marcellam, ideo dicit Tabernaculum fuisse veneratũ à Iudæis; quòd ibi erant Cherubini. Item serpens non poterat non honorari, cùm in loco sublimi à Deo positus fuisset, & salutem miseris in se aspicientibus adferret. Vnde Augustinus libri tertij de Trinitate capite decimo, eum numerat in signis, quæ venerationem merentur tanquam religiosa. Denique idem Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana, capite nono, docet, signa vtilia diuinitus instituta, veneranda esse; quia honor eorum ad prototypum transit.

II. Respondeo, negari primò consequentiam. non enim bene cõcluditur à Cherubinis, & serpẽte, ad imagines: quia illæ non erant imagines. Nihil enim repræsentabant sua exteriori forma; suisve lineamentis. Nam quis è Scripturis docebit quid expresserint Cherubini? Scio diuinasse nonnullos, ós notari Angelos: sed diuinarunt absque fundamento: certè nulla necessitate. Serpens autem, quo iure dicatus imago Christi? At significabat Christum. Ita sanè; sed nõ quicquid significat, imago est: quo non sensu nunc disputamus de Imaginibus: nam imagines metaphoricas nihil moror.

III. Secundò. Antecedens esse falsum: atque adeo improbari à Vasque: qui capite secundo disputationis centesimæ sextæ in tertiam Thomæ, ad hoc ipsum argumentũ respondet *figuras in veteri testamento non fuisse ad adorandum expositas.* Sed agam distinctè priùs de Cherubinis: tum de Serpẽte. Ergo Cherubinos nego adoratos fuisse. Et testem do Vasquem capite sexto disputationis centesimæ quartæ in tertiam Thomæ, disputantẽ aduersus Bedam, qui à Cherubinis probabat lege Mosis nõ fuisse sublatũ vsum imaginum. *Respondeo*, inquit, *lege veteri non fuisse vetitam omnem similitudinem, aut effigiem quomodocunque, sed omnem cultum & adorationem ipsius, atque adeo omnem quoque imaginem seu effigiem, modo accommodato adorationi erectam, aut constitutam: quare nec Cherubinis, nec aliis figuris in templo factis, aliquem cultum fuisse*

delatum. Probat contrà Bellarminus. Erant in Arca. At Arca adorabatur: Ergo ipsi adorabātur. Imò, inquam, primò oegatur consequentia. Nnn enim adorabatur, quicquid erat supra Arcam. Alioquin ipsum aurum, ex quo facti erant Cberubini, adoratum fuisset, nam erat supra Arcam. Quid autem? Vidi apud Papistas imaguncolas diligenter ornatas tum sericis, tum lineis vestibus: & vidi Papistas adorantes eas imagunculas. Dicam-ne apud Papistas adnrari vestes? Vidi altaria mappis lineis operta: Ergo eas mappas adorat Sacerdos? Quid denique? Si fortè araneus, & musca altaribus insederit, tum aranentum, & muscarum λατρείαν dicam Papistas? Imò meminerint honorem à seipsis æstimari ex intellectu, quum concipitur eius, quod bonoratur, excellentia. Itaque, vbi nullus est eius intellectus aut captus, aut motus in rem aliquam, tum necesse est nullum esse honorem. Quare si non probat Bellarminus, Iudæos accedentes ad Arcam adorandi gratia; cogitasse de ipsis Cherubinis adorandis, frustra sumit fuisse in Arca.

IV. Enimuerò Hieronymus nno verè asseruit Iudæos veneratns esse Sancta Sanctorum, quia ibi essent Chetubini. Nulla id scriptura testatur. Pone tamen factum, quid ad rem? Nam Hieronymus dixit veneiari, non dixit adorare. Illud patet longè latiùs. Quis enim negat venerandos parentes? at nno adnrandos, saltem Christianus. Et Augustinus signa religiosa dixit venerationem mereri. Cùm tamen inter adoranda nemo, quod sciam, oumerarit Baptismum. Significauit ergn Hieronymns, fuisse olim Sancta Sanctorum in honore; quomndn scilicet templa ipsa: quorum tamen ne apud Papistas quidem vllum nnmen est io Litanus.

V. Quod attinet ad Augustini signa vtilia: in iis cur numerantur Cherubini? Hoc dicere velim Bellarminum, non sumere. Nam nos in signis Chetubions esse non putamus: nec putauit Tertullianus, qui ornatus caussa factos dicit, contra Marcinnem libro secundo, capite vigesimo secundo. *Cherubim & Seraphim*, inquit, *aurea in Arca figuratum exemplum, certè simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diuersas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari: non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.* Seosus, Illa facta non ad adorandum, sed ad ornandum: contra quàm Bellarminus censet.

VI. Serpentem æoeum in Imaginibus numeran non patior: adoratum etiam nego. Nam si imago, cuius, quæso? Certè nullius, nisi alicuius naturalis serpentis: cuius formam babebat. Ergo Iudæi adorassent serpentes: nam vnus est idèmque motus in imaginem & archetypum. At hoc quis credat? At significabat Christum. Côcedo: sed non qua imago: tantùm qua typus. Typi autem nulli eam babēt rationem imaginum, de quibus disputamus. Adeóque hic serpens præfigurabat Christum, nno qua serpentis lineameota exhibebat; sed qua suspensos, sanabat à serpentibus ictos. Hoc autem nihil ad imaginem. Tertullianus loco iam notato. *Serpentis ænei effigies postea præcepta Moysi à Domino, non ad Idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos, qui a serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedij.*

VII. Deinde, vnde habet adoratum? Vasques capite quinto Disputatinois nonagesimæ quartæ in tertiam Thomæ. *Ex Scriptura solum constat propositum fuisse populo aspiciendum: cúmque simplex ille aspectus, etiam gratia recipiendi sanitatem, non videatur esse aliqua submissionis nota, non erit dicenda adoratio: nullus verò alius cultus iussu Dei illi exhibebatur: signū ergo est, illum nunquam fuisse adoratū, id quod mihi maxime probabile fit.* Imò, inquit Bellarminus, in loco sublimi positus erat: Ergo non poterat non honorari. Salutem miseris in se aspicientibus adferebat: Ergo nnn poterat non honorari. Respnnden: primò illud *honorari*, vocabulum est nimis latè patens, Significat enim magni facere, & in pretio habere: quomodo Catholici consentiunt omnia sacra in honore babenda. Sed quæritur de alio honoris genere, vt sæpe admonuimus. Iam verò negamus serpētem fuisse hoc modo honoratum; siue, vt distinctiùs loquamur, adnratum. Nam neque vllum fuit eade re præceptum Dei; qui nihil aliud iussit nisi aspici. Vasques eodem locn. *Iussit Deus eos erectos & stantes absque vlla submissionis nota, & adorationis in ipsū aspicere, vt tota animi reuerentia in Deum autorem illius ferretur: Nullam verò corporalem adorationem aut submissionis notam in eum dirigerent.* Neque fuit in loco Sancto, id est, in Tabernaculo coostitutum & denique quum adorari cœpit, contritum est, & anathemate damnatum. Argumenta antem sunt ridicula. Non enim omnia, quæ in sublimi loco cnnstituuntur, adnrantur: alioquin etiam ambo latrones cum Christn crucifixi fuissent adorandi: neque omnia, quæ salutem adferunt corpoream, adoranda sunt: alioquin infinitæ stirpes essent adorandæ: adorandi Medici & adnranda piscina, quæ in Siloe. Quæ absurda suot.

VIII. Secundus Bellarmini impetus ex Scriptura; est ab iis locis, quæ docent, creaturas honorandas religiosè propter solam relationem ad Deum. Psalmo oonagesimo nnoo. *Adorate scabellum pedum eius.* Matthæi quinto, *Nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius.* Vbi notat, iuramentum esse actum religionis, quo honoratur primariò Deus, secundariò id per quod iuratur. Prohibere ergo Deum iuramenta sine debitis circunstantiis, per cœlum & terram, ne contumelia fiat eiusmodi creaturis, quatenus relationem habent ad Deum. Sed similem relationem habent imagines: Igitur eadem ratione colendæ suot.

VIIII. Responden; primò: hoc argumentum non posse vniuersaliter concludere de imaginibus: Sed duntaxat de imaginibus Dei. Nam hæ solæ dici possent habere quandam relanonem ad Deum: cùm reliquæ relationem habeant ad creaturas. Porrò Imagines Dei iam constat in vniuersum esse prnhibitas. Nulla autem ratio, quantumuis verisimilis, efficax est contra legem. Secundò, falsum est imagines habere ad Deum similem relatiooem vt terrā, & cœlum. Nam si haberent, tum vel ex natura, vel institutione. Ast imagines naturalem nullam habent cum Deo connexionem, aut relationem: Si quam habent verò, ex institutioné, ea institutio est humana tantùm. Diuina enim esse nequit; cuius nullum præceptum est à Deo, contrà potiùs prohibitio. At relationem ex humana institutione; quis æquet relationi ex diuina voluntate? Itaque argumenti nulla vis est.

X. Rur-

X. Rursus sumitur falsum, in vtroque loco citato. Nam primùm Psalmo nonagesimo nono, non præcipitur adorari Arca. Probatur primo ex ipso contextu: secundò ex Veteribus. Hebraicè sic legitur, השתחוו להדם רגליו קדוש הוא. Ea verba Latinus interpres vulgaris vertit, *adorate scabellum pedum eius, quia sanctum est*. Et Septuaginta, [illegible]. Hieronymus similiter. Pagninus etiam: *Incuruate vos scabello pedum eius: quia sanctum est*. At nihil necesse est. Nam Munsterus reddidit, *Incuruate vos ante scabellum pedum eius: sanctum enim est*. Leo Iudæ, *Prosternite vos ad scabellū pedum ipsius: Sanctus enim est*. Vatablus in annotationibus minoribus. *Id est, in tēplo, vel ante arcā, in qua præsentiam suam exhibebat Deus*. Iam ultimè etiam Paraphrastes Chaldæus. *Adorate in Domo Sanctuarij eius: sanctum est*. Quem sensum sequuti sunt Iansenius in Paraphrasi, & ipse Lorinus. Et sanè eodem ipso Psalmo; cùm legas השתחוו להר קדשו phrasi similitamen & Septuaginta, [illegible]. Et Latinus: *Adorate in monte sancto eius*. Vt manifestè mentitus sit Lorinus; qui notauit hāc phrasin nunquam occurrere ad designandum adorationis locum, sed tantùm rem adoratam. Psalmo centesimo trigesimo secūdo. נשתחוה להדם רגליו: Græcè: [illegible]. Latinè *Adoremus in loco vbi steterunt pedes eius*. Imò Genebrardus ad hunc locum citatum à Bellarmino; *Quasi dicat, coram scabello pedum eius procidite: quasi ante pedes eius prostrati*. Nulla igitur iam vis est argumenti ex ambiguo. Nam etsi eadem phrasi dicatur לא תשתחוה להם Exodi vigesimo, *non adorabis illa*: & alibi sæpe: tamen non propterea vbicunque ea occurrit phrasis, similiter exponenda: Nec dicendum, Adorate montem sanctum eius: sed ad montem. Et hoc loco disertè Lyranus. *Id est, ante scabellum pedum eius*.

XI. Secundò ex hoc ipso loco, nemo Veterum collegerat, Arcam adorandam. Quin potius plerique omnes humanitatem Christi interpretantur. Augustinus enim scabellum pedum Dei, intelligit terram, & Esaiæ sexagesimo sexto. *Ergo, inquit, terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quòd sit scabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus terram, quum dicat apertè Scriptura, Dominum Deum tuum adorabis: & hic dicit, Adorate scabellum pedum eius: Exponens autem mihi quid sit scabellum pedum eius, dicit, Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum & terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei; quia Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum eius. Quæro quid sit scabellum pedū eius, & dicit mihi Scriptura, Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Christum: quia ipsum quæro hic: & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem cepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed etiam peccemus non adorando.* Augustinum deinceps sequuntur Latini. Autor eorum commentariorum quæ tribuuntur Hieronymo: & Lombardus: ac Dionysius Rickel. Franciscus de Puteo. *Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus, Glossa. Id est, corpus Christi, quod de Maria virgine assumpsit, in quo maiestas diuinitatis tanquam super scabellum stat.*

XII. Atque hinc hæc sese offerunt notanda. Primum. Totam terram dici scabellum pedum Dei. Si igitur iuxta Bellarminum, ex scabello pedum Dei concluditur relatio ad Deum: profectò vniuersa terra habebit relationem ad Deum. Rursus autem; si quæcunque habent relationem ad Deum, adoranda sunt: Ergo vniuersa terra erit adoranda. Quod si est absurdum, imò si disertè & cum horrore negatur ab Augustino: Ergo id potius verum est; non esse adoranda quæ habent eam relationem ad Deum. Præterea; quis fuerit vsus Ecclesiæ seculo Augustini, facilè perspicitur. Nam si imagines, aut reliquiæ adorarentur, tum nihil difficile fuisset Augustino: quomodo ne hodie quidem Papistis. Neque solum illi occurrisset corpus Christi. Denique Bellarminus non argumentabatur à carne Christi: at Augustini iudicio, hic locus Psalmi prophetat de carne Christi: non ergo de imaginibus.

XIII. Alter locus æquè torquetur. Nam in eo nullæ creaturæ docentur coli religiosè: sed omnino iurare per eas prohibetur. Locus habet in hūc modum, *Audistis dictum fuisse veteribus Non peierabis, sed reddes Domino quæ tu iuraueris. Ego verò dico vobis, ne iuretis omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est: ne que per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolymam, quia vrbs est magni regis: neque per caput tuum iures: quia non potes vnum capillum album aut nigrum facere*. Hîc verò, quid est, quæso, quod honorem religiosum significet creaturis delatum? An illud, *ne iuretis omnino*? Itane? Atqui prohibetur iurari non tantùm per cœlum, & per terram, sed etiam per Hierosolymam. Nouum dogma Christianum, religiosè coli aliquam ciuitatem. Sed quid? quòd idem de capite? An verò quemq; Christianum dicimus iuberi suum ipsius caput religiosè colere, & honorare? Vt sensus sit; Nemo iuret per caput suum; id est, quisque caput suum religiosè honoret. Mirum Iesuitæ [illegible]. Quin potius illud, *prohibet Deus iurare sine debitis circunstantiis per cœlum & terram, ne contumelia fiat huiusmodi creaturis*; illud, inquam, Bellarmini commentum est: nam contrà credunt Catholici omnino prohiberi iuramenta per cœlum & terram, ne ad eas creaturas deferatur cultus religiosus; actus latriæ. Thomas in Cathena ad hunc locum, *Considera quòd hic Saluator non per Deum iurare prohibuit: sed per cœlum & terram, & per Hierosolymam, & per caput tuum: hanc enim per elementa iurandi pessimam consuetudinem semper habere Iudæi noscuntur: qui autem iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat. Iudæi autem per Angelos, & vrbem Hierusalem, & templum, & elementa iurantes, creaturas venerabantur Dei honore: cùm in lege præceptum sit, vt non iuremus nisi per Dominū Deum nostrum*. Ante hūc Veteres: Hilarius Canone quarto. *Hæc sacramentorum pignora plena apud eos piaculi fuisse demonstrat: cùm ignorato aut neglecto opifice, religionem operibus impertirentur*.

XIV. Tertius Bellarmini conatus, ex iis testimoniis, quæ docent creaturas dici sacras, vel sanctas, propter relationem ad res sacras. Exodi tertio. *Locus in quo stas, terra sancta est*: propter Angeli præsentiam. Exodi duodecimo dicitur dies Paschæ, dies sanctus & venerabilis, propter significationem; & quia dedicatus erat cultui diuino. Exodi vigesimo octauo, dicuntur vestes Sacerdotum sanctæ propter eandem caussam. Isaiæ vndecimo, sepulchrum Christi gloriosum. Posterioris ad Timotheum tertio, Scripturæ sacræ, literæ;

quia signa sunt sacrarum rerum. Atque adeo non solùm literas, sed etiam verba ipsa prolata, venerari solent, præsertim nomen Iesus: atque Euangelium à stantibus auditur, & quidem luminibus accensis; quãuis meridie. Porrò rem Sanctam esse venerabilem, hoc ipso quod Sancta est, probatur Exodi duodecimo. *Dies prima erit Sancta: & septima eadem religione venerabilis.* Vbi pro eodem est, res Sancta & religiosè venerabilis.

XV. Respondeo, negando quicquid Sanctum est, etiam religiosè colendum esse. Nam & Aaron sacer erat, siue Sanctus: similitérque omnes sacerdotes: nec tamen aut hi, aut ille, colendi cultu religioso: atque adeò nunquam eos sic Israelitæ coluerunt, siue viuos, siue mortuos. Multò minùs, eorum vestes; quantumuis dicantur sacræ, siue Sanctæ. Neque ipsam sanè diem sabbati, quisquam veneratus est. Cæterum locus Exodi duodecimo est à veteri Interprete corruptus. Hebraica veritas habet, *Et in primo die conuocatio Sancta: & in die septimo, conuocatio Sancta erit vobis.* Non ergo Moses pro eodem scripsit, Sanctum, & religione venerabilẽ. Sed Latinus interpres: cuius autoritas, quanta quanta sit, at diuina esse nullo modo potest. Quanquam concedo, posse commodum sensum eius interpretationis aliquem dari, sed hunc Bellarmini non posse. Quanquam etiam Bellarminus religione venerabilem dixit de suo; pro festiuitate venerabilem, quod Interpres dixit. Enimuerò res sacras, Catholici concedunt longè præferendas prophanis; & tractandas religiosiùs; hoc est sic, vt appareat eas religioni destinatas; sed ipsas illas res coli religioso cultu, hoc verò nunquam concedent.

XVI. Denique Imagines, de quibus quæstio hæc nostra est instituta: has, inquam, imagines, sacras nemo vnquam appellauit, præter vel manifestè idololatras, vel certè nimium iam deflectentes à sinceritate Christiana. Imò ipsæ etiam institutæ sunt ad significandas, & repræsentandas res sacras: inquit Bellarminus. A quo autem institutæ, inquam? A Deo, an ab homine? Nam; si à Deo, fatebor esse sacras. Sed hæc petitio erit principij: negant enim Catholici à Deo esse institutas. Sin autem ab homine, tum verò negant propterea esse sacras. Nam & tricipites imagines; siue trifrontes Bellarminus negat esse Sanctas; quanquam ab hominibus institutas ad significandam Trinitatem, rem sanè sacram.

Cap. VI.

An rationibus probetur adorandum imagines.

I. POst Scripturæ locos, ratiunculas Bellarminus colligit quas potest, & vndecunq; potest. Primam à simili, hoc modo: Homo dignus est veneratione; quia imago Dei est: Ergo & cæteræ imagines Christi, vel Sanctorum, dignæ sunt veneratione: quod enim vni imagini conuenit, quia imago est; id necessariò omnibus imaginibus conuenit. Probatur autem hominem esse venerabilem, quatenus est imago Dei, ex Cyrilli Hierosolymitani catechesi duodecima. Et Augustini epistola ducentesima tertia.

II. Respondeo, negari consequentiam. Non enim idem esse imaginem Dei, & imaginem Christi, siue vllius Sancti. Illa enim est, θεῖον ἔργον, hæc verò hominum artificij opus. Itaque ne homines quidem sic honorant statuas apud se repositas, vt liberos suos.

III. Nec probatur consequentia: Esto enim verum, id omnibus imaginibus conuenire, quod vni conuenit; quia est imago: tamen non est verum omnibus imaginibus eum honorem deberi, qui debetur homini. Alioquin non Sanctorum tantùm, sed etiam omnium hominum, Cæsaris, Augusti, Herodis, Iudæ imagines essent venerandæ; sunt enim sunt imagines, quàm quæ Pauli, & Petri, Virginis matris, & reliquæ. Eadem quæ ratione, Tricipites, Trifrontésque illæ Trinitatis imagines, quas tamen ne pingi quidem vult Bellarminus; inter venerabiles essent numerandæ. Denique; cùm ipsi Papistæ affirment quibusdam imaginibus deberi latriam: non autem omnibus: hoc ipso satis euertunt hanc consequentiam: docentes non conuenire omnibus imaginibus, quicquid vni conuenit.

IV. Sed mihi potior Augustinus Epistola centesima decima nona, habere quidem Deum imaginem: sed Deum nullam imaginem coli debere, nisi illam quæ hoc est quod ipse. Peccatum est à Bellarmino multipliciter. Primò, intelligendum axioma, de Imaginibus homogeneis: quia dictum; quod vni conuenit imagini, quia imago est, id omnibus conuenit imaginibus, quæ sub eandem cadunt imaginis definitionem. Quomodo si dicam, quod vni homini conuenit, quia homo est, id ipsum conuenire omnibus hominibus: nemo tam bardus erit, qui in priori parte hominem concipiens in Categoria substantiæ: in altera imaginetur hominem in Categoria accidentis, videlicet pictum. Et si dicat quis, omnibus Tauris conuenire, quicquid vni Tauro, quia Taurus est: tamen clamabit iniuriam fieri, si quis inde concludat Taurum montem, mugire; æquè cum Tauro animali. Nec vrsas in montibus errantes nautæ sic obseruant, vt quas circa polum intuentur. Atqui ego nego eadem imaginis definitione hominem dici Dei imaginem, & Christi, pictum aliquod variis coloribus incrustatum.

V. Deinde falsum homini honorem deberi, quia imago est: sed quia imago Dei. At nõ omnis imago est imago Dei. Quomodo autẽ verũ omnibus imaginibus deberi, quidquid vni debetur, quia imago est: Sic etiam certum; nullis aliis imaginibus conuenire, id quod imagini Dei conuenit, quia imago est Dei: Quomodo specificæ differentiæ falsò prædicatur de genere. Atqui ego nego præter rationalem, vllam esse imaginem Dei creatam. Vnde sequitur nulli imagini deberi cultum, honorémve aut venerationem, contra quàm Bellarminus disputabat.

VI. Enimuerò, quod Bellarminus ait argumentum procedere à simili proportione: quia vt se homo habet ad Deum, cuius est imago: ita pictura ad Christum, cuius est imago: Hoc verò nihil est: quia hoc quicquid est proportionis est fictum: omnino enim aliter habet se imago ad Christum, quàm homo ad Deũ: quia, vt dixi, imagines dicũtur ὁμωνύμως tantùm. Præterea, etsi concedatur nonnulla proportio: tamen illa hominis ad Deum, est ab ipso Deo: hæc autem picturæ ad Christum, non est nisi ab homine: vnde, illa substantialis est: hæc verò accidentaria. Nam omnis pictura est accidens tãtùm. Et verò, indignum eodem loco censeri substantias cũ accidentibus: & opera Dei cũ operibus hominũ.

VII. Tertium

VII. Tertium peccatum est; quia nullus homo quantûuis imago Dei, honoratur eodẽ honore quo Deus. nullus, inquam, religioso cultu colitur. At Papistæ eodem cultu coli volunt imaginem, & prototypum. Itaque, imagines Dei, latria: imagines Virginis, hyperdulia: imagines Sanctorum, dulia. At homines, qui sunt imagines Dei omnes, non coluntur tamen religiosè, sed ciuiliter. Atqui, inquit Bellarminus, licèt homo, vt Rex, vel Imperator, honoretur ciuiliter, tamen homo, vt imago Dei, honoratur religiosè. Sed hoc falsum, vt reliqua. Nam si homo, quatenus imago est Dei, honoraretur religiosè: Ergo Iscariotes, honoraretur religiosè.

VIII. Secunda ratio Bellarmini, rursus à simili. Imago Regis est venerabilis ciuili quodam honore: Ergo imagines Christi, & sanctorum sunt honorabiles cultu religioso. Probat antecedens: quia Iulianus Apostata dicitur à Nazianzeno curasse se depingendum inter Iouem, Martem, & Mercurium: vt Christianos de more adorantes suám imaginem, cogeret hoc stratagemate ad idola adoranda. Nazianzenus oratione prima in Iulianum.

IX. Respondeo negari consequentiam. Nam imagines Regis suâ naturâ nullo sũt honore dignæ: sed tantùm ex instituto; id est, mandato Regis: Itaq; apud omnes populos non obtinuit. Nazianzenus, Νόμος ἐστὶ βασιλικὸς, ἐν ἔθει μὲν ἢ καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὅσοις τὸ βασιλεύεσθαι. Ῥωμαίοις δὲ καὶ τῶν ἄλλων σπουδαζόμενος, εἰκόσι δημοσίαις τιμᾶσθαι τοὺς βασιλεύοντας· οὐ γὰρ ἐξαρκοῦσιν οἱ στέφανοι καὶ τὰ διαδήματα, καὶ τὸ τῆς ἁλουργίδος ἄνθος. οὐ τὰ πληθυνόμενοι νόμοι καὶ φόροι καὶ τὸ τῶν ὑπηκόων πλῆθος, D εἰς βεβαίωσιν τῆς βασιλείας. ἀλλὰ δεῖ καὶ προσκυνούντων αὐτοῖς, ὡς ἂν σεμνότεροι δόξωσι, οὐχ ἵνα αὐτοὶ προσκυνούμενοι, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐν πλάσμασι. καὶ χρώμασιν, ἵν' ᾖ τὸ σέβας αὐτοῖς ἀνελλιπέστερόν τι καὶ τελεώτερον. Hæc ego sic verto: non enim satisfecit Billius. *Lex est imperatoria: nec scio vtrùm apud omnes gentes, in quibus regnum est: saltem apud Romanos, & quidem inter primas studiosè obseruanda; imaginibus publicis Imperatores honorare. Non enim sufficiunt corona, & diademata, nitensve purpura: aut numerosæ leges, ac tributa, subditorúmque multitudo, ad imperium ipsis confirmandum. Quin adoratione opus est; vt augustiores appareant: nec qua ipsi tantùm adorentur: sed qua ipsis figmentis, coloribúsque præstetur; quo vberior sit ipsis perfectiórque veneratio.* Tria vno spiritu nos Gregorius docet. Primò, id moris esse à lege imperatoria. Secundò, non esse vniuersale. Tertiò, ab inexplebili fastu Imperatorum. Adde Peresium Papistam. *Nec aliquis vnquam vidit, nisi tyranni alicuius fortè coactione interueniente, quod eadem veneratione veneretur imago ipsius, quâ ipse Rex, aut Imperator.* Hęc cùm ita sint, apparet infirmitas argumenti. Nam quum imagines sua natura nullum cultum mereantur; certò si aliquis eis defertur, eum oportet esse ex instituto. Et quidem non quolibet, sed legitimo. At in Ecclesia nullum est eiusmodi. Neque enim Imperator Ecclesiæ sanciuit: quin potius seuerissimè prohibuit. Qui autem postea sanciuerunt, eis non fuit legitima autoritas. Quis enim in Imperio contra Imperatoris ipsius leges quicquam possit legitimè?

X. Tertia ratio. Imago est capax iniuriæ & contumeliæ: Ergo & honoris ac cultus. Probatur antecedens. Eusebius capite decimo libri noni Historiæ, scribit in dedecus Maximini, imagines eius fuisse vel deiectas, vel atris coloribus fœdatas: quod idem Suetonius scripsit de imaginibus Domitiani. Theodosius ægerrimè tulit imaginem vxoris suæ deiectam apud Antiochenos: apud Chrysostomum oratione secunda & tertia ad populum Antiochenum; & Theodoretum Historiæ libro quinto, capite decimo nono. Iulianus Apostata, Christi statuam deiecit, substituta sua: quod non esset factum, nisi eo modo, Christo iniuriam fieri credidisset: neque Deus statuam Iuliani fulmine percussisset, nisi ab eo iniuriam accepisset.

XI. Respondeo, primò nihil concludi. Neque enim sequitur adorandum esse quicquid est capax honoris & cultus. Alioquin ipsi Diaboli essent adorandi: & quicunque infideles. Secundò: negatur antecedens. Et contrà potius; Nulla imago capax est honoris & cultus: Ergo neque iniuriæ aut contumeliæ. Probatur antecedens: quia honoris ratio formalis sumitur ab animi honorem deferentis voluntate, teste ipso Bellarmino. At quicquid animam rationalem possidet; longè præcellit τὰ ἄλογα; multo etiam magis τὰ ἄψυχα. Honor autem est agnitio præcellentis. Itaque, Imagines quum sint non irrationales tantùm, sed etiam inanimes; ac proinde longè infrà hominem, non sunt capaces honoris, siue cultus ab homine exhibiti. Itaque, Clemens Protreptico. ἀναισθήτῳ λίθῳ καὶ ξύλῳ, καὶ χρυσίῳ πλουσίῳ, οὐδ' ὅτι οὖν μέλει οὐ κνίσης, οὐχ αἵματος, οὐ καπνοῦ, ᾧ δὴ τιμώμενοι καὶ τυφόμενοι, ἐκμελαίνονται· ἀλλ' οὐδὲ τιμῆς, οὐχ ὕβρεως· τὰ δὲ καὶ παντός ἐστιν ἀτιμότερα ζῴου, τὰ ἀγάλματα. *Insensibili lapidi, & ligno & auro diuiti, nulla cura est incensi, sanguinis, aut fumi: (quin potius cum eo honorantur, obscurantur) neque honoris, aut contumeliæ. Quinetiam statuæ sunt infra quoduis animal.* Minutius, *Nec sentit sua natiuitatis iniuriam: ita vt nec postea de vestra veneratione culturam.*

XII. Suum verò antecedens Bellarminus non probat. Nam quæ ille profert, nihil eiusmodi concludũt. Enimuerò id lego, Maximini statuas, ac Domitiani, Placillæque deiectas, ludibrióque habitas: sed ipsas eius ignominiæ capaces fuisse nusquam lego. Hoc potius apud Suetonium, *Senatus adeò lætatus est, vt repleta certatim curia, non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo, atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: scalas etiam inferri, clypeósque & imagines eius coram detrahi; & ibidem solo affligi iuberet.* Hîc lego statuas capaces fuisse deiectionis: sed contumelias, lego iactatas in defunctum. Apud Eusebium similiter de Maximino, γραφαὶ ὅσαι εἰς τιμὴν αὐτοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ παίδων κατὰ πᾶσαν ἀνέκειντο πόλιν, αἱ μὲν ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος ῥιπτούμεναι συνετρίβοντο, αἱ δὲ καὶ τὰ πρόσωπα ἠχρειοῦντο σκοτεινῷ χρώματι μελαινόμεναι· ὅσοι τε ἀνδριάντες εἰς τιμὴν αὐτοῦ ἀνέστησαν, ὡσαύτως ῥιπτούμενοι συνετρίβοντο, γέλως καὶ παιδιὰ τοῖς ἐμπαίζειν καὶ ἐνυβρίζειν ἐθέλουσιν ἐκκείμενοι. *Picturæ quæcunque in eius honorem, filiorúmque tota vrbe prostabant, ex alto in solum deiecta, confractæq; sunt alia: alia faciem fœdata, atróque colore denigrata. Quin & statua, quæcunque in eius honorem fuerant constituta, similiter proiecta conterebantur: risui, ludibriúmque omnium qui insultare vellent, & immodestè agere.* Apud Theodoretum de Placilla, ὁ δῆμος τὴν χαλκῆν εἰκόνα τῆς πανευφήμου Πλακίλλης, κατέσπασέ τε καὶ διὰ πλείστου τῆς πόλεως κατέσυρε μέρος. *Populus Antiochenus æneam Placillæ imaginem deiecit, & raptauit magna vrbis parte.* Hîc ego quid audio, præter deiectionem, raptationem, fœdationem, quod ad imagines statuásque pertineat? Sed ea facta in contumeliam, fateor: at non ipsarum imaginum: quin potius Maximini, & Placillæ: in quorum honorem fuisse dicuntur erectæ.

XIII. Nec aliud indiciũ de Christi imagine in Pa-

neade. Sozomeni testimonium hac de re sic habet: Iulianus, cùm compensset in Cæsarea Philippi, quam Paneadem appellant, statuam esse Christo insignem, quam illa Hæmorroissa morbo liberata erexerat: hac ablata, suam statuit. Ignis cœlo decidens, eam ad pectus secuit: capútque cum collo deiecit, & in terra fixit. Ex qua narratione statuam audio capacem sectionis, deiectionisque fuisse: potuisse etiam in terra defigi. Sed ipsam aut honoris, aut dedecoris capacem nusquam lego. At non fecisset Iulianus, nisi iniuriam Christo fieri credidisset. Imo potiùs, inquam, nisi iniuriam Christo facere ipse voluisset. At nunc de Christi iniuria quæstio nulla: sed de imaginum.

XIIII. Quarta ratio. Idola Gentium meritò exsecramur, & confringimus: Igitur è contrario imagines Christi & Sanctorum, honorabiles sunt. Probatur antecedens: quia laudatur valde Theodosius, quòd iusserit idola, vbique destrui: teste Theodoreto libri quinti historiæ capite vigesimo. Probatur consequentia; quia id non fit, nisi ratione significationis; quod sint imagines falsorum deorum. At imagines Christi & Sanctorum, res verè bonas, & Sanctas significant.

XV. Negatur consequentia. Non enim destruebantur idola, quia res malas significarent: sed quia adorarentur. Hoc patet. Tum, quia imagines etiam significantes res bonas destructæ sunt, vt probatur ex serpente æneo. Tum, quia imagines significantes res malas non destruuntur: vt patet tum apud Papistas, qui imagines Diaboli Georgio, & Martino adpictas non destruunt. Tum apud omnes Christianos; qui Iouis, Veneris, Martis aliorumque Ethnicorum Deorum liberè vident; habentq; hodie, cùm desierunt coli. Olim Epiphanius velum conscidit, in quo erat imago siue Christi, siue alterius Sancti. Sic Serenus Massiliensis fregit imagines Sanctorum, quas vidit adorari. Quid? quod ne Bellarminus quidem tolerandas censet imagines [illegible], rem Sãctissimam significantes, id est, Trinitatem? Denique Deus prohibuit coli imagines eorum, quæ sunt in cœlo. Ergò quamuis Ethnicorum idola confringenda sint: tamen non sunt adorandæ imagines Sanctorum. Imò, quia imagines Ethnicorum destruuntur, propterea quòd adorantur: Ergo imagines Sanctorum destruendæ sunt; si adorentur.

XVI. Quinta ratio; à miraculis. Deus enim per imagines Christi & Sanctorum multa miracula operatur. Ergo placet illi, vt imagines honorentur. Probatur antecedens. Nam Eusebius capite decimo quarto libri septimi historiæ testatur ex basi statuæ Christi æneæ ab Hæmorroissa positæ, herbam omnibus incognitam ortam, quæ vbi creuisset vsque ad fimbriam imaginis vim habebat depellendi omnes morbos. Sozomenus addit statuam Iuliani eius loco positam, igne tactam de cœlo. Et multa præterea.

XVII. Negatur consequentia. Nam sæpè Deus miracula edit per eas res, quas tamen adoratas nunquam esse constat. Sic olim miraculum magnum edidit, per Gedeonis tubas & lagenas: Nec vnquam auditum, ab Israelitis adoratas tubas, lagenásq;. Et per Iordanis aquas lepra Nahamanis curata: nec Iordanes tamen adoratus: & luto facto cæcus sanatus: nec lutum tamen adoratum. Denique per homines malos nonnunquam Deus miracula facit: qui tamen non sunt adorandi.

XVIII. Instat Bellarminus. Spectãdũ [illegible] quod miraculo confirmatur, id [illegible] habet. At aqua Iordanis, & lutum non [illegible] bantur; vt honorarentur. sed vt ostenderent [illegible] sæum esse Prophetam Dei, & C[illegible]m ve[illegible] filium. Mali miraculis non vitam suam c[illegible] sed fidem. At miracula per imagines facta [illegible] vt probarent hac sancirent imaginum cultum [illegible] probatur. Nam cur ignis cœlestis discerps[illegible] stat[illegible] Iuliani, nisi vt vindicaret iniuriam fa[illegible] Christi? Præterea cur beneficia per imagin[illegible] à Deo conferuntur illis duntaxat, qui imagines honorant? At miraculum factum Edessæ per imagine[illegible] sti, refert Euagrius libri quarti capite sext[illegible] tem eorum, qui Christi imaginem venerab[illegible] Zonaras in Michaele Balbo, refert Leonis [illegible] filium mutum accedentem ad imaginem [illegible] Nazianzeni, loquendi vsum miraculo recep[illegible].

XVIIII. Respondeo: primò: male erg[illegible] mentatum esse Bellarminum, simpliciter [illegible] lis factus per imagines. Secundò, nunc qui [illegible] mentum corrigitur ita: Si per imagines Deu[illegible] miracula operatur ad confirmandam vene[illegible] nem imaginum: Ergo imagines sunt vene[illegible]ndæ. Nunc, inquam, negatur antecedens. Nunq[illegible] nim Deus vllum miraculum fecit, vt stabiliret [illegible] ginum adorationem. Ratio certa: quia nunquam id Deus confirmat, quod disertè prohib[illegible]. Ad [illegible] xempla respondeo: etiamsi caussa[illegible] d[illegible] dere nequeamus; tamen hanc, quam Papistæ obt[illegible] dunt, non esse veram. Et tamen in imagine Iul[illegible] non esse obscuram: nempe quia volu[illegible] Deus præsagire Apostatæ certum exitium. Ac[illegible] nemo Veterum eam Christi imaginem [illegible] adoratam fuisse. Reliqua exempla, vt alia plurima, vel omnino ficta esse: vt certum est, recen[illegible]ores, Euagrium, Nicephorum, alios, multa absque iudicio retulisse in scripta. Vel si facta sunt, & in eum finem ab eo esse facta: qui etiam electos, si fieri posset, decepturus prædicitur. Denique solis miraculis, absque Scripturarum testimonio, nullum dogma confirmatur apud Christianos: multo sanè minus contra Verbum Dei.

XX. Sexta ratio: ab Improbitate Icon[illegible]machorum: & pietate eorum, qui imagines colunt, & coluerunt. Iconomachi fuerunt omnes aut Iudæi, aut Samaritani, aut Machometani, aut Necromantici, aut manifestè hæretici. At qui defenderunt imagines, Sancti & docti, Gregorius, Hadrianus Romani Pontifices. Germanus & Tarasius Constantinopolitani: Damascenus, Methodius, Leontius. Non est autem credibile, Deum per hostes suos potius, quàm per amicos & Sanctos Ecclesiam docere voluisse.

XXI. Respondeo: primò Sanctitatem dogmatum non pendere à Sanctitate eorum à quibus prædicantur: sed ab autoritate Dei mandantis. Sic in medio suo clero non negant Papistæ infinitos esse sceleratos: imò in Pontificum suorum serie, non esse nulla monstra coguntur fateri: quorum tamen vitio suam doctrinam nolunt suspectam fieri. Sic aliquando ipsi Diaboli, Christum pronunc[illegible]unt esse filium Dei. Contrà, non potest à vitæ Sanctitate vllum momentum addi doctrinæ n[illegible], & præter verbum Dei. Alioquin inepte [illegible] anathema pronunciasset in Angelos, [illegible]: in alios, si aliud Euangelium prædicarent. Itaque argumenti nulla hic vis est.

XXII. Secun-

XXII. Secundò omnes Iconomachos fuisse aut Iudæos, aut Samaritanos, aut Mahometanos, aut Necromanticos, aut hæreticos, falsò asserit Bellarminus. Nam primus Iconomachus, Deus est; qui disertè vetuit vllam adorari imaginem rei vllius siue in cœlo, siue in terra, siue sub terra. Post Deum omnes Apostoli, vt Paulus, qui Gentibus exprobrat Deū transformatū in imaginē hominis: vt Ioannes, qui cauendum monet nō ab idololatria tantùm, sed etiam ab Idolis. Sic deinceps Catholici, vt postea docebimus: & nostris temporibus, omnes Catholici; qui ab hæresi Papistica cùm aliàs; tum hanc ob caussam discesserunt. Ceterum quibus cōuitiis soliti sint *εἰκονομάχους* vocare Catholicos ab imaginum cultu abhorrentes, vt nō ignoramus, sic flocci facimus: habemus vtrique tribunal, corā quo nos sisti oportet: ibiq; suorum innocentiam potentissimè Deū protecturum scimus. Enimuerò Leonē Armenum, quibus non maledictis proscindunt? Et tamen excepto vno odio imaginum, reliqua in eo laudabantur. Et vigilantia in republica constituēda: & in flagitiosos seueritas. Denique Nicephorus Patriarcha, quamuis ab eo pulsus sede, testatus est eo mortuo Remp. Romanam quamuis impio, magno certè præside orbatam. Id scripsit Cedrenus.

XXIII. Tertiò, eos qui cultum imaginum propugnauerunt, negamus vnquam fuisse pios. Nam vt cætera desint argumenta: certè hæc ipsa eius cultus propugnatio, non potest non esse impia: quia contra disertam Dei legem. Et Petrus *εἰδωλολατρείας* dixit esse *ἀθεμίτους* prioris capite quarto. Tum autem seipsa cōstat primos, qui Imaginū vsum apud Christianos vsurparunt, fuisse Simonianos, Carpocratianos. Quinetiam, quæ præcipuam nauauit operam imaginibus restituendis, Irene: ea fuit scelestissima mulier: quæ tyrannidis œstro percita, proprio filio oculos eruit; eiúsque thronum vsurpauit. Denique si Paparum scelera enumerem: ab eo tempore, quo imaginibus seruierunt; prolixus sim. Sed id alibi factum, in quæstione de Antichristo. Et hodie Papistarum quàm sancta est vita? Supersedeo dicere: nam me tacente, vident omnes.

XXIV. Septima ratio, ab infelici exitu Iconomachorum: & felicitate eorum, qui imagines defenderunt. Nam quum tempore Leonis Imperatoris imagines in foro Constantinopolitano crematæ essent, pestilentia grauissima est exorta: teste Chronico Palmerij anno 741. Eandémque ab caussam idē Leo, successorésque eius, amiserunt Imperiū Italiæ: teste Zonara, & Paulo Diacono. Eodē tempore Ezides Rex Arabum post imagines confractas, vixit annum nō integrum: quamuis promissi fuissent triginta. Regnante Copronymo inauditæ calamitates Orientem inuaserunt, vt terræ motus, & pestis accedentibus crucis signis in vestibus: item frigora, niues, siccitates. Teste Diacono. Imperator ipse ita periit, vt clamaret se etiam viuum traditū igni inextinguibili. At contrà Pipinus, & Carolus, qui cum Romano Pontifice imagines defendebant, ad regnum & Imperium prouecti felicissimè vixerunt.

XXV. Respondeo primò ab his notis nullam pēdere confirmationem doctrinæ. Nam & Ethnici olim iisdem argumentis religionem Christianam oppugnabant, vt prolixè videre est apud Paulum Orosium, apud Arnobium, atque alios. Notabant enim diligentissimè immanes calamitates, quæ irruebant in Imperium Romanum: maximè Gothorum illud diluuium, cui obsisti non poterat: & à quo initium cœpit inclinationis; vnde emergere nunquam potuit Imperium. Præterea miserrimum statum huius vitæ, quis non poterat Christianis exprobrare, ante Constantinum; quem quicumque præcesserant Episcopi Romani, omnes martyrio perierē? Denique Dominus Lucæ decimo tertio: *Putatis hos Galilæos, præ omnibus Galilæis peccatores fuisse, quoniam talia passi sunt? Aut illos decem & octo supra quos cecidit Turris in Siloe, & trucidauit eos, putatis debitores fuisse præ omnibus hominibus qui habitabant in Hierusalem?*

XXVI. Secundò; non hoc tantùm de imaginibus in illis Imperatoribus reprehendunt historici: sed alia etiam multa, & quidem grauissima. In Constantino Copronymo Cedrenus, *μαγείας, αἱμοχαρίας, δαιμόνων ἐπικλήσεις, ἀσελγείας ἀλόγους, καὶ ἄλλα πονηρὰ ἐπιτηδεύματα*. Quæ singula crimina magna sunt. In Leone Armeno crudelitas damnatur: narrátque Cedrenus Virginem Deiparam in somnis apparuisse matri eius Leonis, dixisséque, *Cur filius tuus non desinit se multo cruore opplere, eóque me & Filium Deum meum irritare?*

XXVII. Tertiò, hac quidem parte nihil est quod Iconomachis valdè exprobrent Iconolatræ: Nam & Copronymos feliciter imperauit. Et Michael Balbus: & Theophilus, & Leo Armenus: omnes infensi imaginibus. Cōtrà autem Artabasdus post Imperium occupatum, imaginésque restitutas, à Copronymo victus est, priuatúsque oculis. Irene paucis annis post excæcatum perfide filium à Nicephoro relegata est in Monasterium. Michael Theophili filius, non tantùm liberis susceptis nullis, Imperium à patre acceptum suis relinquere non potuit; sed etiā occisus est ab eo ipso quem adoptarat, Basilio. Similia obseruanda reperiet quilibet historiam voluutans. Sed notandum in Irene præposterum Iconolatrarū iudicium. Quum enim confidenter pronuncient aduersos successus Iconomachorum, fuisse ab imaginum odio; In hac tamen quò se vertant nesciunt. Πολλοὶ ἐθαύμαζον, inquit Cedrenus, *πῶς ὁ Θεὸς συνεχώρησε τὴν ὑπὲρ τῆς ὀρθῆς πίστεως μαρτυρικῶς ἐναθλήσασαν ὑπὸ ἀσεβοῦς οὕτω τυραννικῶς καθαιρεθῆναι. ἄλλοι τὴν εἰς τὸν υἱὸν αὐτῆς ἁμαρτίαν προεβάλλοντο. καὶ ἄλλοι ἄλλως ἐπὶ στρέφοντο καὶ ἐγόγγυζον. Mirabantur multi, qui factum vt Deus permiserit eam qua pro recta fide martyrum more decertarat, ab impio adeo tyrannicè deijci. Alij peccatum in proprium filium obijciebant: alij aliter obtrectarant.* Ita se quocumque vertunt, vt ne iusta Dei iudicia deprehendant.

XXVIII. Et quod ad Imperij mutationem attinet, primò non rectè Pipinus & Carolus in Iconolatris deputantur, vt aliàs docebimus. Secundò, si ab Iconomachis Constantinopolitanis ad Francos delatum Imperium (quanquam non tam delatum, quàm scissum) argumentum est iræ diuinæ: quid dicendum de Imperio Constantinopolitano ab Iconolatris ablato, & mox Francis, vt ita dicam, commodato, denique ad Turcas prorsus translato? Quid de ipso Imperio Germanorum destructo? Nam hodie solum Imperij nomen remansit: res ipsa *πάλαι φροῦδος ἐστίν*. Itaque argumentum hoc totum medium est: & in vtramque partem cum plausu declamari potest.

XXIX. Et erant hæ Bellarmini rationes. Addam vnam ex Costero: Costerus ergo argumentatur ab vtilitatibus imaginum. Ecclesia Catholica, inquit, imaginum vsum retinuit ob multas earum vtilitates. Prima vtilitas, ornatus loci & templorum: quam ob caussam Moyses in Tabernaculo; & Salomon

in templo mult sculpserunt, & pinxerunt: Ac satius est sacris picturis quàm prophanis ornare sacra loca. Secunda; vt doceantur rudiores. Nam, teste Gregorio, pictura in Ecclesiis adhibetur, vt qui literas nesciunt, saltem in picturis videndo legant, quæ legere in codicibus non valent: quia quod legentibus Scriptura; hoc idiotis præstat pictura cernentibus. Tertia; vt reuocentur in memoriam absentia, & olim gesta. Quarta, vt moueantur & excitentur animum. Quinta; vt honoretur Christus in imagine; eiúsque Sancti. Quia erectis statuis homines ab hominibus honorari consueuerunt: & Christus sibi vult omne genus honoris deferri, qui vlli creaturæ defertur, quique nomine honoris censetur.

XXX. Respondeo primò, cùm prohibet Dominus Deuteronomij decimo; ne faciant singuli, quod rectum sibi videtur: Et Apostolus quum damnat τὴν ἐθελοθρησκείαν, secundo ad Colossenses: eo ipso intelligendum, non licere prætextu alicuius vtilitatis quicquàm inducere in Ecclesiam. Aliás numquam præcidi posse ansam nouis adinuentionibus: cum nihil sibi homo fingat, vnde non polliceatur aliquid commodi. Ne Ethnicis quidem exceptis: qui sua idola credebant non esse inutilia. Et Iudæi quum postularunt fieri vitulum, Deos voluerunt, qui coram se incederent: quasi illud clamantes, vtilissimum esse populo Dei visibiles imagines obiicere, potius quàm inuisibilem quendam obtrudere. Itaque in hoc quidem argumento nulla vis est conclusionis.

XXXI. Secundò, ipsæ vtilitates aut nihili sunt, aut per accidens. Prima est nihili. Quid enim ad pietatem momenti est in loco? Quid in animis potest magnificentia loci: animis, inquam, eorum, quibus persuasum Deum colendum in spiritu & veritate? Enimuerò nunquam sincerius, nunquam ardentius, nunquam potentius inuocatus est Deus in magnificis basilicis post Constantinum, quàm in Cryptis post Apóstolos. Nec erant in Rotunda Romæ, sed in cœnaculo, qui totam domum concuti senserunt peractis suis precibus, Actorum quarto. Et tamen vtinam continuissent se Papistæ intra hanc vtilitatem, nec imagines affectassent, nisi ad ornatum. Nihil fuisset caussæ, accusandi eorum Idololatriam. Et qui eum ornatum facilè toleramus in Paulino, non exagitaremus hodie: sed profectò ea Papistis, aut nulla, aut minima caussa est, imagines vsurpandi. Itaque frustra huc confugiunt. Quid? quod non docet Costerus ornanda templa imaginibus: sed tantùm ornanda Imaginibus sacris, potius quàm prophanis? Hoc verò quis neget sanus? Enimuerò hoc si supponatur ornanda esse templa imaginibus: nemo est qui non admittat sacras potius, quàm prophanas. At hoc potius quæritur, vtrum omninò ornanda sint templa imaginibus, siue sacris, siue prophanis. Et Catholici sapienter negant vllis.

XXXII. Secunda vtilitas primò poterat concedi. Et sanè is vsus est imaginum omniumq; picturarū, vt res exprimant, quæ aliàs literis possunt enarrari. At is vsus religiosus non est: sed historicus tantùm: cuius caussa extra religionem nos prolixè Imagines quaslibet concedimus: nec tantùm Sanctorum: sed etiam idolorū. Nihil enim obstat, quominus Christianus apud se imaginem habeat Iouis Hāmonis, vt sciat hac figura Deū quempiam Ethnicis olim adoratū. & nostri Reges in suis ἀνακτόροις habent Dianā illā Ephesiā. Nemo igitur merito dānet, si quis tabulam possideat in qua S. Ignatij vltimum cum belluis certamen describatur: aut Laurentius in Crate: aut Petrus ad crucem inuersus. Sed in religione nūquā aut vix vnquam accidit, vt rectè docerentur imperiti ab imaginibus: quas propterea Scriptura nominat magistras vanitatis. Et sanè per se ipsas nullæ picturæ, quicquam docent. Nec vllus est Papistarum, qui quemquam Sanctorū discernere possit ab alio, nisi doctus aliunde hunc equitem pallium diuidentem mendico, esse Martinū, Diabolo sui pallij dimidium concedentem: aut hunc alterū equitē lancea Draconem fodientem, esse Georgium. Aut hanc mulierē mammas infantulo præbentem esse Mariam Virginem. Hæc, inquā, nemo prorsus discernat, qui non aliundè didicerit. Itaque improprie dicuntur imagines esse idiotarum libri. Noret tamen Lector Christianus hunc idololatriæ colorem, repetitum ab Ethnicis olim, quibus Athanasius oratione contra Gentes, testatur imagines fuisse ὡς γράμματα τοῦ Θεοῦ θεωρεῖν, pro literis ad diuinitatem speculandam. Sic pulchrè respondent antiquis noua.

XXXIII. Tertia caussa, non est admodum diuersa à secunda: itaque admittit easdem considerationes. Verùm tamen, neq. quiduis absens, præteritúmve reuocādum in memoriā: quod facilè Papistæ concedēt: neque in Religione, quouis modo. Nā quis neget etiam per mimos reuocari memoriā posse rerum iā pridē gestarum? Quis tamē mimos; idē vt imagines aut admittēdos, aut colēdos diceret, nullus adhuc opinor fuit. Tum autem longè præstātior ratio est per prædicationem, à Deo ipso institutā: cui consultissimum est præcipienti morem gerere, à quo potius omnino pendendum in religione.

XXXIV. Quarta ab excitandis animis; primò nō est momenti maioris. Nam certè omnes modi quibus excitari possunt animi, admittendi non sunt ad religionem: aliàs quis finis erit nugarum? Incitantur animi mimicis gesticulationibus: etiam ne has admittimus? Incitantur & certaminibus gladiatorum, eàque de caussa locum inuenerunt in Romana Republica: placētne restitui? Denique mouentur animi, aliàs in amorem, aliàs in odium: & in Ecclesia æquè necesse est odisse malum, & amare bonū. Quomodo autem picturæ sacræ mouent ad amorē boni, sic impiæ mouebunt ad odium mali: Nam neq; vllus Christianus videbit Iouem per impluuium penetrantem se ad Danaen: aut suscepta forma Tauri rapientem Europam, quin exsecretur & Iouis facinus, & stuporem idololatrarum. Erunt-ne autores Iesuitæ restituendi templis imagines huiusmodi? Erunt fortasse: quos audio in nescio qua siue aula siue camera meditationum, non gaudia tantùm Paradisi pingere additis Angelis: sed etiam horrores inferni, conglobatis horrendis dæmonum formis.

XXXV. Denique si mouent, sine dubio mouent per accidēs nimirum pro præcedente instructione. Si sit animus, sic informatus: vt laudādum existimet martyrium: tum illum, si fortè, moueat ad martyrū laudes pictura in tabulis exhibita: sed idem si à Lutetio quodam formatus, irrideat pro more seculi, eos qui pro Christiana religione ponunt animam: nunquā ille martyris historiam in pariete pictam videat, & temperet à scommatis. Contrà, si videat Christianus Præsidem quempiam crudeliter martyres damnantem detestetur ille profectò crudelem immanitatē: at tandem laudabit eiusdē cum præside participes idololatriæ? Quomodo hodie, in eadem tabella, si pictus sit Annas ille Burgensis celeberrimus nostri temporis Christi martyr, de cruce pendens

pendens, inque subiectos ignes demissus, mirabitur sanctissimi viri constantiam Catholicus: at laudabit carnificis rabiem Papista. Si noctem illam infandam, quæ Lutetiam vidit vndantem piorum sanguine, pictam contempletur: quisè Catholicis non declamet in tantum scelus! At Florimundus aliquis Raimundus corculum Iesuitarum, ad Monluci commentarios, seuerum edictum laudabit. En motus animorum ab eadem pictura!

XXXVI. In postrema vtilitate: quid verò si in imaginibus nolit Christus honorari, nolint sancti? Nisi fortè magis in coloribus, quàm in lapidibus. Sed illud egregiè mentitus est Costerus. Velle Christum sibi exhiberi omne genus honoris, qui defertur creaturæ. Hoc verò neque Scriptura vlla testatur: neque ratio cogit vlla: sed audacissimè sumunt Iesuitæ, quod probare non possunt. Quid enim? Mos est in hoc nostro regno, defunctis regibus quadraginta post mortem dies, eadem omnia exhiberi officia, quæ viuis solebant. Hoccine etiam sibi Christus deferri vult? Mitto infinita huiusmodi; nam rei absurditas per se patet.

CAP. VII.

An Veteres Christiani docuerint adorandas imagines.

I. EX Antiquitate primò Concilia numerant; postea singulos Patres. Primum Concilium sextum, in quo dicuntur imagines venerabiles, canone octogesimo secundo. Et Romanum sub Gregorio tertio. Et aliud in villa Gentiliacensi, apud Sigebertum, & Adonem. Et aliud Romanum sub Stephano tertio, apud Sigebertum. Et denique Concilium septimum, siue Nicænum secundum.

II. At hæc parum habent momenti: quia Concilia recentissima sunt: Illud enim sextum accessit proximè ad seculum septimum: reliqua excesserunt. Incideruntque in corruptissima, turbulentissimáque tempora. Itaque fidem nullam per se ipsa facere possunt. Vnum eminent, nimirum inductam fuisse imaginum adorationem: sed inducendam aliunde probandum. Imò sextum illud Bellarminus, negat autoritatem habere, excepto hoc vnico canone: quasi diceret se pro arbitrio Conciliis & dare momentum, & auferre: penésque se esse, quid, quantúmque iis debeatur. At Catholicis mens sanior: qui etiam Oecumenicis Conciliis anathema dicunt, si quid statuant contra verbum Dei: firmitérque tenent nouis dogmatis in Ecclesia nullam à Conciliis vllis conciliari autoritatem posse.

III. Præterea Synodus Gentiliaca non videtur opportunè nominata. Nam Sigebertus de ea hoc tantùm. *In præsentia Pipini Regis inter Græcos & Romanos celebratur Synodus de sancta Trinitate, & Sanctorum imaginibus.* Ado etiam: *Facta est tunc temporis Synodus, anno incarnationis Domini septingentesimo sexagesimo septimo; & quæstio ventilata inter Græcos & Romanos de Trinitate; & vtrum Spiritus Sanctus sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio: & de Sanctorum imaginibus, vtrum-ne fingenda, an pingenda essent in Ecclesiis.* Nec quisquam est, à quo quid definitum sit, scire possimus, vt agnoscit etiam Baronius: Obseruandum tamen ab Adone ita poni statum quæstionis, vt nihil habeat de adoratione siue cultu: sed tantùm de situ in Ecclesiis. Non enim simpliciter, vtrum pingendæ fingendæve essent: sed vtrum in Ecclesiis. Quanquam postea accessit quæstio de adoratione, vt patet ex Actis Francofortensibus, id est, libro Caroli magni in quo conceduntur quidem fingendæ, pingendæque, sed negantur adorandæ: & refutantur Acta Nicæna.

IV. Veruntamen Baronius ad annum septingentesimum sexagesimum sextum, videtur nonnihil suspicari, alienum ab Ecclesia Romana. *Fortis coniectura suadet,* inquit, *vt hæc mererit in Gallias per Legatos perfidi Imperatoris* (Copronymum intelligit) *vnà cum donis pluribus ab eodem ad Pipinum allatis fuerint infeliciter allata: vt planè tempestiuè admodum illud Poeticum fuerit occinendum, Timeo Danaos & dona ferentes. Insusurrasse hos nefarios in aures Pipini aliquid, & cum aulicis de iisdem conseruisse sermones, etsi nemo dicat, declarant tamen euentus, cùm ob sata zizania ista, oportuerit eiusmodi Synodum conuocari. Obfuit plurimum Francis, cum Græcis iisdémque hæreticis ista per legatos inita consuetudo.* Quod autem statim addit, Gallicanos Episcopos fuisse defensores imaginum, non videtur tam certum. Nam quid Synodus Romana momenti habet ad id probandum? Fuerunt in ea, fateor, duodecim Episcopi Galli, si tamen Anastasio credendum. Fuit etiam ibidem decretum imagines esse venerandas. Sed inter mille circiter Episcopos, tot enim interfuisse Bellarminus docet, quis scit vtrum reclamarint Galli? Certè nemo consensisse dixit. At nos contrà scimus Gallos Episcopos, paulò post, id est, tum sub Carolo; tum post Carolum sese opposuisse imaginum cultui. Itaque crediderim sanè potius in Gentiliaco conuentu, consensisse Gallos Græcis.

V. Synodus Nicæna secunda pertinet ad annum septingentesimum octogesimum octauum. Fuitq; coacta à Constantino Imperatore, eiúsq; matre Irene: illo vixdum ephebo: hac muliere; superbissima, crudelissimáque: & paucos ante annos Christiana: nec nisi vt Imperatori nuberet. Illa ergo penes se cùm haberet autoritatem imperij Synodum cogit: in qua præses fuit Tharasius, qui paulò antè cùm ad sedem Constantinopolitanam promoueretur, postulauit Synodum fieri: In ea præposterè omnia sunt gesta: vt Basilius Ancyranus, Theodosius Myron, Theodosius Amorianus, Hypatius Nicenus, Leo Rhodius, Gregorius Pisidiæ, Gregorius Pessinuntinus, Leo Iconij, Nicolaus Hierapoleos, Leo Carpathius, sedes suas obtinere non potuerint, nisi prius damnata eorum sententia, qui imaginum cultum impugnabant. Imò septem postremorum, tanquam reorum caussa cognita est; & seuerissimè à Tharasio increpatos oportuit palinodiam canere; suúmque peccatum confiteri. Nec aliter actum cum Gregorio Neocæsariensi secundæ actionis initio. Ita constat & præiudiciis actum esse, non legitima caussæ cognitione: & neminem admissum iudicem, qui non imaginum cultui impensè faueret. Nimirum sic facile erat caussam obtinere.

VI. Nec à singulis Patribus sunt, quàm à Conciliis armatiores. Nam ex iis, qui Gregorij Romani tempora præcesserunt: nihil citant, quod vllius sit momenti. Ex Basilio in Iulianum. *Historias imaginum illorum honoro, & palàm adoro: hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis, non est prohibendum.* Sed iste Basilius, proculdubio non est Basilius: sed suppositius aliquis; ab Adriano Romano Pontifice solo iactatus: cui iconolatrarum principi quanta sit fides habenda, quis non videt?

VII. Chrysostomi Liturgia. *Sacerdos ad imaginem Christi caput inclinat.* Sed extant duæ Liturgiæ Chrysostomi nomine, valdè tamen diuersæ. Vna ex Eras-

versione, in qua is locus est longè post principium. Altera Græcè, edita à Morellio, anno millesimo quingentesimo sexagesimo, in cuius initio statim præcipitur presbytero & Diacono triplex adoratio coram imagine Seruatoris, & Deiparæ. Cæterùm deinceps imaginis nulla mentio. Apparet ex hac varietate illusum fuisse populo nomine tanti viri: vt & aliis, quibus obtrusæ sunt Liturgiæ Petri, Marci, Clementis, Basilij, aliorum. Quinetiam editiones nonnullæ huius Chrysostomi Liturgiæ, additas habent preces pro Nicolao Pontifice Romano; qui post Chrysostomum vixit seculo quinto: quanquam in editione operum Chrysostomi Parisiensi anni millesimi quingentesimi quadragesimi tertij, nominetur tantum Nicolaus: ut non in illa Græca Morellij. Sed in hac aliæ leguntur pro Basilio, Gregorio Nazianzeno, Ioãne Chrysostomo, Athanasio, Cyrillo, Nicolao, ἐν Μύροις: & aliis multis, quorum nonnulli recentiores sunt ipso Chrysostomo: Cyrillus certè posterior: imò etiam suspectus animi in eum non æqui. πολλοὶ γὰρ σὲ κωμῳδοῦσιν (inquit Pelusiota Epistola libri primi trecentesima decima) ὡς οἰκείαν ἀμυνόμενον ἔχθραν, ἀλλ' οὐ τὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὀρθοδόξως ζητοῦντα. ἀδελφιδοῦς σοί, φασι, Θεόφιλος, μιμούμενος ἐκείνου τὴν γνώμην. *Multi te traducunt, vt tuas inimicitias persequentem, & vlciscentem: at non ea quæ Iesu Christi sunt orthodoxè quærentem. Theophili, inquiunt, ex sorore nepos est: illiúsque mentem ac sententiam imitatur.* Et fuerat Theophilus, magnus ille Chrysostomi aduersarius. Quare in his fabulis nihil inesse potest ad rem tantam momenti.

VIII. Ambrosius sermone decimo in Psalmum centesimum decimum octauum. *Qui imaginem coronat Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronauit, & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori vtique fecisse videtur iniuriam.* At hæc impostura est. Recito locum integrum. *Sanè & in eo qui foris est, illum qui intus est, frequenter aspicimus: vt si viderimus pauperem, illum ad cuius similitudinem factus est, honoremus in paupere: de quo ait: Dedistis mihi manducare: quia quod vni eorum dedistis, mihi dedistis. Qui enim coronat imaginẽ Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronauit: & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori vtiq; cuius statuam conspuauerit fecisse videtur iniuriam. Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant: sed inuisibilis Dei imago nõ in eo est quod videtur, sed in eo vtique quod non videtur. Vides ergo quia inter multas Christi imagines ambulamus? Caueamus ne coronam imagini detrahere videamur, quam vtique Christus imposuit. Caueamus ne aliquid detrahamus iis, quibus debemus adiungere. Sed, quod peius est, non solum non honestamus pauperes: sed etiam dehonestamus, destruimus, persequimur: Et ignoramus, quas Dei imagini congeramus iniurias, cùm factos ad imaginem Dei putamus esse lædendos.* Hæc omnia sunt Ambrosij. In quibus ne litera quidem de imaginibus Sanctorum. Hoc primum. Deinde neque de imaginibus Dei, & Christi manufactis: sed tantùm iis, quas ipse Deus creauit, id est, hominibus. Id secundum. Tertiò, nihil prorsus de venerandis Imaginibus: sed tantùm de iis charitate subleuandis; non autem iniuria afficiendis. At hæc nulla capita sunt nostræ disputationis. Nam quod argumentum sumit ab Imaginibus Imperatorum, quid habet momenti? Scio eodem nostros vti Papistas: & longè aliter. Sic enim concludunt: Imperatorum Imagines sunt ciuiliter honorandæ: ergo & Sanctorum, religiosè. At non sic Ambrosius. Imò: Imagines Imperatorum ciuiliter honorandæ: ergo pauperes non lædendi.

IX. Augustinus libri tertij de Trinitate capite decimo, loquens de signis sacris, quales sunt Imagines, literæ, & Sacramenta: *Sed quia, inquit, hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquã religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possũt.* Et nominatim serpentem æneum ponit in iis quæ merentur honorem religiosum. Sed hîc imagines, quorsum additæ sunt à Bellarmino? An ex mente Augustini? Id verò falsum. Nam Augustinus Imaginum nullo modo meminit. Æneus enim serpens, vt aliàs diximus, in Imaginibus numerari non debet: quia nõ significauit serpentem: etsi serpentis figurã gestaret: sed referebat Christum: itaque inter signa locum habet, de quibus nulla nunc quæstio. An igitur quasi ex Augustini mente argumentatur? At primò, non hic locus est: nam cùm ad autoritates ventum est Veterum, id ipsum quæritur quod de re proposita illi Veteres senserint: non autem, quid ex iis quæ senserunt, erui possit. Secundò argumenti nulla est consequentia, à signis sacris ad Imagines; vt aliàs obseruauimus.

X. Idem Augustinus libri tertij de Doctrina Christiana capite nono, dicit eos seruire sub signis, qui honorant vtilia signa, nec sciunt quid significent: quales erant olim Iudæi. Qui autem venerãtur vtilia signa, & sciunt quid significent, eos non tam honorare ipsum signum, quàm rem significatam, & ideò liberos esse. At imagines Sanctorũ sunt vtilia signa, diuinitus instituta. Probatur ex libri 2. capite 25. vbi dicũtur picturæ & statuæ pertinere ad superflua instituta hominum, exceptis illis, quę ob finem bonum, suo loco, & tempore proponuntur ab eo, qui habet autoritatem. Et libri 10. Confessionum, cap. 34. reprehenduntur pictores, & similes artifices, quòd necessarium & moderatum vsum, & piã significationem longè aliquando transgrediantur. Admittit ergo Augustinus, quasdam picturas esse necessarias, quasdam etiam piam significationem habentes: & proinde venerabiles.

XI. Atqui hîc variè Bellarminus peccat. Primò, nusquam sententiam vllam Augustini recitat, vnde appareat Augustinum approbare Imaginum cultũ: sed tantùm argumẽtatur ex quibusdam, quæ apud eum legit. Secundò, falsò assumit in signis illis Augustini vtilibus, Imagines esse Sãctorum. Nam hoc sanè Augustino in mentem nunquam venit. Neque probat ex vigesimo quinto secundi: Nam toto eo capite Augustinus loquitur de signis ab hominibus institutis inter se: non autem ad religionem pertinentibus. Itaque capitis conclusio hæc est. *Sed hæc tota pars humanorum institutorum, quæ ad vsum vitæ necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda Christiano.* Quæ nostra etiam sententia est: qui Imagines ad finem, vsumque ciuilem, admittimus, siue Christi, siue Sanctorum, siue alius cuiuslibet rei, excepta Deitate. Sed ab eo vsu ad religiosum cultum, transitus nullus datur.

XII. Sed illud, *exceptis iis, quæ ob finem bonum suo loco, & tempore ponuntur, ab eo qui habet autoritatẽ*, quorsũ à Bellarmino addãtur, ego quidẽ non video. Augustinus, postquam loquutus esset de signis Pantomimorum, & picturis ac statuis: *Et hoc totum genus,* inquit, *inter superflua hominum instituta numerandum est, nisi quũ interest quid eorũ, qua de causa, & vbi, & quando, & cuius autoritate fiat.* Huc si Bellarminus allusit, profectò Iesuiticè lusit. Nam Augustinus nõ magis bonũ finẽ nominauit, quàm malũ, nec magis eum qui autoritatẽ habet, quã eũ qui nullã habet. Et reliqua similiter.

lites. Itaque ego potius dixerim mentem Augustini esse; gestus illos pantomimorum, & imagines, & statuas, per se consideratas, nihil aliud esse quàm superflua instituta. Inibi autem venisse in mentem viro pio; quandam ab Ethnicis obiectionem, quare ergo Christiani à Theatris abhorrerent, & ab imaginibus, ac statuis Ethnicorum. Cui vt preuerteret hanc exceptionem addidisse: quia illa instituta vsurpentur ob eas caussas, iisque locis, & temporibus, atque ea autoritate, vt non possint amplius haberi pro merè superfluis: sed pro malis. Quomodo & nos imagines Sanctorum superfluas sic censemus, nec tamen abhorrendas, si nihil accidat prætereà. Sed à Papistis nihilominus vsurpatas, & adorandi caussa, & in templis, & quum religioni vacandum est, & ex mandato hominum: proinde non iam superfluas esse, sed idololatricas.

XIII. Sed in vltimo loco ex Confessionibus, quid sibi Bellarminus voluit? aut, quid cogitauit? Quasdam, inquit, picturas necessarias Augustinus esse putauit, quasdam piam significationem habentes. Ergo venerandas. Itáne ô Iesuitæ, Iesuitæ! quàm sibi illi pessimè consulunt, qui se vestræ fidei permittunt! Atqui primò consequentia est inepta: nam si necessariæ, si pium aliquid significantes, picturæ sunt tamen, non sunt venerabiles. Neque ea dere vel per somnium cogitauit Augustinus. Secundò, nihil toto capite illo bonus ille pater agit, nisi de delectatione oculorum: non igitur de religionis pietate. Tertiò non picturas distinxit in necessarias, & non necessarias: sed dixit picturas excedere vsum necessarium; hoc est, nó esse necesse hominibus vti vllis picturis: ideóq; luxuriosè vsurpari, atque *ea ....* Et autoritate nititur Augustini, qui Augustinum adeò perfidè deprauat? Addo locum. *Quam innumerabilia variis artibus & opificiis, in vestibus, calciamentis, vasis, & huiuscemodi fabricationibus, picturis etiam, diuersisque figmentis: atque his vsum necessarium, atque moderatum, & piam significationem longè transgredientibus, addiderunt homines, ad illecebras oculorum, foras sequentes, quod faciunt, intus relinquentes à quo facti sunt, & exterminantes quod facti sunt?*

XIV. Paulinus, natali decimo sancti Felicis, de Imaginibus in templo depictis, sic ait, *Miremúrque sacras, veterum monumenta figuras.* Ita est verò, inquam. At quid inde fit? Nam *mirari* verbum est à nostra quæstione remotum. Æneas. *Artificúmque manus intra se, operúmque laborem Miratur*, nec adorat tamen. Imò sacras appellat, inquit Bellarminus. Res autem omnes sacræ honorandæ. Ergo, inquam, non hoc Paulini testimonium est, sed Bellarmini argutia, de qua iam antè dictum satis.

Cap. VIII.

De distinctione præceptorum Decalogi.

I. QVàm sint leues Papistarum coniecturæ, quibus inducti imagines adorant, iam constat opinor. Nunc contrà Catholicorum expendamus argumenta. Quorum primũ esto, ex 2. decalogi præcepto in hęc verba; Hebraicè, nã ita opus est. Ex. 20. לא תעשה לך פסל וכל-תמונה אשר בשמים ממעל ואשר בארץ מתחת ואשר במים מתחת לארץ: לא תשתחוה להם ולא תעבדם *Nõ facies tibi sculptile, & nullam similitudinẽ, quæ in cælis supernè: aut in terra infernè, aut in aquis sub terra: Non adorabis ea, neque serues eis.* Hoc verò mandatũ ita disertũ, vt nihil supra. Prohibẽtur homines, ne sibi faciãt vllas similitudines, siue cælatas, siue pictas: non quidẽ absolutè, sed religionis caussa: quod constat primò ex eo, quod subiicitur de adoratione, & seruitute: secundò, quia id præceptum est in prima tabula, quę religionem spectat. Itaque Papistas securè accusamus præcepti violati: & quidem tanti, seuerissimáque interminatione sanciti. Nam ipsi sibi faciunt imagines, quibus seruiant, quibus etiam incuruent sese.

II. In hoc præcepto vim magnam esse contra imagines vel inde discas: quòd Papistæ, aut omnino non possint, aut vix possint plebi proponere. Nam & iam olim sublatum est è numero præceptorum in Latinis versibus: *Vnum cole Deum: nec iures vana per ipsum:* & in rhithmis illis Gallicis, quę populis proponebantur. *Vn seul Dieu tu adoreras, & aimeras parfaitement. Dieu en vain ne iureras.* Qui rithmi recitantur in Catechismo Iesuitarum, edito Lugduni anno millesimo sexcentesimo: & apud Hayum contra Ministrum Anonymum. Item in Vicelij Catechismo Ecclesiæ. Ne habeto Deos alienos coram me: Ne sumito nomen Domini Dei tui in vanum. Sed & in Catechismo Gallico Bellarmini: edito Auenione anno vltimo superioris seculi. *Dites les dix commandements, Ie suis le Seigneur ton Dieu. Tu n'auras point d'autre Dieu deuant moy. Tu ne prendras point le nom de Dieu en vain.* Et in altero eiusdem prolixiori, Lugduni anno primo huius seculi, interprete Francisco Pericardo. *Tu n'auras autre Dieu que moy. Tu ne prendras point le nom de Dieu en vain.* Imò, quod mirere magis. In Synodo Dioecesana Augustensi capite vigesimo quinto: cũ seuerè præcipitur plebanis recitare singulis diebus Dominicis orationem Dominicam, angelicam salutationem, Symbolum Apostolicum, & decalogi pręcepta, distinctè, ac tractim, vt populus subsequi possit, tum huius mandati ne tenuissimum quidem relictum est vestigium. Et ægrè ferebat tamẽ idipsum Concilium, grauissimum admissum ab hæreticis peccatum in oratione dominica, qui pro *Pater noster qui es in cœlis*, dicebãt *Noster Pater in cœlis*: omisso substantiæ verbo. Nę ij religiosissimi Patres fuere: & digni quibus summa rerum permitteretur. Polydorus Vergilius capite oono libri quinti de Inuentoribus scripserat capita legis. *Vnum Deum colito: Nullius animalis effigiem colito. Per Dei nomen haud frustra deierabis*, & deinceps. Non tulit scelus Index Purgatorius Belgicus adscribens, *Deleatur.*

III. At si qui paulò modestiores fuere, non omisere illi quidem omnino, at neque recitauere, sed paucis perstrinxere. Cathechismus Canisij minor. *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me non facies tibi sculptile, vt adores illud.* Itidem Gallicè, item Græcè. Catechismus Theologorum Rhemensium, *Ie suis le Seigneur ton Dieu: Tu n'auras point de dieux estrangers en ma presence: tu ne feras nulle idole ou simulacre pour l'adorer.* Catechismus Edmũdi Augerij. *Escoute Israel, Ie suis le Seigneur ton Dieu, Tu n'auras point d'autres dieux deuant ma face. Tu ne te feras aucune Idole, ou semblance pour l'adorer.*

IV. Quis non videt vtrosque desperasse fucum facere plebi, si hoc præceptum suis totidem verbis proponerent? Nam & sculptile, & similitudinem, qui prohibitam audirent: & quidem

omnium rerum in cœlo, in terra, in aqua; possentne ij non suspicari sinistri aliquid de ocellis, quæ in templis, in cubiculis vident quotidie? Et qui incurnationem, seruitutémque in eo præcepto legerent: ne illi vel stipitib⁹ essent stolidiores, & [illegible] vel statim concluderent non bene, non piè se procumbere corá imaginibus. Itaq; necesse fuit fraudotem agere. Quid? quod Galatinus Arcanorum Catholicę veritatis libro vndecimo, contra Iudæos disputans, non est ausus hoc præceptum in decem nominare, ne Hebraicè quidem? Id factum capite secundo.

V. Audaciæ dedit occasionem Augustinus, qui ita decem numerat præcepta legis; vt in priore tabula tria sint duntaxat; in posteriore verò septem. Ac proinde hoc de imaginibus comprehendatur sub primo de Diis alienis. Quæ sententia etsi tolerari possit, aut certè dissimulari: vtpote quæ per se neque quicquam mali habeat; neque sit adeò magni momenti: tamen ex hac fraude apparet non fuisse facilè admittendam. Nam, quia discerpto postremo in duo; nihilominus decem numerentur, Hi yo confidentia fuit exclamare, *Quod, obsecro præceptum Dei hic antiquatum vides? Decem profectò reperies, si numerare noueris.* Imò Alanus Copus hanc mutilationem integro cap. vigesimo primo Dialogi quarti, studiosissimè tuetur. Itaque priusquam progrediamur vlterius, de ea dicendum. Nam & Bolengerus contra Plessæi caput secundum libri secundi hanc quæstionem ponit pro fundamento suæ responsionis. Et Cotonus primum ei caput dicauit libri tertij Institutionis Catholicæ.

VI. In constituenda quæstione Alanus obseruat cōstare apud omnes, primò, decem esse verba, siue præcepta duabus tabulis comprehensa. Secundò; primam tabulam ea solùm continere quæ ad honorem cultúmque Dei pertinent: secundam ea quæ ad hominum inter se cultum conuersationémque. Tertiò, secundæ tabulæ primum præceptum, esse de pietate in parentes. Esse verò incertum, quæ & quot sint primæ aut secundæ tabulæ præcepta: Neque esse ita hanc rem definitam ab Ecclesia, vt non liceat diuersum sentire. Hebræos quinque præcepta vtrique tabulæ adscribere: Patres nonnullos quatuor primæ, sex secundæ, nec quidem omnes similiter: Alios, tria primæ, septem secundæ.

VII. Verùm Catholici, vt tria illa prima capita certa esse consentiunt; ita in reliquis statuunt, primò, non esse incertum apud Christianos quænam capita ad vtramque tabulam pertineant: neque vnquam ea de re disputatum fuisse. Nam etsi de numero varient sententiæ, tamen de ipsis præceptis, nulli venit in mentem dubitare. Nam etiam qui tria tantùm assignarunt primæ tabulæ, in iis tribus omnia comprehenderunt, quæ alij quatuor numerarunt, ne verbulo quidem minus. Sola differentia in eo est, an illud de Diis alienis coniungendum sit cum altero de Imaginibus: an potius vtrumque suo signandum numero. Et qui in secunda septem numerant, non plura comprehendunt, quàm qui sex duntaxat: tantùm alij concupiscentiam domus, distrahunt à concupiscentia vxoris, & seruorum: alij autem in vnum idémque præceptum compingunt. Mitto paucos qui vtrique, tabulæ adscribentes mandata, quinque illud de Parentibus in primam transferre sunt coacti. Fuere enim tam pauci, vt ne nominari quidem mereantur.

VIII. Itaque sola superest quæstio, quot sint vtrique tabulæ assignanda præcepta. Quam quid opus est pendere à definitione Ecclesiæ: quum sint ipsa præcepta à Deo immediatè? Tam profectò Deus distinxit quatuor, & sex, quàm omnino decem condidit. Itaque quomodo non referendum ad Ecclesiam, vtrum decem sint præcepta, an pauciora, pluráve: ita neque permittendum cuiquam, vt tria tantùm adscribat primæ tabulæ: & septem secundæ: sed omnino ratum fixúmque habendum, quatuor in prima, sex in secunda esse: omnino totidem, nec plura, nec pauciora.

IX. Pugnat Alanus primò autoritate, deinde ratione. Autoritas vnius est Augustini: qui Epistola centesima decima nona, *In tribus*, inquit, *primis præceptis Decalogi, quæ ad Deum pertinent (cætera enim septem ad proximum pertinent, id est, ad hominem, quia in duobus præceptis tota lex pendet) tertium ibi de obseruatione Sabbathi positum est.* Et in Psalmum trigesimum secundum concione prima, *Præcepta legis decem sunt. In decem autem præceptis legis habes Psalterium. Perfecta res est. Habes ibi dilectionem Dei in tribus: & dilectionem proximi in septem.* Qui idem quæstione septuagesima prima in Exodum, hanc suam distinctionem rationibus confirmat. Primò; quia tria præcepta in prima tabula Trinitatem insinuant. Secundò, quia quod dictum est, *Non erunt tibi Dij alij præter me*, hoc ipsum perfectius explicatur, quum prohibentur colenda figmenta. Tertiò, quia discreuisse videtur concupiscentiam vxoris alienæ, à concupiscentia cuiuslibet rei alienæ, quando vtrumque sic cœpit, *Non concupisces vxorem proximi tui: & non concupisces domum proximi tui*: & hinc cœpit cætera adiungere. Non autem quum dixisset, *non concupisces vxorem proximi tui*: huic connexuit alia, dicens, neque domum eius, neque agrum eius, neque seruum eius, & cætera; sed omnino apparet hęc esse coniuncta, quæ in vno præcepto videntur contineri, & discreta ab illo, vbi vxor nominata est.

X. Augustini rationibus suas rationes Alanus subnectit. Primò, vt Principibus, sic Deo deberi fidem, reuerentiam, obsequium. Inde triplex præceptum, primum ad fidem: secundum ad reuerentiam: tertium ad obsequium. Secundò, si illud de Imaginibus non sit accessio primi præcepti, ergo nullæ imagines permittentur, siue in templis, siue extra templa. Tertiò: statim adduntur præmia & pœnæ. At hæc non magis ad illud de imaginibus pertinent, quàm ad alterum de Diis. Quartò, omnis Theologorum schola frequentissimo consensu in eandem sententiam decurrit. Quintò, si ea distinctio commoda visa est ante Iconomachorum tempora: longè ergo magis, postquam ea verba hodie torquentur in virginis & sanctorum imagines.

XI. At Catholici contrà. Veterum testimoniis longè sunt superiores. Primò, enim Iudæi, quibus lex ea data erat, sic acceperunt, testibus Philone, & Iosepho. Isto quidem Antiquitatum libri tertij capite quarto. [illegible] *Primum præceptū docet nos, Deum vnum esse, & hūc solū colendū. At secūdum, vetat vllius animalis imaginem fieri, & adorari.* [illegible] Decimum ne quod alienum

alienum concupiscamus. Philo autem præcepta diuidit in duas πεντάδας, ita dissentiens à reliquis in distributione tabulis: at non in disparandis tamen præceptis. In libro de Decalogo, Διχῆ τοίνυν ἔστιν διῃρημένας εἰς δύο πεντάδας, ἃς δυσὶ στήλαις ἐχάραξε, καὶ ἡ μὲν προτέρα πεντὰς τὰ πρωτεῖα ἔλαχεν, ἡ δ' ἑτέρα τὰ δευτερεῖα. ἡ μὲν κρείττων τοιαύτη τις ἦν· περὶ μοναρχίας, ᾗ μοναρχεῖται ὁ κόσμος· περὶ ξοάνων καὶ ἀγαλμάτων, καὶ συνόλως ἀφιδρυμάτων χειροκμήτων. *Decem igitur illa distribuit in bis quina, duabusque tabulis inscripsit. Prima Pentas dignior est, altera inferior. Illa igitur dignior huiusmodi est De Monarchia: quatenus ab vno principe mundus regitur. De simulacris, & statuis, & generaliter omnibus monumentis fabrefactis.*

XII. Sed & Christiani, Clemens ille quisquis est Constitutionum libri secundi, capite trigesimo sexto, πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχε τὸν Θεοῦ φόβον, πάντοτε μεμνημένος τῶν δέκα τοῦ Θεοῦ λογίων. Ἀγαπᾶν Κύριον τὸν Θεὸν τὸν ἕνα καὶ μόνον ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος. Μὴ προσέχειν εἰδώλοις, ἢ ἑτέροις, ὡς θεοῖς ἀψύχοις, ἢ ἀλόγοις, ἢ δαίμοσιν. *Habe præ oculis timorem Dei: memor semper decem mandatorum Dei. Amare Dominum Deum vnum & solum totis viribus. Non attendere idolis, neque aliis vt diis inanimis, aut irrationabilibus aut dæmonibus.* Et libri primi cap. secundo, Ἀπέχεσθε πάσης πλεονεξίας, καὶ ἀδικίας, καὶ γὰρ ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται, οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου. οὐδὲ τὸν ἀγρὸν αὐτοῦ. οὐδὲ τὸν παῖδα αὐτοῦ· οὔτε τὴν παιδίσκην αὐτοῦ, οὔτε τὸν βοῦν αὐτοῦ, οὔτε τὸ ὑποζύγιον αὐτοῦ, οὔτε πάντα ὅσα τοῦ πλησίον σού ἐστιν. *Abstinete ab omni auaritia, & iniustitia. Scriptum enim est in lege Non concupisces vxorem proximi tui: neque agrum eius: neque seruum eius, neque ancillam eius: neque bouem eius: neque iumentum eius: neque quicquam eorum quæ sunt proximi tui.* Ita & diuisit Clemens quæ nos diuidimus, & coniunxit, quæ nos coniungimus. Tertullianus aduersus Iudæos, capite secundo: Et contra Marcionem libri secundi, capite decimo septimo constanter secundæ tabulæ sex præcepta sigillatim enumerat, etsi perturbato ordine. Illic, *Non occides, non mœchaberis, non fraudaueris: falsum testimonium non dices: honora patrem tuum & matrem, & alienum non concupisces.* Hic verò: *Non occides, non adulterabis, non furaberis, non falsum testimonium dices: alienum non concupisces. honora patrem & matrem.*

XIII. Origenes homilia octaua in Exodum, *Primum ergo mandatum est, non erunt tibi dij alij, præter me. Et post hoc sequitur: Non facies tibi idolum, neque vllam similitudinem.* Et recitato sic toto mandato, *Hæc omnia simul nonnulli putant esse vnum mandatum. Quod si ita putetur, non complebitur decem numerus mandatorum. Et vbi iam erit Decalogi veritas? Sed si eo modo dirimatur, quo & nos in superiori pronunciatione distinximus, integer decem mandatorum numerus apparebit. Est ergo primum mandatum Non erunt tibi dij alij præter me. Secundum verò, Non facies tibi idolum, neque vllam similitudinem.* Athanasius in Synopsi, capite de Exodo, eum librum continere dixit, cùm alia, tum τὰς ἐν πλαξὶ δέκα ἐντολὰς ταύτας· ἐγώ εἰμι Κύριος ὁ Θεός σου· δεύτερον, οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, *in tabulis decem præcepta ista: primum, Ego sum Dominus Deus tuus secundum, non facies tibi idolum, neque cuiusquam similitudinem,* οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου, οὐδ' ὅσα τῷ πλησίον σού ἐστιν, *Decimum non concupisces vxorem proximi tui: neque quicquam quod sit proximi tui.*

XIV. Nazianzenus carminibus describens decem mandata, non discedit ab illis. Nam primum ponit, ὁ πρῶτος Θεὸν ἄλλον, ἐπεὶ ἕνα, ὃν σέβειν χρή. Secundum, εἰ ποιῶν ἴνδαλμα κενὸν καὶ ἄπνοον εἶδος. Decimum, ἀλλοτρίων τὸ δέκατον, ἐπιθυμεῖν. Ambrosius in sextum ad Ephesios, *Quomodo hoc primum mandatum dixit,* *cùm constet, primum mandatum ita contineri: Non sint tibi dij alij præter me: Deinde, Non facies tibi similitudinem vllam quæ sunt in cælo sursum, & in terra deorsum. Tertium, Non sumes nomen Domini Dei tui in vanum. Quartum, obseruabis, inquit, Sabbata mea. Quintum autem, Honora patrem & matrem.* Hieronymus in eundem locum, illud idem mandatum de patre & matre in Decalogo quintum esse dicit, cùm primum mandatum sit, non erunt tibi dij alij præter me: Et pòst, *in secundo mandato repromissionem esse sociatam: at enim, Non facies idolum,* & reliqua. Autor operis imperfecti in Matthæum homilia trigesima tertia, *Possidet legis diuersa mandata: vt puta, habes hoc mandatum, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est: trade ea pauperibus Gentibus, non habentibus vnum Deum. Habes, non facies idolum: trade hoc pauperibus Gentibus, & per ignorantiã idola multa colentibus. Habes, non occides: trade hoc Gentibus homicidia multa facientibus.* Idem homilia quadragesima nona, *Legis iustitia prima, & salutaris, decem habet mandata, quasi decem menses. primum cognoscere vnum Deum, secundum abstinere ab idolis: tertium non periurare: quartum colere sabbathum. quintum honorare patrem & matrem: sextum non occidere: septimum non adulterare: octauum non furtum facere: nonum non falsum testimonium dicere: decimum nullam rem proximi concupiscere.* Autor Quæstionum ex Veteri & Nouo Testamento, quæ tribuuntur Augustino, capite septimo, *denique dicit: Non sint tibi dij alij præter me: primum verbum hoc est, Et subiecit secundum: Non facies tibi vllam similitudinem.* Et tandem in secunda tabula, Sextũ, *Non concupisces quicquam proximi tui.* Ambrosius in sextum ad Ephesios, *Quomodo hoc primum mandatum dixit?* Nempe de honore parentum, *Cùm constet primum mandatum ita contineri, Non sint tibi dij alij præter me. Deinde non facies tibi similitudinem vllam, quæ sunt in cælo sursum. & in terra deorsum. Tertium, non sumes nomen Domini Dei tui in vanum. Quartum, obseruabis, inquit, Sabbata mea. Quintum autem, Honora patrem & matrem.* Seuerus Sulpitius Sacræ historiæ libro primo, *Ita lex lata multiplex & copiosa Dei verbis, & sæpe repetita: cuius si quis erit curiosior fontem ipsum adeat: nos eam breuiter perstringimus. Non erunt, inquit, tibi dij alij præter me. Non facies tibi idolum: Non sumes nomen Dei tui in vanum: Sabbatis nullum opus facies.* Et quæ sequuntur.

XV. Hæc illi: nec verò vllum obseruare potui antiquiorem Augustino, qui in aliam iuit sententiam. Et admoneo Clemẽtem Alexandrinum Stromateon septimo, sine dubio corruptum esse, ἡ πρώτη inquit, τῆς δεκαλόγου ἐντολή, σημαίνει ὅτι μόνος εἷς ἐστι Θεὸς παντοκράτωρ, ὃς καὶ τῆς Αἰγύπτου τὸν λαὸν μετήγαγε διὰ τῆς ἐρήμου εἰς τὴν πατρῴαν γῆν· ὅπως καταλαμβάνωσι μὲν διὰ τῶν θείων ἐνεργουμένων, ὡς ἐδύναντο τὴν δύναμιν αὐτοῦ, ἀφιστῶνται δὲ τῆς τῶν γενητῶν εἰδωλολατρείας, τὴν πᾶσαν ἐλπίδα ἐπὶ τὸν κατ' ἀλήθειαν ἔχοντες Θεόν. *Primum Decalogi mandatum statuit solum vnum esse Deum omnipotentem, qui ex Aegypto populum transtulerit per desertum in solum paternum: vt ex diuinis operibus comprehenderent pro viribus, eius potentiam: & recederent à rerum creatarum idololatria, tota spe defixa in verum Deum.* Quæ verba videntur illud de Idolis annectere primo præcepto: vnde & postea secundum dicitur illud de nomine Dei: & tertium reliquum de Sabbatho. Verumtamen paulò pòst illud de Patre & matre vocatur Quintum, ὁ δὲ πέμπτος ἑξῆς ἐστι λόγος περὶ τιμῆς πατρός τε καὶ μητρός. Quomodo, si tres tantùm præcesserunt? Denique Δέκατος δέ ἐστιν ὁ περὶ ἐπιθυμιῶν ἁπασῶν λόγος, *Decimum est illud de omnibus concupiscentiis præceptum.* Quomodo verò, si in primo

Decalogo sunt tantùm tria? Nam hoc quidem non discerpitur vt ab Augustino, in vnum de vxore, & alterum de reliquis rebus. Itaque corruptum esse locum Clementis, nullus dubito.

XVI. Quin etiã post Augustinũ Hesychius discessit quidẽ ab omnibus; quia præceptũ de Sabbatho expũxit, in caput vigesimũ sextum Leuitici: sed in distinctione præcepti de idolis consentit reliquis. Nam teste Thoma, Prima secundæ, quæstione centesima, articulo quarto, sex assignat præcepta secundæ tabulæ: Ergo primæ quatuor: quæ vt compleantur, primum præceptum ponit, *Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Procopius in Exodum, *Non erunt tibi dy præter me. Hoc primum est præceptum: secundo sermocinante de idolis & imaginibus. Ni enim in hunc modum quis leges distinguat, non poterit in ordinem certum redigere Decalogum.* Primasius in sextum ad Ephesios, *Quod est mandatum primum in promißione. Promißionis primum in secunda tabula: quæ ad humanitatem pertinentia præcepta, sex numero, continebat.* Eucherius quæstione tertia in eandem ad Ephesios, postquam eorum meminisset, qui primæ tabulæ tria tantùm mandata assignantes, illud de patre & matre quarto loco numerabant: *Alij verò*, inquit, *hoc mandatum non quarto, sed quinto loco, quod & nos probamus, esse confirmant.* Ionas Aurelianensis de cultu Imaginum libro primo, *Illud quoque satis mirari non potest, quum de omni similitudine non facienda, secundum Decalogi præceptum assumpserit.* Adde Rupertum Tuitiensem tertio in Exodum capite vno & trigesimo, *Primũ est, Non habebis deos alienos coram me: vltimum, Non concupisces.* Et capite proximo, *Quorum primum non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile sequens: sed vltimum est, non concupisces. Quatuor ex his dilectioni Dei: sex dilectioni subseruiunt proximi. Non habebis deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem: non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: memento vt diẽ sabbathorum sanctifices. Quatuor ista Dei dilectioni repugnantia prohibendo, locum eidem dilectioni Dei, sermo Dei patrare intendit.* Apud Sedulium in sextum ad Ephesios lego, *Quæritur, quare nunc dixerit, quod est mandatum primum, cùm sit quartum, vel quintũ.* Sed fallitur aliquis sine dubio. Nam sequentia contrà sunt, *Alij distinguunt quod est mãdatum primũ in repromißione, quasi quatuor alia mandata, quæ ante hæc dicta sunt, non habeãt promißionem.* Audin' quatuor promissa? *Sed videntur,* inquit, *non obseruasse subtiliter in secundo mandato repromißionem esse sociatam. Ait enim, non facies tibi idola.* Audin' de idolis secundum mandatum?

XVII. Habent ergo Papistæ solum Augustinũ sibi patronum: cui cur non præponderent à nobis laudati? Sunt autem leuissimæ Augustini rationes. Prima ab adumbratione Trinitatis, nihil habet solidi: quis enim Augustinum docuit Deum voluisse in mandatorum numero adumbrare Trinitatem? Aut quis Augustin⁹ est, qui possit de Dei voluntate, quã non reuelauit, quicquam diuinare? Esse autem illud de idolis perfectiorem explicationem deorum alienorum, non est verum: Est enim potius alia species idololatriæ. *Primum præceptum*, inquit Procopius, *versatur in potentiis incorporeis, & inuisibilibus, quas quidã diuinis honoribus prosequuntur, nullis vel idolis vel imaginibus positis.* Nos addimus, etiã oportuisse eos cohiberi, qui Deum verum præsumunt in imaginibus adorare.

XVIII. In tertia ratione imposuerũt Augustino septuaginta interpretes, qui vno eodémq; modo reddiderunt in Exodo, & in Deuteronomio: cõtra Hebraicam veritatem. Nam in quinto Deuteronomij Moses dixit, *Non concupisces vxorem proximi tui: neq; desiderabis domum proximi tui, agrum eius, & seruum eius, & ancillam eius.* At 20. Exodi: *Non concupisces domum proximi tui: non concupisces vxorem proximi tui neque seruum eius neque ancillã eius.* Quam diuersitatẽ si exhibuissẽt Augustino sui interpretes; ne ille, quo erat iudicio, animaduertisset facilè nihil in hac serie mysterij esse. Quin etiam obseruasset in Deuteronomio, non scribi: Non concupisces vxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui. Sed potius, *Non concupisces vxorem proximi tui*: ולא *neque concupisces domum proximi tui*: copulato hoc membro cum præcedenti; quod in diuersis præceptis reliquis non est factum.

XIX. Supersunt Alani ratiunculæ. Debentur Deo, inquit, fides, reuerentia, obsequium. Ita est, inquam, sed quid tum? Ergo triplex præceptum esse debuit. Laudo subtilitatem, necessitatem nullam video. Et scio eiusmodi multa excogitari posse: quomodo Augustinus Trinitatem obtendit. Verùm non quæcunque homo excogitare potest, ea Deus ipse cogitauit. Et quid si quartum membrum addam? Puritatem illam, quæ Deum colit in spiritu & veritate? Tum sanè non tantùm soli Deo credendum, fidendúmque fuerit: sed etiam absque imaginibus, quæ & corporales sunt & falsæ. Itaque hoc erit de imaginibus præceptum distinctum. Quid si etiam fidei geminas partes? Vt & nullus Deus falsus adoretur: & ipse verus adoretur sine imaginibus? Tum iuribus quatuor erunt. In secunda ratione negatur consequentia. In tertia rursus nulla vis est. Nam in quinto promissio est, quæ tamen non est ei peculiaris: & est nihilominus præceptum disparatum. In quarta Theologi illi recentissimi sunt, nullaque parte comparandi cum vetustissimis. In quinta nos contrà: tolerari potuisse in Augustino hanc duorum præceptorum confusionem; quum neque imagines inductæ erant in Ecclesiam: neque ipsum præceptum omittebatur. At nunc quum insaniant homines in imaginibus: & eò prouecti sunt, vt hoc secundum præceptum vel prorsus tollant, vel euertant pro viribus; tum verò obsistendum huic confusioni.

CAP. IX.

De differentia Idoli & Imaginis, & simulacri.

I. CONstituto ordine præcepti, nunc de eius sensu agamus. Et quidem prohiberi idololatriam omnes consentimus. Verùm quænam illa sit idololatria non cõuenit. Catholici propriè omnem omnium Imaginum cultum religiosum: extensiuè autem, omnem creaturæ cuiuslibet adorationem. Sed hoc Papistæ ægrè ferunt. Et primò de vocabuli originatione disputant; deinde de definitione eius. Docent ergo *τὴν εἰδωλολατρείαν* esse *τὴν τῶν εἰδώλων λατρείαν*; ac vim faciunt in vocabulis Idoli, Simulacri, Imaginis: inque iis magnam distantiam imaginantur. Bellarminus de Sanctis libro secundo, capite quinto: Richeomus de Imaginibus, capite primo & secundo: Et idololatriæ Hugonoticæ libro primo, capitibus secundo & tertio. Vasques in tertia Thomæ disputatione centesima prima. Iacobus Dauies loco nono Collationis apud Fontem-bellaqueum.

II. Et Bellarminus quidem Imaginem definit veram

veram similitudinem: Idolum falsam similitudinem, id est, repræsentantem id quod non est. Vasques: Imago est alicuius rei subsistentis seu possibilis similitudo. Idolum verò simulacrum rei minimè subsistentis, nec possibilis. Simulachrum à simulando dictum, non à similitudine: esse itidem vt idolum, falsam imaginem. Et Bellarmini vestigiis hærens Richeomus tractatu de Imaginibus, quum probasse se putat Idolum significare rē nihili, tum, *Quandoquidem*, inquit, *certum est nemine contradicente, Imaginis vocabulum significare similitudinem rei veræ & solidæ. Ergo Idolum & Imago tam differunt, quàm veritas & mendacium, lux & tenebræ. Et qui vnum vsurpat alterius loco, idem facere, ac si veritatem mendacij nomine lucémque tenebrarum appellatione donaret.* Postea etiam simulacri nomen tum in Scriptura, tum apud prophanos autores, vsurpari pro ipso Idolo.

III. At Dauius haud paulo aliter. Imaginem esse genus: Idolum verò speciem. Omne enim Idolum esse imaginem: at non contrà omnem Imaginem, Idolum. Nam Idolum ad Imaginem addere falsitatis conditionem. Ideóque Imaginem tanquam genus sumi, cùm in bonam, tum in malā partem: at Idolum, tanquam speciem, cui falsitas sit pro differentia; semper in malam. Grammaticè etiam, εἴδωλον, etsi nonnunquam confundatur cum Imagine; tamen à peritioribus vsurpari pro spectris, phantasmatis, & aliis simulacris fallis, vanis, & non habentibus subsistentiam.

IV. In hanc Dauij sententiam transiit Richeomus in Idololatria Hugonotica. Nam eum qui Idolum tam latè patere dicat, quàm Imaginem, perinde dicere, ac si Auis & Buteonis nomina æquaret, id est, confundere speciem cum genere. Idolum enim nihil esse, quàm speciem Imaginis, semper in malam partem: cùm Imago possit in bonam sumi. Viderit Richeomus, quomodo aut secum aut cum suis consentiat. Nam certè, si Imago est similitudo rei veræ, vt tractatu de Sanctis: & Idolum est species Imaginis, vt nunc, tum Idolum erit similitudo rei veræ: quod tamen Bellarminus non vult: ipse etiam non patiebatur. Tum autem si Idolum & Imago, sic se habent vt veritas & mendacium: vt lux & tenebræ: certè quomodo veritas, & lux, non sunt genera mendacij & tenebrarum, sic Imago non potest esse genus Idoli.

V. Papistæ ergo ita sentiunt: At Catholici, vsum Grammaticum distinguunt à Theologico. Et Grammaticè quidem Idolum atque Εἰκόνα sine Imaginem, originatione sua esse ὁμώνυμα: & ita sæpissimè vsurpari. Deinceps tamen, aliquando Idolum peculiari modo, pro imagine non subsistente: ipsa, inquam, non subsistente, etiamsi aliàs rei subsistentis, & veræ: quo etiam sensu Imaginem ipsam sæpissimè occurrere. Atque ita dici posse, nullum propriè discrimen esse Grammaticum earum vocum.

VI. At Theologicè; ita factum sanè, vt Idolum nunquam, quod quidem sciam, sumatur in bonam partem, non ipsius tamen vocabuli vitio, aut etiam significationis propriæ; sed vsus: atque adeo omnem Imaginem, quæ religiosè coleretur, esse apud Catholicos significatam Idoli nomine. Ac proinde non esse Idolum Imaginis speciem; quomodo hominem animalis: sed æquè latè patere vtrumque vocabulum sua significatione: vsu tantum Idolum coarctari. Esse autem imperitissimos Dialecticæ, qui generis species faciunt accidentales. Nam sanè nemo vnquam dixit lignum esse genus, eiúsque speciem, lignum dolatum: etsi omne lignum dolatum, sit lignum: nec tamen omne lignum, sit dolatum. At nunquam, vllóve casu, species cum suo genere reciprocari potest. Lignum autem dolatum, reciprocari potest cum ligno: eò ipso quod lignum omne dolari potest. Omnino ad eum modum; quia omnis Imago, religiosè coli potest, ac proinde esse Idolum: non potest imago esse genus Idoli. Porrò simulacrum tam latè patere certum est, quàm Idolum, & Imaginem.

VII. De Idoli Etymo, id quidem facile. Deducunt omnes ἀπὸ τοῦ εἴδους, à forma. Tertullianus obseruauit capite tertio de Idololatria, *Εἶδος Græcè formam sonat: ab eo per diminutionem εἴδωλον deductum, æquè apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma, vel formula Idolum dici exposcit.* Cui fauet illud Achillis Tatij libro primo, τοῖς μὲν ἄλλοις τῶν ἀποθνησκόντων κἂν ἴχνος τῶν γνωρισμάτων διασώζεται κἂν τὸ εἶδος τις τῶν σωζόντων ἀπολέσῃ περὶ τὸ εἴδωλον, καὶ παραμυθεῖται τὸν πένθον καὶ ζῶντα ... *Aliis mortuis saltem vestigia remanent, quibus agnoscantur. Et amisso etiam vultus flore, seruat idolum, flentémque solatur dormientis similitudine.* Nam hîc manifestè εἴδωλον est εἶδος. Transcripsit Isidorus Hispalensis Tertullianum Originum libri octaui, capite vndecimo: Et definiuit Idolum, Simulacrum, quod humana effigie factum & consecratū est. Sed Pamelius annotationibus in Tertullianum, emēdat, quamis, pro humana. Nempe ex mente Tertulliani, negantis id solum idolum habendū, quod humana effigie sit consecratum. An etiam ex ipsius Isidori, incertum. Veruntamen illud etiam Tertulliani de diminutione, nutat. Nam quæ Grammatica? Imò qui vsus hanc diminutionis analogiam exhibet? Malim simpliciter deriuationem: vt ἁμαρτωλός: vt apud Euripidem Helena: εἴδωλον: Et sic censet Etymologus: εἰς ἴον, ἰδωλός· παρὰ φειδωλός, αἰτωλός. Quanquam esto sanè cuique suum liberum iudicium.

VIII. Simulacrum eodem capite Isidorus à similitudine; *Simulacra*, inquit, *à similitudine nuncupata, eo quod manu artificis ex lapide aliáve materia, eorum vultus imitantur, in quorum honorem finguntur.* Et Hieronymus in Psalmum centesimum decimum tertium, *Ideo dicitur simulacrum, quia ad similitudinem alicuius hominis mortui factum sit.* Quantum id abest ab idolo? Imò Glossarium. Simulacrum, ἀπεικόνισμα, εἴδωλον, ξόανον. De Imagine, quam Nonius similitudinem interpretatur: Græcè autem dicitur εἰκών, non est necesse dicere. Sed iam, quàm paruo intervallo distant Idolum, Imago, Simulacrum. Aut quis ab hac originatione non deprehendat facilè notionis vicinitatem?

IX. Factum tamen, vt εἴδωλον leuiusculum quid sonet. Etymologicus. εἴδωλον, ὁ ἀπὸ τοῦ σώματος συνεχὴς ἀπόῤῥοια· ἢ σκίασμα, σκιώδες ὁμοίωμα· ἢ φαντασία σώματος, ... *Idolum est quoddam fluens à corpore vmbræ instar: vel visum: & ad vmbram accedens similitudo: vel phantasia corporis: vmbra quædam aerea.* ... *Intelligendum est Idola phantasiam corporum exhibere videntibus: at nihil vere subsistens.* Phauorinus. εἴδωλα, τὰ φαινόμενα ἐν τῷ ἀέρι φαντάσματα ἅμα τῷ φανῆναι ἀφανίζονται, ὅτι ... *Idola sunt phantasmata, quæ apparent in aere, & simul ac apparuerunt, euanescunt, quum nihil habeant solidi & firmi.* Glossarium. εἴδωλον, *Simulacrum, larua.* Vnde traductum nomen ad somnia. Apud Aristotelem de Insomniis legas τὰ φαινόμενα εἴδωλα ... Item ad Imagines apparentes in corporibus le-

ouibus, vt in speculis, aut vnda. Aristoteles de sensu & sensili, διά τι ὁ ὀφθαλμὸς ὁρᾷ μόνον, τὰ δὲ ἄλλα οὐδέν, ἐν ᾧ ἐμφαίνεται τὸ εἴδωλον. Plato in Sophista, δῆλον ὅτι φήσομεν τά τε ἐν τοῖς ὕδασι καὶ κατόπτροις εἴδωλα, ἔτι καὶ τὰ γεγραμμένα, καὶ τὰ τετυπωμένα, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα που τοιαῦτα ἐστ᾽ ἕτερα: appellari dicit idola quæ in aquis & speculis, quæque picta expressaque, & similia. Deinque sic dicta hæc tenus phantasiæ, & terū visu apprensarum conceptus. Nyssenus de hominis opificio, cap. 11. διὰ τούτων ὁ νοῦς τῶν ἔξω τοῦ σώματος [illegible] καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἕλκει τῶν φαινομένων τὰ εἴδωλα, Per hos oculos mens extranea apprehendit, & ad se trahit apparentium simulacra. Et cap. duodecimo, ὀφθαλμὸς διὰ τῶν ἐμπιπτόντων ταῖς κόραις εἰδώλων πρὸς τὸ ἔσω ποιεῖται τῶν [illegible], Oculus per incidentia in pupulas simulacra, rerum formas interius exprimit.

X. Ita distinctè. Nunc verò primum idolum pro imagine consistente, & non vana; atque adeo pro statua. Diodorus Siculus libro decimo sexto: αὐτοῦ τοῦ Φιλίππου [illegible] εἴδωλον. Tertium decimum in pompa erat Philippi ipsius idolum. Et quia gestabatur; ergo subsistebat: erat autem præsens ipse Philippus. Ælianus libri duodecimi, capite sexagesimo quarto: Πτολεμαῖος εἴδωλον [illegible] ὅμοιον Ἀλεξάνδρου κατεκόσμησεν ἐσθῆτι βασιλικῇ. Ptolemaus idolum Alexandro simile veste regia ornauit. Plutarchus Antonio, ἐν τῷ θριάμβῳ τῆς Κλεοπάτρας αὐτῆς εἴδωλον ἐκομίζετο, In triumpho ipsius Cleopatra idolum gestabatur. Xiphilinus in Seuero, εἴδωλον τοῦ Περτίνακος κήρινον, Cereum Pertinacis idolum: τὸ εἴδωλον, ὅ τε Σεβῆρος, καὶ οἱ συγγενεῖς τοῦ Περτίνακος ἐφίλησαν, Illud idolum tum Seuerus, tum Pertinacis cognati deosculati sunt. Polybius libro decimo tertio, εἴδωλον dicit formæ similitudine Nabidis vxorem arte eximia referens. Xenophon Commentariorum primo, Πότερα οὖν δοκοῦσιν οἱ ἀπεργαζόμενοι εἴδωλα ἄφρονά τε καὶ ἀκίνητα, ἀξιοθαυμαστότεροι εἶναι, ἢ οἱ ζῷα ἔμφρονα καὶ ἐνεργά. Dionysius Halicarnassæus Antiquitatum primo, Herculem narrat docuisse pro hominibus qui immolabantur Saturno, εἴδωλα ποιοῦντας ἀνδρείκελα, [illegible] Idola facta humana forma, & ornata in illorum morem, inijcere in flumen. Eodem libro: χάλκεα εἴδωλα τῶν ζῴων. Denique in eodem cùm de Penatibus diis agit, κεῖνται τῶν Τρωικῶν θεῶν εἰκόνες: Et paucis interpositis, εἴδωλα τῶν θεῶν τούτων [illegible].

XI. Contrà εἰκὼν pro idolo. Glossarium, Imago εἰκών, εἴδωλον. Lucianus Dialogo Diogenis & Herculis: quod semel, ἐγὼ δ᾽ εἴδωλον εἰμὶ αὐτοῦ: iterum dixit, ἐγὼ ὁ εἰκὼν αὐτοῦ. Plutarchus in quæstionibus Platonicis opponit τὰ στερέμνια σώματα ταῖς εἰκόσι καὶ τοῖς εἰδώλοις. Cicero de Finibus primo, Imagines quæ idola nominant. Virgilius Æneidos secundo, Visa mihi ante oculos & nota maior imago. Petronius, Quasi quodam monstro infernisque imaginibus turbatus. Plato Politicorum sexto, λέγω δὲ τὰς εἰκόνας, πρῶτον μὲν τὰς σκιάς, ἔπειτα τὰ ἐν τοῖς ὕδασι φαντάσματα, καὶ ἐν τοῖς ὅσα πυκνά τε καὶ λεῖα καὶ φανὰ ξυνέστηκε. Imagines appello primum vmbras: deinde quæ apparent in vndis: & in densis, lenibusque, & lucidis.

XII. Simulacrum pro idolo non subsistente. Virgilius Æneidos secundo quam imaginem appellat Creusæ, etiam simulacrum, Infelix simulacrum, atque ipsius vmbra Creusæ. Petronius, Sufficit simulacra virum traducere cymba. Pro imagine subsistente frequentissimum. Cicero pro domo sua, simulacrum mulieris è marmore. Isidorus Originum libri octaui capite vndecimo, Simulacrorum vsus exortus est, cùm ex desiderio mortuorum constituerentur imagines vel effigies. A similitudine nuncupata, eo quod manu artificis ex lapide, aliàve materia eorum vultus imitantur, in quorum honorem finguntur. Inde dicunt, quod Ismael primus simulacrum luto fecerit. Gentiles autem primum Prometheum simulacra hominum de luto finxisse perhibent. Neque aliò referri potest Tertullianus Apologetici, cap. duodecimo, Quātum autem de simulacris ipsis, nihil aliud deprehendo, quam materias sorores esse vasculorum instrumentorúmque communium.

XIII. Nec Theologi alieni ab hoc vsu promiscuo. Primò εἴδωλον pro imagine simplici, id est extra idololatriæ rationem. Athenagoras legatione pro Christianis, ὁ μὲν δὴ χρόνος ἴσχει [illegible] εἰκόνες, καὶ τῇ ἀεὶ τὰ εἴδωλα [illegible], Adeo recentes sunt imagines, & idolorum artificium. Clemens Alexandrinus initio Protreptici. Videntur, inquit, Orpheus Thracius, & Arion Methymnæus τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τὰ εἴδωλα χειραγωγῆσαι πρῶτοι. Homines primum induxisse ad idola: [illegible] Saltem lapidibus & lignis, id est, statuis, & imaginibus, Gentis stoliditatem fulcisse. Imò recentissimus, & Papista Dominicus a Soto in primum ad Romanos, Idolum idem est quod simulacrum. Cùm verò sensuales homines, imagines sensibus obiectas, tanta veneratione suscipe rent, data inde occasione dæmonia illuc ingressa, responsa dare cœperunt.

XIIII. Imaginem pro Idolo frequentissimè, Theophilus ad Antolycum. αἱ δὲ εἰκόνες αὐτῶν [illegible] ἡμέραν ἕως τοῦ δεῦρο [illegible] εἴδωλα, Eorum imagines quotidie huc vsque fiunt idola. Eusebius libro tertio de Præparatione, τοῦ Θεοῦ καὶ δυνάμεις διὰ [illegible] αἰσθητῶν ἐμήνυσαν. Trapezuntius vertit, Deum & Dei virtutes per sensibiles significarunt imagines. Clemens Protreptico, οἷαι δὲ αὖ καὶ ἄλλαι ὑμῶν εἰκόνες. Cuiusmodi autem vestra sunt reliquæ imagines. [illegible] μᾶλλον [illegible] Θεῶν ὑμῶν τὰς εἰκόνας [illegible]. Non erubescitis: quin potius reposita seruatis: quasi Deorum vestrorum imagines, titulos impudentiæ consecrantes. Nazianzenus oratione trigesima quarta, quæ est secunda de Theologia, οἱ δὲ [illegible] εἰκόνας καὶ πλάσματα, [illegible] Alij denique quicquid ex rebus aspectabilibus temerè occurrit, coluerunt, pulcherrima eorum quæ cernebant, pro diis sibi constituentes. Nec defuerunt, qui imagines, & figmenta primo quidem suorum, ij nimirum, quibus vehementiores affectus erant, & in corpora magis proni, quique vita functos monumentis honorarent: deinde etiam alienos. Epiphanius præfatione in Panarium, de initiis Idololatriæ. [illegible] Nondum in statuis, aut in tornatis lapidibus, aut lignis, aut argento, auróve, aliáve qua materia fiebant: sed solis coloribus, & imaginibus, mens hominis sibi malum inuenerat. Theodoretus in primum ad Romanos, Dei veritatem vocat nomen Dei: mendacium autem manufactam imaginem.

XV. Sic Latini. Tertullianus Apologetici capite decimo sexto, Imaginum suggestus dicit: vigesimo secūdo, simulacris imaginibus oblata, De spectaculis capite 12. In quorum nominibus, & imaginibus, & hostiis fallaciam consecrationis sibi negotium aliud constituerunt De Idololatria quarto. Eorum imagines idola. Cypria-

nus de-

nus de Idolorum vanitate. *Inde illis instituta templa: inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra.* Ad martyras secundo. *Ne vides alienos Deos? non imaginibus eorum incurrit?* Lactantius primi vigesimo. *Virtus colenda est, non imago virtutis. Quid tantos sumptus vel pingendis, vel colendis imaginibus impendere?* Secundi secundo. *Atenim praesentes non nisi ad imagines suas adsunt.* Minutius in Octauio itidem saepissime imagines nominat.

XVI. At contrà Bellarminus disputans: Scriptura nusquam tribuit nomen Idoli, vlli verae imagini: sed solùm simulacris Gentium, quae falsos Deos referebant. Sed hoc est falsum. Nam Hebraicè nullum est nomen proprium, quo idolum significetur: itaque generalia vsurpantur, vt פסל vel תמונה; vel metaphorica alia quaedam: & idolis per contemptum, vel exsecrationem imposita. Quod attinet ad nouum Testamentum: id constat, non vsurpari Idolum nisi in malam partem. Sed constare etiam eadem notione vsurpari imaginem à Paulo ad Romanos primo.

XVII. Secundò Scriptura Testamenti veteris, inquit Bellarminus, idola vocat ordinariè אלילים Leuitici decimo nono; & vigesimo sexto: אונים Numerorum vigesimo tertio, Oseae sexto: At אליל significat *vanum*, *falsum*: און *mendacium*: Hieronymus etiam in 7. Oseae notat vocari שקר *mendacium.* Vides semper idolum aliquid falsi significare: Deinique Habacuc secundo. *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam?* Vbi clarissimè definitur idolum *Imago falsa.* Cui simile est, quod ait Plato in Theaeteto: [illegible]: *mendacium & idola plura facimus quàm veritatem.*

XVIII. Respondeo primò, שקר און אליל nō esse nomina propriè idolū significantia: sed epitheta idolis imposita: itaque non pertinere ad significationē vocabuli idoli: sed ad naturam eorum quae idola erant, id est, etiam imaginum, siue פסל & תמונה. Secundò, ea ipsa epitheta, imposita esse non ex eo quòd ab idolo significetur, sed ex malo idolorum vsu. Nam omnis imago quatenus religiosè colitur, docet falsum; nempe falsam religionem. Tertiò, locus ex Habacuc distortus est ab Interprete. Veritas Hebraica, *Quid prodest sculptile: nam sculpsit ipsum formator eius, conflatile, & doctorem mendacij.* Vbi nun definitur idolum, imago falsa: sed asseritur docere falsum. Quanquam non idolum Propheta dixit, aut אליל, aut און aut שקר, sed פסל *sculptile*, generalius certè nomē, quàm vt contineat solas imagines falsum quid significātes.

XIX. Quod ad Platonem attinet facile negotiū: Nam is omnem imitationem, falsitatis arguit, 10. Politicorum, [illegible], *Imitatio procul est à veritate.* Ad imitationem verò referuntur imagines. Aristoteles Topicorum sexti secundo [illegible], *Imago est id quod fit per imitationem.* Non est igitur apud Platonem ea distinctio idoli & imaginis. Praeterea idolū falsum dicitur: non autem falsum significans: imò etsi verum aliquid significet, tamen est falsum. Id enim significat idolum non esse ipsum id quod significat. Etymologicus, in idolo, [illegible]. Sensus est, idolum dici vmbrae, siue somnio simile: cum autem eius id idolum erat, esse illius [illegible], & veritatem. Et sanè [illegible] dicebantur [illegible]. Etymologic in Icouio, [illegible].

At [illegible] quis nescit translatum ad mendacium, itidem vt fingere?

XX. Tertiò Bellarminus: Paulus prioris ad Corinthios 8. *Scimus quia idolum nihil est in mundo.* Nempe quia licet sit aliquid secundum materiam, tamen nihil est formaliter, cùm id repraesentet quod nihil est, & proindè nec verè repraesentet, & cōsequenter nec sit. Cui loco alium similem adducit Hieronymus in caput 7. Oseae: ex 14. Esther secundùm Septuaginta *Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt, id est, idolis.*

XXI. At, inquā, Chrysostomus Pauli locū exponens, [illegible]. *Quid hoc est? Nihil idolum in mundo quia nullus Deus alius praeter vnum? Non sunt igitur idola? non sunt statuae? Sunt quidem: sed nullam vim habent: neque dij sunt: sed lapides, & daemones.* Theodoretus, *Scio idola esse inanima & nullo sensu praedita.* Ambrosius, *Scimus, quia simulacrum nihil est: & quia nemo Deus nisi vnus. Verum est apud Christianos enim vnus est Deus. Licet sint qui dicantur dij & domini, siue in terra. A paganis enim & sol, & luna & caetera sidera dij coelestes dicuntur: in terra Apollinem, Aesculapium, Herculem, Mineruam deos dicunt, & dominos.*

XXII. In his obserua: primo à Chrysostomo [illegible] & [illegible] pro eodem sumi. At certè [illegible] nemo disputat nihil repraesentare. Est enim generale vocabulum omnibus dolatis imaginibus. Si ergo haec non propterea sunt nihil, quia nihil significent, quod subsistat: Ergo neque idola. Secundò ex Ambrosio, idola illa quae nihil sunt, sunt in coelo Sol, Luna, Sidera. At haec non ideo nihil sunt, quòd nihil significent. At si idola illa apud Paulum nihil significent: & Sol, Luna, Sydera non significēt nihil: Ergo contra Ambrosium, Sol, Luna, Sydera, non sunt idola, de quibus Paulus loquebatur. Aut si Sol, Luna, Sydera nō nihil significent: & sint tamen idola, de quibus Paulus loquitur, Ergo idola, de quibus Paulus loquitur, nō significant nihil: hoc est, nō ideo nihil sunt, quòd nihil significēt. Quid ergo? nēpe rectè Chrysostomus, *Nullam vim habent. neq. dij sunt.* Id autem non est, nihil significare. itaque Augustinus contra Faustum lib. 2. cap. 5. de Paganis, *Illi ea colunt quae sunt, sed pro dijs colenda non sunt: Sunt enim & idola: sed ad salutem nihil sunt. Et qui colit arborē, non quidem arando, sed adorando, non id colit, quod nusquam est, sed quod ei a colendum non est. Ipsa etiā daemonia, vnde dicit Apostolus, quae immolant Gentes daemoniis immolāt, & non Deo. vtique sunt, quibus illos immolare dicit, & quorum socios nos esse non vult. Iam verò caelum, & terra, & mare, & aer, & Sol, & Luna, & caetera sydera, omnia haec manifesta oculis apparent, atque ipsis sensibus praesto sunt. Quae cùm Pagani tanquam deos colunt, vel tanquā partes vnius magni Dei, ea colunt quae sunt. Cum quibus quando agimus, vt ea non colant, non eis dicimus quòd nulla sint, sed quòd colenda non sint.* Haec verò non egent interpretatione. Colebant Ethnici Solem, sub Apollinis idolo, Ergo idolum Apollinis significabat Solem: similiter Dianae, Lunam. At Augustinus negat Christianos Paganis exprobrasse, Solem nō esse, Lunam nō esse: atque eo argumēto vsos, vt dissuaderēt ab eiusmodi cultu. Quid igitur nostris Papistis alter nūc videtur? Nam certè si Apollo nihil significat, & significat solēm: ū solem oportet esse nihil. Sufficiat Catholicis; Idola nihil esse, vel quia nihil sunt ad salutem: vel quia non sunt Dij: vel quia nihil possunt. Illud autem quia nihil significent; sibi pro idolo habeant scitè: habeant quidquid est Papistarum: Sic enim Catholicis, & Petri imago, & Pauli, & Virginis, & Michae-

lis, nihil erit in mūdo: ac ꝓpterea idolū, si adoretur.

XXIII. Quartò Bellarminus. Beatus Hieronymus, in cap. 2. Habacuc, & in 13. Zachariæ, confert hæreses cum idolis: quia vt idolum est falsa imago; ita hæresis est falsa imaginatio.

XXIV. Respondeo hæc esse Hieronymi verba, ad Abacuc, *Legimus in Deuteronomio: Maledictus omnis qui fecerit sculptile, & conflatile, opus manuū artificis, & posuerit illud in abscondito. Sculptile atq; conflatile reor dogmata esse peruersa, quæ ab his, à quibus ficta sunt, adorantur.* Ad Zachariam, *Sicut idola sunt manu artificis, ita hæreticorū peruersa doctrina, quodcunq; simulauerit vertit in idolū, & facit pro Christo adorari Antichristū.* Hic mihi nota. Primùm hæreses non tantū appellari idola: sed etiā sculptile, & conflatile: & quidem eodem sensu. At non propterea Bellarminus concludet sculptile & conflatile, nihil significare. Quî magis idolum necesse erit? Secundò, cōparari hæreses idola quatenus quémadmodum idolum adoratur ab eo à quo factum est: sic hæresis ab eo à quo ficta est. At nusquā Hieronymus dixit, quia idolum nihil significet ad nostram mentem, qui idolum definimus imaginē adoratam. Itaque Bellarminus abit ab Hieronymi mente.

XXV. Quintò Bellarminus arguit ex ipsa vocis proprietate: quia idolū propria & primaria significatione designet imaginem inanē. Probat primò, quia Tertullianus dixit esse diminutiuum. Significare igitur formam paruam, non quantitate, sed perfectione. Secundò, autore Eustathio in vndecimum Odysseæ, idolum esse propriè imaginem inanem, vt in vmbra hominis, vt phantasmata, quibus nihil respondet in re: vt spectra & vmbræ mortuorum, quæ videntur esse solidæ, re vera sunt inanes.

XXVI. Sed Bellarminus supponit falsum. Nam vocabulorum proprietas vel est à deriuatione, vel ab vsu. At à neutro hæc, quam ille supponit. Non à deriuatione: quia deducitur, vel ἀπὸ τοῦ εἴδους, vt vult Tertullianus, vel ἀπὸ τοῦ εἴδω τοῦ ὁμοιῶ, vt vult Etymologicus. At neutra originatio designat imaginem inanem: sed simpliciter imaginem quamlibet: vt etiā Tertullianus disertè: *omnis forma vel formula idolum dici exposcit.* Non etiam ab vsu. Nam ego multos antè citaui, qui pro imagine vsurparunt idolum. Ij si non sufficiant, addi possunt innumeri: Herodotus Clio. *Alia donaria promiscua multa misit Crœsus, fusiliaque argentea orbiculari forma,* καὶ δὴ καὶ γυναικὸς εἴδωλον χρύσεον τρίπηχυ τὸ Δελφοὶ τῆς ἀρτοκόπου τῆς Κροίσου εἰκόνα λέγουσι εἶναι: *item mulieris idolum aureum tricubitale, quod Delphi esse dicunt imaginem pistricis Crœsi.* Idem Erato, funus describens Regum Lacedæmoniorum: ὃς δ᾽ ἂν ἐν πολέμῳ τῶν βασιλέων ἀποθάνῃ, τούτῳ δὲ εἴδωλον σκευάσαντες, ἐν κλίνῃ εὖ ἐστρωμένῃ ἐκφέρουσι, *Qui in bello rex obierit, ei idolum extruunt, inque cubili pulcrè strato efferunt.* Arianus Epicteti libro primo, capite vndetrigesimo, εἴ τις ἐν εἰδώλῳ σεσημασμένῳ. Schegkius reddit, *Si quis sua propria specie repræsentatum adduxerit.*

XXVII. Ad primam Bellarmini probationem, primò respondeo Tertullianum falli: vt antea dictum. nec sanè vnquam quenquam autorem repertum vsum idolo vt diminutiuo. Deinde negatur consequentia: nam ipse Tertullianus, etsi diminutione factum dicat, tamen asserit idem, significare non tantùm formulam, sed etiam quamuis formam. Tertiò formam paruam perfectione, primùm hæc audiunt tempora, primi dixerunt Iesuitæ. Imò diminutiua omnia significant, quæ primitiua, sed tantùm minore quantitate. Quartò, perfectionem imaginis, quis vnquam quæsiuit in re significata? & non potius in ipsa imagine?

XXVIII. Ad secundam imponit Eustathio Bellarminus: nec enim ille τοῦ εἰδώλου propriam significationem indicat hanc esse: sed tātum diuinasse Ethnicos, ex idolis in aere apparētibus. Dixerat Homerus animas circa Vlyssem congregatas: αἱ δ᾽ ἀγέροντο ψυχαὶ ὑπὲξ ἐρέβευς νεκύων κατατεθνειώτων: ille adnotat. ἴσως ἦν φάντασμα καὶ τὰ τοιαῦτα τῷ Ὀδυσσεῖ. *Sciēdum hæc Vlyssis fuisse phantasmata,* ἐπεὶ καὶ γένος ἦν μαντικῆς Ἑλληνικῆς, τὸ ἀέρα εἴδωλα τῶν τεθνεώτων σκιώδη καὶ ἀμυδρὰ ἀναμορφοῦντα, καὶ ὡς ἀεὶ ἐν σκιαγραφίᾳ εἰκονικῇ τυποῦντα, φαντάζειν τοὺς βλέποντας, *Quandoquidem genus erat diuinationis Græcæ, quum aer exprimens idola mortuorum instar vmbræ, & inanida, fieq; figurans, vt solet, quum imaginum prima lineamenta ducuntur, illudit videntibus.* Hic verò primùm obserua Eustathium nullam exponere idoli significationem, nedum propriam, vt videri Bellarminus voluit. Secundò non simpliciter idola nominare, sed additis Epithetis, σκιώδη καὶ ἀμυδρά: quasi diceret non omnia idola esse eiusmodi.

XXIX. Dauißis addit testimonium Theodoreti, quæstione in Exodum 38. *Idolum nihil repræsentat, quod subsistat: similitudo verò est alicuius imago & effigies. Quum ergo Græci quidam formas minimè subsistentes effingunt, veluti Sphingas, Tritonas, & Centauros, Ægyptij verò Κυνοπροσώπους, Bucephalos: tales rerum non subsistentium fictiones, idola vocat. Similitudines autem, rerum subsistentium imagines, veluti Solis, Lunæ, stellarum, hominum, belluarum, reptilium, & his similium.*

XXX. Sed Theodoret⁹ (si ea Theodoreti mēs est) ab omnibus Græcis autoribus in eius vocis significatione discedit: non tantùm ab iis qui promiscuè vtuntur imagine & idolo: sed etiā ab iis qui idolo cōtractius, pro imagine vana. Nam hi idolū asserūt esse earum rerum, quas Theodoretus subsistentes appellat. Certè Eustathius illo ipso loco paulo antè citato, idola in aere, dicit esse senum, vulneratorū, & similiū, ὥστε ἐκεῖνα βλέπεσθαι, ὁ καὶ ζῶντων ἐφαίνοντο, *adeo vt eadem videantur, quæ eorundem viuentium apparebant.* Porphyrius apud Stobæum Eclogarum Physicarū lib. 1. de statu animarum post exitū, ἐοικυίας τὰς ψυχὰς τοῖς εἰδώλοις τοῖς ἐν τοῖς κατόπτροις φαινομένοις ἐμφαίνει, καὶ τοῖς διὰ τῶν ὑδάτων συνισταμένοις ... ἐν ἀέρι ... ἀντίτυπον δ᾽ οὐδαμῶς ... εἴδωλον, *Ponit animas imaginibus speculorum vel aquarū similes, quæ vt planè nos exprimunt, ac motus imitantur, ita solidam naturam ad contractum non habent.* Audin', exprimere nos? quomodo ergo sint rerum, quæ non subsistant? Audin' ipsa idola, ... ὑπόστασιν ... ? Est verò Græcè Theodoretus εἴδωλον οὐδεμίαν ὑπόστασιν ἔχει. *Idolum, nullam habet existentiam.* Interpres vertit, *nihil repræsentat quod subsistat*: delusus, opinor, ex sequentibus. Atqui in sequentibus Theodoretus, non exponit quid idoli, & imaginis vocabulis significetur, sed tantùm in secundo legis mandato, quænam differētia sit idoli, & imaginis. Nā vtrumq; Septuaginta expresserant. Itaq; *idola vocat*, inquit, non Græci, paulo antè nominati, debuerat enim dicere, *vocant*, sed nimirum legislator. Itaq; hæc non significatio est vocabuli: sed peculiaris eius loci vsus.

XXXI. Supersunt de Simulacro argumenta Bellarmini: vt eo probet significari idolū, id est vanā imaginē: atq; adeo nō à similitudine deriuari, sed à simulando. Primū, quia in Scripturis simulacra vbiq; ponuntur pro idolis. Nā semper vbi Latinus interpres posuit *simulacbra*, in Græco est εἴδωλα. Actorum 15. Psalmo 114. prioris Ioannis vltimo, & alibi semper. Secundò Beatus Augustinus in Psalmum 135. dicit

Lau-

Latinos ea simulacra vocare, quæ à Græcis dicũtur Idola. Et Hieronymus Oseæ 7. sic opponi simulacrũ Deo, quomodo mendacium veritati: quia simulacrum, deum falsum refert. Tertiò, Lucretius libro 4. & Virgilius quarto Georgicorum, & sexto Æneidos, mortuorum vmbras passim simulacra appellat, vt Homerus, & Lucianus Idola.

XXXII. Respondeo, primò illud de originatione esse futile. Nihil enim interesse, verùm à similitudine, an à simulando, Simulacrum dictum sit. Quia vtriusque significatio eadem. Cicero Epist. 7. libr. 9. ad Atticum, *Hic ego vellem habere Homeri illam Mineruã simulatam Mentori*. Homeri locus Odysseæ secundò, ... *Μέντορι εἰδομένη*. Virgilius Æneidos tertio, *Paruam Troiam, simulataque magnis Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum, Agnosco*. Horatius de arte Poët. *Fortasse expressum seu simulare*. Et Epist. 1. lib. 2. *Aera fortis Alexandri vultum simulantia* Quid plura? Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 7. *Oscilla ad humanam effigiem arte simulata*. Et hæc oscilla, postea capite vndecimo, simulacra appellat. Denique simulacrum, qui à similitudine deducunt iidem etiam à simulãdo. Isidorus Originum octaui, capite vndecimo, *Simulacra, vel pro eo quod sunt similia, vel pro eo, quod simulata atque conficta*. Imò Lactantius, qui, teste Bellarmino, dicit libro secundo de Origine erroris cap. 2. simulacrum dici à similitudine: idem capite decimo nono, simulacra disputat carere religione, *Quod quidem, inquit, de nomine ipso sapienti apparere potest. Quicquid enim simulatur, id falsum sit necesse est*. De originatione igitur nominis secuti, negamus tamen simulacro significari tantùm vanam imaginem, & nihil veri significantem.

XXXIII. Ad primam probationem è Scripturis, primò nulla consequentia. Enimuerò, quis nescit in Scriptura, multa vocabula vsurpari præter propriã, natiuamq; significationẽ? Deinde, quid illud, simulacra vbique ponuntur pro idolis? Rem-ne intelligit, an vocabulum? Si rem, verùm nunquam simulacrum occurrat, nisi ad significandũ idolum, id est, id quod aliàs Scriptura solet idoli nomine designare: id verò falsum. Nã 1. Samuel. cap. 19. *Inuentum est simulacrum*, nõ idolũ dei alicuius falsi: quis enim credat aliquod eiusmodi Dauidẽ domi suæ habuisse? sed effigiẽ hominis forma: Hebraicè תרפים, Græcè *κενοτάφια*. Sin autè vocabulum: rursus falsum. Nam Actorum 13. ... Exodi 34. לא להיהם, *τοῖς θεοῖς αὐτῶν*. Leuitici 26. את-חמניכם, *τὰ ξύλινα χειροποίητα ὑμῶν*. Numer. 33. ... Primi Regum 15. את-מפלצתה, *τὰ̀ ...* Paralipomenõ secundi 23. ואת-צלמיו, ... Et 31. המצבות, *τὰς στήλας*. His locis omnibus, Latinus interpres simulacri nomine vsus est, quanquam Græcè idolum nusquam nominetur. Et poterit diligens lector multos alios locos addere, si opus sit.

XXXIV. De Augustino facile negotium. Nam *τὰ εἴδωλα* dici Latinè simulacra, neq; negandum nobis, neque Bellarmino demonstrandũ. Sed quid tũ? an propterea nullũ simulacrũ significat aliquid verũ? Primò, non certa consequentia. Nam idẽ simulacrũ significat etiã *τὰς εἰκόνας*. Et has significare aliquid verũ, Bellarminus consentit. Ergo & simulacra contendam, necesse est. Deinde ipsa idola significant aliquãdo aliquid verũ. Ergo, si quædam simulacra sint idola, aut saltem quædam idola: quædam igitur simulacra significabunt quid subsistens.

XXXV. Hieronymus, simulacrum Deo dicit opponi, sicut mendacium veritati. Ita est sanè: nec tamen conclusionis vis vlla. Non enim, quia deum falsum significent, neque enim ita Hieronymus habet: imò causam nullam reddit. Cur ergo Bellarminus comminiscitur: nec comminiscitur tantùm: sed etiam suum commentũ affingit Hieronymo? Quãquam non negosimulacrum apud Ethnicos deum falsum significasse: sed omne idolum, deum falsum significare, hoc verò nego. Ratio vniuersalis hæc potius: quia idolum omne, omne simulacrum, omnis imago est aliquid falsum, eo ipso quòd idolum est, & simulacrum, & imago: etsi aliàs rem veram significent, & subsistentem: nimirum, quia videntur id, quod non sunt. De mortuorum vmbris Lucretij, & Virgilij, nihil est necesse dicere.

CAP. X.

An omnes imagines prohibeantur secundo mandato.

I. HIs positis, iam de ipsius mandati mente agẽdum. Nam Papistæ contendunt in eo prohiberi idola, id est, non omnes imagines: sed tantùm idola Paganorum, scilicet, falsa, & nihil significãtia, quod sit in rerum natura. At Catholici statuunt omnes omnino imagines, quæ verè, & propriè imagines sunt: atq; ab hominibus factæ, institutæque, disertis verbis contineri. Argumenta habent tria. Primum, à vocabulis Hebræis: secundum ab enumeratione rerum, quarum prohibẽtur imagines: tertium, ab autoritate Veterum. Quãquam ita est perspicuũ, vt Vasquez capite secundo disputationis centesimæ quartæ in tertiam Thomæ, non potuerit non asserere, omnem imaginũ vsum veteri lege fuisse sublatũ.

II. Primum ergo est à vocibus פסל תמונה, quibus Moses vsus est. Nam פסל nomen est, cuius originatio à verbo, quod significat sculpere. Eoque vsus est Deus, cùm præcepit Mosi vt conficeret sibi duas tabulas ad scribendam legem. Exodi vigesimo quarto. Kimhi in radicibus dicit eo nomine significari פסילת האבנים כרוב, *sculpturam lapidum, vt plurimum*, וכן על העצים, *item lignorum*. Ab Interpretibus Bibliorum Græco, & Latino, variè vertitur. Idolum à Septuaginta tribus tantũ locis. In hoc præcepto: & secundo Paralipomenon: & Esaiæ trigesimo. A Latino, tum hîc, tum Deuteronomij duodecimo: & Iudicum tertio, *Γλυπτὸν ὁμοίωμα*, *sculptam similitudinem*. Deuteronomij quarto. At Deuteronomij septimo, & duodecimo *γλυπτὰ τῶν θεῶν*. Aliàs autem *γλυπτὸν*, *Sculptile*, simpliciter. Leuitici vigesimo sexto. Deuteronomij quinto. Iudicum decimo septimo, decimo octauo. Secundi Chronicorum trigesimo tertio, & quarto. Psalmo septuagesimo octauo: & alibi sæpissimè. *Ἄγαλμα*, Esaiæ vigesimo primo, *Εἰκὼν*, Esaiæ quadragesimo.

III. Alterum nomen est תמונה. De quo sic Kimchi, in radicibus, המלה הזאת נופלת על צורת הדבר ועל תבניתו המובן בחושים : ותפול גם כן על צורת השכל שלא יובן באחד מן החושים כי אם בשכל *Hoc nomen significat formam rei, & figuram eius, quæ percipitur sensibus. Significat etiam formam intelligentiæ, quæ non percipitur vllo sensu, sed intelligentia*. Et autor Cõcordantiarum, כל לשון תמונה שענינו תאר וצורא, *Significat & formã effigiẽ*. Itaq; redditur *ὁμοίωμα*. Et Latinè, *Similitudo*, Deut. 5. Et Exod. 20. in hoc ipso mandato, & Psal. 17. Itẽ *μορφὴ*. Iob. 4. *Forma*. Deut. 4. *Figura*. Numer. 12. *Imago*. Iob. 4. Quin etiam quod Exodi distinctè פסל & תמונה. Deuteronomij quinto,

פסל כל תמונה , *Sculptile cuiuslibet similitudinis.* Quamuis distinctè Græcè γλυπτὸν οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα. Latinè, *sculptile neque similitudinem omnium.* Cùm tamen rectiùs Deuteronomij quarto γλυπτὸν ὁμοίωμα, *Sculptam similitudinem.* Præterea Deuteronomij 5. addunt ופסל, שפירושו צורה מה, inquit autor Concordantiarum, *Cuius interpretatio, forma qualibet.* Kimchi in radicibus , ענין הפסילים והאלילים ויתכן להיות עקר הפסל צורה מן הצורות או כלל לכל צורות , *Sensus, sculptilia, idola. Sed aptius, vt sit fundamentum imaginis siue genus omnium imaginum.* Et addit argumentum ex ipso contextu , quia dictum פסל כל תמונה. Dauid de Pomis ea ponit: *Imago, simulacrum , effigies.* Et sanè à Septuaginta redditur εἰκὼν. Ezechielis octaui versu quinto. Et γλυπτὸν posterioris Chronicorum trigesimo tertio, versu decimo quinto: Et χωνευτὸν versu septimo. A Latino *Idolum.* Ezechielis octaui quinto versu. Simulacrum posterioris Chronicorum trigesimi tertij versu decimo quinto. *Conflatile signum*, versu septimo.

IV. Ex his omnibus perspicuum fit argumentum. Omnis פסל, & omnis תמונה, & omnis סמל prohibetur hoc præcepto. At omnis imago, similitudo, simulacrum, idolū, sculptile, fusile, est פסל & תמונה & סמל. Ergo omnis imago, similitudo, simulacrum, idolum, sculptile , fusile prohibetur hoc præcepto. Adde: at Dei , & Sanctorum illæ repræsentationes, quas admittunt Papistę, sunt, si non idola, certè imagines, similitudines, simulacra, sculptilia, fusilia: Ergo, & ipsæ prohibentur hoc præcepto.

V. Secundum argumentum: Prohibentur omnes similitudines rerum quæ in cœlo , & in terris, & in vndis. Ergo & Dei, & Sanctorum. Nam Deus, & in cœlis est, & in terris, & in vndis: Sancti autem in corpore, terras incolunt: exuti autem cœlum. Et notandus præcepti stylus. Nam prohibentur imagines, nō quæ in cœlis ipsæ, aut in terris, aut in aquis : sed rerum quæ sunt in cœlis, in terris , in aquis: vbi manifestè ostenduntur imagines censendæ ea rebus, quas significant. Hæ autem res si sunt in cœlis, in terris, in aquis, sine dubio sunt. Nam si non sunt: Ergo nullibi sunt, ac proinde, neque in cœlis, neque in terris, neque in aquis. Itaque hoc præcepto prohibentur, non idola , quæ nihil significant: sed imagines, quæ significant aliquid in rerum natura.

VI. Tertium argumentum ab autoritate Veterū. Et quia Iudæis primò lex fuit data, videamus apud eos quomodo intellecta fuerint legis verba : quomodo item obseruata. Philo lib. de Decalogo, dicit secundum mandatum esse, περὶ ξοάνων, καὶ ἀγαλμάτων, καὶ συνόλως ἀφιδρυμάτων χειροκμήτων. Iosephus Antiquitatum lib 3. cap. 4. ὁ δὲ δεύτερος κελεύει, μηδενὸς εἰκόνα ζώου ποιησαμένους προσκυνεῖν. Nihil potest dici generalius, ξόανα, ἀγάλματα, ἀφιδρύματα, εἰκόνες. Neuter τὰ εἴδωλα.

VII. Atque adeò testantur illos Christiani abhorruisse ab omni genere imaginum. Tertullianus cōtra Marcionem libr. 4. cap. 22. *Facile est*, inquit, *amentiam Petri probare. Quomodo enim Moysen, & Heliam cognouisset nisi in spiritu? Nec enim imagines eorum , vel statuas populus habuisset lege prohibente.* Perspicuè. Non poterant Iudæi habere imagines Mosis & Heliæ propter legis prohibitionem. At illæ non erant falsorū deorum. Et Apologetici cap. 16. negat vllum reperiri potuisse simulacrum in templo Hierosolymitano, *Et vtique*, inquit, *si id colebatur, quod aliqua effigie repræsentabatur, nusquā magis quàm in sacrario suo exhiberetur.* Chrysostomus tertio contra Iudæos, ἅπαν εἴδωλον, καὶ πᾶν ἐκτύπωμα ἀνθρώπου παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις βδέλυγμα ἐκαλεῖτο, *Omne simulacrum , & hominum effigies apud Iudæos appellabatur abominatio.* Origenes contra Celsū quarto, παρ' οἷς οὐδὲν ἄλλο θεὸς νενόμισται, ἢ ὁ ἐπὶ πᾶσι... οὔτε γὰρ ζωγράφος, οὔτε ἀγαλματοποιὸς ἐν τῇ πολιτείᾳ αὐτῶν ἦν, ἐκβάλλοντος καὶ τούτους πάντας ἀπ' αὐτῆς τοῦ νόμου, ἵνα μηδεμία πρόφασις ᾖ τῆς ἀγαλμάτων κατασκευῆς τοὺς ἀνοήτους τῶν ἀνθρώπων ἐπισπωμένης, καὶ περισπώσης ἀπὸ τοῦ θεοῦ εἰς γῆν τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς. *Apud quos nullus alius numen erat receptum, quàm Deus huius rerū vniuersitatis præses, procul ablegatis omnibus simulacrorum opificibus. Nam in ciuitatem eorū nullus pictor admittebatur, nullus statuarius: legibus totum hoc genus arcentibus: ne qua occasio præberetur hominibus crassis , néve animi eorum à Dei cultu auocarentur ad res terrenas per huiusmodi illecebras.*

VIII. Baronius anno Christi 31. paragraph. 4. cōtra Ambrosium, disputat mulierem illam sanatam à profluuio sanguinis nō esse Martham. Argumentū ei hoc est: Eam mulierem æneis simulacris, tā Iesu, quā sui effigiem referētibus, rei gestæ memoriā commēdatam voluisse, *Cū non liceret vllo pacto* (inquit) *Iudæis simulacrū cuiusuis, quauis occasione formare.* Ergo si verū Baronius est eloquutus, ne Marthæ quidē Iudææ licebat per legē imaginem facere. Cuius? Iouisne? an Mercurij? Imò nec Christi. Et quidem nulla occasione, hoc est, exempli gratia, nec quidem propter suscitatum fratrem.

IX. Hic responsantes audio: ita quidem factū: sed factum propter Iudæos tantū ad idololatriam propensissimos. Itaq; non debere trahi in argumentum apud Christianos. Sed isti primū docere debent, aut antiquatū aut saltē immutatū præceptum fuisse aduentu Christi. Quod illi certè nunquam facient. Ego contrà doceo exemplo Marthæ ea disputatione Baronij. Illa enim etsi Gente Iudæa: tamen erat religione Christiana. Christianos ergo necesse est, tum tēporis putasse sibi imaginum vsum prohibitum ex vi huius præcepti. Nam si aliter, quomodo hoc arcanū Martha ignorasset? Secūdò, debēt ostēdere, & propēsiores Iudæos fuisse ad idololatriā quàm reliquos populos, quā Christianos: & si id concedatur, fuisse id præceptū ob eam causam sancitū: nam vtrunque constare oportet. Hoc quidē, quia quantumuis propensi fuerint ad vitia quæpiam, tamen potuerunt eis præcepta dari ex iure naturæ. Vt exempli gratia, etsi quosdam populos videamus in ebrietatem propēsissimos, alios in venerem, tamen & ebrietatem, & venerē, quæ leges prohibent, ideò prohibent, quia iure naturali prohibentur. Cur non simile in Iudæis? Vt si concedam eos propensiores reliquis fuisse ad imagines adorandas , fuerint tamen illis imagines prohibitæ, non , quia propensi erant, sed quia id ipsum erat nefas?

X. Quanquam propensiores fuisse reliquis populis, sumitur, non docetur. Fateor notari aliquoties in Scriptura huius sceleris : sed nego vllo loco posse ostendi hanc quam nostri εἰδωλομανίας ostendūt maiorem propensionem. Imò contrà, ea iis, quæ sæpè passi sunt, contrarium doceri potest. Nam legis suæ fuisse retinentissimos, quis nescit? Sed qui Christiani, cur propēsi minus? Nemo enim causas expediat. Atq; adeò Viues negabat se videre , quod esset discrimen inter multos Christianos imagines colentes, & Ethnicos olim. Agrippa de Vanitate scientiarum, *Nec dici potest quanta superstitio, ne dicam idololatria, per rudem, & indoctam plebem alatur in imaginibus, conniuentibus ad ista Sacerdotibus.* Bodinus Methodi capite quinto, D. Antonium à plerisque in Italia, & Gallia Narbonensi ardentiore voto , certè maiore metu coli quàm Deum immortalem.

XI. Sed videamus ergo , quæ veterum Christianorum

norum mens fuerit in explicādo hoc præcepto. Distinguo ordines duos. Primò enim plerique omnes nihil distinguebant, siue imagines, siue idola, siue simulacra, Theophylus libro secundo ad Autolycū, [illegible Greek] *Lex diuina prohibet adorare, non tantum idola, verum etiam elementa, Solem, Lunam, & reliqua astra. Imò ne cœlos quidem, aut terram, aut mare, aut fontes, aut fluuios colere oportet: quin potius soli vero Deo, omnium factori seruiendum sanctitate cordis, & puro animo.* Iustinus Dialogo cū Tryphone, [illegible Greek] *Nonne Deus erat, qui per Mosen vetuit fieri in vniuersum imaginem, aut similitudinem eorum quæ sunt in cœlo sursum, aut in terra?* Clemēs Alexādrinus Stromateon 5. [illegible Greek] *Pythagoras præcipiebat non gestādos annulos, neque in iis sculpēdas deorū imagines: sicut olim Moses disertè lege sanxerat; nullā sculptam aut conflatam, aut fictam, aut pictam statuam, siue imaginem faciendam: ne sensibilibus attendamus, sed ad intelligibilia transeamus.* Et Protreptico, [illegible Greek] Sic legendum est, [illegible Greek] non [illegible Greek], nō [illegible Greek]: vt legit ipse Heruetus, reddens, *Nobis est apertè vetitum artem fallacem exercere. Non facies enim, inquit Propheta, cuiusuis rei similitudinem.* Qui tamen debuit *cuiusquam rei* dicere potius. Nazianzenus in Carminib⁹, [illegible Greek] *Non eriges statuam vanam, neque inanimatam imaginem.* Quinetiam recentissimus, atque adeò Papista, Durandus libro primo Rationalis, capite de Picturis; hoc præcepto, atque aliis locis Scriptura reprobari dicit nimium imaginum vsum.

XII. Alij distinguūt idolum à similitudine: sed æquè vtrumque prohiberi docent. Primus Origenes in Exodum homilia, *Si quis in quolibet metallo auri, vel argenti, vel ligni, vel lapidis faciat speciem quadrupedis alicuius, vel serpentis, vel auis, & statuat illam adorandam, nō idolum, sed similitudinem fecit. Vel etiam si picturam ad hoc ipsum statuat, nihilominus similitudinem fecisse dicendus est. Idolum verò facit ille, qui secundùm Apostolum dicentem, quia idolum nihil est, facit quod nō est. Quid est autē quod nō est? Species, quam non vidit oculus, sed ipse sibi animus fingit. Verbi gratia, vt si quis humanis membris caput canis, aut arietis formet, vel rursum in vno hominis habitu duas facies fingat: aut humano pectori postremas partes equi, aut piscis adiungat: hæc & his similia qui facit, non similitudinem, sed idolum facit.* Hanc distinctionem cùm paulò pluribus prosequutus est, tandem, *Quia nunc Dei sermo vniuersa complectens simul abiurat, & abiicit, & nō solum idolum fieri vetat, sed & similitudinem omnium, quæ in terra sunt, & in aquis, & in cœlo.* Sic Origenes. Origenis vestigiis Theodoretus insistit, quæstione in Exodum trigesima octaua, *Idolum nihil repræsentat, quod subsistat: similitudo verò, est alicuius imago, & effigies.* Et postquam illustrauit exemplis, *Quæ omnia vetat adorare, & colere.*

XIII. Itaque, aut nihil vnquam probari potest, aut hoc probatum est, secundo legis mādato, vocabula, פסל תמונה, פסל, cōprehēdere, quicquid humano pingitur artificio, aut fingitur, aut cælatur, aut conflatur, aut denique fit ad effigiem aliquam exprimendam: vno verbo omne idolum, omne simulacrum, omnem imaginem: neque interesse verum aliquid significet reipsa existens in rerum natura: an nihil: verum Deum verum, an deum falsum: an hominem, an Angelum: denique quicquid, aut in cœlo est, aut in terra, aut in vlla mundi parte.

XIV. Quid Papistæ contrà? Sophisticantur suo more. Negāt hoc præcepto prohibitas omnes imagines, aut idolorum nomine censeri. Dant que instātias. Primò à Cherubinis in arca, in templo: à bobus in mari æneo, à Serpente æneo. Secundò ex variis locis vbi imaginis nomen est in bonam partem. Geneseos primo, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quinto, *Adam genuit ad imaginem, & similitudinem suam.* Iob quarto, *Imago coram oculis meis.* Ad Romanos octauo, *Quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imagini Filij sui.* Prioris ad Corinthios vndecimo, *Vir imago & gloria Dei est.* Decimo quinto, *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Posterioris tertio, *In eādem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Ad Colossenses tertio, *Qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Ad Hebræos decimo, *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Atque hos omnes locos Gaunerus colligebat disputans mecum, vt probaret non semper in Scriptura imaginem sumi pro idolo.

XIV. Sed de Cherubinis, bobus, & serpente iam dictum. Cherubinos, & boues, ornatus gratia factos. Et Tertullianus olim dixit: & inter Papistas non ita pridem Polygranus in Assertionibus, *Licita fuerunt*, inquit, *imagines quæ fiebant ornatus gratia; sicut duo Cherubim, quos iubente Deo Domino fecit Moses super tabernaculum. Item Salomon duodecim boum imagines fudit sub mari æneo.* Quia igitur ad adorationem, siue cultum religiosum nō pertinent, aliena sunt ab hac controuersia. Nec improbem Patrum mētem in Synodo Francofurtensi, qui, vt est in præfatione libri Caroli Magni, ita distinguunt imaginem ab idolo; vt imago sit ad ornamentum, vel ad res gestas monstrandas: idolum verò ad cultum. Ac sanè, non sunt præcepti partes diuellendæ, quas Deus coniunxit. Itaque hæc Catholicorum sententia est, posse quidem nonnullum obseruari discrimen inter idolum, & imaginem, vt antè dictum, ac posse imaginum vsum permitti nonnunquam: sed cultus religiosi gratia, tum æquè imaginem prohiberi ac idolum. De serpente paulò quidem alia fuit ratio, sed is vt neque ad ornatum, sic neque ad cultum fuit propositus: tantùm in remedium, & typum, qua de re nullus nobis sermo est.

XVI. In reliquis locis quāta est vitilitigatio? Imaginis vocabulum vsurpatur sæpè in bonam partem: Ergo hoc præcepto non æquè prohibentur Imagines, ac idola. Has verò partes, quæ ratio conferruminauit? quæ necessitas coniunxit? Imò iis plerisque locis imago, abducta est à suo proprio vsu, ad alienum, etsi vicinum, nempe metaphoricum. Solus est ex Iobo locus accedens ad proprietatem. Sed tamē imaginem, nominans pro idolo: nempe pro similitudine in somniis apparente: quam ostendimus idolum appellari, ea significatione, qua idolum ipsum nullam habet consistentiam. Describitur enim eo loci somnium. *In horrore*, inquit, *visionis nocturnæ, quādo irruit altus sopor in homines.* Atque adeò, *Cùm spiritus me præsente transiret.* Itāne? si in somniis apparent imagines: Ergo imagines non prohibentur secundo præcepto? Monstrum argutiæ.

XVII. In reliquis. Homo ad imaginem Dei. Ita sanè ad imaginem. Sed quid hæc imago ad eas imagines, quæ in coloribus, quæ in lineamentis totæ sunt? Quid hæc imago ad eas imagines, quæ adorantur? Nimirū illa imago, est tantùm pro similitudine quadam, qua homo accedit ad Deū, factus rationis particeps: quæ cùm in Deo summa sit, in homine est, [illegible], inquit Athanasius de Incarnatione Verbi Dei. Similitudo item illa imago Christi, cui fideles debent fieri conformes: quam tamen nemo adorat, nisi fortè omnes quispiam fideles adoret. Similitudo item imago illa sui ad quam Adamus Sethū genuit: quam rursus nemo adorandam dicit. Denique imago bonorum nō est in lege: sed tantùm vmbra. Certè imaginem [illegible], dici non negabit, nisi qui vmbram propriè sumi contendet. Quæso vos, viri docti, nónne ineptum est, cùm de imaginibus quæritur [illegible], instantiam dare de imaginibus [illegible]?

XVIII. Sed iidem citant confidentiùs caput primum ad Colossēses, vbi dicitur Filius imago Patris: quem tamen nemo dicat idolum absq; blasphemia. Ergo longè differre imaginem ab idolo. Et quidem non prohiberi adorationem omnium imaginum: quandoquidem Christus, Imago Patris, adoretur.

XIX. Respondeo, primò n. hanc quidē imaginē esse propriè dictam imaginem: sed tantū μεταφορικῶς, siue [illegible], quatenus infinita illa Trinitatis mysteria nobis nostris vocibus intimari possūt. Qua de re prolixius actum lib. 1. huius tomi secundi: itaq; instantiam non esse ad rem. Secundò, repeto locū ex Augustini Epistola 119. *In primo præcepto prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo: non quia non habet imaginem Deus: sed quia nulla imago eius coli debet, nisi illa quæ hoc est, quod ipse: nec ipsa pro illo: sed cum illo.* Quæ verba idem sonant, ac si esset dictum: Etsi verum sit Filium in diuinis esse imaginem Patris: & Filium coli: tamen illud etiam verum, hac vna excepta, nullas imagines colendas. Iam verò Papistæ nolunt, omnes imagines Dei, præter Filium, esse idola: Ergo certum est, non sola idola prohiberi hoc mandato, sed etiam imagines: quæ nostra est controuersia.

CAP. XI.

De differentia Idololatriæ specifica.

I. ATque hactenus de Imagine, & Idolo, primò Papistarum [illegible], in hac materia. Alterum est de ipso Cultu: nimirum, quia consentimus, hæc, siue idola, siue simulacra, siue etiam imagines, non prohiberi absolutè, sed cum hac conditione, si adorentur, ex his verbis, *non adorabis ea, neque serues eis*: nempe videndū, quid hæc verba significent. Nam primò non possunt Papistæ confugere ad distinctionem λατρείας, καὶ δουλείας. Nam תעבדם, propriè significat δουλείαν sua originatione. Et תשתחוה est *inclinare se, prosternere se*, quod propriè refertur ad externos corporis gestus. Quid ergo? Bellarminus ait reprehendi idololatriam, id est, cultum imaginum. Sic enim ille disertè discedens à distinctione idoli, & imaginis, ac proinde concedēs hoc præcepto etiam imagines cōtineri. Sed cultum imaginum, non simpliciter, verùm earum quæ habentur pro diis, vel per quas coluntur tanquam dij, ij qui verè non sunt.

II. Atque id plerisque omnibus in ore est. In quo duo videntur distincta, imò disparata membra, vt sensus sit dupliciter committi idololatriam. Nempe, primò, cùm ipsæ illæ imagines quæ adorantur, putantur esse dij, & eam ob causam adorātur: vt fortè olim factum, vt stupidissimè quidam Ethnici ipsū illum lapidē sic fictum Iouem appellarent: imò non tantùm appellarent, sed esse ipsissimum crederent. Deinde secundò, cùm imagines illæ adorantur tanquam imagines, atque adeò, quia significent aliud aliquid, quod tamen non sit Deus: ac proinde adorari non debeat: vt si quis statuam Diabolo erigat, atque eam adoret, ita vt non ipsam, sed Diabolum adoret, qui nullo modo est adorandus.

III. At Gregorius de Valentia nondum satis distinctum putauit. Itaq; idololatriam definiuit, cùm honor diuinus defertur creaturæ tanquā Deo. qua de re disputat cap. 1. lib. 1. & 2. de Idololatria. Et hic geminam conditionem requiri ad idololatriam committendam. Primam, vt honor ille sit diuinus, hoc est, talis, vt Deo soli competat. Alteram, vt ei cui exhibetur, is honor tribuatur tanquam Deo, hoc est ad excitandam opinionem de eo, quòd sit Deus. Hac autem conditione, vel vtraque, vel alterutra deficiente, negat committi idololatriam: nimirum vt quis possit honorem deferre creaturæ, qui soli Deo proprius est, vt tamen non sit idololatra.

IV. Hæc Papistæ. At Catholici primò ex duobus Bellarmini membris alterum duntaxat esse ad hanc rem necessarium, nempe quo imagines coluntur pro diis. Nam alterum, quo per imagines colantur qui non sunt dij, pertinere potius ad quæstionem tractatam lib. 19. de Adoratione creaturarum. Consentimus autem, si quis honor debeatur imagini, deberi tantùm propter prototypum: itaq; si prototypū nullum honorē mereatur, ne imaginem quidem posse vllum habere. Vnde certa conclusio nascitur contra imagines Sanctorum. Nam quia constitutum, nihil creatum debere coli religiosè: Et sanctos creatos nemo dubitet, omnino sequitur, ne eorum quidem imagines religiosè colendas.

V. Secundò, quandoquidem cōiunxit Bellarminus præceptum primum cum secundo, & soluendo notauit prohiberi idololatriam: videtur debuisse idololatriam plenè distinguere, vt ne imperfectè mandati mentem describens, errandi ansam lectori præberet. Nā præter hæc duo idololatriæ genera, nimirum cùm imagines coluntur pro diis: & cùm per imagines coluntur nō dij: tertiū restat, cùm etiam sine imaginibus coluntur non dij: quod olim cōtigit Numæ, Romanisque ab eo institutis. Nam illi Deos suos colebant, nullo tamen adhibito simulachro. Quanquam si Bellarminus distingueret præcepta, & secundum solum sibi obiici passus esset, facilè & nos huius membri in distinguendo omissionem dissimularemus, magis pertinentis ad mandatum primum.

VI. Tertiò, alterum illud membrum, quo ponuntur coli imagines pro diis, ambiguum cùm sit, nō est absque distinctione admittendum. Potest enim significare coli imagines, hac mente, vt ipsæ censeantur habere in sese eam rationem diuinitatis propter quam adorantur, atque adeò esse idipsum propriè quod appellantur. Vel adorari loco eorum, quibus sunt dicatæ, quasi eos repræsentantes, &, vt loqui solent Papistæ, vno illo motu, qui est in imaginem, & in exemplar. Atq; vtroque hoc sensu Catholici imaginum

gium adorationem improbant: & idololatriam committi asserunt, non tantùm, cùm imago, siue triceps, siue trifrons, quã vicini nostri colunt in vertice summo montis Ventosi: siue quæ exhibet Senem, cum iuuene & columba: cùm, inquam, imago huiusmodi colitur, siue ab iis qui credunt illam ipsam esse Trinitatem, siue ab iis, qui per illam adorant Trinitatem.

VII. Quod attinet ad Gregorium de Valentia, qui distinguit cultum diuinum, & cultum diuinũ delatum, tãquam Deo: negatur hæc esse plena idololatriç definitio, duabus de causis: primò, quia idololatria fit, cùm defertur honos, etiam non diuinus, alicui tanquã Deo. Quia hoc ipsum idololatria est, cùm quid creatum existimatur Deus: vt cùm Babylonij Belem participem faciebant suarum epularũ, qui honos non est diuinus, quia non propriè Deo debitus. Secundò, quia Idololatria fit iterum, quum honor diuinus defertur creaturæ, etiamsi non censeatur esse Deus: quomodo adulterium est, cùm se coniugata mulier cuiuis prostituit, quem tamen non habeat pro marito. Sic sacrificium, quicunque deferat vlli creaturæ, quantumuis creaturam esse nouerit, fit idololatra.

VIII. Bellarminus suam distinctionem nullis probat argumẽtis, quasi is esset de quo dicatur *αὐτὸς ἔφα*. Sed suam definitionem Gregorius videri vult cõfirmare. Primò, autoritate Ambrosij, Commentariis in quintum ad Ephesios, *Idololatria Dei honorificentiã vsurpat, & vendicat Creatura*. Secundò, ex Scripturæ locis triginta duobus (sic enim computat capite secundo libri 3. de Idololatria) quos notauit in margine duntaxat. Psalmo centesimo sexto. Sapientiæ 13. 4. & 5. Hieremiæ 2. Ad Romanos 1. Geneseos 35. Exodi 23. Leuitici 19. Deuteronomij 7. 31. 32. Iosuæ 23. Iudicum 2. Primi Regum septimo. Tertij Regum 18. Secundi Paralipomenon 7. Psalmo 80. & 96. Iudith 8. Esaiæ 44. Hieremiæ vigesimo quinto. Danielis decimo tertio. Ex his, duos tantùm describit. Ex Sapiẽtiæ 14. *Hæc fuit vita humana deceptio, quoniam, aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt*. Ad Rom. 1. *Coluerunt, & seruierunt creaturæ potius, quàm Creatori.*

IX. Respõdeo, in Ambrosio nihil esse quale vult Gregorius. Imò, inquit Gregorius, vtraque pars Idololatriç attingitur: materia, honor diuinus: tũ actio, qua ad creaturam ille honor impiè defertur. Imò, inquam, hoc ipsum nihil ad definitionẽ Gregorianã. Nam hæc duas partes cõplectitur, vnam, qua diuinus cultus defertur creaturæ, alterã, qua defertur creaturç tanquã Deo. Sic enim disertissimè Gregorius disparat semper: & quidem ita, vt si, aut vtraque pars absit, aut saltem altera, idololatriam nullam agnoscat. At in prima parte, qua cultus diuinus defertur creaturæ, continetur, & materia, & actio, quam in Ambrosij verbis obseruat Iesuita. Itaq; superfluum illud, *defertur tanquam Deo*, apud Ambrosium nullum est. Ergo inconsideratè, imò non incõsideratè, sed impudenter tanti viri nomẽ vsurpatur.

X. De Scripturæ locis illis tam multis, quid dicã? Nihil facilius, quàm margines infinitis numeris farcire. Sed ea nulla est demonstratio. Imò id faciunt Papistæ, tum maximè, cùm maximè omnium destituuntur Scripturæ autoritate. Nec recuso, quin ex hac ipsa te iudiciũ fiat. Psal. 106. *Mutauerunt gloriã sui in similitudinem vituli*. Sapientiæ 13. *Appellauerunt deos, opera manuum hominum*. Decimo quinto, *Omnia idola nationum deos æstimauerunt*. Hieremiæ 2. *Dicentes ligno, Pater meus es tu, & ligno, Tu me genuisti*. Hem! hęccine distinguũt cultum diuinum delatum creaturis, à cultu diuino delato creaturis, vt diis? Quo artificio id se apud quenquã cõsecuturũ, Gregorius sperauit? Enimuerò cultũ diuinum delatum creaturis fateor iis locis significari. Fateor significari cultum delatum, vt diis, sed cultum diuinum deferri cuiquam posse, nõ vt Deo, hoc verò ij loci nunquam efficient. Idem dico de reliquis, quos suo f[...]culo Gregorius comprehendit in iis, in quibus cultus veri Dei per antithesin opponitur cultui idolorum, vel deorum alienorum.

XI. Enimuerò in Sapientiæ 14. & ad Rom. 1. quos locos, tanquam delectos, ac proinde cæteris disertiores, descripsit, quid est magni momẽti? Incõmunicabile nomen, nimirum deitatis, audio idolis impositũ. Nimirum, quia Dei nomine idola honorabãtur. Sed ad Gregorij figmentũ quid hoc facit? an enim incommunicabile nomen, distinctio est illa, honoris diuini tributi, & tributi tãquam Deo? Certè tãtæ subtilitatis capaces non fuẽre Lyranus, Holcotus, Rickel hunc locum simpliciter exponentes: vt significentur idola appellata dij. Paulus nihilo magis. Loquitur enim de seruitute, qui est honor diuinus: hanc seruitutem tributã creaturæ culpat: sed monstrosam Gregorij disparationem ignorat.

XII. Imò Veteres hoc ipso loco Arrianos oppugnabãt, qui cũ Christum negarent esse Deum, tamẽ ei deferebãt cultũ diuinũ, *ὁ δὲ ἀπόστολος αἰτιᾶται τοὺς Ἕλληνας ὅτι κτίσματι σέβουσι, λέγων, ὅτι ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα Θεόν· οὗτοι δὲ κτίσμα λέγοντες τὸν κύριον, καὶ ὡς κτίσματι λατρεύοντες αὐτῷ, τί διαφέρουσιν Ἑλλήνων;* Verba Athanasij Oratione breui cõtra Arianos, *Apostolus accusat Græcos quòd creaturas colant, dicẽs, Seruierunt creaturæ potius quã Creatori Deo. Hi verò creaturã dicẽdo esse Dominũ, atq; ei vt creaturæ seruientes, quare differũt à Græcis?* Et in vita Antonij, *Cum Arrianis vobis nulla sit communicatio. Quæ enim societas luci ad tenebras? Vos fideliter credentes Christiani estis: illi, Verbum, id est, Filium, qui ex Deo Patre est, creaturã docentes, nullo interuallo à Gentibus separãtur, qui seruiunt creaturæ potius quàm Creatori*. Quis iam nõ intelligit? Nam certè si nulli sint idololatræ, nisi qui cultũ diuinum creaturæ deferunt, tanquã Deo: Ariani, qui cultũ diuinum Christo deferebant, non tanquã Deo, sed tanquã creaturæ: non essent idololatræ. Rursus, si nemo seruiret creaturæ, potius quã Creatori, nisi qui cultũ eidẽ diuinũ defert tãquam Deo: Ariani non seruiebant creaturæ potius quàm Creatori: qui Christum negabant esse Creatorem. Ac proinde hoc Pauli loco feriri non poterant, contra Veterum mentem.

XIII. Catholici cõtrà. Primò, ex ipso mandati textu. Nã duæ sunt eius partes: primâ prohibentur fieri, siue imagines, siue idola: secũdâ prohibetur ea facta coli. Quarũ partium, hæc secunda manifestè loquitur de cultu, siue ille *λατρεία* dicẽdus sit, siue alio quopiã nomine, nunc enim haud pili interest. Sed *λατρείαν* tamẽ dici Papistç volũt obstinatissimè: atq; adeò exponunt, ne idolis, imò ne creaturis deferatur honor diuin⁹. Esto ergo sanè is sensus secũdæ partis mãdati. At is pertinet ad primã partẽ distinctionis Gregorianæ. Quid ergo? altera pars de eo cultu diuino deferendo tanquã diis, vbi erit? Nõ in priori parte mãdati. Nam facere פסל, facere תמונה, non significat deferre cultũ diuinũ alicui tãquam Deo: sed significat id ipsũ facere materialiter, cui is cultus deferẽdus sit. Ergo hæc disparationis pars nusquam locũ habet in mandato: vbi tamen & prohibetur, & de-

Decalogi sunt tantùm tria? Nam hoc quidem non discerpitur vt ab Augustino, in vnum de vxore, & alterum de reliquis rebus. Itaque corruptum esse locum Clementis, nullus dubito.

XVI. Quinetiã post Augustinũ Hesychius discessit quidẽ ab omnibus; quia præceptũ de Sabbatho expũxit, in caput vigesimũ sextum Leuitici: sed in distinctione præcepti de idolis consentit reliquis. Nam teste Thoma, Prima secundæ, quæstione centesima, articulo quarto, sex assignat præcepta secundæ tabulæ: Ergo primæ quatuor: quæ vt compleantur, primum præceptum ponit, *Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Procopius in Exodum, *Non erunt tibi dij præter me. Hoc primum est præceptum: secundo sermocinante de idolis & imaginibus. Ni enim in hunc modum quis leges distinguat, non poterit in ordinem certum redigere Decalogum.* Primasius in sextum ad Ephesios, *Quod est mandatum primum in promissione. Promissionis primum in secunda tabula: quæ ad humanitatem pertinentia præcepta, sex numero, continebat.* Eucherius quæstione tertia in eandem ad Ephesios, postquam eorum meminisset, qui primæ tabulæ tria tantùm mandata assignantes, illud de patre & matre quarto loco numerabant: *Alij verò, inquit, hoc mandatum non quarto, sed quinto loco, quod & nos probamus, esse confirmant.* Ionas Aurelianensis de cultu Imaginum libro primo, *Illud quoque satis mirari non potest, quum de omni similitudine non facienda, secundum Decalogi præceptum assumpserit.* Adde Rupertum Tuitiensem tertij in Exodum capite vno & trigesimo, *Primũ est, Non habebis deos alienos coram me: vltimum, Non concupisces.* Et capite proximo, *Quorum primum non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile sequens: sed vltimum est, non concupisces. Quatuor ex his dilectioni Dei: sex dilectioni subseruiunt proximi. Non habebis deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem: non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: memento vt diẽ sabbathorum sanctifices. Quatuor ista Dei dilectioni repugnantia prohibendo, locum eidem dilectioni Dei, sermo Dei patrare intendit.* Apud Sedulium in sextum ad Ephesios lego, *Quæritur, quare nunc dixerit, quod est mandatum primum, cum sit quartum, vel quintũ.* Sed falsauit aliquis sine dubio. Nam sequentia contrà sunt, *Alij distinguunt quod est mãdatum primũ in repromissione, quasi quatuor alia mandata, quæ ante hæc dicta sunt, non habeãt promissionem.* Audin' quatuor promissa? *Sed videntur, inquit, non obseruasse subtiliter in secundo mandato repromissionem esse sociatam. Ait enim, non facies tibi idola.* Audis de idolis secundum mandatum?

XVII. Habent ergo Papistæ solum Augustinũ sibi patronum: cui cur non præponderent à nobis laudati? Sunt autem leuissimæ Augustini rationes. Prima ab adumbratione Trinitatis, nihil habet solidi: quis enim Augustinum docuit Deum voluisse in mandatorum numero adumbrare Trinitatem? Aut quis Augustin⁹ est, qui possit de Dei voluntate, quã non reuelauit, quicquam diuinare? Esse autem illud de idolis perfectiorem explicationem deorum alienorum, non est verum: Est enim potius alia species idololatriæ. *Primum præceptum*, inquit Procopius, *versatur in potentiis incorporeis, & inuisibilibus, quas quidã diuinis honoribus prosequuntur, nullis vel idolis vel imaginibus positis.* Nos addimus, etiã oportuisse eos cohiberi, qui Deum verum præsumunt in imaginibus adorare.

XVIII. In tertia ratione imposuerũt Augustino septuaginta interpretes; qui vno eodẽmq; modo reddiderunt in Exodo, & in Deuteronomio: cõtra Hebraicam veritatem. Nam in quinto Deuteronomij Moses dixit, *Non concupisces vxorem proximi tui: neq; desiderabis domum proximi tui, agrum eius, & seruum eius, & ancillam eius.* At 20. Exodi: *Non concupisces domum proximi tui: non concupisces vxorem proximi tui neque seruum eius neque ancillã eius.* Quam diuersitate si exhibuissét Augustino sui interpretes; ille, quo erat iudicio, animaduertisset facilè nihil in hac serie mysterij esse. Quin etiam obseruasset in Deuteronomio, non scribi: Non concupisces vxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui. Sed potius, *Non concupisces vxorem proximi tui*: ולא *neque concupisces domum proximi tui*: copulato hoc membro cum præcedenti; quod in diuersis præceptis reliquis non est factum.

XIX. Supersunt Alani ratiunculæ. Debentur Deo, inquit, fides, reuerentia, obsequium. Ita est, inquam, sed quid tum? Ergo triplex præceptum esse debuit. Laudo subtilitatem, necessitatem nullam video. Ego scio eiusmodi multa excogitari posse; quomodo Augustinus Trinitatem obtendit. Verùm non quæcunque homo excogitare potest, ea Deus ipse cogitauit. Et quid si quartum membrum addam? Puritatem illam, quæ Deum colit in spiritu & veritate. Tum sanè non tantùm soli Deo credendum, hæcdúmque fuerit: sed etiam absque imaginibus, quæ & corporales sunt & falsæ. Itaque hoc erit de imaginibus præceptum distinctum. Quid si etiam fidei geminas partes? Vt & nullus Deus falsus adoretur; & ipse verus adoretur sine imaginibus? Tum rursus quatuor erunt. In secunda ratione negatur consequentia. In tertia rursus nulla vis est. Nam in quinto promissio est, quæ tamen non est ei peculiaris; & est nihilominus præceptum disparatum. In quarta Theologi illi recentissimi sunt, nullâque parte comparandi cum vetustissimis. In quinta nos contrà: tolerari potuisse in Augustino hanc duorum præceptorum confusionem; quum neque imagines inductæ erant in Ecclesiam: neque ipsum præceptum omittebatur. At nunc quum insaniunt homines in imaginibus: & eò prouecti sunt, vt hoc secundum præceptum vel prorsus tollant, vel euertant pro viribus; tum verò obsistendum huic confusioni.

CAP. IX.

De differentia Idoli & Imaginis, & simulacri.

I. CONstituto ordine præcepti, nunc de eius sensu agamus. Et quidem prohiberi idololatriam omnes consentimus. Verùm quænam illa sit idololatria non cõuenit. Catholici propriè omnem omnium Imaginum cultum religiosum: extensiuè autem, omnem creaturæ cuiuslibet adorationem. Sed hoc Papistæ ægrè ferunt. Et primò de vocabuli originatione disputant; deinde de definitione rei. Docent ergo τὴν εἰδωλολατρείαν esse τὴν τῶν εἰδώλων λατρείαν; ac vim faciunt in vocabulis Idoli, Simulacri, Imaginis: inque iis magnam distantiam imaginantur. Bellarminus de Sanctis libro secundo, capite quinto: Richeomus de Imaginibus, capite primo & secundo: Et idololatriæ Hugonoticæ libro primo, capitibus secundo & tertio. Vasques in tertiã Thomæ disputatione centesima prima. Iacobus Dauius loco nono Collationis apud Fontem-bellaqueum.

II. Et Bellarminus quidem Imaginem definit veram

veram similitudinem: Idolum falsam similitudinem, id est, repræsentantem id quod non est. Vasques: Imago est alicuius rei subsistentis seu possibilis similitudo. Idolum verò simulacrum rei minimè subsistentis, nec possibilis. Simulachrum à simulando dictum, non à similitudine: esse itidem vt idolum, falsam imaginem. Et Bellarmini vestigiis hærens Richeomus tractatu de Imaginibus, quum probasse se putat Idolum significare rē nihili, tum, *Quandoquidem*, inquit, *certum est nemine contradicente, Imaginis vocabulum significare similitudinem rei veræ & solidæ. Ergo Idolum & imago tam differunt, quàm veritas & mendacium lux & tenebræ. vt qui vnum vsurpat alterius loco, idem faciat, ac si veritatem mendacij nomine luciémque tenebrarum appellatione donaret.* Postea etiam simulacri nomen tum in Scriptura, tum apud prophanos autores, vsurpari pro ipso Idolo.

III. At Dauius haud paulo aliter. Imaginem esse genus: Idolum verò speciem. Omne enim Idolum esse imaginem: at non contrà omnem Imaginem, Idolum. Nam Idolum ad Imaginem addere falsitatis conditionem. Ideóque Imaginem tanquam genus sumi, cùm in bonam, tum in malā partem: at Idolum, tanquam speciem, cui falsitas sit pro differentia; semper in malam. Grammaticè etiam, εἴδωλον, etsi nonnunquam confundatur cum Imagine; tamen à peritioribus vsurpari pro spectris, phantasmatis, & aliis simulacris falsis, vanis, & non habentibus subsistentiam.

IV. In hanc Dauij sententiam transiit Richeomus in Idololatria Hugonotica. Nam eum qui Idolum tam latè patere dicat, quàm Imaginem, perinde dicere, ac si Auis & Buteonis nomina æquaret, id est, confundere speciem cum genere. Idolum enim nihil esse, quàm speciem Imaginis, semper in malam partem: cùm Imago possit in bonam sumi. Viderit Richeomus, quomodo aut secum aut cum suis consentiat. Nam certè, si Imago est similitudo rei veræ, vt tractatu de Sanctis: & Idolum est species Imaginis, vt nunc, tum Idolum erit similitudo rei veræ: quod tamen Bellarminus non vult: ipse etiam non patiebatur. Tum autem si Idolum & Imago, sic se habent vt veritas & mendacium: vt lux & tenebræ: certè quomodo veritas, & lux, non sunt genera mendacij & tenebrarum, sic Imago non potest esse genus Idoli.

V. Papistæ ergo ita sentiunt: At Catholici, vsum Grammaticum distinguunt à Theologico. Et Grammaticè quidem Idolum atque Εἰκὼν siue Imaginem, originatione sua esse συνώνυμα: & ita sæpissimè vsurpari. Deinceps tamen, aliquando Idolum peculiari modo, pro imaginè non subsistente: ipsa; inquam, non subsistente, etiamsi aliàs rei subsistentis, & veræ: quo etiam sensu Imaginem ipsam sæpissimè occurrere. Atque ita dici posse, nullum propriè discrimen esse Grammaticum earum vocum.

VI. At Theologicè; ita factum sanè, vt Idolum nunquam, quod quidem sciam, sumatur in bonam partem, non ipsius tamen vocabuli vitio, aut etiam significationis propriæ; sed vsus: atque adeo omnem Imaginem, quæ religiosè coleretur, esse apud Catholicos significatam Idoli nomine. Ac proinde non esse Idolum Imaginis speciem; quomodo hominem animalis: sed æquè latè patere vtrumque vocabulum sua significatione: vsu tantum Idolum coarctari. Esse autem imperitissimos Dialecticæ, qui generis species faciunt accidentales. Nam sanè nemo vnquam dixit lignum esse genus, eiúsque speciem, lignum dolatum: etsi omne lignum dolatum, sit lignum: nec tamen omne lignum, sit dolatum. At nunquam, vllóve casu, species cum suo genere reciprocari potest. Lignum autem dolatum, reciprocari potest cum ligno: eò ipso quod lignum omne dolari potest. Omnino ad eum modum; quia omnis Imago, religiosè coli potest, ac proinde esse Idolum: non potest imago esse genus Idoli. Porrò simulacrum tam latè patere certum est, quàm Idolum, & Imaginem.

VII. De Idoli Etymo, id quidem facile. Deducunt omnes ἀπὸ τοῦ εἴδους, *à forma*. Tertullianus obseruauit capite tertio de Idololatria, *Εἶδος Græcè formam sonat: ab eo per diminutionem εἴδωλον deductum, æquè apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma, vel formula Idolum dici exposcit.* Cui fauet illud Achillis Tatij libro primo, ἐπὶ μὲν ἄλλων τῶν ἀποθανόντων κἂν ἴχνος τῆς γνωριζομένης διασώζεται καὶ τὸ εἶδος τῆς ... σωζόμενον τηρεῖ τὸ εἴδωλον, καὶ παραμυθεῖ τὸν πενθοῦντα καθεύδοντα μιμούμενος. *Aliis mortuis saltem vestigia remanent, quibus agnoscantur. Et amisso etiam vultus flore, seruat idolum; flentémque solatur dormientis similitudine.* Nam hic manifestè εἴδωλον est εἶδος. Transcripsit Isidorus Hispalensis Tertullianum Originum libri octaui, capite vndecimo: Et definiuit Idolum, Simulacrum, quod humana effigie factum & consecratum est. Sed Pamelius annotationibus in Tertullianum, emēdat, quauis, pro humana. Nempe ex mente Tertulliani, negantis id solum idolum habendū, quod humana effigie sit consecratum. An etiam ex ipsius Isidori, incertum. Verumtamen illud etiam Tertulliani de diminutione, nutat. Nam quæ Grammatica? Imò qui vsus hanc diminutionis analogiam exhibet? Malim simpliciter deriuationem: vt ἁμαρτωλός: vt apud Euripidem Helena: ἰδόλον: Et sic censet Etymologus: ὡς ἴδω, εἴδωλον, φείδω φειδωλός, αἰτῶ αἰτωλός. Quanquam esto sanè cuique suum liberum iudicium.

VIII. Simulacrum eodem capite Isidorus à similitudine, *Simulacra*, inquit, *à similitudine nuncupata, eo quod manu artificis ex lapide aliáve materia, eorum vultus imitantur, in quorum honorem finguntur.* Et Hieronymus in Psalmum centesimum decimum tertium, *Ideo dicitur simulacrum, quia ad similitudinem alicuius hominis mortui factum sit.* Quantum id abest ab idolo? Imò Glossarium. Simulacrum, ἀπεικόνισμα, εἴδωλον, ξόανον. De Imagine, quam Nonius similitudinem interpretatur: Græcè autem dicitur εἰκὼν, non est necesse dicere. Sed iam, quàm paruo interuallo distant Idolum, Imago, Simulacrum. Aut quis ab hac originatione non deprehendat facilè notionis vicinitatem?

IX. Factum tamen, vt εἴδωλον leuiusculum quid sonet. Etymologicus. εἴδωλον, ἡ ἀπὸ τοῦ σώματος συνεχὴς ἀπόῤῥοια· ἢ τὸ φάσμα, σκιώδες ὁμοίωμα· ἢ φαντασία σώματος, σκιά τις ἀεροειδής. *Idolum est quiddam fluens à corpore vmbræ instar: vel visum: & ad vmbram accedens similitudo: vel phantasia corporis: vmbra quædam aerea.* Δεῖ οὖν νοεῖν ὡς φαντασίαν σωμάτων παρέχειν τοῖς ὁρῶσι, μηδὲν δὲ ὑπάρχειν ἀληθῶς. *Intelligendum est Idola phantasiam corporum exhibere videntibus: at nihil verè subsistens.* Phauorinus. εἴδωλα, τὰ φαινόμενα ἐν τῷ ἀέρι φαντάσματα ἅπερ ἅμα τῷ φανῆναι ἀφανίζονται, ὡς μηδὲν ἔχοντα στερεὸν καὶ βέβαιον. *Idola sunt phantasmata, quæ apparent in aere, & simul ac apparuerunt, euanescunt, quum nihil habeant solidi & firmi.* Glossarium. εἴδωλον, *Simulacrum, larua.* Vnde traductum nomen ad somnia. Apud Aristotelem de Insomniis legas τὰ φαινόμενα εἴδωλα ἐνυπνίων. Item ad Imagines apparentes in corporibus le-

nus de Idolorum vanitate. *Inde illis instituta templa: inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra.* Ad martyras secundo. *Nō vides alienos Deos? non imaginibus eorum incurris?* Lactantius primi vigesimo. *Verum colendū est, non imago veritatis. Quid tantos sumptus vel fingendis, vel colendis imaginibus impendere?* Secundi secundo. *Atenim præsentes non nisi ad imagines suas adsunt.* Minutius in Octauio idem sæpissime imagines nominat.

XVI. At contrà Bellarminus disputans: Scriptura nusquam tribuit nomen Idoli, vllis veræ imagini; sed solùm simulacris Gentium, quę falsos Deos referebant. Sed hoc est falsum. Nam Hebraicè nullum est nomen proprium, quo idolum significetur; itaque generalia vsurpantur, vt פסל vt תמונה; vel metaphorica alia quædam: & idolis per contemptum, vel exsecrationem imposita. Quod attinet ad nouum Testamentum: id constat, non vsurpari Idolum nisi in malam partem. Sed constaret etiam eadem notione vsurpari imaginem à Paulo ad Romanos primo.

XVII. Secundò Scriptura Testamenti veteris, inquit Bellarminus, idola vocat ordinariè אלילים Leuitici decimo nono, & vigesimo sexto: אונים Numerorum vigesimo tertio, Oseę sexto. At אליל significat *vanum*, *falsum*: און *mendacium*: Hieronymus etiam in 7. Oseæ notat vocari שקר *mendacium*. Vides semper idolum aliquid falsi significare: Denique Habacuc secundo. *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam?* Vbi clarissimè definitur idolum *Imago falsa*. Cui simile est, quod ait Plato in Theæteto: [illegible]: *mendacium & idola plura faciunt quam veritatem.*

XVIII. Respondeo primò, שקר און אליל nō esse nomina propriè idolū significantia: sed epitheta idolis imposita: itaque non pertinere ad significationē vocabuli idoli: sed ad naturam eorum quæ idola erant, id est, etiam imaginum, siue פסל & תמונה. Secundò, ea ipsa epitheta, imposita esse non ex eo quòd ab idolo significetur; sed ex malo idolorum vsu. Nam omnis imago quatenus religiosè colitur, docet falsum; nempe falsam religionem. Tertiò, locus ex Habacuc distortus est ab Interprete. Veritas Hebraica, *Quid prodest sculptile: nam sculpsit ipsum formator eius, cōflatile, & doctorem mendacij.* Vbi non definitur idolum, imago falsa: sed asseritur docere falsum. Quanquam non idolum Propheta dixit, aut אליל, aut און aut שקר, sed פסל *sculptile*, generalius certè nomē, quàm vt contineat solas imagines falsum quid significātes.

XIX. Quod ad Platonem attinet facile negotiū: Nam is omnem imitationem, falsitatis arguit, 10. Politicorum, [illegible], *Imitatio procul est à veritate*. Ad imitationem verò referuntur imagines. Aristoteles Topicorum sexti secundo [illegible], *Imago est id quod fit per imitationem*. Non est igitur apud Platonem ea distinctio idoli & imaginis. Præterea idolū falsum dicitur: non autem falsum significans: imò etsi verum aliquid significet, tamen est falsum. Id enim significat idolum non esse ipsum id quod significat. Etymologicus, in idolo, [illegible]. Sensus est, idolum dici vmbræ, siue somnio simile: eum autem cuius id idolum erat, esse illius [illegible], & veritatem. Et sanè [illegible] dicebantur [illegible]. Etymologic⁹ in Icooio, [illegible].

At [illegible] quis nescit translatum ad mendacium, itidem vt fingere?

XX. Tertiò Bellarminus: Paulus prioris ad Corinthios 8. *Scimus quia idolum nihil est in mundo*. Nempe quia licet sit aliquid secundum materiam, tamen nihil est formaliter, cùm id repræsentet quod nihil est, & proindè nec verè repræsentet, & cōsequenter nec sit. Cui loco alium similem adducit Hieronymus in caput 7. Oseæ: ex 14. Esther secundùm Septuaginta *Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt, id est, idolis.*

XXI. At, inquā, Chrysostomus Pauli locū exponens, [illegible], *Quid hoc est? Nihil idolum in mundo quia nullus Deus alius præter vnum? Non sunt igitur idola? non sunt statuæ? Sunt quidem: sed nullam vim habent: neque dij sunt: sed lapides, & dæmones.* Theodoretus, *Scio idola esse inanima & nullo sensu prædita.* Ambrosius, *Scimus, quia simulacrum nihil est: & quia nemo Deus nisi vnus. Verum est, apud Christianos enim vnus est Deus. Licet sint qui dicantur dij & domini, siue in terra. A paganis enim, & sol, & luna, & cætera sidera dij cælestes dicuntur: in terra Apollinem, Aesculapium Herculem, Mineruam deos dicunt, & dominos.*

XXII. In his obserua: primò à Chrysostomo [illegible], & [illegible] pro eodem sumi. At certè [illegible] nemo disputat nihil repræsentare. Est enim generale vocabulum omnibus idolaris imaginibus. Si ergo hæc non propterea sunt nihil, quia nihil significent, quod subsistat: Ergo neque idola. Secundò ex Ambrosio, idola illa quæ nihil sunt, sunt in cœlo Sol, Luna, Sidera. At hæc non ideo nihil sunt, quod nihil significent. At si idola illa apud Paulum nihil significent: & Sol, Luna, Sydera non significēt nihil: Ergo contra Ambrosium, Sol, Luna, Sydera, non sunt idola, de quibus Paulus loquebatur. Aut si Sol, Luna, Sydera nō nihil significent: & sint tamen idola, de quibus Paulus loquitur, Ergo idola, de quibus Paulus loquitur, nō significant nihil: hoc est, nō ideo nihil sunt, quòd nihil significēt. Quid ergo? nēpe rectè Chrysostomus, *Nullam vim habent: neq; dij sunt*. Id autem non est, nihil significare. Itaque Augustinus contra Faustum lib. 1. cap. 5. de Paganis, *Illi ea colunt quæ sunt, sed pro dijs colēda non sunt: Sunt enim & idola: sed ad salutem nihil sunt. Et qui colit arborē, non quidem arando, sed adorando, non id colit, quod nusquam est: sed quod ita colendum non est. Ipsa etiā dæmonia, vnde dicit Apostolus, quæ immolant Gentes dæmonijs immolāt, & non Deo: vtique sunt, quibus illos immolare dicit, & quorum socios nos esse non vult. Iam verò cælum, & terra, & mare, & aer, & Sol, & Luna, & cætera sydera, omnia hæc manifesta oculis apparent, atque ipsis sensibus præsto sunt. Quæ cùm Pagani tanquam deos colunt, vel tanquā partes vnius magni Dei, ea colunt quæ sunt. Cum quibus quando agimus, vt ea non colant, non eis dicimus quòd nulla sint, sed quod colenda non sint.* Hæc verò non egent interpretatione. Colebant Ethnici Solem, sub Apollinis idolo. Ergo idolum Apollinis significabat Solem: similiter Dianæ, Lunam. At Augustinus negat Christianos Paganis exprobrasse, Solem nō esse, Lunam nō esse: aut eo argumēto vsos, vt dissuaderēt ab eiusmodi cultu. Quid igitur nostris Papistis aliter nūc videtur? Nam certè si Apollo nihil significat, & significat solē: tū solem oportet esse nihil. Sufficiat Catholicis; Idola nihil esse, vel quia nihil sunt ad salutem: vel quia non sunt Dij: vel quia nihil possunt. Illud autem quia nihil significent, sibi pro idolo habeant scitè: habeant quidquid est Papistarum. Sic enim Catholicis, & Petri imago, & Pauli, & Virginis, & Michae-

Latinos ea simulacra vocare, quæ à Græcis dicũtur idola. Et Hieronymus Oseæ 7. ita opponi simulacrũ Deo, quomodo mendacium veritati: quia simulacrũm, deum falsum refert. Tertiò, Lucretius libro 4. & Virgilius quarto Georgicorum, & sexto Æneidos, mortuorum vmbras passim simulacra appellat, vt Homerus, & Lucianus Idola.

XXXII. Respondeo, primò illud de originatione esse futile. Nihil enim interesse, vtrùm à similitudine, an à simulando, Simulacrum dictum sit. Quia vtrinque significatio eadem. Cicero Epist. 7. libr. 9. ad Atticum, *Hic ego vellem habere Homeri illam Mineruã simulatam Mentori.* Homeri locus Odysseæ secundò, Μέντορι εἰδομένη. Virgilius Æneidos tertio, *Paruam Troiam, simulataque magnis Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuũ, Agnosco.* Horatius de arte Poëtica, *Fortasse cupressum scis simulare.* Et Epist. 1. lib. 2. *Aera fortis Alexandri vultum simulantia.* Quid plura? Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 7. *Oscilla ad humanam effigiem arte simulata.* Et hæc olei illa, postea capite vndecimo, simulacra appellat. Denique simulacrum, quia à similitudine deducunt iidem etiam à simulãdo. Isidorus Originum octaui, capite vndecimo, *Simulacra, vel prò eo quod sunt similia, vel prò eo, quod simulata alique consilia.* Imò Lactantius, qui, teste Bellarmino, dicit libro secundo de Origine erroris cap. 2. simulacrum dici à similitudine: idem capite decimo nono, simulacra disputat carere religione, *Quod quidem, inquit, de nomine ipso sapienti apparere potest. Quicquid enim simulatur, id falsum sit necesse est.* De originatione igitur nominis securi, negamus tamen simulacro significari tantùm vanam imaginem, & nihil veri significantem.

XXXIII. Ad primam probationem è Scripturis, primò nulla consequentia. Enimuerò, quis nescit in Scriptura, multa vocabula vsurpari præter propriã, natiuamq; significationẽ? Deinde, quid illud, simulacra vbique ponuntur pro idolis? Rem-ne intelligit, an vocabulum? Si rem, verùm quam simulacrum occurrat, nisi ad significandũ idolum, id est, id quod aliàs Scriptura solet idoli nomine designare: id verò falsum. Nã 1. Samuel. cap. 19. *Inuentum est simulacrum,* nõ idolũ dei alicuius falsi: quis . nim credat aliquod eiusmodi Dauidẽ domi suæ habuisse? sed effigiẽ hominis forma: Hebraicè תרפים, Græcè κενοτάφια. Sin autẽ vocabulum: rursus talium. Nam Actorum 13. εἰδώλων. Exodi 34. לא להיהם, τοῖς θεοῖς αὐτῶν. Leuitici 26. את־חמניכם, τὰ ξύλινα χειροποίητα ὑμῶν. Numer. 33. פסל, עסל —. Primi Regum 15. את מפלצתה, τὰς συνόδους αὐτῆς. Paralipomenõ secundi 23. ואת צלמיו, τὰ εἰκόνας αὐτοῦ. Et 31. המצבות, τὰς στήλας. His locis omnibus, Latinus interpres simulacri nomine vsus est, quanquam Græcè idolum nusquam nominetur. Et poterit diligens lector multos alios locos addere, si opus sit.

XXXIV. De Augustino facile negotium. Nam εἴδωλα dici Latinè simulacra, neq; negandum nobis, neque Bellarmino demonstrandũ. Sed quid tũ? an propterea nullũ simulacrũ significat aliquid verè? Primò, non certa consequentia. Nam idẽ simulacrũ significat etiã τὰ εἰκόνας. Et has significare aliquid verũ, Bellarminus consentit. Ergo & simulacra concedat, necesse est. Deinde ipsa idola significant aliquãdo aliquid verũ. Ergo, si quædam simulacra sint idola, aut saltem quædam idola: quædam igitur simulacra significabunt quid subsistens.

XXXV. Hieronymus, simulacrum Deo dicit opponi, sicut mendacium veritati. Ita est sanè: nec tamen conclusionis vis vlla. Non enim, quia deum falsum significent, neque enim ita Hieronymus habet: imò causam nullam reddit. Cur ergo Bellarminus comminiscitur: nec comminiscitur tantùm: sed etiam suum commentũ affingit Hieronymo? Quãquam non nego simulacrum apud Ethnicos deum falsum significasse: sed omne idolum, deum falsum significare, hoc verò nego. Ratio vniuersalis hæc potius: quia idolum omne, omne simulacrum, omnis imago est aliquid falsum, eo ipso quòd idolum est, & simulacrum, & imago: etsi aliàs rem veram significent, & subsistentem: nimirum, quia videntur id, quod non sunt. De mortuorum vmbris Lucretij, & Virgilij, nihil est necesse dicere.

CAP. X.

An omnes imagines prohibeantur secundo mandato.

I. His positis, iam de ipsius mandati mente agẽdum. Nam Papistæ contendunt in eo prohiberi idola, id est, non omnes imagines: sed tantùm idola Paganorum, scilicet, falsa, & nihil significãtia, quod sit in rerum natura. At Catholici statuunt omnes omnino imagines, quæ verè, & propriè imagines sunt: atq; ab hominibus factæ, institutæque, disertis verbis contineri. Argumenta habent tria. Primum, à vocabulis Hebræis: secundum ab enumeratione rerum, quarum prohibẽtur imagines: tertium, ab autoritate Veterum. Quãquam ita est perspicuũ, vt Vasquez capite secundo disputationis centesimæ quartæ in tertiam Thomæ. non potuerit non asserere, omnem imaginũ vsum veteri lege fuisse sublatũ.

II. Primum ergo est à vocibus פסל תמונה, quibus Moses vsus est. Nam פסל nomen est, cuius origatio à verbo, quod significat sculpere. Eoque vsus est Deus, cùm præcepit Mosi vt conficeret sibi duas tabulas ad scribendam legem. Exodi vigesimo quarto. Kimhi in radicibus dicit eo nomine significari פסילת האבנים כרוב, *sculpturam lapidum, vt plurimum*, וכן על העצים, *item lignorum.* Ab Interpretibus Bibliorum Græco, & Latino, variè vertitur. Idolum à Septuaginta tribus tantũ locis. In hoc præcepto: & secundo Paralipomenon: & Esaiæ trigesimo. A Latino, tum hîc, tum Deuteronomij duodecimo: & Iudicum tertio, γλυπτὸν ὁμοίωμα, *sculptam similitudinem.* Deuteronomij quarto. At Deuteronomij septimo, & duodecimo γλυπτὰ τῶν θεῶν. Aliàs autem γλυπτόν, *Sculptile,* simpliciter. Leuitici vigesimo sexto. Deuteronomij quinto. Iudicum decimo septimo, decimo octauo. Secundi Chronicorum trigesimo tertio, & quarto. Psalmo septuagesimo octauo: & alibi sæpissimè. Ἄγαλμα, Esaiæ vigesimo primo, Εἰκὼν, Esaiæ quadragesimo.

III. Alterum nomen est תמונה. De quo sic Kimchi, in radicibus, תמלה הזאת נופלת על צורת הדבר ועל תכניתו המובן בחושים : ותפול גם כן על צורת השכל שלא יובן באחר מן החושים כי אם בשכל *Hoc nomen significat formam rei, & figuram eius, qua percipitur sensibus. Significat etiam formam intelligentiæ, quæ non percipitur vllo sensu, sed intelligentia.* Et autor Cõcordantiarum, כל לשון תמונה שעינינו תאר וצורא, *Significat & formã effigiẽ.* Itaq; redditur ὁμοίωμα. Et Latinè, *Similitudo,* Deut. 5. Et Exod. 20. in hoc ipso mandato, & Psal. 17. Itẽ μορφὴ. Iob. 4. *Forma.* Deut. 4. *Figura.* Numer. 12. *Imago.* Iob. 4. Quin etiam quod Exodi distinctè פסל & תמונה. Deuteronomij quinto,

פסל כל תמונה, *Sculptile cuiuslibet similitudinis.* Quamuis distinctè Græcè γλυπτὸν οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα. Latinè, *sculptile neque similitudinem omnium.* Cùm tamen rectiùs Deuteronomij quarto γλυπτὸν ὁμοίωμα, *Sculptam similitudinem.* Præterea Deuteronomij 5. additur וּפסל, שפירושו צורה מה, inquit autor Concordantiarum, *Cuius interpretatio, forma qualibet.* Kimchi in radicibus, ענין הפסילים והאלילים ויתכן להיות עקר המלה צורת מן הצורות אי כלל לכל צורות, *Sensus, sculptilia, idola. Sed aptius, vt sit fundamentum imaginis, siue genus omnium imaginum.* Et addit argumentum ex ipso contextu, quia dictum פסל כל תמונת. Dauid de Pomis exponit: *Imago, simulacrum, effigies.* Et sanè à Septuaginta redditur εἰκὼν. Ezechielis octaui versu quinto. Et γλυπτὸν posterioris Chronicorum trigesimo tertio, versu decimo quinto: Et χωνευτὸν versu septimo. A Latino *Idolum.* Ezechielis octaui quinto versu. Simulacrum posterioris Chronicorum trigesimi tertij versu decimo quinto. *Conflatile signum*, versu septimo.

IV. Ex his omnibus perspicuum fit argumentum, Omnis פסל, & omnis תמונה, & omnis סמל prohibetur hoc præcepto. At omnis imago, similitudo, simulacrum, idolũ, sculptile, fusile, est פסל & תמונת & סמל. Ergo omnis imago, similitudo, simulacrum, idolum, sculptile, fusile prohibetur hoc præcepto. Adde: at Dei, & Sanctorum illæ repræsentationes, quas admittunt Papistę, sunt, si non idola, certè imagines, similitudines, simulacra, sculptilia, fusilia: Ergo, & ipsæ prohibentur hoc præcepto.

V. Secundum argumentum: Prohibentur omnes similitudines rerum quæ in cœlo, & in terris, & in vndis. Ergo & Dei, & Sanctorum. Nam Deus, & in cœlis est, & in terris, & in vndis: Sancti autem in corpore, terras incolunt: exuti autem cœlum. Et notandus præcepti stylus. Nam prohibentur imagines, nõ quæ in cœlis ipsæ, aut in terris, aut in aquis: sed rerum quæ sunt in cœlis, in terris, in aquis: vbi manifestè ostenduntur imagines censendæ ex rebus, quas significant. Hæ autem res si sunt in cœlis, in terris, in aquis, sine dubio sunt. Nam si non sunt: Ergo nullibi sunt, ac proinde, neque in cœlis, neque in terris, neque in aquis. Itaque hoc præcepto prohibentur, non idola, quæ nihil significant: sed imagines, quæ significant aliquid in rerum natura.

VI. Tertium argumentum ab autoritate Veterũ. Et quia Iudæis primò lex fuit data, videamus apud eos quomodo intellecta fuerint legis verba: quomodo item obseruata. Philo lib. de Decalogo, dicit secundum mandatum esse, περὶ ξοάνων, καὶ ἀγαλμάτων, καὶ συνόλως ἀφιδρυμάτων χειροκμήτων. Iosephus Antiquitatum lib. 3. cap. 4. ὁ δεύτερος κελεύει, μηδενὸς εἰκόνα ζώου ποιησαμένους προσκυνεῖν. Nihil potest dici generaliꝰ, ξόανα, ἀγάλματα, ἀφιδρύματα, εἰκόνες. Neuter τὰ εἴδωλα.

VII. Atque adeò testantur illos Christiani abhorruisse ab omni genere imaginum. Tertullianus cõtra Marcionem libr. 4. cap. 22. *Facile est*, inquit, *amentiam Petri probare. Quomodo enim Moysen, & Heliam cognouisset nisi in spiritu? Nec enim imagines eorum, vel statuas populus habuisset lege prohibente.* Perspicuè. Non poterant Iudæi habere imagines Mosis & Heliæ propter legis prohibitionem. At illæ non erant falsorũ deorum. Et Apologetici cap. 16. negat vllum reperiri potuisse simulacrum in templo Hierosolymitano, *Et vtique*, inquit, *si id colebatur, quod aliqua effigie repræsentabatur, nusquã magis quàm in sacrario suo exhiberetur.* Chrysostomus tertio contra Iudæos, ἅπαν εἴδωλον, καὶ πᾶν ἐκτύπωμα εἰς σχῆμα ἀνθρώπου παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις βδέλυγμα ἐκαλεῖτο, *Omne simulacrum, & hominis effigies apud Iudæos appellabatur abominatio.* Origenes contra Celsũ quarto, παρ' οἷς οὐδὲν ἄλλο θεὸς νενόμιστο, ἢ ὁ ἐπὶ πᾶσι, καὶ οὐδεὶς τῶν εἰκόνας ποιούντων ἐπολιτεύετο. οὔτε γὰρ ζωγράφος, οὔτ' ἀγαλματοποιὸς ἐν τῇ πολιτείᾳ αὐτῶν ἦν, ἐκβάλλοντος πάντας τοὺς τοιούτους ἀπ' αὐτῆς τοῦ νόμου, ἵνα μηδεμία πρόφασις ᾖ τῆς τῶν ἀγαλμάτων κατασκευῆς τοῖς ἀνοήτοις τῶν ἀνθρώπων ἐπισπωμένης, καὶ περισπώσης ἀπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς γῆν τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς. *Apud quos nullũ aliud numen erat receptum, quàm Deus huius rerũ vniuersitatis præses, procul ablegatis omnibus simulacrorum opificibus. Nam in ciuitatem eorũ nullus pictor admittebatur, nullus statuarius: legibus totum hoc genus arcentibus: ne qua occasio preberetur hominibus crassis, néve animi eorum à Dei cultu auocarentur ad res terrenas per huiusmodi illecebras.*

VIII. Baronius anno Christi 31. paragraph. 74. cõtra Ambrosium, disputat mulierem illam sanatam à profluuio sanguinis nõ esse Marthã. Argumentũ ei hoc est: Eam mulierem æneis simulacris, tã Iesu, quã sui effigiem referentibus, rei gestæ memoriã cummẽdatam voluisse, *Cũ non liceret vllo pacto* (inquit) *Iudæis simulacrũ cuiusuis, quauis occasione formare.* Ergo si verũ Baronius est eloquutus, ne Marthæ quidẽ Iudææ licebat per legẽ imaginem facere. Cuius? Iouisne? an Mercurij? Imò nec Christi. Et quidem nulla occasione, hoc est, exempli gratia, nec quidem propter suscitatum fratrem.

IX. Hîc responsantes audio: ita quidem factũ: sed factum propter Iudæos tantũ ad idololatriam propensissimos. Itaq; non debere trahi in argumentum apud Christianos. Sed isti primũ docere debent, aut antiquatũ aut saltẽ immutatũ præceptum fuisse aduentu Christi. Quod illi certè nunquam facient. Ego contrà doceo exemplo Marthæ ex disputatione Baronij. Illa enim etsi Gente Iudæa: tamen erat religione Christiana. Christianos ergo necesse est, tum tẽporis putasse sibi imaginum vsum prohibitum ex vi huius præcepti. Nam si aliter, quomodo hoc arcanũ Martha ignorasset? Secũdò, debẽt ostẽdere, & propẽsiores Iudæos fuisse ad idololatriã quàm reliquos populos, quã Christianos: & si id concedatur, fuisse id præceptũ ob eam causam sancitũ: nam vtrunque constare oportet. Hoc quidẽ, quia quantumuis propensi fuerint ad vitia quæpiam, tamen potuerunt eis præcepta dari ex iure naturæ. Vt exempli gratia, etsi quosdam populos videamus in ebrietatem propẽsissimos, alios in venerem, tamen & ebrietatem, & venerẽ, quæ leges prohibent, ideò prohibent, quia iure naturali prohibentur. Cur non simile in Iudęis? Vt si concedam eos propensiores reliquis fuisse ad imagines adorandas, fuerint tamen illis imagines prohibitæ, non, quia propensi erant, sed quia idipsum erat nefas?

X. Quanquam propensiores fuisse reliquis populis, sumitur, non docetur. Fateor notari aliquoties in Scriptura huius sceleris: sed nego vllo loco posse ostendi hanc quam nostri εἰδωλομανεῖς obtendũt maiorem propensionem. Imò contrà, ex iis, quæ sæpè passi sunt, contrarium doceri potest. Nam legis suæ fuisse retinentissimos, quis nescit? Sed qui Christiani, cur propẽsi minus? Nemo enim causas expediat. Atq; adeò Viues negabat se videre, quod esset discrimen inter multos Christianos imagines colentes, & Ethnicos olim. Agrippa de Vanitate scientiarum, *Nec dici potest quanta superstitio, ne dicam idololatria penes rudem, & indoctam plebem alatur in imaginibus, conniuentibus ad ista Sacerdotibus.* Bodinus Methodi capite quinto, D. Antonium à plerisque in Italia, & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certè maiore metu coli quàm Deum immortalem.

XI. Sed videamus ergo, quæ veterum Christianorum

norum mens fuerit in explicando hoc præcepto. Distinguo ordines duos. Primò enim plerique omnes nihil distinguebant, siue imagines, siue idola, siue simulacra. Theophylus libro secundo ad Autolycū, [illegible Greek] Lex diuina prohibet adorare, non tantùm idola, verum etiam elementa, Solem, Lunam, & reliqua astra. Imò ne cælos quidem, aut terram, aut mare, aut fontes, aut fluuios colere oportet: quin potiùs soli vero Deo, omnium factori seruiendum sanctitate cordis, & puro animo. Iustinus Dialogo cū Tryphone, [illegible Greek] Nónne Deus erat, qui per Mosen vetuit fieri in vniuersum imaginem, aut similitudinem eorum quæ sunt in cœlo sursum, aut in terra? Clemēs Alexādrinus Stromateon 5. [illegible Greek] Pythagoras præcipiebat non gestādos annulos, neque insculpēdas deorū imagines; sicut olim Moses disertè lege sanxerat, nullā sculptam aut conflatam, aut fictam, aut pictam statuam, siue imaginem faciendam: ne sensibilibus attendamus, sed ad intelligibilia transeamus. Et Protreptico, [illegible Greek] Sic legendum est, [illegible] non [illegible], & ἐργάζεσθε, nō [illegible]: vt legit ipse Heruetus, reddens, Nobis est apertè vetitum artem fallacem exercere. Non facies enim, inquit Propheta, cuiusuis rei similitudinem. Qui tamen debuit cuiusquam rei dicere potius. Nazianzenus in Carminib⁹, [illegible Greek] Non eriges statuam vanam, neque inanimatam imaginem. Quin etiam recentissimus, atque adeò Papista, Durandus libro primo Rationalis, capite de Picturis: hoc præcepto, atque aliis locis e Scriptura reprobari dicit nimium imaginum vsum.

XII. Alij distinguūt idolum à similitudine: sed æquè vtrumque prohiberi docent. Primus Origenes in Exodum homilia, *Si quis in quolibet metallo auri, vel argenti, vel ligni, vel lapidis faciat speciem quadrupedis alicuius, vel serpentis, vel auis, & statuat illam adorandam, nō idolum, sed similitudinem fecit. Vel etiam, si picturam ad hoc ipsum statuat, nihilominus similitudinem fecisse dicendus est. Idolum verò facit ille, qui secundum Apostolum dicentem, quia idolum nihil est, facit quod nō est. Quid est autē quod nō est? Species, quam non vidit oculus, sed ipse sibi animus fingit. Verbi gratia, vt si quis humanis membris caput canis, aut arietis formet, vel rursum in vno hominis habitu duas facies fingat: aut humano pectori postremas partes equi, aut piscis adiungat: hæc & his similia qui facit, non similitudinem, sed idolum facit.* Hanc distinctionem cùm paulò pluribus prosequutus est, tandem, *Qua nunc Dei sermo vniuersa complectens simul abiurat, & abiicit, & nō solum idolum fieri vetat, sed & similitudinem omnium, quæ in terra sunt, & in aquis, & in cælo.* Sic Origenes. Origenis vestigiis Theodoretus insistit, quæstione in Exodum trigesima octaua, *Idolum nihil repræsentat, quod subsistat: similitudo verò, est alicuius imago, & effigies.* Et postquam illustrauit exemplis, *Quæ omnia vetat adorare, & colere.*

XIII. Itaque, aut nihil vnquam probari potest, aut hoc probatum est, secundo legis mādato, vocabula, פסל תמונה, פסל, cōprehēdere, quicquid humano pingitur artificio, aut fingitur, aut cælatur, aut conflatur, aut denique fit ad effigiem aliquam exprimendam: vno verbo omne idolum, omne simulacrum, omnem imaginem: neque interesse vtrum aliquid significet reipsa existens in rerum natura: an nihil: verum Deum verum, an deum falsum: an hominem, an Angelum: denique quicquid, aut in cœlo est, aut in terra, aut in vlla mundi parte.

XIV. Quid Papistæ contrà? Sophisticantur suo more. Negāt hoc præcepto prohibitas omnes imagines, aut idolorum nomine censeri. Dantque instātias. Primo à Cherubinis in arca, in templo: à bobus in mari æneo, à Serpente æneo. Secundò ex variis locis vbi imaginis nomen est in bonam partem. Geneseos primo, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quinto, *Adam genuit ad imaginem, & similitudinem suam.* Iob quarto, *Imago coram oculis meis.* Ad Romanos octauo, *Quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imagini Filij sui.* Prioris ad Corinthios vndecimo, *Vir imago & gloria Dei est.* Decimo quinto, *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Posterioris tertio, *In eādem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Ad Colossenses tertio, *Qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Ad Hebræos decimo, *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Atque hos omnes locos Gaunerus colligebat disputans mecum; vt probaret non semper in Scriptura imaginem sumi pro idolo.

XIV. Sed de Cherubinis, bobus, & serpente iam dictum. Cherubinos, & boues, ornatus gratia factos. Et Tertullianus olim dixit: & inter Papistas non ita pridem Polygranus in Assertionibus, *Licitæ fuerunt*, inquit, *imagines quæ fiebant ornatus gratia; sicut duo Cherubim, quos iubente Deo Domino fecit Moses super tabernaculum. Item Salomon duodecim boum imagines fudit sub mari æneo.* Quia igitur ad adorationem, siue cultum religiosum nō pertinent, aliena sunt ab hac controuersia. Nec improbem Patrum mētem in Synodo Francofurtensi, qui, vt est in præfatione libri Caroli Magni, ita distinguunt imaginem ab idolo: vt imago sit ad ornamentum, vel ad res gestas monstrandas: idolum verò ad cultum. Ac sanè, non sunt præcepti partes diuellendæ, quas Deus coniunxit. Itaque hæc Catholicorum sententia est, posse quidem nonnullum obseruari discrimen inter idolum, & imaginem, vt antè dictum, ac posse imaginum vsum permitti nonnunquam: sed cultus religiosi gratia, tum æquè imaginem prohiberi ac idolum. De serpente paulò quidem alia fuit ratio, sed is vt neq; ad ornatum, sic neque ad cultum fuit propositus: tantùm in remedium, & typum, qua de re nullus nobis sermo est.

XVI. In reliquis locis quæta est vitilitigatio? Imaginis vocabulum vsurpatur sæpè in bonam partem: Ergo hoc præcepto non æquè prohibentur Imagines, ac idola. Has verò partes, quæ ratio conferruminauit? quæ necessitas coniunxit? Imò iis plerisque locis imago, abducta est à suo proprio vsu, ad alienum, etsi vicinum, nempe metaphoricum. Solus est ex Iobo locus accedens ad proprietatem. Sed tamē imaginem, nominans pro idolo: nempe pro similitudine in somniis apparente: quam ostendimus idolum appellari, ea significatione, qua idolum ipsum nullam habet consistentiam. Describitur enim eo loci somnium. *In horrore*, inquit, *visionis nocturnæ, quando irruit altus sopor in homines.* Atque adeò, *Cùm spiritus me præsente transiret.* Itāne? si in somniis apparent imagines: ergo imagines non prohibentur secundo præcepto? Monstrum arguitiæ.

XVII. In reliquis. Homo ad imaginem Dei. Ita sanè ad imaginem. Sed quid hæc imago ad eas imagines, quæ in coloribus, quæ in lineamentis totæ sunt? Quid hæc imago ad eas imagines, quæ adorantur? Nimirū illa imago, est tantùm pro similitudine quadam, qua homo accedit ad Deū, factus rationis particeps: quæ cùm in Deo summa sit, in homine est, ἀπηχήματι, inquit Athanasius de Incarnatione Verbi Dei. Similitudo item illa imago Christi, cui fideles debent fieri conformes: quam tamen nemo adorat, nisi fortè omnes quispiam fidelea adoret. Similitudo item imago illa sui ad quam Adamus Sethū genuit: quam rursus nemo adorandam dicit. Denique imago bonorum nō est in lege: sed tantùm vmbra. Certè imaginem μιμητικὴν, dici non negabit, nisi qui vmbram propriè simul contendet. Quæso vos, viri docti, nónne ineptum est, cùm de imaginibus quæritur χειροποιήτοις, instantiam dare de imaginibus ἀχειροποιήτοις?

XVIII. Sed iidem citant confidentiùs caput primum ad Colossēses, vbi dicitur Filius imago Patris: quem tamen nemo dicat idolum absq; blasphemia. Ergo longè differre imaginem ab idolo. Et quidem non prohiberi adorationem omnium imaginum: quandoquidem Christus, Imago Patris, adoretur.

XIX. Respondeo, primò n. hanc quidē imaginē esse propriè dictam imaginem: sed tantū μεταφορικῶς, siue ὁμολόγως, quatenus infinita illa Trinitatis mysteria nobis nostris vocibus intimari possūt: Qua de re prolixius actum lib. 1. huius tomi secundi: itaq; instantiam non esse ad rem. Secundò, repeto locū ex Augustini Epistola 119. *In primo præcepto prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo: non quia non habet imaginem Deus: sed quia nulla imago eius coli debet, nisi illa quæ hoc est, quod ipse: nec ipsa pro illo: sed cum illo.* Quæ verba idem sonant, ac si esset dictum: Etsi verum sit Filium in diuinis esse imaginem Patris: & Filium coli: tamen illud etiam verum, hac vna excepta, nullas imagines colendas. Iam verò Papistæ nolunt, omnes imagines Dei, præter Filium, esse idola: Ergo certum est, non sola idola prohiberi hoc mandato, sed etiam imagines: quæ nostra est controuersia.

Cap. XI.

De differentia Idololatriæ specifica.

I. Atque hactenus de Imagine, & Idolo, primò Papistarum πρόφασις, in hac materia. Alterum est de ipso Cultu: nimirum; quia consentimus, hæc, siue idola, siue simulacra, siue etiam imagines, non prohiberi absolutè, sed cum hac conditione, si adorentur, ex his verbis, *non adorabis ea, neque serues eis*: nempe videndū, quid hæc verba significent. Nam primò non possunt Papistæ confugere ad distinctionem λατρείας, & δουλείας. Nam תעבדם, propriè significat δουλείαν sua originatione. Et תשתחוה est *inclinare se, prosternere se*, quod propriè refertur ad externos corporis gestus. Quid ergo Bellarminus ait reprehendi idololatriam, id est, cultum imaginum. Sic enim ille disertè discedens à distinctione idoli, & imaginis, ac proinde concedēs hoc præcepto etiam imagines cōtineri. Sed cultum imaginum, non simpliciter, verùm earum quæ habentur pro diis, vel per quas coluntur tanquam dij, ij qui verè non sunt.

II. Atque id plerisque omnibus in ore est. In quo duo videntur distincta, imò disparata membra, vt sensus sit dupliciter committi idololatriā. Nempe, primò, cùm ipsæ illæ imagines quæ adorantur, putantur esse dij, & eam ob causam adorātur: vt si forte olim factum, vt stupidissimè quidam Ethnici ipsū illum lapidē sic fictum Iouem appellarent: imò non tantùm appellarent, sed esse ipsissimum crederent. Deinde secundò, cùm imagines illæ adorantur tanquam imagines, atque adeò, quia significent aliud aliquid, quod tamen non sit Deus: ac proinde adorari non debeat: vt si quis statuam Diabolo erigat, atque eam adoret, ita vt non ipsam, sed Diabolum adoret, qui nullo modo est adorandus.

III. At Gregorius de Valentia nondum satis distinctum putauit. Itaq; idololatriam definiuit, cùm honor diuinus defertur creaturæ tanquā Deo: qua de re disputat cap. 1. lib. 1. & 2. de Idololatria Ethnicorum. Et hanc geminam conditionem requiri ad idololatriam cōmittendam. Primam, vt honor ille sit diuinus, hoc est, talis, vt Deo soli competat. Alteram, vt ei cui tribuitur, is honor tribuatur tanquam Deo, hoc est ad excitandam opinionem de eo, quòd sit Deus. Altera autem conditione, vel vtraque, vel alterutra deficiente, negat committi idololatriam: nimirum vt quis possit honorem deferre creaturæ, qui soli Deo proprius est, vt tamen non sit idololatra.

IV. Hæc Papistæ. At Catholici primo ex duobus Bellarmini membris alterum duntaxat esse ad hanc rem necessarium, nempe quo imagines colūtur pro diis. Nam alterum, quo per imagines colantur, qui non sunt dij, pertinere potius ad quæstionem tractatam lib. 19. de Adoratione creaturarum. Consentimus autem, si quis honor debeatur imagini, debere tantùm propter prototypum: itaq; si prototypū nullum honorē mereatur, ne imaginem quidem posse vllum habere. Vnde certa conclusio nascitur contra imagines Sanctorum. Nam quia constitutum, nihil creatum debere coli religiosè: Et sanctos creatos nemo dubitet, omnino sequitur, ne eorum quidem imagines religiosè colendas.

V. Secundò, quandoquidem cōiunxit Bellarminus præceptum primum cum secundo, & soluendo notauit prohiberi idololatriam: videtur debuisse idololatriam plenè distinguere, vt ne imperfectè mandati mentem describens, errandi ansam lectori præberet. Nā præter hæc duo idololatriæ genera, nimirum cùm imagines coluntur pro diis: & cùm per imagines coluntur nō dij: tertiū restat, cùm etiam sine imaginibus coluntur non dij: quod olim cōtigit Numæ, Romanisque ab eo institutis. Nam illi Deos suos colebant, nullo tamen adhibito simulachro. Quanquam si Bellarminus distingueret præcepta, & secundum solum sibi obijci passus esset, facilè & nos huius membri in distinguendo omissionem dissimularemus, magis pertinentis ad mandatum primum.

VI. Tertiò, alterum illud membrum, quo ponuntur coli imagines pro diis, ambiguum cùm sit, nō est absque distinctione admittendum. Potest enim significare coli imagines, hac mente, vt ipsæ censeantur habere in sese eam rationem diuinitatis propter quam adorantur, atque adeò esse idipsum propriè quod appellantur. Vel adorari loco eorum, quibus sunt dicatæ, quasi eos repræsentantes, &, vt loqui solent Papistæ, vno illo motu, qui est in imaginem, & in exemplar. Atq; vtroque hoc sensu Catholici imaginum

gium adorationem improbant: & idololatriam committi asserunt, non tantùm, cùm imago, siue triceps, siue trifrons, quã vicini nostri colunt in vertice summo montis Veniosi: siue quæ exhibet Senem, cum iuuene & columba: cùm, inquam, imago huiusmodi colitur, siue ab iis qui credunt illam ipsam esse Trinitatem, siue ab iis, qui per illam adorant Trinitatem.

VII. Quod attinet ad Gregorium de Valentia, qui distinguit cultum diuinum, & cultum diuinũ delatum, tãquam Deo: negatur hæc esse plena idololatriç definitio, duabus de causis: primò, quia idololatria fit, cùm defertur honos, etiam non diuinus, alicui tanquã Deo. Quia hoc ipsum idololatria est, cùm quid creatum existimatur Deus: vt cùm Babylonij Belem participem faciebant suarum epularũ, qui honor non est diuinus, quia non propriè Deo debitus. Secundò, quia Idololatria fit iterum, quum honor diuinus defertur creaturæ, etiamsi non censeatur esse Deus: quomodo adulterium est, cùm se coniugata mulier cuiuis prostituit, quem tamen non habeat pro marito. Sic sacrificium, quicunque deferat vlli creaturæ, quantumuis creaturam esse nouerit, fit idololatra.

VIII. Bellarminus suam distinctionem nullis probat argumẽtis, quasi is esset de quo dicatur *αὐτὸς ἔφα*. Sed suam definitionem Gregorius videri vult cõfirmare. Primò, autoritate Ambrosij, Commentariis in quintum ad Ephesios, *Idololatria Dei honorificentiã vsurpat, & vendicat Creaturæ.* Secundò, ex Scripturæ locis triginta duobus (sic enim computat capite secundo libri 3. de Idololatria) quos notauit in margine duntaxat. Psalmo centesimo sexto. Sapientiæ 13. 4. & 5. Hieremiæ 2. Ad Romanos 1. Geneseos 35. Exodi 23. Leuitici 19. Deuteronomij 7. 31. 32. Iosuæ 23. Iudicum 2. Primi Regum septimo. Tertij Regum 18. Secundi Paralipomenon 7. Psalmo 80. & 96. Iudith 8. Esaiæ 44. Hieremiæ trigesimo quinto. Danielis decimo tertio. Ex his, duos tantùm describit. Ex Sapiẽtiæ 14. *Hæc fuit vita humana deceptio, quoniam, aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.* Ad Rom. 1. *Coluerunt, & seruierunt creaturæ potius, quàm Creatori.*

IX. Respõdeo, in Ambrosio nihil esse quale vult Gregorius. Imò, inquit Gregorius, vtraque pars Idololatriç attingitur: materia, honor diuinus: tũ actio, qua ad creaturam ille honor impiè defertur. Imò, inquam, hoc ipsum nihil ad definitionẽ Gregorianã. Nam hæc duas partes cõplectitur, vnam, qua diuinus cultus defertur creaturæ, alterã, qua defertur creaturç tanquã Deo. Sic enim disertissimè Gregorius disparat semper: & quidem ita, vt si, aut vtraque pars absit, aut saltem altera, idololatriam nullam agnoscat. At in prima parte, qua cultus diuinus defertur creaturæ, continetur, & materia, & actio, quam in Ambrosij verbis obseruat Iesuita. Itaq; superfluum illud, *defertur tanquam Deo*, apud Ambrosium nullum est. Ergo inconsideratè, imò non incõsideratè, sed impudenter tanti viri nomẽ vsurpatur.

X. De Scripturæ locis illis tam multis, quid dicã? Nihil facilius, quàm margines infinitis numeris farcire. Sed ea nulla est demonstratio. Imò id faciunt Papistæ, tum maximè, cùm maximè omnium destituuntur Scripturæ autoritate. Nec recuso, quin ex hac ipsa re iudiciũ fiat. Psal. 106. *Mutauerunt gloriã suã in similitudinem vituli.* Sapientiæ 13. *Appellauerunt deos, opera manuum hominum.* Decimo quinto, *Omnia idola nationum deos æstimauerunt.* Hieremiæ 2. *Dicentes ligno, Pater meus es tu, & ligno, Tu me genuisti.* Hem! hęccine distinguũt cultum diuinum delatum creaturis, à cultu diuino delato creaturis, vt diis? Quo artificio id se apud quenquã cõsecuturũ, Gregorius sperauit? Enimuerò cultũ diuinum delatum creaturis fateor iis locis significari. Fateor significari cultum delatum, vt diis, sed cultum diuinum deferri cuiquam posse, nõ vt Deo, hoc verò ij loci nunquam efficient. Idem dico de reliquis, quos vno fasciculo Gregorius comprehendit in iis, in quibus cultus veri Dei per antithesin opponitur cultui idolorum, vel deorum alienorum.

XI. Enimuerò in Sapientiæ 14. & ad Rom. 1. quos locos, tanquam delectos, ac proinde cæteris disertiores, descripsit, quid est magni momẽti? Incõmunicabile nomen, nimirum deitatis, audio idolis impositũ. Nimirum, quia Dei nomine idola honorabãtur. Sed ad Gregorij figmentũ quid hoc facit? an enim incommunicabile nomen, distinctio est illa, honoris diuini tributi, & tributi tãquam Deo? Certè tãtæ subtilitatis capaces non fuêre Lyranus, Holcotus, Rickel hunc locum simpliciter exponentes: vt significentur idola appellata dij. Paulus nihilo magis. Loquitur enim de seruitute, qui est honor diuinus: hanc seruitutem tributã creaturæ culpat: sed monstrosam Gregorij disparationem ignorat.

XII. Imò Veteres hoc ipso loco Arrianos oppugnabãt, qui cũ Christum negarent esse Deum, tamẽ ei deferebãt cultũ diuinũ, ὁ δὲ ἀπόστολος αἰτιᾶται τοὺς Ἕλληνας ὅτι κτίσματι σέβουσι, λέγων, ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα θεόν· οὗτοι δὲ κτίσμα λέγοντες εἶναι τὸν κύριον, καὶ λατρεύοντες αὐτῷ, τί διαφέρουσιν Ἑλλήνων; Verba Athanasij Oratione breui cõtra Arianos, *Apostolus accusat Græcos quòd creaturas colant, dicẽs, Seruierunt creaturæ potius quã Creatori Deo. Hi verò creaturã dicẽdo esse Dominũ, atq; ei vt creaturæ seruientes, quare differũt à Græcis?* Et in vita Antonij, *Cum Arrianis vobis nulla sit coniunctio. Quæ enim societas luci ad tenebras? Vos fideliter credentes Christiani estis: illi, Verbum, id est, Filium, qui ex Deo Patre est, creaturã docentes, nullo interuallo à Gentibus separãtur, qui seruiunt creaturæ potius quàm Creatori.* Quis iam nõ intelligit? Nam certè si nulli sint idololatræ, nisi qui cultũ diuinum creaturæ deferunt, tanquã Deo: Ariani, qui cultũ diuinum Christo deferebant, non tanquã Deo, sed tanquã creaturæ: non essent idololatræ. Rursus, si nemo seruiret creaturæ, potius quã Creatori, nisi qui cultũ eidẽ diuinũ deferret tãquam Deo: Ariani non seruiebant creaturæ potius quàm Creatori: qui Christum negabant esse Creatorem. Ac proinde hoc Pauli loco feriri non poterant, contra Veterum mentem.

XIII. Catholici cõtrà. Primò, ex ipso mandati textu. Nã duæ sunt eius partes: primâ prohibentur fieri, siue imagines, siue idola: secũdâ prohibetur ea facta coli. Quarũ partium, hæc secunda manifestè loquitur de cultu, siue ille λατρεία dicẽdus sit, siue alio quopiã nomine, nunc enim haud pili interest. Sed λατρείαν tamẽ dici Papistç volũt obstinatissimè: atq; adeò exponunt, ne idolis, imò ne creaturis deferatur honor diuin⁹. Esto ergo sanè is sensus secũdæ partis mãdati. At is pertinet ad primã partẽ distinctionis Gregorianæ. Quid ergo? altera pars de eo cultu diuino deferendo tanquã diis, vbi erit? Nõ in priori parte mãdati. Nam facere פסל, facere תמונה, non significat deferre cultũ diuinũ alicui tãquam Deo: sed significat id ipsũ facere materialiter, cui is cultus deferẽdus sit. Ergo hæc disparationis pars nusquam locũ habet in mandato: vbi tamen & prohibetur, & de-

ſcribitur Idololatria. Quare ex eius mandati vi, Idololatria erit, cùm Imaginibus, ſiue Idolis, defertur cultus diuinus.

XIV. Secundò, ex Idololatriæ definitione apud Veteres. Nam nō modò Tertullianus Idololatriam definiuit omnem circa idola famulatum, & ſeruitutem: ſed etiam qui deinceps diligentiùs, diſtinctiùſque loquuti ſunt, duas illas Gregorij cautiones nunquam ſimul adhibuerunt. Alienſtaig in Dictionario Theologico, *Eſt idololatria ſimulacrorum cultura vel eſt cultus Deo debitus, creaturæ exhibitus.* S. Thomas *ſecunda ſecunda quæſtione nonageſima quarta, articulo primo, Idololatria eſt exhibere latriam, id eſt, cultum Dei, creaturæ. Vnde idololatra, eſt idolorum cultor.* Caietanus in ſummula de peccatis, *Idololatria, quæ ſcilicet alteri quàm Deo diuinus cultus exhibetur, peccatum eſt mortaliſſimum.* Alphonſus de Caſtro in Idololatria, *Etſi apertiſſimè lex Dei idololatriam abominetur, non defuere tamen ex his qui ſe Chriſtianos iactarunt, qui aliud præter Deum coluerint, & colendum eſſe docuerint.* Et ita olim conſtanter Auguſtinus, de Trinitate libro primo, capite ſexto, *Idololatræ dicuntur, qui ſimulacris eam ſeruitutē exhibent, quæ debetur Deo.* Quæſtionū in Geneſim, lib. 1. quæſtione 61. *Damnātur Idololatræ, id eſt, eiuſmodi ſeruitutē exhibentes idolis quæ debetur Deo.* Locutionis de Deuteronomio, *Solet hoc verbum* (λατρεύειν) *in ea ſeruitute Scriptura ponere, quæ debetur Deo: vnde idololatræ appellantur, qui ea ſeruitute idolis ſeruiunt.* En tibi: horum ſanè nemo vtramque poſuit Gregorij conditionem, ſed alteram duntaxat. Nempe nondum, aut Veteres exercuerat imaginum adoratio Papiſtica: aut recentes Papiſtas, ſua ſophiſtice acuerat.

XV. Tertiò, Veteres pro eodem habuerunt Deū facere, & vt Deum adorare, aut certè illud ex hoc neceſſariò conſequens. Athanaſius contra Gentes, *[Greek passage, largely illegible] ... ὡς Θεοὺς ... Tantopere quidam mente prolapſi ſunt, tantiſque tenebris animum ſuum inuoluerunt, vt quæ nequaquam vlla ratione eſſe poterant, aut vnquam in rebus conſpecta eſſent, ea & ſibi excogitarint, & Deificarint. Nam bruta rationabiliáque permiſcentes, taliáque excitantes, quorum non ſit vniformis natura, tanquam Deos coluerunt.* Satis perſpicuè, ὡς Θεοὺς ..., eſſe ... Qui potuit, ſi pro Diis coluntur quidam, non vt Dij?

XVI. Quartò, Si Idololatria eſſet ita definienda: ergo multi olim fuiſſent perperam accuſati idololatriæ. Primò Chriſtiani, qui violentia perſecutionis coacti idolis vel ſacrificabant, vel adolebant: vt exempli gratia, Marcellinus Epiſcopus Romanus, aut ſi is vocatur in dubium, quandoquidem nihil tā eſſe poteſt hiſtorijs teſtatum, quod non parati ſint infirmare Romaniſtæ; vt in hoc ipſo Marcellino videre eſt Baronium: ſi, inquam, de Marcellino non nihil dubitāt, at certè alij plurimi. Nam hi profectò nō ideò ſacrificabāt, quòd ea idola Deos crederēt. Itaque non committebant peccatum idololatriæ, ſi Bellarmino credimus, ſi Gregorio credimus, quibus non ſatis eſt, cultum ſoli Deo debitum deferri creaturis, niſi eædem creaturæ pro diis habeantur.

XVII. Secundò Ethnici, Si non omnes, at ſaltem aliqui. Qui clarè teſtabantur ſe ipſa idola Deos nō cenſere. Athanaſius contra Gentes, *[Greek passage, largely illegible] ... Cognoſcendi enim Dei cauſa ſculpentes has figuras, vt dicitis, ipſius Dei honorem, vocabuláque ſculptilibus tribuiſtis.* Ambroſius ſermone decimo in Pſalmum centeſimum decimum octauum, *Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant.* Apud Clementem Recognitionum quinto, clamant Ethnici, *Nos ad honorem inuiſibilis Dei imagines viſibiles adoramus.*

XVIII. Quinetiam inſtar librorum eſſe dicebant ſimulacra, quibus erudirentur imperiti: Planè vt Gregorius olim, planè vt hodie Papiſtæ de ſuis imaginibus. Athanaſius contra Gentes, *[Greek passage, largely illegible], Si iſta pro literis ſunt vobis ad diuinitatem ſpeculandam, vt falsò iactatis, nō eſt æquum ea quæ ſignificant eo, quod ſignificatur, impenſius coli.* Arnobius libro ſexto, *Illud etiam dicere ſimulacrorum aſſertores ſolent, non ignoraſſe antiquos nihil habere numinis ſigna, neque vllum omnino ineſſe his ſenſum: ſed propter indomitum atque imperitum vulgus, quæ pars in populis, atque in ciuitatibus maxima eſt, ſalubriter ea conſiliòque formaſſe: vt velut quadam ſpecie obiecta his numinum, abiicerent aſperitatem metu.*

XIX. At Bellarminus contrà contendit ſimulacra ab Ethnicis deos appellari, vt ex Poëtis, & oratoribus patet. Sed & ex Danielis quinto, *Bibebant vinum, & laudabant deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ligneóſque & lapideos.* Et ex Sapientiæ decimotertio, *Appellauerunt deos, opera manuum ſuarum.* Sed ſolutionem ipſe petat à Papiſtica conſuetudine, cui ſolenne eſt oſcilla ſua, non alio nomine appellare, quàm eorū, quibus ſacrata ſunt: etſi non credant eſſe ipſiſſimos illos. Nam, quis neſcit aliâs Ethnicis etiam dici ſigna, dici ſimulacra, dici imagines? Atqui, vt imagines, ſimulacra, ſigna, ſint idipſum, cuius ſunt, nulla poteſt mens humana concipere. Deinde, ſi quid nōnulli: immò ſi quid plerique craſſius ſenſere: ij fuerunt, vt Arnobius loquitur, indomitum, imperitumque vulgus: quod genus hominum, ne apud Papiſtas quidem nullum eſt. Itaque vis argumenti manet. Non enim tantùm idololatræ erant, qui deos, ſiue appellabant, ſiue etiam credebant: ſed & ij, qui ſigna, ſimulacra, imagines eſſe ſciebant.

XX. Tertiò, Iudæi liberarentur etiam idololatriæ crimine. Nam ij non videntur idola ſic coluiſſe, vt non aliud crederent eſſe Deum, quàm id quod oculis videbant. Probatur ex vitulo, quem & fecerunt, & adorarunt in deſerto, Exodi trigeſimoſecundo, *Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Nam qui poterant ei vitulo iam recens conflato, tribuere ſuum ex Ægypto diſceſſum, qui eam conflationem præceſſerat, niſi ſtatuerent, id ſignum eſſe eius Dei à quo educti fuerant? Itaque Aaron edixit, *Cras ſolemnitas eſt Iehouæ:* quomodo ſolent etiam Papiſtæ in feſtis ſuorum Sanctorum, primas deferre imaginibus. Rurſus Iudicum decimo ſeptimo mulier quædam, *Sanctificaui, ait, & voui Iehouæ, mille & centum argenteos, vt faciam ſculptile, atque conflatile.* At Iehouæ nomen apud Iudæos, ſoli vero Deo tribui ſolebat.

XXI. Bellarminus contrà vehemens eſt. Primò, quia dicuntur dereliquiſſe Deum. Deuteronom. 32. Pſalm. 106. Hieremiæ 2. Deinde: Quia ſi Iudæi volebant tantùm ſignum corporeum, non erat opus, vt facerent vitulum, qui haberent nubem, & columnam ignis: quæ melius ducebant, quàm vitulus, qui erat portandus. Ergo non ſignum corporeum quærebant, ſed Deum corporeum. Tertiò, quia nulla cauſa reddi poteſt, cur vitulum potius quàm ouem: niſi, quia aſſueti erant videre Apim, vitulum

lum Deum Ægyptiorum. Quartò, quia Iosuæ vltimo datur optio Hebræis, an velint seruire dijs alienis, quibus Thare, & Nachor: an idolis Amorrhæorum: an Deo Israel. Ergo non putabant se in Idolis adorare Deum Israelis: alioquin inepta fuisset optio. Et prioris Regum decimo octauo, opponitur Baal, Deo vero. Deuteronomij trigesimo secundo, *Immolauerunt Dæmonis, & non Deo vero: Diis quos ignorabant*. Denique si in idolis coluissent Deum verum, falsò accusarentur seruisse Dijs alienis.

XXII. Respondeo ad primum, verè Deum verum relictum fuisse à Iudæis, cùm adoratus fuit vitulus: etsi in vitulo Deum ipsum adorarent: quia contra Dei mandatum id factum sit: quo prohibebatur Iudæis, vt antea visum est, omnino omne simulacrum, etiam Dei veri. Itaque Paulus ad Romanos primo, *Veritatem Dei mutarunt in mendacium, & coluerunt, ac seruierunt creaturæ potius quàm creatori*: vtrumque contingens: vt hoc ex eo consequi doceat.

XXIII. Ad secundum: respondeo Idololatrarum furores, non regi ratione: sed impetu. Itaque non debere inquiri rationem, cur hoc illi velint potius, quàm illud. Nam nec sanè Ethnicis deerant aliæ rationes sibi repræsentandi Deum, quàm per brutas effigies: & tamen eorum nonnulli malebant brutas effigies. Secundò, nubes, & columna nubis, non erant illis pro imaginibus Dei: neque adeo illas vnquam coluere: at illi volebant imagines. Tertiò, non quærebant deos, à quibus ducerentur: sed deos quos viderent: quæ caussa extitit idololatriæ: quum homines sensibus addicti, non possent in deitatem solo spiritu moueri. Itaque horum verborum, *Fac nobis deos, qui nos præcedant*, vel potius Hebraicè: *qui ambulent ad faciem nostram*, significant deos qui ita incederent, vt viderentur.

XXIV. Ad tertium: verisimile est, ex contagione ab Ægyptiis Israelitas mutuatos esse vitulū: quia sciebant ab iis bouem coli. Sed non sequitur, si Ægyptij ipsum illum bouem pro ipsissimo Deo habuerint, etiam Israelitas habuisse: tantùm ab iis eam formam esse mutuatos. Cæteroquin scruisse Apim non eduxisse se ex Ægypto: sed Deum verum. Quanquam nec Ægyptios bouem illum habuisse pro ipso Deo, sed pro boue consecrato multis probari potest. Id tamen nihil nunc ad me.

XXV. Ad quartum: non bene iudicari idololatrarum Iudæorum mentem, ex iis verbis, quæ accommodatè dicta sunt, ad id quod verum erat ex præscripto Dei. Verè alij erant Dij Thare, & Nachor, à diis Amorrhæorum: & vtrique à vero Deo: sed non propterea sequitur, Iudæos non putasse Deum se colere in Vitulo. Quanquam colebant reapse: Neque enim Deus colitur: nisi quomodo vult: cùm ergo non vult coli in imaginibus, omnino eum non colit, qui imagines colit: sed nihilominus putant homines se eum colere in imaginibus. Atque hæc eadem caussa est, quare accusentur seruisse alienis Diis: nimirum quia vitulo seruierunt, putantes se seruire Deo vero.

XXVI. Ad argumenta nostra iam respondet Bellarminus; ad illud de liberatione ex Ægypto, putasse Iudæos beneficium illud se accepisse non à Deo Mosis, sed ab Api. At quænam id ratio persuadet? Non enim, si Bellarminus dicit, ideo verum. Iudæi autem, qui sperare poterant se ab Ægyptiorum Deo liberatos, quem nunquam coluerant? à quo promissa nulla habebant? Quem etiam fauere potius Ægyptiis verisimile erat, à quibus impensè colebatur? Hoc verò est Israelitas, non in Idololatris enumerare: sed omnino ratione destitutos fingere. Cùm contrà haberent, & Patrum monita; & cultum proprium, & solemnia promissa: & miracula patrata, atque hæc quidem, quasi in contentionem venientes Deo illo Ægyptiorum. Denique Aaronem ipsum testem, quem quis credat non dixisse, *Cras festum est Iehoua*, ex suo sensu?

XXVII. Ad alterum de Iehoua, respondet bifariam. Primò: vere nomen ipsum *Iehoua* tributum fuisse à Iudæis idolo: atque id fortè significatum Sapientiæ decimo quarto, *Incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt*. Quia nullum sit nomen Dei incommunicabile, præter Iehoua. Et hoc, inquam, ita est: communicatum est Iehouæ nomen idolo: & sic communicatum, vt in Sapientia dicitur. Sed hoc testat, vtrum quomodo Bellarminus vult, an quomodo nos. Nihil ergo responsum est.

XXVIII. Secundò, duo fuisse apud Hebræos Idolorum genera: vnum sine nomine certi Dei, vt illud Michæ Iudicum decimo septimo: & fortè vitulum: alterum cum certo nomine, Baal, Moloch, Astarot, Chamos. De primo genere, admitti posse Iudæos putasse se in iis idolis colere Deum verum. Et in eo grauissimè peccasse, cùm idolo sacrificarent: & in eo vim diuinam inesse putarent: Deumq; imaginarentur esse corporeum, atque idolo similem. At hæc est plena confessio, quam volumus. Hoc enim fundamento nostrum argumentum nitebatur, quod in hoc vitulo se Iudæi putabant colere Deum verum: ac proinde non ipsum vitulum esse Deum verum. Nam cæteroquin peccasse nemo nostrûm negat: Imò, si non peccassent, non fuissent idololatræ. Quanquam & in vitulo fuisse vim diuinam: & Deum existimatum ei vitulo similem, vix sit verisimile: sed, vt de cæteris Israelitis dubitari queat: certè de Aarone, non poterit persuaderi.

Cap. XII.

Imagines non esse adorandas, neque propter se: neque propter exemplar.

I. Si adorandæ sint Imagines, ergo vel propter exemplar, vel propter se. At neutro modo: Ergo non sunt adorandæ. Consequentia per se patet: neque negatur à Papistis. Probatur assumptum per partes. Et prius de exemplari: Si propter exemplar adorantur imagines, ergo vel propter Deum; vel propter Sanctos. At neutrum. Ergo non sunt imagines adorandæ propter prototypum. Consequentia patet. Assumptum probatur.

II. Primò de Deo. Nam is non est adorandus in imaginibus. Origenes contra Celsum libro tertio, vbi probat Christiana dogmata [illegible], *consentanea communibus notionibus*: exemplo hoc: [illegible Greek]

[illegible Greek] , [illegible Greek] Θεὸν καὶ τὰ [illegible Greek] ... δημιουργόν. Hæc ita vertit Sigismundus Gelenius, *Vt enim persuasum sit vulgo à tot doctoribus vndiquaque prauas opiniones inculcantibus, de adorandis deorum simulacris factis ex auro, argento, ebore, marmore: attamen communis sensus iubet nos cogitare, Deum haudquaquam esse materiam corruptibilem, nec delectari hoc honore imaginum ab hominibus fabricatarum, quæ effigiem eius aut significationem repræsentent aliquam. Ideo statim succurrit de simulacris, non esse hæc numina: & de talibus artificum operibus non esse conferenda ad mundi opificem.*

III. Egregium locum, nec dignum qui festinando percurratur. Primò, constituit hoc in articulo sensum communem, & religionem. Secundò, non tantùm non esse Deum materiatum, sed ne quidem coli cùm in materia repræsentatur. Tertiò, in materia repræsentari ἢ κατὰ τὴν εἰκόνα, ἢ κατά τινα σύμβολα: neutro autem modo coli. Quartò, statuas non esse deos: neque vlla opificia, similia Deo. Distinguit igitur Origenes idola quatenus putantur Dij: & quatenus putantur repræsentare Deum. Et rursus hoc secundum distinguit, vel vt repræsentent tanquam imagines, nempe, cùm putatur eadem esse illorum forma & Dei: vel tanquam σύμβολα, id est, quæ adumbrant naturam, vel proprietates Dei: & illa omnia æquè damnat Origenes. Næ ille non potuit magis Papistas confodere. Primò enim sequitur peccare eos, qui adorant statuas non tantùm putantes esse ipsos Deos: sed etiam habentes pro imaginibus deorum. Secundò peccare qui adorant imagines Dei, non tantùm qui putant iis exprimi perfectè naturam Dei, sed etiam qui habent eas pro symbolis quibusdam: quæ est puta puta Iesuitarum Sophisticè.

IV. Ambrosius, contra Symmachum postulantem ab Imperatore, restitui ritus Ethnicos, *Non vult se Deus in lapidibus coli.* Et hîc præclarè. Cùm enim prius obiecisset Ethnicos colere opera manuũ suarum: Christianos verò iniuriam ducere, quod fieri potuit, Deum putari: intelligebat paratam Sophistarum exceptionem, ne Ethnicos quidem putare, ea suarum manuum opera esse deos: sed potius in iis Deum coli: præripuit euasionem: & negauit illud ipsum licere. Cur autem non licere? Quia nolit Deus. Certa ratio: nec Ethnicos tantùm feriens, sed etiam Pseudochristianos conficiens.

V. Hactenus de Deo. Nunc de Sanctis. Negamus propter Sanctos esse adorandas imagines. Nã cur? Disputatum est enim, neque Angelos, neque homines sanctos adorandos. Multo nunc ergo minus Angelorum, Sanctorumque imagines. Nam etsi contendant iconolatræ, eodem cultu venerandas imagines cum exemplaribus: at certè nemo hactenus disputauit plus imaginibus tribuendum quàm exemplaribus. Confirmant hoc argumentum creberrimæ Veterum exprobrationes, quòd hominum imagines Ethnici colerent. Tertullianus de Idololatria capite decimoquinto, *Recogitemus, omnem idololatriam in homines esse culturam, cùm ipsos Deos nationum homines retro fuisse, etiam apud suos cõstet. Itaque nihil interest superioris an huius seculi viris superstitio ista præstetur.* Lactantius libri secundi, capite primo, *Religiones deorum falsas esse monstrans: quòd ij quorum varios dissimilesque cultus per vniuersam terram consensus hominum stulta persuasione suscepit, mortales fuerint, functique vita diuina necessitati morte concesserint.*

VI. Atque ita probatum, non esse adorandas imagines propter exemplaria. Nunc ne per se quidem. Quod contrà sentit Bellarminus, asserens Imagines Christi, & Sanctorum venerandas esse, non solùm per accidens, vel impropriè, sed etiam per se, & propriè, ita vt ipsæ terminent venerationem, vt in se considerantur, & non solùm vt vicegerunt exemplaris. Quo vix quicquam Ethnicus dicere potuit magis Ethnicum. Imò, qui inter Ethnicos erant cordatiores, concedebant, tantum in iis Deum adorari. Sed argumenta Bellarminus habet. Primum à Synodo Nicæna secunda appellari Imagines venerabiles. Secundò, quia alioquin liceret dicere imagines non esse venerandas. Tertium, quia idem Concilium imagines eo modo venerandas sanciuit, quo Euangelia. Quartum, quia in eis sit aliquid sacri, nimirum similitudo ad rem sacram, & ipsa dedicatio, siue consecratio diuino cultui.

VII. Sed ex iis argumentis, tria prima sunt inepta. Cuius enim autoritatis est apud pios Concilium illud Nicænum secundum? Pascat se sanè suósque Bellarminus hac glande: at Catholici oblatas fruges Verbi Dei malunt: ideoque securè pronunciant anathema dicentibus, Imagines venerabiles. Tertia est falsa. Nihil enim sacri esse potest in imaginibus: non similitudo, non consecratio. Non similitudo, primùm Trinitatis, quia, vt antea disputaui, nulla est in iis similitudo Trinitatis, quæ nihil omnino habere potest simile: deinde neque in Angelis: nam Imagines omnes lineamentis constant, ex iisque formam habent, cui nihil in Angelis simile, qui sunt spiritus. Tertiò, neque in hominibus: quia, vt antea docui, ad pingendos eos non solent oris ductus exquirere. Alioquin poteram post Arnobium in sexto, *Vnde notissimè scitis, an simulacra hæc omnia, quæ sanctis immortalibus vicaria substitutione formatis, similitudinem habeant, referantque sanctorum. Potest enim fieri, vt barbatus in cœlo sit, qui esse à vobis effingitur leuis: potest vt senectute prouectior, cui puerilem commodatis ætatem: potest vt hic flauus sit, qui in veritate habeat oculos cæsios: dissolsus vt gestiret nares, quem ipsi vos facitis, figuratisque nasicam. Sed oris, vt dixi, nulla cura est: vtinam frontis aliqua.* Solent symbola παρέργων, Sanctosque sufficienter putant depictos, si capiti addant orbiculum pro pileo: Virgines, si palmam: Episcopos, si pedum, cum mitra: Abbates, si pedum solum: & similia plurima. Quin audio nonnunquam in compitis prostrare statuas, quæ eædem variis sanctis significandis seruiunt, mutatis duntaxat indiciis: vt, qui in vno festo Petrus erat cum clauibus: in alio, abiectis clauibus, sumptoque ense, Paulus sit, & idem rursus Andreas, sumpta cruce: aut Laurentius crate. Vt olim in Theatro, qui Dauus erat post modum fiebat Sosia: & qui Regem egit, personam gestat serruuli. Ita arbitraria: imò ita ludicra est res. At quis cuiusquã formam (quę debon sanè in imaginibus reperiri vel præcipuè.) *Neque enim* (inquit Arnobius in sexto) *rectum est dicere, aut appellare simulacrum, quod non parilis lineas principalis ab ore traducat*, quæ sunt in accidentibus, & quidem non propriis, sed communibus? Tum autem, etiamsi esset expressa forma, quis vnquam docuit hominis lineamenta esse sacra? Consecratio autem, quæ idololatrica est, exsecratio est potius.

VIII. Sed contra, habent Catholici omnia argumẽta, quæ olim contra Ethnicos vsurpata fuere, tum à Scriptura, tum à Patribus. Et primò Scripturę

turæ disertæ. Psalmo centesimo decimo quinto, *Simulacra Gentium argentum & aurum: opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.* Repetuntur ferè ad verbum Psalmo centesimo trigesimo quinto. Esaiæ quadragesimo, *Forte lignum & imputribile, elegit: artifex sapiens quærit quomodo statuat simulacrum, quod non moueatur.* Quadragesimo quarto, *Qui formauit deū, & sculptile conflauit ad nihil vtile? Ecce omnes participes eius confundentur: fabri enim sunt ex hominibus: conuenient omnes, stabunt, & pauebunt, & confundentur simul. Faber ferrarius lima operatus est: in prunis, & in malleis formauit illud: & operatus est in brachio fortitudinis suæ: esuriet, & deficiet: non bibet aquam, & lassescet. Artifex lignarius extendit normam, formauit illud in runcina: fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud: & fecit imaginem viri, quasi speciosum hominē, habitantem in domo. Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ steterat inter ligna saltus: plantauit pinum, quam pluuia nutriuit: & facta est hominibus in focum: sumpsit ex eis & calefactus est: & succendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus est deum, & adorauit: fecit sculptile, & curuatus est ante illud, Medium eius combussit igni: & de medio eius carnes comedit: coxit pulmentum, & saturatus est: & calefactus est. Et dixit vah, calefactus sum, vidi focum.* Hieremiæ decimo, *Lignum de saltu præcidit: opus manus artificis in ascia. Argento, & auro decorauit illud: clauis & malleis compegit: vt non dissoluatur. In similitudinem palmæ fabricata sunt, & non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent.* Plurima eiusmodi videre est & in Apochryphis, Sapientia, & Baruc.

IX. Ex quibus geminum elicitur argumentum: quod vtrumque luculentissimis illustratur Patrum testimoniis. Primum esto: Si imagines sunt adorandæ per se, & propriè, ita vt ipsæ terminent venerationem, ergo vel propter materiam, vel propter formam. At neutrum. Et hoc probatur per partes. Non propter materiam, quia nihil est, nisi aurum, argentum, lignum, & similia. Athæc non adoranda primò seorsus ipse communis dictat: secundò res ipsa: nam illa subiciuntur artificis manoi: agit in ea ignis. Lignum etiam partim dolatur, vt sit imago, partim amburitur ad calefaciendum, coquendumque panes. Quæ si dici non possint omnia de imaginibus Sanctorum, quas Papistæ adorant, æquè ac de Idolis Ethnicorum, erit quod sibi gratulentur. Sin omnia totidem syllabis mutato nomine de illis dici possunt, næ nobis ipsi gratulari possunt seriò, qui à tā turpi iconolatria discessimus.

X. Athanasius contra Gentes: *προσκυνοῦντες λίθους καὶ ξύλα, οὐχ ὁρῶσιν ὅτι τὰ μὲν ὅμοια τοῖς ποσὶ πατοῦσι καὶ καίουσι, τὰ δὲ τούτων μέρη θεοὺς προσαγορεύουσι. καὶ ἃ πρὸ ὀλίγου εἰς χρῆσιν εἶχον, ταῦτα διὰ τὴν ἀφροσύνην γλύψαντες σέβουσι.* Cùm adorant ligna & lapides, non vident se ea quæ illis similia sunt, calcare pedibus, & cremare. Horum verò partes deos appellare: & quæ parum absuit, quin suos in vsus verterent, hæc ipsa per amentiam postquam sculpserunt, colunt. Muta Deos in Sanctos, habebis graphicè Papistas depictos. Libet in hoc loco Arnobij exemplo, imò Arnobij verbis in sexto, tanquam si omnes adsint Papistico ex orbe nationes, voam facere concionē, atque in aures hæc omnium communiter audiendo depromere. Quid-nam est istud homines, quod ipsi vos vltro in tam promptis ac perspicuis rebus voluntariis fallitis & circumscribitis excitate? Discutite aliquando caliginem, regressique ad lumen mentis, intuemini propius, & videte istud quod agitur quale sit: si modò retinetis vos vestrum, atque in finibus his datæ rationis consilijque versamini. Simulacra ista, quæ vos terrent (iam & terrent) quæque templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso, ex ornatibus fortassè meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente: ex cacabulis, ollulis, ex candelabris, & lucernis: aut ex alijs obscenioribus vasculis congesta, conflata, in has species ducta sunt, atque in formas, quas cernitis exierunt: fornacibus incocta figulinis: ex incudibus & malleis nata: grossis rasa, dolabrata de limis: serris, forcipibus, aculeis, ascijs secta, dolata, effossa: terebrarum excauata vertigine, runcinarum leuigata de planis. Ies iste non error est? non vt propriè dicatur amentia?

XI. Non propter formam. Nulla enim mendax forma adorari debet. At Imaginum forma est mendax: Ergo imagines adorari non debent. Assumptio probatur: quia forma est omniū hominis membrorum, nec tamen vlla hominis membra. Theodoretus in Psalmum centesimum decimum tertium, *Simulacra quidem sensuum domicilijs induta sunt, operatione verò priuantur. Viliora igitur, non modò sunt iis, qui ipsa finxerunt, sed etiam minimis animantibus: quandoquidem musca, & culices, & his tenuiores, in sensuū sedibus vim habent: vident enim, & audiunt, & volant, & ambulant.* Athanasius contra gentes. *πῶς οὐκ ἂν εἶεν κατοδυρμοῦ ἄξιοι οἱ οὕτω φανερῶς ἐλεγχόμενοι τὰ ἄψυχα προσκυνοῦντες ἀντὶ τῆς ἀληθείας; Quomodo non sint miserè superstitiosi, qui ita apertè inanimata pro veris rebus adorare conuincuntur?* εἴθε γὰρ, εἴθε καὶ χωρὶς σχήματος αὐτοὺς τοὺς θεοὺς ἔπλαττεν ὁ τεχνίτης, ἵνα μὴ τῆς ἀναισθησίας φανερὸν ἔχωσι τὸν ἔλεγχον. [illegible] *Vtinam sine specie vlla artifex illis numina conformasset: ita enim fieret, vt non tam euidens sua aduersus se stoliditatis documentum ostenderent. Tum enim si signa, notasque sensuum non haberent, quales sunt oculi, nares, aures, manus, os, ipsis interim immobilibus, & sine vsu sensuum, sensibiliumque perceptione, simpliciorum animos fallere potuissent. Nunc contra habent, & non habentes stant, & non stant: sedent, & non sedent: nullam enim vim huiusmodi actionum possident: sed in eo statu, quo voluit artifex, permanent, diuinitatis argumentum nullum exhibentes: inanimati prorsus solum hominis arte, confisendi speciem habere conspiciuntur.*

XII. Secundum Argumentum. Nihil inferius homine, est adorandum ab homine. At Imagines sunt inferiores homine: Ergo Imagines non sunt adorandæ ab homine. Maior patet, quia omnis adoratio est honor: At omnis honor est inferioris ad superiorem. Probatur assumptio. Primò, Omne artificium hominis est inferius homine: At Imagines sunt artificia hominis. Ergo inferiores homine. Scriptura assumptum ponit per se notum, opera manuum hominum appellans. Athanasius contra

Gétes. ταῦτα δὲ διὰ τῆς χειρουργίας γλύψαντες σέβουσιν, οὐδὲ λογιζόμενοι τὸ παράλογον, ὅτι οὐ θεούς, ἀλλὰ τὴν τέχνην τοῦ γλύψαντος προσκυνοῦσιν. ἕως μὲν γὰρ ἄξεστος ὁ λίθος, καὶ ἡ ὕλη ἀργή, ἐπὶ τοσοῦτον ταῦτα πατοῦσι, καὶ τούτοις εἰς ὑπουργίας τὰς ἑαυτῶν πολλάκις καὶ τὰς ἀτιμοτέρας χρῶνται. ἐπειδὰν δὲ ὁ τεχνίτης εἰς αὐτὰ τῆς ἰδίας ἐπιστήμης ἐπιβάλῃ τὰς συμμετρίας, καὶ ἀνδρὸς ἢ γυναικὸς εἰς τὴν ὕλην σχῆμα τυπώσῃ, τότε δὴ χάριν ὁμολογήσαντες τῷ τεχνίτῃ λοιπὸν ὡς θεοὺς προσκυνοῦσι, μισθοῦ παρὰ τοῦ γλύψαντος αὐτοὺς ἀγοράσαντες. πολλάκις δὲ καὶ αὐτὸς ὁ ἀγαλματοποιός, ὥσπερ ἐπιλαθόμενος, ὧν αὐτὸς εἰργάσατο, τοῖς ἰδίοις ἔργοις προσεύχεται καὶ ἃ πρὸ ὀλίγου κατέξεε καὶ κατέκοπτε, ταῦτα μετὰ τὴν τέχνην θεοὺς προσαγορεύει. ἔδει δὲ, εἴπερ ἦν θαυμάζειν ταῦτα, τὴν τοῦ ἐπιστήμονος τέχνην ἀποδέχεσθαι, καὶ μὴ τὰ ὑπ' αὐτοῦ πλασθέντα τοῦ πεποιηκότος προτιμᾶν. οὐ γὰρ ἡ ὕλη τὴν τέχνην, ἀλλ' ἡ τέχνη τὴν ὕλην ἐκόσμησε, καὶ ἐθεοποίησε. πολλῷ δὲ μᾶλλον δικαιότερον ἦν τὸν τεχνίτην αὐτοὺς προσκυνεῖν, ἤπερ τὰ ὑπ' αὐτοῦ πεποιημένα. ὅτι καὶ προϋπῆρχε τῶν ἐκ τέχνης θεῶν, καὶ ὅτι ὡς ἠθέλησεν, οὕτω καὶ γεγόνασι. *Ea per amentiam adorant, quæ cælarunt: neque videntes, neque considerantes omnino, se non Deos, verùm cælantis artem adorare. Quandiu enim impolitus est lapis, & rudis materia, tandiu ista calcant, usque ad suos vsus, & quidem inhonestos abutuntur. Cùm primùm autem artifex in sua artis modulos aptarit eiq; materiæ viri, fœmineæ formam insculpserit, tum verò gratiis actis artifici, de cætero pro Diis adorant, pretio acquisitos ab statuario. Quin sæpe statuarius ipse, quasi oblitus ea se fecisse, suaipsius opera orat, quæq; paulo prius radebat, cædebatque, eadem post artificium, Deos appellat. Atqui si miranda hæc erant, artificis ingenium erat potius amplectendum, neque ei præferre propria opera oportuit. non enim artem materia: sed hanc ars expoliuit, ac deificauit. Multo erat igitur æquius, ipsum artificem ab iis adorari, quàm ab eo fabrefacta: præsertim cùm prior sit ætate Diis à se fabrefactis, illáque pro ipsius arbitrio, speciem suam acceperint.* Augustinus concione secunda in Psalmum centesimum decimum tertium, *Iam ergo artifex melior est eis, quia ea potuit membrorum motu, atque officio fabricare: quem tamen artificem te vtique puderet adorare.* Lactantius libri secundi capite quarto, *Quid igitur maiestatis possunt habere simulacra, quæ fuerunt in hominis potestate, vel vt aliud fierent, vel vt omnino non fierent.*

XIII. Probatur secundò: Quicquid indiget curà hominis ad sui conseruationem, est inferius homine. At Imagines indigent cura hominis ad sui conseruationem. Ergo Imagines sunt homine inferiores. Athanasius contra Gentes. καὶ τοῦ ποιήσαντος ἀνθρώπου ἀποθνήσκοντος, τὰ ὑπ' αὐτοῦ γενόμενα ὡς ἀθάνατα τιμῶσιν. ἃ εἰ μὴ τύχοιεν τῆς καθ' ἡμέραν ἐπιμελείας, πάντως τῷ χρόνῳ διὰ τὴν φύσιν ἀφανίζονται, *Mortuo artifice, eius opera quasi immortalia honorant: quibus nisi accedat quotidiana cura, planè cum tempore (quæ ipsorum natura est) in nihilum abirent.* Lactantius libri secundi capite quarto, *Adorant ergo mortalia, vt à mortalibus facta. Frangi enim, cremari, perire possent: nam & tectis vetustate labentibus sæpe comminui solent: & consumpta incendio, dilabuntur in cinerem: & plerumque (nisi sua illis magnitudo subuenerit, aut custodia diligens sepserit) in prædam furibus cedunt.* Minutius, *Quanta verò de diis vestris animalia muta, naturaliter iudicant, mures, hirundines, milui, non sentire eos sciunt, rodunt, inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso Dei vestri ore nidificant. Aranea verò faciem eius intexunt, & de ipso capite sua fila suspendunt: vos tergitis, mundatis, eraditis: & illos, quos facitis, protegitis, & timetis.*

XIV. Denique probatur ab ipsa hominis natura. Athanasius contra Gentes. Πῶς δὲ οὐκ ἄν τις αὐτοὺς οἰκτειρήσειε καὶ κατὰ τοῦτο, ὅτι βλέποντες αὐτοὶ, τοῖς μὴ βλέπουσι προσκυνοῦσι καὶ ἀκούοντες αὐτοὶ τοῖς μὴ ἀκούουσι προσεύχονται. καὶ ἔμψυχοι καὶ λογικοὶ κατὰ φύσιν ὄντες οἱ ἄνθρωποι, τὰ μηδ' ὅλως κινούμενα, ἀλλὰ ἄψυχα ὄντα, ὡς θεοὺς προσαγορεύουσι. *Quis eorum non misereatur? Etiam ob hoc, quod ipsi videntes, ea quæ non vident adorant: & audientes, non audientibus preces fundunt. & animati ac rationales cùm sint natura, eos qui ne tantillum quidem mouentur, sed inanimati sunt, tanquam Deos alloquuntur.* Lactantius libri secundi, capite primo, *Quanam istud ex causa fieri putemus? nisi esse aliquam peruersam potestatem, quæ veritati semper inimica, quæ humanis erroribus gaudeat. cui vnum ac perpetuum sit opus, offundere tenebras, & hominum obscurare mentes, ne lucem videant. ne denique in cælum aspiciant, ac naturam corporis sui seruent. Nam cùm cætera animantes pronis corporibus in humum spectent, quia rationem ac sapientiam non acceperunt, nobis autem status rectus, sublimis vultus ab artifice Deo datus sit: apparet istas religiones Deorum, non esse rationis humanæ: quia curuant cæleste animal, ad veneranda terrena.*

XV. Tertium argumentum, quia olim Imaginum vsus improbatus fuit in veteribus hæreticis, per quos primos id Diabolus operabatur, vt aliquando latius tanto errori viam pararet. Irenæus libri primi capite vigesimo quarto, *Gnosticos se vocant. etiam imagines, quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas, habent: dicentes formam Christi factam à Pilato, illo in tempore, quo fuit Iesus, cum hominibus, & has coronant, & proponunt eas, cum imaginibus mundi philosophorum: videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum: & reliquam obseruationem circa eas similiter vt Gentes faciunt.* Augustinus de Simone, libri de Hæresibus, capite primo, *Imagines, & suam, & eiusdem meretricis, discipulis suis præbebat adorandas.* Capite septimo de Carpocratianis, *Secta ipsius fuisse traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Iesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incensúmque ponendo.* Epiphanius hæresi vigesima septima, ἔχουσι δὲ εἰκόνας ἐνζωγράφους διὰ χρωμάτων. τινὲς δὲ ἐκ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου, καὶ λοιπῆς ὕλης: ἅτινα ἐκτυπώματά φασιν εἶναι τοῦ Ἰησοῦ, *Habent imagines coloribus depictas. quasdam etiam ex auro, & argento: aliáve materia: quas esse dicunt Iesu:* κρύβδην δὲ τὰς τοιαύτας ἔχουσιν εἰκόνας. ἀλλὰ καὶ φιλοσόφων τινῶν, Πυθαγόρου, καὶ Πλάτωνος, καὶ Ἀριστοτέλους, καὶ λοιπῶν. μεθ' ὧν φιλοσόφων καὶ ἕτερα ἐκτυπώματα τοῦ Ἰησοῦ τιθέασιν, ἱδρύσαντές τε προσκυνοῦσι, καὶ τὰ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελοῦσι μυστήρια, *Occultè autem has imagines habent. Præterea philosophorum quorundam, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorum: quibuscum reliquas Iesu ponunt: & eas erectas adorant, Ethnicorúmque mysteria peragunt.*

XVI. Audin' etiam Iesu imagines, & Pauli non probatas ab initio Christianis? Feuardentius in eũ Irenæi locum, vt ictum eludat, plurimas notat iustissimásque fuisse causas, Irenæo. In quo habet nos consentientes. Sed quas tamen illas? Primò, quia more Gentium thure & sacrificiis eis libabant, & tanquam viuentes Deos; supremo cultu adorabant. Secundò, quia prophanorum & impiorum simulacris illas miscebant: Christo æquando. Tertiò, quia dum occultè illas seruarent, cùm per Ethnicos palam liceret, indicium erat monstrosas, & prodigiosas fuisse: maximè, cùm talem Christum exprimerent, qualem portentosis animi opinionibus fingebant.

XVII. Respondeo ad primam caussam, illud de sacrificiis ab Epiphanio solo esse: & quidem vt videtur, per coniecturam. Nam cùm dixisset τὰ δὲ ἐθνῶν ἔθη ἐπιτελοῦσι, *cæterum pro more Ethnicorum faciunt:* prout habebat ab Irenæo addidit, πῶς δὲ οὐκ ἐθνῶν ἔθη, ἀλλ' αἱ θυσίαι καὶ τὰ λοιπά, *Quæ nam autem gen-*

tium

tum mos est, nisi sacrificare, & reliqua? Quasi, cùm ex Irenæo habuisset, obseruasse morem Gentilium, inde statim concludens: Ergo sacrificasse. Quam conclusionem videne omnes nullam esse. Nam Irenæi mens hęc est potius: hos hęrencos cùm tota reliqua sua vita Ethnici essent: tamen habuisse imagines Christi. Cæterùm reliqui de sacrificio nihil habent: Tantùm Augustinus de adoratione, & incenso. Quamuis & hoc ipsum, iurauerim esse glossema; additum à superstitioso quodam monacho: nam, incensum ponere, vix credo phrasin esse Augustino dignam: nec verò etiam colere adorando. Sed esto sanè ea lectio legitima: nihil enim nunc quidem interest. Nam & Papistę adorant: & incensum offerunt suis imaginibus. Secundò, illud *tanquam viuentes Deos*; à Feuardentio est: non autem ab vllo Veterum: itaque falsum. Enimuerò, contraria sunt: imagines, εἰκόνα πεποιημένα, & viuentes Dij. Porrò imaginem Christi, dicebant Carpocratiani factam à Pilato: quomodo ergo viuentem Deum? Reliquum de summo cultu, aliàs ostensum pertinere ad cultum religiosum.

XVIII. Secunda caussa, est etiam à Monacho somniante: nā etsi verum Carpocratianos miscuisse imagines Christi, cum imaginibus Philosophorum: tamen id nullus Veterum vitio vertit: tantùm recentes superstitiosi arripiunt, vt sibi delicias faciant. Quid ergo? Nempe, cùm in his videamus εἰκονολατρείαν, hoc ipso εἰκονολατρείας præiudicio, hâc mixtionem tanquam scelus obseruare, alterutrum necesse est, aut non fuisse tam perspicaces Irenæum, Augustinum, Epiphanium, aut certè aliud eis fuisse iudicium, quod sanè verius. Et quidem si bodie primùm ij hæretici describerentur à Papistis, aliùm sacramento contendere, [illegible]rum fuisse, vt distinguerentur capita: & illud de imaginibus Iesu & Pauli laudibus extolleretur: reliqua de Philosophis damnarentur. Numnam enim ita se gerunt in nouo orbe? Sanè in earum gentium describendis religionibus. cùm reliqua damnent facile, tum si quid speperiant de imaginibus, de cœlibatu, de monachatu: id verò seligunt studiosè, tanquam reliquias veteris Christianismi. Sic Gonsales Mendoza in Sinitatum descriptione, statuam tricipitem applicat mysterio Trinitatis: & alteram mulierculæ infantem in sinu gestantis, Virgini Mariæ.

XIX. Tertia caussa, est etiam somnium. Qui scit enim Monachus id factum, quod Veterum nemo dixit? Sed occultè habebant. Quid tum? Nisi forte rectè Ethnici, ex nocturnis Christianorum cœtibus, colligebant, asininum caput, & canem, candelabrum, atque offam. Sed hæ ridiculæ sunt somniationes. Illud proclitius, occultasse pręmetu, quia qui Christum colebant, odio erant gentibus. Sed licebat per Ethnicos palam habere: inquit monachus. Ita sanè imagines Philosophorum: at non æquè Christi. Itaque de industria videtur Epiphanius distinxisse. Clam, inquit, istas habent imagines, nempe Christi: nam de Philosophorum nondum erat loquutus.

XX. Enimuerò quod addit de portentosis eorum opinionibus, quorsum spectat? Nam Carpocratiani de figura corporis Christi nihil leguntur absurdi docuisse. Prateolus in Elencho, *Docebat Carpocrates, Christum non ex Maria Virgine, sed ex semine Ioseph purum hominem natum: virum quidem bonum, & Sanctum, fuisse affirmans, & cuius anima, post crucifixum corpus in cælum sit recepta, caro verò in terra dimissa.* Blasphemè sanè: quis enim dubitat? Sed nihil ad monstrusas imagines.

Cap. XIII.

De Concilijs prohibentibus Imagines.

I. Habent Catholici etiam consensum Orthodoxæ Antiquitatis: Primùm Concilia, deinde Patres sigillatim. Concilium Elibertinum Canone trigesimo sexto, *Placuit, picturas in Ecclesiis, esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Sensus in promptu, non esse pingendum in parietibus, quod adoratur: ergo vicissim, non esse adorandum, quod in parietibus pingitur. Coactum est autem id Concilium ante Constantinum Imperatorem: ac proinde à Baronio refertur in annum trecentesimum quintum: ita erit annis circiter viginti antiquius Nicæno primo: quanquam Richeomus de Imaginibus capite duodecimo triennio faciat recentius, referens ad annum trecentesimum vigesimum secundum.

II. Contra hoc Concilium variæ sunt exceptiones Papistarum, apud Bellarminum, de Sanctis libro secundo, capite nono. Baronium, Annalium tomo primo, anno quinquagesimo septimo. Andradium Orthodoxarum Explicationum libro nono. Alanum Dialogorum libro quinto, capite decimo sexto. Croquetium Catechesi quinquagesima sexta. Vasques capite secundo, disputationis centesimæ quintæ in tertiam. Thomæ. Costerum Enchiridij capite de Imaginibus. Bolengerum contra Plessæi libri secundi caput secundum. Richeomum de Imaginibus capite duodecimo. Primò eius Concilij autoritatem petunt. Fuisse particulare, ac nouendecim Episcoporum duntaxat. Itaque non præualere generalibus, nec potuisse aliud statuere, quàm vniuersalis vbique obseruaret Ecclesia. Et esse in eo Concilio pleraque accedentia ad Nouatianos, vt illud de neganda communione quibusdam capitaliter peccantibus. Denique videri suppositium Canonem: Quia à veteribus Iconomachis nunquam citetur: non ab antiquissimis Canonum collectoribus. Hæc omnia Baronius.

III. Iam de Canone ipso. Andradius & Costerus agi de imaginibus, quæ diuinitatis formam exprimerent: accedit Bolengerus, asserens agi de Imaginibus Trinitatis. Alanus. Ne more Gentilium, qui vndique circumfusi erant, Christiani suas picturas colerent, siue ne rudis populus, & recens ad Christum traductus, occasione picturarum, ad veterem idololatriam relaberetur. Et ita Bolengerus censet. Sanderus libro secundo de cultu imaginum, citante Bellarmino: ne Gentes existimarent Christianos, adorare ligna, & lapides. Bellarminus, Richeomus, Dauius, Vasques, atque alij: Non omnes imagines prohibitas: sed duntaxat ad parietem pictas: ne vel humore parietum, vel situ, vel alia ratione corrumperentur: vel denique ne à Paganis templa diruentibus, ludibrio haberentur: sed possent vnà cum aliis ornamentis deferri in domos priuatas. Alanus adhibet explicationem huius canonis ex Iuone, Picturas, nō esse adorandas in Ecclesia: sed quod adorandum est, mentibus fidelium per eas ad memoriam reuocandum

Iouerius censet hunc Canonem conditum propter aliquem errorem tum temporis, qualis est error Anthropomorphitarum. Denique dupliciter concludunt ex eo Canone: primò, fuisse ergo in vsu picturas apud Christianos: non enim prohiberentur, si non essent: deinde, fuisse honoratas: quia id, ne pingerentur in parietibus, ad vitandam corruptionem, & Ethnicorum ludibrium, pertinet ad honorem imaginum.

IV. En mirum Papistarum ingenium! En desperatam Sophisticen! quæ quid dicat, pensi non habet, dum dicat: verum an falsum, verisimile an absurdum: audax an modestum: perinde est, dum à præiudicata opinione ne discedant. Qui modestiores videri volunt, laborant in soluendo nodo: qua hinc, qua hac. Reliqui, cùm nihil vident verisimile in illorum adinuentionibus, malunt Alexandri more, secare. Illi igitur non commodum veritati, sed sibi commodum sensum affingunt: isti prorsus & sensum, & verba, & Concilium adeo ipsum oderc. Mentis-ne sanæ hæc indicia? Certè non caussæ bonæ. Omnes magno labore, nihil promouentes. Quanto seuerior, constantior, & vno verbo maiestate Romana dignior, Melchior Canus, qui locorum libri quinti, capite quarto, *Leges aut nimis duras, aut parum rationi consentaneas à concilijs prouincialibus interdum editas non est negandum. Qualis illa, non imprudenter modò, verùm etiam impiè, à Concilio Elibertino lata de tollendis imaginibus.* Euge! Euge! Annquum obtines.

V. Fuit Elibertinum Concilium particulare, & paucorum Episcoporũ. Sanè inquam. Sed quid? nullum-ne Concilium particulare quicquam loci habet apud Papistas? Imò ne Oecumenicum quidem: nisi suo Ioui commodum. Sic enim Trullense, Basiliense, Constantiensèque, haud magnifaciunt, quia minuunt eius autoritatem. At apud Catholicos non est nullius nominis Ancyranum, etiam particulare, & Episcoporum octodecim dũtaxat: Neocæsariense, septendecim: Gangrense, sexdecim. Et fuerunt hæc Concilia vicina Elibertino. Agrippinensi interfuere tantùm quatuordecim. Toletano primo, non plures viginti. Vasensi primo octodecim. Venetico sex. Tarraconensi decem. Ilerdensi octo. Valentino in Hispania sex. Cæsaraugustano duodecim. Quid est igitur quod paucitatem Elibertino obiiciant? Sed prouinciale oportet cedere vniuersali. Itáne? Sardicense Ariminensi? Absit. Nam Ariminense Arianum fuit. Itaque merita spectãda sunt. Si Elibertino obiiciuntur Concilia Vniuersalia Catholica: necesse est illud cedere. Sin hæretica, præualere. Quæcunque autem Concilia Imaginum adorationem probauerunt, hæretica fuerunt.

VI. Accessit ad Nouatianos. Sic Baronius: sed iratus, dum puparum suarum caussam ageret: & oscillorum zelo feruidus, non posset pati, ea sibi auferri. Sed idem placatior, cùm deferbuisset ira, anno trecentesimo quinto, paragrapho quadragesimo primo, fatetur se paulo liberius de hoc Concilio loquutum esse: & adhibet testimonium Innocentij tertij eos Patres excusantis. Imò, vt hominem agnoscas, ex cuius ore prodeat calidum, ac frigidum, eodem ipso loco, vbi de Nouatiano dogmate agit: eodem etiam adscribit, *Cæterum, quòd sciamus eius conuentus Episcopos fuisse Catholicos, de Nouatiana hæresi nulla suspicio esse debet.* Et erant sanè inter quæ eos magnus ille Osius, tam seriò laudatus Athanasio: is, inquam, qui Niceno Concilio interfuit: & si Papistis credimus, præfuit. Quanquam inter Nouatianos & Catholicos, nulla vnquam controuersia fuit de imaginibus.

VII. Suppositititium Canonem esse & iisdem autoribus discipulis Claudij Taurinensis fingi potuit, ab eo cui nihil inausum. Sed fingendi nulla caussa fuit. At, inquit, à veteribus Iconomachis nunquam citatur. Quibus, inquam? Græcis-ne? Nihil mirum, quibus præter Synodos Africanas, nullas ferme fuisse cognitas Latinas: aut adeo paucissimas. At citatur à Latinis Iconomachis. Agobardo Lugdunensi, *Rectè nimirum ob huiusmodi euacuandam superstitionem, ab Orthodoxis patribus definitum est, Picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* At enim antiquissimi Canonum collectores nunquam citant. Quid ergo? Dicat-ne Baronius omnes Canones esse suppositios, quos ij Collectores non citant? Imò, inquam, ne vllum quidem citant alium huius Concilij Canonem: imò Concilium ne nominant quidem. Et tamen Concilium fuisse Baronius non negat. Quanquam Iuo Carnotensis in sua Collectione non omisit. Ergo frustra, siue Concilij, siue Canonis autoritas vellicatur.

VIII. Eos, qui Imagines Dei, siue Trinitatis solas intelligi volunt: Itemque eos, qui factum dicunt Canonem, ne Pagani crederent à Christianis ligna adorari, & eos, qui censent tum cœpisse imagines coli tanquam Deos, Bellarminus refutat. Et sanè quis stuporem tantum tantis viris affingat, vt cùm significare vellent hoc tantùm, Deitatem non pingendam, dicerent placere in Ecclesiis picturas non esse? Quasi picturæ nullæ essent, nisi Deitatis. Longè prudentiores Papistæ. Nam etsi non probent imagines [illegible], aut [illegible], nemo tamen tanto in earum prohibitionem zelo feratur, vt dicat placere nullas esse in Ecclesiis imagines. Et credant se patribus circumspectiores in loquendo?

IX. Eadem absurditas in iis qui de Anthropomorphitis garriunt: & qui de Paganorum suspicionibus. Solent (vt vulgo fertur) viri boni alios metiri ex se ipsis. Næ igitur Papistæ viri boni non sunt, qui id Patres Ethnicis concessisse putant, quod nobis ipsi adduci non possunt vt gratificentur: nam etsi millies obiiciamus, coli ab iis lignum & lapides, tamen obtineri non potest vt pronuncient. Placet in Ecclesiis picturas non esse. Quin putant se satis purgatos, si negent. Mirum, si sua Patribus sinceritas minus satisfecit. Quanquam quis monitore opus habet, vt videat multis parasangis distare eos qui dicunt, *ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur*, ab iis qui supponunt, ne Ethnici putent nos lignum & lapides adorare? Enimuerò illi significant quid sui sit officij: hi verò, quid sit alienæ suspicionis. Et tamen hoc inuentum Bellarminus non improbaret libenter. Hæc solutio, inquit, bona est. Et post, fateor tamen rationem canonis ei non multum quadrare.

X. Iuonis commentum, soli placuit Alano, & Croquetio: & ita quidem Alano, vt nõ putaret meliorem interpretem dari posse: sic habent suas labra lactucas. Patres dicunt: ne quod adoratur in parietibus pingatur: hoc est, inquit Iuo, picturæ non sunt adorandæ, sed quod adorandum est, per picturas debet repræsentari. Mirum ni tota plan[e]t

Theatra-

Pheta . Sed mali . . . iidem Patres edicût, non placere esse pi . . . . . Ecclesia. Quid ergo? possunt ne si omnino non sint, quicquam repræsentare. Non posse, assentientur omnes. Ergo, inquam, Patribus istis bonis, peruersus suo situm sensum imposuit. Nam huiusmodi interpretibus facilè vincant Papistæ. Nec video quid eis sit opus tot argumenta coaceruare; cur non enim illud, *Non facies tibi sculptile*, illis significet, sculptilia repræsentare id quod est adorandum? Atque ita diserto Scripturæ decreto, quæ negat facienda sculptilia, ipsi euicerint facienda sculptilia.

XI. Tandem Bellarminus, alioquin censor seuerus, & Vasques, acquiescunt iis, quæ dicunt tantum Patres voluisse, ne parietis humore, aut ruina, aut situ imagines corrumpantur: itaque non omnes imagines prohiberi: sed eas dumtaxat, quæ in ipsa parietis superficie describuntur, & incrustantur. At primò, si id serio credunt, cur non tanti Patrum amatores idipsum hodie curant prohibendum? Nam istud egregium est artificium, quo nobis persuadeatur, eos, qui nollet picturas in Ecclesiis esse, maiores esse, aut certè delicatiores imaginum cultores, quàm eos, qui omnia replent imaginibus. Nam isti sanè easdem hoc iter incrustant, nec verentur humorem, situm, ruinam. Credo, quia iam paulatim fiunt hæretici: & incipiunt malè consultum velle imaginibus. Atqui illæ ipsæ tabulæ, quas permissas volunt, primò ponuntur ad parietem: ponuntur in Ecclesiis: & disertè placuit illis non esse picturas in Ecclesiis. Deinde etiam ruina muri corrumpi possunt. Tertiò etiam facilius corrumpi in lino, aut tabula quam in muro. Vtrumque tinea rodit: non rodit murum. Vtrumque facilius scinditur. Itaque ridiculi Patres fuerunt: imò non Patres, sed noui Patrum incrustatores; qui corruptioni præcauentes eas prohibuerint picturas quæ difficilius: eas permiserint, quæ facilius corrumpi possunt.

XII. Itaque vltima illa subtilitas de honore imaginum . . . . Si enim non factum est metu corruptionis, aut ludibrij. Ergo neque honoris caussa. Penultima; quæ concludit fuisse ergo imagines, etsi nullam habeat necessariam consequentiam: possunt enim prohiberi non tantùm quæ sunt, sed etiam quæ non sunt, vt ne sint: quomodo Adamo prohibitus fuerat esus pomi: non quia iam vsurpatus esset, sed ne vsurparetur. Tamen est verisimilior. Nec fuerat tamdiu Papistis exspectandum, vt suum istud ratissimum acumen admirandum exhiberent. Nam cur non potius ab initio; & cùm obiiciebatur secundum legis mandatum? Nam eo prohibentur sculptilia. Cur nõ igitur similiter: Ergo erant sculptilia? Habuissent nos confitẽtes. Nam & si quis ex eo quod prohiberi videt homicidia, furta, adulteria, concludat: Ergo fuisse homicidia, furta, adulteria: nõ absurdè faceret. Nos ergo sic dicimus vsu parum fuisse cultum imaginum, quomodo adulterium, quomodo furtum, quomodo homicidium: nempe quia erat quidem, sed erat à malo: ac proinde seuerè prohibendus.

XIII. Superest Alani & Bolengeri explicatio: ita faocitum à Patribus, ne more Gentilium, Christiani suas picturas colerent: & ne sudis populus, occasione picturarum, ad veterem idololatriam relaberetur. Et his absit vt contradicamus. Omnino ita est: & hic sensus genuinus horum verborum, ne, quod colitur & adoratur, in parietibus pingatur: quæ supponunt, Ethnico more fieri, vt & quod adoratur, in parietibus pingatur. Et quod pingitur in parietibus, adoretur. Nam Christiani, adorabant tantum in spiritu & veritate. Itaque obtinuimus quod volumus: atque vtinam vereantur Papistæ, ne incidant in Paganismum: imò pudore afficiantur, quod & à Deo moniti, & ab hominibus, tamen sibi non caueriut.

XIIII. Cloquetius. Idem Concilium iubet in domibus priuatis tolerari idola à dominis, si tanta sit seruorum ferocia, vt aliter nolint: Canone quadragesimo primo. Quis ergo putet non permissuram Christianas imagines? Canone sexagesimo, negantur habendi pro martyribus, qui inter deiiciendum idola Gentilium fuissent occisi: quia nusquam legimus Apostolos per tumultum idola confregisse, deiecisséve. Corrigitor Caluinistæ nõn credunt, nusquam in Scripturis imaginum mandatam esse confractionem.

XV. Verùm hæc sunt . . . . . . somnia. Iubentur domini tolerare idola, si seruos habeant præfractos. Ergo permittendæ sunt imagines Christianæ. Quasi eadem ratio esset tolerandi, & permittendi. Quasi idem sit timere ab impudentia seruorum, & Ecclesiæ leges dare. Quasi denique, vt idola fuerunt Ethnicorum; sic vllas imagines Christianas, Catholici agnouerint. Enimuerò, si non sit martyr, qui in deiiciendo idolo est occisus: an ideo non sunt deiicienda idola? Imò verò certum, nec in Scriptura eos dici martyres: & in Scriptura deiectionem præceptam idolorum, imò & imaginum.

XVI. Atque hactenus de Synodo Elibertina. Deinceps longum fuit in Synodis silentium de imaginibus; donec tandem animaduersum est, & vix animaduersum, paulatim sui oblitos Christianos, indulsisse priuato imaginum vsui: & quidem primò ad repræsentandum: inde etiam ad pietatem: denique ne templa quidem pura remansisse: & palam plebem insanisse post imagines. Tum verò non potuit restrantari, tam fœda, dissimulari: & insurrexere nonnulli vindices pietatis; qui bano . . . . . . detestarentur ita ut eas à seipsis procul abiicerent: à plebe etiam arcere vellent. Hic verò immanè quanti tumultus excitati. Historiam fusissimè describit vir illustrissimus Plessæus capite tertio & quarto libri secundi de Eucharistia. Ego perstringam: quia mihi tantùm Concilia necessaria.

XVII. Quum iam annos non paucos disputatum acerrimè fuisset in vtramque partem de imaginibus, tandem Constantinus Caballinus Leonis Isauri filius, Concilium coegit Episcoporum trecentorum triginta octo, Constantinopoli, voluitque appellari Oecumenicum septimum. Definitum est imagines non adorandas: *Ex his à Deo inspiratis Scripturis, & beatorum Patrum sententiis stabiliti, & super petram cultus diuini in Spiritu pedes confirmantes, in nomine Sanctæ & superssubstantialis viuifica Trinitatis, vnanimes, & eiusdem sententiæ, nos qui sacerdotij dignitate succincti sumus, simul existentes, vna voce definimus, omnem imaginem, ex quacumque materia improba pictorum arte factam, ab Ecclesia Christianorum reiiciendam, velut alienam & abominabilem. Nemo hominum qualiscumque tandem fuerit, tale institutum, & impium, & impurum post hac sectetur. Qui vero ab hoc die imaginem ausus fuerit sibi parare, aut adorare aut in Ecclesia, aut in priuata domo constituere, aut clam habere, si Episcopus fuerit, aut diaconus, deponatur: si*

tuere, aut clam habere, si Episcopus fuerit, aut Diaconus, deponetor: si verò solitarius, aut laicus, anathemate percellitor, imperialibúsque constitutionibus subiicitor, vt qui diuinis decretis repugnet, & dogmata non obseruet. Et super eadem re varij anathematismi concipiuntur.

XVIII. Communicauit Imperator omnia Pipino, eius nominis primo, tum apud nos regnanti: quo autore coacta est Synodus illa Gentiliaca, de qua paulo antè dictum: cuius, vt dicebam, exitus qui fuerit, non constat. Annis autem circiter triginta post Constantinopolitanum Concilium, Irene, cum Constantino filio imperium administrante, indicitur Concilium Constantinopolin; in quo de Imaginibus acriter certatum est, nec obtineri potuit, quod Irene & Tarasius vehementer vrgebant: itaque dissolutum Concilium, re infecta. Annóque sequenti celebratum illud Nicænum; vbi superiores fuerũt οἱ εἰκονολάτραι: sancitúmque, vt non tantùm haberentur, sed etiam colerentur imagines.

XIX. Adrianus, eius nominis primus, tum Romæ sedebat. In Gallia regnabat Pipini filius Carolus Magnus, ad quem Adrianus legatos mittit, vnà cum actis Nicænæ illius Synodi. Quam ob caussam, iubet Carolus Episcopos ex Italia, Gallia, Germania, Francofurtum ad se conuenire. In eo conuentu agitata diligentissimè quæstio de Imaginibus, tandémque definitum contra Concilium Cõstantinopolitanum, Licere imagines haberi: sed contra Nicænum, prolixius & seuerius, non posse adorari absque impietate. Et editur liber continens exactam refutationem Actorum Nicænorum, qui sub nomine Caroli Magni legitur, donatus publico à Ioanne Tullio Episcopo Meldensi, Lutetiæ impressus anno superioris seculi quadragesimo nono.

XX. Contra Synodum Constantinopolitanam ita legas in præfatione, *Gesta sanè est ante hos annos in Bithyniæ partibus, quædam Synodus, tam insanta, támque indiscretæ procacitatis, vt imagines in ornamentis Ecclesiæ, & memoria rerum gestarum ab antiquis positas, incauta abolerent abdicatione: quódque Dominus de idolis præcepit, hos illi de cunctis imaginibus perpetrarent. Nescientes imaginem esse genus, idolum verò speciem: & speciem ad genus, genus ad speciem referri non posse. Nam cùm penè omne idolum imago sit, non omnis imago idolum: alterius, & longè alterius definitionis est idolum, alterius imago: cùm videlicet ista ad ornamentum, vel ad res gestas monstrandas fiant: illud autem nunquam, nisi ad miserorum animas sacrilego ritu, & vana superstitione illiciendas.* Vbi notandum σφάλμα, Bithyniæ pro Thracia. Non enim in Bithynia Constantinopolis, vbi decretum fuit contra imagines: sed Nicæa, vbi illud decretum reprobatum. Probarunt ergo Francofurtenses patres vsum imaginum in Ecclesia, qui non excederet ornamentum, aut historiam. Ideóque improbatum imagines deiici, frangique, & conteri.

XXI. Verùm paucis egisse contenti ea de re, vtpote non magni momenti, deinceps toti occupantur in Synodo Nicæna coercenda. *Gesta præterea est ferme ante triennium & altera Synodus, illis in partibus, ab eorum, qui priorem gesserant, successoribus, vel à plerisque qui in priore fuisse narrantur: quæ tamenquanquam à priore distet voto, non tamen distat errore: etsi dispar est negotio, est tamen compar flagitio: & cùm sit posterior tempore, non tamen est posterior crimine. Nec immeritò in vnum barathri cœnosum lacum, quanquam per diuersa fluitantes, confluere videntur, quæ ab vnius iactantia, & vana laudis fonte scaturisse creduntur. Hac enim anathematizata & abominata sunt suis autoribus priore, imagines, quas prior nec etiam cernere permiserat, adorare compellit. Et vbicunque, siue in diuinæ Scripturæ locis, siue in Sanctorum Patrum commentariis, quamcunque reperirunt imaginum mentionem, ergo sui voluntatis arbitrium vertunt in adorationem.* Et post pauca, *Cùm in neutra parte, iniquosi, neque illi, temperantiæ teneantur habenis, sed vtrique præcipites per abrupta discurrant, & dispari cursu ferantur: vno tamen occursu sponsæ Christi Ecclesiæ, cui ipse dicit in Canticis Canticorum, Tota speciosa es, amica mea, & macula non est in te: maculam inferre conantur: dum & illi ea benè habita abiicere: & isti benè habitis malè vti suadent: dum scilicet & illi ei ornamenta auferre studeant, & isti eam ornamenta adorare permoneant.* Et iterum, *Nos denique Propheticis, Euangelicis & Apostolicis Scripturis contenti, & sanctorum orthodoxorum Patrum, qui nullatenus in suis dogmatibus, ab eo qui est via, veritas & vita, deuiarunt, institutis imbuti, & sanctas, & vniuersales sex Synodos, quæ pro variis hæreticorum* (sic solent hæreticos appellare) *infestationibus à sanctis & venerabilibus patribus gesta sunt, suscipientes, omnes nouitates vocum, id est, stultiloquas adinuentiones abiicimus: & non solum non suscipimus, verùm etiam tanquam purgamenta despicimus sicut & eam quæ propter adorandarum imaginum impudentissimam traditionem in Bithyniæ partibus gesta est, Synodum. Cuius Scripturæ textus eloquentia, sensúque carens, ad nos vsque peruenit: contra cuius errores ideo scribere compulsi sumus, vt sicubi forte aut manus tenentium, aut aures audientium inquinare tentauerit, nostri styli diuinarum Scripturarum autoritate armati inuectione pellatur: & inertem, vel potius inermem Orientali de parte venientem hostem occidua in parte, per nos, fauente Deo, allata sanctorum Patrum sententia feriat.* Hæc in præfatione. Cæterùm in libri serie plurima sunt vehementi stylo in Synodum Nicænam declamata, refutatis etiam singulorum suffragiis. Summa est, damnatam fuisse Synodum Nicænam; ac proinde imaginum Christi, & Sanctorum adorationem.

XXII. Nec satis fuit Carolo suæ iurisdictionis populis ita cauere, quin & Angliæ prouidit. Matthæus Vestmonasteriensis ad annum septingentesimum nonagesimum tertium, *Carolus, rex Francorum, misit librum Synodalem ad Britanniam, in quo vera fidei multa reperta sunt obuiantia, & eo maximè, quòd penè omnium Orientalium doctorum vnanimi assertione est definitum, Imagines adorari debere: quod omnino Ecclesia Catholica exsecratur. Contra quod Albinus scripsit epistolam, ex autoritate diuinarum Scripturarum mirabiliter dictatam, illámque cum eodem Synodali libro, in persona Episcoporum ac principum, idem Albinus ad regem attulit Gallicanum.*

XXIII. Carolo Magno succedit in Imperio Ludouicus filius. Ad eum, legatis missis, Michael & Theophilus, Græci Imperatores, exponunt apud se durare dissensiones ex imaginum occasione. Quam ob caussam cogit Ludouicus Synodum Parisiensem, cuius acta edita sunt Francofurti anno superioris seculi nonagesimo sexto. In ea rursus damnata Imaginum tum euersio, tum adoratio. Et statim initio de Adriano Papa: *Sicut iustè reprehendit illos, qui imagines Sanctorum temeraria ausu in illis partibus confringere, & penitus abolere præsumpserunt: sic indiscretè noscitur fecisse, in eo quòd superstitiosè eas adorari iussit: pro quarũ etiam caussa Synodũ congregari præcepit, & sua autoritate sub interminatione censuit, vt erigerentur & adorarentur, & sancta nuncuparentur, cùm eas erigere licitum, ado-*

rare verò usus sit. Et post. *Sicut illi multum deuiauerunt, qui imagines Sanctorum in illa alia Synodo, quæ sub Constantino, auo memorati Constantini, facta est, penitus abdicandas esse decreuerunt. sic isti non mediocriter errauerunt, qui eas non solum coli & adorari, & sanctas nuncupari sanxerunt: verùm etiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt.* Deinceps multas colligunt sententias ex Patribus, distributas in partes duas. Priores inuicem, *Congruum necessariumque iudicauimus primum sententias Sanctorum Patrum colligere, contra eos qui imagines non solum ab ædibus, sed etiam à sacris vasis indiscretè abolere præsumunt.* Posterioris autem. *Hactenus contra eos qui imagines Sanctorum abominando euertunt, breuiter dicta sufficere credimus. Nunc contra eos, qui indebito cultu eas colunt, & adorant, & sanctas nuncupant, & sanctimoniam se per eas adsequi fatentur, sicut in illa Synodo Græcorum insertum inuenimus, sanctorum Patrum dicta adnectendo subiecimus.*

XXIV. En tibi quatuor Synodos, quæ totum ferè Occidentem, excepta vrbe Roma, cum paucis, si fortè, vicinis, complectuntur, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Angliam: & has omnes in eam conspirantes sententiam, vt imagines quidem habere liceat, ornamenti gratia, & historiæ: nequaquam verò adorationis: quæ nostra est controuersia.

CAP. XIV.

Exceptiones Papistarum contra præcedentes Synodos.

I. PApistæ nonnulla excipiunt contra has Synodos. Constantinopolitanam Bellarminus illegitimam probat. Primò, quia absente Romano Pontifice: testibus Zonara, Cedreno, Paulo Diacono, & Synodo Nicæna secunda. Esse autem regulam, sine sententia Romani Pontificis, non licere Concilia generalia celebrari: teste Socrate libri secundi capite decimo tertio. Secundò, quia non consenserunt vlli Patriarchæ. Tertiò, quia nemo enumerauit in generalibus. Quartò, ei derogatum fuisse per Concilium plenarium & verè generale, nempe Nicænum. Addit quintò, eandem Synodum contra nos sentire de cultu & inuocatione Sanctorum, & de meritis operum: itaque nostram esse incredibilem vel stupiditatem, vel impudentiam, qui eam laudemus, à qua anathematizamur.

II. Sed hæc sunt nihili. An fuerit Synodus Oecumenica, susque dèque habemus: neque enim solas illas probandas vnquam didicimus: & etiam in particularibus, non desunt canones optimi, sanctissimique. Nicænum secundum, ne ipsum quidem Oecumenicum fuit; vtpote à maxima parte orbis Christiani improbatum. Nam & Græci plurimi reluctabantur: & Occidens penè totus damnabat: itaque nomen solum obtinuit œcumenici: rem ipsam nunquam habuit. Quanquam nec Oecumenica quidem certa sunt; vt Ariminense: cui omnes Patriarchæ consenserunt, uno Romano quidem excepto.

III. Non fuisse legitimum, hoc verò non probat Bellarminus. Nam neque certus ille Canon est, quem Socrates notat: nec nisi ad Oecumenicas Synodos pertinet. Ididem de Patriarchis dico. Derogatum ei fuisse à Nicæno, certum; at non à verè Oecumenico: certè non ab Orthodoxo. De Sanctis & meritis scimus esse verum, non rectè sensisse eandem Synodum. Sed quid tum? Quomodo Papistæ propter prohibitam imaginum venerationem, non damnant cultum Sanctorum, & merita: sic nos propter cultum Sanctorum & merita, non possumus damnare damnationem imaginum. Et quidni nos renouemus exemplum Papistarum, qui Concilia, Sardicense, Syrmiense, Trullanum, Francofordiense, Constantiense, Basiliense, partim confirmant, partim reprobant, teste Bellarmino, capite septimo de Conciliis? Qui etiam in Chalcedonensi, illud de Constantinopolitano & Romano æquatis, nunquam probarunt, quantumuis numeretur in illis quatuor, quæ profitentur se recipere, vt quatuor Euangelia.

IIII. De Francofurtensi Concilio dupliciter disputant: primò, de ipso Concilio: tum de libro illo, qui fertur Caroli Magni nomine. Illud quidam negant damnasse Concilium Nicænum secundum: sed Constantinopolitanum illud sub Copronymo. Alanus Dialogi quinti capite decimo quarto, *Hoc igitur affirmo, hanc Francofurdiensem Synodum, celeberrimam fuisse, ex trecentis plus minus Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Episcopis: atque in ea Felicem Vrgelitanum Episcopum, qui Christum Dei tantum adoptiuum filium asserebat, damnatum. In ea pseudosynodum Iconomachorum abrogatam.* Nec is solus est in ea opinione: & Alphonsus de Castro didicisse se ait à Platina, Felicem fuisse Iconoclasten, & damnatum in Franconia. Gregorius de Valentia libri secundi de Idololatria, capite septimo, *Quod narrat de Francofordiana Synodo, in qua sub Carolo Magno Synodus septima, hoc est, altera Nicæna damnata fuerit, merum est figmentum. Nam Synodus verè Francofurdiana, non damnauit hanc septimam Synodum pro imaginibus: sed aliam Pseudosynodum, Constantinopoli ab Iconomachis habitam, contra imagines.*

V. Sed hi sponte falluntur. Nam in eo Concilio duplex agitata est quæstio; vna, de Christo, contra Felicem Vrgelitanum, & Elipandum Toletanum; hi autem docebant Christum esse, non quidem tantùm adoptiuum Dei Filium, vt Alanus asserit, sed quum esset, quatenus Deus, naturalis filius: at quatenus homine, fuisse adoptiuum. Atque hæc hæresis damnata est, & meritò, quæ in vna eademque persona geminam filiationem consideraret. Sed alia quæstio etiam agitata de imaginibus, proposita ab Adriano Papa per Legatos, qui detulerant secum acta Nicænæ Synodi. Probatur disertissimis Veterum historicorum testimoniis. Annales incerti autoris, editi à Pithoeo, annotant ad annum septingentesimum, nonagesimum quartum, *Synodus habita in Franconofurt, in qua hæresis Feliciana, coram Episcopis Germaniarum, & Galliarum, Italorumque, præsente magno principe Carolo, & missis Adriani Apostolici, Theophylacto & Stephano Episcopis: tertiò damnata est, & rata stipulatione damnatio roborata. Fastrada regina moritur, & Mogontiæ apud Sanctum Albanum honorificè sepulta est. Pseudosynodus Græcorũ pro adorandis imaginibus habita, & falsò septima vocata, ab Episcopis damnatur.* Vita Caroli Magni, ab eodẽ Pithoeo edita: egisse Carolũ dicit Pascha in Franconofurt: *Et ibi congregata est,* inquit, *Synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorũ, Italorũ, in præsentia eius. Ibi fuerunt missi domini Apostolici Adriani Theophylactus, & Stephanus Episcopi: & ibi tertiò dãnauerunt hæresin Felicianam. Quam dãnationem per autoritatẽ Sanctorũ Patrũ in libro conscripserũt, quẽ librũ omnes sacerdotes propriis manib. subscribẽdo cõfirmauẽrũt. Ibi obijt*

Fastrada Regina & ad Sanctum Albanum sepulta est. Pseudosynodus Græcorum, quam falsò septimam vocabant pro imaginibus, rejecta est à Pontificibus. Et hæc ad verbum descripsit Rhegino Chronicorum libro secundo ad eundem annum. Et alius in Annalibus Fuldensibus. Aimoinus libri quarti, capite octogesimo quinto, *Rex, propter condemnandam hæresin Felicianam, æstatis initio, quando & generalem populi sui conventum habuit, Concilium Episcoporum ex omnibus regni sui provinciis, in eandem villam convocavit. Affuerunt etiam in eadem Synodo & Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Theophylactus, & Stephanus, Episcopi vicem tenentes eius, à quo missi sunt, Adriani Papæ. In eo Concilio & hæresis memorata condemnata est, & liber, contra eam communi Episcoporum autoritate, compositus, in quo omnes propriis manibus subscripserunt. Synodus etiam, quæ ante paucos annos Constantinopoli sub Helena & Constantino filio eius congregata, & ab ipsis non septima verùm etiam vniuersalis est appellata, vt nec septima, nec vniuersalis diceretur, haberetúrque quasi supervacua, in totum ab omnibus abdicata est.* Quæ ad verbum descripta ex Annalibus rerum gestarum à Carolo Magno. Consentit Ado, consentit Hincmarus, consentit Vispergensis.

VI. Sed quid opus tot testibus? Habes eius Synodi capita tandem edita ad finem operum Alcuini. In iis primùm de Felice & Elipando: at secundum ita habet, *Allata est in medium quæstio de noua Græcorũ Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt: in qua scriptum habebatur, vt qui imaginibus sanctorũ, ita vt deificæ Trinitati seruitium aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur. Qui suprà sanctißimi Patres nostri omnimodis adorationem & seruitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnauerunt.*

VII. Hìc mihi nota posteriorum autorum ingeniũ. Nam qui præcedunt seculum vndecimũ, ea habent, quæ nos expressimus, disertè distincta capita. At recentiores variant, & ita, vt facile videas, veritatẽ dissimulatam voluisse. Sunt, qui omittant prorsus, vt Sigebertus, & Rollenikius. Sunt qui de hæresi Feliciana tantùm loquantur. Schafnaburgensis, *Hæresis Feliciana damnata est in Synodo Franconofurt, & Vastrat regina obijt.* Est qui, in parte de Imaginibus, meminit tantùm Iconoclastarum. Mutius libro nono, *Visitauit omnes terras sibi subiectas, præsertim Franciam Orientalem in Germania, Conciliúmque Francofurti celebrauit, multis Episcopis, monachis, & sacerdotum præpositis illic congregatis. In eo Concilio damnata est Felicianorum hæresis, & opinio eorum, qui imagines in templis non ferendas putant, & docẽt.* Imò Platina tam fuit supinus, vt vtramque partem in vnam confunderet, *Theophylactus & Stephanus, Episcopi insignes, Hadriani nomine Synodum Francorum, Germanorúmque Episcoporum habuere: in qua & Synodus, quam septimam Græci appellabant, & hæresis Feliciana de tollendis imaginibus abrogata est.* Inde Blondus Decadis secundæ libro primo: Sabellicus Enneadis octauæ libro octauo: Paulus Æmylius libro secundo de gestis Francorum, quos citat Bellarminus. Vnus Auentinus libro quarto antiquis consentit, *Scita Græcorum de Imaginibus adorandis reiecta sunt.*

VIII. Sed liberant nos prolixiori disputatione, tum Bellarminus ipse, tum Baronius, *Optarem*, inquit ille, *hanc sententiam esse veram: sed suspicor esse falsam:* & addit suspicionis argumenta. Baronius anno septingentesimo nonagesimo quarto, & prolixè contra eam Synodum disputat, & contradicit recentiorum illorum sententiæ, qui negabant damnatam Nicænam, *Cùm constet*, inquit, *eam ab illis assertam damnatam fuisse septimam Synodum, quæ pro cultu sanctarum imaginum statuta fuit: vtique ad Nicænam, non ad Constantinopolitanam, eandem septimam damnatam Synodum esse referendam, licet sit ab illis erratum in nomine, æquum arbiter iudicabit: nec nos tale iudiciũ subterfugimus.*

IX. Hæc cum ita sint, jam disputatur contra ipsam Synodum, negaturque in ea quicquam esse momenti. Tum etiam ex ea contra nos. Nã momenti nihil inesse probant, quia cedere debeat Nicæna, vniuersali particularis. Secundò, quia improbata fuerit ab Adriano Papa, absque cuius consensu, nihil habeat autoritatis vlla Synodus. Atque adeo ipsa illa Synodus, præcipuo argumento Nicænam impugnat, quia facta fuerit sine autoritate Romani Episcopi: sic enim putabat. Baronius addit primò humana quadam æmulatione contra Græcos, fuisse motos Gallos; quia fefellissent spem de matrimonio Constantini cum Caroli filia. Secundò, fuisse illis impositum à Græcis asserentibus Nicænam Synodum, & destitutam consensu Adriani: & sanxisse imagines adorandas eodem cultu cum Trinitate. Iam contrà nos. Eadem Synodus noluit imagines tolli è templis: sed manere potius, dum ne adorentur. Cur ergo non ita fit? cur è templis tolluntur? cur franguntur?

X. Sed de comparatione Nicænæ & Francofurtensis, idem iudicium, quod prius, cùm comparabantur Constantinopolitana & Nicæna. De cõsensu Papæ dictum item satis. Falsum verò Francofurtenses hoc tanquam præcipuo argumento vsi contra Nicænos: etsi verum, capite sexto asseri cõsulendam esse Romanam Ecclesiam in omnibus de fide quæstionibus. Sed præcipua iis ratio fuit impugnandi Nicænos, à Scriptura, & autoritatibus Patrum. Postea autem Synodus Parisiensis, etiam Adrianũ ausa est accusare, quòd inconsultè refutasset Frãcofurtenses, *Fauendo illis* (inquiunt) *qui eum instinctu tam superstitiosa, tamque incongrua testimonia memorato operi inseruerant, per singula capitula in illorum excusationem respondere quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus est.* Et pòst, *Pars illa quæ debebat errata corrigere, seáque autoritate huiusce superstitionis errori obuiare, ipsa prorsus eidem superstitioni, non solum non resistere, verum etiam incauta defensione contra autoritatem Diuinam, & sanctorum Patrum dicta nitebatur suffragari.*

XI. En tibi verò æmulationem contra Græcos. Phui quantum subtilitatis in vno Baronio! Nam nemo vnquam aduerterat. Sed Papistæ nullum non mouent lapidem, vt sibi consulant. Nihil suspicantur de Irene, muliere Ethnica, & crudelissima: cuius scelera cœlum ipsum horruit: ratio dissimulãdi, quia imaginum adorationem restituit. De Tarasio nihil, qui ex laico subito factus est Episcopus: quia Irenæ minister fuit, ad eam adorationem. Sed garriendi de Gallicis Germanisque Patribus, ansam illis satis iustam præbet eiusdem adorationis impugnatio. Ita nihil isti credunt, ex vi rationum: sed occupati iam certa persuasione, rationes quæritãt: atq; adeo cùm non inueniũt, fingunt. Ita non potuit sese Baronius magis ridiculũ exhibere. Enimuerò quale id iudiciũ fuisse oportet, qui earum infectarum nuptiarum occasione, eos habet suspectos, ad quos ea offensa, si quæ erat, nihil pertinebat: ipsum autem Carolum, ad quem propriè spectabat, totis viribus laborat omni suspicione liberare? Id verò præposterum esse quis non videat?

XII. Impostura longè minus vlla esse potuit. Facta est enim ea Synodus, non vt antea Gentiliaca, non vt postea Parisiensis,

ea li-

ex literis Græcorum, à quibus erant etiam accepta munera: sed absentibus Græcis, ex literis Romani Pontificis, & præsentibus eius legatis Theophylacto, & Stephano. Quod si vlla impostura fuisset, multò verisimiliùs à præsentibus, quàm ab absentibus: à Romanis, quàm à Græcis. Sed enim, quæ illa impostura fuit? Persuasum est non assensisse Adrianum. Et hoc ego sanè miror, qui fieri potuerit, præsentibus legatis ipsis. Nam si nulli fuissent, poterant labi Patres, vt eam censerent non consensisse, Ecclesiam, quam nollent: cui multum deferrent. Sed præsentes, videntes, audientes, legati Romani, quomodo passi sunt? Eum verò nodum valde solui velim à Baronio, magno illo historiarum Helluone. Mihi hæc sola suspicio occurrit: Cùm viderent tantum omnium Episcoporum consensum, contra imagines, non ausos profiteri sui Papæ sententiam: ideóque dissimulasse. Sed parum hic, aut nihil momenti: non enim aut sola, aut præcipua, ratio fuit Episcopis dissentiendi, assensus dissensusve Romani: sed ipsa portentosa definitio Nicænorum.

XIII. At enim, falsò etiam persuasi fuere de ea definitione. Qui potuit, inquam, fieri? Iterum enim dico, non didicisse à Græcis iconomachis, quid Nicææ esset transactum: sed à Latinis iconodulis: ab ipso, inquam, Romano Pontifice, à quo etiam Acta ipsa missa erant. Atque adeò, liber Carolinus eorum Actorum refutationem continet. Sed crediderunt decretum, vt eodem cultu imagines adorarentur, cum Deo. At ego in Carolino libro nihil eiusmodi video: Nam quod citant ex Capitulari misso ad Adrianum, quid sit nescio: Capitulare enim non vidi. Sed tamen rem ipsam non verba æstimantibus, potuit facilè eiusmodi nónihil in mentem venire. Neque enim in ea Synodo actum duntaxat de honorandis imaginibus, sed etiam disertè de adorandis, & quidem cultu religioso. Atqui adorationem religiosam Catholici nunquã cuiquam detulerunt, nisi Trinitati soli: Tum autem hæc legas, Actione secunda, *Venerãdas imagines ex toto corde, cum debito honore, & salutatoria adoratione suscipio.* Et post, *perfectè eas adorãs.* Hæc verò quid relinquũt viuificæ Trinitati eximiũ? Tum autem, quid nostri Papistæ habent quod excipiant, qui imaginibus quibusdam dicunt tribuendam latriam: nimirum imaginibus saltem Trinitatis, & Christi, & Crucis?

XIV. De retinendis imaginibus facilius negotiũ. Primò hæc quæstio est separata, de qua agendũ erit proximo libro. Deinde, etsi probemus prohibitam adorationem, non est tamen necesse probare retentionem, cùm sibi etiã Papistæ permittant dimidiare Concilia, vt partim probent, partim improbent: Deniq; ipse euentus probauit longè consultiùs egisse Constantinopolitanos, quàm Francofurtenses: quia non potest, relictis imaginibus, in tuto esse Ecclesia ab idololatria: quæ se etiam cohibita obiiciat, & coercita, vires resumat: etiã extirpata repullulet. Nã in ipsa Ecclesia Gallicana, etsi post hanc Synodũ multis annis perseuerarit sententia de non adorandis imaginibus; vt facile apparet, non tantùm ex Parisiensi Synodo, sed etiam ex Agobardo, Aimonio, aliisq; tamen retentus earũdem imaginum vsus, ornatum, & historiam mutauit tandem in apertam idololatriam. Itaque nihil consultiùs iis, qui saluam volunt Ecclesiæ sinceritatem, quàm omnino imagines ab Ecclesiastico vsu deturbare.

XV. Hactenus de Concilio. De libro, qui exstat Caroli nomine, prolixè Bellarminus, sed & Baronius: neque esse Caroli, neque vllam fidem mereri: quia Adrianus eum accuratè refutarit: ex eáque refutatione colligitur ab aliquo hæretico fuisse cõpositum, non autem à Carolo. Secundò, quia Papæ defecerint ab Imperatoribus Græcis, ad Carolum, quia illi essent Iconomachi; quod non sit verisimile, si ipse Carolus fuisset Iconomachus. Tertiò, quia Ionas Aurelianensis libro primo de Cultu imaginum, Imperatorem vocat piissimum, ac sanctæ memoriæ: negátque Claudium Taurinensem, viuente Carolo, ausum fuisse mutire. Quartò, Paulus Æmilius libro secundo historiæ Francorum, & Rhegino in Chronico, in Concilio Gentiliaco, testantur Pipinũ Caroli Magni patrem, Græcorum errorem cõtra sacras imagines confutasse præsentibus legatis Græcis. Et Carolum Magnũ misisse Romam Episcopos duodecim, ad Conciliũ contra Græcorum errorẽ. Quintò, constat Carolum coniunctissimum fuisse Adriano. Sextò, Carolus fuit Græcè, Latinéq; peritus, prudens, ingeniosus: Hic autẽ liber, hominis est barbari, imperiti, leuis, ac penè stulti: qui Constantinopolin in Bithynia ponit: & Concilium pro imaginibus Cõstantinopoli celebratum asserit: & per calumniam multa tribuit Nicænis, vt Eucharistiam esse imaginẽ corporis Christi. Septimò, liber prodiit sine patre, sine matre, sine genealogia: repentè, vt nesciatur quando, aut vbi, aut quomodo, aut à quo repertus sit: absque nomine autoris, impressoris loci. Quæ sunt omnia argumenta, atque indicia fraudis.

XVI. Respondeo, librum illum verè non esse Caroli, tanquam autoris, à quo sit compositus: sed Synodi Francofurtensis, quæ, quum esset mandato Caroli congregata, librum hũc cõposuit contra cultum imaginum: esse autem editum nomine Caroli, quomodo eidem & Ludouico filio, tribuuntur Capitula legum Ecclesiasticarum, quæ tamen nõ composuerãt Imperatores, sed eorũ autoritate Episcopi in Synodis. Quomodo etiam olim Constantini nomine abiit ad omnes Ecclesias Epistola de decretis Synodi Nicænę. Et deinceps non rarò. Hoc posito nihil est difficile. Adrianus refutauit eum librum, vt compositum ab alio quolibet: intererat enim, vt ne regem ipsum violaret: cuius gratiam conseruare volebat. Defecisse ab Imperatoribus Græcis Romanos Episcopos verũ, & caussam prætulisse imaginũ cultum: sed potissimam fuisse, quia iam nihil erat in iis auxilij, contra hostes præsentes. At Carolus contrà erat in Occidente potentissimus: à quo nisi protegerentur: nihil certius, quàm pręsentissimum exitiũ. Tum autem Carolus imagines non effringebat, vt Gręci: itaq; potuit Romanus facilè reliqua dissimulare. Quod cur illi minus licuerit, quàm nouissimis Papis, in nostris regibus non admissum Tridentinũ conciliabulum? Nec mirum, si Ionas Imperatorem vocat piissimum. Nam is profectò de imaginibus idem sentiebat, quod erat statutum Frãcofurti; vt patebit paulo pòst; & Baronius in hac ipsa disputatione agnoscit. Reprehendit autem in Claudio imaginum disturbationem, quam etiam Carolus nõ probabat: itaque facilè crediderim Claudium non ausum id agere, aut ita scribere viuente Carolo. Sed id nihil ad hanc rem.

XVII. At Bellarmini insigne mendacium est de Concilio Gentiliaco. Nam à Pipino confutatam Græcorum de Imaginibus sententiam coram Legatis, neque Æmylius dixit, neque Rheginus.

Hunc lege, *Anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo sexagesimo septimo, Rex in supradicta villa* (Gentiliacum nominauerat) *Synodum magnam habuit inter Romanos & Græcos de Sācta Trinitate, & de sanctorum imaginibus: & post hæc Aquitaniam ingressus est per Narbonam.* Quid hîc de confutatione? Æmylius, *Gentiliaci Parisiorum conuentus Patrum habitus. Græci oratores Cæsarem suū admonere iussi, vt cū cæteris piis sentiret.* Et hic rursus quid de confutatione? Nam cum piis sentire, intellige vel de Sācta Trinitate, id est, de processione Spiritus: vel de confringendis imaginibus: vtrumq; nihil contra Carolum. De duodecim Episcopis Romam missis actum antea: quid ab iis gestum sit, incertum: suóne calculo imaginum adorationem probarint, an victi sint numerò. Nam quòd interfuerint, quid habet momenti? Etiam Theophylactus & Stephanus, Legati Romani, adfuere Francofurti.

XVIII. Carolum fuisse coniunctissimum Adriano, aut Adrianum potius Carolo scio. Enimuerò Adriano vtilis erat coniunctio: nec temerè intermittenda. Sed hæc coniectura, non sufficit ad euertenda acta Synodi. Carolus peritus fuit Græcè & Latinè. Neque ego certè video, quid habeat Bellarminus, quo insultet hac parte autoribus eius libris aut quod indignum sit etiam peritissimis eius temporis. De Constantinopoli, & Bithynia, excusari potuit error in iis qui tanto terrarum spatio distabant à Constantinopoli: illud etiam de Eucharistia imputari per imprudentiam Nicæno cœtui: sed has leues coniecturas nunquam quæsiuisset, nisi qui se destitutum sentiret certioribus argumentis. Liber autem editus est (quod extremum erat in obiectionibus Bellarmini) Lutetiæ à Ioanne Tillio Episcopo, eodem qui edidit Luciferum. Editus autem anno superioris seculi quadragesimo nono. Erutus ex bibliothecis, vbi manuscriptus delitescebat. Testimonium habet ab Augustino Steucho, qui in Apologia Donationis Constantinianæ testetur se vidisse in Bibliotheca Vaticana, elegantibus & priscis Longobardorum characteribus exaratum. Quòd non sit additum nomen editoris, impressoris, & loci: obseruandum id factum ante quàm Conciliabulum Tridentinum has falsitatis caussas adinuenisset, aut certè publico decreto sanciuisset. Quid tum autem, si hæc recentissima testimonia desunt, cùm res ipsa vetustioribus argumentis confirmetur?

XVIIII. Atque hactenus de Concilio Francofurtensi. Habuit etiam Bellarminus quæ obiiceret Synodo Parisiensi, appendice ad tractatum de cultu imaginum. Nec Synodum esse, nec scriptum luce dignum. Primò, nulla sunt decreta: nulli Canones, nulla Episcoporum subscriptio: Ergo nulla Synodus. Secundò ipse libet, *Nos non Synodum congregando, sed quemadmodum à vobis postulauimus, licentiámque agendi percepimus, vnà cum familiaribus nostris, filiis vestris, quantum pro multiplicibus regni diuersis occupationibus impediti, per internalla potuimus, considerare studuimus, quid almitati vestra de tanta necessitate significare potuissemus.* Ergo nulla Synodus. Tertiò, Zonaras, Cedrenus, alij, testantur Michaelem Balbum, virum fuisse impium & scelestissimum, magis Hebraicæ superstitioni, quàm Christianæ pietati addictum: resurrectionem carnis negantem, Prophetas & Apostolos irridentem: fornicationem licitam asserentem, cœlibatum contemnentem: septimam Synodum respuentem, Iconomachis fauentem. At is tamen in eo libro fingitur nihil optare, nisi Ecclesiæ reformationem: deplorare etiam necem sui prædecessoris, cuius tamen ipse autor fuerit. Quartò, variè calumniatur eos qui imaginibus fauebant, quasi imagines adorarent tanquam deos: & variis superstitionibus indulgerent: quibus si fidem habuerunt Galli, ergo circumuenti sunt atque decepti: si non habuerunt, ergo abusi sunt suis litteris, vt persuaderent Papæ, vt maiorum suorum acta rescinderet. Quintò, satis audacter iudicium sibi de scriptis Papæ sumpserunt, ac de generali Synodo: atque ita iudicem suum, imò totius mondi, iudicare: & Pastorem ouium Christi pascere, & Doctorem vniuersorum docere non erubuerunt. Sextò, testimonia notissima, & vulgaria, & quæ nihil ad rem faciunt, sine vlla ratione vel ordine collegerunt. Septimò, in eodem, Epistola fingitur scribenda à Papa ad Græcos Imperatores, indigna tamen Papa. Est enim verbosa, obscura, barbara, Imperita. Papam facit adulatorem Imperatoris impij, quem dicit, Domino disponente & committente, Ecclesiam gubernare. Repetit sæpe, *Si nulla vnquam picta vel facta fuisset imago, nihil periret de fide, spe, & charitate, quibus ad regnum venitur æternum.* Ex quo sequitur imagines omnino de medio tollendas, contra quàm volunt. Reprehendit Constantinum, & Irenem, quòd edicto insseriot imagines adorari: quod à Pontifice scribi non potuit. Octauò, Epistolæ Ludouici ad Papam, & ad Hieremiam, Ionámque Episcopos, redolere videntur fraudes recentium hæreticorum. Vnde suspicio est, totum librum vel confictum esse, vel deprauatum, & auctum, ad inuidiam Ecclesiæ Romanæ conciliandam.

XX. Verùm, nihil obstat, quominus Synodum fuisse dicamus, id est, conuentum Episcoporum consultantium de rebus Ecclesiæ. Et ita testantur ipsi statim initio, scribentes ad Augustos, *Nos serui, ac fidelissimi oratores vestri, qualiter proximis Calendis Nouembris apud Parisiorum vrbem iuxta præceptum vestra magnitudinis in vnum conuenimus, qualitérque de negotio à vestra pietate nobis iniuncto, de causa videlicet imaginum egerimus, ad memoriam vestra celsitudinis reducimus.* Testantur ipsi Augusti scribentes ad Hieremiā, & Ionam Episcopos, *Venerunt ad præsentiam nostram Halitgarius & Amalarius Episcopi VIII. Id. Decemb. deferentes collectiones de libris Sanctorum Patrum, quas in conuentu apud Parisios habito simul positi collegistis, quas etiam coram nobis perlegi fecimus.*

XXI. Ad primum argumentum Bellarmini. Primò, nullum decretum fuisse, falsum: nam hoc ipsum decretum est, vt scriberetur ad Romanum Episcopum, vt vtriq; parti satisfaceret, nec delendo imaginis, nec iubendo adorari. Quod attinet ad Canones, non hanc solam nullos habere, sed & alias. Enimuerò, quintam & sextam nullos condidisse, certum: & qui postea conditi sunt in Trullo, eos pro nihilo esse volunt Papistæ. Agrippinēsis nullos habet: nullos Aquileiensis, nullos Telensis. Subscriptionibus etiam carent nonnullæ: Arelatensis prima, Gangrēsis, Carthaginensis prima, Romana sub Iulio primo: Agrippinensis, Laodicena: aliæ.

XXII. Ad secundum: ea verba, quæ recitantur, sunt ex Epistola, quam scribendam censebant ab Imperatore ad Papam, cum quo sic agendum parabant, vt ne eius vehementia irritaretur: itaq; non autoritaté, decretúmq; Synodi prætēdere, sed voluerūt dūtaxat familiaris deliberationis obtēdere consultationem.

Quicquid sit, constat Episcopos Galliæ conuenisse, saltem quosdam, neque eos vltimos, & de imaginibus suam sententiam dixisse, conformem Synodo Francofurtensi: vnde paret tum in Galliis ita fuisse Christianos institutos. Et quid meo minus est, quæso, quàm in Concilio delectorum Cardinalium à Paulo tertio?

XXIII. Ad tertium. Fuisse Michaelem piissimum, non asseruerim equidem. Sed nimium tamen calumniosè laceratum à Zonara, & Cedreno, Iconolatris, sic credo, quomodo Irene nimis adulatoriè laudatam, ob imaginum amorem, mulierem alias sceleratam: quæque non alieno vim intulit, vt Michael; sed ipsi proprio filio: neque ad vitæ suæ conseruationem, vt Michael, sed ex impotenti, superbóque dominandi appetitu. Sed potuit tamen Michael, si quid habuit non religiosum, pietatem nihilominus prætexere. Quomodo hoc nostro seculo, Philippum Hispanum vidimus insanum suum de Gallis inuadendis, subigendísque, consilium, solo pietatis amore fucasse; & eam ob caussam adiutum fuisse & à Papa; & à Iesuitis; & à Papistis reliquis ferè omnibus.

XXIV. Ad quartum, primò calumniosa illa esse vix probabit Bellarminus: non enim Michael recitat quæ decreta fuerint in Synodo Nicæna: sed quæ fierent à zelatoribus eius Synodi. Porrò certũ, non ibi subsistere, vnde cœperunt exempla: sed longè vagari latius: & imperitæ plebi nullum finem esse peccandi. Itaque non dubitandum, multa olim commissa solutiùs, quàm putabant, qui erant in Nicæa Episcopi: sed eos cogitare oportuerat, facilius prohiberi mala, quam semel permissa, regulis certis cohiberi. Secundò, Episcopos Gallos nego his siue calumniis, siue veris accusationibus animum attendisse: sed tantùm dissensioni, quam esse in Græcis Ecclesiis, lippis erat, & tonsoribus notum: Atque eo argumentum, quod de iis nihil pronunciant, sed duntaxat de Thesi, an essent confringendæ, an verò adorandæ imagines. Nec sequitur, Gallos ergò perperam autores fuisse Papæ, vt maiorum acta sua rescinderet: nam id consilium, non ex iis calumniis oriebatur, sed ab ipsa quæstione: quia impium erat imagines adorari.

XXV. Ad quintum: nondum fuisse persuasum eius tempestatis Christianis impeccabiles Romanos Episcopos: & nulli censuræ obnoxios esse. Quomodo enim? quum vix his postremis temporibus, & in odium veritatis, cœperit ea obtinere sententia, inter Papistas? Veteres autem Christiani Papam libenter, & quidem aliquando audacter non monebant tantùm, sed etiam reprehendebant. Itaque hoc argumentum nullius ponderis est, nisi apud eos qui obedientiam vouerunt cæcam, vt Iesuitæ appellant, siue irrationalem, vt Cusanus. Nicænam autem Synodum, fuisse Oecumenicam, non erat Gallis persuasum.

XXVI. Ad sextum: non equidem præstiterim omnia, quæ in iis actis colliguntur: & libens fatear, esse quædam, quibus pondus sit leuius: sed esse tamen multa bona, soli negent [illegible]. Itaque Bellarminus ex toto eo numero, quinque testimonia potuit, nec plura, decerpere, quæ infirmaret.

XXVII. Ad septimum: Epistolam illam, facilè concedo esse verbosam, obscuram, barbaram, impeditam. Sed hæc ipse Bellarminus agnoscit ei seculo condonanda, quo multæ prodierunt lucubrationes deteriores. Reliqua non difficilè purgantur. Adulatur Imperatori. At hoc falsum. Quid enim? Michaelem dixit regere Ecclesiam. Mirum, ni Ethnicos diceret, aut Turcas. Verùm sermo erat de eo, cui esset Imperium in Christianos: Christianos autem esse Ecclesiam nemo ignorat. At enim Deo, ait, disponente, & committente. Mirum, inquam, ni pro Deo Papam Bellarminus voluerit. Verumtamen nunquam fuit Christianis persuasum, Dei id ius non esse, vt tradat, auferat, transferat imperia. Et audire velim, quid de Phoca iidem Romani Pontifices iudicarint: & vtrum negarint, Deo disponente, committente, adeptum esse Imperium. Quod dicitur non magni interesse, quum nulla vnquam fuisset ficta, pictave imago, rectè dicitur. Neque inde necessariò sequitur, abolẽdas omnino imagines, quod Bellarminus somniauit. Rectè etiam reprehenduntur Constantinus, & Irene: neque indignum id fuisset Episcopo Romano: si se Episcopus Romanus, pro Catholico gerere maluisset, quàm pro adoratore imaginum.

XXVIII. Ad octauum, benè est, quod sibi Bellarminus fatetur nihil occurrere, quod carpat in Epistolis Imperatoris. Ergo, inquam, quòd eas redolere ait fucum recentium hæreticorum, eò pertinet tantùm, vt prodat suam [illegible], quæ etiam, nulla oblata caussa, suspiciones malas quærat. Ille quidem viderit. At sani de re ipsa iudicabunt ex reipsa potius, quàm ex temeraria Iesuitarum audacia, & superbo Cardinalium fastu.

CAP. XV.

Testimonia Patrum contra Adorationem Imaginum.

I. HActenus Concilia. Transeo ad singularia Patrum testimonia. Hieronymus in Danielis tertium. *Siue statuam, vt Symmachus, siue imaginẽ auream, vt cæteri transtulerunt, voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo iudices & principes seculi, qui Imperatorum statuas adorant, & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes, placuerunt Deo. Et notanda proprietas, Deos coli, imaginem adorari dicunt: quod vtrumque seruis Dei non conuenit.* Loquitur, (inquit Bellarminus) de statuis regum, qui habebantur pro diis, & quorum statuæ diuinis honoribus afficiebantur. Reprehendit enim eos, qui id faciunt, quod tres pueri facere noluerint in Babylone. Mirum verò, quòd non etiam seruos Dei, intelligat Iudæos: quia tres illi pueri, erant Iudæi. Quanquam illud de diuinis honoribus agnoscimus verum, atque huius reprehensionis verissimam caussam: nam omnis religiosus cultus, est honor diuinus, ac proinde, quicquid religiosè colitur, ei dicendum est deferri honores diuinos. Reliqua inepta sunt. Nam statuas habitas esse pro Diis, hoc verò numquam factum. De statuis regum solis, concedam loqui Hieronymũ, si eis solis cõstiterit nõ deferendos honores diuinos. Alioquin, quemadmodum seruos Dei, intelligimus omnes fideles, siue ex Iudæis siue ex gentibus: etsi Hieronymus ageret de tribus pueris: sic imagines omnes, siue regum, siue sanctorum: etsi eidem sermo esset de regiis duntaxat. Nihil enim obstat, quominus, ex particulari exemplo, inferatur doctrina vniuersalis.

II. Augustinus de moribus Ecclesiæ Catholicæ

capite 34. *Nolite mihi colligere professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim, aut scientes, aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, vt obliti sint, quicquid promiserint Deo. Noui multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores: noui multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos, seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesque suas deputent religioni.* En tibi sepulcrorum & picturarum adoratores numeratos ab Augustino inter professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim aut scientes, aut exhibentes: numeratos inter turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt.

III. Bellarminus tripliciter. Primò, fortè de Idolis gentium. Secūdò, fortè de quibusdam, qui sanctorum imagines superstitiosè colerent; adeò vt accederent ad idololatriam. Fuisse enim quosdam Christianos, qui imagines quasi Deos adorarēt, teste Damasceno de hæresibus ad finem. Tertiò, librum esse ab Augustino scriptum in primordio conuersionis suæ; & ideo putasse quosdam ritus sapere idololatriam. Sed postea meliùs edoctum sententiam mutasse. Argumento est; quòd qui ponerent epulas super tumulis mortuorum, eos offerre cadaueribus dixit: ac proinde sepulcrorum adoratores appellauit. At lib. 8. de Ciuitate Dei capite vltimo; non dixit offerre mortuis; sed solùm ponere cibos super tumulos Martyrum, sperantes à Deo illos sanctificari per Martyrum preces.

IV. Sed contra; in primo & secundo, nihil est à Bellarmino assertum; sed titubanter indicatum, duntaxat, magno infirmæ caussæ testimonio. Quanquam ego secundum censeo esse certissimum. Omnino enim ita est; eos qui adorent imagines accedere ad idololatriam: neque debuit à Damasceno dici de quibusdam Christianis; sed pronunciari de omnibus iconolatris. Primum autem inane est, & alienum: nam, vbi lectum à Christianis coli imagines Ethnicorum? Scriptum librum de moribus Ecclesiæ, sub initia conuersionis Augustini ad Christum, verum est: sed nihil habet momenti. Non enim quæcumque ille tum scripsit, ideo falsa sunt. Et quæ falsa fuerunt, non oblitus est retractare: hoc autem nō retractauit. Ne illud quidem de epulis: nam etsi non adeò seuerè exagitet, in libris de Ciuitate, tamen negat fieri à melioribus Christianis.

V. Origenes contra Celsum libro septimo, *οὐ τιμῶμεν τὰ ἀγάλματα, καὶ διὰ τὸ μὴ, τὸ ὅσον ἐφ' ἡμῖν, καταπίπτειν εἰς ὑπόληψιν τὴν περὶ τοῦ τὰ ἀγάλματα θεοὺς εἶναι. Statuas non honoramus, etiam ne, quantum in nobis est, incidamus in suspicionē, quæ putet eas statuas esse Deos alienos.* In Exodum homilia octaua, *Nunc sermo Dei vniuersa complectens, simul abstrahit, & abiicit, & non solum idolum fieri vetat: sed & similitudinem omnium quæ in terra sunt, & in aquis, & in cœlo. Addit autem, & dicit, Non adorabis ea neque coles ea. Aliud est colere, aliud adorare. Potest quis interdum & inuitus adorare, sicut nonnulli regibus adulantes, cùm eos ad huiuscemodi studia deditos viderint, adorare se simulant idola cùm in corde ipsorum certum sit, quia nihil est idolum. Colere verò est, toto his affectu, & studio mancipari. Vtrumque ergo resecat sermo diuinus, vt neque affectu colas, neque specie adores.* Satin' disertè? Primò enim distinguit idolū à similitudine: illud rei non extantis: hāc contrà. Distinguit colere, & adorare, illud affectu, hoc specie. Omnia vetita. Nempe primò, Idola affectu colere: secundò, idola specie adorare. Præcidit omnes Papistis exceptiones: & quas ab Idolis, & imaginibus petunt: & quas à latria & dulia.

VI. Tertullianus de Idololatria capite quarto. *Imaginum consecratio idololatria.* decimo quinto, *Illud exemplum trium fratrum præcurrit, qui alias obsequentes erga regem Nabuchodonosor, honorem imaginis eius constantissimè respuerunt, probantes idololatriam esse, quicquid vltra humani honoris modum, ad instar diuinæ sublimitatis extollitur.*

VII. Lactantius libri secundi capite primo, *Nobis propriè datum est, cœlum rigidis ac stantibus intueri, vt religionem ibi quæramus: vt Deum, cuius sedes illa est, quem oculis non possumus, animo contemplemur: quod profectò nō facit, qui æs aut lapidem, quæ sunt terrena, veneratur.* capite secundo: *Non intelligunt homines ineptissimi, quod si sentire simulacra, & moueri possent, vltro adoratura homines fuissent, à quibus sunt expolita.* Et post, *Huius miseri volutamini, tùm deorsum quæritis, quod in sublimi quærere debuistis. Nam ista mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid aliud sunt nisi terra, ex qua nata sunt? Quid ergo rebus inferioribus subiacetis? quid capitibus vestris terram superponitis? Cùm enim vos terræ submittitis, humilioresque facitis, ipsi vos vltrò ad inferos mergitis, mortéque damnatis: quia nihil terra inferius & humilius, nisi mors & inferi. Quod si effugere velletis, subiectam pedibus vestris terram contemneretis, corporis statu saluo: quod idcirco rectum accepistis, vt oculos atque mentem cum eo qui fecit conferre possetis. Contemnere autem, & calcare terram, nihil aliud est, quàm simulacra non adorare, quia de terra ficta sunt: item diuitias non concupiscere, voluptates corporis spernere: quia opes & corpus ipsum, cuius hospitio vtimur, terra est. Viuum colito vt viuatis: moriatur enim necesse est, qui se suámque animā mortuis addicauit.* decimo nono, *Quicumque sacramentum hominis tueri, rationémque naturæ suæ vtitur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cœlum: non sub pedibus quærat Deum, nec à vestigiis suis eruat, quod adoret. Quia quicquid homini subiacet, infra hominem sit necesse est. Sed quærat in sublimi: quia nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominem. Deus autem maius est homine. Supra ergo, non infra est: nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est. Quare nō est dubium, quin religio nulla sit, vbicumque simulacrum est. Nā, si religio ex diuinis rebus est, diuini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus: carent ergo religione simulacra: quia nihil potest esse cœleste in ea re, quæ fit ex terra. Quod quidem de nomine ipso sapienti apparere potest. Quicquid enim simulatur, id falsum sit necesse est: nec potest vnquam veri nomen accipere, quod veritatem fuco, & imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio, non res potissimum seria, sed quasi ludus ac iocus est: non religio in simulacris, sed mimus religionis est.*

VIII. Augustinus de vera religione capite 55. *Non sit nobis religio humanorum operum cultus: meliores sunt enim ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus.* In Psalmum 113. Concione 2. *Noli addere manus hominum, vt ex eo metallo quod fecit verus Deus, velis facere falsum deum, imò falsum hominem, quem pro vero venereris Deo: quem quisquis pro vero homine in amicitiam reciperet, insaniret.* Retractationum primi primo, *Quod dixi, Nihil omnino colendum esse, totúmque abiiciendum quicquid mortalibus oculis cernitur, quicquid vllus sensus attingit: addenda erant verba, vt diceretur, quicquid mortalis corporis vllus sensus attingit.* Pronunciatum hoc est generale, & reliquias etiam comprehendens: nam has, non secus ac imagines corporeus sensus attingit.

IX. Epiphanius, quum vidisset velum pendens in Ecclesia, in eóque imaginem siue Christi, siue sancti alte-

&i alterius, zelo motus scidit velum, pronuncians id fieri contra religionem Christianam. Sed de eo prolixius agendum erit libro proximo. Interea, si nō potuit pati pendentem in velo; quanto minus adoratam? In Gallia Serenus Massiliensis Episcopus, quum populum suum videret abuti imaginibus ad idololatriam, euertit imagines. Quod etiam postea fecit in diœcesi Taurinensi, quam suæ fidei habebat commissam. Itaque à Papistis numerantur, Epiphanius, Serenus, Claudius inter Iconoclastas.

X. Gregorius Romanus, eius nominis primus, Sereni factum sic improbauit; vt tamen negauerit adorandas imagines. Libri noni Epistola nona. *Perlatum ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines, sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem eas adorari vetuisse, omnino laudauimus, fregisse verò reprehendimus.* Et post. *Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere.* Rursus. *Conuocandi sunt dispersi Ecclesiæ filij, eisque Scripturæ sacræ est testimonium ostendendū, quia omne manufactum adorare non liceat: quoniam scriptum est, Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli seruies.* Iterum, *Si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe; adorare verò imagines, omnibus modis deuita. Sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, vt ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis Trinitatis humiliter prosternantur.*

XI. Ad Gregorium Bellarminus respondet, reprehendere solum cultum imaginum superstitiosum, id est, quo imagines coluntur vt Dij. Probat primò ex Epistola quinquagesima tertia libri septimi. *Scio quòd imaginem Saluatoris non ideò petis, vt quasi Deū colas, sed ob recordationem filij Dei in eius amore recalescas.* Secundò ex quinta eiusdem. *Sublata, quæ dignum est veneratione, atque cruce.*

XII. Nec videtur responsio improbanda. Omnino enim verum, improbari à Gregorio superstitiosum cultum Imaginum: nec à Catholicis alium. Sed obseruandum, nullum posse honorem, siue adorationem, deferri imaginibus, vt nō sit cultus superstitiosus. Itaque primò Gregorius dixit, *adorare imagines, omnibus modis deuita.* Secundò, nullum imaginum vsum, nisi historicum, opponit earūdem cultui. Næ si eandem caussam hodie Paulus quintus ageret, non sic ageret. Non, inquā, diceret, omnibus modis vitandū, ne imagines adorarentur: sed molli latriæ, duliæq; distinctione posita, acutè pronunciaret, latria solum Deum colendum: at suo etiam gradu, imagines, dulia. Sed id Gregorio in mētem non venisse mirum: nisi verius, nondum tantam sophisticem natam. Itaque probo etiam primam probationem, ex Epistola quinquagesima tertia: Nam, vt aliàs docuimus, quicquid religiosè colitur, colitur vt Deus. Et rursus cultui, quo imago colitur vt Deus, nihil opponitur, nisi recordatio Filij Dei, qui visus est historicus. De Epistola quinta, videtur Gregorius sibi minus attendisse, quum ageret cum eo, cui se confidebat solo nutu persuasurum. At quum vidit Serenum, paratum contradicere, tum vt fit, continuit se magis intra terminos moderationis: itaque ex epistola ad Serenum, corrigēda illa ad Secundinum, potius quàm ex ea ad Secundinum corrumpenda ea ad Serenum.

XIII. Amplexi sunt hanc Gregorij sententiā Galli: vt apparet ex gemina Synodo Francofurtensi, & Parisiensi, quæ vtraque vel præcipuè hactenus autoritate vtitur. Quin idem patet ex Iona Aurelianensi Agobardo, Valafrido, Hincmaro, Aimoino. Ionas ille magno fastu causam agit imaginū contra Claudium Taurinēsem: & tāanimosè, vt hoc vno capite non contentus, etiam aliis hæreseon capitibus onerare conetur: quanquam non ex comperto, sed incerto auditu. Libro 1. de Claudio. *Dum super gregem sibi creditum pro viribus superintenderet, eum.; prædicationis suæ instantia, ad amorem cælestis patriæ, quantum videbatur, accendere satageret: vidit eum inter cætera, quæ emēdatione digna gerebat, superstitiosa, imò perniciosa imaginū adorationi, quæ plurimum nonnulli illarum partium laborant, ex insolita consuetudine deditum esse. Vnde immoderato & indiscreto zelo succensus, nō solum picturas sanctarum rerum gestarum, quæ non ad adorandum, sed solummodo, teste B. Gregorio, ad instruendas nescientium mentes, in Ecclesiis sunt antiquitus fieri permissæ, verum etiam cruces materiales, quibus ob honorem, & recordationem redēptionis suæ sancta consueuit vti Ecclesia, à cunctis Parochiæ suæ basilicis dicitur deleuisse.* Paulò post; omnes Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sincerissimos cultores, Galliam, Germaniámque incolentes, ab imaginum superstitiosa adoratione immunes appellat. Et rursus. *Sinantur à te imagines Sanctorum, & historia quæque sanctorum operum, non vt adorentur, sed potius vt quādam pulchritudinem reddant, & quarundam præteritarum rerum memoriam sensibus imperitorum ingerant, in Ecclesiis depingi* licitum. *Illud quod imaginum adoratores tibi ad suum errorem muniendum respondisse scripsisti, ita inquiēs, Non putamus imagini, quam adoramus, aliquid inesse diuinum, sed tantummodo pro honore cuius effigies est, tali eā veneratione adoramus: vnà tecum reprehendimus ac detestamur: quia, cùm eorum scientiam nō subterfugerit, imaginibus nihil inesse diuini, maiori digni sunt inuectione, eo quod debitum honorem Diuinitati, impenderint infirmo, & egeno simulacro.*

XIV. Rursus: quum diceret Claudius; *Si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, quanto magis opera manuum hominum adoranda, & colenda non sunt? Prorsus nec in honore eorum quorum similitudines esse dicuntur.* Hæc, inquam, cùm Claudius diceret, respondet Ionas, *In huius sententiæ sensu nobiscum sobriè sapit:* distinguens tamen opera manuum Dei, quibus honorem relinquit aliquem ab honore Dei: ab operibus hominum, quibus nullum. Eò enim referenda, quæ statim subijciuntur. *Verum est, inquam, quia neque opera manuum Dei, neque opera manuum hominum sunt adoranda & colenda illo videlicet cultu & adoratione qui solius Diuinitatis est. Opus namque manuū Dei, corpora sanctorum præcedentia opusculis tuis te dixisse produnt, quæ non adoranda adoratione Diuinitatis debita, sed pio sunt amore amplectenda & honoranda, vtpote Sancti Spiritus templa sacra.* Nam ita tum docebatur, vt dispararentur Sancti, eorúmque reliquiæ, ab imaginibus: & his quidem negabatur deferēdus honor: illis autem, relinquebatur cultus amoris; at non adorationis. Statim autem. *Sed & illud quod subiungis. Quia si imago, quam adoras, Deus non est, nequaquam veneranda est pro honore sanctorum, qui nequaquam diuinos sibi arrogant honores: omnino approbamus, congruúmque fidei Catholicæ esse iudicamus.*

XV. Denique Ionas iste, vnus ex illis fuit autoribus Synodi Parisiensis: quíque adeo delectus est, vt eius acta deferret ad Papam. Ac proinde Orientales, id est, Græcos, nimirum qui ex decreto Nicænæ Synodi secundæ imagines colebant, sceleratissimo errori mancipatos dicit. Proinde numeratur à Baronio inter eos qui magna temeritate atque proteruiâ inueherentur in Romanum Pontificem, qui illius Synodi decretum assereret, atque probaret. Anno

octaui seculi nonagesimo quarto, paragrapho quadragesimo.

XVI. Agobardi Lugdunensis Episcopi edita sunt nuper opera, e Bibliotheca Papyrij Massoni. In iis libellus de picturis & imaginibus [illegible] secundo Legis [illegible], qui [illegible] *: & non de solis, [illegible], similitudinibus alienorum Deorum, intelligitur dictum. [illegible] & de cælestibus creaturis, aut quam honore creaturarum humanus sensus potuit excogitare.* Et, interiectis quibusdam ex Deuteronomio. *In quibus verbis summopere notandum est, quia si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, nec in honore Dei, quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda, nec in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur?* Item. *Melius esse animum deterius corpus, eminentius spiritum, infimam carnem, nouit qui ea qua paulo superius sunt posita Sancti Augustini verba legit, & intelligit. Multo autem his deteriora esse, qua humana & carnalis præsumptio fingit, et iam stulti consentiunt. In quo genere ista quoque inueniuntur, quas Sanctas appellant imagines: non solùm sacrilegi, ex eo quòd diuinum cultum operibus manuum suarum exhibent, sed & insipientes, sanctitatem eis qua sine anima sunt imaginibus tribuendo: nec hoc solum, sed sanctificationem quoque, quam per verbum Dei fieri testatur Apostolus, eis qua nunquam loquuta sunt, simulacris clementer*, ego dementer *concedendo.* Rursus *Si vlla imago esset adoranda vel colenda, Creatoris potius esset quam creatura. Nempe hominem fecit Deus ad imaginem & similitudinem Dei: Homo autem facere non potest quicquam, in quo sit similitudo hominum inmente & ratione. Namsi exprimit vtcumque sculpendo, vel pingendo, aliquam similitudinem corporis aut membrorum hoc vtique exprimit, quod minimum est in homine, non quod maximū. Certe si adorandi fuissent homines, viui magis quam picti, id est, vbi similitudinem habent Dei, non vbi pecorum, vel quod verius est, lapidum, sine lignorum, vita, ratione, & sensu carentium.*

XVII. Hæc vehementiora, & disertiora. *Nemo se fallat, nemo se seducat, nemo se circumueniat. Quicumque aliquam picturam, vel fusilem, siue ductilem adorat statuā, non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos, vel homines Sanctos, sed simulacra veneratur. Agit hoc nimirum versutus & callidus humani generis inimicus, vt sub prætextu honoris Sanctorum rursus idola introducat, rursus per diuersas effigies adoretur, vt auertat nos à spiritalibus, ac carnalia [illegible] demergat: ac per omnia simus digni, ab Apostolo audire, O insensati, quis vos fascinauit? & , sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Paulò post, *Aspiciamus picturam, quasi picturam: vita, sensu, & ratione carentem: pascatur hac visione oculus: Deum verò veneretur animus.* Iterum. *Rectè ob huiusmodi euacuandam superstitionē, ab Orthodoxis Patribus definitum est, Picturas in Ecclesia fieri non debere: ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Rursus: *Necdum* (& loquitur de Concilio Carthaginensi, in quo decretum, nō construi altaria absque reliquiis) *error emerserat, quo nunc de carbonibus, minioque vel Sinopide figurata effigies, sancta imagines vocarentur, & adoranda prædicarentur.*

XVIII. Quid plura? Vide totius disputationis Synopsin à Massono. In ea hæc. *Vnum Deum adorandum sine imagine. Nullum exemplum alicubi totius Testamenti, Patribusque, adoranda imaginis, esse debere ornamento delectandis oculis, non instruendo populo. Nulla est alia Dei imago, quàm hoc quod est ipse: & secundùm quod est ipse, non potest pingi, ideo neque adorari in imagine, nisi in illa quam ipse nobis præscripsit: nempe Christo. Duplici quidem adoratione, externa & interna. Vtraque vocatur religio* [illegible] *gimur, a* [illegible] *cæteri sanctis* [illegible] *Vbi verò* [illegible] *& tuti* [illegible] *de sanctis* [illegible] *gio de D*[illegible] *Angelos, neque a* [illegible] *ter æternam Dei imaginem, qu*[illegible] *inter homines, Deum* [illegible] *constituit.*

XIX. Quid illud eiusdem præfatione ad Ecclesiam Lugdunensem. *Græcorum errores de imaginibus & picturis manifestissimè detegens, negat eas adorari debere.* Nam, qui Græcorum errores de picturis, nisi qui à septima Synodo? Illa, inquam, Synodo quæ Francofurti apertis sententiis damnatur, eo [illegible] teste in eadem Synopsi? Sed ista: *Quam sententiam omnes Catholici probamus, Gregoriumque magis testimonio de illis sequimur.* Ista, inquam, quo [illegible] lis, de quibus dicta ac [illegible] inquam, Catholicis [illegible] Papistæ, nam in Papiriis Massonus: [illegible] Catholici, amplectuntur Agobardi senten[illegible] nibus? Ergo non Catholici Nicæ[illegible] Francofurti. Non Catholicus Ad[illegible] cofurtenses refutauit. Non Catholicus [illegible] nus, qui disertè adorandas pronun[illegible] das perse: atque ita, vt adoratione [illegible]

XX. De Valafrido Strabone, [illegible] Baronij; paragrapho quadragesimo [illegible] pringentesimi nonagesimi quarti. *Eius tempore* [illegible] *tia fuisse reperitur Valafridus Strabo, eiu*[illegible]*, qui duas pariter classes in his errantium constituens, ait. Nec tam de imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua, quia & earum varietas nec quodam cultu immoderato colenda est, vt quibusdam stultis videtur: nec iterum speciositas ista est quodam despectu calcanda, vt quidam vanitatis assertores existimant.* Et inferius. *Notandum verò, quòd sicut quidam easdem imagines vltra quàm satis est, venerantur: ita aliq, dum volunt cautiores in religione videri, illas, vt quasdam idololatriæ species, respuūt. Cum autem Concilia aduersus destructores imaginum habita, reticens verò illa, quæ pro imaginum cultu fuerant antea celebrata: tam planè enim ipse sarina fuerit, liquidò est aspicere, dum & illum tantum honorem docet sacris imaginibus tribuendum, si non deiiciantur & conculcentur. Nam subdit. Non sunt omnimodis honestis & moderatis imaginum honores abiiciendi: si enim ideo, quia nonnulli non adorandas nec colendas iconas, conculcanda sunt & delenda pictura, quasi non necessaria, & nociua: Ergo, &c.* docens tas conseruandas tantùm ad ornatum, & ad instructionem populi historiæ veritatis. Valafridus ergo, non amicus Papistarum: etsi ille sanè toto eo capite, quod octauum est libri de rebus Ecclesiasticis, longè durius loquatur de honorandis imaginibus, longèque magis ad partes Græcas, quàm Ionas, Agobardus, alij.

XXI. De Hincmaro Rhemensi, idem Baronius, eodē loco. *Inter nos est annumerandus Hincmarus Rhemensis Episcopus, dum hæc ait: Septima autem apud Græcos vocata vniuersalis pseudosynodus, de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebāt, nec tra vero pars intellectu sano definiens, sine autoritate Apostolica sedis, non longè ante nostra tempora Nicæa est, à quā plurimis Episcopis habita, & Romam missa: quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Vnde temporis Caroli magni Imperatoris, iussione Apostolica sedis, generalis Synodus in Francia, Francofordia scilicet, conuocante præfato Imperatore, celebrata, & secundum Scripturarum tramitē, tradi-*

traditionémque maiorũ. ipsa Græcorum pseudosynodus destructa, & penitus abdicata. De cuius destructione non modicũ volumen, quod in palatio adolescentulus legi. ab eodẽ Imperatore Romã est per quendam Episcopum missum. Et paulò post de titulo vniuersalis Synodi, ista subuechit. Authoritate etiam huius Synodi, Frãcofordiensis videlicet, nonnihil repressa est imaginũ veneratio. sed tamen Hadrianus & alij Pontifices in sua opinione perseuerarunt, & mortuo Carolo suarum picturarum cultum vehementius promouerunt: adeo vt Ludouicus Caroli filius libro longè acriori insectatus sit imaginum cultum, quàm Carolus. Hæc ipse: & certè nimis inconsultè, atque adeo temerè. Satin' disertè Hincmarus, cõntra Græcos, contra Hadrianum: atque adeo contra cultum imaginum? Satin' acriter Baronius contra Hincmarum?

XXII. Superest Aimoinus: eius verba sunt libri quinti capite vigesimo octauo, de Synodo octaua, in qua, præsentibus Adriani legatis, schisma de Ignatij depositione sedatum est. *In qua Synodo de imaginibus adorandis aliter, quàm orthodoxi doctores antea definierant, statuerunt. & quædam pro fauore Romani Pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam contra antiquos canones, & cõtra ipsam suam Synodum, constituerũt. sicut qui eandem Synodum legerit, patenter inueniet.* Nimirum in ea Synodo erat sancitum canone tertio in decima sessione: Imaginem Christi, eadem veneratione colendam, cum quatuor Euangeliorum libro: venerandas item, & adorandas imagines Virginis, Angelorum, & Sanctorum. Eum igitur Canonẽ Aimoinus improbat, iis verbis, quæ recitantur à Baronio paragrapho sexagesimo sexto anni octingentesimi sexagesimi noni. Et sic legebatur in omnibus editionibus, donec prodiit nouissima Parisiensis, procurata à Iacobo de Breul, monacho, qui insigni, imò horrenda fraude locũ interpolauit in cõtrarium sensum. Sic enim expressit, *In qua Synodo de imaginibus adorandis, secundum quod orthodoxi doctores antea definierant, statuerunt.* Nulla verba sunt, quæ tantam perfidiam satis detestari queant. Videant cordati: & discant, quantum fidei sit istiusmodi monachis.

XXIII. Accedit testis Anastasius Bibliothecarius, in præfatione ad septimam Synodum à se versam. Recitat Baronius eodem loco. *Quæ super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus docet, hæc Apostolica sedes vestra, sicut nonnulla scripta innuunt, antiquitus tenuit, & vniuersalis Ecclesia semper venerata est, & hactenus veneratur. quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus vtique nondum est harum vtilitas reuelata.* Hæc Anastasius, qui interfuit octauæ Synodi, annis paulo paucioribus centum post Francofurtensem. Hoc igitur teste, dissentiebant à Romano Pontifice Galli in caussa imaginum. Quanquam vix erat tanti huius testimonium: cùm recentior sit Aimoinus, duodecimo seculo.

XXIV. Guillelmus Durandus Mimatensis, libro quarto Rationalis capite tricesimo nono. *Nec ipsis* (Sanctis & Angelis) *adorationis seruitus, sed soli Deo impenditur: ne, si secus fiat, non Theosebiam cultus exhibeatur, sed idololatriæ crimen incurratur, seruiendo creaturæ tanquam creatori, & mutando gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Si igitur nec homines, nec Angeli adorandi sunt, attendant quid agunt, qui sub prætextu cuiusdam religionis, seu pietatis, diuersas adorant imagines. Non enim licet aliquid manufactum adorare.*

FINIS LIBRI VIGESIMI PRIMI.

LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

DE

CRVCE.

Caput Primum.

AN IMAGINES CRVCIS IN VSV fuerint ante Constantinum.

DE Cruce disputarunt Papistæ: Bellarminus de Sanctis libri secundi capite vigesimo sexto, & sequentibus. Costerus Enchiridij capite decimo tertio. Alphonsus de Castro contra Hæreses libro secundo, capite de Adoratione. Gretserus tomis tribus. Lindanus Panopliæ libro quarto, capite nonagesimo septimo. Vasques in tertiam Thomæ disputatione centesima vndecima. Alphonsus de Castro libro primo, Verbo Adoratio, hæresi prima. Alanus Copus dialogi quarti capite tertio & sequentibus. Lorichius in Fortalitio. Et Gallicè Richeomus de Imaginibus capite trigesimo sexto. Franciscus Salesus, in Defensione vexilli crucis. Catholici. Guilhelmus Farellus Gallicè de vero vsu crucis: Hospinianus de Origine imaginum. Antonius Fayus Pastor Ecclesiæ Geneuensis, scripsit tractatum de virtute Crucis: cui suam Apologiam Salesus opposuit: quam Fayus prolixè solidéque refutauit.

II. Crucis nomen tria significat, ad hanc controuersiam spectantia. Primò ipsum lignum, in quo Christus affixus, animam Patri reddidit. Secundò, signum crucis, αἰώρητον, formatum in aere certo digitorum motu. Tertiò, crucis imagines ex certa materia, siue ea solida sit, siue ex coloribus. Prima significatione, prolixè disputant Papistæ, de materia, & forma. An ex vno ligni genere, an ex pluribus. Fuere enim tam supini ingenij, qui ex quatuor, Cypresso, Cedro, Pinu, & Buxo: alij ex Palma, Oliua, Cedro, Cupresso: alij ex quercu sola. De forma prolixè Lipsius; Bellarminus nonnulla. Gretserus non pauca. Sed hæc omnia nos libenter otiosis relinquimus: certò nobis persuadentes, inutilia esse ad fidem, atque nunquam inquisita, nisi inclinante iam Christianitate ad superstitionem.

III. Quid ergo? Nêpe de vsu Crucis post Christum: tum de honore quæstio est præcipua. De vsu; an verus Ecclesia solita sit crucis imagines subsistentes erigere. Nam signum illud in aere, constat crebrò vsurpatum: quæcunque tandem vsurpandi caussa fuerit. Quanquã hęc pręcipua videatur, testandæ Christianitatis. Certum enim ex Minutio, aliquod fuisse signum, quo se Christiani agnoscerent, etiam quum metu tyrannorum, non profiterentur palam. Sed imagines negamus vllas in vsu fuisse ante tempora Constantini, qui primus Labarum confecit in formam crucis. Ast Papistæ contrà asserunt, imagines crucis & crucifixi esse antiquissimas, & ipsis Apostolorum temporibus fieri solitas.

IV. Argumentum primum. Quia constet Christi, ac Virginis imagines temporibus Apostolorum, atque adeo ipso Christo adhuc in terris agente, à piis factas, & asseruatas. Probatur ex statua ab Hæmorroissa erecta: & ab ea quam Nicodemus fecisse dicitur. Item à Concilio Antiocheno Apostolorum, vbi Canon factus in hunc modum, *Ne decipiantur fideles ob idola: sed pingant ex opposito humanam diuinamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri, ac Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, ipsiúsque seruorum, contra Idola & Iudaeos, neque errent in Idolis, neque similes fiant Iudæis.* Quòd si Apostoli iusserunt imagines Christi fieri, verisimillimum est, etiam crucifixi imagines vel sculpsisse, vel pinxisse.

V. Respondeo; primò de Imaginibus Hæmorroissæ & Nicodemi, fusius agendum esse paulo post. Interea secundò, imaginem Hæmorroissæ factam ex consuetudine Ethnica, vt testatur Eusebius, non ex Christiano instituto. Itaq; nu... vim habere

habere consequentiæ: neque enim verisimile, Apostolos imitatos esse Ethnicam superstitionem. Tertiò, imaginem à Nicodemo factam, putam esse putamque fabulam. Quartò, Canonem illum Antiochenum supposititium esse, nullumque habere testimoniū nisi ab Iconolatris Nicænis, qui & alia Patribus supposuere: vel certè supposita ab aliis amplexi sunt, atque vsi pro veris: nam ne fabulam quidem Nicodemi respuerunt. Turrianus eum Canonem Græcè recitat libri primi de Canonicis Epistolis capite vigesimo quinto, ex quodam Codice, vbi continebatur pars Canonum eius Cōcilij.

VI. Sed primò, quo teste probant Apostolos cōuenisse Antiochiam? Non sanè Scriptura. Nā Iouerius initio Sāctionū Ecclesiasticarū quatuor tātùm Apostolorum Cōcilia colligit ex Actis, sed omnia Hierosolymis. Primum ad eligendum Matthiā: secundum ad eligendos Diaconos: tertiū ad componendā disputationem de circuncisione & legalibus: quartum à Paulo & Iacobo, cùm Paulus purificauit se. Quintum à nōnullis additur, à Paulo conuocatis Episcopis Ephesinis. Hæc sola Concilia Apostolica colliguntur ex Scriptura: reliqua nulla, ne ex historia quidē. Secūdò ex iis Canonib⁹ primum Turrianus ponit, vt credētes in Dominum Iesum, quos illius tēporis homines vocabant Galilæos, Christiani deinceps vocarentur. At Lucas Actorū undecimo id docet absq; Cōcilio: tum cùm Paulus & Barnabas vacarent constituendæ Antiochenę Ecclesiæ. Secūdò, indicat idē Lucas mutationē factā esse nominis Discipulorū, in nomē Christianorū. At iste suppositius canon habet mutatū fuisse nomen Galilęorū. Quo tamē ipso, Christianos tum tēporis appellatos fuisse nullū testimoniū docet. Itaq; prorsus supposita est hæc Antiochena Synodus: ac proinde hic canó. Nec sanè Baroni⁹ cā sua diligētia dignā credidit.

VII. Argumentū secundū. Quia ad Galatas scribit Paulus, *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorū oculos Iesus Christus depictus est, in vobis crucifixus.* Quod perinde est, ac si diceret Apostolus, quorsum circuncidimini, si Christum crucifixum prædicatis, & imagines crucifixi ante oculos positas habetis, quæ vos stultitiæ ac delirij planè arguunt? Et testem citat Gretserus Athanasium sermone de S. Patriarchis & Prophetis.

VIII. At hic eorū verborū sensus nunquā hactenus auditus erat. Sermo ille non est inter Athanasij opera, nec mihi vsquam visus. Reliqui omnes Paulū longè aliter explicāt. Græci cūcti: de Christo crucifixo per Euangelij prædicationem: ex qua fides vera tā certò apprehēdit crucifixū, quā si oculis propriis vsurparet. Chrysostomus, [illegible Greek] *Fides enim ostendit, quę etiam longè dissita videre potest. Nec dixit, crucifixus est, sed, præscriptus est crucifixus: significans eos fidei oculis exactius contemplatos esse, quàm quosdā præsentiū, & quæ gerebantur videntiū.* Theodoretus, *Ita credidistis, tanquā qui ipsam Christi crucem cōtemplati essetis.* Oecumenius, [illegible Greek] *Præscript⁹ est, inquit, hoc est, per prædicationis picturā: Quasi diceret: Prædicatio depinxit vobis crucem, vos antē oculis fidei tā tanquā præsentē videbatis: Sic enim credidistis, quasi ipsi Christi cruci ē̄ adfuissetis.* Nec aliter Theophylact⁹.

IX. Latini diuersi abeunt. Sunt qui Græcis hæreant. Hieronymus. *Nobis rectè proscriptus est Christus, de cuius patibulo & passione, alapis, & flagellis, omnis prophetarum prædicit chorus: vt crucem ipsius non de Euangelio tantum, in quo crucifixus refertur: sed multo ante quā descēdere dignaretur ad terras & hominē qui est crucifix⁹, assumeret, nouerimus. Nec parua laus Galatarum est, quod ita crediderunt in crucifixū, vt ante fuerat eis proscriptus: quo scilicet lectitantes Prophetas, & omnia veteris legis Sacramēta noscentes, via & ordine venerint ad credendum.* Sedulius, *Quibus per meam prædicationem ita manifestata est passio eius, vt ipse ante vos sententiā dānationis exceperit.* Primasius, *Quibus tam manifesta facta est passio eius me prædicāte, vt eum ante oculos vestros pendere putaretis.* Anselmus, *Non creditis veritati sicut insensati, ante quorum interiores oculos, Iesus Christus præscriptus est, id est, præostēsus & prænotatus à nobis, non in tabulis lapideis sicut lex, sed & in vobis, id est, in cordibus vestris, est crucifixus.*

X. Ast alij, cùm in Latino Interprete legerēt proscriptus est, Latinæ vocis proprietatē sectātes, diuersum quid animo concepere. Ambrosius. *Manifestum est, quia stultorū oculis Christus proscriptus videtur id est expoliatus, vel cōdemnatus. Prudētiū verò oculis & sensibus, nō solū nō cōdemnatus, sed & ipsē mortē cruce in dānasse videtur.* Augustinus, *Quibus videntibus Christus Iesus hereditatē suam possessionémque suam amisit: his vtique auferentibus eam, Dominúmque inde expellentibus, qui ex gratia fidei, per quam Christus possidet gentes, ad legis opera eos qui crediderant reuocabant, Christo auferentes possessionem suam: id est eos quibus iure gratiæ fideique inhabitabat. Quod in ipsis Galatis accidisse vult videri Apostolus. Nam ad hoc pertinet quod ait ante quorum oculos. Quid enim tam ante oculos eorum contigit, quàm quod in ipsis contigit?*

XI. Ita nemini vnquam fuit Veterum, cui in hoc explicando loco, aut oculi corporei, aut imagines fictæ, pictæ ve, venerint in mentem. Syrus interpres etiam addit similitudinis notam, *quasi pingendo depictus.* Quanquam quid Veteres dico? Ne recentiores quidem. Non Lombardus, non Lyranus, non Thomas, nō Strabus, non Carthusianus, nō Caietanus, non Guillaudus, non deniq; Salmeron, non Iustinianus, non Emanuel Sa. En tibi, idoneū Iconolatrarū fundamētū! A mera impostura: quę Paulo id imponit, quod Paulo ne somniāti quidē venit in mentē.

XII. Tertiū argumentū ex frequentia & multitudine hostium, & osorum crucis, qui extiterunt Apostolis adhuc viuentibus, Euangeliumque toto terrarum orbe disseminantibus: contra quos toties in suis Epistolis, summa verborum grauitate & maiestate, laudes crucis decantat Apostolus. Iique erāt non modò Iudæi, & Ethnici, sed & multi ex fratribus falsis hæretici. Qui quàm primum caput tollere cœperunt, introductę sunt imagines crucis in Ecclesiam, quas fideles venerabantur, & diabolus vidēs exhorresceret. Testis Ignatius ad Philippenses: *quod vbi viderit horret, & audiens timet.* Quomodo autem Diabolus vidisset & exhorruisset crucem, si crucis trophæa nulla hîc erecta fuissent?

XIII. Respondeo, consequentiam esse ineptā. Quia osores illi crucis, nihil oderāt materiale: non imagines detestabantur, sed ipsum Christum crucifixum. Doceo ex locis Pauli, ex Veterum expositionibus. Prioris ad Corinthios primo, *Ne euacuetur crux Christi. Nam sermo ille de cruce, iis quidem qui pereunt, stultitia est: nobis autem qui seruamur, potentia Dei est.* Ad Philippenses tertio, *Complures incedunt, quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, hostes esse crucis Christi.* Nimirum solenne Paulo totam de Christo doctri-

ram comprehendere crucis nomine. Ad Galatas sexto, *Ne ob crucem Christi persecutionem patiantur*: id est, propter doctrinam Christi, quam qui amplectuntur, persecutionem patiuntur tum à Iudæis, tum à Gentibus. Ac proinde, quam prius crucem simpliciter appellabat, statim Verbum crucis appellat. At verbum crucis non est crux ipsa, sed prædicatio Christi in cruce mortui.

XIV. Oecumenius in primum caput prioris ad Corinthios. [illegible] *Euacuatur & exinanitur crux Christi, siue eius voluntaria pro nobis passio, si qui verbo sapientiæ & persuasione conantur eius maiestatem & Deitatem confirmare.* Anselmus, *Ne euacuetur crux Christi, id est, ne vacua, ne otiosa putetur passio Christi, sed plena hominum redemptione & salute.* Lyranus consentiente Thoma, *Ex his formatur talis ratio. Ille modus docendi non est conueniens alicui doctrinæ, per quem destruitur id quod est in ea principale. Sic in proposito, quia principale in doctrina fidei est salus per fidem Christi crucifixi.*

XV. In tertium ad Philippenses, Chrysostomus: [illegible] Χριστοῦ [illegible] *Quandoquidem simulabant nonnulli Christianismum, remisse viuentes ac molliter: hoc autem contrarium est cruci: hanc ob caussam ita loquitur. Crux propria est animæ in acie stantis, mori cupientis, neque tolerabile quicquam quærentis. At hi contra vitam instituebant: Itaque quamuis se dicerent esse Christi, tamen tanquam hostes erant crucis: si enim crucem amassent, crucificam vitam vixissent.* Chrysostomum, vt aliàs, sequuntur Oecumenius, Theophylactus. Anselmus paulò aliter, *Inimici dominicæ crucis sunt pseudoprædicatores, quia dicunt mortem Christi non sufficere credentibus ad salutem, sine carnalibus legis obseruationibus.* Qui sensus videtur esse Theodoreti: cui subscribit etiam Thomas Aquinas, & Thomas de Vio. Lyranus autem magis accedit ad Chrysostomum. At Salmero vtrumq; coniungit, *Id est, aliter atque ego, in otio & quiete, & luxu versantur. Quos inimicos crucis Christi vocat, & tangit Pseudoapostolos. qui abiiciũt id quod crucis Christi erat: nã, vt vitarẽt opprobria deserebãt Euãgeliũ: & vt persecutionem fugerent, miscebant cum lege Euangelium.*

XVI. Quartum argumentum, ea more quarundam nationum, quæ ab Apostolis primitus edoctæ, Christiana sacra susceperunt. Apud Aethiopias Abyssinos crucis vsus frequentissimus est, & antiquissimus: nec aliunde videtur introductus, quàm partim ab Eunucho Candaces, partim à Matthæo, gentium illarũ Apostolo. Quia consuetudinis bonæ & laudabilis, si origo ignoratur, ad Apostolos refertur, autore Augustino. Dicitur apud Chinas crux inter sacra signa haberi: neque tamen Chinas rationem scire. Xauerius in insula Socotora inuenit cruces in altaribus cum lychnis. In India ad occasum feruntur cruces esse repertas in fanis, & sepulcris vetustissimis. Denique S. Thomas in Indiis crucem non modo erexit, sed & coram eadem preces fudit: Eaque hodie est in vrbe, cui ab eo Apostolo nomen est, teste Osorio: & aliis.

XVII. Respondeo: primùm hæc omnia pendere à fide testium, qui in Papismo nati, educatique. Est autem Papistarum id genus hominum, cui nihil sit absurdum, modò commodum ferendæ superstitioni. Enimuero quid eos speremus facturos, imò quid eos speremus non [illegible]turos, in narrationibus illis, quarum aut nullos aut paucos secum [illegible]stes habere possunt, cùm in Scripturis videamus adeo audaces, vt cõtra omnem omnium sensum in [illegible] quærant crucis imagines? Imò in his ipsis regionibus, multa quotidie fingere prorsus vana? Et [illegible]rò Matthæus Riccius Iesuita in historia Sinarum nullum obseruat crucis vestigium. Ne prior quidem historia magni regni Chinæ. Abyssinos qui laudabant, tanquam iecur merum Christianitatis, prolixè refutatur à Nicolao Godigno Iesuita in rebus Abassinorum. Secundò, negatur consequentia: etsi enim eæ cruces iis in regionibus inuentæ sint, tamen non est verum, fuisse ab Apostolis, aut Apostolicis constitutas. Nam, & Monachismus apud eos inuentus, quem tamen Christiani in Europa, Asia, Africa, nõ repererunt altius, quàm ab Antonio, annis trecentis post Apostolos. Et in hoc ipso negotio, quis nõ mirabitur, apud eas gentes, ad quas singuli tantùm Apostoli penetrarunt: si tamen penetrarunt. nam id nullis historiis liquet: tantùm coniecturis diuinatur: sed apud eas gentes, ad quas singuli ad summũ Apostoli peruenerunt, tam illustria crucis documẽta tã vetera reperiri. Et in iis vnde omnes orti sunt, vbi plerique vixerunt, & diem clauserunt, nulla fuisse!

XVIII. Hæc erant Gretseri argumẽta. Addit Salesius. Si in lege fuerunt signa crucis venturæ: ergo & in Euangelio esse debent eius imagines. At verum prius. Ergo & posterius. Probatur assumptiũ ex æneo serpente, Numerorũ vigesimo primo qui iussus est suspendi in vexillo: fiebant autem olim vexilla in formam crucis, ita vt lignum ex quo velum penderet, alterum secaret: vt Romanorum Labaro. Quin Iustinus Martyr in Apologia, testatur à Mose serpentem erectum in formam crucis.

XIX. Respondeo; primò negari consequentiam: tum quia nullo Dei verbo nititur: tum quia non sit eadem conditio Ecclesiæ, post adimpleta quæ erant promissa, quæ priùs. Aliàs deberent esse multa alia signa, quæ nulla sunt. Secundò ad antecedens, distinguo crucem, vt significet vel abstractè ipsam crucem in qua Christus affixus est: vel concrete Christum in cruce. Priori sensu negatur antecedens. Nam Christus ipse Ioannis tertio asserit, serpentem sui ipsius efferendi in altum fuisse signum. *Prout Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet Filium hominis.* Et sanè qui potuit id, quod efferebatur in altũ, significare id in quo quid efferretur? Itaq; Iustinus in Dialogo cum Tryphone scripsit, denunciatam [illegible] *salutem iis qui crederent in eum, qui per id signum designabatur, & crucifigendus erat.* Altera autem significatione nihil concluditur. Non enim est necesse, si aliquod fuit Iudæis signum Christi crucifigendi, apud Christianos exstare imagines ipsius crucis.

XX. At, inquit, serpens positus fuit in vexillo, & vexillum fit in formam crucis. Imò, inquam, נס Hebraice significat non propriè id quod vexillum dicitur à velo: etsi aliquando hoc ipsum: sed vniuersaliter, quicquid eleuatur in signum. Ideoque & perticam: quomodo verisimile est serpentem erectum. Non habet enim serpens eas dimensiones corporis, quæ decussatam crucem requirant. Est verò ineptum morem vetustissimum Iudæorum in vexillis metiri ea more Romanorum. Quasi apud omnes gentes eadem sit vexillorum ratio: & non

hodie

hodie bellica omnium nationum vexilla vno potius signo confiteor. At contrà Iustinus. Imò non contrà Iustinus. Scriptum est, inquit *λαβεῖν τὸν Μωσέα χαλκὸν, καὶ ποιῆσαι τύπον σταυροῦ, καὶ τοῦτον στῆσαι ἐπὶ τῇ ἁγίᾳ σκηνῇ*, *accepisse, & typum crucis fecisse: & statuisse super sancto tabernaculo.* Typum crucis, non in formam, siue figuram crucis. Nam quis non videt falsum? Aes enim factum est in figuram serpentis, quæ nullo modo esse potuit figura crucis. Fuit ergo typus crucis, id est, secunda significatione, Christi in cruce.

XXI. Addit Salesius, olim fuisse Christianos appellatos religiosos crucis: neque id Christianos nomen aduersaros. Ergo Christianis in vsu fuisse imagines crucis. Consequentiam probat, quia non potuissent id exprobrare, nisi vidissent cruces apud Christianos.

XXII. Respondeo, primò falsum esse Christianos consensisse adorari apud se cruces. Sed hac de re pluribus agendum erit proxima quæstione. Secundò igitur negatur consequentia. Et contra confirmationem dico, potuisse facile id Christianis exprobrare, etsi nunquam vllas cruces vidissent. Nam exprobrabant etiam caput asininū, tum apud Tertullianum, *Somniastis caput asininum esse Deum nostrum*: capite decimo sexto Apologetici: Tum apud Minutium: *Audio turpissimæ pecudis caput asini consecratum, inepta nescio qua persuasione venerari.* Quid ergo? Videtant-ne? Nihil minus. Sic promiscuos concubitus. Poterant etiam paucula de cruce audita in detectus contexere: sicut cùm nonnihil inaudissent de carne ac sanguine domini, verisimiliter hac occasione crimen finxere infantem farre contectum, è tius cæcis occultisque vulneribus occisi, membra Christiani dispertirent, sanguinem lamberent: apud Minutium.

XXIII. Denique Iustini testimonium, & Athanasij Salesius adhibet. Nam cùm ostendisset absque figura crucis nihil fieri: trophæaque, & fasces accedere ad similitudinem crucis: consecrari etiam Imperatorum denatorum imagines hac figura: tum deoique Iustinus, *Quoniam igitur*, inquit, *bonis rationibus, ducti ab ipsa figura, hæc eadem vobiscum quantum possumus, facimus, iam deinceps erimus absque culpa.* Quæ verba fideliter expressa sunt ex Gallicis Salesij. Athanasius autem ad Antiochum quæstione quadragesima prima, ita habet, *Quare credentes omnes ad crucis imaginem cruces facimus, lanceæ verò sanctæ, aut arundinis, aut spongiæ, figuras nullas conficimus, cum tamen hæc tam sint sancta, quàm ipsa crux? Figuram quidem crucis ex duobus lignis compingentes conficimus, vt si quis infidelium id in nobis reprehendat, quod veneremur lignum, possimus duobus inter se disiunctis lignis, & crucis dirempta forma, ea tanquam inutilia ligna reputare, & infidelem persuadere, quòd non colamus lignum, sed quòd crucis typum veneremur. In lancea verò aut spongia, vel arundine, nec facere hoc, nec ostendere possumus.* Cùm ergo fateatur Athanasius omnes eius temporis fideles fecisse cruces ligneas, non est verisimile Constantinum eius temporum autorem fuisse.

XXIV. Respondeo, horum testimoniorum alterum esse impudentissimè falsatum, alterum suppulititiū. Nam Iustinus, cùm Poetas docuisset multa suis fabulis adumbrasse, quæ de Christo erant prædicta: nullum tamè Iouis filium dixisse crucifixum. Caussam docet, quòd non intellexerint ea quæ erant à Prophetis *συμβολικῶς* de cruce prædicta. Atque hic exspatiatur, ad minuendam, qua crux vulgò laborabat, inuidiam: docetque multis in rebus hanc inesse figuram: in velis nauium: in instrumentis fossorum, & artificum: in hominis figura: in vexillis Romanis: in fascibus: in imaginibus Imperatorum vita functorum. Tum denique, *καὶ διὰ λόγου οὖν καὶ διὰ φαινομένου τοῦ σχήματος, ὅσον δύναμις, προτρεψάμενοι ὑμᾶς, ἀνεύθυνοι οἴδαμεν λοιπὸν ὄντες, κἂν ὑμεῖς ἀπιστῆτε. τὸ γὰρ ἡμέτερον γέγονε καὶ πεπέρανται.* Verto, *Cùm igitur & ratione, & figura apparente, quantum potuimus, simus vos cohortati, scimus nos posthac innoxios futuros, etiamsi vos non credatis. Nam quod nostri fuit officij, confectum est, & absolutum.* Hæc Iustini. At illa Salesij, quantum hinc absunt, quæso? Fœda impostura: quam qui indicarit, satis refutarit.

XXV. Liber Quæstionum ad Antiochum, Athanasij non est illius magni, cuius inter Arij impugnatores præcipua laus. Admonuit iampridem Sixtus Senensis Bibliothecæ libro quarto. *Athanasij*, inquit, *non videtur. Suspicor hunc ex varijs Patrum scriptis collectum à studioso quopiam, qui in quæstione quarta Theologiam mysticam Dionysij allegat, Athanasij seculo, vt arbitror, ignotam: & quæstione trigesima tertia citat Athanasium ipsum, & ab eo diuersam sententiam profert.* Sic censuit Sixtus. Addo alia argumenta. Quæstione tertia, citatur *ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν καὶ θαυματουργὸς Ἐπιφάνιος ὁ ἀρχιεπίσκοπος Κύπρου*, *Sanctus pater noster, & mirificus Epiphanius, Archiepiscopus Cypri.* At Epiphanius Athanasio longè recentior. Quin & Archiepiscopi nomen Epiphanio nunquam tributum, nisi serò. Quæstione decima sexta, *Ὠριγενιασταὶ* *Origenistæ* nominantur, quos nullos Athanasij nouit ætas. Quæstione quadragesima secunda, argumentum probandæ fidei Christianæ adfert, *ὅτι οὐδεὶς βασιλεὺς Χριστιανῶν βαρβάροις παρεδόθη εἰς θάνατον, καίτοι τοσούτων ἐθνῶν τῇ βασιλείᾳ πολεμησάντων*: *Quòd nullus rex Christianorum Barbaris vnquam traditus sit, quamuis multæ gentes aduersus regnum bella gerentibus.* Vixit ergo hic autor post non tantùm multos reges Christianos, sed etiam post bella multa à gentibus illata regibus Christianis, id est, Imperatoribus. At Athanasius vix tres vidit Imperatores Christianos, alios alijs succedentes. Et eiusmodi bella nulla vidit: nisi contra Iulianum. Quæstione quadragesima quarta, Palæstinam dicit sæpenumero à Barbaris occupatam. Quod sane nisi multis post Athanasium seculis non accidit. Possunt alia colligi. Sed ista sufficiant. Is igitur autor, quicunque est tandem, recens est, ac eius temporis cùm iam Imaginum cultus vigeret.

CAP. II.

De Adoratione, quam Papistæ Cruci deferunt.

I. DE Crucis cultu animosior contentio est. Adorandam omnes Papistæ mordicus tenent. Sed in genere cultus non admodum consentiunt. Quidam enim duliam illi solam relinquunt: cultum, inquiunt, debitum rebus creatis, et latriam Deo soli. At alij altius extollunt, & ipsam latriam deberi contendunt. In his primus, quod sciam, Thomas tertia parte, quæstione vigesima quinta, articulo quarto: *Illi exhibemus latriæ cultum, in quo ponimus spem salutis. Sed in cruce Christi ponimus spem salutis: cantat enim Ecclesia, O crux aue spes vnica, hoc passionis tempore: auge pijs iustitiam, reisque dona veniam. Ergo crux Christi est adoranda adoratione latriæ.* Gretserus, libri primi capite quadragesimo sexto, disputat crucem honorandam: & quadragesimo nono,

etiam agit de genere cultus, *Asserimus*, inquit, *cùm sententia communiori, & in scholis magis trita, crucem colendam esse latria, hoc est, cultu diuino, non quidem per se, sed per aliud: non absolutè, sed cum habitudine & relatione ad prototypum.* Et ne crucis distinguas significata: capite quadragesimo sexto: *Quæ de honore & adoratione crucis dicemus, non tantùm pertinent ad primam illam crucem, in qua Dominus pependit, & quam sacratissimo suo sanguine consecrauit: sed etiam ad imaginem, & ad signum crucis, quæ imitatione primæ illius crucis fiunt. Etsi prima illa crux, non modò inter imagines, sed etiam inter reliquias habenda sit. Et quod de integra cruce asserimus, hoc etiam de singulis illius crucis particulis intelligi volumus.* Et quadragesimo nono, *Explicandum est quo genere cultus colenda sit, non modò prima illa crux, sed & omnes imagines, & signa crucis. Omnium enim vna eadémque ratio est.* Præiuerat olim Ioannes de Turrecremata in quæstionibus Euangeliorum in festo inuentionis sanctæ crucis, quæstione tertia, *Si loquimur de ipsa cruce, in qua Christus crucifixus est, vtroque modo est à nobis veneranda: vno scilicet modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea: alio modo, ex contactu ad membra Christi & hoc quod eius sanguine est perfusa: vnde vtroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latria. Si verò loquimur de effigie Christi in alia materia, puta lapidis, vel ligni, vel auri, vel argenti, sic veneramur crucem tantùm vt imaginem, sed adoratione latria.* Denique Seuerinus Chronologiæ Lugdunensis parte tertia, sectione secunda capitis primi, *Est verò de fide catholica, credere crucem Christi aliasque in omni materia, adorandas esse cultu latria.*

II. At Franciscus Salesius, tractatulo, quem præfixit Apologiæ suæ, distinctius agendum putauit: *In quantum crux est res insensibilis, puta lignum sculptum, tunc nulla reuerentia debetur ei, neque aliquis honor est exhibendus. In quantum est quædam res Christi, tunc adoranda est nobis adoratione hyperdulia. At quatenus repræsentat Christum crucifixum: & aspersa est eius sanguine, tum adoranda est eadem adoratione, qua ipse Christus, id est, latria. Quantum ad alias cruces attinet ex auro, ligno, ferro, aliáve materia, non adoratur, nisi vt adorantur imagines Christi.* Vides quadrupliciter distingui crucem: primò, vt rem insensibilem: secundò, vt inter reliquias: tertiò, vt figuram Christi, & aspersam sacro sanguine: quartò, vt imaginem primæ crucis in varia materia. Et primo modo nullo cultu colendam. Reliquis modis colendam quidem: sed variè: secundo hyperdulia: tertio latria: quarto dulia: hanc enim credo designatam.

III. Lotichius assentitur: *Sciendum, crucem Christi bifariam considerari, partim, vt habet sanguinis sancti Christi guttas sibi adhærentes: partim, vt est sanctificata per tactum Christi. Priori consideratione adoratur crux, vt Christus ipse, vbi enim inuenitur aliqua guttula sanguinis Christi, ibi Christus præsens adest: atque ita non adoratur lignum, sed Christus in sanguine suo, quo lignum crucis conspersum est. Posteriori cõsideratione crux Christi nõ adoratur vt Christus sed tanquam res sanctissima, & longe pretiosior vniuersis creaturis, propter contactum Christi, summa veneratione colitur, quam Theologi hyperduliam dixerunt. Eadem veneratio etiam debetur vestimẽtis Christi.* Et postea, *Imagines crucis dignæ sunt aliqua veneratione pia.* Idem capite de Imaginibus, *Crux Christi propria, ob contactum eius colitur hyperduliæ specie. aliæ crucis imagines paulo minori gradu: maiori tamen, quàm Imagines Sanctorum, propter maiorem dignitatem sui prototypi.*

IV. Hæc Papistæ: nec cautè, aut ego vehementer fallor. Primò manifesta est *διαφωνία*. Gretserus & primariam crucem, & reliquas omnes, siue materiatas, siue inanes, coli vult latria. At Salesius primam tantùm latria: atque eam quidem non semper, sed tantùm quatenus tincta est Christi sanguine. Quin fortasse distinctius: vult ipsissimas sanguinis guttas adhuc inesse. Cæterum, si nullus sanguis adsit, tum verò, vel hyperdulia duntaxat, aut etiam dulia simpliciter. Quæ quidem sententiæ quomodo concilientur, non video: ipsi viderint. Et tamen obseruo summum crucis fastigium, aut in eo tabellam tituli, nunquam adorari posse, neque latria, neque hyperdulia: ratio, quia neque aspersa sunt sacro sanguine vnquam, ad inferiores partes fluente: neque sanctificata contactu. Nam quomodo, quæ superiora fuere toto corpore?

V. Secundò pronunciat Gretserus omnium, id est, crucis veræ, & imaginum, & signorum, eandem esse rationem. Magnum ergo aliorum crimen, qui tantum momenti ponunt in guttis, in tactu, vt veram crucem distinguant & à seipsa: & à signis, atque imaginibus. Ita rursus contradictio est, dum alius omnium eandem rationem esse asserit, alij non eandem.

VI. Tertiò, si omnium imaginum, & signorum, eadem ratio est, quæ crucis, quod attinet adorationem: tum autem crux vera adoranda est non tota tantùm, sed etiam per particulas: Ergo sequitur, imagines sic adorandas, non tantùm totas, sed etiam per frusta. Contra quàm definiebat autor Quæstionum ad Antiochum, ideo ex duobus lignis compingi crucem, vt iis dissolutis, docerentur Ethnici non adorari lignum. Nam inde sequitur non adoranda fuisse illa ligna sic dissipata: quæ tamen erant partes crucis. Quod si iste potius verum dicat, tum certè Gretserus non verè, eandem esse rationem imaginum, & ipsius crucis. Sequitur item non tantùm signum illud in aëre adorandum, cùm formatum est totum: sed etiam per partes: adeo vt si deferatur manus ad frontem, vnde incipiunt vulgo signum illud formare, tum æquè eum motum adorandum, ac si reliqua confecta sint.

VII. Quartò, si eadem ratio sit signi in aere, quæ crucis primæ, & eius imaginum. Ergo quemadmodum crux vera, eiusque imagines, adorantur non tantùm à fabris, à quibus fiunt, sed etiam à cunctis adstantibus: sic, & signum illud in aere, si quando fiat à quopiam, quod accidit frequentissimè, siue perterrito, siue hiante, siue aliam ob causam, tum omnibus adstantibus procumbendum erit ingenua, & adorandum signum. Quod tamen video nõ fieri, nisi cùm Episcopi prætereuntes populo occurrenti suas benedictiones largiter impartiunt. Itaque necesse est, aut populum peccare grauiter in tanto mysterio non adorando, aut Gretserum ridiculè potius pronunciare.

VIII. Catholicis iampridem confectum est negotium. Crux enim, vel in reliquiis computatur, vel in imaginibus. Itaque de ea iudicandum ex generali doctrina de reliquiis, & imaginibus, de qua disputatum libris præcedentibus. Pronunciant ergo Catholici crucem non adorandam: & toti exhorrescunt, audita tanta blasphemia, quæ ei non cultum tantùm, sed etiam cultum defert latriæ.

* * *

CAP. III.

Cap. III.

Argumenta Papistarum pro adoratione Crucis ex Scriptura.

I. Disputat Bellarminus primò, de ipsa cruce Christi: secundò, de eius imaginibus: tertio, de eius ligno. Ordinem retineo, argumenta tum ex eo, tum ea aliis colligo, vt soleo. Alphonsus de Castro, ex Psalmo nonagesimo nono, *Adorationem hanc crucis, quam nunc inquirimus, Propheta explicat dicens, Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Quod autem verius scabellum Christi, quàm crux, cui pedes illius affixi sunt?*

II. Satin' facilè negotium confecit? Atqui negamus primò à Propheta dici adorandum scabellum, vt aliàs dictum. Secundò, crucem esse scabellum pedum Christi. Non enim scabello pedes affiguntur, tum non soli pedes affixi sunt, sed etiam manus: at scabello certè manus non affiguntur. Denique scabellum literaliter Propheta appellauit Arcam: allegoricè autem Augustinus exposuit carnem Christi. Imò nihil obstat inquit Alphonsus, quominus etiam crux intelligatur: teste Hieronymo, *Ad crucem Dominicam, & ad animam sanctam, hæc referenda sunt.* Atqui, inquam, hic Hieronymus non est Hieronymus ille Stridonensis: sed nescio quis recens Papista, cuius nomini substituit male feriatus aliquis Hieronymi nomen, vt esset non vendibili vino apposita hedera. Sed si vel de arca, vel de carne Christi, locus intelligēdus est, negamus intelligendum de cruce. Alioquin nihil in Scriptura certum erit, si pro varia vertiginosi cerebri libidine, modò hoc, modò illud, imò simul diuersissimas res significare cogatur.

III. Ioannes Auratus paradoxo quinto, adorationem crucis in primis colligit ex secundo ad Philippenses, *Donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu, omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Id vides, inquit, passim ab omnibus in Ecclesia obseruari, vt prolato nomine Iesu, poplitem curuent, & genuflectant: haud certè ob vocis illius dignitatem ac maiestatem: sed propter eum, quem signat, nempe Iesum Christum. Et eundem crucis Christi adorandæ ritum, nemo sanę mentis inficiabitur: cùm prorsus amborum æqua sit ratio. Placet distinctius agere: & argumentum per partes formare. Quicquid Christum significat, est adorandum. At crux Christum significat: Ergo crux est adoranda. Probatur maior, ex loco Apostoli. Nomen Iesu Christum significat. At nomen Iesu est adorandum. Ergo quicquid significat Christum, est adorandum. En tibi conclusionis artificium, ex regulis disputandi.

IV. Respondeo, negari primam propositionem, quæ asserit adorandum esse, quicquid significat Christum. Nam Serpens æneus significabat Christum: & tamen adeo non erat adorandus, vt cùm cœperunt Iudęi eo abuti, piè sit à pio rege redactus in cinerem. Ionas significabat Christum. Et tamen, nemo Ionam aut olim adorauit, aut nunc adorat. Possunt similia multa proferri. Deinde, nego assumptum: neque enim crux significat Christum. Nam si significat, ergo vel ex materia, vel ex figura. At non ex materia, quia lignum non potest significare Christum. Non etiam ex figura, quia Christi nulla talis fuit: nisi illa per accidens, cùm expansa sunt brachia: quod non ei soli accidit, sed etiam vtrique latroni, & aliis plurimis. Est autem absurdum, & ridiculum id genus significationis: vt si quis ense Paulum, crate Laurentium, leone Ignatium significari dicat, quia illis ea fuerunt martyrij instrumenta. Quid? quòd ipsum Petrum dicunt crucifixum? Ergo crux non Christum tantùm significaret, sed etiam Petrum. Certè vtrumque latronem.

V. Ad maioris confirmationem respondeo, primò formam esse vitiosam, quia à particularibus concludatur vniuersaliter. Et contrà: Nomen *Christus* significat Christum. At nomen *Christus* non adoratur: Ergo non omne quod significat Christum, est adorandum. Eadem ratio Emmanuelis: & Filij Dei, & Filij hominis. Secundò, nego assumptum: nimirum, ipsam illam vocem *Iesu* esse adorandam. Neque id sanè habetur ex Paulo: qui non appositiuè dicit nomen *Iesus*, id est, hoc nomen, nempe Iesus: sed constructè ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ. Notum est autem quid ea phrasi Scriptura soleat significare, Matthæi septimo *In nomine tuo prophetauimus.* Vigesimo primo, *Qui venit in nomine Domini.* Marci nono: *Qui dederit poculum aquæ in nomine meo.* Ioannis quinto, *Veni in nomine Patris mei.* Prioris ad Corinthios quinto, *Vobis, & meo spiritu, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis.* Mitto alia mille. Nullis istis intelligitur materialiter ipsa illa vox quæ subiungitur nomini: sed gloria, potestas, maiestas eius, cuius nomen subiicitur. Quin etiam hoc ipso loco: *Dedit illi nomen, quod est supra omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectat se.* Quis non aduertit illud nomen, ad quod flectitur omne genu, esse nomen illud super omne nomen? At si nomen pro ipsa voce accipias, falsum est Iesu nomen esse supra omne nomen. Primò, quia Christo commune fuit, cum aliis, vt filio Naue: & alio sacerdote, Abacuk primo: & duce Israelis, prioris Maccabæorum secundo. Deinde, quia neque literis, neque syllabis, neque sono, neque tempore, quicquam ea vox habet supra alias. Præterea id nomen donatum Veteres intellexerunt aliter. Ambrosius, *Videtur donum Patris hoc esse, esse Filium. & quòd nomē eius super omne nomen sit, esse Deum. Nomen enim Dei sed per naturā, non per solam appellationem, super omne nomen est. Hinc est, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: sicut ad Romanos significat, inter cætera dicens: Et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Oecumenius. Τί γὰρ τὸ χαρισθὲν ὄνομα; τὸ Χριστὸς, τὸ Υἱὸς, τὸ Θεὸς, *Quod nam est nomen donatum? Christus, Filius, Deus.* Itaque Theophylactus, *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur: hoc est, orbis terrarum vniuersus, angeli insuper, & mortales ipsi, & dæmones, hunc ipsum submissis genibus venerabundi adorent.*

VI. Addit Auratus ex vndecimo ad Hebræos, *Fide Iacob, moriens, singulos filiorum benedixit, & adorauit fastigium virgæ.* Sensus est, autore Thoma, quia adorauit Christum significatum per virgam, & sceptrum Ioseph, sicut & nos adoramus crucifixum, & crucem, ratione Christi passi in ea. Argumentum: Si Iacob adorauit fastigium virgæ suæ: Ergo Christiani adorare debent crucem.

VII. Respondeo, negari antecedens: cuius fundamentum nullum: nisi ex errore Interpretis

Latini. Nam Græcè Paulus scripsit: *προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ: adorauit ad fastigium virgæ suæ*: siue *in fastigium*, vt emendant Caietanus. *Et est sensus* (inquit) *quòd Iacob adorauit, incuruauit se adorando versus fastigium virgæ propriæ, in qua sustentabatur*. Lyranus disertiùs, *Quia erat senex, habebat baculum, supra cuius summitatem nitebatur in adorando Deum. Vnde, non est intelligendum, quòd adorauerit summitatem virgæ, vel baculi: sed adorauit Deum innixus super baculum.* At Græci Chrysostomos, Theodoretus, Oecumenius, intelligunt à Iacobo adoratum Iosephum: iuxta eius somnium. Virgam adoratam solij, qui à Latino interprete decipi potuere.

VIII. Salesius argumentatur ex locis, vbi crux vocatur crux Christi. Ioannis decimo nono, *Portans crucem suam: iuxta crucem Iesu*. Marci decimo quinto, *vt portaret crucem Iesus*. Quicquid fuit peculiariter Dei, aut Christi, ornatum fuit speciali sanctificatione, ac virtute: vt vestes, quarum tactu mulier sanata est à fluxu sanguinis. Argumentum est huiusmodi: Quicquid præditum est speciali sanctificatione ac virtute, id colendum est. At crux Christi prædita est speciali sanctificatione ac virtute. Ergo colenda. Probatur assumptum. Quicquid fuit Christi peculiariter, id fuit præditum speciali sanctificatione ac virtute. At crux fuit Christi specialiter: Ergo crux fuit prædita speciali sanctificatione & virtute. Probatur maior. Vestes Christi fuerunt præditæ speciali sanctificatione, & virtute. At vestes Christi fuerunt Christi peculiariter. Ergo omnia quæ fuerunt Christi peculiariter, fuerunt prædita speciali sanctificatione ac virtute.

IX. Respondeo, sanctificationem ac virtutem distinguendam. Aliàs enim sanctificatio sumitur pro essentiali sanctitate, vt est in Deo: aliàs pro sanctificatione creata: quæ gemina est: vel qualitas infusa cordibus hominum: vel applicatio ad vsum sanctum, vt in vasis, ædificiis, vestibus. Virtus etiam vel pro potentia Dei: vel pro instrumentis Dei ad aliquid agendum. Si sanctitas, & virtus intelligantur primo modo, concedo, id in quo est ea sanctitas & virtus, esse adorandum. Sed nego crucem Christi esse præditam ea sanctificatione, eaque virtute. Est enim incommunicabilis: ac proinde extra Deum non debet quæri. Nec argumenta quæ sequuntur, contra probant, vt cuiuis manifestum.

X. Quòd si intelligatur sanctitas & virtus creata, primò, negatur maior, quæ asserit id omne, quod præditum est ea sanctitate, eáve virtute, esse adorandum. Nam contrà Angeli, & fideles, prædìti sunt ea sanctitate & virtute, & tamen non sunt adorandi: vt prolixè disputatum est aliàs. Deinde Templa, & vasa sacra, prædita sunt eadem sanctitate, & tamen non adoranda. Iordanis fluuius præditus fuit virtute curandi Naamanis: & tamen non adorandus. Etiam Iudas fuit inter eos, qui redeuntes ad Christum, dixerunt se eiecisse dæmonia: Nec tamen Iudas adorandus.

XI. Rursus esse specialiter Dei & Christi, vario sensu dici potest. Primò, vt sit dicatum aliquid diuino cultui: Deinde, vt quopiam Deus specialiter vtatur. Et nominatim, quia Christus Deus est, & homo, potest quippiam fuisse Christi, nimirum quatenus assumptum ad vsus, quibus ex naturæ suscepta infirmitate Christus erat obnoxius. Priori modo concedo habere sanctificationem quandam, nempe eam, quæ supra tertij modi dicta est, ea quæ Dei Patris Christive Filij sunt dicata cultui. Sed secundo modo, negatur, quæcunque aliquo modo Christus assumpsit ad vsus suæ humanitati necessarios, ea habuisse & sanctificationem, & virtutem. Enimuerò de sanctificatione nihil omnino testatur Scriptura. De virtute, tantùm illud exemplum legimus de vestibus, & quidem extraordinarium: quia omnino singulare. At à singularibus vniuersalis conclusio nulla est.

XII. Bellarmini argumenta nunc excutienda. Primum est: Si Christus sponte elegit crucem, & elegit, vt altare summi sacrificij: vt scalam ad regnum: vt instrumentum liberationis generis humani: & quo Diabolum vinceret: ac de eo triumpharet: Ergo sequitur, crucem illam verum à Deo mirificè fuisse honoratam, & nobis omnibus amabilem, & venerabilem esse debere. At priora vera sunt: Ergo & posteriora.

XIII. Respondeo, primùm de Antecedente, Electam fuisse à Christo crucem sponte: verum est: non enim poterat inuitus crucifigi. Fuisse altare summi Sacrificij, non pugno. Scalam ad regnum nego: nam crux ipsa Christo nihil profuit ad regnum suum obtinendum: neque probatur aut ex Ioannis duodecimo, aut ex secundo ad Philippensis. Nam in Ioanne legimus, *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus*. At hæc verba non crucem; sed mortem in cruce significant. Itaque poterit dici mors illa, etsi non scala, saltem gradus ad regnum. Sed crucem ipsam nihil est necesse. Ad Philippenses, *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis, propter quod & exaltauit illum Deus*. Hic rursus mortem crucis audimus. At nostri crucem instrumentum mortis considerant. Quomodo illa olim primam accusabat arborem cæsam in Pelio monte. Quòd si sic licet deerrare, tum profectò, & securim, quæ lignum illud dolauit, & faber, à quo securis mouebatur: & multa alia erunt canonizanda. Sed hæc omnia sunt per accidens.

XIV. De instrumento liberandi humani generis, vincendique Diaboli, quod prolixè vrget Vasques, idem iudicium. Nam, id quicquid est, morti tribuendum. Nisi fortè quis dicat funes, quibus Ioseph eductus est ex puteo, instrumenta fuisse quibus euectus est tandem in autoritatem illam, quam habuit in Ægypto. Neque contrà quicquam probatur à Bellarmino ex figuris, ligno vitæ, arca Noe, virga Mosis, ligno dulces reddente aquas, serpente æneo. Nam illæ nullæ fuerunt figuræ crucis, quantumuis laudat Damascenus. Enimuerò quis id Damasceno concessit, vt suo arbitrio figuras faciat? At Scriptura de illis nihil prorsus simile. De serpente verò potius contrà. Figura enim dicitur ipsius Christi, non autem crucis, vt antè obseruatum.

XV. Imò tegerit Gretserus, nihil tritius apud omnes Christianos his loquutionibus, Christus cruce nos redemit: per crucem liberati, & salutati sumus: imò etiam per lignum crucis. Quibus formulis significatur caussa efficiens: & quia non principalis: ergo instrumentalis. Vt & in his æquè vulgaribus. Cruce deuictus est Diabolus: per crucem prostratus est salutis nostræ inimicus.

inimicus. Sicut, cùm dicitur Goliath deiectus lapide, & gladio truncatus. Ideoque Paulum dixisse secundò ad Colossenses: Christum, *Chirographum illud, quod erat contrarium nobis, tulisse de medio, illúdque affixisse cruci.* Ergo seruiit crux, tanquam instrumentum, redemptioni nostræ.

XVI. Respondeo, in illis omnibus phrasibus crucem nominari, pro morte in cruce. Nam aliter reuera crux ipsa materialis, neque nos redemit, neq; nos liberauit, aut saluauit, neque per eam crucem materialem, Christus nos redemit, neque denique diabulus est victus, aut prostratus. Atque adeò nihil ineptius illa comparatione Goliathi occisi. Nam certum est verè illo lapide, & quidem immediatè, cæsum Goliathum, illo item gladio truncatum. At crucem materialem omnino certum, nihil aut egisse, aut potuisse operari ad salutem nostram contra diabolum: sed duntaxat eam, qui in ea moriebatur. Quòd si quis concludat ex eo, quòd ille in ea moriebatur, & ita redimebat nos: ergo ipsam crucē redemisse nos; perinde poterit alius cui libebit insanire Papisticè, ipsam illam crucem materialem commendasse Mariam Ioanni, quia qui commendabat, in ea affixus erat, inde que loquebatur. Aut si id exéplũ remotius est, certè si crux scala fuit ad regnum, fuit ergo instrumentum. Dicat-ne igitur Gretzerus, crucem ipsam possedisse id regnum, vt dixit crucem ipsam redemisse nos, & vicisse diabolum?

XVII. Sed absurdum, Chirographum affigi morti. Et meritò, inquam. Nam quæ ista est insania est, ex duobus figuratis vocabulis, vnum solum interpretari? Vt si cum legis, pisces in litore, litus quidem explices pro cœlo, at pisces propriè; nihil ineptius, quàm, pisces in cœlo. Sed Veteres. Chrysostomus, [illegible] *Eramus omnes obnoxij peccato, & pœnæ: ipse puniendo soluit & peccatū, & pœnā. Punit' autē fuit in cruce: illic ergo ipsum affixit.* Ab eo Theophylact', *Omnes eramus peccato, & pœnis obnoxij, cùm ipse, qui nihil commisisset, tormentis, & cruciatibus pro nobis affectus, in cruce nostra peccata dissoluit, & pœnas, in eáque, & chirographum scidit.* Anselmus, *Crucifixo innocente Christo, interemptum est peccatum Adæ.* Lyranus, *Affigens illud cruci: quia legalia mortificata sunt per passionem Christi.* Thomas, *Consuetudo erat, quòd soluens omnia ad quæ quis tenebatur, scindebatur chirographum. Homo autem erat in peccato, sed Christus soluit pro nobis patiendo.* Psalmo. *Quæ non rapui, tunc exsoluebam. Et ideò simul cum morte Christi, hoc chirographum. Et ideò dicit, tulit de medio, id est, sustulit de rerū natura: & hoc, affigens illud cruci, per quam satisfaciens Deo tulit peccatum nostrum.* Audin' crucem, id est, Christū punitum, tormentis & cruciatibus affectum, crucifixum, Christum patientem, satisfacientem? Sed audin, tu vicissim, Chirographum affixum, id est, peccatum solutum, dissolutum, interemptum, ablatum? Vel legalia mortificata? Ergo vtrumque interpretandum, non alterum duntaxat, quod Gretserus voluit.

XVIII. Instat primò ex prioris Petri secundo, *Peccata nostra ipse pertulit,* siue portauit, siue sustulit, siue extulit, *in corpore sua super lignum.* Quam nullus tropus est apud Petrum in verbis *super lignum,* tam nullus apud Paulum in verbis, *affigens cruci.* Secundò, ex sequentibus, *Expolians principatus, & potestates.* Vbi in ligno videlicet crucis: ita vt crux fuerit huic triumphatori, quasi loco currus triumphalis, ad quem alligati dæmones captiui trahebantur.

XIX. Respondeo, consentire me vtriusque loci esse eundem sensum, nimirum Pauli & Petri, vt & peccata nostra significent Chirographum illud: & affigere cruci, tollere in corpore suo super lignum. Sed nullum propterea tropum esse in *affigere cruci,* hoc verò nego. Et sanè, cum fateatur idē esse Chirographum, & peccata nostra, tamen concedit in Chirographo esse tropum. Improuidè: nam si benè sequitur, idem est affigere cruci, & tollere in corpore suo super lignum, & in hoc nullus est tropus. Ergo neque in illo. Cur nō similiter, id est, Chirographū, & peccata nostra: & in hoc nullus tropus: Ergo, neque in illo? Aut si contrà: etsi idem sit chirographū, & peccata nostra, & in hoc nullus sit tropus, tamen in illo tropus est: Cur non similiter: etsi idem sit, affigere cruci, & tollere in corpore suo super crucem, & in hoc nullus sit tropus: tamen in illo tropus est? Imò si idem est affigere cruci, & tollere in corpore suo super crucem: ergo in cruce tropus est. Nā crux sine tropo, corpus Christi non significat. Denique corpus Christi super crucem, non est crux ipsa materialis: sed est Christus patiens. Salmero, *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: id est, supplicia peccatis nostris debita, ipse tanquam victima quadam expianda crucis sua supplicio portans.*

XX. Ad reliqua, consentio crucem fuisse Christo instar currus triumphalis, in quo triumphatæ sint potestates. Sed nego sequi: ergo peccata nostra propriè, & absque tropo esse affixa cruci. Nam currus non est victoria ipsa, nec quicquam confert ad victoriam. Ast affigere cruci peccata nostra, est ipsa Christi victoria pro nobis. Tum autem ipse triumphauit in cruce, id est, in ipsa morte crucis.

XXI. Hactenus de Antecedente, nunc de Consequente: Ergo, inquit, crux illa fuit à Deo mirificè honorata, & esse debet omnibus amabilis, & venerabilis. At hoc nego sequi ex illo antecedente. Nam Iudas, similem ob causam, esset valdè honoratus à Deo, & nobis amabilis, ac venerabilis. Non enim minus inseruiit passioni Christi, quàm crux ipsa: nec minus ad id delectus à Christo, nec minus sponte. Et sanè mirum, hanc partem adeò neglectam fuisse, & à Bellarmino, & à Gretsero. Mirum tantam fuisse eorum supinitatem, vt hanc consequentiam negari posse non viderint.

CAP. IV.

Argumenta Papistarum præter Scripturam pro adoratione Crucis.

I. PRæter Scripturam, Bellarmino supersunt argumenta quinque. Eorum primum est à mysterijs in ipsa cruce significatis, ex tertio ad Ephesios, *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, & latitudo, sublimitas, & profundum:* qui locus exponitur de cruce, ab antiquis. Crux autem significat totam perfectionem Christianam, nempe fidem, spem, caritatem, perseuerantiam, vt docet Augustinus. Secundò, Christi passionis effectum, cœlū apertum, Deumque placatum, infernum euacuatū, diabolumque deuictum, totum orbem terrarum redemptum. Tertiò, duos populos sub vno capite Christo inter se connexos. Ad hæc aues volantes exprimunt crucem: item malus nauis, item aratrum,

& stiua: item iugum, & temo: item lineæ ductæ ab Oriéte ad Occidentem, & à Septentrione ad Meridiem. Denique apud Ægyptios crux hieroglyphicè vitam significabat.

II. Respondeo, argumentum ita concipiendum: Quicquid multa mysteria significat, est adorãdum. At crux multa mysteria significat: ergo crux est adoranda. Atqui primũ negatur maior. Nam & olim serpens mysteriũ significabat, & quidem magnum: item boues, & oues, & hirci oblati in veteri lege: neque tamen quicquam eorum adorabatur. Rursus cœlum ipsum, & malum nauis, & aratrum, & remo, significant mysterium crucis, asserente Bellarmino: Et tamen non sunt adoranda. Denique, si Durando credimus, multa mysteria significantur in vestibus sacerdotum, vt toga, pileo, manipulo, superpellicio: etiam in bracchis, & calceis. Et tamen nondum puto eò deuentum stupiditatis, vt adorentur illa omnia, vnis demptis Franciscanis, quos audiu Francisci braccas porrexisse adorandas.

III. Ad assumptionem, distinguo significari mysteria, vel ex instituto, vel ex coniectura. Ex instituto, vt cũ quid à Deo Ecclesię institutũ est, in eum finem, vt mysteria significentur: vt serpens, & Agnus Paschalis, & sacrificia, olim Christum significabãt, humani generis Redemptorem: & nunc Baptismus remissionem peccatorum, Eucharistia incorporationem nostram in Christum. Ex coniectura autem, cùm ex similitudinibus quibusdam, verisimiliter aliud quid significari colligitur, quo in genere, immane quanta lasciuia ludat humani pruritus ingenij. Itaque in eo nihil certi esse potest: atque adeò variis varia veniunt in mentem: & quotidie venire possunt: nec quicquam est, vnde non mysticos sensus eliciant, οἱ ἀλληγορικοί, plerunque etiam ridiculi. Quòd si qua essent adoranda, ob huiusmodi mysteriorum significationem, tum profectò non ista, in quibus, pręter ingenij laudẽ, nihil est: sed illa tantùm, quæ à Deo sunt instituta ad eam significationem. Quamuis ne hæc quidem reuera adoranda. Enimuero crux hæc tanta mysteria si significat, secundo modo significat, non enim primo.

IV. Secundum argumentum, ab inuentione crucis, ex qua multiplex testimonium sumitur, quòd veneratio ligni crucis Deo placeat. Primò, quòd nõ permiserit id lignum demergi in mare, aut flammis absumi. Secundò, quòd eo tempore inueniri permiserit, cum tuto poterat coli. Tertiò, quia per miracula demonstratum sit, esse veram crucem. Quartò, quia Helena eam quæsierit, admonita diuinitus. Huic inuentioni addi potest inuentio sacræ lanceæ, anno millesimo nonagesimo octauo, Antiochiæ.

V. Respondeo, primũ nihil inde sequi. Nam neque quicquid inuenitur, adorandum est. Neq; quicquid non demergitur in mare, neque flammis absumitur. Neque quicquid inuenitur, cum tuto potest coli per homines, neque quicquid miraculo demõstratur, neque quicquid ex admonitione diuina vestigatur. Quis enim docuit? Quo verbo Dei institutum est? An verò quicquid Iesuita somniarit, id pro lege erit Ecclesiæ? Contrà, inuentus est olim codex legis, neque adoratus. Arca non est fluctibus demersa, neque adorata. Segor non est flammis assumpta, nec tamen adorata. Poterant absque periculo illa adorari, nec sunt adorata. Ossa Prophetæ indicata sunt per resurrectionem mortui, nec tamen adorata. Admonitione diuina inuentæ sunt asinæ Saulis, nec tamen adoratæ. Denique cùm constet nihil adorandum, præter vnicum Deum, certum est [illegible] inuentum, quocunque tandem modo inuentum sit, esse adorandum.

VI. Secundò, hæc tota narratio valdè incerta est, & propior fabulæ. Argumenta sunt, primum, nõ esse verisimile, Deum tanto mysterio (si tãtum id mysterium) priuaturum prima, purissimaque tempora Ecclesiæ. Constat autem annis trecentis, atque amplius, crucem nusquam visam, nusquam cognitam. Nam, quòd videntur obtrudere pericula, id frustrà est. Nam cur non æquè crucem conseruare licuisset, ac Scripturam, quam tamen impij longè vehementius quæsiuere? Aut cur maius cruci periculum ab Ethnicis olim, annis duntaxat trecentis, quàm à Turcis, annis iam multo pluribus potentibus ea? Deinde, quis credat, tantum mysterium nunquam ab Apostolis fuisse commendatum? nunquam ab Apostolicis viris inculcatum? Quis credat in Scripturis, ne literam quidem tanta de re lectam? Nunquam eos, qui post Apostolos fuere, testatos se, vel tantillum inaudisse?

VII. Secundò: mirum illud est etiam Constantini æuo, cùm tam multi viri magni fuerunt, quorũ etiamnum habentur opera, nullum omnino extitisse huius inuentionis testem? Eusebius libro tertio de Vita Constantini, exsequitur diligenter inuẽtionem sepulcri Dominici, procurante Constantino, & describit Cõstãtini literas ea de re. At de cruce, altum agit silentium. Quin ipsius Helenæ pietaté commendat à visitatione sacrosanctæ terræ, ac locorum, in quibus steterãt pedes Domini: qua in peregrinatione posteriores dicunt inuentam crucem fuisse. Et tam stupidum Eusebium fuisse aliquis credat, vt rem tantam præteriret, aut ignoraret? Testiũ, quos proferunt, antiquissimus Ambrosius est, annis plus minus octoginta post eam rem gestam, si est gesta. Theodosius enim, in cuius oratione funebri disserit Ambrosius, obiit anno Christi trecentesimo nonagesimo quarto, cùm crucis inuentionem Baronius referat ad annum trecentesimum vigesimum sextum. Quis reuelauit Ambrosio, si Eusebius nesciuit?

VIII. Tertiò, ipsa inuentionis olim historia à Gelasio in decreto de libris Apocryphis apud Gratianum, distinctione decima quinta, numeratur inter Apocrypha scripta. Atque adeò ex ipsa apparet lusisse impostores in ea plausibili materia. Nam Helenam profectam Hierosolyma, post inuentũ à Cõstantino Christi sepulcrum, testis est Eusebius, reliquisseq; inibi suæ pietatis monumenta. Factũ paulò pòst, vt Ambrosio persuaderetur inuenisse crucem. Addit iam Socrati, & Theodoreto miraculum, mulieris iam animam agentis restitutio. Id miraculi visum posteris non esse satis: addita igitur apud Paulinum, & Seuerum, mortui suscitatio. Cùm tamen Chrysostomus agnitam testetur ex titulo.

IX. Instat Bellarminus, & non esse Ambrosium antiquissimum testem: quia sint eidem σύγχρονοι, Paulinus, Rufinus, Hieronymus, Chrysostomus. Deinde, quia Cyrill⁹ Hierosolymitanus de eadem inuẽtione ad Constantium scripsit. Tertiò, quia Cõstantinus de eadem scripsit ad Macariũ, apud Eusebium de eius vita libri 3. capite 29. Itaque Eusebium contentum his literis, noluisse amplius eius rei mentionem facere, quia esset notissima: sed in Chronico tamen non omisisse.

X. Sed hæc contentiosa sunt: solida certè non sũt. Cyrilli Hierosolymitani Epistola quantũ fidei mereatur,

tentia, iudicent, qui idem Constantij impiissimi laudatam legent in ea: & quidem, quasi parentes suos superarit. Id verò Catholicus Episcopus nunquam dixisset. Sed reliqui, Paulinus, Hieronymus, Rufinus, Chrysostomus, quomodo euincunt non esse Ambrosium antiquissimum? Nam ij certè non antiquiores Ambrosio. Imò, ipso fatente Bellarmino, recentiores paulò. Quid igitur illi possunt addere momenti? Aut qui competitam rem habere magis quàm Eusebius? At Constantinum sanè falsum est loqui de cruce. Verba, [Greek text, illegible] *Iudicium sacratissima illius passionis sub terram olim absconditum, tot annorum curriculis latuisse, donec sublato communi hoste, suis seruis liberatis allu..., omnem admirationem excedit.* At hæc de sepulcro dicta sunt, quod paulò antè multa egesta humo, refossum, Eusebius dicit: de cruce [illegible]. At in Chronico saltem. Imò neque in Chronico. Nam Græca editio nuper à Scaligero publicata, nihil habet eiusmodi. Quid: quod ne Latina quidem? Itaque nihil est certi. Nam Baronius, dum hanc ipsam fæ magis, agnoscit id Chronicum à librarijs fuisse admodum deprauatum. At erat res non obscurissima omnibus. Quasi historiæ nunquam recitent notissima. Quasi non fuerit etiam notissima sepulcri inuentio.

XI. De lancea quid dicam? Vix opus: nam dicti libri vndecimi, capite vndecimo. Enimuerò quænà hæc audacia est: Lanceam illam tribus decem seculis, postquam primò nominata est, atque eo amplius: nominatur enim in passione Christi: inuenitur, anno millesimo nonagesimo octauo, aut etiam duobus fetus, vt quidam volut: à qua summa si auferas annos triginta tres vitæ Christi, reliqui fiunt mille quinquaginta nouem, vt minimum: toto illo igitur spatio temporis, nulli hominum auditam, aut visam aut nominatam, repente inueniri Antiochiæ? At cur Antiochiæ? cur non potius Hierosolymis? Imo cur omnino reperta? Miles ille, quē esse Longinum impudentissimè finxerunt: sed miles ille scilicet, in eos vsus curiosè reseruarit: Apostoli conseruarunt: Ecclesia adorauit. O fabulas! O impudentiam! O dementiam Idololatrarum!

XII. Tertium argumentum ab exaltatione crucis. Cōstat Heraclium à Deo, interceptam crucis, quam Persæ ex Hierosolymis abstulerant, adiutum, etiam lapides cælo pluente, vt olim pugnante Iosue. Et cùm restitueretur crux in suum locum, factis miraculis. Qua causa institutum festum est. Auctores, Paulus Diaconus, Zonaras, Cedrenus in Heraclio, Sigebertus anno sexcentesimo trigesimo primo, Otho Frisingensis libri quinti capite nono, Beda, & Ado in Martyrologio.

XIII. Primò, negatur consequentia, vt in præcedentibus. Nam, etsi olim arca similiter exaltata est, cùm à Philistæis ablata esset, similitérque facta miracula in eius restitutione, tamē nullum festum Arcæ institutum, nulla ei delata adoratio. Deinde auctores qui citātor, eiusmodi fuere, quibus qui fidem derogeri, nihil peccet. Græci leuissimi, futilissimi: Latini, tam ... vt iis facilè imponeretur. Denique omnes, eorum temporum, quibus proueδissima erat superstitio: & seculis multis post Heraclij tempora.

XIV. Et quidem mihi vide: Primò, id bellum ab Heraclio susceptum ob crucem recuperandam, nemo illorum auctorum dixit. Imò cùm Chosroës Orientales Romani Imperij partes vastaret, Imperatorem, suis diffisum viribus, pacem postulasse, etiam tributo oblato. Quæsi facta esset, quid cruci futurum erat? Cùm pacis spem nullam faceret barbarus: tum compositis vtcumque rebus cum Chagano, qui Thraciæ erat molestus, in Persam ductus est exercitus. Persa multis prœliis victus: de lapidibus è cælo, nihil Zonaras: sed Cedrenus, & Paulus Diaconus: & quidem addita intercessione Virginis. Tandem Chosrois filius primogenitus, patrem crudelissimè captum interficit: pacem cum Heraclio facit: restituit Patriarcham Hierosolymitanum: & lignum crucis. Heraclius Constantinopolim venit: inde Hierosolymam redit, referens id lignum. Miraculi hîc vestigium nullum apud Zonaram, Cedrenum, Paulum. Facinus magnum, visum stauromatis: itaque additum à Latinis. Heraclio volenti ingredi vrbem regia pompa, diuinitus portam clausam: nec apertam prius, quàm ex equo descenderet, atque ita humilem in statum sese componeret. Hæc Latini. Sigebertus annis ab eo tempore remotus quadringentis plus minus: à Sigeberto omnes deinceps.

XV. Quartum argumentum: Si locus, in quo Angelus stetit, terra sancta est, Iosue quinto, & Exodi tertio: cur non magis crux, vbi stetit Christus? Si sudaria, & semicinctia Pauli honorabantur propter contactum, cur non magis crux Christi sanguine respersa? Si Sacramenta honorantur, quia instrumenta gratiæ, cur non crux, quæ instrumentum est redemptionis?

XVI. At contrà potiùs, Si neque terra illa sancta, neque sudaria, & semicinctia: neque Sacramenta sunt adoranda: ergo neque crux Christi. At antecedens verum, quia nihil omnino adorandum, præter vnicum Deum. Ergo & consequens. Ac sanè, etsi lego imperatū Mosi, & Iosue, vt soluerent calciamenta, nihilominus nusquam lego mandatum, vt adorarent. Et credo, non prohibebātur nec pedibus eam terram calcarent: quod valdè alienum est ab adoratione. De sudariis, & semicinctiis, legn delata ad ægrotos sanitatis spe, adorata quis mihi leget? Denique Sacramenta, si vnquam iusserit Christus adorari, cedam causa. Nam honorari, eur Bellarminus dicit? Honoris enim vox nimium, nimiumque latè patet, vt aliàs diximus. Quanquam, neque in cruce eadem ratio, quæ in Sacramentis: nam crux illa lignea, nullum est instrumentum nostræ salutis. Fuit tantùm aliquid, quo Christus vsus est ad id efficiendum, quo perfecta est salus nostra. Sed excepta illa sola actione, & quidem transeunte, non immanente, nihil profsus in cruce est ad salutem. Quemadmodū autem luto Christus vsus est ad oculos sanandos, semel omnino, ac deinceps nunquam: ac proinde, neque illud lutum vnquam adoratum, neque vllum deinceps lutum: ita omnino de cruce. Sic terra illa, quam pedibus nudis terebant Moses, & Iosue, sancta erat tantùm in actione illa: neque vnquam deinceps. Itaque hæ Bellarmini consequentiæ sunt absurdissimæ.

XVII. Quintum argumentum: à magno desiderio, quo tenebantur fideles habendi, aut videndi particulas veræ crucis. Nam id ad magnum crucis honorem pertinere nemo ignorat. Sic Cyrillus catechesi decima, & decima tertia, totum mundum dicit impletum ligno crucis. Constantinus particulam crucis statuæ suæ inseruit, existimās

per eam particulam, totam vrbem constitueodam. Socrates libro primo capite decimo tertio: Eutropius, Paulus Diaconus. Nyssenus scribit suam sororem gestare solitam ad collum crucem argenteam, inserta particula veræ crucis. Similia legas apud Paulinũ, Chrysostomum, Euagrium, Procopium, Gregorium. Hieronymus ad Marcellam, *Ergóne erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Saluatoris intrare, crucis deinde lambere lignum?* Ambrosius in Theodosium, *Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite regum leuauit, vt crux Christi in regibus adoraretur.*

XVIII. Respondeo, primò exemplis non credẽdum, sed Scripturis. Secundò huiusmodi desideria nulla fuisse trecentis annis post Christum natum. Atque id sanè mirum, Apostolos tanto ardentes zelo Christi, nullos tamen detulisse secum vllam eius crucis particulam. Quid Apóstolos dico? Proferant vel vnicum, qui eo toto spatio annorum circiter trecentorum, vel tantillum sit loquutus de vlla crucis particula, aut etiam de tota cruce materiali. Quid causę fuit? Nam certè annis satis multis fuit ea crux non sepulta: siquidem sepulta ab Ethnicis, quorum in Christianos nulla persecutio ante Neronem. A quo ad Christi passionem anni sunt plus triginta, nec à crucis inuentione plures ad Cyrillum. Quanquam ne Neronis quidem tempore verisimile est id accidisse, qui vix videtur Christianos vexasse extra Romam. Itaque si seriùs, quis non videt quid sequatur? Nimirum fideles nondum, aut experti, aut suspicati vim illam perpetuò crescendi insitam cruci, delibare non audebant. Quid? quòd ea exempla adorationem nulla concludunt? Habere Christiani crucis frusta volebant: at non adorare. Illud etsi nouum erat in Ecclesia, tamen non erat idololatricum.

XIX. At Ambrosius saltem laudauit Helenã, quæ in capite Imperatoris crucem posuerit, vt adoraretur. Audio: sed Papistæ, nudos verborum sonos attendunt, rem ipsam non cogitant. Nam hîc sanè, neque *adorare* potest intelligi religiosè: neque crux materialis. Primò non religiosa adoratio, quia non adorabatur crux illa, nisi per accidens: id est, quatenus erat in rege, qui adorabatur. Itaque non adorabatur, nisi ea adoratione, qua rex. Rex autem, à Christianis saltem, non adorabatur latria: ergo neq; crux, & si vrgeam diligentius, omnino non adorabatur: nam quicquid sic adoratur per accidens, non adoratur: nisi fortè Papistæ sese adorare dicant muscas omnes, & araneas, quæ sunt in stipitibus quos adorãt. Non crux materialis. Quia non docet Ambrosius in capite Imperatoris positam vllam crucẽ fuisse: sed duntaxat clauum vnum. Quid ergo? Nimirum videtur mihi quidem Ambrosius lusisse potius quadam oratoria luxuria, quàm grauiter, & Theologicè loquutus esse quicquam, quo posteritatis in Ecclesia fides ædificaretur.

XX. Sextum argumentum, etsi id Bellarminus maluit ad imagines referre: nec scio causam: ast alij ad crucem. Id effigitur, ex eo quòd Ethnici Christianis exprobrarent cultum crucis. Probatur ex decimo sexto capite Apologetici Tertulliani, & ex Minutio. Nec cùm eis cultus obijceretur, Christiani negabant.

XXI. Respondeo in Ethnicorum exprobratione nihil esse momenti: vt aliàs obseruatum. Nam quis sanus de Christianis iudicet ex inimicorum calumniis? Christianos autem id temporis nego confessos esse, crucem à se adorari. Contrà potius, & Tertullianum hanc ponere inter calumnias: & Minutium disertè dicere, *Cruces nec colimus, nec optamus.*

XXII. Minutium, respondet Bellarminus, loqui de adoratione propria Deo, de qua accusabantur. Sed Bellarminus nihil aliud, quàm puluerem mittit oculis legentium. Nam tum temporis, neque Christiani, neque Ethnici, distinguebant cultum religiosum, in cultum Deo debitum, & non Deo debitum. recens illud idololatrarum inuentum, tam facilè negandum, quàm facile asseritur. Obijciebant generaliter Ethnici, Christianos crucem colere. Christiani generaliter negabant à se crucem coli. Non erant tum vlli Iesuitæ, qui mentalem æquiuocationem docuissent, quæ ita respondet, non ex sensu interrogantis, sed ex interrogati arcano, vt & de re proposita non agat, & tamen agere videatur. Quam astutiam columbina Christianorum simplicitas abhorret. Denique si cultum Deo debitum negabat, certè latriam negabat: at nostri Papistæ latriam volunt cruci deferendam.

XXIII. De Tertulliano, maior contentio. Locum recitemus, *Sed & qui crucis nos religiosos putat consecraneus erit noster, cum lignum aliquod propitiatur: videns habitus, dum materiæ qualitas eadem sit, vt erit forma, dum id ipsum Dei corpus sit. Et tamen quanto distinguitur à Crucis stipite Pallas Attica & Ceres farrea, quæ sine effigie, rudi palo, & informi ligno prostant? Pars Crucis est omne robur, quod erecta statione defigitur. Nos si fortè integrum, & totum Deum colimus. Diximus originem Deorum vestrorum à plastis de cruce induci. Sed & victorias adoratis, cum in tropæis cruces intestina sint tropæorum. Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa iurat, signa omnibus dijs præponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucium sunt. Syparia illa vexillorum, & Cantabrorum, stolæ crucium sunt. Laudo diligentiam noluistis nudas, & incultas cruces consecrare.* Hæc de Cruce Tertullianus. Quæstio sit, vtrum consentiens adorari crucem, an contrà. Papistæ asserunt, nos negamus.

XXIV. Salesius vrget duo, & quòd dictum sit, *Qui crucis nos religiosos putat, consentaneum* (Pamelius legit consecraneus) *noster erit, cum lignum aliquod propitiatur.* Et ad extremum, *Laudo diligentiam: noluistis nudas, & incultas cruces consecrare.*

XXV. Sed nos contrà, primò obseruamus, hæc de cruce ab eo tum dici, cùm respondet calumniis varijs Ethnicorum, quibus Christianos onerabant, vt caperent in inuidiam. Ad finem capitis decimi quinti idipsum profitetur. Nam cùm multa dixisset de inepijs Ethnicis, tandem, *Quid ergo colunt qui talia non colunt?* Satis perspicuè: post inquit nos illorum deos, inquirendum etiam quid Christiani colant: *Iam quidem*, inquit, *intelligi subiacet veritatis esse cultores, qui mendacij non sint: nec errari amplius in eo, in quo errasse se recognoscendo cessauerunt.* Concisè, & ex proximo cio. Sed merebatur res tanta prolixiorem tractatum. Itaque, *Hoc primo capite: & omnem hinc Sacramenti nostri ordinem haurite, repercussis ante tamen opinionibus falsis.* Satin' distinctè? Pollicetur se eis Sacramenti nostri ordinem propositurum, id est, expositurũ quid sit id quod Christiani colimus: quod quidem exsequitur postea capite proximo, id est, decimo septimo: *Quod colimus nos, Deus vnus est*: & deinceps prolixè, de Deo, de Scripturis, de Christo. Sed ei tractatui præmittẽdum aliorum de Falsis opinionibus: hoc est, de ijs rebus, quas à Christianis coli falsò opinabantur. Prima opinio de capite Asini. Eam sequitur de Cruce: post de Sole: denique de Onochoete. Ergo Tertullianus non magis illas de ca-

pite Asini, de Sole, de Ononychite, quàm hanc de Cruce appellat, *falsam opinionem*. Quare æquè mentitos Ethnicos, cùm dicerent crucem à Christianis coli, quàm cùm Asini caput, & reliqua.

XXVI. Deinde, hæc verba, *Nos, si fortè, integrum, & totum Deum colimus*: omnino negant, à Christianis crucem coli. Sensus enim est, nos, si verum esset, quod obiicitis, à vobis eo tantùm differremus, quòd vos partem crucis colitis, nempe stipitem erectum: nos autem totam crucem. Nam ea phrasis, *si fortè*, Tertulliano frequentissima est, cùm ponit id, quod reuera est falsum: &, vt vtar vocabulis in scholis tritis, cùm ponit casum. Doceo. Contra Marcionē libro quarto capite decimo, *Talem, si fortè, Castoris, aut Herculis natiuitatem tradunt fabulæ*: nimirum qualem Christi. Et paulò post: cùm Christum apud Danielem notasset censeri ipso titulo Filij hominis: exceptionem Marcionitarum ridens, *Nominum communicatio simplex, si fortè, videri potest*. Hoc est, Marcionitæ quidem ita dicunt: sed procul abest à vero. De fuga in persecutione capite secundo, *Habere videtur diabolus propriam iam potestatē, si fortè, in eos, qui ad Deū non pertinent*. De Pudicitia capite nono, *Malumus in Scripturis minus, si fortè, sapere, quàm contrà*. Et decimo, *Cui ille, si fortè, patrocinabitur pastor, quem in calice depingis*. In ipso etiam Apologetico, & quidem eodem ipso decimo sexto capite, in calumnia de Sole, *Ad Persas, si fortè, deputabimur*. Capite vigesimo tertio, *Dicant hoc pro tribunali, si fortè, Minoem, & Radamanthum, secundùm consensum Platonis, & Poetarum hoc esse fortitos*.

XXVII. Tertiò, cùm ad eum locum deuenit, vbi exponendus erat Sacramenti nostri ordo, prout erat pollicitus, tum verò *διαρρήδην*, *Quod colimus nos, Deus vnus est*. Neque vnquam de Crucis cultu quicquam attingit, vel leuissimum. Atqui id locus postulabat, si in vsu fuisset is cultus. Quantæ enim fuisset impudētiæ, id præterire, quod Ethnici maximè obiectabant? Id, inquam, præterire, tanquam nihil esset in rerum natura. Fuisset-ne illud ex præscripto Apostoli, qui vult esse quemque paratum ad reddendam rationem fidei nostræ?

XXVIII. Iam quæ Salesius habet, stipula sunt leuiora. Ironicum enim sermonem habet pro proprio. Nam cùm Tertullianus dicit, *Consecraneus*, siue *consecraneus erit noster*: eadem mens, quæ postea, cùm, *Ad Persas, si forte, deputabimur*. Id est, si id esset verū quod vultis: quid obiicere potestis, quod non & vobis? Nam illud obseruandum, ita retundi has Ethnicorū falsas opiniones, vt non directè refutet, sed tantùm repercutiat, hoc est, similibus obiectis opponat, vel comparet potius similes obiectiones. Sic obiiciebant Asini caput Christianis: ille Ethnicis vicissim, iumenta omnia, & totos cantherios. Obiiciebant Solem: obiicit eundem Persis. Obiiciebant Onochoeten: obiicit Iouem Hammonium, Pana, Satyros. Similiter obiicientibus crucem, opponit stipites Palladis, & Cereris, & similia. Quare illud, *consecraneus erit noster*, ex hypothesi dictum, non ex veritate.

XXIX. Eadem ratio clausulæ postremæ, *Laudo diligentiam*: non vt fateretur, Christianos adorare crucem: nec vllam esse differentiam inter Ethnicorum cruces, & Christianorum, nisi quantam inter nudas, & vestitas. Quod tamen à Papistis non posset dici, qui cruces suas vestiunt in Quadragesima. Sed is sensus non est Tertulliani: quicquid Salesius garriat. Quin potiùs irridet eos, qui cum vexilla Syparis vestita adorarent, tamen obiicerent Christianis cruces, tanquam opprobrium magnum: cùm crucea nuda, à vestitis ipsa non differant. Itaque ironicè, *Laudo, inquit, diligentiam*.

CAP. V.

De Imaginibus crucis adorandis.

I. DE adorandis Imaginibus crucis, argumentum primum ex Matthæi vigesimo quarto, *Tunc apparebit signum Filij hominis in cælo*. Id enim signū erit, vel ipsa crux, quam nunc diuisam in multas particulas, Thomas Valdensis opinatur tunc reformādam, & colligendam: vel saltem imago crucis lucida ex aëre, vel igne condensato. Vnde multiplex argumentum. Primo: Ea imago vocatur signum Christi: Ergo honorabilis est. Ratio consequentiæ, quia vexillum Imperatoris sui milites adorant: apud Sozomenum libri primi capite quarto. Secundo, apparebit in cœlo: Ergo honorabilis. Ratio, quia cœlum est locus sublimis, & honorificus. Tertio, manibus Angelorum feretur: Ergo venerabilis. Antecedens ex Augustini sermone centesimo trigesimo, de tempore. Quarto: splendebit clarius sole: ex Augustino, & Chrysostomo. Ergo venerabilis.

II. Respondeo: primò non esse certum, verum id signum sit de cruce intelligendum. Nam in Scripturis nullus est locus, vbi crux eo nomine appelletur. Et signa Filij hominis, quis neget alia esse plurima? Etsi autem ita Veteres intellexerint, tamen id nulla inspiratione factum: vt simus certi, non discessisse à scopo Spiritus Sancti. Nec habuit Bellarminus vllum argumentum, quo refutaret Caluini interpretationem. Præterea incerti sunt Papistæ, qui ad crucem referunt, vtrum de ipsa cruce, an de signo crucis: vt Bellarminus fatetur. Tum etiam, vtrum id futurum in vltimo die, an potiùs iam pridem factū sit. Nam Cyrillus ille, quisquis est, ad Constantium, hunc eundem locum applicat suæ cruci, quam apparuisse narrat in cœlis: Credo, quia tantæ eum moræ tædebat: ideoque putauit pulchram fabulam comminiscendam.

III. Secundò, quicquid statuendum sit de antecedente: tamen nego consequentiam. Neque valent argumenta. Vexillum est Christi: primò, hoc nō est facile concedendum: & si sola coniectura nititur, irridendū. Deinde negāda est consequētia. Non enim sunt adoranda vexilla. Imò id milites solebant. Credo de Ethnicis: nam ita testatur Tertullianus: de Christianis non credo. Et Sozomenus tantùm dicit, Labarum fuisse *σημεῖον τῶν ἄλλων τιμιώτερον, signū reliquis magis honoratum*. Non sequitur autē, si Ethnici Labarum adorarunt, Christianos etiam adorasse, aut certè debuisse adorare. At enim in cœlo apparebit. Quasi verò non prohibitum sit etiam cœlestia, cœlestiumque imagines adorare. Certè Sol in cœlis apparet, non in terris. Manibus Angelorum feretur. Primò, quis docuit? Nam Augustinus non est autor sermonum de Tempore. Secundò, vnde vis consequentiæ? Nam etsi cameram illam Lauretanam, fabula dicat delata ab Angelis, tamen id minimum est Papistis argumentum ad eam adorandam: adoratur enim potius imago, quæ in ea esse perhibetur. Quanquam nolim sanè Papistarum superstitioni nimium fidere. Splendebit Sole clariùs. At, in-

quam, neque certum, neque argumentum necessarium adorationis. Nam Mosen, & Eliam, ipso Euangelij testimonio, certum est visos in Gloria: Lucæ nono: & tamen neque olim adoratos esse, neque nunc adorari à Papistis.

IV. Secundum argumentum, à testimoniis Synodorum, sextæ, septimæ, & octauæ, quæ Canones ediderunt. Sed harum Synodorum autoritas nō est magna. Nam sextæ Canones ipsi Papistæ disputant esse non legitimos. Septima fuit Nicæna idololatrica. Octaua adhuc recentior. Itaque earum Canones nihil probant.

V. Tertium, ab vsu, & testimoniis Veterum. Ergo sigillatim speculemur. Iustinus Apologia secunda, *Signa, & notæ, quæ apud nos sunt, huius rei (crucis) virtutem declarant.* Sed hic locus primò falsatur est: Non enim, *quæ apud nos*, Iustinus dixit, quasi de Christianis loqueretur: sed *τὰ παρ' ὑμῖν, quæ apud vos*, nimirum Ethnicos. Deinde nihil omnino Iustinus de Adoratione crucis. Nisi fortè succurrat Gretserus, argumentando, *Quod est peculiare symbolum virtutis, potestatis, imperij, & excellentiæ Christi, illud est colendum, inque precio, & honore habendum. Crux est eiusmodi symbolum, ex sententia Iustini Martyris. Ergo crux Christi est colenda.* Sed respondeo, primò hoc ignue pertinere ad crucem potius, de qua præcedenti capite, atque etiam de hoc ipso loco. Secundò, illa, colendum, in precio, & honore habendum, malè sunt conferruminata. Nam nos in pretio haberi crucem ipsam, in qua Christus passus est, non iniquo feramus animo, nimirum, vt rarum rei præclaræq; ·κειμήλιον. Cur non enim? cùm alia multa antiquitatis testimonia etiam prophanæ, soleant haberi in pretio: Sed colendum, & in honore habendum, quatenus honor definitus est ab initio, hoc verò longè aliud est: neque illius consectarium. Tertiò, ex mente sanè Iustini, Gretserus non habuit, crucem esse symbolum virtutis, potestatis, imperij, & excellentiæ Christi. Hoc, inquam, Iustinus non dixit, sed tantùm Romanorum fasces (non enim impugno Lipsij coniecturam) & tropæa, denotare virtutem crucis. Crucis autem, cùm dico, non illam intelligo, de qua nunc disputamus, sed in vniuersum eius figuræ. quæ crux iam appellari obtinuit, nempe *τὰ παρ' ὑμῖν σύμβολα τοῦ σχήματος τούτου δύναμιν δηλοῖ, quæ apud vos sunt symbola, huius figuræ vim denotant:* huius, inquam, figuræ: non specialiter eius ligni, in quo Christus pependit. Itaque Gretserus nihil nisi ariolatur, cū colligit, sicut fasces, secures, & similia Romanorum, signa erant symbola Imperij, & Magistratus: ita crux est symbolum Imperij, & Potestatis Christi: nō symbola Romanorum sunt documenta, quid possit hoc symbolum Christi. Hæc, inquam, cùm Iustinus imaginaretur, Tragelaphos sectabatur: Delphinosque in sylua piscabatur. Nam ea tam sunt in verbis Iustini, quàm Tragelaphi in rerum natura, aut in syluis Delphines.

VI. At si crucis imago (inquit) colenda non est, poterat Iustinus vno verbo sese expedire, videlicet sibi, & aliis Christianis, cùm crucis imagine, eiúsque cultu, nihil esse negotij. At hoc non fecit, sed potius totus in id incubuit, vt quòd crucem Christiani colerent, hoc & Ethnicos facere ostenderet: & quidem ex æmulatione diaboli, res nostras imitantis, & ad suos transferentis.

VII. Imò putus putus impostor Gretserus. Primò enim nihil Iustino obiectum est de crucis cultu, aut etiam de cruce. Sed susceperat Iustinus ostendendum in Christo impleta, quæ de eo Prophetæ prædixerant. Et cùm prædicebantur, pleraque eorum innotuisse Ethnicis, & adūbrata fuisse sub suorum deorum fabulis. Secundò, ex numero eorum, quæ ab Ethnicis adumbrata sunt, nominatim crucem remouet: quia non potuerint intelligere ea, quæ symbolicè dicta erant ad eam rem, *ἀλλ' οὐδαμοῦ οὐδὲ ἐν τινὶ τῶν λεγομένων υἱῶν τοῦ Διὸς, τὸ σταυροῦσθαι ἐμιμήσαντο· οὐ γὰρ ἐνοεῖτο αὐτοῖς, συμβολικῶς ὡς προδεδήλωται τῶν εἰς τοῦτο εἰρημένων, πάντων λελεγμένων, Verum nullo prorsus modo in quopiam eorum qui dicti sunt filij Iouis, crucis supplicium sunt imitati. Non enim intellectum est ab eis: cum, vt iam dictum est, quæcunque ea de re dicta sunt, symbolicè dicta fuerunt.* Qui poterant dæmonia id vsurpare, quod in mentem quidem eis venerit? Denique non erat Iustino respondendum, nihil Christianis esse commune cum cruce. Hoc enim disertè religionem Christianam abnegasset. Sed si obiectū ei fuisset de imaginibus crucis, earum que cultu, aut cultu etiam crucis materialis, tum sane ille respondisset, quod hodie Catholici respondent, nihil Christianis esse cum iis imaginibus, eoque cultu commune.

VIII. De Ethnicorum exprobratione ex Tertulliano, Minutióque, actum præcedenti capite. Origenes libro sexto in illam ad Romanos dicit crucis figuram, ante oculos positam, si attentè consideretur, valere ad depellendam omnem tentationem. Et format argumentum Gretserus: Quod contra omnes tentationes valet, illud est colendum. Crux Christi, seu imago crucis, contra omnes tentationes valet, teste Origene. Ergo crux, seu imago crucis, est colenda. Maiorem probat. Quid enim cultu dignius, quàm quod nos contra omnes tentationes munit?

VIIII. Portenta hominum! Nam quid dicam? Negauerat Hospinianus, quicquam haberi apud Origenem de adoratione crucis. Gretserus legens, tantùm quod Bellarminus confusè proposuerat, distinctiùs explicat. At ego, vt nunc intelligat, primò nego maiorem: nam fides armat nos contra omnem tentationem, ac proinde *scutum* appellatur à Paulo ad Ephesios sexto, *quo possumus omnia iacula mali ignita extinguere.* Et tamen fides non est adoranda. Confirmatiu autem, meta est *ἀδιάφορα*: id quod nos contra tentationes munit, est colendum. quia id quod nos contra tentationes munit, est colendū. Secundò, nego Origenem agere, aut de cruce materiali, aut de crucis imagine: & recto, *Quomodo possibile est, vt peccatum in carne nostra non regnet? Si faciamus illud, quod idem Apostolus dicit: mortificate membra vestra quæ sunt super terram: etsi semper mortem Christi in corpore nostro circumferamus. Certum namque est, quia vbi mors Christi circumfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia: sed continuo ad eius præsentiam totus ille, quem supra enumerauimus peccati, & carnis fugatur exercitus.* Iam-ne intelligunt? an habent opus monitore, homines stupidissimi?

X. Constantinus Magnus Labarum in formam crucis redegit, apud Eusebium libri noni historiæ, capite nono. Quia verò Labarum adorabatur, nunquam crucem Constantinus in Labaro posuisset, si putasset, esse idololatriam venerari crucem: imò Sozomenus lib. 1. cap. 4. [illegible] id eò Constantinum id fecisse, vt milites assuescerent crucem venerari.

XI. Respon-

X. Respondeo: Eusebium dicere crucem ab Imperatore formatam prælatámque exercitui: de cultu altum egisse silentium. Posteriores Eusebio, scribere, Labarum ipsum formatum in figuram crucis: de quo non opus est contendere: sed videntur nonnihil de cultu addidere: & quidem quò recentiores, eò disertiores. Itaque in eo testimonio, vix momentum vllum. Non enim, quid Constantinus aut fecerit, aut cogitarit, ita expressum est, sed quid ij: quantumque ad superstitionem deflecterent. Nam ita sanè factum, vt ab hoc Constantini initio, magnos profectus superstitio fecerit: vt non sit mirum, non paucos paulò inconsideratiùs loqui. Et tamen Sozomenus θεῖον dixit, & θεραπείας: ἀσπασμόν, & cultum Gretserus vertit; vt, & Christophorsonus: non malè: dum ne cultus religiosus intelligatur: nam θεραπεία generalius est, & complectitur omnem curam, etiam vtilem potius quàm honorificam: vt videatur Sozomenus ita temperasse orationem; vt ne excederet. Quanquam, vt dixi, quid ille senserit, non valde laborandum.

XI. Theodosius prohibuit humi crucem sculpi, vel pingi: ne sacrum id signum pedibus calcaretur. Arcadius monetam iussit cudi cruce insignitam. Tiberius erigi iussit crucem in marmore incisam. *Cruce Domini*, inquit, *frontem & pectus munire debemus; & nos tam pedibus terimus?* apud Paulum Diaconum.

XII. Verba & voces. Theodosius noluit pedibus calcari: at non iussit adorari. Illud ad nos non pertinet: & magis fortè ad Papistas: hoc autem id est de quo disputandum. Quanquam incertum est, vtrum ita sancitum sit olim à Theodosio, vt legitur hodie in Codice: & non potiùs interpolatum à posteris. Nam Crinitus in veteribus manuscriptis longè legit aliter. Arcadij moneta quorsum? Certè Prosper, non in cultu, sed in vsu eam fuisse docet: de Promissinnibus parte tertia, promissione trigesima quarta. *Victor auream monetam cum eodem signo crucis fieri præcepit, quæ in vsu totius orbis, & maximè Asia, hodiéque persistit.* Quid ergo; coluntur-ne omnia, quæ in vsu sunt? Atqui idem Arcadius in eadem moneta, puto, suam effigiem voluit cudi: sic enim fieri solebat: an vt se adorari iuberet? Absit. De Tiberio idem iudicium, quod de Theodosio.

XIII. Lactantius de cruce carmen scripsit, in eoque. *Flecte genu, lignúmque crucis venerabile adora.* Athanasius ad Antiochum, quæstione decima sexta, caussam reddit, cur faciant, & colant Christiani imagines crucis, potius quàm lanceæ, & spongiæ.

XIV. Sed carmen illud Lactantij nunquam fuit. Ita censent docti: & quoniam Papistæ adeo sunt iniqui, vt neminem testem recipiant, nisi sibi domesticum; legant Michaelem Thomasium, tomo nono Bibliothecæ Sanctorum Patrum ad finem operum Lactantij. *Carmina, quæ in libris impressis Lactantio attribuuntur, in nullis antiquis codicibus inueni.* Et post. *Illius tertij poematis de passione Domini, nullum vestigium vsquam reperire potui.* Quæstiones ad Antiochum antea demonstratum est, esse recentis alicuius autoris.

XV. Chrysostomus in supplicationibus argenteas cruces, cum facibus ardentibus præferri iubebat; apud Socratem libri sexti capite octauo: & Sozomenum libri octaui capite octauo. Idem libros Quod Christus sit Deus, dicit crucis figuram omnibus locis pingi solitam.

XVI. Præferri iussit cruces. Sed an adorandas? Tacent historici: Iesuitæ diuinant. Num saniè? At idem qui cruces, etiam faces iussit. An has quoque adorandas? Ergo præferre, non est adorare. Sed ipsa, inquit Gretserus, ex tam pretiosa materia crucium effectio, honos quidam crucis fuit. Itane? Ergo eiusdem effectio ex ligno tam vili materia, ignominia quædam crucis erit. Placétne? Sed categoricè: Adoratúrne, quicquid fit ex argento? Si, quia pretiosum: ergo magis adoratur, si ex auro pretiosiori. Et quia latria summa est adoratio: Ergo crux argentea (multo minus lignea) non adorabitur latria. Sed Catholici negant cultum religiosum vllum in auro argentóve consistere. Addit. Putas tu ciues Constantinopolitanos adeo fuisse religionis expertes, vt transeunte cruce nullum reuerentiæ signum exhibuerint? Religionis expertes, inquit: quasi iam euicisset nullam religionem esse, nisi in adorandis crucibus. Imò ego puto, quia religionis non fuerunt expertes, ideò crucem non adorasse rem creatam: sed solum Creatorem.

XVII. Figuram crucis Chrysostomi tempore depingi solitam, docere non debuit Bellarminus. Nam nos quidem tunc temporis pictores credimus fuisse. Sed adoratam, hoc debuit: hoc non præstitit. Imò, ait Gretserus, in eo libro crucis diuinam virtutem magnifica oratione Chrysostomus deprædicat: ita vt singulæ syllabæ crucis cultum resonent. Et quid sibi hæc volunt Chrysostomi verba? *Neque sic corona regia ornatur caput, vt cruce, quæ omni cultu dignior.* Annon vides quid Chrysostomus asserat? Annon ipsum cultus, seu θρησκείας vocabulum habes? Audacissimè, sed fallacissimè. Nam de virtutibus illis crucis declamaris, idem iudicium, quod in Iustino antea. Multis sanè crucem laudat Chrysostomus: at adoratam non dicit, quo nobis nunc opus. Saltem, inquies, omni cultu pretiosiorem dicit. O Veterator! Nam hîc cultus non est θεραπεία. Quid igitur? Κόσμος. Significat nullum esse cultum, id est, ornatum, quo caput dignius ornetur. Colebat ergo crux reges; si ita licet colere, pro ornare, vt cultum pro ornatu dicere.

XVIII. Augustinus in Ioannem tractatu trigesimo sexto: & in Psalmum trigesimum sextum. *Qui tantum honorem tribuit supplicio suo, quid seruat fidelibus suis?* Cynllus libro sexto in Iulianum, respondet Iuliano reprehendenti Christianos, quòd lignum crucis adorarent, eiúsque figuram ante domos suas depingerent. Ruffinus libri secundi capite vigesimo nono historiæ, testatur apud Ægyptum, depictas fuisse cruces loco thoracis Serapidis, quem Ethnici venerabantur. Beda historiæ Anglorum libro primo, capite vigesimo quinto, scribit Augustinum, ad Anglos missum, crucem argenteam, & imaginem Christi pro vexillo prætulisse. Gregorius libri septimi, Epistola quinta, de crucis veneratione loquitur. Leo sermone octauo de passione Domini: *Pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, & inuictissimæ patientiæ signum salutis adorandum populis omnibus inferebat.* Sedulius. *Ne- ve quis ignoret speciem crucis esse colendam.*

XIX. Sed honoris vocabulum sæpe diximus, non significare semper hanc adorationem, de qua disputamus. Honorari supplicium Christi

honorari crucem, Augustinus dixit, pro honestari. Argumentum: quia honori tribuit, quòd prohibitum sit, quenquam crucifigi: quòd in frontibus regum locaretur. Ea verò ad religiosum cultum non accedunt. Rursum à minori ad maius. *Qui tantum honorem tribuit supplicio suo, quid seruat fidelibus suis?* Ergo maius quid fidelibus. Et tamen non adorationem: certè non latriam, confitentibus Papistis.

XX. Cyrillum Iuliano obiicienti adorationem Crucis, scio respondisse. Sed hîc quæ vis est argumenti? An quia Iulianus obiecerit? Atqui non decet Ecclesiæ mores æstimari ex Apostatæ impurissimi calumniis. An quia Cyrillus respondit? Rectè, si respondens concessit adorari: si adorandam crucem docuit. Atqui neutrum. Sed tantùm: *pretiosi ligni crucem facimus, in memoriam omnis boni, & omnis virtutis.* In memoriam: at hæc procul abest ab adoratione. Et in memoriam, quia paulò antè: *Hæc omnia*, nimirum quæ pro nobis Christus in cruce fecerat, *recordari nos facit salutare lignum, & suadet vt cogitemus, quòd sicut dicit diuinus Paulus, vnus pro omnibus mortuus est, vt viuentes non vltra sibi ipsis viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Hæc ibi de Cruce Cyrillus: nec præterea verbum.

XXI. At Gretserus considerari iubet alium locum ex Cyrilli homilia sexta contra Nestorium: Et recitat, *Per te* (Deiparam Virginem alloquitur) *Trinitas sanctificatur: per te crux pretiosa dicitur, & adoratur in toto orbe terrarum.* At ego diligenter consideraui: & vidi Iesnitæ, quid dicam? nam certè audaciam si dixero, minus dixero. Sed eo loco nihil legi huiusmodi in editione Parisiensi anni millesimi quingentesimi septuagesimi secundi. Sic potius, *Salue, quæ incomprehensibilem in sancto virginali vtero comprehendisti: per quam sancta Trias per vniuersum orbem glorificatur, & adoratur: per quam cælum exsultat: per quam Angeli & Archangeli lætantur*, & cætera non pauca: sed in iis de cruce nihil.

XXII. Ruffinus depictas cruces dixit: non dixit adoratas. Beda prælatas dixit; non dixit adoratas: etsi iam huius, de quo agit, Augustini tempore, id est Gregorij, superstitio nimium inualuerat; & coli cœperant imagines. Iste etiam Augustinus fastuosiorem se quàm sanctiorem exhibuit. Nec mirum, si Leo adorandum signum dixit, eadem inualescente superstitione. At non debuit, nulla scriptura iubente, non præeunte etiam purissima Ecclesiæ ætate. De Sedulio, idem iudicium.

XXIII. Quartum argumentum ab apparitione, & miraculis crucis. Apparuit Constantino lucidissima in aere, cum his verbis, ἐν τούτῳ νίκα. Item in monte Oliueti, tempore Constantij. Item tempore Iuliani Apostatæ, autore Nazianzeno, oratione prima in Iulianum, apparuit in extis hostiæ crux coronata. Et Iudæis Hierosolyma ædificantibus, circulus ingens, crucem splendidissimam ambiens, teste eodem, oratione secunda in eundem. Rursus Arcadio, teste Prospero: iterum tempore Leonis Iconomachi, in vestibus. Multa etiam miracula per crucis figuram effecta sunt.

XXIV. Sed hoc frustra est. Non enim omnia quæ apparent in aere, sunt adoranda. Apparent sæpissimè Cometæ: nec tamen adorandi. Apparuit magis stella dux viæ ad Christum; nec tamē adorata. Apparuit Iudæis nubes, apparuit colūna ignis: neutra tamen adorata. Atque adeò nec Constantinus, nec Arcadius, crucem sibi apparentem leguntur adorasse. Ille tantùm posuisse in Labaro, & in statua sua: at nullis in locis religiosis. Iste in nummis. De miraculis, responsum aliàs, cùm de Imaginibus ageretur.

XXV. Quintum argumentum: Signa rerum sanctarum sancta & venerabilia sunt. At quælibet crux gerit imaginem Christi crucifixi, id est, Christi in ipso opere redemptionis occupati, qua nihil sanctius cogitari potest: Ergo quælibet crux est sancta & venerabilis.

XXVI. Sed & hoc argumentum aliàs refutabatur. Primò, negatur omne signum rei sanctæ esse sanctum. Sed duntaxat id, quod est à Deo institutum. Secundò, negatur omnia sancta esse adoranda: sed tantùm quod per se sanctum: id est, solum Numen. Tertiò, negatur crux esse signum aut à Deo institutum, aut per se sanctum. Quartò, negamus eatenus esse signum Christi crucifixi, quatenus figura est: sed tantùm quatenus λείψανον, sicut clauos, & spongiam, & flagra, & similia.

CAP. VI.

De adoratione signi Crucis.

I. ADorandum signum Crucis tribus probat argumentis Bellarminus. Primò, ex figuris Testamenti Veteris: nimirum sanguine agni in postibus domorum, Exodi duodecimo. Litera Tau in frontibus gementium, Ezechielis nono. Manibus Iacob in crucem compositis, Geneseos quadragesimo octauo. Nam iis omnibus significabatur crux. Secundò, ex Veterum testimoniis, qui floruerunt quatuor primis seculis, qui de vsu signi eius multa dixerunt. Tertiò, à miraculis, quæ multa facta sunt ad idem signum.

II. Ad primum respondeo dupliciter. Primò, non omnia, quæ in Veteri Testamento significata sunt, esse adoranda: sed solùm ex iis Christum; nec quia significatus, sed quia Deus est. Gretserus: non simpliciter quidem sequi fatetur ex præsignificatione: sed ita sequi: Crucis signum præfiguratum est in Veteri Testamento, vt sanctum quiddam & religiosum, & vt mortalium tutela & præsidium: Ergo est veneratione dignum. Sed hæc consequentia æquè negatur. Non enim quicquid sanctum est, & religiosum, & tutela ac præsidium mortalium, id adorandum: sed duntaxat Deus, fons Sanctitatis, & Religionis: & verè tutela, ac præsidium nostrum. Itaque cùm neque in reuelatione, neque in sanctitate, religione, præsidio, tutela, vis nulla sit ad consequentiam, totum argumentum est inutile.

III. Secundò nego crucem significatam in Veteri Testamento; nisi per accidens: hoc est, quatenus Christus significatus est crucifigendus. Sed crucem directè, ac per se significatam vllis figuris, nego. Nec ignoro tamen produci posse in contrarium testimonia quædam ex Patribus. Sed ego quicquid Patribus in buccam venit, non censeo amplectendum vt Verbum Dei. *Potest*, inquiebat Au-

bat Augustinus in Psalmum trigesimum sextum, *nisi aliquid vt teri, alteri aliud. sed neque ego, quod dixero praescribo alteri ad meliorem intellectum, nec ille mihi.* Idem de reliquis dicendum. Itaque liceat in earum sententias inquirere.

IV. Certè illud de sanguine agni posito super vtroque poste, remotissimum est à cruce. Hoc solum tenuissimum vestigium, positio in poste, nonnihil alludit, ad positionem, in fronte; quae in corpore supremum locum occupat, sicut in ostio postis. Sed sanguis, quanto aptiùs sanguinem Christi significat? vt apud Gregorium homilia vigesima secunda in Euangelia. *Quid sit sanguis agni non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super vtrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* G[illegible] excipit, posse vnum idémque plura significare. Ita sanè, inquam; sed primò variis rationibus. Itaque eadem ratione, qua significat sanguinem, nō potest significare Crucem. At vnius loci vnica est ratio. Quare si hoc vnó locó significat sanguinem Christi, non significat crucē. Deinde vnum idémque potest varia significare: at non quaelibet: sed ea tantùm, ad quae habet analogiam. Quaenam est verò analogia sanguinis agni ad crucem? Nam agno significari Christum, nemo inficias eat. Quomodo ergo sanguis ex agno eductus; significabit crucem non eductam ex Christo? sanguis, inquam, effusus, crucem, compactam?

V. De Tau Ezechielis intelligo Patres non pauca dixisse: & putasse significari ipsissimum signum crucis, etiam ex literae figura. Inter quos Hieronymus: *Antiquis Hebraeorum literis, inquit, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Tau litera crucis habet similitudinem: quae in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* De quo ipse viderit. Certè Samaritanum nullum est elementum, cui cum figura crucis sit commune quicquam. Caeterum Tau Hebraeis est quoduis signum. Itaque quum de signo sermo sit, quo quis eximitur à morte, longè certius id signum fidem esse dixero, quam certum est, qui habuerit, non visurum mortem. Nam de signatis in fronte signo crucis nihil simile Scriptura dixit: imò contra experientia docet.

VI. Ad secundum. Multas video Patrum autoritates, quae perspicuè docent in magno vsu fuisse signum crucis. Verùm non vidi, vel vnicum, quo doceatur adoratum fuisse. Dionysius & Augustinus & Chrysostomus adhiberi in conficiendis Sacramentis. Reliqui multi, fieri in fronte, & quidem Tertullianus & Prudentius, ad singula penè momenta: Ephrem in singulis membris. Alij ad munitionem, ad tutelam, maximè contra Daemones. Sed nemo, vt dixi, coli, aut adorari, quae nostra quaestio est.

VII. De tertio, piget toties dicere. Per signum crucis patrata sunt miracula: Ergo signum crucis adorandum: consequentia nulla est. Aqua Zelotypiae Numerorum quinto patrabat miracula: nec tamen adorabatur. Virga Mosis patrabat miracula, nec tamen adorabatur. Piscina Siloe patrabat miracula, nec tamen adorabatur. Denique Apostoli patrabant miracula, & tamen prohibebant se adorari. Angeli patrant miracula: & tamen prohibent se adorari.

* * *

CAP. VII.

De constituendis imaginibus in Templis argumenta Papistarum.

I. SVperest quaestio de Imaginibus constituendis in Templo. Et Papistae coacti ipso praeiudicio adorationis asserunt. At Catholici distinguunt; imagines alias ad adorandum, alias ad ornandum. Illas nusquam, sed in templis omnium minimè collocandas: nec posse fieri absque impietate. Has verò per se quidem indifferenter vbiuis locorum haberi: sed in templis tamen periculosissimè: ac proinde illas sibi optimè Ecclesias consulere, quae omnino nullas tolerant. Papistae sic disputant.

II. Primò, quia in Testamento veteri, quando Iudaei propensissimi ad Idololatriam erant, in templo fuerunt Imagines Cherubim: Exodi vigesimo quinto: & prioris Regum sexto.

III. Respondeo, negari consequentiam: quia dissimilia comparantur. Primò Cherubim erant ornamentum Arcae testimonij, & eius duntaxat appendices. Itaque erant in templo non per se, sed per accidens: quomodo annuli, quomodo vectes; & similia; partes Arcae; ad eiúsque vsus necessariae. At Imagines à Papistis collocantur longè aliter: nihil enim conferunt ad templi necessitatem; aut omnino ad vllos vsus templi: & collocantur per se. Itaque in his periculum est idololatriae: in illis non erat; quia vix quisquam tam stupidus est, vt à praecipuo diuertat, ad accidens.

IV. Secundò, Cherubim ita erant in templo, vt tamen à nemine prorsus viderentur, excepto solo summo Sacerdote; & quidem semel quotannis. Nam Arca erat intra tabernaculum: & hoc intra sancta sanctorum. Cherubim autem in arca. Rursus ij Cherubini, qui iussu Salomonis facti sunt in eadem parte templi. Itaque periculum nullum erat ab idololatria. At apud Papistas imagines non constituuntur in templis, nisi vt videantur: nec in parietibus tantùm, sed in partibus maximè conspicuis; atque adeò ad altare: vnde periculum est idololatriae, vel maximum.

V. Tertiò, maius periculum semper idololatriae fuit inter Christianos, quàm inter Iudaeos. Nam quod supponitur Iudaeos fuisse propensissimos in id peccatum, verum sit fuisse: sed non aliter, quàm etiam de Christianis dici potest: quorum non est alia natura, quàm hominum; quibus sensualitas nimiùm quàm importuna est. Quinetiam Iudaeis cautiones videbantur esse opportuniora. Non tantùm enim mandatum habebant seuerissimum, quod & Christianis est commune. Sed etiam separationem à Gentibus: inter quas Christianis fuit semper viuendum. Itaque vix potuit fieri, quin ex contagione nonnihil haurirent. Quid? quod etiam hodie Papistae disputare audent multa non malè ab Ethnico ritu ad religionem Christianam esse translata? Quae sanè vox si apud Iudaeos esset audita, vix piari potuisset.

VI. Secundum argumentum Bellarmini multiplex est. Signa sunt sacra: ergo in loco sacro constituenda. Deinde: Imagines templum ornant; & simul mentes continent, ne vagentur inanibus cogitationibus. Præterea, templum est imago cœli, itaque in eo esse oportet imagines eorum qui sunt in cœlo, Christi, & Sanctorum. Denique, rectè collocantur imagines Sanctorum in basilicis eorundem, vbi sunt reliquiæ.

VII. Respondeo ad primum, imagines non esse signa sacra: sed vel prophana, si fiunt adorandi gratia: vel ἀδιάφορα, si repræsentandi duntaxat. Itaque non benè constitui in sacris locis. Ad secundum, imagines, mentem potius turbant vanis impúsque phantasiis: quæ cùm semel decretato cœperunt à veritate, vix in viam redeunt. Itaque malè ponuntur iis locis, vbi omnia debent nos ad veritatem deducere: testis Augustinus. Ad tertium, templum non est imago cœli absolutè, sed κατά τι, nimirum quatenus in eo Deus colitur, qui in cœlis est. Præterea consequentia est inepta. Nam si eorum, quæ in cœlis sunt, imagines deberent esse in templo. Ergo & Dei: quod est insanissimum, vt antea docuimus. Ad postremum, non est sapienter factum, quum in templa inductæ sunt reliquiæ. Itaque non debent etiam imagines addi. Deinde, consequentia non valet. Nam reliquiæ conduntur, & ita abduntur ab oculis hominum: at imagines omnibus exponuntur. Itaque in his longè maius periculum.

VIII. Tertium argumentum, ab autoritate Conciliorum, quibus sancita est imaginum adoratio: in Oriente septimum, & octauum Oecumenicum. In Occidente Romanum. Sed ea Concilia tam nullius sunt autoritatis, in hoc capite, quàm in alio de Adoratione. Itaque nihil concludunt.

IX. Quartum argumentum ex consuetudine Ecclesiæ. At nos affirmamus primis purissimísque Ecclesiæ temporibus, nulla omnino Imaginum vestigia in templis fuisse Christianorum, populo saltem proposita. Eúmque morem durasse etiam post Constantinum magnum, annis non paucis. Deinceps tamen cœpisse induci, ornatus, & historiæ gratia: vnde tamen emersit paulatim fœda idololatria, quæ tandem pietatem suffocauit: quo exemplo, si nullo alio, euidentissimè patuit, quanto consultius puri conseruentur templorum parietes. Verùm examinemus ea quæ à Bellarmino proferuntur.

X. Ante Constantinum, Tertullianus libro de Pudicitia, bis testatur in sacris calicibus Ecclesiæ Catholicæ depictum fuisse Christum in forma pastoris, ouem errantem suis humeris reportantis.

XI. En vobis, Catholici, quicquid Papistæ corradere potuerunt totis tribus primis Ecclesiæ seculis. Nullam Dei, nullam Angeli, nullam vllius Sancti imaginem, imò ne imaginis quidem vestigium. Non parietibus affixum: non altaribus prostitutum: sed in caliculis cælatum, nescio quid. ὢ τῆς ἐρημίας! ὢ τῆς [illegible]! Quàm diuersa illa fuere tempora, à recentissimis: vbi non calices inquiret curiositas diligens, vt sciat, quid in templis fiat: vestibula ipso primo statim aditu, nihil non pictum obiiciunt oculis: parietes, laquearia, solum, & præcipuè altaria, myriades imaguncularum, figurarum, oscillorum, statuarum, exhibebunt, vt nihil, aut certè vix quicquam possis oculis vsurpare, non pictum, non fictum, non fusum, non cælatum, non dolatum, & quæcumque meliora tempora Ethnicis exprobrabant. At trecentis totis annis, sagacissimi Papistæ, non parietem, non altare, non tabulam, non lapidem, non asserem inuenire potuerunt, postquam omnia curiosissimè euerterunt: imò, nisi postquam omnia fœdissimè euerterunt. Solum calicem forte fortuna obuiam factum, mordicus arripiunt: talem tantis triumphis materiam. Et non est ea desperata caussa?

XII. Tertullianus ita habet capite septimo, *Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, vtrúmne Christiano, an Ethnico peccatori de restitutione conliniet.* Hæc ille. Vbi primùm calices Bellarminus interpretatur Ecclesiæ Catholicæ: Pamelius etiam, quorum vsus esset in sacrificiis, id est, in communione, nam ille quidem Papisticè loquitor. Sed quo autore? Aut, cur non potuerunt esse calices alij? Nam Hieronymus in quartum Ionæ, docet in cucurbitis vasculorum, quas vulgo Saucomatias vocant, Apostolorum imagines adumbrari solitas. Secundò, si ij fuerunt, vnde consequens, ergo imagines in templis constitutæ? Nam in tēplis fuerunt quidē eæ picturæ, si fuerunt ij calices: quandoquidem picturæ in calicibus: sed quomodo etiam muscæ, statuis hærētes: id est, per accidēs. At quod in tēplis constituitur, non est in tēplis per accidens. Iā verò de iis, quę sic in tēplis sunt per accidēs, nostra nulla controuersia est: sed de iis quę constituuntur. Tertiò, quorsum hoc exemplum ad imagines? Nam hæc certè pictura, Tertulliani, Imago non fuit; neque Christi, neque vllius sancti. Sed Emblema duntaxat, significans bonum pastorem. Quod genus longè alienum est ab hoc proposito: nisi quod ad id accedit Christophorus & Georgius; non tamen ille Christophorus, & Georgius primorum Papistarum, qui nullum alium concipiebant Christophorum, nullum Georgium, quàm qualem videbant: sed recentium Iesuitarum, qui nunc primulum videntur nonnihil velle reformare: & Christophorum, Georgiúmque mythologicum proponere.

XIII. Conceduntur ergo nobis integra secula, non tantùm prima, sed & purissima, castissima, sanctissima: quibus nullum fuit imaginis vllius vestigium inter Christianos. Pergimus ad seculum Constantini. Eusebius ergo (inquit Bellarminus) libro tertio & quarto de Vita Constantini, dicit, in templis ab eo Imperatore exstructis in Palæstina, fuisse maximam copiam imaginum aurearum, & argentearum. Damasus in vita Syluestri scribit eundem Imperatorem, in loco, vbi erat baptizatus, posuisse agnum ex auro purissimo, & ad dexteram eius statuam argenteam Seruatoris: ad læuam Ioannis Baptistæ. In Ecclesia Lateranensi, Saluatoris, duodecim Apostolorum, Angelorum quatuor.

XIV. Respondeo, Damaso huic iampridem laruam esse detectā: & esse agnitum pro Anastasio Bibliothecario, qui vixit post Nicęnum Concilium Idololatricum, ipse etiam insignis idololatra. Multa narrat, quorum fides ab eo solo est: vt dona-

donaria infinita vni templo collata, quod appellat Constantinianum; in quo aurum plurimum fuit: argenti libræ plures quàm decies quatérque mille: præter gemmas & aurichalcum; & reliqua. Quæ neque ipse non superstitiosè donare potuit; neque sacerdotes admittere. Sed illud certè ingens mendacium est, baptizatum fuisse à Sylvestro Constantinum: contrà enim omnes Veteres magno consensu. Quem Baronius vt conuellat, turbat omnia; & Constantino cogitur apostasiam affingere: imò in ea apostasia immanem persecutionem: quæ apud Veteres omnino ignoratur. Itaque reliqua omnia huius blateronis, fidem merentur nullam.

X V. Sed Eusebium citat etiam Bellarminus. Qua fronte? Nam is profectò numquam vllius imaginis meminit constitutæ in vllo templo Christiano. Miraret, vnde tantum mendacium Bellarmino in mentem venerit, si solum hoc illi excidisset. Certè libro quarto toto nulla imaginis mentio, nisi capite decimo quinto, ipsius Constantini precantis: sed in nummis. Libro tertio capite quadragesimo octauo, habes καὶ τὰ τοῦ καλοῦ ποιμένος σύμβολα, boni pastoris symbola: crucem Christophorsonus existimat: ego potiùs idipsum, quod Tertullianus obseruabat in calicibus. Item τὸν Δανιὴλ σὺν αὐτοῖς λέουσιν. Hæc inquam habes, ἐν χαλκῷ πεταλουμένα. Sed vbi posita? In Ecclesiis? minimè gentium: sed ἐπὶ μέσων ἀγορῶν κρήναις ἐπικειμένας: *apud fontes in medio foro posita*. Neque est quicquam de Imaginibus præterea. Quanquam multa de columnis, de laquearibus, de porticibus: nonnulla etiam de donariis. Sed omnino inter ornamenta templorum imagines nullæ erant.

X V I. Iam post Constantinum videamus quid sit secutum. Nazianzenus, Epistola quadragesima nona ad Olympium, conqueritur, quòd ciuitas Diocæsariensis euertenda esset, in qua ipse templum mirificè exornarat: & addit, *neque enim si statuæ deiiciantur, hoc nos excruciat etiamsi alioqui excruciat, verum, &c.*

X V I I. Hæc legas quidem apud Nazianzenum. Sed primò ornatum illum templi intellige, non de vllis imaginibus additis; sed de operis pulchritudine: Græcè enim. καὶ θηρίων οἰκητήριον γένοιτο μεθ' ἣν οἷον ἐγείραμεν ὅ τι ναὸς, ὃν ἐγείραμεν τῷ Θεῷ, καὶ ἡ περὶ τοῦτον ἡμῶν φιλοκαλία. *Fiat receptaculum ferarum templum, quod Deo extruximus, nostrúmque in eum pulchritudine studium.* Deinde statuas, ἀνδριάντας; non in templo, sed in reliqua vrbe: quomodo solebat fieri, vt vel Imperatoribus, vel aliis viris magnis statuæ erigerentur. Ergo dolet Nazianzeno, primò templum dirui: secundò statuas: Nec vllum indicium est, quo quis euincat has statuas ad templa pertinere.

X V I I I. Sozomenus libri quinti capite vigesimo, & Nicephorus libri decimi capite trigesimo, scribunt tempore Iuliani Apostatæ statuam Christi, quæ apud Paneadam fuerat, in templum à Christianis introductam.

XIX. Imò operæpretium fuerit imposturam detegere. Statuam illam in Paneade primus obseruauit Eusebius Historiæ libri septimi capite decimo quarto, editionis Christophorsonianæ: eámque se vidisse asseruit. Asterius in Bibliotheca Photij capite ducentesimo septuagesimo primo, ἰδὼν ἐκείνην ἀξίωμα τὸν ἀνδριάντα μέχρι νῦν, καὶ διηνεκῆ ἀμφότερα, καὶ τὸ Θεοῦ τὸ θαυμάσιον, καὶ τὴν ἀπολαύσασαν τὸ χαριστήριον· εἰ μὴ Μαξιμῖνος ..., ὁ πρὸ τοῦ Κωνσταντίνου τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς βασιλεύσας, εἰδωλολάτρης καὶ δυσσεβὴς ὤν, καὶ ζηλοτυπήσας τῷ ἀγάλματι τὸν Χριστὸν ἀνείλετο τῆς πόλεως ... *Nihil obstaret, quominus statua seruata esset huc vsque; testaretúrque tum Dei miram potentiam, tum mulieris beneficio affectæ gratitudinem: nisi Maximinus extitisset ille, qui ante Constantinum Romanis imperauit, vir Idololatra & impius: qui inuidens hanc statuam Christo, vrbem illam hoc ære spoliauit: nec tamen rei gestæ memoriam aboleuit.* Vidit ergo Eusebius: sed eodem viuente à Maximino est ablata.

X X. Et tamen Sozomenus Iuliani tempore adhuc stetisse asserit. Quod qui fieri potuit? Sozomenus disertè pronunciat, à Iuliano eam statuam amotam, raptatam ab Ethnicis, & confractam: Christianos frusta collecta reposuisse in Ecclesia: atque ita seruasse. Nicephorus, fractam omisit, dixit Christianos in Diaconicum transtulisse: & honoratiore loco positam, cultu conuenienti prosecutos. Mirum, nisi cui fucus subolet. Nam certè posteriores diuinare nec potuere, nec debuere. Sed in Nicephoro stylum vides Iconolatræ putum putum. Sozomeni narratio nihil ad nos: non enim statuam positam narrat, sed frusta collecta, & reposita. Itaque nullum hîc momentum est.

X X I. Augustinus libri primi de Consensu Euangelistarum capite decimo, testatur multis locis suo tempore cerni potuisse Christum depictum inter Apostolos Petrum & Paulum: & idem dicit de historia Abrahæ mactare volentis filium, libri vigesimi secundi contra Faustum, capite septuagesimo tertio.

X X I I. Recitentur loci. Prior, est de literis quibusdam confictis Christi ad Petrum & Paulum: *Occurrit eis Petrus & Paulus: credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt.* Posterior. *Nisi fortè non ei veniret in mentem factum ita notabile, vt non lectum, nec quæsitum animo occurreret: vt denique tot linguis cantatum, tot locis pictum, & aures & oculos dissimulantis feriret.* En tibi confectum negotium: pluribus locis: id est in templo: tot locis, id est in templo. Quasi præter templa, nulli loci. Imò non est credibile, inquit Bellarminus, Augustinum loqui de priuatis domibus, ad quas non omnibus patet aditus; sed de publicis locis: & locis non prophanis, sed sacris. Probatur, quia Gregorius libri noni Epistola nona dicit in locis venerabilibus non sine ratione depictas Imagines Sanctorum fuisse ab antiquis. Næ, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt. Enimuerò, inquam, illud longè verisimilius Bellarminum ariolari. Nam primò, cur non de priuatis locis? Quia ad eos non omnibus patet aditus. Atqui nihil hoc opus fuit: nam etsi non omnibus in singulas domos patet aditus: tamen plurimis patet: & si ad vnam, non omnibus: certè ad plurimas, aut omnibus; aut penè omnibus. Deinde de demus locos publicos intelligendos: an pro-

pterea sacros ? Cur non potiùs ipsorum tabernas pictorum; in quibus solent publicè prostare tabulæ ? Cur non plateas, in quibus Constantinus cruces & Danielem iussit repræsentari ? Cur non porticus ? At Gregorius. Optimè! nam valdè æquum est ex huius scriptis, Augustini scripta æstimari: quasi nihil interlit! Atqui, ô bone, iam Gregorij tempore [illegible] eruperat; & in eo erat, vt pietatem suffocaret. Deinde, cur non antiquos, Gregorius intelligere potuit eos, qui suam ætatem proximè antecedebant? Mortuus est autem Gregorius annis fermè ducentis post Augustinum.

XXIII. Basilius, oratione in sanctum Barlaam in fine; in ipsa concione ostendit imaginem sancti Barlaam alicubi in templo depictam, & ait gaudere se, quòd melius pictores expresserint manum eius pro Christo combustam, quàm ipse oratione descripserit. *Abite*, inquit, *fortium martyris factorum pictura à vobis superatus. Gaudeo tali vestra fortitudinis victoria hodie victus. Video manus ad ignem luctam exactius à vobis descriptam. Video luctatorem in vestra imagine illustrius depictum.*

XXIV. Imò nugæ, inquam; nihil eiusmodi Basilius. Nullam, inquam, imaginem ostendit in vlla parte templi, aut constitutam, aut pictam, aut quicquam eiusmodi. Quid ergo? Certè suus Bellarmino interpres imposuit. Nam Basilius non quicquam à pictoribus factum laudat. Sed oratoria apostrophe pictores alloquens, iubet tabulam pingere, in qua eius martyrij historia repræsentetur. Lege Græca. Ἀνάστητέ μοι νῦν, ὦ λαμπροὶ τῶν ἀθλητικῶν κατορθωμάτων ζωγράφοι· [illegible] Hæc Græca, ita vertenda fuere: *Consurgite mihi nunc, ô illustres athleticorum facinorum pictores; Ducis huius mancam effigiem vestris artibus illustrate. Hunc illustrem coronã, à me obscurius pictum illustrate vestra artis coloribus.* Audin' Basilium iubentem fieri? Non erat igitur factum: ideóque ne vllam quidem imaginem videbat; nullo in angulo; nullo in templo. Quare sequentia ita erant reddenda: *Discedam*, id est, efficite, vt discedam, *victus à vobis repræsentatione rerum à martyre gestarum. Gaudeam superatus hodie huiusmodi vestra facultatis victoria. Videam luctam illam manus cum igne à vobis exactius depictam. Videam luctatorem nostrum in vestra imagine luculentius pictum.* Hæc Basilij sunt: sed aliena à Bellarmino. Vt taceam, quod nonnullis visum scio, pictores ab eo nominari, metaphoricè pro oratoribus; ad quod prius, [illegible] *Cur pueriles balbutie victorem minuo? Cedamus, linguis quibus in eius hymnos magnificentia maior. Aduocemus tubas illas magistrorum in id ipsum magis vocales.* His autem illa de pi-ctoribus subiiciuntur statim: nimis abruptè, si non sint iidem.

XXV. Atque hactenus nihil vsquam apparuit vestigiorum; quo fides fieri possit, imagines vllas in Christianorum templis fuisse. Deinceps à [illegible] ex Nysseni oratione in Theodorum; ex Prudentio & Paulino, quos eam ob caussam Bellarminus non omittit, apparet, Ecclesiam [illegible] illustri [illegible] imaginibus, [illegible] ornatus, & historiæ gratia: quem [illegible] diximus [illegible] esse per se. Sed [illegible] subse[illegible] error [illegible] non esse experte [illegible]. Itaque longè præstare, cum prima [illegible] Ecclesia, eo vsu in vniuersum [illegible] nere: cuius, vel inanissima oculorum delectatio, fructus est, si ornatus quæritur: vel ad [illegible] historia, rerum præteritarum [illegible] mor[illegible]: quam Pastorum [illegible] longè [illegible] longéque vtiliùs præstare possunt. [illegible] mos inualuit apud Papistas, vt imagines, quæ reliquo [illegible] anno habentur pro doct[illegible] plebis, diebus quadragesimæ, velentur, quibus solent viui prædicatores suam cenam implere.

CAP. VIII.

Imagines non esse constituendas in templis.

I. CONtra Catholici. Primò. Si Imagines omnino prohibitæ sunt fieri adorationis gratia: ergo factæ non debent in templis constitui. Patet antecedens: ex secundo Legis mandato, *Non facies tibi imaginem sculptam, neque vllam similitudinem eorum, quæ in cælo sunt sursum: aut in terra deorsum: & in aquis sub terra: non adorabis eas, neque seruies eis.* En tibi discretè; non tantùm non adorabis, neque seruies: sed etiam, non facies. Tertullianus: *Idolum tam fieri, quàm coli Deus prohibet*, quarto de Idololatria. Nazianzenus, [illegible] *Non statues, non eriges statuam inanem, neque inanem imaginem.* [illegible], inquit, Ergo, non in templo.

II. Secundò. Nihil nocens pietati, constituendum est in templis Christianorum. At Imagines nocent pietati: ergo, Imagines non sunt in templis Christianorum constituendæ. Maior per se patet. Minor probatur, quia Imagines facilè inducunt paulatim idololatriam; qua nihil est pietati magis contrarium. Epiphanius hæresi septuagesima nona: [illegible] *Prætexta æqui & boni insinuans se Diabolus in animos hominum naturam humanam deificans, in oculis hominum statuas, speciem humanam referentes, artificiosa varietate depinxit.* Sic omnino apud Papistas, prætextus est sanctitatis, pietatis: effectus autem statuæ humanæ: quæ cùm adorentur, eo ipso deificatur humana natura. Atque hoc se metu retineri Veteres sæpissimè protestati sunt.

III. Sed incomoda grauiter exsequitur Augustin.
in Psal.

in Psalmum centesimum tertium. *Quis puer interrogatus non hoc certum esse respondeat, quòd simulachra gentium os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, & cætera, quæ diuinus sermo contexuit? Cur ergo tantopere Spiritus Sanctus curat Scripturarum plurimis locis hæc insinuare, atque inculcare, velut inscientibus, quasi non omnibus apertissima sint, atque notissima? nisi quia species membrorum, quam naturaliter in animantibus, viuentem videre, atque in nobis ipsis sentire consueuimus, quanquam, vt illi asserunt, in signo aliquo fabrefacto atque eminenti collocato suggestu, quum adorari atque honorari à multitudine cœperit, parit in vnoquoque sordidissimum erroris affectum, vt quoniam in illo figmento non inuenit vitalem motum, credat numen occultum: effigiem tamen viuenti corpori similem, seductus forma, & commotus autoritate, quasi sapientium institutorum, obsequentiúmque turbarum, sine viuo aliquo habitatore esse non putat.* Rursus Epistola quadragesima nona, quæstione tertia. *Et idola quidem omni sensu carere quis dubitet? Verumtamen quum his locantur sedibus, honorabili sublimitate, vt à precantibus, atque immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamuis insensata & exanima, afficiunt infirmos animos, vt viuere, ac spirare videantur, accedente præsertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus impenditur.*

IV. Bellarminus excipit, Augustinum loqui de simulacris, præsupposito errore Gentilium: ac si diceret; quando quis putat simulachrum esse Deum; & accedit, vt adoret, & inuocet ipsum simulachrum. Probat ex his; *vt à precantibus, atque immolantibus attendantur.* Item ex his: *accedente præsertim veneratione multorum.*

V. Et sanè verum; ab Augustino præsupponi errorem Gentilium: quem enim alium? Nam neque Iudæi, neque Christiani, imagines aut colebant, aut habebant in templis, vt est demonstratum. Nec poterat diuinare Christianos, quibus erat & Verbum Dei pro regula, & Ethnicorum stupiditas pro experimento, ita discessuros à se ipsis, vt imagines adorarent. Sed ratio tamen eadem contra Christianos militat, quos ne suspicari quidem poterat. Nam ratio ea est, in imaginibus, si semel coli, honorarique cœperint, vim magnam esse ad decipiendum incautos: quibus tamen in Ecclesia, quantum fieri potest, necesse est prouidere. Porrò illud, *vt à precantibus, & immolantibus attendantur*, non significat eos, qui ipsis statuis immolant, eásque precantur: sed eos, qui, dum precantur suos Deos, eisque immolant, statuas attendunt: quomodo Papistæ solent, imò iubent, vt qui Christum precatur, habeat ante oculos eius imaginem: sic, qui Petrum inuocat, non procumbit coram Christophori Colosso: & qui Margaretæ se commendatum vult, non offert cereos Georgij picturæ. Attendunt itaque statuas, dum precantur. Sacerdos etiam, dum Missam celebrat. Accedere autem venerationem multorum, cur in Ethnicis agnoscit Bellarminus, magis quam apud suos?

VI. Tertiò, Christiani abstinere debent non à malo tantùm, sed etiam ab omni specie mali: præcipiente Paulo prioris ad Thessalonicenses quinto. Debent igitur ab imaginibus abstinere, ne quid videantur habere commune cum Ethnicorum Idololatria. Origenes, ὁ πρῶτον τὰ ἀγάλματα, καὶ διὰ τὸ μὴ τὸ ἴσον ἐφ' ἡμῶν κατανοεῖσθαι εἰς τὸν ὑπολαμβάνειν, ὅτι θεοί εἰσι τὰ ἀγάλματα δεῖν ὑπάρχειν. *Statuas non honoramus, tum alias, tum hanc ob caussam, ne quis suspicetur statuas esse Deos alios.* Et sanè, longè hæc grauior caussa est, quàm quæ olim persuasit; ne cum Iudæis Pascha celebraretur: quod tamen argumentum sufficiebat Patribus olim apud Nicæam.

VII. Quartò: quia hic imaginum vsus manauit, non à Deo, non à Prophetis, non ab Apostolis: sed ab Ethnicis. Est autem absurdum, Christianæ Religionis formam sumi ab infidelibus: sumi ab iis, quorum Religio, aduentu fidei fuit destruenda. Esse autem ab imitatione Gentilium probatur authoritate Eusebij, loquentis de statuis Christi, & Apostolorum, quæ suo tempore videbat apud quosdam haberi, libri septimi Historiæ capite decimo quarto in editione Christophorsoni. καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν τοὺς πάλαι ἐξ ἐθνῶν εὐεργετηθέντας πρὸς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ταῦτα πεποιηκέναι. ὅτι καὶ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ τὰς εἰκόνας Παύλου καὶ Πέτρου, καὶ αὐτοῦ δὴ τοῦ Χριστοῦ, διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας ἱστορήσαμεν, ὡς εἰκὸς τῶν παλαιῶν ἀπαραλλάκτως οἷα σωτῆρας ἐθνικῇ συνηθείᾳ παρ' ἑαυτοῖς τοῦτον τιμᾶν εἰωθότων τὸν τρόπον. *Nec planè mirum, eos, qui ex gentibus prognati, à Seruatore, dum inter homines viuebat, beneficiis affecti fuissent, ista effecisse. Cùm & nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius, imagines in picturis colorum varietate expressas, conseruatásque aspexerimus. Idque propterea, sicut verisimile est, quòd maiores nostri ad gentilis consuetudinis similitudinem quàm proximè accedentes* (hic tamen pro ἀπαραλλάκτως legitur etiam ἀπαραφυλάκτως, ac tum verti oportuit, *inconsideratè ex consuetudine gentili*) *eos qui tanquam seruatores illis fuissent, id est, qui illis aliquid salutis & subsidij attulissent, apud se honore ad hunc modum afficere consueuerant.*

VIII. In quibus Eusebij verbis notandum, primò statuas Christi & Apostolorum irrepsisse inter Christianos ex Ethnica consuetudine, quod nobis probatum oportuit. Et quidem ἀπαραλλάκτως, si legas, non potest non ἀκυρῶσαι; quasi exprobrata similitudine Ethnicorum, à quibus procul abesse oportuit. Sin malis ἀπαραφυλάκτως, vt notatum habeo in margine mei codicis, taxabitur eorum inconsiderata supinitas, qui traducti in aliam religionem, non aduerterint sibi ex inueterata consuetudine tantum vitium hæsisse. Secundò: tam nullum fuisse apud Christianos vsum imaginum, tam non ex Religionis Christianæ natura: vt Episcopum, & quidem nominis magni, eruditionis etiam raræ, oportuerit initiorum causam quærere ex coniecturis ὡς εἰκὸς, *sicut verisimile est*: & quidem non aliunde, quàm ex superstitione Ethnica.

IX. Richeomus respondet, se non tam imitari Ethnicos, quàm sequi naturam: quam illi etiam sint secuti. Deinde, posse etiam Christianos sibi proponere Ethnicos imitandos. Primò, quia multa in lege veteri similia sint iis quæ apud Ethnicos, vt sacrificia, & aliæ non paucæ ceremoniæ: multa etiam inter Christianos. Secundò, si Ecclesia admittit in gremium Ethnicos, vt efficiat Christianos: cur non & quosdam ritus Ethnicos, vt Christianos reddat? Tertiò, Paulus Athenis, quantum potuit, conatus est, vt altare Dei incogniti transferret ad cultum Christi.

X. Ex quibus velim considerari; quàm soleant huiusmodi homines religioni populorum lusus facere. Nam hæc sanè aut nihil sunt omnino, aut meri sunt lusus. Enimverò quæ ratio docuit, Ethnicos esse sectatos naturam in idololatria? in vsu, inquam religioso imaginum? Aut quid est, cur nos tam stupidos Richeomus æstimaret, qui hoc ei simpliciter dicenti, tanquam alteri Pythagoræ, concederemus? Imò rectè Athanasius contra Gentes: *ἡ τῶν εἰδώλων εὕρεσις οὐκ ἀπὸ ἀγαθοῦ, ἀλλ᾽ ἀπὸ κακίας γέγονε. Idolorum inventio, non à bono* (ergo non à natura) *sed à malo extitit*, ergo præter naturam. Itaque non potest in Paganis imitandis, natura sectanda proponi.

XI. Posse autem Christianos aliquando imitari Paganos, non equidem diffitear: nempe ἐν τοῖς ἀδιαφόροις: cuiusmodi multa sanè ab iis habentur præclara. Sed [illegible], hoc verò negatur. Prima autem Richeomi ratio est falsa. Nihil enim Iudæi habuerunt ab Ethnicis, sed à præceptis Mosaicis, id est, à Deo: & si quæ ex iis similia fuere apud Ethnicos, hi potius sunt imitati Iudæos. Christiani similiter, verè Christiani, præter quædam merè ἀδιάφορα, nihil omnino vsurpant ab Ethnicis. Et si vsurpata sunt quædam, malè vsurpata sunt. Hieronymus in decimum Hieremiæ. *Argento & auro decorauit illud, vt fulgore vtriusque materiæ decipiat simplices. Qui quidem error ad nos vsque transiuit, vt religionem in diuitiis arbitremur.* Secunda autem ratio, Deus bone, quàm puerilis! Ethnici sunt admittendi in Ecclesiam. Ergo & eorum Ceremoniæ. Cur non ergo omnes Ceremoniæ? nam omnes certè Ethnici admittendi. Imò quia Ethnici non sunt nisi ex religione: & in Ecclesiam non admittuntur, nisi vt ne sint Ethnici, hoc est, vt abrenuncient suæ religioni: ergo ea religio non est admittenda in Ecclesiam: nam cur abrenuncianda aliàs? Tertia ratio mera est, & impudentissima impostura. Paulus conatus est transferre ad Christum altare Dei incogniti? vbi? quando? quo teste? Nam id sanè Lucas non dixit. Tantum vsum esse eo altari, Primò pro argumento superstitionis Atticæ: *Ἄνδρες Ἀθηναῖοι*, inquit, *κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ. Viri Athenienses, omnino conspicio vos per omnia quasi superstitiosiores.* Secundò pro occasione concionandi, de vero Deo, quem illi non agnoscebant. Sed vt eodem vteretur ad Deum colendum, nunquam id quisquam diuinauit præter Richeomum.

XII. Quintò. Nihil non religiosum, ponendum in templis. At imagines sunt non religiosæ. Ergo non ponendæ in templis. Maior patet. Minor probatur ex Lactantio. *Non est dubium, quin religio nulla sit, vbicumque simulacrum est. Nam si religio ex diuinis rebus est: diuini autem nihil est, nisi in cælestibus rebus: carent ergo religione simulacra: quia nihil potest esse cæleste in ea re, quæ fit ex terra.*

XIII. Sextò in promptu est priscorum Christianorum consuetudo, apud quos nullæ erant imagines in templis, spatio ferè annorum quadringentorum. Hoc verò Bellarminus non argumentum esse dicit, sed mendacium, Iesuiticè. Sed contra patet: Primò ex eo quod fuisse vllas in templis imagines ab eo, aut ab vllo alio probari non potuit. Quod solidè confectum est præcedenti capite. Secundò, habemus certa nostræ assertionis testimonia ex vetustate.

XIV. Primò: Lampridius in Alexandro Seuero. *Christo templum facere voluit, eúmque inter Deos recipere. Quod & Hadrianus factitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus, sine simulacris iusserat fieri: quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani: quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra reppererant omnes Christianos futuros, si id optatò euenisset, & templa reliqua deserenda.* En tibi templa in Christianorum gratiam, absque numinibus, id est absque vllis simulachris! Bellarminus respondet intelligendum de numinibus Gentilium. Tantum-ne inquam? Nam de iis, fateor. Sed omnino sensus est, nulla in iis fuisse simulacra: quę numina Lampridius dixit, phrasi Ethnica: quia colebantur, vel vt numina, vel pro numinibus.

XV. Optatus libro tertio refert, quosdam territos, quod audissent inferendam imaginem sacris Christianis: dixisse, *Quod qui gustaret, aut acciperet de sacrificio, de sacro gustare videretur.* Et fatetur meritò turbatos, meritóque dixisse, si ita factum esset. *Dicebatur illo tempore venturos esse Paulum, & Macarium qui interessent sacrificio, & cum altaria solemniter operarentur. proferrent illi imaginem, quam primò in altari ponerent: sic sacrificium offerretur. Hoc cum acciperent aures, perculsi sunt & animi, & vniuscuiusque lingua in hæc verba commota est, vt omnis qui hæc audierat, diceret, Qui inde gustat, de sacro gustat. Et rectè dictum erat, si talem famam similis veritas sequeretur.* Cur conturbati, quæso, si soliti videre imagines: & quidem in altari?

XVI. Concilium Elibertinum huc spectat. *Placuit picturas in Ecclesia non esse, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus pingatur.* Ambrosius oratione contra Auxentium libro Epistolarum tertio. *In Ecclesia vnam imaginem noui, hoc est, imaginem Dei inuisibilis. de qua dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Illam imaginem, de qua scriptum est, quia Christus splendor gloriæ, & imago substantiæ eius.* Augustinus capite septimo de Fide & Symbolo. *Tale simulacrum*, scilicet, vt Pater sedeat flexis poplitibus, *Deo nefas est, Christiano in templo collocare.* Idem in Psalmum centesimum decimum tertium, cùm multa dixisset de Idolis, quæ aurum & argentum, appellantur à Propheta, idque opprobrij causa. *Hoc*, inquit, *venerantur, quod ipsi ex auro argentóque fecerunt. Sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex huiusmodi materia vel metallo habemus in vsum celebrandorum sacramentorum: quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur: & in eius honore, cui pro salute nostra inde seruitur. Et sunt profectò etiam ista instrumenta vel vasa, quid aliud quàm opera manuum hominum? Veruntamen nunquid os habent, & non loquentur? nunquid oculos habent, & non videbunt?* Ergo, inquam, nullas Augustinus imagines, statuásve in Ecclesiis videbat. Nam certè si vidisset; quid frontis habuisset; qui eas omisisset, quæ sine dubio habeant oculos, aures, nares, & reliqua, æquè ac aurum & argentum Ethnicorum: neque in alios vsus?

XVII. Ad hunc Augustini locum, en tibi Bellarmini acumen. Augustinus docet simulacra continere homines in errore, non ratione materiæ, sed ratione formæ. Id probari dupliciter: primò, quia

imò, quia multi dorsum conuertunt ad Solem, & supplicant simulacro Solis: non quia non sit longè nobilior: sed quia figura globosa, non tam facile persuadet Solem viuere & sentire, quàm figura simulacri, quæ est nostræ similis. Secundò, quia Catholici etiam habent in locis sacris vasa ex materia preciosa: & tamen quia deest figura humana, ne Gentiles quidem putarent ea vasa viuere, vel spirare.

XVIII. Mera mendacia: meræ imposturæ. Et proh Dei, atque hominum fidem! quodnam hoc genus est hominum? aut quis speret ab eis quicquam boni: tam procul abeuntibus à bona mente, à sincera conscientia? Et hos falli quis dicat? Non ego: imò de industria fallere: neç quicquam pensi habere, dum plebem dementent. Certè nemo aut sanus, aut bonus vir, ita Augustinum interpretaretur. Probat, inquit, non propter materiam, sed propter formam, idola detinere homines in errore. Falsum: nullius hic quæstionis status est apud Augustinum: qui potius explicat, quare de oculis, & auribus idolorum tam sæpe Scriptura admoneat. Id probat, quia multi à Sole auertunt se, qui eius idolum adorent. Falsum. Nam id ille dicit contra eos qui idola interpretabantur Solem, Lunam, Cælum, Terram, reliqua; itaque se in iis idolis illa colere. Quod si verum esset, tum certe Solem ipsum magis venerarentur quàm idola: quod contra erat. Probat secundò, quia Christiani habent etiam vasa aurea & argentea: falsum; nam horum meminit, quum dixit, *Hoc venerantur, quod ipsi ex auro argentóque fecerunt*. Nam parata erat exceptio. At vos habetis in templis, quæ ipsi ex auro argentóque fecistis. Huic obiectioni it obuiam. Fuisset autem præuaricator manifestus; si sola vasa nominans, dissimulasset imagines. Tum autem, quid erat opus vasis Christianorum, quum haberent ipsi Ethnici sua, distincta ab idolis: & quæ ne ipsi quidem deos appellarent, aut etiam venerarentur? Et neget quispiam esse hominum peruersissimos Iesuitas!

Cap. IX.

De Epiphanio.

I. EPiphanius ita scribit ad Ioannem Hierosolymitanum, secundo tomo operum Hieronymi, *Præterea audiui quosdam murmurare contra me, quia quando simul pergebamus ad sanctum locum qui vocatur Bethel, vt ibi collectam tecum ex more Ecclesiastico facerem, & venissem ad villam quæ dicitur Anablatha, vidissémque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogassem, quis locus esset, didicissémque esse Ecclesiam, & intrassem vt orarem, inueni ibi velum pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel sancti cuiusdam, non enim satis memini cuius imago fuerit. Cùm ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi contra autoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus eiusdem loci, & pauperem mortuum eo obuoluerent, & efferrent: illíque contrà murmurantes, dixerunt, Si scindere voluerat, iustum erat vt aliud daret velum, atque mutaret. Quod cùm audissem, me daturum esse pollicitus sum, & illico esse missurum. Paululum autem moratum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere: arbitrabar enim de Cypro mihi esse mittendum. Nunc autem misi, quod potui reperire: & precor, vt iubeas presbyteros eiusdem loci suscipere velum à latore, quod à nobis missum est: & deinceps præcipere, in Ecclesia Christi istiusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi. Decet enim honestatem tuam hanc magis habere sollicitudinem, vt scrupulositatem tollat, quæ indigna est Ecclesia Christi, & populis, qui tibi crediti sunt.*

II. Locus laudabilis. Habes primò velum, in quo erat picta imago Christi, aut sancti alicuius. Id velum pendebat in Ecclesia. Sed in foribus, itaque, vt videtur, non honoris, sed vtilitatis caussa, vt sæpe fit, ad prospectum impediendum; aut etiam ventum arcendum. Nam & postea cùm scissum est, non clamant presbyteri, non conqueruntur sacrum aliquid violatum: solum postulant aliud restitui: vnde ostendunt perinde illis fuisse, pictum esset, an purum. Et tamen habes Epiphanium, Episcopum, virum illustrem, virum doctum, virum in hæresibus exercitatissimum: à quo hoc velum tolerari non potuit: nec tantum amoueri iussum: sed zelo feruentiori scissum. Tum rationem habes: quia eiusmodi vela, nimirum in quibus imago sit siue Christi, siue Sancti, pendent in Ecclesiis contra autoritatem Scripturarum, & contra Religionem Christianam.

III. Vrit Papistas. Itaque nullum non mouent lapidem. Sanderus opere de Imaginibus; cuius argumenta examinauit Hospinianus, nam ego opus ipsum non vidi. Bellarminus de Sanctis libri secundi capite nono: & Bellarmini Breuiator: Baronius anno trecentesimo nonagesimo secundo. Matthæus Galenus in Groqnetij Catechesi, quinquagesima quinta. Vasques capite tertio & quarto disputationis centesimæ quintæ in tertiam Thomæ. Alanus Dialogo quinto, capite vigesimo primo. Fronto Ducæus contra Plessæum capite tertio. Marianus Victorius in editione Chrysostomi. Costerus Enchiridij capite de Imaginibus. Sixtus Senensis libro quinto Bibliothecæ annotatione ducentesima quadragesima septima.

IIII. Et hi, *in tanta varietate constituti sunt* (ait Vasques) *vt molestum videatur, quid vnusquisque sentiat, recensere*: & verò non sibi tantùm quid videatur, exponunt; sed & alij alios refutant. Scindunt tamen se in duos exercitus: quasi diuisæ vires essent fortiores. Alij locum conantur commoda aliqua expositione interpolare: alij directè malunt impugnare.

V. Victorius, Alanus, Vasques, alij, negant contra imagines sacras facere. Non enim agere de imagine Christi, aut sancti vllius: sed alicuius puri, siue, vt mauult Vasques, prophani hominis, qui tamen pictus esset, quomodo solet Christus aut sancti, & honoris gratia ante fores templi penderet. Itaque nihil mirum fuisse, quod eiusmodi velum Epiphanius fregerit. Quid enim indignius, quàm huiusmodi picturis Dei templum conspurcari?

VI. Elegans commentum: & dignum maximis in Papismo ingeniis: atque adeo meliore illo seculo, quo glandes erant, fortè etiam lolium, pro cibo. Nam nunc quidem vix est quisquam naris tam obesæ, cui hæc tanta comminiscendi audacia possit imponere. Verba hæc sunt Epipha-

nij, *Inueni velum pendens in foribus Ecclesiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cuiusdam, non enim satis memini, cuius imago fuerit.* Ex iis primò habes velum, pendens in foribus: deinde in velo, pictam imaginem quasi Christi, vel Sancti. Veli pendentis incertum est, vtrum vsus fuerit aliquis per se; an potius propter imaginem. Nisi quod coniectura est in posterius: quia Epiphanius iubet eo potius pauperem mortuum inuolui: vnde colligi possit, non fuisse necessarium. Contrà tamen, vti videtur, imaginis honorandæ causa, positum fuisse in foribus: neque enim sic vnquam soliti εἰκονολάτραι: nisi fortè hæc prima fuerint gliscentis erroris tentamenta, & iam primulum insinuantis se. Solent enim in maximis etiam sceleribus primordia esse non impudentissima: ex veteri prouerbio: Nemo repente deterrimus.

VII. Sed si imaginis pictura fuerit præcipua, siue per accidens, vt solent ornari quæcunque ad vsus Ecclesiæ applicantur; tamen constat hanc imaginem, immane quantum displicuisse Epiphanio. Displicuisse autem, non quia imago esset: non enim puto æquè scidisset in tentam in loco non religioso. Itaque rationem facti reddit, *In Ecclesia Christi, contra autoritatem Scripturæ, hominis pendere imaginem.* Disertè & consideratè: non vbiuis, sed in Ecclesia.

VIII. Ita se locum habere, nulla ambiguitas: sed hæc noua ingenia magna, sed inter Papistas, ingenia: distinguunt imagines hominum purorum, siue prophanorum: & hominum sanctorum. Illas concedunt non debere in Ecclesia pendere: has contrà. Quæstio ergo, vtras Epiphanius habuerit in mente. Illi priores tantum volunt. At nos vtrasque; imò omnes absolutè. Ratio nobis certa: quia Epiphanius, nullam dat distinctionis indicium. Imò potius, *Contra autoritatem Scripturæ, hominis pendere imaginem.* Nota: primò hominis imaginem: An verò homo sanctus, non est homo? Nam si homo: ergo sancti imago, est hominis imago. Et quomodo qui animal dicit, etiam hominem dicit, quia homo est animal: sic qui hominis imaginem, etiam sancti imaginem. Deinde, *contra Scripturæ autoritatem.* At Scripturæ autoritas, nusquam distinxit imaginem hominis prophani, ab imagine hominis sancti. Cùm ergo & vocibus vniuersalibus, & testimoniis generalibus, vtatur Epiphanius, quis sanus non dicat generaliter etiam sensisse?

IX. Notanda etiam facti circunstantia. Accedit Epiphanius ad Ecclesiam non suæ diœceseos: imò sibi incognitam, & in prætereundo primùm visam: itaque interrogauit, quis locus esset. Audito esse Ecclesiam, intrat, videt velum, obseruat imaginem: lacerat velum. Nónne id tibi videtur eius hominis factum, cui fuerit persuasum nullum velum habens imaginem hominis, in Ecclesia tolerandum? Nam si persuasa fuisset distinctio Papistica; nónne oportuit consultare? quærere, quæ, cuius imago esset? rem lentè cognoscere? interrogare presbyteros? in hominis vitam inquirere? Discant à seipsis Papistæ. Nam si persuasum haberent nullum hominem canonizandum; næ illi, cùm proponitur aliquis, non tanto solennitatis fastu rem peragerent, miracula numerarent, testes interrogarent; sed vel primas propositionis voculas cohiberent. Procul dubio ita fuit animus Epiphanij: persuasus nullius hominis imaginem in Ecclesia esse debere, non disquisiuit: non interrogauit quenquam, sed zelo pietatis incensus, ὡς ἴδιον, ὡς ἱερόν, Sanctum, & minime papisticum furorem.

X. Denique adeò abest hoc commentum à verisimili, vt Alphonsus de Castro Epiphanium in Iconoclastis numerarit. Imò olim Damascenus oratione prima de Imaginibus, quod obseruat Vasques, hunc locum obiicientibus respondent postremò, οὐ τὸ σπάνιον νόμος τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ μία χελιδὼν ἔαρ ποιεῖ, οὐδὲ λόγος εἷς δυνατὸς ὅλην ἐκκλησιαστικὴν τὴν ἀπὸ γῆς περάτων ἀνατρέψαι παράδοσιν: *Quod rarò fit, lex non est Ecclesiæ: neque vna hirundo facit ver: neque vna sententia potest vniuersa traditionem Ecclesiæ euertere.* Alij, quibus non fuit pectus tam ferreum, in falsatores bilem exonerant. Denique Baptista breuiator Bellarmini, hanc solutionem negat placere, & refutat ex professo.

XI. Sed Vasques habet opposita argumenta: imò non argumenta, sed coniecturas, sic enim nominat. Prima ergo coniectura: Si esset imago alicuius sancti non diceret Epiphanius, *Habens imaginem quasi Christi, vel sancti cuiusdam:* sed imaginem Christi, aut sancti. Particulam ergo, *quasi* additam esse, vt ostenderet, velum illud honoris gratiâ ita positum esse, ac si esset Christi aut sancti; quorum imagines meritò sic in templo ponuntur.

XII. Imò, inquam, si esset imago alicuius prophani, non diceret, *Habens imaginem quasi Christi, vel sancti cuiusdam:* nam si eum ardorem concepisset ex indignatione personæ, quam sciisset esse prophanam, determinatè dixisset. Quis enim credat, omisisse prorsus id, quod habere poterat vnicum fundamentum suæ Apologiæ? Itaque longè probabilius, perinde fuisse Epiphanio, cuiuscunque tandem imago esset, non tantùm sancti, sed etiam Christi. Apparet ex addita parenthesi, *Non enim memini cuius imago fuerit.* Hæc enim causa est, quare dixerit, *Christi vel sancti:* non verò determinatè alterutrius. Quo ipso constat, perinde illi vtrumque fuisse: nec minus fuisse discerptum, siue Christi ipsius fuisset, siue alterius cuiusquam sancti.

XIII. Atqui, inquit Vasques, parenthesis non debet referri ad illud, *Christi vel sancti cuiusdam:* sed ad illud, *habens imaginem;* vt sensus sit, ideo dixi imaginem, quæ erat in illo velo, nec addidi, cuius illa fuerit, quia non memini cuiusnam hominis esset.

XIIII. Omnino, inquam, oportet, vt ne Papistis noceat Epiphanius, ita loqui: insulsè, temerè, stolidè. Quis enim ferre queat: Vidi velum habens imaginem: non enim recordor cuius? Atqui breuiatori Bellarmini longè aliter visum, *Quia illa rationalis particula, Enim, reddit rationem quare dixerit: Quasi Christi, vel sancti: alioquin cur apponitur? Quæ est illa ratio: Quia non recordor cuius imago fuerit, ideo dico me inuenisse imaginem honoratam vt imaginem Christi, vel alicuius sancti? Potius erat dicendum: quia non recordor, an fuerit honorata, vt imago Christi, vel imago sancti. Quare sensus verborum Epiphanij erit, nisi admodum velis extorquere textum: quia non recordor, an Christi, vel sancti, aut alicuius cuiuspiam fuerit imago, ideo dico inuenisse imaginem, quasi Christi, vel sancti.*

XV. Se-

XV. Secunda coniectura. Quoniam statim addit, *illi contra murmurantes dixerunt, Si scindere volueras, velum erat ut aliud dares velum, & mutares:* quibus auditis promisit se daturum, & cessauit murmuratio. At si imaginem Christi aut sancti, quam venerari potius debuerat, quamque eum ad finem populus suspenderat, cum iniuria sciderit, contra ipsum acrius murmurasse et Anablatanos, quod Iconomachus esset. Probatur, quia si populus habebat imaginem Christi, aut sancti, ergo cultor erat imaginum. Item eodem tempore, in Græcia imagines erant in magna veneratione.

XVI. Sed multa fingit Vasques, quibus fides nulla. Primò debuisse venerari imagines: hoc enim Papisticum, non Catholicum: at Epiphanius Catholicus, non Papista. Secundò, de in finem à populo suspensum velum. Nam vnde habet suspensum à populo, & non potius ab ostiario? Vnde rursus in eum finem, & non potius ad commoditatem aliquam templi? Nam huc facit locus: Solus enim puto, Christophorus Cololleus [illegible] idololatras, ianitor est: reliqui sancti non solent fores obsidere? Itaque Epiphanius idololatriæ Anablatanos nusquam arguit: vt videatur persuasum, non ferendas in templo imagines, etsi nullus honor deferatur. Tertiò, tum temporis honoratas fuisse in Græcia imagines: nam hæc mera fabula est.

XVII. Tertia coniectura. Quoniam constat ex septima Synodo, & Damasceno, Epiphanij discipulos, ei mortuo imaginem posuisse in templo. Sed hoc nos paulo pòst videbimus: quia iterum obiicitur ab iis, qui in alio sunt exercitu.

XVIII. Atque hactenus illi. Sixtus Senensis probauit Damasceni solutionem, quam eius verbis Græcis describo, [illegible Greek] *Scimus beatum Athanasium, prohibuisse in capsulis reponi sanctorum reliquias potiúsque iussisse condi sub terram; cùm vellet absurdam Ægyptiorum consuetudinem abrogare, qui suos mortuos sub terram non condebant, sed in lectis & grabatis deponebant. Fortè tale quid magnus ille Epiphanius volens corrigere, sanxit ne fierent imagines.*

XIX. Hoc [illegible Greek] improbat Vasques: negans, accommodatam fuisse rationem prohibendæ idololatriæ, laudabilem Ecclesiæ vniuersalis consuetudinem omittere. Sed ille suas res semper agit. Nos concedimus voluisse Epiphanium, itidem vt Athanasium, [illegible Greek]: nec [illegible Greek] tantùm, sed etiam [illegible Greek]: &, vt loquitur Tertullianus, principale crimen generis humani. Eóque magis vrgemus tam illustre exemplum; quo docuit, quicquid adhibeatur cautionis, tamen nunquam satis prouisum fore idololatriæ periculo, nisi exturbatis penitus è templis Christianorum imaginibus omnibus, siue prophanorum illæ sint hominum, siue sanctorum, siue adeo ipsius Christi. In summa [illegible Greek]: Bene concedit Damascenus: absit vt non acquiescant, quibuscunque Christianitas est cordi.

XX. Superest alter exercitus, eorum, qui hunc directè locum impugnant. Primus impetus eorum, qui ipsum Epiphanium infamant. Sicut diximus, Alphonsus de Castro annumerauit Iconoclastis. Nec Damasceni prima solutio longè abscedit. *Vnam hirundinem ver non facere: neque vnius doctoris autoritate totius Ecclesiæ consuetudinem debere euerti.*

XXI. Non probatur hic conatus Vasqui: negat enim aliunde constare Epiphanium Iconomachum vnquam fuisse. At nobis contra persuasum: nam & Iconomachi sunt, & Iconoclastæ, quicunque improbant Cultum imaginum religiosum; quique eas confringunt, cùm in eum abusum deuenerint: tum profectò negari non potest in eo ordine Epiphanium fuisse. Eóque magis laudamus: qui scimus neminem Catholicum non eo modo & Iconomachum, & Iconoclasten fuisse.

XXII. Damasceni ratio esset plausibilior, si hypothesis verior. Nam & nos consentimus, nullius vnquam hominis, quicunque tandem sit, autoritate sola diiudicandas esse religionis controuersias: maximè, si contra stet vniuersa Ecclesia. Sed oppositam fuisse Epiphanij sententiã vniuersæ Ecclesiæ, hoc verò Damascenus Iconolatra potuit dicere: nunquam potuit probare. Imò nos contrà disputamus, & tum isto Epiphanij exemplo, tum aliis multis argumentis probamus; neque vnquam, neque illo seculo vniuersalis Ecclesiæ persuasum imaginum cultum.

XXIII. Reliqui, dum Epiphanio suum honorem videri volunt saluum tectum conseruare, hanc totam narrationem suppositiciam accusant, & à quodam Iconomacho fictam. Quod sanè, si factum vnquam, factum est malè. Sed qui audaciam nouit, hoc vano strepitu non mouebitur. Solent enim iampridem Iconolatræ, non ex rebus ipsis iudiciũ facere de suis opinionibus, sed contrà ex suis opinionibus res omnes æstimare: atque ad eos, quos non possunt nodos, soluere ingenioso aliquo commento, inusitata assumpta audacia secare. Nos, quibus ij noti sunt, mittamus quod dicunt: quare dicant, expendamus. Nam & olim Synodus Parisiensis contra sensit: & non ita pridem Thomas Valdensis, Alphonsus à Castro, Marianus Victorius, Gabriel Vasques, atque alij nonnulli Papistæ.

XXIV. Alanus Copus, totum corpus Epistolæ suggillat: sed obliquè: & admodum leniter, fortè suppositiciam esse. Sed reliqui audaciùs feruntur in hanc duntaxat Epistolæ partem. Vtrosque Vasques improbat. Alani coniectura facilè confutatur ab autoritate Hieronymi, qui epistola sexagesima prima, quæ est ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani, & de optimo genere interpretandi, huius ipsius meminit Epistolæ, atque adeo eius capita præcipua recenset: fatemur non inueniri Græca exemplaria: sed hoc si sufficit, tum verò quid de vniuerso Irenæi opere dicturi sumus? Quid de plurimis Origenis? Quid de Didymo? de Theophilo Alexandrino? Vt alia mittam? Neglecto igitur Alano, reliquorum expendamus argumenta, qui duntaxat hanc epistolæ extremam partem impugnant.

XXV. Primum argumentum. Hieronymus ad Pammachium de optimo genere interpretandi, eius epistolæ geminum esse dicit argumentum: alterum, quo Ioannem reprehendat, eiusque perstringat errores: alterum, quo piè cohortetur ad

meliora: & ne reprehensionis libertate offendatur, postulet. Vnde, inquit Croquetius, argumentum illud de scisso velo, Hieronymum non legisse sit luce manifestius.

XXVI. Respondeo, si Argumentum Croquetius intelligat id, quo comprehendatur paucis vniuersa Epistolæ materia, & quidem distinctis, neque vllis omissis capitibus: tum verò ab Hieronymo non esse tale argumentum propositum. Etenim primam Epistolæ partem, & quidem prolixam de diacono, quem ipse Epiphanius ordinarat intra Ioannis diœcesin, prorsus omittit: quod tamen ad Ioannis errores non pertinet. Quod si non est integrum recitatum argumentum: non est tam hebes Croquetius, vt non videat sui argumenti aciem hebetatam. Tam enim potuit illud de velo scisso legisse ad calcem Epistolæ Hieronymus, quàm ad initium illud de Diacono, & tamen omisisse: nimirum, quia nihil istæc pertinerent ad Ioannis errores, qui ei negotium facessebant.

XXVII. Secundum. Quia hoc quicquid est de velo, additum est, post finitam Epistolam: quod cuiuis legenti perspicuum est.

XXVIII. Respondeo; claudi non totam Epistolam: sed eam tantùm partem, quæ erat præcipua, atque ipsum adeo τιμιον epistolæ, nempe de Erroribus Origenis. Tum attexi τὸ πάρεργον, ad finem, vt amat fieri. Exemplum habes in priore ad Corinthios. Nam capite decimo quinto clausula est, *Itaque fratres mei dilecti, firmi estote, immoti, abundantes in opere Domini semper, quum sciatis laborem nostrum non esse inanem in Domino.* Qui certè finis esse queat Epistolæ. Et tamen sequitur caput decimum sextum: cuius initium, *Porrò de collecta in sanctos:* & quæ sequuntur. Iustinianus, *Hactenus Apostolus de dogmatibus disseruit: iam in fine Epistolæ de beneficentia & caritate in pauperes nonnulla præcipit.* Comparet eruditus lector & iudiciosus vtramque, tum hanc Pauli, tum illam Epiphanij; & videbit vix esse ouum ouo similius.

XXIX. Tertium. Iconomachi non obiecerunt hunc locum iis, qui aduersariam sententiam tuebantur: cùm tamen obiecerint omnia dicta Patrum, quæ vllum colorem habere poterant.

XXX. Sed falsò ponitur omnia fuisse obiecta. Nam tum ex Latinis, tum ex Græcis non pauci sunt loci, iconoduliam confodientes, quos illi tamen nunquam obiecisse leguntur. Patet ex collatione huius disputationis, in qua reperias, qui nulli sunt in Actis Niceni Conciliabuli. Ex Clemente Alexandrino nihil: nihil ex Origene, ex Iustino Martyre nihil. Ex Eusebio Cæsariensi, vnicus locus: itémque ex Athanasio, atque aliis. Nisi fortè hæc itidem omnia supposititia contendant boni viri, suo vbique iure vtentes.

XXXI. Quartum. Epiphanius Diaconus in ea Synodo Nicæna, conuincit duo alia loca similia eiusdem Epiphanij scriptis fuisse inserta ab hæreticis.

XXXII. Respondeo, Diaconum illum non conuincere: sed argumentis quibusdam coniicere: quibus quantum insit fidei, sciremus, si epistolam illam haberemus, quæ tum proferebatur. Deinde argumenti nulla vis est. Quis enim ferat, ex eo quod illos duos locos supposuerint olim illi: Ergo & hunc esse suppositum? Sed hoc sibi permittunt iidem, qui ne Honorium quidem ferre possunt damnatum in Constantinopolitana Synodo; simili argumento. Quod si obtinere permittimus, quid erit tandem, quod Papistis possit obiici, cuius fides non vacillet? Denique res sunt dissimiles. Hunc locum habemus ex Hieronymo, in cuius operibus legebatur iam olim. At Hieronymum non ausint aduersarij tanti criminis insimulare.

XXXIII. Quintum. Discipuli Epiphanij in eius templo imaginem eius posuerunt: quod certè non fecissent, si eorum præceptor dixisset id esse contra Scripturæ autoritatem.

XXXIV. Sed nihil est certi. Nullus enim testis præter eundem Diaconum; cui quantum sit deferendum, vel inde constat, quod traditionem imaginum audet arcessere ab ipso ferme Ecclesiæ initio. Ego illi crediderim accidisse, quod pueris, qui, quia domum ædificari nunquam viderunt, domos credunt æternas. Iste, quia non aderat, cùm primùm in templa inferrentur imagines, credidit ab initio factum: & in Epiphanij templo, ab Epiphanij discipulis. Enimuerò, qui post Epiphanium vixit annis quadringentis (sic enim ipse notat) qui scire tam certò potuit? Nisi fortè discipulos appellet etiam seculis aliquot remotos. Nam huic quidem templo verisimile est, idem quod reliquis accidisse.

XXXV. Sextum: Quia tempore Epiphanij viuebant Basilius, Nyssenus, atque alij, qui imagines in templis laudabant.

XXXVI. De Basilio falsum, vt alias ostendimus. Nysseno fuisse templi ornatum probatum legimus, & in eo picturas ad vsum historiarum. At vela pendentia, & in iis vnam hominis effigiem, nunquam. Deinde, quid, tum? Constat enim recentem fuisse eum vsum: itaque ab aliis vsurpatum, ab aliis improbatum. In qua incertitudine, quid consultius, quàm, hominum autoritate seposita, Deum consulere? Nam Nysseni nulla maior autoritas, quam Epiphanij. At Epiphanij factum magis ad Scripturas, quàm Nysseni.

XXXVII. Septimum. Illud, *Contra autoritatem Scripturarum pendere in templo hominis imaginem;* Indignum est Epiphanio, viro doctissimo: cum sit ineptissimum. Nusquam enim id legitur prohibitum: imò contrarium potiùs: vt patet ex Cherubinis in templo Salomonis.

XXXVIII. Sed ineptias qui in aliis tam confidenter reprehendunt, ipsi suam stupiditatem non sentiunt, furorem etiam dissimulant. Nam hæc sanè sententia, & vera est, & pia, & digna Episcopo: quod cuilibet iam constare potest ex præcedenti disputatione; in qua etiam actum de Cherubinis.

XXXIX. Octauum. Gregorius libri noni Epistola noua, dicit nullum vnquam Episcoporum, ante Serenum Massiliensem fregisse imaginem Christi, vel Sanctorum.

XL. Respondeo, Gregorium falsò dicere, vt solent superstitiosi, multa dissimulare, quæ sibi non fauent. Quanquam potest distinctione excusari. Nam Serenus, non vnum velum, & quidem ad fores pendens, scidit: sed statuas plurimas fregit: vnde patet, opposuisse sese consuetudini, quæ iam plurimum inualuerat. Ast Epiphanius nihil tale: nam velum ad fores appensum, quod fregit, is nulli se opposuit consuetudini: sed factum

ctum vnum particulare & indiuiduum, idémque temerarium & inconsideratum correxit. Sed non magni tamen interest, verè an falsè Gregorius sic loquutus.

XLI. Nonum. Stylus non conuenit cum reliqua Epistola. Et notat Croquetius primò, *Audiui quosdam numerare*, phrasin spurcam, indignámque Hieronymo. Item, *Decet honestatem tuam*, ex Gallico Idiotismo.

XLII. De Stylo, Vasques, *Hac ratione vtuntur fæueri quidam styli censores: qui vbi vix vlla styli discrepantia apparet, magnum sibi discrimen odorari videntur.* Omnino ita est. Itaque simplici negatione argumentum euertitur. Audiui numerare, spurcam phrasin, fateor: sed quibus aut oculis, aut codicibus vsum dicimus Croquetium? Nam editio non tantùm Erasmi, quem vix aliter quàm corruptorem Antiquitatis infamant hodierni Papistæ: sed etiam illa recentior Mariani Victorij, vtraque, inquam, legit *murmurare*. Honestatem cur Gallico idiomati tribuit, & non agnoscit apud Græcos vsitatissimam *σεμνότητα*? Apud Chrysostomum Epistola ducentesima decima quarta. Et cur indignam dicat Hieronymo, potius, quàm *dignatio vestra*, epistola ad Alypium & Augustinum?

XLIII. Decimum. Sanderi apud Hospinianum, quamquam est de re ipsa potius, quàm de Epiphanio. Si aliquæ imagines permitti possunt, vbi potius permitterentur, quàm in Ecclesiis? At alicubi permitti possunt.

XLIV. Elegans, ita me ament omnes, argumentum, dignúmque Papistica, Dialectica, dicam, an Theologia? Quasi quicquid alibi permittitur, in Ecclesias etiam sit admittendum. Et quia in latrinis (honor sit auribus) ventrem licet exonerare, in ipsis etiam Ecclesiis sit permittendum. Nam cur abhorream ab hac similitudine, cùm Scriptura statuas adorationi factas, appellet stercora?

XLV. Vndecimum, eiusdem Sanderi. Epiphanius fuit obseruantissimus Traditionum. At Imaginum cultus est traditio. Ergo non est verisimile impugnatum esse ab eo cultum imaginum.

XLVI. Sed Epiphanius, si nunc in viuis esset, negaret nos pro eo nunc negamus assumptionem: quam ne hodie quidem probare potest, quantum est Papistarū. Et contrà: Epiphanius erat Traditionum obseruantissimus: at non colere in templis imagines, erat tum temporis Ecclesiastica traditio: Ergo verisimile est Epiphanium non coluisse imagines. Deinde, qui traditionum sunt obseruantissimi, si iidem sunt Catholici, distinguunt traditiones conformes Scripturæ, ab oppositis, & has semper tantum abominantur, quantum illas amant. Itaque, etsi tunc fuisset traditio de adorandis imaginibus: sicut fuit aliquot post eum seculis, procul dubio esset detestatus.

XLVII. Duodecimum, rursus Sanderus. Nihil est in scriptis Epiphanij simile. Quod si eo fuisset animo, omnino cultum imaginum inter hæreses retulisset, multisque confutasset.

XLVIII. Respondeo, primò pene absurdum. Nam si hæc Epistola est inter scripta Epiphanij, cur neget quis in scriptis Epiphanij nihil eiusmodi contineri? Tolerabilius dixisset in reliquis. Sed tum, quid ad rem? Aut quid obstat, quominus in singulis scriptis, quædam sint peculiaria quæ in aliis non reperiantur? In vita Pauli, quam scripsit Hieronymus, habes Satyros illi solitario visos: Nihil tale in aliis vllis libris Hieronymus dixit. Quid inde Sanderus inferet? Secundo, ad ipsam negatur. Nam disputatio contra Collyridianos, non abhorret ab hoc loco. Tertiò, Epiphanius in recensendis hæresibus id consilij habuit, vt eas refutaret, quæ aut certos autores, aut certè suos haberent sectatores, habuerántve. At tum temporis nulla eiusmodi, aut erat, aut fuerat hæresis, quæ Christianis obtruderet adorandas imagines, aut etiam in templis consecrandas. Sed fuit hic de velo casus fortuitus, in vno tantùm ignobili viculo: neque pertinaciter ab eius loci presbyteris defensus. Quis hunc miretur in hæresibus non numeratum?

XLIX. Decimum tertium est apud Baronium. Ioannes Hierosolymitanus, ad cuius diœcesin id templum pertinebat, nunquam id factum obiecit Epiphanio: quod tamen ei magno cessisset decoro, considere in aliena diœcesi sacras imagines, qui easdem in omnibus Ecclesiis esse patiebatur.

L. Respondeo, hoc, quod postremum est, falsum esse. Nam quomodo in omnibus Ecclesiis esset passus, & in sua diœcesi, qui in aliena, & in obscuro loco non potuit? Itaque prorsus fictum, quicquid Damascenus dixerit, & Epiphanius ille alter Diaconus. Secundò, Ioannes suo ipse honori prudenter consuluit, qui hac de re questus non sit. Quantum enim Epiphanio ius accessisset in eum declamandi, si ad errores Origenis, qui obiiciebantur, addidisset idololatriam, tantopere à veris Christianis detestatam? Itaque longè fecit sapientiùs, qui negligentiam suam in purganda diœcesi noluerit *παρρησιάζειν*: & hoc monentium potiùs cesserit.

FINIS TOMI SECVNDI.

INDEX PRAECIPVORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ LOCORVM, QVÆ SECVNDO HOC PANSTRATIÆ CATHOLICÆ tomo exponuntur, & ab Aduersariorum exceptionibus, ac corruptelis vindicantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

I. SAMVEL.

II. SAMVEL.

I. REGVM.

II. REGVM.

II. CHRONICORVM.

IOBI.

PSALM.

II. MACHABÆORUM.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆI.

MARCI.

LVCÆ.

IOANNIS.

ACTOR.

AD ROMANOS.

I. AD CORINTHIOS.

II. AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

II. AD THESSALONICENSES.

I. AD TIMOTHEVM.

AD HEBRÆOS.

I. PETRI.

II. PETRI.

I. IOANNIS.

APOCALYPSEOS.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
NOTATV DIGNIORVM, QVAE SECVNDO hoc Panstratiæ Catholicæ tomo exponuntur.

A.

Autho-

Conceptus

D.

Deus

E

Episcopum

F.

G.

Ima-

L

M

S

FINIS.

INDEX

INDEX

LOCORVM PRAECIPVORVM

TVM EX CONCILIIS, TVM EX PATRIBVS, aliisque Autoribus, quæ secundo hoc Panstratiæ Catholicæ tomo exponuntur, aut ab Aduersariorum exceptionibus & corruptelis vindicantur: nec non librorum suppositiitiorum, qui ὀβελίας censurâ notantur.

Atticvs.

Avgvstinvs.

Tom.I.

Tom. II.

Tom. III.

Tom. IV.

Tom. V.

Tom. VI.

Tom. VII.

de Præ-

Tom. VIII.

Tom. IX.

Tom. X.

B

BASILIVS.

BERNARDVS.

BONIFACIVS II.

C

CANONES APOSTOL.

CAROL.

CHRYSOSTOMVS.

GREGORIVS TVRONENSIS.

H.

HIERONYMVS.

HILARIVS.

HINCMARVS.

HIPPOLYTVS.

HVGO DE SANCTO VICTORE.

HVGO ETERIANVS VEL HAERETRIANVS.

I.

IGNATIVS.

IMAG.

INNOCENTIVS EP.

IOHANN. CHRYSOST.

IOHANNES CONSTANTINOPOLITANVS.

IONAS AVRELIANENSIS.

IOSEPHVS.

V.

VALAFRIDVS.

VICTOR VTICEN.

VIGILANTIVS.

VINCENTIVS LYRINENSIS.

Z.

ZENO.

ZONARAS.

ZOZIMVS.

FINIS.

Errata Typographica; Primus numerus paginam, Secundus columnam: litera A B C &c. col. intervallum, ultimus numerus intervalli lineam notat.

Pag. 5 col. 1 A 4 l. illum purgare, & D 1 l. personarum, & F 6 l. oratio & 2 C 3 l. definiti 7. 1 F 10 l. [illegible] & 1 D 10 l. [illegible] 8. 2 B 7 l. [illegible] & D 2 l. rationes atque relationum: 11 non, & B 6 l. quod [illegible] 9. 1 E 2 l. quodnam id 12. 1 F 2 l. imperium. 13. 2 A 4 l. [illegible] & 2 D 3 pro [illegible] & D 9 l. suos affectu 14. 1 A 8 pro [illegible] l. [illegible] 15. 1 B 3 l. monere, & 1 G 4 l. Dal momento 17. 1 G [illegible] l. permolestis, & 1 F 10 l. pertingente 18. 1 A 10 l. [illegible] 19. 1 B 5 l. per singulos 2 D 9 pro solam l. solum 20. 1 A 6 l. relationem connotat [illegible]

[illegible]

A 2 l. [illegible] & G 8. 9 pro [illegible] 241. 1 F 1 l. [illegible] & F 6 l. [illegible] & pro [illegible] F 7 [illegible] & pro [illegible] & [illegible] A 3 l. [illegible] & A 6 l. [illegible] & F 4 l. [illegible] 244. 1 A 3 l. [illegible] & F 8 9 l. Meditationem [illegible] Meditatione 245. 1 D 7 l. secundum. 246. 1 A 2 l. cuiuslibet loci. 247 2 D 1 l. Scriptura 249. 1 D 9 pro [illegible] & 2 C 8 l. [illegible] & F 3 pro Dei l. [illegible]

[illegible]

.1Cap XXII.551 *in tit.* l. Cap XXII e E 3 *pro* praetor l praeter, & F 4 l. repugnans.558.a E 5 *pro* secundi l.tertij. 565.e F in *pro* iudex l. index.& G 4 *pro* Damaii l Ambrosij 571 e A 9.10 *pro* ique l.Itaque. 577 e F 6 *pro* συναδιον l. συναχθεῖσα.& F 7 l. decreta.578.a F 10 *pro* iuberent l.iuberet. & 2 F 5 *pro* Diosento l Flaniaun. 581 *in tit.* l. Cap. VI. 588 a F 6 l. instaurata. & e B 2 *dele* non. 589. a D 10 l διαζευχθῆναι & F 3 *pro* la. τ l. Inter. 590 a G vlt *pro* si l. se.59e. e B 7 l.potestatem dominatui.& F 7 l. *...* 591. a A 7 *pro* qua l qui. 599 e A 7 l.reliquis non consentientibus, & D. 10 l litteras 60e.e C 6 *pro* ieiunij l.iubilei & D 3 *pro* iosula l.infula 603.a C 6 *pro* indicaret l iudicaret 606.a G 5.6 *pro* ad Romanos duodecimo l. ad Romanos decimo tertio. 607. a A 8 *pro* et l. &. B 7 *pro* sine l. sua.608.e B 8 *pro* maledicere l male dicere.610.e G vlt *pro* tenuerat l.timuerat.612.a A 7 l. *...* & A 8 *...* & a G B *pro* quo l.quae 618.a E 8 l.Obijt 619 a G vlt. *...* 617. a D 3 *pro* quinto l vicesimo sexto 630 a E 5 l *...*.638 e G e l *...*.641 a.A 6.7 *pro* Coriothum l Cerinthum & a C 4 *pro* *...* l *...* 643 e F 6 *pro* quinqua l septam. 646.e C 5 *pro* edere l sedare & B 7 *dele* à & l.atai Deo.656 a A 9 l. *...* Simon.657.a C 6 l.eum Lucae. 659. a R e *pro* Christiana l Christianam.660. a D 4 l.non, *memores erant*.662.a B 5 *pro* cap.20. lib 9 l septe vicesimo secundo libri decimi nouj.663 e G 3 l.*...* 667 a G 5 l.partus venti. 670 e A 6 l.quem 672 a B 3 l hunc.677.a A 6 l.apertus.Mahumetus huck.678 D 2 l Massaeus. 683 e F 3 l.credula. 685. a F 1 *pro* cohymali l.cothornati 687.2 B 1 *pro* coactum l. coacta. 689.a B 6 l. Imperatoris & D 8 *pro* etac l.erant.693 a A 4 l quauerunt, & a B 10 l memorem.699 e F 7 *pro* commemoraota l.commorote.709. a C 3 *pro* repraesentate l sapraesentare 710.a B 4 l *...* 711 e B 8 l. peccati, & F 10 *pro* hoc l.hac. 715. a C 10 *pro* Artigonos l Antiochus.716 e F 3 *pro* *...* & F 8 l *...* 717 a D 5 l.*...*.718.a A 5 *pro* praecessiuum l. praecessuram.& a A 3 *pro* *...* l *...* & A 7 l.*...* & A 10 *pro* Graecorno l Graecorum 719 *in tit.* l decimus septimus. 722.a A 1 *pro* *...* l *...*. 724 a B 1 *pro* *...* l *...*.729 a D 1 l. venisset, quae in Cardinala, siue Hebraissimi ignota, nia, siue , o ulatio peruersitas.Quis enim est כריך? aut quis ita appellatus? & כרתי qua forma, qua analogia Chrystianus est? & D 6.l *...* 731.a C 3 *pro* Iudaeorú l Iudaeum 734 a B 4 & 5 *pro* alij l.aliis.736.e B 7 *pro* Antiphisto l Antiochn. 741.a C 8 l *...*.744.a B 1 *pro* *...* l. *...* consequens est 746 a B 3 l Sycophanta.747.2 D 7 l. *...* & 4 l.io eo dedaaus. 748.e D 1 l. *...*.751.a G vlt.l tantum.755 a E 7 l.solum.756.a A 3 *pro* hunc l. hunc.758 a E 9 l.*...* 760.e F 5 *pro* mouereter l mouerentur. 761 e A 5 l.reuelante. Theophylacta 764 e F 9 a fragmenta illa: Maria cap. 11.766.a G 1 *pro* Maria l.Maria 767.a E 1 l.*...* & F 8 *pro* *...* l *...*.770. a E 4 *pro* adorati l.adorauit.771.a B 1 *pro* *...* l.errore 772.a C 1 l infinita. Angelis,Sanctis, Iudaea Maria,hyperdulia.774.a A 6 *pro* quidem l.quidam.777 *in tit.* l Cap. IV & e D 7 *pro* noster l.nostri. & E 3 l *...* 779 a E 3 *pro* secundus l.secundo.781 e A 1 *pro* dubia l.dulia 782 a G 4 *pro* dicatoque l.dicatoq. 785.e C e *pro* *...* l *...*. 788 a D 4 l.*...*. & D 10 *pro* *...* l. *...* & F 1 *pro* ministeria l ministerij. 794. a E l *...* 796.e F 10 *pro* supplicaul l.supplicauit. 797.a D 9 l.*...* mei & Patrum & a C 1 l.quarto ad Coloss. 798 a F 10 *pro* supra l. infra.799.a A 4 *pro* vigesimo octauo l.vigesimo secundo,capite octauo & a G 8 *pro* nono l octauo 803.a A e l.phrases & e A 9 *pro* & formaliter l.sed & formaliter.& B 1 l tantum dissident & B 6 *pro* formam l.forme.806.a B 9 *pro* *...* l *...*,& a E 3 l.*...* 807 a A 1 l.*...* hoc pacto & a B 3 l parte. 808 a C 1 l *...* & a F 9 *pro* coercentes l exercere. 809. e A 6 *pro* Iacobum &c. l. Iosephus.810.a B 3 *pro* proprium l.propriam.812.a E 7 *pro* noctem l.nocte.817 a F 4 *pro* visum l visum.& e F 10 l.restitutam. 820.a A e l futura.& e C 11 *pro* *...* 827 a F 10 *pro* *...* l. *...* 832.a B 2 *pro* qua m l.secundo 835. a A 1 *pro* omnibus l. nubus & e B 10 *pro* Antolycum l. Autolycum & B 3 *pro* *...* l *...* 840.a B 8 *pro* idola l. Idolo.841. e B 6 l.tertio.*...* sculptam similitudinē, Deuter. & G 7 l. Exod. XX 842.a A 8 l *...*.843 a E 4 l in Exod. 20.homil.845.a G 6 *pro* pera l.opera.849 a B 6 *pro* est l.est 852.a D 4 l.tertiam homil.853 e G 1 *pro* pectorum l. pictorum 854. a A 1, &c. *dele* tenere aut clam habere, ut Episcopus, aut Diaconus, deponitor: s.856.a E 1 l Patrū 859. a E 4 l imagines. 861 a A 7 & 8 l fecit Claudius in dioecesi 866 a B e l.*...* & F 2 l *...* opera.868 *in tit.* l.de Cruce. & a F 6 *pro* nō l.non & G 4 *pro* speciei l speciem, & a D 9 *pro* finem l.signum 869.a A e *pro* qui l quia & A 9 l crucis 870 *in tit.* l.de Cruce.871.a E 8 l.parando : Plaimoque & a A 11 *pro* id est. l idem est.872 *in tit.* l De Cruce 875 a G 3 *pro* delam l.dilatam 876.a B 9 l Romanorum signa.879 a A 1 *pro* nihil l.mihi & A 4 *pro* earum l.eorum. 880 *in tit.* l. De imaginibus in templis.881 *in tit.* l.Cap. VII.882.a F 4 l *...*.883 a A 1 l centesimum decimum tertium, & e C 3 *pro* *...* l *...*. 884 *in tit.* l.de imag. in templis & a B 4 *pro* Patres l. Filius.885.a G 3 *pro* & l vt. 886. a B 9 *pro* si l. sue. & D 7 *pro* iudicium l. indicium.

FINIS.